Ecole Supérieure
de
Théologie

011

PA
6285
.A2
A27
1631

Nicolas Abram, S.J. +1655

Commentarius in tertium volumen Orationum M. T. Ciceronis

Pars Prior

Lutetiae Parisiorum
S. Cramoisy
1631

2014-07-JAM

D 93

CAROLO IV
SERENISSIMO
LOTHARINGIAE
ET BARRI DVCI, &c.

Ecole Supérieure
de
Théologie

BIBLIOTHECA MAJOR

LICINIVM *illum Imperatorem, & moribus & patriâ barbarum ferunt,* (Dux Sereniſsime) *adeò litteris infeſtum fuiſſe, vt eas peſtem Reip. vocaret, præcipuè forenſem induſtriam. Gothi Regem Atalaricum bonis artibus inſtrui noluerunt, rati doctrinæ, & eloquentiæ ſtudiis animorum aciem hebetari, neque fieri poſſe, vt qui puer ferulam metuiſſet, is corroborata*

iam ætate fortiter impetus hoſtium ſuſtineret. Barbarorum is ſenſus fuit. At Græci iam inde à temporibus heroicis eloquentiæ ſtudia tanti fecerunt, vt Reges liberis ſuis non ſolùm bene agendi, ſed etiam bene loquendi magiſtros adhiberent, vt meritò poeta neſcio quis Muſarum facundiſsimam Regibus comitem adiunxerit. Quid de Romanis loquar? quorum præcipui quique Imperatores non minùs eloquentiæ quàm armorum ſtudio floruerunt. Omitto Scipiones, Sullas, Pompeios; omitto Auguſtos, Tiberios, Claudios: omitto Caium qui magis Oratoris quàm Imperatoris nomine gloriari ſolebat. Ille ipſe Iulius Dictator palmam cæteris omnibus oratoribus præripuerat, niſi militarem gloriam feruore iuuentutis

Homerus Iliad. 9.

Heſiod. in Theog.

elatus eloquentiæ prætuliſſet: qui tamen ſubacto terrarum orbe factus ætate maturior, defecatiore iudicio, Ciceronem tantò triumphis omnibus lauream maiorem adeptum eſse ſcripſit, quantò plus eſt ingenii Romani, quàm Imperii terminos promouere. Adeò cui ſe Oriens Occidénſque ſubmiſerat, non dubitauit faſces illos laureatos, Aquilaſque Romanas vnius Oratoris eloquentiæ ſubmittere. Nunc idem M. Tullius tuis, Dux Sereniſsime, *auſpiciis in lucem prodit urus, tùm demum præclarè ſecum agi putabit, cùm ſe Lotharingicis Aquilis ſubiecerit, Téque, quo nullum inter principes aut prudentiorem in conſiliis capiendis, aut ſagaciorem in euentibus præuidendis, aut diſertiorem in proferendis animi ſenſi-*

bus, aut fortiorem in exequendis negotiis inuenire potuit, patronum elegerit. Quòd ſi Commentarios ſpectemus, nemini potiori iure debentur, quàm ei, quem mihi Principem ſupremum & Deus, & naſcendi conditio præfecit, & Societas noſtra tam prolixum & liberalem erga ſe ſemper agnouit, vt ne referendæ quidem gratiæ ſe parem eſſe fateatur. Muſsiponti xxx. Iunii. M. DC. XXXI.

Tuæ Celſitudinis

Seruus & ſubditus humillimus,
NICOLAVS ABRAMVS
è Societate IESV.

CANDIDO LECTORI SALVTEM.

PAVCA ſunt, Candide lector, de quibus & ego te monitum velim, & tu fortaſſe moneri deſideres. Ac primùm quæres quæ me potiſſimùm cauſſa ad ſcribendos hoſce Commentarios induxerit. Ea fuit vnica: eorum qui vitæ meæ rationibus præſunt, voluntas. Cur autem me ad id commentandi genus appellerent, non accuratiùs inquirendum, ſed præceptum pro religioſa obedientia exhauriendum putaui. Audierant, opinor, aſſiduas magiſtrorum querelas, nihil eſſe ſterilius Cicerone, nihil eius prælectione, & explanatione moroſius, eum plerumque multas paginas in vnica argumentatione conſumere: Intereà nullam occaſionem aut proferendæ eruditionis, aut euoluendæ antiquitatis, aut enodandæ difficultatis offerri, commentatores in variis lectionibus, in tricis præceptionum, in interpunctionibus totos eſſe, nihil interim adferre, quod magiſtrorum prælectiones amœnaret. Quibus vocibus cùm Superiorum aures aſſiduè perſonarent, eos remedij quærendi voluntas inceſſit. Cur autem in tanta virorum doctorum ſegete, me ingenio vix mediocrem, eruditione non ſatis expolitum ad tantum opus elegerint, neque ſcio, neque ſi ſciam, dicere velim. Iam vt tertium volumen Ciceronis Commentariis meis illuſtrare decernerem, in conſilium caſus admiſſus eſt. Caſus is fuit, quòd cùm id oneris impoſitum eſt meis ceruicibus, Piſonianam in Rhetorica meis diſcipulis prælegebam. Eius explanationem cœpi paulò diligentiùs expolire, vt me ipſe tentarem, viderémque

--quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri.--

Ne ſi inconſultò in hanc arenam prodiiſſem

Galeatum ſerò duelli pœniteret.

Eius orationis expoſitione cùm mihi neſcio quomodo placuiſſem, ad cæteras eiuſdem voluminis animum adieci. Conſilij fuit, tum quòd eo tempore ſcriptæ ſunt, quo, vt ipſe teſtatur, decoctis adoleſcentiæ vitiis incipiebat eius oratio caneſcere, tum

quòd earum pleræque pertinent ad vniuerſam Remp. nec obſcurè ſignificant quibus principum molitionibus oppreſſâ communi libertate rerum omnium poteſtas tandem ad vnum deuenerit. In ipſo Commentario hæc præſtare conamur: 1. Singulis orationibus præfationem adhibemus, qua plerumque cauſſæ totius occaſionem paucis oſtendimus; ſtatum quæſtionis indagamus, dicendi characterem inquirimus. 2. Deinde tabulis quibuſdam argumentorum, totiúſque ſeriem orationis in certos numeros digeſtam euoluimus. 3. Singulis ſectionibus argumentum peculiare præfiximus, quo mentem Oratoris paucis explicamus. 4. In explanatione fuſiùs & pleniùs ſectionis totius ſenſum & verba exponimus, dictorum expendimus rationes, argumentationes Rhetoricas ad Logicas contrahimus, orationem ad Rhetorum præcepta frequenter exigimus, nonnunquam numerum ipſum, membra, inciſa, circuitúſque verborum examinamus, varias etiam, cùm opus eſt, lectiones attingimus. 5. Quod ad Notas attinet, iis M. Tullium cæterorum ſcriptorum comparatione illuſtrare conamur. Scio non defuturos qui me ambitioſiùs aiant veterum exempla corradere, eáque collegiſſe, quæ ſelegiſſe præſtitiſſet. Verùm vt in conuiuiis, ſic in bonarum litterarum epulis,

Tres propè conuiuæ mihi diſſentire videntur.

vt alius probet, quod alter reſpuit. Nos magnâ ferculorum copiâ, litterarium iſtud conuiuium extruximus: capiet quiſque quod ſtomacho magis arriſerit, & fluentem ex aliorum ciborum conſpectu nauſeam coërcebit; Equidem viris doctis placere cupio, indoctis prodeſſe, ſciolis nec placere deſidero, nec ſpero me magnopere profuturum. 6. Tandem axiomata quædam, ſiue pronuntiata moralia ſubiecimus, vt qui ad hos Commentarios acceſſerit, non doctior ſolùm, ſed etiam melior à lectione diſcedat.

LAVREÆ TVLLII IN CICERONEM Patronum ſuum.

EPIGRAMMA.

QVO tua, Romanæ vindex clariſſime linguæ,
Sylua loco meliùs ſurgere iuſſa viret,
Atque Academiæ celebratam nomine villam
Nunc reparat cultu ſub potiore Vetus:
Hìc etiam apparent lymphæ non antè repertæ,
Languida quæ infuſo lumina rore leuant.
Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cùm patefecit ope,
Vt, quoniam totum legitur ſine fine per orbem,
Sint plures, oculis quæ medeantur aquæ.

SVMMA PRIVILEGII A CHRISTIANISSIMO Galliarum Rege conceſſi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum, atque patentibus literis cautum eſt, ne quis in regno ſuo aliíſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra ſex proximos annos à die impreſſionis primæ inchoandos ac numerandos, excudat, vendat, excudendum vendendúmque quouis modo & ratione curet librum, qui inſcribitur, NICOLAI ABRAMI *è Societate* IESV *Commentarius in M. T. Ciceronis Orationes*, præter Sebaſtianum Cramoiſy Bibliopolam Iuratum Pariſienſem, aut illos quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eadem auctoritate Regia omnibus ſuis ſubditis, eundem Librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam vbicumque fuerit ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dicti Sebaſtiani Cramoiſy, idque omne ſub confiſcatione librorum, aliíſve pœnis originali diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis 12. Decembris 1629.

Signatum, De mandato Regis, SENAVLT.

Hæc prima Editio perfecta fuit 1. die Auguſti 1631.

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS Societatis IESV*, in Prouincia Campaniæ.*

EGO IOANNES FORERIVS Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Campaniæ, poteſtate ad id mihi ſpecialiter facta à Reuerendo admodum Patre noſtro MVTIO VITELLESCO, Præpoſito Generali eiuſdem Societatis, concedo, vt liber inſcriptus, *Commentarij in tomum tertium Orationum M. T. Ciceronis*, à Patre NICOLAO ABRAMO noſtræ Societatis IESV compoſitus, & eiuſdem Societatis grauium doctorúmque hominum iudicio approbatus, in communem vtilitatem typis mandetur: in quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas, dedimus. Muſſiponti die 28. Maij, anno 1628.

IOANNES FORERIVS.

IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO P. SEXTIO.

PRÆFATIO.

ORATIONEM *hanc, qui minùs attentè legunt, vel inani verborum volubilitate nullâ ſubiectâ ſententiâ temere profuſam, vel torrentibus ex aqua pluuia collectis, qui certum non habentes alueum, quacunque ruptis obicibus exitum inuenerint, copioſo gurgitis redundantis æſtu per plana, per abrupta deuoluti ſiluas, armenta, paſtorum ſtabula ſecum inuoluunt, ſimilem arbitrantur. Eam tamen ſi propiùs inſpexerint, amni quieto placidóque non abſimilem eſſe fatebuntur, quæ*

Ceu ſeptem ſurgens ſedatis amnibus altè
Per tacitum Ganges aut pingui flumine Nilus,

Ex vberrimo cœleſtis ingenij fonte promanans, & tranquillo curſu ſemet euoluens, quò magis abundat, eo maiorem animis auditorum vel amœnitatem, vel fœcunditatem impertiat, & rerum ſententiarúmque copiâ cum verborum vbertate contendat. Adeo verum eſt, quod de Demoſthenis lucubrationibus Cicero, de Ciceronis Orationibus Plinius Iunior ſtatuebat. Eam omnium optimam eſſe, quæ eſſet omnium longiſsima. Laudabitur ab aliis

---- Conſpicuæ diuina Philippica famæ,

Milonianam alij nobiliſsimam dicent, Cluentianam Sidonius, quòd cauſam maximè inuolutam feliciter expedierit, cæteris anteponet, Tacitus Ciceronem nulla magis oratione, quàm iis quas pro Scauro, Gabinio, Vatinio dixit, cenſendum eſſe teſtabitur.

---- Quot capitum ſenſus, totidem ſtudiorum
Millia. ----

Non errauerit fortaſſe qui Sextianam hanc, quam præ manibus habemus, nulli ſecundam eſſe contendet. Si qua enim eſt Ciceronis oratio rebus affluens, verbis ampla, iucunditate breuis, ſine ſatietate producta, ſine fuco concinna, lectiſsimis dicendi floſculis adſperſa, maieſtate rerum auguſta, ſalibus condita, conſiliis matura, ciuilibus inſtructa præceptis, ea omnia in hanc vnam orationem congeſta reperies. Vt quod ait Gregorius Nazianzenus, Homerum breuem eſſe, longum Antimachum, *quòd alter pauculos verſus delibatis vndequaque dicendi pigmentis ad ſatietatem vſque fucauit, alter genuinâ dicendi copiâ manans meras veneres ingentibus operibus ſuis adſperſit, iucundior etiam futurus ſi Iliadi librum, libris verſum, ſingulis verſibus ſyllabam adieciſſet, idem de Sextianâ dicere iure poſsimus. Cuius enim ingenij fuit, rem ab Hortenſio iam ante ple-*

niùs & ſubtiliùs diſputatam ita denuo tractare, vt iudices ſiue neſcio qua rerum toties auditarum nouitate, ſiue blandâ verborum ſuauitate, tanquam aureis Herculis Gallici catenulis, dicentis ab ore ſuſpenſos, tot horas ſine faſtidio retineret? Quanti iudicij ad criminis vnius depulſionem, res omnes à ſe, à cliente, ab amicis propemodum omnibus præclarè geſtas, omnes ſeditiones in Republ. concitatas, vexatum Senatum, Equeſtrem ordinem afflictum, plebem laceratam, occupatum latrociniis forum, exhauſtum ærarium, expilatas prouincias, inflammata Deorum templa, exteras nationes illius anni furore conquaſſatas, Reges proſcriptos, recreatam deinde Remp. dictas in Senatu de ipſo Cicerone ſententias, habitas de eodem à principibus ciuitatis conciones ſic adhibere, vt quidquid propriæ, clientis & amicorum laudi, quicquid inimicorum inſectationi detraxeris, id ipſi cauſæ detraxiſſe videaris? Quantæ fœlicitatis tam multa, tam varia, tam diſsipata ſic conferre, & ſemper ad eundem defenſionis ſcopum, tam certo determinatóque ictu collineare, vt omnia in vnum colligi poſsint, & perbreuem ſyllogiſmum? quem antequam expono operæ pretium fuerit, ab ipſo fonte, actionis huius occaſionem accerſere.

C. Iulius Cæſar primo conſulatu ſuo, cùm iam tum de inuadenda Rep. cogitaret, Pompeium & Craſſum ciuitatis facilè principes ſibi deuinxerat, maioráque in dies moliebatur, agros Campanos populo diuidebat, coloniam ſcribebat, populos vniuerſos ciuitate donabat, publicanis tertiam partem vectigalium remittebat, cætera omnia faciebat, quibus plebis & equeſtris ordinis gratiam aucuparetur, & contra Senatum potentiam ſuam ſtabiliret. Obſiſtebant eius conatibus, Bibulus Conſul, Cicero, Cato, Lucullus, Hortenſius cæteríque principes ciuitatis. Bibulus erat ille quidem vir fortis, ſed tamen ſegnior, quàm vt ſine aliorum hortationibus aliquid ageret, & brachia contra torrẽtem opponeret. Lucullus & Hortenſius iam ætate prouectiores, ambitioníſque pertæſi, otio & mollitie diffluentes animum à Reip. curâ propemodum abduxerant. Soli Tullius & Cato, ex iis qui tum & populi gratiâ, & auctoritate, & amore Reip. florebant; alter eloquentiâ, alter conſtantiâ morúmque grauitate, videbantur Cæſaris cogitationibus & conſpirationi Principum obfuturi. Quos vt à Reipub. cuſtodiâ Cæſar amoliretur, P. Clodium adoleſcentem perditum, & ad omne facinus expeditum vtrique opponere ſtatuit, &, vt faciliùs eos euerteret, ad tribunatum plebis promouere. Sed cùm is patritius eſſet, ac proinde legibus ſacratis ad eum magiſtratum adſpirare non poſſet, eum traduxit ad plebem, & in plebeiam Fonteiorum familiam adoptauit. Is deinde creatus Tribunus plebis, Piſone & Gabinio Conſulibus adminiſtris vſus eſt ad dilacerandam Remp. plebem largitionibus corrupit, leges alias fixit, alias refixit ac ſuſtulit, Ciceronem eiecit, eo crimine quòd ille Conſul Cethegum, Lentulum & alios coniurationis Catilinariæ participes iuſsiſſet in carcere iugulari, bona Ptolemæi Cypriorum Regis publicauit, Catonem ad exportandam Ptolemæi pecuniam ſpecioſo præturæ nomine relegauit. Et vt præceps omni ſcelere ferebatur, ſibi temperare non potuit quo minùs in ipſum denique Pompeium furorem ſuum conuerteret, quem multis frequenter & contumeliis affecit, & inſidiis appetiuit. Pompeius, vt corroboratam eius audaciam debilitaret ac frangeret, Ciceronem ſtatuit ab exilio reuocare, adiit Italiæ municipia, & ciues omnes ad ſuſcipiendam cauſam hortatus, L. Ninnium Tribunum plebis impulit, vt de eius reditu referret ad Senatum, ſed cùm Conſulibus ad cauſam non accedentibus, nihil eo anno obtineri potuiſſet, vt primùm anno ſequenti, Qu. Lentulus Spinther, & Q. Metellus Nepos Conſulatum iniere, ad Senatum relatum eſt, factúmque S. C. vt lex à Tribunis plebis ferretur, de reditu Ciceronis, Fabricius, Milo, Sextius rem enixè ſuſceperant. Clodius cùm legem aliter impedire non poſſet, operas & gladiatores in

forum immiſit, qui, vi, manu, gladiis diſcuterent concionem, & Fabricium primò, deinde Sextium venientes in forum pene interemit. Cuius vt furoribus Milo & Sextius obſiſterent, per comparatas gladiatorum familias, vim vi repulerunt. Clodius, cùm ei dies à Milone lege Lutatia de vi diceretur, ædilitatem curulem petiit, vt magiſtratûs beneficio iudicij laqueos declinaret, & vt erat profligatiſſimi pudoris, ipſe Miloni diem dixit, quòd ad vim faciendam gladiatorum ſibi familias comparaſſet. & M. Tullium Albinouanum induxit, vt eodem crimine, eadem lege Publ. Sextium accerſeret, qui Cornelio Lentulo Marcellino, & L. Marcio Philippo Coſſ. eum lege Lutatia de vi apud M. Aemilium Scaurum Prætorem poſtulauit. Cuius actionis cardo, & ſtatus hic eſt. Vtrum Sextius vim commiſerit. Affirmat M. Tullius Albinouanus, negant patroni Sextij duo, Q. Hortenſius & Cicero. Firmamentum accuſatoris fuit, quòd Sextius in Tribunatu gladiatorum familias ſecum habuerit. Quam contrà rationem oppoſuerit Hortenſius non liquet: rationem noſter huic firmamento contrariam hoc ſyllogiſmo complectitur.

Non eſt de vi damnandus qui ſingulari pietate fuit in ſuos, & ſemper flagrauit incredibili amore bonorum, & optimatium partes in Rep. ſectatus eſt, oppreſſa ſeditioſorum armis Rep. legibus iudiciiſque ſublatis, inimicorum vel occultis inſidiis, vel apertis impreſſionibns appetitus, ipſa denique neceſſitate compulſus præſidium ſibi comparauit, vt vim vi propulſaret.

Sed hoc fecit P. Sextius.

Ergo de vi damnandus non eſt.

Aſſumptio tota narratione à numero 6. ad 86. propoſitio ab 86. ad 96. continetur. Deinceps ad 144. exponit qui propriè dicantur optimates, & adoleſcentes ad amplectendam optimam quamq; Reip. partem hortatur, quod etiam probationi maioris illius propoſitionis inſeruiat. Syllogiſmi concluſionem ipſa peroratione comprehendit.

Totius orationis diuiſio.

- Exordium ad n. 6.
- Narratio
  - de rebus geſtis Sextij ante Tribunatum à 6. ad 13.
  - de turbis ante Sextij Tribunatum, & exitu Ciceronis à 13. ad 67.
  - de Reip. ad meliorem ſtatum conuerſione à 67. ad 80.
- Confirmatio à 80. ad 96.
- Digreſſio de optimatibus à 96. ad 156. cui inſeritur inſectatio.
  - Gellij à 110. ad 115.
  - Vatinij à 134. ad 136.
- Peroratio
  - digreſſionis à 136. ad 144.
  - totius actionis à 144. ad finem.

Genus ipſum orationis varium eſt, & modò ſubtile, vt cùm de optimatibus diſputat, de gladiatoribus & theatris. Modò temperatum, vt in omnibus pene tranſitionibus & frequenter in narratione. Plerumque tamen ſublime, magnificum & vehemens præſertim in peroratione. Imò ſi diligenter attenderis, quartum, vt ita dicam, huic vni orationi peculiare dicendi genus aduertes. Cùm nihil ſit illius ſuauitate ſublimius, nihil ſublimius ſubtilitate, nihil ſublimitate vel ſuauius, vel ſubtilius, vt è tribus illis dicendi formis vnam miro concentu concinnaſſe videatur.

Libro 2. ad Quintum fratrem epiſt. 3.

AD quintum Idus Feb. Sextius ab indice Cn. Nerio Pupiniâ de ambitu eſt poſtulatus, & eodem die à quodam M. Tullio de vi. Is erat æger. Domum, vt debuimus, ad eum ſtatim venimus, eíque nos totos tradidimus, idque fecimus præter hominum opinionem, qui nos ei iure ſuccenſere putabant, vt humaniſſimi gratiſſimíque & ipſi, & omnibus videremur. Itáque faciemus.

I. Exordium ſectionibus quinque comprehenſum. Reddit auditorem

- 1. attētum.
  - 1. proponens rem admirabilem, & quaſi conuerſionem ſtatus Reip. 1.
  - 2. docens præſentem cauſam ad vniuerſam Remp. pertinere. 1.
  - 3. dicens ſe nihil prætermiſſurum, quod pertineat ad præſentem quæſtionem. 5.
- 2. beneuolum reo & ſibi.
  - 1. commemorans beneficia in Remp. quod ne ſit odioſum, Senatum & bonos omnes in huius laudis Societatem accerſit.
  - 2. miſericordiam captans.
    - 1. ex comparatione cum aduerſariis. 1.
      - hi ſunt afflicti.
      - illi alacres volitant.
    - 2. ex periculo, ſquallore, & ſordibus. 2.
    - 3. ex cauſa periculi bonorum, & ſecuritatis improborum. 1.
      - hi affliguntur, quia defenderunt Remp.
      - illi alacres volitant, quia perturbarunt.
    - 4. ex modo calamitatis infligendæ. 2.
      - per iudices optimos viros optimis ciuibus calamitatem important.
    - 5. ex inopinato. *ego autem*, &c. 2.
  - 3. amabiles mores oſtendens.
    - 1. gratitudinem. 2. *qua voce mihi*, &c.
    - 2. inuidiæ vacuitatem, laudans Hortenſium. 3.
    - 3. modeſtiam in eloquentia & ingenio commemorando.
  - 4. iracundiæ & doloris veniam petens. 4.
- 3. infenſum aduerſariis.
  - odio.
    - 1. ob iniurias Reip. illatas.
    - 2. ob contemptum iudicum, quorum religione abuti volunt ad innocentium perniciem.
  - ſtomachatione.
    - ob impunitatem. 1.
    - ob rei indignitatem. 2.
- 4. docilem.
  - propoſitione.
  - diuiſione.
    - 1. dicet de priuata vita, quæ eſt fundamentum virtutum publicarum.
    - 2. de vita publica, & adminiſtratione Reip.

M. TVLLII CICERONIS
ORATIO
PRO P. SEXTIO.

ARGVMENTVM.

Cùm in exordio debeat orator auditorem attentum, beneuolum, docilem reddere, ab attentione & beneuolentia orationem auſpicatur. Ab attentione quidem demonſtrans cauſam magni eſſe momenti, & ad ſtatum totius Reipubl. pertinere. A beneuolentia modeſtè commemorans Sextij in Rempubl. beneficia, ſimúlque ſe accingens ad inuidiam contra aduerſarios inflammandam.

SI quis ántea, iudices, mirabatur, quid eſſet, quòd pro tantis opibus Reipubl. tantáque dignitate imperij, nequaquam ſatis multi ciues forti, & magno animo inuenirentur, qui auderent ſe, & ſalutem ſuam in diſcrimen offerre pro ſtatu ciuitatis, & pro communi libertate: ex hoc tempore miretur potiùs, ſi quem bonum: & fortem ciuem viderit, quam ſi quem aut timidum, aut ſibi potiùs, quàm Reipub. conſulentem. Nam, vt omittatis de vniuſcuiuſque caſu cogitando recordari, vno aſpectu intueri poteſtis eos, qui cum Senatu, cum bonis omnibus Remp. afflictam excitarint, & latrocinio domeſtico liberarint, mœſtos, ſordidatos, reos, de capite, de fama, de ciuitate, de fortunis, de liberis dimicantes: eos autem qui omnia diuina & humana violarint, vexarint, perturbarint, euerterint, non ſolùm alacreis, lætóſque volitare, ſed etiam voluntarios fortiſſimis atque optimis ciuibus periculum moliri, de ſe nihil timere.

I. Exordium.

EXPLANATIO.

SI QVIS.] Periodus eſt quatuor membris dimenſa, qua oſtendit præſenti cauſa ſalutem totius Reipub. contineri, neminémque fore, niſi Sextius abſoluatur, qui ſalutem ſuam in diſcrimen offerre velit pro ſtatu ciuitatis.

PRO TANT. OP.] Iure fecit opum, & dignitatis mentionem. Cùm enim duo ſint hominum genera, quorum politiores potiſſimum honeſtate ac dignitate, agreſtiores verò & rudiores ſola vtilitate, & emolumento commouentur, tantas opes eſſe Reipubl. docet, vt mirum ſit ſi non vel agreſtiſſimi quique ad eius defenſionem ſpe præmiorum moueantur: tantam imperij dignitatem, vt qui politiores ſunt ſola laude, ſola virtutis honeſtate, ſolo imperij ſplendore & præſtantiâ debeant excitari.

BONVM ET FORTEM.] Bonum vt amet Remp. quæ vel tam ingrata eſt, vel tam miſera vt bonis ciuibus perniciem inferri patiatur: fortem, vt eidem periclitanti cum tanto capitis, ſalutíſque propriæ periculo audeat ſubuenire.

NAM VT OM.] Nam, vt ſingillatim de ſingulis non cogitemus, qui quòd contra nefarios improborum conatus Reip. partes ſuſceperint, adeo mercedem non retulerunt, vt etiam propter beneficia in Rempub. collata ſummam ipſi calamitatem incurrerint.

VNO ASPECTV.] Vno coniectu oculorum intueri poteſtis Sextium, Milonem, alios reos & ſordidatos, & P. Lentulum Ciliciæ Proconſulem mœſtum propter rogationem à C. Catone Tribunoplebis promulgatam, vt ipſi Ciliciæ imperium abrogetur, & fortaſſe nomen ipſius de vi deferatur, quia cum P. Sextio à ſeditioſis qui faſces eius fregerunt non occiſus eſt.

CVM SENATV.] Qui & meas & Reipub. partes ſuſceperunt cum Senatu, qui propter meum diſceſſum, tanquam in publico luctu veſtem mutari decreuerat, & cum bonis omnibus, equitibus præſertim, qui idem priuatim fecerant, meámque cauſam magnâ curâ ſuſceperant.

LATROC. DOMESTICO.] Pactione prouinciarum & expilatione ærarij, cum H-S centies & octogies, id eſt plus minus quingenta millia aureorum Piſoni ex pactione cum Clodio facta, vaſarij nomine, fuit attributum.

SORDIDATOS.] Sordidis veſtibus & maculatis indutos ad miſericordiam iudicum commouendam.

QVI DIV. ET HVM. VIOL.] Leges humanas magiſtratúſque contempſerint, ædes ſacras incenderint, auſpicia neglexerint, templum Caſto-

ijs armatis hominibus occuparint.

VOLITARE.] Securè, arroganter, impudentérque ſe in ſuis ſceleribus oſtentare.

NOTÆ.

1. SI QVIS.] Iure noſter Reipubl. ſtatum deplorans perturbatam oſtendit eſſe præmiorum & pœnæ rationem. Nam, vt ait Plato tertio de legibus. Πόλιν, ὡς ἔοικε, τὴν μέλλουσαν σώζεσθαί τε καὶ εὐδαιμονήσειν εἰς δύναμιν ἀνθρωπίνην δεῖ, καὶ ἀναγκαῖον τιμάς τε καὶ ἀτιμίας διανέμειν. *Eam, vt videtur, Rempub. quæ ſalutem & fœlicitatem conſecutura eſt, oportet & neceſſarium eſt pœnas & honores, quoad eius per humanam infirmitatem fieri poterit, rectè diſtribuere*. Noſter epiſtolâ quadam ad Brutum de Solone. *Is Rempub. duabus rebus contineri dixit, præmio & pœnâ.* & iure quidem. Νόμος γὰρ, vt auctor eſt Philo libro de ſua ad Caium legatione, ἐκ δυοῖν συνεστάναι πέφυκε, τιμῆς ἀγαθῶν, καὶ πονηρῶν κολάσεως. *Lex enim duobus abſoluitur, honore bonorum, & malorum ſupplicio.* Polybius lib. 6. inter cætera Romanos inde commendat. Τιμῆς γάρ ἐστι καὶ τιμωρίας ἐν τῇ πολιτείᾳ μόνος ὁ δῆμος κύριος, οἷς συνέχονται μόνοις, καὶ δυναστεῖαι, καὶ πολιτεῖαι, καὶ συλλήβδην πᾶς ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος. παρ' οἷς γὰρ ἢ μὴ γιγνώσκεσθαι συμβαίνει τὴν τοιαύτην διαφοράν, ἢ γιγνωσκομένην χειρίζεσθαι κακῶς, παρὰ τούτοις οὐδὲν οἷόν τε κατὰ λόγον διοικεῖσθαι τῶν ὑφεστώτων. πῶς γὰρ εἰκὸς ἐν ἴσῃ τιμῇ ὄντων τῶν ἀγαθῶν τοῖς κακοῖς. *Solus enim populus cùm honorum tum ſuppliciorum in Republ. poteſtatem ſortitus eſt, quibus ſolis & potentatus, & politiæ, ac in ſummâ vniuerſa mortalium vita continetur. Apud quos namque huiuſmodi differentiam aut non cognoſci, aut cognitam malè vſurpari contingit apud hoſce nihil prorſus eorum quæ accidunt, rectâ poterit ratione adminiſtrari. Quomodo enim id fieri poſſet, ſi parem cum bonis mali ſortirentur honorem?* Et eam ob rem clari Oratores hinc frequenter orationem arceſſunt. Demoſthenes aduerſus Timotheum. Τίς ἐθελήσει φιλοτιμεῖσθαι πρὸς ὑμᾶς ὅταν ὁρῶσι μήτε τοῖς χρηστοῖς καὶ εὐτάκτοις χάριν οὖσαν, μήτε τοῖς πονηροῖς καὶ ἀκοσμοῦσι τιμωρίαν παρ' ὑμῶν. *Quis deinceps volet veſtris rationibus inſeruire, cùm viderit neque bonis & moderatis gratiam referri, neque malis & immoderatis ſupplicium irrogari?* Et oratione in Leptinem. Ἔστιν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πάντας μὲν τοὺς νόμους ὑμῖν, ὡς ἐγὼ νομίζω, σπουδαστέον, ὡς κάλλιστα ἔχειν, μάλιστα δὲ τούτους δι' ὧν μικρὰν ἢ μεγάλην ἔστιν εἶναι τὴν πόλιν. Εἰσὶ δ' οὗτοι τίνες; οἵ τε τοῖς ἀγαθόν τι ποιοῦσι τὰς τιμὰς διδόντες, καὶ οἱ τἀναντία πράττουσι τιμωρίας. *Omnium quidem, ô Athenienſes, legum ſplendori & obſeruationi ſtudendum eſt, ſed earum maximè quibus Rempub. aut paruam, aut magnam neceſſe eſt euadere. Quænam illæ verò? Eæ quæ bene facientibus honorem, malefacientibus ſupplicium imponunt.* Lyſias contra Philonem. Ἀναμνήσθητε δὲ διότι ποτὲ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας γινομένους περὶ τὴν πόλιν τιμᾶτε, καὶ τοὺς κακοὺς ἀτιμάζετε. ἐδείχθη γὰρ ἀμφότερα ταῦτα, οὐ τῶν γεγενημένων μᾶλλόν τι ἕνεκα, ἢ τῶν γενησομένων. ἵνα ἀγαθοὶ προθυμῶνται γίγνεσθαι ἐκ παρασκευῆς, κακοὶ δὲ μηδ' ἐξ ἑνὸς τρόπου ἐπιχειρῶσι. *Recordamini verò cur eos qui bene Rempubl. geſſerint honore, malos dedecore afficiatis. fit enim vtrumque non præteritorum magis cauſâ quàm futurorum. vt ex deſtinato & certa animi inductione bene facere excitentur, malè verò nullo pacto facere conentur.* Libanius loco communi contra proditorem. Ἀμφοτέρωθέν ἐστι τὴν πόλιν σώζεσθαι, τῶν μὲν τῶν τιμαῖς παρακαλουμένων εἰς τὰ βέλτιω, τῶν δὲ τῶν τιμωρίαις παιδευομένων μηδὲν ἀδικεῖν. *Ex vtroque horum ſalus pendet ciuitatis, ſi alij honoribus excitentur, alij ſuppliciis erudiantur, ne mali eſſe velint.* Atque huc reſpexiſſe videtur Democritus, qui auctore Plinio lib. 2. cap. 7. *Poſuit duos Deos pœnam & beneficium.* Sed, ni fallor, pulchrè Iulianus ad pœnam & præmium alluſit lib. 4. anthologiæ cap. 32. epigr. 8. εἰς ἀρχοντικὸν πέλεκυν.

Pœna, præmium.

Democritus Deos duos putauit, pœnam & beneficium.

Ἢν μὲν ἀλιτραίνεις πέλεκυν βλεφάροισι δοκεύεις,
  Ἢν δὲ σαοφρονέῃς ἄργυρόν εἰμι μόνον.
Si pecces rigidam cernes hic ſtare ſecurim,
  At verò argentum ſum modò ſi ſapias.

Hos tamen omnes Tullius longè ſuperauit, non enim ſolùm malis queritur pœnas non infligi, aut bonis honorum præmia non concedi, ſed etiam docet vtriſque planè contrarium quàm eorum vita poſtulat, euenire, vt videlicet malis præmia, ſupplicia bonis irrogentur. Præiuerat Lyſias de cæde Eratoſthenis. Ἐγὼ μὲν οὖν, ὦ ἄνδρες, οὐκ ἰδίαν ὑπὲρ ἐμαυτοῦ νομίζω ταύτην γενέσθαι τὴν τιμωρίαν, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς πόλεως ἁπάσης· οἱ γὰρ τοιαῦτα πράττοντες ὁρῶντες οἷα τὰ ἆθλα πρόκειται τῶν τοιούτων ἁμαρτημάτων, ἧττον εἰς τοὺς ἄλλους ἐξαμαρτήσονται· ἐὰν γὰρ ὑμᾶς ὁρῶσι τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχοντας. εἰ δὲ μή, πολὺ κάλλιον τοὺς μὲν κειμένους νόμους ἐξαλεῖψαι, ἑτέρους δὲ θεῖναι, οἵτινες τοὺς μὲν φυλάττοντας τὰς ἑαυτῶν γυναῖκας ταῖς ζημίαις ζημιώσουσι, τοῖς δὲ βουλομένοις εἰς αὐτὰς ἁμαρτάνειν πολλὴν ἄδειαν ποιήσουσι. *Ego verò, indices, non priuatam magis mei ipſius quàm communem totius Reipubl. arbitror eſſe vltionem, Qui enim huiuſmodi ſceleribus ſe adſtringunt, videntes pœnas quæ ijs irrogantur, de cætero ſe magis ab inferendis in alios iniuriis abſtinebunt, ſi vos illud ſentire aduerterint. Si ſecus euenerit, longè ſatius eſt leges poſitas oblitterare, & alias ferre quæ pœnam in eos qui ſuas vxores defenderint ſancitam habeant, ijs autem, qui eas voluerint habere ludibrio multam impunitatem indulgeant.*

PRO TANTIS OPIBVS REIPVB.] Etſi quod ait Seneca epiſt. 65. *Nemo patriam ſuam quia magna eſt amat, ſed quia ſua.* tamen moueri neceſſe eſt ipſa patriæ, & imperij dignitate. Noſter 1. de Orat. 196. *Ac ſi nos, id quod maximè debet, noſtra patria delectat, cuius rei tanta eſt vis ac tanta natura, vt Ithacam illam, in aſperrimis ſaxulis, tanquam nidulum affixam, ſapientiſſimus vir immortalitati anteponeret, quo amore tandem inflammati eſſe debemus, in eiuſmodi patriam quæ vna in omnibus terris domus eſt virtutis, imperij, dignitatis?* Porrò quantæ fuerint opes Reipubl. quanta dignitas Imperij doctiſſimè Lipſius in Admirandis. Elegans illud Crinagori epig. 1. anthol. cap. 4. II.

Patriæ charitas.

Οὐδ' ἢν Ὠκεανὸς πᾶσαν πλημμύραν ἐγείρῃ,
  Οὐδ' ἢν Γερμανίη Ῥῆνον ἅπαντα πίῃ·
Ῥώμης οὐδ' ὅσσον βλάψει σθένος. &c.
Non ipſe Oceanus ſi fluctus excitet omnes,
  Aut tua Germanus Rhene fluenta bibat.
Romanas quaſſabit opes. &c.

Imperij Romani dignitas.

Sed de Imperij magnitudine, vide quæ pro Milone diſſeremus. vide Ariſtidem Romæ encomio.

AFFLICTAM EXCITARINT.] Infra 5. *In ruinis euerſæ atque afflictæ Reipubl. P. Sextij tribunatus eſt à fortuna ipſa collocatus.* III.

DE CAPITE, DE FAMA.] De capite dimicare non ij ſolùm dicuntur, quorum vita in periculum adducitur, ſed etiam qui quocunque modo, quacunque mulctâ plectendus, non ob cauſas ciuiles, ſed ob facinus in iudicium vocatur, cuiuſ- IV.

modi diſceptationes Iuriſconſulti criminales appellant. Cæteroquin cùm creſcere ſemper, & quibuſdam gradibus aggerari debeat oratio, frigidè loqueretur, ſi periculum capitis & vitæ præponeret, ſubiungeret autem famæ fortunarúmque periculum. vt hîc & pro Rabirio perduellionis reo. *In hac defenſione capitis, famæ, fortunarúmque omnium.* Ad cuius rei intelligentiam audi Poletum lib. 4. hiſtoriæ fori Romani cap. 1. *Caput in iure duplex eſt, ciuile & naturale, & duplex mortis diſcrimen, ciuilis & naturalis. Itaque phraſes illæ in orationibus veterum dicere cauſam capitis, dimicare pro capite ad capitis imminutionem mediam qua ciuitas, maximam qua ciuitas & libertas amittitur, ferè ſemper referuntur, vbi caput pro ſtatu incolumi capitur, ſicut in iure ſerui caput non habent.* Clariùs, Minor capitis diminutio dicebatur, cùm quis per adoptionem in aliam familiam tranſibat, & adoptanti vitæ ſuæ neciſque poteſtatem ita tradebat, vt iam nō ſuo ipſius capite, ſed patris adoptiui nomine cenſeretur. Media cùm quis vel ſponte, vel iudicum ſententiâ ſolum vertebat, & in aliam ciuitatem migrans intèr Romanos capite cenſeri deſinebat. Maxima cùm quis eiiciebatur ex vrbe, bonis publicatis, & libertate ſublatâ. Minor pœnæ loco non habebatur. Media pœna tum erat ſi coniuncta eſſet vel infamiæ, vel bonorum publicationi, quare plus eſt de fama, & fortunis quàm de ſolo capite dimicare. Maxima quæ libertatis amiſſio continebatur, & erat grauiſſima, nec ſolebat niſi maximis criminibus irrogari.

Capitis minutio.

AXIOMATA.

Vbi perturbata eſt ratio pœnarum & præmiorum, mirandum eſt potiùs, ſi quem bonum & fortem ciuem videris, quam ſi quem aut timidum, aut ſibi potiùs quam Reip. conſulentem.

Improbi cum de ſe nihil timent bonis periculum moliuntur.

ARGVMENTVM.

Superiore ſectione odium aduerſariis ex improbitate quæſiuerat, & inuidiam ex potentia, nunc vna & eadem ratione vtrumque inflammat: iram quidem quod de iudicibus tam malam opinionem conceperant, vt eorum auctoritate tanquam latronum manu bonos viros opprimere conarentur: inuidiam quod adeo ſibi non timerent, vt iudicum religione abuti ſe poſſe ad opprimendos bonos confiderent. Tum ſibi beneuolentiam conciliat à gratitudine, & miſericordiam à ſpe fraudata & euentu inopinato.

IN quo cùm multa ſunt indigna, tum nihil minùs eſt ferendum quàm II.
quòd iam, non per latrones ſuos, nō per homines egeſtate, & ſcelere perditos, ſed per vos nobis, per optimos viros optimis ciuibus periculum inferre conantur: &, quos lapidibus, quos ferro, quos facibus, quos vi, manu, copiis delere non potuerunt, hos veſtra auctoritate, veſtra religione, veſtris ſententiis ſe oppreſſuros arbitrantur. Ego autem, iudices, qua voce mihi in agendis gratiis, commemorandóque eorum, qui de me optimè ſunt meriti, beneficio, eſſe vtendum putabam, ea nunc vti cogor in eorum periculis depellendis: iis potiſſimum vox hæc ſeruiat, quorum opera, & mihi, & vobis, & populo Romano reſtituta eſt.

EXPLANATIO.

IN QVO.] Cùm in hac aduerſariorum potentia, quæ tanta eſt, vt cum diuina & humana violarint, non ſolùm alacres lætique volitent, ſed etiam voluntarij fortiſſimis, atque optimis ciuibus periculum moliantur, de ſe nihil timeant, multa reperiantur inuidia & indignatione digniſſima, tum nihil eſt indignius quàm quòd vos ipſos iudices, ſeruis & latronibus ſuis, quos viritim in meam Reique publicæ perniciem toto foro ex ergaſtulis conuocatos conſcripſerant, & illis qui per egeſtatem & animum ſceleribus inquietum, in quamuis fraudem & facinus inducuntur; vos, vos, inquam, iudices, illis perditis ſceleratiores exiſtimant. eius enim vos ſceleris adminiſtros eſſe cupiunt, quod non poteſt niſi à ſceleratiſſimis expectari.

ET QVOS LAPID.] Quibus maxima in foro lapidatio facta eſt, cùm de meo reditu ageretur.

QVOS FERRO.] Quo Quintus frater meus, & P. Sextius pene occiſus eſt.

QVOS FACIBVS.] Quibus mea domus deflagrauit, oppugnatæ ſunt ædes Milonis.

QVOS VI, MANV, COPIIS.] Gladiatorum, operarum & ſeruorum è quibus ex omni fæce collectis copiæ contra Remp. conflatæ ſunt.

HOS.] Milonem & Sextium, quorum alter de vi accuſatur lege Lutatia à M. Tallio Albinouano, alter à P. Clodio Ædile curuli.

VESTRA AVCTORITATE.] Qui è tribus ordinibus delecti iudicatis.

VESTRA RELIG.] Qui iurati ſententiam feretis.

SE OPP. ARB.] Quod profectò non arbitrarentur, niſi vos nefarios, niſi ſacrilegos, niſi impios iudicarent.

EGO AVTEM.] Quemadmodum odium ex ſcelerum commemoratione, inuidiam ex nimia aduerſariorum potentia, & impotenti felicitate concitauit, ita ſibi viciſſim beneuolentiam ex amabilium morum ſignificatione, & miſericordiam quæ inuidiæ, & indignationi opponitur ex inopinata miſeria, & fraudata expectatione conciliat.

NOTÆ.

INDIGNA.] Sæpè idem queritur, vt iudices in indignationem inflammet. pro Milone 5. *In iudicio verò, & in eo conſilio, in quo ex cunctis or-* 1.

dinibus ampliſſimi viri iudicarent, nunquam exiſtimaui ſpem vllam eſſe habituros Milonis inimicos, &c. & 30. *Non poteſtis hoc facinus improbum iudicare, quin ſimul iudicetis omnibus qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut veſtris ſententiis eſſe pereundum.* Vide orationem pro Roſcio Amerino 17. vbi de C. fimbria elegans narratio. & 151.

II. LATRONES.] Qui propriè dicantur latrones oſtendimus pro Milone. *Inſidiatori verò & latroni quæ poteſt adferri iniuſta nex.*

III. EGESTATE.] In iudicum delectu fortunarum ratio habebatur. Philipp. *In iudice ſpectari & fortuna debet, & dignitas.* Plinius lib. 14. Proœmio. *Senator cenſu legi cœptus, iudex fieri cenſu.* Seneca. *Cenſu in foro iudex legitur.* Nec immeritò, quia iudex pauper faciliùs ſpe lucri oblatâ in fraudem impellitur,

Iudices ex cenſu.

---- iures licet & Samothracum,
Et noſtrorum aras contemnere fulmina pauper
Creditur, atque Deos Diis ignoſcentibus ipſis.

Et, vt ait Euripides in ſupplicibus actu primo;

Οἱ δ' οὐκ ἔχοντες καὶ σπανίζοντες βίου, &c.
Εἰς τοὺς ἔχοντας κέντρ' ἀφιᾶσιν κακά.
At nihil habentes atque victûs indigi, &c.
Mittunt aculeos aſperos in diuites.

Adde Naſonem 3. amorum eleg. 7.

Curia pauperibus clauſa eſt, dat cenſus honores,
Inde grauis iudex, inde ſeuerus eques.

IV. ET SCELERE PERDITOS.] Iure homines ſcelere perditos iudicibus opponit. quia vt Plato teſtatur 3. de Republica iudicem eligere oportet, ὀψιμαθῆ γεγονότα τῆς ἀδικίας οἷόν ἐστι. *Qui ſero didicerit, quid ſit iniuſtitia.* Πονηρία μὲν γὰρ ἀρετήν τε καὶ αὑτὴν οὐκ ἄν ποτε γνοίη, ἀρετὴ δὲ φύσεως παιδευομένης χρόνῳ, ἅμα αὑτῆς τε καὶ πονηρίας ἐπιστήμην λήψεται. *Improbitas enim neque ſeipſam, neque virtutem vnquam agnouerit, virtus verò cum natura longo vſu, & tempore erudita tum ſui ipſius, tum improbitatis notitiam habet.*

Iudici virtus neceſſaria.

V. VESTRA RELIGIONE.] Iuſtinianus I. *Cui non cognitum eſt antiquos iudices non aliter iudicialem calculum accepiſſe, niſi priùs Sacramentum præſtitiſſent, omni modo ſe cum veritate, & legum obſeruatione iudicium eſſe depoſituros.* Aſconius in Verrinam I. *Iurabant in leges iudices, vt obſtricti religione iudicarent.* Idque non Romæ ſolùm, ſed etiam Athenis. Formulam habes apud Demoſthenem oratione contra Timocratem, quæ formula his verbis concluditur. Ἐπόμνυμι Δία, Ποσειδῶνα, Δήμητρα, καὶ ἐπαρῶμαι ἐξώλειαν ἐμαυτῷ, καὶ οἰκίᾳ τῇ ἐμαυτοῦ, εἴ τι τούτων παραβαίνοιμι· εὐορκοῦντι δὲ πολλὰ κἀγαθὰ εἶναι. *Iuro Iouem, Neptunum, Cererem, & imprecor mihi ipſi exitium, & domui meæ, ſi quid horum tranſgrediar, iuranti verò ex animi ſententia multa bona & præclara euenire.* Quare frequenter tum Græci, tum Latinus orator refricant religionis iureiurando ſuſceptæ memoriam. Demoſthenes de falſa legatione, initio: Δέομαι δ' πάντων ὑμῶν, ἃ δὲ τοῖς μὴ δεηθεῖσι δίκαιόν ἐστιν ὑπάρχειν, μηδεμίαν μήτε χάριν μήτ' ἄνδρα περὶ πλείονος ποιεῖσθαι ἢ τὸ δίκαιον, καὶ τὸν ὅρκον ὃν εἰσελήλυθεν ἕκαστος ὑμῶν ὀμωμοκώς. *Vos omnes orabo, quod nec orantibus concedi par eſt, nullam gratiam nulliúſve perſonam iuſtitiæ, eíque iuriiurando, quo concepto vnuſquiſque veſtrûm acceſſit, anteferre.* Æſchines initio reſponſionis, ἐτόλμησε παρακελεύσασθαι πρὸς ἄνδρας ὀμωμοκότας. *Homines iuratos hortari auſus eſt,* &c. Rurſum Demoſthenes oratione de corona, τοὺς νόμους καὶ τὸν ὅρκον, *leges & iuſiurandum,* in conſilium adhibere hortatur noſter pro Cluentio 12. de iudice corrupto, *Qui ad perniciem innocentis fidem ſuam, & religionem pecuniâ commutarit.* & alibi frequenter. actione primâ in Verrem 32. *Nunc tamen eo animo ſum, vt eo iudice quàm prætore hanc rem tranſigi malim, & iurato ſuam quam iniurato aliorum tabellas committere.* E quibus vides, quod etiam notat Aſconius è Iudicibus ſolum Prætorem, ſiue Quæſitorem iuramenti religione ſolutum fuiſſe.

Iudices iurati.

Quæſitor iniuratus.

AGENDIS GRATIIS.] Animum beneficiorum memorem oſtendit, vt in iudicum beneuolentiam irrepat, eam enim nihil magis conciliat, quàm gratitudo. Sophocles in Aiace, VI.

Χάρις χάριν γάρ ἐστιν ἡ τίκτουσ' ἀεί·
Ὅτου δ' ἀπορρεῖ μνῆστις εὖ πεπονθότος,
Οὐτ' ἂν γένοιτό ποθ' οὗτος εὐγενὴς ἀνήρ.
Gratia reciprocam gratiam ſemper parit. Gratitudo.
Cuius memoria corde meritorum effluit,
Non ille clarus mente generoſâ cluet.

Vnde & Gratias manibus implexis in orbem tripudiare fabulantur. Seneca lib. I. de beneficiis cap. 3. *Quid ille conſertis manibus in ſe redeuntium chorus, ob hoc quia ordo beneficij per manum tranſeuntis nihilominus ad dantem reuertitur, & totius ſpeciem perdit, ſi vſquam interruptus eſt: pulcherrimus ſi cohæſit. & vices ſeruauit. Ideo ridentes, quia promerentium vultus hilares ſunt, quales ſolent eſſe, & qui dant, & qui accipiunt beneficia. Iuuenes, quia non debet beneficiorũ memoria ſeneſcere. Virgines, quia incorrupta ſunt & ſincera, & omnibus ſancta, in quibus nihil eſſe alligati decet, nec adſtricti. Solutis itaque tunicis vtuntur. pellucidis autem quia beneficia conſpici volunt.* Concinit Ariſtoteles 5. Ethic. Nicomach. cap. 5. Χαρίτων ἱερὸν ἐμποδὼν ποιοῦνται ἵνα ἀνταπόδοσις ᾖ. τοῦτο γὰρ χάριτος ἴδιον. ἀνθυπηρετῆσαι γὰρ δεῖ τῷ χαρισαμένῳ, καὶ πάλιν αὐτὸν ἄρξαι χαριζόμενον. *Gratiarum templum in via conſtituunt, vt retributio fiat, oportet enim ei vices referre à quo beneficium acceperis, & rurſus eum beneficio præuenire.*

Gratiæ.

AXIOMATA.

Nihil minus eſt ferendum quàm cùm improbi, per bonos ciues bonis ciuibus periculum inferre conantur.

Iis potiſſimum noſtra vox ſeruire debet, per quos cæteris eſt reſtituta.

ARGVMENTVM.

Tres ob cauſas dicit ſe ad dicendum accedere, 1. propter pietatem & animi gratitudinem, 2. propter querelam, vt de acceptis inimicorum ſcelere iniuriis data occaſione conqueratur, 3. propter dolorem qui ex tot iniuriis acceptus non poterat ſilentio contineri.

III. ET quamquam à Q. Hortenſio clariſſimo viro, atque eloquentiſſimo cauſa eſt P. Sextij perorata, nihílque ab eo prætermiſſum eſt, quod aut pro rep. conquerendum fuit, aut pro reo diſputandum: tamen aggrediar ad dicendum, ne mea propugnatio ei potiſſimum defuiſſe videatur, per

quem eſt perfectum, ne cæteris ciuibus deeſſet. Atque ego ſic ſtatuo, iudices, à me in hac cauſa, atque hoc extremo dicēdi loco, pietatis potiùs quàm defenſionis, querelæ quàm eloquentiæ, doloris quàm ingenij partes eſſe ſuſceptas.

EXPLANATIO.

Et qvanqvam.] Quamuis Q. Hortenſius tam abundè omnes boni patroni numeros explerit, vt nihil ad Sextij defenſionem addendum eſſe videatur, *&c.*

Perorata.] Peroratam fuiſſe cauſam dicit, vt oſtendat eius orationi nihil penitus defuiſſe, quamuis actioni finem non imponeret. Cicero verò hanc cauſam perorauit, non Hortenſius. is enim cauſam perorare dicebatur, qui actionem finiebat.

Qvod avt pro Repvb.] Prima ſectione, vt magis quanti cauſa eſſet momenti oſtenderet, magiſque iudicum animos aduerteret, viſus eſt ipſam Remp. incuſare, quæ bonos ciues ſceleratorum audacia opprimi pateretur, nunc eandem ſic excuſat, vt inuidiam in aduerſarios magis exaggeret, qui Remp. ita ſuis factionibus oppreſſerant, vt lacrymis potiùs, & querelis quàm incuſatione digna videretur.

Tamen aggred.] Videtur vti tali ſyllogiſmo.

Vox mea debet illi ſeruire cuius operâ ſum patriæ reſtitutus, vt ciuibus inſeruiam.

Sed Sextij potiſſimùm operâ reſtitutus ſum patriæ, vt ciuibus inſeruiam.

Ergo vox mea debet ſeruire Sextio.

Propoſitio habetur poſtremis verbis ſuperioris ſectionis. *Iis potiſſimum,* &c. *reſtituta eſt.* aſſumptio illis, *per quem eſt factum ne cæteris ciuibus deeſſet.* concluſio, *ne mea propugnatio ei potiſſimum defuiſſe videatur.*

Atqve ego.] Tres adfert cauſas quæ ipſum, quamuis ad dicendum nihil reliquiſſet Hortenſius, ad perorandum impulerunt. Pietatis in Sextium benefactorem, querelæ pro Rep. Clodianorum factionibus oppreſsâ, doloris quem ex recordatione tot iniuriarum acceperat.

NOTÆ.

I. Eloquentia Hortenſij. Eloqventissimo.] De eloquentia Hortenſij vide diuinationem in Q. Cæcilium, librum de claris oratoribus, & alibi paſſim. Tanta fuit, vt antequam Tullius forum attingeret, *in iudiciis regnare* diceretur. Præcipuam tamen eius eloquentiam in pronuntiando fuiſſe notat Fabius lib. 11. cap. 3. *Cuius rei fides eſt, quod eius ſcripta tantùm intra famam ſunt, qui diu princeps Oratorum, aliquando æmulus Ciceronis exiſtimatus eſt, nouiſſimè quoad vixit ſecundus, vt appareat placuiſſe aliquid eo dicente, quod legentes non inuenimus.* noſter in Bruto, *meliùs dixit quàm ſcripſit Hortenſius.* Vide diuinationem 46.

II. Perorare. Perorata.] Eodem ſenſu pro Cœlio 23. *Itaque illam partem cauſæ facilè patior grauiter, & ornatè à M. Craſſo peroratam.* & Iuuenalis Sat. 2.

---Et hanc veſtem populo mirante peroras
In Proculas & Pollineas.---

III. Pro Rep.] Solent oratores publicam cauſam, cùm priuatâ reorum coniungere. Exempla apud Tullium obuia ſunt. E Græcis pauca libabimus. Lyſias de ſacrilegio Calliæ. Ἄξιον δέ μοι δοκεῖ εἶναι οὐ τούτων ἴδιον ἡγεῖσθαι τὸν ἀγῶνα, ἀλλὰ κοινὸν ἁπάντων τῶν ἐν τῇ πόλει. *Dignum mihi videtur non propriam iſtorum cauſam, ſed communem omnium ciuium arbitrari.* & apologiâ de muneribus acceptis. Πᾶσιν ἡγοῦμαι φανερὸν εἶναι, ὅτι οἱ περὶ τῶν τοιούτων ἀγῶνες κοινότατοι τυγχάνουσιν ὄντες τοῖς ἐν τῇ πόλει. *Nemini video dubium eſſe, quin huiuſmodi cauſæ ad omnes ciues latiſſimè ſe extendant,* &c. Item oratione contra Ergoclem. Ἐνθυμεῖσθε γάρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὅτι οὐκ Ἐργοκλῆς μόνος κρίνεται, ἀλλὰ καὶ ἡ πόλις ὅλη. *Aduertitis enim, iudices, non ſolùm Ergoclem in iudicium vocari, ſed ciuitatem vniuerſam.* Demoſthenes contra Leptinem. Μηδ᾽ ὑπολαμβάνετ᾽ εἶναι τὸν ἀγῶνα τόνδε ὑπὲρ ἄλλου τινός, ἢ τοῦ τῆς πόλεως ἀξιώματος, πότερον αὐτὸ δεῖ σῶν εἶναι, καὶ ὅμοιον τῷ προτέρῳ, ἢ μεθιστάναι. *Neque exiſtimate aliam rem agi nunc quàm dignitatem, & exiſtimationem ciuitatis, vtrùm eam conſeruatam, & priori ſimilem eſſe oporteat, an verò aboleri.*

Extremo dicendi loco.] Cicero in Bruto. IV.
Tum Brutus, Quid tu, inquit, quæris alios, de te ipſo, nonne quid optarent rei, quid ipſe Hortenſius videbamus? qui cùm partiretur tecum cauſas, (ſæpè enim interfui) perorandi locum, vbi plurimum pollet oratio, ſemper tibi relinquebat? Et verò cùm plures patroni eandem cauſam agerent, extremum ſibi ferè relinqui ſolitum, tum ab Hortenſio, tum à cæteris dicendi & perorandi locum ipſe in Oratore teſtatur. *Quid ego de miſerationibus loquar? quibus eo ſum vſus pluribus, quòd etiamſi plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant, in quo vt viderer excellere, non ingenio, ſed dolore aſſequebar.* Quare fieri poteſt, vt idem Hortenſius extremum Tullio dicendi locum relicturus, aliam cauſam lepidè ſimularit. Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 13. *Hortenſius platanos ſuas vino irrigare conſueuit; adeo vt in quadam actione, quam habuit cum Cicerone, ſuſcepta precario à Tullio poſtulaſſet, vt locum dicendi permutaret ſecum. Abire enim in villam neceſſariò ſe velle, vt vinum platano, quam in Tuſculano poſuerat, infunderet.*

Doloris qvam ingenii.] Pindarus Olymp. 9. V.
Τὸ γὰρ καυχᾶσθαι παρὰ καιρὸν μανίαισιν ὑποκρέκει. *Gloriari importunè furori ſubtexit.* Ideóque maximi quiq; viri de ſuâ vel eloquentiâ, vel ingenio, vel nunquam, vel parciſſimè gloriantur: immo ſuos nonnunquam errores ſine fuco & fallaciâ confitētur, vt Hippocrates lib. 5. epidemiorum. Ἔκλεψαν δέ μου τὴν γνώμην αἱ ῥαφαὶ ἔχουσαι ἐν σφίσιν ἑωϋτῇσιν τοῦ βέλεος τὸ σῖνος. Quibus pauculis verbis plus ex animi candore laudis apud laudatos medicos, Philoſophos & Rhetoras eſt conſecutus, quàm ex diuinis illis ingenij ſui monumentis. Cornelius Celſus. *A ſuturis ſe deceptum eſſe Hippocrates memoriæ prodidit. more ſcilicet magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium. Nam leuia ingenia quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio multáque nihilominus habituro conuenit, etiam ſimplex veri erroris confeſſio.* Plutarchus opuſculo quomodo quis intelligat ſe profeciſſe in virtute. Ὁ γὰρ προκόπτων ἀληθῶς, καὶ τὸν Ἱππο-Glorioſa proprij errati cōfeſſio.

κράτω παράδειγμα ποιεῖται τὸ περὶ τὰς ῥαφὰς ἀγνοηθὲν αὐτῷ τῆς κεφαλῆς ἐξαγορεύσαντα, καὶ γράψαντα, &c. *Qui verè proficit, Hippocratis ſibi proponit exemplum, qui ſuum circa ſuturas capitis errorem confeſſus eſt, litteriſque mandauit.* Fabius lib.3.cap.8. *Nam & Hippocrates clarus arte medicinæ videtur honeſtiſſimè feciſſe, quòd quoſdam errores ſuos, ne poſteri errarent, confeſſus eſt.* Quæ ſi vera ſunt, viderit Ioſephus Scaliger, quem Caſaubonus ode illa Sapphicâ duobus Cæſaris Anticatonibus longiore litterarum & ingeniorum Deum appellat, in qua claſſe cenſeri poſſit, qui ſingulis pene paginis ſuum ingenium, & eruditionem ad cœlum extollit, vt egregiè Serrarius noſter notat in ſuo Mineruali oblato diuinis grammaticis. Modeſtiùs Lyſias oratione de pecuniis Ariſtophanis.

Non iactandum ingenium aut eloquentia.

Τὴν μὲν οὖν παρασκευὴν, καὶ προθυμίαν τῶν ἐχθρῶν ὁρᾶτε, καὶ οὐδὲν δεῖ περὶ τούτων λέγειν, τὴν δ' ἐμὴν ἀπειρίαν πάντες ἴσασιν ὅσοι ἐμὲ γιγνώσκουσι. *Aduerſariorum apparatum & promptitudinem videtis, neque quicquam de iis dicendum. Quam ego ſim rudis, & parum verſatus in exercitatione dicendi, ſciunt omnes quicunque me nouerunt.* Demoſthenes oratione funebri, ſi quid auditoribus perſuadet id non in ſuam eloquentiam, ſed in auditorum beneuolentiam refundit. Ἡ τοῦ λέγων πειθὼ τῆς τῶν ἀκουόντων εὐνοίας προσδεῖται, καὶ μετὰ μὲν ταύτης κἂν μετρίως ῥηθῇ δόξαν ἤνεγκε, καὶ χάριν προσεποίησε. ἄνευ δὲ ταύτης κἂν ὑπερβάλλῃ τῷ λέγειν προσίστησι τοῖς ἀκούουσιν. *Orationis perſuaſio indiget beneuolentia auditorum, & cum ea quidem etiam quod mediocriter dictum fuerit gloriam adfert, gratiámque conciliat. Sine ea verò, neque quod eloquentiſſimè dicitur, ab audientibus admittitur.* Pub. Ouidius lib.3.de ponto el.4.

Non opus eſt magnis placido lectore poëtis:
Quemlibet inuitum difficilémque tenent.
Nos quibus ingenium longi minuere labores,
Aut etiam nullum forſitan ante fuit:
Viribus infirmi, veſtro candore valemus,
Quem mihi ſi demas omnia rapta putem.

Vide infrà §. 120. notâ 7. vbi plura de hac eadem re diſſeremus.

AXIOMA.

Noſtra propugnatio iis deeſſe non debet, per quos eſt perfectum ne cæteris deeſſet.

ARGVMENTVM.

Ad futuram orationem ſe præmuniens petit, vti ſibi liceat aduerſarios acriùs & vehementiùs inſectari, duáſque reddit petitionis ſuæ rationes: alteram pij doloris, alteram iuſtæ iracundiæ, qua propter magnitudinem iniuriarum exarſerat.

IV. ITaque, ſi aut acriùs egero, aut liberiùs, quàm qui ante me dixerunt, peto à vobis, vt tantum orationi meæ concedatis, quantum & pio dolori, & iuſtæ iracundiæ concedendum putetis. Neque enim officio coniunctior dolor vllius eſſe poteſt, quàm hic meus, ſuſceptus ex hominis de me optimè meriti periculo: neque iracundia magis vlla laudanda, quàm ea, quæ me inflammat eorum ſcelere, qui cum omnibus ſalutis meæ defenſoribus bellum eſſe ſibi gerendum iudicauerunt.

EXPLANATIO.

QVI ANTE ME DIX.] Hinc intelligas non vnum fuiſſe Hortenſium, qui Sextij cauſam egerit ante Ciceronem, ſed eam à pluribus patronis fuiſſe tractatam: ſimúlque iudicum & coronæ patientiam mireris; quibus graue non fuit poſt tot aliorum orationes Tullium tot horis dicentem audire.

CONCED. PVT.] Bene totius rei iudicium, & æſtimationem iudicibus relinquit, vt oſtendat ſuæ petitionis æquitatem.

NEQVE ENIM OFFICIO.] Aduerte quam eleganti diſtributione verba, *pietatis, doloris, iracundiæ* coniunxerit. Superiori §. *Pietatis potiùs quàm defenſionis, querelæ quàm eloquentiæ, doloris quàm ingenij.* hoc loco, *& pio dolori, & iuſtæ iracundiæ.* Iterum, *Neque enim officio coniunctior dolor,* &c. *neque iracundia magis vlla laudanda:* cuius connexionis exempla in Notis adferemus.

NEQVE ENIM.] Reddit ſui doloris, & iracundiæ rationem.

Pius eſt dolor & officio coniunctus, qui ſuſcipitur ex hominis de me optimè meriti periculo.

Sed meus dolor ſuſcipitur è Sextij de me optimè meriti periculo. Ergo pius &c.

Qui ſyllogiſmus prætermiſſa aſſumptione enthymemate concluditur.

NEQVE IRAC.] *Iuſtum eſt in illos iraſci, qui meæ ſalutis defenſoribus bellum intulerunt.*

Sed Clodius Piſo, & Gabinius bellum meæ ſalutis defenſoribus intulerunt. Ergo &c.

DEFENSORIBVS.] P.Sextio, Tit. Annio Miloni quorum nomina delata ſunt, Milonis quidem ab ipſo Clodio, Sextij à M.Tullio Albinouano, & P.Lentulo Ciliciæ Proconſuli, cui imperium per C.Catonem Tribunum plebis volunt abrogare.

NOTÆ.

ITAQVE, SI.] Iure gratitudinem animi profitetur, ſtudium vltionis excuſat. Vide orationem poſt reditum ad Quirites 22.23. *Etenim vlciſcendæ iniuriæ facilior ratio eſt, quàm beneficij remunerandi, propterea quod ſuperiorem eſſe contra improbos minus eſt negotij, quàm bonis exæquari.* & alia compluſcula. Quare meritò dicebat Ageſilaus apud Xenophontem initio lib. 4. de rebus in Græcia geſtis. Ἐγὼ μέντοι καὶ πάνυ ὑπερχαίρω ὅταν ἐχθρὸν τιμωρῶμαι, πολὺ μᾶλλόν μοι δοκῶ ἥδεσθαι ὅταν τι τοῖς φίλοις ἀγαθὸν ἐξευρίσκω. *Ego ſanè etſi valde gaudeo cùm inimicos vlciſcor, multo tamen magis mihi lætari videor, cùm in amicos beneficia confero.* Huc illa ſpectat effigies Apollinis, de qua Philo libello de ſua ad Caium legatione. Εἰς δ' Ἀπόλλωνα μετεμορφοῦτο καὶ μετεσκευάζετο, στεφάνοις μὲν ἀκτινοειδέσι τὴν

Gratia referenda magis, quàm vlciſcenda iniuria.

κεφαλὴν ἀναδούμενος, τόξον δὲ τῇ εὐωνύμῳ, καὶ βέλη κρατοῦν χειρί, χάριτας δὲ τῇ δεξιᾷ προτείνων, ὡς δέον τὰ μὲν ἀγαθὰ ὀρέγειν εἶναι ἑτοίμου, καὶ τετάχθαι τὴν βελτίονα τάξιν τὴν ἐπὶ δεξιᾷ, τὰς δὲ κολάσεις ὑποστέλλειν, καὶ τὴν καταδεεστέραν χώραν κεκληρῶσθαι τὴν ἐπ᾽ εὐώνυμα. *Refingebatur in Apollinem corona radiata caput redimitus, arcum & ſagittas ſiniſtrâ tenens, dextrâ porrigens Gratias, quòd ita deceret in promptu eſſe id quod melius, & meliore loco, videlicet in dextera collocari, pœnas verò reprimi, & ad ſiniſtram tanquam ad deteriorem locum retrudi.*

II. CONCEDENDVM PVTETIS.] Aduerte petitionis modeſtiam, & æquitatem. vt Claudianus de bello Gildonico Romam, ita precantem inducit.

Aduenio ſupplex, non vt proculcet Oaxen
Conſul ouans, noſtraq; premāt pharetrata ſecures
Suſa, nec vt rubris aquilas figamus in oris:
Hæc nobis, hæc ante dabas: nunc pabula tantùm
Roma precor: miſerere tuæ, pater optime gentis.
Extremam defende famem.

Maro 7. Æneidos,

Petitionis modeſtia.

Diis ſedem exiguam patriis, littúſque rogamus
Innocuum, & cunctis vndámque aurámque patentem. & lib. 10.
Nec ſuper imperio moueor: ſperauimus iſta
Dum fortuna fuit; liceat dimittere ab armis
Incolumem Aſcanium, liceat ſupereſſe nepotem.
Æneas ſanè ignotis iactetur in oris.

pro Milone 6. *Obteſtabórque vos, Iudices, ſi cætera amiſimus, hoc ſaltem nobis vt relinquatur, ab inimicorum audacia teliſque vitam. vt impunè liceat defendere.* Demoſthenes de falſa legatione. Δέομαι δὲ πάντων ὑμῶν, ἃ καὶ τοῖς μὴ δεηθεῖσι δίκαιόν ἐστιν ὑπάρχειν, μηδεμίαν μήτε χάριν, μήτ᾽ ἄνδρα ποιεῖσθαι περὶ πλείονος ἢ τὸ δίκαιον καὶ τὸν ὅρκον, ὃν εἰσελήλυθεν ἕκαστος ὀμωμοκώς. *Petam autem à vobis omnibus ea, quæ etiam non petentibus præſtari eſt æquum, vt neque gratiam vllam, neque virum pluris faciatis, quàm æquitatem & iuſiurandum, quo vnuſquiſque veſtrûm dato, huc acceſſit.* Iam frequens huiuſmodi diſtributio, & verborum complexio apud graues Scriptores. Antiphonte Choreuta. Αἰτιῶνται δέ τοι με ἐκ τούτων, ὡς οὗτος κελεύσας πιεῖν τὸν παῖδα τὸ φάρμακον, ἢ ἠνάγκασεν, ἢ ἔδωκεν. Ἐγὼ δὲ ἐξ αὐτῶν τούτων, ὧν αἰτιῶνται οὗτοι, ἀποφανῶ ὅτι οὐκ ἔνοχός εἰμι. Οὔτε γὰρ ἐκέλευσα, οὔτ᾽ ἔδωκα, οὔτ᾽ ἠνάγκασα. Καὶ ἔτι προστίθημι αὐτοῖς, ὅτι οὐ παρεγενόμην πίνοντι. Καὶ εἰ φασὶν ἀδικεῖν, εἴ τις ἠνάγκασεν. Ἐγὼ οὐκ ἀδικῶ, οὐ γὰρ ἠνάγκασα. Καὶ εἰ τὸν δόντα τὸ φάρμακόν φασιν αἴτιον εἶναι. Ἐγὼ οὐκ αἴτιος, οὐ γὰρ ἔδωκα. *Hi verò iſtum accuſant ex his capitibus, quod aut bibere venenum iuſſerit, aut coëgerit, aut porrexerit. Ego verò ex iis ipſis, vnde iſti accuſant, oſtendam me eſſe innocentem. Neque enim iuſſi, neque porrexi, neque coëgi, addo etiam, neque dum biberet, interfui. Et ſi iniuſtè feciſſe dicunt, qui coëgit, iniuſtè non feci, non enim coëgi. Et ſi qui porrexit venenum, aiunt cauſam fuiſſe. Ego cauſa non fui, non enim porrexi.* Vides quàm concinnè tribus quatuorve verbis variè coniugatis totam periodū inſtruxerit. Quo in genere Maximus Tyrius paſſim excelluit. exemplis ſuperſedeo. vide Cœlianam 2.

AXIOMATA.

Tantum aliorum orationi concedere debemus, quantum & pio dolori, & iuſtæ iracundiæ concedendum putamus.

Officio coniunctus eſt dolor ſuſceptus, ex hominum de nobis bene meritorum periculo.

Laudanda eſt iracundia, quæ nos inflammat eorum ſcelere, qui cùm ſalutis noſtræ defenſoribus bellum eſſe ſibi gerendum iudicauerunt.

ARGVMENTVM.

Proponit dicenda. quia tamen aliò, atque aliò digreſſurus fuit, propriam diuiſionem non adfert, ſed in genere ſcopum oſtendit, quo collineatura ſit oratio, cauſámque reddit, cur de toto genere vitæ Sextij dicere ſtatuerit.

SEd, quoniam ſingulis criminibus cæteri reſponderunt, dicam ego de omni ſtatu P. Sextij, de genere vitæ, de natura, de moribus, de incredibili amore in bonos, de ſtudio conſeruandæ ſalutis communis, atque otij: contendámque (ſi modò id conſequi potero) vt in hac confuſa, atque vniuerſa defenſione, nihil à me, quod ad veſtram quæſtionem, nihil, quod ad reum, nihil, quod ad Rempubl. pertineat, prætermiſſum eſſe videatur. Et, quoniam in grauiſſimis temporibus ciuitatis, atque in ruinis euerſæ, atque afflictæ Reipubl. P. Sextij Tribunatus eſt à fortuna ipſa collocatus, non aggrediar ad illa maxima, atque ampliſſima, priùs quàm docuero, quibus initiis, ac fundamentis hæ tantæ ſummis in rebus laudes excitatæ ſint. V.

EXPLANATIO.

SED, QVONIAM.] Quandoquidem Hortenſius, aliíque patroni ſingillatim obiecta Sextio crimina refellerunt, dicam de omni ſtatu P. Sextij generatim & vniuerſim, neque in ſingulorum criminum refutationibus morabor.

CONTENDAMQVE.] Prudenter ad conciliandam attentionem & docilitatem orationis ſcopum oſtendit, tum ne iudices aberrent, tum vt videant quod dicitur ad cauſam pertinere.

ET, QVONIAM.] Particularis propoſitio eorum quæ proximè dicenda ſunt, huiúſque quaſi digreſſionis ratio. Quoniam, inquit, P. Sextius eo anno factus eſt Tribunus plebis, quo Reſpub. perculſa & afflicta iacebat ſcelere tum Clodij, tum Piſonis & Gabinij ſuperiorum Conſulum, qui ſuperiore anno Rempubl. lacerarant, priuſquam de Sextij Tribunatu dicę ſuperioris anni cladem, & naufragium deſcribam. Et Hactenus exordium ſuis, vt vides, omnibus numeris, & partibus abſolutum: quo iudex beneuolus redditur à ſua

Sextiíque perſona; attentus à rei magnirudine, qua ſalus vniuerſæ Reipubl. continetur: Docilis clarâ, & facili rerum de quibus agitur, propoſitione.

NOTÆ

2\. SALVTIS COMMVNIS ATQVE OTII.] Ex eodem capite Sextij laudem, & Clodij vituperationem deriuat. inca 15. *Traductione ad plebem furibundi hominis ac perditi, mihi irati. ſed multo acrius otij, & communis ſalutis inimici.* vide Notas. Sic Ammianus lib. 19. *Quietem Salutarem Deam* appellat, quam à Sarmatis diuinis honoribus cultam fuiſſe teſtatur. Eandem Pindarus ode 4. Pyth. filiam Iuſtitiæ appellat, quòd is ſit iuris ciuilis quaſi partus.

Quies & otium Reip.

Φιλόφρον Ἡσυχία Δίκας, Ὦ μεγιστόπολι,
Θύγατερ, βουλᾶν τε καὶ πολέμων,
Ἔχοισα κλαῖδας Ὑπερτάτας.

O mitis Quies Iuſtitiæ maximas vrbes faciens filia, conſiliorum & bellorum claues habens ſummas.

11\. Laus.

LAVDES.] Virtutes. Effectus pro cauſa. pro Marcello 4. *Quis enim eſt illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium ſtudio, aut innocentia, aut vllo genere laudis præſtantior?* Nazarius panegyrico Conſtantini Auguſti. *Igitur vt facitis, beatiſſimi Cæſares, per omnes paternarum laudum vias ite ſecuri. Non ſimplici quidem itinere numeroſæ eius virtutes ingrediuntur, ſed omnia ad eũdem gloriæ exitum ferunt. Nullæ cupiditatum deflexiones, nullus erroris anfractus, vt verenda progredientibus non ſit diſpendioſa reuocatio.*

AXIOMA.

Magni refert quibus è fundamentis laudes excitentur.

Narratio de vita P. Sextij ante Tribunatum.

- Vita priuata.
  - Pietas in
    - Patrem.
    - ſoceros
      - C. Albinum.
      - P. Scipionem.
  - matrimonia.
  - domeſtica officia.
- Vita publica & magiſtratus.
  - Tribunatus militaris.
  - Quæſtura.
    - Vrbana
    - Macedonica.
      - 1\. fidem præſtitit Reipubl. 8.
      - 2\. obſequio & obſeruantia ſua C Antonium ad Reipub. partes adduxit. 8.
      - 3\. Capuam ſeruauit eiectis inde M. Aulano, & C. Marcello coniuratis. 9. 10.
        - Capua ſeruata Ciceronem patronum adoptauit. 9.
        - Sextio gratias egit.
        - Decuriones Capuani beneficium Sextij teſtimonio declarant, periculúmque decreto ſuo deprecantur.
      - 4 Romam venit cũ exercitu, vt vrbem ſuo præſidio tueretur. 11.
      - 5\. Antonio copias ſuas adiunxit, eúmque hortatus eſt ad conferendas manus cum exercitu Catilinæ.

ARGVMENTVM.

Narrationem, ſiue vt initio notauimus, ſyllogiſmi principalis aſſumptionem orditur Sextium laudans à genere, moribus, affinitate cum C. Albino contracta, & liberis ex eius filia ſuſceptis.

VI. NARRATIO.

PArente P. Sextius natus eſt, iudices, homine (vt plerique meminiſtis) & ſapiente, & ſancto, & ſeuero: qui cùm Tribunus ple. primus inter homines nobiliſſimos temporibus optimis factus eſſet, reliquis honoribus non tam vti voluit, quàm dignus videri. Eo auctore duxit honeſtiſſimi, & ſpectatiſſimi viri C. Albini filiam: ex qua hic eſt puer, & nupta iam filia. Duobus his grauiſſimis antiquitatis viris ſic probatus fuit, vt vtrique eorum & carus maximè, & iucundus eſſet. Ademit Albino ſoceri nomen mors filiæ, ſed caritatem illius neceſſitudinis, & beneuolentiam non ademit. hodie ſic hunc diligit, vt vos facillimè poteſtis ex hac vel aſſiduitate eius, vel ſolicitudine, & moleſtiâ iudicare.

EXPLANATIO.

PARENTE.] Sextij patrem à ſapientia, ſanctitate & ſeueritate laudat, quia hæ virtutes maximè ad educationem filij pertinebant, vt filium ſapientiâ erudiret, ſanctitatis exemplo ad morum integritatem accenderet, ſeueritate in officio contineret.

QVI CVM.] Quatuor rebus Sextij patris ſplendorem illuſtrat. 1. Quòd primus inter collegas factus fuerit Tribunus, & plurima omnium tulerit ſuffragia. 2. Quòd nobiliſſimi eſſent collegæ, quibus tamen omnibus populi iudicio prælatus eſt. 3. Quòd temporibus optimis cum fuerit honorem conſecutus, quibus

Virtute ambire oportebat non fanitoribus,

Cùm

Cùm videlicet ambitioni aditus ad honores non patebat. 4. Quod eo honore contentus vitam de cętero quietam & priuatam elegerit, ſatis habens oſtendiſſe ſe populi ſuffragiis non Tribunatu ſolùm, ſed reliquis etiam magiſtratibus, ſi petere voluiſſet, dignum fuiſſe iudicatum.

Eo AVCTORE.] Sextij modeſtiam pietatémque commendat, quippe qui nuptias non niſi de patris auctoritate contraxerit. Prudenter autem nuptiarum meminit, quia etiam cenſores cùm de ciuium moribus inquirerent, id etiam quærebant vtrùm cœlibes permanerent. Addit honeſtiſſimum & ſpectatiſſimum fuiſſe ſocerum, quia id quoque in Sextij laudem redundat.

Ex QVA.] Ex qua filia Albini ſuſceptus hic puer Sextius qui adeſt iudicio, vt iudices poſſit ſua præſentia ad miſericordiam permouere. Iure autem meminit liberûm, ob præmia iis propoſita qui plures liberos procreaſſent.

DVOBVS HIS.] Patri & C. Albino. Commendat iterum Sextij pietatem ex eo quod patri & ſocero fuerit probatus.

ANTIQVITATIS VIRIS.] Qui moribus antiquis & priſca ſeueritate, non indulgentia de Sextij moribus iudicabant.

ASSIDVITATE.] Qua C. Albinus aduocatus Sextio reo ſuam commodat præſentiam. Sollicitè inuigilans cauſæ, magnúmque percipiens animo dolorem, ob periculum in quod Sextius adductus eſt.

NOTÆ.

I. PRIMVS.] honorificum fuit primum inter collegas in adeptione magiſtratus locum obtinere. Piſ. 2. *Me cùm Quæſtorem in primis, Ædilem priorem, Prætorem primum cunctis ſuffragiis populus Romanus faciebat.* & 3. *Me cuncta Italia, me omnes ordines, me vniuerſa ciuitas, non prius tabella quàm voce priorem Conſulem declarauit.* Vide Notas. Sicut contrà obiicit in Vatinium 12. *Teneſne memoria cum P. Sextius Quæſtor ſit cunctis ſuffragiis factus, tunc te vix inuitis omnibus, non populi beneficio, ſed Conſulis extremum adhæſiſſe.* Et oratione in toga candida ſic Antonium alloquitur. *Neſcis me prætorem primum eſſe factum, te conceſſione competitorum, & collatione centuriarum, & meo maximè beneficio è poſtremo in tertium locum eſſe ſubiectum.* E quibus vides in magiſtratuum collegio magnam ordinis habitam fuiſſe rationem.

Ordo in collegio magiſtratuum.

II. NOBILISSIMOS.] Hoc addit, tum quia

Pulchrum eminere eſt inter illuſtres viros,

vt ait alicubi Seneca, ſiue quis auctor Octauiæ: tum quia nobiles magiſtratus & honores ſuo ſibi iure deberi putant, & vt Cicero 2. agraria loquitur, *in cunabulis non in campo Conſules fiunt.* Qua de re vide Notas noſtras in Piſonianam 1. *Obrepſiſti ad honores errore hominum, commendatione fumoſarum imaginum.* vbi plura ſeruamus. Porrò Sextius etiam ipſe nobiliſſimus fuit, quamuis plebeius. quippe cuius è gente *Lucius Sextius de plebe primus Conſul factus.* vt ait Liuius libro ſexto, & initio libri ſequentis. *Plebes Conſulatum Lucio Sextio, cuius lege partus erat, dedit.*

Nobiles.

Nobilitas Sextij.

III. DVXIT HONEST.] Dixi matrimonium à cenſoribus ſpectari ſolitum, quod cœlibatus probro duceretur. Lex duodecim tabularum, quam Tullius in ſuas exſcripſit lib. 1. de legibus agens de poteſtate Cenſorum. *Equitum peditúmque prolem diſtribuunto. Cœlibes eſſe prohibento. Mores populi regunto: probrum in Senatu ne relinquunto.* Epitome Liuij lib. 59. *Q. Metellus Cenſor cenſuit, vt ducere vxores omnes omnino cogerentur liberorum creandorum cauſa: Extat oratio eius quam Auguſtus Cæſar, cùm de maritandis ordinibus ageret, velut eo tempore ſcriptam in Senatu recitauit.* Fuit autem cenſor anno DCXXIII. de qua oratione Suetonius in Auguſto cap. 89. & Gellius lib. 1. noct. Attic. cap. 6. *Legebatur oratio Metelli Numidici, grauis ac diſerti viri, quam in cenſura dixit ad populum de ducendis vxoribus, cùm eum ad matrimonia capeſſenda adhortaretur.* Immo longè ante illam Metelli cenſuram. *Camillus & Poſthumius Cenſores,* (verba ſunt Valerij Maximi lib. 2. cap. 4.) *æra pœnæ nomine eos qui ad ſenectutem cœlibes peruenerant, in ærarium deferri iuſſerunt.* Clemens Alexandrinus ſecundo Stromatum ſub finem. Οἵ τε νομοθέται οὐκ ἐπιτρέπουσι τὰς μεγίστας ἀρχὰς τοῖς μὴ γαμήσασι μετιέναι. *Legiſlatores non permittunt maximos ab iis iniri magiſtratus, qui in cœlibatu permanſerint.* Quod ab aliis quoque curatum docet. Ὁ δὲ Λακώνων νομοθέτης οὐκ ἀγαμίου μόνον ἐπιτίμιον ἔστησεν, ἀλλὰ καὶ μονογαμίου, καὶ ὀψιγαμίου, καὶ μονοδιαιτησίας. ὁ δὲ γενναῖος Πλάτων, καὶ τροφὴν γυναικὸς ἀποτίνειν εἰς τὸ δημόσιον κελεύει τὸν μὴ γήμαντα, καὶ τὰς καθηκούσας δαπάνας ἀποδιδόναι τοῖς ἄρχουσιν. *Lacedæmoniorum legiſlator non ſolùm pœnas in eos ſanxit qui vxorem non duxerint, ſed etiam in eos qui ſemel aut ſerò duxerint, aut vixerint ab vxoribus ſeparati. Egregius verò Plato & cœlibes vxorum alimentum in publicum conferre iubet, & conuenientes ſumptus magiſtratibus exhibere.* Sed de pœnis cœlibum, & iure trium liberorum à Iulio & Auguſto conſtitutis, vide quæ fusè dicemus pro Marcello 24.

Cœlibatus prohibitus apud Rom.

Item apud Spartanos.

HONESTISSIMI.] Honeſtum eſt honeſtam matrimonio familiam occupare. res probatione non indiget. Plautus Trinummo ſc. vltimâ, IV.

--- *Sed ego hoc nequeo mirari ſatis*
Eum ſororem deſpondiſſe ſuam in tuam fortem familiam.

Mox

Familiam optumam occupauit. ----

Sicut contrà ex affinitate cum obſcuris & ſordidis contracta familiæ labes aſpergitur. Euripides Supplicibus,

Λαμπρὸν δὲ θολερῷ δῶμα συμμίξας τὸ σὸν
Ἥλκωσας οἴκους. χρὴ γὰρ οὔτε σώματα
Ἄδικα δικαίοις τὸ σοφὸν συμμιγνύναι.
At tu ipſe claram ſordida miſcens domum
Demens familiam vulnerauiſti tuam.
Iniuſta iuſtis corpora miſceri nefas.

Matrimonium.

Sic Vatinium, vt dicitur Vat. 59. *affines erubeſcunt.* Honeſtus autem dicitur, vel diues & opulentus, vt notat Aſconius in Verrinas, vel qui non eſt capite diminutus aut infamis, ſed ſuum locum tenet & priſtinam dignitatem. Propertius lib. 2. elegia 32.

Honeſtus.

Ipſa Venus quamuis corrupta libidine Martis,
Non minus in cœlo ſemper honeſta fuit.

pro Murena 87. *Nolite, &c. hac eum re, qua ſe honeſtiorem fore putauit, eum cæteris ante partis honeſtatibus, atque omni dignitate, fortunáque priuare.*

ANTIQVITATIS VIRIS.] Grauibus & ſeueris. vide infra 19. *Vnum aliquem te ex barbatis illis* V.

exemplum imperij veteris, columen antiquitatis diceres intueri. & pro Cœlio 33. *Vtrum me ſecum ſeuerè, & grauiter, & priſcè agere velit.* Sic Sabinas quas alij priſcas, ſeueras alij, alij tetricas dixerunt *antiquas* Martialis appellat ep.63. Antiquitas.

Caſta nec antiquis cedens Lauina Sabinis,
Et quamuis tetrico triſtior ipſa viro.

VI. ADEMIT.] Similis reduplicatio pro Marcello 17. *Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam: gladium vaginâ vacuum in vrbe non vidimus.* pro Milone 96. *Negat enim ſe, negat ingratis ciuibus feciſſe quæ fecit; timidis & omnia circumſpicientibus pericula non negat.*

AXIOMATA.

Vir ſapiens honoribus non tam vti vult, quàm dignus videri.

In ducenda vxore ſpectandum eſt, vt honeſti & ſpectati viri filia ducatur.

Si mors alicuius affinitatem adimat, cauendum eſt ne charitatem neceſſitudinis, & beneuolentiam adimat.

ARGVMENTVM.

Sextij matrimonium cum filia Luc. Scipionis, eiúſque in ſocerum Maſſiliam bellis ciuilibus relegatum pietatem oſtendit. deinde aliquot eius laudibus præteritione oratoria perſtrictis ad eiuſdem quæſturam delabitur.

VII. DVxit vxorem patre viuo, optimi & calamitoſiſſimi viri filiam L. Scipionis. Clara in hoc P. Sextij pietas exſtitit, & omnibus grata: quòd & Maſſiliam ſtatim profectus eſt, vt ſocerum videre, conſolaríque poſſet fluctibus Reipubl. expulſum, in alienis terris iacentem, quem in maiorum ſuorum veſtigiis ſtare oportebat, & ad eum filiam eius adduxit, vt illo inſperato aſpectu, complexúque, ſi non omnem, at aliquam partem mœroris ſui deponeret: & maximis officiis & illius ærumnam, quoad vixit, & filiæ ſolitudinem ſuſtentauit. Poſſum multa dicere de liberalitate, de domeſticis officiis, de Tribunatu militari, de prouinciali in eo magiſtratu abſtinentia: ſed mihi ante oculos obuerſatur Reipublicæ dignitas, quæ me ad ſeſe rapit, hæc minora relinquere hortatur.

EXPLANATIO.

DVXIT VXOREM.] In hoc Sextij matrimonio tria notat, quibus ipſius virtus magis eluceat. 1. Quòd patre viuo duxerit, vt eum oſtendat non prouectæ admodum ætatis iam ad ſecundas nuptias tranſiiſſe, nec diu cœlibem manere voluiſſe. Quòd etiam à cenſoribus ſpectatum videtur, ne patriam ſobole priuarent. 2. Quòd Luc. Scipio vir optimus fuerit, qui Sextium ita probauit, eum, vt ſibi generũ adſciuerit. 3. Quòd calamitoſus, & deſertus à ſuo exercitu eiectus è patria fuerit. Quo tempore maximè Sextius ſuam probauit in Socerum pietatem: quo facto omnium ſibi ciuium beneuolentiam comparauit. Robortellus lib.2. emendat. cap.42. legit, *Optimi, at calamitoſiſſimi.* Sic enim ſententia ſolidior fuerit, ac grauior.

QVI ET MASSILIAM.] Velleius lib.2. de Sulla loquens, *Felici deinde circa Capuam euentu Scipionem Norbanúmque Conſules ſuperat: Quorum Norbanus acie victus, Scipio ab exercitu ſuo deſertus ac proditus, inuiolatus à Sulla dimiſſus eſt.* Non auſus eſt tamen Scipio Romam redire, ſiue quòd erupturam breui Sullæ crudelitatem iam tum animo præuideret, ſiue quòd puderet Romam regredi priuatum & inermem, vnde Conſul & Dux exercitûs diſceſſerat: eámque ob rem, vt ex hoc loco patet, Maſſiliam in exilium voluntarium ſeceſſit.

FLVCTIBVS REIPVB.] Allegoria à naufragantibus: id eſt, bellis ciuilibus diſcordiâ Sullæ & Marij concitatis.

MAIORVM SVORVM.] Scipionum qui paucis ante annis floruerant in Republ. & impreſſerant vbique ſuarum virtutum veſtigia, receptis Hiſpaniis, deuicto Hannibale, Antiocho in Aſia ſuperato, deletis Sagunto & Carthagine.

POSSVM.] Eleganti tranſitione aliquot eius virtutes, eas præſertim quæ quod ad cæteros dimanent, gratiores eſſe ſolent, & Tribunatum militarem, eiúſque in eo gerendo abſtinentiam leuiter attingens ad quæſturam delabitur, quæ quæſtura cum ad vniuerſam Rempub. pertineat plus obtinet dignitatis.

NOTÆ.

DVXIT VXOREM.] Nota locutio. Iuuenalis, 1.

Vxorem, Poſthume, ducis.

Perſius,

--- Nerio iam tertia ducitur vxor.

Et alter,

Vxorem ducat Danaen. ----

Quæ locutio tracta eſt à ritu nuptiarum, cùm vxor facibus quinque præeuntibus, choro feſcenninos verſus concinente, primis intendentibus ſe tenebris domum mariti ducebatur, de quibus & aliis huc ſpectantibus alij copioſè. Cæteros omitto. Vnum Chryſoſtomum de his ritibus ad ſua vſque tempora durantibus querentem audiamus homil.12. in ep.1. ad Corinth. Καὶ οὐδὲ ἐπὶ τῆς οἰκίας, ἀλλὰ διὰ τῆς ἀγορᾶς εἰς ἐπίδειξιν ἐκπομπεύουσι· μετὰ λαμπάδων αὐτὴν παραπέμποντες ἐν ἑσπέρᾳ βαθείᾳ. Vxoris deductio. *Neque domi ſolùm, ſed etiam ad oſtentationem medio foro traducunt, eam ſub noctem cum facibus deducentes.* Et poſt pauca de probris & conuitiis, tum in eam, tum in ſponſum magna verborum procacitate iactari ſolitis. Ἐπειδὴ γὰρ ἐν ἑσπέρᾳ ταῦτα

γίνεται, ἵνα μηδὲ τὸ σκότος παραπέτασμα ᾖ τῶν κακῶν τούτων ἐπεισάγονται λαμπάδες πολλαὶ, οὐκ ἐῶσαι λανθάνειν τὴν ἀσχημοσύνην. Τί γὰρ ὁ πολὺς ὄχλος βούλεται; τί δὲ ἡ μέθη; τί δ' αἱ σύριγγες; &c. *Quandoquidem hæc ſub noctem fieri ſolent, ne caligine huiuſmodi flagitia obtegantur, multæ faces inferuntur, quæ indecentiam latere non ſinant. Quid enim ſibi vult illa conferta multitudo? quid ebrietas? quid fiſtulæ?* Nec minùs frequenter addunt domum, vt notat Briſſonius lib. 1. Sel. ex iur. ciuil. antiquitatum cap. 18. citat Auguſtinum lib. 6. cap. 9. *Si domum eſt ducenda quæ nubit, adhibetur Deus Domiducus, vt in domo ſit adhibetur Deus Domitius, vt maneat cum viro adhibetur Dea Manturna.* Inde Iuno Domiduca Martiano Capellæ lib. 2. de nuptiis Philologiæ. Terentius Hecyra.

Deus Domiducus. Deus Domitius. Dea Manturna. Iuno Domiduca.

Nunquam ſe illa viua vxorem ducturum domum.

Item,

Vt ad pauca redeam, vxorem deduxit domum.

Vide fusè apud citatum, tum ibi, tum libro ſingulari de ritu nuptiarum. Vide interim ritus apud Lucanum lib. 2.

Feſta coronato non pendent limine ſerta, &c.

II. CALAMITOSISSIMI.] Benè meminit calamitatis. Nam

Amicus certus in re incerta cernitur.

Seneca ep. 9. *Florentes amicorum turba circumſedet: circa euerſos ingens ſolitudo eſt: & inde amici fugiunt vbi probantur. Scilicet vt fuluum*, &c. Sed putidum fuerit adeo trita conquirere. Maximus Tyrius orat. de amico & adulatore. Ὁ μὲν φίλος καὶ εὐτυχίας κοινωνὸς κουφότατος, καὶ συμφορῶν κοινωνὸς ἰσότατος. ὁ δὲ κόλαξ εὐτυχίας μὲν κοινωνὸς ἀπληστότατος, ἐν δὲ ταῖς συμφοραῖς ἀμικτότατος. *Amicus felicitatis conſors eſt leuiſſimus, aduerſitatis æquiſſimus, adulator felicitatis particeps inſatiabilis, in aduerſis autem refugit omne conſortium.* Benè autem noſter calamitatis meminit facturus poſtea tempeſtatis & naufragij mentionem. Nam, vt ait Donatus: *Calamitatem propriè grandinem ruſtici dicunt, quod calamum, hoc eſt culmum ac ſegetem comminuat.* Hinc Catoni. *Calamitoſus ager, calamitoſum periculoſúmque cœlum.* Plinio lib. 18. cap. 17. *Ordeum ex omni frumento minime calamitoſum.* Vlpiano D. Locati l. Ex conducto. *Vis tempeſtatis calamitoſa.* Ciceroni Verrina 3. *Per omnes partes prouinciæ te, tanquam aliquam calamitoſam tempeſtatem peſtémque peruaſiſſe demonſtro.*

Amicus in aduerſis.

Calamitas.

III. OMNIBVS GRATA.] Nimiùm quantum conciliat animos hominum pietas in parentes. Bonâ lectoris veniâ liceat exemplum adferre ex Appiano 4. ciuilium. Oppius patrem à Triumuiris proſcriptum, ſuis, inſtar Æneæ cuiuſdam, humeris elatum in Siciliam tranſuexerat. Καὶ τὸν νεανίαν ὁ δῆμος ἐπαινῶν ὕστερον ἀπέφηνεν ἀγορανόμον. δεδημευμένης δ' αὐτῷ τῆς οὐσίας, οὐκ ἔχοντι τῆς ἀρχῆς τὸ δαπάνημα, οἵ τε χειροτέχναι τὰ εἰς τὴν ἀρχὴν ἀμισθὶ συνειργάσαντο, καὶ τῶν θεωμένων ἕκαστος ἐπὶ τὴν ὀρχήστραν ὅσον ἐβούλετο νόμισμα ἐρρίπτει ἕως τὸν ἄνδρα ἐπλούτησαν. *Populus adoleſcentem laudatum pòſt ædilem creauit. Bonis autem publicatis ſumptus ad magiſtratum neceſſarios non habenti, & fabri cæterique artifices ea quæ requirebantur gratis fecerunt, & ſpectatorum ſinguli, quantam quiſque voluit, pecuniam in orcheſtram contulerunt, quoad eum diuitem fecerunt.* Subdit de Metelli poſt pugnam Actiacam grata omnibus pietate. Nec minùs notatu dignum quod libro primo refert. Agebatur de reditu Q. Metelli Numidici impetrando. Πούβλιος δὲ Φούριος δήμαρχος, οὐδ' ἐλευθέρου πατρὸς, ἀλλ' ἐξελευθέρου, θρασέως ἐνέστη αὐτοῖς, καὶ οὐδὲ Μετέλλου τοῦ Μετέλλου παιδὸς ἱκετεύοντος αὐτὸν ἐν ὄψει τοῦ δήμου, καὶ τοῖς ποσὶ προσπίπτοντος ἐνεκλάσθη. Ἀλλ' ὁ μὲν παῖς ἐκ τῆς δὲ τῆς ὄψεως Εὐσεβὴς ἐς τὸ ἔπειτα ἐκλήθη. τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους Φούριον μὲν ἐπὶ τῷδε ἐς δίκην Γάϊος Κανουλήϊος δήμαρχος ὑπῆγε, καὶ ὁ δῆμος οὐδὲ τοὺς λόγους ὑπομείνας διέσπασε τὸν Φούριον. *Publ. Furius Tribunus plebis ne ingenuo quidem patre, ſed libertino natus obſiſtebat, neque Metello Metelli filio ſupplicante, & ad ipſius pedes in omnium oculis procidente mollitus eſt. Sed & iuuenis ex eo ſpectaculo Pij cognomen deinceps obtinuit, & Furium anno ſequenti C. Canuleius Tribunus plebis eo nomine accuſauit, eúmque populus ne audita quidem defenſione diſcerpſit. Cæteræ enim virtutes* (vt Valerij verbis vtar lib. 5. cap. 4.) *admirationis tantummodò multum, pietas verò etiam amoris plurimum meretur.*

Pietas hominibus grata.

FLVCT. REIP. EXP.] Hunc locum præ oculis videtur habuiſſe Sidonius Apollinaris, quem tamen vt ſæculi barbaries ferebat duriùs expreſſit. *Capite multatus in Inſulam coniectus eſt ſerpentis Epidaurij, vbi vſque ad inimicorum dolorem deuenuſtatus, & à rebus humanis veluti vomitu fortunæ nauſeantis exputus*, &c. hæc ep. 7. libri primi. IV.

IN ALIENIS TERRIS IACENTEM.] Commodè poſt naufragium *iacentem* dixit. Perſius ſat. 6. V.

--- Trabe ruptâ Brutia ſaxa
Prendit amicus inops, remque omnem ſurdáque vota
Condidit Ionio, iacet ipſe in littore, & vnâ
Ingentes de puppe Dei, &c.

Iacêre.

Lucretius lib. 5.

Tum porrò puer vt ſæuis proiectus ab vndis
Nauita, nudus humi iacet.----

TRIBVNATV MILITARI.] Vide noſtrum Valtrinum lib. 1. de re Militari, & Iuſtum Lipſium lib. 2. de Militia Romana cap. 9. Qui eos à Græcis notat χιλιάρχας. fuiſſe dictos, quamuis in vniuerſam legionem imperium obtinerent. Horatius, VI.

Tribuni militares.

Quod mihi paruerit legio Romana Tribuno.

De his Aſconius commentario in lib. 2. contra Verrem. *Tribunorum militarium duo ſunt genera: primum eorum qui rufuli dicuntur, hi in exercitu creari ſolent. Alij ſunt comitiati, qui Romæ Comitiis deſignantur.* Feſtus. *Rufuli appellabantur Tribuni militum à Conſule facti, non à populo: de quorum iure quod Rutilius Rufus legem tulerat, Rufuli ac poſt Rutuli ſunt appellati.*

Tribuni Comitiati, & Rufuli.

AXIOMATA.

Pietas in ſuos eſt omnibus grata.

Miſerum eſt eum fluctibus Reipub. expulſum in alienis agris iacere, quem in maiorum ſuorum veſtigiis ſtare oportebat.

ARGVMENTVM.

Agit de Quæſtura P. Sextij, eiúſque imprimis vigilantia in detegenda coniuratione Catilinæ, antequam è tenebris, in quibus occultè concipiebatur, in lucem & hominum cognitionem erumperet.

VIII. QVæſtor hic C. Antonij collegæ mei, Iudices, fuit ſorte, ſed ſocietate conſiliorum meus. Impedior nonnullius officij, vt ego interpretor, religione, quo minus exponam quàm multa ad me detulerit, quantò antè prouiderit: atque ego de Antonio nihil dico, præter vnum, nunquam illum in illo ſummo timore ac periculo ciuitatis, neque communem metum omnium, neque propriam nonnullorum de ipſo ſuſpicionem aut inficiando tollere, aut diſſimulando ſedare voluiſſe: in quo collega ſuſtinendo, atque moderando, ſi meam in illum indulgentiam coniunctam cum ſumma cuſtodia Reipublicæ laudare verè ſolebatis: par propè laus P. Sextij eſſe debet, qui ſuum ita Conſulem obſeruauit, vt & illi Quæſtor bonus, & vobis omnibus optimus ciuis videretur.

EXPLANATIO.

QVÆSTOR.] Poſtquam Quæſtor populi Romani ſuffragiis creatus eſt, in ea ſortitione qua viſum eſt, quis Quæſtor cui Conſuli adiungeretur, fuit ille quidem C. Antonio attributus, ita tamen vt ſua conſilia à meis conſiliis nũquam diſiunxerit. vbi vides poſt Quæſtorum renuntiationem Conſules inter ſe ſortitos fuiſſe, vel mutuo conſenſu comparaſſe, quis Conſul quos Quæſtores obtineret.

IMPEDIOR.] C. Antonium ſuum in Conſulatu collegam de repetundis, & coniuratione accuſatum à M. Cœlio Tullius defenderat. Dicit igitur ſe religione impediri quo minùs exponat, quàm multa Sextius ad ſe de Antonio detulerit, ne eundem Antonium in fidem olim clientelámque ſuſceptum accuſare videatur.

VT EGO INTERP.] Meritò hæc addit, quia poſt damnationem Antonij ſilentij ſeruandi religione ſolutus videri potuiſſet.

ATQVE EGO.] Prudenter mediocritatem hic ſeruat, nec Antonium omnino coniurationis accuſans, nec omnino abſoluens, ſatis habens ad commẽdationem Sextij, quod Antonius in communi omnium metu, multis eum Catilinariæ coniurationis participem eſſe ſuſpicantibus, hanc hominum ſuſpicionem non ſedauerit.

IN QVO.] In Piſonem 5. *Ego Antonium collegam, cupidum prouinciæ, multa in Republ. molientem, patientia atque obſequio meo mitigaui.* Ex quo conficit hoc argumentum. Si me laudaſtis quod Antonium obſequio meo, cum ſumma Reipub. cura mitigarim, laudandus eſt Sextius, qui ſic Conſuli ſuo fuit obſecutus, vt nec eum offenderet, nec interim de Republ. bene mereri eiúſque incolumitati prouidere deſiſteret. Sed me laudaſtis, ergo & ille laudandus.

NOTÆ.

I. SORTE.] Quæſtores vbi primùm creati fuerant prouincias ſortiebantur, & Conſules Prætoréſve quibus adeſſent. Noſter Diuinatione in Q. Cecilium. *Sic enim à maioribus noſtris accepimus, Prætorem Quæſtori ſuo parentis loco eſſe debere. Nullam neque grauiorem, neque iuſtiorem cauſam neceſſitudinis poſſe reperiri, quàm coniunctionem ſortis, quàm prouinciæ,* &c. pro Murena 18. *Habuit hic lege Titia prouinciam tacitam & quietam: tu illam cui, cùm Quæſtores ſortiuntur, etiam acclamari ſolet, Oſtienſem.* in Vatinium 12. *In eo magiſtratu, cùm tibi magno clamore aquaria prouincia obtigiſſet.* Quæſtorum ſortitio.

RELIGIONE.] Inter patronos & clientes quàm fuerit religioſa neceſſitudo liquet ex Dionyſio lib. 2. Antiq. Rom. Κοινῇ δ' ἀμφοτέροις οὔτε ὅσιον, οὔτε θέμις ἦν κατηγορεῖν ἀλλήλων ἐπὶ δίκαις, καὶ καταμαρτυρεῖν, ἢ ψῆφον ἐναντίαν ἐπιφέρειν, ἢ μετὰ τῶν ἐχθρῶν ἐξετάζεσθαι. Εἰ δέ τις ἐξελεγχθείη τούτων τι διαπραττόμενος ἔνοχος ἦν τῷ νόμῳ τῆς προδοσίας, ὃν ἐκύρωσεν ὁ Ῥωμύλος. τὸν δ' ἁλόντα τῷ βουλομένῳ κτείνειν ὅσιον ἦν, ὡς κτῆμα τοῦ καταχθονίου Διός. *Communiter verò vtriſque neque ſanctum, neque fas erat in iudiciis inuicem accuſare, aut contra ſe teſtari, aut contrarium ferre ſuffragium, aut cum aduerſariis coniungi. Si quis eorum quidpiam feciſſe conuictus eſſet, lege proditionis à Romulo ſancita tenebatur. & damnatum tanquam Iouis inferni victimam fas erat cuiuis occidere.* Addit tamen noſter, *vt ego interpretor*, tum quia iam, tum illa religio propemodum exoleuerat, tum quia in certa tantùm cauſa ſe in eius clientelam dederat Antonius. adde his tertiam rationem in explanatione productam. De hac clientum neceſſitudine & officiorum gradu, atque ordine plura Gellius lib. 5. noct. Attic. c. 13. vbi & hæc inter cætera. *Conſtabátque ex moribus populi Romani primum iuxta parentes locum tenere pupillos debere, fidei tutelæque noſtræ creditos: ſecundum eos proximum locum clientes habere, qui ſeſe itidem in fidem patrociniúmque noſtrum dederunt: tum in tertio loco eſſe hoſpites, poſtea eſſe cognatos affinéſque.* Laudat Marcum Catonem oratione in Lentulum. *Quod maiores ſanctius habuere defendi pupillos, quàm clientem non fallere: aduerſus cognatos pro cliente teſtatur: teſtimonium aduerſum clientem nemo dicit. Patrem primum, poſteà patronum proximum nomen habere.* Vide. II. Clientis & patroni coniunctio.

TIMORE.] Summum hunc timorem, & tumultum graphicè deſcribit Salluſtius in Catilina. III.

Quibus rebus permota ciuitas, atque immutata vrbis facies erat: ex ſumma lætitia atque laſciuia, quàm diuturna quies pepererat, repentè omnis triſtitia inuaſit. feſtinare, trepidare. Neque loco, neque homini cuiquam ſatis credere. neque bellum gerere, neque pacem habere, ſuo quiſque metu pericula metiri. Ad hoc mulieres, quibus pro Reipubl. magnitudine belli timor inſolitus inceſſerat, afflictare ſeſe, manus ſupplices ad cœlum tendere, miſerari paruos liberos, rogitare Deos, omnia pauere, ſuperbiâ atque delitiis omiſſis.

AXIOMA.

Laudanda eſt indulgentia ſi cum Reipubl. cuſtodiâ coniuncta ſit.

ARGVMENTVM.

Sextium laudat, quòd detecta coniuratione litteriſque ad Allobrogas datis in ponte Milino deprehenſis, ipſe cum exercitu Capuam profectus M. Aulanum, & C. Marcellum coniuratos, & eam vrbem occupare volentes eiecerit.

IDem, cùm illa coniuratio ex latebris, atque ex tenebris erupiſſet, palámque armata volitaret, venit cum exercitu Capuam: quam vrbem propter plurimas belli opportunitates ab illa impia, & ſcelerata manu attentari ſuſpicabamur: & inde M. Aulanium Tribunum militum Antonij, Capua præcipitem eiecit, hominem perditum, & non obſcurè Piſauri, & in aliis agri Gallici partibus in illa coniuratione verſatum. Idémque C. Marcellum, cùm is non ſolùm Capuam veniſſet, verùm etiam ſe quaſi armorum ſtudio in maximam familiam conieciſſet, exterminandum ex illa vrbe curauit. Qua de cauſa, & tum conuentus ille Capuæ, qui propter ſalutem illius vrbis Conſulatu conſeruatam meo, me vnum patronum adoptauit, huic apud me P. Sextio maximas gratias egit, & hoc tempore iidem homines, nomine commutato, coloni, decurionéſque fortiſſimi, atque optimi viri beneficium P. Sextij teſtimonio declarant, periculum decreto ſuo deprecantur. IX.

EXPLANATIO.

IDEM.] Poſtquam Catilina Ciceronis oratione perculſus ex vrbe diſceſſit, præ ſe ferens ſe cum exercitu rediturum: & inſultaturum ſuorum inimicorum ceruicibus, poſtquam coniuratorum litteræ comprehenſæ ſunt, & in Senatu recitatæ, & aliquot è coniuratis in vincla coniecti.

ANTONII.] Quidam reponunt *Antrony*, qui paſſim inter cõiuratos. Non placet. cur enim Antonij Tribunus militum eſſe non poſſit, cùm Antonius ipſe in ſuſpicionem vocaretur, & vt fit in bellis ciuilibus, à Catilinâ potuerit ad Antonium, & ab hoc ad illum tranſiiſſe? Adde quòd Antronius exercitum habuiſſe non videtur, ac proinde neque Tribunos militum.

C. MARCELLVM.] Hunc Muretus eſſe ſuſpicatur, cuius meminit Oroſius lib. 6. *Motus etiam in Pelignis ortus à Marcellis patre & filio, per Luc. Vettium proditus.* Quem Cicero 1. in Catilinam *optimi viri filium*, εἰρωνικῶς appellet.

FAMILIAM.] Hic Marcellus multos gladiatores, vt videtur, collegerat, quibuſcum deinde aliis in vrbem inductis Capuam obtineret.

QVA DE CAVSA.] Capuanorum ipſorum teſtimonio Sextij laudem illuſtrat, qui & Sextio gratias egerunt, & ob ſeruatam vrbem Ciceronem Conſulem patronum adoptarunt.

NOMINE COMMVTATO.] Antequam Capua Coloniæ nomen & ius obtineret, Capuanorum conſilium conuentus dicebatur: at poſtquam Colonia lege Cæſaris Conſulis Capuam tranſſcripta eſt, nomen mutauit, & pro conuentu decuriones cœperunt vocari.

NOTÆ.

ELATEBRIS.] Eodem ſenſu Maro, I.

--- *cœcos inſtare tumultus*
Sæpè monet, fraudēque, & operta tumeſcere bella.

Et Manilius lib. 1. Aſtron.

Et clandeſtinis ſurgentia fraudibus arma.

Quia nimirum coniurationes in tenebris fiunt, & Catilina, vt auctor eſt Salluſtius. *In abditam partem adium ſecedit, atque ibi omnibus arbitris procul amotis*, ſui ſceleris populares hortatur. Sic Ariſtophanes in Equitibus, τὰς ξυνωμοσίας, id eſt, coniurationes: τὰς ξυνόδους τὰς νυκτερινὰς ἐπὶ τῇ πόλει. *nocturnos conuentus contra vrbem*, appellat. Coniurationes.

BELLI OPPORTVNITATES.] Prima agraria. *Videbant ſi quod Reipub. veſtigium illis mœnibus contineretur, vrbem ipſam imperio domicilium præbere poſſe.* Secunda. *Tres ſolùm vrbes in terris omnibus Carthaginem, Corinthum, Capuam ſtatuerunt poſſe imperij grauitatem, ac nomen ſuſtinere.* Item, *Opportuniſſimam ſe nobis prabuit, & ad bellum inſtruendum, & ad exercitus ornandos, & tectis ac ſedibus ſuis recipiendos.* II. Capua bellis & imperio opportuna.

FAMILIAM.] Gladiatorum familiæ Capuam fuerant ex vrbe tranſlatæ, ſiue, vt eſſent præſidio, ſiue, vt potiùs reor, quòd vereretur Senatus, ne ſi in vrbe remanerent, à coniuratis ſollicitatæ aliquid molirentur contra Rempubl. Salluſtius in Catilina. *Itémque decreuere vti gladiatoria familia Capuam, & in alia municipia diſtribuerentur, pro cuiuſque opibus.* Marcellus igitur, quantum ex hoc loco colligere licet, gladiatores in Rempub. concitaturus Capuam acceſſerat, & ad maximam eorum familiam ſe applicuerat, quaſi armorum III. Familia gladiatorum.

ſtudio, id eſt, diſcendæ militaris exercitationis prætextu. Familia porrò tota fuit gladiatorum caterua, quæ ab vno laniſta erudiebatur. Seneca de beneficiis. *Laniſta qui familiam ſuam ſummâ cura exercet, atque ornat.* Cicero pro Sulla 55. *At præfuit familiæ Cornelius. Iam ſi in paranda familia ſuſpicio eſt vlla, quod præfuit nihil ad rem pertinet.* Et paulò ante 54. *Interpoſiti ſunt gladiatores, quos teſtamento patris videmus deberi. At empta eſt familia, quæ ſi eſſet prætermiſſa, poſſet alia familia Fauſti munus præbere.*

IV. CONVENTVS ILLE.] Capuani conſilium publicum non habuerunt initio. Prima agraria. *Maiores noſtri Capuæ magiſtratus, Senatum, conſilium commune, omnia denique inſignia Reipubl. ſuſtulerunt.* Rurſum ſecunda agraria. *Si agrum Campanis ademiſſent, magiſtratus, Senatum, publicum ex illa vrbe conſilium ſuſtuliſſent.* Quod iiſdem pene verbis Liuius teſtatur. Secutis tamen temporibus, vt vel ex hoc loco liquet, indultum eſt, vt quandam Senatus imaginem obtineret, conuentus nomine: qui fortaſſe conuentus ſolùm ad diſceptandas lites fuerat inſtitutus, de quo Budæus annotationibus reliquis in pandectas.

Conuentus. *Apud Plinium lib.3. c.1. & 3. conuentus legimus pro iis quos dies magnos noſtri vocant: & verbum conuenire eodem pertinens. Carthaginem, inquit, conueniunt pop. LX. id eſt iura Carthagine petunt. Quod nunc reſortiri dicimus vernaculo vocabulo non temere prolato: eſt enim à conſuetudine Græcorum, qui* λαγχάνειν δίκας *dicunt, & Romani ſortes iudiciorum dicebant.*

V. PATRONVM ADOPTAVIT.] In Piſonem 25. *Me inaurata ſtatua donarant: me patronum vnum adſciuerant.* Vbi hunc morem vſque à Romulo deductum fuiſſe oſtendimus, vt non priuatim ſolùm ſinguli plebeij, ſed etiam præfecturæ, municipia, Coloniæ, fœderatæ etiam ciuitates, ſibi quos vellent publicè patronos adſciſcerent, qui cùm clientes ſuos contra potentiorum vim, & iniurias defendebant, tum eorum inter ſe diſſenſiones, & iurgia dirimebant. pro Sylla. *Primùm omnis Pompeianorum colonorúmque diſſenſio delata ad patronos eſt, cùm iam inueteraſſet, ac multos annos eſſet exagitata, deinde ita à patronis res cognita eſt, vt nulla in re à cæterorum ſententiis Sylla diſſenſerit.* Patroni vrbium. Neque ſolùm, vt videtur, è Romanis proceribus, ſed etiam ex aliis & prouincialibus, ſibi nonnunquam patronos deligebant. Apuleius lib.3. ſuæ metamorphoſis ſibi ipſi hunc honorem fingit eſſe delatum. *Tibi ciuitas omnis pro iſta gratia honores egregios offeret. nam & patronum ſcripſit, &, vt in ære ſtet imago, tua decreuit.*

VI. DECVRIONES.] Decuriones fuerunt coloniarum & municipiorum Senatores: qui curiales paſſim à Iuriſconſultis, à Tullio etiam. *ordo ampliſſimus* nominantur. Decuriones. pro Cœlio 4. *Nemini vnquam præſenti Puteolani maiores honores habuerunt, quàm abſenti M. Cœlio. quem & abſentem in ampliſſimum ordinem cooptarunt, & ea non petenti detulerunt, quæ multis petentibus denegarunt.* Sed non eſt quod hîc moremur, cùm Barnabas Briſſonius lib. ſelectarum ex iure ciuili quarto, cap.13. de eorum nomine, officio, & priuilegiis ex profeſſo tractauerit, & nos pro Cœlio de curialium oneribus pluribus diſſeramus. Nonnulla etiam ſuggeret Sigonius lib. 2. de antiquo iure Italiæ cap.4. & 8. Plinius Iunior lib.1. ep.8. *Hunc ipſum ſermonem, non apud populum, ſed apud Decuriones habui; nec in propatulo, ſed in Curia.* Pomponius D. de Verb. ſignific. l. 239. *Decuriones quidam dictos aiunt, ex eo quòd initio cùm Coloniæ deducerentur, decima pars eorum qui ducerentur conſilij publici gratiâ conſcribi ſolita ſit.*

AXIOMATA.

Coniurationes ex latebris, atque è tenebris tandem erumpunt, palámque armatæ volitant.

Grati animi eſt eos à quibus ſalutem habemus, patronos adoptare.

ARGVMENTVM.

Superiùs dicta ex decreto Decurionum Capuæ facto confirmat, deinde cæteras res ad opprimendam Catilinæ coniurationem à Sextio quæſtore geſtas exponit.

X. RECita, quæſo, P. Sexti, quid decreuerint Capuæ Decuriones, vt iam virilis tua vox poſſit aliquid ſignificare inimicis noſtris, quidnam, cùm ſe corroborarit, effectura eſſe videatur. DECRETVM DECVRIONVM. Non recito decretum officio aliquo expreſſum vicinitatis, aut clientelæ, aut hoſpitij publici, aut ambitionis, aut commendationis gratia, ſed recito memoriam perfuncti periculi, prædicationem ampliſſimi beneficij, vicem officij præſentis, teſtimonium præteriti temporis.

XI. Atque illis temporibus iiſdem, cùm iam Capuam metu Sextius liberaſſet, vrbem Senatus, atque omnes boni, deprehenſis, atque oppreſſis domeſticis hoſtibus, me duce, ex periculis maximis extraxiſſent: ego litteris eum Capua accerſiui cum illo exercitu, quem tum ſecum habebat. Quibus hic litteris lectis, ad vrbem confeſtim incredibili celeritate aduolauit. Atque vt illius temporis atrocitatem recordari poſſitis, audite litteras, & veſtram memoriam ad timoris præteriti cogitationem excitate. LITTERÆ CICERONIS CONSVLIS. Hoc aduentu P. Sextij, Tribunorum plebis nouorum, qui tum extremis diebus Conſulatus mei res eas, quas geſ-

ſeram, vexare cupiebant, reliquíque coniurationis impetus, &, conatus ſunt retardati.

XII. Ac poſteaquam eſt intellectum, Catone Tribuno plebis fortiſſimo, atque optimo ciue, Rempublicam defendente, per ſeipſum S. P. Q. R. ſine militum præſidio tueri facilè maieſtatem ſuam, & dignitatem eorum, qui ſalutem communem periculo ſuo defendiſſent, Sextius, cum illo ſuo exercitu ſummâ celeritate eſt Antonium conſecutus. Hîc ego quid prædicem, quibus hic rebus Conſulem ad rem gerendam excitarit? quot ſtimulos admouerit homini ſtudioſo fortaſſis victoriæ, ſed tamen nimiùm communem Martem, bellíque caſum metuenti? longum eſt, omnia dicere: ſed hoc breue dicam. Si M. Petreij non excellens animus, & amore Reipubl. præſtans in Republ. virtus, non ſumma auctoritas apud milites, non mirificus vſus in re militari exſtitiſſet, neque adiutor ei P. Sextius ad excitandum Antonium, cohortandum, impellendum fuiſſet, datus illo in bello eſſet hiemi locus, neque vmquam Catilina, cùm è pruina Apennini, atque è niuibus illis emerſiſſet, atque æſtatem integram nactus, Italiæ caulas, & paſtorum ſtabula prædari cœpiſſet, ſine multo ſanguine, ac ſine totius Italiæ vaſtitate miſerrima concidiſſet.

EXPLANATIO.

RECITA.] Aderat iudicio patris Sextij filius prætextatus. Prudenter igitur cum Tullius, potiùs quàm ſcribam adhibet, ad decretum Capuanum, & patris ſui laudationem recitandam: partim vt iudices adoleſcentis gratia moueantur, partim vt aduerſarij deterreantur, cùm viderint ex vocis, & laterum firmitate ſpem eſſe vt in bonum oratorem euadat, & accuſatores patris ſui iudicio perſequatur.

NON RECITO.] Commodè remouet omnes cauſas, quæ poterant Capuanorum teſtimonium corrumpere.

VICEM OFFICII.] Legunt alij, *vocem officij*, quod non diſplicet, quamuis nihil nouandum eſſe videatur.

XI. LIBERASSET.] M. Aulano, & C. Marcello, qui eam occupare tentabant: eiectis eum autem laudat à celeritate, & ſollicitudine in ſeruanda defendendáque Repub.

HOC ADVENTV.] Q. Metellus Nepos Tribunus plebis Ciceroni obſiſtebat, eúmque de rebus in Conſulatu ſuo geſtis concionem habere prohibuit, legem etiam ferebat, vt Pompeius è bello Mithridatico ſuum exercitum Romam deportaret ad componendam Rempubl. Sextius Capua veniens conatus eius retardauit, effecítque ne coniurati quicquam in vrbe turbarent. Sed hæc obſcuriùs Cicero nullam faciens Metelli mentionem, & omnem periculi cauſam in coniuratos refundens, ne vel Pompeium, vel Metellum Nepotem offendat.

XII. AC POSTEAQVAM.] Metelli de reuocando Pompeio rogationem M. Cato Tribunus plebis ſua interceſſione diſiecit, & cætera quæ contra Remp. fieri videbantur, impediuit. Quare cùm Sextius videret neceſſariam Reip. non eſſe ſuam ſuíque exercitus præſentiam, C. Antonium Conſulem, qui contra coniuratos exiuerat, eſt ſecutus. Antonius ſiue quod coniurationis particeps fuiſſet, ſiue alia de cauſa tergiuerſabatur, nec volebat cum Catilinariis dimicare. Sed eum Sextius, & M. Petreius legatus ad rem celeriter gerendam excitarunt.

NOTÆ.

VT IAM VIRILIS.] Solebant filij parentum accuſatores in iudicium vocare. Valerius lib. 5. cap. 4. *M. Cotta eo ipſo die quo togam ſumpſit virilem, protinus, vt è Capitolio deſcendit, C. Carbonem, à quo pater eius damnatus fuerat, poſtulauit, protractumque reum iudicio afflixit, & ingenium, & adoleſcentiam præclaro opere auſpicatus.* Vnde auctore Plutarcho, Cato Cenſorius ei qui iudicio patris accuſatorem afflixerat, dixit: ὅτι ταῦτα χρὴ τοῖς γονεῦσιν ἐναγίζειν, οὐκ ἄρνας, οὐδ' ἐρίφους, ἀλλ' ἐχθρῶν δάκρυα, καὶ καταδίκας. *His immolatis parentum manes eſſe placandos, non agnis aut hœdis, ſed inimicorum lacrymis, & damnationibus.* Sic, vt dicitur in Cœliana, M. Cœlius accuſatur ab Atratino Pollæ filio, *quem ipſe in iudicium vocet, & vocarit.* I. Filij patrum iniurias perſequebantur.

CLIENTELÆ.] Quæ fuerint clientelæ publicæ compertum eſſe poteſt, è dictis de patronis ſuperiori ſectione. Verrina 5. *Itaque nunc Siculorum Marcelli non ſunt patroni: Verres in eorum locum ſubſtitutus eſt. Quam in te tantam virtutem eſſe, aut dignitatem arbitratus es, vt conarere clientelam tam illuſtrem, tam ſplendidæ prouinciæ traducere ad te, auferre à certiſſimis antiquiſſimíſque patronis? Tu iſtâ ſtultitiâ, nequitiâ, inertiâ, non modò totius Siciliæ, ſed vnius tenuiſſimi Siculi clientelam tueri potes?* Huiuſmodi clientelam ſignificat in Planciana 97. *Cum omnia illa municipia, quæ ſunt à Vibone Brunduſium, in fide mea, Iudices, eſſent, iter mihi tutum multis minitantibus, magno cum ſuo metu præſtiterunt.* Eadem ſectione. *Dyrrhachium, quod erat in fide mea petere contendi.* In fide, id eſt in clientelâ, ſed vide Budæum Annotationibus prioribus in pandectas. Claudianus de Conſulatu Mallij Theodori. II. Clientelæ publicæ. In fide eſſe.

Hinc te pars Libyæ moderantem iura probauit,
Quæ nunc tota probat: longi, ſed pignus amoris

Exiguæ peperere moræ, populúmque clientem
Publica manſuris teſtantur vocibus æra.

Vide quæ dicentur de prouinciis Conſularibus 35. ad illa verba, *Sit in eius tutelâ.*

III. Hoſpites. HOSPITII PVBLICI.] Hoſpitium aliud fuit publicum, aliud priuatum. Priuatum fuit, quòd familiæ Romanæ cum familiis externis contrahebant, vt ad ſe inuicem diuerterent. Teſſera hoſpitalis. Eóque fine dabant ſibi teſſeram hoſpitalem, id eſt ligna quadrata & oblonga bifariam diuiſa, quorum alteram partem alter hoſpitum, alter alteram penes ſe retinerent, partibúſque poſtmodum inter ſe collatis ſe inuicem agnoſcerent. de quibus Lambinus in Ciſtellariam Plauti. *Hoſpitibus teſſeras quaſdam dabant, quibus oſtenſis eos, vel eorum filios longo interuallo venientes agnoſcerent*, &c. Plautus Pœnulo, ſc. *Ain' tu,*

Pœn. *Hem quid ego audio?*
Ag. *Antidamæ natum me eſſe.* Pœn. *Si ita eſt teſſeram*
Conferre ſi vis hoſpitalem, eccam attuli.
Ag. *Agedum huc oſtende. eſt par probè nam habeo domi.*
Pœn. *O mi hoſpes, ſalue multum. nam mihi tuus pater,*
Pater tuus ergo hoſpes Antidamas fuit.
Hæc mihi hoſpitalis teſſera cum illo fuit.

Quod hoſpitij fœdus ſoluentes teſſeram frangebant. Plautus Ciſtellaria ſc. *Credo ego* &c.

Hic apud nos iam Alceſimarche confregiſſe teſſeram.

Hoſpitium publicum. Sed hæc iam nota lippis & tonſoribus. De publico hoſpitio noſter lib. 4. in Verrem de Syracuſanis. *Decernunt ſtatim primo vt Lucio fratri hoſpitium publicè fieret, quod is eandem voluntatem erga Syracuſanos ſuſcepiſſet, quàm ego ſemper habuiſſem. id non modò tum ſcripſerunt, verùm etiam in ære inciſum nobis tradiderunt.* Et oratione pro Lucio Cornelio Balbo. *Hoſpitium multis annis ante hoc tempus, cum Luc. Cornelio Gaditanos feciſſe publicè dico. Proferam teſtes, proferam legatos: excitabo laudatores, quod ad hoc iudicium, ſummos homines ac nobiliſſimos, deprecatores huius periculi miſſos videtis.* Tanta autem hoſpitum inter ſe fuit neceſſitudo, vt Maſſurius Sabinus libro iuris ciuilis tertio antiquiorem locum hoſpiti tribuat, quàm clienti. Verba ex eo libro hæc ſunt. *In officiis apud Maiores, ita obſeruatum eſt, primùm tutelæ, deinde hoſpiti, deinde clienti, tum cognato, poſtea affini.* Vt meritò ſuſpectum illud futurum fuerit decretum, ſi officio hoſpitij fuiſſet expreſſum.

MARTEM COMMVNEM.] Lib. 6. ad familiares IV. ep. 4. *Cùm omnis belli Mars communis, & cùm ſemper incerti exitus præliorum ſint.* Virg. in Catalectis.

Sæpè etiam denſos immittere corpus in hoſtes,
Communem belli nec timuiſſe Deum. Mars communis.

pro Milone 57. *Adde caſus, adde incertos exitus pugnarum, Martémque communem,* quem in locum plura ſeruamus. Aliam cunctationis cauſam adfert Dio lib. 37. ob quam ne prælio quidem auſus fuerit intereſſe, προκαταδείσας μήπως προθύμως σφᾶς ἀγωνιζομένους ἰδὼν (ὁ Κατιλίνας) ἐξονειδίζῃ τι, καὶ προσεξελέγχῃ οἱ τῶν ἀπορρήτων, αὐτὸς μὲν νοσεῖν προεφασίσατο, Μάρκῳ δὲ Πετρείῳ τὴν μάχην ἐπέτρεψε. *Veritus ne cùm ſe ſtrenuè certantem videret Catilina, conuitiis inceſſeret, proferrétque arcana, ipſe quidem morbum ſimulauit, M. autem Petreio pugnam commiſit.*

MIRIF. VSVS IN RE MILITARI.] De eodem V. Petreio Salluſtius in Catilina. *Homo militaris quod ampliùs annis* XXX. *Tribunus, aut Præfectus, aut Legatus, aut Prætor, cum magna gloria in exercitu fuerat, pleroſque ipſos factáque eorum fortia nouerat. Ea commemorando militum animos accendebat.*

NIVIBVS.] 12. Æneidos, VI.

---- aut ipſe coruſcis
Cùm fremit ilicibus quantus, gaudétque niuali Niues Appennini.
Vertice ſe attollens pater Appenninus in auras.

Silius Italicus libro 4. Punicorum.

Horrebat glacie ſaxa inter lubrica, ſummo
Piniferum cœlo miſcens caput Appenninus.
Condiderat nix alta trabes, & vertice celſo
Canus apex ſtrictâ ſurgebat ad aſtra pruinâ.

Dixerat iam lib. 2.

Subſident Alpes, ſubſidet mole niuali,
Alpibus æquatum attollens caput Appenninus.

AXIOMATA.

Non magnæ auctoritatis eſt teſtimonium officio aliquo expreſſum vicinitatis, aut clientelæ.

Nocet aliquando nimium communem Martem, bellíque caſum metuere.

Plurimum confert ad victoriam ducis, aut legati ſumma auctoritas apud milites.

De Publij Sextij Tribunatu, & ſtatu Reipub. antequam eum iniret magiſtratum.

Quoniam Tribunatus totus P. Sextij, nihil aliud niſi cauſam Ciceronis noménque ſuſtinuit, neceſſariò ſibi de ſuo diſceſſu, reditúque dicendum eſſe ratus, prudenter priuatam cauſam ad Rempub. traducit, & duo tractanda proponit. Ea ſunt.

- diſceſſus Ciceronis, & perturbatio Reipub. in quo ſpectanda
  - antecedentia.
  - comitantia.
  - conſequentia & effectus.
- reditus Ciceronis, & Reipubl. ad meliorem ſtatum conuerſio.

ARGVMENTVM.

Quæſturam Macedoniæ rhetorica præteritione leuiter attingens, curſúmque animi moderationem in vlciſcendis inimicis præ ſe ferens ſenſim ad Tribunatum delabitur.

HVnc igitur animum ad Tribunatum attulit P. Sextius, vt quæſturam Macedoniæ relinquam, & aliquando ad hæc propiora veniam. Quamquam non eſt omittenda ſingularis illa integritas prouincialis: cuius ego nuper in Macedonia vidi veſtigia non preſſa leuiter ad exigui prædicationem temporis, ſed fixa ad memoriam illius prouinciæ ſempiternam. Verùm hæc ita prætereamus, vt tamen intuentes, & reſpectantes relinquamus. Ad Tribunatum, quia ipſe ad ſeſe iamdudum vocat, & quodammodo abſorbet orationem meam, contento ſtudio, curſúque veniamus. De quo quidem Tribunatu ita dictum à Q. Hortenſio, vt eius oratio non defenſionem modò criminum videretur continere, ſed etiam memoria dignam Reipublicæ capeſſendæ auctoritatem, diſciplinámque præſcribere. XIII.

Sed tamen, quoniam Tribunatus quidem totus P. Sextij nihil aliud niſi meum nomen cauſámque ſuſtinuit, neceſſariò mihi de iiſdem rebus eſſe arbitror, ſi non ſubtilius diſputandum, at certè, Iudices, dolentius deplorandum. Qua in oratione ſi aſperiùs in quoſdam homines inuehi vellem, quis non concederet, vt eos, quorum ſceleris furore violatus eſſem, vocis libertate perſtringerem? Sed, vt agam moderatè, & huic potiùs tempori ſeruiam, quàm dolori meo, ſi qui occultè à ſalute noſtra diſſentiunt, lateant: ſi qui fecerunt aliquid aliquando, atque iidem nunc tacent, & quieſcunt, nos quoque ſimus obliti: ſi qui ſe efferunt inſolenter, & inſectantur, quoad ferri poterunt, perferemus: neque quemquam offendet oratio mea, niſi qui ſe ita obtulerit, vt in eum non inuaſiſſe, ſed incurriſſe videamur. Sed neceſſe eſt, antequam de Tribunatu P. Sextij dicere incipiam, me totum ſuperioris anni Reipublicæ naufragium exponere. In quo colligendo, ac reficienda ſalute communi, omnia reperientur P. Sextij dicta, facta, conſilia verſata. XIV.

EXPLANATIO.

HVNC.] P. Sextius Tribunatum plebis petiit, poſtquam tantum in quæſtura virtutis ſuæ ſpecimen edidiſſet.

VT QVÆSTVRAM.] Antonius victo Catilina non ſtatim Romam rediit, ſed Proconſul in Macedoniam cum P. Sextio Quæſtore ſuo profectus eſt. Sed res in eo prouinciali magiſtratu geſtas prætermitto, vt ad Tribunatum eius veniam, & ea quæ ſuperiore anno contigerunt.

QVANQVAM.] Magno artificio ſuam præteritionem retractat, & quaſi mutat ſententiam, nonnihil de integritate & abſtinentiâ, quàm Sextius in prouincia ſpectandam dedit, interſerens, deinde ſuam illam retractationem reprehendit, & rurſum mutat ſententiam, quaſi tanta ſit virtutum Sextij dignitas, vt eas præterire non poſſit, tanta copia vt earum multitudine obruatur.

NVPER.] Cùm eiectus factionibus Clodij primum in Siciliam ſeceſſi, deinde iuſſus abeſſe ab vrbe vltra ter mille ſeptingenta quinquaginta ſtadia in Macedoniam, in qua non ita pridem Quæſtor fuerat Sextius, nauigaui.

VERVM.] Alia tranſitio per quam à rebus in quæſtura geſtis ad Tribunatum delabitur. Allegoria ducitur à nauibus, quæ nonnunquam vndarum vehementiâ in Scyllas, & voragines rapiuntur, & abſorbentur.

DE QVO QVIDEM.] Quoniam Q. Hortenſius iam de Sextij Tribunatu copioſam habuerat orationem, & periculum erat ne ſi noſter eadem de re diceret, & per eandem, vt dicitur, lineam ſerram reciprocaret, Hortenſium vel negligentiæ, vel ieiunitatis accuſare videretur, prudenter eius in dicendo copiam grauitatémque laudat, ſubdítque rationem cur etiam ipſe dicere debeat de eodem Sextij Tribunatu. XIV.

MEMORIA DIGNA VTI.] Conſtat Hortenſium plurimùm memoria valuiſſe, ſed quàm hæc frigida, quàm puerilis eſſet oratio, ſi tam alieno loco, immò tam alieno tempore noſter eius memoriam prædicaret. Quare legendum puto, quod Fuluius Vrſinus in manuſcripto ſe reperiſſe teſtatur. *Sed etiam memoria dignam in Republ. capeſſendæ auctoritatem diſciplinámque præſcribere.* Quid ſi paucioribus mutatis legeremus? *Memoria dignam, vtilem Reipubl. capeſſendæ auctori-*

tatem diſciplinámque præſcribere. Id eſt, vt eius oratio non ſolùm crimina obiecta Sextio dilueret, ſed etiam magnâ auctoritate doceret adoleſcentes, quemadmodum debeant capeſſere Remp. Quibus verbis videtur ad Senatus auctoritatem alludere, quæ licet non omnino rata eſſet, magnam tamen vim obtinebat. Fuluij tamen lectio Robortelli auctoritate firmatur.

NOTÆ.

I. PRESSA.] Lucretius libro ſecundo de natura rerum,

At mater virides ſaltus orbata peragrans,
Linquit humi pedibus veſtigia preſſa biſulcis.

Libro 3. eodem verſu non ſolùm preſſa, ſed etiam fixa dixit.

Te ſequor ô Graiæ gentis decus, inque tuis nunc
Fixa pedum pono preſſis veſtigia ſignis.

II. VOCAT.] Eodem ſenſu Maro 3. Georgicon,

---- vocat ingenti clamore Citheron
Taygetique canes, domitrixque Epidaurus equarum.

Id eſt, excitor & impellor ad diſſerendum de ouibus & bobus Citheronis, ſiue Bœotiæ, canibus Taygeti, ſiue Spartæ, equis Epidauri. Plinius, Iunior panegyrico Traiani. *Aliò me vocat numeroſa gloria, aliò autem?*

III. ABSORBET.] Vox tralatitia à mari. Lyricus,

Me rurſus in bellum reſorbens,
Vnda fretis tulit æſtuoſis.

Sorbere.

Maro 3. Æn. *Sorbet in abruptum fluctus.* Catullus.

---- Tanto te abſorbens vortice amoris,
Æſtus in abruptum detulerat barathrum.

Auguſtinus 6. confeſſionum cap. 7. *Gurges tamen morum Carthaginenſium, quibus nugatoria feruent ſpectacula, abſorbuerat eum in inſaniam circenſium.*

IV. CVRSVQVE.] Pro Cœlio 51. *Sed quoniam emerſiſſe iam è vadis, & ſcopulos prætervecta videtur oratio mea, perfacilis mihi reliquus curſus oſtenditur.* Vbi multis oſtendimus orationem apud grauiſſimos, quoſque ſcriptores cum nauigatione comparari. Audi interim Baſilium homilia, Quòd non oporteat affixum eſſe rebus ad hanc vitam ſpectantibus. Ἀλλὰ γὰρ ἤδη πρὸς λιμένας, ὡς ὁρᾶτε καταχθέντα τὸν λόγον εἰς τὸν τῆς συμβουλῆς δρόμον αὖθις ἀδελφοί τινες ἐπανάγουσι, μὴ παραδραμεῖν τὰ χθὲς ὑπὸ τοῦ δεσπότου θαυματουργηθέντα κελεύοντες. *Sed iam ad portum prouectam, vt videtis, orationem meam, quidam ex fratribus rurſum in conſultationis curſum reducunt, ea quæ dominus mirè patrauit iubentes non prætervehi.* Nec fortaſſe ab hoc dicendi genere Poëta nobilis alluſit 4. Georg.

Orationis nauigatio.

Atque equidem extremo, ni iam ſub fine laborum
Vela traham, & terris feſtinem aduertere proram, &c.

Fabius etiam lib. 10. inſtit. orat. de extemporali dicendi facultate diſſerens. *Tum & tardior pronuntiatio moras habet, & ſuſpenſa ac velut dubitans oratio, vt tamen deliberare non hæſitare videamur. Hoc, dum egredimur è portu, ſi non ſatis aptatis armamentis aget ventus, deinde paulatim ſimul euntes aptabimus vela, & diſponemus rudentes, & impleri ſinus optabimus. Id potius quàm ſe inani verborum torrenti dare, quaſi tempeſtatibus, quo volent, auferendum.*

NON SVBTILIVS.] In ſubtili & remiſſo dicendi genere excelluiſſe videtur Hortenſius noſter Oratore 106. *Nihil enim amplè Cotta, nihil leuiter Sulpitius, non multa grauiter Hortenſius.* Vide Diuinationem contra Q. Cæcilium 45. *Te verò, Cæcili, quemadmodum ſit eluſurus, quàm omni ratione iactaturus videre iam videor: quoties ille poteſtatem optionémque facturus ſit, vt eligas vtrùm velis, factum eſſe, nécne: verum eſſe an falſum; vtrum dixeris id contra te futurum. Qui tibi æſtus, qui error, quæ tenebræ, Dij immortales, erunt homini minimè malo? Quid cùm accuſationis tuæ membra diuidere cœperit, & in digitis ſuis ſingulas partes cauſæ conſtituere? quid cùm vnumquodque tranſigere, expedire, abſoluere?* Quæ omnia indicant ſubtilitatem Hortenſij. V.

Subtilitas Hortenſij.

DOLENTIVS.] Oratore 130. *Quid ego de miſerationibus loquar, quibus eo ſum vſus pluribus, quod etiamſi plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant, in quo vt viderer excellere non ingenio, ſed dolore aſſequebar.* & 131. *Nec verò miſeratione ſolùm mens iudicium permouenda eſt, qua nos ita dolenter vti ſolemus, vt puerum infantem in manibus perorantes tenuerimus: & alia in cauſa excitato reo nobili, ſublato etiam filio paruo, plangore & lamentatione compleremus forum.* VI.

Ciceronis motus.

NAVFRAGIVM.] Eodem ſenſu Demades dicebat, τὰ ναυάγια πολιτεύεσθαι τῆς πόλεως, *ſe gubernare naufragia Reipubl.* vt auctor eſt Plutarchus in præceptis politicis. VII.

AXIOMATA.

Eorum qui Rempubl. benè geſſerint integritatis veſtigia manent non preſſa leuiter ad exigui prædicationem temporis, ſed fixa ad memoriam ſempiternam.

Nemo non concedit vt eos, quorum ſceleris furore violati ſumus, vocis libertate perſtringamus.

Si qui contra nos fecerunt aliquid aliquando, atque iidem nunc tacent & quieſcunt, nos quoque ſimus obliti.

Ne quemquam offendat oratio noſtra, niſi qui ſe ita obtulerit, vt in eum non inuaſiſſe, ſed incurriſſe videamur.

Antecedentia diſceſſum Ciceronis

- cõmunis omnium terror, & quaſi futuræ cladis præſagium.
  - cauſæ
    - efficientes
      - Clodius
        - furioſus & inimicus Ciceroni.
        - infirmus per ſe & infamis.
        - ſed adiutus à Conſulibus.
      - Conſules qui Clodium adiuuerunt prouinciarum cupiditate impulſi.
        - Gabinius
          - adoleſcentiæ probris infamis. 18.
          - ganeo & apertè nequam 19.
          - factu Conſul alienis opibus, id eſt gratia Cn. Pompeij.
        - Piſo
          - occultè nequam 24
          - ſecta Epicureus. 23.
          - factus Conſul,
            - nobilitatis commendatione 21
            - frontis ſeueritate & ſimulatione virtutis. 19. 20. &c.
      - Cicero qui ceſſit, de quo tabula ſequenti.
    - finis cognitus ex pactione.
      - Vt Clodius auxilio Conſulum Ciceronem expelleret. 24.
      - Vt Conſules lege Clodij prouincias, quas volebant, obtinerent. 24.
- Media
  - 1. promulgatio legis de exilio Ciceronis & prouinciis Conſulum. 25.
  - 2. ſeditioſæ conciones & contumeliæ in Senatum. 26. 28.
  - 3. relegatio L. Lamiæ pro Tullio ſupplicantis. 29. quam exaggerat ex comparatione cum Latinis.
    - habebant illi reditum in domos ſuas 30.
    - commune erat incommodum, nec vlla in quemquam ignominia nominatim cadebat
    - Lamia, & nominatim & domo ſua pulſus.
  - 4. edictum Conſulum vt Senatus qui pro Cicerone veſtem mutauerat, ad veſtitum rediret. 32 exaggerat
    - 1. ex comparatione cum tyrannis. 31.
      - vel ſibi mœrendi.
      - vel aliis ſupplicandi.
    - 2. ex cauſa mutatæ veſtis 32.
    - 3. a minori ad maius. 33.
  - 5. euerſæ leges ſalutares Reip 34.
  - 6. templum Caſtoris & forum armatis hominibus occupatum 34.

ARGVMENTVM.

A fonte & capite ſuperioris anni ſeditiones accerſit: quarum principium fuit ira Clodij in Ciceronem, & eiuſdem abiuratis patritiis ad plebem traductio.

FVerat ille annus in Reipubl. magno metu, & multorum timore, tanquam intentus arcus in me vnum, ſicut vulgo ignari rerum loquebantur, re quidem vera in vniuerſam Rempubl. traductione ad plebem furibundi hominis, ac perditi, mihi irati, ſed multo acriùs otij, & communis ſalutis inimici. Hunc vir clariſſimus, mihíque, multis repugnantibus, amiciſſimus Cn. Pompeius omni cautione, fœdere, exſecratione deuinxerat, nihil in Tribunatu contra me eſſe facturum. At ille nefarius, ex omnium ſcelerum colluuione natus, parum ſe fœdus violaturum eſt arbitratus, niſi ipſum cautorem alieni periculi ſuis propriis periculis terruiſſet. XV.

EXPLANATIO.

FVERAT ILLE.] Prudenter, vt omnem illarum ſeditionum culpam deriuet in Clodianos, præcedentem omnium terrorem exponit, & quaſi futuræ cladis præſagium. Sic ille 2. Æneid.

---Et mihi iam multi crudele canebant,
Artificis ſcelus & taciti ventura videbant.

ILLE ANNVS.] Omnes machinæ quas eo anno videlicet ab V. C. ſexcenteſimo nonageſimoſexto. Piſo & Gabinius Conſules, Clodius Tribunus plebis, & alij nefarij ciues ad labefactandam meam ſalutem adhibebãt. Nota verborum energiam. Ille annus, inquit, ad oſtendendam cladis diritatem, quaſi non hominum conſiliis, ſed fato tempori conſtellationibúſque tribuatur. Rem illuſtrat comparatione arcûs intenti, vt Poëtæ calamitates & peſtes telà quædam à Diis immiſſa eſſe fabulantur.

TRADVCTIONE.] P. Clodius perditus adoleſcens, vita & moribus impurus Pompeiam Cæſaris vxorem adamabat: & cùm in domo Cæſaris ſacra fierent Bonæ Deæ, ad quæ ſolis matronis aditus patebat, idcóque mares omnes è domo Cæſaris exiiſſent, ipſe veſte muliebri, habitu fidicinæ, ingreſſus eſt, ibique à matronis deprehenſus, ſed per manus ſeruulæ, quam ad eum Pompeia miſerat, ſeruatus & eductus eſt. Accuſatus factum negauit ea ratione quod Interamnæ fuiſſet, eo die quo in aperto Bonæ Deæ fuiſſe diceretur. Huiúſque rei C. Caſſinium Scholam teſtem produxit. Contra Cicero ab accuſatore productus Clodium eo die Romæ fuiſſe, & cum eo diu ſe collocutum eſſe teſtatus eſt. Ille tamen corruptis iudicibus abſolutus, irâ æſtuans vt Ciceroni perniciem crearet, cœpit ambire Tribunatum. Sed cùm aditus patritiis ad eum honorem non pateret, curauit ſe à Fonteio plebeio ho-

mine adoptari, & ita traduci ad plebem. De eius adoptione legem Curiatam tulit Cæſar Conſul. Is anno ſequenti factus Tribunus plebis, tum alias ſeditiones excitauit, tum Ciceronem eiecit, & ſeruum ad occidendum Pompeium in veſtibulo Curiæ collocauit. Atque hic eſt fons, hoc caput vnde clades illæ manarunt.

Otii.] Pacis & tranquillitatis Reipubl.

Mvltis Repvbl.] Infra 41. *Quem virum ſtudioſum mei, cupidiſſimum Reipub. conſeruandæ, domi meæ certi homines ad eam rem compoſiti monuerunt, vt eſſet cautior: eiúſque vitæ à me inſidias apud me domi poſitas eſſe dixerunt: atque hanc ſuſpicionem alij litteris mittendis, alij nuntiis, alij coram ipſi excitauerunt.* Vatinius præſertim de quo infra 132.

Omni cavtione.] Omnem ſecuritatis rationem à Clodio Pompeius exegit, qua promiſſis, qua ſcripto, Quodcunque cum eo fœdus pepigit, ſemper eam conditionem adiunxit, ne Clodius contra me quicquam faceret in Tribunatu, ſi Pompeius eum iuuiſſet in eo magiſtratu conſequendo, Clodium etiam impulit, vt peſtem ſibi imprecaretur, ſéque ipſum Diris omnibus deuoueret, ſi quid contra me facturus eſſet.

At ille nefarivs.] Clodius in quem omnia ſcelera confluxerunt, tãquam in ſentinam, immò qui ex omnibus vitiis concretus eſt, & conglutinatus, inſtar eorum animalium quæ ex ſordium colluuie coaleſcunt & naſcuntur.

Cavtorem.] Pompeium qui prouiderat, ne mihi Clodius in Tribunatu periculum exhiberet.

Prop. per. terrvisset.] Damnionem libertum ad occidendum Pompeium in veſtibulo Curiæ collocaſſet. Cui extorta eſt confitenti ſeca de manibus. Antitheſis elegans inter pericula propria & aliena, terrorem & cautionem.

NOTÆ.

I. Intentvs arcvs.] Calamitates ſolent cum arcu intento conferre. Sic 1. Iliados intentus Apollinis arcus ad inferendam peſtem deſcribitur, ſic ad delendam claſſem Antonij,

Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo.

Mala cum arcu intento comparata. Eodem flexu cum ſecuri imminente ceruicibus. Herodianus lib. 8. poſt necem Maximini. Ὁ δὲ Βαλβῖνος καὶ αὐτὸς ἑκατόμβας ἔθυε, ἀρχαί τε πᾶσαι, καὶ σύγκλητος, ὥσπερ ἀποσεισάμενοι πέλεκυν τοῖς αὐχέσιν ἐπικείμενον. *Tum Balbinus ipſe hecatombas immolauit, tum magiſtratus omnes & Senatus, tanquam excuſſiſſent ſecurim ſuis ceruicibus imminentem.* Et alij frequenter.

II. Tradvctione ad plebem.] E Romanorum familiis aliæ patritiæ fuerunt, aliæ plebeiæ. De quibus plura pro Milone 4. *Ampliſſimorum ordinum.* Ex nonnunquam ſe ex vno in alium ordinem transferebant, vt gens Octauia quæ, vt refert tranquillus in Auguſto cap. 1. *A Tarquinio Priſco Rege inter minores gentes allecta in Senatum, mox à Seruio Tullio in patritias transducta procedente tempore ad plebem ſe contulit: ac rurſus magno interuallo per D. Iulium in patritiatum rediit.* Sed id, vt arbitror, rariſſimè. Frequentiùs ſinguli ciues, è familiâ in familiam per adoptionem aut arrogationem tranſibant, ac proinde è patritiis ad plebeios, ſi patritia erat familia quam relinquebant, in quam adoptabantur, arrogabantúrve, plebeia. Sic Clodius desertâ patriciâ Clodiorum gente, arrogatus eſt in gentem Fonteiorum plebeiam. De Clodij arrogatione vide fusè noſtrum orat. pro domo ſua. Gellius lib. 5. noct. Attic. cap. 19. *Quum in alienam familiam, inque liberorum locum extranei ſumuntur, aut per Prætorem fit, aut per populum. Quod per Prætorem fit, adoptatio dicitur; quod per populum arrogatio.* Vide.

Traductio ad plebem.

Adoptatio.

Arrogatio.

Otii et commvnis salvtis.] Benè vtrumque coniungit, quia communis ſalus otio continetur, & Reipubl. finis eſt, cum dignitate otium, vt infra dicetur 98. elegans illud Plutarchi opuſculo, Cur verſibus Pythia non loquatur. Ἀθηναίοις περὶ τῆς ἐν Σικελίᾳ μαντευομένοις στρατείας προσέταξε τὴν ἐξ Ἐρυθρῶν ἱέρειαν ἀνάγειν τῆς Ἀθηνᾶς. Legerim, εἰς Ἀθήνας. Ἐκαλεῖτο δ' Ἡσυχία τὸ γύναιον. *Athenienſibus de expeditione in Siciliam ſciſcitãtibus, iuſſit oraculum, vt Erythris ſacrificulam in vrbem inducerent. Quies mulierculæ nomen fuit.* III.

Quies ciuitatibus expetenda.

Cavtione.] Aſſecuratione & ſchedulâ obligationis, vt hodie loquuntur. Seneca lib. 7. de beneficiis. *Video iſthic diplomata, & ſyngraphas, & cautiones vacua habendi ſimulacra, vmbras quaſdam auaritiæ laborantis, per quas decipiant animum inanium opinione gaudentem.* Ambroſius lib. 1. de Sacramentis cap. 2. *Memor eſto ſermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ ſeries cautionis. Si chirographum homini dederis teneris obnoxius, vt pecuniam eius accipias: teneris adſtrictus, & reluctantem te fœnerator adſtringit, atque illic tua cautione conuinceris.* Vbi vides cautiones eſſe ſcripturas, aut ſyngraphas quæ ad maiorem ſecuritatem fœneratoribus tribuuntur. Baſilius in pſalmos homilia contra fœneratores. Ὁ δ' ἀπέρχεται γραμματείοις αὐτὸν καὶ ἐχεγγύοις ἀσφαλισάμενος. *At fœnerator diſcedit, cùm debitorem ſcripturis & ſponſionibus deuinxerit.* Vide pro Marcello. *Tua enim cautio, noſtra cautio eſt.* IV.

Cautio.

AXIOMATA.

In colligendo Reipubl. naufragio, & reficienda ſalute communi omnia bonorum ciuium debent dicta, facta, conſilia verſari.

Homines nefarij parum ſe fœdus violare arbitrantur, niſi cautores alieni periculi propriis periculis terruerint.

ARGVMENTVM.

Cæſarem qui Clodium ad plebem traduxit, tribus rationibus excuſat, quòd vel Ciceroni fuerit iratus, vel id non ſponte, ſed amicorum precibus exoratus fecerit. Denique quòd ignarus fuerit impendentium malorum.

XVI. Hanc tetram immanémque belluam vinctam auſpiciis, alligatam more maiorum, conſtrictam legum ſacratarum catenis ſoluit ſubito lege curiatâ Conſul, vel, vt ego arbitror, exoratus, vel, vt non nemo putaret, mihi iratus, ignarus quidem certè, & imprudens impendentium tantorum

ſcelerum,

ſcelerum, ac malorum. Qui Tribunus pleb. felix in euertenda Repub. fuit nullis ſuis neruis. Qui enim in eiuſmodi vita nerui eſſe potuerunt, hominis fraternis flagitiis, ſororis ſtupris, omni inaudita libidine infamis?

EXPLANATIO.

HANC TETRAM.] Confert Clodium cum bellua, qui vincula & catenas abruperit. Vinctum eum fuiſſe dicit priuſquam ad plebem tranſiiſſet, quòd nec auſpicia, nec mos maiorum, nec leges ſacratæ patritium Tribunum plebis fieri paterentur: ſolutum à Conſule, quia à Cæſare ad plebem traductus eſt.

SOLVIT SVBITO LEGVM CVRA.] Id eſt, quamuis adhuc reuera legibus, more maiorum & auſpiciis etiam poſt arrogationem teneretur, cùm illa arrogatio contra ius Pontificum morem maiorum & auſpicia facta fuiſſet (vt fusè probatur oratione pro domo) ac proinde Tribunus plebis factus eſſet contra leges ſacratas quæ patritium, niſi legitimè traductum ad plebem Tribunum plebis fieri prohibebant; quamuis, inquam, adhuc teneretur, nihilò tamen minùs Cæſar effecit, vt à legum metu ſecurus eſſet, & eas impunè perfringeret. Legit Turnebus, & alij poſt eum, *lege curiatâ*. quòd Cæſar de adoptione Clodij legem curiatam tulerit: quod magis arridet: minùs enim in Cæſarem contumelioſa eſt oratio, & plenior. Neque enim ſola legum, ſed etiam auſpiciorum & moris maiorum curâ ſoluendus fuiſſet Clodius: ac proinde vel hæc verba *legum curâ* omitti debuiſſent, vel ita oratio concinnari, *ſoluit ſubitò legum, auſpiciorum, moris maiorum curâ Conſul.* At ſi per legem curiatam legibus ſacratis, auſpiciis, more maiorum ſolutum fuiſſe dicamus, longè auguſtior, & Cæſari æquior erit oratio.

QVI TRIBVNVS.] P. Clodius, fuit fœlix in euertendâ Republ. (ſi qua poteſt eſſe in ſcelere fœlicitas, quia quod moliebatur ad exitum perduxit, nullis ſuis viribus, ſed Conſulum auxilio.

FRATERNIS.] Mihi non liquet vtrum Appium Clodium fratrem Clodij intelligat, cum quo Clodius flagitia commiſerit. Non eſt certè quòd ad Q. Metellum Nepotem alterum Clodij fratrem id transferamus: cùm is non ſemel hac oratione honoris non infamiæ causâ nominetur. Quid ſi dicamus fraternorum flagitiorum nomine, non flagitia quæ frater in ſuum corpus admiſerit, ſed fraudem & proditionem, quam ipſe in ſuum fratrem commiſerit, denotari. pro Milone 77. *Appium fratrem hominem mihi coniunctum fideliſſimâ gratiâ, abſentem de poſſeſſione fundi deiecit.*

SORORIS STVPRIS.] pro Milone 75. *Quem cum ſorore germanâ nefarium ſtuprum feciſſe L. Lucullus iuratus ſe quæſtionibus habitis dixit compeꝛiſſe.*

NOTÆ.

I. TETRAM.] Crudelem, truculentam. in Vatinium 9. *Omni diritate atque immanitate teterrimus.*

II. IMMANEMQVE.] Immanes belluæ 9. Æneidos,

Immanem veluti pecora inter inertia tigrim.

Varro Meleagris. *Adde hydram Lernæam & draconem Heſperidum, quòd beſtiæ fuerunt immanes.* Noſter 2. Tuſc.

---- *Quæ ferarum immanitas.*

Plinius Iunior Panegyrico Traiani. *Domo quam nuper immaniſſima belliia plurimo terrore munierat, cùm velut quodam ſpecu incluſa nunc propinquorum ſanguinem lamberet, nunc ſe ad clariſſimorum ciuium cædes ſtrageſque proferret.*

BELLVAM.] Initio Piſonianæ. *Iamne [illegible] des bellua.* vide Notas. Clemens Alex[illegible] Stromat. Ὄνος ὑβριστὴς ὁ ἀκόλαστος, λέ[illegible] πλεονεκτικός. καὶ ὄφις ὁ ἀπατεών. *[illegible] ioſus eſt intemperans, leo ferus aua[illegible] fraudulentus.* III. Belluæ, homines.

Lucianus Piſcatore. Ὀργ[illegible] μὲν τῶν κυνιδίων ὄντες, δειλότεροι δὲ τῶν λαγωῶν, κολακευτικώτεροι δὲ τῶν πιθήκων, ἀσελγέστεροι δὲ τῶν ὄνων, ἁρπακτικώτεροι δὲ τῶν γαλεῶν, φιλονεικότεροι δὲ τῶν ἀλεκτρυόνων. *Iracundiores catulis, leporibus ignauiores, ad adulationem promptiores ſimiis, aſinis intemperantiores, rapaciores felibus, gallis gallinaceis contentioſiores.* Arrianus lib. I. Epicteti cap. 3. Λύκοις ὅμοιοι γινόμεθα, ἄπιστοι καὶ ἐπίβουλοι, καὶ βλαβεροί. οἱ δὲ λέουσιν, ἄγριοι καὶ θηριώδεις, καὶ ἀνήμεροι. οἱ πλείους δ' ἡμῶν ἀλώπεκες, καὶ ὡς ἐν ζώοις ἀτυχήματα. Τί γάρ ἐστιν ἄλλο λοίδορος, καὶ κακοήθης ἄνθρωπος ἢ ἀλώπηξ, ἤ τι ἄλλο ἀτυχέστερον, καὶ ταπεινότερον; *Lupis ſimiles efficimur, dum ſumus perfidi, & inſidioſi, & ad nocendum parati: alij leonibus, quia feri, immanes, & truculenti: maxima verò pars vulpeculæ ſumus, aut ſi quid aliud in animalibus pro monſtroſo habetur. Quid enim aliud eſt maledicus aut maleuolus homo, quàm vulpes, aut ſi quid ea eſt vel ignobilius, vel contemptius?* Noſter Clodium iratum omnibus cum belluis confert. irati enim, vt ait Baſilius magnus homilia contra iratos. Ὁρμῶσι, λυττῶσι, πηδῶσιν, ὥσπερ οἱ κύνες. ἅλλονται, ὥσπερ οἱ σκορπίοι. δάκνουσιν, ὥσπερ οἱ ὄφεις. *Impetum faciunt, rabie efferantur: inſiliunt, vt canes: ſaltant, vt ſcorpij: mordent, vt ſerpentes.*

VINCTAM AVSPICIIS.] Paulus Manutius in IV. Auſpicia patriciorum.
hunc locum: *Quia, inquit, ſi patritij fierent plebeij, contra auſpicia videbatur, quæ cùm patritiorum tantùm eſſent, vt & Liuius & ipſe Cicero non ſemel ſignificat: nimirum ſi ad plebem homines patritij traducerentur, interitura auſpicia videbantur, cùm à quibus haberentur, patritij deeſſent.* pro Domo 38. *Auſpiciáque populi Romani, ſi magiſtratus patricij creati non ſint, intereant neceſſe eſt,* &c. Sed nos pro Milone, & in Piſonem fuſiùs de auſpiciis diſſeremus. Aduerte tantùm Clodium, inſtar belluæ, diutiùs vinctum, & cum catenis illis ſuis eſſe luctatum; vt primùm enim Iudicij laqueos euaſit, ad plebem tranſire conatus eſt, lege C. Herennij Tribuni plebis, vt dicetur oratione de prouinciis Conſularibus §. 42. Nota I. Sed obſtitit Metellus Celer Conſul; &, vt dicetur pro Cœlio 80. Clodium fratrem ſuum patruelem. *Incipientem furere atque conantem, ſua ſe manu interfecturum audiente Senatu dixit.*

MORE MAIORVM.] Dio Chryſoſtomus oratione περὶ ἔθους. Ἔστι δὲ τὸ ἔθος γνώμη μὲν τῶν χρωμένων κοινὴ, νόμος δ' ἄγραφος ἔθνους ἢ πόλεως, δίκαιον δ' ἑκούσιον, καὶ V.

ταῦτα πᾶσιν ἀρέσκον. εὕρεμα δ᾽ ἀνθρώπων οὐδενὸς, ἀλλὰ
Mos maiorum. βίου καὶ χρόνου. *Mos eſt communis eorum qui vtuntur ſententia. lex non ſcripta gentis aut ciuitatis, ius voluntarium, & quidem omnibus acceptum. nullius hominum inuentum, ſed vitæ & temporis.* Pergit morem cum legibus comparare. Τῶν μὲν οὖν ἄλλων νόμων ἕκαστος ἅπαξ δοκιμασθεὶς ἔλαβε τὴν ἰσχὺν, τὸ δ᾽ ἔθος ἀεὶ δοκιμάζεται. *Aliarum legum ſingulæ ſemel approbatæ vim obtinent, mos ſemper approbatur.* Δοκεῖ τις ἂν προσεικάσαι τὸν μὲν ἔγγραφον νόμον τῇ δυνάμει τῆς τυραννίδος. φόβῳ γὰρ ἕκαστον, καὶ μετὰ προστάγματος διαπράττεται. τὸ δ᾽ ἔθος μᾶλλον τῇ φιλανθρωπίᾳ τῆς βασιλείας. βουλόμενοι γὰρ αὐτῷ πάντες, καὶ δίχα ἀνάγκης οἴονται. *Legem ſcriptam cũ poteſtate tyrannidis poſſit quiſpiam comparare. omnia enim iniecto metu, & cum mandatis exequitur. Mos autem magis ad Regiam humanitatem accedit. ſponte enim omnes, & citra neceſſitatem vtuntur.* Et alia multa, è quibus videas, cur moris & legum noſter diſtinctam fecerit mentionem. In hac diſtinctione pulchrè ludit Staſimus Plautinus Trinummo ſc. Staſime.

> *Ambitio iam more ſancta eſt, libera eſt à legibus, &c.*
> *Mores leges perduxerunt iam in poteſtatem ſuam,*
> *Magis queis ſunt obnoxioſi, quàm parentes liberis.*
> *Eæ miſeræ etiam ad parietem ſunt fixæ clauis ferreis,*
> *Vbi malos mores affigi nimio fuerat æquius.*

VI. LEGVM SACRATARVM.] Feſtus Pompeius. *Sacratæ leges ſunt quibus ſanctum eſt, qui quid aduerſus eas fecerit, ſacer alicui Deorum ſit, vt familia, pecuniáque.* Leges eo ſenſu ſacratæ fuerunt, quibus Tribuni plebis ſunt conſtituti. Dionyſius libro 6. poſt fuſam earum mentionem, ſanctionem legis his verbis concipit. Ἐὰν δέ τις τῶν ἀπηγορευμένων τι ποιήσῃ, ἐξάγιστος ἔστω, καὶ τὰ χρήματ᾽ αὐτοῦ Δήμητρος ἱερά. *Si quis vetitorum quippiam tentauerit, ſacer eſto, eiúſque pecuniæ Cereri ſacræ ſunto.* Poſſet alia ratio proferri cur ſacratę dicerentur, nimirum quaſi iureiurando ſancitæ. Idem, Πάντας ἐτάχθη Ῥωμαίοις ὀμόσαι καθ᾽ ἱερῶν ἦ μὴν χρήσεσθαι τῷ νόμῳ, καὶ αὐτοὺς καὶ ἐκγόνους τὸν ἀεὶ χρόνον. *Iuſſum eſt Romanos omnes iurare per ſacra ſe & poſteros in omne tempus ea lege eſſe vſuros.* Tertia appellationis cauſa fuit execratio, qua ſe, ſi leges has violaſſent, diris deuouerunt. Ἀρά τε τῷ ὅρκῳ προσετέθη τοῖς μὲν ἐμπεδοῦσι τοὺς θεοὺς τοὺς οὐρανίους ἵλεως εἶναι, καὶ δαίμονας τοὺς καταχθονίους, τοῖς δὲ παραβαίνουσιν ἐναντία, καὶ τὰ παρὰ θεῶν γίγνεσθαι, καὶ τὰ παρὰ δαιμόνων, ὡς ἄγει τῷ μεγίστῳ ἐνόχοις. *Execratio iuriiurando adiecta eſt, vt iis qui legem ſeruaſſent Dij cœleſtes, & inferi dæmones eſſent propitij. Tranſgreſſoribus omnia contraria tum à Diis, tum à dæmonibus euenirent, quippe qui magno ſe piaculo obligarant.* Rurſum Feſtus. *Sunt qui eſſe dicant ſacratas, quas plebes iurata in monte ſacro ſciuerit.* Quartò dici potuerunt à ſacris in eo monte factis. Dionyſius ibidem. Βωμὸν κατασκευάσαντες ἐπὶ τῆς ἀκρωρείας, ἐν ᾗ κατεστρατοπέδευσαν, ὃν ἐπὶ τοῦ κατασχόντος αὐτοὺς δείματος τότε, ὠνόμασαν, ὡς ἡ πάτριος αὐτῶν σημαίνει γλῶσσα, Διὸς Δειματίου. *Aram in eius montis faſtigio, in quo caſtra metati fuerant, excitarunt, quam ob timorem qui tunc eos inuaſit patriâ linguâ Iouis Terrifici nominarunt.* Noſter in fragmentis Cornelianæ apud Aſconium. *Tanta igitur in illis virtus fuit, vt anno decimo ſexto poſt Reges exactos, propter nimiam dominationem potentium ſecederent, leges ſacratas ipſi ſibi reſtituerent,* (immò *conſtituerent*, vt Aſconius emendat) *duos Tribunos crearent, montem illum trans Anienem qui hodie mons ſacer nominatur, in quo armati conſederant, æternæ memoriæ cauſa conſecrarent. Itaque auſpicato poſtero anno decem Tribuni plebis comitiis curiatis creati ſunt.* Iam Clodius, quamdiu patritius fuit, harum legum catenis conſtringebatur, ne Tribunus plebis fieret. Liuius lib.2. *Agi deinde de concordiâ cœptum, conceſſúmque in conditiones vt plebi ſui magiſtratus eſſent ſacroſancti, quibus auxilij latio contra Conſules eſſet: néve cui patrum capere eum magiſtratum liceret.*

Leges ſacratæ.

CATENIS.] Legum & Iudiciorum catenæ. Dinarchus contra Ariſtogitonem. Γραφῇ καὶ μονονουχὶ ἁλύσει σιδηρᾷ δεδεμένος. *Scripto & tantùm non ferreâ catenâ conſtrictus.* Horatius ſat.3. lib.2. VII. Catenæ Iudiciorum.

> ---- *Adde cicutæ*
> *Nodoſi tabulas centum: mille adde catenas,*
> *Effugiet tamen hæc ſceleratus vincula Proteus, &c.*

SOLVIT SVBITO.] Alludit ad celeritatem qua Clodius lege Cæſaris, non ſeruato trinundino in huiuſmodi legibus requiſito ad plebem traductus eſt. Tranquillus in Iulio cap.19. *Cicerone in iudicio quodam deplorante temporum ſtatum, P. Clodium inimicum eius fruſtra iampridem à patribus ad plebem tranſire nitentem eodem die horáq; nonâ traduxit.* Noſter pro domo ſua 41. *Horâ fortaſſe ſextâ diei queſtus ſum in iudicio, cùm C. Antonium collegam meum defenderem, &c. horâ nonâ illo ipſo die tu es adoptatus. Si quod in cæteris legibus trinum nundinum eſſe oportet, id in adoptione ſatis eſt trium eſſe horarum, nihil reprehendo,* &c. vide. Subitò ſolutum dicit, vt à ſubitâ iracundiâ Cæſarem excuſet. Nam vt aduerſus Midiam ait Demoſthenes. Ἃ μὲν ἄν τις ἄφνω, τὸν λογισμὸν φθάσας ἐξαχθῇ τι πρᾶξαι, κἂν ὑβριστικῶς τοῦτο ποιήσῃ, δι᾽ ὀργὴν γ᾽ ἔνι φῆσαι πεποιηκέναι. ἃ δ᾽ ἂν ἐκ πολλοῦ συνεχῶς ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας παρὰ τοὺς νόμους πράττων τι φωρᾶται, οὐ μόνον δήπου τοῦ μὴ μετ᾽ ὀργῆς ἀπέχει, ἀλλὰ καὶ βεβουλευμένος ὁ τοιοῦτος ὑβρίζων ἤδη φανερός. *Ad quæ aliquis ſubitò, non expectato conſilio mentis, facienda impulſus fuerit: etiamſi contumelioſè fecerit, per iram tamen eſſe facta dicere poteſt. Quæ verò diu antè præmeditatus, continenter per multos dies contra leges facere palàm deprehenditur: non modò abeſt ab eo, vt iratus fecerit: ſed nemini iam dubium eſſe debet, quin de induſtriâ, datâque operâ talis homo contumeliam fecerit.* Quare præclarè nobilis philoſophus lib.7. Nicomach. cap.6. Καθάπερ οἱ ταχεῖς τῶν διακόνων, οἳ πρὶν ἀκοῦσαι πᾶν τὸ λεγόμενον ἐκθέουσιν, εἶθ᾽ ἁμαρτάνουσι τῆς προστάξεως, καὶ οἱ κύνες πρὶν σκέψασθαι, εἰ φίλος, ἂν μόνον ψοφήσῃ, ὑλακτοῦσιν, οὕτως ὁ θυμὸς διὰ θερμότητα καὶ ταχυτῆτα, ὁρμᾷ πρὸς τὴν τιμωρίαν. *Vt ſerui celeres excurrunt priuſquam integrum domini præceptum audierint, deinde peccant in exequendo, aut canes, priuſquam ſitne amicus nécne aduerterint, ſi quid modò increpuerit, allatrant, ſic ira per feruorem & celeritatem impetu rapitur ad ſupplicium exigendum.*

VIII.

Iræ impetus & celeritas.

LEGE CVRIATA.] Gellius libro 5. noct. Attic. cap.19. *Arrogantur ij qui cùm ſui iuris ſint, in alienam ſeſe poteſtatem tradunt: eiúſque rei ipſi auctores fiunt. Sed arrogationes non temerè, nec inexploratè committuntur. Nam comitia arbitris etiam Pontificibus præbentur, quæ curiata appellantur.* Vnde liqueat eam fuiſſe legem curiatam, qua Clodius patritius ſe in Fonteij plebeij po- IX. Arrogationes fiebant lege curiata.

teſtatem tradens, ferente Cæſare arrogatus eſt ad plebémque traductus. Aduerte, ex eodem Gellio lib.15. cap.26. *Cùm ex generibus hominum ſuffragium feratur, curiata comitia eſſe: cùm ex cenſu & ætate, centuriata: cùm ex regionibus & locis tributa.* Immò tributa ex generibus, curiata ex regionibus, & in Gellio alterum verbum alterius locum occupauit, vt alibi diſſeremus. Appianus 3. ciuilium de Auguſto Conſule. Ἀπὸ δὲ τῶν θυσιῶν ἑαυτὸν εἰσεποιεῖτο τῷ πατρὶ αὖθις κατὰ νόμον κουριάτιον. ἔστι δ᾽ ἐπὶ τοῦ δήμου γίνεσθαι τὴν θέσιν. Κουρίας γὰρ, ἐς μέρη ταῖς φυλαῖς ἢ τοῖς δήμοις διαιρουμένας καλοῦσιν, ὡς Ἕλληνες, εἰκάζοντι φάναι, φατρίας. Ἐπινομώτατος δ᾽ ἐστὶ Ῥωμαίοις, ὁ τρόπος οὗτος ἐπὶ τῶν ἀπατόρων, καὶ δύνανται μάλιστα αὐτοὶ ἴσα τοῖς γνησίοις παισὶν, &c. *Sacrificiis ritè perfectis ſtatim ſeipſum patri rurſus arrogauit lege curiatâ. hæc autem vis eſt, vt per populum arrogatio fiat. Curias enim vocant eas partes in quas tribus aut populi ſunt diſtributi, vt Græci proportione quadam* φατρίας *appellant. Hic autem adoptionis modus eſt maximè legitimus iis qui patrem non habent, & eodem iure ſunt qui ſic arrogantur, quo filij ex legitimo matrimonio nati.* Et eam ob rem Octauius, etſi, vt dicit libro 3. ciuilium, iam antè apud C. Antonium Prætorem fuerat adoptatus, tamen vt primùm Conſul factus eſt lege curiatâ per populum voluit arrogari.

Comitia cur curiata.

X. Exoratvs.] Amicorum precibus tranſuerſùm aguntur etiam magni viri, vnde, vt auctor eſt Plutarchus, Ὁ μὲν Κλέων, ὅτε πρῶτον ἔγνω τῆς πολιτείας ἅπτεσθαι τοὺς φίλους συναγαγὼν εἰς ταυτὸ, διελύσατο τὴν φιλίαν πρὸς αὐτοὺς, ὡς πολλὰ τῆς ὀρθῆς, καὶ δικαίας προαιρέσεως μαλάσσουσαν ἐν τῇ πολιτείᾳ, καὶ παράγουσαν. *Cleon, cùm primùm decreuit Rempubl. attingere, amicis in vnum congregatis amicitiæ renuntiauit, quod amicitia rectam & iuſtam animi inductionem ſæpe mollirent, & tranſuerſùm abducerent.* Hæc in præceptis politicis ad Traianum, vbi vide quomodo Themiſtocles, Ageſilaus, Solon (quales & quanti viri!) circa amicitias & in gratiam amicorum errauerint. vnde meritò hinc aliquam Cæſaris excuſationem Orator accerſit. Sed vide fusè Gellium lib.1. noct. Attic. cap.3. tùm è Cicerone, tùm è Theophraſto demonſtrantem, *Quatenus amicitiæ venia dari poſſit.*

Preces amicorum excuſant.

XI. Mihi iratvs.] Hanc iræ Cæſaris cauſam exponit Velleius lib.2. *Non caruerunt ſuſpicione oppreſſi Ciceronis Cæſar & Pompeius, hoc ſibi contraxiſſe videbatur, quod inter vigintiuiros diuidendo agro Campano eſſe noluiſſet.* Nec ipſe diffitetur orat. de prouinciis Conſularibus 41. *Traduxit ad plebem inimicum meum, ſiue iratus mihi quod me ſecum ne beneficiis quidem videbat poſſe coniungi, ſiue exoratus.* Altera irarum cauſa fuit, quod queſtus erat de Reipubl. ſtatu cùm C. Antonium defenderet. vt iam diximus ex oratione pro domo ſua, & ex Tranquillo. Dio Caſſius more ſuo gloriæ Ciceronis infeſtus alias adfert cauſas: nimirum inſidias Ciceronis & Luculli contra Cæſarem & Pompeium comparatas, aſſiduáſque eiuſdem contumelias. lib.48. quas initio Cæſar diſſimularit atque deſpexerit. Τὸν Κικέρωνα ὁρῶν οὐχ ἑαυτῷ τι τοσοῦτον λοιδορήσασθαι ἐθέλοντα, ὅσον αὐταχοῦσαί τι τῶν ὁμοίων, ὥστε καὶ παροξυνθῆναί οἱ ἐπιθυμοῦντα, βραχύ τ᾽ αὐτοῦ ἐφρόντισε, καὶ οὐδὲν ὧν ἔλεγε προσεποιήσατο, ἀλλ᾽ εἶα ἀφθόνως, καθάπερ ποιν ἐπαίνοις ἑαυτοῦ, ταῖς λοιδορίαις χρῆσθαι, &c. *Ciceronem aduertens non tam in hoc laborare, vt ipſum contumeliis appeteret, quàm vt viciſſim ab eo ſimilia audiens, ei ſe adæquaret, nullam admodum eius rationem habuit, ſed diſſimulatis eius opprobriis, homini liberum vſum conuitiorum, tanquam laudum ſuarum permiſit.* Hæc ille. ſed vbi de Cicerone, ſemper malignitatis ſuſpectus eſt. Appianus 1. ciuilium: Cæſar Clodium δήμαρχον ἐς ἐπιβουλὴν τοῦ Κικέρωνος ἀπέφηνε διαβάλλοντος ἤδη τὴν συμφροσύνην τῶν τριῶν ἀνδρῶν εἰς μοναρχίαν. *Tribunum plebis fecit ad inſidiandum Ciceroni, qui iam tum trium virorum de inuadenda Repub. conſpirationem carpebat.* Porrò ab ira etiam excuſationem accerſit pro Cœlio. *Læſi dolent, irati efferuntur, pugnant laceſſiti.* Sic Agamemnon quæ fecerat iratus excuſat 18. Iliados v.85. culpam omnem in Iouem reiiciens, qui iram ſiue noxam immiſerat.

Cur Cæſar iratus Ciceroni.

Πολλάκι δή μοι τοῦτον Ἀχαιοὶ μῦθον ἔειπον
Καί τέ με νεικείεσκον· ἐγὼ δ᾽ οὐκ αἴτιός εἰμι.
Ἀλλὰ Ζεὺς καὶ μοῖρα, καὶ ἠεροφοῖτις Ἐριννύς,
Οἵ τέ μοι εἰν ἀγορῇ φρεσὶν ἔμβαλον ἄγριον Ἄτην, &c.

Ira excuſat.

vertit non nemo,

Sæpius his mecum proceres de rebus Achiuos
Certantes memini, quarum tamen ipſe nec author
Et neque cauſa fui, ſed Iupiter, & graue fatum
Et furor in tenebris habitantis Erinnyos atræ,
Hi mihi perſuaſere nefas cæcúmque furorem, &c.

Quare quod per iram fecerat Patroclus, ne voluntariè quidem feciſſe ſe dicebat Iliados ψ.

Ἤματι τῷ ὅτε παῖδα κατέκτανον Ἀμφιδάμαντος
Νήπιος, οὐκ ἐθέλων, ἀμφ᾽ ἀστραγάλοισι χολωθείς.
Tempore quo imprudens natum Amphidamante peremi
Nolens, in ludo talorum percitus irâ.

Ira tollit libertatem.

Eadem de cauſa excuſat Sophocles in Oedipo Tyranno quod ſit,

Ὀργῇ βιασθεὶν μᾶλλον ἢ γνώμῃ φρενῶν.
Irâ coactum mente quàm certâ magis.

Seneca Medeâ actu 3.

--- Illud voce iam extremâ peto,
Ne, ſi qua noſter dubius effudit dolor,
Maneant in animo verba: ſed melior tibi
Memoria noſtri ſubeat, hæc iræ data
Oblitterentur. ---

XII. Ignarvs.] Ignoratio vt libertatem minuit, vel penitùs tollit, ita & iniuriam. Philoſophus nobilis 1. Rhetoric. ἔστω δὴ τὸ ἀδικεῖν τὸ βλάπτειν ἑκόντα παρὰ τὸν νόμον. *Iniuriam facere definiamus, voluntariè nocere contra legem.* Mox, ἑκόντες δὲ ποιοῦσιν, ὅσα εἰδότες καὶ μὴ ἀναγκαζόμενοι. *Voluntariè faciunt, quicquid ſcientes faciunt, & non coacti.* Philo contra Flaccum. Τῷ μὲν ἀγνοίᾳ τοῦ κρείττονος διαμαρτάνοντι συγγνώμη δίδοται. ὁ δ᾽ ἐξ ἐπιστήμης ἀδικῶν ἀπολογίαν οὐκ ἔχει, προεαλωκὼς ἐν τῷ τοῦ συνειδότος δικαστηρίῳ. *Ei qui ex melioris ignoratione peccauerit, venia datur. Is autem qui ex certâ ſcientiâ facit iniuſtè excuſationem non habet, propriæ conſcientiæ iudicio prædamnatus.* Nihilo tamen minùs prudenter Demoſthenes ignorationis, aut ſimplicitatis excuſationem recipiendam eſſe negat in eo qui Rempubl. adminiſtrat. Εἰ ταῦθ᾽ ὑπ᾽ ἀβελτερίας, ἢ δι᾽ εὐήθειαν, ἢ δι᾽ ἄλλην ἄγνοιαν ἡντινοῦν οὕτω πέπρακται αὐτῷ, τ᾽ ἀφίημι Αἰσχίνην, καὶ ὑμῖν ἀφεῖναι συμβουλεύω. καί τοι τῶν σκήψεων τούτων οὐδεμία ἐστὶ πολιτικὴ, οὐδὲ δικαία. οὐδένα γὰρ τὰ κοινὰ πράττειν ὑμεῖς κελεύετε, οὐδ᾽ ἀναγκάζετε. *Si illa per vecordiam aut ſimplicitatem acta ſunt, aut quamuis aliam ignorationem, & ipſe miſſum Æſchinem facio, & ſum auctor, vt vos etiam miſſum faciatis. Quanquam harum excuſationum nulla ciuilis aut iuſta eſt. Neminem enim vos*

Ignoratio minuit aut tollit libertatem.

Rempubl. gerere iubetis, aut compellitis. Hæc oratione de falſa legatione, & alia plura in hanc ſententiam.

XII. Philippi felicitas.

Felix in evert. Repvbl.] Talis Philippi felicitas à Demoſthene de falſa legatione deſcribitur. Ἐκεῖνο ἴδιον, καὶ οὐδενὶ τῶν ἁπάντων ἄλλῳ γεγονὸς εὐτύχημα. τὸ ποῖον; τὸ ἐπειδὴ πονηρῶν ἀνθρώπων εἰς τὰ πράγματα αὐτῷ ἔδεησε, πονηροτέροις εὑρεῖν ἢ ἐβούλετο. *Hæc ei propria, & præterea nemini contigit felicitas. Quæ tandem? vt quoniam hominibus nefariis ad executionem rerum ſuarum opus habebat, ſceleratiores etiam quam optauerat, inueniret.*

XIII. Libido corporis & animi neruos elidit.

Libidine infamis.] Quia nimirum libido non corporis ſolùm, vt ait Horatius, ſed etiam animi *vires eneruat*, omnéſque eius neruos elidit. Tale eſt illud Tranquilli in Domitiano capite 10. *Satíſque conſtat duos ſolos è notioribus venia donatos, Tribunum laticlauium & centurionem: qui ſe quo faciliùs expertes culpæ oſtenderent, impudicos probauerant, & ob id neque apud ducem, nec apud milites vllius momenti eſſe potuiſſe.* Sicut contra, vt auctor eſt Bacchilides ab Ammiano laudatus lib. 25. *Vt egregius pictor vultum ſpecioſum effingit, ita pudicitia celſiùs conſurgentem vitam exornat.*

AXIOMATA.

Oportet improbos ciues, tanquam tetras immanéſque belluas, alligare more maiorum, & legum catenis conſtringere.

Excuſandus eſt qui vel exoratus, vel iratus, vel ignarus contra nos fecerit.

In vita impudica & flagitiis infami nulli nerui eſſe poſſunt.

ARGVMENTVM.

Poſtquam Clodium factionis Principem, eiúſque perditos mores deſcripſit, oſtendit quos ille nactus fuerit ſui ſceleris adminiſtros: ídque, vt Reipubl. cladem magis exaggeret, ait non hominum conſiliis, ſed fatali cuidam neceſſitati eſſe tribuendum.

XVII. Sed fuit profectò quædam illa Reipub. fortuna fatalis, vt ille cœcus, atque amens Tribunus plebis nanciſceretur, quid dicam Conſules? hoccine vt ego appellem nomine euerſores huius imperij, proditores veſtræ dignitatis, hoſtes bonorum omnium? qui ad delendum Senatum, affligendum equeſtrem ordinem, exſtinguenda omnia iura, atque inſtituta maiorum, ſe illis faſcibus, cæteríſque inſignibus ſummi honoris, atque imperij ornatos eſſe arbitrabantur. Quorum per Deos immortales, ſi nondum ſcelera vulneráque inuſta Reipub. vultis recordari, vultum, atque inceſſum animis intueamini: faciliùs facta eorum occurrent mentibus veſtris, ſi ora ipſa oculis propoſueritis.

EXPLANATIO.

Sed fvit.] Non induſtriæ Clodij ſed fato neſcio cui tribuendum eſt, quod non certo conſilio quærens inuenerit, ſed tanquam in tenebris palpans nactus præter ſpem & prouidentiam fuerit Conſules Piſonem & Gabinium ad omne facinus paratiſſimos.

Fortvna fatalis.] Fortuna reſpectu hominum qui nihil tale cogitabant, fatalis reſpectu Deorum, qui certo deſtinatóque conſilio hanc Reipub. peſtem inferre voluerunt.

Ille coecvs.] Clodius improuidus, omnia per iracundiam, nihil ex conſilio agens.

Qvid dicam.] Dubitatio pulcherrima.

Prodit. vestræ dign.] Qui dum indemnatum ciuem eiici paſſi ſunt, omnia, quantum in ipſis fuit, iudicia Reip. ſuſtulerunt.

Ad del. sen.] Quem ita contempſerunt, vt cùm Senatus veſtem pro mea ſalute mutandam cenſuiſſet, eum iuſſerint ad veſtitum redire, ſuíſque decretis parere vetuerint.

Eqvest. ord.] Quem adeò contempſit Gabinius, vt L. Lamiam principem equeſtris ordinis pro mea ſalute deprecantem ex vrbe nominatim eiecerit.

Cæterisqve insignibvs.] Prætextâ, togâ pictâ, tunicâ palmatâ, ſcipione eburneo, ſellâ curuli.

Svmmi honoris.] Conſulatus.

Qvorvm.] Præparat auditorum animos, ad audiendam deſcriptionem vtriuſque.

NOTÆ.

Fortvna fatalis.] Maro vtrumque coniungit 8. Æneidos,

Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum.

Iuuenalis, *Caſus & occulti miranda potentia fati.* Dio Chryſoſtomus oratione 2. de fortuna. Ὠνόμασται δ' ἡ τύχη καὶ πολλοῖς τισιν ἐν ἀνθρώποις ὀνόμασιν. τὸ μὲν ἴσον αὐτῆς, Νέμεσις. τὸ δ' ἄδηλον, ἐλπίς. τὸ δ' ἀναγκαῖον, μοῖρα. τὸ δὲ δίκαιον, Θέμις. *Fortuna verò multas apud homines appellationes ſortita eſt. Nam quod in ea æquale eſt Nemeſis; quod obſcurum, ſpes; quod neceſſarium, fatum: quod iuſtum Themis nominatur.* Fortuna Fatum. Pauſanias Achaicis. Ἐγὼ μὲν οὖν Πινδάρου τά τ' ἄλλα πείθομαι τῇ ᾠδῇ, καὶ μοιρῶν τε εἶναι μίαν τὴν τύχην, καὶ ὑπὲρ τὰς ἀδελφάς τι ἰσχύειν. *Ego quidem tum quoad cætera, odis Pindaricis fidem adhibeo, tum vnam Parcarum eſſe fortunã credo, & plurimam inter ſuas ſorores vim obtinere.* vide Boëthium libb. de conſol. 4. & 5. vbi de fortuna, fato, prouidentiâ.

Sic quæ permiſſis fluitare videtur habenis
Fors, patitur frenos, ipſáque lege meat.

Eſt itaque fortuna reſpectu hominum, qui cauſas euentorum ignorant, fatum reſpectu Dei qui cauſarum ſeriem ita diſponit, ſuáque prouidentia regit, vt fato quodam & diuina voluntate proueniant effectus, quos homo cauſarum ignarus fortuitos arbitratur.

II. Cæcus. CÆCVS.] Nonnius. *Cæcum veteres pro improuido dixerunt.* Varro. *Neque id cæci Conſules feciſſent, quæ mandata arcana tam pio ſediſſent.* Catullus,

Cogor inops, ardens, amenti cæca furore.

Quo verſu coniunctam vides amentiæ cæcitatem. vt apud Valerium lib. 2. de inſtitutis. *In prævalidum imperij noſtri mucronem cæca, & amens irruiſti.* & lib. 9. cap. 1. de Antiocho. *Cuius cæcam & amentem luxuriam exercitus imitatus, magnâ ex parte aureos clauos crepidis ſubiectos habuit.*

III. NANCISCERETVR.] Locus non abſimilis eſt apud Demoſthenem orat. de falſa legatione, ἐκεῖνο ἴδιον καὶ οὐδενὶ τῶν ἁπάντων ἄλλῳ γεγονὸς εὐτύχημα. τὸ ποῖον; τὸ ἐπειδὴ πονηρῶν ἀνθρώπων εἰς τὰ πράγματα αὐτῷ ἔδει, πονηροτέρους εὑρεῖν, ἢ ἐβούλετο. *Illa propria, & quæ nemini alteri quàm Philippo contigit fœlicitas. Quænam illa? vt quoniam ad ſuas rationes improbis hominibus indigebat, improbiores etiam quàm optauerat, inueniret.* Quod ſpectat ad præclaram illam dubitationem, nonnulla exempla proferemus ad Cœlianam 71. *O ſtultitiam! ſtultitiámne dicam?* &c.

IV. FASCIBVS.] Fuerunt virgarum faſciculi quos lictores Conſulibus præferebant. de quibus Plinius lib. 16. cap. 18. *Betulla Gallica arbor mirabili candore ac tenuitate, terribilis magiſtratuum virgis.* Et Virgilius lib. 6. Æneidos poſtquam *faſces* à Bruto *receptos* fuiſſe dixit, addit,

Conſulis imperium hic primus ſæuaſque ſecureis
Accipiet. ----

Faſces. Virgæ lictorum. Lipſius lib. 1. Electorum cap. 23. lictorum virgas à faſcibus contendit fuiſſe diſtinctas, vt faſcibus ad verberandos noxios, virgis ſiue bacillis tum ad ſubmouendam turbam, tum ad ianuam pulſandam vterentur. Ad ianuam tangendam ex Martiale,

Bis ſenos iubet en redire faſces
Nato Conſule: nobilíque virga
Vatis Caſtalij domum ſonare.

vbi faſces videtur à virga diſtinguere. Statius de nuptiis Stellæ,

--- *Dum feruent agmine poſtes*
Atriáque, & multa pulſantur limina virgâ.

Ad ſubmouendum. Martialis,

---- *Dum ſuperba clamoſi*
Lictoris abiget virga baſiatorem.

Appianus ciuilium cum diſcrimine facit vtriuſque mentionem, ῥάβδους καὶ ξύλα τὰ ἐν χερσὶ τῶν ὑπηρετῶν ἁρπάσαντες. *Faſces & virgas quæ in manibus lictorum erant rapientes.* Atque hæc ſunt quæ præcipuè eum impulerunt, vt faſces à virgis diſtingueret. Cerdanus noſter in 6. Æneidos Lipſio refragatur, nec Appiani locum tanti faciendum exiſtimat. adfert aliquot in ſuam ſententiam rationes, tùm quod nimium impeditus fuiſſet lictor, ſi altera manu faſces, altera virgam geſtaſſet. Tum quod Lipſij opinio veteribus ſcriptoribus nonnullas tenebras offundat, tum maximè quod Plinius præfatione operis ſui turbam innuat faſcibus ſubmoueri. *Et longiùs etiam ſubmoues ingenij faſcibus.* Scio facilè reſponderi poſſe: ſed nec meæ tenuitatis eſt inter tam doctos viros hanc litem componere: & breuitatis ſtudio videtur res in medio relinquenda.

V. CÆTERISQVE INSIGNIBVS.] Iuuenalis ſat. 10.

Prætexta, & trabeæ, faſces, lectica, tribunal.

Prudentius in Romano Martyre,

Faſces, ſecures, ſella, prætexta toga,
Lictor, tribunal, & trecenta inſignia.

De faſcibus ſuperiùs dictum. Secures præferebantur à lictoribus. vnde Lyricus,

Nec ſumit aut ponit ſecures
Arbitrio popularis auræ.

Maro,

Conſulis imperium hic primus ſæuáſque ſecures
Accipiet. ----

Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 5. Antiquitatis Romanæ. Ἐκρίναντό τι δεῖν, inquit, ἀφελέσθαι τῶν πολιτῶν, καὶ τῆς ἐξουσίας μειῶσαι τὸν φθόνον, τῷ μὲν ἑτέρῳ τῶν ὑπάτων τοὺς δώδεκα καταστάξαντες ἡγεῖσθαι πελέκεις, τῷ δ' ἑτέρῳ δώδεκα ὑπηρέτας ῥάβδους ἔχοντας μόνον, ὡς δέ τινες ἱστοροῦσι καὶ κορύνας. γίνεσθαι δὲ τῶν πελεκέων τὴν παράληψιν, ἐκ περιτροπῆς ἕνα μῆνα κατέχοντος αὐτοὺς παραλλὰξ ἑκατέρου. *Indicauerunt tollendum timorem ciuibus, & poteſtatis inuidiam eſſe minuendam, ſtatuentes vt alteri Conſulum duodecim ſecures præcederent, alteri duodecim ſerui virgas ſolùm præferrent, aut vt quidam volunt etiam clauas, atque vt ſingulis menſibus viciſſim, & in orbem alter ab altero faſces acciperet.* Secures initio prælatæ Conſulibus. Eodem tamen anno Valerius Publicola. Ἀφεῖλεν ἀπὸ τῶν ῥάβδων τοὺς πελέκεις, καὶ κατεστήσατο τοῖς ἐπ' αὐτὸν ὑπάτοις ἔθος, ὃ καὶ μέχρι τῆς ἐμῆς διέμεινεν ἡλικίας, ὅταν ἔξωθεν τῆς πόλεως γίνωνται χρῆσθαι τοῖς πελέκεσιν, ἔνδον δὲ ταῖς ῥάβδοις κοσμεῖσθαι μόναις. *Secures à faſcibus detraxit, eúmque morem cæteris poſt ipſum Conſulibus inſtituit, qui ad meam ætatem vſque ſeruatus eſt, vt extra vrbem ſecures acciperent, in vrbe ſolis faſcibus ad ornatum vterentur.* Depoſitæ à Valerio Poplicola. Vide eundem libro 10. exeunte Plutarchum in Publicola & Quæſtionibus Romanis. Liuium & alios paſſim: ſed præſertim Dionyſium citatum lib. 10. Dictator tamen ſecurium vſum, & inſigne etiam in vrbe retinebat. Dionyſius lib. 5. de Tito Largio primo Dictatore. Τοῖς ῥαβδούχοις ἐκέλευσεν ἅμα ταῖς δέσμαις τῶν ῥάβδων τοὺς πελέκεις διὰ τῆς πόλεως φέρειν. *Lictoribus vt cum virgarum faſcibus etiam ſecures in vrbe ferrent, imperauit.* Dictator ſecures etiam in vrbe retinebat. Sed hæc quibuſuis comperta ſunt.

Sella fuit thronus eburneus. Dionyſius lib. 4. ſub finem. θρόνον δὲ τοῖς ἀνδράσιν ἐλεφάντινον, ἐν ᾧ καθεζόμενοι δικάζουσιν. *Thronum viris eburneum, in quo reſidentes indicarent.* permiſſum fuiſſe tradit. Sella eburnea. Liuius lib. 5. ſub finem. (Gallis in vrbem irrumpentibus.) *Qui eorum curules geſſerant magiſtratus, vt in fortunæ priſtinæ honorumque aut virtutis inſignibus morerentur, quæ auguſtiſſima veſtis eſt tenſas ducentibus, triumphantibúſve, ea veſtiti medio ædium eburneis ſellis ſedere.* Vnde autem curulis nomen acceperit, tradit C. Baſſus apud Gellium lib. 3. noct. Attic. cap. 18. *Senatores enim dicit in veterum ætate, qui curulem magiſtratum geſſiſſent, curru ſolitos honoris gratia in curiam vehi, in quo curru ſella eſſet, ſupra quam conſiderent, quæ ob eam cauſam curulis appellaretur.* Curulis. De tribunali Conſulum Prudentius contra Symmachum libro priore,

Ipſe magiſtratum tibi Conſulis, ipſe tribunal, Tribunal Conſulare.
Contulit. ----

Claudianus 4. Honorij Conſulatu,

Aſpice mox latum ſonuit lictore tribunal,
Te faſtos ineunte quater. ---

De prætextâ fusè agetur in Piſonem 23. Atque hæc ordinaria fuerunt magiſtratuum curulium inſignia. niſi quod Conſules duodecim, Prætores ſex tantùm faſcibus vterentur. Fuerunt & alia quæ certis tantùm diebus puta triumphi cauſa vel religionis, inſignia. trabea Conſularis, toga picta, tunica palmata, corona aurea, ſcipio ebur-

neus. De trabea Conſulari Prudentius libro in Symmachum priore,

Poſt trabeas, & eburnam Aquilam, ſellámque curulem.

Trabea Conſularis. Auſonius in Gratiarum actione pro conſulatu. *Loricatus de toga mea tractas. In procinctu, & maximè dimicaturus palmatæ veſtis meæ ornamenta diſponis feliciter & bono omine. Namque iſte habitus vt in pace Conſulis eſt, ſic in victoria triumphantis. Parum eſt ſi qualis ad me trabea mittatur interroges, te coram promi iubes.* Item, *Supremus ille imperij & conſiliorum tuorum Deus conſcius, & arbiter, & auctor indulſit, vt ſellam curulem, cuius ſedem frequenter ornabis: vt prætextam meam purpuræ tuæ luce fucatam: vt trabeam non magis auro ſuo, quàm munere tuo ſplendidam, quæ ab Illyrico ſermonis dignitas honeſtauit, apud Gallias illuſtriora præſtares.* Claudianus de tertio Conſulatu Honorij,

Succedant armis trabeæ, tentoria lictor
Ambiat, & latiæ redeant ad ſigna ſecures.

& alibi paſſim. De corona, immò de omnibus ſimul Conſulis aut Prætoris, inſignibus Iuuenalis ſat. 10.

Prætexta, & trabeæ, faſces, lectica, tribunal.
Quid ſi vidiſſet Prætorem in curribus altis,
Extantem & medio ſublimem in puluere Circi
In tunicâ Iouis, & picta Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, magnæque coronæ
Corona Conſularis. *Tantum orbem, quanto ceruix vix ſufficit vlla?*
Quippe tenet ſudans hanc publicus, & ſibi Cõſul
Ne placeat curru ſeruus portatur eodem, &c.

Et Iunius Brutus apud Halicarnaſſeum lib. 4. ſub finem Conſulibus tollenda cenſuit. Τὰ σκῆπτρα, καὶ τοὺς χρυσοῦς στεφάνους, καὶ τὰς ἁλουργεῖς, καὶ χρυσοσήμους ἀμπεχόνας, πλὴν εἰ μὴ κατά καιρούς τινας ἑορταίους, καὶ ἐν πομπαῖς θριάμβων, ὅτε αὐτὰ τιμῆς θεῶν ἕνεκα λήψονται. *Sceptra, aureas coronas, purpureas & auro pictas veſtes, niſi quibuſdam temporibus feſtis, aut triumphis, cum ea Deorum honoris cauſa vſurparint.* De ſceptro Iuuenalis,

Da nunc & volucrem ſceptro quæ ſurgit eburno.

Dionyſius lib. 3. Σκῆπτρον ἀετὸν ἔχον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. *Sceptrum Aquilam habens cacumini inſidentem.* Prudentius περὶ στεφάνων in Romano,

Cum Conſulatum initis, vt vernæ ſolent
Pudet profari, farre pullos paſcitis.
Aquilâ ex eburnâ ſumit arrogantiam
Sceptrum Conſulare. *Geſtator eius, ac ſuperbit bellua*
Inflatus oſſe, cui figura eſt alitis.

Item libro in Symmachum priore,

Poſt trabeas, & eburnam Aquilam, ſellámque curulem.

Liuius lib. 5. de Romanis curuli magiſtratu functis, qui cum ſui magiſtratus inſignibus conſederant, Gallorum irruptione. *Ad eos velut ſimulacra verſi cùm ſtarent, M. Papyrius vnus ex his dicitur Gallo barbam ſuam, vt tum omnibus promiſſa erat, permulcenti, ſcipione eburneo in caput incuſſo, iram mouiſſe, atque ab eo initium cædis ortum, cæteros in ſedibus ſuis trucidatos.*

Lectica Conſularis. Quòd ſpectat ad lecticam Conſularem, de qua Iuuenalis, mos eſt obſcurior. Claudius Mamertinus gratiarum actione. *Penè intra ipſas Palatinæ domus valuas lecticas Conſulares iuſſit inferri, & cùm honori eius venerationique cedentes ſedile illud dignitatis ampliſſimæ recuſaremus, ſuis non propè manibus impoſitos mixtus agmini togatorum præire cœpit pedes.* Quam, opinor, Flauius Vopiſcus prologo Aureliani, *Iudiciale carpentum* appellat. *Vehiculo ſuo me, & iudiciali carpento præfectus vrbis excepit.* Noſter 2. Philipp. *Recordamini eius vſque ad Calendas Martias Conſulatum. Quis vnquam apparitor tam humilis? tam abiectus? nihil ipſe poterat: omnia rogabat: caput in aduerſam lecticam inferens, beneficia quæ venderet à Collega petebat.* Sed haud ſcio an præter morem Cæſar lectica Conſul vteretur. Cùm ex Dione lib. 60. Claudius hunc morem primus induxerit. Καὶ μέντοι καὶ δίφρῳ κατεστεγασμένῳ πρῶτος Ῥωμαίων ἐχρήσατο, καὶ ἐξ ἐκείνου, καὶ νῦν οὐχ ὅτι οἱ αὐτοκράτορες, ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς οἱ ὑπατευκότες διφροφορούμεθα, πρότερον δ' ἄρα ὅ τ' Αὔγουστος, καὶ ὁ Τιβέριος, ἄλλοι τέ τινες ἐν σκιμποδίοις, οἵοις αἱ γυναῖκες ἔτι καὶ νῦν νομίζουσιν, ἔστιν ὅτε ἐφέροντο. *Is primus Romanorum vſus eſt opertâ ſellâ, & ex eo etiam nunc non Imperatores modò, ſed etiam nos Conſulares in ſellis geſtamur, priùs autem tum Auguſtus, tum Tiberius, & alij non pauci lecticis, qualibus etiam num mulieres vtuntur, ferebantur nonnunquam.* Lecticam verti, τὸ σκιμπόδιον. & δίφρον, ſellam geſtatilem, & è Cicerone Dionem interpretor.

SVMMI HONORIS.] Ita Græci Conſulatum ὑπατείαν, Conſulem ὕπατον, Conſulatum gerere ὑπατεύειν, dixerunt. VI.

IMPERII.] Maro, VII.

Conſulis imperium hic primus ſæuáſque ſecures,
Accipiet. ---

Infra 25. *A Conſulibus atque à ſummo imperio auxilium petendum eſſe arbitrabantur.*

VVLNERAQVE.] Vulnera & morbi ſæpè Reip. tribuuntur. in Vatinium 37. *Maiore es malo mactandus, quod non ſolùm facto tuo, ſed etiam exemplo Rempub. vulneraſti.* pro Milone 69. *Reip. partes ægras.* Vide Notas. Solon apud Demoſthenem de falſa legatione, VIII. Reip. vulnera & morbi.

Ταῦτ' ἤδη πάσῃ πόλει ἔρχεται ἕλκος ἄφυκτον,
Εἰς δὲ κακὴν ταχέως ἤλυθε δουλοσύνην.

Vrbibus hinc vulnus venit immedicabile cunctis,
Vt iuga ſeruitij mox odioſa ferant.

INVSTA.] De frontis inuſtione ad indicium ſeruitutis, vide Piſonianam 30. *Inuſta per ſeruos, inciſa per vim, impoſita per latrocinium.* & Milonianam 33. *Quas ille leges fuerit impoſiturus nobis atque inuſturus.* IX.

VVLTIS RECORDARI VVLTVM.] Alluſio ſiue vt vocat Hermogenes 4. de inuentione παρήχησις. quam tunc fieri ait, ὅταν δύο ἢ τρεῖς, ἢ τέσσαρας λέξεις, ἢ ὀνόματα εἴπῃ τις, ὅμοια μὲν ἠχοῦντα, διάφορον δὲ τὴν δήλωσιν ἔχοντα. *Cùm duo, tres quatuórve dictiones, aut nomina quis dicit, ſimiliter quidem ſonantia, ſed ſignificatione diuerſa.* Placet exempla ex eius penu depromere. Xenophon, X.

Πείθει τὴν Πειθίαν. *Pithia perſuadet.*

Homerus,

Ἤτοι ὅ γ' ἐς πεδίον Ἀλήϊον οἶος ἀλᾶτο, Alluſio.
Ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.

Qui miſer in campis mœrens errabat Alæis,
Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.

Thucydides. Καὶ μὲν τότ' Αἴγυπτος ὑπὸ τῷ Ξέρξῃ βασιλεῖ ἐγένετο, πλὴν Ἀμυρταίου τοῦ ἐν τοῖς ἕλεσι βασιλέως. τοῦτον δὲ διὰ μέγεθος τοῦ ἕλους οὐκ ἠδύναντο ἑλεῖν, καὶ ἅμα μαχιμώτατοί εἰσι τῶν Αἰγυπτίων οἱ Ἕλειοι. *Tunc Ægyptus omnis à Rege Xerxe præter Hamyrtæum in paludibus Regem deuicta eſt. hunc enim propter paludis magnitudinem ſuperare non potuit, & Elei ſunt omnium Ægyptiorum fortiſſimi.* Priore exemplo, ἀλήϊον, ἀλᾶτο, ἀλεείνων, poſteriore ἕλους, ἑλεῖν, ἕλειοι, ſono ſimilia, ſignificatione diuerſa ſunt. Plato in

Sympoſio hanc figuram, ſed cum ioco, & quaſi puerilem vſurpat. Παυσανίου δὲ παυσαμένου. διδάσκουσι γάρ με ἴσα λέγειν οὑτωσὶ οἱ σοφοί. *Pauſante verò Pauſania. ſic enim me concinnè loqui docent ſapientes.* Alibi etiam cum χώραις καὶ ὥραις dixiſſet, eodem pacto orationis affectationem eludit. Nonnunquam tamen Tullius vſurpat, vt in Verrem *tectum, lectum.* pro Cluentio, *flamma, fama.* in Piſonem, *moribus, maioribus.* & alibi fortaſſe, ſed rariùs. vix vllum reperias huius παρηχήσεως in toto Demoſthene veſtigium, niſi fortaſſe illud pro corona. οὐ γὰρ τὸν τρόπον, ἀλλὰ τὸν τόπον μόνον μετήλλαξε. *Non enim mores, ſed locum duntaxat mutauit.* Vt riſu potiùs quàm admiratione digni ſint neoterici quidam, qui huiuſmodi nugis eloquentiam metiuntur. Veriùs & ſimpliciùs Arnaldus, qui libellum his ſcatentem *nugas* inſcripſit.

XI. VVLTVM.] Vultus animi ſpeculum, vnde vt alibi dicemus à Græcis ἦθος nominatur. in Oratore 6. *Vultus verò qui ſecundum vocem plurimùm poteſt, quantam adfert tum dignitatem, tum venuſtatem, in quo cùm effeceris, ne quid ineptum aut vultuoſum ſit, tum oculorum eſt quædam magna moderatio: nam vt imago eſt animi vultus, ſic indices oculi.* & os Apuleio priore apologia, *animi veſtibulum, & orationis ianua, & cogitationum comitium,* vocatur. Ambroſius 6. Hexaëmeron c.9. *Imago quædam animi loquitur in vultu.* Vide Baſilium Magnum, ex quo pleraque Ambroſius.

Vultus imago animi.

XII. INCESSVM.] Inceſſu mores animi denotari oſtendemus in Cœliana 49. vide Piſonianam 24. Baſilius Seleuciæ Epiſcopus cõcione 2. de Adam. Οἷα γὰρ τὰ τῆς ψυχῆς τὰ βουλεύματα, τοιαῦτα τὰ τοῦ σώματος τὰ κινήματα. *Quales enim ſunt animi ſenſus, tales ſunt corporis motus.* Ambroſius lib.1. de officiis cap.18. *Eſt etiam in ipſo motu, geſtu, inceſſu tenenda verecundia. habitus enim mentis in corporis ſtatu cernitur. hinc homo cordis noſtri abſconditus, aut leuior, aut iactantior, aut turbidior: aut contrà grauior, & conſtantior, & purior, & maturior æſtimatur. Itaque vox quædam eſt animi corporis motus. Meminiſtis, filij, quemdam amicum, cùm ſedulis ſe videretur commendare officiis, hoc ſolùm tamen in clerum à me non receptum, quòd geſtus eius plurimum dedeceret. Alterum quoque cùm in clero reperiſſem, iuſſiſſe me ne vnquam præiret mihi, quia velut quodam inſolentis inceſſus verbere oculos feriret meos.* Idem libro de Arca & Noë capite decimo quarto. *Sunt enim huiuſmodi erigentes ſupercilia, inflato corde, elato pectore ceruice reſupina, qui ſolum quidem veſtigiis pedum perſtringant, toto autem ſe librent corpore, & inani ſuſpendant examine: in priora greſſu procedant, ad poſteriora verticem reclinantes: cœlum ſpectent, terram autem faſtidiant, tanquam ceruicis dolore ſuffixi, vt eam inclinare non poſſint.* Talis ille apud Arrianum lib.1. diſſert. Epicteti c.21. qui ὀβελίσκον καταπιὼν περιπατεῖ. *Ambulat quaſi veru deuorarit.* Quare Dio Chryſoſtomus oratione 32. meritò laudat Rhodios, quod inceſſum modeſtiâ temperarent. Παρ᾽ ἐκείνοις οὐδὲ δραμεῖν ἐν τῇ πόλει δοκεῖ μέτριον, ἀλλὰ καὶ τῶν ξένων ἐπιπλήττουσι τοῖς εἰκῆ βαδίζουσι. Τοιγαροῦν εἰκότως εὐδοκιμοῦσι, καὶ πάσης τιμῆς τυγχάνουσιν. *Apud eos neque currere in vrbe videtur eſſe moderatum, & ambulantes temere hoſpites reprehendunt: eámque ob rem meritò laudantur, & omnem honorem conſequuntur.*

Inceſſus modeſtia.

AXIOMATA.

Non ſunt Conſules appellandi, qui ſunt euerſores imperii, proditores Senatoriæ dignitatis, hoſtes bonorum.

Non ſunt Conſules dicendi, qui ad extinguenda iura, atque inſtituta maiorum inſignibus ſummi honoris ſe ornatos arbitrantur.

Faciliùs facta hominum occurrent, ſi ora ipſa oculis propoſuerimus.

ARGVMENTVM.

Gabinij Conſulis habitum & mores inuidioſè deſcribit, quo P. Clodius ad lacerandam Rempubl. vſus eſt omnium ſcelerum, vel ſocio, vel adminiſtro.

Alter vnguentis affluens, calamiſtratâ comâ, deſpiciens conſcios ſtuprorum, ac veteres vexatores ætatulæ ſuæ, puteali, & feneratorum gregibus inflatus, atque perculſus, olim ne Scyllæo illo æris alieni in freto ad columnam adhæreſceret, in Tribunatus portum perfugerat. Contemnebat equites Romanos, minitabatur ſenatui, venditabat ſe operis, atque iis ſe ereptum, ne de ambitu cauſam diceret, prædicabat: ab iiſdémque ſe etiam, inuito Senatu, prouinciam ſperare dicebat: eámque niſi adeptus eſſet, ſe incolumem nullo modo fore arbitrabatur. XVIII.

EXPLANATIO.

ALTER.] Gabinij hypotypoſis & ethopœia. Gabinius vnguentis odoriferis delibutus.

CALAM. COMA.] Capillis ferro calido vibratis, frontem habens calamiſtri notatam veſtigiis.

DESPICIENS.] Sic ob adeptum Conſulatum in ſuperbiam elatus & faſtu tumens, vt eos iam deſpiceret, atque adeò ne quidem noſſe ſimularet, qui olim eius adoleſcentiam corruperant, eiúſque pudicitiam per ſummum dedecus attriuerant.

PVTEALI.] Gabinius qui flore ætatis in impudicitia tranſacto, boniſque dilapidatis magnum æs alienum contraxerat, & olim Q. Marcio & Lucio Metello Conſulibus, cùm videret ſibi diem apud triumuiros à creditoribus dictum iri, ad Tribunatum confugerat eo conſilio, vt cùm eſſet in magiſtratu, legis Memmiæ beneficio ad iudicium cogi non poſſet. Aduerte elegantem allegoriam, quæ tamen eſt paulò obſcurior quòd non pauca ex antiquitate repetenda tranſlationibus implicentur. Puteal, id eſt triumuirorum qui in comitio iuxta puteal libonis cauſas diſceptabant, conſeſſus, & fœneratorum ad repetenda debita gregatim affluentium delationes cum aduerſo

vento, æs alienum cum freto Syllæo ſorbente naues ac deuorante, columna Mænia ad quam deligabantur infames rei, cum ſcopulo, Tribunatus cum portu, condemnatio cum naufragio comparatur, hoc ſenſu. Gabinius cùm oppreſſus eſſet ære alieno, & tanquam in Scyllæo freto omnia deuorante deprehenſus, ne fœneratorum delationibus ac triumuirorum ſententiâ, tanquam aduerſo vento inflatus, & in ſcopulos impactus ad columnam Mæniam deligaretur, ibíque bonis publicatis faceret reliquæ rei familiaris naufragium, ad Tribunatum tanquam ad portum ſecuritatis confugerat, cum magiſtratum petens ne reus fieret.

Venditabat se operis.] Operariis & infimæ ſortis hominibus ſuam operam pollicebatur, ad vexandam Remp. & inuadenda diuitum bona: quorum factionibus acceptum referebat, quod de ambitu cauſam non dixiſſet.

Eamqve.] Niſi obtinuiſſet prouinciam quam expilare poſſet, certus erat ſe damnatum iri propter æs alienum.

NOTÆ.

I. Vngventis.] Vide Piſonianam 26. *Erant illi compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ.* Idem hoc pacto deſcribitur poſt reditum in Senatu 12. *Proceſſit, qua auctoritate vir? vini, ſomni, ſtupri plenus, madenti comâ, compoſito capillo, grauibus oculis, fluentibus buccis, preſſa voce ac temulenta.* & 15. *Non te illius vnguentorum odor, non vini anhelitus, non frons calamiſtri notata veſtigiis,* &c. Nec iniuria ſanè vnguentorum fragrantiam obiecit, id enim eſt animi mollis, & effœminati indicium. Iuuenalis ſat. 2.

---- Sed vnde

Vnguenta. *Hæc emis hirſuto ſudant opobalſama collo,*

Quæ tibi. ----

Martialis lib. 3. ep. 63.

Bellus homo eſt flexo qui digerit ordine crines,

Balſama qui ſemper, cynnama ſemper olet?

Cantica qui Nili, qui Gaditana ſuſurrat? &c.

vbi vides balſama vitio dari, quamuis ea cæterorum vnguentorum comparatione laudare videatur lib. 14. ep. 59.

Balſama me capiunt, hæc ſunt vnguenta virorum,

Delitias Nini vos redolete nurus.

μυραλοιφεῖν. Hiceſius apud Athenæum lib. 15. cap. 12. Τῶν μύρων τὰ μὲν ἐστι χρίσματα, τὰ δ᾽ ἀλείμματα. *Vnguentorum alia vocant illitus, alia inunctiones.* Vbi notat Caſaubonus. μύρῳ χρίεσθαι. Ἀλείφεσθαι *proprium voluptariorum & mollium:* χρίεσθαι *etiam ſobriis interdum, & ex virtute viuentibus conuenit.* Clemens Alexandrinus Pædagogi lib. 2. Διαφέρει δ᾽ ὅλως τὸ μυραλοιφεῖν τοῦ μύρῳ χρίεσθαι. τὸ μὲν γὰρ θηλυδριῶδες. τὸ δὲ χρίεσθαι τῷ μύρῳ καὶ λυσιτελεῖ ἔσθ᾽ ὅτε. *Differt inungi & vnguentis allini. Illud enim effœminatum eſt, vnguentis autem allini etiam prodeſt aliquando.*

II. Calamistrata coma.] Nonnius. *Calamiſtrum fiſtula breuis, qua cirri continentur.* idque proinde inter vaſa numerauit. Alij non vas, ſed acum ferream qua capilli criſpantur calamiſtrum appellant. De quo Virgilius 12.

---- Et fœdare in puluere crines

Vibratos calido ferro myrrháque madentes.

Calamiſtrum. Varro de lingua Latina lib. 4. *Calamiſtri quod his calefactis in cinere capillus ornatur.* Plautus Curcullione. *Pecten, ſpeculum, calamiſtrum meum.* Cicero poſt reditum 15. de hoc ipſo Gabinio. *Non te illius vnguentorum odor, non vini anhelitus, non frons calamiſtri notata veſtigiis, in eam cognitionem adducebat, vt cum illius re ſimilis fuiſſes, frontis tibi integumento ad occultanda tanta flagitia diutiùs vti non liceret?* Idem Oratore. *Remouebitur omnis inſignis ornatus, quaſi margaritarum, nec calamiſtri quidem adhibebuntur.* Malim iſtorum quàm vnius Nonnij ſententiæ ſuffragari: niſi ſi vtrumque verum eſſe dicamus. vt in Gloſſis στόμωμα, *denticulus aciarius.* Item, στόμωμα ῥαφίδων διαθήκη. Idem fortaſſe quod diſcerniculum. Lucilius,

Emplocamo digitis diſcerniculúmque capillo.

Coma.] Nonnulli comam virorum eſſe dixerunt, crines fœminarum. Vt Lauinia, III.

Viſa nefas longis comprendere crinibus ignem.

Et pueris Troianis,

Omnibus in morem tonſâ coma preſſa coronâ.

Non placet tam ſubtilis diſtinctio. crines enim, vt Æneam, Iopam, Apollinem omittam, Aſcanio tribuuntur,

---- fuſos ceruix cui lactea crines

Accipit, & molli ſubnectit circulus auro.

Comæ Veneri,

--- Dederátque comam diffundere ventis.

Pvteali.] Locus fuit in comitio. Cic. de Diuinat. lib. 1. *Cotem autem illam* (à Tarquinio Priſco nouacula diſciſſam.) *Et nouaculam defoſſam in comitio, ſupráque impoſitum puteal accepimus.* Eo loco Libo baſilicam excitauit, in qua cauſæ triumuirales diſceptabantur. Flaccus, IV.

---- forum puteálque Libonis, Puteal.

Mandabo ſiccis. ----

Perſius ſat. 4.

Si puteal multâ cautus vibice flagellas.

Iuuenalis 2.

Roſcius orabat ſibi adeſſes ad puteal cras.

Antonius Auguſtinus dialogo 4. Antiquit. *Quid amabo puteal eſt Libonis, quod delineatum videre memini, typíſque adeo excuſum, quaſi feneſtra fuerit oſtiúmve, qua feneſtra rei criminis capitalis in vinculis compacti cauſam dicentes audirentur. Ferunt & Corduba in Bætica feneſtratum huiuſmodi lapidem, hodiéque oſtendi puteal neſcio cuius dictum. Ad hæc fidei facienda laudari video auctorem Ariſtotelem in politicis. Equidem legere memini Ioannis Geneſij Sepulnedæ epiſtolam, qua teſtaretur Cordubæ Ariſtotelem vt ciuem vindicari, cuius etiam auctoritate lapidem illum interpretando tuerentur.* Addit, *Iuxta autem ſedes magiſtratus collocabant, ſiue Prætor, ſiue Ædilis,* &c. Et paulò pòſt. *Iuxtáque ficus erat ruminalis, ſub qua lupa Romulum ac Remum lactauit.*

Foeneratorvm.] Varro 3. de lingua Latina citatus à Gellio lib. 16. cap. 7. noct. Attic. *Fœnerator à fœnore eſt nominatus. Fœnus autem dictum à fœtu, & quaſi à fœtura quadam pecuniæ parientis atque increſcentis.* Græcis τόκος eadem ratione. Vide Cælianam 42. *Ne fœnore trucidetur.* Vbi fusè dicemus, quàm fuerint fœneratores ſuis debitoribus metuendi. poſt reditum in Senatu 10. *Qui niſi in aram Tribunatus confugiſſet, neque vim Prætoris, nec multitudinem creditorum, nec bonorum proſcriptionem effugere potuiſſet.* V. Fœnerator.

Scyllæo.] Legit Alciatus in Parergis *Herculeo:* fortaſſe quod audiat *columnæ* fieri mentionem. Non facilè mutarim, quod æs alienum inſtar Scyllæ voracis debitorum bona deuoret & VI.

abſorbeat. Scyllam enim voracem Catullus de Nuptiis Pelei & Thetidos,

Scylla. *Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vaſta Charybdis?*

Maro,

Ora exertantem, & naues in ſaxa trahentem

appellat. commodè. nam ἀπὸ τοῦ σκύλλειν, à trahendo nomen accepit. Tertullianus de Pallio cap.2. *Italiæ quondam latus Hadria Tyrrhenóque quaſſantibus medio tenus interceptum reliquias Siciliam facit: cùm tota illa plaga diſſidij contentioſos æquorum coitus anguſtiis retorquens nomen vitij mari induit, non expuentis naufragia, ſed deuorantis.*

VII. Æris alieni.] Contra leges quæ candidatos iubebant profiteri, & obæratos à petendis magiſtratibus arcebant. Seneca lib.6. de beneficiis cap.20. *Si quis patriæ meæ pecuniam credat, non dicam me illius debitorem, nec hoc æs alienum profitebor, aut candidatus, aut reus: ad exoluendum tamen hoc portionem meam dabo.* Profitebantur candidati, id eſt oſtendebant ſe non habere æs

Candidati profitebantur. alienum. Velleius lib.2. *Quæſturam petentes, quos indignos iudicauit, profiteri vetuit.* Salluſtius. *Catilina pecuniarum repetundarum reus prohibitus erat petere Conſulatum, quod intra legitimos dies profiteri nequiuerat.* Frequenter tamen obæratos conſtat magiſtratus petiiſſe: vt P. Vatinium, qui in Tribunatu emerſiſſe dicitur ex mendicitate. Vat.23. vt Cæſarem, qui vt habent Plutarchus & Tranquillus in eius vita. *Reputans magnitudinem æris alieni, quum manè ad comitia deſcenderet prædixiſſe matri oſculanti fertur, domum ſe niſi Pontificem non reuerſurum.* Quia fortaſſe iis qui non profeſſi magiſtratus, aut ſacerdotia petiiſſent, exilium irrogabatur. Nam verba ſunt Plutarchi. ὦ μῆτερ, εἶπεν, τήμερον ἢ ἀρχιερέα τὸν υἱὸν, ἢ φυγάδα ὄψει. *O mater, inquit, hodierno die vel filium Pontificem vel exulem videbis.* Sed nihil affirmo. Milo petiit Conſulatum. de quo tamen Aſconius. *Bona eius propter alieni æris magnitudinem ſemunciâ venierunt.* Plinius lib.36. cap.15. *Milonem ſeſtertium ſeptingenties æris alieni debuiſſe inter prodigia animi humani duco.*

VIII. In freto.] Æs alienum cum mari pulchrè comparatur ab Ambroſio lib. de Tobia cap.5. *Pecunia nunquam quieſcit: labitur, velut ſcopulo illiſa, ita gremium debitoris percutit, & continuò re-*

Fœnus eſt mare. *labitur eò vnde proceſſit. Cum murmure venit, cum gemitu reuertitur. Frequenter tamen placidum ſtat ventis mare, ſemper fœnoris vnda iactatur. Mergit naufragos, expuit nudos, veſtitos exuit, inſepultos relinquit. Nummum ergo petis, & naufragium ſuſcipis. Hinc Charybdis circumſtrepit, hinc Sirenæ, quæ voluptatis ſpecie & canora dulcedinis ſuauitate in vada deductos cæca, repetenda domus (vt ferunt fabulæ) ſpe & cupiditate fraudabant.* Paulò pòſt. *Non te pecuniæ cupiditas in voraginem teterrimi fœnoris demerſiſſet.* Et cap.13. laudatâ Eccleſiaſtæ ſententiâ cap.1. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat,* &c. Hæc habet. *Mare iſtud fœnerator eſt. omnium patrimonia tanquam fluctus abſorbet, & ipſe neſcit expleri. Mari tamen plerique vtuntur ad quæſtum, fœneratore nemo vtitur niſi ad diſpendium. Illic multorum commodum eſt, hîc vniuerſorum naufragium.*

IX. Ad columnam.] Pulchrè. Nam in foro fuit columna Mænia, & in freto ſcopuli nominantur columnæ. Hinc columnæ Herculis paſſim, & columnæ Protei 11. Æneidos,

Atrides Protei Menelaus adusque columnas
Exulat. ----

De columna fori, ſiue putealis Orator pro Cluentio 39. loquens de Qu. Manilio Triumuiro capitali. *Ex petulanti atque improbo ſcurra, in diſcor-* Columna.
diis ciuitatis ad eam columnam ad quam multorum conuitiis deductus fuerat, tum ſuffragiis populi peruenerat. Id eſt, factus fuerat Triumuir capitalis, & iuxta eam columnam iudicabat ad quam ſæpè tractus fuerat iudicandus. Item diuinatione in Q. Cecilium. *Vobis autem tanta inopia reorum eſt, vt mihi cauſam præripere conemini potiùs, quàm aliquos à columnâ Maniâ veſtri ordinis reos reperiatis.* Vbi Aſconius intelligit. *Fures & ſeruos nequam, qui apud Triumuiros capitales ad columnam Maniam puniri ſolent.* Cuiuſmodi fuit Mænas Horatianus,

Sectus flagellis hic triumuiralibus
Præconis ad faſtidium.

Hinc columnarij dicuntur viles homines & obærati. Cælius ad Ciceronem epiſt.9. *Nolo te pu-* Columnarij.
tare Faonium à columnariis præteritum eſſe: optimus quiſque eum nihili fecit. Hæc autem Ciceronis verba, vt notat Turnebus lib.20. aduerſariorum cap.3. *ad columnam Regiam quæ eſt in freto Siculo, referri poſſunt, per dilogiam iocularem.*

Adhæresceret.] Impingeretur, allideretur, X.
faceret naufragium. pro Cœlio voce tralatitia à curuli naufragio. *In hoc flexu, quaſi ætatis. &c. fama adoleſcentis paulùm hæſit ad metas.* 5. Æneid.

---- *Dum proram ad ſaxa ſuburget*
Interior, ſpatióque ſubit Sergeſtus iniquo
Infelix ſaxis in procurrentibus hæſit.

Eodem ſenſu interpretor locum illum Cœlij ad Ciceronem ep.5. lib.8. *Sanè tanquam in quodam ſilice iam omnia adhæſerunt.* Id eſt in ſcopulo vel ad columnam adhæſerunt. *In quo* (vt Turnebi verbis vtar) *vt in luti voragine, omnes hæſerunt:* ipſe, vt ſe expediat, legendum putat, *in quodam cilicio.* vide librum 12. cap.17. aduerſariorum.

Ad Tribvnatvs portvm.] Non ſolùm pro- XI.
uinciales magiſtratus legis Memmiæ beneficio à cauſa dicenda erant immunes, vt ait Valerius Maximus libro 5. cap.7. de M. Antonio Oratore loquens, ſed etiam vrbani quamdiu magiſtratu fungerentur, vnde Clodius, vt ſcribit Dio lib.39. An & qui magiſtratus ad iudicium vocari non poterant.
Ἀγορανομίαν ᾔτει, ὡς καὶ τὴν δίκην τῆς βίας, ἂν ἀναδειχθῇ διαφευξόμενος. ἐγράψατο γὰρ αὐτὸν ὁ Μίλων. *Ædilitatem petebat, vt ſi creatus fuiſſet ædilis, iudicium de vi euaderet. eius enim nomen detulerat Milo.* Res tamen non caret ſua difficultate, nam & apud Valerium M. Antonius Quæſtor iudicij laqueos declinare potuiſſe legis Memmiæ beneficio, & apud Dionem Clodius ædilis curulis declinaſſe dicuntur, cùm duos hos magiſtratus Varro lib.21. rerum humanarum exceperit, apud Gellium capite 13. libro 13. noct. Attic. *Qui poteſtatem neque vocationis populi viritim habent, neque prehenſionem, eos magiſtratus à priuato in ius quoque vocari eſt poteſtas. M. Leuinius ædilis curulis à priuato ad Prætorem in ius eſt deductus.* ſupra dixerat, *Quæſtores neque vocationem habere, neque prehenſionem.* Soluat hunc nodum qui poteſt. Nihil aliud habeo quod dicam, niſi æuo Ciceronis conſuetudinem, aut vim iuri antiquo præualuiſſe, quod etiam innuit ibidem M. Varro. *Nunc ſtipati ſeruis publicis, non modò prehendi non poſſunt, ſed etiam*

vltro ſubmouent populum. vide Valerium lib. 6. de pudicitia, vbi C. Scantinius Tribunusplebis cauſam ad populum dicere coactus eſt. & illud eodem libro de iuſtitia, quod magis ad inſtitutum pertinet. *Magnam laudem & illud collegium Tribunorum tulit, quod cùm vnus ex eo L. Cotta fiduciâ ſacroſanctæ poteſtatis creditoribus ſuis ſatisfacere nollet, decreuit, vt ſi neque ſolueret pecuniam, neque daret cum quo ſponſio fieret, appellantibus ſe creditoribus auxilio futurum: iniquum ratum maieſtatem publicam, priuatæ perfidiæ obtentui eſſe. Itaque Cottam in Tribunatu, quaſi in aliquo ſacrario latentem, tribunitia inde iuſtitia extraxit.*

XII. Venditare. VENDITABAT.] Cornelius Nepos vita Attici. *Illud vnum intelligi volumus illius liberalitatem, neque temporariam, neque callidam fuiſſe. Id ex ipſis rebus ac temporibus iudicari poteſt, quod non florentibus ſe venditauit, ſed afflictis ſemper ſuccurrit.* Noſter de Haruſp. reſp. *Idem poſteaquam reſpirare vos à metu cædis, emergere auctoritatem veſtram à fluctibus ſeruitutis, reuiuiſcere memoriam ac deſiderium mei vidit, vobis ſe cœpit ſubitò fallaciſſimè venditare.* Item, *Iam laudat illum: in eos inuehitur quibus ſe antea venditabat.*

NE DE AMBITV.] Pub. Sulla videtur eius nomen detuliſſe, quòd ſine profeſſione æris alieni petierat Conſulatum lib. 4. ad Att. ep. 16. *Candidati Conſulares omnes rei ambitus: accedit etiam Gabinius, quem P. Sulla non dubitans quin foris eſſet, poſtularat, contradicente & nihil obtinente Torquato.* Quid ſit autem foris eſſe explicamus in Piſon. *Egere, foris eſſe Gabinium, ſine prouincia ſtare non poſſe.* XIII.

AXIOMATA.

Æs alienum eſt naufragium, quo obærati quaſi ad ſcopulum adhæreſcunt.

Multi cùm ex humili loco ad aliquam dignitatem emerſerint, cæteros contemnunt.

ARGVMENTVM.

Calpurnij Piſonis mores à Gabinij moribus diuerſos, habitúmque deſcribit, demonſtrátque qua frontis & ſupercilij ſeueritate probitatem ſimulans, homines in fraudem induxerit.

XIX. ALter, ô Dij boni, quàm teter incedebat, quàm truculentus, quàm terribilis aſpectu: vnum aliquem te ex barbatis illis, exemplum imperij veteris, imaginem antiquitatis, columen Reipub. diceres intueri. Veſtitus aſper, noſtrâ hac purpurâ plebeiâ, ac penè fuſcâ, capillo ita horrido, vt Capuâ, in qua ipſe tum imaginis formandæ cauſa duumviratum gerebat, Seplaſiam ſublaturus videretur. Nam quid ego de ſupercilio dicam, quod tum hominibus non ſupercilium, ſed pignus Reipub. videbatur? tanta erat grauitas in oculo, tanta frontis contractio, vt illo ſupercilio Reſpub. tanquam Atlante cælum niti videretur.

EXPLANATIO.

ALTER.] L. Calpurnius Piſo.

O DII BONI.] Feſtiuè exclamat per admirationem.

QVAM TETER.] Quàm illuuioſus & fœtidus. INCEDEBAT greſſu ad grauitatem compoſito.

QVAM TRVCVLENTVS.] Quàm trucibus oculis, & ſanguine ſuffuſis. Atque hactenus de ſpecie corporis externa.

VNVM ALIQVEM.] Oſtendit quid hæc frontis ſeueritas, cæteráque corporis incuria redoleret. Putares, inquit, te vnum aliquem ex antiquis illis Curiis aut Fabriciis ſanctis & ſeueris hominibus, vt tum mores ferebant, intueri. Barbatos appellat, quia non tondebantur, ſed barbam prolixam & promiſſam gerebant.

IM. ANTIQ.] Probitatis & ſanctitatis, quæ olim vigebat, nunc ita defluxit, vt vix vllum reliquerit ſui veſtigium.

VESTITVS ASPER.] A corpore ad corporis ornatum delabitur. Veſtitus Piſonis, inquit, concinnatus erat è materia aſpera, & lana craſſiore: neque tinctus erat ardenti illa purpura & dibapha, quæ nunc primùm cœpta eſt vſurpari, ſed penè fuſca, miniméque viuida, quali purpura nos vtimur, qui ſumus plebeij, nec purpuræ claritatem affectamus.

CAPILLO.] Capillus Piſonis tam impexus fuit, & ab vnguentis cæteróque cultu alienus, vt ex vrbe Capua (vbi tunc, poſt coloniam eò à Cæſare tranſcriptam, magiſtratum gerebat, factus eius coloniæ Duumuir) Seplaſiam vicum vnguentorum venditione celebrem ſublaturus eſſe videretur: id eſt, prohibiturus ne deinceps in eo vico vnguenta venderentur. Lepidè verò iocatur à cauſa gerendi Duumuiratus, quaſi eum geſſerit, non honoris, dignitatiſve cauſa, ſed vt ſe, tanquam actor comœdiæ exerceret, & ad ſuſtinendam anno ſequenti Conſulis perſonam præpararet. legit Turnebus, *imaginis ornandæ*, quod ideò dictum putat, *quòd imaginibus honores & magiſtratus ſubſcribebantur, iiſque titulis ornabantur.* Nihil muto: feſtiuior enim fuerit oratio, ſi dicatur Piſo geſſiſſe duumuiratum, vt diſceret formare ſuam imaginem in minore illo magiſtratu, vt ea iam formata, & ad pompam, maieſtatémque compoſita, ad Conſulatum accederet.

NAM QVID EGO.] Dubitatio feſtiua, quaſi rem magnam dicturus ſit, quæ oratione nequeat explicari, rem illuſtrat comparatione feſtiuiore, vt magis & magis riſum aucupetur.

NOTÆ.

QVAM TETER.] Αλουσίαν & illuuiem affectabat, vt philoſophus crederetur.

Ariſtophanes Nebulis.

Ἀπεκείρατ' οὐδεὶς πώποτ' οὐδ' ἠλείψατο,
Οὐδ' εἰς βαλανεῖον ἦλθε λουσόμενος.

Detonſus nemo eorum eſt vnquam neque vnguentatus,
Neque in balneum init vt lauaret.

Teter. Nam quod ad vocem attinet *tetrum*, idem eſſe atque *illuuioſum* auctor eſt Nonnius. vt *lauit improba teter ora cruor*, ſic *Portitor horrendus*

Terribili ſqualore Charon, cui plurima mento
Canities inculta iacet, ſtant lumina flammâ
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.

inſtar noſtri Piſonis à Marone deſcribitur, teter eſt Iuuenali,

---- tetrúmque nouitius horret
Porthmea. ----

II. Incedebat.] Vide Piſonianam. *At fuit Pompa, fuit inceſſus.* In quo quemadmodum mores eluceant, vide Cælianam 49. *Non ſolùm inceſſu.* & ſupra 17.

III. Truculentus. Trvcvlentvs.] Truculentia maximè oculorum. Plautus Aſinaria ſc. *vt demonſtratæ*, ſuum Sauream ita depingit,

Macilentis malis, rutulus, aliquantũ ventrioſus,
Truculentis oculis, commodâ ſtaturâ, triſti fronte.

IV. Barbatis.] Pro Cœlio 33. *Aliquis mihi ab inferis excitandus eſt, ex barbatis illis, non hac barbula qua iſta delectatur, ſed illa horrida, quam in ſtatuis antiquis & imaginibus videmus.* Vbi fuſiùs de barba antiquorum, & tonſione tractabimus. Barba veterum. hinc illud ſupra laudatum ex Liuio lib. 5. *Barbam ſuam, vt tum omnibus promiſſa erat, permulcenti.* Hinc antiqui frequenter intonſi, vt apud Ouidium in faſtis,

Hoc apud intonſos nomen habebat auos.

Iuuenalis ſat. 4.

--- Quis priſcum illud miretur acumen
Brute tuum? facile eſt barbato imponere Regi.

Alibi,

Et credam dignum barba, dignúmque capillis
Maiorum. ----

Item,

Ipſe capillato diffuſum Conſule potat.

V. Imaginem antiqvitatis.] Notum illud Ennianum ex Cicerone de Republ.

Antiquitas. *Moribus antiquis res ſtat Romana virîſque.*

Plautus Trinummo actu 2. ſc. 2.

---- Nam hi mores maiorum laudant
Eoſdem lutilant quos collaudant: hiſce ego te artibus gratiam
Facio, ne colas, neu imbuas ingenium; meo modo ac moribus viuito
Antiquis. ----

Item infra,

Atque vtinam veteres mores, veteréſque parſimoniæ
Potiùs maiori honori eſſent, quàm mores mali.

Velleius lib. 2. *Vir antiquus & grauis Pompeij partes laudaret magis: prudens ſequeretur Cæſaris: & illa glorioſa, hæc terribiliora duceret.* Hinc illud Phauorini dictum à Gellio laudatum lib. 1. c. 10. noct. Att. *Viuendum moribus antiquis, loquendum verbis præſentibus.* Quia nimirum, vt ait Lyricus,

Ætas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Vide ſup. §. 6.

VI. Vestitvs asper.] *Qui curios ſimulant, & bacchanalia viuunt* Veſtitus aſperitatem affectant, quòd eius mollities animum effœminet, quod & Ciceroni Calenus exprobrauit apud Dionem lib. 46. Τίς μὲν γὰρ οὐχ ὁρᾷ σου τὰ λεπτὰ ταῦτα χλανίδια; τίς δ' οὐκ ὀσφραίνεται τῶν πολιῶν σου τῶν κατεκτενισμένων; *Quis enim non videt tua iſta multicia? quis tuos canos pexos non odoratur?* Sed, id ſi verum eſt, qua fronte potuit plebeiam purpuram ſuam vocare, & Gabinio tum vnguenta, tum calamiſtros & cincinnorum fimbrias exprobrare? Adeo cæca eſt Dionis malignitas. Quid? quod Gellius lib. 1. cap. 5. noct. Att. Demoſthenis meminit cui κόμψα illa χλανὶς, καὶ μαλακοὶ χιτωνίσκοι, (*elegans veſtis & mollis tunicula) ab æmulis aduerſariiſq; probro dati ſunt:* & Hortenſij, quem *omnibus fermè oratoribus ætatis ſuæ, niſi M. Tullio clariorem* appellat, qui eandem ob cultus elegantiam, *maledictis appellationibúſque probroſis iactatus eſt*, nihil huiuſmodi Tullio inſinuat obiectum? Nos in viam redeamus. De hac veſtitus mollitie Iuuenalis ſat. 2. Veſtes delicatæ.

--- cùm tu multicia ſumas
Cretice, & hanc veſtẽ populo mirante perores, &c.

Item,

Reticulúmque comis auratum ingentibus implet
Cœrulea indutus ſcutulata, aut galbana raſa.

Sed pulcherrimè Prudentius Hamartigenia,

Sed pudet eſſe viros, quærunt vaniſſima quæque
Queis niteant, genuina lues, vt vellera ſoluant
Vellere non ouium, ſed eoo ex vrbe petitis
Ramorum ſpoliis, fluitantes ſumere amictus
Gaudent, & durum ſcutulis perfundere corpus.

Et poſt pauca in hanc ſententiam. Veſtes plumatiles.

--- hunc videas laſciuas præpete curſu
Venantem tunicas, auium quoque verſicolorum
Indumenta nouis texentem plumea telis.

De hoc poſtremo genere veſtium Seneca ep. 90. *Non auium plumæ in vſum veſtis conſeruntur?* E quibus videas veſtes eas plumatiles, quæ nunc ex Indiis adferuntur, iam tum Romanis fuiſſe cognitas, quibus etiam viri vterentur: vt eos omittam quos noſter 2. Catilinaria deſcribit *Pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos, manicatis & talaribus tunicis, velis amictos non togis.* Eam ob cauſam P. Africanus minor, vt eius verba à Gellio referuntur, P. Sulpitio probro dedit; Quod *quotidie vnguentatus aduerſum ſpeculum ornetur, cuius ſupercilia raduntur, qui barba vulſa feminibúſque ſubuulſis ambulet, qui in conuiuiis adoleſcentulus cum amatore cum chirodota tunica accubuerit.* Tertullianus libro de pallio plura in hanc ſententiam. *Nec de ouibus dico Mileſiis, & Selgicis, & Altinis, aut queis Tarentum vel Bætica cluet natura colorante. Sed quoniam & arbuſta veſtiunt, & lini herbida poſt virorem lauacro niueſcunt: nec fuit ſatis tunicas pangere & ſerere, ni etiam piſcari veſtitum contigiſſet, nam & de mari vellera, quæ muſcoſæ lanoſitatis lautiores conchæ comant.* adfert deinde Herculis, Achillis, & aliorum exempla, vt illius pugilis Cleomachi, qui *poſt Olympia cum incredibili mutatu de maſculo fluxiſſet, &c. ſicut veſtigia cæſtuum viria occupauit, ita & endromidis ſolocem aliquam multicia ſyntheſi extruſit.* Orator Verri tunicam talarem frequenter obiectat. Et ſanè quantum à veſtitus mollitie abhorrerent indicio eſt quòd Heliogabalus, auctore Lampridio, *Primus Romanorum holoſerica veſte vſus fertur, cùm iam ſubſerica in vſu eſſent.* Intelligebant enim delicatis huiuſmodi veſtibus virtutis & animi neruos elidi, vnde nonnulli ſuos liberos hoc habitu produxerunt, vt eos Veſtes holoſericæ.

pudore ſuffuſos à vitiis abducerent. Idem Lampridius ibidem. *Dalmaticatus in publico poſt cœnam ſæpe viſus eſt, Gurgitem Fabium & Scipionem ſe appellans, quod cum ea veſte eſſet, cum qua Fabius & Cornelius à parentibus ad corrigendos mores in publicum eſſent producti.* Quod per ſummam calumniam Conſtantino Iulianus obiectat. Ὁ δὲ Κωνσταντῖνος οὐχ εὑρίσκων ἐν θεοῖς τοῦ βίου τὸ ἀρχέτυπον, ἐγγύθεν τὴν Τρυφὴν κατιδὼν ἔδραμε πρὸς αὐτήν, ἡ δὲ ὑπολαβοῦσα μαλακῶς, καὶ περιβαλοῦσα τοῖς πήχεσι, πέπλοις τ' ἀσκήσασα αὐτὸν ποικίλοις, καὶ καλλωπίσασα πρὸς τὴν Ἀσωτίαν ἀπήγαγεν. *Conſtantinus non inueniens in Diis ſuæ vitæ archetypum, propè Luxuriam aduertens, ad eam accurrit, at illa molliter ſuſceptum vlniſque circumfuſum, peplis cultum variegatis & exornatum, ad Aſotiam, ſiue Prodigalitatem abduxit.* Atque ipſe adeo Iulianus, vt militibus qui ordines deſeruerãt ſuam mollitiem exprobraret, eos, vt auctor eſt Zoſimus libro 3. Ἀμφιέσας ἐσθῆτι γυναικείᾳ διὰ τοῦ στρατοπέδου παρήγαγεν, ἐπεξαγωγῆ στρατιώταις ἀνδράσι χαλεπωτέραν θανάτου τὴν τοιαύτην ποινὴν ἡγησάμενος. *Muliebri veſte indutos per caſtra circunduxit, hanc pœnam ratus quauis morte militibus eſſe grauiorem.* Ariſtodemus Cumanorum tyrannus, vt narrat Dionyſius Halicarnaſſeus libro 7. Antiq. Roman. Ἵνα τῶν πολιτῶν ἐν μηδενὶ γένηται μήτε γενναῖον, μήτ' ἀνδρῶδες φρόνημα, πάσαις ἐκθηλῦναι ταῖς ἀγωγαῖς τὴν ἐπιτρεφομένην νεότητα τῆς πόλεως ἐπεβάλετο, ἀνελὼν μὲν τὰ γυμνάσια, καὶ τὰς ἐνοπλίους μελέτας. ἀλλάξας δὲ τὴν δίαιταν ᾗ πρότερον οἱ παῖδες ἐχρῶντο, κομᾶν τε γὰρ

Veſtium delitiæ animos viriles effœminant.

τοὺς ἄρρενας, ὥσπερ τὰς παρθένους ἐκέλευσεν, ξανθιζομένοις καὶ βοστρυχιζομένοις, καὶ κεκρυφάλοις τὰς πλοκαμίδας ἀναδουμένους, ἐνδύεσθαι δὲ καὶ ποικίλους, καὶ ποδήρεις χιτωνίσκους, καὶ χλανιδίοις ἀμπέχεσθαι λεπτοῖς καὶ μαλακοῖς, καὶ δίαιταν ἔχειν ὑπὸ σκιᾶς. ἠκολούθουν δ' αὐτοῖς εἰς τὰ διδασκαλεῖα τῶν ὀρχηστῶν, τῶν αὐλητῶν, καὶ τῶν παραπλησίων τούτοις μουσοκολάκων, παραπορευόμεναι παιδαγωγοὶ γυναῖκες σκιάδια, καὶ ῥιπίδας κομίζουσαι, καὶ ἔλουον αὐτοὺς αὗται, κτένας εἰς τὰ βαλανεῖα φέρουσαι, καὶ μύρων ἀλαβάστρους, καὶ κάτοπτρα. *Ne ciuium quiſquam generoſos viriléſque ſpiritus ſumeret, educatione omnem effœminare iuuentutem ciuitatis occœpit, ſublatis gymnaſiis & meditatione campeſtri, mutata in pueris veteri viuendi ratione. Maſculos enim perinde ac puellas nutrire comam iuſſit, & in cyrrhos cincinnóſque diſponere, & capillos reticulis redimire, tunicas acu pictas & talares induere, tenuibus & mollibus amiciri togulis, & in vmbra vitam exigere. Sequebantur in ludos ſaltatorum, tibicinum, cæterorúmque huiuſmodi muſicæ voluptatis artificum mulierculæ pædagogæ, vmbellas & ventilabra geſtantes. Eos ipſæ lauabant, & pectines, alabaſtra vnguenti, ſpecula ſecum in balneas deferebant.* Antiqui tamen Galli, quamuis eſſent virorum fortiſſimi, nihilo ſeciùs aureis veſtibus virgatiſque ſagulis vſi tum à Virgilio, tum à Strabone referuntur. Sed id multis ſeculis intermiſſum adeò, vt Ioinuillanus in vita S. Ludouici, quaſi pro miraculo referat vnum vel alterum principem in tuniculâ filis aureis contextâ fuiſſe conſpectum, & apud recentiores hiſtoricos primus omnium in Gallia Henricus ſecundus, vſus fuiſſe tradatur tibialibus bombicinis, idque tantùm ſemel in ſororis ſuæ nuptiis. At nunc inſtitorum ſeruulos laneis vti pudet. Adeo vbi cœperunt, non poſſunt exempla conſiſtere.

VII. Purpura fuſca.

Nostra hac pvrpvra.] Pro Cœlio 77. *Si quem etiam minimorum horum aliquid offendit, ſi purpuræ genus.* vbi vide quæ annotamus. Plutarchus in Catone Vticenſi. Ἐπεὶ πορφύραν ἑώρα τὴν κατακόρως ἐρυθρὰν καὶ ὀξεῖαν ἀγαπωμένην, αὐτὸς ἐφόρει τὴν μέλαιναν. *Cùm purpuram ſaturo rubore ardentem & acutam in pretio eſſe videret, ipſe fuſcam geſtabat.* Ea autem plebeia, ſiue fuſca fuit violacei coloris. de qua Horatius, Dibapha.

Lana Tarentino violas imitata veneno.

Perſius,

Hac Calabrum coxit vitiato murice vellus.

Immo Virg.

--- *Mileſia vellera nymphæ*
Carpebant hyali ſaturo fucata colore.

Eam noſter plebeiam appellat, quòd tunc temporis denariis centum veniret, & tanquam vilis ſperneretur, cùm dibapha Tyria pluris quàm mille denariis in libras ſoleret æſtimari. vt auctor eſt Cornelius Nepos citatus in Cæliana.

Capillo ita horrido.] Vide Piſonianam 25. *Erant illi compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ.* Nunc vt aliquod diuerticulum quæramus paulò poſt in viam redituri. Magnam nonnulli capillorum curam habuerunt. Lampridius in Commodo ſub finem eum fuiſſe dicit, *Capillo ſemper fucato, & auri ramentis illuminato.* Herodianus de eodem. Ὡς τοὺς μὲν οἴεσθαι ῥίνημα χρυσοῦ προϊόντι ἐπιπάσσεσθαι, τοὺς δ' ἐκθειάζειν. *Vt eum procedentem alij capillos auri ramentis inſperſos habere putarent, alij neſcio quid diuinitatis habere prædicarent.* Iulius Capitolinus in Vero. *Dicitur ſanè tantam habuiſſe curam flauentium capillorum, vt capiti auri ramenta reſpergeret, quo magis coma illuminata flaueſceret.* Quem in locum non pauca Caſaubonus: laudat Ioſephum lib. 8. Antiqu. de Salomonis aurigis ita loquentem. Ἐπεκόσμουν δ' αὐτοὺς καὶ οἱ ἀναβαίνοντες μηκίστας καθειμένοι χαίτας. ψῆγμα δὲ χρυσίου καθ' ἡμέραν αὐτῶν ἐπέσηθον ταῖς κόμαις, ὡς στίλβειν αὐτῶν τὰς κεφαλὰς τῆς αὐγῆς τοῦ χρυσίου πρὸς τὸν ἥλιον ἀντανακλωμένης. *Ornabant & eos agitatores auri ramento capillis longiſſimis per ſingulos dies inſperſo, vt auri fulgore ad ſolem repercuſſo eorum capita radiarent.* D. Chryſoſtomus in cap. 3. ad Coloſſenſes. Ὁ τῶν Περσῶν βασιλεὺς χρυσοῦν ἔχει τὸν πώγωνα, τῶν περὶ ταῦτα δεινῶν καθάπερ τῇ κρόκῃ, οὕτω καὶ τῆς ἐκείνου θριξὶν ἐνειλιχόντων τὰ πέταλα τοῦ χρυσοῦ. *Rex Perſarum mentum auratum habet, peritis tanquam ſtamini ſic eius pilo bracteas aureas implicantibus.* 10. Æneidos de Aſcanio,

VIII.

Capilli auro inſperſi, & alligati.

---- *fuſus, ceruix cui lactea crines*
Accipit, & molli ſubnectit circulus auro.

Valerius Flaccus lib. 6.

---- *Sanguine vultus*
Et grauidæ maduere comæ, quas flore Sabæo
Nutrierat, liquidóque parens ſignauerat auro.

IX.

Dvvmvi ratvm.] Duumuiri dicebantur ij magiſtratus qui coloniam deducebant. Noſter de lege Agraria ad populum 91. *Coloniam deductam L. Conſidio & Sexto Saltio, quemadmodum ipſi loquebantur, Prætoribus*, &c. *Cum cæteris in coloniis decemuiri. Lege, Duumuiri appellentur. hi ſe Prætores appellari volebant.* &c. *Deinde anteibant lictores, non cum bacillis, ſed vt hic Prætoribus anteeunt, cum faſcibus duobus. Erant hoſtiæ maiores in foro conſtitutæ, quæ ab his Prætoribus de Tribunali, ſicut à nobis de conſilij ſententia probatæ, ad præconem, & ad tibicinem immolabantur.* E quibus nonnulla habes & de poteſtate, & de duumuirorum inſignibus. Iam, etſi, vt ex epiſtolis ad Atticum conſtat, vigintiuiri delecti fuerant qui coloniam deducerent, Duumuiri tamen Duumuiri.

deductam

deductam rexerunt. Piſo & Cn. Pompeius, vt iam alij ante me notauerunt.

X. Seplaſia. SEPLASIAM.] In Piſonem 24. *Fuit inceſſus ſaltem Seplaſiâ dignus & Capuâ.* Item, *Seplaſiâ mehercule, vt dici audiebam, te vt primùm adſpexit Campanum Conſulem repudiauit.* Quem in locum Aſconius. *Dictum eſt in diſſuaſione legis agrariæ ad populum, plateam eſſe Capuæ, quæ Seplaſia appellatur, in qua vnguentarij negotiari ſint ſoliti.*

XI. Supercilium. DE SVPERCILIO.] Poſt reditum in Senatu. *Luci Piſo, Tune auſus es iſto oculo, non dicam iſto animo, iſta fronte, non vita, iſto ſupercilio, non enim poſſum dicere tantis rebus geſtis, cum Gabinio conſociare conſilia peſtis meæ?* In Piſ. 14. *Reſpondes altero ad frontem ſublato, altero ad mentum depreſſo ſupercilio: crudelitatem tibi non placere.* De ſupercilio philoſophico paſſim Iuuenalis ſat. 2.

Rarus ſermo illis, & magna libido tacendi,
Atque ſupercilio breuior coma.

Supercilium philoſophicum. Lucianus in Timone philoſophum graphicè deſcribit. Τί τοῦτο; οὐ Θρασυκλῆς ὁ φιλόσοφος οὗτός ἐστιν; οὐ μὲν οὖν ἄλλος· ἐκπετάσας γοῦν τὸν πώγωνα, καὶ τὰς ὀφρῦς ἀνατείνας, καὶ βρενθυόμενός τι πρὸς αὑτὸν ἔρχεται, τιτανῶδες βλέπων, ἀνασεσοβημένος τὴν ἐπὶ τῷ μετώπῳ κόμην, Αὐτοβορέας τις ἢ Τρίτων, οἵους ὁ Ζεῦξις ἔγραψεν, *Quid iſtud eſt? num Thraſycles philoſophus hic eſt? non alius ſanè. Explicans igitur barbam, ſupercilia attollens, & neſcio quid ſecum cum faſtu immurmurans incedit, truculenter inſtar Titanis intuens, excutiens comas ad frontem defluentes, Boreas quidam aut Triton, quales Zeuxis depinxit.* Et in Icaromenippo. Τὰς ὀφρῦς ἐπάραντες, καὶ πώγωνας ἐπισπασάμενοι περιέρχονται ἐπιπλάστῳ σχήματι κατάπτυστα ἤθη περιστέλλοντες. *Supercilia tollentes, & barbam trahentes circum incedunt, ficto corporis ſchemate abominandos mores obtegentes.* Sic apud Maronem Sileno, neſcio quid philoſophanti,

Prolixúmque ſupercilium prolixáque barba.

tribuuntur. Baſilius Magnus homilia Attende tibi. Τὶς τῶν σοβαρῶν, καὶ κατωφρυωμένων ἐπὶ σεμνότητι πλάσμα σωφροσύνης ἔξωθεν περικείμενος. *Aliquis è faſtuoſis, & ſupercilium contractum habentibus temperantiæ ſpecimen extrinſecus geſtans.* Suidas. Ὀφρῦς ἀνασπῶντες, καὶ γνάθους φυσῶντες, ἐπὶ τῶν ἀλαζόνων καὶ ὑπεροπτικῶν. *Supercilia contrahentes, & buccas inflantes de ſuperbis ac faſtuoſis.* Quod poteſt apprime philoſophis conuenire. Lepidè Ariſtophanes in Lyſiſtrata, neſcio cui ſupercilia contrahenti,

Οὐ γὰρ πρέπει σοι τοξοποιεῖν τὰς ὀφρῦς.
Non arcuare te ſupercilium decet.

Quod qui frontem contrahunt ſupercilia in arcus modum adducant, & incuruent.

GRAVITAS IN OCVLO.] Oculorum truculentiam frontis contractioni coniunxit Ariſtophanes Equitibus, XII.

Κἄβλεψε νᾶπυ καὶ τὰ μέτωπ᾽ ἀνέσπασε.
Grauiter adſpexit frontémque contraxit.

Oculi ſpeculum animi. Superiore nota Thraſycles τιτανῶδες βλέπων à Luciano deſcribitur. Iure autem ex oculorum grauitate mores Piſonis graues eſſe coniectabant, ſiquidem, vt ait Plinius lib. 11. c. 36. *Nulla in parte maiora animi indicia: profectò in oculis animus inhabitat.* Ideóque noſter prima Tuſculana oculos *animi feneſtras* appellat. non moror. Vide Piſ. 1. in illa verba, *Oculi ſupercilia, frons, vultus denique totus, qui ſermo quidam tacitus mentis eſt.*

ATLANTE.] Arnobius aduerſus gentes lib. 2. fabulæ rationem affert. *Quando ſiderum motus, aut ratio cœpta eſt genethliaca ſciri? num poſt Theutim Ægyptium, aut poſt Atlantem, vt quidam ferunt, geſtatorem, baiulum, tibicinem illum ac deſtinam cœli.* Et noſter 5. Tuſculana 8. *Nec verò Atlas ſuſtinere cœlum, nec Prometheus affixus Caucaſo, nec ſtellatus Cepheus, cũ vxore, genero, filia traderetur, niſi cœleſtium diuina cognitio nomen eorum ad errorem fabulæ traduxiſſet.* Tradunt alij Atlantẽ aſtronomiæ, Prometheum Phyſicæ, Proteum Logicæ fuiſſe inuentorem. vnde Atlas cœli baiulus, Prometheus corporis humani figulus, Proteus mutabilis & verſipellis. de Proteo videndus Syneſius in Dione. XIII. Atlas.

AXIOMA.

Nonnulli oculi grauitatem, & frontis contractionem affectant, vt imago antiquitatis & Reipubl. columen eſſe videantur.

ARGVMENTVM.

Sermones qui de futuris Conſulibus iactabantur, & expectationem quam Piſo fucata virtutis ſpecie concitarat, exponit: additque cauſas cur Gabinius homines non fefellerit, ſed ea fecerit Conſul, quæ omnes facturum eſſe longè antè præuiderant.

XX. ERat denique hic omnium ſermo: Eſt tamen Reipub. magnum, firmúmque ſubſidium: habeo, quem opponam labi illi, atque cœno: vultu medius fidius collegæ ſui libidinem, leuitatémque franget: habebit Senatus in hunc annum, quem ſequatur: non deerit auctor, & dux bonis. mihi denique homines præcipuè gratulabantur, quòd habiturus eſſem contra Tribunum pleb. furioſum, & audacem, cùm amicum, & affinem, tum etiam fortem & grauem Conſulem. Atque eorum alter fefellit neminem. Quis enim clauum tanti imperij temerè, & gubernacula Reipub. tractare in maximo curſu ac fluctibus poſſe arbitraretur, hominem emerſum ſubito ex diuturnis tenebris luſtrorum ac ſtuprorum, vino, ganeis, lenociniis, adulteriíſque confectum: cùm is præter ſpem, in altiſſimo gradu alienis opibus poſitus eſſet: qui non modò tempeſtatem intueri impendentem temulentus, ſed ne lucem quidem inſolitam aſpicere poſſet?

D

EXPLANATIO.

ERAT DENIQVE.] Piſo frontis & ſupercilij ſeueritate tantam opinionem de ſua virtute concitarat, vt omnes, poſtquam conqueſti fuerant de Gabinij nequitiis & leuitate, dicerent tamen eo anno nihil eſſe metuendum, quòd Piſo defenſurus eſſet Rempub.

EST TAMEN.] Proſopopœia vulgi loquentis. Fateor Gabinium anno ſequenti multa facturum eſſe contra Rempubl. Nihil eſt tamen ab eo metuendum: quia Piſonem habet collegam, qui futurus eſt magnum Reipub. firmúmque ſubſidium. Gabinium labem appellat, quod Rempub. labefacturus, & è ſuis ſedibus conuulſurus eſſe videretur: cœnum, propter turpitudinem vitæ ſordéſque domeſticas.

MIHI DENIQVE.] Hactenus oſtendit quid homines ſperarent pro vniuerſa Repub. Nunc demonſtrat quam ſpem de eodem concepiſſent in cauſa Ciceronis.

AFFINEM.] Propter C. Piſonem craſſipedem cui Cicero filiam ſuam anno ſuperiore deſponderat. lib. 1. ad Atticum, ep. 2.

ATQVE EOR. ALTER.[Aulus Gabinius: è cuius præterita vita oſtendit homines nihil de eo boni ſperaſſe. Eleganti verò allegoria Reſpub. cum naui, Conſules cum gubernatore, ſeditiones cum fluctibus, conſulatus adminiſtratio cum tractatione gubernaculi comparantur.

HOMINEM EMERSVM.] Gabinium, qui repente & ex improuiſo è ganeis & voluptatibus, in quas ſe penitus immerſerat, emerſit, ſéque extulit ad Conſulatum.

TENEBRIS LVSTRORVM.] Iure tenebras luſtris copulauit. Nam vt auctor eſt Feſtus Pompeius, *Luſtra ſignificant lacunas lutoſas, quæ ſunt in ſiluis aprorum cubilia, à qua ſimilitudine ij. qui in locis abditis & ſordidis ventri & deſidiæ operam dant, dicuntur in luſtris vitam agere.* Atqui, vt idem auctor eſt, *Ganeum antiqui locum abditum, ac velut ſub terra dixerunt.*

CVM IS.] Aduerte tres circunſtantias tribus pene verbis comprehenſas: quibus nihil de Gabinio boni ſperandum fuiſſe oſtenditur. 1. quia præter ſpem ad magiſtratum peruenerat, atque adeò non erat ad benè gerendam Rempub. præparatus. 2. quia erat altiſſimus ille gradus, cui par ipſe non erat. 3. quia alienis opibus eò peruenerat.

ALIENIS OPIBVS.] Non ſuis meritis aut gratia, ſed commendatione Cn. Pompeij.

TEMPESTATEM.] Futuram illa calamitatem quæ ex Clodij furore ac ſceleribus imminebat.

TEMVLENTVS.] Vinoſus, ebrietati deditus.

NOTÆ.

I. Subſidium. SVBSIDIVM.] Varro libro 4. de lingua Latina. *Triariique dicti quod in acie tertio ordine extremi ſubſidio deponebantur. Quòd ſi ſubſidebant ab eo ſubſidium dictum: à quo Plautus,*

Agite nunc ſubſidite omnes quaſi ſolent triarij.

Quod illuſtrari poſſit illo Halicarnaſſei loco li. 8.
Triarij. Antiq. Οὗτοι δὲ (οἱ τριάριοι) εἰσὶν οἱ πρεσβύτατοι τῶν στρατευομένων, οἷς τὰ στρατόπεδα ἐπιτρέπουσι φυλάττειν, ὅταν ἐξίωσιν εἰς τὴν μάχην, καὶ ἐφ' οὓς τελευταίους, ὅταν ἀθρόα γένηται τῶν ἐν ἀκμῇ φθορὰ, σπανίζοντες ἑτέρας ἐπικουρίας καταφεύγουσι διὰ τὴν ἀνάγκην. *Triarij verò ſunt omnium militum maximi natu, quibus caſtrorum cura permittitur, cùm exeunt ad pugnam. Ad quos poſtremos, cùm fuſus omnino fuerit flos iuuentutis, alterius auxilij inopiâ, confugiunt neceſſitate compulſi.* Vocatur igitur Piſo ſubſidium Reip. quod ad eũ quaſi in extrema neceſſitate res ad triarios perueniſſet.

LABI ILLI, ATQVE COENO.] Vide Piſonianam II. Labes, cœnum.
56. O peſtis, ô ſcelus, ô labes. & 72. *Idem caſus illum ignarum quid profiteretur, cùm ſe philoſophum eſſe diceret, iſtius impuriſſimæ atque intemperantiſſimæ pecudis cœno & ſordibus inquinauit.* vbi fusè oſtendimus cur voluptas impura cum cœno & ſordibus comparetur: Eadem oratione 62. *O tenebræ, ô lutum, ô ſordes, ô paterni generis oblite, materni vix memor.* vide.

VVLTV.] Solum Philoſopi vultum & occurſum hominum frangere leuitatem Tertullianus oſtendit cap. vltimo de pallio: vbi pallium ita pro ſe III.
ipſo loquens inducit. *Ipſe habitus ſonat, ſic denique auditur Philoſophus dum videtur. De occurſu meo vitia ſuffundo. Quis non æmulum ſuum cùm videt, patitur? Quis oculis in eum poteſt, in quem mentibus non poteſt? Grande pallij beneficium eſt, ſub cuius recogitatu improbi mores vel erubeſcũt.* In quem locum Renatus Laurentius interpres ex Volaterrano libro 18. anthropologiæ, Pythagoræ adfert exemplum. *Cuius occurſus bacchantem adoleſcentulum reuocauit: & Crotonienſium mulieres eo adduxit, vt luxum & ornamenta deponerent, conſecrarént que Iunoni.* Ponit exemplum etiam in Socrate, & Catone: nos pro Milone 59. nonnulla dicemus in hanc ſententiam. Vultus.

MEDIVSFIDIVS.] Plut. in Numa tradit eum, IV.
Τὴν δὲ πίστιν ὅρκον ἀποδεῖξαι Ῥωμαίοις μέγιστον, ᾧ χρώμενοι μέχρι νῦν διατελοῦσιν. *Inſtituiſſe vt fides apud Romanos ſanctiſſimum eſſet iuſiurandum, quo vti ad hodiernum vſque diem non deſtiterunt.* Quæ ſi vera ſunt, vt ſunt veriſſima, cùm in iuriſiurandi formulis per fidem non vſurpẽt, Mediusfidius idem eſt atque per Deum fidium, ſiue per Iouem fidei præſidem. μὰ Δία τὸν πίστιον. Ouidius de nonis Iuniis,

Quærebam nonas Sancto fidióne referrem
An tibi Semipater tunc mihi ſanctus ait.
Cuicunque ex illis dederis ego munus habebo,
Nomina trina fero. ſic voluere Cures.

Feſtus. *Quidam exiſtimant iuſiurandum eſſe per Diui fidem: quidam per diurni temporis, id eſt diei fidem.* Cui poſtremæ acceptioni reſpondeat vulgare iuſiurandum, *par le ſainct iour de Dieu.* Porrò Iouem fidium & Sanctum eundem eſſe tradit etiam Dionyſius lib. 4. Διὸς πιστίου, ὃν Ῥωμαῖοι σάγκτον καλοῦσι. *Iouis fidij, quem Romani Sanctum appellant.* Plautus Aſinariâ, Mediusfidius.

Per Dium fidium quæ quæris iurato mihi
Video neceſſe eſſe eloqui, quicquid roges.

Feſtus aliundè deriuat. *Mediusfidius compoſitum videtur, & ſignificare Iouis filium, id eſt Herculem, quod Iouem Græci Δία, vt nos Iouem appellant: ac fidium pro filio, quod ſæpe ante pro L, littera D, vtebantur.* Crediderim Dium fidium Iouem fuiſſe illum de quo noſter Fonteiana. *Ab iiſdem gentibus ſanctis & in teſtamento religioſis, obſeſſum Capitolium eſt, atq; ille Iupiter cuius nomine maiores noſtri ſanctam teſtimoniorum fidem eſſe voluerunt.* Quem locum profert Poletus li. 4. hiſtoriæ fori Romani cap. 13. & addit: *Significatur autem Iupiter ἐνόρκιος periurij vindex, qui in Capitolio ſibi aſſidentem fidem habet, vt eſt in Catonis oratione.* & meminit Ennius,

O fides alma, apta pinnis & iuſiurandum Iouis.

Libidinum levitatemqve.] Vide infra 22. *Nequam eſſe hominem & leuem.*

VI. Clavvm tanti imperii.] Æſchylus Septem ad Thebas,

Ὅστις φυλάσσει πρᾶγος ἐν πρύμνῃ πόλεως
Οἴακα νωμῶν βλέφαρα μὴ κοιμῶν ὕπνῳ.
Qui ciuitatem ſeruat in puppi ſedens
Clauum & gubernans lumina haud ſomno grauet.

Item,

Σὺ δ' ὥστε νηὸς κεδνὸς οἰακοστρόφος
Φράξαι πόλισμα, πρὶν καταιγίσαι πνοὰς
Ἄρεος, βοᾷ γὰρ κῦμα χερσαῖον στρατοῦ.
Tu verò ſapiens ceu gubernator ratis
Vrbem tuere, ne priùs turbet notus
Mauortis. etenim fluctus armorum gemit.

Hinc frequenter apud Oratorem, *in puppi Reip. ſedere.* & alia eiuſmodi. Plinius paneg. Traiani. *Si tamen hæc ſola erat ratio, quæ te publicæ ſalutis gubernaculis admoueret, propè eſt vt exclamem, tanti fuiſſe.* Demoſthenes de corona magiſtratum cum nauarcho comparat multò pulcherrimè. Εἰ δ' ὁ συμβὰς σκηπτὸς, ἢ χειμὼν, μὴ μόνον ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ πάντων τῶν ἄλλων Ἑλλήνων μείζων γέγονε, τί χρὴ ποιεῖν; ὥσπερ ἂν εἴ τις ναύκληρον παντ' ἐπὶ σωτηρίᾳ πράξαντα, καὶ πᾶσι κατασκευάσαντα τὸ πλοῖον, ἀφ' ὧν ὑπελάμβανε σωθήσεσθαι, εἶτα χειμῶνι χρησάμενον, καὶ πονησάντων αὐτῷ τῶν σκευῶν, ἢ καὶ συντριβέντων ὅλως, τῆς ναυαγίας αἰτιῷτο. ἀλλ' οὔτ' ἐκυβέρνων τὴν ναῦν, φήσειεν ἄν, ὥσπερ οὐδ' ἐστρατήγουν ἐγώ. οὔτε τῆς τύχης κύριος ἦν, ἀλλ' ἐκείνη πάντων. *Si verò quod euenit fulmen aut tempeſtas, non ſolùm nobis, ſed etiam cæteris Græcis potentior euaſit, quid fuit faciendum? vt ſi quis nauclerum qui omnia ad ſalutem vtilia curarit, nauem omnibus ad ſalutem neceſſariis inſtruxerit, deinde tempeſtate deprehenſum, velis remiſque non ſolùm periculum adeuntibus, ſed etiam cõfractis omnino propter naufragium accuſet: atqui non gubernabam nauem dicat: ita neque ego imperium habebam, neque ego fortunæ dominus fui, ſed omnium fortuna dominatur.* Sidonius paneg. Anthemij,

Reip. clauum tenere.

---- *cui ſe, ſeu victa procellis*
Atque carens rectore ratis, Reſpubl. fractam
Intulit, vt digno melius flectenda magiſtro,
Ne tempeſtates, neu te pirata timeret.

Philo de ſua ad Caium legatione, Macronem ita Caio loquentem inducit. Ἅπαντα μιᾷ χειρὶ σῇ κυβερνᾷν ἐπιτετραπται. παραπεμφθεὶς γοῦν ὑπὸ τῆς φύσεως ἐπὶ πρύμναν ἀνωτάτω, καὶ τοὺς οἴακας ἐγχειρισθεὶς πηδαλιουχεῖ τὸ κοινὸν ἀνθρώπων σκάφος σωτήριος, ἐπὶ μηδενὶ μᾶλλον χαίρων καὶ τερπόμενος, ἢ τὸ τοὺς ὑπηκόους εὐεργετεῖν. *Omnia tuæ manui permiſſa ſunt gubernanda. Cùm igitur te ad ſupremã puppim natura ipſa promouerit, & clauum commiſerit, communem humani generis nauem ſalutaris guberna, nulla te alia re magis oblectans quam beneficiis in ſubditos cõferendis.* Claudius Mamertinus paneg. Maximiani. *Neque enim cùm Reip. nauem ſecundus à puppi flatus impleret, ſalutarem manum gubernaculis addidiſti.*

VII. In maximo cvrsv ac flvctibvs.] Pro Cœlio 59. *Quanta impenderet procella vrbi.* In Piſonem 21. *Alios ego vidi ventos, alias proſpexi animo procellas.* Pro Milone 5. *In illis duntaxat fluctibus concionum.* Hac ipſa oratione 99. *In Repub. fluctus excitantur, vt vigilandum ſit iis qui ſibi gubernacula patriæ depoſcerunt.* Vide ſingulas Notas. & infra 46.

Reip. tempeſtates.

VIII. Emersvm.] Perſius ſat. 3.

---- *Neſcit quid perdat, & alto*
Demerſus ſummâ rurſum non bullit in vndâ.

IX. Tenebris lvstrorvm.] In tenebris & locis abditis gulæ cæteriſque huiuſmodi vitiis operam dabant. Martialis lib. 1. ep. 35.

At meretrix abigit teſtem, veloque ſeraque
Raráque Summani fornice rima patet, &c.

Seneca de Beata vita, *Inuenies voluptatem circa balnea, & ſudatoria, & loca ædilem metuentia.* vbi & *voluptatem latitantem ſæpiùs, & tenebras captantem deſcribit.* Hinc verſus Adriani, qui Floro Poëtæ ſcribenti ad ſe Voluptas tenebras captat.

Ego nolo Cæſar eſſe,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas: reſcripſit,
Ego nolo Florus eſſe,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Sic Verres, *non modò extra tectum, ſed ne extra lectum quidem,* diu conſpectus fuiſſe dicitur quadam Verrina. Piſo *neſcio quo è gurguſtio prodiens, inuoluto capite ſoleatus.* Antonius Philippica 2. *Deliteſcens in quadam cauponula, atque ibi perpotans,* deſcribitur. vnde & antiqui Feſto & Donato auctoribus, *Ganeum locum abditum, & quaſi ſub terra dixerunt,* quaſi γάϊνον. Doricè γαῖνον. Ganeum.

X. Præter spem.] *Secundæ res,* vt cum Salluſtio loquar, *ſapientium animos fatigant,* &, vt ait Architas Pythagoreus opuſcul. de homine bono & beato, νόσως μείζονας ποιὲν πέφυκεν ἃ λεγομένα παρὰ πάντων εὐτυχία, ὥσπερ οἶνος καταμεθύσκουσα τοὺς ἀγαθοὺς τὰν διάνοιαν. *Maiores morbos affert ea quæ ab omnibus felicitas nominatur, vini inſtar mentem bonis inebrians.* Quare animus non minus ad proſpera, quàm ad aduerſa eſt comparandus, ne ſi quid felicitatis præter ſpem euenerit, animum fatiget & abſorbeat. Lyricus, Bona inſperata.

Sperat infeſtis, metuit ſecundis
Alteram ſortem bene præparatum Pectus, &c.

Vide orationem Lacedæmoniorum apud Thucydidem initio libri 4. quam fortaſſe alio loco proferemus.

XI. Alienis opibvs.] Plutarchus in Pompeio teſtatur Γαβίνιον Παῦλον, lege τὸν Αὖλον, ἐκ τῶν Πομπηΐου κόλπων, &c. *è ſinu Pompeij,* prodeuntem ad Conſulatum perueniſſe, id eſt opibus, gratia, commendatione Pompeij.

XII. Lvcem.] Architas loco proximè citato. Ὥσπερ γὰρ τὸ λαμπρὸν φάος μαραυγίαν ποιεῖ τοῖς ὀφθαλμοῖς, οὕτω καὶ ἁ ὑπερβάλλουσα εὐτυχία τῷ νόῳ τᾶς ψυχᾶς. *Vt lux nimium ſplendens caliginem oculis, ita & nimia proſperitas menti tenebras offundit.* Nimia proſperitas mentem obtenebrat.

XIII. Temvlentvs.] *Temulentus, ebrioſus,* auctore Nonnio Marcello. *A temeto quod eſt vinum, quod attentet mentem.* Adfert exempla. Nouius apud Feſtum, Temulentus. Temetum.

Filias habeo temulentas, ſed eccas video incedere.

Quod nomen etſi Gellius cap. 23. libro 10. noct. Attic. priſcum eſſe teſtatur, tamen frequenter à poſterioribus vſurpatur. Liuius libro 9. *Temulento agmine comeſſabundus inceſſit.* Poſt reditum in Senatu, *Preſſâ voce ac temulentâ.* & alibi paſſim.

AXIOMATA.

Viri graues ſolo vultu malorum libidinem leuitatémque frangunt.

Clauum imperij tenere, & gubernacula Reip. tractare in maximo curſu ac fluctibus non poteſt homo emerſus ſubitò ex diuturnis tenebris laſtrorum ac ſtuprorum.

Non eſt aptus ad gubernandam Rempub. homo præter ſpem in altiſſimo gradu alienis opibus poſitus.

ARGVMENTVM.

Exponit cauſas cur Piſo pleroſque in fraudem induxerit, nobilitatem nimirum, & frontis ſeueritatem cuius integumentis vitioſam naturam inuoluebat.

XXI. ALter multos planè in omnes partes fefellit. Erat enim hominum opinioni nobilitate ipsâ blandâ conciliatriculâ commendatus. omnes boni ſemper nobilitati fauemus, & quia vtile eſt Reipubl. nobiles homines eſſe dignos maioribus ſuis, & quia valet apud nos clarorum hominum & bene de Republ. meritorum memoria etiam mortuorum. quia triſtem ſemper, quia taciturnum, quia ſubhorridum atque incultum videbant, & quòd erat eo nomine, vt ingenerata familiæ frugalitas videretur, fauebant, gaudebant, & ad integritatem maiorum ſpe ſua hominem vocabant, materni generis obliti.

EXPLANATIO.

ALTER.] Piſo non reſpondit expectationi, quam de futuro eius Conſulatu plerique animo conceperant.

ERAT ENIM.] *Obrepſerat ad honores opinione hominum, commendatione fumoſarum imaginum, quarum ſimile nihil habebat præter colorem:* id eſt, cùm eum homines è nobili Calpurniorum genere prognatum eſſe cognoſcerent, ſperabant fore, vt reſponderet maiorum ſuorum virtutibus, propter nobilitatem quæ mirificè hominum beneuolentiam conciliat.

OMNES BONI.] Duas cauſas reddit, cur viri boni nobilitati faueant. Altera ab vtilitate Reip. altera à gratitudine in bene meritos de Rep. ciues acceſſitur. Prior quod animi hominum ad bene de Rep. merendum excitentur, cùm animaduertant gratiam quæ ſuis beneficiis refertur, etiam ad ſuos poſteros redundare. Poſterior, quod etiáſi abeſſet vtilitas, tamen gratitudinis honeſtas requirit, vt bene meritis ciuibus etiam mortuis gratiam referamus.

QVIA TRISTEM.] Altera ratio cur homines deceperit, frontis ſeueritas, & moroſitas, alteráque corporis incuria.

ET QVOD ERAT.] Tertia ratio, quod ex Piſonum familia fuit oriundus, & quorum multis FRVGI cognomentum adhæſit. ſic dictus fuit inter alios Piſo frugi pater Piſonis craſſipedis quem noſter generum adſciuit. Piſo autem ex ea familia fuit quæ frugi appellata eſt, vt notat Aſconius.

MATERNI.] Non recordabantur Piſonem ex materno genere ſeruilem & barbaram indolem traxiſſe. auum enim habuit Caluentium, de quo noſter in fragmentis Piſonianæ. *Inſuber quidam fuit, idem mercator, & præco: is cùm Romam cum filia veniſſet, adoleſcentem nobilem Cæſonium hominis furaciſſimi filium auſus eſt appellare, filiam collocauit.* De eodem ibidem. *Hic cùm ad Padum Placentiæ fortè conſediſſet, pauci in eam ciuitatem (nam tum erat ciuitas) aſcendit. prius enim Gallus, dein Gallicanus, poſtremo ſemiplacentinus haberi cœptus eſt.*

NOTÆ.

NOBILITATE.] Καλὸς γοῦν παῤῥησίας θησαυρὸς εὐγένεια. *Pulcher libertatis theſaurus eſt nobilitas,* inquit Plutarchus lib. de inſtitutione puerorum. ſiquidem vt verbis Poëtæ ſubiungit,

Ὅταν δὲ κρηπὶς μὴ καταβληθῇ γένους
Ὀρθῶς, ἀνάγκη δυστυχεῖν τοὺς ἐκγόνους.
Si non auitum ritè fundatur genus
Sobolem neceſſe eſt grauibus affligi malis.

Nobilitas eſt blanda conciliatricula.

Seneca de beneficiis li. 4. c. 30. *Hic egregiis maioribus ortus eſt: qualiſcunque eſt ſub vmbra maiorum ſuorum lateat. vt loca ſordida repercuſſu ſolis illuſtrantur: ita inertes maiorum ſuorum luce reſplendeant.* Quare cùm hanc conciliatriculam non haberet Amaſis, vt auctor eſt Herodotus li. 2. Τὰ μὲν δὴ πρῶτα κατώνοντο τὸν Ἄμασιν Αἰγύπτιοι, καὶ ἐν οὐδεμιῇ μοίρῃ μεγάλῃ ἦγον, ἅτε δὴ δημότην τὸ πρὶν ἐόντα, καὶ οἰκίης οὐκ ἐπιφανέος. *Eum inter initia Ægyptij contemnebant, nec vllius momenti ducebant, vt qui plebeius fuiſſet, nec inſigni familia ortus.* Eos verò poſtea Amaſis ad ſe ſolertia non aſperitate perduxit. Erant ei cum alia bona infinita, tum verò peluis aurea, in qua tam ipſe quàm omnes conuiuæ ſemper pedes abluebant: hanc ille confregit, ex eáque numinis ſtatuam fecit, & in appoſitiſſimo vrbis loco ſtatuit: Ægyptij ſimulacrum adeuntes magnoperè venerari. Μαθὼν ὁ Ἄμασις τὸ ἐκ τῶν ἀστῶν ποιεύμενον, συγκαλέσας Αἰγυπτίους ἐξέφηνε, φὰς ἐκ τοῦ ποδανιπτῆρος τὤγαλμα γεγονέναι, ἐς τὸν πρότερον μὲν τοὺς Αἰγυπτίους ἐνεμεῖν τε καὶ ἐνουρέειν, καὶ πόδας ἐναπονίζεσθαι, τότε δὲ μεγάλως σέβεσθαι. ἤδη ὦν ἔφη λέγων ὁμοίως αὐτὸς τῷ ποδανιπτῆρι πεπρηγέναι. εἰ γὰρ πρότερον εἶναι δημότης, ἀλλ᾽ ἐν τῷ παρεόντι εἶναι αὐτέων βασιλεύς. καὶ τιμᾶν τε καὶ προμηθέεσθαι ἑωυτοῦ ἐκέλευε. *Id Amaſis fieri à popularibus edoctus, conuocatis Ægyptiis aperit ex illa pelui in qua primo Ægyptij euomere immeieréque, & pedes abluere conſueſſent, factum eſſe ſimulacrum, quod tunc tantoperè venerarentur. Itaque ſe aiebat perinde atque peluem eſſe factum. Etſi enim antehac fuiſſet plebeius, impræſentiarum tamen eſſe ipſorum Regem, eóque iubere vt ſibi honor haberetur, ac reuerentia.*

Non contemnendi qui ex obſcura familia ad claritatem emergunt.

VTILE EST REIP.] Seneca 4. de beneficiis c. 30. non abludit. *Non ſine ratione ſacra eſt magnarum virtutum memoria: & eſſe plures bonos iuuat, ſi gratia bonorum nō cum ipſis cadat.* Ariſtoteles 3. polit. c. 13. Ἡ δ᾽ εὐγένεια παρ᾽ ἑκάστοις οἴκοι τίμιος. ἔτι διότι βελτίους εἰκὸς τοὺς ἐκ βελτιόνων. εὐγένεια γάρ ἐστιν ἀρετὴ γένους. *Nobilitas apud ſingulos eſt domi pretioſa. præterea par eſt meliores eſſe, qui ſunt è melioribus oriundi. nobilitas enim eſt virtus generis.* Et, quod ait Horatius,

Fortes creantur fortibus, & bonis,
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum

Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

Euripides Hecuba,

Δεινὸς χαρακτὴρ κἀπίσημος ἐν βροτοῖς
Ἐσθλῶν γενέσθαι· κἀπὶ μεῖζον ἔρχεται
Τῆς εὐγενείας ὄνομα τοῖσιν ἀξίοις.

Nobilitas. *Manifeſta & inter clara mortales nota eſt*
Bonitas auiti generis, & creſcit magis
Magíſque dignos nacta generis claritas.

Quod ſpectat ad vtilitatem publicam, non abſimilis eſt locus apud Demoſthenem epiſtola de liberis Lycurgi. Ὥστε συμφέρειν μάλιστα τῇ πόλει τὰ τοιαῦτα νομίζω. προκαλεῖσθε γὰρ πάντας ἐκ τούτων δημοτικοὺς εἶναι, ὁρῶντας ὅτι κἂν ἐν τῷ καθ᾽ ἑαυτοὺς βίῳ ταῖς προσηκούσαις αὐτοῖς τιμαῖς ὁ φθόνος ἀντιστῇ, τοῖς γε παισὶν ὑπάρχει τὰ προσήκοντα παρ᾽ ὑμῶν κομίσασθαι. *Id vtile eſſe Reipub. duco. Incitatis enim omnes iſta ratione ad populum colendum: quippe qui videant, tametſi viuentibus obſtet inuidia, quò minùs honores meritos conſequantur: ſuis tamen liberis digna præmia apud vos eſſe repoſita.* Et paulò pòſt. Τισὶ καὶ παλαιῶν ὄντων τῶν χρόνων, καθ᾽ οὓς ἐγένοντο χρήσιμοι, καὶ δι᾽ ὧν ἀκούετε τὰς εὐεργεσίας, οὐκ ἐξ ὧν ἑωράκατε ὑπειληφότας, ὅμως τὴν δικαίαν εὔνοιαν διασῴζειν. *Quibuſdam, licet ex quo vſui fuerunt multum temporis interceſſerit, iudicio de illorum beneficiis ex fama, non ex iis quæ viſa ſunt, facto, tamen iuſtam beneuolentiam conſtanter tribuere* teſtatur.

AXIOMATA.

Nobilitas eſt blanda conciliatricula.
Omnes boni nobilitati fauemus.
Vtile eſt Reipubl. nobiles homines eſſe dignos maioribus ſuis.
Valet apud nos clarorum hominum, & bene de Reipub. meritorum memoria etiam mortuorum.

ARGVMENTVM.

Oſtendit quibus indiciis latentem in Piſonis animo nequitiam & leuitatem agnouerit: & primùm agit de vita Piſonis, & flagitiis quæ parietibus tegebat.

EGo autem (verè hoc dicam, iudices) tantum eſſe in homine ſceleris, XXII. audaciæ, crudelitatis quantum ipſe cum Republ. ſenſi, nunquam putaui. Nequam eſſe hominem & leuem, & falſa opinione, errore hominum ab adoleſcentia commendatum ſciebam. etenim animus ejus vultu, flagitia parietibus tegebantur. ſed hæc obſtructio, nec diuturna eſt, nec, obducta ita, vt curioſis oculis perſpici non poſſit. Videbamus genus vitæ, deſidiam, inertiam: incluſas eius libidines, qui paulò propiùs acceſſerant, intuebantur. denique etiam ſermonis anſas dabat, quibus reconditos eius ſenſus tenere poſſemus.

EXPLANATIO.

EGo avtem.] Superiùs dixerat, *Piſo multos in omnes partes fefellit*, nunc ſubdit. Me autem non in omnes, ſed in vnam tantùm fefellit. Fefellit quòd ſceleratior fuerit, & audacior quàm putaram. Crudelitatem enim ſuam tum in me, tum in Rempubl. exprompſit, cùm ab eius nequitiis & libidinibus mihi iampridem compertis nihil ſceleris, nihil audaciæ, nihil crudelitatis metuendum eſſe arbitrarer. Non fefellit in eo quòd nihil boni fecit: quia ſciebam eum hominem eſſe, nequam & leuem, ac proinde nihil eſſe boni facturum.

Neqvam.] Pronum in vitia, voluptatis vile mancipium, & in libidines abiectum.

Falsa opinione.] Gratioſum apud plebem ex commendatione nobilitatis, & falſa opinione quam homines veritatis ignari, frontis illa ſeueritate & ſupercilio decepti de ipſius virtute conceperant.

Sed hæc.] Hæc ſimulatio, concinnatio vultûs ad ſeueritatem, parietum & cubiculorum obiectio ad velanda flagitia, non poteſt eſſe curioſis impedimento, quò minùs latentem in animo nequitiam, & flagitia in ſecretis cubiculorum admiſſa deprehendant & extrahant in lucem.

Videbamvs.] Poſt reditum in Senatu 13. *Idem domi quàm libidinoſus? quàm impurus? quàm intemperans non ianuâ receptis, ſed pſeudothyro intromiſſis voluptatibus*, &c. vide.

Deniqve etiam.] Ab eius vita & moribus, ad ſermones & doctrinam delabitur. Sermonis anſas eleganter appellat, quaſi dicat, vt vaſa anſis apprehenduntur, ita ex eius ſermonibus apprehendebamus, & comperiebamus quid in pectore clauſum teneret.

NOTÆ.

NEqvam.] Noſter ſcelera, crudelitatem, audaciam à nequitia & leuitate diſtinguit, I. imitatus Pub. Africanum, cuius verba à Gellio cap. 11. lib. 7. noct. Attic. compluſcula referuntur, *Omnia mala, probra, flagitia quæ homines faciunt, in duabus rebus ſunt, malitia atque nequitia. Vtrum defendis, malitiam, an nequitiam, an vtrumque ſimul? Si nequitiam defendere vis, licet. Sed tu in* Nequitia. *vno ſcorto maiorem pecuniam abſumpſiſti, quàm quanti omne inſtrumentum fundi Sabini incenſum dedicauiſti*, &c. *Non vis nequitiam? Age malitiam ſaltem defende. Sed tu conceptis verbis iuraſti ſciens, ſciente animo tuo.* Ad cuius explicationem Gellius. *Nequam hominem nihili, neque rei, neque frugis bonæ: quod Græci ferè* ἄσωτον, ἢ ἀκόλαστον, ἢ ἄχρειον, ἢ ἄχρηστον, ἢ κακότροπον, ἢ μαρὸν dicunt; eóſque proinde reprehendit qui nequitiam pro ſolertia, aſtutiáque vſurpant.

Et levem.] Gellius loco citato. *Veterum ho-* II.

minum qui propriè atque integrè locuti ſunt leues dixerunt, quos vulgò nunc viles & nullo honore dignos dicimus. Idque probat auctoritate Ciceronis Philipp.2. in Piſonem 24. *Non capiunt anguſtiæ pectoris tui, non recipit leuitas iſta, non egeſtas animi, non infirmitas ingenij ſuſtinet.* & 57. *Leuitatis eſt inanem aucupari rumorem, & omnes vmbras etiam falſæ gloriæ conſectari.* Quamuis etiam leuitas pro inconſtantia dici poſſit, qualis à Seneca ep. 23. graphicè deſcribitur. *Illi qui ex aliis propoſitis in alia tranſiliunt, aut ne tranſiliunt quidem, ſed caſu quodam tranſmittuntur, quomodo habere quicquam certum manſurúmve poſſunt ſuſpenſi & vagi? pauci ſunt qui conſilio ſe ſuáque diſponant: cæteri eorum more quæ fluminibus innatant, non eunt, ſed feruntur. Ex quibus alia leuior vnda detinuit, ac molliùs vexit, alia vehementior rapuit, alia proximè ripam curſu langueſcente depoſuit, alia torrens impetus deiecit in mare.*

Leuitas.

III. Vitanda ſimulatio.

ANIMVS EIVS VVLTV.] Contrà Apuleius apologiâ priore gloriatur. *Ego nihil clanculò, ſed omnia in propatulo ago. At quiuis vel extrarius arbiter aſſiſtat, more hoc & inſtituto magiſtrorum meorum, qui aiunt hominem liberum & magnificum debere, ſi queat, in primori fronte animum geſtare.*

IV. FLAGITIA PARIET. TEG.] Præclarè Epictetus apud Arrianum lib.1. diſſert. cap.14. Ὅταν κλείσητε τὰς θύρας, καὶ σκότος ἔνδον ποιήσητε, μέμνησθε μηδέποτε λέγειν, ὅτι μόνοι ἐστέ. οὐ γὰρ ἐστέ. ἀλλ' ὁ θεὸς ἔνδον ἐστί, καὶ ὁ ὑμέτερος δαίμων ἐστί. καὶ τίς τούτοις χρεία φωτὸς εἰς τὸ βλέπειν τί ποιεῖτε; *Cùm ianuas adduxeritis, & tenebras intus feceritis, ne vnquam in mentem veniat dicere, quòd ſoli eſtis. non enim eſtis. ſed Deus intus eſt, & Genius veſter intus eſt. Quis autem vſus iis luminis, vt videant quæ agatis?* Seneca ep.43. *Tunc fœlicem te eſſe iudica cùm poteris in publico viuere: cùm te parietes tui tegent, non abſcondent: quos plerumque circundatos nobis iudicamus, non vt tutiùs viuamus, ſed vt peccemus occultius. Rem dicam ex qua mores æſtimes noſtros: vix quemquam inuenies qui poſſit aperto oſtio viuere. Ianitores conſcientia noſtra non ſuperbia oppoſuit. ſic viuimus, vt deprehendi ſit ſubitò adſpici. Quid autem prodeſt recondere ſe, & oculos hominum auréſque vitare? Bona conſcientia turbam aduocat, mala etiam in ſolitudine anxia, atque ſollicita eſt.* Sic Plinius panegyrico Traiani Domitianum deſcribit *Tenebras ſemper ſecretúmque captantem, nec vnquam ex ſolitudine ſua prodeuntem, niſi vt ſolitudinem faceret.* Hinc illæ Tiberij Capreæ, hinc Veri popinæ, hinc aliorum latebræ: hinc ſapiens illud conſilium toties à Seneca repetitum, vt teſtem actionum noſtrarum ſemper habeamus, vide ep. vndecimam & 25. hinc illud præceptum Epicuri epiſt. poſteriore laudatum. *Sic fac omnia tanquam ſpectet aliquis.* Vide apud Syneſium de Regno pag. 20. editionis Petauianæ pulcherrima. Hinc Ageſilaus non immeritò à Xenophonte laudatur, qui εἰς οἰκίαν οὐδεμίαν ἰδίᾳ ἐν ἀποδημίᾳ κατήγετο, ἀεὶ δ' ἐν ἱερῷ. ἔνθα δὴ ἀδύνατον τὰ τοιαῦτα πράττειν, ἢ ἐν φανερῷ μάρτυρας τοὺς πάντων ὀφθαλμοὺς τῆς σωφροσύνης ποιούμενος. *Cùm iter faceret nullam in priuatam domum diuertebat. ſed aut in templo verſabatur, vbi flagitia huiuſmodi committi non poſſunt, aut in publico & in luce, omnium oculos ſuæ temperantiæ teſtes adſumens.* Eadem è conſcientiæ integritate manauit, quod Liuius Druſus domum ædificandam locans *Cùm promitteret ei architectus ita ſe eam ædificaturam, vt libera à conſpectu, immunis ab omnibus hominibus eſſet, neque quiſquam in eam deſpicere poſſet: Tu verò, inquit, ſi quid in te artis eſt, ita compone domum meam, vt quicquid agam ab omnibus perſpici poſſit.* Hæc Velleius: è quibus Plutarchum in præceptis politicis emendes, apud quem Iulius pro Liuio perperam reperitur. Vide quæ dicentur in Cœliana. 47. *Non modò ſolitudinem & tenebras.* Item 60. *Non ipſam domum metuet, ne quam vocem eliciat, non parietes conſcios.* Et in Miloniana 51. *Neque muta ſolitudo indicaſſet, neque cæca nox oſtendiſſet.*

Sic viuendum tanquam ſpectet aliquis.

NEC DIVTVRNA.] *Ficta omnia celeriter decidunt*, ait Orator in Tuſculanis, & hanc obductionem, ſiue frontis inuolucra quibus nequitia obtenditur Gregorius Nazianzenus Epitaphio patris, πρὸς ὀλίγον τυπούμενα, καὶ τάχιστα ἐλεγχόμενα, *ad modicum ſimulata & celerrimè deprehenſa* eleganter appellat. Πᾶν γὰρ ὁ προσποιητὸν, οὐδὲ μόνιμον. *Quod enim ſimulatum eſt, non eſt diuturnum.* Siquidem vt auctor eſt Seneca epiſt.79. *Tenue eſt mendacium, perlucet ſi diligenter inſpexeris.* V.

Ficta non diuturna.

ANSAS.] Eunapius in Chryſanthio. Καὶ πρὸ τῆς τινὸς λαβῆς ἀποδεξάμενος, *& primam quamque anſam apprehendens.* Noſter pro Plancio 83. *Reprehenſionis anſam*, dixit.

AXIOMATA.

Nonnunquam homines nequam & leues falſa opinione errore hominum commendantur.

Multorum animus vultu, flagitia parietibus teguntur: ſed hæc obſtructio nec diuturna eſt, nec obducta ita vt curioſis oculis perſpici non poſſit.

Eorum reconditi ſenſus teneri poſſunt, qui ſermonis anſas dederint.

ARGVMENTVM.

Hactenus de moribus & vita Piſonis, nunc de eiuſdem doctrina & ſermonibus, quibus tanquam certis veſtigiis occultam animi nequitiam facile fuit odorari.

XXIII. LAudabat homo doctus philoſophos neſcio quos: neque eorum tamen nomina poterat dicere. ſed eos tamen laudabat maximè, qui dicuntur præter cæteros eſſe auctores & laudatores voluptatis: cuius, & quo tempore, & quomodo, non quærebat: verbum ipſum omnibus modis animi, & corporis deuorabat: eoſdémque præclarè dicere aiebat, Sapientes omnia ſua cauſa facere: Rempublicam capeſſere hominem bene ſanum non oportere: nihil eſſe præſtabilius otioſâ vitâ, & plenâ, & confertâ voluptatibus: eos autem, qui dicerent dignitati eſſe ſeruiendum, Reipubl. con-

ſulendum, officij rationem in omni vita, non commodi eſſe ducendam, ſubeunda pro patriâ pericula, vulnera excipienda, mortem oppetendam; vaticinari, atque inſanire dicebat.

EXPLANATIO.

LAVDABAT.] Elegans ironia. Doctum Piſonem appellat, quòd Epicureorum ſectam ſequeretur, nec tamen eorum nomina dicere poſſet. Philoſophos neſcio quos ait vel per contemptum, vel ne ſuam ipſius eruditionem iactare & oſtentare videatur. In Piſon.69. *Audiſtis profectò dici Philoſophos Epicureos omnes res, quæ ſunt homini expetendæ, voluptate metiri.*

VERBVM IPSVM.] Ibidem. *Itaque admiſſarius iſte ſimul atque audiuit à Philoſopho voluptatem tantopere laudari, nihil expiſcatus eſt, ſic ſuos ſenſus voluptarios omnes incitauit, ſic ad illius hanc orationem adhinniit, vt non magiſtrum virtutis, ſed authorem libidinis, à ſe illum inuentum arbitraretur.* vide. Hoc verò loco quid eſt, *omnibus modis animi & corporis deuorabat?* Quàm bellè? quàm nouè? quàm eleganter? intelligi poteſt, explicari vix poteſt.

EOSDEM.] Alia Epicuri effata commemorat, quæ Piſoni mirum in modum arriſerant.

EOS AVTEM.] Platonicos, Peripateticos, Stoicos.

VATICINARI ATQVE INSANIRE.] Dementes eſſe, & delirare inſtar eorum qui vaticinantur, quod nunquam faciunt niſi de poteſtate mentis exierint, redactique fuerint ad inſaniam.

NOTÆ.

I. LAVDATORES VOLVPTATIS.] Lactantius libro 3. de falſa ſapientia cap.7. *Epicurus ſummum bonum in voluptate animi eſſe cenſet: Ariſtippus in voluptate corporis. Calliphon & Dinomachus Cyrenaici honeſtatem cum voluptate iunxerunt. Diodorus in priuatione doloris ſummum bonum poſuit: Hieronymus in non dolendo.* Vide Cœlianam 41. Piſon.69. Dubius certè fuit Epicurus aut calumniator, qui modò hanc modò illam voluptatem laudauerit. vide noſtrum de finibus bonorum & malorum. Placet bene multa verba ex Lactantio libro citato cap.17. ſubtexere. *Epicuri diſciplina multo celebrior ſemper fuit quàm cæterorum, non quia veri aliquid adferat, ſed quia multos ad populare nomen voluptatis inuitat. Nemo enim non in vitia pronus eſt. Propterea vt ad ſe multitudinem contrahat, appoſita ſingulis quibuſque moribus loquitur. Deſidioſum vetat litteras diſcere, auarum populari largitione liberat, ignauum prohibet accedere ad Rempubl. pigrum exercere, timidum militare. Irreligioſus audit Deos nihil curare, inhumanus & ſuis commodis ſeruiens iubetur nihil cuiquam tribuere. omnia enim ſui cauſa facere ſapientem. fugienti turbam ſolitudo laudatur. Qui nimium parcus eſt, diſcit aqua & polenta vitam poſſe tolerare. Qui odit vxorem, huic enumerantur cœlibatus bona: habenti malos liberos orbitas prædicatur: aduerſus impios parentes nullum eſſe vinculum naturæ: impatienti ac delicato dolorem eſſe omnium malorum maximum dicitur: forti etiam in tormentis beatum eſſe ſapientem. Qui claritati ac potentiæ ſtudet, huic præcipitur Reges colere: qui moleſtiam ferre non poteſt, huic regiam fugere. Ita homo aſtutus ex variis diuerſíſque modis circulum cogit: & dum ſtudet placere omnibus, maiore diſcordia ſecum ipſe pugnauit, quàm inter ſe vniuerſi.* Sed operæpretium non eſt hoc loco pluribus placita Epicureorum exponere. Vide tres epiſtolas ipſius Epicuri apud Laërtium lib.10. Lucretium, Plutarchum multis locis contra eos exprofeſſo diſputantem, Ciceronem de finibus, & alibi paſſim.

Dogmata Epicuri.

II. DEVORABAT.] Euclio Plautinus actu 3. Aululariæ ſc.6.

Nimium libenter edi ſermonem tuum.

Et Leonidas actu 3. ſc.3. eiuſdem comœdiæ,

Auſcultate atque operam date, & mea dicta deuorate.

Rurſum Pœnulo actu 5. ſc.2.

Quam orationem hanc aures dulcem deuorant?

Auribus deuorare.

Poſt Ariſtophanem in Haytade apud Galenum, qui φαγεῖν τὰ ῥήματα, *edere verba*, & τὰ λεγόμενα καταπίνειν, *ea quæ dicuntur deuorare*, dixit, vt alicubi notat Caſaubonus. quibus verbis audiendi quædam auiditas ſignificatur, vt *bibere aure*, dixit Horatius: quod nos aliquando, cùm hiſtoriam adulteræ Euangelicæ à Nonno in ſua paraphraſi, prætermiſſam noſtris verbis ſuppleremus, ita ſumus imitati.

Αὐτὰρ ἐπεὶ πάλιν ἦμαρ ἔην, δῆμός τε συνῆλθεν,
Κυκλώσας στεφανηδὸν ὅλου σημάντορα κόσμου,
Πηγῆς ἀενάου στομάτων ἄπο καλὰ ῥεούσης,
Οὔασι διψαλέοις ἔπιεν σωτήριον ὕδωρ.

At poſtquam alma dies rediit, populúſque reuerſus
Totius Regem mundi ſtipauit in orbem
Oris pulchrifluo manantem è fonte perenni
Aure ſalutarem ſitienti combibit vndam.

Nec alio longè flexu Sophocles Aiace flagellifero.

Φώνημ' ἀκούω καὶ ξυναρπάζω φρενί.
Exaudióque & mente corripio ſonum.

III. MORTEM OPPETENDAM.] Vide infra 29. *Pro Republ. vel mortem oppetere cupiebat.* Vide apud Gellium lib.3. noct. Attic. c.7. exemplum Q. Ceditij pro Rep. mortem oppetere cupientis enarratum terſiſſimis Catonis verbis.

IV. VATICINARI ATQVE INSANIRE.] Maro,

Inſanam vatem adſpicies quæ rupe ſub ima
Fata canit. ----

Hinc Varro de lingua Latina 5. *Vaticinari*, dici ait, *quod veſana mente faciunt.* Et Plato in Phædro quatuor inſaniæ genera numerauit, quorum ſingula ſingulis Diis ſint attributa. Τῆς δὲ θείας (μανίας) τεττάρων θεῶν τέτταρα μέρη διελόμενοι, μαντικὴν μὲν ἐπίπνοιαν Ἀπόλλωνος θέντες, Διονύσου δὲ τελεστικήν, Μουσῶν δ' αὖ ποιητικήν. τετάρτην δὲ Ἀφροδίτης καὶ ἔρωτος ἐρωτικὴν μανίαν. *Diuini furoris quatuor Deorum quatuor genera diuidentes, diuinatricem inſaniam Apollini, initiatoriam Baccho, poëticam Muſis quartam amatoriam Veneri & Amori tribuentes.* Iſidoro lib.8. originum cap.9. *Duo ſunt genera diuinationis, ars & furor.* In diuinatores impuri ſpiritus inſtinctos afflatu, atque adeo per inſaniam futura prædicentes multa S. Chryſoſtomus in priorem epiſtolam ad Corinthios homilia 29. quibus inter cætera Pythicæ diuinationis fœdi-

Vaticinari & inſanire.

Pythia. tatem agnoſcas. Λέγεται τοίνυν αὕτη ἡ Πυθία γυνή τις οὖσα ἐπικαθῆσθαι τῷ τρίποδι ποτὲ τοῦ Ἀπόλλωνος διαιροῦσα τὰ σκέλη, εἶθ' οὕτω πνεῦμα πονηρὸν κάτωθεν ἀναδιδόμενον, καὶ διὰ τῶν γεννητικῶν αὐτῆς ἀναδυόμενον μορίων, πληροῦν τὴν γυναῖκα τῆς μανίας, καὶ ταύτην τὰς τρίχας λύουσαν λοιπὸν ἐκβακχεύεσθαί τε καὶ ἀφρὸν ἐκ τοῦ στόματος ἀφιέναι, καὶ οὕτως ἐν παροινίᾳ γινομένην τὰ τῆς μανίας φθέγγεσθαι ῥήματα. *Traditur Pythia mulier tripode Apollinis diuaricatis cruribus conſidere, tum ſpiritus impurus infernè ſpirans, ſéque per ipſius genitalia inſinuans eam furore complere, quam deinde bacchari dicunt, ſpumas ore agere, & per inſaniam verba furore plena emittere.* Vt non immeritò Clemens Alexandrinus in protreptico μαντικὴν μᾶλλον ἢ μανικὴν appellet. Minutius Felix in Octauio. *Hi ſunt & furentes quos in publicum videtis excurrere: Vates & ipſi abſque templo ſic inſaniunt, ſic bacchantur, ſic rotantur: par & in illis inſtigatio dæmonis, ſed argumentum diſpar furoris.* Arnobius lib. 1. aduerſus Gentes. *Audent aſſeuerare furioſi, quod vos credere non erubeſcitis ſani.* Tertullianus ad vxorem lib. priore. *Quæ Delphis inſaniunt nubere neſciunt.* Id eſt vaticinantur.

AXIOMATA.

Cùm voluptatem audimus laudari, quæ, quo tempore & quomodo laudetur, quærendum eſt.

Dignitati eſt ſeruiendum, Reipub. conſulendum.

Officij ratio in omni vitâ, non commodi ducenda eſt.

Subeunda pro patriâ pericula, vulnera excipienda, mors oppetenda.

ARGVMENTVM.

Imagine pulcherrimâ cauſam reddit, cur Piſo & Gabinius ſuis libidinibus eneruati, atque exangues, conſulari auctoritate armati potuerint lacerare Rempub. tum ad deſcribendas Reipubl. turbas aggreditur.

XXIV. EX his aſſiduis eius, quotidianíſque ſermonibus, & quòd videbam quibuſcum hominibus in interiore ædium parte viueret, & quòd ita domus ipſa fumabat, vt multa eius ſermonis indicia redoleret, ſtatuebam ſic, boni nihil ab illis nugis exſpectandum, mali quidem certè nihil pertimeſcendum. Sed ita eſt, iudices, vt, ſi gladium paruo puero, aut ſi imbecillo ſeni, aut debili dederis, ipſe impetu ſuo nemini noceat: ſin ad nudum vel fortiſſimi viri corpus acceſſerit, poſſit acie ipſâ, & ferri viribus vulnerare: ita cum hominibus eneruatis, atque exſanguibus Conſulatus, tanquam gladius eſſet datus, qui per ſe pungere neminem vmquam potuiſſent, hi ſummi imperij nomine armati Rempubl. contrucidauerunt: fœdus fecerunt cùm Tribuno plebis palam, vt ab eo prouincias acciperent, quas ipſi vellent, exercitum, & pecuniam, quantam vellent, ea lege, ſi ipſi priùs Tribuno plebis afflictam Rempubl. tradidiſſent, id autem fœdus meo ſanguine ictum ſanciri poſſe dicebant.

EXPLANATIO.

EX HIS.] Cauſas omnes conglobat, cur nihil neque boni de Piſone ſperandum, neque mali pertimeſcendum putarit. 1. Sermones & axiomata ad vnam libidinem ſpectantia. 2. Societatem & familiaritatem nepotum & helluonum. 3. Fumum è culinâ erumpentem, qui aſſiduas fieri epulas indicaret.

SED ITA.] Similitudo vt pulcherrima, ita clariſſima, quæ proinde non debet explicari.

ENERVATIS ATQVE EXANGVIBVS.] Piſoni & Gabinio hominibus abiectis & impudicis, qui per ſe vires non habebant.

SVMMI IMPERII.] Conſulatus *nomine* non re ipſa, ſed ſpecie quadam adumbrata.

FOEDVS.] Conſules cum P. Clodio fœdus inierunt, vt tribunitiâ Clodij rogatione Gabinius Syriam, Babylonem, Perſas, Piſo cum Theſſalia, Bœotia, tota Græcia, Macedoniam obtineret.

EXERCITVM.] Conſularem ſiue duarum legionum. immò maiorem Conſulari. Piſ. 37. *Habebas exercitum tantum, quantum tibi non Senatus, aut populus Romanus dederat, ſed quantum tua libido conſcripſerat, ærarium exhauſeras.*

PECVNIAM.] Quantam habuerit Gabinius non liquet. Piſoni certè ſeſtertium centies & octogies ex ærario vaſarij nomine fuit attributum. Piſ. 85. præter ea quæ ſtipendij causâ tributa ſunt.

ID AVTEM.] Crediderunt fœdus illud aliter firmari non poſſe, quàm ſi ego tanquam victima in ſanctione fœderis immolarer: id eſt, quàm ſi me proderent Conſules, & expelli de ciuitate permitterent.

NOTÆ.

QVIBVS CVM HOM.] Hinc etiam Philippi nequitiam oſtendit Demoſthenes Olynth. 1.
2. Καλλίαν ἐκεῖνον τὸν δημόσιον, καὶ τοιούτους ἀνθρώπους μίμους γελοίων, καὶ ποιητὰς αἰσχρῶν ᾀσμάτων, ὧν εἰς τοὺς παρόντας ποιοῦσιν ἕνεκα τοῦ γελασθῆναι, τούτους ἀγαπᾷ καὶ περὶ αὑτὸν ἔχει. καί τοι ταῦτα, εἰ καὶ μικρά τις ἡγεῖται, μεγάλα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δείγματα τῆς ἐκείνου γνώμης, καὶ κακοδαιμονίας ἐστὶ τοῖς εὖ φρονοῦσιν. *Calliam illum ſcurram, & cæteros huiuſmodi ridiculorum imitatores, & turpium cantilenarum factores, quas riſus captandi causâ contra præſentes faciunt, eos amat, & circa ſe habet. Atqui hæc, etiamſi nonnullis parua videan-* Malorum ſocietas.

tur, [illegible] ſunt, ô Athenienſes, argumenta prudentibus, quibus occultos eius ſenſus, & infelicitatem tenere poſſint. Xenophon libro 1. de dictis memorabilibus Socratis, non pauca in hanc ſententiam. Τοὺς υἱεῖς οἱ πατέρες, κἂν ὦσι σώφρονες, εἴργουσιν ἀπὸ τῶν πονηρῶν ἀνθρώπων, ὡς τὴν μὲν τῶν χρηστῶν ὁμιλίαν ἄσκησιν οὖσαν τῆς ἀρετῆς, τὴν δὲ τῶν πονηρῶν κατάλυσιν. *Parentes liberos, etiamſi ſint temperantes, arcent à familiaritate & conuerſatione improborum, quod bonorum conſuetudo virtutis ſit exercitatio, malorum familiaritas, eiuſdem euerſio.* Idque, ſuppreſſo Poëtæ nomine, Theognidis auctoritate confirmat.

Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ διδάξεαι· ἢν δὲ κακοῖσι
Σιμμιγῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.

Iuſti iuſta docent, ſi te conſortia prauis
Addiderint, perdes quod tibi mentis erat.

Leg. Συμμιχθῇς. Quin etiam Paulus epiſtola priore ad Corinthios cap. 15. laudat Menandri ſenarium,

Φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαί.
Colloquia mores praua corrumpunt bonos.

Hinc prouerbium quod à Plutarcho refertur de inſtitutione puerili. ἂν χωλῷ παροικήσεις, ὑποσκάζειν μαθήσεις. *Si propè claudum habites, diſces claudicare.* Et Pythagoræ ſymbolum, Μὴ γεύεσθαι μελανούρων. *Melanuros non deguſtare.* Quod ibidem Plutarchus ſic exponit. τοῦτ' ἔστι μὴ συνδιατρίβειν μέλασιν ἀνθρώποις τὴν κακοήθειαν. *Id eſt, non conuerſari cum hominibus nigris propter morum improbitatem.* Vide apud Diodorum Siculum lib. 12. Charondæ Thurij, τὸν περὶ κακομιλίας νόμον, *legem de malorum conſortio.*

II. FVMABAT.] Seneca epiſt. 64. *Interuenerant quidam amici propter quos maior fumus fieret: non hic qui erumpere ex lautorum culinis, terrere vigiles ſolet, ſed hic modicus qui hoſpites veniſſe ſignificaret:* lepidè verò ait noſter, *ſermonis indicia redoleret,* propter nidorem qui cum fumo pariter erumpit.

III. VT SI GLADIVM.] *Præclarè,* vt notat Fabius lib. 8. *ad inferendam rebus lucem repertæ ſunt ſimilitudines, quarum aliæ ſunt quæ probationis gratiâ inter argumenta ponuntur, aliæ ad exprimendam rerum imaginem compoſitæ.* Ariſtoteles 3. polit. Χρήσιμον δὲ ἡ εἰκὼν καὶ ἐν λόγῳ, ὀλιγάκις δέ· ποιητικὸν γάρ. *Vtilis eſt etiam in oratione ſoluta, imago: ſed raro. Poëticum enim eſt eas frequentius adhibere.* Idem tradit Demetrius Phalereus, idem alij veteres di-
Similitudines. cendi magiſtri. Seneca tamen eas plurimū commendat, ep. 59. & ſanè Senecæ, Plutarcho, Luciano, Maximo Tyrio, cæteris poſteriorum ætatum ſcriptoribus mirè placuerunt. Non moror. vnum tamen te lector monitum velim, ſimilitudinum exempla quæ apud Ariſtotelem ex Demoſthene referuntur, non Ariſtotelis ſtudio fuiſſe collecta, ſed ab eius interpretibus intruſa. Neque enim ſi auctoritate Demoſthenis vſus fuiſſet, dicere potuiſſent peripatetici omnem Demoſthenis eloquentiam ex his Rhetoricorum libris tanquam è fonte manaſſe, quod multis & eruditis rationibus confutat Dionyſius Halicarnaſſeus epiſtolâ ad Mammæum, qui id minimè præteriſſet, ſi laudaretur in iis libris Demoſthenes.

GLADIVM.] Prima in Catilinam 4. *At nos vi-* IV.
ceſimum iam diem patimur hebeſcere aciem horum auctoritatis. habemus enim huiuſmodi Senatuſconſultum, veruntamen incluſum in tabulis, tanquam gladium in vaginâ reconditum.

ICTVM.] Fœdus ferire, percutere, icere dice- V.
bant. Ferire Tullius in Cœlianâ 34. *Ideòne ego pa-* Fœdus ferire.
cem Pyrrhi diremi, vt tu amoris turpiſſimi quotidie fœdera ferires. Maro 10. Æneidos,

Iungit opes, fœdúſque ferit. ----

Hinc vt auctor eſt Feſtus, *fetiales à feriendo dicti.* vide Cœlianam. Percutere Lucanus lib. 9.

Theſſalicas magnus quærens reparare ruinas
Enſe iacet noſtro: tanto te pignore, Cæſar
Emimus, hoc tecū percuſſum eſt ſanguine fœdus. Percutere.

Icere. Liuius lib. 30. de Carthaginienſium legatis. *Cùm flecti miſericordiâ patres appareret Sena-* Icere.
torum vnum infeſtum perfidiæ Carthaginienſium ſucclamaſſe ferunt, per quos Deos fœdus icturi eſſent, cùm eos per quos ante ictum eſſet fefelliſſent? per eoſdem, inquit, Aſdrubal qui tam infeſti ſunt fœdera violantibus. In Piſonem 28. *Tu ſcilicet homo religioſus & ſanctus, fœdus quod meo ſanguine in pactione prouinciarum iceras, frangere noluiſti.* Liuius lib. 2. agens de Coriolis à Martio Coriolano occupatis. *Tantúmque obſtitit ſua laude famæ Conſulis Martius, vt niſi fœdus cum Latinis columnâ æreâ inſculptum monumento eſſet, ab Spurio Caſſio vno (quia collega abfuerat) ictum, Poſthumium Cominium bellum geſſiſſe cum Volſcis memoria ceſſiſſet.*

SANCIRI.] 12. Æneidos, VI.

Et Pater omnipotens qui fœdera fulmine ſancit. Sancire.

Macrobius 3. Saturnal. *Sanctæ leges quæ non debent pœnæ ſanctione corrumpi.* Et Charondas apud Valerium Maximum lib. 6. cap. 5. *Solutæ à ſe legis ſuæ monitus: idem ego illam, inquit, ſanciam: ac protinus ferro, quod habebat, diſtricto incubuit.*

AXIOMATA

Ad mores hominum dignoſcendos videndum quibuſcum viuant.

A nugis & libidinoſis boni nihil expectandum, mali certè nihil magnoperè pertimeſcendum.

Qui per ſe pungere neminem vnquam potuiſſent, hi nonnunquam ſummi imperij nomine armati Rempubl. contrucidant.

ARGVMENTVM.

Leges Clodias de Conſulum prouinciis, & exilio Ciceronis, Senatus ſollicitudinem, Equitum populique Romani metum, Conſulum in repudiandis optimi cuiuſque precibus crudelitatem & ſuperbiam declarat.

QVa re patefactâ (neque enim diſſimulari tantum ſcelus poterat, nec XXV.
latere) promulgantur vno eodémque tempore rogationes ab eodem Tribuno de mea pernicie, & de prouinciis Conſulum nominatim. Hîc tum Senatus ſollicitus, vos equites excitati, Italia cuncta permota, omnes denique omnium generum atque ordinum ciues ſummæ Reipubl.

à Conſulibus, atque à ſummo imperio petendum eſſe auxilium arbitrabantur, cùm illi ſoli eſſent, præter furioſum illum Tribunum, duo Reipubl. turbines, qui non modò præcipitanti patriæ non ſubuenirent, ſed etiam nimiùm tardè concidere mœrerent.

EXPLANATIO.

QVA RE.] Vt primùm patefactum eſt, fœdus inter Clodium & Conſules de prouinciis & exitio Ciceronis ictum fuiſſe, Clodius Tribunus plebis duas leges propoſuit & promulgauit, quarum alterâ Cicero eiiceretur è ciuitate, alterâ Piſo Macedoniam, Gabinius Ciliciam, quam deinde cum Syria permutauit, prouincias obtinerent.

HIC TVM.] Prudenter omnes ordines in vnam ſententiam cõſpiraſſe demonſtrat, vt magis Conſulum ſcelus & immanitatem oſtendat, qui prodiderunt Remp. diſſenſerunt à cunctis ordinibus, deſeruerunt cauſam Ciceronis, quam à Conſulibus ſuſcipiendam eſſe non vnus aut alter, ſed tota ciuitas ſentiebat.

SVMMÆ REIP.] Cùm ipſum Reipub. iugulum peteretur, cùm non per partes vexaretur, ſed ſumma Reſp. ageretur, eáque verſaretur in extremo periculo, omnes auxilium petendum putabant à ſummo magiſtratu, ſiue Conſulatu penes quem eſt ſumma Reſp. ſiue cuius officium eſt non vni aut alteri Reip. parti, ſed ſummæ totius imperij prouidere.

TRIBVNVM.] P. Clodium otij, & pacis inimicum.

DVO REIPVB. TVRB.] Piſo & Gabinius qui Rempubl. iactabant inſtar procellarum, & ſeditionum fluctus concitabant.

N O T Æ.

I. Rogationes. ROGATIONES.] Rogatio, vt alibi dicemus, nomen eſt generale cuius ambitu leges, priuilegia, & plebiſſcita continentur. *Nam niſi populus aut plebs rogetur, nullum plebis aut populi iuſſum fieri poteſt*, vt aduertit Gellius c. 20. lib. 10. noct. Attic. His porrò verbis concipiebatur rogatio: *Velitis, iubeatis, Quirites*, &c. Si populus legem recipiebat, his verbis in tabula exaratis ferebat ſuffragium, *Vti rogas*. Si non recipiebat, illis, *Antiquo*, id eſt, antiqua malo nec vllam admitto nouitatem. hinc abrogare legem aut magiſtratum, legi derogare, multam irrogare, de quibus, prout ſe obtulerit occaſio, alibi diſſeremus.

II. Priuilegia. NOMINATIM.] Plato 4. de legibus prudenter cenſet, οὔτ' εἶναι πολιτείας, οὔτ' ὀρθοὺς νόμους, ὅσοι μὴ ξυμπάσης τῆς πόλεως ἕνεκα τοῦ κοινοῦ ἐτέθησαν. οἱ δ' ἕνεκα τινῶν, στασιωτείας, ἀλλ' οὐ πολιτείας τούτους φαμέν. *Neque eſſe politias, neque rectas leges, quæcunque non vniuerſæ ciuitatis cauſâ, ob vtilitatem communem latæ ſunt. Quæcunque autem pro quibuſdam nominatim feruntur, eas ſeditiones, non politias vocamus.* Et eam ob cauſam, vt dicitur pro domo, *vetant leges ſacratæ, vetant duodecim tabulæ, leges priuatis hominibus irrogari.* vt commodiùs alio loco dicemus. Quod ad præſentem legis promulgationem ſpectat, notat Dio lib. 38. in Clodij rogatione Ciceronis nomen fuiſſe ſuppreſſum, quamuis omnes facilè aduerterent eam ad eius vnius perniciem comparari: quia ferebatur in eum, *qui ciues indemnatos necaſſet*, quod fecerat noſter in ſuo Conſulatu Lentulo, Cethego, & aliis Catilinariæ coniurationis ſociis, in carcere iugulatis. Quare, quod ait *nominatim*, id potiùs ad Piſonem & Gabinium, quibus prouincia nominatim data, quam ad Ciceronem videtur eſſe referendum.

TVRBINES.] Ariſtophanes Equitibus, III. Turbines Reipub.

Καὶ γενναίως πρὸς τὸν τυφῶ χωρεῖ, καὶ τὴν ἐριώλην.

Et animosè vẽtum vrentem inuadit, & turbinem.

Vbi Interpres, Τυφὼς ἀνέμου συστροφή, καὶ πυρός. τὸν Κλέωνα οὕτω λέγει. ἐριώλη δὲ ἀναθυμιάσεως συστροφὴ πρὶν ἐμπυρωθῆναι τὸν ἀέρα. *Typhos venti & ignis conuolutio. Cleonem ſic appellat. Eriole verò exhalationis, priuſquam aër inardeſcat, conuerſio.* Cyprianus quadam epiſtola ad Cornelium de hæreticis. *Nouatianus fax & ignis ad conflanda ſeditionis incendia, turbo & tempeſtas ad facienda fidei naufragia.* Pro domo ſua 137. *Tu procella patriæ, turbo & tempeſtas pacis atque otij.*

IV. Querela. QVERELIS.] Cornelius Fronto, *Querimonia certæ rei eſt, querela ſuperuacua. Itaque prior grauitatis eſt, poſterior leuitatis.* Fruſtra eſt. Querelæ enim etiam grauitatis, vt hoc loco, & in Piſonem. *Iámne vides, bellua, iámne ſentis, quæ ſit hominum querela frontis tuæ?* Infra 64. *His de tot tantíſque iniuriis in ſocios, in reges, in liberas ciuitates Conſulum querela eſſe debuit.* Alias tamen ſuperuacua, vt 4. Æneidos,

Deſine méque tuis incendere, téque querelis.

Sed ſi frequenter, non ideo ſemper: atque adeo non placet hæc ad ſuperſtitionem exacta in examinandis vocularum momentis ſubtilitas.

V. Actio Conſulis. AGERENT ALIQVID.] In Piſonem 29. *Ecquis audiuit nõ modò actionem aliquam, aut relationem, ſed vocem omnino aut querelam tuam?* vbi dicemus actionem propriè Conſulum fuiſſe. Sic acta Conſulum frequẽter. Philippicâ primâ 18. *Quæro acta Gracchi: leges Semproniæ proferentur. Quæro Sullæ: Corneliæ. Quid? Cn. Pompeij tertius Conſulatus, in quibus actis conſiſtit? nempè in legibus*, &c.

VI. De Republica referre. DE REP. RETVLIT.] In re atroci, magnóque Reip. diſcrimine, Conſules aliíve magiſtratus ad Senatum de ſummâ Rep. referebant, vt conſtat ex initio libri primi de bello ciuili, vbi Cæſar: *Referunt*, inquit, *Conſules de Rep.* aitque Marcellum cenſuiſſe, *non oportere antè de Rep. referri, quàm delectus totâ Italiâ habiti, & exercitus conſcripti eſſent.* Tunc ſumma res, ſiue etiam ſumma Reſpub. agi dicebatur. vnde hac ipſa ſectione. *Summæ Reip. à Conſulibus, atque à ſummo imperio petendum eſſe auxilium arbitrabantur.* 2. Æneidos huc alluditur,

Quo res ſumma loco Pantheu? quam prendimus arcem.

Conſilium ſummis regni de rebus habebant. Summa res.

Item 11.

Ante equidem ſummâ de re ſtatuiſſe Latini,
Et vellem, & fuerat melius. ----

AXIOMATA.

Magnum ſcelus diſſimulari non poteſt, nec latere.
Summæ Reip. à ſummo imperio petendum auxilium.

ARGVMENTVM.

Populi Romani ſtudium, Senatus preces, Gabinij ſuperbiam in Senatu, veſtis mutationem in cauſâ Ciceronis, primùm priuato ſingulorum conſilio & voluntate, deinde frequentis Senatus decreto ſuſceptam oſtendit.

HIc ſubitò cùm incredibilis in Capitolium multitudo ex tota vrbe cunctáque Italiâ conueniſſet, veſtem mutandam omnes, méque etiam omni ratione priuato conſilio (quoniam publicis ducibus Reſpubl. careret) defendendum putarunt. erat eodem tempore Senatus in æde Concordiæ, quod ipſum templum repræſentabat memoriam Conſulatus mei, cùm flens vniuerſus ordo cincinnatum Conſulem orabat. nam alter ille horridus, & ſeuerus conſultò ſe domi continebat. Qua tum ſuperbia cœnum illud ac labes, ampliſſimi ordinis preces, & clariſſimorum ciuium lacrymas repudiauit! me ipſum vt contempſit helluo patriæ! nam quid ego patrimonij dicam, quod ille cùm quaſi quæſtum faceret, amiſit? cùm veniſſet ad Senatum, vos, vos, inquam, equites Rom. & omnes boni veſte mutatâ, vos, inquam, pro meo capite ad pedes lenonis impuriſſimi proieciſtis, cùm veſtris precibus à latrone illo repudiatis, vir incredibili fide, magnitudine animi, conſtantia L. Mummius ad Senatum de Republ. retulit, ſenatúſque frequens veſtem pro mea ſalute mutandam cenſuit. XXVI.

EXPLANATIO.

HIc.] In hoc rerum ſtatu, cùm bonorum preces reſpuerentur à Conſulibus.

CONSVLATVS MEI.] Quo Conſulatu in æde Concordiæ dictæ ſunt ſententiæ ſalutares, de coniuratis in carcere iugulandis. Erat autem ædes Concordiæ in foro Romano, à L. Opimio, poſtquam C. Gracchum oppreſſit, ad futuri temporis memoriam excitata.

CINCINNATVM.] Gabinium calamiſtratum, & madentes vnguento cincinnorum fimbrias habentem. Eleganter autem & feſtiuè iocatur, ad illum Quintium Cincinnatum, qui ſæpe Conſul fuit, ſæpe Dictator, alludens.

ALTER ILLE HORRIDVS.] Piſo incultus & minimè cincinnatus, vtens excuſatione valetudinis. datâ operâ ſe domi tenebat, ne Ciceronis cauſam ſuſcipere cogeretur.

SEVERVS.] Grauis, cenſorius, trux, aſper, Nonnio interprete, frontem caperans. Plautus Epidico,

Quid illud eſt, quod illi caperat frons ſeueritudine?

COENVM.] Gabinius lutulentis & cœnoſis libidinibus infamis.

ET LABES.] Id eſt, ruina vel macula Reipubl. Quâ tum ſuperbiâ Senatus vniuerſi pro me ſupplicantis preces repudiauit, & clariſſimorum virorum lacrymas, id eſt Q. Hortenſij, & C. Curionis, quos duos Senatores & alios ex equeſtri ordine, Equites Romani, nomine totius ordinis, è Capitolio miſerant ad Senatum, vt pro Cicerone tum Senatui, tum vel maximè Gabinio Conſuli ſupplicarent. vt auctor eſt Dio lib. 48.

HELLVO PATRIÆ.] Qui non ſolùm patrimonium dilapidauit in ganeis & popinis, & æs alienum contraxit, ſed etiam ærarium exhauſit, & expilauit Rempublicam.

QVOD ILLE.] Gabinius adoleſcentulus patrimonium abliguriuit: quod incredibile videtur. eodem enim tempore & aliorum libidini proſtans quæſtum faciebat, & ſuum ipſius patrimonium in profundiſſimum libidinum ſuarum gurgitem profundebat.

OMNES BONI.] Tradit Plutarchus ad viginti hominum millia fuiſſe, tum ex equeſtri ordine, tum ex populo, qui priuatis conſiliis veſtem in cauſa Ciceronis mutarint, antequam Senatus publico conſilio mutandam decerneret.

LENONIS.] Gabinij, quem mox latronem nominabit.

L. MVMMIVS.] Dio Ninnium appellat. Qui & in nonnullis diſſentit à Cicerone: nam & Equitum legatos à Gabinio ne quidem admiſſos in Senatum fuiſſe dicit, & Ninnium auctorem fuiſſe multitudini vt veſtem mutaret, quod etiam non paucos Senatores feciſſe tradit, nullam faciens publici decreti mentionem. Sed nemo ſanus dubitet maiorem fidem adhibendam eſſe Tullio, qui præſens adfuit, & cuius res interfuit. Tantùm aduerte etiam præſentibus Conſulibus, ſi quando illi officio non fungerentur, Tribunos plebis ad Senatum de ſummâ Repub. retuliſſe, & Conſulibus etiam inuitis, Senatū decreta feciſſe.

NOTÆ.

HIc SVBITO.] Neſcio quid Appianum induxit 1. de bellis ciuilibus, vt iſta litteris mandaret; cùm Cicero ſordidatus omnibus etiam ignotis ſupplicaret, τὸ ἔργον, διὰ τὴν ἀπρέπειαν ἀπ' οἴκτου μεταπίπτειν εἰς γέλωτα. *Rem illam, quòd adeò contra decorum eſſet, à miſericordia in riſum recidiſſe.* Certè Dio cætera non æquiſſimus Ciceroni, tamen eius ſalutem Senatui populo Romano, & equeſtri ordini chariſſimam fuiſſe teſtatur, & Plutarchus in eius vita. Γρῶπν μὲ ὀλίγου δεῖν t.

Veſtis mutatio pro Cicerone.

σύμπαν τὸ τῶν ἱππικῶν πλῆθος συμμετέβαλε τὴν ἐσθῆτα, καὶ δισμυρίων οὐκ ἐλάττους νέων παρηκολούθουν κομῶντες, καὶ συνικετεύοντες. *Primùm quidem vniuerſus pene equeſter ordo veſtem cum eo mutauit, & adoleſcentes viginti millibus non pauciores ſequebantur promiſſo capillo & ſupplicantes.*

II. ÆDE CONCORDIÆ.] Fuit illud Opimij monumentum, de quo infra 140. *Cuius monumentum celeberrimum in foro.* Ibi autem detectam fuiſſe coniurationem, & oppreſſam liquet è Catilinariis.

III. CINCINNATVM.] De cincinnis multa dicemus in Piſonem 2. occaſione huius ipſius Gabinij. *Erant illi compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ.* De L. Quintio Cincinnato, ad quem alluditur, qui ab aratro euocatus ad Conſulatum, deinde ad dictaturam, decimo ſexto die quàm dictaturam acceperat, nobiliſſimè triumphauit, fusè Halicarnaſſeus lib. 10. Κατήγαγε λαμπρότατον ἁπάντων ἡγεμόνων θρίαμβον. ἐν ἡμέραις ἑκκαίδεκα τῆς πάσης. Deinde dictaturâ ſe abdicauit, & tum amicis, tum Senatu ipſo munera certatim offerentibus, nihil penitùs admittens, ſuáque paupertate ſe inuoluens ad agellulum ſuum reuerſus eſt, μεῖζον φρονῶν ἐπὶ πενίᾳ, ἢ ἄλλοι ἐπὶ πλούτῳ. *Magis in paupertate ſibi ipſi placens altiúſque ſpirans, quàm alij in diuitiis.* Sed vide pulcherrima, è quibus aduertes quanta ex illius, & Gabinij longè diſſimillimi comparatione orationi ſuauitas accedat.

Quintius Cincinnatus.

IV. COENVM ILLVD AC LABES.] Vide ſupra 20. *Habeo quem opponam labi illi atque cœno.* De voce *clariſſimorum* Milon. 17. Vatin. 41.

V. HELLVO PATRIÆ.] Videri potuit dictum audaciùs. Quæ tamen ſunt eiuſmodi apud Oratorem, *nec oxymora, nec cacozela iudicanda ſunt, aut enim inferioribus, aut ſupra poſitis leniuntur.* vt notat Aſconius Pedianus proferēs illud exemplum ex oratione pro Marcello. *Vereor vt hoc quod dicam perinde intelligi poſſit auditu, atque ego ipſe cogitans ſentio. Ipſam victoriam viciſſe videris.* Vbi poſteriora præcedentibus corriguntur. aut poſterioribus priora vt hoc loco. Periculosè dictum fuerat, *helluo patriæ.* Quare ſequentibus verbis orationem emollit. *Nam quid ego patrimonij dicam?* Placet id Hermogenis libro 4. de inuentione verbis terſiſſimis explicare. Τὰ κακόζηλα δεῖ πολλάκις ἰᾶσθαι τῇ προκατασκευῇ, τῇ καὶ προθεραπείᾳ καλουμένῃ. τὰ γὰρ προμαλαχθέντα τῇ ἑρμηνείᾳ νοῦν εἰσάγει. ὅθεν καὶ τὸ τόλμημα προσδοκᾶται τοῖς ἀκούουσιν, ὃ καὶ πρὶν λεχθῆναι ἀσφαλὲς εἶναι δοκεῖ. γυμνὸν δ' ἂν τεθῇ περὶ τῆς κατασκευῆς κακόζηλον ἔδοξεν, ἢ τῷ νῷ, ἢ τῷ λόγῳ. *Cacozela leniri poſſunt præmunitione, quæ & præcedens medicina nominatur. quæ enim prius leniuntur elocutioni intelligentiam inducunt, vnde & auditores audacius dictum expectant: quod & priùs quàm dictum ſit iam extra aleam poſitum videtur. Si verò nudum & ſine præmunitione ponatur, cacozelum aut verbo, aut ſententiâ videri poſſit.* Et paulò pòſt. Θεραπεύεται δὲ τὰ κακόζηλα, οὐ τῇ προδιορθώσει μόνον, ἢ τῇ προκατασκευῇ, ὡς ἐδείξαμεν, ἀλλὰ καὶ τῇ ἐπιδιορθώσει καλουμένῃ. *Medicina verò cacozelis adhibetur, non ſolùm præuiâ correctione aut præmunitione, vt oſtendimus, ſed etiam ſequenti emendatione, quæ epidiorthoſis vocatur.* Idem præceptum alij Rhetores tradiderunt. Sed, quoniam huius fecimus mentionem, idem eodem libro, Demoſthenis, ſuppreſſo & auctoris & orationis nomine, locutionem è prima Philippica decerptam expendit, quæ ad hunc Ciceronis locum facere videatur. Περιέπιπτον τὰ τῆς πόλεως πράγματα. *Propinatæ ſunt res ciuitatis,* vel, *quidam res ciuitatis bibendo helluati ſunt.* Et aliquantò pòſt ex eodem fonte ducta tranſlatione, μεθύειν τῷ μεγέθει τῶν πεπραγμένων, καὶ πολλὰ τοιαῦτ' ὀνειροπολεῖν ἐν τῇ γνώμῃ. *Ebrium eſſe rerum geſtarum magnitudine, & multa eiuſmodi in animo ſomniare.* Æſchines Timarchum non ſolùm patrimonij, ſed etiam patriæ helluonem ita deſcribit. *Nihil ei reliquum, non domus, non vicinitas, non prædium, non ſerui, non mutuum, nihil denique eorum quibus viuunt homines non malefici, ſed illi loco patrimonij ſupereſt impudentia & ſordes, ſycophantia ſiue calumnia, audacia, luxuria, timiditas, inuerecundia, vt neſciat erubeſcere rebus turpibus.* Ἐξ ὧν ἂν ὁ κάκιστος καὶ ἀλυσιτελέστατος πολίτης γένοιτο. οὐ τοίνυν μόνον τὰ πατρῷα κατεδήδοκεν, ἀλλὰ καὶ τὰ κοινὰ τὰ ὑμέτερα, ὅσων πώποτε κύριος γέγονεν. *E quibus peſſimus & inutiliſſimus ciuis euadat neceſſe eſt. non igitur ſolùm patrimonium helluatus eſt, ſed etiam veſtra omnia publica, quæcunque venerunt in eius poteſtatem.*

Cacozela vt leniantur.

Helluo patriæ.

AD PEDES.] Vide infra 74. *Socer ad pedes abiectus.* & pro Cœlio 79. *Quem vos ſupplicem veſtræ miſericordiæ, ſeruum poteſtatis, abiectum non tam ad pedes quàm ad mores ſensúſque veſtros, vel recordatione parentum veſtrorum, vel liberorum iucunditate ſuſtentate.* vide. Poſt reditum in Senatu 11. *Cúmque adoleſcentes nobiliſſimi, cunctíque Equites Romani ſe ad lenonis impuriſſimi pedes abieciſſent, quo vultu cincinnatus ganeo non ſolùm ciuium lacrymas, verùm etiam patriæ preces repudiauit?* VI.

LVC. MVMMIVS AD SENATVM.] Dio lib. 38. Ninnium non ad Senatum retuliſſe, ſed populo auctorem fuiſſe dicit, vt veſtem mutaret. Καὶ ὁ Νίννιος τά τ' ἄλλ' αὐτῷ συνῃρεῖτο, καὶ τὴν ἐσθῆτα τῷ πλήθει, ὡς καὶ ἐπί τινι κοινῇ συμφορᾷ μεταβάλλειν παρῄνεσε. *Ninnius verò tum aliis in rebus opem tulit, tum vulgus vt tanquam in publica calamitate veſtem mutaret, hortatus eſt.* Καὶ πολλοὶ τοῦτο καὶ τῶν βουλευτῶν. *Et hoc multi è Senatu fecerunt.* En quomodo diſſimulat quæ faciunt ad ſplendorem Ciceronis, quaſi non publico conſilio factum id fuerit, quod ſæpiùs orator inculcat. Neque verò nouum fuit Senatum à Mummio Tribuno plebis conuocari. Nam Varro litteris quas ad Oppianum dedit à Gellio laudatis lib. 14. noct. Attic. cap. 7. *Ponit qui fuerint per quos more maiorum Senatus haberi ſoleret, eóſque nominat Dictatorem, Conſules, Prætores, Tribunos plebis, Interregem, Præfectum vrbis.* Sic noſter lib. de orat. Senatum *vocatu Druſi* conueniſſe teſtatur. & lib. 10. epiſt. ad familiares. *Nam cùm Senatum ad XII. Cal. Ian. Tribuni plebis vocauiſſent.* & ad Brutum lib. 11. ep. 6. *Cùm Tribuni plebis edixiſſent Senatus adeſſet.* De quorum interceſſionibus & poteſtate in Senatu, vide quæ dicentur ad Milonianam §. 14. *Empta interceſſione ſublata eſt.* Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 10. Antiquitatis hunc morem inductum fuiſſe tradit M. Valerij & Virginij Conſulatu paucis annis ante Decemuiros & leges XII. tabularum. Τὸν μὲν ἔμπροσθεν χρόνον ἐκκλησίας μόνον ἦσαν οἱ δήμαρχοι κύριοι, βουλὴν δὲ συναγαγεῖν ἢ γνώμην ἀγορεύειν οὐκ ἠξίουν αὐτοῖς, ἀλλ' ἦν τῶν ὑπάτων τοῦτο τὸ γέρας. οἱ δὲ τότε δήμαρχοι πρῶτοι συγκαλεῖν ἐπεβάλοντο τὴν βουλήν. Ἰκιλλίου τὴν πεῖραν εἰσηγησαμένου. *Prius quidem cogendæ ſolius concionis poteſtatem habebant Tribuni plebis, conuocandi verò Senatus aut dicendæ ſententiæ ius non habebant, ſed id iuris Conſulibus competebat. Qui* VII.

Tribuni plebis Senatum vocabant.

verò

verò tunc fuerunt Tribuniplebis, Senatum conuocare inſtituerunt, Icilio rem tentante & periculum faciente. Quod ideò inualuit, vt etiam cùm Conſules intereſſent, ius illud videantur relationis habuiſſe: vt vel ex hoc loco videtur liquere. Aderat enim Gabinius, de quo mox dicetur. *Exanimatus euolat è Senatu.* Idque elicio ex Dione lib. 53. ἡ γερουσία δήμαρχόν τ' αὐτὸν διὰ εἶναι ἐψηφίσατο, καὶ χρηματίζειν αὐτῷ περὶ ἑνὸς, ὅπου ἂν ἐθελήσῃ, καθ' ἑκάστην βουλὴν, κἂν μὴ ὑπατεύσῃ. *Senatus Auguſto hos honores decreuit, vt & tribunitiam poteſtatem perpetuam haberet, & quoties Senatus haberetur, etiamſi conſulatum non gereret, vnâ de re referre poſſet.*

Tribuni plebis etiã præſentibus Coſſ. ad Senatum referebant.

AXIOMATA.

Cum publicis ducibus Reſp. caret, priuatis conſiliis defendenda eſt.

Miſerum eſt abiici ad pedes improborum.

ARGVMENTVM.

Graui exclamatione rem exaggerans, honorem ex illa veſtis mutatione prouenientem, item Clodij & Gabinij ſcelus amplificat.

XXVII. O diem illum, Iudices, funeſtum ſenatui, boníſque omnibus, reipub. luctuoſum, mihi ad domeſticum mœrorem grauem, ad poſteritatis memoriam glorioſum! Quid enim quiſquam poteſt ex omni memoriâ ſumere illuſtrius, quàm pro vno ciue & bonos omnes priuato conſenſu, & vniuerſum ſenatum publico conſilio mutaſſe veſtem? Quæ quidem tum mutatio non deprecationis cauſſâ eſt facta, ſed luctus: quem enim deprecarentur, cùm omnes eſſent ſordidati, cúmque hoc ſatis eſſet ſigni, eſſe improbum, qui mutatâ veſte non eſſet? Hac mutatione veſtis factâ, tanto in luctu ciuitatis, omitto quid ille tribunus omnium rerum diuinarum humanarúmque prædo fecerit, qui adeſſe nobiliſſimos adoleſcentes, honeſtiſſimos equites Rom. deprecatores ſalutis meæ iuſſerit, eóſque operarum ſuarum gladiis, & lapidibus obiecerit: de conſulibus loquor, quorum fide reſpubl. niti debuit.

EXPLANATIO.

O DIEM.] Eleganter *funeſtum Senatui* fuiſſe diem exclamat, quia Cicero Senator & quaſi curiæ domeſticus elatus fuerat: quemadmodum funeſta dicitur familia, cùm aliquis è familiâ funere effertur. luctus autem non ad ſolam familiam, ſed etiam ad amicos pertinet. vnde dies ille dicitur bonis omnibus luctuoſus.

DIVINARVM.] Clodius prædo fuit rerum diuinarum, qui religiones Bonæ Deæ, & ludos Magnæ Matris polluit, & pecuniâ corruptus Brogitaro tradidit Peſſinuntem. vide Milonianam 74.

HVMANARVMQVE.] Qui pecunias & ærarium, quibus voluit, attribuit, Ptolemæum proſcripſit, &c.

QVI ADESSE.] Qui in concionem venire iuſſit eos, qui ſe pro mea ſalute deprecaturos eſſe dicebant, eóſque demum expulit è foro per ſeruos ex ergaſtulis eductos, & ad vim ſeditionémque concitatos. Atque hæc breuiùs exponimus, quòd & perſpicua ſit narratio, & eadem in Piſoniana recurrant.

NOTÆ.

I. FVNESTVM.] Dixi propriè funeſtam dici familiam, ſiue domum ex qua mortuus elatus eſt, vel etiam in qua mortuus adhuc ſeruatur. Apuleius lib. 2. de Aſino. *In domo funeſtâ cœnas & parteis requiris.* Liuius lib. 2. *Familia funeſta Qu. Fabij fratris morte.*

Funeſtum.

II. PRO VNO CIVE.] Honorificum eſt pro vno ciue totam Remp. in luctu & ſqualIore verſari. vide Vatinianam 7. *Reip. cauſſâ diligi.* Vbi inter cæteras auctoritates illud Tyrtæi referemus.

Τὸν δ' ὀλοφύρονται μὲν ὁμῶς νέοι ἠδὲ γέροντες,
Ἀργαλέῳ δὲ πόθῳ πᾶσα κέκηδε πόλις.

Honorificũ Reip. cauſſâ diligi.

Hîc magnificum, Iunio Bruto, M. Coriolano, Menenio Agrippæ fuit, publico funere efferri. de quibus Halicarnaſſeus & alij conſulantur.

BONOS OMNES.] Boni ſunt ſiue optimates, vt infra dicetur 97. *Quiqui integri ſunt, & ſani, & bene de rebus domeſticis conſtituti.* Atque hoc ſenſu candidatos omnes viros bonos dicebant, quamuis non eſſent iis omnibus virtutum partibus abſoluti, quæ ad ſtrictam huius nominis appellationem requiruntur. vt notat Seneca ep. 3. De qua nuncupatione preſsè ſumptâ elegans illud 3. offic. *Fimbriam Conſularem audiebam de patre noſtro puer, Iudicem M. Lutatio Pythiæ fuiſſe equiti Rom. ſanè honeſto, cùm is ſponſionem feciſſet, ni bonus vir eſſet. Itaque ei dixiſſe fimbriam ſe illam rem nunquam iudicaturum, ne aut ſpoliaret famâ probatum hominem, aut ſtatuiſſe videretur virum bonum aliquem eſſe, cùm ea res innumerabilibus officiis, & laudibus contineretur.* III.

Bonus vir.

MVTASSE VESTEM.] De veſtis mutatione fusè in Piſonianam 17. Cùm autem duplex eſſet veſtis mutatio, vel deprecationis cauſâ, vel luctus, in luctu togam ſordidam & abſoletam, in deprecatione pullam capiebant. De pullæ veſtis & ſordidæ diſtinctione vide eiuſdem Piſonianæ vltimam ſectionem. IV.

Veſtis mutatio.

HONESTISSIMOS EQVITES.] Commodè. honeſtas enim fuit Equitum Romano-

Honeſtas. rum. Vide infra 107. *omnes honeſtates.* & de prouinc. Conſular. 11. *Non ſolùm bona, ſed etiam honeſtatem miſeri deperdiderunt.*

VI. Fides. QVORVM FIDE.] Clientelâ ſiue patrocinio. vt iam alibi dictum ex Plancianâ 97. *Cùm omnia illa municipia, quæ ſunt à Vibone Brunduſium in meâ fide, Iudices eſſent.* Item. *Pyrrhachium, quòd erat in fide meâ, petere decreui.*

AXIOMATA.

Res ad domeſticum mœrorem grauis, frequenter eſt ad poſteritatis memoriam glorioſa.

Summorum magiſtratuum fide Reſpublica niti debet.

ARGVMENTVM.

Gabinij perturbationem & fugam è Senatu auditis Patrum de mutandâ veſte ſententiis, eiúſque concionem turbulentam, & tum in Patres, tum in Equeſtrem ordinem contumelioſam deſcribit.

XXVIII. EXanimatus euolat ex Senatu, non minùs perturbato animo atque vultu, quàm antè annis paucis in creditorum conuentum incidiſſet: aduocat concionem: habet orationem talem Conſul, qualem numquam Catilina victor habuiſſet: errare homines, ſi etiam tum Senatum aliquid in Repub. poſſe arbitrarentur: equites verò Roman. daturos illius diei pœnas, quo, me Conſule, cum gladiis in cliuo Capitolino fuiſſent: veniſſe tempus iis, qui in timore fuiſſent (coniuratos videlicet dicebat) vlciſcendi ſe. Si dixiſſet hoc ſolùm, omni ſupplicio eſſet dignus. nam oratio ipſa Conſulis pernicioſa, poteſt Rempub. labefactare.

EXPLANATIO.

EXANIMATVS.] Gabinius cùm videret frequentem Senatum decernere, vt veſtis mutaretur, iſto bonorum conſenſu perterritus, & metu exanimatus aufugit è Senatu.

NON MINVS.] Commodè quaſi aliud agens refricat memoriam æris alieni, quo oppreſſus fuerat Gabinius, niſi ad tribunatus portum confugiſſet.

PAVCIS ANTE ANNIS.] Qui interceſſerunt inter tribunatum eius & Conſulatum.

HABET.] Vide, quàm efficaciter rem exaggeret, & indignitatem oſtendat. Conſul non ſolùm cum Catilinâ, ſed cum Catilinâ victore cōparatur. quaſi futurus ille non fuerit tam contumelioſus & inſolens, niſi victoria eius animos extuliſſet, quæ naturâ ſuâ inſolens & ſuperba.

EQVITES ROMANOS.] Cicero Conſul Equites Romanos in cliuo Capitolino armatos ad vrbis præſidium collocarat, ne coniurati vrbem incenderent, aut tumultum alium excitarent. Huius rei minatur Gabinius vltionem. cætera perſpicua ſunt.

NAM ORATIO.] Sententiâ morali ſiue politicâ, & orationem illuſtrat, & inuidiam inflammat contra Gabinium.

NOTÆ.

I. Debitores fugiunt creditoris occurſum. CREDITORVM.] Debitorum perturbationem & fugam, cùm in creditores inciderint, graphicè deſcribit Baſilius Magnus in pſalmos homiliâ contra fœneratores. ὡς δὲ τὰ μὲν χρήματα ὑπορρεῖ, ὁ δὲ χρόνος προϊὼν τοὺς τόκους ἑαυτῷ συμπεριάγει, οὐ νύκτες ἐκείνῳ ἀνάπαυσιν φέρουσιν, οὐχ ἡμέρα φαιδρὰ, οὐχ ἥλιος τερπνός. ἀλλὰ δυσχεραίνει τὸν βίον, μισεῖ τὰς ἡμέρας πρὸς τὴν προθεσμίαν ἐπειγομένας. φοβεῖται τοὺς μῆνας, ὡς τόκων πατέρας. κἂν καθεύδῃ, ἐνύπνιον βλέπει τὸν δανειστὴν, κακὸν ὄναρ τῇ κεφαλῇ παριστάμενον. κἂν ἐγρηγορῇ, ἔυνοια αὐτῷ καὶ φροντὶς ὁ τόκος ἐστίν. &c. *Vt verò pecuniæ dilabuntur, & tempus procedens fœnus ſecum adducit, non noctes ei quietis vllam partem impertiunt, non ſerena dies, non ſol iucundus, ſed vitam faſtidit, odit dies ad diem ſoluendo fœnori condictam feſtinantes. menſes vt fœnorum parentes èxtimeſcit. Si dormiat, in ſomnis fœneratorem videt, infelix ſomnium ſupra caput aſſiſtens. Si vigilet, eius cogitatio & ſollicitudo eſt fœnus.* Et aliquantò pòſt. Ἐὰν τὴν θύραν πατάξῃ τις, ὁ χρεωστὴς ὑπὸ τὴν κλίνην. σφοδρῶς εἰσέδραμέ τις; τὸ δ' ἐπάταξεν ἡ καρδία. ὑλακτεῖ ὁ κύων; ὁ δ' ἱδρῶτι ῥεῖται καὶ ἀγωνίᾳ συνέχεται, καὶ περισκοπεῖ πόθεν φύγῃ. *Si quis ianuam percuſſerit, debitor ſub lectum ſe abſtrudet. Quiſpiam feſtinanter accurrit? cor iſtius palpitat. Canis latrat? iſte ſudore perfunditur, timore exanimatur, quà fugam incœptet, circumſpicit.* Item. Δανειστοῦ φησὶ, καὶ χρεωφειλέτου ἀπαντησάντων ἀλλήλοις, ἐπισκοπὴν ἀμφοτέρων ποιεῖται ὁ κύριος. ὁ μὲν ὥσπερ κύων ἐπιτρέχει τῇ ἄγρᾳ, ὁ δὲ ὥσπερ ἕτοιμον θήραμα καταπτήσσει τὴν συντυχίαν. *Debitore inquit & creditore ſibi occurrentibus vtrumque Deus conſiderat. Alter vt canis ad prædam accurrit, alter vt venatio parata ad occurſum perhorreſcit.* Rurſum vt alia prætermittam. Οὐδεὶς πύκτης οὕτω τὰς πληγὰς τοῦ ἀνταγωνιστοῦ ὑποφεύγει, ὡς ὁ δανεισάμενος τοῦ χρήστου τὰς συντυχίας, πρὸς κίονας καὶ τοίχους ἀποσκιάζων τὴν κεφαλήν. *Nullus pugil adeò aduerſarij declinat ictus, vt debitor creditoris occurſum, ad columnas & parietes caput demittens, & quaſi inumbrans.* Horatius ſermonum lib. 1. Sat. 3.

Odiſti, & fugis, vt Druſonem creditor æris,
Qui niſi, cùm triſtes miſero venere calendæ
Mercedem, aut nummos vnde vnde extricat, amaras
Porrecto iugulo hiſtorias, captiuus vt, audit.

Iulianus Miſopogone. Ἀεὶ μισῶ καὶ τὰς ἱπποδρομίας, ὡς οἱ χρήματα ὠφληκότες τὰς ἀγοράς. *Semper odi circenſes vt forum debitores.* Vide ſupra 18. *Puteali & fœneratorum gregibus inflatus.* Pro Cœlio 42. *Ne fœnore trucidetur.* In Piſonem 12. *Egere, foris eſſe Gabinium.* Vbi dicemus ex Vlpiano debitores veſpertiliones appellari, quòd interdiu non compareant metu creditorum. Vide Ambroſium

lib. de Tobia pleraque omnia à Baſilio mutuantem.

II. Dies proditi. ILLIVS DIEI POENAS.] Gellius lib. 9. Noct. Att. cap. 14. *Quintus Ennius in 16. Annali dies ſcripſit pro diei in hoc verſu.*

Poſtremæ longinqua dies confecerit ætas.

Ciceronem quoque affirmat Ceſellius in oratione quam pro Sextio fecit. Dies ſcripſiſſe pro diei, quod ego impenſâ operâ conquiſitis veteribus libris pluſculis, ita, vt Ceſellius ait, ſcriptum inueni. Profert hunc locum, & legit apud Maronem.

Libra dies, ſomnique pares vbi fecerit horas.

III. IN CLIVO CAPITOLINO.] Philippicâ 2. *Quis enim eques Romanus, quis præter te adoleſcens nobilis?* &c. *Cùm Senatus in hoc templo eſſet, in cliuo Capitolino non fuit.* Et paulò pòſt. *Cliui Capitolini mentionem facere.* Quibus videas cliui nomen non pro molli & clementi iugo, ſed pro arduo & difficili ad aſcenſum ſumi. Memmius à Nonnio citatus. (Cliuus.) *Ille ardua nitens fortunæ ſcandere cliua.* Cato de Tribunis militum: *Loca ardua & cliua depreſſa.* Hinc, vt auctor eſt Feſtus: *Cliuia auſpicia dicebant, quæ aliquid fieri prohibebant. Omnia enim difficilia cliuia vocabant. Vnde & cliui loca ardua.*

De appellatione Capitolij Liuius lib. primo, Dionyſius lib. 4. Plinius & alij conſulantur. Arnobius libro 7. aduerſus gentes. *Regnatoris in populi Capitolio. quis eſt hominum qui ignoret Toli eſſe ſepulchrum Volcentani? Quis eſt, inquam, qui non ſciat ex fundaminum ſedibus caput hominis euolutum,* &c. Et poſt nonnulla: (Capitolij nomen.) *Nec erubuit ciuitas maxima, & omnium numinum cultrix, cùm vocabulum templo daret, ex Toli capite Capitolium, quam ex nomine Iouio nuncupare.* Dici etiam poſſet inde nomen inditum. Quòd ſicut caput in humano corpore, ſic in vrbe Capitolium emineret. Hac vtitur comparatione Ioſephus lib. 3. De excidio cap. 4. Hieroſolymæ ſitum exponens. Προανίσχουσα τῆς περιοίκου πάσης, ὥσπερ ἡ κεφαλὴ σώματος. *Quæ vt caput corpori ſupereminet, ita ſupra vicinas omnes regiones attollitur.*

IV. VENISSE TEMPVS.] Eodem pene flexu nobilis Poëta.

Aduenit qui veſtra dies muliebribus armis
Verba redargueret.

Seneca Octauiâ.

Veniet dies tempuſque, quo reddet ſuis
Animam nocentem ſceleribus, iugulum hoſtibus
Deſertus & diſtrictus & cunctis egens.

OMNI SVPPLICIO.] Pulchrè accuſator Ariſtogitonis oratione ſecundâ. Ὥσπερ τῶν ἐν ταῖς ναυσὶν ἁμαρτημάτων ἃ συμβαίνει περὶ τοὺς πλοῦς, ὅταν μὲν τῶν ναυτῶν τις ἁμάρτῃ, βραχεῖαν τὴν βλάβην ἤνεγκεν. ὅταν δ' ὁ κυβερνήτης ἀποσφαλῇ, καὶ διαμάρτῃ, κοινὴ τὴν ἀτυχίαν ἅπασι τοῖς συμπλέουσι κατεσκεύασεν. Ὁμοίως τὰ μὲν τῶν ἰδιωτῶν ἁμαρτήματα οὐκ εἰς τὸ πλῆθος, εἰς δ' αὐτοὺς ἤνεγκε τὰς βλάβας. τὰ δὲ τῶν ἀρχόντων καὶ πολιτευομένων, εἰς ἅπαντας ὑμᾶς ἀφικνεῖται. Διὸ καὶ τὰς τιμωρίας ὁ Σόλων τοῖς μὲν ἰδιώταις βραδείας ἐποίησε, ταῖς δ' ἀρχαῖς καὶ τοῖς δημαγωγοῖς ταχείας. *Vt enim delictorum quæ in nauibus committuntur, ſi quis nautarum deliquerit, paruum eſt damnum: ſin gubernator deceptus fuerit aut aberrarit, communi calamitate vectores omnes inuoluit: ſic & plebeiorum peccata non in populi, ſed in ipſorum damnum cedunt, ſed magiſtratuum & Remp. gubernantium peccata ad vos vniuerſos pertinent. Quapropter & Solon priuatis tarda, magiſtratibus & populi gubernatoribus velocia ſupplicia conſtituit.* (Peccata magiſtratuum quàm priuatorum grauiora.) Nazianzenus apolog. Μείζων τῆς περὶ ἕνα ἱσταμένης πονηρίας ἡ εἰς πολλοὺς ἐκδύουσα. οὐ γὰρ οὕτως οὔτε δευσοποιοῦ βαφῆς μεταλαμβάνει ῥᾳδίως ὕφασμα, οὔτε δυσωδίας ἢ τοῦ ἐναντίου τὸ πλησιάσαν, οὔτε νοσερά τις οὕτως εὐκόλως ἀναχεῖται εἰς τὸν ἀέρα, καὶ διὰ τοῦ ἀέρος ὁμιλεῖ τοῖς ζῴοις ἀτμὶς, ὃ δὴ λοιμός ἐστί τε καὶ ὀνομάζεται, ὡς φιλεῖ τάχιστα τῆς τοῦ προεστῶτος κακίας ἀναπίμπλασθαι τὸ ὑπήκοον, καὶ πολλῷ γε ῥᾷον ἢ τοῦ ἐναντίου τῆς ἀρετῆς. *Maior eſt ea malitia quæ in multos diffunditur, quàm ea quæ in vno conſiſtit. Non enim ita facilè tincturam imbibit pannus, neque boni aut mali odoris particeps fit id quod prope acceſſerit, neque tam facilè morbida quædam exhalatio in aërem, & medio aëre in animalia diffunditur, quæ peſtis eſt & nominatur, ſicut ſubditi eorum qui præſunt malitiæ fiunt participes, & multò quidem faciliùs quàm virtutis contrariæ.*

AXIOMATA.

Conſul loquens contra Rempub. eſt omni ſupplicio dignus.

Oratio ipſa Conſulis pernicioſa poteſt Rempub. labefactare.

ARGVMENTVM.

In Gabinium inuehitur qui poſt pernicioſam orationem atrocius factum adiecit, & Luc. Aelium Lamiam pro Ciceronis & Reipublicæ ſalute deprecantem, ſuo edicto in concione relegauit.

XXIX. QVid fecerit, videte: L. Lamiam, qui cùm me ipſum pro ſummâ familiaritate, quæ mihi cum fratre, cum patre eius erat, vnicè diligebat, tum pro Republ. vel mortem oppetere cupiebat, in concione relegauit, edixítque vt ab vrbe abeſſet M. paſſus, quòd eſſet auſus pro ciue, pro bene merito ciue, pro amico, pro Republ. deprecari. Quid hoc homine facias? aut quò ciuem importunum, aut quò potiùs hoſtem tam ſceleratum reſerues? qui, vt omittam cetera, quæ ſunt ei cum collega immani impuróque coniuncta atque communia, hoc vnum habet proprium, vt expulerit ex vrbe, relegarit, non dico equitem Romanum, non ornatiſſimum atque optimum virum, non amiciſſimum Reipub. ciuem, non

illo ipſo tempore vnà cum Senatu, & cum bonis omnibus caſum amici, reíque pub. lugentem, ſed ciuem Romanum ſine vllo iudicio, aut edicto ex patria Conſul eiecerit.

EXPLANATIO.

LVC. LAMIAM.] Gabinij factum à perſona Lamiæ, & cauſa relegationis cæteríſque circunſtantiis exaggerat.

QVI HOC.] Quo ſupplicio mactandus eſt Gabinius, vt tam atrox & crudele facinus in ciues Romanos ſuſceptum expietur? HOC HOMINE, pro *huic homini:* vt *hæret pede pes, denſúſque viro vir*, vel pro *de hoc homine* per ellipſin.

IMPORTVNVM.] *Importunum in quo nullum eſt auxilium, velut eſſe ſolet portus nauigantibus.*

CVM COLLEGA.] Lucio Piſone. IMMANI, nullâ humanitate, nullâ morum aut ingenij elegantiâ perpolito. IMPVROQVE propter incluſas eius libidines, quas virtutis ſimulatione, & contractione frontis inuoluit.

VT EXPVLERIT.] Argumentum à minori ad maius, quòd præteritione tractatur. *Si omni ſupplicio mulctandus eſt Conſul, qui ciuem Romanum eiecerit, & relegarit, multò magis qui Equitem Rom. optimum virum, amiciſſimum Reip. ciuem. Sed omni ſupplicio mulctandus eſt Conſul, qui quemlibet ciuem edicto ſuo relegarit. Ergo multò magis Gabinius, qui Lamiam Equitem Rom. optimum ciuem eiecit.*

AVT EDICTO.] Alij legunt, *ſuo edicto*, alij vtramque vocem ſuſtulerunt.

NOTÆ.

I. Facta, dicta. QVID FECERIT.] Meritò factum orationi ſubiecit, ne excuſari poſſit Gabinius, quemadmodum apud Plutarchum in præceptis politicis Aiacem Neſtor Sophocleus excuſat. Οὐ μέμφομαί σε. δρῶν γὰρ εὖ, κακῶς λέγεις. *Non damno te, nam rectè agens, dicis malè.* Quibuſdam vt Æſchines obiicit Demoſtheni contra Cteſiphontem, οἱ μὲν λόγοι καλοὶ, τὰ δ' ἔργα φαῦλα. *Pulchri ſermones, opera mala.*

II. PRO REPVB. VEL MORTEM OPPETERE.] Pro Plancio 90. *Ego verò ne immortalitatem quidem contra Rempub. accipiendam putarem, nedum emori cum pernicie Reipub. vellem. Nam qui pro Reip. vitam reddiderunt (licèt me deſipere dicatis) nunquam mehercule eos mortem potiùs, quàm immortalitatem aſſequutos putaui.* Et alibi frequenter. quod etiam repetit apud Dionem lib. 45. perorans contra M. Antonium. Τὸ δὲ δὴ λέγοντά τι καὶ πράττοντα ὑπὲρ ὑμῶν ἀποθανεῖν ἰσοστάσιον ἀθανασίαν ἄγων. *Pro vobis aliquid aut dicentem, aut facientem oppetere æquale immortalitati eſſe duco.* Noſter reddit rationem, Officio. lib. 1. *Omnes omnium charitates patria vna complexa eſt, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere?* Horatius ode 2. lib. 3.

Mors pro patria oppetenda.

Dulce & decorum eſt pro patria mori.

Ex Tyrtæo apud Lycurgum orat. contra Leocratem.

Τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐπὶ προμάχοισι πεσόντα
Ἄνδρ' ἀγαθὸν περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον.

Primâ acie pulchrum eſt labentem occumbere fato,
Cùm vir pro patria fortis in arma ruit.

Ἴστω γὰρ, inquit Pindarus antiſtrophe 2. odæ ſeptimæ Iſthmiorum, ὅστις ἐν

Ταύτᾳ νεφέλᾳ χάλα-
ζαν αἵματος πρὸ φίλας
Πάτρας ἀμύνεται, λοιγὸν ἀμύνων
Ἐναντίῳ στρατῷ
Ἀστῶν γενεᾷ μέγιστον κλέος αὔξων
Ζώων τ' ἀπὸ καὶ θανών.

Nouerit enim quiſquis in hac nube grandinem ſanguinis pro chara patria defendit, fatum defendens contrario exercitu, ſe in ciuium generatione maximam gloriam aucturum eſſe, ſiue viuentem, ſiue mortuum. Quare meritò laudatur à Lyrico Latino.

Codrus pro patria non timidus mori.

Et maiores à Demoſthene oratione de corona. Ἡγεῖτο γὰρ αὐτῶν ἕκαστος οὐχὶ τῷ πατρὶ καὶ τῇ μητρὶ γεγενῆσθαι, ἀλλὰ καὶ τῇ πατρίδι. Διαφέρει δὲ τί; ὅτι ὁ μὲν τοῖς γονεῦσι μόνον γεγενῆσθαι νομίζων, τὸν τῆς εἱμαρμένης καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον περιμένει. ὁ δὲ τῇ πατρίδι, ὑπὲρ τοῦ μὴ ταύτην ἐπιδεῖν δουλεύουσαν, ἀποθνῄσκειν ἐθελήσει. *Nam eorum quiſque putabat ſe non patri & matri duntaxat eſſe natum, ſed etiam patriæ. Quid verò intereſt? quòd is qui ſe parentibus tantùm natum eſſe putat, fatalem & naturalem mortem expectat: qui autem & patriæ, is ne hanc ſeruire videat, vel mortem oppetere cupiet.* Sec latior eſt campus: præſtat in gyrum reuocari. Vide tu Leſbonactem in protreptico ſiue hortatione, Demoſthenem, Lyſiam, Platonem in orationibus funebribus, & Periclem item oratione funebri apud Thucydidem lib. 2.

RELEGAVIT.] Feſtus Pompeius. *Relegati dicuntur propriè, quibus ignominiæ aut pœnæ causâ,* III. Relegatio.
neceſſe eſt ab vrbe Roma, alióque quo loco abeſſe lege Senatuſque conſulto aut edicto magiſtratus. Apud Liuium oratione Canuleij Tribuniplebis lib. 4. videtur relegatio plus eſſe quiddam quàm exilium. *An eſſe vlla maior aut indignior contumelia poteſt, quàm partem ciuitatis velut contaminatam, indignam connubio haberi? Quid eſt aliud quàm exilium intra eadem mœnia, quàm relegationem pati?* minus tamen reapſe fuit, vt dicemus infra 35. ex Ouidio.

Ipſe relegati non exulis vtitur in me
Nomine.--

MILLIA PASSVVM.] Libet euagari: ſed IV.
non extra viam: & Lamiam in fuga comitari, immò viam eius metiri. Interiungemus tamen, & *Vt religioſis viantium moris eſt.* verba ſunt Apuleij initio Floridorum, *cùm aliquis lucus, aut aliquis locus Sanctus in via oblatus, votum poſtulare, portum apponere, pauliſper aſſidere.* Sic nobis religioſam moram obiiciet, *lapis vnguine delibatus.* Iſidorus lib. 15. originum cap. 15. *Menſuras viarum nos milliaria dicimus, Græci ſtadia, Galli leucas, Ægyptij ſignes, Perſæ paraſangas. Sunt autem propria quæque ſpatia. milliarium mille paſſibus terminatur, &c. Habens pedes quinque millia. leuca finitur paſſibus quingentis. ſtadium octaua pars*

milliarij eſt, conſtans paßibus centum viginti quinque. Hoc verò, quo de nunc agitur, ſtadium fuit Italicum. Siquidem Cenſorinus de die natali, ſtadium *quod Italicum vocant pedum DCXXV.* fuiſſe dicit, *Olympicum pedum ſexcentûm, Pythicum pedum mille.* Cùm igitur paſſus pedes quinque contineat, ſi pedes ad paſſus reuocaueris, ſtadium Italicum paſſus CXXV. Olympicum CXX. Pythicum paſſus CC. continebit. Hanc autem viarum dimenſionem, ſiue potiùs dimenſionis notam C. Gracchо acceptam refert Plutarchus in Gracchis. Διαμετρήσας κατὰ μίλιον ὁδὸν πᾶσαν (τὸ δὲ μίλιον ὀκτὼ σταδίων ὀλίγον ἀποδεῖ) κίονας λιθίνους σημεῖα τοῦ μέτρου κατέστησεν. ἄλλους δὲ λίθους ἔλαττον ἀπέχοντας ἀλλήλων ἑκατέρωθεν τῆς ὁδοῦ διέθηκεν, ὡς εἴη ῥᾳδίως τοῖς ἵπποις ἔχουσιν ἀναβαίνειν εἰς αὐτοὺς, ἀναβολέως μὴ δεομένοις. *Omnem viam per milliaria dimenſus (milliare autem paucis demptis octo ſtadia continet) lapideas columnas conſtituit, quibus ſignis viarum interualla diſtingueret. Alios verò lapides minùs à ſe diſtantes ex vtraque viarum parte digeſſit, vt qui equis vterentur, facilè & ſine ſuppedaneis adſcenderent.* Aliqua breuiter hîc notabis. primùm eum de ſtadiis Pythicis intelligendum, nam milliare ſtadia Italica octo ſolida continebat. Deinde ſingula illa ſtadia videri fuiſſe diſtincta lapidibus illis minùs à ſe diſtantibus. Tertiò, hinc poſſe varios auctores explicari, vt Herodianum libro 8. Ἐπεὶ δ' ἐγένετο πρός τινι ποταμῷ μεγίστῳ ἀπέχοντι τῆς πόλεως σημεῖα ἑκκαίδεκα. *Poſtquam verò peruenit ad quendam maximum fluuium ſedecim ſignis ab vrbe diſtantem.* Id eſt ſedecim lapidibus, ſedecim milliariis, ſedecim millibus paſſuum. hinc cùm aliquid ſeptimo, octauo ab vrbe lapide factum fuiſſe ſcribunt, intelligunt aliud nihil quàm milliare. Hæc autem ſigna fuerunt non è quolibet lapide, ſed marmorea. Martialis lib. 7. epiſt. 30.

Aut rus marmore tertio notatum.

Illud tamen aureum fuit à quo cæterorum diſtantiam numerabant, vnde & Aurelius Victor *Regione octaua*, ſiue foro Romano miliarium aureum collocauit. Plutarchus in Galba. Καὶ διὰ τῆς Τιβερίου καλουμένης οἰκίας καταβὰς, ἐβάδιζεν εἰς ἀγορὰν, οὗ χρυσοῦς εἱστήκει κίων, εἰς ὃν αἱ τετμημέναι τῆς Ἰταλίας ὁδοὶ πᾶσαι τελευτῶσιν. *Et per eam domum quam Tiberianam vocant deſcendens ibat in forum, vbi aurea columna ſtabat, in quam Italiæ viæ omnes inciſæ finiuntur.* Quod Marlianus lib. 3. Rom. topographiæ verbis tantùm non iiſdem explicauit. *Miliarium aureum in capite fori Romani, ſub Saturni æde, prope arcum Septimij olim fuit. Columna autem fuit quæ ita dicebatur, in qua omnes Italiæ viæ inciſæ finirent, & à qua ad ſingulas portas menſuræ regionum currerent.* Nicetas, Zonaras, Nicephorus, Ioannes Codinus de rebus Conſtantinopolitanis agentes milij faciunt mentionem ad ſimilitudinem Romani, vt opinor: Romanum tamen illud non Gracchus, ſed longè pòſt Auguſtus, τὸ χρυσοῦν μίλιον κεκλημένον ἔστησε. *conſtituit illud quod vocatur, aureum milliare.* Verba ſunt Dionis lib. 54. Non tamen ab hoc aureo milliario cæterorum milliariorum numerum cōputabant. Macer. D. De verb. ſignif. l. 154. *Mille paſſus non à milliario vrbis, ſed à continentib. ædificiis numerandi ſunt.* & ita intellige paſſim Iuriſconſultos vt D. De excuſ. l. Propter. *Nec Senatores vltra centeſimum lapidem vrbis tutelam gerere coguntur.* & D. De officio Præfecti vrbi. *Sed & ſi quid intra centeſimum milliarium admiſſum ſit ad Præfectum vrbi pertinet. Si vltra ipſum lapidem, egreſſum eſt præfecti vrbi notionem.* Fruſtrà ſunt qui in verbis Macri inuerſum ordinem putant, & ita legunt. *Mille paſſus non à continentibus ædificiis, ſed à milliario vrbis numerandi ſunt.* Fruſtrà ſunt, inquam, nam cùm vrbis amplitudo ad plura miliaria ſe extenderet, multa quæ in ipſa vrbe fierent ad primum, tertium, quartum ab vrbe lapidem fieri dicerentur. Huiuſmodi lapides curſorios appellat Boëtius lib. 3. de Geometria. Inſcriptæ erant huiuſmodi columnæ, vt facilè quid ſupereſſet ad vrbem itineris, viator agnoſceret. Martialis lib. 9. epigrammate 65.

Stadium.

Lapides milliariorum viã menſuræ.

Aureum miliarium.

Qua Triuiæ nemoroſa petit dum regna viator,
Octauum Domina marmor ab vrbe legit.

Lapides viarum inſcripti.

Fabius lib. 4. cap. vltimo. *Facientibus iter multum detrahunt fatigationis notata inſcriptis lapidibus ſpatia.* Fabius Rutilianus in itinerario.

Qui docet inſcriptus millia multa lapis.

Cæterùm alicuiúſne Dei figuram expreſſerint ij lapides non facilè dixerim. Putem in iis multos fuiſſe Mercurios, ſine manibus aut brachiis, quadratis baſibus inſidentes, de quibus Thucydides libro 6. eius Interpres & alij. Græci Ἑρμᾶς vocabant, nos Thermas corrupto vocabulo voluimus nominare. Crediderim etiam & aliorum quoque Deorum effigies in iis fuiſſe, quorum aliqui fortaſſe intento digito viam oſtenderent. Crediderim eos variis honoribus & ſuperſtitionibus fuiſſe mactatos, floribus redimitos, frondibus inumbratos, lucernis radiatos, libamine humigatos, vnguine delibutos. vt verbis vtar Apuleij loco citato. Sed non eſt de ſingulis dicendi locus, & verendum eſt, ne ſi diutiùs hîc moremur, id eueniat nobis, quod in Cæcilio Minutius reprehendit, qui cùm exiiſſet vrbe. *Simulacro Serapidis denotato (vt vulgus ſuperſtitioſus ſolet) manum ori admouens, oſculum labiis preſſit. Et tam luculento die in lapides videamur impingere, effigiatos ſanè, & vnctos, & coronatos.* Quidam leucas, à Græco quaſi λευκὰς, quòd albo lapide notarentur, dictas eſſe voluerunt.

Thermæ Ἑρμαῖ.

Leuca quaſi λευκή.

V. QVID HOC HOMINE FACIAS.] Terentius heautont. actu 1. Sc. 2.

Incertum eſt etiam quid ſe faciat.

Noſter in Verrinis. De quæſtura, legat. & prætura vrbana. 42. *Quid hoc homine faciatis, aut ad quam ſpem tam perfidioſum, tam importunum animal reſeruetis?* Iterum 90. *Quid illo in myoparone factum ſit, oſtendent.* Plautus Caſinâ actu 5. Scena 4.

Quid feciſti Scipione, aut quod habuiſti pallium?
Rurſum:
Quin reſponde tuo quid factum eſt pallio?

Lib. 6. ad Att. epiſt. 1. *Quid illo fiet, quem relinquero? præſertim ſi fratrem? Quid me autem ſi non iam citò decedo?* Noſter epiſt. ad Trebatium. *Quid porrò fiet populo Vlubrano?* ad Terentiam. *Si nos premet eadem fortuna, quid puero miſero fiet?* Sed hæc fortaſſe iam in tertio caſu, quod etiam frequens. Horatius Satyrâ omnium primâ.

Quid facias illi?

Verùm hoc grammatici diligentiùs expendant.

VI. ORNATISSIMO,] Nobilitate & virtutibus. Nobilitate. Horatius lib. 3. Carminum.

Lamiæ nobilitas.

Æli vetuſto nobilis ab Lamo

Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, & nepotum
Per memores genus omne faſtos, &c.

Huius autem Lami, qui Formiarum conditor fuit, meminit etiam Homerus. Virtute, vt ſupra dixit initio Sectionis: quoniam vt notat libris de Oratore, nihil magis Iudices mouet, quàm *virtus afflicta.*

VII. SINE VLLO IVDICIO.] Quod dicere ſolemus *non auditis partibus.* Quod apud Senecam Medea ſic expreſſit.

Quicunque ſtatuit parte inauditâ alterâ
Æquum licet ſtatuerit, iniuſtus fuit.

EDICTO.] Propriè, nam populi lex, plebis ſcitum, Senatus conſultum, decretum, auctoritas, Magiſtratus edictum. Hinc frequenter in Iure ciuili. *Prætoris edictum.* paulò pòſt 32. *Etiámne edicere audeas ne mœrerent homines.* & alibi paſſim. ſed de ſingulis fortaſſe commodiùs alio loco. VIII. Edictum.

AXIOMATA.

Vel mors pro Repub. fortibus viris eſt oppetenda.

Omnibus permittendum eſt pro ciue, pro amico, pro Repub. deprecari.

ARGVMENTVM.

Alio argumento rurſus à minori ad maius Gabinij ſcelus & impotentiam, & Lamiæ relegationem, iniecta Penatium à quibus abſtractus eſt mentione, exaggerat.

XXX. NIhil acerbiùs Socij Latini ferre ſoliti ſunt, quàm id, quod perrarò accidit, ex vrbe exire à Conſulibus iuberi. atque illis tum erat reditus in ſuas ciuitates, ad ſuos lares familiares, & in illo communi incommodo nulla in quemquam propria ignominia nominatim cadebat. hoc verò quid eſt? exterminabit ciues Romanos edicto Conſul à ſuis diis penatibus? expellet à patria? deliget quem volet: damnabit, atque eiiciet nominatim? hic, ſi vnquam vos eos, qui nunc eſtis in Repub. fore putaſſet, ſi denique imaginem iudiciorum, aut ſimulacrum aliquod futurum in ciuitate reliquum credidiſſet, numquam auſus eſſet Senatum de Republica tollere, equitum Rom. preces aſpernari, ciuium denique omnium nouis, & inauditis edictis ius, libertatémque euertere.

EXPLANATIO.

NIHIL ACERBIVS.] *Si graue fuit & acerbum Sociis Latinis edicto Conſulum ex vrbe pelli, multo grauius & acerbius eſt Equiti Romano. Sed hoc, Ergo illud.* Probat ſequelam propoſitionis duabus rationibus. Altera quod Latini reditum haberent ad ſuas quiſque ciuitates, Lamia domicilium non habuerit extra vrbem conſtitutum. Altera quod illa edicta Conſulum generalia fuerint, nec vllum priuatim ignominiâ notarent, hoc edictum Gabinij factum fuerit in Luc. Lamiam nominatim.

A SVIS DIIS PENAT.] A religione inuidiam auget, deinde ab abuſu poteſtatis, & inſolentiâ: *Deliget quem volet.* Tum à priuilegio tyrannico *nominatim.* Poſtremò à ſperata impunitate, quod nihil de futuro iudicio cogitaret.

INAVDITIS EDICTIS.] Quid ſi ſenſus ſit nullis edictis ab eo legitimè factis & in concione auditis? Vt ſuperiùs legamus cum vulgatis: *Sine vllo iudicio aut edicto.* Vel quod magis placet, *inauditis edictis,* eſt inuſitatis hactenus, & tum primùm in Remp. inductis.

NOTÆ.

I. NIHIL ACERBIVS.] Haud facilè exemplum reperias in Latinis. Liuius lib. 2. de Attio Tullio Volſcorum duce, qui Conſulibus ſuaſit Volſcos vrbe prohibere, vt hac irritatione ſuorum animos ad bellum accenderet. *Factóque S. C. vt vrbem excederent Volſci, præcones dimittuntur, qui omnes eos proficiſci ante noctem iuberent.* Quando autem ad Latinos tale edictum manauerit, non habeo compertum. Suſpicor id ſub initium belli Italici, vel in Tribunatu Saturnini contigiſſe, cùm inſtarent Socij in ius ſuffragiorum & ciuitatis admitti. Sed alius ſagacior indaget. Senatus certè Latinorum legatus ita reſpondit: *μάλα καρτερῶς ἀπεκρίνατο, εἰ μεταγινώσκοισι τῶν γεγονότων πρεσβεύειν εἰς αὐτὴν, ἄλλως δὲ μή. Si facti pœniteret, legatos mitterent; ſi ſecus, non mitterent.*

Attij Tullij ſtratagema.

II. SOCII LATINI.] Latini cum Romanis in ſocietatem coaluerunt regnante Tarquinio Superbo, à quo Latinæ feriæ Ioui Latiari ſunt inſtitutæ. De quibus fusè Dionyſius lib. 4. Eámque ſocietatem ait lib. 6. exeunte: poſt populi ſeceſſionem, & leges ſacratas fuiſſe renouatam. Ἦν δὲ τὰ γραφέντα τοιάδε ἐν ταῖς συνθήκαις. Ῥωμαίοις καὶ ταῖς Λατίνων πόλεσιν ἁπάσαις εἰρήνη πρὸς ἀλλήλοις ἔστω. μέχρις ἂν οὐρανός τε καὶ γῆ τὴν αὐτὴν στάσιν ἔχωσι. *Quæ verò in pactis ſcripta fuerunt, erant eiuſmodi. Romanis & omnibus Latinorum vrbibus pax eſto, quamdiu cœlum & terra eodem in ſtatu permanebunt.*

Societas Latinorum cum pop. Rom.

III. AD SVOS LARES FAMILIARES.] Cenſorinus: *Eundem eſſe Genium & Lares multi veteres memoriæ prodiderunt.* Eos Plutarchus Quæſtionibus Romanis 51. Præſtites vocatos fuiſſe teſtatur. Quod nomen Genio tribuit. Martianus Capella lib. 2. de nuptiis Philologiæ. *Quem etiam Præſtitem, quòd præſit omnibus rebus gerundis, vocauerunt.* Varro apud Arnobium lib. 3. *Laruas eſſe dicit Lares, quaſi quoſdam Genios animis mortuorum.* Martianus loco citato Manes appellari dicit Lemures. *Qui ſi vitæ purioris adiuti fuerint, honeſtate, in Lares domorum vrbiúmque vertuntur.*

Lares.

Lares pellibus caninis cur induti.

Eos etiam Nigidius apud Arnobium, *modò tectorum domuúmque cuſtodes, modò Curetas* appellat. Plutarchus Quæſtione citata. Τούτοις κύων παρέστηκεν, αὐτοὶ δὲ κυνῶν διφθέραις ἀμπέχονται. *His canis adſtat, ipſi verò caninis pellibus veſtiuntur.* Ad denotandam videlicet creditam ſibi eſſe domûs & familiæ cuſtodiam. His vt ipſe Lar familiaris teſtatur apud Plautum prologo Aſinariæ *Aut thure, aut vino, aut aliquo ſemper ſupplicabant, dabant coronas.* immò vt ex Horatio certum eſt, primitias frugum offerebant. Eorum ſtatuas incerabant, vnguentis illinebãt, focis priuatis præſidere putabant, vide infra 90: *aris, focis.* & Vatinianam 14. vbi fusè de Diis Manibus diſſeremus.

IV. A SVIS DIIS PENATIBVS.] A religione Deorum Penatium relegationis indignitatem oſtendit. Horatius. Penates.

--Pellitur paternos
In ſinu ferens Deos
Et vxor & vir ſordidóſque natos.

De diis Penatibus Halicarnaſſeus lib. 1. antiquit. Rom. Arnobius aduerſus gentes lib. 3. Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 4. De his nos pro Milone.

AXIOMATA.

Tolerabilius eſt malum ſi in communi incommodo nulla in quemquam propria ignominia nominatim cadat.

Non facilè peccant qui vel imaginem aliquam iudiciorum, aut ſimulacrum aliquod futurum in ciuitate reliquum putant.

ARGVMENTVM.

Digreſſionis ſuæ reddit rationem, & inuidiam à ſe deprecatur quòd plura de ſeipſo ſit dicturus, Sextij cauſſam aiens ita cum ſua ipſius implicatam eſſe, vt altera non poſſit ab alterà ſeparari.

XXXI. ETSI me attentiſſimis animis ſummâ cum benignitate auditis, iudices, tamen vereor, ne quis fortè veſtrûm miretur, quid hæc mea oratio tam longa, ac tam altè repetita velit: aut quid ad P. Sextij cauſſam, eorũ qui ante huius Tribunatum Remp. vexarunt, delicta pertineant. mihi autem hoc propoſitum eſt oſtendere, omnia conſilia P. Sextij, mentémq. totius Tribunatus hanc fuiſſe, vt afflictæ & perditæ Reipubl. quantum poſſet, mederetur. Ac ſi in exponendis vulneribus illis, de me ipſo plura dicere videbor, ignoſcitote. nam & illam meã cladem vos, & omnes boni maximum eſſe Reip. vulnus iudicaſtis, & P. Sextius eſt reus non ſuo ſed meo nomine: qui, cùm omnem vim ſui Tribunatus in mea ſalute conſumpſerit, neceſſe eſt meam cauſſam præteriti temporis cum huius præſenti defenſione eſſe coniunctam.

EXPLANATIO.

ETSI.] Prudenter ſe attentè & beneuolè dicit audiri, vt ſi quis auditorum quidpiam vel de attentione, vel de beneuolentiâ remiſerit, de integro excitetur.

TAMEN VEREOR.] Rationem dubitandi proponit, ſimúlque ſuæ propoſitum orationis oſtendit, vt docilitas renouetur. Quaſi igitur inſtaurato quodam exordio, attentum, docilem, & beneuolum denuò facit auditorem.

EORVM QVI ANTE.] Clodij, Piſonis, Gabinij.

VEXARVNT.] ingenti calamitate affecerunt.

MIHI AVTEM.] Ratio digreſſionis exponitur.

AFFLICTÆ.] Non ſolùm euerſæ, ſed etiam, quod maius eſt, magno impetu & afflictu in terram deiectæ, & quodammodo in partes comminutæ & diſſipatæ.

ET PERDITÆ.] Ita profligatæ vt vix vllæ reliquiæ ſupereſſent.

VVLNERIBVS.] Cladibus in Remp. inuectis, & ſeditionibus in ea concitatis.

NAM ET.] Duas affert rationes cur ſibi plura de ſeipſo dicenti danda venia eſſe videatur. Altera petitur à Iudicum & bonorum omnium iudicio, qui Ciceronis expulſionem, maximam omnium quæ Clodij ſeditionibus euenerant, Reip. cladem fuiſſe iudicarunt. Et ita Iudicum beneuolentiam ſibi conciliat, dum ſe pro ſeipſo dicẽtem, non ſuo ipſius ſed Iudicum, atque adeò bonorum omnium iudicio ſtare modeſtè confirmat, & Iudices cum viris bonis cõiungit. Altera ratio, quod Sextius eſſet reus non ſuo ſed Ciceronis nomine. Id eſt accuſaretur quòd eius operâ Cicero fuiſſet patriæ reſtitutus.

NOTÆ.

I. ETSI.] Rectè monet Ariſtoteles lib. 3. Rhetoric. cap. 14. Attentionem quibuſuis orationis partibus, cùm opus fuerit, eſſe renouandam. Τὸ προσεκτικὸν ποιεῖν, πάντων τῶν μερῶν κοινὸν, ἐὰν δέῃ· πανταχοῦ γὰρ ἀνιᾶσι μᾶλλον ἢ ἀρχόμενοι. διὸ γελοῖον ἐν ἀρχῇ τάττειν, ὅτε μάλιστα πάντες προσέχοντες ἀκροῶνται. *Attentum facere omnium partium eſt commune, ſi opus ſit. Vbique enim langueſcunt & tædio afficiuntur magis quàm in exordio. Quare ridiculum eſt in principio collocare, cùm maximè omnes attendentes audiunt.* Attentio in omnibus partibus renouãda.

II. MIHI PROPOSITVM EST.] Ariſtoteles loco proximè citato. Τὸ μὲν οὖν ἀναγκαιότατον ἔργον τοῦ προοιμίου καὶ ἴδιον τοῦτο, δηλῶσαι τὸ τέλος, οὗ ἕνεκα ὁ λόγος. *Maximè neceſſarium munus proœmij & proprium eſt hoc, indicare finem cuius gratiâ ſit oratio.* Reddiderat priùs rationem. Ἵνα προειδῶσι περὶ οὗ ἦν ὁ λόγος, καὶ μὴ πλανᾶται ἡ διάνοια.

Propoſitio poteſt etiam renouari. τὸ γὰρ ἀόριστον πλανᾷ. ὁ δοὺς οὖν, ὥσπερ εἰς τὴν χεῖρα τὴν ἀρχὴν· ποιεῖ ἐχόμενον ἀκολουθεῖν τῷ λόγῳ. *Vt prouideant de quo ſit oratio, & non ſuſpenſa ſit mentis agitatio. Qui igitur dat, vt in manus principium, facit vt hærens ſequatur orationem.* Ita Riccobonus. malim, *facit vt propoſito inſiſtens, quod dicitur percipiat.* Id tamen non in ſolo exordio, ſed etiam cùm in narrationem prouecti longiùs fuerint, vt & propoſitum orationis oſtendant, & reddant eius rei rationem. Exemplum eſt apud Demoſthenem de falſa legatione. Τοῦ χάριν δὴ ταῦτα ὑπέμνησα; &c. *Quam ob cauſſam horum feci mentionem?* &c. deinde aliam narrationem exorſurus, βούλομαι δὴ, &c. vide.

III. De meipso plvra dicere.] Demoſthenes exordio orationis de corona, tum alia multa in hanc ſententiam, tum iſtud. Πολλάκις λέγειν ἀναγκασθήσομαι περὶ ἐμαυτοῦ. πειράσομαι μὲν οὖν, ὡς μετριώτατα τοῦτο ποιεῖν. ὅτι δ᾽ ἂν τὸ Sui laudatio. πρᾶγμα αὐτὸ ἀναγκάζῃ, τούτου τὴν αἰτίαν οὗτός ἐστι δίκαιος ἔχειν, ὁ τοιοῦτον ἀγῶνα ἐνστησάμενος. οἶμαι δ᾽ ὑμᾶς ἂν ἄνδρες δικασταὶ πάντας ἂν ὁμολογῆσαι, κοινὸν εἶναι τουτονὶ τὸν ἀγῶνα ἐμοί τε καὶ Κτησιφῶντι. *Sæpè neceſſe habebo dicere de me ipſo. Ac operam quidem dabo, vt id quàm modeſtiſſimè faciam. Quod autem res ipſa dicere coëgerit; eius in iſtum culpa meritò transferetur, qui tale certamen inſtituerit. Vos opinor, Iudices, omnes fateamini communem hanc eſſe cauſſam & mihi & Cteſiphonti.* quem in locum Vlpianus. ἠθικώτατα οὐκ εἶπεν ἐπαινεῖν ἐμαυτόν, ἀλλὰ λέγειν ἁπλῶς. *modeſtiſſimè dixit non laudare meipſum, ſed dicere ſimpliciter.* Verùm de ſui ipſius laude, atque adeò de hoc ipſo loco Demoſthenis conſule Plutarchum opuſculo ad hoc inſtituto, & notas noſtras in Vatinium 9.

AXIOMATA.

Afflictæ ac perditæ Reipub. medendum.

Ignoſcendum ei qui de ſeipſo plura dicit neceſſitate compulſus.

ARGVMENTVM.

Redit ad inſtitutam orationem de ſeditionibus Clodianis: ac primùm in Conſules inuehitur, quòd edixerint vt Senatores ad veſtitum redirent.

XXXII. ERAT igitur in luctu Senatus: ſqualebat ciuitas publico conſilio, mutatâ veſte: nullum erat Italiæ municipium, nulla colonia, nulla præfectura, nulla Romæ ſocietas vectigalium, nullum collegium, aut concilium, aut omnino aliquod commune concilium, quod tum, non honorificentiſſimè decreuiſſet de mea ſalute: cùm ſubitò edicunt duo conſules, vt ad ſuum veſtitum Senatores redirent. Quis vnquam Conſul Senatum ipſius decretis parere prohibuit? quis tyrannus miſeros lugere vetuit? parúmne eſt, Piſo, vt omittam Gabinium, quòd tantùm homines fefelliſti, vt negligeres auctoritatem Senatus? optimi cuiuſque conſilia contemneres? Rempubl. proderes? Conſulare nomen affligeres? etiámne edicere audeas ne mœrerent homines meam, ſuam, Reipublicæ calamitatem, néve hunc ſuum dolorem veſte mutatâ, ſignificarent? ſiue illa veſtis mutatio ad luctum ipſorum, ſiue ad deprecandum valebat, quis vnquam tam crudelis fuit, qui prohiberet quemquam aut ſibi mœrere, aut cæteris ſupplicare?

EXPLANATIO.

SQVALEBAT.] Vniuerſi ciues ex decreto Senatus ſordidis & ſqualidis veſtib. induebãtur.

Mvnicipivm.] Nullum fuit in Italiâ oppidum quod propriis legibus vteretur, & muneris tantum honorarij particeps eſſet. Ita Gellius. Feſtus tamen excipit ius ſuffragij ferendi magiſtratúſque capiendi quod ad municipes haudquaquam pertinebat. Vide Sigonium, & alios paſſim.

Colonia.] Oppidum ex vrbe propagatum. Gellius libro 16. cap. 13. Coloniæ *non veniunt extrinſecus in ciuitatem, nec ſuis radicibus nituntur, ſed ex ciuitate quaſi propagatæ ſunt, & iura inſtitutáq. populi Romani non ſui arbitrij habẽt.*

Præfectvra.] Feſtus: *Præfectura ea appellabantur in Italiâ, in quibus & ius dicebatur, & nundinæ agebantur, & erat quædam earum Reſpub. neque tamen magiſtratus ſuos habebant, in quas legibus præfecti mittebantur quotannis qui ius dicerent.*

Soc. vectig.] Congregatio quædam ſiue conuentus eorum qui inter ſe contrahebant ſocietatem, & vectigalia publica communi vel emolumento vel periculo redimebant.

Collegivm.] Conuentus certorum hominum eandem artem profitentium. De quibus Plutarchus in Numa, Dio lib. 38. &c.

Concilivm.] Gellius cap. 27. lib. 13. Noct. Attic. *Is qui non vniuerſum populum, ſed partem aliquam adeſſe iubet, non comitia, ſed concilium edicere debet.* Feſtus deriuat *à concalando, id eſt vocãdo.*

Concilivm.] Quiuis cõuentus, ſiue conſeſſus.

Svbito.] Edicti conſularis inde iniquitatem exaggerat, quòd ſubitò & ex improuiſo Senatui, vt ad veſtitum rediret, edixerint. Tum quòd tela præuiſa minùs feriunt, tum quòd ſi tantillum diſtuliſſent bonorum virorum precibus & auctoritate à ſententia dimoueri.

Q V I S V N Q V A M.] in Piſ.18. *Quis hoc fecit vlla in Scythiâ tyrannus, vt eos quos luctu afficeret, lugere non ſineret? mœrorem relinquis, mœroris aufers inſignia.* vide.

F E F E L L I S T I.] Frontis ſeueritate & ſimulatione virtutis.

M E A M, S V A M, R E I P.] Aduerte gradationem pulcherrimam. crudele eſt prohibere ne amicus amici calamitatem lugeat: crudelius, ne ſuam ipſius: crudeliſſimum ne communem Reip.

S I V E I L L A.] Dilemma. veſtis vel luctus ſignificandi, vel deprecandi cauſa mutata eſt. Sed vtrumuis dicatur iniquum eſt veſtis mutationem prohibere,&c.

N O T Æ.

I. SQVALLEBAT.] Vide Milonianam 20. *Luget Senatus, mœret equeſter ordo, tota ciuitas confecta ſenio eſt, ſqualent municipia, affliƈtantur coloniæ.*

II. S O C I E T A S V E C T I G A L I V M.] Publicani diuidebantur in certas Societates quæ appellabantur à prouinciis, quarum vectigalia exigenda ſuſceperant. lib.13. ad familiares epiſt.9. *Volo enim te exiſtimare me cùm vniuerſo ordini publicanorum multum ſemper libentiſſimè tribuerim, idque pro magnis eius ordinis erga me meritis facere debuerim, tum imprimis amicum eſſe huic Bithynicæ Societati: quæ Societas ordine ipſo, hominum genere pars eſt maxima ciuitatis, conſtat enim ex cæteris Societatibus.* & epiſt. proximè ſequenti. *Maturè ſe contulit in Societates publicanorum, quod quidem nollem, maximis enim damnis affectus eſt.* Rurſum epiſt.65. *Cum ſociis ſcripturæ mihi ſumma neceſſitudo eſt, non ſolùm ob eam cauſam, quòd ea Societas vniuerſa in mea fide eſt, ſed etiam quod plerisque ſociis vtor familiariſſimè.* E quibus intelligis ab huiuſmodi ſocietatibus patronos, in quorum fide & tutela eſſent, adoptatos fuiſſe principes ciuitatis. In iis Societatibus vnus erat magiſter, alij operæ dicebantur qui operam magiſtro nauabant in vectigalibus colligendis. Epiſt. 9. eiuſdem lib. 13. *P. Rupilius P.F. Men. qui eſt magiſter in ea Societatis.* Item, *Cn. Pupium qui eſt in operis eius Societate.* & epiſt. 65. *Cum P. Terentio Hippone, qui operas in ſcriptura pro magiſtro dat.* Liuius lib. 24. *Ad conducendum tres ſocietates aderant.*

Societates vectigalium.

Magiſtri Societatis.

Operæ Societatis.

III. N V L L V M C O L L E G I V M.] Dubitari poteſt quænam fuerint iſta collegia. Eáne quæ reſtituerat Clodius in Piſonem 9. *Collegia non ea ſolum quæ Senatus ſuſtulerat, reſtituta ſunt, ſed innumerabilia quædam noua ex omni fæce vrbis, ac ſeruitio conſtituta.* Vix adducor vt credam. Neque enim ea Tullius vituperaret: ſi de ipſius ſalute honorificentiſſimè decreuiſſent, aut ea collegia recens conſtituta. atque adeò recenti Clodij beneficio deuincta Tullio fauere potuiſſent. Quare ſuſpicor Senatûs illud conſultum de tollendis collegiis non de omnibus fuiſſe, ſed de quibuſdam nominatim, & ea quæ ſublata non fuerant fauiſſe Ciceroni. pro domo ſua 74. *Nullum eſt in hac vrbe collegium, nulli pagani aut montani, (Quoniam plebi quoque vrbanæ maiores noſtri conuenticula, & quaſi conſilia quædam eſſe voluerunt) qui non ampliſſimè non modò de ſalute mea, ſed etiam de dignitate decreuerint.* Sed de collegiis vide Piſonianam.

Collegia.

IV. M I S E R O S L V G E R E.] In Piſonem 18. plura tyrannorum exempla qui miſeros lugere vetuerunt congeremus. Interim habe quod refert Xiphilinus epitome Dionis, agens de matre Antonini & Getæ, cuius in gremio Antoninus Caracalla iuſſit fratrem ſuum interfici. *Filium,* inquit, *occiſum* (parco Græcis) *nefariè in ſinu ſuo conſpexit: eiúſque cædem intra ſua viſcera, quodammodo, ex quibus ipſum pepererat, recepit. Nam ita ſanguine perfuſa eſt, vt vulnus, quod ipſa accepit in manu, nihili faceret. Neque verò licuit ei vel lamentari, vel lugere interitum filij, quamuis immaturum oblatúmque miſerabiliter (natus enim erat duos & viginti annos, menſéſque nouem) ſed quaſi foret in maxima fœlicitate, lætari ac ridere coacta eſt. Adeò verba eius omnia nutuſque ac color obſeruabantur. Itaque huic ſoli cùm eſſet Auguſta, Imperatoris vxor, ac Imperatorum mater, ne priuatim quidem licuit flere caſum acerbiſſimum.* Tacitus libro 6. annalium. *Ne fœminæ quidem exortes periculi. Quæ occupandæ Reipub. argui non poterant, ob lacrymas accuſabantur. necatáque eſt anus Vitia Fuſij Gemini mater, quòd filij necem fleuiſſet.* Philo Iudæus in Flaccum. Τῶν δ᾽ ὡς ἀληθῶς πεπονθότων φίλοι καὶ συγγενεῖς, ὅτι μόνον ταῖς τῶν προσηκόντων συμφοραῖς συνήλγησαν, ἀπήγοντο, ἐμαστιγοῦντο, καὶ μετὰ πάσας τὰς αἰκίας ὅσας ἐδύναντο χωρῆσαι τὰ σώματ᾽ αὐτοῖς ἡ τελευταία καὶ ἔφεδρος τιμωρία ὁ σταυρὸς ἦν. *Eorum qui verè ſupplicio multati fuerant amici & affines, quòd ſolùm neceſſariorum ſuorum miſeriis condoluiſſent, abducebantur, virgis cædebantur, & poſt omnes tormentorum contumelias, quas eorum corpuſcula capere potuerant, extremum, quod eos manebat ſupplicium, erat crux.* Cæterùm quàm miſerum ſit miſeris eripere lacrymarum ſolatium oſtendit Baſilius Magnus oratione περὶ εὐχαριστίας priore, reddens eius rei phyſicam rationem de Chriſto Domino, ita loquens. Καὶ τὸ δάκρυον προσήκατο τὸ φυσικὸν τῇ σαρκὶ ἐπιγίνεσθαι σύμπτωμα συγχωρῶν· ὅπερ συμβαίνει, ὅταν τὰ κοῖλα τοῦ ἐγκεφάλου τῶν ἐκ τῆς λύπης ἀναθυμιάσεων πληρωθέντα οἷον δι᾽ ὀχετῶν τινῶν, τῶν κατὰ τοὺς ὀφθαλμοὺς πόρων τοῦ ὑγροῦ τὸ βάρος ἀποσκευάζηται. ὅθεν ἦχοί τινες καὶ ἴλιγγοι καὶ σκοτώσεις ἐπὶ τοῖς ἀδοκήτοις τῶν λυπηρῶν ἀκοαῖς ἐγγίνονται, περιδονουμένης τῆς κεφαλῆς ὑπὸ τῶν ἀτμῶν. οὓς ἡ ἐπὶ τὸ βάθος τοῦ θερμοῦ συστολὴ ἀναπέμπει. εἶτα, οἶμαι, ὥσπερ τὸ νέφος εἰς ψεκάδας, οὕτως τὸ πάχος τῶν ἀτμῶν εἰς δάκρυον διαλύεται. ἔνθεν καὶ ἡδονή τις ἔστι τοῖς λυπουμένοις περὶ τὸν θρῆνον, λανθανόντως διὰ τοῦ κλαίειν κενουμένου αὐτοῖς τοῦ βαρύνοντος. *Et lacrymas admiſit carni permittens vt eo munere, quod naturâ euenit, fungeretur. Quod euenire ſolet, cùm cerebri vacua exhalationibus vi doloris expreſſis oppleta, tanquam per canales quoſdam, ita per oculorum meatus, humoris grauitatem emittunt ac diſſipant. vnde gemitus quidam oriuntur & ſingultus, & caligines, cùm quædam triſtiora ex improuiſo audiuntur, capite humorum exhalationibus iactato, quos in profundum contractio caloris emittit. Deinde, vt arbitror, tanquam nubes in ſtillas, ita craſſus ille vapor humoris in lacrymas diſſoluitur. Vnde voluptas ineſt dolentibus circa lamentum, quòd per lacrymas id, quod grauabat, ſenſim ſine ſenſu exhauriatur.* Mox id experientia confirmat, rationem ſubdens cur ij, qui lugere vetantur, grauiùs torqueantur. Ὃ γὰρ ἐπὶ τῆς φλογὸς ὁρᾶν ὑπάρχει, ὑπὸ τοῦ οἰκείου αὐτὴν καπνοῦ καταπνίγεσθαι μὴ ὑπεξιόντος, ἀλλὰ περὶ αὐτὴν εἱλουμένου, τοῦτό φασι καὶ ἐπὶ τῆς οἰκονομούσης τὸ ζῶον δυνάμεως γίνεσθαι. ἀπομαραίνεσθαι γὰρ ὑπὸ τῶν ὀδυνηρῶν, καὶ κατα-

Lacrymæ prohibitæ.

Cur lacrymæ ſolentur.

σβέννυσθαι, μηδεμιᾶς γινομένης ἐπὶ τὸ ἔξω διαπνοῆς. Quod enim in flammâ videre eſt, eam à ſuo ipſius fumo non exeunte, ſed ſeipſum circa illam conuoluente ſuffocari, hoc ipſum in ſpiritu animali dicunt euenire: marceſcere enim vi doloris & extingui, niſi foras per reſpirationem eruperit. Vſque adeò verum eſt illud Naſonis.

> *Strangulat incluſus dolor, atque exæſtuat intus,*
> *Cogitur & vires multiplicare ſuas.*

AXIOMATA.

Conſul non debet Senatum prohibere ne ſuis decretis pareat.

Quis tyrannus miſeros lugere vetuit?

Magiſtratus non debet negligere auctoritatem Senatus, nec optimi cuiuſque conſilia contemnere.

Quis vnquam tam crudelis fuit, qui prohiberet quemquam aut ſibi mœrere aut cæteris ſupplicare?

ARGVMENTVM.

Indignitatem edicti Conſulum de reſumenda veſte per comparationem exaggerat, & eoſdem inſectatur quòd à Clodio producti in concionem, & interrogati quid de Ciceronis Conſulatu ſentirent, eo damnato Clodij factum ſuis ſententiis comprobarint.

XXXIII. QVid, ſuâ ſponte homines in amicorum periculis veſtitum mutare non ſolent? pro te ipſo, Piſo, nemóne mutauit? ne iſti quidem, quos legatos non modò nullo Senatuſconſulto, ſed etiam repugnante Senatu, tute tibi legaſti? Ergo hominis deſperati, & proditoris Reipub. caſum lugebunt fortaſſe qui volent: ciuis florentiſſimi beneuolentiâ bonorum, & optimè de ſalute patriæ meriti periculum coniunctum cum periculo ciuitatis, lugere Senatui non licebit? Iidem Conſules (ſi appellandi ſunt Conſules, quos nemo eſt, qui non modò ex memoriâ, ſed etiam ex faſtis euellendos non putet) pacto iam fœdere prouinciarum, producti in circo Flaminio in concionem ab illa furia, ac peſte patriæ maximo cum gemitu veſtro, illa omnia, quæ cùm contra me, contráque Remp. dixerant, voce ac ſententiâ ſuâ comprobauerunt.

EXPLANATIO.

QVID SVA SPONTE.] Argumentum à minori ad maius. Si cuius priuato conſilio licet in periculo hominis profligatiſſimi veſtem mutare, multò magis Senatui vniuerſo, id facere licebit in periculo ciuis florentiſſimi. Sed in periculo Piſonis, qui voluit veſtem mutauit. Ergo, &c.

LEGATOS.] L. Flaccum, & Q. Martium, quorum prælio appellatus fuit Imperator, vt dicitur in Piſonem 54. cæteri mihi ſunt incogniti.

HOM. DESPERATI.] Piſonis.

CIVIS FLOR.] Ipſius Ciceronis.

IIDEM CONS.] Clodius vt rogationi ſuæ de expulſione Ciceronis aliquem iuſtitiæ colorem inueniret, tum aliquot principes ciuitatis, tum imprimis Conſules in circo Flaminio produxit in concionem, eóſque palam audiente populo Romano interrogauit, quid ſentirẽt de M. Tullij Conſulatu, reſpondit Piſo CRVDELITATEM SIBI NON PLACERE: Gabinius & Ciceronem, & equeſtrem ordinem accuſauit.

EX FASTIS.] E catalogo Conſulum per annos digeſtorum delendos & oblitterandos.

PACTO IAM FOED.] Vt Piſo Macedoniam, Gabinius Ciliciam, quæ deinde in Syriam mutata eſt, prouincias obtinerent.

AB ILLA FVRIA.] P. Clodio furioſo tribuno plebis, qui furiæ cuiuſdam inſtar ardentem ſeditionis tædam iniecit Reipub. & tanquam peſtis ſuorum ſcelerum contagione totam ciuitatem infecit.

NOTÆ.

LEGATOS.] De his in Piſonem, in Vatinium & de prouinc. Conſular. I.

NVLLO S. C.] Senatus fuit legatos imperatoribus conſtituere, vel ſaltem eorum electionem auctoritate ſuâ comprobare. In Vatinium 35. *Volo etiam audire de te quo tandem S.C. legatus ſis.* Et 36. *Quis legatos vnquam audiuit ſine S.C. ante te nemo. Pòſt continuò fecit idem in duobus prodigiis Reipub. Clodius.* Vide notas. II. Legati ex S.C.

PRODITORIS REIPVB.] Piſonem & Gabinium frequenter, *Reipub. proditores appellat.* Suprà 17. *Euerſores huius Imperij, proditores veſtræ dignitatis.* In Piſonem 24. *Qui latrones igitur, ſiquidem vos Conſules, qui prædones, qui hoſtes, qui proditores, qui tyranni nominabuntur?* Quo loco pluribus de proditionis atrocitate diſſeremus. Vide locum & interim audi Alcidamantem oratione Vlyſſis contra Palamedem. *Ἔστι δὲ τὸ πρᾶγμα (ὡς ἂν εἰδῆτε) προδοσία. ἐφ᾽ ἧ δεκαπλασία τῶν ἄλλων ζημία ἐστὶν ἐπικειμένη. Res qua de agitur (vt ſciatis) eſt proditio. cui ſupplicium decuplo maius quàm aliis ſceleribus irrogatur.* Et Gorgiam apologiâ eiuſdem Palamedis. *Πᾶσι γὰρ ὅ γε προδότης πολέμιος, τῷ νόμῳ, τῇ δίκῃ, τοῖς θεοῖς, τῷ πλήθει τῶν ἀνθρώπων· τὸν μὲν γε νόμον παραβαίνει, τὴν δίκην καταλύει, τὸ δὲ πλῆθος διαφθείρει, τὸ δὲ θεῖον ἀτιμάζει. Omnibus hoſtis eſt proditor, legi, iuſtitiæ, diis, hominum generi. Siquidem legem tranſgreditur* III.

iuſtitiam ſoluit, humanum genus perdit, Deum inhonorat. Quare proditores adeò execrati ſunt Spartani, vt Pauſaniam Regẽ proditionis reum, cùm in Mineruæ templum profugiſſet, foribus obſtructis fame extinxerint. Thucydides, Plu- Proditores.
tarchus, Lycurgus contra Leocratem: qui narrationem ita concludit. Τῷ λιμῷ ἀπέκτειναν, καὶ πᾶσιν ἐπίσημον τὴν τιμωρίαν ἐποίησαν, ὅτι οὐδ' αἱ παρὰ τῶν θεῶν ἐπικουρίαι τοῖς προδόταις βοηθοῦσιν. εἰκότως. οὐδὲν γὰρ πρότερον ἀδικοῦσιν, ἢ περὶ τοὺς θεοὺς ἀσεβοῦσιν. *Fame necauerunt, omnibúſque manifeſtum ſupplicium fecerunt, quòd neque Deorum auxilia auxilio ſint proditoribus. neque id iniuria. Nihil enim prius iniuſtè faciunt, quàm ſuam in Deos impietatem exprompſerint.* Et Athenienſes Phrynichum ab Apollodoro & Thraſybulo cæſum, proditionis reum fecerunt, vt ait idem Lycurgus, & cùm proditorem videri pronuntiaſſent, Τὰ τοῦ προδότου ὀστᾶ ἀνορύξαντες, ἐκ τῆς Ἀττικῆς ἐξώρισαν, καὶ τοὺς ἀπολογουμένους ὑπὲρ αὐτοῦ Ἀρίσταρχον καὶ Ἀλεξικλέα ἀπέκτειναν, καὶ οὐδὲ ἐν τῇ χώρᾳ ταφῆναι ἐπέτρεψαν. *Effoſſa proditoris oſſa extra fines Atticæ eiecerunt, eiúſque patronos Ariſtarchum & Alexiclem morte mulctarunt, neque in ſuis finibus ſepeliri permiſerunt.* Iidem, eodẽ referente: Ἵππαρχον τὸν Τιμάρχου οὐχ ὑπομείναντα τῆς προδοσίας ἐν τῷ δήμῳ κρίσιν, ἀλλ' ἔρημον τὸν ἀγῶνα ἐάσαντος, θανάτῳ τοῦτον ζημιώσαντες, ἐπειδὴ τῆς ἀδικίας οὐκ ἔλαβον τὸ σῶμα ὅμηρον, τὴν εἰκόνα αὐτοῦ ἐξ ἀκροπόλεως καθελόντες, καὶ συγχωνεύσαντες, καὶ ποιήσαντες στήλην, ἐψηφίσαντο εἰς ταύτην ἀναγράφειν τοὺς ἀλιτηρίους, καὶ τοὺς προδότας. *Hipparchum Timarchi filium, cùm die ſibi ad populum crimine proditionis dictâ adeſſe noluiſſet, abſentem morte damnarunt, eúmque eius ob noxam puniendi facultatem non haberent, eius ſtatuam ex arce ſublatam conflauerunt, & columnam erigentes decreuerunt, vt in eâ exitiales peſtes, & proditores Reip. ſcriberentur.* Et meritò id quidem: nam vt ait Menœceus apud Euripidem in Phœniſſis.

---οὐ γὰρ συγγνώμην ἔχει
Προδότην γενέσθαι πατρίδος.----
Non proditori venia patriæ datur.

Æſchylus Prometheo verbis extremis.

Τοὺς προδότας γὰρ μισεῖν ἔμαθον.
Κοὐκ ἔστι νόσος τῆσδ' ἥν τιν' ἀπέπτυσα μᾶλλον.
Nam proditores odiſſe noui, neque morbus quem magis excreo iſto.

IV. Ex fastis.] In Piſonem 30. *Conſules non dicam animi hominum, ſed faſti vlli ferre poſſunt?*
Fasti. Faſti fuerunt quædam magiſtratuum & totius anni deſcriptio, cuius ſummum locum, & primam lineam nomina Conſulum obtinebant. Annales chartas Prudentius eleganter appellat lib. contra Symmachum priore.

Quamlibet illuſtres meritis, & ſanguine clari
Præmia virtutum titulis, & honoribus aucti
Ardua rettulerint, faſtorúmque arce potiti
Annales proprio ſignarint nomine chartas,
Atque inter veteres cerâ numerentur, & ære.

Claudianus 4. Honorij Conſulatu.

Aſpice mox lætum ſonuit lictore tribunal
Te faſtos ineunte quater.---

Sidonius Panegyrico Anthemij.

Annum pande nouum Conſul nouus, ac ſine faſtu
Scribere bis faſtis.---

Quod ſpectat ad euulſionem ex Faſtis, notat illuſtriſſimus Eccleſiaſticorum Annalium ſcriptor ad annum 309. cã fuiſſe olim penes Romanos conſuetudinem, ne Conſules quantumlibet criminoſi expungerentur è publicis tabulis, ex Tacito 3. Annalium, vbi Tiberius Piſonis, qui Germanicum veneno extinxerat, nomen è faſtis eradi prohibuit. Quæ tamen conſuetudo deinde fuit antiquata. Vt eodem loco de Maxentio oſtendit, de Eutropio ad annum 399. de Stilicone 408. de Tertullo 410. de Caſtino 424. Claudianus prologo libri 2. in Eutropium.

Ablato penitus reſpirant nomine Faſti.

Quod à Commodo iam vſurpatum fuiſſe crediderim: ſiquidem Pertinax eius ſucceſſor, vt auctor eſt Iulius Capitolinus, *Reuocauit etiam eos, qui deportati fuerant crimine maieſtatis, eorum memoria reſtitutâ qui occiſi fuerant.* Ergo iam tum damnatorum memoria tollebatur, id eſt, nomina & tituli eradebantur. V.

Prodvcti.] Vide Vatinianam 24. *Auctoritatis exquirendæ causâ cæteri Tribuniplebis Principes ciuitatis producere conſueuerunt.* Vbi quid Piſo, quid Gabinius, quid Cæſar à Clodio producti in concionem reſponderint, adferemus.

In circo Flaminio.] Fuit in nona vrbis regione, à quo & tota regio nomen accepit, vt videre eſt apud Aurelium Victorem. De quo Marlianus lib. 6. cap. 3. *Circum Flaminium in eo loco fuiſſe, vbi hodie apotheca obſcuræ ad ædem S. Catharinæ, veſtigia adhuc demonſtrant: dictus eſt autem Flaminius circus, quòd circum Flaminium campum ædificatus fuerit, vel à Conſule Flaminio, qui ad Thraſimenum lacum occiſus eſt. In hoc ludi Apollinares equeſtréſque celebrabantur, in hunc etiam Senatus conſultandi gratiâ ex Capitolio deſcendens conuenire conſueuit.* VI. Circus flaminius.

AXIOMA.

Non ſunt appellandi Conſules quos nemo eſt, qui non modò ex memoriâ, ſed etiam ex Faſtis euellendos non putet.

ARGVMENTVM.

Cæteras turbas P. Clodij factionibus, non repugnantibus Conſulibus in Rep. concitatas exequitur. Idque præſertim inſectatur, quòd leges Aeliam & Fuſiam de tempore legum rogandarum euertit.

XXXIV. Iiſdem Conſulibus ſedentibus atque inſpectantibus lata lex eſt, ne auſpicia valerent, ne quis obnuntiaret, ne quis legi intercederet, vt omnibus faſtis diebus legem ferri liceret: vt lex Ælia, lex Fuſia ne valeret. Quâ vnâ rogatione, quis eſt, qui non intelligat vniuerſam Remp. eſſe deletam? Iiſdem coss. inſpectantibus, ſeruorum delectus habebatur pro

tribunali Aurelio nomine collegiorum, cùm vicatim homines conſcriberentur, decuriarentur, ad vim, ad manus, ad cædem, ad direptionem incitarentur. Iiſdem COSS. arma in templum Caſtoris palam comportabantur, gradus eiuſdem templi tollebantur, armati homines forum & conciones tenebant, cædes lapidationéſque fiebant: nullus erat Senatus, nihil reliqui magiſtratus: vnus omnem omnium poteſtatem armis & latrociniis poſſidebat, non aliquâ vi ſuâ, ſed cùm duos Conſules à Repub. prouinciarum fœdere retraxiſſet, inſultabat, dominabatur, aliis pollicebatur, terrore ac metu multos, plures etiam ſpe, & promiſſis tenebat.

EXPLANATIO.

IISDEM.] Piſone & Gabinio diſſimulantibus, nec reſiſtentibus. Vide Piſonianam 9. Fuit autem lex Æ ia de comitiis quam tulit M. Ælius Conſul cum M. Iunio anno 586. vt quoties cum populo ageretur, augures de cœlo ſeruarent, & magiſtratus tum obnuntiandi, id eſt denuntiandi agi cum populo per Iouem non licere, tum legiſlationi intercedendi poteſtatem haberent. Sic Othomannus. Lex verò Fuſia fuit & ipſa de comitiis, quam tulit P. Furius, ſiue Fuſius Conſul anno 617. vt certis diebus, qui cæteroquin faſti eſſent, agi cum populo non liceret.

NE AVSPIC. VAL.] Ne quo die cum populo ageretur quiſquam de cœlo ſeruaret, aut eius rei ratio haberetur ad diſcutiendam concionem.

NE QVIS OBNVNT.] Ne magiſtratus renuntiarent quid augures ſeruantes de cœlo aduertiſſent, atque hac obnuntiatione concionem diſſoluerent.

NE QVIS LEGI INTERC.] Ne Tribunus plebis ſuâ auctoritate, nulláque ſui facti redditâ ratione, legis vllius lationem impedirent. Quæ tria vt fieri liceret lex Ælia prudenter cauebat, ad refrenandam Tribunorum plebis inſolentiam, qui nouis & nouis ſubinde rogationibus Remp. vexare cupiebant. Niſi augures obnuntiando, Conſules & Prætores ſeruando & obnuntiando, cæteri Tribuni plebis intercedendo, huic legum frequentiæ reſtitiſſent.

VT OMNIBVS.] Dies alij faſti fuerunt, alij nefaſti, alij interciſi. Faſtis agi cum populo licebat, nefaſtis non licebat; interciſis partim licebat, partim non licebat, quòd eorum media pars, putà ab ortu ſolis ad meridiem, nefaſta: media, putà à meridie ad ſolis occaſum, faſta ducerctur. Quare Fuſius Conſul, vt legum tribunitiarũ multitudinem impediret, legem tulit, quâ certis etiam quibuſdam diebus faſtis agi cum populo non liceret. Hanc lege contrariâ Clodius euertit.

QVA VNA ROG.] Hac Clodij rogatione vniuerſam Remp. deletam eſſe dicit, quia nihil eſt pernicioſius Reipub. quàm nouitas & legum multitudo. Vnde & in Piſonem 9. leges Ælia & Fuſia, *propugnacula murique tranquillitatis atque otij* nominantur, quòd hanc legum multitudinem impedirent.

SERVORVM DELECTVS.] Serui ex ergaſtulis educti ad arma vocabantur, & in exercitum conſcribebantur. nomine & prætextu collegiorum, quaſi Clodius non milites conſciberet, ſed ciuitatem, prout varias artes profitebantur, in certos ordines & collegia deſcriberet.

DECVRIARENTVR.] In ſuas decurias digererentur. Decuria autem propriè fuerunt decem equites, qui ab vno decurione regebantur, & tertiam turmæ partem faciebant.

ARMA IN TEMPLVM.] In Piſonem 11. *Arma in templo Caſtoris, proditor templorum omnium, vidente te conſtituebantur ab eo latrone, cui templum illud fuit te Conſule arx ciuium perditorum, receptaculum veterum Catilinæ militum, caſtellum forenſis latrocinij.* &c. Hîc aduerte tempus imperfectum frequentiùs vſurpatum, vt nullus malorum finis indicetur, & aſyntheton ſiue diſſolutio, vt plura & plura dici videantur.

NOTÆ.

SEDENTIBVS.] Non reſiſtentibus. In Piſonem 50. *An poteſt vlla eſſe excuſatio, non dicam malè ſentienti, ſed ſedenti, cunctanti, dormienti in maximo Reip. motu Conſuli?* Vide notas, & Lælium Biſciolam in Aduerſariis. Maro 11. Æneidos. I.

Cogite concilium, & pacem laudate ſedentes. Sedere.
Illi armis in regna ruunt.

Demoſthenes 2. Olynth. ἀλλ᾽ οἶμαι, καθήμεθα οὐδὲν ποιοῦντες. *Sed vt opinor ſedemus nihil facientes.* Ariſtophanes Acharnenſibus. Καθῆσθ᾽ ἐν δόμοισιν. ἢ πολλοῦ γε δεῖ.

NE AVSPICIA.] De auſpiciis quibus Romana ciuitas eſt conſtituta, dicemus in Vatinium 23. De auſpiciorum nugis & vanitate in Piſonem 11. De ritu auſpicandi pro Milone. De hac lege Clodiâ Dio lib. 38. copioſè: nos locum alibi proferemus. II.

NE QVIS OBNVNTIARET.] Obuium non eſt explicare quid propriè ſit obnuntiatio, propter obſcuritatem verbis Ciceronis offuſam 2. Philipp. 81. *Nos enim nuntiationem ſolùm habemus: Conſules & reliqui magiſtratus etiam ſpectionem.* Quibus innuere videtur auguribus de cœlo ſeruare fas non fuiſſe. Et 83. *Ementitus es auſpicia: obſtrinxiſti populum Romanum religione. Augur auguri, Conſul Conſuli obnuntiauiſti.* Item 99. *Cur autem ea comitia non habuiſti? An quia Tribunus plebis ſiniſtrum fulmen nuntiabat?* Quem in locum rem accuratiùs diſcutiendam differemus. III. Obnuntiare.

INTERCEDERET.] De interceſſione Tribunorum infra 77. IV.

FASTIS DIEBVS.] *Numa*, vt refert Macrobius lib. I. Saturn. cap. 16. *vt in menſes annum, ita in dies menſem quemque diſtribuit, diéſque omnes aut feſtos, aut profeſtos, aut interciſos vocauit. Feſti Diis dicati ſunt, profeſti hominibus, ob adminiſtrandam rem priuatam publicámque conceſſi:* V. Feſti dies. Profeſti. Interciſi.

interciſi

intercisi Deorum hominúmque communia ſunt: feſtis inſunt ſacrificia, feriæ, ludi, epulæ. Profeſtis faſti, comitiales, comperendini, ſtati, prœliares. Intercisi in ſe non in alia diuiduntur. Illorum enim dierum quibuſdam horis fas eſt, quibuſdam fas non eſt ius dicere. Et poſt non pauca, tam de intercisis, quàm de ſingulis feſtorum generibus, ita concludit. *Hæc de feſtis, & qui inde naſcuntur, qui etiam nefaſti dicuntur.* ſubdit. Faſti. *Faſti ſunt, quibus licet fari prætori tria verba ſolemnia do, dico, addico. His contrarij ſunt nefaſti.* Comitiales. *Comitiales ſunt, quibus cum populo agi licet. Et faſtis quidem lege agi licet: comitialibus vtrumque poteſt.* Comperendini. *Comperendini quibus vadimonium licet dicere.* Stati. *Stati qui iudicij cauſâ cum peregrino inſtituuntur, vt Plautus in Curculione.*

Status, condictus cum hoſte interceßit dies, &c.

Iuſti. Et paulò pòſt. *Iuſti ſunt continui triginta dies quibus exercitui imperato vexillum ruſi coloris in arce poſitum eſt: prœliares autem omnes, quibus fas eſt res repetere vel hoſtem laceſſere.* Hæc & iam trita, & fuſiùs fortaſſe prolata quàm oportuit. Id tantùm è dictis colligere ſuffecerit, non omnibus diebus faſtis cum populo agi debuiſſe, ſed iis tantùm qui comitiales dicti ſunt. Sed Clodius id diſcrimen ſuſtulit ſuâ lege ſanciens, vt omnibus omnino diebus faſtis ſiue profeſtis cum populo agere & habere comitia liceret. Notiſſimum illud Ouidianum:

Ille nefaſtus erit per quem tria verba ſilentur:
Faſtus erit per quem iure licebit agi.

LEX ÆLIA, LEX FVSIA.] Vide infra 56. in Piſonem 9. 10. De prouinciis conſularibus 46. vbi in explanatione dicemus quando, à quibus latæ fuerint, & quæ fuerit inter vtramque legem diſtinctio. De delectu ſeruorum Piſoniana conſulatur. VI.

TRIBVNALI AVRELIO.] Tribunal Aurelium fuit in foro eo ipſo anno factum, quo Caius Verres præturam vrbanam gerebat. pro Cluentio 61. cùm dixiſſet: *C. Verres Prætor vrbanus.* addit §. 93. *Gradus illi Aurelij tum noui, quaſi pro theatro illi iudicio ædificati videbantur: quos vbi accuſator concitatis hominibus complerat, non modò diſcedendi ab reo, ſed ne ſurgendi quidem poteſtas erat.* Vnde coniectura ſit hoc tribunal à M. Aurelio Cotta, eo ipſo tempore, quo legem iudiciariam tulit, habendis iudiciis fuiſſe excitatum. VII. Tribunal aurelium.

DECVRIARENTVR.] Decuriæ propriè equitum fuerunt, ſicut centuriæ peditum. de quibus ne in expedito tricari videar ad Valtrinum, & Lipſium lectorem remitto. VIII.

TEMPLVM CASTORIS.] Vide infra 85. & in Piſonem. IX.

AXIOMATA.

Periculoſum eſt ſeruorum delectum haberi, & ad cædem incitari.

Permitti non debet vt armati homines forum & conciones teneant, &c.

Alia cauſa diſceſſus Ciceronis qui

- Nec reſiſtendum putauit:
  - Non metu Conſulum vt ceſſerat Metellus Numidicus. Nam
    - alia fuit cauſa Metelli.
      - qui cedendum putauit Mario & Saturnino viris acerrimis.
      - cuius cauſam nullus ordo publicè ſuſceperat.
    - alia Ciceronis.
      - qui habebat inimicos Piſonem, Gabinium, Clodium, homines deſpicatiſſimos.
      - cuius cauſam Senatus vniuerſus publicè ſuſceperat.
  - Sed amore ciuium, ne magna ciuium ſtrages ederetur, quia,
    - aut ſemel cadendum fuiſſet.
    - aut bis pugnandum,
      - ſemel cum Conſulibus.
      - iterum cum eorum vltoribus qui futuri dicebantur, ipſis tacentibus.
        - Cæſar qui habebat ingentem exercitum.
        - Craſſus & Pompeius, qui priuatis opibus poterant exercitum parare.
- Nec exilij calamitatem morte voluntariâ fugiendam.
  - Non timore mortis quam contemnendam intelligebat.
    - 1. à ſimili 45.46.
    - 2. à præuiſione periculi. 47.
    - 3. à miſeriis quibus eum mors exemiſſet. 47.
    - 4. à gloriæ æternitate.
    - 5. à conditione naturæ quæ mortem omnibus definiuit.
    - 6. ab animæ ſtatu poſt hanc vitam.
    - 7. ab exemplis. 48.
      - 1. filiarum Erecthei.
      - 2. Quinti Mutij.
      - 3. Deciorum.
      - 4. P. Craſſi.
  - Sed patriæ charitate, ne ſi moreretur, exemplum Reip. defendendæ cum ipſo pariter interiret. quod probat
    - à minori comparatione Marij. 50
    - ab vtilitate conſequenti. 51.52.

ARGVMENTVM.

Seditiones Clodianæ fuſiùs ante deſcriptæ anacephalæoſi quadam velut in cumulum conglobantur, partim ne iam dicta iudicum animos præteruolent, partim vt viam ſibi ſternat ad exponendam diſceſſus ſui rationem.

XXXV. QVÆ, cùm eſſent eiuſmodi, iudices, cùm Senatus duces nullos, ac pro ducibus proditores, aut potiùs apertos hoſtes haberet, equeſter ordo reus à Conſulibus citaretur, Italiæ totius auctoritas repudiaretur, alij nominatim relegarentur, alij metu, ac periculo terrerentur, arma eſſent in templis, armati in foro, eáque non ſilentio Conſulum diſſimularentur, ſed & voce & ſententiâ comprobarentur: cùm omnes vrbem nondum exciſam, & euerſam, ſed iam captam, atque oppreſſam videremus, tamen, his tantis malis, tanto bonorum ſtudio iudices, reſtitiſſemus. Sed me alij metus, atque aliæ curæ, ſuſpicionéſque mouerunt.

XXXVI. Exponam enim hodierno die, iudices, omnem rationem facti, & conſilij mei, neque huic veſtro tanto ſtudio audiendi, neque verò huic tantæ multitudini quanta meâ memoriâ nunquam vllo in iudicio fuit, deero. Nam, ſi ego in cauſſâ tam bonâ, tanto ſtudio Senatûs, conſenſu tam in-

credibili bonorum omnium, tam parato, totâ denique Italiâ ad omnem contentionem expeditâ, ceſſi Tribuni pleb. deſpicatiſſimi hominis furori, contemptiſſimorum Conſulum leuitatem, audaciámque pertimui, nimiùm me timidum, nullius animi, nullius conſilij fuiſſe confiteor.

EXPLANATIO.

QVÆ CVM.] Cùm Senatus Conſules non haberet, quibus referentibus Reipublicæ ſaluti & commodis prouideret.

EQVESTER ORDO.] Accuſatus à Gabinio palam in concione, quòd me Conſule arma ſumpſiſſet, & Capitolinum cliuum occupauiſſet ad opprimendam coniurationem Catilinæ.

ITALIÆ.] Per legatos pro mea ſalute deprecantis.

ALII NOM.] Vt L. Lamia princeps equeſtris ordinis. ſupra 29.

IN TEMPLIS.] In templo Caſtoris, quod reuulſis gradibus à Clodianis eſt occupatum.

ALII METVS.] In Piſonem 21. *Alios ego vidi ventos, alias proſpexi animo procellas*, &c.

36. EXPONAM.] Promittit ſe expoſiturum ſui conſilij rationem, tum vt attentio, tum vt beneuolentia renouetur. Attentio, dum rem hactenus celatam & ſecretam, & quaſi intimos animi ſui ſenſus ſe expoſiturum eſſe promittit. Beneuolentia, dum oſtendit ſe auditoribus ſuis adeò confidere, vt eorum ſtudio deeſſe non poſſit.

AD OMNEM CONT.] Ad pugnam cum Clodianis ineundam.

NIMIVM ME.] Remouet eas cauſſas quæ ipſum ad cedendum non perpulerunt, vt faciliùs ſit ad veram diſceſſus cauſam deuenire.

NOTÆ.

I. SENATVS DVCES.] Conſules dicti videntur non ſolùm quòd conſulerent patriæ, vt alicubi dicit Orator, ſed etiam quòd eorum eſ-
Conſules duces Senatus. ſet *conſulere Senatum*, eſſéntque *publici Conſilij duces*, vt hac ipsâ oratione dicitur; & quod, vt Homeri verbis in re ſimili vtar, eſſent βουληφόροι, eſſent ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες. ſupra 20. *Habebit Senatus in hunc annum quem ſequatur: non deerit auctor, & dux bonis.*

PRODITORES.] Supra 33. *Ergo hominis deſperati & proditoris Reipub. caſum lugebunt fortaſſe qui volent.* vide Notas, & in Piſonem 24. *Qui hoſtes? qui proditores? qui tyranni?* Quo lo- II.
co proditionem hoſtilitate atrociorem eſſe ſi- Proditor.
gnificat, hîc videtur innuere contrarium. vtrumque verè. Nam ibi *hoſtem* vſurpat pro quouis apertum bellum inferente, hîc pro eo qui & Conſul ſit & hoſtis, quam hoſtilitatem neceſſe eſt perfidiâ & proditione eſſe implicatam: cùm nemo Conſul hoſtis eſſe poſſit niſi prodiderit Rempub.

RELEGARENTVR.] Minus & mollius III.
fuit relegari quàm in exilium mitti. Nam ius ciuitatis & teſtamenti faciendi retinebant relegati, cùm exules vtriuſque ius amitterent. Ouidius lib. 5. Triſt. eleg. 3.

Nec mihi ius ciuis, nec mihi nomen abeſt.
Nec mea conceſſa eſt aliis fortuna, nec exul
Edicti verbis nominor ipſe tui. Relegatus.

Et eodem lib. eleg. 12.

Nec vitam, nec opes, nec ius mihi ciuis ademit, Exul.
Quæ merui vitio perdere cuncta meo.
Ipſe relegati, non exulis vtitur in me
Nomine, &c.

Caius L. *Is qui* D. de iis qui teſtamentum facere poſſunt. *Sed relegati in inſulam, & quibus terra Italica, & ſua prouincia interdicitur, teſtamenti faciendi ius retinent.* Quare illud Plinij Iunioris lib. 4. epiſt. 11. de ſolis exulibus, non de relegatis intelligo. *Carent togæ iure, quibus aqua & igni interdictum eſt.*

SILENTIO.] Quod ipſum eſſet ſcelus in Pi- IV.
ſon. 10. *Neque verò multùm intereſt, præſertim in Conſule, vtrum ipſe pernicioſis legibus, improbis concionibus Rempub. vexet, an alios vexare patiatur.* vide Notas.

AXIOMA.

Nullius animi, nullius conſilij eſt, qui, ſi nulla alia cauſa ſubſit, deſpicatorum hominum furori cedendum putat.

ARGVMENTVM.

Expoſiturus diſceſſus ſui cauſſam oſtendit aliam ſibi cedendi fuiſſe rationem quam fuerat Quinto Metello Numidico, qui cùm in legem Apuleiam de agro à Cimbris recepto viritim diuidundo, ſolus è Senatu iurare nollet, de ciuitate maluit quàm de ſententiâ dimoueri.

QVID enim ſimile fuit in Quinto Metello? cuius cauſſam etſi om- XXXVII.
nes boni probabant, tamen neque Senatus publicè, neque vllus ordo propriè, neque ſuis decretis Italia tota ſuſceperat. ad ſuam enim magis quandam ille gloriam, quàm ad perſpicuam ſalutem Reip. ſpectarat, cùm vnus in legem per vim latam iurare noluerat: denique videbatur eâ conditione tam fortis fuiſſe, vt cum patriæ caritate, conſtantiæ gloriam commutaret. erat autem ei res cum exercitu C. Marij inuicto:

habebat inimicum C. Marium conſeruatorem patriæ, ſextum iam illum Conſulatum gerentem: res erat cum L. Saturnino iterum Tribuno pleb. vigilante homine, & in cauſſa populari ſi non moderatè, at certè populariter agente. attamen, nec tergiuerſatus ceſſit, ne aut victus à fortibus viris cum dedecore caderet, aut victor multis & fortibus ciuibus Rempub. orbaret.

XXXVIII. Meam cauſſam Senatus palàm, equeſter ordo acerrimè, cuncta Italia publicè, omnes boni propriè, enixéque ſuſceperant. eas res geſſeram, quarum non vnus auctor, ſed dux omnium voluntatis fuiſſem, quæque non modò ad ſingularem meam gloriam, ſed ad ſalutem communem omnium ciuium, & propè gentium pertinerent: eâ conditione geſſeram, vt meum factum ſemper omnes præſtare tueríque deberent. Erat autem mihi contentio non cum victore exercitu, ſed cum operis conductis, & ad diripiendam vrbem concitatis: habebam inimicum non C. Marium terrorem hoſtium, ſpem ſubſidiúmque patriæ, ſed duo importuna prodigia: quos egeſtas, quos æris alieni magnitudo, quos leuitas, quos improbitas Tribuno pleb. conſtrictos addixerat.

EXPLANATIO.

QVID ENIM.] Primam adfert diſſimilitudinis inter ſe & Metellum Numidicum rationem. quia Metelli cauſſam nullus ordo publicè ſuſceperat, quemadmodum Equeſter ordo Ciceronis cauſſam, ſuam ipſius eſſe ratus mutatâ veſte Conſulibus ſupplicarat, & ſe, ſi pugnandum eſſet, oſtenderat ad omnem eſſe contentionem expeditum.

AD SVAM.] Altera diſſimilitudinis ratio, quia non manifeſtè conſtabat quicquam Apuleiâ lege contineri quod ad vniuerſæ Reipubl. damnum pertineret. quemadmodum certum erat ad vniuerſam Rempubl. pertinuiſſe coniunctionem. quam Cicero ſuis conſiliis oppreſſerat.

ERAT AVTEM.] Tertia diſſimilitudinis ratio petitur ab inimicis vtriuſque. Metelli inimicus erat C. Marius Conſul, vir fortiſſimus, & Saturninus Tribunus plebis vir acer & vigilans. Ciceronis, Piſo & Gabinius homines leues, & nequam, & Clodius ſcelere & furore perditus, qui adeò facilè frangi vincíque potuiſſent.

CONSERVATOREM PATRIÆ.] Qui Iugurthâ in Africâ iam antè deuicto, Cymbros, Ambronas & Teutonas qui ad Reipub. totius perniciem imminentes, multis Romanorum exercitibus iam antè deletis, ſe per Alpes in Italiam infundebant, internecione deleuit, & patriam ab interitu vindicauit.

SEXTVM IAM ILLVM.] Ei conceſſum honoris & mercedis cauſſâ ob ſeruatam Rempublicam.

EAS RES.] Coniurationem extinxerat Lentulo, Cethego, & aliis ex S. C. in carcere iugulatis. quarum proinde rerum non ego ſolus, ſed Senatus omnis auctor fuerat, me referente.

PRÆSTARE.] Omne periculum in ſe recipere, &, vt vulgus loquitur, pro me reſpondere.

OPERIS CONDVCTIS.] Seruis & vili plebeculâ.

IMPORTVNA PRODIGIA.] Piſonem & Gabinium, non Conſules, ſed Reipub. monſtra, qui magnitudine æris alieni oppreſſi, ſe Clodio quaſi in ſeruitutem addixerant, conditione, vt Piſo Macedoniam, Syriam Gabinius obtineret.

NOTÆ.

IN LEGEM PER VIM LATAM IVRARE.] Id eſt, vt exponit Appianus loco proximè citato, ἐπομόσαι πείσεσθαι τῷ νόμῳ. *iurare ſe legi pariturum.* Noſter infra 61. *Quaſi verò non in alias quoque leges, quas iniuſtè rogatas putaret, iam antè iurarit.* Sic paſſim in alicuius verba iurare eſt iurare ſe eius verbis obtemperaturum. Horatius. I. Iurare in legem.

In verba iurares mea.

Et,

Nullius addictus iurare in verba magiſtri.

PER VIM LATAM.] Ita rem deſcribit Appianus I. ciuilium. Καὶ στάσεως ἐν τῇ κυρίᾳ γενομένης, ὅσοι μὲν ἐκώλυον τῶν δημάρχων τοὺς νόμους, ὑβριζόμενοι πρὸς τοῦ Ἀπουληΐου κατεπήδων ἀπὸ τοῦ βήματος. ὁ δὲ πολιτικὸς ὄχλος ἐβόα ὡς γενομένης ἐν ἐκκλησίᾳ βροντῆς, ὅθεν οὐ θέμις ἐστὶ Ῥωμαίοις οὐδὲν ἔτι κυροῦν. βιαζομένων δὲ καὶ ὣς τῶν περὶ τὸν Ἀπουλήϊον οἱ πολιτικοὶ τά τε ἱμάτια διαζωσάμενοι καὶ τὰ προστυχόντα ὅπλα ἁρπάσαντες τοὺς ἀγροίκους διέστησαν· οἱ δ' αὖθις ὑπὸ τοῦ Ἀπουληΐου συγκαλούμενοι μετὰ ξύλων καὶ οἵδε τοῖς ἀστικοῖς ἐποίησαν, καὶ βιασάμενοι τὸν νόμον ἐκύρωσαν. *Cùm exorta eſſet comitiorum die diſſenſio, quotquot Tribuniplebis his legibus intercedebant, ab Apuleio contumelioſè tractati deturbabantur è tribunali. Tum vrbana multitudo exclamat, quaſi audito tonitru. quod quoties accidit, nefas eſt Romanis quicquam decernere. Apuleianis autem ne tum quidem à vi abſtinentibus, vrbani præcinctis togis, & vertentes in telum quidquid lignorum fors obtuliſſet, diſiecerunt ruſticanos.* II. Lex Apuleia.

At illi conuocante rurſus Apuleio conglobati occurrerunt vrbanis, armati & ipſi fuſtibus: euiceruntque vt lex perferretur. erat autem ea lex de agro Cymbrico diuidundo.

II. Σωτήρ. CONSERVATOREM PATRIÆ.] In Verrina σωτῆρα dixit, nullum aſſerens eſſe vocabulum Latinis quod huic Græco reſpondeat, tamen eo ſenſu conſeruatorem frequenter vſurpat, vt in Vatinium 7. *Si ego te perditorem & vexatorem Reipubl. fero, tu me conſeruatorem & cuſtodem feras.*

III. SEXTVM.] Dubitare quis poſſit vtrum vox *ſextum* ſit nomen an aduerbium, & fortaſſe Noſter de induſtriâ in eo luſerit. quam in rem elegans eſt Tullij Tironis narratio libro 10. Noct. Sextùm Cõſul an ſextò? Attic. cap. 1. ad quam bonâ lectoris veniâ libet aberrare. *Quum Pompeius, inquit, ædem Victoriæ dedicaturus foret, cuius gradus vice theatri eſſent, nomenque eius & honores inſcriberentur, quæri exptum eſt, vtrum Conſul tertiò inſcribendum eſſet, an tertiùm. Eam rem Pompeius exquiſitiſſimè retulit ad doctiſſimos ciuitatis: cúmque diſſentiretur, & pars tertiò, alij tertiùm ſcribendum contenderent, rogauit Ciceronem Pompeius, vt quod ei rectius videretur, ſcribi iuberet. Tum Ciceronem de viris doctis iudicare veritum eſſe, ne quorum opinionem improbaſſet, ipſos videretur improbaſſe. Perſuaſit igitur Pompeio, vt neque tertiùm, neque tertiò ſcriberetur: ſed ad ſecundum vſque T fierent litteræ TERT. vt verbo non perſcripto res quidem demonſtraretur, ſed dictio tamen ambigua verbi lateret.* Parum ad rem iſta fortaſſe. ſed alia Lectoris, hoc animi mei cauſſâ ſcribendum eſſe duxi.

POPVLARITER.] Aptè ad perſuadendum IV. populo de haruſp. reſp. 41. *Ipſe Luc. Saturninus ita fuit effrenatus, & penè demens, vt auctor eſſet egregius, & ad animos imperitorum excitandos, inflammandóſque perfectus.* Quod verò noſter ait eum *in cauſſa populari populariter eſſe verſatum,* Appianus videtur refragari. Πλεονεκτούντων δὲ ἐν τῷ δήμῳ τῶν Ἰταλιωτῶν ὁ δῆμος ἐδυσχέραινε. *Ea lex, quia magis conducere ſociis videbatur, plebi parum grata erat.*

V. A viris fortibus vinci honeſtum. CESSIT.] In Piſonem 20. *C. illi Mario fortiſſimo viro & Conſuli & ſextùm Conſuli, & eius inuictis legionibus, ne armis confligeret, cedendum eſſe duxit.* Quòd autem ait noſter Metellum, ſi cum fortibus viris confligeret, cum dedecore caſurum fuiſſe, videndum quo ſenſu: nam vt ait ille cum fortibus viris, *non tam*

Turpe fuit vinci, quàm contendiſſe decorum eſt.

Et Lauſum ſolatur Æneas quod

Æneæ magni dextra caderet.

Item Camilla.

--nomen tamen haud leue partum,
Manibus hoc referes telo cecidiſſe Camillæ.

VI. Præſtare. PRÆSTARE.] Infra 61. *Dixit eam ſententiam, cuius inuidiam capitis periculo ſibi præſtandam videbat.* Sed huius verbi vis paſſim obuia apud Ciceronem.

AXIOMATA.

In cauſa populari populariter abſtinentérque verſandum eſt.

Eorum qui Reipub. conſulunt factum, omnes boni præſtare tueríque debent.

ARGVMENTVM.

Pergit Clodium cum Apuleio Saturnino conferre, vt ſuæ & Metelli cauſſæ diuerſitatem liquidiùs oſtendat: deinde propiùs accedit ad cauſſas, quibus ad voluntariam fugam impulſus eſt.

NEC mihi res erat cum Saturnino, qui, quòd à ſe quæſtore Oſtienſi, per ignominiam, ad principem & Senatus, & ciuitatis, M. XXXIX. Scaurum, rem frumentariam tranſlatam ſciebat, dolorem ſuum magnâ contentione animi perſequebatur: ſed cum ſcurrarum locupletum ſcorto, cum ſororis adultero, cum ſtuprorum ſacerdote, cum venefico, cum teſtamentario, cum ſicario, cum latrone, quos homines, ſi id, quod facile factu fuit, & quod fieri debuit, quódque à me optimi & fortiſſimi ciues flagitabant, vi armíſque ſuperaſſem, non verebar, ne quis aut vim vi repulſam reprehenderet, aut perditorum ciuium, vel potiùs domeſticorum hoſtium mortem mœreret: ſed me illa mouerunt: omnibus in concionibus illa furia clamabat, ſe, quæ faceret contra ſalutem meam, facere auctore Cn. Pompeio clariſſimo viro, mihíque & nunc, & quoad licuit, amiciſſimo. M. Craſſus, quocum mihi erant omnes amicitiæ, neceſſitudines, vir fortiſſimus ab eadem illa peſte infeſtiſſimus eſſe meis fortunis prædicabatur. C. Cæſar, qui à me nullo meo merito alienus eſſe debebat, inimiciſſimus eſſe meæ ſaluti ab eodem quotidianis concionibus dicebatur.

EXPLANATIO.

NEC MIHI.] Quæſtores Oſtienſes rem frumentariam procurabant, & frumentum ex Africa Siciliáque deuectum Romam conuehebant. Quæ procuratio, cùm eam Saturninus parum è Rèpub. gerere videretur, ad M. Scaurum tranſlata eſt. Enimuero Saturninus hac ignominiâ notatus ſic exarſit, vt deinde Tribunatum plebis nactus, acerrimus fuerit Senatorum aduerſarius, multáſque turbas in Repub. concitarit.

CVM SCVR.] De haruſp. reſp. 42. *Qui poſt patris mortem primam illam ætatulam ſuam ad ſcurrarum locupletum libidines detulit, quorum intemperantia expletâ in domeſticis eſt germanitatis ſtupris volutatus.*

CVM SOR.] pro Mil. 47. *Quem cum ſorore germana nefarium ſtuprum feciſſe L. Lucullus iuratus ſe, quæſtionibus habitis, dixit comperiſſe.*

CVM STVP.] Qui ſtupri cauſſa in opertum Bonæ Deæ ingreſſus eſt.

CVM VENEFICO.] Qui Quint. Seium Poſthumum veneno ſuſtulit, vt eius domum ab hæredibus ſibi compararet. pro domo ſua.

CVM TESTAM.] De haruſp. reſp. 42. *Cùm Murenâ ſe in Galliam contulit, in quâ prouinciâ mortuorum teſtamenta conſcripſit, pupillos necauit, nefarias cum multis ſcelerum pactiones ſocietatéſque conflauit.*

CVM SICARIO.] Qui, vt paſſim dicitur & Papirium in viâ Appiâ occidit, & libertum Damionem ad occidendum Cn. Pompeium in veſtibulo curiæ collocauit.

CVM LATRONE.] Qui populatus eſt Etruriam.

FORTISSIMI CIVES.] Imprimis Lucius Lucullus ſummus Imperator, qui mihi auctor erat vt bellum ciuile excitarem, & vim vi propulſarem.

ILLA FVRIA.] P. Clodius.

QVOAD LICVIT.] Quoad mendaciis inimicorum meorum inductus à me ſibi cauendum non putauit, quaſi ego ipſius vitæ facerem inſidias.

NECESSITVDINES.] Coniunctio & familiaritas conciliata per Luc. Craſſum Marci filium, qui ad me ſic ventitabat, vt à meo latere nunquam diſcederet.

NVLLO MEO MERITO.] Qui ſi mihi fuit infeſtus hoc ideo contraxiſſe videbar, quòd defendens Antonium collegam meum queſtus fueram de Repub. & inter XXviros agro Campano diuidundo eſſe nolueram. priorem cauſſam adfert ipſe pro domo ſua, poſteriorem Velleius.

NOTÆ.

I. Quæſtura Oſtienſis. QVÆSTORE OSTIENSI.] Ad eius procurationem pertinebat quicquid mari euehebatur aut comportabatur, vnde & in Vatinium 12. *Aquariam prouinciam* appellat. *Cùm tibi magno clamore aquaria prouincia obtigiſſet.* pro Murena 18. *Tu illam, cui cùm Quæſtores ſortiuntur, etiam acclamari ſolet Oſtienſem non tam gratioſum & illuſtrem, quàm negotioſam & moleſtam.* de quo vide dicta in Vatinium. de Saturnino de haruſp. reſp. 43. *Saturninum quod in annonæ caritate quæſtorem à ſua frumentaria procuratione Senatus amouit, eique rei M. Scaurum præfecit, ſcimus dolore factum eſſe popularem.* Aliam adfert rationem Appianus, quòd eum Tribunum plebis Metellus Numidicus cenſor ex albo Senatorum eradere tentauerat.

AD PRINCIPEM ET SENAT. ET CIVIT.] De principe Senatus diſputatum in Piſonem. Qui ſint principes ciuitatis infra 97. *Horum qui voluntati, commodis, opinioni in gubernanda Rep. ſeruiunt, defenſores optimatium, ipſique optimates grauiſſimi & clariſſimi ciues nominantur, & principes ciuitatis.* II. Principes ciuitatis.

SCVRRARVM LOCVPL.] Numerari poſſent aliquot ridicularij, quos potentia L. Syllæ ad ſummas opes euexerat. Roſcius Comœdus, Sorex Archimimus, Metrobius Lyſiodus, quos apud Syllam gratioſos fuiſſe in paucis teſtatur Plutarchus. Malim tamen de Sexto Næuio interpretari, quem pro Quintio frequenter, & ſcurram fuiſſe dicit, & locupletem, & gratioſum. vt illud. *Vetus eſt de ſcurra multò faciliùs diuitem quàm patremfamilias fieri poſſe.* Item. *Si propter partium ſtudium potens erat Alphenus, potentiſſimus Næuius. Si fretus gratiâ poſtulabat aliquid iniquius Alphenus, multò iniquiora Næuius impetrabat.* Et aliquantò pòſt. *Emiſti bona Sexti Alpheni Luc. Sylla Dictatore vendente.* E quibus aduertis quàm potens & locuples fuerit Næuius, qui ipſum etiam Alphenum tam potentem bonis euerterit. Quis verò ſcurra dicatur, exponit Ariſtoteles lib. 4. Eth. cap. 14. Οἱ μὲν οὖν τῷ γελοίῳ ὑπερβάλλοντες, βομολόχοι δοκοῦσιν εἶναι, καὶ φορτικοὶ γλιχόμενοι πάντως τοῦ γελοίου, καὶ μᾶλλον στοχαζόμενοι τοῦ γέλωτα ποιεῖν ἢ τοῦ λέγειν εὐσχήμονα, καὶ μὴ λυπεῖν τὸν σκωπτόμενον. *Qui ridiculis modum excedunt, ij ſcurræ videntur eſſe, & odioſi, ridiculorum in omnibus appetentes, eóque magis ſpectantes vt riſum moueant, quàm vt decora loquantur, nec eum dolore afficiant quem proſcindunt ſuis dicteriis.* Noſter 2. de Orat. 247. *Temporis igitur ratio & ipſius dicacitatis moderatio, & temperantia, & raritas dictorum diſtinguet oratorem à ſcurra: & quod nos cum cauſſa dicimus, non vt ridiculi videamur, ſed vt proficiamus aliquid, illi totum diem & ſine cauſſa.* III. Scurra quis?

SACERDOTE.] Infra 66. *Conſulatus petitio ipſi illi populari ſacerdoti comparabatur.* IV.

TESTAMENTARIO.] Teſtamentarius dicitur, *Qui teſtamentum amouerit, celauerit, eripuerit, deleuerit, interleuerit, ſubiecerit, reſignauerit: quive teſtamentum falſum ſcripſerit, ſignauerit, recitauerit dolo malo.* Cicero 3. offic. 53. *Neque enim de ſicariis, veneficis, teſtamentariis, furibus, hoc loco diſſerendum eſt.* Iuriſconſulti tamen, vt interpretantur Accurſius & Gothofredus, pro quouis tabellione ſiue ſcriptore teſtamenti id nomen vſurpant. Calliſtratus D. De lege Cornelia de falſis l. Diuus, *Si vterque ſine liberis diſceſſiſſet hæreditas deinde aliâ manu ſcriptori teſtamenti reſtitueretur, placet teſtamentario pœnam legis Corneliæ remitti.* Paulus eodem tit. l. Impuberes. *Si teſtamentarius ſeruo ſuo fideicommiſſam libertatem dederit, videamus ne extra pœnam ſit, quoniam nullum ipſius commodum eſt.* Scio Oldendorpium & Simonem Scardium hos Iuriſconſultos eodem ſenſu interpretari, quo nos hoc loco Ciceronem, ſed res ipſa reclamat. V. Teſtamentarius.

FORTISSIMI CIVES.] Dio 38. Ἐπεχείρησε μὲν ὅπλα ἄρασθαι, τά τε ἄλλα, καὶ τὸν Πομπήιον φανερῶς VI.

προεπηλάκιζε. κωλυθεὶς δὲ ὑπό τε τοῦ Κάτωνος καὶ τοῦ Ορτησίου μὴ καὶ ἐμφύλιος ἐκ τούτου πόλεμος γένηται, &c. μετέστη. *Ad arma ſumenda ſe conuertit, manifeſtè tum alia faciens, tum ipſum Pompeium contumelioſè traducens. Prohibitus autem à Catone & Hortenſio ne bellum ciuile inde naſceretur, &c. vrbe exceßit.* Plutarchus in Cicerone dicit M. Lucullum auctorem fuiſſe vt arma caperet. Immò noſter epiſt. 4. lib. 15. ad Catonem ſcribens, neſcio quid innuit de Catone. *Mitto quòd inuidiam, quòd pericula, quòd omnes meas tempeſtates & ſubieris, & multò etiam magis ſi per me licuiſſet, ſubire paratißimus fueris.*

VIM VI REPVLSAM.] Pro Milone 9. *Si tempus eſt vllum iure hominis necandi, quæ multa ſunt, certò illud eſt non modò iuſtum, verùm etiam neceſſarium, cùm vi vis illata defenditur.* vide notas. VII.

AXIOMA.

Nemo eſt qui vim vi repulſam reprehendat.

ARGVMENTVM.

Incipit exponere veram diſceſſus ſui rationem, quòd nimirum Clodius in omnibus concionibus, quibus Ciceronem inſectabatur, Craßi, Pompeÿ & Cæſaris, ipſis tacentibus & conniuentibus auctoritatem obtenderet.

HIS ſe tribus auctoribus in conſiliis capiendis, adiutoribus in re XI. gerenda eſſe vſurum dicebat, ex quibus vnum habere exercitum maximum in Italia: duos, qui priuati tum eſſent, & præeſſe, & parare, ſi vellent, exercitum poſſe. ídque facturos eſſe dicebat, nec mihi ille iudicium populi, nec legitimam aliquam contentionem, nec diſceptationem, aut cauſſæ dictionem, ſed vim, arma, exercitus, Imperatores, caſtra denuntiabat. Quid ergo? inimici oratio, vana præſertim, tam improbè in clariſſimos viros coniecta me mouit? me verò non mouit illius oratio, ſed eorum taciturnitas, in quos illa oratio tam improba conferebatur. qui tum, quamquam ob aliam cauſſam tacebant, tamen hominibus omnia timentibus tacendo loqui, non inficiando confiteri videbantur: illi autem aliquo tum timore perterriti, quòd acta illa, atque omnes res ſuperioris anni labefactari à Prætoribus, infirmari à Senatu, atque principibus ciuitatis putabant, Tribunum popularem à ſe alienare nolebant, ſuáque ſibi propria pericula eſſe, quàm mea [illegible]bantur.

EXPLANATIO.

VNVM.] Cæſarem Galliarum & Illyrici Proconſulem habere exercitum quatuor legionum, vt notat Plutarchus in Cæſare, quem ex Italia nondum in prouinciam ſuam eduxerat.

DVOS.] Craſſum & Pompeium. Quorum Pompeius tantæ auctoritatis erat, vt milites quos confecto bello Mithridatico ex Aſia reduxerat, rurſum euocare facilè poſſet. Craſſus tam erat opulentus, vt diceret diuitem dicendum eſſe neminem, qui priuatis annuis prouentibus non poſſet alere exercitum.

NEC MIHI.] Nec ſe iure mecum & legibus, ſed vi & armis acturum eſſe comminabatur. Iudicium populi eſt publicum, cùm accuſatur reus & defenditur in concione, comitiis centuriatis. Legitima contentio videtur eſſe quæſtio legibus conſtituta cum ſacramento inter partes de iure contenditur, diſceptatio idem pene eſt, niſi quod partes contendunt, iudices verò diſceptant. Cauſſæ dictio, prout à contentione & diſceptatione diſtinguitur, videtur tunc denuntiari, cùm reus, antequam actor accuſarit, cogitur vitæ rerúmque à ſe geſtarum reddere rationem. vide Notas.

QVID ERGO?] Sibi ip[illegible] leuitatis eſt inimici mendaciis [illegible] aliam terroris ſui rationem, videli[illegible] ſilentium qui iactabantur eſſe inimici. quod [illegible] aliud eſſe videbatur quàm tacita inimicitiarum confeſſio.

ILLI AVTEM.] Pompeium, Craſſum, Cæſarem excuſat, cauſſámque reddit cur tacerent, nec ſe negarent infenſos eſſe Ciceroni. Cùm, inquit, viderent acta Cæſaris in ſuo conſulatu, agrorum diuiſionem, ciuitatis donationem, vectigalium remiſſionem & alia, quorum Craſſus & Pompeius, vel auctores, vel fautores fuerant, labefactari à C. Memmio Lucióque Domitio Prætoribus, qui de iis reſcindendis ad Senatum retulerant, hæc, inquam, cùm viderent, inficiando ſe mihi inimicos, Clodium Tribunum popularem & gratioſum à ſe alienare noluerunt, cuius auxilio ad ſtabilienda illa acta ſe vſuros eſſe ſperabant.

NOTÆ.

AVCTORIBVS.] Impulſoribus, vt 10. Æneidos. I.

Italiam petiit fatis auctoribus: eſto
Caſſandræ impulſus furiis.

Auctor, Item 12.

Auctor ego audendi.

Libro 8.

--matriſque egere tremenda
Carmentis Nymphæ monita & Deus auctor
Apollo.

II. PARARE SI VELLENT EXERCITVM POSSE.] Paradoxo vltimo. *Multi ex te audierunt, cùm diceres neminem eſſe diuitem, niſi qui exercitum alere poſſet ſuis priuatis fructibus: quod populus Romanus ex tantis vectigalibus iampridem vix poteſt. Ergo hoc propoſito nunquam eris diues, ante quam tibi ex tuis poſſeſſionibus tantum reficiatur, vt ex eo tueri ſex legiones, & magna equitum & peditum auxilia poſſis.* Sex, inquit, legiones, alij contenti ſunt vnâ legione. Plinius lib.33. c. *Marcus Craſſus negabat diuitem eſſe, niſi qui reditu annuo legionem tueri poſſet. In agris ſuis ſeſtertium bis millies poſſedit.* Ita legit Budæus de Aſſe lib.2. ſubdítque. *Hoc eſt ære noſtro quinquagies centena millia aureorum coronatorum. huius ſi viceſimam partem pro reditu annuo ſtatuamus,*&c. *fient CCL. M. Quæ ſi ita diſpenſemus vt gregarius miles quaternos in menſem aureos accipiat, duodequinquagenos in annum decem cohortium quingeniarum legio ali potuit. Reſtabunt decem millia, quorum quinque millia in quinquaginta centuriones ſtatuimus: & quinque altera pro eis qui à Græcis* ἔκτακτοι. *id eſt ſuperordinati dicuntur, vt Cornicines, ſigniferi, caduceatores & fabri qui machinas ducunt.* hæc ille. Plutarchus in eius vita. ἀποθύσας μὲν τῷ Ηρακλεῖ τὴν δεκάτην, καὶ τὸν δῆμον ἑστιάσας. τρεῖς δὲ μηνας ἑκάστῳ Ῥωμαίων σιτηρέσιον ἐκ τῶν αὐτοῦ παρασχὼν, ὅμως πρὸ τῆς ἐπὶ Πάρθους στρατείας, αὐτὸς αὑτῷ θέμενος ἐκλογισμὸν τῆς οὐσίας εὗρεν ἑκατὸν ταλάντων τίμημα πρὸς ἑπτακισχιλίοις. Vertit interpres. *Cùm decimam facultatum ſuarum partem Herculi ſacraſſet, præbuiſſet etiam populo epulum, ad hæc ſingulis ciuibus Romanis teſſeram annonariam trium menſium de ſuo dediſſet, tamen antequam ad bellum Parthicum proficiſceretur, ſubducto ſecum fortunarum calculo, reperit in cenſu millies ſeptingenties quater H.S.*

Craſſi diuitiæ.

III. IVDICIVM POPVLI.] Iudiciorum alia priuata fuerunt, alia publica, de quibus Poletus lib. 4. fori Romani, Sigonius, Roſinus, alij paſſim, & dicenda à nobis in Piſonianam 94. de legibus iudiciariis conſulantur.

IV. Contentio. LEGITIMAM ALIQVAM CONTENTIONEM.] Actores inter ſe *contendere* dicuntur, Iudices *diſceptare.* Contendere dicebantur cum poſito ſacramento litigabant. Noſter 1. de oratore §. 22. *Vindicaréntque ornati homines in dicendo & graues, quibuſcum iuſto tibi ſacramento contendere non liceret.* Feſtus. *Sacramentum æs ſignificat quod pœnæ nomine venditur, ſiue eo quis interrogatur, ſiue contenditur. id in aliis rebus quinquaginta aſſium eſt, in aliis rebus quingentorum inter eos qui inteo ſe contenderent.* Sed de ſacramento vide Milon. 75. vnde & peti ratio poſſit cur hîc *legitima contentio* vocetur, videlicet à *legitimo numero aſſium*, vt ex Varrone referemus. Quamquam hoc loco *legitima* dici videtur, vt à libero populi iudicio diſtinguat. Quæ ſit autem inter diſceptationem legitimam & liberam diſtinctio patet è partitionibus Oratoriis. *Nam quæ animi perturbatione facta ſine ratione ſunt, ea defenſionem contra crimen in legitimis iudiciis non habent, in liberis diſceptationibus habere poſſunt.*

Sacramentum.

Diſceptatio legitima, diſceptatio libera.

Iam vt verbis vtar Poleti lib. 3. hiſt. fori Romani cap.1. *Habuit populus liberam cognitionem & ſummam in leges & iura poteſtatem.* Fabius lib. 7. cap. de qualitate. *In Senatu verò & apud populum & apud Principem, & vbicumque iuris clementia eſt, habet locum deprecatio. Quod item iudicibus non licebat, vt qui in legum formulam iurati erant, à qua recedere vel latum vnguem religioſum fuit.* Quod explicari poteſt verbis optimis Themiſtij oratione de Theodoſij clementia. Ἄλλη μὲν δικαστοῦ, ἄλλη δὲ βασιλέως ἀρετή· καὶ τῷ μὲν προσήκει ἕπεσθαι τοῖς νόμοις, τῷ δὲ ἐπανορθοῦν καὶ τοὺς νόμους, καὶ τὸ ἀπηνὲς αὐτῶν καὶ ἀμείλικτον. παραδεικνύναι ἅτε νόμῳ ἐμψύχῳ ὄντι, καὶ οὐκ ἐν γράμμασιν ἀμεταθέτοις, καὶ ἀσαλεύτοις. *Alia eſt iudicis, alia Principis virtus: & illi quidem leges ſequi conuenit, huic autem tanquam legi viuenti, nec in litteris quæ nec moueri, nec concuti poſſint poſitæ, leges corrigere, earúmque ſeueritatem ſuâ clementia mitigare.* Budæus in Pandectas liberam diſceptationem vocat, *quam facultatem iudicandi ſecundum conſcientiam vulgò dicimus.* addere potuiſſet legitimam contentionem eſſe quam vulgus appellat *ſecundum ius rigoroſum.*

Rex lex viuens.

V. DISCEPTATIONEM.] Diſceptatio eſt ſumma quæſtio nata ex ratione & firmamento, quæ iudicatio vocatur. Diſceptator autem dicitur tam arbiter quàm Iudex. Arbiter, vt apud Liuium lib. 1. *Tarquinius monitus à proximis, vt purgaret ſe, quòd id temporis veniſſet, diſceptatorem ait ſe ſumptum inter patrem & filium, curâ reconciliandi eos in gratiam, moratum eſſe.* Noſter pro Cecinna. *Diſceptatore perſæpe domeſtico diiudicetur.* Fabius lib. 11. cap. 1. *Nec eodem modo publica iudicia & arbitrorum diſceptationes aguntur.* Iudex. 3. de leg. §. 7. *Iuris diſceptator qui priuata iudicet, iudicarive iubeat, prætor eſto.* Frequentiùs tamen diſceptator eſt arbiter, vt & hoc loco debet intelligi, & 1. Off. 64. *Ex quo fit vt neque diſceptatione vinci ſe, neque vllo publico ac* (lege *aut*) *legitimo iure patiatur.*

Diſceptatio.

VI. CAVSÆ DICTIONEM.] Vt eo, quo dixi, pacto exponerem, ſuaſit ille locus qui eſt in exordio Quintianæ. *Id accidit Prætoris iniquitate, & iniuriâ. Primùm quòd contra omnium conſuetudinem, iudicium priùs de probro quàm de re maluit fieri: Deinde quòd ita conſtituit idipſum iudicium, vt reus, antequam verbum accuſatoris audiret, cauſſam dicere cogeretur.* Et ille apud Terentium prologo Eunuchi.

Idem Menandri Phaſma nunc nuper dedit,
Atque in theſauro ſcripſit cauſſam dicere
Priùs vnde petitur, aurum quare ſit ſuum,
Quam illic qui petit, vnde is ſit theſaurus ſibi,
Aut vnde in patrium monumentum peruenerit.

Sic etiam interpretor illud Valerij lib. 7. cap. 2. de Claudio Nerone & Liuio Salinatore. *Eoſdem Senatus cùm ob nimis aſperè actam cenſuram à Cn. Bæbio Tribunoplebis pro roſtris agerentur rei cauſſæ dictione decreto ſuo liberauit, vacuum omnis iudicij metu eum honorem reddendo, qui exigere deberet rationem, non reddere.* E quibus etiam colligi poteſt aliud fuiſſe iudicium populi, ſi ſtrictè loquamur, aliud cauſſæ dictionem. Nam populus de capite, ciuis non iudicabat, niſi in campo Martio, & comitiis centuriatis. At pro Roſtris denuntiante Tribunoplebis iubebantur, etiamſi accuſatio nulla præceſſerat, cauſſam dicere, & rerum à ſe geſtarum reddere rationem. iterum in

Quintianâ 43. *Apud Iudicem cauſſam priore loco dicat, & eam cùm perorarit, tum denique vocem accuſatoris audiat.*

VII. VANA.] Fallax, mendax, falſa. 2. Æneidos.

--Nec ſi miſerum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam, mendacémque improba finget.

VIII. CLARISSIMOS.] Vide Milonianam 27. vbi de hac appellatione non pauca.

IX. TACENDO LOQVI.] Non abludit illud Nonni paraphraſi in Ioannem cap. 5.

Ἔργα γὰρ ὁππόσα δῶκε πατὴρ ἐμὸς ὄφρα τελέσσω
φθέγγεται αὐτοβόητα λάλῳ σάλπιγγι σιωπῆς.
Nam quæcunque dedit genitor facienda, loquuntur
Sponte ſuâ clamoſa, tubâ clangente ſilentî.

Et cap. 13.

-- λάλῳ δ' ἐρέεινε σιωπῇ, *Loquaci verò interrogauit ſilentio.* Baſilius Magnus in principium Prouerbiorum. Αὕτη σιωπῶσα βοᾷ *Ipſa dum tacet clamat.* Et hortatione ad baptiſmum. Αὐτὰ βοᾷ τὰ πράγματα κἂν τῇ φωνῇ σιωπᾷς. *Ipſa res clamat, etiamſi voce taceas.* Noſter diuinatione in Q. Cecilium. *Si tacent, ſatis dicunt.* Aſconius eum locum illuſtrat altero primæ in Catilinam. *Cùm tacent, clamant.* Additque, *Hæc neque oxymora, neque cacozela iudicanda ſunt: aut enim inferioribus, aut ſuprapoſitis leniuntur.* Atque aduerte quo pacto Noſter ſuam orationem hoc loco molliuerit. Duriùs dixiſſet, *Tacendo loquebantur.* maluit dicere, *Tacendo loqui videbantur hominibus.* Neque quibuſuis. Sed *hominibus omnia timentibus*, qui metu occupati facilè etiam quæ fieri non poſſunt, ſibi perſuadent.

X. SVAQVE SIBI PROPRIA.] Videtur prouerbium redolere, vt illud Terentianum in Andria.

Verum illud verbum eſt vulgo quod dici ſolet,
Omnes ſibi eſſe melius malle quàm alteri.

Item,

Proximus ſum egomet mihi.--

Plautus Truculento ſc. vltima.

Hunc priorem æquum eſt me habere. Tunica propior pallio eſt.

Euripides Medea.

Ὡς πᾶς τις αὑτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ.
Ita ſemetipſum quiſque amat plus proximo. Sui primùm habenda cura.

Nec Theocritus abludit.

-ἀπωτέρω ἢ γόνυ κνάμα.
-Genu plus ſibia diſtat.

Demoſthenes tertiâ Philippicâ. εὔηθες τὰ οἰκεῖα αὐτοὺς προειμένους τῶν ἀλλοτρίων φάσκειν κήδεσθαι *Stultum eſt cum qui ſuas res neglexerit, dicere ſibi curæ eſſe res alienas.* Nec alio longè ſenſu Pindarus Ode 3. Pyth. epodo 1.

Ἔστι δὲ φῦλον ἐν ἀν-
θρώποισι ματαιότατον
Ὅστις αἰσχύνων ἐπιχώ-
ρια παπταίνει τὰ πόρσω.

Eſt genus hominum vaniſſimum, qui domeſtica dedecore afficientes longinqua reſpiciunt. huc etiam refero illud Ariſtophanis Acharnenſibus.

Καί τοι φιλῶ γε τὴν ἐμὴν ψυχὴν ἐγώ.
Amore vitam proſequor & ego meam.

AXIOMATA.

Inimici oratio, vana præſertim, fortem virum mouere non debet.

In diſſenſione ciuili, qui plurimùm poſſunt & tacent, hominibus omnia timentibus tacendo loqui videntur.

Noſtra nobis propiora pericula ſunt, quam aliena.

ARGVMENTVM.

Craſſum & Pompeium falsò à Clodio inſimulatos fuiſſe dicit, quamuis Pompeium multi ad prodendum Ciceronem impellerent. Cæſarem non negat aliquam iis quæ à Clodio iactarentur occaſionem præbuiſſe, quamuis reuerà non eſſet inimicus.

XLI. SED tamen & Craſſus à Conſulibus meam cauſſam ſuſcipiendam eſſe dicebat, & eorum fidem Pompeius implorabat, neque ſe priuatum cauſſæ publicè ſuſceptæ defuturum eſſe dicebat. Quem virum ſtudioſum mei, cupidiſſimum Reipub. conſeruandæ, domi meæ certi homines ad eam rem compoſiti monuerunt, vt eſſet cautior: eiúſque vitæ à me inſidias apud me domi poſitas eſſe dixerunt: atque hanc ei ſuſpicionem alij litteris mittendis, alij nuntiis, alij coràm ipſi excitauerunt: vt ille, cùm à me certè nihil timeret, ab illis, ne quid meo nomine molirentur, ſibi cauendum putaret. Ipſe autem Cæſar, quem maximè ignari homines veritatis mihi eſſe iratum putabant, erat ad portas, erat cum Imperio, erat in Italiâ eius exercitus, ínque eo exercitu ipſius Tribuni plebis inimici mei fratrem præfecerat.

EXPLANATIO.

SED TAMEN.] Etiamſi Craſſus ſibi potiùs, quàm incolumitati meæ conſulendum putabat, non omnem tamen mei curam abiecerat. Sed ad Piſonis & Gabinij, qui tum Conſules erant, officium pertinere dicebat vt meam cauſſam defenderent.

PVBLICE SVSCEPTÆ.] Auctoritate Conſulum qui ſunt publici magiſtratus.

CERTI HOMINES.] Certos homines dicimus, quos nouimus quidem, ſed neceſſe non eſt nominare. Vatinium autem intelligit, de quo infra 133. *Ille hominem mihi amiciſſimum Cn. Pompeium monebat, vt meam domum metueret, atque à meipſo caueret.* Quod huiuſmodi monitores ad

eam rem compoſitos fuiſſe dicit, innuit eos à Clodio ſubornatos & ſubmiſſos fuiſſe qui Pompeium alienarent à Cicerone.

Cvm a me.] Aduerte rationem callidè & acutè excogitatam, quâ & Pompeium excuſet, & inimicos in inuidiam adducat. Cùm Clodius templum Caſtoris armatis hominibus occupaſſet, vt inde impetum faceret in Ciceronem, eúmque vi & armis eiiceret, in Ciceronis ædes conuenerunt. non ſolùm equites legatique totius Italiæ, ſed etiam Senatores propemodum omnes, eíque ſuum auxilium contra vim obtulerunt. Piſon.11. *Erat non ſolùm domus mea, ſed totum palatium Senatu, Equitibus Romanis, ciuitate omni, Italiâ cunctâ refertum.* Non adfuit Pompeius, ſiue, quòd, vt auctor eſt Dio, in gratiam Cęſaris, occultè contra Ciceronem conſpirauerat, ſiue, quòd, vt mauult Noſter, monitus eſſet à quibuſdam vt ſibi caueret, in inſidiis collocatos eſſe quoſdam domi Ciceronis qui venientem occiderent. Videri potuit leuis & nimis credulus Pompeius, ſi iis, quæ de Cicerone ſibi amic[illegible] deferebantur, tam facilè fidem adhibe[illegible]. Quare cum ait Orator huiuſmodi delationibus non credidiſſe, ſed cùm ab ipſo nihil time[illegible] [illegible]atoribus ipſis cauiſſe, ne ipſum Pomp[illegible] quaſi nomine Ciceronis occiderent. Vid[illegible]onem pro domo ſua 28.29.

Ipse avtem Cæsar.] Frigidè de induſtria Cæſarem excuſat, qui fuerat totius fraudis architectus, & Clodium contra ipſum occultè ſubmiſerat. Nam homines ignaros veritatis qui Cæſarem inimicum putarent dixiſſe contentus, illius hominum opinionis cauſſas exponit, quòd antequam proficiſceretur in prouinciam, tanquam auxilium Clodio laturus, ad ipſas vrbis portas cum exercitu ſubſtitiſſet, eíque Appium Clodium P. Clodij fratrem præfeciſſet.

NOTÆ.

I. Crassvs.] Dio lib. 38. Κράσσος διὰ μὲν τοῦ υἱέος βοήθειάν τινα τῷ Κικέρωνι ἐνεδείκνυτο· αὐτὸς δὲ τὰ τοῦ πλήθους ἔπραττε. Καὶ ὁ Πομπήιος ὑπισχνεῖτο μὲν αὐτῷ τὴν ἐπικουρίαν· σκήψεις δέ τινας ἄλλοτε ἄλλας ποιούμενος καὶ ἀποδημίας συχνὰς ἐπίτηδες στελλόμενος οὐκ ἐπήμυνεν. *Craſſus autem per filium ſuum aliquid opis oſtendit Ciceroni, ipſe populi ſtudiis obſequens. At verò Pompeius auxilium promiſit ille quidem, ſed alias atque alias ſubinde excuſationes prætexens, deditáque operâ crebras profectionis peregrè ſuſcipiens, nihil auxilij tulit.* Sed vide Plutarchum in Cicerone.

II. Certi homines. Certi homines.] Certos homines dicimus, quos nominare, vel odioſum, vel ſuperfluum. Odioſum vt hoc loco, pro Marcello 16. *Quoties ego eum & quanto cum dolore vidi, cùm inſolentiam certorum hominum, tum etiam ipſius victoriæ ferocitatem extimeſcerem.* Superfluum, vt primo Æneidos.

--Equidem per littora certos
Dimittam, & Libyæ luſtrare extrema iubebo.

III. Timor. Cautio. Timeret.] Non hîc ſolùm, ſed alibi frequenter timorem diſtinguit à cautione, vt lib. 11. ad famil. epiſt. 20. *Quamobrem neque metuam quicquam, & cauebo omnia.* pro Milone 67. *Cauebat magis Pompeius, quàm timebat, non ea ſolùm quæ timenda erant, ſed omnino omnia, ne vos aliquid timeretis.*

AXIOMA.

Cauendi ſunt delatores, ne quid eorum nomine quos ſuis calumniis in ſuſpicionem vocant, in nos moliantur.

ARGVMENTVM.

Omnibus conſilij ſui cauſſis in vnum conglobatis, per communicationem oratoriam reddit diſceſſus ſui rationem, quia ſine magna ciuium ſtrage, quocunque tandem euentu pugnaretur, armis reſiſtere, & vim vi propulſare non potuit.

XLII. HÆC ego cùm viderem (neque enim erant occulta) Senatum, ſine quo ciuitas ſtare non poſſet, omnino de ciuitate eſſe ſublatum: Conſules, qui publici conſilij duces eſſe deberent, perfeciſſe, vt per ipſos, publicum conſilium funditus tolleretur: eos qui plurimùm poſſent opponi omnibus concionibus falsò, ſed formidolosè tamen, auctores ad perniciem meam: conciones haberi quotidie contra me: vocem pro me, ac pro Repub. neminem mittere: intenta ſigna legionum exiſtimari ceruicibus, ac bonis veſtris, falsò, ſed putari tamen: coniuratorum veteres copias, & effuſam illam, ac ſuperatam Catilinæ manum importunam nouo duce, & inſperatâ commutatione rerum eſſe renouatam.

XLIII. Hæc cùm viderem, quid agerem, iudices? ſcio enim tum non mihi veſtrum ſtudium, ſed meum propè veſtro defuiſſe. contenderem contra Tribunum pleb. priuatus, armis? viciſſent improbos boni, fortes inertes, interfectus eſſet is, qui hac vnâ medicinâ ſolâ potuit à Reipubl. peſte depelli. quid deinde? quid reliquiarum reſtaret? quid denique? erat dubium, quin ille ſanguis tribunitius, nullo præſertim publico

conſilio profuſus, Conſules vltores, & defenſores eſſet habiturus? cùm quidem in concione dixiſſet, aut mihi ſemel pereundum, aut bis eſſe vincendum, quid erat bis vincere? id profectò, vt cum amentiſſimo Tribuno pleb. cùm decertaſſem, cum Conſulibus, cæteriſque eius vltoribus dimicarem.

EXPLANATIO.

HÆC EGO.] Enumeratione omnium penè ordinum ſuam calamitatem exaggerat. Sūt autem iſti præſertim. Senatus, magiſtratus, principes ciuitatis, populus, milites. Senatus nullam tum auctoritatem obtinebat, quippe qui ne decretis quidem ſuis parere poſſet, edicentibus Conſulibus, vt ad veſtitum rediret, quem pro Ciceronis ſalute mutarat. Conſules officio non fungebantur, immò euertebant Senatum & Rempubl. Principes ciuitatis, id eſt, ij qui plurimùm poterant, Craſſus, Pompeius & Cæſar, dicebantur eſſe inimici, illis interim conniuentibus, populus frequenter veniebat in conciones, quas Clodius habebat contra Ciceronem, nemine cauſam ipſius ſuſcipiente. Cæſaris exercitus qui ad portas ſubſtiterat, credebatur Ciceroni vim parare, & fortunis ciuium imminere ad expoliandam vrbem expeditus, ergo cædendum fuit tempori ne Rempubl. ſua cauſſa in periculum adduceret.

CONIVRAT.] Poſtrema timendi, cedendique cauſſa fuit, quòd coniurati qui ex Catilinæ copiis & conſpiratione ſuperfuerant, P. Clodium nacti, nouis rebus ſtuderent, & rurſum de delenda Repub. cogitarent.

HÆC EGO.] Iure repetit propter ἀνακύκλωσιν orationis, ſiquidem initio ſuperioris ſectionis cùm dixiſſet, *Hæc ego cùm viderem.* nihil cohærens ſubiunxerat.

QVID AGEREM.] Communicatio, demonſtrans ſummam cauſſæ fiduciam, dum iudicum quos in eo velut aduerſarios habuerat; ſtat ſententia. qui tamen eum Clodio cedere noluerant, ſed parati fuerant dimicare: ideóque ſubdit, *Scio enim, &c.*

CONTENDEREM.] Probat ſe armis cum P. Clodio contendere non debuiſſe hoc dilemmate. Si pugnaſſem, vel victus fuiſſem, vel victoriam retuliſſem. Si victus fuiſſem cum omnibus bonis, magnum vulnus accepiſſet Reſpub. Si victor primo congreſſu Clodium ſuperaſſem, mors quidem Clodij vtilis Reipub. contigiſſet, ſed Piſo & Gabinius Conſules necem Clodij vlciſci voluiſſent, cum quibus rurſus fuiſſet dimicandum. Ac proinde quocunque tandem euentu pugnatum eſſet, ſine magna ciuium ſtrage pugnari non potuit.

QVID RELIQVIARVM REST.] Nónne Piſo & Gabinius reliqui fuiſſent, ſecundo prælio vincendi? niſi fortaſſe exercitum Cæſaris intelligit, qui vt erat Piſonis gener, & totius ſeditionis auctor, auxilium Piſoni mittere potuiſſet. Sed id orator prudenter obſcurat, & prout quiſque volet cogitandum relinquit ne Cæſaris animum exulceret.

SANGVIS TRIB.] Cùm Tribunus plebis eſſet ſacroſanctus.

NOTÆ.

HÆC EGO.] Notat Fuluius Vrſinus hæc ex Demoſthenis oratione περὶ στεφάνου penè ad verbum eſſe deſumpta. Ταῦτα δ᾽ ὁρῶν ὁ Φίλιππος, οὐ γὰρ ἦν ἀφανῆ. *Hæc cùm videret Philippus, non enim erant occulta.* pro Milone 26. *Quos videbatis, res erat minimè obſcura.* & 27. *Interim cùm ſciret Clodius, neque enim erat difficile ſcire.* I.

SENATVM SINE QVO CIVITAS STARE.] Quàm neceſſarius ſit Senatus ad incolumitatem Reipub. videri poteſt ex oratione Menenij Agrippæ, cætera ciuitatis membra cum reliquis corporis partibus, Senatum cum ventre comparantis. de quo vide Liuium lib. 2. Dionyſium Halicarnaſſeum libro ſexto, & alios paſſim. II.

PVB. CONSILII DVCES.] Supra 20. *habebit Senatus in hunc annum quem ſequatur: non deerit auctor, & dux bonis.* III.

SIGNA LEGIONVM.] Fuerunt in re militari inſignia, vexilla, ſigna, dracones. Inſignia fuerunt picturæ ſcutorum, vnde & apud noſtrates *Armes, armoiries, eſcuſſons* nominantur. quales fuerunt apud Plutarchum, Amor fulminans Alcibiadis, Bona fortuna Demoſthenis, muſca Lacedemonij, Danaides Turni, cincta Serpentibus hydra Auentini apud Virgilium, Luna Tydei, Tædifer Capanei, Typhon Hippomedontis, Sphinx Parthenopei, Iuſtitia Polynicis apud Æſchylum. Valerius Flaccus lib. 6. Argonaut. de Biſaltis. IV. Inſignia clypeorum.

Cuncta phalanx inſigne Iouis, cæláque geſtat
Tegmina diſperſos trifidis ardoribus ignes. Fulmina in clypeis.
Nec primus radios miles Romane coruſci
Fulminis, & rutilas ſcutis diffuderis alas.

Sed de his clypeorum inſignibus nihil frequentius apud Homerum, Maronem, Statium & alios Poetas. VEXILLA FVERVNT parua vela, vt ipſum nomen ſonat, de quibus Valtrinus noſter lib. 3. de re militari cap. 9. & Lipſius lib. 4. dialogo 5. conſulantur. De ſignis Plinius lib. 10. cap. 4. *Romanis legionibus aquilam C. Marius in ſecundo conſulatu ſuo propriè dicauit. Erat & antea prima, cum quatuor aliis lupi, minotauri, equi, apri, quæ ſingulos ordines anteibant. Paucis ante annis ſola portari in aciem cœperat, reliqua in caſtris relinquebantur, Marius in totum ea abdicauit.* Vide citatos Lipſium & Valtrinum. Satis ſit è dictis noſſe illa *ſigna legionum* quæ *intenta* dicit Orator ſolas aquilas fuiſſe. Diſtinxi dracones à ſignis & vexillis, quòd ſigna eſſent ex auro ſolido vel argento expreſſa, vt Cicero, Dio, Plinius aliíque teſtantur, dracones ſerici eſſent vel bombicini. Dracones licet, quod ſpectat ad materiam, cum vexillis conuenirent, formâ tamen differebant. Nam vexilla, vt ait Cedrenus, erant ὑφάσματα ἐκ πορφύρας καὶ χρυσοῦ εἰς τετράγωνον σχῆμα ἐκτεινόμενα, *vela ex purpura auróque formâ quadrangulari:* at dracones erant purpurâ

Vexilla. Aquilæ. Signa. V. Dracones militares.

quidem auróque intexti, vel etiam bombycini, ſed in formam verorum draconum complicati. Marcellinus lib. 16. *Purpureis ſubtegminibus texti circumdedere dracones, haſtarum aureis gemmatiſque ſummitatibus illigati, hiatu vaſto perflatiles, & ideò velut irâ perciti ſibilantes, caudarúmque volumina relinquentes in ventum.* Sidonius de conſulatu Maioriani.

--Iam textilis anguis
Diſcurrit per vtramque aciem, cui guttur adactis
Turgeſcit Zephyris: patulo mentitur hiatu
Iratam pictura famem, pannóque furorem
Aura facit, quoties craſſatur textile tergum
Flatibus, & nimium iam non capit aluus inane.

Adderem & Claudianum lib. 2. in Rufinum, & de Honorij conſulatu, ſed iam fortaſſe nimius ſui referendis iis quæ alij pridem occuparunt.

iuuat integros accedere fontes
Atque haurire.

Nazianzenus oratione in Iulianum labarum illud de quo Prudentius libro in Symmachum priore.

Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum, clypeorum inſignia Chriſtus.

hoc, inquam, labarum Nazianzenus reliquis præcelluiſſe dicit, Οσα τε βασιλέων προσώποις ἀγάλλεται, καὶ πεπασμένοις ὑφάσμασιν ἐν διαφόροις βαφαῖς καὶ γράμμασιν. ὅσα τε δρακόντων φοβεροῖς χάσμασιν ἐμπνεόμενα ἐπ' ἄκρων δοράτων αἰωρούμενα, καὶ διὰ τῶν ὁλκῶν ῥιπιζόμενα φολίσιν ὑφανταῖς κατασικτῶν, ἥδιστόν τε ὁμοῦ καὶ φρικτὸν θέαμα προσπίπτει ταῖς ὄψεσιν. *Quæ cùm Imperatorum vultibus, paſſiſque textilibus, variis coloribus & litteris inſignita ſplendent. Et quæ volantia in haſtarum cacumine metuendis draconum hiatibus, & per ſpiras textilibus ſquamis variatas ventilata iucundiſsimum ſimul & horrendum præbent oculis ſpectaculum.*

V. Falso, sed pvtari tamen.] Paucis antè verbis, *opponi omnibus concionibus falsò, ſed formidoloſè tamen.* Gregorius Nazianzenus epitaphio Baſilij, Καὶ βίᾳ μὲν, συνεχωρήθη δ' ὅμως. *Et difficilè quidem, ſed conceſſum eſt tamen.* Item. Ἐμὲ δὲ πατέρων εὐλάβεια, καὶ γηροκομία, καὶ συμφορῶν ἐπανάστασις καταλαβοῦσα τοῦ αἰδέσιμος ἀπήγαγεν· οὐ καλῶς μὲν ἴσως, οὐδὲ δικαίως. ἀπήγαγε δ' οὖν. *Me verò pietas in parentes, & eorum in Senectute obſequium, & caſus qui euenerat, ab homine abduxit: non honeſtè fortaſſe, neque iuſtè. abduxit tamen.* Quæ duo Nazianzeni exempla, perinde vt hac oratione non magno interuallo diſcreta ſunt. Piſon. 27. *Collegit ipſe ſe vix, ſed collegit tamen, & contra Clodium primùm ſimulatè, deinde non libenter ad extremum tamen pro Cn. Pompeio verè vehementérque pugnauit.* Vide noſtras Notas. Adde Demoſthenem de corona. Ἐπεπείσμην δ' ὑπὲρ ἐμαυτοῦ, τυχὸν μὲν ἀναισθήτως, ὅμως δ' ἐπεπείσμην. *Hoc mihi de meipſo perſuaſi, ſtultè fortaſſe, perſuaſi tamen.*

Qvid agerem.] Demoſthenes eadem Oratione. Ἀλλὰ τί ἔχρῆν με ποιεῖν; ἤδη γάρ σε ἐρωτῶ. *Sed quid mihi faciendum fuit, iam enim te interrogo.* Sic Callicles Plautinus in Trinummo ſc. 1. actu 1. VI.

Sed nunc rogare ego viciſsim te volo
Quid fuit officium meum me facere, faceſciam?
Vtrum indicare me ei theſaurum æquũ fuit: &c.

Lucianus Phalaride priore. Εἴπατε τί δεῖ ποιεῖν; φιλανθρωπίᾳ χρήσασθαι πρὸς αὐτοὺς ἔτι καὶ φείδεσθαι, καὶ ἀνέχεσθαι. *Dicite quid faciendum fuit? vtendum clementiâ, parcendum, & ſuſtinendum?* Nazianzenus Oratione in eos qui dicebant ipſum cathedram Conſtantinopolitanam expetere. Εἰ δέ με ὄντα κακὸν ἄριστον ὑπελάμβανες, τί με ποιεῖν ἐχρῆν; εἶναι μᾶλλον κακὸν ἵνα πλέον ἀρέσκω σοί; *Si me cùm malus eſſem, optimum eſſe arbitrarere, quid me facere oporteret? deberémne peior eſſe vt tibi magis placerem?* Noſter infra 89. *Quid ageret vir ad virtutem, dignitatem, gloriam natus vi ſceleratorum hominum corroboratâ, legibus iudiciiſque ſublatis.* pro Rabirio. *Tu denique Labiene quid faceres?* & alibi frequenter vt actione 1. in Verrem 32. *Nunc ego, Iudices, iam vos conſulo. quid mihi faciendum putetis. id enim conſilij mihi profectò taciti dabitis, quod egomet mihi neceſſariò capiendum intelligo.*

Non mihi vestrvm stvdivm.] Id obiecerat Tullio Laterenſis pro Plancio 85. *Dixi enim non auxilium mihi, ſed me auxilio defuiſſe. Ego verò fateor, mehercule, quod viderim mihi auxilium non deeſſe, idcircò me illi auxilio pepercìſſe.* vide fusè. VII.

Reliqviarvm.] Eodem ſenſu Maro. VIII.

Troas reliquias Danaûm atque immitis Achilli.

Sangvis tribvnitivs.] Tribuni ſacroſancti. Liuius, Dionyſius Halicarnaſſeus, alij paſſim. IX.

Vltores et defensores.] Synonyma. idem enim *vlciſci & defendere*, vt dicemus in Cœliana. vnde vt id obiter dicam, in Pſalmis aliàs legitur, *Vt deſtruas inimicum & vltorem.* aliàs, *inimicum & defenſorem.* Quæ lectio nota eſt ex hiſtoria S. Martini. X.

AXIOMATA.

Sine Senatu ciuitas ſtare non poteſt.
Conſules publici conſilij duces eſſe debent.
Non debet contendere contra magiſtratum priuatus armis.
In bellis ciuilibus præſtat ſemel perire quàm bis vincere.

ARGVMENTVM.

Pergit oſtendere cur non ſolùm fugere & cedere, ſed etiam interfici ſatiùs fuerit, quàm cum P. Clodio cæteriſque improbis ciuibus dimicare.

XLIV. EGO verò, ſi mihi vni pereundum fuiſſet, ac non accipienda plaga mihi inſanabilis, illi mortifera, quam Reipub. impoſuiſſem, ſemel perire tamen, iudices, maluiſſem, quàm bis vincere. Erat enim illa altera eiuſmodi contentio, vt neque victi, neque victores Rempub. tenere

nere poſſemus. Quid, ſi in prima contemptione vi tribunitiâ victus in foro cum multis bonis viris concidiſſem? Senatum Conſules credo vocaſſent, quem totum de ciuitate delerant. ad arma vocarent, qui ne veſtitum quidem defendi Rempublicam ſiuiſſem. à Tribuno pleb. poſt interitum meum diſſidiſſent, qui eandem horam meæ peſtis, & ſuorum præmiorum eſſe voluiſſent.

EXPLANATIO.

EGO VERÒ.] Locus per ſe obſcurus & incuriâ librariorum factus obſcurior. Emendant: *Ego verò ſi mihi vni pereundum fuiſſet, ac non accipienda plaga mihi ſanabilis, illis mortifera qui eam impoſuiſſent.* Sed, vt ingenij mei tarditatem fatear, ne ſic quidem poſſum Oratoris mentem ad liquidum intueri. Cùm enim huius particulæ *ac* ea natura ſit, vt nunquam oppoſita orationis membra conuertat, non video quomodo iſta duo membra inter ſe cohæreant. Deinde cùm particula *tamen* ſit aduerſatiua, vt loquuntur, ac proinde diuerſas ſententias requirat, quid eſt illud? *Si mihi pereundum eſſet, tamen perire maluiſſem.* Quare quod pace doctorum virorum dixerim, legendum putarem. *Ego verò ſi mihi vni pereundum fuiſſet, ac non accipienda plaga mihi inſanabilis Reipub. mortifera, quam illi impoſuiſſem, ſemel perire, Iudices, maluiſſem, quàm bis vincere.* Sic enim minimùm diſcedemus ab antiquæ ſcripturæ veſtigiis, tranſpoſitis duntaxat duobus vocabulis *Reipub. illi*, hoc ſenſu. *Ego verò ſi mihi vni pereundum fuiſſet, & non Reipub. mecum,* vel *& non mihi ſimul & Reipub. accipienda plaga fuiſſet vtrique inſanabilis & mortifera, quàm ego plagam Reipub. impoſuiſſem, meum caput periculo mortis obiiciens, ſi, inquam, mihi vni pereundum fuiſſet, ſemel perire maluiſſem quàm bis vincere.* Vides quantas duarum vocum tranſpoſitio rei per ſe ſatis obſcuræ tenebras offuderat. Particulam *tamen* etiam à veteribus codicibus abeſſe aiunt.

ERAT ENIM.] Paulò apertiùs, obſcurè tamen innuit, etiamſi alterâ contentione contra Conſules ſuſceptâ, victor fuiſſet, tertiam dimicationis aleam ſubeundam fuiſſe, contra Cæſarem generum Piſonis, ac proinde non fuiſſe pugnandum, quia Ciceroniani neque victi, neque victores Remp. obtinere potuiſſent.

IN PRIMA.] Contra Clodium. éſtque altera pars dilemmatis. Si Clodio reſtitiſſem, vel victor fuiſſem, vel victus. Si victor, iterum cum Cõſulibus Clodij vltoribus dimicandum fuit, & rurſum cum Cæſare Conſulum vltore. Si victus fuiſſem primo illo congreſſu, actum fuiſſet de Repub. Ergo reſiſtendum non fuit.

QVI EANDEM.] Infra 53. *Illo, inquam, ipſo die, die dico? imò horâ, atque etiam puncto temporis eodem, mihi Reique publicæ pernicies, Gabinio & Piſoni prouincia rogata eſt.*

NOTÆ.

PLAGA.] Notum vnde nomen iſtud profluxerit. Græci πληγὴ, Dores πλαγά. E qua dialecto multæ voces in latium tranſcriptæ. φυγὰ, φάμα, ματης, κράτης, & aliæ ſexcentæ. In Vatinium 20. *Si ad cætera vulnera quibus Rempub. putaſti poſſe deleri, hanc quoque mortiferam plagam inflixiſſes auguratus tui.* Sæpè vulnera vt eadem orat. 36. *Exemplo Rempub. vulneraſti.* pro Milone 14. *Remp. tamen non vulnerauerunt.*

CREDO.] Nota vis huius verbi ex iis quæ dicentur hac ipsâ oratione, pro Milone & de prouinciis Conſularibus. nihil eſt cur hîc morandum eſſe videatur. 11.

AXIOMA.

In bello ciuili ſatius eſt ſemel perire, quàm bis vincere.

ARGVMENTVM.

Reddit rationem cur non reſtiterit mortémque pugnans oppetierit, vt nec multus moreretur, & ſe tum ab inimicorum vexatione tum ab exilij dedecore, & moleſtia liberaret.

XLV. VNVM enim mihi reſtabat illud, quod forſitan non nemo vir fortis, & acris animi, magníque dixerit. Reſtitiſſes, repugnaſſes, mortem pugnans oppetiſſes. de quo te, te inquam, patria, obteſtor, & vos Penates, patriíque Dij, me veſtrarum ſedium templorúmque cauſſâ, me propter ſalutem meorum ciuium, quæ mihi ſemper fuit meâ carior vitâ, dimicationem, cædémque fugiſſe. Etenim, ſi mihi in aliqua naue cum meis amicis nauiganti, hoc, iudices, accidiſſet, vt multi ex multis locis prædones claſſibus cùm nauem ſe oppreſſuros minitarentur, niſi me vnum ſibi dedidiſſent, ſi id victores negarent, ac mecum ſimul interire, quàm me tradere hoſtibus mallent, ieciſſem me ipſe potiùs in profundum, vt cæteros conſeruarem, quàm illos mei tam

cupidos non modò ad certam mortem, ſed in magnum vitæ diſcrimen adducerem.

XLVI. Cùm verò in hanc Reipub. nauem, ereptis Senatui gubernaculis, fluitantem in alto tempeſtatibus ſeditionum, ac diſcordiarum, armatæ tot claſſes, niſi ego vnus deditus eſſem, incurſuræ viderentur: cùm proſcriptio, cædes, direptio denuntiarentur: cùm alij me, ſuſpicione periculi ſui non defenderent, alij vetere odio bonorum incitarentur, alij inuiderent, alij obſtare ſibi me arbitrarentur, alij vlciſci dolorem ſuum aliquem vellent, alij rem ipſam publicam, atque hunc bonorum ſtatum otiúmque odiſſent, & ob haſce cauſſas tot, támque varias me vnum depoſcerent: depugnarem potiùs cum ſummo, non dicam exitio, ſed periculo certè veſtro, liberorúmque veſtrorum, quàm non id, quod omnibus impendebat, vnus pro omnibus ſuſciperem, ac ſubirem? victi eſſent improbi: at ciues, at ab eo priuato, qui ſine armis Remp. etiam Conſul conſeruarat. ſin victi eſſent boni, quid ſupereſſet? non ad ſeruos videtis rem venturam fuiſſe?

EXPLANATIO.

VNVM.] Obiectio. Mortem potiùs oppetendam fuiſſe, quàm cedendum deſpicatiſſimo Tribunoplebis, & Conſulibus perditis, & in omnem nequitiam proiectis.

DE QVO.] Reſponſurus obiectioni ſe exclamatione præmunit, ad amoliendam ignauiæ ſuſpicionem. qua patriam & Deos obteſtatur ſe Clodio ceſſiſſe, non quòd mortem timeret, ſed quòd nollet patriæ calamitatem accerſere.

ETENIM.] Elegans imago, quâ reddendam facti ſui rationem illuſtrat.

CVM VERO.] ἀνταπόδωσις & applicatio ſimilitudinis pulcherrima, per allegoriam non ſimplicem, ſed mixtam & propriis verbis temperatam. Perpendenda eſt vis orationis in exaggerando per partium enumerationem.

SVSPICIONE PERICVLI.] vt Pompeius cui fingebar inſidias comparare.

VETERE ODIO.] vt Vatinius qui optimatum *nationem deleri & concidi cupiuit*. infra 132. & in Vat. 6. *Qui principum ciuitatis ſanguinem exorbere, crudelitatem ſuam odiúmque diuturnum, quod in bonos iam inueteràtum habebat, ſaturare cupiebat.*

ALII INVIDERENT.] Propter eloquentiam vel res geſtas in conſulatu.

ALII OBSTARE.] Vt Cæſar qui putabat me velle ipſius acta reſcindere.

ALII VLCISCI.] Vt duo Conſules, *quorum alter ſe Catilinæ delitias*, videlicet Gabinius, *alter Cethegi conſobrinum fuiſſe dicebat*. pro Domo 62. atque ideo coniuratorum mortem vlciſci cupiebant.

ALII REM IPSAM.] Vt qui réliqui fuerant ex coniuratione Catilinæ, & ij omnes, *Qui aut propter metum pœnæ peccatorum ſuorum conſcij, nouos motus conuerſionéſque Reipub. quærebant, aut qui propter inſitum quendam animi furorem diſcordiis ciuium, & ſeditione paſcebantur, aut qui propter implicationem rei familiaris, communi incendio malebant, quàm ſuo deflagrare*. infra 99.

VICTI ESSENT.] Concludit rationem cur mori dimicando non debuerit, quam pro domo ſua 63. ſic expreſſit. *Quòd ſi vt multis fortiſsimis viris placuit, vi & armis contra vim decertare voluiſſem, aut viciſſem cum magna internecione improborum, ſed tamen ciuium: aut interfectis bonis omnibus, quod illis optatiſsimum erat, vnà cum Repub. concidiſſem.*

NOTÆ.

DE QVO.] Eadem aurâ Æneas Virgilianus 2. Æneidos ſuſpicionem ignauiæ deprecatur. I.

Iliaci cineres & flamma extrema meorum
Teſtor in occaſu veſtro nec tela, nec vllas
Vitauiſſe vices Danaûm, &, ſi fata tuliſſent
Vt caderem, meruiſſe manu.-

Silius Italicus lib. 8. Punicorum ita Paulum Varronis collegam loquentem inducit.

Tarpeiæ rupes, cognatáque ſanguine nobis
Templa Iouis, quæque arce ſua nunc ſtantia linquo
Mœnia fœlicis patriæ, quocunque vocabit
Summa ſalus, teſtor ſpreto diſcrimine iturum.

PENATES PATRIIQVE DII.] De Penatibus fusè dicemus pro Milone. Patrij Dij fuerunt, vel Dij Magni, quorum duodecim nomina Ennius vno diſticho complexus eſt, ſex mares totidémque fœminæ, II. Dij patrij.

Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Ioui, Vulcanus, Neptunus, Apollo.

vel Genius Publicus, de quo Ammianus, & alij. vel denique Dij ciuitatis cuſtodes, quorum nomina cæteris ignorata, ſolis Pontificibus cognita fuiſſe tradit Plinius, ne poſſent hoſtium carminibus euocari. Vel denique patrios Deos intelligit, quos religione priuatâ, & à ſuis maioribus acceptâ colebat. Nota eſt in hereditatibus cernendis ſacrorum ſuſceptio.

MEA CHARIOR VITA.] Catullus, III.

Nate mihi longa iucundior vnice vitá.

Maro,

Nate mihi vita quondam dum vita manebat
Chare magis.

Primâ Catilinariâ 27. *Patria, quæ mihi vitâ meâ multo eſt carior.*

IV. Prædones piratæ. PRÆDONES.] Pro piratis frequenter, vt 7. Æneidos.

-Quam primo Aquilone relinquet
Perſidus, alta petens, abductâ virgine prædo.

Odyſſeæ 3.

Οἷά τε ληϊστῆρες ὑπεὶρ ἅλα τοί τ' ἀλόωνται
Ψυχὰς παρθέμενοι, κακὸν ἀλλοδαποῖσι φέροντες.
Inſtar prædonum vaſtis qui fluctibus errant
Ponentes animam, atque aliis mala multa ferentes.

V. Vectores. VECTORES.] Vectores, vt explicat Budæus annotationibus prioribus in Pandectas. *Qui ob hoc tantùm in naui ſunt, vt vehantur.* Quæ viri docti ſententia confirmari poteſt tum ex hoc loco, tum ex lib. 2. ad Attic. ep. 10. *Malè vehi malo alio gubernante, quàm tam ingratis vectoribus bene gubernare.* Hos Græci vel ἐμπόρους, vel ἐπιβάτας nominabant. ἐμπόρους, vt lib. 2. Odyſſeæ Telemachus.

Εἶμι μὲν (οὐδ' ἁλίη ὁδὸς ἔσσεται, ἣν ἀγορεύω)
Ἔμπορος· οὐ γὰρ νηὸς ἐπήβολος, οὐδ' ἐρετάων (Ἔμπορος.)
Γίγνομαι. ὥς νύ που ὔμμιν ἐείσατο κέρδιον εἶναι.
Ibo equidem (nec ego incaſſum dabo lintea ventis)
Quandoquidem nec puppe fruor nec remige, vector.
Sic etenim vobis viſum eſt.-

Quem in locum tum Euſtathius, tum Porphyrius prima Homericarum quæſtionum ἔμπορον ſumi tradunt ἐπὶ τῶν ἐπ' ἀλλοτρίας νηὸς πλεόντων. *De iis qui alienâ naui vehuntur.* Sic enim alibi:

Ἠ ἔμπορος εἰλήλουθας
Νηὸς ἐπ' ἀλλοτρίης.
Aut puppe alterius veniſti per mare vector.

Ἐπιβάτης. Harpocration ἐπιβάτας etiam vocari dicit, τῶν ἐν ταῖς τριήρεσι στρατευομένων τοὺς μὴ κωπηλατοῦντας, ἀλλὰ μόνον πρὸς τὸ μάχεσθαι ἐπιτηδείους. *Eos qui in triremibus ſtipendia facientes non remigant, ſed tantùm ad pugnam ſunt expediti.* Quod Suidas verbatim exſcripſit. Phauorinus ſequitur Porphyrium. Ἐπιβάται μὲν οἱ ἐπ' ἀλλοτρίας νεὼς τὸν πλοῦν ποιούμενοι διδόντες τὸν ναῦλον Ἀττικῶς. *Epibatæ apud Atticos ij ſunt qui alienâ naui vehuntur, vecturam ſoluentes.* Addit tamen quod magis faciat ad hunc locum. Καὶ οἱ ἐν οἰκείᾳ νηὶ, ἀργοὶ δ' ὄντες καὶ παρεσκευασμένοι εἰς μάχην. *Etiam qui propriâ naui vehuntur, remum non attingentes, ſed ad pugnam parati.* Sed eos Romani frequentius *claſſiarios* vocabãt, cæteros qui quacunque occaſione vehebantur *vectores.* Vlpianus D. Nautæ, caupones ſtab. *Et puto omnium eum recipere cuſtodiam, quæ in nauem illatæ ſunt, & factum non ſolum nautarum præſtare debere, ſed etiam vectorum.* Caius eodem titulo. *Nauta & caupo & ſtabularius, mercedem accipiunt, non pro cuſtodia, ſed nauta vt traiiciat vectores,* &c.

VI. REIP. NAVEM.] Æſchylo Septem ad Thebas. πρύμνη πόλεως. *puppis Reip.* Ariſtophanes in Veſpis non procul ab initio.

Περὶ τῆς πόλεως γάρ ἐστι σκάφους ὅλου. Nauis Reip.
Nam circa nauem vniuerſam eſt Reipublicæ.

Vbi Interpres, ΟΙ ποιηταὶ τὰς πόλεις πλοίοις παραβάλλουσι. *Poëtæ vrbes nauigiis conferunt.* Lyricus. *O Nauis, referent in mare te noui fluctus.* vide ſupra 20. *Clauum tanti imperij.*

VII. Tempeſtas ſeditionum. TEMPEST. SEDITIONVM.] Philiſcus in colloquio, quod cum Cicerone exule habuiſſe dicitur apud Dionem Caſſium lib. 38. Κωφαὶ μὲν καὶ ἐφήμεροι, καὶ ἄλλως αἱ τῶν ἀνθρώπων εὐπραγίαι εἰσί· καὶ ὅσῳ ἂν μᾶλλόν τις ἀπ' αὐτῶν ἐπαυξηθῇ, ῥᾷον ὥσπερ πνεῦμα πίπτει, μάλιστα δ' ἐν ταῖς στάσεσιν. ἅτε γὰρ ἐν τεταραγμένοις, καὶ ἀκαταστάτοις πράγμασι φερόμενοι, μικρὸν, μᾶλλον δὲ οὐδὲν τῶν χειμαζομένων διαφέρουσιν. ἀλλ' ἄνω τε καὶ κάτω, ποτὲ μὲν δεῦρο, ποτὲ δ' ἐκεῖσε, κἂν ἄρα τι καὶ τὸ βραχύτατον σφαλῶσι, παντελῶς βαπτίζονται. *Ea enim eſt humanarum felicitatum conditio, vt momentaneæ ſint, inque diem durent: ac quanto quis maiora ab his incrementa accipit, tantò faciliùs auræ inſtar concidit: idque præcipuè in ſeditionibus. Quippe homines qui in perturbatis fluctuantibúſque rebus verſantur, parum aut nihil potiùs ab iis differunt qui tempeſtate iactantur. Eodem enim modo ſus déque & in omnes partes abripiuntur, ac ſi quid eos vel minimum fefellerit, prorſus ſubmerguntur.* Vide apud Baſilium Magnum lib. De S. Spiritu cap. vltimo pulcherrima. Noſter pro domo ſua 24. *Quid tandem? Si quæ tum in illis Reipub. tenebris, cæcíſque nubibus & procellis, cùm Senatum à gubernaculis deieciſſes, populum è naui exturbaſſes, ipſe archipirata cum grege prædonum impuriſſimo pleniſſimis velis nauigares,* &c.

VIII. Inuidi Ciceronis. INVIDERENT.] Dio lib. 38. Διότι μέγιστον τ' ἀνθρώπων ηὔχει, κ' οὐδένα 'ξ ἴσου ἑαυτῷ ἦγε, &c. *Quia præ cæteris mortalibus ſe iactabat, neminémque ſibi ducebat æqualem,* &c. καὶ ἀπὸ πάντων καὶ ὑπ' αὐτῶν ἐκείνων, οἷς ἤρεσκε, καὶ ἐμισεῖτο καὶ ἐφθονεῖτο. *Eas ob res etiam illi ipſi, quibus placebat, eum & oderant, & inuidebant.* Ii autem potiſſimùm videntur fuiſſe Lucullus & Hortenſius, de quibus lib. 1. ad Attic. ep. 16. *Beatos homines (hos piſcinarios dico amicos tuos) non obſcurè nobis inuidere.* Et ep. 17. *Mihi verò vt inuideant piſcinarij noſtri.* Notæ autem ſunt Luculli & Hortenſij piſcinæ. Plinius lib. 9. cap. 54. Quamuis Macrobius 3. Saturn. cap. 15. non Lucullum, ſed Luc. Philippum & Hortenſium putat intelligi. vide locum.

AXIOMATA.

Salus ciuium noſtrâ nobis vitâ charior eſſe debet.
Improbi facilè odio bonorum incitantur, & Reipub. ſtatum oderunt.

ARGVMENTVM.

Reddit rationem cur ad fugiendum exilij dedecus mortem ſibi ipſi non conſciuerit: & primùm eas cauſſas proponit, quæ ipſum ad mortem obeundam impellere potuiſſent, niſi Reip. rationes ſuis ipſius rationibus prætuliſſet.

AN mihi ipſe, vt quidam putant, fuit mors æquo animo oppetenda? quid? tum mortémne fugiebam? an erat res vlla, quam mihi magis optandam putarem? aut ego illas res tantas, in tantâ improborum multitudine cùm gerebam, non mihi mors, non exſilium ob oculos verſabãtur? XLVII.

non hæc denique à me tum, tanquam fata, in ipſa re gerendâ concinebantur? an erat mihi in tanto luctu meorum, tantâ diſiunctione, tantâ acerbitate, tantâ ſpoliatione omnium rerum, quas mihi aut natura, aut fortuna dederat, vita retinenda? tam eram rudis? tam ignarus rerum? tam expers conſilij, aut ingenij? nihil audieram? nihil videram? nihil ipſe legendo, quærendóque cognoueram? neſciebam vitæ breuem eſſe curſum, gloriæ ſempiternum? cùm eſſet omnibus definita mors, optandum eſſe, vt vita quæ neceſſitati deberetur, patriæ potiùs donata, quàm reſeruata naturæ videretur? neſciebam inter ſapientiſſimos homines hanc contentionem fuiſſe, vt alij dicerent animos hominum, ſenſúſque morte reſtingui, alij autem tum maximè mentes ſapientum ac fortium virorum, cùm è corpore exceſſiſſent ſentire ac vigere? quorum alterum fugiendum non eſſe, carere ſenſu: alterum etiam optandum, meliore eſſe ſenſu.

EXPLANATIO.

AN MIHI.] Proponit aliorum obiectionem: non reſiſtendum quidem fuiſſe, ſed mortem fortiter oppetendam priùs, quàm cederet hominibus tam abiectis.

QVID?] Aduerte ſingularem Oratoris prudentiam. Eas ipſas rationes, quibus alij inſectati fuiſſent eius ignauiam, probauiſſéntque eum fuiſſe puſilli animi mortémque metuentis, eas inquam ipſas rationes vltrò profert, quibus oſtendat ſe mortem haudquaquam timuiſſe. Nam aduerſarius dixiſſet:

Puſilli eſt animi mortem & cæt. caſus timere, quos antè non ſolùm præuideris, ſed etiam depopoſceris.

Sed Cicero mortem & alios caſus præuiderat & depopoſcerat, quos tamen timet.

Ergo puſilli eſt animi.

Ipſe ex eodem fonte argumentum deducit.

Non timet mortem qui eam & præuidit & depopoſcit.

Sed eam & præuidi & depopoſci.

Ergo non timui.

Quod in cæteris argumentis aduertes. Magnam Oratoris induſtriam! qui tela ſuis ceruicibus intenta in aduerſariorum iugulum conuerterit.

ILLAS RES TANTAS.] Geſtas in meo Conſulatu, cùm illam Catilinę coniurationem oppreſſi.

CONCINEBANTVR.] Alludit ad illum Catilinariæ locum. *Deinde ſi quid obtigerit, æquo animo fortique moriar. Neque enim turpis mors forti viro poteſt accidere, neque immatura Conſulari, neque miſera ſapienti.* vide ſub finem eiuſdem Orat.

TAM ERAM.] Expolitio oratoria ad inſtandum vehementiùs. vbi facit iterum ſyllogiſmum ſiue potiùs Epichirema, cuius ea vis eſt.

Qui ſcit vitæ breuem curſum eſſe, gloriæ ſempiternum, non timet mortem.

Ego id ſciebam.

Ergo mortem non timebam.

Vt obuiam eat ſyllogiſmo, quem alius ex eodem fonte hauriret.

Qui ſciens breuem vitæ curſum eſſe, gloriæ ſemp. timet mortem, valde ignauus eſt.

Sed M. Tullius id ſciens mortem valde timuit.

Ergo valde ignauus fuit.

NESCIEBAM.] Dilemma in eandem ſententiam, de quo vide ſub finem lib. de Senectute, Platonem, &c.

ALII.] Epicurei, Stoici, & Ariſtoteles fortaſſe.

ALII AVTEM.] Plato, Pythagoras, Mercurius Triſmegiſtus.

NOTÆ.

I. MORS.] Hanc quæſtionem Philoſophi varijs inter ſe altercationibus ventilarunt, eſſetne viri fortis & generoſi mortem ſibi accerſere. Aſſeruerunt Stoici, vt apud Senecam videre eſt epiſt. 12. 24. 70. & alibi frequenter. Peripatetici negant. Ariſtoteles lib. 3. Ethic. ad Nicomachum cap. 7. Τὸ ἀποθνήσκειν φεύγοντα πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἤ τι λυπηρὸν οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ. μαλακία γὰρ τὸ φεύγειν τὰ ἐπίπονα. *Mori paupertatis aut amoris, aut alicuius triſtitiæ metu, non eſt viri fortis, ſed potiùs ignaui. Mollities enim eſt fugere laborioſa.* Poſt quem Ioſephus vt plurima, item pulcherrima lib. 2. de excidio cap. 25. Γενναῖον γὰρ ἀνελεῖν ἑαυτόν φήσει τις; οὐ μὲν οὖν, ἀλλ᾽ ἀγεννέστατον, ὡς ἔγωγε καὶ κυβερνήτην ἡγοῦμαι δειλότατον, ὅστις χειμῶνα δεδοικὼς πρὸ τῆς θυέλλης ἐβάπτισεν ἑκὼν τὸ σκάφος. Ἀλλὰ μὴν ἡ αὐτοχειρία καὶ τῆς κοινῆς ἁπάντων ἡμῶν φύσεως ἀλλότριον, καὶ πρὸς τὸν κτίσαντα Θεὸν ἡμᾶς, ἐστὶν ἀσέβεια. *Atenim magni eſt animi ſibi mortem conſciſcere? Minimè verò, ſed puſilli, & ignauiſſimi, vt & ego illum gubernatorem ignauiſſimum puto, qui metu tempeſtatis ante procellam nauigium ſponte demerſerit. Quid? quod ſui ipſius occiſio tum aliena eſt à communi omnium parente natura, tum ſumma impietas in Deum qui nos creauit.* Et eam ob cauſſam, vt ibidem ſubdit: Τοὺς γοῦν ἀνελόντας ἑαυτοὺς παρὰ μὲν ἡμῖν μέχρις ἡλίου δύσεως ἀτάφους κρύπτειν (lege ῥίπτειν) ἔκριναν, καίτοι καὶ πολεμίους θάπτειν θεμιτὸν ἡγούμενοι· παρ᾽ ἑτέροις δὲ καὶ τὰς δεξιὰς τούτων τῶν νεκρῶν ἀποκόπτειν ἐκέλευσαν, αἷς ἐστρατεύοντο καθ᾽ ἑαυτῶν, &c. *Qui ſeipſos occiderint apud nos,* Iudæos, *conſtitutum eſt vt ad ſolis occaſum abijciantur inſepulti, licet ipſos etiam hoſtes ſepelire fas arbitremur. Apud alios verò, iis etiam dexteræ, quibus contra ſe vſi ſunt, iubentur amputari.* Plato 9. de legibus iubet, θάπτειν ἀκλεεῖς αὐτοὺς, μήτε στήλαις, μήτ᾽ ὀνόμασι δηλοῦντας τοὺς τάφους. *Inhonoratos ſepeliri, nec columnis aut nominum inſcriptionibus eorum tumulos inſigniri.*

Mors an accerſenda.

Pœnæ in eos qui ſe occiderint.

II. OCCINEBANTVR.] Cani fata dicuntur, vt 3. Æneid.

Inſanam vatem adſpicies, quæ rupe ſub ima
Fata canit, foliiſque notas & carmina mandat.

Et alibi frequenter. frequentius tamen de iis qui mala prædicunt, vt Sinon lib.2.

Canere. *--& mihi iam multi crudele canebant*
Artificis ſcelus, & taciti ventura videbant.

Anchiſes 3.

Sola mihi tales caſus Caſſandra canebat.

Turnus 11.

Nulla ſalus bello: capiti caue talia demens
Dardanio, rebúſque tuis.--

III. Vitæ brevem esse cvrsvm.] Sic pro Milone 97. ait: *Gloriam eſſe hanc vnam quæ breuitatem vitæ poſteritatis gloriâ conſolaretur, quæ efficeret vt abſentes adeſſemus, mortui viueremus.* Vbi cùm de vitæ breuitate, tum de gloriæ æternitate pauca dicemus. Aduerte tantùm vitam cum curſu ſiue curuli certamine comparari; vt initio lib. 1. de Oratore. *Cùm & honoribus & rerum geſtarum gloriâ florerent, cùm vitæ curſum tenere potuerunt, vt vel in negotio ſine periculo, vel in otio cum dignitate eſſe poſſent.* Et paulò pòſt. *Si infinitus rerum forenſium labor, & ambitionis occupatio, decurſu honorum etiam ætatis flexu conſtitiſſet.* De quâ ſimilitudine plura ſeruamus in Cœlianam 75. *In hoc flexu quaſi ætatis, &c. fama adoleſcentis paulùm hæſit ad metas.* Habeto interim analogiæ rationem ex Baſilij Magni homilia, quâ oſtendit non inhærendum eſſe rebus ad hanc vitam ſpectantibus. Ὥσπερ γὰρ οἱ τινα συντεταμένην πορείαν ἀνύοντες, ἐπὶ τὰ πρόσω τὰς τῶν ποδῶν βάσεις ἁμιλλωμένας ἀλλήλαις εἰς δεξιὸν ἀμείβοντες, καὶ τὴν ἀεὶ προτέραν ἐπὶ τῆς γῆς ἐρεισθεῖσαν
Vitæ curſus. δευτέραν ἀποδεικνῦντες, τῇ ταχείᾳ μεταθέσει τῆς ἄλλης, ῥᾳδίως ἐπὶ τὸ τῆς ὁδοῦ τέρμα χωροῦσιν. οὕτως οἱ πρὸς τὸ ζῆν παραχθέντες ὑπὸ τοῦ κτίσαντος, εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τοῖς τοῦ χρόνου τμήμασιν ἐπεμβαίνοντες, καὶ τὸ πρότερον ἀεὶ καταλιμπάνοντες ὕστερον ἐπὶ τὸ πέρας φθάνουσι τῆς ζωῆς. *Vt enim qui directam quandam viam decurrunt, dum vlterius ſemper greſſus ſecum ipſis certantes in curſum alternant, & veſtigium prius terræ impreſſum poſterius efficiunt, veloci pedis alterius tranſpoſitione, facilè ad metam perueniunt. Sic qui à creatore in vitam præſentem inducti ſunt, ſtatim ab initio, in minutas temporis particulas ſe promouentes relictis ſemper prioribus, tandem ad finem vitæ perueniunt.* Hinc Terentius Adelphis, *Nam ego vitam duram, quam ego vixi vſque adhuc prope iam decurſo ſpatio.* Plautus Sticho. *Quid mihi opus eſt decurſo ſpatio cum eis gerere bellum.* Lucretius lib. 5.

Ipſe Epicurus obit decurſo lumine vitæ.

Quæ tum cæteris, tum Olympicis curſoribus ad metam ſemper tendentibus quadrare poſſunt. Neque verò hæc imago vitæ duntaxat, ſed etiam gloriæ apprimè conuenit. Orpheus hymno in Parcas.

Μοιρῶν ἐν δαπέδῳ, ὅθι πάγχυον ἅρμα διώκει
Δόξα δίκης παρὰ τέρμα, καὶ ἐλπίδος ἠδὲ μεριμνῶν.
Parcarum in campis vbi currum gloria ducit
Circa Iuſtitiæ metam, Curæque, Speique.

Notum eſt etiam vitam cum nauigationis curſu ſæpè conferri. Sexcentos omitto. Seneca ep. 7. *Prænternauigamus, mi Lucili, vitam, & quemadmodum in mari, vt ait Virgilius noſter,*

-Terræque vrbéſque recedunt.

Sic in hoc curſu rapidiſſimi temporis, primùm pueritiam abſcondimus, deinde adoleſcentiam, &c. Item lib. de beata vita c.19. *Laudauitque ætatis in portu & ad ancoram actæ quietem, & dixit, &c.*

Vixi, &, quem dederat curſum fortuna, peregi.

Gloriæ sempiternvm.] Fama & gloria cum curſu & ſtadio comparatur. vide Cœlianam 75. *In hoc flexu quaſi ætatis fama adoleſcentis paulùm hæſit ad metas.* VI. Curſus gloriæ.

Definita mors.] Bene à neceſſitate moriendi mortem glorioſè & fortiter oppetendam eſſe demonſtrat. Pindarus ode 1. Olymp. exeunte. Ὁ μέγας δὲ κίνδυνος ἄναλκιν οὐ φῶτα λαμβάνει. θανεῖν δ' οἷσιν ἀνάγκα. τί κέ τις ἀνώνυμον γῆρας ἐν σκότῳ καθήμενος ἕψοι μάταν, ἁπάντων καλῶν ἄμμορος; *Magnum diſcrimen imbellem virum non apprehendit. Mori verò quibus neceſſitas incumbit. Quid eorum vllus in gloriam ſenectutem in tenebris ſedens concoquat fruſtra omnium honeſtorum expers.* Alcinus.

Πολλάκι δηϊότητα φυγὼν καὶ δοῦπον ἀκόντων
Ἔρχεται, ἐν δ' οἴκῳ μοῖρα κίχεν θανάτου.
Sæpè vir euitans pugnam ſtrepitúmque ſagittæ
Aufugit, reperit parca cruenta domi.

Iſocrates ad Demonicum. Τὸ μὲν τελευτῆσαι πᾶσιν ἡ πεπρωμένη κατέκρινεν· τὸ δὲ καλῶς ἀποθανεῖν ἴδιον τοῖς σπουδαίοις ἡ φύσις διένειμεν. *Mors enim omnibus fato definita eſt, honeſtè verò mori fortibus tantummodo à naturâ tributum eſt.* Hoc eodem argumento Sarpedon Homericus vtitur lib. 12. Iliados verſu 322.

Ὦ πέπον, εἰ μὲν γὰρ πόλεμον περὶ τόνδε φυγόντες
Αἰεὶ δὴ μέλλοιμεν ἀγήρω τ' ἀθανάτω τε
Ἔσσεσθ', οὔτε κεν αὐτὸς ἐνὶ πρώτοισι μαχοίμην,
Οὔτε κε σὲ στέλλοιμι μάχην ἐς κυδιάνειραν.
Νῦν δ' ἔμπης γὰρ κῆρες ἐφεστᾶσι θανάτοιο
Μυρίαι, ἃς οὐκ ἔστι φυγεῖν βροτὸν, οὐδ' ὑπαλύξαι,
Ἴομεν, ἠέ τῳ εὖχος ὀρέξομεν, ἠέ τις ἡμῖν.
O bene, ſi tanto ſeruati ex turbine martis
Eſſemus ſenij expertes, nec morte caduci:
Non ego pugnarem ante alios, téque ipſe iuberem
Vt faceres, quæ laude viros & honoribus augent.
Nunc cùm mille modis obnoxia corpora morti
Simus, & hoc nobis ſit ineuitabile fatum,
Aut mortem, aut palmam victo referamus ab hoſte.

Poſt quem Demoſthenes de corona. Πέρας μὲν ἅπασιν ἀνθρώποις ἐστὶ τοῦ βίου ὁ θάνατος, κἂν ἐν οἰκίσκῳ τις αὐτὸν καθείρξας τηρῇ. δεῖ δὲ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἐγχειρεῖν μὲν ἅπασιν ἀεὶ τοῖς καλοῖς, τὴν ἀγαθὴν προβαλλομένους ἐλπίδα, φέρειν δ' ὅτι ἂν ὁ Θεὸς διδῷ γενναίως. *Finis vitæ omnibus hominibus à natura conſtitutus mors eſt: etiamſi quis in domunculam abditus ſe conſeruet. Debent verò viri fortes bonâ ſpe fulti, rebus honeſtis conatum adhibere: quidquid verò Deus ordinarit, magno animo ferre.* Et pòſt. Ἡγεῖτο γὰρ αὐτῶν ἕκαστος οὐχὶ τῷ πατρὶ καὶ τῇ μητρὶ μόνον γεγενῆσθαι, ἀλλὰ τῇ πατρίδι. Διαφέρει δὲ τί; ὅτι ὁ μὲν τοῖς γονεῦσι μόνον γεγενῆσθαι νομίζων τὸν τῆς εἱμαρμένης, καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον περιμένει. ὁ δὲ τῇ πατρίδι ὑπὲρ τοῦ μὴ ταύτην ἐπιδεῖν δουλεύουσαν ἀποθνήσκειν ἐθελήσει. *Eorum enim quiſque ſe non patri aut matri ſolùm, ſed etiam patriæ natum eſſe credebat. Quæ autem eſt inter iſta duo diſtinctio? Quia qui ſe parentibus duntaxat natum arbitratur, is mortem quã natura vel caſus attulerit, expectat. Qui verò patriæ, eliget mortem oppetere, ne ipſam ſeruitute videat oppreſſam.* Cur ita verterim τὸν τῆς εἱμαρμένης, tibi Gellius lib. 13. c. 1. fundus eſto. Lyſias Epitaphio penè in hanc ſententiam: ὁ θάνατος κοινὸς καὶ τοῖς χειρίστοις, καὶ τοῖς βελτίστοις. οὔτε γὰρ τοὺς πονηροὺς ὑπερορᾷ, Vita mortalis gloria immortalis.
οὔτε τοὺς ἀγαθοὺς θαυμάζει, ἀλλ' ἴσον ἑαυτὸν παρέχει πᾶσιν. εἰ μὲν γὰρ οἷόν τε ἦν τοῖς τοὺς ἐν τῷ πολέμῳ κινδύνους διαφυγοῦσιν ἀθανάτοις εἶναι τὸν λοιπὸν χρόνον, ἄξιον ἦν τοῖς

ζῶσι τὸν ἅπαντα χρόνον πενθεῖν τοὺς τεθνεῶτας, &c. *Mors & ignauiſsimis & fortiſsimis quibúſve communis eſt, neque enim ignauos contemnit, fortes miratur, ſed omnibus ſe præbet æqualem. Quare ſi fieri poſſet, vt qui ſemel in bello periculo ſe exemiſſent, de cætero immortales euaderent, par eſſet vt ſuperſtites omni deinceps tempore mortuos lugerent.* Baſilius Magnus de quinquaginta martyribus. Ἐπειδὴ δεῖ πάντως ἀποθανεῖν, ἀποθάνωμεν ἵνα ζήσωμεν. *Quandoquidem omnino moriendum eſt, moriamur vt viuamus.* Paululùm deflexit Leſbonax Orator in Protreptico. Εἰ μὲν οὖν ᾔδει τις ὅτι τόν γε τὸν κίνδυνον διαφυγὼν μεθ' ἡδονῆς τὸν ἐπίλοιπον χρόνον διατελέσας σὺν εὐκλείᾳ τελευτήσει, εἶχεν ἂν λόγον τινὰ ἡ κακία. νῦν δὲ πολλοὶ καὶ κακοὶ δόξαντες εἶναι, ὀλίγον χρόνον βιοῦντες, διὰ τὴν δύσκλειαν αἰτιώμενοι, καὶ ἄτιμοι παρ' ἐντίμοις ὄντες, κακῶς τὸν ἐπίλοιπον χρόνον τελευτήσαντες ὀνείδη τοῖς παισὶ καταλείψουσιν. ἐπεὶ δὲ πεφύκαμεν οὐκ ἀθάνατοι, πῶς οὐ κάλλιον ἀποθνήσκειν, ἢ ὑπὲρ ὧν χρὴ τιμωρεῦσι, &c. *Si quidem ſciret aliquis fore, vt hoc vitato periculo, cum voluptate & gloria reliquum ætatis ſpatium ad finem vſque decurreret, haberet aliquem prætextum ignauia. Nunc autem, multi qui ſe ignauos exhibent, reliquo vitæ tempore propter infamiam mœrore confecti, & infames inter honoratos vitam agentes, & deinde mortem oppetentes filiis opprobrium relinquent. Quoniam verò immortales non ſumus, vbi ſatius eſt mortem obire, quàm eos, quos opus eſt, vindicando?* &c. Sed, vt in aliis, etiam in hac parte Tullius quos imitabatur (omnes autem præter Baſilium præiuerant) longo interuallo ſuperauit, decima Philipp. §. 20. Cæteri enim moriendum pro honeſtate cenſent, quoniam mortem omnibus natura definiuit, at Noſter obitam pro honeſtate mortem turpi immortalitati præferendam ait. *Quòd ſi immortalitas conſequeretur præſentis periculi fugam: tamen eo magis ea fugienda videretur, quo diuturnior eſſet ſeruitus. Cùm verò dies & noctes omnia nos vndique fata circunſtent, non eſt veſtri nominiſque Romani dubitare, eum ſpiritum quem naturæ quis debeat, patriæ reddere.*

MORTE RESTINGVI.] Vide pro Marcello 31. & pulcherrimam Cyri morientis orationem octauo Cyropædiæ. v.

AXIOMATA.

Vitæ breuis eſt curſus, gloriæ ſempiternus.

Cùm ſit omnibus definita mors, optandum eſt, vt vita, quæ neceſſitati debetur, patriæ potiùs data, quam reſeruata naturæ videatur.

ARGVMENTVM.

Expoſitis rationibus quæ ipſum ad voluntariam mortem excitare potuiſſent, exempla profert tum Virginum Atticarum, tum ciuium Romanorum, quæ perſuadere poterant, mortem forti viro non eſſe fugiendam.

XLVIII. DENIQVE, cùm omnia ſemper ad dignitatem retuliſſem, nec ſine ea quidquam expetendum eſſe homini in vita putaſſem, mortem, quam etiam virgines Athenis, Regis opinor Erechthei, filiæ pro patriâ contempſiſſe dicuntur, ego vir conſularis tantis rebus geſtis timerem? præſertim, cùm eius eſſem ciuitatis, ex qua Q. Mutius ſolus in caſtra Porſenæ veniſſet, eúmque interficere, propoſitâ ſibi morte, conatus eſſet: ex qua Pub. Decius primùm pater, poſt aliquot annos patriâ virtute præditus filius, ſe, ac vitam ſuam inſtructâ acie pro ſalute populi Romani victoriâque deuouiſſet: ex qua innumerabiles alij partim adipiſcendæ laudis, partim vitandæ turpitudinis cauſſâ mortem in variis bellis, æquiſſimis animis oppetiſſent, in qua ciuitate ipſe meminiſſem patrem huius M. Craſſi fortiſſimum virum, ne videret victorem viuus inimicum, eadem ſibi manu vitam exhauſiſſe, qua mortem ſæpè hoſtibus obtuliſſet.

EXPLANATIO.

DENIQVE.] Sic argumentatur. *Qui finem bonorum in honeſtate & virtutis dignitate conſtituit, mortem non timet, quam ne puellæ quidem timuerunt.*

Sed ego finem extremum ſemper in honeſtate & virtutis dignitate conſtitui.

Ergo mortem non timui, quam ne puellæ quidem timuerunt.

Probat exemplo filiarum Regis Erecthei, quæ Eumolpo Thraciæ Rege bellum Athenienſibus inferente ſe pro patria ad voluntariam mortem obtulerunt, & earum vna Diis fuit immolata. Eſt autem argumentum à minori ad maius. quod à pari deinde confirmat.

Q. MVTIVS.] Scæuola qui in Caſtra Porſenæ Regis Hetruriæ Romam obſidentis ingreſſus Scribam pro Rege imprudens interemit, & comprehenſus ait. *Nec ad mortem minus animi eſt quàm ad cædem fuit, & facere & pati fortia Romanum eſt.* dextrámque accenſo ad ſacrificium foculo iniecit. vide Liuium, Senecam, Florum, &c.

PVB. DECIVS.] Mus cognomento. De deuotione Decij Patris bello Latino, de deuotione filij bello Gallico & Samnitico idem lib. 10. conſulatur. Qui cùm ſe pro patria & exercitu ſe

Dus Manibus certâ verborum formulâ deuouiſſent, in hoſtium cateruas & fulgentes gladios equis incitatis irruperunt.

ALIQVOT POST ANNIS.] quinque & quadraginta. nam Decius pater anno poſt vrbem conditam CDXIII. filius anno CDLVIII. ſe deuouit. vide Sigonium in faſtis.

INNVMERAB.] Vt Decius nepos qui fortiter contra Pyrrhum pugnans occiſus eſt.

VICTOREM.] C. Marium qui ex Africa reuerſus bellis ciuilibus ſe Cinnæ & Sertorio coniungens, occupata contra Syllanos vrbe, cædi nobilium imminebat.

MORTEM SÆPE HOSTIBVS OBT.] vt cùm de Hiſpanis triumphauit ante bellum Italicum, vt teſtatur Aſconius in Piſonem. Sigonius auctor eſt id anno ab vrbe condita DCLVI. contigiſſe.

NOTÆ.

I. AD DIGNITATEM.] Infra 137. *Hæc eſt vna via, mihi credite, & laudis, & dignitatis, & honoris.*

II. ATHENIS.] Athenarum nomen à Minerua quam Græci Ἀθηνᾶν appellant. eius nominis occaſio ſic apud Auguſtinum lib. 18. cap. 9. de ciuitate Dei à Varrone narratur. *Conſultâ multitudine mares pro Neptuno, fœminæ pro Minerua tulere ſententias. Et quia plus eſt inuenta fœminarum, Minerua vicit.* Neptuni *vt iracundia placaretur triplici ſupplicio dicit idem auctor ab Athenienſibus affectas eſſe mulieres: vt nulla vlterius ferret ſuffragia, vt nullus naſcentium maternum nomen acciperet, vt ne quis eas Athenæas vocaret.* Atque hæc ratio fortaſſe fuerit cur tum Demoſthenes, tum cæteri Oratores, nunquam fere ciues ſuos Ἀθηναίοις ſimpliciter, ſed cum adiecto Ἄνδρες Ἀθηναῖοι appellent, quaſi hanc appellationem ad ſolos viros contrahentes, ab ea velint mulieres excludere. Antiquus tamen Poëta eleganti illo prologo qui Caſinæ Plautinæ præmittitur.

Ea inuenietur & pudica, & libera.
Ingenua, Athenienſis. --

Heliod. 2. Æthiop. Ἀθηναίαν ἐκείνην.

Iam vt nonnihil de ipſo Deæ nomine dicamus, crediderim Ἀθηνᾶν, quaſi Ἀθηλᾶν dictam, vel quod ex cerebro Iouis abſque θήλεος, id eſt fœminæ conſortio nata ſit, vel quod ita producta, θηλὴν id eſt mammam non ſuxerit. Id tamen nominis Athenagoras tribuit Proſerpinæ apologiâ pro Chriſtianis. Μυστικῶς μὲν Ἀθηλᾶ, κοινῶς δὲ Φερσεφόνη καὶ Κόρη κέκληται, οὐχ ἡ αὐτὴ οὖσα τῇ Ἀθηνᾷ. *Myſticè quidem Athela, vulgo verò Proſerpina, & Libera vocatur, cùm non eadem ſit cum Minerua.*

III. ERECHTHEI FILIÆ.] Lycurgus contra Leocratem vnam Erecthei filiam immolatam fuiſſe tradit, χρήσαντος αὐτῷ τοῦ θεοῦ τὴν θυγατέρα εἰ θύσειε πρὸ τοῦ συμβαλεῖν τῷ στρατοπέδῳ κρατήσειν τῶν πολεμίων. *Cùm oraculum datum fuiſſet fore vt referret victoriam, ſi ante congreſſum filiam immolaſſet.* Et Euripides ab eo citatus Praxitheam ita loquentem inducit.

Ἐγὼ δὲ δώσω τὴν ἐμὴν παῖδα κτανεῖν.
Ad immolandum filiam tradam meam.

Idem tamen Euripides in Ione plures Erechthei filias immolatas agnoſcit. Ion.

Πατὴρ Ἐρεχθεὺς σὰς ἔθυσε συγγόνους. Filiæ Erechthei.
An pater Erechtheus tuas mactauit ſorores?

Creuſa.

Ἔτλη πρὸ γαίας σφάγια παρθένους κτανεῖν.
Suſtinuit pro patria victimas virgines mactare.

Demoſthenes Oratione funebri, ᾔδεσαν ἅπαντες Ἐρεχθεῖδαι τὸν ἐπώνυμον αὐτῶν Ἐρεχθέα ἕνεκα τοῦ σῶσαι τὴν χώραν, τὰς αὑτοῦ παῖδας, ἃς Ὑακινθίδας καλοῦσιν εἰς πρόδηλον θάνατον δόντ᾽ ἀναλῶσαι. *Compertum habebat omnes Erechthidæ, Erechtheum à quo nomen acceperunt, filias ſuas, quas Hyacinthidas appellant, abſumendas ad manifeſtam necem tradidiſſe.* Vide Plutarchum opuſculo de parallelis. De his fusè Cœlius Rhodiginus lib. 13. lect. Antiq. hunc ipſum locum explicans. *Inuenio,* inquit, *Erechthei filias primùm per quandam exochen* παρθένοις, *hoc eſt, Virgines nuncupatas, & ſex fuiſſe numero, Protogeniam, Pandoram, Procrim, Creuſam, Orithiiam, Cthomam. Ex iis Protogenia, & Pandora pro regionis ſalute iugulandas ſe obtulerunt, ingruente Bœotio bello. immolatas verò ferunt in pago Hyacintho, vnde & Virgines Hyacinthides ſunt cognominatæ,* &c. Apollodorus libro 3. de origine Deorum. Earum natu minimam tradit à patre fuiſſe mactatam, cæteras omnes ex condicto ſibi ipſis necem intuliſſe.

DECIVS.] Plutarchus opuſculo quo oſtendit quòd αὐτάρκης ἡ κακία πρὸς κακοδαιμονίαν, rem ita narrat. IV. Καὶ μὴν τὸ πῦρ σου Δέκιος ὁ Ῥωμαῖος ὢν στρατηγὸς περιέλαβεν. ὅτε τῶν στρατοπέδων ἐν μέσῳ πυραγνήσας (lege πυρὰν νήσας) τῷ Κρόνῳ κατ᾽ εὐχὴν αὐτὸς ἑαυτὸν ἐκαλλιέρησεν ὑπὲρ τῆς ἡγεμονίας. Decij deuotio. *Atqui tuum ignem Decius Romanus, Imperator occupauit. cùm* Plutarchi error. *in medio exercituum rogum excitans ipſe ſeipſum Saturno pro imperio populi Romani ſacrificauit.* Sed id eſt hiſtoricæ fidei planè contrarium, & ſine dubio μνημονικὸν ἁμάρτημα. Vide Valerium, Liuium, Ciceronem, alios paſſim, qui rem exponunt vt nos in explanatione.

V. PATREM HVIVS M. CRASSI.] Idem ait oratione pro Scauro apud Aſconium. *Pub. Craſſum ne in manus incideret inimicorum ſeipſum interemiſſe.* Quo loco plura Aſconius. Sed huius rei ſolus quod ſciam, ex antiquis Cicero eſt auctor. Nam de nece Craſſi Florus & Exuperantius ſilent: Mors Craſſi. Plutarchus cum filio interemptum fuiſſe teſtatur, Velleius Craſſos patrem & filium in mutuo cecidiſſe conſpectu. Appianus: Κράσσος δὲ μετὰ τοῦ παιδὸς διωκόμενος, τὸν μὲν υἱὸν ἔφθασε προανελεῖν, αὐτὸς δ᾽ ὑπὸ τῶν διωκόντων ἀνῃρέθη. *Craſſus verò, cùm eum hoſtes vnà cum filio fugientem ſequerentur, filio ſua manu necem intulit, ne in hoſtium manus deueniret, at ipſe à perſequentibus eſt interemptus.*

AXIOMATA.

Omnia ſemper ad dignitatem ſunt referenda, nec ſine ea quicquam expetendum.

Mors vel adipiſcendæ laudis, vel vitandæ turpitudinis cauſſa æquiſſimis animis eſt oppetenda.

Miſerum eſt & morte ipsâ triſtius videre victorem inimicum.

ARGVMENTVM.

Propoſitis rationibus & fortium virorum exemplis, quibus ad mortem impelli potuit, veram reddit rationem, cur ab vrbe maluerit quàm à vita diſcedere, nimirum ne deterreret cæteros à defendenda Repub. Deinde alteri occurrens obiectioni, quòd minùs fortiter ærumnam ſuam tuliſſet, id omne refundit non in ſuam puſillanimitatem, ſed in patriæ charitatem.

XLIX. HÆC ego, & multa alia cogitans, hóc videbam, ſi cauſſam publicam mea mors peremiſſet, neminem vnquam fore, qui auderet ſuſcipere contra improbos ciues Reipub. ſalutem; itaque non ſolùm ſi vi interiſſem, ſed etiamſi morbo exſtinctus eſſem, fore putabam, vt exemplum Reipub. conſeruandæ mecum ſimul interiret. Quis enim vnquam, me à Senatu populóque Romano tanto bonorum omnium ſtudio? nunc reſtituto (quod certè, ſi eſſem interfectus, accidere non potuiſſet) vllam Reipub. partem cum ſua minima inuidia auderet attingere? Seruaui igitur Rempub. diſceſſu meo, iudices: cædem à vobis, liberíſque veſtris, vaſtitatem, incendia, rapinas meo dolore, luctúque depuli: & vnus Rempublicam bis ſeruaui, ſemel gloriâ, iterum ærumnâ meâ: neque enim in hoc me hominem eſſe inficiabor vnquam, vt me optimo fratre, cariſſimis liberis, fideliſſima coniuge, veſtro conſpectu, patria, hoc honoris gradu ſine dolore caruiſſe glorier: quòd ſi feciſſem, quod à me beneficium haberetis, cùm pro vobis ea, quæ mihi eſſent vilia, reliquiſſem? hoc, meo quidem animo, ſummi in patriam amoris mei ſignum eſſe debet certiſſimum, quòd, cùm abeſſe ab ea non poſſem ſine ſummo dolore, hunc me perpeti, quàm illam labefactari ab improbis malui.

EXPLANATIO.

HÆC EGO.] Cùm has rationes & exempla animo meo proponerem, ex vna quidem parte ad mortem impellebar, ſed ſolidior ratio impetum meum continuit.

SI CAVSAM.] Si mors mea feciſſet vt cauſſa Reip. penitùs tolleretur, & ita ſubmoueretur, vt ampliùs in iudicium non veniret. Vis tota poteſt ad hunc ſyllogiſmum reuocari.

Non eſt viri fortis ſibi mortem accerſere, vbi mors ipſius perimit cauſam publicam, & alios Reipub. cura deterret.

Sed mea mors peremiſſet cauſſam publicam, atque adeò plurimos à Reip. cura deterruiſſet.

Ergo non debui mihi mortem accerſere.

probat aſſumptionem.

Me non reſtituto perempta fuiſſet cauſſa publica.

Sed mortuus reſtitui non potuiſſem.

Ergo mors mea peremiſſet cauſſam publicam.

SERVAVI.] E dictis elicit alterum ſyllogiſmum.

Qui cauet ne boni ciues deterreantur à defenſione Reipub. is ſeruat Remp.

Sed id caui diſceſſu meo.

Ergo ſeruaui Rempub.

SEMEL GLORIA.] cùm in meo Conſulatu coniurationem oppreſſi.

ITERVM ÆRVMNA.] Cùm eiectus Clodij factione eius furori cedere malui, quàm dimicare, & meos ciues in diſcrimen adducere.

NEQVE ENIM.] Reddit rationem cur ſuum reditum ærumnam appellet. & hæc eſt tertia obiectio cui nunc occurrit. Prima fuit. Puſilli animi fuiſti, ô Cicero, qui Clodio & Conſulibus hominibus deſpicatiſſimis cedere malueris, quàm dimicare. Huic obiectioni reſpondit à §.35. ad 47. Altera fuit. Mors tibi potiùs æquo animo fuit oppetenda quàm cedendum è patria, & ſubeunda tam iniuſtæ damnationis infamia. Reſpondit à §.47. ad hunc locum, immò ad 53. Tertia. Non eſt fortis viri exilium contra ius & fas irrogatum ærumnam vocare, & ex eo tantum haurire animo dolorem, quantum tu hauſiſti. Reſponſionem nunc paucis interſerit. quam fuſiùs explanat pro domo ſua à §. 97. ad 100. Conſulatur.

FRATRE.] Quinto.

LIBERIS.] Marco, & Tulliola.

CONIVGE.] Terentia.

NOTÆ.

PEREMISSET.] Pro Plancio 90. *Quin etiam ſi me vis aliqua morbi, aut natura ipſa conſumpſiſſet, tamen auxilia poſteritatis eſſent imminuta, quod peremptum eſſet meâ morte id exemplum, qualis futurus in me fuiſſet Senatus, populúſque Romanus.* Vlpianus de iudiciis lege Et tertium. *Peremptorium impetret, quod inde hoc nomen ſumpſit quod perimeret diſceptationem, hoc eſt vltra non pateretur aduerſarium tergiuerſari.* Noſter de haruſp. reſp. *Si ludi ab lætitia ad metum tra-* I. Perimere.

ducti ſunt : ſi non intermiſſi, ſed perempti atque ſublati ſunt. Petrus Chryſologus ſermone 145. *Humanæ leges intra triginta annos litigioſas omnes interimunt quæſtiones.* Papinianus D. de pignoribus & hypoth. leg. 1. §. 2. *Pignoris etenim cauſſam nec vſucapione perimi placuit.*

II. MORBO EXTINCTVS.] Aduerte ſingulorum verborum proprietatem, *vi interire, morbo extingui*, quia nimirum morbo vitalis calor extinguitur.

III. Reſtitutio. RESTITVTO.] In patriam reuocato. Reſtitui propriè dicuntur exules. Et infra. *Damnatis de vi reſtitutio.* Videlicet reſtitutio in integrum, vt dicitur 2. Philippica, & frequenter in iure ciuili.

IV. SERVAVI IGITVR.] Pro domo 99. *Quare (diſrumpatur licet iſta furia, atque audiat hæc ex me quoniam laceſſiuit) bis ſeruaui, vt Conſul togatus armatos vicerim, priuatus Conſulibus armatis ceſſerim.*

V. ME HOMINEM ESSE.] Tale illud Terentianum,

Homo ſum, humani nihil à me alienum puto.

Sed operæpretium eſt adire Orationem pro domo 97. 98. *Accepi, Pontifices, magnum atque incredibilem dolorem : non nego : neque iſtam adſciſco mihi ſapientiam.* Et alia multa quàm conſultò prætereo, hac vnâ ſimilitudine contentus. *Eámque animi duritiam ſicut corporis, quod, cùm vritur, non ſentit, ſtuporem potiùs quàm virtutem putarem.* Quibus verbis Stoicorum nonnullos obiter carpit, qui ſapientem putabant, nullo doloris ſenſu percelli: quamuis, vt fatetur Seneca ep. 71. veri Stoici nihil aliud quàm cæteri ſentiebant. nec re ipsâ, ſed verbis diſſidebant. *Non educo ſapientem ex hominum numero, nec dolores ab illo ſicut à rupe aliqua nullum ſenſum admittente ſubmoueo. memini ex duabus partibus illum eſſe compoſitum: altera eſt irrationalis; hæc mordetur, vritur, dolet. Altera rationalis: hæc inconcuſſas opiniones habet, intrepida eſt, & indomita.* paulò pòſt. *Et tremet ſapiens, & dolebit, & expalleſcet; hi enim omnes corporis ſenſus ſunt. Vbi ergo eſt origo calamitatis? vbi illud malum verum eſt? illic ſcilicet, ſi iſta animum diſtrahunt, ſi ad confeſſionem ſeruitutis adducunt, ſi illi pœnitentiam ſui faciunt.* Quo in genere elegans eſt apud Auguſtinum de ciuit. & Gellium cap. 1. lib. 19. Noct. Attic. de Stoico quodam qui exprobranti cuidam, quòd in tempeſtate palleſceret: *Si quid ego, inquit, in tanta violentia tempeſtatum videor paulùm pauefactus, non tu iſtius rei ratione audienda dignus es.*

Stoicorum ἀπάθεια.

Sed tibi ſanè Ariſtippus ille pro me reſponderit, qui cùm in ſimili tempore à ſimillimo tui homine interrogatus, Quare Philoſophus timeret, quum ille contra nihil metueret: non eandem eſſe cauſſam ſibi atque illi reſpondit: quoniam is quidem eſſet non magno opere ſollicitus pro animâ nequiſſimi nebulonis: ipſum autem pro Ariſtippi animi timere. Subdit poſteà ſolidam eius rei rationem etiam de ſententia Stoicorum ex Arriano lib. 5. diſſert. Epicteti. Quid? quod ne Cato quidem defunctum Cæpione fratre, vel à lacrymis ſibi temperare potuit, vel auſus eſt illam philoſophiam adſciſcere? Plutarchus in eius vita. ἄρτι τεθνηκότος τοῦ Καιπίωνος ἐμπαθέστερον ἔδοξεν, ἢ φιλοσοφώτερον ἐνεγκεῖν τὴν συμφοράν. οὐ μόνον κλαυθμοῖς καὶ περιπτύξεσι, καὶ βαρύτητι λύπης, ἀλλὰ καὶ δαπάνῃ περὶ τὴν ταφὴν, &c. *Cæpione modò defuncto viſus eſt animo imbecilliore caſum, quàm pro philoſopho tuliſſe: non lamentationibus ſolùm & cadaueris amplexibus mœroriſque magnitudine, verùm etiam ſumptu funeris*, &c. Sed de modo atque ratione tolerandi doloris ſecundum Stoicorum decreta Gellius lib. 12. Noct. Attic. cap. 5. conſulatur. *Ἀναλγησία enim atque ἀπάθεια non meo tantùm, inquit, ſed quorumdam etiam ex eadem porticu prudentiorum hominum, ſicuti iudicio Panætij grauis, atque docti viri improbata abiectáque eſt.* Et tandem bene longam diſputationem ita concludit. *Per quod apparet eſſe quædam intolerabilia, à quibus fortes viri, aut obeundis abhorrent, aut ſuſtinendis.* Sed vt ad rem redeamus; Baſilius Seleuciæ videtur hunc locum præ oculis habuiſſe, vel ſaltem caſu in idem incidiſſe, concione in Lazarum. Οὐκ εἰμὶ θηριώδης, οὐδ᾽ ἀπηνής. οἶδα ὅτι ἡ φύσις ἐλέγχεται, καὶ ἐπιζητεῖ τὴν συνήθειαν, καὶ ὁμιλίαν καθημερινήν. *Non ſum belluinus, aut ferus. Scio argui ſuâ ſponte naturam, & conſuetudinem conuerſationémque quotidianam deſiderare.*

SINE DOLORE CARVISSE.] Ariſtoteles 2. Rhetoric. cap. 8. Τὸ διασπᾶσθαι ἀπὸ φίλων καὶ συνήθων ἐλεεινόν. *Diuelli ab amicis ac familiaribus eſt miſerabile.* Siquidem, vt ait Catullus, VI.

Qui poſſis natam complexu auellere matris,
Complexu matris retinentem auellere natam,
Quid faciunt hoſtes captâ crudelius vrbe?

AXIOMATA.

Pauci ſunt qui vllam Reipub. partem cum ſuâ minimâ inuidiâ auſint attingere.

Nullum habetis à nobis beneficium pro quo ea quæ ſunt nobis vilia relinquimus

ARGVMENTVM.

Ratione rationibus iam oppoſitâ, nunc exmplum exemplis opponit, vt oſtendat ſibi mortem oppetendam non fuiſſe, ſed vitam Reip. ſeruandam, ſubiicitque illâ vitæ ſuæ conſeruatione & reditu, maximam ſpem conſeruationis Reipub. contineri.

MEMINERAM, iudices, diuinum illum virum, atque ex iiſdem, quibus nos, radicibus natum ad ſalutem imperij huius, Caium Marium, ſummâ ſenectute, cùm propè vim iuſtorum armorum profugiſſet, primò ſenile corpus paludibus occultaſſe demerſum: deinde ad infimorum, ac tenuiſſimorum hominum Minturnis miſericordiam confugiſſe: inde nauigio perparuo, cùm omneis portus, terráſque fugeret, L.

in oras Africæ deſertiſſimas perueniſſe, atque ille vitam ſuam, ne inultus eſſet, ad incertiſſimam ſpem, & ad Reipub. ſtatum reſeruauit: ego, qui (quemadmodum multi in Senatu, me abſente, dixerunt,) periculo Reipub. viuebam: quíque ob eam cauſſam Conſularibus litteris de Senatus ſententia exteris nationibus commendabar, nónne ſi meam vitam deſeruiſſem, Rempub. prodidiſſem? in quo quidem nunc me reſtituto, viuit mecum ſimul exemplum fidei publicæ, exemplum Reipub. defendendæ: quòd ſi immortale retinetur, quis non intelligit immortalem hanc ciuitatem futuram?

LI. Nam externa bella Regum, gentium, nationum, iampridem ita exſtincta ſunt, vt præclarè cum iis agamus, quos pacatos eſſe patiamur. Denique ex bellica victoria non fere quemquam eſt inuidia ciuium conſecuta: domeſticis malis, & audacium ciuium conſiliis ſæpè eſt reſiſtendum: eorúmque periculorum eſt in Repub. retinenda medicina, quam omnem, iudices, perdidiſſetis, ſi meo interitu Senatui populóque Romano doloris ſui de me declarandi poteſtas eſſet erepta.

EXPLANATIO.

MEMINERAM.] Argumentum à Minori ad maius.

Si Marius iuſtis prope armis expulſus vitam ſuam inter tot ærumnas reſeruauit ad incertiſſimam ſpem recuperandæ poteſtatis, & ſumendæ vltionis, multò magis meam ſeruare debui, non ad vlciſcendos inimicos, ſed ad ſeruandam Rempublicam.

Sed vitam ſuam ſeruauit Marius,
Ergo multò magis meam ſeruare debui.

DIVINVM ILLVM VIRVM.] Fortiſſimum & pluſquam humanâ virtute præditum. de quo pro Cornelio Balbo 46. *Quæris aliquem grauiorem? conſtantiorem? præſtantiorem virtute, prudentiâ, religione, æquitate?* &c. Prudenter autem Marium laudat, cuius exemplum imitatus fuiſſe vult videri.

IISDEM QVIBVS NOS RAD.] Ex eodem muncipio Arpinate. Iure id notat, quia domeſticis exemplis in vtramque partem magis accendimur. Præſertim quod vterque ad ſalutem Imperij natus fuiſſe videretur. nam & Marius Cimbris & Teutonibus ad Aquas Sextias ſuperatis, & Cicero extinctâ coniuratione Catilinæ Remp. ab interitu vindicarat.

SVMMA SENECTVTE.] Cùm, vt auctor eſt Plutarchus in Mario, iam ætatis annum ſeptuageſimum attigiſſet. Prudenter id quippe: nam ſi Marius iam ætate confectus vitam ſuam ſeruauit, quæ certè non potuit eſſe diuturna, multò magis ſeruare debuit Cicero, qui nondum ad quinquageſimum ætatis annum peruenerat.

IVST. PROP. ARMORVM.] Vim, quâ Marius expulſus eſt, vim iuſtorum prope armorum fuiſſe dicit, quia Cornelius Sylla pene iuſtè infenſus, quòd Sulpitius Tribunus plebis adminiſtrationem belli Mithridatici ipſi ereptam ad Marium transferre voluiſſet, Sylla inquam cum exercitu in vrbem regreſſus, multas ſtrages edidit. Sulpitium interemit, Marium occiſurus niſi ille fugiſſet, & inſequentibus Syllæ militibus demerſus in palude diu fatuiſſet. Sed inde extractus, atque in vincula coniectus, cùm militem Cimbrum qui ad eum in cacere iugulandum auctoritate publicâ miſſus fuerat, igne ex oculis emicante deterruiſſet, tandem miſericordiâ Minturnenſium paruo nauigio in Africam nauigauit. Vide Appianum, ciuilium, Plutarchum in Mario, Velleium lib. 2. Florum & epitomen Liuianam, &c. Notanda verò vis verborum quibus ſingulis noua circunſtantia ad declarandam Marij calamitatem continetur. Quàm enim miſerum *ſenile*, quàm indignum *paludibus corpus occultare demerſum?* Quàm miſerum ſimul & indignum Mario, qui iam ſextùm Romæ Conſul fuerat, *ad Minturnenſium infimorum & tenuiſſimorum hominum miſericordiam confugere?* Quàm periculoſum *paruo nauigio* mari ſe committere? quàm miſerum *omnes portus terráſque fugere!* Iam quid illud *in oras deſertiſſimas peruenire*, vbi vix vlla videat hominum veſtigia? Quid *in Africam* tum ſemper infeſtiſſimam Romano nomini, tum recèns à ſe deuictam, vt gentes à ſe domitas ſuis ærumnis inſultantes & inequitantes videret?

REIP. STATVM.] Lambinus legit, *ad incertiſſimam ſpem Reipub. recuperandæ reſeruauit.*

PERIC. REIP.] Cuius vita videbatur non mediocre Reipub. periculum contineri, vt ſi ego mortuus fuiſſem, multum illa perderet & ſecuritatis & dignitatis.

CONSVLARIBVS LITTERIS.] Non quidem Conſulum Piſonis & Gabinij, ſed aliorum qui Conſules antè fuerant: quæ litteræ à Conſularibus viris ſcriptæ magnam apud exteras gentes auctoritatem obtinebant.

VIVIT EXEMPLVM.] Tum Reipub. quæ fidem ſeruauit, & accepti beneficij memor fuit, tum mei ipſius exemplo, qui operam non perdidi bene merendo de Repub. conſtat, & Remp. gratam fore in bene meritos ciues, & non ſolùm honeſtum, ſed etiam ſecurum eſſe bene mereri de Repub.

QVOD SI IMM.] Si ſemper boni ſibi in animum induxerint, vtile & ſecurum eſſe tueri Rempub.

NAM EXTERNA.] De prouinciis Conſularibus 31. *Nulla gens eſt, quæ non aut ita ſubacta ſit, vt vix extet: aut ita domita, vt quieſcat:*

aut ita pacata, vt victoria noſtra imperióque lætetur. Hinc argumentatur immortalem fore Rempub. ſi viri boni improborum ciuium conatus, à quibus ſolis timendum erat, magno animo ſe opponant, nec abſterreantur à cuſtodia Reipub. Deterriti autem ab eius cuſtodia fuiſſent, niſi Cicero cuſtos conſeruatórque patriæ poſt exilium fuiſſet reſtitutus, reſtitui non potuiſſet ſi ſibi necem intuliſſet. Ergo à primo ad vltimum Cicero vitam ſuam conſeruans immortalitatem peperit Reipub.

NOTÆ.

I. DIVINVM.] Heroica & plus quàm humanâ virtute præditum. vt Ariſtoteles 7. Ethic. cap. 1. deſcribit: Τὴν ὑπὲρ ἡμᾶς ἀρετὴν, ἡρωϊκήν τινα καὶ θείαν, ὥσπερ Ὅμηρος περὶ Ἕκτορος πεποίηκε λέγοντα τὸν Πρίαμον, ὅτι σφόδρα ἦν ἀγαθός.

--οὐδὲ ἐῴκει
Ἀνδρός γε θνητοῦ παῖς ἔμμεναι, ἀλλὰ θεοῖο.

ὥστε εἰ, καθάπερ φασὶν, ἐξ ἀνθρώπων γίνονται θεοὶ δι' ἀρετῆς ὑπερβολὴν, &c. *Eam quæ ſupra nos eſt heroicam quandam ac diuinam virtutem, quemadmodum Priamum Homerus de Hectore loquentem facit, quoniam bonitate & virtute præſtabat.*

--Namque illum haud eſſe putares
Mortali genitore ſatum, at genus eſſe Deorum.

Itaque ſi, vt aiunt, propter excellentiam præſtantiamque virtutis Dij ex hominibus efficiuntur,&c. ſubdit. Σπάνιον καὶ τὸ θεῖον ἄνδρα εἶναι, καθάπερ οἱ Λάκωνες εἰώθασι προσαγορεύειν, ὅταν ἀγασθῶσι σφόδρα του, σεῖος ἀνὴρ φασι. *Rarò admodum euenit, vt vir diuinus exiſtat, quemadmodum Lacones eum ſolent diuinum appellare & ſalutare, quem magnopere admirantur: O virum diuinum! inquiunt.* Hinc illud oraculum apud Plutarchum & alios.

Vir diuinus.

Δίζω ἤ σε θεὸν μαντεύσομαι, ἢ καὶ ἄνθρωπον.
Ἀλλ' ἔτι καὶ μᾶλλον θεὸν ἔλπομαι, ὦ Λυκόεργε.
Te ne Deum dubito, an mortalem dicere fas ſit,
Sed mage dicendum Diuum te credo, Lycurge.

Sic diuinus dicitur Marius ob virtutis præſtantiam, vel quod diuinâ prouidentiâ ad ſalutem Reip. diuinis illis bonis inſtructus fuerit. Nam, vt ait Pindarus Olymp. 9. Epodo 1.

Ἀγαθοὶ δὲ καὶ σοφοὶ κατὰ δαίμον' ἄνδρες
Ἐγένοντο.

Boni autem viri & ſapientes ſecundum diuinam ſortem exiſtunt. vide Cœlianam 39. *Hunc meâ ſententiâ diuinis quibuſdam bonis inſtructum atque ornatum puto.* pro Milone 99. *Quo eſt iſta magis diuina virtus, eo maiore à te dolore diuellor.* pro Marcello 8. *Simillimum Deo iudico.*

II. EX IISDEM QVIBVS NOS RADICIBVS.] Iure id addit, quia magis domeſticis exemplis excitamur. vnde & Demoſthenes in Symbouleutico. Καί τοι σκέψασθε ὅπως ἐπὶ τῶν προγόνων ταῦτ' εἶχεν· οὐ γὰρ ἀλλοτρίοις ὑμῖν παραδείγμασι χρωμένοις, ἀλλ' οἰκείοις ἔξεστιν ἃ προσήκει πράττειν εἰδέναι. *Atqui conſiderate quemadmodum ætate maiorum hæc ſe habebant: non enim externis, ſed domeſticis exemplis vtentes, poteritis quid faciendum ſit cognoſcere.* Noſter 3. de legibus. *Cur autem aut vetera, aut aliena proferamus potiùs, quàm & noſtra, & recentia?* Quamquam, vt ait Pindarus ode 3 Pythiorum,

Exempla domeſtica.

Ἔστι δὲ φῦλον ἐν ἀνθρώποισι ματαιότατον.
Ὅστις αἰσχύνων ἐπιχώρια παπταίνει τὰ πόρσω.

Eſt genus in hominibus vaniſſimum, quod dedecore afficiens domeſtica, ad longinqua reſpectat.

SVMMA SENECTVTE.] Diem obiit paucis poſt menſibus, ἔτη ἑβδομήκοντα βεβιωκὼς, *cùm annos ſeptuaginta vixiſſet*, vt auctor eſt Plutarchus. hîc enim memoria fefellit Manutium, qui ex eodem Plutarcho minùs duobus annis vixiſſe arbitratur. Imo extat vetus inſcriptio, quam Iacobus Streinnius refert in Gentium & familiarum ſtemmatibus. POST LXX. ANNVM PATRIA PER ARMA CIVILIA PVLSVS, ARMIS RESTITVTVS VII. COS. FACTVS EST. Hoc autem adiectum ad miſericordiam captandam aptiſſimè Ariſtoteles 2. Rhetoric. cap. 8. Ἔστι δ' ὀδυνηρὰ μὲν καὶ φθαρτικὰ, θάνατοι καὶ αἰκίαι, καὶ σωμάτων κακώσεις, καὶ γῆρας, καὶ νόσοι, καὶ τροφῆς ἔνδεια. *Sunt autem dolorem & interitum adferentia, mortes & verberationes, & corporum cruciatus, & ſenectus, & morbi, & alimenti indigentia.* III.

Senectus miſerabilis.

NAVIGIO PERPARVO.] Ad Quirites poſt reditum de hoc ipſo Mario 20. *Cùm parua nauicula traiectus in Africam, quibus regna ipſe dederat, ad eos inops ſupplexque veniſſet.* Nec immeritò ſanè id notat, quia nauigatio in magnâ naui ſecurior. vnde ſapiens Heſiodi conſilium. IV.

Νῆ' ὀλίγην αἰνεῖν, μεγάλῃ δ' ἐνὶ φορτία θέσθαι.
--lauda
Exiguam nauem, ſed magnæ imponito merces.

Id eſt, vt exponit Plutarchus opuſculo de audiendis Poëtis, *recuſa nauem exiguam*, quo ſenſu Latinus in Georgicis.

--laudato ingentia rura, Nauis parua.
Exiguum colito.

4. Actione in Verrem. *Non ego à Vibone Veliam paruo nauigio inter fugitiuorum & prædonum, & tua tela veniſſem,&c.* Hinc ſcriptores Cæſaris audaciam mirantur, quòd Dyrrhachio Bruduſium venturus paruo ſe nauigio commiſerit. Lucanus 5. Pharſal.

--fluctúſque verendos
Claſſibus, exiguâ tentat ſuperare carinâ.

INVLTVS.] Mirum quantam habuerint curam ne inulti morerentur: vt id etiam in prouerbium abiecit. Horatius: V.

Nos niſi damnoſè bibimus, moriemur inulti.

Maro,

-moriemur inultæ?
Sed moriamur.-

Vnde & Dionyſodorus neſcio quis apud Lyſiam Oratione contra Eratoſthenem. Καὶ τῇ γυναικὶ τῇ αὑτοῦ ἐπέσκηπτε (νομίζων αὐτὴν κύειν ἐξ αὑτοῦ) ἐὰν γένηται αὐτῇ παιδίον φράζειν τῷ γενομένῳ, ὅτι τὸν πατέρα αὐτοῦ Ἀγόρατος ἀπέκτεινε, καὶ κελεύειν τιμωρεῖν ὑπὲρ αὐτοῦ, ὡς φονέα ὄντα. *Et vxori ſuæ mandauit, eam ex ſe prægnantem eſſe arbitratus, vt ſi filius ex ea naſceretur, nato diceret patrem ab Agorato necatum fuiſſe, iuberétque de illo tanquam de cædis auctore ſumere vltionem.*

Vltio.

IMMORTALEM HANC CIVIT.] Credebant immortalem fore Rempub. Iupiter 1. Æneidos. VI.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono
Imperium ſine fine dedi.-

Apud Liuium fremebant Hetruſci lib. 2. *Æternas opes eſſe Romanas, niſi inter ſemetipſos ſeditio-*

nibus ſæuiant. id vnum venenum eam labem ciuitatibus opulentis repertam, vt magna imperia mortalia eſſent. Prudenter verò Salluſtius oratione ad Cæſarem de Repub. ordinanda. *Ego ſic exiſtimo quoniam orta omnia intereunt, quæ tempeſtate vrbi Romanæ fatum excidij aduentarit, ciues cum ciuibus manus conſerturos: ita defeſſos & exangues Regi, aut nationi prædæ futuros: aliter non orbis terrarum, neque cunctæ gentes conglobatæ mouere aut contundere queant.*

AXIOMATA.

Miſerum eſt ad infimorum hominum miſericordiam confugere.

Qui ſuam vitam deſerunt, produnt Remp.

Ex bellicâ victoriâ non ferè quemquam eſt inuidia ciuium conſecuta.

Periculorum eſt in Rep. retinenda medicina.

ARGVMENTVM.

Occaſione data monet adoleſcentes ne ipſius exemplo & recordatione exilij deterreantur à tuenda Repub. duabus rationibus. priore, quia probabile non erat vllos deinceps eiectum iri vt ipſe fuerat eiectus. poſteriore, quia etiamſi id contingeret, ſpes tamen erat fore vt breui reſtituerentur, quemadmodum ipſe fuerat reſtitutus.

LII. QVARE moneo vos adoleſcentes, atque hoc meo iure præcipio, qui dignitatem, qui Rempub. qui gloriam ſpectatis, ne, ſi qua vos aliquando neceſſitas ad Rempubl. contra improbos ciues defendendam vocabit, ſegniores ſitis, & recordatione mei caſûs à conſiliis fortibus refugiatis. Primùm, non eſt periculum, ne qui vnquam ſint in ciuitate eiuſmodi Conſules, præſertim ſi erit his, id quod debetur, perſolutum, deinde nunquam iam, vt ſpero, quiſquam improbus conſilio, & auxilio bonorum ſe oppugnare Rempub. dicet, illis tacentibus: nec armati exercitûs terrorem opponet togatis: neque erit iuſta cauſſa ad portas ſedenti Imperatori, quare terrorem ſuum falsò iactari opponíque patiatur. nunquam enim erit tam oppreſſus Senatus, vt ei ne ſupplicandi quidem, ac lugendi ſit poteſtas, tam captus equeſter ordo, vt equites Romani à Conſule relegentur. Quæ cùm omnia, atque etiam multo alia maiora, quæ conſultò prætereo, accidiſſent, videtis me tamen in priſtinam meam dignitatem breui temporis dolore interiecto, Reipub. voce eſſe reuocatum.

EXPLANATIO.

QVARE.] Prudenter à Iudicibus ad adoleſcentes conuertitur, quia cuiuſdam impudentiæ fuiſſet ipſos Iudices ad capeſſendam Reipub. curam hortari. Addit, *Qui dignitatem*, &c. quia, vt ait Catilina Salluſtianus, *verba ignauis virtutem non addunt.* Sic Noſter infra 138. *Mihi omnis oratio eſt cum virtute non cum deſidiâ: cum dignitate, non cum voluptate: cum iis qui ſe, patriæ, qui ſuis ciuibus, qui laudi, qui gloriæ, non qui ſomno & conuiuiis, & delectationi natos arbitrantur.*

EIVSMODI COSS.] Cuiuſmodi fuerunt Piſo & Gabinius.

DEINDE NVNQVAM.] Vt P. Clodius ſe auxilio Pompeij Cæſaris & Craſſi bonorum virorum dicebat ſe facere quæcunque ad euerſionem Reipub. faciebat.

NEC ARM. EXERC.] Vt Clodius mihi togato Cæſaris exercitus terrorem opponebat.

NEQVE ERIT.] Quemadmodum Cæſar profecturus in Gallias aliquandiu ſubſtitit in Italia, veritus ne ipſius acta reſcinderentur à Prætoribus, paſſúſque eſt Clodium mihi exercitus ſui terrorem opponere.

NVNQVAM ENIM ERIT.] Vt tum oppreſſus fuit Senatus, cùm Piſo & Gabinius edixerunt vt is, qui pro me vel ſupplicandi, vel lugendi cauſſa veſtem mutauerat, ad veſtitum rediret.

RELEGENTVR.] Vt Luc. Lamia pro me ſupplicans nominatim relegatus eſt edicto Gabinij.

QVÆ CVM.] Altera pars probationis non eſſe timendum ad Rempub. contra improbos tuendam accedere.

BREVI TEMPORE.] Sedecim menſibus qui inter meum ab vrbe diſceſſum & reditum in vrbem interfluxerunt.

REIPVB. VOCE.] Tanto omnium ordinum conſenſu, conſpirantibus omnium ſuffragiis, vt me non homines, ſed ipſa Reſpub. reuocaſſe videatur.

NOTÆ.

ADOLESCENTES.] Frequenter hac ipſa oratione adoleſcentes compellat, vt non Iudices, 1.

Iudices, quod ſuperbum eſſet & arrogans, ſed iuuentutem, quod ſuo iure facere potuit, doce-
Adoleſcentes docendi. re videatur. 96. *Rem quæris præclaram iuuentuti ad diſcendum.* & 119. *Mihi ſumpſi hoc loco doctrinam quandam iuuentuti qui eſſent optimates.* vbi vide Notas. Solebant autem adoleſcentes audiendi diſcendique cauſſa, cauſſis illuſtrioribus intereſſe. Plinius Iunior lib. 4. ep. 16. *Quidam ornatus adoleſcens ſciſſis tunicis, vt in frequentia ſolet, ſola velatus toga perſtitit: & quidem horis ſeptem, nam tamdiu dixi, magno cum labore, ſed maiore cum fructu.*

II. NECESSITAS.] Pro Milone 14. *Nulla vis vnquam eſt in libera ciuitate ſuſcepta inter ciues, non contra Rempub. Non enim eſt vlla defenſio vnquam optanda, ſed nonnunquam eſt neceſſa-*
Neceſſitas. *ria.* & ſanè ſola neceſſitas excuſat. de qua Æſchylus in Prometheo.

Τὸ τῆς ἀνάγκης ἐστ' ἀδήριτον σθένος.
Neceſſitatis vis inexpugnabilis.

Et Callimachus in Delo.

Ἀναγκαίη μεγάλη Θεός.
Neceſſitas magra eſt Dea.

Alioquin, vt ait Homericus ille Neſtor,

Bellum ciuile. Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος
Ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου.
Gente carens, exlex, & non tolerabilis ille eſt
Qui ciuile cupit bellum.

III. ID QVOD DEBETVR PERSOLVTVM.] Sceleri ſupplicium debetur, vt Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Autolycum variis auctorum locis oſtendit. Æſchylus,

Δράσαντι, τί γάρ τοι καὶ παθεῖν ὀφείλετι. lege,
Δράσαντι; &c. ὀφείλεται.
Nam qui ſcelus patrauit is debet pati.

Pindarus,

Ῥέζοντά τι καὶ παθεῖν ἔοικεν.
Eum qui quid fecerit, & pati conuenit.

Euripides,

Ἀνάσχου πάσχων, δρῶν γὰρ ἔχαιρες.
Tolera patiens, nam faciebas cum lætitiâ.

videtur eſſe anapæſticus, ac proinde legendum, Pœna peccati.

Ἀνέχου πάσχων, &c.

Archilochus, —Ἐν δ' ἐπίσταμαι μέγα
Τὸν κακῶς δρῶντα δεινοῖς ἀνταμείβεσθαι κακοῖς.
--Hoc vnum ſcio
Qui malum patrarit illum triſte ſupplicium pati.

Verſus eſt trochaicus. quare ſic emenda,

Τὸν κακῶς γε δρῶντα, vel
Τὸν κακῶς δράσαντα.

Sophocles,

Εἰ δεινὰ ὁ ῥέξας, lege,
Εἰ δεῖν' ἔρεξας, δεινὰ καὶ παθεῖν σε δεῖ.
Si mala patraſti, te mala neceſſe eſt pati.

Quæ prolata volui, vt vna & eadem opera adferrem tam multis vulneribus medicinam. Pœnas autem & ſupplicium eſſe frænum quo mortales à ſcelere retardantur, alibi nec paucis, nec ſemel exponimus. Vide apud Philonem de ſua ad Caium legatione, quæ bona è pœnis oriantur.

REIP. VOCE.] Alibi dicemus quanta fuerit in reuocando Cicerone populi Romani conſenſio. IV. Siquidem, vt ait Plutarchus, λέγεται μηδέποτε μηδὲν ἐκ τοσαύτης ὁμοφροσύνης ἐπιψηφίσασθαι τὸν δῆμον. *Populum ferunt nihil vnquam tanto conſenſu, conſpirantibus omnium ſtudiis decreuiſſe.* Vnde & alibi ſe quadrigis auratis rediiſſe, & patriæ ipſius ceruicibus relatum eſſe gloriatur.

AXIOMATA.

Ciuis non debet contra improbos ciues armis decertare, niſi neceſſitas eum vocarit.

Multi recordatione caſus alieni ſegniores ſunt, & à fortibus conſiliis refugiunt.

Cæteri à ſcelere deterrebuntur, ſi ſceleratis erit, id quod debetur, perſolutum.

Honorificum eſt in priſtinam dignitatem Reipub. voce reuocari.

Diſceſſus Ciceronis.

- Pernicies Ciceroni rogata exaggeratur,
  - 1. à bonorum luctu & mœrore. 53.
  - 2. à perſona Ciceronis qui patriam defenderat. 54.
  - 3. à cauſa: eo ipſo crimine quod defenderat. 54.
  - 4. à modo. Expulſus ſine iudicio, vi, lapidibus, ferro, ſeruitio concitato. 54.
- Rogata Piſoni & Gabinio prouincia,
  - 1. à tempore: eo ipſo temporis puncto quo Ciceroni & Reip. pernicies rogabatur.
  - 2. ab epulis & gratulationibus in luctu communi.
  - 3. à crudelitate in Ciceronis
    - vxorem.
    - liberos.
    - generum.

ARGVMENTVM.

Omnium ſeditionum, quas hactenus expoſuit, cauſſam in Conſules deriuat, idque ex eo probat, quod eodem tempore lata lex fuerit, vt & Tullius exularet, & Piſo Macedoniam, Gabinius Ciliciam, quæ pòſt in Syriam mutata eſt, cum imperio obtinerent.

LIII. SED, vt reuertar ad illud, quod mihi in hac omni eſt oratione propoſitum, omnibus malis, illo anno, ſcelere Conſulum Rempubl. eſſe confectam: primùm, illo ipſo die, qui mihi funeſtus fuit, omnibus bonis luctuoſus, cùm ego me è complexu patriæ, conſpectúque veſtro eripuiſſem, & metu periculi veſtri, non mei, furori hominis, ſceleri, perfidiæ, telis, minísque ceſſiſſem, patriámque, quæ mihi erat cariſſima, propter ipſius patriæ caritatem reliquiſſem, cùm meum illum caſum tam horribilem, tam grauem, tam repentinum, non ſolùm homines, ſed tecta vrbis, ac templa lugerent, nemo veſtrum forum, nemo curiam, nemo lucem aſpicere vellet: illo, inquam, ipſo die: die dico? immo horâ, atque etiam puncto temporis eodem, mihi, reíque publ. pernicies, Gabinio & Piſoni prouincia rogata eſt.

EXPLANATIO.

SED, VT.] Redit ad propoſitum, & renouat docilitatem, oſtendens quò pertineat, & quem ſcopum habeat tota oratio.

CONFECTAM.] Alibi *Rempubl. contrucidauerunt.* eadem tranſlatione niſi quod hic à belluis videtur petita, quæ propriè à beſtiariis in amphitheatro confici dicebantur, à conſequenti autem & emolumento, quaſi quodam facti veſtigio texit hunc ſyllogiſmum.

Ii Rempub. confecerunt, qui confectæ Reip. mercedem à Clodio receperunt.

Sed Piſo & Gabinius confectæ Reipub. mercedem à Clodio receperunt.

Ergo & confecerunt Remp.

Propoſitio per ſe plana eſt, & facilè potuit intelligi. concluſio prioribus ſectionis verbis, *Sed vt*, &c. *eſſe confectam.* aſſumptio poſterioribus, *Primùm illo ipſo die*, &c. *mihi reique publicæ pernicies Gabinio & Piſoni prouincia rogata eſt.* Quam aſſumptionem probat alio rurſus argumento, non iam à conſequentibus facti veſtigiis, ſed à comitantibus ſignis petito.

Si eodem puncto temporis illata eſt pernicies Reip. & data Conſulibus prouincia, ſignum eſt prouinciam fuiſſe proditæ Reip. mercedem.

Sed hoc. Ergo illud.

quam circunſtantiam vt magis in auditorum animis defigat, egregiâ repetitione, & dubitatione illuſtrat. *Primùm illo ipſo die*, &c. *illo, inquam, ipſo die, die dico? immò hora atque etiam puncto temporis*, &c. interſerit varias circunſtantias, quæ partim probandæ, partim exaggerandæ rei, qua de agitur, inſeruiunt. quia videlicet niſi confeciſſent ipſi ſuo ſcelere Rempub. prouincias etiam vltro delatas non admiſiſſent in communi luctu ciuitatis.

ERIPVISSEM.] Eleganter & ἐμφατικῶς, ne vel à patria reiectus, vel ab inimicis per vim è complexu patriæ retinentis abreptus fuiſſe, ſed ipſe ſponte furori Clodij ceſſiſſe videatur, propter ipſius patriæ charitatem.

CVM MEVM.] Luctum communem totius ciuitatis amplificat, vt Conſules tantò ſceleratiores appareant. Cætera perſpicua ſunt.

NOTÆ.

CONFECTAM.] Vox à gladiatoribus tranſlata. confici enim dicitur gladiator, qui vulneribus acceptis in amphitheatro occiditur: aut etiam à feris quæ in eadem arena trucidantur, vnde & beſtiarios Symmachus & Lucilius à conficiendis beſtiis *confectores* appellant. Quare Noſter cùm Rempub. confectam ait, eam oſtendit multis quaſi vulneribus contrucidatam, & quaſi lentè paulatímque conſumptam. Idem enim penè eſt conficere & conſumere, pro Marcello II. *Nihil eſt enim opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat & conſumat vetuſtas.* I. Conficere.

FVNESTVS.] Aduerte diſtinctionem. dies funeſtus dicitur familiæ in quâ quis mortuus eſt, cæteris amicis extra familiam, luctuoſus. ſupra 27. *O diem illum, Iudices, funeſtum Senatui, boníſque omnibus ac Reip. luctuoſum.* II.

E COMPLEXV PATRIÆ.] Silius lib. 4. III.

Interea tibi prima domus atque vnica proles
Heu! gremio patriæ ſtygias raptatur ad vndas.

Catullus in Epithalamio:

Heſpere qui cœlo fertur crudelior ignis, Complexus
Qui natam poſſis complexu auellere matris, patriæ.
Complexu matris retinentem auellere natam.

Noſter in Cœliana 59. *Cùm Q. Metellus abſtraheretur è ſinu gremióque patriæ.* pro Plancio 97. *Vrbem vnam mihi amiciſſimam declinaui, quaſi vel potiùs excindi, quàm è ſuo complexu vt eriperer facilè pateretur.*

TAM REPENTINVM.] Grauiores ſunt caſus repentini, maiorémque conſtantiam requirunt. Ariſtoteles 3. Ethic. cap. 8. Ἀνδρειοτέρου δοκεῖ εἶναι τὸ ἐν τοῖς αἰφνιδίοις φόβοις ἄφοβον καὶ ἀτάραχον εἶναι, ἢ ἐν τοῖς προδήλοις· ἀπὸ ἕξεως γὰρ μᾶλλον, ἢ καὶ ὅτι ἧττον ἐκ παρασκευῆς· τὰ προφανῆ μὲ

Repentina & inopinata. γὰρ κἂν ἐκ λογισμοῦ καὶ λόγου τις προέλοιτο, τὰ δ' ἐξαίφνης κατὰ τὴν ἕξιν. *Maioris fortitudinis videtur eſſe in repentinis terroribus ſine metu & perturbatione verſari, quàm in præuiſis. id enim ex habitu magis, & minus ex præparato. Quæ enim præuidentur etiam ex diſcurſu & ratione ſuſcipi poſſunt, repentina verò non niſi ex habitu.* Vnde & ſcriptores à repentino & inopinato miſerationem inflammant. vide Milon. cap. 5. & de prouinciis Conſularibus 43. *Subita atque improuiſa formido.*

IV. LVGERENT.] De publico luctu in Piſonem 21. *Cùm omnes boni abditi incluſique mœrerent, templa gemerent, tecta ipſa vrbis lugerent.* Vide Notas in Vatinium 8. *Cuius deſiderio (vt hæc minima dicam) forum mœſtum, muta curia, omnia denique bonarum artium ſtudia ſiluerunt.* Iuſtitia. poſt reditum in Senatu 5. *Itaque poſtea nihil vos ciuibus, nihil ſociis, nihil Regibus reſpondiſtis: nihil iudices ſententiis, nihil hic ordo auctoritate declarauit: mutum forum, elinguem curiam, tacitam & fractam ciuitatem videbatis.*

V. NEMO LVCEM.] In luctu abditi incluſique mœrebant, & clauſis obſeratíſque feneſtris tenebras obducebant. Apuleius lib. 2. de Aſino. *Conclaue quoddam obſeratis luminibus vmbroſum demonſtrat cubiculum, matronam flebilem fuſca veſte contectam.* Baſilius Magnus orat. περὶ εὐχαριστίας priore, Lugentes lucem fugiunt. Ὥσπερ τῶν τραγῳδῶν ἴδιόν ἐστι τὸ ἀνάπλασμα καὶ ἡ σκηνὴ, μεθ' ἧς τὰ θέατρα καταλαμβάνουσιν, οὕτως οἴει προσήκειν καὶ τῷ πενθοῦντι πρέπον εἶναι σχῆμα, μέλαν ἱμάτιον, καὶ αὐχμηρὰν κόμην, καὶ σκότος ἐν οἰκίᾳ, καὶ κόνιν, καὶ μέλος συννὸν ἀεὶ νεαρὸν τῆς λύπης τὸ τραῦμα διασῶζον; *Quemadmodum tragœdorum propria eſt fictio & ſcena, qua theatra detinent, ſic lugenti conuenire & decentem habitum eſſe arbitraris, veſtem pullam, ſqualidam comam, tenebras in domo, & puluerem, & triſtem næniam de nouo doloris vulnus exulcerans?* Tenebras, inquit, quòd *abditi incluſique mœrerent,* nec tum temporis in publicum procederent. Plinius Iunior lib. 9. ep. 13. *Amiſſa nuper vxore, mitto ad Anteiam, rogo vt veniat, quia me recens adhuc luctus limine contineret.* Lucianus vita Demonactis, υἱὸν πενθοῦντι καὶ ἐν σκότῳ ἑαυτὸν καθείρξαντι. *Cùm filij mortem lugeret, ſéque in tenebras abdidiſſet.* Nazianzenus de Maccabæis. Οὐ σπαράξομαι κόμην, οὐ διαρρήξω χιτῶνα, οὐ ξανῶ σάρκας ὄνυξιν, οὐκ ἐγερῶ θρῆνον, οὐ καλέσω συνθρηνούσας, οὐ συγκλείσω ἐμαυτὴν εἰς σκότος, ἵνα καὶ ἀὴρ συνθρηνήσῃ μοι, οὐκ ἀναμενῶ παρακλήτορας, οὐκ ἄρτον πένθιμον παραθήσομαι. *Non diſcerpam crines, non rumpam tunicam, non cruentabo corpus vnguibus, non excitabo luctum, non accerſam præficas, non in tenebras me abdam, vt etiam aër mecum lugeat, non expectabo conſolatores, non feralem panem apponam.*

IPSO DIE: DIE DICTO.] Retrectatio VI. frequens infra 101. *Cui benedixit vnquam bono? benedixit? immò quem fortem & bonum ciuem non petulantiſſimè eſt inſectatus?* In Verrem de prætura vrbana. *Dictum hoc eſt in Cn. Dolabellæ iudicio? dictum? imò æſtimarunt.* In fragmentis Correctio verbi. Piſonianæ. *Quod minimum in ſe ſpecimen ingenij? ingenij autem? imò ingenui hominis ac liberi.* Et Verrina frumentaria 29. *Cedo mihi vnum ex triennio præturæ tuæ qui octupli damnatus ſit. Damnatus? imò verò in quem iudicium ex edicto tuo poſtulatum ſit.* & alibi frequenter.

AXIOMATA.

Nonnunquam metu periculi publici non priuati ſceleri hominum, furori, perfidiæque cedendum eſt.

Relinquenda eſt nonnunquam patria, quæ nobis eſt chariſſima, propter ipſius patriæ charitatem.

ARGVMENTVM.

Ad cæteras Clodij leges Reipub. pernicioſas à ſua ipſius cauſſa tranſiturus, ſuperius dicta graui exclamatione concludit, & orationem inflammat qua ſumma Reipub. perturbatio deſcribitur.

PRO Dij immortales, cuſtodes, & conſeruatores huius vrbis, atque imperij, quænam illa in Repub. monſtra, quæ ſcelera vidiſtis? ciuis erat expulſus is, qui Rempub. ex Senatûs auctoritate cum omnibus bonis defenderat, & expulſus non alio aliquo, ſed eo ipſo crimine. erat autem expulſus ſine iudicio, vi, lapidibus, ferro, ſeruitio denique concitato: lex erat lata vaſtato ac relicto foro, & ſicariis ſeruíſque tradito, & ea lex, quæ, vt ne ferretur, Senatus fuerat veſte mutatâ. Hac tanta perturbatione ciuitatis, ne noctem quidem Conſules inter meum diſcrimen & eorum prædam intereſſe paſſi ſunt: ſtatim me perculſo, ad meum ſanguinem hauriendum, & ſpirante etiam Repub. ad eius ſpolia detrahenda aduolauerunt. Omitto gratulationes, epulas, partitionem ærarij, beneficia, ſpem, promiſſa, prædam, lætitiam paucorum in luctu omnium. vexabatur vxor mea: liberi ad necem quærebantur: gener, & Piſo gener, à Piſonis Conſulis pedibus ſupplex reiiciebatur: bona diripiebantur, eáque ad Conſules deferebantur: domus ardebat in Palatio: Conſules epulabantur. Quòd ſi meis incommodis lætabantur, vrbis tamen periculo commouerentur. LIV.

EXPLANATIO.

PRO DII.] Iure Deos cuſtodes vrbis appellat, quaſi eorum patientiam admirans, quòd ea ſcelera & portenta videre potuerint, nec fulmen in euerſores imperij contorſerint.

CIVIS ERAT EXPVLSVS.] Ego ipſe qui ex S. C. Cethegum, Lentulum & alios coniuratos neci dederam, & eo pacto coniurationem oppreſſeram. Nec aliud crimen obiiciebatur, quàm quod eos necaſſem ad conſeruandam Rempub. Quæ ſequuntur clara ſunt, aduerte tantùm quibus circunſtantiis rem exaggeret, & quanta varietate ſuam diſtinguat orationem, modò repetitionibus. *Expulſus, & expulſus. erat autem expulſus. lex erat lata, & ea lex.* modò diſiunctis, *vi, lapidibus, ferro, ſeruitio,*

VASTATO.] Deſerto, vacuato, ciuibus è foro depulſis.

HAC TANTA.] Grauiter inuehitur in Conſules qui eodem temporis veſtigio, quo lex de ſua ipſius pernicie rogata eſt, obtinuerunt per Clodij legem Syriam & Macedoniam prouincias. allegoria ducta à militibus qui ſpolia detrahunt hoſtibus interfectis, & ab iis qui contra comitialem morbum gladiatorum necatorum calidum adhuc ſanguinem ſorbebant. Quod eorum factum eo fuit atrocius, quod ne expectauerunt quidem dum moreretur Reſp. ſed eam viuentem & videntem ſpoliarunt.

OMITTO GRATVLATIONES.] quibus Clodius & Conſules, me expulſo, ſibi inuicem ſunt gratulati. vide Piſonianam 22. pro domo 62. & alibi.

PARTITIONEM ÆRARII.] Cùm præter ſtipendium militum ex ærario depromptum, præter pecunias Gabinio conceſſas Piſoni ſeſtertium centies & octogies, id eſt quadringenta quinquaginta Philippæorum millia vaſarij nomine ex ærario fuit attributum. vide Piſonianam 86.

BENEFICIA.] Vacationes & immunitates iis conceſſas, qui Clodium adiuuerant.

VEX. VXOR MEA.] Terentia. pro domo 59. *Quid enim vos vxor mea miſera violarat? quam vexauiſtis, raptauiſtis, omni crudelitate lacerauiſtis.* Et ipſe exulans lib. 14. ad familiares ep. 2. ad eandem Terentiam in hæc verba reſcribit. *Nam ad me Pub. Valerius homo officioſus ſcripſit id, quod ego maximo cum fletu legi, quemadmodum à Veſta ad tabulam Valeriam ducta eſſes.*

LIBERI.] pro domo 59. *Quid? mea filia, cuius fletus aſſiduus ſordéſque lugubres vobis erant iucundæ. cæterorum omnium mentes, oculóſque flectebant. Quid? paruus filius, quem quamdiu abfui, nemo niſi lacrymantem confectúmque vidit: quid fecerat, quod eum toties per inſidias interficere voluiſtis?* vbi vides ſolum filium ad necem fuiſſe quæſitum. Sed hic liberos dicit, vel exaggerandi cauſſa, vel quod liberi, etiam pro vnico ſumuntur.

GENER ET PISO.] Hoc dicit vt exaggeret Piſonis crudelitatem, qui conſanguineum ſuum pro ſocero ſuo ſupplicantem reiiciebat.

DOMVS ARDEBAT.] Vide Piſon. 26. pro domo 62. *Domus in Palatio, villa in Tuſculano. altera ad alterum Conſulem transferebatur: Senatum Conſules vetabant: columnæ marmoreæ ex ædibus meis, inſpectante populo Romano, ad ſocium Conſulis* Piſonis *portabantur: In fundum autem vicini Conſulis* Gabinij, qui villam habebat in Tuſculano, *non modò inſtrumentum aut ornamenta villæ, ſed etiam arbores transferebantur.*

CONSVLES EPVLABANTVR.] Duabus de cauſis id dicit, quia & Conſulum fuit incendio ſubuenire, & inter epulas mali ominis erat incendium nominari. vide Notas.

NOTÆ.

CVSTODES.] Plinius lib. 28. cap. 2. *Verrius Flaccus auctores ponit, quibus credat in oppugnationibus ante omnia ſolitum à Romanis Sacerdotibus euocari Deum, cuius in tutela id oppidum eſſet, promittique illi eundem aut ampliorem locum apud Romanos cultúmve. Durat in Pontificum diſciplina id ſacrum: conſtátque ideo occultatum in cuius Dei tutela Roma eſſet, ne qui hoſtium ſimili modo agerent.* Cicero tamen cùm ex vrbe diſcederet, πρὶν δὲ δὴ ἀφορμῆσαι, inquit Dio lib. 38. ἐς τε τὸ Καπιτώλιον ἀνέβη, καὶ ἀγαλμάτιόν τι Ἀθηνᾶς ἀνέθηκε, φυλακίδα αὐτὴν ὀνομάσας. *Priuſquam exiret in Capitolium adſcendit, & paruum Mineruæ ſignum dedicauit, Cuſtodem appellans.* Quod tamen paulò ante proſcriptionem triumuiralem venti afflatu deiectum eſt, vt idem lib. 45. teſtatur. vbi & τὸ ἄγαλμα τὸ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς φυλακίδος. *Mineruæ Cuſtodis ſimulacrum* appellat. pro domo 144. *Cuſtos Vrbis Minerua, quæ ſemper adiutrix conſiliorum meorum, teſtis laborum extitiſti.* I.

Dij Romæ cuſtodes.

VIDISTIS.] Eodem penè modo Oedipus ille Statianus 1. Thebaidos. II.

--Et videt iſta Deorum
Ignauus genitor.--

Item neſcio quis,

Et videt hæc videt ille Deum regnator.

Iuuenalis, *-Audis*

Iuppiter hæc nec labra moues, cùm mittere vocem
Debueras, vel marmoreus, vel aheneus.

Ego noſtrum memini me ſic imitari,

Deus videt.

--Tempora?
Tempora? tuliſtis quale portentum? nefas
Quantum videtis aſtra? Quod monſtrum vides
Sol æſtuanti cuncta qui luſtras face.

Seneca Med. act. 1.

-Spectat hoc noſtri ſator
Sol generis, & ſpectatur?

hoc loco abs re non fuerit notare, quod monet Proclus in Heſiodum lib. 1. Τῶν αἰσθήσεων μόνην τὴν ὅρασιν καὶ τὴν ἀκοὴν ὡς χαριεστάτας ἐπὶ τοὺς θεοὺς ἀναφέρουσιν. *E ſenſibus ſolùm viſum & auditum vt digniſſimos Diis attribuunt.* Plautus Captiuis Sc. Iam Ego,

Cur viſus & auditus Deo tribuatur.

Eſt profecto Deus qui quæ nos gerimus, auditque & videt.

Homerus ſæpè,

--ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷ καὶ πάντ᾽ ἐπακούει.
--Qui cuncta auditque videtque.

LIBERI.] Dixi liberos pro vno ſumi apud antiquos. Sempronius Aſellio citatus apud Gellium lib. 2. noct. Attic. cap. 13. de Tiberio Graccho loquens. *Orare cœpit vt ſe defenderent, liberóſque ſuos eum quem virilis ſexus tum in eo tempore habebat, produci iuſſit, populóque commendauit, prope flens.* Terentius Heautontimoroumeno, actu 1. ſc. 1. III.

Liberi pro vno filio, filiâ-ve.

Ingenio te eſſe in liberos leni puto
Et illum obſequentem ſi quis rectè ac commodè
Tractaret.--

vbi Donatus. *Liberos multitudinis numero dixit, cùm Menedemus vnicum haberet filium. Conſtat enim antiquos,* &c. *etiam vnum filium filiamve liberos multitudinis numero appellaſſe. in Hecyra liberos in ſignificatione vnius filiæ dixit.*

Qui illum decreuerunt dignum ſuos cui liberos
committerent.

Sic Cicero, *En cui tuos liberos rectè committas.* Vide de prouinc. Conſ. 35.

IV. A Pisonis pedibvs.] Supra 26. *Vos, vos inquam pro meo capite ad pedes lenonis impuriſſimi proieciſtis.* infra 74. *Socer ad pedes abiectus.* pro Cœlio 74. *Quem vos ſupplicem veſtræ miſericordiæ, ſeruum poteſtatis abiectum non tam ad pedes, quàm ad mores ſenſúſque veſtros,*&c. *ſuſtentate.* Vbi notamus antiqui moris fuiſſe, vt ſupplices ad pedes eorum quibus ſupplicabant abiecti, altera manu genua vel dextram altera mentum attingerent. Scholiaſtes Euripidis in Hecubam luculentam adfert huius rei rationem. οἱ παλαιοὶ ἱκετεύοντες ἐφήπτοντο τῆς γενειάδος, καὶ τῆς χειρὸς καὶ τοῦ γόνυος· τῆς μὲν γενειάδος, ὡς κατανεῦσαι, ἢ εἰπεῖν τι πρὸς ἄλλον ὑπὲρ τοῦ δεομένου. εἴ γε δεήσει τοῦτο ποιεῖν· τῆς δὲ χειρὸς, ὡς ἐνεργῆσαι, τοῦ δὲ ποδὸς, ὡς βαδίσαι. *Antiqui ſupplicantes, eum, cui ſupplicabant, barba, manu, genu apprehendebant. barba quidem, vt annueret, aut ſi neceſſitas incumberet, alteri loqueretur. manu, vt manum operi admoueret, pede vt gradum ad opem ferendam promoueret.* Idem teſtatur Euſtathius in primum Iliados, ſed nos eius auctoritatem commodiùs alibi proferemus.

Supplices abiiciebantur ad pedes.

V. Domvs ardebat.] Pro domo ſua 62. *Domus ardebat in Palatio, non fortuito, ſed oblato incendio: Conſules epulabantur, & in coniuratorum gratulatione verſabantur: cùm alter ſe Catilinæ delitias, alter Cethegi conſobrinum fuiſſe diceret.* Monui Conſulum & epularum mentionem non temere coniungi incendio, tum quod Conſules incendium extinguere debe-rent. Piſon. 26. *Ecquod in hac vrbe maius vnquam, cui non Conſul ſubuenerit?* Tum quod infauſtum putaretur incendium inter epulas nominare. Plinius lib. 28. cap. 3. *Incendia inter epulas nominata aquis ſub menſa profuſis abominamur.*

Conſules incendio ſubueniebant.

Infauſtũ fuit incẽdium inter epulas nominare.

VI. Commoverentvr.] Elegans loquendi modus. commoueri debebant. Sic Philippica 2. §. 86. *Quid petens? vt ſeruires? Tibi vni peteres.* Id eſt, tibi vni petere debebas. Maro 8. Æneidos,

---Metium in diuerſa quadrigæ
Diſtulerant. at tu dictis Albane maneres.

AXIOMA.

Odioſa eſt lætitia paucorum in luctu omnium.

Conſequentia poſt diſceſſum Ciceronis.

- Leges latæ in perniciem
  - Ciuitatis.
    - 1 vt cenſoria lex tolleretur. 55.
    - 2. vt collegia
      - vetera reſtituerentur.
      - noua conſcriberentur.
    - 3. vt remitterentur ſemiſſes & trientes in frumenti diſtributione.
    - 4. vt Gabinio fieret poteſtas commutandæ prouinciæ.
    - 5. vt leges Ælia & Fuſia abrogarentur, videntur tamen ante diſceſſum abrogatę. 56.
  - Sociorum.
    - 1. vt Matris Magnæ Sacerdotiũ daretur Regi Brogitaro. 56. Exaggerat
      - à ſanctitate religionis.
      - ab impuritate Brogitari.
    - 2. vt exules Biſantium reducerentur.
    - 3. vt bona Ptolemæi Cypriorum Regis publicarẽtur. Exaggerat
      - 1. à perſona Ptolemæi. 57.
        - 1. erat Rex ſi nondum ſocius, at non hoſtis.
        - 2. fretus imperio pop. Rom.
        - 3. frater Regis ſocij atque amici.
      - 2. ab inexpectato. 57
      - 3. à contrario.
        - Maiores Antiochum hoſtem regnare iuſſerunt.
        - Et Pompeius Tigranem.
        - Clodius Ptolomæi Regis amici regnum & bona publicauit.
      - à perſona Catonis qui & negotio præfectus eſt. quod exaggeratur ab intẽtione.
        - aduerſariorum
          - vt ſplendorem eius macularent.
          - vt ei libertatem tollerent de extraordinariis imperiis conquerendi.
        - Catonis.
          - 1. Paruit rogationi ne vitam temerè, & ſine cauſa in periculum adduceret. 61. 62.
          - 2 Vt quod boni poſſet ex mala lege in Rempub. prouenire, id per ipſum conſeruaretur. 63.
          - 3 Quod in ea perturbatione temporum libenter abeſſet.
- Cogitata & deſignata animo. 66.
  - 1. procurationes rerum omnium.
  - 2. nouæ rationes conflandæ pecuniæ.
  - 3. prouinciarum & regnorum venditiones.
  - 4. damnatis de vi reſtitutio.

ARGVMENTVM.

Leges à Clodio vel latas, vel promulgatas pernicioſas Reipub. & reliquas illius anni peſtes deſcribit, eo conſilio vt intelligant Iudices, quantam vim omnium remediorum à magiſtratibus proximis, atque adeo à P. Sextio tribunatum plebis inituro Reſpub. deſiderarit.

LV. SED, vt à mea cauſa iam recedam, reliquas illius anni peſtes recordamini. ſic enim facillimè perſpicietis, quantam vim omnium remediorum à magiſtratibus proximis Reſpub. deſiderarit. legum multitudi-

nem, cùm earum, quæ latæ ſunt, tum verò, quæ promulgatæ fuerunt dicam? nam latæ quidem ſunt Conſulibus illis tacentibus, immo verò approbantibus etiam: vt cenſoria notatio, & grauiſſimum iudicium ſanctiſſimi magiſtratûs de Republ. tolleretur, vt collegia non modò illa vetera contra Senatus conſultum reſtituerentur, ſed ab vno gladiatore innumerabilia alia noua conſcriberentur: vt remiſſis ſemiſſibus, & trientibus, quinta prope pars vectigalium tolleretur: vt Gabinio pro illa ſua Cilicia, quam ſibi, ſi Rempub. prodidiſſet, pactus erat, Syria daretur: vt vni heluoni, bis de eadem re deliberandi, & rogatâ lege poteſtas fieret prouinciæ commutandæ.

EXPLANATIO.

SED, Tranſitio, cuius ſubiicit rationem ne diuagatus eſſe videatur.

LEGVM MVLT.] Pernicioſa eſt Reipub. legum multitudo. & eam ob rem leges Clodias enumerat Orator, tum eas quæ *latæ ſunt*, id eſt populi, vel ſaltem ſeruorum & operarum verum populum repræſentantium ſuffragiis comprobatæ, tum eas quæ *promulgatæ*, id eſt publicè, per trinundinum expoſitæ, vt à ruſticanis per nundinas in vrbem ventitantibus legerentur, & examinarentur.

VT CENSORIA.] Prima lex à Clodio lata. Vt cenſorum alter neminem gradu mouere poſſet, niſi alterius collegæ accedente conſenſu.

VT COLLEGIA.] Altera lex. Numa Pompilius artifices in certa collegia deſcripſerat. Ea, cùm frequens ab iis ſeditionum occaſio naſceretur, SC. ſublata, non ſolùm reſtituit Clodius, ſed alia noua ex omni fece vrbis, atque ex omni ſeruitio conſtituit. Vide Piſ. 9.

VT REMISSIS.] Tertia lex annonaria. C. Gracchus populi gratiam aucupans, legem tulerat vt populo frumentum è publico daretur, íſque tantùm in ſingulos modios trientē & ſemiſſem perſolueret. Clodius vt ſe magis etiam popularem quam Gracchum oſtenderet, eam legem abrogauit, legémque tulit vt frumentum gratis daretur.

VT GABINIO.] Quarta lex perlata in gratiam Gabinij. Is enim cùm priùs obtinuiſſet Ciliciam, ea prouincia non contentus Clodium rogauit, vt legem ferret de commutanda prouincia, vt videlicet loco Ciliciæ Syriam prouinciam obtineret. cuius legis indignitatem ab indignitate perſonæ cui gratia præſtabatur, exaggerat. pro domo 23. *Cui quidem cùm Ciliciam dediſſes, mutaſti pactionem, & Ciliciam ad Prætorem, item extra ordinem tranſtuliſti: Gabinio pretio amplificato Syriam nominatim dediſti.*

NOTÆ.

1. Legum multitudo.

LEGVM MVLTITVDINEM.] Non ſolùm, quod ait Plato 3. de Repub. Τῆς κακῆς τε καὶ αἰσχρᾶς παιδείας μή τι μεῖζον ἕξεις λαβεῖν τεκμήριον, ἢ τὸ δεῖσθαι ἰατρῶν καὶ δικαστῶν ἄκρων. *Malæ & turpis educationis nullum maius proferre ſignum potes, quàm ſi medicis & Iudicibus excellentibus indigeas.* ſed etiam quod habet Tacitus 3. annalium. *Corruptiſſimâ Repub. plurimæ leges.* Tum quòd ea legum multitudo ex morum corruptione naſcatur. Pætus Thraſea apud eundem 15. annalium. *Vſu probatum eſt, Patres conſcripti, leges egregias exempla honeſta apud bonos ex delictis aliorum gigni: ſic Oratorum licentia Cinciam rogationem: candidatorum ambitus Iulias leges: magiſtratuum auaritia Calpurnia ſcita pepererunt: Nam culpa quam pœna tempore prior, emendari quam peccare poſterius eſt.* & vt dicitur, *E malis moribus bonæ leges.* tum quòd legum etiam bonorum copia neſcio quo pacto morum corruptionem inducat. Tiberius apud eundem 3. annalium. *Tot à maioribus repertæ leges, tot quas D. Auguſtus tulit: illæ obliuione, hæ (quod flagitioſius eſt) contemptu abolitæ ſecuriorem luxum fecere. nam ſi velis quod nondum vetitum eſt, timeas ne vetere: At ſi prohibita impune tranſcenderis, neque metus vltra, neque pudor eſt.* Quare prudenter Lycurgus veritus hanc legum multitudinem leges ſcriptas ne admiſit quidem in ſuam Rempub. Plutarchus in eius vita. Νόμους δὲ γεγραμμένους ὁ Λυκοῦργος οὐκ ἔθηκεν· ἀλλὰ μία τῶν καλουμένων ῥητρῶν ἐστιν αὕτη. Τὰ μὲν γὰρ κυριώτατα καὶ μέγιστα πρὸς εὐδαιμονίαν πόλεως καὶ ἀρετὴν ἐν τοῖς ἤθεσιν ᾤετο, καὶ ταῖς ἀγωγαῖς τῶν πολιτῶν ἐγκατεστοιχειωμένα μένειν ἀκίνητα, καὶ βεβαίαν ἔχοντα τὴν προαίρεσιν, δεσμὸν ἰσχυρότατον τῆς ἀνάγκης, καὶ ἣν ἡ παίδευσις ἐποίει τοῖς νέοις νομοθέτου διάθεσιν ἀπεργαζομένη περὶ ἕκαστον αὐτῶν. Τὰ δὲ μικρὰ καὶ χρηματικὰ συμβόλαια, καὶ μεταπίπτοντα τὰς χρείας, ἄλλοτε ἄλλως, βέλτιον ἦν μὴ καταλαμβάνειν ἐγγράφοις ἀνάγκαις, μηδ' ἀκινήτοις ἔθεσιν, ἀλλ' ἐᾶν ἐπὶ τῶν καιρῶν, λαμβάνοντα, καὶ ἀφαιρέσεις ἃς ἂν οἱ πεπαιδευμένοι δοκιμάσωσιν. Τὸ γὰρ ὅλον καὶ πᾶν τῆς νομοθεσίας ἔργον εἰς τὴν παιδείαν ἀνῆψε. *Leges ſcriptas Lycurgus nullas poſuit, immò earum, quas rhetras quaſi leges verbo conceptas appellant, vna fuit ne ponerentur. Præcipua igitur & maximè tum ad vrbis felicitatem, tum ad virtutem ſpectantia, ſi in moribus & educatione ciuium inoleuiſſent, eodem in ſtatu permanſura credebat, firmam animi inductionem habentia, quod eſt vinculum neceſſitatis firmiſſimum, & eam diſpoſitionem quam circa eorum ſingula legiſlatoris inſtitutio iuuenum animis inſeuiſſet. Paruas verò & pecuniarias conuentiones, quæ, prout res exigit, alias aliter tractantur, melius eſt neceſſitati legis ſcriptæ, nec immobili conſuetudini illigare, ſed occaſioni permittere, cùm modò creſcere modò minui poſſint, prout viri prudentes definiunt. Vniuerſum enim legiſlationis negotium voluit ex inſtitutione pendere.* Quare meritò Zaleucum & Locros laudat Demoſthenes oratione contra Timocratem, Charoni & Thurios Diodorus Siculus lib. 12. bibliothecæ, qui legem tulerunt, vt ſi quis nouam legem ferre vellet, eam collo in laqueum inſerto promulgaret, vt ſi inutilis viſa fuiſſet, adducto

Corruptiſſimâ Rep. plurimæ leges.

Spartani ſcriptas leges nullas habuerunt.

Rhetia Lacedæmoniorū.

reſte præfocaretur,& Ariſtoteles 2.politicon cap. 6. Hippodamum meritò reprehendit quod lege latâ nouarum rerum vtilium inuentoribus præmia proponeret. Sed vide Piſonianam 10. *Centum prope annos legem Æliam & Fuſiam tenueramus.* vbi fusè demonſtramus quàm periculoſum ſit nouitatem inducere. & Milonianam 35. *P. Clodij præturam non ſine maximo rerum nouarum metu proponi ſolitam eſſe videbatis.*

II. CENSORIA NOTATIO.] Vide Piſonianam 9. *Magiſtra pudoris ac modeſtiæ ſeueritas cenſoria ſublata eſt.* Aſconius in diuinationem. *Regendis moribus ciuitatis Cenſores quinto quoque anno creari ſolebant. hi prorſus ciues ſic notabant, vt qui Senator eſſet eiiceretur Senatu: qui Eques Romanus, equum publicum perderet. qui plebeius, in ceritum tabulas referretur, & ærarius fieret, ac per hoc non eſſet in albo Centuriæ ſuæ, ſcilicet ad hoc vt eſſet ciuis, ſed tantummodo vt pro capite ſuo tributi nomine æra penderet,* Iam, quomodo cenſoria illa notatio de Repub.ſublata ſit, dubitari poteſt. Dio lib. 38. de noſtro Clodio loquens. Τοῖς τε τιμηταῖς ἀπηγόρευσε μὴ ἀπαλείφειν ἔκ τινος τέλους, μηδ' ἀτιμάζειν μηδένα χωρὶς, ἢ εἴ τις παρ' ἀμφοτέροις σφισὶ κριθεὶς ἁλοίη. *Prohibuit ne cenſores vllos ordine mouerent, aut ignominia notarent, niſi ab eorum vtroque iudicatus eſſet atque damnatus.* Neceſſarium tamen iam ante fuiſſe cenſoris vtriuſque conſenſum innuit Appianus 1.ciuilium. Τιμητὴς δὲ Κόϊντος Κεκίλιος Μέτελλος Γλαυκίαν τε βουλεύοντα, καὶ Ἀπουλήϊον Σατορνῖνον δεδημαρχηκότα ἤδη τῆς ἀξιώσεως παρέλυεν αἰσχρῶς βιοῦντας. οὐ μὴν ἠδυνήθη· ὁ γὰρ οἱ συνάρχων οὐ συνέθετο. *Cenſor verò Q. Cecilius Metellus Glauciam, & Apuleium Saturninum tribunitium Senatu mouere conatus eſt propter vitæ dedecora. Sed non conſentiente collega nihil effecit.* Immo Cicero Cluentiana 122. *Etiam ipſi inter ſe Cenſores ſua Iudicia tanti eſſe arbitrantur, vt alter alterius Iudicium non modò reprehendat, ſed etiam reſcindat: vt alter de Senatu mouere velit, alter retineat, & ordine ampliſſimo dignum exiſtimet: vt alter in ærarios referri, aut tribu moueri iubeat, alter vetet.* Sed rem diſcutiant eruditi. Liuius certè lib.45. fauet huic poſteriori. *Plures quàm à ſuperioribus & Senatu moti ſunt, & equos vendere iuſſi: omnes iidem ab vtroque & tribu remoti, & ærarij facti: neque vllius, quem alter notaret, ab altero leuata ignominia.*

Notatio cenſoria.

III. SANCTISSIMI MAGISTRATVS.] Plutarchus in Catone Cenſorio. Κορυφὴ δέ τις ἐστὶ τιμῆς ἁπάσης ἡ ἀρχὴ, καὶ τρόπον τινὰ τῆς πολιτείας ἁπάσης ἐπιτελείωσις. *Hic magiſtratus omnium honorum eſt faſtigium. & aliquo modo omnia politicæ vitæ perfectio.* Athenæus lib. 14. Deipnoſ. μεγίστη δ' αὕτη ἀρχή. *hic maximus eſt magiſtratus.*

Cenſura.

IV. COLLEGIA.] De collegiis vide dicta ſupra 32. *nullum collegium.* & dicenda in Piſonem 9. *Collegia non ea ſolùm quæ Senatus ſuſtulerat, reſtituta ſunt, ſed innumerabilia quædam noua ex omni fece vrbis ac ſeruitio conſtituta.*

Collegia.

V. VT REMISSIS.] Ῥωμαῖοι τὴν Ἰταλίαν, inquit Appianus, primo bellorum ciuilium, πολέμῳ κατὰ μέρη χειρούμενοι, γῆς μέρος ἐλάμβανον, καὶ πόλεις ἐνῴκιζον, καὶ ἐς τὰς πρότερον οὔσας κληρούχους ἀπὸ σφῶν κατέλεγον. καὶ τάδε μὲν ἀντὶ φρουρίων ἐπενόουν, τῆς δὲ γῆς τῆς δορικτήτου σφίσιν ἑκάστοτε γινομένης, τὴν μὲν ἐξειργασμένην αὐτίκα τοῖς οἰκιζομένοις ἐπιδιῄρουν, ἢ ἐπίπρασκον, ἢ ἐξεμίσθουν. τὴν δ' ἀργὸν ἐκ τοῦ πολέμου τότε οὖσαν, ἣ δὴ καὶ μάλιστα ἐπλήθυεν, οὐκ ἄγοντές πω σχολὴν διαλαχεῖν ἐπεκήρυττον ἐν τοσῷδε τοῖς ἐθέλουσιν ἐκπονεῖν ἐπὶ τέλει τῶν ἐτησίων καρπῶν, δεκάτῃ μὲν τῶν σπειρομένων, πέμπτῃ δὲ τῶν φυτευομένων. ὥριστο δὲ καὶ τοῖς προβατεύουσι τέλη μειζόνων τε καὶ ἐλαττόνων ζῴων. *Romani cùm Italiam per partes armis ſubiugaſſent, terræ partem capiebant, in eáque vrbes condebant, & in vetera oppida colonos ex vrbe tranſcribebant. idque loco propugnaculorum & cuſtodiæ faciebant. & cùm ſubinde nouos agros ſibi bello compararent, cultos primo quoque tempore, aut colonis diuidebant, aut vendebant, aut locabant. Incultam verò terram quæ bello parta eſſet, cuius erat magna copia, cùm nondum fortè diuidere potuiſſent, iis qui colere voluiſſent per præconem licitabantur certa annuorum fructuum pactione, vt decimam eorum quæ ſeruntur partem, quintam eorum quæ plantantur perſoluerent. Certa etiam tributa iis qui ſiue greges, ſiue armenta paſcebant, erant conſtituta.* Quod primò quidem in Italia, deinde etiam in Sicilia, Africa cæteríſqué prouinciis factum eſſe conſtat, vt prouinciales decumas frumenti perſoluerent. Eas Ædiles initio, quanto poterant pretio diſtrahebant, & conflatam ex iis pecuniam in ærarium referebant, donec popularem gratiam aucupantes tam ij quàm Tribuni plebis primò induxerant annonæ vilitatem, deinde gratis frumentum largiti ſunt. Liuius lib.31. *Ædiles frumenti vim ingentem, quod ex Africa Proconſul Scipio miſerat, quaternis æris populo cum ſumma fide & gratia diuiſerunt.* Nec in eo ſtetit vilitas annonæ. Idem lib.33. *Ædiles curules tritici centum millia binis æris populo diuiſerunt.* Plinius lib.18. cap. 3. *Manius Marcius Ædilis plebis primùm frumentum populo in modios aſſibus donauit. Minutius Augurinus, qui Sp. Melium coarguerat, farris pretium in trinis nundinis ad aſſem redegit, vndecimus plebei tribunus: qua de cauſa ſtatua ei extra portam Trigeminam à populo ſtipe collata ſtatuta eſt. Trebius in Ædilitate aſſibus populo frumentum præſtitit. Quam ob cauſam & ei ſtatuæ in Capitolio ac palatio dicatæ ſunt. ipſe ſupremo die populi humeris portatus in rogum eſt.* De lege frumentaria ſua annonaria Gracchi ſuo loco differemus. Poſtrema fuit lex Clodia. *Vt frumentum populo quod antea ſemis æris, ac trientibus in ſingulos modios dabatur, gratis daretur.* vt ait Aſconius in Piſonianam. Quod quid ſit non facilè intelligo. Si enim dicamus lege Gracchi frumentaria ſemiſſem & trientem in ſingulos modios fuiſſe perſolutum, cùm as vncias duodecim, ſemis ſex, triens quatuor contineret, mirum eſt hac circumlocutione vſum fuiſſe Ciceronem, cùm dicere poſſet dextantem, id eſt vncias decem quæ ſoluebantur in ſingulos frumenti modios, lege Clodiâ remiſſum fuiſſe. Sed fortaſſe, quòd verbi cauſa, triticum ſemiſſe, hordeum, lupinus, cicer, faba, & alia legumina, in ſingulos modios triente, & viliore quàm triticum pretio venderentur, ideo diſtinctam ſemiſſis & trientis facit mentionem. Quàm immanem verò pecuniam vectigalibus publicis lex illa Clodij detraxerit, præter quàm quod Noſter quintam prope partem vectigalium ſublatam fuiſſe dicit. hinc etiam liquet, quod Iulius Cæſar, confectis bellis ciuilibus, vt auctor eſt Tranquillus in Iulio cap.41. *Ex viginti trecentíſque millibus accipientium frumentum è publico ad centum quinquaginta retraxit.* Quòd ſi non capitum ſed familiarum dicamus, vt probabile eſt eam fuiſſe cenſionem, incredibilem

Decumæ frumenti.

Vilitas annonæ.

Lex Gracchi frumentaria.

Lex Clodia frumentaria.

Numerus eorum qui accipiebant frumentum publicum.

neceſſe eſt ſummam euadere, quæ necdum tamen quintam vectigalium populi Romani partem effecerit. Et verò non capita, ſed familias, in publicâ frumentatione cenſeri ſolitas is intelliget, qui legerit frumentum ſeruis non fuiſſe datum, ſed ciuibus. Perſius,

--Vt quiſque Velina
Publius emeruit, ſcabioſum teſſerula far
Poſſidet.

Idque tantâ copiâ, vt eo non ſolùm vitam ſuam, liberûm, totius familiæ tolerarent, ſed etiam poſſent aliis elargiri. Siquidem, vt ait Halicarnaſſeus libro Antiquitatum quarto. Quidam quos pudebat inopiam confiteri, ſeruos manumittebant, vt ij ſuo nomine frumentum acciperent, cuius parte patroni fruerentur. Νῦν δ' ἐλευθεροῦνται ἵνα τὸν δημοσίως διδόμενον σῖτον λαμβάνοντες κατὰ μῆνα, καὶ εἴ τις ἄλλη παρὰ τῶν ἡγεμόνων γίγνοιτο τοῖς ἀπόροις τῶν πολιτῶν φιλανθρωπία, φέρωσι τοῖς δεδωκόσι τὴν ἐλευθερίαν. *Nunc libertate donantur vt datum è publico frumentum quot menſibus accipientes, & ſi quid aliud ex Imperatorum humanitate pauperibus ciuibus conceditur, ſuis manumiſſoribus impertiant.* quamuis aliunde M. Antoninus & Verus Auguſti, *Puellas nouorum hominum frumentariæ perceptioni adſcribi præceperunt*, inquit Iulius Capitolinus. Ex quibus dubitare quis poſſit an in capita, non in familias frumentum daretur. Vide Milon. 48. Quantum autem vectigalibus ea lex decoxerit, hinc etiam fortaſſe colligi poteſt, quod præceſſerat ante tres annos quædam Senatus auctoritas, qua MCCL. talenta iam tollerentur. Plutarchus Catone Vticenſi, Κάτων φοβηθεὶς ἔπεισε τὴν βουλὴν ἀναλαβεῖν τὸν ἄπορον καὶ ἀνέμητον ὄχλον εἰς τὸ σιτηρέσιον. ἀναλώματος μὲν ὄντος ἐνιαυσίου χιλίων καὶ διακοσίων, καὶ πεντήκοντα ταλάντων. vertit Interpres. *Timens Cato auctor fuit Senatui vt inopem & turbulentam multitudinem frumenti congiario deliniret, in quam rem etſi impenderentur anno trecenties H-S.* &c. Malim. *Timens Cato auctor Senatui fuit, vt inopem multitudinem quæ petendi è publico frumenti ius ſiue teſſeram non habebat, ad frumentationem aſſumeret*, &c. Quæ largitio cùm & à nemine reprehendatur, & facta fuerit Ciceronis ipſius conſulatu, hinc ſuſpicari libet longè immaniorem eam profuſionem fuiſſe quam Clodio Noſter obiecit, immo & Conſulibus, qui eam in ſuo conſulatu permiſerant. Sed nec ſecutis temporibus hic ſtetit Imperatorum ſiue liberalitas, ſiue largitio. Neque enim frumentum menſtruum, ſed etiam certam pecuniam plebeculæ diuiſerunt. Philo de ſua ad Caium legatione, Auguſti tum in alios, tum maximè in Iudæos liberalitatem ita deſcribit. οὐ μὴν ἀλλὰ κἂν ταῖς μηνιαίαις τῆς πατρίδος διανομαῖς ἀργύριον ἢ σῖτον ἐν μέρει παντὸς τοῦ δήμου λαμβάνοντος, οὐδέποτε τοὺς δὲ Ἰουδαίους ἠλάττωσε τῆς χάριτος. ἀλλ' εἰ καὶ συνέβη τῆς ἱερᾶς ἑβδόμης ἐνεστώσης γενέσθαι τὴν διανομήν, ὅτε οὔτε λαμβάνειν, οὔτε

Imperatorũ largitiones.

διδόναι ἢ συνόλως τι πράττειν τῶν κατὰ βίον, καὶ μάλιστα τὸν πορισμὸν ἐφεῖται, προσετέτακτο τοῖς διανέμουσι ταμιεύειν τοῖς Ἰουδαίοις εἰς τὴν ὑστεραίαν τὴν κοινὴν φιλανθρωπίαν. *Veruntamen etiam in menſtruis patriæ diſtributionibus, Vniuerſo populo per partes argentum aut frumentum accipiente, nunquam Iudæos eâ gratia voluit eſſe priuatos. Sed ſi fortaſſe eueniret, vt inſtante ſacro Sabbatho ea diſtributio fieret, cùm neque accipere, neque dare, neque omnino quicquam eorum quæ ad vitam, præſertim mercaturam ſpectant, exercere permittitur, mandatum erat diribitoribus, vt commu- nem hanc largitionem in ſequentem diem Iudæorum cauſa reiicerent.*

Pecunia diſtribuebatur.

Flauius Vopiſcus in Aureliano tradit, *Aurelianum eo tempore quo proficiſcebatur ad Orientem bilibres coronas populo promiſiſſe, ſi victor rediret: & cùm aureas populus ſperaret, neque Aurelianus aut poſſet aut vellet, coronas eum feciſſe de panibus qui nunc ſiliginei vocantur, & ſingulis quibuſque donaſſe, ita vt ſiligineum ſuum quotidie toto ano ſuo & vnuſquiſque reciperet, & poſteris ſuis dimitteret. Nam idem Aurelianus & porcinam carnem populo Romano diſtribuit, quæ hodiéque diuiditur.* Zoſimus hiſtoriarum lib. 2. Luciani cuiuſdam facit mentionem Ὃς τοῦ χοιρείου κρέως τὴν χορηγὸς, ὃ τὸ δημόσιον ἐπεδίδου τῷ Ῥωμαίων δήμῳ. *Qui carnis porcinæ diſtributor erat, quæ publicis ſumptibus populo Romano diuidebatur.*

Caro porcina populo diſtributa.

Vopiſcus iterum in Aureliano. *Sciendum tamen illum congiaria ter dediſſe, donaſſe etiam populo Romano tunicas albas & manicatas ex diuerſis prouinciis, & lineas Afras, atque Ægyptias puras: ipſumque primum donaſſe oraria populo Romano, quibus vteretur populus ad fauorem.* Sed dies me deficiat, ſi extraordinaria Imperatorum congiaria velim expromere. ad ordinaria redeamus.

Item tunicæ & oraria.

Idem: *Statuerat & vinum gratuitum populo Romano dare, vt quemadmodum oleum & panis & porcina gratuita præberentur, ſic etiam vinum daretur. Sed multi dicunt Aurelianum ne id faceret [morte] præuentum. Alij à Præfecto prætorij ſui prohibitum, qui dixiſſe fertur, ſi & vinum populo Romano damus, ſupereſt vt & pullos & anſeres demus.* Sed quod Aurelianus Romæ facere animo deſtinarat, id Conſtantinus & cæteri deinde Imperatores Conſtantinopoli præſtiterunt. Georgius Codinus: Ἐφιλοτιμήσατο δὲ καὶ τῷ δήμῳ καθ' ἓν ἕκαστον ἔτος παρέχων αὐτοὺς, ἡμερησίους ὀνομάσας αὐτοὺς παλατίνους, τοὺς ἐκ τοῦ παλατίου χορηγουμένους, οἶνόν τε καὶ κρέας, καὶ ἔλαιον, καὶ σιτηρέσια τάξας, ὧν καὶ νῦν ἡ πόλις ἀπολαύει τῶν ὑπ' αὐτοῦ ῥιφέντων καλάμων φέρουσα τὰ γνωρίσματα.

Et vinum.

Nicolaus Borbonius vir doctiſſimus & humaniſſimus monuit me legendum, παρέχων ἄρτους. *Venditauit ſe plebi annuos ei panes præbens, quotidianos eos palatinos appellans qui ex palatio congiarium capiebant, vinum, carnes, oleum & frumentum conſtituens, quibus etiamnum vrbs fruitur proiectarum ab ipſo arundinum teſſeras exhibens.* Quam conſuetudinem vini diſtribuendi ſi primus induxit Conſtantinus, & non à maioribus accepit, mirum eſt id Iulianum, Zoſimum, & Eunapium tacuiſſe, cùm cæteroquin in eius largitiones grauiter inuehantur. Iulianus orat. de Cæſaribus, τὸν Κωνσταντῖνον ὁ Ἑρμῆς ἤρετο, Σὺ δὲ τί καλὸν ἐνόμισας; πολλὰ, εἶπε, κτησάμενον, πολλὰ χαρίσασθαι ταῖς τ' ἐπιθυμίαις ταῖς ἑαυτοῦ, καὶ ταῖς τῶν φίλων ὑπουργοῦντα. ἀνακαγχάσας οὖν μέγα ὁ Σειληνός· ἀλλ' ἢ τραπεζίτης θέλων εἶναι, ἐλελήθεις σεαυτὸν ὀψοποιοῦ καὶ κομμωτρίας βίον ἔχων; *Conſtantinum Mercurius interrogauit, Tu verò quid in vita optimum eſſe iudicaſti? Multa, inquit, poſſidentem multa largiri ſuis & amicorum cupiditatibus obſequentem. Tum clarè in riſum erumpens Silenus, Ecquid nummularius eſſe cupiens non aduertis te coci aut ornatricis vitam habere.* Zoſimus lib. 2. Μείνας δ' ἀπόλεμος καὶ τρυφῇ τὸν λοιπὸν βίον ἐνδοὺς διένειμε τῷ Βυζαντίῳ δήμῳ σίτησιν δημοσίαν, ἣν ἄχρι τοῦδε διέμεινεν ἔχων. *A bellis verò vacans, & reliquam vitam tradens luxuriæ, populo Byzantino frumentationem*

Largitiones Conſtantini.

publicam, quam ad hodiernum diem habere non deſtitit, diſtribuit. Clariùs Eunapius in Ædeſio diſtributionis huius faciens mentionem, populo ebrietatem obiecit. Ἡ μὲν Κωνσταντίνου πόλις τὸ ἀρχαῖον Βυζάντιον, κατὰ μὲν τοὺς παλαιοὺς χρόνοις Ἀθηναίοις παρεῖχε τὴν σιτοπομπίαν, καὶ πλεῖστον ἦν τὸ ἐκεῖθεν ἀγώγιμον· ἐν δὲ τοῖς καθ' ἡμᾶς χρόνοις οὐδὲ τὸ ἀπ' Αἰγύπτου πλῆθος τῶν ὁλκάδων, οὐδὲ τὸ ἐκ τῆς Ἀσίας ἁπάσης Συρίας τε καὶ Φοινίκης, καὶ τῶν ἄλλων ἐθνῶν συμφερόμενον πλῆθος σίτου, κατ' ἐπαγωγὴν φόρου, ἐμπλῆσαι καὶ κορέσαι τὸν μεθύοντα δύναται δῆμον, ὃν Κωνσταντῖνος τὰς ἄλλας χηρώσας πόλεις ἀνθρώπων, εἰς τὸ Βυζάντιον μετέστησε. καὶ πρὸς τοὺς ἐν τοῖς θεάτροις κρότοις παραβλυζόντων κραιπάλης ἀνθρώπων ἑαυτῷ συνεστήσατο, σφαλλομένων ἀνθρώπων ἀγαπήσας ἐγκώμια, καὶ μνήμην ὀνόματος τῶν μόλις ὑπὸ συνηθείας φθεγγομένων τοὔνομα. *Conſtantinopolis, olim Byſantium, prioribus quidem ſeculis magnam frumenti vim Athenienſibus ſubmittebat, vt quod inde aduehebatur etiam redundaret. Noſtris verò temporibus neque ex Ægypto onerariarum nauium multitudo, neque frumenti vis ex Aſia vniuerſa, Syria, Phœnice, aliíſque prouinciis nomine tributi deuecta explere poteſt aut ſatiare populum ebrietati vacantem, quem Conſtantinus alias vrbes ciuibus exhauriens Byſantium tranſcripſit, ſibíque plauſus theatrales ab hominibus crapula vinóque demerſis comparauit. Adeo ab hominibus ebrietate lapſantibus encomia, nominíſque ſui memoriam fieri ab iis qui vix ex conſuetudine nomen dicere poterant, expetebat.*

SEMISSIBVS ET TRIENTIBVS.] VI.
Hanc legem iam antè ferre voluerat Saturninus. Cornificius lib.1.ad Herennium §.21. *Cùm Luc. Saturninus legem frementariam de ſemiſsibus & trientibus laturus eſſet, Cæpio qui per id temporis Quæſtor vrbanus erat, docuit Senatum ærarium pati non poſſe largitionem tantam. Senatus decreuit ſi eam legem ad populum ferat, aduerſus Rempub. videri eum facere. Saturninus ferre cœpit. Collegæ intercedere. ille nihilominùs ſitellam detulit. Cæpio vt illum contra C. S. intercedentibus collegis, aduerſus Rempub. vidit ferre, cum viris bonis impetum facit, pontes diſturbat, ciſtas deiicit: impedimento eſt quò ſecius feratur lex. arceſſitur Cæpio maieſtatis.* Varro lib.4.de linguâ Latinâ. *Sextans ab eo quod ſexta pars aſsis: ſicut quadrans quod quarta, & triens tertia pars. ſe-* Semiſſes.
miſsis quod ſemi as, id eſt dimidium aſsis. Notat verò Feſtus Pompeius. *Semiſſem, ſemodium, ſe-* Trientes.
munciam ex Græco trahi, ſicut & alia nonnulla, quæ S litteram pro aſpiratione eorum habent, vt ἑπτὰ, *ſeptem,* ὕλη, *ſylua. Sic iſta ab eo quod illi dicunt* ἥμισυ *declinata eſſe.* Sed de ratione aſſis diuidendi plura dicemus in eam quæ eſt pro Rabirio Poſtumo.

AXIOMATA.

In magnis morbis magna vis omnium remediorum deſideratur.

Periculoſa eſt legum multitudo.

ARGVMENTVM.

Quatuor alias leges, ſiue quatuor legum capita, commemorat, quibus Clodius vel vexauit Rempub. vel conquaſſauit exteras nationes.

LVI. MITTO eam legem, quæ omnia iura religionum, auſpiciorum, poteſtatum, omnes leges, quæ ſunt de iure & de tempore legum rogandarum, vnâ rogatione deleuit. mitto omnem domeſticam labem: etiam exteras nationes illius anni furore conquaſſatas videbamus. lege tribunitiâ Matris Magnæ, Peſſinuntius ille ſacerdos expulſus, & ſpoliatus ſacerdotio eſt, fanúmque ſanctiſſimarum atque antiquiſſimarum religionum venditum, pecunia grandi, Brogitaro impuro homini, atque indigno illa religione: præſertim, cùm ea ſibi ille non colendi, ſed violandi cauſſâ appetiſſet: appellati Reges à populo, qui id nunquam ne à Senatu quidem poſtulaſſent: reducti exſules Byzantium, condemnati tum, cùm indemnati ciues è ciuitate eiiciebantur.

EXPLANATIO.

MITTO.] Quinta lex, de qua vide ſupra 24. & in Piſonem 9. 10. Ea autem lege qua Clodius legem Æliam & Fuſiam abrogauit, omnia iura religionum ait fuiſſe deleta, quia in legibus ferendis & comitiis habendis omne diſcrimen inter dies feſtos & profeſtos, faſtos & nefaſtos ſublatum eſt: auſpiciorum, quia augurum obnuntiatio, poteſtatum quia magiſtratuum interceſſio ſublata eſt. Atque hactenus de legibus, quibus Clodius lacerauit ipſam Remp. nunc ad eas, quibus iactauit exteras nationes delabitur.

LEGE TRIB.] Sexta lex, de qua oratio de Haruſp.reſp.28.29. conſulatur. vbi & Brogitarus Gallogræcus fuiſſe dicitur, & innuitur fuiſſe gener Regis Deiotari. Quis autem fuerit ille Sacerdos, qui lege Clodiâ expulſus eſt, diuinare non poſſum, niſi fuerit ipſe *Deiotarus Rex idem hominum Magnæque Sacerdos Matris,* quippe, qui, vt loco citato tradit Orator, eam aram *religione ſua caſtiſsimè tueretur.* Rem verò à tribus capitibus exaggerat, à cauſa impellente *pecuniâ grandi.* ab indignitate Brogitari. à fine propter quem Brogitarus illud ſibi ſacerdotium expetebat.

SANCTISSIMARVM.] Propter ſimulacrum Matris Magnæ è cœlo delapſum.

ANTIQVISSIMARVM.] Quæ vel à Mida, vel à Dardano originem habuerunt.

APPELLATI REGES.] Septima lex Clodij, de qua orat. de Haruſp. reſp. 29. *Deiotarum*

ſæpe a Senatu regali nomine dignum exiſtimatum, &c. *tu etiam Regem appellari cum Brogitaro iubes. ſed alter eſt Rex Iudicio Senatûs per nos, pecunia Brogitarus per te appellatus.*

REDVCTI EXVLES.] Hanc legem de reſtituendis exulibus Byſantinis perſpicuitatis cauſâ octauam numeramus, quamuis ex oratione pro Domo ad Pontifices non ignoramus Clodium vnâ eadémque lege de pluribus rebus retuliſſe.

INDEMNATI CIVES.] Ego & Luc. Lamia Eques Romanus.

NOTÆ.

I. Mater Magna. MATRIS MAGNÆ.] De Magna Matre vide Firmicum Maternum de myſteriis cap.5. Arnobium aduerſus gentes initio libri 5.& alios paſſim, quotquot vel contra Gentiles ſcripſerunt, vel pro Chriſtianis apologias ediderunt, & hiſtoricos pene omnes cum eius Romam aduectæ & Veſtalis Claudiæ faciunt mentionem. Item Lucretium lib.2.

II. PESSINVNTIVS.] Peſſinus vrbs Phrygiæ, de qua Ammianus lib.22. *Quidam figmento Deæ cœlitus lapſo* ἀπὸ τοῦ πεσεῖν, *quod cadere nos dicimus vrbem aſſeruere cognominatam. Alij memorant Ilum Trois filium Dardaniæ Regem locum ſic appellaſſe. Theopompus non Ilum id egiſſe, ſed Midam affirmat.*

Peſſinus. Herodianus lib.1.idem confirmat. Τὴν προσηγορίαν λαβεῖν τὸν τόπον ἐκ τοῦ πεσόντος ἀγάλματος ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ πρῶτον ἐκεῖσε ὀφθῆναι. *Locum ex eo nomen eſſe ſortitum, quod ſimulacrum è cœlo delapſum ibi primùm apparuerit.* Quid autem aut quale fuerit id ſimulacrum idem Herodianus ignorare ſe fatetur. Αὐτὸ μὲν τὸ ἄγαλμα διϊπετὲς, ὥς λέγουσιν, οὔτε δὲ τὴν ὕλην, οὔτε τεχνιτῶν ὅστις ἐποίησεν ἐγνωσμένων, οὐδὲ ψαυστὸν χειρὸς ἀνθρωπίνης. τοῦτο δὲ πάλαι μὲν ἐξ οὐρανοῦ κατενεχθῆναι λόγος εἴς τινα τῆς Φρυγίας χῶρον, Πεσινοῦς δ' ὄνομ' αὐτῷ. legerim οὔτε δὲ τῆς ὕλης. *Hoc quidem ſimulacrum à Ioue delapſum, vt aiunt, neque materia, neque artificibus, cognitis, & humanis manibus intactum. hoc olim delatum fuerunt in quemdam Phrygiæ locum, qui Peſinus appellatur.* Hæc ille concilians prophanis illis ritibus maieſtatem. magis ingenuè Liuius rem, vt erat, agnoſcit, lib. 9. decadis 3.

Simulacrum Matris Magnæ. *Legati Pergamum ad Regem venerunt. Is legatos comiter acceptos Peſſinuntem in Phrygiam deduxit. Sacrúmque iis lapidem, quem Matrem Deûm incolæ eſſe dicebant, tradidit.* Et clariùs Arnobius extremis penè libri ſeptimi verbis. *Allatum ex Phrygia nihil quidem aliud ſcribitur miſſum Rege ab Attalo, niſi lapis quidam non magnus, ferri manu hominis ſine vlla impreſſione qui poſſet, coloris furui atque atri, angulis prominentibus, inæqualis, & quem omnes hodie ipſo illo videmus in ſigno oris loco poſitum, indolatum & aſperum, & ſimulacro faciem minùs expreſſam ſimulatione præbentem.* Fabulam hinc manaſſe credo, quod Vranus quidam nomine, hoc ſimulacrum dederit & religionem induxerit, quemadmodum Palladium ab Vrano Scytha ex oſſibus Pelopis fabricatum de cœlo lapſum eſſe finxerunt. vt dicemus in Milonianam.

III. SANCTISSIMARVM.] Immò impuriſſimarum. cæteros omitto. Arnobius lib.4. aduerſus gentes exeunte. *Saltatur & Magna ſuis compta cum infulis Mater, & contra decus ætatis illa Peſinuntia Dindymene in bubulci vnius amplexu flagitioſa fingitur appetitione geſtire.* Et libro quinto ineunte horum ſacrorum occaſionem refert omni impuritate delibutam. vbi & harum religionum ritus ita deſcribit. *Quid enim ſibi vult illa pinus, quam ſemper ſtatis diebus in Deûm Matris intermittitis ſanctuario?* &c. *Quid lanarum vellera, quibus arboris colligatis & circumuoluitis ſtipitem?* &c. *Quid compti violaceis coloris, & redimiti arboris ramuli?* &c. Iulius Firmicus de myſt. cap. 28. *In ſacris Phrygiis, quæ Matris Deûm dicunt, per annos ſingulos arbor pinea ſcinditur, & in media arbore ſimulacrum iuuenis ſubligatur.* ſubdit de Iſidis & Proſerpinæ arboribus. deinde, *Quadrageſima verò nocte comburitur. Sed & illa alia ligna, quæ dixi, ſimilis flamma conſumit. Nam etiam poſt annum iſtorum lignorum rogum flamma depaſcitur.* Atque hæc Sacra non ipſi Romani per ſe, ſed per Gallos faciebant, & Magnæ Matris ſimulacrum aſino impoſitum deuehebant. Vide Lucianum & Apuleium in ſuis Aſinis, & è recentioribus Alciatum cum Minoë ſuo Interprete. Gabrias fabella 6. Sacra Matris Magnæ.

Ὤμοις ὄνος παρῆγεν ἀργυροῦν βρέτας,
Ὅπερ συναντῶν πᾶς τις αὖ προσεκύνει.
Humeris aſinus geſtabat ſimulacrum argenteum,
Quod vnuſquiſque occurrens adorabat.

Galli pectus plangebant. Arnobius lib. 5. *Quid pectoribus applodentes palmas paſſis cum crinibus Galli.* Sed nunquam finiero ſi ſingula velim exequi. Dionyſius Halicarnaſſeus libro ſecundo Antiquitatis Romanæ omnia penè paucis complexus eſt. Ἑορτή τε παρ' αὐτοῖς οὐδεμία μελανείμων, ἢ πένθιμος κοπετοὺς ἔχουσα καὶ θρήνους γυναικῶν ἐπὶ θεοῖς ἀφανιζομένοις. *Feſtum apud Romanos nullum luctuoſum, quod cum atra veſte, planctu & lamentis mulierum, ob Deos, qui diſparuerint, celebratur.* mox, Εἰς τινα κατὰ χρησμοὺς ἐπεισηγάγετο ἱερὰ, τοῖς ἑαυτῆς αὐτὰ τιμᾷ νόμοις ἅπασαν ἐκβάλλουσα τερθρείαν μυθικὴν, ὥσπερ τὰ τῆς Ἰδαίας ἱερά. θυσίας μὲν γὰρ αὐτῇ, καὶ ἀγῶνας ἄγουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος οἱ στρατηγοὶ κατὰ τοὺς τῶν Ῥωμαίων νόμους. ἱερᾶται δ' αὐτῆς ἀνὴρ Φρύξ, καὶ γυνὴ Φρυγία, καὶ περιάγουσιν ἀνὰ τὴν πόλιν οὗτοι μητραγυρτοῦντες. ὥσπερ αὐτοῖς ἔθος, τύποις τε περικείμενοι τοῖς στήθεσι, καὶ καταυλούμενοι πρὸς τῶν ἑπομένων τὰ μητρῷα μέλη, καὶ τύμπανα κροτοῦντες. Ῥωμαίων δὲ τῶν αὐθιγενῶν, οὔτε μητραγυρτῶν τις, οὔτε καταυλούμενος πορεύεται διὰ τῆς πόλεως ποικίλην ἐνδεδυκὼς στολὴν, οὔτε ὀργιάζων τὴν Θεὸν τοῖς Φρυγίοις ὀργιασμοῖς, κατὰ νόμον ἢ ψήφισμα βουλῆς. *Si qua ex oraculis ſacra induxerit, ea ſuis ipſius legibus obſeruat, omnem reiiciens ſuperſtitionem fabuloſam, vt in Sacris Idææ Matris apparet. Prætores enim ex populi Romani legibus ſacrificia & certamina quotannis celebrant. Huius verò ſacerdotio fungitur vir Phrygius, & mulier Phrygia, per totam vrbem, vt moris eſt Matris Magnæ ſimulacrum circumuehentes, ſigillis quibuſdam pectori appreſſis, ſubſequente tibiarum Matris Magnæ concentu, & ſtrepitu tympanorum. Romanorum verò indigenarum nemo neque vllus Matris Idææ ſimulacrum circumuehit, neque in veſte variâ, tibiis perſonantibus per vrbem incedit Phrygiis orgiis Deam venerans, ex lege aut Senatuſconſulto.* Herodianus lib. 1. Sacra Matris Magnæ fusè deſcribit. ſed adi.

ANTIQVISSIMARVM.] Suprà retulimus ex Ammiano harum religionum antiquitatem IV.
vſque ab Ilo Trois filio, aut etiam à Mida Phry-

giæ Rege deduci. Arnobius lib. 2. *Phrygiam Matrem cuius eſſe conditor indicatur, vel Midas, vel Dardanus.* Et cæteri quidem ſcriptores innuunt eius lapidem longè ante bellum Punicum ſecundum è cœlo decidiſſe. Appianus tamen refragatur in Annibalicis. Οἱ μὲν τὰ σιβύλλεια ἐπισκεπτόμενοι δέκα ἄνδρες, ἔλεγον ἐξ οὐρανοῦ τι ἐς Πεσινοῦντα τῆς Φρυγίας, ἔνθα σέβουσιν οἱ Φρύγες θεῶν μητέρα, πεσεῖσθαι τῶνδε τῶν ἡμερῶν, καὶ δεῖν αὐτὸ εἰς τὴν Ῥώμην ἐνεχθῆναι· μετ᾽ οὐ πολὺ δὲ πεσεῖν τε προσηγγέλθη, καὶ ἐς Ῥώμην ἐκομίσθη τὸ βρέτας. *Decemuiri inſpiciendis Sibyllinis oraculis præfecti, aliquid è cœlo in Peſſinuntem Phrygiæ, vbi Phryges Matrem Deorum colunt, illis diebus delapſurum eſſe, ídque Romam deferendum eſſe retulerunt. Non multò pòſt tempore cecidiſſe nunciatum eſt, & Romam perlatum eſt ſimulacrum.* Porro religionem Antiquitas vt commendet vide Piſonianam 85. *A te Iouis Velſuri fanum antiquiſſimum barbarorum, ſanctiſſimúmque direptum eſt.* vbi & de fano pauca dicemus.

Antiquitas religionũ Matris Magnæ.

V. VENDITVM.] Contra Romuli legem. Dionyſius lib. 2. Ἐκεῖνος οὔτ᾽ ὠνητὰς χρημάτων τὰς ἱερωσύνας, οὔτε κλήρῳ μερειστὰς, ἀλλ᾽ ἐξ ἑκάστης φράτρας ἐνομοθέτησεν ἀποδείκνυσθαι δύο τοὺς ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότας, τοὺς γένει τε προὔχοντας τῶν ἄλλων, καὶ ἀρετῇ διαφέρεις, καὶ χρημάτων περιουσίαν ἔχοντας ἀρκοῦσαν, καὶ μηδὲν ἠλαττωμένοις τῶν περὶ τὸ σῶμα, &c. *Ille legem tulit vt ſacerdotia, neque pecuniâ addicerentur, neque ſorte ducerentur, ſed vt ex vnaquaque tribu duo viri crearentur ſupra quinquageſimum annum ætate prouecti, qui præ cæteris nobilitate & virtute excellerent, quibus & ſufficiens eſſet res familiaris, & corpus nullâ parte mutilum.*

Sacerdotia neque venalia, neque ſorti obnoxia.

VI. IMPVRO.] Vt opponatur religionum ſanctitati, quæ caſtos ſacerdotes requirit. Maro 6. Æneidos.

Quinque ſacerdotes caſti dum vita manebat.

Præclarè Plato quarto de legibus. Τῷ μὲν ἀγαθῷ θύειν καὶ προσομιλεῖν ἀεὶ τοῖς θεοῖς, καὶ εὐχαῖς καὶ ἀναθήμασι, καὶ ξυμπάσῃ θεραπείᾳ θεῶν κάλλιστον, καὶ ἄριστον, καὶ ἀνυσιμώτατον πρὸς τὸν εὐδαίμονα βίον, καὶ δὴ καὶ διαφερόντως πρέπει. τῷ δὲ κακῷ τούτων τἀναντία πέφυκεν. ἀκάθαρτος γὰρ τὴν ψυχὴν ὅ γε κακός· καθαρὸς δὲ ὁ γ᾽ ἐναντίος· παρὰ δὲ μιαροῦ δῶρα οὔτ᾽ ἄνδρ᾽ ἀγαθὸν, οὔτε θεόν ἐστί ποτε τό γ᾽ ὀρθὸν δέχεσθαι, &c. *Viro bono ſacrificare Diis, & cum illis verſari, tum orationibus, tum donariis, tum omni Deorum cultu, & honeſtiſſimum & optimum, & vtiliſſimum eſt ad vitam beatam, & imprimis conueniens. Improbo autem omnia contraria. Impurus enim animo eſt omnis improbus, purus autem qui ei contrarius. Ab impuro autem munera accipere neque virum bonum, neque Deum decet.* Quam puritatem in ſuis ſacris etiam impuri ſpiritus exigebant. Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum.

Puritas in ſacris requiſita.

Ἡ δ᾽ ὑδρηναμένη καθαρὰ χροῒ εἵματ᾽ ἔχουσα
ἡ Πηνελόπη ἐπὶ τὴν εὐχὴν ἔρχεται. Τηλέμαχος δὲ
Χεῖρας νιψάμενος πολιῆς ἁλὸς εὔχετ᾽ Ἀθήνῃ.

Pura veſte nitens, & puro flumine lota
Penelope ad precationem accedit. Telemachus verò
Purgatis fluctu manibus dat vota Mineruæ.

Quod frequenter alij teſtantur. vt Perſius,

Hæc ſanctè vt poſcas, Tiberino in flumine mergis
Mane caput bis térque, & noctem flumine purgas.

Pulchrè Tertullianus ad vxorem huius puritatis neceſſitatem oſtendit. *Romæ quidem quæ ignis illius inextinguibilis imaginem tractant, auſpicia pœnæ cum ipſo dracone curantes de virginitate cenſentur. Achææ Iunoni apud Ægium oppidum virgo ſortitur: & quæ Delphis inſaniunt nubere neſciunt. Cæterùm viduas Africanæ Cereri aſſiſtere ſcimus, duriſſimâ quidem obliuione matrimonij adlectas. Nam manentibus in æternum viris non modò toro decedunt, ſed alias iis vtique ridentibus loco ſuo inſinuant, adempto omni contactu vſque ad oſculum filiorum. & tamen durante vſu perſeuerant, in tali viduitatis diſciplina, quæ pietatis etiam ſanctæ ſolatia excludit. Hæc diabolus præcipit, & auditur, prouocat nimirum Dei ſeruos continentia, quaſi ex æquo. O continentiam gehennæ ſacerdotem! Nam inuenit quomodo homines etiam boni ſectationibus perderet: & nihil apud eum refert, alios luxuriâ, alios continentiâ occidere.* Et paulò pòſt: *Sacerdotium viduitatis & celebratum eſt apud nationes pro diaboli ſcilicet æmulatione. Regem ſeculi Pontificem maximum rurſus nubere nefas eſt. Quantum Deo ſanctitas placet, cùm illam etiam inimicus affectat? non vtique vt alicuius boni adfinis, ſed vt Dei domini placita cum contumelia affectans.* Spartianus in Peſcennino Nigro. *Sacra quædam in Gallia quæ caſtiſſimis decernuntur, conſenſu publico celebranda ſuſcepit.* Quam corporis puritatem non ſolùm frequenti ablutione & caſtitate, ſed etiam cultu corporis exhibebant candidis veſtibus induti, cùm vel preces nuncuparent, vel feſta celebrarent. Horatius,

Dæmõ etiam puritatem à ſuis ſacerdotibus exigebat.

-diéſque feſtos Albatus celebret.

Perſius, *-negato*
Iupiter hæc illi, quamuis te albata negarit.
-puráque in veſte ſacerdos.

Albati precabantur.

A Marone lib. 12. deſcribitur. Et Penelope, καθαρὰ χροῒ εἵματ᾽ ἔχουσα precatur apud Homerũ. At in ſacris Magnæ Matris Galli variam veſtem geſtabant, quam *caſtam*, vt opinor, religionum earum ritu vocabant. Varro Eumenidibus à Nonnio citatus,

Nam quæ venuſtas hic adeſt gallantibus
Quam caſta veſtis?

Caſta quid?

Ad hanc puritatem referri poteſt, quod ne fœdæ voluptatis titillationibus pollruerentur, virilitatem ſibi teſtâ Samiâ demetebant. vt ex Catullo, Plinio & aliis paſſim compertum eſt. Adde quod panem etiam *Caſtum* vocabant, quo in iis ſacris veſcebantur. Arnobius libro 5. de ſacris Matris Magnæ. *Quid temperatus fabæ alimonia panis cui rei dediſtis nomen* CASTVS. Ad hanc fortaſſe ſacerdotum Cybeles caſtitatem Noſter alluſerit de Haruſp. reſponſis. *Quod cùm Deiotarus religione ſua caſtiſſimè tueretur.* Adeóque impurus homo Brogitarus, *indignus ea religione*, quæ tantam caſtitatem requirebat, non immeritò prædicatur. Tibullus lib. 2. eleg. 1.

Panis caſtus.

Caſta placent Superis: pura cum veſte venite,
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

Plutarchus opuſculo quod Pythia non verſibus det oracula. Ἡρακλέους ἱερόν ἐστιν ἐν τῇ Φωκίδι, καὶ νομίζεται τὸν ἱερώμενον ἐν τῷ ἐνιαυτῷ γυναικὶ μὴ ὁμιλεῖν. *Herculis fanum eſt in Phocide, & lex ne ei qui fuerit conſecratus, ius fáſque ſit toto anno cum muliere eſſe.*

APPELLATI REGES.] Senatus fuit Reges appellare. vide, quæ dicentur proxima ſectione.

AXIOMATA.

Non ſunt tradendæ religiones hominibus impuris, qui eas ſibi non colendi, ſed violandi cauſsâ appetunt.

Summa eſt perturbatio ſi reducantur exules condemnati, cùm indemnati ciues eiiciuntur è ciuitate.

ARGV-

ARGVMENTVM.

In nonam legem inuehitur, qua P. Clodius Ptolemæum Cypri Regem proſcripſit, eiúſque regnum & bona omnia per ſummam iniuriam publicauit.

LVII. REX Ptolemæus, qui, ſi nondum erat ipſe à Senatu ſocius appellatus, erat tamen frater eius Regis, qui, cùm eſſet in eadem cauſſa, iam erat à Senatu honorem iſtum conſecutus: erat eodem genere, iiſdem maioribus, eadem vetuſtate ſocietatis: denique erat Rex, ſi nondum ſocius, at non hoſtis: pacatus, quietus, fretus imperio populi Rom. regno paterno, atque auito, regali otio perfruebatur. de hoc nihil cogitante, nihil ſuſpicante, eiſdem operis ſuffragium ferentibus, eſt rogatum, vt ſedens cum purpura, & ſceptro, & illis inſignibus regiis præconi publico ſubiiceretur, & imperante populo Rom. qui etiam, bello victis regibus regna reddere conſueuit, Rex amicus, nullâ iniuriâ commemoratâ, nullis repetitis rebus, cum bonis omnibus publicaretur.

EXPLANATIO.

REX PTOLEMÆVS.] Rex Cypri frater Ptolemæi Regis Alexandriæ Clodium olim à piratis captum, vt auctor eſt Dio, redimere noluerat, vel vt ait Appianus, duo duntaxat ei talenta ſubmiſerat: quare infenſus Clodius, vt hanc Regis vlciſceretur tenacitatem, legem tulit qua eius regnum cum bonis omnibus publicauit. Operæpretium eſt videre quibus adiunctis Noſter facti atrocitatem exaggeret.

FRATER EIVS REGIS.] Ptolemæi Auletæ Regis Alexandrini. prima igitur circunſtantia ſumitur à genere, à fratre & maioribus.

PACATVS.] Alterum adiunctum, quod pacatus eſſet. nec vllam pop. Rom. intuliſſet iniuriam.

DE HOC NIHIL COG.] tertium adiunctum quod præter expectationem ea calamitas euenerit. minorem enim dolorem afferunt, quæ fuerint antè præuiſa.

EISDEM OPERIS.] tertia atrocitatis cauſa ſumitur à vilitate perſonarum, quæ de Rege ſuffragium tulerunt. Eaſdem operas ait, eoſdem operarios, qui videlicet alias Clodij leges ſuis ſuffragiis comprobarant. Clodius enim non honeſtos ciues, ſed ſeruos & operarios ex ergaſtulis vocabat in concionem.

VT SEDENS.] Inſtar ſerui venalitij: quamquam illi ſtabant vt plurimùm, non ſedebant in lapide, cùm ſub corona vendebantur. Noſter ſedentem maluit, vt eum pacatum & quietum fuiſſe oſtenderet.

QVI ETIAM BELLO.] à populi Romani in cæteros Reges clementiâ ſceleris Clodiani magnitudinem oſtendit.

NVLLIS REPETITIS REB.] Ad morem fetialium alludit. quo priuſquam bellum indicerent, iniurias acceptas commemorabant, & res ſuas repetebant, id eſt, ſuas querelas exponebant, poſtulabántque damnum ſibi illatum reſarciri.

NOTÆ.

1. A SENATV.] Senatus honoris cauſâ Reges & ſocios appellabat. pro Deiotaro. *Is Rex, quem Senatus hoc nomine ſæpè honorificentiſſimis decretis appellauiſſet.* De Haruſp. reſponſis, *Deiotarum ſæpè à Senatu Regali nomine dignum exiſtimatum,* &c. Cæſar lib. primo bellorum Gallicorum. *Quoniam tanto ſuo populíque Romani beneficio affectus, cùm in ſuo conſulatu Rex atque amicus à Senatu appellatus eſſet, hanc ſibi populóque Romano gratiã referret.* Vnde ſuperiore ſectione Noſter in Clodio reprehendit, quod eius rogatione fuerint *Appellati Reges à populo, qui id nunquam ne à Senatu quidem poſtulaſſent.* Tacitus lib. 4. annalium. *Repetitus ex vetuſto mos, miſſúſque è Senatoribus qui ſcipionem eburneum, togam pictam, antiqua Patrum munera daret, Regémque & ſocium, atque amicum appellaret.* Primùm huius moris veſtigium videre eſt apud Dionyſium Halicarnaſſeum lib. 5. antiquitatis Rom. Ἡ δὲ τῶν Ῥωμαίων βουλὴ μετὰ τὴν ἀπαλλαγὴν τῶν Τυρρηνῶν συνελθοῦσα ἐψηφίσατο, Πορσίνᾳ μὲν πέμψαι θρόνον ἐλεφάντινον, καὶ σκῆπτρον καὶ στέφανον χρύσεον, καὶ θριαμβικὴν ἐσθῆτα, ὑφ' ἧς οἱ βασιλεῖς ἐκοσμοῦντο. *Senatus Romanus digreßis Tyrrhenis conueniens decreuit vt Porſenæ ſella eburnea, item ſceptrum, & corona aurea cum veſte triumphali, qui Regum eſt ornatus, mitterentur.* De hoc more Agathias Scholaſticus 3. hiſt. Τήν τε πατρῴαν ἀρχὴν καὶ τὰ ταύτης παράσημα πρὸς βασιλέως Ῥωμαίων, ἧπερ ἐκ παλαιοῦ νενόμισται, δεδεγμένος. Ἔστι δὲ ταῦτα. στέφανος χρυσοῦς λιθοκόλλητος, καὶ χιτώνιον ποδήρες ὑπόχρυσον. πέδιλά τε κοκκοβαφῆ, καὶ μίτρα ὁμοίως χρυσῷ καὶ λίθοις πεποικιλμένη. χλαμύδα δ' ἁλουργῆ τοῖς βασιλεῦσι τῶν Λαζῶν οὐ θέμις ἀμπέχεσθαι. *Paternum regnum & eius inſignia ab Imperatore Romanorum, vt antiqui moris eſt, accipiens. Ea autem ſunt eiuſmodi. Corona aurea gemmis diſtincta, tunica talaris ſubaurata, calcei coccinei, & mitra ſimiliter auro gemmiſque intertexta. Chlamydem verò purpuream regibus Lazorum indui fas non eſt.* In quibus tamen iam pleraque vides à priſco more mutata. Quòd ſi non ſolùm Reges, ſed etiam ſocij dicerentur præter Regiæ dignitatis ornamenta, militiæ etiam inſignia mittebant, verbi cauſâ, annulos equeſtres, & fibulas tribunitias, phaleras, &c. Appianus in Libycis. Μασανάσσῃ δὲ Ῥωμαῖοι χαριστήρια τῆς συμμαχίας, στέφανόν τε ἀπὸ χρυσοῦ, καὶ σφραγῖδα χρυσῆν ἔπεμψαν, καὶ ἐλεφάντινον δίφρον, καὶ πορφύραν, καὶ στολὴν Ῥωμαϊκήν, καὶ ἵππον χρυσοφάλαρον, καὶ πανοπλίαν. *Maſaniſſæ Romani in gratiam cõmilitis,*

Reges appellabantur à Senatu.

Quæ munera Regibus mitterentur à Senatu.

coronam auream, annulum aureum, ſellam eburneam, purpuram, veſtem Romanam, equum aureis phaleris ornatum, & armaturam miſerunt. paulò aliter Liuius lib. 10. decadis 3. *Munera quæ legati ferrent Regi decreuerunt ſagula purpurea duo cum fibulis aureis ſingulis.* malim: *cum fibulis aureis, cingulis, & lato clauo tunicis, & equos duos phaleratos, bina equeſtria arma cum loricis: & tabernacula militaremque ſupellectilem, qualem præberi Conſuli mos eſt.* Eundem paulò antè Scipio Africanus, *Aurea coronâ, aurea paterâ, ſella curuli & ſcipione eburneo, togâ picta & palmata tunicâ*, donauerat. E quibus videas ab Imperatoribus nonnunquam appellatos fuiſſe Reges, quæ appellatio tum demum vim haberet cùm eam Senatus auctoritas comprobaſſet. Ptolemæus autem Auletes Alexandriæ Rex fuerat honorem iſtum conſecutus anno ſuperiore, Cæſare videlicet & Bibulo Conſulibus, vt innuit Cicero lib. 2. ad Attic. ep. 16. *Nam adhuc hoc* ἐπείζετο Pompeius, *ſe leges Cæſaris probare, actiones ipſum præſtare debere: agrariam legem ſibi placuiſſe; potuerit intercedi necne, nihil ad ſe pertinere: de Rege Alexandrino placuiſſe ſibi aliquando confici, Bibulus de cœlo tum ſeruaſſet, necne ſibi quærendum non fuiſſe.*

Munera Regibus ſociis à Senatu miſſa.

II. VETVSTATE SOCIETATIS.] Πᾶν τὸ ἀρχαιότητι διαφέρον αἰδέσιμον. *Venerabile eſt quicquid vetuſtate præſtat*, inquit Baſilius oratione priore de ieiunio. idque præſertim in amicitia ſiue ſocietate ſpectandum. vnde & parœmia,

Vetuſtas amicitiæ.

Et vinum vetus & veteres laudantur amici.

Quàm vetus autem fuerit populo Romano cum Ptolemæi maioribus ſocietas, liquet ex epitome Liuiana lib. 14. eam ad Pyrrhi tempora referente. qua tempeſtate, *Cum Ptolemæo Ægypti Rege ſocietas iuncta eſt.* & aliquantò pòſt, Annibale Italiam vaſtante, *Alexandriam ad Ptolemæum Cleopatrámque Reges M. Attilius, & M. Acilius legati ad commemorandam renouandámque amicitiam miſſi dona tulere: Regi togam & tunicam purpuream cum ſella eburnea: Reginæ pallam pictam cum amiculo purpureo.*

Vetuſtas ſocietatis cum Regibus Alexandriæ.

III. REGALI OTIO.] Vide quibus è fontibus & miſericordiam in Ptolemæum, & ſtomachationem in Clodianos deriuet. facit fortunæ prioris, pacis & otij regij mentionem, vt miſeratio magis excitetur, ex vtriuſque collatione fortunæ. infra 121. *Vt demonſtrata priſtina fortunâ, cùm ſe conuertiſſet, fletum etiam inimicis, atque inuidia excitaret.* Sic Ariſtides, commemoratâ priſtinâ Smyrnæ pulchritudine exclamat. Νῦν πάντα ἐν κόνει, μέμυκε μὲν ἐκεῖνος λιμὴν· οἴχεται δ' ἀγορᾶς κάλλη· κόσμοι δ' ἰδῶν ἀφανεῖς· γυμνάσια δ' αὐτοῖς ἀνδράσι καὶ παισὶ διέφθαρται. Ναοὶ δὲ οἱ μὲν κεῖνται, οἱ δὲ κατέδυσαν· ἡ δὲ πρὸς θέαν ὡραιοτάτη πόλεων, καὶ τῷ κάλλει ἐπώνυμος ἀνθρώποις ἅπασιν, ἀωρότατον θεαμάτων ἀποπέφανται κολωνὸς ἐρειπίων καὶ νεκρῶν. Ζέφυροι δ' ἐρήμην ἐπιπνέουσι. *Hæc omnia iacent in cinere, portus ille obſtructus eſt, perierunt fori ornamenta: viarum decora euanuerunt: gymnaſia cum ipſis viris pueriſque collapſa: templa partim iacent, partim hauſta ſunt: Iucundiſſima denique ſpectatu vrbs, & pulchritudinis apud omnes inſignis cognomento, iniucundiſſimum effecta eſt ſpectaculum ruinarum, & cadauerum tumulus. Nunc verò deſertam perflant Zephyri.* Hinc etiam Propheta ſuos threnos orditur. Verùm quoniam ſtomachatio eſt miſerationi contraria, & multi ſtomachabantur in Ptolemæum propter ſordes & auaritiam, oportuit huic etiam malo mederi: quare dixit regnum id paternum fuiſſe & auitum, & imperio pop. Romani fretum. Nam vt ait Ariſtoteles 2. Rhet. cap. 9. Μᾶλλον λυποῦσιν οἱ νεόπλουτοι, ἄρχοντες, διὰ τὸν πλοῦτον, ἢ οἱ ἀρχαιόπλουτοι. *Maiorem in ſe ſtomachationem excitant nouas diuitias poſſidentes, cùm propter diuitias ad magiſtratum peruenerint, quàm antiqui diuites.* Cæteræ item circunſtantiæ ad miſerationem faciunt, vt quòd fretus eſſet imperio populi Romani, quòd pacatus eſſet, quòd quietus, quòd nihil de eo ſuſpicaretur, nihil cogitaret. Quòd non populi Romani, ſed operarum & ſeruorum ex ergaſtulis eductorum ſuffragiis fuerit cum ſceptro & purpura publicatus. E quarum perſonarum Regis & ſeruorum comparatione magnus motus exiſtit. ſed opus non eſt in ſingulis immorari.

Miſeratio.

CVM PVRPVRA.] Propria Regum purpura, quos eam ob rem ἀγχλαίνοις Poëta non ignobilis 40. Dionyſ. appellat. IV.

Φαιδρὸν ἀλιχλαίνων ἐρυθαίνετο φᾶρος ἀνάκτων.

Splendidum purpureorum rubeſcebat pallium Regum.

Horatius, *purpureos tyrannos.* recentiores Græci ſuos Imperatores nomine ex vtrâque lingua conflato *Porphyrogennetos* nominabant. Hinc Iulianus Auguſtus cùm ad Imperium euectus purpuram indueret, mortem ſe purpuream capere dixit, illud Homericum vſurpans,

Purpura regia.

Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιά.

Purpurea excepit mors & vis efferà Parcæ.

ET SCEPTRO.] Regium inſigne. ſic Agamemnoni 3. Iliados, Ilione primo Æneidos, Priamo lib. 7. Latino 12. ſceptra tribuuntur. Homero, Σκηπτοῦχοι βασιλῆες. fuit verò ſceptrum ſcipio eburneus, cuius cacumini aquilæ ſpecies inſidebat. de quo ſupra 17. cùm de Conſulum inſignibus diceremus. V.

Sceptrum.

INSIGNIBVS REGIIS.] Sellâ curuli, togâ pictâ, tunicâ palmatâ, coronâ aureâ, de quibus paulò ante. de diademate §. ſequenti. VI.

PRÆCONI PVBLICO SVBIICER.] Tertullianus apologet. cap. 3. *Publicos lares in haſtario vectigales habetis. Sic Capitolium ſicut olitorium forum petitur, ſub eâdem voce præconis, ſub eâdem haſtâ: ſub eâdem annotatione Quæſtoris diuinitas addicta conducitur.* Herodianus libro 2. Κλέαρχός τις ἦν τὸ μὲν γένος Φρύξ, τῶν δημοσίᾳ ἀποδοτῶν ὑπὸ κήρυκι πεπρασμένων. *Clearchus erat genere Phryx, ex iis qui publicè, ſub præcone vendi ſolent.* Ita frequenter Cicero, Liuius, &c. VII.

Præconi ſubiici.

NVLLA COMMEM. INIVRIA.] Ad mortem fetialium & patris patrati potiſſimùm alludit, qui commemorabant iniurias priuſquam bellum indicerent. Dionyſius lib. 2. Εἷς μὲν ἐκ τῶν εἰρηνοδικῶν, ὃν οἱ λοιποὶ προχειρίσαιντο κεκοσμημένος ἐσθῆτι καὶ φορήμασιν ἱεροῖς, ἵνα διάδηλος ᾖ παρὰ τοὺς ἄλλους, εἰς τὴν τῶν ἀδικούντων παρεγίνετο πόλιν, σταθεὶς δὲ τοῖς ὁρίοις, τόν τε Δία, καὶ τοὺς ἄλλους ἐπεκαλεῖτο θεούς, μαρτυρόμενος ὅτι δίκας αἰτῶν ἥκει περὶ τῆς Ῥωμαίων πόλεως· ἔπειτα ὀμόσας ὅτι πρὸς ἀδικοῦσαν ἔρχεται πόλιν, &c. *Vnus autem è fetialibus quem cæteri elegerint, ſacris veſtibus & inſignibus, vt inter cæteros dignoſci poſſet, ornatus, eorum qui iniuriam fecerant adibat ciuitatem, & vbi primùm fines attigerat, Io-*

Fetiales.

Commemoratio iniuriæ.

nem & alios Deos inuocabat, obteſtans ſe venire res populo Romano raptas repetitum, deinde iurans ſe ad ciuitatem, quæ intulerit iniuriam accedere, &c. Vide locum, Plutarchum in Numa & quæſt. Romanis.

VIII. NVLLIS REP. REBVS.] Iidem res raptas repetebant. Arnobius lib. 2. aduerſus gentes. *Cùm paratis bella ſignum monſtratis ex arce, aut fetialia iura tractatis? per clarigationem repetitis res raptas?* Seruius initio decimi Æneidos. *Si quando homines vel animalia ab aliqua gente rapta eſſent populo Romano cum fetialibus, id eſt, Sacerdotibus qui faciendis fœderibus præſunt, proficiſcebatur etiam pater patratus, & ante fines ſtans clara voce dicebat belli cauſſam: & nolentibus res raptas reſtituere, vel auctores iniuriæ tradere, iaciebat haſtam, quæ res erat pugnæ principium, & ſic licebat more belli res rapere. Clarigatio autem dicta eſt aut a clara voce, qua vtebatur pater patratus, aut* ἀπὸ τοῦ κλήρου*, hoc eſt ſorte, nam per bellicam ſortem inuadebant agros hoſtium.* vide eundem 9. Æneidos.

Res repetebantur à feciali.

En, ait & iaculum intorquens immittit in auras,
Principium pugnæ.-

Varro lib. 2. de vita populi Rom. à Nonnio citatus. *Itaque bella & tardè & nullâ licentiâ ſuſcipiebant, quod bellum nullum niſi pium putabant geri oportere, & priùs quàm indicerent bellum iis, à quibus iniurias factas ſciebant, fetiales legatos res repetitum mittebant quatuor, quos oratores vocabant.* Plinius lib. 22. cap. 2. *Legati cùm ad hoſtes clarigatúmque mitterentur, id eſt, res raptas clarè repetitum, vnus vtique verbenarius vocabatur.* Nonnius. *Pignora facto fœdere iure repetebant.* E quibus gloſſarium emendes. *Clarigatio*, ἁρπαγὴ, ἐνεχυρασμός. leges, ἁρπαγῆς ἐνεχυρασμός. *id eſt, rei raptæ repigneratio.* paulò pòſt. *Clarigatio* ἐνεχυράσις, ὠνεία. Vide Gellium lib. 16. noct. Attic. cap. 4. ipſa indictionis eo verba ex Cinico referentem.

AXIOMA.

Grauior videri ſolet ea calamitas quæ nihil cogitanti, nihil tale ſuſpicanti euenerit.

ARGVMENTVM.

Exemplo humanitatis Romanæ erga cæteros Reges, nominatim erga Syriæ Regem Antiochum, & Tigranem Armeniæ legis Clodiæ de publicandis Ptolemæi bonis immanitatem oſtendit.

MVLTA acerba, multa turpia, multa turbulenta habuit ille annus: LVIII.
tamen illi ſceleri, quod in me illorum immanitas edidit, haud ſcio, an rectè hoc proximum eſſe dicam. Antiochum illum magnum, maiores noſtri, magna belli contentione, terrâ maríque ſuperatum, intra montem Taurum regnare iuſſerunt: Aſiam, qua illum multarunt, Attalo, vt is regnaret in ea, condonauerunt. Cum Armeniorum Rege Tigrane graue bellum, perdiuturnúmque geſſimus, cùm, ille iniuriis in ſocios noſtros inferendis, bello propè nos laceſſiſſet. hic & ipſe per ſe vehemens fuit, & acerrimum hoſtem huius imperij Mithridatem pulſum Ponto, opibus ſuis, regnóque defendit, & à Lucullo ſummo viro, atque Imperatore pulſus, animo tamen hoſtili cum reliquis copiis ſuis in priſtina mente manſit. hunc Cn. Pompeius, cùm in ſuis caſtris ſupplicem abiectúmque vidiſſet, erexit, atque inſigne regium, quod ille de ſuo capite abiecerat, repoſuit, & imperatis certis rebus regnare iuſſit: nec minùs & ſibi, & huic imperio glorioſum putauit, conſtitutum à ſe Regem, quam conſtrictum videri.

Tulit, geſſit, qui & ipſe hoſtis fuit populi Rom. & acerrimum ho- LIX.
ſtem in regnum recepit qui conflixit, qui ſigna contulit, qui de imperio pænè certauit, regnat hodie, & amicitiæ nomen, ac ſocietatis, quod armis violarat, id precibus eſt conſecutus, Ille Cyprius miſer, qui ſemper ſocius, ſemper amicus fuit, de quo nulla vnquam ſuſpicio durior aut ad Senatum, aut ad Imperatores noſtros allata eſt, viuus (vt aiunt) eſt, & videns cum victu, ac veſtitu ſuo publicatus. En, cur cæteri Reges ſtabilem eſſe ſuam fortunam arbitrentur, cùm, hoc illius funeſti anni perdito exemplo, videant, per Tribunum aliquem, & ſexcentas operas ſe fortunis ſpoliari & regno omni poſſe nudari.

EXPLANATIO.

ANTIOCHVM.] Epiphanem ſiue illuſtrem. de quo auſpiciis Luc. Scipionis Aſiatici ſuperato Appianus in Syriacis, Liuius decadis 4. lib. 6. & 7. Diodorus Siculus, & alij conſulantur.

TERRA.] Ad Thermopylas ab Acilio Conſule. vbi, vt ex Valerio Antiate colligit Liuius, XL. hominum millia ceciderunt. Rurſus circa Magneſiam, vbi *ad L. millia peditum cæſi à Luc. Scipione dicuntur, equitum quatuor millia, mille & quingenti capti, & quindecim cum rectoribus elephanti.*

MARIQVE.] Ad Myoneſum. vbi tradit Appianus vndetriginta naues Antiochi fuiſſe amiſſas. è quibus tredecim vnà cum vectoribus captæ ſunt. Romani tantùm duas amiſerunt. è quibus vides cur eum dicat Orator fuiſſe *magna belli contentione terra marique ſuperatum.*

INTRA MONTEM TAVRVM.] Hunc locum ſic exponit Gellius lib. 12. noct. Attic. cap. 13. *Intra montem Taurum ſic dicit, vt non ſignificet in monte Tauro, ſed vſque ad montem Taurum cum ipſo monte.* mox: *Intra montem, inquit, Taurum regnare iuſſerunt: quod non perinde eſt vt intra cubiculum dicimus: niſi videri poteſt id eſſe intra montem, quod eſt intra regiones quæ Tauri montis obiectu ſeparantur. Nam ſicut qui intra cubiculum eſt, is non in cubiculi parietibus, ſed intra parietes eſt, quibus cubiculum includitur, qui tamen ipſi quoque parietes in cubiculo ſunt: ita qui regnat intra montem Taurum, non ſolùm in monte Tauro regnat, ſed in iis etiam regionibus quæ Tauro monte clauduntur.* Hæc Gellius. Breuius, & fortaſſe clariùs. Permiſerunt Romani victo Antiocho, vt non ſolùm in ipſo monte Tauro, ſed etiam in omni trans Taurum Aſia regnum retineret, eáque tantum regni parte multarunt quæ cis Taurum erat.

ATTALO.] Pergami Regi. qui moriens populum Rom. fecit heredem.

CVM ARM.] Alterum Romanæ benignitatis exemplum.

DIVTVRNVMQVE.] Id per exaggerationem dictum videri poſſit. primo enim conflictu à Lucullo ſuperatus cum Pompeio Luculli ſucceſſore ne congreſſus eſt quidem.

INIVRIIS IN SOC.] Græcis, Cilicibus, Cappadocib. in Meſopotamiã per vim traductis, vt auctor eſt Plutarchus in Lucullo. Ii autem poſt Aſianum bellum, Antiocho intra montem Taurum regnare iuſſo in populi Romani ſocietatem conceſſerant.

ACERRIMVM HOSTEM.] Qui per annos XL. ſæpiùs victus, bellum ſæpiùs renouauit. vide paſſim hiſtoricos, & Noſtrum pro lege Manilia à §. 4. ad 27. Item pro Murena à 31. ad 35.

PVLSVS.] Cùm Lucullus dena peditum millia, equites mille educens centum Armeniorum peditum millia, & omnem penè equitatum interemit, cum Armenij Romanos multitudine vicies ſuperarent. Plutarchus.

INSIGNE REGIVM.] Diadema. Dio, Plutarchus, Appianus.

IMP. CERTIS REBVS.] Vt parte Cappadociæ & Syriæ, item Phœnice & Sophene, quas regiones inuaſerat, cederet, vt auctor eſt Dio. addit Plutarchus in Pompeio Galatiam: ex iiſque regionibus Tigranem ait non à Pompeio, ſed iam antè à Lucullo fuiſſe deiectum: eúmque à Pompeio ſex talentorum millibus fuiſſe multatum.

TVLIT, GESSIT.] Suſtulit abiectum ad pedes Pompeij diadema, geſſit capiti repoſitam manibus ipſius Pompeij. Lambinus ex veteri Codicum fide, legit, *Tigranes igitur qui & ipſe.* bene quidem ad ſenſum, ſed remotiùs à ſcripturâ. Audaciùs etiam Pantagathus legendum putat. *Albanus Rex:* ſed nec vlli nos apices eo deducunt, nec aut Oroëſes Rex Albanorum, aut Artoces Rex Iberorum, qui pacem obtinuerunt à Pompeio, Mithridatem in ſuum regnum receperant.

ILLE CYPRIVS.] Ptolemæus. Socium ſemper fuiſſe dicit, tum quia maiores eius hanc appellationem obtinuerant à Senatu, tum quia ſemper animo & voluntate fuerat ſocius, licet nondum hunc honorem fuiſſet conſecutus. Aduerte verò quàm ad miſerationem concinnata ſit oratio. Non regnum ait, ſed quod grauius eſt, Regem ipſum tanquam vile mancipium fuiſſe publicatum. Addit id viuo & videnti contigiſſe, quod eſt longè miſerabilius. Cum ſuo, inquit, victu & veſtitu, non cum ſuo regno & gaſis, quaſi nihil ei deinceps ad vitam tolerandam, nuditatémque tegendam ſuperfuturum eſſet.

EN CVR.] Epiphonema.

NOTÆ.

MVLTA ACERBA, MVLTA TVRP.] Meritò turpitudinem damno coniungit. in Piſonem 40. *Oppidorum turpis amiſſio.* I.

MAGNVM, MAIORES NOSTRI, MAGNA.] Non eſt nouum in eiuſmodi vocabulis ludere. Plautus prologo Amphitruonis. II.

Iuſtam rem & facilem eſſe oratum à vobis volo.
Nam iuſte ab iuſtis iuſtus ſum orator datus.
Nam iniuſta ab iuſtis impetrari non decet.
Iuſta autem ab iniuſtis petere inſipientia eſt.

Cato Cenſorius apud Gellium lib. 10. cap. 3. *Eáne fieri bonis, bono genere natis boni conſulitis?* Nec alio flexu Poëta,

Κεῖτο μέγας μεγαλωστί. -
Magnus proiectu magno iacet. - & alter,
-*Ingentem atque ingenti vulnere victum.*

MONTEM TAVRVM.] Vide Strabonem initio ſecundi Geographiæ, & lib. vndecimo. Sic, vt alios omittam, à Curtio lib. 7. deſcribitur. *Taurus ſecundæ magnitudinis mons committitur Caucaſo, à Cappadocia ſe attollens Ciliciam præterit, Armeniæque montibus iungitur: ſic inter ſe tot iuga velut ſerie cohærentia perpetuum habent dorſum.* Vide Dionyſium Alexandrinum in periegeſi à verſu 638. III. Mons Taurus.

PVLSVS.] Quantâ gloriâ pulſus fuerit Tigranes à Lucullo Plutarchus his verbis exponit; poſtquam denis Romanorum millibus trecenta Armeniorum millia deuicta fuiſſe, cæſis è Luculli exercitu quinque duntaxat, dixit. Σχεδὸν οὐδ' εἰκοστὸν, ἀλλ' ἔλαττον ἐγένοντο μέρος οἱ νικῶντες τῶν ἡττωμένων. *Victores vix ac ne vix quidem viceſima pars fuerunt eorum qui ſunt ſuperati.* Ῥωμαίων δ' οἱ δεινότατοι στρατηγοὶ, καὶ πλεῖστα πολέμοις ὡμιληκότες ἐπῄνουν μάλιστα τοῦ Λουκούλλου τὸ δύο βασιλεῖς τοὺς ἐπιφανεστάτους καὶ μεγίστους δυοῖ τοῖς ἐναντιωτάτοις, τάχει καὶ βραδυτῆτι καταστρατηγῆσαι. Μιθριδάτην γὰρ ἀκμάζοντα χρόνῳ καὶ τριβῇ κατανάλωσε, Τιγράνην δὲ τῷ σπεῦσαι συνέτριψεν ἐν ὀλίγοις τῶν πώποτε ἡγεμόνων τῇ μελλήσει μὲν Luculli victoria.

ἐνέργῳ, τῇ τόλμῃ δ' ὑπὲρ ὀσφοδρείας χρησάμενος. *Præſtantiſsimi quique Romanorum Imperatores & in re militari maximè verſati id in Lucullo magnoperè laudabant, quòd duos illuſtriſsimos & maximos Reges artibus planè contrariis tarditate & celeritate viciſſet. Mithridatem enim florentem & vigentem tempore, & cunctatione conſumpſit, Tigranem celeritate continuit. In paucis omnium temporum ducibus cunctatione efficaci, & audacia ad ſecuritatem vſus.* Adeo vt ſol nullam vnquam illuſtriorem victoriam ſpectaſſe diceretur.

IV. INSIGNE REGIVM.] Expoſui diadema, ex Dione, Plutarcho & Appiano. Sic autem à Curopalate lib. de officiis Palatij Conſtantinopolitani deſcribitur. Ὅπερ καλεῖται νῦν στέμμα, ὠνομάζετο πάλαι διάδημα. τοῦτο δ' ἦν βλαττίον μετὰ λίθων καὶ μαργάρων κατὰ τὸ τοῦ βασιλέως μέτωπον, κείμενον μὲν, δεδεμένον δ' ὄπισθεν περὶ τὸν ἐγκέφαλον, &c. ὃ δὲ νῦν καλεῖται διάδημα ἐλέγετο πάλαι ζώνη στρατιωτική. *Quòd nunc corona dicitur, antiquitùs vocabatur diadema. Hoc autem erat textile quoddam cum lapidibus pretioſis & gemmis regiæ fronti adiacens, retrò ad occiput alligatum,* &c. *Quòd autem nunc vocatur diadema olim dicebatur cingulum militare.* Diadema faſciam & quaſi coronæ redimiculum (Diadema.) fuiſſe ex eo liquet, quòd Pompeio, vt auctor eſt Valerius lib. 6. cap. 2. *Candida faſcia crus alligatum habenti, Fauonius, non refert, inquit, qua in parte corporis ſit diadema. Exigui panni cauillatione regias eius vires exprobrans.* Et Monime Mithridatis coniux, cùm is à Lucullo victus Matrem, ſorores & filias iuſſiſſet interfici, vt liberæ morerentur, Περισπάσασα τῆς κεφαλῆς τὸ διάδημα τῷ τραχήλῳ περιῆψε καὶ ἀνήρτησεν ἑαυτήν. ταχὺ δ' ἀπορραγέντος, ὦ κατηραμένον, ἔφη ῥάκος, οὐδὲ πρὸς τοῦτό μοι χρήσιμον ἔσῃ; κἀκεῖνο μὲν ἀπέῤῥιψε προσπτύσασα, τῷ δὲ Βακχίδῃ τὴν σφαγὴν παρέσχε. *Detractum è capite diadema collo circundedit, ſeque ipſam ſuſpendit. Quo celeriter rupto, ô maledicte, inquit, pannicule, nec ad hoc ſaltem mihi vſui eris? Et illud abiectum ſputo conſpurcauit, Bacchidæ verò iugulum præbuit.* Ita Plutarchus in Lucullo. Nec longè aliter illo de quo Valerius lib. 7. cap. 2. *Rex etiam ille ſubtilis iudicij, quem ferunt traditum ſibi diadema priuſquam capiti imponeret, retentum diu conſideraſſe ac dixiſſe: O nobilem magis, quàm fœlicem pannum? quem ſi quis penitus cognoſcat, quàm multis ſollicitudinibus, & periculis, & miſeriis ſit refertus, ne humi quidem iacentem tollere vellet.* (Diadema miſer pannicu-lus.)

V. QVI SIGNA CONTVLIT.] In Piſonem 49. *In Ægyptum venit, ſigna contulit cum Alexandrinis.* II. Æneidos.

Tu Tyrrhenum equitem collatis excipe ſignis. (Signa conferre.)

Seneca Thebaide,

-Signa collatis micant

Vicina ſignis.--

Liuius lib. 38. *Cum Annibale & Carthaginienſibus ſignis collatis in Africa bene ac fœliciter pugnaui.* & alibi frequenter.

SEMPER SOCIVS, SEMPER AMICVS.] VI.
Mox dicebat, *amicitiæ nomen ac ſocietatis.* in Piſonem 89. *Sexcentos ad beſtias amicos ſociósque miſiſti.* Eadem apud Græcos inter φίλοις & συμμάχοις diſtinctio.

VIVVS (VT AIVNT) EST ET VIDENS.] VII.
Terentius in Eunucho, actu 1. ſc. 1.

Et tædet, & amore ardeo, & prudens, ſciens
Viuus, vidénſque pereo, nec quid agam ſcio.

vbi Donatus, *Bene addidit videns, nam viuus perit qui etiam dormiens opprimitur; videns autem qui vigilans vim patitur & perit. nam videre pro vigilare poſuit. vt Virgil. quum de ſilentio,* lege Sileno *dicit,*

--Iámque videnti
Sanguineis frontem moris & tempora pingit.

Noſter pro Quintio 49. *Huic acerbiſsimum viuo videntique funus ducitur.* & omnium ni fallor elegantiſſimè Lucretius lib. 3. de Natura rerum.

Tu verò dubitabis, & indignabere obire (Viuus & videns.)
Mortua cui vita eſt prope iam viuo atque videnti?
Qui ſomno partem maiorem conteris æui?

Et lib. 5.

Et nemora ac montes gemitu ſiluáſque replebat
Viua videns viuo ſepeliri viſcera buſto.

Antiphon oratione quadam: Ἡμᾶς τε τοὺς τιμωροῦντας αὐτῷ ζῶν τε καὶ βλέπων φονέας αὐτοῦ φησὶν εἶναι. *Nos verò qui iniuriam eius vlciſcimur, viuus & videns ſui occiſores appellat.* Æſchines contra Cteſiph. Τὰ δέκα τάλαντα ὁρώντων, φρονούντων, βλεπόντων ὑμῶν ἔλαθον ὑφελόμενοι. *Decem talenta videntibus, ſentientibus, videntibus vobis furtim ſuſtulerunt.* Æſchilus Agamemnone,

Εἰ δ' οὖν τις ἀκτὶς ἡλίου νιν ἱστορεῖ
Καὶ ζῶντα καὶ βλέποντα.
At ſi quod illum ſolis adſpectat iubar
Viuum & videntem.

Apuleius apologiâ poſteriore. *Tibi à filio iam adulto acerbiores morſus viuenti, & videnti offeruntur.*

AXIOMATA.

Non minùs glorioſum eſt conſtitutum à ſe Regem, quàm constrictum videre.

Quidam amicitiæ nomen ac ſocietatis, quod armis violarant, id precibus conſequuntur.

ARGVMENTVM.

Inde bonorum Ptolemæi publicationem exaggerat. quod M. Catonem tam iniquæ rogationis executioni præfecerint, vt eum hoc prætextu ab vrbe remouerent, & tanti viri ſplendorem ſui ſceleris infamiâ macularent.

AT etiam eo negotio M. Catonis ſplendorem maculare voluerunt, LX. ignari quid grauitas, quid integritas, quid magnitudo animi, quid denique virtus valeret: quæ in tempeſtate ſæua quieta eſt, & lucet in tenebris, & pulſa loco manet tamen, atque hæret in patria, ſplendétque per ſe ſemper, neque alienis vnquam ſordibus obſoleſcit.

Non illi ornandum M. Catonem, ſed relegandum: nec illi committendum illud negotium, ſed imponendum putauerunt: qui in concione palam dixerint, linguam ſe euelliſſe M. Catoni, quæ ſemper contra extraordinarias poteſtates libera fuiſſet. Sentient, vt ſpero, breui tempore, manere libertatem illam: atque hoc etiam, ſi fieri poterit, eſſe maiorem, quòd cum Conſulibus illis M. Cato, etiam cùm iam deſperaſſet aliquid auctoritate ſua proficere poſſe, tamen, voce ipſa, ac dolore pugnauit, & poſt meum diſceſſum, iis Piſonem verbis, flens meum, & Reipub. caſum vexauit, vt illum hominem perditiſſimum, atque impudentiſſimum pæne iam prouinciæ pœniteret.

EXPLANATIO.

At etiam.] Res clara eſt, tantùm aduerte concinnitatem orationis variis antithetis, tropis & aliis tum verborum, tum ſententiarum figuris expolitæ: & locum moralem de virtutis natura pulcherrimum, quod demonſtrat quemadmodum Catonis virtus nullas ex Tribuni plebis & Conſulum ſcelere ſordes contraxerit.

Non illi.] Non honoris cauſſâ, ſed vt eo prætextu Catonem amolirentur, & ad tempus ex vrbe dimitterent, hanc ei procurationem detulerunt: nec illi tanquam amanti patriæ ciui committendum illud negotium, ſed tanquam ſeruo imponendum putauerunt.

Qui in conc.] A conſequentibus oſtendit quid in animo habuerint aduerſarij, cùm extraordinariam præturam Catoni mandauerunt, nimirum vt ei libertatem tollerent in extraordinarias poteſtates deinceps inuehendi, quod ſe feciſſe iactarunt.

Contra extraord.] Qui primùm Pompeio ne cum exercitu in Italiam rediret victo Mithridate, deinde Cæſari reſtiterat ne cum Galliis Illyricum obtineret.

Sentient.] Reditum Catonis improbis ciuibus comminatur, ex antecedentibus.

Qui oppreſſa Repub. libertatem retinuit, cùm iam deſperaret ſe proficere poſſe, multò liberior erit eadem reſtitutâ.

Sed hoc fecit Cato.

Ergo deinceps multo liberior erit.

Aſſumptionem probat ex eius oratione habita ad Piſonem.

Provinciæ poeniteret.] Doleret ſe lege Clodia adeptum eſſe Macedoniam prouinciam, eámque propemodum vellet deponere, vt me Rémque publicam tueretur.

NOTÆ.

I. Marci Catonis splendorem.] Non eſt opus ſingula quæ de Catonis laudibus, & vitæ ſplendore dici poſſent, ambitioſè corradere. Vide Senecam paſſim, Lucanum, Plutarchum, Dionem, Appianum. Salluſtius in Catilina. *Cato non diuitiis cum diuite, neque factione cum factioſo, ſed cum ſtrenuo virtute, cum modeſto pudore, cum innocente abſtinentiâ certabat: eſſe quam videri bonus malebat. Ita quo minùs gloriam petebat, eo magis adſequebatur.* Velleius Paterculus lib. 2. Cato, &c. *Homo virtuti ſimillimus, & per omnia ingenio Diis quàm hominibus propior: qui nunquam rectè fecit, vt facere videretur, ſed quia aliter facere non poterat.* Vnde illud Lucani 1. ciuilium.

Catonis virtus.

Pars victrix placuit ſuperis, ſed victa Catoni.

Gravitas.] Grauitas etiam in moribus laudatur, & lenitati tetricæque ſeueritati opponitur. Silius lib. 8. II.

Grauitas.

Læta viro grauitas, & mentis amabile pondus,
Et ſine triſtitia virtus, non ille rigoris
Ingratas laudes, & nubem frontis amabat.

Magnitudo animi.] Ariſtoteles 1. Rhetoric. cap. 9. Μεγαλοψυχία δὲ ἀρετὴ μεγάλων ποιητικὴ εὐεργετημάτων. *Magnanimitas eſt virtus magnorum effectrix beneficiorum.* & lib. 4. Ethic. Nicomach. cap. 3. Ἔοικε μεγαλοψυχία οἷον κόσμος τις εἶναι τῶν ἀρετῶν. *Videtur animi magnitudo quaſi virtutum eſſe ornatus.* In eóque præcipuè conſiſtit, vt neque honoris aurâ, neque periculorum metu, neque aduerſis aut proſperis ſe facilè moueri patiatur. Ariſtoteles ibidem. Μεγαλόψυχος οὔτ' εὐτυχῶν περιχαρὴς ἔσται, οὔτ' ἀτυχῶν περίλυπος. *Magnanimus neque rebus ſecundis gaudio effertur, neque aduerſis nimio dolore contrahitur.* Item: ᾧ καὶ τιμὴ μικρόν ἐστι, τούτῳ καὶ τἆλλα. *Cui honor paruus eſt, etiam cætera parua ſunt.* Hinc redundat illa libertas quam mox in Catone Noſter agnoſcit. Τὸν μεγαλόψυχον ἀναγκαῖον, καὶ φανερόμισον εἶναι καὶ φανερόφιλον. τὸ γὰρ λανθάνειν φοβουμένου. *Magnanimum neceſſe eſt & palam amare, & palam odiſſe. Latere enim timentis eſt.* III.

Magnitudo animi.

Virtus valeret.] Hunc locum Claudianus de Conſulatu Mallij Theodori præ oculis videtur habuiſſe. IV.

Virtus.

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſoláque latè
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus vllis
Erigitur, plauſúque petit clareſcere vulgi.
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Diuitiis animoſa ſuis, immotáque cunctis
Caſibus è celſa mortalia deſpicit arce.

In tempest. sæv. qvieta est.] Quam quatit, vt ait Lyricus lib. 3. carminum. V.

--neque auſter quatit
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Non fulminantis magna Iouis manus
Si fractus illabatur orbis,
Impauidam ferient ruinæ.

Lucet in tenebris.] Philo legum ſacrarum allegoria priore. Ὥσπερ, οἶμαι, ἀνατείλας ἥλιος τὸν ζόφον τοῦ ἀέρος φωτὸς ἀνέπλησεν, οὕτω καὶ ἀρετὴ ἀνατείλασα ἐν ψυχῇ τὴν ἀχλὺν αὐτῆς αὐγάζει, καὶ τὸν πολὺν σκότον σκεδάννυσι. *Quemadmodum ſol exoriens aëris obſcuritatem luce complet, ita virtus in anima exoriens, eius caliginem illuſtrat tenebráſque diſpergit.* Nazianzenus de ſuo in vrbem re- VI.

Virtus.

ditu. Ἔστι τι μύθῳ φυτὸν ὃ θάλλει τεμνόμενον, καὶ πρὸς τὸν σίδηρον ἀγωνίζεται. Καὶ εἰ δεῖ παραδόξως εἰπεῖν περὶ παραδόξου πράγματος, θανάτῳ ζῇ καὶ τομῇ φύεται, καὶ αὔξεται δαπανώμενον. ταῦτα μὲν ὁ μῦθος καὶ αὐτονομία πλάσματος· ἐμοὶ δὲ δοκεῖ σαφῶς τοιοῦτον εἶναί τι ὁ φιλόσοφος· ἐνευδοκιμεῖ τοῖς πάθεσι, καὶ ὕλην ἀρετῆς ποιεῖται τὰ λυπηρὰ, καὶ τοῖς ἐναντίοις ἐγκαλλωπίζεται. *Eſt quædam in fabulis planta, quæ abſciſſa floret, & cum ferro certat. Et ſi mirabiliter & præter opinionem de re mirabili loquendum eſt, morte viuit, & abſciſsione pullulat, & decremento augetur. Hæc quidem fabula & licentia fictionis: mihi verò manifeſtè videtur aliquid huiuſmodi ſapientiæ ſtudioſus. In calamitatibus reſplendet, & quæ moleſta ſunt & triſtia facit virtutis materiam, & rebus contrariis honeſtatur.* Laberius apud Macrobium.

Bona fama in tenebris proprium ſplendorem obtinet.

VII. Sordibvs.] Haud ſcio an illud ſimile ſit Diogenis Cynici epiſtola quadam ad Meleſippum. Διογένους μὲν ἐπλήχθη τὸ σῶμα ὑπὸ τῶν μεθυόντων, ἀρετὴ δ' οὐκ ᾐσχύνθη. ἐπεὶ μήτε κοσμεῖσθαι πέφυκεν, μήτ' αἰσχύνεσθαι ὑπὸ τῶν φαύλων. *Diogenis quidem corpus ab ebriis percuſſum eſt, virtus autem contumeliis affecta non eſt, quandoquidem neque ornari poteſt, neque obſoleſcere contumeliis improborum.*

Committendvm.] Vide Notas noſtras in Cœlianam. *Committeret.* 57. VIII.

Lingvam se evellisse.] Pro domo 22. *At litteras in concione recitaſti, quas tibi à Cæſare miſſas diceres,* &c. *Deinde gratulari tibi quod M. Catonem à tribunatu tuo remouiſſes, & quod idem in poſterum quærendi de extraordinariis poteſtatibus libertatem ademiſſes.* vide locum. IX.

AXIOMATA.

Virtus in tempeſtate ſæua quieta eſt & lucet in tenebris, &c.

Quibus extraordinaria poteſtas committitur, iis lingua euellitur, & libertas contra extraordinarias poteſtates inuehendi.

ARGVMENTVM.

Reddit rationem cur oblatam extraordinariæ præturæ poteſtatem, & iniquæ rogationis executionem ſibi commiſſam M. Cato admiſerit.

LXI. CVR igitur rogationi paruit? quaſi verò ille non in alias quoque leges, quas iniuſtè rogatas putaret, iam antè iurarit. non offert ſe ille iſtis temeritatibus, vt cùm Reipub. nihil proſit, ſe ciue Rempub. priuet. Conſule me, cùm eſſet deſignatus Tribunus plebis, obtulit in diſcrimen vitam ſuam: dixit eam ſententiam, cuius inuidiam capitis periculo ſibi præſtandam videbat: dixit vehementer: egit acriter: ea quæ ſenſit, præ ſe tulit: dux, auctor, actor rerum illarum fuit: non quòd periculum ſuum non videret, ſed in tanta Reipub. tempeſtate, nihil ſibi niſi de patriæ periculis cogitandum putabat.

EXPLANATIO.

Cvr igitvr.] Si hæc in contumeliam potiùs Catonis, quàm honoris cauſſâ fiebant, cur huic Clodiæ rogationi paruit, & mandatam ſibi ad deportandas Ptolemæi pecunias admiſit præturam?

Qvasi verò.] Reſpondet quæſtioni per ironiam. Vult dicere. Non mirum eſt Catonem Clodiæ rogationi paruiſſe, cùm in alias quoque leges quas iniuſtè rogatas putabat, vt in legem agrariam Cæſaris de agro Campano diuidendo contra Bibuli Collegæ obnuntiationem & auſpicia perlatam, iam antè iurarit.

Non offert.] Non eſt adeo temerarius, vt ſine cauſa & ſpe vtilitatis velit periculo ſuam vitam exponere. Quod ne timiditati potiùs & ignauiæ, quàm virtuti tribuere videatur, exempla ſubdit, quibus Catonis virtus & fortitudo eluxit, cùm res & Reip. commodum exegit, vt vitæ periculum adiret.

Consvle me.] Dixit ſententiam vt in coniuratos legibus ageretur, iíque capite plecterentur: ex qua ſententia eam inuidiam redundaturam eſſe ſentiebat, quam capitis periculo præſtare deberet, & ſuſtinere, id eſt vitam fortunáſque ſuas in diſcrimen adducere, niſi ſe rectè & ex Reipub. rationibus ſententiam dixiſſe probare poſſet.

Illarvm rervm.] Illius Senatus Conſulti, quo Cethegus, Lentulus, & alij coniurati fuerunt in carcere iugulati.

NOTÆ.

Rogationi.] Legi ſiue potiùs priuilegio quo mandabatur ipſi nominatim Cyprus Prouincia. Eſt enim rogatio, vt alibi poſt Gellium explicamus, dicta quod plebs aut populus rogetur, vt aliquid velit iubeatve. *Totius huius rei iuriſque ſiue cùm populus, ſiue cùm plebs rogatur*, ſiue quod ad ſingulos, *ſiue quod ad vniuerſos pertinet caput ipſum & origo. Et quaſi fons rogatio eſt.* addidi, *ſiue quod ad ſingulos*, re ita exigente. I. Rogatio.

Inivste rogatas.] Multis de cauſſis leges iniuſtè rogari potuerunt. 1. Si rogator legitimam poteſtatem non haberet. Eam non habuit Clodius, cùm reuera Tribunus plebis non fuerit, neque plebeius. vt pro domo à §. 34. ad 43. oſtenditur. 2. Si rogatio verè lex non eſſet, ſed priuilegium. ibidem 43. *Vetant leges Sacratæ vetant duodecim tabulæ leges priuatis hominibus irrogari: id eſt enim priuilegium.* Atque mox II.

I ii.j

Quibus de cauſſis leges iniuſtè rogabantur.

diceetur de ipſo Catone, erat nominatim rogatum. Verùm ex hoc capite non arbitror iniuſtam rogationem ſemper fuiſſe: iure enim rogatum fuit vt Cicero rediret, vt Pompeius imperium maris & inſularum contra piratas, vt Aſiam contra Mithridatem obtineret, &c. Quare non arbitror legibus ſacratis, aut XII. tabulis omnia priuilegia prohiberi, ſed ea tantùm quæ damno vel probro eſſent certis ciuibus nominatim. 3. Si contra auſpicia, vt Ioue tonante. 4. Si contra interceſſionem Tribunorum plebis. 5. Si diebus nefaſtis quibus cum populo agi non licebat. 6. Si per vim rogaretur. 7. Si trinundinum in eius promulgatione non eſſet ſeruatum. quæ omnia ex eadem oratione conſtant. 8. Si ante lucem rogaretur, ὑπ' ὄρθρον, verba ſunt Dionis lib. 39. ἐκ τῶν νόμων πρὶν πρώτην ὥραν ἐξεῖναι ἐν τῷ δήμῳ τι χρηματισθῆναι. *Cùm legibus non liceret ante horam primam cum populo agere.* poſſent & aliæ proferri rationes, ſed hæc hactenus.

III. Iurare in legem.

IVRARIT.] Supra 37. *Vnus in legem per vim latam iurare noluerat.* Vbi diximus *iurare in legem* eſſe iurare ſe legi obtemperaturum, quemadmodum iurare in verba alicuius, eſt iurare ſe alicuius iuſſis pariturum. Petronius Satyrico. *Itaque vt duraret inter omnes tutum mendacium, in verba Eumolpi ſacramentum iurauimus, vri, vinciri, verberari, ferróque necari, & quicquid aliud Eumolpus iuſſiſſet, tanquam legitimi gladiatores corpora animáſque religioſè addicimus.* Statius 4. Siluarum 1.

Omnia iuſſiſti componere bella, nouique
In leges iurare fori. -

IV. TEMERITATIBVS.] Quid ſit temeritas explicatum eſt in Piſonem §. 39. n. 5.

V. SE CIVE REMP. PRIVET.] Hæc ipſa eſt ratio quam attulit Noſter vt Catonem ad iurandum in Cæſaris leges adduceret. Εἰ μὴ Κάτων τῆς Ῥώμης, ἀλλ' ἡ Ῥώμη δεῖται Κάτωνος. *Si Cato non indiget Româ, at Roma indiget Catone.* Dio 38. iuraſſe eum, Metellum Celerem, & Fauonium ait. ὅτι μάτην ζημιωθήσεσθαι ἔμελλον μηδὲν ἐκ τῆς ἰσχυρογνωμοσύνης σφῶν τὸ κοινὸν ὠφεληθήσεσθαι. *propterea quòd ipſis ſua conſtantia detrimento futura erat, nulli emolumento Reipublicæ.*

VITAM SVAM.] Rem Plutarchus & alij fusè deſcribunt. iure periculi vitæ facit mentionem. Nam, vt ait Ariſtoteles Ethic. Nicom. 3. cap. 7. Κυρίως λέγεται ἀνδρεῖος ὁ περὶ τὸν καλὸν θάνατον ἀδεὴς, καὶ ὅσα θάνατον ἐπιφέρει ὑπόγυια ὄντα. *Propriè vocatur fortis, qui circa mortem honeſtam timore vacuus eſt, & ea quæ mortem adferunt, cùm vicinà ſunt.* Capite 9. ὁ θάνατος καὶ τὰ τραύματα λυπηρὰ καὶ ἀνδρείῳ, καὶ ἄκοντι ἔσται· ὑπομένει δ' αὐτὰ ὅτι καλὸν, καὶ ὅτι αἰσχρὸν τὸ μή. *Mors & vulnera dolorem adferent viro forti etiam nolenti: ſed ea ſubit quia honeſtum eſt, & turpe eſt non ſubire.* VI. Fortitudo.

PRÆSTANDAM.] Supra 38. *Ea conditione geſſeram vt meum factum ſemper omnes præſtare tueríque deberent.* lib. 16. ad Atticum ep. 7. *Si te auctore quid debet qui conſilium dat, præſtare præter fidem.* pro Manilia 47. *Reliquum eſt vt de fœlicitate, quam de ſe ipſo præſtare nemo poteſt, meminiſſe & commemorare de altero poſſumus, ſicut æquum eſt homini, de poteſtate Deorum, timidè & pauca dicamus.* 170. *Pericula facilè, vt hominem præſtare oportet, innocentià tecti pellemus.* VII.

AXIOMATA.

Stultum eſt te offerre iis temeritatibus, vt cùm Reipub. nihil proſis, te ciue Rempublicam priues.

Vir fortis cauſsâ exigente dicet aliquando eam ſententiam, cuius inuidia a capitis periculo ſibi præſtandum videt.

In magnâ Reip. tempeſtate nihil niſi de patriæ periculis cogitare debemus.

ARGVMENTVM.

M. Catonem laudat à rebus geſtis in ſuo Tribunatu, vt huic etiam Catonem oſtendat non metu mortis, ſed amore Reipub. & certâ ratione rogationi Cypriæ paruiſſe.

LXII. CONSECVTVS eſt ipſius Tribunatus. quid ego de ſingulari magnitudine animi eius, ac de incredibili virtute dicam? meminiſtis illum diem, cùm templo à collega occupato, nobis omnibus de vita eius viri, & ciuis timentibus, ipſe animo fortiſſimo venit in templum, & clamorem hominum, auctoritate, impetum improborum, virtute ſedauit. adiit tum periculum, ſed adiit ob cauſſam: quæ quanta fuerit, iam mihi dicere non eſt neceſſe. At ſi iſti Cypriæ rogationi ſceleratiſſimæ non paruiſſet, hæreret illa nihilominùs in Repub. turpitudo. Regno enim iam publicato, de ipſo Catone erat nominatim rogatum. quod ille ſi repudiaſſet, dubitatis, quin ei vis eſſet allata, cùm omnia acta illius anni per illum labefactari viderentur?

EXPLANATIO.

QVID EGO.] Aliud animi magnitudinis exemplum. Q. Metellus Nepos Tribunus plebis legem laturus de Pompeio, cum exercitu ex Aſia reuocando ad ſtabiliendam Rempublicam, templum Caſtoris, cum ſeruis & gladiatoribus occuparat. Cato item Tribunus plebis in templum irrupit: inter Cæſarem Prætorem, & Metellum Tribunum medius conſedit, præconi legem recitare prohibuit, Metello ipſi legem recitare paranti codicem de manibus extorſit, Minutio Thermo item Tribunoplebis os Metelli manu obturante, ne vel

ex memoria diceret. quo facto Cato penè occiſus eſt, niſi Murena Conſul obſtitiſſet. Plutarchus in Catone, Dio, & alij.

A COLLEGA.] Metello Nepote Catonis in tribunatu collega.

ADIIT OB CAVSAM.] Quia metuebat ne ſi Pompeius cum exercitu rediret ad componendam Rempub. ipſe tyrannidem occuparet. Hanc tamen cauſam prudenter tacet Orator, veritus offenſionem Pompeij.

AT SI ISTI.] Duo hîc oſtendit. alterum, nihil vtilitatis ſperari potuiſſe, ſi Cato Cypriæ rogationi obſtitiſſet, nec voluiſſet mandatam ſibi poteſtatem admittere. alterum, Catoni vim inferendam, & exilium, perinde ac Tullio, irrogandum fuiſſe ſi ei legi parere noluiſſet. E quibus effici poteſt huiuſmodi ſyllogiſmus.

Vir fortis vitam ſuam & ſalutem, ſine cauſa periculis non exponit.

Sed Cato eſt vir fortis.

Ergo non debuit ſine cauſa ſalutem ſuam exponere.

Priùs illud probat, quia etiamſi parere noluiſſet, nihilominus iam contracta labes erat, & regnum Ptolemæi iam publicatum: ergo hanc ſceleris infamiam non potuiſſet amouere, poſterius probat à ſeditionibus illius anni quo Clodius vim omnibus inferebat.

NOTÆ.

I. VIRI ET CIVIS.] Alia virtus eſt boni viri, alia boni ciuis, in Vatinium 40. *Eum laudare & boni viri, & boni ciues conſueuerunt.* vide Notas. Quid ſit templum, vide eadem oratione §.5. & 10.

II. CLAMOREM HOMINVM AVCTORITATE.] Pro Milone 59. *Dixitque in turbulentâ concione, quæ tamen huius auctoritate placata eſt.* Vbi multis oſtendimus quanta Catonis & aliorum quorundam fuerit in placandis hominum clamoribus & turbulentis concionibus auctoritas.

III. ADIIT OB CAVSAM.] Bene. nam niſi honeſta cauſſa ſubſit adeundi periculi nulla eſt fortitudo. Ariſtoteles, ὁ μὲν ἃ δεῖ, καὶ οὗ ἕνεκα ὑπομένων, καὶ ὡς δεῖ, καὶ ὅτε, ὁμοίως δὲ καὶ θαῤῥῶν ἀνδρεῖος. *Fortis eſt qui quæ & cuius cauſſa oportet, quemadmodum & quando oportet, tolerat, ſimiliter autem & confidit.* ita lib.3. Ethic. cap.7. & rurſum cap.8. Δεῖ οὐ δι' ἀνάγκην ἀνδρεῖον εἶναι, ἀλλ' ὅτι καλόν. *Fortem eſſe oportet non propter neceßitatem, ſed quia honeſtum eſt.* E quibus infert nullam in belluis fortitudinem inueniri. Οὐκ ἔστιν ἀνδρεία ὑπ' ἀλγηδόνων καὶ θυμοῦ ἐξελαυνόμενα πρὸς τὸν κίνδυνον ὁρμᾶν, οὐδὲν τῶν δεινῶν προορῶντα. *Non eſt fortitudo doloribus aut iracundiâ ſtimulante in pericula ſe immittere, nihil eorum quæ grauia ſunt præuidendo.* Nec id Noſter omiſit. *Non quod periculum ſuum non viderit,* &c. Item: Ἀνδρείου δὴ τὰ φοβερὰ ἀνθρώπῳ ὄντα καὶ φαινόμενα ὑπομένειν ὅτι καλὸν καὶ αἰσχρὸν τὸ μή· διὸ καὶ ἀνδρειοτέρου δοκεῖ εἶναι τὸ ἐν τοῖς αἰφνιδίοις φόβοις ἄφοβον, καὶ ἀτάραχον εἶναι, ἢ ἐν τοῖς προδήλοις, &c. *Viri fortis eſt ea quæ homini terribilia ſunt & videntur perpeti, quia honeſtum eſt & turpe non perpeti. quare fortioris videtur eſſe in repentinis terroribus, quàm in præuiſis metu & perturbatione vacuum eſſe.* Bernardus 1. de conſideratione. *Vides fortitudinis matrem eſſe prudentiam: nec fortitudinem, ſed temeritatem eſſe quemlibet auſum, quem non parturiuit prudentia.* Animi magnitudo.

TVRPITVDO.] Ea rogatio turpis fuit. *Ptolemæo Rege fœderato nobis & ſocio, ob ærarij noſtri anguſtias iuſſo ſine vllâ culpâ proſcribi.* vt ait Ammianus Marcellinus lib. 14. Adſtipulatur Sextus Rufus in Breuiario.

AXIOMATA.

In ſeditione populari clamor hominum auctoritate, impetus improborum virtute ſedandus.

Adeundum aliquando periculum, ſed adeundum ob cauſſam.

ARGVMENTVM.

Subiungit alias rationes, cur Marcus Cato legationem ad exportandas Cyprij Regis pecunias ſibi lege Clodiâ nominatim delatam ſuſceperit.

LXIII. ATQVE etiam hoc videbat, quoniam illa in Repub. macula regni publicati maneret, quam nemo iam poſſet eluere: quod ex malis boni poſſit in Repub. prouenire, id vtilius eſſe per ſe conſeruari, quàm per alios. Atque ille etiam ſi alia quapiam vi expelleretur illis temporibus ex hac vrbe, facilè pateretur. etenim qui ſuperiore anno Senatu caruiſſet, quo ſi tum veniret, me tamen ſocium ſuorum in Repub. conſiliorum videre poſſet: is æquo animo tum, me expulſo, & meo nomine cùm vniuerſo Senatu, tum ſententiâ ſuâ condemnatâ, in hac vrbe eſſe poſſet? ille verò eidem tempori, cui nos, eidem furori, eiſdem Conſulibus, eiſdem minis, inſidiis, periculis ceſſit; luctum nos hauſimus maiorem, dolorem ille animi non minorem.

EXPLANATIO.

ATQVE ETIAM HOC VIDEBAT.] Alteram adfert rationem: quia voluit acerbam & iniquam Clodij rogationem ſua lenitate, & iuſtitia mitigare, & ſimul prodeſſe Reipub. neque permittere, vt alius eam procurationem ſuſcipiens publicatas Ptolemæi pecunias depecula-

retur,& in proprios vſus deflecteret.

QVAM PER ALIOS.] Videtur neſcio quid deeſſe. Quid enim vtilius conſeruari per Catonem, quàm per alios? An quis videbat fore vt alij plagam ſuis rapinis & auaritia magis exacerbarent, ipſe iuſtitia ſua & humanitate leniret? An potiùs legendum, *Id vtilius eſſe per ſe conſeruari quam per alios diripi.* vel quid ſimile?

ATQVE ILLE.] Tertia ratio, qua demonſtrat Catonem non tam periculi ſui metu, quàm amore Reipub. Cypriæ rogationi paruiſſe, quia videlicet idem timebat, quod timuerat Cicero ne ſuâ cauſâ boni cum improbis confligerent, & ita Reip. periculum accerſeret.

ET MEO NOMINE.] Ciceronis nomine Senatus vniuerſus & Cato præſertim damnatus eſt, dum eiectus eſt Cicero non alio crimine, quàm quod Senatuſconſulto ſecundum Catonis ſententiam facto paruiſſet.

NOTÆ.

I. MACVLA.] Vel ipſam iniuſtitiam intelligit: quo ſenſu Syneſius homiliâ de natiuitate Domini. Δυσέκνιπτον τὸ μετὰ κάθαρσιν μόλυσμα. *Difficulter elui poteſt macula poſt purgationem contracta.* Vel infamiam ex iniuſtitiâ ſuſceptam. vt apud Ciceronem & alios ſcriptores paſſim. Macula.

II. EIDEM TEMPORI.] Cedendum nonnunquam tempori docent ſapientes. Vide Milonianam §.2. *Cederem tempori.* & interim audi Æſchinem de falsâ legatione. Τοῖς γὰρ καιροῖς συμπεριφέρεσθαι ἀνάγκη πρὸς τὸ κράτιστον, καὶ τὸν ἄνδρα καὶ τὴν πόλιν. τὸν δ' ἀγαθὸν σύμβουλον τί χρὴ ποιεῖν; οὐ τῇ πόλει πρὸς τὸ παρὸν τὰ βέλτιστα συμβουλεύειν; τὸν δὲ πονηρὸν κατήγορον τί χρὴ λέγειν; οὐ τοὺς καιροὺς ἀποκρυπτόμενον τῆς πράξεως κατηγορεῖν; *Tempori enim ſeruire, & cum eo circumferri neceſſe eſt, & ſingulos, & ipſam ciuitatem. Ei igitur qui bene vult conſulere Reipub. quid eſt faciendum? Nónne ad maximum quódque Reipub. commodum accommodare conſilia debet rebus præſentibus? Calumniatorem verò quid dicere par eſt? nónne ſine vlla ſtatus rerum præſentis & temporum mentione accuſare ipſas actiones.* In eo tamen ſeruanda eſt iſta præſcriptio, ne dum tempori ſeruimus, inconſtantiæ & perfidiæ ſeruiamus. Quare præclarè Plutarchus in Laconicis. Λεωτυχίδας ὁ πρῶτος, λέγοντός τινος ὡς ἐστὶν εὐμετάβολος. Διὰ τοὺς καιρούς, ἔφη, οὐχ ὡς ὑμεῖς διὰ τὴν αὑτῶν κακίαν. *Leontychidas primus, dicente quodam eum eſſe mutabilem, Pro temporum, inquit, ratione, non vt vos eſtis veſtrâ improbitate mutabiles.* Et Plato 10. de Repub. ſapientem dicit, βουλεύεσθαι περὶ τὸ γεγονὸς, καὶ ὥσπερ ἐν πτώσει κύβων πρὸς τὰ πεπτωκότα τίθεσθαι τὰ αὑτοῦ πράγματα, ὅπῃ ὁ λόγος αἱρεῖ βέλτιστ' ἂν ἔχειν. *Deliberare circa res prout euenerint, & ſicut in caſu talorum, ad ea quæ ceciderint componere vitæ ſuæ rationes, vt optimè fieri poſſe ratio dictauerit.* Eandem comparationem Arrianus vſurpat lib.2. diſſert. Epicteti cap. 5. & aliam adfert à ſphæræ luſu longè pulcherrimam. Cedendum tempori.

AXIOMATA.

Quod ex malis boni poteſt prouenire, id diligentes conſeruare debemus.

Tempori cedendum aliquando.

ARGVMENTVM.

Redit ad inſectationem Piſonis & Gabinij Conſulum, quibus conniuentibus tum ipſe in exilium eiectus, tum reliquæ turbæ fuerunt in Repub. concitatæ.

LXIV. HIS de tot, tantíſque iniuriis in ſocios, in Reges, in liberas ciuitates, Conſulum querela eſſe debuit. In eius magiſtratus tutela Reges, atque exteræ nationes ſemper fuerunt. ecquæ vox vnquam eſt audita Conſulum? quamquam quis auderet, ſi maximè queri vellet? de Cyprio Rege quererentur, qui me ciuem nullo meo crimine, patriæ nomine laborantem, non modò ſtantem non defenderunt, ſed ne iacentem quidem protexerunt? Ceſſeram, ſi alienam à me plebem fuiſſe vultis, quæ non fuit, inuidiæ: ſi commoueri omnia videbantur, tempori: ſi vis ſuberat, armis: ſi ſocietas, magiſtratuum pactioni: ſi periculum ciuium, Reipubl.

LXV. Cur, cùm de capite ciuis (non diſputo, cuiuſmodi ciuis) & de bonis proſcriptio ferretur, cùm & ſacratis legibus, & XII. tabulis ſancitum eſſet, vt neque priuilegium irrogari liceret, neque de capite, niſi comitiis centuriatis rogari, nulla vox eſt audita Conſulum? conſtitutúmque illo anno eſt, quantum in illis duabus huius imperij peſtibus fuit, iure poſſe per operas concitatas quemuis ciuem nominatim Tribuni pleb. conſilio ex ciuitate exturbari.

EXPLANATIO.

HIS DE TOT.] Breuis recapitulatio dictorum.

INIVRIIS.] per leges Clodias illatis *In ſocios*, ſiue exteras nationes, quas illius anni furore conquaſſatas videbamus: *in Reges.* Deiotarum

& Ptolemæum: *In liberas ciuit.* Byſantium cuius exules ſunt reſtituti.

De Cyprio.] à minori ad maius.

Multò magis de me quàm de Cyprio Rege queri debuerunt.

Sed de me non conqueſti ſunt.

Ergo neque de illo.

Patriæ nomine lab.] Eam vnam ob cauſam apud improbos ciues in inuidiam vocatum, quod Catilinæ coniurationem detexeram, extinxerámque, & vrbem ab incendio, patriam ab interitu vindicaram.

Non modo stantem def.] Aduerte loquendi rationem. vulgò diceremus, *non modo ſtantem, non defenderunt.* vide Notas.

Cesseram.] In Piſonem & Gabinium inuecturus, qui ipſum iacentem & vrbe diſcedentem non protexerant, eleganti diſtributione cauſas oſtendit, quæ ipſum vt cederet patriâ mouere potuerunt, vt demonſtret quacunque tandem de cauſa diſceſſerit, cauſſæ tamen Conſules nihil habuiſſe, cur eum tuendum non putarent.

Cvr cvm.] Legibus ſacratis, quæ in monte ſacro ad quem plebs patritiis infenſa ſeceſſerat, ad concordiam latæ ſunt. & pòſt à Decemuiris in duodecim tabulas tranſlatæ, duo cauebantur: Alterum illud de quo pro domo ſua 43. *Vetant leges ſacratæ, vetant* XII. *tabulæ leges priuatis hominibus irrogari: id eſt enim priuilegium.* Alterum ne de capite ciuis Romani niſi comitiis centuriatis ageretur. Clodius proſcriptione Ciceronis vtrumque violarat. nam & nominatim de ipſius capite tulerat his verbis. *Velitis, iubeatis, Quirites, vt M. Tullio quod falſum S. C. retulerit, & indemnatos ciues necauerit, aqua & igni interdictum ſit.* Et eam legem tulerat non comitiis centuriatis, id eſt, vniuerſo populo per claſſes & centurias conuocato, ſed tumultuariâ ſeruorum & operarum concione.

Constitvtvmqve.] Conſules ſceleratos fuiſſe concludit, qui Clodio non obſtiterunt, quòd malum hoc exemplum in perniciem totius Reipub. redundaret.

NOTÆ.

I. Reges & exteræ nationes in tutelâ Cõſulum.

IN eivs magistr. tvtela.] Non quod penes Senatum Regum & exterarum gentium tutela non eſſet. nam orator pro Milone 91. curiam *Aram ſociorum, portum omnium gentium* appellat, adſtipulante Polybio lib. 6. cap. 2. de officiis de veteri Reipub. ſtatu. *Regum populorum, nationum portus erat, & refugium Senatus. Noſtri autem magiſtratus Imperatoréſque ex vna hac re maximam laudem capere ſtudebant, ſi prouincias, ſi ſocios æquitate & fide defendiſſent. Itaque illud patrocinium orbis terræ veriùs quàm imperium poterat nominari.*

II. Non modo stantem def.] Pro Cœlio 40. *Verùm hæc genera virtutum non ſolùm in moribus noſtris, ſed vix iam in libris reperiuntur.* id eſt: *non ſolùm non reperiuntur in moribus noſtris, ſed,* &c. frequenter enim vt Paulus Manutius & Muretus lib. 10. var. cap. 7. aduertunt, *non modò*, pro *non modò non* apud veteres reperitur. Cicero ep. 9. ad Lentulum: *Non modò præmiis quæ apud me plurimum valent, ſed ne periculis quidem compulſus vllis.* Adfert Muretus & alia exempla, vnum ex epiſtolâ Ciceronis ad Pætum. item è 10. epiſt. ad Atticum duo, è libro tertio in Verrem, è prima oratione in Catilinam, pro Roſcio Amerino, è lib. 1. de oratore, è ſecundo & tertio de officiis. Addit Varronem lib. 1. de re ruſticâ. *Bono animo eſte, inquit Agrius, nam non modò illud ſublatum eſt, quòd ludis Circenſibus nouiſſimi curriculi finem facit quadrigis, ſed ne illud quidem vidimus quod in Ceriali pompâ ſolet eſſe primum.* & Liuium lib. 25. *Poſtremo ita aſſuetudine mali efferauerant animos, vt non modò lacrymis iuſtóque comploratu proſequerentur mortuos, ſed ne efferrent quidem aut ſepelirent.* Ita Græcis οὐχ ὅτι, μὴ ὅτι, οὐχ ὅπως interdum valent *non ſolùm*, interdum *non ſolùm non.* Adeo vt fruſtra quidam, mendum ſubeſſe rati. *non modò ſtantem non defenderunt,* reſcripſerint.

Nonmodò.

III. Si commoveri omnia videbantvr.] Pro domo ſua 47. *Cui nihil oberat præter conuerſionem ſtatus, & inclinationem communium temporum.* Eidem conuerſioni ſtatûs ſuum etiam exilium acceptum refert Demoſthenes epiſtola 2. Δῆλόν ἐστιν ὅτι καιρῷ τινι ληφθεὶς, καὶ οὐκ ἀδικήμασι τῇ πρὸς ἅπαντας τοὺς ἐν ταῖς αἰτίαις ὀργῇ περιπέπτωκα ἀδίκως. *Perſpicitur me temporibus circumuentum, non ſcelerum damnatum, iniuſtè in eam quam in omnes reos habebatis, iracundiam incidiſſe.* Rurſum Noſter pro Cornelio Balbo 58. *Fuit hoc ſiue meum, ſiue Reipub. fatum, vt in me omnis illa inclinatio communium temporum incumberet.* Lepidum illud Diogenis apud Laërtium de commotione rerum omnium. Πυνθανομένου τοῦ Ξενιάδου πῶς αὐτὸν θάψαιεν, ἔφη, Ἐπὶ πρόσωπον. τοῦ δ' ἐρομένου, Διὰ τί; ὅτι μετ' ὀλίγον, εἶπε, μέλλει τὰ κάτω ἀναστρέφεσθαι. Τοῦτο δὲ διὰ τὸ ἐπικρατεῖν ἤδη τοὺς Μακεδόνας, καὶ ἐκ ταπεινῶν ὑψηλοὺς γίνεσθαι. *Rogante Xeniade, quomodo ipſum ſepeliret, in faciem, inquit. Eo rurſum interrogante, Quid ita? Quia, inquit, quæ ſunt infrà debent paulò poſt commoueri. Hoc autem dicebat quòd iam Macedones rerum potirentur, & ex humilibus ſublimes euaderent.*

Conuerſus & inclinatio Reipub.

IV. Sacratis legibvs.] Vide ſupra 16. *conſtrictam legum ſacratarum catenis.* de duodecim tabulis eorúmque legum præſtantiâ fusè pro Milone §. 9. diſſeremus.

V. Privilegivm.] Noſter 3. de legibus, cùm hanc inter cæteras legem ſanxiſſet. Privilegia ne irroganto. de capite civis nisi per maximvm comitiatvm ollosqve qvos censores in partibvs popvli locassint. ne fervnto. Subiecit poſt multa ad cæteras ſpectantia. *Leges præclariſſimæ de* XII. *tabulis tranſlatæ duæ quarum altera priuilegia tollit, altera de capite ciuis rogari niſi maximo comitiatu.* mox: *In priuatos homines leges ferri noluerunt: id eſt enim priuilegium. quo quid iniuſtius?* Item: *Ferri de ſingulis niſi centuriatis comitiis noluerunt: deſcriptus enim populus cenſu, ordinibus, ætatibus plus adhibet ad ſuffragium auxilij, quàm fusè in tribus conuocatus.*

AXIOMATA.

Magiſtratus defendere debet ciues non ſuo crimine, ſed patriæ nomine laborantes.

Cedendum, ſi plebs eſt aliena, inuidiæ, ſi commoueri omnia videntur, tempori, ſi vis ſubeſt, armis, ſi ſocietas magiſtratuum, pactioni, ſi periculum ciuium, Reip.

Priuilegium erogari non licet.

ARGVMENTVM.

Hactenus de legibus pernicioſis à Clodio latis: nunc per prætermißionem & interrogationem ad alias delabitur, quas vel iam promulgauerat Clodius, vel ſaltem promulgare ad diripiendam peculandámque Rempub. animo deſtinarat.

LXVI. QVÆ verò promulgata illo anno fuerunt, quæ promiſſa multis, quæ conſcripta, quæ ſperata, quæ cogitata, quid dicam? qui locus orbis terræ iam non erat alicui deſtinatus? cuius negotij publici cogitari, optari, fingíque procuratio potuit, quæ non eſſet attributa, atque deſcripta? quod genus imperij, quæ prouincia, quæ ratio aut auferendæ, aut conflandæ pecuniæ non reperiebatur? quæ regio, oráve terrarum erat latior, in qua non regnum aliquod ſtatueretur? quis autem Rex, qui illo anno non aut emendum ſibi, quod non habebat, aut redimendum, quod habebat, arbitraretur? quis prouinciam, quis pecuniam, quis legationem ab Senatu petebat? Damnatis de vi, reſtitutio, Conſulatus petitio ipſi illi populari ſacerdoti comparabatur. Hæc gemebant boni, ſperabant improbi, agebat Tribunus pleb. Conſules adiuuabant.

EXPLANATIO.

QVÆ VERÒ.] Perſpicua eſt huius loci ſententia. Aduerte tantùm commodam diſſolutionem ſiue aſyntheton, vt hac veluti perturbatione orationis, malorum cumulus & Reip. perturbatio explicetur.

ATTRIB. ATQVE DESCRIPTA.] Conceſſa & diuiſa, ſiue diſtributa.

CONFLANDÆ.] Conquirendæ, corradendæ, & velut in maſſam congerendæ.

NON EMENDVM.] emendam Regis appellátionem. corrumpendum pecuniâ Clodium, vt Rex appellaretur, non Senatus auctoritate, ſed populi ſiue potiùs ſeruorum ſuffragiis.

AB SENATV PETEBAT.] Cùm P. Clodius & Conſules omnem Senatus auctoritatem è Republica ſuſtuliſſent: eáque per populum facerent, quæ priùs per Senatum fieri conſuêrant.

DAMNATIS.] Mihi compertum non eſt quinam illi fuerint de vi damnati, quos Clodius reſtituere ſatagebat. fortaſſe C. Antonium & alios propter ſuſpicionem coniurationis damnatos, & in exilium pulſos intelligit. Eum tamen Dio non coniurationis, ſed repetundarum damnatum fuiſſe ſignificat.

POPVLARI SACERD.] Clodio qui veſte muliebri ad opertum Bonæ Deæ, vbi ſacra pro populo fiebant, penetrarat.

HÆC GEMEBANT.] Breuis & neruoſa concluſio, inciſis ad æqualitatem dimenſa. Hic ſiſte, lector, vel potiùs tanquam Ariadnæi fili ductu relege tua veſtigia. Voluit Orator ſeditiones & fluctus, immò naufragium ſuperioris anni deſcribere. Incipit à præſagiis & veluti quadam futuræ tempeſtatis præuiſione: præcedentémque hominum terrorem arcus intenti comparatione illuſtrat. §. 15. Tum cauſſas ipſas, & ſeditionis auctores deſcribit, quaſi quoſdam preſteres, qui fluctus illos in Rep. concitarunt. Clodium furioſum, nequam & quidem ſine ſimulatione, nequam Gabinium, Piſonem nihilò quidem ipſum meliorem, ſed tetriorem, & frontis integumentis ſua flagitia velantem. ídque tantâ verborum energiâ, vt non auribus rem inſinuare, ſed oculis ſubiicere videatur. Ideóque Clodius cum belluâ abruptis vinculis elapſâ, Gabinius cum homine caligantibus adhuc oculis è tenebris emerſo, Piſonis ſupercilium cum Atlante cœlum humeris ſuſtinente comparantur. Subdit per proſopopœiam hominum de Conſulibus futuris ſermones, fruſtratámque opinionem quam de Piſonis virtute conceperant. Et Epicureæ, quam Piſo ſequebatur, ſectæ inſectationem interſerit. addit Conſulum cum Tribuno plebis de pellendo Cicerone, & prodendâ Repub. pactionem. Atque hæ diſpoſitiones & quaſi præſagia tempeſtatem illam anteceſſerunt. Sequitur à §. 25. tempeſtatis ipſius deſcriptio ſupplicatio Senatus, luctus, veſtis mutatio, diſſimulatio Piſonis, Gabinij ſuperbia, edictum Conſulum vt Senatus ad veſtem rediret, Lamiæ Equitis Romani relegatio, omnium ordinum mœror, fuga Ciceronis, rationes cur exire maluerit, quàm armis dimicare. pernicioſæ leges à Clodio perlatæ, bona Ptolemæi Regis ab eodem Clodio publicata: eius inuidioſæ rei procuratio per ſummum ſcelus M. Catoni commiſſa. Conſulum in his ſceleribus conniuentium flagitia, ſpes denique & expectatio improborum. vt vel hoc vno exemplo & rerum & verborum copiam poſſis agnoſcere.

NOTÆ.

PROMVLGATA.] Promulgare legem eſt quaſi prouulgare, & populo per trinundinum legendum antequam feratur, proponere. pro domo 24. *Si quæ tum promulgaſti, conſtituiſti, promiſiſti, vendidiſti, perferre potuiſſes quis locus in orbe terrarum vacuus extraordinariis faſcibus, atque imperio Clodiano fuiſſet.* I. Promulgare.

ATTRIBVTA ATQVE DESCRIPTA.] Diuiſa & diſtributa. Manilius libro extremo Aſtronomicon. II.

Vtque

Deſcribere. *Vtque per ingentem populus deſcribitur vrbē*, &c. Infra 137. *Noſſe deſcriptionem ciuitatis à maioribus ſapientiſſimè conſtitutam.*

III. Penes Senatū fuerunt prouinciæ. QVIS PROVINCIAM.] Prouinciarum aliæ Conſulares erant, aliæ Prætoriæ: ſic dictæ pro diuerſitate præſidum qui ad eas mitterentur. Senatus fuit Prouincias Conſulares decernere ſecundum legem Semproniam. vt dicitur oratione de Prouinc. Conſul. §. 3.

IV. Item ærarij diſpenſatio. QVIS PECVNIAM.] Penes Senatum erat diſpenſatio ærarij, neque Tribuni plebis quicquam ex eo ſuis legibus, poterant erogare. in Vatinium 29. *Erogariſve pecunias ex ærario tuis legibus? Eripueriſve partes illo tempore cariſſimas partim à publicanis?* & 36. *Eripueras Senatui prouinciæ decernendæ poteſtatem, Imperatoris deligendi iudicium: ærarij diſpenſationem, quæ nunquam ſibi populus Romanus appetiuit, qui nunquam hæc à ſummi conſilij gubernatione auferre conatus eſt.* Vide Notas. Liuius lib. 38. *Senatum quærere de pecunia non relata in publicum, ita vt antea ſemper factum eſſet, æquum cenſebant.*

V. Et legationes. QVIS LEGATIONEM.] Senatus etiam fuit legationes decernere. in Vatinium 35. *Ne hoc quidem Senatui relinquebas, quod nemo vnquam ademit, vt legati ex eius ordinis auctoritate legarentur.* vide Notas. 36. *Quis legatos vnquam audiuit, ſine S. Conſulto? ante te nemo. Poſt continuò fecit idem in duobus prodigiis Reip. Clodius.*

VI. Pœna damnatis de vi exilium. DAMNATIS DE VI.] Lex Plautia ſine Lutatia fuit quotidie quæri iubens, *de ſeditioſis conſceleratiſque ciuibus, qui armati Senatum obſederint, magiſtratibus vim attulerint, Rempub. oppugnarint.* vt dicitur initio Cœlianæ. Damnatis de vi pœna fuit exilium, vt ex hac ipſa oratione liquet 146. *An ego in hac vrbe eſſe poſſum his pulſis, qui me huius vrbis compotem fecerunt*: Item: *Neque ex nationes quibus me Senatus commendauit, quibus de me gratias egit, hunc exulem propter me, ſine me videbunt.* Huiuſmodi exulibus reſtitutio parabatur. Quæ quantas inuectura fuerit Reipub. calamitates, vel ex eo conſtat, quòd exulum reſtitutio inter præcipuas clades, quæ oppreſſis vrbibus eueniunt, ſolebat numerari. Et eam ob rem Athenis Heliaſtæ iurabant ſe haudquaquam permiſſuros, Οὔτε τῶν χρεῶν τῶν ἰδίων ἀποκοπὰς, οὐδὲ γῆς ἀναδασμὸν τῶν Ἀθηναίων, οὔτ' οἰκιῶν, οὐδὲ τοὺς φεύγοντας κατάξω. *Neque nouas priuatorum debitorum tabulas, neque terræ Atticæ aut domuum diuiſionem permittam, neque exules reſtituam.* Refert Demoſthenes oratione contra Timocratem. Nam vt ait Noſter vltima Verrina 12. *Perditæ ciuitates deſperatis omnibus rebus hos ſolent exitus exitiales habere, vt damnati in integrum reſtituantur, vincti ſoluantur, exules reducantur, res iudicatæ reſcindantur. Quæ cùm accidunt, nemo eſt quin intelligat ruere illam Rempub.*

RESTITVTIO.] Supra 49. *Tanto bonorum omnium ſtudio non reſtituto.* VII.

POPVLARI SACERDOTI.] In Piſonem 89. *Quod populari illi ſacerdoti ſexcentos ad beſtias amicos ſociòſque miſiſti.* ſuprà, *Cùm ſtuprorum ſacerdote.* VIII.

AXIOMA.

Nihil peculiare ſeligi poteſt ex hac ſectione: his tamen omnibus informari poteris ad ciuilem prudentiam, ſi animaduertas id eſſe vitandum maximè, quod maximè ſtatum Reipub. conuellit.

Reip. ad meliorem ſtatum conuerſio & reditus Ciceronis.

- Cauſæ
  - primaria & principalis Cn. Pompeius excitatus
    - 1. conſuetudine Reipub. bene gerendæ.
    - 2. indignitate rei.
    - 3. rerum à ſe geſtarum conſcientiâ. 67.
  - ſecundariæ & adiuuantes
    - 1. Luc. Mummius Trib. pleb. qui retulit ad Senatum. 68.
    - 2. Pub. Lentulus Conſul ſequentis anni. 71.
    - 3. Milo. Sextius & alij Trib. pleb.
    - 4. Senatus vniuerſus.
- Oppoſitiones
  - Piſonis & Gabinij tergiuerſationes.
  - Interceſſiones Tribunorum plebis
    - Ælij Staleni. 69.
    - Numerij Quintij. 72.
    - Attilij Serrani. 72.
  - Vis & impetus Clodianorum in
    - 1. Fabricium & Ciſpium Tribunos plebis.
    - 2. Quintum fratrem Ciceronis.
    - 3. Sextium Trib. plebis.
    - 4. ipſam concionem cuius ſtragis magnitudo oſtenditur
      - 1. à circunſtantiis Tiberis & fori repleti cadaueribus.
      - 2. ab apparatu Prætorio.
      - 3. à comparatione.
      - 4. ab eo quod ex compacto facta fuerit. 77.
- Media adhita.
  - præſtantiſſimæ conciones
    - L. Cottæ. 73.
    - Pompeij. 74.
    - aliorum.
  - promulgatio legis. 75.

ARGVMENTVM.

Auxilium Cn. Pompeij poſt tot ſeditionum fluctus ad componendam Rempub. excitati, & cœpta fieri ad meliorem ſpem inclinatio deſcribitur.

LXVII. HIC aliquando ſeriùs, quàm ipſe vellet, Cn. Pompeius, inuitiſſimis iis, qui mentem optimi, ac fortiſſimi viri, ſuis conſiliis, ac fictis terroribus à defenſione meæ ſalutis auerterant, excitauit illam ſuam non ſopitam, ſed ſuſpicione aliqua retardatam conſuetudinem Reipub. bene gerendæ. Non eſt paſſus ille vir, qui ſceleratiſſimos ciues, qui acerrimos hoſtes, qui maximas nationes, qui Reges, qui gentes feras atque inauditas, qui prædonum infinitam manum, qui etiam ſeruitia virtute victoriáque domuiſſet, qui omnibus bellis terra maríque compreſſis, imperium populi Rom. orbis terrarum terminis definiſſet, Rempub. euerti ſcelere paucorum, quam ipſe non ſolùm conſiliis, ſed etiam ſanguine ſuo ſæpè defendiſſet: acceſſit ad cauſſam publicam: reſtitit auctoritate ſua reliquis rebus: de præteritis queſtus eſt: fieri quædam ad meliorem ſpem inclinatio viſa eſt.

EXPLANATIO.

HIC.] Pompeius qui fictis terroribus & aſſiduis delationibus eorum qui inſidias à me ipſius vitæ comparatas eſſe dicebant, à meâ cauſsâ abſterritus me non defenderat contra Clodij factionem: tandem aliquando ſuam illam virtutem ad capeſſendam meam Reíque publicæ cauſſam excitauit.

NON EST PASSVS.] Prudenter & commodè Cn. Pompeij laudes interſerit.

QVI SCELERAT. CIVES.] Carbonem in Siciliâ, Domitium in Africâ, Sertorium in Hiſpaniâ, Lepidum in ipsâ Italiâ, bellum patriæ nefariè molientes, ſuperauit.

MAX. NAT.] Triumphauit de Ponto, Armeniâ, Cappadociâ, Paphlagoniâ, Mediâ, Colchide, Iberiâ, Albaniâ, Syriâ, Phœniciâ, Ciliciâ, Meſopotamiâ, Palæſtinâ, Iudæâ, Arabiâ. vide Plutarchum, & inſcriptionem in triumpho prælatam apud Plinium lib. 7. Appianum Mithridatico, &c.

QVI REGES.] Mithridatem Ponti, Tigranem Armeniæ, Oroëſen Albaniæ, Artocem Iberiæ Reges ſuperauit. Tigranem iuniorem, & Ariſtobulum Iudæum, & alios Reges in triumphum duxit. ex Dione, Plutarcho, Appiano.

PRÆDONVM.] Piratarũ qui è Cilicia ſe in omnem orbem Romanum infuderant, & omne mediterraneum mare ſuis latrociniis obtinebant.

SERVITIA.] Reliquias ſeruorum qui Spartaco duce Italiam populati, deletis aliquot Romanorum exercitibus vix tandem à M. Craſſo ſuperati cùm fugerent, in manus Pompeij poſt debellatum Sertorium ex Hiſpaniâ redeuntis inciderunt.

TERMINIS DEFINISSET.] Adeo vt Prouinciam quam verſus Orientem Imperij Romani extremam inuenerat, eiuſdem Imperij mediam, & quaſi vmbilicum effecerit. Plutarchus in Pomp.

SCELERE PAVC.] Clodij, Piſonis, Gabinij, & aliorum eiuſdem factionis.

RESTITIT AVCTORITATE SVA.] bene *auctoritate*, non *poteſtate*, quia priuatus erat. In Piſonem 8. *Deſignatus Conſul*, &c. *priuatus fieri vetuit: atque id quod poteſtate nondum poterat, obtinuit auctoritate.*

RELIQVIS REBVS.] Iis quas P. Clodius in poſterum facere deſtinarat.

NOTÆ.

NATIONES.] Frequens apud Oratorem nationis & gentis diſtinctio. ſupra 51. *Nam externa bella Regum, gentium, nationum.* Hæc autem videtur inter nationem, gentem, & populum diuerſitas, quod natio plures gentes contineat, gens rurſus in plures populos diuidatur. Maro 10. Æneidos. I. Natio. Gens. Populus.

Mantua diues auis. Sed nõ genus omnibus vnum,
Gens illi triplex, populi ſub gente quaterni.

vbi Hetruſca natio, cuius caput Mantua, in gentes tres, ſingulæ gentes in quatuor populos ſiue tribus digeruntur. Quamquam Seruius aliter exponit.

PRÆDONVM.] Prædones frequenter iidem qui piratæ. 7. Æneidos. II.

-quam primo Aquilone relinquet
Perfidus, alta petens, abductâ virgine prædo.

3. Odyſſeæ.

Οἷά τε ληϊστῆρες ὑπεὶρ ἅλα, τοί τ' ἀλόωνται Prædones.
Ψυχὰς παρθέμενοι, κακὸν ἀλλοδάποισι φέροντες.
Inſtar prædonum vaſtis qui fluctibus errant,
Ponentes animam atque aliis mala multa ferentes.

Supra 45. *Vt multi ex multis locis prædones claſſibus eam nauem ſe oppreſſuros minitarentur.* Lactantius, vt alios omittam, libro primo capite 8. *De Neptuni ſorte manifeſtum eſt, cuius regnum tale fuiſſe dicimus, quale M. Antonij fuit, cui totius oræ maritimæ poteſtatem Senatus decreuerat, vt prædones perſequeretur, & mare omne pacaret. Antonij*, inquit? immò vero Cn. Pompeij, quo de nunc agitur, qui & imperium in omnes oras maritimas &c. ex imperio

Neptuni nomen accepit. vide Plutarchum. Dio lib. 48. agens de Sexto Pompeio Cn. filio. Καὶ τῆς πέριξ θαλάσσης ἐκράτησε, δόξαν τέ τινα καὶ φρόνημα, ὡς καὶ Ποσειδῶνος παῖς ὤν, ὅτι πάσης ποτὲ ὁ πατὴρ τῆς θαλάσσης ἦρξε, προσέθετο. *Totum circa mare obtinuit, & ſe Neptuni filium eſſe, quod ipſius pater totius maris imperium habuiſſet, quodammodo perſuaſit.* Quam opinionem auxit ob reportatam de Auguſto naualem victoriam. Neptunus Pompeius. Καὶ ὁ Σέξτος ἔτι καὶ μᾶλλον ἤρθη, τοῦ τε Ποσειδῶνος υἱὸς ὄντως ἐπίστευεν εἶναι, καὶ στολὴν κυανοειδῆ ἐνεδύσατο, ἵππους τε καὶ, ὥς γέ τινές φασι, καὶ ἄνδρας ἐς τὸν πορθμὸν ζῶντας ἐνέβαλε. *At Sextus his etiam magis elatus, & ſe Neptuni reuera filium eſſe credidit, & veſtem cœruleam, induit & equos, immò etiam, vt aliqui dicunt, homines viuos in fretum iniecit.* quod etiam teſtatur Appianus libro 5. ciuilium, vnde videas cur Sextus *Dux Neptunius* ab Horatio nominetur. Sed de prædonibus vide Piſon. 24. *Qui latrones igitur, qui prædones?*

III. OMNIBVS BELLIS.] Supra 51. *Externa bella Regum, gentium, nationum iampridem ita extincta ſunt, vt præclarè cum iis agamus, quos pacatos eſſe patiamur.* Et ſanè poſt victum Mithridatem omnia bella, quæ vel à Cæſare vel ab aliis geſta ſunt, ſuſcepta potiùs à Romanis fuerunt quàm propulſata, donec Scythæ, Gothi, Vandali, Franci Romanis vltro bellum intulerunt. Quòd autem ait *compreſſa*, non abludit Virgilianum illud figmentum.

Claudentur belli portæ. furor impius intus
Sæua ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis premet horridus ore cruento.

Manilius extremis penè verſibus libri primi Aſtron.

Sed ſatis hoc fatis fuerit. Iam bella quieſcant,
Atque adamantæis diſcordia vincta catenis
Æternos habeat frænos in carcere clauſa.

Ita reſcripſi, cùm primo verſu legeretur *quieſcunt*, ſecundo *victa catenis.*

ORBIS TERRARVM TERMINIS.] De terminis Imperij Romani pro Milone 74. *Orbem terrarum.* Mammertinus panegyr. Maximiani etiam aliquid audaciùs. *Imperium non terræ, ſed cœli regionibus terminatis.* Quæ verba ex ore magiſtri dictantis excepit oratione 3. in Catilinam ſub finem. *Vnóque tempore in hac Repub. duos ciues extitiſſe, quorum alter fines veſtri imperij non terræ, ſed cœli regionibus terminaret; alter einſdem imperij domicilium ſedémque ſeruaret.* IV.

AXIOMATA.

Principes ciuitatis pati non debent Rempub. euerti ſcelere paucorum, quam ipſi non ſolùm conſiliis, ſed etiam ſanguine ſuo ſeruauerint.

Vt primùm principes ciuitatis ad Rempub. bene gerendam excitantur, fit quædam ad meliorem ſpem inclinatio.

ARGVMENTVM.

Senatuſconſultum de ſuo reditu, Staleni Tribuniplebis perfidiam, inſidias Pompeio paratas, P. Lentuli Conſulis deſignati ſententiam & auctoritatem exponit.

DECREVIT Senatus frequens de meo reditu Kalend. Iun. diſſentiente nullo, referente L. Mummio, cuius in mea cauſſa nunquam fides, virtúſque contremuit. Interceſſit Ligus iſte neſcio qui, additamentum inimicorum meorum. res erat & cauſſa noſtra eo iam loci, vt erigere oculos, & viuere videretur. Quiſquis erat, qui aliquam partem in meo luctu ſceleris Clodiani attigiſſet, quocumque venerat, quod iudicium cúmque ſubierat, damnabatur: inueniebatur nemo, qui ſe ſuffragium de me tuliſſe confiteretur, deceſſerat ex Aſia frater meus magno ſqualore, ſed multo etiam maiore mœrore. huic ad vrbem venienti tota obuiam ciuitas cum lacrymis, gemitúque proceſſerat: loquebatur liberius Senatus: concurrebant equites Romani: Piſo ille gener meus, cui fructum pietatis ſuæ, neque ex me, neque à populo Romano ferre licuit, à propinquo ſuo ſocerum ſuum flagitabat: omnia Senatus reiiciebat, niſi de me primùm Conſules retuliſſent. LXVIII.

EXPLANATIO.

DECREVIT.] Senatus magnâ frequentiâ conueniens decreuit, vt ego in patriam reuocarer, Luc. Mummio Quadrato referente ad Senatum, id eſt, rem diſcutiendam proponente, & ſingulorum Senatorum rogante ſententias: qui ſemper magno animo meam cauſſam ſuſcepit, vt cùm ad Senatum retulit, Senatúſque veſtem mutandam eſſe decreuit priuſquam diſcederem. ſupra 26. Legunt alij *Lucio Ninnio*, cuius Tribuniplebis Dio & alij meminerunt.

INTERCESSIT.] Suam auctoritatem & poteſtatem oppoſuit quo minus concluderetur S. C.

LIGVS.] C. Ælius Stalenus, qui ſibi Paceti cognomen ex Æliorum imaginibus adſciuerat, vt dicitur pro Cluentio.

ADDITAMENTVM.] Qui me abſente defluxerat, & ad inimicos meos proditis ſuis partibus acceſſerat.

DECESS. EX ASIA.] Minore, quam per triennium Proconſul adminiſtrarat.

PISO ILLE.] Craſſipes cognomento, qui paulò pòſt diem clauſit extremum.

A PROPINQVO SVO.] Luc. Piſone Conſule flagitabat, vt me, qui eram ipſius ſocer, in patriam reuocaret, ſaltem de meo reditu referret ad Senatum.

OMNIA.] Senatus nolebat ad ea reſpondere de quibus Conſules referebant, niſi priùs de mea cauſſa retuliſſent.

NOTÆ.

I. Calendæ. CALENDIS IVNIIS.] De nomine Calendarum Macrobius I. Saturn. cap. 15. & Plutarchus Quæſtionibus Romanis. Ὀνομάζουσι δὲ τὸν μὲν ἀφανισμὸν αὐτῆς (τῆς σελήνης) Καλάνδας ὅτι πᾶν τὸ κρύφα καὶ λάθρα κλὰμ, καὶ κηλᾶρε τὸ λανθάνειν. *Vocant verò lunæ abſconſionem Calendas, quod omne abſconditum clam eſſe dicitur, & celare eſt abſcondere.* vel, vt ait Macrobius, quòd minor pontifex dies qui ad nonas ſupereſſent calando proderet. Cæterùm obſeruare poteris de induſtriâ fortaſſe has Calendas hîc nominari, quæ Ciceronis ſaluti ianuam aperuiſſe videbantur. his enim Calendis dea Carna colebatur. de qua Naſo 6. faſtorum. (Dea Carna.)

Prima dies tibi Carna datur: Dea cardinis hæc eſt.
Numine clauſa aperit: claudit aperta ſuo.

II. REFERENTE LVC. MVMMIO.] Etiam Tribuniplebis ad Senatum referebant. ſupra 26. *Luc. Mummius ad Senatum de Repub. retulit.*

III. Additus. ADDITAMENTVM.] Additi dicuntur qui infeſti ſunt & inimici, vt 6. Æneidos.

--nec Teucris addita Iuno
Vſquam aberit.--

Ad cuius explicationem laudat Macrobius Lucilium lib. 14. Sat.

Si mihi non Prætor ſiet additus, atque agitet me.

Seruius & Pomponius Sabinus Plautum, *Additus Ioui Argus.* Eodem penè ſenſu Græcus Orator Olynth. 2. Ἡ Μακεδονικὴ δύναμις καὶ ἀρχὴ ἐν μὲν προσθήκης μέρει ἐστίν. *Macedonica potentia & dominatus eſt additamenti loco.* Et Olynth. 3. Ὑμεῖς δὲ ὁ δῆμος ἐκνενευρισμένοι καὶ περιῃρημένοι χρήματα, συμμάχοις ἐν ὑπηρέτου καὶ προσθήκης μέρει γεγένησθε. *Vos verò populus neruis, vt ita loquar, eliſis pecuniis ſociiſque ſublatis ſeruorum & additamenti loco facti eſtis.* Noſter igitur dum Stalenum additamentum inimicorum ſuorum appellat, ei contemptum quærit. Voce opinor à mercatoribus, verbi cauſa, macellariis tranſlata, qui tres quatuórve grandes piſces ementi, piſciculum addunt: quemadmodum *cumulus, auctarium, admodera, corollarium, abituarium* dicitur, quod ad iuſtam menſuram apponitur. Vide nos in orationem de Prouinc. Conſular. (Additamentum. προσθήκη.)

AXIOMATA.

In amicorum cauſſa noſtra fides virtúſque, nunquam debet contremiſcere.

Homines abiecti & nequam cùm virum bonum potentiorum factionibus oppreſſum vident, accedunt, tanquam additamentum inimicorum.

ARGVMENTVM.

Narrat Conſulum tergiuerſationem & prætextus, quo minùs Ciceronem ab exilio redire paterentur. Subdit de inſidiis vitæ Cn. Pompeij factis, & Tribunorumplebis promulgatione, Staleni perfidiam obiter inſectans qui collegarum promulgationi non ſubſcripſerat.

LXIX. QVÆ cùm res iam manibus teneretur, & cùm Conſules prouinciarum pactione libertatem omnem perdidiſſent, qui in Senatu priuatim vt de me ſententias dicerent, flagitabantur, legem illi ſe Clodiam timere dicebant. cùm hæc non poſſent iam diutiùs ſuſtinere, initur conſilium de interitu Cn. Pompeij: quo patefacto, ferróque deprehenſo, ille incluſus domi tandiu fuit, quamdiu inimicus meus in Tribunatu. de meo reditu octo Tribuni promulgarunt. ex quo intellectum eſt mihi abſenti creuiſſe amicos, in ea præſertim fortuna, in qua nonnulli etiam, quos eſſe putaueram, non erant: ſed eos voluntatem ſemper eandem, libertatem non eandem ſemper habuiſſe. nam, ex nouem Tribunis, quos tunc habueram, vnus, me abſente, defluxit: qui cognomen ſibi ex Æliorum imaginibus arripuit, quo magis nationis eius eſſe, quàm generis videretur.

EXPLANATIO.

QVÆ CVM.] Cùm negotium iam propè confectum eſſet, neque quicquam propiùs abeſſet, quàm vt Senatus decreto reuocarer.

PACTIONE PROVINC.] Syriæ & Macedoniæ, quarum alteram Gabinius, alteram Piſo lege Clodia obtinuerat, à populo, non, vt moris erat, à Senatu. vide Piſon. 28.

CVM HÆC.] Cùm non poſſent diutiùs reſiſtere Senatui reditum meum flagitanti, & hæc omnia fieri viderent auctoritate Cn. Pompeij, ſtatuerunt ipſum auctorem de medio tollere, vt eo ſublato ſe ab importunis Senatus precibus & poſtulationibus liberarent.

INITVR CONS.] Damnio Clodij libertus cum ſica ad occidendum Cn. Pompeium ad ve-

ſtibulum Caſtoris in inſidiis collocatur. pro Milone 18. *Comprehenſus eſt in templo Caſtoris ſeruus P. Clodij, quem illi ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat. Extorta eſt confitenti ſica de manibus. Caruit foro poſtea Pompeius: caruit Senatu: caruit publico. ianua ſe ac parietibus, non iure legum, iudiciorúmque texit.*

Promvlgarvnt.] Auctore Cn. Pompeio. poſt reditum in Senatu 28. *Ipſe cùm propter metum dimicationis & ſanguinis, domo ſe teneret, etiam à ſuperioribus Tribunis petierit, vt de ſalute mea & promulgarent & referrent.* vide ep. 23. lib. 3. ad Atticum.

Ex qvo.] E decem Tribunis plebis, vnus Clodius palam profitebatur inimicitias cum Cicerone. Stalenus ſe amicum eſſe ſimulabat, cæteri vel amici non erant, vel Clodianæ potentiæ metu, & Conſulum auctoritate ſignificandæ ſuæ beneuolentiæ libertatem non habebant. Poſtquam diſceſſit facta eſt ad amicorum ſuam beneuolentiam præ ſe ferentium acceſſio: nam ij Tribuniplebis qui priùs eius cauſſam non ſuſceperant, rogationem de eius reditu promulgarunt, vnus Stalenus defecit inimicitiáſque profeſſus eſt. E quibus infert Cicero tum alios, tum Stalenum eandem voluntatem ſemper habuiſſe: id eſt, cæteros ſemper amicos fuiſſe quamuis palam non auderent beneuolentiam ſuam profiteri: Stalenum verò inimicum quamuis amicitiam ſimularit.

Vnvs.] Stalenus de quo ſuprà. In eum autem iocatur, quod, cùm is Ligur eſſet natione, ſibi Paceti cognomen ex Æliorum familiis adſciuerat, cùm nonnulli ex Æliis Liguris cognomen obtinerent. id autem conſecutus eſt, non vt è nobili Æliorum familia, ſed vt ex Liguria ortus crederetur. alij legunt, *Generis eius eſſe, quam nationis,* quaſi dicat, Hoc ſibi cognomen adſciuit, vt ſuam nationem abſconderet, ſéque ex Æliis originem duxiſſe ſimularet.

NOTÆ.

I. Manibvs teneretvr.] Cùm eſſet in propinquo. ita ſæpè Virgilius vt 2. Georgicon.

--Ades & primi lege littoris oram
In manibus terræ: non hic te carmine ficto
Atque per ambages, & longa exorſa tenebo.

Manibus tenere.

Et libro 10. Æneidos,

Quod votis optaſtis, adeſt perfringere dextra:
In manibus Mars ipſe, viri.-

id eſt, in propinquo. Silius lib. 12.

-ſtat campus & arma.
Et Mars in manibus.-

Voce opinor ab iis tranſlata, qui cùm aliquid diu magnóque labore quæſitum tandem inuenerint, firmiter tenent, nec induci poſſunt, vt id è manibus dimittant. ἀπρὶξ ἐχόμενοι, vt Græci loquuntur. Quamuis etiam frequenter ἐν χερσὶ ἔχειν, in manibus ſe habere dicunt, quod vel propinquum eſt, vel in poteſtate. Demoſthenes oratione pro Cteſiphonte de re quæ non ita pridem euenerat μεμνημένων ὑμῶν, καὶ μονονοὺκ ἐν ταῖς χερσὶν ἕκαστα ἐχόντων. *Cùm meminiſſetis, & tantùm non ſingula in manibus haberetis.* Quod dixit Velleius lib. 6. *Bellum quod erat in manibus.* Nazianzenus orat. 26. τὰ ἐν χερσὶ κατανόησον. *Quæ ſunt in manibus conſidera.* Quintus Cicero de petit. Conſulatus 37. *Caſu fieri vt agantur ea quæ non putaris: illa, quæ credideris in manibus eſſe, vt aliquâ de cauſſa non agantur.* Herodotus lib. 1. ἔχοντος δέ οἱ ἐν χερσὶ τοῦ παιδὸς τὸν γάμον. *Cùm autem nuptias filij in manibus haberet.*

In ea præsertim fortvna.] Pindarus lib. Nemeorum ode 10. epodo 4. II.

Οἴχεται τιμὰ φίλων τατωμένῳ
φωτί· παῦροι δ' ἐν πόνῳ πιστοὶ βροτῶν
καμάτου μεταλαμβάνειν.

Pereunt honores amicis priuato viro. Pauci verò in labore fideles mortalium, vt fiant ærumnæ participes. Dicebat Dercyllidas apud Xenophontem lib. 4. de rebus Græcanicis. Τὸ μὲν ἐν ταῖς εὐπραξίαις πιστοὺς φαίνεσθαι, οὐδὲν θαυμαστόν. ὅταν δέ τινες ἐν συμφοραῖς γενομένων φίλων βέβαιοι φαίνωσι, τοῦτ' εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον μνημονεύεται. *Mirum non eſt in ſecundis amicorum rebus fidelem videri. At verò ſi quis in aduerſis amicorum rebus firmus & ſtabilis fuerit, id propagatur ad memoriam hominum ſempiternam.* Præclarum illud Lyrici,

Pauci amici in aduerſis.

-Diffugiunt cadis
Cum fece ſiccatis amici.

Nationis.] Supra, *interceſſit Ligus iſte neſcio quis.* pro domo ſua 49. *Denique etiam ille nouitius Ligur venalis adſcriptor & ſubſcriptor tuus.* De Haruſp. reſponſis 5. *Itaque eum nunquam accuſandum eſſe putaui, non plùs quàm ſtipitem illum, qui quorum hominum eſſet, neſciremus, niſi ſe Ligurem ipſe eſſe diceret.* Neque ſolus orator probro Liguriam obiecit. Nam neque Poëta, cùm laudes Italiæ deſcriberet, ab eius gentis inſectatione ſibi temperauit. III.

Aſſuetúmque malo Ligurem

Ligures.

vocauit in Georgicis, & 11. Æneidos.

Vane Ligur, fruſtraque animis elate ſuperbis
Nequicquam patrias tentaſti lubricus artes.

Et paulò antè.

Haud Ligurum extremus dum fallere fata ſinebant.

Ligures enim, vt citatur Cato 2. originum, fallaciarum nomine malè audiebant. Pene exciderant illa Cluentianæ verba. *Quid tu, inquit, Pacete? hoc enim ſibi Stalenus cognomen ex imaginibus Æliorum delegerat, ne ſi ſe Ligurem feciſſet, nationis magis ſuæ, quàm generis vti cognomine videretur.* 2. Agraria 94. *Ligures montani, duri, atque agreſtes. Docuit ager ipſe nihil ferendo, niſi multa cultura & magno labore quæſitum.*

AXIOMATA.

Nonnunquam creſcunt amici in aduerſa fortuna.

Frequenter in aduerſa fortuna non ſunt amici, qui eſſe putabantur.

Excuſandi ſunt amici ſi voluntatem ſemper eandem, libertatem non eandem ſemper habuerint.

ARGVMENTVM.

Pub. Lentuli ſedulitatem & beneuolentiam commendat: qui ſtatim atque Conſul deſignatus fuit in Ciceronis cauſſam incubuit, nec expectandum putauit dum ipſe Calendis Ianuariis iniret conſulatum.

LXX. HOC igitur anno, magiſtratibus nouis deſignatis, cùm omnes boni omnem ſpem melioris ſtatus in eorum fidem conuertiſſent,
11 princeps P. Lentulus auctoritate ac ſententia ſua, Piſone & Gabinio repugnantibus, cauſſam ſuſcepit, Tribuníſque plebis octo referentibus, præſtantiſſimam de me ſententiam dixit, qui cùm ad gloriam ſuam atque ad ampliſſimi beneficij gratiam magis pertinere videret, cauſſam illam integram ad ſuum Conſulatum reſeruari, tamen rem talem per alios citiùs, quàm per ſe tardiùs confici malebat.

EXPLANATIO.

HOC IGITVR ANNO.] Piſone & Gabinio Coſſ. qui fuit ab vrbe condita DCXCVI. cùm P. Lentulus Spinther, & Q. Metellus Nepos eſſent Conſules in annum proximum deſignati: & Tribuni plebis Milo, Seſtius, Fabricius, Numerius, Calenus, Curtius, Fadius, Gratidius, Ciſpius, & partim ex hac oratione, partim ex epiſtola vltima lib. 1. ad Q. fratrem colligitur, eſſent etiam deſignati. De Prætoribus aut ædilibus nihil ad hunc locum.

PRINCEPS.] Princeps hic vocatur, opinor, quia primus omnium dixit ſententiam, rogatus à Tribunis plebis, qui ad Senatum, de Ciceronis cauſſa retulerunt. Quamquam vbi præſentis anni Conſules intereſſent, vix eſt vt putem Conſules deſignatos primùm omnium rogatos fuiſſe à Tribunis plebis, quare ſic exiſtimo poſt vtrumque Conſulem, Lentuli ſententiam fuiſſe dictam, qui tamen princeps dicitur, quia primus omnium cenſuit Tullium eſſe reuocandum, eiúſque ſententiam ceteri ſecuti ſunt: neque tamen S. C. illud ratum fuit, quòd ei Conſules repugnarent, & Q. Metellus Nepos nondum placatus Ciceroni.

QVI CVM.] Hinc Lentuli beneficium exaggerat, quod celeritatem reditus Ciceronis, ſuæ ipſius laudi & gloriæ præpoſuerit, eúmque per Tribunos plebis citiùs redire maluerit, quam tardiùs per ſeipſum.

NOTÆ.

I. AVCTORITATE.] Bene. Conſulis enim deſignati iam auctoritas fuit, nondum poteſtas. in Piſonem 8. *Sed ille deſignatus Conſuli eſt id quod poteſtate nondum poterat, obtinuit auctoritate.* Quid autem auctoritatis iam tum obtinerent, colligi poterit ex Dione lib. 40. apud quem Marcellus Conſul, cùm duas legiones à Cæſare prætextu belli Parthici receptas Pompeio tribuiſſet, τοὺς τῷ ὑστέρῳ ἔτει ὑπατεύσειν μέλλοντας. *Conſules deſignatos* ad Pompeium perduxit. Καὶ ἔπεισε καὶ ἐκείνους τὰ αὐτὰ πρᾶξαι. Ἐπειδὴ γὰρ γράμματα τοῖς ἀποδεδειγμένοις ἐς τὰς ἀρχὰς ἐκτιθέμενα, καὶ ἄλλα τινὰ τῶν ἐν τῇ ἡγεμονίᾳ σφῶν προσηκόντων, καὶ πρὶν ἐνίστασθαι αὐτὴν πράττειν ἔτι καὶ τότε ἐξῆν, καὶ τούτου κύριοι ἐνόμιζον εἶναι. Crediderim legendum non ἐκτιθέμενα, ſed ἐκτιθέναι. Hoc ſenſit. *Iique vt eadem conſtituerent effecit. Quia enim Conſulibus deſignatis ſcripta proponere, atque alia quædam ad magiſtratum pertinentia, antequam eum inirent, agere etiam tum licebat, huius quoque rei ſe poteſtatem habere credebant.* vt ita emendem hunc locum & interpreter, inducit me alter eiuſdem ſcriptoris grauiſſimi locus: lib. 55. Auguſtus Tiberium, ὕπατον αὖθις ἀπέδειξε, γράμματά τε κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἔθος, καὶ πρὶν ἐς τὴν ἀρχὴν ἐπελθεῖν, ἐκθεῖναι πρὸς τὸ κοινὸν ἐποίησε. *Conſulem iterum declarauit, iuſſitque eum more antiquitùs recepto, antequam magiſtratum iniret ſcripta in publicum proponere.* Quod eſt, opinor aliud nihil quàm leges in Conſulatu proximè ineundo ferendas iam tum promulgare, & populo legendas exhibere. Putaui nonnunquam innui Conſules deſignatos ius habuiſſe Senatus conuocandi. non quidem ad rogandum ſententias, ſed tantùm ad litteras quæ à proconſulibus cæteríſque præſidibus è prouinciis mitterentur, publicè recitandas.

Conſulis deſignati auctoritas.

REFERENTIBVS.] Tribunos plebis ius relationis habuiſſe conſtat è iam dictis ad §. 26. II.

CITIVS.] Iure gratiam & beneficium à celeritate commendat. nam vt eſt in prouerbio, III.

Ἁ χάρις ἁ βραδύπους ἄχαρις χάρις. Publius Syrus,
Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter.

Lucianus,

Ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι· ἢν δὲ βραδύνῃ
Πᾶσα χάρις κενεὴ, μηδὲ λέγοιτο χάρις.

Gratia quæ tarda, ingrata eſt.

Vertit Auſonius,

Gratia quæ tarda eſt ingrata eſt, gratia namque
Cùm fieri properat, gratia grata magis. vel,
Si bene quid facias, facias citò: nam citò factum
Gratum erit. Ingratum gratia tarda facit.

Cuius rei rationem reddit Seneca lib. 2. de benef. cap. 1. *Etiam ſi quid mora interuenit, euitemus omni modo ne deliberaſſe videamur. proximus eſt neganti qui dubitauit, nullámque meretur gratiam. nam cùm in beneficio iucundiſſima ſit tribuentis voluntas, qui nolentem ſe tribuiſſe ipſa cunctatione teſtatus eſt, non dedit, ſed aduerſus ducentem malè tenuit.* hinc illud, *Qui citò dat, bis dat.* Naſo 3. de ponto,

Gratiáque officio quod mora tardat, abeſt.

AXIOMA.

Beneuolentiæ eſt malle rem citiùs per alios confici, quàm tardiùs per ſeipſum.

ARGVMENTVM.

Sedulitatem Sextij deſignati Tribuniplebis, eiúſque profectionem ad Cæſarem, qui cum imperio Gallias obtinebat, & eiuſdem conſiliorum in capeſſenda Rep. rationem exponit.

HOC interim tempore P. Sextius, iudices, deſignatus, iter ad C. Cæſarem pro mea ſalute ſuſcepit. quid egerit, quantum profecerit, nihil ad cauſſam. Equidem exiſtimo ſi ille (vt arbitror) æquus nobis fuerit, nihil ab hoc profectum, ſin iratior, non multùm, ſed tamen ſedulitatem atque integritatem hominis videtis. Ingredior iam in Sexti Tribunatum. nam hoc primùm iter deſignatus Reipub. cauſſa ſuſcepit. pertinere & ad concordiam ciuium putauit, & ad perficiendi facultatem, animum Cæſaris à cauſſa non abhorrere. Abiit ille annus, reſpiraſſe homines videbantur, nondum re, ſed ſpe Reipub. recuperandæ. exierunt malis ominibus, atque exſecrationibus duo Vulturij paludati: quibus vtinam ipſis eueniſſent ea, quæ tum homines precabantur. neque nos prouinciam Macedoniam cum exercitu, neque equitatum in Syria, & cohortes optimas perdidiſſemus. LXXI.

EXPLANATIO.

HOC INTERIM.] Cùm P. Lentulus Deſignatus Conſul ſedulò in meam cauſſam incumberet, P. Sextius deſignatus Tribunusplebis iter ad Gallias ſuſcepit, vt C. Cæſarem qui eam prouinciam obtinebat, mihi beneuolum efficeret, hortaretúrque vt ad eos qui me reuocare cupiebant, accederet.

QVID EGERIT.] commodè iter à Sextio ſuſceptum, eiúſque ſedulitatem ait non euentu, ſed conſilio eſſe ponderandam. Cæſarémque æquum ſibi fuiſſe inquit, vt iniuriarum penitus oblitus eſſe videatur.

IRATIOR.] ſubiratus.

REIP. CAVSSA.] cuius ſalus videbatur meo reditu contineri.

PERTINERE.] Putabat fore vt res tranquilliùs & faciliùs tranſigeretur, ſi Cæſar meo reditui faueret.

ABIIT ILLE ANNVS.] Qui funeſtus adeò fuerat Piſonis & Gabinij Conſulatu.

RESPIRASSE.] tranſlatio ab iis qui cùm vel ex aquis, quibus præfocabantur, emerſerint, vel ex incendio ſe proiecerint, reſpirant.

EXIERVNT.] Piſo & Gabinius Imperatorio paludamento ornati in ſuas prouincias exierunt, non vt Proconſules, ſed vt prædones, & vultures, rapinæ inhiantes, & quaſi ad depaſcenda prouinciarum cadauera deuolantes.

MALIS OMINIBVS.] Vniuerſo populo execrante, & malè ominatis verbis, quæ exeuntibus cladem portenderent, proſequente.

NEQVE NOS.] Si, vt homines precabantur, illi duo periiſſent, ſibíque ceruices ſub ipſa porta fregiſſent, neque Piſo Thracibus ac Dardanis primùm pacem maximâ pecuniâ vendidiſſet, deinde, vt illi pecuniam conficere poſſent, vexandam his Macedoniam & ſpoliandam tradidiſſet, exercitúmque ſuum perdidiſſet, fame, frigore, vaſtitate. infra 93. de Prouinciis Conſularibus 45. in Piſonem paſſim. Neque Gabinij aduentus in Syriam primus, equitatûs habuiſſet interitum: poſt conciſæ eſſent optimæ cohortes. de Prouinc. Conſ. 9.

NOTÆ.

DESIGNATVS.] Deſignatus Conſul aut Tribunus is dicitur, qui diribitis omnium tribuum aut centuriarum ſuffragiis eſt renunciatus. Gratianus Auguſtus epiſt. ad Auſonium. *Conſilium meum ad Deum retuli: eius auctoritati obſecutus te Conſulem deſignaui, & declaraui, & priorem nuncupaui.* I. Magiſtratus deſignatus.

IRATIOR.] Iræ Cæſaris cauſſam adfert pro domo ſua 41. quòd de Rep. queſtus fuerit cùm C. Antonium defenderet: vel quòd Cæſar Ciceronem, *ſecum ne beneficiis quidem videbat poſſe coniungi.* vt dicitur de prouinc. Conſularibus 42. cui adſtipulatur Velleius lib. 2. vel, vt ait Dio lib. 38. Τὸν Κικέρωνα ὁρῶν οὐχ ἑαυτῷ τι τοσοῦτον λοιδορήσασθαι ἐθέλοντα ὅσον ἀντακοῦσαί τι τῶν ὁμοίων, ὥστε καὶ παρισωθῆναι οἱ ἐπιθυμοῦντα. *Ciceronem videns non tam conuitiari velle, quàm ſimilia audire, vt vel ſic æquaretur,* &c. vide. II. Cauſæ cur Cæſar iratus fuerit Ciceronis.

A CAVSA NON ABHORRERE.] Videtur eſſe formula in huiuſmodi rebus vſitata. De prouinciis Conſ. 43. *Pertinere ad cauſam illam putabatis voluntatem C. Cæſaris à ſalute mea non abhorrere.* III.

EXIERVNT.] Exire dicuntur Conſules cum votis in Capitolio nuncupatis proficiſcuntur in ſuas prouincias. Cœlius ad Ciceronem. *Conſules autem quia verentur ne illud SC. fiat vt paludati exeant.* Noſter Verrina 7. *Cùm paludatus exiſſet, votaque in Capitolio nuncupaſſet.* Cæſar lib. 1. de bello ciuili. *Paludatique votis nuncupatis exeunt.* & alibi frequenter. IV. Conſules paludati exibãt in prouincias.

MALIS OMINIBVS.] De ominibus vide Ioãnem Saraſberienſem lib. de nugis curialium, & pauca, quæ proferemus in Piſonem 31. *ominibus ſaltem bonis vt Conſules, non triſtiſſimis vt hoſtes ac proditores proſequebantur.* Vbi dicemus omen eſſe quoddam præſagium ex hominum vocibus collectum. De execrationibus vide ean- V. Omina.

dem Piſ. 33. *Vt omnes execrarentur, malè precarentur, vnam tibi illam viam & perpetuam eſſe vellent.* quo loco duplicem execrandi modum exhibemus. Aduerte tantum moris fuiſſe, vt à captantibus omina pueri foras in vicum mitterentur, qui prætereuntium voces aucuparentur, eáſque domum referrent, ex quibus omina colligebant. Tibullus lib.1.eleg.3.

Illa ſacras pueri ſortes ter ſuſtulit: illi
Rettulit è triuiis omina certa puer.
Aut ego ſum cauſatus aues, aut omina dura:
Saturni aut ſacram me tenuiſſe diem.
O quoties ingreſſus iter mihi triſtia dixi
Offenſum in portâ ſigna dediſſe pedem.

VI. VVLTVRII.] Piſ.38. *Appellatus eſt hic vulturius illius Prouinciæ, ſi Diis placet, Imperator.* vide Notas. Catullus ad Mallium,

Impia deriſi gentilis gaudia tollens
Suſcitet à cano vulturium capite.

Porro vt hîc Noſter Imperatores auaros, *vulturios paludatos* appellat, ita Apuleius lib.10. Mileſiorum *togatos vulturios* vocat Iudices, qui *ſententias ſuas pretio nundinantur.*

PALVDATI.] Vide Piſonianam 31. *An cùm proficiſcebamini paludati in prouincias.* VII.

COHORTES.] Peditum fuerunt cohortes, vt videre eſt vel ex hoc loco & ex illo de Prouinc. Conſ. 9. *Equitatus habuit interitum, poſt conciſæ ſunt optimæ cohortes.* Quid autem eſſet cohors in acie, & quot milites contineret, videbimus pro Milone 3. *Illa arma, centuriones, cohortes, non periculum nobis, ſed præſidium denuntiant.* VII. Cohortes.

AXIOMATA.

Qui negotium pro Repub. bono conſilio ſuſcepit, quantum profecerit nihil ad cauſſam.

Pertinet & ad concordiam ciuium, & ad perficiendi facultatem animum primariorum ciuium à cauſſa non abhorrere.

ARGVMENTVM.

Tribunorum plebis & Conſulum ſtudium exponit, & Q. Numerium Gracchum, Attiliúmque Serranum Tribunos plebis inſectatur, quia cùm ſe de Ciceronis reditu cum cæteris Tribunis promulgaturos eſſe promiſiſſent, à bonis defecerant.

LXXII. INEVNT magiſtratum Tribuni pleb. qui ſe omnes de me promulgaturos confirmarant. ex his princeps emitur ab inimicis meis is, quem homines in luctu irridentes Gracchum vocabant: quoniam id etiam fatum ciuitatis fuit, vt illa ex vepreculis extracta nitedula Rempubl. conaretur arrodere. Alter verò non ille Serranus ab aratro, ſed ex deſerto Gaui Oleli horreo, calatis granis, in Calatinos, ac Lælios inſitus, ſubitò nominibus in tabulas relatis, nomen ſuum de tabula ſuſtulit. Veniunt Kalend. Ianuar. (vos hæc melius ſcire poteſtis: equidem audita dico) quæ tum frequentia Senatus, quæ exſpectatio populi, qui concurſus legatorum ex Italia cuncta, quæ virtus, actio, grauitas P. Lentuli Conſulis fuit! quæ etiam collegæ eius moderatio de me! qui cùm inimicitias ſibi mecum ex Reipubl. diſſenſione ſuſceptas eſſe dixiſſet, eas ſe patribus conſcriptis dixit, & temporibus, & Reip. permiſſurum.

EXPLANATIO.

PRINCEPS EMITVR.] Priore loco corrumpitur ab inimicis meis, & à promulganda lege de meo reditu deducitur Quintius Numerius.

GRACCHVM.] Per ironiam, quaſi Tribunumplebis valde popularem, vel potiùs quod filius eſſet illius Quintij, qui ſe olim Tiberij Gracchi filium eſſe ſimularat. vide infra 101.

NITEDVLA.] Allegoria feſtiua à muribus ſiue nitedulis è rubis, aut vepretis ad rodendam ſegetem prodeuntibus: qua Numerij obſcuritas & indignitas denotatur. Et hic quidem antequam magiſtratum iniret, ſe de Cicerone promulgaturum eſſe verbis confirmarat, deſciuit tamen à bonis, & reſiliit priùs quàm illi legi promulgandæ ſubſcriberet.

ALTER VERò.] locus tum per ſe obſcurus, tum librariorum incuria corruptus eſt. receptior lectio ſic habet. *Alter verò non ille Serranus ab aratro, ſed ex deſerto Gauij Oleli horreo, calathis granis,* &c. vt Orator inſinuet Sextum Attilium Serranum illum Tribunumplebis, qui cum Numerio deſciuit, non ab Attilio illo Serrano, qui Serrani nomen accepit, quia cum agrum ſuum ſereret ad dictaturam ab aratro fuerat euocatus, tum Serrani, tum Calatini nomen habuiſſe, ſed à calathis quibus grauis, id eſt, onuſtus olim ad vrbem acceſſerat. libenter legeret Lambinus, *Ex deſerto Gauij Attilij horreo, & calathis Gauianis.* qua ſcriptura vtriuſque appellationis Attilij & Calatini ratio redderetur. Sigonius mauult: *calatis granis.* Quibus verbis Orator Attilio priſtinam egeſtatem & obſcuritatem exprobret: quaſi veniſſet è deſerto pauperis cuiuſdam agricolæ horreo, in quo tam pauca fuiſſent grana, vt calari, id eſt, numerari poſſent, aut potiùs ſingula proprio nomine nuncupari. vide Turnebum Aduerſ. lib.20.cap.3.

IN CALATINOS AC LÆLIOS.] lege, *Attilios.*

Nominibvs in tab.] Omnes Tribuniplebis ſe promulgaturos eſſe verbis promiſerant, vnus Numerius Quintius antequam ſcripto ſuam fidem obſtringeret, ſententiam mutauit: Attilius Serranus & cæteri octo Tribuniplebis promulgationi ſubſcribentes, nomen ſuum in tabulas retulerunt: ſed Attilius repente mutato conſilio nomen ſuum de tabula ſuſtulit, ac deleuit: vel cùm ſcripſiſſet in tabulis rationum ſuarum promiſſam ſibi à Clodio mercedem, nomen ſuum de tabula ſuſtulit.

Veniunt Calendæ.] Quibus P. Lentulus Spinther, & Quintus Metellus Nepos conſulatum inierunt, & Lentulus de meo reditu retulit ad Senatum. Quod ab adiectis illuſtrat.

Collegæ.] Q. Metelli Nepotis: à quo Tribunoplebis olim, cùm ego Conſul abiens magiſtratu in concione dicere prohibendo quæ conſtitueram, cúmque is tantummodo vt iurarem permitteret, ſine vlla dubitatione iuraui Remp. atque hanc vrbem meâ vnius operâ eſſe ſaluam. Piſonis 6. Vnde inimicitias mecum exercendas Reipub. cauſſâ ſuſcepit: quas in Senatu me abſente depoſuit oratione P. Seruilij excitatus. infra 130.

NOTÆ.

I. Tribuniplebis inibant magiſtratum 4. idus Decembris.

INEVNT.] Quarto idus Decembris inibant Tribunatum. Dionyſius Halicarn. lib. 6. Δημαρχικὴν ἐξουσίαν πρῶτοι παρέλαβον οἱ πέντ᾽ ἄνδρες ἡμέρᾳ τετάρτῃ πρὸ τῶν εἰδῶν Δεκεμβρείων, ὥσπερ καὶ μέχρι τοῦ καθ᾽ ἡμᾶς χρόνου γίνεται. *Tribunitiam poteſtatem inierunt primi quinque illi viri ad quartum idus Decembris, vt ad noſtram vſque ætatem fieri conſueuit.* cui adſtipulantur Liuius & Aſconius in præfatione Milonianæ.

II. Gracchvm.] Hic Noſter Quintius videtur filius fuiſſe illius inſitiui Quintij qui ex compedibus & ergaſtulo productus ſe in Gracchorum familiam inſerebat, vnde & infra 101. *Gracchus inſitiuus*, vocatur.

III. Nitedvla Rempvb.] Iulius Capitolinus in Antonino Pio. *Salaria multis ſubtraxit, quos otioſos videbat accipere, dicens nihil eſſe ſordidius, immò crudelius, quàm ſi Rempub. ij arroderent, qui nihil in eam ſuo labore conferrent.* Nitedula autem, vt notat Seruius is eſt muſculus qui in Georgicis à Marone deſcribitur, (Nitedula.)

--Sæpè exiguus mus
Sub terris poſuitque domos atque horrea fecit.

Indignum eſt autem à ſordidis & obſcuris vexari Rempub. Silius lib. 8. de Terentio Varrone, cuius temeritate clades Cannenſis accepta eſt.

Atque illi ſine luce genus ſurdúmque parentum
Nomen, &c.
Tantum in quaſſata bellis caput extulit vrbe
Momentum vt rerum & fati foret arbiter vnus
Quo conſeruari Latium cuſtode puderet.

Serranvs.] De quo 9. Æneidos. IV.

Et te ſulco Serrane ſerentem. & alij paſſim.

Quod ad ioci iſtius fontem attinet, Noſter 2. de Oratore 257. *Etiam interpretatio nominis habet acumen, cùm ad ridiculum conuertas, quamobrem ita quis vocetur, vt ego nuper, Nummium diuiſorem, vt Neoptolemum ad Troiam, ſic illum in campo Martio nomen inueniſſe.* (Iocus à nomine.)

Insitvs.] Eadem tranſlatione 101. *inſitiuum Gracchum* appellat, qui ſeipſum adoptarat, & quaſi ſurculum in Gracchorum familiam inſeuerat. Eodem genere tranſlationis vſus videtur de Claris Oratoribus 184. *O generoſam,* inquit, *ſtirpem, & tanquam in vnam arborem plura genera, ſic in iſtam domum multorum inſitam, atque illuminatam ſapientiam.* Lambinus emendat *illiminatam,* quaſi intra limen illatam. alias ſimpliciter *illatam.* Quid ſi legeremus *inoculatam?* Maro, V. (Inſerere & adoptare.)

Nec modus inſerere atque oculos imponere ſimplex.

De qua inoculatione Plinius & cæteri rei ruſticæ ſcriptores, è Græcis Theophraſtus & Clemens Alexandrinus in lib. Stomat. Quid ſi Tullio idem eſſe dicamus *illuminare,* atque *inoculare,* ac proinde nihil eſſe mutandum?

Nominibvs in tabvlas relatis.] Noſter Monetus, vt alios omittam, libro de delectu Latinitatis ſic explicat. *Quoniam in rationum tabulis debitoris nomen, debitum, & cauſa debiti frequenter perſcribuntur, ideo* Nomen, *præter nomen debitoris ita perſcriptum in tabulis, ipſum quoque debitorem, & debitum, & debiti cauſſam diuerſa ratione ſignificat.* Cæteras ſignificationes prætermitto. hîc *nomina* ſunt merces debita ex Clodij pactione. vt ſenſus ſit, *Serranus cùm debitam ſibi ex pacto mercedem in tabulas retuliſſet, nomen ſuum, quod promulgationi legis de meo reditu ferendæ ſubſcripſerat, de tabula ſuſtulit ac deleuit.* Verrinâ vltimâ de ſuppliciis. *Ille clamare cùm raperetur, nihil ſe miſerum feciſſe, nihil commiſiſſe: pecuniam ſibi eſſe in nominibus, numeratam in præſentia non habere.* Et libro primo in eundem Verrem 28. *Reperiretur pecunias ſumpſiſſe mutuas, nomina exegiſſe, prædia vendidiſſe.* pro Quintio 75. *Vadimonium mihi deſeruit, me fraudauit, à me nominis eius, quod inficiatus erat, diem petiuit.* lib. 12. Attic. 50. *Suſtinenda ſolutio nomine Cereliani.* & lib. 16. ep. 6. *Nomina mea per Deos expedi.* & apud Suetonium, dicitur Cato Grammaticus VI. (Nomen.)

Omnes ſoluere poſſe quæſtiones
Vnum non facilè expedire nomen.

AXIOMATA.

Miſerum eſt cùm homines obſcuri, tanquam è vepreculis extractæ nitedulæ Rempub. conantur arrodere.

Inimicitias cum aliis ex Reipub. diſſenſione ſuſceptas debemus & temporibus, & Reipublicæ permittere.

ARGVMENTVM.

Senatuſconſultum Calendis Ianuariis de reditu Ciceronis factum, & ſententia Lucij Cottæ viri cenſorij & principis Senatus explicatur.

LXXIII. TVNC princeps rogatus ſententiam L. Cotta, dixit id quod digniſſimum Republ. fuit, nihil de me actum eſſe iure, nihil more maiorum, nihil legibus: non poſſe quemquam de ciuitate tolli ſine iudicio: de capite non modò ferri, ſed ne iudicari quidem poſſe, niſi comitiis centuriatis: vim fuiſſe illam, flammam quaſſatæ Reipub. perturbatorúmque temporum iure iudiciíſque ſublatis, magnâ rerum perturbatione impendente, declinaſſe me paullulùm, & ſpe reliquæ tranquillitatis præſentes fluctus, tempeſtatémque fugiſſe. quare cùm abſens Rempub. non minùs magnis periculis, quàm quodam tempore præſens liberaſſem, non reſtitui me ſolùm, ſed etiam ornari à Senatu decere. Diſputauit etiam multa prudenter, ita de me illum amentiſſimum, & profligatiſſimum hoſtem pudoris, & pudicitiæ ſcripſiſſe, quæ ſcripſerat, iis verbis, rebus, ſententiis, vt etiam ſi iure eſſet rogatum, tamen vim habere non poſſet. quare me, qui nulla lege abeſſem, non reſtitui lege, ſed reuocari Senatus auctoritate oportere.

EXPLANATIO.

TVM PRINCEPS.] Auditâ Metelli Nepotis inimicitias ſuas Reipub. permittentis oratione, Luc. Cotta qui proximo antè luſtro cenſor fuerat, & tunc erat princeps Senatus, primus omnium rogatus ſententiam à P. Lentulo Conſule, cenſuit me Senatus ipſius auctoritate, non lege aut Populi Romani ſuffragiis eſſe reuocandum.

NIHIL DE ME.] Prior Cottæ ratio poteſt ad hunc ſyllogiſmum reuocari.

Qui non lege & populi ſuffragiis, ſed vi concitatæ multitudinis eiectus eſt, non debet lege ſed Senatus auctoritate reſtitui.

Sed M. Tullius non lege aut populi ſuffragiis, ſed vi concitatæ multitudinis eiectus eſt.

Ergo non debet lege, ſed Senatus auctoritate reſtitui.

IVRE.] Me eiectum eſſe è ciuitate contra ius, quod expoſitione XII. tabularum potiſſimum continetur, contra maiorum conſuetudinem, qui ſummam adhibuerunt in iudiciis lenitatem. vide pro domo 45. 46. contra leges Sacratas, & leges XII. tabularum, quæ vetant de capite ciuium iudicari, niſi comitiis centuriatis.

VIM.] Clodij factionibus concitatam.

MAGNA RERVM.] Impendente bello ciuili quod primùm cum P. Clodij gladiatoribus, deinde cum Conſulibus, denique cum Cæſare, vt aliqui ſuſpicabantur, gerendum fuit, niſi ſponte ceſſiſſem, & vim inimicorum cedendo frangere maluiſſem.

DECLINASSE.] Breui lateris inflexione ictum euitaſſe.

QVARE CVM.] Argumentum ἐκ περιουσίας. Retulerat Lentulus ad Senatum de reſtituendo Cicerone, Cotta cenſet eum inſuper honoribus ornandum eſſe hoc ſyllogiſmo.

Ille qui diſceſſu ſuo Rempub. à periculo liberauit, non ſolùm reſtituendus, ſed etiam ornandus eſt.

M. Tullius diſceſſu ſuo Rempub. à periculo liberauit, Ergo, &c.

QVO TEMPORE.] Quo Conſul coniurationem oppreſſi.

DISPVTAVIT.] Poſterior Cottæ ratio qua contendebat Tullium non lege, ſed auctoritate Senatus eſſe reuocandum. Quod lex illa Clodij neque verbis, neque ſententiis, neque rebus vim obtineret. verbis pro domo 48. *At quid tulit legum ſcriptor peritus & callidus? Velitis, iubeatis, vt M. Tullio aqua & igni interdicatur? Crudele, nefarium, ne ſceleratiſſimo quidem ciui ſine iudicio ferendum. Non tulit, vt interdicatur. Quid ergo? Vt interdictum ſit, &c.* ſententiis. ibidem 51. *Quid ſi iis verbis ſcripta eſt iſta proſcriptio, vt ſe ipſa diſſoluat? Eſt enim Quo. M. Tullius falſum Senatuſconſultum retulerit. Si igitur retulit falſum S.C.tum eſt rogatio, ſi non retulit, nulla eſt.* Rebus quia vt ibidem ſubnectitur, pluribus de rebus vno ſortitu retulerat contra legem Cæciliam ac Didiam.

NOTÆ.

PRINCEPS.] De principe Senatûs, & principe ſententiæ, vide quæ dicentur in Piſonem 35. *Cn. Pompeio auctore, & eius ſententiæ principe.* E quibus intelliges moris fuiſſe, vt Cenſor, qui Senatum legebat, primo loco nomen Collegæ ſui recitaret: niſi ſi fortaſſe quiſpiam longè præ cæteris emineret, qui citra inuidiam Collegæ poſſet anteferri. Talem M. Æmilium Lepidum fuiſſe tradunt. qui à ſextis Cenſoribus lectus eſt princeps Senatûs. I. Princeps Senatus.

IVRE.] Noſter pro domo ſua multis rationibus probat nihil à Clodio Tribunoplebis agi iure potuiſſe: quòd verè non adoptatus fuerit in familiam plebeiam, atque adeo Tribunusplebis eſſe non potuerit. quam probationem à §. 33. II.

Ius. incœptam, 42. in hæc verba concludit. *Iam intelligis omni genere iuris, quod in ſacris, quod in auſpiciis, quod in legibus ſit, te Tribunum plebis non fuiſſe.* Quæ porro ſit inter ius & leges diſtinctio, vide pro Milone 75. Lex. *Nulla lex erat, nullum ciuile ius.* de legis & moris diuerſitate ſupra 16. *alligatam more maiorum, conſtrictam legum ſacratarum catenis.* Mos. De iure, more, legibus in damnatione ſeruandis nonnulla dicemus in Piſonem 30. *Contra omnes leges, nullo ſcripta more.* vbi eadem proſcriptio *iniuſta per ſeruos, inciſa per vim* dicitur. Sed de vi Oratio pro domo à §. 53. conſulatur.

III. Nemo ciuitatem amittit inuitus.

SINE IVDICIO.] Pro domo ſua 77. *Eſto, non fuit in me pœna vlla peccati, at fuit Iudicij. Cuius? Quis me vnquam vlla lege interrogauit? quis poſtulauit? quis diem dixit?* vide fusè. Immò vſque adeo nemo potuit de ciuitate tolli ſine iudicio, vt *ciuitatem nemo vnquam vllo populi iuſſu amitteret inuitus, nemo ciuis Romanus, aut libertatem, aut ciuitatem poſſet amittere, niſi ipſe author factus eſſet.* vide locum.

IV. Comitia centuriata.

COMITIIS CENTVRIATIS.] Vide ſupra 65. *Cùm & ſacratis legibus & XII. tabulis ſancitum eſſet, vt neque priuilegium irrogari liceret, neque de capite, niſi comitiis centuriatis, rogari.* Militaria. huiuſmodi comitia *militaria* vocat Arnobius libro 2. aduerſus gentes. quia, vt auctor eſt Dio lib. 36. Πάντες οἱ τὰ ὅπλα ἔχοντες ἀνάγκην εἶχον εἰς αὐτὰς συνιέναι. *Quotquot arma haberent, neceſſe habebant ad ea comitia conuenire.* De his fuſiùs alibi diſſeremus.

V.

IVRE IVDICIISQVE.] Quemadmodum iſta duo connexa ſint, & alterum ab altero dependeat fusè explicamus infra 92. vide etiam 98.

VI. Fluctus Reip.

FLVCTVS TEMPESTATEMQVE.] Nihil frequentius hac tranſlatione. Paululùm deflexit Horatius epiſt. 2. lib. 2.

Fluctibus in mediis, & tempeſtatibus vrbis.

VII.

HOSTEM PVDORIS AC PVDICITIÆ.] Magna pudoris & pudicitiæ, libidinis & impudentiæ coniunctio. vnde Theophilus ad Autolycum lib. 3. Ἀφροδίτην ἀναίσχυντον, *Venerem impudentem appellat.* & Theodoretus 3. de curatione Græc. affect. Πάσης μὲν ἑταίρας ἐπὶ τέγους ἑστώσης ἀναιδέστερον τῆς Ἀφροδίτης τὸ σχῆμα. *Omni meretrice ſub tecto ſtante impudentius Veneris ſimulacrum.* Pudor, pudicitia. Sanctus Cyprianus in fine libri de bono pudicitiæ. *Quid eſt enim aliud pudicitia quàm mens honeſta ad cuſtodiam corporis data, vt ſexibus redditus pudor ſeueritate ſignatus fidem honoris de incorruptâ ſobole ſeruaret? pudicitiæ autem fratres competunt, & cogniti ſunt imprimis, diuinus pudor, & præceptorum ſancta meditatio, & animus propenſus ad fidem, & mens attonita ad religionem.* Petrus Chryſologus ſermone 87. *pudicitiæ florem, pudoris titulum, caſtitatis inſigne, virginitatis clauſtra.*

AXIOMATA.

Non poteſt quiſquam de ciuitate tolli ſine iudicio.

Magna rerum perturbatione impendente, declinandum paululùm, & ſpe reliquæ tranquillitatis præſentes fluctus tempeſtáſque fugienda.

Eiuſdem hominis eſt eſſe hoſtem pudoris, & pudicitiæ.

ARGVMENTVM.

Sententia Cn. Pompeij totiuſque Senatus conſenſus, vno diſſentiente Serrano, & cum intercedere non auderet, noctem ad deliberandum poſtulante, clamor Senatus, & querelæ, Soceri preces explicantur.

HVNC nemo erat, quin veriſſimè ſentire diceret. Sed poſt eum rogatus Cn. Pompeius, approbatâ laudatáque Cottæ ſententiâ, dixit, ſeſe otij mei cauſsâ, vt omni populari concitatione defungerer, cenſere, vt ad Senatûs auctoritatem, populi quoque Rom. beneficium erga me adiungeretur. Cùm omnes certatim, aliúſque alio grauiùs, atque ornatiùs, de mea ſalute dixiſſent, fierétque ſine vlla varietate diſceſſio: ſurrexit, vt ſcitis, Attilius hic Gauianus: nec auſus eſt, cùm eſſet emptus, intercedere: noctem ſibi ad deliberandum poſtulauit. Clamor Senatus, querelæ, preces, ſocer ad pedes abiectus. Ille ſe affirmare, poſtero die moram nullam eſſe facturum. creditum eſt: diſceſſum eſt. Illi interea deliberatori merces, longa interpoſita nocte, duplicata eſt. Conſecuti dies pauci omnino Ianuario menſe, per quos Senatum haberi liceret: ſed tamen actum nihil, niſi de me. LXXIV.

EXPLANATIO.

HVNC NEMO.] Senatorum nemo fuit, qui non diceret Lucij Cottæ ſententiam, ſi res in ſe ſpectaretur, nulla habita temporis & perſonarum ratione, eſſe veriſſimam.

ROGATVS.] à P. Lentulo Conſule, rogatus ſententiam Pompeius, poſtquam approbauit Cottæ orationem, eámque dixit digniſſimam eſſe Reipub. plenam grauitatis & dignitatis, tamen quietis meæ cauſſâ, vt in poſterum omni periculo liberarer, neque haberet occaſionem multitudo ſeditioſis improborum vocibus concitata dicendi me qui lege populíque ſuffragio fuiſſem erectus, non lege & ſuffragio, ſed ſola Senatus auctoritate eſſe reuocatum.

Fieret qve.] Cum P. Lentulo qui de meo reditu retulerat ad Senatum dicente, Qvi hæc sentitis in hanc partem, qvi alia omnia in illam partem ite, omnes ad vnum Senatores ſine varietate diſceſſionem facerent, in eámque partem irent, quæ meum reditum poſtulantibus fuerat aſſignata.

Svrrexit, vt sciatis.] De hoc poſt reditum ad Quirites 12. *Atque eo die confecta res eſſet, niſi is Tribunusplebis, quem ego maximis beneficiis Quæſtorem Conſul ornaueram, cum & cunctus ordo, & multi eum ſummi viri orarent, & Cn. Oppius ſocer optimus vir ad pedes eius flens iaceret, noctem ſibi ad deliberandum poſtulaſſet: quæ deliberatio non in reddenda, quemadmodum nonnulli arbitrabantur, ſed, vt patefactum eſt, in augenda mercede conſumpta eſt.*

Vt sciatis.] Quandoquidem eo denique indignitatis ventum eſt, vt homo tam abiectus debeat in ampliſſimo hoc ordine nominari, Quintus Attilius Serranus Gauianus.

Socer.] Cn. Oppius Cornicinus.

Discessvm.] à Senatu.

Deliberatori.] Serrano.

Longa int. nocte.] Quæ Senatoribus rei euentum præſtolantibus longa videbatur.

Dies pavci.] vide Notas.

NOTÆ.

I. Defungi.

Defvngerer.] Defunctus & perfunctus dicitur, qui rem peregit, vt notat Agrœcius in Orthog. ac proinde iam eſt ea re liberatus. vide Donatum in Adelph. actu 3. ſc. 4. & in Phormionem actu 5. ſc. 9. Liuius lib. 1. *Adeo coorta erat infenſa plebs, vt vnius pœna defungendum eſſet Patribus.* pro domo 44. *Equidem iam perfunctus ſum, nullam vim, nullum impetum metuo.* & alibi frequenter.

II. Diſceſſio.

Discessio.] Plinius Iunior lib. 2. epod. 11. *Sed cùm fieret diſceſſio, qui ſellis Conſulum adſtiterant, in Cornuti ſententiam ire cœperunt: tum illi qui ſe collegæ adnumerari patiebantur in diuerſum tranſierunt, collega cum paucis relictus.* Item lib. 8. ep. 14. *Quid? lex non apertè docet dirimi debere ſententias occidentis & relegantis, cùm ita diſceſſionem fieri iubet, Qui hæc ſentitis in hanc partem, qui alia omnia in illam partem ite.* Gellius lib. 3. Noct. Attic. cap. 18. *Non pauci ſunt qui opinantur pedarios Senatores appellatos, qui ſententiam in Senatu non verbis dicebant, ſed in alienam ſententiam pedibus irent. Quid igitur? cùm S. C. per diſceſſionem fiebat, nónne vniuerſi Senatores ſententiam pedibus ferebant?* Prudentius libro in Symmachum priore.

Qua vocat egregij ſententia principis, illuc
Libera tum pedibus tum voce frequentia tranſit.

Feſtus. *Pedarium Senatorem ſignificat Lucilius, cùm ait Agipes vocem mittere cœpit.* libenter legerim,

-Agilis pes vocem mittere cœpit.

Pergit Feſtus. *Qui ita appellatur, quia tacitus tranſeundo ad eum, cuius ſententiam probat, quid ſentiat, indicat.* huc alluſit Laberius à Gellio citatus.

Caput ſine lingua pedaria ſententia eſt.

E quibus ſatis ſupérque liquet quid fuerit in Senatusconſultis diſceſſio, cuius rei etiam in hiſtoriâ Græcâ extat aliquod veſtigium. Thucydides lib. 1. Sthenelaidam ita loquentem inducit. Ὅτῳ μὲν ὑμῶν, ὦ Λακεδαιμόνιοι, λελῦσθαι αἱ σπονδαὶ, καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ἀδικεῖν, ἀναστήτω εἰς ἐκεῖνο τὸ χωρίον (δείξας τι χωρίον αὐτοῖς) ὅτῳ δὲ μὴ δοκοῦσιν ἐς τὰ ἐπὶ θάτερα. *Cui verò veſtrum, ô Lacedæmonij, videtur fœdus eſſe violatum, & iniuria ab Athenienſibus illata, diſcedat in hanc partem. (ſimul locum oſtendebat) Cui verò non videtur in alia omnia.*

Etiam in vſu apud Græcos.

III. Emere.

Emptvs.] Mercede conductus. pro Milone 14. *Auctoritas Senatus emptâ interceſſione ſublata eſt.* in Piſonem. *Præter duos de lapide emptos.* Tacitus 4. hiſtoriarum. *Commeantium centurionum militúmque emebantur animi, vt (flagitium incognitum) Romanus exercitus in externa verba iurarent.* ſupra 72. *Ex his princeps emitur ab inimicis meis,* &c.

IV.

Intercedere.] De interceſſione Tribunorum, corúmque in Senatu poteſtate vide Milonianam 14. infra 77.

V. Cum intercedere nō auderent Tribuni tempus ad deliberandum poſtulabant.

Ad deliberandvm.] Hinc etiam aduertis Tribuno plebis fas fuiſſe non ſolùm Senatusconſultis intercedere, ſed etiam tempus ad deliberandum poſtulare, cuius exemplum mox proferetur. Ea tamen poteſtas non adeo fuit abſoluta, vt à Senatu circumſcribi non poſſet. vide infra 137. *Deſcriptionem ciuitatis.* & pro Milone 90. vide ſequentem Notam.

VI.

Socer ad pedes.] Libro 4. ad Atticum ep. 2. *Cùm fieret Senatusconſultum in ſententiam Marcellini, omnibus præter vnum aſſentientibus, Serranus interceſſit: de interceſſione ſtatim ambo Conſules referre cœperunt. Cùm ſententiæ grauiſſimæ dicerentur, Senatui placere mihi domum reſtitui, porticum Catuli locari, auctoritatem ordinis ab omnibus magiſtratibus defendi: ſi qua vis eſſet facta, Senatum exiſtimaturum eius operâ factum eſſe qui S. C. interceſſiſſet, Serranus pertimuit, & Cornicinus ad ſuam veterem fabulam rediit, abiectâ togâ ſe ad ſoceri pedes abiecit. ille noctem ſibi poſtulauit: non concedebant. reminiſcebantur enim Calend. Ian.* E quibus quædam obiter notari poſſunt. 1. Conſules de interceſſione Tribunorum retuliſſe. 2. Senatum grauitate ſuâ compeſcuiſſe Tribunorum plebis audaciam. 3. Tribunos plebis, ſi intercedere non auderent, ſpatium deliberandi ſibi poſtulaſſe. 4. Togam abieciſſe Senatores cum deprecandi cauſſâ ſe ad aliorum pedes aduoluerent. 5. Moris fuiſſe vt ſupplices ſe ad pedes eorum quos precabantur, abiicerent. Cætera perſpicua ſunt, tum ex dictis, tum ex alibi dicendis. Quod ad quartum attinet, id maioris ſummiſſionis cauſſâ faciebant, vt quaſi Diis ſupplicare viderentur. Tertullianus libro de Oratione: *Vt eſt quorundam poſitis penulis orationem facere: ſic enim adeunt ad idola nationes.* Quo ſenſu etiam interpretor illud Apuleij initio primi Floridorum. *Religioſis viantium moris eſt, cùm aliquis lucus, aut aliquis locus ſanctus in viâ oblatus eſt, votum poſtulare, portum apponere, pauliſper adſidere.* Quo loco, *portum apponere*, eſt veſtem vel onus quod portatur, paulò pòſt reſumendum ex humero deponere. Quod ad quintum ſpectat ad genua ſupplices accidebant, vt dextram pedes vel mentum attingerent. vide Cœlianam 79. Interim audi Euſtathium in primum Iliados: Τοῖς παλαιοῖς ἔθος ἦν, ὁπηνίκα ἱκέ-

Conſules aliquando de interceſſione Tribunorum referebant.

Senatus circumſcribere potuit Tribunos.

Togam abiiciebant ſupplices Senatores.

Supplices ad pedes ſe abiiciebant.

τευον,

τινων, κεφαλῆς τε λαμβάνεσθαι τῆς τοῦ ἱκετευομένου. καὶ χειρὸς δεξιᾶς, ἢ καὶ γονάτων. κεφαλῆς μὲν διὰ μέσης γενειάδος κατ' Εὐριπίδην, ἢ ἀνθερεῶνος καθ' Ὅμηρον, διὰ τὸ ἡγεμονικόν· ἐν αὐτῇ γὰρ τὸ λογιστικόν· δεξιᾶς δὲ, διὰ τὸ πρακτικόν· γονάτων δὲ διὰ τὸ κινητικὸν, ἢ βαδιστικόν· καὶ ἤθελον συμβολικῶς τοὺς ἱκετευομένοις παρακαλεῖν, διὰ μὲν τῆς κεφαλῆς εἰς τὸ συνθέσθαι, καὶ κατανεῦσαι· διὰ δὲ τῆς δεξιᾶς εἰς τὸ πρᾶξαι· διὰ δὲ γονάτων εἰς τὸ κινηθῆναι πρὸς ἃ ζητοῦνται, ἢ καὶ ἐπικλασθῆναι τὴν ψυχὴν, καὶ καμφθῆναι, οἷς ἱκετεύονται. καὶ γὰρ ἐν τοῖς γόνασι μάλιστα κλᾶται τὸ σῶμα. *Apud antiquos moris id fuit cùm ſupplicabant, vt eius quem precabantur, caput, manum dexteram & genus contingerent. Caput ſiue per medias malas vt apud Euripidem, ſiue per mentum, vt maluit Homerus, propter principatum, propterea quòd in capite ratio domicilium collocauit. Dexteram propter actionem, genua ob motionem atque progreſſum. Et his ſignis eos, quibus ſupplicabant, hortari volebant, per caput vt conſentirent atque annuerent: per dexteram, vt manum operi admouerent; per genus, vt ad ea quæ poſcebantur, ipſi mouerentur, & animum eo curuarent, atque inflecterent. In hac enim parte corpus potiſſimùm incuruatur.*

Supplices quas partes corporis attingerent.

VII. SENATVM HABERE LICERET.] Si M. Varronis epiſtolam ad Oppianum, cuius meminit Gellius libro 14. cap. 7. Noct. Attic. præ manibus haberemus, facilè eſſet definire, *Quibus diebus haberi Senatum ius non eſſet.* Sed quoniam nos ea deficit, & rem doctiſſimus Paulus Manutius libro de Senatu Romano veſtigiis omnibus ſagaciter odoratus eſt, quæ fuſiùs ab eo dicta ſunt in pauca contrahemus. ita tamen, vt nobis liberum eſſe velimus, cùm videbitur, ab eo diſcedere. Cæſar libro I. de bello ciuili Pompeiano, è ſeptem primis menſis Ianuarij diebus quinque fuiſſe docet quibus Senatus haberetur. Eius verba ſunt. *Hæc Senatuſconſulta perſcribuntur, ad ſeptimum Idus Ianuarij. Itaque quinque primis diebus quibus Senatus haberi potuit, biduo excepto comitiali, & de imperio Cæſaris & de ampliſſimis viris Tribunisplebis, grauiſſimè acerbiſſiméque decernitur.* Horum quinque dierum primus fuit ipſæ Calendæ Ianuarij, quibus habitum S. C. à Cicerone deſcribitur. Secundus fuit IV. Nonas, qui Calendas proximè ſequitur, ſiquidem Attilius hic affirmat *ſe poſtero die moram nullam eſſe facturum.* Tres igitur ſuperſunt dies ad VII. Idus quibus Senatum habere licebat. De cæteris vſque ad Idus nihil habeo compertum, niſi quod ſextum Idus Senatorium fuiſſe conſtat ex epiſt. 3. lib. 2. ad Quintum fratrem. *Ad VII. Idus Senatus ad Apollinis fuit, vt Pompeius adeſſet. Acta res eſt grauiter à Pompeio. eo die nihil profectum eſt. Ad VI. Idus ad Apollinis S. C. factum eſt.* Quod Manutius non aduerterat. Addit IV. Idus comitialem non fuiſſe, quòd omnibus diebus quartis ante Calendas, Nonas, Idus, agi cum populo nefas eſſet, ob Cannenſem cladem ad IV. Nonas Sextiles acceptam. Sed non neceſſe eſt, vt arbitror, vt ſi dies ille comitialis non fuit, continuò Senatorium fuiſſe fateamur. Quare dicamus de quatuor diebus illis inter Sextum Idus & ipſas Idus interiectis non liquere. Reſtat vt ab Idibus Ianuarij ad Calendas Februarias quot fuerint Senatorij dies, paucis videamus. IDIBVS certè & poſtridie, qui dies XIX. erat Calendas Februarij, Senatus haberi potuit; vt conſtat è Cicerone epiſtolâ ad Lentulum ſecundâ. *Idibus Ianuariis in Senatu nihil eſt confectum*, &c. *Itaque poſtridie placuit vt ſententias breuiter diceremus.* De decimo octauo Calendas Februarij nihil habeo quod affirmem, nec certum antiqui ſcriptoris veſtigium cui tutò poſſim inſiſtere: diebus duobus ſequentibus Senatus, vt videtur, poterat conuenire. videlicet XVII. & XVI. Calendas Februarias. Noſter eadem epiſtola cùm dixiſſet. *Hæc ſcripſi ad XVI. Calendas Februarias ante lucem. eo die Senatus erat futurus.* ſubiecit. *De his rebus pridie quàm hæc ſcripſi Senatus auctoritas grauiſſima interceſſerat, cui cùm Cato & Caninius interceſſiſſent, tamen eſt præſcripta.* pridie autem quam hæc ſcriberet fuit XVII. Calendas. Quamquam ex eo quòd Senatus auctoritas perſcripta ſit, non ſequitur eum legitimum fuiſſe Senatus habendi diem: quin imò videtur inſinuari contrarium: tum enim non Senatus Conſultum fieri, ſed auctoritas perſcribi dicebatur, ſi Senatus alieno loco aut tempore conueniret. Dio libro 55. Εἴ ποτ' ἐν τόπῳ τινὶ μὴ νενομισμένῳ, ἢ ἡμέρᾳ μὴ καθηκούσῃ, ἢ καὶ ἔξω νομίμου παραγγέλματος, ἠθροίσθησαν. *Cùm aut loco, aut tempore alieno, aut nullo legitimo edicto vocati conuenerant.* Neque verò in tanta animorum contentione, tantis partium altercationibus, Ptolemæo rem vrgente, hinc Pompeij, inde Lentuli amicis annitentibus crediderim, aut legitimum numerum, aut magiſtratus edictum defuiſſe. Quare facta fuit Senatus auctoritas, non Senatus Conſultum vel quod interceſſiſſent Tribuni, vt hîc inſinuatur, vel quod alieno die Senatus vocatus eſſet. De XVI. Calend. Februarij iam ex dictis res eſt extra controuerſiam. Adde epiſtolam 4. ad Lentulum. *Ad XVI. Calendas Februarij, cùm in Senatu pulcherrimè ſtaremus*, &c. E quibus mireris quid Paulum Manutium virum ſanè eruditum induxerit, vt hæc litteris mandaret: *Tantùm enim vſque ad* XVIII. *Calendas Februarij Senatus haberi potuit, nam poſt* XVIII. *Calendas Puppia lex haberi Senatum vetabat.* ídque poſtea ſemel & iterum inculcaret. Id, opinor, quod & Quirinaliorum diem XVIII. Calendas fuiſſe ſuſpicabatur, & apud Tullium ſcribi putarat non ad XVI, vt omnia, quæ viderim, exemplaria habent, ſed ad XVIII. Cæteris ſedecim diebus ad Calendas Februarij Senatus non habebatur, ſed erant omnes ij dies habendis comitiis, lege Puppia deſtinati. Nam eadem epiſtola quarta ad Lentulum, poſtquam de S. C. ad XVI. Calendas Febr. habito ſcripſit, ita ſubdit. *Senatus haberi ante Calendas Februarias per legem Puppiam, id quod ſcis, non poteſt: neque menſe Februario toto niſi perfectis aut reiectis legationibus.* Et libro ſecundo ad Quintum fratrem epiſtola 12. facit legis Puppiæ mentionem. *Comitialibus diebus qui Quirinalia ſequuntur Appius interpretatur non*

Quibus diebus Senatum habere liceret.

impediri ſe lege Puppia quo minùs habeat Senatum, &c. Sed vt finiam, vides non multos fuiſſe dies, cùm vt cæteros omittam, de quibus non liquet, comitia ſibi duos ex initio menſis, & ſedecim è Ianuarij fine decerperent. Superſunt quindecim dies, è quibus ſex duntaxat Senatorios fuiſſe conſtet. de cæteris nouem viderint eruditi.

Cæterùm abs re non fuerit tabulam exhibere, quàm ex Smetio Fichetus noſter Choro Poëtarum poſt Ouidij Faſtos intexuit, Faſtos quales Cn. Flauius Scriba publicaſſe ac populo Romano tradidiſſe dicitur, continentem. In qua littera C. Comitialem diem ſignificat, F. Faſtum, N. Nefaſtum. N.P. interciſum.

I. A. K. IAN. F.
II. B. C.
III. C. C.
IV. D. C.
V. E. NONÆ.
VI. F. FASTVS DIES.
VII. G. COMITIA.
VIII. H. COMITIA.
IX. A. F.
X. B. N.
XI. C. CARMENTALIA.
XII. D. C.
XIII. E.
XIV. F. DIES VITIOSVS ex S. C. &c.

Cæteri deinceps ad primum & triceſimum littera C. notantur, præter triceſimum qui litteram N. affixam habet. Iuxta quam tabulam præter octo dies, toto menſe Ianuario cæteri comitiales ſunt, ac proinde octo tantùm illi Senatorij eſſe potuerunt. Sed præſtare non auſim illius tabulæ veritatem, cùm præſertim non vſquequaque cum ſupradictis è Cicerone conſentiat.

AXIOMATA.

Expetendum eſt vt omni populari concitatione defungamur.

Vel vna nox longa eſt rei cuiuſpiam expectatione ſuſpenſis.

ARGVMENTVM.

Aduerſariorum technas ad impediendum quo minùs ex S.C. lex de ipſius reditu ferretur, ſeditiones concitatas, ſtrages editas, Tribunos plebis vi depulſos, Quintum fratrem penè interemptum deſcribit.

LXXV. CVM omni mora, ludificatione, calumnia, Senatus auctoritas impediretur, venit tandem conſilij de me agendi dies, VIII. Kalend. Febr. Princeps rogationis vir mihi amiciſſimus Q. Fabricius, templum aliquanto ante lucem occupauit. Quietus eo die Sextius, is qui eſt de vi reus, actor hic, defenſórque cauſſæ meæ nihil progreditur, conſilia exſpectat inimicorum meorum.

LXXVI. Quid illi, quorum conſilio P. Sextius in iudicium vocatur, quo ſe pacto gerunt? cùm forum, comitium, curiam multa de nocte armatis hominibus, ac ſeruis pleriſque occupauiſſent, impetum faciunt in Fabricium, manus afferunt, occidunt nonnullos, vulnerant multos, venientem in forum virum optimum, & conſtantiſſimum M. Ciſpium Tribunum pleb. vi depellunt. cædem in foro maximam faciunt, vniuerſíque diſtrictis gladiis, & cruentis in omnibus fori partibus fratrem meum virum optimum, fortiſſimum, meíque amantiſſimum oculis quærebant, voce poſcebant: quorum ille telis libenter in tanto luctu, ac deſiderio mei, non repugnandi, ſed moriendi cauſſa corpus obtuliſſet ſuum, niſi ſuam vitam ad ſpem mei reditus reſeruaſſet, ſubiit tamen vim illam nefariam conſceleratorum latronum: & cùm ad fratris ſalutem à populo Romano deprecandam veniſſet, pulſus è roſtris, in comitio iacuit, ſéque ſeruorum, & libertorum corporibus obtexit, vitámque tum ſuam noctis, & fugæ præſidio, non iuris, iudiciorúmque, defendit.

EXPLANATIO.

CVM OMNI.] Cùm aduerſarij mei duce Clodio concitati Tribuniſplebis legem de meo reditu promulgaturis primo quoque tempore, omnes morandi reíque differendæ prætextus innecterent, cùm omnes eorum qui mihi fauebant conatus eluderent, cum omni calliditate & verſutiâ obſtarent, quo minùs ex Senatus auctoritate cum populo de meo reditu ageretur, illuxit tandem vigeſimus tertius Ianuarij dies, vltra quem differri non potuit.

CONSILII AGENDI.] De meo reditu conſultandi & deliberandi. Alij legunt, *In co-*

initio de me agendi. commodiùs ad ſenſum, ſed audaciùs ad ſcripturam. Quid ſi legeremus? *Concilij de me habendi.* Hanc coniecturam adiuuat, quod non Conſules ſed Tribuniplebis illa comitia conuocarint, quibus Fabricius Princeps rogationis videtur præfuiſſe. Siquidem, vt ait Gellius cap. 27. lib. 15. noct. Attic. de Lælij Felicis ſententiâ: *Is qui non vniuerſum populum, ſed partem aliquam adeſſe iubet, non comitia, ſed concilium edicere debet. Tribuni autem neque aduocant Patritios, neque ad eos referre vlla de re poſſunt.* Ego verò hanc lectionem obuiis vlnis amplecterer, niſi pro domo ſua 90. *Omnes principes ciuitatis, omnes ordinum atque ætatum omnium ſuffragium de ſua ſalute* tuliſſe dixiſſet. Sed fortaſſe non eſt quod rem ad viuum adeo reſecemus: neque adeo neceſſe fuit verborum proprietatem vſquequaque ſectari: quare rem in medium relinquo.

PRINCEPS ROGATIONIS.] Qui rogationem ita ferebat, vt ipſe princeps eſſet, reliqui Tribuniplebis rogationi ſubſcriberent.

TEMPLVM.] Vel templum Caſtoris intelligit, ex quo rogationes promulgabant, vel forum, roſtra, comitium hac voce continentur. Templum enim dicitur locus omnis augurio conſecratus.

QVID ILLI.] Clodius cum ſua factione, qui auctor fuit M. Tullio Albinouano vt Sextium de vi accerſeret. Aduerte orationem membris conciſam & quaſi tumultuantem, qua tumultus aptè deſcribitur.

FORVM.] Locum illum & plateam ſacræ viæ coniunctam, vbi iudicia fieri, cum populo agi, conciones haberi ſolent.

COMITIVM.] Locum fori ſacratiorem, & reliquo, vt videtur, foro auguratiorem ad columnam Mæniam in faucibus Sacræ viæ ſitum, vbi & Puteal. Varro libro 4. de lingua Latina. *Comitium ab eo quòd coibant eo comitiis curiatis, & litium cauſsâ.*

CVRIAM.] Varro ibidem: *Curiæ duorum generum, nam & vbi curarent Sacerdotes res diuinas, vt curiæ veteres. & vbi Senatus humanas, vt Curia Hoſtilia, quod primus ædificauit Hoſtilius Rex. ante hanc Roſtra*, &c. Hanc autem Hoſtiliam curiam hoc loco intelligit. Cætera ſequenti numero contenta perſpicua ſunt.

AD FRATRIS SALVTEM.] Meam ipſius.

E ROSTRIS.] E ſuggeſtu ante Curiam Hoſtiliam poſito, vnde Oratores ſuas habebant conciones. Inde vocabulum, vt Liuius & Varro teſtantur, quod ibi ex hoſtibus capta nauium fixa ſint roſtra.

NOTÆ.

I. Calumnia. CALVMNIA.] vernaculè, *ſupercherie.* poſt reditum in Senatu 26. *Méque, etiamſi diutius calumniarentur, redire iuſſiſtis.* pro domo ſua 36. *Ne qua calumnia, ne qua fraus, ne quis dolus adhibeatur.* pro Milone 75. *Non calumnia litium, non iniuſtis vindiciis ac Sacramentis.* vide locum.

II. SENATVS AVCTORITAS.] Propriè Senatus auctoritas. nam vt auctor eſt Dio lib. 55. ἐναντιωθέντων τινῶν δημάρχων. *intercedentibus quibuſdam Tribunis plebis.* ἥ γε γνώμη συνεγράφετο, οὐ μέντοι καὶ τέλος τι, ὡς κεκυρωμένη ἐλάμβανεν· ἀλλ' αὐκτώριτας ἐγίγνετο. *Perſcribebatur quidem ſententia: non tamen tanquam rata & fixa eſſet, vim obtinebat, ſed fiebat auctoritas.* quod etiam è dictis ſuperiore paragrapho poteſt explicari. vide in Piſonem §. 50. *Et auctoritate Senatus, & ſorte.* Senatus auctoritas.

TEMPLVM.] Dixi forum & roſtra potiſſimùm intelligi. in Vatinium 24. *Indicem in Roſtris in illo, inquam, augurato templo ac loco collocaris.* Vide eandem orationem 5. vbi plures templi acceptiones proferemus. III. Templum.

ANTE LVCEM.] Non vt iam tum cum populo ageret. id enim nefas. Dio 39. exeunte. Οὐκ ἐξὸν ἐκ τῶν νόμων πρὶν πρώτην ὥραν γενέσθαι, ἐν τῷ δήμῳ τι χρηματισθῆναι. *Cùm legibus non liceret ante primam horam cum populo quicquam agere.* Sed ne poſſet aditu prohiberi, vnde & inimicis obiicit quod forum & curiam multa de nocte occupauerint, quod ſine dubio non habendæ concionis, ſed vis inferendæ ſtudio faciebant. IV. Ante lucem cum populo agi nefas.

CONSILIA EXPECTAT INIMIC.] Iure ex hoc capite Sextij innocentiam oſtendit, quia vt infra dicetur, *audaces homines & perditi nutu impelluntur, & ipſi etiam ſua ſponte incitantur, boni neſcio quo modo tardiores ſunt, & principiis rerum neglectis ad extremum ipſa denique neceſſitate excitantur.* Qua de re vide apud Thucydidem libro 1. orationes Archidami & Stenelaidæ in vtramque partem. Poſterior τιμωρητέα ἐν τάχει καὶ παντὶ σθένει. καὶ ὡς ἡμᾶς πρέπει βουλεύεσθαι ἀδικουμένους, μηδεὶς διδασκέτω. ἀλλὰ τοὺς μέλλοντας ἀδικεῖν, μᾶλλον πρέπει πολὺν χρόνον βουλεύεσθαι. *Pœnæ celeriter & omnibus viribus ſunt exigendæ. Et nemo nos doceat conſultandum eſſe nobis iniuria affectis. Sed eos qui iniuriam inferunt, magis conuenit rem diu conſultare.* Et Demoſthenes 1. Philippica ſuos Athenienſes pulchrè reprehendit, quòd hoſtis conſilia ſemper expectarent, nec vnquam præuenirent. Τούτων μὲν μέχρι τῆς τήμερον ἡμέρας οὐδενὶ πώποτε ἐν δέοντι κέχρησθε, οὐδενὸς δ' ἀπολείπεσθε, ὥσπερ δ' οἱ βάρβαροι πυκτεύουσιν, οὕτω πολεμεῖτε Φιλίππῳ. Καὶ γὰρ ἐκείνων ὁ πληγεὶς, ἀεὶ τῆς πληγῆς ἔχεται, κἂν ἑτέρωσε πατάξῃ τις, ἐκεῖσέ εἰσιν αἱ χεῖρες. προβάλλεσθαι δὲ ἢ βλέπειν ἐναντίον οὔτ' οἶδεν, οὔτ' ἐθέλει. Καὶ ὑμεῖς ἐὰν ἐν Χερσονήσῳ πύθησθε Φίλιππον, ἐκεῖσε βοηθεῖν ψηφίζεσθε· ἐὰν ἐν Πύλαις, ἐκεῖσε. ἐὰν ἄλλοθί που συμπαραθεῖτε ἄνω καὶ κάτω. καὶ στρατηγεῖσθε μὲν ὑπ' ἐκείνου, βεβούλευσθε δ' οὐδὲν αὐτοῖς συμφέρον περὶ τοῦ πολέμου· οὐδὲ πρὸ τῶν πραγμάτων προορᾶτε, οὐδὲ πρὶν ἂν ἢ γεγενημένον, ἢ γιγνόμενόν τι πύθησθε. *Ne harum quidem rerum in hodièrnum vſque diem vlla vnquam oportunè eſtis vſi, cùm nulla ſitis deſtituti.* Sic malo interpretari quàm cum Volphio. *Neminem non ſequimini.* pergit. *Et vt barbari pugiles dimicare ſolent, ita vos bellum geritis cum Philippo. Ex iis enim is qui ictus eſt, ictui ſemper inhæret: quòd ſi eum alibi verberes, illò manus transfert. Ictum autem depellere.* malim, *Laceſſere autem aut contra intueri neque ſcit, neque vult. Ita & vos: Si eſſe in Cherſoneſo Philippum auditis, illuc mittenda eſſe auxilia decernitis. Si in Pylis, illuc itis. Si alibi vſpiam, aſſectamini ſurſum & deorſum, & eum, vt ducem milites ſequimini: neque* V. Boni ſunt tardiores. Mali ſua ſponte incitantur.

vllum vobis vtile de belli gerendi ratione conſilium initis: neque proſpicitis antequam aut factum eſſe aliquid, aut fieri auditis. Sed vtvt res habeat in bellis externis, in diſcordiis ciuilibus videntur expectanda inimicorum conſilia, cùm vim ſola neceſſitas excuſet.

AXIOMATA.

Seditioſi non ſunt qui non progrediuntur ipſi, conſilia expectant inimicorum ſuorum.

Magna perturbatio eſt cùm vitam noſtram noctis, & fugæ præſidio, non iuris iudiciorúmque defendimus.

ARGVMENTVM.

Cædem in foro factam tum ex effectis, tum ex antecedentibus & ſeditioſorum apparatu exaggerat, eámque demonſtrat non caſu vel ex aliqua concertatione animorum, ſed ex compoſito & ex conſpiratione contigiſſe.

LXXVII. MEMINISTIS tum, iudices, corporibus ciuium Tiberim compleri, cloacas referciri, è foro ſpongiis effingi ſanguinem, vt omnes tantam illam copiam, & tam magnificum apparatum, non priuatum aut plebeium, ſed Patricium, & Prætorium eſſe arbitrarentur, nihílque neque ante hoc tempus, neque hoc ipſo turbulentiſſimo die criminandum Sextium. Atqui vis in foro verſata eſt. certè quando enim maior? lapidationes perſæpe vidimus: non ita ſæpè, ſed nimiùm tamen ſæpè, gladios; cædem verò tantam, tantos aceruos corporum exſtructos, niſi fortè illo Cinnano, atque Octauiano die, quis vnquam in foro vidit? qua ex concertatione animorum? nam ex pertinacia, aut conſtantia interceſſoris oritur ſæpè ſeditio, culpa, atque improbitate latoris, commodo aliquo imperitis, aut largitione propoſita: oritur ex concertatione magiſtratuum: oritur ſenſim ex clamore primùm, deinde aliqua diſceſſione concionis: vix ſerò, & raro ad manus peruenitur. nullo verò verbo facto, nulla concione aduocata, nulla lege, concitatam nocturnam ſeditionem quis audiuit?

EXPLANATIO.

MEMINISTIS.] Incipit ab effectis & conſequentibus ſtragis magnitudinem oſtendere. vbi nota ſingulorum verborum pondus & momentum. *Meminiſtis.* Iudicum memoriam atteſtatur, quia res magnitudine ſua notabiles & inuſitatæ, præſertim aſperæ magis in animum deſcendunt, & altiores agunt in memoria radices. *Iudices.* quorum eſt vim prohibere, & refrenare ſceleratorum audaciam. *Corporibus.* maluit dicere, quàm *cadaueribus*, quaſi ſpirantes adhuc, & ſuo quaſi letho ſuperſtites fuerint proiecti. *Ciuium.* quod longè atrociùs quàm ſeruorum aut exterorum.

TIBERIM.] Quia miſerum putabant in aquis ſepeliri, & à piſcibus laniari. *Compleri.* Quod ſine maxima ſtrage fieri non potuiſſet. *Cloacas.* locum impurum & ſolis ſordibus excipiendis idoneum, atque adeò ſepulturâ ciuium penitus indignum. *Referciri,* cùm tamen eſſent ingentis magnitudinis.

SPONG. EFFVNDI SANGVINEM.] Legit Seruius 8. Æneidos, *effingi,* & explicat *extergi, ſiccari.*

VT OMNES.] Hactenus ab effectis, nunc à cauſſa, & apparatu idem oſtendit. Tanta fuit illa ſtrages, vt omnes facilè ſibi perſuaderent eam ſeruorum gladiatorúmque turbam, quam Pub. Clodius in forum immiſerat, non eſſe ab eo collectam, qui tum & priuatus erat, iam depoſito Tribunatu plebis nondum accepta ædilitate curuli, & ad plebem tranſierat, adoptatus à Fonteio, ſed ab Appio Clodio ipſius fratre, qui & Patricius erat, & tum Præturam gerebat, commodatam. Atque id quidem verum fuit. non aſſerit tamen orator, ſed ex communi opinione refert, vel quòd parum attineat ad cauſſam rei veritatem inquirere, vel quòd offenſionem Metelli Nepotis vereatur. Nepos enim etſi Calendis Ianuariis, in gratiam cum Cicerone abſente redierat, nondum tamen à Clodio fratre ita diſceſſerat, vt non in multis eius ſceleribus conniueret. vt videre eſt apud Dionem libro 49. & infra 89. *Ecce tibi Conſul, Prætor, Tribunusplebis noua noui generis edicta proponunt, ne reus adſit, ne citetur.*

ATQVI.] Obiectio aduerſarij: *Vis in foro verſata eſt. Ergo damnandus eſt de vi Sextius.* Antecedens non ſolùm concedit Orator, ſed etiam per aliarum ſeditionum comparationem cædis atrocitatem exaggerat.

CINNANO ATQVE OCT.] Quod die Cinna & Cn. Octauius Conſules inter ſe mutuo diſſidentes magnam ciuium ſtragem ediderunt.

IN FORO.] Benè *in foro*, non *in vrbe:* nam iam antè Sulpitius & Albinouanus collatis etiam ſignis in vrbe cum Sulla pugnarant, qui vt auctor eſt Florus, *Eſquilinâ Collináque porta geminum vrbi agmen infuderat.* Verùm eam pugnam, non in foro, ſed ad Eſquilinam portam fuiſſe

pugnatam tradit Appianus.

Qva ex concert.] legit Lambinus, *Quis vnquam in foro vidit, ſine aliqua concertatione animorum?* Sed hoc eſt contra fidem hiſtoriæ. Siquidem Cinnano illo & Octauiano die, nonnulla concertatio, verborúmque ſaltem & clamorum velitatio præceſſerat, vt auctor eſt idem Appianus. Senſus eſt igitur. Iſta cædes à Clodianis edita ex qua animorum concertatione manauerat? ſanè ex nulla. E quibus infert non fortuitam hanc fuiſſe pugnam, ſed ex compoſito & condicto concinnatam.

Nam ex.] Vt hanc ſtragem oſtendat fortuitam non fuiſſe, ſed præmeditatam & de induſtria comparatam, ab ea remouet omnes cauſſas à quibus fortuitæ contentiones oriuntur. Et primo quidem oriri dicit, ex interceſſoris, id eſt, Tribuniplebis obſtantis & legem ferri prohibentis pertinaciâ vel conſtantiâ. pertinaciâ ſi malam, conſtantiâ ſi bonam cauſſam tueatur: deinde ex improbitate eius qui fert legem, cùm interceſſioni non paret. Denique ex cupiditate plebis quæ ſpe largitionis propoſitâ, non continuò tamen excandeſcit, ſed Tribunorum concionibus, quaſi quodam ſeditionis flabello ventilata paulatim accenditur.

NOTÆ.

I. Meministis.] Eodem penè flexu 6. Æneidos.

Namque vt ſupremam falſa inter gaudia noctem
Egerimus noſti, & nimiùm meminiſſe neceſſe eſt.

Cui dolet meminit.

Noſter pro lege Manilia 19. *Mithridates initio belli Aſiatici docuit id quod certè calamitate docti memoria retinere debemus.*

II. Tiberim compleri.] Hinc Poëtæ ſtragis magnitudinem frequenter oſtendunt. Maro 5. Æneidos.

--Gemeréntque repleti
Amnes, nec reperire viam atque euoluere poſſet
In mare ſe Xantus.

lib. 1. *-Vbi tot Simoys correpta ſub vndis*
Scuta virûm, galeáſque & fortia corpora voluit.

De Tiberi nominatim 6. & 8. Æneidos. Statius, Silius, & alij frequenter, poſt magiſtrum, qui Xanthum Achilli ſic loquentem inducit Iliados φ.

Fluuij repleti cadaueribus.

Πλήθει γὰρ δή μοι νεκύων ἐρατεινὰ ῥέεθρα
Οὐδέ τί πῃ δύναμαι προχέειν ῥόον εἰς ἅλα δῖαν
Στεινόμενος νεκύεσσι.

Nam mea corporibus cõplentur flumina functis,
Nec poſſum reperire viam atque euoluere fluctus
In mare, ſtipatis cæſorum arctatus aceruis.

III. Cloacas refercīri.] Hinc ſtragis magnitudo etiam oſtenditur. Nam Plinius lib. 36. cap. 15. vocat. *Cloacas operum omnium dictu maximum, ſuffoßis montibus, vrbe penſili, ſubterque nauigata vrbe.* Dionyſius Halicar. lib. 3. τὰς ὑπονόμους *cloacas ſiue meatus ſubterraneos* fuiſſe dicit, τάφρους δι' ὧν ἐπὶ τὸν Τίβεριν ὀχετεύεται ὕδωρ, ἔργα θαυμαστὰ καὶ κρείττω λόγου. *Foſſas quibus ad Tiberim corriuatur aqua, opus mirabile, & quod nullius oratione poßit explicari.* E quarum ſtructura ait imperij Romani magnitudinem iudicari: quæ ſtructura quantæ fuerit impenſæ ex eo demonſtrat, quòd Γάϊος Ἀκίλιός φησιν ἀμεληθεισῶν ποτε τῶν τάφρων, καὶ μηκέτι διαῤῥεομένων, τοὺς τιμητὰς τὴν ἀνακάθαρσιν αὐτῶν καὶ τὴν ἐπισκευὴν χιλίων μισθῶσαι ταλάντων. *Caius Aquilius auctor eſt, cloacis aliquando neglectis, cùm amplius fluere non poſſent, earum purgationem & inſtaurationem mille talentis locatam fuiſſe à cenſoribus.* Ex quibus videas quanta tandem ſtrages ea fuerit, qua tam immanes cloacæ refertæ dicuntur.

Cloacæ.

Spongiis effingi.] Ita legit Seruius in illud Octaui Æneidos. IV.

Effingere

-Illam tereti ceruice reflexâ
Mulcere alternos & corpora fingere linguâ.

Laudátque Catonem de re ruſtica cap. 49. *fuſcinas ſpongiâ effingat.*

Patricivm et Prætorivm.] Dio lib. 39. V. Ἐν αὐτῇ τῇ διαψηφίσει ὁ Κλώδιος γνοὺς τὸ πλῆθος πρὸς τοῦ Κικέρωνος ἐσόμενον, τοὺς μονομάχους, οὓς ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ πρὸς ἀγῶνας ἐπιταφίους ἐπὶ τῷ Μάρκῳ τῷ συγγενεῖ προπαρεσκευάσατο, λαβὼν, ἐσεπήδησεν ἐς τὸν σύλλογον, καὶ πολλοὺς μὲν ἔτρωσε, πολλοὺς δ' ἔκτεινεν. *In ipſa ſuffragiorum latione aduertens Clodius multitudinem pro Cicerone futuram, acceptis gladiatoribus quos eius frater ad funebres Marci conſanguinei ludos comparauerat, impetum fecit in concionem, & multos vulnerauit, multos etiam interemit.*

Gladios.] Grammatici gladij nomen ab inferenda clade deriuant. illud magis ad rem quod refert Appianus 1. ciuilium. VI. Ξίφος δ' οὐδέν πω παρενεχθὲν εἰς ἐκκλησίαν, οὐδὲ φόνον ἔμφυλον, πρίν γε Τιβέριος ὁ Γράκχος δημαρχῶν, καὶ νόμους ἐσφέρων, πρῶτος ἐν στάσει ἀπώλετο, &c. καὶ οὐκ ἀνέσχον ἔτι αἱ στάσεις ἐπὶ τῷδε τῷ μύσει. *Nullum ad id tempus gladium in concionem illatum fuiſſe aut cædem ciuium patratam, priuſquam Tiberius Gracchus Tribunusplebis leges ferens in ſeditione necatus eſſet, &c. neque piaculo hoc admiſſo ſeditiones ampliùs defuerunt.* Græcis tamen (vt Germanos & Parthos taceam) moris id fuit, vt ad conciones armati procederent. vnde & Telemachus 2. Odyſſ.

Gladij quando primùm illati in concionem.

Βῆ ῥ' ἴμεν εἰς ἀγορὴν, παλάμῃ δ' ἔχε χάλκεον ἔγχος.
Ille forum petit, & dextra tenet arduus haſtam.

Græci olim armati in cõcionem veniebant.

Πᾶσα γὰρ ἡ Ἑλλὰς ἐσιδηροφόρει. *Omnis enim Græcia gladios ferebat.* vt notat Thucydides præfatione ſuæ hiſtoriæ. Πρῶτοι δ' Ἀθηναῖοι τόν τε σίδηρον κατέθεντο, καὶ ἀνειμένῃ τῇ διαίτῃ ἐς τὸ τρυφερώτερον μετέστησαν. *Primi verò Athenienſes & ferrum poſuerunt, & remiſſa veniendi ratione ad maiorem mollitiem tranſierunt.* Seueris etiam alibi legibus ſancitum eſt, ne ferrum quiſquam in concionem inferret: vnus exempli cauſſâ Diodorus Siculus, vel potiùs, ne Græca lectori ſint faſtidio, Valerius Maximus lib. 6. cap. 5. ſuffecerit, de Charonda Thurio ita narrans: *Ad vim & cruorem vſque ſeditioſas conciones ciuium pacauerat. lege cauendo, vt ſi quis eas cum ferro intraſſet, continuo interficeretur: interiecto deinde tempore ex longinquo rure gladio accinctus domum repetens, ſubitò indicta concione, ſicut erat, in eam proceßit: ab eóque qui proximè conſtiterat ſolutæ à ſe legis ſuæ monitus: idem ego, inquit, illam ſanciam: ac protinus ferro, quod habebat, diſtricto incubuit.* verba Diodori referemus pro Milone 19.

Charõdas ad ſanciendam ſuam legem ſeipſum interficit.

Acervos corporvm.] Xenophon libro 4. de rebus Græcanicis Corinthiam cladem ita deſcribit. VII. Οὕτως ἐν ὀλίγῳ πολλοὶ ἔπεσον, ὥστε εἰθισμένοι ὁρᾶν οἱ ἄνθρωποι σωροὺς σίτου, ξύλου, λίθων, τότ' ἐθεάσαντο σωροὺς νεκρῶν. *Tam multi pauco tempore ceciderunt, vt homines aceruos frumenti, ligni, lapidum videre ſoliti tum aceruos corporum adſpexerint.* Noſter 3. in Catilinam, *aceruis corporum.* vt

Aceruicorporum.

proximâ notâ referemus. Catullus de Nuptiis Pelei & Thetidos:

Cuius iter cæſis anguſtans corporum aceruis
Alta tepefaciet permixtâ flumina cæde.

VIII. Cinn. atqve Octav. die.] Velleius lib. 2. *Cùm ita ciuitas Italiæ data eſſet, vt in octo tribus contribuerentur noui ciues, ne potentia eorum & multitudo veterum ciuium dignitatem frangeret, plúſque poſſent recepti in beneficium, quàm auctores beneficij, Cinna in omnibus tribubus eos ſe diſtributurum pollicitus eſt: quo nomine ingentem totius Italiæ frequentiam in vrbē acciuerat.* Quam legem ferre voluit, vt auctor eſt Florus, *cinctâ gladiis concione.* hinc orta ſeditio, ſed ab Octauianis victus, & vrbe eiectus eſt. Sed vide Iulium Exuperantium, Plutarchum in Mario, Appianum primo ciuilium. Noſter 3. in Catilinam. *Cn. Octauius Conſul armis ex vrbe collegam ſuum expulit. omnis hic locus aceruis corporum & ciuium ſanguine redundauit.*

Cinnæ & Octauij diſſenſiô.

IX. Oritvr sensim.] Sic ab Homero Iliados δ. Ἔρις ἄμοτον μεμαυῖα.
Contentio inſatiabiliter furens. deſcribitur,

Contentio.

Ἥ τ᾽ ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα
Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη, καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει.
Parua quidem primò, mox ſeſe attollit in auras
Ingreditúrque ſolo, & caput inter nubila condit.

X. Intercessoris.] Triplex videtur fuiſſe Tribunorum interceſſio: nam Senatusconſultis, legum rogationibus, Conſulum, cæterorúmque magiſtratuum actionibus intercedebant. De Senatusconſultis ſupra 74. *Nec auſus eſt, cùm eſſet emptus, intercedere: noctem ſibi ad deliberandum poſtulauit.* pro Milone 14. *Reliqua auctoritas Senatus empta interceſſione ſublata eſt.* vide Notas fusè. Intercedebant legum rogationibus: vt Cato Metelli Nepotis rogationi de reuocando in Italiam Pompeio, vt dictum eſt ſupra 62. Appianus 1. ciuilium. Γράκχος ἐκέλευε τῷ γραμματεῖ τὸν νόμον ἀναγνῶναι. Μάρκος δὲ Ὀκτάουϊος δήμαρχος ἕτερος ὑπὸ τῶν κτηματικῶν διακωλύειν παρεσκευασμένος, καὶ ὢν παρὰ Ῥωμαίοις ὁ κωλύων δυνατώτερος, ἐκέλευε τὸν γραμματέα σιγᾶν. *Gracchus Scribæ iubebat vt legem recitaret. Marcus verò Octauius alius Tribunusplebis ad intercedendum à diuitibus ſubornatus, cùm apud Romanos maior ſit interceſſoris auctoritas, ſcribæ iubebat vt taceret.* Item: Λιβιόν τε Δροῦσον ἕτερον δήμαρχον ἔπεισεν ἡ βουλὴ κωλῦσαι τοὺς Γράκχου νόμους οὐκ ἐπιλέγοντα τῷ δήμῳ τὰς αἰτίας. δέδοται δὲ τῷ κωλύοντι μηδ᾽ ἐπιλέγειν. *Liuium Druſum alium Tribunumplebis induxit Senatus, vt nulla reddita facti ſui ratione, legibus Gracchanis intercederet. Id autem facere interceſſori permittitur.* Neque verò duntaxat legum, ſed etiam magiſtratuum comitiis intercedebant. Exemplo ſit illud ex Epitome Liuiana lib. 105. *Cùm C. Catonis Tribunimplebis interceſſionibus comitia tollerentur. Senatus veſtem mutauit.* Vide Dionem lib. 40. & alios paſſim. Intercedebant Conſulum actionibus, vt delectibus, & cæteris huiuſmodi: ídque tanta auctoritate, vt reluctantes nonnunquam in vincla compegerint. Epitome Liuij lib. 48. *P. Licinius Lucullus, Aulus Poſthumius Albinus Conſules, cùm delectum ſeuerè agerent, nec quemquam gratiâ dimitterent, à Tribunisplebis qui pro amicis ſuis vacationem impetrare non potuerunt, in carcerem coniecti ſunt.* Sed de Conſulibus in carcerem iuſſu Tribunorum compactis, plura dicemus in Vatinium 21. *Cùm eum tu Conſulem in vincla duceres, & à tabula Valeria collegæ tui mitti iuberent.* Tantùm aduerte, quod ex Epitome Liuij retulimus, non immeritò dubium videri. nam ij Conſules triennio ſaltem ante euerſionem Carthaginis fuerunt, & duodecim annis ante Tiberij Gracchi Tribunatum: at quinquennio tantùm ante id aggreſſi fuerant Tribuni plebis. Noſter 3. de Legibus. *Quid iuris bonis viris Tiberij Gracchi Tribunatus reliquit? Etſi quinquennio ante D. Brutum, & Pub. Scipionem Conſules, quos & quantos viros! homo omnium infimus & ſordidiſſimus Tribunusplebis C. Curiatius in vincula coniecit: quod antè factum non erat.* Sed vt ad inſtitutum redeamus, de interceſſione vide Halicarnaſſeum lib. octauo ſub finem.

Triplex interceſſio.

Senatusconſultis.

Legum rogationibus.

Magiſtratuū actionibus.

AXIOMATA.

Non tam rarò gladij videntur in concione, vt non nimiùm ſæpè videantur.

Ex pertinacia aut conſtantia interceſſoris oritur ſæpè ſeditio, culpâ atque improbitate latoris, commodo aliquo imperitis ac largitione propoſita.

Seditio plerumque oritur ex concertatione magiſtratuum.

ARGVMENTVM.

Oſtendit ſeditionem à Clodio ſubornatam fuiſſe, & rei indignitatem auget, ex eo quod vnus & idem Clodius, & vim fecerit, & accuſationem de vi ſubornarit.

LXXVIII. AN veriſimile eſt, vt ciuis Romanus, aut homo liber quiſquam cum gladio in forum deſcenderit ante lucem, ne de me ferri pateretur, præter eos qui ab illo peſtifero ac perdito ciue iampridem Reipub. ſanguine ſaginantur? Hîc iam de ipſo accuſatore quæro, qui P. Sextium queritur cum multitudine in Tribunatu, & cum præſidio magno fuiſſe, num illo die fuerit? certè non fuit. Victa igitur eſt cauſſa Reipub. & victa, non auſpiciis, non interceſſione, non ſuffragiis, ſed vi, manu, ferro. nam ſi obnuntiaſſet Fabricio is Tribunus pleb. qui ſeruaſſe de cœlo dixerat, accepiſſet Reſpub. plagam, ſed eam, quam acceptam gemere poſſet. Si interceſſiſſet collega Fabricio, læſiſſet Rempub. ſed Rempub. iure læſiſſet. Gladiatores tu nouitios, pro expectata ædi-

litate ſuppoſitos, cum ſicariis à carcere emiſſis ante lucem in forum immittas? magiſtratus templo deiicias? cædem maximam facias? forum purges? & cùm omnia vi, & armis egeris, accuſes eum, qui ſe præſidio munierit, non vt te oppugnaret, ſed vt vitam ſuam poſſet defendere?

EXPLANATIO.

PESTIFERO.] P. Clodio. Miloniana 3. *Quos P. Clodij furor rapinis & incendiis, & omnibus exitiis publicis pauit.*

DE IPSO ACCVSATORE.] M. Tullio Albinouano.

VICTA EST.] Dictorum exaggeratio, quod Clodiani non vſitatis rationibus legem impedierint, ſed vi & manu quãtum in ipſis fuit Reip. ſtatum conuellerint. Repulſi ſunt igitur, inquit, ij & è comitio deiecti qui legem de reditu meo ſalutarem Reipub. ferre cupiebant: repulſi ſunt, inquam. *non auſpiciis*, magiſtratu quopiam aut renuntiante ſe ſpectaſſe de cœlo, & tonitru audiiſſe, fulgur aut alia ſigna vidiſſe, quæ cum populo agi legéſve ferri prohiberent. *Non interceßione*, quopiam Tribunoplebis intercedente, & comitia prohibente, nullam reddendo facti ſui rationem: *Non ſuffragiis*, populo refragante, legémque promulgatam ſuis ſuffragiis repudiante.

NAM SI OBNVNT.] Turnebus & Lambinus è veteribus codicibus emendant. *Nam ſi obnuntiaſſet Fabricio is Prætor qui*, &c. Quod arridet: nam vt interceſſio ſolorum Tribunorum fuit, ita obnuntiatio quorumuis magiſtratuum. Adde quòd cauſſæ nihil fuit, cur, vt mox, ſi Tribunum dicturus erat, collegam non vocarit. Putem intelligi Appium Prætorem P. Clodij fratrem qui conatus eſt legem impedire.

QVAM ACC. GEM. POSSET.] fuiſſet ea plaga tolerabilior, nec adeò modum exceſſiſſet, vt omnem gemitum, querelam & lacrymas ſuperaret.

COLLEGA.] Tribunusplebis, puta Numerius aut Serranus.

IVRE LÆSISSET.] Vſus fuiſſet poteſtate legitimâ, populíque Romani iure ſancitâ.

NOVITIOS.] recens comparatos, nondum à laniſta ſatis eruditos & inſtructos.

ÆDILITATE.] Quam eodem tempore petebas, quo has ſeditiones in Repub. concitaſti. Ædilium verò fuit lucos exhibere: & eam ob rem ædilitatis candidati longè antè gladiatorum familias, belluas & cætera ad ludos neceſſaria ſibi comparabant.

FORVM PVRGES.] Manutius legit: *Forum ſpurces*: id eſt, ſanguine inficias, coinquines, contamines. nihil muto. *Purges*, vacues, exhaurias, populum diſſipes, diſiicias concionem.

NOTÆ.

I. SAGINANTVR.] Ad Athletarum & gladiatorum ſaginationem alludit, vt è ſequentibus conſtare poteſt. *Gladiatores tu nouitios.* Tertullianus de pallio cap. 4. *Et lutea vnctio, & puluerea volutatio, & arida ſaginatio.* Diuus Chryſoſtomus homilia 12. in epiſtolam ad Romanos malam conſcientiam cum gladiatoribus ad pugnam ſaginatis pulcherrimè comparauit. Sed tu vide. Galenus hortatione ad artes liberales de Athletis ait: ἐοικέναι τὸν βίον αὐτῶν ὑῶν διαγωγῇ· πλήν γε ὅσον οἱ μὲν ὕες οὐχ ὑπερπονοῦσιν, οὐδὲ πρὸς ἀνάγκην ἐσθίουσιν. οἱ δὲ καὶ ταῦτα πάσχουσι, καὶ ῥοδοδάφναις ἐνίοτε τὰ νῶτα διακναίονται. *Eorum viuendi ratio ſuibus videtur ſimilis: niſi quòd ſues vltra vires non laborant, neque neceßitate manducant. Illi verò & his obnoxij ſunt, & nonnunquam rhododaphnis terga lacerantur.* &, vt ait Tertullianus ad martyres, *robori ædificando vacant.* Ibidem Galenus: Σαρκῶν γὰρ ἀεὶ καὶ αἵματος ἀθροίζοντες πλῆθος, ὡς ἐν βορβόρῳ πολλῷ τὴν ψυχὴν ἑαυτῶν ἔχουσι κατεσβεσμένην. *Carnium ſemper & ſanguinis multitudinem congregantes, tanquam in profundo luto animam habent extinctam.* Arrianus lib. 3. diſſertationum cap. 15. Δεῖ σε εὐτακτεῖν, ἀναγκοφαγεῖν, ἀπέχεσθαι πεμμάτων, &c. *Oportet te moderatè gerere, neceſſariò manducare, carnibus abſtinere.* Hinc Philipp. ſecunda 63. *gladiatoria totius corporis firmitas.*

Athletarum ſaginatio.

II. AVSPICIIS.] De auſpiciorum vanitate, vide Piſon. 11. de ipſis auſpiciis & eorum ritu pro Milone 44. *Centuriarum auſpicia.*

III. GEMERE POSSET.] Quia videlicet non gemuntur miſeriæ, poſtquam modum exceſſerint. præclarè apud Herodotum lib. 3. Pſammenitus Rex Ægypti interrogatus à Cambyſe victore, cur cum ipſius filia cum hydria ad aquam mitteretur, filius ad necem raperetur, non fleuiſſet, fleuiſſet autem viſo amico mendicante, reſpondit: Ὦ παῖ Κύρου, τὰ μὲν οἰκήϊα ἦν μείζω κακὰ ἢ ὥστε ἀνακλαίειν. τὸ δὲ τοῦ ἑταίρου πάθος ἄξιον ἦν δακρύων· ὃς ἐκ πολλῶν τε καὶ εὐδαιμόνων ἐκπεσὼν ἐς πτωχηΐην ἀπῖκται ἐπὶ γήραος οὐδῷ. *Fili Cyri, domeſtica mala erant maiora, quàm vt poſſem ea deflere. at ærumna amici digna lacrymis fuit, qui è multis & fortunatis opibus ad inopiam recidit in extremo limine ſenectutis.* de quo vide Ariſtot. 2. Rhet. cap. 8. vbi & hoc exemplum profert, & ἐλεεινὸν καὶ τὸ δεινὸν, *miſerabile & atrox* diſtinguit. labitur tamen memoria id de Amaſi referens, non de Pſammenito. Seneca prologo conſolationis ad Albinam. *Omnis autem magnitudo doloris modum excedentis neceſſe eſt, vt ſtylo delectum verborum eripiat, cùm ſæpè vocem quoque ipſam intercludat.* Et alter Seneca alicubi:

Curæ leues loquuntur, ingentes ſilent.

Curæ leues loquuntur, ingentes ſilent.

Sic Niobem, quòd ob amiſſos liberos mœrore ſtupefacta plagam acceptam gemere non potuerit, in ſaxi duritiam obriguiſſe, fictis fabulis Poëtæ tradiderunt. Eleganter Achilles Tatius lib. 3. in hanc ſententiam. Ταῦτα μὲν ἐθρήνουν ἡσυχῶς, κλαίειν δ' οὐκ ἐδυνάμην. τοῦτο γὰρ ἴδιον τῶν ὀφθαλμῶν ἐν τοῖς μεγάλοις κακοῖς. ἐν μὲν γὰρ ταῖς μετρίαις συμφοραῖς ἀφθόνως τὰ δάκρυα καταῤῥεῖ, καὶ ἔστι τοῖς πάσχουσιν εἰς τοὺς κολάζοντας ἱκετηρία, καὶ τοὺς ἀλγοῦντας, ὥσπερ ἀπὸ οἰδοῦντος τραύματος ἐξεκένωσε· ἐν δὲ τοῖς ὑπερβάλλουσι δεινοῖς φεύγει καὶ τὰ δάκρυα, καὶ προδίδωσι καὶ τοὺς ὀφθαλμούς. ἐντυχοῦσα γὰρ αὐτοῖς ἀναβαίνουσιν ἡ λύπη, ἵστησί τε τὴν ἀκμὴν, καὶ μετοχετεύει καταφέρουσα σὺν αὐτῇ κάτω. τὰ δὲ ἐκτρεπόμενα τῆς ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ὁδοῦ, εἰς τὴν ψυχὴν καταῤῥεῖ, καὶ χαλεπώτερον αὐτῆς ποιεῖ τὸ τραῦμα. *Hoc ſanè pacto* (ſequor Nicolai Bonuitij verſionem) *mecum tacitus lamen-*

tabar; verùm lacrymas, quòd in ingentibus malis maximè proprium eſt, profundere nequibam. Enimuerò mediocribus in malis lacrymæ abunde manant, & precandi munere pro iis qui in calamitate degunt, apud infortunij auctores, funguntur, dolorémque minuunt, vt vlcerum tumores, cùm diſrumpuntur: in exſuperantibus autem, refugiunt, oculóſque deſerunt. mœror enim exire parantibus obuiam factus earum vim retardat, & vna ſecum ad imas pectoris parteis rapit. quamobrem de oculorum via deflectentes animum pulſant, illiúſque angorem mirum in modum augent.

IV. PVRGES.] Seneca Medea:

Egredere, purga regna, lethales ſimul
Tecum aufer herbas, libera ciues metu.

Quod vulgo dicitur, *Vuider le païs.* Hinc purum, idem quod vacuum. Liuius lib. 14. *Poſtero die ſignis collatis dimicaturum puro ac patenti campo.* Horatius libro 2. Epiſt. 2.

Purgare. *Puræ ſint plateæ nihil vt properantibus obſit.*

Martialis lib. 15. ep. 8.

Edictum Domini, Deíque noſtri
Quo ſubſellia certiora fiunt,
Et puros eques ordines recepit.

Id eſt, quatuordecim ordines ſiue gradus vacuos, quos priùs occupabant plebeij. 12. Æneidos.

Sed ſtirpem Æneadæ nullo diſcrimine ſacrum
Suſtulerant, puro vt poſſent concurrere campo.

& in Georg.

-Se lætus in auras
Purus. *Palmes agit, laxis per purum immiſſus habenis.*

Quod alibi dixerat:

-Vacuos ſi ſit digeſta per agros.

Varro apud Nonnium. *Purgatum ſcito: quoniam videbis Romæ in foro ante lanienas pueros pilá expulſim ludentes.* Ita etiam Galli. Phil. Commineus lib. 8. *Qui venoient au long de la greue, qu'ils voyoient nette de gens.* Ita Græci καθαρόν. Pindarus Ode 10. ſtrophe 3.

Ὁ γ' ἐν καθαρῷ κύκλῳ πέδον, &c. διέκρινε.

In puro patentique ambitu campum definiit. Ariſtophanes Concion.

Ἀλλ' ἐν καθαρῷ γὰρ τοῦ ποῦ τις ἂν χέσας τύχοι.

Vbi Interpres exponit. Ἐν καθαρῷ, ἐν ἐρημίᾳ. *In puro, in ſolitudine.* Plutarchus in Paulo Æmilio. Ὑπηρέται τε πολλοὶ καὶ ῥαβδονόμοι τοὺς ἀτάκτως συρρέοντας καθαρῶς. εἰς τὸ μέσον, καὶ διαθέοντας ἐξείργοντες ὑπαναπεπταμένας τὰς ὁδοὺς καὶ καθαρὰς παρεῖχον. *Serui verò publici multi & lictores eos qui inordinatè confluebant, & in medium procurrebant, ſubmouentes, apertas & puras vias præbebant.* Aliter Æſchylus in Prometheo, quod eodem recurrere videatur.

Αἰθέρ' ἁγνὸν πόρον οἰωνῶν.
Æthera purum meatum auium.

Herodotus lib. 1. ἐς χῶρον καθαρὸν ἀγαγὼν τὸ κτῆνος. *cùm in locum purum pecudem adduxerit.* Xenophon 8. Cyrop. Καθαρὰ μὲν ἦν πάντα πρὸ ἡμέρας, στῖχοι δ' εἱστήκεσαν ἔνθεν καὶ ἔνθεν τῆς ὁδοῦ, ὥσπερ καὶ νῦν ἔτι ἵστανται, ᾗ ἂν βασιλεὺς μέλλει ἐλαύνειν, ὧν ἐντὸς οὐδενὶ ἔξεστιν εἰσιέναι τῶν μὴ τετιμημένων. μαστιγοφόροι δὲ καθέστασαν οἳ ἔπαιον εἴ τις ἐνοχλοίη. *Omnia ante lucem erant pura, ordines autem ſtabant ab vna & altera parte viæ, quemadmodum hoc etiam tempore ſtant, qua Rex eſt equitaturus, intra quos nemo ingredi poteſt qui non ſit ex honoratis. flagriferi autem erant conſtituti qui verberarent ſi quis negotium faceſſeret.*

AXIOMATA.

Peſtifer ac perditus eſt, cuius à quo improbi Reipub. ſanguine ſaginantur.

Summa perturbatio eſt vinci Rempub. & vinci non auſpiciis, non interceſſione, non ſuffragiis, ſed vi, manu, ferro.

Mediocrem plagam acceptam gemere poſſumus, ingentem non poſſumus.

Nefarium eſt cùm omnia vi & armis egeris, accuſare eum qui ſe præſidio munierit, non vt te oppugnaret, ſed vt vitam ſuam poſſet defendere.

ARGVMENTVM.

Vim illatam P. Sextio deſcribit, vt ex eo capite accuſationis indignitatem exaggeret, quòd is de vi accuſaretur, qui penè fuerat interemptus, nec ſe tamen contra vim defenderat.

LXIX. ATQVI, ne ex eo quidem tempore id egit Sextius, vt à ſuis munitus, tutò in foro tuo magiſtratum gereret, Rempub. adminiſtraret. Itaque fretus ſanctitate Tribunatûs, cùm ſe non modò contra vim, & ferrum, ſed etiam contra verba, atque interfationem, legibus ſacratis, eſſe armatum putaret, venit in templum Caſtoris, obnuntiauit conſulti: cùm ſubito manus illa Clodiana in cæde ciuium ſæpè iam victrix, exclamat, incitatur, inuadit: inermem, atque imparatum Tribunum alij gladiis adoriuntur, alij fragmentis ſeptorum, & fuſtibus à quibus hic multis vulneribus acceptis, ac debilitato corpore, & contrucidato ſe abiecit exanimatus: neque vlla alia re ab ſe mortem, niſi opinione mortis depulit. quem cùm iacentem, & conciſum plurimis vulneribus extremo ſpiritu exſanguem, & confectum viderent, defatigatione magis, & errore, quàm miſericordia & modo, aliquando cædere deſtiterunt.

EXPLANATIO.

ATQVI.] Tantùm abfuit Sextius à vi facienda, & inimicis ferro laceſſendis, vt ne laceſſitus quidem ſe voluerit armis defendere, nec ſe munierit contra vim improborum, nullum aliud offenſionis genus admittens, quam Tribunatus Sanctitatem. hic eſt ſyllogiſmus:

Si accuſari non debet qui ſe munierit non vt alios oppugnaret, ſed vt ſe defenderet, multò minùs accuſandus eſt is qui vim pati maluit quàm ſe defendere.

Atqui Sextius vim pati maluit quàm ſe defendere. Ergo, &c.

SANCTITATE.] Sacroſancti Tribuniplebis, quos nefas erat violare, non ſolùm ferro & factis, ſed etiam verbis & interfatione. nam interfari Tribunoplebis concionem habente piaculum fuit.

LEGIBVS SACRATIS.] Videtur hîc μνημονικὸν ἁμάρτημα, nam legibus ſacratis quidem contra vim, & ferrum armatus erat Tribunusplebis, at vt interfari ne quis auderet, id beneficio Iuniæ legis obtinebat. de qua in Notis.

OBNVNTIAVIT CONSVLI.] Vtri tandem? Non Lentulo: nam eum Cicero ſæpè ſuæ ſalutis auctorem & Deum appellat. An igitur Metello Nepoti? At iam in gratiam cum Cicerone abſente redierat in Senatu. Quare exiſtimo iis comitiis, quibus Sextius obnuntiauit Conſuli, non actum fuiſſe de reditu Ciceronis: ſed de Iudicio Clodij. Detulerat enim nomen eius Milo lege Lutatiâ de vi, propter ſuperiorem illam ſeditionem à Clodio concitatam. Nepos verò Conſul, vt fratrem ſuum à iudicio liberaret, edixit ne ante conſtitutos nouos quæſtores ea de cauſſa cognoſceretur. ex quo ſeditio magis exarſit. vide infra 89. Quæ ſequuntur explicatione non egent, ſed conſideranda numeri varietas, & ſingulorum verborum circumſtantiarúmque grauitas ponderanda.

NOTÆ.

I. A SVIS MVNITVS.] Amici, clientes, & libertini maiores amicos ac patronos ſuo præſidio muniebant, cùm in forum aut comitia deſcenderent, vt Equites Romani Ciceroni noſtro Conſuli voluntarium præſidium præbuerunt, vt auctor eſt Plutar. in Cic. Elegans apud Martialem eſt ep. 93. lib. 5.

Clientes comites.

Exigis à nobis operam ſine fine togatam
Non eo, libertum ſed tibi mitto meum.
Non eſt, inquis, idem, multò plus eſſe probabo.
Vix ego lecticam ſubſequar, ille feret.
In turbam incideris, cunctos vmbone repellet, &c.

II. SANCTITATE TRIBVNATVS.] Sanctum quod non poteſt impunè violari, ſiue quod pœnas in ſui violatores ſancitas habet, vt dicemus pro Milone 87. Iam Tribunatûs plebis ſanctitas his verbis apud Halicarnaſſeum lib. 6. continetur. *Brutus verò concione aduocatâ ſuaſit plebi vt eum magiſtratum Sacroſanctum & inuiolabilem eſſe decerneret, lege in hoc latâ & iureiurando addito quo confirmaretur hæc ſecuritas. Placuit hoc omnibus, lexque à Tribunis ſcripta eſt. Eius verba ſunt: Tribunum inuitum nemo, vt vnum è vulgo, quicquam facere cogito, nec verberato, nec alium verberare iubeto: nec occidito, nec occidere iubeto. Qui ſecus faxit, ſacer eſto, & bona eius Cereri dicata ſunto, & qui eum occiderit purus à cæde eſto. Et ne in poſterum plebi poteſtas eſſet abrogare hanc legem, ſed perpetuo maneret immobilis, adacti ſunt omnes ciues iurare per ſacra omnia vtique vſuros ſe hac lege in ſempiternum & ipſos, & poſteros: additáque imprecatio: Ita eius confirmatores ſuperos ac inferos habeant propitios, tranſgreſſores verò iratos vtroſque, vt obligati grauiſſimo ſcelere. Indéque mos apud Romanos obtinuit, vt Tribunorum corpora Sacroſancta ſint, qui manet vſque ad noſtram ætatem.* Exactis deinde decemuiris vt Liuij verbis vtar lib. 3. *Cùm religione inuiolatos eos, tum lege etiam fecerunt, ſanciendo vt qui Tribunis plebis, Ædilibus, Iudicibus, Decemuiris nocuiſſet, eius caput Ioui ſacrum eſſet, familia ad ædem Cereris, Liberi, Liberæque venum iret. Hac lege iuris interpretes negant quemquam Sacroſanctum eſſe: ſed eum qui eorum cuiquam nocuerit, ſacrum ſanciri. Itaque ædilem prehendi ducíque à maioribus magiſtratibus: quod etſi non iure fiat (noceri enim ei, cui hac lege non liceat) tamen argumentum eſſe non haberi pro Sacroſancto ædilem: Tribunos vetere iureiurando plebis, cùm primùm eam poteſtatem creauit, Sacroſanctos eſſe.*

Tribunusplebis Sacroſancti.

CONTRA VERBA ATQVE INTERCESSIONEM.] Turnebus, *Interfationem:* & verè. Nam Tribunoplebis intercedere licebat, vt ex Haliçarnaſſei libro decimo, & Appiani 1. ciuilium, & ſexcentis aliis liquet, interfari non licebat. Ex lege videlicet Iunia, quam Halicarnaſſeus lib. 7. his verbis exponit. Δημάρχου γνώμην ἀγορεύοντος ἐν δήμῳ μηδεὶς λεγέτω μηδὲν ἐναντίον, μηδὲ μεσολαβέτω τὸν λόγον. *Tribunoplebis ſententiam dicenti in concione ne contradicanto, néve interfantor.* refert deinde pœnam & multam in huius legis ſanctione: *Qui ſecus faxit prædes dato Tribunisplebis ſoluturum ſe mulctam, quam impoſuerint. Qui non dederit, morte mulctator, & bona eius ſacra ſunto. Si quid controuerſiæ mulctarum eiuſmodi cauſſa inciderit, iudicia penes populum ſunto.* Sequor Sigiſmundi Gelenij verſionem. Id conceſſum eſt lege Iunia, non legibus ſacratis, ac proinde videtur μνημονικὸν ἁμάρτημα. III.

Tribunoplebis interfari nefas.

LEGIBVS SACRATIS.] Supra 16. *Conſtrictam legum ſacratarum catenis.* vbi cauſſas attulimus cur id nominis obtinerent. Lex porro Iunia de interfatione in monte ſacro perlata non fuit, nec alio ſenſu ſacrata dicetur, niſi quod violatoris bona ſacra eſſe decerneret. IV.

Leges ſacratæ.

OBNVNTIAVIT CONSVLI.] De obnuntiatione magiſtratuum dictum nonnihil ſupra 34. Obnuntiabant autem vel etiam intercedebant Tribuniplebis non ſolùm minoribus magiſtratibus, verùm etiam ipſis Conſulibus, quippe quos creatos fuiſſe dicit Liuius lib. 2. *Quibus auxilij latio aduerſus Conſules eſſet.* V.

FRAGMENTIS SEPTORVM.] Septa è ligno fuerunt. Earum alia fuerunt in foro & comitio, alia in campo Martio. Septa campi Martij ab Agrippa tandem marmore & picturis magnificis extructa & inſtructa fuerunt, vt auctor eſt Dio lib. 53. quod iam ante facere Cicero noſter deſtinarat, vt lib. 4. ad Atticum ep. 15. ipſe teſtatur. De ſeptis fori vix vllam inuenias mentionem. Memini tamen me neſcio vbi legere, ærea facta fuiſſe circa tempora Didij Iuliani, cùm VI.

Septa.

priùs lignea fuiſſent. Crediderim ea ſepta illos fuiſſe fori cancellos, de quibus infra 124. Aliorum item ſeptorum meminit Ammianus lib.31. loquens de Gratiano. *Intra ſepta quæ appellantur viuaria ſagittarum pulſibus crebris dentatas conficiens beſtias, incidentia multa parui ducebat, & ſeria.*

AXIOMATA.

Tribuniplebis non modò contra vim & ferrum, ſed etiam contra verba atque interfationem legibus ſacratis erant armati.

Quidam nulla alia re abs ſe mortem niſi mortis opinione depellunt.

TABVLA CONFIRMATIONIS.

Sextium de vi damnandum non eſſe probatur ſeptem argumentis.

- 1. conceſſione ironica quaſi culpa fuerit, quod non occiſus eſt Sextius, ſed culpam in alios deriuat. 80.
  - in Lentidium qui non percuſſit locum.
  - Sabinum qui temere exclamauit occiſum eſſe Sextium.
- 2. à conſequenti, quia Iudices vlturi fuiſſent eius necem ſi cæſus fuiſſet. 81.
- 3. ab ipſorum Clodianorum conſcientia, qui Sextianæ necis inuidiam vel extinguere, vel ſaltem minuere alio ſcelere voluerunt. 82.
- 4. Iterum à conſequenti, quia ſi mortuus fuiſſet Sextius, eius mortem monumento publico honoraſſent. 83.
- 5. Euerſione firmamenti quod adferebat Albinouanus, recriminatione & enumeratione ſcelerum, quæ Clodius admiſit. 84.
- 6. A ſimili ſiue comparatione Milonis, qui
  - Laudatur ab aduerſario.
  - & iure laudatur
    - 1. Quòd nulla mercede propoſita Remp. defendendam ſuſceperit. 86.
    - 2. Quòd cæteris exemplo præluxerit.
    - 3. Quòd ea laus ſit Miloni ſingularis.
    - 4. à modo, quòd id fecerit non per ſeditionem, ſed cum ſummâ omnium ordinum concordiâ. 87.
    - 5. Quia priùs iudicio rem, quàm vi & armis voluit experiri.
- 7. Ab ipſa naturæ lege, quæ vim vi propulſare permittit. Quod argumentum variè illuſtrat à prima conditione hominum qui vim vi repellebant, priuſquam Iudicia eſſent conſtituta. 91.
- 8. Graui epiphonemate rem concludit. 93. 94.

ARGVMENTVM.

Abſoluta narratione ad confutationem delabitur, oſtendítque nihil iniquius eſſe, quàm Sextium de vi cauſſam dicere: cui nihil aliud obiici poſſit, quàm quòd non fuerit à Clodianis interemptus.

LXXX. Confirmatio.

ET cauſſam dicit Sextius de vi? quid ita? quia viuit. at id non ſua culpa. plaga vna illa extrema defuit: quæ ſi acceſſiſſet, reliquum ſpiritum exhauſiſſet. Accuſa Lentidium: non percuſſit locum. maledicito Sabino homini Reatino, cur tam temerè exclamarit occiſum. ipſum verò quid accuſas? num defuit gladiis: num repudiauit? num, vt gladiatoribus imperari ſolet, ferrum non recepit? an hæc ipſa vis eſt, non poſſe emori? an illa, quòd Tribunus plebis templum cruentauit? an, quòd cùm eſſet ablatus, primúmque reſipuiſſet, non ſe referri iuſſit? vbi eſt crimen, quod reprehenditis?

EXPLANATIO.

ET CAVSSAM.] Aduerte quibus inuidiæ facibus orationem inflammet. Superiori narratione fusè Reip. fluctus & ſeditionum procellam deſcripſerat, oſtenderátque nihil non per vim geſtum à Clodianis, cæſos Tribunos plebis, cædem in foro factam, aceruos corporum extructos, Sextium ipſum multis vulneribus penè confectum. Nunc in indignationem erumpit. *Et cauſam dicit Sextius de vi?* Et Sextius, qui etiamſi vim vi propulſiſſet, tamen accuſandus non fuerat ab ipſis qui priores vim intulerunt. Hic, inquam, Sextius accuſatur à ſeditioſis lege Lutatia: *Quæ de ſeditioſis conſceleratiſque ciuibus, qui armati Senatum obſederint, Magiſtratibus vim attulerint, Rempublicam oppugnarint, quotidie quæri iubet.* Mox interrogationem adhibet. *Quid ita?* vt auditorum animos teneat criminis expectatione ſuſpenſos. Mox inopinatè & inuidioſè reſpondet. *Quia viuit.* quaſi ſeditioſi hoc vnum habeant, quod in Sextio criminentur, & amariſſima quadam ironia culpam deprecatur, & omnem facti inuidiam aliò deriuat. Si ſcelus eſt Sextium viuere, non ſuo ipſius ſcelere viuit, ſed eorum qui plagam lethalem non intulerunt.

PLAGA VNA ILLA.] Ἐμφατικῶς. illa quam Clodiani inferre cupiebant. Mox in Lentidium & Sabinum culpam conuertit, quorum alter multis inflictis vulneribus toto corpore, tamen locum corporis opportunum inferendæ neci non percuſſerat; alter temerè & inconſideratè exclamarat occiſum, quo audito cæteri à cædendo deſtiterunt.

NVM DEFVIT GLADIIS.] Grauior etiam ſuperiore ironia. Sextij ſcelus eſſe concederem ſi defuiſſet gladiis, nec apertum inimicis iugulum præbuiſſet: ſed non defuit, non *repudiauit* ictus, legunt alij *repugnauit*, id eſt, collum contraxit, ceruicéſque ſubduxit ne inimici plagam lethalem poſſent imponere.

NVM VT GLAD.] Num quemadmodum muneris exhibitores, cùm populus ignaui cuiuſpiam & timidi gladiatoris conuerſo pollice mortem efflagitat, ſolent gladiatoribus imperare vt ferrum recipiant, & eos qui timuerint ignauos putant, ita Sextius ferrum non recepit, id eſt, gladiis corpus non obiecit.

QVOD TRIB.] Ex ambiguo ſceleris inuidiam accendit. Poteſt enim quis locum aliquem cruentare, vel ſuo ſanguine, vel alieno. ſuo ſi ipſe trucidetur, alieno ſi trucidet. Addit duo verba quibus magnopere ſcelus exaggeret. *Tribunus plebis, templum* Tribunus plebis, atque adeo ſanctitate ſui magiſtratus Sacroſanctus, in templo Caſtoris loco item ſancto & inaugurato ſuum ſanguinem effudit.

RESIPVISSET.] Reſpiraſſet, recepiſſet animi penè fugientis reliquias, ad ſenſum, à quo vi vulnerum alienatus fuerat, rediiſſet.

NOTÆ.

I. Gladiatoribus imperabant ferrum recipere.

GLADIATORIBVS IMPERARI.] Spectatores gladiatorum necem aut vitam à munerariis expetebant. pro Milone 93. *In gladiatoriis pugnis & infimi generis hominum conditione, atque fortuna timidos & ſupplices, & vt viuere liceat obſecrantes, etiam odiſſe ſolemus: fortes & animoſos, & ſe acriter ipſi morti offerentes ſeruare cupimus.* vide Notas. Eos etiam hortabantur vt vel certo modo plagam exirent, vel ferrum animoſè reciperent. Tertullianus ad Martyres. *Nec tantus ego ſum vt vos alloquar. Verumtamen & gladiatores perfectiſſimos, nec tantùm magiſtri & præpoſiti ſui, ſed etiam idiotæ & ſuperuacuè quique adhortantur de longinquo, vt ſæpè de ipſo populo dictata ſuggeſta profuerint.*

FERRVM NON RECEPIT.] Sic neſcio II.
quis apud Fabium libro 6. inſt. orat. cap. 1. *Humiliori liberè aduerſus ſe loquenti: Colaphum, inquit, tibi ducam, & formulam ſcribam quod durum caput habeas.* Sic illi quos Iuuenalis Sat. 3. deſcribit.

--feriunt pariter: vadimonia deinde
Irati faciunt: libertas pauperis hæc eſt
Pulſatus rogat, & pugnis conciſus adorat
Vt liceat paucis cum dentibus inde reuerti.

Talis illa fuit impudentia Fimbriæ, de qua Cicero pro Roſcio Amerino 17. *Is cùm curaſſet in funere C. Mary, vt Q. Scæuola vulneraretur,* &c. *diem Scæuolæ dixit poſtea quam comperit eum poſſe viuere. Cùm ab eo quæreretur quid tandem accuſaturus eſſet eum, quem pro dignitate ne laudare quidem quiſquam ſatis commodè poſſet: aiunt hominem, vt erat furioſus, reſpondiſſe, Quod non telum toto corpore recepiſſet.* Nota *ferrum*, ſiue *telum recipere.* verbum gladiatorium. Tuſculana. *Quis mediocris gladiator ingemuit?* &c. *Quis, cùm decubuiſſet,* FERRVM RECIPERE *iuſſus collum contraxit?* Huc alluſit Seneca 1. de Tranquill. animæ. *Viues diutiùs & expeditiùs morieris, qui ferrum non ſubductâ ceruice, nec manibus oppoſitis, ſed animosè recipis.* Ambroſius lib. 1. de virginibus: *Fuitne in illo corpuſculo vulneri locus? Et quæ non habuit quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret.* Prudentius,

Fimbriæ petulantia.

Ferrum recipere.

-ferrum in papillas omne recepero.

Plutarchus in Galba: Τῶν χιλιάρχων τις τῶν ἐν τῇ σκηνῇ σπασάμενος τὸ ξίφος, ἐκέλευε τὸν κίρπινιον δέχεσθαι τὴν ἡγεμονίαν ἢ τὸν σίδηρον. *Vnus è Tribunis qui in prætorio erant, ſtricto gladio iuſſit imperium aut ferrum recipere.*

RESIPVISSET.] Mentem recepiſſet 10. III.
Æneidos.

--Auras
Reſpiciens hauſit cœlum mentémque recepit.

12. *Vt primùm diſcuſſæ vmbræ & lux reddita menti eſt.*

Homerus Odyſſ. ε.

-ὁ δ' ἄπνευστος καὶ ἄναυδος
Κεῖτ' ὀλιγηπελέων, κάματος δέ μιν αἰνὸς ἵκανεν.
Ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἄμπνυτο, καὶ ἐς φρένα θυμὸς ἀγέρθη, &c.

Reſpere & mentem recipere.

-Sine flatu aut voce iacebat
Deficiens animo atque oppreſſus membra labore.
Aſt vbi reſpirans animum mentémque recepit.

Sic alibi φρονέειν, pro ζῶ, *viuere, ſpirare* vſurpat, vt Iliad. ω.

Πρὸς δέ με τὸν δύστηνον ἔτι φρονέοντ' ἐλέαιρε.
Et miſeri ſapientis adhuc miſerere.-

Æſchines contra Cteſiphontem φρονούντων, pro *viuentibus*, videtur dixiſſe. Sicut contra Theocritus eidyllio 23.

Ἔστη δὲ πληγαῖς μεθύων, ἐκ δ' ἔπτυσεν αἷμα.
Ebrius at plagis Amycus ſpuit ore cruorem.

Μεθύων, id eſt, παραφρονέων, *deſipiens.* quam vocem

Hercules eidyllio 26. aptat Leoni Nemeæo.

Τὸν μὲν ἐγὼν ὀδυνῇσι περιφρενέοντα βαρείαις
Νωτίσμος.

Hunc ego per magnos deiectum mente dolores
Adſpiciens.

AXIOMATA.

Indignum eſt aliquem dicere cauſſam de vi, quia viuit, & , vt gladiatoribus imperari ſolet, ferrum non recepit.

Nulla vis eſt non poſſe emori.

ARGVMENTVM.

Nouo ſyllogiſmo ab hominum exiſtimatione petito demonſtrat Sextium de vi non eſſe damnandum, quod eius necem vlturi fuiſſent ſi à Clodianis fuiſſet trucidatus.

LXXXI. HIC quæro, iudices, ſi illo die gens iſta Clodia, quod facere voluit, effeciſſet: ſi P. Sextius, qui pro occiſo relictus eſt, occiſus eſſet, fuiſtíſne ad arma ituri? fuiſtíſne vos ad patrium illum animum, maiorúmque virtutem excitaturi? fuiſtíſne aliquando Rempub. à funeſto latrone repetituri? an etiam tunc quieſceretis, cunctaremini, timeretis, cùm Rempub. à facinoroſiſſimis ſicariis, & à ſeruis eſſe oppreſſam, atque occupatam videretis? cuius igitur mortem vlciſceremini, ſi quidem liberi eſſe, & habere Rempub. cogitaretis, de eius virtute viri quid vos loqui, quid ſentire, quid cogitare, quid iudicare oporteat, dubitandum putatis?

EXPLANATIO.

HIC QVÆRO.] Syllogiſmus.

Non eſt damnandus de vi cuius mortem vſciſceremini.

Sed Sextij mortem vlciſceremini.

Ergo damnandus non eſt.

Propoſitio ſubticetur; aſſumptio & complexio claræ ſunt.

GENS ILLA CLODIA.] Seditioſi quorum furor alitur impunitate diuturna, quos P. Clodius rapinis & incendiis, & omnibus exitiis publicis pauit.

MAIORVMQVE VIRTVTEM.] Qua Tarquinios expulerunt vt in libertatem aſſererent Rempub. & omnibus deinceps ſeditioſis obſtiterunt.

A FVNESTO LATRONE.] A P. Clodio qui tot Reipub. funera inferebat, qui lacerabat Rempub. expilabat ærarium, & tanquam latro aut potiùs Archipirata in cæcis nubibus ac procellis Reipub. volitabat.

CVIVS IGITVR.] Complexio, qua plus etiam concludit quàm intendebat. Satis enim fuit ad propoſitum Sextium non eſſe damnandum oſtendere: at etiam ex abundanti laudandum eſſe concludit.

NOTÆ.

I. Gens Clodia. GENS ISTA CLODIA.] Videtur ad gentem Clodiam alludere, & exprobrare Clodio quod à maiorum ſuorum virtute & nobilitate defecerit. de Clodiâ gente 10. Æneidos.

Claudia nunc à quo diffunditur & tribus & gens.

Quare non placet virorum doctorum emendatio. *Gens iſta Claudiana.*

II. PRO OCCISO RELICTVS.] Nouè dictum, vt videtur: habuit tamen imitatorem Tertullianum De anima. *Cæterùm de Hermotimo, anima, vt aiunt, in ſomno carebat, &c. Vxor hoc prodidit. Inimici dormientem nacti pro defuncto cremauerunt. Regreſſa anima tardiùs credo homicidium ſibi imputauit. Ciues Clazomenij Armotimum templo conſolantur.* Noſter Verrinâ de ſuppliciis 141. *Sic ille affectus, illinc tum pro mortuo ſublatus, breui poſtea eſt mortuus.*

PATRIVM ILLVM ANIMVM MAIORVMQVE VIRTVTEM.] Sæpè ad ſeruandam libertatem hortantur exemplo maiorum non Cicero ſolùm, ſed etiam Demoſthenes, vt Olynthiacâ 3. Μὴ παραχωρεῖν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῆς τάξεως, ἣν ὑμῖν οἱ πρόγονοι τῆς ἀρετῆς μετὰ πολλῶν κινδύνων κτησάμενοι κατέλιπον. *Hortor vos non cedere ſtatione virtutis, ô Athenienſes, quam vobis maiores magnis periculis partam reliquerunt.* Item 4. Philippica. III. Ἀνάξιον ὑμῶν καὶ τῶν ὑπαρχόντων τῇ πόλει, καὶ τῶν πεπραγμένων τοῖς προγόνοις, τῆς ἰδίας ῥᾳθυμίας ἕνεκα τοὺς ἄλλους Ἕλληνας ἅπαντας εἰς δουλείαν προέσθαι. *Vobis indignum eſſet, & Reipub. opibus ac dignitate, maiorúmque veſtrorum rebus præclarè geſtis, proprij otij ſocordiæque cauſſâ cæteros Græcos prodere in ſeruitutem.* Vide locum pulcherrimum de libertate Rhodiorum, contra Τοὺς τὴν ὑπὸ τῶν προγόνων τάξιν ἐν τῇ πολιτείᾳ παραδεδομένην λιπόντας. *In eos qui ſtationem à maioribus traditam relinquunt, in adminiſtranda Rep.* Item locum illum pro Corona, cuius vim & maieſtatem hactenus adumbrare potuit nemo. Ἀλλ' οὐκ ἔστιν, οὐκ ἔστιν ὅπως ἡμάρτετε, ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὸν ὑπὲρ τῆς ἁπάντων ἐλευθερίας καὶ σωτηρίας κίνδυνον ἀράμενοι· οὐ μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας τῶν προγόνων, καὶ τοὺς ἐν Πλαταιαῖς παραταξαμένους, καὶ τοὺς ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχήσαντας. *Non peccaſtis, Athenienſes, non peccaſtis, pro omnium libertate & ſalute periculum adeuntes. Non per maiores veſtros, qui in Marathone belli diſcrimen adierunt, non, per eos qui in Platæis collatis ſignis conflixerunt, per eos qui in Salamine nauali prælio dimicarunt.* quem locum Dionyſius Longinus de ſublimi genere dicendi diſputans, miratur & diligenter expendit.

Hortatio ad tuẽdam libertatem maiorũ exemplis.

AXIOMATA.

Debemus nos ad patrium animum, maiorúmque virtutem excitare.

Eum viuum damnare non debemus, cuius mortem vlciſceremur.

ARGVMENTVM.

Demonſtrat damnandum à Iudicibus eum non eſſe qui ipſo facto fuerit ab aduerſariis innocens iudicatus, dum cædis illius inuidiam ſi non omnino transferre, ſaltem minuere voluerunt.

LXXXII. VT verò ipſi parricidæ, quorum effrenatus furor alitur impunitate diuturna, adeò vim facinoris ſui perhorruerant, vt ſi paullo longior opinio mortis Sextij fuiſſet, Gracchum illum ſuum transferendi in nos criminis cauſſa occidere cogitarint. ſenſit ruſticulus non incautus (neque enim homines nequam tacere potuerunt) ſuum ſanguinem quæri ad reſtinguendam inuidiam facinoris Clodiani: mulioniam penulam arripuit, cum qua primùm Romam ad comitia venerat: meſſoria ſe orbe contexit: cùm quærerent alij Numerium, alij Quinctium, gemini nominis errore ſeruatus eſt. atque hoc ſcitis omnes, vſque adeò hominem in periculo fuiſſe, quoad ſcitum ſit Sextium viuere. quod niſi eſſet patefactum paullo citiùs, quàm vellem, non illi quidem morte mercenarij ſui transferre potuiſſent inuidiam in quos putabant, ſed acerbiſſimi ſceleris infamiam grato quodam ſcelere minuiſſent.

EXPLANATIO.

AT VERO.] Clodiani cùm Sextium interemptum putarent, ad extinguendam, ſaltem minuendam facinoris inuidiam, Numerium Quintium etiam Tribunum plebis è ſuâ factione ad necem quæſierunt, eo conſilio vt facti ſui minuerent inuidiam, cùm ex vtraque parte Tribunusplebis mortem oppetiiſſe diceretur. quaſi non ſola Clodij, ſed etiam Sextij factio Tribunoplebis necem intuliſſet. Hinc ſyllogiſmus.

Non eſt damnandus de vi quem ne aduerſarij quidem vim feciſſe putauerunt.

Sed ne aduerſarij quidem vim feciſſe Sextium putauerunt. Ergo damnandus non eſt.

Probatur aſſumptio.

Tum non putarunt vim feciſſe cuius cædis inuidiam alio ſcelere minuere voluerunt.

Sed Sextianæ cædis inuidiam alio ſcelere videlicet cæde Numerij Quintij minuere voluerunt.

Ergo Sextium non putarunt vim feciſſe,

Propoſitio liquet ex eo quod ſi eum vim feciſſe putauiſſent, eius cædis inuidiam minimè timuiſſent, quia licet vim vi repellere. Aſſumptio ipſius facti narratione continetur. Atque hæc eſt vis argumentationis, quam Orator vno epichiremate comprehendit.

GRACCHVM ILLVM.] Numerium Quintium, quem homines in luctu irridentes Gracchum vocabant.

SENSIT RVSTICVLVS.] Numerius, qui rure inter muliones educatus fuerat. Aduerte lepôrem orationis. Ruſticulum vocat, non ruſticum, deinde laudat eius aſtutiam, quòd inſidias vitæ ſuæ factas præſenſerit, & mox vt ruſticam & minimè callidam Numerij calliditatem agnoſcas, addit: *Neque enim homines nequam tacere potuerunt.* Quaſi dicat, Tam fuit cautus Numerius vt id ſuſpicatus fuerit, quòd à cæteris dici audiebat.

HOMINES NEQVAM.] Homines nihili & leues.

MVLIONIAM PENVLAM.] Veſtem ruſticanam arcendis pluuiis idoneam, qua vtuntur muliones & agaſones. Lepidè verò fingit Quintium eâdem penulâ fuiſſe indutum, cùm primùm Romam ad comitia venit Quæſturam petiturus. Ex his enim fictis narrationibus. vt dicitur, 1. de Oratore, orationi lepos adſpergitur.

ATQVE HOC SCITIS OMNES.] Aduerte oratoris verſutiam, & quas obtrudat offutias. Rem cum certis teſtibus probare non poſſet, omnes Iudices teſtatur, quaſi res adeò comperta ſit, vt nullis aliis teſtibus egere videatur.

PAVLO CITIVS QVAM VELLEM.] Vt ex voto meo Quintius occideretur.

MERCENARII.] Ipſius Numerij Quintij quem Clodiani mercede corruptum ad ſuam factionem induxerant.

ACERB. SCELERIS.] Necis Sextij, quem omnes boni ſic diligebant, vt eius mortem acerbiſſimè laturi eſſent.

GRATO QVODAM SCELERE.] Nece Numerij, quam omnes boni expetebant.

NOTÆ.

PARRICIDÆ.] Parricidæ dicti non ſolùm qui patrem, ſed etiam qui parem occiderint, auctore Feſto Pompeio. Peculiaris tamen eſt ratio, cur parricidæ dicantur ij qui Tribunoplebis manus intulerunt, quia tribunusplebis non ſolùm eſt ſacroſanctus, ſed etiam quaſi pater plebis ad propulſandas ab eo potentiorum iniurias. I. Parricida.

FVROR ALITVR IMPVNITATE.] Vide primam huius orationis ſectionem de pœna & præmio, & Milonianam 44. *Quid? quod caput audaciæ eſt, quis ignorat, maximam illecebram eſſe peccandi impunitatis ſpem?* Sic in Heſiodi & Homeri certamine, rogat Heſiodus. II. Impunitas.

Πῶς ἂν ἄριστ᾽ οἰκοῖντο, πόλεις καὶ ἐν ἤθεσι ποίοις;

Qui mores hominũ, quiſue optimus eſt ſtatus vrbi?

Reſpondet Homerus,

Εἰ μὴ κερδαίνειν ἀπὸ τῶν αἰσχρῶν ἐθέλοιεν.

Οἱ δ' ἀγαθοὶ τιμῷντο, δίκη δ' ἀδίκοισιν ἕποιτο.
Si non à rebus lucrari turpibus optent.
Si boni honorentur, ſceleratos pœna ſequatur.

III. Penula. PENVLAM.] Veſtem viatoriam arcendis pluuiis aptam. Iuuenalis Sat.

--fremeret multo cum frigore vernus
Iupiter, & multo ſtillaret penula nimbo.

Quintilianus lib. 6. Inſtitut. orat. cap. 3. *Galba penulam roganti, non poſſum, inquit, commodare, cùm cœnaculum eius perplueret.* Idem Galba *Penulam roganti reſpondit: Non pluit, non eſt opus tibi, ſi pluit, ipſe vtar.* Sed de penula eiúſque generibus vide quæ dicentur infrà pro Milone. Aduerte tantùm penulam, τὸν φελόνην quam ad ſe adferri Paulus efflagitat 2. ad Timoth. cap. 4. aliter à Baronio & interpretibus quibuſdam explicari.

IV. Numerius. NVMERIVM.] Varro citatus apud Nonniũ, Catone ſiue de liberis educandis. *Vt qui contra celeriter erant nati, fere Numerios prænominabant. quod quid citò factu rum quid ſe oſtendere volebat, dicebat numerò id fore. Quòd etiam in partu precabantur Numeriæ, quam Deum ſolent indigetare etiam Pontifices.* Sic lego cum Scaligero locum hunc numerò corruptum. Quòd ad nomina veterum ſpectat, noſter Iacobus Sirmondus vir doctrinæ ſingularis & iudicij politiſſimi, præfatione ſuarum Notarum ad Sidonium, aduertit Romanis ſtante Republica proprium id nomen fuiſſe, quòd primum, id eſt prænomen: quo nimirùm fratres ipſi, cùm cætera nomina communia haberent, inter ſe diſtinguebantur, vt Publius Cornelius Scipio, & Lucius Cornelius Scipio fratres, itémque M. Tullius Cicero, & Q. Tullius Cicero fratres. Atque ita *Marcus* nomen proprium fuit perſonæ, *Tullius* gentis, *Cicero* familiæ. Sed de his fortaſſe fuſiùs alio loco diſſeremus.

HOC SCITIS OMNES.] Notabimus hoc artificium §. 1. Vatinianæ. *Feciſſem id quod & his vehementer placebat.* & pro Milone 33. *An verò, Iudices, vos ſoli ignoratis? vos hoſpites in hac vrbe verſamini? Veſtræ peregrinantur aures, nec in hoc peruulgato ciuitatis ſermone verſantur?* V.

AXIOMATA.

Improborum furor alitur impunitate diuturna.
Homines nequam tacere non poſſunt.
Fieri nonnunquam poteſt vt acerbiſſimi ſceleris infamia grato quodam ſcelere minuatur.

ARGVMENTVM.

Demonſtrat eum non eſſe damnandum, nec eius vitam ſpoliandam ornamentis, cuius, ſi cæſus fuiſſet, tanquam pro Repub. interfecti, mortem ornandam ſtatuâ pro Roſtris poſitâ Iudices cenſuiſſent.

LXXXIII. AC ſi tunc P. Sextius, iudices, in templo Caſtoris animam, quam vix retinuit, edidiſſet, non dubito, quin, ſi modò eſſet in Repub. ſenatus, ſi maieſtas populi Romani reuixiſſet, aliquando ſtatua huic ob rempublicam interfecto, in foro ſtatueretur. Nec verò illorum quiſquam, quos à maioribus noſtris morte obita poſitos in illo loco, atque in roſtris collocatos videtis, eſſet P. Sextio aut acerbitate mortis, aut in rempublicam animo præponendus. qui cùm cauſſam ciuis calamitoſi, cauſſam amici, cauſſam benè de Republ. meriti, cauſſam ſenatus, cauſſam Italiæ, cauſſam Reipub. ſuſcepiſſet. cúmque auſpiciis, religioníque parens obnuntiaret, quod ſenſerat, luce, palam à nefariis peſtibus in deorum, hominúmque conſpectu eſſet occiſus, ſanctiſſimo in templo, ſanctiſſima in cauſſa, ſanctiſſimo in magiſtratu. Eius igitur vitam quiſquam ſpoliandam ornamentis eſſe dicet, cuius mortem ornandam monumento ſempiterno putaretis?

EXPLANATIO.

AC SI TVNC.] Quartus ſyllogiſmus.

Non eſt damnandus de vi cui, ſi interfectus eſſet, tanquam pro Repub. interfecto in Roſtris ſtatua poneretur.

Sed ſi Sextius interfectus eſſet, ei tanquam pro Repub. interfecto in Roſtris ſtatua poneretur.

Ergo Sextius non eſt damnandus de vi.

NEC VERÒ ILLORVM.] Inter hos Cn. Octauius, Tullus Cluuius, Lucius Roſcius, Sp. Antius, C. Fulcinius, quibus pro Repub. interfectis in Roſtris ſtatuæ poſitæ ſunt, nona Philippica numerantur.

CAVS. CIVIS CAL.] Meam ipſius qui in exilij calamitatem incideram, cùm Rempub. ab interitu liberaſſem.

CAVS. SENATVS.] Qui me reuocandum tam incredibili conſenſu cenſuerat.

CAVS. ITALIÆ.] Quæ ex omnibus coloniis, municipiis & præfecturis legatos Romam miſerat ad deprecandum pro mea ſalute.

CVMQVE AVSP. RELIG.] Cùm ea quæ de cœlo ſpectans notauerat, renuntiaſſet Metello Conſuli, quæ ſaluis auſpiciis & religionibus haudquaquam taceri poſſe cenſebat.

SANCT. IN MAG.] Tribunatu qui magiſtratus eſt ſacroſanctus. Atque hactenus aſſumptio ſyllogiſmi. nam propoſitio vel tacetur omnino, vel aſſumptione inuoluitur. Sequitur complexio, *Eius igitur &c. putaretis.*

NOTÆ.

I. Edere ſpiritũ. EDIDISSET.] Verbum Lucretianum lib. 6.
Exanimis pueris ſuper examinata parentum
Corpora nonnunquam poſtea retroque videre
Matribus & patribus natos ſuper edere vitam.
Philippica duodecima §. 22. *Cuius in complexu libenter extremum ſpiritum ediderim.*

II. Mortē obire. MORTE OBITA.] Virgilius,
Morte obitâ quales fama eſt volitare figuras.
Poſt Lucretium.
Morte obitâ quorum tellus amplectitur oſſa.
Silius lib. 2.
Morte obitâ Libyæ gremio captiua iacebo.
Philippica nona 16. *Cùm talis vir ob Remp. mortem obiecit*

III. Ob Remp. interfecti. OB REMP. INTERFECTO.] Sic 7. Æneidos iis,
Martis qui ob patriam pugnando vulnera paſſi,
Statuæ ponuntur. Philippica nona 4. *Lartes Tolumnius Rex Veientum quatuor legatos populi Romani Fidenis interemit: quorum ſtatuæ in Roſtris ſteterunt vſque ad noſtram memoriam. Iuſtus honos: iis enim Maiores noſtri qui ob Remp. mortem obierant, pro breui vita diuturnam memoriam reddiderunt.* quem in locum, ſi Deus annuerit, plura dicemus.

LVCE PALAM.] 9. Æneidos. IV. Luce palam.
Luce palam certum eſt igni circundare muros.
Ouidius de nuce:
Quid tamen hoc prodeſt media ſi luce palámque
Verberor?
Porrò vt ait Vlpianus l. 33. de verb. ſignif. *Palam eſt coram pluribus.* Quid ſit autem *coram* explicat Florentinus eodem titulo. l. 209. *Coram Titio aliquid facere iuſſus, non videtur præſente eo feciſſe, niſi is intelligat. Itaque ſi furioſus aut infans ſit, aut dormiat, non videtur coram eo feciſſe.* Adſtipulatur Vlpianus D. De receptis qui arbit. l. Diem. §. 5.

AXIOMATA.

Honeſtum eſt cauſam ciuis calamitoſi, cauſam amici, cauſam bene de Rep. meriti ſuſcipere.

Non eſt eius vita ſpolianda ornamentis, cuius mors ornanda ſtatuis & monumentis putaretur.

ARGVMENTVM.

Quoniam Sextius gladiatorum ſibi familiam compararat, nec inficiari poterat Orator, rem in omnium oculis verſatam, recriminatione ſapienter eludit, omnem ſeditionis inuidiam detorquens in Clodianos.

LXXXIV. HOMINES, inquit, emiſti, coëgiſti, paraſti: quid vti faceret? ſenatum obſideret? ciueis indemnatos expelleret? bona diriperet? ædes incenderet? tecta diſturbaret? templa deorum immortalium inflammaret? tribunos plebis ferro è roſtris expelleret? prouincias, quas vellet, quibus vellet, venderet? reges appellaret? rerum capitalium condemnatos in liberas ciuitates per legatos noſtros reduceret? principem ciuitatis ferro obſeſſum teneret? hæc vt efficere poſſet, quæ fieri, niſi armis oppreſſa repub. nullo modo poterant, idcirco credo manũ ſibi P. Sextius, & copias comparauit. At nondum erat maturum: nondum res ipſa ad eiuſmodi præſidia viros bonos compellebat: pulſi nos eramus, non omnino iſta manu ſola, ſed tamen non ſine iſta: vos taciti mœrebamini.

EXPLANATIO.

HOMINES.] Albinouani obiectio.

QVID VTI.] Obiectionis dilutio. Fateor, inquit, Sextium ſibi gladiatorum familiam comparaſſe: ſed id neceſſariò fecit, vt vitam ſuam defenderet, non vt, quod fecit Clodius, ſtrages ederet, & turbas in Rep. concitaret. Qua occaſione inuidiosè omnia Clodianorum facinora ſic exaggerat & coaceruat, vt aliud agere videatur.

SENATVM OBSID.] Vt obſederunt Clodiani pro doma ſua 89. *Ciues indemnatos expelleret.* vt me ciuem indemnatum expulerunt. *Bona diriperet?* vt diripuerunt mea. Cùm domus in palatio, villa in Tuſculano, altera ad alterum Conſulem transferebatur, &c. Columnæ marmoreæ ex ædibus meis inſpectante populo Romano ad ſocrum Conſulis portabantur: in fundum autem vicini Conſulis non modò inſtrumentum atque ornamenta villæ, ſed etiam arbores transferebantur, vt dicit pro domo ſua 62. *Ædes incenderet?* vt ij meas incenderunt, cùm domus ardebat in palatio: vt Clodius domum Quinti fratris *incẽdit: Tecta diſturbaret?* vt cùm ab iiſdem villa mea non prædæ cupiditate, ſed odio & crudelitate funditus euerſa eſt. *Templa deorum immortalium inflammaret?* vt cùm ædes Nympharum manu Clodj deflagrauit. in Paradoxis. cùm earum templũ inflammauit Dearum, quarum ope aliis incendiis ſubuenitur. De haruſp. reſp. 57. *Tribunos plebis ferro è roſtris expelleret?* vt cùm illi fecerunt impetum in Fabricium, cùm venientem in forum M. Ciſpium Tribunũ plebis vi depulerunt, ſuprà 76. *Prouincias quas vellet, quibus vellet, venderet?* vt Clodius Piſoni Macedoniam vendidit, Syriam Gabinio, eo pretio vt & proderent Remp. & me de ciuitate expellerent. *Reges appellaret?* vt Clodius Brogitarum Regem appellari fecit à populo, qui id nunquam ne à Senatu quidem poſtularat. *Rer. cap. cond. in lib. ciuit. per leg. noſt. reduceret?* vt cùm Clodius exules condemnatos reduxit Byſantium. ſuprà 56. pro domo. *Princip. ciuit. ferro obſeſſum teneret?* vt Clodius ſeruum ad occidendum Cn. Pompeium in veſtibulo curiæ collocauit: caruit foro poſteà Pompeius.

IDCIRCO CREDO.] Ironia.

Iſta manv sola.] Solis iſtis copiis, quas P. Clodius ex omni ſeruitio & fæce collegerat.

Moerebamini.] pro *mœrebatis*, alij *mirabimini*. nihil muto.

NOTÆ.

I. Gladiatores emebantur. EMisti.] Gladiatores emebantur. infra 134. *Cùm verò ne de venalibus quidem homines electos, ſed ex ergaſtulis emptos nominibus gladiatoriis ornarit.* Tatianus ad Græcos. Ο μὲν οὖν λῃστεύων φονεύει χάριν τοῦ λαβεῖν, ὁ δὲ πλουτῶν μονομάχους ὠνεῖται χάριν τοῦ φονεύεσθαι. *Latro occidit vt accipiat, diues gladiatores emit, vt occidantur.*

II. Qvid vti faceret.] Vt magni ſtrenuíque pugilis eſt eodem corporis motu & plagam exire venientem & aduerſario vulnus imponere: ſic magni oratoris telum ab accuſatore miſſum in ipſius caput conuertere, vt notat Vlpianus enarratione in orat. de falſa legatione. Vis oratoris. Τὸ θαυμαςότατον τοῦτό ἐστιν, ὅτι ἧπερ αὖ Αἰσχίνης ἐχρήσατο πρὸς ἀπολογίαν ἐπιστολῇ ταύτῃ ἔλαβε πρὸς κατηγορίαν Δημοσθένης. σύνηθες γὰρ αὐτῷ τὰ ἰσχυρὰ τῶν ἀντιδίκων, δι' ἰσχὺν δεινότητος, αὐτοῦ ποιεῖσθαι. *Admirabiliſſimum hoc eſt quod quibus epiſtolis vtebatur Æſchines ad defenſionem: eas ad accuſationem adhibet Demoſthenes. Eſt enim ei in more poſitum, aduerſariorum præſidia eloquentiæ vi ſua facere.* Plura ſunt eiuſmodi paſſim exempla, nos vnum de multis proferemus. Dixerat Æſchines Solonis ſtatuam Salamine poſitam, quæ manum in ſinu cohibebat, eſſe exemplum modeſtiæ Oratorum, & ex eo reprehenderat petulantiam Timarchi, hinc præclaram occaſionem arripuit ex collatione Solonis in Æſchinem inuehendi. Τοῦτο μὲν τοίνυν εἶπε τοῖς δικασταῖς καὶ ἐμιμήσατο· ὁ δὲ τοῦ σχήματος ἦν τούτου πολλῷ τῇ πόλει λυσιτελέστερον, τὸ τὴν ψυχὴν τοῦ Σόλωνος ἰδεῖν. καὶ τὴν διάνοιαν οὐκ ἐμιμήσατο, ἀλλὰ πᾶν τοὐναντίον. *Hoc igitur dixit Iudicibus & imitatus eſt. Id autem quod geſtu illo multo Reip. eſſet vtilius, vt animus Solonis inſpiceretur & mens, id non imitatus, ſed potiùs omnino contrarium.* Confert deinde ſcelera illius cum rebus à Solone præclarè geſtis. Tandem: Οὐ λέγειν εἴσω τὴν χεῖρα ἔχοντα, Αἰσχίνη, δεῖ, οὔ· ἀλλὰ πρεσβεύειν εἴσω τὴν χεῖρα ἔχοντα. σὺ δ' ἐκεῖ προτείνας, καὶ ὑποσχὼν, καὶ καταισχύνας τούτους ἐνθάδε σεμνολογεῖ, &c. *Non perorandum eſt, Æſchine, manu in ſinum condita, non: ſed obeunda legatio manu in ſinum condita. Tu verò cùm eam illic porrexeris, & exhibueris, & hos pudore affeceris, hic diſſeris magnificè.* Id Paulo ſolemne eſſe notat Chryſoſtomus, & ipſe frequenter imitatur, vt in epiſtolam priorem ad Corinthios orat. 21. Τρωγέτω, φησὶν ὁ σὸς, καὶ μὴ τρωγέτω ὁ πένης. κατεσθιέτω ὁ σκώληξ, καὶ μὴ περιβαλέτω ὁ γυμνός· ἀναλισκέσθω πάντα τῷ χρόνῳ, καὶ μὴ τρεφέσθω ὁ Χριστὸς, καὶ ταῦτα πεινῶν. Καὶ τίς τοῦτο εἶπε; φησί. *Comedat*, inquit, *& non comedat egenus. Rodat vermis, & nudus non veſtiatur. omnia tempore conſumantur, & Chriſtus quamuis fame preſſus non nutriatur. Et quis*, inquit, *hoc dicit?* Vide quemadmodum huic obiectioni reſpondeat, & illud ipſum in aduerſarios libratiùs contorqueat. Τοῦτο γάρ ἐστι σφόδρα τὸ δεινὸν, ὅτι οὐκ ἐν τοῖς ῥήμασιν, ἀλλ' ἐν τοῖς πράγμασι ταῦτα λέγεται. καὶ γὰρ ἧττον αὖ ἦν δεινὸν ἐπὶ τῶν ῥημάτων λεγόμενον, ἢ ἐπὶ τῶν ἔργων γινόμενον. *Hoc enim valde horrendum, quod non verbis, ſed in ipſis factis iſta dicuntur. Minùs enim horrendum eſſet ſi verbo diceretur, quàm re ipſa fieret.* Et paulò pòſt cùm exprobraſſet quoſdam mendicos clauis ſua capita lacerare, vt diuites ad miſericordiam commouerent, ſubdit. Εὐφήμει, φησίν· οὐ γὰρ ἡμεῖς ἐσμεν οἱ τὰς κεφαλὰς καθηλοῦντες ἐκείνας. Εἴθε σύ· καὶ γὰρ οὐκ ἦν οὕτω δεινὸν τὸ δεινόν. ὁ γὰρ σφάττων τινὰ τοῦ κελεύοντος. res ipſa exigit vt legamus: Τοῦ γὰρ σφάττοντός τινα ὁ κελεύων ἑαυτὸν σφάττειν πολλῷ χαλεπώτερον ποιεῖ· ὃ δὴ καὶ ἐπὶ τούτων συμβαίνει, &c. *Bona verba*, inquit, *non enim nos illa capita clauis confugimus. Vtinam tu ipſe faceres. Non enim tam atrox eſſet, id quod eſt per ſe atrociſſimum. Nam qui aliquem ſibi manus adferre iubet, multò atrociùs agit, quàm ſi ipſe ſua manu occideret, quod in hac re contingit.*

Credo.] Ironicè. pro Milone 89. *Senatus, credo, Prætorem eum circumſcripſiſſet.* & alibi paſſim 7. Æneidos. III. Credo.

-At, credo, mea numina tandem
Feſſa iacent, odiis aut exaturata quieui.

Demoſthenes, οἶμαι. Ouidius, *puto*, frequentiùs vſurpat. vt 5. de Triſtibus.

At, puto, ſi demens ſtudium fatale retentem,
Hic mihi præbebit carminis arma locus.

Exempla plura congeſſit Paulus Leopardus Emendationum lib. 3. cap. 6.

Moerebamini.] Ouidius de Ponto lib. 4. Eleg. 4. IV. Mœreor.

Occidis ante preces, cauſámque ego, Maxime, mortis,
Nec fueram tanti, mœreor eſſe tua.

Neque tamen repudianda videtur alia lectio. *Vos taciti mirabamini*. magna enim inter admirationem & ſilentium coniunctio, vnde & Homero σιγαλόεν eſt *mirabile*. quæ lectio Lambino magis placuit, ſed non video cur repudiarit priorem, & de verſûs lectione dubitarit qui ex Marcio poëtâ refertur apud Varronē lib. 6. de linguâ Latinâ.

Corpora Graiorum mœrebar mandier igni.

vbi *mœrebam*, vel *mœrebant*, legere mauult contra librorum fidem, ne cogatur *mœrebar* in patiente voce admittere.

AXIOMATA.

Prouinciæ vendi, exules reduci, principes ciuitatis & Senatus obſideri non poſſunt, niſi armis oppreſſa Repub.

Non tentandum eſt, quod nondum eſt maturum.

ARGVMENTVM.

Clodij ſeditiones, & populi Romani, qui ad hanc eius inſolentiam occalluerat, patientiam oſtendit, vt inde Milonem magis commendet, qui corroboratam eius audaciam cum Iudiciis non poſſet, armis compreſſit.

LXXXV. Captvm erat forum anno ſuperiore, æde Caſtoris, tanquam arce aliqua à fugitiuis occupata: ferebatis. omnia hominum cùm egeſtate, tum audacia perditorum clamore, concurſu, vi, manu, gereban-

tur: perferebatis. magiſtratus templis pellebantur, alij omnino aditu ac foro prohibebantur, nemo reſiſtebat. gladiatores ex prætoris comitatu comprehenſi, in Senatum introducti, confeſſi, in vincula coniecti à Milone, miſſi à Serrano: mentio nulla. forum corporibus ciuium Rom. conſtratum cæde nocturna: non modò nulla noua quæſtio, ſed etiam vetera iudicia ſublata. Tribunum pleb. plus viginti vulneribus acceptis iacentem, moribundúmque vidiſtis. alterius Tribuni pleb. diuini hominis (dicam enim quod ſentio, & quod mecum ſentiunt omnes) diuini, inſigni quadam, inaudita, noua magnitudine animi, grauitate, fide præditi domus eſt oppugnata ferro, facibus, exercitu Clodiano.

EXPLANATIO.

CAPTVM ERAT.] In Piſonem II. *Arma in templo Caſtoris conſtituebantur ab eo latrone, cui templum illud fuit arx ciuium perditorum, receptaculum veterum Catilinæ militum. Caſtellum forenſis latrocinij, buſtum legum omnium ac religionum.*

FEREBATIS.] Aduerte quàm variis modis eandem rem enuntiet *ferebatis, perferebatis, nemo reſiſtebat, mentio nulla.* vt magis incredibilem popul. Rom. patientiam oſtendat.

EGESTATE ET AVD.] Egeſtate, *qui propter implicationem rei familiaris, communi incendio malebant quàm ſuo deflagrare.* Audacia, *Qui propter inſitum quendam animi furorem, diſcordiis ciuium ac ſeditione paſcebantur.*

MAGIST. FOR. PELLEB.] Vt Fabricius Tribunusplebis, in quem cùm templum aliquanto ante lucem occupaſſet, impetum fecerunt, manus attulerunt, occiderunt nonnullos, vulnerauerunt multos.

PROHIBEBANTVR.] Vt M. Ciſpius Tribunusplebis, quem venientem in forum vi depulerunt.

EX PRÆTORIS.] Appij Clodij, quos ad funus Marci conſanguinei parauerat. ex Dione.

MISSI A SERRANO.] Cùm Attilij Serrani Calatini Tribuni plebis opem imploraſſent, à vinculis eius interceſſione exempti ſunt.

VETERA IVD. SVBLATA.] Quæſtiones lege Plautia de vi publica, & lege Cornelia de ſicariis conſtitutæ, ſublatæ ſunt, cùm Metellus Nepos Conſul, Appius Clodius Prætor, Serranus Tribunusplebis edictum propoſuerunt, ne Clodius de vi accuſatus à Milone reus adeſſet, aut de ipſo quæreretur.

TRIBVNVM PLEB.] P. Sextium.

ALTERIVS.] Titi Annij Milonis.

NOTÆ.

I. ÆDE CASTORIS.] Ædes Caſtoris & Pollucis fuit in foro Romano conſtituta, vt è ſexcentis exemplis compertum eſt. Dionyſius Halicarnaſſeus narrata Dioſcurorum apparitione bello Latino ſubdit. Ταύτης ἐστὶ τῆς παραδόξου καὶ θαυμαστῆς ἐπιφανείας ἐν Ῥώμῃ πολλὰ σημεῖα, ὅτε νεὼς ὁ τῶν Διοσκούρων, ὃν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς κατεσκεύασεν ἡ πόλις, ἔνθα ὤφθη τὰ εἴδωλα, καὶ ἡ παρ' αὐτῷ κρήνη καλουμένη τε τῶν θεῶν τούτων ἱερὰ, καὶ εἰς τόδε χρόνου νομιζομένη, &c. *Huius verò incredibilis & miræ apparitionis Romæ multa ſunt veſtigia, ædes Dioſcurorum, in foro publicis ſumptibus conſtituta, poſita ibidem ſimulacra, fons vicinus his Diis ſacer, vt & vocatur, & ad hoc vſque tempus exiſtimatur.* Pergit ſumptuoſa ſacrificia ibidem à principibus equitum fieri ſolita, & ſolennem Equitum tranſuectionem deſcribere. de qua nos alibi plura dicemus. Qua autem fori parte fuerit, dubitatur, vt ait Vvillelmus Godeleuæus obſeruationibus in Liuium lib. 2. Quidam DD. Coſmæ & Damiani templum Caſtorum exiſtimarunt, alij iuxta Iuturnæ fontem. Giraldus hiſtoriæ Deorum ſyntagmate 5. non vnum ſed plura fuiſſe exiſtimat.

Ædes Caſtoris vbi?

ARCE A FVGITIVIS OCCVP.] Auſonius, II.

Vrbibus in tutis munitior vrbibus eſt arx.

ſic dictæ quod hoſtes inde arceantur. Græcis ἀκρόπολεις quod ſint in montibus poſitæ.

Et *-imponent montibus arces.* Arx.

Liuius libro 3. *Exules ſeruique, &c. nocte Capitolium atque arcem occupauere.* & alibi frequenter. Cæterùm Solinus ſuum πολυΐστορα ſic auſpicatur. *Sunt qui videri velint Romæ vocabulum ab Euandro primùm datum, cùm oppidum ibi offendiſſet, quod extructum antea Valentiam dixerat iuuentus Latina, ſeruatáque ſignificatione impoſiti priùs nominis,* Ῥώμην *Græcè Valentiam nominatam, quam Arcades, quoniam in excelsâ parte montis habitaſſent, deriuatum deinceps, vt tutiſſam vrbium arces vocarentur.* Quid ſi nomen arcis vel ἀπὸ τοῦ ἕρκους, vel ἀπὸ τῆς ἄκρας, facili mutatione literarum deflexeris? Vt autem obiter id notemus, non ſolùm arx Romana, ſed etiam cæterarum vrbium arces Ioui fuerunt conſecratæ. Ariſtides hymno Iouis. Homines, inquit, ὡς χρόνῳ ὕστερον ἀθροίζοντες, ἀλλήλοις πόλεις ᾤκιζον, τὰς ἀκροπόλεις ἐξεῖλον τῷ Διΐ. *vt procedente tempore congregati vrbes habitare cœperunt, arces Ioui exemerunt.*

CVM EGESTATE, TVM AVDACIA.] III. Benè egeſtatem coniungit audaciæ. vt infra 97. 99. egeſtatem & animi furorem duos ſeditionum fontes eſſe teſtabitur, quòd egeſtas parit audaciam. Horatius epiſt. 2. lib. 2.

Deciſis humilem pennis, inopémque paterni
Et laris & fundi paupertas impulit audax
Vt verſus facerem.-

& lib. 3. carminum Ode 24.

Magnum pauperies opprobrium iubet
Quiduis & facere & pati
Virtutiſque viam deſerit arduæ.

Egeſtas & audacia.

Et ille mimographus.

Hominem experiri multa paupertas iubet.

Maro, -*Labor omnia vincit*
Improbus, & duris vrgens in rebus egeſtas.
Quare egenis & audacibus placet ſeditio. Petronius.

Arma placent miſeris, detritáque commoda luxu
Vulneribus reparantur: inops audacia tuta eſt.

IV. MISSI A SERRANO.] Tribuni plebis eos qui in vincula ducebantur pro poteſtate ſua eximebant. Plutarchus in Cæſare: Κάτωνα ἐπιχειρήσαντα ἀντιλέγειν, ἀπῆγεν εἰς φυλακὴν ὁ Καῖσαρ, οἰόμενος αὐτὸν ἐπικαλέσεσθαι τοὺς δημάρχους, ἐκείνου δ' ἀφώνου βαδίζοντος, αὐτὸς ἐδεήθη τῶν δημάρχων ἑνὸς, ἀφελέσθαι τὸν Κάτωνα. *Catonem contradicere tentantem in vincula Cæſar abduxit, eum Tribunorum plebis opem imploraturum eſſe ratus: eo vero tacente & ſequente, ipſe Tribunorum vnum orauit, vt Catonem eriperet.* In Vatinium 21. *Cùm eum tu Conſulem in vincula duceres, & à tabula Valeria Collegæ tui mitti iuberent, feceríſne ante roſtra pontem continuatis Tribunalibus, per quem Conſul pop. Rom. moderatiſſimus & conſtantiſſimus, ſublato auxilio, excluſis amicis, vi perditorum hominum, incitata turpiſſimo miſerrimóque ſpectaculo, non in carcerem, ſed ad ſupplicium & ad necem duceretur.* Quæ poteſtas, vt videtur, etiam ſub Imperatoribus ad Neronem vſque permanſit. Tacitus lib.13. *Manebat nihilominus quædam imago Reipub. Nam inter Vibullium Prætorem & plebei Tribunum Antiſtium ortum certamen, quòd immodeſtos fautores hiſtrionum & à Prætore in vincula ductos, Tribunus omitti iuſſiſſet.* Vibullij factum, *Comprobauere Patres, incuſata Antiſtij licentia: ſimul prohibiti Tribuni ius Prætorum & Conſulum præripere.* Certis tamen in rebus, etiam in Senatu remanſit imploratio Tribunorum, & quædam poteſtatis antiquæ veſtigia. Plinius Iunior lib.9. ep.13. *Finio: incipit reſpondere Veiento: nemo patitur, obturbatur, obſtrepitur: adeo quidem vt diceret, Rogo vos, P.C. ne me cogatis implorare auxilium Tribunorum. Et ſtatim Murena Tribunus, permitto tibi, vir clariſſime Veiento, dicere. Tunc quoque reclamatur.*

Tribuni plebis poteſtas eximendis iis qui in vincla ducerentur.

V. NOVA QVÆSTIO.] In cauſſis atrocioribus nouas inſtituebant quæſtiones, vt de huiuſmodi criminibus extra ordinem quæreretur. pro Milone 14. *nouam quæſtionem nunc nullam haberemus.* 18. *Num quæ rogatio lata? num quæ noua quæſtio decreta eſt.* Vide.

Noua quæſtio.

VI. DIVINI.] Vide ſupra 50. *Diuinum illum virum.* & pro Cœlio 39. *Diuinis quibuſdam bonis inſtructum.* Repetit vocem *diuini* ad emphaſim. vt

--*Deus Deus ille Menalca.*

AXIOMATA.

Homines cum egeſtate tum audacia perditi ad vim facilè excitantur.

In laude dicendum quod ſentimus, & quod nobiſcum ſentiunt omnes.

ARGVMENTVM

Occaſione data excurrit in Milonis laudes, eiúſque cauſſam accuſatoris voce collaudatam eſſe demonſtrat, ex quo in propoſito crimine parem Sextij cauſſam eſſe contendit, quod iiſdem periculis permotus fuerit, vt vitæ ſuæ præſidium compararet.

LXXXVI. ET tu hoc loco laudas Milonem, & iure laudas. quem enim vnquam virum tam immortali virtute vidimus: qui, nullo præmio propoſito, præter hoc, quod iam contritum, & contemptum putatur, iudicium bonorum, omnia pericula, ſummos labores, grauiſſimas contentiones, inimicitiáſque ſuſcepit? qui mihi vnus ex omnibus ciuibus videtur re docuiſſe, non verbis, quid oporteret à præſtantiſſimis viris in Repub. fieri, & quid neceſſe eſſet: oportere hominum audacium, euerſorum Reipub. ſceleri, legibus & iudiciis reſiſtere: ſi leges non valerent, iudicia non eſſent, ſi Reſpubl. vi, conſenſúque audacium armis oppreſſa teneretur, præſidio, & copiis defendi vitam, & libertatem neceſſe eſſe. hoc ſentire, prudentiæ eſt, facere, fortitudinis: & ſentire verò & facere, perfectæ cumulatæque virtutis.

EXPLANATIO.

ET TV.] *Non eſt accuſandus de vi Sextius ob præſidium paratum ſi Milo ab aduerſario eadem de cauſſa iure laudatus eſt.*

Sed Milo ab accuſatore Albinouano iure laudatus eſt, quod præſidium ſibi pararit.

Ergo non eſt accuſandus de vi Sextius.

Propoſitio & complexio habetur 90. ſectione. Aſſumptio duas partes complectitur. Altera eſt *laudas Milonem*, quæ probatione non indiget, cùm Iudices ipſi laudationem audierint. Altera: *Et iure laudas,* cuius probatio quatuor paragraphis ad nonageſimum continetur. Vbi aduerte concinnitatem rerum & verborum, & diſtributionem pulcherrimam.

IMMORTALI.] Digna quæ propagetur ad memoriam hominum ſempiternam.

QVI NVLLO.] Prima aſſumptionis probatio.

Iure laudatur qui nullo præmio prępoſito præter iudicium bonorum labores adit.

Sed hoc fecit Milo, ergo iure laudatur.

QVI MIHI VNVS.] Duplex probatio paucis inuoluitur. 1. quod cæteris exemplo ſuo præluxerit. 2. quod vnus id fecerit, atque

adeo laus ei ſit ſingularis.

Qvid oporteret.] Aduerte diſtinctionem inter *oportere* & *neceſſe eſſe*, inter τὸ δέον καὶ τὴν ἀνάγκην. Oportet legibus & iudiciis ſalutem tueri. Sed ſi quod oportet fieri non poteſt, tum vim vi propulſare neceſſe eſt.

Consensv.] Conſpiratione & coniuratione.

Hoc sentire.] Epiphonema per diſtributionem.

NOTÆ.

I. Gloria fructus virtutis. IVdicivm bonorvm.] Fructus virtutis eſt honor & gloria pro Milone 97. in Piſonem 57. *Leuis eſt animi lucem ſplendorémque fugientis, iuſtam gloriam qui eſt fructus veræ virtutis honeſtiſsimus, repudiare.* Demoſthenes de falſa legatione: οἱ δ' ἐπὶ τοῖς καλῶς πεπραγμένοις ἔπαινοι τῶν τετελευτηκότων ἴδιον κτῆμά ἐστιν. *Laudes ob res præclarè geſtas ſunt mortuorum propria poſſeßio.* Laus & gloria bonorum iudicio continetur. Laus verò & gloria bonorum virorum iudicio continetur. Seneca epiſt. 103. *Licet vir bonus taceat, ſed aliquem iudicet dignum laude, laudatus eſt.* Item: *Gloria multorum iudiciis conſtat, claritas bonorum.* Sed vide noſtras Notas in Vatinium 9. *Boni viri iudicent.*

II. Vnvs.] In laude ſpectari ſolet ſitne multis communis an ſingularis, vt de ſapientia tradit Seneca epiſt. 101. *Si hanc quoque Bonum vulgare* (Deus) *feciſſet, & prudentes naſceremur, ſapientia quod in ſe optimum habet, perdidiſſet.* Ariſtoteles Singularia ſunt clariora. 1. Rhetoric. cap. 9. Τὰ μόνῳ ὑπάρχοντα καλλίω· εὐμνημόνευτα γάρ. *Quæ ſoli adſunt, honeſtiora ſunt: valde enim memorabilia ſunt.* Lyſias oratione funebri. ἐνόμιζον γὰρ ἀποθανεῖν μὲν αὐτοῖς μετὰ πάντων προσήκειν, ἀγαθοῖς δ' εἶναι μετ' ὀλίγων. *Exiſtimabant enim mori quidem ipſis cum omnibus conuenire, fortiter verò facere cum paucis.*

III. Re docvisse non verbis.] Pro Cœlio 40. *Qui hanc ſectam rationemque vitæ re magis quàm verbis ſecuti ſunt.* Vide. Ita Theſeus apud Sophoclem Oedipo in Colonia gloriatur:

ΟΥ γὰρ λόγοισι τὸν βίον σπουδάζομεν
Λαμπρὸν ποιεῖσθαι, μᾶλλον ἢ τοῖς δρωμένοις.
Opera verbis potiora. *Vitam ſtudemus opere quam verbis magis*
Ornare.

Lepidè Plautus Truculento Sc. 5. In eos qui verbis non re virtutis implent numeros:

Non placet quem ſcurræ laudant, manipulares muſsitant:
Neque illi quorum lingua gladiorum aciem præſtringit domi.
Strenui nimio plus proſunt populo quàm arguti & cati,
Facilè ſibi facunditatem virtus arguta inuenit.
Sine virtute argutum ciuem mihi habeam pro præfica
Quæ alios collaudare abſentes, ſe verò non poteſt.

IV. Legibvs ac ivdiciis.] Meritò leges ſiue ius ſcriptum & iudicia coniungit. nam vt infra 92. *Ius valeat neceſſe eſt, id eſt iudicia, quibus omne ius continetur.* vide Notas.

V. Hoc sentire.] Tres videtur gradus conſtituere virtutum: Primus eſt eorum qui animo vident facienda: Alter eorum qui, quæ alij viderint, ipſi facto exequuntur, & bene monentibus obtemperant. Tertius eorum qui & vident & exequuntur. Primum illum gradum virtutis prudentiam appellat: ſecundum fortitudinem: tertium perfectam cumulatámque virtutem. Primus ille, ſi propriè loqui velimus, virtus non eſt, ſed quædam ingenij fœlicitas, vt pro Cœlio §. 40. oſtendimus de iis qui cùm facere non poſſent, fortiter nihilominus loquebantur: cùm nulla ſit vera & ſincera prudentia, quæ non ad praxim dirigatur. Ariſtoteles 6. ethic. cap. 5. Prudentiam definit. ἕξιν ἀληθῆ μετὰ λόγου πρακτικὴν περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ κακά. *habitum verum cum ratione actiuum in iis quæ homini bona vel mala contingunt.* Prudentia eſt virtus actiua. Secundus, niſi ex certa notitia & animi inductione, quæ alij prudenter ſuggeſſerint, exequatur, vix virtutis nomine dignus videbitur. Quanquam, vt tradit Syneſius in Dione, Barbari (Monachos Ægyptios ipſe gentilis adhuc innuebat) Τὰς ἀρετὰς ἔθει μᾶλλον, ἢ λόγῳ κρατύνουσι, καὶ τρεῖς αὐτὰς ἡγοῦνται· φρόνησιν γὰρ οὐ προσίενται. *Virtutes conſuetudine magis quàm ratione obtinent, & eas eſſe treis arbitrantur. prudentiam enim non admittunt.* Tertius eorum qui verè prudentes ſunt, id eſt, & facienda vident, & exequuntur, eſt virtutis numeris omnibus abſolutæ. quo ſenſu capiendus Heſiodus in operibus.

Οὗτος μὲν πανάριστος ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει.
Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
Optimus eſt quiſquis propria videt omnia mente. Vera prudentia.
Ille etiam bonus eſt parit qui recta monenti.

Et alij poſt ipſum. vt Noſter in Cluentiana. *Sapientiſsimum eſſe dicunt eum, cui quod opus ſit, ipſi veniat in mentem: proximè accedere illum qui alterius bene inuentis obtemperet:* Liuius lib. 22. *Sæpè audiui eum primum eſſe qui ipſe conſulat, quod in rem ſit: ſecundum eum qui bene monenti obediat: qui nec ipſi conſulere, nec alteri parere ſcit, eum extremi eſſe ingenij.* Seneca lib. 5. de beneficiis cap. 25. *Moneri velle ac poſſe ſecunda virtus eſt. huc illuc frenis leniter motis flectendus eſt animus, paucis ſuis rector optimus. Proximi ſunt qui admoniti in viam redeunt, his non eſt detrahendus.* Herodotus tamen ne hoc quidem diſcrimen agnoſcit. Ἴσον ἐκεῖνο παρ' ἐμοὶ κέκριται φρονέειν τ' εὖ, καὶ τῷ λέγοντι χρηστὰ πείθεσθαι. *Eiuſdem mihi virtutis eſſe videtur, & rectè ſapere, & rectè monenti obtemperare.* Et ſanè vtrumque æqualiter in Agamemnone Neſtor Homericus exigebat, 2. Iliados.

Ἀλλ' ἄναξ αὐτός τ' εὖ μήδεο, πείθεό τ' ἄλλῳ.
Rex bene conſulta, atque alij pareto monenti.

AXIOMATA.

Magnæ virtutis eſt nullo præmio propoſitos ſummos labores ſuſcipere.

Præmium virtus eſt iudicium bonorum.

Oportet improborum ſceleri legibus & iudiciis reſiſtere, ſi leges non valeant, iudicia non ſint, præſidio & copiis defendi vitam, & libertatem neceſſe eſt.

Bene ſentire prudentiæ eſt, facere fortitudinis: & ſentire verò eſt facere, perfectæ cumulatæque virtutis.

ARGVMENTVM.

Variis adiectis cauſis ſyllogiſmi ſuperioris aſſumptionem probat, videlicet Milonem iure laudari, quod legibus iudiciiſque ſublatis, Clodium exultantem & in buſto Reipub. tripudiantem vi & armis compreſſerit.

LXXXVII. ADIIT ad Rempubl. Tribunus plebis Milo: de cuius laude plura dicam, non quo, aut ipſe hæc dici, quàm exiſtimari malit, aut ego hunc laudis fructum præſenti libenter impertiam, præſertim cùm verbis conſequi non poſſim: ſed quod exiſtimo, ſi Milonis cauſſam accuſatoris voce collaudatam probaro, vos in hoc crimine parem Sextij cauſſam exiſtimaturos. Adiit igitur T. Annius ad cauſſam Reipublicæ, ſic, vt ciuem patriæ recuperare vellet ereptum. ſimplex cauſſa, conſtans ratio, plena conſenſionis omnium, plena concordiæ. collegas adiutores habebat. Conſulis alterius ſummum ſtudium, alterius animus pænè placatus: de Prætoribus vnus alienus: Senatûs incredibilis voluntas: equitum Rom. animi ad cauſſam excitati: erecta Italia. duo ſoli erant empti ad impediendum: qui ſi homines deſpecti, & contempti tantam rem ſuſtinere non potuiſſent, ſe cauſſam quam ſuſceperat, nullo labore peracturum videbat. agebat auctoritate, agebat conſilio, agebat per ſummum ordinem, agebat exemplo bonorum, & fortium ciuium: quid Repub. quid ſe dignum eſſet, quis ipſe eſſet, quid ſperare, quid maioribus ſuis reddere deberet diligentiſſimè cogitabat.

EXPLANATIO.

ADIIT.] Duplex cauſa cur iure laudetur Milo, quòd non proprium emolumentum, ſed publicam vtilitatem ſpectauerit, & quod fuerit Tribunusplebis, atque adeo munus eius fuerit ad Reipub. commodum excubare.

DE CVIVS.] Reddit digreſſionis ſuæ rationem, ne temerè aliò quàm cauſſæ neceſſitas exigebat, diuagatus fuiſſe videatur.

SIC VT CIVEM.] Locus corruptus eſt. Lambinus è veſtigiis antiquæ lectionis, *ſicut ei ciuem patriæ recuperare velle te Repub. tum*, ſic eleganter emendat. *ſicut qui ciuem patriæ recuperare vellet ereptum. Simplex cauſſa*, &c. quibus verbis nihil eſſe poteſt ad videndam Oratoris mentem liquidius. feliciùs etiam Robortellus lib.2. emendationum paucioribus mutatis. *Adiit igitur Tit. Annius ad cauſſam Reipublicæ ſic, vt ciuem patriæ recuperare vellet. Reipublicæ tum ſimplex cauſſâ, conſtans ratio*, &c.

SIMPLEX CAVSSA.] Id vnum ſpectabat vt Reipub. commodis inſeruiret.

PLENA CONSENS.] ab enumeratione partium oſtendit laudandum Milonem, quòd nihil niſi de omnium conſenſu ſuſceperit.

COLLEGAS.] P. Sextium, M. Ciſpium, Fabricium, & cæteros Tribunosplebis, exceptis Quintio, & Attilio Serrano.

COSS. ALTERIVS.] P. Lentuli Spintheris, qui ſummo ſtudio ad meam ſalutem incumbebat.

ALTERIVS ANIMVS.] Q. Metelli Nepotis, qui etſi mihi placatus erat, legíque de meo reditu promulgatæ fauebat, nolebat tamen fratrem ſuum P. Clodium à Milone in iudicium vocari lege Lutatia.

DE PRÆTOR. VNVS AL.] Appius Clodius item frater P. Clodij.

DVO SOLI.] Numerius Quintius & Attilius Serranus à Clodianis erant mercede corrupti, vt legem de meo reditu promulgatam, & Clodij iudicium ſuis interceſſionibus impedirēt.

TANTAM REM SVST. NON POT.] Si legis promulgationem impedire, ſi rem ſuſceptam ad exitum perducere minimè potuiſſent, & quaſi ſub oneris impoſiti magnitudine concidiſſent, videbat fore vt me ſine difficultate reuocaret, & Clodium de vi damnaret.

PER SVMMVM ORD.] per Senatum.

NOTÆ.

EXISTIMARI.] quia laus exiſtimatione magis hominum, quàm verbis & oratione continetur. Seneca epiſt. 103. *Licet enim vir bonus taceat, ſed aliquem iudicet dignum laude, laudatus eſt. Præterea aliud eſt laus, aliud laudatio. Hæc & vocem exigit. Itaque nemo dicit laudem funebrem, ſed laudationem, cuius officium oratione conſtat: cùm dicimus aliquem laude dignum, non verba illi benigna hominum, ſed iudicia promittimus*, &c. hîc igitur exiſtimationem pro tacitis hominum iudiciis noſter vſurpat, quamuis alij ſenſu contrario. ne longiùs abeam Seneca epiſtolâ citatâ. *Fama non eſt vnius ſermo, nec infamia vnius exiſtimatio.* Item: *Quid ergo*, inquit, *& fama erit vnius hominis exiſtimatio, & infamia vnius malignus ſermo?* Sed de his alibi diſſeremus.

1. Laus.

Laudatio.

II. LAVDIS FRVCTVM.] Vide Piſonianam 57. *Iuſtam gloriam qui eſt fructus veræ virtutis honeſtiſsimus.* quo loco fusè dicemus virtutem cum arbore, laudem & gloriam cum fructu comparari. Marcellus Palingenius in Cancro:

Quippe honor eſt ſoli virtuti debita merces.

III. PRÆSENTI.] Laus gratior quæ defertur abſentibus. Themiſthius oratione 5. de amicitiâ. οὐδὲν οἶμαι, τῶν τιτρωσκόντων διαφέρουσιν οἱ ἐπαινοῦντες. ἐντονώτερα γὰρ καὶ τούτων τὰ βέλη πόῤῥωθεν ἀφιέντων, ἢ σύνεγγυς. *Nihil, vt opinor, qui laudant à iaculantibus differunt: vibratiora enim ſunt eorum iacula, ſi eminus, quàm ſi valdè comminus & è propinquo iaculentur.* Terentius Adelphis actu 2. ſcen. 4.

O mi Germane, ah vereor coram in os te laudare ampliùs,
Ne id aſſentanti magis, quàm quòd habeam gratum, facere exiſtimes.

Vide planè pro Cæcinâ 77. & Marcellum Palingenium in Cancro ad finem vergente.

Laus gratior quæ defertur abſentibus.

IV. PLENA CONCORDIA.] Meritò Milonis conſilium laudat ab omnium conſenſu & concordia, cum eo veluti cardine vertatur ſalus & incolumitas ciuitatum. Dinarchus in Ariſtogitonem priore: Ἐκ δὲ τούτων ἡ κοινὴ καὶ πάντων τῶν ἀγαθῶν αἰτία τῇ πόλει μένει, καὶ συνέστηκεν ὁμόνοια. *Hinc communis illa, & omnium bonorum cauſſa Reip. manet, & conſtat concordia.* Lyſias oratione de publicatione Niciæ fratris: Πάντες ἂν ὁμολογήσαιτε ὁμόνοιαν μέγιστον ἀγαθὸν εἶναι τῇ πόλει, στάσιν δὲ πάντων κακῶν αἰτίαν. *Apud omnes in confeſſo eſt maximum Reipub. bonum eſſe concordiam, diſcordiam verò malorum omnium cauſſam.* Et eam ob cauſſam, vt ait Socrates apud Xenophontem 4. Memorabilium: Πανταχοῦ ἐν τῇ Ἑλλάδι νόμος κεῖται τοὺς πολίτας ὀμνύναι ὁμονοήσειν. *Vbique in Græcia lex eſt vt iurent ciues ſe ſeruaturos eſſe concordiam.* Et Romani vt ſeditiones coortas expiarent Deæ Concordiæ frequenter ædes excitarunt. Liuius 9. exeunte de C. Flauio ſcriba: *Ædem Concordiæ in Area Vulcani ſumma inuidia nobilium dedicauit.* & lib. 22. *Ædem Concordiæ, quam per ſeditionem militarem biennio ante Luc. Manlius Prætor in Gallia vouiſſet.* Sic, vt notat Plutarchus in Gracchis, extinctis Gracchis erecta in foro ædes Concordiæ, illud videlicet Opimij monumentum, de quo infra dicemus ad 140. §. Sed de bono concordiæ, & eius neceſſitate vide Dionem Chryſoſtomum orat. 38. 39. 40. 41. 49. vnum illud ex orat. 38. ad Nicenos habita ſuffecerit: Ὁπόσοι γὰρ ἂν ὦσι πολῖται τῆς ὁμονοούσης πόλεως, τοσοῦτοι μὲν ὀφθαλμοὶ ὁρῶσι τὸ ἐκείνης συμφέρον, τοσαῦται δ' ἀκοαὶ ἀκούουσι, τοσαῦται δὲ γλῶτται παραινοῦσι, τοσαῦται δὲ διάνοιαι φροντίζουσι. Διαφέρουσι γὰρ οὐδὲν, ἢ εἴ τις θεῶν, οὕτω μεγάλης καὶ πολυανθρώπου πόλεως μίαν ψυχὴν ἐποίησεν. *Quotcunque enim ſunt ciues conſentientis ciuitatis, tot oculi vident eius vtilitatem, tot aures audiunt, tot linguæ hortantur, tot mentes curant. Neque enim aliter ſe habent, quàm ſi quis Deorum, tam magnæ & celebri ciuitati vnam animam indidiſſet.* Et alia tum de concordia, tum de ſeditionibus longè pulcherrima. Videndus etiam Plutarchus in Præceptis Politicis, ad Traianum, & è Chriſtianis Greg. Nazianzenus orationibus quas εἰρηνικοὺς appellat. Præſertim orat. prima ad Monachos, ſub cuius finem de cœli, elementorum, totiúſque naturæ concordia, cuius conſideratione ad ſeruandam concordiam excitamur. & oratione de Modeſtia in diſputando, tum alia multa, tum iſtud pulcherrimum: Ἀταξία δὲ καὶ ἀκοσμία ἐν ἀέρι τοὺς σκηπτούς, ἐν δὲ γῇ τοὺς σεισμούς, ἐν δὲ θαλάσσῃ τὰς ἐπικλύσεις, ἐν δὲ πόλεσι καὶ οἴκοις πολέμους, ἐν δὲ σώμασι τὰς ἀῤῥωστίας, ἐν δὲ ταῖς ψυχαῖς τὰς ἁμαρτίας ἐχαρακτήρισεν, &c. *Inordinatio verò & immodeſtia in aëre fulminis, in terra motus, in mari inundationes, in vrbibus & domibus bella, in corporibus morbos, in animis peccata generauit.* Addamus L. Quintij Conſulis ad Quirites dictum ex Liuio lib. 3. *Diſcordia ordinum eſt venenum vrbis huius, patrum & plebis certamina: dum nec nobis imperij, nec vobis libertatis eſt modus, &c.*

Concordia omnium bonorum cauſſa.

Ædes Concordiæ.

EMPTI.] Mercede conducti. vide ſupra 74. *nec auſus eſt cùm eſſet emptus intercedere.* V.

QVID MAIORIBVS.] Qui fuerint Milonis maiores certò affirmare non poſſum. Venit in mentem ſuſpicari Anniorum gentem è Latio: & ex illo Lucio Annio Setino Latinorum Prætore deſcendiſſe, qui cùm legatus ad Senatum *Conſulem alterum Roma, alterum è Latio creari* petiiſſet, & *cùm commotus irâ ſe à veſtibulo templi,* Capitolij, *citato gradu proriperet, lapſus per gradus, capite grauiter offenſo, impactus imo ita eſt ſaxo, vt ſopiretur.* Item narrat Liuius lib. 8. Aliorum etiam Anniorum meminit libris 21. 42. 43. Sed eum præſertim putem intelligi qui ſe Tiberij Gracchi ſeditioſis legibus oppoſuit, quem noſter opponens ſe Clodio voluit imitari. Epitome Liuiana lib. 58. *Tot indignitatibus commotus grauiter Senatus, ſed ante omnes Tit. Annius Conſul, qui cùm in Senatu in Gracchum perorâſſet, raptus ab eo ad populum delatúſque plebi, rurſus in eum pro Roſtris concionatus eſt.* Meminit etiam Annij Lanuuini Silius Italicus. VI.

Milonis nobilitas.

AXIOMATA.

Adulatoris eſt laudis fructum libenter impertire præſentibus.

Cùm aliquid aggredimur, conandum eſt vt ſit ſimplex cauſſa, conſtans ratio, plena conſenſionis omnium, plena concordiæ.

Agendum auctoritate, conſilio, exemplo bonorum, quid Repub. quid nobis dignum ſit, qui ipſi ſimus, quid ſperare, quid maioribus noſtris reddere debeamus, diligentiſſimè cogitandum.

ARGVMENTVM.

Clodij furores & leuitatem, Milonis grauitatem, conſtantiam, & animi moderationem oſtendit.

HVIC grauitati hominis, videbat ille gladiator ſe, ſi moribus ageret, parem eſſe non poſſe: ad ferrum, ad faces, ad quotidianam cædem, incendia, rapinas ſe cum exercitu ſuo contulit: domum oppu- LXXXVIII.

gnare, itineribus occurrere, vi laceſſere & terrere cœpit. Non mouit hominem ſumma grauitate, ſummáque conſtantia, ſed quanquam dolor animi, innata libertas, prompta excellénſque virtus fortiſſimum virum hortabantur, vi vim, oblatam præſertim ſæpius, vt frangeret, & refutaret: tanta moderatio fuit hominis, tantum conſilium, vt contineret dolorem, neque eadem ſe re vlciſceretur, qua eſſet laceſſitus: ſed illum, tot iam in funeribus Reipub. exultantem ac tripudiantem, legum, ſi poſſet, laqueis conſtringeret.

EXPLANATIO.

GLADIATOR.] P. Clodius ſeditioſus & turbulentus, qui gladiatoris inſtar nihil præter vim ſpirat & ſanguinem.

SI MORIBVS AGERET.] Si cum Milone moribus & virtute certaret.

AD FERR.] Aduerte repetitionem & diſſolutum ad exprimendam rerum perturbationem accommodatum.

NON MOVIT HOMINEM.] Milonem.

EADEM SE RE.] Vi & armis.

EXVLTANTEM ET TRIP.] allegoria ducta ab equis, qui cùm exultant & tripudiant adductis habenis in gyrum coërcentur.

NOTÆ.

I. VI VIM.] Vide Milonianam 9.10.

II. EXVLTANTEM AC TRIPVD.] Infrà 96. *Eius furorem exultantem reſpexit.* Ab equis tranſlatum. 1. de officiis. *Panætius quidem auditorem Africanum & familiarem ſuum ſolitum ait dicere, ſicut equos propter crebras contentiones præliorum ferocitate exultantes domitoribus tradere ſolent, vt his facilioribus poſſint vti, ſic homines ſecundis rebus effrenatos ſibíque præfidentes, tanquam in gyrum rationis & doctrinæ duci oportere, vt perſpicerent rerum humanarum imbecillitatem, varietatémque fortunæ.* Vetus Poëta apud Ciceronem 3. de Oratore 164. multò pulcherrimè. — Exultare.

Erras, erras: nam exultantem te & præfidentem tibi
Comprimentvalidæ legum habenæ, atque imperij inſiſtent iugo.

Philippicâ decimâ tertiâ. *Mutinámque illi exultanti tanquam frenos furoris iniecit.* Maro 3. Georg.

Inſultare ſolo & greſſus glomerare ſuperbos. — Inſultare.

Id eſt, *exultare ac tripudiare.* vnde, vt obiter id dicamus Arnobio *inequitare*, Ciceroni *equitare*, Horatio *vectari equitem* eſt *inſultare*, ſiue *illudere.* Ille lib. 2. aduerſus Gentes. *Interea tamen, ô iſti, qui admiramini, qui ſtupetis doctorum & philoſophiæ ſcita, ita non iniuſtiſſimum ducitis, inequitare, illudere tanquam ſtulta & bruta dicentibus?* quo loco verbum *illudere* gloſſema fortaſſe fuerit, & è margine in textum irrepſerit. Idem lib. 5. *Non quo nobis dulce ſit tam fœdis inequitare myſteriis.* Item libro 7. *Sed fruſtra,* inquit, *inequitas nobis.* Eodem ſenſu Noſtrum 6. Verrina poſſis explicare. *Imprudens huc incidi, Iudices. emit enim, non abſtulit. nollem dixiſſe. Iactabit ſe, & in his equitabit equuleis.* id eſt, *inſultabit, illudet.* Sic Canidia Horatiana. — Inequitare.

Vectabor humeris tunc ego inimicis eques.

Græcis καθιππάζεσθαι. Laërtius in Bione: Πλείστας ἀφορμὰς δεδωκὼς τοῖς βουλομένοις καθιππάζεσθαι φιλοσοφίας. *Multam materiam præbens volentibus inequitare philoſophiæ.* cuius vocis ſignificatio fugerat interpretem, & Henricum Stephanum in Theſauro. Adde Ambroſium libro 1. de officiis cap. 48. *Quibus peccator inſultat, conuitiatur, inequitat.* Item oratione de obitu Theodoſij ſenioris. *Et inequitare hoſtis mora belli videretur.*

LEGVM LAQVEIS.] In Vatinium 12. *Iniquiſſimis iudiciis irretires.* pro Milone 41. *belluam iudiciorum laqueos declinantem.* pro Marcello 24. *Omnia quæ dilapſa iam fluxerunt ſeueris legibus vincienda ſunt.* quibus ſingulis locis aliquot huius locutionis exempla proferemus. pro Cœlio 71. *Eo maleficio tamen erant implicati, vt ex nullius legis laqueis emittendi viderentur.* III. — Legum & iudiciorum laquei.

AXIOMATA.

Qui moribus pares eſſe non poſſunt, ad vim ſe conferunt.

Oportet vi vim oblatam frangere ac refutare.

Ea re nos vlciſci poſſumus qua ſumus laceſſiti.

Debemus ſceleratos Reipub. funeribus exultantes ac tripudiantes, legum, ſi poſſimus, laqueis conſtringere.

ARGVMENTVM.

Concludit rationem quæ Milonem impulit, vt vim vi propulſaret, quia nimirum Metellus Conſul, & Appius Prætor edicto ſuo iudicia ſuſtulerant, edixerántque ne Clodius de vi poſtulatus à Milone, reus adeſſet, & iudicium ſubiret.

LXXXIX. DESCENDIT ad accuſandum: quis vnquam tam propriè Reipub. cauſſa? nullis inimicitiis, nullis præmiis, nulla hominum poſtulatione, aut etiam opinione id vnquam eſſe facturum? fracti erant animi hominis. hoc enim accuſante, priſtini illius ſui iudicij turpitudinem deſperabat. Ecce tibi, Conſul, Prætor, Tribunuspleb. noua noui generis

edicta proponunt. Ne reus adſit, ne citetur, ne quæratur, ne mentionem omnino cuiquam iudicum, aut iudiciorum facere liceat. Quid ageret vir ad virtutem, dignitatem, gloriam natus, vi ſceleratorum hominum corroborata, legibus iudiciíſque ſublatis? ceruices Tribunuspleb. priuato, præſtantiſſimus vir profligatiſſimo homini daret? an cauſſam ſuſceptam affligeret? an ſe domi contineret? & vinci turpe putauit, & deterreri, etiam è Rep. credidit: vt, quoniam ſibi in illum legibus vti non liceret, illius vim neque in ſuo, neque in Reip. periculo pertimeſceret.

EXPLANATIO.

DESCENDIT AD ACCVS.] Milo venit in forum, & è colle, in quo habitabat, deſcendit vt Clodium de vi accuſaret lege Lutatia.

QVIS VNQVAM TAM PROPRIE.] Milonis accuſationem eo nomine commendat, quòd eam non proprij emolumenti, ſed ſolius Reipub. cauſſâ ſuſceperit.

FRACTI.] Clodius, abiecta omni corrumpendi iudicij ſpe, animum deſponderat.

PRISTINI.] Quo iudicio accuſatus de pollutis religionibus Bonæ Deæ, Iudicibus mercede fœdiſſimè corruptis fuit abſolutus, & è legum laqueis emiſſus.

CONSVL.] Q. Metellus Nepos.

PRÆTOR.] Appius Clodius.

TRIBVN.] Numerius, vel Serranus. ſed eſt vt Serranum potiùs intelligam. Quippe qui gladiatores Appij iuſſu Senatus, poſtulante Milone, in vincla compactos exemerit. ſupra 85.

NE REVS ADSIT.] Ne Clodius accuſatus à Milone iudicij diem obeat, iudicióque ſe ſiſtat. Dio lib. 39. *Detulerat nomen Clodij Milo, non tamen accuſauit. Nondum enim conſtituti erant Quæſtores, à quibus ſortitionem iudicum fieri oportebat. Nepóſque Prætori edixerat, ne quod iudicium, antequam iudices ſorte deligerentur, admitteret. oportebat autem priùs Ædiles quàm Quæſtores conſtitui, eiúſque rei cauſſâ potiſſimùm moram iniiciebat.* vt ſcilicet Clodius factus Ædilis è iudicij tendiculis euolaret.

AN CAVSSAM SVSC. AFFLIG.] Collabi, & ruere, & quaſi in partes comminui pateretur.

ETIAM ERIPI REIECIT: VT, &c.] Locus obſcurus eſt & corruptus. non infœliciter Lambinus. *Eſſe iam è Rep. credidit, vt quoniam ſibi in illum legibus vti non liceret, illius vim neque in ſuo, neque in Reip. periculo pertimeſceret.*

NOTÆ.

I. Deſcendere ad accuſandum.

DESCENDIT.] Pro Murena 60. *Si quis hoc fortaſſe dicet, Catonem deſcenſurum ad accuſandum non fuiſſe, niſi priùs de cauſſa iudicaſſet.* Diuinatione in Verrem 1. *Subitò nunc mutata voluntate ad accuſandum deſcendere.* Contrà tamen Xenophon libro primo de rebus Græcanicis. Τὰ μὲν κατηγορήσων, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἀνέβην ἐνθάδε. *Hæc accuſaturus, ô Athenienſes, huc adſcendi.* Quintilianus libro 11. cap. 1. *Nam ſine dubio in omnibus ſtatim accuſationibus hoc agendum eſt, ne ad eas libenter deſcendiſſe videamur.* Vide Cœlianam §. 2. *Deſcenſurum.*

SVI IVDICII TVRPIT.] Operæpretium fuerit bene longum Senecæ locum exſcribere ex epiſt. 98. *Credat aliquis pecuniam eſſe verſatam in eo iudicio, in quo reus erat Clodius, ob id adulterium, quod cum Cæſaris vxore in operto commiſerat, violatis religionibus ſacrificij, quod pro populo fieri dicitur, ſic ſubmotis extra conſpectum omnibus viris, vt picturæ quoque maſculorum animalium contegantur. Atqui dati iudicibus nummi ſunt, &, quod hac etiamnum pactione turpius eſt, ſtupra inſuper matronarum & adoleſcentulorum nobilium, ſalarij loco exacta ſunt. Minùs crimine quàm abſolutione peccatum eſt. Adulterij reus adulteria diuiſit. Nec antè fuit de ſalute ſecurus, quàm ſimiles ſui iudices ſuos reddidit. Hæc in eo iudicio facta ſunt, in quo (ſi nihil aliud) Cato teſtimonium dixit. Ipſa ponam verba Ciceronis, quia res fidem excedit. Accerſiuit ad ſe, promiſit, interceſſit, dedit. Iam verò, ô Dij boni! rem perditam, etiam noctes certarum mulierum; atque adoleſcentulorum nobilium introductiones, nonnullis iudicibus pro mercedis crimine fuerunt.* vide plura. Locus autem Ciceronis ex epiſt. 16. lib. 1. ad Atticum depromptus eſt. Hinc intelligas illud Piſonianæ. 95. *Emiſſus etiam ille auctor tuus prouinciæ.* II. Iudicij Clodiani turpitudo.

CERVICES PRÆBERET.] Lucianus Phalaride priore. Εἴπατε τί δεῖ ποιεῖν; φιλανθρωπίᾳ χρήσασθαι πρὸς αὐτοὺς ἔτι, καὶ φείδεσθαι καὶ ἀνέχεσθαι, ὅσοι αὐτίκα μελλήσοντα πείσεσθαι τὰ ἔσχατα. μᾶλλον δὲ γυμνὴν ἤδη ὑπέχειν τὴν σφαγήν, &c. *Dicite, quid fuit faciendum? an humanitate erga illos vti oportuit, & parcere, & tolerare, cùm nihil propiùs abeſſet, quàm vt extrema pateremur? an nudus præbere ceruices, &c.* III.

AXIOMA.

Indignum eſt præſtantiſſimum virum profligatiſſimo homini ceruices præbere.

ARGVMENTVM.

Sextij cauſſam confert cum cauſſa Milonis, vt ſi Milo iure laudatus eſt, Sextius non tantùm abſoluendus, ſed etiam laudandus eſſe videatur; éſtque totius ſyllogiſmi complexio.

QVOMODO igitur in hoc genere præſidij comparati accuſas Sextium, cùm idem laudes Milonem? an, qui ſua tecta defendit, qui XC.

ab aris, focis, ferrum flammámque depellit, qui ſibi licere vult tutò eſſe in foro, in templo, in curia, qui vitæ præſidium comparat, qui vulneribus, quæ cernit quotidie toto corpore, monetur, vt aliquo præſidio caput, & ceruices, & iugulum, ac latera tutetur: hunc de vi accuſandum putas.

EXPLANATIO.

QVOMODO.] Quomodo igitur, ô M. Tulli Albinouane, Sextium accuſas, quòd homines emerit, coëgerit, pararit, vt ſe contra vim & arma Clodij defenderet, cùm ob præſidium paratum, & vim vi repulſam Milonem tu ipſe laudaueris.

AN QVI SVA.] libenter legerem: *An eum laudas qui ſua tecta defendit, qui ab aris & focis ferrum flammámque depellit? Qui ſibi licere vult, &c. hunc de vi accuſandum putas?* vt priora de tectorum defenſione, & ferri flammæque depulſione ad Milonem. ad Sextium poſteriora de vulneribus & præſidio vitæ neceſſariò referantur.

AB ARIS, ET FOCIS.] ab domeſtica Larium religione & cultu τὸ πάθος inflammat.

IN TEMPLO.] In roſtris & comitio, qui locus religioſus fuit & inauguratus.

MONETVR.] ita reſtituit Lambinus è veteribus codicibus. vulgò *mouetur.*

NOTÆ.

I. ARIS, FOCIS.] Noſter pro domo ſua. *Quid eſt ſanctius, quid omni religione munitius, quàm domus vniuſcuiuſque ciuium, hîc aræ ſunt, hîc foci, hîc Dij penates, hîc ſacra religionis ceremoniæ continentur. hoc perfugium eſt ita ſanctum omnibus, vt inde abripi neminem fas ſit.* infra 45. *Ego aris, focis, Diis penatibus.* In his aris & focis priuatis ſacra Diis laribus faciebant, rerúmque, & præcipuè frugum primitias offerebant. Prudentius contra Symmachum lib. priore de ſacris illis priuatis:

--Puerorum infantia prima
Errorem cum lacte bibit, guſtauerat inter
Vagitus de farre molæ, ſaxa illita ceris
Viderat, vnguentóque Lares humeſcere nigros.

Perſius,

Eſt tibi far modicum, purum & ſine labe Salinũ
(Quid metuas?) cultrixque foci ſecura patella.

vnde & illud Valerij lib. 4. cap. 4. de C. Fabricio & Q. Æmilio Pappo dictum intelligas. *Vterque enim patellam Deorum, & Salinum habuit.* Deorum Larium videlicet qui foco præſidebant. vide Plutarchum de fortuna Romanorum. Martialis lib. 3. epig. 57.

Cingunt ſerenum lactei focum vernæ
Et larga feſtos lucet ad lares ſylua.

Horatius epodon,

Poſitóſque vernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lares.

De primitiis frugum oblatis idem Horatius lib. 2. ſermonum Sat. 5.

--Dulcia poma
Et quoſcunque feret cultus ſibi fundus honores,
Ante larem guſtet venerabilior lare diues.

Sed de his alio loco fuſiùs, Deo dante, diſſeremus.

II. LATERA.] Frequens laterum mentio in excubitoribus. Seneca lib. 1. de ira cap. 3. *Somnum eius nocturnis excubiis muniunt, latera obiecti circumfuſíque defendunt, incurrentibus periculis ſe opponunt.* Pro Marcello 33. *Non modò excubias & cuſtodias, ſed etiam laterum noſtrorum oppoſitus* Latera tueri. *& corporum pollicemur.* Antiphon ſecundâ accuſatione cædis inuoluntariæ: Διὰ τῶν ἑαυτοῦ πλευρῶν διαπῆξαι λέγει τὸ ἀκόντιον. *Per ſuum ipſius latus iaculum dicit fixiſſe.* Horatius lib. 1. Sat. 3.

--hic fugit omnes
Inſidias, nullíque malo latus obdit apertum.

AXIOMA.

De vi accuſandus non eſt qui vitæ ſuæ præſidium comparat.

ARGVMENTVM.

Rationem iuris naturalis à prima hominum productione, tanquam ſuo fonte deriuat, vt legibus iudiciiſque ſublatis, ad ius naturale, quod vnum, antequam leges & iudicia conſtituta eſſent, vigebat, redeundum eſſe demonſtret.

XCI. QVIS enim veſtrûm, iudices, ignorat, ita naturam rerum tuliſſe, vt quodam tempore homines nondum neque naturali, neque ciuili iure deſcripto, fuſi per agros ac diſperſi vagarentur, tantúmque haberent, quantum manu, ac viribus per cædem, ac vulnera aut eripere, aut retinere potuiſſent? qui igitur primi virtute & conſilio præſtanti exſtiterunt, ij perſpecto genere humanæ docilitatis atque ingenij, diſſipatos vnum in locum congregarunt, eóſque ex feritate illa ad iuſtitiam, atque manſuetudinem traduxerunt. tum res communem vtilitatem continentes, quas publicas appellamus, tum conuenticula hominum, quæ poſtea ciuitates nominatæ ſunt, tum domicilia coniuncta, quas vrbes dicimus, inuento, & diuino, & humano iure mœnibus ſepſerunt.

EXPLA-

EXPLANATIO.

QVIS ENIM.] Videtur facere hunc ſyllogiſmum.

Legibus & iudiciis ſublatis licet facere quod licebat legibus & iudiciis nondum conſtitutis.

Sed initio legibus & iudiciis nondum conſtitutis licebat, & neceſſarium erat vim vi depellere.

Ergo legibus iudiciiſque ſublatis Sextio & Miloni licuit vim vi depellere.

Propoſitio plana eſt, & ſilentio potiùs inuoluitur, quàm explicatur. aſſumptio hîc deſcriptione iuris naturalis oſtenditur, & primi hominum ſtatus, complexio ſequenti ſectione.

NEQVE NATVRALI.] Hoc loco duæ negationes, *nondum neque*, non affirmant, ſed magis negant more Græcorum, οὐ μὴ, quàm ſi diceretur, *nondum naturali aut ciuili iure deſcripto.* Neque verò his verbis ſignificat Orator, aliquod tempus vnquam fuiſſe quo ius naturæ non eſſet: hanc enim legem *ab ipſa natura*, vt alibi dicitur, *arripuimus, hauſimus, expreſſimus.* Sed mens eſt Oratoris, non ab ipſo rerum initio, & primis, vt ita loquar, naturæ crepundiis, ius naturale fuiſſe deſcriptum, id eſt, obſeruatum & ordine digeſtum. Cætera perſpicua ſunt, tantùm aduerte quàm prudenter & artificiosè leuandæ ſatietatis cauſſâ, ciuilem hanc doctrinam interſerat, & ex ipſa philoſophia Reipub. ciuitatis, & vrbis definitiones accerſat.

DISSIPATOS VNVM IN LOCVM, &c.] Sic plerique Pall. at nonus *diſputatos*. Gembl. *diſparatos*, quod meretur examinari.

TVM RES AD COMMVNEM VTILITATEM, QVAS, &c.] ſecuti ſumus veterrimas editiones, item Pal. octauum, nonum, & S. Victoris eiecto, *continenteis*, & adſcito *ad*. certè nullus Pall. agnoſcit grandem illam vocem, quamuis deſtituantur etiam præpoſitiuncula. Solùm tertius profert: *Tum res propter communem vtilitatem*, &c. ait Grutterus.

NOTÆ.

I. QVIS ENIM.] Hic locus è Moſchione apud Stobæum titulo vndecimo περὶ χρόνου videtur expreſſus.

Prima hominum vita.

Πρῶτον δ' ἄνειμι καὶ διαπτύξω λόγῳ
Ἀρχὴν βροτείου καὶ κατάστασιν βίου.
Ἦν γάρ ποτ' αἰὼν κεῖνος, ἦν, ὁπηνίκα
Θηρσὶν διαίτας εἶχον ἐμφερεῖς βροτοί,
Ὀρειγενῆ σπήλαια, καὶ δυσηλίους
Φάραγγας ἐνναίοντες. οὐδέπω γὰρ ἦν
Οὔτε στεγήρης οἶκος, οὔτε λαΐνοις
Εὐρεῖα πύργοις ὠχυρωμένη πόλις.
Οὐ μὴν ἀρότροις ἀγκύλοις ἐτέμνετο
Μέλαινα καρποῦ. βῶλος ὀμπνίου τροφός.
Οὐδ' ἐργάτης, σίδηρος εὐιώπιδος
Θάλλοντας οἴνης ὀρχάτους ἐτημέλει.
Ἀλλ' ἦν ἀκύμων, κοὐδὲν ἐκφύουσα γῆ.
Βορὰς δὲ σαρκόβρωτες ἀλληλοκτόνους
Παρεῖχον αὐτοῖς δαῖτας· ἦν δ' ὁ μὲν νόμος
Ταπεινός· ἡ βία δὲ σύνθρονος Διΐ.
Ὁ δ' ἀσθενὴς ἦν τῶν ἀμεινόνων βορά.
Ἐπεὶ δ' ὁ τίκτων πάντα καὶ τρέφων χρόνος
Τὸν θνητὸν ἀλλοίωσεν ἔμπαλιν βίον.
Εἴτ' οὖν μέριμναν τὴν Προμηθέως σπάσας
Εἴτ' οὖν ἀνάγκην· εἴτε τῇ μακρᾷ τριβῇ
Αὐτὴν παρασχὼν, τὴν φύσιν διδάσκαλον,
Τόθ' εὑρέθη μὲν καρπὸς ἡμέρου τροφῆς
Δήμητρος ἁγνῆς· εὑρέθη δὲ Βακχίου
Γλυκεῖα πηγή· γαῖα δ' ἡ πρὶν ἄσπορος
Ἤδη ζυγουλκοῖς βουσὶν ἠροτρεύετο
Ἄστη δ' ἐπυργώσαντο καὶ περισκεπεῖς
Ἔτευξαν οἴκους· καὶ τὸν ἠγριωμένον
Εἰς ἥμερον δίαιταν ἤγαγον βίον·
Κἀκ τοῦδε τοὺς θανόντας ὥρισεν νόμος
Τύμβοις καλύπτειν, κἀπιμοιρᾶσθαι κόνιν
Νεκροῖς ἀθάπτοις, μηδ' ἐν ὀφθαλμοῖς ἐᾶν
Τῆς πρόσθε θοίνης μνημόνευμα δυσσεβές.

Audire ſi vis, carmen hoc pandet, quibus
Humana vita creuerit primordiis.
Fuit profectò tempus, humanum genus
Cum belluarum more vitam degeret,
Lucos carentes ſolis, exeſi colens
Aut montis antrum. Nulla adhuc tignis domus
Surgebat altis: nulla ſe vallauerat
Vrbs alta celſo turrium molimine.
Proſciſſa nondum dente curui vomeris
Frugem beatam gleba parturiuerat:
Nec apta ferro palmitum ſectrix manus
Vinum daturos educabat ordines.
Tellus iacebat ſterilis & fructu vacans,
Alterna ritu parricidali famem
Cædes fugabat. Nulla legi auctoritas,
Ioui ſed ipſo dura vis adſederat.
Valentiori pabulum factus minor.
Sed, cuncta quæ, progignit & nutrit, dies
Mutare vitæ cœpit humanæ modum.
Siue excitauit acre cor Promethei,
Seu vis neceſſitatis, & longus ſimul
Vſus magiſtram ſponte naturam dedit.
Tunc ſancta mites præbuit paſtus Ceres,
Tunc fonte dulci Liberi fluxit liquor,
Diùque ſegnis terra, ſulci neſcia
Iugum trahentes læta ſuſcepit boues.
Tunc vrbs ſuperbis ſtructa propugnaculis
Domúſque tectis. illud agreſte ac ferum
Senſum domari cœpit & manſueſcere.
Tunc morte raptos imperatum legibus
Mandare terræ, pulueremue inſpergere,
Nec inſepultos linquere ante oculos palam
Abominanda ſigna paſtus priſtini.

NATVRALI.] De iure naturæ, gentium, ciuili Milon. 10. *non ſcripta, ſed nata lex.* Hæc autem cuius meminit iuris naturalis & ciuilis deſcriptio videtur à Dinarcho contra Ariſtogitonem ſic explicari. Ἅπας ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος, κἂν μεγάλην πόλιν οἰκῶσι, κἂν μικρὰν φύσει καὶ νόμοις διοικεῖται. τούτων μὲν ἡ μὲν φύσις ἐστὶν ἄτακτον καὶ ἀνώμαλον, καὶ κατ' ἄνδρα ἕκαστον ἴδιον τοῦ ἔχοντος. οἱ δὲ νόμοι κοινὸν καὶ τεταγμένον ταυτὸ πᾶσι. *Omnis hominum vita, ſiue magnam, ſiue paruam habeant ciuitatem, naturâ & legibus gubernatur. Ex his natura quidem inordinata eſt, & inæqualis, & per ſingulos propria eam habentis. Leges verò communes ſunt, & ordinatæ, & eædem vniuerſis.* II.

Ius naturale.

FVSI PER AGROS.] De prima hominum viuendi ratione, cum vi & pugnis omnia gererentur, conſulendus Orator initio libri primi de inuentione. Horatius lib. 1. ſermonum Sat. 3. III.

Cùm prorepſerunt primis animalia terris
Mutum & turpe pecus, glandem atque cubilia propter
Vnguibus & pugnis, dein fuſtibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quæ poſt fabricauerat vſus, &c.

Primorum hominum feritas.

Lucretius lib. 5.

Multáque per cœlum ſolis voluentia ſecla
Volgiuago vitam tractabant more ferarum.

Paulò poſt:

Nec commune bonum poterant ſpectare, neque vllis
Moribus inter ſe ſcibant, neque legibus vti.
Quod cuique obtulerat prædæ fortuna, ferebat
Sponte ſua, ſibi quiſque valere ac viuere doctus.

IV. QVI IGITVR PRIMI.] Quis primus condiderit ciuitatem, hominéſque diſperſos ac diſſipatos vnum in locum congregarit, ei dubium eſſe non poterit qui diuinæ ſcripturæ monumenta peruoluet. Geneſis 4. 17. *Ædificauit Cain ciuitatem, vocauitque nomen eius ex nomine filij ſui Henoch.* Quem in locum vide tum cæteros Interpretes, tum præcipuè noſtrum Iacobum Salianum, virum planè dignum, qui in ſcribendis Eccleſiæ Annalibus magno illi Baronio ſuccederet, anno mundi CL. multa de his eruditè diſputantem. At Orator, cùm primum conditæ ciuitatis auctorem non haberet, vniuerſim dixit fuiſſe ſapientes. Quod etiam teſtatur Lucretius loco citato:

Ingenio qui præſtabant, & corde vigebant,
Condere cœperunt vrbes, arcémque locare
Præſidium.--

Qui primi homines mã ſufecerint. Maro octauo Æneidos hanc Saturno laudem tribuit:

Is genus indocile, ac diſperſum montibus altis
Compoſuit, legéſque dedit.-

Noſter I. de inuentione Oratoribus, Horatius in arte Poëticâ:

Syluestres homines ſacer interpréſque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidóſque leones,
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet.

Pauſanias Phoroneo Inachi filio Corinth. Ἀνθρώποις συνήγαγε πρῶτον ἐς κοινὸν σποράδας τέως, καὶ ἰδ' ἑκάστοτ' οἰκοῦντας. *Homines antè diſſipatos, & ſeorſum habitantes, vnum in locum congregauit.* Plutarchus id Theſeo tribuit in eius vita, Ariſtides ipſi Mineruæ. Ἀμφοτέρων οὖν τῶν καιρῶν ἐπεμελήθη, πολέμου καὶ εἰρήνης, δι' ὅπλων καὶ νόμων. Διχῇ δ' αὖ καὶ τούτων ἑκατέρῳ προσῆν ἔχθη. πρῶτον μὲν γὰρ τῆς ὑρείου καὶ καθ' ἑκάστους διαίτης ἀπαλλάξασα, καὶ συνελθόντας οἰκεῖν ἐν ταυτῷ μίαν συνοικίαν κοινὴν περιβαλομένους ἡ δ' ἐστὶν ἡ πάντα, καὶ εἰσὶν αἱ πόλεις δῶρα Ἀθηνᾶς. ὅθεν δὴ καὶ Πολιοῦχος ἅπασι κέκληται. *Vtrique etiam tempori tam pacis quàm belli conſuluit, armis inuentis & legibus: quin & horum vtrique bifariam opem præſtitit. Ipſa enim primùm hoc effecit vt à ſilueſtri & ſolitaria viuendi ratione homines deſciſcentes eodem congregati ſimul habitarint, domicilia coniuncta mœnibus ſepientes. Vrbéſque ipſæ ex Mineruæ liberalitate proceſſerunt, vnde & Vrbitenens ab omnibus nuncupatur.* Hæc Ariſtides hymno Mineruæ.

V. FERITATE.] Sic primos homines *vitam tractaſſe more ferarum* dicit Lucretius, & eos *tigres & leones* Horatius appellat. Quia ſine legibus & mutua ſocietate nihil à feris differimus.
Feritas. Ἐπεὶ λυθέντων γε τούτων, inquit Dinarchus, οὐ μόνον ἡ πολιτεία οἴχεται, ἀλλ' οὐδ' ὁ βίος ἡμῶν τοῦ τῶν θηρίων οὐδὲν ἂν διενέγκοι. *Quandoquidem ſublatis legibus non ſolùm periret Reſpublica, ſed vita noſtra nihil à ferarum immanitate differret.* Plato 9. de legibus. Νόμους ἀνθρώποις ἀναγκαῖον τίθεσθαι, καὶ ζῆν κατὰ νόμους, ἢ μηδὲν διαφέρειν τῶν πάντη ἀγριωτάτων θηρίων. *Neceſſe eſt vt leges nobis ponantur, & ex earum præſcripto viuamus, aut nihil ab immaniſſimis belluis differamus.*

TVM RES.] Non videtur apud Græcos ea eſſe vocum diſtinctio quæ apud Latinos. Græcis enim ἐστὶ πολιτεία πόλεως τάξις. *Politia eſt ordinatio ciuitatis.* Πόλις autem modò pro ciuitate, & hominum ſocietate ad communem vtilitatem congregatâ, modò pro ipſa vrbe quæ ædificiis & mœnibus continetur, modò pro ipſa vſurpatur Repub. Pro ciuitate, vt Ariſtoteles 3. polit. cap. I. ᾧ ἐξουσία κοινωνεῖν ἀρχῆς βουλευτικῆς καὶ κριτικῆς, πολίτην ἤδη λέγομεν εἶναι ταύτης τῆς πόλεως. πόλιν δὲ τὸ τῶν τοιούτων πλῆθος ἱκανὸν πρὸς αὐτάρκειαν ζωῆς. *Qui ius habet vt ſit particeps conſilij publici & iudiciorum, eum huiuſmodi ciuitatis ciuem nominamus. Ciuitatem verò huiuſmodi hominum multitudinem ſufficientem ad bene beateque viuendum.* Pro vrbe, vt I. politic. cap. I. poſtquam dixit vicum è pluribus domibus eſſe conſtitutum, ſubdit: Ἡ δ' ἐκ πλειόνων κωμῶν κοινωνία τέλειος, πόλις ἤδη πάσης ἔχουσα πέρας τῆς αὐταρκείας. *Ex pluribus vicis conflata perfecta communitas vrbs dicitur, omnia complectens quæ requiruntur ad bene beatéque viuendum.* Pro vrbe ſimul & pro ciuitate. 3. polit. cap. 6. Πόλις ἡ γενῶν καὶ κωμῶν κοινωνία ζωῆς τελείας καὶ αὐτάρκους. *Vrbs eſt generum & vicorum ad vitam perfectam, & ſibi ad bene beatéque viuendum ſufficientem communitas.* VI.

Resp. Vrbs. Ciuitas.

COMMVNEM VTILITATEM.] Horatius Satira 3. lib. prioris in eandem ſententiam, VII.

-mores ſenſúſque repugnant
Atque ipſa vtilitas, iuſti prope mater & æqui.

Et Ariſtoteles in Politicis auctor eſt Rempubl. & hominum ſocietatem primum τῆς κοινῆς ὠφελείας ἕνεκα, *communis vtilitatis cauſâ*, conſtitiſſe, vt 3. politica cap. 8. Ἔστι πολιτικὸν ἀγαθὸν τὸ δίκαιον, τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ κοινῇ συμφέρον. *Publicum bonum eſt iuſtum. iuſtum autem, id eſt quod communitati vtile.* Quod vt ſuperiore Nota vidimus αὐτάρκειαν frequenter appellat.

Reſp. ad communem vtilitatem ordinatur.

CONVENTICVLA.] Vrbs ædificiis, ciuitas hominibus continetur. pulchrè Sophocles Oedipo Tyranno: VIII.

Ciuitas.

Ὡς οὐδέν ἐστιν, οὔτε πύργος, οὔτε ναῦς
Ἔρημος ἀνδρῶν τῶν ξυνοικούντων ἔσω.
Adeo videtur turris & nauis nihil
Cùm deſtituta eſt incolentibus viris.

Auguſtinus lib. 15. de ciuitate Dei cap. 8. *Nec conſtitui tunc ab vno ciuitas poterat, quæ nihil eſt aliud quàm hominum multitudo aliquo ſocietatis vinculo colligata.*

DOMICILIA CONIVNCTA.] Ariſtoteles I. Politic. cap. I. poſtquam dixit domum viri & fœminæ quadam ſecundum naturam communitate & conſortio contineri, vicum è pluribus domiciliis eſſe conflatum, ſubdit: ἡ δ' ἐκ πλειόνων κωμῶν κοινωνία τέλειος πόλις ἤδη πάσης ἔχουσα πέρας τῆς αὐταρκείας. quem locum eiúſque interpretationem paucis antè lineis referebamus. IX.

Vrbs

INVENTO.] Bene inuento non facto: quia iam ius erat in natura, ſed tanquam quibuſdam tenebris immerſum in lucem extrahendum fuit. Eſt enim lex, vt Plato in Minoë teſtatur, τοῦ ὄντος ἐξεύρεσις. *Rei iam exiſtentis inuentio.* vbi per τοῦ ὄντος ſempiternam legem intelligit, & definitionis X.

Iuris inuentio.

ſuæ probationem in hæc verba concludit: Ὀρθῶς ὡμολογήκαμεν νόμον εἶναι τοῦ ὄντος εὕρεσιν. *Iure igitur legem entis inuentionem eſſe definiuimus.* Vide Noſtrum libris de legibus frequenter id inculcantem.

XI. Divino et hvmano ivre.] Bene, quia ius diuinum & humanum ſunt vincula ciuitatum. Ideóque Romulus auctore Liuio, *Rebus diuinis rite perpetratis, vocatáque in concilium multitudine, quia coaleſcere in populi vnius corpus, nulla re præterquam legibus poterat, iura dedit. Quæ ita ſancta populo agreſti fore ratus*, &c. Mox ſubdit: *creſcebat interim vrbs munitionibus.* Primo Æneidos legum inſtitutio & iuris cum tectorum ædificatione coniungitur:

--Pars ducere muros
Molirique arcem & manibus ſubuoluere ſaxa.
Pars optare locum tecto & concludere ſulco.
Iura magiſtratúſque legunt ſanctúmque Senatum.

Lucretius loco frequenter laudato,

Iuráque conſtituere vt vellent legibus vti.

Sed preſſiùs ad hunc locum Horatius in arte ius diuinum & humanum cum mœniûm ſeptis inuentum à Sapientibus fuiſſe teſtatur.

--fuit hæc ſapientia quondam,
Publica priuatis ſecernere, ſacra prophanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis:
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Et Sat. 3. lib. prioris:

--Dehinc abſiſtere bello:
Oppida cœperunt munire, & ponere leges:
Ne quis fur eſſet, neu latro, neu quis adulter, &c.
Iura inuenta metu iniuſti fateare neceſſe eſt,
Tempora ſi, faſtóſque velis euoluere mundi.

AXIOMA.

Vbi ſingula eminent, nihil eſt quod vnum ex omnibus operæpretium ſit excerpere.

ARGVMENTVM.

A iure naturæ demonſtrat fas eſſe vim vi propulſare, cùm iudicia locum non habent, ac proinde nec Milonem, nec Sextium damnandos eſſe, qui à Clodio laceſſiti, iudiciis ſublatis, armis vim illatam depulerunt.

ATQVE inter hanc vitam perpolitam humanitate, & illam imma- XCII.
nem nihil tam intereſt, quàm ius atque vis. horum vtro vti nolimus, altero eſt vtendum. vim volumus exſtingui? ius valeat neceſſe eſt, id eſt iudicia, quibus omne ius continetur. iudicia diſplicent, aut nulla ſunt? vis dominetur neceſſe eſt. Hæc vident omnes: Milo & vidit, & fecit, vt ius experiretur, vim depelleret. altero vti voluit, vt virtus audaciam vinceret: altero vſus neceſſariò eſt, ne virtus ab audacia vinceretur. Eadémque ratio fuit P. Sextij, ſi minùs in accuſando (neque enim per omnes fuit idem neceſſe fieri) at certè in neceſſitate defendendæ ſalutis ſuæ, præſidióque contra vim, & manum comparando.

EXPLANATIO.

ATQVE.] Nulla maior eſt inter vtramque viuendi rationem diuerſitas, quàm quòd in vita communi, & ad communem vtilitatem coalita ius, leges & iudicia dominantur, in immani & belluina, omnia per vim geruntur.

Horvm.] vis & iuris.

Altero vti volvit.] Ius experiri, & iudicio potiùs, quàm vi & armis perſequi iniurias.

Altero vsvs.] Vi & armis cùm iudicia non valerent. Aduerte vtriuſque rationem elegantem, *vt virtus audaciam vinceret, ne virtus ab audacia vinceretur.*

Eademqve.] Totius argumenti ſeptem ſuperioribus paragraphis contenti concluſio.

NOTÆ.

I. IVS ATQVE VIS.] Idem vbi ſuprà Lucretius,

Nam genus humanum defeſſum vi colere æuum
Ex inimicitiis languebat: quo magis ipſum
Sponte ſua cecidit ſub leges arctáque iura.

Vis autem & iuris oppoſitionem eleganter Solon apud Demoſthenem de falſa legatione deſcribit:

Τραχέα λειαίνει, παύει κόρον, ὕβριν ἀμαυροῖ
Αὑαίνει δ' ἄτης ἄνθεα φυόμενα. Ius & vis.
Εὐθύνει δὲ δίκας σκολιάς, ὑπερήφανά τ' ἔργα
Πραΰνει, παύει δ' ἔργα διχοστασίης.
Παύει δ' ἀργαλέης ἔριδος χόλον, &c.
Aſpera complanant, ſedant faſtidia, frænant
Indomitos, abigunt ſemina quæque mali.
Iura regunt, manſuefaciunt turgentia corda,
Compeſcunt miſeræ ſeditionis opus.
Iurgia litis acerba premunt, &c.

Notum illud Ennianum,

Melius eſt virtute ius. Nam ſæpe virtutem mali
Nanciſcuntur. ius atque æquum ſe à malis ſpernit procul.

Xenophon I. Cyrop. τὸ μὲν νόμιμον δίκαιον, τὸ δὲ ἄνομον βίαιον. *Quod eſt ſecundum leges, eſt iuſtum, quod contra leges, violentum.* Dio Chryſoſtomus Oratione de lege. Ἄρχων δ' ἁπάντων καὶ κύριος ὢν χωρὶς ὅπλων καὶ βίας κρατεῖ. τοὐναντίον γὰρ αὐτὸς λύει τὴν βίαν, ἀλλὰ μετὰ πειθοῦς, καὶ βουλομένων προΐστησιν. *Omnium princeps & dominus cùm* Lex.
exiſtat, ſine armis & vi obtinet dominatum. immò contrà vim diſſoluit, ſed cum perſuaſione lubenti-

bus & volentibus dominatur. Et eam, ni fallor, ob cauſſam leges, vt videbimus pro Marcello 24. vitæ communis & ſocietatis hominum vincula, & à Solone apud Dinarchum contra Ariſtogitonem Reipub. numiſma nominantur. Ὅτι αὐτὸς ἡγεῖται ἀργύριον μὲν νόμισμα εἶναι τῶν ἰδίων συναλλαγμάτων ἕνεκα τοῖς ἰδιώταις εὑρημένον, τοὺς δὲ νόμους ἡγεῖται τῆς πόλεως νόμισμα εἶναι. Δεῖ δὴ τοὺς δικαστὰς πολλῷ μᾶλλον εἴ τις, ὃ τῆς πόλεώς ἐστι νόμισμα, τοῦτο διαφθείρει, καὶ παράσημον εἰσφέρει, μισεῖν καὶ κολάζειν, ἢ εἴ τις ἐκεῖνο, ὃ τῶν ἰδιωτῶν ἐστι. *Quod ipſe pecuniam quidem numiſma ad priuatos contractus in priuatorum vtilitatem inuentum, leges verò publicum ciuitatis numiſma eſſe arbitratur.*

Lex numiſma vrbis.

Oportet igitur, Iudices, ſi quis publicum ciuitatis numiſma corruperit, & adulteratum protulerit, multò magis odiſſe & punire, quàm ſi quis illud adulterarit, quod à priuatis vſurpatur. Lyſias Epitaphio: ἡγησάμενοι θηρίων μὲν ἔργον εἶναι ὑπ' ἀλλήλων βίᾳ κρατεῖσθαι, ἀνθρώποις δὲ προσήκειν νόμῳ μὲν ὁρίσαι τὸ δίκαιον, λόγῳ δὲ πεῖσαι, ἔργῳ δὲ τούτοις ὑπηρετεῖν, ὑπὸ νόμου μὲν βασιλευομένοις, ὑπὸ λόγου δὲ διδασκομένοις. *arbitrantes belluarum eſſe à ſe inuicem vi ſuperari, hominibus autem conuenire, legibus definire ius & æquum, oratione ſuadere, opere inſeruire lege gubernatos, oratione eruditos.*

IVDICIA, QVIBVS OMNE IVS CONTINETVR.] Quia nimirum iſta duo ſic ex ſeſe inuicem apta ſunt & connexa, vt vis legum à iudiciis, vis iudiciorum à legibus & iure dependeat. De vi & auctoritate legum Demoſthenes orat. contra Midiam. Ἡ δὲ τῶν νόμων ἰσχὺς τίς ἐστιν; ἆρ' ἐάν τις ὑμῶν ἀδικούμενος ἀνακράγῃ, προσδραμοῦνται, καὶ παρέσονται βοηθοῦντες; οὔ. γράμματα γὰρ γεγραμμένα ἐστὶ, καὶ οὐχὶ δύναιντ' ἂν τοῦτο ποιῆσαι. Τίς οὖν αὐτῶν ἡ δύναμίς ἐστιν; ὑμεῖς ἐὰν βεβαιῶτ' αὐτοὺς, καὶ παρέχητε κυρίους ἀεὶ τῷ δεομένῳ. οὐκοῦν οἱ νόμοι ὑμῖν εἰσὶν ἰσχυροὶ, καὶ ὑμεῖς τοῖς νόμοις.

Iuris & iudiciorum coniunctio.

Legum verò vis quæ tandem eſt? An ſi quis veſtrûm iniuriam paſſus clamarit, ipſæ accurrent & præſto erunt ad opem ferendam? Minimè. literæ enim ſunt ſcriptæ, neque id præſtare poſſunt. Quænam igitur earum eſt poteſtas? Vos ipſi, Iudices, ſi illas ſtabiliatis, & dominas indigentibus præbeatis. Quare à vobis leges, vos à legibus vim & auctoritatem omnem obtinetis. De vi legum & iudiciorum tum ille ibidem, tum Dinarchus orat. contra Ariſtogitonem, quam alij tribuunt Demoſtheni. Εἰ γάρ τις ὑμῶν ἐξετάσαι βούλεται τί ποτέ ἐστι τὸ αἴτιον, καὶ τὸ ποιοῦν τὴν βουλὴν συλλέγεσθαι, τὸν δῆμον εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἀναβαίνειν, τὰ δικαστήρια πληροῦσθαι, τὰς ἕνας ἀρχὰς ταῖς νέαις ἑκούσας ὑπεξιέναι, πάντα δι' ὧν οἰκεῖται καὶ σώζεται (ἡ πόλις) γίγνεσθαι τοὺς νόμους εὑρήσει, καὶ τὸ τούτοις ἅπαντας πείθεσθαι. *Si quis enim veſtrûm diligenter examinare velit quid tandem cauſſæ ſit, cur Senatus conueniat, populus adſcendat in concionem, iudicia compleantur, veteres magiſtratus recentibus cedant, omnia quibus & adminiſtratur & conſeruatur Reſpub. leges eſſe comperiet, & obſequium quod legibus exhibetur.* Paulò pòſt ex iiſdem legibus promanare dicit: Τὸ τὴν βουλὴν τοὺς πεντακοσίους ἀπὸ τῆς ἀσθενοῦς ταυτησὶ κιγκλίδος τῶν ἀπορρήτων κυρίαν εἶναι, καὶ μὴ τοὺς ἰδιώτας ἐπεισιέναι. τὴν δ' ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν, ὅταν ἐν τῇ βασιλείᾳ στοᾷ καθεζομένη περισχοινίζηται, κατὰ πολλὴν ἡσυχίαν ἐφ' ἑαυτῆς εἶναι, καὶ πάντας ἀποχωρεῖν. *Vt Senatus quingentorum exiguo & infirmo diſceptus cancello ſecretorum habeat poteſtatem, vt idiotæ non irrumpant, vt Areopagi conſilium, cùm in Regia porticu conſiderit, multa cum quiete ſolum deliberet, eique cedant vniuerſi.* & alia plura in hanc ſententiam. Dio Chryſoſtomus Orat. 1. de Regno cùm Regnum graphicè depinxiſſet, dedit ei hunc comitatum, Iuſtitiam, Eunomiam, Pacem. Ὁ δὲ ἐγγὺς οὗτος ἑστηκὼς τῆς βασιλείας, παρ' αὐτὸ τὸ σκῆπτρον ἔμπροσθεν ἰσχυρὸς ἀνήρ, πολιὸς καὶ μεγαλόφρων, οὗτος δὲ καλεῖται Νόμος· ὁ δ' αὐτὸς καὶ Λόγος ὀρθὸς, σύμβουλος καὶ πάρεδρος, οὗ χωρὶς οὐδὲν ἐκείναις πρᾶξαι θέμις, οὐδὲ διανοηθῆναι. *Qui verò prope Regnum adſtat, iuxta ſceptrum ipſum vir fortis, canus & magnanimus, is Nomus ſiue Lex appellatur. idem & Recta Ratio, conſiliarius & aſſeſſor: ſine quo nihil illis facere fas eſt, aut etiam animo cogitare.* Sed nemo melius vim & maieſtatem legum expreſſerit, quam Plato libro 4. de legibus. Τοὺς ἄρχοντας λεγομένους νῦν ὑπηρέτας τοῖς νόμοις ἐκάλεσα, οὔτι καινοτομίας ὀνομάτων ἕνεκα· ἀλλ' ἡγοῦμαι παντὸς μᾶλλον εἶναι παρὰ τοῦτο σωτηρίαν τῇ πόλει, καὶ τοὐναντίον. ἐν ᾗ μὲν γὰρ ἀρχόμενος ᾖ καὶ ἄκυρος ὁ νόμος, φθορὰν ὁρῶ τῇ τοιαύτῃ ἑτοίμην οὖσαν. ἐν ᾗ δ' αὖ δεσπότης τῶν ἀρχόντων, οἱ δ' ἄρχοντες δοῦλοι νόμου, σωτηρίαν, καὶ πάνθ' ὅσα θεοὶ πόλεσιν ἔδοσαν ἀγαθὰ γιγνόμενα καθορῶ. *Eos qui magiſtratus dicuntur, legum ſeruos nominaui, non nouitatis in loquendo affectandæ cauſâ: ſed exiſtimo nulla magis abs re pendere ſalutem ciuitatis. Imò contrarium. In quacunque enim vrbe ſubeſt & vim non obtinet lex, huic video præſens exitium imminere. In qua verò lex magiſtratibus imperat, ei verò magiſtratus ſeruiunt, ſalutem ei video euenire, & omnia bona quæcunque Dij ciuitatibus largiuntur.* Redeo ad iuris ſiue iuſtitiæ & legum connexionem. Pulchrè Sophocles Oedipode in colono vtrumque coniunxit.

Vis legum.

> -Ἡ παλαίφατος
> Δίκη συνέδρος Ζηνὸς ἀρχαίοις νόμοις.
> --*Vetus*
> *Iuſtitia veteres prope Iouis leges ſedens.*

Bellè Dio Pruſæus orat. de lege. Παρθένου τῆς Δίκης οὔσης μόνος αὐτῇ διὰ σωφροσύνης σύνεστιν. *Cùm Iuſtitia ſit virgo ſolus* Nomus, id eſt Lex, *illi propter temperantiam aſſiſtit.*

NECESSITATE DEF. SALVTIS.] Pro Milone 30. *Et ratio doctis, & neceſſitas barbaris, &c. præſcripſit.* Vide Notas. adde illud Propertij lib. 2. II.

> *Non ſolùm taurus ferit vncis cornibus hoſtem.*
> *Verùm etiam inſtanti læſa repugnat ouis.*

AXIOMATA.

Inter vitam perpolitam humanitate & immanem, nihil tam intereſt quàm ius atque vis, horum vtro vti nolimus, altero eſt vtendum.

Vim volumus extingui? ius dominetur neceſſe eſt.

Iudicia diſplicent? vis dominetur neceſſe eſt.

Iudiciis omnibus ius continetur.

Iure vtendum vt virtus audaciam vincat: vi, ne virtus ab audacia vincatur.

ARGVMENTVM.

Graui exclamatione rei indignitatem, & conceſſam Piſoni & Gabinio in maximis ſceleribus, & latrociniis impunitatem oſtendit.

O Dii immortales? quemnam oſtenditis exitum nobis? quàm ſpem Reipubl. datis? quotus quiſque inuenietur tanta virtute vir, qui optimam quamque cauſſam Reipub. amplectatur? qui bonis viris deſeruiat? qui ſolidam laudem, verámque quærat? cùm ſciat illa duo Reipub. pæne fata, Gabinium & Piſonem, alterum haurire quotidie ex pacatiſſimis atque opulentiſſimis Syriæ gazis innumerabile pondus auri, bellum inferre quieſcentibus, vt eorum veteres, illibatáſque diuitias in profundiſſimum libidinum ſuarum gurgitem profundat: villam ædificare in oculis omnium tantam, tugurium vt iam videatur eſſe illa villa, quam ipſe Tribunuspleb. pictam olim in concionibus explicabat, quo fortiſſimum, ac ſummum ciuem in inuidiam homo caſtus, ac non cupidus vocaret: alterum Thracibus, ac Dardanis primùm pacem maximâ pecuniâ vendidiſſe: deinde, vt illi pecuniam conficere poſſent, vexandam his Macedoniam, & ſpoliandam tradidiſſe: eundémque bona creditorum ciuium Roman. cum debitoribus Græcis diuiſiſſe: cogere pecunias maximas à Dyrrhachinis, ſpoliare Theſſalos, certam Achæis in annos ſingulos pecuniam imperauiſſe: neque tamen vllo in publico, aut religioſo loco ſignum, aut tabulam, aut ornamentum reliquiſſe. XCIII.

EXPLANATIO.

QVEMNAM.] Quem tandem ſumma ipſa rerum omnium perturbatio exitum ſortietur? quam nobis, ô Dij, ſpem in futurum oſtenditis?

REIPVB. PENE FATA.] Qui pæne fatalem Reipub.perniciem & exitium attulerunt.

ALTERVM.] Gabinium, qui, vt auctor eſt Dio lib. 39. Syriam expilauit, & ex ea quater millies ſeſtertiûm, vt vertit Ioannes Leunclauius, ſiue vt vulgo ſupputant denos ſcutatorum milliones abſtulit. Græcè, ὅτι πλέον ἢ μυρίας ἐκ τῆς ἀρχῆς μυριάδας ἥρπασε.

BELLVM INFERRE QVIESC.] Alexandrinis. Piſon.49. Parthicis etiam gazis inhians, iis vt auctores ſunt. Ioſephus & Dio, bellum inferre animo deſtinarat.

VT EORVM VET. ILLIBAT.] vt eorum theſauros integros adhuc, intactos, necdum à quoquam expilatos in libidinem ſuam, tanquam in profundam voraginem demitteret.

VILLAM ÆDIF.] In monte Tuſculano de qua in Piſon.48.

TVGVRIVM.] Vile & ſordidum ruſtici domicilium.

ILLA QVAM IPSE.] Quam hic fortiſſimi & ſummi ciuis villam intelligat, non liquet, ſuſpicionibus & coniecturis agendum. Gabinius Acilio Glabrione & Piſone Coſs. gerebat Tribunatum. Eodem tempore L. Lucullus bellum contra Mithridatem gerebat, & pecuniis Romam ex Aſia ſummiſſis villam in Tuſculano monte magnificam, ſuffoſſis etiam montibus extruebat. Interim piratis Romanum orbem infeſtantibus rogationem tulit Gabinius, vt vnicus Imperator contra piratas mitteretur, íſque omnem in omnes inſulas & maris mediterranei oras poteſtatem obtineret, populóque ſuaſit vt id negotium vni Pompeio committeret, neminem præter ipſum ad eam prouinciam idoneum eſſe contendens, vt videre eſt in ipſa Gabinij concione quæ apud Dionem habetur lib. 36. & vt cæterorum Imperatorum comparatione Pompeij abſtinentiam magis illuſtraret, villæ quam Lucullus ædificabat imaginem & delineationem in concionibus explicabat, vt Lucullum in inuidiam vocaret, & Aſiæ, quam is adminiſtrabat, expilatorem eſſe oſtenderet.

CASTVS.] Incorruptus, ſanctus, abſtinens. εἰρωνικῶς.

ALTERVM.] Piſonem de cuius auaritia, rapinis & crudelitate Piſoniana à §. 83. ad 94. fuſè conſulatur.

NOTÆ.

PRO DII IMMORT.] Pro Cœlio 59. *Pro Dij immortales! cur interdum in hominum ſceleribus maximis, aut conniuetis, aut præſentis fraudis pœnas in diem reſeruatis?* vbi vide aliquot longanimitatis diuinæ rationes. I.

BONIS VIRIS DESERVIAT.] Qui in virtutem incumbat, bonorum virorum iudicio contentus, iiſque ſolis placere ſtudeat de Iudicio bonorum virorum ſupra 86. in Vatinium 9. Quod ad deſeruiendi verbum attinet, pro Marcello in eandem ſententiam 29. *Illa*, inquam, *illa vita eſt tua Cæſar, quæ vigebit memoria ſeculorum omnium: quam poſteritas alet, quam ipſa æternitas ſemper tuebitur. Huic tu inſeruias, huic te oſtentes oportet.* & 30. *Serui igitur iis iudicibus,* II. Seruire. Deſeruire.

qui multis poſt ſeculis de te iudicabunt.

III. Solidam lavdem.] In Vatinium 8. *Quid ergo homo imperitiſſime ſolidæ laudis ac veræ dignitatis præſtantius mihi potuit accidere.* Quam ſolidam laudem non appetunt qui malunt, vt in Piſonem dicitur 57. *inanem aucupari rumorem, & omnes vmbras falſæ gloriæ conſectari.* Vide vtrobique quæ ſit inter inanem & ſolidam laudem
Solida laus. diſtinctio. Ea ſolida laus eſt & vera, quæ vt dicetur alibi, *Eſt fructus virtutis honeſtiſſimus.* De qua magnificè Pindarus ode 6. Iſthmiorum, antiſtrophe primâ.

> Εἰ γάρ τις ἀνθρώπων δαπάνᾳ τε χαρεὶς
> Καὶ πόνῳ πράσσει θεοδμάτους ἀρετάς,
> Σύν τέ οἱ δαίμων φυτεύει
> Δόξαν ἐπήρατον ἐσχατίαις
> Ἤδη πρὸς ὄλβου βάλλετ᾽ ἄγκυ-
> ραν θεότιμος ἐών.

Si enim quis hominum ſumptibus gaudens, & labore virtutes à Deo ædificatas exequatur, & ſimul ei Deus plantet gloriam amabilem, iam ad fœlicitatis portum iacit anchoram à Deo honoratus.

IV. Gazis.] Curtius lib. 3. de geſtis Alexandri. *pecuniam regiam quam gazam Perſæ vocant.* Reperitur tamen id nominis aliarum gentium pecuniis attributum. 1. Æneidos.

> *Arma virûm, tabulæque, & Troia gaza per vndas.*

Horatius,

> *Icci beatis nunc Arabum inuides*
> Gazæ. *Gazis.*

qui gazas pro quouis barbarorum theſauro vſurpant. Lucretius lib. 2. generatim pro quibuſuis diuitiis & theſauris ingentibus.

> *Quapropter, quoniam nil noſtro in corpore gazæ*
> *Proficiunt, neque nobilitas, neque gloria regni,*
> *Quod ſupereſt, animo quoque nil prodeſſe putandum.*

V. Bellvm inf. qviesc.] Dio lib. 39. de
Parthicæ diuitiæ. Gabinio: Καὶ παρεσκευάζετο ὡς καὶ ἐπὶ τοὺς Πάρθους τόν τε πλοῦτον αὐτῶν στρατεύσων. *Et ſe comparabat ad bellum Parthis eorúmque diuitiis inferendum.* Et ſanè ingentem fuiſſe Parthicæ gazæ famam indicio eſt, quod amputato M. Craſſi capiti inſultantes, vt auctor eſt idem Dio lib. 40. auaritiam exprobrarunt. Καὶ αὐτοῦ χρυσὸν εἰς τὸ στόμα οἱ Πάρθοι, ὥς γέ τινες λέγουσιν, ἐνέτηξαν ἐπισκώπτοντες. *Et in os eius aurum Parthi, vt quidam aiunt, cum exprobrationibus & conuitiis infuderunt.*

VI. Veteres illibatasqve.] Intactas, vt vocat Horatius,

> *--Intactis opulentior*
> *Theſauris Arabum aut diuitis Indiæ.*

VII. Profvndissimvm.] Plautus Captiuis ſcen. 2. act. 1. Paraſitus.

> *Quaſi fundum vendens meis me addicam legibus.*

Hegio,

> *Profundum vendis tu quidem haud fundum mihi.*

Paraſitum, inquit Turnebus, gurgitem & voraginem, profundum, eleganter ad fundum alludens vocat, quaſi mare quoddam ſit quo omnia ſorbeantur & hauriantur. & Scaliger ad illud in Ætna, *-ignoti vela profundi,* notat ἀρχαϊκῶς profundi τὰ βάθη, vnde *profundus* apud veteres venter dicebatur. Caper Grammaticus: *In profundum nummi vel in arcam conduntur.* Apuleius: *Ventri tam profundo ſeruiens.* Item: *Inſatiabilem profundúmque ventrem ſemper eſitan-* Profundum.
do diſtendit. hæc Taubmanus. In Piſonem 48. *Cùm partem eius prædæ profundæ libidines deuoraſſent.* vbi oſtendimus libidinem cum voragine, mari, orco comparari. vide ibidem de villarum ædificandarum inſania. Claudianus de bello Getico:

> *-Qui mente profundâ*
> *Hauſerat vrbis opes, vltrò victoribus ipſe*
> *Præda fuit.--*

Homo castvs.] A furtis & rapinis abſ- VIII.
tinens. Varro Andabatis apud Marcellum: *Nec manus viſco tenaci tinxerat viri caſtus.* Crediderim eſſe verſum trochaicum, ac proinde legendum *caſtas viri.* Eodem opinor, aut pene eodem Caſtus.
ſenſu initio Manilianæ. *Meus labor in priuatorum periculis caſtè integréque verſatus.* alibi periuro caſtus opponitur, alibi polluto & contaminato, vt pro C. Rabirio perduell. reo §. 11. *An ego qui funeſtari concionem contagione carnificis vetο? qui expiandum forum ab illis nefary ſceleris veſtigiis eſſe dico? qui caſtam concionem, ſanctum campum, inuiolatum corpus omnium ciuium Romanorum, integrum ius libertatis defendo ſeruari oportere.* Sic Pompeium epiſtolis ad Atticum virum *caſtum & grauem* appellat, non tam quòd ſe abs rebus venereis & libidine, quàm quòd à rapinis abſtineret. & pro Flacco 68. *In foro expenſum eſt auri pondo centum paulo minùs per Sext. Cæſium equitem Romanum caſtiſſimum hominem atque integerrimum.* Philippicâ decimâ tertiâ 8. *Res familiaris cùm ampla, tum caſta à cruore ciuili.* Verrinâ de legat. quæſt. & præturâ vrbanâ 137. *Venit ad Chelidonem C. Muſtius, eques Romanus publicanus homo cùm primis honeſtus: Venit M. Iunius patruus pueri frugaliſſimus homo & caſtiſſimus.*

AXIOMATA.

Sublatis præmiis & ſuppliciis quotuſquiſque inuenietur tanta virtute vir, qui optimam quámque cauſſam Reipub. amplectatur? qui bonis viris deſeruiat?

Non conſectandæ ſunt omnes inanis gloriolæ vmbræ, ſed ſolida veráque laus quærenda eſt.

Non eſt inferendum bellum quieſcentibus.

Profundiſſimus eſt libidinum gurges.

ARGVMENTVM.

Pergit ſummam Reip. perturbationem, & Clodianorum impunitatem deſcribere, tum Milonis & Sextij accuſationem, periculúmque iis per nefarios homines creatum exaggerat.

XCIV. HOS ſic illudere, quibus omne ſupplicium, atque omnis iure optimo pœna debetur? reos eſſe hos duos, quos videtis? Omitto iam Numerium, Serranum, Ælium, quiſquilias ſeditionis Clodianæ: ſed tamen hi quoque etiam nunc volitant, vt videtis: nec, dum vos de vobis

aliquid timebitis, illi vnquam de ſe pertimeſcent. Nam quid ego de ædile ipſo loquar, qui etiam diem dixit, & accuſauit de vi Milonem? neque hic tamen vlla vnquam iniuria adducetur, vt eum tali virtute, tantáque firmitate animi ſe in Rempub. fuiſſe pœniteat: ſed qui hæc vident adoleſcentes, quonam ſuas mentes conferent.

EXPLANATIO.

HOS.] Piſonem & Gabinium Proconſules inſultare legibus, iudicia contemnere.

REOS ESSE HOS DVOS.] Milonem à Clodio, Sextium ab Albinouano accuſatum. Meritò addit *quos videtis.* tum ad emphaſim, tum ad indignationem magis excitandam.

NVMERIVM.] Quintium, quem homines Gracchum nominabant.

SERRANVM.] Sextum Attilium Calatinum.

ÆLIVM.] C. Ælium Stalenum Pacetum.

VOLITANT.] Se oſtentant, erecta ceruice incedunt, & præfractis omnibus legum iudiciorúmque repagulis, de impunitate ſcelerum gloriantur.

DE ÆDILE.] De ipſo P. Clodio ſeditionis auctore, qui ædilitatem petiit, vt prætextu magiſtratûs, iudicium ſibi à Milone intentatum euaderet, & eam adeptus, non contentus euaſiſſe diem dixit ipſi Miloni, quod Milo gladiatorum familiam ſibi comparaſſet.

NEQVE HIC.] Indignitatem auget ab exemplo, quod adoleſcentibus exhibetur: & Milonis animi magnitudinem oſtendit, quem ne hæc quidem indignitas à Reip. charitate deterret.

NOTÆ.

I. ILLVDERE.] Inſultare, inequitare. vide 88. *Exultantem ac tripudiantem.* 4. Æneidos.

-Pro Iupiter, ibit

Hic, ait, & noſtris illuſerit aduena regnis.

II. REOS.] De hac voce dictum nonnihil in Cœlianâ §. 23. Græcis ὁ φεύγων. Noſtratibus *defendeur.*

III. Volitare. VOLITANT.] Hoc verbum ſecuritatem quandam & impunitatem importat. ſupra §. 1. *Non ſolùm alacres lætóſque volitare, ſed etiam voluntarios fortiſſimis atque optimis ciuibus periculum moliri, de ſe nihil timere.* Mox: *Volitat Ædilis.*

IV. ÆDILE.] Ædilitas alia fuit Curulis, alia plebeia. Ædiles plebeios olim, vt notat Halicarnaſſeus lib. 6. Ὑπηρέτας τῶν δημάρχων, καὶ συνάρχοντας, καὶ δικαστὰς ἐκάλει. *Tribunorum plebis miniſtros, & collegas, & iudices vocabant.* Atque hanc ædilitatem, patre qui curulem magiſtratum geſſiſſet adhuc ſuperſtite, gerere non licebat. Quare vt ait Liuius lib. 30. cùm Cn. Seruilius Conſul *patre Cn. Seruilio & Cn. Lutatio patruo ex ſeruitute poſt decimum ſextum annum receptis*, Romam è prouinciâ rediiſſet, *Latum ad populum eſt, ne Cn. Seruilio fraudi eſſet, quod patre qui ſella curuli ſediſſet viuo, cùm id ignoraret, Tribunus plebis atque Ædilis fuiſſet, contra quam legibus ſancitum erat.* De ædilitate curuli quando primùm & qua occaſione fuerit inſtituta inter ſe diſſentiunt Liuius, & Halicarnaſſeus. Hic enim eodem anno ab V. C. ducenteſimo & ſexageſimo quo creati ſunt Tribuni plebis & Ædiles plebeij, iis ait ſellam curulem & ius prætextæ fuiſſe conceſſum: eámque dicit occaſionem fuiſſe quòd Senatus, ob reditum plebis è ſacro monte, ad ferias Latinas vnum diem addendum eſſe, eorúmque ludorum procurationem penes τοὺς τῶν δημάρχων ὑπηρέτας eſſe decreuerat. vide lib. 6. ſub finem. At Liuius, cui magis aſſentior libro 6. exeunte & ineunte ſeptimo, tradit, poſt quam ſedatis tandem anno ab vrbe conditâ CCCLXXXVIII. diſcordiis, *conceſſum eſt ab nobilitate plebis de Conſule plebeio, à plebe nobilitati de Prætore vno, qui ius in vrbe diceret ex Patribus creando. Ita ab diutina ira tandem in concordiam redactis ordinibus, cùm dignam eam rem Senatus cenſeret eſſe, meritóque id ſi quando vnquam alias Deûm immortalium cauſsâ libenter facturos fore vt ludi maximi fierent, & dies vnus ad triduum adiiceretur: recuſantibus id munus Ædilibus plebis conclamatum à Patriciis eſt Iuuenibus, ſe id honoris Deûm immortalium cauſſa libenter acturos, vt Ædiles fierent*, &c. Addit initio lib. ſequentis, de Prætura & Curuli Ædilitate. *Hos ſibi Patricij quæſiuere honores pro conceſſo plebi altero conſulatu.* Ædilitas curulis.

V. SED QVI HÆC VIDENT ADOL.] Videtur locum Demoſthenis de falſa legatione præ oculis habuiſſe, vbi ille cùm aliorum ſcelus, ſuam innocentiam, aliorum impunitatem, ſuum ipſius periculum oſtendit, rogat quis futurus ſit deinceps qui optimam quámque Reipubl. partem amplectatur. Sed quid vetat eius verba producere? Ἀθήνηθεν ἐπρέσβευσάν τινες ὡς Φίλιππον τουτοιί, Φιλοκράτης, Αἰσχίνης, Φρύνων, Δημοσθένης. Τί οὖν; ὁ μὲν πρὸς τὸ μηδὲν ἐκ τῆς πρεσβείας λαβεῖν τοὺς αἰχμαλώτους ἐκ τῶν ἰδίων ἐλύσατο. ὁ δ᾽ ὧν τὰ τῆς πόλεως πράγματα χρημάτων ἀπέδοτο, τούτων πόρνας ἠγόραζε καὶ ἰχθῦς περιιών, &c. *Athenis ad Philippum legati profecti ſunt Philocrates, Æſchines, Phrynon, Demoſthenes. Quid igitur? eorum vnus, præterquam quod nihil è legatione accepit, captiuos priuatis ſumptibus in libertatem vindicauit. Alter iis pecuniis quibus rem ipſam publicam addixerat, volitans ſibi meretrices & piſces comparauit.* & alia quædam, quæ his Piſonis, Gabinij & aliorum flagitiis reſpondere videantur. Subdit. Τί οὖν μετὰ ταῦτ᾽ Ἀθηναῖοι λαβόντες; ᾔδεσαν μὲν γὰρ πάλαι. τί δέ; τοὺς μὲν χρήματ᾽ εἰληφότας, καὶ καταισχύναντας ἑαυτοὺς, τὴν πόλιν, τοὺς ἑαυτῶν παῖδας, ἀφεῖσαν, καὶ νοῦν ἔχειν ἡγοῦντο, καὶ τὴν πόλιν εὐθυνεῖσθαι. Τὸν δὲ κατηγοροῦντα, τί; ἐμβεβροντῆσθαι, τὴν πόλιν ἀγνοεῖν, οὐκ ἔχειν ὅποι τὰ ἑαυτοῦ ῥίψῃ. *Quid igitur deinde Athenienſes cum eos in poteſtate habuerunt in flagitio deprehenſos? (Iam pridem enim reſciuerant) Eos qui pecuniis & muneribus acceptis, dedecus & maculam ſibi, ciuitati, liberis ſuis adſperſerant, abſoluerunt, & mentem habere, benéque geſſiſſe Rempub. crediderunt. Eorum verò accuſatorem, quid? inſanire attonitum eſſe, ciuitatem ignorare, quo ſe conferat non habere.* Quibus verbis, vt animi mei ſenſum exponam, habet neſcio quid oratione Ciceronis auguſtius. niſi fortaſſe Græcus fuit liberior in carpendis ſuæ ciui-

tatis moribus, Latinus in offenſione vitanda cautior, atque prudentior. Pergit. Καί τις, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦτο ἰδὼν τὸ παράδειγμα, δίκαιον αὐτὸν παρέχειν ἐθελήσει; Τίς προῖκα πρεσβεύειν; εἰ μήτε λαβεῖν, μήτε τῶν εἰληφότων ἀξιοπιστότερον παρ' ὑμῖν εἶναι δοκεῖν ὑπάρξει; ὥστε οὐ μόνον κρίνετε τούτους τήμερον, οὔ·
Exempla. ἀλλὰ καὶ νόμον τούτοις τίθεσθε εἰς ἅπαντα τὸν μετὰ ταῦτα χρόνον, πότερον χρημάτων αἰσχρῶς ὑπὲρ τῶν ἐχθρῶν πρεσβεύειν ἅπαντας προσήκει, ἢ προῖκα ὑπὲρ ὑμῶν τὰ βέλτιστα ἀδωροδοκήτως. *Et quis deinde, Iudices, hoc videns exemplum, ſeipſum volet iuſtum exhibere? Quis gratis legationes obire? ſi neque munera accipere licebit, neque iis qui acceperint apud vos videri fide digniorem? Quare non ſolùm iſtos hodierno die indicatis, ſed in omne poſterum tempus legem ponitis, vtrùm mercede & pecunia nefariè pro hoſtibus, an gratis pro vobis & incorruptè legationes ſint obeundæ.* Quæ meritò poſſunt cum Tullianis comparari. Æſchines contra Timarchum neſcio quid adumbrare conatus eſt. Sed quantum degenerat. Ὁρῶ δὲ πολλοὺς μὲν τῶν νεωτέρων προσεστηκότας πρὸς τὸ δικαστήριον· πολλοὺς δὲ τῶν πρεσβυτέρων, οὐκ ἐλαχίστους δὲ τῶν ἐκ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος συνειλεγμένους ἐπὶ τὴν ἀκρόασιν· οὓς μὴ νομίζετ' ἐμὲ θεωρήσοντας ἥκειν, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον ὑμᾶς, εἰσομένους εἰ μὴ μόνον εὖ νομοθετεῖν ἐπίστασθε, ἀλλὰ καὶ κρίνειν τὰ καλὰ, καὶ τὰ μὴ καλὰ δύνασθε· καὶ εἰ τιμᾶν ἐπίστασθε τοὺς ἄνδρας τοὺς ἀγαθοὺς, καὶ εἰ θέλετε κολάζειν τοὺς ὀνείδη τὸν ἑαυτῶν βίον τῇ πόλει παρασκευάζοντας. *Video verò multos adoleſcentes ad iudicum conceſſum adſtantes, multos verò ſenes, non paucos etiam eorum qui ex cæterâ Græciâ conuenerunt ad audiendum. Quos ne putatote mei ſpectandi cauſâ veniſſe, ſed multò magis veſtri: vt intelligant vtrùm tantùm bonas leges ferre, an etiam iuſtum ab iniuſto diiudicare poßitis: ſciatíſque bonos ac fortes viros honorare, & eos punire qui vitam ſuam ad Reipub. labem & opprobrium componunt.* Lycurgus contra Leocratem tum alia, tum hæc imprimis. ὁ δὲ νῦν ἐνεστηκὼς ἀγὼν· οὐ κατὰ μικρόν τι μέρος συνέχει τῶν τῆς πόλεως. *Præſenti Iudicio non parua pars Reipub. continetur.* vbi libenter particulam κατὰ, vt redundantem induxerim. paucis interiectis addit. Οὐ μόνον τοῦτον νῦν κολάζετε καταψηφισάμενοι, ἀλλὰ καὶ τοὺς νεωτέρους ἅπαντας ἐπ' ἀρετὴν προτρέψετε. *Non ſolùm hunc condemnatum punietis, ſed etiam adoleſcentes omnes ad virtutem hortabimini.* & cætera quæ tu conſule. Iure autem adoleſcentiæ meminerunt, quod ea ætas ſit in vitium flecti cerea, cùm præſertim maiorum natu exemplum acceſſerit.

AXIOMATA.

Indignum eſt improbos bonis illudere.

Dum boni de ſe aliquid timent, improbi nunquam de ſe pertimeſcunt.

Viri fortes nunquam vllâ iniuriâ adducuntur, vt eos magna virtute, magnáque firmitate animi ſe in Remp. fuiſſe pœniteat.

Adoleſcentes qui vident improbos volitare, bonos viros reos fieri, neſciunt quonam ſuas mentes conferant.

ARGVMENTVM.

Refricat memoriam ſcelerum quæ in Tribunatu ſuo Clodius deſignarat, & Milonis moderationem oſtendit, vt contraria contrariis oppoſita magis eluceſcant.

XCV. ILLE, qui monumenta publica, qui ædes ſacras, qui domos inimicorum ſuorum oppugnauit, exſcidit, incendit, qui ſtipatus ſemper ſicariis, ſeptus armatis, munitus indicibus fuit, quorum hodie copia redundat, qui & peregrinam manum facinoroſorum concitauit, & ſeruos ad cædem idoneos emit, & in Tribunatu carcerem totum in forum effudit, volitat Ædilis, accuſat eum, qui aliqua parte eius furorem exſultantem repreſſit: hic qui ſe eſt tutatus ſic, vt in priuata re Deos penates ſuos, in Repub. iura Tribunatus, auſpiciáque defenderet, accuſare eum moderatè, à quo ipſe nefariè accuſatur, per Senatus auctoritatem non eſt ſitus.

EXPLANATIO.

QVI MONVMENTA PVBL.] Porticum meis ædibus vicinam quam Q. Catulus ad monumentum publicum victoriæ de manubiis Cymbrorum extruxerat.

ÆDES SACRAS.] Ædem Nympharum quam incendit. Templum Caſtoris, quod reuulſis gradibus tanquam arcem latrocinij ſui, armatis hominibus occupauit.

DOMOS INIMICORVM.] Domum Milonis oppugnauit, meam excidit, Q. fratris incendit.

MVNITVS INDIC.] Falſis teſtibus ad opprimendos innocentes falſis criminibus indicatis. Indices enim ſunt accuſationum miniſtri. alias, *audacibus.* & fortaſſe meliùs. quamuis etiam legatur pro Murenâ 49. *Catilinam interea alacrem atque lætum, ſtipatum choro iuuentutis, vallatum indicibus atque ſicariis,* &c.

PEREGRINAM.] De hac opinor manu pro Milone 26. *Seruos agreſtes ac barbaros,* &c.

CARCEREM.] Qui ſeruos & vinctos, tum è carcere, tum ex ergaſtulis eduxit, vt eos in forum ad diſturbandas conciones immitteret.

ACCVSAT EVM.] Milonem accuſat, qui eum tanquam belluam immanem in buſto Reipubl. tripudiantem conatus eſt legum laqueis conſtringere, ſed cùm id facere non potuit, vi ſaltem & armis repreſſit.

HIC QVI.] Aduerte quàm grauiter & vehementer defendendæ propriæ vitæ neceſſitatem, cùm priuato Deorum Penatium cultu, publica Tribunatus plebis ſanctitate, & auſpiciorum religione coniunxerit. Sed quaſi reſpectantes à tergo figamus hoc loco veſtigium à §. 67. deſcribe-

re Reip.in meliùs inclinationem occeperat,exorſus à laude & commendatione Cn. Pompeij,cuius virtute tum primùm aliqua publicæ tranquillitatis ſpes affulſit. Senatuſconſulta de reditu Ciceronis, gratulatio exhibita Quinto fratri ex Aſia redeunti, Piſonis generi pietas in ſoceri reditu flagitando, Senatûs vniuerſi ſtudium §. 68. deſcribitur. Tum narrat promulgationem legis de ſuo reditu cui Tribuniplebis octo ſubſcripſerant, & Lentuli Conſulis ſedulitatem. Sequitur Sextij Tribuniplebis deſignati ad Cæſarem profectio,& præteritorum Conſulum ad prouincias. Et cùm iterum promulgationis Tribunitiæ mentionē facturus eſſet,orationē vitandi tædij cauſſâ,Quintij & Numerij qui interceſſerunt inſectatione & varia dicteriorum ſuauitate perfudit. Refert alterum Senatuſconſulum P. Lentulo referente: duáſque Patrum in ſua cauſſa ſententias. Pergit à §.75. ſeditionem, vim Tribunis illatam, ciuium ſtragem exponere. Et tandem §. 80. variis rationibus oſtendit de vi damnandum non eſſe,quòd ſe contra vim vi defenderit, cuius rei probationem exaggeratâ accuſationis indignitate concludit.

NOTÆ.

I. MONVMENTA.] Monumentum quicquid ad memoriam relictum eſt. 4. Æneid. *--abolere nefandi*

Monumentum.

Cuncta viri monumēta iubet monſtrátq; Sacerdos.
& alibi,
Accipe & hæc manuum tibi nunc monumenta mearum.
Huic puer & longum Andromaches teſtentur amorem. alibi,
Ferre ſui dederat monumētum & pignus amoris.
Sic Appiam viam ab Appio Claudio munitam, Claudiorum monumentum appellat pro Milone 18. *Homo enim nobilis in ſuis monumentis Equitem Romanum occiderat.* Sic infrà 140. templum Cōcordię à Luc. Opimio poſt Gracchi necē excitatū, Opimij *monumētum in foro celeberrimū* appellat.

STIPATVS SICARIIS.] Vide Milonianam 18. *Extorta eſt confitenti ſica de manibus.* 38. *Sica illa quam à Catilina acceperat.* II.

SERVOS.] Vide Piſonianam 11. *Delectus ſeruorum habebatur ab eo.* Vbi tractationem armorum prohibitam fuiſſe ſeruis oſtendimus.

CARCEREM TOTVM IN FORVM EFFVDIT.] Propriè tanquam è ſuperiore loco in forum ſubiectum immiſit. Liuius libro 1. Anci Martij res geſtas ſcribens: *Carcer ad terrorem creſcentis audaciæ, media vrbe imminens foro ædificatur.* Atque diu,vt cum Iuuenale loquar, III.

Carcer Romanus.

Viderunt vno contentam carcere Romam.
Donec tandem aliud, in foro etiam, vt opinor, ædificauit Claudius Decemuir,vt ei Virginius obiectat apud Liuiū lib.3. *Et illi carcerem ædificatum eſſe quod domiciliū plebeiæ Romanæ vocare ſit ſolitus.*

VOLITAT ÆDILIS.] Hoc verbum impunitatē quandā & iactantiā oſtendit. Vide præcedenti §.

EXVLTANTEM.] Vide ſuprà 88. *Exultantem ac tripudiantem legum,ſi poſſet,laqueis conſtringeret.*

DIGRESSIO DE OPTIMATIBVS.

Ciues qui in Rep. verſantur, in eáque excellentiùs ſe gerere volunt.

- populares, circa quos expendenda
  - definitio. Ij ſunt populares,qui quæ faciunt, quæque dicunt multitudini iucunda eſſe volunt. 96.
  - Diuiſio petita à cauſis cur fieri velint populares. 99.
    - 1. Aut propter metum pœnæ peccatorum ſuorum conſcij nouos metus conuerſionéſque Reip. quærunt.
    - 2. Aut propter inſitum quemdam animi furorem diſcordiis ciuium ac ſeditione paſcuntur.
    - 3. Aut propter implicationem rei familiaris communi incendio malunt quàm ſuo deflagrare.
- optimates, circa quos conſideranda
  - diuiſio 97. ſunt
    - 1. principes publici.
    - 2. qui eorum ſectam ſequuntur.
    - 3. maximorum ordinum homines quibus patet curia.
    - 4. municipales ruſticíque Romani.
    - 5. negotia gerentes.
    - 6. libertini.
  - Definitio
    - 1. per negationem. 97. Qui neque nocentes ſunt, nec naturâ improbi, nec furioſi, nec malis domeſticis impediti.
    - 2. per affirmationem tribus modis.
      - 1. ab eorum habitu & diſpoſitione. 97. Qui integri ſunt & ſani, & bene de rebus domeſticis conſtituti.
      - 2. ab eorum actione, ſiue operatione 96. qui ita ſe gerunt, vt ſua conſilia optimo cuique probent.
      - 3. A cauſa finali. 98. Qui finem in gerenda Rep. propoſitum habent cum dignitate otium. Cuius otioſa dignitatis fundamenta ſunt
        - 1. religiones.
        - 2. auſpicia.
        - 3. poteſtas magiſtratuum.
        - 4. Senatus auctoritas.
        - 5. Leges.
        - 6. Mos maiorum.
        - 7. Iudicia.
        - 8. Iuriſdictio.
        - 9. Fides.
        - 10. Prouinciæ.
        - 11. Socij.
        - 12. Imperij laus.
        - 13. res militaris.
        - 14. ærarium.
  - hortatio ad optimatium ſectam.

ARGVMENTVM.

Digreſſio de optimatibus, quâ omni doctrinâ politicâ velut in compendium redactâ exponit, quinam dicendi ſint populares, quinam optimates; & quæ ſit inter vtroſque diſtinctio.

XCVI. Digreſſio de optimatibus.

NIMIRVM hoc illud eſt quod de me potiſſimum, tu in accuſatione quæſiſti, quæ eſſet noſtra natio optimatium. ſic enim dixiſti. Rem quæris præclaram iuuentuti ad diſcendum, nec mihi difficilem ad perdocendum. de qua pauca, iudices, dicam: & vt arbitror, nec ab vtilitate eorum, qui audient, nec ab officio noſtro, nec ab ipſa cauſſa P. Sextij abhorrebit oratio mea. Duo genera ſemper in hac ciuitate fuerunt eorum qui verſari in Republ. atque in ea ſe excellentiùs gerere ſtuduerunt: quibus ex generibus alteri ſe populares, alteri optimates & haberi & eſſe voluerunt. qui ea quæ faciebant, quæq; dicebant, multitudini iucunda eſſe volebant, populares: qui autem ita ſe gerebant, vt ſua conſilia optimo cuique probarentur, optimates habebantur.

EXPLANATIO.

NIMIRVM.] M. Tullius Albinouanus, vt Sextium eiúſque patronos & aduocatos in inuidiam vocaret, obiecerat ab iis quandam factionem eſſe conflatam, quam ſpecioſo optimatium nomine decorarent, quaſi cæteros omnes bonorum ciuium loco non haberent, & ſæpè quæſiuerat quænam eſſet iſta natio optimatium. Poſtquam igitur Orator docuit neminem fore deinceps, qui optimam quamque Reip. partem amplectatur, hinc arreptâ reſpondendi occaſione, exponit quæ ſint optimæ Reip. partes, atque adeò qui ſint optimates, non tam vt aduerſarij petitioni fiat ſatis, quàm vt præiudicium Senatuſconſulti in gratiam Clodij contra Milonem facti digreſſionibus obruatur. idque prudentiſſimo conſilio. Si enim indignitatem & iniuſtitiam Senatûs verbis refutare voluiſſet, eam in ſe inuidiam concitaſſet, quàm facile non fuiſſet extinguere: quare digreſſione potiùs obſcurat, vt alia omnia agere videatur.

REM QVÆRIS.] Reſponſionem quæſtioni propoſitæ dandam commendat à dignitate, & vtilitate, vt attentionem renouet, à facilitate & breuitate, promittens ſe pauca dicturum vt occurrat faſtidio. Ait neque ab officio ſuo neque à cauſsâ Sextij abhorrere, ne vel euagari longiùs, vel altiùs occaſionem huius digreſſionis acceſſere videatur.

DVO GENERA.] Incipit à diuiſione eorum qui in Rep. verſantur, & eam adminiſtrant, cuius diuiſionis membra duo conſtituit, vt alteri dicantur populares, alteri optimates.

QVI EA.] Definitionem vtriuſque generis allaturus, primùm quadam veluti proluſione rudem nominis definitionem & etymologiam informat.

NOTÆ.

1. NOSTRA NATIO OPTIMATIVM.] Notat P. Victorius, vir eruditus lib. 9. var. lect. cap. 22. nomen nationis idem eſſe Ciceroni, quod Græcis τὸ γένος, vt cùm dicit *nationem candidatorum, nationem publicanorum, nationem optimatium. Sed quia* (inquit Bernardus Martinus doctiſſimus Iuriſconſultus in Curia Diuionenſi lib. 1. var. lect. cap. 13.) *quod maximè notatu dignum fuerat, prætermiſit, nos ei haud illubenter ſubſidiariam opem & operam præſtabimus.* Subdit *nationem* apud bonos auctores nonnunquam malè audire, & pro peſſimo hominum genere accipi. vt lib. 2. de natura Deorum Epicureos alloquens orator, *Ita ſalem iſtum, quo caret veſtra natio in irridendis nobis nolitote conſumere.* Pro Fonteio 20. & hac ipsâ Sextiana. Eò ſpectat & locus quidam C. Gracchi in oratione quam rediens è Sardinia habuit ad populum: *Si vlla meretrix domum meam introiuit, aut cuiuſquam ſeruulus propter me ſollicitatus eſt, omnium nationum poſtremiſſimum nequiſſimúmque exiſtimatote.* Hæc verba referuntur lib. 15. cap. 12. noct. Attic. Ita & apud Plautum intelligenda eſt *Epidamnea natio.* Eodem modo & in malam etiam partem à Græcis ſumuntur Γένος κ ἔθνος. Sophocles Antigona: Natio in malam partem.

Τὸ μαντικὸν γὰρ πᾶν φιλάργυρον γένος.
Pecuniarum natio vatum eſt amans.

Euripides Antiope:

--τὸ δούλων ὡς ἁπανταχῇ γένος γένος.
Πρὸς τὴν ἐλάσσω μοῖραν ὥρισεν θεός.
Vt nationem vbique ſeruilem Deus
Vexari iniqua ſorte depreſſam iubet!

Æſchylus Septem ad Thebas:

Φοίβῳ στυγηθὲν πᾶν τὸ Λαΐου γένος.
Odioſa Phœbo eſt natio omnis Laij.

Homerus hymno in Mercurium:

Ὦ πόποι, εἴτ' ἀπόλοιτο βοῶν γένος.--
Iupiter, vt pereat vaccarum natio.--

Callimachus hymno in lauacrum Palladis:

--χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος.

Quod ſic vertit Catullus emendante Angelo Politiano:

Iupiter vt Chalybon omne genus pereat!

mauult Scaliger:

Iupiter vt Silicicum omne genus pereat.

ἔθνος etiam eodem ſenſu accipi docet idem Martinus apud Æſchylum Eumenidibus. ἀξιόμυσον ἔθνος. *odio digna natio.* Diphilum de piſcium venditoribus. ἔθνος.

--ἔθνος, ὥσπερ θηρίον Ἐπίβουλον.-
Natio inſtar belluæ Inſidiatrix.

Antiphanem,

-τραπεζίτας λέγεις;
Ἔθνους τοιούτου οὐδὲν ἐξωλέστερον;
--*nummularios ais?*
Hac natione nulla pernicioſior.

Eodem ſenſu vulgo dicimus, *la race, l'engeance.*

II. DE QVA PAVCA.] Eodem modo Iſocrates Areopagitico digreſſionem facturus, & vtilitatem promittit, & breuitatem. Ἔσται δ' ὁ λόγος οὔτε μακρὸς, οὔτε ἀνωφελὴς τοῖς ἀκούουσιν. *nec longa erit, nec ab vtilitate eorum qui audient abhorrebit oratio mea.*

III. POPVLARES.] Pulcherrima eſt popularis & óptimatis diſtinctio apud Liuium libro 3. Luc. Quintij Conſulis oratione. *His ego gratiora dictu alia eſſe ſcio: ſed me vera pro gratis loqui, etſi meum ingenium non moneret, neceſſitas cogit. Vel-*

Optimates. *lem equidem vobis placere, Quirites, ſed multò malo vos ſaluos eſſe, qualicunque erga me animo futuri eſtis.* Oratio planè digna optimate. Sequitur popularis deſcriptio. *Niſi fortè aſſentatores publicos, plebicolas iſtos, qui vos nec in armis, nec in otio eſſe ſinunt, veſtra vos cauſſâ incitare, & ſtimulare putatis: concitati aut honori, aut quæſtui illis eſtis: & quia in concordia hominum nullos ſe*

Populares. *vſquam eſſe vident, malæ rei ſe quàm nullius, turbarum ac ſeditionum duces eſſe volunt.* Poſt Demoſthenem Olynth. 3. Δικαίου πολίτου κρίνω, τὴν τῶν πραγμάτων σωτηρίαν ἀντὶ τῆς ἐν τῷ λέγειν χάριτος αἱρεῖσθαι. *Boni ciuis officium eſſe puto, vt ſalutem Reipub. ſuauitati orationis anteponat.* Subdit: Ἐξ οὗ δὲ οἱ διερωτῶντες ὑμᾶς οὗτοι πεφήνασι ῥήτορες, τί βούλεσθε; τί γράψω; τί ὑμῖν χαρίσωμαι; προπέποται τῆς παραυτίκα ἡδονῆς καὶ χάριτος τὰ τῆς πόλεως πράγματα. καὶ τοιαυτὶ συμβαίνει. καὶ τὰ μὲν τούτων πάντα καλῶς ἔχει, καὶ τὰ ὑμέτερα αἰσχρῶς. *Ex quo autem ſciſcitantes è vobis iſti oratores extiterunt, quid cupitis? quid ſcribam? qua vobis re gratificabor? breui voluptate & gratia Reipubl. negotia quaſi propinata pereunt. & talia eueniunt. iſtorum res præclarè ſe habent, veſtræ turpiter.* Et eam ob cauſſam huiuſmodi populares Græci δημοκόλακας nominabant. Qualis ille Cleon apud Comicum in Equitibus populo.

Ἤκαλλ', ἐθώπευ', ἐκολάκευ', ἐξηπάτα.
Blandiebatur, aſſentabatur, adulabatur, decipiebat.

Qui & eum inter cætera, quæ videre operæpretium fuerit, ita blandientem inducit.

Ἀπομυξάμενος ὦ δῆμ' ἐμοῦ πρὸς τὴν κεφαλὴν ἀπόψω. Adulatio populi.
Cùm te emunxeris, ô popule, te ad meum caput exterge.

Idem Poëta in Acharnenſibus popularem ita lepidè deſcribit:

Ὑμῶν ἐραστὴς ἦν ἀληθῶς, ὥστε καὶ
Ἐν τοῖσι τοίχοις ἔγραφεν, Ἀθηναῖοι καλοί.
Amator ille veſter vſque adeò fuit
Vt parietibus ſcribere ſoleret ſuis,
Athenienſes pulchri.

Idem in Veſpis:

Καὶ νὴ Δί' εἰ ἴδῃ γέ του γεγραμμένον
Τὸν Πυριλάμπους ἐν θύρᾳ Δῆμον καλὸν
Ἰὼν παρέγραφε πλησίον Κημὸς καλός.
Quòd ſi videret Hercule ſcriptum vſpiam Mos amatorum.
In Pyrilampi Ianua Pulchrum poplum
Scribebat ille proximè, Pulcher cadus.

Quibus verbis, vt notat Interpres, ad amatorum morem alluſit, qui eorum quos amant addito pulchri cognomento, arboribus, ianuis, parietibus inſcribunt. Rurſum Demoſthenes epiſt. 2. Τοῖς νέοις ἀγασθαί με προσήκει, καὶ σκοπεῖν μὴ μόνον τὸν διακονήσοντα πρὸς χάριν πάντ' ἐν τῇ πολιτείᾳ (τούτου μὲν γὰρ οὐδέποτ' ἐς ἀπορήσαι) ἀλλὰ καὶ τὸν ἐπ' εὐνοίᾳ, περὶ ὧν ἂν ἀγνοῆτε, ἐπιτιμήσοντα. *Adoleſcentibus me mirari conuenit, nec eum requirere ſolùm qui captator auræ popularis, vulgíque cupiditatum adminiſter omnium in Repub. ſit (talium enim nulla vnquam penuria futura eſt) Sed eum etiam qui bono ſtudio veſtra errata reprehendat.*

AXIOMATA.

Qui ea quæ faciunt, quæque dicunt, multitudini iucunda eſſe volunt, ij ſunt populares.

Qui ita ſe gerunt vt ſua conſilia optimo cuique probentur, ij ſunt optimates.

ARGVMENTVM.

Ad veram rei definitionem propius accedens optimates, vel quod eodem pene recidit, optimos ciues à partium enumeratione deſcribit: tum ad veram definitionem delabitur.

QVIS ergo optimus iſte? quis? de numero ſi quæris, innumerabiles. neque enim aliter ſtare poſſemus, ſunt principes conſilij publici, ſunt, qui eorum ſectam ſequuntur: ſunt maximorum ordinum homines, quibus patet curia: ſunt municipales ruſticíque Romani: ſunt negotia gerentes: ſunt etiam libertini optimates. numerus, vt dixi, huius generis latè & variè diffuſus eſt: ſed genus vniuerſum (vt tollatur error) breui circumſcribi & definiri poteſt. Omnes optimates ſunt, qui neque nocentes ſunt, nec natura improbi, nec furioſi, nec malis domeſticis impediti. Eſto igitur, vt hi ſint, quam tu nationem appellaſti, & qui integri ſunt, & ſani, & benè de rebus domeſticis conſtituti. horum qui voluntati, commodis, opinioni in gubernanda Repub. ſeruiunt, defenſores optimatium, ipſíque optimates grauiſſimi, & clariſſimi ciues nominantur, & principes ciuitatis. XCVII.

EXPLANATIO.

QVIS ERGO ISTE OPTIMVS QVISQVE? DE NVMERO, &c.] Reſtituit Grutterus lectionem antiquatam, cui accedit Pal.nonus, & S. Victoris poſtea excuſi. *Quis ergo optimus iſte? Quis? de numero.* At Lambinus finxit: *Quid ergo iſti Optimates? qui?* inſubidè. reſpicit enim ad proximè præcedens, *vt ſua conſilia optimo cuique probarentur*; rogátque, eo quis ſit ille *optimus quiſque.*

INNVMERABILES.] Iure optimatium multitudinem exaggerat, tum vt inuidiam nominis tollat, tum vt in aduerſarium, qui inuidioſo nomine nationem vocauerat, odium omne deriuet.

NEQVE ENIM.] Si non eſſent innumerabiles, ſtare non poſſet Reſpub. in tanta morum corruptione & ſeditioſorum potentia.

MAXIMORVM ORDINVM HOMINES.] Patritij, equeſtris, Tribunorum ærarij, qui vel Senatores ſunt, vel iam in eo ſunt ſtatu, vt facilè allegi poſſint in Senatum. vide Notas.

SVNT NEGOTIA GERENTES.] Lambinus recepit *negotij*. & ita Pal.primus, ſec.quart. oct. & ſic, ſi bene memini, locutus pro Quintio.

OMNES OPTIM.] Definitio per negationem, qua non tam explicat qui ſint, quàm qui nõ ſint optimates. 1. optimates negat eſſe eos qui ſunt nocentes, quia nocentes vt infrà docetur, *propter metum pœnæ peccatorum ſuorum conſcij, nouos motus conuerſionéſque Reip. quærunt.* 2. natura improbos, *qui propter inſitum quendam animi furorem diſcordiis ciuium ac ſeditione paſcuntur.* 3. remouet malis domeſticis impeditos, ſiue egentes & oppreſſos ære alieno, *qui propter implicationem rei familiaris, communi incendio malunt quàm ſuo deflagrare.*

ESTO IGITVR.] Vera definitio per affirmationem, quæ clariſſima. Genus, videlicet *ciues* ſubintelligendum. cætera differentiæ locum habent.

CLARISSIMI CIVES NVMERANTVR.] Vulgo *nominantur*: ſed contra omnes Palatinos.

NOTÆ.

I. STARE.] Notum illud Ennianum:

Moribus antiquis res ſtat Romana viríſque.

Hinc ſtatus Reipub. & ſiſtere Rempub. Maro 6. diuini operis:

Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Siſtet eques.

II. PRINC. CONS. PVB.] Qui fuerint principes Senatus propriè dicti, qui principes ſententiæ vide in Piſon. 35. hic principes conſilij publici interpretor ipſa Senatus lumina, ſiue viros illos primarios, qui vel ob honores antè geſtos, vel ob virtutis & ſapientiæ famam, præcipuam in Senatu auctoritatem obtinebant, quales deſcribit Prudentius contra Symmachum lib. priore.

Principes Senatus.

Exultare Patres videas pulcherrima mundi
Lumina, conciliúmque ſenum geſtire Catonum.

III. MAX. ORDINVM HOM.] Maximi ordines fuerunt Senatorius & equeſter, & inter plebeios Tribuni ærarij, vt pro Milone §.4. fusè exponimus *Ampliſſimorum ordinum.* Non autem ſolis Senatoribus, id eſt, iis qui à Cenſoribus in Senatum allecti fuerant curia patebat. Sed aliis maximorum ordinum hominibus, Equitibus nimirum & Tribunis ærariis qui curulem geſſerant magiſtratum. Gellius lib. 3. cap. 18. *Nondum à Cenſoribus in Senatum lecti, Senatores quidam non erant: ſed quia honoribus populi vſi quidem erant in Senatum veniebant, & ſententiæ ius habebant. Nam & curulibus magiſtratibus functi, qui nondum à Cenſoribus in Senatum lecti erant, Senatores non erant.* vide. Atque ille quidem loquitur de æuo Varronis & Ciceronis. Nam antiquitus ſaltem vſque ad bellum Punicum tertium viguit alia conſuetudo. Valerius Max. lib. 2. cap. de inſtitutis. *Adeo autem magna patriæ charitate tenebantur, vt arcana conſilia Patrum Conſcript. multis Seculis nemo Senator enuntiauerit. Qu. Fabius Maximus tantummodo, & is ipſe per imprudentiam, de tertio Punico bello indicendo, quod ſecreto in Curia erat actum, P. Craſſo rus petens domum reuertenti in itinere narrauit, memor eum triennio ante Quæſtorem factum, ignarúſque nondum à Cenſoribus in ordinem Senatorum electum: quo vno modo etiam iis qui iam honores geſſerant, aditus in Curiam dabatur.*

Quidam non Senatores in Senatum veniebant.

Primis Reip. temporibus iis ſolis aditus patebat in curiam, qui lecti fuiſſent a Cẽſoribus.

CVRIA.] Variis modis curia dicitur, vt auctor eſt Varro. frequentiſſimè tamen pro Senatu, vt pro Milone ex Feſto & aliis oſtendimus. IV.

MVNICIPALES.] De municipiis conſulendus Feſtus & Gellius lib. 16. cap. 13. è recentioribus Roſinus, Pamuinus, Sigonius, & alij penè omnes qui res Romanas attigerunt. De his nos in Piſonem pauca dicemus §. 5. Multa autem fuerunt municipia. Cære, Tuſculum, Lanuuium, Aricia, Nomentum, Pedum, Fundi, Formiæ, Acerræ, Priuernum, Anagnia, Arpinum, Atella, Sueſſula, Trebula, & alia non pauca numerantur à Vvillelmo Godelenæo in lib. 8. Liuij. quæ tu conſule: nos aliò properamus. V.

Municipia.

RVSTICIQVE.] Colonos opinor intelligit, & eos ciues qui in vicinis pagis agriculturæ cauſſa habitabant. de colonis iidem qui de municipiis. Quanta autem fuerit colonorum multitudo, vel hinc liquet quod à citato Liuij commentatore lib. 4. ex Onuphrio CLXIV. coloniæ numerantur. Ingentem etiam fuiſſe ruſticanorum pagos incolentium multitudinem is animaduertet, qui ſecum vnam & triginta tribus ruſticanas fuiſſe, quatuor duntaxat vrbanas animo reputarit. De his Tribubus vrbanis, vt alios omittam, vide Liuium extremis libri decimi verbis. Adde quod, vt Dionyſio Halicarnaſſeo lib. 2. placet ex Romuli inſtituto. Δύο μόνα τοῖς ἐλευθέροις ἐπιτηδεύματα καταλείπεται τὰ κατὰ γεωργίαν, καὶ τὰ κατὰ πολέμους. *Duo ſola liberis hominibus exercitia relinquuntur, agricultura, & res militaris.* Item: ἐπὶ τοῖς κατ' ἀγρὸν ἔργοις ἐθίζων ἅπαντας μένειν, πλὴν εἴ ποτε δεηθεῖεν ἀγορᾶς, τότε δ' εἰς ἄστυ συνιόντας ἀγοράζειν, ἐνάτην ὁρίζων ἡμέραν ταῖς ἀγοραῖς. *Omnes aſſuefaciens ad opera ruſticana in agris morari, niſi ſi quando nundinationibus indigerent, tunc verò eos in vrbem ad nundinas conuenire ſtatuit, nundinis diem nonum definiens.* Sed de agricultura & eius honore apud antiquos Plinius libro 18. cap. 3. conſulatur. Nobis ſatis fuit hinc ruſticorum Rom. multitudinem oſtendere: quamuis poſtremis Reip. temporibus multi qui nunquam rure verſabantur cenſebantur in tribubus ruſticanis. VI.

Coloniæ.

Agricultura.

Nundinæ.

NEGOTIA GERENTES.] Quanta fuerit negotiatorum vis qui in diuerſis orbis terrarum regionibus negotia gerebant, vel illud oſtenderit, quod VII.

quod Mithridates vno de centum & quinquaginta ciuium Rom. millia in Aſia iuſſit interfici, δεκάπεντε μυριάδας, inquit Plutarchus in Syllâ. Non adeo tamen liberalis eſt Valerius Maximus lib.9.cap.2. his verbis. *Vna epiſtola octoginta millia ciuium Romanorum, in Aſia per vrbes negotiandi cauſsâ diſperſa interemit.* Et quod ait Plinius lib.6.cap.5. *Circa Colchos Timoſthenes linguas trecentas fuiſſe differentes ait, & poſtea à noſtris centum triginta interpretibus negotia ibi geſta.*

Negotiatores.

VIII. Libertini.

LIBERTINIQVE.] Vix minorem fuiſſe libertinorum quàm negotiatorum turbam hinc ſuſpicari libet, quod ſoli libertini videntur ad publicam frumentationem admiſſi fuiſſe, ex dictis ſuperiùs ad 55. ſectionem: cùm tamen eorum qui frumentum de publico capiebant numerus ad viginti & trecenta millia nonnunquam excreuerit. Vide Notam *Remiſsis ſemiſsibus & trientibus.* Quanquam id ingenuis pauperibus non negauerim fuiſſe conceſſum. Quare aliunde libertorum multitudinem colligamus. Quod vix vllus fuit, ac fortaſſe nullus alicuius nominis ciuis, qui ſuos libertos non haberet.

AXIOMATA.

Sine magna bonorum multitudine Reſpublica ſtare non poſſet.

Omnes optimates ſunt qui neque nocentes ſunt, nec natura improbi, nec malis domeſticis impediti.

Optimates ſunt quique integri ſunt & ſani, & bene de rebus domeſticis conſtituti.

ARGVMENTVM.

Aliam optimatium definitionem adfert à cauſſa finali propoſito fine otij & dignitatis, ad quem tanquam ad ſcopum omnes optimatium cogitationes collineant.

QVID eſt igitur propoſitum his Reipub. gubernatoribus quod intueri, & quo curſum ſuum dirigere debeant, id quod eſt præſtantiſſimum, maximéque optabile omnibus ſanis, & bonis, & beatis, cum dignitate otium. Hoc qui volunt, omnes optimates: qui efficiunt, ſummi viri, & conſeruatores ciuitatis putantur. Neque enim rerum gerendarum dignitate homines efferri ita conuenit, vt otio non proſpiciant: neque vllum amplexari otium, quod abhorreat à dignitate. Huius autem otioſæ dignitatis hæc fundamenta ſunt, hæc membra, quæ tuenda principibus, & vel capitis periculo defendenda ſunt, religiones, auſpicia, poteſtates magiſtratuum, Senatûs auctoritas, leges, mos maiorum, iudicia, iuriſdictio, fides, prouinciæ, ſocij, imperij laus, res militaris, ærarium. XCVIII.

EXPLANATIO.

QVID EST.] Interrogatio per allegoriam à naucleris & nauigatione tranſlatam.

ID QVOD.] Subiectio, qua certus vitæ politicæ finis conſtituitur, ad quem omnes politici ſuas omnes dirigere debeant actiones. ac vide quemadmodum ſingula ſingulis ſuperiùs dictis reſpondeant: ſanos hîc vocat quos ſuperiùs natura non improbos, bonos quos integros neque nocentes, beatos quos ſuperiùs bene de rebus familiaribus conſtitutos appellarat. E quibus elicere poſſis hanc definitionem. *Optimates ſunt ij ciues qui ad otium & dignitatem Reipub. ſuas omnes referunt actiones.*

NEQVE ENIM.] Adfert definitionis allatæ rationem: cur dignitatem ab otio non diſiunxerit.

HVIVS AVTEM.] Exponit media quibus ad finem propoſitum peruenitur. E quib. accerſi poſſit alia optimatum deſcriptio: quaſi dicat eos optimates eſſe qui neceſſaria adhibent media ad finem conſequendum, otium videlicet & Reip. dignitatem.

NOTÆ.

1. QVID EST IGITVR.] Epiſtola 9. ad familiares, *vt in nauigando tempeſtati obſequi artis eſt, etiamſi portum tenere nequeas: cùm verò id poſsis mutata velificatione aſſequi, ſtultum eſt eum tenere cum periculo curſum quem ceperis, potiùs quàm eo commutato quo velis tamen peruenire: ſic cum omnibus nobis in adminiſtranda Rep. propoſitum eſſe debeat, id quod à me ſæpè dictum eſt. Cum dignitate otium, non idem ſemper ſpectare debemus.* Plato variis modis rem explicat, vt lib.3. de legibus ſub finem. Τὸν νομοθέτην δεῖ τριῶν στοχαζόμενον νομοθετεῖν, ὅπως ἡ νομοθετουμένη πόλις ἐλευθέρα τε ἔσται, καὶ φίλη ἑαυτῇ καὶ νοῦν ἕξει. *Legiſlatorem oportet cùm fert leges tria habere animo deſtinata. vt ciuitas quæ leges recipit ſit libera, vt ſibi conſentiat, vt bonam mentem habeat.* quorum priora duo referri poſſint ad otium, tertium ad dignitatem, & initio lib. 4. Cùm de virtute in vniuerſum pauca dixiſſet, adiecit. Τοῦτον γὰρ δὴ τίθεσθαι τὸν νόμον ὀρθῶς ὑποτίθεμαι μόνον, ὃς ἂν δίκην τοξότου ἑκάστοτε στοχάζηται τούτου ὅτῳ ἂν συνεχῶς τούτων τῶν ἀεὶ καλῶν τι ξυνέπηται μόνῳ· τὰ δ' ἄλλα ξύμπαντα παραιτῆται· ἐάν τε τις πλοῦτος, ἐάν τ' ἄρα τι τῶν ἄλλων ὂν τυγχάνῃ ἄνευ τῶν προειρημένων. *Hanc enim rectè ferri legem ſuppono duntaxat, quæ inſtar ſagittarij identidem ad id collineat, quod ſolùm ea quæ ſemper honeſta ſunt aſſiduè conſequuntur: alia verò vniuerſa relinquit, ſiue diuitiæ, ſiue quid aliud, ſine prædictis exiſtat.* Et aliquantò pòſt hunc ſcopum eſſe Dei ſimilitudinem, ſiue ſanctitatem & animi puritatem oſtendens, inter plurima & pulcherrima hæc habet. σκοπὸς μὲν οὖν ἡμῖν οὗτος οὗ δεῖ στοχάζεσθαι. *Hic igitur,* inquit, *ſcopus eſt in quem debemus ictum deſtinare.* Et hanc quæſtionem proponens. φίλη δ' αὐτοῦ καὶ ἴσον ἂν τοῖς βελτίοσιν ἄφθονος τὰ ποῖα ἂν λεγόμενα, Finis politici.

ὀρθότατα αὖ φέροιτο. *Huius verò ſcopi iacula, & vt ſic loquar, iaculorum emiſſionem, quam tandem eſſe dicemus, quæ rectiſſimè collinet.* Oſtendit ea iacula eſſe pietatem, docétque quid Deo, quid parentibus debeatur. Vnde intelligas quod libro 6. de Repub. veros & Philoſophos politicos Deum ipſum iuſtitiæ fontem, & bonitatem archetypam ait ſemper præ oculis habere, & tanquam egregios pictores in humanarum mentium tabulis adumbrare. λαβόντες ὥσπερ πίνακα πόλιν τε καὶ ἤθη ἀνθρώπων πρῶτον μὲν καθαρὰν ποιήσειαν ἄν, &c. *Acceptā inſtar tabulæ ciuitatem & hominum mores priùs quidem purgabunt,* &c. ἔπειτ' οἶμαι ἀπεργαζόμενοι πυκνὰ ἂν ἑκατέρωσ' ἀποβλέποιεν, πρός τε τὸ φύσει δίκαιον καὶ καλὸν, καὶ σῶφρον, καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα. καὶ πρὸς ἐκεῖνο αὖ τὸ ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἐμποιοῖεν ξυμμιγνύντες τε καὶ κεραννύντες ἐκ τῶν ἐπιτηδευμάτων τὸ ἀνδρείκελον ἀπ' ἐκείνου τεκμαιρόμενοι, ὃ δὴ καὶ Ὅμηρος ἐκάλεσεν ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἐγγιγνόμενον θεοειδές τε καὶ θεοείκελον. καὶ τὸ μὲν ἂν οἶμαι ἐξαλείφοιεν, τὸ δὲ πάλιν ἐγγράφοιεν, ἕως ὅτι μάλιστα ἀνθρώπεια ἤθη θεοφιλῆ ποιήσειαν. *Deinde agentes hæc, vt arbitror, ad vtraque frequenter & identidem reſpicient, ad id quod ſuâ naturâ iuſtum eſt, & pulchrum & temperatum, & cætera eiuſmodi: atque iterum ad humana, & ad ſuperioris illius exemplar humana diſponent, ex hominum officiis naturam humanam contemperantes, ad figuram eius quod Homerus quoque cùm in hominibus ſit, Dei ſpeciem & imaginem ſimilitudinémque appellauit. Scitè. partim ergo delebunt philoſophi, partim etiam colorabunt, quouſque humanos mores quàm maximè fieri poteſt Deo in amore coniunxerint.* Et eam ob rem ibidem politicum, πολιτειῶν ζωγράφον, *Rerumpublicarum pictorem* appellat. Quæ Platonis imago Dionyſio Areopagitæ & Ioanni Chryſoſtomo ſic arriſit, vt ad rem ſuam accommodantes, ille lib. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, cap. 4. de iis qui vnguento initiantur, hic homiliâ 13. in primum ad Corinthios, tantùm non iiſdem coloribus expreſſerint. Idem lib. 12. de legibus ad vnam virtutem collineandum eſſe tradit. ἧς ἀρχὴ τὸ μὴ πλανᾶσθαι πρὸς πολλὰ στοχαζόμενον, ἀλλ' εἰς ἓν βλέποντα πρὸς τοῦτ' ἀεὶ τὰ πάντα οἷον βέλη ἀφιέναι. *Cuius virtutis principium eſt, non errare ad multa tendentem, ſed ad vnum ſpectantem, ad illud ſemper omnia iacula deſtinare.* Quæ prolata volui vt Machiauellum cæteróſque noſtræ ætatis atheos, ſi frontem haberent, prolato philoſophi Gentilis exemplo pudore ſuffunderent, qui pietatem, religionem, cæteras virtutes eatenus admittunt, quatenus aut ambitioni promouendæ, aut nefariæ ipſorum cupiditati ſimulatæ cuiuſdam & fucatæ honeſtatis integumento velandæ ſubſeruiunt, vt mirum eſſe debeat nemini, ſi quod paulò pòſt notat Orator: *Dum otium volunt etiam ſine dignitate retinere, ipſi vtrumque amittant.* Nam ipſe naturæ Genius egregiè inſiſtit magiſtri ſui veſtigiis, qui primo Rhet. cap. 5. cùm præmiſiſſet, Σχεδὸν δὲ καὶ ἰδίᾳ ἑκάστῳ, καὶ κοινῇ πᾶσι σκοπός τίς ἐστιν, οὗ στοχαζόμενοι καὶ αἱροῦνται καὶ φεύγουσι, καὶ τοῦτό ἐστιν, ὡς ἐν κεφαλαίῳ εἰπεῖν, ἥ τ' εὐδαιμονία καὶ τὰ μόρια αὐτῆς. *Ferme autem tum priuatim cuique, tum communiter omnibus ſcopus quidam eſt, quem ſpectantes & eligunt & fugiunt, iſque vt ſummatim dicam, tum fœlicitas, tum partes ipſius.* Subiecit, Ἔστω δὴ εὐδαιμονία εὐπραξία μετ' ἀρετῆς. Quod alij aliter interpretantur. Ego non poſſum elegantiùs quàm *ſit verò beatitudo cum dignitate otium.* Otium enim, id eſt, rerum ſufficientia cum ſecuritate, ſiue pax quædam, & in rerum ſufficientium poſſeſſione tranquillitas, iure εὐπραξία nominatur, & vera dignitas in virtute conſiſtit. Et lib. 1. ethic. cap. 6. Δοκεῖ δὲ καὶ ὁ κατ' ἀλήθειαν πολιτικὸς περὶ ταύτην μάλιστα πεπονῆσθαι. βούλεται γὰρ τοὺς πολίτας ἀγαθοὺς ποιεῖν, καὶ τῶν νόμων ὑπηκόους. *Atque is quidem qui ad Remp. adminiſtrandam eſt verè idoneus, in eo maximè elaborat. Id enim ſpectat vt ſuos ciues viros bonos & legibus obedientes efficiat.* Tertio polit. cap. 8. Ἔστι πολιτικὸν ἀγαθὸν τὸ δίκαιον. τοῦτο δέ ἐστι τὸ κοινῇ συμφέρον. *Ciuitatis bonum eſt iuſtum. Hoc verò eſt quod communitati vtile eſt.* Dixerat cap. 6. Πόλις ἡ γενῶν καὶ κωμῶν κοινωνία ζωῆς τελείας καὶ αὐτάρκους. *Ciuitas eſt familiarum & virorum communitas vitæ perfectæ & ſeipſa contentæ* quaſi diceret vitæ communitas ad otium & dignitatem, vel quod ante ipſum dixit Xenophon lib. 3. memorabilium. Βασιλεὺς ἀγαθὸς οὐκ εἰ μόνον τοῦ ἑαυτοῦ βίου καλῶς προεστήκοι, ἀλλὰ εἰ καὶ ὧν βασιλεύει τούτοις εὐδαιμονίας αἴτιος εἴη. καὶ γὰρ βασιλεὺς αἱρεῖται οὐχ ἵνα ἑαυτοῦ καλῶς ἐπιμελῆται, ἀλλ' ἵνα καὶ οἱ ἑλόμενοι δι' αὐτὸν εὐπραγῶσι. *Rex bonus non ſolùm ſi benè ſuæ vitæ præſit, ſed etiam ſi eorum quos regit beatitudinem procuret. Etenim Rex eligitur, non vt ſui ipſius curam habeat, ſed vt ij qui ipſum elegerint eius operâ ſint florentes & beati.* Noſter epiſt. 11. lib. octaui ad Atticum optimis verbis hunc politici finem explicat ſumptis è lib. 5. de Repub. *Vt enim gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, Imperatori victoria: ſic huic moderatori Reip. beata ciuium vita propoſita eſt, vt opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honeſta ſit. Huius enim operis maximi inter homines, atque optimi illum eſſe effectorem volo.* Hæc ille in perſona Scipionis. Vide Plutarchum in Lycurgo ſub finem. qui εὐδαιμονίαν ἐπ' ἀρετῆς καὶ ὁμονοίας. Reip. finem ſtatuit de Platonis, Diogenis, Zenonis aliorúmque ſententia.

Politicus pictor Dei imaginem exprimens.

Finis Politici ciuium fœlicitas.

NEQVE ENIM.] Demoſthenes pro Megalopolitanis. Δεῖ δὲ σκοπεῖν μὲν ἀεὶ καὶ πράττειν τὰ δίκαια. συμπαρατηρεῖν δὲ ὅπως ἅμα καὶ συμφέροντα ἔσται ταῦτα. *Semper quidem iuſtitia ſpectanda eſt: ſimul autem aduertendum vt quæ fiunt Reip. commodo cedant.* quamuis Noſter hoc loco nomine dignitatis nō ipſam iuſtitiam, ſed ſplendorem & magnitudinem rerum gerendarum intelligit. quo pacto idem Demoſthenes oratione quæ περὶ συντάξεως inſcribitur ſuos monet, ne rerum gerendarum dignitate efferantur. Τὰ μὲν ψηφίσματα πρὸς τὸ τῆς πόλεως ἀξίωμα ψηφίζεσθε. τὴν δύναμιν δ' οὐκ ἀκόλουθον, ὧν ψηφίζεσθε, ἔχετε. ἐγὼ δὲ παραινέσαιμι ἂν ὑμῖν (καί μοι μηδεὶς ὀργισθῇ) ἢ ἔλαττον φρονεῖν, ἢ τὰ ὑμέτερα αὐτῶν ἀγαπᾶν, πράττοντας, ἢ μείζω δύναμιν παρασκευάζεσθαι. *Decreta quidem facitis ſecundùm ciuitatis dignitatem. Potentiam verò quæ decreta veſtra in actum educat, non habetis. Ego autem vobis auctor fuerim (& nemo quæſo mihi ſuccenſeat) aut minores ſpiritus gerere, veſtriſque rebus eſſe contentos, aut maiorem vobis potentiam comparare.* Quo referri poſſit illud ſcurrile dictum Democratis apud Plutarchum in præceptis politicis. Ἀναβαίνων γὰρ εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἔφη, καθάπερ ἡ πόλις μικρὸν ἰσχύειν καὶ μέγα φυσᾶν. *Adſcendens in concionem dixit ſe vrbis inſtar, parum poſſe, multum ſpirare.* II.

Non habēda ratio ſolius dignitatis.

NEQVE VLLVM.] Quia videlicet ſemper eſt habenda ratio dignitatis. Demoſthenes de Corona. Καὶ γὰρ αὖ δεῖ ἰδίᾳ καὶ πόλιν κοινῇ πρὸς τὰ κάλλιστα τῶν ὑπαρχόντων ἀεὶ δεῖ τὰ λοιπὰ πράττειν πειρᾶσθαι. *Etenim & hominem priuatim & ciuitatem publicè conari oportet, vt cætera quæ facit ad id quod* III.

Nihil faciendum alienum à dignitate.

eſt præſtantiſſimum dirigantur.

IV. RELIGIONES.] Iure religiones primum *otioſæ dignitatis* membrum & fundamentum appellat, vt Syneſius oratione de Regno Regni ſtatuam informans, eam pietatis ſiue religionis fundamento facit inſiſtere. Εὐσέβεια πρῶτον ὑποβεβλήσθω κρηπὶς ἀσφαλής, ἐφ' ἧς ἑστήξῃ τὸ ἄγαλμα ἔμπεδον. καὶ οὐ μή ποτε αὐτὸ περιτρέψῃ χειμὼν τῆς κρηπῖδος ἐχόμενον. *Pietas primùm ſubiiciatur fundamentum inconcuſſum, cui ſtabile ſimulacrum inſiſtet, nec illud eo fundamento ſubnixum tempeſtas vlla percellet.* Veriſſimè. nam vt Ariſtoteles monet Rhet. ad Alexandrum par eſt, τοὺς θεοὺς συνεργέους εἶναι τοῖς μᾶλλον αὐτοὺς τιμῶσι. *Deum iis magis eſſe propitium, qui ipſum enixiùs venerantur.* Vnde & præclarum eiuſdem præceptum in adminiſtranda Repub. 7. polit. cap. 8. Πρῶτον ἡ περὶ θείων ἐπιμέλεια. *Primum ſit cura de rebus diuinis.* Plutarchus contra Colotem. Ἀλλὰ πόλις ἄν μοι δοκεῖ μᾶλλον ἐδάφους χωρὶς, ἢ πολιτεία τῆς περὶ θεῶν δόξης ἀναιρεθείσης παντάπασι σύστασιν λαβεῖν, ἢ λαβοῦσα τηρῆσαι. *At mihi vrbs videtur citiùs ſine ſolo, quàm Reſp. ſine opinione de Diis aut conſtitui, aut conſtituta poſſe ſeruari.* Et religionem ibidem appellat Συνεκτικὸν ἁπάσης κοινωνίας, καὶ νομοθεσίας ἔρεισμα. *Vinculum ſiue coagulum omnis ſocietatis, & legiſlationis firmamentum.* Vt iam notauit Lipſius libro contra Dialogiſtam. Noſter de haruſp. reſp. §. 19. multa in hanc ſententiam.

Pietas & religio regni fundamentũ.

V. AVSPICIA.] Cauſas cur auſpiciis tantum auctoritatis, & religionis tribuerent exponimus in Piſ. 11. Liuius lib. 6. ſub finem in Appij Claudij Craſſi concione. *Quid enim eſt ſi pulli non paſcentur? ſi ex caueâ tardiùs exierint? ſi occinuerit auis? parua ſunt hæc: ſed parua iſta non contemnendo maiores nobis maximam hanc rem fecerunt.* Vt eam ob rem etiam futilia hæc auſpicia inter *otioſæ dignitatis* membra cenſeantur.

Auſpicia.

VI. POTESTAS MAGIST.] Ariſtoteles 4. polit. cap. 14. Ἔστι δὲ τρία μόρια τῶν πολιτειῶν πασῶν, περὶ ὧν δεῖ θεωρεῖν τὸν σπουδαῖον νομοθέτην ἑκάστῃ τὸ συμφέρον. ὧν ἐχόντων καλῶς ἀνάγκη τὴν πολιτείαν ἔχειν καλῶς. *Sunt verò tria omnium Rerumpublicarum membra, quorum ſingulorum vtilitati à bono eſt legiſlatore prouidendum, ſpectandúmque quid cuique conueniat. quibus bene habentibus neceſſe eſt bene habere Remp.* Mox: Ἔστι δὲ τῶν τριῶν τούτων ἓν μέν τι τὸ βουλευόμενον περὶ τῶν κοινῶν. δεύτερον δὲ τὸ περὶ τὰς ἀρχάς. τοῦτο δ' ἐστὶν ἃς δεῖ καὶ τίνων εἶναι κυρίας, καὶ ποίαν τινὰ δεῖ γίγνεσθαι τὴν αἵρεσιν αὐτῶν. τρίτον δέ τι τὸ δικάζον. *Harum autem partium vna quædam quæ de Rep. conſultat,* Ecce Senatus auctoritatem, *Altera quæ in magiſtratibus verſatur. hoc eſt quos magiſtratus eſſe, & quarum rerum poteſtatem eos habere, & qualem electionem eorum eſſe oporteat,* Ecce magiſtratuum poteſtatem, *Tertia ad Iudices pertinet.* Quæ ſingula ſingulis deinceps capitibus explicantur.

Conſilium. Magiſtratus. Iudicia.

VII. SENATVS AVCTORITAS.] Iure Senatum inter præcipua Reip. membra numerauit, ſic Menenius Agrippa perorans ad plebem quæ in ſacrum montem ſeceſſerat, Senatum ventri, cæteros ordines reliquis humani corporis partibus comparauit: apud Liuium, Dionyſium & alios. Pulchrè etiam apud Dionyſium lib. 5. Titus Claudius in diſſuaſione nouarum tabularum. Ἐοικέναι — καθ' ἕνα τὸ κοινὸν ἔφη. ψυχῆς μὲν γὰρ ἀνδρὸς ἀνάλογον χώρας τὸ τῆς βουλῆς, σώματος δὲ τὸ τοῦ δήμου. *Remp. homini ſimilem eſſe dicebat, cùm hominis anima ſimilis ſit Senatus, populus corpori.*

Senatus anima ciuitatis.

LEGES.] Vide quæ diximus ad §. 92. ex Solone, Pindarus ode 9. Olymp. Εὐνομίαν ſeruatricem appellat. VIII.

Ἂν Θέμις θυγάτηρ τέ οἱ
Σώτειρα λέλογχε
Μεγαλόδοξος Εὐνομία.

Themis.

Quam vrbem Themis filiáque eius Seruatrix ſortita eſt Magni nominis Eunomia.

Eunomia.

Sed præclariùs etiam Ode 13. Corinthum deſcribens optimis legibus conſtitutam.

Ἐν τᾷ γὰρ Εὐνομία ναίει, κασιγνήτα τε, βάθρον πολίων,
Ἀσφαλὴς Δίκα, καὶ ὁμότροπος
Εἰράνα ταμίαι
Ἀνδράσι πλούτου χρύσεαι
Παῖδες εὐβούλου Θέμιτος.

In hac Eunomia habitat ſororéſque, fundamentum vrbium, inconcuſſa iuſtitia, & iiſdem moribus inſtituta Pax, diſpenſatrices hominibus diuitiarum, aureæ filiæ bene conſulentis Themidis. Dio Chryſoſtomus orat. de lege. Τοσούτῳ γὰρ τῶν τειχῶν ταῖς πόλεσι χρησιμώτερός ἐστιν, ὥστε ἀτείχιστοι μὲν πολλαὶ τῶν πόλεων διαμένουσι. νόμου δὲ χωρὶς οὐκ ἔστιν οὐδεμίαν οἰκῆσαι πόλιν. *Tanto ciuitatibus vtilior eſt quàm mœnia, vt vrbes multæ mœnibus deſtitutæ ſubſiſtant. Sine lege verò fas non eſt vrbem vllam habitari.* Item: Τοσούτῳ δὲ ταῖς πόλεσι χρησιμώτερός ἐστιν. ἢ ὅπερ τὰ πηδάλια ταῖς ναυσὶν, ὥστε ἡ μὲν ἀποβάλλουσα τοὺς οἴακας ναῦς οὐκ ἂν ἀπόλοιτο μὴ χειμῶνος καταλαβόντος. πόλιν δ' οὐκ ἔνι σωθῆναι τοῦ νόμου λυθέντος, οὐδ' ἂν μηδὲν ἔξωθεν συμβαίνῃ δεινόν. *Tantò verò ciuitatibus vtilior eſt quàm gubernacula nauibus, vt nauis amiſſo clauo non pereat niſi tempeſtas ingruerit, ciuitas verò ſeruari non poſſit legibus ſublatis, etiamſi nihil periculi extrinſecus accedat.* Noſter pro Cluentio. 146. *Hoc enim vinculum eſt huius dignitatis qua fruimur in Repub. hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis. Mens & animus, & conſilium & ſententia ciuitatis poſita eſt in legibus. Vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege, ſuis partibus vt neruis ac ſanguine & membris vti non poteſt,* &c.

Iuſtitia & Pax ſorores Eunomiæ, filiæ Themidis.

Legum vtilitas.

MOS MAIORVM.] Vide dicta §. 16. de more maiorum. IX.

IVDICIA.] Plato 6. de legibus. Πᾶσα δὲ δή που πόλις ἄπολις ἂν γίγνοιτο ἐν ᾗ δικαστήρια μὴ καθεστῶτα εἴη κατὰ τρόπον. *Omnis ciuitas ne ciuitas quidem fuerit, in qua iudicia non fuerint, certo modo conſtituta.* Vide plura ad Iudices ſpectantia. Lycurgus contra Leocratem. Τρία γάρ ἐστι τὰ μέγιστα ἃ διαφυλάττει καὶ διασώζει τὴν δημοκρατίαν, καὶ τὴν τῆς πόλεως εὐδαιμονίαν. πρῶτον μὲν ἡ τῶν νόμων τάξις. δεύτερον δὲ ἡ τῶν δικαστῶν ψῆφος. τρίτον δ' ἡ τούτοις τὰ ἀδικήματα παραδοῦσα κρίσις. ὁ μὲν γὰρ νόμος πέφυκε προλέγειν ἃ μὴ δεῖ πράττειν. ὁ δὲ κατήγορος μηνύειν τοὺς ἐνόχους τοῖς ἐκ τῶν νόμων ἐπιτιμίοις καθεστῶτας. ὁ δὲ δικαστὴς κολάζειν τοὺς ὑπ' ἀμφοτέρων τούτων ἀποδειχθέντας αὐτῷ. ὥστ' οὔθ' ὁ νόμος, οὔθ' ἡ τῶν δικαστῶν ψῆφος, ἄνευ τοῦ παραδώσοντος αὐτοῖς τοὺς ἀδικοῦντας ἰσχύει. *Tria ſunt maxima quæ ſtatum popularem cuſtodiunt atque conſeruant, & fœlicitatem ciuitatis. Primum quidem legum ordinatio. alterum Iudicum calculus. tertium iudicium ſiue accuſatio quæ illis malefacta tradit. Lex enim prædicit à quibus ſit abſtinendum. accuſator oſtendit eos qui legum mulctæ ſunt obnoxij. Inter eos punitum qui vtriuſque miniſterio in eius notitiam venerint, atque adeò neque lex, neque Iudicum calculus vim habet ſine eo qui ſceleratos in iudicium adducat.* X.

FIDES.] Pulchrè Valerius Maximus lib. 6. XI.

cap.6.præfatione. *Venerabile fidei numen dexteram ſuam certiſsimum ſalutis humanæ pignus oſtentat: quam ſemper in noſtrâ ciuitate viguiſſe, & omnes gentes ſenſerunt*, &c. Noſter 3. de officiis. *Quamobrem ne ſit æs alienum quod Reip. noceat, prouidendum eſt. Si hoc non fuerit vt locupletes ſuum perdant, debitores lucrentur alienum. Nec enim vlla res Rempub. vehementiùs continet quàm fides, quæ nulla eſſe poteſt niſi erit neceſſaria ſolutio rerum creditarum.* & meritò fides Remp. continere dicitur, cùm etiam apud Lucanum, *Concuſſa fides* inter cæteras belli ciuilis cauſas numeretur, vnde Noſter pro Marcello 24. ſapienter Cæſarem monet, *Conſtituenda iudicia, reuocanda fides*, &c. Et ſanè inficias ierit nemo fidem non in priuatis ſolùm, ſed etiam in publicis rebus magni eſſe momenti, ſiue quòd, vt Plato primo de legibus auctor eſt, οὐκ ἄν ποτε γένοιτο ἄνευ πάσης ἀρετῆς. *Sine omnibus virtutibus inueniri non poteſt.* quam proinde δικαιοσύνην ἄν τις τελέαν ὀνομάσειεν. *aliquis appellare poſſit iuſtitiam numeris omnibus abſolutam.* Siue quòd, vt ait Gorgias Leontinus apologia Palamedis, χρήματα μὲν ἀποβαλόντα, τυραννίδος ἐκπεσόντα, ἢ τὴν πατρίδα φυγόντα ἀναλάβοι τις ἄν· ὁ δὲ πίστιν ἀποβαλὼν, οὐκ ἄν ποτε κτήσαιτο. *Eum qui diuitias amiſerit, regno ceciderit, patriâ fuerit eiectus, excipiet fortaſſe quiſpiam: at qui fidem amiſerit, eam recuperare non poteſt.* Quod Publius Mimus videtur præ oculis habuiſſe:

Fidem qui perdit nil poteſt vltra perdere.
Fides, vt anima, vnde abiit, nunquam redit.

XII. PROVINCIÆ, SOCII.] Prouinciæ & Socij Reipub. ſecuritas. vnde & Demoſthenes ſe Athenas non tam mœnibus quàm vrbibus, portubus & ſociis ſepſiſſe gloriatur. Eius verba referemus de prouinciis Conſularibus 4. *Non turribus.*

XIII. IMPERII LAVS.] Tertio de offic. *Poteſt autem vlli imperio, quod gloriâ debet fultum eſſe, & beneuolentiâ Sociorum, vtile eſſe odium & infamia?* Sed hîc non moror, cùm tanta fuerit Imperij laus, vt, quod dicitur Oratione pro lege Manilia, exteræ gentes *Seruire populo Romano, quàm imperare aliis* mallent.

XIV. RES MILITARIS.] Quantæ curæ fuerit apud Romanos res militaris, vel ex eo liquet, quòd, vt ait Naſo 3. faſt.

Qui bene pugnabat Romanam nouerat artem,
Mittere qui poterat pila, diſertus erat.

& quòd ab ipſo Marte ſe prognatos eſſe credi volebant. Operæpretium eſt pauca Valtrini noſtri verba è cap. 1. lib. 1. de re militari Rom. deſumpta ſubuertere. *Vt tradunt ij qui hæc ſubtiliùs ſubduxerunt, annorum quingentorum ſpatio, quot à pulſis Regibus ad Auguſti mortem numerantur, quingenties quinquagies populus Rom. præliatus eſt, quadringenties quadragies victor diſceſſit.* Hæc ex Franciſco Patricio de milit. Rom. *Ergo*, vt verbis vtar Lipſij dialogo primo de eadem militia, *haud vanè olim vaticinatus apud Liuium lib. 1. Romulus, Nullas opes humanas armis Romanis poſſe reſiſtere. Quid Romulum loquor? ipſe Romanorum hoſtis Taxiles, ille à ſinu & latere Mithridatis, libero ore apud Tigranem faſſus,* ἄμαχον πρᾶγμα τὰ Ῥωμαίων ὅπλα. *Rem inuictam Romana arma.* apud Plutarchum in Lucullo. Et præclarè Ioſephus lib. 3. de Excidio. Εἰ δέ τις αὐτῶν καὶ ἐς τὴν ἄλλην τῆς στρατείας σύνταξιν ἀπίδοι, γνώσεται καὶ τὴν τοσήνδε ἡγεμονίαν αὐτοὺς ἀρετῆς κτῆμ' ἔχοντας, οὐ δῶρον τύχης. οὐ γὰρ αὐτοῖς ἀρχὴ τῶν ὅπλων ὁ πόλεμος, οὐδ' ἐπὶ μόνας τὰς χρείας τὼ χεῖρε κινοῦσιν, ἐν εἰρήνῃ προηργηκότες, ἀλλ' ὥσπερ συμπεφυκότες τοῖς ὅπλοις, οὐδέποτε τῆς ἀσκήσεως λαμβάνουσιν ἐκεχειρίαν. *Si quis autem in aliam quoque militiæ eorum rationem animum intenderit, inueniet iis tantum imperium virtute acquiſitum eſſe, non à fortuna donatum. Non enim bellum ipſis eſt initium armorum, neque ſolùm in neceſsitate manus mouent, cùm in pace fuerint otiati, ſed tanquam cum ipſis armis nati nullas ab exercitatione capiunt inducias.* Sed de his vide Vegetium præfatione, Polybium lib. 6. & alios.

ÆRARIVM.] Meritò rei militari ſubiicit ærarij mentionem: nam vt tritum eſt adagium, quod ab Euſtathio refertur Iliados δ΄. νεῦρα πραγμάτων τὰ χρήματα. quòd Latini reddere maluerunt, *Pecunia neruι bellorum.* Et eam ob cauſſam Iulius Cæſar, vt eſt apud Dionem lib. 42. Χρηματοποιὸς ἀνὴρ ἐγένετο, δύο τ' εἶναι λέγων τὰ τὰς δυναστείας παρασκευάζοντα, καὶ φυλάσσοντα καὶ ἐπαύξοντα, στρατιώτας καὶ χρήματα, καὶ ταῦτα δι' ἀλλήλων συνεστηκέναι. *Conficiendæ pecuniæ imprimis deditus erat, duo dictitans eſſe quæ potentiam pararent, conſeruarent & augerent, milites & pecuniam, eáque ex ſe inuicem apta eſſe & cohærere.* Vnde & Romani, vt dicitur pro lege Manilia 17. *Vectigalia neruos eſſe Reip. ſemper duxerunt.* quod etiam refert Vlpianus D. De quæſt. lib. 1. §. 20. XV.

AXIOMATA.

Optabile eſt omnibus ſanis & bonis, & beatis cum dignitate otium.

Neque rerum gerendarum homines dignitate efferri ita conuenit, vt otio non proſpiciant, neque vllum amplexari otium quod abhorreat à dignitate, &c.

Hortatio ad ſequendam optimatium ſectam.

- 1. à dignitate quæ probatur, quia
  - 1. ſunt multarum & magnarum rerum patroni. 99.
  - 2. Res eſt ſuâ naturâ difficilis, atque adeo magni animi, magni ingenij, magnæ conſtantiæ. 99.
    - 1. quia multi ſunt inimici. 99.
    - 2. mali ſua ſponte incitantur cõtra Remp. boni ſunt tardiores. 100.
    - 3. propugnatores Reipub.
      - leues deſciſcunt.
      - timidiores deſunt.
      - permanent ſoli conſtanter, vt
        - Scaurus 101.
        - Metellus.
        - Catulus.
  - 3. hæc ampla ſunt, hæc diuina, hæc immortalia. 102.
  - 4. Si qua res fuerit maior, populus horum auctoritate, maximè commouetur. 105.
- à facilitate probatur
  - olim erat difficilior, quod oſtenditur
    - ratione, quia tum multis in rebus populi cupiditas à dignitate & otio Reipub. diſſidebat. 103. vt
      - in lege tabellaria L. Caſſij.
      - agraria Tiberij Gracchi.
      - frumentaria C. Gracchi.
    - Experientiâ.
      - populares
        - 1. conductas conciones non habebant, ſed amore populi florebant.
        - 2. his plaudebatur in theatris.
        - 3. magiſtratus conſequebantur.
      - optimates
        - 1. multitudini iucundi non erant.
        - 2. ſuffragiis offendebantur.
        - 3. plauſum ſi quis eorum acceperat, ne quid peccaſſet, pertimeſcebat. 105.
  - nunc eſt facilior & apud populum gratioſa. probatur
    - ratione. 104 quia iam nihil eſt, propter quod populus ab optimatibus diſſentiat.
    - Experientiâ: maximè in
      - concionibus
        - Pompeius, Lentulus, alij optimates cùm de Cicerone reuocando concionem haberent, magno ſilentio auditi. 107.
        - Clodius popularis repudiatus. 108.
      - comitiis
        - legum
          - lex de exilio Ciceronis lata fuit à paucis & ſeditioſis quibus præfuit Gellius
            - 1. impurus helluo.
            - 2. ſeditioſus.
            - 3. philoſophiæ ſimulator.
            - 4. libertini gener.
            - 5. inimicus Ciceroni nullâ laceſſitus iniuriâ.
            - 6. conſanguineorum teſtamento notatus.
          - lex de reditu ab omnibus ordinibus perlata.
        - magiſtratuum
          - Cn. Domitius.
          - Q. Ancharius.
          - optimates prætores facti. 113.
          - Vatinius & alter popularis repulſi. 114.
      - ſpectaculis.
        - ſcenicis à 115. ad 124
        - gladiatoriis à 124 ad 127.
          - excepti plauſu optimates & Ciceroniani.
          - exſibilati populares & Clodiani.

ARGVMENTVM.

Sectam optimatium variis definitionibus expoſitam commendat ab excellentia & dignitate, rationémque reddit, cur eam tueri magni animi ſit, magnæque conſtantiæ.

XCIX. HARVM rerum tot, atque tantarum eſſe defenſorem, & patronum magni animi eſt, magni ingenij, magnæque conſtantiæ. Etenim in tanto ciuium numero magna multitudo eſt eorum, qui aut propter metum pœnæ, peccatorum ſuorum conſcij, nouos motus, conuerſionéſque Reipub. quærant, aut qui propter inſitum quendam animis furorem, diſcordiis ciuium ac ſeditione paſcantur, aut qui propter implicationem rei familiaris communi incendio malint, quàm ſuo deflagrare. Qui cùm auctores ſunt & duces ſuorum ſtudiorum vitiorúmque nacti, in Repub. fluctus excitantur: vt vigilandum ſit iis, qui ſibi gubernacula patriæ depopoſcerunt, enitendúmque omni ſcientia ac diligentia, vt conſeruatis his, quæ ego paullo antè fundamenta ac membra eſſe dixi, tenere curſum poſſint, & capere otij illum portum, & dignitatis.

EXPLANATIO.

HARVM RERVM.] quas enumeraui, dixíque fundamenta eſſe ac membra otij & dignitatis. facit autem huiuſmodi Syllogiſmum.

Magni animi eſt id tueri quod à multis impugnatur.

Sed à multis impugnantur ea res quæ ſunt fundamenta otij & dignitatis.

Ergo, &c.

Propoſitio vt nota, ſubticetur. aſſumptio cum ſuis probationibus, & impugnantium enumeratione illis verbis, *Etenim in tanto*, &c. *fluctus excitantur.* complexio cæteris tum præcedentibus, tum ſubſequentibus verbis continetur.

MAGNI ANIMI EST.] ad ſuſcipiendum.

MAGNI INGENII.] ad excogitandum modum & executionis rationem.

MAGNÆQVE CONSTANTIÆ.] ad perficiendum ſic vt nec laboribus ſuccumbas, nec periculo terrearis.

IN TANTO CIV. NVM.] Quantus tum temporis fuerit ciuium numerus liquet è tabulis cenſoriis, & luſtro à C. Lentulo & Luc. Gellio cenſoribus proximè ante condito. quo vt teſtatur epitome Liuij dec. 10. lib. 8. *cenſa ſunt ciuium capita* CCCCL. *millia.*

QVI AVT.] Primi qui nouis rebus ſtudent, & otij dignitatiſque fundamenta peſſundant, ij ſunt, qui cùm peccatorum ſuorum conſcij ſint, ac proinde videant pœnam & ſupplicium ſuis ceruicibus imminere, nouos motus conuerſionéſque Reipub. quærunt, vt in illa rerum perturbatione vel deliteſcant, vel iudiciorum laqueos declinent. Alterum genus eſt eorum qui cùm naturâ ſint furioſi & crudeles, ſeditione delectantur & quaſi ciuium ſanguine & diſcordiis ſaginantur. Tertium, eorum qui cùm ſint oppreſſi ære alieno, & ad extremam egeſtatem redacti, ad ſuæ calamitatis ſolatium quærunt ſecum in ruinam trahere quamplurimos.

QVI CVM.] vulgus per ſe quidem tranquillum eſt & quietum, inſtar maris, neque tam ſponte ſua, quàm ſeditioſorum vocibus ad vim excitatur. manet in eadem maris & nauigationis tranſlatione. *fluctus, gubernacula, tenere curſum, capere portum*, &c.

NOTÆ.

PATRONVM.] De patronis & clientibus nonnihil ſuprà 9. & inferiùs ſæpè dicetur. I.

MAGNI INGENII.] Ingenium imprimis ſummum, in ciuitatis principe deſideratur. Liuius libro 2. *Adeò excellentibus ingeniis defuerit ars, qua ciuem regant, quàm qua hoſtem ſuperent.* Siquidem, vt ait Gregorius Nazianzenus, Ἀνθρώπῳ χαλεποῦ ὄντος τοῦ εἰδέναι ἄρχεσθαι, κινδυνεύει πολλῷ χαλεπότερον εἶναι τὸ εἰδέναι ἄρχειν ἀνθρώπων. *Cùm homini difficile ſit ſcire ſubeſſe, multò difficilius fortaſſe fuerit hominibus præeſſe.* Item: Αὕτη μοι φαίνεται τέχνη τις εἶναι τεχνῶν, καὶ ἐπιστήμη ἐπιστημῶν, ἄνθρωπον ἄγειν τὸ πολυτροπώτατον τῶν ζώων, καὶ ποικιλώτατον. *Ea mihi videtur eſſe ars artium, & ſcientia ſcientiarum, hominem regere omnium animalium verſutiſſimum, & diuerſiſſimum.* ex Sophocle Oedipo Tyranno: II. Ars gubernandi. Ars artium.

Ὦ πλοῦτε, καὶ τυραννὶ, καὶ τέχνη τέχνης.
O opes, & tyranni, ars artium.

ETENIM.] Tres enumerat ciuilis diſcordiæ rerúmque nouarum fontes, conſcientiam ſcelerum, animi furorem, egeſtatem. Hunc locum Brutus apud Lucanum lib. 2. præ oculis videtur habuiſſe: III.

Quemque ſuæ rapiunt ſcelerata in prælia cauſſæ:
Hos polluta domus, legéſque in pace timendæ, Seditionum cauſſæ.
Hos ferro fugienda fames, mundíque ruina
Permiſcenda fides. Nullum furor egit in arma,
Caſtra petunt magnâ victi mercede. tibi vni
Per ſe bella placent.--

De quibus ſingulis ſeorſum diſſeremus.

PROPTER METVM.] Hunc eſſe vnum ſeditionis & conuerſionis Reipub. fontem magnus naturæ morúmque Iudex notauit 5. Politicon c. 3. IV.

Διὰ δὲ φόβον στασιάζουσι οἵ τ' ἠδικηκότες, δεδιότες μὴ δῶσι δίκην· καὶ οἱ μέλλοντες ἀδικεῖσθαι, βουλόμενοι φθάσαι πρὶν ἀδικηθῆναι. *Propter metum autem ſeditionem commouent, qui iniuriam fecerunt ne dent pœnas; & qui ſuſpicantur futurum vt iniuriâ afficiantur, volentes anteuertere atque occupare, priuſquam iniuriâ lædantur.* Lyſias oratione pro Philoſtrato ab huius cauſſæ remotione remouet ſuſpicionem effectus. Ὅστις μὲν οὖν κακόν τι εἰργασμένος ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ ἑτέρας πολιτείας ἐπεθύμησε, διὰ τὰ πρόσθεν ἁμαρτήματ' αὐτῷ ἕνεκα τοῦ ἐπεθύμει. τούτῳ δὲ τοιοῦτον οὐδὲν ἡμάρτηται, ὥστ' αὐτῷ ἕνεκα μισεῖν τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον, &c. ὥστε μηδὲ τούτων ἕνεκα ἑτέρας πολιτείας ἐπιθυμεῖν, διὰ τὰ πρόσθεν ἁμαρτήματα. *Qui prius malum aliquod facinus admiſerit, is peccatorum ſuorum conſcius eam ob rem nouos motus conuerſioneſque Reipub. deſiderat. At hic nihil tale molitus eſt, vt eius cauſſâ populum noſtrum odiſſe debuerit. Quare neque horum cauſſâ alteram Reip. formam deſiderauit, propter peccata quæ prius admiſerat.* Sed vide quæ tum ex eodem, tum ex aliis proferuntur in hanc ſententiam pro Cœlio §. 15. *Qui enim tantus furor in Cœlio? quod tantum aut in moribus naturâque vulnus, aut in re atque fortunâ.* Certè vt alios omittam, metus iudicij ſubeundi cauſſa Cæſari fuit, cur Reipub. Romanæ ſtatum ſus déque euerteret, vt notarunt Plutarchus & Tranquillus in eius vita. Idem metus Periclem Athenienſem compulit vt bellum Peloponeſiacum excitaret, quo Reip. ſtatus mutatus eſt. Ariſtophanes in Pace:

Mala conſcientia & metus cauſſa ſeditionum.

Εἶτα Περικλέης φοβηθεὶς μὴ μετάσχῃ τῆς τύχης
Τὰς φύσεις ὑμῶν δεδοικὼς, καὶ τὸν αὐτοδὰξ τρόπον
Πρὶν παθεῖν τι δεινὸν, αὐτὸς ἐξέφλεξε τὴν πόλιν,
Ἐμβαλὼν σπινθῆρα μικρὸν Μεγαρικοῦ ψηφίσματος.
Ἐξεφύσησε γὰρ τοσοῦτον πόλεμον, ὥστε τῷ καπνῷ
Πάντας Ἕλληνας δακρῦσαι, τούς τ' ἐκεῖ, τούς τ' ἐνθάδε.

Dein Pericles extimeſcens ne ſubiret aleam
Indolis veſtræ timore duræ, inexorabilis
Occupans diſcrimen hauſit ciuitatem incendio,
Parua nam ſcintilla iacta Megarici pſephiſmatis
Tale bellum ventilauit, fumus vt Græcos dare
Vberes vltro citróque lacrymas compelleret.

V. ANIMI FVROREM.] Cuiuſmodi homines deſcribit Salluſtius oratione Philippi. *Et ad eum concurrere homines omnium ordinum corruptiſſimi, flagrantes inopia & cupiditatibus, ſcelerum conſcientia exagitati, quibus quies in ſeditionibus, in pace turbæ ſunt. Hi tumultum ex tumultu, bellum ex bello ſerunt.* Quibus verbis primo egeſtatem, deinde metum, denique furorem animi comprehendit. Tacitus 2. hiſtoriarum. *Qui non tam præmiis periculorum, quàm ipſis periculis læti, pro certis & olim partis, noua, ambigua, ancipitia malunt.* Cœl. 15. *Qui tantus in Cœlio furor?* Nec mirum ſanè peſſimum quemque ciuiles expetere diſcordias. nam vt ait Tacitus lib. hiſtor. 4. *In turbas & diſcordias peſſimo cuique plurima vis, pax & quies bonis artibus indigent.* Quamquam, vt ſuprà Lucianus, iis quos

Furor animi ſeditionum cauſſa.

--furor egit in arma, &c.
Per ſe bella placent.--

VI. PASCVNTVR.] Salluſtius in Catilina: *Turba atque ſeditionibus aluntur.* Noſter ſuprà, *Reip. ſanguine ſaginantur.* pro Milone 3. *Quos P. Clody furor rapinis, & incendiis & omnibus exitiis publicis pauit.*

VII. IMPLIC. REI FAMIL.] Inopiam & æs alienum tertium eſſe diſcordiarum, & conuerſionum Reipub. fontem docet Ariſtoteles de Repub. lib. 2. cap. 6. Ἡ δὲ πενία στάσιν ἐμποιεῖ, καὶ κακουργίαν. *Egeſtas ſeditionem generat, & maleficium.* Et lib. 5. Γίνονται μεταβολαὶ καὶ ὅταν ἀναλώσωσι τὰ ἴδια ἀσελγῶς ζῶντες. καὶ γὰρ οἱ τοιοῦτοι καινοτομεῖν ζητοῦσι, καὶ ἢ τυραννίδι ἐπιτίθενται, ἢ κατασκευάζουσιν ἕτερον. *Fiunt Rerump. conuerſiones, & cùm luxurioſè viuentes patrimonium lancinarint. Qui enim ſunt huiuſmodi nouis rebus ſtudere ſolent, & aut ipſi tyrannidem inuadunt, aut alium conſtituunt tyrannum.* Luxus enim & ſumptus, vt notat Salluſtium ad Cæſarem de Repub. ordin. *Iuuentutem vbi familiares opes defecerint, ad facinora incendunt.* Et, vt ait idem in Catilinâ. *Semper in ciuitate quibus opes nullæ ſunt, bonis inuident, vetera odere, noua expetunt, odio ſuarum rerum mutari omnia ſtudent, turbâ atque ſeditionibus ſine cura aluntur, quoniam egeſtas facilè habetur ſine damno.* Quare præclarè Euripides actu primo in Supplicibus:

Τρεῖς γὰρ πολιτῶν μερίδες· οἱ μὲν ὄλβιοι
Ἀνωφελεῖς τε, πλειόνων τ' ἐρῶσ' ἀεί.
Οἱ δ' οὐκ ἔχοντες, καὶ σπανίζοντες βίου
Δεινοί, νέμοντες τῷ φθόνῳ πλεῖον μέρος
Εἰς τοὺς ἔχοντας κέντρ' ἀφιᾶσιν κακά.
Γλώσσαις πονηρῶν προστατῶν φηλούμενοι [ἑλκόμενοι]
Τριῶν δὲ μοιρῶν ἡ 'ν μέσῳ σώζει πόλεις
Κόσμον φυλάσσουσ' ὅντιν' ἂν τάξῃ πόλις.
Tria ciuium ſunt genera: quorum diuites
Inutiles ſunt, ſemper & plura appetunt.
At nil habentes, atque victus indigi
Vbi timendis facibus inuidiæ flagrant
Mittunt aculeos aſperos in diuites,
Linguis malorum ad facinus impulſi ducum.
Pars ciuitates ſeruat in medio ſita
Legúmque ſeruat ordinem quas vrbs iubet.

Egeſtas & æs alienum ſeditionum cauſſa.

Hanc certè cauſſam adfert Lucanus bellorum ciuilium lib. 1.

Hinc vſura vorax auidúmque in tempora fœnus
Et concuſſa fides, & multis vtile bellum.

Præclarè Plato eos qui patrimonium helluati aliorum bonis inhiant, vrbis fucos appellat, ex iiſque docet conuerſiones Reipub. prouenire. Poſtquam enim *helluonem* τὸν τῶν ἑαυτοῦ ἀναλωτὴν deſcripſit, adiecit. Βούλει οὖν φῶμεν αὐτὸν ὡς ἐν κηρίῳ κηφὴν ἐγγίγνεται, σμήνους νόσημα, οὕτω καὶ τὸν τοιοῦτον ἐν οἰκίᾳ κηφῆνα ἐγγίγνεσθαι νόσημα πόλεως; *Vis igitur dicamus eum, vt in fauo fucus examinis apum morbus innaſcitur, ita hunc in domo fucum naſci morbum ciuitatis?* Mox: Τοὺς μὲν πτηνοὺς κηφῆνας πάντας ἀκέντρους ὁ θεὸς πεποίηκε, τοὺς δὲ πεζοὺς τούτους ἐνίους μὲν αὐτῶν ἀκέντρους, ἐνίους δὲ δεινὰ κέντρα ἔχοντας. Καὶ ἐκ μὲν τῶν ἀκέντρων πτωχοὶ πρὸς τὸ γῆρας τελευτῶσιν, ἐκ δὲ τῶν κεκεντρωμένων πάντες ὅσοι κέκληνται κακοῦργοι. *Volatiles fucos omnes ſine aculeo Deus procreauit. Pedeſtrium verò nonnullos quidem aculeo priuatos; alios aculeis grauibus armatos. Et ex inermibus quidem iy ſunt qui ad mortem vſque mendici perſeuerant. Ex aculeatis autem omnes qui malefici nominantur.* vnde infert. Δῆλον ἄρα ἐν πόλει οὗ ἂν ἴδῃς πτωχοὺς ἔστι που ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ ἀποκεκρυμμένοι κλέπται τε, καὶ βαλλαντιοτόμοι, καὶ ἱερόσυλοι, καὶ πάντων τῶν τοιούτων κακῶν δημιουργοί. *Manifeſtum eſt igitur in ea vrbe in qua mendicos videris reperiri abſconditos fures, manticularios, ſacrilegos, & huiuſmodi ſcelerum omnium architectos.* Et aliquantò pòſt, vbi de ſeditionibus & effrænata licentia diſſeruit. Πλούσιοι δή, ἦν δ' ἐγώ, οἱ τοιοῦτοι καλοῦνται κηφήνων βοτάνη. *Diuites igitur, vt arbitror, huiuſmodi fucorum pabulum nuncupantur.* Cyrus apud Xeno-

Egeſtuoſi & inopes Reip. fuci.

Phontem libro 2. inſtitutionis. Ηἱ μὲν τινες βλακείᾳ καὶ ἀπονίᾳ μόνον κακοὶ ὦσι, τούτους ἐγὼ νομίζω, ὥσπερ κηφῆνας, δαπάνῃ μόνον ζημιοῦν τοὺς κοινωνούς· οἱ δ' αὖ τῶν μὲν πόνων κακοὶ ὦσι κοινωνοὶ, πρὸς δὲ τὸ πλεονεκτεῖν σφοδροὶ καὶ ἀναίσχυντοι, οὗτοι καὶ ἡγεμονικοί εἰσι πρὸς τὰ πονηρὰ,&c. *Si quis ex inertiâ atque laborum fugâ improbiores ſint, hos ego arbitror, veluti fucos ſolùm impenſâ ſociis eſſe detrimento: quicunque verò laborum mali ſocij ſint, ad habendum verò plus aliis vehementes impudentéſque, hi ſeſe ad res improbas duces præſtant.* Vnde & Noſter prima Catilinaria inter coniuratos quatuor obæratorum genera numerauit. Qui enim ſunt huiuſmodi iis facilè ſit, γῆς ἀναδασμοὺς, χρεῶν ἀποκοπὰς, *agrorum diuiſiones, nouas tabulas*, & cætera ſeditionum incitamenta proponere. Vt autem Noſter *implicationem rei familiaris* dixit, & paulò antè, *malis domeſticis impeditos*. Ita frequenter *conturbare* dicunt, id eſt, dati & expenſi rationes, & æris alieni nomina implicare, & intricare. Terentius Eunucho actu 5. ſc. 2.

Conturbare. *-Ita conturbaſti mihi*
Rationes omnes.

Martialis lib. 7. epig. 26. *Conturbator aper.* lib. 10. ep. 96. *Conturbatórque macellus.* lib. 9. ep. 4.

Grandis in ætherio licet auctio fiat Olympo
Cogantúrque Dei vendere quicquid habent,
Conturbabit Atlas, & non erit vncia tota
Decidat tecum qua Pater ipſe Deûm.

Noſter pro Plancio 68. *Verùm fac me multis debere & in iis Plancio: Vtrùm igitur me conturbare oportet: an cæteris cum cuiúſque dies venerit, hoc nomen, quod vrget, nunc cùm petitur, diſſoluere? Quanquam diſsimilis eſt pecuniæ debitio, & gratiæ*, &c. De qua loquendi forma Turnebus. *Qui non ſunt ſoluendo, neque ſe extricare nominibus poſſunt, & ære alieno, illi conturbant, nec enim eorum rationes explicari, & expediri poſſunt.* Sicut ſenſu

Extricare nummos. contrario dicunt *extricare nummos, expedire rationes.* Plautus prologo Amphitruonis:

Vt res rationéſque veſtrorum omnium
Bene expedire voltis.-

Epigramma vetus apud Suetonium de Catone Grammatico:

Expedire rationes. *Omnes ſoluere poſſe quæſtiones*
Vnum non facilè expedire nomen.

Horatius lib. 1. ſermonum Sat. 3.

Qui niſi cùm triſtes miſero venere Calendæ
Mercedem aut nummos vnde vnde extricat, amaras
Porrecto iugulo hiſtorias captiuus vt, audit.

Hinc apud Lucilium *trico nummarius.*

Luciu' Cotta ſenex, Graſsi pater huiu', Panati,
Magnus trico fuit nummariu', ſoluere nulli
Lentus.--

Sed vt à verbis ad rem ipſam redeamus, obærati ſeditiones excitant ſpe nouarum tabularum vel Cleonem Ariſtophanicum imitantur in Equitibus:

Ὅπερ γὰρ οἱ τὰς ἐγχέλεις θηρώμενοι πέπονθας.
Ὅταν μὲν ἡ λίμνη καταστῇ λαμβάνουσιν οὐδέν·
Ἐὰν δ' ἄνω καὶ κάτω τὸν βόρβορον κυκῶσιν,
Αἱροῦσι, καὶ σὺ λαμβάνεις ἢν τὴν πόλιν ταράττῃς.

VIII. COMMVNI INCENDIO.] Velleius Paterculus lib. 2. de Egnatio Rufo: *Cùm eſſet omni flagitiorum ſcelerúmque conſcientia merſus: nec melior illi res familiaris quam mens foret, aggregatis ſimillimis ſibi interimere Cæſarem ſtatuit, vt quo ſaluo ſaluus eſſe non poterat, eo ſublato moreretur. Quippe ita ſe mores habent, vt publicâ quiſque ruina malit occidere, quàm ſuâ proteri, & idem paſſurus minùs conſpici.* Panegyriſtes Conſtantini: *Niſi fortè iam ſentiens diem ſibi veniſſe fatalem, ad ſolatium ſuæ mortis voluit ſecum trahere quamplurimos.* Saturninus apud Vopiſcum: *Nam quod Imperatorem me cupitis, in mortis neceſsitatem me trahitis, ſed habeo ſolatium hoc mortis. Solus perire non potero.* Miſeri enim, vt ait Lucanus lib. 8. Miſeri quærunt miſeriæ ſocios.

-Quærunt
Cum qua gente cadant.--

Idem iam antè laudauerat Pompeium ſuum lib. 7. quòd proprio maluiſſet quàm communi incendio deflagrare:

Nec ſicut mos eſt miſeris trahere omnia ſecum
Merſa iuuat, gentéſque ſuæ miſcere ruinæ.

Noſter 4. in Catilinam: *Cùm ſibi viderent eſſe pereundum, cum omnibus potiùs, quàm ſoli perire voluerunt.* Talis fuit Herodis ſenſus, qui, vt Ioſephus auctor eſt, extremo ſpiritu nobiliſſimum quemque iuſſerat interfici. Quia nimirum, vt habetur in adagio, *Conſolatio miſerorum eſt habere pares.* Hinc etiam illud prouerbium cuius meminit Ariſtophanes in Ranis:

-Κἄν τι σφαλῆτ' ἐξ ἀξίου γοῦν ξύλου
Ἤν τι καὶ πάθητε πάσχειν τοῖς σοφοῖς δοκήσετε.
Et ſi parum res ſucceſſerit, à ligno digno
Si quid patiemini, pati ſapientibus videbimini.

Vbi Interpres: Παρὰ τὴν παροιμίαν. Ἐξ ἀξίου γοῦν ξύλου ἀπάγξασθαι ἐπὶ τῶν ἐθελόντων σεμνῶς δυστυχεῖν. *Secundum parœmiam. E digno ligno ſuſpendi in eos qui ſplendidè volunt eſſe infelices.* Vt videlicet, E digno ligno ſuſpendi. quandoquidem pereundum eſt, ſaltem aliquo memorabili facinore ad nominis celebritatem emergant, vt notat Petrus Ærodius in Pandectis rerum ab omni antiquitate Iudicatarum. profert exemplum Heroſtrati ex Valerio, Dolabellæ ex Dione, Croci ex Annonio Monacho. De hoc poſtremo veteres Annales Treberorum. *Temporibus Honorij Imperatoris Crocus Rex Vvandalorum cum Sueuis & Alamannis egreſſus eſt de ſedibus ſuis Gallias appetens conſilio matris nequiſsimo viens dum ei dixiſſet, Si nouam rem volueris facere & nomen acquirere, quæ alij ædificarunt cuncta deſtruere debes. nam nec ædificia meliora ac pratioſiora facere potes, neque plus magnam rem per quam nomen tuum eleues*, &c. Eodem gloriæ ſtudio Heroſtratus templum Epheſinum incendit. Sed hæc magis in rem quàm ad rem, accommodatior vſurpatus ille à Nerone Senarius:

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.
Cadente me orbis totus in flammam cadat.

STVDIORVM.] Affectionum. 2. Æneid. IX.

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.

pro Marcello 31. *Diſtractæ voluntates ciuium fuerunt, diuerſæque ſententiæ. Non enim conſiliis ſo-* Studia. *lùm & ſtudiis, ſed armis etiam & caſtris diſsidebamus.* Horatius 2. ſerm.

Caſtor gaudet equis, ouo prognatus eodem
Pugnis. Quot capitum ſenſus, totidem ſtudiorum
Millia.-

Quod autem dicit duces ſtudiorum & auctores, eodem penè modo Plato expoſitis eorum moribus, qui nouas conuerſiones Reipub. quærunt, facit auctorum & ducum mentionem, quos ille licentiæ pincernas appellat. vide locum in Miloniana 79. citatum fusè, *concuſſa licentia.* Euripides Oreſte:

Δεινὸν οἱ πολλοὶ κακούργους ὅταν ἔχωσι προστάτας.

Populus ſeditioſus vbi duces nanciſcitur.

Sæua res eſt multitudo nacta prauos præſides. Propiùs ad hunc locum Liuius lib. 28. *Multitudo omnis ſicut natura maris per ſe immobilis eſt, vt venti & auræ cient, ita tranquillum aut procellæ in vobis ſunt.* Sidonius Apollinaris epiſt. 11. lib. 1. *Erat enim ipſe Pæonius populi totus, qui tribunitiis flatibus crebro ſeditionum pelagus impelleret.* Sed de his vide §. 5. Milonianæ *fluctibus concionum.*

X. Gubernatores vigilare debent.

VIGILANDUM.] Ex Æſchylo Septem ad Thebas.

Ὅστις φυλάσσει πρᾶγος ἐν πρύμνῃ πόλεως
Οἴακα νωμῶν, βλέφαρα μὴ κοιμῶν ὕπνῳ.

Qui ciuitatem ſeruat in puppi ſedens
Regitque clauum, lumina haud ſomno grauet.

Baſilius in principium Prouerbiorum. ἐὰν γὰρ μηδέποτε ἐπινυστάξῃς τοῖς οἴαξι. *Si enim nunquam gubernaculo indormias,* &c. Vigilantia ſiquidem tam Reip. quàm nauis gubernatoribus conuenit. 10. Æneidos.

--vigiláſne Deûm gens
Ænea? vigila & velis immitte rudentes.

Verbum Sacrorum, vt notat Seruius. *Vigiláſne Rex? vigila.* Et eam ob cauſſam, vt ait Plutarchus ad ducem imperitum, ὁ τῶν Περσῶν βασιλεὺς ἕνα τῶν κατευναστῶν εἶχε πρὸς τοῦτο τεταγμένον, ὥστε ἕωθεν εἰσιόντα λέγειν πρὸς αὐτὸν, ἀνάστα, ὦ βασιλεῦ, καὶ φρόντιζε πραγμάτων, ὧν σε φροντίζειν ὁ Μεσορομάσδης ἠθέλησε. *Rex Perſarum cubiculariorum vnum ad hoc conſtitutum habebat, vt ſummo mane accedens diceret, Surge, ô Rex, & ea cura quæ te curare voluit Meſoromaſdes.* Et Epaminondas dicebat ſe, νήφειν καὶ ἀγρυπνεῖν, ὅπως ἐξῇ τοῖς ἄλλοις μεθύειν καὶ καθεύδειν. *Sobrium ſe eſſe & vigilare, vt alij poſſent ſomno & vino vacare.* Ita 2. Iliados Dijs hominibúſque dormientibus.

Magiſtratus vigilare debent.

Δία δ' οὐκ ἔχε νήδυμος ὕπνος.
Iupiter vigilabat.

Et Agamemnonem vt vigilaret per ſomnum admonebat,

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα
Ὧι λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.

Non debet totam ſomno Rex ducere noctem
Qui regit imperio populos tot tantáque curans.

Plutarchus in apophthegmatis Philippi, ἡμέρας καθεύδοντος αὐτοῦ, καὶ τῶν Ἑλλήνων ἐπὶ θύραις συνειλεγμένων ἀγανακτούντων καὶ ἐγκαλούντων, ὁ Παρμενίων, μὴ θαυμάζετε, εἶπεν, εἰ καθεύδει νῦν Φίλιππος, ὅτε γὰρ ἐκαθεύδετε ὑμεῖς, οὗτος ἐγρηγόρει. *Ipſo interdiu dormiente, & Græcis, qui ad ianuam congregati erant indignantibus & incuſantibus, Ne miremini, inquit Parmenion, ſi nunc dormit Philippus, cùm enim vos dormiretis, ille vigilabat.*

XI. Scientia magiſtratibus neceſſaria.

SCIENTIA] Scientia magiſtratui neceſſaria, nec Reip. nauis tradenda gubernatori imperito. Æſchines contra Cteſiphontem. Ὑμεῖς δ' Ἀθηναῖοι οὐκ αἰσχύνεσθε εἰ ἐπὶ μὲν τοὺς πορθμέας, τοὺς εἰς Σαλαμῖνα πορθμεύοντας νόμον ἔθεσθε. ἐάν τις αὐτῶν ἄκων ἐν τῷ πόρῳ πλοῖον ἀνατρέψῃ, τούτῳ μὴ ἐξεῖναι πάλιν πορθμεῖ γενέσθαι. ἵνα μηδεὶς αὐτοσχεδιάζῃ εἰς τὰ τῶν Ἑλλήνων σώματα, τὸν δὲ τὴν Ἑλλάδα καὶ τὴν πόλιν ἄρδην ἀνατετροφότα, τοῦτον ἐάσετε πάλιν ἀπευθύνειν τὰ κοινά. *Vos verò, Athenienſes, non pudet, ſi in portitores qui in Salaminem tranſuehunt, legem poſuiſtis, vt ſi quis eorum in traiectu nolens nauigium euerterit, ne deinceps traiiciat, neu temerè in Græcorum corpora delinquat, eum verò qui Græciam & vrbem ſus déque euerterit, rurſus permittetis gubernare Remp.* Quod ſi, vt ait Nicolaus Damaſcenus libello de moribus gentium Cercetæ. ἐάν τις κυβερνῶν σκάφος διαμάρτῃ, προσιόντες ἐφεξῆς ἕκαστοι ἐμπτύουσιν αὐτῷ. *Si quis in gubernanda naue peccauerit, ordine accedentes eum conſpuunt,* quantò magis imperiti Reip. gubernatores erunt deſpuendi.

XII.

CURSUM.] Propriè curſus nauigationis. Vide Cœlianam 51. hinc nauis à Catullo *volitans flamine currus,* ab Sophocle in Thrachiniis, πολύκωπον ὄχημα ναός, *multis remis inſtructis currus,* nauis nominatur.

AXIOMATA.

1. Multi propter metum pœnæ peccatorum ſuorum conſcij, nouos motus conuerſionéſque Reip. quærunt.
2. Multi propter inſitum animi furorem diſcordiis ciuium ac ſeditione paſcuntur.
3. Multi propter implicationem rei familiaris communi incendio malunt quàm ſuo deflagrare.
4. Vigilandum eſt eis qui ſibi gubernacula Reipub. depopoſcerunt.
5. Viro politico tendendum eſt ad portum otij & dignitatis.

ARGVMENTVM.

Bonorum ciuium & Reip. defenſionem difficilem eſſe concedit, eiúſque difficultatis rationem adfert, & ex ipſa rei natura, & ex improborum ad ſcelus impetu, & ex bonorum ad defendendam Remp. negligentia & tarditate.

HANC ego viam, iudices, ſi aut aſperam, atque arduam, aut plenam eſſe periculorum, aut inſidiarum negem, mentiar. præſertim, cùm id non modò intellexerim ſemper, ſed etiam præter cæteros ſenſerim. maioribus præſidiis, & copiis oppugnatur Reſpub. quàm defenditur: propterea quòd audaces homines & perditi nutu impelluntur, & ipſi etiam ſponte ſua contra Rempub. incitantur: boni neſcio quomodo tardiores ſunt, & principiis rerum neglectis, ad extremum ipſa denique neceſſitate excitantur: ita vt nonnumquam cunctatione ac tarditate, dum otium volunt, etiam ſine dignitate, retinere, ipſi vtrumque amittant. C.

EXPLANATIO.

HANC VIAM.] *Difficile eſt eius rei patronum eſſe, quod maioribus præſidiis oppugnatur, quàm defenditur.*

Sed maioribus præſidiis oppugnatur Reſp. quàm defenditur.

Ergo difficile eſt patronum eſſe Reip.

Propoſitio tanquam plana præteritur, aſſumptio

& complexio, earúmque confirmationes diſertis verbis explicantur.

HANC VIAM.] Hanc gerendæ Reipub. rationem, hoc optimarum partium patrocinium.

ASPERAM.] Voces ab itineribus tranſlatæ. aſpera via eſt ſaxis & glebis conſperſa: ardua, quæ montibus aſſurgit, plena periculorum, ob foueas & cætera huiuſmodi, plena inſidiarum, propter feras & latrones.

PRÆT. CÆT. SENS.] Experientia doctus cum laborum quos in Conſulatu meo toleraui, & periculorum quæ coniuratorum factione frequenter obiui, tum etiam exilio meo, bonorum direptione, vexatione coniugis & liberorum.

PROPTEREA QVOD.] Aſſumptionis probatio.

NVTV IMPELL.] vel minima ſignificatione voluntatis eorum, quos auctores & ſuorum ſtudiorum vitiorúmque duces nacti fuerint, incitantur ad perturbandam Remp.

NOTÆ.

I. ASPERAM ATQVE ARD.] Virtus ipſa apud Silium lib. 15. Punicorum vtrumque coniunxit.

Caſta mihi domus & celſo ſtant colle penates:
Ardua ſaxoſo perducit ſemita cliuo,
Aſpera principio, &c.

(Via virtutis ardua & aſpera.)

Heſiodus 1. operum:

--Μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον.--
--*Via longa atque ardua ducit ad illam*
Aſpera principio.-

quæ fuſiùs in Cœliana referuntur, 41. Eadem via Porphyrio:

Αἰπεινή τε καὶ τραχεῖα.

Simonides apud Clementem Alexandrinum 4. ſtromatum. Ἐστί τις λόγος τὰν ἀρετὰν ναίειν δυσαμβάτοις ἐπὶ πέτραις. *Fama eſt virtutes inacceſſis in ſcopulis habitare.*

II. AVDACES HOMINES.] Demoſthenes contra Ariſtogitonem. Ἰταμὸν γὰρ ἡ πονηρία, καὶ πλημμελὲς, καὶ πλεονεκτικόν· καὶ τοὐναντίον ἡ καλοκαγαθία ἡσύχιον, καὶ ὀκνηρὸν, καὶ δεινὸν ἐλαττοῦσθαι. *Temeraria res eſt improbitas, & audax, & violenta: contra bonitas, tranquilla & timida, & tarda, & damnis obnoxia.* Cuius rei rationem reddit Plinius Iunior lib. 4. epiſt. 7. *Minor vis bonis quàm malis ineſt, ac ſicut* ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει, *ita recta ingenia debilitat verecundia, peruerſa confirmat audacia.* Nec abludit Cyprianus epiſtola ad Cornelium de hæreticis. *Semper ſcelera feſtinant, quaſi contra innocentiam feſtinatione praualeant.* Et quod aliquando memini me ex Cornelio Tacito imitari,

(Improbitas eſt violenta, virtus tranquilla.)

Corroboratur impetu, languet morâ
Scelus omne.--

Vide ſuprà 75. Pulchrè Theſeus Sophocleus Oedipode in colono commemoratâ hoſtium audaciâ ſuorum tarditatem increpat:

--οἱ μὲν ἐξηρπασμένοι
Σπεύδουσιν, ἡμεῖς δ' οἱ παθόντες ἥσυχοι.
-*Raptorum manus*
Feſtinat, at nos tanta perpeſſi mala
Cunctamur?-

Adeò vt virtus cum fluuiis, improbitas cum ventis poſſint meritò conferri: vt enim fluuij tanto augentur magis, quanto magis à ſuo fonte profluxerint, contra venti quo magis ab originis ſuæ loco receſſerint, eò magis minantur, quaſi vt cum Poëta nobili loquar:

-*vnam alarum per ſingula pennam*
Amittant ſtadia.--

ſic virtus languens initio, cunctatione roboratur, improbitas initio robuſta, cũctatione langueſcit.

PRINCIPIIS RERVM NEGLECTIS.] III.
Rerum principia Rempub. tractantibus negligenda non eſſe conſtat, quantumuis minuta videantur: quod placet optimis Sacchini noſtri verbis exponere. Præfatione in partem ſecundam hiſtoriæ Societatis Ieſu: *Qui de ciuitatum ordinando ſtatu laudatiſſima præcepta ediderunt Plato & Ariſtoteles inter cauſſas ſeditionum & euerſionum rei totius publicæ, exilitatem quam* μικρότητα *Ariſtoteles vocat, reponunt: ideo & præcipuam rerum eiuſmodi haberi rationem volunt. Muſicæque neglectu Polybius auctor eſt in Arcadiâ Cynethenſes in barbaram degeneraſſe feritatem: cùm cæteri Arcadum qui Muſicam diligenter coluerant, admodum pij haberentur.* Certè Ariſtoteles 5. politic. c. 3. Ὥσπερ ἐν τοῖς πολέμοις αἱ διαβάσεις τῶν ὀχετῶν, καὶ τῶν πάνυ σμικρῶν, διασπῶσι τὰς φάλαγγας, οὕτως ἔοικε πᾶσα διαφορὰ ποιεῖν διάστασιν. *Vt in bellis riuulorum quamuis paruorum tranſgreſſiones phalangas diſtrahunt, ſic omnis ſimultas videtur diſſidium immittere.* & cap. 8. Ἐν τοῖς εὖ κεκραμέναις πολιτείαις, ὥσπερ ἄλλο τι, δεῖ τηρεῖν, ὅπως μηθὲν παρανομῶσι, καὶ μάλιστα τὸ μικρὸν φυλάττειν. λανθάνει γὰρ εἰσδύουσα ἡ παράβασις, ὥσπερ τὰς οὐσίας αἱ μικραὶ δαπάναι δαπανῶσι πολλάκις γινόμεναι. λανθάνει γὰρ ἡ μετάβασις διὰ τὸ μὴ ἀθρόα γίγνεσθαι. *In ciuitatibus bene temperatis, ſi quidquam aliud, cauendum eſt ne qua fiat legum tranſgreſſio, in iis maximè rebus quæ parua videntur. occultè enim obrepit ea tranſgreſſio. quemadmodum parui ſumptus, ſed frequenter repetiti magnas diuitias abſumunt. latet autem huiuſmodi tranſgreſſio, quod non ſimul & ſemel magnum damnum importet.* Multa præclarè Plutarchus in hanc ſententiam extremo capite monitorum politic. Hoc inter cætera. Ὥσπερ ἐμπρησμὸς οὐ πολλάκις ἐκ τόπων ἱερῶν ἄρχεται, καὶ δημοσίων, ἀλλὰ λύχνος τις ἐν οἰκίᾳ παραμεληθεὶς, καὶ συρφετὸς διακαεὶς ἀνῆκε φλόγα πολλὴν καὶ δημοσίαν φθορὰν ἀπεργάζεται· οὕτως οὐκ ἀεὶ στάσιν πόλεως αἱ περὶ τὰ κοινὰ φιλονεικίαι διακαίουσιν, ἀλλὰ πολλάκις ἐκ πραγμάτων, καὶ προσκρουμάτων ἰδίων εἰς δημόσιον αἱ διαφοραὶ προελθοῦσαι συνετάραξαν ἅπασαν τὴν πόλιν. *Vt incendium non frequenter è locis ſacris aut publicis emanat, ſed lychnus in ædiculâ neglectus, aut accenſa palea magnam ſubito flammam emittit, & publicam calamitatem importat: ſic non ſemper ſeditiones publicas publicæ contentiones inflammant, ſed plerumque è priuatis negotiis & offenſionibus ſimultates in publicum progreſſæ conturbant totam ciuitatem.* Sic apud Delphos cùm inter nuptiarum ritus patera libationis ſponte diſſiluiſſet, eóque omine deterritus Orgilaus Cratetis filiam ducere renuiſſet, exorta ſimultas eſt quæ penè in publicam peſtem erupit. Siracuſis cùm alter alterius concubinæ, alter alterius vxori ſtuprum obtuliſſet, ex priuatâ duorum iuuenum ſimultate, tam atrox támque publica ſeditio conflata eſt, vt mutatus fuerit ſtatus ciuitatis. hæc Plutarchus. Romæ vt auctor eſt Plinius lib. 33. cap. 1. *Inter Cepionem quoque & Druſum ex annulo in auctione venali, inimicitiæ cœpere: vnde origo Socialis belli & exitia rerum.* atque vt cæteras omittam clades, *Id bellum amplius trecenta millia iuuentutis Italicæ abſtulit*, vt narrat Velleius. Alexandriæ, vt narrat Trebellius in Æmiliano,

(Initia ſeditionum non ſunt negligenda.)

ſeditio penè ad exitia rerum exarſit, quod neſcio quis *crepidas ſuas meliores eſſe quàm militia dixiſſet.* Carolus ille Burgundus, auctore Philippo Commineo lib.5.comment. cap.1.ob veruecinas pelles Heluetio cuidam ereptas bellum ſuſcepit contra Heluetios: & tanti principis fortuna

Grauia bella ex leuibus cauſis orta.

Hinc retro fluere & rurſum ſublapſa referri,

donec tandem deſertus à ſuis fœderatis ad Nanceium extinctus eſt. Heluetica defectio à Principibus Auſtriacis à modico pago, cui nomen Suiſſa duxit initium, vt dicitur eodem lib.cap.18. Notæ in Italiâ Guelphorum & Gibelinorum, in Galliâ Luciorum & Grammontiorum, in Hollandiâ Hucorum & Caballanorum factiones è priuatis ſimultatibus ad publicam calamitatem multis ſeculis propagatæ. Hollandiæ magna pars, vt ſcribit alicubi Chiliaſtes, *fatali quadam peſte tenebatur, ſtultiſſimâ videlicet, ſed omnium pernicioſiſſimâ diſſenſione omnibus in duas factiones diuiſis: quarum alteri nomen erat ab hamo, alteri à piſce aſello. Pugnabat ciuitas cum ciuitate, vicus cum vico, domus cum domo: ſæpè quos idem lectus iungebat, diuerſa factio ſegregabat: & fratrem à fratre ruptis naturæ vinculis diſtrahebat. Paßim latrociniis, iurgiis, cædibus, rapinis feruebant omnia.*

AXIOMATA.

Audacia homines & perditi nutu impelluntur, & ipſi contra Rempub. ſponte incitantur, boni ſunt tardiores.
Non ſunt principia rerum negligenda.
Qui otium volunt ſine dignitate retinere, frequenter & otium, & dignitatem amittunt.

ARGVMENTVM.

Propugnatores Reipub. id eſt, optimarum partium ſectatores in tres veluti claſſes deſcribit, in leues, in timidos, in firmos & conſtantes: & exemplo clarorum virorum demonſtrat optimatium partes non eſſe deſerendas.

CI. PROPVGNATORES autem Reipub. qui eſſe voluerunt, ſi leuiores ſunt, deſciſcunt: ſi timidiores, deſunt. permanent illi ſoli, atque omnia Reipub. cauſſâ perferunt, qui ſunt tales, qualis pater tuus, M. Scaure, fuit, qui à C. Graccho vſque ad C. Marium ſeditioſis omnibus reſtitit: quem nulla vnquam vis, nullæ minæ, nulla inuidia labefecit, aut qualis Q. Metellus patruus matris tuæ, qui cùm florentem hominem in populari ratione L. Saturninum cenſor notaſſet, cúmque inſitium Gracchum contra vim multitudinis incitatæ cenſu prohibuiſſet, cúmque in eam legem, quam non iure rogatam iudicarat, iurare vnus noluiſſet. de ciuitate maluit, quàm de ſententia demoueri: aut, vt vetera exempla, quorum eſt copia digna huius imperij gloria, relinquam, néve eorum aliquem, qui viuunt, nominem, qualis nuper Q. Catulus fuit, quem, neque periculi tempeſtas, neque honoris aura potuit vnquam de ſuo curſu, aut ſpe, aut metu, demouere.

EXPLANATIO.

PROPVGNATORES.] Nota ſingulorum verborum vim & proprietates. *leuiores deſciſcunt*, id eſt, mutata voluntate ab optimatibus tranſuolant ad populares: *timidiores deſunt*, id eſt, non adſunt Reip. ſiue cùm maximè opus eſt non audent tueri Remp. Permanent firmi, & conſtantes, & in eodem tutãdæ Reip. propoſito perſiſtũt.

QVALIS PATER TVVS.] Prudenter firmorum & conſtantium exemplum præcipuè ponit in patre & maiore auunculo M. Scauri Quæſtoris ſiue Prætoris, tum vt eum domeſticis exemplis ad cõſtantiam optimatiúmque defenſionem incendat, tum vt honorificâ maiorum commemoratione iudicis animum ſibi magis deuinciat.

A GRACCHO.] Marcus Æmilius Scaurus, vt ait Victor, *tantùm auctoritate potuit vt Opimium contra Gracchum, Marium contra Glauciam & Saturninum priuato conſilio armaret.* Lambinus tamen *Q. Varium*, pro *C. Marium* in omnibus libris manu exaratis legi teſtatur. Quæ lectio magis arridet. Siquidem, vt ait idem Victor, *Scaurus ſenex cùm à Vario Tribunoplebis argueretur, quaſi Socios & Latium ad arma coëgiſſet, apud populum ait, Varius Sucronenſis Æmylium Scaurum ait Socios ad arma coëgiſſe, Scaurus negat, vtri potiùs credendum putatis?* Tradit tamen Valerius Maximus eum accuſatum fuiſſe, *quod à Rege Mithridate ob Rempub. prodendam pecuniam accepiſſet.* ſubditque: *Cuius dicti admiratione populus commotus, Varium ab illa dementiſſimâ actione pertinaci clamore depulit.* lib.3.cap.7.

VSQVE AD Q. VARIVM.] Exhibet iſtud præter libros Lambini, Erfurd, Gembl. nec abit, S. Vict. niſi quod is *Quarium.* vulgata habet *C. Marium.*

Q. METELLVS.] Numidicus.

PATRVVS MATRIS TVÆ.] Cæciliæ Metellæ, quæ poſtea L. Sullæ nupſit.

SATVRN. CENS. NOT.] Senatu mouere voluiſſet propter vitæ dedecora.

INSIT. GRACCHVM.] Quintium quendam qui ſe in Gracchorum familiam inſerebat, & pro Tiberij Gracchi filio venditabat, vt magis apud plebem eſſet gratioſus. Sed eum Metellus Cẽſor, tanquam Romanum ciuem nomen dare, & inter ciues cenſeri prohibuit, reclamante multitudine,

L. Saturnini, qui eum ſubornauerat, concione ad vim & ſeditionem incitatâ.

In eam leg.] Apuleiam ſiue Agrariam de agro quem eiectis Gallis Cymbri occupauerant, de Cymbris acquiſierant Romani viritim diuidundo.

Non iure rogatam.] Contra auſpicia. Ioue videlicet tonante, quo tempore haberi comitia fas non erat. In eam legem vnus ex vniuerſo Senatu iurare noluit, Mario Conſule iuramentum approbationémque legis à ſingulis Senatoribus exigente.

Qvint. Catvlvs.] Q. Lutatius Catulus, qui nullo periculorum metu, nullâ populi honores ei mandantis beneuolentiâ abduci potuit quò minùs Reip. rationibus, id eſt eius dignitati & otio prouideret.

NOTÆ.

I. Permanent illi.] Videtur hunc locum Maro præ oculis habuiſſe. vt 7. Æneid.

Ille velut pelagi rupes immota reſiſtit, &c.

Item 10.

Ille velut rupes, vaſtum quæ prodit in æquor,
Obuia ventorum furiis expoſtaque ponto
Vim cunctam atque minas perfert cœlique mariſque
Ipſa immota manet.

Quæ penè omnia verba mutuatur à Noſtro. *Permanent, perferunt, reſiſtit, vis, minæ.* Alia tantiſper immutat. Nam quod Noſter ait, *Non labefecit, non potuit dimouere.* ille reddit: *Immota manet.* quod Noſter, *Tempeſtas.* ille *Ventorum furiis.* Laberius apud Macrobium in Saturnal.

Quem nulla ambitio, nulla vnquam largitio,
Nullus timor, vis nulla, nulla authoritas
Mouere potuit in iuuenta de ſtatu,
Ecce in ſenecta vt facilè labefecit loco.

Horat. Sat. 5. lib. 2.

Quam nequiere proci recto depellere curſu.

Chryſoſtomus de Machabæorum matre. Καθάπερ θαλαττία πέτρα δεχομένη κυμάτων προσβολὰς, αὐτὴ μὲν ἀκίνητος μένει, ἐκεῖνα δ' εἰς ἀφρὸν διαλύουσα ἀφανίζει ῥᾳδίως· οὕτω δὴ καὶ ἡ καρδία τῆς γυναικὸς ἐκείνης, ὥσπερ τις θαλαττία πέτρα κύματα δεχομένη τὰς προσβολὰς τῶν ὀδυνῶν, αὐτὴ μὲν ἀκίνητος ἔμενε, τὰς δὲ προσβολὰς ἐκείνας στερρῷ καὶ φιλοσοφίας γέμοντι διέλυε λογισμῷ. *Quemadmodum marinus ſcopulus, qui fluctuum incurſus excipit, ipſe quidem manet immobilis, illos autem in ſpumam diſſolutos facilè tollit: ſic illius quoque mulieris cor, tanquam ſcopulus marinus fluctus excipiens dolorum incurſus, ipſa quidem manſit immota: ſed incurſus illos firma, & philoſophiæ plena mente diſſoluit.*

II. Patrvvs matris tvæ.] Scauri Mater fuit Cæcilia poſt Æmilij Scauri mortem Sullæ Dictatori matrimonio iuncta, de qua Plutarchus in Sulla. Γαμεῖ δὲ γάμον ἐνδοξότατον Καικιλίαν
Mater Scauri. τὴν Μετέλλου θυγατέρα τοῦ ἀρχιερέως. *Vxorem verò duxit nobiliſſimam Cæciliam Metelli Pontificis Maximi filiam.* Hunc autem Scaurum iudicem Sextij fuiſſe Sullæ Dictatoris priuignum, tum ex aliis liquet, tum ex Plinio lib. 36. cap. 15. Theatrum Scauri deſcribente. *Neſcio maiúſne ſit Sullæ malum tanta priuigni potentia, an proſcriptio tot millium.*

III. Lvc. Satvrn.] Appianus lib. 1. de bellis ciuilibus. Τιμητὴς δὲ Κόιντος Κεκίλιος Μέτελλος Γλαυκίαν τε βουλεύοντα, καὶ Ἀπουλήιον Σατορνῖνον δεδημαρχηκότα ἤδη τῆς ἀξιώσεως παρέλυεν κακῶς βιοῦντας. οὐ μὴν ἐδυνήθη. ὁ γάρ οἱ συνάρχων οὐ συνέθετο. *Cenſor verò Q. Cecilius Metellus Glauciam Senatorem & Apuleium Saturninum iam Tribunatuplebis defunctum notauit propter vitæ dedecora. Sed nihil effecit renitente collega.*

Censor notasset.] De cenſoria notatione dictum iam ſuprà 55. & dicetur in Piſonem 9. Vide etiam Cluentianam à §. 118. ad 136. vbi frequenter *cenſoriam notationem, notam, ſeueritatem, animaduerſionem, ignominiam, ſubſcriptionem* appellat. IV.

Insitivvm Gracchvm.] Apuleius Saturninus, vt auctor eſt Aurelius Victor libello de viris illuſtribus, *Quemdam libertini ordinis ſubornauit, qui ſe Tiberij Gracchi filium fingeret. Ad hoc teſtimonium Sempronia ſoror Gracchorum producta, nec precibus, nec minis adduci potuit, vt dedecus familiæ agnoſceret.* de quo idem in rebus geſtis Metelli Numidici, *Cenſor Quintium, qui ſe Tiberij Gracchi filium mentiebatur, in cenſum non recepit.* Plus tamen gratiam quàm cenſoriam notam in perturbata Repub. valuiſſe, vel ex eo liquet quod idem Quintius Sexto Marij Conſulatu ad Tribunatumplebis euectus eſt. Appianus lib. 1. de bellis ciuilibus. Καὶ ὁ Ἀπουλήιος ἐπ' αὐτῷ τὸ τρίτον ἐδημάρχει, καί τις αὐτῷ συνῆρχε δραπέτης εἶναι νομιζόμενος, Γράκχον ἑαυτῷ πρεσβύτερον πατέρα ἐπιγράφων, καὶ τὸ πλῆθος αὐτῷ συνεπεπαρέχει περὶ τὴν χειροτονίαν πόθῳ Γράκχου. *Apuleius deinceps tertiùm Tribunusplebis creatus eſt, addito collega fugitiuo quodam vt ferebatur, qui ſe Gracchi maioris filium eſſe iactabat, & eum vulgus in mandando magiſtratu ſuis ſuffragiis adiuuabat Gracchi deſiderio.* Qui hoc vnum conſecutus eſt vt primo initi magiſtratus die concitatæ multitudinis impetu neci traderetur. Πολὺς δὲ καὶ ἄλλος ὅμιλος ἐν τῇ στάσει διέφθαρτο, καὶ δήμαρχος ἕτερος τοῦ Γράκχου παῖς εἶναι νομιζόμενος, πρώτην δημαρχῶν ἐκείνην ἡμέραν. *Periit & alia turba non mediocris eadem ſeditione afflicta, & in ea Tribunus alius Gracchi filius habitus, primo initi magiſtratus die.* De hoc eodem Noſter pro C. Rabirio perduellionis reo. §. 20. *Cùm Saturninus Capitolium teneret, vna eſſet C. Glaucia, C. Saufeius, etiam ille ex compedibus atque ergaſtulo Gracchus.* Eum Quintium ſuprà Victor appellat: vnde coniectura eſt eum fuiſſe patrem illius Numerij Quintij, *quem homines in luctu irridentes Gracchum appellabant.* ſuprà 72. vbi & vide cur *inſitiuus* dicatur ad illa verba, *In Calatinos ac Atilios inſitus.* Eum tamen Valerius lib. 9. cap. 7. Luc. Equitium appellat. V. Quintius cur dictus Gracchus inſitiuus.

Censv prohibvisset.] Solebant nonnunquam externi in ciuitatis Romanæ cenſum clam irrepere, vt ciues putarentur. pro Cornelio Balbo 5. *Non enim furatus eſſe ciuitatem, non genus ſuum ementitus, non in aliquo impudenti mendacio deliquiſſe, non irrepſiſſe in cenſum dicitur.* pro Archia 10. *Cùm cæteri non modò poſt ciuitatem datam, ſed etiam poſt legem Papiam, aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepſerint.* quanquam (vt ait §. ſequenti,) *Cenſus non ius ciuitatis confirmat, at tantummodo indicat eum, qui ſit cenſus, iam tum ſe geſſiſſe pro ciue.* Quare diligenter cauebant Cenſores ne quiſquam qui ciuis non eſſet in cenſum ſe intruderet. VI. In cenſum irrepere.

Non ivre rogatam.] Appianus 1. ciuilium: ὁ δὲ πολιτικὸς ὄχλος ἤσχαλλε, ὡς ἡσσώμενος ἐν ἐκκλησίᾳ VII.

κλησίᾳ βροντῆς. ὅθεν οὐ θέμις ἐστὶ Ρωμαίοις οὐδὲν ἔτι κυροῦν. *Tum vrbana multitudo exclamat, quaſi audito tonitru in concione, quod quoties accidit fas non eſt quicquam decernere.* Atque hanc rationem attulit Marius vt Patres ad iurandum induceret. Ὀμόσειν γὰρ ἂν νόμος ἐστὶ, τῷ δὲ πειθήσεσθαι τῷ νόμῳ· καὶ νῦν μὲν οὕτω διασκεδᾶν τοὺς ἀπὸ τῶν ἀγρῶν ἐνδρευμένοις, ὕστερον δὲ οὐ δυσχερῶς ἐπιδείξειν ὅτι οὐκ ἔστι νόμος, ὁ πρὸς βίαν τε καὶ βροντῆς ὠνομασμένης (malim ἠκουσμένης) κεκυρωμένος παρὰ τὰ πάτρια. *Iurandum eſſe in verba legis quatenus ea ſit legitima: ita fore vt ad præſens diſpergatur aduerſa ipſis multitudo ruſtica: poſtea verò facilè oſtendatur, non eſſe legem, quæ & per vim & Ioue tonante præter morem maiorum lata ſit.*

Ioue tonante comitia haberi nefas.

VIII. IVRARE.] Suprà 37. de eodem Metello. *Cùm vnus in legem per vim latam iurare noluerat.* & 60. de Catone. *Quaſi verò ille non in alias quoque leges, quas iniuſtè rogatas putarat, iam ante iurarit.* vbi vide Notas.

IX. HONORIS AVRA.] Bene. nam *aura* ſplendorem, (ideo honori t ibuitur) & felicem obſecundantémque ventum ſignificat, ideo tempeſtati periculorum opponitur. Splendorem vt 6. Æneidos.

Diſcolor vnde auri per ramos aura refulſit.

& apud Horatium:

-Tua ne retardet
Aura iuuencos.

Felicem ventum vt 7. Æneidos.

Aſpirant auræ in noctem, &c.

& alibi ſæpè. Hinc ad metaphoram ad populi fauorem traducitur; & dicitur aura popularis. Horatius, Aura popularis.

Nec ſumit aut ponit ſecures
Arbitrio popularis auræ.

Virgilius 6. Æneidos:

Hinc quoque iam nimium gaudens popularibus auris.

Cyprianus inſigni illa epiſtola ad Donatum. *Cùm anceps temporum palpator abſceßit, cùm priuati latus nudum deſertor aſſecla fœdauit, tunc laceratæ domus plagæ conſcientiam feriunt, & rei familiaris exhauſtæ damna noſcuntur, quibus redemptus fauor vulgi, & caducis atque inanibus votis popularis aura quæſita eſt.* Noſter de Haruſp. reſp. 43. *Sulpitium ab optima cauſſa profectum C. que Iulio Conſulatum contra leges petenti, reſiſtentem, longiùs quàm voluit, popularis aura prouexit.*

AXIOMATA.

Homines leues, à bonis deſciſcunt, timidiores Reip. deſunt.

Virum conſtantem nulla vnquam vis, nullæ minæ, nulla inuidia labefecit.

Virum fortem neque periculi tempeſtas, neque honoris aura debet vnquam de ſuo curſu, aut ſpe, aut metu demouere.

ARGVMENTVM.

Ab ipſa rei dignitate adoleſcentes hortatur, vt illam, quam ſuperiùs expoſuit, Reipub. bene gerendæ viam inſiſtant, ſuámque orationem Poëtæ veteris auctoritate confirmat.

HÆC imitamini per deos immortales, qui dignitatem, qui laudem, CII. qui gloriam quæritis: hæc ampla ſunt, hæc diuina, hæc immortalia: hæc fama celebrantur, monumentis annalium mandantur, poſteritati propagantur. *Eſt labor: non nego, pericula magna: fateor. Multæ inſidiæ ſunt bonis:* veriſſimè dictum eſt. *Sed te id, quod multi inuideant, multíque expetant, Inſcitia ſit*, inquit, poſtulare, *Si tu laborem ſumma cum cura efferas nullum.* Idem alio loco dixit, quod exciperent improbi ciues, *Oderint, dum metuant.* præclara enim illa præcepta dederat iuuentuti.

EXPLANATIO.

HÆC.] Æmilij Scauri, Q. Metelli Numidici, & aliorum clarorum virorum exempla. Aduerte dignitatem & maieſtatem orationis, obſecrationem, numerum inciſum, diſſolutum, concitatum, & hortationi aptiſſimum. adde repetitionem, & expende quàm concinnè ſingula membra ſingulis reſpondeant, & eodem exitu terminentur, & alia orationis lumina, quæ faciliùs notari poſſunt, quàm verbis explicari.

EST LABOR.] quaſi per dialogiſmum obiicit & reſpondet.

SED TE.] Inſcitia ſit & amentia ſi gloriam velis tibi ſine laboribus & periculis comparare.

EFFERAS.] Malim afferas.

SI TV LABOREM.] Palat. Nonus *ſuum laborem.* S. Vict. *Si tui laborem.* Gulielmius tentabat *ſi tuum laborem.* Verſu quoque præcedenti vbi legimus hodie, *inſcitia ſit.* Habet Gembl. *eſt*, quod & in Palat. Nonus; ſed is tamen præterea præfert *inſcientia.*

IDEM.] Vetus Poëta, quem non eſt opus nominare, aliâ in tragœdia dixerat, *Oderint dum metuant.* Sed improbi ciues hanc improbam & ſceleratam vocem, in tyranni perſona prolatam excipiunt & auſcultant. Alia præcepta quæ dederat iuuentuti ad mores iuuenum formandos & optimis artibus imbuendos, negligunt atque contemnunt.

NOTÆ.

DIVINA.] Planum eſt cur amplitudo ad dignitatem, immortalitas ad gloriam referatur: non item cur ad laudem diuinitas. Nam vt ait Ariſtoteles 1. Nicomach. cap. 12. τῶν ἀρίστων οὐκ ἔστιν ἔπαινος. *laus non eſt rerum optimarum.* Τούς τε γὰρ θεοὺς μακαρίζομεν καὶ εὐδαιμονίζομεν, καὶ τῶν ἀνδρῶν τοὺς θειοτάτους μακαρίζομεν. *Deos enim beatos &* εὐδαίμονας, *& hominum diuiniſſimos beatos prædicamus.* Refragatur tamen Pindarus Ode 4. Nemeorum antiſtrophe 4. I.

Ο χρυσὸς ἑψόμενος
Αὐγὰς ἔδειξεν ἁπάσας.
Ὕμνος δὲ τῶν ἀγαθῶν
Ἐργμάτων βασιλεῦσιν ἰ-
σοδαίμονα τεύχει φῶτα.

Aurum coctum ſplendorem oſtendit omnem, laus verò bonorum operum Regibus oſtendit virum Diis æqualem. ad quem Noſter fortaſſe reſpexerit, nam cùm hæc ſcriberet, vt mox dicetur, videtur Pindarum præ oculis habuiſſe.

II. Est labor; non nego, pericvla magna: fateor.] Ex Demade oratione de duodecennio. Ἐπιστὰς τοῖς πράγμασιν ἔγραψα τὴν εἰρήνην, ὁμολογῶ. Ἔγραψα καὶ Φιλίππῳ τιμάς. οὐκ ἀρνοῦμαι. *Remp. adminiſtrans ſcripſi pacem: fateor. Scripſi etiam honores Philippo tribuendos: non nego.*

III. Mvltæ insidiæ.] Pro Plancio 59. *Hæc illi ſoleo præcipere (quanquam ad præcepta ætas non eſt apta) quæ ille à Ioue ortus ſuis præcipit filiis. Vigilandum eſt ſemper, multæ inſidiæ ſunt bonis. noſtis cætera, quæ ſcripſit grauis ille & ingenioſus poëta, non vt illos regios pueros qui iam nuſquam erant, ſed vt nos & noſtros liberos ad laborem & laudem excitaret.*

IV. Mvlti invideant.] Eodem modo Pindarus inuidiam virtutis comitem eſſe concedit, & nihilò ſeriùs ad virtutem hortatur.

Propter inuidiam virtus non deſerenda.

Ἀστῶν τ' ἀκοὰ κρύφιον θυμὸν βαρύνει
Μάλιστ' ἐσλοῖσιν ἐπ' ἀλλοτρίοις.
Ἀλλ' ὅμως (κρέσσων γὰρ οἰκτιρμῶν φθόνος)
Μὴ παρίει τὰ καλὰ νώ-
μα δικαίῳ πηδαλίῳ στρατόν. ἀ-
ψευδεῖ δὲ πρὸς ἄκμονι χάλ-
κευε γλῶσσαν.

Ciuium verò auditio latentem animum grauat maximè in bonis alienis. Nihilo tamen ſeciùs (melior eſt enim miſeratione inuidia) Ne prætermittas honeſta. guberna iuſto clauo exercitum. Non mendacem verò ad incudem æris inſtar linguam acue. Idem alibi frequenter virtutis & inuidiæ coniunctionem oſtēdit, vt ode 8. Nemeorū ſtrophe 2.

Ὄψον δὲ λόγοι φθονεροῖσιν.
Ἅπτεται δ' ἐσλῶν ἀεί,
Χειρόνεσσι δ' οὐκ ἐρίζει.

Sermones verò ſunt inuidis condimentum, Attingit vero ſemper bona Cum deterioribus non contendit. Item Ode 4. propter inuidiam ſe virtutem relicturum eſſe negat, antiſtrophe 2.

Φθονερὰ δ' ἄλλος ἀνὴρ βλέπων
Γνώμαν κενεὰν σκότῳ κυλίνδει
Χαμαὶ πετοῖσαν· ἐμοὶ
Δ' ὁποίαν ἀρετὰν
Ἔδωκε πότμος ἄναξ
Εὖ οἶδ' ὅτι χρόνος ἕρπων
Πεπρωμέναν τελέσει.

Inuidioſè alius vir aſpiciens mentem vacuam in caligine verſat humi volitantem. Mihi verò quam virtutem dedit fatum omnibus dominans, ſcio quod tempus repens deſtinatam perficiet.

Contrà tamen permulti vt cum Horatio loquar,

Inuidiam placare parant virtute relictâ.

Nā, vt ait Chorus Sophocleus Aiace flagellifero.

Bonorum comes inuidia.

Πρὸς γὰρ τὸν ἔχονθ' ὁ φθόνος ἕρπει.
Adrepit liuor ad habentem.

Vnde & Martialis,

Omnibus inuideas Zoile, nemo tibi.

Et Themiſtocles adhuc adoleſcens, ἔλεγεν οὐδὲν πράττειν λαμπρόν· οὐ γὰρ φθονεῖσθαι. *Nihil ſe præclari feciſſe dicebat. non enim inuideri.* Vide Plutarchum opuſc. de inuidia & odio. Plautus Trucul. ſc. 13.

Mauelim mihi inimicos inuidere, quàm me inimicis meis.
Nam inuidere alij bene eſſe, tibi malè eſſe miſeria eſt.
Qui inuidēt egent, illi quibus inuidetur rem habēt.

Nec longè alia mens eſt Lucretij libro 5. de natura rerum,

Inuidiâ quoniam, ſeu fulmine, ſumma vaporant
Plerumque, & quæ ſunt aliis magis edita cunque.

Pulchrè Ambroſius 2. de officiis cap. vltimo. *Filij fugite improbos cauete inuidos: inter improbum & inuidum hoc intereſt: improbus ſuo delectatur bono, inuidus torquetur alieno: ille diligit mala, hic bona odit. vt propè tolerabilior ſit, qui ſibi vult bene, quàm qui malè omnibus.* Inuidia deterior improbitate.

V. Laborem.] Notum eſt illud Epicharmi, tum ex aliis, tum ex Xenophonte, Labor.

Τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγαθ' οἱ θεοί.

Id eſt interprete Horatio:

--*nil ſine magno*
Vita labore dedit mortalibus.

Sed hæc alio differamus.

VI. Oderint dvm metvant.] Hunc antiqui Poëtæ verſum referunt Tullius, Seneca, alij paſſim, nuſquam tamen, quòd meminerim nominatur. Crediderim Ennium fuiſſe, cuius verſus ſimilis refertur 2. de officiis in eandem ſententiā. Odium.

Quem metuunt, oderunt, quem quiſque odit, periiſſe expetit.

Cùm tamen, vt dicitur 2. Philippica. *Beneuolentia ciuium ſeptum oporteat eſſe non armis.* Sed non eſt quod in ſingulis immoremur, alij Accio tribuunt. Imitatur Seneca extremis verbis Thebaidos.

Regnare non vult, eſſe qui inuiſus timet.
Simul iſta mundi conditor poſuit Deus
Odium atque regnum. Regis & magni reor
Odia iſta premere. Multa dominantem vetat
Amor ſuorum: plus in iratos licet
Qui vult amari, languida regnet manu.

Et in Oedipo, actu 3. exeunte.

--*odia qui nimium timet*
Regnare neſcit: regna cuſtodit metus.

Hercule furente actu 2.

Ars prima regni eſt poſſe te inuidiam pati.

Præcepta dederat.] Præclarè. Poëtarum eſt enim populum docere. quare, vt vtar verbis Valerij Maximi lib. 3. cap. 7. *Nec Euripides quidem Athenis arrogans viſus eſt, cùm poſtulante populo vt ex tragœdia quamdam ſententiam tolleret, progreſſus in ſcenam dixit, ſe vt eum doceret, non vt ab eo diſceret, fabulas componere ſolere.* Quò fortaſſe alludit Æſchylus apud Ariſtophanem in Ranis de ipſo Euripide, ita loquens: VII.

--ἀποκρύπτειν χρὴ τὸν πονηρὸν τόν γε ποιητήν,
Καὶ μὴ παράγειν, μηδὲ διδάσκειν. τοῖς μὲν γὰρ παιδαρίοισιν
Ἐστι διδάσκαλος, ὅστις φράζει, τοῖς δ' ἡβῶσι ποιηταί.

Poëtæ maiorum magiſtri.

--*malum Poëtam abſcondere oportet,*
Et non in medium producere vt doceat. Nam pueris quidem [*ribus verò Poëtæ.*
Eſt præceptor, qui artem loquendi tenet, adultio-

AXIOMATA.

--multæ inſidiæ ſunt bonis.
Sed te id quod multi inuideant, multíque expetant
Inſcitiæ ſit poſtulare *conſequi.*
Si tu laborem nulla cum cura afferas
Nullum.--

Sic enim placuit iſtos veteris Poëtæ ſenarios ad ſuam menſuram reuocare.

ARGVMENTVM.

Oſtendit difficultatem quæ in gerendâ Repub. tuendíſque optimatum partibus quondam fuerat, ſuis temporibus ſic eſſe ſublatam, vt iam penè nullâ in re cupiditas multitudinis ab optimatium voluntate diſſentiat.

SED tamen hæc via, hæc ratio Reipub. capeſſendæ olim erat magis CIII.
pertimeſcenda, cùm multis in rebus multitudinis ſtudium ad populi commodum ab vtilitate Reipubl. diſcrepabat. Tabellaria lex ab L. Caſſio ferebatur: populus libertatem agi putabat ſuam: diſſentiebant principes, & in ſalute optimatium temeritatem multitudinis, & tabellæ licentiam pertimeſcebant. Agrariam Tib. Gracchus legem ferebat: grata erat populo: fortunæ conſtitui tenuiorum videbantur: nitebantur contra optimates, quòd ea diſcordiam excitari videbant: &, cùm locupletes poſſeſſionibus diuturnis mouerentur, ſpoliari Rempub. propugnatoribus arbitrabantur. Frumentariam legem C. Gracchus ferebat: iucunda res plebi Romanæ. victus enim ſuppeditabatur largè ſine labore: repugnabant boni, quòd, & ab induſtria plebem ad deſidiam auocari putabant, & ærarium exhauriri videbatur. Multa etiam noſtrâ memoriâ, quæ conſultò prætereo, fuerunt in ea contentione, vt popularis cupiditas à conſilio principum diſſideret.

EXPLANATIO.

SED TAMEN HÆC.] Fortes viri amplectebantur optimas Reipub. partes, etiamſi ſibi cum maximis difficultatibus luctandum eſſe cognoſcerent: ſed iam ſublatis illis difficultatibus, iſta capeſſendæ Reip. ratio facilis eſt & expedita. quare multò magis optimas Reip. partes tueri debemus.

MVLTITVDINIS STVDIVM AD POPVLI COMMODVM.] legunt alij, *ac populi.* quod malim.

TABELLARIA.] Luc. Caſſius legem tulit, vt cùm de capite ciuis comitiis centuriatis ageretur, non voce ſed tabellâ ferretur ſuffragium. Populus hanc legem ferri expetebat ratus ſe liberiùs tabellâ quam voce laturum eſſe ſuffragium: & euitaturos eſſe ſingulos inuidiam apud eos eorúmque amicos & conſanguineos, quos ſinguli quique damnaſſent. Diſſentiebant principes ciuitatis, periculoſum eſſe rati optimatium ſalutem occulto plebis ſuffragio committere, quæ licentiam & impunitatem nacta facilè damnaret innocentes.

AGRARIAM.] Cùm diuites immenſum agri modum haberent, & vndique à pauperibus coëmerent. Tiberius Gracchus Tribunusplebis legem agrariam iampridem à C. Stolone Tribunoplebis latam, ſed vſu contrario abolitam, renouauit, ne quis agri plus quingentis iugeribus poſſideret, addidítque veteri legi vt filiis familias habere modi huius dimidium liceret, & quidquid agri ſuperfuiſſet, id pauperibus diuideretur per triumuiros ad id ſingulis annis conſtitutos.

FRVMENTARIAM.] Frugum decimæ priùs ſoluebantur populo Romano: quas Quæſtores vendebant, pecuniámque ex iis redactam ad ærarium deferebant. C. Gracchus legem tulit, vt frumentum plebi longè viliore quàm ſolebat pretio, id eſt ſemis æris ac trientibus in ſingulos modios venderetur. vide ſuprà 55.

NOTÆ.

TABELLARIA.] Cicero 3. lib. de legibus ad finem vergente. *Sunt quatuor leges tabellariæ: quarum prima de magiſtratibus mandandis: ea eſt Gabinia, lata ab homine ignoto & ſordido. Secunda biennio poſt Caſſia eſt, de populi iudicio. Ea ab homine nobili lata eſt L. Caſſio. Sed pace familiæ dixerim diſſidente à bonis, atque omnes rumuſculos populares aucupante. Carbonis eſt tertia de iubendis legibus ac vetandis,* &c. *vno in genere relinqui videbatur vocis ſuffragium, quod ipſe Caſſius exceperat, perduellionis. dedit huic quoque iudicio Cælius tabellam,* &c. Idem in Bruto: *Tum L. Caſſius multum potuit, non eloquentiâ, ſed dicendo tamen: homo non liberalitate vt alij, ſed ipſâ triſtitiâ & ſeueritate popularis: cuius quidem legi tabellariæ M. Antius Briſo Tribunusplebis diu reſtitit, M. Lepido Conſule adiuuante.* Plinius Iunior lib. 3. epiſt. 20. *Meminiſtíne te ſæpè legiſſe quantas contentiones excitarit lex tabellaria, quantúmque ipſi latori vel gloriæ, vel reprehenſionis attulerit?* I.

Leges tabellariæ.

LIBERTATEM.] Cicero 2. de lege agrariâ. *Meis comitiis non tabellam vindicem tacitæ libertatis, ſed vocem viuam præ vobis indicem veſtrarum erga me voluntatum ac ſtudiorum tuliſtis.* Pro Cn. Plancio 16. *Populo grata eſt tabella, quæ fronteis aperit hominum, menteis tegit: datque eam libertatem, vt, quod velint, faciant: promittant autem quod rogentur.* Vide pro Rabirio Poſthumo 11. II.

TABELLÆ LICENTIAM.] *Non ſentis auctoritatem omnem optimatium tabellariam legem abſtuliſſe?* inquit Cicero 3. de legibus. Mox: *Non latebra danda populo in qua bonis ignorantibus* III.

Tabellæ licentia.

quid quiſque ſentiret, tabella vitioſum occultaret ſuffragium. Plinius Iunior epiſt. 20. lib. 3. *Eſt enim periculum ne tacitis ſuffragiis impudentia irrepat. Nam quotocuique eadem honeſtatis cura ſecreto, quæ palam? multi famam, conſcientiam pauci verentur.* Idem lib. 4. ep. 25. *Tantùm licentiæ prauis ingeniis adiicit illa fiducia. Quis enim ſciet? popoſcit tabellas, ſtylum accepit, demiſit caput, neminem veretur, ſe contemnit.* Sed præclarè Tullius in Cluentiana conſiderandum ait Iudici. *Cùm illam iudicandi tabellam ſumpſerit non ſe putare eſſe ſolum, neque ſibi, quodcunque concupierit, licere: ſed habere in conſilio legem, religionem, æquitatem, fidem: libidinem autem, odium, inuidiam, metum, cupiditatéſque omnes amouere, maximíque æſtimare conſcientiam mentis ſuæ, quam ab Diis immortalibus accepimus, quæ à nobis diuelli non poteſt.* Poſt Demoſthenem de falſa legatione. Οὐ γὰρ εἰ κρύβδην ἐστὶν ἡ ψῆφος, λήσει τοὺς θεούς, ἀλλὰ καὶ τοῦτο, καὶ πάντων ἄριστα ὁ θεὶς τὸν νόμον εἶδε τὸ κρύβδην ψηφίζεσθαι. διὰ τί; ὅτι τούτων μὲν οὐδεὶς εἴσεται τὸν ἑαυτῷ κεχαρισμένον ὑμῶν. οἱ θεοὶ δὲ εἴσονται καὶ τὸ δαιμόνιον τὸν μὴ τὰ δίκαια ψηφισάμενον. παρ' ὧν κρεῖττόν ἐστιν ἑκάστῳ τὰς ἀγαθὰς ἐλπίδας τοῖς παισὶ καὶ ἑαυτῷ τὰ δίκαια γνόντα καὶ τὰ προσήκοντα περιποιήσασθαι, ἢ τὴν ἀφανῆ καὶ ἄδηλον χάριν τούτοις καταθέσθαι, &c. *Non enim ſi occulta ſuffragia ſunt, Deos latebunt, ſed & hoc vidit, & omniu rectiſſimè prouidit legiſlator, vt clam ſuffragia ferrentur. Cur? Vt nemo reorum ſciret quis ei eſſet gratificatus, ſed Dij ſcirent, & numen, eum qui iniqua pronuntiaſſet. A quibus præſtabilius eſt, ſingulos ſibi & liberis, iuſta quæ ſunt pronuntianda ſpem bonam reſeruare, quàm obſcuram & incertam gratiam iſtorum captare.*

IV. Agrariam.] De lege Gracchi agraria Appianus fusè 1. ciuilium, & Plutarchus in Gracchis.

V. Frvmentariam.] De hac lege Appianus loco citato. Ἐπεβάλευε τῇ βουλῇ, σιτηρέσιον ἔμμηνον ὁρίσας ἑκάστῳ τῶν δημοτῶν ἀπὸ τῶν κοινῶν χρημάτων, οὐ πρότερον εἰωθὸς διαδίδοσθαι. *Cœpit inſidias ſenatui nectere, lege latâ de frumento menſtruo plebi viritim diuidendo ex publico, cùm priùs dari non conſueſſet.* Velleius, *Frumentum populo dare inſtituerat.* Quibus verbis nihil penitus ab accipientibus exactum fuiſſe videatur. cautiùs Plutarchus in Gracchis. ὁ δὲ σιτικὸς ἐπευωνίζων τοῖς πένησι τὴν ἀγοράν. *lex frumentaria inducens annonæ vilitatem.* Epitome Liuiana pretium etiam definit, quamuis obſcurius, Gracchi lege cautum affirmans, *vt ſemiſſe & triente frumentum daretur.* Quod pretium remiſſum fuiſſe lege Clodiâ ſupra §. 71. ex Tullio vidimus, & Aſconio Pediano.

Lex frumentaria.

VI. Ad desidiam.] Quàm periculoſum ſit ciuium animos ad otium & deſidiam inflectere, norat Piſiſtratus apud Ælianum lib. 9. variæ hiſtoriæ cap. 25. Πεισίστρατος μετεπέμπετο τοὺς ἐν ἀγορᾷ ἀποσχολάζοντας, &c. καὶ ἐπέλεγεν, εἰ μέν σοι τέθνηκε ζεῦγος βοῶν, παρ' ἐμοῦ λαβὼν ἄπιθι, καὶ ἐργάζου. εἰ δ' ἀπορεῖς σπερμάτων, παρ' ἐμοῦ σοι γινέσθω. δεδιὼς μὴ ἡ σχολὴ τούτων ἐπιβουλὴν τέκῃ. *Piſiſtratus eos qui in foro otiabantur accerſebat, &c. iiſque dicebat, Si tibi iugum boum periit, abi, à me accipe, & operare. Si verò ſeminibus indiges, à me tibi tribuantur. metuebat videlicet ne otium inſidias pareret.* Et eandem ob cauſam Gelon Tyrannus apud Plutarchum in apophthegm. ἐξῆγε πολλάκις τοὺς Συρακουσίους ὡς ἐπὶ στρατείαν καὶ φυτείαν, ὅπως ἥ τε χώρα βελτίων γίνηται γεωργουμένη, καὶ μὴ χείρονες αὐτοὶ σχολάζοντες. *Syracuſanos frequenter ad bellum & agriculturam educebat, vt & culturâ terra melior, nec ipſi otio deteriores euaderent.* Catullus,

Periculoſum eſt plebem ad otium & deſidiam auocari.

Otium & Reges ſimul & beatas
Perdidit vrbes.

Quæ gentes otioſos & deſides multarint.

Quare ſapienter auctore Nicolao Damaſceno in catholica hiſtoria. Λευκανοὶ δικάζονται ἀλλήλοις, ὥσπερ ἄλλου τινὸς ἀδικήματος, οὕτω καὶ ἀσωτίας καὶ ἀργίας. *Lucani, vt de aliis maleficiis, ita de luxu & otio habent quæſtiones.* De Sardis Ælianus lib. 4. variæ hiſtoriæ cap. 1. Ἀργίας ἦσαν δίκαι καὶ τὸν εἰκῇ ζῶντα ἔδει κρίνεσθαι καὶ διδόναι τὰς εὐθύνας ἀποδεικνύντα ὅθεν ζῇ. *De otio erant quæſtiones, & otioſè viuentem iudicari oportebat. & multari vel vnde viueret oſtendere.* Imò apud Athenienſes. verba ſunt Valerij Maximi. *Inertia è latebris ſuis, languore marcens, in forum perinde ac delictum aliquod protrahitur. fitque vt facinoroſæ, ita erubeſcendæ rea culpæ. Eiuſdem vrbis & ſanctiſſimum conſilium Areopagus, quid quiſque Athenienſium ageret, aut quonam quæſtu ſuſtentaretur, diligentiſſimè inquirere ſolebat, vt homines honeſtatem, vitæ rationem reddendam eſſe memores, ſequerentur.* More videlicet ducto ab Ægyptiis. Νόμον τε Αἰγυπτίοισι τόνδε Ἄμασίς ἐστι ὁ καταστήσας. ἀποδεικνύναι ἔτεος ἑκάστου τῷ νομάρχῃ πάντα τινὰ Αἰγυπτίων, ὅθεν βιοῦται. μηδὲ ποιεῦντα ταῦτα, μηδ' ἀποφαίνοντα δικαίην ζόην, ἰθύνεσθαι θανάτῳ. Σόλων δὲ ὁ Ἀθηναῖος λαβὼν ἐξ Αἰγύπτου τοῦτον τὸν νόμον, Ἀθηναίοισι ἔθετο. τῷ ἐκεῖνοι ἐς αἰεὶ χρέωνται, ἐόντι ἀμώμῳ νόμῳ. *Hic eſt autem Amaſis, qui legem tulit, vt demonſtrare oporteret vnumquemque apud Præſidem cuiuſque præfecturæ, vnde viuat: quod qui non fecerit, aut demonſtrare vitæ ſuæ rationem iuſtam non potuerit, hunc morte mulctandum. Solon autem Athenienſis ſumptam hanc legem ex Ægypto, Athenienſibus promulgauit, qua illi ſemper vſi ſunt, lege ſanè inculpatâ.* Quid? quod vt ait Nicolaus Damaſcenus loco citato. Ἰβήρων αἱ γυναῖκες κατ' ἔτος ὅ, τι ἂν ἐξυφαίνωσιν ἐν κοινῷ δεικνύουσιν. ἄνδρες δὲ χειροτονητοὶ κρίναντες τὴν πλεῖστα ἐργασαμένην προτιμῶσιν. *Hiberorum mulieres quotannis quicquid texuerint in publico demonſtrant. viri verò ad id inſtituti, cùm indicauerint, eam præ cæteris honorant, quæ plurimùm laborarit.* Adeò deſidiam pernicioſam putabant, vt eam ne in mulieribus quidem tolerarent: longè aliter quàm Theſpij de quibus Heraclides in politiis. Παρὰ Θεσπιεῦσιν αἰσχρὸν ἦν τέχνην μαθεῖν καὶ περὶ γεωργίαν διατρίβειν, καὶ διὰ τοῦτο πένητες οἱ πλείους ἦσαν. *Apud Theſpios turpe fuit & artes addiſcere, & circa agriculturam occupari: & eam ob rem inopes erant eorum quamplurimi.* Idem de Germanis tradit Tacitus, de Lacedæmoniis Plutarchus in Lycurgo. Vbi quidam Spartanus cùm Athenis vidiſſet, τινὰ δίκην ἀργίας ὠφληκότα, *deſidiæ damnatum,* præſentes rogauit, τίς ἐστιν ὁ τὴν ἐλευθερίαν, lege ἐλευθερίας ὠφληκὼς δίκην; *Quis eſt qui libertatis damnatus eſt?* Nec rectè vt opinor. Socrates apud Ælianum lib. 11. variæ cap. 14. dicebat, ὅτι ἡ ἀργία ἀδελφὴ τῆς ἐλευθερίας ἐστί. *Deſidiam libertatis eſſe ſororem.* Cùm nihil procliuius ſit, quàm vt otioſi & deſides libertatem tollant & conuellant ſtatum ciuitatis, & ſanè quàm vtile ſit principibus plebem ſuis occupationibus diſtineri docuit Pylades ille Pantomimus, qui increpitus ab Auguſto quòd is à Bathyllo pantomimo altero diſſideret, eáque de re ſermones in vulgus ſpargerentur. Εἰπεῖν λέγεται, ὅτι συμφέρει σοι Καῖσαρ περὶ ἡμᾶς τὸν δῆμον ἀποδιατρίβεσθαι. *Dixiſſe fertur tibi expedit, ô Cæſar, populum circa*

Lucani.

Sardi.

Athenienſes.

Ægyptij.

Hiberi.

Quæ gentes otium & deſidiam laudarint.

Theſpij.

Germani.

Lacedæmonij.

nos occupari. vt refert Dio lib. 55. Siquidem expedit Reip. adminiſtratoribus populares de ipſorum rebus minimè cogitare: & eam ob rem alias plebi ſermonum anſas præbent, vt eam à magis ſeriis auertant, vt Alcibiades apud Plutarchum, *cùm haberet canem magnitudine & pulchritudine ſingulari, quem ſeptuaginta mnis ſibi compararat, caudam eius abſcidit pulcherrimam, increpantibus verò amicis & dicentibus, id omnibus dolori eſſe & ipſum paßim vituperari.* Ἐπιγελάσας, γίνεται τοίνυν, εἶπεν, ὃ βούλομαι. βούλομαι γὰρ Ἀθηναίους τοῦτο λαλεῖν, ἵνα μή τι χεῖρον περὶ ἐμοῦ λέγωσι. *Arridens ait: Id igitur euenit ex animi mei ſententiâ. Id enim ab Athenienſibus dici cupio, ne de me peiùs loquantur.* Sic Ludouicus vndecimus Rex Francorum, cùm per imprudentiam in poteſtatem Caroli Burgundi Peronæ veniſſet, pacémque cum eo parum æquis conditionibus pepigiſſet, omnes coruos, picas, gracculos, pſittacos, cæteráſque aues quæ humanâ voce loquerentur, ad ſe deferri iuſſit, inquiríque diligenter quo quæque loco loqui didiciſſet, vt plebis circa hæc occupatæ ſermones à grauioribus abduceret. Petrus Matthæus lib. 4. rerum ab eo geſtarum.

AXIOMATA.

Adminiſtratio Reipub. pertimeſcenda eſt cum multitudinis ſtudium, ac populi commodum ab vtilitate Reip. diſcrepat.

In ſalute optimatium temeritas multitudinis, & tabellæ licentia pertimeſcenda eſt.

Vitandum eſt id omne quo diſcordia ciuium excitatur.

Cùm locupletes poſſeſſionibus diuturnis mouentur, Reſp. propugnatoribus ſpoliatur.

Periculoſum eſt ab induſtriâ plebem ad deſidiam auocari.

ARGVMENTVM.

Oſtendit nihil iam difficultatis ſupereſſe, propterea quòd ea iam populo conceſſa ſint, quæ vel à Tribunisplebis donari, vel à tenuioribus ſperari potuerunt, ac proinde populares iam apud verum populum nullam auctoritatem obtinere.

NVNC autem nihil eſt, quod populus à delectis, principibúſque diſſentiat. nec flagitat rem vllam, neque nouarum rerum eſt cupidus: CIV. & otio ſuo, & dignitate optimi cuiuſque, & vniuerſæ Reipublicæ gloria delectatur. Itaque homines ſeditioſi, ac turbulenti, quia nulla iam largitione populum Rom. concitare poſſunt, quòd plebs perfuncta grauiſſimis ſeditionibus, ac diſcordiis otium malle videatur, conductas habent conciones: neque id agunt, vt ea dicant, aut ferant, quæ illi velint audire, qui in concione ſunt: ſed pretio ac mercede perficiunt, vt quidquid dicant, id illi velle audire videantur.

EXPLANATIO.

NVNC AVTEM.] Nunc omnes diſſenſionis occaſiones ſublatæ ſunt: aduerte quàm variis & elegantibus modis eandem rem expoliat.

ITAQVE.] E ſuperioribus oſtendit popularitatis mutatam eſſe rationem: & cùm vera plebs ad ſeditionem ſpe largitionis concitari non poſſit, eos qui populares eſſe volunt conductas habere conciones: id eſt ſeruos, operas & peregrinos pecunia corruptos ad conciones vocare.

GRAVISS. SEDIT.] Gracchanis, Sullanis, & tum aliis, tum iis quæ nouiſſimè Tribunatu Clodij contigerunt.

CONDVCTAS HAB. CONC.] Homines egentes pretio & mercede conducunt, vt veniant in conciones, eáque ſimulent ſe ſuffragiis ſuis comprobare, quæ dicunt illi populares.

NOTÆ.

1. Dilecti & principes. A DELECTIS.] Alias *dilectis*, parum refert, cùm verba recurrant in eandem ſententiam. Dilecti ſunt eximij ciues, iidem & *principes*, quod primi omnium capiantur. in Vatin. 23. *Fueríſne tanta crudelitate vt delectos viros & principes ciuitatis tollere, & delere tua rogatione conareris?*

NOVARVM RERVM.] Græcis νεωτερισμοῦ. Vide Milonianam 35. *P. Clodij præturam non ſine maximo rerum nouarum metu proponi ſolitam eſſe videbatis.* In Piſonem 10. *Centum propè annos legem Æliam & Fuſiam tenueramus.* quibus locis oſtendemus periculoſius nihil eſſe quàm nouitatem. Nam ipſa vetuſtate legibus ipſis auctoritas acquiritur, adeò vt ad ipſos Deos legum initia referantur, vt notat Theodoretus de curat. Græc. affect. Oratione de legibus, cùm ſingulæ propemodum gentes ſuos legiſlatores à Diis ipſis edoctos eſſe confinxerint: vt Ægyptij Oſirim à Mercurio, Perſæ & Bactriani Zoroaſtrem ab Orimaſo, Charimundam Carthaginenſes à Saturno, Zantraſtem Arimaſpi à Bono Deo, Scythæ Zamolxim à Veſta, Solonem Athenienſes, Zaleucum Locrenſes à Minerua, Lacedæmonij Lycurgum ab Apolline, Romani Numam à Nympha Ægeria, Cretenſes Minoem ab ipſo Ioue edoctum eſſe gloriabantur, vt & auctoritatem antiquis legibus conciliarent, & ſuorum ciuium animos à ſtudio nouarum rerum auerterent.

Legum antiquitas veneranda.

Antiqui leges ſuas ad Deos referebant.

AXIOMATA.

Non eſt nouarum rerum cupidus, qui & otio ſuo, & dignitate optimi cuiuſque, & vniuerſæ Reipub. gloria delectatur.

Otium malunt qui perfuncti ſunt grauibus ſeditionibus & diſcordiis.

ARGVMENTVM.

Poſtquam de nouis popularibus egit, nunc contra demonſtrat quantum apud infimam plebem auctoritatis obtinerent ij, qui populi ſtudiis ſeruire cupiebant, & quanto apud eandem plebeculam odio eſſent Reipub. ſtudioſi.

CV, NVM vos exiſtimatis Gracchos, aut Saturninum, aut quemquam illorum veterum, qui populares habebantur, vllum vnquam in concione habuiſſe conductum? nemo habuit. ipſa enim largitio, & ſpes commodi propoſiti, ſine mercede vllâ multitudinem concitabat. Itaque temporibus illis, qui populares erant, offendebant illi quidem apud graues & honeſtos homines, ſed populi iudiciis atque omni ſignificatione florebant. his in theatro plaudebatur: hi ſuffragiis, quod contenderant, conſequebantur: horum homines nomen, orationem, vultum, inceſſum amabant. Qui autem aduerſabantur ei generi, graues, & magni homines habebantur: ſed valebant in Senatu multùm, apud bonos viros plurimùm: multitudini iucundi non erant: ſuffragiis offendebatur ſæpè eorum voluntas: plauſum verò etiam ſi quis eorum aliquando acceperat, ne quid peccaſſet, pertimeſcebat. Attamen: ſi qua res erat maior, idem ille populus, horum auctoritate maximè commouebatur.

EXPLANATIO.

NVM VOS.] Non opus erat vt Tiberius & Caius Gracchi, aut L. Apuleius Saturninus cùm ſuas leges ferrent, concionem mercede & pretio corrumperent, ad leges confirmandas ſuis ſuffragiis, quia leges ipſæ per ſe populo iucundæ erant, cùm Tiberius promulgabat legem agrariam, vt nemini liceret plus quingentis iugeribus poſſidere: ſi qui plus poſſiderent, illud reſiduum tenuibus diuideretur, Caius legem frumentariam ferebat, Saturninus agrum Cimbris ereptum pauperibus diuidebat.

OFFENDEBANT.] In odium veniebant, & obſtacula reperiebant. *apud graues*, qui ſpretâ plebeculæ gratiâ vnius Reipub. commodis ſeruiebant, *& honeſtos*, opulentos in quorum detrimentum redundabant illæ leges agrariæ.

SIGNIFICATIONE.] Beneuolentiæ, & voluntatis.

HIS.] Popularibus in theatrum venientibus plauſus dabatur, quo plauſu populus ſignificabat, eos apud ſe eſſe gratioſos.

HI SVFFRAGIIS.] Quemcunque magiſtratum petiiſſent, ad eum promouebantur populi ſuffragiis.

QVI AVTEM.] ἀντιπόδοσις qua popularibus opponit optimates, prudenter tamen eos etiam magnos viros & graues habitos ſemper fuiſſe dicit, vt auditores ad eam ſectam magis hortetur, cuius tanta dignitas eſt, vt etiam qui oderunt laude dignam eſſe fateantur.

SVFFRAGIIS OFFENDEBATVR.] Repulſam patiebantur petendis magiſtratibus, damnabantur iudiciis publicis, cùm leges ferre vellent, earum probationem non obtinebant.

NOTÆ.

OFFENDEBANT.] Expoſui, obſtacula reperiebant. Gellius lib. 9. cap. 1. noct. Attic. *Defendere & offendere inter ſe aduerſa ſunt, quorum alterum ſignificat* ἐμποδὼν ἔχειν, *alterum* ἐμποδὼν ποιεῖσθαι. lib. 2. ad Q. Fratrem ep. 6. *Apud illam perditiſſimam atque infimam fecem populi propter Milonem ſuboffendit.* I. Offendere.

HONESTOS.] Vide infrà 109. *omnes honeſtates.* de prouinc. Conſ. 11. *honeſtatem miſeri deperdiderunt.* & alibi frequenter. II.

PLAVDEBATVR.] Infrà 117. *Senatui plauſus eſt ab vniuerſis datus.* In Piſonem 65. Ad hunc plaudendi morem alluſit Ioannes Salmonius Macrinus elegans Poëta poëmatio de Ioannis puellâ Lotharingâ, quam vulgus Aurelianam appellat: III. Plauſus.

Applaudet ſtrepitu tibi ſonoro
Preſſo & poplite geſta proſequetur
Galli concio copioſa circi.

Baſilius Magnus de auaritia. Οὐχ ὁρᾷς τοὺς ἐν τοῖς θεάτροις παγκρατιασταῖς, καὶ μίμοις, καὶ θηριομάχοις τισὶν ἀνθρώποις, οἷς κἂν βδελύξαιτό τις προσιδὼν, ὑπὲρ τῆς ἐν ὀλίγῳ τιμῆς, καὶ τῶν παρὰ τοῦ δήμου θορύβων καὶ κρότων τὸν πλοῦτον προϊεμένους. *Nónne vides eos qui in theatris in pugiles, mimos, & beſtiarios, quos quis aſpiciens abominaretur, ob modicum honorem, ob tumultus plauſúſque populares, diuitias expendunt.* Plauſus geminatus.
Atque huiuſmodi plauſus vel geminabant 2. Georg.

--Hunc plauſus hiantem Triplicatus
Per cuneos, (geminatur enim) plebíſque Patrumque
Corripuit.--

Vel ter certa quædam modulatione repetebant. Propertius,

Et manibus fauſtos ter crepuere ſonos.

Quo ſenſu Lyricum interpretatur Turnebus,
Tergeminis tollere honoribus.

IV. Ne qvid peccassent.] Plutarchus in apophthegmatis Phocionis. Ἐπεὶ δὲ λέγων ποτὲ γνώμην πρὸς τὸν δῆμον εὐδοκίμει, καὶ πάντας ὁμαλῶς ἑώρα τὸν λόγον ἀποδεχομένους, ἐπιστραφεὶς πρὸς τοὺς φίλους, εἶπεν, οὐ δήπου κακόν τι λέγων ἐμαυτὸν λέληθα. *Cùm ipſi dictâ ſententiâ ab omnibus plauderetur, orationémque ſuam omnibus videret acceptam, conuerſus ad amicos, An aliquid mali, inquit, imprudens locutus ſum?* Et Antiſthenes apud Laërtium, Πρὸς τὸν εἰπόντα, Πολλοί σε ἐπαινοῦσι, τί γὰρ, ἔφη, κακὸν πεποίηκα; *Dicenti cuidam, Multi te laudant, Quid enim, inquit, mali feci?* Idem: Ἐπαινούμενός ποτε ὑπὸ πονηρῶν, ἔφη, ἀγωνιῶ μή τι κακὸν εἴργασμαι. *Laudatus à malis, Ne quid peccarim, inquit, extimeſco.*

Non placendum malis.

V. Si qva res.] Hoc ipſum eſt quòd de Themiſtocle tradit Plutarchus. Ταῖς πλατάνοις ἀπείκαζεν αὑτὸν, αἷς ὑποτρέχουσι χειμαζόμενοι, γενομένης δ' εὐδίας τίλλουσι παρερχόμενοι, καὶ λοιδοροῦσι. *Se platanis ſimilem eſſe dicebat, ad quas homines ingruente tempeſtate accurrunt, eas factâ tranquillitate prætereuntes ſtringunt, & contumelioſè tractant.* Polyænus lib. ſtratagematum 5. Theognis Athenienſis Prætor videns milites de ducatibus & ordinibus diſſidentes, noctu quoſdam equites ad vicinorum montium iuga ſubmiſit, iis imperans, vt tanquam hoſtes ſe oſtenderent, iiſque ex alto loco, vbi facilè videri poterant, ſe oſtendentibus, Theognis cum tumultu & perturbatione milites eſt adhortatus, vt hoſtibus iam propè apparentibus, cum quiſque ordinem caperet, qui ſingulis conueniret. Οἱ δὲ διὰ τὸν φόβον τῶν πολεμίων τὸ φιλονεικεῖν ἀλλήλοις ἀποστάντες εἰς τὰς συνήθεις τάξεις καθίσταντο. *Illi verò propter metum hoſtium omiſſâ concertatione animorum, ſe in priſtinos ordines receperunt.* Tum Theognis militibus in ſuos ordines diſtributis, eos qui hoſtes putabantur, amicos eſſe confeſſus. Ὑμεῖς δὲ, ἔφη, τάξαντες ἑαυτοὺς ἄνευ στάσεως, καὶ εἰσαῦθις φυλάττεσθε τὴν τάξιν, ἣν αὐτοῖς δεδώκατε. *Vos verò, inquit, cùm ordines veſtros repetieritis ſine diſcordia, eos retinete quos vobis ipſi dediſtis.* Plutarchus de amore fraterno, Κρῆτες πολλάκις στασιάζοντες ἀλλήλοις καὶ πολεμοῦντες, ἔξωθεν ἐπιόντων πολεμίων διελύοντο καὶ συνίσταντο, καὶ τοῦτ' ἦν ὁ καλούμενος ὑπ' αὐτῶν Συγκρητισμός. *Cretenſes frequenter non ſolùm ſtudiis, ſed etiam armis inter ſe diſſidentes ingruentibus hoſtibus externis, inter ſe reconciliati ſunt, idque apud eos Syncretiſmus appellatur.* De Romanis Halicarnaſſeus lib. 10. antiquit. Ἐγκύκλιον γὰρ δὴ τοῦτο καὶ ἐν ἔθει ἦν ἤδη τῇ πόλει πολεμουμένῃ μὲν ὁμονοεῖν, εἰρήνην δ' ἀγούσῃ στασιάζειν. *Id enim iam in more poſitum erat, & quaſi in orbem redibat; vt ciuitati cum externis bellis premeretur, bene inter ſe conueniret, pacem agens à ſe ipſa diſsideret.* Exemplum eſt apud Liuium lib. 2. *Tribuni iam ferocem per ſe plebem criminando in primores ciuitatis inſtigabant: ſed externus timor, maximum concordiæ vinculum, quamuis ſuſpectos infenſóſque inter ſe iungebat animos.* Et lib. 3. Vrbe dominatione decemuirorum oppreſſa. *Circumſpectare tum patriciorum vultus plebeij, & inde libertatis captare auram, vnde ſeruitutem timendo in eum ſtatum Remp. adduxerant.* Si quidem, vt ait Philoſophus lib. politic. 5. cap. 5. Συνάγει καὶ τοὺς ἐχθίστους ὁ κοινὸς φόβος. *Congregat etiam inimiciſſimos metus communis.*

Congregat etiam inimicos metus cōmunis.

AXIOMATA.

Largitio & ſpes commodi propoſiti multitudinem concitat.

Populares offendunt apud graues & honeſtos homines, ſed populi iudiciis, atque omni ſignificatione florent.

Plauſum a vulgo ſi quis acceperit, ne quid peccarit, debet timere.

Si qua res eſt maior, populus eorum, quos priùs non amabat, auctoritate maximè commouetur.

ARGVMENTVM.

Tribus ſignis petitis à concione, comitiis, ludorum gladiatorúmque conſeſſu, probat populi iudicium ab optimatum iudicio & voluntate non diſsidere. ac primùm agit de concione, in qua Clodius aduerſis omnium auribus exceptus eſt.

Nvnc, niſi me fallit, in eo ſtatu ciuitas eſt, vt, ſi operas condu- CVI.
ctorum remoueris, omnes idem de Repub. ſenſuri eſſe videantur. Etenim tribus locis ſignificari maximè populi Romani iudicium, ac voluntas poteſt, contione, comitiis, ludorum gladiatorúmque conſeſſu. Quæ concio fuit per hos annos, quæ quidem eſſet non conducta, ſed vera, in qua populi Romani conſenſus perſpici poſſet? Habitæ ſunt multæ de me à gladiatore ſceleratiſſimo, ad quas nemo adibat incorruptus, nemo integer, nemo illum fœdum vultum aſpicere, nemo furialem vocem bonus audire poterat. Erant, erant illæ conciones perditorum hominum neceſſariò turbulentæ.

EXPLANATIO.

Nvnc nisi.] Frequenter obiicit orator Clodio, quòd operas ex agris, & ſeruos ex ergaſtulis eductos in forum emiſerit, eóſque mercede corruperit, vt in concionem venientes aliquam veri populi ſpeciem exhiberent, & pro ipſius Clodij voluntate ferrent ſuffragium: his igitur exceptis, ait populi, qui verè populus ſit, ſtudia ab optimatium iudiciis haudquaquam diſcrepare.

Contione.] Cœtu populi vnum in locum congregati, ad audiendas orationes.

Comitiis.] Eiuſdem populi coitione ad

ferenda ſuffragia, mandandis honoribus, aut legibus approbandis.

Lvdorvm.] Tragœdiarum, comœdiarum, mimorum & cæterorum eiuſmodi, quæ in theatris exhibentur.

In qva popvli Rom. consensvs perspici posset.] Lambinus autumat excidiſſe negationem: ſed incuriè, & contra omnes libros id factum ait Grutterus, mihi Lambini coniectura nihilo ſeciùs arridet.

A gladiat. scelerat.] à Clodio qui ſtipatus ſemper ſicariis, ſeptus armatis, munitus audacibus gladiatores in forum immiſit ad diſturbandas conciones.

Foedvm vvltvm.] Scelus anhelantem, malæ conſcientiæ ſigna edentem.

Fvrialem.] Inſanis clamoribus omnia miſcentem. talem enim fuiſſe Clodij eloquentiam oſtendit Noſter in Cœliana 27. *Pub. Clodius amicus meus, cùm ſe grauiſſimè vehementiſſiméque iactaret, & omnia inflammatus ageret, triſtiſſimis verbis, voce maxima.*

NOTÆ.

I. Statv.] 7. Æneidos.

Quis latio antiquo fuerit ſtatus.

Status enim & quies, motui opponitur, 1. de officiis. *in corporis denique motu, & ſtatu cernitur.* Varro lib. 4. de lingua Latina. *ſtatus, & motus.* Status.

II. Foedvm vvltvm.] Non quod Clodius eſſet natura deformis: eum enim epiſtolis ad Atticum *pulchellum* frequenter appellat, non tam à familia ex qua Pulcher cognomento dictus fuit quàm à venuſtate. vnde & Catullus de eodem,

Leſbius eſt pulcher quidni?

vbi Clodius Leſbij, Clodia ſoror eiuſdem Leſbiæ nomine denotatur: vt videbimus in Cœliana. Quare vultum ait non os aut faciem. vultus enim index eſt morum, atque adeo animi vel pulchritudinis, vel fœditatis. Noſter 3. de Oratore ſub finem. *imago animi vultus eſt, indices oculi.* vnde Nonius Marcellus vultum ita definit. *Vultus eſt voluntas, quæ pro motu animi in facie oſtenditur.* Vultus. in Piſonem 1. *Vultus qui ſermo quidam tacitus mentis eſt.* pro Milone 62. *Quæ magnitudo animi, qui vultus, quæ oratio.* vide. Tertullianus de reſurrect. carnis cap. 15. *Quære adhuc an cogitatus quoque per carnem adminiſtrentur, qui per carnem dignoſcuntur. volutet aliquid animus, vultus operatur indicium: facies intentionum omnium ſpeculum eſt.*

III. Fvrialem.] Magnam & inſanam qualis furiarum vox à Poëtis deſcribitur, vt 7. Æneidos. Vox furialis.

Tartareaas intendit vocem, qua protinus omne
Contremuit nemus, & ſyluæ intonuere profundæ.

in Cœliana 27. Notamus vocis magnitudinem vitio dari. Sic Ariſtoph. in Veſpis:

Αὐτὸς δ᾽ ὁ Κλέων κεκραξιδάμας μόνους ἡμᾶς οὐ περιτρώγει.

Ipſe verò Cleon clamoſus ſolos nos non circũrodit. Vbi Interpres, Κεκραξιδάμας δ᾽ ὁ τῇ βοῇ δαμάζων, *Cecraxidamas dicitur quòd voce domet.* Pro Plancio 86. *Furialis illa vox nefariis ſtupris, & religioſis altaribus effœminata.*

AXIOMA.

Conciones perditorum hominum ſunt neceſſariò turbulentæ.

ARGVMENTVM.

Poſtquam deſcripſit mercenarias P. Clodij conciones, ad verum populum veráſque conciones tranſit, in quibus Lentulus Pompeius cæterique ciuitatis principes, cùm de reditu Ciceronis agerent, ſecundis auribus excepti ſunt, Clodius repudiatus omnium conuitiis.

CVII. Habvit de eodem me P. Lentulus Conſul concionem: concurſus eſt populi Rom. factus: omnes ordines, tota in illa concione Italia conſtitit: egit cauſſam ſumma cum grauitate copiáque dicendi, tanto ſilentio, tanta approbatione omnium, nihil vt vnquam videretur tam populare ad populi Rom. aures accidiſſe. Productus eſt ab eo Cn. Pompeius, qui ſe non ſolùm auctorem meæ ſalutis, ſed etiam ſupplicem populo Rom. exhibuit. huius oratio & pergrauis, & grata concioni fuit: ſic contendo, nunquam neque ſententiam eius auctoritate, neque eloquentiam iucunditate fuiſſe maiorem.

CVIII. Quo ſilentio ſunt auditi de me cæteri principes ciuitatis? quos iccirco non appello hoc loco, ne mea oratio, ſi minùs de aliquo dixero, ingrata, ſi ſatis de omnibus, infinita eſſe videatur. Cedo nunc eiuſdem illius inimici mei de me eodem ad verum populum in campo Martio concionem. quis non modò approbauit, ſed non indigniſſimum facinus putauit, illum non dicam loqui, ſed viuere, ac ſpirare? quis fuit, qui non eius voce maculari Remp. ſéque ſi eum audiret, ſcelere aſtringi arbitraretur?

EXPLANATIO.

HABVIT.] Acturus de Lentuli concione eam à duobus commendat. 1. à concurſu omnium ordinum & frequentiâ, 2. à ſilentio quo auditus eſt.

ITALIA.] Ex omnibus Italiæ municipiis & coloniis miſſi legati ad me reuocandum in concionem venerant.

PROD. EST AB EO.] A P. Lentulo Spinthere Conſule. Solebant enim magiſtratus priuatos, ſi neceſſe erat, in concionem producere, & quaſi populo inſinuare, vt eorum auctoritate & ſententiis acta ſua ſtabilirent.

HVIVS.] Cn. Pompeij.

SIC CONTENDO.] Omnibus modis affirmare poſſim, Pompeium nunquam dixiſſe ſententiam auctoritate maiore, quàm cùm in concione cenſuit me eſſe reuocandum, neque eius eloquentiam iucundiùs acceptam fuiſſe, quàm in illa concione.

CÆTERI PRINCIPES.] Poſt reditum ad Quirites 18. *Omnes Conſulares, omnes Prætorios*, auditos fuiſſe dicit. Soli tamen præter Lentulum & Pompeium P. Seruilius, & Luc. Gellius nominantur.

AD VERVM POP.] quem conductis & mercenariis concionibus opponit, quas Clodius habebat, Verum autem populum eſſe neceſſe fuit in Campo Martio, quia non egentes & perditi ciues, ſed opulentiſſimi quique per claſſes, & centurias diſtributi conueniebant ad illas conciones, & comitia, vt cùm de capite ciuis ageretur.

QVIS NON MODO APPROBAVIT.] legit Pantagathus adſtipulante Vrſino. *Quis non modo non approbauit*, ſed fruſtra, cum vt notat Muretus reticentia negationis huiuſmodi frequens ſit latiniſſimis ſcriptoribus.

NOTÆ.

I. CONCIONES.] Notat Gellius ex Verrio lib. 8. noct. Attic. cap. 7. *Senatum dici & pro hominibus: ciuitatem & pro loco, & pro oppido, & pro iure quoque omnium, & pro hominum multitudine: tribus quoque & decurias dici, & pro loco & pro iure, & pro hominibus: concionem autem tria ſignificare, locum ſuggeſtúmque vnde verba fierent: item ſignificare cœtum populi aſſiſtentis: Item orationem ipſam quæ ad populum diceretur.* probat exemplis petitis è Cicerone. Nobis ſatis fuerit ex hac ipſa oratione depromere. Hoc ipſo loco. *Habuit de eodem me P. Lentulus Conſul concionem.* En orationem habitam ad populum, *Tota in illa concione Italia conſtitit.* En locum ad quem populus conuenerat, *Huius oratio & pergrauis, & grata concioni fuit.* En cœtum populi. Concio.

II. PRODVCTVS.] Vide Vat. 24. *Auctoritatis exquirendæ cauſa cæteri Tribuniplebis principes ciuitatis producere conſueuerunt.* Vbi fusè de hac principum producendorum & interrogandorum coram populo conſuetudine diſſeremus. Tantùm aduerte, quicumque magiſtratus eſſent agendi cum populo ius habuiſſe. Dionyſius lib. 4. Brutum ita loquentem inducit. Τῶν γὰρ Κελερίων ἄρχων εἰμὶ, καὶ ἀποδέδοταί μοι κατὰ νόμους ἐκκλησίαν, ὅτε βουλοίμην, συνάγειν. *Tribunus Celerum ego ſum, & mihi fas eſt ſecundum leges, populum in concionem, cùm libuerit, conuocare.* Priuatis verò ad populum licebat nullo modo antequam regibus expulſis id Sp. Lucretio permiſſum eſt, vt idem teſtatur initio lib. 5. Secutis temporibus id licuit quidem, ſed ita tamen vt producerentur ab aliquo magiſtratu, & interrogarentur quid ſentirent, iuberentúrque ſententiam ſuam exponere. Mos producendi in concionem.

III. ELOQVENTIAM.] Hoc ipſum eſt quod ſemel & iterum dicit Demoſthenes. Ὡς ἂν ὑμεῖς ἀποδέξησθε, καὶ πρὸς ἕκαστον ἔχητε εὐνοίας, οὕτως ὁ λέγων ἔδοξε φρονεῖν. *Vt enim vos excipitis, & vt quiſque vobis acceptus eſt, ita ſapienter loqui videtur.* Vide Notas in Cœlianam 45. *Inerat, niſi me propter beneuolentiam fortaſſe fallebat, oratio & bonis artibus inſtituta*, &c. De eloquentia Pompeij, vide exordium orationis pro Cornelio Balbo, & librum de claris Oratoribus. Eloquentiæ fama pendet à beneuolentia auditorũ.

AXIOMATA.

Nonnunquam improborum voce maculatur Reſp.
Qui improbos audit frequenter ſcelere adſtringitur.

ARGVMENTVM.

Hactenus de concione: nunc à comitiis eiuſdem rei probationem accerſit, eos nimirum populo iucundiores eſſe, qui optimatibus adhærent, nec captant auras illas populares.

VENIO ad comitia ſiue magiſtratuum placet, ſiue legum. Leges videmus ſæpè ferri multas: omitto eas, quæ feruntur ita, vix vt quini, & hi ex alia tribu, qui ſuffragium ferant, reperiantur: de me, quem tyrannum atque ereptorem libertatis eſſe dicebat, in illa ruina Reipub. dicit ſe legem tuliſſe. quis eſt, qui ſe, cùm contra me ferebatur, iniſſe ſuffragium confiteatur? cùm autem de me eodem ex Senatuſconſulto comitiis centuriatis ferebatur, quis eſt, qui non profiteatur ſe affuiſſe, & ſuffragium de ſalute mea tuliſſe? Vtra igitur cauſſa popularis debet videri? in qua omnes honeſtates ciuitatis, omnes ætates, omnes ordines vnà conſentiunt? an in qua furiæ concitatæ tanquam ad funus Reipub. conuolant? CIX.

EXPLANATIO.

VENIO.] Breuis tranſitio cum diuiſione. alia enim ſunt comitia quibus honores & magiſtratus mandantur, alia quibus leges perferuntur.

LEGES VIDEMVS.] Intricatior ſenſus quàm vt facilè poſſit expediri. Sic extrico: *Leges videmus ſæpè ferri multas. contendo nullam minus fuiſſe popularem ea lege qua ſum eiectus, nullam populo gratiorem ea qua ſum patriæ reſtitutus.* Dicit tamen ſe prætezire eas leges, *quæ feruntur ita vix vt quini & hi ex alia tribu, qui ſuffragium ferant, reperiantur.* Quia fortaſſe Clodius cùm leges alias ferret, vt de Cyprio Rege & aliis rebus eiuſmodi, neminem habebat in concione præter operas quaſdam & ſeruos, & perpaucos è vili plebecula, eóſque non ex omnibus tribubus, ſed ex vna tantùm Palatina collectos, *per quam omnes illæ peſtes vexare populum Romanum dicebantur.* Clodius igitur vt aliquam tributorum comitiorum ſpeciem exhiberet, eos in triginta quinque tribus ſic diſtribuebat, vt in ſingulis tribubus vix quini & ij quidem ex alia tribu in eas allecti ferrent ſuffragium.

ET HI EX ALIENA TRIBV.] Vulgò *alia*, ſed noſtrum reſtat in Nono, Erfurd. & Gembl.

DE ME.] Pub. Clodius vocans Ciceronem tyrannum & ereptorem libertatis, quòd iuſſiſſet coniuratos in carcere iugulari, legem de Cicerone ſe tuliſſe dicebat: ſed ea lex non fuit, tum quòd eſſet contra auſpicia & per vim lata, tum quòd verbis legitimis concepta non eſſet, tum ob alias rationes quæ paſſim alibi referuntur.

EX SENATVSCONS.] Vide ſuprà 73. 74. & infrà 128. 129.

OMNES HONESTATES.] Omnes ij qui honeſti ſunt, quique ſuum locum retinent in ciuitate.

OMNES ÆTATES.] Tam iuniorum, quàm ſeniorum centuriæ.

FVRIÆ CONC.] Seditioſi, qui furiarum inſtar tædas ardentes gerere videntur ad incendium ciuitatis.

NOTÆ.

I. EX S. C.] Comitia tum curiata, tum centuriata ſolebant ex S. C. celebrari, alioquin non videntur fuiſſe legitima, cuiuſmodi fuerunt ea quæ P. Clodius contra Senatus voluntatem indixerat. Halicarnaſſeus lib. 2. de Romuli inſtitutis. Ὅ,τι δὲ ταῖς πλείοσι δόξειε φάτραις, τοῦτο ἐπὶ τὴν βουλὴν ἀνεφέρετο. ἐφ᾽ ἡμῶν δὲ μετάκειται τὸ ἔθος. οὐ γὰρ ἡ βουλὴ διαγινώσκει τὰ ψηφισθέντα ὑπὸ τοῦ δήμου, τῶν δ᾽ ὑπὸ τῆς βουλῆς γνωσθέντων ὁ δῆμός ἐστι κύριος. *Quod pluribus Curiis viſum eſſet, id ad Senatum referebatur. Noſtra ætate verò mos in contrarium tranſlatus eſt. Non enim Senatus ea quæ populi ſuffragio decreta ſunt, recognoſcit, ſed contrà in iis quæ Senatus decreuerit, populus habet poteſtatem.* Quibus innuit iis comitiis Senatus decretum debuiſſe præmitti. Et expreſſiùs lib. 9. Τὰς μὲν φατριακὰς ψηφοφορίας ἔδει προβουλευσαμένης τῆς βουλῆς, &c. τότε κυρίας εἶναι. *Comitia curiata non niſi præmiſſo S. C. rata eſſe potuerunt.*

Comitia ex S. C. celebrata.

COMITIIS CENTVRIATIS.] Quibus ſolis poterat agi de capite ciuis Romani, vt iam ſuprà oſtendimus, quæ comitia duodecim tabulæ *maximum comitiatum* appellant. II

HONESTATES.] Neſcio quid viros doctos induxit, vt hanc vocem inducendam putarent, cùm ſignificari facilè poſſint omnes qui ſunt in aliqua dignitate, qui locum ſuum & gradum retinent in ciuitate, qui nec ſunt infames, nec capite diminuti. Vide infrà 103. *Non tenuit eum locum.* pro Murena 83. *Nolite hac eum re qua ſe honeſtiorem fore putauit, eum cæteris antepartis honeſtatibus, atque omni dignitate fortunáque priuare.* Sed vt nunc aliò properemus, vide Notas noſtras de Prouinc. Conſular. 11. *Non ſolùm bona, ſed etiam honeſtatem miſeri deperdiderunt.* III

Honeſtas.

OMNES ÆTATES.] Diſcriminatæ penes ætatem in eadem claſſe centuriæ, vt notant Halicarnaſſeus lib. 4. & Liuius lib. 1. vnde frequenter in comitiis centuriatis inuenias iuniorum & ſeniorum mentionem. vltima Verrina 37. *Tu cùm eſſes prætor renuntiatus quoquomodo (mitto enim & prætereo quid tum ſit actum) ſed cùm eſſes renuntiatus, vt dixi, non ipſa præconis voce excitatus es, qui te toties ſeniorum iuniorúmque centuriis illo honore affici pronuntiauit.* Florus lib. 2. cap. 6. *Quid autem in eligendis magiſtratibus? Quæ centuriarum ſapientia? cùm iuniores à ſenioribus conſilium de creandis Conſulibus petiuere?* Ex Liuio lib. 6. decadis 3. Sed de his centuriis earúmque ſecundum ætates diſcrimina Liuius lib. 1. Halicarnaſſeus libro 4. & alij conſulantur. Diſtinctæ fuerunt per ætates vt iuniores ad bellum educerentur, ſeniores ad vrbis cuſtodiam remanerent. Vbi autem ſexageſimum ætatis annum exceſſerant *Depontari* dicebantur, quod in pontibus, in quibus ferebantur ſuffragia locum comitiis centuriatis non haberent. IV.

Centuriæ iuniorum & ſeniorum.

OMNES ORDINES.] Propriè ſi loquamur duos tantùm ordines fuiſſe dicemus, Senatorium & Equeſtrem: de quibus Martialis libro 4. epigr. 2. V.

Ordines.

Cùm plebs & minor ordo, maximúſque
Sancto cum duce maximus ſederet
Toto nox cecidit repente cœlo.

Frequenter tamen plebs ipſa, & potiſſimùm Tribuni ærarij ordinum nomine continentur.

AXIOMA.

Eſt ea cauſa popularis, in qua omnes honeſtates ciuitatis, omnes ætates, omnes ordines vnà conſentiunt, non ea in qua furiæ concitatæ tanquam ad funus Reipub. conuolant.

ARGVMENTVM.

Arrepta occaſione delabitur ad inſectationem Gellij Clodianæ ſeditionis anteſignani, qui illius conciones moderabatur, ſingulis operis ſuam tribum aſſignans, vt veri populi tributa comitia ſaltem adumbraret.

AN, ſicubi aderit Gellius, homo & fratre indignus viro clariſſimo C
atque optimo Conſule, & ordine equeſtri, cuius ille ordinis nomen retinet, ornamenta confecit, id erit populare? eſt enim homo iſte populo Rom. deditus. nihil vidi magis. qui, cùm eius adoleſcentia in ampliſſimis honoribus ſummi viri, L. Philippi, vitrici florere potuiſſet, vſque eo non fuit popularis, vt bona ſolus comeſſet. deinde ex impuro adoleſcente, & petulante, poſteaquam rem paternam ab idiotarum diuitiis ad philoſophorum regulam perduxit, Græculum ſe, atque otioſum putari voluit: ſtudio litterarum ſe ſubitò dedidit: nihil ſanè Attæ iuuabant: anagnoſtæ, libelli etiam pro vino ſæpè oppignerabantur: manebat inſaturabile abdomen: copiæ deficiebant. Itaque ſemper verſabatur in ſpe rerum nouarum: otio, & tranquillitate Reipub. conſeneſcebat.

EXPLANATIO.

AN SICVBI.] Tranſitio. Gellij frater Luc. Gellius fuit vir Cenſorius & Conſularis. Conſulem appellat pro Conſulari. vt Lyricus,

Motum ex Metello Conſule ciuicum.

cum tamen Metellus Conſul fuerit initio bellorum ciuilium.

ATQVE OPTIMO CONSVLE.] Manutius hæc verba delet, quod in vetere libro Caroli Sigonij non compareant. vel pro *Conſule*, legit *ciue*.

ORNAM. CONFECIT.] Abliguriuit patrimonium, adeo vt iam cenſum equeſtrem non habeat, id eſt, quadringenta ſeſtertia, quæ ſecundum legem Roſciam requiruntur, ad hoc vt in ſpectaculis quis ſedere poſſit in ordinibus quatuordecim podio & orcheſtræ vicinioribus, ſoli Equeſtri ordini deſtinatis.

EST ENIM.] Ironia. feſtiuè verò Gellij ſordes carpit, eam adferens rationem cur eum popularem eſſe neget, quòd ſolus bona ſua comederit, nec ad ea comedenda quemquam è populo inuitarit.

LVC. PHILIPPI.] Luc. Philippus hic fuit qui Conſul grauiter diſſenſit à Senatu, de quo oratione de prouinciis Conſular. 21. & procemio lib. 3. de Oratore. Pater L. Marcij Philippi, qui hoc ipſo anno gerebat Conſulatum. Vitricus Gellij qui matrem Gellij duxit vxorem.

DEINDE EX.] Alio ioco Gellij philoſophiam eludit. Tam impurus fuit, inquit, in adoleſcentia, vt patrimonium abligurierit, & in profundam libidinum ſuarum voraginem demerſerit. Poſtquam autem ita rem paternam attriuit, vt idiota & philoſophiæ expers, ea patrimonij tenuitate contentus eſſe non poſſet, eique tantum detraxit, quantum philoſophi detrahendum eſſe præſcribunt dicentes naturam paucis eſſe contentam, Græculum ſe atque Scholaſticum putari voluit. Se philoſophiæ ſubitò dedidit, vt non ex neceſſitate, ſed ex certâ animi inductione ad inopiam redactus eſſe videatur.

NIHIL.] Locus vel ideo obſcurus, quia corruptus. Vulgo, *Nihil ſanè à te iuuabatur.* id eſt, Tu, P. Clodi, cùm tuum Gellium tuorum ſcelerum ſatellitatem decoxiſſe aduerteres, tam ingratus fuiſti, vt ne quidem eius inopiæ ſuccurreres. Petrus Victorius, & Lambinus, veterum, vt aiunt, codicum fide legunt, *Nihil ſanè Attæ iuuabant*, & Poëtam Attam interpretantur, quem Gellio familiarem eſſe volunt. Nec ſanè placet prior lectio, & apoſtrophe ad Clodium tam abrupta. Alij, *Nihil ſanè arte iuuabatur.* Id eſt, hæc ars & philoſophiæ ſimulatio nihil adiuuabat, quia manebat inſaturabile abdomen & helluandi conſuetudo. Alij legunt, *Nihil ſanè te iuuabant anagnoſtæ.* Id eſt, Tu, ô Gelli, nullam vtilitatem ex anagnoſtis ſiue lectoribus colligebas. Senſus quidem liquidus eſſet, ſed minus vſitata apoſtrophes illius abruptio. Quid ſi legeremus? *Nihil ſanè iuuabant anagnoſtæ.* eodem ſenſu. Pantagathus legit, *Nihil ſanè à re iuuabatur.* Id eſt, res familiaris, quam dilapidauerat & confecerat, Gellium non iuuabat. Vide Notas. Emendant etiam nonnulli, *Nihil ſanè chartæ iuuabant.*

ANAGNOSTÆ.] Lectores & libri pignori opponebantur, vt Gellio pretium vini, quod emerat, crederetur.

MANEBAT.] Hærebat altis radicibus defixa potandi & nepotandi conſuetudo: ſed abſumptæ erant copiæ, quibus ille ſuas cupiditates expleret.

CONSENESCEBAT.] Ægreſcebat, & contabeſcebat, grauiter ferens pacem publicam, & expetens attrita commoda luxu reparare, bellis ciuilibus.

NOTÆ.

VIRO CLARISS.] Qui *clariſſimi*, qui *optimi* dicerentur, videbimus in Vatin. 41. & pro Milone 17. I.

ORNAMENTA.] Quæ ſunt Equeſtris ordinis ornamenta? anguſtus clauus, annulus, tra- II.

bea, de quibus plura in Piſonem §. 17. Fibula, equus publicus, cenſus equeſtris, id eſt, quadringenta millia ſeſtertiûm. De quibus ſingulis diſſeremus. De fibula equeſtri Martialis libro 5. epig. 42.

Theatra loqueris & gradus, & edicta,
Trabeáſque, & idus, fibuláſque, cenſúſque.

Fibula equeſtris.

Ad fibulas equeſtres alludit Liuius lib. 39. *Quintius alter prætor ſuos equites catellis ac fibulis donauit.* Fibulas tribunitias agnoſcit Plinius lib. 33. cap. 3. *In militiâ quoque in tantum adoleuit hæc luxuria, vt M. Bruti in Philippicis campis epiſtolæ reperiantur frementes fibulas tribunitias ex auro geri.* De equo publico commodiùs dici non poteſt quàm à Noſtro Valtrino, aut eruditiùs quàm à Iuſto Lipſio: è quibus nos pauca libamus. Feſtus: *Equitare, antiqui dicebant equo publico merere.* Plinius lib. 33. cap. 1. *Equitum nomen ſubſiſtebat in turmis equorum publicorum.* Atque ij ſolùm qui mererent equo publico, Idibus quintilibus tranſuehebantur, oleâ redimiti, & trabeati. Halicarnaſſeus lib. 6. Ἡ μετὰ τὴν θυσίαν ἐπιτελουμένη πομπὴ τῶν ἐχόντων τὸν δημόσιον ἵππον, οἳ κατὰ φυλὰς καὶ λόχους κεκοσμημένοι στοιχηδὸν ἐπὶ τῶν ἵππων ὀχούμενοι πορεύονται πάντες, ὡς ἐκ μάχης ἥκοντες. ἐστεφανωμένοι θαλλοῖς ἐλαίας καὶ πορφυρᾶς φοινικοπαρύφους ἀμπεχόμενοι τηβέννας, τὰς καλουμένας τραβέας. *Pompa & tranſuectio eorum qui equum publicum habent, poſt ſacrificia celebrari ſolita. Ij per centurias & turmas equis inſidentes vehuntur omnes quaſi è pugna venientes, ramis oleæ coronati, & purpureas palmatas togas induti quas trabeas dicunt.* Alij tamen equos priuatos habuerunt, de quibus illi. nos aliò properamus. De cenſu equeſtri omnes paſſim. Iuuenalis Sat. 14.

Equus publicus.

Ergo aliquid noſtris de moribus, effice ſummam
Bis ſeptem ordinibus quam lex dignatur Othonis.
Hoc quoque ſi rugam trahit extendítque labellum
Sume duos equites: fac altera quadringenta.

Quia nimirum lege Roſciâ, quam Domitianus poſtea renouauit, nemini licebat in quatuordecim infimis, & ſcenæ vel arenæ vicinis graduum ordinibus ſedere, qui non quadringenta ſeſtertiûm millia poſſideret. vnde Martialis libro 5. epig. 26.

Cenſus equeſter.

Quadringenta tibi non ſunt Chæreſtrate, Surge, &c.

vide epig. 37. de quodam Euclide. & 40.

Calliodorus habet cenſum (quis neſcit?) equeſtrem,
Sexte, ſed & fratrem Calliodorus habet.
Quadringenta ſecat, qui dicit συκᾶ μέριζε,
Vno credis equo poſſe ſedere duos?

vide plura, & alibi paſſim. Cæterùm dubitari poſſit an quadringentorum ille cenſus fuerit lege Roſcia conſtitutus. videtur Plinius diſſidere lib. 33. cap. 2. *Conſtitutum ſub Tiberio ne cui ius annuli eſſet, niſi cui ingenuo patri auóque paterno ſeſtertia quadringenta fuiſſent, & lege Iulia Theatrali in 14. ordinibus ſedendi.* Neque ſanè antiquiores cùm de lege Roſcia agunt, frequenter cenſus meminerunt. *Luc. Roſcius Tribunus plebis legem tulit*, inquit Epitome Liuiana, *vt equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi aſſignarentur.* Nullam Dio, nullam Plutarchus, nullam Aſconius cenſus equeſtris in lege Roſcia faciunt mentionem. immo Horatius epod. ode 4. videtur innuere Othonem in aſſignandis ordinibus non tam pecuniarum, quàm generis & ingenuitatis habuiſſe rationem: dum Mænam qui *arabat Phalerni mille fundi iugera*, ſic inſectatur.

Lex Roſcia de Equitibus.

Sedilibúſque magnus in primis eques
Othone contempto ſedet?

Reclamat Iuuenalis Sat. 3.

--Exeat, inquit,
Si pudor eſt, & de puluino ſurgat equeſtri
Cuius res legi non ſufficit: & ſedeant hîc
Lenonum pueri, quocunque in fornice nati.
Hic plaudat nitidi præconis filius, inter
Pinnirapi cultos iuuenes, iuuenéſque laniſtæ.
Sic libitum vano qui nos diſtinxit Othoni.

Conficit.] Plautus Captiueis actu 3. ſcenâ 5. III.

Conficere patrimonium.

Delacerauiſti, deartuauiſtíque opes,
Confeciſti omnes res ac rationes meas.

In Trinummo actu 2. ſc. 4.

Comeſum, expotum, exutum, elotum in balneis,
Piſcator, piſtor abſtulit lanij, coqui,
Olitores, myropolæ, aucupes, confit cito
Quam ſi tu obiicias formicis papauerem.

Vt bona solvs comesset.] Talis fuit ille iocus de quo Cicero 2. de Oratore. *Vt ille Gallus olim teſtis in Piſonem, cùm innumerabilem Magio Præfecto pecuniam dixiſſet datam, idque Scaurus tenuitate Magij redargueret, Erras, inquit, Scaure. Ego enim Magium non conſeruaſſe dico, ſed tanquam nudus nuces legeret, in ventrem abſtuliſſe.* Poſſet huiuſmodi gulæ exempla congeri, vt illud apud Athenæum lib. 8. Ἐν δείπνῳ δέ ποτε καλῆς λοπάδος ὄψου παρατεθείσης ὁ Δήμυλος οὐκ ἔχων ὅπως αὐτὴν μόνος καταφάγῃ ἐνέπτυσεν εἰς αὐτήν. *Cœnantibus aliquando præclarâ opſonij lance appoſitâ, Demylus cùm aliam rationem qua ſolus eam comeſſet non haberet, in eam excreauit.* Et ſanè quàm inhumanum ſit ſolum comedere, indicat Plutarchus conuiualibus quæſtionib. proœmio lib. 7. Ῥωμαίων τις εἶπε, ἐπεὶ μόνος ἐδείπνησε βεβρωκέναι μὴ δεδειπνηκέναι σήμερον. *Romanus quidam cùm ſolus cœnaſſet, dixit ſe non cœnaſſe, ſed deuoraſſe.* Epicurus apud Senecam epiſt. 19. *Ante circumſpiciendum eſt cum quibus edas & bibas, quàm quid edas, & bibas: nam ſine amico viſceratio, leonis ac lupi vita eſt.* IV.

Guloſi.

Idiotarvm.] Illiteratorum, non philoſophantium. in Piſonem 62. *Ea contemnis quæ illi idiotæ, vt tu appellas, præclara duxerunt.* vide. Dicitur autem idiota is qui in quauis arte eſt imperitus. Dio Pruſæus oratione de Philoſopho. Οὐχ οἷόν τε τοῦ τέκτονος τὸν ἰδιώτην ἄμεινον ποιῆσαί τι κατὰ τὴν τεκτονικήν. *Fieri non poteſt vt idiota quicquam melius efficiat circa architecturam, quàm architectus.* V.

Idiotæ.

Ad Philosophiæ regvlam.] Philoſophiam multis fuiſſe mantelum quo, dilapidato patrimonio, ſuam egeſtatem obuoluerent, tradit Appianus in Mithridaticis, atque adeo philoſophos omnes in inuidiam vocat. vbi enumeratis aliquot generatim qui è philoſophis, ἐδυνάστευσάν τε καὶ ἐτυράννησαν ὠμότερον τῶν ἰδιωτικῶν τυράννων. *crudeliùs tyrannidem exercuerunt, quàm tyranni idiotæ.* ſubdit: Ὥστε περὶ τῶν ἄλλων φιλοσόφων ἀπορεῖν ποιῆσαι καὶ ὕποπτον, εἴ τε δι' ἀρετήν, εἴ τε πενίας καὶ ἀπραξίας τὴν σοφίαν ἔθεντο παραμύθιον. ὧν γε νῦν πολλοὶ ἰδιωτεύοντες, καὶ πενόμενοι, καὶ τὴν ἀναγκαίαν ἐκ τῶνδε σοφίαν περικείμενοι τοῖς πλουτοῦσιν, ἢ ἄρχουσι λοιδοροῦνται πικρῶς, οὐχ ὑπεροψίας πλούτου καὶ ἀρχῆς δόξαν σφίσι μᾶλλον ἢ ζηλοτυπίας εἰς αὐτὰ περιφέροντες. ὑπερορῶσι δ' αὐτῶν οἱ βλασφημού- VI.

Philoſophia multis velum fuit ad ſuam egeſtaté obtegendam.

βλασφημούμενοι πολὺ σοφώτεροι. *Adeo vt de aliis etiam philoſophis dubium eſſe poßit & ſuſpectum, vtrùm virtutis cauſâ philoſophentur, an illud paupertati & ignauiæ ſolatium quaſi ſiparium obtendant. E quibus nunc multi cùm priuati ſint & egeni, & eam ob rem ad neceſſariam philoſophiæ regulam ſe conferentes, diuitibus & magiſtratibus aſperè conuiciantur, non magis opinionem deſpicientiæ diuitiarum & magiſtratuum, quàm liuoris & inuidiæ referentes. Eos autem ſapientiùs contemnunt qui conuiciis appetuntur.* Quod autem ad philoſophiæ regulam ſpectat ea ipſa eſt præter quam

Nil aliud ſibi naturam latrare,

Natura paucis contentæ. ait libro 2. Lucretius. *Naturam paucis eſſe contentam.* hanc regulam ſequens Heraclitus Perſicas gazas contemnit, Dario in hæc verba reſcribens.
Frugalitas Heraclei. Οὐκ ἂν ἀφικοίμην εἰς Περσικὴν χώραν, ὀλίγοις ἀρκεόμενος κατ' ἐμὴν γνώμην. *In Perſidem non proficiſcar, paucis contentus ex animi mei ſententiâ.*
Cratetis. Crates etiam quadam epiſtolâ, Ἀσκεῖτε ὀλίγων δεῖσθαι. τοῦτο γὰρ ἐγγυτάτω Θεοῦ. τὸ γὰρ ἐναντίον μακροτάτω. *In eo vos exercete vt paucis egeatis. hoc enim proximè ad Deum accedit. Contrarium autem recedit quàm longißimè.* Huiuſmodi non pauca exempla ſunt
Anaxagoræ. apud Laërtiũ: Ἀναξαγόρας, &c. τὰ πατρῷα παρεχώρησε τοῖς οἰκείοις. αἰτιαθεὶς γὰρ ὑπ' αὐτῶν ὡς ἀμελῶν. τί οὖν, ἔφη, οὐχ ὑμεῖς ἐπιμελεῖσθε; καὶ τέλος ἀπέστη. *Paterna bona domeſticis conceßit. Incuſatus enim ab iis quod ea negligeret. Quid igitur, inquit, vos curam non*
Xenocratis. *habetis? iiſque deinde ceßit.* Xenocrates: Ἀλεξάνδρου συχνὸν ἀργύριον ἀποστείλαντος αὐτῷ, τρισχιλίας Ἀττικὰς ἀφελών, τὸ λοιπὸν ἀπέπεμψεν εἰπὼν ἐκείνῳ πλειόνων δεῖν πλείονας τρέφοντι. *Cùm ei Alexander vim magnam argenti miſiſſet, tribus Atticarum millibus acceptis reſiduum remiſit, plurium aiens illi opus eſſe, plures nutrienti.* De quo Themiſtius in Exploratore: Πότε χρημάτων διδομένων κρείττων ἐφάνης, ὥσπερ Ξενοφάνης ἐκεῖνος τῶν πεντήκοντα παρ' Ἀλεξάνδρου ταλάντων. *Ecquando tandem oblatis pecuniis ſuperior fuiſti, vt Xenophanes ille quinquaginta talenta ab Alexandro miſſa contempſit.* Sed ne ſit opus ire per ſingulos, illi ipſi Cyrenaici & Epicurei qui ſummum bonum in voluptate poſuerunt, paucis tamen fuere contenti, & diuitias vbi fuit opus ex animo ſpreuerunt. De Ariſtippo idem Laërtius multa, & Horatius lib. 2. Sat. 2. Præclarè Turpilius:

Profectò vt quiſque minimo contentus fuit,
Ita fortunatam vitam duxit maximè,
Vt philoſophi aiunt iſti, quiduis ſatis eſt.

Epicuri. *Ab Epicuro dictum eſt:* verba ſunt Senecæ epiſt. 19. *Si ad naturam viues nunquam eris pauper: ſi ad opinionem, nunquam diues. Exiguum natura deſiderat, opinio immenſum.* Quod Epicuri effatum hoc diſticho expreſſum habet Laërtius:

Τᾶς φύσιος δ' ὁ πλοῦτος ὅρον τινὰ βαιὸν ἐπισχεῖ
Αἱ δὲ κεναὶ κρίσιες τὰν ἀπέραντον ὁδόν.

Vertit in fragmentis Petronius:

Quod ſatiare poteſt diues natura miniſtrat:
Quod docet infrenis gloria, fine caret.

Quid? quòd vt ibidem habetur aqua & pane tenui fuit contentus? quid? quòd ad epulas dapſiles aliud nihil quàm caſei tantillum exigebat. Eius etiam verbum eſt apud Senecam epiſt. 27. *Diuitiæ ſunt ad legem naturæ compoſita paupertas.* Ceterùm in eos qui hanc philoſophiæ regulam tranſgredi non verentur pulchrè Latinus Aſtronomicus proœmio libri 4.

Cúmque ſui paruos vſus natura repoſcat,
Materiam ſtruimus magnæ per vota ruinæ,
Luxuriámque lucris emimus, luxúque rapinas,
Et ſummum ſenſus pretium eſt effundere cenſum.

Lucretius lib. 5.

Quòd ſi quis vera vitam ratione gubernet,
Diuitiæ grandes homini ſunt viuere parcè
Æquo animo. neque enim eſt vnquam penuria parui, &c.

Sed de hac philoſophiæ regula vide apud Apuleium, tum plurima, tum pulcherrima apologia priore, inter cætera. *Namque animi, ita vt corporis ſanitas expedita, imbecillitas lacinioſa eſt: certúmque ſignum eſt infirmitatis pluribus indigere. Prorſus ad viuendum, velut ad natandum, is melior qui onere liberior,* &c. Sed iam ad inſtitutum: Quod hic Gellio Noſter obiicit, id iam antè Pythagoreis Antiphanes obiecerat, cuius verba ab Athenæo referuntur lib. quarto deipnoſ. Eorum frugalitatem fuiſſe ſimulatam, vt hoc prætextu ſuam egeſtatem obtegerent.

Ἐπεὶ παράθες αὐτοῖς ἰχθῦς ἢ κρέας
Κἂν μὴ κατεσθίωσι καὶ τοὺς δακτύλους
Ἐθέλω κρεμᾶσθαι δεκάκις.
Appone piſces, carnibus veſci iube,
Lambendo digitos ni ſibi prærroſerint,
Pendere decies cupio: vide.

GRÆCVLVM.] Ita vocabantur qui ſe phi- VII. Græculus & Scholaſticus.
loſophiæ ſtudiis applicabant. Plutarchus in Cicerone. Ταῦτα δὴ τὰ Ῥωμαίοις τοῖς βαναυσοτάτοις πρόχειρα, καὶ συνήθη ῥήματα Γραικὸς καὶ σχολαστικὸς ἀκούων. *Cùm verba quæ agreſtißimis quibuſque Romanis ſemper in ore verſantur, Græculus & otioſus audiret.*

OTIOSVM.] Scholaſticum Auſonius eidyl- VIII.
lio quodam ad nepotem:

-Graiis ſchola nomine dicta
Iuſta laboriferis tribuantur vt otia muſis.

Vide quæ diximus in Cœlianam 41.

ATTÆ IVVABANT.] Quoniam vulga- IX.
tior eſt iſta lectio, nec facilè velim à regiâ viâ deflectere paucis euoluenda eſt. Quid ſi dicamus hîc Numerium Quintium, & huiuſmodi quiſquilias Attas nominari. hæc enim appellatio cognomentum fuit gentis Quintianæ, ſi feſto credimus Attam illum Poëtam cuius Horatius meminit Quintium nominanti. vt Clodianis exprobret qui ſuis bonis Gellij paupertati minimè ſubuenerint. Vel *nihil ſanè Attæ iuuabant:* id eſt, fruſtra imbuebatur præceptis Græculorum illorum ſenum & bene barbatorum. quos ſibi ille vitæ ſuæ moderatores quæſiuerat, fruſtra, inquam, imbuebatur eorum præceptis ad ſubleuandam inopiam: quia manebat inſaturabile abdomen. Græculos verò Attas appellat, id eſt, Senes. Feſtus Pompeius: *Atta pro reuerentia ſeni cuilibet dicimus: quaſi eum aui nomine appellemus.* Sic Telemachus Odyſſ. π'. Seniorem illum Eumæum ter compellat:

Atta Quintiorum cognomentum.

Attæ Senes.

Ἔσσεται οὕτως ἄττα. σέθεν δ' ἕνεκ' ἐνθάδ' ἱκάνω.
Sic erit atta. tui nunc cauſa huc dirigo greſſum.
Ἄττα πόθεν τοι ξεῖνος ὅδ' ἵκετο;
Atta tibi hic vnde hoſtes adeſt?
Ἄττα σὺ δ' ἔρχεο θᾶσσον.
Atta gradum properato.

Quid ſi dicamus *Attas* myſtas quoſdam fuiſſe qui Gellium ſacris quibuſdam ritibus initiarint? Atten enim ſiue Attam in myſteriis proclamabant. Orator Græcus pro Cteſiphonte:

Q

Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις τοὺς καλοὺς θιάσους ἄγων διὰ τῶν ὁδῶν τοὺς ἐστεφανωμένους τῷ μαράθρῳ καὶ τῇ λεύκῃ, τοὺς ὄφεις τοὺς παρείας θλίβων, καὶ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς αἰωρῶν, καὶ βοῶν εὐοῖ σαβοῖ, καὶ ἐπορχούμενος ὕης Ἄττης, Ἄττης ὕης, ἔξαρχος καὶ προηγεμὼν, καὶ κιττοφόρος, καὶ λικνοφόρος (lego λικνοφόρος) καὶ τὰ τοιαῦτα ὑπὸ τῶν γραϊδίων προσαγορευόμενος, μισθὸν λαμβάνων τούτων, ἔνθρυπτα, καὶ στρεπτοὺς, καὶ νεήλατα. *Interdiu autem præclaros illos cœtus per vias ducens, fœniculo & populo albâ redimitos, ſerpentes quas parias vocant elidens, & ſupra caput efferens, & clamitans euoë ſaboë, & interim ſaltitans hyes Attes, Attes hyes, auſpex & anteambulo, & picifer, & vannifer, & eius generis nominibus ab aniculis ſalutatus, mercedemque pro iſtis muneribus accipiens, placentas, & ſcriblitas, & recentes panes.* Quo flexu Græci Attam frequenter vſurpant, vt non ſolùm Atym dictum putemus. Plutarchus Erotico: Οὐ γὰρ νῦν αἰτεῖ πρῶτον βωμὸν ὁ ἔρως, οὐδ' ἔπηλυς ἔκ τινος βαρβαρικῆς δεισιδαιμονίας, ὥσπερ Ἄτται τινὲς καὶ Ἀδωναῖοι λεγόμενοι, δι' ἀνδρογύνων καὶ γυναικῶν παραδύεται, καὶ κρύφα τιμὰς οὐ προσηκούσας καρπούμενος, ὥστε παρεισγραφῆς δίκην φεύγειν καὶ νοθείας τῆς ἐν θεοῖς. *Non enim nunc primùm Amor aram requirit, neque aduena eſt ex quadam anili ſuperſtitione, quemadmodum qui Attæ & Adonæi vocantur, per homines euiratos & mulierculas obrepit, indecoros honores clam accipiens, vt tanquam nothus accuſari poſſit inter Deos.* E quibus rationem aduertas cur fortaſſe Noſter Gellio has Attarum initiationes, tanquam aniles, ſuperſtitioſas, impuras exprobrarit. quo ſenſu etiam interpretor Nicandrum verſu 7. Alexipharmacorum:

Atte initiationum verbum.

Atta, Athis.

--ἠχί τε Ῥείης
Λοβείνης θαλάμαι τε καὶ ὀργαστήριον Ἄττεω.

vel ſi mauis ἐργαστήριον. cuiuis enim vel mediocriter Græcis imbuto compertum eſt quid ſit ὀργᾷν, & τῷ σώματι ἐργάζεσθαι. Quid ſi denique legeremus, *nihil ſanè Atticæ iuuabant.* quaſi fucata quadam diligentiæ ſpecie, ita ſe totum in philoſophiam abſtruderet, vt non vnam Atticam, ſed multas Atticas deuoraturus eſſe videretur. Sed nimirum illa potandi helluandíque conſuetudo tam altis in eius animo radicibus inſederat, vt ne multarum quidem, ſi tot eſſent, Atticarum præceptis & inſtitutione poſſet euelli. Sic Perſius eandem ob cauſam Anticyras numero multitudinis vſurpat.

--Anticyras melior ſorbere meracas.

x. ANAGNOSTÆ.] Lectores. Eos enim ſeruos Græco nomine dicebant anagnoſtæ, quorum opera in legendis libris vterentur. lib. I. ad Attic. ep. 9. *Puer Feſtiuus anagnoſtes noſter Soſitheus.* P. Vatinius quadam epiſtola ad Ciceronem. *Dicitur mihi tuus ſeruus anagnoſtes fugitiuus cum Vardacis eſſe.* Græcum autem nomen retinebant, quòd ſeruos vt plurimùm Græcos ei muneri deputabant. Cornelius Nepos in Attici vita. *Vſus eſt familiâ ſi vtilitate iudicandum eſt optimâ; ſi forma, vix mediocri. Namque in ea erant pueri litteratiſsimi, anagnoſtæ optimi, & plurimi librarÿ, vt ne pediſequus quidem quiſquam eſſet, qui non vtrumque horum pulchrè faceret.* Hos autem humaniores conuiuiis adhibebant. ibidem Nepos. *Nemo in conuiuio eius aliud* ἀκρόαμα *audiuit, quàm anagnoſtem: quod nos quidem iucundiſsimum arbitramur: neque vnquam ſine aliqua lectione apud eum cœnatum eſt: vt non minùs animo quàm ventre, conuiuæ delectarentur.* Plinius Iunior lib. 3. epiſt. 5. de Plinio maiore auunculo ſuo. *Studebat in cœna tempus. Super hanc legebatur, annotabatur, & quidem curſim. Memini quemdam ex amicis, cùm lector perperam quadam pronuntiaſſet, reuocaſſe, & repeti coëgiſſe. Huic auunculum meum dixiſſe: Intellexeras nempe? cùm ille annuiſſet, cur ergo reuocabas? decem amplius verſus hac tua interpellatione perdidimus. Tanta erat parſimonia temporis.* Idque faciebant vt plurimùm Poëtæ, vt conuiuis ſua carmina recitarent. Plenus eſt Martialis. nos vnum proferamus, lib. 3. ep. 50.

Anagnoſtæ.

Mos legendi ad menſam.

Hæc tibi, non alia eſt ad cænam cauſa vocandi,
Verſiculos recites vt, Ligurine, tuos.
Depoſui ſoleas. adfertur protinus ingens
Inter lactucas oxygarúmque liber.
Alter perlegitur. dum fercula prima morantur.
Tertius eſt nec adhuc menſa ſecunda venit, &c.

Vide lib. II. ep. 53. ad Iulium Cerealem. Rurſus Plinium Iuniorem epiſt. 15. lib. primi, & lib. noni 17. *Quàm multi cùm lector, aut lyriſtes, aut comœdus inductus eſt, calceos poſcunt, aut non minore cum tædio recubant*, &c. Gellius lib. 3. cap. 19. *Apud cœnam Phauorini philoſophi cùm diſcubitum fuerat, cœptúſque erat apponi cibus, ſeruus aſsiſtens menſæ eius legere incœptabat, aut Græcarum quid litterarum, aut noſtratium.*

MANEBAT INSAT. ABDOMEN.] Æſchines in Timarchum: Ἐπειδὴ δὴ ταῦτα μὲν ἀπολώλει, καὶ κατεκεκύβευτο, καὶ κατωψοφάγητο, οὗτος δ' ἔξωρος ἐγεγένετο, ἐδίδου δ' εἰκότως οὐδεὶς οὐδέν· ἡ δὲ βδελυρὰ φύσις καὶ ἀνόσιος ἀεὶ τῶν αὐτῶν ἐπεθύμει, καὶ ὑπερβολὴν ἀκρασίας ἕτερον ἐφ' ἑτέρῳ ἐπέταττε, καὶ μηδὲν ἐπεφέρετο εἰς τὸ καθ' ἡμέραν ἔθος, ἐνταῦθα ἤδη ἐτράπετο ἐπὶ τὸ καταφαγεῖν τὴν πατρῴαν οὐσίαν, καὶ οὐ μόνον κατέφαγεν, ἀλλ' εἰ οἷόν τε εἰπεῖν καὶ κατέπιεν. *Poſtquam verò hæc tum aleis, tum ingluuie conſumpta ſunt, & iſte factus eſt exoletus, iure nemo amplius largiebatur.* impura *verò iſtius & nefaria natura eadem ſemper cupiebat, & intemperantiæ quadam immoderata libido aliud ex alio imperabat, nihilque ad quotidianam viuendi conſuetudinem conferebatur, tum ad deuorandum patrimonium ſe conuertit, neque deuorauit tantùm, ſed etiam, ſi dicere fas eſt, ebibit.* XI.

Helluo.

ABDOMEN.] In Piſonem 41. *Ille gurges & helluo, natus abdomini ſuo non laudi atque gloriæ. Abdomen* λαπάρα vt interpretatur Chariſius lib. I. Auſonius in Moſella, XII.

Abdomen. Sumen.

--pinguíque fluens abdomine venter.

Iuuenalis:

--placant abdomine porcæ
Atque bonam cratere Deam.--

Quod poſtea ſumen dictum eſt. Plinius, *Publÿ mimorum Poëtæ cœna, poſtquam ſeruitutem exuerat, nulla memoratur ſine abdomine, vocabulo etiam ſuminis ab eo impoſito.*

AXIOMA.

Homines abdomini dediti copiis deficientibus ſemper verſantur in ſpe rerum nouarum, otio & tranquillitate Reipub. conſeneſcunt.

ARGVMENTVM.

Hactenus de Gellij flagitiis & nequitia, nunc ſcelera & ſeditiones ex egeſtate natas inſectatur, addit odium conſanguineorum quod ille ſuis ſceleribus contraxerat.

ECQVA ſeditio vnquam fuit, in qua non ille princeps? ecquis ſeditioſus, cui ille non familiaris? ecqua turbulenta concio, cuius ille non concitator? cui benè dixit vnquam bono? bene dixit? immo, quem fortem & bonum ciuem non petulantiſſimè eſt inſectatus? qui, vt credo, non libidinis cauſſâ, ſed vt plebicola videretur, libertinam duxit vxorem. is de me ſuffragium tulit, is affuit, is interfuit epulis, & gratulationibus parricidarum. in quo tamen eſt me vltus, cùm illo ore inimicos eſt meos ſuauiatus, qui quaſi mea culpa, bona perdiderit, ita ob eam ipſam cauſſam eſt mihi inimicus, quia nihil habet. Vtrùm ego tibi patrimonium eripui, Gelli, an tu comediſti? quid? tu meo periculo gurges ac vorago patrimonij heluabare, vt ſi ego Conſul Rempub. contra te, & gregales tuos defendiſſem, in ciuitate eſſe me nolles? te nemo tuorum videre vult: omnes aditum, ſermonem, congreſſum tuum fugiunt: te ſororis filius Poſtumius adoleſcens grauis, ſenili iudicio notauit, cùm in magno numero tutorem liberis non inſtituit. CXI.

EXPLANATIO.

ECQVÆ SED.] Egeni, ij præſertim qui per luxum ſua bona dilapidarunt, ad ſeditionem parati ſunt, ſpe nouarum tabularum, aut cuiuſuis emolumenti, verſantur in cupiditate rerum nouarum, otio & tranquillitate Reipub. conſeneſcunt, quare meritò Noſter deſcripto Gellij luxu nunc eiuſdem ſeditiones exponit quem in Vatin. 4. *Nutriculam ſeditioſorum* appellat: & eiuſdem maledicentiam carpit.

QVI VT CREDO.] Aliam Gellij leuitatem inſectatur, qui tantam nobiliſſimæ familiæ ſuæ maculam adſperſit, vt matrimonium cum libertini filia contraxerit. Eum tamen ironicè excuſare ſe fingit, vt id crimen eò altiùs in iudicum animos deſcendat, acriúſque feriat quo maiori ſuauitate conditur.

IS DE ME.] Gellius ſuo ſuffragio rogationem Clodij de meo exilio comprobauit, & interfuit iis epulis, quas Clodius, Piſo & Gabinius poſt meum diſceſſum celebrauerunt, vt ſibi mutuò gratularentur quod me eieciſſent. Parricidas vocat, quia Ciceronem, qui Pater patriæ fuit appellatus, eiecerant, eíque perniciem irrogarant.

IN QVO.] Locus corruptus. vulgo, *In quo tamen . . . ne vllus cum illo reo inimicus eſt meus ſuauiatus.* Sed aquam citiùs è pumice, quam ſenſum elicias ex ea ſcriptura. Elegans eſt Pantagathi coniectura. *In quo tamen eſt me vltus, cùm illo ore inimicos eſt meos ſuauiatus.* hunc enim Gellium ait Catullus oris impuri fuiſſe, hoc epigrammate:

Eſſe quid hoc dicam quare roſea iſta labella
Hiberna fiant candidiora niue.

Gellius igitur Ciceronem eſt vltus, cùm eius inimicorum gratulationibus & epulis interfuit, eóſque oſculatus eſt ore tam impuro.

QVIA NIHIL HABET.] His verbis inuolui videtur Sorites hoc pacto. *Ideo mihi Gellius inimicus eſt, quia defendi Rempub. quam ille cum Catilina voluit euertere: Ideo voluit euertere, quia volebat expilare diuites, ideo voluit expilare, quia nihil habet, Ergo mihi inimicus eſt, quia nihil habet.*

VTRVM EGO.] Familiaris compellatio concinnata ad feſtiuitatem & leporem.

QVID TV.] Grauior & vehementior interrogatio, qua familiaris illa compellatio temperatur.

TE NEMO.] Quemadmodum initio digreſſionis cauit, Luc. Gellium huius Gellij fratrem offendere: ita concludens eundem Gellium ceteróſque Gellij conſanguineos, ait nullas ex eius infamia ſordes contrahere, quòd eorum nemo eum videre velit, multò minùs eius ſcelera approbare: quod confirmat exemplo Poſthumi ſororis eius filij, qui hunc tutorem libeiis ſuis non inſtituit.

NOTÆ.

CVI BENED. VNQVAM BONO? BEN.] Sic Demoſthenes Androtionem accuſat, quòd omnes petulanter inſectaretur, & ita concludit. Εἴτε γὰρ ἦσαν ἀληθεῖς, οὐ σοὶ ῥητέαι. (πολλὰ γὰρ ἡμῶν ἕκαστος οὐχ ὡς βούλεται πράττει) εἴτε μὴ προσηκούσας κατεσκεύαζες, πῶς οὐχ ὁποιοῦν ἂν πάθοις δικαίας; *Quæ ſi vera fuerunt, tacenda tibi fuerant (multa enim omnibus nobis aliter eueniunt quàm vellemus) ſin falsò comminiſcebare, nónne quouis ſupplicio dignus es?* Et verò, Νεμεσᾷ γὰρ ὁ Θεὸς, inquit Plato in Minoë, ὅταν τις ψέγῃ τὸν ἑαυτῷ ὅμοιον, ἢ ἐπαινῇ τὸν ἑαυτῷ ἐναντίως ἔχοντα. ἔστι δ' οὗτος ὁ ἀγαθός. μὴ γὰρ οἴου λίθους μὲν εἶναι ἱερούς, καὶ ξύλα καὶ ὄφεις, ἀνθρώπους δὲ μή. ἀλλὰ πάντων ἱερώτατόν ἐστιν ὁ ἄνθρωπος ἀγαθὸς, καὶ μιαρώτατος ὁ πονηρός. *Indignatur enim Deus ſi quis ſibi ſimilem vituperet, aut laudet ſibi contrarium. Is autem eſt vir bonus. Noli enim arbitrari lapides, ligna, ſerpentes ſacra eſſe, homines non eſſe. Sed res omnium ſacerrima eſt vir bonus, & malus res maximè omnium execranda.* De quibus

Non maledicendum bonis.

præclarum illud Nazianzeni oratione pacifica Conſtantinopoli dicta. Γλῶσσαι πονηραὶ τὸ ἑαυτῶν ποιοῦσαι, λέγουσαι κακῶς, ἐπειδὴ καλῶς οὐκ ἔμαθον. *Linguæ malæ quod ſuum eſt facientes, malè dicentes, quoniam bene haudquaquam didicerunt.* Mihi temperare non poſſum quin ex eadem oratione pauca contra maledicentiam remedia decerpam. Ἐμὲ τ' οὐκ ἀμείψουσιν εὐφημοῦντες ἢ δυσφημοῦντες, ὥσπερ οἱ βορβόρῳ μύρον ἀναμιγνῦντες, ἢ μύρῳ βόρβορον, καὶ τὰς ποιότητας τῇ ἐπιμιξίᾳ συγχέοντες, &c. *Me verò non mutabunt ſiue bene, ſiue malè dicant, quemadmodùm ij qui luto miſcent vnguentum, aut lutum vnguento, & qualitates mixtione confundunt.* Paulò pòſt: Εἰ μὲν ψευδὴς ὁ κατήγορος, οὐκ ἐμοῦ μᾶλλον ὁ λόγος, ἢ ἐκείνου τὸ λεγόμενον ἅπτεται. κἂν ἐμὲ ὀνόματι βλασφημῇ. εἰ δ' ἀληθὴς, ἐμαυτὸν μᾶλλον ἢ τὸν λέγοντα αἰτιάσομαι. παρ' ἐμοῦ γὰρ ἐκείνῳ τὸ λέγειν, οὐκ ἐμοὶ τὸ εἶναι τοιούτῳ παρὰ τοῦ λέγοντος, καὶ παραδραμὼν τὰς φωνὰς, ὡς οὐδὲν οὔσας ἐμαυτοῦ γνώσομαι, τοῦτο μόνον αὐτῶν κερδάνας, τὸ βιοῦν ἀσφαλέστερον. *Si quidem mendax eſt accuſator, non ad me magis illius oratio, quàm ad illum pertinet crimen obiectum, etiamſi me contumeliis afficiat nominatim. Si verax, meipſum magis quàm dicentem accuſabo. A me enim proficiſcitur vt ita dicat, non ab illo vt ita viuam. Et præteriens voces, quaſi nihil ſint, in meipſum deſcendam, hoc tantùm ex iis lucro apponens, quod adhibebo deinceps maiorem in componenda vita cautionem.* Item oratione ad illos qui dicebant ab ipſo deſiderari cathedram Conſtantinopolitanam. Ἀλλ' οὕτω, φησὶ, δοκεῖ τοῖς πολλοῖς. τί δέ μοι διαφέρει, ᾧ τὸ εἶναι πλείων ὁ λόγος, μᾶλλον δὲ πᾶς, &c. τὸ δὲ δοκεῖν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, ὥσπερ οὐδ' ὄναρ ἀλλότριον. *Sed, dicet aliquis, multis ita videtur. Quid ad me qui pluris æſtimo eſſe, quàm videri? immò verò id vnum æſtimo. Videri verò nihil ad nos, quemadmodum neque ſomnium alienum.* Item: Δεῖξον οὖν ὑγιαίνοντας τοὺς οὕτως ὑπειληφότας, καὶ τότε ἡμῖν παραίνεσον μεταθέσθαι, ἢ καταγίνωσκε μὴ πειθομένων, ἀλλ' ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἱσταμένων κρίσεως. *Oſtende igitur eos ſanos eſſe qui ita de nobis exiſtimant, & tunc hortare nos vt mutemus ſententiam, aut ignoſce non parentibus, & in eadem animi inductione conſtantibus.* Et poſt alia præclara in hanc ſententiam ita concludit. Τὸ δοκεῖν δ' αὖ μὲν ὑπάρξῃ, δεξόμεθα, ἵνα εἴπω τι καὶ ἀνθρώπινον· αὖ δ' ἀποπίπτῃ, χαίρειν ἐάσομεν, καὶ οὐδὲ τοῦ εἶναι διὰ τοῦ δοκεῖν ἀφαιρεθησόμεθα. *Si acciderit vt bene feciſſe videamur, id recipiemus, vt aliquid humani dicam: ſi ſecus euenerit, hominum exiſtimationem valere iubebimus: Neque propter opinionem, quicquam de re ipſa detrahemus.* Atque hæc è lympidiſſimis Chriſtianæ philoſophiæ fontibus hauſta ſuffecerint, & moroſiori fortaſſe lectori, nihil niſi tricas & apinas quærenti ſuperflua videantur. Quod ſpectat ad verbi correctionem ſuprà 53. *Illo, inquam, ipſo die, die dico? immò hora, atque etiam puncto temporis eodem.*

Maledicta nihili facienda.

II. Vt credo.] Credo εἰρωνικῶς. vide 84. & alibi frequenter.

III. Libertinam dvxit vxorem.] Suprà 6. *Duxit honeſtiſſimi, & ſpectatiſſimi viri filiam.* vbi ex affinitate cum ſordidis & obſcuris hominibus contracta, in eos qui contraxerint labem redundare oſtendimus.

IV. Libertinam.] Libertini dicuntur ij qui manu miſſi ſunt, de qua manumiſſione plura dicemus pro Milone. *Cur igitur eos manu miſit?* vel ingenui quidem ſed è manumiſſis prognati, quam ea nominis acceptio iam æuo Ciceronis videtur exoleuiſſe. Trãquillus in Claudio 24. *Ignarus temporibus Appij, & deinceps aliquandiu libertinos dictos non ipſos qui manumitterentur, ſed ingenuos ex his procreatos.* Quod autem Noſter ait id factum *vt plebicola videretur*, non abſimile illud Philippicæ 2. §. 3. *Sed hoc idcirco commemoratum à te puto, vt te infimo ordini commendares, cùm te omnes recordarentur libertini generum, & liberos tuos nepotes Quinti Fabij libertini hominis fuiſſe.* Libertinus.

Dvxit vxorem.] Vide ſuprà initio 7. §. V.

Svaviatvs.] Oſculatus. Catullus, VI.

Iucundum os oculóſque ſuauiabor.

frequens autem vſus oſculi fuit in gratulando, vt ſi Poëta recitans ſecundis auribus auditus fuerat. Martialis lib. 1. epig. 4.

Audieris cùm grande ſophos & baſia captas.

Et epig. 77.

-Circum pulpita noſtra

Et ſteriles cathedras baſia ſola crepant. Oſculorum vſus.

Sic, vt Eunapius teſtatur, Proæreſio Sophiſtæ, cùm de præſcripta materia extemporalem orationem habens eam à notariis publicis iuſſiſſet excipi, deinde ſeipſum reuocans eandem ne mutatâ quidem vocula repetiſſet, gratulati ſunt auditores & eum ſuauiati. Καὶ τὰ στέρνα τοῦ σοφιστοῦ περιλιχμώμενοι καθάπερ ἀγάλματος ἐνθέου πάντες οἱ παρόντες, οἱ μὲν πόδας, οἱ δὲ καὶ χεῖρας προσεκύνουν. οἱ δὲ Θεὸν ἔφασαν, οἱ δὲ Ἑρμοῦ Λογίου τύπον. *Etiam pectora ſophiſtæ circumlambentes, quemadmodum ſimulacri cuiuſdam diuinitate pleni, omnes qui aderant, partim pedes, partim manus adorabant. Alij Deum vocabant, alij Mercurij Sermonis præſidis ſimulacrum.* Arrianus lib. 1. diſſert. Epicteti cap. 19. Ἠξίωταί τις δημαρχίας· πάντες οἱ ἀπαντῶντες συνήδονται. ἄλλος τοὺς ὀφθαλμοὺς καταφιλεῖ, ἄλλος τὸν τράχηλον, οἱ δοῦλοι τὰς χεῖρας. *Aliquis Tribunatum plebis adeptus eſt. omnes obuij gratulantur. alius oculos ſuauiatur, alius collum, ſerui manus.*

Gvrges ac vorago patrimonii.] Gurges dicitur patrimonij ſui diſſipator & abliguritor, qui diuitias *in profundiſſimum libidinum ſuarum gurgitem profundit.* vt ſuprà dixit 93. vnde & Fabius ille propter diſſolutam adoleſcentiam Gurges eſt cognominatus. Quid autem ſit *belluari* alio loco dicemus. VII. Gurges.

Te nemo tvorvm videre vvlt.] Pro Cluentio 170. *Quem propter animi importunitatem nemo recipere tecto, nemo adire, nemo alloqui, nemo reſpicere vellet.* In Vatinium 2. *Quem nemo congreſſu, nemo aditu, nemo ſuffragio, nemo ciuitate, nemo luce dignum putet.* vide eandem orationem 93. *Si te vicini, ſi tribules ita oderunt*, &c. & Piſonianam 45. *Oculis fugiat, auribus reſpuat, animo aſpernetur.* & 96. *Quis enim te aditu, quis vllo honore, quis denique communi ſalutatione dignum putat?* &c. rurſum pro Cluentio 41. *Cùm illo iam nemo rationem, nemo rem vllam contrahebat: nemo illum ex tam multis cognatis, atque affinibus tutorem vnquam liberis ſuis ſcripſit: nemo illum aditu, nemo congreſſione, nemo ſermone, nemo conuiuio dignum iudicabat: omnes aſpernabantur, omnes abhorrebant, omnes vt aliquam immanem ac pernicioſam beſtiam, peſtémque fugiebant.* VIII. Odium publicum.

Adoleſcens gravis, ſenili ivdicio.] Talis ille 9. Æneidos laudatur. IX.

--Pulcher Iulus

Ante annos animúmque gerens curámq; virilem. Pindarus Olymp. ode 4. epodo.

> Φύονται δὲ καὶ νέοις
> Ἐν ἀνδράσι πολιαὶ
> Θαμὰ καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας
> Ἐοικότα χρόνον.

Sapientia ante annos. *Naſcuntur verò & Iuuenibus in viris cani frequenter etiam præter ætatis conueniens tempus.* Item ode 4. Pythiorum:

> Κεῖνος γὰρ ἐν παισὶ νέος
> Ἐν δὲ βουλαῖς πρέσβυς.

Ille inter pueros iuuenis, in conſiliis ſenex. Æſchylus ſeptem ad Thebas:

> Γέροντα τὸν νοῦν, σάρκα δ' ἡβῶσαν φέρει.
> *Mentem ſenilem, veſticeps corpus gerit.*

Sed pluribus referendis ſuperſedeo, quòd Vrſinus & Lacerda noſter in laudatum Virgilij verſum, tum hæc tum alia præcerpſerint.

X. TVTOREM LIBERIS NON INSTITVIT.] Ignominioſum fuit teſtamento conſanguineorum improbari, nec liberis tutorem inſtitui. Vide pro Cluentio 34. de Oppianico quem Cn. Magius, *Tutorem liberis ſuis non adſcripſit.* pro domo, *Denique etiam ille nouitius Ligur venalis adſcriptor & ſubſcriptor tuus, cùm M. Papirij ſui fratris eſſet teſtamento & iudicio improbatus, mortem eius ſe velle perſequi dixit.* Eóque fuit ignominioſius in conſanguineorum teſtamento præteriri, quòd vt dicitur libro primo inſtitutionum iuris titulo 15. *Quibus teſtamento tutor datus non eſt, his ex lege XII. tabularum adgnati ſunt tutores, qui vocantur legitimi.* Et quamuis, vt ait Caius D. de legitimis tutoribus, *Sunt agnati qui per virilis ſexus perſonas cognatione iuncti ſunt.* ac proinde ſi propriè loquamur, Gellius Poſthumo non fuit agnatus. vbi tamen agnati deſunt, legitimæ tutelæ videntur ad cæteros conſanguineos pertinere. Vlpianus eodem titulo lege primâ. *Legitimæ tutelæ lege XII. tabularum agnatis delatæ ſunt, & conſanguineis, item patronis.* Quo loco *conſanguineorum* nomine, libenter cum Accurſio cognatos per muliebris ſexûs perſonas proximitate coniunctos interpretor. Et ſi propriè *conſanguinei* dicuntur fratres ex eodem patre nati. ὁμαιμοι. Vide inſtitutiones iuris. De legitimâ agnat. ſucceſſ.

Legitimi tutores. Agnati. Cognati Conſanguinei.

AXIOMATA.

Scelerati ſunt illi qui nemini bono benedicunt, ſed omnes bonos petulanter inſectantur.

Plebem colere videntur qui plebeiam & infimam ducunt vxorem.

Non debemus aliorum periculo helluari.

Nonnulli adoleſcentes ſunt ſenili iudicio.

Helluonem ſui patrimonij tutorem liberis noſtris inſtituere non debemus.

ARGVMENTVM.

Seipſum reprehendit, & digreſſionis longitudinem excuſat, oſtenditque quantò ea comitia quibus reuocatus eſt in patriam, illuſtriora fuerint iis cœtibus & conciliabulis, quibus Clodij factione fuerat eiectus.

SED elatus odio, & meo, & Reipub. nomine, quorum ille vtri ſit inimicior neſcio, plura dixi, quàm dicendum fuit in furioſiſſimum, atque egentiſſimum ganeonem. Illuc reuertor: contra me, cùm ſit actum, capta vrbe, atque oppreſſa, Gellium, Firmidium, Titium, eiuſdem modi furias: illis mercenariis gregibus duces, & auctores fuiſſe, cùm ipſe lator nihil ab horum turpitudine, ſordibus abhorreret: at, cùm de dignitate mea ferebatur, nemo ſibi nec valetudinis excuſatiodem, nec ſenectutis ſatis iuſtam putauit: nemo fuit, qui ſe non Remp. mecum ſimul reuocare in ſuas ſedes arbitraretur. CXII.

EXPLANATIO.

SED ELATVS.] Meritò reddens rationem cur in Gellium pluribus verbis inuehatur, odium ſuum Reipub. nomine prætexit, quòd ille fuerit non ipſi ſolùm, ſed etiam toti Reipub. inimicus. Vocat Gellium ganeonem, quia ſuum ille patrimonium abligurierat in ganeis & popinis: addit furioſiſſimum & egentiſſimum, quod furor & rerum nouarum cupiditas, ex egeſtate & inopiâ conſequatur.

ILLVC REVERTOR.] Vnde digreſſus fueram vt Gellium inſectarer. Ac vide quemadmodum deprimat illos abiectæ plebeculæ cœtus, per quos eiectus eſt: primo duces appellat, viros egentes & perditos qui flabro ſeditionum fluctus illos excitarunt. deinde ab ipſis ſuffragatoribus qui empti fuerant & mercede corrupti. Denique à legiſlatoris Clodij veſani Tribuniplebis perſona.

AT CVM.] vt Clodianos cœtus dicendo depreſſerat, ita comitia quib. reuocatus eſt, extollit. non inquit, *cùm de ſalute mea ferebatur*, ſed *cùm de dignitate.* Quia vt ſuprà viſum eſt cùm nulla lege abeſſet, etiam ſine lege redire potuiſſet: ſed pertinuit ad eius dignitatem, vt ſuum amorem etiam populus declararet, ferendis de eius reditu ſuffragiis. cætera perſpicua ſunt.

NOTÆ.

ELATVS ODIO.] pro Cœlio 22. *Læſi dolent, irati efferuntur.* Quòd qui iraſcuntur extra ſe quodammodo ferantur. Solent autem Oratores priuatis odiis Reipub. nomen prætexere. Πολίτου γὰρ, inquit Lycurgus contra Leocratem, ἐστὶ δικαίου μὴ διὰ τὰς ἰδίας ἔχθρας εἰς τὰς κοινὰς κρίσεις καθιστάναι τοὺς τὴν πόλιν μηδὲν ἀδικοῦντας, ἀλλὰ τοὺς εἰς τὴν πατρίδα τι παρανομοῦντας ἰδίους ἐχθροὺς νομίζειν, καὶ τὰ κοινὰ τῶν ἀδικημάτων, κοινὰς καὶ τὰς προφάσεις ἔχειν

Odium debet Reip. cauſſa ſuſcipi, non priuatas iniurias.

τῆς πρὸς αὐτοὺς διαφορᾶς. *Boni ciuis eſt non propter inimicitias priuatas ad publica iudicia deſcendere, & eos accuſare qui iniuriam patriæ nullam intulerunt, ſed qui in patriam peccauerint eos proprios inimicos arbitrari, & publicas iniurias, publicos odij noſtri prætextus habere.* Lyſias contra Philonem: Ποιήσομαι τὴν κατηγορίαν, οὐ μήν τοί γε ἰδίαν ἔχθραν μεταπορευόμενος, οὐδὲ τῷ δύνασθαι καὶ εἰωθέναι λέγειν ἐν ὑμῖν ἐπαρθεὶς, ἀλλὰ τῷ πλήθει τῶν ἁμαρτημάτων αὐτοῦ πιστεύων, &c. *Accuſabo non propriis inimicitiis indulgens, neque elatus facultate aut exercitatione dicendi, ſed multitudini ſcelerum eius confidens.* Non diſſimulat tamen Noſter odium ſuo ipſius nomine ſuſceptum, vel quòd clariùs erat quàm vt diſſimulari poſſet, vel quòd videbat ſuam cauſſam cum Reipub. cauſſa eſſe coniunctam.

II. PLVRA DIXI.] Nonnunquam Oratores ſcipſos prolixitatis accuſant, vt Demoſthenes pro corona. Καὶ ταῦτα ἡγοῦμαι πλεῖον τῶν ἱκανῶν εἰρῆσθαι. *Et hæc pluribus quàm opus eſſet dicta exiſtimo*, &c. Pro Milone 93. *Sed iam ſatis multa de cauſſa, extra cauſſam etiam nimis fortaſſe multa.*

FVRIOSISSIMVM ET PERDITISSIMVM.] Suprà 85. *omnia hominum cum egeſtate tum audacia perditorum*, &c. vide Notas. item in 97. 99. §. III.

GANEONEM.] In Piſonem 13. *Stetimus pauliſper in illo ganearum tuarum nidore atque fumo.* vbi *ganeas* appellat, quas paulò antè *gurguſtium* & *popinam* dixerat. vide Notas. IV. Ganeæ.

CAPTA VRBE.] Tranſlatio à re bellica, ſuprà 85. *Captum erat forum anno ſuperiore, æde Caſtoris tanquam arce à fugitiuis occupata.* Maro 2. Æneidos: V.

--captæ ſuperauimus vrbi.

Catullus Epithal.

Quid faciunt hoſtes captâ crudeliùs vrbe?

AXIOMA.

Verbis multis agendum non eſt contra furioſos, & egeſtate perditos ganeones.

ARGVMENTVM.

A comitiis magiſtratuum probat populum Romanum iam, vt ſic loquar, non eſſe popularem, ſed eius potiſſimum dignitati fauere, qui optimam quamque Reipub. partem amplectitur.

CXIII. VIDEAMVS nunc comitia magiſtratuum. Fuit collegium nuper Tribunitium, in quo tres minimè, vehementer duo populares exiſtimabantur. ex his, qui populares non habebantur, quibus in illo genere conductarum concionum conſiſtendi poteſtas non erat, duos à pop. Rom. Prætores video eſſe factos: & quantum ſermonibus vulgi, & ſuffragiis intelligere potui, præ ſe populus Romanus ferebat, ſibi illum in Tribunatu Cn. Domitij animum conſtantem, & egregium, atque Q. Ancharij fidem, ac fortitudinem, etiam ſi nihil agere potuiſſent, tamen voluntate ipſa gratam fuiſſe. Iam de C. Fannio quæ ſit exiſtimatio, videmus: quod iudicium populi Rom. in honoribus eius futurum ſit, nemini dubium eſſe debet.

CXIV. Quid? populares illi duo, quid egerunt? alter, qui tamen ſe continuerat, tulerat nihil, ſenſerat tantùm de Repub. aliud, atque homines exſpectabant, vir & bonus, & innocens, & bonis viris ſemper probatus, quod parum videlicet intellexit in Tribunatu: quid verò populo probaretur, & quod illum eſſe populum Rom. qui in concione erat arbitrabatur, non tenuit eum locum, in quem, niſi popularis eſſe voluiſſet, facillimè perueniſſet: alter, qui ita ſe in populari ratione iactarat, vt auſpicia, legem Æliam, Senatus auctoritatem, Conſulem, collegas, bonorum iudicium nihil putaret, ædilitatem petiuit cum bonis viris, & hominibus primis, ſed non præſtantiſſimis opibus, & gratia. Tribum ſuam non tulit: Palatinam denique per quam omnes illæ peſtes vexare populum Rom. dicebantur, perdidit: nec quidquam illis comitiis, quod boni viri vellent, niſi repulſam, tulit. Videtis igitur populum ipſum, vt ita dicam, iam non eſſe popularem, qui ita vehementer eos, qui populares habentur, reſpuat: eos autem qui ei generi aduerſantur, honore digniſſimos iudicet.

EXPLANATIO.

FVIT.] Cornelius Sylla, cùm eiecto Mario Rempub. teneret, vt minueret Tribunitiam poteſtatem, iis qui Tribunatumplebis geſſiſſent interdixit, ne vlteriùs honores peterent, qua lege bonæ ſpei magníque animi adoleſcentes ab huius magiſtratus petitione deduxit, vt auctor eſt Appianus 1. ciuilium. Poſt Sullæ mortem C. Cotta Conſul, vt auctor eſt Tullius in fragmentis Cornelianæ, *paulùlum Tribunisplebis non poteſtatis, ſed dignitatis addidit.* id eſt, opinor, Tribunitiis cæterorum magiſtratuum petitionem conceſſit. Quare qui Tribunatumplebis eiurabant, erant vt plurimùm ædilitatis vel præturæ candidati. Ex iis igitur qui eo magiſtratu functi ſunt, Cæſare & Bibulo Conſulibus, petierunt quatuor præturam. Cn. Domitius, & Q. Ancharius optimatum fautores. P. Vatinius, & quidam alius populares. duo priores præturam adepti ſunt: poſteriores duo repulſam tulerunt. Ex quo probat orator eos eſſe populo gratiores, qui ſunt optimatium ſtudioſi.

IN QVO.] in Tribunorumplebis decem collegio tres Cn. Domitius, Q. Ancharius, C. Fannius minimè populares, vehementer duo fuerunt, quorum alter fuit Vatinius, alter non nominatur. Suſpicor tamen fuiſſe C. Alfium ex Vatin. 38.

IN ILLO GENERE.] quod anno ſequenti perturbauit Remp.

DE C. FANNIO.] Hic eſſe videtur quem ait Orator Vatin. 16. *Conſularem auctoritatem hominem eſſe adoleſcentem conſecutum.* addere potuiſſet & C. Coſconium, qui ædilitatem adeptus eſt, vt ibidem narratur.

QVÆ SIT EXISTIMATIO.] quinam de eius virtutibus ſermones habeantur.

ALTER.] C. Alfius, cuius modeſtiam & innocentiam commendat orator, vel ne eum offendat: vel vt inde magis eluceat eos qui populares eſſe volunt apud populum non eſſe gratioſos.

ALTER.] P. Vatinius, qui Cæſari Conſuli fauens multas tulit leges intercedentibus collegis, & obnuntiante Bibulo Conſule.

LEGEM ÆLIAM.] quæ obnuntiantibus magiſtratibus cum populo agi prohibebat.

TRIBVM SVAM.] Sergiam. non eſt creatus Ædilis Tribûs Sergiæ, cuius ille tribulis erat, ſuffragio.

PALATINAM.] Tribum Palatinam, vnam è quatuor vrbanis, perdidit, nec electus eſt Tribûs Palatinæ ſuffragiis.

NOTÆ.

I. EXISTIMATIO.] hominum ſermo. Philippicâ ſecundâ 9. *Omne autem crimen tuum eſt, quod de te in his litteris non malè exiſtimem.* Nazarius Paneg. Conſtantini. *Exiſtimare quidem de principe nemini fas eſt,* &c. Macrobius 2. Saturnal. cap. 4. *Strabone in adulationem Cæſaris malè exiſtimante de Catonis peruicaciâ, ait Auguſtus, Quiſquis præſentem ſtatum ciuitatis commutari non volet, & ciuis, & vir bonus eſt. Satis ſeriò & Catonem laudauit: & ſibi, ne quis affectaret res nouas conſuluit.* Idem valet *opinari*, vt pro Milone 63. oſtendimus. Idem autumare. Plautus Captiuis ſc. *Iupiter ſupreme* — Exiſtimatio.

Ægio,
Dic bonán' fide tu mihi iſthæc verba dixiſti?
Erg. *bonâ.* Ægio,
Dij immortales! iterum natus videor ſi vera autumas.

& ſemel aciterum eâdem fabulâ.

NON TENVIT EVM LOCVM.] Pro Quintio. *Quid igitur pugnas an quod ſæpè multis locis dixiſti, ne in ciuitate ſit, ne locum ſuum, quòd adhuc honeſtiſſimè defendit, obtineat? ne numeretur inter viuos, decernat de vita & ornamentis omnibus?* Id eſt, vt interpretatur Poletus lib. 4. fori Rom. *Capitis imminutionem medium vel maximam propulſet. Quod tractum eſt à militibus prælium committentibus, quibus turpe loco cedere, gradum deſerere, pedem referre, locum captum non poſſe tueri.* — II. Tenere locum ſuum.

CVM BONIS VIRIS.] Solennis candidatorum appellatio. Seneca epiſt. 3. *Sic illum amicum vocaſti, quomodo omnes candidatos* BONOS VIROS *dicimus, quomodo obuios, ſi nomen non ſuccurrit,* DOMINOS *ſalutamus.* Huc trahit Briſſonius lib. 2. formularum illud Ciceronis 2. de Oratore §. 260. *Ex eodem hoc vetus illud eſt, quod aiunt, Maluginenſem illum M. Scipionem, cùm ex centuriâ ſuâ renuntiaret Acidinum Conſulem, præcóque dixiſſet, dic de L. Manlio. Virum bonum, inquit, egregiúmque ciuem eſſe arbitror.* Hoc loco tamen eos intelligit, vt ſuprà, *Quiqui integri ſunt, & ſani, & bene de rebus domeſticis conſtituti.* — III. Vir bonus.

TRIBVM SVAM NON TVLIT.] Philipp. vndecimâ. *Qui cùm longè omnes belli gloriâ, & virtute ſuperaret, duas tamen tribus ſolas tulit.* pro Plancio. *An vnâ fieri potuerunt, ſi vnâ tribûs non tuliſſent: cùm nonnullas punctis penè totidem.* E quibus intelligis eos tribûs tuliſſe, qui magiſtratum ſuffragiis tribuum fuiſſent adepti. Alias dicebantur ferre ſuffragiorum puncta. Horatius in arte, — IV. Ferre tribum.

Omne tulit punctum qui miſcuit vtile dulci.

Cuius Vetus commentator, vt verbis vtar Briſſonij in Sat. 2. lib. 2. in Sempronium Rufum, cùm in prætura repulſam tuliſſet, tale epigr. ſcriptum commemorat:

Ciconiarum Rufus iſte conditor
Hic eſt duobus elegantior Plancis. — Ferre puncta.
Suffragiorum puncta non tulit ſeptem:
Ciconiarum populus vltus eſt necem.

Iulius Cæſar in petitione Pontificatus maximi competitores ita ſuperauit, *vt plura ipſe in eorum tribubus ſuffragia, quàm vterque in omnibus tulerit.* verba ſunt Tranquilli in Iulio cap. 13.

PALATINAM.] Huius tribus meminit, vt viliſſimæ, quippe quæ libertinis & egentibus affluebat: fuit enim vna ex quatuor vrbanis. Liuius lib. 10. ſub finem. *Fabius ſimul concordiæ cauſâ, ſimul ne humillimorum in manu comitia eſſent, omnem forenſem turbam exactam in quatuor tribûs coniecit vrbanáſque appellauit.* & eius epitome libro 20. *Libertini in quatuor tribûs redacti ſunt, cùm antea diſperſi fuiſſent: Eſquilinam, Palatinam, Suburranam, Collinam. Quo tam ſalubri Reip. facto,* inquit Valerius de inſtitutis, *vir alioqui bellicis operibus excellens, Maximus cognominatus eſt.* — V. Palatina tribus

PERDIDIT.] Tribum ferre, tribum perdere contraria. Vatin. 37. *Sciáſne te ſeueriſſimorum* — VI.

hominum, Sabinorum fortiſſimorum virorum, Marſorum & Pelignorum tribulium tuorum iudicio notatum, nec poſt Romam conditam, præter te, tribulem quemquam, tribum Sergiam perdidiſſe. pro domo ſua 50. *Amici illi tui te vno amico tecti & beati, qui ſe populo commiſerant, ita repellebantur, vt etiam Palatinam tuam perderent.* lib. 2. epiſt. ad Atticum. *Fauonius meam tribum tulit honeſtiùs, quàm ſuam Luceius perdidit.*

AXIOMATA.

Grata voluntas eſt etiam eorum qui nihil agere potuerunt.

Nonnunquam euenit vt populus vehementer eos qui populares habentur: eos autem qui ei generi aduerſantur, honore digniſſimos iudicet.

ARGVMENTVM.

A ludis oſtendit eos qui populares eſſe volunt, haudquaquam apud populum Romanum eſſe gratioſos.

CXV. VENIAMVS ad ludos. fecit enim, iudices, veſter iſte in me animorum, oculorúmque contuitus, vt mihi iam licere putem remiſſiore vti genere dicendi. Comitiorum, & concionum ſignificationes interdum veræ ſunt, nonnunquam vitiatæ atque corruptæ: theatrales gladiatoriíque conſeſſus dicuntur omnino ſolere, leuitate nonnullorum, emptos plauſus, & exiles, & raros excitare. attamen facile eſt, cùm id ſit, quemadmodum, & à quibus fiat, & quid integra multitudo faciat, videre. Quid ego nunc dicam quibus viris, aut cui generi ciuium maximè applaudatur? neminem veſtrûm fallit. ſit hoc ſanè leue: quod non ita eſt, quoniam optimo cuique impertitur: ſed ſi eſt leue, homini graui leue eſt: ei verò, qui pendet à rebus leuiſſimis, qui rumore, & (vt ipſi loquuntur) fauore populi tenetur, & ducitur, plauſum, immortalitatem, ſibilum, mortem videri neceſſe eſt.

EXPLANATIO.

VENIAMVS.] Poſtquam de comitiis legum & magiſtratuum diſſeruimus, reſtat vt de ludis, populíque Romani ſenſu qui in ludis elucet, dicendum eſſe videatur.

FACIT ENIM.] Excuſatio, ne frigidè ad res ab inſtituto ſuo alienas digreſſus eſſe exiſtimetur.

ANIMORVM OCVLORVMQVE CONIECTVS.] Ita exemplar S. Victoris, accedítque Pal. Nonus in quo *conectus*, vulgata *contuitus*.

COMITIORVM.] Quia plura de ludis quàm de comitiis dicturus eſt, ait in eis magis & ſincerius elucere populi voluntatem, quòd non tam facilè corrumpi & mercede induci poſſit ad plaudendum indignis, quàm ad ferendum ſuffragium.

THEATRALES.] In theatris mimi, togatæ, attellanæ, palliatæ, comœdiæ, tragœdiæ ſolebant exhiberi: in amphitheatris autem venationes, pugnæ belluarum, gladiatorum certamina: ideò gladiatorium conſeſſum à theatrali diſtinxit.

QVID EGO.] Præteritio oratoria, quâ maximè dicit quod ſe fingit præterire.

SIT HOC.] Occurrit obiectioni, primùm negando huiuſmodi plauſus leuis eſſe momenti, hoc penè ſyllogiſmo.

Quod optimo cuique impertitur, ac proinde virtutis fructus eſt, non eſt leue.
Sed plauſus optimo cuique impertitur.
Ergo non eſt leue.

Deinde diſtinguendo: Si plauſus leuis eſt momenti, eſt apud viros graues, qui ſolâ virtute contenti nullam mercedem requirunt præter ipſam honeſtatem. At hominibus leuibus qui honoribus inhiant, qui omnes plebis rumuſculos, qui omnes gloriæ vmbras aucupantur, non eſt leuis momenti: ſed illi plebeculæ plauſu ſic efferuntur, vt ſe immortalitatem obtinere putent, & digito cœlum attingere: ſibilis autem & maledictis ſic animo contrahuntur, vt id morte ipsâ tetrius putare videantur.

NOTÆ.

THEATRALES.] ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, id eſt, à I.
ſpectando dictum theatrum. Eleganter Noſter Cerdanus in Tertull. de ſpectaculis. *Theatrum* Latinè dicas *viſorium.* & tametſi, quæ ibi dicerentur ad aures pertinerent, ita vt Dio Chryſoſtomus orat. 32. dixerit, Δήμου γάρ ἐστιν ἀκοὴ τὸ θέατρον, nihilominùs tamen euicit, vt nominaretur theatrum non auditorium. Rationem reddit Donatus in prologum Hecyræ. *Ideò theatrum, ideo ſpectatores, ideo actores, quia maior pars in geſtu eſt, quàm in verbis.*

CONSESSVS.] 8. Æneidos. II.

--*Raptas ſine more Sabinas*
Conſeſſu caueæ magnis Circenſibus actis.

Eodem ſenſu Tullius lib. de Senectute & alij paſſim vſurpant. Notandum tamen quod ait Valerius lib. 2. de inſtitutis. *Cæterùm auctore Scipione Naſicâ omnem apparatum operis eorum ſubiectum haſtæ venire placuit. Atque etiam S.C. cautum eſt ne quis in vrbe propiúsve paſſus mille ſubſellia poſuiſſe, ſedénsve ludos ſpectare vellet, vt ſcilicet remiſſioni animorum iniuncta ſtandi virilitas propria Romanæ gentis nota eſſet.* Sed hic ſtandi mos paulatim exoleuit, adeò vt puluillos etiam delicatiùs Stabant in ludis.

Deinde ſedentibus etiã ſubiecti puluilli.

molliúſque ſedendi cauſſà ſubiecerint. Dio lib. 59. Τάτε προσκεφάλαια τοῖς βουλευταῖς, ὅπως μὴ ἐπὶ γυμνῶν τῶν σανίδων καθέζωνται, πρῶτον τότε ὑπετέθη. *Et puluilli Senatoribus, ne in nudis aſſeribus ſederent, tunc primùm ſubiecti ſunt.* immo etiam equitibus. Iuuenalis,

--Et de puluillo ſurgat equeſtri
Cuius res legi non ſufficit.-

III. LEVITATE.] Themiſtius gratiarum actione in Senatu ait ex Ariſtotelis ſententia. Τὸν μὲν δὴ ἐπὶ δήμου θορύβοις τε καὶ κρότοις ἐξογκούμενόν τε, καὶ ἀγείροντα τὰς ὀφρῦς ὅτι σφίσιν εἰς θέατρά τε καὶ ἱπποδρόμους πολλὰ χρήματ' ἐξέχεε, χαῦνόν τ' εἶναι καὶ ξυνέχεσθαι τῇ κακίᾳ, ᾗ τοὔνομα ἐπιτίθησι. τὸν δὲ τούτων μὲν τῶν θορύβων περιφρονοῦντα, καὶ σμικρὸν οἰόμενον διαφέρειν ῥοθίου κυμάτων αἰγιάλοις προσηχούντων, ψῆφον δ' ἀνδρῶν ἀγαθῶν ἀκολάκευτον ἐπ' ἀρετῇ περὶ πλείστου πάντων ποιούμενον, τοῦτον εἶναι τῷ ὄντι μεγαλόψυχόν τε, καὶ μεγαλογνώμονα.

Leuitas & vera animi magnitudo.

Eum qui plebecula tumultu & plauſibus inflatur, & ſupercilia contrahit, quod popello in theatra ludóſque circenſes magnam pecuniæ vim effuderit, eum vanum eſſe & leuem eóque vitio teneri quod ipſe leuitatem appellat. Eum verò qui huiuſmodi tumultus contemnit, & parum à fluctuum littori admugientium fremitu differre arbitratur: & bonorum virorum ſuffragium nulla aſſentatione latum maximi omnium facit, virum grauem eſſe & conſtantem, & verè magnanimum. Huiuſmodi leuitas pulchrè deſcribitur in dialogo qui & Platoni adſcribitur, & Axiochus inſcribitur. Ἀλλὰ ἡ πολυτίμητος πολιτεία (πολλὰ γὰρ ὑπερβαίνω) διὰ πόσων ἐλαύνεται δεινῶν· τὴν μὲν χαρὰν ἔχουσα φλεγμονῆς δίκην παλλομένην καὶ σφυγματώδη· τὴν δ' ἀπότευξιν ἀλγεινὴν, καὶ θανάτων μυρίων χείρω. Τίς γὰρ ἂν εὐδαιμονήσειε πρὸς ὄχλον ζῶν, εἰ ποππυσθείη καὶ κροτηθείη δήμου παίγνιον ἐκβαλλόμενον, συριττόμενον, ζημιούμενον, θνῆσκον, ἐλεούμενον; *Illa quoque honorata imprimis Reipub. cura (multa enim prætereo) per quantas rapitur anxietates, quæ gaudia quidem habet furunculi in modum trepida ſemper, &* quaſi pulſibus arteriarum *micantia. repulſas verò acerbas & millies morte peiores. Quis enim beatus eſſe poßit vulgi viuens arbitrio, tametſi faueatur ei plaudatúrque, populi ſcilicet ludicrum, iactatus, exſibilatus, multatus, mortuus, miſericordiâ liberatus.* Vide Piſ. 57. *Leuitatis eſt inanem aucupari rumorem, & omnes vmbras etiam falſæ gloriæ conſectari.*

IV. EMPTOS PLAVSVS ET EXILES.] Lib. 2. ad Atticum ep. 19. *Cæſar cùm veniſſet mortuo plauſu, Curio filius eſt inſecutus: huic ita plauſum eſt vt ſalua Repub. Pompeio plaudi ſolebat.* De huiuſmodi emptis plauſibus Martialis lib. 4. ep. 5.

Plauſus empti.

Vendere nec vanos circa palatia fumos,
Plaudere nec Cano, plaudere nec Glaphyro.

Epigr. 67.

Prætorem pauper centum ſeſtertia Gaurus
Orabat charâ notus amicitiâ.
Dicebátque ſuis hoc tantùm deeſſe trecentis
Vt poſſet domino plaudere iuſſus eques.

lib. 7. ep. 63.

Vendere nec linguam Siculis, plauſúmq. theatris.

V. QVI PENDET.] Leuitatem & miſeriam ambitioſorum qui pendent à vulgi rumoribus pulchrè deſcribit Dio Chryſoſtomus orat. priore de gloriâ. Τὴν δὲ τῆς δόξης ἥττονα ὁ βουλόμενος ἑνὶ ῥήματι συνέστειλεν. Εἰ τις ἐπῳδὰς ἠπίστατο τοιαύτας ἢ παρὰ τῆς Μηδείας μαθὼν, ἢ παρὰ τῶν Θετταλῶν, ὥστε φθεγγόμενος τῶν ἀνθρώπων, ὃς ἤθελε ποιεῖν κλαίειν, καὶ ὀδύρεσθαι μηδενὸς κακοῦ παρόντος, οὐκ ἂν ἐδόκει τυραννίς εἶναι ἡ τούτου δύναμις; πρὸς οὖν τὸν ἐπὶ τῇ δόξῃ κεχαυνωμένον, οὐκ ἔστιν οὐδεὶς ὃς οὐκ ἔχει ταύτην τὴν ἰσχύν. δύο γὰρ ἢ τρία ῥήματα εἰπὼν εἰς συμφορὰν καὶ λύπην ἐνέβαλε. Ambitioſorũ miſeria.

Qui verò vincitur gloriæ cupiditate, eius animum quilibet arbitratu ſuo contrahet. Si quis incantationes vel à Medea, vel a Theſſalis didiciſſet, vt vno verbo, quos vellet hominum, nullo malo præſente ad lacrymas & lamentationem impelleret. Ecquid tyrannis videretur illius poteſtas? Atqui aduerſus eum qui pendet ex inani gloriâ & vulgi ſermonibus, huiuſmodi poteſtatem nemo non habet. Duo enim aut tria verba proferens cum in calamitatem & dolorem quiuis impellet. Paulò pòſt: Ὁ Περσεὺς τὴν κεφαλὴν τῆς Γοργόνης περιφέρων καὶ ταύτην τοῖς ἐχθροῖς δεικνὺς ἐποίει λίθους, οἱ πολλοὶ δ' ὑφ' ἑνὸς ῥήματος λίθοι γεγόνασι. *Perſeus Gorgonis caput circumferens, & inimicis oſtendens lapides faciebat. Multi verò vnico verbo lapides fiunt.* Vide Milonianam 43. *Quàm timida ſit ambitio.*

PLAVSVM.]. Plauſu venientes in theatrum populus magnos viros excepit. Seneca epiſt. 29. *Si intrante te clamor, plauſus, & pantomimica ornamenta obſtrepuerint.* vide Piſon. 65. atque hoc ipſum eſt quod in Conſtantino Eunapius calumniatur. Καὶ πρὸς τοὺς ἐν τοῖς θεάτροις κρότους παραβλυζόντων κραιπάλης ἀνθρώπων ἑαυτῷ συνεστήσατο, σφαλλομένων ἀνθρώπων ἀγαπήσας ἐγκώμια. *Et theatrales plauſus hominum ebrietate madentium ſibi quæſiuit, vacillantium hominum expetens encomia.* Etiam proſecutus eſt abeuntes. Valerius Maximus lib. 2. cap. vltimo de Catone Vticenſi. *Quem abeuntem ingenti plauſu populus proſecutus, priſcum morem iocorum in ſcenam reuocauit.* Notat doctiſſimus Bulingerus Noſter lib. 1. de theatro plaudendi morem ætate Ciceronis irrepſiſſe in Rempub. *Cùm concio more hoc inſulſo & nouo plauſum meo nomine recitando daret.* Quibus verbis quid ſibi velit haud ſatis liquet. nam & mos plaudendi fuit antiquior. ſi quidem Gracchis aliíſque popularibus iam tum *plaudebatur in theatro*, ſuprà 105. Neque plauſus emptus ille fuit, quem ſibi datum eſſe narrat: nouus igitur fuit iſte mos & inſulſus, quia populus Senatuſconſulti recitationi ſuis plauſibus obſtrepebat. Cicero epiſt. 1. lib. 4. ad Atticum. VI.

Plauſus theatrales.

IMMORTALITATEM.] In Piſonem 52. *Vnus ille dies mihi quidem immortalitatis inſtar fuit.* VII.

SIBILVM.] Populus in theatro quos oderat frequenter ſibilis explodebat. Vide Piſonianam 65. *Da te populo, committe ludis. ſibilum metuis? vbi ſunt veſtræ ſcholæ? Ne acclametur? ne id quidem eſt curare philoſophi.* lib. 2. ad Attic. epiſt. 19. *Populares iſti iam etiam modeſtos homines ſibilare docuerunt.* Item: *Populi ſenſus maximè in theatro & ſpectaculis perſpectus eſt. Nam gladiatoribus quà dominus, quà aduocati ſibilis conſciſſi.* Philo de legatione ad Caium. Τοιοῦτον ἀπὸ δικαστηρίου θέατρον ὁμοῦ καὶ δεσμωτήριον ἐκφυγόντι. ὡς μὲν γὰρ ἐν θεάτρῳ κλωσμοσυριττόντων, καταμωκωμένων, ἄμετρα χλευαζόντων, &c. *Tale pro iudicio theatrum carcerémque vitantes. nam tanquam in theatro ſibilantibus, illudentibus, immodicè ridentibus.* Cœlius ad Ciceronem epiſtola quæ habetur 2. lib. 8. ad familiares. *In theatrum Curionis Hortenſius introiit, puto vt ſuum gaudium gauderemus. Hic ſibi ſtrepitus, fremitus, clamor, tonitruum, & rudentum ſibilus. hoc magis animaduerſum eſt, quod intactus à ſibilo peruenerat Hortenſius ad ſenectutem.* In hoc porto VIII.

Sibilus theatralis.

genere notandus Nonnij Marcelli locus. *Siſilare quod nos vilitatem verbi vitantes ſibilare dicimus. Et eſt maledica vocis ſignificatio, vel contumelioſa popularium, cum ſiſilationibus quis exploditur, à Græco ducere originem inuenimus. huius reï auctor eſt venerabilis Homerus Iliados* 14.

Ἀλλ᾽ ὁ μὲν ὣς ἀπόλοιτο, θεὸς δέ ἑ σφελώσειε.

Sic ô ſic pereat, numénque exſibilet ipſum.

Cæterùm nonnulli, vt clariùs ſibilarent videntur etiam paſtoritias fiſtulas attuliſſe lib.1. ad Att.13. *Ludis & gladiatoribus mirandas ἐπισημασίας ſine vllà paſtoritià fiſtulâ auferebamus.* ſed viderint eruditi.

AXIOMATA.

Non eſt leue quod optimo cuique impertitur.

Honor leuis homini graui leuis eſt: ei verò qui pendet à rebus leuiſſimis, qui rumore & fauore populi tenetur & ducitur, plauſum immortalitatem ſibilum mortem videri neceſſe eſt.

ARGVMENTVM.

Teſtatur ipſius Clodij conſcientiam, & aliorum qui populares videri volebant, quorum nemo auſus eſt M. Scauri ludos ſpectare, & ſe populo Romano committere, præter Clodium qui ſemel ad ludos in templo Virtutis celebratos acceſſit.

CXVI. EX te igitur, Scaure, potiſſimùm quæro, qui ludos apparatiſſimos magnificentiſſimóſque feciſti, ecquis iſtorum popularium tuos ludos aſpexerit? ecquis ſe theatro, populóque Rom. commiſerit? ipſe ille maximè ludius, non ſolùm ſpectator, ſed actor & acroama, qui omnia ſororis embolia nouit, qui in cœtum mulierum pro pſaltria adducitur, nec tuos ludos aſpexit in illo ardenti Tribunatu ſuo, nec vllos alios, niſi eos, à quibus vix viuus effugit.

EXPLANATIO.

EX TE.] Syllogiſmus. *Qui non audent pop. Rom. ſe committere & venire in theatrum, nouerunt ſe odio ciuium laborare.*

Sed qui videri volunt populares, iam non audent venire in theatrum populóque ſe committere.

Ergo nouerunt, & ſuâ ipſorum conſcientià conuicti fatentur ſe odio ciuium laborare.

Prudenter autem ſuum iudicem compellat, eiúſque ludorum magnificentiſſimorum facit mentionem, vt eum interiecta laudatione leniter conciliet.

ECQVIS.] Ecquis iſtorum popularium auſus fuerit ſe ſpectantis vulgi ſibilis, maledictis & imprecationibus exponere.

ILLE IPSE.] Pub. ipſe Clodius, cuius vita nefaria & inceſta tot fabulis plena eſt, vt ludius & hiſtrio dici poſſit; non ſolùm ludorum ſpectator, ſed actor, immò fabulæ argumentum cuius tractatio auditur, vnde & acroama.

QVI OMNIA.] Accuſatus fuerat Clodius inceſti cum ſorore Clodia commiſſi: Clodius igitur huius nefariæ fabulæ actor dicitur omnia ſororis embolia nouiſſe, vel quòd eius quaſi interludiis intereſſet, vel quòd frequenter ad ſororis ſuæ cubiculum per latentes ianuas accederet. Embolia enim in ſcenis videntur fuiſſe quidam aditus & ianuæ, quibus hiſtriones ſolebant ἐμβάλλειν, id eſt, prodire in proſcenium.

QVI IN COETVM.] Alio argumento dicit Clodium fuiſſe bonum hiſtrionem: quia ad ædes Cæſaris Pontificis Maximi, cùm matronæ pro populo ſacra facerent, habitu pſaltriæ ad ipſa Bonæ Deæ operta penetrarat.

NEC TVOS.] Quamuis Clodius ita deditus eſſet ludis theatralibus, quamuis in ſuo Tribunatu neminem reuereri ſe oſtenderet, ſed omnia omnibus minaretur, inſultaret, dominaretur, in buſto legum tripudiaret, adeo tamen odij ciuium ſibi ipſi conſcius fuit, vt non auſus fuerit ad ludos Scauri accedere.

NOTÆ.

LVDOS APPAR.] Viſum eſt ſeligere, quæ de horum ludorum apparatu variis locis tradit Plinius lib. 34. cap.7. *In M. Scauri ædilitate tria millia ſignorum in ſcenâ tantùm fuere temporario theatro.* Et lib.35.cap.11.de Pauſia pictore loquens, qui Sicyone vitam egit. *Tabulas inde è publico omnes propter æs alienum ciuitatis addictas Scauri ædilitas Romam tranſtulit.* Quid quod, vt dicitur lib.36.cap.2. *Trecentas ſexaginta columnas M. Scauri ædilitate ad ſcenam theatri temporarij, & vix vno menſe futuri in vſu viderunt portari ſilentio legum?* Quid? quod, vt dicitur eiuſdem lib. cap.6. *Marmoreos parietes habuit ſcena M. Scauri?* Quid? quod, vt idem ait lib.9. cap. 5. *Belluæ cui dicebatur expoſita fuiſſe Andromeda, oſſa Romæ apportata ex oppido Iudææ Ioppe oſtendit inter reliqua miracula in ædilitate ſua M. Scaurus, longitudine pedum* XL. *altitudine coſtarum Indicos elephantes excedente ſpinæ craſſitudine ſeſquipedali.* Sed quid opus eſt ſingillatim ea delibare, cùm lib. 36. cap. 15. idem Plinius totam ludorum illorum magnificentiam deſcripſerit? *Hic fecit in ædilitate ſuâ opus maximum omnium quæ vnquam fuerunt humanâ manu facta, non temporariâ morâ, verùm etiam æternitatis deſtinatione. Theatrum hoc fuit. ſcena ei triplex in altitudinem* CCCLX. *columnarum in ea ciuitate, quæ ſex hymettias non tulerat ſine probro ciuis ampliſſimi. ima pars ſcenæ è marmore fuit, media è vitro, inaudito etiam poſt ea genere luxuriæ, ſummæ tabulis inauratis columnæ, vt diximus, imæ duodequadragenûm pedum.* Locus corruptus eſt. lego. *Summa è tabulis inauratis. columnæ vt diximus maximæ duodequadragenûm pedum.* Dixerat enim cap. 2. eiuſdem lib. *Etiámne tacuerunt maximas earum, atque adeò* 1.

Magnificentia ludorum Scaui.

duodequadragenûm pedum Lucullei marmoris in atrio Scauri collocari. Pergit theatrum deſcribere. *Signa ærea inter columnas, vt indicauimus, fuerunt tria millia numero, cauea ipſa cepit hominum octoginta millia, cùm Pompeij amphitheatri, toties amplificata vrbe tantóque maiore populo ſufficiat, largè* cauea capiens *quadraginta millia.* Item: *Sed & reliquus apparatus tantus Attalica veſte, tabulis pictis cæteróque choragio fuit, vt in Tuſculanam villam reportatis quæ ſuperfuerant quotidiani vſus delitiis, incensâ villâ ab iratis ſeruis concremaretur, ad H. S. millies.* Duo etiam addit Valerius libro 2. Alterum eſt, quod *M. Scaurus exquiſito genere veſtis cultum induxit.* Alterum, quod *Athletarum certamen à M. Scauri tractum eſt munificentia.* Tradit tamen Plutarchus iam antè à Sulla, qui Scauri vitricus fuit, Athletas & pugiles ex olympia Romam euocatos fuiſſe.

II. Lvdivs.] Quaſi lydius, quòd ex Hetruria, quàm Lydi incolebant arcerſiti primò fuerint hiſtriones. Valerius lib. 2. *Ludium ex Hetruria accerſendi cauſam præbuit: cuius decora pernicitas vetuſto ex more Curetum Lydorumque à quibus Hetruſci originem traxerunt nouitate grata Romanorum oculos permulſit.* Idem teſtatur Liuius lib. 7. & Tertullianus lib. de ſpectaculis. Hanc vocem ſumere videtur Nonnius Marcellus pro ludi magiſtro. *Ludius, quòd ludis pueri præſules eſſent glabri ac depiles propter ætatem, quos antiqui Romani lydios appellabant. vt eſt lib. 1. Varronis de vita populi Romani.* ideò Plautus Aulul.

Ludius.

Tu iſtum gallum, ſi ſapis
Glabriorem reddes mihi quàm vulſus lydius.

Sed ſenſus corruptus videtur, nec video cur in illo Plauti loco Ludius ſumi non poſſit pro hiſtrione. elegans eſt de caluis ſiue glabris ludiis narratio apud Dionem lib. 58. vbi facit mentionem Lucij Seiani Prætoris: Τά τ' ἄλλα πάντα διὰ φαλακρῶν ἐν τοῖς φλωραλίοις μέχρι νυκτὸς ἐπὶ τῇ τοῦ Τιβερίου χλευασίᾳ, ὅτι καὶ αὐτὸς φαλακρὸς ἦν, ποιήσαντος, καὶ φῶς τοῖς ἀπιοῦσιν ἐκ τοῦ θεάτρου διὰ πεντακισχιλίων παίδων ἀπεξυρημένων παρασχόντος. *Cùm & alia omnia per glabros in Tiberij, qui glaber erat, contumeliam peregiſſet: & lumen exeuntibus è theatro per quinque raſorum puerorum millia præbuiſſet.* Ludios Plautus vniuerſum vulſos appellat. quia non pauci vt fœminarum perſonas in ſcena ſuſtinerent, effœminabant vultum, cutémque poliebant. quo alluſit Tertullianus lib. de ſpectaculis, agens de theatro. *Ita ſumma gratia eius de ſpurcitia plurimùm concinnata eſt, quàm Attellanus geſticulatur, quàm mimus etiam per muliebres repræſentat ſexum pudoris exterminans, vt faciliùs domi quàm ſcenæ erubeſcant, quàm denique pantomimus à pueritia patitur in corpore, vt artifex eſſe poſſit,* &c. Cyprianus ad Donatum de iiſdem. *Morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum hiſtrionicis geſtibus inquinari? videre contra fœdus iúſque naſcendi patientiam inceſtæ turpitudinis elaboratam. Euirantur mares, honor omnis & vigor ſexus eneruati. corporis dedecore mollitur, plúſque illic placet quiſquis virum in fœminam magis fregerit.* Ioſephus Scaliger ad illud Catulli Carm. 28.

Ludij glabri.

Ludij effœminati.

Ludij ſaltatores.

--Vóſque Ludiæ lacus vndæ.

notat *Ludius propriè eſt* ὀρχηστής. Ouidius:

Ludius æquatam ter pede pulſat humum.

Prudentius:

Saltas tonantem tauriformem ludius.

Statius:

Hoc plaudunt grege ludiæ tumentes.

Varro rer. ruſt. 3.

Quùm inſulas ludiano ritu choreuuſas vidiſſes. id eſt, ὀρχηστῶν δίκην χορευούσας. Plautus:

Peſſuli heus peſſuli, ſite mea cauſa ludij barbari Subſilite.

Acroama.] Tranquillus in Octauio cap. 74. *Aut acroamata & hiſtriones, aut etiam triuiales ex circo ludios interponebat, ac frequentiùs aretalogos.* Herodianus lib. 3. Ἦν περὶ τὰ θεάματα αὐτῶν ἢ τὰ ἀκροάματα σπουδὴ φιλονείκως ἑκάστοτε ἐμερίζετο. *Eorum circa ſpectacula & acroamata ſtudium contentioſè, identidem diſſidebat.* Plutarchus in Galba: Κάνον αὐλήσαντος αὐλῷ παρὰ δεῖπνον· ἀκρόαμα γὰρ ἦν ὁ Κάνος εὐδοκιμούμενον, &c. *Cano ad cœnam tibiis canente. Acroama enim Canus erat celebratum,* &c. Prudentius in Laurentio: III.

Acroama.

Egon' cachinnis venditus Acroama feſtiuum fui?

Cornelius Nepos in Attici vita. *Nemo in conuiuiis eius aliud acroama audiuit quàm anagnoſtem.* Macrobius lib. 2. Saturn. cap. 4. de Auguſto. *Delectatus inter cœnam erat pueris Symphoniacis Turoni Flacci Mangonis: atque eos frumento donauerat, cùm in alia acroamata fuiſſet liberalis nummis. eoſdémque poſteà Turonius æquè inter cœnam quærenti Cæſari, ſic excuſauit: Ad molas ſunt.* vide pro Archia 20.

IV. Embolium.

Embolia.] Quid ſit embolium non facilè dixerim. ſuſpicor eſſe introitus & ianuas, quibus ad proſcenium tranſeunt actores cùm ſe volunt ſuis ſpectatoribus exhibere. ab ἐμβαίνειν, quod eſt *introire.* Vel dicamus Clodiam fuiſſe, vt ait pro Cœlio poëtriam, quæ impudicis moribus occaſionem populo multarum dederit fabularum. quarum fabularum interludia perſpecta habuerit Clodius turpi libidinum commercio. Eſt enim embolium in poëmate digreſſio quædam interiecta. ad Quintum fratrem epiſtolâ primâ libri tertij. *Gabinius ad* III. *Calend. Octob. noctu in vrbem introiuit, & hodie* XVIII. *cum edicto C. Alfij de maieſtate eum adeſſe oportet, concurſu magno, & odio vniuerſi populi penè afflictus eſt. Nihil illo turpius, proximus tamen eſt Piſo. Itaque mirificum* ἐμβόλιον *cogito in ſecundum meorum librorum includere, dicentem Apollinem in concilio Deorum, qualis reditus duorum Imperatorum futurus eſſet, quorum alter exercitum perdidiſſet, alter vendidiſſet.* hinc apud Plinium, *mulier embolaria* ἡ θυμελική, vt notat Scaliger. Quod Briſſonius & a'ij tradunt ex Codice ἐμβολὴν eſſe ἀποτομίας. non videtur huc attinere.

V. Pro psaltria.] Habitus Clodij pſaltriam imitantis, ſic orat. de Haruſp. reſponſis 44. deſcribitur. *P. Clodius à crocota, à mitra, à muliebribus ſolers, purpureíſque faſciolis, ſtrophio, à pſaltrio, à flagitio, à ſtupro eſt factus repente popularis.* Eædem videntur fuiſſe ſaltatrices Macrob. lib. 2. Saturnal. cap. 1. *Sub illorum ſupercilio non defuit, qui pſaltriam intromitti peteret, vt puella ex induſtria ſupra naturam melior canora dulcedine & ſaltationis lubrico exerceat illecebris philoſophantis.* de ſaltatricibus in Piſonem. De pſaltria interpretor illud Arnobij lib. 2. *Inconditos corporum diſſolueretur in motus, ſaltitaret, & cantaret, orbes ſaltatorios verteret, & ad vltimum clunibus & coxendicibus ſubleuatis, lumborum criſpitudine fluctuaret.* ſubdit enim: *Meretrices, ſambuciſtriæ, pſaltriæ.* Vide Iuuena-

Pſaltria.

Iem Sat. II. Talis,

Copa Syriſca caput Graiâ redimita mitellâ
Criſpum ſub crotalo docta mouere latus

à Marone deſcribitur.

AXIOMA.

Odio ſe ciuibus eſſe nouerunt, qui non audent ſe theatro populóque committere.

ARGVMENTVM.

Exempla profert in Clodio populari Tribunoplebis, & P. Lentulo Conſule optimate, Clodius ob eiectum Ciceronem à populo qui ludos ſpectabat ſibilis maledictiſque proſciſſus eſt, Lentulus ob eandem reuocatum omnium plauſu & gratulationibus exceptus.

CXVII. SEMEL, inquam, ſe ludis homo popularis commiſit omnino, cùm in templo Virtutis honos habitus eſſet Virtuti, Caiíque Marij conſeruatoris huius imperij monumentum municipi eius, & Reipub. defenſori ſedem ad ſalutem præbuiſſet. quo quidem tempore, quid populus Romanus ſentire ſe oſtenderit, vtroque in genere declaratum eſt: primò, çùm audito S.C. auctori ipſi, atque abſenti Senatui plauſus eſt ab vniuerſis datus: deinde, cùm Senatoribus ſingulis ſpectatum è Senatu redeuntibus. cùm verò ipſe, qui ludos faciebat, Conſul aſſedit, ſtantes, & manibus paſſis gratias agentes, & lachrymantes gaudio, ſuam erga me beneuolentiam ac miſericordiam declararunt. At, cùm ille furibundus incitata illa ſua vecordi mente veniſſet, vix ſe populus Rom. tenuit, vix homines odium ſuum à corpore eius impuro atque infando repreſſerunt: voces quidem, & palmarum intentus, & maledictorum clamorem profuderunt.

EXPLANATIO.

SEMEL.] Vna tantùm vice Clodius auſus eſt ad theatrum ludos ſpectaturus accedere: eo videlicet die, quo antequam ludi fierent habitus eſt Senatus in æde Virtutis theatro vicina: vbi Senatuſconſultum perhonorificum de Cicerone factum eſt, & honos habitus virtuti Ciceronis, & Caij Marij monumentum, id eſt, ædes Virtutis ad futuram memoriam extructa à Mario ſedem præbuit ad faciendum Senatuſconſultum de ſalute & reditu Ciceronis: quorum alter patriam à Cimbris & Teutonibus liberarat, alter eandem contra vim & furorem Catilinæ defenderat.

IN TEMPLO HONORIS-VIRTVTIS, HONOS HABITVS, &c.] Sic Erfurd. & Gemblac. Nam Pal. Nonus *in templo honoris honos habitus.* S. Vict. *in templo Virtutis honoris honos habitus.* vulgo orat. *in templo honoris honos habitus.*

VTROQVE IN GENERE.] ſiue gratulatione optimatibus, ſiue ſibilo popularibus dando.

CVM AVDITO S.C. AVCTORI IPSI.] Hæc eſt Memmij coniectura à Lambino iure laudata. alij legunt *præconi ipſi*, alij *conſuli ipſi*, ſed minùs fœliciter. Vetus ſcriptura fuit *ore* ipſi.

AVDITO S.C.] Quod de mea ſalute & reuocatione factum fuerat P. Lentulo Conſule referente.

AVCTORI IPSI.] P. Lentulo Conſuli qui retulit. vel quia paulò poſt Conſulis facit mentionem fortaſſe Cottam aut Pompeium ſententiæ principes intelligit. Niſi dicamus eum Conſulem qui ludos faciebat, fuiſſe non Lentulum, ſed Metellum Nepotem: & ea fortaſſe cauſſa fuerit cur Clodius qui ad aliorum ludos non auſus fuerat accedere, fratris ſui Metelli ludis voluerit intereſſe.

ILLE FVRIB.] Pub. Clodius.

VIX HOMINES.] Vix ſibi temperarunt quin vnguibus nudis in ipſum inuolarent, cúmque diſcerperent, *&c.*

NOTÆ.

SEMEL.] Dixi moris fuiſſe vt Senatus in locum aliquem theatro proximum conueniret. Appianus lib. primo bellorum ciuilium. Θέαι δὲ ἦσαν ἐν τῷ Πομπηΐου θεάτρῳ, καὶ βουλευτήριον ἔμελλε τῶν τις περὶ αὐτὸ οἴκων ἔσεσθαι, εἰωθὸς ἐπὶ ταῖς θέαις ὧδε γίγνεσθαι. *Spectacula erant in theatro Pompeij, & futurum erat vt in vna è vicinis ædibus Senatus haberetur: ſic enim fieri ſolet cùm ſpectacula exhibentur.* I. Senatus prope ſpectacula.

COMMISIT.] *Committimus magna, & quæ ſalutem in dubio habent,* inquit Donatus in Andriam Terentij. ludis igitur ſe committere, eſt populo ſe dare in poteſtatem vt plaudat, vel exſibilet. infrà 124. *Venit & ſe populo dedit, non plauſus cupiditate, ſed vt ipſi inimici noſtri voluntatem vniuerſi populi viderent.* In Piſon. 65. *Date populo, committe ludis, ſibilum metuis?* II. Committere.

TEMPLO VIRTVTIS.] Fuerunt aliquot templa Virtutis. Plutarchus opuſculo de fortuna & virtute Romanorum. Ἀρετῆς ὀψὲ ἱερὸν ἱδρύσατο Σκιπίων ὁ Νουμαντῖνος. εἶτα Μάρκελλος τὸ Οὐιρτοῦτις καὶ Ὁνώρεις προσαγορευόμενον. καὶ τὸ Μέντις καλουμένης Σκαῦρος Αἰμύλιος περὶ τὰ Κιμβρικὰ τοῖς χρόνοις γεγονώς. *Virtutis ſerò templum poſuit Scipio Numantinus. Deinde Virtutis & Honoris templum Marcellus excitauit. Mentis verò quæ dicitur Æmilius Scaurus qui circa tempora Cimbrica florebat.* In quo mireris memoriæ lapſum: qui Scipionem III. Templa virtutis.

Numan-

Numantinum Marcello antiquiorem eſſe credat. A Mario etiam templum Virtutis extructum teſtatur vetus inſcriptio, quæ à Iacobo Streinnio in gentium & familiarum ſtemmatibus refertur his verbis terminata. DE MANVBIIS CIMBRICIS ET TEVTONICIS ÆDEM HONORI ET VIRTVTI, VICTOR VESTE TRIVMPHALI CALCEIS PVNICEIS. Valerius Maximus lib.1. hoc Marij monumentum non Virtutis, ſed Iouis ædem appellat. *Vrbe pulſus Marcus Cicero, cùm in villa quadam campi Atinatis diuerſaretur, is animo in ſomnum profuſo, per loca deſerta & inuias regiones vaganti ſibi C. Marium conſulatûs ornatum inſignibus, putauit obuium factum, & interrogantem eum quid ita tam triſti vultu, incerto itinere ferretur, audito deinde caſu, quo conflictabatur, comprehendiſſe dexteram ſuam, ac ſe proximo lictori in monumentum ipſius deducendum tradidiſſe, quòd diceret ibi eſſe ei lætiorem ſtatûs ſpem repoſitam: nec aliter euenit. Nam in æde Iouis Marianâ S. C. de reditu eius eſt factum.* Eadem referuntur ab ipſo Cicerone lib. 1. de Diuinatione §. 59. Sed non additur cui Deo fuerit ædes conſecrata.

IV. QVI LVDOS FACIEBAT.] Dixi fuiſſe Q. Metellum Nepotem, non Lentulum, quòd P. Clodius qui aliorum ludos ne adſpexerat quidem ad hos vnos acceſſerit. Probabile eſt enim Clodium fratri ſuo ludos edenti honoris cauſſâ tum adfuiſſe. Plinius Iunior lib. 7. epiſt. 24. *Ait mihi, Scis me hodie primùm vidiſſe ſaltantem auiæ meæ libertum? hoc Nepos. At hercùle alieniſſimi homines* Ludorum aduocati. *in honorem Quadratillæ (pudet dixiſſe honorem per adulationis officium) in theatrum curſitabant, exultabant, plaudebant, mirabantur.* De his ludorum aduocatis lib. 2. epiſt. ad Atticum 19. *Nam gladiatoribus quà dominus, quà aduocati ſibilis conſciſſi.* Ludos porro facere dixit etiam Plautus Moſtellariâ:

Ludos ego hodie viuo præſenti huic ſeni
Faciam, quod credo mortuo nunquam fore.

V. STANTES.] Ad maiorem amoris ſignificationem plauſum in theatro daturi ſurgebant. Propertius elegiâ decimâ lib. 3.

Stantiáque in plauſum tota theatra fremant.

Noſter epiſtolâ 19. lib. 2. ad Atticum. *Inimici erant equitibus qui Curioni ſtantes plauſerant.* huc Stantes in plauſu. etiam refero & illud auctoris dialogi de oratoribus & cauſis corruptæ eloquentiæ. *Teſtis ipſe populus, qui auditis in theatro verſibus Virgilij ſurrexit vniuerſus, & fortè præſentem ſpectantémque Virgilium veneratus eſt, ſic quaſi Auguſtum.* Idem Auguſtus auctore Tranquillo cap. 56. Liberis ſuis *Prætextatis adhuc aſſurrectum ab vniuerſis in theatro, & à ſtantibus plauſum grauiſſimè queſtus eſt.* Suggeſſit mihi eruditiſſimus Bullengerus Arnobium lib. 4. *Conclamant & aſſurgunt theatra, caueæ omnes concrepant fragoribus atque plauſu.* Citat & Philoſtratum in Arrichione & Ariſtænetum lib. 1. epiſt. 26. quos prætermitto. Adde Plinium panegyrico Traiani: *Tanto maiore conſenſu in venerationem tui theatra ipſa conſurgent, quanto magis ſcenæ de te ſilebunt.*

MANIBVS PASSIS.] Ad celeritatem reditus poſtulandam: is enim precantium & miſericordiam implorantium mos. Apuleius de mundo: *Habitus orantium eſt vt manibus extenſis in cœlum precemur.* Virgilius: VI. Manibus paſſis plaudebāt.

-tendóque ſupinas
Ad cœlum cum voce manus.--

Libanius: χεῖρας πρὸς ἱκετείαν προτείνασθαι. *Manus ad preces extendere.* Cæſar lib. 3. de bell. ciuili Pompeiano: *Paſſiſque palmis proiecti ad terram, flentes ab eo petierunt ſalutem.* Incertus auctor apud Suidam: Προθυμίᾳ τῇ πάσῃ ἀναπετάσαντες τὰς πύλας, ἐδέξαντο ὑπτίαις χερσὶ τοὺς πολεμίους. *Animo promptiſſimo, portis recluſis, paſſis ſiue ſupinis manibus hoſtes exceperunt.* Exponit Suidas ἡπλωμέναις, *paſſis, explicatis.* Etiam in lætitia & gratulatione. Anchiſes 6. Æneidos:

Iſque vbi tendentem aduerſum per gramina vidit
Ænean, alacris palmas vtraſque tetendit.

Horatius Sat. 5. lib. 2.

Importunus amat laudari? Donec ohe! iam
Ad cœlum manibus ſublatis dixerit: vrge, &
Creſcentem tumidis inſla ſermonibus vtrem.

Iuuenalis Sat. 3.

Nocte diéque poteſt alienum ſumere vultum:
A facie iactare manus, laudare paratus, &c.

Martialis lib. 10. epig. 10.

Sæpiùs aſſurgam recitanti carmina: tu ſtas
Et pariter geminas tendis in ora manus.

PALMARVM INTENTVS.] In Piſonem loco iam ſæpè citato. *Sibilum metuis? vbi ſunt veſtræ ſcholæ. Ne acclametur? ne id quidem eſt curare philoſophi. manus tibi ne afferantur times.* vide locum. VII.

AXIOMA.

Etiam è gaudio lacrymæ erumpunt.

ARGVMENTVM.

Non ſolùm ſpectatores, ſed ipſos etiam actores in inſectatione Clodij liberos fuiſſe demonſtrat. & primo quidem in Togata Afranij, cui Clodius depoſito Tribunatu iam priuatus, & ædilitatis candidatus interfuit.

SED quid ego populi Rom. animum virtutémque commemoro, libertatem iam ex diuturna ſeruitute reſpicientis in eo homine, cui tum petenti iam ædilitatem ne hiſtriones quidem coram ſedenti pepercerunt? Nam cùm ageretur togata, ſimulans, vt opinor, caterua tota, clariſſima contentione in ore impuri hominis imminens concionata eſt. *Huic vitæ tuæ.-* & poſt, *Principia, atque exitus vitioſæ vitæ.* ſedebat exanimatus: & is, qui antea cantorum conuitio conciones celebrare ſuas ſolebat, cantorum ipſorum vocibus eiiciebatur. CXVIII.

R

Et quoniam facta mentio eſt ludorum, ne illud quidem prætermittam, in magna varietate ſententiarum, nunquam vllum fuiſſe locum, in quo aliquid à Poëta dictum cadere in tempus noſtrum videretur, quod aut populum vniuerſum fugeret, aut non exprimeret ipſe actor.

EXPLANATIO.

SED QVID EGO.] oratoria correctio, & elegans tranſitio per argumentum à minori ad maius.

Si in Clodium liberi fuerunt hiſtriones, multò magis populus.

Sed hoc, ergo illud.

NAM CVM.] Togatam, nomine Simulantem, agebant hiſtriones: omnis Grex ſiue chorus, quoties aliquid cantandum erat quod in probrum Clodij verti poſſet, ei imminens & defixis in eum oculis clariſſimo concentu reſonabat. hæc præſertim hemiſtichia quæ Clodij moribus apprimè conuenirent.

Huic vitæ tuæ. Item:

Poſt principia, &c.

HVIC VITÆ TVÆ, &c. POST PRINCIPIA, &c.] Gembl. *huic Tite, & tua poſt principia.* Palat. Nonus: *Huic tuæ, & tua poſt pr.* S. Vict. *Huic vitæ tua poſt principia.*

SEDEBAT EXANIMATVS.] nouitate non expectatæ contumeliæ ſtupefactus ſedebat Clodius, & is qui olim in foro ſibi quendam veluti chorum ſubornauerat, cuius cantibus Pompeium probris afficeret, cantorum ipſorum vocibus & ſymphoniâ eiiciebatur à theatro.

CONVICIO.] quaſi conuocio, id eſt, inconditis clamoribus.

ET QVONIAM.] Aliud voluntatis populi ſignum oſtendit, ex eo quòd populus & hiſtriones, quæcunque poſſent, ea de Cicerone ſic interpretarentur. vt in ipſius laudem, in Piſonis, Gabinij, Clodij maximè probrum conuerterent.

NOTÆ.

HISTRIONES.] Vt res, ita & nomen ab Hetruſcis. *Et quia lydius apud eos appellabatur Hiſtrio, ſcenico nomen hiſtrionis inditum eſt.* Liuius lib. 6. *Vernaculis artificibus quia hiſter Tuſco verbo ludio vocabatur, nomen hiſtrionibus inditum.* Plutarchus quæſt. Rom. Διὰ τί τοὺς περὶ τὸν Διόνυσον τεχνίτας ἱστρίωνας Ῥωμαῖοι καλοῦσιν; *Cur ſcenicos artifices Romani vocant hiſtriones?* reſpondet eum ludium qui ex Hetruria accitus eſt proprio nomine Hiſtrum fuiſſe dictum.

II. TOGATA.] Donatus in Terentium: *Illud verò notandum eſt poſt* νέαν κωμῳδίαν *Latinos multa fabularum genera protuliſſe, vt togatas à ſcenicis atque argumentis Latinis: Prætextatas ab dignitate perſonarum, & Latina hiſtoria: Attellanas à ciuitate Campaniæ vbi actitatæ ſunt plurimæ, Rhintonicæ ab actoris nomine: Tabernariæ ab humilitate argumenti & ſtyli: Mimos ab diuturna imitatione vilium rerum, & leuium perſonarum.* Et aliquantò pòſt: *Comœdiarum formæ ſunt tres: Palliatæ Græcum habitum ferentes, quas nonnulli tabernarias vocant: Togatæ iuxta formam perſonarum habitum togarum deſiderantes. Atellanæ ſalibus & iocis compoſitæ quæ in ſe non habent niſi vetuſtam elegantiam.*

Fabulæ togatæ. Prætextatæ. Attellanæ. Rhintonicæ. Palliatæ Tabernariæ.

SIMVLANS.] Togata Afranij hoc nomine inſcripta. quam laudat Feſtus dictione *Numero* Nonnius in *icit*, & *auſcultare*, & alibi quamuis corruptè. fuit autem Afranius inſignis togatarum ſcriptor, quem Velleius lib. 2. *ad Græcorum ingeniorum comparationem euectum* tradit. Fabius lib. 10. *Togatis excellit Afranius.* III.

CATERVA.] Caterua grex hiſtrionum. Plautus eodem etiam ſenſu vſurpat. IV.

CONTENTIONE.] Meliùs alij *concentione.* vt concentum ſiue ſymphoniam in theatris fieri ſolitam intelligas. De qua ſymphonia nos pro Cœlio 35. nonnulla, multa Martianus Capella lib. 9. Cenſorinus de die Natali. Macrobius in ſomnium Scipionis libro 2. cap. 1. & alij paſſim. Omnia penè corraſit Cæſar Bullengerus libris de theatro, in quibus proinde non immoramur. hæc autem concentio, vt cæteros omittam, pulchrè deſcribitur lib. 2. de Repub. apud Auguſtinum lib. 2. de Ciuit. cap. 21. *Vt in fidibus ac tibiis atque cantu ipſo, ac vocibus concentus eſt quidam tenendus ex diſtinctis ſonis, quem immutatum ac diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt, iſque concentus ex diſſimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur, & congruens: ſic ex ſummis, & infimis, & mediis interiectis ordinibus, vt ſonis, moderata ratione ciuitas conſenſu diſſimillimorum concinit, & quæ harmonia à muſicis dicitur in cantu, ea eſt in ciuitate concordia.* Illud mirum eſt quâ tandem licētiâ hiſtriones eam ſibi Clodij inſectationem permiſerint. ſiquidem vt ait Tullius apud Auguſtinum lib. 2. cap. 12. ciuitatis: *Probris & iniuriis Poëtarum ſubiectam vitam famámque habere noluerunt, capite etiam puniri ſancientes, tale carmen condere ſi quis auderet.* hæc ex 2. lib. de Rep. Item: *Noſtræ contra* XII. *tabulæ cùm perpaucas res capite ſanxiſſent, in his hanc quoque ſanciendam putauerunt, ſi quis actitauiſſet, ſiue carmen condidiſſet, quod infamiam afferret, flagitiúmve alteri.* Arnobius lib. 4. *Carmen malum conſcribere, quo fama alterius coinquinetur & vita, decemuiralibus ſcitis euadere noluiſtis impune.* Nihilominùs tamen ſic nonnunquam efferebantur, vt ne à Pompeij quidem inſectatione ſibi Diphilus temperarit. lib. 2. ad Attic. 19. *Ludis Apollinaribus Diphilus Tragœdus in noſtrum Pompeium petulanter inuectus eſt. Noſtra miſeria tu es magnus, millies coactus eſt dicere.* Quàm *hiſtrionum licentiam adeo compeſcuit,* Auguſtus vt *Vrbe atque Italiâ ſubmouerit, quod ſpectatorem à quo exſibilabatur demonſtraſſet digito, conſpicuúmque feciſſet.* Eandem theatri licentiam compreſſit Tiberius apud Tacitum lib. 1. annalium: omnéſque tandem Italiâ exegit hiſtriones, vt idem refert 4. annalium, & Dio lib. 57. ſed à Caio Caligula reuocati, ne Imperatores quidem à ſuis dicteriis immunes eſſe voluerunt. M. Aurelius & Verus. *Adepti imperium ita ciuiliter ſe ambo egerunt, vt lenitatem Pij nemo deſideraret, cùm eos Marullus ſui temporis mimographus cauillando impune perſtringeret.* Verba ſunt Iulij Capitolini in M. Philoſopho, qui & ait, *Crimini*

V.

Harmonia.

Capite ſancitum ne maledicum carmē conderetur.

Hiſtrionum licentia.

ei datum eſt quod adulteros vxoris promouerit: Tertullum, &c. *de quo mimus in ſcena præſente Antonino dixit, cùm ſtupidus nomen adulteri vxoris à ſeruo quæreret, & ille diceret ter Tullus, & adhuc ſtupidus quæreret, reſpondit ille, Iam tibi dixi Tertullus dicitur.*

VI. CANTORVM CONVICIO.] Quid ſit conuitium dicetur in Cœlianâ. Rem geſtam narrat Plutarchus in Pompeio: Προελθόντος αὐτοῦ πρός τινα δίκην, ἔχων ὑφ' αὑτῷ πλῆθος ἀνθρώπων ἀσελγείας καὶ ὀλιγωρίας μεστὸν, αὐτὸς μὲν εἰς ἐπιφανῆ τόπον καταστὰς ἐρωτήματα τοιαῦτα προὔβαλε. Τίς ἐστιν αὐτοκράτωρ ἀκόλαστος; τίς ἀνὴρ ἄνδρα ζητεῖ; τίς ἑνὶ δακτύλῳ κνᾶται τὴν κεφαλήν; οἱ δ' ὥσπερ χορὸς εἰς ἀμοιβαῖα συγκεκροτημένος, ἐκείνου τὴν τήβεννον ἀνασείοντος ἐφ' ἑκάστῳ μέγα βοῶντες, ἀπεκρίναντο, Πομπήϊος. *Pompeio ad iudicium aliquod procedente, Clodius ſtipantibus eum petulantibus quibuſdam ipſe in locum eminentem adſcendit, & propoſuit interrogationes huiuſmodi. Quis eſt Imperator intemperans? Quis vir virum quærit? Quis caput vno digito ſcalpit? Illi verò inſtar chori alternis reſpondebant, eo togam concutiente, magnis clamoribus, Pompeius.* Atque diſtichon illud Licinij Calui tum factum fuiſſe crediderim, vt ab illo petulanti choro caneretur.

Comitia in Pompeium.

Magnus, quem metuunt omnes, digito caput vno
Scalpit, quid credas hunc ſibi velle? virum.

Legunt alij:

Faſciola qui crura ligat, digito, &c.

ARGVMENTVM.

Commodè ſuæ digreßionis excuſationem interſerit, eiúſque rationem reddit, ne leuitate quadam & puerili fucandæ orationis ſtudio ductus, ad Poëtas, hiſtriones & ludos delapſus eſſe videatur.

ET quæſo, hoc loco, iudices, ne qua me leuitate ductum ad inſolitum genus dicendi labi putetis, ſi de Poëtis, de hiſtrionibus, de ludis in iudicio loquar. Non ſum tam ignarus, iudices, cauſſarum, non tam inſolens in dicendo, vt omni ex genere orationem aucuper, & omnes vndique floſculos carpam atque delibem. Scio quid grauitas veſtra, quid hæc aduocatio, quid illi conuentus, quid dignitas P. Sextij, quid periculi magnitudo, quid ætas, quid honos meus poſtulet. Sed mihi ſumpſi hoc loco, doctrinam quandam iuuentuti, qui eſſent optimates. in ea explicanda demonſtrandum eſt, non eſſe populares omnes eos, qui putentur. Id facillimè conſequar, ſi vniuerſi populi iudicium verum, & incorruptum, & ſi intimos ſenſus ciuitatis expreſſero. CXIX.

EXPLANATIO.

INSOLITVM.] à iudiciis alienum.

ORATIONEM AVCVPER.] vndequaque orationis ornamenta conquiram, quamuis è re qualibet digreſſionis occaſionem arripiens. Vox tralatitia ab aucupibus qui ponunt tendiculas, quibus aues irretiant. ſequitur allegoria, qua oratio cum ſertis & coronis, ſubiecta materia cum floribus, Orator cum coronariis cõparatur.

DELIBEM.] ſumma capita ſiue cacumina ſeligam.

SCIO QVID GRAVITAS VESTRA.] quæ non debet inani eloquentiæ iactatione, & nugis puerilibus diſtineri.

QVID HÆC ADVOCATIO.] Imploratio opis à Sextio facta, cùm me rogauit, vt huic iudicio, vel auxilium, vel ſaltem præſentiam meam commodarem.

QVID ILLI CONVENTVS.] Quid hæc circunſtantium ciuium & huius iudicij exitum expectantium corona, quæ huc magna multitudine confluxit.

QVID DIGNITAS PVB. SEXTII.] Cui nonnulla labes adſpergetur, ſi viſus fuero in eius laude & defenſione tam inops, vt aliò digredi coner & à rebus ad cauſam non pertinentibus orationem accerſere.

QVID PERICVLI MAGNITVDO.] Quæ non elucubratam, fucatam & verborum lenociniis adſperſam orationem deſiderat, ſed ſeriam, plenam fide, & auctoritate, antiquam & grauem, vt & iudices cauſæ videant æquitatem ſine fuco & fallacia, & ad miſericordiam moueantur.

QVID ÆTAS.] quinquaginta & ſeptem annorum, quo tempore ſtylus & oratio debet eſſe grauior, maturior, & decoctior.

QVID HONOS MEVS.] Mea dignitas tot rebus geſtis, tot magiſtratibus comparata. Cuiuſmodi viros non decet frigidæ cuiuſdam eloquentiæ famam aucupari, & è quolibet dicendi ornamenta corradere.

SED MIHI.] Docilitatis cauſa renouat propoſitionem, & modeſtiam oſtendit, hæc ſe dicere non iudicibus viris ſapientibus qui præceptis non egentne ſus, quod aiunt, Mineruam docere videatur. reddit deinde digreſſionis rationem.

NOTÆ.

ET QVÆSO HOC LOCO.] Similis deprecatio apud Lucianum in Abdicato: Ἀνάσχεσθε δέ μου τὰ περὶ τούτων φιλοσοφοῦντος, καὶ μὴ ἀπειρόκαλον, μηδ' ἐξαγώνιον, μηδ' ἀλλότριον, ἢ ἄκαιρον ἡγήσησθε τὸν περὶ τῶν τοιούτων λόγον. *Suſtinete me quæſo de his ſubtiliùs diſſerentem, neque ſuperfluum, aut aberrantem à propoſito, aut importunum exiſtimetis ſermonem de rebus eiuſmodi.* Demoſthenes de coronâ: Καί μου πρὸς Διὸς καὶ θεῶν 1.

μηδεμίαν ψυχρότητα καταγνῷ μηδείς. Ἐγὼ γὰρ οὔτ᾽ εἴ τις πενίαν προπηλακίζει, νοῦν ἔχειν ἡγοῦμαι· οὔτ᾽ εἴ τις ἐν ἀφθόνοις τεθραφεὶς ἐπὶ τούτῳ σεμνύνεται. ἀλλ᾽ ὑπὸ τῆς τουτουὶ τοῦ χαλεποῦ βλασφημίας καὶ συκοφαντίας εἰς τοιούτους λόγους ἐμπίπτειν ἀναγκάζομαι, &c. *Atque vos per Iouem & omnes Deos oro, ne quiſquam ineptire me putet. Ego enim neque ſi quis paupertatem exagitat, ſanum eum eſſe puto: neque ſi quis ſplendidè educatus ex eo gloriatur. Sed iſtius importuni maledictis ac calumniis, in huiuſmodi verba incidere cogor,* &c. vbi nota quod ille εἰς τοιούτους λόγους ἐμπίπτειν. Noſter, *ad inſolitum dicendi genus labi*, dixit.

II. INSOLENS.] Non ſolens, inſuetus Terentius Andriâ actu 5. ſcenâ 4. *Saluus ſis Crito. Quid tu Athenas inſolens?* quo loco citat Donatus Salluſtium. *Inſolens vera accipiendi.* Pacuuius Atalantâ apud Nonnium:

Insolens.

Quæ ægritudo inſolens mentem attentat tuam.

Turpilius Demetrio:

Quid mihi vellem ex inſolentia neſciebam.

Salluſtius Catilina: *Quæ tametſi animus adſpernabatur, inſolens malarum artium.* Cæſar primo de analogia libro, quem laudat Gellius lib. 1. noct. Attic. cap. 10. *Habe ſemper in memoria atque in pectore, vt tanquam ſcopulum, ſic fugias inauditum atque inſolens verbum.*

III. FLOSCVLOS CARPAM.] Non inſolens dicendi modus. Pindarus ode 1. Olymp.

Δρέπων μὲν κορυφὰς ἀρετᾶν ἄπο πασᾶν.

Carpens quidem ſummitates ab omnibus virtutibus, huc alluſit etiam ode 9. epodo primo.

Ἐγὼ δέ τοι φίλαν πόλιν
Μαλεραῖς ἐπιφλέγων ἀοιδαῖς, &c.
Ἀγγελίαν πέμψω ταύταν
Εἰ σύν τινι μοιριδίῳ παλάμᾳ
Ἐξαίρετον χαρίτων νέμομαι.
Κᾶπον, &c.

Ego verò amicam vrbem Mollibus illuſtrans camœnis, Nuntium hunc mittam, Si cum fœlici manu Egregium Gratiarum libo Hortum. Ariſtophanes in Ranis:

Carpere & libare.

-ἵνα μὴ τὸν αὐτὸν Φρυνίχῳ
Λειμῶνα Μουσῶν ἱερὸν ὀφθείην δρέπων.
-vt non idem quod Phrynichus
Pratum Camœnarum metere videar ſacrum.

Petrus Chryſologus ſerm. 18. *Verborum floſculos non quæramus. qui maturitatis fructum quærit, deſpicit amœna camporum. Violæ, roſæ, lilia, narciſſus, grati flores, ſed gratior panis. Quod eſt odor naribus, hoc eſt auribus ſermonis ornatus.* Lucretius libro de natura rerum:

-Tuis ex inclyte chartis
Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem decerpimus aurea dicta.

Item:

--Iuuátque nouos decerpere flores,
Inſignémque meo capiti petere inde coronam
Vnde priùs nulli velarunt tempora Muſæ.

Seneca epiſtola 32. *Viro captare floſculos turpe eſt, & fulcire ſe notiſſimis & pauciſſimis vocibus,* &c.

IV. GRAVITAS VESTRA.] Apud viros graues grauia dicenda ſunt, nec eorum patientiâ in nugis abutendum. Plutarchus in Apophthegmatis Antigoni: Ῥήτορος ἀκούων λέγοντος ὅτι χιονόβολος ἡ ὥρα λεπτοβοτανεῖν ἐποίησε, οὐ παύσῃ μοι, εἶπεν, ὡς ὄχλῳ χρώμενος; *Rhetorem audiens dicentem quòd niuiiaculatrix tempeſtas defloreſcere fecit, Non deſines, inquit, me tanquam vulgo abuti?* Noſter de Oratore 209. *Refert etiam qui audiant, Senatus an populus, an iudices, frequentes, an pauci, an ſinguli.* & in Oratore 123. *Hæc enim ſapientia maximè adhibenda eloquenti eſt, vt ſit temporum, perſonarúmque moderator*, &c. Fabius lib. 11. cap. 1. *Non idem apud graues viros, quod leniores*, &c. vide.

...nda ra...tû.

Habe... ſio audito...

V. QVID HÆC ADVOCATIO.] Aduocationem hîc vſurpare videtur pro patrocinio, de cuius diſtinctione alibi diſſeremus. Spectandum eſt autem Oratori quam cauſſam fuerit aduocatus. *Quàm enim indecorum eſt*, vt dicitur in Oratore 72. *de ſtillicidiis cùm apud vnum Iudicem dicas ampliſſimis verbis & locis vti communibus, de maieſtate verò populi Romani ſummiſſè & ſubtiliter?* Talis ille Poſthumus apud Martialem, qui cùm lis eſſet de tribus capellis, *Cannas Mithridaticúmque bellum Et periuria Punici furoris* in medium proferebat. Sed ille decorum ſeruat Orator, qui vt ait Ariſtoteles 3. Rhet. cap. 7. Μήτε περὶ εὐόγκων αὐτοκαβδάλως λέγηται, μήτε περὶ εὐτελῶν σεμνῶς. *Neque de amplis ſummiſſè dicit, neque de tenuibus grauiter.* Operæpretium eſt audire Demetrium Phalereum libro περὶ ἑρμηνείας. cap. de frigida oratione:

Aduocatus.

Ψυχρὸν ἐστι τὸ ὑπερβάλλον τὴν οἰκείαν ἐπαγγελίαν. οἷον
Ἀπυνδάκωτος οὐ τραπεζοῦται κύλιξ.
ἀντὶ τοῦ, Ἀπύθμενος ἐπὶ τραπέζης κύλιξ οὐ τίθεται. τὸ γὰρ πρᾶγμα μικρὸν οὐ δέχεται ὄγκον τοσοῦτον λέξεως. *Frigus orationis eſt quod materiam ſiue propoſitum excedit, vt*

Inſtatuminatus minimè menſatur calyx.
pro
Calyx pede carens menſæ non apponitur.

Res enim parua tantum orationis tumorem non admittit.

PERICVLI MAGNITVDO.] In periculo non ſunt flores orationis carpendi, ſed genus orationis debet eſſe caſtum, graue, de e ipſa non de verbis ſollicitum. pulchrè Perſius Sat. 1. VI.

Fur es, ait Pedio. Pedius quid? crimina raſis
Librat in antithetis. doctas poſuiſſe figuras
Laudatur, &c. vide.

In periculis non affectanda eloquentia.

Ne quod ait alicubi Seneca contra mortem & periculum *non venabulis, ſed ſubulis* pugnare videamur.

QVID ÆTAS? QVID HONOS.] Ei qui loquitur moderandam eſſe orationem ex ſua ipſius perſona omnes dicendi magiſtri tradiderunt. & ſpectandum, Γένος μὲν καθ᾽ ἡλικίαν, οἷον παῖς ἢ ἀνὴρ, ἢ γέρων, ἢ γυνὴ ἢ ἀνήρ. καὶ Λάκων ἢ Θετταλός. ἕξεις καθ᾽ ἃς ποῖός τις τῷ βίῳ. *Genus ſecundum ætatem, vt puer aut vir aut ſenex. & Laco aut Theſſalus. habitus verò ſecundum quos cuiuſdammodi aliquis eſt in vita.* Nam in dicendo, vt ait Noſter 3. de Oratore 209. *Quales ipſi quoque Oratores, qua ſint ætate, honore, auctoritate debet videri.* Horatius in arte: VII.

In loquendo videndum quid ætas dicentis poſtulet.

Intererit multum Dauúſne loquatur an Heros
Maturúſve ſenex, an adhuc florente iuuentâ
Feruidus, an matrona potens, an ſedula nutrix.

Et alia. Quo in genere *quandoque bonus dormitat Homerus*, vt cùm Agamemnonem Regem Regum, & Achillem illum magnanimum tanquam pannucias Baucides verbis altercantes inducit. Virgilius vbique mirus decori ſeruator. Exemplo ſit initium libri 12. Æneidos, vbi Turnus

implacabilis, attollens animos, ſeipſum inſtar leonis ſauciati exſuſcitans, & turbidus, Latinus ſedato pectore reſpondens, maturus, prouidens, paci & quieti ſtudens, impenſè conſulens, omnes caſus expendens, volutans res belli varias Martémque communem, Amata conterrita, flens, ardens, generum amplectens, eum per ſuas lacrymas obteſtans, ſuam ei ſenectutem domúmque commendans. Lauinia virgo, tacens, lacrymis & pudore perfuſa, ſolis denique lacrymis, ſolâ verecundiâ loquens inducitur. Fabius lib. II. cap. I. *Ipſum etiam eloquentiæ genus alios aliud decet. Nam neque tam plenum & erectum, & audax, & præcultum ſenibus conuenerit, quàm preſſum & mite, & limatum, & quale intelligi vult Cicero etiam cùm dicit orationem ſuam cœpiſſe caneſcere,* &c. vide.

VIII. DOCTRINAM QVANDAM IVVENT.] Meritò Iuuentuti. Dio Chryſoſtomus oratione ad Alexandrinos de Athenienſibus. Τοῦ Ἀπόλλωνος εἰπόντος, εἰ θέλοιεν ἄνδρας ἀγαθοὺς ἐν τῇ πόλει γενέσθαι τὸ κάλλιστον ἐμβαλεῖν τοῖς ὠσὶ τῶν παίδων, οἱ δὲ τρήσαντες (lege τρήσαντες) τὸ ἕτερον, χρύσιον ἐνέβαλον, οὐ συνέντες τοῦ Θεοῦ. τοῦτο μὲν γὰρ κόραις μᾶλλον ἔπρεπε, καὶ παισὶ Λυδῶν, ἢ Φρυγῶν. Ἑλλήνων δὲ παισὶ καὶ ταῦτα Θεοῦ προστάξαντος, οὐκ ἄλλο ἥρμοσεν ἢ παιδεία καὶ λόγος. *Cùm Apollo prædixiſſet, vt ſi vellent bonos ciues habere, quod optimum habebant, id in liberorum aures immitterent, alteri auriculæ perforatæ aurum indiderunt Dei mentem compertam non habentes. id enim magis puellis, aut Lydorum Phrygúmque pueris conueniebat. Græcorum verò filios, Deo præſertim imperante, aliud nihil quàm doctrina & ratio decebat.*

Habenda ratio educationis puerorũ.

Plutarchus de audiendo: Τῇ δ' ἀρετῇ μία λαβὴ τὰ ὦτα τῶν νέων ἐστίν. *Virtuti verò vnica eſt anſa, aures videlicet Iuuenum.* Item: Ξενοκράτης τοῖς παισὶ μᾶλλον ἢ τοῖς ἀθληταῖς ἐκέλευε περιάπτειν ἀμφωτίδας, ὡς ἐκείνων μὲν τὰ ὦτα ταῖς πληγαῖς, τούτων δὲ τοῖς λόγοις τὰ ἤθη διαστρεφομένων. *Xenocrates pueris magis quàm Athletis iubebat aurium inuolucra circundare, quod illis aures ictibus, his mores ſermonibus tranſuerſum agerentur.* Deinde: Οἵ τε πολλοὶ τὰ μικρὰ παιδία καταφιλοῦντες, αὐτοί τε τῶν ὤτων ἅπτονται, καὶ τούτοις τοῦτο ποιεῖν κελεύουσιν, αἰνιττόμενοι μετὰ παιδιᾶς ὅτι δεῖ φιλεῖν μάλιστα τοὺς διὰ τῶν ὤτων ὠφελοῦντας. *Multi paruos pueros dum oſculantur, tum iubent eos auriculas apprehendere, tum ipſi apprehendunt, innuentes per iocum eos maximè diligendos eſſe qui per aures proſunt.* Et eam ob rem Oratores cùm aliquam doctrinam præſcribunt, eam ſe non ſenibus ſed iuuentuti dicunt præſcribere. Lycurgus in Leocratem: Εἰ γὰρ καὶ μυθωδέστερόν ἐστιν, ἀλλ' ἁρμόσει καὶ ὑμῖν ἅπασι τοῖς νεωτέροις ἀκοῦσαι. *Nam etſi res eſt faboloſior, vobis tamen adoleſcentibus conueniet audire.*

Auditus.

AXIOMATA.

Leuitatis eſt in dicendo omni ex genere orationem aucupari, & omnes vndique floſculos carpere atque delibare.

In dicendo ſpectandum, quid grauitas auditoris, quid cauſa, quid oratoris ætas & honos poſtulet.

Non ſunt populares omnes ij qui putantur.

ARGVMENTVM.

Quod ſuperiùs tum ex populi plauſu & ſibilis, tum ex hiſtrionum in Clodium canticis oſtenderat, nunc ex Æſopi Tragœdi actione demonſtrat eos maximè populo iucundos eſſe, qui maximè optimatium partibus addicti minimè volunt eſſe populares.

QVID fuit illud, quod recenti nuncio de illo S. C. quod factum CXX.
eſt in templo Virtutis, ad ludos ſcenámque perlato, conſeſſu maximo, ſummus artifex, & mehercule, ſemper partium in Repub. tanquam in ſcena optimarum flens, & recenti lætitia, & miſto dolore, ac deſiderio mei egit apertè multò grauioribus verbis meam cauſſam, quàm egomet de me agere potuiſſem? ſummi enim Poëtæ ingenium non ſolùm arte ſua, ſed etiam dolore exprimebat. *Quàm enim certo animo, qui Rempub. adiuuerit, ſteterit cum Achiuis.* vobiſcum me ſtetiſſe dicebat. veſtros ordines demonſtrabat, reuocabatur ab vniuerſis. *re dubia, Nec dubitarit vitam offerre, nec capiti pepercerit.* Hæc quantis ab illo clamoribus agebantur!

Cùm iam omiſſo geſtu, verbis Poëtæ, & ſtudio actoris, & exſpe- CXXI.
ctationi noſtræ plauderetur. *Summum amicum ſummo in bello.* (nam illud ipſe actor adiungebat amico animo & fortaſſis homines propter aliquod deſiderium approbabant) *Summo ingenio præditum.* Tum illa quanto cum gemitu populi Romani ab eodem paulò pòſt, in eadem fabula ſunt acta, *O pater.* Meme ille abſentem, vt patrem deplorandum putarat, quem Q. Catulus, quem multi alij ſæpè in Senatu patrem patriæ nominarant. quanto cum fletu de illis noſtris incendiis, ac ruinis, cùm patrem pulſum, patriam afflictam deploraret,

domum incenſam euerſámque? ſic egit, vt demonſtratâ priſtinâ fortunâ, cùm ſe conuertiſſet. *Hæc omnia vidi inflammari.* fletum etiam inimicis, atque inuidis excitaret.

EXPLANATIO.

QVID FVIT.] Quantum fuit illud beneuolentiæ popularis indicium, cùm Æſopus hiſtrio me collaudans in ſcena, ſæpiùs iuſſus eſt idem repetere, quaſi ſpectatores meis laudibus expleri non poſſent?

DE ILLO S. C.] Calendis Ianuariis retulerat ad Senatum P. Lentulus Conſul in æde Concordiæ, vt lex de reditu Ciceronis ad populum ferretur. Sed intercedente Attilio Serrano Tribunoplebis res diſcuſſa eſt, vel ſaltem in aliud tempus dilata. quare paucis pòſt diebus Senatu ad templum Virtutis conuocato, eadem de re relatum eſt, decretúmque vt cum populo ageretur de reuocando Cicerone, quod S. C. vbi ad plebem quæ tum fortaſſe ad ſpectacula conuenerat, perlatum eſt, tum plauſus excitatus eſt in theatro prolixâ populi voluntate, tum Æſopus tragœdus multa conuertit in laudem Ciceronis, quæ ſummâ populi gratulatione accepta ſunt & millies repetita.

CONSESSV MAXIMO.] maximâ populi ſpectantis frequentiâ.

SVMMVS ARTIFEX.] Æſopus egregius tragœdus, qui non ſolùm in tragœdiis primas partes, puta Regum & tyrannorum perſonas ſuſtinebat, ſed etiam in Repub. ſectabatur partes bonorum ſiue optimatium.

EX RECENTI LÆTITIA.] quam ex nuntio Senatuſconſulti de meâ reſtitutione facti perceperat.

PARTIVM IN REP. TANQVAM IN SCENA OPTIMARVM.] aliàs *optimatium*, minùs arridet.

SVMMI ENIM POETÆ.] Verſus ab Accio ad permouendos animos ingenioſè conſcriptos, ita pronunciabat, non ſolùm arte ſua hiſtrionica, ſed etiam dolore quodam naturali nec ſimulato, vt ea pronuntiatio reſponderet verſuum grauitati.

QVID ENIM? QVID REMP. CERTO ANIMO ADIVVERIT, STATVERIT, STETERIT CVM ACHIVIS.] Non aliter Gembl. Erfurd. S. Vict. & Pal. Nonus: nolim tamen affirmare locum iam perſanatum.

REVOCABATVR.] Eadem iterum dicere cogebatur populi id expetentis clamoribus.

CVM IAM OMISSO.] Tantum erat populi ſtudium vt iam non aduerteret, quàm decoro corporis geſtu, quàm aptâ vocis inflexione dicerentur, ſed tantùm de verbis Accij Poëtæ meæ cauſæ conuenientibus, de amore & ſtudio actoris Æſopi, & de ſpe mei reditus cum plauſu, & acclamationibus cogitaret.

AMICO ANIMO.] Iure modeſtiam præ ſe fert, ne quod odioſiſſimum eſt ingenium ſuum laudare videatur.

IN EADEM FABVLA.] Hecuba vel potiùs Andromache.

INCENDIIS.] cùm iniectis à Clodio ignibus domus in palatio, villa in Tuſculano deflagrauit.

FLETVM ET INIMICIS.] patheticè, ad exaggerandam calamitatem, quæ potuerit etiam inimicis lacrymas commouere.

NOTÆ.

SVMMVS ARTIFEX.] ludius, hiſtrio. pro Archia Poëta. *Quod ſcenicis artificibus largiri ſolebant, id huic ſummâ ingenij prædito gloria noluiſſe.* Gellius lib. 20. cap. 2. *Id genus autem artifices Græcè appellantur* οἱ περὶ τὸν Διόνυσον τεχνῖται. Profértque locum Ariſtoteles è lib. problematum: Διὰ τί οἱ Διονυσιακοὶ τεχνῖται, ὡς ἐπιπολὺ πονηροί εἰσιν, *Cur Liberi Patris artifices, vt plurimùm ſunt malis moribus imbuti?* Plutarchus in quæſt. Romanis: Διὰ τί τοὺς περὶ τὸν Διόνυσον τεχνίτας ἱστρίωνας Ῥωμαῖοι καλοῦσιν, *Cur ſcenicos artifices Romani vocant hiſtriones?* Athenæus lib. 14. Deipnoſ. Μεταπεμψάμενος τοὺς ἐκ τῆς Ἑλλάδος ἐπιφανεστάτους τεχνίτας, καὶ σκηνὴν κατασκευάσας μεγίστην ἐν τῷ κίρκῳ πρῶτος εἰσῆγε αὐλητὰς ἅμα πάντας. *Artificibus ſummis e Græcia excitis, ſcenáque in circo paratâ, primùm omnes ſimul tibicines induxit.* Plutarchus in Alexandro: Πάλιν ἦν ἐν θεάτροις καὶ πανηγύρεσιν, ἅτε δὴ τρισχιλίων αὐτῷ τεχνιτῶν ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος ἀφιγμένων. *Rurſum in ludis & theatris totus erat, quippe cui tria artificum millia è Græcia venerant. Artifices autem dicti,* vt notat Feſtus, *quòd ſcientiam ſuam per artus exercent.* pro Archia 17. *Quis noſtrûm tam animo agreſti ac duro fuit, vt Roſcij morte nuper non commoueretur? qui cùm eſſet ſenex mortuus, tamen propter excellentem artem ac venuſtatem videbatur omnino mori non debuiſſe. Ergo ille corporis motu tantum amoris ſibi conciliarat à nobis omnibus: nos animorum incredibiles motus celeritatémque ingeniorum negligemus?* Seneca 7. de beneficiis cap. 20. *Si pro magno petet munere artifices ſcenæ, & ſcorta, & quæ feritatem eius emolliant.* Idem epiſtola vndecima: *Artifices ſcenici, qui imitantur affectus, qui metum & trepidationem exprimunt, qui triſtitiam repræſentant, hoc indicio imitantur verecundiam: deiiciunt vultum, verba ſubmittunt, figunt in terram oculos, & deprimunt: ruborem ſibi exprimere non poſſunt.* Suetonius in Iulio cap. 84. Iulij funus deſcribens: *Tibicines, & ſcenici artifices, veſtem quam ex inſtrumento triumphorum ad præſentem vſum induerant, detractam ſibi, atque diſciſſam, iniecere flammæ.* Ammianus lib. 28. *Si ad theatralem ventum fuerit vilitatem artifices ſcenarij per ſibilos exploduntur.* & alij frequenter. Sic Nero cùm ſe interimeret, identidem dixit, *Qualis artifex pereo!* narrat Tranquillus. Quantus porro fuerit artifex Æſopus, vel ex mercede conſtat quam accipiebat. Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 14. Roſcius: *Tantâ fuit gratiâ & gloriâ, vt mercedem diurnam de populo, mille denarios, ſine gregalibus ſolus acceperit. Æſopum verò ex pari arte ducenties ſeſtertiûm reliquiſſe filio conſtat.* Ducenties, inquit, id eſt, quingenta millia aureorum. Immanis ſumma, cùm præſertim magnam ipſe bonorum ſuorum partem per luxum effuderit. Tertullianus de pallio ſub finem: *Æſopus hiſtrio ex auibus einſ-*

1\. Artifices ſcenici. Æſopus ſummus artifex.

dem pretioſitatis, vt canoris & loquacibus quibuſque, ſexcentum millium patinam confiſcauit: filius eius poſt tale pulpamentum potuit ſumptuoſiùs eſurire: margarita namque vel ipſo nomine pretioſa dehauſit, credo ne mendiciùs patre cœnaſſet. De filio Horatius lib.2.Sat.3.

Filius Æſopi detractam ex aure Metellæ
Scilicet vt decies ſolidum exorberet, aceto
Diluit inſignem baccam.-

II. Partivm.] Partes in ſcena ſunt perſonarum ſingulis gerendarum gradus & ordines. Petronius,

Grex agit in ſcenâ mimum, pater ille vocatur,
Filius hic, nomen diuitis ille tenet.
Mox vbi ridendas incluſit fabula partes,
Vera redit facies, adſimulata perit.

Seneca epiſt. 80. *Hic humanæ vitæ mimus, qui nobis partes has, quas malè agamus, aſſignat. Ille qui in ſcena elatus incedit, & hæc reſupinus dicit Ego impero Argis*, &c. *Seruus eſt, quinque modios accepit, & quinque denarios. Ille qui ſuperbus atque impotens, & fiduciâ virium tumidus ait.*

Quòd niſi quieris Menelaë, hac dextra occides, diurnum capit. in cœnaculo dormit. Idem de iſtis licet omnibus dicas, quos ſupra capita hominum ſupráque turbam delicatos lectica ſuſpendit. Actorum autem tres partes fuerunt. Cicero diuinatione in Q. Cæcilium 47. *Vt in actoribus Græcis fieri videmus: ſæpè illum qui eſt ſecundarum aut tertiarum partium, cùm poſſit aliquanto clariùs dicere, quàm ipſe primarum, multum ſummittere, vt ille princeps quàm maximè excellat, ſic faciet Allienus*, &c. Mox: *Et Cecilius tum denique ſe aliquid futurum putet, ſi Allienus minùs vehemens fuerit, & ſibi primas in dicendo partes conceſſerit.* Primarum partium perſonam ait eſſe Pedianus: *Quæ ſæpius actu regreditur. Secundarum & tertiarum, quæ minus minúſque procedunt.* Terentius prologo Phormionis: — Primæ partes.

-Primas partes qui aget, is erit Phormio.

quo loco Donatus *primas partes* interpretatur *maximas*. De ſecundis partibus Horatius epiſtola quadam. — Secundæ partes.

-mimum partes tractare ſecundas.

vbi Porphyrio: *Secundarum partium actores omnia ſummiſsè agunt.* Demoſthenes de falſa legat. τὸν Νεοπτολέμου δευτεραγωνιστήν. *Qui Neoptolemo partes agebat ſecundas.* Tertiarum partium mentio frequens præſertim apud Græcos. Demoſthenes de corona. Ἐχόρευες; ἐγὼ δ' ἐχορήγουν. ἐγραμμάτευες; ἐγὼ δ' ἐκκλησίαζον. τριταγωνίστεις; ἐγὼ δ' ἐθεώρουν. ἐξέπιπτες; ἐγὼ δ' ἐσύριττον. *Saltabas? Ego ſumptus faciebam. Scribebas? Ego habebam concionem. Tertias partes agebas? Ego ſpectabam. Errabas? Ego ſibilabam.* quod, vt tradit Suidas, obiecit Orator, ὡς ἀδοκιμώτατον τῶν ὑποκριτῶν ἐν τρίτῃ τάξει καταριθμῶν. *vt viliſſimum hiſtrionum in tertiis partibus numerans.* Atque eam ob rem tertias partes infimas nominabant. Teles Pythagoricus: Δεῖ ὥσπερ τὸν ἀγαθὸν ὑποκριτὴν ὅ τι ἂν ὁ ποιητὴς περιθῇ πρόσωπον, τοῦτ' ἀγωνίζεσθαι καλῶς. οὕτω καὶ τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα, ὅ τι ἂν περιθῇ ἡ τύχη. καὶ γὰρ αὕτη, φησὶν ὁ Βίων, ὥσπερ ποιήτρια ὅτε μὲν πρωτολόγου, ὅτε δὲ ὑστερολόγου περιτίθησι πρόσωπον, καὶ ὅτε μὲν βασιλέως ὅτε δὲ ἀλήτου. *Oportet, vt egregium artificem, quamcunque Poëta perſonam impoſuerit, eam vt par eſt ſuſtinere. Sic virum bonum quam fortuna perſonam dederit, eam gerere pro dignitate. Ea enim, vt ait Bion, tanquam poëtria, modò primarum, modò infimarum partium perſonam imponit, modò Regis, modò mendici.* Iam quod ſpectat ad optimas Reip. partes cum optimis ſcenæ partibus comparatas, pulchrè Plutarchus in præceptis politicis. Ἄτοπον δέ τὸν μὲν ἐν τραγῳδίᾳ πρωταγωνιστὴν Θεόδωρον ἢ Πῶλον ὄντα μισθωτῷ τῷ τὰ τρία λέγοντι πολλάκις ἕπεσθαι καὶ προσδιαλέγεσθαι ταπεινῶς, ἂν ἐκεῖνος ἔχῃ τὸ διάδημα καὶ τὸ σκῆπτρον, ἐν δὲ πράξεσιν ἀληθιναῖς καὶ πολιτείᾳ τὸν πλούσιον καὶ ἔνδοξον ὀλιγωρεῖν καὶ καταφρονεῖν ἰδιώτου καὶ πένητος. — Tertiæ partes. *Abſurdum eſt in Tragœdiis primarum partium actorem Theodorum aut Polum, mercenario tertiarum partium actori ſæpè obſequentem eſſe, vocémque illi ſummittere, ſi is ſceptrum habeat & diadema: in actionibus autem veris & adminiſtratione Reipub. diuitibus & ſplendidis magiſtratus pauperes & idiotas eſſe contemptui.* Vbi pro τὰ τρία λέγοντι legerim τὰ τρίτα. Demoſthenes de falſa legat. Τοῦτο δὲ τὸ δρᾶμα ὑπεκρίναντο, οἷς οὗτος τὰ τρίτα λέγων διετέλεσεν. *Huius dramatis fuerunt actores, quibus iſte tertias partes ſuſtinere non deſtitit.* Et ſub finem eiuſdem Orationis. Ἐμοὶ δὲ δοκεῖτε ἀτοπώτατον ἁπάντων ἂν ποιῆσαι, εἰ ὅτε μὲν τὰ Θυέστου καὶ τῶν ἐπὶ Τροίᾳ κακὰ ἠγωνίζετο, ἐξεβάλλετ' αὐτὸν καὶ ἐξεσυρίττετε ἐκ τῶν θεάτρων, καὶ μονονοὺ κατελεύετε οὕτως, ὥστε τελευτῶντα τοῦ τριταγωνιστεῖν ἀποστῆναι. ἐπειδὴ δ' οὐκ ἐπὶ τῆς σκηνῆς, ἀλλ' ἐν τοῖς κοινοῖς καὶ τοῖς μεγίστοις τῆς πόλεως πράγμασι μυρία εἴργασται κακά, τηνικαῦτα ὡς καλὸν φθεγγομένῳ προσέχοιτε. *Facturi autem eſtis, meâ quidem opinione, omnium ineptiſſimè, ſi quem Thyeſtis & Troiani belli mala repræſentantem eieciſtis & exſibilaſtis è theatro, & tantum non lapidibus obruiſtis, vſque adeò donec à tertiarum actione partium dimouiſtis. Eum poſtquam non in ſcenâ, ſed in Repub. & maximis negotiis ciuitatis, infinita ſcelera perpetrauit, tum demum vt bellè ſonantem attentè audietis.*

Scena.] De ſcena, eiúſque partibus & ornatu, vide Bulengerum Noſtrum virum eruditum lib.1.de Theatro, capp.13.14.15. III. Scena.

Flens et recenti lætitia.] Lacrymæ etiam ex lætitia. Clytemneſtra apud Æſchylum in Agamemnone cùm Troiam captam audiſſet: IV.

Χαρά μ' ὑφέρπει δάκρυον ἐκκαλουμένη.
Lacrymas ciens lætitia ſubrepit mihi.

Ibidem nuntius:

Ὡς ἐκδακρύειν γ' ὄμμασιν χαρᾶς ὕπο.
Sic vt ab ocellis gaudio lacrymæ fluant. — Lacrymæ ex lætitia.

Sic Anchiſes 6.Æneidos:

-vbi tendentem aduerſum per gramina vidit
Ænean, alacris palmas vtraſque tetendit,
Effuſæque genis lacrymæ.-

Idque preſertim in gratulatione Horatius in arte:

-Clamabat enim pulchrè, benè, rectè.
Palleſcet ſuper his: etiam ſtillabit amicis
Ex oculis rorem, ſaliet, tundet pede terram.

Liuius lib.5. *Tum verò iam ſuperfundenti ſe lætitiæ vix temperatum eſt*, &c. *Certatim Patribus, plebíque manare gaudio lacrymæ.* Pindarus ode 3. Pythiorum, Strophe 6.

Ἐκ δ' ἄρ' αὐτοῦ πομφόλυξαν
Δάκρυα γηραλέαν βλεφάρων
Ἂν περὶ ψυχὰν ἐπεὶ
Γάθησεν ἐξαίρετον.

Ex eius ebullauerunt lacrymæ ſenibus palpebris, poſtquam in anima ſua gauiſus eſt vehementer. Ambroſius de obitu fratris: *Non ſolus dolor lacrymas habet, habet & lætitia lacrymas ſuas.*

Dolore exprimebat.] Quantus eſſet in exprimendis in ſéque transferendis affectibus, V.

Æſopi actio & motus.

oſtendit Plutarchus in Cicerone: Τὸν δ' Αἴσωπον τοῦτον ἱστοροῦσιν ὑποκρινόμενον ἐν θεάτρῳ τὸν περὶ τῆς τιμωρίας Θυέστου βουλευόμενον Ἀτρέα τῶν ὑπηρετῶν τινος ἄφνω παραδραμόντος ἔξω τῶν ἑαυτοῦ λογισμῶν διὰ τὸ πάθος ὄντα τῷ σκήπτρῳ πατάξαι καὶ ἀνελεῖν. *Æſopum hunc aiunt cùm in Theatro Atrei de Thyeſtæ ſupplicio deliberantis perſonam exhiberet, cuidam è ſeruis qui repente interuenerat, vi paſsionis è mentis ſtatu deiectum, ſceptrum impegiſſe & mortem attuliſſe.* Hîc obiter refero quod de Polo Tragœdo prodit Gellius cap. 5. libri 7. noct. Atticarum. Paucis antè diebus vnicè amatum filium morte amiſerat. *Igitur Polus lugubri habitu Electræ indutus, oſſa atque vrnam è ſepulchro tulit filij: & quaſi in Oreſtis amplexu oppleuit omnia non ſimulacris, neque imitamentis, ſed luctu atque lamentis veris ac ſpirantibus. Itaque cùm agi fabula videretur, dolor actitatus eſt.*

Poli actio & motus.

VI. CLAMORIBVS.] Non ſolùm plauſu, ſed etiam clamore populus excipiebat, ſi quid dictum fuerat ab hiſtrione, quod ipſe in primarios viros conuerteret. lib.2.ad Attic.epiſt. 19. *Totius theatri clamore dixit.* Item: *Magno cum fremitu & clamore ſunt dicta.* Tranquillus in Octauio 68. *Populus quondam vniuerſus ludorum die, & accepit in contumeliam eius, & conſenſu maximo comprobauit verſum in ſcena pronunciatum de Gallo Matris Deûm tympanizante.*

Clamor theatri.

Viden' vt cinædus orbem digito temperet?

Horatius epiſt.1.lib.2.

--Nam quæ peruincere voces
Eualuere ſonum, referunt quem noſtra theatra.
Garganum mugire putes nemus, aut mare Thuſcũ,
Tanto cum ſtrepitu ludi ſpectantur, & artes.

VII. AMICO ANIMO.] Modeſtè ſolet de ingenio aut eloquentia ſua loqui. Diuinat.in Q. Cæcilium 36. *Nam cùm omnis arrogantia odioſa eſt tum illa ingenij atque eloquentiæ multò moleſtiſsima. Quamobrem nihil dico de meo ingenio: neque eſt quod poſsim dicere: neque ſi eſſet, dicerem. Aut enim id mihi ſatis eſt, quod eſt de me opinionis quicquid eſt: aut ſi, id parum eſt, ego maius illud commemorando facere non poſſem.* Prima Tuſculana. *Ariſtoteles quidem ait, omnes ingenioſos melancholicos eſſe, vt ego me tardiorem eſſe non moleſtè feram.* Vide exordium Orationis pro Archia Poëta. Quamobrem priores laudes admittens Orator, ingenij laudem hiſtrionis beneuolentiæ acceptam refert, non veritati. Demoſthenes pro corona eandem moderationem adhibet. Ἐγὼ δ' εὖ οἶδα, ὅτι τὴν ἐμὴν δεινότητα. (ἔστω γάρ· καίτοι ἔγωγε ὁρῶ τῆς τῶν λεγόντων δυνάμεως τοὺς ἀκούοντας τὸ πλεῖστον κυρίους ὄντας. ὡς γὰρ ἂν ὑμεῖς ἀποδέξησθε, καὶ πρὸς ἕκαστον ἔχητε εὐνοίας, οὕτως ὁ λέγων ἔδοξε φρονεῖν) εἰ δ' οὖν ἐστι καὶ παρ' ἐμοί τις ἐμπειρία, ταύτην μὲν εὑρήσετε πάντες ἐν τοῖς κοινοῖς ἐξεταζομένην, ὑπὲρ ὑμῶν ἀεί. *Hoc enim ſcio, meam eloquentiam (Eſto enim. quamquam video oratorum eloquentiam in auditorum poteſtate ſitam eſſe. vt enim vos excipitis, & vt quiſque vobis acceptus eſt, ita ſapienter loqui videtur.) Si qua igitur mihi eſt exercitatio dicendi, eam vos omnes inuenietis, in Reipub.ad veſtrum commodum eſſe comprobatam.* Quare ſi quando eloquentiæ ſuæ meminerunt, eam non ingenio ſuo tribuunt, ſed labori & induſtriæ. Diuinat.in Cæcilium 39. *Dices fortaſſe, Quid? ergo hæc in te ſunt omnia? Vtinam quidem eſſent: Verumtamen vt eſſe poſſent magno ſtudio à pueritia eſt elaboratum. Quod ſi ego hæc propter magnitudinem rerum ac difficultatem, aſſequi non potui, qui in omni vita nihil aliud egi,&c.* Plinius Iunior lib.8.epiſt.14. *Poſteris an aliqua cura noſtri neſcio, nos certè meremur vt ſit aliqua, non dico ingenio: id enim ſuperbum: ſed ſtudio, ſed labore, ſed reuerentiâ poſterûm.* Apuleius apologia priore. *De eloquentia verò ſi qua mihi fuiſſet, neque mirum, neque inuidioſum deberet videri: ſi ab ineunte æuo vnis ſtudiis litterarum ex ſummis viribus deditus, aliis ſpretis voluptatibus, ad hoc æui haud ſcio anne ſuper omnes homines impenſo labore, diúque noctúque cum deſpectu & diſpendio bonæ valetudinis, eam quæſiſſem. Sed nihil ab eloquentia metuam: quam ego, ſi quid omnino promoui, potius ſpero, quàm præſto.* Cauſa verò cur ingenium ſuum aut eloquentiam iactantibus ſoleat inuideri, ea eſt quam adfert Martialis lib.8.epig.18.

De ingenio aut eloquentia non gloriandum.

Eloquentiæ opinio pendet a beneuolentia auditorum.

Aurum & opes & rura frequens donabit amicus:
Qui velit ingenio cedere rarus erit.

Ac proinde minimè decet in eo ſe cæteris anteferre, cùm nullius rei meliùs facta fuerit quàm ingeniorum diuiſio ſingulis ſua ſorte contentus, quod ex Platone refert alicubi Noſter Garaſſus. locum non inueni. quanquam in fine libri de Republ. εὐμαθίας καὶ δυσμαθίας propoſitas fuiſſe dicit, & ſingulis prout elegiſſent diſtributas. Quare mirari libet Arrianum magnum cæteroquin virum, de ſeipſo ita ſcribentem, in procœmio ſuæ hiſtoriæ. Οὐκ ἀπαξιώσας ἐμαυτὸν φανερὰ καταστῆσαι ἐς ἀνθρώπους τὰ Ἀλεξάνδρου ἔργα. ὅστις δ' ἂν ταῦτα ὑπὲρ ἐμαυτοῦ γινώσκω τὸ μὲν ὄνομα οὐδὲν δέομαι ἀναγράψαι. *Non indignum meipſum exiſtimans, qui res ab Alexandro geſtas in lucem edam. Quis autem ego ſim qui talem de me opinionem conceperim, non neceſſe eſt me ſcribere.* Sed vide quæ iam diximus §. 4. *Querelæ quam eloquentiæ, doloris quàm ingenij partes eſſe ſuſceptas.* Præclarè Hæmon ille Sophocleus in Antigone:

Iactantia.

Ὅστις γὰρ αὐτὸς ἢ φρονεῖν μόνος δοκεῖ,
Ἢ γλῶσσαν, ἣν οὐκ ἄλλος, ἢ ψυχὴν ἔχειν
Οὗτοι διαπτυχθέντες ὤφθησαν κενοί.
Nam qui ſuperbus ſapere ſe ſolum putat
Mentémve habere, poſſe vel ſolum loqui;
Hunc ſi explicarîs, intus inuenies nihil.

Quid diceret de Ariſtophane qui etiam iuratus de ſuis Nebulis ita gloriatur,

Καί τοι σπένδων πόλλ' ἐπὶ πολλοῖσιν ὄμνυμι τὸν Διόνυσον
Μὴ πώποτ' ἀμείνον' ἔτι κωμῳδικὰ μηδέν' ἀκοῦσαι.
Atqui libans multa & permultis adiurat numina Bacchi
Nunquam meliora audita fuiſſe his comica carmina cuiquam.

O PATER.] Locus è Tragœdia Telamone integrior adfertur 3.Tuſculana: VIII.

O Pater, ô patria, ô Priami domus,
Septum altiſono cardine templum, &c.

& paulò pôſt:

Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam euitari,
Iouis aram ſanguine turpari.

PATRE PATRIÆ.] Vide Piſonianam 6. & de incendiis domus & villæ Ciceronis pro domo 62. IX.

DEM. PRIORI FORTVNA.] Hinc etiam animi motus accenditur. Accius idem citatur 3. Tuſculana. X.

Hiccine eſt Telamon ille modò quem gloria ad cœlum extulit?

Quem ſpectabant? cuius ob os Graij obuertebant ſua? Item:
Namque regnum ſuppetebat mihi, vt ſcias, quanto è loco,
Quantis opibus, quibus de rebus lapſa fortuna occidit. Et,
Ex opibus ſummis opis egens Hector tuæ.

XI. FLETVM ETIAM INIMICIS.] Poëta 2. Æneidos hinc etiam patos accerſit:
--Quis talia fando
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri Miles Vlyſſi
Temperet à lacrymis.--
Item: *--miſerebitur hoſtis.*
libro vndecimo:
--Infanda per orbem
Supplicia, & ſcelerum pœnas expendimus omnes
Vel Priamo miſeranda manus.-
Poſt quem Ouidius 4. Metamorph.
Græcia tunc potuit Priamo quoque flenda videri.
Vterque poſt Ennium à Priſciano laudatum libro 8.
Cogebant hoſtes lacrymantes vt miſerarent.
Citat Pacuuium in Duloreſte Seruius:
Si Priamus adeſſe & ipſe eius commiſereſceret.
Sophoc. in Aiace Tecmeſſam ita loquentem inducit:
Ὦ δύσμορ' Αἴας, οἷος ὢν οἵως ἔχεις·
Ὡς καὶ παρ' ἐχθροῖς ἄξιος θρήνων τυχεῖν.
O qualis Aiax qualibus merſus malis! — Miſerabilis vel hoſti.
Vt vel inimicis excitentur lacrymæ.
Silius Italicus lib. 2. Punicorum de excidio Sagunthi:
Quis diros vrbis caſus, laudandáque monſtra
Et fidei pœnas, & triſtia facta piorum
Temperet euoluens lacrymis? vix Punica fletu
Ceſſaſſent caſtra, & miſereſcere neſcius hoſtis.
Lyſias oratione de argento dando impotenti: Καὶ τοῖς ἐχθροῖς ἐλεεινοὺς ὄντας. *Etiam hoſtibus miſerabiles.* Iterum Sophocles Oedipo Tyranno:
--θέαμα δ' εἰσόψει τάχα
Τοιοῦτον οἷον καὶ στυγοῦντ' ἐποικτίσαι.
Tu tale cernes forſitan ſpectaculum
Vt nec inimicus temperes à lacrymis.
6. Metamorph. de Niobe:
Et mediam tulerat greſſus reſupina per vrbem
Inuidioſa ſuis: at nunc miſeranda vel hoſti
Corporibus gelidis incumbit, & ordine nullo
Oſcula diſpenſat natos ſuprema per omnes.
Sidonius epiſt. 7. lib. 1. *Vſque ad inimicorum dolorem deuenuſtatus.* Clodianus de bello Gildonico:
--lugenda Getis & flenda Sueuis
Hauſimus, ipſa meos horreret Parthia caſus.
Demoſthenes epiſtola de Lycurgi liberis. Οὗ κἂν ἐχθρὸς, εἴπερ μέτριος εἴη, καὶ λογισμὸν ἔχων, ἐλεήσαι. *Quorum etiam inimicus, ſi modò moderatus eſſet, & rationis compos, miſereretur.* Noſter 3. de Oratore 212. *Quæ ſic ab illo acta eſſe conſtabat, oculis, voce, geſtu, inimici vt lacrymas tenere non poſſent.*

XII. ATQVE INVIDIS.] Plutarchus Opuſculo de inuidia & odio: Φθονεῖ δ' οὐδεὶς τῷ δυστυχοῦντι, καὶ τὸ ῥηθὲν ὑπό τινος τῶν καθ' ἡμᾶς σοφιστῶν, ὅτι ἥδιστα οἱ φθονοῦντες ἐλεοῦσιν, ἀληθές ἐστι. *Infelici inuidet nemo: atque adeo verum eſt quod nonnemo dixit eorum Sophiſtarum, qui noſtra ætate floruerunt, inuidos iucundiſſimè miſereri.* Baſilius Magnus homilia de inuidia. Μίαν ἀναμένει τοῦ κακοῦ ῥᾳστώνην, εἴπου τινὰ ἴδῃ καταπεσόντα τῶν φθονουμένων. οὗτος ὅρος τοῦ μίσους, ἄθλιον ἰδεῖν ἐκ μακαρίου τὸν βασκαινόμενον, ἐλεεινὸν γενέσθαι τὸν ζηλωτόν. τότε σπένδεται, καὶ φίλος ἐστὶν, ὅταν δακρύοντα ἴδῃ, ὅταν πενθοῦντα. καὶ εὐθυμοῦντι μὲν οὐ συνευφραίνεται, ὀδυρομένῳ δὲ καὶ συνδακρύει. καὶ τὴν μεταβολὴν τοῦ βίου ἐξ οἵων εἰς οἷα μεταπέπτωκε κατοικτίζεται. *Vnum expectat mali ſolatium, ſi quem eorum cui inuidet, cadentem aduerterit. Hic odij terminus, eum, cui inuidetur, videre miſerum ex beato, miſerabilem qui fuerat inuidendus. Tunc fœdus & amicitiam init, cùm lacrymantem, cùm lamentantem viderit. Et gaudenti quidem non congaudet, cum lugente verò luget. & vitæ mutationem ex quibus in quæ deciderit, miſeratur.* Hæc Baſilius. Noſter tamen inuidos ab inimicis, & inuidiam ab odio diſtinguit ſecutus Xenophontem libro 3. memorabilium. Φθόνον δὲ σκοπῶν ὅ,τι εἴη, λύπην μέν τινα ἐξηύρισκεν αὐτὸν ὄντα, οὔτε μέντοι τὴν ἐπὶ φίλων ἀτυχίαις, οὔτε τὴν ἐπ' ἐχθρῶν εὐτυχίαις γιγνομένην, ἀλλὰ μόνους ἔφη φθονεῖν τοὺς ἐπὶ ταῖς τῶν φίλων εὐπραξίαις ἀνιωμένους. *Conſiderans quid eſſet inuidia, eam dolorem quendam inueniebat eſſe, neque tamen eum qui vel ob amicorum aduerſitatem, vel ob inimicorum felicitatem exiſteret, ſed eos ſolùm qui dolorem ex amicorum proſperitate perciperent, dicebat inuidere.* — Lacrymæ inuidorum.

AXIOMATA.

Debemus eſſe ſemper partium in Repub. tanquam in ſcenâ optimarum.

Grandis eſt illa calamitas, qua fletus etiam inimicis atque inuidis excitatur.

ARGVMENTVM.

Non ſolùm Æſopi beneuolentiam in laudando & condolendo, ſed etiam libertatem in reprehendendo populo commendat, prudenter tamen populi excuſationem interſerit.

PRO Dij immortales, quid? illa quemadmodum dixit idem? quæ mi- CXXII.
hi quidem ita & acta & ſcripta videntur eſſe, vt vel à Catulo, ſi reuixiſſet, præclarè poſſe dici viderentur. is enim liberè reprehendere, & accuſare populi nonnunquam temeritatem ſolebat, aut errorem Senatus. *...ſſu ingratifici Argiui, inanes Graij, immemores benefici.* Non erat illud quidem verum. non enim ingrati, ſed miſeri, quibus reddere ſalutem, à quo acceperant non liceret. nec vnus in quemquam vnquam gratior, quàm in me vniuerſi: ſed tamen illud ſcripſit diſertiſſimus

Poëta, pro me, egit fortiſſimus actor, non ſolùm optimus de me, cùm omnes ordines demonſtraret, Senatum, equites Romanos, vniuerſum populum Rom. accuſaret. *Exulare ſinitis, ſiuiſtis pelli, pulſum patimini.* Quæ tum ſignificatio fuerit omnium, quæ declaratio voluntatis ab vniuerſo populo Rom. in cauſſa hominis non popularis, equidem audiebamus: exiſtimare faciliùs poſſunt, qui adfuerunt.

EXPLANATIO.

PRO DII.] Exclamatio ex admiratione libertatis profecta. Quantâ libertate! quanto ſpiritu Æſopus populum reprehendit?

PRO ME.] Alij legunt *pro Telamone*, quod malim. neque enim Accius Poëta Cicerone longè antiquior de Cicerone cogitarat. Niſi fortaſſe dicamus hos verſus à recentiori quodam Poëtâ in gratiam Ciceronis datâ operâ interiectos fuiſſe. Senſus eſt, hunc verſum

O ingratifici Argiui, immanes Graij, immemores beneficij.

Scripſit Accius diſertiſſimus Poëta pro Telamone: pronuntiauit Æſopus actor non ſolùm artis ſuæ peritiſſimus, ſed etiam liberrimus & populi offenſionem minimè reformidans, & quæ Poëta pro alio ſcripſerat meæ cauſſæ accommodauit.

HOM. MIN. POP.] Mei ipſius qui ſemper ſecutus ſum parteis optimatium, nec vnquam volui plebem largitionibus aut blanditiis corrumpere.

NOTÆ.

I. TEMERITATEM.] Nota verborum proprietatem. populo datur *temeritas*, Senatui *error*. Populus enim, vt dicitur in Plancianâ 9. *Si iudicat, non delectu aliquo, aut ſapientiâ ducitur ad iudicandum, ſed impetu nonnunquam, & quadam etiam temeritate. Non eſt enim conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia: ſempérque ſapientes ea quæ populus feciſſet, ferenda, non ſemper laudanda duxerunt.* & 15. *In tanto nos impetu ſtudiorum, & motu temeritatis, modum aliquem & conſilium & rationem requiramus?* Vnde propter hanc ſtudiorum varietatem, vulgi temeritas alibi cum fluctibus, vt pro Milone 5. alibi cum incendio omnia deuorante confertur. Phocylides:

Populi temeritas.

Λαὸς, καὶ ὕδωρ, καὶ πῦρ ἀκατάσχετα πάντα.

Ignis, aqua, & vulgus nulla ratione tenentur.

Vnde etiam nonnulli vulgus τὸν εἴκαιον, vel etiam τὸ εἴκαιον dictum aiunt: exempla modò non ſuccurrunt. Satis eſt in præſentia temeritatem vulgo tribui quòd nullum in eo ſit conſilium, ſed temere quod ſors obiecerit, ad id impetu deferatur. Error autem Senatui tribuitur, quòd in conſiliis capiendis nonnunquam aberret à ſcopo & fine præſtituto. Porro quæ ſit inter temeritatem & errorem vel ſimilitudo, vel diſtinctio, videbis apud Valerium lib. 9. cap. 8. *Temeritas etiam ita ſubiti, vt vehementes ſunt impulſus: quorum ictibus hominum mentes concuſſæ, nec ſua pericula reſpicere, nec aliena facta iuſtâ æſtimatione proſequi valent.* Et cap. 9. *Temeritati proximus eſt error: quemadmodum ad lædendum par, ita cui faciliùs quis ignouerit: quia non ſuâ ſponte, ſed vanis concitatus imaginibus culpæ ſe implicat.*

LIBERE REPREHENDERE.] Quanta Catuli fuerit in reprehendendis populi ſtudiis vel libertas, vel apud ipſum populum quem accuſabat auctoritas, & gratia videri poteſt apud Plutarchum in Pompeio, Pompeium contra piratas mitti magna verborum libertate diſſuadebat. Eo inter cætera dicente: Τίνα ἕξετ' ἄλλον ἂν ἀπολέσητε τοῦτον, ἐκ μιᾶς γνώμης ὑπεφώνησαν ἅπαντες, Σεαυτόν. *Quem alium habebitis, ſi quid ei humanitùs contigerit, vno conſenſu clamauerunt omnes, Teipſum.* Eadem narrat Valerius lib. 9. cap. 16. Velleius lib. 2. pulcherrimè vbi rem narrauit: *Hic*, inquit, *hominis verecundiam, populi iuſtitiam mirari libet. huius quòd non vltra contendit: plebis quòd diſſuadentem & aduerſarium voluntatis ſuæ vero teſtimonio fraudare noluit.* II.

Catuli auctoritas.

MISERI.] Miſeriæ eſt non poſſe gratiam referre. vnde Darius moriens apud Plutarchum in vita Alexandri: Πιὼν ὕδωρ ψυχρὸν εἶπε πρὸς τὸν δόντα Πολύστρατον, ὦ ἄνθρωπε, τοῦτό μοι πέρας γέγονε δυστυχίας ἁπάσης, εὖ παθεῖν ἀμείψασθαι μὴ δυνάμενον. *Cùm gelidam aquam bibiſſet, dixit Polyſtrato qui dederat, ô homo, huc denique miſeriarum omnium deueni, vt beneficium ab eo recipiam cui gratiam referre non poſſim.* Sed non eſt miſer qui gratiam referre non poteſt, ſed qui non vult referre. Seneca libro 5. de benef. cap. 4. *Nemo vinci poteſt beneficiis, ſi ſcit debere, ſi vult referre, ſi quod rebus non poteſt, animo æquat. Hic quamdiu in hoc permanet, quamdiu tenet voluntatem, gratum animum ſignis approbat; Quid intereſt ab vtrâ parte munuſcula plura numerentur? tu multa dare potes, at ego tantum accipere poſſum.* Sicut contra, vt ait lib. 3. cap. 17. *An tu infœlicem vocas qui caret acie oculorum, cuius aures morbus obſtruxit: non vocas miſerum eum qui ſenſum beneficiorum amiſit? Teſtes ingratorum omnium Deos metuit, vrit illum & angit intercepti beneficij conſcientia*, &c. III.

Miſeri qui gratiam referre non poſſunt.

AXIOMA.

Non ingrati ſed miſeri, quibus reddere ſalutem à quo acceperint, non licet.

ARGVMENTVM.

Pergit Æſopi lacrymas & dolorem, Poëtarum ſtudia, populi hiſtrionem identidem reuocantis plauſum & eorum quæ dicebantur approbationem exponere.

ET quoniam me huc prouexit oratio, hiſtrio caſum meum toties CXXIII.
collacrymauit, cùm ita dolenter ageret cauſſam meam, vt vox eius illa præclara lacrymis impediretur. neque Poëtæ, quorum ego ſemper ingenia dilexi, tempori meo defuerunt: eáque populus Rom. non ſolùm plauſu, ſed etiam gemitu ſuo comprobauit. Vtrum igitur hæc Æſopum potiùs pro me, aut Attium dicere oportuit, ſi populus Rom. liber eſſet, an principes ciuitatis? Nominatim ſum appellatus in Bruto *Tullius qui libertatem ciuibus ſtabiliuerat:* millies reuocatum eſt. Parúmne videbatur, populum Rom. iudicare id à me, & à Senatu eſſe conſtitutum, quod perditi ciues ſublatum per vos criminabantur?

EXPLANATIO.

ET QVONIAM.] Quia res videbatur leuior, quam vt eam de induſtria tractaret, iure ſe excuſat, quaſi non eo ſponte deuenerit, ſed ipſo orationis impetu prouectus ſit.

HISTRIO.] Æſopus Tragœdus toties exilium meum defleuit, quoties aliquid dixit quod meis temporibus poſſet conuenire.

NEC POETÆ.] De ſuo erga poëſim & Poëtas amore fusè oratione pro Archia.

VTRVM IGITVR.] Occaſione data demonſtrat ciuitatem oppreſſam fuiſſe Piſonis & Gabinij Conſulatu, quia principes ciuitatis ea dicere non audebant, quæ hiſtriones in theatro, quaſi per ambages & cuniculos inſinuabant de cauſſâ Ciceronis. Veterum Poëtarum fabulas eò flectentes. immò nonnullos interſerentes veteribus illis fabulis verſiculos quæ tempori quadrarent. adeò vt fuerit nominatim appellatus. Eo quidem prætextu quaſi de Seruio Tullio Rege ſermo haberetur, ſed reuera vt appellatione Tullij populus commoueretur.

REVOCATVM EST.] Poëta iuſſus ea repetere.

PARVMNE.] Improbi Ciceronem Regem & tyrannum vocabant, at contra populus toties reuocans hiſtrionem libertatem ciuium ab eo ſtabilitam fuiſſe indicabat.

NOTÆ.

1. LACRYMIS IMPEDIRETVR.] Naſo 1. triſt. el. 3.

Singultu medios impediente ſonos.

Homerus 4. Odyſſeæ:

Δὴν δέ μιν ἀμφασίη ἐπέων λάβε. τὼ δέ οἱ ὄσσε
Δακρυόφιν πλῆσθεν. θαλερὴ δέ οἱ ἔσχετο φωνή.

Vox lacrymis impedita.

Illa diu tacuit, lacrymiſque impleuit obortis
Humentes oculos, & vox oppreſſa dolore eſt.

Vide Milonianam. *Sed finis ſit, neque enim præ lacrymis iam loqui poſſum.* Liuius lib. 40. de Demetrio: *Dicenti hæc lacrymæ ſpiritum & vocem ſimul interclu ſerunt.*

REVOCATVM EST.] Neſcio quid viros doctos mouerit vt ad marginem adſcriberent. *fortè recitatum, vel repetitum.* quaſi dictio *reuocatum,* hîc locum non haberet. Reuocatur actor vel anagnoſtes cum eadem iubetur iterum dicere. Valerius Maximus lib. 2. de more ludorum, Reuocare.
agens de Liuio Poëta. *Iſque ſui operis actor, cùm ſæpius à populo reuocatus vocem obtudiſſet, adhibito pueri & tibicinis concentu geſticulationem tacitus peregit.* Idem lib. 6. cap. 2. *Diphilus Tragœdus cum Apollinaribus ludis inter actum ad eum verſum veniſſet in quo hæc ſententia continetur*

Miſeriâ noſtrâ Magnus es:

Directis in Pompeium Magnum manibus pronuntiauit: reuocatúſque aliquoties à populo ſine vlla cunctatione nimis: illum & intolerabilis potentiæ reum geſtu perſeueranter egit. quod Cicero epiſt. ad Attic. 19. lib. 2. his verbis expreſſerat. *Millies coactus eſt dicere.* Item pro Archia 18. *Quoties ego hunc vidi, cùm litteram ſcripſiſſet nullam, magnum numerum optimorum verſuum, de his ipſis rebus, quæ tum agerentur, dicere ex tempore? quoties reuocatum eandem rem dicere, commutatis verbis atque ſententiis?* Suprà 120. *Reuocabatur ab vniuerſis.* Horatius epiſt. ad Auguſtum:

Cùm loca iam recitata reuoluimus irreuocati.

Plinius iam antè laudatus epiſt. 5. lib. 3. *Memini quendam ex amicis cùm lector perperam quædam pronuntiaſſet, reuocaſſe, & repeti coëgiſſe: huic auunculum dixiſſe: Intellexeras nempe? Cùm ille annuiſſet, Cur ergo reuocabas? decem ampliùs verſus hac tua interpellatione perdidimus.* Liuius decadis 4. lib. 3. *Reuocatus præco cùm vnuſquiſque non audire, ſed videre libertatis ſuæ nuntium aueret, iterum pronuntiaret eadem,* &c. loquitur de libertate Græcis à Tito Quintio reddita.

SVBLATVM.] Criminabatur Clodius ſublatam à Tullio libertatem: & eam ob rem euerſa III.
Ciceronis domo ſimulacrum cuiuſdam meretricis Tanagrææ, nomine Libertatis inſcripto, in eius domus ſolo collocauit. vide Orationem pro domo 110. 111. 131. *Tu in ciuis optimè de Rep. meriti cruore, ac penè oſſibus, ſimulacrum non Libertatis publicæ, ſed Licentiæ collocaſti.*

AXIOMATA.

Vox lacrymis impeditur.
Ingenia Poëtarum ſunt diligenda.

ARGVMENTVM.

A ludis gladiatoriis oſtendit vniuerſi populi beneuolentiam in optimates, odium in eos qui volunt eſſe populares.

CXXIV. MAximvm verò populi Rom. iudicium vniuerſo conſeſſu gladiatorio declaratum eſt: erat enim munus Scipionis, dignum & eo ipſo, & illo Q. Metello, cui dabatur. Id autem ſpectaculi genus erat, quod omni frequentiâ, atque omni genere hominum celebratur, quo multitudo maximè delectatur. In hunc conſeſſum P. Sextius Tribunus pleb. cùm ageret nihil aliud in eo magiſtratu, niſi meam cauſſam, venit, & ſe populo dedit, non plauſûs cupiditate, ſed vt ipſi inimici noſtri voluntatem vniuerſi populi viderent. venit (vt ſcitis) ad columnam Meniam: tantus eſt ex omnibus ſpectaculis vſque à Capitolio, tantus eſt fori cancellis plauſus excitatus, vt nunquam maior conſenſio, aut apertior populi Romani vniuerſi fuiſſe, vlla in cauſſa, diceretur.

CXXV. Vbi erant tum illi concionum moderatores, legum domini, ciuium expulſores? Aliúſne eſt aliquis improbis ciuibus peculiaris populus, cui nos offenſi, inuiſíque fuerimus? Equidem exiſtimo, nullum tempus eſſe frequentioris populi, quàm illud gladiatorum, neque concionis vllius, neque verò vllorum comitiorum. Hæc igitur innumerabilis hominum multitudo, hæc populi Romani tanta ſignificatio ſine vlla varietate vniuerſi, cùm illis ipſis diebus de me actum iri putaretur, quid declarauit, niſi optimorum ciuium ſalutem, & dignitatem populo Rom. caram eſſe vniuerſo?

CXXVI. At verò, & ille Tribunus pleb. qui de me non patris, aui, proaui, maiorum denique ſuorum omnium, ſed Græculorum inſtituto concionem interrogare ſolebat, Vellétne me redire: &, cùm erat reclamatum ſemiuiuis mercenariorum vocibus, populum Rom. negare dicebat: is cùm quotidie gladiatores ſpectaret, nunquam eſt conſpectus: cùm veniret, emergebat ſubito, cùm ſub tabulas ſubrepſerat, vt *Mater te appello* dicturus videretur. Itaque illa via latebroſa qua ſpectatum ille veniebat, Appia iam vocabatur. Qui tamen, quoquo tempore conſpectus erat, non modò gladiatores, ſed equi ipſi gladiatorum repentinis ſibilis extimeſcebant.

EXPLANATIO.

Erat enim.] Populi Romani iudicium oſtenſurus ludos illos gladiatorios commendat, qui quo celebriores fuerunt, eo etiam maior ad eos populi multitudo confluxit. commendat autem tum à perſonâ Cæcilij Metelli Scipionis, qui munus illud exhibebat, tum à perſona Q. Metelli Celeris, in cuius demortui honorem exhibebatur, de cuius morte & laudibus vide Cœlianam 59.

Et se popvlo dedit.] Commiſit ſe populi arbitrio ad plauſus vel ſibilos referendos. periculum fecit populi erga ſe voluntatis.

Ad colvmnam Mæniam.] In foro iuxta puteal excitatam.

Vsqve a capit.] Vnde proſpectus in ſacram viam & forum ipſum patebat.

Cancellis.] Septis quibus iudices à cæteris ſeparantur.

Vbi erant.] ſarcaſmos & inſultatio commoda.

Legvm domini.] qui pro ſuâ libidine leges alias ferebant, alias abrogabant.

Ille Trib.] Quidam Attilium Serranum intelligunt. Vix aſſentior, eum enim ſuprà 72. ex Attiliorum & Calatinorum familiâ ortum negans, ex diſerto Gauij Oleli horreo veniſſe tradit. hunc autem Tribunum plebis fatetur nobiliſſimum fuiſſe, honorificam faciens patris, aui, proaui, maiorum omnium mentionem: ſed fortaſſe maiores appellat, quia in eorum familiam fuerat adoptatus. Verùm ſi fuit Attilius iſte Tribunus ratio non conſtabit, cur via, quâ tum ille veniebat adlu-

ad ludos Appia diceretur, & eam ob cauſam nonnulli *Attilia iam vocabatur*, ſine veterum exemplarium fide legere maluerunt. Malim de Clodio interpretari, cuius pater, auus, proauus, maiores omnes Conſules fuerunt, miniméque omnium populares. Tribunus vocatur, pro Tribunitio, vt apud Horatium, *Metellus Conſul* pro Conſulari: qui in ſuo Tribunatu cùm Cicero iam exiiſſet, interrogauerat concionem vellétne eum redire: reclamantibúſque paucis mercenariis legem tulit, vt ſi aqua & igni interdictum eſſet. Quid ſi legeremus? *At verò ille qui tribunus plebis de me,* &c.

Nvnqvam est conspectvs cvm veniret.] Pal. nonus repetiit, *Nunquam, nunquam eſt conſpectus.*

Vt mater.] Veniebat in amphitheatrum per occultas vias & quaſi per cuniculos, ſub tabulas quibus amphitheatrum compactum erat ſubrepens, & inde ſubitò emergens: quemadmodum in ſcena vmbrā Polydori per tabulas quaſi ex inferis emergentem inducunt, ita dicentem:

Mater te appello quæ curam ſomno ſuſpenſo leuas
Neque te mei miſeret, ſurge & ſepeli natum.

Qui verſus referuntur prima Tuſcul.

Eqvi.] Andabatæ ex equis pugnabant.

NOTÆ.

I. Munus. Mvnvs.] Propriè. Tertullianus lib. de ſpectaculis cap. 2. *Munus dictum eſt ab officio: quoniam officium etiam muneris nomē eſt. officium autem mortuis hoc ſpectaculo facere ſe veteres arbitrabantur.* Iuuenalis,

Munerarius. *Munera nunc edunt & verſo pollice vulgi*
Quemlibet occidunt populariter.

Munerator. Cyprianus lib. de opere & eleemoſynis. *Et munera mihi quàm pretioſa, quàm grandia, quàm nimio & longo labore quæſita ſumptuoſiſſimis apparatibus comparant, rebus ſuis vel obligatis in muneris comparatione vel venditis.* hinc editor *munerarius* ibidem, & apud alios paſſim, & *munerator* apud Florum, nihil hic moror. omnia Lipſius præcerpſit. huc alludit Plautus Moſtellaria:

Ludi. *Ludos ego hodie viuo præſenti huic ſeni,*
Faciam quod credo mortuo nunquam fore.

II. Max. delectatvr.] Tertullianus loco proximè citato *inſigniſſimum ſpectaculum acceptiſſimum* appellat. Propriè autem delectatur, id eſt allicitur, attrahitur vt magnam fuiſſe populi confluentis multitudinem oſtēdat, Ennius Thyeſte apud Nonnium.

Et me Apollo ipſe delectat, ductat Delphicus.

Quadrigarius annalium lib. 4. *Fabius de nocte cœpit hoſtibus* (malim *hoſtium*) *caſtra ſimul oppugnare, eum hoſtem delectare, dum collega id caperet quod captabat.* vbi hoſtem *delectare* eſt *retinere*, vel *ad pugnam allicere.* Antiqui etiam lactare dicebant. id eſt, vt exponit Marcellus *inducere.* Accius Medea,

Delectare. *Niſi vt aſtu ingenium, lingua laudem, & dictis lactem leuibus.*

Cecilius Hypopolimæo:

Quid prolunium, quæ voluptas, quæ te lactat largitas?

Accius Alcmæone:

--fruſtrando lactans, venans protrahis.

Terentius Andria ſc. 1. act. 4.

Niſi me lactaſſes amantē, & falſa ſpe produceres.

Et actus 5. ſc. 4.

Imperitos rerum, eductos liberè, in fraudē illicis
Sollicitando, & pollicitando eorum animos lactas.

Vbi Donatus, *Lactare eſt dulcedine aliqua tenere, ad perſuaſionem inducere. vnde & delectare.* & ſanè Varro ὄνος ἐπὶ λύρας vtrumque coniunxit.

Quibus ſuam delectet ipſe amuſiam,
Et auiditatem ſpecibus lactet ſuis.

Se popvlo dedit.] Supra 116. *Ecquis theatro populóque commiſerit.* Æſopus quadam fabella de citharœdo. Ἔγνω δ, θεάτρῳ ἑαυτὸν ἐπιδοῦναι, ἀκολούθως δ' ἐπιδείξασθαι, καὶ κακῶς ᾄδων πάνυ, λίθοις αὐτὸν ἐξώσαντες ἀπήλασαν. *Theatro ſe dare decreuit. Veniens autem ad artis ſpecimen exhibendum, cùm peſſimè caueret, lapidibus eiectus eſt.* III.

Ad colvmnam Mæniam.] Aſconius ad illa verba Diuinationis. *Vobis autem tanta inopia reorum eſt, vt mihi cauſam præripere conemini potiùs, quàm aliquos à columna Mænia veſtri ordinis reos reperiatis.* Hæc habet. *Mænius cùm domū ſuam venderet Catoni & Flacco cenſoribus, vt ibi baſilica ædificaretur, exceperat ius ſibi vnius columnæ, vnde ipſe & poſteri eius ſpectare munus gladiatorium poſſent, quod etiam tum in foro dabatur. Ex illo igitur columna Mænia vocitata eſt cauſis eiuſmodi.* Hinc vt ait Feſtus: *Mæniana ædificia à Mænio ſunt appellata: is enim primus vltra columnas extendit tigna, quo ampliarentur ſuperiora.* Gloſſæ: *Mænianum* ἐξώστης, *Mænianus* ἐκθέτης. Adſtipulatur Nonnius & alij. IV. Columna Mænia. Mæniana ædificia.

Ex fori cancellis.] Cancelli in foro. Tertullianus de pallio cap. 5. *Ego*, inquit, *nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo, nihil officio aduigilo, nulla roſtra præoccupo, nulla prætoria obſeruo, cancellos non adoro, ſubſellia non contundo, iura non conturbo, cauſas non elatro.* vbi Lacerda noſter interpretatur. *Cancellos tabularia populi, archia principum: vulgus vocat cancellariam.* Ammianus lib. 30. *Cùm intra cancellorum venerint ſepta, & agi cœperint alicuius fortunæ vel ſalus.* Caſſiodorus lib. 12. var. *Hi enim prope noſtros cancellos agitis, ſi reorum impia clauſtra ſoluatis.* Hinc *cancellarij.* Suidas, Κιγκλιδάριοι εἰς τὰ ἀρχεῖα ἐπιτρέποντο, ὅπως μὴ χύδην ἅπασι τοῖς βουλομένοις ἐπιτήδεια εἴη. *Cancellarij tabulariorum cuſtodes, ne confusè quiuis accedat.* Atque huiuſmodi cancellos in Athenienſium iudiciis fuiſſe, qui turbam à tribunalibus iudicum ſubmouerent, liquet ex oratore contra Ariſtogitonem, qui ibidem κιγκλίδας cancellos appellat, alij δρυφάκτους. vide Ariſtophanem in equitibus & eius interpretem. V. Cancelli. Cancellarij.

Legvm domini.] Inuidioſè, leges enim debent dominari, non obedire. Lex enim, vt ait Plato lib. 4. de legibus. Δεσπότης τῶν ἀρχόντων, οἱ δ' ἄρχοντες δοῦλοι τοῦ νόμου. *Magiſtratuum eſt domina, magiſtratus legis ſunt ſerui.* Plutarchus ad ducem imperitum. Τίς οὖν ἄρξει τοῦ ἄρχοντος; ὁ νόμος ὁ πάντων βασιλεὺς θνητῶν τε καὶ ἀθανάτων, ὥς φησι Πίνδαρος. *Quis igitur magiſtratui imperabit? Rex omnium Regina mortalium & immortalium, vt ait Pindarus.* & Orpheus: VI. Lex Domina & Regina.

Ἀθανάτων καλέω καὶ θνητῶν ἁγνὸν ἄνακτα
Οὐράνιον νόμον ἀστροθέτην.--
Inuoco Reginam diuûmque hominúmq; potentē
Cœleſtem legem cœlo quæ ſidera ſparſit.

Græcvlorvm institvto.] Græcorum in concionibus inſtitutum declarat noſter pro Flacco 15. *Hic ſunt expreſſa iſta præclara, quæ recitantur, pſephiſmata, non ſententiis neque au-* VII.

ctoritatibus declarata, nec iureiurando conſtricta, ſed porrigenda manu, profundendóque clamore multitudinis concitatæ. vnde & ſectione ſequenti
Conciones Græcorum. *libertatem immoderatam* appellat, *ac licentiam concionum.* & 17. *Porrexerunt manus, pſephiſma natum eſt. Nuper epulati, paulò antè omni largitione ſaturati Pergameni, quod Mithridates, qui multitudinem illam non auctoritate, ſed ſagina tenebat, ſe velle dixit, id ſutores & zonarij conclamarunt.* Thucydides lib. 1. de Lacedæmoniis: κρίνουσι γὰρ βοῇ καὶ οὐ ψήφῳ. *Clamore non calculis decernunt.* De manuum porrectione frequenter apud ſcriptores. Xenophon 1. Græcanicorum. Ἔδοξε δ' ἀναβαλέσθαι εἰς ἑτέραν ἐκκλησίαν. τότε γὰρ ὀψὲ ἦν, καὶ τὰς χεῖρας οὐκ ἂν ἐθεώρων. *Viſum eſt rem differre in aliam concionem. tunc enim adueſperaſcebat, nec manus videbant.* de clamore Plutarchus
Manus porrectio. in Lycurgo agens de Ephororum electione: Ἐκκλησίας ἀθροισθείσης ἄνδρες αἱρετοὶ κατείργνυντο πλησίον εἰς οἴκημα, τὴν ὄψιν μὲν οὐχ ὁρῶντες οὐδ' ὁρώμενοι, τὴν δὲ κραυγὴν μόνον ἀκούοντες ἐκκλησιαζόντων. βοῇ γὰρ ὡς τἆλλα, καὶ τοὺς ἁμιλλωμένους ἔκρινον, οὐχ ὁμοῦ πάντων, ἀλλ' ἑκάστου κατὰ κλῆρον εἰσαγομένου, καὶ σιωπῇ διαπορευομένου τὴν ἐκκλησίαν. ἔχοντες οὖν οἱ κατάκλειστοι γραμματεῖα, καθ' ἕκαστον ἐπεσημαίνοντο τῆς κραυγῆς τὸ μέγεθος, οὐκ εἰδότες ὅτῳ γένοιτο πλὴν ὅτι πρῶτος, ἢ δεύτερος, ἢ τρίτος, ἢ ὁποστοσοῦν εἴη τῶν εἰσαγομένων. ὅτῳ δὲ
Clamor. πλείστη γένοιτο καὶ μεγίστη, τοῦτον ἀνηγόρευον. *Vocatâ concione ſelecti viri in domo viciná claudebantur, vt neque videre neque videri poſſent, eorum verò vocem duntaxat audirent qui conuenerant in concionem. Clamoribus enim vt de cæteris, ita & de candidatis iudicabant, non de omnibus ſimul, ſed ſingulis, prout ſors euenerat, productis. Habentes autem tabellas incluſi, clamoris magnitudinem ſingillatim notabant, cuius in gratiam fieret is clamor neſcientes, præter quàm quòd primus, ſecundus, tertius, aut quotuſlibet is eſſet eorum qui fuerant producti. Cui verò plurimus & maximus clamor obtigiſſet, eum Ephorum renuntiabant.*

VIII. Semivivis vocibvs.] Exilibus, languentibúſque. ſic epiſt. lib. ad Attic. 19. frequenter citata. *Cæſar cùm veniſſet mortuo plauſu Curio filius eſt inſecutus.*

IX. Mater te appello.] Verba Polydori ad Hecubam, vt colligere licet ex Euripide: aut ad Ilionem. Horatius ſat. 5. lib. 2.

Non magis audierit quam fuſius ebrius olim
Cum Ilionam edormit, Catienis mille ducentis
Mater te appello, clamantibus.-

Et Noſter Acad. quæſt. lib. 4.

Quid Iliona ſomno illo?
Mater te appello.

Cùm tamen Ilione Polydori ſoror non mater fuerit, placet Iacobi Nicolai Loënſis lib. 3. epiphillidum coniectura ea verba ad Ilionam non Polydoro, ſed Deiphilo tribuentis. de quo Hyginus: *Polymneſtor legatorum dicta non repudiauit. Deiphilúmque filium ſuum imprudens occidit, arbitrans ſe Polydorum filium Priami interfeciſſe.* Ex quo, inquit, facile eſt colligere, Deiphili ſuppoſititij Polydori vmbram in ea tragœdia, matri rei ignaræ omnem cladem ſuam in ſomnis aperuiſſe, & illis verbis, *Mater te appello*, ipſam Ilionam voluiſſe excitare.

Eqvi ipsi gladiatorvm.] Eſſedarij gladiatores fuerunt ſic dicti, quòd ex eſſedis, id eſt, curribus militaribus pugnarent. Tranquil- X.
lus in Claudio cap. 2. *Cum eſſedario, pro quo quatuor filij deprecabantur, magno omnium fauore indulſiſſet, rudem tabulam illicò miſit, admonens populum quantopere liberos ſuſcipere deberent, quos viderent & gladiatori præſidio gratiæque eſſe.* Fuerunt etiam in equis Andabatæ. Noſter epiſt. 10. lib. 7. ad familiares Trebatio in hæc verba reſcribit: *Sed tu in re militari multo es cautior quàm in aduocationibus: qui neque in Oceano natare volueris ſtudioſiſſimus homo natandi: neque ſpectare eſſedarios, quem ne andabatam quidem ſpectare poteramus.* S. Hieronymus in Iouinianum: *Melius tamen eſt, quod dicitur, clauſis oculis andabatarum more pugnare, quàm directa ſpicula clypeo non repellere veritatis.* Andabatam Lipſius gladiatorem fuiſſe, qui velatis oculis in amphitheatro pugnaret, exiſtimat: Eos Turnebus 19. aduerſ. 8. & Gothofredus in circo pugnaſſe putant primis intendentibus ſe tenebris veterum Heroum more: idque vel clauſis oculis, vel operto capite, vt ludicrum augeretur. Quid ſi in amphitheatris equos ſuper teſtudinem agitabant? teſtudinis enim origo à ſpectaculis, & inde traducta ad rem militarem, vt auctor eſt Liuius Decad. 5. lib. 4. De hac agitatione equorum Oppianus 1. κυνηγετικῶν.

Πολλάκι καὶ δηίων ἀνδρῶν ἐπελαύνετο πύργων
Ἠρέμος, ἀσπιδόεσσαν ὑπὸ πτερὸν εὖτε βροτοῖσιν
Ἀσπὶς ὑπὲρ κεφαλῆς ἐπικάρσιον ἀσπίδ' ἐρείδει.
Ὁππότ' ἐελδώνται δηίων πόλιν ἐξαλαπάξαι.
Καὶ πέδιον τεύχωσι μετήορον ἐξ ἀβόεσιν
Δαιδάλεον, πυκινόν, πολυόμφαλον. αὐτίκα δ' αἴγλη
Χαλκοῦ ἀποθρώσκει φαεινοτάτη· αὐτὰρ ὄπισθε
Κλινομένης ἀκτῖνος ἀποστράπτει πολὺς αἰθήρ.
Sæpè etiam hoſtiles ſuper inſilit impete turres
Inconcuſſa tenens certo veſtigia greſſu.
Cum ſupra caput vmboni connectitur vmbo.
Si quando hoſtilem variis aſſultibus vrbem
Vrgent, inter ſe clypeis per mutua nexis
Sublimem efficiunt campum, varióſque colores
Teſtudo denſata vomit, procul æra refulgent
Sole laceſsita, & lucem ſubnubila iactant.

Sibilis.] Sibilorum gladiatoriorum meminit etiam Cicero in Catone Vticenſi citatus a- XI.
pud Chariſium: *In Tuſculanum mihi nuntiabantur gladiatorij ſibili.* Vide ſuprà 115.

AXIOMA.

Optimorum ciuium ſalus & dignitas grata eſſe debet populo vniuerſo.

Reditus Ciceronis quo etiam populi volunt.as erga optimates oſtenditur.

- Senatuſconſulta, de abſente Cicerone: quibus
  - Cicero nationibus exteris commendatur.
  - Socij qui exceperant Ciceronem gratiæ aguntur.
  - Iuſſi vt qui prouinncias obtinebant, eius ſalutem & vitam cuſtodirent. 129.
- Alia Senatuſconſulta de reuocando Cicerone,
  - Vt ad eum reuocandum omnes qui Rempub. ſaluam eſſe vellent, ex omni Italiâ conuenirent. 129.
  - alia Senatuſconſulta habita
    - in Capitolio. 129. vbi
      - Pompeius teſtimonium cōſeruatæ patriæ dedit Ciceroni.
      - Vnus diſſenſit Clodius.
    - in Curia
      - 1. ne quis moram afferret aut obnuntiaret legi ferendæ.
      - 2. Si quis aliter feciſſet, eum euerſorem Reip. fore.
      - 3. Vt gratiæ agerentur iis qui ex municipiis conuenerant.
      - 4. Q. Metellus Conſul reconciliatus Ciceroni abſenti auctoritate Q. Seruilij. 130.
- reditus ipſe. 131.
  - eo die appulſus eſt Brūduſium, qui erat*
    - natalis Coloniæ Brunduſinæ.
    - natalis Tulliæ filiæ Ciceronis.
    - dedicatio templi Salutis.
  - Feſti dies eius aduentu totâ Italiâ celebrati.
  - Legati vndequaq. obuiam miſſi.
  - Magna omniū ordinum frequentiâ deductus eſt.

ARGVMENTVM.

Vniuerſi populi cum Senatu conſpirantis in ornando ſuo reditu voluntatem oſtendit, vt hinc etiam liqueat inter populum verum & conductas conciones plurimùm intereſſe: neminémque iam acceptiorem eſſe populo Romano, quàm eos qui minimè volunt eſſe populares.

VIDETISNE igitur quantum inter populum Rom. & concionem CXXVII. interſit? dominos concionum, omni odio populi, notari, quibus autem conſiſtere in operarum concionibus non liceat, eos omni populi Romani ſignificatione decorari: Tu, mihi, etiam M. Attilium Regulum commemoras qui redire ipſe Carthaginem ſua voluntate ad ſupplicium, quàm ſine his captiuis, à quibus ad Senatum miſſus erat, Romæ manere maluerit? & mihi negas optandum reditum fuiſſe per familias comparatas, & homines armatos? vim ſcilicet ego deſideraui, qui dum vis fuit, nihil egi: & quem, ſi vis non fuiſſet, nulla res labefactare potuiſſet?

EXPLANATIO.

VIDETISNE.] Epiphonema, & dictorum hactenus à §.106. concluſio.

CONCIONEM.] conuentum certorum hominum mercede conductum, largitionibúſque corruptum. videtur deeſſe vox *conductam*, vel *mercenariam*, vel aliquid eiuſmodi.

DOMINOS CONC.] Clodium, Attilium, Numerium, qui conductas conciones habuerunt,

quas ita corruperant, vt quicquid ipſi vellent, id ſuis ſuffragiis concio comprobaret.

Qvibvs avtem.] Sextio imprimis quem venientem in forum ſeditioſi conciſum plurimis vulneribus extremo ſpiritu exanguem in templo Caſtoris reliquerunt, huic, inquam, Sextio, vt Lētulum Conſulem cæteróſque optimates taceam, plaudi in theatris gladiatorúmque conſeſſu.

Tv mihi.] M. Tullius Albinouanus Sextium accuſans Ciceroni reditum ſuum obiecerat, dixerátque eum, ſi verè Remp. amaſſet, in exilio potiùs remanſurum fuiſſe, quàm permiſſurum vt Sextius ipſius causâ tot turbas concitaret, gladiatorum familiā ſibi pararet ad lacerandam Remp. ferro & cædibus omnia miſceret. Addebat exemplum Attilij Reguli quondam Rom. Conſulis, qui primo bello Punico diu in Africâ victor, tandem inſidiis Xantippi Lacedæmonij ſuperatus & captus, Romam ad agendum de permutandis captiuis dimiſſus eſt: ſed ille cum rem expoſuiſſet, permutationem illam diſſuaſit: rediítque Carthaginem ad voluntarium ſupplicium, ne fidem hoſti datam perfidia violaret. Reſpondet Noſter huic obiectioni, & ex plauſu populi ac ſignificatione voluntatis, negat ſuum reditum vi per familias & gladiatores extortum fuiſſe: & hinc arrepta occaſione ad deſcribendam ſui reditus celebritatem delabitur.

NOTÆ.

I. Videtisne.] Pro domo 89. *An tu populum Romanum eſſe illum putas, qui conſtat ex eis qui mercede conducuntur?* & 90. *Illa fuit pulchritudo pop. Rom. illa forma quam in campo vidiſti,* &c. *Ille ille populus eſt dominus regum, victor atque imperator omnium gentium, quem illo clariſſimo die ſcelerate vidiſti tùm, cùm omnes principes ciuitatis, omnes ordinum atque ætatum omnium ſuffragium ſe non de ciuis, ſed de ciuitatis ſalute ferre cenſebant,* &c.

II. Dominos concionvm.] Suprà 125. *Vbi erant tum illi concionum moderatores, legum domini.*

III. Significatione.] Eodem ſenſu lib. 1. ad Att. epiſt. 13. *Ludis & gladiatoribus mirandas ἐπισημασίας, ſine vlla paſtoritia fiſtula auferebamus.* (Significatio.) lib. 2. ad Fratrem epiſt. 14. *Quod quotidie domus, quod forum, quod theatri ſignificationes declarant.* Quia nimirum plauſu vel ſibilis theatralibus voluntas populi ſignificatur. Epiſt. 1. lib. 4. ad Attic. *Cùm veniſſem ad portam Capenam, gradus templorum ab infimâ plebe completi erant, à qua plauſu maximo cùm eſſet mihi gratulatio ſignificata, ſimilis & frequentia, & plauſus me vſque ad Capitolium celebrauit.*

Familias.] Suprà 9. *Marcellum, cùm is non ſolùm Capuam veniſſet, verùm etiam ſe quaſi armorum ſtudio, in maximam familiam conieciſſet, exterminandum ex illa vrbe curauit.* Familia manus eſt ſiue grex, & quaſi ſchola gladiatorum, quæ vni laniſtæ erudienda committitur. Seneca de beneficiis. *Laniſta qui familiam ſuam ſumma cura exercet atque ornat.* hinc familiam ducere. 5. Philipp. *Luc. quidem frater eius, vtpote qui peregre depugnauit, familiam ducit.* Infrà 134. *Familiam gladiatorum, credo, nactus eſt ſpecioſam, nobilem, glorioſam.* IV. (Familia.)

Regvlvm.] Nota res eſt. Tertullianus hortatione ad Martyras cap. 4. *Regulus Dux Romanus captus à Carthaginienſibus, cùm ſe vnum pro multis captiuis Carthaginienſibus compenſari noluiſſet, maluit hoſtibus reddi, & in arcæ genus ſtipatus extrinſecus clauis transfixus tot cruces ſenſit.* De huius ſupplicio Auguſtinus de Ciuit. 1. cap. 15. Valerius Maximus lib. 9. cap. 2. & alij quos referemus §. 43. Piſonianæ, varia tradiderunt. Vnus ſit inſtar omnium Auguſtinus. *Incluſum namque anguſto ligno, vbi ſtare cogeretur, clauiſque acutiſſimis vndique confixo, vt ſe in nullam eius partem ſine pœnis atrociſſimis inclinaret, etiam vigilando peremerunt.* palpebris etiam reſectis, vt Valerius & Cicero ſcripſerunt. Caue te in errorem inducat Cerdanus in apologeticum Tertulliani cap. vltimo ſcribens verbis Apuleij Mileſiorum lib. 8. *Regulum nudum ac totum melle illitum firmiter alligatum ficulneæ.* continuis formicarum morſiunculis conſumptum fuiſſe: nullam enim eo loco Apuleius Reguli, ſed ſeruuli neſcio cuius facit mentionem. V. (Regulus.)

AXIOMA.

Vim deſiderare non debet, qui dùm vis eſt, nihil agit; & quem, ſi vis non fuerit, nulla res labefactare poteſt.

ARGVMENTVM.

Senatus erga ſe charitatem deſcribit, & populi luctum, egregiámque totius Italiæ voluntatem, qua fuit in patriam ab exilio reuocatus.

XXVIII. (Reditus Ciceronis.) Hunc ego reditum repudiarem, qui ita florens fuit, vt verear, ne quis me ſtudio gloriæ putet idcirco exiſſe, vt ita redirem: Quem enim vnquam Senatus ciuem, niſi me, nationibus exteris commendauit? cuius vnquam propter ſalutem, niſi meam, Senatus publicè ſociis populi Romani gratias egit? de me vno P. C. decreuerunt, vt, qui prouincias cum imperio obtinerent, qui quæſtores, legatíque eſſent, ſalutem & vitam meam cuſtodirent. In mea vna cauſſa poſt Romam conditam factum eſt, vt litteris Conſularibus ex Senatuſconſulto cuncta ex Italia, omnes, qui Rempub. ſaluam vellent, conuocarentur. quod nunquam Senatus in vniuerſæ Reipublicæ periculo decreuit, id in vnius mea ſalute conſeruanda decernendum putauit. Quem Curia magis requiſiuit?

quem forum luxit? quem æquè ipſa Tribunalia deſiderauerunt? omnia diſceſſu meo deſerta, horrida, muta, plena luctus, & mœroris fuerunt. Quis eſt Italiæ locus, in quo non fixum ſit in publicis monumentis ſtudium ſalutis meæ, teſtimonium dignitatis?

EXPLANATIO.

HVNC EGO.] Aduerte vim oratoris, reditum ſuum non modò non repudiandum eſſe contendit, ſed etiam modis omnibus expetendum: neque reditum modò, ſed etiam profectionem & fugam.

QVEM ENIM.] Multis Senatus decretis oſtendit plurimum honoris ex illâ ſuâ profectione redundaſſe. de quibus videnda oratio poſt reditū in Senatu à nu.23. ad 27. & Piſonianam 34.35.

DE ME VNO.] Iure decretos honores commendat, ex eo quòd ipſi ſoli poſt hominum memoriam contigerunt.

IN MEA.] *Honorificum eſt id vnius causâ decerni, quod nunquam pro vniuersa Rep. decretū fuit. Sed quod nunquam Senatus in vniuerſæ Reipub. periculo decreuit, id in vnius meæ ſalute conſeruanda decernendum putauit.*

Ergo illud perhonorificum mihi fuit.

QVEM CVRIA.] In Vatinium 8. *Cuius deſiderio, vt hac minima dicam, forum mæſtum, muta curia, omnia denique bonarum artium ſtudia ſiluerunt.* De ſtudio Senatus in Ciceronem abſentem vide pro domo 84. 85. *Me Luc. Cotta, homo cenſorius in Senatu iuratus dixit, ſe, ſi cenſor tum eſſet, cum ego aberam meo loco Senatorem recitaturum fuiſſe. Quis in meum locum iudicem ſubdidit,* &c. vide.

NOTÆ.

I. VT VEREAR.] Ammianus Marcellinus lib.15. *Quamquam vt beſtiarij obiiceremur intractabilibus feris, perpendentes tamen hoc bonum habere triſtia præcedentia, quòd in locis ſuis ſecunda conſtituunt. mirabamur illam ſententiam Tullianam ex æternis veritatis ipſius adytis promulgatam, quæ eſt talis. Et quanquam optatiſſimum eſt perpetuò fortunam quam florentiſſimam permanere, illa tamen qualitas vitæ non tantùm habet ſenſum, quantum cùm ex ſanis & perditis rebus ad meliorem ſtatum fortuna reuocatur.* Vide poſt reditum ad Quirites 2.3.4. pro domo 86. *Etſi optabilius eſt curſum vitæ conficere ſine dolore, & ſine iniuria, tamen ad immortalitatem gloriæ plus affert deſideratum eſſe à ſuis, quàm omnino nunquam eſſe violatum.* Vnde & in Piſonem 32. *Priuatim ad meum nomen augendum optandum duco mihi fuiſſe illam expetendámque fortunam.* Iuuenalis Sat. 4.

Bonum è malo.

-Et meritò iam
Suſpectus tanquam ipſe ſuas incenderit ædes.

Martialis lib.5. ep. 98.

Empta domus fuerat tibi, Tongiliane, ducentis,
Abſtulit hanc nimium caſus in vrbe frequens.
Collatum eſt decies. Rogo, non potes ipſe videri
Incendiſſe tuam, Tongiliane, domum.

II. GRATIAS EGIT.] Pro domo 85. *Denique vniuerſus Senatus multò antè quàm eſt lata lex, de me gratias agendas cenſuit ciuitatibus iis, quæ M. Tullium, tantúmne? imò etiam ciuem optimè de Repub. meritum, recepiſſent.*

III. OBTINERENT.] Obtinere prouincias dicebantur ij, qui cum imperio præerant, vt Prætores ac Procõſules. In Piſonem 37. *Obtinuiſti prouinciam Conſularem finibus iis quos lex cupiditatis tuæ, non quos lex generi tui pepigerat.* De quæſtionibus in Vat.25. De legatis in Vatinium 35.36. De prouinciis Conſularibus 28.41.

Obtinere prouincias

QVI REMP. SALVAM.] Formula non niſi in cauſis maioris momenti periculiſq. grauioribus vſitata. poſt reditum in Senatu 23. *Vos decreuiſtis, vt cuncti ex omni Italia Qui Rempub. ſaluam vellent, ad me vnum hominem fractum & prope diſſipatum reſtituendum, & defendendum venirent: vt qua voce, à te Romule poſt Romam conditam Conſul vſus eſſet pro vniuerſa Rep. apud eos ſolùm qui eius vocem exaudire poſſent, eadem voce Senatus omnibus agris, vicis atque oppidis ciues, totámq. Italiā ad vnius ſalutem defendendam excitaret.* Emendat Lambinus tum è felici Briſſonij coniecturâ, tum ex quibuſdam antiquæ ſcripturæ veſtigiis: *Vt qua voce ter omnino poſt Romam conditam.* adfert exemplum duorum Conſulum: alterum C. Calpurnij Piſonis, de quo Noſter apud Aſconiū pro Cornelio. *Atenim extremi ac difficillimi temporis vocem illam. C. Corneli. Conſulem mittere coëgiſti. Qui Rempub. ſaluam eſſe vellent, vt ad legem accipiendam adeſſent.* Alterum eſt C. Marij & Luc. Saturnini Flacci cõtra Saturninum, de quo Orat. pro C. Rabirio perduellionis reo. *Adhibent omnes Tribunos plebis præter Saturninum. omnes Prætores præter Glauciam. Qui Rempub. ſaluam eſſe vellent, arma capere & ſe ſequi iubent.* Adfert etiam exemplum Scipionis Naſicæ contra Tiberium Gracchum ex 4. Tuſculana, & Appiano, item Sexti Tempani decurionis Equitum ex Liuio lib.4. Sed hi Cõſules non erant, & tertium Conſulis exemplum ſibi non ſuppetere ingenuè confitetur. Habes apud Halicarnaſſeum Appij Conſulis lib.9. Ὁ μὲν οὖν Ἄππιος ἐπὶ τὰ ὅπλα καλεῖν γνώμην ἐδίδου τοὺς βουλομένους σώζειν τὴν πάτριον πολιτείαν. εἰ δέ τινες ἐναντιωθήσονται, τούτους ἐν πολεμίων ποιεῖσθαι μοίρᾳ. *Appius cenſuit eos Qui Remp. ſaluam eſſe vellent ad arma vocandos, qui rem impediſſent in hoſtium numero habendos.* Sed hoc cenſuit, non etiam edixit, repugnante collega. IV.

MVTA.] Suprà 53. *Non ſolùm homines ſed tecta vrbis ac templa lugerent, nemo veſtrùm forum, nemo lucem adſpicere vellet.* Vide Notas, & in Piſonem 21. *Cùm omnes boni abditi incluſique mœrerent, templa gemerent, tecta ipſa vrbis lugerent.* vbi de luctu publico ſiue iuſtitio, & ſilentio fori diſſeremus. Lucanus lib.5. Pharſalic. V.

-mœrentia tecta,
Cæſar habet, vacuáſque domos, legéſque ſilentes
Clauſaque iuſtitio triſti fora.-

De curia vide pro Milone 13.

AXIOMATA.

Aduerſitas aliquando ita floret, vt vereri debeamus, ne ſtudio gloriæ eam expetiiſſe videamur.

Honorificentiſſima ſunt ea ornamenta, quæ vel paucis, vel omnino nemini priùs obtigerunt.

Perhonorificum eſt quod nunquam Senatus in vniuerſæ Reipub. periculo decreuerit, id in tua vnius ſalute conſeruanda decernendum putari.

ARGVMENTVM.

Duo Senatusconſulta, alterum in Capitolio, alterum in Curiâ factum, & honorificam Tullio Cn. Pompeij ſententiam exponit.

CXXIX. NAM, quid ego illa de me diuina Senatuſconſulta commemorem? vel quod in templo Iouis optimi maximi factum eſt, cùm vir is, qui tripertitas orbis terrarum oras, atque regiones tribus triumphis adiunctas huic imperio notauit, de ſcripto ſententiâ dictâ, mihi vni teſtimonium patriæ conſeruatæ dedit: cuius ſententiam ita frequentiſſimus Senatus ſecutus eſt, vt vnus diſſentiret hoſtis: ídque ipſum tabulis publicis mandaretur ad memoriam poſteri temporis ſempiternam? vel quod eſt poſtridie decretum in Curia, populi ipſius Rom. & eorum, qui ex municipiis conuenerant, admonitu, ne quis de cœlo ſeruaret, ne quis moram vllam afferret? ſi quis aliter feciſſet, eum planè euerſorem Reipub. fore, ídque Senatum grauiſſimè laturum: & vt ſtatim de eius facto referretur? Qua grauitate ſua, cùm frequens Senatus nonnullorum ſcelus audaciámque tardaſſet, tum illud addidit, niſi diebus quinque, quibus agi de me potuiſſet, non eſſet actum, redirem in patriam, dignitate omni recuperata. decreuit eodem tempore Senatus, vt iis, qui ex tota Italia ſalutis meæ cauſſa conuenerant, agerentur gratiæ: atque, vt iidem ad res redeuntes, vt venirent, rogarentur.

EXPLANATIO.

NAM QVID.] Tranſitio per præteritionem.

IN TEMPLO IOVIS.] Capitolio. Iupiter enim Capitolinus Opt. Max. dicebatur.

VIR IS.] Cn. Pompeius qui de Africa, Aſia, Hiſpania Europæ parte triumphauit, eáſque notauit & inſigniuit ſuis tropæis.

DE SCRIPTO.] Iure id notat vt intelligatur id teſtimonium non per imprudentiam, leuitatem, aut vim gaudij ſubitò erumpẽtis excidiſſe Pompeio, ſed ex animi ſententiâ eſſe prolatum.

FREQVENT. SENATVS.] Poſt reditum in Senatu 25. *Cùm* CCCCX. *Senatores eſſetis, magiſtratúſque omnes intereſſent, diſſenſit vnus is qui ſuâ lege coniuratos etiam ab inferis excitandos putarat.*

DE COELO SERVARET.] Ne magiſtratus vllus auſpicia de cœlo captaret, ne fortè quid interueniret quod poſſet legem ferendam de meo reditu prohibere.

NE QVIS MORAM.] Ne vllus Tribunus plebis intercederet, & legem impediret.

NONNVLLORVM.] Appij Clodij Prætoris, vt opinor, qui cùm eſſet frater P. Clodij, ſtatuerat ſeruare de cœlo & obnuntiare legi: ſed Senatûs auctoritati paruit, vt innuitur pro domo 87. *Redij maximâ cum dignitate, te viuo, fratre tuo altero reducente, altero Prætore parente.* Item Attilij & Numerij Tribunorum plebis qui ſuâ poteſtate rem diſcuſſiſſent.

SI DIEBVS QVINQVE QVIBVS.] Pal. idem *diebus his quibus*, neque aliter Gembl. & videtur verum *is* ſcilicet pro *iis*. degenerauit id primùm in *quindecim*, deinde in *quinque*. Paulò antè ex iiſdem mſſ. & S. Victoris, repoſui *tamen* pro vulgato *tum*.

QVIBVS AGI.] Qui dies comitiales eſſent & faſti quibus liceret populum ad comitia conuocare.

AD RES REDEVNTES.] Ad ſua quiſque negotia. Emendat Lambinus: *Atque iidem ad illam diem res cùm rediiſſent.* ex eo loco orat. poſt reditum in Senatu 26. *Quid? vt ad illam diem res cùm rediſſent, rogarentur vt pari ſtudio conuenirent?* Aítque res rediiſſe cùm lites & res forenſes intermiſſæ repetuntur. Eruditè quidem, ſed vellem nihil in textu mutaſſet, cùm ſeruatis receptæ ſcripturæ verbis idem ſenſus elici poſſe videatur. *Atque vt iidem ad res redeuntes*, id eſt, ad res quæ paucis poſt diebus rediturææ erant. vt adiectum redeuntes non in *iidem*, ſed in *res* cadat.

NOTÆ.

IN TEMPLO.] In Capitolium vt omnium templorum ſanctiſſimum, de rebus grauiſſimis vt de bello acturus, ſolebat Senatus conuenire. Appianus in Libycis: Ἡ βουλὴ ἐς τὸ Καπιτώλιον, οὗ γὰρ εἰώθασι περὶ πολέμου σκοπεῖν συνελθοῦσα ἐψηφίσατο Καρχηδονίοις πολεμεῖν. *Senatus in Capitolium, vbi de bello deliberari ſolet, decreuit vt Carthaginienſibus bellum indiceretur.* Iupiter autem Opt. Max. fuit Capitolinus, *Quem propter beneficia populus Rom. Optimum, propter vim Maximum nominauit.* vt dicitur pro domo 144. I. Senatus in Capitolio.

VIR IS QVI TRIPERTITAS.] De Pompeij victoriis ſuprà 67. de triumphis in Piſonem 29. *Qui omnes omnium gentium partes tribus triumphis deuinxerat.* quod autem ait notauit, videtur ad aras & tropæa alludere, quas in deuictis II.

regionibus excitabant. 11. Æneid.

--Paſſimque tropæis
Inſignis agros.--

XII. De scripto.] Rarum fortaſſe, non tamen inſolens de ſcripto dicere ſententiam. pro Plancio 74. *Nihil autem me noui, nihil temporis cauſâ dicere, nónne etiam illa teſtis eſt oratio, quæ eſt à me prima habita in Senatu*, &c. *Recitetur oratio, quæ propter eius magnitudinem dicta de ſcripto eſt*, &c. lego *propter rei magnitudinem.* Ridiculum eſt enim putare Ciceronem propter orationis longitudinem de ſcripto dixiſſe, quaſi ex memoriâ vel ex tempore dicenti verba eſſent defutura. lib. 4. ad Atticum epiſt. 2. *Propoſita Marcellini ſententia quam ille de ſcripto dixerat.* Non igitur primus id inſtituit Auguſtus, quantumuis Tranquillus in Octauio cap. 84. innuere videatur. *Neque in Senatu, neque apud populum, neque apud milites locutus eſt vnquam, niſi meditatâ & compoſitâ oratione, quamuis non deficeret ad ſubita extemporali facultate. ac ne periculum memoriæ adiret, aut in ediſcendo tempus abſumeret, inſtituit recitare omnia. Sermones quoque cum ſingulis, atque etiam cum Liuia ſua grauiores, non niſi in ſcriptis & è libello habebat. ne plus minúſue loqueretur ex tempore.* Tantùm aberant viri grauiſſimi ab eorum rabularum leuitate, de quibus præclarè Fabius lib. 10. inſt. cap. 7. *Declamatores quoſdam peruerſa ducit ambitio, vt expoſitâ controuerſiâ, protinus dicere velint: quin etiam, quod eſt in primis friuolum ac ſcenicum verbum petant quo incipiant. Sed tam contumelioſos in ſe ridet inuicem eloquentia: & qui ſtultis videri eruditi volunt, ſtulti eruditis videntur.* Quare vir prudens illam Proæreſij facilitatem admiratione magis, quàm imitatione dignam putabit, de qua Eunapius in eius vita. Is cùm de præſcriptâ materiâ extemporalem orationem eſſet habiturus, Ἀξιῶ, φησι, δοθῆναί μοι τοὺς ταχέως γράφοντας, καὶ στῆναι κατὰ τὸ μέσον, οἳ καθ' ἡμέραν μὲν τὴν τῆς Θέμιδος γλῶτταν ἀποσημαίνονται, σήμερον δὲ τοῖς ἡμετέροις ὑπηρετήσονται λόγοις. *Poſtulo, inquit, dari mihi notarios, eóſque in medio conſiſtere, qui ſingulis diebus Themidis verba ſignant, hodierno die ſeruient noſtris ſermonibus.* Mox habita oratione: Εἰς τὴν ἐναντίαν ὑπόθεσιν ἐπαφῆκε τὸν λόγον, καὶ οἱ γράφοντες μόλις εἵποντο. *In contrarium conuertit orationem, & vix notarij ſequebantur.* Deinde: Ἐπιστρέψας εἰς τοὺς γράφοντας τὸ πρόσωπον, ὁρᾶτε ἀκριβῶς, ἔφη, εἰ πάντα ταῦτα, ἃ προλαβὼν εἶπον μέμνημαι, καὶ μηδὲ περὶ μίαν λέξιν σφαλεὶς τὰ αὐτὰ δεύτερον ἀπαγγέλλω. *Conuerſo ad notarios vultu, Videte, inquit, diligenter, vtrum omnium, quæ antè dixi, meminerim, & ne circa vnam quidem dictionem lapſus eadem iterum pronuntiauit.*

De ſcripto dictæ ſententiæ.

IV. Tabvlis pvblic.] Duo potiſſimùm videntur genera publicarum tabularum. quarum in alteris Senatuſconſulta vt hoc loco, & alia acta publica, in alteris cenſus populi Romani ſcriberentur. vt pro Milone 74. *Vt memoriam publicæ recenſionis publicis tabulis impreſſam extingueret.*

V. Moram vllam afferret.] Moram facere dicebantur. ſuprà 74. *Ille ſe affirmare poſtero die moram nullam eſſe facturum.* Liuius lib. 27. *Itaque ſi ſuum nomen dictator acciperet, ſe comitiis interceſſuros: Si aliorum præterquam ipſius ratio haberetur, comitiis ſe moram non facere.* Et lib. 26. *Tribuniplebis appellati: cùm collegæ negarent, ſe in mora eſſe quominus*, &c.

Moram facere dicebantur Tribuniplebis.

VI. Senatvm grauiſſime latvrvm.] Formula verborum vſitata. poſt reditum in Senatu de hac ipſa re 26. *Decreuiſtis ne quis vlla ratione rem impediret: qui id impediſſet grauiter moleſtéque laturos.* qua de re vt & de gratiis agi ſolitis à Senatu videndus Briſſonius libro 2. formularum.

VII. De eivs facto referretvr.] In quoque in more vt referretur de interceſſione Tribunorum lib. 4. ad Attic. epiſt. 2. *Cùm fieret S. C. in ſententiam Marcellini, omnibus præter vnum aſſentientibus, Serranus interceſſit, de interceſſione ſtatim ambo Conſules referre cœperunt*, &c. quem locum expendimus §. 74. ad illa verba, *Socer ad pedes.* lib. 7. ad Attic. *Si fortè Tribunusplebis Senatum impediens, aut populum incitans notatus, aut S. C. circumſcriptus, aut ſublatus, aut expulſus ſit.* Vide Milon. 90.

De interceſſione referebatur.

VIII. Res redevntes.] Ergaſilus Plautinus actu 1. ſc. 1. Captiuorum:

Prolatis rebus paraſiti venatici
Sumus, quando res redierunt, moloſſici.

E quibus verbis, inquit Lambinus, *perſpicuum eſt res prolatas dici, cùm lites & res forenſes ac iudiciales intermitti iuſſæ ſunt, res rediſſe cùm repetitæ ſunt.*

AXIOMA.

Senatûs grauitate improborum ſcelus audaciáque tardatur.

ARGVMENTVM.

Senatus populíque conſpirationem & contentionem in reuocando Cicerone, P. Seruilij Iſaurici grauitate plenam orationem: Q. Metelli Nepotis in gratiam redeuntis facilitatem oſtendit, vt hinc etiam ſuam ſalutem omnibus ordinibus & hominibus iucundam fuiſſe demonſtret.

HÆC erat ſtudiorum in mea ſalute contentio: vt ij, qui à Senatu CXXX. de me rogabantur, iidem Senatui pro me ſupplicarent. Atque ita in his rebus vnus eſt ſolus inuentus, qui ab hac tam impenſa voluntate bonorum palam diſſideret, vt etiam Q. Metellus cos. qui mihi vel maximè ex magnis contentionibus Reipub. fuiſſet inimicus, de mea ſalute retulerit, qui excitatus cum ſumma auctoritate P. Seruilij, tum incredibili quadam grauitate dicendi, cùm ille omnes prope ab inferis euocaſſet Metellos, & ad illius generis, quod ſibi cum eo commune

eſſet, dignitatem, propinqui ſui mentem à Clodianis latrociniis deflexiſſet: cúmque eum, ad domeſtici exempli memoriam, & ad vnum dicto citius Metelli caſum vel glorioſum, vel grauem conuertiſſet, collacrymauit, vt vir egregius, ac verè Metellus, totúmque ſe P. Seruilio dicenti etiam tum tradidit. nec illam diuinam grauitatem, plenam antiquitatis, diutius homo eiuſdem ſanguinis potuit ſuſtinere, & mecum abſens beneficio rediit in gratiam. Quod certè, ſi eſt aliquis ſenſus in morte præclarorum virorum, cum omnibus Metellis, tum verò vni viro fortiſſimo, & præſtantiſſimo ciui gratiſſimum fratri ſuo fecit, ſocio laborum, periculorum, conſiliorum meorum.

EXPLANATIO.

HÆc erat.] Epiphonema concluſióque dictorum ſuperiori ſectione.

Vnvs est solvs.] P. Clodius hoſtis. de quo poſt reditum in Senatu & proximè ſuperiùs.

Q. Metellvs.] Erat is frater Clodij, ſed per adoptationem, vt videtur, in nobiliſſimam Metellorum familiam tranſiuerat, vel fortaſſe fuit Clodij frater vterinus, quod magis arridet.

Ex magnis cont.] Cùm Tribunusplebis me decedentem Conſulatu dicere prohibuit, quæ animo deſtinaram, tantúmque vt iurarem permiſit, cúmque is conatus eſt reuocare Pompeium cum exercitu, ad componendam, vt prætexebat, Rempub.

Svmma cvm avthoritate P. Servilii qvadam.] Nihil recedunt ab hac ſcriptura libri veteres, ita Grutterus non auſus eſt ſequi Lambinum, qui admiſit coniectaneum P. Manutij ita corrigentis *Excitatus ſumma cum auctoritate P. Seruilij, tum incredibili quadam grauitate dicendi.* vel, *tum diuina quadam grauitate dicendi.* quod & nos ambabus vlnis amplectimur.

Qvod sibi.] Alia fuit Ceciliorum, alia Seruiliorum familia: fuit tamen Seruilio cum Metello Nepote generis per matrem communitas. de qua in Notis.

Ad vnvm dicto citivs.] Legunt alij *Et ad vnum Numidici illius Metelli caſum.* Is autem caſus fuit exilium irrogatum, quòd in Saturnini legem agrariam iurare noluiſſet.

Beneficio.] Suâ ſententiâ & auctoritate quâ me cenſuit eſſe reuocandum.

Fratri svo.] Q. Metello Celeri qui prætor fuit me Conſule, egregiámque mihi nauauit operam contra coniuratos.

NOTÆ.

I. P. Servilii.] Viri Conſularis, cenſorij, triumphalis, cuius proinde magna fuit auctoritas, vt videbimus orat. de prouinc. Conſul. §. I.

II. Ab inferis evocasset.] Poſt reditum in Senatu 24. de hac ipſa re. *Quem P. Seruilius vir cùm clariſſimus, tum verò optimus mihíque amiciſſimus, & auctoritatis, & orationis ſuæ diuina quadam grauitate, ad ſui generis communiſque ſanguinis facta virtutéſque reuocauit, vt haberet in conſilio & fratrem ab inferis ſocium rerum mearum, & omnes Metellos præſtantiſſimos ciues, penè ex Acheronte excitatos,* &c. Item §. ſequenti. *Sua lege coniuratores etiam ab inferis excitandos putarat.* pro Cœlio 33. *Aliquis mihi ab inferis excitandus eſt.* pro Milone 92. *Excitate excitate eum ſi poteſtis ab inferis.* Paululùm deflexit Themiſtius orat. 5. Ἐπαναγαγὼν εἰς τὸν ἥλιον ἐκ τῶν πυλῶν τῶν Ἀχέροντος. *Reuocans ad ſolem ex portis Acherontis.* Item: Νῦν δ' εἴδομεν ἀνθρώπους ἐκ τῶν τοῦ ᾅδου προθύρων εἰς τὸ ζῆν ἐπανιόντας. *Nunc verò vidimus homines ex inferorum veſtibulis ad vitam reuertentes.* quod Noſter diceret, *ex faucibus fati ereptos.* Ab inferis excitare.

III. Qvod sibi cvm eo commvne esset.] Communem auum habuerunt Metellus & Seruilius. Pro domo ſua 123. *C. Attinius patrum memoria bona Q. Metelli, qui eum ex Senatu Cenſor eiecerat aui tui Q. Metelle, & tui P. Seruili, & proaui tui P. Scipio conſecrauit, foculo poſito in roſtris adhibitóque tibicine.* Metellorum & Seruiliorũ affinitas.

IV. Dicto citivs.] Maro I. Æneidos:

Sic ait & dicto citiùs tumida æquora placat.

Homerus 19. Iliados v. 242.

Αὐτίκ' ἔπειθ' ἅμα μῦθος ἔην, τετέλεστο δὲ ἔργον.

Non poſſum meliùs conuertere quam illo verſu Martialis:

Nondum lingua, ſuum dextra peregit opus.

Horatius Sat. 2. lib. 2.

Alter vbi dicto citiùs curata ſopori
Membra dedit, vegetus præſcripta ad munia
ſurgit. Dicto citiùs.

Liuius lib. 23. *Dicto prope citiùs equum in viam Claudius egit.* Paraphraſtes Euangelij S. Ioannis cap. I.

--Καὶ εἰσέτι θερμὸς ἀκούων
Οὔασι μῦθον ἔδεκτο, καὶ ἴχνεσιν ἔφθασε φωνήν.

Quos verſus ſic olim latinitate donauimus.

Ille vaporata verbum vix feruidus aure
Hauſerat, & dicto citiùs veſtigia torſit.

V. Collacrymavit vt vir egregivs.] Homerus Iliad. α'.

--Αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς
Δακρύσας ἑτάρων ἄφαρ ἕζετο νόσφι λιασθείς.

--*Achilles*
A ſociis longè vultu lacrymante ſedebat.

Quem in locum Euſtathius: Συμπαθεῖς οἱ ἥρωες παρὰ τῷ ποιητῇ καὶ ἑτοιμοδάκρυες, καὶ ἡ παροιμία φησὶν

--Ἀγαθοὶ δ' ἀειδάκρυες ἄνδρες.

Ad commiſerationem & lacrymas propenſi heroes inducuntur à Poëta, vnde & prouerbium,

-*Boni lacrymare parati.*

huius prouerbij Suidas & Zenobius meminerunt, & interpretantur ἐπὶ τῶν σφόδρα πρὸς ἔλεον ῥεπόντων. *De iis quæ valdè ad miſerationem propendent.* Iliados ι. Viri boni facilè lacrymãtur.

-Ἂν δ' Ἀγαμέμνων
Ἵστατο δάκρυ χέων ὥστε κρήνη μελάνυδρος.

-*Surrexit Atrides*
Effundens lacrymas veluti de fonte profundo.
Iliados π´. cùm eadem de Patroclo dixiſſet, Achillem ita loquentem induxit:

Τίπτε δεδάκρυσαι Πατρόκλεες ἠΰτε κούρη Νηπίη;
Quid Patrocle illacrymas teneræ de more puellæ?

Vnde Virgilianus Æneas 6. Æneidos. *Sic fatur lacrymans.* & lib. 4.

-*Magno perſentit pectore curam,*
Mens immota manet, lacrymæ voluuntur inanes.

Quem locum aliter ac vulgus ſic interpretor. Æneas pectore, id eſt, inferiori animi parte dolorem perſentit, mens perſtat immobilis, lacrymæ tamen ex eius oculis promanant, & *voluuntur inanes*, id eſt, ſine mētis imperio, vt decimo Æneidos:

-*Dat inania verba,*
Dat ſine mente ſonum.-

VI. VERE METELLVS.] Nobiliſſimus. Poſt reditum in Senatu 24. de eodem. *Quantam vim haberet, aut vera bonitas, aut vera nobilitas intelligere potuiſtis. Nam Q. Metellus,* &c. Aſconius in ſecundam Verrinam: *Antiquum Nęuij eſt*
Metellorum nobilitas. *Fato Metelli Romæ fiunt Conſules.*
De qua parodia ſubtiliter Cicero dixit, Te non fato vt cæteros ex veſtra familia. Sed de Cæciliæ gentis, atque adeò Metellorum nobilitate vide Cælianam 34. *In familiam clariſsimam nupſiſſes.* Tantùm aduerte lacrymas nobilibus conuenire. Menelaus apud Euripidem in Helena:

Καίτοι λέγουσιν, ὡς πρὸς ἀνδρὸς εὐγενοῦς
Ἐν ξυμφοραῖσι δάκρυ' ἀπ' ὀφθαλμῶν βαλεῖν.
Etſi, vt loquuntur, nobilem decet virum
In calamitate lacrymas oculis dare.

Sicut contra Pſeudolus ille Plautinus ſuo generi tribuit ſiccitatem: Calidorus.

Quin fles? Pſeudolus. *Puniceos oculos habeo, non queo*
Lacrumam exorare vt exſpuant vnam modo.
Calidorus.
Quid ita? Pſeudolus. *Genus noſtrum ſemper ſiccoculum fuit.*

Vſque adeò lacrymæ nobilibus conueniunt, ſeruis ſiccitas oculorum.

PLENAM ANTIQVITATIS.] Vide ſuprà 6. *Duobus his grauiſsimis antiquitatis viris ſic probatus eſt.* 19. *imaginem antiquitatis, columen Reipub. diceres intueri.* VII. Antiquitas.

SI EST ALIQVIS SENSVS IN MORTE.] Lycurgus contra Leocratem: Ἡγοῦμαι δ' ἔγωγε καὶ τὸν πατέρα αὐτοῦ τὸν τετελευτηκότα, εἴ τις ἔστιν αἴσθησις τοῖς ἐκεῖ περὶ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων, ἁπάντων ἂν χαλεπώτατον γενέσθαι δικαστήν, οὗ τὴν χαλκῆν εἰκόνα ἔκδοτον κατέλιπε. *Huius patrem defunctum arbitror (ſi aliquis ſenſus eſt mortuis eorum quæ hic geruntur) omnium ſeueriſsimum fore iudicem, cuius æream effigiem hoſtibus prodidit.* Paululùm deflexit Demoſthenes orat. de falſa legat. Τίν' ἂν οὖν οἴεσθε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοὺς προγόνους ὑμῶν, εἰ λάβοιεν αἴσθησιν, ψῆφον ἢ γνώμην θέσθαι περὶ τῶν τοῦ Φωκέων ὀλέθρου αἰτίων; *Quam putatis, Athenienſes, maiores veſtros, ſi ſenſum reſumerent, de iis qui interitûs Phocenſium cauſa fuerunt, laturos eſſe ſententiam?* Galenus hortatione ad artes liberales: Λύπη μὲν ἂν εἴη κἀκείνοις, εἴ τις αὐτοῖς ἔστιν αἴσθησις. *Dolebunt etiam illi, ſi quis iis ſenſus eſt.* Pedo Albinouanus conſolatione ad Liuiam: VIII. Senſus mortuorum.

Hoc ſentit Druſus, ſi quid modò ſenſit in vmbris.

Seruius Sulpitius epiſt. ad Ciceronem lib. 4. ad famil. ep. 5. *Quòd ſi quis etiam inferis ſenſus eſt: qui illius amor in te fuit, pietáſque in omnes ſuos hoc certè illa te facere non vult.* Valerius Maximus lib. 4. cap. de amore coniugali. *Nec dubito quin, ſi quis modò extinctis ſenſus ineſt, Plautius & Oreſtilla fati conſortione geſtientes, vultus tenebris intulerint.* Propertius lib. 4.

Gaude Craſſe, nigras ſi quid ſapis inter arenas,
Ire per Eufratem ad tua buſta licet.

AXIOMATA.

Multùm valet domeſtici exempli memoria.
Malis alienis collacrymant viri egregij.
Magni animi eſt, cum inimico beneficio redire in gratiam.

ARGVMENTVM.

Sui reditus celebritatem populíque Rom. gratitudinem deſcribit, vt ex hoc etiam capite conſtet, eos imprimis apud populum gratioſos eſſe, qui optimatium partem contra popularium ſeditiones defenderint.

REDITVS verò meus qui fuerit, quis ignorat? quemadmodum mihi CXXXI.
aduenienti tamquam totius Italiæ, atque ipſius patriæ dexteram porrexerint Brundiſini: cùm ipſis Nonis Sextilibus idem dies aduentus mei fuiſſet, reditúſque natalis: idem cariſſimæ filiæ, quam ex grauiſſimo tum primum deſiderio luctúque conſpexi: idem etiam ipſius coloniæ Brundiſinæ: idem & ſalutis: cúmque me domus eadem optimorum & doctiſſimorum virorum Lenij Flacci, & patris, & fratris eius lætiſſima accepiſſet, quæ proximo anno mœrens receperat, & ſuo præſidio periculóque defenderat: cúmque itinere toto vrbes Italiæ feſtos dies agere aduentus mei videbantur: viæ multitudine legatorum vndique miſſorum celebrabantur: ad vrbem acceſſus incredibili hominum multitudine, & gratulatione florebat: iter à porta, in Capitolium aſcenſus, domum reditus erat eiuſmodi, vt ſumma in lætitia illud dolerem, ciuitatem tam gratam, tam miſeram, atque oppreſſam fuiſſe.

EXPLANATIO.

REDITVS.] Nemo ignorat quanto omnium ordinum concurſu, plauſu, & gratulatione reditus meus fuerit celebratus.

IPSIS NONIS.] Non ſoleo in veterem ſcripturam graſſari, niſi ſi quando ſenſus exprimendi ſumma neceſſitas exegerit. libenter hîc duas voculas *Qui reditus* inducerem, vel parentheſi includerem hoc pacto: *Cùm ipſis nonis Sextilibus, idem dies aduentus mei fuiſſet (Qui reditus?) natalis idem chariſſimæ filiæ, quam ex grauiſſimo tum primùm deſiderio, luctúque conſpexi: idem etiam ipſius coloniæ Brunduſinæ, idem & Salutis.* poſtremis enim verbis Lambini, & Manutij coniecturam amplector.

IDEM DIES ADVENTVS MEI FVISSET REDITVSQVE NATALIS IDEM.] Haud aliter S. Victoris liber, item editio P. Victorij; niſi quod ij *reditus qui natalis, idem,* &c. P. Manutius heic ſecutus eſt ingenium, ſuum etiam Lambinus, quod quem. videatur item coniectura Petri Fabri.

IDEM ET IPSIVS.] Idem dies fuit natalis Brunduſinæ coloniæ, nimirum anniuerſarius & ſolemnis qui ob memoriam primæ deductionis feſtus celebratur.

COLONIÆ BRVNDVSINÆ; IDEMQVE SALVTIS.] Illud *ſalutis* eſt à diuinatione Manutij; cùm priùs hæreret in libris *idem vt ſcitis:* quomodo ſeruat item Pal. Nonus, ſed cum enclitica *idémque,* quam heic expreſſimus.

IDEM ET SALVTIS.] In eundem diem inciderat dedicatio templi Salutis. lib. 4. ad Att. epiſt. 1. *Brunduſium veni nonis Sextilibus. ibi mihi Tulliola mea fuit præſto natali ſuo ipſo die, qui caſu idem natalis erat & Brunduſinæ coloniæ, & tuæ vicinæ Salutis: quæ res animaduerſa à multitudine ſummâ Brunduſinorum gratulatione celebrata eſt.*

LENII FLACCI.] Pro Plancio 97. *In hortos me M. Lenij Flacci contuli: cui cùm omnis metus, publicatio bonorum, exilium, mors proponeretur, hæc perpeti, Si acciderent, maluit, quàm cuſtodiam mei capitis dimittere.*

ITINERE TOTO.] 4. ad Attic. epiſt. 1. *Iter ita feci vt vndique ad me cum gratulatione legati conuenirent.*

AD VRBEM ACC.] Ibidem. *Ad vrbem ita veni, vt nemo vllius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui mihi obuiam non venerit, præter eos inimicos, quibus id ipſum non liceret aut diſſimulare, aut negare.*

ITER A PORTA.] Rurſum ibidem. *Cùm veniſſem ad portam Capenam, gradus templorum ab infima plebe completi erant: à qua plauſu maximo cùm eſſet mihi gratulatio ſignificata ſimilis & frequentia, & plauſus me vſque ad Capitolium celebrauit.*

DOMVM REDITVS.] Nota morem etiam in triumphis ſeruatum, vt priùs Deo gratias acturi & vota perſoluturi ad Capitolium adſcenderent, quàm domum ſe referrent.

NOTÆ.

I. Quintilis menſis. NONIS SEXT.] Aſconius in 2. Verrinam. *Nonæ Sextiles Auguſtæ, Quintiles Iuliæ, nondum enim nomina de Imperatoribus ſumpſerant, propter quam mutationem nominum Virgilius ait:*

--Et incipient magni procedere menſes. Sextilis.

De Nonarum appellatione Macrobius 1. Satur. cap. 15. *Ideo autem minor Pontifex numerum dierum, qui ad nonas ſupereſſent, calando prodebat,* Nonæ. *quòd poſt nouam lunam oportebat nonarum die populares qui in agris eſſent confluere in vrbem accepturos cauſas feriarum à Rege ſacrorum, ſciturόſque quid eſſet eo menſe faciendum. Vnde quidam hinc nonas exiſtimant dici, quaſi nonæ initium obſeruationis. Vel quòd ab eo die ſemper ad idus nouem dies putentur. Sicut apud Tuſcos nonæ plures habebantur: quòd hi nono quoque die Regem ſuum ſalutabant, & de propriis negotiis conſulebant.* Vide Plutarchum Quæſt. Rom. his concinentem.

ADVENTVS MEI.] Præter dicta in explanatione, libenter ita legerim. II. *Cùm ipſis nonis ſextilibus idem dies aduentus mei fuiſſet natalis: idem cariſſimæ filiæ,* &c. *idem etiam ipſius coloniæ Brunduſinæ: idem & Salutis.* Vt quatuor natales enumerari videantur. Primus, reditûs Ciceronis quo die Cicero, qui mortuus erat ciuiliter, vt loquuntur Iuriſconſulti, renatus eſt ciuitati. Secundus natalis Tulliæ, tertius coloniæ Brundnſinæ: quartus Salutis, id eſt, dedicatio ædis Salutis. Certè lib. 3. ad Atticum epiſt. 20. diem quo ab exilio reuerſus erat *natalem ſui reditus* appellat, *Ad quæ recuperanda per fortunas, vt facis, diémque natalem reditûs mei cura, vt in tuis ædibus amœniſſimis agam tecum.* Quod fortaſſe verbum *reditûs* à ſcholiaſte quopiam ex eâ epiſtolâ prolatum & margini adſcriptum, deinde per oſcitantiam librariorum in textum irrepſerit. Renaſci ſiquidem dicebantur ab exilio redeuntes. Papinius 3. Syluarum lacrymis Hetruſci:

Quas tibi deuoti Iuuenes pro patre renato
Summe Ducum grates, aut quæ pia vota rependunt?

Claudianus de bello Getico:

-Tectíſque ſuis redduntur & agris
Damnati fato populi virtute renati.

Quòd ante me Geuartius in primum Syluarum annotauit.

NATALIS.] Vides hîc tria genera natalium, III. hominum, vrbium, templorum: Tulliæ, Brunduſij, Salutis. de quibus ſeorſum pauca dicemus. Natalitios hominum dies ſacris libationibus, fe- Natales dies. ſto corporis cultu, epulis, amicorum gratulantium muneribus celebrabant. Imperatores etiam & viri primarij exhibitione ludorum. De libationibus Perſius Sat. 2.

Hunc Macrine diem numera meliore lapillo
Qui tibi labentes apponit candidus annos.
Funde merum Genio.

Quod Cenſorinus lib. de die Natali his verbis ex- Libationes Geniofactæ. ponit. *Hîc forſitan quis quærat quid cauſæ ſit, cur merum fundendum Genio, non hoſtiam faciundum putauerit. Quod ſcilicet, vt Varro teſtatur in eo libro cui titulus eſt Atticus, & eſt de numeris, id moris inſtitutíque maiores noſtri tenuerunt, vt cùm die natali munus annale Genio ſoluerent, manum à cæde ac ſanguine abſtinerent, ne die qua ipſi lucem accepiſſent, aliis demerent. Denique Deli ad Apollinis Genitoris aram, vt Timæus auctor eſt, nemo hoſtiam cædit. Illud etiam in hoc die obſeruandum, quod Genio factum neminem oportet antè guſtare, quàm eum qui fecerit.* vbi vide fusè de Genio. De corporis cultu illud ex Ho-

ratio ſuffecerit, lib. 2. Sat. 2.

Albati in natalibus.

Sine repotia, natalia, alióſve dierum
Feſtos albatus celebret.

Et alterum ex Ouidio 3. triſt. eleg. 13. de ſuo natali:

Scilicet expectus ſolitum tibi moris honorem,
Pendeat ex humeris veſtis vt alba tuis, &c.

Epulæ natalium.

Epulas natalitias amicis exhibebant. Martialis lib. 7. ep. 85.

Ad natalitias dapes vocabar, &c.

Lib. 10. ep. 28.

Natali, Diodore, tuo conuiua Senatus
Accubat, & rarus non adhibetur eques.
Et tua tricenos largitur ſportula nummos,
Nemo tamen natum te, Diodore, putat.

E quibus vides non ſolùm rectam amicis cœnam datam fuiſſe, ſed etiam plebeiis qui non accumberent fuiſſe cibos in ſportula diſtributos. Idem lib. 12. ep. 61.

Natali pallere ſuo, ne calda Sabello
Deſit, & vt liquidum potet Alauda merum.
Turbida ſollicito tranſmittere Cæcuba ſacco,
Atque inter menſas ire, redire ſuas.
Excipere hos, illos, & totâ ſurgere cœnâ, &c.

Certè de Perſis natales ſuos celebrantibus Herodotus lib. 1. Οἱ εὐδαίμονες αὐτῶν βοῦν, καὶ ἵππον, καὶ κάμηλον, καὶ ὄνον προτιθέαται ὅλους ὀπτοὺς ἐν καμίνοισι. οἱ δὲ πένητες αὐτέων τὰ λεπτὰ τῶν προβάτων προτιθέαται. *Diuites bouem, equum, camelum, aſinum, totos in caminis aſſos apponunt: pauperes oues exiguas.*

Herodis in natali ſuo conuiuium & alia prudens omitto. Hinc intelligas Iuuenalem:

Et natalitium cognatis ponere lardum.

Munera natalitia.

De natalitiis muneribus ſæpe idem Martialis vt lib. 8. epigr. 64.

Vt poſcas, Clyte, munus, exigáſque
Vno naſceris octies in anno.
Et ſolus puto, tréſve quatnórve
Non natalitias habes Calendas.

Lib. 9. pag. 54.

Natali, tibi Quinte, tuo dare parua volebam
Munera.

Amici potentiores gemmas, purpuram, & cætera huiuſmodi, clientes patronis liba, cereos, & alias minutias offerebant. De cereis idem Martialis lib. 10. ep. 87.

Natalem colimus, tacete lites,
Abſit cereus aridi clientis,
Et panni triplices breuéſque mappæ
Expectent gelidi iocos Decembris.

vbi, ni fallor, munera dari natalibus ſolita repudiat, & ad Saturnalia remittit, cùm etiam dari conſuerant. Feſtus: *Cereos Saturnalibus muneri dabant humiliores potentioribus, quia candelis pauperes, locupletes cereis vtebantur.* De libis Martialis lib. 10. ep. 24.

Cerei natalitij.

Natales mihi Martiæ Calendæ
Lux formoſior omnibus Calendis
Qua mittunt mihi munus & puellæ,
Quinquageſima liba.--

Quod etiam feſtis aliis fiebat. Iuuenalis:

Ille metit barbam, crinem hic deponit amati,
Plena domus libis fumantibus.

Liba natalitia.

Quod ad opulentiorum munera ſpectat, longam eorum Martialis ſæpe citatus lib. 18. epiſt. 87. ſeriem texit & purpureas lacernas, veſtes cœnatorias, ſardonychas, toreumata enumerat. E quibus intelligas Perſium Sat. 1.

Et natalitiâ tandem cum ſardonyche albus.

Et Petronium in ſatyrico. *Veſtimenta mea cubitoria perdidit, quæ mihi natali meo donauerat cliens quidam, Tyria ſine dubio, ſed iam ſemel lota.* Atque vt obiter id notes è citato verſu, *Qua mittunt mihi munus & puellæ*, colligi videtur eam fuiſſe conſuetudinem, vt quemadmodum Saturnalibus viri viris, Calendis Martiis fœminæ fœminis munera miſſitabant, ita natalibus munera nullo ſexus diſcrimine, tùm à viris, tùm à fœminis mitterentur. quòd etiam Calendis Ianuariis fiebat. Ad maiorem etiam feſtiuitatem ianuas lucernis & ramis virentibus ornabant. Perſius:

Lucerna in natalibus.

Herodis venere dies, vnctâque feneſtrâ
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

Nazianzenus de Natiuitate huc alluſit μὴ προθύρα στεφανώσωμεν, *ne veſtibula coronemus.*

Neque verò ſuos tantùm, ſed etiam amicorum natales dies celebrabant, & iam mortuorum. Hinc endecaſyllabon Statij 2. ſyluarum quod Genethliacon Lucani inſcribitur, & Melior apud Martialem lib. 8. ep. 38. Blæſi mortui.

Ad natalitium diem colendum.

Sumptus non mediocres faciebat.

De ludorum exhibitione natalibus fieri ſolita Euſebius lib. 8. hiſt. Eccleſiaſticæ. Αὐτοῦ δὴ τοῦ τυράννου Μαξιμίνου παρόντος καὶ θέας τοῖς πλήθεσι φιλοτιμουμένου κατὰ τὴν λεγομένην αὐτοῦ γενέθλιον ἡμέραν. *Ipſo tyranno Maximino præſente & ſpectacula ſumptuoſa die ſuo natali exhibente.* Vt hinc etiam Dio Caſſius Commodi ſordes oſtenderit. Καὶ τέλος ἐν τοῖς γενεθλίοις, τοῖς ἑαυτοῦ ἡμᾶς τε καὶ γυναῖκας ἡμῶν, καὶ τοὺς παῖδας δύο χρυσοῦς ἕκαστον ὥσπερ τινὰ ἀπαρχὴν ἐκέλευσεν οἱ ἀποφέρειν. *Eo denique proceſſit vt ſuis natalibus à ſingulis noſtrum immò à coniugibus noſtris ac liberis duos aureos tanquam quaſdam primitias exegerit.* Sed ne te morer vide noſtrum Martinum de Roa virum ſanè doctiſſimũ fusè & ex profeſſo de die natali ſacro & profano diſſerentem. A quo conſultò temperandum putaui ne falcem in alienam meſſem viderer immittere.

Ludi natalitij.

BRVNDVSINÆ COLONIÆ.] Vrbium coloniarum natales, recurrente ſingulis annis fundationis aut deductionis die non minore lætitiâ celebrabant. De natalibus Romæ 4. Faſtorum, IV.

Natales vrbium.

Quod ſit natali nunc quoque Roma tuo.

Et ad maiorem celebritatem ex eo die magnarum rerum initia ducebant. Capitolinus in Pertinace: *Expectans vrbis natalem, quod eum diem rerum principium volebat eſſe.* A litibus abſtinebant. Valent. Theod. Arcad. AAA. C. De feriis. l. omnes dies. *His adiicimus natalitios dies vrbium maximarum Romæ & Conſtantinopolis, in quibus debent iura differri, quia & ab ipſis nata ſunt.* Quod etiam priuatis natalibus fiebat, vt priuatis litibus ſuperſederent, vt iam dictum ex Martiale.

A litibus abſtinebant.

Natalem colimus, valete lites.

Militibus donatiuum tribuebant, quod etiam de plebis congiario dicendum puto. Sozomenus lib. 5. hiſtoriæ, cap. 17. Καιρὸς παρῆν βασιλέα δωρεῖσθαι στρατιώταις. γίνεται δὲ τοῦτο, ὡς ἐπίπαν, ἐν ταῖς Ῥωμαίων ἱερομηνίαις, καὶ βασιλέων, καὶ βασιλίδων πόλεων ἐν γενεθλίοις ἡμέραις. *Tempus euenerat quo militibus donatiuum daret Imperator. Id verò fieri conſueuit, in vniuerſum ſupplicationibus & Imperatorum, vrbiúmque Regiarum natalibus.* Non omiſerim quod refert Georgius Codinus in An-

Donatiuum militibus plebi congiariũ tribuebant.

tiquitatibus Conſtantinopolitanis: Ὅτι ἐν τῷ μιλίῳ ἐν τέτρασιν ἵπποις πυρίνοις ἅρμα ἱπτάμενον παρὰ δύο στηλῶν ἐκ παλαιῶν τῶν χρόνων ὑπῆρχεν, &c. κατενεχθὲν δὲ τὸ ἅρμα ἐν τῷ ἱπποδρομίῳ δορυφορούμενον. στυλίδιον κενὸν παρὰ Κωνσταντίνου σκευασθὲν ὑπὸ ἡλίου φερόμενον, Τύχη πόλεως εἰς τὸ στόμα εἰσῄει, καὶ στεφανωθὲν ἐξῄει. ἐτίθετο δὲ ἐν τῷ Σενάτῳ ἕως τῶν ἐπιόντων γενεθλίων τῆς πόλεως. διότι δὲ ἐπὶ κεφαλῆς σταυρὸν εἶχεν, ὃν ἐχάραξε Κωνσταντῖνος, Ἰουλιανὸς αὐτὸ βοθύνῳ κατέχωσε. *In milio (iuxta circum) quatuor equis ignei coloris currus volans iuxta duas columnas erat ab antiquis vſque temporibus*, &c. *demiſſo verò curru in circum, multis hinc inde ſtipantibus: In columna vacua à Conſtantino facta, & in ſolis curru delata fauces Vrbana Fortuna ſimulacrum intrabat, & inde coronatum exibat. Statuebatur verò in Senatu vſque ad proximos vrbis natales. Habebat in capite crucem à Conſtantino impreſſam, ſed id ſimulacrum in ſcrobem defodit Iulianus.* Neſcio an ſenſum expreſſerim, immò neſcio in verbis ipſis partim barbaris, partim malè congeſtis vlla omnino ſubſit ſententia. iudicent eruditi.

Genio publico ſacra faciebant. Genio publico ſacra faciebant. ſiquidem, vt verbis vtar Symmachi: *Vt anima naſcentibus, ita populis fatales Genij diuiduntur.* Quem ita deſcribit Ammianus lib. 25. *Vidit ſquallidius, vt confeſſus eſt proximis, ſpeciem illam Genij publici, quam cùm ad auguſtum ſurgeret culmen conſpexit in Galliis velata cum cornucopiâ per aulæa triſtiùs diſcedentem.* dixerat lib. 2. Aliquem viſum Iuliano: *Vt formari Genius publicus ſolet.* Prudentius in Symmachum lib. 2.

Quanquam cur Genium Roma mihi fingitis vnum?
Cum portis, domibus, thermis, ſtabulis ſoleatis
Adſignare ſuos Genios? pérque omnia membra
Vrbis, pérque locos Geniorum millia multa
Fingere, ne propriâ vacet angulus vllus ab vmbrâ.

V. Salus Dea. Sanitas. IDEM ET SALVTIS.] Salus ſiue Sanitas Dea fuit, immò ὑγίεια πρέσβιστα μακάρων. *Deorum antiquiſſima*, vt eam vocat Ariphron Sicyonius apud Athenæum 15. Dipnoſophiſt. exeunte. Quæ vt auctor eſt Antonius Auguſtinus; *In antiquis nummis ſic pingitur matrona ſerpenti cibum porrigente, vt in aliis dextra ſerpentem teneat, in aliis ſerpens altari inſiſtens iuxta pedes ſit*, &c. *Siniſtrâ haſtam tenet*, &c. *cuditur nonnunquam pedibus ſtans, in aliis ſedet. Nero ſerpentem ſuſtulit, nihil venenatum Saluti tribuendum ratus. Hadriani nummi Salus publica præferunt, alterâ lancem, clauum alterâ tenens, ídque à tergo: pede etiam globum calcans, ſignificans ſe imperante orbi ſalutem publicam datam.* vide fusè dialogo 2. antiquit. Habuit ædem in colle Quirinali, cuius dedicatio nonas Sextiles ſibi vendicabat, vt ex

Habuit ædẽ in colle Quirinali. veteri Calendario refertur poſt Ouidij faſtos, cuius dedicationis celebritas in eum diem, quo ſalus Ciceroni reſtituta eſt, recurrens eius lætitiam cumulauit. hinc verba citata ad Atticum. *Idem natalis erat & Brunduſina coloniæ, & tuæ vicinæ Salutis.* Sed cur Attici vicina Salus? Cornelius Nepos in eius vita: *Nam domum habuit in monte Quirinali Pamphilianam ab auunculo hæreditate relictam: cuius amœnitas non ædificio, ſed ſylua conſtabat.*

VI. ITINERE.] Viæ publicæ duæ fuerunt Romam Brunduſio. Horatius:

Brunduſium meliùs Numici via ducat an Appi.

Crediderim (quoniam omnia veteris hiſtoriæ veſtigia ſi non ſagaciter, pertinaciter tamen noſtra curioſitas indagat) Ciceronem Brunduſio viâ Appiâ veniſſe: tum quòd erat celebrior, tum quòd ipſe Capenâ vrbem ingreſſus eſt. At Capena porta ad Appiam viam ſi bene tractum odoror. Martialis lib. 3. 47. Porta Capena.

Capena grandi porta qua pluit guttâ,
Phrygiaque matris Almo qua lauat ferrum,
Horatiorum qua viret ſacer campus,
Et qua puſilli feruet Herculis fanum,
Fauſtine, plena Baſſus ibat in rheda.

At hic Puſillus Hercules ad viam Appiam. idem lib. 9. ep. 104.

Appia quam ſimili venerandus in Hercule Cæſar
Conſecrat, Auſoniæ maxima fama viæ.

Et paulò pòſt:

Hæc minor Alcides, maior quæ geſſerit audi
Sextus ab Albana quem colit arce lapis.

Quod etiam colligi poteſt ex Statio 3. Siluârum in Hercule Surrentino. de quo dicit:

-Tune ille recluſi
Liminis & paruæ cuſtos inglorius aræ?

Vbi ſine dubio ad Puſilli Herculis cognomen alludit. At eum iuxta Virbij collem & Ariciam in Appiâ via fuiſſe paulò pòſt clarè demonſtrat:

Fortè diem Triuiæ dum littore ducimus vdo.

Mox deſcriptâ tempeſtate ſubdit:

--Sed proxima quærere nimbi
Suadebant læſique fides reditura ſereni.
Stabat dicta ſacri tenuis caſa nomine templi,
Et Magnum Alciden humili lare parua premebat.

Quibus verbis *Magnum*, non vt antea *Puſillum* appellat, quia Pollius hac occaſione permotus magnum ei templum excitauit. Sed ad rem. Hinc vides idem Herculis templum & ad Appiam viam, & ad portam Capenam eſſe. quod fieri non poſſet, niſi eadem via ad portam Capenam pertineret.

FESTOS DIES.] In Piſonem 51. *Quid eos dies qui quaſi Deorum immortalium feſti ac ſolemnes ſunt, aduentu meo reditúque celebrati?* Talis feſtiuitas à Marone 2. diuini operis deſcribitur: VII.

Nos delubra Deum, miſeri quibus vltimus eſſet
Ille dies, feſtâ velamus fronde per vrbem.

Solebant enim in publicâ lætitiâ ramos templis, & ædium ſuarum veſtibulis obtendere, lucernas accendere, publicè epulari, &c. Tertullianus apologet. 35. *Grande videlicet officium focos & choros in publicum educere, vicatim epulari, ciuitatem tabernarum habitu obolefacere, vino lutum cogere*, &c. Item: *Cur die læto non laureis poſtes obumbramus, nec lucernis diem infringimus?* & alia quæ in Piſonem 20. *Catilinæ laternario* proferemus. Statius 1. ſiluarum de nuptiis Stellæ & Violantillæ: Rami feſtiui. Lucernæ feſtiuæ.

Fronde virent poſtes, & feruent compita flammis.
Et pars immenſæ gaudet celeberrima Romæ.

Latinus Pacatus paneg. Theodoſij: *Quid portas virentibus ſertis coronatas? Quid aulæis vndantes plateas, accenſíſque funalibus auctum diem?* Quod non in publicâ ſolùm feſtiuitate, ſed in priuata etiam gratulatione faciebant, vt in Natalibus, de quibus proximè dictum eſt. In Nuptiis. Iuuenalis 6. Aulæa feſtiua.

Ornatas paulò ante fores, pendentia linquit
Vela domus, & adhuc virides in limine ramos.

In Sotericis: idem ſat. 12.

Cuncta nitent: longos erexit ianua ramos,
Et matutinis operitur feſta lucernis.

Veſtitus etiam candore feſtos celebrabant. Supra Horatius:

Alióſve dierum feſtos albatus celebret.-

Perſius: *--negato*

Iuppiter hæc illi quamuis te albata negarit.

Philo de legatione & hunc & alios ritus paucis complexus eſt. Οὐδὲν γοῦν ἕτερον ἦν ἰδεῖν κατὰ πόλεις, ἢ βωμούς, ἱερεῖα, θυσίας, λευχειμονοῦντας, ἐστεφανωμένους, φαιδρούς, εὐμένειαν ἐξ ἱλαρᾶς τῆς ὄψεως προφαίνοντας, ἑορτάς, πανηγύρεις, μουσικοὺς ἀγῶνας, ἱπποδρομίας, κώμους, παννυχίδας, μετ' αὐλῶν καὶ κιθάρας, τέρψεις, ἀνέσεις, ἐκεχειρίας, παντοίας ἡδονὰς διὰ πάσης αἰσθήσεως. *Nihil igitur aliud videre erat in vrbibus, quàm aras, victimas, ſacrificia, homines candidis veſtibus indutos, coronatos, lætitiam hilari facie præ ſe ferentes, feſtiuitates, conuentus, muſicæ certamina, ludos circenſes, comeſſationes, peruigilia, cum tibiis & citharà, oblectationes, relaxationes, inducias, omnimodas voluptates omnibus ſenſibus perceptas.*

VIII. Legati. VIÆ MVLTITVDINE.] Pi. 51. *At meus quidem is fuit vt à Brunduſio vſque Romam agmen perpetuum totius Italiæ viderem. neque enim regio fuit vlla, neque municipium, neque præfectura aut colonia, ex qua non publicè ad me venerint gratulatum.* De legatis qui ex Italia Romam mittebantur frequentior mentio, quàm vt in corradendis exemplis hærere debeamus.

IX. CELEBRABANTVR.] Frequentabantur. vide Cœlianam 34. *Ideo viam munitii, vt eam tu alienis viris comitata celebrares.* & 47. *In turpiſſimis rebus frequentiſſima celebritate & clariſſima luce verſetur.* quibus locis hanc *celebrandi* ſignificationem pluribus adſtruemus. Iuuenalis:

Celebrare.

--fanum Iſidis & Ganymedis, &c.
Notior Aufidio mœchus celebrare ſolebas.

Propertius eleg. 16. libri 1.

Cuius inaurati celebrarunt limina currus.

X. Excipiendi modus. AD VRBEM ACCESSVS.] Vide Piſon. 52. vbi & proferemus Appianum lib. ciuilium exeunte. λαμπρῶς δ' αὐτόν, &c. Cæterùm notandum videtur huiuſmodi occurſus & gratulationes factas nonnunquam etiam cum facibus & florum ſparſione. Sic intrante Caracalla Alexandriam apud Herodianum lib. 4. Πάσης τε μούσης ὄργανα πανταχοῦ διακείμενα ποικίλον ἦχον εἰργάζετο, ἀρωμάτων τε παντοδαπῶν, καὶ θυμιαμάτων ἀτμίδες εὐωδίαν παρεῖχον ταῖς ὁδοῖς, δᾳδουχίαις τε καὶ ἀνθέων βολαῖς ἐτίμων τὸν βασιλέα. *Omnimoda muſica inſtrumenta vbique diſpoſita varium concentum exhibebant, aromatúmque omnis generis, & thymiamatum ſuffitus ingreſſibus odorem ſuauiſſimum exhalabant, facibus & florum iactationibus Regem honorabant.*

Faces & flores in occurſu.

De iiſdem Alexandrinis Athanaſio Magno poſt fugam redeunti occurrentibus Nazianzenus in eiuſdem Epitaphio. Ἐῶ γὰρ λέγειν κρότοις πανδήμοις, καὶ μύρων ἐκχύσεις, καὶ παννυχίδας, καὶ πᾶσαν φωτὶ καταστραπτομένην τὴν πόλιν, καὶ δημοσίας ἑστιάσεις καὶ οἰκιδίας, καὶ ὅσοις αἱ πόλεις τὸ φαιδρὸν ἐπισημαίνουσιν, &c. *Prætermitto dicere plauſus ab omni populo datos, vnguentorum effuſiones, vigilias, vrbem omnem lumine fulgurantem, epulas publicas & priuatas, & cætera quibus vrbes ſuam lætitiam declarant.* De Antiochenis Plutarchus in Catone Vticenſi: Βαδίζων δ' εἰς Ἀντιόχειαν, εἶδε περὶ τὰς πύλας ἔξω πλῆθος ἀνθρώπων ἑκατέρωθεν τῆς ὁδοῦ παρακεκριμένων, ἐν οἷς ἔφηβοι μὲν χωρίς, καὶ παῖδες ἑτέρωθι, κοσμίως εἱστήκεσαν, ἐσθῆτας δὲ καθαράς, ἔνιοι καὶ στεφάνους εἶχον. *Antiochiam petens, ingentem circa portas extra vrbem hominum ex vtraque via parte digeſtorum multitudinem aduertit. In quibus adoleſcentes ſeorſum, ſeorſum pueri modeſta corporis compoſitione ſtabant: nonnulli puras veſtes & coronas habebant.* Ita nimirum ſe compararauerant vt Demetrio Pompeij liberto venienti occurrerent. De Athenienſibus idem in Alcibiade: Πρὸς δ' ἐκεῖνον συντρέχοντες ἐβόων, παρέπεμπον, ἐστεφάνουν προσιόντες. *Magno ad eum concurſu facto clamabant, deducebant, coronabant, propiùs accedentes.* Demochares apud Athenæum lib. 6. dipnoſ. cap. 15. *Demetrium Athenas è Leucade & Corcyrâ redeuntem Athenienſes,* ἐδέχοντο οὐ μόνον θυμιῶντες, καὶ στεφανοῦντες, καὶ οἰνοχοοῦντες, ἀλλὰ καὶ προσόδια καὶ χοροὶ καὶ ἰθύφαλλοι μετ' ὀρχήσεως, &c. *Non ſolùm ſuffitibus, coronamentis, & vini libationibus exceperunt, ſed etiam chori præceſſerant & obuiam cum proſodiis, & Ithyphallis ſaltantes,* &c. Rogophanes, vt ait Curtius lib. 4. Alexandro Babylonem ingrediente: *Totum iter floribus coronisque conſtrauerat, argenteis altaribus vtroque latere diſpoſitis, quæ non ture modò, ſed omnibus odoribus cumulauerat.* Sic, vt dicitur Iudith. 3. gentes Holophernem excipiebant. *Cum coronis & lampadibus, ducentes choros in tympanis & tibiis.* Neque verò huiuſmodi plauſus Græcanicæ vel leuitati, vel adulationi tribuere debemus, cùm etiam his ritibus ipſi Romani magnos viros aut venientes exceperint, aut procedentes deduxerint. Herodianus lib. 7. de Gordiano Iuniore: Ἀνάγουσιν εἰς τὸ Καπιτώλιον εὐφημούμενον ὑπὸ τοῦ δήμου, καὶ φυλλοβολούμενον. *Ad Capitolium deducunt populo folia ſpargente, & fauſtis acclamationibus proſequente.* Claudianus paneg. Stilichonis:

Etiam apud Romanos.

Spectabunt cupidæ matres, ſpargentur & omnes
Flore viæ.- Naſo 1. amor el. 2.
Læta triumphanti de ſummo mater olympo
Plaudet, & appoſitas ſparget in ora roſas.

Menſis etiam & victimis honorariis excipiebant. Hirtius ſupplemẽto belli Gallici. *Exceptus eſt Cæſaris aduentus ab omnibus municipiis & coloniis incredibili honore atque amore: tum primùm enim veniebat ab illo vniuerſo Galliæ bello. Nihil relinquebatur, quod ad ornatum portarum, itinerum, locorúmque omnium, qua Cæſar iturus erat, excogitari poſſet. Cùm liberis omnibus multitudo obuiam procedebat. Hoſtiæ omnibus locis immolabantur. Tricliniis ſtratis fora templáque occupabantur, vt vel expectatiſſimi triumphi lætitia percipi poſſet.* Dionyſ. Halicarn. lib. 5. antiq. Τὸ δὲ Βρούτου σῶμα ἀράμενοι μετὰ πολλῶν ἐπαίνων τε καὶ δακρύων εἰς τὴν Ῥώμην ἀπεκόμιζον οἱ κράτιστοι τῶν ἱππέων στεφάνοις κεκοσμημένον ἀριστείοις. ὑπήντα δ' αὐτοῖς ἥ τε βουλὴ θριαμβικῇ καταγωγῇ ψηφισαμένη κοσμῆσαι τὸν ἡγεμόνα, καὶ ὁ δῆμος ἅπας κρατῆρσι καὶ τραπέζαις ὑποδεχόμενος τὴν στρατιάν. *Bruti corpus multis cum laudibus & lacrymis ſublatum, coronis victricibus ornatum principes Equitum in Vrbem detulerunt. Occurrit illis Senatus, qui triumphali deductione ducem ornandum eſſe decreuerat, & populus vniuerſus crateribus & menſis exercitum excipiens.* Poſteris etiam temporibus imagines Imperatorum magnis honoribus exceperunt. In ſecundâ Synodo Nicænâ actione primâ Theodoſius: *Nam ſi Imperatorum,* inquit, *vexillis ſanctioribus & imaginibus in ciuitates, & prouincias miſsis omnis populus obuiam occurrit, cùm cereis & ſuffimentis odoratis, quanto iuſtius eſt in Eccleſiis Seruatoris Dei, matris intemeratæ, ſanctorúmque omnium & piorum imagines erigere.* Opta-

Apparatu cõuiuiorum excepti redeuntes.

Imperatorum imagines ture & cereis exceptæ.

T

tus Mileuitanus: *Lauratis & iconibus quæ mittuntur ad ciuitates vel regiones, obuij adeunt populi, cum cereis & incenſis, non cerâ perfuſam tabulam, ſed Imperatorem honorantes.* Non eſt in manibus Optatus: cito fide Ludouici Sauoti viri eruditi parte primâ de numiſmatibus antiquis cap. 4. vbi *lauratum* ſiue *labratum* à labris deriuat, quod adorantes ea labris admouerent: libentiùs à lauris quibus huiuſmodi laurata inuoluta fuerunt, deduxerim. Si quidem pleriſque earum imaginum victoriæ lauream imponebant. Naziãzenus orat. 1. contra Iulianum. Νόμος ἐστὶ βασιλικὸς, &c. εἰκόσι δημοσίαις τιμᾶσθαι τοὺς βασιλεύοντας, &c. ταύταις ταῖς εἰκόσιν ἄλλοι μὲν ἄλλό τι τῶν βασιλέων προσπαραγράφειν χαίρουσιν, οἱ μὲν τῶν πόλεων τὰς λαμπροτέρας δωροφοροῦσας, οἱ δὲ νίκας ὑπὲρ κεφαλῆς στεφανούσας, &c. *Imperatoria lex eſt, &c. Auguſtos publicis imaginibus honorari, &c. His alij Imperatorum aliud gaudent appingere, alij ciuitatum præcipuas dona offerentes, alij Victorias ſuper caput coronam imponentes.* Neque verò hic cereorum & lampadum honos vel ſtatuis, vel hominib. ipſis delatus ignotus fuit ſtãte Rep. Noſter tertio de officiis agens de Mario Gratidiano. *Et ea res, ſi quæris, ei magno honori fuit, omnibus enim vicis ſtatuæ factæ, & ad eas tus & cerei.* Sic cùm Noſter, vt auctor eſt Plutarchus, extinctis coniuratis domum publico plauſu deductus eſt. Τὰ φῶτα πολλὰ κατέλαμπε τοὺς στενωποὺς λαμπάδια καὶ δᾷδας ἱστάντων ἐπὶ ταῖς θύραις. *Multa lumina fulgebant in compitis, cùm omnes in ſuis ianuis lampadas & faces poſuiſſent.* Nulla ibi florum mentio, quod hæc hyeme gererentur. Prudentius libro poſteriore in Symmachum Romam ita loquentem inducit:

Quo te ſuſcipiam gremio, fortiſſime princeps?
Quos ſpargam flores? quibus inſertabo coronis
Atria? Quæ feſtis ſuſpendam pallia portis?

Ad hunc etiam excipiendi deducendíque morem alluſit Heliodorus li. 3. Æthiop. cùm, vt ait, Theagene procedente: Ὅπου δημώδεις γυναῖκες, καὶ τὸ τῆς ψυχῆς πάθος ἐγκρατείᾳ κρύπτειν ἀδύνατοι, μήλοις τε καὶ ἄνθεσιν ἔβαλλον, εὔνοιάν τινα αὐτοῦ, ὡς ἐδόκουν, ἀφελκόμεναι. *Plebeiæ mulieres animi ſui paſſionem continentiâ velare non valentes, poma iaciebant, flores ſpargebant, eius ſibi quandam, vt ſibi videbantur, beneuolentiam conciliantes.* Neque fortaſſe à Romanis moribus fuerit alienum, vt in gratulatione poma iacerentur. Macrobius Saturn. 2. *Lapidatus à populo Vatinius cùm gladiatorum munus ederet, obtinuerat vt ædiles edicerent: Ne quis in arenam niſi pomum miſiſſe vellet. Fortè iis diebus Caſellius à quodã cõſultus an nux pinea pomum eſſet, reſpondit, Si in Vatinium miſſurus es, pomum eſt.* Alio tamen ſenſu dixit Virg. in bucolicis poſt Ariſtophanem in nubibus. Nonnunquam etiam viam tapetibus ſternebant, quibus incederent. Clytemneſtra apud Æſchylum. Agamemnone veniente in has voces erumpit:

Florũ & malorum miſſiones.

Ἔκβαιν' ἀπήνης τῆσδε μὴ χαμαὶ τιθεὶς
Τὸν σὸν πόδ' ὦναξ Ἰλίου πορθήτορα.
Δμωαὶ τί μέλλετ' αἷς ἐπέσταλται τέλος
Πέδον κελεύθου στρωννύναι πετάσμασιν.
Εὐθὺς γενέσθω πορφυρόστρωτος πόρος.
Deſcende currus, nec tuum figas ſolo
Alti pedem (Rex magne) domitorem Ilij.
Celerate famulæ, rumpite obſtantes moras
Quibus imperaui ſternere tapetis ſolum.
Rubente flore purpuræ vernet via.

Viæ tapetibus ſtratæ.

Cuius ille honoris inuidiam ita deprecatur:

Μηδ' εἵμασι στρώσασ' ἐπίφθονον πόρον
Τίθει· θεούς τοι τοῖσδε τιμαλφεῖν χρεών.
Ἐν ποικίλοις δὲ θνητὸν ὄντα κάλλεσι
Βαίνειν. ἐμοὶ μὲν οὐδαμῶς ἄνευ φόβου.
Ne veſte ſternens, qua pedem figo, viam
Fac inuidendam. Sic Deos fas eſt coli.
Mortalis ego ſum, pérque variatas acu
Incedere vias me meus prohibet timor.

Idem apud Romanos Catoni Vticenſi ob amiſſum morte Cæpionẽ fratrẽ in Vrbem redeũti ab exercitu, cui Tribunus militum interfuerat honos delatus eſt, vt teſtatur in eius vita Plutarchus. Ἐπεὶ δὲ τέλος εἶχεν ἡ στρατεία τῷ Κάτωνι, προεπέμφθη οὐκ εὐχαῖς (ὃ κοινόν ἐστιν) οὐδ' ἐπαίνοις, ἀλλὰ δάκρυσι καὶ περιβολαῖς ἀπλήστοις, ὑποτιθέντων τὰ ἱμάτια τοῖς ποσὶν, ᾗ βαδίζοι, καὶ καταφιλούντων τὰς χεῖρας, ἃ τῶν αὐτοκρατόρων ὀλίγοις ἐποίουν οἱ τότε Ῥωμαῖοι. *Expleta militia Catonis, non votis eum, quod vulgare eſt, neque præconiis, ſed lacrymis complexibúſque inſatiabilibus proſecuti ſunt, ſubſternentes in via qua pergebat, veſtimenta, manúſque eius oſculantes, quæ paucis Imperatoribus præſtabant, qui tunc erant Romani.* Paucis, inquit, ergo ſaltem aliquibus. *Qui tunc erant.* ergo cœpit deinceps ea conſuetudo crebriùs vſurpari. E quibus videas magnum quidem illum honorẽ fuiſſe, qui Chriſto Domino exhibitus à Iudæis, cum ramis palmarum obuiam prodeuntibus, veſtéſque ſuas ſubſternentibus, & læto concentu plaudentibus. vt omittam decem virgines cum lampadib. obuiam ſponſo prodeuntes, & ſeruos illos ſuccinctos lumbis in quorum manibus *lucernæ ardentes*, quæ exempla è mediâ vulgaríque conſuetudine manarunt.

In Capitolium.] Mos vel in gentilitate laudabilis. Cùm primùm aliquid fauſti euenerat, in Capitolium adſcẽdebant Deo gratiam habituri. Sic vt alibi referemus è Liuio lib. 5. dec. 5. *Conſul proficiſcens prætórve paludatis lictoribus in prouinciam & ad bellum vota in Capitolio nuncupat: victor perpetrato eodem in Capitolio triumphans, ad eoſd m Deos, quibus vota nuncupauit, merita dona populi Romani traducit,* &c. Sic poſtquã fuerant abſoluti. Martialis lib. 2. ep. 74. XI.

Cinctum togatis poſt, & antè Sauſellum
Quantâ reduci Regulus ſolet turbâ
Ad alta tonſum templa cùm reum miſit,
Materne cernis? inuidere nolito.

Mos adſcendendi in Capitolium in gratiarum actione.

Sic cùm togam virilem ſumpſerant, Appianus 4. ciuilium. Ἀτίλιος δ' ἄρτι τὴν τῶν τελείων περιθέμενος στολὴν, ᾔει μὲν, ὡς ἔθος ἐστὶ, σὺν πομπῇ φίλων ἐς τὰς θυσίας ἐς τὰ ἱερά. *Attilius modo ſumpta virili toga, ibat, vt moris eſt cum amicorum deductione in templa ad ſacrificandum.* Sic Capitolium ſtatim adibant inito Conſulatu. Ouidius 4. de Ponto eleg. 4. clarè ad Sextum Pompeium Conſulem, & eleg. 9. eiuſdem libri ad Græcinum.

—Dij faciant auroram occurrat ad illam
Bis ſenos faſces quæ tibi prima dabit.
Et quoniam ſine me tanges Capitolia Conſul, &c.

Item:

At cùm Tarpeias eſſes deductus ad arces
Dum caderet iuſſu victima ſacra tuo.

Quod nõnunquam ad maiorem pietatis ſpeciem nudis genibus adreptantes faciebant, vt Cæſar apud Dionem confectis bellis ciuilibus lib. 43. Καὶ τοὺς ἀναβασμοὺς τοὺς ἐν τῷ Καπιτωλίῳ τοῖς γόνασιν ἀνερριχήσατο. *Et Capitolij gradus genibus adreptauit.* Nudis, inquam, vt à ſimili colligi poteſt. Iuuenalis Sat. 6. *—Superbi*

Totum Regis agrum nuda ac tremebũda cruentis
Erepet genibus.--

XII. IN SVMMA LÆTITIA ILLVD DOLEREM.] Pulchrè Apuleius 4. Florid. *Nihil quicquam homini tam proſperum diuinitùs datum, quin & tamen admixtum ſit aliquid difficultatis, vt etiam in ampliſſimâ quaque lætitiâ ſubſit quæpiam vel parua querimonia, coniugatione quadam mellis & fellis, vbi vber, ibi tuber.* Plato initio Phædonis: Τὸ ἡδὺ καὶ τὸ λυπηρὸν, &c. ὥσπερ ἐκ μιᾶς κορυφῆς ἡμμένω δύο ὄντε. Καί μοι δοκεῖ, ἔφη, εἰ ἐνενόησεν αὐτὰ ὁ Αἴσωπος, μῦθον ἂν συνθεῖναι. ὡς ὁ Θεὸς βουλόμενος αὐτὰ διαλλάξαι πολεμοῦντα, ἐπειδὴ οὐκ ἐδύνατο, συνῆψεν εἰς ταυτὸν αὐτῶν τὰς κορυφάς. καὶ διὰ ταῦτα ᾧ ἂν τὸ ἕτερον παραγένηται ἐπακολουθεῖ ὕστερον καὶ τὸ ἕτερον. *Voluptas & dolor,* &c. *tanquam ex vno vertice, cùm duo ſint, inter ſe colligantur. Et mihi videtur Æſopus, ſi ipſi veniſſet in mentem, fabulam compoſiturus fuiſſe, quòd Deos eos bellum ſibi mutuò inferentes conciliare volens, vbi id facere non potuit, eorum capita in vnum colligauit. Eam ob rem cùm alter eorum adfuerit alter ſequitur.* Nota duo Homeri dolia ex 24. Iliados verſu 527.

Bonum malo coniunctum, voluptas dolori.

Δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει
Δώρων, οἷα δίδωσι κακῶν, ἕτερος δὲ ἑάων.

vel vt legit Plato 2. de Repub.

Κηρῶν ἔμπλειοι. ὁ μὲν ἐσθλῶν, αὐτὰρ ὁ δειλῶν.
Veſtibulo Iouis incumbunt duo dolia, donis
Plena Deûm: bona in hoc, mala ſed clauduntur
in illo.

Vide Syneſium oratione 2. de prouidentiâ. Themiſtius orat. de amicitiâ. Ἔοικε τῶν ἀνθρωπίνων ἀγαθῶν ὄντως ἕκαστον εἶναι κινδύνῳ κεκαλυμμένον, μηδὲν τι ἄκρατον τοῦ ἐναντίου. Καὶ λέγει τις ὀρθῶς ἀρχ. τῶν τοῦ γέλωτος ποιητῶν, ὅτι μηδέν ἐστιν ἀγαθὸν ἐν τῷ βίῳ.

Φυόμενον ὥσπερ δένδρον ἐκ ῥίζης μιᾶς.
Ἀεὶ δὲ αὐτῷ περιπέφυκε καὶ κακόν.

Videtur vnumquodque humanorum bonorum reuera periculo abſconditum, nihílque eſſe purum à contrario, & rectè dicit neſcio quis comicus Poëta nullum eſſe in vitâ bonum:

Vna ſatum radice de more arboris
Bono propinquum ſemper adſeritur malum.

Euripides:

Οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλὰ καὶ κακά.
Ἀλλ' ἔστι καὶ σύγκρασις ὥστ' ἔχειν καλῶς.
Non ſeparantur à malis vnquam bona.
Sed temperantur inuicem vt fiat bene.

Quod ſic eleganter expreſſit Lucretius libro 4. exeunte:

--Medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid quod in ipſis floribus angat.

Quod mihi reuocat in memoriam duos illos fluuios fabuloſos, voluptatis alterum, alterum doloris, de quibus Ælianus lib. 3. cap. 18. & verſum illum Claudiani:

Armat ſpina roſas, mella tegunt apes.

Concludo cum Platone in Philebo: Μηνύει δὴ νῦν ὁ λόγος ἡμῖν ἐν θρήνοις τε καὶ ἐν τραγῳδίαις, μὴ τοῖς δράμασι μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ τοῦ βίου ξυμπάσῃ τραγῳδίᾳ καὶ κωμῳδίᾳ λύπας ἡδοναῖς ἅμα κεράννυσθαι. *Significat nobis præſens oratio non ſolùm in lamentis & tragœdiis theatralibus, ſed etiam in vniuersâ vitæ tragœdiâ & comœdiâ voluptates doloribus eſſe temperatas.*

AXIOMATA.

Iucundum eſt ſuos ex grauiſſimo primùm deſiderio luctúque conſpicere.

Debemus amicos noſtro præſidio, periculóque defendere.

- *Inſectatio Vatinij. eius*
  - crudelitas & odium 132. 133.
    - in optimates 132.
      - Cæſarem impellens in eorum necem.
      - Vettium indicem interrogans contra Principes ciuitatis.
    - In Ciceronẽ 133. quẽ oppugnauit nominatim
      - mentiens apud Cæſarem.
      - eum ſuſpectum reddens Pompeio.
      - adiuuans Clodium in proſcriptione Ciceronis.
      - eius diſceſſu palam exultans in luctu bonorum.
      - aiens eius acta ſibi diſplicere.
  - temeritas 134. 135.
    - in contemnendis legibus
      - Tullia de ambitu exaggeratur, quia
        - tam apertè violat, vt excuſare non poſſit.
        - nec elabi è iudicio iucunditate ſua poteſt.
        - nec emitti gratiâ.
        - nec opibus & potentia leges & iudicia perſtringere.
      - Acilia, Didia, Licinia, Iunia.
      - Iulia de repetundis.
    - In diſturbando iudicio.

ARGVMENTVM.

Data occaſione ad Vatinij teſtis inſectationem delabitur, qui & Cæſarem impellere voluerat ad delendam optimatium nationem, & cùm nihil proficeret de vniuerſis, ſubornato Vettio indice ipſum Ciceronem cum aliis principibus ciuitatis in inuidiam vocare conatus eſt.

CXXXII. *Inſectatio Vatinij.* HABES igitur, quod ex me quæſiſti, qui eſſent optimates. non eſt natio, vt dixiſti: quod ego verbum agnoui. eſt enim illius, à quo vno maximè P. Sextius ſe oppugnari videt, hominis eius, qui hanc nationem deleri & concidi cupiuit: qui C. Cæſarem mitem hominem, & à cæde abhorrentem ſæpè increpuit, ſæpè accuſauit, cùm affirmaret, illum nunquam, dum hæc natio viueret, ſine cura futurum. nihil profecit de vniuerſis: de me agere non deſtitit: me oppugnauit primùm per indicem Vettium, quem in concione de me, & de clariſſimis viris interrogauit. in quo tamen eos ciues coniunxit eodem periculo & crimine, vt à me inierit gratiam, quòd me cum ampliſſimis & fortiſſimis viris congregauit. Sed poſtea mihi nullo meo merito, niſi quod bonis placere cupiebam, omnes eſt inſidias ſceleratiſſimè machinatus.

CXXXIII. Ille ad eos, à quibus audiebatur, quotidie aliquid de me afferebat: ille hominem mihi amiciſſimum Cn. Pompeium monebat, vt meam domum metueret, atque à me ipſo caueret: ille ſe ſic cum inimico meo copularat, vt illum meæ proſcriptionis, quam adiuuabat Sex. Clodius, homo iis digniſſimus, quibus cum viuit, tabulam eſſe, ſe ſcriptorem diceret: ille vnus ordinis noſtri, diſceſſu meo, luctu veſtro palam exſultauit. de quo ego, cùm quotidie rueret, verbum feci, iudices, nunquam: neque putaui, cùm omnibus machinis, ac tormentis, vi, exercitu, copiis oppugnarer, de vno ſagittario me queri conuenire.

EXPLANATIO.

HABES.] Ad M. Tullium Albinouanum Sextij accuſatorem conuertitur, quaſi totam orationem de optimatibus inſtitutam concludat.

NON EST NATIO.] Ingenioſè ex hoc vno verbo inſectandi Vatinij occaſionem accerſit, quaſi Albinouanus inuidioſum hoc vocabulum, non ab alio quàm à Vatinio didiciſſet.

ILLIVS.] Vatinij, qui & teſtis contra Sextium productus eſt, & Albinouanum actorem inſtruxit ac ſubornauit, eíque conciones P. Sextij ſcriptas, quas neque noſſet, neque reperire poſſet. dedit, quæ fuerunt in iudicio recitatæ. Vatin.3.

QVI HANC.] Vatinij crudelitatem oſtendit qui frequenter C. Cæſarem hortatus fuerat, vt optimates omnes per conſpirationem & inſidias trucidaret.

NIHIL PROFECIT.] Cùm ad tantum ſcelus Cæſarem inducere non poſſet, ſaltem ei perſuadere voluit, vt me cum aliis principibus ciuitatis occideret.

PER INDICEM VETTIVM.] Vettius à Cæſare vel à Vatinio ſubornatus, & in Senatu & apud populum dixit à primariis viris inſidias eſſe vitæ Cn. Pompeij comparatas. qua de re ep. penultima lib. 2. ad Atticum, & Vatiniana 24.25.26.conſulatur.

EOS CIVES CONIVNXIT.] M. Bibulum, Luc. Lucullum, C. Curionem, Luc. Domitium, Luc. Lentulum, Luc. Paulum, Piſonem generum Ciceronis & alios. *Me*, inquit epiſt. citata ad Atticum, *non nominauit, ſed dixit Conſularem diſertum, vicinum Conſulis ſibi dixiſſe Ahalam Seruilium aliquem, aut etiam Brutum opus eſſe reperiri.*

ILLE AD EOS.] Cæſarem intelligendum puto, vt & pro domo 41. *Hæc homines improbi ad quoſdam viros fortes longè aliter atque à me dicta erant, detulerunt.*

ALIQVID DE ME ADFEREBAT.] Manutius & Lambinus: *aliquid de me ficti afferebat.* vel *aliquid effícti*, vel *aliquid ficti*, ex veteri ſcriptura, *aliquid defecti.*

ILLE HOMINEM.] Vide ſuprà 41.

INIMICO.] P. Clodio.

QVAM ADIVVABAT S. CLODIVS.] pro domo ſua 47. *Hanc tibi legem Sex. Clodius ſcripſit, ſpurciorem linguâ ſuâ*, &c. & 48. *Hoc tu ſcriptore, hoc conſiliario, hoc miniſtro omnium non bipedum ſolùm, ſed etiam quadrupedum impuriſſimo Remp. perdidiſti.*

VNVS ORDINIS NOSTRI.] immò Clo-

dius, Piſo & Gabinius etiam exultarant: ſed eos excipit, quod Clodius eſſet Tribunus & inimicus, cæteri duo eſſent in magiſtratu, & proinde neque ille neque iſti eſſent purè Senatores.

NEQVE PVTAVI.] allegoria à re militari, per Vatinij contemptum.

NOTÆ.

I. CÆSAREM MITEM HOM.] Libet hoc loco pauca de multis eius manſuetudinis exempla decerpere. Cæſar ipſe lib. 3. de bello ciuili Pompeiano, poſt pugnam Pharſalicam: *Cæſar prima luce omnes eos qui in monte conſederant, ex ſuperioribus locis in planitiem deſcendere, atque ad terram arma proiicere iuſſit, quod vbi ſine recuſatione fecerunt, paſſiſque palmis proiecti in terram flentes ab eo petierunt ſalutem, conſolatus conſurgere iuſſit, & pauca apud eos de lenitate ſua locutus, quo minore eſſent timore, omnes conſeruauit militibúſque ſuis commendauit, ne qui eorum violarentur, neu quid ſui deſiderarent.* Velleius lib. 2. *Nihil illa victoriâ mirabilius, magnificentius, clarius fuit: quando neminem niſi acie conſumptum ciuem patria deſiderauit: ſed manus miſericordiæ corrupit pertinacia, cùm libentiùs vitam victor iam daret, quàm victi acciperent.* Quid? quòd vt habet Plinius lib. 7. cap. 25. *Cæſar captis apud Pharſaliam Pompeij ſcriniis epiſtolarum, iterúmque apud Thapſum Scipionis concremauit optimâ fide neque legit.* Pompeij videlicet imitatus exemplum qui litteras ad Sertorium miſſas ne lectas quidem incenderat: ne Romanorum in ſe & P. Syllam conſpirationes poſſet agnoſcere, ne dum vlciſci. vide Plutarchum. Quid? quòd poſt mortem Pompeij, vt notat idem Plutarchus: Καῖσαρ τὸν μὲν προσφέροντα τὴν κεφαλὴν, ὡς παλαμναῖον ἀπεστράφη, τὴν δὲ σφραγῖδα Πομπηίου δεξάμενος ἐδάκρυσεν. ἦν δὲ γλυφὴ λέων ξιφηφόρος. *Eum qui caput attulerat vt nefarium & importunum quoddam prodigium eſt auerſatus, & accepto annulo Pompeij illacrymauit, cui leo gladium tenens erat inſculptus.* Quid? quòd vt ait idem Plutarchus Ciceroni poſt bellum ciuile ad ſe venienti ipſe occurrit, cúmque prior ſalutauit & amplexus eſt, ne excuſationis aut deprecationis verecundiâ ſuffunderet? ΟΥ μὴν ἐδέησεν αὐτῷ πρᾶξαί τι παρ' ἀξίαν, ἢ εἰπεῖν. ὁ γὰρ Καῖσαρ ὡς εἶδεν αὐτὸν πολὺ πρὸ τῶν ἄλλων ἀπαντῶντα κατέβη καὶ ἠσπάσατο, καὶ διαλεγόμενος μόνῳ συχνῶν σταδίων ὁδὸν προῆλθεν. *Non tamen ei opus fuit quicquam facere, aut dicere præter dignitatem. Nam vt eum Cæſar longè præ cæteris occurrentem aduertit, deſcendit, eúmque ſalutauit, & cum eo loquens multorum ſtadiorum viam progreſſus eſt.* Sed ne ſingulis immoremur: vide Ciceronem paſſim in Cæſarianis, Suetonium in eius vita, à cap. 72. ad 75. Appianum lib. 2. de bellis ciuilibus, Dionem lib. 42. & alios paſſim. Generatim Velleius. *Cæſar omnium victor regreſſus in vrbem, quòd humanam excedat fidem, omnibus qui contra ſe arma tulerant ignouit.* Adeo verum fuit illud Ciceronis elogium: *Qui obliuiſci nihil ſoles præter iniurias.* Nec immeritò, vt teſtatur Dio lib. 44. Νεὼν αὐτῷ, τῇ τ' ἐπιεικείᾳ αὐτοῦ προσηγορεῦσαι ἔγνωσαν. *Templum ei eiúſque Clementiæ conſecrandum eſſe decreuit Senatus.* Sed vt finiam Hirtius & Panſa, vt eſt apud Velleium: *Semper prædixerant Cæſari, vt principatum armis quæſitum armis teneret: ille dictitans mori ſe quàm timeri malle, dum clementiam, quam præſtiterat, expectat, incautus ab ingratis occupatus eſt.*

Cæſaris manſuetudo.

Templum Clementiæ Cæſaris.

II. A QVIBVS AVDIEBATVR.] Audio, vt notat Donatus idem eſt atque libenter admitto ſiue conſentio. vide pro Marcello 26. *Sed tum id audirem ſi tibi ſoli viueres, aut tibi ſoli natus eſſes.*

Audire.

III. ALIQVID DE ME FICTI AFFEREBAT.] Scitè Themiſtius oratione 3. de calumniatoribus. Φύονται δέ τινες καὶ ἐν ἀνθρώποις ἀλώπεκες, μᾶλλον δ' ἀνθρώπια σμικρά τε καὶ ἀνελεύθερα, τὰς ἀλώπεκας ὄπισθεν ἐφελκόμενα. οἱ δ' αὐτῶν οὐκ ἀλώπεκας, ἀλλὰ δράκοντας ἰοῦ χαλεποῦ καὶ ἀτόπου μεστοὺς, ὑφέρποντας καὶ κρυπτομένους εὐνοίας καὶ φιλανθρωπίας παραπετάσμασιν· οὓς ἀπελαύνειν χρεὼν καὶ ἀποσοβεῖν πορρωτάτω. κηλούμεθα γὰρ πολλάκις, καὶ γαργαλιζόμεθα, δάκνουσι, τὰ ἄκρα τῆς γλώττης μόνον ὁρῶντες, τὰ δ' ἐντὸς οὐκ ἐθέλοντες ἰδεῖν. *Naſcuntur quædam etiam inter homines vulpeculæ, immò homunciones minuti & ad ſeruitutem nati, qui poſt ſe trahunt vulpeculas, quidam etiam eorum non vulpeculas, ſed dracones, veneno quodam periculoſo & nefario plenos, furtim ſerpentes, & tectos humanitatis & beneuolentiæ velo. quos oportet procul aſpellere & abſterrere. Demulcemur enim frequenter & quaſi blanda titillatione geſtimus iis mordentibus, dum ſermones extrema lingua natantes videmus, interiora non videmus.* His ille calumniatorem deſcribit multis è Demoſthene pro Cteſiphonte deſumptis: Πονηρὸν, ὦ Α. Α. πονηρὸν ὁ συκοφάντης, ἀεὶ καὶ πανταχόθεν βάσκανον καὶ φιλαίτιον. τοῦτο δὲ καὶ φύσει κίναδος ἄνθρωπόν ἐστιν, οὐδὲν ἐξ ἀρχῆς ὑγιὲς πεποιηκὸς, οὐδ' ἐλεύθερον. αὐτοτραγικὸς πίθηκος, ἀρουραῖος Οἰνόμαος, παράσημος ῥήτωρ. *Improba res, Athenienſes, improba res calumniator, ſemper & vndequaque inuidendi, & detrectandi cauſas quæritans. Iſte autem homuncio natura eſt vulpecula, neque iam inde ab initio quidquam ſani, quidquam ingenui fecit, tragicus ſimius, ruſticanus Oenomaus, adulterinus orator.*

Calumniæ.

IV. SAGITTARIO.] Lucianus opuſculo illo pereleganti de non credendo calumniæ, calumniatorem cum ſagittario comparauit. Ὥσπερ οἱ λοχῶντες ἐξ ἀφανοῦς ποθεν τοξεύων. *Quemadmodum inſidiantes ex occulto ſagittans.* Et paulò pòſt eundem confert cum eo qui arcem vi & armis oppugnat. Notus in Pſalmis: *Sagittans in occulto rectos corde.* Noti, *Sermones molliti ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.*

Calumniator ſagittarius.

AXIOMATA.

A nobis ineunt gratiam calumniatores dum nos cum amplis & fortibus viris congregant, & crimine coniungunt.

Calumniatores aliquid quotidie ficti deferunt iis, à quibus audiuntur.

Cùm omnibus machinis, tormentis vi exercitu oppugnamur, de vno ſagittario quæri non conuenit.

ARGVMENTVM.

Vatinium inſectatur, quòd contra legem Tulliam munus gladiatorium ediderit eo ipſo tempore quo ædilitatem petebat, & eius ex eo facto temeritatem exaggerat.

CXXXIV. ACTA mea ait ſibi diſplicere. quis neſcit? qui legem eam contemnat, quæ dilucidè vetat gladiatores biennio, quo quis petierit, aut petiturus ſit, dare. In quo eius temeritatem ſatis mirari, iudices, non queo. facit apertiſſimè contra legem: facit is, qui neque elabi ex iudicio iucunditate ſuâ, neque emitti gratiâ poteſt, neque opibus, & potentiâ leges ac iudicia perfringere. Quæ res hominem impellit, vt ſit tam intemperans? iſtâ nimiâ gloriæ cupiditate familiam gladiatoriam, credo, nactus eſt ſpecioſam, nobilem, glorioſam: norat ſtudia populi: videbat clamores & concurſus futuros. Hac exſpectatione elatus homo flagrans cupiditate gloriæ, tenere ſe non potuit, quin hos gladiatores induceret, quorum eſſet ipſe pulcherrimus. Si ob eam cauſſam peccaret, & pro recenti populi Rom. in ſe beneficio, populari ſtudio elatus, tamen ignoſceret nemo, cùm verò ne de venalibus quidem homines electos, ſed ex ergaſtulis emptos, nominibus gladiatoriis ornarit, & ſortitò alios Samnites, alios Prouocatores fecerit: tanta licentia, tanta legum contemptio, ne non habitura ſit exitum, pertimeſcit?

EXPLANATIO.

ACTA MEA SIBI AIT DISPLICERE.] Eſt à coniectura Errici Memmij: ſed quàm præeunt libri ſcripti, quippe Pal. Nonus *ſibi ali diſpl.* quod & in S. Victoris ac Gembl. ſed litera amplius *alij.* vulgata habebat: *acta mea illi diſplicere*, &c. fide eorundem librorum ſtatim etiam addidi particulam *eam*, editis priùs omiſſam.

QVI LEGEM.] legem Tulliam de ambitu. de qua in Vatinium 37. *Cùm mea lex dilucidè vetet, Biennio quo quis petat, petiturúſve ſit, gladiatores dare niſi ex teſtamento præſtituta die. quæ tanta in te ſit amentia vt in ipſa petitione gladiatores audeas dare?* Hoc autem argumentum partim à forma ad genus, partim ab effectu ad cauſſam arceſſitur.

Illi diſplicent acta mea qui legem meam violat.
Sed Vatinius legem meam violauit.
Ergo acta mea diſplicuerunt Vatinio.

Lex eſt ſpecies quæ ſub actis tanquam ſub ſpecie continetur. diſplicentia cauſſâ, violatio effectus.

IN QVO EIVS TEMER.] Vatinij temeritatem ſic oſtendit.

Temerarius eſt qui ſine cauſſâ aperto damnationis periculo ſe exponit.
Sed id facit Vatinius.
Ergo temerarius eſt.

Maior ex ipſa temeritatis naturâ & definitione cognoſcitur, atque adeò ſubticetur. probat aſſumptionis ſingulas partes. videlicet manifeſtum eſſe damnationis periculum. & nullam ſubeſſe cauſſam illius adeundi. pars prior ita probatur.

Manifeſtum damnationis periculum adit, qui id facit quod nec inficiari poteſt, nec vllo prætextu defendere, nec accuſationem facetiis eludere, aut gratiâ & fauore è iudicij laqueis emitti, aut denique opibus & potentiâ iudices terrere, & iudicia perfringere.
Sed id facit Vatinius.
Ergo proiecit ſe in apertum damnationis periculum.

Argumentum ducitur à partium enumeratione, & tum propoſitione tum complexione prætermiſſis epichiremate concluditur.

QVÆ RES.] Poſteriorem probat aſſumptionis partem, quod videlicet ſine cauſſa periculum damnationis adierit. hoc ſyllogiſmo:

Si cauſſam vllam habuiſſet adeundi periculi, propter gloriam adiiſſet.
Sed propter gloriam non adiit.
Ergo cauſſam non habuit.

Probat aſſumptionem ex eo quod ſordidiſſimum munus illud fuerit, & familia tum deformis, tum ex ergaſtulis: ſine delectu & tumultuariè collecta. Quod argumentum per ironiam tractat, mox à contrario: ſeu mauis à minore ad maius, hoc pacto.

Si nemo ignoſceret ex ſtudio gloriæ peccanti, multò minùs ignoſci debet peccanti ex ſolâ licentiâ & legum contemptu.
Sed hoc. Ergo illud.

SORTITÒ ALIOS.] Feſtiuè: quaſi non reſpexerit Vatinius quis cui pugnæ generi eſſet aptiſſimus, ſed fortuitò nomen illis impoſuerit. Prouocatores autem & Samnites ſunt genera gladiatorum, de quibus in Notis.

NÓNNE QVEM HABITVRA SIT EXITVM PERTIMESCIT?] Meliùs iſtud longè, ex Erfurd. ac Gembl. item S. Vict. ac Pal. Nono, quam vulgatum, *ne non habitura ſit exitum non pertimeſcit?*

NOTÆ.

ACTA MEA.] Acta conſulum propriè leges à Conſulibus latæ. Philipp. prima 18. Acta. I.

Ecquid eſt quod tam propriè dici poßit actum eius qui togatus in Repub. cum poteſtate imperióque verſatus ſit, quàm lex? Quare acta Gracchi: leges Semproniæ proferentur. Quare Syllæ: Corneliæ. Quid Cn. Pompeij tertius Conſulatus in quibus actis conſiſtit: nempe in legibus. A Cæſare ipſo ſi quæreres, quidnam egiſſet in vrbe & toga; leges multas reſponderet ſe & præclaras tuliſſe.

II. DILVCIDE VETAT.] Leges debent eſſe dilucidæ & perſpicuæ, ne quid in earum interpretationem calumniæ vel fraudis obrepat. Vide quę dicentur in Vatiniana ad §.77.

III. DARE.] Martialis lib.3.ep.18.

Das gladiatores ſutorum regule cerdo
Quódque tibi tribuit ſubula, ſica rapit.

Horatius lib. 2. Sat.

Dare gladiatores.

Ni ſic feciſſent gladiatorum dare centum
Damnati populo paria.

Suetonius in Claudio cap. 21. *Palumbum (ita gladiatori, famoſo nomen) poſtulantibus, daturum ſe promiſit, ſi captus eſſet.*

IV. Temeritas. TEMERITATEM.] Temeritatis eſt ſe ſine cauſſa in apertum periculum immittere. vide ſuprà. *Adiit periculum, ſed adiit ob cauſſam.* Quæ ſit autem inter temeritatem & audaciam diſtinctio fusè in Piſonem 39.

V. FACIT APERTISSIME.] Exponit quatuor euadendi iudicij rationes, eáſque negat Vatinio, de quibus ſingulis pauca dicemus. Prima eſt ſi crimen admiſſum negetur, vel digreſſionibus quibuſdam obruatur, aut quouis pacto tenebræ iudicibus offundantur, ne crimen ad liquidum poſſint intueri: quàm facultatem ſibi Vatinius eripuit faciens apertiſſimè contra legem. Quod Noſter tum in aliis cauſſis non optimis, tum in Numatij cauſſâ ſpectauit. de quo Plutarchus in Cicerone. Νουματίῳ ποτὲ συνηγορήσας, ὡς ἀποφυγὼν τὴν δίκην ἐκεῖνος ἐδίωκεν ἑταῖρον αὐτοῦ Σαβῖνον, οὕτω λέγεται προσπεσεῖν ὑπ' ὀργῆς ὁ Κικέρων, ὥστ' εἰπεῖν, Σὺ γὰρ ἐκείνην, ὦ Νουμάτιε, τὴν δίκην ἀπέφυγες διὰ σεαυτὸν, οὐκ ἐμοῦ πολὺ σκότος ἐν φωτὶ τῷ δικαστηρίῳ περιχέαντος; Crimen vel negatur. *Cùm Numatium defendiſſet, iſque fuiſſet abſolutus, & deinde Sabinum eius neceſſarium accuſaret eò irarum progreſſum ferunt eſſe Ciceronem, vt dixerit, Tu videlicet, ô Numati, ex illo iudicio per te ipſum emiſſus es, me in aperta luce denſam caliginem iudicibus non effundente?* Simile eſt illud Dinarchi oratione priore in Ariſtogitonem inuehentis. Ταῦτα τοίνυν Ἀριστογείτων τὰ καλῶς οὕτω πεπηγότα τῇ φύσει, καὶ τοῖς ἤθεσι τοῖς ὑμετέροις κινεῖ καὶ λύει, εἶτα καὶ μεταῤῥίπτει, καὶ ἃ τῶν ἄλλων τῶν ἠτυχηκότων ἕκαστος ἀψοφητὶ ποιεῖ, ταῦθ' οὗτος μονονοὺ κώδωνας ἐξαψάμενος διαπράττεται, οὐ πρύτανις, οὐ κῆρυξ, οὐκ ἐπιστάτης, οὐχ ἡ προεδρεύουσα φυλὴ τοῦτον κρατεῖν δύναται. *Hæc Ariſtogiton adeo præclarè fixa in natura & inſtitutis veſtris conuellit, eruit, euertit, & quæ omnes alij calamitoſi abſque ſtrepitu faciunt, ea is tantumnon ſuſpenſis tintinnabulis peragit, non Prytanis, non præco, non præſes, non præſidens tribus eum poteſt in officio continere.*

VI. ELABI EX IVDICIO IVCVNDITATE.] Secundus declinandi iudicij modus eſt iucunda quædam oratoris feſtiuitas, quæ, vt ait Noſter 2.de orat. 236. *Triſtitiam ac ſeueritatem mitigat ac relaxat, odioſáſque res ſæpè, quas argumentis dilui non facile eſt, ioco riſúque diſſoluit.* A. Gellius lib.12. noct. Atticarum. *Hæc quoque diſciplina Rhetorica eſt callidè, & cum aſtu res criminoſas citra periculum confiteri: vt ſi obiectum* Vel feſtiuitate eluditur *ſit turpe aliquid quod negari non queat, reſponſione eludas & rem facias riſu magis dignam quam crimine: ſicut feciſſe Ciceronem ſcriptum eſt, quum id quod inficiari non poterat, vrbano facetóque dicto diluit, &c.* Negarat ſe domum empturum. *Quam cùm emiſſet, & hoc mendacium ei in Senatu ab inimicis obiiceretur, riſit ſatis: atque inter ridendum* Ἀκοινώνητοι, *inquit, homines eſtis, cùm ignoratis prudentis & cauti patrisfamilias eſſe, quod emere velit, empturum ſeſe negare, propter competitores emptionis.* vide. Pro domo 92. elegans eſt ille iocus quo ex Clodij crimine elapſus eſt. libris de ſuo Conſulatu arrogantiùs de ſe locutus fuerat quaſi cum Minerua familiariter loqueretur: id Clodius obiecerat, nec infitiari poterat Orator. Hanc igitur obiectionem inſulsè propoſitam magna feſtiuitate diſcuſſit. *Et homo facetus inducis etiam ſermonem vrbanum & venuſtum: me dicere ſolere eſſe me Iouem: eundémque dictitare Mineruam eſſe ſororem meam.* Imperitè proponit de induſtriâ, vt hoc ipſo falſum crimen eſſe demonſtret. *Non tam inſolens ſum qui Iouem eſſe me dicam, non tam ineruditus, qui Mineruam Iouis ſororem, meam eſſe ſororem exiſtimem.* Quaſi dicat, probabile non eſt me adeò imperitè locutum eſſe, vt Mineruam, quam omnes Iouis filiam eſſe putant, Iouis ſororem ac proinde meam ipſius qui me, vt obiicis, Iouem eſſe glorior, ſororem fuiſſe exiſtimem. Quia tamen fortaſſe alibi ſe Iouem, alibi ſe Mineruæ fratrem eſſe dixerat, idque librorum exhibitione poterat euinci, ioco crimen eludit. *Sed tamen ego mihi ſororem virginem adſciſco: tu ſororem tuam virginem eſſe non ſiniſti. Sed vide ne tu te debeas Iouem dicere, quòd tu iure eandem ſororem & vxorem appellare poßis.* Fabius lib.6. inſtitut. orat. cap.3. de riſu. *Triſtes ſoluit affectus, & animum ab intentione rerum frequenter auertit.* Item: *Rerum autem ſæpè maximarum momenta vertit, cùm odium irámque frequentiſsimè frangat. Documento ſunt Iuuenes Tarentini, qui multa de Pyrrho Rege ſecuriùs inter cœnam locuti, cùm rationem facti repoſcerentur, & neque negari res, neque defendi poſſet, riſu ſunt & opportuno ioco elapſi.* Iocum malo Plutarchi verbis exponere: Πλείονα δ' ἂν τούτων εἰρήκειμεν, εἰ πλείονα οἶνον εἴχομεν. *Plura dixiſſemus, niſi lagena defeciſſet.* Pergit Fabius: *Eáque vrbanitate tota eſt inuidia criminis diſſoluta.* Sic neſcio quis, cùm in hoſtium manus delapſus ſe per abrupta præcipitem dare iuſſus iam tertio decurſu reſiliret, increpanti hoſtium duci, Tibi, inquit, vel quarto decurſu ſaltus iſte peragendus conceditur: quo ioco iram hoſtium mitigauit, mináſque diſcuſſit. Vide apud Iuſtinum lib. 39. iocum Mithridatis quo ſcrutatoris ab Ariarathe regio more miſſi attentionem auertit. Vide apud Dionem in Caio quàm feſtiuè Domitius Afer ſimulatione timoris & admirationis ob Caij accuſatoris eloquentiam euaſerit.

NEQVE EMITTI GRATIA POTEST.] VII. Aut gratia condonatur. Tertia vitandæ damnationis ratio, gratia ſiue fauore Iudicum. Sed aduerte verborum proprietatem. Reus etiã in mala cauſſâ iucunditate ſuâ elabitur, gratiâ & fauore iudicum emittitur. In Piſonem 96. *Bis Catilina abſolutus: Emiſſus etiam ille auctor tuus prouincia cùm ſtuprum Bonæ Deæ puluinaribus intuliſſet.* Et ſanè gratiam plurimum in iudiciis habere momenti, tum ex aliis conſtat, tum è Iuuenale:

--prima eſt hæc vltio quòd ſe

Iudice nemo nocens abſoluitur, improba quamuis
Gratia mendaci Prætoris vicerit vrnâ.

De multis reis infamibus gratiâ emiſſis vide Valerium lib. 8. cap. 1.

VIII. Aut potentia depellitur. POTENTIA LEGES AC IVDICIA PERFRINGERE.] Valerius Maximus lib. 7. cap. 1. *Anacharſis leges aranearum telis comparabat, nam vt illis infirmiora animalia retineri, valentiora tranſmitti, ita his humiles & pauperes conſtringi, diuites & prapotentes non alligari.* hinc illud

Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas.

IX. Familia. FAMILIAM GLADIATORIAM.] Suprà 127. *Et mihi negas optandum reditum fuiſſe per familias comparatas, & homines armatos.* vbi diximus familiam vocari totam gladiatorum manum, quæ ab vno laniſta eruditur.

CREDO.] Suprà 84. *Hæc vt efficere poſſet, quæ fieri niſi armis oppreſſa Repub. nullo modo poterant, idcirco, credo, manum ſibi Pub. Sextius & copias comparauit.* vbi diximus *credo*, apud Oratorem ſumi ironicè, & idem eſſe quod *puto* apud Naſonem. Adfert vtriuſque exempla Paulus Leopardus lib. 3. Emendat. cap. 6. Quid nocebit aliquot excerpere? Terentius:

Credo. *Credo, vt ſit miſera præ amore excluſit hunc foras.*
Perpulchra credo dona haud noſtris ſimilia.

Ouidius lib. 5. de triſtib.

At puto ſi demens ſtudium fatale retentem,
Hic mihi præbebit carminis arma locus.

1. de Ponto:

Puto. *At puto cùm requies, medicináque publica curæ*
Somnus adeſt ſolitis nox venit orba malis.

Item:

At puto qua fueram genitus tellure carenti
In tamen humano contigit eſſe loco.

Notat Budæus in commentariis illud Græcorum eſſe εἰρωνεία. Demoſthenes: Ἀλλ᾽ οἶμαι, περίεισι μοι. *At, puto iſti me ſuperarunt.*

X. Nanciſci. NACTVS.] Donatus in Hecyram actu 4. ſc. 4. *Nanciſci propriè dicitur qui paratus ad tenendum antequam poſſit reperire quod teneat, ſtatim quod occurrerit, prehendit.* Quibus vides eum nanciſci qui aliquid inopinatum fortuitò inuenerit: ſic ſuprà 17. *Sed fuit profectò quædam illa fortuna fatalis, vt ille cæcus atque amens Tribunus plebis nanciſceretur. Quid dicam Conſules?* Quare aliquem facti ſui colorem haberet Vatinius, ſi familiam ſpecioſam nactus fuiſſet, nec gladiatores illos datâ operâ quæſiiſſet.

XI. SPECIOSAM.] Forma etiam & ſpecies in gladiatore ſpectatur. Hinc inter cæteras laudes quibus ille, *Hermes omnibus eruditus armis*, à Martiale tantopere celebratur, formæ dignitas non omittitur,

Hermes cura labórque ludiarum. id eſt, adeo formoſus eſt vt omnium in ſe ludiarum oculos amorémque conuertat. Athenæus lib. 4.

Gladiatores ſpecioſi. Ἤδη δέ τις κἀν ταῖς διαθήκαις γέγραφε γυναῖκας εὐπρεπεστάτας μονομαχῆσαι ἃς ἐκέκτητο. ἕτερος δὲ παῖδας ἀνήβους ἐρωμένους ἑαυτοῦ. *Eò denique ventum eſt, vt neſcio quis in tabulis teſtamenti iuſſerit digladiari mulieres quas ſpecioſiſſimas poſſidebat. alius pueros impuberes quos in delitiis habuerat.* Vſque adeò vt etiam qui natura deformes erant pulchritudinis opinionem aſſequerentur, ſi quando in arenam deſcenderant. Iuuenalis Sat. 6.

Sed gladiator erat, facit hoc illos Hyacinthos.

Ad corporis illam dignitatem accedebant ornatus. vnde & Capitolinus in Gallienis *gladiatores pompaliter ornatos* appellat. Lipſius Saturn. 2. cap. 6. Gladiatores aulicos ab Imperatoribus datos, credit ornatos auro fuiſſe præeunte Spartiano in vita Hadriani. *Trecentos noxios cum auratis chlamydibus in arenam miſit ad decidenda munera.* Sed vide eundem Lipſium de ſingulis gladiatoribus & diuerſo cuiuſque ornatu doctiſſimè diſſerentem. Ad hanc etiam ſpeciem addi poſſet decor quo membra mouebant vt ſpectatores magis oblectarent. qualis Melancomas à Dione Chryſoſtomo pugil deſcribitur: ſed nos aliò properamus. Ornatus gladiatorum.

NOBILEM, GLORIOSAM.] Fortaſſe nobilis familia fuit, in qua non emptitij, aut ſerui educti ex ergaſtulis, ſed liberi & ingenui ſponte ſe auctorantes pugnabant. vide Lipſium lib. 2. Saturn. cap. 3. docentem è gladiatoribus, *Quoſdam ſeruos fuiſſe. aut, quaſi ſeruos: quoſdam liberos, imò nobiles. Equites Senatoréſque paſſim arenâ ſe polluiſſe.* Nobis difficile eſſet ſpicilegium poſt meſſem adeò copioſam. Glorioſam appellat in qua ſunt gladiatores multarum palmarum. qualis XII. Equites & Senatores gladiatores.

Hermes ille omnibus eruditus armis,
Hermes Martia ſeculi voluptas

à Martiale deſcribitur.

CLAMORES] Clamor populi in ludo gladiatorio, cæteros omitto. Auguſtinus vnus ſuffecerit, libro confeſſionum 6. cap. 8. Alypius clauſis oculis in amphitheatro conſidebat. *Quodam pugnæ caſu, cùm clamor ingens totius populi vehementer eum pulſaſſet: curioſitate victus, & quaſi paratus, quicquid illud eſſet, etiam viſu contemnere & vincere, aperuit oculos: & percuſſus eſt grauiori vulnere in anima, quàm ille in corpore, quem cernere concupiuit, cecidítque miſerabiliùs, quàm ille quo cadente factus eſt clamor.* paulò pòſt: *Quid plura? ſpectauit, clamauit, exarſit.* XIII. Clamores in amphitheatro.

GLADIATORES INDVCERET.] Propriè. Suetonius Domitiano cap. 4. *Quæſtoriis muneribus, quæ olim omiſſa reuocauerat, ita ſemper interfuit, vt populo poteſtatem faceret bina paria è ſuo ludo poſtulandi, quæ nouiſſima aulico apparatu induceret.* Perſius Sat. 6. XIV. Gladiatores inducere.

Diis igitur Genióque ducis centum paria ob res
Egregiè geſtas induco.

alij codices habent *indico*. ſed minùs commodè. Noſter lib. 4. ad Attic. 10. *Quæſiui, gladiatoribúſne? reſpondit, antequam inducerentur.* Græcis: προάγειν. Arrianus lib. 1. diſſertationum Epicteti cap. 29. Ἐν μὲν τοῖς Καίσαρος μονομάχοις εἰσί τινες οἱ ἀγανακτοῦντες ὅτι οὐδεὶς αὐτοὺς προάγει, οὐδὲ ζευγνύει, καὶ εὔχονται τῷ Θεῷ, καὶ προσέρχονται τοῖς ἐπιτρόποις, δεόμενοι μονομαχῆσαι. *In Cæſaris gladiatoribus ægrè ferunt quidam ſe non induci & cum aduerſario committi, ſed & Deo vota faciunt, & ludorum procuratores adeunt, ab iiſque petunt vt permittatur ipſis congredi ſingulari certamine.*

QVORVM ESSET IPSE PVLCHERRIMVS.] Talis iocus apud Martialem lib. 8. epiſt. 79. XV.

Omnes aut vetulas habes amicas,
Aut turpes vetuliſque fœdiores,
Has ducis comites trahiſque tecum,
Per conuiuia, porticus, theatra.
Sic formoſa Fabulla, ſic puella es.

Quia videlicet Fabulla comitum, Vatinius gladiatorum ſuorum comparatione pulcher ſibi videbatur, quamuis eſſet fœdiſſimus. *In quo,* vt ait

Iocus ex deformitate corporis. Velleius lib. 2. *deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenij, adeo vt animus eius digniſſimo domicilio incluſus videretur.* Quia tamen frigidus vel etiam inhumanus eſt riſus, qui ex ſolá corporis deformitate captatur, ita iocatur orator quaſi ridiculum aliunde deriuet, ab eius videlicet intentione non à corporis fœditate. Sic in Vatinium 4. cùm eundem *oculis eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus* deſcribit id eius iracundiæ non corporis vitio tribuendum vult videri. Sic cùm Piſo ſupercilia haberet diducta, & alterum oculum depreſſiorem, id paſſim tribuit ſimulationi virtutis, & affectatę ſeueritati. Suprà 19. *Tanta erat grauitas in oculo, tanta contractio frontis, vt illo ſupercilio Reſpub. tanquam Atlante cœlum niti videretur.* in Piſonem 14. *Grauis auctor,* &c. *reſpondes altero ad frontem, altero ad mentum depreſſo ſupercilio, crudelitatem tibi non placere.*

XVI. Venales gladiatores. NE DE VENALIBVS QVIDEM.] Venales erant gladiatores. Feſtiuum illud Tranquilli in Caligulâ. *Nota res eſt, Aponio Saturnino inter ſubſellia dormitante, monitum à Caio præconem ne prætorium virum crebro capitis motu nutantem ſibi præteriret: nec licendi finem factum quoad tredecim gladiatores HS. nonagies ignoranti addicerentur.* id eſt, ex vulgari ſupputatione ducentis viginti quinque millibus aureorum.

XVII. Ergaſtulum. EX ERGASTVLIS.] In ergaſtulis ſerui fuerunt viliores, notis vt plurimùm inuſti & catenis vincti. Liuius libro 2. *Ductum ſe à creditore, non in ſeruitium, ſed in ergaſtulum & carnificinam eſſe.* Apuleius apologiâ priore. *Quindecim liberi homines, populus eſt: totidem ſerui, familia: totidem vincti ergaſtulum.*

XVIII. SAMNITES.] Meritò, vt inſolentiam Vatinij magis traducat ex omnibus gladiatorum generibus Samnites & Prouocatores ſelegit, quod illi cæteris gladiatoribus præſtiterint elegantiâ veſtis & armorum, imò etiam, vt videtur, motuum venuſtate. Samnitium armatura ſic à Liuio Samnites gladiatores. lib. 9. deſcribitur. Cùm enim dixiſſet: *Pari ſubinde periculo gloriæque euentu bellum in Samnitibus erat, qui præter cæteros apparatus, vt acies ſua fulgeret nouis armorum inſignibus, fecerunt. Duo exercitus erant: ſcuta alterius auro, alterius argento cælauerunt. Forma erat ſcuti: ſummum latius qua pectus atque humeri teguntur, faſtigio æquali: ad imum cuneatior, mobilitatis cauſſâ: ſpongia pectori tegumentum: & ſiniſtrum crus ocreâ tectum: galea criſtata, quæ ſpeciem magnitudini corporum adderent. tunicæ auratis militibus verſicolores, argentatis linteæ candidæ.* Mox deſcriptâ Papyrij Curſoris de iiſdem victoriâ: *Et Romani quidem*, inquit, *ad honorem Deum inſignibus armis hoſtium vſi ſunt: Campani ab ſuperbiâ & odio Samnitium, gladiatores, quod ſpectaculum inter* Armatura. *epulas erat, eo ornatu armarunt, Samnitiumque nomine appellarunt.* Hinc igitur nomen & armatura profluxit. Quod ſpectat ad motuum venuſtatem id perſuadet Cicero 2. de Oratore ita de Philippo loquens: *Et ait idem cùm brachium concalefecerit, tum ſe ſolere pugnare: neque attendit eos ipſos, vnde hoc ſimile ducat, illas primas haſtas ita iactare leniter, vt & venuſtati vel maximè ſeruiant, & reliquis viribus ſuis conſulant.* Hos autem eſſe Samnites intelligi poteſt ex iis quæ ſequuntur. *Atque huiuſmodi proluſio illa debet eſ-* Decor. *ſe, non vt Samnitum qui vibrant haſtas ante pugnam, quibus in pugnando nihil vtuntur: ſed vt ipſis ſententiis quibus proluſerunt vel pugnare poſſint.*

XIX. PROVOCATORES.] Horum vix vlla reperitur mentio apud antiquos: quantùm tamen odorari poſſum è tenuibus veſtigiis, elegantia & venuſtate reliquis præſtiterunt. Viſus enim in ſomnis, vt ait Artemidorus lib. 1. ὀνειροκριτικῶν, ſignificat eum qui viderit, formoſam & venuſtam, ſed procacem, & amoribus deditam vxorem eſſe ducturum. ὁ δὴ προβολάκτωρ εὔμορφον μὲν, καὶ χαρίεσσαν, λαμυρὰν δὲ καὶ ἐρωτικήν. Quid ita vero? niſi quia Prouocatores. prouocator erat & forma ſpecioſus, & geſtibus corporis venuſtus, & aſſultibus proteruus, & oratione blandus, quaſi ad amorem ſui concitandum? Quo fit, vt iidem cum Secutoribus fuiſſe mihi videantur. Prouocator ſic dictus opinor, quod prior aduerſarium laceſſeret, & dictis quibuſdam λαμυροῖς & procacibus, & primâ manu ad euocandum aduerſarij ictum prolata prouocaret. Fabius lib. 5. cap. 13. *Naſcuntur autem ex his quæ contradictioni oppoſuimus, aliæ contradictiones, eúntque interim longiùs; vt gladiatorum manus, quæ ſecundæ vocantur: fiunt & tertiæ, ſi prima ad euocandum aduerſarij ictum prolata erat: & quartæ, ſi gemina captatio eſt, vt bis cauere, bis repetere oportuerit.*

AXIOMA.

Temerarius eſt cùm facit apertè contra legem is, qui neque elabi ex iudicio iucunditate ſuâ poteſt, neque emitti gratia, neque opibus & potentia leges, & iudicia perfringere.

ARGVMENTVM.

Expoſitis & per ironiam reiectis rationibus quas Vatinius volebat ſuo facto prætexere, alias leges enumerat ab eodem violatas, & inſectationem concludit per irriſionem Albinouani, qui iudices ad ſeueritatem hortatus fuerat.

SED habet defenſiones duas: primùm, Do, inquit, beſtiarios: lex eſt CXXXV.
ſcripta de gladiatoribus. feſtiuè accipite aliquid etiam acutius. dicit ſe non gladiatores, ſed vnum gladiatorem dare, & totam ædilitatem in munus hoc tranſtuliſſe. Præclara ædilitas, vnus leo, ducenti beſtiarij. Verùm vtatur hac defenſione, cupio eum ſuæ cauſſæ confidere. Solet enim Tribunos plebis appellare, & vi iudicium diſturbare, cùm diffidit, quem non tam admiror, quòd meam legem contemnat hominis inimici, quàm quòd ſtatuat omnino Conſularem legem nullam putare.

Aciliam, Didiam, Liciniam, Iuniam contempſit. etiámne eius, quem ſua lege, & ſuo beneficio ornatum, munitum, armatum ſolet gloriari, C. Cæſaris legem de pecuniis repetundis non putat eſſe legem? & aiunt alios eſſe, qui acta Cæſaris reſcindant, cùm hæc optima lex, & ab illo ſocero eius, & ab hoc aſſecla negligatur? Et cohortari auſus eſt accuſator in hac cauſſa, vos iudices, vt aliquando eſſetis ſeueri, aliquando medicinam adhiberetis Reipub. Non eſt ea medicina, cùm ſanæ parti corporis ſcalpellum adhibetur, atque integræ: carnificina eſt iſta, & crudelitas. hi medentur Reipub. qui exſecant peſtem aliquam, tanquam ſtrumam ciuitatis.

EXPLANATIO.

SED HABET.] Vatinius vt Tulliam legem eluderet quæ gladiatores, biennio quo quis peteret, petiturúſue eſſet magiſtratum, dare prohibebat, vnum leonem in amphitheatrum & arenam induxerat, vt non gladiatores, ſed beſtiarios producere, non munus gladiatorium, ſed venationem exhibere videretur. Hanc eius calumniam & inſulſam calliditatem noſter irridet, quòd venationem videri voluerit, cùm vnam tantùm beſtiam induceret.

NON GLADIATORES.] Vox *gladiatores* ambigua eſt. modò enim homines ipſos in arena pugnantes ſignificat, modò ipſum ludum, ſiue potiùs munus quod populo exhibetur. hanc ille vocem ex vno ſenſu ad alteram transferebat, dicebátque lege Tulliâ tantummodò prohiberi ne gladiatores, id eſt, plura gladiatorum munera darentur, ac proinde ſe lege Tulliâ non teneri, quia non plura ſed vnicum munus, id eſt, vt inſulsè interpretabatur, vnum gladiatorem dederat. In quo hallucinabatur, nunquam enim gladiator pro ludo, ſed gladiatores numero multitudinis vſurpant. Pantagathus & ex eo Fuluius Vrſinus verba, *vnum gladiatorem* delent, & eorum loco *vnam venationem*, intrudunt. Tam pronum eſt auctores quos non intelligimus, corrumpere.

PRÆCLARA ÆDILITAS!] Quænam iſta quæſo ædilitas? Eam enim petens repulſam tulit Vatinius. Quare ſic interpretor. Præclara videlicet, futura fuit tua ædilitas, ſi eam adeptus fuiſſes; quandoquidem in ludis populo dandis tam bellè verſatus es, vt vnum leonem contra ducentos beſtiarios produxeris. Ædilium enim fuit ludos exhibere.

VERVM VTATVR.] Præclara ironia, fingit ſe defenſiones illas recipere, ne ſi Vatinius cauſſæ ſuæ diffidat, Tribunos appellet, vt iam fecerat Piſone & Gabinio Conſulibus. Cùm enim poſtulatus eſſet lege Liciniâ & Iuniâ, edixiſſétque C. Memmius Prætor ex ea lege vt adeſſet die tricesimo, ipſe ſuæ cauſſæ diffidens, Tribunos plebis & nominatim Clodium appellauit, & impetu facto à Clodianis: in Tribunal ſui quæſitoris adſcendit, eúmque vi deturbauit, ſubſellia diſſipauit, vrnas deiecit. vt dicitur in Vat. 33. 34.

ACILIAM, DIDIAM.] Emendant alij *Cæciliam, Didiam.* & bene quidem. Nam prætérquam quod eam Philipp. 5. §. 7. epiſt. 9. lib. 2. ad Atticum, pro domo 41. *Cæciliam*, non *Aciliam* appellat, auctoris etiam nomen id euincit. fuit enim lata à Q. Cæcilio Metello, & Tito Didio Conſulibus, quæ iubebat vt in ferendis legibus trinundinum ſeruaretur, id eſt, per tres nundinas recognoſcendæ publicè proponerentur.

LICINIAM, IVNIAM.] Latam à L. Licinio Murena & D. Iunio Silano Conſulibus, quæ pœnas in eos qui contra Cæciliam & Didiam facerent, ſanciebat. vide Notas in Vatinium 33. videtur autem contra has leges Vatinius in Tribunatu feciſſe, cùm legem tulit de Cæſaris prouinciis.

ETIAMNE EIVS.] Præter cæteras leges Conſulares à Vatinio contemptas, legem Iuliam de pecuniis repetundis obiicit ab eo fuiſſe violatam. vt dicitur in Vat. 29. *Erogariſne pecunias ex ærario tuis legibus? eripueriſne partes illo tempore cariſſimas, partim à Cæſare, partim à publicanis? Quæ cùm ita ſint, quæro ex te ſiſne ex pauperrimo diues factus illo ipſo anno quo lex lata eſt de pecuniis repetundis acerrima: vt omnes intelligere poſſent, à te non modò noſtra acta, quos tyrannos vocas, ſed etiam amiciſſimi tui legem eſſe contemptam.*

QVEM SVA LEGE.] Legem tulerat Vatinius Tribun. pleb. vt Cæſar poſt Conſulatum vtramque Galliam, & Illyricum cum legionibus quatuor in quinquennium obtineret. de qua Plutarchus, Dio, Appianus, alij paſſim.

ET AIVNT.] Commodè & loco ſuo exclamat. Et ſunt, inquit, qui conquerantur de C. Memmio, & Lucio Domitio Prætoribus quia Cæſaris acta reſcindere voluerunt, cùm interim taceant de Piſone ſocero Cæſaris, & Vatinio eiuſdem aſſecla, qui leges Cæſaris contemnunt, & ipſo facto nullas eſſe putant.

ILLO SOCERO EIVS.] Piſone, qui nunc expilat Macedoniam prouinciam. vide ſuprà 94.

ET AB HOC ASSECLA NEGLIGATVR.] Exprimere iſtud auſus eſt Grutterus ſuſtentatus authoritate codd. Pal. Noni. S. Vict. ac Gemblacenſis, neque enim, inquit, temeraria illa ſcriptio in tot libris. Ego nihil facilè mutauerim.

ET COHORTARI.] Albinouanus hortatus fuerat Iudices, vt eſſent ſeueri, & adferrent Reipub. medicinam. hinc Noſter telum aculeatum ſolitâ vrbanitate contorquet, dicens exſecandum eſſe ſiue tollendum Vatinium, quaſi ſtrumam ciuitatis, ad eius ſtrumas alludens quibus laborabat.

NOTÆ.

BESTIARIOS.] De beſtiariis plura dicerem niſi Bulingerus Noſter lib. de venatione circi totum hunc locum occupaſſet. Qui beſtiarios à Socrate lib. 7. & Artemidoro lib. 1. θηριομάχοις. 1.

eoſdem à Tertulliano beſtiarios, quos D. Paulus 1. Corinth. cap. 4. *ἐπιθανατίους, morti deſtinatos* appellat, ait nominari. Socrates iterum lib. 7. *παραβόλους*, Heſychius, *παραβόλους θνείοις μαχομένοις* interpretatur. De quibus C. de Epiſc. & Clericis. *Copiatæ, parabolani, parabolaris*. Firmicus 4. aſtronomicῶν, *beſtiarum venatores*. Vopiſcus, *contifices*. Suetonius & Euſebius, *confectores*. Symmachus, Lucilius, Arcadius I.C. *arenarios* vocarunt. Hæc è cap. 30. Nobis ſatis fuerit, eos *beſtiarios* fuiſſe qui cum beſtiis in amphitheatro pugnabant. in Vatin. 40. *Gladiatoribus & beſtiariis obſediſſe Rempub.* Seneca de Beneficiis lib. 2. cap. 19. *Leonem in amphitheatro ſpectauimus, qui vnum è beſtiariis agnitum, cùm quondam eius fuiſſet magiſter, protexit ab impetu beſtiarum.*

Beſtiarij.

II. GLADIATORES.] Dixi gladiatores pro ipſo munere ſiue ludo ſumi. Cicero lib. 2. ad Att. ep. 19. *Gladiatoribus quà Dominus, quà aduocati ſibilis conſciſti.* Philippica prima 36. *Et populi quidem Romani iudicia multa ambo habetis, quibus vos non ſatis moueri permoleſtè fero. Quid enim gladiatoribus clamores innumerabilium ciuium? quid populi concurſus? quid Pompeij ſtatuæ plauſus infiniti?*

Gladiatores pro ipſo munere.

III. PRÆCLARA ÆDILITAS.] De ædilitate Pighius lib. 2. annalium, Clodius Preuotius commentario de magiſtratibus, Feneſtella & alij multa tradiderunt. Satis fuerit ad inſtitutum Ædiles Curules publicorum ludorum procurationem habuiſſe. Septima Verrina: *Nunc ſum deſignatus ædilis, habeo rationem quid à populo Romano acceperim. Mihi ludos ſanctiſſimos maxima cum ceremonia Cereri, Libero, Liberæque faciendos: mihi Floram matrem populo plebique Rom. ludorum celebritate placandam. mihi ludos antiquiſſimos, qui primi Romani ſunt nominati maxima cum dignitate ac religione Ioui, Iunoni, Mineruæque eſſe faciendos. Mihi ſacrarum ædium procurationem, mihi totam vrbem tuendam eſſe commiſſam. Ob earum rerum laborem & ſollicitudinem fructus illos datos. Antiquiorem in Senatu ſententiæ dicendæ locum, togam prætextam, ſellam curulem, ius imaginis ad memoriam poſteritatémque prodendæ.* Adſtipulatur Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 6. ſub finem. Liuius & alij paſſim. Hic obiter illud notandum huiuſmodi ludos priuatis ædilium impenſis fuiſſe datos, ſiquidem vt dicitur pro Milone 96. *Is infimam multitudinem non modò virtute flexit, ſed etiam tribus ſuis patrimoniis deliniit.* & 2. officiorum P. Craſſum Diuitem, Luc. Craſſum, Quintum Mutium, C. Claudium, Lucullum, Hortenſium, Syllanum, Lentulum, Scaurum enumerat qui magnificentiſſima munera dederunt: ſubditque. *Vitanda tamen eſt ſuſpicio auaritiæ. nam Mamerco homini ditiſſimo prætermiſſio ædilitatis Conſulatus repulſam attulit.* Cuius rei exẽplo eſſe poteſt Oppius ille qui cùm proſcriptione Triumuirali patrem humeris ſuſtuliſſet, tantum ſibi poſtea populi fauorem conciliauit, vt eum populus Ædilem fecerit, & cum bonis publicatis, ſumptus ad ludos non haberet, artifices gratis ludos & omnem ludorum apparatum exhibuerint, ſpectatores eum collatâ ſtipe ditauerint, vt refert Appianus 4. ciuilium. vide ſuprà 7. Huc etiam referri debet quod ait Plinius lib. 36. cap. 5. miracula theatrorum Scauri & Curionis deſcribens, eóſque innuens priuatis opibus ludos edidiſſe. de Scauro. *Neſcio, maiúſne ſit Syllæ malum, tanta priuigni potentia, quàm proſcriptio tot millium.* de Curione: *Nihil habuit in cenſu præter diſcordiam principum.* De his illud Plutarchi feſtiuum in Catone Vticenſi: Τοῦ Φαωνίου κατασταθέντος ἀγορανόμου, τά τ' ἄλλα τῆς ἀρετῆς (lege τῆς ἀρχῆς) ἐπεμελεῖτο, καὶ τὰς θέας διεῖπεν τῷ θεάτρῳ, διδοὺς καὶ τοῖς θυμελικοῖς στεφάνους μὴ χρυσοῦς, ἀλλ' ὥσπερ ἐν ὀλυμπίᾳ κοτίνων. δῶρα δ' ἀντὶ τῶν πολυτελῶν τοῖς μὲν Ἕλλησι τεῦτλα καὶ θρίδακας, καὶ ῥαφανίδας, καὶ ἀπίους. τοῖς δὲ Ῥωμαίοις οἴνου κεράμια, καὶ κρέα ὕεια, καὶ σῦκα, καὶ σικύους, καὶ ξύλων ἀγκαλίδας. ὧν εὐτέλειαν οἱ μὲν ἐγέλων, οἱ δ' ἠδοῦντο. *Fauonio Ædile creato tum in cæteris magiſtratus muneribus præſto fuit, tum ludos eius in theatro curauit, deditque coronas thymelicis non aureas, ſed vt Olympiis ex oleaſtro: dona loco magnificorum Græcis betam, lactucam, raphanum, pira: Romanis vini amphoras, carnem ſuillam, ficus, cucumeres, lignorum faſciculos: quorum vilitatem alij irridebant, alij reuerebantur.* Hinc obiter tria notari poſſunt: 1. coronas aureas thymelicis fuiſſe donatas. 2. munera iam tum ſpectatoribus data. 3. id per teſſeras miſſiles factum fuiſſe: id eſt, iactas fuiſſe in medium ſpectatorum tabellas, quas qui ad Ædilem retuliſſent, id obtineret, quod iis miſſilibus continebatur. vix vllum tamen huius rei in libera Repub. extat veſtigium, frequentior mentio ſub Auguſtis. Tranquillus in Nerone c. 11. *Sparſa & populo miſſilia omnium rerum per omnes dies ſingula quotidie millia. Auium cuiuſque generis multiplex penus, teſſeræ frumentariæ, veſtis, aurum, argentum, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, iumenta, atque etiam manſuetæ feræ: nouiſſimè naues, inſulæ, agri.* Quæ res etſi quoad profuſionem inſolens erat, quoad ſe tamen ex antiquo more fiebat. Cuius aliquod veſtigiũ ad extrema Orientalis imperij tempora durauit, ſi Curopalatæ fidẽ habemus qui lib. de officiis palatij, coronationem Imperatoris deſcribens. Ῥίπτονται, inquit, εἰς τὸν λαὸν ἃ λέγουσιν ἐπικόμβια. ἔστι δὲ τοιοῦτον. τμήματα ἐκ πανίων κόπτοντες, καὶ ἐν ἑκάστῳ τμήματι νομίσματα χρυσᾶ μὲν τρία, ἀργυρᾶ δὲ τοσαῦτα, καὶ τρία ἐξ ὀβολῶν περιδήσαντες ῥίπτουσιν εἰς τὸ πλῆθος. *Proiiciuntur in populum quæ vocant epicombia. id autem eſt eiuſmodi. fruſtula è pannis ſcindentes, & in ſingulis aureos nummos tres, totidem argenteos & tres obolos circumligatos in multitudinem coniiciunt.* Cæterùm an cùm inſtaurandi erant huiuſmodi ludi, ſuis ſumptibus id facere deberent Ædiles, mihi non ſatis compertum eſt, cuius inſtaurationis cauſſæ non paucæ interuenire potuerunt orat. de Haruſp. reſponſis 23. *Si ludius conſtitit, aut tibicen repente conticuit, aut puer ille patrimus aut matrimus ſi terram non tenuit, aut tenſam, aut lorum amiſit, aut ſi Ædilis verbo, aut ſi nutu aberrauit, ludi ſunt non rite facti, eaque errata expiantur, & mentes Deorum immortalium ludorum inſtauratione placantur.* Addo ſi quod portentum occurriſſet Ædili. Martialis lib. 11. ep. 103.

Ædiles ludos faciebant.

Priuatis impenſis.

Ludorum Fauonij frugalitas.

Teſſeræ miſſiles in ludis.

Epicombia.

Cauſſæ cur ludi inſtaurarentur.

Audiat Ædilis ne te videátve caueto:
Portentum eſt quoties cœpit imago loqui.

Plutarchus in Coriolano: Ἵππου τε γὰρ ἑνὸς τῶν ἀγόντων τὰς καλουμένας θήσσας ἀτονήσαντος, καὶ πάλιν τοῦ ἡνιόχου τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ τὰς ἡνίας συλλαβόντος, αὖθις ἐψηφίσαντο τὴν πομπὴν ἐπιτελεῖν. ἐν δὲ τοῖς κάτω χρόνοις μίαν θυσίαν τριακοντάκις ἐποίησαν, ἀεί τινος ἐλλείμματος ἢ προσκρούσματος γίνεσθαι δοκοῦντος. *Siquidem ſi vnus equus thenſas ducentium elanguiſſet, itémque ſi læua manu prehendiſſet auriga habenas, ſupplicationem decernebant inſtaurandam. Secutis temporibus*

vnum ſacrificium tricies inſtaurarunt, quod ſemper aliquid delicti vel offenſionis interueniſſet. Quare cùm tam multis de cauſis inſtaurari debuerint, vix eſt vt putem priuatis Ædilium, quorum multi ſuas facultates primâ editione exhauſerant, opibus id fieri debuiſſe.

IV. Lex Cecilia Didia. CÆCILIAM DIDIAM.] Pro domo ſua 41. *Si quod in cæteris legibus trinum nundinum eſſe oportet, id in adoptione ſatis eſt trium eſſe horarum: nihil reprehendo. Sin eadem obſeruanda ſunt, decreuit Senatus M. Druſi legibus, quæ contra legem Cæciliam & Didiam latæ eſſent, populum non teneri.* vide Vat. 33.

V. SVA LEGE.] De hac lege Vatinia Suetonius cap. 22. *Galliam Ciſalpinam Illyrico adiecto, lege Vatinia accepit: mox per Senatum comatam quoque: veritis Patribus, ne ſi ipſi negaſſent, populus & hanc daret.* Quod obtinuit adnitente Pompeio, qui, vt ait Plutarchus, καὶ παρεῖναι τὴν ἐντὸς Ἄλπεων, καὶ τὴν ἐκτὸς ἅπασαν Κελτικὴν, προσθεὶς τὸ Ἰλλυρικὸν μετὰ ταγμάτων τεσσάρων εἰς πενταετίαν. Lex Vatinia. *Cæſari effecit vt Ciſalpina & Tranſalpina omnis, adiuncto Illyrico cum quatuor legionibus in quinquennium decerneretur.* Atque hinc obiter videas errorem Appiani primo ciuilium, qui Vatinium putauit Piſone & Gabinio Conſulibus Tribunumplebis fuiſſe à Cæſare conſtitutum, vt ipſius acta defenderet: Δημάρχους δ᾽ ᾑρεῖτο Οὐατίνιόν τε καὶ Κλώδιον τὸν Καλὸν ἐπίκλην. *Tribunosplebis creari fecit Vatinium & Clodium Pulchrum cognomine.*

VI. CÆSARIS LEGEM DE PEC. REP.] Variæ fuerunt leges de pecuniis repetundis. de quibus Paulus Manutius, Sigonius, Antonius Auguſtinus, Othomannus, & alij paſſim recentiores. Satis ſit illud de Iuliâ ex Orat. pro Rabirio Poſtumo. Lex Iulia. *Iubet lex Iulia perſequi ab iis, ad quos ea pecunia quam is ceperit, qui damnatus ſit, peruenerit. Si eſt hoc nouum in lege Iulia, ſicuti multa ſunt ſeueriùs ſcripta, quàm in antiquis legibus, & ſanctiùs iudicata: ſanè etiam conſuetudo huius generis noua. Sin hoc totidem verbis tranſlatum caput eſt, quot fuit non modò in Cornelia, ſed ante in lege Seruilia: per Deos immortales, quid agimus Iudices? aut quem hunc morem nouorum Iudiciorum in Remp. inducimus?* E quibus ſatis intelligis cur *optima lex* hoc loco dicatur.

VII. MEDICINA.] Veteres medicinam à chirurgia vix ſolebant diſtinguere, vt fusè in Piſonem oſtendimus 83. frequenter etiam reperias morbos & vulnera ciuitatis, item medicinam. Ariſtophanes in Veſpis:

> Χαλεπὸν μὲν καὶ δεινῆς γνώμης, καὶ μείζονος ἢ ᾽πὶ τρυγῳδοῖς
> Ἰάσασθαι νόσον ἀρχαίαν ἐν τῇ πόλει ἐντετοκυῖαν.

Medicina vrbium.

> *Labor eſt, maioriſque animi, quàm quod comœdia præſtet,*
> *Veteri morbo, qui pridem ſuccreuit in vrbe, mederi.*

Pindarus ode 4. Pyth.

> Χρὴ μαλακὰν χέρα προσβάλλοντα τρώμας ἕλκεος ἀμφιπολεῖν.
> Ῥᾴδιον μὲν γὰρ πόλιν σεῖσαι καὶ ἀφαυροτέροις, &c.

Oportet manum mollem admouentem vulneris oram circumtractare. facile enim eſt vrbem concutere, etiam deterioribus.

SCALPELLVM.] Tertullianus de pallio ſub finem. *Immergo aque ſcalpellum acerbitati ei qua Vedius Pollio ſeruos murenis inuadendos obiectabat.* VIII.

CARNIFICINA.] Plinius cap. 1. libri 29. Nat. hiſt. de Archagatho qui primus è medicis venit Romam anno ab V. C. 535. *Vulnerarium eum tradunt fuiſſe vocatum, mireque gratum aduentum eius initio: mox à ſæuitia ſecandi vrendique tranſiiſſe nomen in carnificem, & in tædium artem omneſque medicos.* IX. Carnifices.

EXSECANT PESTEM ALIQVAM.] Liuius lib. 40. *Id perſecare nouum prætorem, ne ſerperet iterum latiùs Patres iuſſerunt.* Huiuſmodi tranſlationem improbare videtur Fabius lib. 8. cap. 6. *Non enim ſi Cicero rectè ſentinam Reipub. dixit, fœditatem hominum ſignificans, idcirco probem illud quoque veteris Oratoris: Perſecuiſti Reipub. vomicas.* X.

STRVMAM.] Frequenter iocatus eſt in ſtrumas Vatinij, vt oratione contra ipſum, cùm eum *inflato collo, tumidis ceruicibus* deſcribit, & 39. *Si cognati reſpuunt, tribules execrantur, vicini metuunt, affines erubeſcunt, ſtrumæ denique ab ore improbo demigrarunt, & aliis iam ſe locis collocarunt.* Epiſtola 10. lib. 2. ad Atticum: *Denique etiam Vatinij ſtrumam Sacerdotij διβάφῳ veſtiant.* de eodem Plutarchus in Cicerone: Τὸν Βατίνιον ἔχοντα χοιράδας ἐν τῷ τραχήλῳ, καὶ λέγοντα δίκην, οἰδοῦντα ῥήτορα προσεῖπεν. *Vatinium cui ſtrumæ erant in collo, quum cauſſam diceret, tumidum Oratorem appellauit.* huc etiam fortaſſe reſpexit Catullus cùm eodem epigrammate Vatinij & Nonij Strumæ fecit mentionem: XI. Strumæ Vatinij.

> *Per Conſulatum peierat Vatinius*
> *Sella in curuli Struma Nonius ſedet.*

Quo loco Ioſephus Scaliger: *Cicero*, inquit, *in Vatiniana corrigendus.* Videamus diuinam eius emendationem, vt Caſaubonus & alij Nouatores appellant, quidquid diuinus ille vir pro puris putiſque oraculis inuitâ etiam Mineruâ ſcriptoribus antiquis obtruſerit, lege, *Si ſtruma denique ebore improbo demigrarunt.*

AXIOMATA.

Optandum eſt vt aduerſarij plus æquo ſuæ cauſſæ confidant.

Non eſt ea medicina, cùm ſanæ parti corporis ſcalpellum adhibetur atque integræ: carnificina eſt illa & crudelitas

Hi medentur Reipub. qui exſecant peſtem aliquam ciuitatis

PERORA-

PERORATIONIS DVÆ SVNT PARTES.

Prior pars eſt concluſio digreſſionis de optimatibus, & efficacior ad eam ſectam adhortatio. Poſterior eſt clauſula totius actionis ad miſerationem accommodata.

Concluſio digreſſionis, & acrior hortatio.

- ab ipſius rei dignitate, quæ eſt patrocinium ordinis à maioribus inſtituti, & auctoritatis Senatus, cuius
  - poteſtas oſtenditur 137.
    - à comparatis.
      - magiſtratus annuus.
      - Senatus perpetuus.
    - ab adiunctis.
      - magiſtratus adminiſtri ſunt Senatoriæ auctoritatis.
      - proximi ordines Senatum ſuo ſplendore confirmant.
  - inuidia minuitur 137.
    - Senatores non ex vno certo ordine, ſed ex omni populo deliguntur.
    - Aditus ad eum ordinem non diuitiis, & nobilitati, ſed ſoli virtuti & induſtriæ patet.
    - Eius officium eſt plebis libertatem & commoda tueri.
- à laude quæ ſequitur optimates & gratitudine populi Romani.
  - grata eſt Ciuibus Reſp.
    - Opimium flagrantem inuidiâ propter necem C. Gracchi ſemper ipſe pop. Rom. periculo liberauit. 140.
    - Reliqui optimates aut inuiolati manſerant, aut paulò pòſt dignitati priſtinæ ſunt reſtituti. 140.
  - laudat etiam externos optimates.
    - Athenienſes. 141. 142.
    - Annibalem Carthaginienſem. 142.
- à contrario. populares
  - Vituperantur. 139.
  - aut præſenti morte aut turpi exilio pœnas dependunt. 140.
- à comparatione.
  - maiorum, vt Herculis, cuius virtutem immortalitas excepit. 143.
  - minorum: Græcorum leuium & Annibalis Carthaginenſis, qui popularium ſeditionibus reſtiterant pro ſuâ Repub.
    - exiguâ.
    - ingratâ.
  - Romanorum qui nullos labores defugerunt pro ſuâ Repub.
    - ampliſſimâ.
    - gratiſſimâ.

PERORATIO.

ARGVMENTVM.

Peroratio duabus partibus continetur. Altera eſt cohortatio ad adoleſcentes vt Milonem & Sextium in tuenda Repub. & amplectendis optimatium partibus imitentur, altera deprecatio ad Iudices, vt ad miſericordiam excitentur. Nunc ad hortationem delabitur.

CXXXVI. SED, vt extremum habeat aliquid oratio mea, & vt ego ante dicendi finem faciam, quàm vos me tam attentè audiendi, concludam illud de optimatibus, eorúmque principibus, ac Reipub. defenſoribus: vóſque adoleſcentes, & qui nobiles eſtis, ad maiorum veſtrorum imitationem excitabo: & qui ingenio, & virtute nobilitatem poteſtis conſequi, ad eam rationem, in qua multi homines noui & honore, & gloria floruerunt, cohortabor.

Concluſio digreſſionis.

EXPLANATIO.

SED, VT.] Aduerte ſingularem Oratoris prudentiam. §.95. Dolenter queſtus fuerat de Senatus iniuriâ: quòd Milo accuſaretur à Clodio, qui tamen *Accuſare eum moderatè, à quo ipſe nefariè accuſatur, per Senatus auctoritatem non eſt ſitus.* Locus lubricus hic fuit, cauendúmque ne Senatûs animos offenderet, eóque cauendum impenſiùs, quòd, vt tum iudicia erant, tertia pars Iudicum allecta fuerat è Senatu. Quid igitur agit? querelæ illius inuidiam longa digreſſione obruit, exponens qui dicendi ſint verè optimates, quorum auctoritatem Sextius & Milo defenderant. & quaſi aliud agat, hortetúrque adoleſcentes ad capeſſendam fortiter Rempub. oſtendit Sextium, Milonem, qui optimatium partes tuebantur, à populo Romano magni fieri, & communi bonorum omnium plauſu & gratulatione celebrari. Quod reuera idem eſt atque ſi populi gratiam inuidiæ Senatûs opponeret, dicerétque Sextium, Milonem cæteros per quos ipſe reſtitutus fuerat, Metelli Nepotis Conſulis, & Appij Clodij Prætoris factionibus parum in Senatu gratiâ valuiſſe, ſed hanc Senatûs inuidiam compenſari fauore populari. Quòd ſi apertè dixiſſet, videri potuiſſent à Senatu & optimatibus deſciuiſſe, & aliquâ commodi ſpe propoſitâ plebeculam ad vim & ſeditionem concitaſſe, quo forſitan argumento vſus fuerat Albinouanus. Et eam ob rem, quaſi non dubium prudenter ſibi ſumit Orator eos non aliam ob cauſſam fuiſſe populo gratioſos, quàm quod Senatum & optimam quamque Reip. partem defenderint. quo vno artificio ſibi & Senatum, & cæteros ordines mirè conciliat, & nunc perorationem auſpicatur adoleſcentes exhortans vt exemplo magnorum virorum Senatûs auctoritatem, totiúſque ciuitatis in ſuos ordines deſcriptæ ſubordinationem ad Senatum, vt vocant, omni ſtudio tueantur.

VOSQVE ADOL.] Commodè adoleſcentes nobiles maiorum ſuorum, cæteros aliorum qui nobilitatem ſua induſtria conſecuti ſunt exemplo cohortatur.

HOMINES NOVI.] Qui familiæ ſuæ nobilitatem pepererunt, & primi magiſtratus curules ſunt conſecuti.

NOTÆ.

ADOLESCENTES.] Adoleſcentes exhortatione compellat, ne impudentiæ ſit ipſos Iudices ad virtutem hortari. vide ſuprà 51. I.

NOBILES.] Vnde nobilitas peteretur, (à curulib. nimirum magiſtratibus) oſtendimus in Piſ. 2. II.

AD MAIORVM VEST. IMITATIONEM.] Vide ſuprà 50. *Ex iiſdem quibus nos radicibus.* Præclarè Galenus protreptico ad artes liberales: Καλὸς γοῦν, ἦ φησιν ὁ Πλάτων, θησαυρὸς αἱ τῶν προγόνων ἀρεταί. κάλλιον δ' ἀντιθεῖναι δύνασθαι τὸν τοῦ Σθενέλου λόγον. III.

Ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι.

Ταύτην γὰρ μόνην ἔχομεν, κἂν εἰ δή τις ἔστιν εὐγενείας χρεία, πρὸς οἰκεῖον παράδειγμα τὸν ζῆλον ἡμῶν γίγνεσθαι. *Pulcher eſt, vt inquit Plato, theſaurus maiorum virtutes. Sed pulchrius poſſe Steleni* (Homerici 4. Iliados) *ſermonem opponere:*

Noſtræ virtuti iactamus cedere patres.

Si quis eſt enim nobilitatis vſus, eum vnũ habemus, vt domeſticum ad æmulationẽ exemplum habeamus.

AXIOMATA.

Debet orator ante dicendi finem facere, quàm auditor finem faciat attentè audiendi.

Vtile eſt adoleſcentes & qui nobiles ſunt ad maiorum imitationem excitare, & qui ingenio & virtute nobilitatem poſſunt conſequi, ad eam rationem in qua multi homines noui & honore, & gloriâ floruerunt, cohortari.

ARGVMENTVM.

Deſcriptionem totius ciuitatis & aptam omnium ordinum inter ſe connexionem exponit, vt hinc liquidiùs pateat qui verè ſint optimates.

CXXXVII. HÆC eſt vna via, mihi credite, & laudis, & dignitatis, & honoris, à bonis viris, ſapientibus, & bene naturâ cõſtitutis laudari, & diligi: noſſe deſcriptionẽ ciuitatis à maiorib. noſtris ſapientiſſimè conſtitutã: qui cùm regum poteſtatem non tuliſſent, ita magiſtratus annuos creauerunt, vt cõſiliũ Senatûs Reip. pręponerent ſempiternũ: deligerentur autem in id conſilium ab vniuerſo populo, aditúſq. in illum ſummum ordinem omniũ ciuium induſtriæ ac virtuti pateret. Senatum Reip. cuſtodem, præſidẽ, propugnatorẽ collocauerũt. huius ordinis auctoritate vti magiſtratus, & quaſi

miniſtros grauiſſimi conſilij eſſe voluerunt: Senatum autem ipſum proximorum ordinum ſplendore confirmari, plebis libertatem, & commoda tueri, atque augere voluerunt.

EXPLANATIO.

HÆC EST.] Non poteſtis alitér, adoleſcentes, ad veram ſolidámque gloriam peruenire, quàm ſi optimatibus placere cupiatis. ij ſiquidem *omnes optimates ſunt, qui neque nocentes ſunt, nec natura improbi, nec furioſi, nec malis domeſticis impediti.*

NOSSE DESCRIPT.] Qui cenſeri vult inter optimates, eum primo noſſe & diligenter conſiderare oportet. in quam ordinum inter ſe ſeriem tota ciuitas fuerit à maioribus diſtributa. vt primo loco Senatus inſtitueretur qui ad conſeruandam Reip. dignitatem & otium excubaret. Secundum locum magiſtratus & præcipuè Conſules obtinerent ad hoc inſtituti, vt exequerentur quæ Senatus cenſuiſſet, eiúſque auctoritatem defenderent. Ad hos proximè accederent Equites & Tribuni ærarij, ad eam dignitatem prouecti vt Senatum munirent, & magis ſtabilirent. Quæ ciuitatis deſcriptio nullum habet alium ſcopum, quàm vt plebis libertas & commoda ſeruari poſſint.

REGVM POTEST.] Cùm Tarquinios ob tyrannidem & crudelitatem eieciſſent. Iure id notat ad leniendam inuidiam, ne tanta Senatus auctoritas plebis libertatem minuere videatur. quaſi dicat, Tantùm abeſt vt plebis libertas ſumma Senatûs auctoritate minuatur, vt potiùs ad eam augendam ſtabiliendámque Senatûs auctoritas inſtituta fuerit ſtatim, atque Regibus eiectis Populus Rom. obtinuit libertatem.

ANNVOS MAGISTRATVS.] Per antitheſim oſtendit Senatum primum dignitatis locum tenere. quia Conſularis poteſtas eſt annua, at Senatus auctoritas ſempiterna.

DELIGERENTVR.] Rurſus ad leniendam inuidiam. Dignitati enim & honori qui cum omnibus communicari poteſt, ſiue ad quem aditus omnium ciuium induſtriæ patet, non inuidetur. cætera perſpicua ſunt.

NOTÆ.

I. HÆC EST VNA VIA.] Bene à conſtitutione finis quem intueri debent, & quo ſuas referre actiones orditur. Nam vt auctor eſt Philoſophus 1. moralium cap. 2. De fine humanarum actionum. Ἆρ' οὖν καὶ πρὸς τὸν βίον ἡ γνῶσις αὐτοῦ μεγάλην ἔχει ῥοπήν, καὶ καθάπερ τοξόται σκοπὸν ἔχοντες, μᾶλλον ἂν τυγχάνοιμεν τοῦ δέοντος. *Igitur ad vitam inſtituendam boni notitia magnum habet momentum, & quemadmodum iaculatores album habentes, magis id quod conuenit, conſequemur.*

II. A BONIS VIRIS.] Notum eſt illud è Tragœdia. *Magnificum laudari à laudato viro.* Paulò poſt 139. *Bonam famam bonorum quæ ſola verè gloria nominari poteſt.* in Vatinium 9. *Quid quiſque noſtrûm de ſe loquatur, non eſt ſanè requirendum. Boni viri iudicent, id eſt, maximi momenti & ponderis.* vide. Sicut contrà, vt Plauti verbis vtar in Trinummo, improbi *Eoſdem lutilant, quos collaudant.* Noſter in Vatinium 41. *Cùm Titum Annium tantopere laudes, & clariſſimo viro nonnullam laudatione tua labeculam adſpergas: in illorum enim numero mauult T. Annius eſſe, qui abs te vituperantur.* vide Notas.

A bonis viris laudari.

III. DESCRIPTIONEM CIVIT.] Tres ſunt rerum publicarum formæ, ſiue potiſſimi ſtatus, quibus omnis Reſpublica bonis conſtituta legibus continetur. Regnum, ariſtocratia, democratia. vt Plato, Ariſtoteles, Plutarchus, Polybius, & alij prodiderunt. Regnum, cùm vnius imperio ſecundum leges à maioribus conſtitutas, ad communem vtilitatem regitur Reſpub. Ariſtocratia, cùm optimi quique è toto populo ſelecti Reip. gubernaculis ſecundum leges ad populi commodum tractandis admouẽtur. Democratia, cùm populus ipſe ſecundum leges & inſtituta maiorum tenet Remp. & per magiſtratus ſuis ſuffragiis creatos adminiſtrat. Singulis his Rerũpublicarum generibus ſingula vitia reſpondent, id eſt, quidam abuſus poteſtatis: Regno, tyrannis: ariſtocratiæ, oligarchia: democratiæ, ochlocratia, cùm vel vnus, vel pauci, vel fex populi ſiue infima multitudo proculcatis legibus, contemptâ vtilitate publicâ, omnibus ad proprium emolumentum relatis, non tam regit quàm vexat & lacerat Remp. Iam quod ad Rom. Reip. formam attinet, ea ſic è tribus illis expoſitis temperata fuit, vt ad certam formam non poſſet reuocari. Polybius lib. 6. Οὕτω δὲ πάντα κατὰ μέρος ἴσως καὶ πρεπόντως συνετέτακτο, ὥστε μηδένα ποτ' ἂν εἰπεῖν δύνασθαι βεβαίως, μηδὲ τῶν ἐγχωρίων, πότερ' ἀριστοκρατικὸν τὸ πολίτευμα σύμπαν, ἢ δημοκρατικὸν, ἢ μοναρχικόν. καὶ τοῦτ' εἰκότως ἦν πάσχειν. ὅτε μὲν γὰρ εἰς τὴν τῶν ὑπάτων ἀτενίσαιμεν ἐξουσίαν τελείως μοναρχικὸν ἐφαίνετ' εἶναι, καὶ βασιλικόν, ὅτε δ' εἰς τὴν τῆς συγκλήτου, πάλιν ἀριστοκρατικόν. καὶ μὴν εἰ τὴν τῶν πολλῶν ἐξουσίαν θεωροίη τις, ἐδόκει σαφῶς εἶναι δημοκρατικόν. *Adeò æqualibiliter & conuenienter ſingula erant conſtituta, atque adminiſtrabantur, vt ne indigenarum quidem quiſquam ſatis certò pronuntiare haberet de vniuerſa Repub. penes optimatéſne illa eſſet, an populum, an verò vnum. Et meritò id quidem. Nam cùm ad Coſſ. poteſtatem oculos referimus, prorſus monarchia & regia videtur ea eſſe: cùm ad auctoritatem Senatus, regimen optimatium: cùm ad populi imperium liquidò putet aliquis ſtatum eſſe popularem.* Pergit totam ciuitatis deſcriptionem exponere, & ſingulis eius membris officium ſuum tribuere. Conſulibus fas eſt cæteris magiſtratibus, præter Tribunos plebis, imperare, legatos exterarum gentiũ ad Senatum inducere, referre ad Senatum, præeſſe concionibus, acta publica condere, bellum adornare & gerere, auxilia ſociis imperare, in milites animaduertere, Tribunos militum conſtituere, cæteros ordines aſſignare. Senatus habebat prouinciæ decernendæ, Imperatoris deligendi, legatos Coſſ. dandi poteſtatem, diſpenſationem ærarij. Eiuſdem fuit legatis exterarum gentium reſpondere, legationes ad Reges & nationes decernere, gentium controuerſias dirimere, & alia eiuſmodi. Populi fuit leges approbare, magiſtratus creare, pacem aut bellum decernere, de capite ciuium comitiis centuriatis iudicare, &c. Hæc Polybius. Noſter perſpicaciùs, vt videtur, ſummam Reip. gubernationem agnouit eſſe penes optimates, & diſertè quidem Senatum ait maio-

Regnum. Ariſtocratia. Democratia. Tyrannis. Oligarchia. Ochlocratia. Reip. Romanæ ſtatus ex monarchia, ariſtocratia, democratia temperatus. Poteſtas Cõſulis. Poteſtas Senatus. Poteſtas populi.

Præcipua poteſtas fuit penes Senatum.

ris auctoritatis fuiſſe quàm magiſtratus, tùm quòd magiſtratus annui eſſent, Senatus ſempiternus, tùm quòd hic cuſtos & præſes eſſet Reip. illi eſſent Senatûs miniſtri. addere poterat magiſtratuum poteſtatem Senatus auctoritate circumſcribi & limitari potuiſſe. pro Milone 89. *Senatus, credo, Prætorem eum circumſcripſiſſet. Ne cùm ſolebat quidem id facere, in priuato eodem hoc aliquid profecerat.* De ſummâ Senatûs etiam in populum auctoritate conſultò tacuit, ne & populum exulceraret, & Patribus inuidiam accerſeret. Quod tamen multis potuit exponi, immò in omnibus apparet, præter quàm in legibus ſanciendis. Nam ſi populi fuit magiſtratus ordinarios creare: eóſdem Senatus extra ordinem mandabat. Valerius lib. 4. cap. 1. de Catone Vticenſi: *Senatus relationem interponi iubebat, vt prætoriis comitiis extra ordinem ratio eius haberetur.* Sed ille, *Ne quid in perſona ſua nouaretur, campeſtrem experiri temeritatem quàm curiæ beneficio vti ſatius eſſe duxit.* Omitto tertium illum Pompeij Conſulatum, cui & ſoli & præter ordinem à Senatu mandatus eſt. A magiſtratibus populi ſuffragio creatis prouocatio fuit ad populum, Halicarnaſſeo lib. 5. antiq. Rom. Liuio lib. 2. Plutarcho in Poplicola, & aliis paſſim auctoribus. At, vt ibidem Halicarnaſſeus teſtatur, paulò pòſt Senatus Dictaturam excogitauit, vt magiſtratus à populo creati ceſſarent, & liceret in ſeditioſos ciues animaduertere, & lex Valeria de prouocatione tolleretur. Quam poteſtatem ſine prouocatione nonnunquã Senatus etiam ordinariis Conſulibus tribuebat, vt mox è Saluſtio referemus. Populi fuit bellum aut pacem decernere. Sed id quoque non ſolùm Dictatores, verùm etiam Conſules Senatus conſulto muniri faciebant. Salluſtius Catilinâ: *Quod plerumque in atroci negotio ſolet, Senatus decreuit darent operam Conſules, ne quid Reſpub. detrimenti caperet. Ea poteſtas per Senatum magiſtratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis ſocios atque ciues, domi militiaque imperium atque iudicium ſummum habere. Aliter ſine Conſuli iuſſu nulli earum rerum Conſuli ius eſt.* Quod ſpectat ad leges eas Senatus quidem propriè non ſanciebat, tamen Senatuſconſulta condebat quæ ſaltem ad annum vim legis obtinerent, adeo vt, ſi quotannis ea renouare voluiſſent, nulla fuiſſet inter vim legis & Senatuſconſulti diſtinctio. Halicarnaſſ. lib. 9. Οὐδ' εἶναι νόμους εἰς ἀεὶ κυρίους ἃ ψηφίζεται τὸ συνέδριον, ἀλλὰ πολιτεύματα κατ' ἐνιαύσιον χρόνον ἔχοντα ἰσχύν. *Neque leges eſſe perpetuas Senatuſconſulta, ſed politica quadam decreta quæ vim annuam obtinerent.* Adde quod dicitur in fragmentis prioris Cornelianæ. *Quatuor omnino genera ſunt, Iudices, in quibus per Senatum more maiorum ſtatuatur aliquid de legibus. Vnum eſt eiuſmodi placere legem abrogari, vt Q. Cecilio, M. Iunio Conſulibus, quæ leges rem militarem impedirent, vt abrogarentur. Alterum quæ lex lata eſſe dicatur, eâ non videri populum teneri, vt Luc. Marcio Sexto Iulio Conſulibus de legibus Liuiis. tertium eſt de legum derogationibus, quo de genere perſæpe S.C. fiunt, vt nuper de lege ipsa Calpurnia cui derogaretur.* Quartum genus in illis fragmentis non reperitur. fortaſſe priuilegium fuit quo priuati, vel magiſtratus quidam nominatim legibus ſoluebantur à Senatu. Adeò vt reapſe Senatus Reipub. gubernacula tractaret, & ſummam obtineret auctoritatem: quanquam ru-

Senatus potuit magiſtratus circumſcribere.

Poteſtas Senatus in populum.

Senatus potuit extra ordinem magiſtratus dare.

Senatuſconſulta per vnũ annum vim legis obtinebant.

di plebeculæ fucum faceret, & offutiis quibuſdam perſuaderet eum gubernationis politicæ ſtatum eſſe popularem. Nam, vt cætera omittam, à primo Reipub. naſcentis exordio, populi ſuffragium vim nullam habebat, niſi Senatus auctoritate fuiſſet comprobatum. Romulus enim, vt notat Dionyſ. Halicarn. lib. 2. Τῷ δημοτικῷ πλήθει τρία ταῦτ' ἐπέτρεψεν, ἀρχαιρεσιάζειν τε καὶ νόμους ἐπικυροῦν, καὶ περὶ πολέμου διαγινώσκειν, ὅταν ὁ βασιλεὺς ἐφῇ, οὐδὲ τούτων ἔχοντι τὴν ἐξουσίαν ἀνεπίληπτον, ἂν μὴ καὶ τῇ βουλῇ ταῦτα δοκῇ. *Plebi autem tria hæc commiſit, magiſtratus creare, leges ſancire, de bello, ſi Rex permiſiſſet, decernere. non tamen abſolutam in his populo eſſe poteſtatem voluit, niſi & Senatûs in iiſdem acceſſiſſet auctoritas.* Quam optimatium auctoritatem magis etiam roborauit Seruius Tullius populo per claſſes & centurias ita diſtributo, vt prima claſſe quæ ſola plures reliquis centurias habebat, opulentiſſimi quique cenſerentur. cúmque id ratum eſſet quod plures centuriæ iuſſiſſent, ratum erat primæ claſſis, id eſt, optimatium ſuffragium. Multis tamen poſteà partibus diminuta fuit Senatûs auctoritas, primùm creatis Tribuniſplebis, qui intercedendi Senatuſconſultis poteſtatem habebant. Deinde facta Tribuniſplebis poteſtate vt quemlibet ad cauſſam ad populum dicendam citarent. initio ſumpto à damnatione Coriolani, de qua & cæteris Dionyſius lib. 7. Αὕτη πρώτη κατ' ἀνδρὸς πατρικίου πρόσκλησις εἰς τὸν δῆμον ἐγένετο ἐπὶ δίκῃ· ἀπ' ἐκείνου τοῦ χρόνου τοῖς ὕστερον λαμβάνουσι τὴν τοῦ δήμου προστασίαν ἔθος κατέστη καλεῖν οὓς δόξειε τῶν πολιτῶν δίκην ὑφέξοντας ὑπὸ τοῦ δήμου. καὶ ἐνθένδε ἀρξάμενος ὁ δῆμος ἤρθη μέγας. ἡ δ' ἀριστοκρατία πολλὰ τοῦ ἀρχαίου ἀξιώματος ἀπέβαλε, βουλῆς τε μετέχειν ἐπιτρέπουσα τοῖς δημοτικοῖς, καὶ ἀρχὰς μετιέναι συγχωροῦσα, ἱερῶν τε προστασίας λαμβάνειν οὐ κωλύουσα, &c. *Hæc fuit prima Patricij hominis ad cauſſam apud populum dicendam citatio: & ex illo tempore morem ſibi fecerunt Tribuni quibuſcunque liberet ciuibus diem ad populum dicere: vnde maximum incrementum poteſtas plebis habuit: & contra optimatum factio maximum priſtinæ dignitatis accepit detrimentum, admiſſis plebeiis hominibus in Senatum, ad magiſtratus & ſacerdotia.* His adde quod refert Plutarchus in Gracchis quo plurimum auctoritati Senatus detractum eſt. Cùm videlicet C. Gracchus legem Iudiciariam tulit, & iudicia equitibus communicauit, cùm priùs ſoli Senatores iudicarent. ſubdítque: Τοῦτον τὸν νόμον εἰσφέρων τά τ' ἄλλα λέγεται σπουδάσαι διαφερόντως, καὶ τῶν πρὸ αὐτοῦ πάντων δημαγωγῶν πρὸς τὴν σύγκλητον ἀφορώντων, καὶ τὸ καλούμενον κομίτιον, πρῶτον τότε στραφεὶς ἔξω πρὸς τὴν ἀγορὰν δημηγορῆσαι, καὶ τὸ λοιπὸν οὕτω ποιεῖν ἐξ ἐκείνου, μικρᾷ παρεγκλίσει καὶ μεταθέσει σχήματος μέγα πρᾶγμα κινήσας, καὶ μετενεγκὼν τρόπον τινὰ τὴν πολιτείαν ἐκ τῆς ἀριστοκρατίας εἰς τὴν δημοκρατίαν· ὡς τῶν πολλῶν δέον, οὐ τῆς βουλῆς στοχάζεσθαι τοὺς δέοντας. *Dum hanc legem rogat, cùm in alia dicitur magnopere incubuiſſe, tum vbi ſuperiores concionatores reſpicere ad curiam aſſueuerant, & ad comitium, primus tunc foras verſus ad forum fuiſſe concionatus, atque id deinceps ſecutus, breuique declinatione & circumactu corporis magnam rem mouiſſe, ac Rempub. quaſi ab optimatibus ad arbitrium transtuliſſe populi, tanquam plebem ſpectare concionatores non Senatum deberent.* Vltimum quod Senatus auctoritatem pene peſſundabit fuit illius inſtituti mutatio, quod à Romulo vſque manarat, vt non populus de Senatuſconſultis, ſed Senatus de plebiſſcitis

Populi ſuffragia ſine Senatus auctoritate vim nullam obtinebant.

Senatus auctoritas paulatim diminuta.

Accuſati ad populum Patricij.

Iudicia equitibus communicata.

Gracchus primus habens concionem ad populum ſe conuertit.

iudicaret. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 2. Ἐφ' ἡμῶν δὲ μετάκειται τὸ ἔθος. οὐ γὰρ ἡ βουλὴ διαγιγνώσκει τὰ ψηφισθέντα ὑπὸ τοῦ δήμου, τῶν δ' ὑπὸ τῆς βουλῆς γνωσθέντων ὁ δῆμός ἐστι κύριος. *Qui mos noſtra ætate mutatus eſt. Non enim Senatus de plebiſſcitis decernit, ſed de Senatuſconſultis plebi permiſſum eſt ſuffragium.* Quam moris antiqui mutationem quis primus induxerit quærendum videtur: cùm antiquam illam conſuetudinem conſtet æuo Coriolani non ampliùs viguiſſe. Plutarchus in eius vitâ: Ὁ μὲν δῆμος ὥρμητο λύειν τὴν τοῦ Μαρκίου καταδίκην, καὶ καλεῖν αὐτὸν εἰς τὴν πόλιν. ἡ δὲ βουλὴ συναχθεῖσα καὶ σκοποῦσα περὶ τοῦ βουλεύματος, ἀπέγνω καὶ διεκώλυσεν. *Populus voluit Marcij damnationem antiquare, atque reuocare eum in ciuitatem: Senatus verò habitus re in conſilio deliberata, id improbauit, & interdixit.* Paulò pòſt: Ἐξενεχθείσης δὲ τῆς γνώμης εἰς τοὺς πολλούς, ὁ μὲν δῆμος ἄκυρος ἦν τοῦ ψήφου καὶ νόμου τι ποιεῖν ἄνευ προβουλεύματος. *Recitato pro concione Senatuſconſ lto, populus ſuffragium inire & iubere rem vllam, niſi Patres auctores facti eſſent, non volebat.* Clariùs & iam Dionyſius lib. 8. Καὶ ὅτι δῆμος ἅπας ἰδίᾳ, καὶ οἱ δήμαρχοι νόμον εἰσφέρειν ὑπὲρ ἀκυρώσεως τῆς καταδίκης ἐβούλοντο. ἀλλ' οἱ πατρίκιοι ἠναντιώθησαν αὐτοῖς, οὐκ ἀξιοῦντες τῶν δεδικασμένων λύειν οὐθέν. μὴ γινομένου δὲ προβουλεύματος ὑπὸ τῆς βουλῆς, οὐδὲ τοῖς δημάρχοις ἔτι προθεῖναι γνώμην εἰς τὸν δῆμον ἐδόκει. *Vociferabatur plebs vniuerſa, & Tribuniplebis de antiquandâ eius damnatione legem ferre volebant. Sed Patricij obſiſtebant, nec volebant quicquam de re ſemel iudicatâ mutari. Cúmque nullum fieret S.C. Tribuni quoque nihil amplius ad populum referebant.* Et aliquanto pòſt: Προεβουλεύσατο τὸ συνέδριον ἐφ' οἷς ἔσονται δικαίοις φίλοι, καὶ τὰ βουλευθέντα εἰς τὸν δῆμον ἐξενεγκεῖν. *S. C. fieri de conditionibus fœderis, ac decretum referri ad populum.* Equidem hanc moris antiqui mutationem facilè crediderim à Seruio Tullio Rege fuiſſe inductam, eo quidem conſilio vt ſpecioſo fucatæ popularitatis prætextu ſtatum & gubernationem Senatus, & optimatium magis & magis ſtabiliret. Cùm enim inuentis centuriatis omnem comitiorum poteſtatem ad Patricios & ditiſſimum quemque à plebe tranſtuliſſet, Senatus quod in curia ſenſerat, idem in campo ſuis ſuffragiis confirmabat: cùm interim rudis plebecula ſe putaret de Senatus decretis iudicare. Quomodo autem prima claſſis è Senatoribus & Patriciis habitâ cenſus ratione conflata ſummam comitiis centuriatis auctoritatem & vim obtineret, dicemus in Piſonem. Interim audi Dionyſium lib. 11. Ἐν δὲ ταῖς λοχίτισιν ἐκκλησίαις οἱ πατρίκιοι παρὰ πολὺ τῶν ἄλλων ἐλάττους ὄντες, περιῆσαν τῶν δημοτικῶν. *Comitiis centuriatis Patricij, tametſi cæteris longè pauciores eſſent, ſuperabant plebeios.* E quibus aduertis ne hac quidem moris antiqui mutatione optimates multum vel ſecuritatis, vel potentiæ perdidiſſe. Sicut nec ex interceſſione Tribunorum, aut Iudicis plebi de ciuium capite permiſſis. nam etiam intercedentibus Tribunis perſcribi potuit Senatus auctoritas, licet tùm Senatuſconſultum haudquaquam diceretur ex Dione lib. 55. Noſter ep. 2. ad Lentulum: *Senatus auctoritas grauiſsima interceſſerat, cui cùm Cato & Caninius interceſsiſſent, tamen eſt perſcripta.* lib. 4. ad Atticum ep. 2. *Cùm fieret S.C. in ſententiam Marcellini, omnibus, præter vnum, aſſentientibus, Serranus interceſsit. De interceſsione ſtatim ambo Conſules referre cœperant. Cùm ſententiæ grauiſsimæ dicerentur, Senatui placere mihi domum reſtitui, porticum Catuli locari, auctoritatem ordinis ab omnibus magiſtratibus defendi, ſi qua vis eſſet facta, Senatum exiſtimaturum eius opera factum eſſe qui S.C. interceſsiſſet: Serranus pertimuit.* & lib. 7. *Si fortè Tribunusplebis Senatum impediens aut populum incitans notatus, aut S.C. circumſcriptus, aut ſublatus, aut expulſus ſit.* Quod ad publica iudicia ſpectat, Valerius Maximus lib. 7. cap. 2. de Claudio Nerone & Liuio Salinatore loquens. *Eoſdem Senatus, cùm ob nimis aſperè actam cenſuram à Cn. Bebio Tribunoplebis pro roſtris agerentur rei, cauſſæ dictione decreto ſuo liberauit, vacuum omnis iudicij metu eum honorem reddendo, qui exigere deberet rationem, non reddere.* E quibus ſumma hæc eſto: Romanæ Reip. ſtatum, etſi ex omnibus gubernandi formis mirè temperatus eſſet, magis tamen Ariſtocraticum fuiſſe, & in gubernatione poſitum Senatûs, nonnunquam tamen improbitate magiſtratuum, populares auras captantium, ereptis Senatui gubernaculis, rem ad fecem & ſentinam rediiſſe. Quod qui nolebant, ij fuerunt optimates, qui prohibebant, fuerunt tum optimates grauiſſimi, tum principes ciuitatis.

Populus de S. C. iudicauit.

Quando id fieri cœptũ?

Videtur à Seruio Tullio.

Senatus auctoritas perſcribi potuit intercedente Tribuno plebis.

Senatus potuit iudicia publica prohibere.

IV.

DELIGERENTVR.] Plebeij adſciti & allecti in Senatum (vide Liuium lib. 2. Dionyſium lib. 5. & alios paſſim) cùm antè ad eum ordinem aditus ſolis Patriciis pàtuiſſet. Prudentius in Symmachum:

Mox proceres de ſtirpe ſenum tractaſſe videmus
Clauum conſilij, plebeias inde cateruas
Collatas patribus miſtum ditionibus æquis.

Hinc, auctore Feſto, Senatûs illa compellatio ſolemnis. *Quique patres, quique conſcripti.* Patres Senatores fuerunt è patriciis orti, Conſcripti, qui è plebe fuerant in ampliſſimum ordinem adlecti.

AXIOMATA.

Hæc eſt vna via & laudis, & dignitatis, & honoris à bonis viris, ſapientibus & bene natura conſtitutis laudari & diligi.

Annui magiſtratus erant, Senatus conſilium ſempiternum.

Debet aditus ad Senatum omnium induſtriæ & virtuti patere.

Senatus auctoritate debent vti magiſtratus, & illius eſſe tanquam miniſtri.

Debet Senatus proximorum ordinum ſplendore confirmari.

Senatus officium eſt plebis libertatem & commoda tueri atque augere.

ARGVMENTVM.

Eos qui deſcriptionem ciuitatis à maioribus conſtitutam obſeruant, & præ omnibus Senatus auctoritatem propugnant, cæteros ordines pro cuiuſque gradu fouent, docet eſſe optimates. tum enumeratis difficultatibus quæ ſunt ab optimatibus ſubeundæ, ſocordes & ignauos dicit ſe non cohortari.

CXXXVIII. HÆC qui pro virili parte defendunt, optimates ſunt, cuiuſcumque ſint ordinis: qui autem præcipuè ſuis ceruicibus tanta munia atque Rempub. ſuſtinent, ij ſemper habiti ſunt optimatium principes, auctores & conſeruatores ciuitatis. Huic hominum generi fateor, vt ante dixi multos aduerſarios, inimicos, inuidos eſſe: multa proponi pericula, multas inferri iniurias, magnos eſſe experiundos & ſubeundos labores: ſed mihi omnis oratio eſt cum virtute, non cum deſidia: cum dignitate, non cum voluptate: cum iis, qui ſe patriæ, qui ſuis ciuibus, qui laudi, qui gloriæ, non qui ſomno, & conuiuiis & delectationi natos arbitrantur. Nam, ſi qui voluptatibus ducuntur, & ſe vitiorum illecebris, & cupiditatum lenociniis dediderunt, miſſos faciant honores, nec attingant Rempubl. patiantur viros fortes labore, ſe otio ſuo perfrui.

CXXXIX. Qui autem bonam famam bonorum, quæ ſola verè gloria nominari poteſt, expetunt, aliis otium quærere debent & voluptates, non ſibi. ſudandum eſt his pro communibus commodis, adeundæ inimicitiæ, ſubeundæ ſæpe pro Repub. tempeſtates: cum multis audacibus, improbis, nonnunquam etiam potentibus, dimicandum. Hæc audiuimus de clariſſimorum virorum conſiliis, & factis, hæc accepimus, hæc legimus. neque eos in laude poſitos videmus, qui incitarunt aliquando populi animos ad ſeditionem, aut qui largitione cæcarunt mentes imperitorum, aut qui forteis & claros viros, & benè de Repub. meritos in inuidiam aliquam vocauerunt. leueis hos ſemper noſtri homines, & audaces, & malos, & pernicioſos ciues putauerunt. At verò qui horum impetus & conatus repreſſerunt, qui auctoritate, qui fide, qui conſtantia, qui magnitudine animi, conſiliis audacium reſtiterunt: ij graues, ij principes, ij duces, ij auctores huius dignitatis, atque imperij ſemper habiti ſunt.

EXPLANATIO.

HÆC QVI.] Qui omnibus viribus incumbunt, ne perturbentur ordines ciuitatis, neque plebs, quæ ad ſua commoda libertatémque tuendam regi & ſubeſſe debet, contra Senatum & ſuperiores ordines inſoleſcat, ij ſunt optimates, ſiue Senatores ſint, ſiue equites, ſiue plebeij. *Hoc qui volunt, omnes optimates, qui efficiunt ſummi viri & conſeruatores ciuitatis putantur.*

HVIC HOMINVM GENERI.] his optimatibus & principibus ciuitatis.

VT ANTE DIXI.] 100. *Hanc viam ſi aut aſperam atque arduam, aut plenam eſſe periculorum, aut inſidiarum negem, mentiar.*

MVLTIS INFERRI INIVRIAS.] Palm. ille idem, & S. Vict. *inuidias.* non placet, quia iam antè dixerat *inuidos*, ne bis idem dixiſſe videatur. reperitur & *inſidias* quod malim.

SED MIHI.] Commodè vt adoleſcentes cohortetur, ſe cùm fortibus non cum ignauis orationem habere dicit: ſic enim dum ſe quiſque in fortibus cenſeri cupit, magis ad virtutem incenditur. & miro artificio quàm magis difficultates exaggerat, tam magis animos ad eas vltro depoſcendas inflammat.

FRVI.] Nouè dictum *labore frui.* acriter tamen & generosè. quaſi dicat laborem pro Rep. ſuſceptum tantæ eſſe dignitatis, vt viri fortes etiamſi nullam aliam mercedem ſperarent, nullum alium finem ſpectarent, in eo tanquam in ſuo fine ſint quieturi, neque quicquam vltra expetituri.

QVI AVTEM.] Fortes ignauis opponit, & ſolidam gloriam definit ad quam illi adſpirant, non ad fœdas & intermortuas corporis voluptates.

ALIIS OTIVM.] Expolitio oratoria, qua

variis & variis modis labores in gerenda fortiter Repub. ſubeundos illuſtrat.

Hæc avdivimvs.] Commodè clarorum virorum exempla generatim proponit. quorum deinde nonnulla ſingillatim attinget. Atque hic operæpretium fuerit genus ipſum orationis & numerum modò conciſum, ſolutum & liberum à copulis aduertere, vt ſe vel rapidius intorqueat, vel altius penetret: modò periodis incluſum vt ſe quaſi ſua grauitate ſuſtentet.

Neqve eos.] A contrario ducit argumentum.

Nihil vnquam ſolidæ laudis conſecuti ſunt populares.

Ergo eam adepti ſunt optimates.

Vbi tum populares, tum optimates deſcribit ab effectis, vt ea deſcriptio probationi deſeruiat. Et totum quidem hunc paragraphum ad hunc ſyllogiſmum reuocare poſſis.

Vbi magna eſt gloria, magni labores ſunt expetendi.

Sed in ſequendis optimatium partibus magna eſt gloria.

Ergo in iis ſequendis etiam magni labores ſunt expetendi.

Aſſumptio probatur enthymemate ſupra poſito.

Ii avthores hvivs ordinis et dignitatis.] Binas voculas adiecit Grutterus fide editionum veterum, item Pall. omnium, excepto nono, in quo vt antea vulgatis; *ij authores huius dignitatis*: quódque ideo Gulielmius mutatum cupiebat in *ciuitatis*.

NOTÆ.

I. PRo virili parte.] Fabius lib. inſtitut. Orat. 12. cap. 1. *Pro virili parte conferre aliquid ad facultatem dicendi conati ſumus.* & in fine operis. *Habes, Marcelle Victori, quibus præcepta dicendi pro virili parte adiuuari poſſe per nos videbantur.* Noſter frumentaria in Verrem 7.

Pars virilis. *Plus etiam quàm pars virilis poſtulat pro voluntate pop. Romani oneris ac muneris ſuſcipere debeam.* Alibi etiam in iiſdem Verrinis: *Eſt aliqua mea pars virilis quòd eius ciuitatis ſim*, &c. Et in Philipp. *Tum me eius beneficio plus quàm pro virili parte obligatum puto.* Naſo 1. de ponto el. 11.

Iure igitur laudes, Cæſar, pro parte virili
Carmina noſtra tuas qualiacumque canunt.

II. Omnis oratio est cvm virtvte.] Cyrus apud Xenophontem lib. 3. Cyrop. Οὐδεμία γὰρ οὕτως ἔςαι καλὴ παραίνεσις ὡς ἥτις τοὺς μὴ ὄντας ἀγαθοὺς αὐθήμερον ἀκούσαντας ἀγαθοὺς ποιήσει. *Nulla enim tam pulchra erit hortatio quàm quæ ignauos eodem die fortes efficiat*, &c. Item: Τοὺς δ' ἀπαιδεύτοις παντάπασιν ἀρετῆς θαυμάζοιμ' ἄν, εἴ τι πλέον ὠφελήσειε λόγος καλῶς ῥηθεὶς εἰς ἀνδραγαθίαν, ἢ τοὺς ἀπαιδεύτους μουσικῆς ᾆσμα καλῶς ᾀσθὲν εἰς μουσικήν. *Qui omnino virtuti ſunt imperiti iis mirarer, ſi pulchra oratio plus vtilitatis ad comparandam fortitudinem adferret, quàm ad muſicam adferre ſolet vna cantilena ſemel cantata, iis qui ſunt muſicæ penitus indocti.* Leſbonax in hortatione: Τοῖς μὲν μὴ θέλουσιν ἀγαθοῖς εἶναι, μάταιον καὶ λέγειν καὶ ποιεῖν σπουδὴν τινα ὅπως ἔσονται ἀγαθοί. τοῖς δ' ἐθέλουσι καὶ βουλομένοις τοὐναντίον. παντὸς γὰρ πράγματος ἐπίδοσίς ἐστιν, ἕως ἂν τέλος ἔχῃ. καὶ ἀρετὴν πλεῖστον ἂν εὕροις πλεῖστον ἐπιδιδοῦσαν, ὅπου μεγίστην καὶ τιμὴν ἔχῃ, καὶ ἄθλοις, καὶ ἐπαίνοις. *Qui viri fortes eſſe nolunt, ſuperuacaneum iis etiam loqui, & facere quidquam eo conſilio vt fortes euadant. Volentibus autem & lubentibus, contrarium. Res enim omnis augetur, donec ad perfectionem ſuam peruenerit. & ibi virtutem inuenies plurimùm augeri, vbi maximum pretium habuerit, tum in præmiis, tum in laudibus.* Poſt quem Catilina apud Salluſtium: *Compertum ego habeo, milites, verba virtutem non addere: neque ex ignauo ſtrenuum, nec fortem ex timido oratione Imperatoris fieri. Quanta cuiuſque animo audacia natura aut moribus ineſt, tanta in bello patere ſolet. Quem neque gloria, neque pericula excitant, nequicquam hortere. timor animi auribus officit.* Præclarè illi quidem: Sed Ciceroni tamen *nihil ſimile aut ſecundum* hos *Proximos illi tamen occupare* honores patiamur, dum ſe *longo interuallo proximos* eſſe fateantur. Verba virtutem non addunt.

Patriæ.] Demoſthenes pro Cteſiphonte: III.
Ἡγεῖτο γὰρ αὐτὸν ἕκαστος οὐχὶ τῷ πατρὶ καὶ τῇ μητρὶ μόνον γεγενῆσθαι, ἀλλὰ τῇ πατρίδι. *Putabat enim vnuſquiſque ſe non patri duntaxat & matri, ſed etiam patriæ eſſe natum.* Vide pro Marcello 27. *Si tibi ſoli viueres, aut ſi tibi ſoli natus eſſes.* Nemo ſibi ſoli natus ſed patriæ.

Cvpiditatvm lenociniis.] Pulchrè IV.
voluptati illecebras, cupiditati lenocinium tribuit. De voluptatis illecebris Plato in Phædro: Ἔστι μὲν οὖν καὶ ἄλλα κακά. ἀλλά τις δαίμων ἔμιξε τοῖς πλείστοις ἐν τῷ παραυτίκα ἡδονήν. ταύτῃ γάρ τοι οἷον δελέατι κεχρημένος, καὶ τὸ αἴσχιστον τὸ ὀλέθριον καταχρύσῶν, τοὺς μὲν εὐεξαπατήτους ἀποβουκολεῖ, καὶ διόλλυσι τῶν ἀνθρώπων, οἱ δὲ γε τὸν νοῦν ἐρρωμένοι προορῶσι τὰς παγίδας, καὶ ταύτας ὑπερπηδῶσι. *Sunt quidem & alia mala. Sed aliquis Genius eorum plurimis præſentem voluptatem admiſcuit. Hac enim tanquam eſca & illecebra quadam vtens, & pernicioſum hamum occultans, nonnullos mortalium minimè malos & deceptioni obnoxios in fraudem inducit & perdit, at qui firmo ſunt animi robore ſepti, ij tendiculas aduertunt, & ſuperſiliunt.* Locum hunc profert Theodoretus 3. de curat. Græc. aff. Pulchrè Philo lib. κοσμοπ. exeunte. Οἷα ἑταιρὶς καὶ μαχλὸς οὖσα ἡδονὴ γλίχεται τυχεῖν ἐραστοῦ, καὶ μαστροπούς ἀναζητεῖ δι' ὧν τοῦτον ἀγκιστρεύεται. Μαστροπεύουσι δ' αὐτῇ καὶ προξενοῦσι τὸν ἐρῶντα αἰσθήσεις, ἃς δελεάσασα ῥᾳδίως ὑπηγάγετο τὸν νοῦν, ὧ τὰ φανέντα ἐκτὸς εἴσω κομίζουσαι, διαγγέλλουσι καὶ ἐπιδείκνυνται τοὺς τύπους ἑκάστων ἐνσφραγιζόμεναι τὸ ὅμοιον πάθος, &c. *Voluptas inſtar meretricis & adulteræ, amaſium appetit, lenonéſque quærit quibus eum tanquam hamatis tendiculis irretit. lenocinantur illi ſenſus, & amorem conciliant, quos vbi delenierit, facilè mentem in poteſtatem redigit, cui ſenſus quæ exteriùs apparent intrò deferentes renuntiant, & oſtendunt ſingulorum ſpecies, eâdem cupiditate ſignati*, &c. vide plura. Cupiditas. Voluptas.

Famam bonorvm.] Vide Vatinianam V.
8. *Solidæ laudis.* 9. *Boni viri iudicent.*

AXIOMA.

Vel ideò nihil exſcribo, quia omnia planè exſcribi potuerunt.

ARGVMENTVM.

Vt vel tardiores ad amplectendas optimatium partes impellat, exemplis demonſtrat plura leuibus & popularibus hominibus, quàm viris grauibus & optimatium defenſoribus pericula & difficultates imminere.

CXL. AC ne quis ex noſtro, aut aliquorum præterea caſu hanc vitæ viam pertimeſcat: vnus in hac ciuitate, quem quidem ego poſſim dicere, præclarè vir de Republ. meritus L. Opimius indigniſſimè concidit: cuius monumentum celeberrimum in foro, ſepulcrum deſertiſſimum in littore Dyrrhachino relictum eſt. Atque hunc tamen flagrantem inuidia propter interitum C. Gracchi, ſemper ipſe populus Rom. periculo liberauit: alia quædam ciuem egregium iniqui iudicij procella peruertit. cæteri verò aut repentina vi perculſi, ac tempeſtate populari, per populum tamen ipſum recreati ſunt, atque reuocati, aut omnino inuulnerati inuiolatíque vixerunt. At verò ij, qui Senatus conſilium, qui auctoritatem bonorum, qui inſtituta maiorum neglexerunt, & imperitæ aut concitatæ multitudini iucundi eſſe voluerunt, omnes ferè Reipub. pœnas aut præſenti morte, aut turpi exſilio dependerunt.

EXPLANATIO.

AC NE.] Totus hic locus videtur ad hunc ſyllogiſmum poſſe reuocari.

Sectandi eſſent optimates, etiamſi magni labores & pericula eorum ſectatoribus impenderent.

Sed ſecurius eſt optimates ſectari quàm populares. Ergo ſectandi ſunt.

Propoſitionem ſuperiore ſectione eleganter & copiosè tractauit: hîc minor exponitur, & exemplis in vtramque partem probatur.

EX NOSTRO.] Ne quis à bene fortitérque gerenda Rep. deterreatur aduertens me eiectum fuiſſe Clodij factione, Q. Metellum Numidicum, Furium Camillum & alios principes defenſoréſque ciuitatis expulſos.

VNVS IN HAC.] Noſter 1. in Catilinam: *Decreuit quondam Senatus, vt Luc. Opimius Conſul videret, ne quid Reſp. detrimenti caperet. Nox nulla interceſſit: interfectus eſt propter quaſdam ſeditionum ſuſpiciones C. Gracchus, clariſſimo patre natus, auis maioribus: occiſus eſt cum liberis M. Fuluius Conſularis.* Is poſteà quòd à Iugurtha munera accepiſſet, damnatus eſt.

INDIGNISSIME.] iniuſtiſſimè damnatus eſt Equitum Romanorum ſententiis, quibus Gracchus iudicia communicarat.

MONVMENTVM.] Templum Concordiæ poſt Gracchi cædem excitatum.

IN LITTORE DYRRHACH.] in Macedonia, vbi exulauit.

FLAGRANTEM INVIDIA.] Cùm eum multi odiſſent, ob necem C. Graccho illatam.

PERICVLO LIBERAVIT.] Cùm dies ei dicta fuit apud populum, abſolutus eſt populi ſuffragio.

ALIA QVÆDAM.] Non populi, ſed Equitum iudiciis damnatus eſt: nec propter C. Gracchi cædem, ſuſceptámque optimatium cauſſam, ſed ob accepta munera iniuſtè damnatus eſt.

CÆTERI.] vt Furius Camillus, Q. Metellus Numidicus.

AVT OMNINO INVVLN.] vt Catones, Scipiones, & alij.

AT VERO II.] vt Tiberius & C. Gracchi, Glaucias, Saturninus, &c.

NOTÆ.

LVC. OPIMIVS.] De damnatione Opimij non conſentiunt auctores. Innuere videtur Velleius lib. 2. eum, & ob cædem Gracchi, à populo fuiſſe damnatum. *Sed Opimium virum alioqui ſanctum & grauem, damnatum poſtea iudicio publico, memoria ipſius ſæuitiæ, nulla ciuilis proſecuta eſt miſericordia.* At Epitome Liuiana lib. 61. *Lucius Opimius accuſatus apud populum à Q. Decio Tribunoplebis, quòd indemnatos ciues in carcerem conieciſſet, liberatus eſt.* Quo autem crimine afflictus fuerit, tradit Plutarchus in Gracchis: Ὀπίμιος δ' οὐκ ἀπέσχετο κλοπῆς, ἀλλὰ πεμφθεὶς ὡς Ἰουγούρθαν τὸν Νομάδα πρεσβευτὴς, διεφθάρη χρήμασι· καὶ δίκην ὄφλων αἰσχίστην δωροδοκίας ἐν ἀτιμίᾳ κατεγήρασε, μισούμενος καὶ προπηλακιζόμενος ὑπὸ τοῦ δήμου, παρ' αὐτὰ μὲν τὰ πραχθέντα ταπεινοῦ γενομένου καὶ συσταλέντος, ὀλίγῳ δ' ὕστερον ἐκφήναντος ὅσον εἶχεν ἵμερον καὶ πόθον τῶν Γράκχων. *At Opimius non temperauit à furto ſe, ſed legatus ad Iugurtham regem Numidiæ miſſus quùm eſſet, pecuniâ fuit ab eo corruptus, ac turpiſſimè repetundarum damnatus in dedecore conſenuit, inuiſúſque fuit, & probris agitatus à populo, qui recenti illo facto abiecto fuit & infracto animo, at breui pòſt aperuit quanto amore ac deſiderio teneretur Gracchorum.* Noſter de claris Oratoribus 128. *Nam inuidioſa lege Manilia C. Galbam Sacerdotem, & quatuor Conſulares Luc. Beſtiam, C. Catonem, Spur. Albinum, ciuémque præſtantiſſimum Luc. Opimium Gracchi interfectorem à populo abſolutum, cùm is contra populi ſtudium ſtetiſſet, Gracchani Iudices ſuſtulerunt.* Cui vt antiquiori & penè illorum temporum ſuppari maior fides adhibenda. Vide Plancianam 70. *Nam Opimij quidem calamitas vtinam ex hominum memoriâ poſſet euelli, vulnus illud Reip. dedecus huius* 1.

Opimius quo crimine damnatus.

imperij, turpitudo pop. Romani, non iudicium putandum eſt. Quàm enim illi Iudices, ſi iudices & non parricidæ patriæ nominandi ſunt, grauiorem potuerunt Reipub. infligere ſecurim, quàm cùm illum è ciuitate eiecerunt, qui prætor finitimo, Conſul domeſtico bello Remp. liberarat.

II. MONVMENTVM.] Appianus 1. ciuilium. Ἡ δὲ βουλὴ καὶ νεὼν Ὁμονοίας αὐτὸν ἐν ἀγορᾷ προσέταξεν ἐγείρειν. *Senatus verò decreuit, vt is in foro Concordiæ templum excitaret.* Plutarchus: Ἠνίασε τοὺς πολλοὺς τὸ κατασκευασθὲν Ὁμονοίας ἱερὸν ὑπὸ τοῦ Ὀπιμίου. Σεμνύνεσθαι γὰρ ἐδόκει, καὶ μέγα φρονεῖν, καὶ τρόπον τινὰ θριαμβεύειν ἐπὶ φόνοις τοσούτοις πολιτῶν. Διὸ καὶ νυκτὸς ὑπὸ τὴν ἐπιγραφὴν τοῦ νεὼ παρενέγραψάν τινες τὸν στίχον τοῦτον

Ἔργον ἀπονοίας ναὸν Ὁμονοίας ποιεῖ.

Templum Concordiæ Opimij monumentum.

Dolore plebem affecit extructa ab Opimio ædes Concordiæ. Gloriari enim, & inſoleſcere, atque triumphare quodammodo de tantâ ciuium ſtrage videbatur. vnde inſcriptioni ædis noctu adſcripſerunt quidam hunc verſum

Actus vecors templum facit Concordiæ.

Porro hinc aduertis aliud eſſe ſepulchrum, aliud monumentum. Ita Hadrianus de Pompeio:

Τῷ ναοῖς βρίθοντι πόση σπάνις ἔπλετο τύμβου;

Copia templorum eſt, & egeſtas quanta ſepulchri?

III. DYRRACHINO.] Dyrrachium priùs Epidamnus dicebatur, vrbs Macedoniæ portu celeberrima, cuius apud Thucydidem luculenta deſcriptio lib. 1. Ἐπίδαμνός ἐστι πόλις ἐν δεξιᾷ ἐσπλέοντι τὸν Ἰόνιον κόλπον. προσοικοῦσι δ' αὐτὴν Ταυλάντιοι βάρβαροι, Ἰλλυρικὸν ἔθνος. ταύτην ἀπῴκισαν μὲν Κερκυραῖοι, &c. *Epidamnus eſt vrbs ad dextram ſita per Ionicum ſinum nauiganti. hanc Corcyræi coloni habitarunt*, &c.

IV. FLAGRANTEM INVIDIA.] Pro Milone 76. *Qua inuidiâ huic eſſet tali viro deflagrandum.* vide 98. *Cùm omnes à tuis inimicis faces inuidiæ meæ ſubiiciantur.* vbi notamus ex 4. Tuſc. Quæſt. Inuidiam non in eo qui inuidet, ſolùm dici, ſed etiam cui inuidetur.

Inuidia.

V. IVDICII PROCELLA.] Pro Cœlio 79. *Nolite, Iudices, &c. hunc nunc primùm floreſcentem, firmata iam ſtirpe virtutis, tanquam turbine aliquo, aut ſubitâ tempeſtate peruerter.* Valerius Maximus lib. 6. cap. 4. orationem à Lyſia compoſitam *demiſſam & ſupplicem, imminentique procellæ accommodatam* appellat. & cap. 5. de iudicio Tib. Gracchi & C. Claudij: *Tota illa tempeſtas ab vtriuſque fortunis & capite depulſa eſt.* Eodem loquendi genere tonitrua & fulgura Iudiciorum appellat Ariſtophanes in Veſpis:

Iudicij procella.

Ἢν γοῦν ἡμεῖς θορυβήσωμεν
Πᾶς τίς φησι τῶν παριόντων,
Οἷον βροντᾷ τὸ δικαστήριον;
Ὦ Ζεῦ βασιλεῦ. κἂν ἀστράψω
Ποππύζουσι.

Si enim nos tumultuati fuerimus
Prætereuntes omnes dicunt:
Qualiter tonat Iudicium.
O Rex Iupiter. & ſi fulgurauero,
Poppyſmo ſalutant.

Rurſum Valerius lib. 8. cap. 1. de iudicio Gabinij: *Inde aliquod fomentum procellæ petens, vnde totus impetus tempeſtatis eruperat.* actione primâ in Verrem 8. *Vt quoniam criminum vim ſubterfugere non poterat, procellam temporis deuitaret.* Eodem ſenſu Papinius 5. Syluarum protreptico ad Criſpinum:

--Nuper cum forte ſodalis
Immeritæ falſo palleret crimine famæ,
Erigerétque forum, ſuccinctáque iudice multo
Surgeret, & caſtum vibraret Iulia fulmen, &c. Fulmen.

3. Syluarum, lacrymis Hetruſci:

-Attonitum & venturi fulminis ictus
Horrentem tonitru tantum lenique procellâ
Contentus monuiſſe ſenem.-

Vbi Geuartius laudat Martialem lib. 6. de eodem hoc Hetruſco ad Domit.

Nam tu miſſa tuâ reuocaſti fulmina dextrâ.

Id eſt, Hetruſcam ab exilio reuocaſti. Ouidius ad Auguſt.

Parce precor, fulménque tuum, tua tela reconde.

Plinius panegyr. de amicis ſuis. *Vtrumque noſtrum ille optimi cuiuſque ſpoliator & carnifex, ſtragibus amicorum & in proximum iacto fulmine afflauerat.* & in epiſt. *Tot circa me iactis fulminibus quaſi ambuſtus, mihi quoque idem exitium impendere certis quibuſdam notis augurabar.*

AXIOMATA.

Nonnunquam ciues egregios iniqui iudicij procella peruertit.

Qui repentina vi percelluntur, aut tempeſtate populari ſæpè per populum ipſum recreantur.

Mali ciues frequenter Reipublicæ pœnas dependuut.

ARGVMENTVM.

Clarorum virorum exemplo qui ad defendendam Athenienſium Rempub. omnia pericula ſubierunt, Romanos adoleſcentes hortatur ad capeſſendam fortiter Rempub. & ſectandos optimates.

QVOD ſi apud Athenienſes, homines Græcos, longè à noſtrorum hominum grauitate diſiunctos, non deerant qui Remp. contra populi temeritatem defenderent, cùm omnes, qui ita fecerant, è ciuitate eiicerentur: ſi Themiſtoclem illum conſeruatorem patriæ non deterruit à Rep. defendenda nec Miltiadis calamitas, qui illam ciuitatem paulo antè ſeruarat, nec Ariſtidis fuga, qui vnus omnium iuſtiſſimus fuiſſe traditur: ſi poſtea ſummi eiuſdem ciuitatis viri, quos nominatim appellari non eſt neceſſe, propoſitis tot exemplis iracundiæ leuitatíſque popularis: CXLI.

tamen ſuam Rempubl. illam defenderunt: quid nos tandem facere debemus? primùm in ea ciuitate nati, vnde orta mihi grauitas, & magnitudo animi videtur: tum in tanta gloria inſiſtentes, vt omnia humana leuiora videri debeant: deinde ad eam Rempubl. tuendam aggreſſi, quæ tanta dignitate eſt, vt eam defendentem occidere non aliud ſit, quàm oppugnantem rerum potiri.

EXPLANATIO.

QVOD SI APVD.] argumentatur à minori ad maius.

Si apud Athenienſes multi ſuam Rempub. defenderunt, multò magis debemus Romanam defendere.

Sed apud illos multi Remp. defenderunt.

Ergo multò magis debemus Rom. defendere.

Sequela maioris probatur, tum ab Athenienſium hominum Græcorum leuitate, tum ab Imperij Romani dignitate: tum ab Athenienſium temeritate, qui ab omnibus Reip. defenſoribus acerbiſſimas pœnas exigebant.

E CIVITATE EIICERENTVR.] oſtraciſmo expulſi, id eſt, plebis ſuffragiis in teſta latis per decennium exularent, non patientibus plebeiis, vt aliquis vnus nimium inter ſuos ciues, vel virtute, vel rerum geſtarum gloria emineret.

THEMISTOCLEM ILLVM.] ἐμφατικῶς. quaſi diceret Græciæ Seruatorem, qui Xerxis exercitum profligauit, & Xerxem ipſum impulit vt Græciâ cederet. qui non deterritus eſt à defendenda Republ. vel Miltiadis calamitate, qui cum Marathone inſignem de Perſis victoriam retuliſſet, decem talentis multatus eſt eo quidem prætextu, quòd ab Inſulæ Pari expugnatione re infecta rediiſſet, re vera autem quòd videretur nimiam potentiam obtinere. vide Notas. vel Themiſtoclis exilio, qui ob nimiam iuſtitiæ opinionem oſtraciſmo eiectus eſt.

POSTEA SVMMI.] vt Cimon Miltiadis filius, Thraſybulus, Nicias, Conon, Phocion, Demoſthenes.

QVID NOS TANDEM.] Tres adfert hortationis ſuæ rationes. Vna eſt morum grauitas & indoles Romanorum. altera gloria, & maiorum exempla. Tertia ipſa Romanæ Reipub. dignitas & amplitudo.

QVAM OPPVGNANTEM RERVM POTIRI.] Lambinus, *pugnantem*. bene.

NOTÆ.

EIICERENTVR.] Eiiciebantur oſtraciſmo, id eſt, vt exponit Æmilius Probus teſtarum ſuffragio. de quo Plutarchus in Pericle, Alcibiade, Nicia, Cimone, Ariſtide. Μοχθηρίας γὰρ οὐκ ἦν κόλασις ὁ ἐξοστρακισμὸς, ἀλλ' ἐκαλεῖτο μὲν δι' εὐπρέπειαν, ὄγκου καὶ δυνάμεως βαρυτέρας ταπείνωσις καὶ κόλασις, ἦν δὲ φθόνου παραμυθία φιλάνθρωπος, εἰς ἀνήκεστον οὐδὲν, ἀλλ' εἰς μετάστασιν ἐτῶν δέκα τὴν πρὸς τὸ λυποῦν ἀποτιθεμένου δυσμένειαν. *Nullius enim facinoris erat illud exilium pœna, ſed ſpecioſum nomen habebat, vt auctoritatis & potentiæ grauioris diceretur depreſſio & coërcitio. Erat verò inuidiæ mite lenimentum, quo ſtomachus ex offenſa motus in vindictam nullam atrociorem, ſed in exilium decennale effundebatur.* Addit: Ἦν δὲ τοιοῦτον, ὡς τύπῳ φράσαι, τὸ γινόμενον. ὄστρακον λαβὼν ἕκαστος, καὶ γράψας ὃν ἐβούλετο μεταστῆσαι τῶν πολιτῶν, ἔφερεν εἰς ἕνα τόπον τῆς ἀγορᾶς περιπεφραγμένον ἐν κύκλῳ δρυφάκτοις. οἱ δ' ἄρχοντες πρῶτον μὲν διηρίθμουν τὸ σύμπαν ἐν ταὐτῷ τῶν ὀστράκων πλῆθος. εἰ γὰρ ἑξακισχιλίων ἐλάττονες οἱ γράψαντες εἶεν, ἀτελὴς ἦν ὁ ἐξοστρακισμός. ἔπειτα τῶν ὀνομάτων ἕκαστον ἰδίᾳ θέντες, τὸν ὑπὸ τῶν πλείστων γεγραμμένον ἐξεκήρυττον εἰς ἔτη δέκα καρπούμενον τὰ αὑτοῦ. *Id, vt breuiter perſtringam, ad hunc agebatur modum. Teſtulam, quam oſtracon vocant, capiebat quiſque. hanc cùm ei inſcripſiſſet quem ciuem vellet exigere, in vnum locum ferebat, fori cancellis vndique ſeptum. Archontes inde primo numerum inibant vniuerſarum accumulatarum teſtarum: ſi infra ſex millia eſſent qui ſcripſerant, inanis erat exoſtraciſmus. pòſt ſingula nomina ponebant ſeorſum: & qui eſſet à pluribus ſcriptus, huic permiſſis facultatibus ſuis, conſtituebant exilium decennale.* Addit quædam Interpres Ariſtophanis in Equitibus, vt Τοῦτον ἔδει ἐν δέκα ἡμέραις μεταστῆναι τῆς πόλεως. *Hunc oportebat intra decem dies ex vrbe diſcedere.* Item: ΟΥ μόνον δ' Ἀθηναῖοι ὠστρακοφόρουν, ἀλλὰ καὶ Ἀργεῖοι, καὶ Μιλήσιοι, καὶ Μεγαρεῖς. *Non ſolùm autem Athenienſes teſtulis eiiciebant, ſed etiam Argiui, & Mileſij, & Megarenſes.* Cauſſam adfert Ariſtoteles 3. politic. 13. Καὶ τιθέασι τὸν ὀστρακισμὸν αἱ δημοκρατούμεναι πόλεις, διὰ τὴν τοιαύτην αἰτίαν. αὗται γὰρ δὴ δοκοῦσι διώκειν τὴν ἰσότητα μάλιστα πάντων. ὥστε τοὺς δοκοῦντας ὑπερέχειν δυνάμει διὰ πλοῦτον, ἢ πολυφιλίαν, ἤ τιν' ἄλλην πολιτικὴν ἰσχὺν ὠστράκιζον, καὶ μεθίστασαν ἐκ τῆς πόλεως χρόνοις ὡρισμένοις. *Et decernunt oſtraciſmum eæ ciuitates, in quibus populus rerum potitur, propter huiuſmodi cauſſam. Hæ enim maximè æqualitatem perſequi videntur. Itaque qui videbantur potentiâ excellere propter diuitias, aut amicorum multitudinem, aut alias aliquas vires ciuiles eos exilio decennali per teſtam è patriâ pellebant, & ad definitum tempus è ciuitate ſubmouebant.* Atque hinc vides oſtraciſmum turpe exilium non fuiſſe, ita tamen ab oratore per exaggerationem vocari.

Oſtraciſmus.

Cur oſtraciſmo vterentur.

CONSERVATOREM PATRIÆ.] Qui omnium Græcorum ſuffragio iudicatus eſt primas in ſeruandâ contra Xerxem patriâ retuliſſe. rem ita deſcribit Herodotus lib. 8. Μετὰ δὲ τὴν διαίρεσιν τῆς ληΐης ἔπλεον οἱ Ἕλληνες ἐς τὸν Ἰσθμὸν ἀριστήϊα δώσοντες τῷ ἀξιωτάτῳ γενομένῳ Ἑλλήνων ἀνὰ τὸν πόλεμον τοῦτον. ὡς δὲ ἀπικόμενοι οἱ στρατηγοὶ διενέμοντο τὰς ψήφους ἐπὶ τοῦ Ποσειδέωνος τοῦ βωμοῦ, τὸν πρῶτον καὶ τὸν δεύτερον κρίνοντες ἐκ πάντων, ἐνταῦθα πᾶς τις αὐτέων ἑωυτῷ ἐτίθετο τὴν ψῆφον, αὐτὸς ἕκαστος δοκέων ἄριστος γενέσθαι. δεύτερα δὲ οἱ πολλοὶ συνεξέπιπτον Θεμιστοκλῆα κρίνοντες. οἱ μὲν δὴ ἐμουνοῦτο. Θεμιστοκλέης δὲ δευτερείοισι ὑπερεβάλλετο πολλόν. *Poſt diſpartitam prædam Græci ad Iſthmum nauigauerunt, daturi præcipuum præmium Græcorum meritiſſimo, qui in hoc bello præclariſſimè rem geſſiſſet. Eò vbi peruentum eſt duces Græci in aram Neptuni ſuam quiſque ſententiam ſcriptam detulere, quém-* II.

Themiſtocles patriæ conſeruator.

nam ex omnibus primum & quem ſecundum iudicarent. In eâ autem ſuum quiſque nomen inſcripſit, ſe illum qui præſtantiſſimus exſtitiſſet exiſtimans: ſed in ſecundis partibus Themiſtocli adiudicandis plerique congruerunt. Ita cùm ſinguli in primo loco ſingulos calculos haberent, in ſecundo Themiſtocles multo ſuperior extitit.

III. NEC MILTIADIS CALAMITAS.] Meritò notat Themiſtoclem Miltiadis calamitate non fuiſſe deterritum, cuius tamen exemplo fuerat ad Remp. capeſſendam excitatus. Notum illud eius dictum, οὐκ ἐᾷ με καθεύδειν, οὐδὲ ῥαθυμεῖν τὸ Μιλτιάδου τρόπαιον. *Non ſinit domire me, aut ſocordem eſſe Miltiadis trophæum.* De Miltiadis contra Perſas Victoria Æmilius Probus. *Tanto plus virtute valuerunt Athenienſes, vt decemplicem numerum hoſtium profligarent: adeóque perterruerunt vt Perſæ non caſtra, ſed naues peterent. Qua pugna nihil adhuc eſt nobilius. Nulla enim vnquam tam exigua manus tantas opes proſtrauit.* Quod ſpectat ad eius calamitatem illatam quod re infectâ ex Pari obſidione rediiſſet. Idem Æmilius Probus: *Cauſsâ cognitâ capitis abſolutus pecuniâ mulctatus eſt, eáque lis quinquaginta talentis æſtimata eſt: quantus in claſſem ſumptus factus fuerat. Hanc pecuniam quòd ſoluere non poterat, in vincula publica coniectus eſt: ibíque diem obiit ſupremum.* Iuſtinus ſub finem lib. 2. *Græci quoq. ducem inſtituunt Cimonem Athenienſem filium Miltiadis, quo duce apud Marathonem pugnatum eſt, iuuenem, cuius magnitudinem futuram pietatis documenta prodiderunt. Quippe patrem ob crimen peculatus in carcerem coniectum, ibiq. defunctum tranſlatis in ſe vinculis ad ſepulturam redemit.* De mulcta & vinculis adſtipulatur Plutarchus in Cimone, tacet de Cimonis pietate: Μιλτιάδης μὲν οὖν πεντήκοντα ταλάντων ὄφλων δίκην, καὶ πρὸς τὴν ἔκτισιν εἰρχθεὶς ἐτελεύτησεν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ. *Miltiades igitur, cùm lis ei æſtimata quinquaginta talentis eſſet, & ad ſoluendum in vincula ductus, diem ſuum obiit in carcere.* Seneca declamatione prima libri 4. *Miltiades peculatus damnatus in carcere alligatus deceßit, Cimon filius eius, vt eum ſepeliret, vicarium ſe pro corpore patris dedit.* Herodotus lib. 6. rem accuratè deſcribens nullam carceris facit mentionem. Περιγενομένου δὲ τοῦ δήμου αὐτῷ, κατὰ τὴν ἀπόλυσιν τοῦ θανάτου, ζημιώσαντος δὲ κατὰ τὴν ἀδικίην πεντήκοντα ταλάντοισι. Μιλτιάδης μὲν μετὰ ταῦτα σφακελίσαντός τε τοῦ μηροῦ, καὶ σαπέντος αὐτοῦ, τελευτᾷ. τὰ δὲ πεντήκοντα τάλαντα ἐξέτισε ὁ παῖς αὐτοῦ Κίμων. *Interuentu tamen populi ne capitis damnaretur, quinquaginta talentis culpa mulctata eſt. Poſt hæc Miltiades cùm femur ei marcidum & putridum factum eſſet, deceßit, quinquaginta autem talenta Cimon filius exoluit.* Quare Platoni, vt antiquiori faciliùs quàm Plutarcho, Probo, Iuſtino crediderim: ſic ille in Gorgia. Μιλτιάδην δὲ τὸν ἐν Μαραθῶνι εἰς τὸ βάραθρον ἐμβαλεῖν ἐψηφίσαντο, καὶ εἰ μὴ διὰ τὸν Πρύτανιν ἐνέπεσεν ἄν. *Miltiadem illum Marathone ſpectatum in barathrum mittere decreuerunt, & impactus fuiſſet niſi Prytanis ſuâ interceſſione obſtitiſſet.*

Miltiadis victoria.

Miltiadis calamitas.

NEC ARISTIDIS FVGA.] Ariſtidis exemplo par fuit Themiſtoclem commoueri. notæ ſunt enim inimicitiæ quas cum eo perpetuas exercuit, vt Plutarchus, Herodotus aliíque teſtantur. De huius oſtraciſmo lepidum eſt quod narrat Plutarchus: Γραφομένων τῶν ὀστράκων λέγεταί τινα τῶν ἀγραμμάτων καὶ παντελῶς ἀγροικῶν, ἀναδόντα τῷ Ἀριστείδῃ τὸ ὄστρακον, ὡς ἑνὶ τῶν τυχόντων, παρακαλεῖν, ὅπως Ἀριστείδην ἐγγράψῃ. *Cùm teſtulæ ſcriberentur, quemdam aiunt ex illiteratis & planè ruſticis Ariſtidi, vt cuidam è populo teſtam dediſſe, oraſſéque, vt Ariſtidis nomen inſcriberet.* Ariſtides (verba ſunt Æmilij Probi.) *Quæſiſſe ab eo dicitur quare id faceret, aut quid Ariſtides commiſiſſet, cur tantâ pœnâ dignus duceretur. Cui ille reſpondit, Se ignorare Ariſtidem, ſed ſibi non placere quod cupidè elaboraſſet, vt præter cæteros iuſtus appellaretur.* Addit Plutarchus his auditis: Ἀριστείδην ἀποκρίνασθαι μὲν οὐδέν, ἐγγράψαι δὲ τοὔνομα τῷ ὀστράκῳ καὶ ἀποδοῦναι. *Ariſtidem nihil ad hæc reſpondiſſe, & inſcripto nomine teſtulam reddidiſſe.* IV.

Ariſtides. Iuſtus.

FVGA.] Græcis φυγή. fuit tamen ſi propriè loquamur inter φυγὴν & ὀστρακισμὸν diſtinctio. Plato in Gorgia loquens de Cimone: Οὐκ ἐξωστράκισαν αὐτὸν οὗτοι οὓς ἐθεράπευεν, ἵνα αὐτοῦ δέκα ἐτῶν μηδ' ἀκούσειαν τῆς φωνῆς; καὶ Θεμιστοκλέα ταὐτὰ ἐποίησαν, καὶ φυγῇ προσεζημίωσαν; *Nónne eum iidem quos ille colebat eiecerunt teſtularum ſuffragio, vt eius vocem toto decennio non audirent? Et eadem Themiſtocli fecerant, eúmque inſuper fuga mulctauerunt.* Interpres Ariſtophanis in Equitibus, cuius verba Suidas exſcripſit: Διαφέρει δὲ φυγὴ ὀστρακισμοῦ. ὅτι τῶν μὲν φυγῆς ἁλόντων αἱ οὐσίαι δημεύονται. τῶν δ' ὀστρακισμῷ μεθισταμένων οὐκ ἀφαιρεῖται τὰ χρήματα ὁ δῆμος. καὶ τοῖς μὲν χρόνος ἐνδείκνυται καὶ τόπος. οἱ δὲ φεύγοντες οὐδέτερον τούτων ἔχουσιν. *Fuga differt ab oſtraciſmo: quòd fugientium bona publicantur. At eorum qui oſtraciſmo diſcedunt bona populus non eripit. Et his quidem tempus & locus indicitur: fugientes autem neutrum habent.* in Veſpis tamen Thucydides quem oſtraciſmo eiectum fuiſſe conſtat, φεύγων dicitur. vide Interpretem. V.

Fuga.

Oſtraciſmus.

TANTA DIGNITATE.] A patriæ dignitate ſeipſam adhortatur Praxithea coniux Erechthei apud Euripidem à Lycurgo citatum:

Ἐγὼ δὲ δώσω τὴν ἐμὴν παῖδα κτανεῖν.
Λογίζομαι δὲ πολλά· πρῶτα μὲν πόλιν
Οὐκ ἄν τιν' ἄλλην τῆσδε βελτίω λαβεῖν.
Ego ipſa natam morte mactandam dabo.
Animo volutans multa. ſed primùm id ſubit
Quod vrbe noſtrâ nulla ſit præſtantior.

AXIOMATA.

Græci longè fuerunt à Romanorum grauitate diſiuncti.

Patriam defendentem occidere non aliud eſt, quàm pugnantem rerum potiri.

ARGVMENTVM.

Clarorum Athenienſium & Annibalis exemplo demonſtrat omnium gentium literis, atque linguis eos maximè celebrari, qui ſe plebis furori & temeritati oppoſuerunt ad defendendam Rempublicam.

CXLII. HOMINES Græci, quos anteà nominaui, iniquè à ſuis ciuibus damnati, atque expulſi, tamen, quia bene ſunt de ſuis ciuitatibus meriti, tantâ hodie gloriâ ſunt, non in Græcia ſolùm, ſed etiam apud nos, atque in cæteris terris, vt eos, à quibus illi oppreſſi ſunt, nemo nominet, horum calamitatem dominationi illorum omnes anteponant. Quis Carthaginienſium pluris fuit Annibale conſilio, virtute, rebus geſtis? qui vnus cum tot Imperatoribus noſtris per tot annos de imperio, & de gloria decertauit? hunc ſui ciues è ciuitate eiecerunt: nos etiam hoſtem literis noſtris, & memoriâ videmus eſſe celebratum.

EXPLANATIO.

HOMINES GRÆCI.] Miltiades, Ariſtides, Themiſtocles.

INIQVE.] Magis ad inuidiam plebis leniendam, quàm ad ſcelus puniendum.

ATQVE EXPVLSI.] Id de Ariſtide & Themiſtocle debet intelligi, non de Miltiade, qui, vt diximus, non expulſus è patria, ſed vel in vincla compactus, vel ſaltem pecunia mulctatus eſt.

NEMO NOMINET.] Immò Herodotus libro 6. Xantippum Ariphronis filium à quo Miltiades oppreſſus eſt, nominat Plutarchus Leobotem Alcmæonis filium, qui Themiſtoclem proditionis accuſauit. Sed hi duo perinde obſcuri ſunt, atque ſi non nominarentur. Ariſtides, vt Æmilij Probi verbis vtar, *A Themiſtocle collabefactus teſtulâ illâ exilio decem annorum mulctatus eſt.* Sed id callidè diſſimulat Orator: vel ideo à nemine nominari dicit, quia nullam ex eo conſecutus eſt laudem, quod Ariſtidem oppreſſerit.

QVIS CARTHAGINIENSIVM.] Annibalis exemplo, eos qui virtutem & dignitatem ſpectant, docet etiam hoſtium laudibus celebrari.

CVM TOT IMPERATORIBVS.] Cum Scipione patre Africani ad Ticinum, cum Sempronio Conſule ad Trebiam, cum Flaminio ad Thraſimenum, cum Varrone & Paulo Æmilio ad Cannas cum ingenti Romanorum clade conflixit. deinde cum Marco Marcello proſperiore Romanis euentu, cum aliis item ducibus, & tandem cum P. Scipione Africano in ipſa Libya: vbi Carthaginis opes magna ruina proſtratæ ſunt.

PER TOT ANNOS.] Sedecim, quibus bellum punicum ſecundum protractum eſt.

NOTÆ.

EIECERVNT.] Annibal factus Prætor Carthagine vt ordinem Iudicum, qui nimiis opibus non ciuiliter vtebantur, in officio contineret, vt narrat Liuius lib. 33. *Legem extemplo promulgauit pertulitque, vt in ſingulos annos Iudices legerentur, ne quis biennium continuum Iudex eſſet. Cæterùm quantam eo facto ad plebem inierat gratiam, tantum magnæ partis Principum offendebat animos.* Prouiderátque ne *vectigalia publica partim negligentiâ dilaberentur, partim prædæ & diuiſui Principum quibuſdam & magiſtratibus eſſent*, &c. *Tum verò iſti, quos pauerat per aliquot annos publicus peculatus, velut bonis ereptis, non furto eorum manibus extorto, infenſi & irati Romanos in Annibalem, & ipſos cauſſam odij quærentes inſtigabant.* Miſſi tres legati qui de cauſſa cognoſcerent. ipſe clam ex Africâ diſceſſit, & ad Regem Antiochum nauigauit. vide fusè, & Iuſtinum lib. 31. I. Annibal.

CELEBRATVM.] Notandum illud Plinij lib. 34. naturalis hiſtoriæ cap. 6. *Et adeo diſcrimen omne ſublatum, vt Annibalis etiam ſtatuæ tribus locis viſantur in Vrbe, cuius intra muros ſolus hoſtium emiſit haſtam.* II. Annibal etiã Romæ honoratus.

AXIOMATA.

Bonorum calamitatem dominationi malorum omnes anteponunt.

Etiam hoſtes, ſi modò virtute ſint illuſtres, ſunt literis & memoria celebrandi.

ARGVMENTVM.

Ab externis clarorum virorum exemplis ad domeſtica delapſus, concludit hortationem, adoleſcentes excitans vt ad eandem gloriam adſpirent, eandem virtutis viam inſiſtant.

CXLIII. QVARE imitemur noſtros Brutos, Camillos, Halas, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones, Lentulos, Æmilios, innumerabiles

rabiles alios, qui hanc Rempub. ſtabiliuerunt: quos equidem in Deorum immortalium cœtu, ac numero repono: amemus patriam, pareamus Senatui, conſulamus bonis: præſenteis fructus negligamus, poſteritati & gloriæ ſeruiamus: id eſſe optimum putemus, quod erit rectiſſimum: ſperemus quæ volumus, ſed quod acciderit, feramus: cogitemus denique corpus virorum fortium, magnorúmque hominum eſſe mortale, animi verò motus & virtutis gloriam ſempiternam: neque hanc opinionem ſi in illo ſanctiſſimo Hercule conſecratam videmus, cuius corpore ambuſto vitam eius, & virtutem immortalitas excepiſſe dicitur, minus exiſtimemus eos, qui hanc tantam Rempub. ſuis conſiliis aut laboribus, aut auxerint, aut defenderint, aut ſeruarint, eſſe immortalem gloriam conſecuturos.

EXPLANATIO.

QVARE.] Dependet à ſuperioribus oratio. Cùm, inquit, populus Romanus etiam in hoſte virtutem admiretur, imitemur eos qui Romæ tot virtutibus floruerunt.

BRVTOS.] vt illum Iunium Brutum qui Tarquinios eiecit, primus factus eſt Conſul, & libertatem ciuium ſtabiliuit. Liuius libb. 1. 2. Halicarn. lib. 4. 5. &c.

CAMILLOS.] vt illum M. Furium Camillum qui Gallos qui vrbem incenderant, & Capitolium obſidebant, internecione deleuit. Liuius lib. 5. 6.

HALAS.] Vt illum Halam Seruilium qui Spurium Melium regnum appetentem, & à Dictatore vocatum ire recuſantem interemit. Liuius, pro Milone, &c.

DECIOS.] Vt illos duos patrem & filium quorum vterque Conſul ſe pro ſalute exercitus deuouit, & in confertas hoſtium cateruas immiſit, ſuprà 48.

CVRIOS.] Illum M. Curium Dentatum qui de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphauit. *Cui ad focum ſedenti magnum auri pondus Samnites cùm attuliſſent, repudiati ab eo ſunt, non enim aurum habere præclarum ſibi videri duxit, ſed eis qui haberent aurum, imperare.* Noſter de Senectute. vide Valerium Maximum lib. 4. cap. 3. & alios paſſim.

FABRICIOS.] Vt illum Fabricium Lucinum, qui Curij ætate florebat: & cum eo tum fortitudinis, tum continentiæ laude certabat. vide eundem Valerium ibidem, Plutarchum in Pyrrho, Florum, &c.

MAXIMOS.] vt illum Fabium Maximum. de quo Ennius:

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem:
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.

SCIPIONES.] Vt Maior & Minor Scipio Africanus, & alij plures qui in eadem familia floruerunt. Lentuli etiam & Æmilij clariſſimi fuerunt, vnde noſter quadam epiſtola Lentuleitates & Appieitates pro nominibus nobilium familiarum vſurpat: & cuidam ſuadenti vt Ciceronis nomen mutaret, effecturum ſe dixit vt cognomentum Ciceronis clarius cognomento Scaurorum euaderet. Scauros ſiue Æmilios ad exemplum nobilitatis appellans. Æmilios autem & Lentulos poſtremo loco tanquam omnium clariſſimos numerauit in gratiam Lentuli à quo fuerat reuocatus, & Scauri Prætoris qui præerat quæſtioni. cætera perſpicua ſunt.

POSTERITATI ET GLORIÆ SERVIAMVS.] legit Grutterus, *Poſteritatis gloriæ.* Extat autem in Pal. Nono, in S. Vict. in Gembl.

NEQVE HANC OPIN.] Si Hercules creditur inter Deos relatus, Hebem, id eſt, Deam Iuuentutis & immortalitatis vxorem duxiſſe, poſtquam inſiliens in pyram, quam in Oetæo monte accenderat, ambuſtus eſt, non eſt exiſtimandum eos qui Romanam Rempub. auxerint aut defenderint, minùs immortales futuros eſſe.

IMMORTALEM GLORIAM CONSECVTOS.] Sic malui cum edit. Victorij, cum Palm. primo, ſecundo, nono. quàm *conſecuturos,* quod aliis etiamnum perplacet.

NOTÆ.

DEORVM IMM. COETV, AC NVMERO.] Sic Maro 7. Æneidos: I.

Aurea nunc ſolio ſtellantis regia cœli
Accipit, & numerum Diuorum altaribus auget.

Noſter ſomnio Scipionis: *Omnibus qui patriam conſeruauerint, defenderint, auxerint, certum* ait *eſſe in cœlo ac definitum locum, vbi beati æuo ſempiterno fruantur.* vide fusè.

POSTERITATI ET GLORIÆ SERVIAMVS.] Cur poſteritati potiùs & gloriæ, quam præſentis vitæ ſit fructibus ſeruiendum. fusè, pro Marcello 29. 30. Vide Notas. II.

SPEREMVS QVÆ VOLVMVS.] Non abſimile Plautinum illud in Caſinâ actu 2. ſc. 6. III.

Poſtremò, ſi illud quod volumus, eueniet, gaudebimus.
Sin ſecus, patiemur animis æquis.

QVOD ACCIDERIT FERAMVS.] Præclarè 5. diuini operis. IV.

Nate Dea, quo fata trahunt, retrahúntque ſequamur.
Quicquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.

Demoſthenes contra Leptinem: Χρὴ τἀγαθὰ μὲν προσδοκᾶν καὶ τοῖς θεοῖς εὔχεσθαι διδόναι, πάντα δ' ἀνθρώπινα ἡγεῖσθαι. *Bona quidem ſperare oportet & à Diis poſtulari, omnia verò humana arbitrari.* Bene etiam Plutarchus de animi tranquillitate: Κυβείᾳ ὁ Πλάτων τὸν βίον ἀπείκασεν, ἐν ᾧ καὶ βάλλειν δεῖ τὰ πρόσφορα, καὶ βαλόντα χρῆσθαι καλῶς τοῖς πεσοῦσι.

Ferendum quod acciderit

Plato vitam humanam ludo talorum ſimilem eſſe dicebat, in qua oportet & iacere, prout conuenit, & vti punctis prout ceciderint. Demoſthenes de corona: Δεῖ δὲ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἐγχειρεῖν μὲν ἅπασιν ἀεὶ τοῖς καλοῖς τὴν ἀγαθὴν προβαλλομένους ἐλπίδα, φέρειν δ' ὅτι ἂν ὁ θεὸς διδῷ γενναίως. *Viros bonos oportet bona ſpe ſemper propoſitâ res præclaras aggredi, quod verò Deus dederit ferre generoſe.*

V. Cogitemvs deniqve corpvs.] Penè ad verbum ex Iſocrate ad Philippum: Ἐνθυμοῦ δ' ὅτι τὸ μὲν σῶμα θνητὸν ἅπαντες ἔχομεν· κατὰ δὲ τὴν εὐλογίαν, καὶ τοὺς ἐπαίνους, καὶ τὴν φήμην τὴν τῷ χρόνῳ συμπαρακολουθοῦσαν· ἀθανασίας μεταλαμβάνομεν, ἧς ἄξιον ὀρεγομένους, καθ' ὅσον οἷοί τ' ἐσμὲν, ὁποιουνοῦν πάσχειν. *Cogites velim mortale corpus omnes nos habere: ſed gloriâ, laudibus, famæ perpetuitate fieri compotes immortalitatis: cuius cupiditate omnes vires exercendæ, nulli labores, nulla pericula recuſanda ſunt.* E qua oratione totus hic penè locus expreſſus eſt. Vt enim Noſter exemplo Græcorum & Annibalis à minori ad maius ad ſectandam ſolidam laudem Romanos hortatur: ita & ille Philippum priuatorum exemplis. Vt Noſter præſentes fructus negligendos ait, poſteritati & gloriæ ſeruiendum: ita ille gloriam & beneuolentiam ciuium, quæ etiam in poſteros redundet, regnis & diuitiis anteponit. Vt Noſter propoſitis clarorum virorum domeſticis exemplis ad virtutem & patriæ charitatem animos inflammat, ita & Iſocrates: Ἅπαντας μὲν οὖν χρὴ τοὺς νοῦν ἔχοντας, τὸ κράτιστον ὑποστησαμένους πειρᾶσθαι γίνεσθαι τοιούτους, μάλιστα δέ σοι προσήκει. τῷ γὰρ μηδὲν ἀλλοτρίοις χρῆσθαι παραδείγμασιν, ἀλλ' οἰκεῖον ὑπάρχειν. πῶς οὐκ εἰκὸς ὑπὸ αὐτοῦ σε παροξύνεσθαι, καὶ φιλονεικεῖν ὅπως τῷ προγόνῳ σαυτὸν ὅμοιον παρασκευάσῃς. *Omnes quidem cordatos homines oportet, cùm ſibi optimum exemplum propoſuerint, illud pro viribus imitari. Maximè verò tibi conuenit. Cùm enim externis tibi non ſit vtendum exemplis, ſed domeſticum habeas, Quomodo par non fuerit eo te maximè incitari, & pro viribus adniti vt maioribus tuis ſimilis euadas?* Vt Noſter maiores in Deorum cœtu ac numero reponit: ita Iſocrates: Οὕτω δ' ἄριστα βουλεύσῃ περὶ τούτων, ἂν ὑπολάβῃς μὴ μόνον τὸν λόγον σε τοῦτον παρακαλεῖν, ἀλλὰ καὶ τοὺς προγόνους, καὶ τὴν τῶν πατέρων ἀνδρείαν, καὶ τοὺς ὀνομαστοτάτους γενομένους, καὶ δόξαντας ἡμιθέους εἶναι. *Sic autem de his optimè conſultaueris, ſi te non ſolùm hac oratione putaueris excitari, ſed etiam à maioribus tuis, à patrum virtute, ab iis qui celeberrimi fuerunt, & in ſemideorum cœtu ac numero repoſiti.* & multa de Hercule nominatim: Ὃν ὁ γεννήσας διὰ τὴν ἀρετὴν εἰς θεοὺς ἀνήγαγε. *Quem pater ob virtutem ad Deos perduxit.* Vt denique Noſter quod volumus ſperandum, quod acciderit ferendum ait, eodem penè ſenſu Iſocrates: Χρὴ δὲ τοὺς μείζονος δόξης τῶν ἄλλων ἐπιθυμοῦντας, περιβάλλεσθαι μὲν τῇ διανοίᾳ τὰς πράξεις, δυνατὰς μὲν, εὐχῇ δ' ὁμοίας, ἐξεργάζεσθαι δὲ ζητεῖν αὐτὰς ὅπως ἂν οἱ καιροὶ παραδιδῶσιν. *Eos verò qui maiorem quàm cæteri gloriam concupiſcunt animo concipere oportet res quæ fieri quidem poſſint, ſed tamen adeo magnas vt votis potiùs ſimiles eſſe videantur, eas verò conari ad exitum perducere prout occaſio conceſſerit.*

Imitatio Iſocratis.

VI. Hercules Sanctus. Sanctissimo Hercvle.] De quo Propertius lib. 4. eleg. 10.

Hunc, quoniam manibus purgatum ſanxerat orbem
Sic Sanctum Tatiæ compoſuere cures.

De eius ambuſtione vide Sophoclem in Trachiniis, & alios paſſim. Hunc immortalitas excepiſſe dicitur quia Hebem, id eſt, Iuuentam, Iunonis filiam ei nupſiſſe fabulantur. Homerus Hymno in Herculem:

Νῦν δ' ἤδη κατὰ καλὸν ἕδος νιφόεντος Ὀλύμπου
Ναίει τερπόμενος καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην.
Aurea nunc ſolio ſtellantis regia cœli
Accipit atque Hebe formoſâ coniuge gaudet.

AXIOMATA.

Amanda patria, parendum Senatui, Conſulendum bonis.

Præſentes fructus negligendi, poſteritati ſeruiendum.

Quod optimum id rectiſſimum.

Speranda quæ volumus, ſed quod acciderit, ferendum.

Corpus hominum eſt mortale, animi verò motus & virtutis gloria ſempiterna.

Concluſio totius orationis ad miſericordiam iudicum excitandam.

- à perſona reorum. 144.
  - Sextij & Milonis, in quibus conſideratur
    - Virtus quâ defenderunt Ciceronem & Rempub.
    - afflictio. ſordidati ſunt & rei.
  - Sextij filij, in quo ſpectatur
    - pueritia prætextati.
    - pietas & miſeria lacrymantis.
  - Lentuli filij per comparationem vtriuſque fortunæ
    - ſuperiore anno accepit
      - togam virilem iudicio patris.
      - togam prætextam auguralem iudicio populi.
    - hoc anno togam ſordidam accepit ob rogationem C. Catonis de Lentulo patre per contumeliam è Cilicia reuocando.
- à cauſa calamitatis. 145. quia
  - Cicereronem defenderunt.
  - eius caſum luctúmque doluerunt.
  - eum ab exilio reuocarunt & reddiderunt
    - lugenti patriæ.
    - flagitanti Senatui.
    - poſcenti Italiæ.
    - Iudicibus ipſis orantibus.
- à ſuâ ipſius perſona. 145. 146. In qua ſpectantur
  - merita in patriam, quæ per ironiam ſcelera appellat, quia tanquam ſcelera puniuntur.
  - ærumnæ ob ſeruatam patriam illatæ, & ſupplicia meritis irrogata
    - 1. euerſa domus.
    - 2. fortunæ vexatæ.
    - 3. diſſipati liberi.
    - 4. raptata coniux.
    - 5. frater ad pedes inimicorum volutatus.
    - 6. Cicero ipſe pulſus. Exaggeratur
      - à religione Penatium.
      - pietate liberorum.
      - patriæ charitate à quibus auulſus eſt.
    - 7. videt eos pelli à quibus ipſe ſeruatus eſt.
- à perſona & poteſtate Iudicum. 147. Poſſunt
  - 1. his miſeriis ſubuenire.
  - 2. conformare bonorum mentes.
  - 3. reprimere improborum audaciam.
  - 4. renouare Rempublicam.
  - 5. tueri beneficium ſuum, quo Ciceronem in patriam reuocarunt.

ARGVMENTVM.

Altera pars Perorationis, qua à ſua, Sextij, Lentuli, Milonis perſonâ Iudices ad miſericordiam flectit, occaſionem ſumens ex iniectâ aliorum clarorum virorum mentione.

CXLIV. SED me repentè, Iudices, de fortiſſimorum & clariſſimorum ciuium dignitate, & gloria dicentem, & plura etiam dicere parantem, horum aſpectus in ipſo curſu orationis repreſſit. video P. Seſtium meæ ſalutis, veſtræ autoritatis, publicæ cauſæ defenſorem, propugnatorem, autorem, reum: video hunc prætextatum eius filium oculis lacrymantibus me intuentem: video Milonem vindicem veſtræ libertatis, cuſtodem ſalutis meæ, ſubſidium afflictæ Reipub. extinctorem domeſtici latrocinij, repreſſorem cædis quotidianæ, defenſorem templorum atque tectorum, præſidium Curiæ, ſordidatum & reum: video P. Lentulum, cuius ego patrem deum ac parentem ſtatuo fortunæ, ac nominis mei, & fratris, rerúmque noſtrarum, in hoc miſero ſqualore & ſordibus: cui ſuperior annus idem & virilem patris, & prætextatam populi iudicio togam dederit, hunc hoc anno in hac toga, rogationis iniuſtiſſimæ ſubitam acerbitatem pro patre fortiſſimo, & clariſſimo ciue deprecantem.

EXPLANATIO.

SED ME.] Finem impoſiturus commodè fingit ſe reorum adſpectu commoueri, & ab inſtituto orationis curſu reuocari.

VIDEO P. SEXT.] Meritò ab ipſius rei perſonâ ordiens eius merita tum erga ſeipſum, tum erga Rempub. ipſam exaggerat. plus autem eſt propugnare quàm defendere. nam is defendit qui quoquo modo tuetur, propugnat qui neruos omnes adhibet: aduerſariorum minas & inimicitias non pertimeſcens: plus etiam eſt auctorem eſſe quàm propugnatorem, nam is auctor dicitur qui aliis præit auctoritate ſua quid ſequantur, ſéque rei ſuſcipiendæ ducem & principem præbet.

VIDEO HVNC.] Solebant reorum liberos ad captandam Iudicum miſericordiam producere. Noſter à tribus miſerationem inflammat, à Sextij filij ætate, nobilitate, lacrymis. duo priora vnico verbo continentur. prætexta enim indicium fuit & puerilis ætatis, & dignitatis.

VIDEO MILONEM.] Res à Milone præclarè in amici, Reip. religionis cauſſâ geſtas in vnum quaſi cumulum aceruat, ſemper ad eundem miſerationis motum ex ipſius rei indignitate collineans.

VIDEO P. LENTVLVM.] C. Cato Tribunusplebis rogationem tulerat vt P. Lentulo Ciliciæ prouinciæ imperium abrogaretur. quam contumeliam Lentulus filius vt à patre depelleret, ſordidam veſtem accepit, vt populum ad miſericordiam commoueret. Quem motum à repentinâ fortunæ mutatione orator exaggerat: quòd videlicet ſuperiore anno ſic populi gratia floreret, vt primo ſui tirocinij anno poſitâ prætextâ puerili togam virilem & auguralem prætextam acceperit.

PRÆTEXTAM POPVLI IVDICIO.] Alij *prætextatam*, non placet.

NOTÆ.

PRÆTEXTATVM.] Prætextæ puerilis deſcriptionem paulò pòſt ex Errico adferemus. fusè Macrobius Satuinal. 1. cap. 6. vbi tradit Tarquinium Priſcum inſtituiſſe vt pueri *Patricij bullà aureâ cum toga, cui purpura prætexitur, vterentur, dumtaxat illi quorum patres curulem geſſerant magiſtratum: cæteris autem vt prætexta tantùm vterentur indultum, ſed vſque ad eos quorum parentes ſtipendia iuſta meruiſſent.* Poſteà tamen, id eſt oelio Punico 2. *Conceſſum vt libertinorum quoque filij, qui ex iuſta duntaxat matrefamilias nati fuiſſent, togam prætextam, & lorum in collo pro bullæ decore geſtarent.* Hæc porrò prætexta non puerorum modò fuit, verùm etiam puellarum. In Verrem de legat. & præturâ vrbanâ. *Eripies igitur pupillæ togam prætextam? detrahes ornamenta non ſolùm fortunæ, ſed etiam ingenuitatis?* vbi vide Pedianum. I. Prætexta puerilis. Toga prætexta puellarum.

EIVS FILIVM.] Solebant reorum liberos, aut etiam patres ætate confectos in iudicium producere, vt iudicum animos miſericordiâ commouerent. vt iam diximus ad 15. §. *Dolentiùs* pro Sulla 89. *Hic vos orat, Iudices, paruus, vt ſe aliquando ſi non integrâ fortunâ, at afflictâ, patri ſuo gratulari ſinatis. Huic miſero notiora ſunt iudiciorum itinera & fori, quàm ſcholæ & diſciplinarum.* Saluianus epiſtola ad Hypathium & Quietam parentes. *Vltimo cauſſarum loco aliqua nonnunquam ad commouendam Iudicum miſericordiam proferebant, laturis ſententiam diſceptatoribus, aut lamentantes matresfamilias, aut ſordidatos ſenes, aut plorantes paruulos ingerentes, &c.* Sic Meſſala admodum adoleſcens ac pene puer, pro Roſcio Amerino, ſic Fonteïa virgo Veſtalis pro Fonteio, ſic Cœlius ſenex ſordidatus pro Cœlio in peroratione producitur. more ab Athenienſibus deducto. Andocides oratione de myſteriis. Τίνα γὰρ καὶ ἀναβιβάσομαι δεησόμενον ὑπὲρ ἐμαυτοῦ; τὸν πατέρα; ἀλλὰ τέθνηκεν. τοὺς ἀδελφούς; ἀλλ' οὐκ εἰσίν. ἀλλὰ τοὺς παῖδας; ἀλλ' οὔπω γεγένηνται. II. Reorum liberi ad mouendos iudices producti.

ὑμεῖς τοίνυν ἀντὶ πατρὸς ἐμοὶ, καὶ ἀντὶ ἀδελφῶν, καὶ ἀντὶ παίδων γένεσθε. εἰς ὑμᾶς καταφεύγω, καὶ ἀντιβολῶ, καὶ ἱκετεύω. *Quem enim faciam adſcendere, vt pro me deprecetur? Patrem? at mortuus eſt. fratres? at nulli ſunt. liberos? at nondum ſunt geniti. Vos igitur mihi, Iudices, pro patre, fratribus & liberis eſtote. Ad vos confugio, vobis ſupplico, vos obteſtor.* Demoſthenes contra Midiam. Ὅταν οὗτος ἔχων τὰ παιδία, τούτοις ἀξιοῖ δοῦναι τὴν ψῆφον ὑμᾶς, τότε δ' ὑμεῖς τοὺς νόμους ἔχοντά με πλησίον ἡγεῖσθε παρεστάναι, καὶ τὸν ὅρκον ὃν ὀμωμόκατε. *Cùm is pueros tenens his vos dare calculum ſupplicabit, tunc me leges & veſtrum iuſiurandum tenentem, & prope adſtantem arbitramini.* Idem Oratione de falſa legatione: Καὶ τὰ παιδία ἴσως παράξει καὶ ἀναβιβάσεται. ὑμεῖς δ' ἐνθυμεῖσθε, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, πρὸς μὲν τὰ τούτου παιδία, ὅτι πολλῶν συμμάχων ὑμετέρων καὶ φίλων παῖδες ἀλῶνται καὶ πτωχοὶ περιέρχονται δεινὰ πεπονθότες διὰ τοῦτον, &c. *Puerulos fortaſſe producet, & faciet adſcendere. Vos autem cogitate, Iudices, reſpectu ad illius liberos, multorum ſociorum veſtrorum liberos errare, & mendicos circumire, crudeliter tractatos propter iſtum.* Suauiter & feſtiuè Bdelycleon apud Ariſtpohanem in Veſpis canem defendens tandem peroratâ cauſsâ catellos producit.

--ποῦ τὰ παιδία;
Ἀναβαίνετ' ὦ πονηρὰ, καὶ κνυζούμενα
Αἰτεῖτε, κἀντιβολεῖτε, καὶ δακρύετε.
--vbi liberi?
Venite miſeri gannientes protinus
Orate, ſupplicate, lacrymas date.

III. SORDIDATVM.] De ſordibus reorum, vide Piſonianam vltimâ ſectione, & infrà §. proximè ſequenti.

IV. Deus. DEVM.] Poſt reditum in Senatu 7. *Lentulus parens ac Deus noſtræ vitæ.* Papinius 10. Thebaidos.

--tam vulgus euntem
Auctorem pacis, ſeruatorémque, Deúmque
Conclamat.-

Siquidem, vt ait Plinius libro 2. cap. 7. *Deus eſt mortali iuuare mortalem.* Sed non moror. Nazianzenus, περὶ φιλοπτωχίας. Γενοῦ τῷ ἀτυχοῦντι θεός. τὸν ἔλεον θεοῦ μιμησάμενος. οὐδὲ γὰρ οὕτως, ὡς τὸ εὖ ποιεῖν ἄνθρωπος ἔχει θεοῦ. *Eſto infœlici Deus, Dei miſericordiam imitans, nihil enim Dei habet homo perinde ac benefacere.*

ET VIRILEM.] Erricus qui ſub Carolo Caluo florebat, in vita ſancti Germani prætextã puerilem & virilis togæ ſumptionẽ ita deſcribit.

Signabat trepidas & adhuc rationis egentes,
Conſiliique inopes prætexta aptiſſima mentes.
Dicta quòd hanc Tyrio limbus prætexeret oſtro,
Prætexta puerilis. *Et ſuper hanc affixa toreumata, Græculus vſus,*
A Graiꝭ traxere Itali, index nobilitatis.
Hic tum cultus erat, tranſcenſa puertia poſtquã
Veſtibat teneras molli lanugine malas.
(Id bis ad octonos erat attrectaſſe Decembres)
Cedebat prætexta togæ, patriiſque coæuas
Aptabant laribus puerilia munera bullas.

Verùm quod ait ad bis octonos Decẽbres vſum fuiſſe prætextæ puerilis, id non videtur vſquequaque verum: Nec enim certus fuit annus ad ſumendam virilem togam conſtitutus, ſed id à patris iudicio pendebat. Certè cùm ab anno ætatis quarto & decimo patresfamilias eſſe poſſent, prætextam puerilem ante annum decimum, & octauum ponere potuerunt. Tertullianus de virginibus velandis. *Tempus etiam Ethnici obſeruant, vt ex lege naturæ iura ſua ætatibus reddant. Nam fœminas quidem à duodecim annis, maſculum verò à duobus amplius ad negotia mittunt, pubertatem in annis non ſponſalibus aut nuptiis decernentes. Materfamiliæ vocatur licet virgo, & paterfamiliæ licet inueſtis.* Quare, vt alibi notabimus, ſeriùs ociùs, vt commodum fuit eam poſuerunt, ſumptâ virili togâ. Toga virilis ἡ τῶν τελείων στολὴ dicitur Appiano, *aliis toga pura.* Catullus ad Malliũ. Toga virilis quo anno ſumebatur.

Tempore quo primùm veſtis mihi tradita pura eſt
Iucundum cùm ætas florida ver ageret.

Tertullianus lib. de Idololatria, cap. 16. *Circa officia verò priuatarum & communium ſolemnitatũ, vt togæ puræ,* &c. Plinius lib. 8. cap. 48. de Tanaquile. *Ea prima texuit rectam tunicam, qualis cum toga pura tironi induuntur nouæque nuptæ.* Cicero epiſt. ad Atticum frequenter id nominis vſurpat. vt lib. 5. epiſt. 20. *Quinto ſororis tuæ filio togam puram iubeor dare.* lib. 6. ep. 1. *Quinto togam puram liberalibus cogitabam dare, mandauit enim pater.* lib. 9. epiſt. 22. *Ego meo Ciceroni, quoniam Roma caremus, Arpini potiſſimùm togam puram dedi.* Dicta pura, quòd non eam purpureus limbus prætexeret, nullúſque adſcitus color eius candorem vlla ex parte vitiaret. Vnde & *candidus vmbo* apud Perſium. Toga pura.

Togam virilem ante larium ſimulacra ſumebãt. Sumebant togam virilẽ ante lares bullas laribus appendebant.
Propertius eleg. 1. lib. 4.
Matris & ante Deos libera ſumpta toga eſt.
Erricus ſuprà.

--patriiſque coæuas
Aptabant laribus, puerilia munera bullas.

Perſius. *--cuſtos mihi purpura ceſſit,*
Bulláque ſuccinctis laribus donata pependit.

Sumptâ virili toga certam pecuniam ad templũ Iuuentæ deferebant. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 4. agens de Seruij Tullij inſtitutis. Βουλόμενος καὶ τῶν ἐν ἄστει διατριβόντων τὸ πλῆθος εἰδέναι, τῶν τε γεννωμένων καὶ ἀπογινομένων, καὶ τῶν εἰς ἄνδρας ἐγγραφομένων, ἔταξεν ὅσον ἔδει νομίσματος καταφέρειν ὑπὲρ ἑκάστου τοὺς προσήκοντας, εἰς μὲν τὸν τῆς Εἰλειθυίας θησαυρὸν, ἣν Ῥωμαῖοι καλοῦσιν Ἥραν φωσφόρον ὑπὲρ τῶν γεννωμένων, εἰς δὲ τὸν τῆς Ἀφροδίτης ἐν ἄλσει καθιδρυμένον, ἣν προσαγορεύουσι Λιβιτίνην ὑπὲρ τῶν ἀπογινομένων. εἰς δὲ τὸν τῆς Νεότητος ὑπὲρ τῶν εἰς ἄνδρας ἀρχομένων συντελεῖν. *Volens eorum qui in vrbe verſabantur multitudinem agnoſcere, ſiue qui naſcerentur, ſiue qui decederent, ſiue qui ſumerent togam virilem, conſtituit vt eorum neceſſarij pro vnoquoque certam pecuniam deferrent, in Iunonis, quam Lucinam appellant pro iis qui naſcerentur, in Veneris, quam Libitinam vocant, in luco poſitum ærarium pro iis qui diem obiiſſent, in Iuuentutis ædem pro iis qui togam virilem ſumpſiſſent.* Tunc etiam prænomen videntur accepiſſe cũ priùs nõ haberent. C. Titus Probus Epitome Valerij Maximi lib. 10. *Pueris non priuſquam togam virilem ſumerent: puellis non antequã nuberent, prænomina imponi moris fuiſſe Q. Scæuola auctor eſt.* Subdit Publios prænominatos fuiſſe, *qui priùs pupilli facti erant, quàm prænomina haberent.* Sed hic mos, vt opinor, iam exoleuerat æuo Ciceronis. Certè Plutarchus in quæſt. Rom. problemate centeſimo primo cauſſam inquirens, Διὰ τί τῶν παίδων τοῖς μὲν ἄρρεσιν ἐναταίοις, τοῖς δὲ θήλεσιν ὀγδοαίοις τὰ ὀνόματα τίθενται; *Cur liberorum maſculis quidem nono die, fœminis verò octauo nomina imponunt?* etiã de pronomine loqui ſe oſtendit. χρῶνται δὲ δυσὶ μὲν ὀνόμασιν αἱ θήλειαι, τρισὶ δὲ οἱ ἄρρενες. Certam pecuniam ad templum Iuuentæ deferebant.- Accipiebant prænomen.

Vtuntur verò duobus quidem nominibus fœminæ, tribus verò mares. Ad quorum prænominum impoſitionem videtur ea ſuperſtitio referri poſſe, quam etiam ad ſua tempora durauiſſe queritur Diuus Ioannes Chryſoſtomus homilia 12. in ep. 1. ad Corinthios. Λύχνους ἅψαντες, καὶ ὀνόματ' αὐτοῖς ἐπιθέντες, τὸν διαρκέσαντα μέχρι πολλοῦ τοῦ παιδίου ποιοῦσιν ὁμώνυμον, ἐντεῦθεν πολλῷ αὐτῷ στοχαζόμενοι βιώσεσθαι χρόνον. *Cùm lychnos accenderint, iiſque nomina indiderint, illius qui diutiùs durauerit puero nomen imponunt, & ex eo puerum diutiùs victurum eſſe augurantur.* Sed in viam redeamus. Sumptâ virili togâ, bullis appenſis, pecuniâ ad ædes Iuuentæ delatâ, prænominibus acceptis, tum amicis comitantibus ad Capitolium & alia fortaſſe delubra Diis ſacra facturi ſe conferebant.

Templa adibant. Appianus 4. ciuilium: Ἀτίλιος δ' ἄρτι τὴν τῶν τελείων περιθέμενος στολὴν, ᾔει μὲν, ὡς ἔθος ἐστὶ, σὺν πομπῇ φίλων ἐς τὰς θυσίας ἐς τὰ ἱερά. *Attilius mox ſumptâ virili togâ, deductus ab amicis, ad templa ſacrificij cauſſa, vt moris eſt, ſe conferebat.* quam deductionem *ſolemne officium* Tranquillus appellat in Claudio. *Togæ virilis die circa mediam noctem, ſiue ſolemni officio lectica in Capitolium latus eſt.* Eodem die ſumptâ virili togâ clientes & amicos ad cœnam vocabant, vt ex eo ſuſpicari libet, quòd Principes vniuerſæ plebi congiarium dederunt. Cornelius Tacitus lib. 3. annalium de Nerone filio Germanici.

Amicis & clientibus conuiuium dabant. *Additur pontificatus & quo primùm die forum ingreſſus eſt, congiarium plebi admodum lætæ quòd Germanici ſtirpem iam puberem aſpiciebat.* Tranquillus in Nerone cap. 7. *Deductus in forum tiro populo congiarium, militi donatiuum propoſuit.* Quod etiam factum à priuatis in Bithynia tradit Plinius Iunior epiſtola quadam ad Traianum. *Qui virilem togam ſumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt magiſtratum ſolent totam bulem, atque etiam è plebe non exiguum numerum vocare, binóſque denarios vel ſingulos dare.*

Vnus erat annus ad cohibendum togâ brachium cōſtitutus. Sumpta virili toga *annus erat vnus ad cohibendum brachium toga conſtitutus: & vt exercitatione ludóque campeſtri tunicati vterentur.* vide Notas noſtras in Cœlianam 11.

VI. Prætextam popvli ivdicio.] Videndum eſt & quæ fuerit prætexta, & cur populi iudicio data dicatur. Prætexta fuit Auguralis. Dio lib. 39. Τοῦ νόμου διαῤῥήδην ἀπαγορεύοντος, μηδένα ἅμα ἐκ τῆς αὐτῆς συγγενείας τὴν αὐτὴν ἱερατείαν ἔχειν, ὁ Σπινθὴρ ὁ ὕπατος ἐπιθυμήσας Κορνήλιον, Σπινθῆρα ἐς τοὺς οἰωνιστὰς εἰσαγαγεῖν, &c. ἐξεποίησεν αὐτὸν ἐς τὸ Μαλλίου Τουρκουάτου γένος. *Lege conceptis verbis prohibente, ne duo ex eadem familiâ idem ſacerdotium obtinerent, Spinther Conſul Cornelium Spintherem filium ſuum cupiens ad auguratum promouere, &c. eum in Manlij Torquati gentem adoptauit.* Dubitari tamen poteſt an Augures prætextæ ius habuerint. Prætexta auguralis nam Liuius libro 10. videtur innuere contrarium. *Cui hominum Deorúmve indignum videri poteſt* (verba ſunt P. Decij Muris in concione) *eis viris quos vos ſellis curulibus togâ prætextâ, tunicâ palmatâ, & togâ pictâ & coronâ triumphali laureaque honoraritis, quorum domos ſpoliis hoſtium affixis inſignes inter alias feceritis, pontificalia atque auguralia ſacra adiicere? Qui Iouis Opt. Max. ornatu decoratus, curru aurato per vrbem vectus in Capitolium adſcenderit, ſi conſpiciatur cum capide ac lituo, capite velato victimam cædat, auguriúmve ex arce capiat?* Et lib. 33. *Triumviri epulones facti, &c. his triumuiris item vt Pontifici lege datum togæ prætextæ habendæ ius.* Quibus verbis videtur prætextam cæteris ſacerdotibus denegare: Clarè tamen libro ſequenti ſacerdotalem prætextam agnoſcit. *Purpura viri vtemur prætextati in magiſtratibus, in ſacerdotiis: liberi noſtri prætextis purpura togis vtentur: magiſtratibus in coloniis municipiiſque, hic Romæ infimo genere, magiſtris vicorum togæ prætextæ habendæ ius permittemus: Nec id vt viui ſolùm habeant tantum inſigne, ſed etiam vt cum eo crementur mortui: fœminis duntaxat purpuræ vſum interdicemus.* Hæc P. Valerius de Oppiâ lege abrogandâ. Et Tertullianus libro de idololatria prætextam quamdam ſuperſtitioſam agnoſcit. *Penes nos quoque fideles, ſi neceſſe fuerit, poterit & pueris prætexta concedi, & puellis ſtola, natiuitatis inſignia non poteſtatis, generis non honoris, ordinis non ſuperſtitionis.* Id eſt opinor, ſacerdotij. ſubdit: *Cùm præterea ipſis etiam idolis in quantum prætextæ, & trabeæ, & laticlaui, faſces quoque & virgæ præferantur.* Iam auguratum atque adeo prætextam auguralem populi comitiis datam fuiſſe teſtatur Liuius lib. 39. Auguratus datus à populo. *Comitia auguris creandi habita erant.* Alias tamen allegebantur ab Augurum collegio. Liuius lib. 45. *Augur eo anno mortuus eſt C. Claudius: in eius locum Augures legerunt Titum Quintium Flamininum.* Noſter oratione 2. pro Cornelio refert per quem hæc poteſtas ad populum tranſlata ſit, de Domitio Catuli auunculo ita loquens, qui *Populo Romano dedit, & potentiſſimorum hominum collegiis eripuit,* Aut ab auguribus. *cooptandorum ſacerdotum poteſtatem.* de quo alibi fortaſſe diſſeremus.

ARGVMENTVM.

Ad captandam omnem miſerationis auram vela orationis expandens, ſuorum amicorum calamitatem deflet, eámque à ſuis ipſius in Rempub. meritis, & oppreſsâ coniuratione promanare demonſtrat, omnéſque in ſe ſuóſque ex eo fonte redundare dolores.

CXLV. Atqve hic tot & talium ciuium ſqualor, hic luctus, hæ ſordes ſuſceptæ ſunt propter vnum me, quia me defenderunt, quia meum caſum, luctúmque doluerunt, quia me lugenti patriæ, flagitanti Senatui, poſcenti Italiæ, vobis omnibus orantibus reddiderunt. Quod tantum eſt in me ſcelus? quid tantopere deliqui illo, illo die, cùm ad vos indicia, literas, confeſſiones communis exitij detuli? cùm parui vobis? Ac ſi ſceleſtum eſt amare patriam, pertuli pœnarum ſatis: euerſa do-

mus eſt, fortunæ vexatæ, diſſipati liberi, raptata coniunx, frater optimus incredibili pietate, amore inaudito, maximo in ſqualore volutatus eſt ad pedes inimiciſſimorum: ego pulſus aris, focis, diis penatibus, diſtractus à meis, carui patria, quam (vti leuiſſimè dicam) certè texeram: pertuli crudelitatem inimicorum, ſcelus infidelium, fraudem inuidorum.

EXPLANATIO.

ATQVE.] Aduerte quemadmodum calamitatis indignitatem, ſenſim exaggeret. Indignum eſt aliquem in luctu & ſqualore verſari quòd amicum defenderit, indignius eſt vexari quòd amici caſum luctúmque doluerit (intolerabile enim eſt quemquam in Repub. tantum poſſe, vt audeat lacrymas adeo iuſtas prohibere.) Quanto igitur tandem indignius erit, ideo quemquam reum fieri, quòd lugenti patriæ ſuccurrerit? flagitanti Senatui obtemperarit, &c. Atque hunc indignationis motum adiectâ miſeratione magis inflammat à ſuâ ipſius perſonâ. *propter vnum me*, &c.

QVOD TANTVM.] pro Milone 104. *Quodnam concepi tantum ſcelus? aut quod in me tantum facinus admiſi, Iudices, cùm illa indicia communis exitij indagaui, patefeci, protuli, extinxi? omnes in me meóſque redundant ex illo fonte dolores.*

ILLO DIE.] Nonis Decembribus. vide orationem pro Flacco 102. 103.

INDICIA.] Vide 3. Catilinariam à §. 5. ad 14. ſic 13. *Illa certiſſima ſunt viſa argumenta, atque indicia ſceleris, tabellæ, ſigna, manus, denique vniuſcuiuſque confeſſio.* Pontinus & Flaccus Prætores, in ponte Miluio legatos Allobrogum deprehenderunt cum litteris Cethegi quas ad ſuam gentem deferebant, vt Allobroges ad delendam vrbem excitarent. eæ ad Senatum prolatæ ſunt. vide fusè.

CVM PARVI VOBIS.] Vide quam modeſtè, & ſine exprobratione ſuorum beneficiorum memoriam renouet, ad miſerationem excitandam.

AT SI SCELESTVM.] Ironia lugubris, ſimul & inuidioſa.

EVERSA DOMVS.] Rem amplificat & motum concitat ab enumeratione rerum quæ ſunt in vita chariſſimæ & iucundiſſimæ, in quarum ſingularum vexatione incredibilem hauſit animo dolorem. addit fratrem volutatum ad pedes inimiciſſimorum, quo nihil eſſe poteſt luctuoſius. Ad ſuam deinde perſonam delapſu expulſionem ſuam à religionibus à quibus abſtractus eſt magis exaggerat, & modeſtiſſimam miniméque inuidioſam conſeruatæ à ſe patriæ mentionem interſerit. Quid deinde? quid illa? *Pertuli crudelitatem*, &c. Pro domo ſua 44. *Expleui animos inuidorum, placaui odia improborum, ſaturaui etiam perfidiam & ſcelus proditorum.*

NOTÆ.

1. SORDES.] Rei vt Iudices ad miſericordiam commouerẽt, ſordes & illuuiem affectabant, barbam & capillos ſubmittebant, ponebant annulos cæterúmque corporis ornatum, induebantur veſte ſordibus obſoleta, & fortaſſe, quod in luctu factum fuiſſe conſtat, caput de induſtria puluere ſpargebant. Sed operæ non eſt in ſingulorum probationibus immorari. Cicero certè antequam iret in exilium, ταπεινὴν ἐσθῆτα ἐπικείμενος, γέμων τ' αὐχμοῦ καὶ ῥύπου, *humili veſte indutus, ſqualore & ſordibus oppletus*, ab Appiano primo ciuilium, & τὴν βουλευτικὴν ἐσθῆτα ἀπορρίψας, ἐν τῇ ἱππάδι περινοστῶν, *abiectâ Senatoriâ veſte, in equeſtri prehenſans*, à Dione lib. 38. deſcribitur. E quibus videas moris fuiſſe, vt rei, cùm detritas obſoletáſque veſtes ſumebant, etiam ordinis ſui ornamenta deponerent. vt oratione in Piſonem fuſiùs explicamus. Sic neſcio quis ab Halicarnaſſeo lib. 6. ῥάκος ἠμφιεσμένος, πώγωνα βαθὺν καθειμένος καὶ κόμην. *vili panno bellatus, barbâ profundâ capillóque promiſſo* in forum inducitur. Sed quod ad capillorum promiſſionem attinet, placet è Plinio Iuniore lib. 7. ep. 27. plura exhibere. *Eſt libertus mihi, Marcus non illiteratus, cum hoc minor frater eodem lecto quieſcebat. is viſus eſt ſibi cernere quendam in toro reſidentem, admouentémque capiti ſuo cultros, atque etiam ex ipſo vertice amputantem capillos. vbi illuxit, ipſe circa verticem tonſus, capilli iacentes reperiuntur. Exiguum temporis medium, & rurſus ſimile aliud priori fidem fecit. Puer in pædagogiâ miſtus pluribus dormiebat: venerunt per feneſtras (ita narrat) in tunicis albis duo, cubantémque detonderunt, & qua venerant receſſerunt. hunc quoque tonſum ſparſóſque circa capillos dies oſtendit. Nihil notabile ſecutum, niſi fortè quod non fui reus: futurus ſi Domitianus, ſub quo hæc acciderunt, diutius vixiſſet. nam in ſcrinio eius datus à Caro de me libellus inuentus eſt. Ex quo coniectari poteſt, quia reis moris eſt ſummittere capillum, recisos meorum capillos depulſi quod imminebat periculi ſignum fuiſſe.* Rei abſoluti capillos tondebant, ad veſtitum redibant, templa Deorum adibant. Martialis:

Sordes reorum.

Capillos promittebant.

Quanta reduci Regulus ſolet turba
Ad alta tonſum templa cum reum miſit.

Rei abſoluti capillum tondebant.

QVIA ME DEFENDERVNT.] Etſi quod ait Socrates apud Xenophontem ſatius eſt innocentem damnari quàm nocentem, plurimum tamen momenti habet ad excitandum miſerationis affectum, calamitatis cauſſam expendere. Magis enim ad miſericordiam commouemur, ſi quem non propter ſcelera, ſed propter virtutes, & eas maximè quæ magis in Reip. commodum redundant, quales ſunt amor patriæ, charitas, pietas, in cladem & exitium incidiſſe videamus. Sic Prometheus apud Æſchylum: 11.

Ὁρᾶτε δεσμώτην με δύσποτμον θεόν.
Τὸν Διὸς ἐχθρόν, τὸν πᾶσι θεοῖς
Δι' ἀπεχθείας ἐλθόντ' ὁπόσοι
Τὴν Διὸς αὐλὴν εἰσοιχνεῦσι
Διὰ τὴν λίαν φιλότητα βροτῶν.
Videte preſſum vinculis miſerum Deum.
Hoſtémque Ioui, reliquiſque Diis,
Quoſcunque Iouis Regia magni
Stellans recipit, propter amorem
Ingentem erga genus humanum.

Noſter eodem pene modo. nam quod ille ait *miſerum Deum*, hic *tot taliúmque ciuium ſqualor.* à perſona eorum qui in calamitatem inciderunt. ille *propter amorem mortalium*, hic *propter vnum me, quia me defenderunt.* ille Iouem reliquóſque Deos ſibi queritur eſſe inimicos, hic queritur de crudelitate inimicorum. vnum eſt in quo Noſter longo ſuperet interuallo. Nam præterquam quod animi ſui gratitudinem oſtendit, amicorum in ſe ſtudia commemorans, & eorum perniciem ex hoc fonte manare deplorans, tum ſua tum amicorum in patriam merita ſtrictim modeſtiſſiméque commemorat: ex qua beneficiorum mentione non inuidiam in reum, ſed miſericordiam & lacrymas leniter elici neceſſe eſt. At Prometheus commemoratis ad nauſeam ſuis in mortales beneficiis, inuidiam potiùs excitat quàm miſerationem incendit.

III. QVOD TANTVM EST IN ME SCELVS?] Ex eodem Æſchylo:

Ἑκὼν, ἑκὼν ἥμαρτον, οὐκ ἀρνήσομαι
Θνητοῖς δ' ἀρήγων αὐτὸς εὑρόμην πόνους.
Volens, volens (non id nego) admiſi ſcelus.
Reperi labores ipſe, mortales fouens.

Sed hic iterum longè ſuperat noſter. Prometheus enim quaſi beneficiorum ſuorum pœnitentiâ ductus & peccatum fatetur, & videtur ab amore deſiſtere: noſter non fatetur, ſed, quod magis ad rem, Iudices rogat quod tandem ſcelus admiſerit: propter quod adeò ſeuerè puniatur? ad cuius imitationem Venus 1. Æneidos:

Quid meus Æneas in te committere tantum,
Quid Troes potuere? quibus tot funera paſſis
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?

IV. DISSIPATI LIBERI.] Magnam vim habet ad miſerationis affectum liberorum, coniugis cæterarúmque neceſſitudinum amiſſio, & inimicorum tripudiantium irriſio. Electra Sophoclea tenens in vrna, vt ſibi videbatur, Fratris Oreſtis cineres:

-Πάντα γὰρ συναρπάσας
Θύελλ' ὅπως, βέβηκας, οἴχεται πατὴρ,
Τέθνηκ' ἐγώ σοι, φροῦδος αὐτὸς εἶ θανών.
Γελῶσι δ' ἐχθροί, μαίνεται δ' ὑφ' ἡδονῆς
Μήτηρ ἀμήτωρ.-
-Cuncta ceu turbo ſimul
Tecum abſtuliſti, genitor eſt letho datus,
Ego ipſa cecidi, morte vaneſcis cadens.
Ridet inimicus, gaudio inſanit parens
Non iam parens.-

Sic Andromache 6. Iliados lamentata mortuam matrem, & patrem ſeptémque fratres vna die interemptos, ſuauiſſimè & ad miſericordiam captandam aptiſſimè ſubiecit.

Ἕκτορ ἀτὰρ σύ μοί ἐσσι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ,
Ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης.
Tu mihi tu reſtas genitor, venerandáque mater,
Tu frater coniúxque mihi pulcherrimus Hector.

Optimè etiam Lycurgus contra Leocratem. Ὁρᾶν δ' ἦν ἐπὶ μὲν τῶν θυρῶν γυναῖκας ἐλευθέρας, περιδεεῖς, καταπεπληγμένας καὶ πυνθανομένας εἰ ζῶσι, τὰς μὲν ὑπὲρ ἀνδρὸς, τὰς δ' ὑπὲρ πατρὸς, τὰς δ' ὑπὲρ ἀδελφῶν, &c. *Videre erat mulieres liberas, pauidas, timore perculſas in ianuis, interrogantes viuerentne, alias de marito, alias de patre, alias de fratribus,* &c. Similis etiam motus apud Lyſiam in Epitaphio: Ἔλεος τε παίδων, καὶ γυναικῶν πόθος, οἶκτός τε πατέρων, καὶ μητέρων· λογισμός τ' εἰ δυστυχήσειαν τῶν μελλόντων ἔσεσθαι κακῶν. τίς οὐκ ἂν θεῶν ἠλέησεν αὐτοὺς ὑπὲρ τοῦ μεγέθους τοῦ κινδύνου; ἢ τίς ἀνθρώπων οὐκ ἐδάκρυσεν; *Miſeratio puerorum, mulierum deſiderium, miſericordia patrum & matrum: cogitatio eorum, quæ ſi fortuna reflauiſſet, futura erant malorum. Quis Deorum non miſertus eſt pro magnitudine periculi? aut quis hominum non illacrymauit?* Herodes Orator oratione de Repub. Τί γὰρ οὐκ ἐγένετο τῶν μεγίστων κακῶν; οὐ παῖδες, καὶ γυναῖκες, καὶ πατέρες γέροντες, καὶ μητέρες θεαταὶ κατέστησαν ἀποθνησκόντων, οἱ μὲν πατέρων, αἱ δ' ἀνδρῶν, οἱ δὲ παίδων; αἱ μὲν ἐν ταῖς αὐτῶν χερσὶ τελευτησάντων τὸν βίον, αἱ δὲ ἐν τοῖς πολεμίοις διαφθειρομένων; οἰκίας δὲ κατασκαπτομένας, καὶ χρήματα διαρπαζόμενα; *Quid enim non accidit malorum maximorum? Ecquid pueri, mulieres, patres ætate confecti & matres ſpectatores morientium fuerunt, illi patrum, hæ maritorum, illi liberorum, aliæ in ſuis ipſarum manibus vitam finientium, aliæ in mediis hoſtibus peremptorum? domos euerſas, pecunias direptas?*

AD PEDES INIMICISSIMORVM.] Tale pathos apud Homerum 24. verſu 478. V.

Τοὺς δ' ἔλαθ' εἰσελθὼν Πρίαμος μέγας, ἄγχι δ' ἄρα στὰς
Χερσὶν Ἀχιλλῆος λάβε γούνατα, καὶ κύσε χεῖρας
Δεινὰς, ἀνδροφόνους, αἵ οἱ πολέας κτάνον υἷας.
Ingreditur magnus Priamus non cognitus vlli,
Et genus Æacidæ manibus capit, oſcula diris
Dat manibus, diris, homicidis, quæque paternos
Fœdarunt multo natorum ſanguine vultus.

Hinc etiam miſerationem Turnus accerſit 12. Æneidos:

-Viciſti, & victum tendere palmas
Auſonij videre, tua eſt Lauinia coniux.

Et libro 4.

Soror, atque hoſtem ſupplex affare ſuperbum.

Sic Achemenides Græcus hoſtium Troianorum:

-genua amplectens genibúſque volutans.

Lib. 3. deſcribitur. Vide planè Quintianam 96. 97.

AXIOMATA.

Miſerum eſt videre propter ſe ſummos viros in luctu, ſordibus, & ſqualore verſari.

Miſerum eſt vexari obſeruatam Rempub. quaſi ſceleſtum eſſet amare patriam.

Miſerum eſt videre ſuos crudeliter vexatos.

Miſerum eſt perferre crudelitatem inimicorum, ſcelus infideliũm, fraudem inuidorum.

ARGVMENTVM.

Vt miſerationem magis incendat, ſeipſum, ſi is damnetur, & in exilium ire iubeatur, calamitatis & exilij comitem offert Orator.

CXLVI. SI hoc non eſt ſatis, quòd hæc omnia deleta videntur reditu meo: multò mihi, multò, inquam, Iudices præſtat, in eandem illam

recidere fortunam, quàm tantam importare meis defenſoribus & conſeruatoribus calamitatem. An ego in hac vrbe eſſe poſſum, his pulſis, qui me huius vrbis compotem fecerunt? non ero. non potero eſſe, Iudices: neque hic vnquam puer, qui his lacrymis qua ſit pietate declarat, amiſſo patre ſuo propter me, me ipſum incolumem videbit: nec quotieſcunque me viderit, ingemiſcet, ac peſtem ſuam & patris ſui ſeſe dicet videre. Ego verò vos in omni fortuna, quæcunque erit oblata, complectar: nec me ab iis, quos meo nomine ſordidatos videtis, vnquam vlla fortuna diuellet: neque eæ nationes, quibus me Senatus commendauit, quibus de me gratias egit, hunc exulem propter me ſine me videbunt.

EXPLANATIO.

SI HOC.] Si nondum ad expiandum ſcelus quod amando patriam admiſi ſufficiunt, ea rei familiaris naufragia, coniugia & liberorum meorum vexatio, fratris luctus, exilium meum: malo in exilium redire, & iterum in coniuge, liberis, & fratre vexari, quàm importare calamitatem Sextio, Lentulo, Miloni & cæteris meæ ſalutis auctoribus, qui me patriæ, mihi patriam reddiderunt.

AN EGO.] Cauſſam reddit cur malit in exilium proficiſci, quàm videre ſuos benefactores eo nomine damnari & expelli quòd ipſum in patriam reuocarint: motúmque iniecta Sextij filij mentione magis exaggerat.

PESTEM SVAM.] Cauſſam exilij paterni. Quibus enim oculis videre poſſem, eum qui quoties me videret, toties ingemeret, & me cauſſam paternæ calamitatis eſſe cenſeret?

EGO VERÒ VOS.] Dubium eſſe poſſit, ſitne apoſtrophe, & à Iudicibus ad reos ſe conuertat Orator, vt iis, ſi damnentur, offerat ſe exilij comitem. Crediderim tamen hæc ipſa Iudicibus dici, vt eorum beneuolentiam aucupetur, dicens ſe, etiamſi rei damnati fuerint, & ipſe cum damnatis in exilium diſceſſerit. non dimouendum tamen eſſe à patriæ & Iudicum charitate. vt pro Milone §. 100. *Nullum vnquam, Iudices, mihi tantum dolorem inureris, (etſi quis poteſt eſſe tantus) ſed ne hunc quidem ipſum, vt obliuiſcar quanti me ſemper feceritis.* Sed operæpretium eſſet totam illam perorationem cum præſenti cōponere.

EÆ NATIONES.] Meritò, dum cauſſam reddere videtur, cur à Sextio diuelli non debeat, reuocat in memoriam quanti factus fuerit à Senatu, ne minor in iudicio ſit eius auctoritas.

NOTÆ.

MVLTO MIHI, MVLTO.] Huiuſmodi repetitiones & conduplicationes in peroratione libenter vſurpat, vt ſuperius. *Illo, illo die.* pro Flacco 102. *Tu, tu, Flacce, Prætor, communis exitij nuntios cepiſti: tu,* &c. I.

INCOLVMEM.] *Incolumitas,* vt ait Cornificius lib. 2. ad Herennium, *eſt ſalutis tuta atque integra conſeruatio.* lib. 3. ad Attic. ep. 15. *Si tu incolumis me requiris, quomodo à me ipſam incolumitatem deſiderari putas?* Dictus incolumis, vt volunt Grammatici propter firmitatem & ſtabilitatem: quaſi ſtans in columna, vel quod ſine columine & alterius adminiculo ſtare poſſit. II. Incolumitas.

PESTEM SVAM ET PATRIS.] Τοῦ οἴκου ἀνατροπέα Antiphon apologia cædis appellat, id eſt, *domus euerſorem,* alij ἀλάστορα, alij παλαμναῖον, alij aliter. III.

COMPLECTAR.] Ita 9. Æneidos: IV.

-Te pectore toto
Accipio & comitem caſus complector in omnes.

Solet autem ſuam & reorum beneuolentiam, quicunque tandem iudicij fuerit euentus, Iudicibus & Reipub. polliceri, vt ex Miloniana iam oſtendimus. pro Flacco 104. 105. & alibi. Seneca eodem flexu in controuerſiis. *In omnem me fortunam frater tibi iungam comitem.* & 2. Æneidos:

-Vnum & commune periclum
Vna ſalus ambobus erit.

AXIOMATA.

Præſtat in calamitatem recidere, quam importare noſtris conſeruatoribus calamitatem.

Debemus amicos in omni fortuna complecti.

ARGVMENTVM.

Clauſula eſt totius orationis, qua tria præſtat: primo oſtendit ſummam in cauſſa eſſe Iudicum poteſtatem. deinde ex abſolutione Sextij magnum emolumentum redundaturum eſſe in vniuerſam Rempub. Denique Iudices obteſtatur ne eum illi condemnent, cui ipſe ſalutem referre debeat acceptam.

SED hæc Dij immortales, qui me ſuis templis aduenientem receperunt, ſtipatum ab his viris, & P. Lentulo Conſule, atque ipſa Reſpublica, qua nihil eſt ſanctius, veſtræ poteſtati, Iudices, commiſerunt. Vos hoc iudicio omnium bonorum mentes confirmare, impro- CXLVII.

borum, reprimere poteſtis: vos his ciuibus vti optimis, vos me reficere, & renouare Rempublicam. Quare vos obteſtor atque obſecro, vt ſi me ſaluum eſſe voluiſtis, eos conſeruetis, per quos me recuperauiſtis.

EXPLANATIO.

SED HÆC.] Sed vos poteſtatem omnem habetis, vt vel in vrbe maneam Sextio abſoluto, vel eum ſequar damnatum & veſtris ſententiis expulſum è ciuitate. hanc poteſtatem Iudicibus ait Deorum voluntate permiſſam, atque commiſſam, tum vt iudicum animos iniectâ religionis mentione permoueat, ne ea ad innocentis perniciem abutantur, tum vt oſtendant, Deorum voluntatem eſſe vt & Sextius abſoluatur, & ipſe Cicero maneat: non enim eum ſuis templis redeuntem excepiſſent, ſi paulò pòſt exilio Sextij comitem exire voluiſſent.

STIPATVM AB HIS.] Sextio & Milone.

ET P. LENTVLO CONSVLE.] Ita legit Ianus Grutterus è Palatino Nono & libro S. Victoris, cùm in excuſis antea legeretur, *Et Pub. Lentulus Conſul.* ſed ineptè.

P. LENTVLVS COS.] Fateor non liquere. Suſpicor legendum *Cn. Lentulus*, vt Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum, qui cum hæc cauſſa ageretur Conſulatum gerebat cum L. Martio Philippo: qui fortaſſe huius cauſſæ diſceptationem Scauro cæteriſque iudicibus nominatim commiſerat.

VOS HOC.] A ſpe publici commodi Iudices ad Sextij abſolutionem hortatur, ſic enim fore vt bonorum mentes ad virtutem erigantur, improbi à ſceleribus refrenentur, &c.

VOS HIS.] vos Sextium & Milonem retinere in ciuitate, & eorum fideliſſima opera vti ad defendendam Rempub.

ET RENOVARE REMP.] Idem Grutterus reſecuit *poteſtis*, reuocatum malè à linea præcedenti, ídque ſuaſu ſupradictorum exemplarium.

NOTÆ.

I. SED HÆC.] Solent oratores Iudicum commemorare poteſtatem. pro Cluentio 195. *Vos, Iudices, quos huic Aulo Cluentio quoſdam alios Deos ad omne vitæ tempus fortuna eſſe voluit*, &c. & 200. *Cui poſita ſunt in vobis omnia: quem ſeruatum eſſe plurimi cupiunt, ſeruare ſoli vos poteſtis.* vide pro domo §. 1. pro Milone & alibi paſſim.

II. RECEPERVNT.] Non debetis cauſſam exeundi illi præbere, quem Dij venientem ſuis templis receperunt. Eodem pene modo Andocides de myſteriis. Εἰ γὰρ δεῖ τὰ τῶν θεῶν ὑπονοεῖν, πολὺ ἂν αὐτοὺς οἶμαι ἔγωγε ὀργίζεσθαι καὶ ἀγανακτεῖν, εἰ τοὺς ὑφ' ἑαυτῶν σωζομένους ὑπ' ἄλλων ἀπολλυμένους ὁρῷεν. *Si ius faſque eſt quicquam de rebus diuinis ſuſpicari, Deos arbitror multum iraſci, & indignari ſi eos videant aliorum ſententiis eſſe perculſos, quos ipſi ſeruauerint.*

COMMISERVNT.] Noſter Cluentiana 159. III.
Eſt enim ſapientis Iudicis meminiſſe ſe hominem: cogitare tantùm ſibi à populo Romano eſſe permiſſum, quantum commiſſum & creditum ſit: & non ſolùm ſibi poteſtatem datam, verùm etiam fidem habitam eſſe, poſſe meminiſſe, quem oderit abſoluere. quem non oderit condemnare. Æſchines contra Cteſiphontem: Ἅπαντες οἱ πολῖται παρακαταθέμενοι τὴν πόλιν ὑμῖν, καὶ τὴν πολιτείαν διαπιστεύσαντες. *Omnes ciues, qui vrbem omnem & Remp. veſtræ fidei commiſerunt.* Vide Noſtrum pro Rabirio Poſtumo. *Vbi eſt igitur ſapientia Iudicis? In hoc vt non ſolùm quid poßit, ſed etiam quid debeat, ponderet: neque quantum ſibi permiſſum meminerit ſolùm, ſed etiam quatenus commiſſum ſit.*

VOS HOC IVDICIO.] Ex Dinarcho contra Demoſthenem vt videtur: IV.
Τὴν ἁπάσης τῆς πόλεως σωτηρίαν ἐν ταῖς χερσὶν ἔχετε, καὶ ἡ τήμερον ἡμέρα καὶ ἡ ὑμετέρα ψῆφος, πολλὴν ἀσφάλειαν τῇ πόλει καταστήσει, τὰ δίκαια ὑμῶν ἐθελόντων κρίνειν· ἢ μοχθηρὰς ἐλπίδας ποιήσετε πάντας ἔχειν τοιαῦθ' ὑμῶν ἤθη καθιστάντων. *Totius ciuitatis ſalutem in manibus habetis, hodiernus dies veſtrúmque ſuffragium aut in magna ſecuritate Rempub. collocabit. ſi ita vt æquum eſt, pronuntiare velitis: aut efficietis vt ſpem omnes malam concipiant, ſi tales mores induxeritis.* Nec abſimilis locus ille Andocidæ Oratoris de myſteriis: Οὕτως οὖν ἔχει, ὦ ἄνδρες, ὁ μὲν ἀγὼν ἐν τῷ σώματι τῷ ἐμῷ καθέστηκεν, ἡ δὲ ψῆφος ἡ ὑμετέρα δημοσίᾳ κρινεῖ πότερον χρὴ τοῖς νόμοις τοῖς ὑμετέροις πιστεύειν, ἢ τοὺς συκοφάντας παρασκευάζεσθαι, ἢ φεύγειν αὐτοὺς ἐκ τῆς πόλεως καὶ ἀπιέναι ὡς τάχιστα. *Ita ſe res habet, Iudices, certamen quidem eſt in meo ipſius corpore conſtitutum, at veſter calculus publicè iudicabit, vtrum oporteat veſtris legibus dicto eſſe audientes, & calumniatores parari, an eos vrbe excedere & abire quamprimum.* Aliquot etiam apud Lyſiam exempla ſunt, vt oratione de cæde Eratoſthenis, de ſacrilegio Calliæ.

AXIOMATA.

Repub. nihil eſt ſanctius in rebus humanis.

Iudices debent bonorum mentes confirmare, improborum reprimere.

Qui ſaluum aliquem eſſe volunt, eos conſeruant, per quem eum recuperauerunt.

EVENTVS ACTIONIS.

Libro 2. ad Quinctum Fratrem epiſt. 4. *Seſtius noſter abſolutus eſt ad* III. *Idus Mart. & quod vehementer interfuit Reipub. nullam videri in eiuſmodi cauſſâ diſſenſionem eſſe, omnibus ſententiis abſolutus eſt. Illud, quod tibi ſæpè curæ eſſe intellexeram, ne cui iniquo relinqueremus vituperandi locum, qui nos ingratos eſſe diceret, niſi illius peruerſitatem quibuſdam in rebus quàm humaniſſimè ferremus, ſcito hoc nos in eo iudicio conſecutos eſſe, vt omnium gratiſſimi iudicaremur. Nam in defendendo moroſo homine cumulatiſſimè ſatisfecimus, & (id quod ille maximè cupiebat) Vatinium, à quo palam oppugnabatur, arbitratu noſtro concidimus, Diis hominibúſque plaudentibus*, &c.

FINIS.

IN
M. TVLLII CICERONIS
INTERROGATIONEM
IN P. VATINIVM TESTEM
PRÆFATIO.

PVBLIVS *Vatinius teſtis in Pub. Sextium de vi ſuperiore actione productus, Marci Tullij ſales & aculeatam vrbanitatem non euaſerat. ſed à numero* 132. *ad* 136. *grauiter feſtiuéque perſtrictus iracundiâ ſic exarſit, vt in Tullium orationem contumeliis plenam effuderit, Ciceronem omnium ſeditioſorum patronum eſſe dicens, quippe qui C. Cornelium maieſtatis reum paucis antè annis defenderat. Addebat Tullium propter ſuperbiam petulantiámque linguæ ſic omnibus ciuibus odioſum eſſe, vt in exilium eiectus fuerit, neque quiſquam Ciceronis ipſius, ſed Reip. cauſa de eiuſdem reditu laborarit. Verùm orator, vt ferocitatem iſtam Vatinij comprimeret, & audaciam frangeret, & loquacitatem paucis interrogationibus irretitam retardaret, hanc orationem habuit, cuius argumentum operæ pretium fuerit ex ipſo, tanquam è ſuo fonte deducere. qui libro* 1. *ad familiares epiſtola* 9. Tota, *inquit*, interrogatio mea nihil habuit aliud niſi reprehenſionem illius Tribunatus, in quo omnia dicta ſunt libertate animóque maximo, de vi, de auſpiciis, de donatione regnorum. *Vnde & hæc oratio Interrogatio nominatur, quòd nulla conquirat momenta rationum, aut teſtium, ſed veterem flagitiorum memoriam crebris interrogationibus renouans, ſolâ Vatinij conſcientiâ contentus eſſe videatur. Atque vt totius orationis ſynopſim diſtinctiorem habeamus, eam in ſuas partes ita diuidemus.*

Tabula prima interrogationis in P. Vatinium.

- exordium §.4. comprehenſum
  - Vatinium in contemptum adducit
    - ab indignitate.
    - à turpitudine vitæ.
    - à ſordibus domeſticis.
    - à communi omnium ſenſu, quem nemo putat
      - aut ita refutandum vt grauem aduerſarium.
      - aut ita rogandum vt religioſum teſtem.
      - Sed indignum
        - congreſſu.
        - aditu.
        - ſuffragio.
        - ciuitate.
        - ipſa luce.
  - excuſat quòd ſe hominē adeo deſpicabilē oratione vexare malit, quā deſpectum ſilentio præterire. 2.
    - ab intemperantia odij, quod tamen eſt
      - & moderatum, ab omnibus pene vincitur. 2.
      - & iuſtum. Suſceptum
        - propter Vatinij ſcelus in Ciceronem.
        - propter mendacium contra Sextium & leuitatem periurio implicatam.
    - à cauſa finali
      - vt comprimat eius ferocitatem. 2. 3.
      - audaciam frangat,
      - loquacitatem retardet.
- Purgatio Ciceronis & cōparatione cum Vatinio, in qua ſpectantur
  - defenſio Cornelij
    - à loco. Romæ nunquam vituperatur defenſio.
    - à comparatione Vat. & Cornelij.
      - Vatinius
        - 1. leges contra auſpicia tulit.
        - 2. leges Æliam & Fuſiam neglexit.
        - 3. Bibulo Conſuli vim attulit.
        - 4. interceſſorem vi deiecit.
        - 5. exhauſit ærarium & Rempub. expilauit.
      - Cornelio nihil eiuſmodi obiectum. 5. 6.
    - à conſequēt paulò pòſt hanc defenſionem Cicero factus eſt Conſul.
  - Exitus Ciceronis furorem improborum frangere maluit
    - cedendo
    - quàm reſiſtendo. 6.
  - Reditus. reuocatus eſt,
    - & ſua 9.
    - & Reipub. cauſa. 9. 10.
  - comparatio Ciceronis & Vatinij ex ſenſu
    - populi Romani. 9. 10.
    - ipſius Vatinij. 10.
- Inſectatio Vatinij per interrogationem à §. 11. ad 40. à triplici tempore
  - ante Tribunatum.
    - adoleſcentia. 11.
    - Quæſtura. 11. 12.
    - legatio in Hiſpaniam. 12.
  - in Tribunatu. à 13. ad 33.
  - poſt Tribunatum. à 33. ad 40.
- peroratio de Vatinij leuitate, & vanitate.

Videtur autem verti cardo totius quæſtionis in hoc ſyllogiſmo.

Teſtis turpis, nefarius, & ſibi ipſi in dicendo teſtimonio repugnans, admitti non debet.

Sed Vatinius impurus eſt & nefarius, & ſibi ipſi in dicendo teſtimonio repugnauit.

Ergo ad teſtimonium dicendum admitti non debet Vatinius.

Propoſitio & concluſio planæ ſunt, in probatione aſſumptionis immoratur.

Cauſæ genus, ſi finem ſpectes, poteſt ad iudiciale reuocari: ſi rem ipſam, magis ad demonſtratiuum accedit.

Dicendi character amplus eſt & ſublimis, cùm vix vſpiam frequentiùs in amplificationibus exarſerit.

M. TVLLII CICERONIS INTERROGATIO IN P. VATINIVM TESTEM.

ARGVMENTVM.

Exordium eſt, quo Vatinium partim in contemptum adducit, partim reddit inſtituti rationem, cur & ſuperiore actione eum inſectatus fuerit, & nunc in eam vehementiùs inuehatur. Pars prior ad contemptum eſt comparata, quà Tullius ab indignitate Vatinij contemptum, à communi ſuo & iudicum ſenſu beneuolentiam, à Vatinij ſcelere, odij ſui excuſationem quærit.

SI tua tantummodo, Vatini, quid indignitas poſtularet, ſpectare voluiſſem, feciſſem id, quod his vehementer placebat, vt te, cuius teſtimonium, propter turpitudinem vitæ, ſordéſque domeſticas, nullius momenti putaretur, tacitus dimitterem. Nemo enim horum aut ita te refutandum, vt grauem aduerſarium: aut ita rogandum, vt religioſum teſtem arbitrabatur: ſed fui paulò in te intemperantior fortaſſe quàm debui. Odio enim tui (in quo etſi omnes propter tuum in me ſcelus, ſuperare debeo, tamen ab omnibus penè vincor) ſic ſum incitatus, vt cùm te non minùs contemnerem, quàm odiſſem, tamen vexatum potiùs quàm deſpectum vellem dimittere. 1. Exordium.

EXPLANATIO.

SI TVA.] Id moris eſt apud oratores, vt ſi quid auditoribus perſuaſum velint, id iam ſimulent eos animo penitus imbibiſſe. ſic in Miloniana milites contra vim Milonis collocatos, ita alloquitur, quaſi voluiſſet Pompeius his præſidiis Milonis cauſam defendere. ſic huius orationis exordio Vatinium in inuidiam vocaturus & contemptum, adeo iudices eidem fingit infeſſos eſſe, vt ſe dicat ab omnibus Vatinij odio ſuperari. ſic enim fit neſcio quo pacto, vt dum vnuſquiſque oratoris voce permotus hunc eſſe communem omnium ſenſum exiſtimat, ipſe eundem affectum induat, nec auſit ab aliorum iudicio diffidere.

HIS.] Iudicibus noſtris.

PROPTER TVRPITVDINEM.] duas adfert cauſas, ob quas Vatinij teſtimonium repudiandum videatur. altera eſt, vitæ turpitudo, quæ facilè homines impellit ad mentiendum. altera ſordes domeſticæ: ſiquidem nobilitas & claritudo generis magis aliena eſt à mendacio, vnde & nobiles ſi crimen falſi commiſerint, iure ciuili grauius puniuntur. vide Notas.

NVLLIVS MOMENTI.] nullius auctoritati, nullarum virium. Cæterùm, vt liquidiùs videas, quantum ad eloquentiam momenti habeat apta verborum inter ſe coniunctio, placet hanc periodum iiſdem verbis ſeruatis diſſoluere. quantum enim perderet oratio dignitatis ſi ita loqueretur? *Vatini, ſi tantummodo ſpectare voluiſſem, quid tua indignitas poſtularet, dimiſiſſem te tacitus, cuius teſtimonium nullius momenti putaretur propter turpitudinem vitæ ſordéſque domeſticas. & feciſſem id quod & his vehementer placebat.* Qua oratione quid frigidius, aut inſulſius eſſe poteſt? vt non iniuriâ Demetrius, Cicero, Dionyſius maximam eloquentiæ partem putarint verborum compoſitione contineri.

NEMO ENIM.] eum & in odium vocat, & in contemptum. in contemptum quod infra Ciceronis iram eſſe Vatinium Iudices arbitrarentur, ac proinde ne refutandum quidem. pro Sextio 133. *De quo cùm quotidie rueret verbum feci, Iudices, nunquam; neque putaui cùm omnibus machinis ac tormentis vi, exercitu, copiis oppugnarer, de vno ſagittario me queri conuenire.* in odium ſimul & contemptum, quod periurus eſſet, ac proinde rogandus non videretur, vt religioſus teſtis, id eſt, vt teſtis qui fidem ſuam iuramento ſolemni obligatam nolit vllo periurio violare.

SED FVI PAVLÒ.] reddit rationem cur à Iudicum voluntate diſſenſerit, & eum oratione inſectari voluerit, quem ne dignum quidem hac inſectatione Iudices eſſe cenſebant: atque hanc cauſam in intemperantiam ſuam refundit, ne Iudicum ſententiam improbare penitùs videatur.

Fvi intemperantior.] meæ ipſius iracundiæ minùs potui moderari. addit fortaſſe, ne ſe ipſum damnare videatur:& eam ob cauſam ſe Vatinium minùs quàm cæteri oderint, odiſſe ſubnectit, vt & ſuam iracundiæ intemperantiam excuſet, & Vatinium magis & magis in odium adducat. de Ciuium odio in Vatinium dicetur infrà 39. Intemperantiorem autem ſe appellat, quia videlicet, ſibi ipſi imperare non potuerat, vt contemptum odio miſceret, æquaret, & quodammodo temperaret, vel potiùs, quamuis contemptus odio æqualis eſſet & temperatus, tamen extorquere non potuerat à ſeipſo, vt æquales vtriuſque effectus oſtenderet, & effecta contemptus effectis odij temperaret.

NOTÆ.

I. Vatini.] Vatiniorum familia fuit plebeia, vt conſtat ex Noſtri Vatinij Tribunatu: ad quem aditus patriciis nondum patebat: cui familiæ contigiſſe videtur, vt quamuis morum turpitudine, odio bonorum, corporis fœditate inſignes eſſent, tamen fœdis adulationibus in principum virorum familiaritatem obreperent. Hunc Vatinium, quaſi alterum Therſitem, Velleius ita deſcribit: *in quo deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenij, adeo vt animus eius digniſſimo domicilio incluſus videretur.* alterum, eius opinor gentilem, ſi tamen gentem habuerunt, Cornelius Tacitus 15. annalium: *Apud Beneuentum interim conſedit*, Nero, *vbi gladiatorum munus à Vatinio celebre edebatur. Vatinius inter fœdiſſima eius aulæ oſtenta fuit, ſutrinæ tabernæ alumnus, corpore detorto, facetiis ſcurrilibus: primo in contumelias aſſumptus, deinde optimi cuiuſque criminatione, eò vſquè valuit, vt gratiâ, pecuniâ, vi nocendi etiam malis præemineret.* vſquè adeò *mali corui malum ouum.* Poſterioris Vatinij mentionem frequenter facit Martialis: qui etiam figlinam exercuit, vt ex eo conſtat. vnde & illud Iuuenalis intelligas:

Vatiniorum deformitas.

Tu Beneuentani ſutoris nomen habentem
Siccabis calicem naſorum quatuor.

II. Indignitas. Indignitas.] Iure indignitatis meminit, vt Vatinij teſtis auctoritatem eleuet. nam vt ait Modeſtinus D. de teſt. *In teſtimoniis autem dignitas, fides, mores, grauitas, examinanda eſt, & ideo teſtes qui aduerſus fidem ſuam teſtationis vacillant audiendi non ſunt.* Et ibidem D. Adrianus Viuio Varo: *Tu magis ſcire potes, inquit, quanta fides habenda ſit teſtibus: qui & cuius dignitatis, & cuius exiſtimationis ſint.*

III. Qvod et his vehementer placebat.] Hanc oratorum calliditatem, de qua in explanatione dictum, Iudicibus maximopere cauendam ſapienter monet Demoſthenes in Bœotum. Μὴ καταπλαγῆτε ὑπὸ τῆς κραυγῆς τῆς τούτου. πολὺς γὰρ, πολὺς, καὶ πλημμελής ἐστιν ἄνθρωπος, καὶ οὕτω κακοῦργος, ὥστε καὶ περὶ ὧν ἂν μὴ ἔχῃ μάρτυρας παρασχέσθαι, ταῦτά φησιν ὑμᾶς εἰδέναι, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, ὃ πάντες ποιοῦσιν οἱ μηδὲν ὑγιὲς λέγοντες. ὑμεῖς οὖν ἐάν τι τοιοῦτον τεχνάζηται, μὴ ἐπιτρέπετε αὐτῷ, ἀλλ' ἐξελέγχετε, καὶ ὅτι ἂν μὴ ἕκαστος ὑμῶν εἰδῇ, μηδὲ τὸν πλησίον νομιζέτω εἰδέναι. *Ne vos ſuo clamore deterreat. vehemens enim, vehemens eſt audaxque, adeóque malignus, vt etiam cùm alicuius teſtes non potuerit exhibere, id vos, Iudices, ſcire confirmet. quod omnes faciunt qui ſani nihil habent, quod loquantur. Vos igitur, ſi quid huiuſmodi molie.ur, ne permittite, ſed examinate, & quod vnuſquiſque veſtrûm, neſciet, neque vicinum ſcire arbitretur.*

Placebat.] Gaſpar Barthus lib.31.aduerſariorum cap.17. notat hunc eſſe perfectum Senarium: IV.

Placebat vt te cuius teſtimonium.

Item paulò pòſt:

Refutandum vt grauem aduerſarium.

Imò in hac vna oratione ſupra ſexaginta verſus omnis generis agnoſcit. Sed operæpretium non eſt hîc operam ludere. Cui plus otii eſt, diligentiùs iſta diſquirat.

Testimonivm.] Turpitudinem vitæ ſordéſque domeſticas fidem teſtium dicit eleuare. Ita Calliſtratus D. 22. tit. 5. §. *Teſtium fides diligenter examinanda eſt. ideòque in perſona eorum exploranda erunt in primis conditio cuiuſque, vtrùm quis decurio, an plebeius ſit: & an honeſtæ & inculpatæ vitæ, an verò notatus. quis & irreprehenſibilis: an locuples vel egens ſit vt lucri causâ quid facilè admittat.* Et ibidem D. Hadrianus: *Alij verò propter notam & infamiam vitæ ſuæ admittendi non ſunt ad teſtimonij fidem.* Nec immeritò. nam, vt Plutarchus monet in politicis, mores ſunt non verba quæ perſuadent, & ἐπανορθωτέον τὸ τοῦ Μενάνδρου V.

Teſtium auctoritas.

Τρόπος ἔσθ' ὁ πείθων τοῦ λέγοντος, οὐ λόγος.

verſus Menandri eſt corrigendus.

Non ipſa faciunt verba, ſed mores fidem.

Sed de his erit alius dicendi locus. Quod ſpectat ad ſordes domeſticas. Manutius Vatinij egeſtatem intelligit, de quo in Bruto dixit: *Ex ſummis & fortunæ & vitæ ſordibus Conſul factus eſſet.* Sed hanc interpretationem vix in animum induxero. paulò pòſt enim ſubiungit: *Et quoniam pecunias aliorum deſpicis, de tuis diuitiis intolerantiſſimè gloriaris,* &c. quo fit vt per ſordes domeſticas interpreter lutulenter lutulenta vitia quæ priuatis parietibus tegerentur.

Nvllivs momenti.] Eleganter momentum teſtimonio coniungit, vt frequenter momenta teſtium, momenta rationum. Ammianus lib. 22. de Iuliano: *Ille Iudicibus Caßiis triſtior, & Lycurgus cauſarum momenta æquo iure perpendens ſuum cuique tribuebat.* Cic. 2. de oratore: *ad ea probanda quæ non aurificis ſtatera, ſed quadam populari trutina examinantur.* Cuius vocabuli vim liquidiùs agnoſcet qui aduerterit iuſtitiam cum libra, Iudicem cum libripende, tum in ſcripturis diuinis, tum in aliis prophanis ſacríſque ſcriptoribus comparari. Iob.31. v.6. *Appendat me in ſtatera iuſta, & videat Deus ſimplicitatem meam.* hinc illud prouerbium τρυτάνης δικαιότερος. hinc Perſius Sat. VI.

Momentum.

Iuſtitiæ libra.

Scis etenim iuſtum gemina ſuſpendere lance
Ancipitis libræ.

Et Satyra I.

Examenve improbum in illa Caſtiges trutina.

Hinc fit vt Iupiter quem Callimachus

Πηλεγόνων ἐλατῆρα δικασπόλον οὐρανιώνων.

Hominum agitatorem, Iudicemque cœlitum

appellat hominum fata certo iudicio & ratione diſpenſans dicatur. 12. Æneidos:

-duas æquato examine lances Suſtinere.

poſt Homerum tum alibi tum 19. Iliados:

-ἐπὴν κλίνησι τάλαντα

Ζεὺς ὅς ἀνθρώπων ταμίης πολέμοιο τέτυκται.
-poſtquam inclinauerit momenta
Iuppiter qui hominibus belli diſpenſator eſt.

Sic & Themis (ſi bene memini) apud Nonnum in Dionyſiacis, ἀμοιταλαντεύουσα δίκας deſcribitur. Hanc rem eleganter Nazianzenus alludit in protreptico ad Hellenium:

Μέτρα Θεοῦ μέτροισιν ἰσάζεται ἡμετέροισιν
Οἷα περ ἀλλήλοις ἐνθάδε μετρέομεν.

Mox:

Καὶ τυτθῇ πλάστιγγι μέγα κτέαρ οὐρανίοιο
Σείεται. ἡ δὲ ῥοπὴ ἔνθα καὶ ἔνθα φέρει.

Id eſt,

Menſura Dei menſuris æquantur noſtris
Qualia nobis inuicem hîc menſuramus.
Et parua lance magna poſſeſsio cœleſtis
Examinatur. momentũ verò hinc & inde fert.

Hanc porro iuſtitiæ deſcriptionem his verſibus aliquando concepi, quam fortaſſe non abs re fuerit attexere:

-Gladium dextra criſpantem rotat
Scelerúmque vindex ſæpè flagrantes ſacri
Alas coruſcat ignis: in læuâ manu
Examinatis libra momentis natat
Alterna: qua penſatur humanum ſcelus
Geminâ repoſtum lance: quem damnet labor
Quo cuique vergant facta momento videt
Oculus tonantis: inſtat à tergo Themis,
Themis caducum fulmen in ſontes manu
Vltrice vibrans, &c.

Ideóque factum eſt vt antiqui libram frequenter iuſtam appellarint. Tibullus ad Meſſalam:

Iuſta pari premitur veluti cum pondere libra, &c. Vt igitur rem explicemus cùm Iudices cauſam quaſi examinatam lance ſuſpendant, hinc fit vt teſtimoniorum auctoritate, quaſi ponderibus in alteram lancem impoſitis, cauſa in alterutram partem præponderet, & quaſi momentis quibuſdam moueatur. ad id Cic. 7. Verrina videtur alludere. *Rem vobis exponam, Iudices, vos eam ſui nominis pondere penditote.* & Plutarchus in præceptis politicis: Οὕτω μεγάλην (inquit) ἔχει ῥοπὴν ἐν πολιτείᾳ πίστις ἤθους. *Tanti momenti eſt fides in Republica quæ ex moribus generatur.*

VII. INTEMPERANTIOR.] Mirum videri poſſit cur ſe intemperantem in odio Tullius appellet. Siquidem, vt ait Ariſtoteles 2. Ethicorum ad Nicomachum cap. 3. Ὁ ἀπεχόμενος σωματικῶν ἡδονῶν καὶ αὐτῷ τούτῳ χαίρων σώφρων. ὁ δ' ἀχθόμενος ἀκόλαστος. *Temperans eſt qui gaudens corporeis ſe voluptatibus abſtinet; qui inuitus, intemperans.* niſi & iram dicamus ſuas habere voluptates, quas neceſſe ſit quadam temperantiâ contineri, quod teſtatur Achilles Homericus 14. Iliados verſu 108. Intemperantia.

Καὶ χόλος ὅς τ' ἐφέηκε πολύφρονά περ χαλεπῆναι Ira delectat.
Ὅς τε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο
Ἀνδρῶν ἐν στήθεσσιν ἀέξεται ἠΰτε καπνός.
Et ira quæ compellit vel prudentem indignari
Quæ multo dulcior melle effuſo
Virorum in pectoribus gliſcit, inſtar fumi.

hinc iracundiam temperare ſæpè in ſcriptoribus vtriuſque linguæ reperitur. 1. Æneidos:

-mollitque animos & temperat iras.

Cur autem in voluptatibus ſiue intemperantiam, ſiue incontinentiam celent homines, eandem in odio ſine verecundia fateantur, hanc ab Ariſtotele ſumere cauſſam poſſumus, quod illa rationem prorſus abſorbeat, hæc eidem nonnihil obſecundet. Sic enim ille lib. 7. Nicomach. cap. 6. Ἔοικεν ὁ θυμὸς ἀκούειν μέν τι τοῦ λόγου, παρακούειν δὲ, καθάπερ οἱ ταχεῖς τῶν διακόνων, οἳ πρὶν ἀκοῦσαι πᾶν τὸ λεγόμενον ἐκθέουσιν, εἶθ' ἁμαρτάνουσι τῆς προστάξεως, καὶ οἱ κύνες πρὶν σκέψασθαι εἰ φίλος, ἂν μόνον ψοφήσῃ ὑλακτοῦσιν· οὕτως ὁ θυμὸς διὰ θερμότητα καὶ ταχυτῆτα ὁρμᾷ πρὸς τὴν τιμωρίαν. *Videtur ira audire quidem aliquo modo rationem, ſed non integrè audire, vt ſerui celeres excurrunt priuſquam integrum Domini præceptum audiuerint, deinde à præcepti ſcopo aberrant, & canes priuſquam, amicus ſit nécne qui aduenit, inſpexerint, in latratus erumpunt ſtatim atque percrepuerit: ſic ira per feruorem & celeritatem impetu ſuo rapitur ad vindictam exigendam,* &c. vbi ira cum intemperantiâ confertur & longè præponitur.

AXIOMATA.

Propter turpitudinem vitæ ſordeíſque domeſticas teſtimonium nullius momenti putatur.

Sceleratos nonnunquam vexatos potiùs quàm deſpectos oportet dimittere.

ARGVMENTVM.

Duo agit hac ſectione. Primò, reddit rationem cur Vatinium ſuis interrogationibus vexare maluerit, quàm deſpectum ſilentio præterire. 2. & ſe excuſat & Vatinium reprehendit, quòd ſine cauſa ob habitam pridie orationem exarſerat.

QVARE ne tibi hunc honorem à me haberi fortè mirere, quod interrogem, quem nemo congreſſu, nemo aditu, nemo ſuffragio, nemo ciuitate, nemo luce dignum putet: nulla me ad id cauſa impuliſſet, niſi vt ferocitatem tuam iſtam comprimerem, & audaciam frangerem, & loquacitatem pauciſſimis interrogationibus irretitam retardarem. Etenim debuiſti, Vatini, etiamſi falsò veniſſes in ſuſpicionem P. Seſtio, tamen mihi ignoſcere, ſi in tanto hominis de me optimè meriti periculo, & tempori eius & voluntati parêre voluiſſem. II.

EXPLANATIO.

QVARE.] Non eſt quòd honoris cauſa te rogari, tanquam religioſum teſtem arbitreris, & tibi tuæ indignitatis conſcius honorem illum indigno delatum eſſe mireris.

QVEM NEMO.] Quem vt dicitur infrà 39. *Nemo adſpicit quin ingemiſcat: nemo mentionem facit, quin exſecretur: vitant, fugiunt, audire nolunt, cùm viderunt tanquam auſpicium malum de-*

teſtantur: cognati reſpuunt, tribules exſecrantur, vicini metuunt, affines erubeſcunt.

NEMO SVFFRAGIO.] Qui cùm ædilitatem peteres, ne vnum quidem in comitiis tuliſti ſuffragium.

LVCE.] Vita. vel hominum ſocietate & conſortio.

FEROCITATEM.] violentiam & vehementiam iracundiæ. Mox: *nimiùm es vehemens feróxque natura.*

LOQVAC. PAVC.] Habet ſpeciem quandam antitheſis, & cùm loquacitatem in Vatinio reprehendit, breuitatem ipſe pollicetur. Aduerte periodum variè & alternis vt ita dicam membris temperatam. duo ſunt membra pene iuſta primum & tertium, eáque ſimplicia: cætera duo tum maiora iuſtis, tum mixta & ex variis conciſis comglobata. primum eſt iuſtæ magnitudinis.

Quare ne tibi hunc honorem à me haberi fortè mirere.

2. maius æquo & implicatius: *Quod interrogem,* &c. *dignum putat.* tertium paulo breuius & contractius.

Nulla me ad id cauſa impuliſſet.

quartum denique, ſecundo penè æquale, ſed paulo maius: aptiùs enim, vt notant Rhetores periodus membro longiore concluditur. atque hæc omnia ſic inter ſe conuexa ſunt & agglutinata, vt & ſingula à ſe mutuò dependeant, neque ſenſus niſi peracto totius orationis ambitu compleatur.

ETENIM.] Publ. Sextius vt Vatinij, tanquam inimici teſtimonium eleuaret, ſuggeſſerat Ciceroni patrono ſuo Vatinium cum Albinouano & Tito Claudio accuſatoribus ſuis conſilium iniiſſe. ex quo conficit orator huiuſmodi dilemma.

P. Sextius vel verè vel falsò ſuſpicatus eſt te cum accuſatoribus ſuis rem habuiſſe.

Si falſa fuit ea ſuſpicio, nihilo tamen minùs mihi debebas ignoſcere: ſi vera multò magis ignoſcere debuiſti.

Ergo magna eſt tua ferocitas, qui quod te ſuperiore actione leuiter perſtrinxi, tam vehementer exarſeris: neque cauſæ quicquam erat cur indignans ob heſternam orationem qua Publium Sextium de vi reum defendens te mediocriter laceſſiui, tantas tragœdias excitares. debuiſti enim mihi ignoſcere in te grauiùs inuehenti. Neque enim tam meæ iracundiæ quàm Publ. Sextij voluptati parere cupiebam: cui, etiam ſi falsò ſuſpicatus fuiſſet te odij potiùs quàm veritatis ſtudio ad teſtimonium dicendum accedere, tamen æquum fuit me obtemperare, præſertim cùm de vi accuſatus lege Plautiâ in ſummo perdendæ ciuitatis periculo verſaretur is qui Tribunus plebis ſummo ſuo merito me reſtituit ciuitati. Atque hanc periodum è duobus membris compoſitis concluſam, vt ſuperiorem examinare poſſemus: ſed tu & hîc & alibi paſſim per te facilè præſtabis, & nobis ſtudendum eſt breuitati.

NOTÆ.

1. HONOREM.] Honori fuit tanquam religioſum teſtem rogari, quod, vt ſuperiùs viſum eſt, *teſtes qui aduerſus fidem ſuam teſtationis vacillant, audiendi non ſint.* nec propter turpitudinem vitæ ſordéſque domeſticas teſtimonium vllius momenti habeatur. ſpectanda enim primo loco vitæ probitas: vnde & illa querela Satyrici. Honori fuit interrogari vt te...

Quantum quiſque ſua nummorum ſeruat in arca
Tantum habet & fidei: procedat vel Numa, vel qui
Seruauit trepidam flagranti ex arce Mineruam
Protinùs ad cenſum, de muribus vltima fiet
Quæſtio.- Item:
Da teſtem Romæ tam ſanctum quàm fuit hoſpes
Numinis Idæi.

vnde & Noſter magis de ſuis teſtimoniis & fide quàm de eloquentiâ gloriatur, lib. 1. ad Atticum epiſt. 13. *Me verò teſte producto, credo te ex acclamatione Clodij aduocatorum audiſſe, quæ conſurrectio Iudicum facta ſit, vt me circumſteterint, vt apertè iugula ſua pro meo capite P. Clodio oſtentarint. Quæ mihi res multo honorificentior viſa eſt, quàm aut illa, cùm iurare tui ciues Xenocratem teſtimonium dicentem prohibuerunt, aut cùm tabulas Metelli Numidici, cùm hæ, vt mos eſt, circumferrentur, noſtri Iudices adſpicere noluerunt.* Plutarchus in Cicerone: Μετέλλου δὲ Νέπωτος εἰπόντος ὅτι πλείονας καταμαρτυρῶν ἀνῄρηκεν, ἢ συνηγορῶν σέσωκεν. ὁμολογῶ γάρ, ἔφη, πίστεως ἐν ἐμοὶ πλέον, ἢ δεινότητος εἶναι. *Metello Nepote obiiciente, quod plures ſuo teſtimonio ſuſtuliſſet, quàm patrocinio liberaſſet. Fateor, inquit, mihi plus fidei, quàm eloquentiæ ineſſe.* Sicut contra ſummæ infamiæ fuit ad teſtimonium non admitti, quos *inteſtabiles* dicebant. Horatius:

-vter ædilis fueritve
Veſtrum Prætor, is inteſtabilis & ſacer eſto.

Vide Interpretes.

NEMO ADITV.] fusè infrà 39. ſectione. in Piſonem 45. *Nemo denique ciuis eſt, qui modò ſe ciuem eſſe meminerit, qui vos non oculis fugiat, auribus reſpuat, animo aſpernetur, recordatione denique ipsâ conſulatus veſtri, perhorreſcat.* & 96. *Quis enim te aditu, quis vllo honôre, quis denique communi ſalutatione dignum putet? omnes memoriam conſulatus tui, facta, mores, faciem denique ac nomen à Repub. deteſtantur.* pro Cluentio: *Quem propter animi importunitatem, nemo recipere tecto, nemo adire, nemo alloqui, nemo adſpicere vellet.* Horatius: 11. Odium publicum.

Vicini oderunt, noti, pueri, atque puellæ.

Quam in improbos & maximè in homicidas pœnam Græci ſanxerunt, eos vt nemo ſalutaret, aut in congreſſum admitteret. Plato 9. de legibus: Ὃς ἂν ἐκ προνοίας τε καὶ ἀδίκως ὁντιναοῦν τῶν ἐμφυλίων αὐτόχειρ κτείνῃ, πρῶτον μὲν τῶν νομίμων εἰργέσθω, μήτε ἱερά, μήτ᾽ ἀγοράν, μήτε λιμένας, μήτ᾽ ἄλλον κοινὸν ξύλλογον μηδένα μιαίνων. *Qui datâ operâ & iniuſtè ſuâ manu quemquam tribulium ſuorum occiderit, primùm quidem ab omnibus legalibus arceatur, nec templa, nec forum, nec portus, nec alium publicum conuentum attaminet.* Idque ex lege Draconis. Demoſthenes contra Leptinem: Ὁ Δράκων φοβερὸν κατασκευάζων καὶ δεινόν, τό τινα αὐτόχειρα ἄλλου γίγνεσθαι, καὶ χάρων χερνίβων εἴργεσθαι, τὸν ἀνδροφόνον, σπονδῶν, κρατήρων, ἱερῶν, ἀγορᾶς, &c. *Draco vt homicidij maiorem horrorem incuteret, ſanxit vt homicida* Homicidæ excommunicati.

à purgationibus, liberationibus, crateribus, fanis, foro denique arcerentur. De Druidibus Cæſar lib.6. *Si quis aut publicus aut priuatus eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos eſt grauiſſima: quibus ita eſt interdictum, iſ numero impiorum ac ſceleratorum habentur. Iis omnes decedunt, aditum ſermonémque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque iis petentibus ius redditur, neque honor vllus communicatur.* Vt iis fieri ſolet, quos Eccleſiaſticæ cenſuræ perculerunt. placet exemplum huc adferre. Androgiton in carcerem coniectus: ἀπεδίει τὴν ῥῖνα τἀνθρώπου. *Tanagræi cuiuſdam in eadem vincula compacti naſum dentibus euellerat*, omnium in ſe captiuorum odium ſic concitauit, vt Dinarchus in hanc vocem erumpat: Εἶτ' οὐκ αἰσχυνεῖσθ', ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, εἰ οἱ μὲν ἐπὶ πονηρίᾳ καὶ αἰσχίστοις ἐμπεπτωκότες εἰς τὸ οἴκημα, τοσούτῳ τοῦτον ἡγήσαντο ἑαυτῶν πονηρότερον, ὥστ' ἄμικτον ἑαυτοῖς καταστῆσαι, ὑμεῖς δ' ἐξεληλακότων τῶν νόμων αὐτὸν ἐκ τῆς πολιτείας εἰς ὑμᾶς αὐτοὺς καταστήσετε. *Nec vos pudebit, Athenienſes, ſi qui propter improbitatem & turpiſſima flagitia in carcerem inciderunt, hunc tanto ſe peiorem eſſe rati ſunt, vt ne congreſſu quidem ſuo dignum putarent, vos verò expulſum legibus à Rep. in veſtrum cœtum aggregetis.*

Excommunicatio Druidum.

III. NEMO SVFFRAGIO.] Populi odium in Vatinium hinc oſtendit, quòd ædilitatem petens nullius tribûs ſuffragium fuerit conſecutus. Pro Sextio 114. *Ædilitatem petiuit cum viris bonis, & hominibus primis, ſed non præſtantiſſimis opibus & gratia: Tribum ſuam non tulit, Palatinam denique, per quam omnes illæ peſtes vexare populum Romanum dicebantur, perdidit. nec quicquam illis comitiis, quod boni viri vellent, niſi repulſam tulit.* Turnebus eruditè lib. 21. aduerſ. cap. 11. *Cùm Vatinium dignum ſuffragio eſſe negat, ad eorum ignominiam mihi reſpexiſſe videtur, qui à Cenſoribus ſuffragio priuabantur, & in Cærites tabulas referebantur, de quibus Horatius,*

-Cærite cera Digni.-

Scripſit. In vetere lexico ſcribitur: Cærites Δέλτοι ἐν αἷς τοὺς ἐγγραφὰς ἀνατίθενται. Hæc ille. De quibus Gellius lib. 16. cap.13. *Primos autem municipes ſine ſuffragij iure Cærites eſſe factos accepimus: conceſſumque illis vt ciuitatis Romanæ honorem quidem caperent, ſed negotiis tamen atque oneribus vacarent, pro ſacris bello Gallico receptis cuſtoditiſque. Hinc tabulæ Cærites appellatæ verſa vice, in quas cenſores referri iubebant, quos notæ cauſa ſuffragiis priuabant.*

Cærites tabulæ.

IV. NEMO CIVITATE.] Superfluum cuipiam videatur poſt ſuffragij ius ciuitatem adiungere, cùm in iure ſuffragij conſiſtat maximè ius ciuitatis. ſic enim Ariſtoteles 3. politicon cap. 1. Πολίτης δ' ἁπλῶς οὐδενὶ τῶν ἄλλων ὁρίζεται μᾶλλον ἢ τῷ μετέχειν κρίσεως καὶ ἀρχῆς. *Ciuis autem, vt ſimpliciter loquar, nullo alio magis definitur quàm ſi ius habeat ad iudicia & magiſtratus.* Et paulò pòſt: Ὧι ἐξουσία κοινωνεῖν ἀρχῆς βουλευτικῆς ἢ κριτικῆς, πολίτην ἤδη λέγομεν. *Qui ius habet in ſenatoriam aut iudiciariam dignitatem, hunc ciuem nominamus.* Hæc Ariſtoteles, ſed in Romana Republ. aliud fuit ius ſuffragij, aliud ciuitatis. quod vel ex eo liquet quòd municipes, quamuis propriè non eſſent ciues Roman. tamen ius ad petendos Romæ magiſtratus obtinerent, de quo alias.

Ius ciuitatis.

Ius ſuffragij.

NEMO LVCE.] Vita. Frequenter apud Maronem. 2. Æneidos: V.

Demiſere neci, nunc caſſum lumine lugent.

12. *-ſeu corpus ſpoliatum lumine mauis.*

12. *-lucémque peroſi*

Proiecere animas.-

Item: *-quæ lucis miſeris tam dira cupido.*

Et: *Proxima ſorte tenet lucis loca.-*

vnde & *videre, intueri*, idem eſt atque viuere. vt 4. Æneidos:

Mortem optat: tadet cœli conuexa tueri.

Homerus:

Οὔτις ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο.

Me nemo viuente, ſupra terrámque vidente.

Quem loquendi modum Euripidi familiariſſimum fuiſſe notat Germanus Valens in 2. Æneidos, & nos in Milonianam exempla proferemus.

INTERROGATIONIBVS.] Interrogatio nonnunquam pro argumento ſubtili ſumitur. Seneca epiſt. 84. cùm dixiſſet, *rerum maximarum probationes leuiſſimas & perplexas fecerunt.* Subdit: *Quemadmodum oppoſitâ interrogatione ſimili, derideatur, attende.* Sed hîc aliter vſurpatur, & ad teſtium interrogationem alluditur. VI.

Interrogatio.

IRRETITAM RETARDAREM.] Eodem genere tranſlationis linguam effrenem appellant. Euripides à Gellio citatus: VII.

Ἀχαλίνων στομάτων, ἀνόμου τ' ἀφροσύνας τὸ τέλος δυστυχία.

Effrenis linguæ, illegitimæque inſipientiæ finis eſt infelicitas.

Et Ariſtophanes:

Ἄνθρωπον, ἀγριωπὸν, αὐθαδόστομον

Ἔχοντ' ἀχάλινον, ἀκρατὲς, ἀπύλωτον

Στόμα περιλάλητον, κομποφακελορρήμονα.

Hominem agreſti truculentiâ, ore temerario,

Habentem effrenatum, intemperans, non clauſum

Os garrulum, fuſum per verborum congeriem & faſtum.

Frenum linguæ.

Baſilius contra iracundos: Διὰ θυμὸν ἀχάλινοι γλῶσσαι καὶ ἀπύλωτα στόματα. *Per iracundiam effrenes linguæ, & ora nullis foribus clauſa.* Æchylus Agamemnone: στόματός τε καλλιπρώρου, φυλακᾷ κατασχεῖν, φθόγγον ἀραῖον οἴκοις βίᾳ χαλινῶν τ' ἀναύδῳ μένει.

Oris pulchri cuſtodiam habere, vocem raram in domibus, vi frenorúmque ſilenti robore. ſed omnium elegantiſſimè S. Iacobus. *Si quis autem putat ſe religioſum eſſe non refrenans linguam ſuam* (χαλιναγωγῶν) *ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio.* &, *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Poteſt etiam freno circunducere totum corpus. Si autem equis frena in ora mittimus*, &c. Nec longè alio ſenſu Auguſtus loquacem ſufflaminandum eſſe dicebat. Hieronymus ad Pammachium de erroribus Ioannis Hieroſolymitani. *En Lyſias noſter & Gracchus, &, vt aliquid de neotericis inſeram, Q. Aterius qui ingenium in numerato habebat, vt ſine monitore taceri non poſſet: de quo egregiè Cæſar Auguſtus. Quintus, inquit, Noſter ſufflaminandus eſt.* Eadem & plura Seneca procemio libro quarto Controuerſ.

Noſter irretire maluit, ab aucupibus opinor, qui aues irretiunt. notum eſt ἔπεα πτερόεντα ab Homero *volantia* à Virgilio nuncupari. Cicero pro Cecinna *aucupia verborum.* Plautus in Sticho, &c.

-Qui manet
Nunquid hic eſt alienus noſtris dictis auceps auribus.

Et in Milite glorioſo, ſc. *Voluptas.*
Viden' tu illam oculis venaturam facere atque aucupium auribus.

Et alibi ſæpè. ſed Plauto *aucupari verba*, idem eſt atque *audire*, Noſtro *loquacitatem irretire*, eſt quaſi *volatum verborum cohibere.* Iure autem Vatinio loquacitatem obiecit, vt M. Cato contra Cæcilium citatus à Gellio lib. I. cap. 15. noct. Atticarum. *Fruſto panis conduci poteſt, vel vti taceat, vel vti loquatur.* Idem eadem oratione à Feſto Pompeio laudatus: *Quid ego cum illo diſertem amplius, quem ego denique credo in pompâ vectitatum ire ludis pro citeriâ, atque cum ſpectatoribus ſermocinaturum.* Citeria autem auctore Feſto: *Appellabatur effigies quadam arguta & loquax, ridiculi gratiâ, qua in pompâ vehi ſolita ſit.* Iure, inquam, loquacitatem obiecit, non enim ſolùm quod ait Sophocles in Aiace:

Γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.
Decet mulierem ſilentium.

ſed etiam quod ait Heſiodus I. operum:

Γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος
Φειδωλῆς· πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης.
Optimus eſt lingua parca theſaurus, & illam
Plurima parcentem comitatur gratia verbis.

VIII. SVSPICIONEM.] Arnobius aduerſus gentes lib. 2. *Quid eſt autem ſuſpicio niſi opinatio rerum incerta, & in nil expoſitum iaculatio mentis illata?* at verò Heraclitus, vt eſt apud Laërtium:

Suſpicio. τὴν οἴησιν ἱερὰν νόσον ἔλεγε. *ſuſpicionem ſine opinionem ſacrum morbum nominabat.* Et Timon in Sillis pulcherrimè Philoſophos ridens qui vanis opinationibus & ſuſpicionibus ducerentur:

Σχέτλιοι ἄνθρωποι, κάκ' ἐλέγχεα, γαστέρες οἶον
Ποίων ἐκ τ' ἐρίδων καὶ λεσχομάχων πεπλάνησθε
Ἄνθρωποι, κενεῆς οἰήσιος ἔμπλεοι ἀσκοί.
Mortales miſeri, probra & tantummodo ventres,
Qualibus heu rixis verborum erratis inepti
Mortales, vtres quos inflat opinio vana.

VOLVNTATI PARERE.] Pro Cluentio 144. *In hominis honeſti prudentiſque conſilio non ſolùm meo conſilio vti conſueui, ſed multùm etiam eius, quem defendo, & conſilio & voluntati obtempero,* &c. Sextium autem frequenter patronos interpellaſſe, patet ex ioco Ciceronis apud Plutarchum: Ποβλίου δὲ Σηστίου συνήγορον μὲν αὐτὸν ἔν τινι δίκῃ παραλαβόντος μεθ' ἑτέρων, αὐτοῦ δὲ πάντα βουλομένου λέγειν, καὶ μηδενὶ παριόντος εἰπεῖν, ὡς δῆλος ἦν ἀφιέμενος ὑπὸ τῶν δικαστῶν, ἤδη τῆς ψήφου φερομένης. χρῶ σήμερον, ἔφη, τῷ καιρῷ, Σήστιε· μέλλεις γὰρ αὔριον ἰδιώτης εἶναι. *Cùm enim Sextius quodam iudicio patronum cum aliis aduocaſſet, omniáque ipſe dicere vellet, neque cuiquam loqui permitteret, vbi de eius abſolutione conſtitit, iámque ferebatur ſententia. Vtere, inquit, Sexti, occaſione hodierna, nam cras eris priuatus.* IX.

AXIOMATA.

Honorem habet teſti qui ipſum tanquam religioſum teſtem interrogat.

Non eſt in iudicio interrogandus, quem nemo congreſſu, nemo aditu, nemo ſuffragio, nemo ciuitate, nemo luce dignum putat.

Improborum ferocitas eſt comprimenda, frangenda audacia, loquacitas retardanda.

In hominis de nobis bene meriti periculo, & tempori eius & voluntati parendum eſt.

ARGVMENTVM.

Veram fuiſſe ſextÿ ſuſpicionem vel ipſius Vatinÿ teſtimonio demonſtrat, qui paulò antè ſe, cùm in Sextium teſtis productus eſſet, mentitum eſſe confeſſus eſt: è quibus infert ſine cauſâ Vatinium iraſci.

III. SED heſterno pro teſtimonio eſſe mentitum, cùm affirmares nullum tibi omnino cum Albinouano ſermonem, non modò de Seſtio accuſando, ſed nulla vnquam de re fuiſſe, paulò antè imprudens indicaſti, qui & T. Claudium tecum communicaſſe, & à te conſilium P. Seſtij accuſandi petiiſſe, & Albinouanum, quem antea vix tibi notum eſſe dixiſſes, domum tuam veniſſe, multa tecum locutum dixeris, denique conciones P. Seſtij ſcriptas, quas neque noſſet, neque reperire poſſet, te Albinouano dediſſe; eáſque in hoc iudicio eſſe recitatas. In quorum altero es confeſſus, à te accuſatores eſſe inſtructos & ſubornatos, in altero inconſtantiam tuam cùm leuitate tum etiam periurio implicatam, refelliſti: cùm quem alieniſſimum à te eſſe dixiſſes, eum domi tuæ fuiſſe: quem præuaricatorem ab initio iudicaſſes, ei te quos rogaſſet, ad accuſandum libros dixeris dediſſe.

EXPLANATIO.

SED HESTERNO.] Præcedenti die Orator Sextium defenderat: & teſtimonium contra Sextium dixerat Vatinius ab Albinouano actore productus.

ALBINOVANO.] M. Tullium Albinouanum intelligit qui P. Sextium accuſauit de vi,

vt habetur in epiſt. ad Quintum fratrem.

Titvm Clodivm.] Qui Sextij nomen deferre cogitarat (vt bene notat Manutius) quod conſilium videtur abieciſſe aut accuſanti Albinouano ſubſcripſiſſe.

Conciones.] à P. Sextio dictas, quibus populum dicebatur ad ſeditionem concitaſſe.

In qvorvm altero.] Cùm dixiſti te dediſſe Albinouano, ſcriptas P. Sextij conciones, confeſſus es à te accuſatores inſtructos eſſe & ſubornatos: quòd maximè fidem tuo teſtimonio detrahit, ſic enim non tam te teſtem quàm actorem & partem fuiſſe confiteris. in altero te contra iuſiurandum mentitum eſſe confeſſus es, cum Albinouanum, quo cum te locutum vnquam fuiſſe negaueras, domum tuam veniſſe dixiſti, & ei dediſſe Sextij conciones, cum quo dixeras noluiſſe te loqui, quòd eum præuaricatorem in cauſa fore iudicares. vt enim certiùs oſtenderet Vatinius nullum ſe cum Albinouano ſermonem habuiſſe, dicebat ideò ſe abſtinuiſſe eius colloquio, quòd eum non verum accuſatorem, ſed potiùs præuaricatorem & colluſorem in cauſa futurum eſſe arbitraretur.

Libros.] ſcriptas conciones.

NOTÆ.

I. Esse mentitvm.] Quantum crimen ſit in teſte mendacium, oſtendunt pœnæ aduerſus falſos teſtes conſtitutæ. quæ certæne fuerint an iudicum arbitrio relictæ poteſt meritò dubitari. nam etſi D. De teſtibus hæc Pauli verba habeantur, *Qui falsò vel variè teſtimonia dixerunt, vel vtrique parti prodiderunt, à Iudicibus competenter puniuntur.* Hæc inquam etſi ita habeantur, vt vi verborum nullæ in falſos teſtes conſtitutæ, ſed arbitrio iudicum competenter & pro delicti ratione irrogandæ eſſe videantur; tamen Dionyſius Gothofredus *competentibus*, non *competenter* legendum exiſtimat, ſubiicitque ὑπὸ τῶν προσφόρων ἀρχόντων τιμωρῶνται. 6. Hermenopulus 6. in f. Certè Lycij, vt teſtatur Heraclides in politiis, Πωλοῦσι δὲ τοὺς ψευδομάρτυρας, καὶ τὰς οὐσίας αὐτῶν δημεύουσι. *Falſos teſtes vendunt, & eorum bona confiſcant.* De falſario Plato vndecimo de legibus τρὶς ἑαλωκὼς (ψευδομαρτυριῶν) ἐὰν δ' ὄφλῃ θανάτῳ ζημιούσθω. *Ter deprehenſus (in falſitate) ſi conuictus fuerit, morte mulctetur.* Nec iniuriâ, ſiquidem *verum mendacium*, vt ait idem 2. de Repub. *omnes & Dij & homines execrantur* τό γ' ὡς ἀληθῶς ψεῦδος (εἰ οἷόν τε τοῦτο εἰπεῖν) πάντες θεοί τε καὶ ἄνθρωποι μισοῦσι. vtinam vtile eſſe nonnunquam mendacium & eodem libro, & l. ſequenti non ſubdidiſſet: Τῷ ὄντι θεοῖς μὲν ἄχρηστον ψεῦδος, ἀνθρώποις δὲ χρήσιμον, ὡς ἐν φαρμάκου εἴδει. *Reuera inquit Diis quidem inutile eſt mendacium, hominibus verò vtile, inſtar cuiuſdam remedij.* Hæc ille. vnde colligit nunquam permiſſum eſſe priuatis, nonnunquam magiſtratibus & vtile & licitum eſſe mendacium. Quanto ſapientius Ariſtoteles, vt habetur apud Laërtium, Ἐρωτηθεὶς τί περιγίνεται κέρδος τοῖς ψευδομένοις, ὅταν, ἔφη, λέγωσιν ἀλήθειαν μὴ πιστεύεσθαι. *Rogatus quid mentientes lucri conſequantur, vt, inquit, cùm verum dixerint, fidem non inueniant.*

Mendax teſtis.

Pœna in falſos teſtes.

Mendacium.

II. Nvllvm tibi omnino.] Nam immeritò fingebat Vatinius, nullum ſibi fuiſſe cum Albinouano ſermonem, familiaritas enim teſtis cum accuſatore vel patrono fidem eleuat teſtantis. Paulus D. 4. de Teſtibus: *Teſtes eos quos accuſator de domo produxerit, interrogari non placuit.* quæ quamuis alij aliter intelligant, poſſunt tamen ad familiaritatem pertinere. Nam vt in Aphobum tradit Demoſthenes: Οἶδ' οὖν ὅτι πάντες ἂν ὁμολογήσαιτε τοὺς ψευδομαρτυροῦντας ἢ κέρδει δι' ἀπορίαν ἐπαιρομένους, ἢ καὶ δι' ἑταιρείαν, ἢ καὶ δι' ἔχθραν τῶν ἀντιδίκων, ἐθέλειν ἄν τι τοιοῦτον ποιῆσαι. *Mihi compertum eſt apud omnes in confeſſo eſſe, quemuis falſum teſtem aut lucro ob egeſtatem incitatum, aut ob familiaritatem, aut ob inimicitias aduerſariorum, aliquid huiuſmodi committere.* De quibus idem contra Cononem feſtiuè iuxta & eleganter. Ἐπειδὰν δὲ συλλεγῶσι καὶ μετ' ἀλλήλων γένωνται κακῶν καὶ αἰσχρῶν οὐδὲν ἐλλείπουσι. καὶ ταῦτα τὰ λαμπρὰ καὶ νεανικὰ αὐτῶν ἐστιν. οὐ γὰρ ἡμεῖς μαρτυρήσομεν ἀλλήλοις; οὐ γὰρ ταῦτα ἑταίρων ἐστὶ καὶ φίλων; τί δὲ καὶ δεινόν ἐστιν, ὧν παρέξεται κατά σου, τυπτόμενόν φασί τινες ὁρᾶν; ἡμεῖς δὲ μηδ' ἧφθαι τοπαράπαν μαρτυρήσομεν. ἐκδεδύσθαι θοἰμάτιον; τοῦτ' ἐκείνους πρότερον πεποιηκέναι ἡμεῖς μαρτυρήσομεν. τὸ χεῖλος ἐρράφθαι; τὴν κεφαλὴν δέ γ' ἡμεῖς ἢ ἕτερόν τι κατεαγέναι φήσομεν. *Cùm inter ſe conuenerint nulla ſe malitiâ abſtinent aut fœditate. & hæc magnificè audactérque loquuntur. Non igitur nobis mutuum teſtimonium præbebimus? non hoc eſt amicorum & ſodalium officium? Quid enim tibi damni inferetur. Dicent aliqui vidiſſe ſe cùm tu alium verberares? nos ne tetigiſſe quidem omnino teſtabimur. veſtem aliis detraxiſſe? nos ab illis priùs id factum eſſe teſtabimur. Labrum laceratum? nos caput aut aliam partem corporis fractam eſſe dicemus.*

Familiaritas teſtium cum accuſatore fidem eleuat.

III. Imprvdens indicasti.] Iis quæ per amorem, ebrietatem, & alias huiuſmodi cupiditates proferuntur, maiorem ſolemus fidem adhibere, quia tanta vis eſt veritatis vt foras erumpat & à mendace per imprudentiam ſæpiſſimè ſui confeſſionem extorqueat, vnde ebrietatem apud Horatium:

-ſubſequitur cœcus amor ſui
Arcanique fides prodiga perlucidior virio.

Et alibi:

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit.

vnde Plinius in vino ait eſſe veritatem. ante quem Theocritus εἰδυλλίῳ κθ'.

Οἶνος, ὦ φίλε παῖ, λέγεται καὶ ἀλάθεα
Κ' ἄμμες χρὴ μεθύοντας ἀλαθέας ἔμμεναι.
Vinum, ô amice puer, dicitur & veritas
Et nos ebrios oportet dicere veritatem.

cuius prouerbij rationem vide apud Athenæum lib. 2. vbi hæc inter cætera referuntur. Καὶ τὸ νικητήριον Διονύσου τρίπους. καὶ γὰρ ἐκ τρίποδος λέγειν φαμὲν τοὺς ἀληθεύοντας. *Et niceterium Bacchi eſt tripus. nam & ex tripode fari dicimus eos qui dicunt veritatem.* Sed non eſt cur hic diutiùs immoremur, ſatis ſit oſtendere tantam eſſe vim veritatis vt niſi, quod dicitur, mendax fuerit apprimè memor vltro ſoleat erumpere, aut ſaltem ipſa ſe falſitas confiteri. facile eſt eum qui ſemel à veritate diſceſſerit (*frontibus aduerſis pugnantia*) loquentem deprehendit. ſiquidē vt ait Ariſtoteles 1. Nicomachiorum c. 7. Τῷ ἀληθεῖ πάντα συνᾴδει τὰ ὑπάρχοντα, τῷ δὲ ψευδεῖ ταχὺ διαφωνεῖ τἀληθές. *Vero omnia concinunt, à falſo facilè verum diſcrepat.* Idem Theodoretus ſermone 1. de prouidentiâ: Πολλὰ μὲν οὖν καὶ παντοδαπὰ τῶν δυσσεβεῖν αἱρουμένων τὰ ξίφη, καὶ διάφορα τῆς βλασφημίας τὰ βέλη. πολυειδὲς γὰρ καὶ ποικίλον τὸ ψεῦδος, ἁπλῆ δὲ τῆς ἀληθείας ἡ χάρις.

In vino veritas.

Mendacium ſeipſum detegit.

Multa & multimoda acies impiorum, & diuerſa iacula blaſphemiæ: multifariam enim diuiſum, & varium eſt mendacium, ſimplex autem eſt gratia veritatis. vnde & eleganter Terentius Andria actu 4.ſc.5. *Fallacia alia aliam trudit.* Prouerbium eſt, vt notat Donatus, cui ſubiacet: *Memorem mendacem eſſe oportere.* Et Dio Chryſoſtomus in Troiano: τὰ ψευδῆ ἀλλήλοις μάχεται. *falſa ſibi inuicem repugnant.* Facile itaque fuit Vatinio per imprudentiam ſui teſtimonij mendacium indicare. Imprudens porro is iudicat, qui neſcit nec cogitat ſe iudicare. Terentius in Hecyra:

--ſiquidem plus hodie boni
Feci imprudens, quàm ſciens ante hunc diem
vnquam.

Quid verò ſit prudentem facere idem in Eunucho ſic explicat:

Et tædet & amore ardeo, & prudens ſciens
Viuus vidénſque pereo.

IV. Scriptas dediſſe.] Iam enim, inquit Antonius Goueanus, Cæſaris inſtituto tam Senatus quàm populi diurna acta conficiebantur & publicabantur. Suetonius in D. Iulio: *Inito honore* (de conſulatu loquitur) *primus omnium inſtituit, vt tam Senatus quàm populi diurna acta conficerentur & publicarentur.* in quibus ſine dubio conciones erant magiſtratuum: quemadmodum & in Senatus actis Senatus ſententiæ. Hæc Goueanus. Verùm vix mihi perſuaſerit in Ephemeridas illas verbis conceptis relatas fuiſſe magiſtratuum conciones, ſatis enim erat ſumma capita concionum attingere: magis placet notarij manu exceptam fuiſſe Sextij concionem. quod de oratione Catonis Vticenſis in Cæſarem factum fuiſſe teſtatur Plutarchus: Κικέρωνος σημεῖα προδιδάξαντος ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων ἔχοντα δύναμιν. *Cicerone ſigna docente quæ in paruis & breuibus notis multarum litterarum vim continerent.* Subdítque de huiuſmodi notariis, τότε πρῶτον ἴχνος τι καταστῆναι λέγουσιν. *tunc primùm dicunt aliquod extitiſſe veſtigium.* Sed in his ne actum agere, immò longè minùs quàm actum agere videar (Quis enim poſt tantum virum aliquid ageret) erudita doctiſſimi Lipſij ad Leſſium Noſtrum epiſtola conſulatur, ex quo non erit abs re aliqua quæ magis ad rem faciant excerpere. Refert ex Iſidoro: *Notarum vſus erat, vt quicquid pro concione, aut in iudiciis diceretur, librarij ſcriberent complures.* Aſconius Pedianus præfatione in Milonianam. *Cicero cùm inciperet dicere, exceptus eſt acclamatione Clodianorum, &c. manet autem illa quoque excepta eius oratio.* Et Fabius queritur lib.8.cap.3. *orationes aliquot ſuas circumferri negligentia excipientium in quæſtum Notariorum corruptas.* Quorum celeritas tanta fuit, *vt quamuis citata* (verba Senecæ epiſt.9.) *excipiatur oratio, & celeritatem linguæ manus ſequatur.* Quid ſequatur? imò præueniat. & ita Martialis in lemmate *notarius.*

Notarij. Notariorum celeritas.

Currant verba licet, manus eſt velocior illis,
Nondum lingua, ſuum dextra peregit opus.

Manilius de eodem lib.4.

Quíque notis linguam ſuperet, curſúmque loquentis.

Auſonius ad ſuum notarium:

Tu ſenſa noſtri pectoris
Vix dicta, iam ceris tenes,
Tu me loquentem præuenis?

Et addit pulchrè:

Quis, quæſo, quis me prodidit?
Quis iſta iam dixit tibi,
Quæ cogitabam dicere?

Ideo furta verborum Hieronymus dixit: (de vitando mul. contub.) *Extemporalis eſt dictatio & tantâ ad lumen lucernulæ facilitate profuſa, vt notariorum manus lingua præcurreret, & ſigna ac furta verborum volubilitas ſermonis obrueret.* Sed, vt iam dixi, ſatius eſt, ab ipſo fonte rem accerſere, quàm in hos riuulos deriuare. cæterùm de variis ſcripturæ generibus, antiquitate, origine vide Noſtrum Hermannum Hugonem, qui rem doctiſſimè iuxta & accuratiſſimè eſt executus.

Instructos et subornatos.] Dè ſubornatione accuſatorum vide Langlæum & alios paſſim Iuriſconſultos; D. Ad S. C. Turpillianum. Marcianus lib.1.§.13. Paulus lib.6.§.4. Macer l.15. nonnihil ſuggerent.

Prævaricatorem.] Vide Cœlianam §. 24. & infrà 42. malè in gloſſis *Præuaricator* συκοφάντης. meliùs προδιδοὺς τὴν ἰδίαν δίκην, καὶ τῷ ἀντιδίκῳ αὐτοῦ βοηθῶν.

AXIOMA.

Mendaces ſeipſos imprudentes indicant.

ARGVMENTVM.

Poſt exordium ad refellendas Vatinij cauillationes accingitur, ac primùm eleganti hypothypoſi Vatinium deſcribit, non tam vt iram Vatinij, quam tamen vnam fingit ſe ſpectare, carpat, quàm vt feſtiuè corporis fœditatem irrideat. móxque ad cauſam Cornelianam deuenit, cuius defenſionem Vatinius Ciceroni obiecerat.

IV. Nimium es vehemens feróxque naturâ: non putas fas eſſe verbum ex ore exire cuiuſquam, quod non iucundum & honorificum ad aures tuas accedat. Veniſti iratus omnibus, quod ego, ſimul ac te aſpexi, priùs quàm loqui cœpiſti, cùm antè Gellius, nutricula ſeditioſorum omnium, teſtimonium diceret, ſenſi, atque prouidi. Repentè enim te, tanquam ſerpens è latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus intuliſti: vt mihi renouatus ille tuus in te * * veterem meum amicum, ſed tamen tuum familiarem defenderim: cùm in hac ciuitate oppugnatio ſoleat, qua tu nunc vteris, nonnunquam, defenſio nunquam vituperari.

EXPLANATIO.

GELLIVS.] Non ſatis mihi compertum eſt quodnam Gellij teſtimonium intelligat, etſi ſecundùm Manutium de teſtimonio in Sextium dicto loqui videatur. Nam Gellius antequam Cicero Sextij cauſam defenderet teſtimonium dixerat. Hic autem M. Tullius dicit non obſcurè Vatinium oratione quam ipſe pro Sextio habuerat, ſic fuiſſe concitatum vt in omnes non ſolùm in Ciceronem exarſerit.

NVTRICVLA SEDITIOSORVM.] Non quòd ſeditioſos aleret, quomodo enim alios aleret, qui vt Cicero iocatur in Sextianâ, *vſque eo nõ fuit popularis, vt bona ſolus comeſſet.* Sed quòd infimam plebem ad ſeditionem concitaret. nam vt ibidem ſubiũgitur. *Ecquæ ſeditio vnquam fuit, in qua non ille princeps? ecquis ſeditioſus, cui ille non familiaris? ecque turbulenta concio cuius ille non concitator?*

REPENTE ENIM TE.] Egregiâ comparatione non iram ſolùm Vatinij depingit, ſed etiam corporis fœditatem. de quo pro Sextio 134. *Tenere ſe non potuit quin hos gladiatores induceret, quorum eſſet ipſe pulcherrimus.*

VT MIHI RENOVATVS ILLE TVVS IN TE, &c.] Locus corruptus eſt, ex quo ſenſum elicere poſſis nullum, niſi particulas *in te* ſuſtuleris, & earum loco iſtas, *Tribunatus videretur. primò enim obiecisti mihi quòd veterem*, &c. cum Lambino & Goueano ſuppleueris. Vatinius enim Ciceronem accuſans quod Sextium de vi reum defenderet, eum dixit ſemper ſeditioſis & turbulentis ciuibus fuiſſe patronum, vt iam antè Cornelium de imminuta populi maieſtate reum ſuo patrocinio defenderat. Turnebus longè optimo exemplari relictam vidiſſe, ſe dicit integram paginam.

TVVM FAMILIAREM.] Hîc obiter carpit crudelitatem Vatinij, qui inſtar illius, *Pereant amici dummodo inimici intercidant.* Hac obiectione Cornelium ſuum familiarem læſit, vt per eius latus Ciceronem Cornelij patronum sauciaret. Simul eius imprudentiam oſtendit, qui familiarem ſuum, & cuius omnibus conſiliis interfuit, ſeditionis accuſet, quæ proinde accuſatio videatur ad ipſum pertinere.

NOTÆ.

I. Nutricula. NVTRICVLA.] Gellius qui ſeditioſos non vt pater aliquis aut patruus ſeuerè, ſed vt blanda nutricula molliùs & delicatius fouebat, & quaſi nutriebat. Iuuenalis 8.

> --accipiat te
> Gallia, vel potiùs nutricula cauſidicorum
> Africa.--

Vtitur verbo ſequioris ſexus *nutricula*, non *nutritor*, etiam diminutiuo, vt eius mollitiem & impudicitiam oſtendat, quàm Catullus hoc Epigrammate grauiter inſectatur.

Quid dicam, Gelli, quare roſea iſta labella, &c. Sic Gabinium mollem & effœminatum, *ſaltatricem tonſam* in Piſonianâ, & de prouinciis Conſularibus *Semiramidem* appellat, & lib. 1. ad Atticum epiſt. 14. *Duce*, inquit, *filiolâ Curionis*, id eſt filio Curionis. Æmilius Lepidus apud Salluſtium concione contra Sullam. *Fufidius ancilla turpis, bonorum omnium dehoneſtamentum.* Feſtiuum & illud 2. de oratore. *Cùm Q. Opimius Conſularis, qui adoleſcentulus malè audiſſet, feſtiuo homini Ægilio qui videtur mollior, nec eſſet, dixiſſet.* Nomina fœminina pro maſculinis.

> *--quid tu Ægilia mea?*
> *Quando ad me venis cum tuâ colu, & lanâ?*
> *--non pol (inquit) audeo*
> *Nam me ad famoſas vetuit mater accedere.*

Sic Torquatus inſectatus eſt mollitiem Hortenſij, cùm *non iam hiſtrionem eum eſſe diceret, ſed geſticulariam, Dionyſiamque eum notiſſimæ ſaltatriculæ nomine appellaret.* vt refert Gellius lib. 1. Noct. Attic. cap. 5. ſic Pomponius apud Chariſium lib. 1. *Mimatiua ebria.* alludens ad vinolentiam vetularum. ſic & Philippus ille Commineus hiſtoriæ Gallicæ lumen Coneſtabilem à S. Paulo belli quod inter Ludouicum vndecimum & Carolum Burgundiæ Ducem exarſit, *cauſam & nutriculam* appellat. *Il eſtoit cauſe & vraye nourrice de ceſte guerre.* Curculio Plautinus actu 2. ſc. 3.

> *Talos accipio, inuoco almam meam nutricem*
> *Herculem.*

IRATVS OMNIBVS.] Demoſthenes ſiue Dinarchus Ariſtogitonem iratum omnibus non ſolùm cum ſerpente, ſed etiam cum ſcorpione confert. Οὐ φιλανθρωπίας, οὐχ ὁμιλίας οὐδεμιᾶς οὐδενὶ κοινωνεῖ, ἀλλὰ πορεύεται διὰ τῆς ἀγορᾶς, ὥσπερ ὄφις ἢ σκόρπιος ἠρκὼς τὸ κέντρον, ᾄττων δεῦρο κἀκεῖσε. σκοπῶν τίνι συμφορὰν, ἢ βλασφημίαν, ἢ κακόν τι προσεργασάμενος, καὶ καταστήσας εἰς φόβον, ἀργύριον πράξεται. *Nullum humanitatis, nullum conſuetudinis cum vllo habet conſortium, ſed per forum incedit, tanquam ſerpens aut ſcorpius, exerto aculeo, huc & illuc exiliens, ſempérque cogitans, cui aut calamitatem, aut contumeliam, aut aliud malum aut terrorem infligens, pecuniam extorqueat.* Chryſoſtomus cum cane, homil. 13. in epiſtolam ad Romanos. Καθάπερ κύων πρὸς ἅπαντας ὑλακτῶν, πάντας μισῶν, πάντας ἀποστρεφόμενος, πολεμῶν ἅπασιν, &c. *Vt canis omnes allatrans, omnes odio habens, omnes auerſans, omnibus bellum inferens*, &c. Baſilius homilia contra iratos, Ὁρμῶσι, λυσσῶσι, πηδῶσιν ὥσπερ κύνες, ἅλλονται ὥσπερ οἱ σκορπίοι, δάκνουσιν ὥσπερ οἱ ὄφεις. *Impetum faciunt, rabie efferantur, inſiliunt vt canes, ſaltant vt ſcorpiones, mordent vt ſerpentes.* Talis 15. Iliados Iupiter ille iratus deſcribitur: II, Iratus omnibus cum variis beſtiis comparatus.

> Μάρψει δ' ἑξείης ὅς τ' αἴτιος, ὅς τε καὶ οὐκί.
> *Arripiet ſint, non ſint cauſa ex ordine cunctos.*

Lib. 3. Anthologiæ cap. 7. epiſt. 8. & deinceps multa Timonis illius Μισανθρώπου epitaphia habentur, quæ videntur huc non incommodè referri poſſe, ſed nos aliò properamus.

TANQVAM SERPENS E LATIBVLIS.] Meritò excandeſcentem Vatinium non cum quouis ſerpente, ſed cum eo qui primùm è latibulis erumpit, cõfert, ſic Pyrrhus 2. Æneidos, non cum quouis ſerpente, ſed cum eo *frigida ſub terrâ tumidum quem bruma tegebat* comparatur. tunc enim, vt ait Nicander in Theriacis, verſ. 30. ſunt maximè metuendi. III. Serpens erũpens è latibulis.

> Τῆμος ὅτ' ἀζαλέην φολίδων ἀπεδύσατο γῆρας
> Μῶλυς ἐπιστείχων, ὅτι φωλεὸν εἴαρι φεύγων
> Ὄμμασιν ἀμβλώσσει· μαράθου δέ ἑ νηδυτὸς ὄρπηξ
> Βοσκηθεὶς ὠκύν τε καὶ αὐγήεντα τίθησι.
> *Tunc cùm aridarum ſquamarum exuit ſenectutem*
> *Piger incedens, cùm latibulum verè fugiens*
> *Oculis hebetatur. marathi verò valdè diffuſus*
> *ramus*

Depaſtus celerémque & clarè videntem efficit. ad quem locum interpres: ὁ χυλὸς τοῦ μαράθου ὀξυδερκίαν παρέχει, ὅθεν καὶ οἱ δράκοντες οὐ μόνον ἐσθίουσιν αὐτό, ἀλλὰ καὶ παρατρίβουσι τοὺς ὀφθαλμούς. *Succus marathi ſiue fœni Græci, non ſolùm oculis claritatem adfert, quare dracones non ſolùm comedunt ipſum, ſed etiam oculos inungunt.* ideóque quod ferociores euadant depoſita ſenectute marathum Virgilius *mala gramina* nominauit. de Qu. Lepide Tertullianus cap.3. de Pallio: *vt ſenium perſenſit, in anguſtias ſtipat, pariterque ſpecum ingrediens, & cute egrediens, ab ipſo ſtatim limine eraſus exuuiis ibidem relictis, nouus explicat cum ſquammis & anni recuſantur.* Sed notandum eſt hanc ſerpentis rabiem fame maximè ſtimulari, vnde & ſimilitudo quadrabit magis Vatinio ſanguinem optimatum (vt poſtea dicetur) ſitienti: nam vt Phyſiologus apud Epiphanium teſtatur: Ἐὰν αὐτὸν θέλῃ ἀνανεῶσαι, νηστεύει ἡμέρας τεσσαράκοντα, ἕως οὗ τὸ δέρμα αὐτοῦ χαυνωθῇ, καὶ εὑρίσκει πέτραν καὶ ῥαγάδα στενήν, ὑπεισελθὼν δὲ διὰ τῆς στενῆς εἰσέρχεται καὶ ἀποβάλλει τὸ γῆρας. *Si ſeipſum renouare voluerit, ieiunat dies quadraginta, quoad corpus flacceſcat, & inuenit petram, & in foramen ſe inſinuat, declinans verò ſeipſum impellit ad transeundum & abiicit ſenectutem.* de qua ſerpentis iuuentute, quomodo Iuuentutem homines à Ioue acceptam, aſino deferendam tradiderint, aſinus ſerpenti dederit vt ſibi liceret ad fontem accedere, lepidiſſima fabella apud Nicandrum in Theriacis verſu 343. conſulatur.

Serpentis renouatio.

IV. *Oculi eminentes.*

Ocvlis eminentibvs.] Serpens ſæpè ab oculis deſcribitur. Nicander in Theriacis de aſpide verſu 178.

-τὸ δ' ἔνερθεν ὑπαιφοινίσσεται ὄμμα

Subter verò cruentus eſt oculus.

& de vipera verſu 227.

Αὐτὰρ ὀπωπῆς γλῆνεα φοινίσσει.

Oculi pupillas cruentas habent.

Iam cur inter cætera corporis vitia Vatinio Tullius oculos eminentes obiecerit, ea cauſa eſt quod animi vitium & fatuitas denotetur. Ariſtoteles in phyſiognomicis. Ἐξόφθαλμος δ' ἀβέλτερος.

Oculos eminentes habens, fatuus. vide Tiraquell. ad Alexand. cap.19. lib.2.

V. *Inflatum collum.*

Inflato collo, tvmidis cervicibvs.] Serpens etiam ab inflato collo deſcribitur. Nicander in Theriacis ver.179.

--Ψαφαρὸς δ' ἀναπίμπλαται αὐχήν.

Luridum vero impletur collum.

2. Æneidos:

Attollentem iras & cærula colla tumentem.

Statius:

Colligit in fauces & ſquamea colla venenum.

Seneca 1. de ira cap.1. *inflantur iratis colla ſerpentibus.* Sapientius hi quam Ouidius qui tumorem in toto ſerpentis corpore conſtituit.

Igne micant oculi corpus tumet omne veneno.

Aut Alcimus Auitus lib.2. verſu 134.

Sic prodit coluber lucenti pelle tumeſcens.

Lucanus in Pharſalicis 9.

Aſpida ſomniferam tumidi ceruice leuauit.

Similiter etiam Leo Nemeæus à Theocrito eid. 26. deſcribitur:

—Πελάσαι λιλαιόμενος ὅσσοις
Θὴρ ἄμοτος. μακρὴν δὲ παρ' ἰγνύησιν ἕλιξε
Κέρκον. ἄφαρ δ' ὅ μάχης ἐμνήσατο. πᾶς δέ οἱ αὐχὴν
Θυμοῦ ἐνεπλήσθη. πυρσαὶ δ' ἔφριξαν ἔθειραι
Σκυζομένῳ. κυρτὴ δὲ ῥάχις γένετ' ἠΰτε τόξον

Πάντοθεν εἰλυθέντος ὑπαὶ λαγόνας τε καὶ ἰξύν.

-Oculis circumſpectantibus atrox
Bellua, & immani feriens præcordia caudâ,
Inflato collo, tumidis ceruicibus irâ
Se pugnæ accingit rabidus, flauentibus horrent
Colla iubis: dorſi ſpina incuruatur vt arcus,
Et ſemet latera & lumbos circum vndiq. flectit.

Ideò autem colla potiùs quàm cæteræ partes corporis ſerpentibus iratis intumeſcunt, quòd venenum à felle addentes tranſmittatur. Nicander in Theriacis verſu 182.

Τῆς ἤτοι πίσυρες κοῖλοι ὑπένερθεν ὀδόντες
Ἄγκυλοι ἐν γναθμοῖς δολιχήρεες ἐρρίζωνται
Ἰοδόκοι. μύχατος δὲ χιτὼν ὑμένεσσι καλύπτει,
Ἔνθεν ἀμείλικτον γυίοις ἐρεύγεται ἰόν.

Cuius quatuor caui ſubter dentes
Incurui in maxillis longi radicantur
Venenati. ima verò tunica membranulis tegit
Vnde aſperum membris eructat venenum.

Inflantur ceruices ſerpentibus.

Et Plinius lib.11. cap.37. *aſpidi & ſerpentibus duo* (dentes) *in ſuperâ & læuâ parte longiſſimi perforati per quos venenum fundunt, non aliud hoc eſſe quàm fel ſerpentium, & inde venis ſub ſpina ad os peruenire diligentiſſimi auctores ſcribunt.* Iam quòd iracundia tumore ceruicum denotetur nemo poteſt dubitare, nam aper cuius, vt obiter dicam, tanta eſt ira, vt, teſte Xenophonte, cùm incitatur fiat ignitus. τεθνεῶτος ἤδη τοῦ ὑὸς ἐάν τις ἐπὶ τὸν ὀδόντα ἐπιθῇ τρίχας, συντρέχουσι. οὕτως εἰσὶ θερμοί. ζῶντι δὲ διάπυροι, ὅταν ἐρεθίζωνται. οὐ γὰρ αἱ τῶν κυνῶν ἁμαρτάνοντι τῇ πληγῇ τοῦ σώματος, ἄκραι αἱ τρίχωσεις περιπίμπρανται. *Statim interfecti in dentem, ſi quis pilos iniecerit, contrahuntur. adeo ſunt calidi. viuenti verò (dentes) igniti ſi quando concitati. cùm enim canes attingit ictu pilorum circumurit ſummitatem.* hic inquam aper tam iracundus à tumore ceruicum deſcribitur. vndecimo Æneidos:

Inflantur ceruices iratis.

Subſtitit, infremuitq. ferox, & inhorruit armos.

Quod de leone. ſuprà. adde Lucretium:

Vis eſt violenta leonum
Pectora quin etiam rumpi plerumque videmus,
Nec capere irarum fluctus in pectore poſſunt.

Ammianus Marcellinus lib.15. cuius plura verba de induſtriâ proferam, quòd mores maiorum noſtrorum graphicè deſcripſerit. *Celſioris ſtaturæ & candidi penè Galli ſunt omnes, & rutili, luminúmque toruitate terribiles, auidi iurgiorum, & ſublatiùs inſoleſcentes. Nec enim eorum quemquam adhibitâ vxore rixantem multo fortiore & Glaucâ peregrinorum ferre poterit globus: tum maximè cum illa inflatâ ceruice ſuffrendens, ponderánſque niueas vlnas & vaſtas, admixtis calcibus admittere cœperit pugnos, vt catapultas tortilibus neruis excuſſas: metuendæ voces complurium, & minaces placatorum iuxta & iraſcentium: terſi tamen pari diligentiâ cuncti & mundi, &c.* Lucianus in iudiciis Philoſophum diſputantem ita deſcribit: Προϊούσης δὲ τῆς συνουσίας ἐπιτείνουσι τὸ φθέγμα μέχρι πρὸς τὸ ὄρθιον. ὥστε ὑπερδιατεινομένων, καὶ μεγάλα λέγειν ἐθελόντων, τό τε πρόσωπον ἐρυθριᾷ, καὶ ὁ τράχηλος οἰδεῖ, καὶ αἱ φλέβες ἐξανίστανται. *Procedente ſermocinatione vocem intendunt ad orthium vſque concentum: adeo vt ſupra vires contendentibus & magno clamore vociferari volentibus, rubeſcat vultus, collum intumeſcat, venæ exurgant & emicent.* Obiicit verò inflatum collum, tumidas ceruices Vatinio, partim vt ad eius ſtrumas alludat, de quibus infrà. *Strumæ denique ab ore improbo demigrarunt.* Et pro Sextio: *Ij medentur Reipublica qui exſe-*

cant peſtem aliquam, tanquam ſtrumam ciuitatis. partim fortaſſe inflato collo impudicitia denotatur, nam ſi Catullum audiamus in Nuptiis Pelei & Thetidos, rebus Venereis collum intumeſcit:

Et impudicis.

Non illam nutrix heſternâ luce reuiſens
Heſterno collum poterit circundare filo.

Quid ſi Vatinium ſui temporis Therſitem, vt corpore fœdiſſimum, ſic bonis omnibus inimicum cum Therſite Homerico comparare voluit, qui ab humerorum ceruicúmque tumore deſcribitur 2. Iliados. Vides ea quæ in hac hypotypoſi enumerat, tam ſerpentibus, quàm iratis & fœdis corporibus conuenire.

AXIOMA.

Nimirum eſt vehemens feróxque naturâ, qui non putat fas eſſe verbum exire cuiuſquam, quod non iucundum & honorificum ad aures ipſius accedat.

ARGVMENTVM.

Eleganti comparatione Vatinij cum Caio Cornelio oſtendit eiuſdem imprudentiam, qui Patronum Cornelij innocentis accuſans, ſibi nocentiſſimo omnem defenſionem præcluſerit.

Purgatio ſui.

SED quæro à te, cur C. Cornelium non defenderem? num legem V. aliquam Cornelius contra auſpicia tulerit? num Æliam, non Fuſiam legem neglexerit? num Conſuli vim attulerit? num armatis hominibus templum tenuerit? num interceſſorem vi deiecerit? num religiones polluerit? ærarium exhauſerit? Rempublicam compilarit? Tua ſunt, tua ſunt hæc omnia. Cornelio eiuſmodi nihil obiectum eſt. Codicem legiſſe dicebatur: defendebatur teſtibus collegis ſuis, non recitandi cauſâ legiſſe, ſed recognoſcendi: conſtabat tamen Cornelium conſilium illo die dimiſiſſe, interceſſioni paruiſſe. tu verò cui Cornelij defenſio diſplicet, quam cauſam ad patronos tuos, aut quod os afferes, quibus iam præſcribis quanto illis probro futurum ſit ſi te defenderint, cùm tu mihi Cornelij defenſionem in maledictis obiiciendam putaris?

EXPLANATIO.

SED.] *Qui patrocinium innocentis obiicit, ipſe nocentiſſimus patronos non poterit inuenire.*

Sed tu nocentiſſimus accuſas patrocinium Cornelij innocentis.

Ergo patronos tibi nullos poteris inuenire.

Maior propoſitio in fine continetur his verbis, *Quibus iam præſcribis*, &c. Aſſumptio illis, *Sed quæro*, &c. *interceſſioni paruiſſe.* Concluſio illis, *Quam cauſam aut quod os.*

NVM LEGEM ALIQVAM.] Innocens fuit Cornelius ex hac parte, qui legem nullam contra auſpicia & obnuntiationem tulerit, tu nocens qui obnuntiante Bibulo Conſule leges ferens, auſpicia violaris. §.14.15.16.

NVM LEGEM ÆLIAM.] Innocens fuit Cornelius, qui legem Æliam de obnuntiatione, & legem Fuſiam de auſpiciis non neglexerit: tu nocens, qui contra has leges concilium conuocaſti. infrà §.18.

NVM CONSVLI VIM ATTVLERIT.] Innocens fuit Cornelius, qui vt teſtatur Aſconius in præfatione Cornelianę, vim Conſuli adeo non intulit, vt potiùs cùm à plebe *Fractos videret Conſulis, Piſonis faſces, lapidéſque etiam ex vltima concione in Conſulem iactos, tumultu perturbatus concilium dimiſerit.* Tu nocens, qui feceris vt Marcus Bibulus Conſul in carcerem duceretur. infrà §.21.

NVM ARMATIS HOMINIBVS TEMPLVM TENVERIT?] Innocens Cornelius qui roſtra nullis armatis hominibus tenuit, tu nocens cuius conſilio P. Clodius templa & forum armatis hominibus occupauit.

NVM INTERCESSOREM VI DEIECERIT.] Innocens Cornelius, qui Pub. Seruilium Globulum ſuis legibus intercedentem, vi non deiecerit, tu nocens cuius conſilio P. Clodius Fabricium, Sextium & alios vi deiecit.

RELIGIONES POLLVERIT.] Non polluit Cornelius, tu violato templo Caſtoris polluiſti. infrà.

ÆRARIVM EXHAVSERIT.] non exhauſit Cornelius, imò retulit ad Senatum, vt ait Aſconius: *vt quoniam exterarum nationum legatis pecunia magnâ daretur vſurâ, turpiáque & famoſa ex eo lucra fierent, ne quis legatis exterarum nationum pecuniam expenſam ferret.* Tu *feciſti fœdera Tribunus plebis, cum ciuitatibus, cum Regibus, cum Tetrarchis. Erogaſti pecunias ex ærario tuis legibus.* infrà §.29.

REMPVBLICAM COMPILARIT.] non compilauit Cornelius, compilaſti tu. *ex pauperrimo diues factus.* ibidem.

TVA SVNT.] non quod ipſe omnia perpetrauit, ſed quod alia fecerit ipſe, in aliis partes Clodianas adiuuerit.

CODICEM LEGISSE DICEBATVR.] *Promulgauitque legem* (Cornelius) *qua Senatus auctoritatem minuebat, ne quis niſi per populum legibus ſolueretur,* &c. *Itaque P. Seruilius Globulus Tribunus plebis inuentus erat, qui L. Cornelio obſiſteret. is vbi legis ferendos dies venit, & præco, ſubiiciente ſcribâ, verba legis recitare populo cœpit:*

& ſcribam ſubiicere, & præconem pronuntiare paſſus non eſt, tum Cornelius ipſe codicem recitauit. Quod cùm improbè fieri Caius Piſo Conſul vehementer quereretur, Tribunitiámque interceſſionem diceret, graui conuitio à populo exceptus eſt. & cùm ille eos qui ſibi intentabant manus prendi à lictore iuſſiſſet: fracti eius faſces cuncti, lapidéſque etiam ex vltimâ concione, in Conſulem iacti, quo tumultu Cornelius perturbatus concilium dimiſit. Hæc in præfatione Cornelianæ Aſconius Pedianus.

DEFENDEBATVR TESTIBVS COLLEGIS SVIS.] Tribunis plebis, inter quos, vt ait ibidem Aſconius, *& ipſe Globulus qui interceſſerat, aderat Cornelio.*

RECOGNOSCENDI.] Relegendi, & examinandi legem quam ferebat.

NOTÆ.

I. Lex Ælia. LEGEM ÆLIAM.] Nonnulli eandem legem eſſe putauerunt, falsò tamen, vt in animo eſt alibi oſtendere. Hæc autem inter vtramque videtur fuiſſe diſtinctio. Quod lege Ælia confirmata fuerit obnuntiatio, vt ſcribit Aſconius, tam augurum, quàm magiſtratuum, cùm ſeruatum eſſe de cœlo, & Ioue fulgente cum populo agi nefas eſſe (infra 20.) obnuntiabant, quo legiſlationem impedirent. Confirmatam fuiſſe & interceſſionem Tribunorum, cùm ſcilicet in ferendâ lege collegas ſuos, etiamſi non ſeruatum eſſet de cœlo, vlteriùs progredi prohiberent, colligi poteſt ex Sextianâ 34. lege autem Fuſia, quantum licet ex eodem loco ſuſpicari cauebatur, ne omnibus feſtis, (vel, vt legit Lambinus, faſtis) diebus legem ferri liceret. Cæterùm Lex Fuſia. Fuſiam legem à Conſule P. Furio, ſiue Fuſio Philone LXXIX. annis ante Piſonem & Gabinium Conſules, Æliam à Cos. M. Ælio Pæto CXI. annis ante eorumdem Piſonis & Gabinij Conſulatum latas fuiſſe, & ab auctoribus nomen ſortitas Antonius Goueanus arbitratur. ſed de his, vt & de auſpiciis, alia occurret dicendi occaſio.

II. Templum cœli. TEMPLVM.] Vt liquidiùs vim huius nominis intelligere poſſimus, quantum ſatis eſt ad hunc locum operæpretium eſt altiùs huius ſignificationem arceſſere. Lucretius in 6.

Quod ſi Iuppiter atque alij fulgentia Diui
Terrifico ſonitu quatiunt cœleſtia templa.

Terentius in Eunucho Actu 3. Scena 5. vbi Chærea ſic loquens inducitur.

--impendio magis animum gaudebat mihi
Deum ſeſe in hominem conuertiſſe, atque per alienas tegulas
Veniſſe clanculum per impluuium fucum factum mulieri.
At quem Deum? qui templa cœli ſummo ſonitu concutit.
Ego homuncio hoc non facerem? Ego illud verò ita feci & lubens.

In quos verſus S. Auguſtinus 1. Confeſſionum, cap. 16. (id enim breuiter dicendum eſt, ne venenum ſine ſuo antidoto præbeatur) hæc, inquam ſubiicit Auguſtinus. *Non accuſo verba, quaſi vaſa electa, atque pretioſa: ſed vinum erroris, quod in eis nobis propinatur ab ebriis doctoribus.* In quo genere præclarum illud quod eodem capite præmiſerat. *Nonne ego in te lego tonantem Iouem & adulterantem? & vtique non poſſet hæc duo, ſed actum eſt vt haberet auctoritatem, ad imitandum verum adulterium, lenocinante falſo tonitruo.* Sed ad ſignificationem templi redeamus. Varro 6. de lingua Latina. *Incipiam hinc,* inquit,

Vnus erit quem tu tolles ad cœrula cœli
Templa.

Templum tribus modis dicitur, ab natura, ab auſpicio, ab ſimilitudine. naturâ in cœlo, ab auſpiciis in terra, ab ſimilitudine ſub terrâ. In cœlo templum dicitur, vt in Hecuba,

O magna templa cœli tum commiſſa ſtelleis ſplendideis. *In terrâ vt in Peribea*
Scrupea ſaxa Bacchi templa prope aggreditur.
Sub terra vt in Andromacha
Acheruſia templa orci ſaluete infera.

Subiicit deinde. *A tuendo primo templum dictũ. quocirca cœlum qua tuimur dictum templum.* Hæc ille, ſed iſta non eo fine prolata ſunt, vt hic cœli templum velimus intelligi, (neque enim potuit armatis hominibus occupari) ſed vt altera templi ſignificatio, quæ ab iſtâ dependet clariùs explicetur. Alia igitur templi acceptio huic loco propria ab eodem ibidem explicatur, *In terris locus augurij vel auſpicij cauſa certis quibuſdam conceptis verbis finitur.* Templum in terra. Templum autem, vt ait Cornelius Fronto propriè dicitur *in loco augurato, forum autem, comitia*, augurata fuiſſe conſtat, tum ex Rabiriana, tum ex 2. de natura Deorum, ac proinde hîc nomine templi roſtra intelligi, vt ſæpè, putant interpretes. infra num. 24. *Iudicem in roſtris, in illo, inquam, augurato templo ac loco collocaris.* pro Sextio num. 75. *Quintus Fabricius templum aliquanto ante lucem occupauit.* & alibi ſæpe, cuius propriam eſſe ſignificationem conſtat, quòd non omnes ædes ſacræ templa dicantur, ſed eæ tantùm quæ poſitæ ſunt in loco augurato, vt non ab ædificiis, ſed à loco & ſolo inaugurato templi nomen acceperint. nam vt ibidem ſubiicit Varro. *Aiunt ſancta eſſe qui gloſſas ſcripſerunt. id eſt falſum. nam cura Hoſtilia templum eſt, & ſanctum non eſt, ſed hoc vt putarent ædem ſacram eſſe templum & ſanctum eſſe quod in vrbe Roma, pleraque ædes ſacræ ſunt templa eadem ſancta.* Templum omne nõ eſt ſanctum. Adde his Gellium 14. 7. *Docuit confirmauítque niſi in loco per augures conſtituto, quod templum appellaretur; Senatuſconſultum factum eſſet, iuſtum id non fuiſſe.* Atque hinc eſt quòd ſemper templum Capitolij non templa in numero multitudinis vnquam recipias, quamuis in Capitolij loco inaugurato tres ædes ſacræ fuerint conſtitutæ. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 4. ἐν δ' αὐτῷ τρεῖς ἔνεισι σηκοὶ παράλληλοι, κοινὰς ἔχοντες πλευράς. μέσος μὲν ὁ τοῦ Διός, παρ' ἑκάτερον δὲ τὸ μέρος ὅ τε τῆς Ἥρας, καὶ ὁ τῆς Ἀθηνᾶς ὑφ' ἑνὸς ἀετοῦ, καὶ μιᾶς στέγης καλυπτόμενοι. *In ipſo* verò (templo Capitolij) *tres ſunt ædes ſibi mutuò reſpondentes, communia habentes latera. media verò Iouis eſt, hinc inde verò Iunonis & Mineruæ quæ eadem aquilâ, & eodem tecto continentur.* Pinnacula templorum. Vbi per aquilam tecti partem inſtar pinnarum aquilæ, tegulis coopertam, & quaſi opere plumario contextam intelligo, quam D. Matth. πτερύγιον, interpres *pinnaculum templi* nominauit. Certè Ariſtophanes in auibus.

Εἶτα πρὸς τούτοισιν ὥσπερ ἐν ἱεροῖς οἰκοῦντι
Τὰς γὰρ ὑμῶν οἰκίας, ἐρέψομεν πρὸς αἰετόν. Aquilæ in templis.
Deinde ad hæc vt in templis habitabitis.
Veſtras enim domos contegemus inſtar aquilarũ.

Ad quem locum appoſitè interpres, Διὰ τὰ ἐν τοῖς ναοῖς ἀετώματα. *alludit ad templorum tecta aquilina.* Agamemnone.

καὶ γὰρ

ναὶ γὰρ τῶν ἱερῶν στέγας, πτερὰ καὶ ἀετοὺς καλοῦσιν. ὥς φησι Ἴων ἐν Ἀγαμέμνονι. *Templorum enim tecta, pinnas & aquilas appellant. vt teſtatur Ion in Agamemnone.* Quid ſi Pindarus Olymp. Ode 15. ad id alluſerit.

Τίς δ᾽ ἱππείοις ἐν ἔντεσσιν μέτρα, ἢ θεῶν ναοῖσιν οἰω- νῶν βασιλῆα δίδυ- μον ἔθηκε;

Quis præterea equeſtribus in armis menſuras, aut Deorum templis auium Regem geminum appoſuit. Sed hæc ſatis ſint ad explicationem Dionyſij: ad templum redeamus. de cuius vocabuli ſignificatione Paulus Grammaticus. *Templum*, inquit, *ſignificat, & ædificium Deo ſacratum, & tignum quod in ædificio tranſuerſum ponitur.* Et vt nominis integram notionem non omittam, quod templum pro horto 4. Æneidos poſitum exiſtimant.

Heſperidum templi cuſtos epulaſque draconi
Quæ dabat. Item pro ſepulchro.
Præterea fuit in templis de marmore templum
Coniugis antiqui.

Templum pro horto.

Et meritò. Nam vt ait Arnobius lib. 6. aduerſus gentes. *Quid quod multa ex his templa quæ tholis ſunt aureis, & ſublimibus elata faſtigiis auctorum conſcriptionibus comprobatur contegere cineres atque oſſa & functorum eſſe corporum ſepulturas?* Idque probat eleganti iuxta ac eruditâ inductione, quã, etſi iam pridem euagari à Cicerone me ſentio, non inutile fuerit aſſcribere. *Nónne patet & promptum eſt, aut pro Diis immortalibus mortuos vos colere, aut inexpiabilem fieri numinibus contumeliam, quorum delubra, & templa mortuorum ſuperlata ſunt buſtis? in hiſtoriarum Antiochus nono, Athenis in Mineruæ memorat Cecropem eſſe mandatum terræ: in templo rurſus eiuſdem, quod in arce Lariſſæ eſt, conditus ſcribitur atque indicatur Acriſius, Ericthonius Poliadis in fano, Dairas & Immanarchus fratres, in Eleuſinis conſepto, quod ciuitati ſubiectum eſt. Quid Celei virgines? non in Cereris Eleuſinæ humatæ habere perhibẽtur officia? non in Dianæ delubro, quod in Apollinis conſtitutum eſt Delij, Hypercha Laodicéque? quas aduectas illuc eſſe finibus ex hyperboreis indicatur. In Didymæo Mileſio Cleochum dicit habuiſſe ſuprema Leandrus funeris Leucophrynæ monumentum in fano apud Magneſiam Dianæ eſſe, Myndius profitetur, ac memorat Zeno. Sub Apollinis arulâ, quæ Telmeſſi apud oppidum viſitur, Telmeſſum eſſe conditum vatem non ſcriptis conſtantibus indicatur Ageſarchi? Ptolemæus Philopator quem edidit primo, Cyniram Regem Paphi cum familiâ omni ſuâ, immò cum omni proſapiâ in Veneris templo ſitum eſſe litterarum auctoritate declaret.* Hæc ille. ſubiicítque de Capitolio, ſepulchro videlicet Toli Vulcentani ex Sammonico, Granio & Valeriano quamplurima. Georgius Alexandrinus apud Ammianum lib. 22. *Cùm tranſiret per ſpecioſum Genij templum multitudine ſtipatus ex more flexis ad ædẽ ipſam luminibus. Quin diu* (lege Quamdiu) *inquit, ſepulchrum hoc ſtabit.* Atque vt de eorum inſtitutione paucis expediã, ſcribit ibidem Arnobius. *Quorum ſi quæris audire quis fuerit prior fabricator, aut Phoroneus Ægyptius, aut Merops fuiſſe monſtrabitur. vt tradit in admirandis Varro, Iouis progenies Æacus. Sint ergo hæc licet aut ex molibus marmoreis ſtructa, laquearibus aut renideant aureis, ſplendeant hic gemmæ, & ſidereos euomant variatâ interſtitione fulgores: terra ſunt hæc omnia, & ex fæce vltimâ vilioris materiæ concretæ.* Hæc ille, quamuis vſum templorum Ægyptiis vetuſtiorẽ Plato ſenſiſſe videatur, nam de ſimulachris, (quæ Zoſimo refragante, tradit Tertullianus poſt templorum vſum fuiſſe introducta) loquens Plato 2. de legibus hæc habet. σκοπῶν δ᾽ εὑρήσεις αὐτόθι τὰ μυριοστὸν ἔτος γεγραμμένα ἢ τετυπωμένα (οὐχ ὡς ἔπος εἰπεῖν μυριοστόν, ἀλλ᾽ ὄντως) τῶν νῦν δεδημιουργημένων οὔτε τι καλλίονα, οὔτ᾽ αἰσχίω, τὴν αὐτὴν δὲ τέχνην ἀπειργασμένα. Fabuloſior res eſt quàm vt velim Latinum opponere.

Templũ pro ſepulchro.

TVA SVNT, TVA SVNT.] Seneca actu 3. Medeæ. III.

Tua illa, tua ſunt illa cui prodeſt ſcelus
Is fecit.

CODICEM LEGISSE.] Quid ſit codex eleganter explicat Seneca. libro de breuitate vitæ, cap. 13. *Hoc quoque quærentibus remittamus, quis Romanis primus perſuaſit nauem conſcendere? Claudius is fuit, Caudex ob hoc ipſum appellatus, quia plurium tabularum contextus, caudex apud antiquos vocatur, vnde tabulæ codices dicuntur, & naues nunc quoque, quæ ex antiqua conſuetudine commeatus ſubuehunt, caudicatæ dicuntur.* Quod vt clariùs liquidiúſque fiat, ſciendum eſt ex Varrone & Plinio lib. 13. cap. 11. ante chartarum vſum, *Palmarum foliis primò ſcriptitatum, deinde arborum quarundam libris, poſtea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & priuate linteis confici cœpta, aut ceris. pugillariorum enim vſum fuiſſe ante Troiana tempora inuenimus apud Homerum.* Hæc autem pugillaria tabulæ fuerant.

IV. Codex.

Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά.
Scribens in tabella plicatili exitialia multa.

Tabulæ inquam ligneæ, vnde frequenter antiqui in ligno ſcripſiſſe dicuntur. Diuus Hieronymus ep. 1. ad Niceam. *Ante chartæ & membranarum vſum, aut in dedolatis è ligno codicillis, aut in corticibus arborum mutuo epiſtolarum colloquia miſsitabant, vnde & partitores earum tabellarios, & ſcriptores à libris arborum librarios vocauere.* Diogenes Laërtius in Pittaco. ἐρωτηθεὶς, &c. ὑπὸ Κροίσου τίς ἀρχὴ μεγίστη; ἡ τοῦ ποικίλου, ἔφη, ξύλου, σημαίνων τὸν νόμον. *Rogatus à Crœſo, quodnam eſſet maximum imperium, ligni, inquit, varij, legem intelligens.* Plutarchus opuſculo quodam quod inſcribitur, An philoſophum oporteat cum viris principibus loqui, adſtipulatur, & Prudentius in Caſſiano.

Tabulæ ligneæ.

--inque ora tabellas
Frangunt reliſâ fronte lignum diſsilit.

Iuuenalis bis.

Vana ſuperuacui dicens chirographa ligni.

Has autem tabellas cerâ ſic allinebant, vt tabellarum, quas nunc habemus, inſtar, facilè notas ſtylo impreſſas admitterent: poſſéntque pro arbitratu ſpongiâ deleri. Ouidius primo amorum, elegia 12.

Tabellæ ceræ illitæ.

Ite hinc difficiles, funebria ligna, tabellæ,
Túque negaturis cera referta notis.
Quam, puto, de longa collectam felle cicutæ
Melle ſub infami Corſica miſit apis.

Primo de Arte.

Cera vadum tentet raſis infuſa tabellis.

Et Propertius libro 3. elegia 22. de ſuis tabellis quas amiſerat.

Non illas fixum charas effecerat aurum,
Vulgari buxo ſordida cera fuit.

Marcus Tullius Verrina quadam *codicis ceram* appellat. Prudentius in Caſſiano.

Buxa crepant cerata genis impacta cruentis.

Quare cùm ceram inuenies, vt apud Horatium lib. 2. ſat.

Sic tamen vt limis rapias, quid prima ſecundo
Cera velit verſu.

Tabellæ ad libitum deleri poterant.

Et alios frequenter, tabellas iſtas ligneas cerâ inductas intellige. Quod autem notæ his ceris inaratæ ad libitum deleri poſſent, vt in iis noua & noua ſcriberentur è ſexcentis conſtare poteſt auctoribus. Lucianus in indoctum multos libros ſibi comparantem, de Dionyſio Siciliæ Tyranno qui tragœdias aduerſis muſis & auerſis ſcripturiebat. Λέγεται γὰρ καὶ Διονύσιον τραγῳδίαν ποιεῖν φαύλως πάνυ, καὶ γελοίως, ὥστε τὸν Φιλόξενον πολλάκις δι᾽ αὐτὴν ἐς τὰς λατομίας ἐμπεσεῖν, μὴ δυνάμενον κατέχειν τὸν γέλωτα. οὗτος τοίνυν πυθόμενος ὡς ἐγελᾶται, τὸ Αἰσχύλου πυξίον, ἐν ᾧ ἐκεῖνος ἔγραφε, σὺν πολλῇ σπουδῇ κτησάμενος αὐτὸ, ᾤετο ἔνθεος ἔσεσθαι, καὶ κάτοχος ἐκ τοῦ πυξίου ἀλλ᾽ ὅμως ἐν αὐτῷ ἐκείνῳ μακρῷ γελοιότερα ἔγραφεν; οἷον κἀκεῖνο τὸ δωρικὸν, ἧκεν ἡ Διονυσίου γυνὴ, καὶ πάλιν. Οἴμοι, γυναῖκα χρησίμην ἀπώλεσα. *Dicitur Dionyſius tragœdiam malè & ridiculè ſcripſiſſe, adeò vt Philoxenus frequenter eius causâ fuerit in latumias coniectus cùm riſum continere non poſſet. Hic igitur cùm ſe rideri audiiſſet, Æſchyli buxū, in quo ille ſcribebat, magno ſtudio ſibi comparauit, quaſi diuino quodam inſtinctu, ob buxum, continuò afflandus eſſe videretur, tamen in eo ipſo buxo, ea ſcribebat quæ longè etiam magis eſſent ridicula, quale fuit illud Doricum, venit Dionyſij mulier. Et rurſus: O me miſellum coniugem amiſi bonam.* Sic Propertius loco proximè citato tabellas quas iam longo vſu & frequenti ſcriptione detriuerat, ſic commendat.

Has quondam noſtris manibus detriuerat vſus,
Qui non ſignatas iuſſit habere fidem.
Illæ, iam ſine me, norant placare puellas,
Et quædam ſine me verba diſerta loqui.

Et in iiſdem aliquid, ab ea ad quam eas deſtinarat, reſcriptum fuiſſe ſuſpicatur.

Forſitan hæc illis fuerant mandata tabellis, &c.

Ouidius loco proximè citato idem innuit, dum tabulas quas miſerat, cum triſti reſponſo queritur rediiſſe.

Flete meos caſus, triſtes rediere tabellæ:
Infœlix hodie littera poſſe negat.

Palimpſeſtū.

Atque has ego tabulas credo quas Catullus palimpſeſtum nominant, quòd iterum extergi ſpongiâ poſſent, ep. 19.

Idémque longè plurimos facit verſus,
Puto eſſe ego illi millia aut decem aut plura,
Perſcripta, nec ſic, vt fit in palimpſeſto
Relata.

Palimpſeſtum tabulæ, in quas verſus primùm ſcribebant, quæ deleri & extergi poſſent, ſi correctione indigerent. Huc alludebat Auguſtus apud Suetonium Aiacem ſuum, quem imperfectum reliquerat, *in ſpongiam incubuiſſe* dicens. Huiuſmodi tabulis vtebantur in ſcribendis vadimoniis, in conſcribendis rationibus dati & expenſi. Ouidius loco citato.

Vadimonia & rationes tabulis inſcriptæ.

Aptius hæ capiant vadimonia garrula ceræ,
Quas aliquis dura cognitor ore legat.
Inter ephemeridas melius tabuláſque iacerent,
In quibus abſumptas fleret auarus opes.

Propertius:

Me miſerum, his aliquis rationem ponit auari,
Et ponit duras inter ephemeridas.

Ac proinde mirum non eſt ſi leges promulgādæ nō in charta aut papyro, ſed in codice, ſiue tabulis ſcriberentur, ac ex eis recitarētur apud populum, id enim fiebat vt faciliùs leges mutari poſſent, ſi quid populus improbaret.

Nunc quamuis parum id faciat ad Ciceronem, tum de ſtylo, tum de ornamentis tabularum pauca dicamus. auratas nonnunquam fuiſſe Propertius oſtendit. Tabulæ auratæ.

Non illas fixum charas effecerat aurum, &c.

Et Lucianus in indoctum multos ſibi libros comparantem, καὶ διὰ τοῦτο, χρυσοῦται αὐτὴν ἴδει ἐκεῖνο τὸ πυξίον. *& propterea eum oportebat, hoc buxum inaurare.* Per buxum enim vt iam diximus tabulas è buxo fieri ſolitas intelligit, alias ex acere. Ouidius primo Amorum, elegia vndecima.

Subſcribam: Veneri fidas ſibi Naſo tabellas
Dedicat: at nuper vile fuiſtis acer.

Eaſdem fuiſſe miniatas idem oſtendit ſequenti elegia. Tabulæ miniatæ.

At tanquam minio penitus medicata rubebas:
Ille color verè ſanguinolentus erat.

Stylum eleganter deſcribit Prudentius in Caſſiano.

Inde alij ſtimulos & acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis cera ſulcis ſcribitur.
Et qua ſecti apices abolentur, & æquoris hirti
Rurſum intrinſecus innouatur area.

Ex quo intelligas primum illud ænigma Sympoſij.

De ſummo planus, ſed non ego planus in imo
Verſor vtrimq; manu, diuerſo & munere fungor
Altera pars reuocat, quicquid pars altera fecit.

Hinc illud Horatij.

Sæpe ſtylum vertas, iterum quæ digna legi ſunt
Scripturus.

Hieronymus apud Rufinum libro contra Hieronymum citatus. *Stultus ego qui me putarim hoc abſque philoſophia ſcire non poſſe, qui meliorem ſtyli partem elegeram, eam quæ deleret, quàm quæ ſcriberet.* De quo vide Petrum Crinitum lib. 17. de honeſtâ diſciplinâ, cap. 4.

Sed vt finem aliquando faciamus de voluminibus, vmbilicis, membranis cornibus. vide Piſonianam 75. de chartis Cœlianam 40.

CONCILIVM.] Gellius cap. 27. lib. 15. noct. Attic. *In eodem Lælij felicis libro hæc ſcripta ſunt: Is qui non vniuerſum populum, ſed partem aliquam adeſſe iubet, non comitia, ſed concilium edicere debet. Tribuni autem neque aduocant patritios, neque ad eos referre vlla de re poſſunt.* V.

AXIOMA.

Qui defenſionem innocentis alteri obiiciendam putat, is ſi nocens fuerit præſcribit patronis ſuis, quanto illis probro futurum ſit, ſi ipſum defenderint.

ARGVMENTVM.

Hac defenſione Cornelij dicebat Vatinius Ciceronem ſibi bonorum omnium odium concitaſſe, eúmque ideò fuiſſe ciuitate depulſum. quod à conſequentibus falſum fuiſſe demonſtrat, quia ſi odium in ſe bonorum concitaſſet, conſulatum biennio pòſt, nunquam adeo magnificè fuiſſet conſecutus. deinde reddens fugæ ſuæ rationem, ait ſe inimicorum furorem cedendo quàm reſiſtendo frangere maluiſſe.

VI. ATTAMEN hoc, Vatini, memento, paulò poſt iſtam defenſionem meam, quam tu bonis viris diſplicuiſſe dicis, me cùm vniuerſi populi Romani ſummâ voluntate, tum optimi cuiuſque ſingulari ſtudio, magnificentiſſimè poſt hominum memoriam Conſulem factum, omniáque ea me prudenter viuendo conſecutum eſſe, quæ tu imprudenter vaticinando ſperare te ſæpè dixiſti. Nam quòd mihi diſceſſum obieciſti meum: & quòd horum (quibus ille dies acerbiſſimus fuit, qui idem tibi lætiſſimus) luctum & gemitum renouare voluiſti: tantùm tibi reſpondeo, me, cùm tu cæteræque Reipublicæ peſtes armorum cauſam quæreretis, & cùm per meum nomen fortunas locupletum diripere, ſanguinem principum ciuitatis exſorbere, crudelitatem veſtram odiúmque diuturnum, quod in bonos iam inueteratum habebatis, ſaturare cuperetis, ſcèlus & furorem veſtrum cedendo maluiſſe frangere, quàm reſiſtendo.

EXPLANATIO.

BONIS VIRIS DISPLICVISSE.] Eos opinor dicebat Vatinius, de quibus loco ſæpè citato ait Pedianus. *Dixerunt in eum* (Cornelium) *infeſti Principes ciuitatis, qui plurimùm in Senatu poterant, Quintus Hortenſius, Quintus Catulus, Q. Metellus Pius, Lucius Lucullus, M. Lepidus. Dixerunt autem hoc vidiſſe ſe cùm Cornelius in Tribunatu codicem pro roſtris ipſe recitaret: quod ante Cornelium nemo feciſſe exiſtimaretur. Volebant videri ſe iudicare eam rem magnopere ad crimen imminutæ maieſtatis tribunitiæ pertinere.* Sed iis Cornelij defenſionem diſplicuiſſe falsò dicebat Vatinius: nam ſummâ arte & ſcientiâ orationis cauerat M. Tullius, ne ſua defenſio ſummis viris diſpliceret, tantáque moderatione rem tam difficilem tractauerat, *vt & iniquitatem clariſsimorum ciuium, contra quos dicebat, non violaret, & tamen auctoritate eorum lædi reum non pateretur.*

TIBI LÆTISSIMVS.] Pro Sextio nu. 133. *ille vnus ordinis noſtri, diſceſſu meo luctu veſtro palam exultauit.* per gemitum mœrorem bonorum intelligit, per luctum lugubrem veſtem, vt ſæpè, atque mœroris inſignia.

REIPVBLICÆ PESTES.] Qui P. Clodius, Piſo, Gabinius & reliqui veſtræ factionis.

NOTÆ.

I. Cic. magnificè Conſul factus. MAGNIFICENTISSIME.] in Piſonem §. 3. *Me cuncta Italia, me omnes ordines, me vniuerſa ciuitas, non priùs tabellâ, quàm voce priorem Conſulem declarauit.* 2. agraria de ſuo Conſulatu, *eum locum quem nobilitas præſidiis firmatum, atque omni ratione obuallatum tenebat, me duce reſcidiſtis, virtutique in poſterum patere voluiſtis.* & paulò pòſt, *meis comitiis non tabellam vindicem tacitæ libertatis, ſed vocem viuam præ vobis, iudicem veſtrarum erga me voluntatum, & ſtudiorum tuliſtis.* Et verò eo magnificentior Conſulatus ille cenſendus eſt, quod vt Themiſtocles apud Plutarchum in apoph. Ταῖς Πλατάνοις ἀπείκαζεν αὑτὸν αἷς ὑποτρέχουσι χειμαζόμενοι, γενομένης δ' εὐδίας τίλλουσι παρερχόμενοι, καὶ λοιδοροῦσι. *Seipſum cum Platanis comparabat, ſub quas mortales in tempeſtate accurrunt, ſudo aëre, vellicant & violant*, ſic in Ciceronis ſinum. (quod de ſuo Traiano Plinius aiebat) confugerit concuſſa Reſpublica, & non tam dederit beneficium quàm acceperit. Salluſtius in Catilina: *Antea pleraque nobilitas inuidiâ æſtuabat, & quaſi pollui conſulatum credebat, ſi eum, quamuis egregius, homo nouus adeptus foret, ſed vbi periculum aduenit, inuidia atque ſuperbia poſt fuere, igitur comitiis habitis Conſules declarantur Tullius & C. Antonius.* vnde meritò Cl. Mamertinus ſuum illum Maximianum celebrauit: *Neque enim cùm Reip. nauem ſecundus à puppi flatus impleret, ſalutarem manum gubernaculis addidiſti: ſed,* &c. quod etiam in Anthemij Panegyrico tradit Sidonius:

-cui ſe ceu victa procellis
Atque carens rectore ratis, Reſpublica fractam,
Intulit.

vbi & parem concordiam ſuffragantium ordinum, vel pingit, vel fingit.

Te prece ruricolâ expetiit, te fœdere vinctus
Aſſenſu, te caſtra tubis, te curia plauſu.
Te punctis ſcripſere tribus.

Vide eundem Panegyrico Auiti ſoceri. Sic Latinus Pacatus, & Claudianus frequenter fato quodam & arcano conſilio Rempubl. afflictam blandè mentiuntur, vt honores, iis, quos laudant, magnificentiùs mandati fuiſſe videantur.

LOCVPLETVM.] *Locuples* (vt ait Cornelius Fronto) *à copia locorum: diues qui diuidendi* II. Locuples.

facultatem habet: opulentus ab opibus; potens qui quod vult poteſt: fortunatus cui fortè aliquid contingit: Beatus qui apud Græcos μακάριος, pecunioſus qui habet pecuniam vel pecora. Idem Agellius: *Locuples qui multas poſſeſſiones tenet.* Caius de ver. ſignificatione, *Locuples eſt qui ſatis idoneè habet, pro magnitudine rei quam actor reſtituendam eſſe petit.* quo loco vide Godefredum multis de hoc verbo differentem. Ouidius 5. Faſtorum:

Cætera luxuriæ nondum inſtrumenta vigebant
Aut pecus, aut latam diues habebat humum.
Hinc etiam locuples, hinc ipſa pecunia dicta
eſt, &c.

IV. Cicero an ſponte ceſſerit Clodio. CEDENDO FRANGERE.] De hoc oratio Sextiana à numero 35. ad 55. conſulenda, vbi Italiam totam fuiſſe dicit ad auxilium ſibi ferendum expeditam. Dio tamen 38. libro ſuæ hiſtoriæ contrarium ait, ἐπεχείρησε μὲν ὅπλα ἄρασθαι (τά τε γὰρ ἄλλα, καὶ τὸν Πομπήιον φανερῶς προεπηλάκιζε) κωλυθεὶς δ' ὑπό τε τοῦ Κάτωνος καὶ Ὁρτησίου, μὴ καὶ ἐμφύλιος ἐκ τούτου πόλεμος γένηται, &c. μετέστη. *Et arma capere conatus eſt, nam alia fecit, tum Pompeium palàm affecit iniuriis, prohibitus ille à Catone & Hortenſio, ne ex eo bellum ciuile naſceretur, diſceſsit è ciuitate.* Hæc Dio. Sed in his quæ ad Tullium & Senecam ſpectant mihi ſemper Dio ſuſpectus eſt, in quos dum maledicentiæ ſuæ virus euomat, penſi habet nihil. Ciceronem tamen de armis cogitaſſe tum Plutarchus in eius vitâ, tum ipſe pro Sextio non obſcurè teſtatur. *Quos homines, inquit, quod facile factum fuit, & quod fieri debuit, quódque à me optimi & fortiſsimi ciues* (Lucullus & alij apud Plutarchum) *flagitabant, vi armiſque ſuperaſſem*, &c. Iam conſtat cedendo frangi audaciam.

Ventus vt amittit vires niſi robore denſæ
Occurrant Siluæ.

inquit Lucanus, & eleganter Naſo:

Flectitur obſequio curuatus ab arbore ramus.
Franges ſi vires experiere tuas.
Obſequio tranantur aquæ: nec vincere poſsis
Flumina ſi contra quàm rapit vnda, nates
Cede repugnanti, cedendo victor abibis.

SANGVINEM EXORBERE.] Αἷμα λαφύσσειν apud Quintum Smyrnæum: quod odij ſummi & immanis iudicium eſt: quare & Hecuba 24. Iliados conceptum in Achillem odium his verbis exprimit: III.

Τοῦ ἐγὼ μέσον ἧπαρ ἔχοιμι
Ἐσθέμεναι προσφῦσα.

Cuius ego ô poſsim diuellere dentibus hepar.

Talis illa apud Gregorium Nazianzenum, orat. in Iulianum priore Arethuſianorum in Chriſtianas virgines immanitas. dicuntur, inquit; Καὶ ἰδίοις ὀδοῦσι κακῶς ἐσπαθῆσαι, καὶ τῆς ἑαυτῶν κακοδαιμονίας ἄξιοι ὠμῶν τῶν ἡπάτων ἐμφορηθῆναι. *Propriis dentibus ſceleratè deuoraſſe, & quod ipſorum infœlicitate dignum fuit, crudis earum iecoribus ſe repleuiſſe.* Hoc etiam pacto Hierocles ille Pythagoricus, cùm vt auctor eſt, Suidas, virgis Byſantij cæderetur, Iudici crudelitatem exprobrauit, iacto in eius faciem ſanguine, quem ipſe ſibi è corpore deterſerat, addens illud Homericum:

Κύκλωψ τῆ πίε οἶνον, ἐπεὶ φάγες ἀνδρόμεα κρέα.
Sume merum Cyclops humanâ carne repletus.

AXIOMATA.

Magnificum eſt populi ſummâ voluntate, & optimi cuiuſque ſingulari ſtudio magiſtratus adipiſci.

Boni pudenter viuendo conſequuntur, quæ improbi impudenter vaticinando ſperare ſe dicunt.

Nonnunquam ſatius eſt improborum ſcelus & furorem cedendo frangere, quàm reſiſtendo.

ARGVMENTVM.

Concludit ſuperiorem obiectionem inuidioſè rogans, vt ſibi Vatinius ignoſcat, quod cedendo patriâ tum ipſius, tum aliorum improborum fregerit furores, nec propter ſe voluerit patriam ſuâ virtute coniurationis Catilinariæ periculo liberatam rurſus in diſcrimen adducere: deinde proponit inſulſam obiectionem Vatinij, quod Cicero fuerit non ſuâ, ſed Reipub. causâ reuocatus.

VII. QVARE peto à te vt mihi ignoſcas Vatini, cùm patriæ pepercerim, quam ſeruaram: & ſi ego te perditorem & vexatorem Reipublicæ fero, tu me conſeruatorem & cuſtodem feras. Deinde eius viri diſceſſum increpas, quem vides omnium ciuium deſiderio, ipſius denique Reipublicæ luctu eſſe reuocatum? At enim dixiſti non mea, ſed Reipublicæ cauſa homines de meo reditu laboraſſe: Quaſi verò quiſquam vir excellenti animo in Rempublicam ingreſſus, optabilius quicquam arbitretur, quàm ſe à ſuis ciuibus Reipublicæ cauſâ diligi.

EXPLANATIO.

QVARE.] Te rogo ne mihi iraſcaris, ſi cùm armorum cauſam quæreretis, expeteretiſque vt ego rem in contentionem & certamen adducerem, veſtram expectationem fefellerim, & cedendo potiùs quàm reſiſtendo, veſtri furoris impetum fregerim, prouiderímque, ne patria, quam ab incendio Catilinæ ſeruaueram, rurſus in periculum laberetur. pro Sextio à 43. ad 48.

DEINDE.] Stultiſſimus es qui mihi inſultes & diſceſſum probro ducas, quem vniuerſi ciues lacrymis & luctu proſecuti ſunt, & in pa-

triam ſummo deſiderio reuocarunt: quod mihi imprimis eſt glorioſum.

ATENIM.] proponit aliam obiectionem Vatinij. Dixiſti me fuiſſe à ciuibus meis reuocatum, non quòd mihi priuatim eſſent beneuoli, ſed quòd Reipub. tranquillitatem viderent non poſſe ſine mea ſalute conſiſtere.

QVASI VERÒ.] Incipit reſpondere obiectioni hoc ſyllogiſmo, qui tum hac extremâ parte, tum ſequenti paragrapho continetur.

Vel meo vel Reip. nomine ſum reuocatus.

Sed vtrumque eſt mihi glorioſum.

Ergo imperita eſt tua obiectio. ſiquidem mihi obiicis rem glorioſam.

Scio neque in hoc, neque in aliis pleriſque, quos adferimus ſyllogiſmos, formam ſyllogiſticam vſquequaque ſeruari. Sed breuitati ſtudemus, & cuilibet facilè fuerit, inuolutos huiuſmodi complexóſque ſyllogiſmos ad formam ſimplicem & nudam reuocare. Quicquid ſit: Maior propoſitio duas partes complectitur. Reipub. cauſa reuocatum fuiſſe concedebat vltro Vatinius. Quod ſui etiam cauſa diligeretur probat Orator his verbis, *Scilicet aſpera*, &c. *ſiluerunt.* Minor propoſitio duas item. nam concedere videbatur Vatinius glorioſum futurum fuiſſe Ciceroni, ſi ſua ipſius cauſa fuiſſet in patriam reuocatus: cùm interim probro obiiceret quod homines non Ciceronis, ſed Reipub. cauſa de eius reditu laborarint. Id Noſter refellit per conceſſionem ex abundanti his verbis, *Sed nihil*, &c. *fateamur.* partim iſtis, *Quaſi verò*, &c. *diligi.* Complexio illis habetur, *Quid ergo?* &c. *eſſe coniunctam.* etſi tanta arte inter ſe huius argumentationis membra coniuncta ſunt, vix vt facilè ſit aliud ab alio ſeparare.

NOTÆ.

I. Vexare. VEXATOREM.] Sæpè vexare Remp. pro Milone 24. *Omni ſcelere in prætura vexare Rempublicam.* Item 26. *Etruriámque vexarat.* in diuinatione. *populatæ, vexatæ, funditus euerſæ prouinciæ.* 2. Verrina: *ita vexauit ac perdidit.* pro Sextio 1. *qui omnia diuina & humana violarint, vexarint, perturbarint, euerterint.* ex quibus & innumeris aliis locis videas quàm hallucinentur grammaticuli neſcio qui Virgilianam grauitatem ad vertiginoſi ſui capitis examen & calculos exigentes, hunc eius verſum tanquam exilem & minutum reprehendunt:

Candida ſuccinctam latrantib. inquina monſtris
Dulichias vexaſſe rates.-

Cùm hic magis propriè ſignantérque locutus ſit, vexare enim vehementer eſt vehere. Naues autem ſæpè maris vehicula nuncupantur. Nauem vocat Catullus:

-Leni volitantem flamine currum.

Græci, -ταχύδρομον ἅρμα θαλάσσης.

Huius vocabuli vim oſtendit Porcius Latro Declam. in Catilinam: *Rempub. nuper ex atrociſſimis bellorum ciuilium vulneribus pauliſper reſpirantem nouis inſidiis opprimere conatus eſt. Quid exhorruiſtis Iudices? non modò opprimere conatus eſt, ſed crudeliſſimè vexare: non vexare tantùm, ſed inaudito quodam genere feritatis extinguere.* quibus vides *vexare* grauius eſſe quàm opprimere. Sed de hac voce Macrobius conſulatur Saturn. 6. cap. 7. Quanquam non decet prætirire, quæ libro primo pulcherrimè ſcribit Lucretius:

Principio venti vis verberat incita pontum,
Ingentéſque ruit naueis, & nubila differt.
Interdum rapido percurrens turbine campos
Arboribus magnis ſternit, montéſque ſupremos
Siluifragis vexat flabris.-

Mox:

Sunt igitur venti nimirum corpora cœca
Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cœli
Verrunt, ac ſubitò vexantis turbine raptant.

Quibus verbis vides verbo Vexandi ingentem quandam calamitatem denotari.

TV ME CONSERVATOREM FERAS.] II. Conſeruator.
Patrij ſermonis egeſtas, (vt cum Lucretio loquar) coëgit Ciceronem vt parum ἐνεργητικῶς conſeruatorem diceret, quem Græci efficaciùs σωτῆρα nominaſſent. de qua voce ipſe Tullius ſecundo in Verrem: *Itaque eum non ſolùm patronum iſtius inſulæ, ſed etiam σωτῆρα inſcriptum vidi. Hoc quantum eſt? ita magnum, vt Latino vno verbo exprimi non poſſit. is eſt nimirum σωτὴρ qui ſalutem dedit.* Hæc Tullius. Tertullianus tamen in verbis confingendis audacior libro ni fallor de idololatria, quem Græci σωτῆρα vocant, eum *Salutificatorem* appellat, & alibi ſæpè. Ante Tertullianum tamen iam Saluatoris nomen Latinitatem acceperat. adfert Noſter Iulius Nigronius præfatione regularum Societatis noſtræ veterem lapidem in Tranſſiluania repertum.

IOVI CVSTODI
QVIRINO SALVATORI
PRO SALVTE CÆ-
SARIS NERVÆ
TRAIANI AVG.
COL.
SARMIZ.

INCREPES.] Increpare, vt ait Nonnius Marcellus, eſt aut incuſare, aut inſultare. Virg. Georg. 4. III. Increpare.

Æſtatem increpitans ſeram Zephyróſque morantes. Et lib. 10.
Hoſtis amare, Quid increpitas, mortémque minaris? Et lib. 9.
Quem Turnus pariter telóque ſecutus
Increpat his victor.-

M. Tullius in Hortenſio: *Tum Pſeudomenus & Soritam, & totam dialecticam, aut illudis, aut increpas.*

REIPVBLICÆ CAVSA DILIGI.] Fuit IV. Reip. cauſa diligi.
enim Cicero Reipub. cauſa reuocatus, nam cùm Publius Clodius vellet Cn. Pompeij acta reſcindere, quod maximos motus in Repub. concitaſſet, reuocatus eſt Cicero, vt ſe Clodij molitionibus opponeret. Dio, Plutarchus, alij. Cæterùm non abſimilis eſt ille locus Plinij Iunioris panegyrico ad Traianum: *vt enim malos Principes rectiùs pulchriúſque eſt ex communibus iniuriis odiſſe quàm propriis: ita boni ſpecioſiùs amantur ob ea quæ generi humano, quàm quæ hominibus præſtant.* Item: *Amamus quidem te in quantum mereris: iſtud tamen non facimus tui amore, ſed noſtri: nec vnquam illuceſcat dies,* &c.

Eleganter Simonides lib. 3. anthologiæ cap. 1. epigr. 18.

Τῶν αὐτοῦ τις ἕκαστος ἀπολλυμένων ἀνιᾶται
Νικόδικον δὲ φίλοι, καὶ πόλις ἥδε κλάει.
Vnuſquiſque ſuos ſueuit lugere peremptos:
Nicodici fatum hæc vrbs ſociíque dolent.

Et Tyrtæus:

Τὸν δ' ὀλοφύρονται μὲν ὁμῶς νέοι, ἠδὲ γέροντες,
Ἀργαλέῳ δὲ πόθῳ πᾶσα κέκηδε πόλις.
Hunc omnes lugent pariter iuuenéſque ſenéſque,
It tota exequias vrbs, grauitérque dolet.

AXIOMA.

Nemo excellenti animo in Rempub. ingreſſus optabilius quidquam arbitratur, quàm ſe à ſuis ciuibus Reipub. cauſſà diligi.

ARGVMENTVM.

Reddit rationem cur non ſolùm Reip. ſed ſui etiam ipſius cauſſâ fuerit in patriam reuocatus. tum imperitiam Vatinij notat qui criminis vice rem Ciceroni glorioſam obiecerit.

VIII. SCILICET aſpera mea natura, difficilis aditus, grauis vultus, ſuperba reſponſa, inſolens vita: nemo humanitatem, nemo conſuetudinem meam, nemo conſilium, nemo auxilium requirebat: cuius deſiderio, vt hæc minima dicam, forum mœſtum, muta curia, omnia denique bonarum artium ſtudia ſiluerunt. Sed nihil ſit factum meâ cauſâ: omnia illa Senatuſconſulta, populi iuſſa, Italiæ totius, cunctarum ſocietatum, collegiorum omnium decreta, de me Reipublicæ cauſâ eſſe facta fateamur. Quid ergo, homo imperitiſſime, ſolidæ laudis, ac veræ dignitatis præſtantius mihi potuit accidere, quid optabilius ad immortalitatem gloriæ, atque ad memoriam mei nominis ſempiternam, quàm omnes hoc ciues meos iudicare, ciuitatis ſalutem cum mea vnius ſalute eſſe coniunctam?

EXPLANATIO.

SCILICET.] Reſponſionem ironia amariorem reddit. Quaſi verò, inquit, non mei etiam cauſſâ fuerim reſtitutus: aut me ciues mei tanquam moroſum, difficilem, ſuperbum, inſolentem, oderint.

NEMO HVMANITATEM.] vel φιλανθρωπίαν, & benignam naturam, vel eruditionem & peritiam humaniorum litterarum intelligit, propter quam ciues ipſius conſuetudinem expetebant.

NEMO CONSVETVDINEM.] conuerſationem, & iucunditatem in conuictu.

NEMO CONSILIVM.] prudentiam in conſulendo.

NEMO AVXILIVM.] patrocinium & eloquentiam in cauſſis forenſibus. atque hîc aduerte quomodo ſingula ſingulis reſpondeant: forum mœſtum, auxilio, muta curia, conſilio, bonarum artium ſtudia humanitati Ciceronis abſentis, eiúſque deſiderio tribuuntur. hoc veluti ſyllogiſmo.

Homines eius ciuis humanitatem, conſilium, auxilium requirebant, cuius abſentis deſiderio forum mœſtum, muta curia, bonarum artium ſtudia ſiluerunt.

Sed mei deſiderio forum mœſtum, muta curia, bonarum artium ſtudia ſiluerunt.

Ergo homines meam humanitatem, conſilium, auxilium requirebant.

Aduerte quibus tùm verborum, tùm ſententiarum luminibus orationem ſuam inſperſerit. Scilicet ironiâ, articulo, repetitione, zeugmate, verbi reticentiâ, parentheſi, metaphoris, metonymiis, &c. quemadmodum etiam nunc inciſim carpatur, nunc membratim fluat, nunc in orbem & periodum voluatur oratio.

FORVM MOESTVM.] Iudicum in foro conſeſſus. pro Sextio 128. *Quem curia magis requiſiuit? quem forum luxit? quem æque ipſa Tribunalia deſiderauerunt? omnia diſceſſu meo deſerta, horrida, muta, plena luctus & horroris fuerunt.*

MVTA CVRIA.] pro Sextio 68. *Omnia Senatus reiiciebat, niſi primùm de me Conſules retuliſſent.*

SED NIHIL.] probat ſibi glorioſum futurum fuiſſe non ſuâ, ſed Reipub. cauſſâ reuocari. ac proinde Vatinij imperitiam oſtendit.

S. C.] vide planè Sextianam 73. 75. 129.

POPVLI IVSSA.] Lex de meo reditu lata comitiis centuriatis.

ITALIÆ TOTIVS.] Vide Piſon. 3.

SOCIETATVM.] pro Sextio. *Nulla Romæ ſocietas vectigalium.* vide.

COLLEGIORVM.] vide Piſon.

QVID ERGO.] videtur hoc ſyllogiſmo reſponſionem ad obiecta concludere.

Imperitus eſt ſolidæ laudis ac veræ dignitatis qui aduerſario obiicit rem glorioſam.

Sed tu mihi obiicis rem glorioſam.

Ergo imperitus es ſolidæ laudis, ac veræ dignitatis.

Propoſitio plana eſt. probat aſſumptionem.

Glorioſum eſt à ſuis Reipub. cauſſâ diligi.

Sed id mihi obiicis.

Ergo mihi obiicis rem glorioſam.

NOTÆ.

I. Mores Ciceronis. SCILICET ASPERA MEA NATVRA.] Mirùm quàm bene ſuos ipſius mores, vel per ironiam expreſſerit. Ciceronem enim dicit Dio, διὰ φόβον μᾶλλον, ἢ δι' εὔνοιαν ἰσχύοντα. *timori magis, quàm beneuolentiæ ſuis ciuibus fuiſſe.* Subiicítque cauſas cur ſibi tantum ſuorum odium contraxerit. Περιεῖναί τε καὶ τῶν κρατίστων ἀεὶ ἐπιχειρῶν, καὶ τῇ παῤῥησίᾳ πρὸς πάντας ἀκράτῳ καὶ κατακορεῖ χρώμενος, ἅ τε καὶ τὴν δόξαν τοῦ δύνασθαι συνεῖναί τε καὶ εἰπεῖν ἃ μηδεὶς ἄλλος, καὶ περὶ τοῦ χρηστὸς εἶναι δοκεῖν θηρώμενος. ἔκ τε οὖν τούτου καὶ διότι μέγιστόν τ' ἀνθρώπων ηὔχει, καὶ οὐδένα ἐξ ἴσου ἑαυτῷ ἦγε, ἀλλ' ἔν τε τοῖς λογισμοῖς, ὡς καὶ ἐν τῷ βίῳ πάντας τε ὑπερεφρόνει, καὶ ἰσοδίαιτος οὐδενὶ ἠξίου εἶναι, φορτικός τε καὶ ἐπαχθὴς ἦν, καὶ ἀπὸ τούτων, καὶ ὑπ' αὐτῶν ἐκείνων, οἷς ἤρεσκε, καὶ ἐφθονεῖτο, καὶ ἐμισεῖτο. *Tentans etiam inter primates excellere, & immoderatâ loquendi libertate in omnes ad ſatietatem vtens: quippe qui prudens & diſertus videri malebat, quàm eſſe probus. Iis de cauſis & propterea quod præ cæteris mortalibus ſe iactabat, & neminem ſibi æqualem ducebat, ſed tum in ſuis ſermonibus, tum in omni vitâ contemnebat omnes, nec ſibi quemquam æqualem ferre poterat, grauis erat & odioſus, & propter has cauſas, iis etiam quibus placere cupiebat, & inuidiæ erat, & odio.* Sed vereor, vt ſuos mores potiùs Dio, quàm Ciceronis noſtri deſcripſerit (quis enim præter hunc vnum inuentus eſt, quæ hæc tam odioſè affingeret) eadem libertate qua Senecam depinxit, omnium, qui ſunt, fuerunt, erunt teterrimum.

II. ASPERA.] Leuem certè fuiſſe natura Ciceronem tum ipſe, ſi de ſe dicenti credendum eſt, ſæpe confitetur, tum præmonſtratum eſt illo præſagio, quod, vt ait Plutarchus in eius vita. Τεχθῆναι δὲ Κικέρωνα λέγουσιν, ἀνωδύνως, καὶ ἀπόνως λοχευθείσης

Cicero natura leuis. αὐτοῦ τῆς μητρός. *Ciceronem in lucem editum ferunt, matre nullos in partu dolores ſentiente.* Eúmque ſubdit eius indolis fuiſſe, ὥσπερ ὁ Πλάτων ἀξιοῖ τὴν φιλομαθῆ, καὶ φιλόσοφον φύσιν. *qualem Plato ad amorem doctrinæ & ſapientiæ requirit.* Requirit autem Plato 6. de Rep. vt qui philoſophiæ animum appellit, ſit φύσει μνήμων, εὐμαθής, μεγαλοπρεπής, εὔχαρις, φίλος τε καὶ ξυγγενὴς ἀληθείας, δικαιοσύνης, ἀνδρείας, σωφροσύνης. *Natura memor, capeſſendis ſcientiis idoneus, magnificus, gratioſus, amicus & cognatus veritatis, iuſtitiæ, fortitudinis, temperantiæ.*

III. DIFFICILIS ADITVS.] Quàm faciles fuerint & molles aditus ad Ciceronem vel hinc liquet, quod toto tempore quo Ciliciam admi-

Facilis aditus ad Ciceronē. niſtrauit Prouinciam, ἡ οἰκία θυρωρὸν οὐκ εἶχεν, οὐδ' αὐτὸς ὤφθη κατακείμενος ὑπ' οὐδενός, ἀλλ' ἕωθεν ἑστώς, ἢ περιπατῶν πρὸ τοῦ δωματίου, τοὺς ἀσπαζομένους ἐδεξιοῦτο. *Domus ianitorem non habebat, neque ipſe cuiquam iacere in lecto conſpectus eſt, ſed à primo ſolis ortu ſtans aut ambulans, eos excipiebat qui ſalutatum veniebant.* Quanquam ſi difficilior aditus ad eum fuiſſet, id fuerat in tanto viro, tótque magiſtratibus functo tolerãdum. nam vt ait Philo in Flaccum, ἄρχοντι λυσιτελέστατον ὁ τῦφος. *Magiſtratui vtiliſſimus eſt faſtus.* Quia videlicet vt ait Tacitus 1. annalium, *maieſtati maior è longinquo reuerentia.*

Magiſtratui vtilis faſtus. & Thucydides libro 6. Τὰ γὰρ διὰ πλείστου πάντες ἴσμεν θαυμαζόμενα, καὶ τὰ πεῖραν ἥκιστα τῆς δόξης δόντα. *Quæ ſunt in longinquo omnes ſcimus admirationi eſſe, quæque minimum ſuæ dignitatis experimentum dederunt.* Valerius lib. 2. *Quicquid in excelſo poſitum eſt faſtigio, humili & tritâ conſuetudine, quo ſit venerabilius vacuum eſſe conuenit.* Quid Sinenſes hodie Reges? quid olim Aſſyrij?

GRAVIS VVLTVS.] De vultus tetricâ grauitate, vide Piſonianam, vbi de ſupercilio Piſonis. IV.

ARTIVM STVDIA.] Non litterarum, ſed virtutis exercitationem intelligit, vt & in Manilianâ. *Eſt hæc diuina atque incredibilis virtus Imperatoris. Quid cæteræ quas paulò antè commemorare cœperam, quantæ & quàm multæ ſunt? non enim ſolùm bellandi virtus in ſummo atque in perfecto imperatore quærenda eſt, ſed multæ ſunt artes eximiæ huius adminiſtræ comiteſque virtutis. ac primùm quantâ innocentiâ debent eſſe imperatores? quantâ deinde omnibus in rebus temperantiâ, quantâ fide, quantâ facilitate, quanto ingenio, quantâ humanitate.* Sicut à contrario ſcelera malæ artes à Salluſtio in Catilinâ nominantur. *Quæ tametſi animus aſpernabatur, inſolens malarum artium.* Item, *Primò magis ambitio, quàm auaritia animos hominum exercebat. quòd vitium propiùs virtutem erat, nam gloriam, honorem, imperium, bonus ignauus æquè ſibi exoptant. Sed ille verâ viâ nititur, hic quia bonæ artes deſunt, dolis atque fallaciis contendit. Auaritia pecuniæ ſtudium habet, quam nemo ſapiens concupiuit: ea quaſi malis venenis imbutum corpus, animúmque virilem effœminat, ſemper infinita, inſatiabilis eſt, neque copiâ neque inopiâ minuitur.* Idem vel potiùs incertus auctor oratione ſecundâ ad I. Cæſarem de republicâ ordinandâ. *Vbi cupido diuitiarum inuaſit, neque diſciplina, neque artes bonæ, neque ingenium vllum ſatis pollet. quin animus magis aut minus maturè, poſtremò tamen ſuccumbit.* Hæc ille, quibus ſine dubio non mechanicas aut etiam liberales artes, ſed politicas maximè virtutes intelligit. atque vt id obiter dicam, ſuſpicor has duas orationes, quæ nothæ & ſuppoſititiæ dicuntur, legitimè tamen Salluſtio vindicari. Siquidem his orationibus maximè in auaros inuehitur, quem Dio Caſſius lib. 43. multa in auaros & expilatores prouinciarum ſcripſiſſe teſtatur. Liuius decadis 5. lib. 2. *Veteres & moris antiqui memores negabant ſe in eâ legatione Romanas agnoſcere artes.* Tacitus 4. hiſtoriarum. *In turbas & diſcordias peſſimo cuique plurima vis, pax & quies bonis artibus indigent.* Horatius Ode vltimâ, lib. 3.

V. Artes.

--vaganti frena licentiæ
Iniecit, amouitque culpas,
Et veteres reuocauit artes.

Quæ etſi vera ſunt, non video tamen cur hoc loco artium nomine artes liberales intelligere non poſſimus, cùm præſertim *humanitatis* faciat mentionem. nam vt ait Gellius lib. 13. cap. 15. *Humanitatem appellauerunt, id propemodum quod Græci παιδείαν vocant, nos eruditionem inſtitutionémque in bonas arteis dicimus: quas qui ſinceriter cupiunt, appetúntque, ij ſunt vel maximè humaniſſimi.* Humanitas.

POPVLI IVSSA.] Propriè. nam populi erat iubere: quare ſic rogabatur. *Velitis, iubeatis, Quirites,* &c. qua de formulâ alibi ſæpè. VI.

ITALIÆ TOTIVS.] Quæ videlicet poſt bellum Marſicum vniuerſa ius obtinuit ſuffragij. vide Piſonianam 3. VII.

SOCIETATVM, COLLEGIORVM.] Idem nomen Dio Græcus ſcriptor vſurpat, ἑταιρικὰ κολλήγια. vbi videtur ſodalitates cum collegiis confundere. Crediderim tamen tum ex dicendis VIII.

pro Milone §.9. tum ex citato ſuperiùs Sextianæ loco. Collegia propriè fuiſſe artificum, qui eandem artem exercebant. Societates fuiſſe prædum & mancipum conuentus, qui vel vectigalia de publico redimebant. pro Sextio. *Nulla Romæ Societas vectigalium,* &c. vel qui collata in vnum pecunia negotiabantur. Vide Sextianam à §. 11. & Iuriſconſultos paſſim.

IX. Solidæ lavdis.] Solida laus ſic initio tertiæ Tuſculanæ deſcribitur. *In ſumma inanitate verſatur, conſectatúrque nullam eminentem effigiem virtutis, ſed adumbratam imaginem gloriæ. Eſt enim gloria ſolida quædam res & expreſſa non adumbrata. eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellenti virtute ea virtuti reſonat tanquam imago.*

AXIOMATA.

Odio ſolet eſſe ciuibus aſpera natura, difficilis aditus, grauis vultus, ſuperba reſponſa, inſolens vita.

Nihil glorioſius eſſe poteſt quàm ciues de nobis hoc iudicare, noſtram ſalutem cum Reipub. ſalute eſſe coniunctam.

ARGVMENTVM.

Poſtquam reſpondit obiectionibus Vatinij, eleganti ioco retorquet in aduerſariam obiectionem, & par pari referens, ait quemadmodum ipſe teſte Vatinio non ſuo ſed Reipub. nomine diligitur, ſic eundem Vatinium non ſuo ſed Reipub. nomine odio eſſe ciuitati. móxque ſeipſum corrigit, ſtandúmque dicit bonorum virorum iudicio.

IX. QVOD quidem ego tibi reddo tuum. nam vt tu me charum eſſe dixiſti Senatui populóque Romano, non tam meâ cauſſâ, quàm Reipublicæ: ſic ego te, quamquam ſis omni diritate atque immanitate teterrimus, tamen dico eſſe odio ciuitati, non tam tuo, quàm Reipublicæ nomine. Atque vt aliquando ad te veniam, de me hoc ſit extremum: quid quiſque noſtrum de ſe ipſe loquatur, non eſt ſanè requirendum: boni viri iudicent, id eſt maximi momenti, & ponderis.

EXPLANATIO.

Ego tibi reddo tvvm.] in contrarium reſpondeo, & crimen obiectum in te regero.

Vt aliqvando ad te veniam.] vt cùm tuis omnibus maledictis reſpondero, te tandem de vita & flagitiis tuis interrogem.

Qvod qvisqve nostrvm.] Cùm nobis ipſis facilè blandiamur, non proprio cuiuſque de ſe, ſed bonorum virorum iudicio ſtandum eſt.

NOTÆ.

I. Tibi reddo tvvm.] Terentius:

Par pari referto, quod eam mordeat.

Horatius S. lib. 2.

Dixerit inſanum qui me totidem audiet, atque
Reſpicere ignoto diſcet pendentia tergo.

Sic Æneas 20. Iliados verſu 250.

Ὁπποῖον κ' εἴπησθα, ἔπος τοῖόν κ' ἐπακούσαις.

Qualia tu dices aliis, te audire neceſſe eſt.

II. Dirus. Diritate atqve immanitate teterrimvs.] Vt liquidiùs energiam orationis Tullianæ videamus, operæ eſt horum verborum ſignificationem è veteribus grammaticis acceſſere. Feſtus Pompeius. *Dirus*, inquit, *iratis Diis natus.* quod Maro expreſſit in deſcriptione dirarum 12. Æneidos, quas

Si quando lethum horrificum morbóſque Deum Rex
Molitur, meritas aut bello territat vrbes.

dicitur in terram demittere. eandem ob cauſam Homerus ὀύζαν θεοπτύλω appellat, & Horatius:

Culpantur fruſtra calami, immerituſque laborat
Iratis natus paries Diis atque Poëtis.

Quibus verſibus videre eſt eos Latinis diros dici qui à Græcis κακοδαίμονες nominantur. Alibi Horatius de auaro: *Diis inimice ſenex.*-

Et Marcus Tullius Piſon. *Cùm hac Diis irata* Diritas. *fronte.* diritatem autem etiam vſurpat de ſenectute: *Quanta in altero diritas?* Immane autem teſte Nonnio Marcello ſignificat *fœdum.* Accius Andromeda:

Immane te habeat templum, obuallatum oſſibus.

Immane rurſum minimè bonum & nocens. Accius Medea:

Prima ex immani victum ad manſuetum applicans.

Virgilius Georg. lib. 4.

Immane ante pedes hydrum moritura puella.

Accius Philocteta:

Phrygiam minorem eſſe immanem Græciam.

M. Tull. de Repub. lib. 4. *Quippe ſi ita ſentit vt loquitur, eſt homo impurus: ſin aliter, quod malo, oratio eſt tamen immanis,* &c. Varro Meleagris: *Adde Hydram Lernæam & Draconem Heſperidum, quod beſtiæ fuerunt immanes.* hæc Nonnius. ſed de hoc §. 14.

Teterrimvs.] Tetrum autem apud eundem eſt 1. vitabile. 2. illuuioſum & fœtidum. 3. amarum. 4. impium, crudele. quæ ſingulæ ſignificationes ibidem luculentis veterum teſtimoniis comprobantur. Maro etiam dirum tetro coniunxit 3. Æneidos: III. Teter.

-quæ vox tetrum dira inter odorem.

Qvid qvisqve de seipso loqvatvr.] Iure Cic. Vatinium vituperaturus ſe ipſum corrigit, quod coactus fuerit in ſuas ipſius laudes excurrere. nam vt ait Plutarchus in opuſculo cui titulus eſt, Περὶ τοῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀνεπιφθόνως. ἀνιαροῦ ὄντος καὶ μόλις ἀνεκτοῦ τοῦ τὸν πλησίον ἐλέγχου, καὶ δεομένου πολλῆς εὐλαβείας, ὁ μιγνύων ἴδιον ἔπαινον ἀλλοτρίῳ ψόγῳ, καὶ δι' ἀδοξίας ἑτέρου δόξαν IV.

αὐτῷ θηρώμενος, ἐπαχθὴς παντάπασι καὶ φορτικός ἐστιν, ὁ ἐκ τοῦ δυσκλεοῦς ἄλλοις βουλόμενος. *Cùm moleſtum ſit & vix tolerabile, nec ſine magnâ cautione faciendum, in proprias laudes excurrere, qui ſui ipſius lau-*

Sui laudatio.

des alterius vituperationi permiſcet, & gloriam ex alienâ ſectatur infamiâ, odioſus omnino eſt, qui ex alterius dedecore decus vult adipiſci. Vnde & ibidem in principio iure Pindarum reprehendit, qui importunam iactantiam vituperans, ſeipſum ſemper magnificè miratur & circumſpicit. Ὁ Πίνδαρος φήσας καὶ τὸ καυχᾶσθαι παρὰ καιρὸν μανίαις ὑποκρέκειν οὐ παύεται μεγαληγορῶν περὶ τῆς ἑαυτοῦ δυνάμεως, ἀξίας μὲν ἐγκωμίων οὔσης (τίς γὰρ οὔ φησι;) ἀλλὰ καὶ τοὺς στεφανουμένους ἐν τοῖς ἀγῶσιν, ἕτεροι νικῶντας ἀναγορεύουσιν τὴν ἀηδίαν τῆς περιαυτολογίας ἀφαιροῦντες. *Pindarus dicens* Olymp. ode 9. *(gloriari intempeſtiuè, inſaniis conſonat) non deſiſtit de ſuâ magniloquentiâ gloriari, laudabili quidem: quis enim negat? ſed & eos qui in ſacris certaminibus coronantur, alij victores denuntiant, ſublato propriæ laudis faſtidio.* & meritò. Nam, vt ait Demoſthenes περὶ στεφάνου. φύσει πᾶσιν ἀνθρώποις ὑπάρχει, τῶν μὲν λοιδοριῶν καὶ τῶν κατηγοριῶν ἀκούειν ἡδέως, τοῖς ἐπαινοῦσι δ' αὐτοὺς ἄχθεσθαι. *Ita naturâ comparatum eſt, vt vituperationes & conuitia libenter audiamus, eos qui ſe laudant iniquo animo feramus.* & Plutarchus loco citato: Αὐτῷ μὲν ὁ παρ' ἄλλων ἔπαινος ἥδιστον ἀκουσμάτων ἐστὶν (ὥσπερ ὁ Ξενοφῶν εἴρηκεν) ἑτέροις δ' ὁ περὶ αὑτοῦ λυπηρότατον. *Iucundiſſimum cuique acroama eſt ſui ipſius in ore aliorum laudatio, vt ait Xenophon, aliis verò ſui laudatio moleſtiſſimum.* Hic verò Ciceronis locus, quamuis in pauciora contractus ab Homero 20. Iliados verſu 201. deſumptus videtur, vbi Æneas Achillem alloquens inducitur. Plinius Iunior epiſt. 8. lib. 1. *Etenim ſi alienæ quoque laudes parum æquis auribus accipi ſolent, quàm difficile eſt obtinere ne moleſta videatur oratio de ſe aut de ſuis diſſerentis.* Item: *Qui benefacta ſua verbis adornant, non ideo prædicare quia fecerint, ſed vt prædicarent feciſſe creduntur. Sic quod magnificum referente alio fuiſſet, ipſo qui geſſerat, recenſente vaneſcit: homines enim cùm rem deſtruere non poſſunt, actionem eius inceſſunt: ita ſi ſilenda feceris, factum ipſum: ſi laudanda, quod non ſileas, ipſe culparis.* Opportunè igitur purgat Orator, quod pluribus de ſe egerit.

V°

BONI VIRI IVDICENT.] Non cuiuis, ſed bonorum virorum iudicio ſe permittit, quia iudex vitiis corruptus malè verum examinat, boni verò ſolius eſt ſincerè de bono iudicare. Ariſtoteles: Ἁπλῶς μὲν καὶ κατ' ἀλήθειαν βουλητὸν ἐστὶ τἀγαθὸν, ἑκάστῳ δὲ τὸ φαινόμενον. τῷ μὲν οὖν σπουδαίῳ τὸ κατ' ἀλήθειαν ἐστὶ, τῷ δὲ φαύλῳ τὸ τυχόν. 3. Ethic. ad Nicomachum cap. 4. *Simpliciter & verè bonum eſt expetendum, vnicuique verò quod apparet. bono quidem, id quod bonum eſt ex rei verita-*

Sincerum ſolius viri boni iudicium.

te, malo autem quodlibet. Vnde meritò Seneca epiſt. 102. vnius viri boni iudicium, omnium malorum iudicio anteponit, luculentámque reddit huiuſce rei rationem. *Claritas non deſiderat multa ſuffragia, poteſt & vnius boni viri iudicio eſſe contenta. nam omnes bonos bonus vnus iudicat.* deinde ſubdit: *Si de me bene vir bonus ſentit, eodem loco ſum, quo, ſi omnes boni idem ſentirent. omnes enim ſi me cognouerint idem ſentient. par illis idémque iudicium eſt: æquè verò ſentitur ab his, qui diſſidere non poſſunt, ita pro eo eſt, ac ſi omnes idem ſentiant: quia aliud ſentire non poſſunt.* atque cùm, vt inquit ille tragicus, *magnificum ſit laudari à laudato viro.* hinc fit vt eos plerique laudare ſoleant à quibus ſe laudari intelligunt, vt quo à laude dignioribus laudantur, eo & ipſi laude digniores eſſe videantur. quo in genere ſunt illa apud Plutarchum περὶ δυσωπίας in vtramque partem pulcherrima: Ἀλεξῖνον ἱστοροῦσι τὸν σοφιστὴν πολλὰ φαῦλα λέγειν ἐν τῷ περιπάτῳ περὶ Στίλπωνος τοῦ Μεγαρέως, εἰπόντος δέ τινος τῶν παρόντων, ἀλλὰ μὴν ἐκεῖνός σε πρῴην ἐπῄνει, Νὴ Δία, φάναι, βέλτιστος γὰρ ἀνδρῶν ἐστὶ καὶ γενναιότατος. ἀλλὰ Μενέδημος τοὐναντίον ἀκούσας, ὡς Ἀλεξῖνος αὐτὸν ἐπαινεῖ πολλάκις, ἐγὼ δ', εἶπεν, ἀεὶ ψέγω Ἀλεξῖνον, ὅστε κακός ἐστιν ἄνθρωπος ἢ κακὸν ἐπαινῶν. οὕτως ἄτρεπτος ἦν καὶ ἀνάλωτος ὑπὸ τῶν τοιούτων.

Magnificum laudari à laudato.

Alexinum Sophiſtam multis de Stilpone Megarenſi detrahentem, dicente quodam, Atqui nuper ille te laudabat, ſubieciſſe ferunt, Ita Hercle, hominum enim eſt optimus, & conſtantiſſimus. Sed contra Menedemus audiens ſe ab Alexino ſæpè laudari. Atqui, inquit, ſemper ego vitupero Alexinum, qui ſpe malus eſt, & malum laudat. tantâ conſtantiâ ſatagebat ne laudibus huiuſmodi caperetur.

Alexini vanitas.

Hæc Plutarchus. quibus exemplis oſtenditur, bonos à bonis, malos à malis laudari conſueſſe. Meritóque Ageſilaus, vt eſt apud Xenophontem in oratione de eius laudibus: Ὁπότε δὲ ψεγόντων ἢ ἐπαινούντων τινὰς ἀκούει, οὐχ ἧττον ᾤετο καταμανθάνειν τοὺς τῶν λεγόντων τρόπους, ἢ περὶ ὧν λέγοιεν. *Cùm aliquem aut alios laudantem, aut vituperantem audiebat, non minùs ſe putabat eius mores qui loquebatur, quàm eorum de quibus loquebatur agnoſcere.* Eam ob cauſam Phocion, non minùs laudari à malis, quàm à bonis vituperari metuebat. Ἐπεὶ δὲ λέγων ποτὲ γνώμην πρὸς τὸν δῆμον εὐδοκίμει, καὶ πάντας ὁμαλῶς ἑώρα τὸν λόγον ἀποδεχομένους, ἐπιστραφεὶς πρὸς τοὺς φίλους εἶπεν, οὐ δή που κακόν τι λέγων ἐμαυτὸν λέληθα; *Cùm ipſi, dictâ ſententiâ, ab omni populo plauderetur, conuerſus ad amicos, an aliquid mali per imprudentiam locutus ſum?*

Vulgi iudicia negligenda.

Plutarchus in apopht. Libet & alia exempla attexere, tum eorum qui bonorum de ſe iudicium magni fecerint, tum eorum qui vulgi iudicia neglexerint. Ælianus variæ hiſtoriæ lib. 2. cap. 6. Ἱππόμαχος, φασὶν, ὁ γυμναστὴς, ἐπεὶ παλαίσματι ὁ ἀθλητὴς ὁ ὑπ' αὐτῷ γυμναζόμενος ἐπάλαισεν, εἶτα ὁ πᾶς ὄχλος ὁ περιεστὼς ἐξεβόησε, καθίκετο αὐτοῦ τῇ ῥάβδῳ ὁ Ἱππόμαχος καὶ εἶπεν, ἀλλὰ σὺ κακῶς, &c. οὐκ ἂν γὰρ ἐπῄνεσαν οὗτοι τεχνικόν σε δράσαντά τι. *Hippomachus, vt ferunt, cùm Athletâ quem exercebat luctante, omnis circum populus exclamans applauderet, eum virga percuſſit ſubiecítque. Atqui malè luctatus es, &c. neque enim te iſti laudarent ſi ex arte luctareris.* Idem lib. 14. cap. 8. Δύο εἰκόνας εἰργάσατο Πολύκλειτος κατὰ τὸ αὐτὸ, τὴν μὲν τοῖς ὄχλοις χαριζόμενος, τὴν δὲ κατὰ τὸν νόμον τῆς τέχνης. ἐχαρίζετο δὲ τοῖς πολλοῖς τὸν τρόπον τοῦτον. καθ' ἕκαστον τῶν εἰσιόντων μετετίθει τι καὶ μετεμόρφου, πειθόμενος τῇ ἑκάστου ὑφηγήσει. προὔθηκεν οὖν ἀμφοτέρας, καὶ ἡ μὲν ὑπὸ πάντων ἐθαυμάζετο, ἡ δὲ ἑτέρα ἐγελᾶτο, ὑπολαβὼν οὖν, ἔφη ὁ Πολύκλειτος, ἀλλὰ ταύτην μὲν ἣν ψέγετε ὑμεῖς ἐποιήσατε, ταύτην δ' ἣν θαυμάζετε, ἐγώ. *Duas ſtatuas eodem tempore finxit Polycletus, alteram ex populi voluntate, alteram ex artis præceptis. ad vulgi verò voluntatem ſe accommodauit hac ratione, prout aliquid acceſſerat, aliquid transferebat & fingebat, vniuſcuiuſque monitioni obtemperans. eas igitur ambas propoſuit, cúmque altera admiratio-*

ni, altera ridiculo omnibus eſſet. Atqui, inquit Polycletus, quàm vituperatis eam feciſtis, quam laudatis, ego. Et vt videas quemadmodum hic auctor lapſus fuerit memoria, eodem capite Hippomachi factum lõgè aliter quàm ſecundo libro recenſet: Ἱππόμαχος ὁ αὐλητὴς, ἐπεὶ αὐτῷ μαθητὴς αὐλῶν, ἥμαρτέ τι κατὰ τὸ αὔλημα, ἐπῃνέθη δ' ὑπὸ τῶν παρόντων, καθίκετο αὐτοῦ τῇ ῥάβδῳ, καὶ ἔφη, κακῶς ηὔλησας, οὐ γὰρ ἂν οὗτοί σε ἐπῄνουν. *Hippomachus fiſtulator, cùm ipſius diſcipulus in legem canendi peccans, à præſentibus laudaretur, eum virga percuſſit, &, malè ceciniſti, inquit, non enim iſti te laudarent.* Ideóque fortaſſe Diogenes Cynicus, vt eſt apud Laërtium: Εἰς θέατρον εἰσῄει ἐναντίος τοῖς ἐξιοῦσιν, ἐρωτηθεὶς δὲ διὰ τί; τοῦτ', ἔφη, παντὶ τῷ βίῳ ἐπιτηδεύω. *Ingrediebatur in theatrum contra exeuntes, rogatúſque cur id faceret hoc, inquit, totâ vitâ ſtudeo facere.* & meritò. nam, vt ait Plutarchus in inſtitut. puerorum, τὸ τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν τοῖς σοφοῖς ἐστιν ἀπαρέσκειν. *Vulgo placere, eſt ſapientibus diſplicere.* Sed ſatis dictum ſit de iis qui vulgi de ſe iudicia neglexerint, quanti ſit momenti & ponderis bonos viros de nobis bene iudicare, vno item vel altero exemplo videamus: quando, vt ait alicubi Tullius, eum qui ſemel pudoris limites tranſiliit, oportet gnauiter eſſe impudentem. Antigonus,

Magnifaciendum viri boni iudicium. vt ait Plutarchus in apophthegmatis: Ζήνωνος τοῦ Κιτιέως ἀποθανόντος, ὃν μάλιστα τῶν φιλοσόφων ἐθαύμαζεν, ἔλεγε τὸ θέατρον αὐτοῦ τῶν πράξεων ἀνῃρῆσθαι. *Zenone Citienſi demortuo, quem ex omnibus philoſophis maximè mirabatur, dicebat, theatrum ſuarum actionum periiſſe.* Quid ille qui Platonis vnius iudicium omnium Athenienſium iudicio præferebat? Noſter in Bruto 191. de Antimacho Clario Poëta: *Cùm conuocatis auditoribus legeret eis, magnum illud quod nouiſtis volumen ſuum, & eum legentem omnes præter Platonem reliquiſſent, Legam, inquit, nihilominus. Plato enim mihi vnus inſtar eſt omnium.* Cuius rationem hanc eſſe exiſtimo non ſolùm quòd, vt dictum eſt, *malè verum examinat omnis Corruptus Iudex.* Sed etiam quod vitium ſic hominum mentes obnubilat, vt vel ſplendorem virtutis videre non poſſint, vel ſi vident inuidere malint quàm agnoſcere, vt ait Pericles in Epitaphio apud Thucydi-

Inuidia. dem lib. 2. Μέχρι γὰρ τοῦδε ἀνεκτοὶ οἱ ἔπαινοί εἰσι περὶ ἑτέρων λεγόμενοι, ἐς ὅσον ἂν καὶ αὐτὸς ἕκαστος οἴηται ἱκανὸς εἶναι δρᾶσαί τι ὧν ἤκουσε. τῷ δ' ὑπερβάλλοντι αὐτῶν φθονοῦντες, ἤδη καὶ ἀπιστοῦσιν. *Tamdiu aliorum laudes tolerantur, quamdiu vnuſquiſque, quæ audit, imitari ſe poſſe exiſtimat. iis verò, quæ vices auditorum ſuperant, non inuidetur ſolùm, ſed etiam fides denegatur.* Quod Salluſtius in Cat. proœmio his verbis eſt imitatus, *Quæ delicta reprehenderis, maliuolentiâ & inuidiâ dicta putant: vbi de magnâ virtute atque gloria bonorum memores, quæ ſibi quiſque facilia factu putat æquo animo accipit: ſupra, veluti ficta pro falſis ducit.* Contra verò plerique, ſuis vitiis in aliorum laude blandiuntur, & iis qui peccant apud Deum, apud homines laudem impertiunt. de quo Syneſius epiſtolâ 105. Οὐ νεώτερόν ἐστι τὸ δέος, ἀλλὰ καὶ λίαν ἀρχαῖον, τὸ Μήτι περὶ Θεῶν ἀμπλακὼν τιμὰν πρὸς ἀνθρώπων ἀμείψω. *Non recens eſt timor, ſed valdè vetus, Ne in Deos peccans, apud homines laudem inueniam.* Quæ Ibyci verba apud Platonem in Phædro, vnius verbi mutatione, eandem ſententiam efficaciùs continentia referuntur. Καί πως ἐδυσωπούμην κατ' Ἴβυκον Μή τι παρὰ θεοῖς ἀμπλακὼν τιμὰν πρὸς ἀνθρώπων ἀμείψω. *Et aliquo modo ſubuerebar ſecundum Ibycum, ne eum apud Deos peccauero, honore apud homines compenſer.* Sed hæc plus ſatis hactenus allata fuerint, vt oſtendatur ratio cur Tullius iudicium tum de ſuis, tum de Vatinij moribus, non cuilibet, ſed tantùm bonis viris commiſerit. Aduerte tamen non fruſtra laudis factam eſſe mentionem, licet Tullius non de bonorum voce, ſed ſolo iudicio meminerit. nam, vt ait Seneca epiſtola 102. *Cùm dicimus aliquem laude dignum, non verba illi benigna hominum, ſed iudicia promittimus. Ergo laus etiam taciti eſt* Laus animo continetur. *bene ſentientis, ac bonum virum apud ſe laudantis. Deinde, vt dixi, ad animum refertur laus, non ad verba, quæ conceptam laudem egerunt, & in notitiam plurium emittunt. Laudat, qui laudandum eſſe iudicat,* &c.

ID EST MAXIMI MOMENTI ET PONDERIS.] VI. Quæ §. 1. huius orationis de momento dicta ſunt, poſſunt hunc locum explicare. Cùm enim parum referat quid quiſque de ſe loquatur, vtriuſque mores quaſi duabus lancibus impoſiti, nihil habent adhuc quo præponderent aut eleuentur, niſi teſtimonium bonorum acceſſerit. Supradictis addo hanc momen- Momentum. torum comparationem, non iudicio ſolùm, ſed etiam frequenter aliis rebus adhiberi. Plato 8. de Republica, ſub initium diuitias virtuti conferens. Ὅσῳ ἂν τοῦτο τιμιώτερον (ſcilicet τὸ χρηματίζεσθαι) ἡγῶνται, τοσούτῳ ἀρετὴν ἀτιμοτέραν. ἢ οὐχ οὕτω πλούτου ἀρετὴ διέστηκεν, ὥσπερ ἐν πλάστιγγι ζυγοῦ κειμένου, ἑκατέρου ἀεὶ εἰς τοὐναντίον ῥέποντος; καὶ μάλα, ἔφη. τιμωμένου δὲ πλούτου ἐν πόλει καὶ τῶν πλουσίων, ἀτιμότερα ἀρετή τε καὶ οἱ ἀγαθοί. Δῆλον. ἀσκεῖται δὴ τὸ ἀεὶ τιμώμενον· ἀμελεῖται δὲ τὸ ἀτιμαζόμενον. *Quanto pecuniam pluris faciunt, tanto virtutem minoris æſtimant. an non ita virtus à diuitiis differt, & quemadmodum in lance, examine impoſito alterum ſemper in contrariam partem ſuo momento moueatur. Planè, inquit, cùm verò diuitiæ diuiteſque magni fiunt in ciuitate, virtus boníque negliguntur. Manifeſtum. exercetur verò quod magni fit, quod contemptum iacet, negligitur.* Demoſthenes de corona: Οὐδ' ὅσα συμβεβούλευκα πώποτε, τοιοῦτος ὁμοίως ὑμῖν ὥσπερ εἶ ἐν τρυτάνῃ ῥέπων ἐπὶ τὸ λῆμμα συμβεβούλευκα. *Neque quot vnquam ſuaſi, iſtorum more, tanquam in trutinâ, ad munerum acceptionem quaſi momento raptus ſuaſi.* Ariſtoteles primo Ethic. Nicomachiorum cap. 2. Πρὸς τὸν βίον ἡ γνῶσις τοῦ ἀγαθοῦ μεγάλην ἔχει ῥοπήν. *Ad vitam inſtituendam boni cognitio magni eſt momenti.* Dionyſius Halicarnaſſeus Antiq. Rom. lib. 9. Ἰσόρροπός τε καὶ μέχρι πολλοῦ ταλαντευομένη τῇδε καὶ τῇδε ἡ κρίσις τοῦ πολέμου. *Æquis libratum diu momentis & examinatus in hanc & illam partem belli euentus.* Liuius dec. 1. lib. 3. *puncto ſæpè temporis maximarum rerum momenta verti.* Torquatus Taſſus lib. 5. Godefredi 7.

Et poi che 'l riſchio è di ſi leue danno
Poſto in lance col prò, che 'l contrapeſa.

vnde D. Baſilium homilia εἰς τὸ πρόσεχε σεαυτῷ pulcherrimè circa medium. & Themiſtium orat. 3. περὶ τῆς φιλίας. *Cùm inæqualitas fortunæ aut ſuperbia obrepſerit.* Συμβαίνει ὥσπερ πλάστιγγος ἀπὸ θατέρου κουφισθείσης, τὴν ἰσορροπίαν τοῦ ζυγοῦ μὴ διαμένειν. *Accidit vt tanquam altera ex parte lance ſublata, librationis in trutina æqualitas minimè*

permaneat. Lucianus in amoribus, καθάπερ ἀκριϐὴς τρυτάνη ταῖς ἐπ' ἀμφότερα πλάστιγξιν ἰσοῤῥόπως ταλαντεύομαι. *vt accurata bilanx duabus hinc inde lancibus æquali examinor momento.* Claudianus lib. in Eutropium primo:

Diuerſum ſuſpendit onus, cum pondere Iudex
Vergit, & in geminas nutat prouincia lances.

AXIOMATA.

Expetendum eſt vt ciuibus cari ſimus non tam noſtro, quàm Reipub. homine.

Quid quiſque de ſe ipſe loquatur, non eſt ſanè requirendum. boni viri iudicent, id eſt, maximi momenti ac ponderis.

ARGVMENTVM.

Probat quam opinionem viri boni de vtroque conceperint, tantámque oſtendit, cùm innocentiæ, tum dignitatis ſuæ fiduciam, vt ſe vel ipſius Vatinij iudicio anteponendum, boniſque viris chariorem eſſe confirmet.

DVO ſunt tempora, quibus noſtrorum ciuium ſpectentur iudicia X.
de nobis: vnum honoris, alterum ſalutis, honos talis populi Romani voluntate paucis eſt delatus ac mihi: ſalus, tanto ſtudio ciuitatis, nemini reddita. De te autem homines quid ſentiant, in honore experti ſumus, in ſalute expectamus. Et vt ne me cum his principibus qui adſunt P. Seſtio, ſed tecum homine vno ſolùm impudentiſſimo, atque infimo conferam, de te ipſo homine & arrogantiſſimo, & mihi inimiciſſimo, quæro, Vatini, Vtrum tandem putes, huic ciuitati, huic Reipubl. huic vrbi, his templis, ærario, curiæ, viris his quos vides, horum bonis, fortunis, liberis, ciuibus cæteris, denique deorum immortalium delubris, auſpiciis, religionibus, melius fuiſſe & præſtabilius, me ciuem in hac ciuitate naſci, an te? cùm mihi hæc reſponderis, aut ita impudenter, vt manus à te homines vix abſtinere poſſint, aut indolenter, vt aliquando iſta ilia, quæ ſunt inflata, rumpantur: tum, memoriter reſpondeto ad ea, quæ de te ipſo rogaro.

EXPLANATIO.

VNVM HONORIS, ALTERVM SALVTIS.] Cùm aut ad magiſtratus obtinendos ambimus populi ſuffragia, aut cum die nobis ab accuſatoribus dicta in diſcrimen capitis adducimur.

HONOS TALIS.] Paucos, vt mihi contigit, cuncta Italia, omnes ordines, vniuerſa ciuitas non priùs tabella quàm vocem priorem Conſulem declarauit. vide dicta ad §.6.

SALVS TANTO.] Ne Marco quidem Pompilio, Quinto Metello, Caio Mario viris conſularibus ſalus eſt reddita tanto ſtudio ciuitatis: de illis enim nulla magiſtratuum conſenſio, nulla ad Rempub. defendendam populi conuocatio, nullus Italiæ motus, nulla municipiorum decreta extiterunt. Cic. poſt reditum in Senatu conſulendus.

IN HONORE EXPERTI SVMVS.] Ædilitatem petiiſti: Tribum tuam non tuliſt: Palatinam denique per quam Clodianæ peſtes vexare populum Rom. dicebantur perdidiſti. ex Sextiana §.114. Quæſturam petiiſti cum P. Sextio: Cùm P. Sextius Quæſtor ſic cunctis ſuffragiis factus, tunc tu vix inuitis omnibus, non populi beneficio, ſed Conſulis, extremus adhæſiſti. hic §.12.

IN SALVTE EXPECTAMVS.] Cùm Paulus Æmilius & Licinius Macer te accuſabũt, qui diem tibi dicere ſtatuerunt. Cicero ad Quintum Fratrem lib.2. *Quin etiam Paulus noſter cùm teſtis productus eſſet in Sextium confirmauit nomen ſe Vatinij delaturum, ſi Macer Licinius cunctaretur: & Macer à Sextij ſubſelliis ſurrexit, ac ſe illi non defuturum affirmauit. Quid quæris? homo audax & petulans Vatinius valdè fractus debilitatúſque diſceſſit.*

ET VT NE ME.] Dubium non eſt quin mendum in ſcripturam obrepſerit. vox enim *non ſolùm* nihil habet quod ad colligandam orationem ſibi reſpondeat. Legere videtur Manutius: *non ſolùm impudentiſſimo, verùm etiam infimo conferam.* quo modo ſtabit ſententia. Lambinus minùs aptè legendum exiſtimat. *ſed tamen ne me cum his principibus qui adſunt Publio Sextio, ſed tecum homine vno,* quæ addita eſſe dicit è duobus codicibus, altero Memmiano, altero Clericano: ſed omnium optimè mea ſententia Goueanus pro *non ſolùm*, legit, *omnium*, &c, *vt ne me cum homine vno omnium impudentiſſimo,* &c. Vide Notas.

ET ARROGANTISSIMO, ET MIHI INIMICISSIMO.] tantum eſt mihi in meâ dignitate fiduciæ, vt tuo me iudicio committere non verear, quantumuis & pro tuo in me odio ſiniſtrè de me iudices, & pro arrogantiâ te facilè omnibus anteponas.

HVIC CIVITATI, HVIC REIPVBL. HVIC VRBI.] quam vexaſti, & quantum in te fuit, cum tuis Clodianis delere conatus es.

HIS TEMPLIS.] quæ tu armatis hominibus occupaſti, *his* autem dicit, quia in foro cùm eſſet, digitum in ea poterat, è roſtris, vbi perorabat, intendere.

ÆRARIO] quod tu compilaſti & exhauſiſti, infra §.19.

CVRIÆ.] Cuius Senatores adeo odiſti, vt me eiecto, ſolus in eorum luctu exultaueris. ante §. 6. & optimatum, vt loquebaris, nationem deleri & concidi cupiuiſti. pro Sextio §. 132.

VIRIS HIS.] Iudicibus, quorum iudicia appellans Tribunos turbaſti. infra.

HORVM BONIS, FORTVNIS.] Quæ vt diriperes, belli occaſionem quæſiiſti. ſupra §. 6.

DELVBRIS, AVSPICIIS, RELIGIONIBVS.] Quæ polluiſti. auſpicia contra legem Æliam & Fuſiam agens cum populo, etiamſi obnuntiatum eſſet. infra §. 18. religiones verò inaudita & nefaria ſacra ſuſcipiens. infra §. 14.

IMPVDENTER.] te mihi anteferendo. *ita dolenter* me tibi anteponendum confitendo.

VT ALIQVANDO ISTA ILIA QVÆ SVNT INFLATA RVMPANTVR.] vt aliquando tuus iſte ſuperbiæ tumor & inflatio detumeſcat. Ilia vocat inflata per contumeliam, quia ſtrumæ ad inferiores corporis partes ab eius ore deſcenderant. infra §. 39.

MEMORITER RESPONDETO.] ex tempore, impræmeditatus, non ex commentario.

NOTÆ.

I. VT NE ME.] Goueani correctionem Lambini coniecturæ, tanquam minùs à libris diſcrepantem, & è proprio ſenſu depromptam antepono, licet id Lambinum fortaſſe commouerit, quòd Cicero, qui ſecundum Goueani lectionem, comparationem inter ſe & Vatinium non inſtituere ſe profitetur, nihilo tamen minùs deinde ſe cum eodem Vatinio conferre videatur. Sed facilis eſt ad hanc rationem & expedita reſponſio: non enim ſe comparat Tullius, ſed ipſius Vatinij conſcientiam interrogat, vtrum vtri præferendum exiſtimet. Hic autem locus, ni fallor, à Demoſthene depromptus eſt aduerſus Midiam: Καὶ οὐκ ἀπεικάσαι δή που Μειδίαν Ἀλκιβιάδῃ βουλόμενος τοῦτο μέμνημαι, οὐχ οὕτως εἰμὶ ἄφρων, οὐδ' ἀπόπληκτος ἐγώ. *Et non comparare Midiam Alcibiadi cupiens, huius rei feci mentionem: non ita ſum inſipiens & ſtolidus ego.* Cicero in Piſonem 3. *Miſerum me! cum hac me peſte atque labe confero? ſed nihil comparandi causâ loquar, ac tamen ea quæ ſunt longiſſimè diſiuncta comprehendam.* Item §. 8. *Facio iniuriam fortiſſimo viro mortuo, qui illum, cuius paucos pares hæc ciuitas tulit, cum hac importunâ belluâ conferam.*

II. DE TE IPSO HOMINE ET ARROGANTISSIMO ET MIHI INIMICISSIMO, QVÆRO.] Hoc demum verè ſecuræ conſcientiæ ſignum eſt, cùm ſic alterius iudicio cauſa permittitur, vt ne verbum quidem in ſui defenſionem, qui accuſatur, velit expromere. Demoſthenes pro Cteſiphonte: Περὶ μὲν δὴ τῶν ἰδίων ὅσα λοιδορούμενος βεβλασφήμηκε περὶ ἐμοῦ, θεάσασθε ὡς ἁπλᾶ καὶ δίκαια λέγω. εἰ μὲν ἴστε με τοιοῦτον, οἷον οὗτος ᾐτιᾶτο (οὐ γὰρ ἀλλαχόθι που βεβίωκα ἢ παρ' ὑμῖν) μηδὲ φωνὴν ἀνάσχησθε, μηδ' εἰ πάντα τὰ κοινὰ ὑπέρευ πεπολίτευμαι, ἀλλ' ἀναστάντες καταψηφίσασθ' ἤδη. *De his verò priuatis & domeſticis quæ mihi per ſummam calumniam obiecit, videte quàm ſimpliciter & iuſtè reſpondeam. Si quem iſte me calumniatus eſt, eum me eſſe cognoſcitis (neque enim alibi vitam egi quàm apud vos) ne vocem quidem meam tolerate, ne quidem ſi quàm optimè in Republ. verſatus ſim, ſed ſurgentes iam hinc condemnate.* Sed maiore longè ſpiritu Tullius cauſam ſuam aduerſario impudentiſſimo, infimo, arrogantiſſimo, inimiciſſimo audet committere, qui per impudentiam facilè mentiatur, per turpitudinem vitæ omnium infimæ ſordéſque domeſticas famæ ſuæ non conſulat, per arrogantiam ſibi laudes non debitas vendicet, per inimicitias in aliorum vitiis lynceus, non accuratam ſolùm, ſed etiam iniquam ſententiam præſertim & in propriâ causâ, & contra inimicum, laturus eſſe videatur.

III. Superbus. ARROGANTISSIMO.] Bene arrogantem vocat non ſuperbum. nam vt ait Cornelius Fronto: *Superbia eſt à ſuperhabendo* (ὑπερέχειν) *arrogantiâ etiam in pauperem cadit.* & alibi: *adrogat aliquid ſibi etiam ſi non meruit.* melius meâ ſententiâ quàm Iſidorus arrogantem dictum putat, *eo quod multum rogetur, & ille faſtidioſus ſit.* Arrogans.

IV. Inimicorum iudicia. INIMICISSIMO.] Iure inimicitiarum facit mentionem, vt magis oſtendat ſe ſuæ cauſæ confidere, quod inimici in rimandis inimicorum vitiis ſagaciſſimi appareant, vnde Antiſthenis ille apud Laërtium dicebat oportere: Προσέχειν τοῖς ἐχθροῖς, πρῶτοι γὰρ τῶν ἁμαρτημάτων αἰσθάνονται. *Aduertendam eſſe mentem iis quæ ab inimicis dicerentur, primi enim vitia cognoſcunt.* Vnde dicebat ille ei qui ſe vellet cognoſcere, aut fidelem amicum, aut inimicum eſſe expetendum. Plutarchus de profectu in virtute: Διογένης ἔλεγε τῷ σωτηρίας δεομένῳ ζητεῖν προσήκειν ἢ φίλον σπουδαῖον, ἢ διάπυρον ἐχθρόν, ὅπως ἐλεγχόμενος ἢ θεραπευόμενος ἀποφεύγῃ τὴν κακίαν. Etenim, vt ait Plutarchus in opuſculo, πῶς ἄν τις ὑπ' ἐχθρῶν ὠφελοῖτο, *Quemadmodum vultures ad fœtentia cadauera toto impetu deferuntur, integra & ſana corpora ne ſentiunt quidem. ſic vitæ partes vitioſæ mouent inimicum, & ad eas inimici proſiliunt, has attingunt, has lacerant.* Auctoris verba ſunt, Καθάπερ οἱ γῦπες ἐπὶ τὰς ὀσμὰς τῶν διαφθειρέντων (an διεφθορέτων) σωμάτων φέρονται, τῶν δὲ καθαρῶν καὶ ὑγιαινόντων αἴσθησιν οὐκ ἔχουσιν· οὕτω τὰ νοσοῦντα τοῦ βίου, &c. κινεῖ τὸν ἐχθρόν, καὶ πρὸς ταῦτα οἱ μισοῦντες ᾄττουσι, καὶ τούτων ἅπτονται, καὶ σπαράττουσι. ideóque rogatus Diogenes: Πῶς ἀμυνοῦμαι τὸν ἐχθρόν; *Qua ratione vlciſcar inimicum?* ſubiecit, αὐτὸς καλὸς κἀγαθὸς γενόμενος, *ſi bonus fueris.* Gregorius Nazianzenus prima in Iulianum: Καὶ οὕτω νικήσομεν ὑπὸ μάρτυσι τοῖς ἐχθροῖς, καὶ τοῖς διώκουσι τὰ ἡμέτερα. *Sic vincemus teſtibus inimicis & iis qui res noſtras perſequuntur.* Baſilius Magnus homilia de natiuitate Domini: Αἱ παρὰ τῶν ἐχθρῶν μαρτυρίαι ἀξιοπιστότεραί εἰσιν. *Inimicorum teſtimonia ſunt fide digniora.* Ita Pamphilus Terentianus Hecyra actu 3. ſc. 5.

-ídque ſi nunc memorare hoc velim
Quam fideli animo & benigno in illam, & clementi fui
Verè poſſim: ni te ex ipſa id magna velim reſciſcere.
Namque eo pacto maximè apud te meo erit ingenio fides,
Cum illa quæ nunc in me iniqua eſt, æqua de me dixerit.

Sic Troiani eo impenſiùs laudati ſunt, quod
-Hoſtis Teucros inſigni laude ferebat.

V. HVIC CIVITATI, HVIC REIPVBLICÆ, HVIC VRBI.] Quænam eſſet inter ciuita-

ciuitatem, Rempublicam, vrbem diſtinctio præclarè Tullius multis in locis explicauit, nam vt omittam ea quæ habentur in ſomnio Scipionis, hæc ex lib. primo de Republicâ apud Nonnium referuntur. *Quam cum locis manúque ſepſiſſent, eiuſmodi coniunctionem tectorum oppidum vel vrbem appellarunt, delubris diſtinctam, ſpatiiſque com-*

Vrbs. *munibus. omnis ergo populus qui eſt talis cœtus multitudinis, qualem expoſui, ciuitas eſt: omniſque ciuitas eſt conſtitutio populi.* Et pro Sextio §. 91.

Ciuitas. *Tum res communem vtilitatem continentes, quas publicas appellamus, tum conuenticula hominum, quæ poſtea ciuitates nominatæ ſunt, tum domicilia coniuncta, quas vrbes dicimus, inuento & diuino &*

Reſpublica. *humano iure, mœnibus ſepſerunt.* Aduerte tamen non ſolùm vrbi Romanæ, ſecundum antiquos conueniſſe, quamuis ſecutis temporibus in conſuetudinem venerit, vt ſola Roma *vrbs* per antonomaſiam diceretur. nam teſte Varrone 4. de linguâ Latinâ. *Et oppida quæ priùs erant circunducta aratro, ab orbe & vrbo, vrbes: & ideo coloniæ noſtræ omnes in littereis antiqueis ſcribuntur vrbes, quod item conditæ vt Roma; & ideo coloniæ vt vrbes conduntur, quod intra pomærium ponuntur.* at apud Græcos non eſt iſta nominum diſtinctio: nam πόλιν & pro Republ. & pro vrbe, &

πόλις. pro ciuitate frequenter vſurpant. pro vrbe Ariſtoteles primo politicorum cap. 2. Ἡ δ᾽ ἐκ πλειόνων κωμῶν κοινωνία τέλειος πόλις. *Ea verò quæ ex pluribus vicis eſt perfecta communitas, iam vrbs nominatur.* pro ciuitate conciliòque hominum ad vtilitatem congregato. 3. politic. cap. primo. ᾧ ἐξουσία κοινωνεῖν ἀρχῆς βουλευτικῆς, ἢ κριτικῆς πολίτην ἤδη λέγομεν εἶναι ταύτης τῆς πόλεως. πόλιν δὲ τὸ τῶν τοιούτων πλῆθος ἱκανὸν πρὸς αὐτάρκειαν ζωῆς. *Cui ius eſt ad Senatum & iudicia, eum ciuem eſſe dicimus vrbis huiuſce. Ciuitatem verò huiuſmodi hominum multitudinem ad vitæ fœlicitatem congregatam.* pro Republica verò, id eſt, pro re communem vtilitatem continente, quæ & homines, & domicilia comprehendit, idem 3. politic. cap. 6. Πόλις ἡ γενῶν καὶ κωμῶν κοινωνία ζωῆς τελείας καὶ αὐτάρκους. *Reſpublica verò eſt familiarum vicorúmque communitas, ad vitæ perfectionem & beatitudinem inſtituta.* ad quam vrbis ciuitatíſque diſtinctionem Sacerdos ille Sophocleus in principio Oedipi Tyranni videtur alludere.

> Ὡς εἴπερ ἄρξεις τῆσδε γῆς ὥσπερ κρατεῖς,
> Ξὺν ἀνδράσιν κάλλιον ἢ κενῆς κρατεῖν.
> Ὡς οὐδέν ἐστιν. οὔτε πύργος, οὔτε ναῦς
> Ἔρημος ἀνδρῶν μὴ ξυνοικούντων ἔσω.
> *Si imperabis in hac terra, vt dominaris*
> *Cum hominibus honeſtius quàm vacuæ dominari.*
> *Vt nihili facienda ſiue turris, ſiue nauis*
> *Deſtituta hominibus cohabitantibus intus.*

VI. DELVBRIS.] Vt vrbem à Republicâ & ciuitate diſtinximus, ſic operæ fuerit ideò templum à delubro diſtinguere, quod vtriuſque hoc loco fa-

Delubrum. ciat mentionem. Cornelius Fronto: *Delubrum in quo homines pericula ſua diluunt: ponunt enim vel pileum, vel ſcutum, vel alia ſuſcepta votis:*

Sacellum. *Sacellum paruulum ædificium diis conſecratum:*

Templum. *templum, in loco augurato: lucus, locus fulmine*

Lucus. *ictus: fanum fanno conſecratum, vnde fanni ap-*

Fanum. *pellabantur priùs, & illi qui vagabantur fanatici:*

Bidental. *bidental, locus fulmine tactus & expiatus oue: bidentes enim oues appellantur.* at Aſconius in diuinationem: *Sunt*, inquit, *qui templa eſſe dicunt ſingulorum Diis attributorum locorum, delubra multarum ædium ſub vno tecto à diluuio pluuiæ munitarum. Alij delubra dicunt ea templa, in quibus nunc ſunt labra corporum abluendorum, more Dodonæi Iouis aut Apollinis delphici, in quorum delubris lebetes tripodéſque viſuntur. Sunt etiam qui delubra ligna delibrata, id eſt, decorticata pro ſimulacris Deorum more veterum, poſita exiſtiment: ſed malè.* Hæc Aſconius. Priorem tamen, quam damnat, ſententiam, amplexus eſt lib. 15. originum Iſidorus, *Delubra*, inquit, *veteres di-* Delubra à diluendo.

cebant, templa fontes habentia, quibus ante ingreſſum diluebantur, & appellata delubra à diluendo. Poſteriorem Pompeius Feſtus: *Delubrum*, inquit, *dicebant fuſtem delibratum, quem venerabantur pro Deo.* ad quod Claudianus primo de raptu videtur alludere de templo Cereris Eleuſinæ loquens:

> *Iam mihi cernuntur trepidis delubra moueri*
> *Sedibus.*

Siquidem, vt ait Tertullianus in apologetico cap. Delubra ligna delibrata.

16. palum informem pro Cerere colebant antiquitùs. Verba ſunt, *Et tamen quanto diſtinguitur à crucis ſtipite Pallas Attica? & Ceres farrea, quæ ſine effigie, rudi palo & informi ligno proſtat?* De eodem ligno informi inter cæteros Arnobius iſta pulcherrima lib. 6. aduerſus gentes. *Ridetis temporibus priſcis Perſas fluuios coluiſſe, memoralia vt indicant ſcripta, informem Arabes lapidem, acinacem Scythiæ nationes, ramum Procnes Theſpios, lignum Carios pro Diana indolatum, Peſſinuntius Silicem pro Deûm matre, pro Marte Ro-* Varia Deorum ſimulacra informia.

manos haſtam, Varronis vt indicant Muſæ: atque vt Ethedius memorat, ante vſum diſciplinámque fictorum: puteum Samios pro Iunone, &c. Cuius ſuperſtitionis etiam Socrates ſui temporis philoſophos arguebat: τοὺς δὲ καὶ λίθους καὶ ξύλα τὰ τυχόντα καὶ θηρία σέβεσθαι, *lapides & ligna quæ prima occurrerent & animalia adorare.* vt ait Xenophon, cuius verba etiam à Theodoreto 4. de curatione Græcarum affectionum referuntur. Etſi Plato duodecimo de legibus à ſuo præceptore diſſentiat: nam cùm Deorum ſimulacra ex auro, argento, ebore, ferro, ære reſpuiſſet, ſubdidit: Ξύλου δὲ μονόξυλον ὅτι ἂν ἐθέλῃ τις ἀνατιθέτω, id eſt, interprete Cicerone 2. de legibus. *Ligneum autem quod quis voluerit vno è ligno dedicato.* Vtque videas hunc locum de ligno delibrato quidem, ſiue decorticato, non tamen picturis ornato intelligi. ſubiecit: Χρώματα δὲ λευκὰ πρέποντ᾽ ἂν θεοῖς εἴη. *Color autem albus præcipuè decorus Deo eſt.* neque magis elaborata permittit eſſe ſimulacra, quàm ἀγάλματα ὅσαπερ ἐν μιᾷ ζωγράφος ἡμέρᾳ εἰς ἀποτελῇ, *ab vno pictore vno abſoluta die.* atque hæc quidem fuſiùs ſum executus, vt oſtenderem cauſæ nihil fuiſſe cur Aſconius etymologiam delubri à ligno delibrato deductam non probaret, præſertim cùm prima, quam videtur recipere, delubri notatio vix poſſit certa ratione conſiſtere. Nam Capitolium, vt §. 5. huius orationis oſtendimus, tres ædes ſub vno tecto à diluuio pluuiæ munitas continebat, vix vllus delubrum Capitolij nominauit, præter Tacitum quarto hiſtoriarum de inſtauratione Capitolij ſic loquentem. *Haruſpices monuere, vt reliquiæ prioris delubri in paludes eueherentur: templum iiſdem veſtigiis ſiſteretur. Spatium omne quod templo dicabatur, euinctum vittis coroníſque: paſſimque iniectæ funda-*

mentis argenti, aurique ſtipes, & metallorum primitiæ, nullis fornacibus victæ, ſed vt gignuntur. Si quis de lignis quæ Gentiles ſiue informia, ſiue delibrata, ſiue effigiata ſuis ſacris adhibebant, plura deſiderat, conſulat Iulium Firmicum Maternum cap. 28. de myſteriis & erroribus profanarum religionum.

VII. ILIA, &c. RVMPANTVR.] Vi doloris diſrumparis, videns te coactum præ meâ dignitate tuas ſordes & turpitudinem confiteri. Rumpi dicuntur homines inuidiâ, æmulatione, dolore, indignatione, mendacio. vt pro domo ſua 99. *Diſrumpatur licet iſta furia, atque audiat hæc ex me, quoniam laceſſiuit.* alibi: *Dicam vt diſrumparis.* Notum Epigramma:

Rumpatur quiſquis rumpitur inuidiâ.

Catullus Epigr. 11.

Neminem amans verè, & identidem omnium
Ilia rumpens.

Maro ecl. 7.

-Inuidiâ rumpantur vt ilia Codro.

Arnobius libro 2. aduerſus Gentes: *Deus, inquam, Chriſtus, hoc enim ſæpè dicendum eſt, vt infidelium diſſiliat, & dirumpatur auditus.* Lucianus in Timone: Ὅπως οἱ κόλακες ἐκεῖνοι διαῤῥαγῶσιν ὑπὸ τοῦ φθόνου. *Vt illi adulatores inuidia rumpantur.* Libanius vituperatione Æſchinis: Ὡς δὲ βάσκανος ἐῤῥήγνυτο τιμωμένων ἑτέρων. *Vt inuidus rumpebatur aliis honoratis.* & alij ſæpè. Æmulatione vt apud Horatium:

Rupit Iarbitem Timagenis æmula lingua.

Martialis lib. 10. epigr. 79.

Vt puto Torquatus rumpet Otacilium.

ad Æſopicam fabellam alludens, quam terſiſſimis Horatij verbis lib. 2. Sat. 3. abs re non fuerit apponere.

Abſentis ranæ pullis vituli pede preſſis,
Vnus, vbi effugit, matri denarrat, vt ingens
Bellua, cognatos eliſerit. Illa rogare
Quantáne? num tandem? ſe inflans, ſic magna fuiſſet.
Maior dimidio. num tanto? cùm magis, atque
Se magis inflaret: Non, ſi te ruperis, inquit,
Par eris.-

Talis fuit Vatinius auſus ſe Tullio comparare:

Aſtuta ingenuum vulpes imitata leonem.

Mendacio. Sic Iuuenalis Sat. opinor 8. cùm dixiſſet:

Tunc immenſa caui ſpirant mendacia folles.

Mox poſt inflationem follis rupturam ſubijcit:

-Rumpe miſer tenſum iecur.

Demoſthenes de corona: Φιλοκράτης ὁ Ἀγνούσιος, ὁ σὸς, Αἰσχίνη, κοινωνὸς, οὐκ ἐμὸς, οὐδ᾽ ἂν σὺ διαῤῥαγῇς ψευδόμενος. *Philocrates Agnuſius, tuus, Æſchines, Socius, non meus, vel ſi mentiens diſrumparis.* Contra Tullius hoc loco diſruptionem, non mendacio tribuit, ſed dolori percepto ex confeſſione veritatis. Dio Chryſoſtomus oratione politicâ in patria. Ἀμυνόμενος τοὺς ἐμοὶ καὶ ὑμῖν βασκαίνοντας, ἵνα ἐὰν μὲν δυνατὸν ᾖ, διαῤῥαγῶσιν· ὃ τῇ πόλει πάσῃ βέλτιστόν ἐστι. εἰ δὲ μὴ, μᾶλλον ὀδυνηθῶσιν. *Eos vlciſcens qui mihi & vobis inuident, vt ſi fieri poteſt, diſrumpantur, quod toti ciuitati maximè conducit. ſi non poteſt, ſaltem maiore dolore crucientur.* Propertius elegia 8. lib. 1.

Hîc erit, hîc iurata manet, rumpantur iniqui.
Vicimus, aſſiduas non tulit illa minas.

Rumpantur. videlicet inuidiâ.

AXIOMATA.

Duo ſunt tempora, quibus noſtrorum ciuium iudicia ſpectentur de nobis: vnum honoris, alterum ſalutis.

Magnæ fiduciæ eſt ſtare velle iudicio & inimici & arrogantis.

TABVLA II.

De rebus à Vatinio geſtis ante Tribunatum à §. 11. ad 14.

De rebus à Vatinio geſtis ante Tribunatum à §. 11. ad 14.

- Adoleſcentia 11.
  - parietes perfodit.
  - vicinos compilauit.
  - matrem verberauit.
- Quæſtura
  - parta, per comparationem
    - Vatinius
      - extremo loco factus eſt quæſtor 11.
        - non populi ſuffragiis,
        - ſed Conſulis beneficio.
      - obtinuit aquariam prouinciam, reclamantibus omnibus. 12.
    - Sextius primum locum obtinuit cunctis ſuffragiis. 11.
  - geſta
    - miſſus eſt Puteolos vt aurum exportari prohiberet.
    - omnium domos & apothecas furaciſſimè ſcrutatus eſt.
    - negotiatores iniquiſſimis iudiciis irretiit.
    - mercatores è naui egredientes terruit.
    - ob hæc ſcelera
      - manus in conuentu Puteolis illatæ Vatinio.
      - Puteolanorum querelæ ad Ciceronem Conſulem delatæ.
- Legatio Hiſpanienſis. 12.
  - non ſeruauit præſcriptam nauigandi rationem.
  - fuit in regnis, quod ſine S. C. non licebat.
  - in Hiſpaniâ multa flagitia, & furta commiſit.

ARGVMENTVM.

Iam ſecundam orationis partem, videlicet reſponſionem ad Vatinij calumnias eſt executus: nunc ad tertiam partem, id eſt, ad inſectanda Vatinij ante Tribunatum facinora, adoleſcentiam breuiter curſimque prætentione perſtringens delabitur.

ATQVE illud tenebricoſiſſimum tempus ineuntis ætatis tuæ patiar latere. licet impunè per me parietes in adoleſcentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris: habeat hoc præmium tua indignitas, vt adoleſcentiæ turpitudo, obſcuritate & ſordibus tuis obtegatur. Quæſturam petiſti cum P. Seſtio, cùm hic nihil loqueretur, niſi quod agebat: tu de altero Conſulatu gerendo te diceres cogitare. XI. Inſectatio Vatinij à adoleſcentię.

EXPLICATIO.

QVEMADMODVM Philippica ſecunda duobus primis paragraphis auditorum animos ad reliquam orationem præparauit, à §. 3. ad 44. reſpondit obiectionibus Antonij, 4. ſequentibus §. adoleſcentiæ flagitia perſtrinxit, à 48. §. ad finē orationis Antonij in Remp. ſcelera complexus eſt, ita hac oratione 3. primis §. exordium animos auditorum præparans, à 4. §. ad 11. reſponſio ad obiectiones Vatinij, ſequenti §. inſectatio adoleſcentiæ, reliquâ oratione publica

in Rempublicam facinora continentur, vt videas idem fuiſſe in vtraque oratione artificium, eandem oratoris induſtriam.

TENEBRICOSISSIMVM.] non proferam in lucem ea flagitia quæ in tenebris & obſcuritate vitæ ab ineunte pueritia perpetraſti.

LICET IMPVNE PER ME.] Si ad te accuſandum intentâ lite deſcẽderem, impune non liceret, ſed integram orationem de adoleſcentiæ tuæ flagitiis, Paulo Æmilio, & Licinio Macro, qui diem tibi dicturi ſunt reſeruo, vt & illorum accuſatione ſubeas pœnas, in ſuffoſſores parietum & nocturnos fures, in expilatores vicinorum, in impios erga parentes conſtitutas.

OBSCVRITATE ET SORDIBVS TVIS.] Obſcuro vitæ genere, & egeſtate, in cuius ſordibus ab adoleſcentia iacuiſti, antequam per ſcelus & latrocinium ad diuitias emergeres.]

DE ALTERO CONS.] Libenter legerim de ipſo Conſulatu, niſi fortè ſpem conceperat fore, vt geſto vno Conſulatu ad alterum perueniret.

NOTÆ.

I. PARIETES IN ADOLESCENTIA PERFODERIS.] Hi parietum perfoſſores ſiue forium, effractores à Iuriſperitis nominantur, vnde ille Comicus Pater in Cœlianâ.

Fores effregit? reſtituentur: diſcidit
Veſtem? reſarcietur.

Paulus D. De officio præfecti vigilum. *Cognoſcit præfectus vigilum, inquit, de incendiariis, effractoribus, furibus,* &c. Subiicit, *effracturæ fiunt plerumque in inſulis, in horreiſque, vbi homines pretioſiſſimam partem fortunarum ſuarum reponunt, cùm vel cella effringitur, vel armarium vel arca, & cuſtodes plerumque puniuntur.* De pœna autem in effractores conſtituta Vlpianus D. De effractoribus & expil. *Inter effractores variè animaduertitur, atrociores enim ſunt nocturni effractores, & ideò hi fuſtibus cæſi in metallum dari ſolent. diurni verò effractores poſt fuſtium caſtigationem in opus perpetuum vel temporarium dandi ſunt.* Quæ pœnæ iámne fuerint in effractores cõſtitutæ, meritò poteſt dubitari. certè D. ad legem Iuliam hæc refert, *His qui ædes alienas aut villas expilauerint, effregerint, expugnauerint: ſi quid in turbâ cum telo fecerint, capite puniuntur.* Tullius tamen *perfoderis* dixit, non *effregeris* more Græcorum qui effractores huiuſmodi τοιχωρύχους, parietum ſuffoſſores, nominarunt. quo in genere præclarum eſt illud Demoſthenis apud Plutarchum in eius vita. Πρὸς δὲ τὸν κλέπτην ὃς ἐπεκαλεῖτο χαλκοῦς καὶ αὐτὸν εἰς τὰς ἀγρυπνίας αὐτοῦ καὶ νυκτογραφίας πειρώμενόν τι λέγειν, οἶδα (εἶπεν) ὅτι σε λυπῶ λύχνον καίων. ὑμεῖς δ', ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μὴ θαυμάζετε τὰς γινομένας κλοπάς, ὅταν τοὺς μὲν κλέπτας χαλκοῦς, τοὺς δὲ τοίχους πηλίνους ἔχωμεν. *Furi Chalcei ſiue Ærei nomine, aliquid in ipſius vigilias & lucubrationes dicere paranti. Noui (inquit) me lucernâ vtentem, parere tibi moleſtiam. Vos verò, Athenienſes, ne miramini tot furta committi, cùm fures Æreos, parietes luteos habeamus.* Feſtus Pompeius. *Vecticularia vita dicitur eorum qui vectibus parietes alienos perfodiunt, furandi gratiâ. Cato: vecticulariam vitam viuere, repente largiter habere, repente nihil.* & apud Plautum in prologo ſecundo militis glorioſi. *Medium parietem Perfodit ſeruus.* & in Aſinariâ ſc. Perfidiæ. *Vbi parietes perfoderis, in furto vbi ſis deprehenſus.*

Effractores.

Pœnæ in effractores.

Perfoſſores.

Vecticularia vita.

VICINOS.] Meritò non quoſlibet, ſed ſignatè vicinos ait Orator latrociniis Vatinij compilatos, id facit vt eo maiorem oſtendat iniuriam, quo magis debebat Vatinius illatam ab aliis iniuriam prohibere. De vicinis vulgare illud Heſiodi in operibus. II.

Vicini cæteris præferendi.

Τὸν φιλέοντ' ἐπὶ δαῖτα καλεῖν, τὸν δ' ἐχθρὸν ἐᾶσαι.
Τὸν δὲ μάλιστα καλεῖν ὅστις σέθεν ἐγγύθι ναίει.
Amicum ad epulas inuita; inimicũ verò præteri:
Hunc verò maximè inuita, qui prope te habitat.

Eandem reddere videtur rationem quod ſoleant illatas vicinis iniurias prohibere.

Εἰ γάρ τοι καὶ χρῆμ' ἐγχώριον ἄλλο γένοιτο
Γείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο δὲ πηοί.
Si enim aliquid neceſſitatis in loco euenerit
Vicini diſcincti accurrunt, cinguntur verò conſanguinei.

Diſcinctos ait, quia ſcilicet cùm effractorum tumultum audiuerint, ne ſe quidem induant vt citiùs poſſint ſuccurrere. Quare concludit.

Πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ.
Ἔμμορέ τοι τιμῆς ὅς τ' ἔμμορε γείτονος ἐσθλοῦ.
Vicinus malus eſt damno, bonus vtilitati.
Et cui vicinus bonus eſt, ſortitur honorem.

Pindarus Ode 7. Nemeorum.

Εἰ δὲ θύει τις
Ἀνδρὸς ἀνήρ, τί φαμέν κε
Γείτον' ἔμμεν
Νόῳ φιλήσαντ' ἀτενεῖ
Γείτονι, χάρμα πάντων
Ἐπάξιον.

Quòd ſi vir viro habet opus, quid dicemus vicinum eſſe vicino, qui intuito animi affectu diligat? Nimirum gaudium aliis omnibus æquiparandum. Demoſthenes in Calliclem, οὐκ ἦν ἄρα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, χαλεπώτερον οὐδὲν, ἢ γείτονος πονηροῦ, καὶ πλεονέκτου τυχεῖν, ὅπερ ἐμοὶ νῦν συμβέβηκε. *Non igitur, moleſtius quicquam, quàm vicinum malum & auarum ſortiri, quod mihi contigit.* & non iniuriâ Themiſtocles, χωρίον πωλῶν ἐκέλευσε κηρύττειν, ὅτι καὶ γείτονα χρηστὸν ἔχει. *Prædium vendens iuſſit à præcone dici, quod & vicinum bonum haberet*, ait Plutarchus. Atque hoc Ciceronem impulit vt Vatinio vicinorum compilationem exprobraret. Nam vt ait Ariſtoteles 7. politicõn, cap. 7. tantò maior videtur iniuria, magiſque ad iracundiam incitamur, quo à propinquiore nobis infertur. πρὸς τοὺς συνήθεις καὶ φίλους ὁ θυμὸς αἴρεται μᾶλλον, ἢ πρὸς τοὺς ἀγνῶτας ὀλιγωρεῖσθαι νομίσας. *Magis in amicos & familiares quàm in ignotos iracundiâ concitamur, ſi contemni videamur.* Quare non immeritò Cumanis, vt eſt apud Heraclidem in Politiis, ἔθος δ' ἦν αὐτοῖς εἰς τὰ κλοπιμαῖα συμβάλλεσθαι τοὺς γείτονας, διὸ καὶ ὀλίγα ἀπόλλυται. πάντες γὰρ ὁμοίως ἐτήρουν. καὶ Ἡσίοδος ἐντεῦθεν δοκεῖ λέγειν οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ' εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη. *Id moris habebant, vt rerum ablatarum furto culpam in vicinos conuerterent. & eam ob rem apud eos pauca furto peribant. omnes enim pariter cuſtodiebant. & hinc dicere videtur Heſiodus. Nec niſi vicinus malus eſt, bos vſque peribit.*

COMPILARIS.] Aſconius in Verrem. de præturâ vrbanâ *compilarit, pilos*, inquit, *peruellerit, ſiue fraudauerit furto, vt ne pilos quidem in corpore ſpoliati reliquerit.* Interpres Æſchyli. III.

Ἔθριξεν, ἀφεῖλεν. ἀφ' οὗ καὶ ἡ θρίξ. Καὶ Εὐριπίδης.
Ἴσθι παρ' ἄκρας ὡς ἀπέθριξε τρίχας.
Compilauit, eripuit. vnde & pilus.

Compilare

Videte ſummos vt compilauit pilos.

Nec longè videtur abludere Ariſtophanes in Ranis:

Εἰ πώποτ' ἦλθον δεῦρ' ἐθέλω τεθνηκέναι
Ἢ 'κλεψα τῶν σῶν ἄξιόν τι κ̓ τριχός.
Si quando greſſum huc intuli, mori volo,
Pilóve dignum ſuſtuli è rebus tuis.

Feſtus Pompeius. *Pilare*, inquit, & *compilare qui Græcæ originis... Græci enim fures piletas.* & in aliis ſchedis. *Pilare, compilare ſunt qui Græcæ originis....* ex quibus duobus locis ita corruptis ſic legendum exiſtimo. *Pilare & compilare ſunt qui Græcæ originis eſſe dicant, Græci enim fures piletas appellant.* Fures ab Heſiodo φιλητὰς inuenio nominari in Operibus.

πλήτης.

Ὃς δὲ γυναικὶ πέποιθε, πέποιθ' ὅ γε φιλήτῃσι.
Tu furi credes animum credendo puellæ.

φιλήτης.

Ionicum nomen πλήτης aſpirata in tenuem mutatâ traductum eſt. Quanquam fortaſſè πλήτης, idem eſt atque lanæ coactor. inde fur quod alios veſtibus ſpoliet, lanámque ad ſe trahat, πλήτου nomen, ſiue λωποδύτου ſort...us eſt. Gallis, *Tire-laine.* Niſi quis mauult cum Seneca epiſt. 51. ἀπὸ τοῦ φιλεῖν nomen φιλήτου deriuatum. *Voluptates*, inquit, *præcipuè exturba, & inimiſſimas habe latronum more quos philetas Ægyptij vocant: in hoc nos amplectuntur vt ſtrangulent.* Hæc ille. vide Scaligerum in Feſtum, qui vocem à pilato agmine conatur deducere. Certè viris doctis prior etymologia magis arridet. *Expilatores*, teſte Vlpiano D. de effract. & expil. *qui ſunt atrociores fures (hoc enim eſt expilatores) in opus publicum vel perpetuum, vel temporarium dari ſolent.* In quem locum Gothofredus ex Paulo 5. ſent. 3. §. 3. eos eſſe tradit, *qui ne pilum quidē homini relinquunt, qui ædes alienas & villas expilant.* Subiicitque alibi λωποδύτας, alibi συλλαγωγοὺς, alibi συλήτας nominari. Quæ etymologia ſi vera eſt, mirum cur penultima verbi compilo producta ſit, quamuis in huiuſmodi deriuationibus non eſt ſemper habenda ratio quantitatis. Videtur tamen Iſidorus in etymologicis nomen aliunde acceſſere. *Compilator*, inquit, *qui aliena dicta ſuis permiſcet, ſicut ſolent pigmentarij in pilâ diuerſa mixta contundere.* ſic vulgo, *piller le pays*, quaſi diceremus *pilare prouinciam.* Ammianus, *nec inuadentes vallum, nec caſtra inimica pilantes.*

Tire-laine.

Piller.

IV. MATREM VERBERARIS.] Quæ pœnæ fuerint in eos conſtitutæ qui parentes verberaſſent, non ſatis liquet, cùm ex Vlpiano l. primo opinionum D. l. 37. 4. 5. l. 1. arbitrio iudicis reſeruatæ eſſe videātur. *Si filius matrem aut patrem, quos venerari oportet, contumeliis adficit, vel impias manus infert: præfectus vrbis delictum ad publicam pietatem pertinens, pro modo eius vindicat.* Feſtus tamen Scaligeri in voce plorare. *In Regis Romuli & Tatij & Seruij Tullij legibus, hæc eſt* SI, PARENTEM PVER VERBERIT, AST OLOE PLORASSINT, PVER DIVEIS PARENTVM SACER ESTO. Certè ſi ex Græcis moribus, è quibus ius antiquum duodecim tabulis comprehenſum manauit ad Romanos, licet coniecturam deducere, hoc crimen obiecit Tullius, vt Vatinij teſtimonium nullius eſſe momenti, nullius auctoritatis oſtenderet, ſi quidem eos Græci, qui parentibus impias manus intuliſſent, publicè dicere prohibebant. Æſchines in Timarchum de Solone. ἄν τις λέγῃ ἐν τῷ δήμῳ τὸν πατέρα τύπτων, ἢ τὴν μητέρα, ἢ μὴ τρέφων, ἢ μὴ παρέχων οἴκησιν, τοῦτον οὐκ ἐᾷ λέγειν. Νὴ Δία, καλῶς γε, ὥς ἔγωγέ φημι. διὰ τί; ὅτι εἴ τις οὓς ἐξ ἴσου δεῖ τιμᾶν τοῖς θεοῖς, εἰς τούτους ἐστὶ φαῦλος. τί ποτέ, φησιν, ὑπ' αὐτοῦ πείσονται οἱ ἀλλότριοι κ̓ ἡ πόλις ὅλη; *Si quis in publico dicit, qui patrem aut matrem verberarit, qui eos aut non alat, aut tecto non recipiat, eum dicere non permittit. bene Hercle, quantum exiſtimo. Quid ita? quia quid ab eo ſperare poterunt alieni & ciuitas vniuerſa, qui in eos fuerit impius, quos eodem cum Diis loco habere debebat.* Hæc ille, ſed neſcio quo modo magis me delectat mellita Xenophontis oratio, quam proinde ſubiungā ex 2. Memorabilium. Οὐκ οἶσθα, ὅτι κ̓ ἡ πόλις ἄλλης μὲν ἀχαριστίας οὐδεμιᾶς ἐπιμελεῖται, οὐδὲ δικάζει, ἀλλὰ περιορᾷ τοὺς εὖ πεπονθότας χάριν οὐκ ἀποδιδόντας, ἐὰν δέ τις γονέας μὴ θεραπεύῃ, τούτῳ δίκην τ' ἐπιτίθησι, κ̓ ἀποδοκιμάζουσα οὐκ ἐᾷ ἄρχειν τοῦτον, ὡς οὔτ' ἂν τὰ ἱερὰ εὐσεβῶς θυόμενα ὑπὲρ τῆς πόλεως τούτου θύοντος, οὔτ' ἄλλο καλῶς κ̓ δικαίως οὐδὲν ἂν τούτου πράξαντος. *An ignoras nullam inſtitutam eſſe in ingratos alios quæſtionem, ſed eos impunè relinqui qui beneficiis acceptis grati animi ſignificatione haudquaquam reſponderint: at ſi quis parentes non obſeruet, in eos iudicia eſſe conſtituta, nec huiuſmodi ingratum admitti ad compeſſendam rempublicam, quod videlicet, neque is piè ſacrificare poßit pro populo, neque quicquam aliud honeſtè & iuſtè moliri.* Cuius rei egregiam Demoſthenes in Dinarchum reddit rationē. ἡδέως ἂν εἰδείην τίς ἐστιν ὁ τὴν πρὸς τοὺς γονέας εὔνοιαν ἱερῶν προδεδωκότα τοῦτον, τὴν πρὸς τὸν δῆμον νῦν ἔχειν ὑπισχνεῖται πιστεύων. ἐγὼ μὲν γὰρ ἄπιστον κ̓ θεοῖς ἐχθρὸν, οὐ μόνον ἀνθρώποις ὑπολαμβάνω τὸν τῶν γονέων ἀμελοῦντα. *Libenter audiuerim, quis amori in patriam quem promittit, ſedem habendam exiſtimet, cùm ipſum viderit beneuolentiam in parentes prodidiſſe. Ego enim ſic exiſtimo, qui parentes neglexerit, eum infidum eſſe, & non ſolùm hominibus, ſed etiam Diis inimicum.* Ex quibus vides quàm aptè Cic. ſuóque loco hanc impietatem obiecerit, partim vt Vatinij, cui propter impietatem ne licebat quidem dicere publicè, teſtimonium eleuaret, partim vt odium totius in eum Diis hominibúſque inimicum ciuitatis oſtēderet, partim vt indignum eſſe doceret iis magiſtratibus, quos, vt ſubiungitur, vel ſperabat, vel iam fuerat indigniſſimè conſecutus. Sed vt huius impietatis atrocitatem videre poſſimus, nemo, opinor, reprehendet, ſi diuinam Platonis orationem, licet longiore tractu deductam adſcripſero. Is igitur ſub finem libri 9. de legibus. Πατρὸς ἢ μητρὸς, inquit, ἢ τούτων ἔτι προγόνων ὅστις τολμήσει ἅψασθαι ποτὲ βιαζόμενος αἰκίᾳ τινὶ, μήτε τῶν ἄνω θεῶν δείσας μῆνιν, μήτε τῶν ὑπὸ γῆς τιμωριῶν λεγομένων, ἀλλ' ὡς εἰδὼς ἃ μηδαμῶς οἶδε, καταφρονῶν τῶν παλαιῶν, κ̓ ὑπὸ πάντων εἰρημένων παρανομεῖ, τούτῳ δεῖ τινὸς ἀποτροπῆς ἐσχάτης. θάνατος μὲν οὐκ ἔστιν ἔσχατον. οἱ δ' ἐν ἅδου τούτοισι λεγόμενοι πόνοι ἔτι τῶν τούτων εἰσὶ μᾶλλον ἐν ἐσχάτοις, κ̓ ἀληθέστατα λέγοντες, οὐδὲν ἀνύτουσι ταῖς τοιαύταις ψυχαῖς ἀποτροπῆς, &c. *Qui abiecto Deorum ſuperorū, & infernarum pœnarum metu, parentes aut etiam eorum maiores contumelioſè auſus fuerit attingere, & ſcire ſe putans quæ minimè ſcit, ea quæ ab antiquis & cunctis mortalibus dicuntur proculcans, illam naturæ legem nefariè violarit, in eum ea moliri neceſſe eſt, quæ auerſionem afferant extremam. mors autem non eſt extremum. inferorum ſupplicia his conſtituta, magis quidem etiam in extremis numerantur, ſed nondum ſufficienter ſceleratorum mentes ab hoc piaculo poſſunt auertere.* In quos eam pœnam infliget vt à ceterorum communicatione

Pœna in eos conſtituta qui ſunt impij in parentes.

Apud Græcos arcebantur à muneribus publicis.

exterminans aliquod excommunicationis noſtræ veſtigium è ſcripturis, puto, diuinis expreſſiſſe videatur. cùm enim dixiſſet eos eiiciendos à reliquorum conſortio, ſubiecit. Ἐὰν δέ τις τῷ τοιούτῳ ὅσοι ἐλεύθεροι συμφάγῃ ἢ συμπίῃ ἤ τινα τοιαύτην κοινωνίαν κοινωνήσῃ, ἢ μόνον ἐντυγχάνων που προσάπτηται ἑκὼν, μήτ᾽ εἰς ἱερὸν ἔλθῃ μηδὲν, μήτ᾽ εἰς ἀγορὰν, μήτ᾽ εἰς πόλιν ὅλως πρότερον ἢ καθήρηται νομίζων κεκοινωνηκέναι ἀλιτηριώδους τύχης, &c. vide. *Qui verò ex liberis & ingenuis, cum eo ederit, biberit, aut vllo pacto communicarit, aut occurrens prudens ſciénſque contigerit, is ne in vllum templum ingrediatur, nec in foro, immò nec in vrbe verſetur priùs, quàm ſe expiarit, qui ſe huius piaculi contagione inquinatum putat.* Nec verò, quando iam modum exceſſimus, fas eſt ea præterire quæ libro vndecimo medio referũtur. Οὐδὲν πρὸς θεῶν τιμιώτερον ἄγαλμα ἂν κτησαίμεθα πατρὸς καὶ προπάτορος παρειμένων γήρᾳ καὶ μητέρων τὴν αὐτὴν δύναμιν ἐχουσῶν, οὓς ὅταν ἀγάλλῃ τις τιμαῖς γέγηθεν ὁ θεός. οὐ γὰρ ἂν ὑπήκοος ἦν αὐτῶν. θαυμαστὸν γὰρ δήπου τὸ προγόνων ἵδρυμα ἡμῖν ἐστι διαφερόντων τῶν ἀψύχων. τὰ μὲν γὰρ θεραπευόμενα ὑφ᾽ ἡμῶν ὅσα ἔμψυχα, ξυνεύχεται ἑκάστοτε, καὶ ἀτιμαζόμενα τ᾽ ἀναντία. τὰ δ᾽ οὐδέτερα. ὥς ἂν ὀρθῶς τις χρῆται πατρὶ καὶ προπάτορι καὶ πᾶσι τοῖς τοιούτοις πάντων πρὸς θεοφιλῆ μοῖραν κυριώτατα ἀγαλμάτων ἂν κέκτητο. *Nullum ſacratius Deorum ſimulachrum quàm parentes aut eorum maiores ſenectute confectos habere poſſumus, quos cùm per obſequia & cultum lætitia affeceris, Deus ipſe lætatur: neque enim ſecùs, eorum preces audiret. Parentes igitur miræ ſunt Deorum effigies, quæ cæteras inanimes, longè antecellunt. nam animatæ effigies, cùm à nobis coluntur, nobiſcum orant, cùm deſpiciuntur, diras imprecantur: inanimes autem neutrum faciunt. Quare vt par eſt, patre, auo, cæteriſque maioribus vtitur, qui eos ad diuinam ſortem cæteris Deorum ſtatuis anteponit.* Subiicit, πᾶς δὴ νοῦν ἔχων φοβεῖται καὶ τιμᾷ γονέων εὐχὰς εἰδὼς, πολλοῖς καὶ πολλάκις ἐπιτελεῖς γενομένας. *Omnis verò qui habet vel minimam ſcintillam rationis horret & veretur parentum preces, ſciens eas multis & frequenter impetraſſe.* Mox ita concludit: τούτων οὖν οὕτω φύσει διατεταγμένων, τοῖς μὲν ἀγαθοῖς ἕρμαιον πρόγονοι γηραιοὶ ζῶντες μέχρι τῶν ἐσχάτων τοῦ βίου, καὶ ἀπιόντες νέοι σφόδρα ποθεινοί. τοῖς δὲ κακοῖς εὖ μάλα φοβεροί. *Cùm ita natura comparatum ſit, viris bonis par eſt lucro apponere, ſi parentes eorum ad ſenectutem extremam & decrepitam peruenerint, & ſummè deſiderare eoſdem immatura morte defunctos. At nefariis & ſceleratis hominibus ſunt ſummopere pertimeſcẽdi.* Quod cùm ita ſit, vt id quoque breuiter delibemus, mirabitur fortaſſe quiſpiam quid ſit, cur cùm alij Patres tum Auguſtinus ad Lætum epiſtolâ 38. Tum Hieronymus ad Heliodorum primâ Parentes contemni præceperint. *Ecce* (inquit Hieronymus) *Aduerſarius in pectore tuo Chriſtum conatur occidere. ecce donatiuum quod militaturus acceperas, hoſtilia caſtra ſuſpirant. licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet ſparſo crine & ſciſſis veſtibus vbera, quibus te nutrierat, mater oſtendat, licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad vexillum Chriſti conuola. Solum pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem.* Prætermitto ſanctorum rationes, cur ita negligantur interdum Parentes, vt tamen in Deum, cuius imaginem Parentes exprimere tradit Plato, non redundet iniuria, ſatis erit vnus Hierocles philoſophus, vt huius rei cauſa non tam è diuinis litteris, quàm ex ipſius naturæ fontibus hauſta videatur. Is igitur in verſum aureum Pythagoræ,

Excommunicati impij in parentes.

Parentes Dei ſimulacra.

Vota & imprecationes parentum.

Quatenus obediendum parentibus.

> Τούς τε γονεῖς τίμα, τούς τ᾽ ἄγχιστ᾽ ἐκγεγαῶτας.
>
> *Inde Parentis honor ſequitor, tum ſanguinis ordo.*

Καλὸν μὲν τῷ θεῷ πείθεσθαι, καλὸν δὲ καὶ τοῖς γονεῦσιν. εἰ δὲ πρὸς ταὐτὰ, ἡ ἀμφοτέρων ἄγοι πειθὼ, ἕρμαιον ἂν εἴη, καὶ ἄμαχον. εἰ δὲ πρὸς ἄλλο μὲν ὁ θεῖος νόμος, πρὸς ἄλλο δ᾽ οἱ γονεῖς φέροιεν, μαχομένης τῆς αἱρέσεως, τοῖς ἀμείνοσιν ἕπεσθαι δεῖ, πρὸς ταῦτα μόνον ἀπειθοῦντας γονεῦσι, πρὸς ἃ καὶ αὐτοὶ τοῖς θείοις νόμοις οὐ πείθονται. τὸν γὰρ φυλάττειν βουλόμενον τοὺς τῆς ἀρετῆς κανόνας οὐχ οἷόν τε τοῖς τούτους παραβαίνουσι συμφωνεῖν. id eſt, vt ſequar Ioannis Curterij verſionem. *Honeſtum quidem eſt Deo obedire: honeſtum verò & parentibus ipſis. Quod ſi te ad eadem ducat vtriuſque perſuadendi vis: lucrum fuerit inopinatum, & ſine controuerſiâ maximum: ſin autem ad aliud quidem te trahat diuina lex: ad aliud verò parentes: in hac voluntatum diſſenſione, meliora ſequi præſtiterit, & in iis ſolùm parentum iuſſa præterire, in quibus & ipſi etiam diuinis legibus non obediunt. fieri enim non poteſt, vt qui virtutis regulas obſeruare ſtatuat, cum illis conſentiat à quibus illæ negligantur.* Qua in re ſane laudandus Alexander, qui licet matrem tanti faceret, vt *bene magnam legens epiſtolam Antipatri de ipsâ conquerentis, ignorare dixerit Antipatrum ſexcentas epiſtolas vnâ matris lacrymulâ poſſe deleri.* μακρὰν Ἀντιπάτρου κατ᾽ αὐτῆς γράψαντος ἐπιστολὴν ἀναγνοὺς, ἀγνοεῖν εἶπεν Ἀντίπατρον ὅτι μυρίας ἐπιστολὰς ἓν δάκρυον ἀπαλείφει μητρός. Illud tamen μέχρι βωμῶν religioſè ſeruabat. Ammianus 14. hiſtoriæ de Gallo Cæſare loquens. *Adraſtæo pallore ſuffuſus hactenus voluit loqui, quod pleroſque inſtante coniuge iugulauerit Conſtantinâ, ignorans profectò Alexandrum Magnum vrgenti matri vt occideret quemdam inſontem, & dictitanti ſpe impetrandi poſtea quæ vellet eum ſe per nouem menſes vtero portaſſe prægnantem, ita reſpondiſſe prudenter, Aliam, parens optima, poſce mercedem. hominis enim ſalus beneficio nullo penſatur.* Sed ſi plura deſideras. Ex prophanis Ariſtoteles 8. Ethicor. Hierocles loco citato, Gellius libro 2. cap. 7. Muſonius apud Stobæum ſermone 77. quem præ cæteris operæpretium fuerit adire. E noſtris Hieronymus & Auguſtinus locis citatis. Saluianus in epiſtolis, Bernardus epiſtola ad Gualterum, & alij paſſim conſulantur. Nunc reſtat illud vnum inquirere, cur matrem & non parentem dicat à Vatinio fuiſſe pulſatam: hanc reor fuiſſe rationem, quod parentis nomine pater potuiſſet intelligi, idque tantùm de ſceleris atrocitate minuiſſet, quanto filij matribus maiori beneficio deuincti ſunt. Vnde & Xenophon ſignanter matris facit mentionem 2. de dictis Socratis. Οὐ μὲν οὖν, ὦ παῖ, ἂν σωφρονῇς, τοὺς μὲν θεοὺς, παραιτήσῃ συγγνώμονάς σοι εἶναι, εἴ τι παρημέληκας τῆς μητρὸς, μή σε οὗτοι νομίσαντες ἀχάριστον, οὐκ ἐθέλωσιν εὖ ποιεῖν. *Tu igitur, ô puer, ſi ſapis à Diis veniam petes, ſi qua in re matrem neglexeris, ne cùm te ingratum illi iudicarint, tibi nolint benefacere.* Inde manauit illa Phalaridis epiſtolâ 19. ad filium Paurolam hortatio. Πατρὸς ἀμέλησον μᾶλλον ἢ μητρὸς, οὐ γὰρ ἀπὸ τῶν ἴσων καὶ ὁμοίων τὰ πατρὸς ἂν εἴη δίκαια πρὸς τέκνων αὔξησιν, καὶ τὰ μητρὸς, ἀλλ᾽ ἡ μὲν σὺν τῷ κυῆσαι, καὶ γεννῆσαι, καὶ τιθηνῆσαι. μυρίοις ἄλλοις ἀνέτλησε πόνοις. ὁ δ᾽ ἐκτραφέντος ὑπὸ τῆς τεκούσης, καὶ τελειωθέντος ἀπολαύσεως μετέχειν ἀξιοῖ, δυσχόλου τυχεῖν παρ᾽ αὐτοῦ οὐ δίκαιος. Vertit Lubinus. *Potiùs tamen pa-*

Vtri parẽtum plus debeamus.

trem negligito quàm matrem. Non enim æqualia vel ſimilia poſſunt eſſe patris circa liberorum incrementum officia, iis quæ ſunt matris; Verùm mater quidem præter id quod vterum tulit ac peperit, nutriciſque functa eſt munere, innumeros alios pertulit labores, pater verò iam educati à matre filij & adulti, fruitionis vult eſſe particeps, rem nullam expertus difficilem. Sed de his maternis officiis lege orationem Veturiæ matris ad filium Coriolanum in hoc genere pulcherrimam, apud Halicarnaſſeum libro 8. antiquitatis Romanæ, Sophoclem in Electra, Euripidem in Oreſte Statium 7. Thebaidos, Senecam in Thebaide, & alios. Et verò mater ſibi æquius hæc in filium pietatis officia vindicabit, quàm ille Strepſiades, qui, apud Ariſtophanem in nebulis, à filio Phidippide vapulans inducitur.

Στρεψ. Ἀλλ' αὖθις αὖ τυπτήσομαι. Φειδιππίδης. νὴ τὸν Δί' ἐνδίκως γάρ.

Στρεψ. Καὶ πῶς δικαίως, ὅστις ὦ 'ναίσχυντέ σ' ἐξέθρεψα
Αἰσθανόμενός σου τραυλίζοντος ὅ τι νοοίης.
Εἰ μὲν γὰρ βρῦν εἴποις, ἐγὼ γνοὺς ἂν πιεῖν ἐπέσχον.
Μαμμᾶν δ' ἂν αἰτήσαντος ἧκόν σοι φέρων ἂν ἄρτον.

Strepſ. *Sed iterum vapulabo.* Phidippides. *Ita Hercle & iuſtè quidem.*

Strepſ. *Et quomodo iuſtè, qui te, impudens, enutrij,*
Intelligens te balbutientem, quodcumque cogitares.
Si enim brin (vnde fortaſſe nomen Germanicum) *dicebas ego intelligens potum dabam,*
Mammam petenti, panem adferebam.

Hæc ille, quæ mater, vt dictum, longè ſibi æquiùs vindicare potuiſſet. Alexis apud Stobæum ſermone 77.

Τὰ θεῖα μείζω μητρὸς οὐκ ἔστιν ποτέ.
Ὅθεν γ' ὁ πρῶτος οὐκ ἀπαιδεύτως ἔχων
Ἱδρύσαθ' ἱερὸν μητρὸς, οὐ δείξας σαφῶς
Ποίας. ὅπως δ' ὑπονοεῖν τούνομα.
Diuina matri iure nemo præferat
Vnde ille primus imperitus non fuit
Qui templa matri conſecrans, quænam hæc foret
Non indicauit, coniici vt nomen queat.

V. SORDIBVS TVIS OBTEGATVR.] Quia videlicet diuitum & Principum vitia magis erūpunt, pauperum, ipſius paupertatis ſordibus obteguntur. Præclarè Heraclitus epiſt. ad Hermodorum. Ἀποτίνουσι ἑαυτῶν τὴν ὕβριν καὶ νῦν ἀποτίνουσι, γνώμης σφαλῆναι ἀπατᾶσιν ἡμᾶς κακῶς, οὐκ ἀφαιρούμενος πλοῦτον κολάζει ὁ θεὸς, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον δίδωσι πονηροῖς, ἵν' ἔχοντες δι' ὧν ἁμαρτάνουσιν ἐλεγχθῶσιν, καὶ θεατρίζοντες σκηνοβατῶσιν αὐτῶν τὴν μοχθηρίαν, ἡ δ' ἀπορία παρακάλυμμά ἐστιν. *Pœnas luent, eorum quæ in ipſam naturam contumelioſè patrauerint, immò iam luunt, qui nobis dant occaſionem malè cogitandi. non diuitiarum iacturâ Deus punit, ſed potiùs nefariis iſta fortunæ bona largitur, vt habentes maiorem peccandi materiam conuincantur, & ſuam improbitatem tanquam in ſcenâ, viſendam traducant. at ſcelera paupertatis ſordibus obteguntur.* Placet non pauca Dionis Chryſoſtomi huic loco concinentis ex orat. 3. de fortunâ proferre. Τὸ γὰρ ἐκ τῶν νομιζομένων ἀγαθῶν μηδενὸς χρηστοῦ τυγχάνειν, βλασφημίας τε καὶ μίσους ἀπολαύειν, καὶ τὴν αὑτοῦ κακίαν γνωριμωτέραν πᾶσι ποιεῖν, πῶς οὐχὶ μεγάλη καὶ φανερὰ δυστυχία; Διόπερ οἶμαι τοῖς ἀνοήτοις λυσιτελεῖ τῷ παντὶ μᾶλλον ἐνδεῶς πράττειν, καὶ μήτ' ἐξουσίας, μήτε πλούτου, μήτε τῶν τοιούτων μηδενὸς τυγχάνειν. ταπεινοὶ μὲν γὰρ ὄντες, λανθάνειν τοὺς πολλοὺς μᾶλλον, ὁποῖοι κατὰ τρόπον ὑπάρχουσιν. ἀρθέντες δ' ὑπὸ τῆς τύχης ἐπίσημον τὴν πονηρίαν ἔχουσιν. *Ex iis quæ bona exiſtimantur, nihil boni percipere, ſed conuitia atque odium acquirere atque adeò ſuam ipſorum prauitatem omnibus reddere notiorem, quomodo non magna ſit atque manifeſta infelicitas? Quamobrem opinor ſtultis vtile eſſe parte ab omni vt inopia laborent, & neque poteſtatem, neque diuitias, neque huiuſmodi vlla bona conſequantur. Quum enim ſunt humiles, latere poſſunt alios, cuiuſmodi moribus ſint præditi: in altum verò ſublati à fortuna, inſignem faciunt ſuam prauitatem.* concludit. Οἷς συμβέβηκε τὴν ψυχὴν ἄχρηστον καὶ μοχθηρὰν ὑπάρχειν λυσιτελὲς ἂν εἴη, ἐπικρύπτεσθαι ἀγνοίᾳ τὸν βίον ἐν σκότει τῆς τύχης διατελεῖν. *Qui animum habent illiberalem atque flagitioſum, expedit vt vitæ ignorantia tenebriſque fortunæ obtegantur.* Galenus protreptica ad artes liberales. Οἱ μὲν γὰρ ἀμαθεῖς παντάπασιν ἄσημοι τῷ γένει τοῦτο γοῦν αὐτὸ κερδαίνουσι τὸ μὴ γινώσκεσθαι τοῖς πολλοῖς ὁποῖοί τινές εἰσιν. ὅσοις δὲ τὸ λαμπρὸν καὶ διάσημον τοῦ γένους, οὐδὲ τὸ λαθεῖν ἐξουσίαν δίδωσι, τί ἄλλο ἢ φανερώτερον δυστυχοῦσι; *Nam imperiti qui genere ſunt penitus obſcuri, hoc habent præmium indignitatis ſuæ, quòd eorum inſcitia obſcuritatis tenebris obtegatur. Quibus verò generis claritudo, ne latendi quidem facultatem impertit, quid aliud quàm manifeſtiùs ſunt miſeri?* Vide Iuuenalem Satyra 8.

Incipit ipſorum contra te ſtare parentum
Nobilitas, clarámque facem præferre pudēdis.

Et Plutarchum fusè præceptis politicis ad Traianum, quod & hac ſimilitudine illuſtrat. ὡς γὰρ ἐν τῷ προσώπῳ φακὸς καὶ ἀκροχορδὼν δυσχεραίνεται μᾶλλον, &c. *Vt enim in facie lens aut verruca maius adfert faſtidium*, &c. Hinc illa ſapiens Cyri morientis ad filios hortatio 8. Cyrop. Οὐ γὰρ ἐν σκότῳ ὑμᾶς οἱ θεοὶ ἀποκρύπτονται, ἀλλ' ἐμφανῆ πᾶσιν ἀνάγκη ἀεὶ ζῆν τὰ ὑμέτερα ἔργα, &c. *Non enim vos Dij tenebris obtexerunt, ſed neceſſe eſt vt opera veſtr[a] perpetuò viuant, omnibus manifeſta.* Nobiliorum vitia magis apparent.

DE ALT. CONS. GERENDO.] Non eum ſpes adeò fefellit, quod indignatur Catullus, VI.

Quid eſt Catulle quòd moraris emori?
Per Conſulatum peierat Vatinius.
Sella in Curuli Struma Nonius ſedet.
Quid eſt Catulle quòd moraris emori.

AXIOMA.

Nonnunquam hoc præmium habet hominum infimorum indignitas, vt eorum ſcelera & turpitudo ipſorum obſcuritate & ſordibus obtegantur.

ARGVMENTVM.

Vatinij tum in quæſturâ, ad quam inuitis omnibus Conſulis beneficio peruenerat, tum in legatione Hiſpanienſi flagitia ſic perſtringit, vt ei tamen non mediocrem inurat infamiam.

XII. Quæſtura. QVÆRO abs te, teneáſne memoriâ, cùm P. Seſtius quæſtor ſit cunctis ſuffragiis factus, tunc te vix inuitis omnibus, non populi beneficio ſed Conſulis, extremum adhæſiſſe? in eo magiſtratu, cùm tibi, magno clamore, aquaria prouincia ſorte obtigiſſet, miſſúſne ſis à me Conſule Puteolos, vt inde aurum exportari, argentúmque prohiberes? in eo negotio, cùm te non cuſtodem ad continendas, ſed portitorem ad partiendas merces miſſum putares, cúmque omnium domos, apothecas naues furaciſſimè ſcrutarere, hominéſque negotia gerentes iudiciis iniquiſſimis irretires, mercatores è naui egredientes terreres, conſcendentes morarere: teneáſne memoria tibi in conuentu Puteolis manus eſſe allatas? ad me Conſulem Puteolanorum querelas eſſe delatas? poſt quæſturam exieríſne legatus in vlteriorem Hiſpaniam C. Coſconio Procoſ. Legatio Hiſpanienſis. cùm illud inter Hiſpanienſe pedibus ferè confici ſoleat, aut ſi quis nauigare velit, certa ſit ratio nauigandi: veneríſne in Sardiniam, atque inde in Africam: fuer íſne, quod ſine Senatuſconſulto tibi facere non licuit, in regno Hiempſalis, fueríſne in regno Maſtanoſoſi, veneríſne ad fretum per Mauritaniam? quem ſcias vnquam legatum Hiſpanienſem in illam prouinciam iſtis itineribus perueniſſe?

EXPLICATIO.

TENEASNE MEMORIA.] Hic exiſtimatione populi Vatinio Sextium anteponit. Quæro abs te, inquit, teneáſne memoriâ te in petitione quæſturæ omnium Tribuum ſuffragia perdidiſſe, nec te populi Romani beneficio, ſed Conſulis pro te rogantis (Lucium Cæſarem, vel Caium Figulum intelligit, qui ante Ciceronem & Antonium Conſulatum geſſerunt, quibus, vt docent quæ ſequuntur, Conſulibus, Vatinius fuit quæſturæ candidatus) Conſulis, inquam, pro te rogantis gratiâ, extremum adhæſiſſe, id eſt, extremo loco, poſt cæteros omnes vltimum è viginti quæſtoribus fuiſſe deſignatum.

IN EO MAGISTRATV.] Quæro abs te an in quæſtura, cùm tibi ea prouincia ſiue (vt ſic loquar) commiſſio ſortitò obueniſſet, vt præeſſes iis mercibus quæ mari Puteolos aduehuntur, aurúmque & argentum exportari prohiberes, eo miſſúſne ſis.

MAGNO CLAMORE.] omnibus reclamantibus, indignantibúſque quod tibi homini furaciſſimo ea fortè obtigiſſet prouincia, in qua frequentes furandi occaſiones naſcerentur.

AQVARIA PROVINCIA.] Puteolis erat portus, ad quem mercatores è Græcia venientes, ſolebant naues appellere, vnde aquariam prouinciam is ſortitus eſſe dicebatur, cui commiſſa erat cura earum mercium, quas inſtitores è tranſmarinis regionibus deuehebant. Lipſius tamen ad neſcio quid obſcœnum alludere Ciceronem, & aquariam prouinciam, quaſi meretriciam dici exiſtimat. de quo in Cœlianâ §.34. plura dicenda ſunt. vide.

PORTITOREM.] duo (inquit Goueanus) crimina Vatinio obiicit, primum quòd cùm cuſtos tantum miſſus eſſet, ille pro portitore ſe geſſit: neque portoriis modò contentus, quemadmodum portitores cæteri, nihil quemquam exportare ſinebat, niſi ea lege vt mercium partem alteram mercator, alteram ipſe haberet. Portitores autem propriè erant publicani, ſic dicti quod portuum vectigal ſiue portorium conducerent, aratores autem dicebantur, ſi agros, pecuarij ſi paſcua redimerent.

PARTIENDAS.] vt partem tibi retineres, quemadmodum retinent publicani vectigalis publici nomine.

NEGOTIA GERENTES.] Negatiatoribus iniquas lites indiceres eo fine, vt tibi partem ſuarum mercium concederent.

IN CONVENTV.] Negotiatorum, qui ad merces diſtrahendas, lites inter ſe diiudicandas, pacta reſcindenda, vel confirmanda de more Puteolos conuenerant. vide 7. Verr.

IN VLTERIOREM HISPANIAM.] in Luſitaniam cui pars Bæticæ coniuncta fuit.

C. COSCONIO PROCONSVLE.] qui cùm me Conſule (Prætor fuiſſet, Cyro Sylla, poſt præturam cum Proconſulari poteſtate miſſus eſt in Hiſpaniam.

CERTA SIT RATIO NAVIGANDI.] vt legati qui mittuntur in Hiſpaniam, habeant nauigationem certã ſiue certo curſu limitatam, nec iis liceat flexuoſa nauigatione temere huc illuc euagari.

In regno Hiempsalis.] in Mauritaniâ vbi Hiempſal pater Iubæ regnabat. de Maſtanoſeſi autem regno, quod ſciam, nullus hiſtoricus fecit mentionem. eius tamen regnum Mauritaniæ fuiſſe vicinum licet ſuſpicari.

Venerisne ad Fretvm.] ad Fretum Gaditanum, vt tanto viarum flexu, ab Italiâ in Mauritaniam, à Mauritania in vlteriorem Hiſpaniam nauigares.

NOTÆ.

I Qvæstor.] De quæſtura omnes paſſim qui de magiſtratibus pop. Romani ſcripſerunt. quod ſpectat ad eorum numerum vide quæ dicemus in Piſonem §. 2.

II. Consvlis beneficio.] Lucium Cæſarem Goueanus, potiùs quàm C. Figulum intelligit, in quorum Conſulatu deſignatus Quæſtor eſt Vatinius, eum enim anno ſequenti Cicerone & Antonio Coſſ. ex hac ipſâ §. compertum eſt. Cum Iulio autem Cæſare aliquam neceſſitudinem fuiſſe colligit Goueanus, quod Caij Iulij Cæſaris L. Cæſaris fratris filij affinis erat Vatinius. infra hac ipſa oratione §. 29. de Cæſare loquens, *apud quem tu etiam nos criminari ſoles, qui illi ſumus amiciſſimi: cùm tu ei contumelioſiſſimè toties maledicas, quoties illi te affinem eſſe dicis.* quanquam vt videbitur ſuo loco, diu poſt Vatinij quæſturam, ea videtur inter Cæſarem & Vatinium contracta fuiſſe affinitas. Cæterùm quomodo Conſulis beneficio extremus & vigeſimus numero quæſtorum adhæſerit, poteſt dubitari: vel enim ideo dicitur ſic adhæſiſſe, quòd Conſul qui comitiis præerat fraudem feciſſet in ſubducendis ſuffragiorum punctis. cuiuſmodi fraudis Cicero §. 3. Piſonianæ ſuſpicionem videtur inducere. *Tu Conſul es renunciatus (nihil dicam grauius quàm quod omnes fatentur) impeditis Reipub. temporibus, diſſidentibus Conſulibus Cæſare & Bibulo,* &c. quaſi Piſo per aliquam fraudem Cæſaris à collegâ diſſidentis ad conſulatum obrepſiſſet. Vel quæſturam Vatinij Conſuli L. Cæſari dicit eſſe referendam, quòd ille gratiâ & auctoritate, quâ valebat plurimum, hanc Vatinio quæſturam impetraſſet. Vt Octauius Cæſar Antonio. Appianus 3. bellorum ciuilium. cùm Galliam vellet Antonius à Decimo Bruto ad ſe traducere: Ἐλθούσης τῆς κυρίας ἡμέρας, ἡ μὲν βουλὴ τὴν φυλέτιν ἐνόμιζεν ἐκκλησίαν συλλεγήσεσθαι· οἱ δὲ νυκτὸς ἔτι τὴν ἀγορὰν περισχοινισάμενοι τὴν λοχῖτιν (λοχίτιν) ἐκάλουν ἀπὸ συνθήματος ἐληλυθυῖαν· καὶ ὁ δημότης λεὼς ἀχθόμενος, τῷ Ἀντωνίῳ συνέπραττεν ὅμως διὰ τὸν Καίσαρα ἐφεστῶτα τοῖς περισχοινίσμασι καὶ δεόμενον. *Vbi conſtituta dies illuxit, Senatus decreuit, vt curiata comitia conuocarentur: illi verò ante ſolis ortum forum funibus ſepientes comitia populi ad hoc ex condicto confluentis centuriata vocarunt, & plebs infima rei indignitate permota, fauebas tamen Antonio propter Cæſarem qui adſtans ad ſepta funium ſupplicabat.*

Gratia in comitiis.

III. Aqvaria provincia sorte obtigisset.] De ſortitione prouinciarum commodiùs alibi dicendum eſt. nunc ſatis fuerit breuiter annotare prouinciam ſumi non ſolùm pro regione quæ erat pop. Rom. vectigalis ſic dicta, vt quidam volunt, quaſi *procul victa*, vel quaſi *prouicta*, id eſt, ante victa, teſte Feſto Pompeio, ſed etiam munus & curam omnem ſiue in Italiâ, ſiue extra Italiam prouinciam nominari, vt hoc loco. immò in ipſâ vrbe Prætor, cui poteſtas dicendi iuris inter ciues euenerat, vrbanam dicebatur ſortitus eſſe prouinciam. Cicero tertiâ Verrinâ: *Nam vt prætor, inquit, factus eſt qui auſpicato à Chelidone ſurrexiſſet, ſortem nactus eſt vrbanæ prouinciæ.* Sic apud Terentium in Phormione prouinciam cepiſſe dicitur is quem pater ſuis magiſtrum præfecerat, Actu primo ſcena à Geta: Prouincia.

Abeuntes ambo hinc tum ſenes me filiis
Relinquunt quaſi magiſtrum. (Dauus) ô Geta prouinciam
Cepiſti duram.

In hunc locum Turnebus eruditè: *Magno clamore in prouinciarum ſortitione dicit Vatinio prouinciam aquariam obtigiſſe, ad cuius procurationem & munus pertinebat, quicquid mari euehebatur, aut importabatur: ea prouincia quod ob negotiationem & mercaturam quæſtuoſiſſima eſſet, quod negotij & occupationis & moleſtiæ pleniſſima, nec ſanè ſplendida, cùm obueniebat cuipiam, populus, qui aderat, ſucclamabat, ob negotia furta, rapinas, & capturas, quod tum vt opinor, vehementius fecit, quòd obueniſſet homini auido, & furaci & improbo. Eandem arbitror Oſtienſem quæſturam fuiſſe Cicero pro Murena. Tu illam, cui cùm quæſtores ſortiuntur etiam acclamari ſolet, Oſtienſem non tam gratioſam & illuſtrem, quàm negotioſam & moleſtam.* Eundem Ciceronis locum refert Lipſius, ſed acclamari ſolitum dicit, cùm in prouinciam aquariam & meretriciis libidinibus flagrantem, aliquis impudicus & nequam mitteretur. quod ea prouincia optimè huiuſmodi curatori conueniret. Prouincia aquaria.

Pvteolos.] Puteolis æuo Ciceronis fuit celebre emporium. Feſtus: *Minorem Delum Puteolos eſſe dixerunt: quòd Delos aliquando maximum emporium fuerit totius orbis terrarum, cui ſucceſſit poſtea Puteolanum. Quod municipium Græcum antea Dicæarchia vocatum eſt, vnde Lucilius. Inde Dicarchæum populos, Delúmque minorem.* Pulcherrimè verò Papinius 3. Syluarum ad Claudiam vxorem: IV. Puteolanum emporium.

-Dicarchæi portus & littora mundi
Hoſpita.--

De cuius emporij celebritate Strabo conſulendus.

Avrvm exportari.] Pro Flacco 67. *Cùm aurum Iudæorum nomine quotannis ex Italia & ex omnibus veſtris prouinciis Hieroſolymam exportari ſoleret, Flaccus ſanxit* edicto, *ne ex Aſiâ exportari liceret. Quis eſt, Iudi*ces, *qui hoc non verè laudare poſſit? Exportari* aurum *non oportere cùm ſæpè antea Senatus, t*... *me Conſule grauiſſimè iudicauit. Huic au*tem *barbaræ ſuperſtitioni reſiſtere, ſeueritatis, multi*tudinem *Iudæorum flagrantem nonnunquam in* concionibus *pro Rep. contemnere, grauitatis ſum*mæ *fuit.* Huic igitur negotio præfectus eſt Vatinius quæſtor, vt aurũ ex Italiâ Hieroſolymam exportari prohiberet. Atque, vt obiter id dicam, hic etiam Dei maieſtatem agnoſcas, cui vel in c..cis illis gentilitatis tenebris totus orbis terrarum tributa pendebat. Ioſephus 5. de excidio cap. 14. Οἱ ἱεροὶ δὲ θησαυροὶ πάντες, οἷς ἀνεπίμπλασο οἱ παρὰ τῆς οἰκουμένης δασμοὶ πεμπόμενοι τῷ Θεῷ. *Sacri omnes theſauri, quos tributa ex omni orbe terrarum Deo miſſa compleuerant.* Philo de ſuâ ad Caium legatione loquens V. Aurum Hieroſolymam exportari prohibitum.

de Petronio Syriæ præfecto. Ἐφόβουν δ' αὐτὸν καὶ αἱ πέραν Εὐφράτου δυνάμεις. ᾔδει γὰρ Βαβυλῶνα καὶ πολλὰς ἄλλας τῶν σατραπειῶν ὑπὸ Ἰουδαίων κατεχομένας, οὐκ ἀκοῇ μόνον, ἀλλὰ καὶ πείρᾳ. καθ' ἕκαστον γὰρ ἐνιαυτὸν ἱεροπομποὶ στέλλονται χρυσὸν καὶ ἄργυρον πλεῖστον κομίζοντες εἰς τὸ ἱερὸν τὸν ἀθροισθέντα ἐκ τῶν ἀπαρχῶν δυσβάτους καὶ ἀτριβεῖς καὶ ἀνοδεύτους ὁδοὺς ἀμειβόμενοι, ἃς λεωφόρους εἶναι νομίζουσιν, ὅτι πρὸς εὐσέβειαν ἄγειν δοκοῦσι. *Terrebant eum etiam illæ copiæ, quæ trans Eufratem habitabant. Compertum enim habebat non auditu ſolùm, ſed etiam experientiâ Babylonem & multas alias ſatrapias à Iudæis teneri. Singulis enim annis ſacræ pecuniæ quæſtores mittuntur aurum & argentum plurimum è primitiis collectum in templum deferentes, impermeabiles & vix humano veſtigio notatas, atq. adeò inexplicabiles vias permenſi, quas, quia ad pietatem conducunt, vias regias arbitrantur.*

Singuli Iudæi didrachma templo pendebant.

Singuli autẽ Iudæi didrachma annuum templo pendebant. Ioſephus lib. 7. de excidio cap. 27. Φόρους δὲ τοῖς ὁπουδήποτ' οὖσιν Ἰουδαίοις ἐπέβαλεν (ὁ Οὐεσπασιανὸς) δύο δραχμὰς ἕκαστον κελεύσας ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς τὸ Καπιτώλιον φέρειν, ὥσπερ πρότερον εἰς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις νεὼν συνετέλουν. *Tributa verò Iudæis vbicunque gentium eſſent, impoſuit Veſpaſianus, iubens vt ſinguli duas drachmas quot annis in Capitolium ferrent, ſicut priùs in templum Hieroſolymitanum conferebant.* Adſtipulatur Xiphilinus in Veſpaſiano, aliíque paſſim. Quantum autem tributum ex toto terrarum orbe à Iudæis templo penderetur, etſi certo ſtatui non poteſt, hinc tamen colligi poteſt, quod ex vnâ Ægypto vicies centena drachmarum millia quot annis penſitabant. Philo contra Flaccum: Οὐκ ἀποδέουσι μυριάδων ἑκατὸν τὴν Ἀλεξάνδρειαν καὶ τὴν χώραν Ἰουδαῖοι κατοικοῦντες ἀπὸ τοῦ πρὸς Λιβύην καταβαθμοῦ μέχρι τῶν ὁρίων Αἰθιοπίας. *Non enim ſunt decies centenis millibus pauciores Iudæi Alexandriam & regionem habitantes à deſcenſu in Libyam vſque ad terminos Æthiopiæ.* Quare ſi duas drachmas ſinguli conferebant, efficientur vicies centena drachmarum millia. Iam, cùm talentum, vt alibi in animo eſt oſtendere, quingentas drachmas contineret, ſi vicies centena millia drachmarum in quingenta diuiſeris, inuenies quatuor talentûm millia quæ Iudæi ex ſola Ægypto conferebant. E quibus ſuſpicari poſſis immanem illam ſummam fuiſſe, quam tum ex reliquis orbis Romani Prouinciis, tum è regionibus trans Eufratem poſitis comportabãt.

Ingentes tẽpli Hieroſolymitani diuitiæ.

vt mirum propemodum non ſit in eo templo vitem auream fuiſſe, cuius vuæ iuſtam hominis magnitudinem adæquarent, nouem portas auro & argento coopertas, preter illam ex ære Corinthio longè cæteris pretioſiorem, præter illam in medio templo, cuius geminæ fores aureæ quinquaginta quinque cubitorum altitudine, ſexdecim cubitos latitudine continebant, & parietem illum laminis aureis obductum. De quibus Ioſephus lib. 5. cap. 14. vbi & de aliis eius templi miraculis. Sed vt concludamus & ad Senatuſconſultum de auro Iudaïco factum redeamus: obſeruatione dignum eſt, quod quemadmodum Iudæi qui non Chriſtum, ſed Cæſarem Regem habere voluerunt, à Cæſare exciſi ſunt, ita etiam eodem anno Cicerone & Antonio Conſulibus, natus eſt Auguſtus qui Romanis libertatem eriperet, quo Senatus ſeueriſſimè decreuit ne tributum Deo penderetur.

PORTITOREM.] Aſconius in diuinationem. *Mancipes ſunt publicanorum Principes, Romani homines, qui quæſtus ſui cauſâ, qui ſi decumas redimunt, decumani appellantur: ſi portum aut paſcua publica, Portitores aut pecuarij: quorum ratio ſcriptura dicitur. Portitores (vt ait Nonnius Marcellus cap. 1.) dicuntur telonarij qui portum obſidentes omnia ſciſcitarentur, vt ex eo vectigal accipiant.* Portitor portorium.

Marcus Tullius de Repub. lib. 4. Nolo enim eundem populum imperatorem & portitorem eſſe terrarum. optimum autem & in priuatis familiis & in Republicâ vectigal duco eſſe parſimoniam, &c. Plautus Aſinariâ:

Ego pol iſtam portitorem priuabo portorio.

Idem in Menæchmis actu 1. ſc. 2.

Portitorem domum duxi, ita omnem mihi
Rem neceſſe loqui eſt, quicquid egi aut ago.

Portorium autem, vt idem paulò pòſt ait, *dicitur merces quæ portitoribus datur.* Lucilius lib. 27. *Facit, idem quod illi, qui inſcriptum e portu, ne portorium dent.* atque hinc factum eſt vt Charõ quem à mortuis trientem portorij loco fabulantur exigere, à Græcis πορθμεύς, à Latinis Portitor diceretur. Maro 6. Æneidos:

Portitor ille Charon. - Item:
Portitor has horrendus aquas & flumina ſeruat
Terribili ſqualore Charon.

Propertius lib. 4. elegia 12.

Vota mouent ſuperos vbi portitor æra recepit.

Seneca in Hercule furente:

Regit ipſe conto portitor longo ratem.

At Iuuenalis Sat. 4. Græcum nomen maluit retinere:

--Tetrúmque nouitius horret
Porthmea. Vide Piſonianam 88.

VII. INIQVISSIMIS IVDICIIS IRRETIRES.] Laquei ſæpè, catenæ, vincula, retia, iudiciis tribuuntur. pro Milone. *belluam iudiciorum laqueos declinantem.* pro Sextio §. 16. *Hanc tetram immanémque belluam, vinctam auſpiciis, alligatam more maiorum, conſtrictam legum ſacratarum catenis (id eſt iudiciis ob iſtorum violationem obnoxiam) ſoluit ſubito legum cura Conſul.* de Haruſp. Reſponſis, alibi. Horatius Sat. 3. lib. 2. vafrum neſcio quem qui ſe ab omnibus iudiciorum nodis & laqueis expediret, bellè deſcribit.

Iudiciorum & legum laquei.

Scribe decem à Nerio: non eſt ſatis, adde Cicutæ
Nodoſi tabulas centum: mille adde catenas,
Effugiet tamen hæc ſceleratus vincula Proteus.
Cùm rapies in ius, malis ridentem alienis,
Fiet aper, modò auis, modò ſaxum, &, cùm volet, arbor.

Sed id cum omnibus iudiciis aliquando conueniat, ſolet tamen præcipuè iniquis iudiciis & delationibus conuenire. Ammianus Marcellinus de Paulo quodam qui erat in Conſtantij comitatu lib. 15. ſic loquitur: *Et Paulo quidem catenæ inditum eſt cognomentum, eo quod in complicandis calumniarum nexibus, erat indiſſolubilis, tetra venena ſerens*, &c. Themiſtius in exploratore ſiue Philoſopho: καταδεῖν τοῖς ἀφύκτοις ἄρκυσι τὴν πρατήρας, τοῦ μὴ τὸ ἔλλειμμα ἀποτιμῶσαι. *Auctionantes inexplicabilibus laqueis implicare, vt ne reliquum dependat.* Vide Milonianam 41. Valerius lib. 8. cap. 6. *Sua lex eum domeſticis laqueis conſtrictum abſumpſit.* Portius Latro decl. in Catil. *Quam belluam irretitam iudicio tenemus, diſſolutam atque exultantem Reip. immittere.*

VIII. APOTHECAS.] Apothecæ loca ſecretiora, in quæ vinum, frumentum, merces reponebant. Apotheca

Horatius lib. 2. Sat. 5.

Nudus inópſque domum redeam te vate, neque illuc
Aut apotheca procis intacta eſt, aut pecus.

Vide Interpretes.

IX. Fvracissime scrvtareris.] Plutarchus de curioſitate: Καὶ γὰρ τοὺς τελώνας βαρυνόμεθα καὶ δυσχεραίνομεν, οὐχ ὅταν τὰ ἐμφανῆ τῶν εἰσαγομένων ἐκλέγωσιν, ἀλλ' ὅταν τὰ κεκρυμμένα ζητοῦντες ἐν ἀλλοτρίοις σκεύεσι καὶ φορτίοις ἀναστρέφονται· καί τοι τοῦτο ποιεῖν ὁ νόμος δίδωσιν αὐτοῖς. *Etenim publicanos grauiter ferimus & indignamur, non cùm eorum quæ aduehuntur expoſita recenſent, ſed cùm ſcrutantes occulta in alienis vaſis & ſarcinis verſantur: etſi lex iis id facere permittat.* Græcis φωρᾶζειν, Gallis *fureter*, eſt ſcrutari ad hanc portitorum furacitatem alludit Megaronides Plautinus actu 3. ſc.3. de epiſtolis:

Portitores furaciter ſcrutantes.

Iam ſi obſignatas non feret, dici poteſt,
Apud portitorem eas reſignatas ſibi
Inſpectaſque eſſe.

X. Legatvs.] De officio legati orat. in Piſonem, infrà, & de prouinc. Conſul plura dicenda ſunt, ad quæ lectorem remittimus.

XI. Vlteriorem Hispaniam.] Placet hoc loco Magini verba exſcribere in ſecundam Europæ tabulam Ptolemæi. *Hiſpaniam omnem Romani primùm in duas prouincias diuiſerunt, nempe in citeriorem & vlteriorem. Citeriorem eam vocarunt quæ Romani imperij terris proximior erat, & ea quidem ſita eſt inter Iberum fluuium & Pyrenæos montes. Et vlteriorem quæ remotior erat à terris Imperij Romani, quæ ſcilicet à fluuio Ibero ad Herculeum fretum extenditur. Deinde ſecundò diuiſa fuit in tres prouincias, nempe in Bæticam, Terraconenſem, & Luſitaniam, in quibus ſanè prouinciis quatuordecim conſtituerunt iuriſdictiones, ſeu conuentus ad ius ſingulis dicendum, déque controuerſiis ſingulis iudicandum.* Hæc & plura Maginus. Ridiculum eſt quod ſubnectam, ſubnectam tamen vel vt rideatur. Ioſephus 1. de antiquitate Iudæorum: Περὶ μὲν γὰρ Γαλατῶν τε καὶ Ἰβήρων, οὕτως ἠγνόησαν οἱ δοκοῦντες ἀκριβέστατοι συγγραφεῖς, ὧν ἐστιν Ἔφορος, ὥστε πόλιν οἴεσθαι μίαν εἶναι τοὺς Ἴβηρας, τοὺς τοσοῦτο μέρος τῆς ἑσπερίου γῆς κατοικοῦντας. *Rerum ad Gallos & Hiſpanos ſpectantium adeò fuerunt imperiti, etiam ij qui inter ipſos accuratiſſimi videntur, quorum è numero eſt Ephorus, vt putauerint vnam eſſe ciuitatem Hiſpanos tantam occidentalis orbis partem incolentes.*

Hiſpaniæ diuiſio.

XII. Illvd iter Hispaniense pedibvs.] A Catone tamen Cenſorio nauibus confectum eſt, in quo & mira eluxit eius frugalitas. Sed fuit illud iter fortaſſè, cuius dicebat ſe pœnitere. Μίαν μὲν (μεταμέλειαν) ἐπὶ τῷ γυναικὶ πιστεῦσαι λόγον ἀπόρρητον. ἑτέραν δὲ πλεύσας ὅπου δυνατὸν ἦν πεζεῦσαι, τὴν δὲ τρίτην ὅτι μίαν ἡμέραν ἀδιάθετος ἔμεινε. *Semel quod ſecretum mulieri credidiſſet, iterum quod cùm pedes ire poterat, aliquo nauigaſſet, tertio quod vnum diem inteſtatus manſiſſet.*

XIII. Certa sit ratio navigandi.] Eadem videtur Legato & Proconſuli ratio nauigationis fuiſſe conſtituta, cùm & vtriuſque officium verſaretur in adminiſtratione Prouinciæ. Magiſtratibus autem huiuſmodi primùm præbebantur, vt ait Cicero poſtrema in Verrem, *ſumptu publico nauigia.* vnde factum eſt vt etiam publica dicerentur. Appianus 4. ciuilium: μέχρι καὶ δημοσίᾳ τριήρει διέπλευσε πρὸς ἐκεῖνον, *quoad & publica triremi ad eum nauigauit.* loquitur de Pomponio. qui cùm proſcriptus eſſet, hanc excogitauit euadendi rationem vt legatum ſe eſſe ſimularet, & ſic publico nauigio ad Sextum Pompeium in Siciliam prouectus eſt. non ſolùm autem nauigium præbebatur, ſed etiam, quantum ex ſecutis temporibus coniicere licet, præſcribebatur certa ratio nauigandi. Vlpianus D. de officio Proconſulis & legati. *Ingreſſum etiam hoc eum obſeruare oportet, vt per eam partem prouinciam ingrediatur, per quam ingredi moris eſt, & (quas Græcia ἐπιδημίας, id eſt acceſſus, ad vrbem appellat ſiue κατάπλουν, id eſt, adnauigationem) obſeruare in quam primùm ciuitatem veniat, vel applicet, magni enim facient prouinciales, ſeruari ſibi conſuetudinem iſtam, & huiuſmodi prærogatiuas. Quædam prouinciæ etiam hoc habent, vt per mare in eam prouinciam Proconſul veniat vt Aſia ſcilicet, vſquè adeò, vt Imperator noſter Antoninus Auguſtus ad deſideria Aſianorum, reſcripſit Proconſuli neceſſitatem impoſitam per mare Aſiam applicare,* καὶ τῶν μητροπόλεων Ἔφεσον, *id eſt, & inter matrices vrbes Epheſum primam attingere.* Hæc Vlpianus, quæ licet de Proconſule propriè dicantur, poſſunt tamen proportione de legatis intelligi. & ſanè vt tradit Ælianus lib.6.cap.5. Ἀθηναῖοι τοὺς εἰς Ἀρκαδίαν ἀποσταλέντας πρεσβεύτας ἐπὶ ἑτέραν ὁδὸν ἦλθον, καί τοι κατορθώσαντας ὅμως ἀπέκτειναν. *Athenienſes miſſos in Arcadiam legatos, quòd aliam ac iuſſi erant viam tenuiſſent, quamuis re bene geſta morte multarunt.*

Legato & proconſuli certa ratio nauigandi.

Sine Senatvsconsvlto.] In Piſonem §. 50. *Auſus eſſet, mitto exire de prouincia, &c. in regnum iniuſſu populi aut Senatus accedere: quæ cùm plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia maieſtatis, Iulia de pecuniis repetundis, planiſſimè vetant.* ex quibus verbis quiſpiam ſuſpicari poſſit Ciceronem ſibi locutum eſſe contraria, nam hoc loco ſine S. C. ait non licuiſſe legatis ad regnum accedere: in Piſoniana per diſiunctionem oſtendit etiam populum hanc facultatem legatis permittere. quapropter cum Lambino legendum arbitror, ſublatâ diſiunctionis particulâ, *iniuſſu Senatus ac Populi*, quod ſcilicet S. C. vim non obtinerent, niſi ea populus comprobaſſet. Dionyſius 2. de antiquitate Rom. Τῷ δὲ δημοτικῷ πλήθει ταῦτα τρία ἐπέτρεψεν ἀρχαιρεσιάζειν τε καὶ νόμους ἐπικυροῦν, καὶ περὶ πολέμου διαγινώσκειν, ὅταν ὁ βασιλεὺς ἐφῇ, οὐδὲ τούτων ἔχοντι τὴν ἐξουσίαν ἀπόλυτον, ἂν μὴ τῇ βουλῇ ταῦτα δοκῇ, &c. ἐφ' ἡμῶν δὲ μετάκειται τὸ ἔθος, οὐ γὰρ ἡ βουλὴ διαγινώσκει τὰ ψηφισθέντα ὑπὸ τοῦ δήμου, τῶν ὑπὸ τῆς βουλῆς γνωσθέντων ὁ δῆμός ἐστι κύριος. *Plebi hæc tria permiſit, creare magiſtratus, ſancire leges, de bello deliberare, cùm Rex permiſiſſet, qui ne huius quidem poterat poteſtatem aſſumere citra Senatus decretum, &c. At noſtra ætate mos in contrarium mutatus eſt, neque enim Senatus, de iis cognoſcit, quæ populus decreuerit, at etiam in ea quæ à Senatu conſtituta ſunt, populus ſummam habet poteſtatem.* XIV.

Sine S C. non licebat legatis exire de prouincia.

AXIOMATA.

Etiam ij quorum officium eſt prohibere ne aurum exportetur, cauere debent ne nimisurioſè ſcrutari videantur.

Cauere debet magiſtratus, ne homines negotia gerentes iniquis iudiciis irretiat.

Vatinij Tribunatus à 13. ad 33.

- præmunitio ad vitandam offenſionem Cæſaris. 13.
- oſtendit diuerſam eſſe Cæſaris & Vatinij rationem. 15.
  - Cæſar cauſam ſuam Senatui permittebat, non Vatinius.
  - Cæſar gloriæ cupidus, nobilis, &c. nihil eiuſmodi in Vatinio.
  - Cæſar Conſul, Tribunus Vatinius.
  - Cæſar priora facta poſteriorib. oblitterauit.
  - Vatinius ſcelera ſceleribus cumulauit.
- auſpicia neglexit. 14. exaggerat
  - à ſectâ quam ſequebatur, Pythagoræ nomen ſuis ſceleribus obtendens.
  - à religione eiuſdem in aliis rebus
    - nefaria ſacra ſuſceperat.
    - inferorum animas eliciebat.
    - puerorum extis Deos manes placabat.
  - à comparatione
    - Collegarum, qui gratiam & honores adepti ſunt, quia auſpiciis paruerunt. 16. 17.
    - Cæterorum Tribunorum plebis, quorum nullus vnquam fuit, qui legi Æliæ & Fuſiæ non pareret. 18. 23.
  - ab eo quod augur fieri ſperabat, is qui auſpicia ſuſtulit. 19. 20.
- Bibulum Conſulem in carcerem duxit. exaggerat
  - à cauſſâ.
    - nihil moliebatur.
    - ſed tantùm ab actionibus Vatinij diffidebat. 21.
  - à modo. ponte è Tribunalibus facto. 21.
  - à perſona Bibuli eiúſque moderatione.
- Miſit viatorem qui Bibulum domo vi extraheret. 22.
- Subornato Vettio indice, principes ciuitatis delere conatus eſt. 24. 25. 26. quod amplificat
  - à loco, in quem Vettius productus eſt.
  - à dignitate eorum quos in periculum vocauit. ij fuerunt
    - Bibulus, Lucullus, Curio. 24.
    - Domitius, Lentulus, Paulus. 25.
    - Cicero, Piſo gener, Laterenſis. 26.
- Cùm æquam legem de alternis iudiciis reiiciendis ferret, C. Antonium reum beneficio legis excluſit. 27. 28.
- Ærarium expilauit, munera accepit, & à mendicitate ad ſummas opes emerſit. 29.
- Epulo publico accubuit atratus. 30. exaggerat
  - à minori ad maius. 31. nemo in funere familiari vnquam cœnauit pullatus, &c.
  - ab exemplo cæterorum omnium, & more maiorum violato.
  - ab auctoritate Arri neglectâ.
  - ab irriſione ciuitatis.

ARGVMENTVM.

Ante inſectationem Tribunatus præmunitione vtitur, cauétque Iulium Cæſarem offendere, quo Conſule Tribunus plebis fuit Vatinius, & vt ſua facinora excuſaret, eo ſe auctore, quæcunque egerat, egiſſe dicebat.

FACTVS es Tribunus pleb. quid enim te de Hiſpanienſibus flagitiis XIII.
tuis, ſordidiſſimíſque furtis interrogem? quæro abs te, primum quod genus improbitatis, & ſceleris in eo magiſtratu prætermiſeris? Ac tibi iam inde præſcribo, ne tuas ſordeis cum clariſſimorum virorum ſplendore permiſceas. Ego, te quæcunque rogabo, de teipſo rogabo. neque te ex ampliſsimi viri dignitate, ſed ex tuis tenebris extraham, omniáque mea tela ſic in te conicientur, vt nemo per tuum latus (quod ſoles dicere) ſaucietur, in tuis pulmonibus ac viſceribus hærebunt.

EXPLANATIO.

QVID ENIM TE.] Prætermitto dicere quæ tu, in Hiſpanienſi legatione, flagitia per ſummam impudicitiam admiſeris, quàm multis ſtuprum intuleris, quot matrumfamilias pudorem expugnaris, quantâ auaritiâ ſordidiſſimè bona à prouincialibus extorſeris, eos iudiciis iniquis irretiens.

AC TIBI IAM INDE PRÆSCRIBO.] Iam hinc te moneo ne tua facinora & ſcelera, quibus vexaſti Rempub. Iul. Cæſaris Cos. auctoritate defendas. Non enim te de actis Cæſaris, ſed de tuis ſceleribus interrogo, ne fortè clariſſimi viri nomine & auctoritate ad defenſionem tuorum ſcelerum abutare, quaſi fuerint omnia tibi cum Cæſare communia.

EX TVIS TENEBRIS EXTRAHAM.] Ea ſcelera patefaciam quæ à te indigno & obſcuro profecta ſunt, nec, vt flagitia tuæ adoleſcentiæ prætermiſi, ſic in præſentiarum habebit hoc præmium tua indignitas, vt ſcelera tui Tribunatus obſcuritate vitæ ſordibúſque domeſticis obtegantur. Neque hac mea oratione Cæſaris dignitatem attingam, neque reprehendam ſi quæ ſunt tibi (quæ profectò nulla ſunt) cum Cæſare communia.

OMNIAQVE MEA TELA.] Sic te accuſabo, tuáque ſcelera ab aliorum geſtis ſegregabo vt nemo, nedum Iulius Cæſar, à me per tuum nomen accuſetur.

IN TVIS PVLMONIBVS AC VISCERIBVS HÆREBVNT.] Tuos pulmones & viſcera non prætergredientur, nec proximum tibi ſauciabunt.

NOTÆ.

I. EX TVIS TENEBRIS EXTRAHAM.] idem videtur intelligi quod Horat. Sat. I. lib. 2. lepidè explicauit:

> -*Quid cùm eſt Lucilius auſus*
> *Primus in hunc operis componere carmina morem,*
> *Detrahere & pellem, nitidus qua quiſque per ora*
> *Cederet introrſum turpis.*-

E tenebris extrahere. Velleius Paterculus lib. 2. etiam è tenebris extrahere dixit, locus non occurrit. Liuius lib. 39. in oratione Poſthumij. Dij *quia ſuum numen ſceleribus libidinibúſque contaminari indignè ferebant ex occultis ea*, bacchanalia, *tenebris in lucem extraxerunt.* Videtur autem tranſlatio ducta à ſerpentibus quæ è ſuis tenebris extrahuntur, vt iam ſupra dixerat, *tanquam ſerpens è latibulis.* Præclarè Auguſtinus in Pſalm. 57. *Qui cantat vt educat aſpidem de tenebricosâ cauerna vtique in lucem vult educere: illa autem amando tenebras ſuas, quibus ſe inuoluta occultare dicitur, quod exire noluerit, recuſans tamen audire illas voces quibus ſe cogi ſentit, allidit vnam aurem terræ, & de caudâ obturat alteram, atque ita voces illas, quantum poteſt, euitans, non exit ad incantantem.*

TELA.] Tela & enſes ſæpè pro accuſatione & vitiorum inſectatione ſumuntur, præſertim à Satyricis Poëtis qui ſuas Satyras, quibus vitia carpunt, nunc enſem, nunc telum nominarunt. Horatius libro 2. Satyra I. pulcherrimè verſu 39. II.

> -*Sed hic ſtylus haud petet vltro*
> *Quemquam animantem, & me veluti cuſtodiet enſis*
> *Vaginâ tectus: quem cur diſtinguere coner*
> *Tutus ab infeſtis latronibus? O pater, & Rex*
> *Iupiter, vt pereat poſitum rubigine telum* &c.

Tela Satyrarum. Iuuenalis extremis penè verſibus Satyræ primæ:

> *Enſe velut ſtricto quoties Lucilius ardens*
> *Infremuit, rubet auditor cui frigida mens eſt*
> *Criminibus, tacitâ ſudant præcordia culpâ.*

Perſius ad id Sat. 5. videtur alludere:

> *Ore teres modico, pallentes radere mores*
> *Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.*

Ita Ouidius ſuas in Ibin imprecationes:

> *Tincta Lycambæo ſanguine tela.*

Et Tullius accuſatoris argumenta modò haſtam in manu collocatam, modò telum nominauit. auctor dialogi de oratoribus qui Tacito inſcribitur, *Non Hercule lorica aut gladius in acie firmius munimentum, quàm reo & periclitanti eloquentiæ præſidium ſimul, & telum quo propugnare pariter & inceſſere vel in iudicio, ſiue in Senatu, ſiue apud Principem poſſis.* Item poſtea: *Nam lucroſæ huius & ſanguinantis eloquentiæ vſus, recens, & malis moribus natus, atque vt tu dicebas Aper, in locum teli repertus.* *Tela accuſationum.* Iuuenalis Satyrâ ſeptimâ de ipſis oratoriis argumentis:

> -*Quæ veniant diuerſâ parte ſagittæ.*

Vide §. 20. orationis pro M. Cælio. Sic & Plato verbula (vt ſic loquar) ſagittare dixit in Theæteto, de Heracliti diſcipulis faciens mentionem: Ὥσπερ ἐκ φαρέτρας ῥηματίσκια αἰνιγματώδη ἀνασπῶντες ἀποτοξεύουσι. *Tanquam ex pharetrâ verbula ænigmatica extrahentes iaculantur.* Signanter tamen & magis propriè hîc loquitur, vt oſtendat Vatinium eſſe ſcopum in quem totâ accuſatione collineat, in quem omnia tela certo ictu determinat. Sic apud B. Lucam IESVS infantulus dicitur, *Poſitus in ſignum cui contradicetur.* id eſt, ſcopum in quem omnium contradictionum tela dirigentur. Pindarus ode 2. Olymp.

Tela laudationum.

Ἔπεχε νῦν σκοπῷ τόξον.
Ἄγε θυμὲ τίνα βάλλομεν,
Ἐκ μαλθακᾶς αὖτε φρε-
νὸς εὐκλέας οἰστοὺς
Ἱέντες;

Intende nunc in ſcopum arcum. Agedum anime mi, quem petimus ex beneuolâ mente glorioſa tela Mittentes. Et ode 19. ait:

—Ἑκατοβόλων μοισᾶν ἀπὸ τόξων.
Muſarum ab arcubus longè iaculantibus.

Quod vt conuitia, & laudes, quaſi in ſcopum ſic in homines dirigantur.

PER TVVM LATVS.] Perſeus apud Liuium dec. 4. lib. 10. *Itaque ſi mori tacitum oportet, taceamus, precati tantùm Deos, vt à me cœptum ſcelus in me finem habeat, nec per meum latus tupefacis.* Antiphon 2. accuſat. cædis inuoluntariæ. Διὰ τῶν ἑαυτοῦ πλευρῶν διαπῆξαι λέγει τὸ ἀκόντιον. *Per ſuum ipſius latus, iaculum dicit fixiſſe.* Nec abludit illud Arnobij aduerſus gentes lib. 6. *Nónne illud eſt, quæſo, quod in vulgaribus prouerbiis dicitur, fabrum cædere, cùm ferias fullonem.* III.

AXIOMATA.

Permitti non debet improbis & obſcuris hominibus, vt ſuas ſordes cum clarorum virorum ſplendore permiſceant.

Improbi ſunt & ſuis tenebris extrahendi.

Sic in improbos reprehenſionis tela coniicere debemus, vt nemo per illorum latus ſaucietur.

ARGVMENTVM.

Inſectationem Tribunatus Vatinij à violatis religionibus auſpicatur, eúmque maximè reprehendit, quòd cum nouis & inauditis ſuperſtitionibus ſe addiceret, nihilominus tamen auſpicia & augurum reſponſa, communi ciuium conſenſu recepta contempſerit.

XIV. ET quoniam omnium rerum magnarum à Diis immortalibus principia ducuntur, volo vt mihi reſpondeas tu, qui te Pythagoricum ſoles dicere, & hominis doctiſſimi nomen tuis immanibus & barbaris moribus prætendere, quæ te tanta prauitas mentis tenuerit, qui tantus furor, vt, cùm inaudita, ac nefaria ſacra ſuſceperis, cùm inferorum animas elicere, cùm puerorum extis Deos manes mactare ſoleas: auſpicia, quibus hæc vrbs condita eſt, quibus omnis Reſpublica, atque imperium tenetur, contempſeris, initióque Tribunatus tui Senatui denunciaris, tuis actionibus augurum reſponſa, atque ius collegij arrogantiam impedimento non futuram?

EXPLANATIO.

A DIIS IMMORTALIBVS.] A quibus ego quoque in inſectatione tui Tribunatus ſumam exordium, interrogans cur auſpicia & augures diuinæ voluntatis interpretes contempſeris.

QVI TE PYTHAGORICVM.] Qui cùm Pythagoræ ſectam mentiaris, quaſi ab eo ſacrificandi ritus ſuſceperis, eum nihilominus haudquaquam imitaris: nam ille vſque adeo à cæde hominum abhorruit, vt beſtias quoque interfici prohiberet, tu adeo crudelis es vt homines Diis ſoleas immolare.

VT HOMINIS DOCTISSIMI NOMEN.] Pythagoræ nomen tuis crudelibus ſacrificiis prætexere, vt eius auctoritate & honeſto prætextu religionis obtegantur.

INAVDITA ET NEFARIA SACRA SVSCEPERIS.] Nefandis quibuſdam ritibus & ſuperſtitionibus volueris initiari.

INFERORVM ANIMAS ELICERE.] Carminibus magicis & incantationibus quibuſdam mortuorum animas ab inferis euocare.

DEOS MANES MACTARE.] Pueros Diis inferis immolare, & puerorum ſacrificiis Deos beatiores reddere & his honoribus auctiores.

AVSPICIA QVIBVS HÆC VRBS CONDITA EST.] Roma nomen ſortita eſt auſpicato, cùm duodecim vultures apparuiſſent Romulo de cœlo ſpectanti.

IMPERIVM TENETVR.] neque enim fas eſt, aut magiſtratum iniri, aut bellum inferri, aut legem ſanciri niſi auſpicato.

IMPEDIMENTO NON FVTVRAM.] Quo minùs quaſcunque leges velles, quantumuis obnuntiantibus auguribus ferres in tuo Tribunatu.

NOTÆ.

OMNIVM RERVM MAGNARVM, &c.] Hoc eſt nimirum quod omnes antiqui ſcriptores ſibi quaſi per manus tradiderunt, nihil exitum fœlicem poſſe ſortiri quod non eſſet à Deo inchoatum, ac proinde à Deo omnium rerum ducenda initia. ideo murus quem Græci malè fuerant auſpicati, prolapſus eſt 12. Iliados ver. 8. I.

--Θεῶν δ' ἀέκητι τέτυκτο
Ἀθανάτων, τὸ οὔτι πολὺν χρόνον ἔμπεδον ἦεν.
-Inuito numine factus
Murus erat, quare non multo tempore manſit.

Plato ſemper ſibi ſimilis in Timæo: Πάντες ὅσοι καὶ κατὰ βραχὺ σωφροσύνης μετέχουσι, ἐπὶ πάσῃ ὁρμῇ καὶ σμικροῦ καὶ μεγάλου πράγματος Θεὸν ἀεί που καλοῦσιν. *Quicunque vel mediocris temperantiæ ſunt participes, & in paruis & in magnis rebus Deum ſolent inuocare.* Et epiſtolâ 8. Ἀπὸ Θεῶν χρὴ πάντα ἀρχόμενον ἀεὶ λέγειν τε καὶ νοεῖν. *A Diis auſpicantem omnia oportet & dicere & cogitare.* Et epiſtola 13. ad Dionyſium, ſi tamen ea verè Platonis eſt:

A Deo inchoandum.

Περὶ δὲ τοῦ ξυμβόλου τοῦ περὶ τὰς ἐπιστολὰς ὅσας τ' ἂν ἐπιστέλλω σπουδῇ, καὶ ὅσας ἂν μή, οἶμαι μέν σε μεμνῆσθαι, &c. τῆς μὲν γὰρ σπουδαίας ἐπιστολῆς Θεὸς ἄρχει, Θεοὶ δὲ τῆς ἧττον. *Quod ſpectat ad ſignum, quo epiſtolas ſerias à minus ſeriis poſſis dignoſcere, meminiſſe te exiſtimo, &c. ſeriam enim epiſtolam nomen Dei, minus ſeriam nomen Deorum auſpicantur.* & Xenophon cuius referendis verbis ſuperſedeo, quod ea Lipſium in Plinij Panegyricum iam protulerit. Demoſthenes epiſtola prima de concordia: Παντὸς ἀρχομένῳ σπουδαίου λόγου καὶ ἔργου ἀπὸ τῶν Θεῶν ὑπολαμβάνω προσήκειν ἄρχεσθαι. *Quemuis ſermonem & quoduis opus incipienti cuiuis à Diis arbitror eſſe auſpicandum.* Vnde & ipſe ſic orditur orationem pro Cteſiphonte: Πρῶτον μέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς Θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις. *Primùm Deos omnes & Deas rogo.* Pindarus Pythiorum 10.

-γλυκὺ δ' ἀνθρώ-
πων τέλος, ἀρχά τε δαίμο-
νος ὀρνύντος αὔξεται.

Iucundus hominibus exitus principiúmque Deo impellente creſcit. Et ode 2. Nemeorum:

Ὅθεν περ καὶ Ὁμηρίδαι
Ῥαπτῶν ἐπέων τὰ πόλλ' ἀοιδοὶ
Ἄρχονται, Διὸς ἐκ προοιμί-
ου, καὶ ὅδ' ἀνὴρ
Καταβολὰν ἱερῶν ἀγώνων
Νικαφορίας δέδεκται.

Vnde & Homeridæ conſutilium carminum plerumque Poëtæ auſpicantur, Iouis à proœmio hic quoque vir fundamentum ſacrorum certaminum victoriæ ſumpſit. & Aratus:

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα.
A Ioue incipiamus.

longè ſapientiùs ſuo interprete Germanico, qui cùm dixiſſet:

A Ioue principium muſæ deduxit Aratus,

ipſe tamen ab Auguſti nomine ſuam verſionem maluit auſpicari. Cicero libro 2. de legibus, *Ordine igitur, inquit Quintus, nam hunc tibi totum dicamus diem. Tum Marcus, à Ioue Muſarum primordia, ſicut in Aratio carmine orſi ſumus. Quorſum iſthuc? inquit Quintus. Tum Marcus, Quia nunc itidem ab eodem, & à cæteris Diis immortalibus ſunt nobis agenda primordia. Optimè verò frater, inquit Quintus, & fieri ſic decet.* Tale fuit illud vſitatum & vulgare apud cauſidicos imperitos orationis exordium in diuinatione, *Iouem ego Opt. Max.* ad quem locum Aſconius: *Incipiebant autem veteres, vt Virgilius oſtendit, ab inuocatione Deorum, quale eſt,*

Præfatus Diuos ſolio Rex infit ab alto.

Atque eam ob cauſam, vt ait Liuius dec. 5. lib. 5. *Conſul proficiſcens, Prætórve paludatis lictoribus in prouinciam & ad bellum, vota priùs in Capitolio nuncupat: victor perpetrato eodem in Capitolio triumphans ad eoſdem Deos, quibus vota nuncupauit, merita dona populi Romani traducit: pars non modica triumphi eſt victimæ, vt appareat, Diis grates agentem imperatorem ob Rempub. bene geſtam redire.* Et verè Deus enim, vt ſacra prædicant elogia, eſt α & ω, principium & finis, Orpheus:

Ζεὺς ἀρχή, Ζεὺς μέσσα, καὶ ὕστατα.
Iupiter principium, Iupiter media & extrema.

Horatius:

Hinc omne principium huc refer exitum.

Oppianus 1. ἁλιευτικῶν.

Ζεῦ μάκαρ ἐς δὲ σὲ πάντα καὶ ἐκ σέθεν ἐρρίζωνται.
Iupiter Beate, in te omnia & ex te radicantur.

Cuius rei reddit egregiam rationem, cur à Deo ſemper ſit auſpicandum initio lib. 2.

--Τί γὰρ μερόπεσσιν ἀνυστὸν
Νόσφι Θεῶν; οὐδ' ὅσσον ἐπὶ χθονὸς ἴχνος ἀεῖραι,
Οὐδ' ὅσσον ἀμπετάσαι βλεφάρων περιφαέα κύκλα.
-Quid enim mortales facere poſſunt
Sine Deis? ne tollere quidem è terra poſſent veſtigium,
Ne oculorum quidem palpebras à perire.

Plinius Iunior primis Panegyrici ſui verbis, *Bene ac ſapienter, P. C. maiores inſtituerunt, vt rerum agendarum, ita dicendi initium, à precationibus capere: quòd nihil rite nihilque prouidenter homines ſine Deorum immortalium ope, conſilio, honore, auſpicentur.* Et ſapienter illi quidem qui, vt hîc Tullius, rerum magnarum à Deo dixerunt eſſe ſumenda primordia, ſapientiùs tamen Plato & Oppianus qui σμικροῦ καὶ μεγάλου πράγματος initium ad Deum retulerunt, cùm Ariſtoteles libro de mundo ad Alexandrum ſolùm magnarum rerum Deum curam habere parum prudenter iudicarit. Sapientius Plato in Epinomide: Εἰσὶ Θεοὶ ἐπιμελούμενοι πάντων σμικρῶν καὶ μειζόνων. *Sunt Dij omnium rerum magnarum & paruarum curam habentes.* Sapientius, inquam, ſi relictâ Deorum multitudine, ad vnum retuliſſet, quod libro 12. de legibus faciendum eſſe monuerat. Ἀρετῆς] ἀρχὴ τὸ μὴ πλανᾶσθαι πρὸς πολλὰ στοχαζόμενον· ἀλλ' εἰς ἓν βλέποντα, πρὸς τοῦτο ἀεὶ τὰ πάντα, οἷον βέλη, ἐφιέναι. *(Virtutis) principium eſt non errare ad multa collineantem, ſed ad vnum reſpicientem, ad id omnia, vt ita dicam iacula deſtinare.* Atque hinc profluxit, vt in omnibus dictis & factis illi ipſi gentiles vſurparent σὺν Θεῷ εἰπεῖν, & σὺν Θεῷ πράττειν, ex qua conſuetudine iocus ille Stratonici ſuauiſſimus apud Athenæum libro 8. deductus eſt. Διδάσκων κιθαριστάς, ἐπειδὴ ἐν τῷ διδασκαλείῳ εἶχεν ἐννέα μὲν εἰκόνας τῶν Μουσῶν, τοῦ δ' Ἀπόλλωνος μίαν, μαθητὰς δὲ δύο, πυνθανομένου τινὸς, πόσους ἔχοι μαθητάς, ἔφη, σὺν θεοῖς δώδεκα. *Cùm citharistas doceret, muſarúmque nouem imagines, vnam Apollinis, duos diſcipulos haberet in ſchola, rogatus quot haberet diſcipulos, cum Diis, inquit, duodecim.* Iuuat Chriſtianos hoc loco præterire, Tantum viderint qui ſua ſtudia nec à Deo auſpicantur, nec ad Deum referenda exiſtimant: ſi quis eſt eiuſmodi, de illo auſim dicere:

-Conatur Pimplæum aſcendere montem,
Muſæ furcillis præcipitem eiiciunt.

Iuno, vt ait Homerus, Iouis fœcunditatem æmulata, qui ſine Iunonis coniugis ſuæ conſortio, ſolus Mineruam ſapientiæ Deam è ſuo capite in lucem effuderat, voluit & ipſa fœtum aliquem ſola producere. Quid enatum eſt? Python.

Πῆμα μέγ' οὐδὲ θεοῖς ἐναλίγκιον, οὐδὲ βροτοῖσι.

Monſtrum horrendum, informe, ingens, quòd neque ad Deorum, neque ad hominum formam accederet. Quid ita? quia nimirum ſolius eſt Dei, veram germanámque ſapientiam parturire, cæterorum monſtra, niſi ſe totos Deo arctiſſimis amicitiæ vinculis colligarint. monſtra, inquam, fœtibus illis non abſimilia, quos Græci ὑπηνεμίους appellant, & ouis illis ſterilibus, quæ nonnulli à vento putant generari, qua de cauſâ Zephyria appellantur. Quantacunque enim noſtra fuerit eruditio, quantacunque vis orationis, niſi diuinis auſpiciis quæſita, ſe diuinis auſpiciis tueatur, eam Apoſtolus inflare dicit, eam *cymbalum tinniens & æs ſonans* nominabit. Quanquam quæ poteſt ſine diuinis auſpiciis ſcientia comparari? Quid ille Mercurius Triſmegiſtus quem ante primum Pharaonem, id eſt ante Abrahamum in Ægypto floruiſſe Suidas tradit, à quo auſpicandum cenſet ſtudium veritatis & litterarum? ab eo ſine dubio, cuius ſemen niſi mens humana ſuſceperit, bonam, vt ait, non poteſt ſcientiatiarum notitiam parturire. ὁ γὰρ νοῦς κύει πάντα τὰ νοήματα, ἀγαθὰ μὲν ὅταν ὑπὸ τοῦ θεοῦ τὰ σπέρματα λάβῃ. *Bonam*, inquit, *mens parturit cognitionem, cùm à Deo ſemen acceperit.* Socrates in Phædone cùm philoſophiæ naturali ſe penitus tradidiſſet, Deíque cogitationem abiiciens ſolam naturam rimari ſtatuiſſet, eo prouectus eſt, vt ad meliorem frugem ſe recipiens non dubitarit de ſe profiteri. Ἐγὼ γὰρ ἃ καὶ πρότερον σαφῶς ἠπιστάμην, ὥς γε ἐμαυτῷ καὶ τοῖς ἄλλοις ἐδόκουν, τότε ὑπὸ ταύτης τῆς σκέψεως οὕτω σφόδρα ἐτυφλώθην, ὥστε ἀπέμαθον καὶ ταῦτα, ἃ πρὸ τοῦ ᾤμην εἰδέναι. *Me*, inquit, *in hac cogitatione defixum tanta mentis cæcitas occupauit, vt eorum etiam obliuio, quæ prius, & mihi & aliis ſcire videbar, obrepſerit.* Quare ſic ſtatuere debemus, nemini vnquam homini veram ſcientiam aut eloquentiam contigiſſe, qui non & ab eo fuerit auſpicatus, & ad eum primam rerum omnium cauſam & finem vltimum, ſua ſtudia ſcientiámque direxerit. Sed de his hactenus.

II. PYTHAGORICVM.] Duæ ſunt rationes cur Orator Vatinium dicat ſibi Pythagorici nomen reſumere, altera quòd nefariis ſacris eam ille ſectam prætenderet, altera quòd humanas victimas immolaret. Nam Pythagoricos ſuperſtitionibus & præſtigiis deditos fuiſſe, tum ex Luciano in Philopſeude compertum eſt, tum ex Apuleio de Deo Socratis. *Pythagoricos*, inquit, *mirari ſolitos, ſi quis ſe denegaret vnquam vidiſſe dæmonem, vt reor, idoneus auctor eſt Ariſtoteles.* Ipſe etiam Pythagoras, vt eſt apud Laërtium. Πάσας ἐμυήθη τάς τε Ἑλληνικὰς, καὶ βαρβαρικὰς τελετάς. *Omnium tum Græcorum, tum Barbarorũ ſacra ſuſcepit.* Atque vt omittam crus illud aureum, vocem in flumine auditam, & alias eius offucias, de eo Tertullianus libro de anima aduerſus eum, & Platonem diſputans. *Mortem ſimulat, ſubterraneo latitat, ſeptenni ſe illic patientia damnat: interea, quæ de poſteris defunctis ad fidem eſſet relaturus, ab vnicâ conſciâ & miniſtrâ matre cognoſcit.*

Pythagoræ præſtigiæ.

Alteram dixi fuiſſe rationem quòd Vatinius pueros immolaret: quòd erat à Pythagoræ moribus penitus alienum, ſiquidem tum ipſe, tum eius diſcipuli, non ſolùm ab edendis, ſed etiam à mactandis animantibus penitus abſtinebant. Philoſtratus cap. 1. lib. 1. de vita Apollonij: Diogenes Laërtius, Lucianus, alij. Quo in genere notandum illud quod Philoſtratus loco citato, & Athenæus libro 1. de ipſius diſcipulo prodiderunt. Ἐμπεδοκλῆς, verba ſunt Athenæi, ἔμψυχον ἀπεχόμενος ἐκ σμύρνης, καὶ λιβανωτοῦ, καὶ τῶν πολυτελεστάτων ἀρωμάτων διαπλάσας βοῦν διένειμε τοῖς εἰς τὴν πανήγυριν ἀπαντήσασι. *Empedocles cùm animatis abſtineret, & myrrhâ, ture, & precioſiſſimis aromatibus bouem conflatum iis diſtribuit, qui ad panegyrium conuenerant.* Eleganter tamen Antiphanes apud eundem lib. 4. hanc Pythagoricorum frugalitatem fuiſſe ſimulatam ait, vt hoc prætextu ſuam paupertatem obtenderent.

Pythagoras ab animantibus abſtinebat.

Ἐπὶ τράπεζαν αὐτοῖς, ἰχθὺν ἢ κρέας
Κἂν μὴ κατεσθίωσι καὶ τοὺς δακτύλους
Ἐθέλω κρεμᾶσθαι δεκάκις.
Piſcibus menſam extrue
Aut carne, digitos ni ſibi præroſerint
Pendere decies cupio.

Quinetiam à Gellio libro 4. Noct. Attic. iſta Plutarchi verba referuntur. Ἀριστοτέλης δὲ μήτρας καὶ καρδίας, καὶ ἀκαλήφης, καὶ τοιούτων ἄλλων ἀπέχεσθαί φησι τοὺς Πυθαγορικοὺς, χρῆσθαι δὲ τοῖς ἄλλοις. *Ariſtoteles autem à vulua, corde, vrtica marina, & quibuſdam huiuſcemodi Pythagoricos abſtinuiſſe tradit, cæteris vſos fuiſſe.* Immò ipſum Pythagoram, vt eiuſdem Gellij verbis vtar. *Porculis quoque minuſculis, & hœdis tenerioribus victitaſſe Ariſtoxenus refert.* vide de Fabis.

HOMINIS DOCTISSIMI.] Nullum fuit doctrinæ genus, cuius ille omnes numeros non explerit, vt videre eſt apud Laërtium. Apollonius Tyaneus epiſtola ad Euphratem. Ἐάν τις ἀνδρὶ Πυθαγορείῳ συγγένηται, τίνα παρ' αὐτοῦ λήψεται καὶ πόσα; φράσω δ' ἐγώ. νομοθετικὴν, γεωμετρίαν, ἀστρονομίαν, ἀριθμητικὴν, ἁρμονικὴν, μουσικὴν, πᾶσαν θείαν μαντικήν. *Si quis ad hominem Pythagoreum acceſſerit, quid ab illo recipiet, & quanta? Dixerim ego. Legum ferendarum peritiam, Geometriam, Aſtronomiam, Arithmeticam, Harmonicam, Muſicam, omne diuinationis genus.* III.

Pythagoræ, & Pythagoreorum doctrina.

CVM INAVDITA AC NEFARIA SACRA SVSCEPERIS.] Quàm nefaria eſſent ſacra pleraque, quibus Gentiles initiari conſuerant, videre eſt apud Iulium Firmicum, l. de myſteriis & erroribus prophanarum religionum. Arnobium lib. 4. aduerſus gentes, Theodoretum oratione prima & tertia de curatione Græcarum affectionum, Gregorium Nazianzenum aduerſus Iulianum. Tertullianum in apologetico, Clementem Alexandrinum in ſtromatis, & Protreptico, Minutium Fœlicem, & alios, ex quibus viſum erat pauca quædam excerpere, niſi propter indignitatem rei tacendum eſſe me locus ille Arnobij monuiſſet. *Iamdudum*, inquit, *me fateor hæſitare, circumhiſcere, tergiuerſari, tricas (quemadmodum dicitur) conduplicare tellenas, dum pudor me habet alma illa proferre myſteria, quibus in Liberi honorem patris Ithyphallos ſubrigit Græcia, & ſimulachris virilium faſcinorum territoria cuncta floreſcunt.* IV.

Impia ſacra Ethnicorum.

Cæterùm ſi quis pleniorem horum myſteriorum velit habere notitiam, is dictos auctores conſulat, ita tamen, vt cùm has ſuperſtitiones ementiri Chriſtianorum ritus inuenerit, non Chriſtianam religionē ab hac impietate deſumptam exiſtimet. vt quemadmodum tradit Iulius Firmicus cap. 22. *Probemus nequiſsimum hoſtem generis humani de ſanctis hæc venerandiſque prophetarum oraculis ad contaminata furoris ſui ſcelera tranſtuliſſe.* Quo in genere riſi aliquando lepidulum caput Iſaaci Caſauboni qui in illud Perſij:

Infami digito & luſtralibus ante ſaliuis
Expiat.

Casauboni cauillatio.

Cauillatur Chriſtianorum nominales (Catholicos nimirum) hos ſignandi pueros luſtralibus ſaliuis in baptiſmo ritus à gentilium vetularum ſuperſtitionibus fuiſſe mutuatos. Age ſanè Scythaloſagittipelliger, en quod duodecim laboribus Herculeis decimum tertium poſſis adiungere. Superſtitioſi catholici. grande conuitium. cur? puerorum frontem ſolent luſtralibus ſaliuis expiare. Difficiles nodi quibus etiam (ſi Diis placet) Chriſtum ipſum poſſit inuoluere. Superſtitioſus igitur Chriſtus, auctore Caſaubono, qui digitos ſaliuâ madefactos mutorum linguis admouerit. Magus igitur Chriſtus. (Quid enim de Deo non ſentiant qui Deum peccati faciunt auctorem?) magus inquam, qui, vt venefica illa, quæ apud Petronium, *turbatum ſputo puluerem medio ſuſtulit digito, frontémque repugnantis ſignantis ſignauit.* Ita oculos cæci cuiuſdam luto è puluere & ſaliuâ confecto, vel imprudens ignarúſque Caluiniſticæ puritatis, vel ſuperſtitioſus illeuerit. Quanquam ſentio me de fumo, quod aiunt, ad flammam, dum obſcœna vito gentilium myſteria, in diriora Caluiniſticæ religionis arcana eſſe delapſum. Tamen ne quid diſſimulare videar hanc ſuperſtitionem Chryſoſtomus homilia duodecima in epiſtolam ad Corinthios grauiter reprehendit.

Lutum illitũ infantibus.

Βόρβορον αἱ γυναῖκες ἐν τῷ βαλανείῳ λαμβάνουσαι τροφοὶ καὶ θεραπαινίδες, καὶ τῷ δακτύλῳ χρίουσαι κατὰ τοῦ μετώπου τυποῦσι τοῦ παιδίου. κἂν ἔρηταί τις τί βούλεται ὁ βόρβορος, τί δὲ ὁ πηλός; ὀφθαλμὸν πονηρὸν ἀποστρέφει, φησὶ, καὶ βασκανίαν καὶ φθόνον. βαβαὶ τῆς ἰσχύος τοῦ βορβόρου, &c. *Mulier cula lutum in balneo capientes nutrices & ancillæ, digito allinentes fronti pueri notam imprimunt. Et ſi quis roget: Quid ſibi volunt iſtæ ſordes? quid lutum? malum oculum, inquiunt, & faſcinationem & inuidiam auertit. O magnam luti virtutem!* Quis hîc Catholicorum ſuperſtitionem ſugillari non exiſtimet? Videamus quod alterum fulmen in eoſdem ſignum crucis vſurpantes impingat. Ὁ θεὸς σε μύρῳ ἐτίμησε, σὺ δὲ σαυτὸν ἀτιμάζεις, καὶ δέον τὸν σταυρὸν ἐπιγράφειν τῷ μετώπῳ τὴν ἀσφάλειαν ἄμαχον παρέχοντα, σὺ δὲ ταῦτα ἀφεὶς ἐπὶ τὴν σατανικὴν ἄνοιαν καταπίπτεις. *Deus te vnguento ſacro honorauit, tu verò teipſum inhonoras, & cùm ſignum crucis inexpugnabilem ſecuritatem adferentis fronti imprimere deceat, tu his relictis ad ſatanicam amentiam prouolueris.* Mox, ὁ βορβόρῳ χρίων πῶς οὐχὶ καὶ βδελυκτὸν ποιεῖ τὸ παιδίον; πῶς γὰρ αὐτὸ παρέχει ταῖς χερσὶ τοῦ ἱερέως; εἰπέ μοι, πῶς ἀξιοῖς ἐπὶ τοῦ μετώπου σφραγῖδα ἐπιθεῖναι τὴν τοῦ πρεσβυτέρου χειρὸς, ἔνθα τὸν βόρβορον ἐπέχρισας; μὴ ταῦτα, μὴ ἀδελφοί. ἀλλ' ἐκ πρώτης ἡλικίας πνευματικοῖς αὐτὰ περιφράττετε ὅπλοις, καὶ τῇ χειρὶ παιδεύετε σφραγίζειν τὸ μέτωπον· καὶ πρὶν ἢ δυνηθῶσι τῇ χειρὶ τοῦτο ποιεῖν, αὐτοὶ ἐκτυποῦτε αὐτοῖς τὸν σταυρόν. *Qui luto illinit, quomodo non & abominabilem reddit puerum? quomodo enim eum tradit in manus Sacerdoti? Age, quomodo petis vt ſignum crucis manu ſacerdotis fronti filij tui imprimatur, quam paulò antè luto illeueris? ne quæſo fratres iſta faciatis, ſed à primâ ſurgentis pueritiæ vita ſpiritalibus eos armis circumdate, & docete eos manu frontem ſignare, & antequam manu id facere poſſint, vos ipſi fronti eorum crucem imprimite.*

Signum crucis.

En quomodo nihil eſt apud Patres quod catholicas cærimonias quatefacere videatur, quòd non eaſdem diuerſis verbis & expreſsè confirmet, & malè feriata Nouatorum ſomnia conuellat. Verùm

A diuerticulo repetatur fabula.

SVSCEPERIS.] Lactantius libro 2. cap. 18. *Susceptis inexpiabilibus ſacris fas omne violarunt.* v.

INFERORVM ANIMAS ELICERE.] Tertullianus de anima ſub finem. *Publica iam litteratura eſt, quæ animas etiam iuſtâ ætate ſopitas, etiam probâ morte diſiunctas, etiam prompta humatione diſpunctas, euocaturam ſe ab inferorum incolatu pollicetur. Quid ergo dicemus magiam? quod omnes penè, fallaciam.* Et paulò pòſt, *Sic etiam magiæ, ſecundæ ſcilicet idololatriæ, in qua ſe dæmones perinde mortuos fingunt, quemadmodum in illâ Deos. quidni? cùm & Dij mortui. itaque inuocantur quidem ahori & biſothanati ſub illo fidei argumento, quod credibile videatur eas potiſſimùm animas ad vim & iniuriam facere, quas per vim & iniuriam ſæuus & immaturus finis extorſit, quaſi ad vicem offenſæ: ſed dæmones operantur ſub obtentu earum, &c.* Horatius ſat. 8. lib. 1. nefaria ſacra quibus ſagæ animos elicerent, ita deſcribit. vi.

Animarum euocatio.

--ſcalpere terram
Vnguibus & pullam diuellere mordicus agnam
Cœperunt, cruor in foſſam confuſus, vt inde
Manes elicerent, animas reſponſa daturas.

Nota vocem *elicere.* dicebantur enim magi quaſdam habere illecebras, quibus defunctorum animas & Deos euocarent. Syneſius in Caluitij encomio. ἀκούω λεγόντων ὡς ἀνὴρ Αἰγύπτιος τέχνην ἐπὶ τοὺς θεοὺς ἔχει καί τινας ἴυγγας, ὥστε ὅταν ἐθέλῃ μικρὰ ὑποβαρβαρίσας, ἅπαν εἵλκυσεν ὅσον ἐπὶ τοῖς θείοις τὸ πτευχὲς ὁλκοῦς τινος ἔπαθον. id eſt ex interpretatione Petauij: *Sed id præterea multorum ad me fama detulit Ægyptios pelliciendorum Deorum artificium atque illecebras quaſdam tenere, quibus quando libuerit, barbaris aliquot vocibus inſuſurratis, Deos omnes eliciant, quicunque attractionibus quibuſdam deduci naturæ ſuæ conditione poſſunt.* Qua de re conſule Heliodorum lib. 3. Æthiop. vbi hæc tractat fuſiſſimè. Nicephorus Gregoras Scholiis in Syneſium de inſomniis. ἴυγξ. Τὴν δ' ἴυγγά φασιν ὄρνεον εἶναι ἀεὶ σεῖον τὴν οὐράν. *At iynga aiunt auem eſſe quæ ſemper caudam mouet.* Subiicit tamē, ἄλλοι δὲ κιθάραν ἐμμελεστάτην φασὶ τὴν ἴυγγα, ὡς ἐντεῦθεν, καὶ πᾶν γλυκὺ καὶ ποθεινὸν ἴυγγα καλεῖν. *Aliis videtur iynga, dici lyram ſuauiſſimè concinentē: vt inde quicquid ſuaue eſt, & amorem ac deſiderium excitat ſui, iyngis nomine appelletur.* Incātationes verò Magorum etiam iyngas & illecebras nominari confirmat paulò pòſt ipſius Hecates oraculo:

Τοὺς μὲν ἀπειρεσίοις ἐρύων ἴυγξιν ἀπ' αἰθρης
Ῥηϊδίως ἀέκοντας ἐπὶ χθόνα Δῖα κατῆγες.
Immenſis hos illecebris ex æthere ducens
Inuitos facilè in terras ô Dia vocaſti.

De qua arte quam ψυχοπομπίαν, ψυχαγωγίαν, & νεκυομαντείαν appellat, idem ipſe pag. 410. impreſſionis Petauianæ tractat, & rem explicat fuſiſſimè. Plato ſecundo de Repub. Ἐπαγωγαῖς τισι καὶ καταδέσμοις τοὺς Θεοὺς, ὥς φασι, πείθοντες ὑπηρετεῖν. *Illecebris quibuſdam vinctos etiam Deos, vt aiunt, inducentes vt ſibi obſequantur.* Lucianus in Menippo de magis Zoroaſtri diſcipulis: Ἤκουον δ' αὐτῶν ἐπῳδαῖς τε καὶ τελεταῖς τισιν ἀνοίγειν τε τοῦ ᾅδου τὰς πύλας, καὶ κατάγειν ὃν ἂν βούλωνται ἀσφαλῶς, καὶ ὀπίσω αὖθις ἀναπέμπειν. *Eos audiui incantationibus quibuſdam & initiis inferorum portas aperire, & quos voluerint ſine periculo euocare, rurſúmque eos remittere.* Maximus Tyrius 26. concione: ἦν δέ που τῆς Ἰταλίας κατὰ τὴν μεγάλην Ἑλλάδα περὶ λίμνην ἄορνον οὕτω καλουμένην μαντεῖον ἄντρον, καὶ θεραπευτῆρες τοῦ ἄντρου ἄνδρες ψυχαγωγοί, ὑπως ὀνομαζόμενοι ἐκ τοῦ ἔργου. ἐνταῦθα ὁ δεόμενος ἀφικόμενος, εὐξάμενος, ἐντεμὼν σφάγια, χεάμενος χοὰς, ἀνεκαλεῖτο ψυχὴν, ὅτου δὴ τῶν πατέρων, ἢ φίλων, καὶ αὐτῷ ἀπήντα εἴδωλον ἀμυδρὸν μὲν ἰδεῖν, &c. *Erat in quadam Italiæ parte propè magnam Græciam iuxta lacum qui Auernus vocatur, ſpelunca diuinatoria, eiúſque ſpeluncæ ſacerdotes animarum euocatores, ſic ab opere nominati. Illuc qui ſciſcitari volebat profectus, nuncupatis precibus, victimis immolatis, libatione factâ, animam euocabat, vel patrum, vel amicorum cuiuſlibet. occurrebat idolum adſpectu quidem obſcurius*, &c.

VII. PVERORVM EXTIS.] Quomodo magi & nefariis initiati myſteriis Diis Manibus pueros immolarent, ſeu potiùs lenta fame extinguerent, conſtat ex Horatio ode 5. epodon:

Ligonibus duris humum
Exhauriebat, ingemens laboribus,
Quo poſſet infoſſus puer
Longo die bis terue mutatæ dapis
Inemori ſpectaculo:
Cùm prominerent ore quantum extant aquæ
Immolatio puerorum. *Suſpenſa mento corpora*
Exerta vti medulla & aridum iecur
Amoris eſſet poculum
Interminato cum ſemel fixæ cibo
Intabuiſſent pupulæ.

Quanquam ſcio etiam à magis rite fuiſſe mactatos, vt ex eorum extis magi futurorum cognitionem deducerent, vt Gregorius Nazianzenus & alij de Iuliano Apoſtata prodiderunt. Neque verò opus eſt vt de ſacrificiis humanis hîc plura dicam, hoc vnum tamen ex Blaſio Vigenerio commentariis in Cæſarem non poſſum præterire, cuius verba è Gallico verbatim tranſcribam, vt ſit fides penes auctorem. *Vna in vrbe nomine Themiſtian, antequam hæc in Hiſpanorum ditionem veniſſet, ampliùs viginti millia miſerorum innocentium quotannis immolabantur. cùm enim in ea Dij prope infiniti colerentur, iis quotidie complures paruuli, leuiſſimis quibuſque de cauſis impiè mactabantur. Præcipua duo ingenti magnitudine idola ſpectabantur, quæ ſingulis annis ſtato quodam die renouare mos execrandus obtinuerat, hunc in modum. Primùm, ea omni leguminum & ſeminum, quorum vſus eſt, genere farina conficitur: deinde ſanguine (ſed eo ſolùm qui è victimarum cordibus exprimi poteſt), ſubigitur: tum verò binæ illæ ſtatuæ componuntur, comminutis prioribus, & eorum fruſtulis è tumulorum vertice diſiectis ad plebem, ea tanquam ſacras reliquias piè atque impiè potiùs excipientem. Ergo deuota capita ſacrificuli, poſteaquam variis vrbe tota cerimoniis deduxerant, in ſummos antedictos tumulos; vbi geminæ idolis excitatæ, ſacellorum inſtar altiſſimæ turres viſebantur ſiſtere, continuo menſis impoſitos alligare, lapideo cultro acutiſſimo latus aperire, cor extrahere, ipsúmque adhuc palpitans ac feruens, quaſi ad ingerendum vaporem, naribus idolorum admouere, atque eorundem inſuper faciem, veluti minio, ſic illinere cruore. quibus omnibus rite peractis, ſanguinem in peluim exprimere pergebant, quantum ſatis eſſet ad illud par ſtatuarum altero aut etiam tertio tanto procerius humana ſtatura effingendum. ad extremum collecti ex crematis horum innocentium corporibus cineres honorificè recondebantur, ac religiosè nimis aſſeruabantur.* Crudelis ſuperſtitio. Hæc ille. de quibus Nicolaus Remigius vir doctiſſimus 2. dæmonolatriæ. Atque etiam nunc pueros à ſagis rapi ſolere, & dæmonibus deuoueri teſtatur Spagnetus in ſua præfatione ad Petrum Anchoranum.

At tertius ſuccurrit ordo myſticas
Illas ſacerdotes habens,
Quæ peſſumæ omnium, perunctæ dexteras
Impuberes noctu inuolant,
Sui pedes ad numinis voluunt, minis
Tandem coactos deuouent,
Et Principio candenti inurunt ſtigmate,
Eique fiunt mancipi.

Quid quod, vt ait ipſe Anchoranus, in Tabula Inconſtantiæ dæmonum lib. 2. E milio nigro, & pueri non baptizati iecinori arefacto, & in puluerem comminuto, panem conficiunt ad arcana tegenda percommodum tantæ virtutis, vt ab eo, qui guſtauerit, nulla quæſtionum vis, nulla tormentorum acerbitas confeſſionem veritatis extorqueat? quid quod iidem impuri ſpiritus (eodem auctore) in ſuis illis piacularibus epulis infantis non baptizati cor in fruſta comminutum, tanquam apophoreta conuiuis ſuis largiuntur? Atque iam olim hanc fuiſſe maleficorum conſuetudinem reor, quo factum eſt vt cùm Etherici de Sanctiſſima Euchariſtia nonnihil audiiſſent, Chriſtianis maleficij labem aſperſerint. Minutius Felix: *Iam de initiandis tyrunculis fabula tam deteſtanda quàm nota eſt. infans farre contectus vt decipiat incautos, apponitur ei qui ſacris imbuatur. is infans à tyrunculo farris ſuperficie, quaſi ad innoxios ictus prouocato, cæcis occultíſque vulneribus occiditur; Huius, (prô nefas!) ſitienter ſanguinem lambunt; huius certatim membra diſpertiunt: hac fœderantur hoſtiæ: hac conſcientia ſceleris ad ſilentium mutuum pignorantur. hæc ſacra ſacrilegiis omnibus tetriora.* Hæc Cecilius apud Minutium declamat in Chriſtianos. Cæterum pueros videmus potiùs mactatos, quia gentiles iam inde ab ineunte pueritia erant dæmonibus dicati, & hoſtiæ quodammodo deuotæ. Tertullianus de anima: *Ita omnes idololatria obſtetrice naſcuntur, dum ipſi adhuc vteri infulis apud idola confectis redimiti* (vides infulas quaſi victimarum) *genimina ſua dæmoniorum candidata profitentur, dum in partu Lucina & Diana eiulatur, dum per totam hebdomadam Iunoni menſa proponitur, dum vltima die fata ſcribunda aduocantur, dum prima etiam conſtitutio infantis* Pueri Diis deuoti.

ſuper terram Statinæ Deæ ſacrum eſt. Quis non exinde aut totum filij caput reatui vouet, aut aliquem excipit crinem, aut tota nouacula proſecat, aut ſacrificio obligat, aut ſacro obſignat pro genticà, pro auità, pro publicà aut priuatà deuotione? Quid igitur mirum fuit, ſi pueros iam inde àb infantia ſacrificio (vt ait) obligatos ſibi dæmones victimarum loco exigerent, poſtularéntque mactari? Iuuenalis Sat. 6.

-Armenius vel Commagenus aruſpex
Pectora pullorum rimatur, & exta catelli
Interdum & pueri.

Sed tùm de ſacrificiis puerorum, tùm de extorum inſpectione alio loco. Non omittam tamen hoc Vatinij ſacrilegium ex antiquiſſima ſuperſtitione fuiſſe repetitum. Macrobius 1. Saturn. cap.7. de compitalibus loquens quæ feſta in honorem Manium ſiue Larium celebrabant, *ídque aliquandiu obſeruatum vt pro familiarum ſoſpitate pueri mactarentur Maniæ Deæ matri Larium. Quod ſacrificij genus Iunius Brutus Conſul Tarquinio pulſo aliter conſtituit celebrandum. nam capitibus allij & papaueris ſupplicari iuſſit.*

VIII. DEOS MANES.] Manes nonnulli à manando dictos exiſtimant, quòd per metempſychoſim Pythagoricam de corpore in corpus manare crederentur. Ante tamen videndum quos Deos nomine Manium intelligant. Eoſdem eſſe nonnulli cum laribus putant. Arnobius aduerſus gentes libro tertio ſub finem. *Poſſumus ſi videtur ſummatim aliquid & de laribus dicere, quos arbitratur vulgus vicorum atque itinerum Deos eſſe, ex eo quod Græci vicos cognominant Lauras: in diuerſis Nigidius ſcriptis, modò tectorum domuúmque cuſtodes, modò Curetas illos qui occultaſſe perhibentur Iouis æribus aliquando vagitum. Indigetes Samothracios, quos quinque indicant Græci Idæos dactylos nuncupari: Varro ſimiliter hæſitans nunc eſſe illos Manes, & ideo Maniam matrem eſſe cognominatam Larum, nunc aëreos rurſus Deos & Heroas pronuntiat appellari: nunc antiquorum ſententias ſequens laruas eſſe dicit lares, quaſi quoſdam Genios defunctorum animis (an animos?) mortuorum.* Quod ſpectat ad Varronis ſententiam, (nam aliæ vel parum vel nihil faciunt ad Ciceronem) eoſdem eſſe conſtat manes & lares, quod tam hi quàm illi Dij inferi nominentur. Paulus ex Feſto Pompeio in hoc Pilæ. *Pilæ, inquit, & effigies viriles & muliebres ex lanà compitalibus ſuſpendebantur in compitis: quod hunc diem feſtum eſſe Deorum inferorum, quos vocant lares, putarent, quibus tot pilæ quot capita ſeruorum, tot effigies quot eſſent liberi ponebantur, vt viuis parcerent, & eſſent his pilis & ſimulacris contenti.* ad has laneas effigies laribus conſecratas alludit Horatius Sat. 8. lib. 1. vbi apud Canidiam manes elicientem:

Lares.

Manes.

Pilæ.

Lanea & effigies erat.-

Cuiuſmodi laneas effigies Deorum in nouo orbe ab Hiſpanis repertas fuiſſe tradit Petrus Bembus lib. 6. rerum Venetarum. Rurſum Feſtus: *Manes Dij ab Auguribus inuocantur, quod hi per omnia æthera terrenáque manare (credantur.)* deinde ſubiicit: *Manuos in carminibus Saliaribus Ælius ſtilo ſignificare ait bonos. & inferi Dij Manes pro bonis dicuntur à ſuppliciter eos venerantibus propter metum mortis: vt immanes quoque pro valdè non bonis dicuntur.* Quibus verbis animaduertis non vanam fuiſſe Varronis ſententiam, eoſdem nimirum Manes eſſe & lares, inferos nimirum Deos: neque iterum quòd eos aërios Deos & Heroas appellet: nam aërios ſimul & inferos eoſdem eſſe Deos & *per æthera terrenáque manare*, iidem litteris prodiderunt. Lares Heroas etiam Dionyſius Halicarnaſſeus ἥρωας ἐπιχωρίους libro quarto nominauit. Vide Hieroclem in 2. verſum Pythagoræ. Plutarchum & Platonem locis citatis. Theodoretum orat.3. de curat. &c. & Cic. 2. de legib. §. 54. &c. in legib. 12. tabularum *Deorum manium iura ſancta ſunto. hos letho datos Diuos habento.* quæ omnia ſine dubio ab Heſiodo in Operibus & Diebus deprompta ſunt. nam & eos terrenos ſiue καταχθονίους, & aëre indutos ἠέρα ἑσσαμένους, & hominum cuſtodes ſiue genios φύλακας θνητῶν ἀνθρώπων, & Heroas, & bonos ſiue Manes ἐσθλούς appellat. quanquam hæc videtur fuiſſe diſtinctio, vt eorum animæ, qui aureo ſeculo vixiſſent, Heroes, ſiue dæmones, eorum animæ, qui argenteo ſeculo ſiue aliis ætatibus, bene tamen & ex virtute degiſſent, Manes, boni, beati dicerentur. de primo genere Heſiodus in operibus verſu 17. Heroes.

Τοὶ μὲν δαίμονες εἰσὶ Διὸς μεγάλου διὰ βουλάς,
Ἐσθλοὶ ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.
Dæmones hi, magnique Iouis ſunt numine, Manes
Cuſtodes hominum, terrarúmque ima colentes.

Legit Plato in Cratylo & (quod doctiſſimus Petauius antè me adnotauit) 5. de Repub.

Οἱ μὲν δαίμονες ἐσθλοὶ ἐπιχθόνιοι τελέθουσιν
Ἁγνοὶ ἀλεξίκακοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.
Dæmones hi Manéſque boni terræ ima colentes
Cuſtodes hominum Auerrunci februi habentur.

Quin apud Plutarchum de defectu oraculorum, vbi iidem verſus citantur, vox hæc ἁγνοὶ locum in illis habet. Ex qua voce ἁγνοὶ deduco Diis inferis ſiue Manibus optimè hæc conuenire. nam vt Fuluius Flaccus & Iunius Gracchus apud Varronem 5. de linguâ Latinâ ſunt auctores: *ab Diis inferis Februarius appellatus, quod tum his parentetur.* Februare autem, vt ait Nonnius Marcellus, *poſitum pro purgare* ἁγνίζειν, *purefacere.* ἐσθλοί. Varro de vita populi Romani lib. 1. *In eorum enim ſacris libis cùm ſunt facta, incerni ſolent farris ſemine, ac dicere ſe ea februare, id eſt, pura facere.* Manium autem nomen voce ἐσθλοὶ Heſiodus expreſſit. Nonnius Marcellus: *Manum dicitur clarum: vnde etiam mane poſt tenebras noctis diei pars prima: inde Matuta quæ Græcè Leucothea. nam inde volunt etiam Deos Manes appellari: id eſt, bonos ac proſperos, quod melior mors ſapientibus quàm vita probetur.* Varro loco citato: *bonum antiqui dicebant manum.* & alij. Certè Manes & bonos mortuos appellari multa confirmant. nam quærens Plutarchus in Romanis queſtionibus, q.52. cur Maniæ larũ matri ſacra faciẽtes. Κατεύχονται μηδένα χρηστὸν ἀποβῆναι τῶν οἰκογενῶν. *Orant neminem è domeſticis bonum ſiue manum euadere.* ſubiicit hanc rationem: ἢ διὰ χρηστοὺς λέγεσθαι τοὺς τελευτῶντας; *an quod mortui boni nominentur?* Vide etiam quæſtionem 5. Græcarum: Τίνες οἱ παρὰ Ἀρκάσι καὶ Λακεδαιμονίοις χρηστοί, cui reſpondet: οἱ ἀποθανόντες. *Quinam dicuntur apud Arcadas & Lacedæmonios boni? Qui diem obierunt.*

χρηστοί.

Boni, id eſt, mortui.

MACTARE.] Expoſui Deos ſacrificiis honorare & quodammodo facere auctiores. Interpretatur Manutius: *placare. Quo tamen ſenſu, inquit, nuſquam præterea memini me legiſſe.* In quo IX.

non tam lapſum memoriæ reprehendo, quàm ingenuitatem & candorem erudito viro dignum admiror. Primus omnium, vt opinor, qui hoc loco vim *mactandi* diſpexerit, fuit P. Andreas Scotthus è noſtra Societate, qui omnibus pene politioris litteraturæ ſcriptoribus Notas non vulgaris eruditionis attexuit. Nonnius Marcellus interpretatur: *Mactare, honorare.* item: *Magis augere.* laudat Accium, emendante Turnebo: *Paterâ Neſtorem mactauit aureâ.* & Ciceronem de Repub. *Ferunt laudibus, mactant honoribus.* Lactantius Firmianus lib. de Iuſtitia 5. cap. 9. *Eos laudant & honoribus mactant, vt eorum exemplo cæteros illiciant.* Lactantij magiſter lib. 2. aduerſus gentes, animas ait: *Corporalem ſubſtantiam non habere immortalitatis conditione mactatas.* Tribus his eloquentiæ Romanæ Geniis libet adiungere alterum ætatis noſtræ Ciceronem R.P. Leonardum Perinum meum in Rhetorica & Theologia magiſtrum, cuius tanquam

-Ἀπὸ ἰδὸν Ἀγαμέμνονος εὔχομαι εἶναι.

Is cap. 5. Thraſonicorum Pauli Ferrij: *Mactabere*, inquit, *tenuiore præmio quo plus meriti collegeris.* Ea tamen *mactandi* ſignificatio in illos honores propriè quadrat qui Deo tribuuntur. Arnobius libro primo loquens de Romanis quibuſdam Principibus omni vitiorum genere contaminatis. *Quos odiis*, inquit, *acrioribus conueniebat à vobis carpi, puluinaribus, aris, templis, atque alio mactatis cultu ludorum, & celebritate natalium.* & lib. 6. ſub finem: *Atqui ego contumeliæ proximum quin immò plenam contumeliam indico cùm honorari ab hominibus Deus dicitur, & muneris alicuius oblatione mactari. Etenim ſi honos auget, eiúſque accumulat dignitatem cui fuerit attributus, ſequitur vt auctior Deus fiat ab homine, à quo fuerit munere & honoris collatione donatus: atque ita perducitur res eò, vt inferior Deus ſit, qui honoribus mactatur humanis.* Huc alludit Plautus in Amphitruone ſc. 2. act. 4. vbi Mercurium & Amphitruonem ita loquentes inducit:

Merc. *Sacrifico ego tibi.* A. *Qui.*
M. *Quia enim te macto.*

Nec ignota Græcis locutio, qui eodem ſenſu ἀέξειν, & ἀπιτάλλειν vſurpant. Callimachus hymno in Dianam ver. 34.

Τρὶς δεκά τοι πτολίεθρα, τὰ μὴ Θεὸν ἄλλον ἀέξειν
Εἴσονται, ἀλλὰ μόνην σε.
-*Terdena dabuntur*
Oppida te præter quemquam mactare Deorum
Neſcia.

Nonnus à me nuper cum Notis editus Paraphraſi in Ioannem cap. 8.

Οὔ σε κακῶς κρίνοντες ἐλέγχομεν ἴδμονι βουλῇ
Ὅτι Θεὸς ποιητὸς ἀέξηθης Σαμαρείταις
Δαίμονας ἀμφιέπων μανιώδεα ῥοῖζον ἱμάσθλης.
Et nos arguimus ſceleris te iure, ſcientes
Quod te fictitio Samaritæ numine mactant,
Vmbrarúmq. quatit ſcuticâ reſonante tyrannus.

Theocritus Eidyllio xv.

Ἀρσινόα πάντεσσι καλοῖς ἀπιτάλλει Ἄδωνιν.
Omnibus Arſinoe pulchris mactauit Adonim.

Adeo vt hæc verba MACTVS ESTO, ſolerent in omnibus libationibus vſurpari, quem ritum placet terſiſſimis Arnobij eodem lib. 6. verbis explicare, *Operæpretium eſt*, inquit, *verba ipſa depromere quibus, cùm vinum datur, vti ac ſupplicare conſuetudo eſt. Mactus hoc vino inferio eſto. Inferio*, &c. vide locum. ſubdit: *Mactus hoc vino inferio eſto. quid eſt aliud quàm dicere tantùm eſto mactus quantùm volo, tantùm amplificatus quantùm iubeo.* Ex quo emendes Catonem cap. 132. de re ruſticâ: *Iupiter Dapalis, macte iſtace dape pollucenda eſto, macte vino inferiori eſto.* lege *inferio.* Hæc eſt igitur prima *mactationis* acceptio, quæ deinde à Diis ad ferias, & victimas deducta eſt. ad ferias Noſter de ſuo Conſulatu:

Tu quoque cùm tumulos Albano in monte niuales
Luſtraſti, & læto mactaſti lacte Latinas.

Ad victimas vel quod molâ ſalsâ augerentur, vel ne ipſas Deo conſecratas deperdi, ſed potiùs augeri & amplificari quiſquam putaret. Porphyrion in Horatium lib. 1. Sat. 2. (quem Ludouicus Carrio laudat, & apud ſe eſſe dicit vulgatis auctiorem) profert hæc verba M. Varronis lib. 2. de moribus Pop. Rom. *Mactare verbum eſt Sacrorum* κατ᾽ εὐφημισμὸν *dictum, quaſi magis augere, vt adolere. vnde & magmentum, quaſi maius augmentum. Nam hoſtiæ tanguntur molà ſalſa, & tunc immolatæ dicuntur cùm verò ictæ ſunt & aliquid ex illis in aram datum eſt, mactatæ dicuntur per laudationem, itémque boni ominis ſignificationem. & cùm illa mola ſalſa imponitur, dicitur* MACTE ESTO. Vide Seruium in illud 9. Æneid.

Macte noua virtute puer, &c.

Eodem pene ſenſu Dij dicuntur litari, id eſt, precibus exorari. Nonnius Marcellus: *Operari eſt Deos religioſè & cum ſumma veneratione litare, vel conuiuari.* Atque inde ad res ſacras traducitur, vel ponitur abſolutè. E dictis mirari ſatis non poſſum nonnullorum audaciam, qui, vt ait Caporali in ſuo Pedante, quæ non intelligunt, tanquam aut hæretica, aut corrupta noui Ariſtarchi ſuis notant aſteriſcis, vt Fuluius Vrſinus hoc loco PLACARE, inquit, *ſenſus poſcit vt legatur pro* MACTARE, *& ita olim Pantagatho in mentem veniſſe animaduerti.* Hem! Critica. Poſtremò, vt id etiam notes, Latini non ſolùm in ſacrificiis & libationibus *mactare* dixerunt, ſed etiam ſimpliciter *augere*. Paulus ex Feſto: *Attegrare eſt vinum in ſacrificiis augere.* Non placet Scaligero, qui hanc lectionem à barbaris emendatoribus intruſam arbitratur. Ipſe legit: *Attegrare eſt vino ſacrificium augere.* Fretus auctoritate Plauti dicentis: *augere verbenis aram.* Quæ lectio, vt fatear quod res eſt, magis facit ad noſtrum Ciceronem. Sed tanto ſupercilio non auſim veterem ſcripturam explodere: cùm præſertim, vt *victimæ ſacrificiis mactari*, ita *vinum libationibus augere* dictum eſſe videatur. Monet etiam Nonnius: *Adolere verbum eſſe proprium ſacra reddentium, quod ſignificat votis ac ſupplicationibus numen auctius facere, vt eſt in iiſdem Macte eſto.* Actius Caſſius apud Diomedem grammaticum: *Sic eſt contra Ægyptiis maximum ſacrificium, vbi integrum anſerem adoleuerunt.*

AVSPICIA.] Vide infra §. 23. in Piſonem 11. pro Milone 44. & alibi. x.

AXIOMATA.

Omnium rerum magnarum à Deo immortali principia ducuntur.

Auſpiciorum religionibus omnis Reſp. continetur.

ARGVMENTVM.

Tantam oſtendit Vatinij fuiſſe improbitatem, vt nullis Augurum reſponſis, nullis magiſtratuum obnuntiationibus potuerit à conuocando concilio ferendiſque legibus impediri, docétque nullam eſſe cauſam cur ſua ſcelera Cæſaris auctoritate defendat, cùm multa Cæſaris dignitati concedi poßint, quæ nequeant in Vatinio tolerari.

SECVNDVM ea quæro, ſeruaríſne in eo fidem? num tibi quando XV.
moram attulerit, quo minùs concilium aduocares, legémque ferres, quod eo die ſcires de cœlo eſſe ſeruatum? Et quoniam hic locus vnus eſt, quem tibi cum Cæſare communem eſſe dicas: ſeiungam te ab illo, non ſolùm Reipub. cauſſâ, verùm etiam Cæſaris, nequa ex tua ſumma indignitate labes illius dignitati aſperſa videatur. Primùm quæro, num tu Senatui cauſam tuam permittas, quod facit Cæſar? deinde, quæ ſit auctoritas eius, qui ſe alterius facto, non ſuo defendat? deinde (erumpet enim aliquando ex me vera vox, & dicam ſine cunctatione quod ſentio) ſi iam violentior aliqua in re C. Cæſar fuiſſet, ſi eum magnitudo contentionis, ſtudium gloriæ, præſtans animus, excellens nobilitas aliquò impuliſſet, quod in illo viro & tum ferendum eſſet, & maximis rebus quas poſtea geſſit, obliterandum: id tibi furcifer ſumes, & Vatinij latronis, ac ſacrilegi vox audietur, hoc poſtulantis, vt idem ſibi concedatur, quod Cæſari?

EXPLANATIO.

SERVARISNE IN EO FIDEM.] Quæro à te an augurum auctoritatem contempſeris, feceríſque quod te facturum eſſe Senatui denuntiaras.

NVM QVANTO TIBI MORAM.] Quæro abs te, num aliquando collegarum obnuntiatio tibi impedimento fuerit, quo minùs, partem plebis ſiue concilium in concionem aduocares, & rogationes Tribunitias peteres plebis conuocatæ ſuffragio comprobari.

QVOD EO DIE SCIRES.] Cùm tres tui collegæ obnuntiarent ſeruaſſe ſe de cœlo, & prodigiis quibuſdam ſigníſque cœleſtibus prohiberi, quo minùs eo die cum populo ageretur. Seruare autem de cœlo dicitur is, qui ſigna de cœlo captat, è quibus augures coniicerent, Diíſne volentibus cum populo ageretur, an res eſſet in alium diem differenda.

ET QVONIAM HIC LOCVS.] Tribus rationibus oſtendit non eſſe cur Vatinius ſua ſcelera Cæſaris auctoritate defenderet. prima eſt. Etiamſi Cæſar obnuntiationes & auſpicia contempſiſſe videatur, ei tamen eſt ignoſcendum, quod cauſam ſuam Senatui permiſerit, contentúſque ſit reſcindi acta ſui Conſulatus ſi viſum fuerit è Republica: tu omni venia prorſus indignus qui cauſam tuam nolis Senatui permittere.

NON SOLVM REIPVB.] non ſolùm ne ſi acta Cæſaris reprehendantur, illi quibus ager Campanus diuiſus eſt, excitent ſeditiones & tumultus in Repub. ſed etiam propter meam in ipſum Cæſarem beneuolentiam.

NE QVA.] id eſt, vt dixit ſuperiùs, ne tuas ſordes cum clariſſimi viri ſplendore permiſceas.

DEINDE QVÆ SIT AVCTORITAS.] Secunda eſt ratio. id eſt, quæ ſit auctoritas illius defenſionis, qua non, quod ipſe benefeceris, ſed quod alius ſimiliter fecerit, te defendis.

ERVMPET ENIM.] Hæc figura παῤῥησία nominatur, qua aliquid libere dicit orator. Hanc autem vocis libertatem tantâ prudentiâ attemperat, vt ne Cæſarem offendat, quem non inficiatur auſpicia violaſſe; eúmque ſic reprehendit, vt reprehenſionem maioribus laudibus obruere, & oratione acerbitatem beneuolentiæ ſuauitate mitigare conetur.

SI EVM MAGNITVDO CONTENTIONIS.] Qua à M. Bibulo collega ſuo diſſidebat toto tempore Conſulatus, dum ille colonos Capuam vellet tranſcribere, Bibulus agrum Campanum diuidi prohiberet.

STVDIVM GLORIÆ.] Cuius gloriæ cupiditate ſic eſt incitatus, vt agrum Campanum voluerit diuidere, quò poſſet plurium mortalium animos demereri.

PRÆSTANS ANIMVS, EXCELLENS NOBILITAS.] Si præ animi magnitudine noluit à M. Bibulo contentione ſuperari, & nobilitatis ſuæ fiducia eò prouectus, vt leges contra auſpicia ferre non dubitaret, licere nobilibus exiſtimans, quod plebi infimæ non liceret.

ET TVM FERENDVM ESSET.] tolerandum eſſet tum temporis, cùm ad ferendas leges Craſſo & Pompeio adiutoribus vteretur, quibus propter potentiam reſiſti non poterat.

ET MAXIMIS REBVS QVAS POSTEA GESSIT.] in Galliis quas iam pene omnes redegit in dictionem, ſic obliteranda fuit præteritorum actorum memoria, vt non propter prima puniendus, ſed propter poſtrema præmio dignus eſſe videatur.

ET AVDIETVR.] Hæc eſt tertiæ rationis concluſio quod poteſt huc reuocari. *Indignum eſt latronem & furciferum idem ſibi poſtulare, quod*

viro nobili & generoſo, &c. *conceſſum eſt. Sed tu es furcifer & latro, Cæſar nobilis & generoſus. Ergo indignum eſt & non tolerandum te id poſtulare, quod Cæſari conceſſum eſt.* Propoſitio clara eſt,& ideo reticetur. priorem aſſumptionis partem videlicet Vatinium furciferum eſſe & latronem ex dictis & dicendis compertam neceſſe non fuit comprobare: altera pars aſſumptionis de Cæſaris dignitate & præſtantia his verbis, *Si iam violentior*, &c. *oblitterandum*, concluſio illis, (*id tu tibi furcifer*, &c. (*quod Cæſari*) continetur.

NOTÆ.

I. SERVARISNE IN EO FIDEM.] Fidem ait per ironiam, neque enim in malè promiſſis & animo impiè deſtinatis fides reperitur. Si quæ promiſiſti impiè perfeceris. Sed hæc eſt ſcriptorum conſuetudo, vt quemadmodum minari & promittere confundunt, alterúmque in alterius locum faciunt ſuccedere, ſic eum qui ſcelus animo conceptum, facto exhauſerit fidem ſeruaſſe dicere conſuerint. Horum exempla ſunt 2. Æneidos:

Promittere.

Et me ſi patrios remeaſſem victor ad Argos
Promiſi vltorem.

Cuius generis plura exempla proferre non libet, quod ſint in promptu & cuiuis expedita. De minandi vocabulo Horatius lib. 1. epiſt. 6. ad Albinouanum:

Si quæret quid agam; dic multa & pulchra minantem
Viuere nec rectè, nec ſuauiter.

Item Sat. 3. lib. 2.

Minari.

Atqui vultus erat multa & præclara minantis.

Phædrus in fabellis: *Qui magna cùm minaris extricas nihil.* Atque eadem ratione factum eſt, vt quamuis fides tantum abſit à vitiis, vt potiùs ex omnium virtutum complexione ſit conſtituta. Plato primo de legibus: Πιστὸς μὲν καὶ ὑγιὴς ἐν στάσεσι οὐκ ἄν ποτε γένοιτ' ἄνευ ξυμπάσης ἀρετῆς. *Fidelis & ſanus in ſeditionibus nemo eſſe poteſt ſine virtutum omnium concentu.* Item: Πιστότης ἐν τοῖς δεινοῖς, ἣν δικαιοσύνην ἄν τις τελέαν ὀνομάσειεν. *Fides in aduerſis, quàm iuſtitiam omni ex parte perfectam meritò quiſpiam poſſit nominare.* Factum eſt inquam vt nihilominus etiam in malis fides nomen inueniret, quæ tamen, vt ait Seneca epiſt. 88. *Sanctiſſimum humani pectoris bonum eſt.*

II. CONCILIVM.] Vide ſupra §. 5. Tribuni plebis erat non comitia aut concionem, ſed concilium aduocare.

III. EO DIE.] Signanter *eo die*, augures enim cùm obnuntiabant, non omnino agi cum populo prohibebant, ſed denuntiabant rem in alium diem eſſe differendam, hac verborum formula ALIO DIE 2. Philippicâ 83. *Bonus Augur* (*Lælium diceres*) ALIO DIE, *inquit.* Et 2. de legibus: *Quid enim maius eſt, ſi de iure quærimus, quàm poſſe à ſummis imperiis, ſummiſque poteſtatibus comitiatus, & concilia vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere? quid grauius, quàm rem ſuſceptam dirimi ſi vnus augur*, ALIO DIE, alij legunt ALIVM, ſed vereor vt corruptè, *dixerit?* Quanquam meritò dubitari poteſt, vtrum hæc formula vim haberet; nam Philippicâ 2. 84. videtur inſinuari contrarium. *Si nihil eſt cùm augur iis verbis nuntiat, quibus nuntiaſti, confitere te eum* ALIO DIE *dixeris, ſobrium non fuiſſe.* Sed hæc difficultas ibidem, ſi Deus voluerit, erit accuratiùs exequenda.

Alio die vox augurum.

ALTERIVS FACTO NON SVO DEFENDAT.] Eleganter ſanè Demoſthenes contra Androtionem, damnandum potiùs eum eſſe dicit, qui ſe alterius facto defendat. Οὐκ, εἴ τι πώποτε μὴ κατὰ τοὺς νόμους ἐπράχθη, σὺ δὲ τοῦτο ἐμιμήσω, διὰ τοῦτ' ἀποφύγοις ἂν δικαίως, ἀλλὰ πολλῷ μᾶλλον ἁλίσκοιο. ὥσπερ γὰρ εἴ τις ἐκεῖνον εἷλεν, σὺ δὲ ταῦτ' οὐκ ἂν ἔγραψας, οὕτως ἂν σὺ νῦν ἁλῷς, ἄλλος οὐ γράψει. *Si quis aliquando præter leges fecit, cuius tu veſtigiis inſtitiſti. Haud tamen ideò iuſtè abſolueris, ſed potiori iure damnaberis. quemadmodum enim ſi quis eorum fuiſſet ante damnatus, tu minimè iſta ſcripſiſſes, ſic ſi tu damnatus fueris, alius non ſcribet.* Idem Ariſtoteles in Rhetoricis. & Dio Chryſoſtomus in Rhodiacâ: Οὐδὲν ἧττον αἰσχύνην ὀφλισκάνουσιν οἱ φυλάττοντες τὰ τοιαῦτα τῶν παραδεδωκότων. *Nihil minùs notantur turpitudine, qui talia cuſtodiunt, quàm qui aliis tradiderunt*, &c. Vide dicti rationem. Noſter in Verrem lib. 3. *Quid igitur dicet? feciſſe alios? Quid eſt hoc? vtrum criminis defenſio, an comitatus exilio quæritur? Tu in hac Repub. atque in hac hominum libidine, &, vt adhuc habuit ſe ſtatus iudiciorum, etiam licentia, non ex iure, non ex æquitate, non ex lege, non ex eo quod licuerit, ſed ex eo quod aliquis fecerit, id quod reprehenditur, rectè factum eſſe defendes?* & paucis interiectis: *Vt ego adſentiar orationi, defenſionem tamen non probabo: potiùs enim te damnato ceteris anguſtior locus improbitatis defendendæ relinquetur, quàm te abſoluto, alij quod audaciſſimè fecerunt, rectè feciſſe exiſtimentur.* Propertius libro 2. eleg. 32. tamen conatur Cynthiæ ſuæ factum alterius facto defendere: IV.

Excuſatio ab aliorum facto.

Hæc eadem ante illam impune & Leſbia fecit
Quæ ſequitur certe eſt inuidioſa minus.

ERVMPET ENIM.] Hæc eſt παρρησία ſiue libertas orationis, quæ ex Demoſthene de falsâ legatione deſumpta eſt. Δέδοικα, δέδοικα (εἰρήσεται γάρ, ὦ ἄνδρες δικασταί, πάντα ἃ φρονῶ πρὸς ὑμᾶς) μή ποτε λάθητε πάντες συνειλεγμένοι με τὸν μηδέποτε ἀδικοῦντα, νῦν δὲ ἀναπεπτωκότες ἦτε. παντάπασι γάρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἐκλελύσθαι μοι δοκεῖτε, καὶ περιμένειν τὰ δεινά, ἑτέρους δὲ πάσχοντας ὁρῶντες οὐ φυλάττεσθε οὐδὲ φροντίζετε τῆς πόλεως, πάλαι κατὰ πολλοὺς καὶ δεινοὺς τρόπους ἀδικουμένης. οὐκ οἴεσθε δεινὸν εἶναι καὶ ὑπερφυές (καὶ γὰρ εἴ τι σιωπᾶν ἐγνώκειν, νῦν λέγειν προάγομαι) &c. *Vereor, vereor (erumpet enim, Iudices, ex me vera vox & dicam ſine cunctatione quod ſentio) ne me tunc in eandem cum iſtis calamitatem trahatis vel innocentem, nunc verò langueatis. omninò enim, Athenienſes, mihi videmini penitùs oſcitari, & expectare dum in calamitatem incidatis. alios verò iam in ærumnam prolapſos intuentes, curâ ciuitatis abiectâ malum ab ea non prohibitis, cùm iam pridem multis & indignis modis vexata ſit. Non exiſtimatis graue eſſe & indignum. Etenim impellor vt dicam, etiam ſi quid priùs tacere decreueram.*) Hæc ille, quibus, vt verè fatear, Tullium ſuperauit. Quamuis non eam Ciceroni labem libenter aſperſerim, vt ei ſeruilis cuiuſdam adulationis crimen affingam, quod tamen nonnulli facere conati ſunt. Nam etſi ſolent adulatores ſuis dictis fucatam libertatis ſpeciem obtendere, & reprehenſione tantùm in rebus leuioribus vtuntur. Pſeudoherculem & Patroclum (vt ait Plutarchus) imitantes, quorum V.

ille clauam, hic non auſus eſt Pelei haſtam attingere, tamen Cicero eſt ab omni ſpecie adulationis alienus, qui ſummâ prudentiâ reprehenſionem tantâ ſuauitate laudis temperauit, vt Cæſaris animam non tam exulceraret, quàm officij admoneret. Nam quemadmodum Bion ille, εἰ τὸν ἀγρὸν ἔμελλεν ἐγκωμιάζων εὔφορον ποιεῖν καὶ εὔκαρπον, οὐκ ἂν ἁμαρτάνειν ἐδόκει τοῦτο ποιῶν μᾶλλον ἢ σκάπτων καὶ πράγματα ἔχων. *Si agrum ſuum laudans ei fœcunditatem frugúmque vbertatem impertiri potuiſſet, non malè acturus ſibi videbatur, ſi hoc faceret potiùs, quàm ſi orans & fodiens laboribus ſe conficeret.* Sic orator laude potiùs & excuſatione Cæſaris, quàm criminatione conatus eſt prætextum quem Vatinius ſuis ſceleribus prætendebat, eiuſdem videlicet Cæſaris auctoritatem infringere. Certè Ciceronem non adeò fracto fuiſſe animo, vt Cæſari tum primùm ad aliquam dignitatem prouecto, & Gallias obtinenti palpum obtruderet, vel hinc conſtare poteſt, quod eum non dubitauit iocis dicteriiſque perſtringere, cùm rempublicam iam Dictator perpetuus obtineret. vt videre eſt apud Macrobium, Plutarchum, Suetonium, qua tamen ipſe moderatione in his vrbanitatibus vteretur, oſtendit ipſe Papyrio Pæto in hæc verba reſcribens. *Reliquum eſt ne quid ſtultè, ne quid temere dicam, faciámue contra potentes, id quoque puto eſſe ſapientis. Cætera verò quid quiſque me dixiſſe dicat: aut quomodo ille accipiat, aut qua fide mecum viuant ij, qui me quotidie colunt & obſeruant, præſtare non poſſum.* vide pulcherrima.

Demoſthenes contra Philippum. Ἐγὼ νὴ τοὺς θεοὺς τἀληθῆ μετὰ παῤῥησίας ἐρῶ πρὸς ὑμᾶς καὶ οὐκ ἀποκρύψομαι. *Ego, ita me Dij ament, vobis vera liberè dicam, nec quicquam in pectore clauſum tegam.* Gregorius Theologus in Apologetico. πρᾶγμ᾽ ἔπαθον (ἐκλαλήσω γὰρ πρὸς ὑμᾶς ποῦ τὸ ἀπόῤῥητον, οὐκ οἶδα, εἴτ᾽ ἄγροικον εἴτ᾽ ἐλεύθερον) ἔπαθον δ᾽ οὖν. *Quidquam mihi contigit (erumpet enim ex me ſecretum, neſcio an ſubruſticum, an liberum. Quiddam igitur mihi contigit.* Lucianus in iudiciis. Πλὴν ἀλλὰ εἴγε δεῖ μηδὲν ὑποστειλάμενον τἀληθὲς διηγήσασθαι. *Veruntamen ſi licet ſine cuiuſquam reſpectu verum dicere.*

VI. VIOLENTIOR.] Per violentiam impetum quendam animi intelligit quo iuuenes quique generoſiſſimi ſolent ad omnem laudem concitari. Sic pro Marco Cœlio. *Nemini noſtrûm obtemperat, eſt violentior quàm vellem.* Subiicit eodem §. 76. *De impetu animi loquor, de cupiditate vincendi, de ardore mentis ad gloriam.* Virg. 12. Æneidos.

Haud ſecus accenſo gliſcit violentia Turno.

De Cæſare Lucanus lib. 2.

Cæſar in arma furens nullas niſi ſanguine fuſo
Gaudet habere vias, quod non terat hoſte vacantes
Heſperiæ fines, vacuóſque irrumpat in agros,
Atque ipſum non perdat iter, conſertáque bellis
Bella gerat. Non tam portas intrare patentes
Quàm fregiſſe iuuat: nec tam patiente colono
Arua premi, quàm ſi ferro populetur & igni.
Conceſſa pudet ire viâ ciuémque videri.

Quam indolem Baſilius δυνάδεκτον, Ariſtoteles ἐπαμφοτερίζω nominauit. at Plato & alij νεανικὴν, quæ licet *tanquam in herbis ſignificet quæ virtutis maturitas, & quantæ fruges induſtriæ ſint futuræ.* Ideóque Tullius laudandi Cæſaris ex iſtâ violentiâ materiam acceperit, tamen vt Plato 6. de Repub. ſuo more prudentiſſimè monet. Violentia.
ἔχει λόγον τὴν ἀρίστην φύσιν ἐν ἀλλοτριωτέρᾳ οὖσαν τροφῇ κάκιον ἀπαλλάττειν τῆς φαύλης. *Non abſque ratione fit vt optima natura alieniorem educationem ſortita, ſoleat mala indole peior & deterior euadere.* Et, quod ad violentiam bonæ naturæ magis ſpectat. Οὐκοῦν καὶ τὰς ψυχὰς οὕτω φῶμεν τὰς εὐφυεστάτας κακῆς παιδαγωγίας τυχούσας διαφερόντως κακὰς γίγνεσθαι. ἢ οἴει τὰ μεγάλα ἀδικήματα, καὶ τὴν ἄκρατον πονηρίαν, ἐκ φαύλης, ἀλλ᾽ οὐκ ἐκ νεανικῆς φύσεως τροφῇ διολλυμένης γίγνεσθαι, ἀσθενῆ δὲ φύσιν μεγάλων, οὔτ᾽ ἀγαθῶν, οὐδὲ κακῶν αἰτίαν ποτὲ ἔσεσθαι. *Et animas igitur dicamus bene à naturâ comparatas, cùm malam inſtitutionem ſortitæ fuerint, nimium quantum malas euadere. an exiſtimas magna ſcelera & improbitatem puram putámque ex abiectâ quadam & malâ indole, non ex violentâ prauis inſtitutis corrupta enaſci. infirmam verò naturam magnorum, neque bonorum, neque malorum cauſam exiſtere.* Hinc intelligis cur, vt optimè inter cæteros Baronius notauit, Saulus iam ætate prouectior à beato Luca νεανίας, *vehemens, violentus* nominetur, ſimul aduertis cur ad excuſationem Cæſaris naturæ violentiam orator adduxerit.

MAGNITVDO CONTENTIONIS.] A magnitudine contentionis Cæſaris factum excuſat, quòd ex magnitudine & præſtantia mentis oriatur, atque ex contendentium virtute creſcat contentio. Horat. ſat. 7. lib. 1. VII. Contentio.

Hectora Priamiden animoſum atque inter Achillem
Ira fuit capitalis vt vltima diuideret mors.
Non aliam ob cauſam, niſi quod virtus in vtroq;
Summa fuit.

Iam Orator Cæſarem excuſandum ait, quòd in re laudabili & honeſtâ contentione modum exceſſerit, vt facillimum fuit naturæ ardenti & violentæ: qualis fuit Cæſaris indoles. Lucanus lib. 1.

--neſcia virtus
Stare loco, ſclúſque pudor non vincere bello. Cæſar naturâ violentus.
Acer & indomitus, quò ſpes, quóque ira vocaſſet
Ferre manum.-

Item.

Succeſſus vrgere ſuos, inſtare fauori
Numinis, impellens quicquid ſibi ſumma petenti
Obſtaret.--

STVDIVM GLORIÆ.] Notæ Cæſaris lacrymæ in Alexandri ſtatuam intuentis è gloriæ ſtudio manantes. Notum illud Lucani. VIII.

--nec ferre poteſt Cæſarve priorem Cæſar cupidus gloriæ.
Pompeiúſve parem.

Imò nec ferre poteſt Pompeius priorem, Cæſar parem, vt Dio teſtatur. notum illud Cæſaris φιλόπρωτον, de quo Iulianus in 12. Cæſaribus: quod videlicet primum locum in omnibus ambiret. Non eſt hîc immorandum. tantùm aduerte meritò factis Cæſaris hanc excuſationem prætexi. nam & ſtudium gloriæ eſt aliquo modo laudabile. *& optimus quiſque gloriâ ducitur.* quam in ſententiam ſufficiant iſta Valerij Flacci 1. Argon. pulcherrima.

--Tu ſola animos mentémque peruris Gloriæ cupiditas.
Gloria te ſolam videt immunémque ſenecta
Phaſidis in ripâ ſtantem iuuenéſque vocantem.

IX. Cæſaris nobilitas. EXCELLENS NOBILITAS.] Suetonius in Iulio cap. 6. hæc eiuſdem verba commemorat. *Amitæ meæ Iuliæ maternum genus ab Regibus* (Anco Martio) *ortum paternum cum Diis immortalibus coniunctum eſt.* Cur autem & quatenus ob nobilitatem pœnæ minuantur Conſule Tiraquellum lib. 5. de pœnis, & dicenda pro Milone 18.

X. Cæſar adiutus à Craſſo & Pompeio. FERENDVM ESSET.] In explicatione hanc attuli rationem quòd Cæſar in ferendis legibus Craſſo & Pompeio adiutoribus vteretur. Plutarcho, Suetonio, & aliis auctoribus paſſim. Cn. Pompeius auctore Dione lib. 38. Rogatus legémque de agro Campano diuidendo paratus eſſet defendere. εἶπεν ὅτι ἄν τις τολμήσῃ ξίφος ἀνελέσθαι, καὶ ἐγὼ τὴν ἀσπίδα ἀναλήψομαι. *Dixit ſi quis auſus fuerit gladium accipere, & ego ſcutum aſſumam.*

XI. Cæſaris res geſtæ. MAXIMIS REBVS QVAS POSTEA GESSIT.] Quantas res geſſerit Cæſar eo decennio quo Gallias adminiſtrauit, cuiuis compertum eſt qui Cæſarem, Florum, Epitomen Liuianam, Plutarchum, Suetonium, Dionem, & alios hiſtoriæ Romanæ ſcriptores inſpexerit. Romani enim Imperatore Cæſare Gallorum myriadas, vt auctor eſt in Celticis Appianus, ἑκατὸν μὲν ἐζώγρησαν, ἑκατὸν δὲ ἐν τῷ πόνῳ κατέκτανον, ἔθνη δὲ τετρακόσια, καὶ πόλεις ὑπὲρ ὀκτακοσίας, τὰ μὲν ἀφιστάμενα σφῶν, τὰ δὲ προσεπιλαμβάνοντες ἐκρατύναντο. *Decies centena millia captiuorum ceperunt, decies centena millia in ipſo ardore certaminis ſuſtulerunt, Gentes quadringentas, vrbem ſupra octingentas, alias rebellantes, alias victis populis adiectas in ditionem redegerunt.* De quo Velleius lib. 2. & nos pluribus orat. pro M. Marcello.

Ab hoc autem etiam capite, id eſt à rebus geſtis eleuari noxas docet Tiraquellus. Ita iuuentutis labem Themiſtocles, Scipio Africanus, & alij rebus poſteà præclarè geſtis exterſerunt. de quibus plura dicemus in Cœliana.

FVRCIFER.] De voce furciferi oratio pro Rege Deiotaro conſulatur.

VT IDEM SIBI CONCEDATVR QVOD CÆSARI.] Quis prohibet etiam Æſopicum Aſellum in hoc theatrum inducere? Quam tamen fabellam in Græcis exemplaribus reperire non potui. Dum blanditur canis hero, & familiæ, herus & familia canem demulcet. Aſellus id conſpicatus eandem adulandi artem ſtatuit ſectari. redeunti domum hero, rem tentaturus, procurrit obuiam, ſubſilit, pulſat vngulis, auribus micat, caudam iactat, domini collum inuadit, & proiectis anterioribus pedibus amplectitur. inclamare herus, accurrere familia, Aſellus fuſtibus vapulare.

AXIOMATA.

Seiungendi ſunt improbi à fortibus, ne qua ex improborum indignitate labes clarorum virorum dignitati adſperſa videatur.

Nulla eſt auctoritas eius qui ſe alterius facto non ſuo defendit.

Si fortes viros magnitudo contentionis, ſtudium gloriæ, præſtans animus, excellens nobilitas, vltra rationis terminos impellit, ferendum eſt.

Nonnunquam ſuperioris vitæ maculæ rebus poſteà præclarè geſtis oblitterantur.

ARGVMENTVM.

Hactenus oſtendit, etiamſi quædam Cæſari facere licuiſſet, tamen cauſæ nihil fuiſſe, cur eandem Vatinius ſibi impunitatem arrogaret. nunc eundem inſectatur à collatione cum collegis in Tribunatu. quorum alij, cùm Vatinij ſceleribus reſtitiſſent, Præturam populi ſuffragiis, & alios honores ſunt conſecuti; alij cùm eadem cum Vatinio ſentirent, tamen non eò impudentiæ prouecti ſunt, vt contra auſpicia leges ferrent. non eſt igitur quod ſe Conſulis facto defendat Vatinius, qui ſe non poteſt collegarum ſuorum auctoritate defendere.

XVI. SIC enim ex te quæro, Tribunuspl. fuiſti. ſeiunge te à Conſule. collegas habuiſti viros forteis nouem. ex his tres erant, quos tu quotidie ſciebas de cœlo ſeruare: quos irridebas, quos priuatos eſſe dicebas: de quibus duos prætextatos ſedenteis vides, te ædilitiam prætextam togam, quàm fruſtra confeceras, vendidiſſe: tertium ſcis ex illo obſeſſo, atque afflicto Tribunatu, Conſularem auctoritatem hominem eſſe adoleſcentem conſecutum: reliqui ſex fuerunt: ex quibus partim planè tecum ſentiebant, partim medium quendam curſum tenebant. omnes habuerunt leges promulgatas: in his multas meus neceſſarius, etiam de mea ſententia, C. Coſconius, iudex noſter: quem tu diſrumperis, cùm ædilitium vides.

EXPLANATIO.

NOVEM.] Reliquos omnes Tribunosplebis præter vnum Vatinium comprehendit: decem enim fuerunt Tribuniplebis, vt conſtat ex variis hiſtoriæ Romanæ ſcriptoribus.

EX HIS TRES ERANT.] Inter illos nouem Tribunosplebis, tuos collegas tres erant, nimirum

nimitum Cn. Domitius, Quintus Ancharius, C. Fannius, qui cùm vellent tuas leges impedire, obnuntiabant ſe ſeruaſſe de cœlo, & ſigna vidiſſe, quæ ferri leges, & agi cum populo prohiberent. quorum obnuntiationem ita deſpexiſti, vt tibi non magiſtratuum, ſed priuatorum loco eſſe, nec vllam obnuntiandi poteſtatem obtinere viderentur.

De qvibvs dvos prætextatos.] Ex his tribus qui de cœlo ſeruabant, vt auſpiciis & obnuntiatione tuas leges impedirent, Quint. Ancharium, & Cn. Domitium vides à populo Prætores eſſe factos, & nunc in prætextâ & prætūræ inſignibus iudices eſſe, & de cauſa præſenti ſedentes in Tribunali cognoſcere.

Te ædilitiam prætextam vendidisse.] Vides te ob ſcelera, quibus in Tribunatu tuo auſpicia violaſti, tantum in te ciuium odium concitaſſe, vt cùm ædilitatem curulem peteres, reiectus fueris omnium ſuffragiis, coactúſque fueris prætextam ædilitati tuæ deſtinatam vendere, quàm tibi fruſtra compararas.

Tertivm.] Caium Fannium intelligit, vt ex oratione pro Sextio §.113. compertum eſt.

Ex illo obsesso atqve afflicto Tribvnatv.] Poſt Tribunatum, cuius magiſtratus auctoritatem, ſic obſederas, atque afflixeras, vt erepta nouem collegis tuis libertas eſſet, nemo legem ferre, aut ferenti tibi ſiue per obnuntiationem, ſiue per interceſſionem poſſet obſidere, cuius tamen Fannij voluntas in Tribunatu grata populo Romano fuit, etſi nihil agere potuerit, aut tuas leges impedire.

Consvlarem avctoritatem esse consecvtvm.] Verba ſunt P. Manutij, *Quid hoc ſit nulla docet hiſtoria: ſuſpicari tamen licet Fannio commiſſam à Senatu rei maximæ curam, quæ committenda Conſulibus videretur.* Fortaſſe tamen id ſolùm dicit, quòd omnes Fannij virtutem in Tribunatu ſic ſuſpicerent, vt eum quamuis adoleſcentem perinde obſeruarent, ac ſi iam fuiſſet Conſularis. Vide Notas.

Ex qvibvs partim sentiebant.] Vnus fuit, qui cum Vatinio ſentiret, nam duos tantummodo Tribunos fuiſſe, fauentes Cæſari, vt populares viderentur, qui à Bibulo diſſiderent, tradit in Sextiana §. 113. *Fuit collegium nuper Tribunorum, in quo tres minimè, vehementer duo populares exiſtimarentur.* Eum autem qui eadem cum Vatinio ſentiebat, fuiſſe Fuſium, probat Goueanus ex epiſtola ad Atticum, cuius initium eſt: *Accepi aliquot epiſtolas. Curioni*, inquit, *ſigna beneuolentiæ permulta à bonis impertiuntur. Fuſium clamoribus, & conuitiis & ſibilis inſectantur.* Nihilo tamen minus, licet vnus fuerit qui cum Vatinio ſentiret, tamen prudenter hoc loco ita loquitur, vt plures cum eo ſenſiſſe videantur. ídque ob triplicem rationem. 1. ne ſi Fuſium ſolum eadem cum Vatinio ſenſiſſe diceret, eidem amico ſuo, quem in Sextiana. virum & bonum & innocentem, & bonis viris ſemper fuiſſe probatum dicit, infamiæ labem aſpergeret. 2. vt oſtendat ſe non reprehendere Vatinij conſilium, qui Cæſaris acta in ſuo Tribunatu defenderet. 3. vt eo maiorem Vatinij temeritatem fuiſſe demonſtret. Qui ſolus è collegis & auſpicia violarit, cùm alij, quamuis eadem de Republica ſentientes, habentéſque leges iam promulgatas, eas non auſi fuerint ferre contra auſpicia & obnuntiationes collegarum.

Omnes habvervnt leges.] Oſtendit moderationem Collegarum, vt audacia Vatinij ex eorum comparatione maior appareat, cùm ille ſemper auſpicia religionéſque contempſerit: illi, & inter cæteros C. Coſconius, auſpiciorum obnuntiationúmque religione deterriti, à ferendis legibus, quas iam promulgauerant, ſibi temperarint.

NOTÆ.

Collegas habvisti viros fortes novem.] Decem fuiſſe Tribunos plebis, tum ex hoc loco liquido poteſt intelligi, tum ex Piſoniana, & aliis. de quorum officio & magiſtratu alibi dicendum, tantùm quod ad numerum ſpectat. Aduerte ex Dionyſio quinque Tribunos primo fuiſſe conſtitutos, ſic enim lib. 6. Δημαρχικὴν ἐξουσίαν πρῶτοι παρέλαβον οἱ πέντε ἄνδρες ἡμέρᾳ τετάρτῃ πρὸ τειῶν (τῶν) εἰδῶν Δεκεμβρίων, ὥσπερ καὶ μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου γίγνεται. *Tribunitiam poteſtatem primi ſuſceperunt quinque viri quarto Idus Decembris, ſicut hactenus fieri conſueuit.* tamen poſtea C. Nautio & L. Minutio Coſſ. vt idem eſt auctor lib. 10. Virginius Tribunusplebis: ᾐτήσατο διπλασιασθῆναι τὴν ἀρχὴν τὴν προεστηκυῖαν τοῦ δήμου, καὶ ἀντὶ τῶν πέντε δημάρχων δέκα εἰς ἐνιαυτὸν ἕκαστον ἀποδείκνυσθαι. *Petiit duplicari magiſtratum qui plebi præſideret, & pro quinque Tribunis plebis, decem per annos ſingulos renuntiari.* Quos autem per *Viros fortes* intelligat, quid per (*collegas*) alibi dicendum eſt. tantùm de Tribunis Nota, quod poſtremo dictum eſt id trigeſimo ſexto anno à primis Tribunis plebis contigiſſe Liuius notat decadis primæ lib. 3. *Trigeſimo ſexto anno à primis Tribunis plebis, decem creati ſunt, bini ex ſingulis claſſibus, itaque cautum eſt, vt poſtea crearentur.* legibus 12. tabularum. *Plebes quos pro ſe contra vim auxilij ergò decem creaſſit, Tribuni eius ſunto.* 1.

Decem Tribuni plebis.

Qvos privatos esse dicebas.] 14.

Duplici ratione compulſus eſt Vatinius, vt quos de cœlo ſeruare quotidie ſciebat, eos priuatos eſſe dictitaret. alterâ vt leges ſine vllis impedimentis ferret, nec Tribunorum interceſſionibus parere cogeretur. tanta enim fuit Tribunatus auctoritas, vt ſolis Tribunorum collegarúmque interceſſionibus agentes cum populo poſſent impediri, reliqui tum magiſtratus, tum augures ſolùm obnuntiandi ius haberent. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 10. de Conſulibus loquens: Ἐπεκαλοῦντο δὲ τὴν ἐκ τῶν ἄλλων δημάρχων βοήθειαν. οὐδὲν γὰρ τῶν πραττομένων ὑπὸ τῆς ἀρχῆς ἐκείνης ἐπισχεῖν, ἢ κωλῦσαι τῶν ἄλλων τινὶ ἔξεστιν, ἀλλ' ἑτέρου δημάρχου τοῦτό ἐστι τὸ κράτος. *Aliorum Tribunorum plebis auxilium inuocabant. nihil enim eorum quæ ab illo magiſtratu fiunt, aliis fas eſt impedire aut prohibere, ſed alterius Tribuni plebis poteſtas eſt.* Idque legibus ſacratis cautum eſſe teſtatur: Τοὺς ἱεροὺς προσφερόμενος νόμους, οὔτε γὰρ ἄρχοντι οὔτ' ἰδιώτῃ συνεχωρεῖτο πράττειν οὐδὲν ἐναντίον δημάρχῳ. *Sacras proferens leges, neque enim cuiquam aut magiſtratui aut priuato fas erat, quicquam contra Tribunum plebis facere.* Hæc igitur prior fuit ratio, cur Vatinius collegas ſuos priuatos eſſe diceret, vt poſſet eorum interceſſionibus impediri. Altera & ac-

Tribuni plebis auctoritas.

commodatior huic loco ratio fuit, vt eorum obnuntiationes impune contemneret, nec conciliũ dimitteret illis obnuntiantibus ſe de cœlo ſeruaſſe, eáq. vidiſſe ſigna, quæ illo die agi cum populo legémve ferri prohiberent. Nemini enim priuato, ne auguribus quidem fas fuit publicè ea ſigna ſpectare de cœlo, quod ſolis magiſtratibus curæ conceſſum eſt. Cic. 2. Philipp. §. 8. *Bonus Augur eo ſe ſacerdotio præditum eſſe dixit, vt comitia auſpiciis vel impedire, vel vitiare poſſet: idque ſe facturum eſſe aſſeuerauit. in quo primùm incredibilem inſcitiam hominis cognoſcite. Quid enim iſtuc quod te ſacerdotij iure facere poſſe dixiſti, ſi Augur non eſſes, & Conſul eſſes, minùs facere potuiſſes? Vide ne etiam faciliùs. Nos enim* (augures) *nuntiationem ſolùm habemus: Conſules & reliqui magiſtratus etiam inſpectionem.* Ideóque Clodius leges Æliam & Fuſiam euertens, tulit non ne quis de cœlo ſeruaret, ſed ne quis magiſtratus. Dio lib. 48. ἐνομοθέτησε μηδένα τῶν ἀρχόντων ἐν ταῖς ἡμέραις, ἐν αἷς ψηφίσασθαί τι τὸν δῆμον ἀναγκαῖον εἴη τὰ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ γιγνόμενα παρατηρεῖν. *Legem tulit ne quis magiſtratuum, eo die quo neceſſarium eſſet quicquam à populo decerni, de cœlo ſeruaret.*

Magiſtratus ſolus ſeruabat de cœlo.

III. Prætextatos sedentes.] Sedere plerumque idem eſt atque iudicare & cauſas cognoſcere. Vulgo, *tenir les aſſiſes. Sedentes* itaque idem eſt atque de cauſâ Sextij iudicantes. vnde illud Ouidij:

Conſedere duces, & vulgi ſtante coronâ,

Iuuenalis Sat. 8.

Iudices ſedebant.

Conſedere duces, ſurgis tu Pallidus Aiax
Dicturus dubia pro libertate bubulco
Iudice.

Et lepid. Sat. 16. quam tu Conſule. nam nihil eſt quod in re tam facili diutiùs immoremur, illud tamen ex Dione lib. 37. nequeo præterire de Lucij Luculli prætoris moderatione: τοῦ Ἀκιλίου συντρῖψαι τὸν δίφρον αὐτοῦ (Λουκίου Λευκούλλου στρατηγοῦντος) ἐφ' οὗ ἐδίκαζε κελεύσαντος, ὅτι παριόντα ποτὲ αὐτὸν ἰδὼν οὐκ ἐξανέστη, οὔτ' ὀργῇ ἐχρήσατο, καὶ ὀρθοστάδην μετὰ τοῦτο καὶ αὐτὸς καὶ οἱ συνάρχοντες αὐτοῦ δι' ἐκεῖνον ἐδίκασαν. *Cùm Acilius ſellam L. Luculli prætoris in quo iudicabat, frangi iuſſiſſet, quia ei venienti non aſſurrexerat, neque ille ad iram commotus eſt, & deinde ſtans ipſe cum ſuis collegis propter ipſum ſtantibus iudicauit.*

IV. Ædilitiam prætextam.] Cicero in oratione de ſuppliciis ſiue Verrinâ v tima, *Antiquiorem in Senatu dicendæ ſententiæ locum, togam prætextam, ſellam curulem, ius imaginis ad memoriam poſteritatémque prodendam.* Prætexta autem, vt ait Nonnius Marcellus, fuit *inſigne Romanum quod ſupra tunicas honorati quique ſumunt.* Cui quantumuis Seruius Honoratus prætextam honeſtioribus ciuibus tribuens aſſentiatur, videri tamen poteſt prætexta propria fuiſſe Magiſtratuum Curulium. Sic enim P. Decius Mus apud Liuium lib. 10. *Cui hominum Deorúmque indignum videri poteſt,* inquit, *eis viris quos vos ſellis curulibus, togâ prætextâ, tunicâ palmatâ, & togâ pictâ, & coronâ triumphali, laureáque honoraritis, quorum domos ſpoliis hoſtium affixis inſignes inter alias feceritis Pontificialia atque auguralia inſignia adiicere?* Sed de his alias diſtinctiùs. vide Nonium cap. 14. & Tertullianum de idololatriâ.

Prætexta fuit magiſtratuũ curulium.

V. Consularem auctoritatem.] Quomodo Conſularem auctoritatem Fannius adoleſcens fuerit conſecutus, non liquet, nec coniecturæ Manutij libenter aſſentior, cùm eam ipſe nullius auctoris teſtimonio ſtabilitam eſſe fateatur. nam & Fannium conſtat ex oratione pro Sextio §. 113. nullum magiſtratum à Tribunatu petiiſſe, nec conſtat quænam illi fuerit tanti momenti commiſſa Prouincia, vt Conſulare illud negotium diceretur, præſertim cùm ad quodlibet officium extra Romam proconſularis dignitas ſatis eſſe potuiſſet. Quamobrem ſi mihi licet cùm à tanto viro diſſentire meam nihilo fortaſſe meliorem, at certis firmatam exemplis ſuſpicionem adducere, id Fannio, ob res præclarè geſtas in Tribunatu, honoris causâ conceſſum eſt, vt inter Conſulares locum haberet dicendæ ſententiæ, quod aliis adoleſcentibus honoris cauſâ fuiſſe conceſſum reperimus. Nam inter alios honores, hoc Octauiano Cæſari decimum octauum annum agenti iſtud decretum eſt: ἐπίχρυσον τ' αὐτοῦ εἰκόνα τεθῆναι, καὶ συγγνώμην (lege καὶ τὴν γνώμην) αὐτὸν ἐσφέρειν ἐν τοῖς ὑπατικοῖς ἤδη. *curatam ipſi ſtatuam collocari, & eum ferre ſententiam inter Conſulares.* Appianus 3. ciuilium. atque vt videas non grauiſſimam ſemper ob cauſam id honoris fuiſſe conceſſum, Dio Caſſius lib. 36. Τοῦ Κόττου τοῦ Μάρκου τὸν μὲν Γάϊον (lege ταμίαν) Πούβλιον Ὄππιον ἐπί τε δώροις καὶ ἐπὶ ὑποψίᾳ ἐπιβουλῆς ἀποπέμψαντος, αὐτοῦ δὲ πολλὰ ἐκ τῆς Βιθυνίας χρηματισαμένου, Γάϊον Κάρβωνα τὸν κατηγορήσαντα αὐτοῦ τιμαῖς ὑπατικαῖς καίπερ δεδημαρχηκότα μόνον, ἐτίμησαν. καὶ οὗτος μέντοι τῆς τε Βιθυνίας καὶ αὐτὸς ὕστερον ἄρξας, καὶ μετριώτερον οὐδὲν τοῦ Κόττου πλημμελήσας ἀντικατηγορήθη ὑπὸ τοῦ υἱέος αὐτοῦ καὶ ἀντεάλω. πολλῷ γάρ που ῥᾷον ἄλλοις ἐπιτιμῶσί τινες, ἢ ἑαυτοῖς παραινοῦσι. καὶ προθυμότατά γε ἐφ' οἷς τιμωρίας ἀξίους τοὺς πέλας εἶναι νομίζουσιν, αὐτοὶ ποιοῦσιν. *Cùm Marcus Cotta Quæſtorem P. Oppium partim munerum acceptorum crimine, partim inſidiarum ſuſpicione abs ſe dimiſiſſet, & ipſe multas ex Bithynia pecunias corraſiſſet, Caium Carbonem qui ipſum accuſauit quãuis Tribunitium tantummodo, Conſularibus honoribus ornauerunt, & hic poſtea cùm ſortitus Bithyniam prouinciam nihilo ſe modeſtiorem in ea, quam Cotta præſtitiſſe, à Cottæ filio accuſatus & vice verſa damnatus eſt. longè enim faciliùs alios quidam reprehendunt, quam ſeipſos ad virtutem hortantur, & ea promptiſsimè faciunt, ob quæ cæteros omni ſupplicio dignos exiſtimant.*

Conſularis auctoritas.

Partim plane tecvm sentiebant.] De particulæ huius conſtructione vide orationem de VI.
Prouinciis Conſular. 24. *Cùm partim mihi illorum familiares, partim etiam, me defendente, capitis iudiciis eſſent liberati.*

Leges promvlgatas.] Promulgare leges VII.
erat ſcriptas leges per trinundium, id eſt, per tres nundinas, quæ nono quoque die recurrebant, populo legendas proponere, vt videret populus eſſéntne è Rep. & ſuffragiis ſuis ſanciendæ. Feſtus Pompeius: *Promulgari dicuntur leges cùm primùm in vulgus eduntur, quaſi prouulgari.*

Promulgare.

Necessarivs.] Familiaris, affinis, quod à neceſſitudine, id eſt, familiaritate dictum eſſe vulgatum eſt. iuuenies & neceſſitatem ab optimis Latinæ linguæ ſcriptoribus. Nam, vt ait Nonnius Marcellus cap. 3. §. 323. *Neceſſitat affinitas, vnde & hoc iure coniuncti neceſſarij appellantur. Caius Cæſar cùm Plautiam ſuaſit rogationem. Equidem mihi videor pro noſtra neceſſitate, non labore, non opera, non induſtria defuiſſe.* Et Feſtus: *Neceſſarij ſunt vt Gallus Ælius ait, qui aut cognati, aut adfines ſunt, in quos neceſſaria officia conferuntur præter cæteros.*

Neceſſarius.

Agellius idem aſſerit cap.3. lib.13. ſuámque ſententiam eadem Cæſaris auctoritate confirmat. Noſter pro P. Sylla 2. *Luc. Torquatus meus familiaris ac neceſſarius, exiſtimauit ſi noſtram accuſatione ſuâ neceßitatem familiaritatémque violaſſet, aliquid ſe de auctoritate mea defenſionis poſſe detrahere.* Græci ἀναγκαίους frequenter appellant: ſuperſedeo exemplis vna Iſæi auctoritate contentus, is orat. de hæred. Cleonymi, τοὺς ἐχθροὺς τιμωρησόμενοι, καὶ τοὺς ἀναγκαίους καὶ συγγενεῖς κακῶς ποιήσοντες, *inimicos vlturi, & non neceſſariis, & conſanguineis malè facturi.*

VIII. De mea sententia ivdex.] De ſortitione & reiectione iudicum alibi. interim tu Conſule Sigonium.

IX. Ædilitivm vides.] *Ædilis fuerat anno ſuperiore* (vt bene notat Manutius) *Lentulo & Metello Coſſ. nam ſi ædilitatem hoc anno gereret, Ædilis non Ædilitius ex Latini ſermonis conſuetudine vocaretur.* Dubitare verò poſſit quiſpiam quid eſſet cauſæ, cur Ædilitium videns C. Coſconium inuidiâ diſrumperetur Vatinius, cùm qui Tribunusplebis fuerit, non debeat honorem Tribunatu minorem aliis inuidere. nam anno ab V. C. 261. cum Tribunis plebis Ædiles creati ſunt Tribunorum plebis adminiſtri. Dionyſius lib. 6. Ἀποδεικνύουσιν ἄνδρας οὓς ὑπηρέτας τῶν δημάρχων καὶ συνάρχοντας, καὶ δικαστὰς ἐκάλουν, νῦν μέν τοι κατὰ τὴν ἐπιχώριον γλῶτταν, ἀφ' ἑνὸς ὧν πράττουσιν ἔργων ἱερῶν τόπων ἐπιμεληταὶ καλοῦνται. *Viros conſtituunt, quos miniſtros Tribunorum plebis, & coimperantes & Iudices vocabant: nunc verò ab vno, eorum quæ adminiſtrant munere, Ædiles nominantur.* Sed eſt in promptu reſponſio. Ædiles plebeij dicebantur Tribunorum miniſtri. At Ædilitatem curulem Tribunatu digniorem Vatinius Coſconio inuidebat, quæ anno ab V. C. 389. in vrbem inducta eſt. Liuius in principio libri 7. dec. 1. de prætura & Ædilitate curuli loquens: *Hos ſibi patritij quæſiuere honores, pro conceſſo plebi altero Conſulatu.* Nondum tamen exhauſta penitus eſt difficultas. nam etiam curules Ædiles appellare Dionyſius eodem libro videtur. Τὴν δὲ προστασίαν καὶ τὴν ἐπιμέλειαν τῶν ἐν αὐταῖς (ταῖς Λατίναις ἑορταῖς) γινομένων θυσιῶν τε καὶ ἀγώνων οἱ τῶν δημάρχων ὑπηρέται παρέλαβον οἱ νῦν τὴν ἀγορανομικὴν ἔχοντες ἐξουσίαν, ὥσπερ ἔφην, κοσμηθέντες ὑπὸ τῆς βουλῆς πορφύρᾳ καὶ θρόνῳ ἐλεφαντίνῳ, καὶ τοῖς ἄλλοις ἐπισήμοις ἃ εἶχον οἱ βασιλεῖς. *Præfecturam verò & procurationem eorum quæ in feriis Latinis fiebant, ſacrificiorum & certaminum ſuſceperunt Tribunorum plebis adminiſtri, qui nunc, vt dictum eſt, Ædilitiam habentes poteſtatem ex S. C. purpura, ſellâ eburneâ & aliis Regum inſignibus ornati ſunt.* Verùm, quantum ſuſpicari licet, de Ædilibus non curulibus, ſed plebeiis loquitur, quibus Senatus non tempore toto Ædilitatis, ſed tantùm ad ſacrificia & ludos prætextam, ſellam curulem, & alia Regum ornamenta conceſſerat. nam centeſimo circiter & vigeſimo pòſt anno Ædiles curules creati ſunt, ad quos curæ & adminiſtratio ludorum transfuſa eſt: nec mirum Ædiles plebeios cùm ludis præeſſent prætextam habuiſſe, ſi quidem conſtat non modò magiſtratus, ſed etiam priuatos, cùm ludis præſiderent ſolitos fuiſſe in purpura præſidere. vnde in Piſoniana obiicit Cicero, quod *Sextum Clodium qui nunquam antea prætextatus fuiſſet* (ſcriba enim erat, nec vllum geſſerat magiſtratum) *ludos facere, & prætextatum volitare permiſerit.*

Ædilitas plebeia & curulis.

AXIOMA.

Inuidus aliorum felicitate diſrumpitur.

ARGVMENTVM.

Hæret in eodem argumento, & per collationem tam cum eiuſdem collegis modeſtißimis viris, quàm furioſißimis quibuſque Tribunis plebis qui Rempub. ſuis legibus diuexare conati ſunt, oſtendit Vatinij ſingularem audaciam.

XVII. Volo vti mihi reſpondeas, num qui ex toto collegio legem ſit auſus ferre præter vnum te? quæ tanta in te fuit audacia: quæ tanta vis: vt, cùm tui nouem collegæ ſibi timendum eſſe duxerint, id vnus tu, emerſus è cœno, omnium facilè omnibus rebus infimus, contemnendum, deſpiciendum, irridendum putares? num quem poſt vrbem conditam ſcias Tribunum pl. egiſſe cum plebe, cùm conſtaret ſeruatum eſſe de cœlo?

EXPLANATIO.

Legem sit avsvs ferre.] Non auſi ſunt tui collegæ agere cum populo, legéſque ferre, cùm illis obnuntiares te ſeruaſſe de cœlo, tu ipſis de cœlo ſeruantibus & obnuntiantibus tuliſti leges quaſcunque voluiſti.

Cvm tvi collegæ.] Meritò legendum (quod tui collegæ) cenſet Goueanus. *aliter ſi legas illud id quod ſequitur, quo referri poßit non habebit.*

Sibi timendvm esse dvxerint.] Illud collegas tuos à ferendis legibus abſterrebat, quod quotidie de cœlo ſeruari agnoſcerent, tu negligebas.

Emersvs e coeno.] *Ex ſummis & fortunæ & vitæ ſordibus.* factus Tribunusplebis quod in Bruto Tullius ait de ipſius Vatinij Conſulatu. quaſi diceret, quod pro Sextio §.134. de eiuſdem Vatinij temeritate dicit: *In quo eius temeritatem ſatis mirari, Iudices, non queo. facit apertißimè contra legem: facit is qui neque elabi ex iudicio iucunditate ſua: neque emitti gratia poteſt: neque opibus & potentia leges ac iudicia perfringere.*

NOTÆ.

I. AVSVS.] Germanus Valens & Ludouicus Lacerda, vterque Virgilij interpres doctiſſimus à Græco *αὔσω*, id eſt, audeo, præteritum *auſus* deducunt. id è Suida depromptum eſt, quamuis illi nullam auctoris faciant mentionem.
Audere. Αὔσοντες οἱ βασιλεῖς παρὰ τὸ αὔσω τὸ τολμῶ, οἱ πάντα ἐπιτολμῶντες τῷ πράγματι. *Reges dicuntur αὔσοντες à verbo αὔσω, id eſt, audeo, quod nihil imperio non audeant.*

II. Audentia. Audacia. QVÆ TANTA IN TE FVERIT AVDACIA.] *Audentia & audacia hoc differunt* (teſte Nonnio Marcello cap. 5.) *quòd audentia fortitudinis ſit, audacia temeritatis. Vt Saluſtius audacia pro muro habetur.* Quæ (ab auidè, id eſt, cupidè agendo dicta eſt) vt ait Feſtus Pompeius. alij tamen audaciam notant reperiri pro virtute quidem, ſed quam infelix euentus conſequatur, de cuiuſmodi virtute infelice Brutus apud Dionem libro 47. quaſi ipſa virtus non eſſet pretium ſibi conqueſtus eſt. Ἀπογνοὺς μὲν τὴν σωτηρίαν, ἀπαξιώσας δὲ τὴν ἅλωσιν, ἐς τὸν θάνατον καὶ αὐτὸς κατέφυγε, καὶ ἀναβοήσας τοῦτο δὴ τὸ Ἡράκλειον, ὦ τλῆμον ἀρετὴ λόγος ἄρ' ἦσθα ἄλλως, ἐγὼ δέ σε ὡς ἔργον ἤσκουν· σὺ δ' ἄρ' ἐδούλευες τύχῃ παρεκάλεσέ τινα τῶν συνόντων ἵνα αὐτὸν ἀποκτείνῃ. *Spe ſalutis abiectâ, recuſans in hoſtium manus deuenire, ad mortem & ipſe confugit, & cùm in hanc Herculeam vocem erupiſſet, O infœlix virtus, nihil igitur eras præter nugas, ego verò te vt rem ſeriam exercebam, tu verò fortunæ ſeruiebas, aliquem è præſentibus vt ſe interficeret, hortatus eſt.* Virtutem huiuſmodi infelicem Virgilius audaciam nominaret, vt de Turno 10. Æneidos:

Irim de cœlo miſit Saturnia Iuno
Audacem ad Turnum.

Et de Pallante libro 8.

-Audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat.--

Quorum vterque in ipſo flore virtutes & ætatis occiſus eſt.

III. Vis. Violentia. QVÆ TANTA VIS.] Quæret aliquis cur vim in Vatinio reprehendat qui violentiam in Iulio Cæſare laudauerit: cùm tam vis quàm violentia ad vincendi ſtudium, & impetum quemdam animi pertinere videatur. Ea mihi videtur eſſe inter vim & violentiam, quæ inter pertinaciam & peruicaciam diſtinctio. Peruicacia enim eſt interdum bonarum rerum perſeuerantia, pertinacia ſemper malarum Accius Myrmidonibus:

Tu pertinaciam eſſe Archilœche hanc prædicas Pertinacia.
Ego peruicaciam aio & me vti volo. Peruicacia.
Nam peruicacem dicis me eſſe & vincere
Perfacilè patior, pertinacem nil moror.
Hæc fortes ſequitur, illam indocti poßident
Tu addis quod vitio eſt, demis quod laudi datur.

Eſt igitur violentia impetus quidam animi ad aggrediendum & peruicacia ad perficiendum ea quæ cum animi robore & virtute ſuſceperis. vis verò animi eſt impetus animi ad mala, & pertinacia in iis, quæ cum audaciâ & temeritate aggreſſus fueris. Virgilius 1. Æneidos:

Non ea vis animo, nec tanta ſuperbia victis.

EMERSVS E COENO.] Lucretius lib. 2. IV.

Noctes atque dies niti præſtante labore.
Ad ſummas emergere opes rerúmque potiri. Emergere.

Infra §. 23. *Qui in eo magiſtratu non modò emerſeris ex mendicitate, ſed etiam diuitiis nos iam tuis terreas.*

CONTEMNENDVM.] Hæc eſt gradatio V. quam etiam alij locis vſurpat. Nam vt ait Nonnius Marcellus: *Contemnere & deſpicere eo diſtant,* Contemnere. Deſpicere. *quod eſt deſpicere grauius quàm contemnere.* M. Tullius in Verrem act. 3. *Quémque contempſerit, deſpexerit, liberum eſſe nunquam duxerit.* Idem ad Cæſarem lib. 3. *Amici nonnulli te contemni ac deſpici, ac pro nihilo haberi Senatus voluit.* Et de Senectute: *Contemni ſe putant, deſpici, illudi.* Infra 38. *Si hæc omnia contemnis ac deſpicis.* Oratione in C. Antonium, & Catilinam competitores: *Hanc tu habes dignitatem qua fretus me contemnis & deſpicis?*

AXIOMA.

Magna eſt illius audacia, qui quod cæteri ſibi timendum eſſe duxerint, ipſe vnus emerſus è cœno, omnium facilè omnibus rebus infimus, contemnendum, deſpiciendum, irridendum putat.

ARGVMENTVM.

Inſectatur Vatinium, quòd in legibus ferendis nullam legis Æliæ & Fuſiæ ſiue Fuſiæ, de auſpiciis, de obnunciatione & interceßione, de diebus comitialibus habuerit rationem.

XVIII. SIMVL etiam illud volo vti reſpondeas, cùm, te Tribuno pleb. eſſet etiam tum in Repub. lex Ælia, & Fuſia: quæ leges ſæpenumero Tribunitios furores debilitarunt, & repreſſerunt, quas contra, præter te, nemo vnquam eſt facere conatus, quæ quidem leges anno pòſt, ſedentibus in templo duobus, non Conſulibus, ſed proditoribus huius ciuitatis, ac peſtibus, vnà cum auſpiciis, cum interceſſionibus, cum omni iure publico conflagrauerunt: ecquando dubitaris contra eas leges cum plebe agere, & conſilium conuocare? nunquam ex omnibus Tribunis plebis quicunque ſeditioſi fuerint, tam audacem audieris fuiſſe, vt vnquam contra legem Æliam, aut Fuſiam conſilium conuocaret?

EXPLANATIO.

SIMVL.] Vide quàm acriter inuehatur. 1. à laude legis violatæ. 2. à ſingularitate facinoris, quia nullum exemplum præceſſerat. 3. à conſequenti, quia exemplum præbuit Clodio, vt anno ſequenti eas leges funditus euerteret.

ESSET ETIAM TVM IN REPVBL. LEX ÆLIA ET FVSIA.] Cùm nondum P. Clodius leges Æliam & Fuſiam ſua rogatione ſuſtuliſſet.

TRIBVNITIOS FVRORES DEBILITARVNT.] Cùm ſæpenumero Tribuni plebis ſeditioſas leges ferre voluiſſent, ſecundum leges Æliam & Fuſiam concilium dimittere cæterorum magiſtratuum obnuntiatione compulſi ſunt.

ANNO POST.] Piſone & Gabinio Coſſ.

SEDENTIBVS.] alij legunt præſidentibus. Sedentibus autem in templo idem eſt, atque inſpectantibus è templo Caſtoris. pro Sextio §. 33. *Iiſdem Conſ. ſedentibus, atque inſpectantibus lata lex eſt ne auſpicia valerent, ne quis obnuntiaret, ne quis legi intercederet. vt omnibus feſtis diebus legem ferri liceret, vt lex Ælia, lex Fuſia ne valeret.*

NON CONSVLIBVS.] Qui nomine Conſulum indigni ſunt, cùm nec conſuluerint Patriæ, nec ſupremam legem duodecim tabularum ſibi præſcriptam ſeruauerint. *Regia poteſtate Coſſ. duo ſunto, ollis ſalus populi ſuprema lex eſto.*

SED PRODITORIBVS.] pro Sext. §. 24. *Fœdus fecerunt cum Tribunoplebis palam, vt ab eo Prouincias acciperent, quas ipſi vellent: exercitum & pecuniam, quantam vellent, ea lege ſi ipſi priùs Tribunoplebis afflictam & conſtrictam Rempub. tradidiſſent.*

CVM AVSPICIIS.] Quæ auſpicia per rogationem Clodiam magna ex parte ſublata ſunt. legem enim tulit ne quis magiſtratuum eo die ſeruaret de cœlo, quo die cum populo ageretur.

CVM INTERCESSIONIBVS.] Interceſſiones eadem lege ſublatæ ſunt. tulit enim *Ne quis legi intercederet.*

CONCILIVM CONVOCARE.] Partem plebis ad comitia conuocare.

CONTRA LEGEM ÆLIAM ET FVSIAM.] Qui in concilio conuocando nec auſpiciorum obnuntiationúmque, contra legem Æliam, nec dierum comitialium contra legem Fuſiam, rationem vllam haberent.

NOTÆ.

1. LEGEM ÆLIAM ET FVSIAM.] Vide Sextianam 34. 56. & alibi paſſim, vt de Prouinciis Conſularibus 46. *Vobis ſtatuendum eſt legem Æliam manere, legem Fuſiam non eſſe abrogatam, non omnibus faſtis legem ferri licere, de cœlo ſeruari, obnuntiari, intercedi licere.*

SÆPENVMERO.] Id eſt, valdè ſæpè, vt nimis numero apud Turpilium à Nonnio citatum: II.

Nunquam nimis numerò quenquam vidi facere quod facto eſt opus.

Quid ſit autem *numerò* oſtendit Varro in Catone, ſiue de liberis educandis. *Vt qui contra celeriter erant nati ferè Numerios prænominabant, quod qui citò facturum quid ſe oſtendere volebat, dicebat numero id fore. Quòd etiam in partu precabantur Numeriæ, quam Deam ſolent indigetare etiam Pontifices.* Accius Antigonâ: *Ne iſtum numerò amittas, ſubitò oblatum.* Rurſum Varro περὶ ἀγωγῆς. *Diſcedens numerò venire ait adoleſcentem.* Alias adfert auctoritates Nonnius, ſed miſerè lancinatas, nec ego Æſculapius qui ſanare coner, cùm præſertim iſta ſufficiant. Quomodo autem leges Ælia & Fuſia Tribunitios furores ſæpenumero repreſſerint, impedieríntque ne rerum multitudine turbarent Rempub. quámque periculoſa ſit legum multitudo, videre poteris §. 55. Sextianæ, & §. 10. Piſon. Numerò,

SEDENTIBVS.] Pro Sextio 34. *Iiſdem Conſulibus ſedentibus atque inſpectantibus.* In Piſonem 10. *An poteſt vlla eſſe excuſatio non dicam malè ſentienti, ſed ſedenti, cunctanti, dormienti in maximo Reipubl. motu Conſuli?* Vide Notas. multa etiam collegit Lælius Biſciola noſter in hanc ſententiam. Sed non eſt quod hîc moremur. III. Sedere.

IN TEMPLO.] Vide ſupra §. 5. vbi diximus templa eſſe non ſolùm ædes ſacras, ſed etiam quemuis locum ab auguribus conſecratum. IV.

PRODITORIBVS.] Piſonem & Gabinium frequenter proditores appellat, vt pro Sextio 17. *Proditores veſtræ dignitatis.* 33. *proditoris Reipub.* in Piſonem 24. *Qui latrones igitur ſiquidem vos Conſules, qui prædones, qui hoſtes, qui proditores, qui tyranni nominabuntur?* Vide. V. Proditores.

CVM PLEBE.] Tribunusplebis non vniuerſum populum, ſed plebem duntaxat potuit conuocare. Vide dicta ſuperiùs §. 5. notâ 5. ex A. Gellio. Feſtus *concilium* deducit *à concalando*, id eſt, conuocando. Qui autem faſti dies fuerint pro Sextio 34. iam oſtendimus, & *occidit miſeros crambe repetita.* VI.

AXIOMATA.

Leges quæ legum multitudinem prohibebant, ſæpenumerò Tribunitios furores debilitarunt, & repreſſerunt.

Non ſunt Conſules, ſed proditores, qui pernicioſas leges rogari permittunt.

ARGVMENTVM.

Hactenus oſtendit temeritatem & audaciam Vatinij, qui auſpicia neglexerit; nunc eiuſdem impudentiam inſectatur, qui cùm eſſet contemptor omnium religionnm & auſpiciorum, nihilominùs tamen auguratum loco Quinti Metelli Celeris in eiuſdem Vatinij Tribunatu demortui, obtinere contenderit.

XIX. QVÆRO illud etiam ex te, conatúſne ſis, volueríſne, denique cogitaris (eſt enim res eiuſmodi, vt, ſi tibi modò in mentem venit, nemo ſit, qui te vllo cruciatu eſſe indignum putet) cogitaríſne, in illo tuo intolerabili, non regno (nam cupis id audire) ſed latrocinio, augur fieri in Qu. Metelli locum? vt quicunque te adſpexiſſet, duplicem dolorem, gemitúmque ſuſciperet, & ex deſiderio clariſsimi, & fortiſsimi ciuis, & ex honore turpiſsimi, atque improbiſsimi? Adeóne non labefactam Rempub. te Tribuno, neque conquaſſatam ciuitatem, ſed captam hanc vrbem, atque euerſam putares, vt augurem Vatinium ferre poſſemus?

EXPLANATIO.

QVÆRO ILLVD ETIAM EX TE.] Libet hîc pedem figere &, vt aiunt, à tergo reſpectare ſuperiora, vt quàm benè cohæreat oratio, ſuíſque, vt ita dicam, commiſſuris apta ſit, liquidiùs videatur. Sex ſuperioribus paragraphis Vatinij impietatem carpſit, quòd auſpicia in Tribunatu contempſerit. iecit §. 14. inſectationis ſuæ fundamentum, à rei indignitate, quod Vatinius, barbaris, prophanis, nefariis religionibus implicatus, tamen Romanorum auſpicia violaret. §. 15. occurrit obiectioni, oſtenditque cauſæ nihil eſſe cur Vatinius, tanto inferior & indignior, flagitia ſua Cæſaris auctoritate defenderet: quod ſummæ fuit impudentiæ, id videlicet quod in clariſſimo viro tolerari potuit, ſibi indigniſſimo arrogare. §. 16. rei indignitatem auget, ex eo quod Vatinius, qui Conſulis auctoritatem ſuis ſceleribus prætexit, ſic à ſuis collegis diſſenſit in Tribunatu, vt ne eorum quidem ſe poſſit auctoritate defendere, tandem, vt eius audaciam atrociorem fuiſſe demonſtret. Nullum ex tot ſeditioſis Tribunisplebis, eo prouectum fuiſſe amentiæ dicit, vt auſpicia legibus ſtabilita pro nihilo haberet, vt Vatinius. Denique quo nihil fingi poteſt atrocius, non ſolùm ſuperſtitioſus, religiones neglexit, non ſolùm infimus & emerſus è cœno Conſuli ſe adæquat, non ſolùm Tribunus eſt ſuis collegis audacior, non ſolùm omnes improbitate ſuperat: quotquot vnquam ſeditioſi Tribuni plebis extiterunt, ſed etiam cùm auſpicia, cùm religiones, cùm magiſtratus, cùm interceſſiones neglexerit, & augurattui per ſummam impudentiam illuſerit, eò progreditur, vt auguratum quaſi ſuis virtutibus debitum velit exhiberi.

CONATVSNE SIS, VOLVERISNE, DENIQVE COGITARIS.] Aduerte duplicem modum quo magis creſcat, & quaſi ſenſim aſſurgat oratio. aliquando enim ſic verba inter ſe comparantur, vt grauiora poſtremo ponantur. vt ſuperiore §. *Contemnendum, deſpiciendum, irridendum.* Aliquando verò ſecus, ita tamen vt non minus orationi grauitatis accedat, vt hoc loco compertum eſt. exemplo res oſtenditur, ineptus fuerit qui ſic loquatur. *Tanta fuiſti improbitate vt patrem occideris, vulneraris, omni conuitiorum atrocitate perſtrinxeris.* Sic enim languebit oratio niſi ordinem verborum ſic mutaris. *Tanta fuiſti improbitate vt patrem omni conuitiorum atrocitate perſtrinxeris, vulneraris, occideris.* Quòd ſi per eam figuram, quam Rhetores Conceſſionem appellant, voles rem exequi, plurimum accedet orationi dignitatis hoc modo. *Tanta fuiſti improbitate vt Patrem non dicam occideris, non vulneraris, ſed vel leuiſſimo verbo perſtrinxeris.* Sic enim fit neſcio quomodo, vt quo magis verba decreſcunt, tanto plus accipiat oratio dignitatis. hoc autem loco quædam videtur eſſe oratoris conceſſio, quaſi dicat: Non petam à te conatúſne ſis auguratum adipiſci. hoc enim incredibile quibuſdam videretur, non an volueris, ſed an ſaltem cogitaris, &c.

NON REGNO, NAM CVPIS ILLVD AVDIRE.] Non inuidiæ augendæ cauſa dicam te non Tribunum plebis, ſed Regem fuiſſe, oppreſſa libertate populi Romani. nam vſque adeo vecors es & impudens, vt hanc Regis appellationem honori tibi ducas & gloriæ, quaſi regnaueris in Tribunatu.

ILLO TVO LATROCINIO.] In illo tuo Tribunatu quo ærarium exhauſiſti, & ex ſummâ mendicitate ad ſummas diuitias emerſiſti.

AVGVR FIERI IN QV. METELLI LOCVM.] Quinto Metello Celeri defuncto in auguratu ſuccedere, cùm tamen augures adeo contemneres, vt initio Tribunatus tui Senatuì denuntiares tuis actionibus Augurum reſponſa, atque eius collegij arrogantiam impedimento non futuram.

EX DESIDERIO CLARISSIMI ET FORTISSIMI CIVIS.] Quinti Metelli Celeris, qui *tertio die poſtquam in curia, in roſtris, in Repub. floruiſſet, integerrimâ ætate, optimo habitu, maximis viribus ereptus eſt indigniſſimè bonis omnibus, atque vniuerſe ciuitati.* pro Cælio §. 59 veneno, vt credebatur Publij Clodij appetitus,

ideóque Romani eum tanquam violentâ morte præreptum maiori & luctu, & deſiderio ſunt proſecuti.

AVGVREM VATINIVM.] Hominem teterrimum, qui viro ſanctiſſimo in auguratu ſuccederet.

NOTÆ.

I. COGITARIS.] Maximam virtutis & vitij partem in animo & cogitatione conſiſtere, tum alij luculentis rationibus probarunt, tum inter cæteros Tertullianus de prouidentiâ: *Neque enim*, inquit, *ſi mediocritas humana factis ſolùm iudicat, quia voluntatis latebris par non eſt, idcirco crimina eius etiam ſub Deo negligamus, Deus in omnia ſufficit. nihil à conſpectu eius remotum vnde omnino delinquitur.* deinde: *adeo quod prohibetur adminiſtrare, ſatis periculosè animus ſibi repræſentat, & temerè per voluntatem expungit effectum. Cuius voluntatis cùm vis tanta ſit, cur non ſolatium ſui ſaturans* (adimplens quantum in ipſo eſt) *pro facto cedat? pro facto ergo plectetur. Vaniſſimum eſt dicere volui, nec tamen feci. atquin perficere debes, quia vis: aut nec velle, quia nec perficis. ſed ipſe conſcientiæ tuæ confeßione pronuntias. nam ſi bonum concupiſceres, perficere geſtiſſes: porro ſicut malum non perficis, nec concupiſcere debueras*, &c. At non ſolùm deſiderium, ſed vel ipſa cogitatio ſceleris damnatur. Auguſtinus lib. 12. de Trinitate cap. 12. habet etiam pulcherrima. Sed hæc ſatis de Chriſtianis, de quorum ſententiâ dubitabit nemo Chriſtianus. Nam & eadem ſenſere gentiles, iniuſtitiam eo eſſe grauiorem quo denſioribus animæ latebris obtegatur. Sic Plato cùm 2. de Republicâ Gygis fabellam inducens addidiſſet: Ἐσχάτη ἀδικία δοκεῖν δίκαιον εἶναι μὴ ὄντα. δοτέον οὖν τῷ τελέως ἀδίκῳ τὴν τελεωτάτην ἀδικίαν, καὶ οὐκ ἀφαιρετέον, ἀλλ' ἐατέον τὰ μέγιστα ἀδικοῦντα τὴν μεγίστην δόξαν αὐτῷ παρεσκευακέναι εἰς δικαιοσύνην. *Extrema iniuſtitia eſt cùm non ſis, iuſtum videri. danda igitur ei perfectiſſima iniuſtitia qui perfectiſſimè iniuſtus, nec id ipſi eripiendum, ſed id concedendum vt cùm maximè fuerit iniuſtus, maximam iuſtitiæ gloriam conſequatur.* Tandem, ad quod tota diſputatio collineat libro decimo ſic concludit de iuſtitia, quæ in anima requiritur. Ποιητέον αὐτῇ (τῇ ψυχῇ) τὰ δίκαια ἐάν τ' ἔχῃ τὸν Γύγου δακτύλιον, ἐάν τε μή, καὶ πρὸς τοιούτῳ δακτυλίῳ τὴν ἄϊδος κυνῆν. *Sic igitur ſe gerere debet anima, vt iuſtitiam exerceat, ſiue Gygis annulum habuerit, ſiue non, ſiue præter iſtum annulum etiam galeâ Plutonis obtegatur.* Ab huius interioris iuſtitiæ neceſſitate manauit illa Socratis precatio extremis pene verbis Phædri: Ὦ φίλε, Πάν τε καὶ ἄλλοι ὅσοι τῇδε θεοὶ δοίητέ μοι καλῷ γενέσθαι τἄνδοθεν, τἄξωθεν δ' ὅσα ἔχω τοῖς ἐντὸς εἶναί μοι φίλια· πλούσιον δὲ νομίζοιμι καὶ σοφόν. τὸ δὲ χρυσοῦ πλῆθος εἴη μοι ὅσον μήτε φέρειν, μήτε ἄγειν δύναιτο ἄλλος ἢ ὁ σώφρων. *O Chare Pan, vóſque cæteri Dij quicunque hanc terram incolitis, concedite mihi vt ſim famoſus quoad interna, & quæcunque extrinſecus habeo, intrinſecis ſint amica: diuitem autem ſapientem ſolùm exiſtimem. Tantùm verò mihi ſit auri, quantum nec ferre, nec ducere queat alius niſi vir temperans.* Quanquam ne illi quidem mentis arcana Deum rimari dubitabant: vt ea nos etiam cogitatio ad colendam iuſtitiam excitaret. Laërtius in Thalete: Ἠρώτησέ τις αὐτὸν εἰ λήθει θεοὺς ἄνθρωπος ἀδικῶν, ἀλλ' οὐδὲ διανοούμενος ἔφη. *Rogabat eum neſcio quis Deúſne iniuſta facientem agnoſceret, ſubiecit, atqui ne cogitans quidem, fugit Deum.* Meliùs quàm Piſthetærus ille apud Ariſtophanem in auibus, nubibus interiectis homines nec audiri dicit, nec videri Deorum numina peierantes:

Νῦν μὲν γ' ὑπὸ ταῖς νεφέλαισιν κεκρυμμένοι
Κύψαντες ἐπιορκοῦσιν ὑμᾶς οἱ βροτοί.
Nunc quidem ſub nubibus abſconditi
Capite demiſſo vos peierant mortales.

Adeo vt Dij ad detegenda hominum ſcelera auibus adiutricibus indigerent.

Ἐὰν δὲ τοὺς ὄρνις ἔχητε συμμάχους
Ὅταν ὀμνύῃ τις τὸν κόρακα καὶ τὸν Δία
Ὁ κόραξ παρελθὼν τοῦ ἐπιορκοῦντος λάθρα
Προσπετάμενος ἐκκόψει τὸν ὀφθαλμὸν θενών.
Si verò aues habueritis adiutrices
Quando iurauerit quis coruum & Iouem,
Coruus accedens ad periurum clam
Aduolans effodiet oculum.

Sed vt hæc taceam, maximam partem ſceleris in animo reſidere teſtatur illud Iuuenalis Sat. 13.

Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat vllū
Facti crimen habet.

Sapienter etiam Plutarchus eo perículoſiora dicit animæ vulnera quo interiora fuerint, minúſq. foras eruperint. Sic enim ille opuſculo: Πῶς ἄν τις αἴσθοιτο ἑαυτοῦ προκόπτοντος ἐπ' ἀρετῇ. *Qui imperfectiones.* Ὥσπερ ἕλκη περιστέλλων καὶ ἀποκρύπτων οὐδένα θιγεῖν, οὐδὲ προσιδεῖν ἐᾷ δεδιὼς τὸν ἔλεγχον, ὀλίγον αὐτῷ προκοπῆς μέτεστι, μᾶλλον δέ, οὐθέν. *Vt vlcera faſciæ circundans & occultans, neminem eas patitur aut tangere aut videre, metu reprehenſionis, is parum omnino in virtute profecit, aut, vt veriùs dicam, nihil.* Addamus & vnum in alterum è Chriſtianis Baſilium homilia in illa verba, *Attende tibi.* Καὶ πού τις τῶν σοβαρῶν καὶ κατεσχηματισμένων ἐπὶ σεμνότητι πλάσμα σωφροσύνης ἔξωθεν περικείμενος, ἐν μέσοις καθεζόμενος, πολλάκις τοῖς ἐπ' ἀρετῇ αὐτὸν μακαρίζουσιν, ἀπέδραμε τῇ διανοίᾳ πρὸς τὸν τῆς ἁμαρτίας τόπον ἐν τῷ ἀφανεῖ τῆς καρδίας κινήματι. εἶδε τῇ φαντασίᾳ τὰ σπουδαζόμενα, ἀνετυπώσατό τινα ὁμιλίαν οὐκ εὐπρεπῆ, καὶ ὅλως ἐν τῷ κρυφίῳ τῆς καρδίας ἐργασηρίῳ ἐναργῆ ἐν ἑαυτῷ τὴν ἡδονὴν ζωγραφήσας, ἀμάρτυρον ἔσω τὴν ἁμαρτίαν εἰργάσατο, &c. *Et fieri poteſt vt quis eorum magno cum faſtu ſupercilia corrugans ad temperantiæ ſpeciem ſe ita componens, in medio conſeſſu eorum à quibus beatus virtutis ergo prædicatur, is interno cordis motu ad peccati ſedem ſola cogitatione decurrat. Imaginatione ſpectauit ea quibus deditus eſt, cuiuſdam indecori congreſſus ſpeciem effinxit, & plane in abſconditâ cordis officinâ claram in ſe ipſo voluptatem ſuis coloribus expreſſit, & ſine teſte peccatum intus in animo perpetrauit.* Et ſapienter monet D. Eucherius in epiſt. parænetica ad Valerianum. *Et iam in ſecretis tuis, quod velis hominem neſcire ne feceris: quod Deum, ne cogitaueris.*

AVGVR FIERI IN QVINTI METELLI LOCVM.] Neſcio quid difficultatis hîc ineſſe putat Goueanus, quam hactenus nemo potuerit euoluere. II. Hæc enim de Qu. Metello Nepote intelligit: *Qui cùm auguratum petere cogitaret, miſſus cum aliqua vel curatione, vel poteſtate à Senatu ſit: vel* (quod ipſe magis putat) *vrbem reliquerit, Cæſaris, Pompeij, Craßique odio.* ídque confirmat illo loco epiſtolæ ad Atticum: *Et quoniam Nepos proficiſcitur, cuinam auguratus deferatur.* quo in loco (inquit Goueanus) *ſi profi-*

ciſcitur pro moritur poſitum eſt, quidam volunt Vatinium Auguratum petiiſſe in Quinti Metelli demortui locum, dicemus: quod mihi non placet, cùm de eo aliquot epiſtolis pòſt. vt de viuo ſcribat Cicero. Hæc ille. Sed pace viri docti dixerim, multa ſunt quæ perſuadeant hæc Q. Metello Nepoti minus conuenire. Nam primo ſi Quintus hic Metellus non fuiſſet Augur, ſed augu atum petere tantummodo cogitaſſet, minùs aptè Vatinius augur fieri in Metelli locum, ſed potiùs loco Metelli diceretur: nam in locum alterius fit augur qui alteri in auguratu ſucceſſerit: loco alterius, qui pro altero quaſi ad ſupplendam vicem hanc dignitatem fuerit conſecutus. Deinde ſi Nepos tantùm ex vrbe diſceſſerat, quid fuit cauſæ cur tantum ſui deſiderium, tantos Populi Romani gemitus concitaret? Adde quod cauſæ nihil fuit cur ab vrbe diſcederet odio Pompeij, apud quem plurimùm gratiâ valuiſſe Nepotem luculentus eſt teſtis Plutarchus in Catone Vticenſi. deinde cùm idem Nepos anno poſt Tribunatum Vatinij fuerit candidatus, Conſulatúmque petierit, deinde Conſul fuerit cum Lentulo Spintere, dici non poteſt abfuiſſe tamdiu, vt in vrbe ſui deſiderium commoueret. Quòd ſi Nepotem Augurem fuiſſe dicamus (vt ex loco Ciceronis allato dicendum eſt) luce clarius erit eum non fuiſſe Quintum Metellum Nepotem, cui Vatinius voluerit ſubſtitui: neque enim fas erat cuiquam in Auguris viuentis Sacerdotium ſuccedere. Plutarchus in Romanis, problemate 59. Διὰ τί τῶν ἄλλων ἱερέων τὸν καταδικασθέντα ϗ φεύγοντα παύοντες ἕτερον αἱροῦνται, τὸν δ' Αὐγούρα ἕως ζῇ, κἂν ἐπὶ τοῖς μεγίστοις ἀδικήμασι καταγνῶσιν, οὐκ ἀφαιροῦνται τὴν ἱερωσύνην, *Cur ex aliis Sacerdotibus, ei qui damnatus aut in exilium eiectus eſt, ſacerdotium abdicare iuſſo alium ſubſtituunt, Augurem verò quamdiu vixerit, quantumuis eum magnis criminibus damnauerint, ſacerdotio non priuant?* Iam igitur vt ſubductis rationibus ſummam faciamus explicationis noſtræ hic locus de Qu. Metello Nepote nequit intelligi. (Nam

Augures ſacerdotium nō amittebant.

eum ſuperſtitem fuiſſe conſtat) vt agi potuerit de augure in eius demortui locum ſubrogando. nec ex vrbe profectus eſt, vt ſacerdotium amitteret, nec ſi tãtùm petitionem auguratus omiſiſſet, Vatinius factus Augur in eius locum Latinè & propriè diceretur. Quanquam ex verbis Ciceronis in medium prolatis, ſuſpicor Q. Metellum Nepotem, ipſo fortaſſe Vatinij Tribunatu, cùm iam eſſet Augur, in morbum incidiſſe, & plurimos, quaſi iam de eius vita conclamatum eſſet, vel ſermonibus priuatis, vel publicè inter ſe quæſiiſſe. Quiſnam ei defuncto in auguratu ſuccederet. *proficiſcitur* enim, idem eſt more Græcorum atque ἀποίχεται, moritur, extinguitur. Vel Quintum Metellum Celerem hîc intelligit ex Cœliana §. 59. vide epiſtolam 5. lib. 2. ad Atticum.

VT AVGVREM VATINIVM FERRE POSSEMVS.] Non, vt volunt quidam, ideò tolerari non potuit, auguratus Vatinij, quòd non eſſet ſtirpis patritiæ, quales eſſe debebant augures illâ lege duodecim tabularum *Auſpicia Patrum ſunt.* nam & Antonius, & ipſe Metellus Nepos, vt conſtat ex eorum Tribunatu, fuerunt ſtirpis plebeiæ, nam anno vrbis Conditæ CDLIII. communicatus eſt plebeiis auguratus. *Inter augures* (inquit Liuius lib. 10.) *Conſtat imparem numerum debere eſſe, vt tres antiquæ tribus Ramnenſes, Titienſes, Luceres ſuum quæque augurem habeant, aut ſi pluribus ſit opus, pari inter ſe numero Sacerdotes multiplicent. ſicut multiplicati ſunt cùm ad quatuor quinque (tum primùm ex plebeiis) adiecti, nouem numerum, vt terni in ſingulas eſſent, expleuerunt.* III.

Augures etiã è plebeiis.

AXIOMATA.

Quædam ſcelera ſunt eiuſmodi, vt eum cui venerint in mentem, nemo ſit qui vllo cruciatu indignum putet.

Duplex dolor gen̄ti úſque ſuſcipitur, & ex deſiderio bonorum, & ex honore improborum.

ARGVMENTVM.

Nulla iam acceſſio videbatur fieri poſſe ad audaciam impudentiámque Vatinij, tamen egregius amplificandi artifex, oſtendit quid eum, ſi modo augur fuiſſet, facere decuiſſet. neque enim quicquam reſtabat, niſi vt augur auſpicia diſſolueret, conuelleretque, qui augurum reſponſa ſic in Tribunatu deſpexerat, vt Ioue fulgente, obnuntiantibus collegis, legem ferre non dubitaret.

XX. HOC loco quæro, ſi id, quod concupieras, augur factus eſſes: in qua tua cogitatione nos, qui te oderamus, vix dolorem ferebamus: illi autem, quibus eras in deliciis, vix riſum tenebant: ſed quæro, ſi ad certa vulnera, quibus putaſti Rempub. deleri, hanc quoque mortiferam plagam inflixiſſes auguratus tui, vtrum decreturus fueris id, quod augures omnes vſque à Romulo decreuerunt, Ioue fulgente, cum populo agi nefas eſſe, an quia tu ſemper ſic egiſſes, auſpicia fueris augur diſſoluturus?

EXPLANATIO.

ILLI AVTEM QVIBVS ERAS IN DELITIIS.] Hic ſpei quam Vatinius de auguratu conceperat, veſaniam oſtendit, ex eo quod ne Cæſar quidem & Pompeius, qui illi fauere videbantur, à riſu ſe poſſent abſtinere, cùm eum viderent eo prouectum eſſe dementiæ, vt augura-

tum, cui tanto impar erat, ſperare non vereretur. Erat autem in delitiis Cæſari & Pompeio, quòd ij ad diuidendum agrum Campanum eius Tribunitiis actionibus, & legibus contra auſpicia promulgatis vterentur.

Vsque a Romvlo.] Bene à Romulo auſpiciorum ducit exordia, cùm auſpicia fuerint à Romulo iis deditiſſimo vel inſtituta, vel ſaltem ad poſteros propagata.

Iove fvlgente.] Audito tonitru nefas eſſe populum diutius vel ad ſanciendam legem, vel ſtatuendum de bello, vel ad creandos magiſtratus in comitio detinere.

An qvia tv semper sic fecisses.] Quia toto Tribunatu tuo auſpicia contempſiſſet.

Avspicia fveris avgvr dissolvtvrvs.] Vide quomodo ſceleris atrocitatem exaggeret. Non ſatis fuit quod Tribunus plebis auſpicia neglexerit, quod idem ſibi, quod Cæſari licere voluerit, quod leges tulerit ſolus è collegio, quod auſpiciis neglectis augur fieri cogitarit, ſed etiam quo nihil poteſt eſſe indignius, vt atrocior eſſet iniuria, voluit augur eſſe vt auſpicia, vt obnuntiationes, vt omnes religiones extingueret.

NOTÆ.

I. IN delitiis.] Quod tunc temporis Vatinius Cæſari & Pompeio fuerit in delitiis, & eorum gratia auguratum obtinere ſperauerit, compertum eſt ex epiſtola ad Atticum, cuius eſt initium: *Subitò cùm mihi*, his verbis, *proinde iſti licet, quos volent Conſules, Tribunos plebis, deinde etiam Vatinij Strumam Sacerdotij dibapho veſtiant. videbis breui tempore*, &c.

Iove fvlgente.] Iouem pro cœlo ſumi notum eſt lippis & tonſoribus, vt declarat illud Ennianum: II.

Aſpice hoc ſublime candens quem inuocant omnes Iouem.

Noſter 2. de diuinatione: *Nónne perſpicuum eſt ex prima admiratione hominum, quod tonitrua iactúſque fulminum extimuiſſent, credidiſſe ea efficere rerum omnium præpotentem Iouem? itaque in noſtris commentariis ſcriptum habebimus* Iove tonante fvlgvrante *Comitia populi habere nefas.* quam vulgi opinionem verſibus ſanè luculentis ridet Lucretius lib. 6. vt inter cætera:

Denique cur nunquam cœlo iacit vndique puro
Iupiter in terra fulmen ſonitúſque profundit?
An ſimul ac nubes ſucceſſere, ipſe in eas tum
Deſcendit prope vt hinc teli determinet ictum?
&c.

AXIOMA.

Ioue fulgente cum populo agi nefas.

ARGVMENTVM.

Prætermiſſis illis quæ Vatinius per ſummam improbitatem & impudentiam in auguratu ſuo facere cogitarat, ad maiora ſcelera delabitur, ac primùm in eo reprehendit quod Tribunus plebis Marcum Bibulum Conſulem moderatiſſimum collegæ Cæſaris actionibus reſiſtentem, in carcerem & vincula facto ponte, continuatis Tribunalibus impegerit.

AC ne diutiùs loquar de auguratu tuo, quòd inuitus facio, vt recorder ruinas Reipub. (neque enim tu vnquam, ſtante non modò maieſtate horum, ſed etiam vrbe, te augurem fore putaſti) verùm tamen, vt ſomnia tua relinquam, ad ſcelera veniam, volo vti mihi reſpondeas: cùm Marcum Bibulum Conſulem, non dicam bene de Repub. ſentientem, ne tu mihi homo potens iraſcare, qui ab eo diſſenſiſti: ſed hominem certè nuſquam progredientem, nihil in Repub. molientem, tantùm animo ab actionibus tuis diſſentientem: cùm eum tu Conſulem in vincula duceres, & à tabula Valeria collegæ tui mitti iuberent: fecerísne ante Roſtra pontem, continuatis Tribunalibus per quem Conſul populi Romani moderatiſſimus, & conſtantiſſimus, ſublato auxilio, excluſis amicis, vi perditorum hominum incitata, turpiſſimè, miſerrimóque ſpectaculo, non in carcerem, ſed ad ſupplicium, & ad necem duceretur? XXI.

EXPLANATIO.

AC ne divtivs loqvar.] De auguratu plura non dicit, quod vt ait ipſa tantæ impudentiæ recordatio mentem bonorum exulceret, quod niſi Vatinius penitus oppreſſam putaſſet ciuitatem, nunquam id cogitaſſet.

Maiestate horvm.] Vel amplitudine Populi Romani, vel Iudicum auctoritate, qua maximè Reipublicæ dignitas continetur.

Vt somnia tva relinqvam.] Tranſitio, qua à ſomniis, id eſt, de vana ſpe, quam quaſi per ſomnium auguratus adipiſcendi conceperat, ad diriora ſcelera delabitur.

Bene de Repvb. sentientem.] Omnibus, vt Conſulem decet, Reipublicæ commodis Conſulentem, nihil ſpectantem aliud

quàm vt Reſpublica cum dignitate otium obtineret.

Ne tv mihi homo potens iraſcare.] Ne tu mihi, qui tuis diuitiis maximè nocere potes, ſoléſque nos potentia tua terrere, ſuccenſeas. Eſt autem hic oratoria diſſimulatio. non enim orator tam metuit Vatinium quàm Cæſarem & Pompeium irritare, qui à M. Bibulo diſſenſerant.

Nvsqvam progredientem.] Facete, vt notat Manutius, nam cùm laudare videatur Bibuli modeſtiam, quòd in contentione nuſquam moderationis limites tranſilierit, notat illud tempus, cùm per vim foro pulſus, armorum metu domi ſe tenuit.

Animo a tvis actionibvs diſſentientem.] Qui domi abditus nihil aliud quàm per edicta obnuntiabat.

In vincvla.] in carcerem εἰς δεσμωτήριον Bibulum Conſulem traheres.

Et a tabvla Valeria.] Cùm cæteri Tribuni plebis ex illo loco fori ſic nominato iuberent te Bibulum dimittere.

Svblato avxilio.] An ita pontem conſtruxeris, materia ſuperiniecta de Tribunali in Tribunal, vt continuarentur inter ſe Tribunalia, quo ponte Conſulem in vincla duceres, & an feceris hunc pontem tantæ altitudinis, vt nec Tribuni plebis ad auxiliandum, nec amici ad conſolandum poſſent accedere.

Miserrimóqve spectacvlo.] Ante oculos Ciuium Romanorum, qui ſe miſerrima ſeruitute oppreſſos ingemerent, cùm aduerterent ſe Conſuli ſuo ſubuenire non poſſe, qui ipſis videntibus ducebatur in vincula, vt paulò pòſt ei ceruix in carcere frangeretur.

NOTÆ.

1. Somnia.] Notum eſt illud Ariſtotelis, qui, vt ait in eius vitâ Diogenes Laërtius: Ἐρωτηθεὶς τί ἐστιν ἐλπίς; ἐγρηγορότος, εἶπεν, ἐνύπνιον. *Rogatus quid ſit ſpes? ſomnium, inquit, vigilantis.* quam in ſententiam operæpretium fuerit ex Syneſio de inſomniis quædam excerpere. Καὶ γὰρ ὅσα ἐλπίδες αἳ τὸν ἀνθρώπων βόσκουσι γένος, ὀρέγουσι χρηστά τε καὶ μείλιχα, καὶ ὅσα φόβος ἔχει περιφανῆ τε καὶ ὀνήσιμα πάντα τοῖς ὀνείροις ἔνι, καὶ ὑπ' οὐδενὸς οὕτως ἐπὶ πλεῖον ἀναπειθόμεθα. id eſt, Petauio Noſtro Interprete. *Quicquid enim ſpes qua hominum genus alitur, iucundum ac ſuaue proponit, quicquid in metu ineſt cautum, atque vtile id omne in inſomniis reperitur, nec ab vlla re æque in ſpem inducimur.* paulò pòſt rationem innuit cur ſpes ſomnio ſimilis eſſe cenſeatur. Αἱ δὲ (ἐλπίδες) τοσαύτην ἔχουσι τὴν ἰσχύν, ὥστε ὁ δεδεμένος ἐν πέδαις, ὅταν ἐφῇ τῷ βουλομένῳ τῆς γνώμης ἐλπίσαι, καὶ λέλυται, καὶ στρατεύεται, καὶ αὐτίκα λοχαγεῖ, καὶ κατὰ μικρὸν λοχαγὸς, ἔπειτα στρατηγὸς, καὶ νικᾷ, καὶ θύει, καὶ στεφανηφορεῖ, καὶ παρατίθεται τράπεζαν, εἰ μὲν βούλοιτο, Σικελικήν, εἰ δὲ βούλοιτο Μηδικήν. καὶ μή τοι τοῖν ποδοῖν ἐπιλήσμων ἐστὶν, ἕως εἶναι βούλεται στρατηγός. καί τοι πᾶν τοῦτο ὕπαρ ἐστὶν ὀνειρώττοντος καὶ ἐγρηγορότος ἐνύπνιον. περὶ γὰρ ταυτὸ ἐνύπνιον ἄμφω συνίστανται τὴν φανταστικὴν φύσιν, ἣν ὅταν μὲν ἡμεῖς εἰδωλοποιεῖν ἐθελήσωμεν, ἓν τοῦτο περιέχεται χρήσιμον ἐπιλειβει τὸν βίον ἡμῶν εὐθυμία, καὶ κολακεύουσα τὴν ψυχὴν ταῖς σπλαγχνιδίαις ἐλπίσιν ἀναλαμβάνει τῶν δυσχερῶν τῆς αἰσθήσεως. ὅταν δ' αὐτεπίτακτος ἡμῖν ἐλπίδα προβάλληται (τοῦτο δὲ γίνεται καθευδόντων) ἐνέχυρον ἔχομεν τὸ θεοῦ τὴν τῶν ὕπνων ὑπόσχεσιν. *Atque hæc (ſpes) tanta vi prædita eſt vt qui compedibus vinctus attinetur, ſimul atque geſtienti animo ſperare permiſerit, è veſtigio ſoluatur & militet, & dimidiæ centuriæ Præfectus ſit, & paulatim Centurio, inde Imperator euadat: tum vincat, ſacrificet, coronetur, menſam apponat eámque, ſi libeat, Siculam, aut, ſi malit, Perſicam: interim pedum & vinculorum obliuiſcitur, quamdiu Imperator eſſe vult, atque illud omne vera eſt ſomniantis viſio, & vigilantis inſomnium: in eandem enim rem ſubiectam concurrunt, phantaſiæ ſcilicet naturam, quam quidem quoties ſimulachra fingere volumus, vnum illud emolumentum affert. quod vitam noſtram hilaritate perfundat. & animam vagâ & inconſtanti, ſpe deliniens, ab moleſtiarum ſenſu reficiat ac recreet. Cùm autem ſuapte ſponte ſpem nobis aliquam proponit (quod quidem dormientibus euenit) ſomniorum promiſsionem tanquam aliquod à Deo pignus accipimus.* Niſi verò quiſquam exiſtimet minùs ſomniaſſe vigilantem illum Libonem, qui vt ait Seneca epiſt. 70. maiora ſperabat, *quàm aut illo ſeculo quiſquam ſperare poterat, aut ipſe vllo*, & ſpe tot diuitias poſſidebat, vt auctore Tacito ſecundo annalium, *prolati ſint libelli, vecordes adeò, vt conſultauerit Libo an habiturus foret opes, queis viam Appiam Brunduſium vſque pecuniâ operiret.* Niſi, inquam, hunc Libonem minùs ſomniaſſe quis exiſtimat, quàm aut illum Micyllum Luciani in Gallo, qui ſomnians ex mendicitate ad ſummas opes emerſerat, aut illum de quo libro 4. Lucretius: Libonis fatuitas.

Flumen item ſitiens, aut fontem propter amœnum
Adſidet: & totum propè faucibus occupat amnē.
Fuſi ſæpe lacum propter, ſe, ac dolia curta
Somno deuincti credunt extollere veſtem
Totius humorem ſaccatum vt corpori fundant
Cùm Babylonica magnifico ſplendore niteſcunt.

Adderem hoc loco viros diuitiarum, ſi liceret profanis ſacra coniungere. Theocriti eidyllio 21. Piſcator quidam:

-Καὶ γὰρ ἐν ὕπνοις verſu 44.
Πᾶσα κύων ἄρτους μαντεύεται, ἰχθύα κἠγών.
Item:
Ἐλπὶς τῶν ὕπνων βαθεῖ τὸν σάρκινον ἰχθύν. 66.
Μὴ σὺ θάνῃς λιμῷ καί τοι χρυσοῖσιν ὀνείροις.
-Etenim in ſomnis
Omnis canis panes inquirit, & ego piſces.
Item:
Spes ſomniorum quærit pinguem piſcem.
Item:
Ne tu fame moriaris, quamuis in ſomniis aureis.

Lucianus oratione qui περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων inſcribitur. Τάλαντα καὶ μυριάδας ὀνειροπολήσας. *Cùm talenta & myriades ſomniaris.* Et paulò pòſt: Ἠρέμα οὖν, ὥσπερ ἐν ἀμυδρῷ τῷ φωτὶ τότε πρῶτον διαβλέπων, ἄρχῃ κατανοεῖν, ὡς αἱ μὲν χρυσαῖ ἐκεῖναι ἐλπίδες, οὐδὲν ἄλλο, ἢ φῦσαί τινες ἦσαν ἐπίχρυσοι. *Senſim igitur tanquam in obſcurâ & dubiâ luce tunc primùm reſpiciens noſſe incipit ſpes illas aureas aliud eſſe nihil quàm folles auratos.* Syneſius loco citato ad hanc ſpem ſomniorum, verſus Pindari de diuitiis dictos à Pindaro, vt bene notauit Nicephorus Gregoras, traducit, quæ à Platone 1. de Repub. bonæ conſcientiæ tribuuntur. ſic igitur Syneſius, Ὥστε ἣν ὑμνεῖ τὴν ἐλπίδα ὁ Πίνδαρος περὶ ἀνδρὸς λέγων εὐδαίμονος, ὅτι ἄρα αὐτῷ (γλυκεῖα καρδίαν ἀτάλλοισα κουροτρόφος συναορεῖ ἐλπὶς, ἃ

Spes inanis ſomnium.

μάλιϛα θνατῶν πλύϛροτον γνώμαν κυβερνᾷ.) φαίει τις αὖ οὐ περὶ τῆς ὕπαρ λέγεϑαι τῆς ἀπατηλῆς, ἣν ἡμεῖς ἑαυτοῖς διαπλάττομεν. ἀλλ' ὅλον τοῦτο μικροῦ μέρους ἐνυπνίων ἔπαινος εἶναι τῷ Πινδάρῳ. *Quamobrem quæ à Pindaro celebratur ſpes, cùm ita de fœlici homine loquitur (quod ipſi iucunda cor permulcens, Iuuenum altrix coniuncta ſit ſpes, quæ maximè mortalium verſatilem animum gubernat) meritò quiſpiam negarit de eâ quæ vigilantibus accidit, fallaci atque irritâ quam nobis ipſis effingimus. Sed vniuerſum hoc exiguæ partis inſomniorum præconium à Pindaro commemoratum eſt.* Nec mirum: magna eſt enim ſomnij & ſpei coniunctio, & quemadmodum

-qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt,

ita, vt Cæſar auctor eſt lib. 2. de bello Gallico, *ferè libenter homines id quod volunt credunt.* Nicephorus Conſtantinopolitanus in hiſtoriæ ſuæ cōpendio: Χοσρόης δ' ἐπὶ ἔγνω, ὡς Σαΐτος Ἡρακλείῳ, ὡς βασιλέα, οὐδέ τε καὶ τετίμηκεν, ἀλλ' οὐ δεσμώτην ἐλθὼν ὡς αὐτὸν ἤγαγεν. εἰς τοῦτο γὰρ αὐτῷ τὰ τῆς ἐλπίδος ὀνειροπολεῖτο καὶ ἔκειτο. μεγάλα τ' ἐπ' αὐτῷ ἠγανάκτει, καὶ τέλος εἰς ἀσκὸν αὐτῷ ἀπέδει τὴν δοράν. *Choſroes vt audiuit Saitum Heraclio honorem regium detuliſſe, neque eum in vinclis ad ſe duxiſſe (huc enim vſque ſua ſpes vanè ſomniantem adduxerat) nimiùm quantùm indignatione exarſit, & tandem cutem ei detraxit ad vtrem ex ea faciendum.* Themiſtius oratione 6. Ὀνειροπολεῖν τέχνης ἐπαίνους ἣν οὐκ ἤσκησεν. *Ex ea arte quam non exercuerit laudem velut per ſomnium deſpondere.* Demoſthenes in Philippum 1. Ἐγὼ δ' οἶμαι μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, νὴ τοὺς Θεοὺς ἐκεῖνον μεθύειν τῷ μεγέθει τῶν πεπραγμένων, καὶ πολλὰ τοιαῦτα ὀνειροπολεῖν ἐν τῇ γνώμῃ. ὀνειροπολεῖν. *Ego enim, ô ciues, exiſtimo eum rerum geſtarum magnitudine ebrium. multa huiuſmodi animo ſomniare.* Sed omnium vt fuſiſſimè ita pulcherrimè Baſilius homiliâ, in illud, *Attende tibi,* Μὴ τὸ μὲν ἡδὺ παρὸν διὰ ῥᾳθυμίας παρίεσο, τῶν δὲ μήτ' ὄντων μητ' ἐσομένων τυχεῖν, ὡς ἐν χερσὶν ὄντων τὴν ἀπόλαυσιν ὑποτίθεσο· ἢ οὐχὶ φύσει ὑπάρχει τὸ ἀρρώστημα τοῦτο τοῖς νέοις, κουφότητι γνώμης ἔχειν ἤδη νομίζειν τὰ ἐλπιζόμενα. ὅταν γάρ ποτε ἐρημίας λάβωνται ἢ ἡσυχίας νυκτερινῆς, ἀναπλάττουσι ἑαυτοῖς φαντασίας ἀνυποστάτους, &c. *Ne præſentem voluptatem per ſegnitiem dimitte, nec earum quæ nec ſunt, nec erunt fortaſſe tanquam præſentium fruitionem tibi propone. nunquid non natura ineſt hic morbus iuuenibus, vt animi leuitate, quæ ſperant habere videantur. cùm enim aut ſolitudinem, aut nocturnam quietem inuenerint, tunc imaginationes quaſdam ſine fundamento ſibi effingunt.* Enumeratiſque multis quæ ſibi quaſi per ſomnium pollicentur, ſubdit: Προστιθέασι τούτοις βοσκήματα, οἰκετῶν πλῆθος ἀριθμοῦ ὑπερβαῖνον, ἀρχὰς πολιτικὰς, ἡγεμονίας ἐθνῶν, στρατηγίας, πολέμους, τρόπαια, βασιλείαν αὐτήν. ταῦτα πάντα τοῖς διακένοις τῆς διανοίας ἀναπλασμοῖς ἐπελθόντες, ὑπὸ τῆς ἄγαν ἀνοίας ἀπολαύειν δοκοῦσι τῶν ἐλπιζομένων, ὡς ἤδη παρόντων, καὶ ἐν ποσὶ κειμένων αὐτοῖς· ἴδιον ἀρρώστημα τοῦτο ἀργῆς καὶ ῥᾳθύμου ψυχῆς, ἐνύπνια βλέπειν, ἐγρηγορότος τοῦ σώματος. *Addunt his pecudum greges, innumerabilem ſeruorum multitudinem, vrbanos magiſtratus, prouinciarum adminiſtrationes, imperia, bella, trophæa, imperium ipſum. Hæc omnia cum futilibus cogitationis ſuæ figmentis percurrerint, incredibili quadam ſtultitiâ iis quæ ſperant frui iam ſeſe arbitrantur, tanquam iam præſentia ſint, & in manibus habeantur, qui peculiaris morbus eſt otioſæ & pigræ mentis ſomnia videre corpore vigilante.* Vide Dionem Chryſoſtomum de ſeceſſu, vbi fusè deſcribit quàm multa plerique animo verſent. Ἐγρηγορότες τε, καὶ ὁρῶντες ὀνείρατα ποικίλα καὶ παντοδαπὰ πλάττοντες αὐτοῖς. *Vigilantes, videntéſque varia ſomnia & omnimoda ſibi fingentes.* Porro quàm ſæpè ſomnia mortales ad ſpem erexerint, videbis ex quamplurimis auctoribus apud Tertullianum lib. de animâ cap. de inſomniis. vbi & fusè naturam aperit ſomniorum. quæ nec à Syneſij mente ſunt aliena: *Cùm quies corporibus euenit, quorum ſolatium proprium eſt, vacans illa (anima) à ſolatio alieno non quieſcit, & ſi caret opera membrorum corporalium ſuis vtitur* (animam enim corporatam putauit) *concipe gladiatorem ſine armis, vel aurigam ſine curriculis, geſticulantes omnem habitum artis ſuæ atque conatum: pugnatur, certatur, ſed vacua iactatio eſt, nihilominus tamen fieri videntur, quæ fieri tamen non videntur: actu enim fiunt, affectu* (an effectu) *verò non fiunt.* Quomodo fiant ſomnia.

II. NE TV MIHI HOMO POTENS IRASCARE.] Non ſolùm oportet ex Pythagorico præcepto πῦρ σιδήρῳ μὴ σκαλεύειν, *ignem ferro non fodere*, id eſt, vt explicat Plutarchus de inſtitutione pueri, μὴ ἐρεθίζειν θυμουμένους, *iratum non magis & magis concitare.* Sed etiam prudentia eſt ſuiſque rationibus prouidentia, potentem, qui facilè vlciſci poſſit iniuriam ad iram non accendere. qua de re plura non dicam quàm illud ex Dione Caſſio libro 58. ex quo conſtet, & quàm fugienda ſit potentiorum offenſio, & quàm hæc potentia celeriter euaneſcat. Ὁ γοῦν Μάριος ὁ Σέξτος ἐκεῖνος ὁ φίλος αὐτοῦ, καὶ διὰ τοῦτο καὶ πλουτήσας καὶ δυνηθεὶς τοσοῦτον, ὥστε ἐπὶ γείτονί τινι ὀργισθεὶς, δειπνίσας τ' αὐτὸν ἐπὶ δύ' ἡμέρας, καὶ τῇ μὲν προτεραίᾳ τὴν ἔπαυλιν αὐτοῦ πᾶσαν κατασκάψαι, τῇ δ' ὑστεραίᾳ ἐπί τε τὸ μεῖζον καὶ ἐπὶ τὸ λαμπρότερον αὐτὴν ἀνοικοδομῆσαι, ἀγνοοῦντί τε αὐτῷ τοὺς ταῦτα πεποιηκότας ἑκάτερον ὁμολογῆσαι καὶ προσεπιδείξαντα εἰπεῖν, ὅτι οὕτω καὶ ἀμύνεσθαί τινα καὶ ἀνταμείβεσθαι, καὶ οἶδα, καὶ δύναμαι, τὴν θυγατέρα εὐπρεπῆ οὖσαν ὑπεκπέμψας ποι, ἵνα μὴ ὁ Τιβέριος αὐτὴν αἰσχύνῃ αἰτίαν ἔσχεν ὡς συνὼν οἱ, καὶ διὰ τοῦτο καὶ συναπώλετο. *Sextus ille Marius amicus Tiberij, & eam ob cauſam ad tantas diuitias & potentiam euectus, vt vicino in quem aliquâ de cauſâ exarſerat, per biduum epulis excepto, cum priore die eiuſdem villam diruiſſet, poſteriore maiorem & magnificentiorem excitaſſet ignoranti, deinde quinam id moliti fuiſſent, vtrumque confeſſus, digito in villam intento. ita ſe & remunerare, & vlciſci, & noſſe, & poſſe ſubiecerit, hic inquam Sextus Marius, cùm filiam quam habebat venuſtam clam aliquo ſubmiſiſſet, ne quid eius pudor à Tiberio detrimenti caperet, accuſatus inceſti, quaſi cum illâ rem haberet, cùm eadem morte mulctatus eſt.* Hæc ille, quibus etſi

-Sententia ſeſe
Impediat verbis laſſas onerantibus aures:

malui tamen ὑφερμηνεύειν, in verſione quàm tantiſper ab auctoris ſententiâ diſcrepare. Iam ſi prudentiſſimus quiſque cauendam eorum offenſionem ſemper putauit, qui ad principum familiaritatem euecti,

-Numeroſa parabant
Excelſæ turris tabulata, vnde altior eſſet
Caſus & impulſæ præceps immane ruinæ.

Quis eos ſanæ mentis exiſtimet, qui Deum ipſum non verentur offendere, dum impuris ſuis cupiditatibus obſecundent? Præclarè Pſal. quodam S. Auguſtinus, *Timeat Dominum omnis ter-*

ra, non timeat alterum pro illo: ab ipſo commoueantur omnes qui inhabitant orbem terræ. Fera ſæuit: Deum time. Serpens inſidiatur: Deum time. Homo te odit: Deum time. Diabolus te impugnat: Deum time. Tota enim creatura ſub illo eſt, quem iuberis timere.

XXI. A TABVLA VALERIA COLLEGÆ TVI MITTI IVBERENT.] Tabulam Valeriam fuiſſe locum in foro, ſic nominatum cum Goueano cæteriſque interpretibus, dixi. id ex Epiſtola 2. lib. 14. ad familiares videtur eſſe compertum: *Nam ad me Pub. Valerius homo officioſus ſcripſit id, quod ego maximo cum fletu legi, quemadmodum à Veſta ad tabulam Valeriam ducta eſſes.* Turnebus lib. 21. Quæ eſt tabula Valeria? Valerius interpres erat, ſéque hominum negotiis pactíſque & conuentis interponebat, idem Græcis qui Romam publicè veniebant, operam interpres dabat, cùm eis niſi Latinè loqui in Senatum non liceret, is vt argentarij tabulam in foro habebat. *Sic tabula Sextia Sextij argentarij nominatur pro Quintio.* Vix tamen illis aſſentior, qui id moris fuiſſe dicunt, vt quos non vinculis coërcere, ſed ignominia tantùm carceris afficere magiſtratus volebat, ad tabulam vſque Valeriam duci iuberet. nam primùm niſi Collegæ mitti iuſſiſſent, Vatinius Bibulum in carcerem ducere decreuerat. Deinde nemo dixerit Collegas, præſertim nonnullos cum Bibulo ſentientes, eum ignominiæ causâ ad tabulam vſque Valeriam duci permiſiſſe. Sic igitur exiſtimo Valerij Publicolæ leges, in æs inciſas certo in loco fori Romani fuiſſe poſitas, eámque fuiſſe rationem cur eo maximo loco eos mitti iuberent Tribuniplebis qui in carcerem ducerentur. ſolitos autem fuiſſe Tribunos plebis, eos qui in vincula raperentur mitti iubere, ſexcentis exemplis compertum eſt. Sit ſatis iſtud ex Plutarcho in Cæſare: Κάτωνα ἐπιχειρήσαντα ἀντιλέγειν ἀπῆγεν εἰς φυλακὴν ὁ Καῖσαρ, οἰόμενος αὐτὸν ἐπικαλέσεσθαι τοὺς δημάρχους, ἐκείνου δ' ἀφώνου βαδίζοντος, &c. αὐτὸς ἐδεήθη κρύφα τῶν δημάρχων ἑνός, ἀφελέσθαι τὸν Κάτωνα. *Catonem contra dicere conantem in vincla Cæſar abduxit, ratus eum Tribunosplebis imploraturum, cúmque ille ſilentio ſequeretur, clam ipſe rogauit Tribunorum plebis aliquem, vt Catonem mitti iuberet.* De Tiberio Graccho Patre qui Scipionem in vincla duci prohibuit, vide orationem de prouinciis Conſularibus §. 21.

AXIOMATA.

Spes inanes ſunt vigilantium ſomnia.
Cauendum ne potentes iraſcantur.

ARGVMENTVM.

Variis circunſtantiis Vatinij factum exaggerat, ita tamen vt diligenter caueat Iulium Cæſarem, totius vt hiſtorici teſtantur, ſeditionis auctorem offendere. in eóque potiſſimum inſiſtit, quod Conſulem è ſuis tectis voluerit extrahere.

XXII. QVÆRO, nùm quis ante te tam fuerit nefarius, qui id fecerit? vt ſciamus, vtrum veterum facinorum ſis imitator, an inuentor nouorum. Idémque tu cum his, atque huiuſmodi conſiliis, ac facinoribus, nomine C. Cæſaris, clementiſſimi, atque optimi viri, ſcelere verò, atque audacia tua, M. Bibulum foro, curia, templis, locis publicis omnibus expuliſſes, incluſum domi contineres, cúmque non maieſtate imperij, non iure legum, ſed ianuæ præſidio, & parietum cuſtodiis, Conſulis vita tegeretur: miſeríſne viatorem, qui M. Bibulum domo vi extraheret, vt quod in priuatis ſemper eſt ſeruatum, id, te Tribun. pleb. Conſuli domus exſilium eſſe non poſſet?

EXPLANATIO.

VT liquidius fiat virilem & neruoſam eſſe Ciceronis eloquentiam, non vt aliqui calumniantur, elumbem, languidam, & quæ præter inanem verborum volubilitatem habeat nihil, libet hanc ſuperiorem ſectionem in partes & membra diſcerpere. Sic enim conſtabit, non potuiſſe plures circunſtantias ad augendum Vatinij ſcelus, verbis paucioribus comprehendi. Primò igitur ſceleris atrocitatem exaggerat à perſonis: quòd Marcum Bibulum in vincla duxerit, & mente tantùm diſſentientem, & Conſulem, & conſtantiſſimum moderatiſſimúmque Conſulem, quòd Tribunus plebis iniuriam fecerit Conſuli, qui vel ab infimo ciue propulſare debebat iniuriam. A re ipſa, quòd non in carcerem, ſed ad ſupplicium & ad necem ducere voluerit, quòd foro, curiâ, templis domum compulerit, quòd extrahere è ſuis tectis conatus ſit, quòd rem à nemine adhuc tentatam fecerit. A loco. in foro, ad tabulam Valeriam libertatis vindicem, ante roſtra, domi continuerit, domo extrahere voluerit, &c. in conſpectu populi Romani, &c. Ab auxiliis. vi perditorum hominum incitata, auctoritatem Cæſaris ſuo ſceleri prætexens, ipſis Iudicum Tribunalibus vtens tanquam inſtrumentis, quibus rem iniuſtiſſimam perpetraret. A modo. ſublato auxilio, excluſis amicis, turpiſſimè, miſerrimè, ſummâ Vatinij audaciâ, &c. quas cæteráſque facti circunſtantias, qui diligenter inſpexerit, is videbit profecto nihil eſſe ſuperfluum, nihil redundans, nihil quod ſine orationis iacturâ detrahi poſſit, nihil quod non ſummopere Vatinij ſcelus & temeritatem exaggeret.

NVM QVIS ANTE TE.] Hinc crimen auget quòd hactenus fuerit inauditum. licet enim nonnulli iam ante Tribuniplebis Conſulibus manum iniecerint, nemo tamen tam fuit nefarius, vt ad eos in vincla ducendos Iudicum ipſiúſque iu-

ſtitiæ Tribunalibus ad iniuſtitiam patrandam vteretur.

NOMINE CAII CÆSARIS.] Alia circunſtantia quâ Vatinij crimen amplificat. quod ſcilicet ſuis ſceleribus Cæſaris auctoritatem prætexens, viri clementiſſimi famæ crudelitatis notam inuſſerit.

MISERISNE VIATOREM.] Miſeríſne ſeruum publicum qui Conſulem priuatis ſe parietibus continentem iuſſerit in publicum procedere.

TE TRIBVNO PLEBIS.] Qui magiſtratus ideò fuit inſtitutus, vt etiam ab infimis quibuſque, nedum à Conſule, vim omnem & iniuriam prohiberet.

QVOD IN PRIVATIS SEMPER EST SERVATVM.] Ne vi domo extraherentur, ſed liceret illis impunè ſe priuatis parietibus cõtinere.

DOMVS EXILIVM ESSE NON POSSET.] Ne conceſſum quidem eſſet Conſuli, vt tanquã exul careret foro, careret ſenatu, careret ciuium conſortio.

NOTÆ.

I. QVIS ANTE TE FVERIT.] Multos fuiſſe Tribunos plebis ante Vatinium, qui Conſules in vincla duxerint, tum ex aliis, tum ex ipſo Cicerone compertum eſt. Cic. 3. de legibus. *Quinquennio ante Dec. Brutum & P. Scipionem Conſules (quos & quantos viros?) homo omnium infimus & ſordidiſsimus Tribunus plebis P. Curiatus in vincula coniecit, quod antè factum non erat.* Epitome Liuiana lib. 8. dec. quintæ. *Lucius Licinius Lucullus, Aulus Poſthumius Albinus Coſſ. cùm delectum ſeuerè agerent, nec quemquam gratiâ dimitterent à Tribunis plebis, qui pro amicis ſuis vacationem impetrare non potuerunt, in carcerem coniecti ſunt.* Sic apud Dionem lib. 37. ſub finem. L. Flauius Tribunus plebis cùm legem tuliſſet de Agris exercitui Pompeiano viritim diuidendis, Quintum Metellum Celerem Coſ. legi repugnantem in vincla compegit, quam rem etſi fuſiùs narratam tamen operæpretium fuerit in medium proferre. Ἐπεὶ γὰρ ὁ Μέτελλος αὐτῷ πάνυ ἐπεξῆλθε, ὥστε καὶ ἐς τὸ οἴκημα ὑπ' αὐτοῦ (τοῦ δημάρχου) ἐμβληθῆναι, καὶ τὴν γερουσίαν ἐνταῦθα ἀθροῖσαι ἠθελήσαι. ἐκεῖνος (Λούκιος δὲ δὴ Φλαούιος ὠνομάζετο) τό τε βάθρον τὸ δημαρχικὸν ἐν αὐτῇ τῇ εἰσόδῳ αὐτοῦ ἔθηκε, καὶ ἐπ' αὐτοῦ καθεζόμενος ἐμποδὼν, ὥστε μηδένα εἰσιέναι ἐγίγνετο. τόν τε τοῖχον τοῦ δεσμωτηρίου διακοπῆναι ἐκέλευσεν, ὅπως δι' αὐτοῦ ἡ βουλὴ ἐσέλθῃ, καὶ ὡς νυκτερεύσων κατὰ χώραν παρεσκευάζετο. μαθὼν οὖν τοῦτο ὁ Πομπήϊος, καὶ αἰσχυνθείς τε ἅμα καὶ δείσας μὴ καὶ ὁ δῆμος ἀγανακτήσῃ, προσέταξε τῷ Φλαουίῳ ἀπαναστῆναι. *Metellus tantâ contentione id impugnauit, vt ab eo in carcerem duceretur, & illuc Senatum vellet conuocare. tum L. Flauius (id enim ei Tribuno nomen erat) & ſellam tribunitiam ad ingreſſum carceris collocauit, & in ea conſidens impedimento fuit, ne quis accederet. Metellus verò & murum carceris dirui iuſsit, vt per eum Senatus introiret, & ſe, tanquam in carcere pernoctaturus eſſet comparauit. Pompeius igitur his compertis, ſimul pudore ſuffuſus, ſimul indignationem populi veritus, Flauio iuſsit, vt inde diſcederet.* Sic enim verti contra interpretem, partim quòd nulla fuerit ratio cur Flauius murum carceris dirui iuberet, partim quòd ipſa ſcriptoris verba id exigere videantur. E quibus & quanta fuerit Tribunorum plebis in Conſules etiam ipſos auctoritas, & quanta Metelli Celeris conſtantia poteſt intelligi: ſimúlque mentem Ciceronis nõ eſſe vt neget ante Vatinium Coſſ. à Trib. pleb. in carcerem fuiſſe coniectos, ſed potiùs vt affirmet neminem fuiſſe tam nefarium, qui à Collegis prohibitus non obtemperârit, nec eos quos in vincla ducebat Tribunorum interceſſione dimiſerit. Eſt enim, vt ait Appianus I. ciuilium, παρὰ Ῥωμαίοις ὁ κωλύειν (lege ὁ κωλύων) δυνατώτερος, *apud Romanos qui intercedit, maioris auctoritatis*, aut qui Tribunalibus iuſtitiæ cauſiſque deſtinatis viam ſibi & pontem ad iniuſtas actiones conſtrauerit. Cæterùm etiam alij poſt Vatinium Conſules in Carcerem conijcere cònati ſunt, vt de M. Craſſo expeditionem in Perſas moliente tradit Dio Caſſius lib. 39. ἐπεχείρησε μὲν ὁ Ἀτήϊος ἐς τὸ δεσμωτήριον αὐτὸν ἐμβαλεῖν. *Eum Ateius in vincla ducere conatus eſt.* Verùm hæc Tribunitia poteſtas, &c. in Conſulem fueritne è repub. alterius eſt loci inquirere. Hunc tamen morem fluxiſſe è Spartanis exiſtimo. Thucydides lib. primo de Pauſania Rege. ἐς μὲν τὴν εἱρκτὴν ἐσπίπτει τὸ πρῶτον ὑπὸ τῶν ἐφόρων. ἔξεστι δὲ τοῖς ἐφόροις βασιλέα δρᾶσαι τοῦτο. *Primum ab Ephoris in carcerem incluſus eſt. hæc enim Ephoris in Regem poteſtas permittitur.* Hinc autem corriges Dionem lib. 38. ἐπεχείρησε μὲν αὐτὸν ἐπὶ τούτοις Πούβλιός τις Ἀτήϊος δήμαρχος ἐς τὸ οἴκημα καταθέσθαι. corriges inquam & leges Πούβλιός τις Οὐατίνιος.

Conſules in carcerem ducti à Trib.

Interceſſio Tribunitia.

II. VTRVM VETERVM FACINORVM SIS IMITATOR AN INVENTOR NOVORVM.] Plus eſt inuentorem eſſe ſceleris, quàm imitatorem. vnde & ab Ænea infenſiſſimus Troianis vocatur, 2. Æneidos dirus

--*ſcelerúmque inuentor Vlyſſes.*

Inferius §. 36. *Quis legatos vnquam audiuit, ſine Senatus Conſulto? ante te nemo. poſt continuò fecit idem in duobus prodigiis reip. Clodius: quo etiam maiore es malo mactandus, quòd non ſolùm facto tuo, ſed etiam exemplo rempub. vulneraſti: neque tantùm es improbus ipſe, ſed etiam alios docere voluiſti.* Et verè, nam vt ait Pindarus Ode 13. Olympiad.

--ἅπαν δ' εὑρόντος ἔργον.

Omne autem opus eſt eius qui inuenit.

Inuentor ſcelerum.

III. CÆSARIS CLEMENTISSIMI ATQVE OPTIMI VIRI.] Pro Sextio §. 132. *Qui C. Cæſarem mitem hominem, & à cæde abhorrentem ſæpe increpuit*, &c. De eius clementia non eſt quod plura dicamus, nam vt cæteros omittam Velleius Paterculus lib. 2. de pugnâ Pharſalicâ loquens. *Nihil illâ victoriâ mirabilius, magnificentius, clarius fuit: quando neminem niſi acie conſumptum ciuem patria deſiderauit: ſed munus miſericordiæ corrupit pertinacia, cùm libentiùs vitam victor iam daret, quam victi acciperent.* Plinius lib. 7. cap. 25. de eodem loquens. *Captis apud Pharſaliam Pompeij ſcriniis epiſtolarum, iterúmque apud Thapſum Scipionis, concremauit optima fide, neque legit.* Attamen hic clemens Gallorum vndecies centena millia confecit, & vt ait Hirtius in ſupplemento belli Gallici Vxelloduno capto, *omnibus qui arma tulerant manus præcidit, vitámque conceſsit, quo teſtatior eſſet pœna improborum.* Sed de his ſatis.

Cæſaris clementia.

IV. VIATOREM.] Cicero in Catone Maiore. *à villâ arceſſebantur in Senatum Curij, & cæteri ſenes, ex quo qui eos arceſſebant Viatores ſunt nominati.* Et Plinius lib. 18. cap. 3. cum rationem inquirens, cur ſegetes olim fœliciùs prouenirent, dixiſſet. *Quænam tanta vbertatis cauſa erat? ipſorum tunc manibus imperatorum colebantur agri,*

Viatores.

gaudente terrâ vomere laureato & triũphali aratore,&c. Subiecit eos fuiſſe *Viatores, qui ex agro ad Senatum euocabãt.* De his Feſtus Pompeius, *Viatores appellantur, qui magiſtratibus apparent, eo quia initio omnium tribuum, cùm agri in propinquo erant vrbis, atque aſsiduè homines ruſticabantur, crebrior opera eorum erat in via, quam vrbe, quòd ex agris plerumque homines vocabantur à magiſtratibus, & frequens eorum erat ab agris ad vrbem via.* aduerte vocem *apparent*, ex qua & apparitorum nomen ſortiti ſunt.

V. Domus cuiq; refugium.

Domo vi extraheret.] Extrahi quemquam domo fas non fuiſſe multa declarant, D. ſi quis ius dicenti Caius. *plerique putauerunt nullum de domo ſua in ius vocari licere: quia domus cuique refugium atque receptaculum ſit: eúmque qui inde in ius vocaret, vim inferre videri.* Paulus eodem titulo. *Sed etſi is qui domi eſt, interdum vocari in ius poteſt: tamen de domo ſua nemo extrahi debet.* Et Vlpianus D. de Damno infecto,&c.l.4. *Prætor ait dum ei qui aberit, priùs domum denuntiari iubeam, abeſſe autem videtur, & qui in iure non eſt quod & Pomponius probat. Verecundè autem Prætorem denuntiari iubere, non extrahi de domo ſua*, &c. Quare meritò Tullius, §. ſequenti ſic rem exaggerat, vt maius crimen domo extrahere Conſulem quàm morti obiicere eſſe videatur. *Qui Conſulem morti obieceris, inclusum obſederis, extrahere ex ſuis tectis conatus ſis.*

Nemo è domo extrahendus.

Cicero pro domo ſua, §. 109. *Quid eſt ſanctius, quid omni religione munitius, quam domus vniuſcuiuſque ciuium? hic aræ ſunt, hic Foci, hic Dij Penates, hic ſacra, religiones, cerimoniæ continentur: hoc perſugium eſt ita ſanctum omnibus, vt inde abripi neminem fas ſit.* Xenophon lib.7. de Cyri inſtitutione. Εἰ μόνος ἄμοιρος εἴης ἑστίας, οὐ οὔτε ὁσιώτερον χωρίον ἐν ἀνθρώποις, οὔτε ἥδιον, οὔτε οἰκειότερόν ἐστιν οὐδέν. *Si ſolus laris expers fueris, quo nec ſanctior locus eſt hominibus, nec iucundior, nec familiarior.* Cæterùm quem modum ſeruarent in huiuſmodi denuntiatione, dubitare poſſit quiſpiam. De contumacibus eodem loco Vlpianus, *Eſt tamen*, inquit, *tutiùs libellum ad ipſas ædes proponere.* qui tamen, vt notat Gotephredus ex Nouell.134. cap.5. *Etiam citra contumaciam nonnunquam proponi ſolet, vt in ſubhaſtationibus immobilium*, &c.

Si exire noluiſſent, libellum domibus affigebant.

Cuius ritus etiam nunc extat aliquod in apparitorum denuntiatione veſtigium. Iam verò ne in cauſis quidem capitalibus domo per vim reos extrahebant, etiamſi denuntiationibus parere noluiſſent.

Etiam citra contumaciã.

Plutarchus in Gracchis. Πάτριόν ἐστιν εἴ τις ἔχων δίκην θανατικὴν μὴ ὑπακούει, τούτου πρὸς τὰς θύρας ἕωθεν ἐλθόντα σαλπιγκτὴν ἀνακαλεῖσθαι, καὶ μὴ πρότερον ἐπιφέρειν ψῆφον αὐτῷ τοὺς δικαστάς. *Eſt hoc in eorum poſitum inſtituto, vt ſi quis in cauſa capitis accerſitus non paruerit, tubicen ad eius ianuam primâ luce accedens, eum euocet tubæ clangore, nec priùs de eo iudices ferant ſententiam.* Qui ritus etiam in illâ Marij graſſatione ſeruatus eſt. Appianus primo ciuilium. Τῆς κυρίας ἡμέρας ἐπελθούσης, ἐς τὴν δίκην ἀνακληθέντες, τετράκις δ' ἔχρην κηρυττομένοις ἐν ὡρισμένοις ὡρῶν διαστήμασιν ἁλῶναι, Μέρουλας μὲν τὰς φλέβας ἀνέτεμεν ἑαυτοῦ καὶ πινάκιον αὐτῷ παρακείμενον ἐδήλου ὅτι κόπτων τὰς φλέβας τὸν πῖλον ἀποθοῖτο. οὐ γὰρ ἦν θεμιτὸν ἱερέα περικείμενον τελευτᾶν. Κάτλος δ' ἐν οἰκήματι νεοχρίστῳ τε καὶ ἔτι ὑγρῷ κωνίων ἄνθρακας ἐκὼν ὑπέπνιγη. *Vbi dies conſtitutus illuxit, in*

Claſſico euocabant.

iudicium vocati (quater autem oportebat certis horarum interuallis à præcone citari) Merula quidem ſibi ipſi venas exoluit, & tabella quadam ipſi appoſita ſignificabat, ipſum, cùm ſibi venas incideret apicem ſacerdotij poſuiſſe. Fas enim non erat Flaminem cum apice diem obire. Catulus autem in cubiculo recens calce obducto, & adhuc calido humido, incenſis carbonibus ſponte extinctus eſt. Cornelius Tacitus 2. annalium. *Facta de mathematicis Magiſque Italiâ pellendis Senatus Conſulta, quorum è numero Lucius Pituanius ſaxo deiectus eſt. in P. Martium Conſules extra portam Exquilinam, cùm claſsicum canere iuſsiſſent, more priſco aduertere.* Ammianus Marcellinus lib. 15. *Iamque poſt horrendam deleti Cæſaris cladem, ſonante periculorum iudicialium tubâ in crimen lege maieſtatis arceſſebatur Vrſicinus.* Vide Varronem lib.5. de linguâ Latina pag. penultimâ. Damaſcen. in Barlaam, quamuis de Romanis non agat, tamen ad hunc morem videtur alludere. non ſum tamen neſcius claſſico cani ſolitum, etiamſi reus iam in manibus haberetur. Capito apud Senecam controuerſiâ 25. *Aſcendit Prætor tribunal inſpectante prouincia, noxiæ poſt terga ligantur manus, ſtat intento ac triſti omnium vultu, fit à præcone ſilentium, adhibentur deinde legitima verba, canitur ex altera parte claſsicum.* Quo loco etiam Montanus Vatienus. *Si cum claſsicum canere debeat, ſymphoniam canere iuſſerit.* Quòd ſi ad alia omnia deſcendebant, ſi in contumaces in cauſis forenſibus, ſatis erat denuntiationem viatoris ianuis affigere in capitalibus cauſis per tibicinem accerſere, ne reos è tectis ſuis per vim extrahere cogerentur, liquet quantum ex hac circunſtantiâ Vatinij crimen augeatur.

VI.

Domus exilium.] An iam tùm Romani illud domeſtici, ſi dicere fas eſt, exilij genus vſurparent. vt ciues damnatos pedem vel ex vrbe vel ex priuatis ædibus efferre prohiberent, equidem dicere non poſſum. Appianus quarto ciuilium id primo omnium Settio cuidã à Triumuiris proſcripto dicit obtigiſſe, pro quo Caleni Triumuiris ſupplicantes, vt ei vitam concederent, ἔτυχον Σίττιον τῆς ἄλλης Ἰταλίας εἰργόμενον ἐν τῇ πατρίδι μένειν. Σίττιος μὲν δὴ πρῶτος ἢ μόνος ἀνδρῶν ὧδε τῆς ξένης ἐφυγαδεύετο ἐν τῇ πατρίδι. *Obtinuerunt vt Settius aliis Italiæ partibus excluſus in patriâ remaneret. Et Settius quidem aut primus, aut ſolus omnium mortalium, ſic ab externis locis in patria exulauit.* Pòſt Claudius Auguſtus, teſte Suetonio in eius vitâ, cap.23. *Ipſe quoſdam nouo exemplo relegauit, vt vltra lapidem tertium vetaret egredi ab vrbe.* Ante hos Salomon, vt habetur 3. Regum, cap.2. *Vocauit Semei, dixítque ei: Ædifica tibi domum in Ieruſalem & habita ibi: & non egredieris inde huc atque illuc. Quacunque autem die egreſſus fueris, & tranſieris torrentem Cedron, ſcito te interficiendum.*

Exulin patria.

AXIOMATA.

Refert vtrum veterum facinorum ſis imitator, an inuentor nouorum.

Miſerum eſt non iure legum, ſed ianuæ præſidio & parietum cuſtodiis tegi.

Nemo domo vi extrahendus.

Id ſemper ſeruatum vt cuique ſua domus exilium eſſe poſſet.

ARGVMENTVM.

Poſtquam ea quæ à decimoquarto paragrapho, de auſpiciis, legum Aeliæ & Fuſiæ contemptu dicta ſunt, ſummatim quidem, ſed cum exaggeratione & comparatione ſeditioſiſſimi cuiuſque, repetiuit, delabitur ad iudicium L. Vettij, quem ſubornauit Vatinius vt principes ciuitatis extingueret.

SIMVLQVE mihi reſpondeto tu, qui nos, qui de communi ſalute conſentimus, tyrannos vocas, fueríſne non Trib. pleb. ſed intolerandus ex cœno neſcio quo, atque ex tenebris tyrannus? qui primùm eam rempublicam, quæ auſpiciis inuentis conſtituta eſt, iiſdem auſpiciis ſublatis conarere peruertere: deinde ſanctiſſimas leges, Æliam, & Fuſiam dico, quæ in Gracchorum ferocitate, & in audacia Saturnini, & in colluuione Druſi, & in contentione Sulpicij, & in cruore Cinnano, & inter Syllana arma vixerunt, ſolus conculcaris, ac pro nihilo putaris: qui conſulem morti obieceris, incluſum obſederis, extrahere ex ſuis tectis conatus ſis: qui in eo magiſtratu non modò emerſeris ex mendicitate, ſed etiam diuitiis nos iam tuis terreas: fueríſne tanta crudelitate, vt delectos viros & principes ciuitatis tollere, & delere tua rogatione conareris? XXIII.

EXPLANATIO.

EX COENO NESCIO QVO.] Ex turpitudine vitæ ſordibúſque domeſticis non Tribunatum ſed tyrannidem conſecutus, quod longè deterius eſt quàm ſi nunquam pauper fuiſſes.

PRIMVM EAM REMP.] Videtur duo crimina in violatione auſpiciorum & legum contineri, quamuis cùm ipſæ leges eſſent de auſpiciis, vnicum in vtroque crimen eſſe videatur. maluit tamen diſtinguere, quia priore loco, nullam de interceſſionibus, ex lege Fuſia fieri ſolitis fecerat mentionem.

SANCTISSIMAS LEGES.] Sanctionibus communitas. Sanctiones autem dicuntur partes illæ legum, quibus pœnæ vel execrationes in earum violatores continentur, vel ſanctiſſimas vocat quaſi ab omnibus ſumma religione obſeruatas. hic autem locus poteſt ad hanc argumentationem reuocari.

Tria ſunt maximè quibus tyrannus agnoſcitur, ſi leges contemnat, omnia ad ſuum lucrum referat, crudelitatem exerceat.

Sed tu iſta facis.

Ergo tyrannus es.

Propoſitio tanquam certa omittitur, concluſio priore parte ſectionis ad illa verba, *ex tenebris tyrannus*, aſſumptio poſteriore parte declaratur.

QVÆ IN GRACCHORVM FEROCITATE.] Vt magis Vatinij ſcelus exaggeret, oſtendit eas leges ab illo fuiſſe violatas, quæ in maximis quibuſque Reipub. tumultibus in ſuo vigore permanſerant. ac primùm in ferocitate Gracchorum, qui iuuentute ferocientes agrariis, frumentariis, iudiciariiſque legibus maximas turbas in republicâ concitarunt. de quibus alibi.

IN AVDACIA SATVRNINI.] Lucij Apuleij Saturnini Tribuni plebis, qui tanta fuit audacia, vt & Aulum Nummium competitorem Tribunatus, & C. Memmium conſulatus candidatum occiderit. nunquam tamen eò progreſſus eſt audaciæ, vt in legibus agrariis ferendis agróque Cymbrorum diuidendo auſpicia violaret.

IN COLLVVIONE DRVSI.] Seditionem à Marco Liuio Druſo excitatam colluuionem appellat, quaſi confuſionem ciuitatis, ſiue confuſam multitudinem populorum Italicorum quæ eius promiſſis ſollicitata, ſpe ciuitatis obtinendæ in vrbem ex omnibus Italiæ partibus confluebat. bene autem notat hoc loco Manutius. *Duos Druſos patrem & filium Tribunos plebis fuiſſe: hic filium ſignificari qui poſt Saturninum fuit: nam Pater cum C. Graccho tribunatum geſſit.* Vide Appianum 1. ciuilium.

IN CONTENTIONE SVLPITII.] Qui Tribunus plebis leges tulit, vt ſocij Latinique qui poſt bellum ſociale ius ciuitatis acceperant, diſtribuerentur in tribus, & æquale cum veteribus ciuibus, in comitiis ſuffragiorum ius obtinerent. Item aliam legem qua L. Syllæ Mithridaticum bellum gerenti prouinciam abrogaret: quas leges contra Æliam & Fuſiam non ferebat.

ET IN CRVORE CINNANO.] De eo lib. 2. Velleius. *Cum ita ciuitas Italiæ data eſſet, vt in octo tribus contribuerentur noui ciues: ne potentia eorum & multitudo veterum ciuium dignitatem frangeret, plúſque poſſent recepti in beneficium, quam authores beneficij: Cinna in omnibus tribubus eos ſe diſtributurum pollicitus eſt. quo nomine ingentem totius Italiæ frequentiam in vrbem acciuerat, è qua pulſus collegæ optimatiúmque viribus*, &c. Mox cùm Mario reuocato vrbem occupaſſet. *Excelſiſſimi quique eminentiſſimæ ciuitatis viri variis ſuppliciorum generibus affecti.*

INTER SYLLANA ARMA.] Velleius ibidem. *Adeò enim Sulla diſſimilis fuit bella-*

tor, ac victor, vt dum vicit iuſtiſſimo lenior, poſt victoriam audito fuerit crudelior. Vide apud eum & alios de Syllæ crudeli proſcriptione & tyrannide quamplurima.

Tva rogatione.] Lege quam promulgaſti, vt ij morte plecterentur, qui mortem Cneio Pompeio inferre voluiſſent.

NOTÆ.

I. Nos qvi de commvni salvte consentimvs, tyrannos vocas.] Quod eſt à Tyranno alienum. tyranni enim de communi ſalute non conſentiunt. Ariſtoteles 8. Nicomachiorum, cap. 9. & alij vt ſtatim dicetur, de nomine verò tyranni in Piſoniana.

II. Avspiciis inventis constitvta est.] Supra §. 14. *Auſpicia quibus hæc vrbs condita eſt.*] Hæc autem conditæ vrbis auſpicia poſſunt ad quatuor capita reuocari: 1. ad duodecim vultures Romulo viſos. De quibus tum alij paſſim, tum Ennius 1. annaliū citatus à Tullio de diuinatione. 2. ad circunductionem aratri bobus mare & fœmina coniugatis. 3. ad mundum ſiue foſſam illam rotūdam, in quam ſinguli conuenæ ſuæ quiſque terræ particulam contulerunt. 4. ad varia ſacrificia. de quibus auſpiciis Dionyſius lib. 1. antiq. Rom. Plutarchus & alij conſulantur, quæ omnia notat Plutarchus ex Aruſpicum præſcripto ſeruata fuiſſe. ᾤκιζε τὴν πόλιν ἐκ Τυῤῥηνίας μεταπεμψάμενος ἄνδρας ἱεροῖς τισι θεσμοῖς καὶ γράμμασιν ὑφηγουμένους ἕκαστα διδάσκοντας, ὥσπερ ἐν τελετῇ. *Vrbem condidit accerſitis ex Hetruria Aruſpicibus, qui ſacris quibuſdā legibus & litteris, tanquam in myſteriorum initiatione, quo ritu ſingula fieri deberent, edocerent.*

Auſpicia quibus Roma cōdita eſt.

III. Conarere pervertere.] Nam vt bene ait Syneſius lib. de regno. ταῖς αὐταῖς παρασκευαῖς ἕκαστον αὔξεται καὶ συγκροτεῖται. *Eiſdem auxiliis vnumquodque & augetur & comparatur.*

IV. Sanctissimas leges.] Legum violatio primum eſt ſignum quo tyrannus à legitimo iuſtóque magiſtratu diſtinguitur. Plato in politico. Μοναρχία ζευχθεῖσα μὲν ἐν γράμμασιν ἀγαθοῖς οὓς νόμους λέγομεν ἀρίστη πασῶν τῶν ἓξ (τῶν πολιτειῶν) ἄνομος δὲ χαλεπὴ καὶ βαρυτάτη ξυνοικῆσαι. *Monarchia ſi bonis litteris coniuncta ſit (leges intelligo) optima erit ſex rerum publicarum. Difficilis verò immò intolerabilis erit, ſi fuerit legibus deſtituta.* Ariſtoteles 4. politicorum cap. 4. ὅπου μὴ νόμοι ἄρχουσιν, οὐκ ἔστι πολιτεία. δεῖ γὰρ τὸν μὲν νόμον ἄρχειν πάντων. τῶν δὲ καθ᾽ ἕκαστα τὰς ἀρχὰς καὶ τὴν πολιτείαν κρίνειν. *Vbi leges non imperant, nulla eſt reſp. oportet enim legem omnibus imperare. de ſingulis verò magiſtratus & rempub. iudicare.* Idem Ariſtoteles 5. Ethic. Nicomach. ἔστιν ὁ ἄρχων φύλαξ τοῦ δικαίου. *Magiſtratus eſt legis & iuris cuſtos.* Neque enim quicquam eſt aliud magiſtratus & iudex, quàm lex ſpirans & animata. Ariſtoteles eodem libro cap. 4. ὁ δικαστὴς βούλεται εἶναι δίκαιον ἔμψυχον. Vnde quemadmodum ex his auctoribus ſapienter concludit Syneſius oratione de regno. Βασιλέως μὲν ἐστι τρόπος ὁ νόμος. τυράννου δὲ ὁ τρόπος, νόμος. *Lex eſt Regis mores, mores Tyranni ſunt lex. verti non potuit quin multum leporis amitteret.* Quare & eleganter Pittacus apud Laërtium. Ἐρωτηθεὶς δέ ποτε τί ἄριστον, τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν, καὶ ὑπὸ Κροίσου, τίς ἀρχὴ μεγίστη. ἡ τοῦ ποικίλου ἔφη, ξύλου, σημαίνων τὸν νόμον. *Rogatus quid eſſet optimum, reſpondit, quod in manibus habetur, bene agere. & iterum à Crœſo, Quòd eſſet maximum imperium, ligni varij, inquit, legem ſignificans.*

Tyranni legū contemptores.

Emerseris.] Terentianum eſt actu 3. ſcena 2. Adelphorum. V

--*væ miſero mihi,*

Tot res repente circumuallant, vnde emergi non poteſt,

Vis, egeſtas, iniuſtitia, ſollicitudo, infamia.

Emergere.

Ex quo Lucretius de natura rerum.

Noctes atque dies niti præſtante labore

Ad ſummas emergere opes.

Divitiis.] Alterum tyrannicæ mentis indicium, quòd in tribunatu omnia ad propriam vtilitatem retulerit, & in eo magiſtratu ex mendicitate emerſerit. Duo igitur hoc loco tractanda ſunt. 1. oſtendemus tyranni eſſe omnia ad ſuam vtilitatem referre, propriúmque commodum Reip. commodis anteferre. Secundò magiſtratibus fas non eſſe diuitias in magiſtratu conquirere. Ac primùm ea eſt inter tyrannum Regémque, ſiue legitimum magiſtratum diſtinctio, quòd vt ait Ariſtoteles 8. Ethic. Nicomachiorum, cap. 9. ὁ μὲν τύραννος τὸ ἑαυτῷ συμφέρον σκοπεῖ, ὁ δὲ βασιλεὺς τὸ τῶν ἀρχομένων. *Tyrannus quidem propria commoda ſpectat, Rex verò ſubditorum.* Cuius rei hanc ſubiicit rationem. Οὐ γάρ ἐστι βασιλεὺς ὁ μὴ αὐτάρκης καὶ πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς ὑπερέχων. ὁ δὲ τοιοῦτος οὐδενὸς προσδεῖται, τὰ ὠφέλιμα οὖν αὑτῷ μὲν οὐκ ἂν σκοποίη, τοῖς δ᾽ ἀρχομένοις. *Non enim Rex eſt, niſi qui ſe ipſo contentus omnibus bonis excellat. at qui eiuſmodi eſt, nullius indiget, neque ſua commoda ſpectat, ſed ſubditorum.* Item cap. 10. καθ᾽ ἑκάστην μὲν τῶν πολιτειῶν φιλία φαίνεται, ἐφ᾽ ὅσον καὶ τὸ δίκαιον. βασιλεῖ μὲν πρὸς τοὺς βασιλευομένους ἐν ὑπεροχῇ εὐεργεσίας. εὖ γὰρ ποιεῖ τοὺς βασιλευομένους, εἴπερ ἀγαθὸς ὢν ἐπιμελεῖται αὐτῶν ἵν᾽ εὖ πράττωσιν ὥσπερ νομεὺς προβάτων. *In ſingulis Reipub. formis, in tantùm amicitia, in quantum iuſtitia reperitur. Regi quidem erga ſubditos in beneficentiæ exceſſu. benefacit enim iis qui eius ſubditi ſunt ditioni, ſi modò bonus eſt, curam habet vt bene ſit illis, vt paſtor pecori.* Eadem conſtituitur inter regem & tyrannum, quæ inter paſtorem & coquum diſtinctio, à Syneſio oratione de regno. ὅστις οὐ πιαίνει τὴν ἀγέλην, ἀλλ᾽ αὐτὸς ὑπὸ τῆς ἀγέλης θέλει πιαίνεσθαι, τοῦτον καλῶ μάγειρον ἐπὶ βοσκημάτων, τοῦτον ἀποφαίνω τύραννον ὅταν ἦ δῆμος ἔλλογος τὸ ἀρχόμενον. *Qui ouium gregem non pinguefacit, ſed ipſe à grege vult pinguefieri, hunc ſi gregibus pecudum præſit Lanium & Cocum appello, Tyrannum ſi homines ij ſint qui eius imperio reguntur.* Hæc Syneſius atque hinc factum eſt, vt Reges legitimíque Principes & Magiſtratus ποιμένες λαῶν, ab Homero & aliis frequentiſſimè dicerentur. & licet Plato in politico, poſtquàm dixit περὶ τοῦ βασιλέως ὅτι αὐτὸν νομέα καὶ τροφὸν ἀγέλης ἀνθρωπίνης εἴπομεν. *De Rege cùm eum paſtorem & humani gregis altorem eſſe dicamus*, hanc definitionem reprobare videatur, tamen ſubdit eam omnibus magiſtratum ciuiliter gerentibus cōuenire. τοῖς περὶ τὰ ἀνθρώπινα νομεῦσιν, οὓς πολιτικοὺς ἐκαλέσαμεν. *Rerum humanarum paſtoribus quos ciuiles vocabamus.* Item, Τὴν μὲν γέ που τῶν βιαίων τυραννικὴν, τὴν δ᾽ ἑκούσιον καὶ ἑκουσίων VI.

Rex tyrānus.

Rex paſtor Tyrannus Lanus.

διπόδων ἀγελαιοκομικὴν ζώων προσειπόντες πολιτικήν. *Poteſtatem quæ exercetur in inuitos, tyrannicam, quæ in greges bipedum animãtium volentium exercetur paſtio, politicam nominamus.* Atque hinc fit vt ciuiles illi magiſtratus gregis, & ciuium ſaluti conſulentes, canes à Demoſthene dicti ſint, tyrannici verò lupi ab aliis nominentur. Dio Caſſius lib. 36. de Batone quodam qui Dalmatas ad rebellionem bis ac ſeditionem concitarat, & à Tiberio Cæſare iam ſecundum ſuperatus,

Tyrannus lupus.

Ἐπὶ βήματος αὐτῷ καθημένῳ προσαχθεὶς, ὑπὲρ ἑαυτοῦ οὐδὲν ἐδεήθη, ἀλλὰ καὶ τὴν κεφαλὴν προσέτεινεν ὡς ἀποκοπῆναι, ὑπὲρ δὲ τῶν ἄλλων πολλὰ ἀπελογήσατο. πάλιν δ᾽ ἐρωτηθεὶς ὑπὸ τοῦ Τιβερίου τί ὑμῖν ἔδοξε καὶ ἀποστῆναι καὶ ἐπὶ τοσοῦτον ἡμῖν χρόνον ἀντιπολεμῆσαι. τοῦτ᾽, ἔφη, ὅπερ καὶ πρότερον. ὅτι ὑμεῖς τούτων αἴτιοι ἐστέ. ἐπὶ γὰρ τὰς ἀγέλας ὑμῶν φύλακας οὐ κύνας, οὐδὲ νομέας ἀλλὰ λύκους πέμπετε. *Ad Tiberium in ſolio reſidentem adductus, pro ſeipſo deprecatus non eſt, ſed caput amputandum porrexit, at alios multis defendit. Rurſum à Tiberio interrogatus quæ mala mens eos ad rebellionem, & bellum tot annis cum pop. Romano gerendum impuliſſet. Hoc ipſum, inquit, vos impulit, quod anno ſuperiore, vos cauſa eſtis. nam ad gregum veſtrorum cuſtodiam non canes aut paſtores, ſed lupos mittitis.* quod iam ante ſuperatus, vt libro ſuperiore narratur, iiſdem verbis reſponderat. Niſi verò quis illum Caium non lupum, ſed paſtorem exiſtimat, qui, vt idem Dio lib. 59. teſtatur, Tiberium ita ſibi loquentem induxit. μήτ᾽ οὖν ὅπως τι χαρίσῃ πράξῃς αὐτοῖς ἐννόει, μήτ᾽ ἄν τι θρυλλῶσι φρόντιζε, ἀλλὰ τό τε ἡδὺ καὶ τὸ ἀσφαλὲς τὸ σεαυτοῦ νόμον, ὡς καὶ δικαιότατον προσκόπει.

Tyrannis Caligulæ.

Ne igitur cogita quomodo ipſis gratificeris, neque tibi curæ ſit quid loquantur, & tuam vnius voluptatem & ſecuritatem, vt rem omnium iuſtiſſimam ſpecta. Subdit. Ἰούνιός τε τις Πρίσκος στρατηγὸς ᾐτιάθη μὲν ἐπ᾽ ἄλλοις τισὶ, ἀπέθανε δ᾽ ὡς πλούσιος. καὶ ἐπ᾽ αὐτῷ ὁ Γάϊος μαθὼν ὅτι οὐδὲν ἄξιον τοῦ θανάτου ἐκέκτητο, θαυμαστὸν λόγον ἐφθέγξατο εἰπὼν ὅτι ἠπάτηκέ με καὶ μάτην ἀπόλετο. ζῆν γὰρ ἠδύνατο. *Iunio Priſco Prætori ob alia quædam dies dicta fuerat, ſed vt diues eſt interemptus. quem Caius cum audiſſet nihil diuitiarum habuiſſe propter quas neci dandus eſſet, mirabilem edidit vocem. Me decepit, & fruſtra mortuus eſt, nam viuere poterat.* Aut Neronem, qui, vt ait Suetonius cap. 32. *Nulli delegauit officium vt non adiiceret, ſcis quid mihi opus ſit, &, hoc agamus ne quis quicquam habeat.*

Tyrannis Neronis.

Quanquam quid opus eſt hoc loco diutiùs hærere, cùm Plato lib. octauo de Repub. neminem tyrannidem occupare dicat, niſi qui paternis bonis ante per luxum diſſipatis ex mendicitate emergere velit, & fucorum inſtar, fructum ex alieno labore diuitiiſque decerpere? vnde & ibidem diuites fucorum pabulum nominantur. Sed de his hactenus. quibus ſatis conſtat, quam aptè Cicero in Vatinij tyrannidem inuecturus, eum in magiſtratu dicat ad diuitias emerſiſſe. Cùm vt ait loco citato Synesius ille tyrannicus ſit magiſtratus, qui κεραΐζῃ τὴν ποίμνην δέον ἐπέχειν τῆς φυλακῆς τὸν μισθὸν τοῦ γάλακτος ἐμφορούμενον. *Ouile dilacerat, cùm in cuſtodiæ mercedem ſolo lacte debeat eſſe contentus.* Quare Tiberius rebellione Pannonicâ & Batonis dicto, factus iam doctior eleganter apud Dionem lib. 57. Αἰμιλίῳ γοῦν Ῥήκτῳ χρήματά ποτε παρὰ τὸ τεταγμένον ἐκ τῆς Αἰγύπτου ἧς ἦρχε πέμψαντι, ἀντεπέστειλεν ὅτι κείρεσθαι τὰ πρόβατα, ἀλλ᾽ οὐκ ἀποξύρεσθαι βούλομαι. *Æmilio Recto, cùm pecunias plures, quàm fuiſſent imperatæ, ex Ægypto miſiſſet, reſcripſit, velle ſe oues tonderi non radi.*

Oportet tondere pecus, non deglubere.

quod Suetonius in Tiberio ſic exponit cap. 32. *Præſidibus onerandas tributo prouincias ſuadentibus reſcripſit: boni paſtoris eſſe, tondere pecus, non deglubere.* Nam, quæ altera pars erat, indignum eſt & duodecim tabulis prohibitum, eum qui ad rempublicam gerendam acceſſerit, diuitias in mercedem laborum exigere. Plutarchus in præceptis politicis. Χρυσὸν μὲν εἰς ἔνια τῶν ἱερῶν εἰπόντες ἔξω καταλείπουσι, σίδηρον δ᾽ ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, εἰς οὐδὲν συνεισφέρουσι. ἐπεὶ δὲ κοινόν ἐστιν ἱερὸν τὸ βῆμα Βουλαίου τε Διὸς, καὶ Πολιέως, καὶ Θέμιδος, καὶ Δίκης, αὐτόθεν μὲν ἤδη φιλοπλουτίαν, καὶ φιλοχρηματίαν ὥσπερ σίδηρον καὶ μεστὸν ἰοῦ νόσημα τῆς ψυχῆς ἀποδυσάμενος, εἰς ἀγορὰς καπήλων ἢ δανειστῶν ἀπόρριψον. *Templa ſunt nonnulla, in quæ ingredientes, aurum foris relinquunt, ferrum, vt verbo dicam, nulli infertur. Quandoquidem Tribunal commune templum eſt, Iouis conſiliarij, Mineruæ vrbium Præſidis Themidis, & Iuſtitiæ, hinc auaritiam & pecuniæ auiditatem, tanquam ferrum rubiginoſum deponens, in cauponarum aut fœneratorum tabulas mitte.*

Auaritia à magiſtratibus aliena.

Sed iam antè Plato tertio de Repub. adeò voluit reip. quam informabat, magiſtratus ſe à pecuniis abſtinere, vt poſtquam fabulatus eſt Deum magiſtratuum naturam auro, militum argento, Agricolarum & artificum ferro & ære temperaſſe, ſubiunxerit, eum qui ad Rempub. gerendam accederet, oportere, πρῶτον μὲν οὐσίαν κεκτημένον μηδεμίαν, μηδένα ἰδίαν, ἂν μὴ πᾶσα ἀνάγκη. ἔπειτα οἴκησιν καὶ ταμιεῖον μηδενὶ εἶναι μηδὲν τοιοῦτον εἰς ὃ μὴ πᾶς ὁ βουλόμενος εἴσεισι. *Primùm ne quis quidquam proprium habeat niſi maximâ neceſſitate compulſus. deinde ne cui ſit domus aut cella, aut quicquam aliud in quod aliis ingredi non liceat.* Et paulò pòſt: Χρυσίον δὲ καὶ ἀργύριον εἰπεῖν αὐτοῖς ὅτι θεῖον παρὰ θεῶν ἀεὶ ἐν τῇ ψυχῇ ἔχουσι καὶ οὐδὲν προσδέονται τοῦ ἀνθρωπείου. οὐδ᾽ ὅσια τὴν ἐκείνου κτῆσιν τῇ τοῦ θνητοῦ χρυσοῦ κτήσει συμμιγνύντας μιαίνειν. διότι πολλὰ καὶ ἀνόσια περὶ τῶν πολλῶν νομίσματα γέγονε, τὸ παρ᾽ ἐκείνοις δ᾽ ἀκήρατον. ἀλλὰ μόνοις αὐτοῖς τῶν ἐν τῇ πόλει μεταχειρίζεσθαι, καὶ ἅπτεσθαι χρυσοῦ καὶ ἀργύρου οὐ θέμις οὐδ᾽ ὑπὸ τὸν αὐτὸν ὄροφον ἰέναι οὐδὲ περιάψασθαι, οὐδὲ πίνειν ἀργύρου. καὶ οὕτω μὲν σῴζοιντ᾽ ἂν καὶ σῴζοιεν τὴν πόλιν. *Dicendum ipſis eſt eos aurum & argentum diuinum in animo poſſidere, ac proinde auro humano non indigere. neque fas eſſe illius poſſeſſionẽ, mortalis auri poſſeſſione contaminare. quia multa & adulterata apud vulgum ſunt numiſmata, at eorum numiſma nullo pacto corruptum eſt. Sed ſolis ipſis ex iis, qui in vrbe verſantur, nefas eſt aurum & argentum in manus ſumere, aut quocunque pacto attingere: neque ſub idem tectum admittere, aut contrectare, aut bibere in argento. Sic enim & ipſi ſeruabuntur, & ſeruabunt rempublicam.*

FVERIS NE TANTA CRVDELITATE.] VII.

Crudelitatem eſſe notam tyrannidis, cuius adeò compertum eſt, vt pretium operæ non ſit hîc diutiùs immorari. tantùm illud Platonis octauo de Repub. Μῦθος περὶ τὸ ἐν Ἀρκαδίᾳ, τὸ τοῦ Διὸς, τοῦ Λυκαίου ἱερὸν λέγεται. τίς ἔφη; Ὡς ἄρα ὁ γευσάμενος τοῦ ἀνθρωπίνου σπλάγχνου, ἐν ἄλλοις ἄλλων ἱερείων ἑνὸς ἐγκαταμεμιγμένου, ἀνάγκη δὴ τούτῳ λύκῳ γενέσθαι, &c. οὕτω καὶ ὃς ἂν δήμου προεστὼς, λαβὼν σφόδρα πειθόμενον ὄχλον μὴ ἀπόσχηται ἐμφυλίου αἵματος, &c. τῷ τοιούτῳ ἀνάγκη δὴ τὸ μετὰ τοῦτο καὶ εἵμαρται, τυραννεῖν καὶ λύκῳ ἐξ ἀνθρώπου γενέσθαι. *De Iouis Lycæi templo in Arcadiâ ſic fabulãtur. Quid? inquit. Qui ex hominis inteſtino, aliis aliarum victimarum inteſtinis permixto, guſtauerit, eum*

Crudelitas tyrannica.

lupum neceſſariò fabulantur, &c. *ſic qui populo præeſt, eúmque habet dicto audientem, nec abſtinet ciuili ſanguine*, &c. *eum neceſſe eſt, & quaſi in fatis*, &c. *tyrannum euadere, & in lupum ex homine mutari.*

AXIOMATA.

Reſpub. peruertitur ſublatis iis quibus eſt conſtituta.

Tyrannicum eſt diuitiis alios terrere, leges peruertere, perniciem aliis creare.

ARGVMENTVM.

Hic grauiter Vatinium inſectatur, quòd, vt deleret Principes ciuitatis, Lucium Vettium in roſtra produxerit, vt indicaret ſe ad necem inferendam Cneio Pompeio compulſum fuiſſe ab primariis viris, & inter alios à M. Bibulo Conſule & vtroque Curione.

XXIV. CVM L. Vettium, qui in Senatu confeſſus eſſet ſe cum telo fuiſſe, Cn. Pompeio, ſummo & clariſſimo ciui, ſuis manibus necem afferre voluiſſe, in concionem produxeris, iudicem in roſtris, in illo, inquam, augurato templo, ac loco collocaris, quò auctoritatis exquirendæ causâ cæteri Tribuni plebis principes ciuitatis producere conſueuerunt, ibi tu iudicem Vettium, linguam, & vocem ſuam ſceleri, & menti tuæ præbere voluiſti, vt diceret L. Vettius in concione tua, rogatus à te, ſe auctores, & impulſores, & ſocios habuiſſe ſceleris illius eos viros, quibus è ciuitate ſublatis, quod tu eo tempore moliebare, ciuitas ſtare non poſſet? Mar. Bibulum, cuius incluſione contentus non eras, interficere volueras, ſpoliaueras Conſulatu, patria priuare cupiebas: L. Lucullum, cuius tu rebus geſtis, quòd ipſe ad imperatorias laudes à puero videlicet ſpectatas vehementiùs inuidebas: C. Curionem, perpetuum hoſtem improborum omnium, auctorem publici conſilij, libertate communi tuenda maximè liberum, cum filio principe iuuentutis, cum Repub. coniunctiore etiam, quàm ab illa ætate poſtulandum fuit, delere voluiſti.

EXPLANATIO.

IN ROSTRIS.] Scelus exaggerat à loco, quòd in concione principes ciuitatis in inuidiam vocarit, quòd in roſtris, loco iudiciis non ſceleribus deſtinato, quòd in augurato templo rem tam impiam & nefariam perpetrarit, quòd è Senatu produxerit, apud quem Senatorum cauſæ erant tranſigendæ.

CÆTERI TRIBVNI PLEBIS.] ab exemplo aliorum & contrario. Cæteri enim Tribuni plebis honoris cauſâ viros primarios in concionem producebant, vt ſuis rogationibus optimatum ſententiâ probatis auctoritatem exquirerent: Vatinius contra odium Ciuium in viros primarios concitare, eóſque tanquam inſidiarum in Cn. Pompeium participes morte mulctare.

IN CONCIONE TVA.] Vel quam tu auctoritate Tribunitiâ concieueras, vel quam ex ſeditioſiſſimis quibuſque & egentiſſimis ad nutum tuum laturis ſuffragia conuocaras. quales multis in locis tradit Cicero fuiſſe P. Clodij comitia.

CVM FILIO.] Poſt M. Bibulum, & Curionem Patrem, Curionem filium adiungit, qui poſt modum à bonorum partibus deſciuit, nam cùm non mediocrem bellis ciuilibus vel occaſionem, vel cauſam attuliſſet, in Africâ à Pompeianis occiſus eſt.

NOTÆ.

IN ROSTRIS.] De templi notione fuſiſſimè dictum eſt §. 5. hic illud Liuij 8. non eſt prætereundum. quo & vocis templi, & roſtrorum rationem intelliges. *Naues Antiatium partim in naualia Romæ ſubductæ, partim incenſæ: roſtríſque earum ſuggeſtum in foro extructum adornari placuit: roſtráque id templum appellatum.* Nota tamen non fuiſſe Vatinium, ſed ipſum Cæſarem qui Vatinij comitiis Iudicem Vettium produxit. Cicero ad Atticum lib. 2. epiſt. penultima. *Poſtero autem die Cæſar, is qui olim prætor cùm eſſet, Quintum Catulum ex inferiore loco iuſſerat dicere, Vettium in Roſtra produxit, eúmque in eo loco conſtituit, quô Bibulo Conſuli aſpirare non liceret.* Ne quis verò impudentiſſimum fuiſſe Ciceronem arbitretur, qui, quæ palam in concione fecerat Cæſar, Vatinio tribuat, ſic exiſtimo, auctorem fuiſſe Cæſarem, Vatinium verò Cæſaris Conſiliis obſecutum, ideóque Tullium apud familiares, eorum cauſam in Cæſarem contuliſſe, in iudicio verò, ea Vatinio tribuiſſe in cuius comitiis Vettium productum eſſe conſtaret. nam, vt ait Dio Caſſius lib. 38. Τὰ δὲ δὴ καθ' ἑαυτὸν δι' ἑτέρων διῆγε. τοῦτο γὰρ δὴ καὶ πάνυ ἰσχυρῶς ἐφυλάξατο. *Cæſar quæ ad ſe ſpectabant, per alios faciebat. hoc enim imprimis cauebat*, &c. Sed ille tamen idem Dio Ciceroni ſemper infenſus, penſi nihil habet à cæteris ſcriptoribus diſſidere, dum Ciceroni inurat infamiam. Κικέρων δὲ, inquit, καὶ Λούκουλλος

1. Roſtra.

ὧν ἀφετηκότες ταῦτα πέντε ἀποκτεῖναι τόν τε Καίσαρα καὶ τὸν Πομπήϊον διὰ Λουκίου τινὸς Οὐεττίου ἐπεχείρησαν μὲν, οὐκ ἠδυνήθησαν δὲ, ἀλλ' ὀλίγου καὶ αὐτοὶ προσαπώλοντο. *Cicero autem & Lucullus quibus hæc minimè placebant, Cæſari Pompeióque per quendam Lucium Vettium necem parauerunt, neque tamen id ſucceßit, ſed inſuper & ipſis ferè e.a res perniciem attulit.* Appianus autem primo ciuilium videndus, & Manutius hoc loco.

II. Spoliaveras Consvlatv.] Notum eſt illud apud Suetonium in Iulio:

Bibulus à Cæſare ſpoliatus Conſulatu.

Non Bibulo quicquam nuper ſed Cæſare factum eſt,

Nam fieri Bibulo Conſule nil memini.

Quòd ſcilicet Cæſar per Vatinium foro Bibulum Conſulem expuliſſet: ἔνθα χαριεντιζόμενοί τινες ἔλεγον, Γάϊον τε Καίσαρα καὶ Ἰούλιον Καίσαρα ὑπατεύειν. *Caium Cæſarem, & Iulium Cæſarem Conſules eſſe iocabantur.* Sed tota iſta res de Bibuli accuſatione, & Curionum poterit verbis Ciceronis expediri, quibus conſtet cur Bibulum, Lucullum, & Curiones primo loco hîc nominarit. Sic igitur ad Atticum epiſtolâ paulò antè citatâ. *Vettius ille, ille noſter Index Cæſari vt perſpicimus pollicitus eſt, ſeſe curaturum vt in aliquam ſuſpicionem facinoris Curio filius adduceretur. itaque inſinuatus in familiaritatem adoleſcentis, & cum eo, vt res indicat, ſæpè congreſſus, rem in eum locum deduxit, vt diceret ſibi certum eſſe cum ſuis ſeruis in Pompeium impetum facere, eúmque occidere. hoc Curio ad Patrem detulit, ille ad Pompeium. Res delata ad Senatum eſt, introductus Vettius primò negabat ſe vnquam cum Curione reſtitiſſe. neque id ſanè diu: nam ſtatim vt fidem publicam poſtulauit relatum eſt. tum expoſuit,* &c. *Caium Septimium ſcribam Bibuli pugionem ſibi à Bibulo attuliſſe, quod totum irriſum eſt,* &c. Hæc ille. porrò illud notatu digniſſimum, quod ex Suetonio Manutius annotauit. Hunc eſſe illum Lucium Vettium qui Cæſarem prætorem inter Catilinæ conſcios nominauit. Sed Cæſar implorato Ciceronis teſtimonio, ad quem vltro quædam de coniuratione detulerat, indicio Vettij refutato, coniecit eum in carcerem. Hanc rem ita narrat Appianus 2. ciuilium: Οὐέττιος δ' αὖθις δημότης, ἐς τὸ μέσον ἐσδραμὼν μετὰ ξιφιδίου γυμνοῦ ἐπιπεμφθῆναι ἔφη πρός τε Βιβλου καὶ Κικέρωνος καὶ Κάτωνος εἰς ἀναίρεσιν Καίσαρός τε καὶ Πομπηΐου· καὶ τὸ ξιφίδιον αὐτῷ Βιβλου ῥαβδοῦχον ἐπιδοῦναι Ποσθούμιον. *Interea Vettius quidam è plebe procurrit in medium ſtrictum mucrorem oſtentans, dicénſque ſe ſubmiſſum à Bibulo, Cicerone, atque Catone vt Cæſarem vna cum Pompeio confoderet: eúmque cultrum ſibi datum à Poſthumio Bibuli.* Vide epigramma Catulli, cuius initium

Vetti iudicium.

In te ſi quicquam dici pote putide Vetti.

III. Avctoritatis exqvirendæ cavsa.] Eam fuiſſe conſuetudinem vt Tribuni plebis principem ciuitatis in concionem producerent, tum alias ob cauſas, tum maximè vt eorum ſuffragio Tribunitus legibus plus auctoritatis accederet, ex multis compertum eſt. quemadmodum à Clodio Piſo Conſul in concionem productus eſt, vt legem de Ciceronis exilio ſua ſententia comprobaret. In Piſoniana. *Idem illo fere biduo productus in concionem, ab eo cui ſic æquatum præbebas Conſulatum tuum, cùm eſſes interrogatus quid ſentires de Conſulatu meo,* &c. *reſpondes altero ad frontem ſublato, altero ad mentum depreſſo ſupercilio, crudelitatem tibi non placere. Hic te homo digniſſimus tuis laudibus collaudauit.* Neque Piſonem ſolum, & Gabinium, ſed Cæſarem & Pompeium in concione rogatos fuiſſe hiſtorici tradiderunt. & quidem ipſa verba Dionis, quod hunc ritum apprime explicent, operæpretium fuerit afferre. is igitur lib. 38. de Piſone ſic ait: Παρῆλθεν ἐς τὴν ἐκκλησίαν ὅτε πρῶτον ἠδυνήθη (τὰ γὰρ πολλὰ ἠρρώστει) καὶ πυθομένου τοῦ Κλωδίου (lege πυθομένου) τίνα γνώμην περὶ τῶν γεγραμμένων ἔχει, εἶπεν ὅτι, οὐδέν μοι οὕτω μόνον (οὕτως ἀμὸν) καὶ σκυθρωπὸν ἔργον ἀρέσκει. *Vt primum per valetudinem (qua plerumque vtebatur infirma) potuit, in concionem progreſſus, interrogatúſque à Clodio, quid de lege ſentiret, reſpondit nullum ſibi adeò ſæuum atque inhumanum factum probari.* ſubiicit de Gabinio: Καὶ ὁ Γαβίνιος ἐρωτηθεὶς τὸ αὐτὸ τοῦτο οὐχ ὅπως ἐκεῖνον ἐπῄνεσεν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἱππέων τῆς βουλῆς προσκατηγόρησεν. Vertit idem qui ſuperiora Guillielmus Xylander: *Similiter Gabinius interrogatus, non modò Ciceronem non laudauit, ſed etiam equites apud Senatum accuſauit.* Sed vel non intelligebat Xylander, vel oſcitabatur. quid enim abſurdius, quàm in cauſa Ciceronis apud Senatum, qui & ipſe pariter vno conſenſu veſtem mutauerat, equites à Gabinio fuiſſe accuſatos? Sic igitur legendum in Dione: ἀλλὰ καὶ τῶν ἱππέων καὶ τῆς βουλῆς. vt ſenſus ſit. *Et Gabinius hoc ipſum interrogatus non ſolùm Ciceronem non laudauit, ſed etiam equites & Senatum inſuper accuſauit.* De Cæſare verò qui in concionem ab eodem Clodio productus eſt: Ὁ μὲν τοι Καῖσαρ (ἔξω γὰρ τοῦ τείχους ὁ Κλώδιος δι' αὐτὸν, ἐπειδήπερ ἐξεστράτευτο τὸν ὅμιλον συναγαγὼν, καὶ ἐκεῖνον ἐπιγνώμονα τῶν γεγραμμένων ἐποιήσατο) τὴν μὲν γὰρ παρανομίαν τῶν περὶ τὸν Λέντουλον πραχθέντων κατεψηφίσατο. τὴν μέν τοι τιμωρίαν τὴν ἐπ' αὐτοῖς γραφομένην οὐκ ἐδοκίμασεν, &c. Sic enim iſta verba parentheſi includere malui, quàm cum Henrico Stephano illa tantùm (ἔξω γὰρ τοῦ τείχους ὁ Κλώδιος) quæ parentheſis perperam appoſita Xylandrum ſic turbauit, vt ipſum etiam Dionem in ſua interpretatione turbauerit. Senſus eſt. *Iam Cæſar (Clodius enim eius cauſa, quandoquidem ille iam Cæſar in prouinciam exiuerat, concione extra muros conuocata, eum ſuæ legis approbatorem produxit.) Ea quæ contra leges in Lentulum erant acta damnauit, pœnam verò quam lex ei actioni irrogabat non probauit.* Non omnes autem principes Ciuitatis, ſed ſolos magiſtratus produci conſueuiſſe in concionem, licet aliquando priuati in concionem producti ſint, tum ex hoc loco, tum ex aliis eodem libro compertum eſt. Sic enim de Cæſaris lege Agrariâ loquens: Ἐβουλήθη δ' οὖν καὶ ὥς συναγωνιστάς τινας τῶν πρώτων τινὰς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ λαβεῖν, &c. ἤρξατο ἀπὸ τοῦ συνάρχοντος, καὶ ἐπύθετο αὐτοῦ, εἰ τὰ τοῦ νόμου μέμφοιτο. *Tamen vt nihilominus nonnullos in concione ſibi aſtipulantes haberet,* &c. *à collega ſuo exorſus, eum interrogauit an aliquid in hac lege improbaret.* Mox: Ὁ δὲ δὴ Καῖσαρ τῶν μὲν ἄλλων τῶν ἐν ταῖς ἀρχαῖς ὄντων οὐδένα ἔτι ἐπήρετο, δείσας μὴ καὶ ἐκείνων τις ἐναντιωθῇ οἱ. τὸν δὲ δὴ Πομπήϊον τόν τε Κράσσον, καίπερ ἰδιωτεύοντας παραγαγὼν, ἐκέλευσε γνώμην περὶ τῶν γεγραμμένων ἀποφήνασθαι. *Cæſar neminem vlteriùs eorum qui magiſtratus gerebant, interrogauit, veritus ne & ex iis aliqui ſibi reſiſterent: Pompeium verò & Craſſum, quamuis hi tum priuati erant, productos, iuſſit de ſua rogatione ſententiam dicere.* id tamen extraordinarium fuiſſe ex ſequentibus conſtat, ἵνα αὐτοῖς τ' ἐκείνοις τιμὴν (ὅτι καίτοι μηδεμίαν ἀρ-

Mos producendi principes ciuitatis.

Præſertim magiſtratus.

Etiam priuatos, ſed extra ordinem.

χὴν ἔχοιεν, συμβούλοις περὶ τοῦ νόμου χρῷτο) προσθεῖη, *vt & ipſis honorem adderet, quos licet priuatos in conſilium de lege hac adhiberet.* Priuatus erat & P. Africanus: *Qui cùm à C. Carbone Tribuno plebis in concione ſeditiosè interrogaretur, quid de Tiberij Gracchi morte ſentiret, reſpondit iure cæſum videri.* Notandum verò, vt id quoque breuiter attingam, ſi quando auctoritatis exquirendæ cauſa Proconſules in concionem producerentur, eos non niſi depoſito paludamento militari, orationem habuiſſe, nam vt auctor eſt idem Dio Caſſius lib. 48. primus omnium Lucius Antonius Triumuiri frater, Ἐν γε τῇ στρατιωτικῇ στολῇ ἐδημηγόρησεν, ὃ μηδεὶς ἄλλος ἐπεποιήκει. *In veſte militari quod à nemine factum fuerat habuit concionem.* Quando autem primum priuatis fas fuerit ad populum dicere ex Dionyſio Halicarnaſſeo lib. 5. antiquit. Rom. compertum eſt. Σπύριος Λουκρήτιος ἀνὴρ δήμῳ τίμιος, &c. λόγον αἰτησάμενος παρ' ἀμφοτέρων τῶν ὑπάτων, καὶ τυχὼν τῆς ἐξουσίας ταύτης πρῶτος, ὥς φασιν οἱ Ῥωμαίων συγγραφεῖς, οὔπω πώποτε Ῥωμαίοις ὄντος ἐν ἔθει δημηγορεῖν ἰδιώτην ἐν ἐκκλησίᾳ, κοινὴν ἐποιήσατο δέησιν ἀμφοτέρων τῶν ὑπάτων.

Vnde mos? *Spurius Lucretius, vir apud populum gratioſus,* &c. *cùm ab vtroque Conſule dicendi facultatem petiiſſet, eámque, vt Romanæ tradunt hiſtoriæ, primus omnium interpretaſſet (nondum enim apud Romanos in more poſitum erat, vt priuatus in concione peroraret) vtrumque ſimul Conſulem obſecrauit,* &c. Atque hæc ſatis, quibus liquet quanto ſcelere ſe Vatinius obſtrinxerit, qui eum in locum Iudicem contra Principes ciuitatis produxit, in quem reliqui magiſtratus, eoſdem auctoritatis exquirendæ cauſa producere conſuerant.

IV. INTERFICERE VOLVERAS.] Dio lib. 38. Ὡς δὲ καὶ αὐτὸς τι ἐβούλετο, καὶ ἀντιλέγειν ἐπειρᾶτο, αὐτός τε κατὰ τῶν ἀναβασμῶν ἐώσθη καὶ ῥάβδοι αὐτοῦ συνετρίβησαν. πληγάς τε καὶ τραύματα ἄλλοι τε καὶ οἱ δήμαρχοι ἔλαβον. καὶ ὁ μὲν νόμος οὕτως ἐκυρώθη. Βίβουλος δὲ τότε μὲν ἀγαπητῶς ἐσώθη.

Bibulus pene interfectus. *Poſtquam in ſuperiore loco conſtitutus contradicere legi aggreſſus eſt, & ipſe per gradus deiéctus, & faſces eius fracti, verberáque & vulnera cum aliis, tum Tribunis plebis impoſita ſunt. & lex ita lata eſt, & Bibulus ſua ſorte contentus fuit, quod incolumis euaderet.* Appianus 2. ciuilium: Καὶ οἱ μετὰ ξιφιδίων τάς ῥάβδους καὶ τὰ σημεῖα τοῦ Βιβλου διέκλων, καὶ τῶν δημάρχων ἔστιν οἷς περὶ αὐτὸν ὄντας ἔτρωσαν. *Sicarij fregerunt faſces & inſignia Bibuli, Tribunis quoque aliquot qui pro eo ſtabant vulneratis.*

V. CVIVS TV REBVS GESTIS.] Quantus fuerit Imperator Lucius Lucullus tum Cicero in Academicis oſtendit lib. 4. §. 3. *Tantus ergo Imperator in omni genere belli fuit, præliis, oppugnationibus, naualibus pugnis, totiúſque belli inſtrumentis, & apparatu vt ille Rex poſt Alexandrum maximus, hunc à ſe maiorem ducem cognitum, quàm quemquam eorum, quos legiſſet fateretur.* tum Plutarchus in eius vita: Ῥωμαίων δ' οἱ δεινότατοι στρατηγοὶ καὶ πλεῖστα πολέμοις ὡμιληκότες ἐπῄνουν μάλιστα τοῦ Λουκούλλου τὸ δύο βασιλεῖς τοὺς ἐπιφανεστάτους καὶ μεγίστους δυσὶ τοῖς ἐναντιωτάτοις τάχει καὶ βραδυτῆτι καταστρατηγῆσαι. Μιθριδάτην μὲν γὰρ ἀκμάζοντα χρόνῳ καὶ τριβῇ κατηνάλωσε. Τιγράνην δὲ τῷ σπεῦσαι συνέτριψεν. ἐν ὀλίγοις τῶν πώποτε ἡγεμόνων τῇ μελλήσει μὲν ἐνεργῷ, τῇ τόλμῃ δ' ὑπὲρ ἀσφαλείας χρησάμενος.

Luculli gloria militaris. *Romanorum Imperatores præſtantiſsimi, & plurimùm in bellis verſati, in Lucullo maximè laudabant. quod duos Reges clariſsimos & maximos, duabus rebus omnino contrariis ſuperaſſet, celeritate nimirum & tarditate. Mithridatem enim florentem mora, & cunctatione conſumpſit. Tigranem verò feſtinatione attriuit cum paucis Imperatoribus qui vnquam fuerunt, id agens, vt & cunctatione negotioſâ, & ſecurâ audacia vteretur.*

MAXIME LIBERVM.] Quanta ſiue libertate C. Curio, ſiue verborum acerbitate ciues turbulentos perſtrinxerit, declarat illud eiuſdem in Iulium Cæſarem dicterium. Suetonius in Iulio cap. 52. *Curio pater quadam eum oratione omnium mulierum virum, & omnium virorum mulierem eum appellat.* Id videlicet ex Bionis philoſophi dicto fuerat mutuatus, qui, apud Laërtium: Τὸν Ἀλκιβιάδην μεμφόμενος ἔλεγεν ὡς νέος μὲν ὢν τοὺς ἄνδρας ἀπάγοι τῶν γυναικῶν, νεανίσκος δὲ γενόμενος, τὰς γυναῖκας τῶν ἀνδρῶν. VI.

Curionis libertas.

PRINCIPE IVVENTVTIS.] Equitum duplex fuit ordo: vt alij Iuniores, ſeniores alij dicerentur. Princeps Equeſtris ordinis is dictus videtur, qui in primæ claſſis prima centuria (quæ ſeniorum fuit) principem locum obtineret: quo ſenſu ni fallor, Lucius Ælius Lamia *Princeps equeſtris ordinis* dicitur, in Piſonem *ex equeſtri ordine præſtantiſsimus* nominatur: vel quod in tranſuectione equitum, quæ ſingulis luſtris fiebat, omnium primus trabeatus, & equum manu ducens, ad Cenſorem procederet. de quo in Piſonem 64. Iam princeps Iuuentutis is dictus videtur, qui in primâ iuniorum Centuriâ primus incederet: Iuſtus Lipſius cap. 1. ſecundi electorum emendat Lampridium in Commodo: *Cooptatus inter troſſulos principes iuuentutis cùm togam ſumpſit.* Et ait eum qui primus in equeſtri ordine legeretur, dictum fuiſſe principem iuuentutis. *Reuera enim, inquit, Equites Iuuenes, deſcriptione Seruianâ: & quia ſtatim à togâ virili in hoc ordine fas cenſeri.* Laudat Liuium lib. 42. in oratione Perſei ad Macedonas ſuos. *Equitatum Romanum, quo inuictos ſe eſſe gloriabantur, fudiſtis. Equites enim illis, Principes iuuentutis, Equites ſeminarium Senatus.* Aliud tamen reuera fuit, vt diximus, princeps iuuentutis, aliud princeps equeſtris ordinis. fuerunt enim in hoc ordine, vt in cæteris, aliæ iuniorum centuriæ, aliæ ſeniorum, multíque etiā clari viri, cùm ſumma omnia adipiſci poſſent, vt Cicero pater Oratoris, vt Atticus vt Mecenas, guſto clauo contenti in equeſtri ordine ſenuerunt, è quibus par fuit legi principem totius ordinis, cùm ex adoleſcentibus princeps iuuentutis legeretur. de quibus tum equitum, tum peditum, tum ſeniorum, tum iuniorum centuriis vide Dionyſium lib. 4. Liuium lib. 1. & alios. Huius loci non eſt Centurias à turmis & decuriis diſtinguere. Tantùm aduerte hanc equitum tranſuectionem tumultuariam non fuiſſe, ſed in eâ tribuum & centuriarum habitam fuiſſe rationem. Halicarnaſſeus lib. 6. Antiquitatis Romanæ. apud quem equeſtris illa traductio ſic deſcribitur: Ἡ μετὰ τὴν θυσίαν ἐπιτελουμένη πομπὴ τῶν ἐχόντων τὸν δημόσιον ἵππον, οἳ κατὰ φυλάς τε καὶ λόχους κεκοσμημένοι στοιχηδὸν ἐπὶ τῶν ἵππων ὀχούμενοι πορεύονται πάντες, ὡς ἐκ μάχης ἥκοντες ἐστεφανωμένοι θαλλοῖς ἐλαίας, καὶ πορφυρᾶς φοινικοπαρύφους ἀμπεχόμενοι τηβέννας, τὰς καλουμένας τραβέας, ἀρξάμενοι μὲν ἀπὸ ἱεροῦ τινος Ἄρεως ἔξω τῆς πόλεως ἱδρυμένου, διεξιόντες δὲ τήν τ' ἄλλην πόλιν, καὶ διὰ τῆς ἀγορᾶς, καὶ παρὰ τὸ τῶν Διοσκούρων ἱερὸν παρερχόμενοι, ἄνδρες, ἔστιν ὅτε πεντακισχίλιοι, φέροντες ὅσα πα- VII.

Princeps Iuuentutis.

Equitum tranſuectio.

ἐκ τῶν ἡγεμόνων ἀριστεῖα ἔλαβον ἐν τοῖς μάχαις. Tranſuectio quæ poſt id ſacrificium fieri ſolet eorum qui publicum equum habent, qui ſecundum tribus & centurias diſpoſiti ordine equis inuehentes procedunt vniuerſi tanquam è pugna redeuntes, ramis oleaginis coronati, induti togis purpureis phœniceo colore intertextis, quas trabeas appellant, incipientes à quodam Martis templo quod eſt extra vrbem, & tum reliquam vrbem obeuntes, & per forum iuxta templum Caſtoris tranſeuntes, nonnunquam ad quinque hominum millia, ferentes præmia militaria quæ quiſque à ſuis imperatoribus acceperat. Id autem ſacrificium fiebat quotannis Idibus Quintilibus, ab ipſis Principibus equeſtris ordinis, vt videtur. Idem loco citato *διὰ τῶν μεγίστων ἱππέων*. An autem ſingulis annis ſuo Cenſori ſe ſiſterent, an tantùm ſingulis luſtris non eſt opus hoc loco diſquirere.

AXIOMATA.

Claris viris è ciuitate ſublatis ciuitas ſtare non poteſt

Non omnia ab omni ætate expectanda ſunt.

ARGVMENTVM.

Pergit nominare reliquos ciuitatis principes, quos Luc. Vettius, impunitate ſibi propoſitâ, inſidiarum & necis Pompeio paratæ conſcios fuiſſe, partim in Senatu, partim in Roſtris indicarat.

LVCIVM Domitium, cuius dignitas, & ſplendor perſtringebat, credo, oculos Vatinij quem tu propter commune odium in bonos, XXV.
oderas: in poſterum autem, propter omnium ſpem, quæ de illo eſt atque erat, antè aliquantò timebas: L. Lentulum hunc iudicem noſtrum, Flaminem Martialem, quòd erat eo tempore Gabinij tui competitor, eiuſdem Vettij indicio opprimere voluiſti. Qui ſi tum illam labem, peſtémque viciſſet, quod ei tuo ſcelere non licuit, Reſpublica victa non eſſet. Huius etiam filium eodem indicio, & crimine ad patris interitum aggregare voluiſti: L. Paullum, qui tum quæſtor Macedoniam obtinebat, quem ciuem! quem virum! qui duos nefarios patriæ proditores domeſticos hoſtes legibus exterminarat, hominem ad conſeruandam Rempubl. natum, in idem Vettij indicium, atque in eundem hunc numerum congregaſti.

EXPLANATIO.

LVCIVM DOMITIVM.] Ænobarbum. cuius prætura excepit Conſulatum Cæſaris, qui, vt bene notat hoc loco Goueanus: *Quemadmodum iam antè Cæſar preuiderat, atque ideo tollere de ciuitate voluerat ſtatim inito magiſtratu cum C. Memmio de Cæſaris actis reſcindendis retulit ad Senatum.* Indicauit autem Vettius L. Domitij *domum conſtitutam fuiſſe, vnde eruptio fieret.* lib. 2. ad Att. epiſt. 24.

QVEM TV.] appoſitè Lambinus *quem tùm* legendum exiſtimat, vt ſenſus ſit, quem tum temporis, cùm eſſet adhuc priuatus, partim oderas, propter commune odium in bonos, partim timebas in poſterum, ne ſcilicet poſtero tempore præturam aut conſulatum adeptus Cæſaris acta tuis ſeditionibus confirmata reſcinderet. Spes erat vt in præturâ Cæſaris acta reſcinderet, nunc ſpes eſt vt in Conſulatu.

LVC. LENTVLVM.] Vide quibus verbis & adiunctis à perſonarum dignitate Vatiniani ſceleris atrocitatem exaggeret, cúmque in inuidiam adducat. à iudiciariâ poteſtate *iudicem noſtrum*, à Sacerdotij dignitate *Flaminem Martialem.* à cauſſâ finali propter quam inſidiæ fuerant comparatæ. *quòd erat eo tempore Gabinij competitor.*

GABINII TVI.] Improbiſſimi hominis, tuáque amicitiâ digniſſimi.

COMPETITOR.] in petitione Conſulatus.

QVI SI TVM ILLAM LABEM.] qui Lucius Lentulus, ſi reiecto Gabinio Conſul fieri potuiſſet, non oppreſſa fuiſſet Reſpublica, non tot ſeditiones excitatæ, non turbulenti ciues de ciuitate me expuliſſent.

QVOD EI TVO SCELERE NON LICVIT.] Duobus modis potuit id ſcelere Vatinij Lentulo non licere. vel enim ſequeſter fuerat Vatinius ad corrumpenda populi Romani ſuffragia, vt Lentulo Gabinius præferuetur in petitione Conſulatus: vel, quod magis credo, Lentulus illo Vettij iudicio Vatinij ſceleribus ſubornato in inuidiam vocatus, paſſus eſt repulſam.

HVIVS ETIAM FILIVM.] Pathos ad exaggerandam Vatinij crudelitatem, qui non fuit patris nece contentus, niſi filium in idem vitæ periculum accerſeret. hic item Lucius Lentulus Flaminis filius nominatur ad Atticum.

LVC. PAVLVM.] Æmilium. Cicero eâdem epiſtolâ, *Maximéque in eo tum quidem Vettius eſt reprehenſus, quòd dixerat adoleſcentum conſilium fuiſſe, vt in foro cum gladiatoribus Gabinij Pompeium adorirentur: in eo principem Paulum fuiſſe, quem conſtabat eo tempore in Macedoniâ fuiſſe.*

QVEM CIVEM, QVEM VIRVM.] Paulum obiter commendat à boni viri & boni ciuis officiis.

QVI DVOS NEFARIOS.] P. Antronium eiúſque aliquem in coniuratione ſecundâ ſocium Goueanus intelligit. quos Luc. Paulus vel accuſarit, vel accuſatos de coniuratione damnauerit. Hunc enim ex libro 3. ad Atticum epiſt. 2. apparet exulaſſe. *Intelligebam ex eo loco ſi te haberem, poſſe me Brunduſium referre: ſine te autem non eſſe nobis illas partes tenendas propter Antronium.* Et epiſt. 7. eiuſdem libri. *Sed itineris cauſa vt diuertar, primum eſt deuium: deinde ab Antronio & cæteris quatridui, deinde ſine te.* Sed vide fuſiùs Goueanum.

NOTÆ.

I. SPLENDOR PRÆSTRINGEBAT OCVLOS.] Obtenebrabat, vt explicat Nonnius Marcellus. Plautus milite glorioſo:

Præſtringat oculorum aciem in acie hoſtibus.

Lucilius libro 30.

Præſtringáque oculorum aciem ſplendore micanti.

M. Tullius de Senectute: *Voluptas rationi inimica eſt, mentis, vt ita dicam, præſtringit oculos, nec habet vllum cum virtute commercium.* libro 2. de finibus: *Aciem animorum noſtrorum virtutis ſplendore præſtringitis.* Varro Andabatis: *Non mirum ſi cæcutis, aurum enim non minus præſtringit oculos, quàm τὸ σοῦ κράτος.* Noſter Diuinatione in Qu. Cæcilium 46. *Mihi enim videtur periculum fore, ne ille non modò verbis te obruat, ſed geſtu ipſo ac motu corporis præſtringat aciem ingenij tui, téque ab inſtitutis tuis cogitationibuſque abducat.* vbi Pedianus: *Vel à præſtigiatoribus tranſtulit verbum, vel à tironibus qui ignari & rudes pugnæ, etiam vano armorum ſonitu terrentur, præſtrictis luminibus.*

Præſtringere.

II. FLAMINEM MARTIALEM.] Liuius libro primo agens de Numæ inſtitutis: *Flaminem Ioui aſſiduum ſacerdotem creauit: inſignique eum veſte, & curuli regia ſella adornauit: huic duos Flamines adiecit: Marti vnum, alterum Quirino.* & quamuis eam iſta vulgaria ſint, tamen operæpretium erit rem paucis attingere. Feſtus Pompeius: *Flamen Dialis dictus, quod filo aſſidue veletur: indéque appellatur flamen, quaſi filamen.* Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 2. Τοῖς καλουμένοις ὑφ' Ἑλλήνων στεφανηφόροις, ὑπὸ δὲ Ῥωμαίων φλάμιου, οἳ ἐπὶ τῆς φορήσεως τῶν πίλων, καὶ στεμμάτων, ἃ καὶ νῦν ἐπιφοροῦσι, φλάμα (legerim φιλάμινα) καλοῦντες, οὕτω προσαγορευόμενοι. *Iis quos Græci στεφανηφόρους coroniferos, Romani Flamines appellant, ſic dictos à geſtatione pileorum, & coronamentorum, quæ etiamnum geſtant, flamina nominantes.* Adſtipulatur & Plutarchus in Numa: Τοῖς οὖσιν ἱερεῦσι Διὸς καὶ Ἄρεος τρίτον Ῥωμύλου προσκατέστησεν, ὃν φλαμίνα Κυρινάλιον ὠνόμασεν. ἐκάλουν δὲ καὶ τοὺς προτέρους ἱερεῖς, φλαμίνας, ἀπὸ τῶν περικεφαλαίων πίλων, οὓς περὶ ταῖς κεφαλαῖς φοροῦσι, πιλαμίνας τινὰς ὄντας. *Sacerdotibus Iouis & Martis, qui tunc erant, tertium Quirini Sacerdotem adiunxit: quem & Flaminem Quirinalem vocauit. Priores etiam Flamines nominabant à pilis capiti circumiectis, quaſi pilamines.* Vides obiter Plutarchum nonnihil à Liuio diſſidere. nam ex Liuio Flamen Dialis à Numa primùm creatus eſt, ante quem Rex *ipſe plurima ſacra obibat, ea maximè quæ ad Flaminem Dialem pertinent.* Ac ex Plutarcho, duobus Flaminibus Diali & Martiali, qui ante Numam erant, tertius Quirinalis adiectus eſt. Varro libro quarto de lingua Latinâ, vt Scaliger emendat: *Flamines quòd Licio in apice velati erant ſemper, ac caput cinctum habebant filo, Flamines dicti.* Idem libro 6. *Tutulati dicti hi qui in ſacris in apicibus habere ſolent vt metam. id tutulus appellatur ab eo quod matresfamilias crines conuolutos ad verticem capitis quos habent vti velatos, dicunt tutulos, &c.* quem in locum multa Scaliger eruditè. Ego veſtigiis eius ſic inſiſtam, vt tamen & rem alio ordine digeram, & auctores oſtendam è quibus vnumquodque depromſerit. Flamines, à filo dicti, ſiue velamine capitis. Liuius libro 1. *Legatus vbi ad fines eorum venit, vnde res repetuntur, capite velato, (filum lanæ velamen erat) audi Iupiter, inquit, audite fines.* Virgilius 12. Æneidos:

Flamen Dialis. Martialis. Quirinalis. Flamen vnde dictus. Flamen vnde dictus.

Velati lino & verbenâ tempora vincti.

Totus hic pileus Sacerdotalis, vel potiùs velamen flammeum dicebatur. Feſtus Pompeius: *Flameo amicitur nubens ominis boni cauſa, quod eo vtebatur Flaminica, id eſt, Flaminis vxor, cui non licebat facere diuortium.* vnde & Flamines, quaſi filamines dictos iam ſupra oſtendimus. quo ſenſu Papinius pro capitis amictu nomen Flaminis vſurpat:

Flameum.

Lanea cui Phrygij coma Flaminis.

quod Maro 3. Æneidos ſic expreſſerat:

Et capita ante aras Phrygio velamur amictu.

Hic porro capitis amictus deſinebat in conum, vnde & apex nominatus. Lucanus lib. 1. v. 604.

Attollensque apicem generoſo vertice Flamen.

Apicem Halicarnaſſeus libro 2. ita deſcribit: Καὶ περὶ ταῖς κεφαλαῖς πίλους ἔχοντες ὑψηλοὺς εἰς σχῆμα συνηγμένους κωνοειδὲς, οὓς Ἕλληνες προσαγορεύουσι κυρβασίας. *Geſtant etiam capitibus quos vocant apices, faſtigiatos in coni formam pileos, Græci appellant κυρβασίας.* Feſtus tamen: *Apex, inquit, qui eſt Sacerdotum inſigne, dictus eſt ab eo, quod comprehendere antiqui vinculo, apere dicebant.* Summum vt iam in Varrone legimus, apicis faſtigium vocabant tutulum. Addebatur virgula ex fœlici arbore, quæ in flaminibus dicebatur ſtroppus, in Flaminis inarculum. apud Feſtum Pompeium: *Stroppus eſt vt Atteius Philologus exiſtimat, quod Græcè στρόφιον vocatur, & quod ſacerdotes pro inſigni habent in capite. quidam coronam eſſe dicunt. aut quod pro corona in caput imponatur, quale ſit ſtrophium.* Item: *Struppi vocantur in puluinaribus faſciculi de verbenis facti, qui pro Deorum capitibus ponuntur.* Sed hic non inuenio claram virgulæ & fœlicis arboris mentionem. liquidiùs de inarculo: *Inarculum virgula erat ex malo punicâ incuruata, quam Regina ſacrificans in capite geſtabat.* Seruius: *Arculum eſt virga ex malo punicâ incuruata quæ fit, quaſi corona, & ima ſummáque inter ſe alligatur vinculo laneo albo. quàm in ſacrificiis certis Regina in capite habebat: Flaminica autem Dialis omni ſacrificatione vti debebat.* Gellius libro 10. cap. 15. inter alias Flaminicæ cerimonias duas haſce enumerat. *Et quod venenato operitur, & quod in rica ſurculum de arbore fœlici habet.* alij legunt, *de arbore ſiliqua.* Item Seruius: *Flaminicam præcipitur habere arculum, ricam, venenatum, fibulam.* In quibus vt duo quæ ſunt obſcuriora obiter explicemus. *Rica* auctore Varrone deducitur *à ritu, quòd Romano ritu ſacrificium fœminæ cùm faciunt capita velant.* & nomine venenati, eandem

Stroppus. Inarculum. arculum. Rica.

ricam ſiue amictum à purpureo colore ſic appellatum intelligo. Maro 3. Æneidos:

Purpureo velare comas adopertus amictu.

ac venenatum pro purpureo ſumi liquet ex Horatio in arte:

Lana Tarentino violas imitata veneno.

Item ex Marone:

Venenum. *Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno.*

Ennius à Lacerda citatus:

-quo iam ſemel eſt imbuta veneno.

Caius I. C. l. c c x x x v. de verb. ſignific. *Veneni nomine continetur omne quod adhibitum eius rei cui adhibitum eſt naturam mutat.* Græci φάρμακα & φαρμακεύειν, ſic vſurpant. Euſtathius in 4. Iliados: ΟΥ μόνον τὸ φαρμακεύειν ἰατρικὴ λέξις, ἀλλὰ καὶ φαρμάττειν καὶ στομοῦν σίδηρον ἐκ βαφῆς, καὶ τὸ ἁπλῶς βάπτειν· καὶ τὰ βαφεῖα φαρμακῶνες παρὰ τοῖς παλαιοῖς. *Non ſolùm* τὸ φαρμακεύειν, *quaſi diceres venenare eſt verbum medicorum, ſed etiam dicunt venenare & temperare ferrum, quod ſimpliciter dicitur tingere: & tinctoria apud veteres dicta ſunt venenaria.* Quod idem repetit libro 10. Odyſſeæ item lib. I. cùm dixiſſet φάρμακα vocari καὶ τὰ τῶν ζωγράφων βάμματα. *pictorum colores ſiue tincturas.* addit: Τινὲς δὲ καὶ ἐπὶ ἄνθους φασὶ τὸ φάρμακον, ὡς δηλοῖ ὁ φράσας ὅτι ἀφάρμακον τὸ ἄνευ ἄνθους. ἄνθη γὰρ τὰ φάρμακα. καὶ εὐφάρμακον τὸ εὔχροον. *Quidam verò dicunt pharmacum ſiue venenum de flore, vt oſtendit ille qui dixit* ἀφάρμακον, *pro eo quod eſt ſine flore. flores enim pharmaca ſiue venena. & bene venenatum quod eſt bene coloratum.* Quod ſequitur de fibula, crediderim eam non Flaminicæ ſolùm,

Fibula Flaminis. ſed etiam ipſi Flamini in vſu fuiſſe, neque enim aliter veſtem colligere potuiſſet. nam vt ſcribit

Flamen nodũ non habebat. Gellius lib. 10. cap. 15. *Nodum neque in apice, neque in cinctu, neque in aliâ parte vllum habet.* Sed iſta vix ad rem. pergit Scaliger: *Totus apex filo laneo velabatur, dicebatur apiculum.* Id ſumpſit ex

Apiculum. Feſto: *Apiculum filum, quo Flamines velatum apicem gerunt.* Atque hoc eſt apiculum ſiue filamen. vnde Varro, Dionyſius, Plutarchus Flaminis nomen ductum exiſtimant, quod filamen varij fuiſſe coloris videtur. Gellius loco ſæpè laudato. *Verba M. Varronis ex ſecundo rerum diuinarum ſuper Flamine Diali hæc ſunt: is ſolus album habet galerum, vel quod maximus eſt, vel quod Ioui immolata hoſtia albata fieri oporteat.* Ergo alij Flamines filaminis varij coloris habuerunt. nec temerè fortaſſe, ſed ſingulis Flamini-

Filamen Flaminis Dialis album fuit.

Atrum Martialis. bus ſui colores. quis igitur Flamini Martiali color acceptus? non reperi. atrum ſuſpicor, vtpote Bellonæ dedicatum. Tertullianus de pallio. 5. *Cur iſtas non ſpectas? vel illos item habitus, qui nouitate veſtitus religionem mentiuntur? cùm ob cultum omnia candidatum, & ob notam vittæ & priuilegium galeri, Cereri initiantur: cùm ob diuerſam affectionem tenebricæ veſtis, & tetrici ſuper caput velleris in Bellonæ montes fugantur, cùm latioris purpuræ ambitio & Galatini ruboris ſuperiectio Saturnum commendat: cùm ipſum hoc pallium moroſiùs ordinatum & crepidæ cretatæ græcatim Æſculapio adulantur.* Ex dictis liquet tum vnde nomen acceperint, tum qui cuius coloris apices geſtauerint, tum quot fuerint initio. tres nimirum Dialis, Martialis. Quirinalis à Numa primùm inſtituti, niſi Plutarchum potiùs audiamus, qui ante Numam agnoſcit Dialem &

Varij Flamines. Martialem. agnoſcit plures alios Varro libro 6. de linguâ Latinâ. *Sunt in quibus Flaminum cognominibus latent origines, vt qui ſunt in verſibus plerique, Volturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomonalis: obſcura eſt eorum origo, Volturnus, Palatus, Furina, Flora, Falacer, Pomona pomorum patrona.* Sed ij ſunt Flamines minorum gentium: Vulcanalis tamen libro quarto inter alios nominatur. alij 15. fuiſſe Flaminum genera prodiderunt. Sed addita Iuliis, Liuianis, Heluiis & cæteris gliſcente adulatione tot fuerunt, vt certo numero nequeant comprehendi.

FILIVM AD PATRIS INTERITVM AGGREGARE.] Egregius artifex ex eodem capite necis atrocitatem oſtendit. 2. Æneidos: III.

Iámque aderit multo Priami de ſanguine Pyrrhus
Natum ante ora patris, patrem qui obtruncet ad aram. Item:
Alterum in alterius mactatos ſanguine cernam.

Sed nemo in hac deſcriptione cum ipſo Priamo certauerit Iliados x. verſu 57. ſuam necem ita prædicente:

Πρὸς δ' ἐμὲ τὸν δύστηνον ἔτι φρονέοντ' ἐλέαιρε
Δύσμορον, ὅν ῥα πατὴρ Κρονίδης ἐπὶ γήραος οὐδῷ
Αἴσῃ ἐν ἀργαλέῃ φθίσει, κακὰ πόλλ' ἐπιδόντα,
Υἷάς τ' ὀλλυμένους, ἑλκυσθείσας τε θύγατρας,
Καὶ θαλάμους κεραϊζομένους, καὶ νήπια τέκνα
Βαλλόμενα προτὶ γαίῃ ἐν αἰνῇ δηϊοτῆτι
Ἑλκομένας τε νυοὺς ὀλοῇς ὑπὸ χερσὶν Ἀχαιῶν Pathos à morte patris & filij.
Αὐτὸν δ' ἂν πύματόν με κύνες πρώτῃσι θύρῃσιν
Ὠμησταὶ ἐρύουσιν, ἐπεί κέ τις ὀξέϊ χαλκῷ
Τύψας, ἠὲ βαλὼν ῥεθέων ἐκ θυμὸν ἕληται.
At miſeri ſpirantis adhuc miſerere parentis,
Quem pater extremo, feſſum Saturnius æuo
Difficili fato perimet, mala plurima poſtquàm
Hauſerit infelix oculis, natóſque peremptos
Raptatáſque ſimul natas, thalamóſque iugales
Fœdatos, pueróſque ſolo miſerabile viſu
Afflictos, tractáſque nurus à milite Graio.
Poſtremum mea membra canes rorantia tabo
Veſtibulum ante ipſum rapiéntque trahéntque cruenti;
Poſtquam fatali gladio telóve peremptum
Prouoluens Mauors anima ſecreuerit artus.

Pulchrè etiam Lucretius lib. 6. exeunti.

Ex animis pueris ſuper exanimata parentum
Corpora nonnunquam poſſes retroque videre
Matribus & patribus natos ſuper edere vitam.

Tacitus 16. annalium de morte Veteris: *Eodem in cubiculo, eodem ferro abſcindunt venas, &c. Pater filiam, auiâ neptem, illa vtroſque intuens, & certatim precantes labenti animæ celerem exitum, vt relinquerent ſuos ſuperſtites & morituros,* &c. Sed haud ſcio an omnium optimè Noſter in Verrem. De Quæſturâ, legatione & præturâ vrbanâ. 76. ad quem te remitto.

Ab eodem adiecto mortem Qu. Ciceronis pathicè deſcribit Appianus 4. ciuilium: Κόϊντος δ' ὁ τοῦ Κικέρωνος ἀδελφὸς ἅμα τῷ παιδὶ καταληφθεὶς ἐδεῖτο τῶν σφαγέων πρὸ τοῦ παιδὸς αὐτὸν ἀνελεῖν. τὰ δ' ἐναντία καὶ τοῦ παιδὸς ἱκετεύοντος οἱ σφαγεῖς ἔφασαν ἀμφοτέροις διαιτήσειν, καὶ διαλαβόντες ἑτέρων ἕτεροι κατὰ σύνθημα φωνῆς ἀνεῖλον ὁμοῦ. *Quintus Ciceronis Frater cum filio comprehenſus ſicarios orabat vt ante filium de medio tolleretur, filio contra idem precante, vtrique ſe obſecundaturos eſſe dixerunt ſicarij, & alius alium capiens ex condicto ad vocis ſignum peremerunt eodem temporis veſtigio.* Ἰγνάτιοι δὲ πατὴρ καὶ υἱὸς συμφύντες ἀλλήλοις διὰ μιᾶς πληγῆς

ἀπέθανον, ϗ αὐτῶν αἱ κεφαλαὶ μὲν ἀπετέτμηντο, ϗ τὰ λοιπὰ σώματα ἔτι συνεπέπλεκτο. *Ignatij verô pater & filius ſe mutuo complexi vnâ plagâ ceciderunt, & eorum capita amputata ſunt, reliqua corpora in eodem complexu remanſerunt.* Tantùm triumuiralis proſcriptio potuit ſuadere malorum.

IV. Qvæstor Macedoniam obtinebat.] Commodè & eruditè Goueanus aduertit eos qui cum imperio prouinciis præerant, ſiquidem ſucceſſor tardabat, ipſique de prouinciâ decedere properarent, ne ſine gubernatore relinqueretur prouincia, Quæſtores interim ſolitos relinquere cum poteſtate, & tum prouincias dicebantur Quæſtores obtinere. Cic. lib. 6. ad Atticum epiſt. 6. *Nos prouinciæ præfecimus Cœlium puerum, inquies, & fortaſſe fatuum, & non grauem, & non continentem. aſſentior. fieri non potuit aliter.* Cur autem fieri non potuerit aliter, paulò poſt oſtendit: *Nam præter fratrem nemo erat, quem ſine contumeliâ Quæſtori, nobili præſertim, anteferrem.* Item: *adde illud. Pompeius eo robore vir, his radicibus, Qu. Caſsium ſine ſorte delegit, Cæſar Antonium. Ego ſorte datum offenderem.* Item libro 2. ad familiares epiſt. 15. *Ego de prouinciâ decedens Quæſtorem Cœlium præpoſui prouinciæ. puerum, inquis, at quæſtorem, at nobilem adoleſcentem, at omnium fere exemplo. neque erat ſuperiore honore vllus quem præficerem.* conſulatur.

Quæſtor decedente Proconſule prouinciam obtinebat.

AXIOMATA.

Bonorum dignitas & ſplendor præſtringit oculos improborum.

Crudele eſt filium ad patris interitum aggregare.

ARGVMENTVM.

Vatinij furorem impudentiâ quadam implicatum oſtendit; qui palam populo Romano ſpectante ad nonnullos nominandos impulerit, eundémque poſtea, ne ipſius fraudes detegerentur, in carcere iugularit.

XXVI. QVID ego de me querar, qui etiam gratias tibi agere debeo, quòd me ex fortiſſimorum ciuium numero ſeiungendum non putaris? Sed qui fuit ille tantus furor tuus, vt cùm iam Vettius ad arbitrium tuum peroraſſet, & ciuitatis lumina notaſſet, deſcendiſſétque de roſtris, eum repente reuocares, colloquerere, populo Romano vidente? deinde interrogares ecquoſnam alios poſſet nominare? inculcaríſne, vt C. Piſonem generum meum nominaret? qui in ſumma copia optimorum adoleſcentium, pari continentia, virtute, pietate reliquit neminem: itémque M. Laterenſem, hominem dies ac noctes de laude, & de Republ. cogitantem? promulgaríſne, impuriſſime & perditiſſime hoſtis, quæſtionem de tot ampliſſimis, & talibus viris? indici Vettio præmia ampliſſima? quibus rebus omnium mortalium non voluntate, ſed conuitio repudiatis, fregeríſne in carcere ceruices ipſi illi Vettio, ne quod indicium corrupti indicij exſtaret, eiúſque ſceleris in te ipſum quæſtio flagitaretur?

EXPLANATIO.

QVid ego de me qverar.] Commodè illatam ſibi iniuriam diſſimulat eleuátque, fingitq. ſe habere gratiam Vatinio, quod ipſum cum cæteris appellarit, nec à bonorum ciuium numero ſegregarit. Ciceronem tamen Vettius non nominarat, ſed ab adiunctis deſcripſerat. epiſtolâ ſæpè laudata: *Me non nominauit, ſed dixit Conſularem diſertum, vicinum Conſuli, ſibi dixiſſe Ahalam Seruilium aliquem, aut etiam Brutum opus eſſe reperiri.*

Sed qvi fvit ille tantvs fvror tvvs.] Vt cum Vettio in aurem colloquens, iterúmque interrogans eum iudicem à te fuiſſe ſubornatum palam oſtenderes. de hoc eâdem epiſtolâ: *addidit ad extremum, cùm iam dimiſſâ concione reuocatus à Vatinio fuiſſet, ſe audiſſe à Curione, his de rebus conſcium eſſe Piſonem generum meum, & M. Laterenſem.* Quod ſummi furoris fuit: nam hoc pacto ſatis indicabat Vatinius, Vettium non quos ipſe ſciret, ſed quos dicere iuberetur, ad nutum Vatinij nominare.

Incvlcarisne.] Etiam atque etiam ſubieceris, vt C. Piſonem Craſſipedem virum meæ Tulliolæ inter cæteros coniurationis illius conſcios nominaret, qui Piſo, tantâ fuit continentiâ in auaritiâ, libidine, cæteríſque cupiditatibus edomandis, tantâ virtute in ſubeundis pro Republ. periculis, tantâ pietate tum erga alios, tum erga meipſum. quo tempore exulaui, vt quamuis ciuitas optimis adoleſcentibus abundaret, neminem tamen æquali virtute præditum ſuperſtitem reliquerit. ait ſuperſtitem, quia exulante Cicerone diem obierat.

Marcvm Laterensem.] M. Iuuentium Laterenſem, de quo pro Plancio fuſiſſimè.

Promvlgarisne.] Ferre cogitaris legem, vt in eos quos Vettius nominauerat, iudiciis quæreretur, & præmia darentur Vettio, qui paratas inſidias detexerat.

Qvibvs rebvs.] Ibidem ad Atticum: *Quod totum irriſum eſt: Vettio pugionem defuiſſe niſi*

niſi ei Conſul dediſſet, eóque magis id reiectum eſt quòd ad II. idus Maij Bibulus Pompeium fecerat certiorem vt caueret inſidias, in quo ei Pompeius gratias egerat. quod in Senatu factum narrat: ſed idem ſuſpicari licet de concione.

NON VOLVNTATE SED CONVITIO.] Libenter legerim *non voce.* conuitium eſt confuſus vocum ſtrepitus & vehemens reclamatio.

FREGERISNE IN CARCERE CERVICES.] Iugularíſne Vettium, veritus ne ſi confeſſus fuiſſet ſe tuo hortatu ad calumniam ſubornatum fuiſſe, in te ipſum, qui quæſtionem in alios promulgaueras, de hoc ſcelere quæreretur.

NOTÆ.

I. QVID EGO.] non abſimile eſt illud 2. Philipp. 25. obiecerat Antonius, *Cæſarem meo conſilio interfectum. Iam vereor P. C. ne quod turpiſſimum eſt præuaricatorem mihi apposuiſſe videar, qui me non ſolùm meis laudibus ornaret, ſed etiam honoraret alienis.* & 35. *in huius me conſilij ſocietatem, tanquam in equum Troianum includi cum principibus non recuſo. ago etiam gratias quoquo animo facis.*

II. INDICI VETTIO.] Dubito an *Index* fuerit Vettij cognomen, an à facto coniurationis indicio id agnomen acceperit. Suetonius certè id ſumere videtur pro familiæ cognomine. in Iulio cap. 17. *Recidit rurſus in diſcrimen aliud inter ſocios Catilinæ nominatus, & apud Nouium Nigrum Quæſtorem à L. Vettio Indice, & in Senatu à Quinto Curio: cui quod primus conſilia coniurationis detexerat, conſtituta erant publicè præmia.*

III. PRÆMIA.] Ex more. proponebant enim iis præmia qui occultas coniurationes detexerant. Sic Vindicio, qui filiorum Bruti & aliorum conſpirationem indicarat, *præmium indici, pecunia ex ærario, libertas & ciuitas data. ille primùm dicitur vindictâ liberatus, quidam vindictæ quoque nomen tractum ab illo putant.* Liuius, Dionyſius, Plutarchus, alij. aliquanto poſt cùm nonnulli conſilia de reducendis regibus agitarent, Senatuſconſultum factum eſt, vt refert Halicarnaſſeus libro quinto: Τοῖς μηνύσασι τὴν ἐπίθεσιν πολιτείαν δεδόσθαι, καὶ ἀργυρίου μυρίας ἑκατέροις δραχμὰς, καὶ πλέθρα γῆς δημοσίας εἴκοσι. *Coniurationis indices ciuitate donari, & ſingulos eorum decem drachmarum millibus, & terræ publicæ iugeribus viginti.* Quid autem per drachmas hîc velit, facilè ex ſequentibus intelliges. Nam aliquot poſt annis ab V. C. 335. ſeruorum coniuratione diſcuſſâ, *Indicibus dena millia grauis æris, quæ tum diuitiæ habebantur, ex ærario numerata, & libertas præmium fuit.* Liuius lib. 4. Item, vt refert lib. 22. I. bello Punico 2. *Speculator Carthaginienſis qui per biennium fefellerat, Romæ deprehenſus præciſiſque manibus dimiſſus: & ſerui quinque & viginti in crucem acti, quòd in campo Martio coniuraſſent. indici data libertas & æris grauis viginti millia.* id eſt, 200. coronati. eodem bello cum magna pars fori incendio deflagraſſet lib. 26. *Conſul ex auctoritate Senatus pro concione edixit, qui quorum opera id conflatum incendium profiteretur, præmium fore libero pecuniam, ſeruo libertatem,* &c. *Indici libertas data, & viginti millia æris.* & libro 27. Campanorum coniuratione detectâ, *indicibus libertas & æris dena millia data.* Sed libro 39. illud inſigne eſt Sp. Poſthumio, *referente de P. Ebutij, & Hiſpalæ Feceniæ præmio, quòd eorum operâ indicata Bacchanalia eſſent, S. C. factum eſt vt ſingulis his centena millia æris* mille coronatos, *Quæſtores vrbani ex ærario darent, vtique Conſul cum Tribunis plebis ageret, vt ad plebem primo quoque tempore ferrent, vt P. Ebutio emerita ſtipendia eſſent, ne inuitus militaret, néve Cenſor ei equum publicum aſſignaret: vtique Feceniæ Hiſpalæ datio, diminutio, gentis emptio, tutoris optio item eſſet: quaſi ei vir teſtamento dediſſet, vtique ei ingenuo nubere liceret: neu quid ei qui eam duxiſſet, ob id fraudi ignominiæve eſſet,* &c. Salluſtius in Catilinâ cui cæteri ſuffragantur.

Præmia delatorum.

IV. OMNIVM MORTALIVM.] Vide Piſonianam 77. item 96.

V. CONVITIO.] Vide Cœlianam §. 6.

VI. FREGERISNE IN CARCERE CERVICES.] Etſi *reus erat apud Craſſum diuitem Vettius de vi: & cùm eſſet damnatus erat iudicium poſtulaturus.* Vt epiſtolâ ſæpè laudatâ dicitur, non eſt tamen quòd eum de conſilij ſententiâ iugulatum exiſtimes. Appianus 2. ciuilium: Οὐέττιος φυλασσόμενος ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ νυκτὸς ἀνῃρέθη. εἰκαζομένου δ' ἐς ποικίλα τοῦ συμβεβηκότος, ὁ Καῖσαρ οὐκ ἀνίει, καὶ τοῦτο δεδρᾶσθαι λέγων τοὺς δεδιότας. *Vettius in carcere noctu necatus eſt. cúmque hunc caſum varij variè interpretarentur, Cæſar nihil remittebat, hoc etiam factum eſſe dicens à conſciis, & timentibus.* Dio 38. ἔς τε τὸ οἴκημα ἐσέπεσε κἀνταῦθα οὐ πολλῷ ὕστερον ἐδολοφονήθη. *Et in carcerem coniectus eſt, & ibi non multò pòſt per fraudem occiſus eſt.* Suetonius in C. Iulio cap. 20. cædem hanc in ipſum Cæſarem refundit. *In vniuerſos diuerſæ factionis induxit Vettium præmiis, vt ſe de inferendâ Pompeio nece ſollicitatum à quibuſdam profiteretur, productúſque pro roſtris auctores ex compacto nominaret: ſed vno atque altero fruſtra, nec ſine ſuſpicione fraudis nominatis, deſperans tam præcipitis conſilij euentum, intercepiſſe veneno indicem creditur.*

Mors Vettij.

AXIOMATA.

Honeſtum eſt à fortium ciuium numero ſeiungendum non putari.

Bonus ciuis debet dies ac noctes de laude ac de Repub. cogitare.

ARGVMENTVM.

Hactenus de iudicio Vettiano, nunc ad legem æquam illam quidem, ſed cum ſcelere de alternis iudiciis reiiciendis latam, delabitur; eámque ideo reprehendit, quòd Caium Antonium de coniuratione & de pecuniis repetundis reum beneficio ſuæ legis excluſerit.

XXVII. ET quoniam crebro vſurpas, legem te de alternis conſiliis reiiciendis tuliſſe, vt omnes intelligant, te ne rectè quidem facere ſine ſcelere potuiſſe, quæro, cùm lex eſſet æqua promulgata initio magiſtratûs, multas etiam alias tuliſſes, exſpectaríſne, dum C. Antonius reus fieret apud Cn. Lentulum, & Q. Claudium? &, poſteaquam ille eſt reus factus, ſtatim tuleris in eum, qui tuam poſt legem reus factus eſſet, vt homo conſularis excluſus miſer, puncto temporis, ſpoliaretur beneficio, & æquitate legis tuæ.

EXPLANATIO.

DE ALTERNIS CONSILIIS REIICIENDIS.] Legem tulerat Vatinius, vt hunc locum interpretatur Manutius: *Non vt ſinguli qui nos Iudices reus & accuſator reiiceret, quod fieri ſolitum docet Pedianus, ſed vt vel totum conſilium, id eſt, omnes Iudices vterque ſemel poſſet reiicere. quam legem vt æquam probat Cicero: quia ſubiungit, vt omnes intelligant te ne rectè quidem facere, ſine ſcelere potuiſſe.* Vide Notas.

CONSILIIS.] Iudiciis. Verrina tertia, *quos is annuerat, in ſuum conſilium ſine cauſa ſubſortiebatur.*

STATIM TVLERIS IN EVM.] Vatinius Antonium volebat beneficio ſuæ legis excludere, ne ſcilicet ex beneficio legis alterna iudicia poſſet reiicere. cùm igitur præuideret Vatinius fore vt dies Antonio diceretur, legem quam promulgauerat ferre noluit antè quàm ille reus factus eſſet, mox vt eum excluderet, his verbis legem tulit vt quicunque poſt hac reus fieret, is alterna conſilia poſſet reiicere. reus igitur factus antè quàm lex ferretur Caius Antonius, ſpoliatus eſt beneficio legis, ex quo conſtat Vatinium, id quod promulgarat miſericordiæ nomine ad crudelitatis tempus diſtuliſſe.

IN EVM.] in omnem, in quemcunque.

NOTÆ.

I. VSVRPAS.] Nonnunquam idem eſt atque gloriari. 2. Philippica §.70. *At quam crebro vſurpat & Conſul & Antonius.*

II. DE ALTERNIS CONSILIIS.] Huius Vatiniæ legis vix vllum eſt in antiquitate veſtigium, ſuſpicionibus agendum eſt, quas tamen nolim pro oraculis obtrudere. de hac fortaſſe vel ſimili agitur his verbis in Plancianâ, *De ipſo quoque ambitu reiectionem fieri voluerit, iudiciûm alternorum.* quæ enim ibi iudicia appellat, hic alterna conſilia videtur nominare, vt iam ex Verrinâ tertiâ oſtenſum eſt. Cùm igitur periculum eſſet, ne Iudices in ferendis ſententiis gratiâ aut inimicitiis ducerentur, ſapienter fuit inſtitutum, vt reus quinque Iudices quos reus infeſtos ſibi & in ferendâ ſententiâ inimicitiis ductum iri ſuſpicabatur, à Iudicum numero ſegregaret & reiiceret, ne autem aliunde improba, vt ait Iuuenalis:

Gratia fallacis prætoris vinceret vrnam.

id eſt, ne reiectis iis, quos reus infeſtos ſibi fore iudicabat, plures rei familiares cognoſcerent, eúmque gratiâ & miſericordiâ abſoluerent, accuſatori fas erat totidem Iudices reiicere. Verùm quoniam hoc quoque modo fieri potuiſſet, vt ſubtractis & reiectis quinque Iudicib. rei familiaribus, nemo ſupereſſet beneuolus, ſed omnes infenſi iudicarent, legem in fauorem reorum tulit Vatinius, vt omnes ſimul iudices poſſent reiicere. verbi cauſâ. accuſat Titium Sempronius. Iudices triginta ſortiuntur. è Iudicibus quinque amici Lex de alternis conſiliis. ſunt Titio, cæteri inimici. cùm igitur Titius infeſtos ſibi quinque, amicos Titij quinque Sempronius reiecerit, ſupererunt viginti Iudices, ſed omnes ad vnum reo inimici. Quid igitur faciet Titius ne Iudicum inimicitiis, accuſatoris calumniis innocens opprimatur? Huic malo occurrit ſuâ lege Vatinius, vt reus ſi omnes, vel maiorem Iudicum partem ſuſpectam haberet, poſſet omnes ſimul & ſemel reiicere. ne tamen hac ratione iudiciorum laqueos euaderet, & ſemper repudiatis iudicibus, cauſam dicere nûquam cogeretur, prouidit Vatinius vt alternatim id fieri liceret, id eſt, ſi reus vno die omnes iudices reiecerat, ſecundo die non poſſet, poſſet tertio, non poſſet quarto, & ita deinceps. Sed de Iudicum ſortitione, reiectione, ſubſortitione alibi dicendum eſt. Nota verò hic cõſilium dici pro conſeſſu. pro Milone: *Non enim coronà conſeſſus veſter cinctus eſt vt ſolebat.* Sanctus autem Thomas 1.2.q.10. art.13. in c. *Dicitur*, inquit, *conſilium, quaſi conſidium, eo quod multi conſident, ad ſimul conferendum.* act. 1. in Verrem: *Libelli nominum veſtrorum conſiliique huius in manibus erant omnium.* vbi conſeſſum Iudicum intelligit. Cicero ad Atticum l.1. ep.15. Iudicum cõnſeſſus etiam conſilium appellat, cuius verba tanquam ad iudicum reiectionem ſpectantia fuſiùs hoc loco referentur. *Nam vt reiectio facta eſt, clamoribus maximis, cùm accuſator, tanquam cenſor bonus homines nequiſſimos reiiceret, reus tanquam clemẽs laniſta, frugaliſſimum quemq, ſecerneret, vt primùm Iudices conſederũt, valdè diffidere boni cœperunt; non enim vnquã turpior in ludo talario conſeſſus fuit, maculoſi Iudices, nudi equites, Tribuni non tã ærarij, vt appellantur, quàm ærati: pauci tamen boni inerãt, quos reiectione fugare ille non potuerat, qui mœſti inter ſui diſſimiles & mœrẽtes*

ſedebant, *& contagione turpitudinis vehementer permouebantur. Hic vt quæque res ad conſilium primis petitionibus referebatur*, *incredibilis erat ſeueritas*, *nullâ varietate ſententiarum*, &c. & paulò pòſt: *refertur ad conſilium : vna ſola ſententia præſidium non deſiderauit*, &c. infrà: *quæſito quæſitore*, *conſilióque delecto.* Cæterum opus eſt hic Turnebi verba adſcribere, quantumuis nonnihil à noſtra explicatione diſſentiat, vt videat lector quam ſequatur. *Quæ ſunt alterna conſilia*, *de quibus Vatinium legem promulgaſſe ait?* Conſilia Iudicum cœtus intelligo, quibus vtebatur prætor aut quæſitor. poſt autem ſortitionem Iudicum ab accuſatore & reo nominatim reiiciebatur & ſigillatim hic & ille: at Vatinius permiſit, vt cùm ſortitus eſſet prætor conſilium, reo totum conſilium, non hunc aut illum Iudicem reiicere liceret: quod idem etiam licere voluit accuſatori. ita vterque viciſſim alterniſque reiiciebat lege Vatinia, ſimilis eſt ratio alternarum ciuitatum in Verrem his verbis, *Quod priuatus à populo petit*, *aut populus à priuato*, *Senatus ex aliqua ciuitate*, *qui iudicet datur*, *cùm alternæ ciuitates reiectæ ſunt.* Licebat enim illis alternis ciuitates reiicere, vt de vna cōueniret, vt lege Vatiniâ licebat reiicere alternis conſilia Iudicum, vt de vno inter reum & accuſatorem conueniret. Hæc ille.

III. DVM CAIVS ANTONIVS REVS FIERET, &c.] Duobus diuerſíſque criminibus, de repetundis à Qu. Fabio Maximo, de vi & coniuratione à M. Cœlio Rufo accuſatus fuit Antonius, (quorum alteri Cn. Lentulus, alteri Qu. Claudius præfuit) & in vtroque damnatus eſt. quod de repetundis damnatus fuerit ex hoc ipſo loco compertum eſt. quod de vi & coniuratione patet ex Cœlianâ §. *Accuſauit Cælius C. Antonium collegam meum*, *cui miſero præclari in Rempublicam beneficij memoria nihil profuit*, *nocuit opinio maleficij cogitati.* Et paulò pòſt: *Non enim poteſt*, *qui hominem Conſularem*, *quòd ab eo Rempublicam violatam diceret*, *in iudicium vocarit ipſe in Rempublicam ciuis eſſe turbulentus.* Quamquam eum de vi damnatum fuiſſe inficiatur Dio, vt paulò pòſt eius verba referũtur. Iam eundem accuſatũ fuiſſe de pecuniis repetundis, tum illa Ciceronis lib. I. ad Atticum epiſt. II. innuunt. *Libertum ego habeo ſanè nequam hominem*, *Hilarum dico ratiocinatorem & clientem tuum. de eo mihi Valerius interpres nuntiat*, *Chiliáſque ſe audiiſſe ſcribit hæc*, *eſſe hominem cum Antonio : Antonium porro in cogendis pecuniis dictitare partem mihi quæri*, *& à me cuſtodem communis quæſtus libertum eſſe miſſum.* cúmque cauſam eſſe dicit, cur *nec per bonorum*, *nec per popularem exiſtimationem honeſtè poſſit hominem defendere.* tum Dio manifeſtè declarat, cùm dixiſſet eum factum fuiſſe de vi & coniuratione Catilinariâ, damnatum tamen fuiſſe de pecuniis repetundis, licet de hoc poſteriore crimine diem Antonio dictam fuiſſe negare videatur. καὶ συνέβη αὐτῷ ὧν μὲν ἐκρίνετο μὴ ἐλεγχθῆναι, ὧν δ' οὐκ ᾐτιάζετο κολασθῆναι. *Et accidit ipſi vt quo crimine reus erat*, *non abſolueretur*, *quo non accuſabatur*, *eo damnaretur.* Sed hæc Ciceroni, quæ tamen ipſe vidit. Et quorum pars magna fuit, vides eſſe contraria.

Damnatio C. Antonij.

PVNCTO TEMPORIS.] Tempore puncto dicit Lucretius libro ſecundo de nat. rerum. IV.

Nónne vides etiam patefactis tempore puncto
Carceribus, *non poſſe tamen prorumpere equorum*
Vim cupidam, *tam de ſubito quàm mens auet ipſa?*

Punctum teporis.

Item:

Omnia poſtremo quæ puncto in tempore cernis
Diffugere.

Lib. 4.

Iámne vides igitur quam puncto tempore imago
Ætheris ex oris ad terrarum accidit oras?

Lib. 6.

Tranſit enim validè fulmen per ſepta domorum
Clamor vti ac voces : tranſit per ſaxa, *per æra*
Et liquidum puncto facit æs in tempore & aurum.

Idem tamen dicit temporis punctum : vt libro quarto.

Temporis in puncto rerum ſimulacra ferantur.

Paulò pòſt:

Immemorabile per ſpatium tranſcurrere poſſe
Temporis in puncto.

Et punctum diei. ibidem :

-Hæc puncto cernuntur lapſa diei
Per totum cœli ſpatium diffundere ſeſe.

AXIOMA.

Quidam ſunt adeo ſcelerati, vt ne rectè quidem facere, ſine ſcelere poſſint.

ARGVMENTVM.

Quemadmodum in cæteris criminibus Cæſaris auctoritate ſe Vatinius tuebatur, *ita hoc in crimine Quinti Fabij maximi nomen conabatur ſuo facto prætendere*, *quæ excuſatio futilis eſſe & vana oſtenditur. laudandus enim Quintus Maximus*, *qui ob inimicitias ſuſceptas beneficium legis Vatiniæ*, *præripuerit Antonio*, *ſceleratus Vatinius*, *qui in ferendâ lege Antonium priuilegio legis excluſerit.*

DICES familiaritatem tibi fuiſſe cum Q. Maximo. præclara defenſio facinoris tui : nam Maximi quidem ſumma laus eſt, ſumptis inimicitiis, ſuſceptâ cauſſâ, quæſitore, conſilióque delecto, commodiorem inimico ſuo contentionem reiectionis dare noluiſſe : nihílque Maximus fecit alienum à ſua virtute, aut illis viris clariſſimis, Paulis, Maximis, Africanis, quorum gloriam huius virtute renouatam non mo- XXVIII.

dò ſperamus, verùm etiam iam videmus. tua fraus, tuum maleficium, tuum ſcelus illud eſt, te id, quod promulgaſſes miſericordiæ nomine, ad crudelitatis tempus diſtuliſſe. Ac nunc quidem C. Antonius hac vna re miſeriam ſuam conſolatur, quòd imagines patris, & fratris ſui, fratríſque filiam, non in familia, ſed in carcere collocatas audire maluit, quàm videre.

EXPLANATIO.

DICES FAMILIARITATEM.] Hanc excuſationem facto prætendes, quòd Antonium à Quinto Fabio familiari tuo accuſatum beneficio legis tuæ priuamus, in eóque familiaris tui voluntati non tuis ipſius moribus fueris obſequutus.

PRÆCLARA DEFENSIO.] ironia eſt. ſuprà, *quæ ſit auctoritas eius qui ſe alterius non ſuo facto defendat.*

NAM MAXIMI QVIDEM SVMMA LAVS EST.] Hîc rationes profert cur Fabius Maximus, nihil fecerit alienum à ſuis maioribus, licet Antonium beneficio Vatiniæ legis excluſerit, & accuſatione ſua legis lationem præuenerit, ne alternæ reiectionis Iudicum beneficio reus frueretur. nam primò inimicitias ſumpſerat cum Antonio, cauſam ſuſceperat, quæſitorem qui iudicio præeſſet, conſiliúmque, id eſt, Iudices delegerat.

COMMODIOREM INIMICO SVO CONTENTIONEM REIECTIONIS.] Bene nonnulli *(conditionem)* legendum exiſtimant, longè enim melior & commodior fuiſſet Antonij conditio, ſi priuilegio legis Vatiniæ conſilia alterna reiicere potuiſſet. neq. enim accuſatoris & rei in alternis conſiliis reiiciendis potuit eſſe contentio, cùm præſertim ad ſolius rei commodum lex Vatinia pertineret, ſolíque reo reiiciendi conſilij poteſtatem tribuiſſe videatur. at verò ante legem Vatiniam fuit contentio, cùm accuſator alterum Iudicem, alterum reus reiiceret.

PAVLIS.] à L. Æmilio Paulo, qui de Macedoniâ deuictâ, Perſéque Rege capto triumphant, à quo hic Quintus Maximus Antonij accuſator prognatus eſt.

MAXIMIS.] Fabiis, in quorum familiam Æmilij Pauli filius, auus ni fallor huius Qu. Maximi noménque tranſiuerat, à Quinto Fabio Maximo Verrucoſi filio adoptatus.

AFRICANIS.] P. Cornelium Scipionem, Africanum, aui Fratrem, Lucíique Pauli Macedonici filium naturalem, ſed ab Africani Maioris filio in Scipionum familiam adoptatum intelligit. de quibus adoptionibus tum alij, tum Plutarchus in Paulo Æmilio conſulantur. ex quibus vides cur Paulos, Fabios, Africanos inter Maiores Quinti Maximi numerarit.

HAC VNA RE.] Hic, ni fallor, ingenioſè & eleganter, quamuis obſcuriùs Vatinij impietatem reprehendit, quòd cum Antonio calamitatis & exitij cauſa extitiſſet, quaſi ad inſultandum ipſius exilio, eiuſdem fratris filiam, ſororem opinor Marci Antonij, qui poſtea triumuir fuit, in matrimonium acceperit.

MISERIAM SVAM.] Exilij calamitatem.

FRATRISQVE FILIAM.] Hoc loco Manutius: *Sororem, inquit, vt opinor, M. Antonij, poſtea Triumuiri Vatinio nuptam ſignificat. nam par M. Antonij frater Caij Antony fuit, vterque M. Antonij oratoris filius. opinionem noſtram confirmat illud infra. cùm tu ei contumelioſiſſimè toties maledicas, quoties illi affinem te eſſe dicis. nam affinitatem inter Vatinium & Cæſarem ex eo contractam puto, quia M. Antonij mater erat Iulia, L. Cæſaris ſoror.* Hæc commodè Manutius.

IN CARCERE.] In domo Vatinij, indigna Antoniæ natalibus, ad quam imagines fratris, patris ſcilicet Antoniæ iam defuncti, & M. Antonij oratoris, tranſlatæ ſunt. vide Notas.

NOTÆ.

QVINTO MAXIMO.] Hic eſt opinor Quintus ille Fabius, Auguſti poſtmodum familiaris, ad quem à Naſone plures elegiæ conſcriptæ ſunt, de cuius morte Cornelius Tacitus 1. annalium: *Graueſcere valetudo Auguſti, & quidam ſcelus vxoris ſuſpectabant. quippe rumor inceſſerat paucos ante menſes Auguſtum electis conſciis & comite vno Fabio Maximo Planaſiam vectum ad viſendum Agrippam* (nepotem ſuum eò relegatum) *multas illic vtrimque lacrymas & ſigna charitatis, ſpémque ex eo fore, vt iuuenis penatibus aui redderetur. Quod Maximum vxori Marciæ aperuiſſe, illam Liuiæ, gnarum id Cæſari. Neque multo pòſt extincto Maximo, dubium an quæſitâ morte, auditos in funere eius Martiæ gemitus ſemet incuſantis, quòd cauſſa exitij marito fuiſſet.* Vide Plutarchum de garrulitate. qui tamen rem paulò aliter narrat, & non Fabium, ſed Fuluium appellat. I.

QVÆSITORE CONSILIÓQVE DELECTO.] Quæſitor ſiue Prætor qui præerat quæſtioni: de quo pauca dicemus in Milonianam 13. Quod autem ait *delecto*, non tam electio Quæſitoris & conſilij fuit, quàm ſortitio. De Quæſitore ſecunda in Verrem §. 21. *Cùm Prætores deſignati ſortirentur, & M. Metello obtigiſſet, vt is de pecuniis repetundis quæreret,* &c. Cæteri Iudices tam ſorte quàm partium voluntate iudicabant. Nam plures Iudices conſcribebantur. Eorum nominibus in vrnam coniectis Prætor ſortiebatur numerum neceſſarium ſortitionem reiectio, reiectionem ſubſortitio ſequebatur. Cicero eadem Verrinâ §. 16. *Manſit in conditione, atque pacto vſque ad eum finem dum Iudices reiecti ſunt. Poſteaquam reiectio iudicum facta eſt: quòd & in ſortitione iſtius ſpem fortuna populi Romani, & in reiiciendis Iudicibus mea diligentia iſtorum impudentiam vicerat renuntiata eſt tota conductio. Præclarè ſe res habebat. libelli nominum veſtrorum conſiliique huius in manibus erant omnium*, &c. Vide ſequentem Verrinam 17. 18. II.

Quæſtoris & conſilij electio.

Aſconius Pedianus : *Neceſſe erat eos primùm de curiâ Senatores conſcribi, cùm Senatus iudicaret.* Quod idem dicendum eſt de cæteris ordinibus, cùm iis communicata ſunt iudicia. *Deinde in vrnam ſortitò mitti, vt de pluribus neceſſarius numerus confici poſſet. Tertiò, id eſt, poſt vrnam, permitti accuſatori ac reo vt ex illo numero reiiciant, quos putauerint ſibi aut inimicos, aut ex aliquâ re incommodos fore*, &c. *In eorum locum qui reiecti fuerant, ſubſortiebatur prætor alios, quibus ille legitimus Iudicum numerus complectetur. priùs enim ſortitio dicebatur. His perfectis iurabant in leges Iudices, vt obſtricti religione iudicarent. Cùm iuraſſent omnes præter ipſum Prætorem, nomina eorum libellis conſignabantur, & vbique habebantur, ne pro ſelectis Iudicibus, vt fit in multitudine, aliqui ſuppoſiti corruptiſſimè iudicarent.* Atque hæc fuit quæſitoris conſiliique deligendi ratio ante legem Vatiniam.

III. QVOD PROMVLGASSES MISERICORDIÆ NOMINE AD CRVDELITATIS.] Non ſolùm, vt ait Plato, ἐσχάτη ἀδικία δοκεῖν δίκαιον εἶναι μὴ ὄντα, *extrema iniuſtitia eſt iuſtum videri, qui non ſit*, ſed etiam ſummæ immanitatis eſt crudelitati miſericordiæ nomen obtendere. vt Domitianus ille apud Suetonium cap. 11. *Quò contemptiùs abuteretur patientia hominum, nunquam triſtiorem ſententiam, ſine præfatione clementiæ pronuntiauit, vt non aliud iam certius atrocis exitûs ſignum eſſet, quàm principij lenitas.* Eandem ob cauſam cùm Caius crudeliſſimâ oratione ſuam clementiam in Senatu prædicaſſet, inter cæteros honores qui per fœdiſſimam adulationem huic ementitæ clementiæ decreti ſunt, Senatus decreuit: Καὶ διὰ τοῦτο καὶ τῇ φιλανθρωπίᾳ αὐτοῦ βουθυτεῖν κατ' ἔτος. *Eam ob cauſam ſingulis annis eius clementiæ tauros immolari.* vt ait Dio libro 59. Nimirum Tiberij crudelitati ſucceſſerat, quem crudelitati, qua ſæuiebat in omnes, miſericordiæ nomen prætexere ſolitum iidem & alij ſcriptores prodiderunt.

Clementia prætextus crudelitatis.

IV. IMAGINES PATRIS ET FRATRIS SVI.] In hunc locum ſic ſcribit Goueanus: *Damnatorum ſtatuæ in carcere ponebantur, quemadmodum ex hoc loco colligimus, ad perpetuam familiæ ignominiam. Audire maluit, quàm videre. in exilium ire maluit, quàm in vinculis mori*, &c. Hæc ille, cui Turnebus adſtipulatur. Sed non video quid hominem non imperitum in fraudem induxerit. Nam eodem modo non ſolùm imagines maiorum, illius qui damnatus eſſet, ſed etiam omnes eiuſdem conſanguineos in carcerem & vincla compingi ſolitos antiquitus dicere potuiſſet. Quæro enim cur ex hoc loco, quo fratris filia cum imaginibus patris & fratris coniungitur, has potiùs, quàm illam, atque adeò cæteros conſanguineos in carcerem coniici ad perpetuam familiæ ignominiam conſueuiſſe collegerit. Interpretationem igitur Manutij huic antepono, qui per carcerem, Vatinij domum intelligit, *in quam Antoniorum imagines, ducta Antoniâ, Vatinius tranſtulit, ademptas fortaſſe Caio Antonio poſt damnationem.* Quod liquidiùs vt appareat, tria hoc loco dicenda ſunt. Primò, videndum eſt an filiæfamilias ad mariti domum, maiorum ſuorum imagines transferrent. 2. cur dixerit in carcere non in familiâ Antoniorum imagines fuiſſe collocatas. 3. an damnatis maiorum imagines adimi conſueſſent. Quod ſpectat ad primùm nobiles non paterni tantùm, ſed etiam materni generis habuiſſe imagines colligi poteſt ex Iuuenale Sat. 8. qui cùm bene multa de fumoſis imaginibus earúmque vanitate dixiſſet, oſtendit ſe loqui de illo qui à materno genere nobilitatem accerſeret.

-*Tecum eſt mihi ſermo Rubelli*
Plance, tumes alto Druſorum ſanguine, tanquam
Feceris ipſe aliquid, propter quod nobilis eſſes,
Vt te conciperet, quæ ſanguine fulget Iuli.

Matronę maiorum ſuorũ imagines ad domum mariti tranſferebant.

Et clariùs à nuptâ tranſlatas fuiſſe in mariti domum imagines ex Sat. 6. oſtenditur:

Sit formoſa, decens, diues, fœcunda, vetuſtos
Porticibus diſponat auos.-

Liuius libro 1. de imagine quam Ancus Martius à materno genere acceperat: *Ancus Martius nobilis vnâ imagine Numæ.* Cicero Philippicâ ſecunda §. 26. *Brutos ego impellerem, quorum vterque L. Bruti imaginem quotidiè videret, alter etiam Halæ.* Quo ex loco planè intelligis Seruiliam matrem M. Bruti in Brutorum familiam, imagines Seruiliorum tranſtuliſſe. Sidonius Apollinaris in Narbone:

Huic ſummi ingenij viro, ſimúlque
Summæ nobilitatis atque formæ
Iuncta eſt fœmina, quæ domum ad mariti
Priſci inſignia transferens Iouini
Impleuit trabeis larem Sophiſtæ.

quibus verbis trabeatas maiorum imagines intelligit. ſubdit enim

Hæc per ſtemmata te ſatis potentem, &c.

Vide quæ dicentur ad Cœlianam 34. *Noſtræ imagines viriles.* Quod ſpectat ad ſecundum cur domum Vatinij non familiam, ſed carcerem nominarit. per carcerem, opinor, domum flagitiis & libidinibus infamem intelligit. Iuuenalis Sat. 10.

Carcer.

-*tantum artificis valet halitus oris*
Quod ſteterat multis in carcere fornicis annis.

Id eſt, *lupanar*, quod etiam cryptam, cellam luſtralem, fornicem vocabant. Iuuenalis:

Et ſolitus mediâ cryptam penetrare Saburrâ.

Plautus Bacchid.

-*Luſtraleis cellas quæſiui ſedulò.*

Prudentius contra Symmachum, vbi de Sole:

-*Intrat*
Carceris & rimas, & tetra foramina clauſi
Stercoris, & ſpurcam redolenti fornice cellam.

vt notat Ludouicus Dorleans nouis cogitationibus in Tacitum 2. annalium. De tertio videlicet an damnato quopiam familiæ imagines in carcerem traderentur, nulla poteſt eſſe difficultas, cùm Turnebus & Goueanus id ex hoc vno loco collegerint, cuius aliam penitùs eſſe ſententiam ſatis ſupérque docuimus: non ignoro tamen aliquâ ignominiâ deformatas fuiſſe. Tullius pro L. Murena 88. *Quo ſe miſer vertet? domúmne? vt eam imaginem clariſſimi viri parentis ſui, quam paucis antè diebus laureatam in ſua gratulatione conſpexit, eandem deformatam ignominia, lugentémque videat?* Inducere poſſit quempiam Iuuenalis, vt credat in atrocioribus criminibus etiam fractas fuiſſe non maiorum quidem, ſed ipſorum reorum imagines.

In luctu deformatæ maiorum imagines.

-*emptórque veneni*
Frangendâ miſeram funeſtat imagine gentem.

Sed longè ſecus eſt: de eo enim loquitur, cuius *proſperum & fœlix ſcelus Virtus vocatur.* non de damnato iudicum ſententiâ: ſenſus eſt enim, iſte

nefarius, quãuis poſteris ſuis imaginẽ relinquat, tantam tamen adfert familiæ infamiã, vt frangenda ſit ipſius effigies, quo eius memoria cum effigie pariter obruatur. Diſertè Ioannes Xiphilinus in Vitellio: ἐσύρετο ἐς τὸ δεσμωτήριον ὥσπερ καὶ οἱ ἀνδριάντες αὐτοῦ. *in carcerem vnà cum ſtatuis ſuis tractus eſt.* Alias tyrannorum ſtatuas luto oblini conſueſſe liquet ex Heliogabalo Lampridij, qui Alexandro Mammææ infenſus, *Miſit qui in caſtris ſtatuarum eius titulos luto tegerent, vt fieri ſolet de Tyrannis.* Trebellius in Celſo tyranno: *Imago in crucem ſublata perſultante vulgo, quaſi patibulo ipſe Celſus videretur affixus.* Vnum tamen inuenimus poſt mortem ſtatuâ donatum. Verba ſunt eiuſdem Trebellij Pollionis: *Senatus Conſultum de Piſone factum ad noſcendam eius maieſtatem libenter inſerui: Die ſeptimo Calendas Iunias cùm eſſet nuntiatum Piſonem à Valente interemptum, ipſum Valentem à ſuis occiſum Aurelius Fuſcus,* &c. *ait, Conſul Conſule, cùmque conſultus eſſet, Diuinos,* inquit, *honores Piſoni decerno, P. C.* &c. *neque enim melior vir quiſquam fuit, neque conſtantior. poſt quem cæteri conſulti, ſtatuam inter triumphales & currus quadriiugos Piſoni decreuerunt.* Dio Chryſoſtomus ad hunc morem alludit in Rhodiaca. Εἰ προδοσίαν βουλεύσειεν, ἢ τυραννίδα, τῶν τοιούτων ἔθος ἐστὶ τὰς τιμὰς ἀναιρεῖσθαι· κἂν ἐπιγραφῆς τινος πρότερον ὦσι τετυχηκότες. *Si proditionem facere, aut tyrannidem inuadere quis decreuerit, talium honores ſolent abrogari, etiamſi inſcriptionem quandam antea ſint adepti.* Ex hac opinor conſuetudine manauit illud quod refert Georgius Codinus in Conſtantinopolitanis: Ἐτυπώθη ὑπὸ τοῦ θεοφιλοῦς Θεοδοσίου Ἄρειος ἐν μαρμάρῳ ἀναγλύφῳ, γειτνιῶν τῇ γῇ, καὶ σὺν τῇ τοῦ Ἀρείου καὶ Μακεδονίου, Σαβελλίου καὶ Εὐνομίου πρὸς αἰσχύνην αὐτῶν, ὅπου καὶ οἱ παρερχόμενοι κόπρον, καὶ οὖρα καὶ ἐμπτύσματα ἐνείπωσιν αὐτοῖς. *Arius à Theodoſio pio principe è marmore calato expreſſus ad terram depreſſus eſt; & cum Arij effigie, ſimulacra Macedonij, Sabellij & Eunomij ad ipſorum ignominiam poſita ſunt, vt prætereuntes oletum, lotium, & ſputa in eos immitterent.*

Statuæ tyrannorum luto oblitæ, titulique deleti.

AXIOMATA.

Nihil faciendum eſt aut à noſtrâ virtute, aut à maioribus alienum.

Maiorum gloria poſterorum virtute renouatur.

Scelus eſt quod promulgaueris miſericordiæ nomine, id ad crudelitatis tempus differre.

ARGVMENTVM.

Hic ad aliud Vatinij ſcelus, auaritiam ſcilicet & peculatum, delabitur, quod in fœderibus faciendis, promulgandis legibus, cæteriſque Tribunatus actis aliud nihil quàm vtilitatem propriúmque commodum ſpectauerit.

XXIX. ET quoniam pecunias aliorum deſpicis, de tuis diuitiis intolerantiſſimè gloriaris: volo vti mihi reſpondeas, fecerísne fœdera Tribunus plebis cum ciuitatibus, cum regibus, cum Tetrarchis? erogarísne pecunias ex ærario tuis legibus? eripuerísne partes illo tempore cariſsimas partim à Cæſare, partim à publicanis? Quæ cùm ita ſint, quæro ex te, ſíſne ex pauperrimo diues factus illo ipſo anno, quo lex lata eſt de pecuniis repetundis acerrima? vt omnes intelligere poſſent, à te non modò noſtra acta, quos tyrannos vocas, ſed etiam amiciſsimi tui legem eſſe contemptam. Apud quem tu etiam nos criminari ſoles, qui illi ſumus amiciſsimi, cùm tu ei contumelioſiſsimè toties maledicas, quoties illi affinem te eſſe dicis.

EXPLANATIO.

FECERISNE FOEDERA TRIBVNVS PLEBIS.] Inierísne pacta & conditiones tuo arbitratu.

EROGARISNE.] Eripuerísne Senatui diſpenſationem ærarij, tulerísque vt Cæſari ex ærario pecunias erogare liceret, vt ager Campanus, colonis, quos in eum agrum tranſcribebat, diuidendus publicâ pecuniâ emeretur.

PARTES.] Manutius intelligit, *Munus, curationem, diſpenſationem ærarij, quæ ad Cæſarem Conſulem, qui de diuidendo agro Campano legem tulerat, pertinebat.* Malim ego cum Goueano ſic explicare, vt à Cæſare magnam pecuniæ vim eripuerit Vatinius, vt eius actiones iuuaret: à Publicanis verò pecuniam emunxerit, vt remiſſionem petentes iuuaret. nihil enim Cæſaris causâ, ſed pecuniæ fecerat in ſuo Tribunatu Vatinius. Sic enim aliquantò pòſt Orator: *Tum quæſiſſe quendam de Vatinio quemadmodum ferret, ipſum reſpondiſſe Vatinium in Tribunatu gratis nil feciſſe, qui omnia in pecuniâ poſuiſſet, honore æquo animo carere debere.* Cur verò Manutij ſententiam minùs probem, in Notis ratio reddetur. Nec omitto ſagacem eiuſdem Goueani cõiecturam, ſic enim hunc locum legendum exiſtimat, *Eripuerísne* (ſupple pecunias) *legibus per artes illo tempore clariſſimas,* &c.

ILLO TEMPORE.] Cùm eſſet ſumma pecuniæ difficultas. vel potiùs ſi legamus *per artes illos tempore clariſſimas*, cùm illo tempore ſic eſſent corrupti mores, vt peculatus & interuerſio pecuniæ publicæ in ſummis & clariſſimis artibus poneretur. atque hanc eſſe Ciceronis mentem ex Notis conſtabit.

QVÆRO ABS TE.] A circunſtantiis Vatinij auaritiam exaggerat: *à tempore.* quòd eo ipſo anno, quo lex lata fuerat de pecuniis repetundis acerrima. *à perſonis.* quòd Vatinius, affinis,

vt videri volebat, Cæſari legem à Cæſare latam contempſerit. atque hic locus ex notâ Manutij, alteri ili ſimilis eſt §. 135. Sextianæ. *Quem non tam admiror quòd meam legem contemnat hominis inimici, quàm quòd ſe ſtatuit, omnino Conſularem legem nullam putare. Aciliam, Didiam, Liciniam, Iuniam contempſit. Etiámne eius, quem ſua lege & ſuo beneficio ornatum, munitum, armatum ſolet gloriari Caij Cæſaris legem de pecuniis repetundis non putat eſſe legem?*

ACERRIMA.] In lege Iuliâ de pecuniis repetundis, vt ait Tullius pro Rabirio Poſthumo. *Multa ſunt ſeueriùs ſcripta quàm in antiquis legibus, & ſanctiùs iudicata*, &c.

ACTA NOSTRA.] Partim Tullias leges à Cicerone Conſule latas intelligit, & eam præſertim quæ erat de ambitu. pro Sextio 133. *Acta mea illi diſplicere quis neſcit? qui legem contemnat quæ dilucidè vetat, gladiatores biennio. quo quis petierit, aut petiturus ſit dare.* Tum illud maximè S C. quo Lentulus, cæteríque coniurationis Catilinariæ familiares in carcere ſunt iugulati.

QVOS TYRANNOS VOCAS.] Quos tyrannicè dicis & crudeliter in Conſulatu adminiſtraſſe rempublicam, tot viris primariis vno S.C. iugulatis.

AMICISSIMI TVI LEGEM.] Legem Iuliam de pecuniis repetundis, argumentum eſt à repugnantibus amiciſſimi tui legem eſſe contemptam.

APVD QVEM TV NOS ETIAM CRIMINARI SOLES.] Pro Sextio 133. *Ille ad eos à quibus audiebatur quotidie aliquid de me ficti adferebat.*

QVOTIES ILLI AFFINEM TE ESSE DICIS.] Quomodo hanc affinitatem Vatinius cum Cæſare contraxerit. iam ſuperiùs oſtenſum eſt, ducta nimirùm Antonia ſorore Marci Antonij, filiâ Iuliæ è Cæſarum familiâ oriundæ. Lepidè igitur Tullius maledicere Cæſari dicit Vatinium, cùm homo omnium infimus, de Cæſaris viri nobiliſſimi affinitate gloriatur. atque hinc videas leuem fuiſſe Goueani coniecturam, §. 12. allatam, cur Lucij potiùs Cæſaris quam C. Figuli Conſulis beneficio Quæſtorem fuiſſe Vatinium exiſtimarit. neque enim adhuc Vatinius, ante C. Antonij damnationem, illam cum Cæſaribus affinitatem contraxerat.

NOTÆ.

I. DE TVIS DIVITIIS INTOLERANTISSIME GLORIARIS.] Intolerabilem eſſe diuitiarum iactantiam, alibi Tullius oſtẽdit vt in paradoxis. *Quæ eſt iſta in commemorandis pecuniis tuis tam inſolens oſtentatio? Solúſne tu diues?* &c. De quo nunc non dicemus, alibi plura in hanc ſententiam.

II. CVM CIVITATIBVS.] Quæ fœdera, cum ciuitatibus, cum Regibus, cum Tetrarchis fecerit Vatinius, res eſt paulo obſcurior, ex eo fortaſſe quòd Cicero tempori ſeruiens, ea laudet in Cæſare, quæ in P. Vatinio vel maximè reprehendit, qui tamen Tribunus plebis cum Cæſare habuit omnia communia. Porrò de his populis & ciuitatibus, quæ lege Cæſaris libertatem obtinuerunt. ita Cicer. in Piſonem, §. 37. *Obtinuiſti prouinciam Conſularem finibus iis, quos lex cupiditatis tuæ, non quos lex generi tui pepigerat, nam lege Cæſaris iuſtiſſimâ, atque optimâ populi liberi planè & verè erant liberi: lege autem eâ quam nemo legem, præter te & collegam tuum putauit, omnis erat tibi Achaia, Theſſalia, Athenæ, cuncta Græcia addicta*, &c. Sic igitur Ciceronem hîc intelligendum exiſtimo, vt legem ipſam non improbet, quippe quam alibi fatetur eſſe iuſtiſſimam, ſed illud in Vatinio reprehendit, quòd vt in ferendâ lege Cæſarem adiuuaret, à Cæſare pecunias, & eas quidem ex ærario deſumptas extorſerit.

Ciuitates liberæ factæ lege Cæſaris.

CVM REGIBVS.] Hic veritus Cæſaris offenſionem, ſubobſcuriùs rem attingit, quæ Lentulo epiſtolâ nonâ, libri primi ad familiares, vt liberiùs ita & liquidiùs oſtendit, quod Vatinio fœdus obiecerit. *Tota verò* (inquit) *interrogatio mea nihil habuit aliud, niſi reprehenſionem illius tribunatus, in quo omnia dicta ſunt libertate animóque maximo, de vi, de auſpiciis, de donatione regnorum.* Epiſtolâ item 9. libri 2. ad Atticum. *Improbitate iſtorum, qui auſpicia, qui Æliam legem, qui Iuniam & Liciniam, qui Cæciliam & Didiam neglexerunt, qui omnia remedia reipub. effuderunt, qui regna, qui prædia, qui tetrarchias, qui immanes pecunias paucis dederunt.* Quo in loco ſtatim ſubiicit de Vatinij ſtrumâ mentionem. Quibus è locis conſtat per fœdera cum regibus inita, nihil hîc aliud quàm donationes regnorum intelligi. Videndum eſt igitur, qui reges Conſule Cæſare referente à Senatu fuerint nominati. quã appellationem non tam reprehendit, quàm auaritiam Vatinij, quòd à dictis Regibus pecuniam acceperit, vt S. C. de ipſorum appellatione factum curaret populi ſuffragiis approbari. ac primò de Ptolemæo Rege Alexandriæ inter Cæſaris actiones ſic meminit Cic. ad Atticum, lib. 2. ep. 16. *Nam adhuc hoc ἐποίζετο* (Pompeius) *ſe leges Cæſaris probare, actiones ipſum præſtare debere: Agrariam legem ſibi placuiſſe: potuerit intercedi nécne, nihil ad ſe pertinere: de Rege Alexandrino placuiſſe ſibi aliquando confici, Bibulus de cœlo tum ſeruaſſet necne, ſibi quærendum non fuiſſe.* Nec verò Cicer. hic S. C. illud de Rege Ptolemæo reprehendit, ſed id reprehendit quòd contra auſpicia & obnuntiationem Bibuli res fuerit in comitiis populi ſuffragio comprobata. nam rem probat pro Sextio §. 57. *Rex Ptolemæus* (Cypri) *qui ſi nondum erat ipſe à Senatu ſocius appellatus, erat tamen frater eius Regis,* (Ptolemæi Ægyptij) *qui cùm eſſet in eadem cauſâ, iam erat à Senatu honorem iſtum conſecutus.* Item eodem tempore fœdus cum Arioiſto Germanorum Rege initum eſt. Dio 58. Ἦρχε μὲν γὰρ ὁ Ἀριούϊστος τῶν Κελτῶν ἐκείνων, καὶ τὴν κύρωσιν τῆς βασιλείας παρὰ τῶν Ῥωμαίων εἰλήφη, καὶ εἰς τοὺς φίλους, τούς τε εἰλήφει.
συμμάχους αὐτῶν ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Καίσαρος ὑπατεύοντος ἐγέγραπτο. *His enim Germanis imperabat Arioiſtus, & regni confirmationem à Romanis acceperat, & in amicorum ſociorúmque numerum ab ipſo Cæſare Conſule fuerat inſcriptus.* Idque Cæſar ipſe notat lib. 1. de bello Gallico. *Quoniam tanto ſuo populique Rom. beneficio affectus, cùm in Conſulatu ſuo, Rex atque amicus à Senatu appellatus eſſet, hanc ſibi populóque Romano gratiam referret.* &c. Parum abeſt quin & Vatinium ab Ariſtobulo Iudæorum Rege pecuniis fuiſſe corruptum exiſtimem, & ſic à carcere clam liberatum, vt paulò pòſt id eſt anno ſequenti Cicerone & Dione auctoribus, euaſit Tigranes Iunior P. Clo-

III.

Reges nominati Cæſaris Conſulatu.

dij factione. nam Ariſtobulum è vinculis aufugiſſe, & à Gabinio Victore reſtitutum fuiſſe, ſecundo anno poſt Conſulatum Cæſaris, Ioſephus lib. 14. ἀρχαιολογίας, cap. vndecimo, & libro primo excidij cap. 6. teſtatur. Id autem ante Tigranis euaſionem contigiſſe, ac proinde hoc ipſo anno colligere poſſe videor ex verbis Appiani Alexandrini de bello Mithridatico penè extremis. Παρελθὼν δ' ἐς τὸ Καπιτώλιον οὐδένα τῶν αἰχμαλώτων (videtur omiſſum ἐκόλασεν) ἀλλ' ἐς τὰς πατρίδας ἔπεμψε, δημοσίοις δαπανήμασι, χωρὶς τῶν βασιλικῶν, καὶ τούτων μόνος Ἀριστόβουλος εὐθὺς ἀνῃρέθη, καὶ Τιγράνης ὕστερον. *Progreſſus verò in Capitolium captiuorum neminem morte affecit, ſed publico commeatu in ſuam quemque patriam remiſit, exceptis Regiis captiuis, & horum quidem ſolus Ariſtobulus ſtatim ereptus, & paulò pòſt Tigranes.* Quæ verba licet morte ſublatos potiùs, quàm vinculis ereptos ſignificare videantur, tamen ita vertere malui, ne bonus ſcriptor ab omnibus ſcriptoribus planè diſſideret, nam vt Tigranē omittam, Ioſephus & Dio, Ariſtobulum ad bella ciuilia fuiſſe ſuperſtitem, & non pœnitendam operam nauaſſe Cæſari prodiderunt. Sed de hoc docti viri iudicent: neque enim facilè adducor vt credam, aut Vatinio cor fuiſſe tam plumbeum, vt hoc facto Pompeium, tunc Cæſaris rebus fauentem, offenderet, aut Pompeio fibram adeò corneam, vt captiuum eripi ſibi æquo animo pateretur, cùm præſertim paulò pòſt grauiſſimè tulerit Tigranem à Publio Clodio de vinculis fuiſſe exemptum.

IV. CVM TETRARCHIS.] De donatione tetrarchiarum, res eſt tenuior & exilior, quàm vt extet vllum apud veteres ſcriptores veſtigium. in præſentiâ Tetrarchæ nomen explicare ſuffecerit. Tetrarchæ dicti quòd quartam regni partem poſſiderent. quod nomen à Theſſalis videtur acceptam. Harpocration lexico. Τεττάρων μερῶν ὄντων τῆς Θετταλίας ἕκαστον μέρος Τέτρας ἐκαλεῖτο. *Cùm Theſſalia in partes quatuor eſſet diuiſa,, vnaquaque pars Tetras dicebatur.* Subdit: εἴη ἂν οὖν λέγων ὁ Δημοσθένης τὴν τετραρχίαν, ὅτι Φίλιππος καθ' ἑκάστην τούτων τῶν μοιρῶν ἄρχοντας κατέστησε. *Tetrarchiam igitur appellauerit Demoſthenes, quòd Philippus ſingulis harum partium ſuum ducem præfecerat.* Hic ad eos omnes hoc nomen manauit, qui quartam regni cuiuſpiam partem obtinerent: vide Ioſephum lib. 2. belli Iudaici, & Euſebium in Chronico agentes de ſucceſſoribus Herodis.

Τετράς.

Tetrarcha.

V. PARTES.] Reddenda ratio eſt cur Manutij explicationi, acutam Goueani correctionem & coniecturam quamuis ipſe ſe parum explicuerit, anteponam, præſertim cùm aduertam Magnum Turnebum ad Manutij partes fauitorem accedere. *Scribit*, (inquit, aduerſariorum lib. 21. cap. 11.) *eripuerit ſe partes illo tempore cariſſimas, ſignificans curationes quaſdam, munera, negotia, adminiſtrationes. ſic partes dixiſſe videtur pro Rabirio. Magnas partes habuit publicanorum. Iterum mittere in negotium, dare partes, augere fide ſuſtentare.* Hæc ille. Verùm ne omnino videar à tantis viris diſſidere. Fateor ſæpe partes pro curationibus & adminiſtrationibus vſurpari: ſed hanc vocem non puto aut loco, aut Ciceronis menti optimè conuenire. Nam eo ſenſu non eripuiſſet à Cæſare, aut ærarij diſpenſationem, aut vllam in diuidendo agro Campano curationem Publius Vatinius. neque enim verum eſt quod

Partes.

Manutius ait, ereptam fuiſſe Cæſari eam curationem *quæ ad Cæſarem Conſulem, qui de diuidendo agro Campano legem tulerat, pertinebat.* Nam ſi legem tulerat Cæſar, vt verè tulerat, ad eum curatio non pertinebat. Siquidem, vt ait Cicero ſecunda contra Rullum, *Licinia eſt lex atque altera Ebutia, quæ non modò eum qui tulerit de aliquâ curatione ac poteſtate, ſed etiam collegas, cognatos, affines excipit; ne eis ea poteſtas curatióve mandetur.* Quibus vides nihil fuiſſe cauſæ cur ad Cæſarem legis Agrariæ latorem curatio eiuſdem legis Agrariæ pertineret. Neque verò etiamſi quis ad eum pertinuiſſe concederet, tamen Vatinius eam adminiſtrare, multo minùs eripere potuiſſet: neque enim inter XXviros, qui ad agrum Campanum electi ſunt, potuit proficiſci, aut omnino ex vrbe diſcedere. Nam Tribunus plebis erat eo anno Vatinius. at ne pernoctare quidem extra vrbem Tribunis plebis fas erat. Sic enim Cicero, (vt cætera ad ſecundam Philippicam differantur) ſic inquam Cicero apud Dionem libro 45. inſectatur M. Antonium. Οὗτος τοίνυν δημαρχήσας, &c. ἐκ τῆς πόλεως ἐξέδρα, τὴν ἀρχὴν ἐγκαταλιπὼν, ᾧ μηδεμίαν νύκτα ἐκ τῶν νόμων ἀποδημῆσαι ἐξῆν. *Hic igitur cùm Tribunatum plebis gereret, &c. aufugit ex vrbe, relicto magiſtratu, cui ſecundum leges non licebat, vel vnam noctem extra vrbem pernoctare.* Atque hæc prima ratio fuit quæ me ad diſſentiendum à viris illis doctiſſimis moueret. altera eſt, quòd non videam cur illæ partes illo tempore fuerint chariſſimæ. *Erat enim tunc ſumma pecuniæ difficultas*, inquit Manutius. vbi? apud priuatos? at nihil ad rem. nec video quo euanuerint illæ immanes pecuniæ quas milites Pompeiani, anno propemodum ſuperiore adduxerant. In ærario? ne id quidem. & eadem de cauſa. nam qui triumphi Pompeiani magnificentiam opulentiámque, ex Plutarcho, Appiano, Plinio, qui gemmas, qui margaritas, qui vim pecuniarum, qui montes aureos audiuerit, de hoc non poterit dubitare, ſed quaſi parergon abs re non fuerit pauca de multis excerpere. Plinius libro 37. cap. 2. *Pompeius pridie natalis ſui in triumpho tranſtulit alueum cum teſſeris luſorium è gemmis duabus latum pedes tres, longum pedes quatuor.* Item: *In eo fuit luna aurea pondo triginta*, &c. *coronas ex margaritis* 33. *montem aureum quadraturæ cum ceruis & leonibus, & pomis omnis generis, circundata vite aurea*, &c. *Muſæum ex margaritis, in cuius faſtigium horologium erat. imago Cn. Pompeij ex margaritis.* Appianus extremis penè verbis Mithridatici. Αὐτὸς δ' ὁ Πομπήϊος ἐπὶ ἅρματος ἦν καὶ τοῦδε λιθοκολλήτου χλαμύδα ἔχων, ὥς φασιν, Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος. *Pompeius ipſe curru è lapidibus pretioſis compacto vehebatur, chlamyde indutus, quàm, vt aiunt, Alexander Macedo geſtauerat.* Quid quod Lucanus ærarium antequam à Cæſare diriperetur, initio belli ciuilis pleniſſimum fuiſſe multis oſtēdit, lib. 2. Pharſalic.

--tunc conditus imo
Eruitur templo multis intactus ab annis
Romani cenſus populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perſes, quē victi præda Philippi,
Quod tibi Roma fuga Pyrrhus trepidante reliquit,
Quo te Fabricius Regi non vendidit auro.
Quicquid parcorum mores ſeruaſtis auorum,
Quod dites Aſiæ populi miſere tributum,

Leges Licinia & Ebutia.

Tribunus plebis non poterat extra vrbem pernoctare.

Pompeij triūphus.

Opulentia ærarij.

Victoríque dedit Minoia Creta Metello.
Quod Cato longinquâ vexit ſuper æquora Cypro,
Tunc Orientis opes, captorúmque vltima Regũ,
Quæ Pompeianis prælata eſt gaza triumphis
Egeritur, triſti ſpoliantur templa ruinâ.

Et vt illius pecuniæ ſummam faciamus, teſtatur Plinius Cæſarem laterum aureorum XXVI. millia, & in numerato pondo CCC. ex ærario protuliſſe. vbi quæſo tum temporis illa, quam fingit Manutius pecuniæ difficultas?

AXIOMATA.

Intolerabile eſt de ſuis diuitiis gloriari.

Obſcuri homines illuſtribus viris toties contumelioſiſſimè maledicunt, quoties illis affines ſe eſſe dicunt.

ARGVMENTVM.

Quæ 16. ſuperioribus §. dicta ſunt. ea ſic in Vatinij tribunatu geſta ſunt, vt ad tribunitiam poteſtatem pertinerent. Tribus quæ proximè ſequuntur Vatinium reprehendit, quod ad epulas funebres Quinti Arrij cum togâ pullâ contra morem & inſtituta maiorum acceſſerit.

ATQVE illud etiam ſcire ex te cupio, quo conſilio, aut quâ mente feceris, vt in epulo Q. Arij familiaris mei cum toga pulla accumberes? XXX.
quem vmquam videris? quem audieris? quo exemplo, quo more feceris? Dices ſupplicationes te illas non probaſſe. optimè. nullæ fuerint ſupplicationes. Vidéſne me nihil de anni illius cauſſa, nihil de eo, quod tibi cum ſummis viris commune eſſe videatur, ſed de tuis propriis ſceleribus ex te quærere? nulla ſupplicatio fuerit. cedo, quis vmquam cœnauit atratus? ita enim illud epulum eſt funebre, vt munus ſit funeris, epulæ quidem ipſæ dignitatis.

EXPLANATIO.

ATQVE ILLVD ETIAM QVÆRO.] Vide vt in his ſenſum aſſurgat oratio. plus eſt mente quàm conſilio aliquid moliri. conſilio facit, qui aliquid faciendum elegerit. mente, qui iam quodammodo in alteram conuerſus naturam, ipſa conſuetudine ſibi callum obduxerit. exẽplum mori præponitur. exemplum enim vnius facti eſſe poteſt, mos non niſi plurimorum.

IN EPVLO QVINTI ARRII.] Quod Quintus Arrius in epulo funebri patris ſui populo in templo Caſtoris exhibebat.

QVEM VNQVAM VIDERIS.] Noſtrâ memoriâ.

QVEM AVDIERIS.] Superiore memoriâ.

DICES TE SVPPLICATIONES.] Occurrit obiectioni per conceſſionem oratoriam. Nam vt in aliis, ſic & hoc loco conabatur Vatinius Cæſarem in criminis ſocietatem adducere. Bibulus vt legem Agrariam Cæſaris impediret, ferias & ſupplicationes, variis prætextibus, per reliquam anni partem indixerat, ne reliquo Cæſaris conſulatu cum populo ageretur. Hæ ſupplicationes Cæſari & Pompeio legem Agrariam primo quoque tempore ferri volentibus diſplicebant. de ſupplicationibus igitur nihil agit Cicero veritus hos ſummos viros offendere. Feriis autem populus candidis togis amiciebatur. atratus igitur Vatinius vt oſtenderet ſibi ſupplicationes illas, & ferias diſplicere.

NIHIL DE ANNI ILLIVS CAVSA.] Non diſputo iuſtámne Iulius Cæſar cauſam habuerit ferendæ legis Agrariæ, an iuſtè Marcus Bibulus eandem legem conatus fuerit his ſupplicationem indictionibus impedire.

CVM SVMMIS VIRIS.] Cæſare, Pompeio, Craſſo qui has ſupplicationes non probabant.

ITA ENIM EPVLVM EST FVNEBRE.] Hanc excuſationẽ ſuo facto videtur prætexuiſſe Vatinius, quòd quemadmodum fas eſt in togâ pullâ & lugubri ſpectare gladiatorum ludos, qui in honorem mortuorum in ipſo buſto exhibentur, ita fas ſibi eſſe duxerit, in epulo funebri cum togâ pulsâ accumbere. cui Cicero ſic occurrit. Fateor quidem epulum eſſe funebre, ſed nego eandem eſſe epuli, & muneris gladiatorij rationem. nam munus & ludi gladiatorij ad ipſum funus pertinent, cùm & in ipſo buſto exhibeantur, & ad propitiandas mortuorum animas fuerint inſtituti, ideóque licet ad hoc ludos cum togâ pullâ accedere. Epulæ verò ſunt dignitatis, id eſt non tam ad honorem demortui, quàm ad dignitatem eius qui præbet epulum, fuerũt à maioribus noſtris inſtitutæ. quare nefas eſt in eis atratum accumbere.

NOTÆ.

EPVLO.] Quæ hoc loco partim de funebri epulo, partim de munere dicenda ſunt, ea me tum à Ioanne Kirchmanno, tum à doctiſſimo Lipſio deſumpſiſſe non ſolùm fateor, ſed etiam præ me fero. Neque enim is ego ſum, quem aut pigeat doctorum virorum lucubrationibus adiuuari, aut pudeat ex ipsâ eruditionis penu depromere, quorum pleræque maiori labore, ſed non maiore iudicio è meis ſchedis corradi potuiſſent. ne tamen omnia videar exſcribere, ſic ipſe mihi temperabo, vt ea tantummodo delibem, quæ ad explicationem Tullij facere videbuntur. Ac primùm epularum funebrium genera duo fuiſſe conſtat, alias priuatas, alias publicas & vniuerſo populo ſolitas exhiberi. de priuatis ſuo loco, nunc 1.

de publicis dicendum eſt. Has enim epulas publicas fuiſſe liquet, tum ex eo quòd ſubiungitur.

Epulæ funebres publicæ.

Sed omitto epulum, populi Romani feſtum diem, &c. tum ex eo quòd in loco publico, templo videlicet Caſtoris fuerit celebratum. de his Cicero pro Murena. *Honeſtus homo & nobilis Quintus Tubero cùm epulum Q. Maximus Africani patris ſui nomine populo daret.* In funere Syllæ Fauſtus F. vt auctor eſt Dio lib. 37. Κἀν τῷ αὐτῷ τούτῳ χρόνῳ Φαῦστος ὁ τοῦ Σύλλου παῖς ἀγῶνά τε μονομαχίας ἐπὶ τῷ πατρὶ ἐποίησε, καὶ τὸν δῆμον λαμπρῶς εἱστίασε τά τε λουτρὰ καὶ ἔλαιον προῖκα αὐτοῖς παρέσχεν. *Sub idem tempus Fauſtus Syllæ filius ludos gladiatorios in honorem patris ſui exhibuit, populúmque lauto conuiuio excepit, iiſque balnea & oleum gratis donauit.* Auctor de viris illuſtribus de Quinto Fabio Rutiliano: *Mortuo huic tãtùm æris populi liberalitate congeſtum, vt inde filius viſcerationem & epulas publicè daret.* Liuius lib. 9. decadis 4. *Publij Licinij (Pontificis Maximi) funeris cauſa viſceratio data & gladiatores* CXX. (Lipſius legit LXX) *pugnauerunt, & ludi funebres per triduum facti: poſt ludos epulum: in quo cum toto foro ſtrata triclinia eſſent, tempeſtas cum magnis procellis coorta coëgit pleroſque tabernacula ſtruere in foro. eadem paulò pòſt cùm vndique conſeruaſſet ſublata. defunctóſque vulgo ferebant, quòd inter fatalia vates ceciniſſent, neceſſe eſſe tabernacula in foro ſtatui.* legit Kirchmannus. *cum toto foro ſtrata triclinia eſſent, coëgit pleroſque tabernacula ſtatuere in foro.* Sed non video cur illa verba, *tempeſtas cum magnis procellis coorta,* tanquam gloſſema reiecerit. Suetonius in Iulio cap. 26. *Munus populo epulúmque pronunciauit, in filiæ memoriam, quod ante eum nemo.* atque hæc Kirchmannus.

Viſceratio.

II. QVINTI ARRII.] Magnificentiſſimas has epulas fuiſſe, inde poſſumus ſuſpicari, quòd etiam in prouerbium abiiſſe videantur. Horatius lib. 2. ſat. 3.

Hæredes Staberi ſummam incidere ſepulchro:
Ni ſic feciſſent gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atque epulum, arbitrio
Arrij.

III. DICES SVPPLICATIONES TE ILLAS NON PROBASSE.] Allatam explicationem videntur illa Dionis lib. 38. comprobare. Vbi de M. Bibulo agrariam legem Cæſaris impedire conante ſic loquitur. ἐπειδὴ μηκέτι αὐτῷ μηδεμιᾷ ἄλλῃ σκήψει ἀναβολῆς ὑπελείπετο, ἱερομηνίαν ἐς πάσας ὁμοίως τὰς λοιπὰς τοῦ ἔτους ἡμέρας ἐν ᾗ, οὐδ᾽ εἰς ἐκκλησίαν ὁ δῆμος ἐκ τῶν νόμων συνελθεῖν ἐδύνατο, προηγόρευσε. *Poſtquam nullo alio prætextu potuit rem differre, ferias in reliquos anni dies indixit, quibus feriis ſecundum leges populus in concionem non poterat conuocari.* Cùm igitur omnes ſupplicationum ſacrificiorúmque captaret Bibulus occaſiones, ne cum populo de legibus agrariis ageretur; probabile eſt eum neque hanc opportunitatem prætermiſiſſe, vt in honorem Quinti Arrij defuncti ſupplicationem indiceret. Neque verò eſt quod nos illa turbent verba Ciceronis 1. Philippica, §. 13. *An me cenſetis P. C. quod vos inuiti ſecuti eſtis decretum fuiſſe vt Parentalia cum ſupplicationibus miſcerentur? vt inexpiabiles religiones in remp. inducerentur? vt decernerentur ſupplicationes mortuorum?* duo enim ſupplicationum fuerunt genera, ſiue potiùs eædem ſupplicationes duobus modis poterant exhiberi. altero modo ad teſtandam diuinitatem, altero ad honorem ciuilem exhibendum.

Feriis & ſupplicationibus cum populo agere nefas.

Eas ibi ſupplicationes Cicero reprehendit quæ Iulio Cæſari mortuo in diuinitatis teſtimonium decretæ ſunt. vt ex multis eiuſdem locis compertum eſt. *Adduci tamen non poſſem,* *inquit, vt quemquam mortuum coniungerem cum Deorum immortalium religione, vt cuius ſepulchrum nuſquam extet vbi parentetur, ei publicè ſupplicetur.* & Philippicâ 2. §. 110. *O deteſtabilem hominem, ſiue quod tyranni ſacerdos es, ſiue, quod mortui. Quæro deinceps num hodiernus dies qui ſit, ignores. Neſcis heri quartum in circo diem ludorum Romanorum fuiſſe? te ipſum autem ad populum tuliſſe vt quintus præterea dies Cæſari tribueretur? cur non ſumma prætextati? cur honorem Cæſari tua lege datum deſeri patimur? an ſupplicationes addendo diem contaminari paſſus es; puluinaria noluiſti?* quibus vides eas ſupplicationes non ideò reprehendi, quòd mortuo, ſed quòd tanquam Deo decretæ ſint, niſi verò quis exiſtimat idem eſſe ſupplicationem alicui decernere, & decernere vt alicui ſupplicetur. viuis, id eſt in honorem viuorum ſupplicatio decernitur, non niſi ipſis numinibus ſupplicatur. at tam viuo quàm mortuo Cæſari diuinos honores, atque adeò ſupplicationem diuinitatis indicem decretam fuiſſe compertum eſt. nam vt ait Dio lib. 44. inter cæteros honores illud conceſſum eſt. Ἅρμα τε τι αὐτοῦ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ ἀντιπρόσωπον τῷ Διὶ ἱδρυθῆναι, καὶ ἐπὶ εἰκόνα αὐτὸν τῆς οἰκουμένης χαλκοῦν ἐπιβιβασθῆναι, γραφὴν ἔχοντα ὅτι ἡμίθεός ἐστι. *Vt ſella ipſi in Capitolio è regione Iouis poneretur, & eius ſtatua orbi terrarum ex ære ficto inſiſteret cum inſcriptione quæ ipſum ſemideum eſſe teſtaretur.* Quem tamen Deum mortalem eſſe hoc facto voluerunt oſtendere. Καὶ ναὸν αὐτῷ τῇ τε ἐπιεικείᾳ αὐτοῦ τεμενισθῆναι ἔγνωσαν. ἱερέα σφίσι τὸν Ἀντώνιον, ὥσπερ τινὰ Διάλιον προχειρισάμενοι. καὶ ὅ γε μάλιστα τὴν διάνοιαν αὐτῶν ἐξέφηνεν, ἅμα τε ταῦτα ἐψηφίζοντο καὶ τάφος αὐτῷ ἐντὸς τοῦ Πωμηρίου ποιήσασθαι ἔδοσαν. τὰ δὲ δόγματα τὰ περὶ τούτων γιγνόμενα ἐς μὲν στήλας ἀργυρᾶς χρυσοῖς γράμμασιν ἐγγράψαντες, ὑπὸ δὴ τοὺς πόδας τοῦ Διὸς, τοῦ Καπιτωλίνου ὑπέθεσαν, δηλοῦντές οἱ καὶ μάλιστα ἐναργῶς ὅτι ἄνθρωπος εἴη. *Et templum ipſi eiuſque Clementiæ erigi decreuerunt, Sacerdotem ipſi Antonium, inſtar cuiuſdam Flaminis conſtituentes. Et quod maximè eorum mentem patefecit, ſimul iſta cenſuerunt, & permiſerunt vt intra pomœrium ſepulchrum haberet. & hæc Senatuſconſulta in tabulis argenteis, litteris aureis ſcripta ſub pedibus Iouis Capitolini poſuerunt, vt ipſi vel clariſſimè ſe hominem eſſe oſtenderent.* De mortuo verò Antonius in oratione funebri ita loquens inducitur. ἀλλ᾽ οὗτος ὁ πατὴρ, οὗτος ὁ ἀρχιερεὺς, ὁ ἄσυλος, ὁ ἥρως, ὁ θεὸς, τέθνηκεν. *Sed iſte pater, iſte Pontifex maximus, ſacroſanctus, Heros, Deus, mortuus eſt.* Hæc ille & alia multa, quæ Zonaras verbatim ex Dione non dubitauit exſcribere. Iam vt liquidiùs appareat, ſupplicationes mortuis decretas, dummodo diuinitatis nihil tribuerent, vide Appianum 1. ciuiliũ ſub finem vbi Syllani funeris pompa fusè deſcribitur. στέφανοί τε γὰρ δισχιλίων πλείους ἀπὸ χρυσοῦ κατὰ σπουδὴν γενόμενοι παρεφέροντο. *Coronæ aureæ vltra bis mille, magnâ feſtinatione confectæ ferebantur.* Mox addit. Σημεῖά τε φέροντες ἐπίχρυσα, καὶ ὅπλα ἐπάργυρα περιάργυρα, οἷς ἔτι νῦν εἰς τὰς πομπὰς εἰώθασι χρῆσθαι. σαλπικτῶν τ᾽ ἄπειρον ἦν πλῆθος παρὰ μέρος ὑέρτατα (lege λυγρότατα) καὶ πένθιμα μελῳδούντων. *Aurata ferentes ſigna, & circumargentatis armis inſtructi, quibus etiamnum vti conſueuerunt. Ænea-*

Supplicationes diuinæ.

Honores diuini Cæſari decreti.

Supplicationes mortuis decretæ.

torum verò infinita erat multitudo ſecundum partes, lugubribus næniis concinentes. Et Halicarnaſſeus libro 5. τὸ δὲ Βρούτου σῶμα ἀράμενοι μετὰ πολλῶν ἐπαίνων τε καὶ δακρύων, εἰς τὴν Ῥώμην ἀπεκόμιζον οἱ κράτιστοι τῶν ἱππέων στεφάνοις κεκοσμημένον ἀριστείοις. *Bruti corpus portantes cum multis laudibus, & lacrymis, equitum quique honeſtiſsimi coronis præmiiſque militaribus ornatum Romam intulerunt.* Atque vt videas ſolemnem hanc fuiſſe pompam, ſubiungit idem ſcriptor in Romanâ hiſtoriâ omnium clariſſimus. ὑπαντῶντα δὲ αὐτοῖς ἥ τε βουλὴ θριάμβου καταγωγῇ ψηφισαμένη κοσμῆσαι τὸν ἡγεμόνα, καὶ ὁ δῆμος ἅπας κρατῆρσι καὶ τραπέζαις ὑποδεχόμενος τὴν στρατιάν. *Occurrit verò ipſis & ſenatus, decreto in honorem ducis triumpho, & plebs vniuerſa crateribus & menſis excipiens exercitum.* Quòd ſi non religionem inexpiabilem, immò ne ſuperſtitioſum quidem eſſe putabant, mortuis honorem triumphi decernere, quanto minùs Cicero vnicus maiorum laudator ſupplicationem mortuo decretam nullius diuinitatis iudicem reprehendiſſet, qui tamen ſupplicationem illam diuinam, 1. Philippica, §. 13. dicit ne in Bruto quidem ferri debuiſſe? Adferrem ex Tacito funebrem pompam Germanici, niſi iam tum temporis mores in adulationem degeneraſſent, aut hæc ſufficerent Ciceroni. præſertim cùm vt ait Manutius. *Epulum publicum ſine ſacrificio non daretur, nec ſine ſupplicatione ſacrificium eſſet. feſſus autem & ſupplicationis & epuli dies.*

IV. MVNVS SIT FVNERIS.] De ludis gladiatoriis in honorem mortuorum in ipſo buſto ſolitis exhiberi oratione in Piſonem, §. 19. nunc paucis dicendum eſt quo genere veſtis, qui buſtuarios ſpectabant, vterentur, inuenio non ſolùm munerarium, verumetiam lictores, & ſpectatores fuiſſe pullatos. De eo qui ludos exhiberet Feſtus Pompeius, ſiue potiùs Paulus ex Feſto. *Prætextâ pullâ nulli alij licebat vti, quàm ei qui funus faciebat.* De lictoribus Horatius epiſt. 7. lib. 1. ad Mæcenatem.

Qui ludus funeres exhibebat, erat pullatus.

Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum
Sextilem totum mendax deſideror, atqui
Si me viuere vis ſanum rectéque valentem,
Quam mihi das ægro dabis ægrotare timenti
Mæcenas veniam: dum ficus prima, calórque
Deſignatorem decorat lictoribus atris.

In quo non poſſum probare Kirchmanni viri ſanè docti ſententiam, qui fretus auctoritate Donati in adelphos, Deſignatorem ſiue diſſignatorem eum eſſe exiſtimat, *Qui ordinem proceſſuris, aut ſeſſuris locum deſignabat pro conditione cuiuſque, & in ordinem redigebat, ſi qui reluctari vellent.* & vt ſubiungit. *Dignoſcebatur deſignator in funeribus quidem ſigno ficus, arboris funereæ, vt patet ex Horatij dicto loco, & altero qui eſt 16. epod. vbi pullam ficum appellat.* Non poſſum, inquam, probare hanc viri docti ſententiam. Nam 1. eundem eſſe deſignatorem atque munerarium ex ipſis Donati verbis facilè poteſt intelligi, quibus tamen vnis ſuam illam ſententiam fulciebat. Sic enim ille in Terentij adelphos actu 1. ſc. 2. *Deſignare eſt rem nouam facere, in vtramque partem & bonam & malam. nam Deſignatores dicti qui ludis funebribus præſunt: credo ob eam cauſam, quòd ipſis ludis fiant noua & ſpectanda: ſimul etiã turba retineatur.* Quòd autem deſignare idem ſit atque rem nouam facere (quòd non adeò bene, locorum aſſignatoribus quàm ipſis munerariis conueniret) oſtendit locus ille ſatyrici.

Deſignator quis?

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit.

Græci ἀπέδειξεν ἔργον *facinus deſignauit.* Subiicit deinde Donatus explicans illos verſus Terentij ſcenâ citatâ.

--nam illa quæ antehac facta ſunt
Omitto: modò quid deſignauit? M. Quidnam id eſt.
Dem. *Fores effregit, atque in ædes irruit, &c.*

Ita ſcribit: *Puto ego deſignationem, contractionem, aut conductionem populi in vnum intelligi. hoc enim contingit ei, qui aliquo flagitio plurium in ſe oculos & ora conuertit, & ſpectaculo eſt vulgo. quemadmodum deſignatores qui ludis funebribus multitudinem retinent.* Quibus vides eum dici deſignatorem qui ludos funebres exhiberet, & populi in ſe oculos & ora conuerteret. quare cogitanti mihi quid Kirchmannũ in fraudem induxerit, vt deſignatorem ab ludorum editore diſtingueret, eúmque eſſe diceret qui loca ordinémque ſpectatoribus aſſignaret, videtur vnico verbo retinendi deceptus quod bis Donatus vſurpauit. retinere enim idem eſſe putauit atque coërcere. quod longè ſecus eſt. idem eſt enim atque populo tantam ſpectaculorum varietatem exhibere, vt illecebris quibuſdam. Et quod dicebat Claudius Imperator, catenis aureis detentus, à ſpectaculis nollet diſcedere. atque hæc quidem dicta ſint ex Donati ſententiâ. nam Kirchmannus ſuam opinionem Vlpiani verbis D. *De his qui notantur infamiâ*, probare potuiſſet. *Deſignatores autem, quos Græci βραβευταὶ appellant, artem ludicram non facere Celſus probat: quia miniſterium non artem ludicram exerceant. & ſanè locus ipſe hodie à principe non pro modico beneficio datur.* Sed præſtat rem in medio relinquere. cùm etiam Plautinus prologus priori ſententiæ fauere videatur.

Neu deſignator præter os obambulet.

Quod ſine dubio locario potiùs quàm Munerario videtur conuenire. nam nec munerarium probabile eſt obambulare ſolitum. nec ſi obambulaſſet, prohibere decuiſſet.

Alterum in Kirchmanni ſententiâ, quod non facilè digeſſerim, eſt illa feſtiua animaduerſio, deſignatores ſignum ficus, arboris funereæ pro inſignibus habuiſſe. nam eadem ratione ex illis Horatij verbis deducere potuiſſet, ſignum caloris perinde atque ficus, aut in veſtibus ſuis expreſſum habuiſſe, aut in manibus ſecum detuliſſe, nam

--ficus prima, calórque
Deſignatorem decorat.

In quo ſanè magnum pictoribus, aut phrygionibus negotium faceſſit, ſi calorem oculis aſpectabilem exprimere debuerunt. ſicut & in illo verſu,

Germinat & nunquam pallentis termes oliuæ
Suámque pulla ficus ornat arborem.

Deliraſſet Horatius inſulas illas fortunatas deſcribens, ſi ficum feralem, & funeream nominaſſet. præſertim cùm ficus non ſolùm non feralis arbor, ſed potiùs omnium maximè vitalis eſſe videatur. vnde, vt notat etiam Iulianus Auguſtus epiſtola ad Serapionem. Herodotus cùm regionem fructibus ad vitam neceſſariis deſtitutam vellet deſcribere, ſatis habuit dicere lib. 1. de Cappadocibus. Οὐ σῦκα δ' ἔχουσι τρώγειν, οὐκ ἄλλο ἀγαθὸν οὐδέν. *Non habent ficus quas manducent, aut*

aliud vllum borum. Quinetiam ficum boni ominis fuiſſe illa apud Athenæum lib. 3. δειπνοσοφιστῶν Theopompi verba videntur oſtendere. quibus narrat, Ἔαρος μέσου ὄντος ταῖς μὲν συκαῖς σῦκα, ταῖς δ᾽ ἀμπέλοις βότρυς, ταῖς δ᾽ ἐλαίαις ἐν ᾧ χρόνῳ βρύειν εἰώθασιν, αὐταῖς ἐλαίας ἐνεγκεῖν, καὶ εὐτυχῆσαι πάντα Φίλιππον. *Medio vere ficus ſuis fructibus, vites vuis, oliuas ſuis item baccis, quo tempore eas florere, & in gemmas protuberare par erat, veſtitus fuiſſe, & Philippum omnium quæ moliebatur optatos euentus fuiſſe ſortitum.* Et vt idem ſubdit Iulianus, Θεόφραστος δ᾽ ὁ καλὸς ἐν γεωργίας παραγγέλματι τὰς τῶν ἑτεροφύτων δένδρων φύσεις ἐκτιθεὶς, καὶ ὅσαι ἀλλήλαις ἐγκεντρίζεσθαι εἴκουσι. πάντων οἶμαι τῶν φυτῶν μᾶλλον ἐπαινεῖ τῆς συκῆς τὸ δένδρον, ὡς ἂν τι ποικίλης καὶ διαφόρου φύσεως δεκτικόν. *Theophraſtus ille in agricultura præceptis, eas arbores deſcribens quæ aliis inſeruntur, & quæ ſibi inuicem cedentes inoculantur præ cæteris, vt reor, ficum præ cæteris laudat, quòd plurimarum arborum ſurculos poſſit admittere.* Et vt paulò pòſt. Μόνῳ δὲ τῷ σύκῳ καὶ ὑπερενιαυτίζειν ἔξεστι καὶ τῇ τοῦ μέλλοντος καρποῦ φύσει συνεισελθεῖν. *Soli ficui conceſſum eſt extra annum excurrere, & cum anni ſequentis fructu decerpi.* hæc Iulianus loco citato. Ex quibus vides cauſæ nihil eſſe cur ficus inter arbores funeſtas debeat numerari, etſi fici, vt ait Plinius cap. 19. lib. 15. *Conſcendenti nauem Marco Craſſo aduerſus Parthos, omen fecere prædicantis voce Caunea.* quòd ita non debet intelligi quaſi ficum morti ſacram putarint antiquitus, ſed quòd, vt ait Cicero de diuinatione, qui cauneas prædicaret, *caue ne eas* dicere videretur. Non igitur ſatyricus vllo modo ficum nominans de deſignatorum inſignibus cogitauit, ſed hoc vnum ſignificat, nolle ſe Sextili menſe ad vrbem regredi vt Mæcenati permiſerat, ſed certum ſibi eſſe valetudinis cauſâ ruſticari, ineunte præſertim autumno, quæ anni tempeſtas præ cæteris ſolet eſſe contraria. *dum ficus prima*, id eſt dum ficus primùm, vitioſo adhuc ſucco redundantes ad maturitatem perueniunt, quod eſt ſummoperè metuendum. Iuuenalis ſat. 11.

--& odoris mala recentis
Nec metuenda tibi, ſiccatum frigore poſtquam
Autumnum & crudi poſuere pericula ſucci.

Horatius 2. carminum, Ode 23.

Nec peſtilentem ſentis Africum
Fœcunda vitis, nec ſterilem ſeges
Rubiginem, aut dulces alumni
Pomifero graue tempus anno.

Iam vt oſtendantur calores in autumno eſſe peſtilentes, illud vnum Virgilianum in illa luculenta peſtis deſcriptione ſuffecerit.

--miſeranda coorta eſt
Tempeſtas totóque autumni incanduit æſtu.

Igitur dum *ficus prima*, id eſt dum fructuum nondum penitus excocta maturitas, *calórque*, id eſt, & calores in autumno peſtilentes.

Deſignatorem decorat lictoribus atris.

Tam multas mortes inducunt, vt illo maximè tempore ludi funebres à munerariis ſiue deſignatoribus lictores pullatos, ſiue atratos habentibus ſoleant exhiberi. nam hos munerarios lictoribus vſos fuiſſe, ex Cicerone libro ſecundo de legibus compertum eſt. *Reliqua ſunt in more, funus vt indicatur, ſi quid ludorum, dominúſque funeris vtatur accenſo & lictoribus.* vbi nota deſignatorem, qui hîc *dominus funeris*, à Tertulliano libro de ſpectaculis *arbitrum funeris* nominari, *duobus inquinatiſſimis arbitris funerum & ſacrorum, Deſignatore, & Auſpice.* Atque hæc dicta ſint non tam contentionis ſtudio quàm veritatis, ex quibus intelligas tam ipſum munerarium, quàm eius lictores pullas in muneris editione veſtes habuiſſe. Quòd ad reliquos ſpectatores attinet, eos penulatos fuiſſe docet Lampridius in Commodo, ſub finem. *Contra conſuetudinem penulatos* (Spectatores ludorum funebrium penulati.) *iuſſit ſpectatores, non togatos ad munus conuenire, quod funeribus ſolebat, ipſe in pullis veſtimentis præſidens.* Dio Caſſius apud Xiphilinum. Μέλλων αὖθις μονομαχῆσαι, παρήγγειλεν ἡμῖν ἔν τε τῇ στολῇ καὶ ἐν ταῖς μανδύαις εἰς τὸ θέατρον εἰσελθεῖν. ὅπερ οὐκ ἄλλως ποιοῦμεν εἰσιόντες εἰς τὸ θέατρον, εἰ μὴ τῶν αὐτοκρατόρων τις μεταλλάξειε. *Cùm rurſus obiturus eſſet munus gladiatorium, iuſſit nos equeſtri veſte & penula indutos in theatrum venire: quo ornatu nunquam ante theatrum ingredi conſueueramus, niſi principum aliquis diem obiiſſet.* Eas verò penulas pulli coloris fuiſſe innuit Dio lib. 35. Κἀν τούτῳ καὶ ἐπιτάφιοι ἐπὶ τῷ Ἀγρίππᾳ ὁπλομαχίαι, φαιὰν ἐσθῆτα τῶν τε (Et interdum pullati.) ἄλλων, πλὴν Αὐγούστου, καὶ αὐτῶν τῶν υἱέων αὐτοῦ λαβόντων, καὶ καθ᾽ ἕνα καὶ πλειόνων πρὸς ἴσους ἐγένοντο. *Interea & funebre munus gladiatorium editum cùm ſingulis certantibus, tum pluribus contra pares, quod cùm alij omnes in pulla veſte ſpectarunt, tum & filij Auguſti ſolo ipſo excepto.*

Epulæ quidem ipsæ, dignitatis.] Operæ pretium erit & hic ab eodem Kirchmanno quædam excerpere, duóque epularum genera diſtinguere, quarum aliæ ad viuos pertinerent, eſſéntque non funeris, ſed dignitatis, aliæ ad mortuos. mortuorum erant quæ Manibus libabantur, vnde illud 6. Æneidos,

--congeſta cremantur
Thurea dona, dapes, fuſo crateres oliuo.

Iuuenalis ſat. 5.

Ponitur exiguâ feralis cœna patellâ. (Epulæ ferales.)

Apuleius 5. Floridorum; *Procul ignes amolirentur, rogum demolirentur, cœnam feralem à tumulo ad menſam inferrent.* Tertullianus libro de Reſurrectione carnis. *Et tamen defunctis parentant, & quidem impenſiſſimo officio, pro moribus eorum, pro temporibus eſculentorum, vt quos negant ſentire quicquam, etiam deſiderare præſumant. At ego magis ridebo vulgus, tunc quoque cùm ipſos defunctos atrociſſimè exurit, quos poſtmodum guloſiſſimè nutrit, iiſdem ignibus & promerens & offendens.* Ideò autem epulas ſolebant ſepulchris apponere, quòd iis veſci defunctorum animæ crederentur. Lucianus ἐπισκοποῦσιν. πεπιστεύκασι δ᾽ εἶναι τὰς ψυχὰς ἀναπεμπομένας κάτωθεν, δειπνεῖν μὲν, ὡς οἷόν τε, περιπετομένας τὴν κνίσαν καὶ καπνὸν, πίνειν δ᾽ ἀπὸ τοῦ βόθρου τὸ μελίκρατον. ad has epulas alludit Plinius lib. 10. cap. 10. de miluo loquens. *Nihil eſculenti rapit vnquam ex funerum ferculis, nec Olympiæ ex arâ.* Sed de his vide Odyſſ. λ. & Euſtathium eius interpretem, item Nicephorum Gregoram in Syneſium de inſomniis. atque has epulas funeris eſſe conſtat, non dignitatis: aliæ fuerunt non tam funeris, quàm dignitatis, & eæ tam priuatæ, quàm publicæ, quæ non tam ad mortuorum honorem, quàm dignitatem ſuperſtitum pertinerent. de publicis iam ſuprà meminimus, de priuatis proximè dicetur.

AXIOMA.

Non eſt faciendum quod nullo exemplo, nullo more fieri poteſt.

§. 31. Sed

ARGVMENTVM.

Sic in eodem argumento moratur vt à tempore, loco, apparatu, comparatione, perſonis, & conſecutis hominum ſermonibus, cæteríſque circunſtantiis Vatinij factum exaggeret.

XXXI. SED omitto epulum, populi Romani feſtum diem argento, veſte, omni apparatu, ornatúque viſendo: quis vnquam in luctu domeſtico, quis in funere familiari cœnauit cum toga pulla? cui de balneis exeunti, præter te, toga pulla vnquam data eſt? cùm tot hominum millia accumberent, cùm ipſe epuli dominus Q. Arius albatus eſſet, tu in templum Caſtoris te cum C. Fibulo atrato, cæteríſque tuis furiis funeſtum intuliſti. quis tum non ingemuit? quis non doluit Reipub. caſum? quis ſermo alius in illo epulo fuit, niſi hanc tantam, & tam grauem ciuitatem ſubiectam eſſe non modò furori, verùm etiam irriſioni tuæ?

EXPLANATIO.

SED OMITTO.] Præteritio eſt, quæ tamen pauciſſimis verbis multa argumenta complectitur. 1. Epulum fuit non funeris, ſed dignitatis. 2. diei feſtiuitas candidam veſtem exigebat. 3. Epulum argento, veſte, omni apparatu viſendum non debuit pullo conuiuantium habitu funeſtari. Ex quibus tribus rationibus hoc aptè concluditur: Ergo pullatus accedere non debuiſti.

QVIS VNQVAM IN LVCTV DOMESTICO.] Aliud argumentum à comparatione deducitur. Ne in funebribus quidem cœnis, quæ amicis & familiaribus inter domeſticos parietes exhibentur, quiſquam auſus eſt cum togâ pullâ accumbere ne conuiuium funeſtaret, ergo multo minùs cum pulla veſte ad publicas epulas venire debuiſti.

CVI DE BALNEIS EXEVNTI.] Expolitio eſt, per quam in eodem diutiùs immoratur. Nam hoc idem eſt atque ſi diceret, quis vnquam cœnauit atratus? Siquidem de balneis exeuntes syntheſes, ſiue veſtes cœnatorias ſumebant, in quibus menſæ accumberent.

CVM TOT HOMINVM MILLIA.] Cùm tota ciuitas publicis epulis accumberet, cùm ipſe Quintus Arius, quem veſtis pulla, in patris ſui funere, longè potiori ratione decuiſſet, tamen albatus eſſet, &c. hæc autem argumenti vis eſt.

Si veſtis pulla ſumi debuiſſet, eam ſumpſiſſet Quintus Arius qui epulum in funere patris exhibebat.

Sed Arius eam non ſumpſit. Ergo nõ debuit ſumi.

QVIS TVM NON INGEMVIT.] Argumentatur à conſequentibus, & iudicio totius ciuitatis.

NOTÆ.

I. IN FVNERE FAMILIARI COENAVIT.] Superiore ſectione epulas funebres in publicas priuatáſque diſtinximus, de publicis iam dictum eſt, de priuatis pauca dicenda ſunt. De quibus Cicero pro Flacco. *Sepulchrum Catilinæ floribus ornatum, hominum audaciſſimorum & domeſticorum hoſtium conuentu epuliſque celebratum eſt.* Ex quo intelligis eas dici priuatas epulas funerum quæ in familiarium ſepulchris ſolerent exhiberi. Tertullianus de teſtimonio animæ, cap. 4. *Vocas porrò ſecuros mortuos, ſi quando extra portam cum obſoniis & mattyis tibi potiùs parentans ad buſta recedis, aut à buſtis dilutior redis.* Sed eas hoc loco non intelligit, ſiquidem iis epulis certum non erat tempus conſtitutum, ſed eas quoties vellent, in defuncti memoriam exhibebant: hîc autem de epulis loquitur, quæ abſoluto funere ſolebant celebrari, de quibus, ni fallor, Varro. Meleagris apud Nonnium Marcellum cap. 1. *Funus exequietati laude ad ſepulchrum antiquo more ſilicernium confecimus.* Idem περὶ μέθης (ingenioſè Kirchmannus legit, id eſt περίδειπνοι) *non quo pranſi diſcedimus, alius, alij, Vale.* Vnde autem ſilicernium diceretur variæ fuerunt diſcrepantéſque ſententiæ. quæ ex ſæpè citato Kirchmanno operæ fuerit paucis expromere. 1. Fr. Iunius in commentario ad Tertullianum, Sicilernium dici ait à ſilaceo colore, à ſil ſilis, quod pigmenti genus lutei ſignificat. de quo Plinius libro 30. cap. 12. & 12. 2. gloſſarium videtur accepiſſe quaſi ſeleucernium, id eſt ſine lucernis, ἀλυχνία. his verbis ſilicernium περίδειπνον. λύχνους γὰρ ἅπτειν ἐν πένθει οὐ θέμις. de quo vide Cuiacium libro x I. obſeru. c x x I. quam etymologiam refutans idem Kirchmannus oſtendit ex Hieronymo, Dione, Herodoto, Petronio, Modeſtino, lucernas in cippis ſepulchrorum fuiſſe ſuſpenſas. Et veriſſimè quidem, ſed de cippis ſepulchrorum non videtur gloſſarium facere mentionem. ἐν πένθει, inquit, *in luctu*, non autem in ſepulchro. cui obiectioni, vt pro viro docto reſpondeam, remitto lectorem ad cap. 3. lib. 2. vbi idem auctor candelarum & cereorum vſum in funeribus fuſiſſimè comprobauit. tamen vt verum fatear in luctu, ſiue ἐν πένθει, funere videlicet iam abſoluto, quo tempore ſilicernium fiebat, extinctas fuiſſe faces exiſtimo. Iuuenalis ſat. 3. luctum publicum ſic deſcribit: Silicernium.

Pullati proceres, differt vadimonia prætor,

Tunc gemimus caſus vrbis, tunc edimus ignem.

Vnde Baſilius Magnus homilia priore quæ περὶ εὐχαριστίας inſcribitur, in luctu μέλαν ἱμάτιον, καὶ αὐχμηρὰν κόμην, καὶ σκότος ἐν οἰκίᾳ. *Pullam veſtem,*

Epulæ priuatæ.

comam ſquallidam, tenebras in domo agnoſcit. Ignibus etiam omnibus extinctis, & feneſtris obſeratis, vt videtur. Apuleius lib. 2. de aſino. *Conclaue quoddam obſeratis luminibus vmbroſum demonſtrat cubiculum, matronam flebilem fuſcâ veſte contectam.* Item: *In domo funeſta cœnas & partes requiris, in qua tot iugis iam diebus, ne fumus quidem viſus eſt vllus.* 3. *Dictunt*, inquit, *Feſtus, Silicerniū qui ergo cuius nomine ea res inſtituebatur, is iam ſilicem cerneret.* Idem cenſet Fulgentius. 4. Donatus in Terentij Adelphos. *Silicernium,* inquit, *cœna eſt, quæ infertur Diis manibus, vel quod eam ſilentes cernant vmbræ, id eſt poßideant: vel quod qui inferunt cernant, ſed non deguſtent. nam de his quæ libantur inferis, quiſquis ederit aut biberit, funeſtatur.* Sed hæc explicatio nihil ad Ciceronem, non agit enim hîc de epulis illis feralibus mortuorum. 5. Seruius in illud 5. Æneidos. *Libauitque dapes, Leuiter,* inquit, *deguſtauit epulas ſuperpoſitas, quæ ſilicernium vocantur quaſi ſilicenium ſuper ſilicem poſitum.* Sed non eſt opus pluribus iſta diſquirere. vide citatum. Tantùm nota epitheton *familiare* commodè *funeri* conuenire. Terentius in Andriâ, ſcenâ primâ.

Funus familiare.

--hic paruæ conſuetudinis
Causâ, mortem huius tam fert familiariter:
Quid ſi ipſe amaſſet? quid mihi hic faciet patri?

Cincius apud Gellium lib. 16. cap. 4. *Funus familiare, feriæ vindemiales,* &c. Varro apud Nonium. *Funere familiari commoto, auito ac patrio more precabamur.* Cicero pro C. Rabirio perd. reo. *Cùm ad iudicij moram familiaris funeris excuſatio quæreretur.* Gellius lib. 16. cap. 4. D. De in ius vocando, lege 2. *In ius vocari non oportet,* &c. *neque funus ducentem familiare, iuſtáue mortuo facientem.*

II. F e s t v m.] Iure feſtiuitatis meminit & ſupplicationis, vt pullam Vatinij veſtem reprehendas, ſiquidem & in ſupplicationibus & diebus feſtis maximè candidis veſtibus vti conſuerant. Horatius lib. 2. ſat. *--diéſque*

Diebus feſtis albati erant.

Feſtos albatus celebrat.

Perſius ſat. 2. *--negato*
Iuppiter hac illi quamuis te albata negarit.

Cæterùm an profeſtis diebus alio colorum & veſtium genere vterentur, alio loco dicendum eſt.

III. C v i d e b a l n e i s e x e v n t i.] A balneis ad cœnam ſolebant accedere. pro Deiotaro §. 17. *Huc te è balneo priuſquam accumberes, ducere volebat.* Epiſtolâ vltimâ, lib. 13. ad Atticum. *Ambulauit in littore: poſt horam* v i i i. *in balneum. tum audiuit. de Mamurra non mutauit, vnctus eſt. accubuit,* ἐμετικὴν *agebat,* &c. Martialis.

Lauabant ante epulas.

Lotus nobiſcum Andragoras cœnauit & vnxit.

Et Iuuenalis ſat. 3. balnearum inſtrumenta iungit cum cœnæ apparatu.

--domus interea ſecura patellas
Iam lauat, & buccâ foculum excitat, & ſonat vnctis
Strigilibus & pleno componit lintea gutto.

Vide Plautum Amphit. ſc. 2. act. 2. quo in genere lepidum eſt illud Athenæi, libro 8. Ὄρνιν δ' ἔχων ποτὲ ὁ Ἀντιγόρας, οὐκ ἔφη βαδιεῖσθαι εἰς τὸ βαλανεῖον εὐλαβούμενος, μή ποτε οἱ παῖδες τὸν ζωμὸν ἐκροφήσωσι. Φιλοκύδους δ' εἰπόντος ὅτι ἡ μήτηρ τηρήσει. Ἐγὼ οὖν, εἶπε, τῇ μητρὶ ὀρνίθιον ζωμὸν πιστεύσω; *Cùm auem ſibi coxiſſet Antagoras, dixit ſe ad balnea non iturum, ne pueri iuſculum abſorberent. Dicenti verò Philocydæ matrem eſſe ſeruaturam. Egóne, inquit, vt matri iuſculum ex aue confectum auſim credere?* Plutarchus in præceptis ſanitatis. Πολλοὺς καὶ λουτρὸν ἀπώλεσεν, οὐδὲν ἐν ἀρχῇ μέγα κακὸν ἔχοντας, ἀλλ' ἢ (corrigo vnius virgulæ in accentum mutatione ἔχοντας ἀλλ' ἢ) τὸ μὴ δύνασθαι μηδὲν ὑπομένειν γεύσασθαι τροφῆς ἀλούτους. ὧν καὶ Τίτος ἦν ὁ αὐτοκράτωρ, ὥς φασιν οἱ νοσηλεύσαντες. *Multos etiam balnea perdiderunt, cùm initio mali nihil haberent niſi quòd ſuſtinere non poſſent, vt manducarent niſi loti. In quibus fuit Titus Imperator, vt aiunt illi qui ægrotanti præſto fuerunt.* Chryſoſtomus hom. 11. in epiſt. 1. ad Corinth. Καὶ σὺ μὲν ἐκ βαλανείου λελουμένος ἐπανέρχῃ, μαλακοῖς θαλπόμενος ἱματίοις, γεγηθὼς καὶ χαίρων, καὶ ἐπὶ δεῖπνον ἕτοιμον τρέχων πολυτελές. *Et tu quidem lotus è balneo diſcedis mollibus fotus veſtimentis gaudens & geſtiens, & accurrens ad ſumptuoſas epulas tibi præparatas.* Apuleius apologia prima. *Quid ſit diei vides. Dico Craſſum iamdudum ebrium ſtertere, aut ſecundo lauacro ad repotia cœnæ obeunda, vinolentum ſudorem in balneo deſudare.* Artemidorus. Νῦν δὲ οἱ μὲν οὐ πρότερον ἐσθίουσιν, εἰ μὴ λούσαιντο. οἱ δὲ καὶ ἐμφαγόντες, εἶτα δὴ λούονται μέλλοντες δειπνήσειν. καὶ ἔστι νῦν τὸ βαλανεῖον οὐδὲν ἄλλο, ἢ ὁδὸς ἐπὶ τροφήν. *Nunc verò alij non priùs comedunt, quàm loti fuerint, alij poſtquam comederint, lauant iterum cœnaturi, & iam nihil aliud eſt balneum quàm via ad comedendum.* Quòd cùm in aliis cœnis factum fuiſſe, tum maximè in funebribus, vel ideò conſtat quod cadauerum attactu, & præſentiâ pollutos ſe putarent, ideòque ſe balnearum aquis expiarent. Ideò Fauſtus de quo paulò pòſt habebimus mentionem, Τότε δῆμον λαμπρῶς εἱστίασε, τά τε λουτρὰ καὶ ἔλαιον προῖκα αὐτοῖς παρέσχεν. *Et populum laute conuiuio excepit, & balneas oleumque gratis exhibuit.* vt iam diximus ex Dione 38. Interpres Ariſtophanis, qui locus mihi exciderat, niſi doctiſſimus Lacerda mihi in memoriam reuocaſſet, in Nubibus ad hunc locum aptiſſimè. ἔθος ἦν μετὰ τὴν ἐκκομιδὴν τοῦ νεκροῦ λούεσθαι τοὺς κατ' οἶκον καθαρμοῦ χάριν. *Moris fuit poſt elationem cadaueris, domeſticos lauari purgationis gratiâ.* quòd iiſdem penè verbis Suidas annotauit.

Præſertim ante epulas funebres.

T o g a.] Tum ex hoc loco, tum ex aliis pluribus colligi poteſt, alias veſtes aliis rebus, alias conuiuiis fuiſſe deſtinatas, quod iam ante me multi annotarunt, tamen abs re non fuerit hunc morem paucis attingere.

Idibus & Calendis ſumebant etiam ij qui toga rarius vterentur. Martialis lib. 4. ep. 66.

Toga Idibus & Calendis.

Idibus & raris togula eſt excuſſa Calendis
Duxit & æſtates ſyntheſis vna decem.

Togam ſumebant amici vel clientes, cùm maiores amicos aut patronos honoris cauſa deducerent, aut etiam gratulationis. Idem lib. 2. epiſt. 74.

Togati clientes.

Cinctum togatis pòſt & antè Saufellum
Quantâ reduci Regulus ſolet turbâ,
Ad alta tonſum templa cùm reum miſit,
Materne cernis? inuidere nolito.
Comitatus iſte ſit precor tuus nunquam, &c.

Hoc ſenſu inter cætera *Vitam quæ faciunt beatiorem.* etiam *toga rara* numeratur. Iuuenalis.

--poſt te an ſit ſella, togati
Ante pedes.

Idem ſat. 3.

Quod porrò officium (ne nobis blandiar) aut quod
Pauperis hic meritum, ſi curet nocte togatus
Currere.-- & alibi frequenter.

Pulchrè Tertullianus libro de Pallio omnia penè collegit, apud quem pallium ipſum loquens & togæ officia à ſe remouens inducitur. *Ego*, inquit, *nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo,* Alij togæ vſus. *nihil officio aduigilo, nulla roſtra præoccupo, nulla prætoria obſeruo, cancellos non adoro, ſubſellia non contundo, iura non conturbo, cauſas non elatro, non iudico, non milito, non regno.* Item, extremis pene verbis. *Verùm & cerdones & omnis gladiatorum ignominia togata producitur.* Ne mireris milites togatos. Iulius Capitolinus in Marco Antonino Philoſopho. *Per Brunduſium veniens* Milites togati. *in Italiam, togam & ipſe ſumpſit, & milites togatos eſſe iuſſit: nec vnquam ſagati fuerunt ſub eo milites.* Spartianus in Adriano. *Ipſe cùm in Italia eſſet, ſemper togatus proceſſit.* Ruſus apud Pallio qui vterentur. Tertullianum lib. exeunte pallium ſuos vſus ita recenſet. *De meo veſtiuntur & primus informator literarum, & primus numerorum arenarius, & Grammaticus, & Rhetor, & Sophiſta, & Medicus, & Poëta, & qui muſicam pulſat, & qui ſtellarem coniectat, & qui volaticam ſpectat. omnis liberalitas ſtudiorum quatuor meis angulis tegitur.* Etiamſi totam vitam in pallio aut ſolâ tunica tranſegiſſent, tamen ſi modò ciues Romani erant, efferebantur togati. Iuuenalis:

Toga mortuorum. *Pars magna Italiæ eſt (ſi verum admittimus) in qua*
Nemo togam ſumit niſi mortuus.--

Sordidis veſtibus rei, pullis lugentes, ſagis in tumultu, lacernis & penulis ad varios vſus ſe Veſtis conuiualis. veſtiebant: ſed hæc omitto. Exeuntibus ad epulas à balneo dabatur ſyntheſis, id eſt veſtis mollis & delicata, quam *veſtem diſcubitoriam* Petronius appellat. Martialis lib. 5.

Vndecies vna ſurrexti, Zoile, cœnâ,
Syntheſis. *Et mutata tibi eſt ſyntheſis vndecies.*

Tertullianus de pallio cap. 4. *Endromidis ſolocem aliquâ multiciâ ſyntheſi extruſit.* Sic apud Iuuenalem matrona ad conuiuium vnde ſurrexerat, dicitur redire,

Humida ſuſpectis referens multicia rugis.

Saturnalibus autem, vt ſemper ad epulas eſſent expediti, perpetuo ſyntheſim geſtabant. Martialis lib. 14.

Syntheſibus dum gaudet eques dominúſque Senatus
Dúmque decent noſtrum pilia ſumpta Iouem, &c.

Hoc eſt quod queritur Seneca epiſt. 18. *Quod fieri niſi in tumultu & triſti tempore ciuitatis non ſolebat, voluptatis cauſsâ, & feſtorum dierum veſtem mutauimus.*

V. ALBATVS ESSET.] Ludouicus de la Cerda vir eruditione ſingulari hunc locum Ciceronis eo trahit, vt album colorem mortuis fuiſſe proprium hinc oſtendere conetur, & hunc locum illuſtrat, *coactus inopiâ illorum, quorum intererat.* Sic Iliados 18. Patrocli cadauer, φάρεϊ λευκῷ operitur. apud Herodianum mulieres ἐσθῆτας λευκὰς σχῆμα παρέχουσαι λυπουμένων, qui lugent defunctos Color albus in funeribus. apud Platonem 12. de legibus, λευκὴν στολὴν, apud Plutarchum, λευκὰ φοροῦσιν ἐν τοῖς πένθεσιν αἱ γυναῖκες ἱμάτια καὶ λευκοὺς κεκρυφάλους. Sic albis vtuntur apud Pollucem lib. 4. οἱ ἐν δυστυχίαις. & alia quàm doctiſſimè congeſta. ſed

Dij benè fecerunt inopem me, quódque puſilli
Finxerunt animi.

Ne auſim reluctantem Ciceronem eò deducere. nam quæ ex Plutarcho, Herodiano & aliis Romanorum exempla profert, ea ſub Imperatoribus contigerunt, quo tempoxe poſt varia colorum genera reperta, ſic albus color paulatim contemni cœpit, vt in lucta tantummodo iam ſumeretur: at Ciceronis tempore & liberâ republicâ pullum colorem, non à viris ſolùm, ſed etiam mulieribus vſurpatum fuiſſe doctiſſimus Lipſius commentariis in Tacitum, lib. 2. annotauit. vt apud Dionyſium in funere Coriolani. Καὶ γυναῖκες αὐτῶν ἃ νόμος ἐστὶν αὐταῖς ἐπὶ τοῖς ἰδίοις τε καὶ ἀναγκαίοις ποιεῖν κήδεσιν, ἀποθέμεναι χρυσόν τε καὶ πορφύραν, καὶ τὸν ἄλλον ἅπαντα κόσμον μέλασιν ἀμφιασμοῖς χρώμεναι, τὸν ἐνιαύσιον ἐπένθησαν χρόνον. *Romanorum Matronæ vt mos eſt illis in luctu domeſtico, & neceſſariorum funeribus, depoſito auro & purpurâ cæteróque ornatu atratæ ipſum per annum integrum luxerunt.* Item pullus. Quæ tantùm non iiſdem verbis tacito nomine auctoris, à Suida referuntur. Sed ne actum agam ad Lipſium te remitto. cùm præſertim liquidò ex ipſis verbis Ciceronis appareat, album colorem in ipſo funere non fuiſſe vſitatum, ſed tantùm in funebribus conuiuiis. Quid enim aliud iſta verba ſignificant, vt in explicatione iam oſtendimus, *Quis vnquam cœnauit atratus? ita enim illud epulum eſt funebre, vt munus ſit funeris* (atque adeò ſpectatores ſint atrati) *epulæ quidem ipſæ dignitatis.* ideóque cùm funeris non ſint, ad eas non licet atratum accedere.

IN TEMPLVM CASTORIS.] Opinatur, & meritò quidem, Manutius. VI. *Magiſtratus & Senatores, aut etiam equites Romanos in templo, reliquam plebem in foro cœnaſſe.* nam cùm, vt modò dictum eſt, tot hominum milia accumberent, quî potuiſſent vnius templi anguſtiis contineri? Epulum autem, vt notat Turnebus, dari ſolebat in ædibus ſacris, vt tùm in templo Caſtoris Plautus.

Ph. *Quid tunc, ſi in ædem ad cœnam veneris:*
Atque ibi opulentus tibi par fortè vt venerit,
Appoſita ſit cœna, popularem quam vocant:
Si illi congeſtæ ſint epulæ à clientibus,
Si quid tibi placeat quod illi congeſtum ſiet,
Edíſne, an incœnatus cum opulento accubes?

AXIOMA.

Dolendus eſt Reip. caſus, cùm videmus grauem & amplam ciuitatem ſubiectam eſſe non modò furori, verùm etiam irriſioni improborum.

ARGVMENTVM.

Concludit ne ab ignoratione quidem excuſationem poſſe Vatinium ſuo facto prætexere, qui epularum morem non ignorauit, cùm præſertim in egeſtate nutritus, ſemper cœnas alienas captauerit: mox ab enumeratione rem exaggerat.

XXXII. HVNC tu morem ignorabas? numquam epulum videras? numquam puer, aut adoleſcens inter coæuos fueras? Fauſti adoleſcentis nobiliſſimi, paulò antè ex epulo magnificentiſſimo famem illam veterem tuam non expleras? quem accumbere atratum videras dominum cum toga pulla, & eius amicos ante conuiuium? quæ te tanta tenuit amentia, vt tu, niſi id feciſſes, quod fas non fuit, niſi violaſſes templum Caſtoris, nomen epuli, oculos ciuium, morem veterem, eius qui te inuitarat auctoritatem, parum putares teſtificatum eſſe, ſupplicationes te illas non putare?

EXPLANATIO.

NVNQVAM INTER COÆVOS FVERAS?] Quidam legunt, *nunquam interfueras?* vt Manutius, qui ex quinque libris antiquis, vocem *coæuos* delendam eſſe contendit. Turnebus *inter coquos* legendum exiſtimauit. dicetur in notis cur hæc poſtrema lectio cæteris anteponenda videatur.

FAVSTI ADOLESCENTIS NOBILISSIMI.] An non interfueras illis epulis, quas Fauſtus Syllæ Dictatoris filius exhibuit in memoriam patris demortui, cùm præſertim oppreſſus egeſtate domeſticâ huiuſmodi cœnis inhiares, & vndequaque captares.

PAVLO ANTE.] Anno proximo ſuperiore. videlicet Metello Celere & Afranio Conſulibus, qui annus præceſſit Vatinij tribunatum.

QVEM ACCVMBERE ATRATVM.] Non dubium quin error in ſcripturam obrepſerit. Sic cum viris doctis legendum exiſtimo. *Quem accumbere atratum videras? videras Dominum cum togâ pullâ, & eius amicos ante conuiuium.* Et ita ſi poſtremo loco nota interrogationis auferatur, ſenſus erit: Neminem videras atratum accumbere, etſi Fauſtum qui cœnam populo exhibebat, cùm amicis ſuis atratum vidiſti, cùm ante conuiuium indutus prætextâ pullâ ludos gladiatorios exhiberet.

QVÆ TE TANTA.] Anacephalæoſis eſt, quâ ſuperiùs dicta paucis complectitur.

EIVS QVI TE INVITARAT AVCTORITATEM.] Quinti Arrij exemplum, qui quamuis in funere patris, quamuis epuli dominus non auſus eſt cum veſte pullâ accumbere. Hæc videlicet eſt gratia, quàm inuitatori tuo habuiſti, vt eius auctoritatem contrario facto violares.

NOTÆ.

1. INTER COQVOS.] Singulas lectiones probabiles exiſtimo, hanc tamen reliquis duabus antepono, tum quod veterem illam famem, de qua paulò pòſt loquetur, magis exprimat, ſi eam tantâ oppreſſum fuiſſe mendicitate dicat, vt ab ipſis coquis cœnam parantibus non diſcederet, ab ipſis etiam rogis eſcam rapturus. inſtar illius famelicæ, de qua Catullus:

Vxórne Mæni ſæpe quàm in ſepulchretis Buſtirapi.
Vidiſtis ipſo rapere de rogo cœnam
Cùm deuolutum ex igne proſequens panem
A ſemiraſo tunderetur vltore.

Terentius Eunucho, actu 3. ſc. 2.

Ex flamma te petere cibum poſſe arbitror.

Tibullus.

Ipſa fame ſtimulante furens, eſcáſque ſepulchris
Quærat, & à ſæuis oſſa relicta lupis.

Tum quòd ſi *coquos* legas, magis veterem loquendi conſuetudinem ſeruaſſe videatur. nam coquorum in funeribus frequens mentio. Plautus Aululariâ.

Cocus ille nundinalis eſt, in nouum diem Coqui ferales.
Solet ire coctum.

Idem in Pſeudolo.

Quin ob eam rem orcus recipere hunc ad ſe noluit,
Vt eſſet hìc qui mortuis cœnam coquat,
Nam hic ſolus illis coquere, quod placeat, poteſt.

Nam *culina* (vt ait Feſtus, quam Nonnius coquinam dictam fuiſſe tradit à coquendo) *vocatur locus in quo epulæ in funeribus comburuntur.* atque hæ ſunt duæ rationes quæ me ad lectionem hanc ſequendam impulerunt; longè enim acrior erit oratio, ſi Vatinius non ſolùm famelicus, ſed etiam buſtirapus dicatur.

DOMINVM.] Epuli exhibitorem. Superiùs. *Cùm ipſe epuli Dominus Quintus Arrius,* &c. Hæc enim Domina Regia & Domini quamuis ex vrbe, 11.

Ad Parthos procul ire pileatos,

iubentes procul eiecerant, ea tamen in conuiuiis retinebant. Horatius Ode lib. 1.

Nec regna vini ſortiere talis.

Et, *--quem Venus arbitrum*
Dicet bibendi.

Quem fortaſſe noſter *ſummum magiſtrum* appellat de Senectute. Iuuenalis ſat. 5. de his ipſis conuiuiis,

--Dominus tamen, & domini Rex Dominus conuiuij.
Si vis tu fieri, nullus tibi paruulus aulâ
Luſerit Æneas, nec filia dulcior illo.

Nonnius Marcellus: *Dominus rurſum appellatur conuiuij exhibitor: vnde & dominia conuiuia.* Non

pauca præfert exempla, ſed mendoſa, nos integerrima quæque libabimus. Varro. *Dominum conuiuij, vinum, aliúdve quid mi laudato.* Et alibi. *Diſcumbimus muſſati, dominus matura oua ad cœnam committit.*

Salluſtius. *Alteri ſcribam & cenas.*

Lege ex Seruio. *Alter ſcriba Mecenas in imo medius inter Tarquitium, & dominum Perpernam.* Turpilius. *Ego extra cubici domina.* Lucilius: *Primum dominia atque ſodalitia omnia tolluntur.*

III. Epulum vnde? NOMEN EPVLI.] Epuli nomen ab opulentia & lautitiâ, ſi credimus Iſidoro, deductum eſt, quod nomen Vatinius pullâ & ſordidâ veſte violabat, cùm is habitus epulantibus minimè conueniret. vnde & epulæ dapſiles frequenter à Plauto quaſi opiparæ & magnificæ dicuntur, ἀπὸ τῆς δαψιλείας. Pomponius Ruſtico apud Nonnium.

Quid nunc vis fieri? verrem ſume dapſilè ac dilacidè.

QVI TE INVITARAT.] Etſi epulum erat publicum, tamen exiſtimo magiſtratus inuitatos fuiſſe nominatim. Cùm enim in comitiis ſoleret id honoris patriciis exhiberi, ratio non apparet cur Magiſtratus, quamuis non patricios eo debeamus excludere. Dionyſius lib. 2. Τοὺς μὲν πατρικίους ὁπότε δόξειε τοῖς βασιλεῦσι συγκαλεῖν οἱ κήρυκες ἐξ ὀνόματός τε καὶ πατρόθεν ἀνηγόρευον, τοὺς δὲ δημοτικοὺς ὑπηρέται τινὲς καὶ ἀθρόοι κέρασι βοείοις ἐμβυκανῶντες ἐπὶ τὰς ἐκκλησίας συνῆγον. *Patricios cum Regibus viſum fuerat conuocare, præcones ex nomine tum proprio, tum paterno vocabant. Plebeios verò ſerui quidem publici, confertim bouinis cornibus buccinantes cogebant in concionem.* IV. Magiſtratus ad epulas publicas inuitati nominatim.

AXIOMA.

Magna amentia eſt vt oſtendas aliquid tibi diſplicere, id agere quod fas non eſt, & morem maiorum, oculos ciuium violare.

Poſt Tribunatum Vatinij.

- Scelera
  - reus, iudicium diſcuſſit
    - appellatione Tribunorum.
    - vi iudicibus illatâ. 33. 34.
    - cùm aliter prætextu legationis poſſet iudicium declinare. 34.
    - quam legationem exagitat. 35. 36.
  - legem Tulliam de ambitu contempſit. 37.
- Pœna
  - repulſa in petitione præturæ, quam ne Cæſar quidem moleſtè tulit. 37. 38.
  - odium publicum contra Vatinium. 39.
- Vanitas & mendacium vt fides eius teſtimonio derogetur, ob inconſtantiam & leuitatem.
  - Milonem
    - laudat in iudicio.
    - vituperat in concione.
  - Milonem & Sextium
    - crimine coniungit.
    - teſtimonio diſiungit.
  - Sextium
    - negat reum de vi fieri debuiſſe.
    - & ſuo teſtimonio de vi damnari cupit.

ARGVMENTVM.

Multas leges, etiam ſine promulgatione per trinundinum fieri conſueta tulerat in ſuo tribunatu Vatinius. Hoc crimine reus anno ſequenti, implorato Clodij Tribuniplebis auxilio, iudicia diſturbauit, de quo nunc Tullius tribus §. interrogat.

XXXIII. Vita priuata. QVÆRO illud etiam ex te, quod priuatus admiſiſti: in quo certè iam tibi dicere non licebit, cum clariſſimis viris cauſſam tuam eſſe coniunctam, poſtulatúſne ſis lege Licinia, & Iunia, edixerítne C. Memmius prætor ex ea lege, vt adeſſes die triceſimo? cùm is dies veniſſet, feceríſne, quod in hac Repub. non modò factum ante numquam eſt, ſed in omni memoria ſit inauditum? appellaríſne Tribunospleb. ne cauſſam diceres? leuius dixi (quamquam id ipſum eſſet & nouum, & non ferendum) ſed appellaríſne nominatim peſtem illius anni, furiam patriæ, tempeſtatem Reipub. Clodium? qui tamen cùm iure, cùm more, cùm poteſtate iudicium impedire non poſſet, rediit ad illam vim, & furorem ſuum, ducémque ſe militibus tuis præbuit. In quo, ne quid à me dictum in te potiùs putes, quàm abs te eſſe quæſitum, nullum onus imponam mihi teſtimonij: quæ mihi breui tempore ex eodem iſto loco video eſſe dicenda, ſeruabo, téque non arguam, ſed vt in cæteris rebus feci, rogabo.

EXPLANATIO.

DICERE NON LICEBIT.] Hoc loco non poteris te Cæſaris auctoritate defendere, nam ſi qua fuit cum Cæſare coniunctio in Tribunatu fuit.

POSTVLATVSNE SIS.] Diéſne tibi dicta fuerit quòd legem à Luc. Licinio Murena, & D. Iunio Silano Coſſ. de promulgatione trinundini latam in tribunatu violaſſes, multas leges ferens, quæ nunquam fuerant promulgatæ.

EDIXERITNE CAIVS MEMMIVS.] *Cæſaris inimicus* (notante Manutio) *de cuius etiam actis retulit ad Senatum. is poſtea cùm peteret conſulatum de ambitu damnatus Athenas exulatum abiit. extant ad eum ſcriptæ epiſtolæ duæ primæ lib.* 13. *famil.* Senſus eſt. Quæro an C. Memmius prætor, vt ad Iudicium hac lege conſtitutum & cauſam dicendam trigeſimo die accederes.

CVM IS DIES.] Vide qua ratione factum exaggeret. 1. à facinoris nouitate. facinus in omni memoria inauditum. à reipsâ. *appellaríſne* à Iudicibus, à perſonis *Tribunosplebis* qui ſunt, non ad euertendas leges, ſed ad propulſandam vim inſtituti. à loco. *in hac repub.* à fine *ne cauſam diceres,* iterum à perſonâ particulari *Clodium* ab adiunctis perſonæ. *furiam patriæ, tempeſtatem reipub.* à modo *non iure, non poteſtate.* ſed vi & armis iudicia impediuit.

NVLLVM ONVS.] Non in te loquar, vt teſtis, neque te arguam, ſed rogabo.

QVÆ MIHI BREVI.] Vel nomen ſe Vatinij delaturum, vel potiùs, quòd mihi magis arridet, teſtem ſe contra Vatinium breui à Paulo & Licinio Marco teſtem productum iri comminatur. nam illi duo Vatinium accuſare iam antè decreuerant. Cicero ad Q. Fr. epiſt. 4. lib. 1. *Vatinium à quo palàm oppugnabatur, arbitratu noſtro concidimus Diis hominibúſque plaudentibus. quinetiam Paulus noſter cùm teſtis productus eſſe in Sextium, confirmauit ſe nomen Vatinij delaturum, ſi Macer Licinius cunctaretur. & Macer à Sextij ſubſelliis ſurrexit, ac ſe illi non defuturum affirmauit.*

NOTÆ.

I. Lex Licinia & Iunia.

LEGE LICINIA ET IVNIA.] Legebatur lege *Liciniâ & Iuliâ.* Sed Manutius & alij *Iunia* reſcripſerunt. De his epiſtolâ 9. libri 2. ad Atticum. *Improbitate iſtorum, qui auſpicia, qui Æliam legem, qui Iuniam & Liciniam, qui Aciliam & Didiam neglexerunt, qui omnia remedia reipublicæ effuderunt: qui regna, qui prædia, Tetrarchias qui mimaces pecunias paucis dederunt.* Et epiſtolâ 15. lib. 4. *Nunc ad ea quæ quæris de Caio Catone lege Iuniâ & Liciniâ ſcis abſolutum.* Ex quibus & aliis locis intelligas legem Iuniam & Liciniam eandem fuiſſe, & cùm haud facilè reperias duos alios Conſules à quibus nomen ſortita ſit, eam à Lucio Licinio Murenâ, & D. Iunio Silano latam fuiſſe proximè poſt ipſum M. Tullij conſulatum. Eam autem & Conſularem fuiſſe, & à Vatinio violatam conſtat ex oratione pro Sextio, §. 133. *Quem non tam admiror, quòd meam legem contemnat hominis inimici, quàm quòd ſe ſtatuat omnino Conſularem legem nullam putare. Aciliam, Didiam: Liciniam, Iuniam contempſit.* Quid autem hæ leges à Vatinio violatæ, quibus in Iudicium poſteà vocatus eſt, continerent ex ipſo Cicerone poterimus addiſcere. Philipp. 5. §. 7. & 8. *Num etiam hanc legem Populus Romanus accepit? Quid? promulgata fuit? quid? nónne antè lata quàm ſcripta? nónne antè factum vidimus, quàm futurum quiſquam eſt ſuſpicatus? vbi lex Acilia & Didia? vbi promulgatio, trinundinûm? vbi pœnæ recenti lege Iuniâ & Liciniâ? poſſúntne hæ leges ratæ eſſe ſine interitu legum reliquarum? Et cui poteſtas in forum introeundi fuit? Quæ porrò illa tonitrua? quæ tempeſtas? vt ſi auſpicia M. Antonium non mouerent, ſuſtinere tamen eum ac ferre potuiſſe tantam vim tempeſtatis, imbris, ac turbinum, mirum videretur?* Quid contineret.

Atque hæc,quanquam ab aliis interpretibus peti potuiſſent, tamen allata ſunt vt conſtaret Primò, legendum eſſe *Iuniâ*, non *Iuliâ*, quamuis idem planè mendum in Dionem obrepſerit, apud quem Ἰούλιος Σίλανος ſcriptum reperitur. 2. vt conſtaret hanc legem Conſularem fuiſſe, & non antiquam atque adeò ab dictis Coſſ. latam, cùm etiam aliquot pòſt annis *recens* 5. Philippicâ nominetur. 3. vt oſtenderem, quidnam lex iſta contineret, pœnas ſcilicet grauiores in eum qui contra legem Aciliam & Didiam de promulgatione trinundini, & fortaſſe de auſpiciis, leges non promulgaſſet per trinundinum.
Promulgare. promulgare autem leges eſt eas publicè legendas exponere, vt ſcilicet populus ruſticanus ad vrbem nundinis nono quoque die recurrentibus conueniens videret, & iam antè deliberaret, eſſétne è Republicâ eas ſuis ſuffragiis confirmare.

II. Ex ea lege vt adesses die tricesimo.] Nonnulli ſic iſtum locum intelligunt, *ex eâ lege dixit, quoniam aliæ leges breuiorem dabant diem ad reſpondendum: lex autem Lutatiâ qua Cœlius poſtulatus eſt, decimo die adeſſe iubebat.* Hæc Goueanus. ídque de lege Lutatia probat ex verbis Ciceronis ex epiſtola 12. lib.1. ad Quintum Fratrem: *Decimus erat Cœlio dies. Domitius ad numerum Iudices non habuit.* Sed rem aliter interpretor. neque enim in legibus diem puto certum fuiſſe conſtitutum, quo die reus ad cauſſam dicendam adeſſe deberet, ſed id prætoris arbitrio fuiſſe permiſſum, vt cauſſæ & iudicio diem ediceret. Suadet Plutarchus in Cicerone. Nam cùm Manilius à Cicerone Prætore edici ſibi diem poſtularet: Αἰτουμένου ἡμέραν μίαν, ὁ Κικέρων μόνην τὴν ἐπιοῦσαν ἔδωκε, καὶ ὁ δῆμος ἠγανάκτησεν, εἰθισμένων τῶν στρατηγῶν δέκα τοὐλάχιστον ἡμέρας διδόναι τοῖς κινδυνεύουσι. *Cùm is diem ſibi conſtitui poſtularet, Cicero diem proximè ſequentem edixit. Enimuero populus indignari, cùm cæteri prætores conſueſſent decimum ſaltem diem reis edicere.* ac vide quemadmodum indignanti populo reſponderit: Εἶπεν ἧς ἔτι μόνης κύριος ἦν ἡμέρας, στρατηγῶν ταύτην ἐπίτηδες ὁρίσαι. τὸ γὰρ εἰς ἄλλον ἄρχοντα τὴν κρίσιν ἐκβαλεῖν, οὐκ εἶναι βουλομένων βοηθεῖν. *Dixit ſe vnum illum diem, qui in ipſius adhuc poteſtate erat, præfixiſſe de induſtriâ. nam iudicium in alterum iudicem reiicere, non eſt eius qui reo auxiliari decreuerit.* Vides igitur, vt ex hoc loco compertum eſt, certum diem non fuiſſe ipſis legibus ad iudicia præfixum & præſtitutum. tamen in dimicatione capitis (ſi bene verba Ciceronis intelligo) in trinundinum cauſſas differebant. Ex quo licebit coniecturâ deducere pœnas Iuniâ & Liciniâ lege conſtitutas fuiſſe capitales. Cicero pro domo. *Cùm tam moderata iudicia populi ſint à maioribus conſtituta. primùm vt ne pœna capitis cum pecuniâ coniungatur: deinde ne niſi prodictâ die quis accuſetur: tertiò vt ante magiſtratus accuſet, intermiſſa die qua multam irroget aut iudicet: quartò ſit accuſatio trinumnundinum, prodictâ die qua die, iudicium ſit futurum,* &c. Probabile eſt autem legem Iuniam & Liciniam non ſolùm in legum promulgationibus, ſed etiam in iudiciorum indictionibus antiquas leges de trinundino nouis ſanctionibus comprobaſſe; non ita tamen quaſi certum diem præfixerit: nam vt alia taceam, cauſam Milonianam in centeſimum diem reiectam fuiſſe, tum ex aliis conſtat, tum clariſſimè ex Aſconio Pediano. vnde non mirum erit ſi Memmius triceſimum diem indicens, trinundinum lege præſcriptum tribus ſaltem diebus exceſſerit.

AXIOMA.

Nefarium eſt appellare magiſtratus ne cauſſâ dicatur.

ARGVMENTVM.

Per expolitionem & circunſtantiarum enumerationem, vim & diſturbationem iudiciorum exaggerat, deinde ſuſpicionem inducit, Vatinium non tam ex metu quàm ex merâ improbitate id facinoris perpetraſſe, quippe qui perfugio legationis vti potuiſſet.

QVÆRO ex te, Vatini, num quis in hac ciuitate poſt vrbem condi- XXXIV.
tam Tribunos plebis appellarit, ne cauſſam diceret? num quis reus in Tribunal ſui quæſitoris aſcenderit, eúmque vi deturbarit? ſubſellia diſſiparit? vrnas deleuerit? eas denique omnes res in iudicio diſturbando commiſerit, quarum rerum cauſſâ iudicia ſunt conſtituta? ſciáſne tum fugiſſe Memmium? accuſatores eſſe tuos, de tuis tuorúmque manibus ereptos? iudices quæſtionum de proximis Tribunalibus eſſe depulſos? in foro, in luce, inſpectante populo Romano, quæſtionem, magiſtratus, morem maiorum, leges, iudices, ſcelerum pœnam eſſe ſublatam? hæc omnia ſciáſne diligentiâ C. Memmij publicis tabulis eſſe notata, atque teſtata? Atque illud etiam quæro, quod poſteaquam es poſtulatus, ex legatione redieris, ne quis te iudicia defugere arbitraretur, téque cùm tibi vtrum velles liceret, dictitaris cauſſam dicere maluiſſe, quî conſentaneum fuerit, cùm legationis perfugio vti noluiſſes, appellatione improbiſſima te ad auxilium nefarium confugiſſe?

EXPLANATIO.

QVæro ex te Vatini.] Quiſpiam idem quod ſuperius & iiſdem pene verbis dici exiſtimet: tamen pars eſt ſyllogiſmi qui formari ſic poteſt.

Nemo in hac ciuitate poſt vrbem conditam Tribunos plebis appellauit ne cauſam diceret.

Sed tu appellaſti Tribunos plebis ne cauſam diceres.

Ergo feciſti quod in hac Republ. non modò factum antè nunquam eſt, ſed in omni memoriâ eſt inauditum.

Maior propoſitio hoc paragrapho, ſuperiore minor & concluſio continetur.

Nvm qvis revs.] Quemadmodum tu in Tribunal Caij Memmij quæſitoris tui aſſcendiſti.

Svbsellia Ivdicvm.] Quemadmodum tu fregiſti Iudicum ſellas, quibus Iudices in tuâ cauſâ Caio Memmio prætori aſſidebant.

Vrnas deleverit.] Alij legunt *deiecerit* euerterit vrnas, quibus tabellæ Iudicum ſeruabantur, quos euertiſti.

Eas deniqve omnes.] Ea omnia ſcelera commiſerit, de quibus quæſtiones ſunt conſtitutæ.

Accvsatores esse tvos.] Et accuſatorem & ſubſcriptores, vix è ſeditioſorum Clodianorum manibus incolumes euaſiſſe.

Ivdices qvæstionvm.] Non ſolùm eos qui tuam cauſam erant cogrituri, ſed etiam alios Iudices qui in vicinis Tribunalibus quæſtionibus præerant, fuiſſe depulſos, & ſic tumultum toto foro fuiſſe propagatum.

In foro, in lvce.] Vide quemadmodum rem amplificet. Primò, rem exponit, ſingulas facinoris atrociſſimi partes enumerans, ſic vt res propemodum in oculis fieri videatur. Tribunos appellauit, in Tribunal aſcendit, ſubſellia diſſipauit, vrnas deleuit. 2. auget factum à cauſa finali. Iudicia eo fine ſunt inſtituta, ne iniuria & vis ciuibus inferatur, tu ipſis iudiciis vim & iniuriam intuliſti. 3. à conſequentibus. fugit Quæſitor C. Memmius, accuſatores vix è manibus tuis erepti ſunt. 4. à turbis toto foro concitatis Iudices quæſtionum de proximis Tribunalibus depulſi ſunt. 5. à loco. in foro, & roſtris loco augurato. 6. ab audaciâ. in luce, inſpectante populo Romano, cuius maieſtatem atque amplitudinem adeo contempſerat, vt nec eius oculos in tanto ſcelere declinaret. 7. à rerum ſanctitate, quæ hoc facto fuerunt violatæ. Quæſtio, magiſtratus, mos maiorum, leges, Iudices, reus pœna, omnia denique, quibus ſalus Reipub. & dignitas populi continetur, vno illo ſcelere ſublata ſunt.

Magistratvs.] Prætores, qui quæſtionibus præſunt.

Ivdices.] Minores Iudices, qui Prætori ſiue Quæſitori adſunt in quæſtione.

Hæc omnia sciasne.] Iterum à conſequentibus, quæ licet ſceleris atrocitatem non exaggerent, tamen vim habent ac terrorem incutiunt Vatinio. Hæc, inquit, ſcelera adeo manifeſtata tenentur, tam certò teſtata ſunt, vt negari non poſſint, quippe quæ Memmius tabulis publicis conſignari ſummâ diligentiâ curauerit.

Atqve illvd etiam qværo.] Significatio eſt oratoria qua cogitandum relinquitur quantum fuerit ſcelus Vatinij, qui cùm lege Iuniâ & Liciniâ iudicium pœnámque iudicij declinare potuiſſet, in vrbem rediit ne iudicium iure legationis defugiſſe videretur. ex quo efficitur aut ſummam fuiſſe Vatinij leuitatem, qui cùm ad cauſam dicendã è legatione rediiſſet, mutatâ deinde ſententiâ Tribunos plebis appellauit ne cauſam diceret. aut ſummam improbitatem, qui iudicia, quæ ipſo legationis iure declinare potuerat, maluit appellatione Tribunorum improbiſſimâ, & concitata ſeditione perfringere.

Lveret.] Iure legationis. nam qui Reipub. cauſâ abeſſet, eum ne vocare in iudicium liceret, Memmiâ lege ſancitum erat. ita Manutius ex Valerio Maximo lib.3.cap.7.

Avxilivm nefarivm.] P. Clodij Tribuni plebis, qui iudicia vi & armis ſuſtulit, *cùm iure, cùm more, cùm poteſtate iudicium impedire non poſſet.*

NOTÆ.

Revs in Tribvnal.] De reo vide §. 23. Cœlianæ. De Tribunalibus & ſubſelliis Aſconius ad illa verba diuinationis in Q. Cæcilium 48. *Alienum hunc tamen à ſubſelliis*, ita ſcribit: *Alij alienum non nomen proprium putant eſſe, ſed alienum & alternis iudicij, & non ex auditorio prætoris maiorúmque cauſarum, ſed à ſubſelliis hoc eſt non à Tribunalibus. Sunt enim ſubſellia Tribunorum, Triumuirorum, Quæſtorum & huiuſcemodi minora iudicia exercentium, qui non in ſellis, curulibus, nec tribunalibus, ſed in ſubſelliis conſidebant.* Nihilo tamen ſeciùs ſubſellia non Iudicum, ſed accuſatoris & rei videntur ſedes fuiſſe, & ex eo nomen habuiſſe, quod ſub Quæſtoris Tribunali ſiue ſella ponerentur. quorum in altero accuſator cum ſuis ſubſcriptoribus, cuſtodibus, & teſtibus, in altero reus cum patronis, aduocatis, procuratoribus teſtibus conſidebant. Fabius lib.5. cap.7. *Illa verò peſſimæ artes, teſtem ſubornatum in ſubſellia aduerſarij mittere, vt inde excitatus plus noceat.* Noſter pro Flacco 22. *Vna ſedent: ex accuſatorum ſubſelliis ſurgunt, non diſſimulant, non verentur: De ſubſelliis queror! vna ex domo prodeunt, qui ſi verbo titubarint, quò reuertantur non habebunt.* Sidonius Apollinaris libro primo epiſt. 7. *Citati intromittuntur: partes, vt moris eſt, è regione conſiſtunt,* &c. *Ferreolus circumſiſtentibus latera collegis, verecundè ac leniter in imo ſubſelliorum capite conſedit.* Ad quam autem Tribunalis partem reus in ſuo ſubſellio ſederet, diſquirimus Milon. 8. *Variatis hominum ſententiis.* Nunc ſatis ſit ſubſellia Tribunalibus humiliora fuiſſe, ac proinde dici Vatinium in Tribunal ſui quæſitoris adſcendere. I. Tribunal. Subſellia.

Vrnas deleverit.] In iudiciis duo fuerunt vrnarum genera ſiue ſitularum. In alteram ſitulam reorum nomina coniiciebant, & deinde extrahebant, vt eius cauſſam diſceptarent cuius nomen primo fuerat eductum. ad quod paſſim alludunt Poëtæ. vt 6. Æneidos: II. Vrnæ ſiue ſitulæ iudiciales.

Quæſitor Minos vrnam mouet.

& Statius, tum in Syluis, tum 4. Thebaidos, Seneca Hercule furente, Horatius lib. 2. ode 3. & lib. 3. ode 1. In alteram auditis partibus coniicie-

bant tabellas, abſolutionis, condemnationis, ampliationis, de quibus tum in Piſonem 96. & pro Milone 15. fusè diſſeremus. De vrnis & calculis Iudicum apud Athenienſes videndus Scholiaſtes Ariſtophanis, tum in Equitibus ad illa verba, κεκλ' δωσι μου κημὸν, tum in Veſpis. Κημὸς καλός. Et pòſt: tum alia multa, tum hæc. Δύο καδίσκοι ἦσαν τῶν ψήφων· εἷς μὲν ὁ ἔσω ὁ ὄπισθεν, ἕτερος δ' ὁ ἔμπροσθεν, θανάτου. *Duæ ſitulæ erant calculorum. altera miſericordiæ, retro, altera mortis, antè.* De hoc poſtremo ſitularum genere Iuuenalis:

-Improba quamuis
Gratia fallaci prætoris vicerit vrnâ.

III. QVARVM RERVM CAVSA.] Quarum rerum cauſâ iudicia maximè ſint conſtituta. vide §. 98. Sextianæ. item quomodo violatione legum, ciuitas, populus, Magiſtratus, &c. violetur, vide eodem loco. De publicis tabulis nonnihil alibi dictum. vt pro Sextio 129. pro Milone 74.

IV. LICERET.] Valerius Maximus lib. 3. cap. 7. de Marco Antonio Oratore: *Quæſtor proficiſcens in Aſiam, Brunduſium iam peruenerat: vbi litteris certior factus, inceſti ſe poſtulatum apud Luc. Caßium Prætorem, cuius Tribunal propter nimiam ſeueritatem Scopulus reorum dicebatur: cùm id vitari beneficio legis Memmiæ liceret, quæ, eorum qui Reipub. cauſa abeſſent, recipi nomina vetabat: in vrbem tamen recurrit, quo tam pleno fiduciæ bonæ conſilio, tum abſolutionem celerem, tum profectionem honeſtiorem conſecutus eſt.* Qui Reipub. cauſa aberat, ad iudicium non cogebatur.

AXIOMATA.

Vis cohibendæ cauſſâ iudicia ſunt conſtituta.

Conſentaneum non eſt eum qui legitimo perfugio vti poteſt, ad auxilium nefarium confugere.

ARGVMENTVM.

Arreptâ ex ſuperioribus, occaſione aliam inſectatur legem Vatinij, quâ Senatui poteſtatem eripuerat, legatos in poſterum deligendi. eiúſque legis improbitatem tum à maiorum conſuetudine, tum ab aliis eiuſdem Vatinij contumeliis in Senatum, exaggerat.

XXXV. Legatio Gallica Vatinij.

ET, quoniam legationis tuæ facta mentio eſt, volo etiam audire de te, quo tandem Senatuſconſulto legatus ſis? de geſtu intelligo, quid reſpondeas: tua lege dicis, éſne igitur patriæ certiſſimus parricida? ſperaráſne id, vt Patres Conſcripti ex Repub. funditus tollerentur? ne hoc quidem Senatui relinquebas, quod nemo vnquam ademit, vt legati ex eius ordinis auctoritate legarentur? adeóne tibi ſordidum conſilium publicum viſum eſt? adeò afflictus Senatus, adeò miſera & proſtrata Reſpub. vt non nuncios pacis ac belli, non curatores, non interpretes, non bellici conſilij auctores, non miniſtros muneris prouincialis Senatus, more maiorum, deligere poſſet?

EXPLANATIO.

ET QVONIAM LEGATIONIS.] Legationis quam Imperatore Cæſare in Galliis obiiſti. duas autem legationes obiit Vatinius: aliam ante Tribunatum, in vlteriore Hiſpania, C. Coſconio Proconſule ſuprà §. 12. *Poſt quæſturam exierſ ſæ legatus in vlteriorem Hiſpaniam C. Coſconio Proconſule.* alia legatio eiuſdem Vatinij Tribunatum excepit, de qua hoc loco facit mentionem, & epiſtola 2. libri 2. ad Atticum: *Subcontumelioſè tractatur noſter Publius. Primum, qui cùm in domo Cæſaris quondam vnus vir fuerit, nunc ne in viginti quidem eſſe potuerit. Deinde alia legatio dicta erat, alia data eſt. illa opima ad exigendas pecunias, Druſo, vt opinor, Piſaurenſis nebuloni Vatinio reſeruatur: hæc ieiuna tabellarij legatio datur ei, cuius Tribunatus ad iſtorum tempora reſeruatur.* Manutius aliter legit, & fortaſſe melius, *illa opima, ad exigendas pecunias. Druſo, vt opinor, Piſaurenſi, an epuloni Vatinio reſeruatur: hæc ieiuna ac bella relegatio,* &c. Leonardus Malaſpina *Iſaurenſi* legendum exiſtimat. Sed quicquid ſit eam Vatinij legationem intelligit, quam cum Cæſare in Galliis obeundam ſuſceperat: redierat tamen in vrbem ne iure legationis iudicium defugiſſe videretur.

QVO S. C.] id in legatione Vatinij reprehendit, quod & ſine S. C. & ſua ipſius lege contra legem Ebutiam, eam ſuſceperit. atque ita loquitur Tullius vt non antè meditatus acceſſiſſe, ſed ex geſtu intelligere videatur. eo fortaſſe conſilio ne Cæſarem offendat, longè enim faciliùs ignoſcitur iis, quæ ſubitus animi impetus effuderit, quam iis quæ ex condicto & meditato dicuntur. periculum autem erat ne Cæſarem offenderet, quia Cæſar eadem lege Gallias, & Vatinius legationem obtinuerat.

ESNE IGITVR CERTISSIMVS PARRICIDA.] Partim à Senatus auctoritate, cui poteſtas eligendi legatos erepta eſt, partim ab ipſo legati munere & deſcriptione, partim à ſceleris inuſitati nouitate legem exaggerat, oſtendítque Vatinium eſſe patriæ parricidam.

NE HOC QVIDEM.] Hæ particulæ diminuentes *ne hoc quidem*, adducũt me vt exiſtimem, maiorem quandam iniuriam hîc intelligi, quàm ſi Vatinius Senatui legatorum electionem per S. C. ſuſtuliſſet. nam grauis quidem erat iniuria, ſi legatos per S. C. eligi non pateretur, grauior tamen ſi in iiſdem eligendis, ne Senatus quidem auctoritatem, quæ longè minus habet momenti quàm S. C. admittere. quænam autem ſit inter vtrumque diſtinctio, alibi dicetur, nunc illud vnum ex Dione ſuffecerit, S. C. fuiſſe cum & loco, & tempore, & numero debito Senatus con-

ueniſſet, Senatûs verò auctoritatem cùm vel vna ex his conditionibus defuiſſet.

CONSILIVM PVBLICVM.] Senatus ad conſultandum de Reip. commodis conſtitutus.

NVNCIOS PACIS ET BELLI.] Oſtendit quanta ſit legatorum amplitudo, vt hinc liquidiùs appareat, quantam Senatui iniuriam attulerit, impediens ne à Senatu legerentur ij, qui propter muneris amplitudinem vel maximè legi debuiſſent.

NON CVRATORES.] Quibus Curatio aliqua extra vrbem dari conſueuit. Cicero ad Atticum: *Nonis Senatum vt Brutus in Aſia, Caſſius in Sicilia frumentum emendum & ad vrbem mittendum curarent. ô rem miſeram! primùm vllam ab iſtis, deinde ſi aliquam, hanc legatariam prouinciam.*

NON INTERPRETES.] Fœderum & voluntatis populi Romani.

NON BELLICI CONSILII AVCTORES.] Ex quibus Conſilium Imperatoris componitur.

NOTÆ.

I. LEGATIONIS.] Pauca de legatorum munere hoc loco dicenda ſunt, vt res liquidiùs explicetur. quam rem & Iuſtus Lipſius & Ioannes Antonius Valtrinus Noſter, patriâ Romanus, ſed origine Lotharingus, ſunt doctiſſimè executi. *Legatorum* (inquit Valtrinus libro 3. de re militari cap. 10.) *duo genera fuerunt, alterum quod victis hoſtibus decernebat populus, de quorum conſilio Imperator pacis leges diceret, & prouinciam conſtitueret. alterum eorum qui cum ipſo Imperatore proficiſcebantur, vt ei in omni munere bellico operam nauarent.* tertium genus addere potuiſſet eorum qui leguntur ad Reges exteráſque gentes, quos hic Cicero pacis & belli nuntios appellat, ſed id vnum ſpectauit quod ad rem viſum eſt pertinere. Varro libro 4. de linguâ Latinâ: *Legati,* inquit, *qui lecti publicè quorum opera conſilióque vterentur peregrè magiſtratus, quive nuntij Senatus ac populi eſſent.* Appianus libro primò ciuilium: Ἐπρέσβευεν αὐτῷ· καλοῦσι δ' οὕτως τοὺς τοῖς ἡγεμόσι τῶν ἐθνῶν ἐκ τῆς βουλῆς ἑπομένους ἐς βοήθειαν. *Illi legatus erat: ſic autem appellant quos prouinciarum rectoribus addunt, vt ipſis auxilio ſint.* Sed de his paulò infrà. & de Prouinciis Coſſ.

Legatorum tria genera.

II. SENATVS CONSVLTO.] Legati aut à Senatu dabantur, aut ab Imperatoribus quidem eligebantur, ita tamen vt electionem Senatus ſuâ ſententiâ comprobaret. vnde, vt optimè Lipſius notauit, Varro ſignanter dixit, *qui lecti publicè,* id eſt à Patribus, ſiue per S. C. vtriuſque verò electionis multa exempla ſunt. Valerius lib. 3. c. 7. de P. Furio Philo Conſule. *Qu. Metellum. Qu.que Pompeium Conſulares viros, vehementes inimicos ſuos, cupitam ſibi profectionem, in Prouinciam Hiſpaniam, quam ſortitus erat, identidem exprobrantes, legatos ſecum illuc ire coëgit.* Saluſtius in Iugurtha: *Calpurnius Conſul parato exercitu legat ſibi homines nobiles.* Conſulis autem fuiſſe Lipſius optimè deducit, non ſolùm ſibi, ſed etiam Prætoribus legatos nominare. ita opinor, vt referrent ad Senatum, & electos proponerent, vt electio Senatus auctoritate firmaretur. Liuius libro 44. *Senatus Cn. Seruilio Conſuli negotium dedit, vt is in Macedoniam, quos Lucio Æmilio videretur legaret.* Polybius in fragmento belli Hiſpanienſis, vbi narrat tantum fuiſſe eius belli timorem ob ferociam gentis & diſcriminis. Ὥστε μήτε χιλιάρχους στρατηγεῖσθαι πρὸς τὴν ἀρχὴν τοὺς ἱκανούς, μήτε τοὺς εἰσφερομένους ὑπὸ τῶν ὑπάτων πρεσβευτὰς ὑπακούειν, οὓς ἔδει πορεύεσθαι μετὰ τοῦ στρατηγοῦ. *Vt nec Tribuni ſatis multi prodirent ad magiſtratum capiendum, neque nominati à Conſulibus legati obedirent, quos oportebat cum prætore ire.* atque hæc quidem ſecundum Lipſij verſionem, à quo & auctoritatem accepimus. Nota tamen non perpetuam fuiſſe conſuetudinem, vt legati à Conſulibus in Senatu legerentur, ſed etiam nonnunquam viros primarios & quaſi extra omnem inuidiam poſitos vltro ſemet ad obeundam legationem obtuliſſe. Epitome Liuiana libro 1. decadis ſecundæ. *Cùm Fabius Gurges Cos. malè aduerſus Samnites pugnaſſet, Senatúſque de remouendo eo ab exercitu ageret, Fabius Maximus Pater deprecatus hanc ſibi ignominiam, maximè Senatum mouit, quod iturum ſe filio legatum pollicitus eſt, idque præſtitit.* & Liuius ipſe decadis 4. libro 7. de Lucio Cornelio Scipione & Caio Lælio Conſulibus loquens, qui cùm ambo Græciam cuperent rem Patrum iudicio permiſerant, ſubiicit, *P. Scipio Africanus dixit ſi Lucio Scipioni fratri ſuo prouinciam Græciam decreuiſſent, ſe legatum iturum. Hæc vox magno aſſenſu audita ſuſtulit certamen. Experiri libebat vtrum plus Regi Antiocho in Annibale victo, an in victore Africano Conſules,* (legendum *Conſulis fratre*) *legationibúſque Romanis auxilij foret* in quibus omnibus aduertis ſemper interceſſiſſe Senatus auctoritatem, ſiue Conſul legatos nominaſſet, ſiue ſeipſos ad legationem vltro obtuliſſent.

Legati eligebantur a Cōſulibus, confirmabantur à Senatu.

Vel ipſi ſe offerebant.

NVNCIOS PACIS ET BELLI.] Legatos pacem & bellum nuntiaſſe multis exemplis compertum eſt. Appianus in Iberico de Fabio legato Romanorum apud Carthaginienſes: Ὁ μὲν πρεσβευτὴς αὐτοῖς γελώμενος ἔφη, τὸν κόλπον ἐπιδεικνύς, ἐνταῦθα ὑμῖν ὦ Καρχηδόνιοι, καὶ τὴν εἰρήνην καὶ τὸν πόλεμον φέρω· ὑμεῖς δ' ὁπότερα αἱρεῖσθε, λάβετε· οἱ δ' ἔφασαν, σὺ μὲν οὖν, ἃ βούλει, δίδου, προτείναντος δὲ τὸν πόλεμον, ἐξεβόησαν ὁμοῦ πάντες, δεχόμεθα. non opus eſt Latinam verſionem adſcribere: Liuius libro 1. decad. 5. rem explicabit. *Tum Romanus ſinu ex toga facto: Hîc,* inquit, *vobis bellum & pacem portamus, vtrum placet ſumite. Sub hanc vocem, haud minus ferociter, daret vtrum vellet ſucclamatum eſt. & cùm is iterum ſinu effuſo bellum dare dixiſſet, accipere ſe omnes reſponderunt, & quibus acciperent animis, iiſdem ſe geſturos.* Quibus vides, vt Polybiū & alios omittam, qui hanc ipſam rem litteris prodiderūt, legatos & pacis & belli nuntios fuiſſe, & voluntatis populi Rom. interpretes. Verùm exiſtimo aliquid maius legatis tributum fuiſſe, vt ſcilicet ius fecialium & ſacerdotium obtinerent. de quo ſacerdotio inter cæteros vide Liuium lib. 1. Dionyſium lib. 2. Plutarchum in Numa & problemate 62. Rom. quæſtionum. quod autem legati ius Sacerdotale habuerint tradit Halicarnaſſeus lib. 11. ineunte de Valerio ſiue Galerio loquens, qui prætextu legationis à decemuiris in exercitū miſſus eſt, vt per inſidias de medio tolleretur. Ἔπεισαν ἐξελθεῖν ἐπὶ τὸν ἐν Κρουστομερείᾳ χάρακα αὐτὸν ἐξουσίαν ἔχοντα πρεσβευτικήν· ἔστι δὲ πάντων τιμιώτατον καὶ ἱερώτατον ὁ πρεσβευτὴς παρὰ Ῥωμαίοις, ἐξουσίαν μὲν ἀρχόντος ἔχων, καὶ δύναμιν, ἀσυλίαν δὲ καὶ σέβασμον ἱερέως. *Perſuaſerunt vt ad exercitum qui Cruſtumeriam obſidebat legatus exiret: eſt autem omnium res honoratiſſima & ſacerrima apud Romanos legatus. vim quidem ac*

III. *Legati pacem & bellum nominabant.*

Habebant ius fetialium.

poteſtatem Imperatoris habens, ſanctitatem verò ac venerationem Sacerdotis. quo loco nomine Sacerdotis, aliud nihil quàm Fetialem intelligo. Cæterùm breuiter hîc aperio cauſam vnde hic error irrepſerit, vt Galerius, pro Valerio ſcriberetur. Hinc opinor, quod cùm, teſte Suetonio, Claudius Imperator nouam litteram inueniſſet, & pro V conſonante Ⅎ ſcribi iuberet, nullo negotio fieri potuit, vt librarij hanc figuram ſic inuerterent, vt iam non Ⅎαλέριος, ſed Fαλέριος ſcriberetur, deinde librarij Græci litteram F non agnoſcentes ſublatâ lineolâ Γαλέριος exſcriberent.

IV. Bellici consilii avctores.] Hinc legatorum dignitatem oſtendit, quòd in bellico conſilio primi ab Imperatore rogarentur ſentētiam, eſſéntq. aliis auctores, quid in dicendâ ſententiâ ſequerētur. Nunc pauca dicemus de conſilio militari. Ac primo quidem ideò legatos à Senatu miſſos fuiſſe, vt eos Imperator conſilio ſuo adhiberet, citata Varronis verba demonſtrant. *Legati qui lecti publicè. quorum operâ conſilióque vterentur peregrè magiſtratus.* ideóq. tum Polybius, tum alij ſcriptores eos modo πρεσβευτὰς, modò πρεσβευτὰς καὶ συμβούλους appellant. *Legatos & conſiliarios*, muneri ſcilicet eorum explicando. vnde & eos Dio libro 53. aſſeſſores, quaſi conſiliarios nominauit. Τοὺς δ' δὴ παρέδρους αὐτοῖς ἑαυτῷ ἕκαστος αἱρεῖται, ἕνα μὲν οἱ ἐστρατηγηκότες, καὶ ἐκ τῶν ὁμοίων σφίσιν, ἢ καὶ τῶν ὑποδεεστέρων, τρεῖς δ' οἱ ὑπατευκότες ἐκ τῶν ὁμοτίμων, οὓς ἂν καὶ ὁ αὐτοκράτωρ δοκιμάσῃ. *Aſſeſſores verò quiſque ſibimet eligit, vnum quidem qui præturam geſſerūt, ex iis qui eodem honore perfuncti ſunt, tres verò Conſulares ex Conſularibus quos Imperator ſuo iudicio comprobarit.* Cæterùm obiter monendus es, mi lector, hæc non eſſe ſuperioribus contraria, licet cum Liuio & Polybio dixerimus Conſulum fuiſſe legatos in Senatu non ſolùm ſibi, ſed etiam prætoribus nominare. nam illi loquuntur de liberâ Republica, Dio de Auguſti inſtitutis. Quam conſiliariorū bellicorum inſtitutionem à Spartanis ductā exiſtimo, apud quos eam fuiſſe conſuetudinem plurib. locis, ait Thucydides, vt cum ducib. vnus ſaltem legatus ſiue conſiliarius in exercitum mitteretur, vt lib. 3. Ἦρχε δ' αὐτῶν Ἀλκίδας, ὥσπερ καὶ πρότερον, καὶ Βρασίδας αὐτῷ ξυμβουλος ἐπέπλει. *His verò Alcidas, quemadmodum & prius imperabat & Braſidas conſiliarius eum ſecutus eſt.* & nonnunquam extraordinarios additos fuiſſe Regibus conſiliarios teſtatur lib. 5. Νόμον δ' ἔθεντο ἐν τῷ παρόντι, ὃς οὔπω πρότερον ἐγένετο αὐτοῖς. δέκα γὰρ ἄνδρας Σπαρτιατῶν προσείλοντο αὐτῷ (τῷ Ἄγιδι) ξυμβούλους, ἄνευ ὧν μὴ κύριον εἶναι ἀπάγειν στρατιὰν ἐκ τῆς πόλεως. *Tunc legem poſuerunt, quod nunquam antea vſu ipſis euenerat. decem enim viros elegerunt qui Conſiliarij eſſent Agidis, ſine quorum conſenſu non poſſet exercitum ex vrbe educere.* Taceo Lyſandrum, quem Ageſilao legatum fuiſſe Xenophon, Plutarchus, aliíque teſtantur. quem morem à Lacedæmoniis in Romanos fuiſſe transfuſum, minùs mirabitur is qui quæ de Spartanorū diſciplinâ militari tradit eodem loco Thucydides, cum ea Rom. militum diſciplinâ contulerit, quæ Ioſephus lib. 3. ἁλώσεως aliíque prodiderunt. Conſilij porro bellici Salluſtius in Iugurtha ſic meminit: *Ita more maiorum ex conſilij decreto per legatos Iugurthæ imperat* (Metellus Imperator) *argenti pondo ducenta millia.* Itē: *Igitur Rex vti conſtituerat, in caſtra venit. ac pauca præſenti conſilio locutus.* Nec non Cornificius ad Herennium. Iam è quib. conſtaret illud bellicum conſiliū, in quo primum locum obtinebāt legati, non poſſum meliùs oſtēdere, quàm ex Clariſſimi Lipſij lucubrationibus, præſertim cùm libro 2. de militiâ Romanâ, dialogo octauo ad illa Polybij verba de primipilo centurione loquentis. Καὶ τούτους μὲν ἅπαντας προσονομάζουσι ταξιάρχους, ὧν ὁ πρῶτος αἱρεθεὶς, καὶ συνεδρείου κοινωνεῖ. *Atque hos omnes appellant ordinum ductores. quorum is qui primus electus eſt, etiam conſilij particeps fit.* cùm inquam in hunc Polybij locū rem ex profeſſo tractauerit. ac primo quidem oſtendit ex more Legatos, Tribunos militū, centuriones primipilos, extraordinariè verò, & arbitrio magis ducis quàm more, Equites, præfectos, reliquos etiam centuriones adfuiſſe. de ordinariis conſiliariis Liuius libro 9. *Ad Conſules mœſtos, nec aduocantes quidem in conſilium ſua ſpōte legati ac Tribuni veniunt.* Cæſar lib. 6. Gallic. legatos omittit, vel tanquam notiores, vel potiùs quòd abſēte Imperatore legati nulli eſſent, quos Labienus in conſilium adhiberet: *Labienus noctu Tribunis militum, primiſq́ue ordinibus conuocatis.* & lib. 5. *Ad conſilium rem deferunt. Lucius Cotta compluréſque Tribuni militum, & primorum ordinum centuriones, nihil temere agendum cenſebant.* De extraordinariis Cæſar inſtante pugna in Arioniſtum lib. 1. Gallic. *Conuocato conſilio omniúmque ordinum ad id conſilium adhibitis centurionibus.* Cato Priſcus apud Liuium lib. 34. *Conuocari Tribunos, Præfectóſque & equites omnes*, legit Lipſius: *Præfectóſque equitum omnes & centuriones iuſſit.* Cùm igitur legati in bellico conſilio primas partes obtinerent, hinc factum eſt vt à Tullio auctores bellici conſilij dicerentur.

Legati conſiliarij.

Conſiliarij Regum Spartanorum.

Conſilium bellicum.

Qui ad bellicum cōſilium vocati.

V. Ministros mvneris provincialis.] Quomodo legati pronunciali munere, id eſt, officio Imperatoris in adminiſtrādâ Prouinciâ fungerentur patebit, ſi oſtendamus eos & in iure dicundo, & in bellis gerendis, quib. duobus munus prouinciale continetur, Imperatoris vices obiiſſe, quod melius explicari nō poteſt quàm ipſis Valtrini verbis, cui neminem in hac tractatione præponendum exiſtimo. Legati, inquit, in exercitu vices Imperatoris gerebant. Cæſar lib. 2. de bello ciuili: *Neque ſe ignorare quod eſſet officium legati, qui fiduciariam operam obtineret.* & paulò pòſt ſubdit Valtrinus. Itaque legatis cùm perſonam ſuſtinerent Imperatoris reliqui magiſtratus parebant, vt Tribuni, Centuriones, Equites Romani, Sociíque. Liuius lib. IIX. *Cùm polluta ſemel militari diſciplinâ non miles Centurionis, non Centurio Tribuni, non Tribunus legati, non legatus Conſulis, non Magiſter equitum Dictatoris pareret imperio.* Tacitus libro I. annalium: *Etiam tum legato à centurionibus & optimo quoque manipularium parebatur.* Hæc ille. ſubditque. Videntur quoque legati ius dixiſſe. Cicero pro Flacco: *Gratidius legatus, ad quem eſt aditum, actionem ſe daturum negauit: re iudicata ſtari oſtendit placere.* Satis ſit hoc vnum addere, tantam fuiſſe legatorum auctoritatem, vt nonnunquam ad ipſam Imperatoris maieſtatem accederent, Dio Caſſius lib. 41. de Tito Labieno Cæſaris in Galliâ legato: ὁ Καῖσαρ μειζόνως αὐτὸν ἢ κατὰ τὴν ἀξίαν ... οὐκ ἔτι ὁμοίως ἠγάπα. *Cùm Cæſar eum ſibi æquari aduerteret, non ampliùs eum vt priùs diligebat.*

Legati Imperatoris vicem gerebant.

Ius dicebant in exercitu.

AXIOMATA.

Dicendus eſt patriæ certiſſimus parricida, qui ſperauit id vt Senatus è Rep. funditus tolleretur.

Legati ſunt nuntij pacis ac belli, curatores, interpretes, bellici conſilij auctores, miniſtri muneris prouincialis.

ARGVMENTVM.

Iterum à comparatione, antecedentibus, & conſequentibus Vatinij factum exaggerat. à comparatione. quòd aliæ iniuriæ quas ante Senatui intulerat, leues ſint, ſi cùm iſtâ comparentur. ab antecedentibus, quòd ante ipſum nemo, id facere tentauerit, à conſequentibus, quòd eum Clodius anno pòſt fuerit imitatus.

XXXVI. ERIPVERAS Senatui prouinciæ decernendæ poteſtatem, Imperatoris deligendi iudicium, ærarij diſpenſationem: quæ nunquam ſibi populus Romanus appetiuit, qui nunquam hæc à ſummi conſilij gubernatione auferre conatus eſt. Age, factum eſt horum aliquid in aliis? rarò, ſed tamen factum eſt, vt populus deligeret Imperatorem. Quis legatos vnquam audiuit ſine Senatuſconſulto? ante te nemo. pòſt continuò fecit idem in duobus prodigiis Reipub. Clodius, quo etiam maiore es malo mulctandus, quòd non ſolùm facto tuo, ſed etiam exemplo Rempub. vulneraſti, neque tantùm es improbus ipſe, ſed etiam alios docere voluiſti.

EXPLANATIO.

ERIPVERAS SENATVI.] Tuleras legem quâ Iulius Cæſar populi ſuffragiis, non vt lege Semproniâ fieri ſolet, Senatus auctoritate prouinciam Proconſul obtineret, & cum Illyrico Galliam vno imperio coniunxeras.

IMPERATORIS DELIGENDI IVDICIVM.] Vetueras tuâ lege ne Senatus ſuâ ſententiâ Imperatorem deligeret, eíque prouinciam bellis infeſtam decerneret.

ÆRARII DISPENSATIONEM.] Tuleras legem vt Iulius Cæſar ad emendum agrum Campanum pecuniam ex ærario depromeret, cuius diſpenſationis permittendæ pòteſtatem nunquam populus Romanus appetiuit.

AGE, FACTVM EST.] Crimina, quæ ſuperioribus verbis complexus eſt, cùm lege de electione legatorum comparat, & iſtud ſcelus tanquam magis inauditum & inuſitatum aliis anteponit.

SED TAMEN FACTVM EST.] Vt in Pompeio, qui non ſemel populi ſuffragiis Imperator electus eſt. vide Notas.

POST CONTINVÒ.] Anno proximè ſequenti cùm Publius Clodius, duobus Reip. prodigiis, Piſoni nimirum & Gabinio & prouincias, & legatos lege ſuâ dedit.

NOTÆ.

I. PROVINCIÆ DECERNENDÆ.] alij codices, & illi quidem optimi habent *prouinciæ decernendi*, hîc multum laborant interpretes vt coaceruatis auctorum teſtimoniis oſtendant gerundium in *(di)* cum genitiuo conuenire. qualis eſt illa Terentij auctoritas in Heautotim. prologo,

Facite æqui ſitis, date creſcendi copiam
Nouarum qui ſpectandi faciunt copiam.

Sed nunquam tam multa ſcriptorum teſtimonia corradent, vt Ioannes Deſpauterius vir planè doctiſſimus, & poſt illum Emmanuel Noſter non multo plura congeſſerint. De prouinciis, quomodo magiſtratibus obuenirent, dicemus ad orationem de Prouinciis Conſularibus, §. I. Satis ſit ad loci intelligentiam, prouinciam, cuius decernendæ poteſtatem ereptam Senatui conqueritur, fuiſſe prouinciam Conſularem, quæ ſic ad Senatum pertinebat lege Semproniâ, vt intercedere Tribuni plebis non poſſent. Vatinij autem lege contra legem Semproniam, non à Senatu, ſed à populo altera Gallia cum Illyrico decreta eſt, vt aliàs dicetur.

IMPERATORIS DELIGENDI IVDICIVM.] Hic locus non ita debet intelligi, quaſi verò ſolius Senatus voluntate, non autem populi ſuffragiis Imperator aut crearetur, aut in prouinciam cum Imperio mitteretur. Nam vt egregiè doctiſſimus Valtrinus, *Quemadmodum prouincia à Senatu, ita Imperium in prouinciâ à populo mandatum eſt. Imperium Romani appellarunt, exercitum cogendi, gerendique belli poteſtatem, ſine quo nihil eorum à magiſtratibus fieri potuit. Ex quo Cicero oratione 5. in Antonium: Demus, inquit, Imperium Cæſari, ſine quo res militaris adminiſtrari non poteſt, teneri exercitus, bellum geri non poteſt.* Quòd autem imperium lege Curiatâ concederetur, ex multis compertum eſt. Cicero in Rullum 2. *Conſuli ſi legem Curiatam non habet, attingere rem militarem non licet.* Cæſar libro primo belli ciuilis: *In reliquas prouincias prætores à Senatu, mittuntur: neque, quod ſuperioribus temporibus acciderat, expectant, vt de eorum Imperio ad Senatum referatur.* Cicero ad Caſſium lib. 15. epiſt. 14. ad famil. *Omnes tuos neruos in eo contende, ne quid mihi ad hanc prouinciam, quam & Senatus & populus annuam eſſe voluit, temporis prorogetur.* tantùm hoc loco explicandum eſt, quomodo penes Senatum poteſtas eſſet Imperatoris deligendi. Polybius eam poteſtatem Senatui tribuit abſolutè libro 6. Τῷ γὰρ ἐπαποστεῖλαι στρατηγὸν ἔπεστιν ἐπειδὰν ἐνιαύσιος διέλθῃ χρόνος ἢ τὸν ὑπάρχοντα ποιεῖν ἐπίμονον, ἔχει τὴν κυρείαν αὕτη. *In eius poteſtate eſt vel alium Imperatorem poſt annui temporis ſpatium mittere, vel eum qui eſt, reddere permanentem.* quod ſic intelligendum opinor. Penes Senatum fuit Prouincias, quæ vel prætoriæ vel Conſulares eſſent, ſingulis annis decernere. tunc igitur Imperatorem II.

Senatus Imperatorem deligebat.

torem eligebat, cùm prouinciam bellis infeſtam, eo anno Conſularem eſſe decernebat, & ita fiebat, vt prouincia quæ bello tentabatur, ac proinde cum imperio adminiſtranda erat, alteri è Conſulibus obueniret: deinde prouinciam inter ſe Conſules, vel ſortiebantur, vel comparabant. Cui ea prouincia ſiue per ſortem, ſiue per comparationem obuenerat, is populo Curiatim in forum conuocato legem Curiatam ferebat, vt S. C. populi ſuffragio comprobaretur. & ita Imperatoris electio ad Senatum, ad populum verò electionis confirmatio pertinebat: cùm primis Reipub. temporibus electio penes populum, electionis confirmatio penes Senatum fuiſſe videatur. Dionyſius libro ſecundo: Τῷ δὲ δημοτικῷ πλήθει, ταῦτα τρία ἐπέτρεψεν, ἀρχαιρεσιάζειν τε καὶ νόμους ἐπικυροῦν, καὶ περὶ πολέμου διαγινώσκειν, ὅταν ὁ βασιλεὺς ἐφῇ, οὐδὲ τούτων ἔχοντι τὴν ἐξουσίαν ἀπλήρωτον, ἂν μὴ καὶ τῇ βουλῇ ταῦτα δοκῇ· ἔφερε δὲ τὴν ψῆφον οὐχ ἅμα πᾶς ὁ δῆμος, ἀλλὰ κατὰ τὰς φράτρας συγκαλούμενος, ὅτι δὲ ταῖς πλείοσι δόξειε φράτραις, τοῦτ' ἐπὶ τὴν βουλὴν ἀνεφέρετο· ἐφ' ἡμῶν δὲ μετάκειται τὸ ἔθος. οὐ γὰρ ἡ βουλὴ διαγινώσκει τὰ ψηφισθέντα ὑπὸ τοῦ δήμου, τῶν δ' ὑπὸ τῆς βουλῆς γνωσθέντων ὁ δῆμός ἐστι κύριος. *Plebi hæc tria permiſit, magiſtratus eligere, ſancire leges, de bello decernere cùm Rex id fieri permiſiſſet, neque huius rei auctoritatem habebat, niſi de Senatus ſententiâ: ferebat verò ſuffragia non ſimul populus vniuerſus, ſed per tribus vocatus, & quod pluribus tribubus viſum fuerat tunc ad Senatum referebatur: noſtra verò ætate mos in contrarium mutatus eſt. non enim Senatus de rebus à plebe decretis cognoſcit, ſed plebs eorum habet cognitionem, quæ Senatus decreuerit.*

Lex curiata neceſſaria ad rem militarem.

Lex curiata.

III. ÆRARII DISPENSATIONEM.] Polybius libro ſexto: Ἡ σύγκλητος πρῶτον μὲν ἔχει τὴν τοῦ ταμιείου κυρίαν. καὶ γὰρ τῆς εἰσόδου πάσης αὕτη κρατεῖ, καὶ τῆς ἐξόδου παραπλησίως. οὔτε γὰρ εἰς τὰς κατὰ μέρος χρείας οὐδεμίαν ποιεῖν ἔξοδον οἱ ταμίαι δύνανται χωρὶς τῶν τῆς συγκλήτου δογμάτων, πλὴν τῆς εἰς τοὺς ὑπάτους. τῆς δὲ παρὰ πολὺ τῶν ἄλλων ὁλοσχερεστάτης καὶ μεγίστης δαπάνης, ἣν οἱ τιμηταὶ ποιοῦσιν εἰς τὰς ἐπισκευὰς καὶ κατασκευὰς τῶν δημοσίων κατὰ πενταετηρίδα ταύτης ἡ σύγκλητός ἐστι κυρία, καὶ διὰ ταύτης γίνεται τὸ συγχώρημα τοῖς τιμηταῖς. *Senatus primùm ærarij poteſtatem habet. Etenim in ipſius arbitrio ſunt & reditus & ſumptus. Neque enim quæſtoribus ne ad particulares quidem vſus integrum eſt aliquid expendere ſine ipſorum decreto, niſi in Conſules tantùm. Generaliſſimi verò & maximi ſumptus, quem Cenſores ſingulis luſtris in ſarta tecta ad publicum pertinentia faciunt, poteſtatem habet Senatus, & per hunc indulgetur quicquid conceditur cenſoribus.* Quod autem excipit ſumptus qui in Conſules expenduntur, id ni fallor de vaſario tabernaculo: cæteriſque huiuſmodi priuatis ſumptibus, non de ſtipendiis militaribus interpretandum videtur. ſubdit enim Polybius: Ἄνευ δὲ τοῦ τῆς συγκλήτου βουλήματος οὔτε σῖτος, οὔτε ἱματισμὸς, οὔτε ὀψώνια δύναται χορηγεῖσθαι τοῖς στρατοπέδοις, &c. *Sine Senatus voluntate neque frumentum, neque veſtitus, neque ſtipendia exercitibus subminiſtrari poſſunt.* Vatinius autem ſuâ lege pecuniam ex ærario non tantùm vaſarij, ſed etiam ſtipendij nomine attribuerat Cæſari.

Penes Senatum fuit diſpenſatio ærarij.

FACTVM EST HORVM ALIQVID.] Factum eſt tum in aliis, tum bis in Pompeio, vt 1. contra Piratas, 2. contra Mithridatem ſine S. C. immò, contra Senatus voluntatem electus Imperator populi ſuffragiis mitteretur. ídque tantâ contentione factum eſt, vt, quod ait Dio lib. 38. Gabinium legis auctorem, Patres in ipſo Senatu pene diſcerpſerint, quibus Trebellius quoque Tribunus, vt Pedianus auctor eſt, promiſerat moriturum ſe potiùs, quàm Pompeium contra Piratas Imperatorem mitti pateretur. & ex aliâ parte, quod Plutarchus refert in Pompeio, populus incredibili contentione legem Gabiniam defenderit. verba ſunt Plutarchi: Ῥωσκίου δὲ προσελθόντος οὐδεὶς ἤκουσεν· ὁ δὲ τοῖς δακτύλοις διεσήμαινε μὴ μόνον, ἀλλὰ δεύτερον αἱρεῖσθαι τὸν Πομπήϊον· ἐπὶ τούτῳ λέγεται δυσχεράναντα τὸν δῆμον τηλικοῦτον ἀνακραγεῖν, ὥστε ὑπερπετόμενον κόρακα τῆς ἀγορᾶς τυφλωθῆναι καὶ καταπεσεῖν εἰς τὸν ὄχλον. *Roſcium prodeuntem nemo audiebat: ille verò ſignificabat digitis non ſolùm Pompeium, ſed & alterum cum ipſo eſſe deligendum. Tantus indignantis populi clamor exortus eſt, vt coruus forum ſuperuolans cœcatus in turbam cecidiſſe narretur.* Sed tum de his, tum de poſteriore Pompeij electione, vide citatos auctores, & Appianum tam in Mithridatico, quàm in primo de bellis ciuilibus. Tantùm nota hoc addidiſſe Ciceronem factum fuiſſe, ne electionem Cæſaris videretur improbare. nam & ipſe legis Maniliæ defenſione Pompeij extraordinariam electionem promouerat. qua de re Dio loco citato conſulendus. IV.

Extraordinarij honores, & magiſtratus.

IN DVOBVS PRODIGIIS.] Piſone & Gabinio. Cicero pro Sextio §. 33. Piſonem ſic alloquitur: *Pro te ipſo, Piſo, nemóne (veſtem) mutauit? ne iſti quidem quos legatos no✠ modò nullo S. C. ſed etiam repugnante Senatu tute tibi legaſti?* V.

MALO MACTANDVS.] Plautus Aululariâ: VI.

Mactare malo.

Nam quæ indotata eſt ea in poteſtate eſt viri
Dotata mactant & malo & damno viros.

Pompilius præc. poſteriore:

At te Dij omnes cum conſilio, Calue, mactaſſint malo.

Ennius Telepho:

Quin illum Dij Deæque magno mactaſſint malo.

Afranius Priuigno:

A Fulicâ pene periſti, Dij te mactaſſint malo.

apud Nonnium.

EXEMPLO REMPVBL. VVLNERASTI.] Vide Sextianam 44. Milonianam 14. VII.

AXIOMATA.

Penes Senatum eſſe debet prouinciæ decernendæ poteſtas, Imperatoris deligendi iudicium, ærarij diſpenſatio.

Omni malo mactandus eſt qui non ſolùm facto ſuo, ſed etiam exemplo vulnerat Rempub. neque tantùm eſt improbus ipſe, ſed etiam alios docere vult.

ARGVMENTVM.

Publius Vatinius in ipſâ petitione præturæ gladiatores dederat. quod lex Tullia à Cicerone in Conſulatu lata fieri prohibebat, ne plebs huiuſmodi muneribus corrupta, candidatos etiam indignos ad honores promoueret. id Cicero reprehendit & excludens omnem euaſionis viam iudicium proximum comminatur.

XXXVII. ATQVE illud etiam audire à te cupio, quare, cùm ego legem de ambitu ex S. C. tulerim, ſine vi tulerim, ſaluis auſpiciis tulerim, ſalua lege Ælia, & Fuſia; tu eam eſſe legem non putes? præſertim, cùm ego legibus tuis, quoquo modo latæ ſint, paream: Cùm mea lex dilucidè vetet, biennio, quo quis petat, petiturúſve ſit, gladiatores dare, niſi ex teſtamento præſtitutâ die: quæ tanta in te ſit amentia, vt in ipſa petitione gladiatores audeas dare? num quem putes illius tui certiſſimi gladiatoris ſimilem tribunum pleb. poſſe reperiri, qui ſe interponat, quo minùs reus, mea lege, fias? Ob haſce omnes res ſcias te ſeueriſſimorum hominum Sabinorum, fortiſſimorum virorum, Marſorum, & Pelignorum, tribulium tuorum iudicio notatum: nec poſt Romam conditam præter te tribulem quemquam, tribum Sergiam perdidiſſe.

EXPLANATIO.

LEGEM DE AMBITV.] In eos qui cum ambitu magiſtratus peterent, populíque ſuffragia corrumperent. quâ lege ad pœnas aliis legibus ſancitas decem annorum exilium adiectum eſt.

SINE VI TVLERIM.] Hîc ſui comparatione Vatinium in odium adducit, qui legem Tulliam contempſerit. Ego, inquit, legibus tuis pareo, quas per vim, contra leges, contra auſpicia, contra Senatus auctoritatem, etiam oppreſſo Senatu tuliſti. quàm igitur ſceleratus es, qui legem quam ex Senatus conſulto, ſine vi, ſaluis auſpiciis & legibus tuli, tam liberè violaſti, vt ne legem quidem eam exiſtimare videaris.

CVM MEA LEX.] Cùm mea lex de ambitu, apertè vetet, ne ad corrumpenda populi ſuffragia, quiſquam intra illud biennium, quo vel magiſtratus petet, vel petere cogitabit, gladiatores exhibeat: niſi moriens aliquis teſtamento id mandauerit, diémque præfixerit certum: quo gladiatores ſunt exhibendi. tunc enim vltimæ voluntatis habenda eſt ratio.

NVM QVEM PVTES.] Hic omnem euaſionis viam excludit. non eſt, inquit, quòd ideo confidas, quòd iam ante Publius Clodius, te apud Prætorem Memmium lege Iuniâ & Liciniâ reo, iudicium quæſtionémque vi & armis diſiecerit. neque enim poſt hac reperietur Tribunus plebis adeò ſceleratus, vt appellationi tam nefariæ velit operam ſuam commodare.

CERTISSIMI GLADIATORIS.] Qui multos iam annos in ſeditionibus & ciuium cæde verſatus eſt, & ad cædes expeditus gladiatoris inſtar, qui cùm diu artem exercuerit, ictu certiſſimo locum ferit vulneri deſtinatum.

REVS MEA LEGE FIAS.] Quin in te quæſtio ſtatuatur, quòd meam legem violaris.

OB HASCE RES OMNES.] Aliud refugium inuenire Vatinius potuiſſet, & ſuorum Tribulium commendationi confidere. ſed fruſtra. nam, inquit Tullius, adeò tuis ſceleribus tuos Tribules fortiſſimos viros in te concitaſti, vt te in petitione ædilitatis, tanquam indignum eo magiſtratu reiecerint. non eſt itaque quod ſperes eos in tuâ cauſâ aduocatos habiturum.

TRIBVM SERGIAM PERDIDISSE.] Non tuliſſe ſuffragia tuæ ipſius tribus, in qua Marſi & Peligni ſuffragium ferebant. pro Sextio §.114. *Tribum ſuam non tulit. Palatinam denique perdidit.* Turnebus: *Sergia autem Tribus de qua hîc mentio eſt, regionem Sabinorum, Marſorum, Pelignorum continebat, quos populos idcirco Tribules Vatinij nominat. erat enim ex ea Tribu Vatinius.*

NOTÆ.

EX S. C.] Legibus quos Patricij magiſtratus ferebant, oportebat Senatus auctoritatem accedere. qua de re ſæpè alibi dicendum eſt. I.

DILVCIDE.] Dilucidam ait eſſe ſuam legem, ne verba legis aliò ſe detorquere poſſe Vatinius exiſtimet, & ſic pœnam in eâ conſtitutam euadere. eam autem perſpicuitatem vt bonæ ſint leges eſſe requiſitam tradit Demoſthenes in Timocratem: Οἶμαι δὴ πάντας ἂν ὁμολογῆσαι δεῖν τὸν ὀρθῶς ἔχοντα νόμον, καὶ συνοίσειν μέλλοντα τῷ πλήθει, πρῶτον μὲν ἁπλῶς καὶ πᾶσιν ὁμοίως γνωρίμως γεγράφθαι, καὶ μὴ τῷ μὲν εἶναι ταυτὶ περὶ αὐτοῦ νομίζειν, τῷ δὲ ταυτὶ, &c. *Exiſtimo apud omnes in confeſſo eſſe, opus eſſe legem, ad hoc vt & bene habeat & ad vtilitatem publicam redundet, oportere primùm omnibus æqualiter eſſe dilucidam, ne vnus aliter, alius aliter eam intelligat.* Quam obſcuritatem Tullius in lege Agraria Rulli reprehendit. orat. 2. ex hac enim perſpicuitate efficietur illud, quod & hoc loco Noſter comminatur. & ſubiungit Demoſthenes νόμον) οὐδενὶ τῶν ἀδικούντων φαίνεται μηδεμίαν διδόντα ῥᾳστώνην. *vt lex nemini, qui contra fecerit, euadendi facilitatem præbere videatur.* II.

Leges debent eſſe dilucidæ

III. Cvm mea lex dilvcide vetet.] De lege Tullia iam dictum eſt §.133. Sextianæ, de Buſtuariis ad Piſonianam §.19. Not. 6.9. vbi lectorem remiſimus: Nunc illud vnum ſuffecerit oſtendere hos ludos gladiatorios ex teſtamento fieri conſueſſe. quam ob cauſam hoc lege Tulliâ prudenter exceptum eſt. ſi moriens teſtamento mandaſſet certo quodam tempore & præſtituta die huiuſmodi ludos exhiberi. tunc enim hærere in eo culpa non poterat, qui, quamuis aut petens, aut breui petiturus magiſtratum, teſtamento paruiſſet. at primùm quidem huiuſmodi muneris apud Horatium lib.2. Satirarum Sat.3. exemplum eſt:

Hæredes Staberi ſummam incidere ſepulchro
Ni ſic feciſſent gladiatorum dare centum
Damnati populo paris, atque epulum.

Gladiatores indicti teſtamento.

Nicolaus Damaſcenus apud Athenæum libro 4. Ἤδη δέ τις καὶ ταῖς διαθήκαις γέγραφε γυναῖκας εὐπρεπεστάτας μονομαχῆσαι, ἃς ἐκέκτητο. ἕτερος δὲ παῖδας ἀνήβους ἐρωμένους ἑαυτοῦ. *Iam verò res eò deducta eſt, vt quidam in teſtamento mulieres formoſiſſimas, alius verò pueros impuberes, quos in delitiis habebat, in arenam produci gladiarique mandauerit.* Hæc ille, quem Athenæus, Plutarchus, Heſychius, Illuſtrius & alij tradunt ſub Auguſto floruiſſe. ex quo & illud compertum eſt, cùm ille tanquam de re iampridem vſu receptâ, loquatur, iam eandem in conſulatu Ciceronis conſuetudinem viguiſſe, & inde factum vt in ſuâ lege non immerito, teſtamentum exceperit.

Severissimorvm hominvm Sabinorvm.] Morum ſeueritatem in Sabinis apud antiquos inuenio prædicari. Horatius ode 6. libri tertij carminum:

IV. *Sed ruſticorum maxima militum*
Proles, Sabellis docta ligonibus
Verſare glebas, & Seueræ
Matris ad arbitrium reciſos
Portare poſtes.

Virgilius libro octauo:

Seueri Sabini.

Romulidis, Tatióque ſeni, curibúſque ſeueris.

Propertius lib.2. eleg.32. de Romanorum moribus loquens, qui à primâ Sabinorum ſeueritate deflexerant.

Qui quærit veteres Tatios duróſque Sabinos
Hic poſuit noſtrâ nuper in vrbe pedem.

Ouidius 3. amorum eleg.7.

At nunc exæquet tetricas licet illa Sabinas.

Martialis lib.1. epiſt.63.

Caſta nec antiquis cedens Leuina Sabinis,
Et quamuis tetrico triſtior ipſa viro.

à qua morum ſeueritate *priſci* dicuntur, vt dicemus pro Cœlio 33.

V. Fortissimorvm hominvm Marsorvm.] De Marſis ſic loquitur Appianus primo ciuilium: Ἔστι γὰρ τὸ ἔθνος πολεμικώτατον, καί φασι κατ᾽ αὐτοῦ θρίαμβον ἐπὶ τῷδε τῷ πταίσματι γενέσθαι μόνῳ (*ſcilicet cùm à Lucio Sulla in bello ſociali deuicti ſunt*) λεγομένου πρότερον, οὔτε κατὰ Μάρσων, οὔτ᾽ ἄνευ Μάρσων γενέσθαι θρίαμβον. *Gens enim eſt bellicoſiſſima, & dicunt hac ſolùm clade de eâ triumphatum, cùm priùs neque de Marſis, neque ſine Marſis, triumphatum fuiſſe vulgo diceretur.* Strabo lib.5. de Marſis & Pelignis: Ἔστι δὲ τὰ ἔθνη ταῦτα μικρὰ μὲν, ἀνδρικώτατα δὲ, καὶ πολλάκις τὴν ἀρετὴν ταύτην ἀποδεδειγμένα Ῥωμαίοις. *Sunt hæ gentes paruæ quidem, ſed fortiſſimæ, cuius virtutis ſpecimen frequenter ediderunt.*

Marſorum & Pelignorum fortitudo.

Tribvlivm tvorvm.] Dubitari poſſit quo pacto & Marſos, & Pelignos tribules haberet Vatinius, & illi in tribu Sergiâ cenſerentur. nam tribum Sergiam inter veteres tribus ab ipſo Romæ naſcentis exordio floruiſſe conſtat, & negat Appianus 1. ciuilium ſocios fuiſſe in veteres tribus allectos. Maro 5. Æneidos: VI.

Sergeſtúſque domus tenet, à quo Sergia nomen.

Quam gentem antiquiſſimam fuiſſe, inficiatur nemo. de ſociis Appianus: Ῥωμαῖοι μὲν δὴ τοὺς δὲ τοὺς νεοπολίτας οὐκ ἐς τὰς πέντε καὶ τριάκοντα φυλάς, αἳ τότε ἦσαν αὐτοῖς κατέλεξαν, ἵνα μὴ τῶν ἀρχαίων πλέονες ὄντες ἐν ταῖς χειροτονίαις ἐπικρατοῖεν, ἀλλὰ δεκατεύοντες ἀπέφηναν ἑτέρας, ἐν αἷς ἐχειροτόνουν ἔσχατοι, καὶ πολλάκις αὐτῶν ἡ ψῆφος ἀχρεῖος ἦν· ἅτε τῶν πέντε καὶ τριάκοντα προτέρων τε καλουμένων, καὶ οὐσῶν ὑπὲρ ἥμισυ. *Romani nouos ciues non in triginta quinque tribus, quæ tunc erant, cenſuerunt, ne plures quàm antiqui tribules, in ferendis ſuffragiis mandandíſque honoribus, maiorem vim obtinerent: ſed alias tribus iis decimatis conſtituerunt, in quibus ferebant poſtremi ſuffragia: adeo vt frequenter inutile eſſet eorum ſuffragium, quippe cùm veteres non ſolùm priores dicerentur, ſed etiam eſſent, & nouas plus mediâ parte ſuperarent.* Non erant igitur Socij in veteres tribus deſcripti. ſubiicit aliquantò pòſt rationem: Τοῦ μὴ τοῖς ἀρχαίοις ἀναμεμιγμένοι ἐπικρατεῖν ἐν ταῖς χειροτονίαις πλέονες ὄντες. *Ne veteribus immixti, eos in ferendis ſuffragiis vt numero ſic auctoritate ſuperarent.* Quomodo igitur, Sabini, Marſi, Peligni, noui ciues in veteri tribu Sergiâ ſuffragij ius obtinere potuerunt? Appianus: Ὅπερ ἢ λαθὸν αὐτίκα, ἢ καὶ ὡς αὐτῷ ἀγαπησάντων τῶν Ἰταλιωτῶν, ὕστερον ἐπιγνωσθὲν ἑτέρας στάσεως ἦρξεν. *Quod cùm aut tum temporis animaduerſum fuiſſet, aut ſociis eo tum ſuffragij iure contentis, animaduerſum poſteà nouas turbas excitauit.* nam aliquantò poſt C. Marius: Τοὺς ἐκ τῆς Ἰταλίας νεοπολίτας μειονεκτοῦντας ἐπὶ ταῖς χειροτονίαις ἐπήλπισεν ἐς τὰς φυλὰς ἁπάσας διαιρήσειν, &c. καὶ νόμον αὐτίκα ὁ Σουλπίκιος εἰσέφερε περὶ τοῦδε. *Nouos ex Italiâ ciues, cùm in ferendis ſuffragiis minorem auctoritatem obtinerent, in ſpem adduxit fore vt eos in veteres tribus diſtribueret,* &c. Quòd etſi in præſentiâ Conſulum operâ diſcuſſum eſt, paulò pòſt tamen, vt notat epitome Liuiana lib.84. Carbone & Octauio Coſs. vt opinor, *nouis ciuibus S.C. ſuffragium datum eſt.* id eſt, in veteres tribus ſunt diſtributi. nam, vt iam dictum eſt, iam antè noui ciues ſuffragij in nouis tribubus ferendi ius obtinebant. poſſet & de numero tribuum difficilis ſanè quæſtio ventilari. ſed ne Camarinam hanc moueamus.

Nouæ & tribus ſociorũ.

Socij in veteres tribus deſcripti.

VII. Tribvm Sergiam perdidisse.] Pro Sextio 114. *Tribum ſuam non tulit: Palatinam denique per quam omnes illæ peſtes vexare populum Romanum dicebantur.* quem in locum alia quoque huius formulæ exempla congeſſimus.

Tribum perdere.

AXIOMATA.

Leges debent eſſe dilucidæ.
Legibus quoquo modo latæ ſint parendum.

ARGVMENTVM.

Oſtendit ne in Cæſaris quidem gratiâ quicquam ſpei Vatinio ſupereſſe, idque probat ex reſponſo ipſius Cæſaris, quo ſuam erga Vatinium voluntatem & opinionem, quam de ipſo conceperat, indicauit.

XXXVIII. AC, ſi hæc omnia contemnis, ac deſpicis, quòd ita tibi perſuaſeris, vt palam dictites, te Diis hominibúſque inuitis, amore in te incredibili quondam C. Cæſaris, omnia quæ velis conſecuturum: ecquid audieris, ecquiſnam tibi dixerit, C. Cæſarem nuper Aquileiæ, cùm de quibuſdam eſſet mentio facta, dixiſſe C. Alſium præteritum permoleſtè tuliſſe, quòd in homine ſummam fidem probitatémque cognoſſet, grauitérque etiam ſe ferre prætorem aliquem eſſe factum, qui à ſuis rationibus diſſenſiſſet? tum quæſiſſe quendam de Vatinio, quemadmodum ferret: ipſum reſpondiſſe, Vatinium in Tribunatu gratis nihil feciſſe: qui omnia in pecunia poſuiſſet, honore animo æquo carere debere?

EXPLANATIO.

OMNIA QVÆ VELIS.] Non ſolùm impunitatem eorum quæ contra leges admiſiſti, ſed etiam omnes honores & magiſtratus.

AQVILEIÆ.] Cæſar cùm non poſſet ſine S. C. exire è prouinciâ, ſingulis propemodum annis in Galliam Padanam vrbéſque Romæ viciniores præſertim Lucam & Aquileiam ſe conferebat, vt vrbi rebúſque vrbanis eſſet vicinior. Dio, Plutar. Suet.

C. ALFIVM PRÆTERITVM.] In petitione præturæ, quam eo quidem anno obtinere non potuit, ſed paulò pòſt obtinuit Appio Pulchro, Domitio Ænobarbo Coſ. vt ep. 1. lib. 3. Q. Fr. indicatur: *Quid præterea? quid? etiam. Gabinius ad IV. Calend. Octobr. noctu in vrbem introiuit: & hodie horâ octauâ cum edicto C. Alfij* (prætoris ſcilicet cuius erat edictum proponere) *de maieſtate eum adeſſe oporteret: Concurſu magno & odio vniuerſi populi pene afflictus eſt.*

PRÆTOREM ALIQVEM ESSE FACTVM.] Quis iſte fuerit aliquis mihi compertum non eſt. viderint qui res curioſiùs indagant.

DE VATINIO QVEMADMODVM FERRET.] An æquo animo ferret Vatinium in petitione præturæ repulſam tuliſſe. eum tamen magiſtratum anno ſequenti obtinuit Vatinius adnitentibus Craſſo & Pompeio, vt Catonem à præturâ excluderent Plutarchus: Βίᾳ διεπράξαντο Βατίνιον ἀντὶ Κάτωνος αἱρεθῆναι στρατηγόν. *Per vim effecerunt vt Vatinius pro Catone prætor crearetur.*

IPSVM RESPONDISSE.] Cæſarem.

QVI OMNIA IN PECVNIA POSVISSET.] Qui omnia propter pecuniam feciſſet, ſuúmque auxilium non tam dediſſet quàm vendidiſſet.

NOTÆ.

I. DIIS HOMINIBVSQVE INVITIS.] Catullus:

Et Diis inuitis deſinis eſſe miſer.

Quod Achilli Statio videtur redolere prouerbium. Sic Iliados μ'. ver. 8. — Diis inuitis.

-θεῶν δ' ἀέκητι τέτυκτο
Ἀθανάτων. τῷ καὶ οὔτι πολὺν χρόνον ἔμπεδον ἦεν.
-Inuito numine murum
Condiderant, ideóque breui dedit ille ruinam.

Iliados ο'.

Νῆας ἑλεῖν, αἳ δεῦρο θεῶν ἀέκητι μολοῦσαι.
Inflammare rates inuito numine curſum
Quæ tenuere.

Odyſſeæ α'. verſu 79.

-ἀέκητι θεῶν ἐριδαινέμεν οἶος.
Inuitis ſolus contendere Diuis.

Et libro δ'. 503.

Φῆ ῥ' ἀέκητι θεῶν φυγέειν μέγα λαῖτμα θαλάσσης.
Dixerat inuitis ſe poſſe euadere Diuis
Æquoris ingentes fluctus.

quo ὑπερφίαλον ἔπος, *arrogans dictum* appellat. Et libro tertio Odyſſ. 28. θεῶν ἀέκητι γενέσθαι.

Inuito numine naſci. Et ω'. 242.

-οὐ γὰρ Ὀδυσσεὺς
Ἀθανάτων ἀέκητι θεῶν τάδε μήσατο ἔργα.
Inuitis Diuis non talia fecit Vlyſſes.

Et alibi non ſemel. Virgil. 2. Æneidos:

Heu nihil inuitis fas quemquam fidere Diuis.

Et 10.

Si ſine pace tua atque inuito Numine Troes
Italiam petiere.

huc refert Lacerda illud Æſchyli: Πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτείνειν. *Impingere pedem aduerſum ſtimulos.* malim: *extendere membra aduerſum ſtimulos.* vel, vt loquitur Scriptura, *contra ſtimulum calcitrare.* πρὸς κέντρα λακτίζειν.

Pindarus ode 2. Pythiorum epodo 4.

Χρὴ δὲ πρὸς Θεὸν οὐκ ἐρίζειν,
Φέρειν δ' ἐλαφρῶς
Ἐπαυχένιον λαβόντα
Ζυγὸν ἀρήγει. ποτὶ κέντρον δέ τοι
Λακτιζέμεν τελέθει
Ὀλισθηρὸς οἶμος.

Non oportet contra Deum contendere, ſed eum qui iugum collare leniter ferendum acceperit, adiuuat: contra ſtimulum verò calcitrare eſt lubrica via. Æſchylus: Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις de Capaneo,

Θεοῦ το γὰρ θέλοντος ἐκπέρσειν πόλιν
Καὶ μὴ θέλοντός φησι.

Flammis daturum cuncta ſe iactat, velit nolit tonantis Numen.

II. AQVILEIÆ.] Hanc vrbem Herodianus libro 8. πόλιν Ἰταλίας μεγίστην, *vrbem Italiæ maximam* appellat, eámque ita deſcribit: Ἡ δὲ Ἀκυληΐα καὶ πρότερον μὲν ἀεὶ μεγίστη πόλις ἰδίου δήμου πολυάνθρωπος ἦν, καὶ ὥσπερ τι ἐμπόριον Ἰταλίας ἐπὶ θαλάττῃ προκειμένη, καὶ πρὸ τῶν Ἰλλυρικῶν ἐθνῶν πάντων ἱδρυμένη, &c. *Aquileia verò etiam priùs, tanquam vrbs Italiæ maxima, propriorum indegenarum multitudine celeberrima erat, & tanquam Italiæ totius emporium ad mare ſita, & è regione omnium Illyrici gentium conſtituta.*

III. PRÆTERITVM.] Præteriti dicuntur repulſam paſſi. pro Plancio 51. *Quos omnes ſcimus ædilitate præteritos, Conſules eſſe factos. Sed quid ego ædilitias repulſas colligo? quæ ſæpè eiuſmodi habitæ ſunt, vt iis qui præteriti eſſent, benignè à populo factum videretur.* & 54. *Indicas aut eos teſtes te adducere. qui, quia nummos acceperint, te præterierint: aut te, ne gratuita quidem eorum ſuffragia tuliſſe.*

QVI OMNIA IN PECVNIA POSVISSET.] Videtur reſpexiſſe ad illud Ariſtotelis 8. eth. Nicomach. cap. 13. Οὐκ ἔστιν ἅμα χρηματίζεσθαι ἀπὸ τῶν κοινῶν, καὶ τιμᾶσθαι. *Fieri non poteſt vt quis ex adminiſtratione Reipublicæ, & honorem, & diuitias conſequatur.* IV.

Honor & lucrum.

AXIOMA.

Qui gratis nihil facit, qui omnia in pecunia ponit, honore æquo animo carere debet.

ARGVMENTVM.

Antequam Vatinium de ipſa cauſa interroget, retexit quodammodo per enumerationem quæ tota oratione dicta ſint, oſtenditque Vatinium odio eſſe non ſolùm toti ciuitati, ſed etiam iis ipſis, propter quos tot ſcelera commiſit.

QVÒD ſi ipſe, qui te ſuæ dignitatis augendæ cauſſâ, periculo tuo, nullo ſuo delicto ferri præcipitem eſt facile paſſus, tamen te omni honore indigniſſimum iudicat: ſi te vicini, ſi affines, ſi tribules ita oderunt, vt repulſam tuam triumphum ſuum duxerint, ſi nemo aſpicit, quin ingemiſcat, nemo mentionem facit, quin exſecretur, ſi vitant, fugiunt, audire de te nolunt, cùm viderunt, tanquam auſpicium malum deteſtantur, ſi cognati reſpuunt, tribules execrantur, vicini metuunt, affines erubeſcunt, ſtrumæ denique ab ore improbo demigrarunt, & aliis iam ſe locis collocarunt: ſi es odium publicum populi, Senatus, vniuerſorum hominum: quid eſt quamobrem præturam potius exoptes, quàm mortem, præſertim cùm popularem te velis eſſe, neque vlla in re populo gratius facere poſſis? XXXIX.

EXPLANATIO.

QVÒD SI IPSE.] Qui te paſſus eſt ſuæ dignitatis amplificandæ cauſâ, leges ferre contra auſpicia, & Senatus voluntatem.

OMNI HONORE.] Omni magiſtratu.

SI COGNATI RESPVVNT.] Si conſanguinei ideo te deteſtantur, quia matrem tuam verberaſti.

TRIBVLES EXECRANTVR.] Si Marſi, Peligni, Sabini, & alij ciues Romani, qui in tribu Sergiâ ferunt ſuffragium, te licet ſis ex eadem tribu, tamen ſuo iudicio notauerunt, & negato ſuffragio infamem effecerunt.

VICINI METVVNT.] Ne iterum eorum domos ſuffodias & compiles, vt in adoleſcentia tuâ compilaſti.

AFFINES ERVBESCVNT.] Pudore ſuffunduntur quòd tecum affinitatem inierint, & tu eorum conſanguineam Antoniam, & Antoniorum imagines, non tam in familiâ quàm in carcere collocaris. quibus toties maledicis, quoties illis te affinem eſſe dicis.

STRVMÆ.] Quibus Vatinius laborare ſolitus erat. in quas etiam Cicero iocatur in Sextiana: *Execant tanquam aliquam ſtrumam ciuitatis.* Intelligitur autem (vt notat Manutius) non laborare ſtrumis Vatinium hoc tempore. vnde Cicero in acerbiſſima reprehenſione, iocandi locum cepit: quaſi ſtrumas ipſas puduerit in ore improbo amplius habitare: diſceſſiſſe quidem ab ore ſtrumas dicit, ſed in alia ſe corporis parte collocaſſe.

VNIVERSORVM HOMINVM.] Lambinus legit: *Ruſticanorum hominum.* & bene. nam iam ante vniuerſos cùm dixit: *Odium publicum populi* complexus eſt: peculiarem autem ruſticanorum facit mentionem, quia ruſticanæ tribus vrbanis erant digniores. vt alibi dicetur.

NOTÆ.

NVLLO SVO DELICTO.] Ideo nullum in Cæſare delictum agnoſcit, vt Cæſar non tam ad illa ſuperiùs expoſita ſcelera Vatinium impuliſſe, quàm ea in ſuum commodum permiſiſſe videatur. quippe cùm eiuſmodi ſcelera etiam Cæſar non probaret. quam-

quam Medæa apud Senecam ita loquens inducitur.

Tibi innocens ſit quiſquis eſt pro te nocens.

Sed præclarè Plutarchus in Romulo : ΟΥ μόνος οὖν, ὡς ἔοικεν, Ἀντίγονος ἔφη, προδιδόντας μὲν φιλεῖν, προδεδωκότας δὲ μισεῖν. οὐδὲ Καῖσαρ εἰπὼν ἐπὶ τοῦ Θρᾳκὸς Ῥυμητάλκου, φιλεῖν μὲν προδοσίαν, προδότην δὲ μισεῖν, ἀλλὰ κοινόν τι τοῦτο πάθος ἐστὶ πρὸς τοὺς πονηροὺς τοῖς δεομένοις αὐτῶν, ὥσπερ ἰοῦ καὶ χολῆς ἐνίων θηρίων δέονται. τὴν γὰρ χρείαν ὅτε λαμβάνουσιν, ἀγαπῶντες, ἐχθαίρουσι τὴν κακίαν, ὅταν τύχωσι. *Non ſolus igitur, vt videtur, Antigonus, dicebat eos à ſe diligi qui prodebant, odio haberi qui prodidiſſent. Neque Cæſar dicens de Thrace Rhumitalce, amare ſe proditionem, ſed proditorem odio habere, ſed ita omnes erga improbos affecti ſunt ij qui eorum opera egent, vt veneno & bile quarundam belluarum. nam vtilitatem cùm percipiunt amantes, oderunt improbitatem cùm ex ea fructum acceperint.* Idem in apophthegmatis Philippi : Συνεβούλευε τῶν ἐν ταῖς πόλεσι δυνατῶν καὶ τοὺς ἀγαθοὺς φίλους κτᾶσθαι, καὶ τοὺς πονηρούς, εἶτα οἷς μὲν χρῆσθαι, οἷς δ' ἀποχρῆσθαι. *Conſulebat, ex iis qui plurimùm poſſent in ciuitatibus & bonorum & malorum amicitias conciliare, deinde illis vti, his abuti.* Bene tamen D. Cyprianus epiſtolâ quæ ab aliquibus 31. numeratur. *Non eſt immunis à ſcelere qui vt fieret imperauit, nec eſt alienus à crimine cuius conſenſu, licet non à ſe admiſſum crimen.* Ammianus lib. 27. de Probo Præfecto vrbis. *Nunquam illâ magnanimitate coalitus clienti vel ſeruo agere quicquam iuſſit illicitum, ſed ſi eorum quemquam crimen vllum compererat admiſiſſe, vel ipſa repugnante iuſtitiâ non exploratо negotio, ſine reſpectu boni honeſtique defendebat.*

II. TANQVAM AVSPICIVM MALVM.] Demoſthenes ſiue, vt alij malunt, Dinarchus in Ariſtogitonem : Ὃν οἰωνίσαιτ' ἄν τις μᾶλλον, ἢ προσειπεῖν βούλοιτο. *Quem quis, tanquam auſpicium malum execretur libentiùs, quàm alloquatur.* Simile quid Iuuenalis Sat. 6.

Et cui per mediam nolis occurrere noctem
Cliuoſæ veheris dum per monumenta Latinæ.

Auſpicium malum in occurſu.

Talis Eutropius à Claudiano libro primo deſcribitur verſu 120.

Hus in fronte notas, hoc dedecus addidit oris
Luxuriæ fortuna ſuæ : cùm pallida nudis
Oſsibus horrorem dominis præberet imago
Decolor, & macies occurſu læderet omnes,
Aut pueris latura metus, aut tædia menſis,
Aut crimen famulis, aut procedentibus omen.

Et paulò pòſt :

-tandem ſeu funus acerbum
Infauſtámque ſuis truſere penatibus vmbram.

Libanius vituperatione Philippi : Καὶ μὴν καὶ τὸ σῶμα τοιοῦτος, οἷον ἄν τις ἰδὼν οἰωνίσαιτο. χωλεύων, τὸν ὀφθαλμὸν ἐκκεκομμένος, πολλὰ τῶν μελῶν πεπηρωμένος. *Iam verò talis corpore fuit, vt quis eum videns, tanquam auſpicium malum deteſtari potuiſſet. Claudus, altero oculo priuatus, multis artubus mutilatus.* vertit Morellus οἰωνίσαιτο. *augurari potuiſſet.* non ſequor. Talis ille Æthiops qui Seuero Imperatori occurrens malo omini fuit, teſte Spartiano, cui ob auſpicium perterrito Æthiops *dixiſſe dicitur ioci causâ, Totum fuiſti, totum viciſti, iam Deus eſto victor.* quaſi diceret, omnem hactenus fœlicitatem expertus es. iam morere, vt mortuus in Deos referaris. nam, vt ait Spartianus, *Huius dictum eſt, cùm eum ex humili per litterarum, & militiæ officia ad imperium plurimis gradibus fortuna duxiſſet, Omnia, inquit, fui, & nihil expedit.* at *Deus eſto*, idem eſt per iocum atque morere. Vnde Veſpaſianus apud Suetonium in extremo morbo. *Vt puto*, inquit, *amici*, *Deus fio.* atque hæc obiter dicta ſint ad iocum illius Æthiopis explicandum.

SI ES ODIVM PVBLICVM POPVLI.] III. Macrobius Saturnalium libro 2. *Lapidatus à populo Vatinius, cùm gladiatorum munus ederet* (nota odium publicum) *obtinuerat vt Ædiles edicerent, Ne quis in arenam, niſi pomum miſiſſe vellet. Fortè iis diebus Caſellius à quodam conſultus an nux pinea pomum eſſet : reſpondit, Si in Vatinium miſſurus es, pomum eſt.* vnde Catullum dixiſſe puto :

Odium Vatinianum.

--Munere iſto
Odiſſem te odio Vatiniano.

TE POPVLAREM.] Eleganter iocatur. IV. quemadmodum, teſte Plutarcho, in Craſſum aliquando iocatus eſt. Εἰπόντος δέ ποτε τοῦ Κράσσου μηδένα Κράσσων ἐν Ῥώμῃ βεβιωκέναι μακρότερον ἑξηκονταετίας, εἶθ' ὕστερον ἀρνουμένου καὶ λέγοντος, Τί δή ποτ' αὖ ἐγὼ παθὼν τοῦτ' εἶπον; ᾔδεις, ἔφη, Ῥωμαίους ἡδέως ἀκουσομένους, καὶ διὰ τοῦτ' ἐδημαγώγεις. *Cùm dixiſſet Craſſus neminem Craſſorum vltra ſexageſimum annum ætate prouectum fuiſſe, negarétque poſtea, ac diceret, quid mihi venerat in mentem iſta dicenti? Sciebas, inquit, Romanos id libenter audituros, & hoc dicto populi gratiam inire cupiebas.* Et aliquid ſimile occaſione in ipſum Vatinium, vt idem refert in apophthegmatis. Βατίνιον ἄνθρωπον ἑαυτῷ διάφορον καὶ μοχθηρὸν ἄλλως ἀκούσας ὅτι τέθνηκεν, εἶτα γνοὺς ὕστερον ὅτι ζῇ, Κακῶς, εἶπεν, ἀπόλοιτο κακῶς ὁ ψευσάμενος. *Cùm Vatinium à quo diſsidebat, hominem impurum interiiſſe cùm audiiſſet : íſque poſtmodùm viuere nuntiaretur. malè pereat, inquit, qui malè mentitus eſt.* Græcum eſt feſtiuius, quia ψευσάμενος verbum commune eſt, & poteſt tam Vatinio quàm nuntio conuenire. porro, vt ait Tul- Populares. lius, pro Sextio 96. *Qui ea quæ faciebant, quæque dicebant, multitudini iucunda eſſe volebant, populares, qui autem ita ſe gerebant, vt ſua conſilia optimo cuique probarentur, optimates habebantur.*

AXIOMA.

Qui eſt odium publicum populi, nihil eſt quamobrem magiſtratum potiùs optet quàm mortem.

ARGVMENTVM.

Poſtquam Vatinij Tribunatum, & alia eius facta quæ ad Sextij cauſam minùs attinebant, per interrogationem obiecit, ad ipſam cauſam delabitur, & primùm eius inconſtantiam accuſat, qui Milonem accuſauerit in concione, in iudicio laudauerit.

XL. Peroratio. SED, vt aliquando audiamus, quàm copioſè ad interrogata reſpondeas, concludam iam interrogationem meam, téque in extremo, pauca de ipſa cauſſa rogabo. Quæro, quæ tanta in te vanitas, tanta leuitas fuerit, vt in hoc iudicio, T. Annium iiſdem verbis laudares, quibus eum laudare & boni viri, & boni ciues conſueuerunt, cùm in eundem nuper ab eadem illa teterrima furia productus ad populum cupidiſſimè falſum teſtimonium dixeris? An erit hæc optio, & poteſtas tua, vt, cùm Clodianas operas, & facinoroſorum hominum, & perditorum manum videris, Milonem dicas, id quod in concione dixiſti, gladiatoribus, & beſtiariis obſediſſe Rempub. cùm autem ad tales viros veneris, non audeas ciuem ſingulari virtute, fide, conſtantiâ vituperare?

EXPLANATIO.

SED VT ALIQVANDO.] Præmunitio quæ recreat auditores ſpe breuitatis, & ad cauſam delabitur.

QVÆRO QVÆ TANTA.] Percunctatio quâ ſyllogiſmus huiuſmodi continetur.

Vanus eſt & leuis, qui eum laudat quem paulò ante vituperauerat.

Sed tu Milonem in iudicio laudas quem vituperaueras in concione.

Ergo vanus es & leuis.

IN HOC IVDICIO.] In hac cauſa qua Sextius de vi accuſatur.

FVRIA.] Publio Clodio, qui inſtar furiæ cuiuſdam turbas in Rep. concitauit.

FALSVM TESTIMONIVM DIXERIS.] Teſtatus eum beſtiariis & gladiatoribus immiſſis diſturbaſſe comitia, quibus lex de meo reditu ferebatur.

AN ERIT HÆC OPTIO.] An poteris ad libidinem tuam modò hoc, modò illud dicere.

CVM OPERAS CLODIANAS.] Hic oſtendit, quod alibi frequenter, non fuiſſe veras & legitimas conciones, quas Clodius ad diſturbandam Rempublicam, & ferendas ſuas leges conuocabat: ſed operas quaſdam & ſeruos ex ergaſtulis eductos, & fœcem è ſentinâ Reip. collectam.

GLADIATORIBVS ET BESTIARIIS.] P. Clodius, vt dicitur in Sextianâ 78. *Gladiatores nouitios, pro expectata ædilitate ſuppoſitos cum ſicariis è carcere emiſſis ante lucem in forum emiſerat.* ad diſturbandam concionem, in qua agebatur de reditu Ciceronis. vim vi repulit Milo. Clodius Milonem accuſauit, quaſi turbaſſet Rempublicam, & quæ ipſe fecerat, obiecit inimico. vide Sextianam. fusè Dionem, & alios.

BESTIARIIS.] Qui ludis publicis cum beſtiis pugnabant.

NOTÆ.

1. ET BONI VIRI, ET BONI CIVES.] Vt videamus quæ ſit inter virum bonum, & bonum ciuem diſtinctio, operæpretium eſt, & ciuis & viri naturam cognoſcere, & delibare pauca ex legibus quibus vterq; obligatur. Cùm, vt ait Ariſtoteles, homo ſit ab ipsâ naturâ factus ad ſocietatem, palàm eſt eum eſſe bonum virum, qui legi naturæ tum erga ſeipſum, tum erga cæteros obtemperet, & erga ſe quidem temperantiam, & fortitudinem, quæ verſantur in cupiditatibus edomandis, erga cæteros iuſtitiam, quæ ius ſuum cuique tribuit, exerceat quibus virtutibus tribus prudentis moderetur. Sed hæc clara ſunt, & paſſim in philoſophorum moralium pulpitis ventilata. Ariſtoteles tertio politicorum, capite tertio, tractat ex profeſſo, ὅτι οὐ τὴν αὐτὴν ἀρετὴν οὐδεὶς ἀγαθοῦ καὶ πολίτου σπουδαίου θετέον. *Eandem boni viri & boni ciuis virtutem non eſſe ſtatuendam.* Sed vt alibi ſæpè, ſic obſcuris vera inuoluit, vt me potiùs intricet quàm extricet. Primam diſtinctionem videmur à fine poſſe deducere. Hominis finem aliis rebus alij metiuntur, adeò, vt Auguſtino teſte, lib. de ciuitate Dei, cap. Varro varias diſſidentéſque ſententias inuenerit. Vulgo tamen Ariſtotelis de beatitudine & fine auctoritas admittitur, qui eam in veritatis contemplatione, & virtute collocauit. 1. moralium ad Nicomachum cap. 7. τὸ ἀνθρώπινον ἀγαθὸν ψυχῆς ἐνέργεια γίγνεται, κατ᾽ ἀρετήν. εἰ δὲ πλείους αἱ ἀρεταί, κατὰ τὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην, ἔτι ἐν βίῳ τελείῳ. *Humanum bonum eſt animæ actio ſecundum virtutem, ſi verò plures ſunt virtutes, ſecundum optimam & perfectiſſimam in vitâ perfecta.* At verò, vt dicitur 3. polit. Τῶν πολιτῶν, καίπερ ἀνομοίων ὄντων ἡ σωτηρία τῆς κοινωνίας ἔργον ἐστί, κοινωνία δ᾽ ἐστὶν ἡ πολιτεία. *Ciuibus, licet diſſimiles ſint, opus eſt conſeruatio communis ſocietatis, Societas verò eſt Reſp.* Plato Reipub. finem ponere videtur, bonam mentem, libertatem, ciuium inter ſe concordiam. τῷ νομοθέτῃ δεῖ τριῶν στοχαζόμενον νομοθετεῖν, ὅπως ἡ νομοθετουμένη πόλις ἐλευθέρα τ᾽ ἔσται καὶ φίλη ἑαυτῇ, καὶ νοῦν ἕξει. *Legiſlatori tria ſpectanda ſunt, vt ciuitas libertatem habeat, vt concordiam, vt bonam mentem.* Ariſtoteles 7. politic. cap. 2. Τοῦ νομοθέτου τοῦ σπουδαίου ἐστὶ θεάσασθαι πόλιν, καὶ γένος ἀνθρώπων καὶ πᾶσαν ἄλλην κοινωνίαν ζωῆς ἀγαθῆς πῶς μεθέξουσι. *Boni legiſlatoris eſt, illud vnum*

intueri quo pacto ciuitas, genus hominum, & quæuis alia ſocietas bonæ vitæ fiat particeps. Cùm igitur, vt paſſim tradunt Philoſophi, idem ſit finis agentis & effecti, idem ſit finis neceſſe eſt legiſlatoris & ciuitatis ipſius legibus conſtitutæ. M. Tullius 5. de Rep. vt ipſe ſe citat lib. 8. ad Atticum, epiſt.

Bonus ciuis. 11. *Vt enim gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, imperatori victoria: ſic huic moderatori Reip. beata ciuium vita propoſita eſt, vt opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit.* Et pro Sextio 98. *Quid eſt igitur propoſitum his Reip. gubernatoribus, quod intueri & quo curſum ſuum dirigere debeant? id quod eſt præſtantiſſimum, maximeque optabile, omnibus ſanis, & bonis, & beatis. Cum dignitate otium. Hoc qui volunt omnes optimates, qui efficiunt, ſummi viri & conſeruatores ciuitatis putantur.* Ex dictis, is bonus ciuis dicendus, qui ſuæ vitæ rationes ad eum finem dirigit, vt quantum in ipſo eſt ciuitas bonam mentem, concordiam, libertatem, bonam & beatam vitam, cum dignitate otium conſequatur.

Bonus vir. ille vir bonus cuius actiones ad naturalem hominis fœlicitatem collineant. Eſt & illa diſtinctio, quòd vt quia vir bonus dicatur, eſſe debeat omnibus virtutum numeris & partibus abſolutus atque perfectus. neque enim virum bonum dixeris qui ſe in voluptatem effuderit, ab iniuſtitiâ temperarit. At boni ciuis appellatio perfectam in omnibus virtutem nòn requirit. nam quemadmodum ſagittarius bonus miles vocari poteſt, etiamſi ex equo pugnare neſciuerit, ſi modo pro virili operam nauat, & victoriam, qui finis duci præſtitutus eſt intuetur: bonus nauigator, qui nauim remis propellere ſcierit, etiamſi clauum regere non poſſit: ita bonus ille ciuis dicendus eſt, qui vel vnum boni ciuis officium, bonum tamen Reip. ſemper & vbique ſpectans èxequitur, licet in aliis muniis non poſſit boni ciuis munus ſuſtinere. Ariſtoteles loco citato. Ὥσπερ οὖν ὁ πλωτὴρ εἷς τις τῶν κοινωνῶν ἐστιν, οὕτω καὶ τὸν πολίτην φαμὲν εἶναι. τῶν δὲ πλωτήρων, καίπερ ἀνομοίων ὄντων τὴν δύναμιν (ὁ μὲν γάρ ἐστιν ἐρέτης, ὁ δὲ κυβερνήτης, ὁ δὲ πρωρεύς, ὁ δὲ ἄλλην τιν᾽ ἔχων, τὴν τοιαύτην ἐπωνυμίαν) δῆλον ὡς ὁ μὲν ἀκριβέστατος ἑκάστου λόγος ἴδιος ἔσται τῆς ἀρετῆς, ὁμοίως δὲ καὶ κοινός τις ἐφαρμόσει πᾶσιν. ἡ γὰρ σωτηρία τῆς ναυτιλίας ἔργον ἐστὶν αὐτῶν πάντων. τούτου γὰρ ἕκαστος ὀρέγεται τῶν πλωτήρων. ὁμοίως τοίνυν καὶ τῶν πολιτῶν καίπερ ἀνομοίων ὄντων, ἡ σωτηρία τῆς κοινωνίας ἔργον ἐστί. *Quemadmodum nauta vnus aliquis eſt eorum qui in ſocietate ſunt, ita & ciuem eſſe dicimus. nautarum verò, quanquam diſſimiles ſint ſecundu potentiam (nam alter eſt remex, alter gubernator, alter proram dirigens, alter alteram huiuſmodi appellationem habens) patet quòd peculiaris erit ratio virtutis, quam vnuſquiſque accuratiſſimè perceperit. Similiter autem & communis quædam ratio virtutis omnibus generatim conueniet. Salus enim & conſeruatio nauigantium commune eſt omnium opus, ad hoc enim vnuſquiſque eorum intendit. Sic igitur & ciuibus licet diſſimiles ſint, opus eſt conſeruatio communis ſocietatis,* &c. Secutus ſum partim Leonardi Aretini verſionem, partim ea mutaui, quibus non videbatur auctoris mentem attingere. Hinc ille concludit. ὅτι μὲν οὖν ἐνδέχεται πολίτην ὄντα σπουδαῖον, μὴ κεκτῆσθαι τὴν ἀρετὴν καθ᾽ ἣν σπουδαῖος ἀνήρ, φανερόν. *Quod igitur fieri poſſit vt ciuis bonus non poſſideat virtutem illam per quam dicitur vir bonus, manifeſtum eſt.* Subdit aliam diſtinctionis huiuſce rationem. Τὴν μὲν τοῦ σπουδαίου πολίτου δεῖ πᾶσιν ὑπάρχειν. οὕτω γὰρ ἀρίστην ἀναγκαῖον εἶναι τὴν πόλιν. τὴν δὲ τοῦ ἀνδρὸς τοῦ ἀγαθοῦ, ἀδύνατον, &c. *Boni ciuis virtutem oportet omnibus ineſſe. Sic enim optimam neceſſe eſt eſſe ciuitatem. at fieri non poteſt, vt boni viri virtus inſit omnibus.* Vide. Alia diſtinctio eſt, quod vir bonus dum ſuis cupiditatibus imperet, neceſſe non eſt vt poſſit aliis imperare. At verò vt paulò pòſt dicitur, Δεῖ δὲ τὸν πολίτην τὸν ἀγαθὸν ἐπίστασθαι καὶ δύνασθαι καὶ ἄρχεσθαι καὶ ἄρχειν. *Neceſſe eſt vt bonus ciuis ſciat & poſſit & imperari, & imperare.* Quamuis ne neceſſarium quidem omninò ſit vt imperare poſſit, dum & bene ſit affectus erga ciuitatem, & legibus ciuilibus obtemperet. nam, vt ait noſter in Sextianâ 97. *Omnes optimates ſunt, qui neque nocentes ſunt, nec naturâ improbi nec furioſi: nec malis domeſticis impediti,* &c. *qui integri ſunt, & ſani, & bene de rebus domeſticis conſtituti?*

ARGVMENTVM.

Oſtendit ſuperiùs Vatinij leuitatem, qui alia in iudicio, alia in concione loqueretur. nunc eum oſtendit in vno eodémque iudicio à ſeipſo diſcrepare, quippe qui Milonem laudet, Sextium accuſet: quorum tamen vna eadémque cauſſa fuit.

XLI. SED cùm T. Annium tantopere laudes, & clariſſimo viro nonnullam, laudatione tua, labeculam aſpergas (in illorum enim numero mauult T. Annius eſſe, quià te vituperantur) verumetiam quæro, cùm in Repub. adminiſtranda T. Annio cum P. Sextio conſiliorum omnium ſocietas fuerit (id quod non ſolùm bonorum, vèrumetiam improborum iudicio declaratum eſt. eſt enim reus vterque ob eandem cauſſam & eodem crimine: alter die dicta ab eo, quem tu vnum improbiorem eſſe, quàm te, numquam ſoles confiteri: alter tuis conſiliis illo tamen adiuuante) quæro quî poſſis eos, quos crimine coniungis, teſtimonio diſiungere?

EXPLANATIO.

SED CVM.] Talem videtur facere ſyllogiſmum.

Non oportet illos teſtimonio diſiungere, quorum cauſſa coniuncta eſt.

Sed Milonis & Sextij cauſſa coniuncta eſt.

Ergo non oportuit Milonem & Sextium teſtimonio diſiungere.

Probat aſſumptionem.

Illorum cauſſa coniuncta eſt, qui eorundem factionibus ob eandem cauſſam & eodem crimine ſunt rei.

Sed tam Milo quàm Sextius Clodij factionibus eodem crimine de vi ſunt rei.

Ergo Milonis & Sextij cauſſa coniuncta eſt.

CLARISSIMO VIRO.] Tito Annio Miloni, nonnullam infamiæ notam inuras dum eum laudas: quaſi ipſius mores tibi viro nefario & viliſſimo placere videantur. Nota tamen proprietatem verborum non dicit, infamiam, non labem, ſed *nonnullam labeculam.* Quaſi tanta eſſet Milonis claritas, vt vix vllas contrahere ſordes, vix poſſet maculis offuſcari.

IN ILLORVM.] Cùm videat Milo te hominem eſſe nequiſſimum, & omnibus flagitiis inquinatum, mauult à te vituperari quàm laudari: nouit enim virtutem ſceleratis hominibus diſplicere.

IN REP. ADMINISTRANDA.] In gerendo tribunatu.

IMPROBORVM.] Tuo, & Clodij iudicio.

ALTER.] Titus Annius Milo reus eſt die dicta à Sexto Clodio: qui tam ſceleratus es & contaminatus, vt quamuis cum omnibus perditis ciuibus ſcelere & improbitate contendas, laudíque ducas ſi nemo te hac in parte ſuperet, eum tamen vnum ex omnibus improbiorem, quàm te nonnunquam ſoleas confiteri. addit *nonnunquam*, quaſi Vatinius ita hanc improbitatis laudem affectet, vix vt ab eo extorqueri poſſit, vt aliquem ſeipſo improbiorem eſſe fateatur.

QVOS CRIMINE CONIVNGIS.] Quorum accuſationem de vi adiuuas & promoues.

TESTIMONIO DISIVNGERE.] Laudare Milonem, Sextium accuſare.

NOTÆ.

CLARISSIMO VIRO.] Vide orationem pro Milone 17. vbi fusè oſtendimus excellentes viros φαιδίμοις, ἀγλαοῖς, ἀειδεικέτοις, ſplendidos, illuſtres nominari. Secutis temporibus, inclinatâ iam ad monarchiam repub. id honoris Imperatorum beneficio conceſſum eſt, vt clariſſimi dicerentur. I.

QVI A TE VITVPERANTVR.] *Vituperare*, vt ait Nonnius, *dicitur vitio dare, tanquam culpæ, vel diſplicentiæ.* Terentius Andria. II. Vituperare.

Nunc quã rem vitio dant, quæſo animaduertite.

& in ſequentibus.

Id iſti vituperant factum.

Porrò non abſimilis eſt oratio Diogenis Cynici epiſtola quadam ad Sinopenſes. Κρεῖττον γὰρ πολὺ διαβάλλεσθαι πρὸς ὑμῶν, ἢ ἐπαινεῖσθαι. *Longè enim ſatius eſt, à vobis vituperari quàm laudari.* Cuius rei reddit rationem Phalaris epiſt. 147. ἐπαινοῦντές γάρ με, διαβάλλειν ἐοίκασι πρὸς τοὺς χρηστοὺς οἱ πονηρότατοι. *Me enim laudantes homines peßimi, vituperare videntur apud bonos.* Philtò Plautinus in Trinummo ſc. Satius eſt ab improbis vituperari quã laudari.

Quo illic de nefariis.

--nam hi mores maiorum laudant,

Eoſdem lutilant, quos collaudant.

Vide de Haruſpic. reſp. 50. de Clodio laudante Pompeium. *Mihi, medius fidius, tum de illius ampliſimâ dignitate detrahere, cùm eum maximis laudibus efferebat, videbatur.* & 52. *Hoc ſtatuo, hunc ſi amicus eſſet Pompeio, laudaturum eum non fuiſſe.*

DIE DICTA.] Pro Milone 37. *Diem mihi, credo, dixerat, multam irrogarat, actionem perduellionis intenderat.* III.

AXIOMATA.

Improbi claris viris nonnullam laudatione ſuâ labeculam adſpergunt.

Optare debemus vt in eorum numero ſimus, qui ab improbis vituperantur.

Teſtis non debet eos, quos eodem crimine coniungit, teſtimonio diſiungere.

ARGVMENTVM.

Non ſolùm Vatinius in eodem iudicio de diuerſis perſonis eandem ob cauſam accuſatis dixit contraria, ſed etiam tantæ leuitatis & inconſtantiæ fuit, vt de eodem Sextio loquens à ſeipſo diſſideret, & in eum de vi teſtimonium diceret, quem de vi accuſandum fuiſſe negauerat.

XLII. EXTREMVM illud eſt, quod mihi abs te reſponderi velim: cùm multa in Albinouanum de præuaricatione diceres, dixeríſne, nec tibi placuiſſe, nec oportuiſſe Sextium de vi reum fieri? quauis lege, quouis crimine accuſandum potiùs fuiſſe? etiam illud dixeris cauſſam Milonis fortiſſimi viri coniunctam cum hoc exiſtimari? quæ pro me à Sextio facta ſint, bonis eſſe grata? Non coarguo inconſtantiam orationis ac teſtimonij tui. quas enim huius actiones probatas bonis eſſe dicis, in eas pluribus verbis teſtimonium dixiſti: quicum autem eius cauſſam periculúmque coniungis, eum ſummis laudibus extuliſti. Sed hoc quæro num P. Sextium, qua lege accuſandum omnino fuiſſe negas, ea lege con-

demnari putes oportere? aut ſi te in teſtimonio conſuli nolis, ne quid tibi auctoritatis à me tributum eſſe videatur, dixeríſne in eum teſtimonium de vi, quem negaris reum omnino de vi fieri debuiſſe?

EXPLANATIO.

CVM MVLTA.] Cùm argueres Albinouanũ præuaricationis, eúmque præuaricari diceres, & cum P. Sextio colludere, quaſi Albinouanus accuſatoris partes ſuſtinens, Sextium de vi accuſaret, quo crimine damnari non poterat.

QVAVIS LEGE.] Sextium tam eſſe innocentem, & à vi alienum, vt quauis potiùs lege, quàm lege Plautia de vi damnari poſſe videretur.

ETIAM DIXERIS.] Dixeríſne eum non magis vim comitiis intuliſſe, quàm Milonem, qui tamen, quòd ſe furoribus Clodij oppoſuiſſet, à viris bonis laudatus eſt.

QVÆ PRO ME.] Siue cùm Tribunus *deſignatus iter ad Cæſarem pro mea ſalute ſuſcepit.* pro Sext. 71. ſiue cùm acceſſit ad cōcionem cùm de meo reditu ageretur. vbi penè à Clodianis occiſus eſt. ibidem 79.

NON COARGVO.] Prætermiſſio oratoria.

QVAS ENIM HVIVS ACTIONES.] Sextij.

QVICVM.] Titum Annium Milonem, cuius cauſſam dicebas cum Sextij cauſsâ eſſe coniunctam, ſummis laudibus extuliſti. *quicum* pro quo cum.

QVA LEGE.] Lutatiâ ſiue Plautiâ de vi publicâ. de qua initio Cœlianæ.

NOTÆ.

I. DE PRÆVARICATIONE.] Marcianus ad S.C. Turpilianum lib. 1. *Calumniari eſt falſa crimina intendere: præuaricari eſt vera crimina abſcondere: tergiuerſari in vniuerſum ab accuſatione deſiſtere.* Vlpianus D. de præuaricatione.

Præuaricatio. *Præuaricator eſt quaſi varicator qui diuerſam partem adiuuat, proditâ cauſâ ſuâ. quod nomen Labeo à varia certatione tractum ait, nam qui præuaricatur, ex vtraque parte conſiſtit: quin immò ex aduerſa.* Quòd iiſdem verbis dixerat. De his qui notantur infamia. l. Athletas. & de verborum ſignificatione, lege 212. *Præuaricatores eos appellamus, qui cauſam aduerſariis ſuis donant, & ex parte actoris in partem rei concedunt: à varicando enim præuaricatores dicti ſunt.*

II. INCONSTANTIAM ORATIONIS.] Modeſtinus D. de teſtibus, l. in teſtim. *Qui aduerſus fidem ſuam teſtationis vacillant, audiendi non ſunt.* Paulus lib. 16. *Qui falsò vel variè teſtimonia dixerunt, vel vtrique parti prodiderunt, à iudicibus competenter prodiderunt.* Notat Gothofredus & alij Iureconſulti, teſtimonia tribus maximè argumentis falſitatis conuinci, vacillatione, varietate, contradictione. Vacillat qui hæſitat in dicēdo teſtimonio, variat qui diſſimilia profert, contradicit qui repugnantia loquitur. quamuis ſi ſtrictè & dialecticè loquamur aliud eſt repugnātia loqui, aliud dicere contraria, aliud contradicere: ſolúſque is contradicit qui idem de eodem, & affirmat, & negat. Quæ tria falſitatis indicia vno inconſtantiæ nomine continentur. Vacillant, &c, vt dicitur in Cœlianâ 15. *titubanter*, & vt in Piſonianâ *labris trementibus* loquuntur, qui ſibi conſcij ſunt falſitatis, aut etiam, vt ait Dio Chryſoſtomus in Troicis ὑποταράττουσι, βατταρίζουσι, καὶ ἀσαφῶς λέγουσι. *conturbant, balbutiunt, obſcurè loquuntur.* Vide locum citatum Cœlianæ & mendacium, vt loquitur Demoſthenes de falsâ legatione. τοῦτο ἀποστρέφει τὴν γλῶτταν, ἐμφράττει τὸ στόμα, ἄγχει, σιωπᾶν ποιεῖ. *Hoc linguam auertit, os obſtruit, angit, ſilere facit.* Variant & diſſimilia proferunt. Nam, vt ait Theodoretus 2. de curat. Græc. affect. πολυσχιδεῖς πού τοῦ ψεύδους αἱ ἀτραποί. *mendacij viæ multifariam diuiſæ ſunt.* Sibi contradicunt, & pugnantia loquuntur. Dio in Troicis, τὰ ψευδῆ ἀλλήλοις μάχεται. *falſa ſibi inuicem repugnant.* Inconſtantia orationis ſignum mendacij.

PLVRIBVS VERBIS.] Hoc etiam vanitatis indicium pro Flacco 11. *Græcus teſtis, cum eâ voluntate proceſſit vt lædat, non iuriſiurandi, ſed lædendi verba meditatur, vinci, refelli, coargui putat eſſe turpiſſimum: ad id ſe parat: nihil aliud curat. Itaque non optimus quiſque & grauiſſimus, ſed impudentiſſimus loquaciſſimúſque deligitur.* Item 12. *Qui autem dicit teſtimonium ex noſtris hominibus, vt ſe ipſe ſuſtentat! vt omnia verba moderatur! vt timet ne quid cupidè, ne quid iracundè, ne quid plus, minúſve, quàm ſit neceſſe dicat.* III. Loquacitas ſignum vanitatis.

AXIOMATA.

In dicendo teſtimonio vitanda inconſtantia orationis.

Qua lege quis accuſandus omnino non eſt, ea lege damnari non oportet.

EVENTVS ORATIONIS.

LIB. ad Quintum fratrem ep. 4. *Vatinium à quo palàm oppugnabatur* Sextius, *arbitratu noſtro concidimus, Diis hominibúſque plaudentibus. Quinetiam Paullus noſter cùm teſtis productus eſſet in Sextium, confirmauit ſe nomen Vatinij delaturum, ſi Macer Licinius cunctaretur: & Macer à Sextij ſubſelliis ſurrexit, ac ſe illi non defuturum affirmauit. Quid quæris? homo petulans & audax Vatinius valdè perturbatus debilitatúſque diſceſſit.* Poſtmodùm tamen, vt ex epiſtola nona lib. 1. ad familiares videre eſt, adnitentibus Cæſare & Pompeio, in gratiam cum Vatinio Prætore rediit Orator, eúmque tam enixè publico iudicio defendit, vt eius defenſio inter præcipuas Ciceronis orationes à Cornelio Tacito ſiue Quintiliano de cauſſis corruptæ eloquentiæ cenſeatur.

IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO MARCO COELIO

PRÆFATIO.

QVOD apud Plutarchum Marcus Tullius, M. Craſſum quem pridiè impensè laudauerat, vituperans, ioco dixit ſe tam ieiunam laudationis materiam priùs elegiſſe, vt in ſterili & infæcundo ſolo orationis ſuæ vim & vbertatem oſtenderet, id à nobis ipſa veritas extorquet, vt de hac Cælij defenſione, quam explanandam ſuſcepimus, dicendum eſſe fateamur. Neque enim gubernator ille magnopere laudandus eſt, cuius ductu nauis longe à Caphareis ſaxis, vt Afer ille loquitur, nullis depugnata turbinibus, nullis quaſſata decumanis, obſecundante fortunâ, adulante flatu, labente curſu, lætante comitatu, nautis ouantibus, ad portam ſecura peruenerit; neque viator qui per apertam planitiem nullis ſentibus interclusam, nullis fluuiorum anfractibus & Meandris impeditam, nullis decurſibus lubricam, nullis ſaxetis asperam, ſine prolapſione curſitarit: neque Imperator qui nullis obſiſtentibus, hoſtium vrbem, nullis foßis cinctam, nullis propugnaculis munitam intrauerit, aut cui, quod de Timotheo inuidi dicebant, dormienti arces in naſſam aut retia fortuna ipſa coniecerit: neque medicus qui ægrotum aut paronyciâ, aut leui febriculâ tentatum ſine cunctatione ſanauerit: aut orator, qui cauſam nullis difficultatibus inuolutam, nullis implicatam tricis, ſuffragante coronâ, fauentibus iudicibus euoluerit: ſed is demum laudatur gubernator, qui in cæcis nubibus & procellis, cùm ſtrident funes, curuatur arbor, gubernacula gemunt, nauem cum vndis fluctibúſque luctantem, ad portum tandem ſubduxerit: is viator qui inter ſcopulos & ſaxa proreptans, inter rugientium fremitus belluarum, inter latronum inſidias, domum nihilominus magnâ celeritate ſe receperit, is Imperator, qui non minùs cum fortuna quàm cum hoſtibus luctatus, inter armorum fremitus. Vbi plurima fuſo Sanguine terra madet, ſtridéntque haſtilibus auræ. Ferro ruperit viam per hoſtes, qua globus ille virûm denſiſſimus, vrget; Is medicus qui naturæ viribus propemodum exhauſtis ægrum depoſitum, tantùm non ex ipſis orci faucibus euocarit: Is orator qui cauſam per ſe obſcuram illuſtrarit dicendo, aut inuidiâ flagrantem popularem effecerit, aut euoluerit implicatam. Quòd ſi qua fuit cauſa inuidiæ oppoſita, ſi vnquam periculoſæ plenum opus altæ tractauit & inceſſit per ignes ſuppoſitos cineri doloſo; Fuit in hac M. Cælij defenſione contra inuidiam, infa-

miámque Ciceroni luctandum. Quantus enim debuit eſſe facultatis, vt ita loquar, oratoriæ funambulus, qui tenuiſsimo defenſionis filo ingrediens, pendente nec tamen lubricante veſtigio, ſic leuis adoleſcentis cauſam conſulari grauitate libraret, ita totam orationem infamiæ metu temperaret. vt nec ad euitandas hominum ſuſpiciones reum deſereret, nec ob rei defenſionem, ipſe in ſuſpicionem aut infamiam laberetur. quòd vt liquidiùs fiat, operæpretium fuerit, ſtatum quæſtionis exponere.

M. Cœlius Rufus Eques Romanus, è Puteolano municipio, adoleſcens acri ingenio præditus, ſumpta virili togâ à Patre ad Ciceronem & Craſſum deductus, tantorum virorum conſortio, ad eloquentiam non mediocrem peruenerat. Sed primo, vt fit, adoleſcentiæ æſtu abreptus, ad libidinem petulantiámque inſolentiâ voluptatum, quæ vt noſter non diffitetur, cùm incluſæ diutiùs & primâ ætate compreſſæ atque conſtrictæ fuiſſent ſubitò ſe profuderant, & eiecerant vniuerſa, poſtremò ad Clodiæ nobilis feminæ, quæ poſt mortem Q. Metelli Celeris mariti ſui, iam tum inceſti cum fratre P. Clodio commiſsi ſuſpicione infamis, in omnem ſe libidinem procaciámque meretriciam effuderat, multorúmque adoleſcentum conſuetudine tenebatur, ad huius inquam Clodiæ familiaritatem tanquam ad ſcopulum impactus, dederat occaſionem multarum fabularum. Eodem tempore Neapoli, præſente Cœlio, ſeditio popularis exarſerat, & Alexandrinorum legati Romam miſsi qui de Ptolemæi Regis (qui regno pulſus Romæ opem contra Alexandrinos petebat) crudelitate & auaritiâ quererentur, partim in vrbe, partim in aliis Italiæ locis à ſicariis quibuſdam pecuniâ regiâ ſubornatis fuerant interempti: & Cœlius, ſiue mulieris faſtidio, ſiue aliis de cauſsis, ab illâ Clodiæ familiaritate diſceſſerat. mulier indignans ſtatuit adoleſcentem iudicij tempeſtate percellere. accuſabat eo tempore Cœlius Pollam hominem gratioſum in paucis. Ergo hanc occaſionem mulier nacta, Atratinum Pollæ filium optimæ ſpei adoleſcentem induxit, vt Cœlio nomen deferret. acceſſerunt & alij accuſatores Herennius, Balbus & Publ. Clodius, qui crimina inter ſe partiti ſunt. Criminis intentio in cuius probationem cætera tanquam ad ſcopum collineant, eſt venenum à Cœlio fuiſſe comparatum quo Clodiam extingueret. præcipuum firmamentum (quod omnibus aduerſariis fuit commune) eſt Clodiam aurum Cœlio commodaſſe: ideóque Cœlium Clodiæ mortem inferre voluiſſe, ne aurum reddere cogeretur. Cætera crimina varia fuerunt: dicebatur enim patrem malè tractaſſe: nec municipibus Puteolanis probatus eſſe, matronas attrectaſſe, Senatorem pulſaſſe, ſeditionem Neapoli concitaſſe, Pollæ bona inuaſiſſe, legatis Alexandrinorum necem intuliſſe: quæ accuſationis partes cui potiſsimùm accuſatori commiſſæ fuerint, ſuſpicari magis poſſum, quàm agnoſcere. Additum eſt etiam crimen de impudicitia, quam partem dolet Tullius Atratino bonæ ſpei adoleſcenti fuiſſe commiſſam. quod crimen Atratinus duabus hiſce rationibus probare tentabat. quòd & formoſus eſſet, & Catilinæ familiaris, apud quem erant omnes libidinum illecebræ, & qui adoleſcentum qui ſecum verſabantur, famam & pudorem attriuerat. quibus tribus criminibus videtur idem quartum addidiſſe: de coniuratione nimirùm quaſi propter familiaritatem, quæ ipſi cum Catilinâ fuerat particeps coniurationis fuiſſe. Herennius luxuriam, ſumptus, corruptelam, ambitum, & alia quædam obiecerat. Cœlius duos ſibi patronos adſciuit Craſſum & Ciceronem. Craſſus egit de ſeditionibus Neapolitanis, de Alexandrinorum legatorum pulſatione, de bonis Pollæ, cætera crimina vel non attigerat, vel tantùm obiter perſtrinxerat Cicero, in accuſationis & primæ

criminum

criminum illationis inficiatione verſatur, cæteráque, quæ præterierat Craſſus, accuſationis fundamenta conuellit: alia præcisè negans, vt crimen coniurationis, legatorum cædis, ambitûs, pulſati Senatoris. alia excuſans, vt familiaritatis cum Catilinâ, alia eleuans vt luxuriæ, ſumptuum, libidinis, petulantiæ.

Prima igitur cauſarum conflictio hæc eſt.

Cœlius Clodiæ venenum comparauit.

Cœlius Clodiæ venenum non comparauit.

Hinc exoritur quæſtio in ſtatu coniecturali.

Vtrum Cœlius Clodiæ venenum compararit.

Præcipuum fundamentum eſt.

Cœlius aurum à Clodia commodatum acceperat, ideóque eam extinguere conatus eſt ne reddere cogeretur.

Rationem fundamento huic oppoſitam, ſi propriè loqui volumus, non adfert Orator. eius enim quod factum non eſt non oportet reddere rationem.

Tabula generalis & diuiſio orationis pro Cœlio.

- Exordium duobus numeris comprehenſum.
- Confutatio à 3. ad 70.
  - criminum quæ adferebantur deformandi Cœlij cauſsâ, ſpoliandæque dignitatis gratiâ, licet ad cauſſam minùs pertinerent. à 3. ad 25.
  - criminum in quibus cauſſa nitebatur à 25. ad 70.
    - libidinis
    - auri commodati.
    - veneni parati.
- Peroratio à § 70.

M. TVLLII CICERONIS ORATIO PRO MARCO COELIO.

ARGVMENTVM.

Hæc eſt prior pars exordij quod duabus ſectionibus continetur. A tempore ſic inuidiam in aduerſarios concitat, vt tamen excuſet Atratini pietatem. Si quis, inquit, diem conſideret, magnum crimen in iudicio verſari putabit: Si verò rem ipſam penitiùs inſpexeris, nullum crimen, nullum facinus deprehendes, nullam huiuſce iudicij cauſam præter libidinem & odium Clodiæ & Lucij Atratini pietatem.

SI quis, iudices, fortè nunc adſit ignarus legum, iudiciorum, conſuetudinis noſtræ, miretur profectò, quæ ſit tanta atrocitas huiuſce cauſæ, quòd diebus feſtis, ludíſque publicis omnibus negotiis forenſibus intermiſſis, vnum hoc iudicium exerceatur: nec dubitet, quin tanti facinoris reus arguatur, vt eo neglecto, ciuitas ſtare non poſſit. Idem, cùm audiat eſſe legem, quæ de ſeditioſis, conſceleratíſque ciuibus, qui armati ſenatum obſederint, magiſtratibus vim attulerint, Rempubl. oppugnarint, quotidie quæri iubeat: legem non improbet: crimen, quòd verſetur in iudicio, requirat, cùm audiat, nullum facinus, nullam audaciam, nullam vim in iudicium vocari: ſed adoleſcentem illuſtri ingenio, induſtria, gratia, accuſari, ab eius filio, quem ipſe in iudicium & vocet, & vocarit: oppugnari autem opibus meretriciis, Atratini illius pietatem non reprehendat, muliebrem libidinem comprimendam putet, vos laborioſos exiſtimet, quibus otioſis ne in communi quidem otio liceat eſſe.

EXPLANATIO.

IGNARVS LEGVM.] Legis Plautiæ quæ iudicia de vi contra ſeditioſos, &c. iubet exerceri.

DIEBVS FESTIS.] quibus aliarum cauſarum cognitiones conquieſcunt.

LVDISQVE PVBLICIS.] Circenſibus, gladiatoribus, & cæteris huiuſmodi qui ab Ædilibus publicè exhibentur.

VNVM HOC IVDICIVM.] De vi.

NEC DVBITET.] Hæc eſt totius loci ſententia.

Cauſam quæ diebus feſtis agitur, quiuis legum, iudiciorum, conſuetudinis noſtræ ignarus atrocem eſſe iudicabit.

Sed iſta cauſa diebus feſtis agitur.

Ergo quiuis ignarus,&c. *atrocem eam iudicabit.*

IDEM CVM AVDIET.] Superiùs legum, iudiciorum, conſuetudinis fecerat mentionem, iam à ſingulis iſtorum incipit inuidiam in aduerſarios, & erga Cœlium beneuolentiam concitare. ac de lege primò: *Quanto melior eſt lex, tanto ſceleratior eſt qui prætextu legis inſidias innocentibus machinatur.*

Sed optima lex eſt quæ de Senatu obſeſſo, violatis magiſtratibus, oppreſſâ republicâ quotidie, etiam diebus feſtis quæri iubet.

Ergo ſceleratiſſimi ſunt noſtri aduerſarij qui prætextu legis illius Cœlium innocentem accuſant.

CRIMEN QVOD VERSETVR IN IVDICIO.] Inuidiam concitat à iudiciis, quorum tanta erat facilitas, vt nemo repelleretur, qui quouis prætextu alteri crimen intenderet: qua facilitate aduerſarij abuſi ſunt, qui Atratinum impulerunt vt diem Cœlio diceret, quamuis Atratinus eſſet Polæ filius quem Cœlius in iudicium & vocabat & vocauerat, atque adeò tanquã in cauſa ſuſpectus niſi ſumma fuiſſet iudiciorum facilitas, ab accuſatione repelli potuiſſet.

OPPVGNARI OPIBVS MERETRICIIS.] Clodiæ meretricis.

NOTÆ.

I. Dies feſti & profeſti.

DIEBVS FESTIS.] *Feſti diis dicati ſunt. Profeſti hominibus, ob adminiſtrandam rem priuatam publicámque conceſſi. interciſi Deorum hominúmque communes ſunt. Feſtis inſunt ſacrificia, epulæ, ludi, feriæ. Profeſtis, faſti, comitiales comperendini, ſtati præliares.* Hæc Macrobius primo Saturn. cap. 16. quibus vides moris fuiſſe, vt, niſi in certis cauſis iiſque grauiſſimis, cùm feſti ludíque eſſent, ab omnibus negotiis forenſibus abſtinerent. Cicero pro Plancio de ſuis orationibus loquens, *Has*, inquit, *ego ſcripſi ludis & feriis, ne omninò vnquam eſſem otioſus.* & 3. de oratore de Craſſo loquens. *Dici mihi memini ludorum Romanorũ diebus L. Craſſum quaſi colligendi ſui cauſa ſe in Tuſculanum contuliſſe.* Vnde factum eſt vt feriæ à Græcis ἀνοχαὶ dicerentur. Feſtis itaque diebus ludíſque publicis, qui omnes ludi Diis erant conſecrati, ſiquidem, vt ait Saluianus libro 6. de Gubernatione Dei. *Colitur & adoratur Minerua in Gymnaſiis, Venus in Theatris, Neptunus in Circis, Mars in Arenis, Mercurius in Palæſtris,* à priuatis publicíſque litibus ſibi temperabant. (Ludi Diis ſacri.) Quanquam alios etiam fuiſſe dies exiſtimo, qui non reſpectu diuini cultus, ſed negotiorum tantummodo forenſium feriæ dicerentur, quibus ſcilicet aduerſarium ad iudicium cogi non liceret, præſertim meſſium vindemiarúmque tempore, quo tempore adminiſtratione rei familiaris erant occupati. oſtendit Vlpianus D. de feriis l. 1. (Feriæ.) *Ne quis meſſium vindemiarúmque tempore aduerſarium cogat ad iudicium venire, oratione D. Marci exprimitur.* atque, vt notat eodem tit. *D. Traianus Minitio Natali reſcripſit ferias à forenſibus tantùm negotiis dare vacationem: ea autem quæ ad diſciplinam militarem pertinent, etiam feriatis diebus peragenda.* Neque tamen eſt quod quiſquam exiſtimet diebus tantummodo feſtis aut feriis negotia forenſia fuiſſe intermiſſa, ſed etiam diebus nefaſtis. (Nefaſti.) qui nefaſti dies quàm multi fuerint ætate Ciceronis, poſſumus ex Iulio Capitolino in Marci Antonini vitâ aliquo modo ſuſpicari. *Faſtis*, inquit, *dies iudiciarios addidit, ita vt ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibúſque diſceptandis conſtitueret.* Igitur ſi ſubductis rationibus, velimus ſummam facere, reperiemus etiam, tum cùm Marcus Imperator plurimos dies iudiciariis addidiſſet, dies centum triginta quinque partim nefaſtos, partim ludis & feriis occupatos, præter interciſos quorum aliquam partem iudiciis demptam ſibi religio vindicabat. (Interciſi.) vnde autem faſti nefaſtique dies nomen acceperint, aliàs explicandum.

II. Lex Plautia, ſiue Lutatia.

LEGEM QVÆ DE SEDITIOSIS.] Legem Plautiam intelligit quam Catulus Conſul cum P. Plautio Tribuno plebis tulit; cùm Lepidus alter Conſul à Catulo Collegâ diſſideret, eóſque vellet reuocare quos Lucius Sylla, aut proſcripſerat, aut in exilium eiecerat. §. 70. *De vi quæritis, &c. quã legem Q. Catulus armatâ diſſenſione ciuium, reipublicæ extremis temporibus tulit.* Porrò huius legis capita ſatis hoc ipſo loco explicantur, quæ prætermittimus ne actum agere videamur. Tantùm aduerte de vi publicâ accuſatum fuiſſe Cœlium quòd legatos Alexandrinorum pulſaſſe diceretur. Vide Vlpianum D. ad legem Iuliam de vi publica, l. 7.

III. Filius in patris gratiam teſtis idoneus non eſt.

AB EIVS FILIO.] Filius enim in patris gratiam teſtis ſuſpectus eſt. D. de teſtibus. *Teſtis idoneus pater filio, aut filius patri non eſt.* Ita Paulus lib. 1. ad Sabinum. Sed tantùm opinor fuiſſe ſuſpectum adhuc pendente iudicio, quòd non tam veri criminis quàm recriminationis locum obtinere videretur, aliàs enim honeſtum fuit & glorioſum filiis patrum accuſatorem in ius vocare. Dio Caſſius lib. 36. Τοῦ Κόττου τοῦ Μάρκου τὸν μὲν ταμίαν Πούβλιον Ὄππιον ἐπί τε δώροις καὶ ἐπὶ ὑποψίᾳ ἐπιβουλῆς ἀποπέμψαντος, αὐτοῦ δὲ πολλὰ ἐκ τῆς Βιθυνίας χρηματισαμένου, Γάϊον Κάρβωνα τὸν κατηγορήσαντα αὐτοῦ τιμαῖς ὑπατικαῖς, καίπερ δεδημαρχηκότα μόνον ἐσέμνυναν. καὶ οὗτος μὲν τῆς τε Βιθυνίας καὶ αὐτὸς ὕστερον ἄρξας, καὶ μετριώτερον οὐδὲν τοῦ Κόττου πλημμελήσας, ἀντικατηγορήθη ὑπὸ τοῦ υἱέος αὐτοῦ, καὶ ἀντεάλω. πολλῷ γάρ που ῥᾷον ἄλλοις ἐπιτιμῶσί τινες, ἢ ἑαυτοῖς παραινοῦσι, καὶ προθυμότατά γε ἐφ' οἷς τιμωρίας ἀξίους τοὺς πέλας εἶναι νομίζουσιν, αὐτὸν ποιοῦσιν. *M. Cottæ qui quæſtore ſuo Pub. Oppio ob accepta munera & inſidiarum ſuſpicionem dimiſſa, ipſe ex Bithynia magnam pecuniæ vim corraſerat, Accuſatorem C. Carbonem, etſi ſolum geſſerat tribunatum Conſularibus ornamentis decorarunt. Et ipſe quidem, cùm poſteà Bithyniam ſortitus fuiſſet prouinciam, nihilò moderatiùs quàm Cotta eam depeculatus, verſâ vice ab eius filio accuſatus & damnatus eſt. longè enim faciliùs quidam alios reprehendunt, quàm ſeipſos adhortantur, & ea promptiſſimè faciunt quæ in aliis ſupplicio digna arbitrantur.* (Idoneus eſt accuſator in gratiam patris.) Vide dicta pro Sextio 10. *vt iam virilis tua vox.* Et dicenda pro Milone 8. *Patris vlciſcendi.* Et aduerte verba Pauli citata de teſtibus præciſè, non autem de accuſatoribus eſſe capienda. Siquidem teſtis ab omni odij & cupiditatis ſuſpicione immunis eſſe debet, accuſator non ſolùm poteſt, ſed etiam ſolet inimicitias apertè profiteri, licet eas vt plurimum Reipublicæ cauſſâ dicat eſſe ſuſceptas.

OPIBVS MERETRICIIS.] Hæc addidit vt ad indignationem Iudices incitaret. de quo Ariſtoteles 2. Rhetoric. cap. 9. ἔστι τὸ νεμεσᾷν λυπεῖσθαι ἐπὶ τῷ φαινομένῳ ἀναξίως εὐπραγεῖν. *Stomachari eſt grauiter ferre fœlicitatem quæ indigno euenerit.* Subdit, ἐπὶ πλούτῳ καὶ δυνάμει, καὶ τοῖς τοιούτοις. meliùs etiam Cicero ad rem noſtram, 2. de oratore, §. 209. cùm ea protuliſſet quibus inuidia concitatur, ſubdit: *Quæ ſi inflammanda ſunt maximè dicendum eſt, non eſſe virtute parta, deinde etiam vitiis atque peccatis.* Atque hæc cauſa fuit cur meretricias opes hîc ad inuidiam nominaret. Atque iſta meretricum auaritia à Poëtis ſæpe deſcribitur. Vide quæ dicta ſunt in Piſonianam ad illa verba, *profundæ libidines deuoraſſent.* Hinc Lucretius lib. 4. ſub finem inter alia amoris incommoda iſtud enumerat. IV.

(Indignatio, ſiue ſtomachatio quî excitanda.)

Labitur interea res & vadimonia fiunt.

Item:

Scilicet & grandes viridi cum luce ſmaragdi
Auro includuntur, teritúrque Thalaſſina veſtis,
Et bene parta Patrum, fiunt anademata mitra,
Interdum in pallam Melitenſis Coaque vertunt.

(Meretricum auaritia.)

Propertius lib. 3.

Matrona incedit cenſus induta nepotum,
Et ſpolia opprobrij noſtra per ora trahit.

Nulla eſt poſcendi, nulla eſt reuerentia dandi,
Aut ſiqua eſt pretio tollitur ipſa mora.

Perſius ſat. 5.

--an rem patriam rumore ſiniſtro
Limen ad obſcœnum frangam.--

Sed de his ſatis vide loco Piſonianæ. 48. citato meretricem cum gurgite, mari Charybdi, baratro comparari, nunc de multis opulentiſſimas meretrices paucas delibare ſuffecerit, ac primùm vt omittam Floram quæ bona ſua meretricio quæſtu comparata Populo Romano legauit, ea conditione vt Ædiles quotannis ludos ipſi natalitios exhiberent, notum illud de Laïde, quæ vt dicit apud Gellium libro primo noctium Atticarum cap. 8. Phocion Peripateticus. *Grandem pecuniam demerebat*, &c. *Hinc ait natum eſſe illud frequens apud Græcos adagium.*

Οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἐσθ᾽ ὁ πλοῦς.

Non cuiuis homini contingit adire Corinthum. Quod fruſtra iret Corinthum ad Laïdem, qui non quiret dare quod poſceretur. De cuius auaritiâ, vt eſt apud eundem, ſcitè Demoſthenes, ἐγὼ ὠνοῦμαι μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν, *denariûm decem millibus pœnitere non emo.* Quare mirum non fuerit ſi quæſtu meretricio nonnulla etiam mundi miracula conſtructa ſint. de quo Herodotus libro I. qui Clio nominatur. Ἓν δ᾽ ἔργον πολλὸν μέγιστον παρέχεται, χωρὶς τῶν τε Αἰγυπτίων ἔργων καὶ τῶν Βαβυλωνίων. ἔστιν αὐτόθι Ἀλυάττεω τοῦ Κροίσου πατρὸς σῆμα, τοῦ ἡ κρηπὶς μέν ἐστι λίθων μεγάλων, τὸ δ᾽ ἄλλο σῆμα χῶμα γῆς. ἐξειργάσαντο δέ μιν οἱ ἀγοραῖοι ἄνθρωποι, καὶ οἱ χειρώνακτες, καὶ αἱ ἐνεργαζόμεναι παιδίσκαι. οὖροι δὲ πέντε ἐόντες, ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἦσαν ἐπὶ τοῦ σήματος ἄνω. καί σφι γράμματα ἐνεκεκόλαπτο, τὰ ἕκαστοι ἐξειργάσαντο. καὶ ἐφαίνετο μετρεόμενον τὸ τῶν παιδισκέων ἔργον, ἐὸν μέγιστον. τοῦ γὰρ δὴ Λυδῶν δήμου αἱ θυγατέρες πορνεύονται πᾶσαι, συλλέγουσαι σφίσι φερνάς, ἐς ὃ ἂν συνοικήσωσι τοῦτο ποιέουσαι. ἐκδιδόασι δ᾽ αὐταὶ ἑωυτάς. id eſt ſecundum Vallæ verſionem ab Henrico Stephano correctam, *Vnum tamen nobis exhibet multo maximum. præter Ægyptiorum & Babyloniorum opera, ibi enim eſt Alyattis Crœſi Parentis ſepulchrum, cuius baſis è grandioribus eſt lapidibus: reliqua ſepulchri pars terræ aggeſtæ moles eſt. Quod ſepulchrum conſtruxiſſe feruntur, homines circumforanei, atque operarij & vnà cum his adiuuantes ancillæ. cæterum ad noſtram vſque ætatem in tumulo quinque termini ſtabant, quibus litteræ inſculptæ indicant, quæ ſinguli elaborauerint: apparebátque ex menſura ancillarum opus eſſe maximum. Lydorum enim filiæ omnes meretricantur, atque hoc quæſtu tantiſper dotem colligunt dum nupſerint: ſe autem ipſæmet locant.* Atque hunc quidem locum paucioribus attigiſſem, niſi errorem à Valla commiſſum, à Stephano relictum tibi voluiſſem oſtendere. Hæc enim verba, καὶ αἱ ἐνεργαζόμεναι παιδίσκαι vertunt, *& vna cum his adiuuantes ancillæ*, pro *& puellæ quæſtum corpore facientes.* nam ſic vertendum eſſe tum declarat huius ipſius loci ſententia, tum modus loquendi, tam ab ipſo Herodoto quàm ab aliis vſurpatus. ſic enim Herodotus in Euterpe, ἀπικομένη δὲ κατ᾽ ἐργασίην, id eſt, vel ipſo Valla interprete, *quùm eo ad quæſtum faciendum veniſſet.* & Demoſthenes in Neæram ἐργάζεσθαι. eodem ſenſu. Τὴν μὲν αὐτὴν ἐργασίαν οὐδὲν ἧττον, ἢ τὸ πρότερον, εἰργάζετο, τοὺς δὲ μισθοὺς μείζους ἐπράττετο τοὺς βουλομένους αὐτῇ πλησιάζειν. *quæſtum, vt antè faciebat*, &c. Item, καὶ εἰργάζετο τῷ σώματι, ὡς ἑταίρα οὖσα. & ὁπόσαι ἂν ἐργασίᾳ κάθωνται. Sed quoniam Ægyptiorum operum fecimus mētionem, omittendum non eſt quod Plinius libro 35. cap. 16. tradit de pyramidibus. *Minimam ex his ſed laudatiſſimam à Rhodope meretriculâ factam, ne quis Regum opus miretur, Æſopi conſeruâ & contubernali, maiori miraculo tantas opes meretricio eſſe conquiſitas quæſtu.* Hæc ille: quamuis Herodotus libro 2. ab eo planè diſſentiat. Καὶ κάρτα ἐπαφρόδιτος γενομένη μεγάλα ἐκτήσατο χρήματα, ὡς ἂν εἶναι Ῥοδῶπιν, ἀτὰρ οὐκ ὥς γ᾽ ἐς πυραμίδα τοιαύτην ἐξικέσθαι. *Gratioſáque vehementer effecta ingentes opes comparauit, pro Rhodopes quidem conditione, ſed non quæ tantæ pyramidis ſumptus ferre poſſet.* Sed minùs à Plinio diſſentiet, qui Rhodopem factā eſſe Ægyptiorum Reginam audiuerit, quæ res propter mirabilitatem ſui ex Æliano libro 13. variæ hiſtoriæ cap. 13. pluribus verbis referetur. Λουομένης γὰρ καὶ τῶν θεραπαινίδων τὴν ἐσθῆτα φυλαττουσῶν, ἀετὸς καταπτὰς τὸ ἕτερον τῶν ὑποδημάτων ἁρπάσας, ἀπιὼν ᾤχετο, καὶ ἐκόμισεν εἰς Μέμφιν δικάζοντος Ψαμμητίχου καὶ εἰς τὸν κόλπον ἐνέβαλε τὸ ὑπόδημα. ὁ δὲ Ψαμμήτιχος θαυμάσας τοῦ ὑποδήματος τὸν ῥυθμὸν, καὶ τῆς ἐργασίας αὐτοῦ τὴν χάριν, καὶ τὸ πραχθὲν ὑπὸ τοῦ ὄρνιθος, προσέταξεν ἀνὰ πᾶσαν τὴν Αἴγυπτον ἀναζητεῖσθαι τὴν ἄνθρωπον, ἧς τὸ ὑπόδημά ἐστι, καὶ εὑρὼν γαμετὴν ἠγάγετο. *Ipſa lauante & ancillis veſtimenta ſeruantibus, aquila rapiens alterum è calceis auolauit, & ad Memphim vſque delatum in Pſammetichi Regis, qui tum forte iudicabat ſinum coniecit. at Pſammetichus miratus calcei artificioſè elaborati concinnitatem & leporem, & id quod ab aquilâ factum fuerat, per totam Ægyptum mulierem cuius eſſet calceus iuſſit inquiri, & inuentam duxit vxorem.* Ad cuius regnum Plutarchus in Erotico videtur alludere. Sed hæc ſatis παρ᾽ ἔργον. Non tamen omiſerim illud de diuitiis Phrynes meretricis. ex Athenæo lib. 13. Ἐπλούτει δὲ σφόδρα ἡ Φρύνη καὶ ὑπισχνεῖτο τειχιεῖν τὰς Θήβας ἐὰν ἐπιγράψωσιν οἱ Θηβαῖοι· Ἀλέξανδρος μὲν κατέσκαψεν, ἀνέστησε δὲ Φρύνη ἡ ἑταίρα. *Phryne autem diuitiis admodum affluebat, & Thebarum muros ſe refecturam eſſe promiſit, ſi Thebani hoc elogium inſcriberent Alexander euertit, Phryne meretrix reparauit.*

Opes meretriciæ.

Mundi miracula opibus meretriciis effecta.

Rhodope.

AXIOMATA.

Muliebris libido eſt comprimenda.

Valde laborioſi ſunt quibus otioſis ne in communi quidem otio licet eſſe.

ARGVMENTVM.

Priore huius paragraphi parte oſtendit nimiam Clodiæ potentiam & libidinem eſſe comprimendam. poſteriore verò Atratinum M. Cœlij accuſatorem excuſat, vel à pietate, vel à neceſſitate, vel ab ætate.

II. ETENIM ſi attendere diligenter, exiſtimare verò de omni hac cauſa volueritis, ſi conſtituetis, iudices, nec deſcenſurum quemquam ad hanc accuſationem fuiſſe, cui, vtrum vellet, liceret: nec, cùm deſcendiſſet, quidquam habiturum ſpei fuiſſe, niſi alicuius intolerabili libidine, & nimis acerbo odio niteretur. ſed ego Atratino, humaniſſimo, atque optimo adoleſcenti, meo neceſſario, ignoſco, qui habet excuſationem vel pietatis, vel neceſſitatis, vel ætatis. ſi voluit accuſare: pietati tribuo. ſi iuſſus eſt: neceſſitati. ſi ſperauit aliquid: pueritiæ. ceteris non modò nihil ignoſcendum, ſed etiam acriter eſt reſiſtendum.

EXPLANATIO.

NEC DESCENSVRVM.] Nec ad forum & roſtra venturum, vt Cœlium accuſaret.

CVI VTRVM VELLET LICERET.] Niſi aliquâ neceſſitate vel pietatis ad expediendam patris ſalutem, vel præcepti, ad obtemperandum patris Pollæ voluntati, Cœlium accuſare cogeretur.

NEC CVM DESCENDISSET.] Nec cùm ad accuſandum veniſſet ſperaturum fuiſſe innocentis Cœlij damnationem, niſi auxilio niteretur Clodiæ, quæ & acerbo odio Cœlium proſequitur, & intolerabili inuidioſiſſimáque arrogantiâ iudicia ſe ad libidinem ſuam moderari poſſe exiſtimat.

SED EGO ATRATINO.] Vis eſt huius argumenti.

Ignoſcendum eſt illi qui vel pietate, vel neceſſitate, vel ætate ad aliquid faciendum impellitur.

Sed Atratinus vel pietate, vel neceſſitate, vel ætate ad accuſandum Cœlium impellitur.

Ergo eſt ignoſcendum.

Complexio his verbis continetur. *Sed ego Atratino,* &c. *ignoſco.* aſſumptio ſequentibus. *Qui habet excuſationem vel pietatis, vel neceſſitatis vel ætatis.* Sequitur eiuſdem aſſumptionis propoſitio. *Si voluit accuſare; pietati tribuo. ſi iuſſus eſt: neceſſitati. ſi ſperauit aliquid: pueritiæ.* Propoſitio autem ſyllogiſmi tanquam nemini dubia ſubticetur.

CÆTERIS.] Cœlij aduerſariis videlicet Herennio, & Balbo accuſatoribus, & Clodiæ, in cuius gratiam hæc in Cœlium conflata ſunt, qui omnes nullam excuſationem vel pietatis, vel neceſſitatis, vel ætatis, poſſunt ſuo facto prætexere.

NOTÆ.

I. DESCENSVRVM.] Cicer. in diuinatione §. 1. *Subitò nunc mutatâ voluntate ad accuſandum deſcenderim.* quem locum ſic vulgò intelligunt, quia *ex collibus in quibus habitabant ingenui ciues deſcenſus erat in forum vbi cauſæ agebantur.* Quam tu interpretationem cape dum aliud meliùs occurrerit, tamen nec omnes Principes ciuitatis conſtat in collibus habitaſſe, ſiquidem Pompeius & Antonius in Carinis habitarunt, & vix vſpiam reperitur dici quiſquam *ad defendendum deſcendere.* quod, ſi vera eſſet allata ratio dici nihilo ſeciùs potuiſſet: licet id Seneca epiſt. 53. vſurpaſſe videatur. *Si æger eſſes curam intermiſiſſes rei familiaris: & forenſia tibi negotia excidiſſent: nec quemquam tanti putares, cui aduocatus in cauſam deſcenderes.* Ad accuſandū deſcendere.

II. Libido. LIBIDINE.] Libido hîc videtur ſumi pro quadam animi impotentia, quâ quis id omne quod in mentem venerit, ſe perfecturum exiſtimat. nam vt ait Nonnius Marcellus cap. 15. *Libidinem etiam honeſtæ rei poſſumus dicere, vt ſit libido omne quod libuerit. Salluſtius Catilinæ bello: Magíſque in decoris armis & militaribus, quàm in ſcortis atque conuiuiis libidinem habent.* S. Auguſtinus 14. de ciuitate Dei cap. 16. *Cùm igitur ſint multarum libidines rerum, tamen cùm libido dicitur,* nec cuius rei libido ſit additur, non ferè aſſolet animo occurrere niſi illa, qua obſcœnæ partes corporis excitantur.

III. HVMANISSIMO.] Adoleſcenti valde litterato & interiore doctrinâ excultiſſimo. vnde & ſtudia humanitatis, & humaniores litteræ dicuntur.

IV. VEL PIETATIS, &c.] Viſum eſt pauca diſtributionis huiuſce exempla congerere, quæ faciliorem pueris imitationem oſtenderent. Vide Quintianam §. 36. Verrinam 6. §. pro Murenâ §. 9. pro Sextio 3. & 4. in quo genere eſt illa diſtributio, apud Tertullianum pulcherrima in ipſo initio libri de pudicitiâ. *Pudicitia flos morum, honor corporum, decor ſexuum, integritas ſanguinis, fides generis, fundamentum ſanctitatis, præiudicium omnis bonæ mentis: quanquam rara nec facilè perfecta, víxque perpetua: tamen aliquatenus in ſeculo morabitur, ſi natura præſtruxerit, ſi diſciplina perſuaſerit, ſi cenſura compreſſerit.* Diſtributio. Ac vide quemadmodum his tribus, naturâ, diſciplinâ, cenſurâ, licet mutatis interdum vocabulis commoretur. *Siquidem omne animi bonum, aut naſcitur, aut eruditur, aut cogitur. ſed vt mala magis vincunt, quòd vltimorum temporum ratio eſt: bona iam nec naſci licet, ita cor-*

rupta ſunt ſemina: nec erudiri ita deſerta ſunt ſtudia: nec cogi ita exarmata ſunt iura. Et paulò pòſt: *Sed viderit ſeculi pudicitia, cum ſeculo ipſo, cum ſuo ingenio ſi naſcebatur, cùm ſuo ſtudio ſi erudiebatur, cum ſuo ſeruitio ſi cogebatur; niſi quòd infelicior etiam ſi ſtetiſſet, vt infructuoſa, quæ non apud Deum egiſſet. malo nullum bonum quàm vanum. Quid prodeſt eſſe, quod eſſe non prodeſt? noſtrorum bonorum ſtatus iam mergitur, Chriſtianæ pudicitiæ ratio concutitur, quæ omnia de cœlo trahit, & naturam per lauacrum regenerationis, & diſciplinam per inſtrumentum prædicationis, & cenſuram per iudicia ex vtroque teſtamento, & coacta conſtantiùs ex metu & voto æterni ignis & regni.*

v. SI SPERAVIT ALIQVID: PVERITIÆ.] Quia nimirùm

Αἰεὶ δ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες ἠερέθονται,
Οἷς δ' ὁ γέρων μετέῃσιν ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω
Λεύσσει, ὅπως ὄχ' ἄριστα μετ' ἀμφοτέροισι γένηται.
At ſemper iuuenum mens eſt elata virorum,
Si quibus interſit ſenior, ponè adſpicit, atque
Ante oculos, quò res illis bene vertat & ipſi.

vt dicitur Iliados γ' verſu 108. vnde Pindarus, vt referunt Syneſius lib. de inſomniis, & ipſe etiam Plato 1. de Republica, ſpem κουροτρόφον *puerorum altricem* nominabat. ἁυτῷ γλυκεῖα καρδίαν ἀτάλλοισα, κουροτρόφος συναορεῖ ἐλπὶς, ἃ μάλιστα θνατῶν πολυστρόφον γνώμαν κυβερνᾷ. *Dulcis cor vegetans, puerorum altrix ſpes comitatur, quæ maximè mortalium verſatilem mentem gubernat.* Simonides apud Stobæum.

--πάρεστι γὰρ ἐλπὶς ἑκάστῳ
Ἀνδρῶν ἥτε νέων στήθεσιν ἐμφύεται.
Θνητῶν δ' ὄφρα τις ἄνθος ἔχει πολυήρατον ἥβης,
Κοῦφον ἔχων θυμὸν πόλλ' ἀτέλεστα νοεῖ, &c.
--adeſt ſpes vnicuique virorum
Inſita quæ iuuenum pectore multa ſedet.
Et dum læta vires iucundo flore iuuentus
Percurſant animos irrita multa leues.

Duos verſus poſteriores ſumpſi à Buchanano, priores mutaui, vt magis Simonidis mentem exprimerent. Sic & ab Ariſtotele lib. 2. Rhetoricorum cap. 12. iuuenes dicuntur εὐέλπιδες, *bonæ ſpei*, cuius luculentam reddit ipſe rationem. ὥσπερ γὰρ οἱ οἰνωμένοι, οὕτω διάθερμοί εἰσιν οἱ νέοι ὑπὸ τῆς φύσεως, ἅμα δὲ διὰ τὸ μήπω πολλὰ ἀποτετυχέναι, καὶ ζῶσι τὰ πλεῖστα ἐλπίδι. ἡ μὲν γὰρ ἐλπὶς τοῦ μέλλοντός ἐστιν, ἡ δὲ μνήμη τοῦ παρελθόντος. τοῖς δὲ νέοις τὸ μὲν μέλλον, πολύ. τὸ δὲ παρεληλυθὸς, βραχύ· τῇ γὰρ πρώτῃ ἡμέρᾳ μεμνῆσθαι μὲν οὐδὲν οἴονται, ἐλπίζειν δὲ πάντα, &c. Latina verbatim attexerem, niſi præſtaret ipſa S. Thomæ verba exſcribere 1. 2. q. 40. art. 6. in C. *Dicendum*, inquit, *quod iuuentus eſt cauſa ſpei propter tria, vt Philoſophus dicit in 2. Rhetoricorum, & hæc tria poſſunt accipi ſecundum tres conditiones boni quod eſt obiectum ſpei, quod eſt futurum, & arduum & poſſibile*, &c. *Iuuenes enim multum habent de futuro, & parum de præterito: & ideò quia memoria eſt præteriti, ſpes autem futuri, parum habent de memoriâ, ſed multum viuunt in ſpe. Iuuenes etiam propter caliditatem naturæ habent multos ſpiritus, & ita in eis cor ampliatur: ex amplitudine autem cordis eſt, quod aliquis, ad ardua tendat, & ideò iuuenes ſunt animoſi & bonæ ſpei. ſimiliter etiam illi qui non ſunt paſſi repulſam, nec experti impedimenta in ſuis conatibus, de facilè reputant aliquid ſibi poſſibile: & ideo ſunt bonæ ſpei.* Quibus è grauiſſimis auctoribus aduertis, cur excuſationem nimiæ ſpei Marcus Tullius à puerili ætate deduxerit. Eleganter Seneca epiſt. 45. totam oſtendit hominis vitam, non ſolùm adoleſcentis in ſpe conſiſtere. *Recognoſce ſingulos, conſidera vniuerſos. nullius non vita ſpectat in craſtinum. Quid in hoc ſit mali quæris? infinitum. non enim viuunt ſed victuri ſunt: omnia differunt. Etiamſi attenderemus. tamen nos vita præcurreret: nunc verò cunctantes quaſi aliena tranſcurrit, & vltimo die finitur, omni petit.*

Pueri & adoleſcentes ſpe ducuntur.

AXIOMATA.

Datur excuſatio vel pietati, vel neceſſitati, vel ætati.

Pietatis eſt inimicum patris accuſare, neceſſitatis facere quod iubetur, ſperare pueritiæ.

Refutatio criminum.

- De patre qui dicebatur
  - & obſcurus, cùm tamen eſſet eques Romanus. 3.
  - & parum piè tractatus à filio, qui tamen pro filio ſupplicabat. 4.
- De municipibus quibus parum probatus Cœlius dicebatur, qui tamen
  - & magnos honores abſenti Cœlio detulerunt. 5.
  - & legatos ad iudicium cum eius laudatione miſerunt. 5.
- De impudicitiâ à 6. ad 14. cuius probatio petebatur
  - à formâ & pulchritudine Cœlij. 6. quod crimen
    - nec eſt accuſatio, ſed maledictum quod poteſt omnibus formoſis conuenire. 6.
    - nec debuit Atratino formoſo & pudico adoleſcenti committi. 7. 8.
    - & falſum eſt, quia Cœlius ſemper fuit ſub cuſtodiâ
      - Patris.
      - Craſſi.
      - Ciceronis.
  - à familiaritate Catilinæ, quæ nôn adfert ſuſpicionem
    - aut impudicitiæ, quia
      - eo tempore quod aliorum libidini infeſtum eſt, non fuit illi familiaris. 10. 11. 12.
      - multi boni & graues viri Catilinæ ſtuduerunt.
    - aut coniurationis
      - nec fuit natura furioſus.
      - nec egeſtate compulſus.
      - nec vnquam in ſuſpicionẽ vocatus.
      - & cõiurationis accuſauit C. Antonium.
- De ambitu. refutatur. 16.
- De ære alieno & ſumptibus. 17.
- De ſemigratione à patre. 18.
- De pulſato Senatore. 19. & matronis à Cœlio contrectatis. 20. quæ duo confutantur à teſtium leuitate. 21. 22.
- De pulſatis legatis & nece Dionis. 23. 24.

ARGVMENTVM.

Proponit primùm ſe confutaturum eſſe ea quibus accuſatores Cœlio infamiæ notam aſperſerant. quod erat totius accuſationis firmamentum. deinde ad primam confutationis partem delabitur, ac primo quidem agit de Patris Cœlij ſplendore & morum dignitate.

III. AC mihi quidem videtur, Iudices, hic introitus defenſionis, adoleſcentiæ M. Cœlij maximè conuenire, vt ad ea, quæ accuſatores, deformandi huius cauſa, detrahendæ ſpoliandæque dignitatis gratia, dixerunt, primùm reſpondeam. Obiectus eſt pater variè, quòd aut parum ſplendidus ipſe, aut parum piè tractatus à filio diceretur. De dignitate, Cœlius notis, ac maioribus natu etiam ſine mea oratione, tacitus, facilè ipſe reſpondet. quibus autem propter ſenectutem, quò iamdiu minus in foro nobiſcum verſatur, non æquè eſt cognitus, hi ſic habeant: quæcumque in equite Romano dignitas eſſe poſſit, quæ certè poteſt eſſe maxima, eam ſemper in M. Cœlio habitam eſſe ſummam. hodiéque haberi, non ſolùm à ſuis, ſed etiam ab omnibus, quibus potuerit aliqua de cauſſa eſſe notus.

EXPLANATIO.

AC MIHI.] Vt liquidiùs ea quæ ſequuntur intelligas, aduerte ex Thoma-Freigio totam accuſationem hoc ſyllogiſmo fuiſſe comprehenſam.

Qui & patrem habet obſcurum, & eum parum piè tractauit §. 3. & 4. *Qui municipibus non eſt probatus ſuis.* 5. *qui formoſus eſt atque adeò impudicus.* 6. *qui ſtuduit Catilinæ.* 12. *qui particeps fuit coniurationis.* 15. *qui ſe ambitu commaculauit.* 16. *qui ære alieno oppreſſus viuit ſumptuosè.* 17. *Qui à patre ſemigrauit.* 18. *qui Senatorem pulſauit.* 19. *qui Matronas à cœnâ redeuntes attrectauit.* 20. *qui ſeditioſus.* 23 *qui luxurioſus.* 25. *is facile & aurum mutuò ſumpſit, & venenum, ne redderet, comparauit.*

Talis fuit Cœlius.

Aurum ergo facilè mutuum ſumpſit à Clodiâ, & venenum parauit.

Atque ſingulæ partes huius ſyllogiſmi ſuis quæque locis, prout per ſectiones notatæ ſunt, confutantur.

OBIECTVS EST PATER VARIE.] Sic aduerſarij obiecerant.

Adoleſcens obſcuro patre natus facilè in fraudem impellitur.

Sed Cœlius obſcuro loco natus eſt.

Ergo facilè in veneficium impulſus eſt, ne debitum Clodiæ ſoluere cogeretur.

Ad propoſitionem nihil reſpondet orator, negat aſſumptum, ſummámque oſtendit fuiſſe in patre Cœlij dignitatem.

IN MARCO COELIO.] Patre huius Cœlij qui defenditur.

NON SOLVM A SVIS.] A conſanguineis, affinibus & municipibus Puteolanis.

DE DIGNITATE COELIVS NOTIS ET MAIORIBVS.] Reſpondet per diſtributionem. aut nouerunt M. Cœlium Patrem huiuſce, aut non nouerunt illi qui aduerſariorum Cœlio ab obſcuritate generis labem aſpergere conantur, calumnias audierunt, ſi nouerunt ipſum non opus habent mea oratione, cùm Cœlius ipſe vitæ ſuæ ſplendore reſpondeat: ſi non nouerunt, aliis credant, qui cum eo verſati ſunt, aſſerentibus in eo ſummam eſſe dignitatem.

NOTIS ET MAIORIBVS.] Notis qui ipſum nouerunt. maiorum autem facit mentionem, quia iampridem foro aberat, & ab iis ſolùm cognoſci poterat qui ætate prouectiores eum in foro videre potuiſſent.

NOTÆ.

INTROITVM CAVSÆ.] Notum eſt orationem cum ædificio, exordium cum veſtibulo & introitu comparari. Pindarus Olymp. Ode 6. Strophe 1. 1.

Χρυσέας ὑποστάσαντες εὐ-
τειχεῖ προθύρῳ θαλάμου
Κίονας, ὡς ὅτε θαητὸν μέγαρον
Πάξομεν· ἀρχομένου δ' ἔργου πρόσωπον
Χρὴ θέμεν τηλαυγές.
Aureas ſupponentes
Valido veſtibulo domus
Columnas, velut cùm præclaras ædes
(Extruimus) compingemus, incipiente
Autem opere frontiſpicium oportet
Facere præfulgidum.

Bacchilides in Pæanibus apud Theodoretum: Οὐδὲ γὰρ ῥᾷστον ἀρρήτων ἐπέων πύλας ἐξευρεῖν. *Neque enim facillimum eſt arcanorum ſermonum ianuas inuenire.* quod refert etiam Clemens Alexandrinus 5. ſtromatum. Ex quo fonte deducta ſunt & illa §. 5. *Videor mihi iecisse fundamenta defenſionis meæ, quæ firmiſſima ſunt, ſi nitamur iudicio ſuorum.* Et illa Pindari Ode 4. Pythiorum Epodo ſexto:

Γραῢν δ' Ἰάσων μαλθακᾷ
Φωνᾷ ποτιστάζων ὄαρον,
Βάλλετο κρηπῖδα σοφῶν ἐπέων.

Placidum autem Iaſon molli voce inſtillans ſermonem, iecit fundamentum ſapientium verborum. Eodem ſenſu Dionyſius Areopagita initium orationis προπύλαιον, *frontiſpicium* nominauit de

Introitus & veſtibulum cauſſæ

Eccleſiaſticâ Hierarchia cap.3.in theoriâ. Ταῦτα μὲν οὖν, ὡς ἔστιν, ἐπὶ τὰ τῶν ἀδύτων προπύλαια καλῶς διατεταγμένα, τοῖς ἀτελέσιν ἔτι πρὸς θεωρίαν αὐτάρκη καταλείποντες, εἰσέλθωμεν ἀπὸ τῶν αἰτιατῶν εἰς τὰ αἴτια, &c. *Hæc igitur, vt dixi, ad ipſorum adytorum introitus inſcripta, iis qui nondum initiati ſunt ad ſpectandum ſufficientia relinquentes, ab effectis ad cauſas veniamus.* Nazarius paneg. Conſtantini: *Verùm vt in magnis domibus interiorem ornatum veſtibula ipſa declarant, ſic nobis venturis ad ingentium virtutum ſtupenda penetralia, debet laudationis ingreſſum, & prædicationis ianuam Roma præbere.*

II. Notus. NOTIS.] Notus hoc loco idem eſt atque gnarus, ſiue qui nouit, non qui cognitus eſt, ad imitationem Plauti, vt

--*Notis prædicas.*

Horatius Sat.1. lib.1.

Non vxor ſaluum te vult, non filius, omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atque puellæ.

Accius Diomede:

Argos me referam, nam hic ſum nobilis
Ne cui cognoſcar noto.

Petronius Satyrico: *Vt quiſque ex notis ignotiſque ad monumentum veniſſet, putaſſet exſpiraſſe ſuper corpus viri pudiciſſimam vxorem.* Libro 3.in Verrem §.19. *Putabam non ſolùm notis, ſed etiam ignotis probatam meam fidem eſſe.* Sicut contra *gnarus* & *ignarus*, cum noto & ignoto confunditur. Nonnius Marcellus: *Ignarum*, &c. *incognitum.* Virgilius 10.Æneidos:

-*ignarum Laurens habet ora Mimanta.*

Salluſtius Iugurthino bello: *Amore humanæ cupiditatis ignara viſendi.* Ouidius:

-*proles ignara parenti.*

Cornelius Tacitus 1. Annalium: *Rumor inceſſerat paucos ante menſes, Auguſtum electis conſciis & comite vno Fabio Maximo Planaſiam vectum ad viſendum Agrippam*, &c. *quod Maximum vxori Martiæ aperuiſſe, illam Liuiæ, quarum id Cæſari.* Sic enim Iuſtus Lipſius Magnum Criticorum lumen emendauit, *C. Nauum id Cæſari.* Gnarus. Ignarus. quod importunè Librariorum manus intruſerat. Sic videtur corrigendum & illud Velleij lib. 2.de Galliis: *penè idem quod totus terrarum orbis ignarum conferunt ſtipendium*, id eſt, *ignotum prius*, non *ignauum*: vt vulgò, quamuis ea lectio poſſit vtcunque tolerari. porro quod audis *Notis* pro *noſcentibus*, id frequenter apud Latinos auctores videre eſt, vt paſſiuis actiua commutent. vnum hic Solini exemplum ſuffecerit cap. 7. *Dionyſius Tyrannus vittatam nauem Platoni obuiam miſit. ipſe cum albis quadrigis egredientem è littore occurrens honoratus eſt.* vide Milonianam, *punitus es.* pro *puniuiſti.*

III. Maiores. MAIORIBVS.] Maiores de ſuperſtitibus non paſſim reperias dictum, ſed de iis qui iampridem diem obierunt, vt illud Iuuenalis:

Dij maiorum vmbris tenuem & ſine pondere terram. Et:
Præter maiorum cineres atque oſſa volucri
Carpento rapitur pinguis Lateranus, &c.

Prouectiores enim ætate non *maiores* ſimpliciter, ſed *maiores natu* nominantur. Porro ſi velimus iſta diſtinguere, cùm etiam de viuis dicuntur, opinor *maiorem natu* dici poſſe vnius ad vnum comparatione, ſi alter alterum vel vno anno ſuperarit. vt -*Alter*

Maior erat natu: non omnia poſſumus omnes. Maior natu.

Maiores verò ſimpliciter non dicuntur, niſi comparatione præſentis hominum ætatis, qui ſcilicet præſentem, quæ viuitur, ætatem alterâ iam ætate præceſſerint, quales in Sextianâ: *grauiſſimos antiquitatis viros* nominauit. Cùm autem hominum ætatem audis, non eſt quòd ſæculum ſiue centum annos intelligas. ætas enim longè breuiori ſpatio continetur, cùm Horatius à bello ciuili Mariano ad ſuam ætatem duas ætates numerarit,

Altera iam teritur bellis ciuilibus ætas. Ætas.

Et Dionyſius in præfatione hiſtoriæ à deuictâ Macedoniâ ad ſuam ætatem, id eſt, ad extrema Auguſti tempora ſeptem ætates: Ὑποχείριον δὲ λαβοῦσα Μακεδονίαν, ἣ τέως ἐδόκει μέγιστον ἰσχύειν κατὰ γῆν, οὐδὲν ἔτι ἀντίπαλον ἔχουσα, οὔτε βάρβαρον φῦλον, οὔθ᾽ Ἑλληνικὸν, γενεὰν ἑβδόμην ἤδη τὴν ἐπ᾽ ἐμοῦ διαμένει παντὸς ἄρχουσα τόπου. *Redactâ in ditionem Macedoniâ, quæ videbatur potentiſſima omnium nationum, iam nullum habens aduerſarium Barbarum aut Græcum, iam à ſeptem ætatibus omnium dominatur.* Sic intellige & illos Homeri verſus de Neſtore 1.Iliados:

Τῷ δ᾽ ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
Ἐφθίαθ᾽ οἵ οἱ πρόσθεν ἅμα τράφεν, ἠδ᾽ ἐγένοντο
Ἐν Πύλῳ ἠγαθέῃ, μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν.
Iam geminam ætatem Pyliis confecit in oris,
Mortales inter, iam tertia degitur ætas.

Vix enim centeſimum adhuc agebat annum, quamuis à nonnullis Latina *triſeclisenex* nominetur. Sic enim illum Heſiodi verſum:

Ἐννέα τε ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη
Ἀνδρῶν ἡβώντων.
Ætates hominum ter vincit garrula cornix
Viuendo.

Hunc inquam verſum, περὶ ἐκλελοιπότων explicans Plutarchus: ἔτη τριάκοντα, inquit, ποιοῦσι τὴν γενεὰν καθ᾽ Ἡράκλειτον. *anni triginta conficiunt ætatem ex Heracliti ſententia.*

AXIOMA.

Dignitas in Equite Romano poteſt eſſe maxima.

ARGVMENTVM.

Sic probat Cœlij patris dignitatem, vt aduerſarios qui indignitatem & obſcuritatem Equiti Romano obiecerunt in inuidiam adducat, cùm præſertim multi & Equites & Equitum filij ſecundum legem à Cottâ latam, tum temporis iudicarent.

EQVITIS autem Romani eſſe filium, criminis loco poni ab accuſatoribus, neque his iudicantibus oportuit, neque defendentibus no- IV.

bis. Nam quod de pietate dixiſtis, eſt quidem iſta noſtra exiſtimatio, ſed iudicium certè parentis. quid nos opinemur, audietis ex iuratis: quid parentes ſentiant, lachrymæ matris, incredibilíſque mœror, ſqualor patris, & hæc præſens mœſtitia, quam cernitis, luctuſque declarat.

EXPLANATIO.

EQVITIS AVTEM ROMANI.] Ex triplici fonte aduerſariorum impudentia, & intolerabilis ſuperbia deducitur. Primò, quòd ignobilitatem & obſcuritatem generis, non tanquam fortuitum aliquid, ſed tanquam verum crimen obiecerint. 2. quòd Equitibus Romanis cauſam cognoſcentibus Equeſtrem dignitatem contempſerint. 3. quòd neque reueriti fuerint Patronum Cœlij Ciceronem, qui cùm eſſet Equitis Romani filius ſummam obtinebat in Republicâ dignitatem, poterátque cum nobiliſſimis quibuſque patriciis de nominis claritate contendere.

NAM QVOD DE PIETATE.] vis eſt in ſyllogiſmo.

Illi non debet obiici impietas, quem & parentes iudicant, & familiares pium exiſtimant.

Sed Cœlium & parentes iudicant, & familiares pium exiſtimant.

Ergò non debet Cœlio impietas obiici.

Propoſitio tamen & Concluſio tanquam notæ ſubticentur.

AVDIETIS EX IVRATIS.] Teſtimonium cum iuramento dicentibus.

SQVALLOR PATRIS.] Qui adeſt huic iudicio ad concitandam miſericordiam ſqualidus & ſordidatus.

NOTÆ.

I. HIS IVDICANTIBVS.] De Iudicibus alio loco plura dicenda ſunt. interim tu conſule Sigonium cap. 17. lib. 1. de antiquo iure Ciuium Romanorum. eo autem tempore, quo hæc habita fuit oratio, Equites cum Senatoribus iudicabant, ſecundum legem à Lucio Cottâ latam in primo Pompeij & Craſſi Conſulatu. Velleius 2. *Cotta iudicandi munus, quod C. Gracchus ereptum Senatui ad equites, Sylla ab illis ad Senatum tranſtulerant, æqualiter inter vtrumque ordinem partitus eſt.* Equitis igitur Romani eſſe filium criminis loco poni non oportuit, his iudicantibus, quia, vt ait Cicero 2. de oratore. §. 245. Iudicum in iocis & maledictis vitanda eſt offenſio. libet verba aſſcribere, *Ne quotieſcunque potuerit verbum dici, neceſſe habeamus dicere. Puſillus teſtis proceſſit. Licet, inquit, rogare, Philippus? Tum quæſitor properans, modò breuiter. Hic ille, non accuſabis, perpuſillum rogabo. Ridiculè. Sed ſedebat Iudex Lucius Aurifex, breuior etiam quàm ipſe teſtis, omnis eſt riſus in Iudicem conuerſus: viſum eſt totum ſcurrile iudicium. Ergo hæc quæ cadere poſſunt in quos nolis, quamuis ſint bella, ſunt tamen ipſo genere ſcurrilia.* Bene autem Quintilianus libro 11. inſtitutionum oratoriarum cap. 1. hunc in locum iſta annotauit. *Defenditur enim aliquatenus ætate, dignitate, auctoritate: quæ tamen vix in vllo tanta fuerint, vt non hoc affirmationis genus temperandum ſit aliquâ moderatione, ſicut omnia in quibus Patronus argumentum ex ſe ipſo petet. Quod fuiſſet tumidius, ſi criminis loco eſſe negaſſet Cicero, Equitis Romani eſſe filium ſe defendente: illi fecit hoc etiam fauorabile, coniungendo cum iudicibus dignitatem ſuam: Equitis autem Romani eſſe filium criminis loco poni ab accuſatoribus, neque his iudicantibus oportuit, neque defendentibus nobis.* hæc ille. Quod autem ait *his*, vt id hoc loco breuiter moneamus, nota hanc particulam ſæpè honoris cauſa vſurpari, vt in Vatinium 1. §. *Feciſſem id quod & his vehementer placebat.* & alibi ſæpiſſimè. Virgilius 6. Æneidos:

Iudicia Equitibus communicata.

Vitanda iudicum offenſio.

Hic vir hic eſt, tibi quem promitti ſæpius audis.

Perſius:

At pulchrum eſt digito monſtrari & dicier Hic *hic eſt.*

Sicut contrà pronomen *iſte* ad contemptum frequenter vſurpatur. Sic crebrò gentiles compellat Arnobius. vt lib. 2. aduerſus gentes: *Interea tamen, ô iſti, qui admiramini qui ſtupetis doctorum & philoſophiæ ſcita, ita non iniuſtiſſimum ducitis inequitare (illudere) tanquam ſtulta nobis & bruta dicentibus.* quo loco verbum illud *illudere* facilè crediderim eſſe gloſſema quod à margine in textum irrepſerit. *illudere* enim eſt tantum explicatio eius quod dictum eſt *inequitare*.

NAM QVOD.] Nota vſum huius particulæ in tranſitionibus frequentem, proximâ ſectione: *nam quòd eſt obiectum municipibus eſſe, adoleſcentem non probatum ſuis.* & §. 6. *nam quòd obiectum eſt de pudicitia.* in Vatinium §. 6. *nam quòd mihi diſceſſum obieciſti meum.* & ne te morer paſſim. II.

DE PIETATE.] Dubium non eſt quin pietas τὸ εὐσεβὲς, maximè erga res diuinas eluceat. ſic enim Euthyphron apud Platonem: δοκεῖ τὸ μέρος τοῦ δικαίου εἶναι εὐσεβές τε καὶ ὅσιον τὸ περὶ τῶν θεῶν θεραπείαν, τὸ δὲ περὶ τὴν τῶν ἀνθρώπων τὸ λοιπὸν εἶναι τοῦ δικαίου μέρος. *Pars iuſtitiæ videtur eſſe pietas & ſanctitas, quæ circa diuinum cultum verſatur, reliqua verò iuſtitiæ pars eſſe quæ hominum obſequio continetur.* tamen vt tum alij, tum Cic. multis in locis tradunt, pietas dicitur liberorum in parentes. & ſanè pietas in parentes, cum pietate in Deum ſæpiſſimè comparatur, à qua, ni fallor, & nomen ſortita eſt. Ariſtoteles 8. Ethic. cap. 13. Τὸ δυνατὸν ἡ φιλία ἐπιζητεῖ, οὐδὲ γάρ ἐστιν ἐν πᾶσι. καθάπερ ἐν ταῖς πρὸς τοὺς θεοὺς τιμαῖς ἢ γονεῖς. οὐδεὶς γὰρ τὴν ἀξίαν ποτ᾽ ἂν ἀποδοίη. εἰς δύναμιν δ᾽ ὁ θεραπεύων ἐπιεικὴς εἶναι δοκεῖ. *Quod fieri poteſt id amicitia requirit: neque enim in omnibus vt erga Deos & parentes æquale poteſt reperiri. nemo enim condignum reddere poteſt. ſed qui pro poteſtate eos obſeruat, is demum bonus cenſendus eſt.* & 9. Ethic. cap. 2. ΟΥ ταῦτα πᾶσιν ἀποδοτέον, οὐδὲ τῷ πατρὶ πάντα, καθάπερ οὐδὲ τῷ Διῒ θύεται. *Non eadem omnibus reddenda, neque omnia patri. vt neque Ioui omnes hoſtiæ immolantur.* Item: καὶ τιμὴν δὲ γονεῦσι καθάπερ θεοῖς. *& honorem parentibus vt Diis tribuendum.* Idem Æſchines in Timarchum: οὓς ἐξ ἴσου δεῖ τιμᾶν τοῖς θεοῖς, *quos æquali honore cum Diis obſeruare debemus.* adeóque Plato ſuo more prudenter, cùm III.

Pietas in Deum.

Pietas in parentes.

Deum ſcopum eſſe dixiſſet, 4. de legibus, ad quẽ pietas noſtra collineet: Σκοπὸς μὲν οὖν ἡμῖν οὗτος, οὗ δεῖ στοχάζεσθαι, βέλη δὲ αὐτοῦ καὶ οἷον ἡ τοῖς βέλεσιν ἄφεσις τὰ ποῖ᾽ ἂν λεγόμενα ὀρθότατ᾽ ἂν φέροιτο. *Hic nobis ſcopus eſt ad quem collineare debemus. iacula verò & veluti iaculorum emiſsio, qualis tandem rectiſsimo curſu deferetur?* Móxque cùm honores ſingulis Diis tribuendos expoſuiſſet, quibus quiſque ὀρθότατα τοῦ τῆς εὐσεβείας σκοποῦ τυγχάνει. *certiſsimo ictu pietatis ſcopum attingeret.* Subiecit: Γονέων δὲ μετὰ ταῦτα τιμάς, &c. *Poſt hæc verò parentum honores.* nec ſanè mirum ſi pietas tam erga ſuperos quàm erga parentes nomen vnum inuenerit, cùm, vt idem ait Plato vndecimo de legibus, non minùs cultus Parentibus, quàm Deorum ſtatuis exhibitus in ipſos Deos redũdet, ac proinde ſi pietatis eſt colere Deorũ ſimulachra, nõ minoris erit religionis hunc cultum parentibus exhibere. Πατὴρ δ᾽ ὅτῳ καὶ μήτηρ, ἢ τούτων πατέρες ἢ μητέρες ἐν οἰκίᾳ κεῖνται κειμήλιοι ἀπειρηκότες γήρᾳ, μηδεὶς διανοηθήτω ποτὲ ἄγαλμα αὐτῶν τοιοῦτον ἐφέστιον οἴκημα ἐν οἰκίᾳ ἔχων μᾶλλον κύριον ἔσεσθαι. *Cui pater aut mater eſt, aut eorum parentes, tanquam ſacra depoſita domi ſeruata, iam ſenio confecti, nemo ſe exiſtimet, ſignum vllum aut ſtaturam Deorum domi ſuæ habere potiorem.* Subdit alia pulcherrima probans parentes tanquam viuas ſpirantéſque Deorum imagines eſſe venerandos, quæ tanquam planè tanto philoſopho digna libenter exſcriberem, niſi ex iis nonnulla me §. 11. Vatinianæ proferre meminiſſem, ad quam te remitto. Quæ ſi vera ſunt, nemo mirabitur quod ait ſiue Demoſthenes, ſiue Dinarchus in Ariſtogitonem: Ἐγὼ μὲν γὰρ ἄπιστον καὶ θεοῖς ἐχθρὸν, οὐ μόνον ἀνθρώποις ὑπολαμβάνω τὸν τῶν γονέων ἀμελοῦντα. *Ego verò infidelem & Diis, non ſolùm hominibus inimicum arbitror eum qui parentes neglexerit.* & vt

Parentes Dei ſimulachra.

verbis Xenophontis vtar, Ὡς οὔτ᾽ ἂν τὰ ἱερὰ εὐσεβῶς θυόμενα ὑπὲρ τῆς πόλεως τούτου θύοντος, οὔτε ἄλλο καλῶς καὶ δικαίως οὐδὲν ἂν τούτου πράξαντος. *Neque ſacra piè fieri poſſunt ab eo* (qui parentes neglexerit) *neque aliud honeſtè & iuſtè fieri poteſt.* Nec magis mirabitur, ſi Deos eos à filiis negligi ſæpè permittat, qui parentem Dei viuam & ſpirantem imaginem neglexerint. quales illi fuerunt quorum Ariſtoteles 7. Ethic. cap. 7. facit mentionem. Ὁ ἀπολογούμενος ὅτι τὸν πατέρα τύπτοι. καὶ γὰρ οὗτος, ἔφη, τὸν ἑαυτοῦ κἀκεῖνος τὸν ἄνωθεν, καὶ τὸ παιδίον δείξας, καὶ οὗτος ἐμέ, ἔφη, ὅταν ἀνὴρ γένηται. συγγενὲς γὰρ ἡμῖν· καὶ ὁ ἑλκόμενος ὑπὸ τοῦ υἱοῦ, παύεσθαι ἐκέλευε πρὸς ταῖς θύραις. καὶ γὰρ αὐτὸς ἑλκύσαι τὸν πατέρα μέχρις ἐνταῦθα. *Qui ſe defendebat quòd patrem pulſaſſet. nam & hic, inquit, ſuum ipſius patrem, & ille ſuum, &, filium oſtendens, iſte me verberabit. id enim eſt inſitum noſtræ familiæ. & qui trahebatur à filio, eum ad ianuam ceſſare iuſſit, cùm diceret patrem à ſe eo vſque tractum fuiſſe.* vide Caſſiodorum epiſt. 14. lib. 2. *Quid ergo homines facere debebunt, quando & hanc pietatem auibus ineſſe cognoſcunt?* vide. Sic etiam à Pindaro Chiron Ode 6. Pythiorum Achillem mouens inducitur:

Μάλιστα μὲν Κρονίδαν
Βαρύοπαν στεροπᾶν κεραυνῶν τε πρύτανιν
Θεῶν σέβεσθαι
Ταύτας δὲ μή ποτε τιμᾶς
Ἀμείρειν γονέων βίον πεπρωμένον.

Potiſsimùm quidem inter Deos Saturnum grauiſsimum fulgurum fulminúmque dominum venerari: hoc verò nunquam honore priuare parentum vitam fatis datam.

AXIOMA.

De pietate alienorum exiſtimatio eſſe poteſt, ſed iudicium certè parentis.

ARGVMENTVM.

Refutat illam ſyllogiſmi aduerſariorum partem, quâ Cœlium Puteolanis municipibus ſuis minimè probatum eſſe obiecerant, vt ex deprauatis eius moribus teſtimonio totius municipij damnatis, ab eo potuiſſe facilè parari venenum oſtenderent.

NAM, quod eſt obiectum, municipibus eſſe adoleſcentem non probatum ſuis: nemini vnquam præſenti Puteolani maiores honores habuerunt, quàm abſenti M. Cœlio, quem & abſentem in ampliſſimum ordinem cooptarunt, & ea non petenti detulerunt, quæ multis petentibus denegarunt: idémque nunc lectiſſimos viros, & noſtri ordinis, & Equites Roman. cum legatione ad hoc iudicium, & cum grauiſſima, atque ornatiſſima laudatione miſerunt. Videor mihi iecisse fundamenta defenſionis meæ, quæ firmiſſima ſunt, ſi nitantur iudicio ſuorum. neque enim vobis ſatis commendata huius ætas eſſe poſſet, ſi non modò parenti: tali viro, verùm etiam municipio tam illuſtri, ac tam graui diſpliceret. V.

EXPLANATIO.

NAM.] Particula tranſitionibus inſeruiens. ſuperiore §. *Nam quòd de pietate dixiſtis.* Rurſum ſequenti: *Nam quòd obiectum eſt de pudicitiâ.* E quibus vides hanc particulam vſurpari cùm orator non ſolùm proponit obiectionem, ſed etiam ad eam ſeriò confutandam accingitur. quòd ſi obiectionem duntaxat ex aduerſariorum perſona proponet, particulam *atenim* vſurparet. Atenim Cœlius fuit impius in parentes. Atenim ſuis municipibus probatus non fuit. Atenim fuit impudicus.

NEMINI.] Argumentum à repugnantibus hoc modo deducitur.

Qui alicuius mores non probant, ei non deferunt

honores abſenti, & non petenti, quos multis præſentibus & petentibus denegarunt.

Sed Puteolani municipes Cœlium abſentem, & non petentem, in ampliſsimum municipalis Senatus ordinem cooptarunt, quem honorem multis petentibus denegarunt.

Ergo Puteolani municipes Marci Cœlij mores probant.

IN AMPLISS. ORD.] In Senatum municipalem ſiue curiam adlegerunt.

IIDEMQVE NVNC.] Argumentum ex eodem fonte deductum, repugnat enim eos qui mores alicuius improbant, viros lectiſſimos ad eum & defendendũ & ornãdum legatos mittere.

NOSTRI ORDINIS.] Senatorij. multi enim Romani Senatores etiam in municipiis habitabant.

VIDEOR.] Epiphonema eſt per allegoriam ab ædificiis tranſlatam, quo ſummatim colligit quid iam fuerit his duabus ſectionibus aſſecutus.

TAM ILLVSTRI.] Tam celebri, propter portum commodiſſimum, & pene totius orbis terrarum emporium.

NOTÆ.

I. MVNICIPIBVS.] In Piſonem 51. *Neque regio fuit vlla, neque municipium, neque præfectura aut colonia.* quem in locum paucis de municipiorum iure diſſeremus. Vlpianus D. Ad mu-

Municipia. nicipalem l. 1. *Propriè quidem municipes appellantur muneris participes, recepti in ciuitatem vt munus facerent. Sed nunc abuſiuè municipes dicimus, ſuæ cuiuſque ciuitatis ciues, vt puta Campanos, Puteolanos.* E quibus vides de mente Vlpiani Puteolos propriè municipium non fuiſſe, nec ſanè apud Feſtum inter municipia cenſetur. Liuius libro 32. & 34. colonias eo tradit fuiſſe deductas. Sed facilè fuerit rem componere, eadem oppida modò municipia fuiſſe, modò etiam ſui iuris fuiſſe reputanti, vt de his ipſis Puteolis innuitur, 2. agrariâ 85. *Puteolos verò qui nunc in ſuâ poteſtate ſunt, ſuo iure libertatéque vtuntur, totos nouo populo atque aduentitiis copiis occupabunt.* Quid prohibet

Eadem oppida modò municipia, modò coloniæ. igitur dicere Puteolos primò municipium fuiſſe, deinde coloniam, tertiò rurſus municipium, conceſſúmque iis vt ſuis legibus vterentur, omniúmque pópuli Romani munerum participes eſſent, excepto iure ſuffragij. Sed vide quæ in Piſonem 54. ad illa verba, *Placentini municipij*, diſſeremus.

II. IN AMPLISSIMVM ORDINEM.] Sena-

Ordo ampliſſimus. tum. Plinius Iunior lib. 10. ep. 3. *A Diuo patre tuo petieram, vt illum in ampliſsimum ordinem promoueret, ſed hoc votum meum bonitati tuæ reſeruatum eſt, quia mater Romani liberalitatem HS. quadringenties quod conferre ſe filio codicillis ad patrem tuum ſcriptis profeſſa fuerat, nondum ſatis legitimè peregerat.* Nunc illud aduerto multos hunc ampliſſimum ordinem oneri ſibi potiùs duxiſſe, quàm honori. Synesius epiſt. 92. Ὅτι δ' ἐν τοῖς βουλευταῖς, καὶ τὸν ἐμὸν ἀδελφὸν ἀξιοῖς ἀριθμεῖν, ἀλλ' οὐκ ἀπαλείφεις τὴν οἰκίαν ἀπὸ τοῦ πονηροῦ βιβλίου, &c. τοῦτο δ' οὐ κατὰ Θεμιστοκλέα σε φημι ποιεῖν. *Quòd verò in Senatoribus etiam fratrem meum vis numerare, neque familiam omnem ab illo malo libello delendam exiſtimas, &c. in eo dico te Themiſtoclem non imitari.* Cur autem malus ille Senatorum liber ſiue album diceretur, reddit ipſe ep. 38. rationem Ἐπειδὴ γέγονεν ἡγεμών, ἀξιοῦται συντελεῖν, ὥσπερ οἱ νεόβουλοι, καὶ χρυσὸν δι-πλοῦς λειτουργός. *Poſt quàm dux effectus eſt, penſitationes ab eo tanquam à Senatoribus recèns in ordinem cooptatis, & duplicia tributa exiguntur.* Quare id non honoris, ſed pœnæ loco irrogatum fuit. vnde & Sozomenus lib. 1. cap. 8. eos ait à Conſtantino fuiſſe liberatos: Ὅσοι διὰ τὴν εἰς Χριστὸν ὁμολογίαν κατεδικάσθησαν βουλευτηρίοις ἐναριθμεῖσθαι μὴ βουλευταὶ ὄντες πρότερον. *Quicunque cùm priùs Senatores non eſſent, propter Chriſtianæ fidei confeſſionem, de iudicis ſententiâ, ad Senatum damnati fuerant.* Vide lege 7. Codicis Theod. De Epiſcopis & Clericis, eiuſdem Conſtantini reſcriptum ad Valentinũ Conſularem Numidiæ. Sed hoc edictum antiquauit Iulianus, & illorum perſecutorũ veſtigiis inſiſtẽs, clericos iuſſit in Senatũ referri, vt vel hac mulctâ eos à Chriſtianâ fide abduceret, teſte Nicephoro Calliſto lib. 10. cap. 13. Quod liquet vel ex quibuſdam Iuliani ipſius epiſtolis, vt 11. ad Byſantios: Τοὺς βουλευτὰς πάντας ὑμῖν ἀποδεδώκαμεν, καὶ τοὺς πατροκόλους, εἴ τε τὴν Γαλιλαίων ἑαυτοὺς ἔδοσαν θρησκείαν, εἴτ' ὅπως ἄλλως περιεματεύσαντο, διαδρᾶναι τὸ βουλευτήριον, ἔξω τῶν ἐν τῇ μητροπόλει λελειτουργηκότων. *Senatores omnes vobis & patrocolos reddidimus ſiue Galilæorum* (ſic enim impius Chriſtianos appellat) *ſuperſtitionem amplexi ſint, ſiue quouis alio modo Senatum effugerint, exceptis iis qui in metropoli ſumptus erogarunt.* Quo ex loco ni fallor, aduertis, legibus Chriſtianorum Imperatorum, qui Iulianum in imperio præceſſerant, id Chriſtianis, iis præſertim quos religionis cauſſâ, perſecutores in Senatorum municipalium albo ſcripſerant, priuilegium fuiſſe conceſſum, vt ab oneribus Senatoriis eſſent immunes, quod priuilegium Iulianus hac epiſtolâ reuocauit. De his Senatoriis oneribus Ammianus lib. 22. in Iuliano. *Alij querentes ſe conſortiis Curiarum addictos iniuſtè.* Et Zozimus libro 3. de eiuſdem Iuliani in Antiochenos beneficiis loquens: Ὁ δὲ βασιλεὺς βοηθήσας τὰ εἰκότα τῇ πόλει, καὶ πλῆθος πολὺ παραδοὺς βουλευτῶν ἐκ πατέρος εἰς τοῦτο καταγομένων, καὶ ὅτι ὅσοις ἔτυχον τικοῦσαι βουλευτῶν θυγατέρες, ὅπερ ὀλίγαις δεδομένον ἔγνω πόλεσιν. *Imperator verò, cùm, vt par erat, ſubueniſſet ciuitati, & magnam Senatorum multitudinem ei tradidiſſet, non eorum ſolùm qui quòd Senatorum filij eſſent, in Senatum adſcripti ſunt, ſed etiam quos Senatorum filiæ genuerant, quod paucis in vrbibus fieri cognorat.* Locus eſt obſcurior. ſic elucido. Subuenit Antiochiæ Iulianus dum plures inſtituit Senatores, qui penè ſoli ciuitatis ſumptus & onera ſuſtinerent, & vt plures in Senatum allegeret, nõ ſolùm decurionum filios, ſed etiam nepotes quià Senatoribus ſiue Decurioribus per matrem deſcenderant, in ampliſſimum ordinem adoptauit. A quibus tamen oneribus medicos exemit ep. 26. Τὸν τοῦ δικαίου λογισμὸν, συνῳδὰ τοῖς πρόσθεν βασιλεῦσι θεσπίζοντες, ἡμετέρᾳ φιλανθρωπίᾳ κελεύομεν τῶν βουλευτικῶν λειτουργημάτων ἀνενοχλήτους ὑμᾶς τοὺς λοιποὺς χρόνους διάγειν. *Habitâ iuris & æqui ratione, ad imitationem eorum qui nos in imperio præceſſerunt, legem ferentes pro noſtra humanitate iubemus, vt Senatoriis muniis & contributionibus liberi, vitam de cætero tranquillam, & moleſtiis vacuam degatis.* Quæ & alia difficilem reddunt Oratoris noſtri rationem, cur illud honoris & beneuolentiæ ſignum eſſe dicat, quod frequenter in mulctam & pœnam irrogabant. Neque verò eſt quòd quis pro diuerſâ temporum ratione diuerſam fuiſſe putet ordinis ampliſſimi rationem. Maioribus enim oneribus etiam ætate Ciceronis obnoxij Senatores erãt, ſi bene

Curia municipalis oneri potiùs fuit quàm honori.

bene Plinium Iuniorem epiſtolâ libri decimi 113. intelligo. *Lex Pōpeiâ, Domine, qua Bithynij & Pontici vtuntur, eos qui in bulem à cenſoribus leguntur, dare pecuniam nō iubet, ſed iis quos indulgentia tua, quibuſdam ciuitatibus ſuper legitimum numerum adiicere permiſit, & ſingula millia denariorum ex bonis intulerunt.* E quib. libenter inferrem id ſingulare fuiſſe legis Pompeiæ beneficium, quamuis ex eo ipſo alius poſſit inferre contrariū. Quare rem in medio relinquo, dum tamen conſtet Senatores Romæ plus contribuiſſe quàm plebeios æuo Ciceronis. Vide noſtras Notas ad orationem pro Rab. Poſthumo 16. 17. Quare vt rem componamus, in ampliſſimo municipiorum ordine, & dignitas ſpectatur, & munera obeunda, ita tamē vt alterum ab altero poſſit ſeparari. Calliſtratus D. De muneribus & honoribus: *Honor municipalis eſt adminiſtratio Reip. cum dignitatis gradu, ſiue cum ſumptu, ſiue ſine erogatione contingens. munus aut publicum, aut priuatum eſt. publicū munus ducitur, quod in adminiſtrandâ Repub. cum ſumptu ſine titulo dignitatis ſubimus.* de quorum munerum diuiſione operæpretium fuerit videre legem 18. eiuſdem tituli. Horum porro *munerum ciuilium,* vt ait Hermogenianus eodem tit. lege 1. *quædam ſunt patrimonij, alia perſonarum.* de quibus, *Illud tenendum generaliter, perſonale quidem munus eſſe, quod corporibus labore ac vigilantia ſolemniter extitit: patrimonij verò in quo ſumptus maximè poſtulatur.* Hæc porro onera Senatorum magnis commodis compenſabātur, quæ ad filios etiam redundabant. adeò vt ne damnati quidem quæſtioni & torturæ ſubiacerēt. Paulus D. De decurionib. & fil. lege vltimâ. *De decurione damnato non debere quæſtionem haberi Diuus Pius reſcripſit. vnde etiam ſi deſierit decurio eſſe, deinde damnetur: non eſſe torquendum in memoriam prioris dignitatis placet.* Vlpianus eodem l. Qui ad. *Et quidē quantum pertinet ne fuſtibus caſtigetur, & ne in metallum detur, non nocet plebeio patre eſſe natum, ſi poſtea honor decurionis patri eorum acceſſerit.* Expetenda igitur fuit dignitas honoris ampliſſimi, & cōmoda huic dignitati annexa, vt ſportulæ illæ de quib. Papinianus eodem, lege Spurij: *Minores viginti-quinque annorum decuriones facti, ſportulas decurionum accipiunt. ſed interim ſuffragium inter cæteros ferre non poſſunt.* Annexa tamen, vt plurimùm, his commodis onera fuerunt, à quibus exēpti fuerunt à Iuliano Medici, quos, vt præmiſimus, τῶν βουλευτικῶν λειτουργημάτων ἀνενοχλήτους, *Senatoriis contributionibus & muniis liberos effecit.* Quæ immunitas cæteris etiam liberalium artium magiſtris, præter primos litterarios, videtur fuiſſe conceſſa. Modeſtinus D. De muneribus l. Vt gradatim: *Eos qui primis literis pueros inducunt non habere vacationem D. Antoninus reſcripſit.* Vlpianus D. de vacatione l. Sextum. *Qui pueros primas literas docet, immunitatem à ciuilib. muneribus non habent.* Qui videlicet legere docent & pingere primos apices, non qui grammaticam profitentur. Arcadius De muneribus lege vltimâ in fine: *Magiſtris qui ciuilium munerum vacationem habent, item grammaticis & oratoribus, & medicis, & philoſophis ne hoſpitem reciperent, à principibus fuiſſe immunitatem indultam, & Diuus Veſpaſianus, & Diuus Hadrianus reſcripſerunt.* Modeſtinus D. De excuſationibus l. Si duas. *Grammatici, Sophiſtæ, Rhetores, Medici, qui* περιοδευταὶ, *id eſt, circulatores vocantur, quemadmodum à reliquis muneribus, ita & à tutelâ, & à curâ requiem habent.* De philoſophis tamēn lepidum illud, quod notat Papinianus D. De vacatione l. In honoribus: *Philoſophis, &c. tutelas, item munera ſordida corporalia remitti placuit, non ea quæ ſumptibus expediuntur. Etenim verè philoſophantes pecuniam contemnunt, cuius retinendæ cupidine fictam adſeuerationem detegunt.* Ea tamen munera quæ ſumptibus conſtant remiſſa fuiſſe liquet ex l. vltimâ C. De profeſſ. Sed vereor vt iam vltra clepſydram. Summa hæc eſto. multa decurionum commoda fuerunt, onera non pauciora, dignitas etiam & amplitudo. Ea nonnunquam fuerunt à ſe disiuncta & ſegregata, vt mirum non ſit, ſi curiam, quam alij pœnæ loco ducebant, Cicero retulerit ad M. Cœlij dignitatem.

Honores & onera decurionum.

Commoda decurionum.

Profeſſores ab oneribus municipalibus exempti.

NOSTRI ORDINIS.] Quid igitur? an etiam Senatores Romani in municipiis? Paulus D. De Senatoribus: *Senatores, licet in vrbe domicilium habere videantur, tamen & ibi vnde oriundi ſunt, habere domicilium intelliguntur, quia dignitas domicilij adiectionem potiùs dediſſe, quàm permutaſſe videtur.* Hermogenianus D. ad Municipalem. lege Municeps: *Municeps eſſe deſinit Senatoriam adeptus dignitatem quantum ad munera, quantum verò ad honorem retinere creditur originem. Denique manumiſſi ab eo eius municipij efficiuntur municipes vnde originem trahit.* Inter has duas leges viri docti neſcio quam ἀντινομίαν agnoſcunt, ſed facilè conciliantur: neque enim deſinit eſſe municeps ſimpliciter, & habere domicilium in municipio ex quo eſt oriundus, ſed deſinit eſſe municeps quantum ad munera, id eſt, nullis amplius municipalibus muniis obligatur. III.

Senatores in municipiis.

CVM LEGAT. AD HOC IVD.] De legationibus, quæ ad reorum commendationem auctoritate publicâ mitterentur, frequens apud Oratorem mentio. vt pro Flacco 61. *Adſpiciant hunc florem legatorum, laudatorúmque Flacci ex verâ atque integrâ Græciâ.* Verrinâ vltimâ 46. *Dixit Heius princeps ciuitatis, princeps iſtius legationis quæ ad tui laudationem miſſa eſt.* & alibi paſſim. Quanti porro referat ſelectos habere legatos, illud Catonis dicterium in legatos ad Pruſiam miſſos oſtenderit. Εἵλετο τρεῖς ἄνδρας, ὧν ὁ μὲν τὴν κεφαλὴν λίθῳ ποτὲ πληγεὶς ἀσχήμονας ἐπέκειτο ὠτειλάς, ὁ δὲ τοὺς πόδας διέφθαρτο ὑπὸ τοῦ ῥεύματος, ὁ δ' ἠλιθιώτατος ἐνομίζετο εἶναι. ὥστε Κάτωνα τὴν πρεσβείαν ἐπισκώπτοντα εἰπεῖν, τὴν πρεσβείαν ταύτην μήτε νοῦν ἔχειν, μήτε πόδας, μήτε κεφαλήν. Senatus *tres viros legauit, quorum vnus lapide in caput quondam impacto fœdis cicatricibus deformis erat: ſecundus pedes humorum influxu habebat vitiatos: tertius ſtultus eſſe putabatur. Adeò vt Cato vrbano cauillo dixerit illam legationem, neque mentem, neque pedes, nec caput habere.* Appianus in Mithridaticis. IV.

Legationes ad reorum commendationem.

AXIOMATA.

Suis ciuibus ille probatus eſt, cui ea abſenti & non petenti detulerunt, quæ multis præſentibus & petentibus denegarunt.

Satis commendata adoleſcentis ætas eſſe non poſſet, ſi non modò parenti, verùm etiam ciuibus ſuis diſpliceret.

ARGVMENTVM.

Probat exemplo ſuiipſius quanta vtilitas ex commendatione ſuorum in M. Cœlium redundarit. Deinde ad refutationem calumniæ ſe accingens, demonſtrat quænam ſit inter crimen & maledictum diſtinctio.

VI. EQVIDEM, vt ad me reuertar, ab his fontibus profluxi ad hominum famam: & meus hic forenſis labor vitæque ratio dimanauit ad exiſtimationem hominum paulò latiùs commendatione, ac iudicio meorum. Nam, quod obiectum eſt de pudicitia, quódque omnium accuſatorum non criminibus, ſed vocibus maledictíſque celebratum eſt, id nunquam tam acerbè feret M. Cœlius, vt eum pœniteat non deformem eſſe natum. ſunt etenim iſta maledicta peruulgata in omnes, quorum in adoleſcentia forma, & ſpecies fuit liberalis. ſed aliud eſt maledicere, aliud accuſare. accuſatio crimen deſiderat, rem vt definiat, hominem vt notet, argumento probet, teſte confirmet: maledictio autem nihil habet propoſiti, præter contumeliam: quæ ſi petulantiùs iactatur, conuicium: ſi facetius, vrbanitas nominatur.

EXPLANATIO.

AD ME.] Quo defendente ſuperius negaui obiiciendam eſſe M. Cœlio generis obſcuritatem, quod eſſet Equitis Romani filius.

AB HIS FONTIBVS.] A commendatione tum patris mei, tum Arpinatium municipum meorum, tanquam à fonte mea dignitas & exiſtimatio apud homines ſumpſit originem.

FORENSIS LABOR.] Induſtria in perorandis cauſſis forenſibus.

VITÆQVE RATIO.] inſtitutum. quo ab adoleſcentiâ meâ, *omne meum tempus amicorum temporibus tranſmittendum putaui.*

PAVLO LATIVS.] Quàm dimanaſſet, ſi abſque meorum cõmendatione in forum venire, & ibi ciuibus meis operam nauare voluiſſem.

NAM QVOD.] Iam verò vt ad illud aduerſariorum argumentum reſpondeam, quo volunt probare Cœlium eſſe impudicum.

Omnis formoſus eſt impudicus.

Cœlius eſt formoſus. *Ergo,* &c.

ID NVNQVAM.] Etiamſi deridiculè faciant aduerſarij, qui perinde Cœlio formam crimini dant, quaſi integrum ei fuiſſet eligere quali forma naſceretur, nunquam Cœlius tam grauiter feret ſe fuiſſe aduerſariorum calumniis appetitum, vt ſicut culpæ, quàm voluntariè ſuſceperit, ita eum ſuæ pulchritudinis pœniteat.

SVNT ENIM.] Reddit rationem cur nullam in ſe culpam Cœlius agnoſcat, neque eum ſuæ pulchritudinis pœniteat, quia tanti non ſunt aduerſariorum maledicta, cùm poſſint vel pudiciſſimis conuenire.

FORMA.] Naturalis quædam pulchritudo, quæ ex aptâ coloris lineamentorúmque congruentia exiſtit.

SPECIES LIBERALIS.] Facies ad hilaritatem ſuauiter explicata, qualis decet hominem ingenuum & liberaliter educatum.

SED ALIVD.] Ex deſcriptione criminis & maledicti oſtendit hanc aduerſariorum accuſationem non eſſe verum crimen, ſed maledictum de triuio arreptum.

ACCVSATIO CRIMEN DESIDERAT.] Ad accuſationem non ſufficit, vt aliquid generatim dicatur, ſed neceſſe eſt vt definitum, certum ſuíſque circunſtantiis veſtitum crimen proferatur, & quando, quibuſcum, quomodo, quo loco patratum ſit explicetur.

SI PETVL.] Maledictum in duas ſpecies partitur, quæ ſunt conuitium & vrbanitas. vtramque definit hoc modo. *Conuitium & maledictum quod petulantiùs iactatur. Vrbanitas & maledictum quod feſtiuiùs facetiúſque iactatur. Petulantiùs,* id eſt, proteruo quodam impetu, & lædendi alterius cauſſâ crebrò infertur. *Si facetius,* id eſt, interprete Donato: Si tam lepidè támque feſtiuè vt faciat verbis quod vult, vel ſi eum cui maledicit ſic ſuo lepôre & feſtiuitate percellit, vt ille hiſcere contra non poſſit. Atque argumẽtum totius ſectionis poteſt hoc ſyllogiſmo comprehẽdi:

Non eſt crimen, ſed potiùs maledictum quod poteſt omnibus formoſis conuenire.

Sed aduerſariorum obiectio poteſt omnibus formoſis conuenire.

Ergo non eſt crimen, ſed potiùs maledictum.

Cuius ſyllogiſmi ordo in contextu orationis peruertitur. Nam propoſitio poſtremis verbis, *Sed aliud eſt,* &c. *vrbanitas nominatur.* Aſſumptio verbis intermediis, *Sunt enim iſta,* &c. *ſpecies fuit liberalis.* Concluſio ſiue complexio primis illis, *Nam quod obiectum,* &c. *deformem eſſe natum* continetur.

NOTÆ.

DE PVDICITIA.] Vulgatum eſt Iuuenalis: *-Rara eſt adeò concordia formæ* 1.

Atque pudicitiæ.- Sat. 8. quem tu conſule. Propertius lib. 2. eleg. 16.

Formoſis leuitas ſemper amica fuit.

Saltem impudicitiæ & leuitatis opinio. Idem elegiâ 32. eiuſdem libri.

Sed non tu debes inimicæ cedere linguæ.

Semper formoſis fabula pœna fuit.

Non tua deprenſo damnata eſt fama veneno, &c. quibus, vt infrà dicemus, ad hanc ipſam Cœlij cauſſam, & veneni pyxidem videtur alludere. Rara concordia formæ atque pudicitiæ.

Hinc illud apud Laërtium Bionis apophthegma: Ἐὰν δὲ γήμῃς αἰσχρὰν ἕξεις ποινήν· ἐὰν δὲ καλήν, ἕξεις κοινήν. *Si fœdam duxeris, habebis pœnã. Si pulchram, habebis communem, & impudicam.* Seneca pater lib. 2. controuerſiâ primâ. *Sic quæ malam faciem habent, ſæpiùs pudicæ ſunt, non animus illis deeſt, ſed corruptor.* Et alter Seneca 3. de beneficiis, cap. 16. *Argumentum eſt deformitatis pudicitia.* Et eam ob cauſſam, vt verbis vtar Mamertini in gratiarum actione, *Nobilem Hetruriæ adoleſcentem,* Spurinam Valerius appellat lib. 4. cap. 5. *Ferunt cùm propter eximiam formæ dignitatem multarum in ſe fœminarum amores excitaret, faciem ſuam ad obliterandam pulchritudinem ſuam vulneribus ſauciaſſe.* Omitto virginem illam Alexandrinam, de qua Pratũ ſpirituale c. 6. quæ cum ſuorum oculorum pulchritudine captum cuiuſdam adoleſcentis animum intelligeret, illos ipſos ferro ſibi eruit, vt ſuum & illius pudorem ab impudicitiâ liberaret. & adoleſcentem illum de quo Iuſtinus Martyr apologiâ 2. qui libellum dedit Felici Ægypti profecto ἀξιῶν ἐπιτρέψαι ἰατρῷ τοὺς διδύμους αὐτοῦ ἀφελεῖν, vt à Chriſtianis libidinis promiſcuæ famam auerteret.

II. VT EVM POENITEAT.] *Gallus Aſinius & Largius Licinius, cuius liber etiam fertur infando titulo Ciceromaſtix.* (Verba ſunt Gellij lib. 17. Noct. Att. de hoc ipſo loco diſſerentis) Ciceronem, *Non exiſtimant verbo proprio eſſe vſum, quòd ait* POENITEAT, *atque id propè ineptum etiam eſſe dicunt. Nam pœnitere, inquiunt, tum dicere ſolemus, cùm quæ ipſi fecimus, aut quæ de noſtrâ volũtate, noſtróq. conſilio facta ſunt, ea nobis pòſt incipiunt diſplicere, ſententiámque in iis noſtram demutamus, Neminem autem rectè ita loqui pœnitere ſe quòd natus ſit, aut pœnitere, quòd mortalis ſit, aut quòd ex offenſo fortè vulneratóque corpore dolorem ſentiat: quando iſtiuſmodi rerum nec conſilium ſit noſtrum, nec arbitrium, ſed ea ingratis in corporibus noſtris vi ac neceſſitate naturæ nobis accidant, ſicut herclè, inquiũt, non voluntarium fuit M. Cœlio, quali formâ naſceretur, cuius cum dixit non pœnitere: tanquam in eâ cauſâ res eſſet, vt rationem caperet pœnitendi.* Deinde paucis interiectis ſubdit: *Non modò ineptum hoc non eſt, quòd M. Cicero dixit, ſed feſtiuiſſimũ adeo & facetiſſimum eſt. Nam cùm aduerſarij & obtrectatores M. Cœlij, quoniã erat pulchro corpore, formam eius & faciem in ſuſpiciones impudicitiæ accerſerent, illudens Cicero tam abſurdam criminationem, quòd formam, quam natura fecerat, vitio darent, eodem ipſo errore quem illudebat, ſciens vſus eſt: Et non pœnitet, inquit, M. Cœlium non deformẽ eſſe natum, vt vel hac ipsâ re quòd ita dicebat, opprobraret aduerſariis, ac per facetias oſtentaret facere eos deridiculum, quòd perinde Cœlio formam crimini darent, quaſi arbitrium eius fuiſſet, quali forma naſceretur.* Cœlium autem Atratinus Iaſonem Pulchellum vocarat, citat Iacobus, Nicolaus Loënſis lib. 9. epiphyllidum c. 21. Chirium Fortunatianũ Rhetorem in hæc verba, *Etiam illa inter tranſlationes ponimus, quæ non verbis ſed nominib. tranſlatis immutantur, vt cum Atratinus Cælium Pulchellum Iaſonem appellat, & Cicero Clodiam Palatinã Medeam.* vide fusè Loënſem loco citato vbi & Atratinum Sempronium appellat, tum eundẽ Cælium in epiſtolis, tum Dionem ſecutus.

Cic. reprehēſus.

Defenſus.

III. NON DEFORMEM ESSE NATVM.] Operæpretium eſt ex Æſchine contra Timarchum, idem argumentum tractanti quædam excerpere: Εἰ δὲ Τίμαρχος ὡραῖος ἐγένετο, καὶ σκώπτεται τῇ τοῦ πράγματος διαβολῇ, καὶ μὴ τοῖς αὐτοῦ ἔργοις, οὐ δή που διὰ τοῦτ' αὐτόν φησι δεῖν συμφορᾷ περιπεσεῖν. ἐγὼ δ' ὦ Δημόσθενες, &c. *Si verò Timarchus formoſus natus eſt, & non vllius facti criminibus, ſed rei maledictis appetitur, non propterea ipſum oportere ait in calamitatem deuenire.* Subdit: Εἰ γὰρ τὴν τοῦ σώματος εὐπρέπειαν ταύτην τινὲς διαβάλλοντες, συμφορὰν τοῖς ἔχουσι καταστήσουσιν, οὐ ταῦτα κοινῇ ψηφιεῖσθε ἡμᾶς, ἃ καὶ ἰδίᾳ εὔχεσθε. ἄτοπον γὰρ εἶναι, (ὡς δοκεῖν ἑαυτῷ) εἰ τοὺς μὲν υἱεῖς τοὺς μηδέπω γεγονότας ἅπαντες εὔχεσθε, οἱ μέλλοντες παιδοποιεῖσθαι, καλοὺς κἀγαθοὺς τὰς ἰδέας φῦναι καὶ τῆς πόλεως ἀξίους. τοὺς δ' ἤδη γεγονότας, ἐφ' οἷς πρεσβύτης σεμνύνεσθαι τὴν πόλιν, ἐὰν κάλλει καὶ ὥρᾳ διενέγκοντες ἐκπλήξωσί τινας, καὶ περιμάχητοι ἐξ ἔρωτος γένωνται, τούτους (ὡς ἔοικεν) Αἰσχίνῃ πεισθέντες ἀτιμώσετε. *Si enim corporis ſpeciẽ aliqui reprehendentes, eã in formoſorum perniciem conuertent, non iis ſuffragatura eſſe publicè dicent, quæ priuatim optatis. abſurdum enim eſſe putabit, cùm vos omnes, qui liberos tollere vultis, eos nondum natos, pulchros & formoſos, & ciuitate dignos naſci vobis optetis, cùm iam nati fuerint, quib. debebat ciuitas gloriari, à formâ & ſpecie excellentes, quoſdam perculerint, & ad ſui amores incitarint, hos, vt videtur, auctore Æſchine, dedecore afficere.* quibus conuictus rationib. tandem nullã huius argumenti à pulchritudine ducti vim eſſe confitetur. Ἐγὼ δ' οὔτ' ἔρωτα δίκαιον ψέγω, οὔτε τοὺς κάλλει διαφέροντας φημὶ πεπορνεῦσθαι. *Ego verò neque amorem iuſtũ vitupero, neq. excellẽtes pulchritudine impudicè vixiſſe confirmo.* vt enim non decet de pulchritudine gloriari, ita neq. oportet vituperari. malè enim Hector 3. Iliados formam exprobrat.

Pulchritudo crimini non danda.

Δύσπαρι, εἶδος ἄριστε, γυναιμανές, ἠπεροπευτά
Αἴθ' ὄφελες τ' ἄγονός τ' ἔμεναι, ἄγαμός τ' ἀπολέσθαι.
Infœlix Pari formâ præſtantiſſime, effœminate,
deceptor
Vtinam fuiſſes non natus, & nuptiarum expers
periiſſes.

Quo in loco vbi vertit Spondanus interpres *effœminatè*, dixerim *mulierum amore inſaniens.* Sapientiùs Paris verſu 64.

Μή μοι δῶρ' ἐρατὰ πρόφερε χρυσῆς Ἀφροδίτης,
Οὔτοι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα
Ὅσσα κεν αὐτοὶ δῶσιν, ἑκὼν δ' οὐκ ἄν τις ἕλοιτο.
Ne mihi dona amabilia obiice aureæ Veneris
Non abiicienda ſunt Deorũ valdè glorioſa dona,
Quæcunque ipſi dant: volens autem non aliquis
acciperet.

Libet hoc loco nonnulla formæ & pulchritudinis encomia intexere. at primùm vt omittam Platonem in Phædro & Hippia maiore, qui duo dialogi de pulchro inſcripti ſunt, in quorum poſteriore octo pulchri definitiones & ab Hippia proferuntur, & à Socrate refutantur. notum illud Euripidis:

Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος.
Prima quidem ſpecies digna eſt imperio.

Et vt plurium ſententiæ vnum in locum congerantur, Laërtius in Ariſtotele: Τὸ κάλλος παντὸς ἔλεγε ἐπιστολίου συστατικώτερον, οἱ δὲ τοῦτο μὲν Διογένην φασὶν ὁρίσασθαι, αὐτὸν δὲ δῶρον εἰπεῖν εὐμορφίας. Σωκράτη δ' ὀλιγοχρόνιον τυραννίδα. Πλάτωνα προτέρημα φύσεως, Θεόφραστον σιωπῶσαν ἀπάτην, Θεόκριτον ἐλεφαντίνην ζημίαν, Καρνεάδην ἀδορυφόρητον βασιλείαν. *Pulchritudinem dicebat omnibus litteris commendatitiis eſſe potiorem, alij verò id à Diogene dicunt fuiſſe definitum, ab ipſo verò Ariſtotele, donum eſſe formoſitatis. à Socrate, modici temporis tyrannidem, à Platone naturæ primatum, à Theophraſto tacentem fraudem, à Theocrito eburneum damnum, à Carnea-*

Pulchritudo quid?

de regnum non egens ſtipatoribus. Vellem & Xenophon ſuum ſymbolum contuliſſet, ſed à mellitâ eius oratione ſumendum eſt, apud quem Critobulus in Sympoſio: Εἰ δὲ εἰμὶ τι τῶ ὄντι καλὸς, καὶ ὑμεῖς τὰ αὐτὰ πρὸς ἐμὲ πάσχετε οἷά περ ἐγὼ πρὸς τὸν ἐμοὶ δοκοῦντα καλὸν εἶναι, ὄμνυμι πάντας θεοὺς μὴ ἑλέσθαι ἂν τὴν βασιλέως ἀρχὴν ἀντὶ τοῦ καλὸς εἶναι. *Si verò reapſè ſum formoſus, & vos eodem modo erga me affecti eſtis, quo ego erga eum qui mihi videtur facie honeſtâ & liberali: iuro per omnes Deos me Regis Perſarum diuitias meæ pulchritudini non anteferre.* Item: Ἄξιόν γε μὴν εἰπεῖν τοῖς καλοῖς, καὶ ἐπὶ τοῖσδε μέγα φρονεῖν, ὅτι μὴν ἰσχυρὸν πονοῦντα δεῖ κτᾶσθαι τἀγαθὰ, καὶ τὸν ἀνδρεῖον κινδυνεύοντα, τὸν δὲ σοφὸν λέγοντα. ὁ δὲ καλὸς καὶ ἡσυχίαν ἔχων πάντ' ἂν διαπράξαιτο. ἐγὼ γοῦν καί περ εἰδὼς ὅτι χρήματα ἡδὺ κτῆμα, ἥδιον μὲν ἂν τὰ ὄντα Κλεινίᾳ διδοίην, ἢ ἕτερα παρ' ἄλλου λαμβάνοιμι, ἥδιον δ' ἂν δουλεύοιμι, ἢ ἐλεύθερος εἴην, εἴ μου Κλεινίας ἄρχειν ἐθέλοι. καὶ γὰρ πονοίην ἂν ῥᾷον ἐκείνῳ ἢ ἀναπαυοίμην. καὶ κινδυνεύοιμ' ἂν πρὸ ἐκείνου ἥδιον, ἢ ἀκίνδυνος ζῴην. *Pulchris dicendum eſt, vt ob iſta magnos & elatos ſpiritus ſumant, quòd per magnos labores robuſtus, fortis & generoſus per pericula, ſapiens per ſermones bona debeat acquirere, at pulcher quieſcens nihil non efficiat. Ego verò etiamſi ſcio diuitiarum poſſeſſionem eſſe iucundam, iucundiùs meas diuitias Cliniæ dederim, quàm ab aliis acceperim: libentiùs, ſi Clinias meus dominus eſſe velit, ei ſeruierim, quàm ſim liber: libentiùs pro eo me periculis laboribúſque confecerim, quàm vixerim ſine periculis & labore.* Cicero & in partitionibus §.74. & alibi. in corporis bonis, *quæ virtutem maximè ſignificat facillimè forma laudatur.* Eumenius in Panegyrico ad Conſtantinum: *Non fruſtra enim doctiſſimi viri dicunt, naturam ipſam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominis ac decore membrorum colligi poſſe quantus illos cœleſtis ſpiritus intrarit habitator.* Claudius Mamertinus in gratiarum actione ad Iulianum: *Non fruſtra planè opinione ſapientium, qui naturalium momenta cauſarum ſubtiliùs ſciſcitati arcanis cœleſtibus nobiles curas intulerunt, auguſtiſſima quæque ſpecies plurimum creditur trahere de cœlo. ſiue enim diuinus ille animus venturus in corpus dignum priùs metatur hoſpitium, ſiue cùm venerit fingit habitaculum pro habitu ſuo, ſiue aliud ex alio creſcit, & cum ſe parua iunxerunt vtraque maiora ſunt, parcam arcanum cœleſte rimari.* Ac de pulchritudine quidem ſuauiſſimâ eſt Ode ſecunda Anacreontis. vbi pulchritudo data dicitur

Pulchritudo facilè laudatur.

> Ἀντ' ἀσπίδων ἁπασῶν.
> Ἀντ' ἐγχέων ἁπάντων.
> *Pro parmuliſque cunctis.*
> *Pro lanceiſque cunctis.*

Vnde vt eſt apud Euripidis Scholiaſtem: Στησίχορος περὶ τῶν τὴν Ἑλένην καταλεύειν μελλόντων φησὶν, ἅμα τῷ τὴν ὄψιν αὐτῆς ἰδεῖν, ἀφεῖναι τοὺς λίθους ἐπὶ τὴν γῆν. *Steſichorus de iis qui Helenam lapidibus obruturi erant dicit, eos ſimul atque eius vultum intuiti eſſent, demiſiſſe lapides in terram.* Nec Helenæ ſolùm pulchritudo, ſed etiam Phrynæ pro clypeo fuit, de qua ad iudicium vocata Plutarchus in Hyperide: Μελλούσης δ' αὐτῆς ἁλίσκεσθαι παραγαγὼν εἰς μέσον καὶ περιῤῥήξας τὴν ἐσθῆτα ἐπέδειξε τὰ στέρνα τῆς γυναικὸς, καὶ τῶν δικαστῶν εἰς τὸ κάλλος ἀποβλεψάντων ἀφείθη. *Cùm iam iamque damnanda eſſet, eam in medium producens & diſſcindens tunicam pectus mulieris oſtendit, tum iudicibus oculos in eius pulchritudinem intendentibus, dimiſſa eſt & abſoluta.* Quæ eadem vide apud Athenæum libro 13. Iſocrates de laudibus Helenæ ſub finem, τοῖς δὲ καλοῖς εὐθὺς ἰδόντες εὖνοι γιγνόμεθα, καὶ μόνοις αὐτοῖς ὥσπερ τοῖς θεοῖς οὐκ ἀπαγορεύομεν θεραπεύοντες, ἀλλ' ἥδιον δουλεύομεν τοῖς τοιούτοις, ἢ τῶν ἄλλων ἄρχομεν· πλείω χάριν ἔχοντες τοῖς πολλὰ προστάττουσιν, ἢ τοῖς μηδὲν ἐπαγγέλλουσιν, &c. *Formoſis autem è primo ſtatim aſpectu beneuolentia coniungimur, & ſolos eos, quemadmodum Deos, colendo non defatigamur, ſed libentiùs iis inſeruimus, quàm aliis imperauimus: maiorémque illis gratiam habemus, ſi multa imperent, quàm ſi nihil faciendum denuncient.*

Mollit etiam iratos.

Niſi verò etiam ſenes ipſos Helenæ pulchritudo perculſerat, qui ſic 3. Iliados loquuntur.

> Οὐ νέμεσις Τρῶας καὶ ἐϋκνήμιδας Ἀχαιοὺς
> Τοιῇδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν.
> *Non reprehendendũ Troianos & fortes Achiuos*
> *Talem propter mulierem multo tempore labores pati.*

Atenim, vt ait Plutarchus περὶ παίδων ἀγωγῆς. κάλλος περιμάχητον μὲν, ἀλλ' ὀλιγοχρόνιον. *Pulchritudo ſummâ quidem contentione eſt expetenda, ſed momentanea & labilis eſt.* Iſocrat. ad Demonicum: κάλλος μὲν ἢ χρόνος ἀνάλωσεν, ἢ νόσος ἐμάρανε. *forma quidem aut ætate conſumitur, aut morbo defloreſcit.* Gregor. Nyſſ. ὀλιγοχρόνιος τύραννις. Theocritus εἰδυλλίῳ κγ'.

> Καὶ τὸ ῥόδον καλόν ἐστι, καὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει,
> Καὶ τὸ ἴον καλὸν ἐστὶν ἐν εἴαρι, καὶ ταχὺ γηρᾷ.
> Λευκὸν τὸ κρίνον ἐστὶ· μαραίνεται ἁνίκα πίπτῃ,
> Ἁ δὲ χιὼν λευκὰ καὶ τάκεται, ἁνίκα παχθῇ.
> Καὶ κάλλος καλόν ἐστι τὸ παιδικὸν, ἀλλ' ὀλίγον ζῇ. Pulchritudo
> *Pulchra roſa eſt, ſed tempus iam marceſcere cogit.* citò deflo-
> *Verè nitet viola, at ſubito decocta ſeneſcit.* reſcit.
> *Lilia caneſcunt, ſubitóque cadentia marcent.*
> *Candida nix abeunte gelu reſoluta liqueſcit.*
> *Forma etiam puerilis habet decus, at citò tranſit.*

Reſpondet mellitus Xenophõ in Sympoſio: Ἀλλ' οὐδὲ μὴν τοι ταύτῃ γ' ἀτιμαστέον τὸ κάλλος, ὡς ταχὺ παρακμάζον. ἐπεὶ ὥσπερ γε παῖς γίνεται καλὸς, οὕτω καὶ μειράκιον, καὶ ἀνὴρ καὶ πρεσβύτης· τεκμήριον δὲ, θαλλοφόρους τῇ Ἀθηνᾷ τοὺς καλοὺς γέροντας ἐκλέγονται, ὡς συμπαρομαρτοῦντος πάσῃ ἡλικίᾳ κάλλους. *Sed neque ideò contemnenda eſt pulchritudo quòd celeriter defloreſcat, quãdoquidem, quemadmodum puer pulcher, ita & adoleſcens, & vir & ſenex: cuius rei ſignum eſt, quod ramiferi Mineruæ pulchri ſenes eligantur, tanquam pulchritudine ætatem comitante.* vnde & ætatis cuiuſque pulchritudo ab Ariſt. 1. Rhetor. c.5. deſcribitur: Κάλλος δ' ἕτερον καθ' ἑκάστην ἡλικίαν. ἔστι νέου μὲν οὖν κάλλος τὸ πρὸς τοὺς πόνους χρήσιμον ἔχειν τὸ σῶμα, τούς τε πρὸς δρόμον καὶ πρὸς βίαν, ἡδὺν ὄντα ἰδεῖν πρὸς ἀπόλαυσιν. *Pulchritudo diuerſa eſt in vnaquaq. ætate. ac iuuenis quidem pulchritudo eſt ſi ad labores vtile habeat corpus & ad curſum & ad vim cùm iucundus ſit ad voluptatem.* Subdit: Ἀκμάζοντος δὲ πρὸς μὲν πόνους τοὺς πολεμικοὺς, ἡδὺν δ' εἶναι δοκεῖν μετὰ φοβερότητος. *Vigentis verò ſi ad labores bellicos (vtile habent corpus) ac cum terrore iucundus eſſe videatur.* denique: Γέροντος δὲ πρὸς μὲν πόνους τοὺς ἀναγκαίους ἱκανὸν· ἄλυπον δὲ, διὰ τὸ μηδὲν ἔχειν ὧν τὸ γῆρας λωβᾶται. *At ſenis ſi corpus habeat ad labores neceſſarios idoneum, atque indolens, quod nihil habeat eorum quibus ſenectus offenditur.* Vnde fit vt minùs mirer Achillem ab Homero, à Virgilio Turnũ totius exercitus dictos eſſe pulcherrimos, cùm eſſent iidẽ fortiſſimi. Cæterùm ſi quis pulchritudinis deſcriptiones habere deſiderat, vt Latinos, Gallos, Italos Poëtas, vt Petroniũ

Ætatis cuiuſque pulchritudo.

Apuleium ſimiléſque prætermittam, qui ad faſtidium vſque huiuſmodi deſcriptionib. referti ſunt, Calami pueri pulchritudo à Nonno 11. Dionyſiacorum, Bacchi ſub pueri formâ, in hymno qui λῃσαὶ nominatus ab aliis Homero, ab aliis Apollonio Rhodio tribuitur, Adoleſcentium apud eundem Apollonium libro 2. argonauticon verſu 678. & libro 3. verſu 920. apud Nonnum libro 3. Dionyſiacorum ſub finem, & lib. 4. verſu 127. & lib. 10. ver. 179. & apud Muſæum de Leandro verſu 55. deſcriptionem ſanè pulcherrimam. omitto Anacreontem trib. aut quatuor odis, & alios huiuſmodi. atque hæc dicta ſunt vt cauſas oſtenderem, cur propter aduerſariorum calumnias non debuerit Cœlium ſuæ pulchritudinis pœnitere. Addam ex Platone in Conuiuio non eſſe rerum creatarum pulchritudini inhærendum, ſed eũ verum eſſe amatorem qui nouerit ſe à pulchris creatis ad increatum pulchrum attollere.

Pulchritudo diuina. Ἵνα τὸ περὶ τὸ σῶμα καλὸν σμικρόν τι ἡγήσηται εἶναι. ἵνα ἴδῃ αὖ ἐπιστημῶν κάλλος καὶ βλέπων πρὸς πολὺ ἤδη τὸ καλὸν, μηκέτι τὸ παρ' ἑνὶ, ὥσπερ οἰκέτης ἀγαπῶν παιδαρίου κάλλος, ἢ ἀνθρώπου τινὸς, ἢ ἐπιτηδεύματος ἑνὸς δουλεύων φαῦλος ᾖ καὶ σμικρόλογος. ἀλλ' ἐπὶ τὸ πολὺ πέλαγος τετραμμένος τοῦ καλοῦ, καὶ θεωρῶν πολλοὺς καὶ καλοὺς λόγους, καὶ μεγαλοπρεπεῖς τίκτῃ καὶ διανοήματα ἐν φιλοσοφίᾳ ἀφθόνῳ. *Vt corporis pulchritudinem minimum quid arbitretur, vt videat ſcientiarum ſpeciem, & illam iam pulchritudinis copiam reſpiciens, non ampliùs, vt ſeruus pueri forma & pulchritudine allectus, vni aut homini, aut ſtudio ſeruiat animo prauo & imbecillo. ſed ad omnis pulchritudinis pelagus ſe conuertens, & ſpectans multas & pulchras rationes, immò & magnificas, pariat ſuos conceptus exuberante philoſophia.* Et poſt diuinam pulchritudinis diuinæ deſcriptionem ſubiungit. Τοῦτο γὰρ δή ἐστι τὸ ὀρθῶς ἐπὶ τὰ ἐρωτικὰ ἰέναι, ἢ ἀπ' ἄλλου ἄγεσθαι, ἀρχόμενον ἀπὸ τῶνδε τῶν καλῶν ἐκείνου ἕνεκα τοῦ καλοῦ ἀεὶ ἐπανιέναι, ὥσπερ ἐπαναβαθμοῖς χρώμενον. *Hoc eſt rectè ad artem amandi contendere, aut ab alio deduci, incipientem à creatarum rerum pulchritudine, ad ipſum pulchrum, veluti gradibus quibuſdam aſcendere.* His quidem explanatio Ciceronis carere potuiſſet, at animus certè diuinæ pulchritudinis amore carere non debet.

IV. Forma liberalis. FORMA ET SPECIES LIBERALIS.] Terentius in Andria ſc. 1.

-Erat formâ præter cæteras
Honeſtâ & liberali.-

Et in Eunucho actu 3. ſc. 2.

Quàm liberali ſpecie, quàm ætate integrâ.
Ita me Dij ament honeſtius eſt.-

Et actu 4. ſc. 4. *-ille erat*
Honeſtâ facie & liberali.-

Apuleius apologiâ priore ait: *Licere etiam philoſopho eſſe vultu liberali.* Sidonius Apollinaris libro 4. epiſtola 24. *greſſu expeditum, voce liberum, facie liberalem.*

V. ALIVD EST MALEDICERE, ALIVD ACCVSARE.] Τοῦτο γάρ ἐστιν ὁ συκοφάντης αἰτιάσασθαι μὲν πάντα, ἐξελέγξαι δὲ μηδέν. *Hoc enim eſt calumniator, in omnibus accuſare, in nullo conuincere,* ait Demoſthenes contra Eubulidem. quod calumniatoris nomen non aliud propoſitum habentis in ipſum Demoſthenem ab Æſchine περὶ παραπρεσβείας impingitur: Ἔμοιγε νὴ τοὺς θεοὺς οὑτοσὶ δοκεῖ τοῦτο μόνον λογίζεσθαι, ὅπως μεταξὺ λέγων εὐδοκιμήσῃ, εἰ δὲ μικρὸν ἐπισχὼν δόξῃ πονηρότατος τῶν Ἑλλήνων εἶναι, οὐδὲ μικρὸν φροντίζει.

Maledicere, accuſare. *Mihi quidem medius fidius hîc videtur id vnum præ oculis habere vt quamdiu dicit plauſum referat, parum autem curare ſi paulo poſt quàm dicere ceſſarit, Græcorum teterrimus habeatur.* Subdit: Φήμη μὲν οὐ κοινωνεῖ διαβολῇ, διαβολὴ δ' ἀδελφόν ἐστι καὶ συκοφαντία. *Fama verò nullum habet cum calumnia conſortium, calumnia verò & conuitium inter ſe connexa ſunt.* Græcus oratione de Corona: Καί τοι τοῦτο, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἐγὼ λοιδορίαν κατηγορίας τούτῳ διαφέρειν ἡγοῦμαι, τῷ τὴν μὲν κατηγορίαν ἀδικήματ' ἔχειν, ὧν ἐν τοῖς νόμοις εἰσὶν αἱ τιμωρίαι. τὴν δὲ λοιδορίαν βλασφημίας, ἃς κατὰ τὴν αὐτῶν φύσιν τοῖς ἐχθροῖς περὶ ἀλλήλων συμβαίνει λέγειν. *Atqui, Iudices, hoc inter calumniam & accuſationem reor intereſſe, quòd accuſatio crimina deſiderat, quorum pœnæ ſunt legibus conſtitutæ. Calumnia maledicta continet, quæ ſuâ naturâ vltrò citróque obiici ſolent ab inimicis.* Quare à Minutio Felice Octauius Cecilio, qui ex vulgari fama Chriſtianis hoc maledictum aſperſerat. *Poſt multas epulas, vbi conuiuium caluit, & inceſtæ libidinis ebrietate feruor exarſit, canis qui candelabro nexus eſt, iactu offulæ vltra ſpatium lineæ, qua vinctus eſt, ad impetum & ſaltum prouocatur: ſic euerſos extincto conſcio lumine, impudentibus tenebris, nexus infandæ cupiditatis inuoluunt, per incertum ſortis, & ſi non omnes operâ, conſcientiâ tamen pariter inceſti.* Octauius, inquam, ita Cecilio reſpondens inducitur. *Et de inceſto conuiuio fabulam grandem dæmonum concio mentita eſt: vt gloriam pudicitiæ deformis infamiæ auerſione macularet: vt ante exploratam veritatem homines à nobis terrore infandæ opinionis auerteret: ſic de iſto, & tuus Fronto non, vt affirmatur, teſtimonium fecit, ſed conuitium vt orator aſperſit.* Leontinus Gorgias in apologia Palamedis: Οὐδεὶς γὰρ ἂν οὐδεμίαν αἰτίαν κακότητος ἀληθῆ πρὸς ὑμᾶς περὶ ἐμοῦ εἰπεῖν ἔχοι· καὶ γὰρ οὐδ' αὐτὸς ὁ κατήγορος οὐδεμίαν ἀπόδειξιν εἴρηκεν, ὧν εἴρηκεν· οὕτω λοιδορίαν οὐκ ἔχουσαν ἔλεγχον ὁ λόγος αὐτοῦ δύναται. *Nullus enim vllum ſceleris verum crimen de me apud vos proferre queat: neque ipſe accuſator vllam protulit probationem eorum quæ obiecit: ſic aliud nihil eſt eius oratio, quàm argumentis & probationibus carens maledictum.*

CONVICIVM.] Diximus ex Feſto Pompeio conuicium, *Immutatâ litterâ dici quaſi conuocium.* VI. Conuitium. Seneca epiſtola 56. *Tunc ergo te ſcito eſſe compoſitum, cùm ad te nullus clamor pertinebit, cùm te nulla vox tibi excutiet, non ſi minabitur, non ſi inani ſono varia circumſtrepet. Quid ergo? non aliquando commodius eſt carere conuicio? fateor.* Et Quintilianus epiſt. ad Tryphonem bibliopolam aſſiduas preces conuicium nominauit, *efflagitaſti quotidiano conuicio*, &c. Cæterùm ex hoc loco maledictum genus eſſe, conuicium verò ſpeciem ſub eo genere contentam aduertas, aliter tamen, & tanquam ſpecies à ſpecie apud Sidonium epiſtola 11. libro octauo diſtinguitur. *Nullus illi* (Lampridium oratorem intelligit) *ita inimicus qui poſſet eius extorquere maledictum: & tamen nullus ſic amicus qui poſſet effugere conuicium.* Apuleius apologia priore crimini conuitium opponit, apud quem Æmilianus accuſationem *penuria criminum ſolis conuiciis impleturus* dicitur. Græci vocant ἐγκλαγώγιον & συναγωγήν. vide Cuiacium 6. obſ. 6. Caius D. De iniuriis & famoſ. libell. *Conuicium iniuriam eſſe Labeo ait.*

conuicium autem dicitur vel à concitatione, vel à conuentu, hoc eſt à collatione vocum. cùm enim in vnum plures voces conferuntur, conuicium appellatur, quaſi conuocium. & aliquantò pòſt: *Ex his apparet non omne maledictum conuicium eſſe, ſed id ſolùm quod cum vociferatione dictum eſt.*

AXIOMATA.

E domeſticorum commendatione tanquam à fonte homines profluunt ad hominum famam, latúſque dimanant ad exiſtimationem.

Aliud eſt maledicere, aliud accuſare, &c.

ARGVMENTVM.

Aduerſarios reprehendit quod Atratino verecundo adoleſcenti accuſandæ impudicitiæ partes iniunxerint, ſubditáque ratione cur leuiùs agat cum Atratino, eundem amicè monet vt ſe in poſterum ab omni verborum obſcœnitate ſeiungat.

VII. QVAM quidem partem accuſationis admiratus ſum, & moleſtè tuli potiſſimùm eſſe Atratino datam. neque enim decebat, neque ætas illa poſtulabat, neque, id, quod animaduertere poteratis, pudor patiebatur optimi adoleſcentis, in tali illum oratione verſari. Vellem aliquis ex vobis robuſtioribus hunc maledicendi locum ſuſcepiſſet: aliquanto liberiùs, & fortiùs, & magis more noſtro refutaremus iſtam maledicendi licentiam. Tecum, Atratine, agam leuiùs, quòd & pudor tuus moderatur orationi meæ, & meum erga te parentémque tuum beneficium tueri debeo.

EXPLANATIO.

QVAM QVIDEM.] Hoc argumento aduerſarios reprehendit.

Non decet optimum adoleſcentem in impudicitiæ accuſatione verſari.

Sed Atratinus eſt optimus adoleſcens.

Ergo non decet eum in impudicitiæ accuſatione verſari.

Cuius ſyllogiſmi partes ſingulæ quidem in contextu continentur, ſed ita tamen ex ſeſe aptæ ſunt, ita connexæ, vt vix poſſint à ſeſe inuicem ſeparari.

OPTIMI ADOLESCENTIS.] His duobus verbis duæ rationes incluſæ ſunt, altera à moribus, altera ab ætate deſumitur.

VELLEM ALIQVIS EX VOBIS.] Si Atratino leuiùs reſpondero, eúmque molliùs in reſponſione tractauero, non eſt quòd quiſquam me factum eſſe ſegniorem exiſtimet. vellem enim vt cæteri Cœlij accuſatores, Herennius nimirum aut Balbus, hanc impudicitiæ mentionem intuliſſent, in quos acriùs & vehementiùs orationis meæ ſtimulos exererem.

TECVM ATRATINE.] *Non agam vehementiùs, in eum cuius pudor moderatur orationi meæ.*

Sed tuus pudor, Atratine, moderatur orationi meæ.

Ergo non agam in te vehementiùs.

ET MEVM ERGA TE.] *Non decet eos offendere, quos antè mihi beneficiis obligaui.*

Sed te & patrem tuum antè meis beneficiis obligaui.

Ergo non decet te & patrem tuum offendere.

Prior ſyllogiſmus (ſublatâ propoſitione) enthymemate, poſterior verò vno membro & epichiremate continetur. beneficium autem tueri eſt, eum non offendere, quem tuis beneficiis tibi antè deuinxeris.

NOTÆ.

PVDOR OPTIMI ADOLESCENTIS.] Bene pudor cum nomine adoleſcentis coniungitur. nam Lycon Philoſophus, vt eſt apud Laërtium. Ἔφασκε δεῖν παραζεῦχθαι τοῖς παισὶ τὴν αἰδῶ καὶ φιλοτιμίαν, ὡς τοῖς ἵπποις μύωπα καὶ χαλινόν. *Dicebat alligandam pueris verecundiam & honoris cupiditatem, vt equis ſtimulum & frænum.* Ariſtoteles 4. Ethic. cap. 9. ΟΥ πάσῃ ἡλικίᾳ τὸ πάθος ἁρμόζει, ἀλλὰ τῇ νέᾳ. οἰόμεθα γὰρ δεῖν τοὺς τηλικούτους αἰδήμονας εἶναι, διὰ τὸ πάθει ζῶντας πολλ' ἁμαρτάνειν ὑπὸ τῆς αἰδοῦς δὲ κωλύεσθαι. καὶ ἐπαινοῦμεν τῶν μὲν νέων τοὺς αἰδήμονας. πρεσβύτερον δ' οὐδεὶς ἂν ἐπαινέσειεν ὅτι αἰσχυντηλός. οὐδὲν γὰρ οἰόμεθα δεῖν αὐτὸν πράττειν, ἐφ' οἷς ἐστὶν αἰσχύνη. *At non omni ætati affectus conuenit, ſed iuuenili. nam putamus oportere eâ ætate homines verecundos eſſe, propterea quòd ex affectu viuentes in multis peccant, & à verecundiá prohibentur. & laudamus quidem ex iuuenibus verecundos. ſeniorem verò nemo laudauerit, quod ſit pudibundus. nihil enim putamus oportere ipſum agere ex iis in quibus pudor verſatur.* Sed maior fuerit difficultas cur hîc Tullius vocem *optimi* cum pudore coniunxerit, quandoquidem, vt ibidem ſubiungit Philoſophus: ΟΥ γὰρ ἐπιεικοῦς ἐστιν ἡ αἰσχύνη, εἴπερ γίνεται ἐπὶ τοῖς φαύλοις. οὐδὲ γὰρ πρακτέον τὰ τοιαῦτα. *Non enim viri probi eſt pudor, ſiquidem oritur, ob res prauas. Neque enim res tales agendæ ſunt.* Et paulò pòſt: Ἐπὶ τοῖς ἑκουσίοις γὰρ ἡ αἰδώς· ἑκὼν δ' ὁ ἐπιεικὴς οὐδέ ποτε πράξει τὰ φαῦλα. *In iis quæ ſponte aguntur verecundia eſt: & vir probus ſponte nunquam malè aget.* tamen idem ipſe videtur hanc difficultatem diſſoluere. bonam eſſe verecundiam pudorémque laudabilem, ſuppoſito quod quis antè peccauerit. Εἴη δ' ἂν ἡ αἰδὼς ἐξ ὑποθέσεως ἐπιεικές. εἰ γὰρ πράξαι, αἰσχύνοιτ' ἄν. *At verecundia ex ſuppoſitione eſt proba, ſi enim ageret, pudore afficeretur.* ideóque Cato Cenſorius: Τῶν νέων ἥδιον χαίρειν τοῖς ἐρυθριῶσι, μᾶλλον ἢ τοῖς ὠχριῶσι. *Iis ſe iuuenibus ma-* I.

Pudor laudatur in puero non in ſene.

gis oblectari dicebat qui erubeſcerent , quàm qui palleſcerent. Plutarchus in Catone. Seneca epiſtola vndecima. *Vbi ſe collegit , verecundiam , bonum in adoleſcente ſignū, vix potuit excutere , adeò illi ex alto ſuffuſus eſt rubor.* Notum eſt etiam ruborem ab antiquis virtutis colorem fuiſſe nominatum. Laërtius in vita Diogenis : ἰδὼν ποτε μειράκιον ἐρυθριῶν, θάῤῥει, ἔφη, τοιοῦτον ἐστὶ τῆς ἀρετῆς τὸ χρῶμα. *Videns erubeſcentem adoleſcentem , macte , inquit, hic eſt virtutis color.* Quo fit vt mirum non ſit eam in partitionibus oratoriis hoc encomio celebrari: *Custos verò virtutum omnium dedecus fugiens , laudémque maximè conſequens verecundia eſt*, §.79.quem pudorem &c.Homerus in Vlyſſe commendat, Odyſſeæ 6.

Custos virtutum verecundia.

Ἄντην δ᾽ οὐκ ἂν ἐγώ γε λοέσσομαι· αἰδέομαι γὰρ
Γυμνοῦσθαι κούρῃσιν ἐϋπλοκάμοισι μετελθών.

Non ego nudabor coram,me namque puellis
Apparere pudet nudum.

Et verò pudorem non ſolis adoleſcentibus, ſed etiam ſenib. conuenire,è multis auctoribus compertum eſt. primo enim cui probari poterit illa Ariſtotelis ratio,verecundiam à ſenibus alienam eſſe, quod ſenes à vitiis & rebus pudendis debeant abſtinere? Hac enim ratione ab adoleſcentiâ pudorem excluderet. niſi ſi quis exiſtimat,flagitia réſque pudendas adoleſcentiæ conuenire. Meliùs,ni fallor, Seneca , epiſtolâ vndecimâ: *Et ruborem*, inquit,*eſſe ſcio,qui grauiſſimis quoque viris, ſubitus offunditur. magis quidem in iuuenibus apparet , quibus & plus caloris eſt , & tenera frons, nihilominùs veteranos & ſenes tangit.* Et paulò pòſt id exemplis probans : *Nihil erat mollius ore Pompeij. nunquam non coram pluribus erubuit, vtique & in concionibus, Fabianum , cùm in Senatum teſtis eſſet inductus , erubuiſſe memini , & hic mirè illum pudor decuit.* Ideóque Plinius in præceptore pudorem maximè commendat , lib.3. epiſt.3. quanquam,vt ſuperiùs dictum eſt,conſtat adoleſcentibus verecundiam & virginibus maximè conuenire. Vnde & oculorum pupillæ à Græcis κόραι, id eſt puellæ nominantur,ad quod egregiè,vt eſt apud Plutarchum περὶ δυσωπίας alludebat Demoſthenes. ὁ μὲν ῥήτωρ τὸν ἀναίσχυντον οὐκ ἔφη κόρας ἐν τοῖς ὄμμασιν ἔχειν, ἀλλὰ πόρνας. *Impudentem in oculis dicebat orator non pupillas* (id eſt puellas & quaſi paruas puppas) *habere, ſed meretrices.* vnde & roſa quæ , vt ait Anticlaudianus primo cyclopædiæ,

--*roſa mane puella*
Veſpere fiet anus. --

Elegantiſſimè planè à Torquato Taſſo cum pudore virgineo comparatur. Neque verò adoleſcens qui hunc virtutis colorem vultu oſtenderit, vt ſe ſuámque pudicitiam tueatur , purpureo colore aliunde accerſito indigebit, qui,vt ait Plinius lib. 9. cap. 36. *pro maieſtate pueritiæ eſt.* & à Perſio , *custos purpura* nominatur, quòd nemo quantumuis impudens,ad delibandum illius integritatis florem audeat accedere , quem purpuræ maieſtate viderit inſignem. Satis quippe verecundi adoleſcentes contra ſceleratorum hominum petulantiam inueniuntur. Vnde & Dio Chryſoſtomus cùm adoleſcentem formoſum deſcriberet oratione 21. περὶ κάλλους, dixiſſétque, ἡ δ᾽ αἰδὼς τοσαύτη, ὥστε καὶ τοὺς προσιόντας αἰδεῖσθαι εὐθὺς ποιεῖ. *Tanta verò eius eſt verecundia,vt & eum verecundia perfundat qui propriùs acceſſerit*,&c. Subiecit. Τοῦτο δ᾽ ἐγὼ τὸ πάθος πάνυ θαυμάζω, ὅτι τὸ κάλλος ἐὰν μετ᾽ αἰδοῦς ᾖ, τοὺς ἀναιδεῖς τρέπει τε καὶ ἀναγκάζει αἰδεῖσθαι. ἴσως γὰρ οὐ προσενοήσας τὸ ἐν τοῖς ὕδασι γινόμενον. τί δή; ὅτι τοῦ ἡλίου ἐπιλάμψαντος εἰς τὸ κατευθὺ, μάλιστα ἀντιλάμπει. καὶ ἴσως ἑώρακας ἐν τοῖς τοίχοις τὸ κινούμενον καὶ περιτρέχον φῶς, οὐκ ὂν ἀληθινόν, ἀλλ᾽ ἀπὸ τῆς ἐν τοῖς ὕδασιν αὐγῆς τοῦ ἡλίου γεγονὸς πρὸς τὸ μάλιστα κατευθύ. τοιοῦτον οὖν τι καὶ ἀπὸ τῆς ἀληθινῆς αἰδοῦς ἀντιλάμπει τε καὶ ποιεῖ δοκεῖν αἰδεῖσθαι τοὺς ἐρῶντας, κἂν ἔπειτ᾽ εὐθὺς ἀπελθόντες ἀναιδεῖς εἰσίν. *Hoc ego imprimis admiror, quòd pulchritudo verecundiæ coniuncta , impudētes etiam inuitos pudore & verecundiâ ſuffundit . fortaſſe enim non aduertiſti quod fieri ſolet in aquis. quid illud? fulgente ſole è regione, maximè ſplendorem remittit. & fortaſſe in parietibus vidiſti lumen vagum & oberrans, quod verum non eſt, ſed à fulgore ſolis in aquis repercuſſo ad radios rectos.neſcio quid huiuſmodi à vero & germano pudore refulget & reflectitur , efficitque vt qui amant pudore ſuffundi videantur , quamuis ſtatim atque diſceſſerint , ad ſuam impudentiam reuoluantur.* Qui pudor non ſolùm ad pudicitiæ maieſtatem confert, ſed etiā ad pulchritudinem. vnde Lycophronides apud Athenæum lib.13. οὔτε παιδὸς ἄῤῥενος, οὔτε παρθένων τῶν χρυσοφόρων , οὔτε γυναικῶν βαθυκόλπων καλὸν τὸ πρόσωπον , ἀλλὰ κόσμιον πέφυκεν , ἡ γὰρ αἰδὼς ἄνθος ἐπισπείρει. *Neque pueri , neque virginis auream veſtem habentis, neque mulierum profundos ſinus habentium pulchra facies eſt; ſed modeſta, pudor enim pulchritudinem affundit.* S. Ambroſius 1. offic. cap. 19. *Verecundia & vultus ipſos ſolet perfundere ,gratioréſque reddere.* S. Bernardus ſerm. 48. in Cantica. *Rubor ipſe genarum quem fortè inuexerit pudor, quantum gratiæ & decoris ſuffuſo vultui adferre ſolet?* vbi & verecundiam *famæ cuſtodem,vitæ decus , virtutis ſedem* , &c. quemadmodum & Ambroſius 1. offic. cap. 43. eandem verecundiam *fundamentum temperantiæ,& honeſtatis cuſtodiam* nominauit. quos tu conſule. Et eam ob cauſam Lydus ille Plautinus in Bacchidibus ſcenâ, *Nunc experiar*, eleganter,

Nam ego illum periiſſe duco cui quidem periit
pudor.

Benè etiam Propertius lib.2.eleg. 6.

Nam nihil inuitæ triſtis cuſtodia prodeſt:
Quàm peccare pudet , Cynthia , tuta ſat eſt.

Menander:

Πᾶς ἐρυθριῶν χρηστὸς εἶναί μοι δοκεῖ.
Bonus videtur eſſe quem pingit pudor.

Sed abs re me non facturum eſſe arbitror,ſi fabulam de pudore virtutis colore longè pulcherrimam attulero , verbis D. Gregorij Nazianzeni περὶ γυναικῶν καλλωπιζομένων.

Εἰ δ᾽ ἄγε σοὶ καὶ μῦθον ἐοικότα μυθολογήσω
Αἰσχύνης ὑμετέρης. ἡ παλαιὴ δ᾽ ἄλλον.
Ἄκριτον ἦν τὸ πάροιθε βροτῶν γένος, ὅς τε φέριστος
Ὅς τε χερειότερος , ὡς οὔ τις ὀΐομαι.
Πολλοὶ μὲν δοκέεσκον ἀμείνονες, οὔ τις ἄριστοι
Πολλοὶ δ᾽ αὖτ᾽ ἀγαθοὶ ἔμπαλιν ἀφραδέες.
Κῦδος ἀτιμοτάτοισιν, ἀτιμίη δ᾽ ἐτ᾽ ἀρίστοις
Ἕσπετο, οὔτι δίκη τῶν δ᾽ ἐπαμειβομένων.
Ἀλλ᾽ οὐ λῆθεν ἄνακτα θεὸν κακίη μεθέπουσα
Ὀψὲ δ᾽ ἀλαστήσας τοῖον ἔειπεν ἔπος.
Οὐ θέμις ἔστ᾽ ἀγαθοῖσιν ἐμὸν κλέος ἠδὲ κακοῖσιν
Ἔμμεναι, οὐδ᾽ αὖ ἔτι πλειοτέρη κακίη.
Τοὔνεκα τοῖσιν ἐγὼ σημήιον ἐσθλὸν ὀπάσσω,
Ὄφρ᾽ εὖ γινώσκῃς ὅς κακὸς, ὅς τ᾽ ἀγαθός.
Ὣς εἰπὼν ἐρύθημα παρήϊα τοῖς ἀγαθοῖσιν,
Αἷμ᾽ ὑπὸ δέρμα χέας, αἴσχεος ἐρνυμένου.

Verecūdia color virtutis.

Θηλυτέραις δὲ μάλιστα, ἐπεὶ καὶ εἶδος ἀραιαὶ
Καὶ κραδίην ἁπαλαί, πλεῖον ὑπεσκέδασε.
Τοῖς δὲ κακοῖσιν ἔπεμψε, καὶ ἄτροπον εἶδον ἔθηκε
Τοὔνεκεν οὐδ' ὀλίγον αἴσχεσι συμφέρεται.

Verùm age, narremus fabellam, congrua quæ ſit
Opprobriis veſtris. Namque ſenecta loquar.
Indiſtinctum hominum quondam genus extitit, aiunt,
Nec virtutis erat, nec vitij vlla nota.
Pleroſque infandos qui præſtarent pietate
Credebant rectos, queis mala mens fuerat.
Indignos decus ornabat, ſed dedecus æquos
Præſtanteſque viros, ſortibus immeritis.
Rex orbis vitium vidit latè dominari
Cum gemitúque graui talia verba tulit.
Haud fas eſt eadem ſtatuatur gloria rectis,
Et prauis vitium creſceret vſque nimis.
Idcircò his ego præbebo ſignum manifeſtum
Hinc benè quis malus vt noueris atque bonus.
Sic fatus fuſo ſub pelle cruore proborum,
Móxque pudore orto tincta rubore gena eſt.
Fœminea in facie præſertim ſub cute rara,
Et corde in molli ſic rubor exoritur.
Frigidus at prauis circum præcordia ſanguis
Hæſit, & aſcendit nullus ad ora rubor.

Cuius fabellæ occaſio ſumpta videtur ex illo verſu Theognidis 410.

Οὐδένα θησαυρὸν παισὶν καταθήσῃ ἀμείνω
Αἰδοῦς, ἥ τ' ἀγαθοῖς ἀνδράσι Κύρν' ἕπεται.

Theſaurum natis meliorem linque pudore
Nullum Cyrne, bonis eſt comes ille viris.

Ad quod alludit Plato 4. de legibus. Παισὶ δ' αἰδῶ χρὴ πολλὴν οὐ χρυσὸν καταλείπειν. *Filiis oportet non diuitias multas, ſed multum pudorem & reuerentiam relinquere.*

11. BENEFICIVM TVERI DEBEO.] Debemus enim, vt Plauti verbis vtar Trinummo, actu 2. ſc. 2.

Benefacta benefactis pertegere, ne perpluant.

Nam vt ait Pub. Syrus.

Beneficium ſæpe dare docere eſt reddere.

Plinius epiſtola 7. lib. 1. *Nec fidei noſtræ, nec conſtantiæ quam diligis, conuenit adeſſe contra prouinciam, quam tot officiis, tot laboribus, tot etiam periculis meis aliquando deuinxeram.* Eleganter in hanc ſententiam Seneca lib. 2. de beneficiis, cap. 11. *Perdet agricola quod ſparſit, ſi labores ſuos deſtituet in ſemine. Multâ curâ ſata producuntur ad ſegetem. Nihil in fructum peruenit, quòd non à primo vſque ad extremum æqualis cultura proſequitur. Eadem beneficiorum eſt conditio. Numquid vlla maiora poſſunt eſſe quàm quæ in liberos patres conferunt? Nec tamen tuta ſunt, ſi in infantiâ deſerantur, niſi longa pietas munus ſuum nutriat. Eadem cæterorum beneficiorum conditio eſt: niſi illa adiuueris, perdes. Parum eſt dediſſe, fouenda ſunt. Si gratos vis habere quos obligas, non tantùm des oportet beneficia, ſed & ames.* Sed omnium optimè Ariſtoteles cauſſam inquirit, cur libenter ſua quiſque beneficia tueatur, beneficúſque magis diligat quos beneficiis affecerit, quàm ab iis diligatur. 9. Ethic. Καθάπερ οὖν ἐπὶ τῶν δανείων οἱ μὲν ὀφείλοντες βούλονται μὴ εἶναι οἷς ὀφείλουσιν, οἱ δὲ δανείσαντες καὶ ἐπιμέλονται τῆς τῶν ὀφειλόντων σωτηρίας· οὕτω καὶ τοὺς εὐεργετήσαντας βούλεσθαι εἶναι τοὺς παθόντας, ὡς κομιουμένους τὰς χάριτας. τοῖς δ' οὐκ εἶναι ἐπιμελὲς τὸ ἀνταποδοῦναι. *Quemadmodum in vſuris debitores creditorum ſuorum mortem exoptant. At fœneratores debitorum ſuorum incolumitatem procurant. Ita & benefactores velle par eſt vt ij conſeruentur, quos ſuis beneficiis deuinxerint, tanquam gratiam pro beneficio recepturi; illi verò non curant gratiam referre.* Sed hæc cauſſa ſolis iis qui cauponantur beneficia, non benefaciunt, & ſolis ingratis videtur conuenire. De quibus præclarè Plautus Trinummo, ſc. *Staſime.*

Beneficium tueri.

Si quis mutuum quid dederit, fit pro proprio perditum.
Cùm repetas inimicum amicum beneficio inuenis tuo.
Si mage exigere cupias, duarum rerum exoritur optio.
Vel illud quod credideris perdas, vel illum amicum amiſeris.

Mox: *--nam ego talentum mutuum*
Quod dederam, talento inimicum mihi emi, amicum vendidi.

Quare meliorem ſubdit rationem: Δόξειε δ' ἂν φυσικώτερον τ' εἶναι τὸ αἴτιον, καὶ οὐχ ὅμοιον τῷ περὶ τοὺς δανείσαντας. οὐ γάρ ἐστι φίλησις περὶ ἐκείνους, ἀλλὰ τοῦ σώζεσθαι βούλησις, τῆς κομιδῆς ἕνεκα. οἱ δ' εὖ πεποιηκότες φιλοῦσι καὶ ἀγαπῶσι τοὺς εὖ πεπονθότας, κἂν μηδὲν ὦσι χρήσιμοι, μηδ' εἰς ὕστερον γένοιντ' ἄν. *Videri autem poteſt naturalior cauſſa, & non ſimilis ei quæ eſt circa fœneratores. Non enim eſt illis dilectio, ſed vt debitores conſeruentur, voluntas recipiendi cauſſâ. Qui verò beneficium dederunt, amant & charos habent eos quos ſibi obligarunt, etiamſi nullâ re ſint vtiles, nec poſteà eſſe poſſint.* Subiicit & aliam rationem. Τὸ εὖ πεπονθὸς ἔργον ἐστὶν αὐτῶν (τῶν εὐεργετῶν) τοῦτο δὲ ἀγαπῶσι μᾶλλον, ἢ τὸ ἔργον τὸν ποιήσαντα. *Quòd igitur beneficio affectum eſt, opus eſt ipſorum* (qui beneficium contulerunt) *hoc igitur amant magis quàm opus effectorem ſuum.* Vide & alias rationes. Plinius Iunior libro ſecundo, epiſt. decimâ tertiâ. *Hæc beneficia mea tueri nullo modo meliùs, quàm vt augeam, poſſum, præſertim cùm ipſe illa tam grate interpretetur, vt, dum priora accipit, poſteriora mereatur.* Et lib. 3. epiſt. 4. *Præterea cùm recordarer quanta pro iiſdem Bæticis priore aduocatione etiam pericula ſubiiſſem, conſeruandum veteris officij meritum nouo videbatur. Eſt enim ita natura comparatum vt antiquiora beneficia ſubuertas, niſi illa poſterioribus cumules: Nam quamlibet ſæpe obligati, ſi quid vnum neges, hoc ſolùm meminerunt quod negatum eſt.* Adcò vt ait neſcio quis mimorum ſcriptor,

Nihil prodeſt didiciſſe benefacere, ſi ceſſes.

Quod adeò verum eſt, vt etiam noſtra in ingratos beneficia nouis beneficiis tueri debeamus. Nam, vt optimè Seneca 7. de benef. cap. 3. *Quæ ratio eſt exacerbare eum, in quem magna contuleris vt ex amico dubio, fiat non dubius inimicus, & patrocinium ſibi noſtrâ infamiâ quærat?* Breuiter & bene Sidonius epiſt. 2. lib. 2. *Naturâ comparatum eſt, vt quibus impendimus ſtudium, præſtemus affectum.* Notum etiam illud: *Beneficium enim beneficij tegula eſt, ne gratia perpluatur.* Addamus Ludouici vndecimi Galliarum Regis iudicium Philippi Comminei verbis expreſſum commentario tertio exeunte. *Mihi præterea dixit, ex animi ſui ſententiâ, vt quis in aulâ principum floreat ſatiùs eſſe, ſi eum princeps magnis ſupra meritum beneficiis deuinxerit, quàm ſi ille principem ingentibus beneficiis obligarit; itáque naturâ principes comparatos eſſe, vt eos magis diligant, quibus ipſi magna contulerint, quàm à quibus beneficium acceperint.*

AXIOMATA.

Neque decet, neque pudor patitur adoleſcentem bonum in impurâ oratione verſari.

Pudor noſter ſæpe aduerſariorum orationi moderatur.

Beneficia noſtra tueri debemus.

ARGVMENTVM.

Amicè & familiariter monet Atratinum, quanto periculo famam ſuam obiecerit impudicitiæ faciens mentionem, ita tamen vt culpam omnem in cæteros accuſatores reiiciat, & Atratini laude leuem hanc obiurgationem attemperet.

VIII. ILLVD tamen eſſe admonitum volo: primùm qualis es, talem te eſſe exiſtimes: vt quantùm à rerum turpitudine abes, tantùm te à verborum libertate ſeiungas: deinde vt ea in alterum ne dicas, quæ cùm tibi falſo reſponſa ſint, erubeſcas. quis eſt enim, cui via iſta non pateat? qui iſti ætati, ac dignitati non poſſit, quàm velit petulanter, etiam ſi ſine vlla ſuſpicione, at non ſine argumento maledicere? Sed iſtarum partium culpa eſt eorum, qui te agere voluerunt: laus pudoris tui, quòd ea te inuitum dicere videbamus: ingenij, quòd ornatè politéque dixiſti.

EXPLANATIO.

HÆc monitio & dehortatio tribus breuiſſimis rationibus continetur, prima eſt.

PRIMVM QVALIS ES, TALEM TE ESSE EXISTIMES.] Id eſt, tam pudicè, tam pudenter in poſterum loquere de pudicitiâ alienâ, vt non tibi tui pudoris propriæque pudicitiæ oblitus eſſe videaris. Legit Lambinus, *vt qualis es, talem hi te eſſe exiſtiment*, & erit hæc ſententia. Periculum eſt ne iudices qui te de Cœlij impudicitiâ loquentem audiunt, te impudicum eſſe pariter ſuſpicentur: quare te eſſe admonitum volo, vt in poſterum, tam pudenter, tam verecundè loquaris, vt ſicut pudicus es, ita iudices & cæteri auditores te pudicum eſſe exiſtiment.

VT QVANTVM A RERVM TVRPITVDINE.] Eſt hæc ſecunda ratio, quæ poteſt hoc ſyll. contineri.

Qui à rerum turpitudine abeſt, debet à verbis turpibus ſe abſtinere.

Sed tu à rerum turpitudine abes.

Ergo debes à verbis turpibus te abſtinere.

Propoſitio omittitur. aſſumptio & concluſio paucis & vno epichiremate perſtringitur.

DEINDE VT EA IN ALTERVM.] Tertia ratio eſt huiuſmodi.

Non debes illud alteri crimen obiicere, quod æquè probabiliter, atque aduerſario tibi poteſt conuenire.

Sed impudicitiæ crimen æquè probabiliter tibi poteſt atque Cœlio conuenire.

Ergo obiicere Cœlio crimen impudicitiæ non debebas.

Propoſitio non expreſſa eſt, ſed ſimul cum concluſione inuoluitur his verbis. *Deinde vt ea, &c. erubeſcas.* aſſumptio eiúſque probatio his. *Quis eſt enim, &c. maledicere.*

VT EA IN ALTERVM.] Hîc, vt dixi, & propoſitio & concluſio continentur, id eſt, admonitum te volo vt ea in alterum ne dicas, ad quæ reſponderi poſſit, quamuis falsò, iiſdem te criminibus teneri quibus alterum accuſas, quæ reſponſio ſummum tibi pudorem concitaret, dici, etiam poſſet. *Cùm tibi falſa reſponſa ſunt*, id eſt negata erubeſcas.

QVIS EST ENIM CVI VIA ISTA NON PATEAT.] Quis eſt qui non poſſit eodem argumento vti.

Omnis formoſus eſt impudicus.

Sed Atratinus eſt formoſus.

Ergo Atratinus eſt impudicus.

SINE VLLA SVSPICIONE.] Sine perſonarum, facti, loci, temporis deſignatione, ſine vllo facti veſtigio vnde poſſimus coniecturam ſuſpicionémve deducere.

AT NON SINE ARGVMENTO.] Non ſine aliquâ veriſimilitudine, quæ non ex ipſo facto, ſed ex ipsâ adoleſcentiæ & formæ naturâ deſumitur.

SED ISTARVM PARTIVM.] Correctio eſt qua culpam transfert in Clodiam, Balbum, & Herennium per diſtributionem, vt quæ culpanda ſunt, aliis, quæ laudanda pudorem ſcilicet & eloquentiam tribuat Atratino.

NOTÆ.

QVALIS ES TALEM TE ESSE EXISTIMES.] Nihil tuâ virtute, formâ, ætate indignum facias aut loquaris. Talis eſt illa Diogenis monitio apud Laërtium: Ἰδὼν εὐπρεπῆ νεανίσκον ἀπρεπῶς λαλοῦντα, οὐκ αἰσχύνῃ, ἔφη, ἐξ ἐλεφαντίνου κολεοῦ μολιβδίνην ἕλκων μάχαιραν. *Videns decorum iuuenem indecorè loquentem, Non te pudet, inquit, ex eburnea vagina gladium plumbeum educere.* Nec abludit illud Plinij Iunioris ep. 3. ad Caninium Rufum: *Tu modò enitere, vt tibi ipſe ſis tanti, quanti videberis aliis ſi tibi fueris.* Nec longè abeſt Æſchylus in Prometheo. I.

Pulcher corpore ne ſit animo deformis.

Ὅμοια μορφῇ γλῶσσά σου γηρύεται.

Similia formæ lingua proloquitur tua.

QVANTVM A RERVM TVRPITVDINE.] Iſocrates ad Demonicum. ἃ ποιεῖν αἰσχρὸν, ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλόν. *Quæ facta turpia, ea nec dictu decôra eſſe puta.* Sophocles Oedipo Tyranno. II.

Ἀλλ' οὐ γὰρ αὐδᾶν ἔσθ' ἃ μηδὲ δρᾶν καλόν.

Quodcumque turpe eſt facere, nec fari licet.

Vitanda rerũ & verborum turpitudo.

Ariſtoteles lib. 7. polit. cap. 17. Ὅλως μὲν οὖν αἰσχρολογίαν ἐκ τῆς πόλεως, ὥσπερ ἄλλο τι, δεῖ τὸν νομοθέτην ἐξο-

εἴξειν. ἐκ γὰρ τοῦ εὐχερῶς λέγειν ὁτιοῦν, τῶν αἰσχρῶν, καὶ τὸ ποιεῖν σύνεγγυς. *Omnino verò legiſlatori prouidendum eſt, vt turpiloquium ſi quicquam aliud eiiciatur è Repub. Ex eo enim quod rerum turpium quidnis temerè effutiant, turpes actiones ſunt in propinquo.* Plutarchus opuſculo de inſtitutione puerorum: Καὶ τῆς αἰσχρολογίας ἀπειρκτέον τοὺς υἱεῖς. λόγος γὰρ ἔργου σκιὴ, κατὰ Δημόκριτον. *Et à verbis obſcœnis oportet pueros abſtinere. Sermo enim vmbra eſt operis, vt ait Democritus.* Quod tamen dictum Democrito videtur antiquius. Phalaris enim epiſt. 31. id iam agnoſcit, vt antiquum. λόγος ἔργου σκιὰ παρὰ τοῖς σωφρονεστέροις πεπίστευται. *Sermo vmbra operis à prudentioribus creditur.* Sic apud Laërtium Solon. Ἔλεγε τὸν λόγον εἴδωλον εἶναι τοῦ ἔργου. *Sermonem dicebat operis eſſe ſimulacrum.* Ποιεῖν γὰρ τὰ αἰσχρὰ καὶ λέγειν, ὁμοίως ἀπρεπές. *Facere enim turpia ac dicere æquè eſt indecorum*, ait Theagenes apud Heliodorum lib. 7. Æthiop. & Clemens Alexandrinus tertio ſtromatum. οἷος ὁ λόγος, τοῖος ὁ βίος. *Qualis ſermo, talis vita.* Nicolaus Damaſcenus de moribus gentium, poſt Herodotum lib. 1. Πέρσαι ἃ μὴ ποιεῖν ἔξεστιν, οὐδὲ λέγουσι. *Perſæ non dicunt, quod facere non licet.* Dionyſius Halicarnaſſeus præfatione ad ſuam hiſtoriam. Ἐπεικῶς ἅπαντες νομίζουσιν εἰκόνας εἶναι τῆς ἑκάστου ψυχῆς τοὺς λόγους. *Rectè enim omnes orationem animi cuiuſque ſimulacrum eſſe arbitrantur.*

Sermo operis vmbra, ſiue ſimulachrum.

III. Ervbescas.] Secundâ Philippicâ 9. *Quid enim eſt minùs non dico Oratoris, ſed hominis quàm id obiicere aduerſario, quod ille ſi verbo negarit, non poſſit longiùs progredi qui obiecerit?*

IV. Hvic ætati atqve dignitati.] Sic lego impulſus auctoritate Agrætij, his verbis. *Pulchritudo formæ in viris dignitas. Vnde Cicero pro Cœlio. Quis non poſſit, huic ætati atque dignitati, etiamſi ſine ſuſpicione, at non ſine argumento, maledicere? In fœminis autem honeſtas dicitur: vnde Terentius de horrido & ſene Eunucho.*

Dignitas.

Illúmne obſecro inhoneſtum hominem ſenem mulierem?

Honeſtas.

Lib. 4. ad Herennium. *Defloreſcit formæ dignitas aut morbo, aut vetuſtate.* Laberius Mimus apud Macrobium ſecundo Saturnal. cap. 7.

Nunc me quò deiicis? quid ad ſcenam affero?
Decorem formæ an dignitatem corporis?

Et Diuus Hieronymus de morte Nepotiani. *Vbi nunc decôra illa facies? vbi totius corporis dignitas, quâ veluti pulchro indumento pulchritudo animæ veſtiebatur? Marceſcebat, prô dolor! flante auſtro lilium, & purpura violæ in pallorem ſenſim migrabat.* Claudius Mamertinus iam laudatus. *Nobilem Etruriæ adoleſcentem ferunt, cùm propter eximiam formæ dignitatem multarum in ſe fœminarum amores excitaret, faciem ſuam ad oblitterandam pulchritudinem vulneribus ſauciaſſe.* Cicero primo de officiis, §. 130. *Cùm autem pulchritudinis duo genera ſint, quorum in altero venuſtas ſit, in altero dignitas: venuſtatem muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem.* & paucis interiectis ſubdit eadem ſectione. *Forma autem dignitas coloris bonitate tuenda eſt, colórque exercitationibus corporis.* Quibus vides formæ dignitatem potiſſimùm in colore conſiſtere. & verè. nam vt ait Iſidorus 10. originum. *Formoſus à forma dictus. formum enim veteres calidum & feruens dixerunt. feruor enim ſanguinem mouet: ſanguis pulchritudinem.* Quo accedit & Pompeij Feſti auctoritas. *Forma ſignificat modò faciem cuiuſque rei, modò calidam, vt cùm exta quæ dicuntur deforma appellantur, & Cato ait de quodam ædificio æſtate frigido, hyeme formido.* Vnde factum eſt vt ſæpe Poëtæ formæ dignitatem per ruborem deſcripſerint 1. Æneidos. --*decoram*

Forma.

Formus.

Cæſariem nato genitrix luménque iuuentæ
Purpureum & lætos oculis afflarat honores.

Apollonius Rhodius 1. Argonauticon.

Κάλλεϊ καὶ γλυκερῇσιν ἐρευθόμενον χαρίτεσσι.
Pulchritudini pingit rubicundum Gratia vultum.

Nonnus 10. Dionyſiacorum, verſu 179.

Οὐδέ οἱ ἁβρὸς ἴουλος ἐρευθομένοιο προσώπου
Ἀχνοα χιονέης ἐχαράσσετο κύκλα παρειῆς
Ἥβης χρύσεον ἄνθος, &c.
Nondum illi tenerâ roſei lanugine vultus
Inueſtes ſignante genas adrepere barba
Cœperat. auratus flos æui.

Purpureus & roſeus color ſpectat ad formæ dignitatem.

Et Muſæus pulcherrimè:

Ἄκρα δὲ χιονέων φοινίσσετο κύκλα παρειῶν
Ὡς ῥόδον ἐκ καλύκων διδυμόχροον. ἦ τάχα φαίης
Ἡροῦς ἐν μελέεσσι ῥόδων λειμῶνα φανῆναι.
Χροιὴ γὰρ μελέων ἐρυθαίνετο. νισσομένης δὲ
Καὶ ῥόδα λευκοχίτωνος ὑπὸ σφυρὰ λάμπετο κούρης,
Πολλαὶ δ' ἐκ μελέων χάριτες ῥέον. οἱ δὲ παλαιοὶ
Τρεῖς χάριτας ψεύσαντο πεφυκέναι, εἷς δέ τις Ἡροῦς
Ὀφθαλμὸς γελόων ἑκατὸν χαρίτεσσι τεθήλει.
In ſummo è niueis radiabat purpura malis
Vt calices rumpit bicolor roſa. Dixeris vltrò
Herus in membris pratum apparere roſarum.
Nam rubet in mẽbris roſeus color, & ſub amictu
Candenti extremos calceis roſa pingit euntis.
E membríſque fluunt Charites: veteréſque poëtæ
Treis ſunt mentiti Charitas: námque vnicus Herus
Ridens vel centum Charitas ſpirabat ocellus.

Sed vt ad formæ dignitatem redeamus, eum etiã Græci dicendi modum vſurpant. Halicarnaſſeus lib. 2. Numam Regem electum fuiſſe dicit. Ἡλικίας τε τῆς φρονιμωτάτης ὄντα, καὶ ἀξιώσει μορφῆς βασιλικόν. *Cùm & prudentiſſimæ ætatis & formæ dignitate regalis eſſet.*

Invitvm dicere.] Exemplum eſt apud Ælianum lib. 14. variæ hiſtoriæ cap. 19. Ἀρχύτας τά τ' ἄλλα ἦν σώφρων, καὶ οὖν καὶ τὰ ἄκοσμα ἐφυλάττετο τῶν ὀνομάτων. Ἐπεὶ δέ ποτε ἐβιάζετό τι εἰπεῖν τῶν ἀπρεπῶν, οὐκ ἐξενικήθη, ἀλλ' ἐσιώπησε μὲν αὐτό, ἐπέγραψε δὲ κατὰ τοῦ τοίχου, δείξας μὲν ὃ εἰπεῖν ἐβιάζετο, οὐ μὴν βιασθεὶς εἰπεῖν. *Architas tum in cæteris erat caſtiſſimus, tum indecora verba fugiebat. Cùm autem aliquando neſcio quid turpiculum dicere cogeretur, id à ſe impetrari non ſiuit, ſed verbum ipſum tacuit, in pariete verò ſcripſit, oſtendens quod dicere cogebatur, non tamen dixit cùm cogeretur.* Et lib. 3. cap. 30. Κλειτόμαχος ἐν συμποσίῳ, εἴ τις Ἀφροδίσιος λόγος παρεῤῥύη, ἀναστὰς ἀπηλλάττετο. *Clitomachus in conuiuio, ſi quis fortaſſe ſermo de rebus venereis obreperet, ſurgens diſcedebat.* Idem refert Plutarchus lib. 7. conuiualium quæſtionum problemate 3. V.

Architæ & Clitomachi honeſtas.

Ornate, politeqve.] Hanc politæ orationis laudem Cœlius Atratino nõ conceſſit. Suetonius de claris Rhetoribus cap. 2. de Lucio Plotio loquens. *Hunc eundem (nam diutiſſimè vixit) M. Cœlius in oratione quam pro ſe de vi habuit, ſignificabat dictaſſe Atratino accuſatori ſuo actionem: ſubtractóque nomine ordearium eum Rhetorem appellat, deridens vt inflatum, ac leuem & ſordidum.* VI.

Atratini eloquentia.

Ordearius Rhetor.

AXIOMATA.

Quales ſumus, tales nos exiſtimare debemus.
Quantùm à rerum turpitudine abſumus, tantùm nos debemus à verborum libertate ſeiungere.
Ea in alterum dicere non debemus, quæ ſi in nos retorqueantur, erubeſcamus.

ARGVMENTVM.

Refutat Atratini obiectionem, oſtendítque nihil eſſe quod quiſquam ſiniſtrè de impudicitiâ Cœlij ſuſpicetur, argumento ſumpto à perſonâ Cœlij, patris, Craſſi, & ipſius Ciceronis, ad quos ſumptâ virili togâ Cœlius à patre deductus eſt.

IX. VERVM ad iſtam omnem orationem breuis eſt defenſio. nam quoad ætas M. Cœlij dare potuit iſti ſuſpicioni locum, fuit primùm ipſius pudore, deinde etiam patris diligentiâ, diſciplináque munita: qui, vt huic virilem togam dedit, nihil dicam hoc loco de me: tantum ſit, quantum vos exiſtimatis: hoc dicam, hunc à patre continuò ad me eſſe deductum. nemo hunc M. Cœlium in illo ætatis flore vidit, niſi aut cum patre, aut mecum, aut in M. Craſſi caſtiſſima domo, cùm artibus honeſtiſſimis erudiretur.

EXPLANATIO.

VERVM AD ISTAM.] vis eſt in ſyllogiſmo.

Non eſt ſiniſtrè de eius pudicitiâ ſuſpicandum, cuius ætas maximè ſuſpecta partim ipſius pudore, partim patris diligentiâ diſciplináque munita eſt.

Sed ætas Cœlij maximè ſuſpecta partim ipſius pudore, partim patris diligentiâ diſciplináque munita eſt.

Ergo non eſt de Cœlij pudicitia ſiniſtrè ſuſpicandum.

Propoſitio ſubticetur. aſſumptio eiúſque probatio his verbis, *Nam quoad ætas, &c. erudiretur.* concluſio illis, *Verùm ad iſtam omnem orationem breuis eſt defenſio.*

NAM QVOAD ÆTAS.] Quoad Cœlius ea ætate fuit, quæ eſt maximè aliorum libidini obnoxia.

IPSIVS PVDORE.] Morum honeſtate & caſtitate.

PATRIS.] Sedulam operam adhibentis, ne ſe Cœlius perditis & nefariis ſociis adiungeret, à quibus periculum ipſius pudicitiæ poſſet imminere.

QVI VT HVIC.] Statim atque Cœlio filio ſuo virilem togam dedit, depoſitâ prætextâ puerili.

NIHIL DICAM HOC LOCO DE ME.] Eſt hîc modeſta & tacita ſui laudatio, per quam oſtendit Orator ita ſe virtuti & integritati ſuæ confidere, vt penes auditores iudicium de ſuâ vitâ relinquat.

IN ILLO ÆTATIS FLORE.] In primâ illâ ſurgentis adoleſcentiæ vita.

NOTÆ.

1. EIVS PVDORE.] Pudorem eſſe murum firmiſſimum, quo pudicitia cæteræque virtutes muniantur, iam §. 7. oſtenſum eſt: vnde factum eſt vt quæ caſtè & pudicè fiunt, ea Cyprianus negotia pudorata dixerit, lib. de ſingularitate clericorum. *Parce iam, parce proteruitas, nunquam tibi ſancti conſentiunt, qui religioſa, modeſta, veneranda, pudica, pudorata cum fœminis negotia peregerunt.* Ideóque Demetrius Phalereus, vt eſt in eius vita apud Laërtium, Τοὺς νέους ἔφη δεῖν ἐπὶ μὲν τῆς οἰκίας τοὺς γονεῖς αἰδεῖσθαι, ἐν δὲ ταῖς ὁδοῖς τοὺς ἀπαντῶντας, ἐν δὲ ταῖς ἐρημίαις, ἑαυτούς. *Iuuenes dicebat oportere, domi quidem parentes revereri, in viis autem eos qui occurrerent, at in ſolitudine ſeipſos.* Adeò nimirum omnis virtus pudore & verecundiâ continetur, vt etiam bellica virtus & fortitudo ab ea pendere videatur. Aiax 15. Iliados, verſu 561. Pudor.

Ὦ φίλοι ἀνέρες ἔστε, καὶ αἰδῶ θέσθ' ἐνὶ θυμῷ
Ἀλλήλους τ' αἰδεῖσθε κατὰ κρατερὰς ὑσμίνας
Αἰδομένων δ' ἀνδρῶν πλέονες σόοι ἠὲ πέφανται.
Eſte viri comites animóque adhibete pudorem
Mutua pugnantes veſtri reuerentia tangat
Permultis pudor eſſe ſolet via certa ſalutis.

Et Plato primo de legibus ſub finem: Δύο γὰρ οὖν ἴσον τὰ τὴν νίκην ἀπεργαζόμενα, θάῤῥος μὲν πολεμίων, φίλων δὲ φόβος αἰσχύνης. *Duo ſunt igitur quæ adferunt victoriam, audacia erga hoſtes, timor turpitudinis erga amicos.* Et poſteà: ἐν τούτοις δέον αὖ ὡς ἔοικεν εἴη τὸ μελετᾷν ὡς ἥκιστα εἶναι ἀναισχύντους τε καὶ θρασύτητος γέμοντας. φοβεροὺς δ' εἰς τὸ τολμᾷν ἑκάστοτε λέγειν ἢ πάσχειν, ἢ καὶ δρᾷν αἰσχρὸν ὁτιοῦν. *In eo, vt videtur, exerceri opus eſt, vt minimè ſimus impudentes pleníque audaciæ: ſed potiùs ita timidi, vt nihil turpe, aut dicere, aut pati, aut facere audeamus.* Pythagoras in aureis carminibus reuerentiam verecundiámque ſui ipſius ſic oſtendit morum honeſtati conuenire.

--πρήξῃς δ' αἰσχρόν ποτε μήτε μετ' ἄλλου
Μήτ' ἰδίῃ. πάντων δὲ μάλιστ' αἰσχύνεο σαυτόν.

Id eſt ſecundum Grutteri verſionem.

--nec quicquam ſociis aut teſtibus, aut te
Solo turpe geras, ſummus pudor ipſe tibi ſis.

In quem locum Hierocles ſanè eleganter. Ἐὰν γὰρ ἐθισθῇς σαυτὸν αἰσχύνεσθαι, ἕξεις πανταχοῦ ὃν αἰδεσθήσῃ οἰκειότατον φύλακα, καὶ ἀναπόδραστον. ἐπεὶ πολλοὶ μονωθέντες φίλων ἢ οἰκετῶν, ἔδρασαν ταῦτα ἃ παρόντων δι' ἐκείνους ποιῆσαι ᾐσχύνοντο. ἆρ' οὖν οὐδένα εἶχον συνόντα; ἐῶ θεόν. (πόῤῥωτέρω γὰρ οὗτος τῆς τῶν κακῶν συνειδήσεως) ἀλλ' ἑαυτοὺς οὐκ εἶχον καὶ τὸ τῆς συνειδότος κριτήριον; εἶχον μὲν οὖν. ἀλλ' ἠγνόουν ὅτι εἶχον, τοῖς πάθεσι καταπεπνιγμένοι. οἱ δὲ τοιοῦτοι τὸ ἑαυτοῖς λογικὸν ἄτιμον καὶ ἀνδραπόδου Pudor ſui ipſius.

φαυλότερον ἔθεντο. οἰκειότατον οὖν ἐπίτροπον ἔχε σεαυτόν. καὶ πρὸς τοῦτον ἐπιστρέφων κατάρχου τῆς ἀποτροπῆς τῶν κακῶν. ἡ γὰρ ἑαυτοῦ αἰδὼς ἑκάστου ψυχῇ τῶν αἰσχρῶν καὶ ἀναξίων τῆς λογικῆς οὐσίας ἐξ ἀνάγκης γίνεται. Vide apud Stobæum ſermone 222. Democriti, Theophraſti, Muſonij, Catonis hac de re ſententias. Galenus libro de cognitione & curatione morborum animi, quem mihi locum Theodorus Marcilius indicauit. Σὺ δὲ σεαυτὸν αἰδοῦ μάλιστα πειθόμενος τῷ φάντι, Πάντων δὲ μάλιστ' αἰσχύνεο σεαυτόν. *Tu autem te ipſe verere potiſsimùm, obtemperans illi qui præcepit*, &c. Thales apud Auſonium: *Turpe quid auſurus te ſine teſte time.* Præclarè Seneca epiſt. 25. de Epicuri ſententiâ. *Sic fac*, inquit, *omnia tanquam ſpectet aliquis.* Prodeſt ſine dubio cuſtodem ſibi impoſuiſſe, & habere quem reſpicias quem intereſſe cogitationibus tuis iudices, &c. *Omnia nobis mala ſolitudo perſuadet. Cùm iam profeceris tantùm vt tibi ſit etiam tui reuerentia, licebit dimittas pædagogum. interim te aliquorum auctoritate cuſtodi.* & alia in hanc ſentētiam, quæ tu vide. vt mirum non ſit ſi Symmachus lib. 10. epiſt. 1. *pudorem virtuti cognatum* nominarit. ſed de pudore, ac præcipuè reuerentia ſuiipſius, vide Stobæum ſerm. 21.

II. VT HVIC VIRILEM TOGAM DEDIT.] De togâ virili, prætextâ puerili, item de ritibus quibus virilis toga ſumeretur pro Sextio §. 144. dictum eſt. nunc illud dicere ſuffecerit, non priùs ſumptam fuiſſe quàm pater iudicaſſet, Cicero pro Sextio, §. 144. *Cui ſuperior annus idem, & virilem patris, & prætextam populi iudicio togam dederit, hunc hoc anno in hac toga, rogationis iniuſtiſsimæ ſubitam acerbitatem pro patre fortiſsimo & clariſsimo ciue deprecantem.* Etſi perpetua conſuetudo fuiſſe videatur, vt prætextam puerilem anno 14. deponerent, nec alio patrum iudicio indigerent. Tertullianus lib. de velandis Virginibus, cap. 11. *Tempus etiam Ethnici obſeruant, vt ex lege naturæ iura ſua ætatibus reddant. nam fœminas quidem à duodecim annis, maſculum verò à duobus ampliùs ad negotia mittunt, pubertatem in annis, non ſponſalibus aut nuptiis decernentes. Materfamiliæ vocatur, licet virgo, & paterfamiliæ, licet inueſtis.* Macrobius in ſomnium Scipionis, *Poſt annos autem bis ſeptem ipſa ætas neceſsitate pubeſcit. tunc enim moueri incipit vis generationis in maſculis, & purgatio fœminarum. ideò & tutela pueris, quaſi virile iam robur abſoluitur: de qua tamen fœminæ propter votorum feſtinationem, maturiùs biennio legibus liberantur.* quibus ex locis colligi videtur non ſolùm patris iudicio, ſed etiã ipſis legibus certum fuiſſe annum ætatis ad ſumendam togam virilem præſtitutum. Res, vt exiſtimo, ſic componi poterit, ſi dicamus legibus quidem conſtitutum fuiſſe tempus quod nefas eſſet præuenire, differri tamen poſſet ad patris arbitratum, vnde & nonnullos anno ætatis decimo ſeptimo togam virilem ſumpſiſſe compertum eſt. Adde non patris ſolùm id fuiſſe iudiciũ, ſed etiam matris eo demortuo, cùm tunc temporis toga virilis ante maternos lares ſumeretur. Sic enim Propertius cùm dixiſſet elegia 1. lib. 4. verſu 128.

Oſſáque legiſti non illâ ætate legenda
Patris, & in tenues cogeris ipſe lares.

Subiecit verſu 130.

Mox vbi bulla rudi dimiſſa eſt aurea collo
Matris & ante Deos libera ſumpta toga eſt.

Quo anno toga virilis ſumebatur.

HOC LOCO DE ME.] Reticentia eſt qua curſum ſuæ orationis abrumpit. *Qui vt huic virilem togam dedit. Nihil dicam hoc loco de me.* Cæterùm magna eſt impudentiæne dicam an conſcientiæ ſecuritas, quòd pudicitiæ ſuæ famam iudicum exiſtimationi permiſerit. quem tamen omni libidine infamem aliqui prodiderunt. Quidam fortaſſe ignorantiâ, vt auctor inuectiuæ in Ciceronem nomine Salluſtij, §. 2. *Vxor ſacrilega ac periuriis delibuta, filia matris pellex, tibi iucundior atque obſequentior, quàm Parenti par eſt.* & §. 5. *Cuius nulla pars corporis à turpitudine vacat.* alij ex inuidiâ vt aliquam labem nomini Ciceronis aſpergerent. vt Dio (quem alij Caſſium Stobæus Romanum appellat) à quo Calenus ita de Cicerone loquens inducitur. τὴν γυναῖκα προαγωγεύειν καὶ τὴν θυγατέρα μοιχεύειν, *fuiſſe coniugis lenonem & filiæ conſtupratorem.* Præter alia conuitiorũ plauſtra, quæ ibidem in eum congeruntur. alij demum vt ſuis nequitiis tanti viri auctoritatem prætexerent. vt Plinius Iunior ep. 4. lib. 7. III.

Mores Ciceronis.

Laſciuum inueni ludum Ciceronis, & illo
Spectandum ingenio, quo ſeria condidit, & quo
Humanis ſalibus multo varióque lepore
Magnorum oſtendit, mentes gaudere virorum.

Et cætera quæ pudet hîc adſcribere. ex quibus agnoſcas diuini illius oraculi veritatem, *tradidit illos Deus in paſsiones ignominiæ*, &c. facit tamen vt addubitem ipſius Ciceronis fiducia, conſcientiæque illa ſecuritas, quæ non ſolùm hic, ſed aliis etiam orationibus elucet.

Adoleſcentes ad claros viros deducti.

AD ME ESSE DEDVCTVM.] Omnibus id moris apud Romanos fuiſſe compertum eſt, vbi patres liberos ſumptâ virili togâ bonis artib. imbuendos deducerent. Cicero de amicitia. *Ego autem à patre ita eram deductus ad Scæuolam ſumptâ virili toga, vt quoad poſſem & liceret, ab eius latere nunquam diſcederem.* Et Philippica 2. §. 3. *At enim te in diſciplinam meam tradideras, nam ita dixiſti, domum meam ventitaras. Næ tu ſi id feciſſes, meliùs famæ, meliùs pudicitiæ tuæ conſuluiſſes.* quæ conſuetudo à Perſio ſat. 5. à verſu 30. penè ad 50. fusè deſcribitur. inter cætera. IV.

Me tibi ſuppoſui, teneros tu ſuſcipis annos
Socratico Cornute ſinu.

Sed in re lippis & tonſoribus notâ non eſt quod diutiùs immoremur. Vide quæ 2. Philipp. §. ex auctore dialogi de oratoribus qui Tacito inſcribitur Plinio Iuniore, ep. 14. lib. 8. Platone 5. de legibus, & aliis adferentur.

ÆTATIS FLORE.] Infrà §. 79. *Nolite, Iudices, aut hunc iam naturâ ipſa occidentem, velle maturiùs extingui vulnere veſtro quàm ſuo fato, aut hunc nunc primùm floreſcentem firmatâ iam ſtirpe virtutis, tanquam turbine aliquo aut ſubitâ tempeſtate peruertere.* Liuius lib. 10. dec. 4. *Latera Regis duo filij iuuenes cingebant, Perſeus iam triceſimum annum agens, Demetrius quinquennio minor, medio iuuentæ robore ille, hic flore; Fortunati patris matura ſoboles ſi mens ſana fuiſſet.* Sic apud Plutarchum in Ageſilao Iſadas Spartanus ab ætatis flore deſcribitur. ἦν μὲν γὰρ εὐπρεπὴς τὸ εἶδος, καὶ τὸ μέγεθος τοῦ σώματος, ὥραν δὴ ἐν ᾗ τὸ ἥδιστον ἀνθοῦσιν ἄνθρωποι περιόντες εἰς ἄνδρας ἐκ παίδων εἶχε. *Erat enim ſpecie & corporis magnitudine formoſus, ea ætate qua ſuauiſsimè florent homines è pueritia in virilem ætatem tranſeuntes.* Pindarus Ode 4. Pythiorum epodo tertio. V.

Flos ætatis.

--ὥστε φοινικανθέμου ἦρος ἀκμᾷ

Παιδὶ

Γαισὶ τούτοις ὄγδοιν   Θάλλει μέγας Ἀρκεσίλας.

Arceſilas inter liberos hos octaua pars floret, vt purpureos flores habentis veris in vigore.

Et Epodo 7.

--ἀλλ᾽ ἤδη με γηραι-

ὂν μέγας ἀλικίας ἀμφιπολεῖ.

Σὸν δ᾽ ἄνθος ἥβας ἄρτι πυμαίνει.

Sed iam me ſenilis pars ætatis circundat: at tuus flos ætatis feruet, ceu fluctuat.

Et quod non ita pridem è Dionyſiacis referebamus.

Ἥβης χρύσεον ἄνθος.

Auratus flos pubertatis.

AXIOMATA.

Tenerà ætas & aliorum libidini infeſta partim proprio cuiuſque pudore, partim parentum cuſtodià munienda eſt

Nihil de nobis facilè dicere debemus, tantum ſit quantum homines exiſtimant.

Adoleſcentes in ætatis flore debent bonis artibus erudiri.

ARGVMENTVM.

Duplici ratione vſi fuerant aduerſarij vt impudicitiam Cœlij probarent, altera à forma & oris dignitate petebatur, cui iam reſponſum eſt, altera à Catilinæ familiaritate, cui crimini ſic reſpondet, vt Cœlium quidem Catilinæ familiarem aliquando fuiſſe fateatur, ſed eo tempore fuiſſe neget, quod ſuſpicionem de impudicitià adferre potuiſſet.

NAM quòd Catilinæ familiaritas obiecta Cœlio eſt, longè ab iſta X.
ſuſpicione abhorrere debet. hoc enim adoleſcente, ſcitis conſulatum mecum petîſſe Catilinam. ad quem ſi acceſſit, aut ſi à me diſceſſit vmquam (quamquam multi boni adoleſcentes illi homini nequam atque improbo ſtuduerunt) tum exiſtimetur Cœlius Catilinæ nimiùm familiaris fuiſſe. At enim poſtea ſcimus, & vidimus eſſe hunc in illius amicis. quis negat? ſed ego illud tempus ætatis, quod ipſum ſua ſponte infirmum aliorum libidine infeſtum eſt, id hoc loco defendo. fuit aſſiduus mecum, prætore me: non nouerat Catilinam: Africam tum prætor ille obtinebat: ſecutus eſt annus: cauſſam de pecuniis repetundis Catilina dixit: mecum erat hic: illi ne aduocatus quidem venit vmquam. deinceps fuit annus quo ego conſulatum petiui: petebat Catilina mecum: numquam ad illum acceſſit, à mé numquam receſſit.

EXPLANATIO.

NAM QVOD.] Nullam vim habet ad ſuſpicionem faciendam illud argumentum quo vſus eſt Atratinus, vt Cœlium impudicum fuiſſe oſtenderet.

Catilinæ familiares parum honeſtè pudicitiam habuerunt.

Sed Marcus Cœlius fuit Catilinæ familiaris.

Ergo parum honeſtè pudicitiam ſuam habuit.

HOC ENIM ADOLESCENTE.] Libet hic reſponſionem ad ſyllogiſmum ac dialecticas regulas exactam exhibere, vt liquidiùs vis eius appareat.

Catilinæ familiares parum honeſtè pudicitiam habuerunt.

Diſtinguo maiorem, Catilinæ familiares adoleſcentes qui agebant illud tempus ætatis, quod ipſum ſuâ ſponte infirmum, aliorum libidine infeſtum eſt, parum honeſtè pudicitiam habuerunt. tranſeat maior propoſitio.

Omnes Catilinæ familiares etiam illi qui viri inter viros erant, & ætate iam corroborati, parum honeſtè pudicitiam habuerũt, nego maiorẽ.

Sed Marcus Cœlius fuit Catilinæ familiaris.

Diſtinguo minorẽ. fuit Catilinæ familiaris cùm ageret illud tempus ætatis quod ipſum ſuâ ſpõte infirmum, aliorum libidine infeſtum eſt, nego minorem. Fuit Catilinæ familiaris cùm iam ætate corroboratus vir inter viros exiſteret, concedo minorem. *Ergo*, &c. nego conſequentiam.

Negatio concluſionis habetur primis illis verbis, *nam quod Catilinæ, &c. abhorrere debet.* prior pars diſtinctionis qua maior propoſitio diſtinguitur illis §. ſequenti. *qua in ætate niſi qui ſe, &c. effugere non poterat.* altera diſtinctionis pars eodem §. *Sed qui prima illa initia ætatis, &c. nemo loquebatur.* Iam minoris propoſitionis diſtinctio, quoad priorem partem illis. *Sed ego illud tempus, &c. à me nunquam receſſit.* quoad poſteriorem verò illis verbis, *at enim, &c. Quis negat* continetur. illa verò verba, *hoc enim adoleſcente, &c. nimium familiaris fuiſſe,* ad priorem diſtinctionis minoris partem ſunt referenda.

HOC ENIM ADOLESCENTE.] Vno aut altero anno poſtquam depoſuit prætextam puerilem.

QVANQVAM MVLTI BONI ADOLESCENTES. Ideò dictum eſt in reſponſione ad propoſitionem *tranſeat maior,* non autem *concedo maiorem,* quòd non neceſſariò ſequeretur impudicum eſſe, eum adoleſcentem qui ſe Catilinæ familiaritati addixerat, cùm id multis etiam bonis adoleſcentibus còntigiſſet.

POSTEA.] Cùm ſemel repulſam paſſus Catilina, ſecundo peteret Conſulatum.

HVNC IN EIVS AMICIS.] Cœlium in Catilinæ familiaribus.

ILLVD TEMPVS ÆTATIS.] Quod proximè ſequetur virilis togæ ſumptionem.

Id hoc loco defendo.] Hanc criminationem auerto atque depello à Cœlio. vide notas.

Secvtvs est annvs.] Torquato & Cottâ Conſulibus.

Cavsam de pecvniis repetvndis Catilina dixit.] *Accuſante P. Clodio.*

Mecvm erat hic: illi, &c.] Cœlius eo anno à meo latere non diſcedebat. adeò verò Catilinæ non erat familiaris, vt ne adfuerit quidem eius iudicio, & ad fauorem conciliandum præſentiam ſuam ei commodarit.

Deinceps fvit annvs.]

Nvnqvam ad evm accessit.] Nunquam cum eo deſcendit in comitia ad gratiam populi ſuâ præſentiâ colligendam.

NOTÆ.

I. Catilinæ familiaritas. Catilinæ familiaritas.] Quàm pernicioſa fuerit & inquinata Catilinæ familiaritas, multis in locis Catilinariarũ oſtenditur. præſertim 2. §. 22. & 23. Salluſtius tamen nonnihil addubitat. *Scio fuiſſe nonnullos qui ita exiſtimarent, iuuentutem quæ domum Catilinæ frequentabat, parum honeſtè pudicitiam habuiſſe, ſed ex aliis rebus magis, quàm quòd cuiquam id compertum foret, hæc fama valebat.*

II. Infestvm.] Gellius lib. 9. cap. 12. *Et is infeſtus appellatur, qui malum infert cuipiam: & contra cui aliunde impendet malum, is quoque infeſtus dicitur.* Poſteriorem ſignificationem probat exemplo Plancianæ. *Dolebam, Iudices, & acerbè ferebam, ſi huius ſalus ob eam ipſam cauſſam eſſet infeſtior, quòd is in eam ſalutem atque vitam ſuâ beneuolentiâ, præſidio, cuſtodiáque texiſſet.* Sic paſſim dicimus iter infeſtum latronibus. pergit Gellius. *Nos igitur de origine & ratione verbi quærebamus: atque ita in Nigidianis commentariis inuenimus ſcriptum. Infeſtum à feſtinando dictum: Nam qui inſtat, inquit, alicui, eúmque properans vrget, opprimeréque eum ſtudet feſtinátque, aut contrà de cuius periculo & exitio feſtinatur, is vterque infeſtus dicitur ab inſtantiâ atque imminentiâ fraudis, quam vel facturus cuipiam, vel paſſurus eſt.*

III. Defendere. Id hoc loco defendo.] Sic explanaui. *Hanc à Cœlio criminationem auerto atque depello.* Quemadmodum dicimus hoſtes defendere, id eſt depellere, ſiue ἐκποδὼν ποιῆσαι. Præiuit mihi Gellius lib. 9. noct. Att. capite 1. *Quod autem ait idem Quintus Claudius* Quadrigarius *à pinnis hoſtes defendebant facillimè:* animaduertendum eſt vſum eſſe eum verbo *defendebant* non ex vulgari conſuetudine, ſed admodum propriè & latinè. *Nam defendere & offendere inter ſe aduerſa ſunt, quorum alterum ſignificat* ἐμποδὼν ἔχειν: *alterũ* ἐκποδὼν ποιῆσαι, *quod hoc in loco à Q. Claudio dicitur.* Nonnius Marcellus cap. 4. *Defendere, vindicare, depellere.* Virgilius buc.

. Solſtitium pecori defendite.--

Defendere, tueri, depellere. Ennius Achille.

Serua ciues, defende hoſtes cùm potes defendere.

Horatius:

Defendit æſtatem capellis
Vſque meis pluuióſque ventos.

Cæſar lib. 1. de bello Gallico. *Et quod bellum non intulerit, ſed defenderit.* eodem, ni fallor, ſenſu Terentius in Adelphis, actu 4. ſc. 5.

--hæc, mi Pater,
Te dicere æquum fuit, & id defendere.

Id eſt & hanc iniuriam prohibere, quod etiam linguâ vernacula locum habet. *defendere* enim tam ſignificat *prohibere* quàm *tueri.*

Assidvvs.] Lex eſt 12. tabularum. *Aſſiduo vindex aſſiduus eſto, proletario ciui, quiuis volet, vindex eſto.* quam legem Iulius Paulus exponens apud Gellium lib. 16. noct. Attic. cap. 10. IV. Aſſiduus. *Aſſiduus*, inquit, *in duodecim tabulis & pro locuplete, & facilè munus faciente, dictus ab aſſibus, id eſt ære dando, cùm id tempora Reip. poſtularent: aut à muneris pro familiari copia faciendi aſſiduitate.* Ego facilè crediderim nomen ab aſſidendo deductum, quo ſenſu Cœlius aſſiduus fuiſſe cum Tullio dicitur, quia ſic adhærebat, ſic perpetuò aſſidebat, vt ab eius latere nunquam diſcederet: & fortaſſe aſſidui ciues dicti ſunt non ab aſſibus dandis, ſed ab aſſidendo: quod in vrbe verſarentur, & ita diſtinguerentur à ruſticanis. Megaronides Plautinus Trinummo act. 1. ſc. 2.

Nihil eſt profecto ſtultius, neque ſtolidius,
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque periurius
Quam vrbani aſſidui ciues, quos ſcurras vocant, &c.

Ruſticanos autem proletarios dictos putem, quòd prolem armis aptiorem Reipubl. ſubminiſtrarent. vide Vegetium cap. 3. lib. primi, vbi fusè probat meliores eſſe tyrones qui ex agris, quàm qui ex vrbibus deliguntur.

V. Catilina cauſſam dixit de repetundis. Cavsam de pecvniis repetvndis.] Quæ forma eſſet huius Iudicij, & qui cauſam dicerent de pecuniis repetundis, alij ex profeſſo dixerunt. De Catilinâ Salluſtius. *L. Tullo & M. Lepido Coſſ. P. Antronius & P. Sulla deſignati Conſules, legibus ambitus interrogati, pœnas dederant. pòſt paulò Catilina pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat petere Conſulatum; quod intra legitimos dies profiteri nequiuerit.* Cicero in fragmentis orationis contra Antonium & Catilinam competitores. *In Iudiciis*, inquit, *quanta vis eſſet, didicit, cùm eſt abſolutus, ſi aut illud Iudicium, aut illa abſolutio nominanda eſt.* Ad quem locum Aſconius Pedianus: *Ante annum*, inquit, *quam hæc dicerentur, Catilina cùm rediſſet ex Africâ Torquato & Cottâ Coſſ. accuſatus eſt repetundarum à P. Clodio adoleſcente, qui poſtea inimicus Ciceronis fuit. Defenſus eſt Catilina vt Feneſtella tradit, à Marco Cicerone, quod ego vt addubitem, hæc ipſa Ciceronis oratio facit.*

VI. Aduocatus. Advocatvs.] Idem Aſconius. *Qui defendit*, inquit, *alterum in iudicio, aut patronus dicitur, ſi orator eſt, aut aduocatus, ſi aut ius ſuggerit, aut præſentiam ſuam commodat amico, aut procurator ſi abſentis negotium ſuſcipit, aut cognitor ſi præſentis cauſam nouit, & ſic tuetur, vt ſuam.* Cicero pro Murena. *Si turpe exiſtimas te aduocato illum ipſum quem contra veneris causâ cadere.* Elegans eſt illud Macrobij de Auguſto, lib. 2. Saturnal. cap. 4. *Veteranus cùm die ſibi dicto periclitaretur, acceſſit in publico ad Cæſarem, rogauítque vt ſibi adeſſet. Ille aduocatum quem ex comitatu ſuo elegerat, ſine morâ dedit, commendauítque ei litigatorem. Exclamauit ingenti voce veteranus: At non ego, Cæſar, periclitante te Actiaco bello vicarium quæſiui, ſed*

pro te ipſe pugnaui: detexitque impreſſas cicatrices. Erubuit Cæſar, venítque in aduocationem. Vlpianus D. De extraord. cognit. l. Præſes. *Aduocatos accipere debemus omnes omnino qui cauſis agendis quoquo ſtudio operantur.*

AXIOMA.

Primum ſurgentis adoleſcentiæ tempus ſua ſponte infirmum, aliorum libidine infeſtum eſt.

ARGVMENTVM.

Probat exemplo maiorum non inquirendum vlteriùs de pudicitiâ Marci Cœlij, cùm ſe primis adoleſcentiæ annis, eo maximè quo ſumpſit virilem togam purum illibatúmque ſeruauerit.

XI. TOT igitur annos verſatus in foro ſine ſuſpicione, ſine infamia, ſtuduit Catilinæ iterum petenti. quem ergo ad finem putas cuſtodiendam illam ætatem fuiſſe? Nobis quidem olim annus erat vnus ad cohibendum brachium toga conſtitutus, & vt exercitatione ludóque campeſtri tunicâ vteremur: eadémque erat, ſi ſtatim mereri ſtipendia cœperamus, caſtrenſis ratio, ac militaris. qua in ætate, niſi qui ſe ipſe ſua grauitate, & caſtimonia, & cùm diſciplina domeſtica, tum etiam naturali quodam bono defenderat, quoquo modo à ſuis cuſtoditus eſſet, tamen infamiam veram effugere non poterat. Sed qui prima illa initia ætatis integra, atque inuiolata præſtitiſſet, de eius fama ac pudicitia, cùm is iam ſe corroborauiſſet, ac vir inter viros eſſet, nemo loquebatur.

EXPLANATIO.

TOT IGITVR ANNOS.] Quatuor annos, vnum meæ præturæ, duos qui inter Præturam & Conſulatum meum fluxerũt, quartum annum mei Conſulatus.

SINE SVSPICIONE.] Impudicitiæ, cùm nunquam aut à meo, aut à M. Craſſi caſtiſſimi viri latere diſcederet.

STVDVIT CAT. ITERVM PETENTI.] Petenti Conſulatum Sileno & Murena competitoribus, cùm iam antè, me & C. Antonio competitoribus repulſam tuliſſet in petitione Conſulatus.

QVEM ERGO AD FINEM.] Vis eſt ſyllogiſmi.

Non eſt vlteriùs inquirendum de eius pudicitiâ, qui ſe caſtum ineunte adoleſcentiâ ſeruauerit.

Sed M. Cœlius ineunte adoleſcentiâ ſe caſtum ſeruauit.

Ergo non eſt vlteriùs inquirendum de eius pudicitiâ.

Maior propoſitio his verbis, *Quem ergo ad finem putas cuſtodiẽdam illam ætatem fuiſſe?* aſſumptio illis, *tot igitur, &c. iterum petenti* continetur. concluſio tanquam nota & facilis prætęritur.

NOBIS QVIDEM OLIM.] Probatio eſt propoſitionis in hanc ſententiam. Certus erat annus apud maiores ad ſumendam togam virilem conſtitutus, quo anno qui ſe modeſtum ſeruauerat, per totam vitam pudicus credebatur, neque fas erat de eius pudicitia vlterius inquirere. Ergo non eſt vlterius inquirendum de eius pudicitiâ & moribus, qui ſe ineunte adoleſcentiâ, modeſtum pudicúmque ſeruauerit.

ET VT EXERCITATIONE.] Maiores cùm viderent ex illo anno, qui ſequitur virilis togæ ſumptionem, iudicari de totâ vitâ, illo tempore ſibi maximè cauebant, ne vllam darent occaſionem ſiniſtrè de ipſorum pudicitiâ ſuſpicandi, ideóque cùm alij in campo Martio nudi ſe luctâ, diſco, natatione & aliis exercerent, ipſi tunicas gerebant ad maiorem pudoris pudicitiæque cuſtodiam.

EADEMQVE ERAT.] Eandem etiam adhibebant in militia cautionem, ſi primo anno quo togam virilem acceperant, militiam & caſtra ſequerentur.

INFAMIAM VERAM.] Impudicitiæ notam.

NOTÆ.

AD COHIBENDVM BRACHIVM TOGA.] Togæ palliíque diſtinctio ſic habetur apud Tertullianum de pallio, cap. 5. *Adeò nec artifice neceſſe eſt, qui pridie rugas ab exordio formet, & inde deducat in tilias, totúmque contracti vmbonis figmentum cuſtodibus forcipibus aſſignet: dehinc diluculo (tunicâ priùs cingulo correptâ, quam præſtabat moderatiorem texuiſſe) recognito rurſus vmbone, & ſi quid exorbitauit, reformato, partem quidem de læuo promittat, ambitum verò eius ex quo ſinus naſcitur, iam deficientibus tabulis retrahat à ſcapulis, & excluſa dextera in læuam adhuc congerat cum alio pari tabulato in tergo deuoto* (libenter legerim, *in terga deuoluto*) *atque ita hominem ſarcinâ veſtiat.* quibus, quod ſatis eſt ad hunc locum, aduertis communi togæ vſu dexteram liberam fuiſſe & expeditam. Subdit de pallio: *At enim pallio nihil expeditius etiamſi duplex, quod Cratetis more nuſquam veſtiendo componitur, quippe tota molitio eius operire eſt ſolutim, id eſt vno circumiectu, licet equidem nuſquam inhumano; ita omnia hominis ſimul contegit. humerum velans exponit,*

Toga.

Pallium.

vel includit, cætero qua in humerum adhæret nihil circumfulcit, nihil circumſtringit, nihil de tabularum fide laborat, facilè ſeſe regit, facilè reficit, etiam cùm reponitur nulli cippo in craſtinum demandatur, &c. quibus vides huiuſmodi pallium fuiſſe vt communi quidem vſu totum hominem ambiret, & vtramque manum inuolueret, ſed tamen dextra cùm opus eſſet, poſſet expediri, adeò licet pallium ad brachium cohibendum eſſet aptiùs; tamen togati perinde atque palliati ſiniſtram veſte continerent, cùm ſe volebant ad modeſtiam grauitatémque componere, quod antiquitùs, modeſtioribus videlicet ſeculis omnes togati faciebant. Quintilianus libro 11. de antiquis loquens: *Quorum brachium*, inquit, *ſicut Græcorum veſte continebatur.* Plinius libro 33. cap. 1. de annulis loquens. *Et quiſquis primus inſtituit cunctanter id fecit, læuiſque manibus ac latentibus induit, cùm ſi honos ſecurus fuiſſet, dextra fuerit oſtentandus.* Seneca lib. 5. controuerſiarum, cont. 5. *Apud patres noſtros qui forenſia ſtipendia auſpicabantur, nefas putabatur brachium extra togam exerere.* Colloquium quoddam in veteribus gloſſariis huc videtur alludere. ὡς δὲ τῷ ἐμῷ τόπῳ προσῆλθον, ἐκάθισα, προσέτεινα τὴν δεξιὰν, ἀριστερὰν ὑπέστειλα πρὸς τὰ ἱμάτια. *Vt ego meo loco acceſſi, ſedi, protuli manum dexteram, ſiniſtram perpreſſi ad veſtimenta.* Illo tamen, ni fallor, ſumptæ togæ virilis anno dextram etiam ſinu togæ inuolutam tenebant: nec plus æquo exerebant. vnde Horatius epiſt. 6. lib. 1. verſ. 51.

Brachium toga continebant.

--trans pondera dextram
Porrigere.

Id eſt, vlteriùs quàm par eſt, brachium è togâ protendere. & Lucianus in Iudiciis. ἐκτεῖναι τὴν χεῖρα ἐντὸς τῶν ὅρων. *manum iactare intra terminos.* Dexteram, inquam, eo anno ſolebant inuoluere. Artemidorus libro 1. cap. 56. χρὴ γὰρ τὸν ἔφηβον ἐν τῇ χλαμύδι καὶ τὴν δεξιὰν ἀνειλημμένην ἔχειν. διὰ τὸ ἀργὴν μὴ εἶναι καὶ πρὸς ἔργα, καὶ πρὸς λόγους τὴν χεῖρα. Alij legunt ex Suida: Διὰ τὸ ἀργὴν εἶναι εἰς ἔργα καὶ λόγους εἰς ἐνιαυτὸν, καὶ μὴ προϊέναι τὴν χεῖρα. *Oportet Ephebum in veſte etiam dexteram inuolutam habere. propterea quòd ad annum, tum ad opera, tum ad orationes manus eſt otioſa, nec promittitur.* Hanc lectionem confirmant Artemidori verba quæ ſequuntur, πρὸς ἐνιαυτὸν δ' εἶπον διὰ τὸν τῆς ἐφηβείας χρόνον. *ad annum dixi propter pubertatis tempus.* Hoc loco paucis animus eſt adhibendus. 1. quòd ait, καὶ τὴν δεξιὰν, *etiam manum dexteram*, innuit vtramque manum togâ fuiſſe contentam. 2. quòd ait eo anno manum fuiſſe otioſam, vt emendauimus è Suida, videtur innuere veteres, anno quo toga virilis ſumeretur, neque cauſas forenſes, neque magiſtratus, neque militiam, neque alias Reipub. partes attigiſſe. quibus tamen ipſe Cicero refragatur, peroratione Sextianæ de Lentuli filio ſic loquens: *Cui ſuperior annus idem, & virilem patris, & prætextam populi iudicio togam dederit.* & hoc ipſo loco: *Eadémque erat, ſi ſtatim mereri ſtipendia cœperamus, caſtrenſis ratio & militaris.* Ergo ſumptæ togæ virilis anno licebat, & magiſtratus gerere, & militare. Quare non Artemidorus è Suida, quod fecit Nicolaus Rigaltius, ſed po-

Præſertim primo anno tyrocinij.

tiùs Suidas ex Artemidoro fuerit corrigendus: dicendúmque eo potiſſimum anno dexteram fuiſſe veſte, & continendo fulciendóque togæ ſinu ſaltem occupatam, vt oſtenderetur, nec tum quidem cùm incederet, & ſpatiaretur manum debere eſſe otioſam. Neque verò nouum eſt Suidam à veteribus diſſidere: vt cum hoc ipſo loco ſubiungit: ἔνδημον δὲ χρὴ εἶναι τὸν ἐφηβεύοντα. *Eum, qui togam virilem ſumpſerit, ab vrbe diſcedere non oportet.* Cùm è Cicerone conſtet eos qui togam acceperant, poſſe ſtatim mereri ſtipendia. Quòd ſi Suidam excuſare velis, eum non de Romanis, ſed de Græcis intelliges, quibus etiam impendio curæ fuit manum pallio continere. Dio Chryſoſtomus in Boryſthenica de Calliſtrato adoleſcente. Αὐτὸς πάνυ κοσμίως προσῆλθεν. ὑπὸ τὸ ἱμάτιον τὴν χεῖρα ὑποστείλας. *Ipſe modeſtè admodum acceſſit, manum pallio inuoluens.* Plutarchus in Præceptis Politicis. Περικλῆς δὲ καὶ περὶ τὸ σῶμα, καὶ τὴν δίαιταν ἐξήλλαξεν ἑαυτὸν, ἠρέμα βαδίζειν, καὶ πράως διαλέγεσθαι, καὶ τὸ πρόσωπον ἀεὶ συνεστηκὸς ἐπιδείκνυσθαι, καὶ τὴν χεῖρα συνέχειν ἐντὸς τῆς περιβολῆς, καὶ μίαν ὁδὸν πορεύεσθαι τὴν ἐπὶ τὸ βῆμα, καὶ τὸ βουλευτήριον. *Pericles verò & circa corpus, vitaque rationem ſeipſum mutauit, vt lentè incederet, manſuetè loqueretur, vultum ſemper conſtantem oſtenderet, brachium veſte cohiberet, & vnam viam ad tribunal & Senatum inſiſteret.* Æſchines in Timarchum. ὃ νυνὶ πάντες ἐν ἔθει πεποιήκασι τὸ τὴν χεῖρα ἔξω ἔχοντες λέγειν, τότε τοῦτο θρασύ τι ἐδόκει εἶναι, καὶ εὐλαβοῦντο αὐτὸ πράττειν. *Quod nunc omnes in more poſitum habemus, vt brachio extra veſtem exerto orationem habeamus, hoc tum temporis petulans & audax videbatur, ſummámque cùm id facerent, cautionem adhibebant.* Quod ita probat. ὅτι ἐν τῇ ἀγορᾷ τῇ τῶν Σαλαμινίων ἀνάκειται ὁ Σόλων ἐντὸς τὴν χεῖρ' ἔχων. τοῦτ' ἔστιν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὑπόμνημα καὶ μίμημα τοῦ Σόλωνος σχήματος, ὃν τρόπον ἔχων αὐτὸς διελέγετο τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων. *Quòd Solonis imago in Salaminienſium foro poſita brachium veſte cohibeat. Hoc monimentum & ſimulachrum eſt Solonis (Athenienſes) ea compoſitione corporis qua ad populum habebat conciones.* Quod argumentum non tam refutat Demoſthenes De falſa legatione, quàm ioco diſcutere conatur. Οὐ λέγειν εἴσω τὴν χεῖρ' ἔχοντα, Αἰσχίνη, δεῖ, ἀλλὰ πρεσβεύειν εἴσω τὴν χεῖρ' ἔχοντα. *Non opus eſt in habendis orationibus, ô Æſchines, ſed in obeundis legationibus manum cohibere.* vide vtrumque. Cæterùm hic mos perorandi primùm à Cleone, cuius inſolentia frequenter à Thucydide, & Ariſtophane deſcribitur, mutatus eſt. Plutarchus in Gracchis Caium dicit, τῶν Ῥωμαίων πρῶτον ἐπὶ τοῦ βήματος περιπάτῳ τε χρήσασθαι, καὶ περισπάσαι τὴν τήβεννον ἐξ ὤμου λέγοντα, καθάπερ περὶ Κλέωνος ἱστορεῖται περισπάσαι τε τὴν περιβολὴν, καὶ τὸν μηρὸν πατάξαι πρῶτον τῶν δημηγορούντων. *Caium Gracchum ferunt in tribunali primùm omnium ambulaſſe, & deieciſſe togam ex humeris cùm peroraret, quemadmodum Cleonem Athenienſem tradunt, & pallium ex humeris reieciſſe, & crura percuſſiſſe primum omnium qui concionem habuerunt.* Neſcio an ad hanc in cohibendo brachio modeſtiam Philoſophus alluſerit 4. moral. cap. 3. Οὐδαμῶς τ' ἂν ἁρμόζῃ μεγαλοψύχῳ φεύγειν παρασείσαντι. *Non decet magnanimum fugere iactantem.* Hæc tamen diſtinctio fuit, vt iam

Error Suidæ.

Excuſatio Suidæ.

Mos Græcorum.

Brachio veſte cohibendo.

Quem primus mutauit Cleó.

ex Tertulliano aduertimus, quòd pallium vno circumiectu totum hominem circuntegeret, & humerum velans exponeret: at toga dexteram excluderet, & eam aliter non cohiberet, quàm ſi fuiſſet in ſinum immiſſa. Huc pertinent & illa Neptuni verba ad Deum Triballicum apud Ariſtophanem in Auibus.

Οὗτος τί δρᾷς; ἐπ' ἀριστέρ' οὕτως ἀμπέχῃ.
Οὐ μεταβαλεῖς θοἰμάτιον ὧς ἐπιδέξια;
Iſte quid agis? pallio læuam obtegis.
Ad dexteram tu pallium non transferes?

Vbi interpres. Τοῦτο λέγει τῷ βαρβάρῳ, τῷ συμπαρόντι αὐτῷ εἰς τὴν πρεσβείαν ὁ Ποσειδῶν, ὡς οὐκ ἐπιτηδείως περιβαλλομένῳ τὴν ἐσθῆτα. ἀλλ' ἐπ' ἀριστερὰ περιβαλλομένῳ, ὥσπερ οἱ Θρᾷκες. *Hoc dicit barbaro qui ipſi aderat ad legationem Neptunus, quippe qui inconcinniùs veſtem componeret, ſed ad ſiniſtram reiiceret more Thracum.* E quibus colligere eſt ne dextrũ quidem brachium apud Athenienſes fuiſſe penitùs expeditum. Sed quod magis ad Ciceronem facit, videre poteris apud Xenophontem, vnde mos ille ad Romanos manauerit, vt quo anno togam virilem ſumpſiſſent, brachium toga cohiberent, lib. de Republ. Lacedæmoniorum. Ὅταν γε μὴν ἐκ παίδων εἰς τὸ μειρακιοῦσθαι ἐκβαίνωσι, τηνικαῦτα οἱ μὲν ἄλλοι παύουσι μὲν ἀπὸ παιδαγωγῶν, παύουσι δὲ καὶ ἀπὸ διδασκάλων, ἄρχουσι δ' οὐδένες ἔτι αὐτῶν, ἀλλ' αὐτονόμους ἀφιᾶσιν. ὁ δὲ Λυκοῦργος καὶ τούτων ἐναντία ἔγνω. *Cùm verò à pueritia ad adoleſcentiam peruenerint, tunc alij quidem à pædagogis & doctoribus ſunt liberi, neque quiſquam iis iam imperat, ſed ſui iuris & liberi dimittuntur. at Lycurgus conſtituit planè contrarium.* Πρὸς δὲ τούτοις τὸ αἰδεῖσθαι ἰσχυρῶς ἐμφυῶσαι βουλόμενος, αὐτοῖς καὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐπέταξεν ἐντὸς τοῦ ἱματίου τὼ χεῖρ' ἔχειν, σιγῇ δὲ πορεύεσθαι, περιβλέπειν δὲ μηδαμοῖ, ἀλλ' αὐτὰ τὰ πρὸ τῶν ποδῶν ὁρᾶν. *Volens in ipſis verecundiam altis inſerere radicibus, & in viâ conſtituit eos Manus veſte cohibere, & cum ſilentio incedere, & nullam in partem circunſpicere, ſed oculos terræ habere defixos.*

A Spartanis mos cohibẽdi brachij traductus.

Atque hæc ſufficiunt, vt & explicetur orator, & ab obſcœnitatis ſuſpicione vindicetur. quam obſcœnitatem nonnulli pro puro putóque Ciceronis ſenſu conantur obtrudere. Abs re tamen non fuerit notare iam apud Perſas hanc conſuetudinem viguiſſe, vt ſiue verecundiæ, ſiue reuerentiæ cauſa brachium veſte inuoluerent. Idem Xenophon lib. 2. rerum Græcanicarum. Κῦρος ἀπέκτεινεν Αὐτοβοισάκην, καὶ Μιτραῖον, υἱεῖς ὄντας τῆς Δαριαίου ἀδελφῆς τῆς τοῦ Ξέρξου τοῦ Δαρείου πατρὸς, ὅτι αὐτῷ ἀπαντῶντες οὐ διέωσαν διὰ τῆς κόρης τὰς χεῖρας, ὃ ποιοῦσι βασιλεῖ μόνῳ. ἡ δὲ κόρη ἐστὶ μακρότερον ἢ χειρὶς, ἐν ᾗ τὴν χεῖρ' ἔχων οὐδὲν ἂν δύναιτο ποιῆσαι. *Cyrus Autobœſacem & Mitræum Dariææ ſororis Xerxis qui Darij pater fuit filios, iuſsit interfici, quia ipſi occurrentes manus cora haudquaquam obuoluerant, qui honos ſolis Regibus exhibetur. Eſt verò cora manu longior, qua qui manum inuoluerit facere nihil poteſt.* Vides me pro Δαριαίου legere Δαριαίης, pro διέωσαν, διέζωσαν, pro ἡ χειρὸς, τῆς χειρὸς, ſic exigente ſententia. Supereſſet inquirendum qui potiſſimum annus fuerit ad *cohibendum toga brachium* conſtitutus, ſed cum patris iudicio & arbitratu modo decimoquarto, modo aliis ad octauum & decimum ſumeretur, certi nihil adferri poteſt: tantùm aduerte, quod ait Tullius, ex hoc anno de reliqua vita fuiſſe iudicatum. nam vt ait Artemidorus, & poſt eum Suidas locis citatis, σχεδὸν ἡ ἐφηβεία κανών ἐστι ὀρθοῦ βίου καὶ ὑγιοῦς. *Ferè annus pubertatis eſt regula rectæ & ſanæ vitæ.* Et vt finiam, cui plus erit otij quærat qui dicantur, βούπαιδες, μάλληκες, αὐτίπαιδες, μελλέφηβοι, ἔφηβοι, τελάκαπτοι, ὑπόδρομοι, ἀξέσηβοι. multa horum reperiet apud Ammonium in differentiis, & Cenſorinum de die natali.

Item à Perſis.

Exprimo tyrocinij anno de reliquâ vitâ fuit iudicium.

EXERCITATIONE CAMPESTRI.] Non eſt hic animus omnia quæ ad exercitationem cãpeſtrem ſpectant fuſiùs explicare. tria breuiter hoc loco præſtabimus. 1. de nomine campeſtris exercitationis. 2. de eius vtilitate. 3. de variis eius generibus diſſeremus. Quod ſpectat ad nomen, id à Campo Martio, vbi ſe iuuenes exercebant, ad Tiberim videlicet, deductum eſt. Horatius lib. 1. carm. Ode 8. II.

Exercitatio ſiue meditatio campeſtris.

--cur apricum
Oderit campum patiens pulueris atque ſolis.

Plinius in Panegyrico: *Quid apud milites quam admirationem quemadmodum comparaſti quùm tecum inediam, tecum ferrent ſitim? quùm in illa meditatione campeſtri militaribus turmis, imperatorium pulverem ſudorémque miſceres?* Vegetius cap. 1. lib. 1. tyronem *quotidiano exercitio roborare, quæcunque euenire in acie, atque in præliis poßint, omnia in campeſtri meditatione prænoſcere, ſeuerè in deſides vindicare.* & cap. 3. *Sudorem curſu & campeſtri exercitio collectum nando iuuentus adluebat in Tiberi.* & ſæpe alibi. Ammianus Marcellinus libro 21. *Cùm apud Pariſios adhuc Cæſar Iulianus quatiens ſcutũ variis motibus exerceretur in campo, axiculis, queis orbis erat compaginatus, in vanum excuſsis anſa remanſerat, quam retinens validâ manu ſtringebat, territiſque vt omine diro præſentibus cunctis, Nemo, inquit, vereatur, habeo firmiter quod tenebam*, ſed non eſt in re tam facili diutiùs immorandum. Eius vtilitas his rationibus à Platone in Lachete oſtenditur. Δοκεῖ γὰρ ἐμοὶ καὶ τοῦτο τὸ μάθημα τοῖς νέοις ὠφέλιμον εἶναι, ἐπίστασθαι πολλαχῇ. 1. ne tempus rebus vanis aut etiam noxiis conteratur. 2. vt corpori ſanitas comparetur. 3. ne in ipſo pugnæ congreſſu animus inſuetus facilè terreatur. 4. vt etiam fugato exercitu, cùm hoſte ſequente congrediatur audentiùs. 5. vt animus hoc tyrocinio imbutus ad artem imperatoriam diſcendam excitetur. 6. vt decor quidam in motu corporis acquiratur. Omitto Xenophontem in œconomico & in libro de præfectura equeſtri, vt eas vtilitates attingam quas Romani hac campeſtri exercitatione ſunt conſecuti. Ioſephus de hac exercitatione non ſolùm militum Romanorum, ſed etiam calonum qui Romanum exercitum ſequebãtur, ſic agit libro tertio excidij, cap. 5. Θεραπόντων, οἱ παμπληθεῖς μὲν εἵποντο, διὰ δὲ συνάσκησιν πολεμικὴν, οὐκ ἂν ἀποταχθεῖεν τοῦ μαχίμου, κατὰ μὲν εἰρήνην ἐν ταῖς μελέταις τῶν δεσποτῶν ἀεὶ στρεφόμενοι, συγκινδυνεύοντες δ' ἐν πολέμοις, ὡς μήτ' ἐμπειρίας, μήτ' ἀλκῆς τινὸς, πλὴν τῶν δεσποτῶν ἐλαττοῦσθαι. *Serui quamplurimi ſequebantur, qui propter exercitationem, à pugnâ non erant remouendi, in pace iiſdem atque domini exercitiis aſſueti, idem cum iis in bello periculum adeuntes, vt eas tum vſu, tum fortitudine ſoli mortalium domini ſuperarent.* & cap. 6. de ipſa Romanorum exercitatione. Εἰ δέ τις αὐτῶν καὶ εἰς τὴν ἄλλην τῆς στρατιᾶς σύνταξιν ἀπίδῃ, γνώσεται καὶ τὴν τοσήνδε ἡγεμονίαν αὐτοὺς ἀρετῆς, κτῆμ' ἔχοντας, οὐ δῶρον τύχης. οὐ γὰρ αὐτοῖς ἀρχὴ τῶν ὅπλων ὁ πόλεμος, οὐδ' ἐπὶ μόνας τὰς

Eius vtilitas.

χρείας τὼ χεῖρε κινοῦσιν, ἐν εἰρήνῃ προηγηκότες, ἀλλ' ὥσπερ συμπεφυκότες τοῖς ὅπλοις οὐδέποτε τῆς ἀσκήσεως λαμβάνουσιν ἐκεχειρίαν. *Si quis ad reliquam militiæ rationem reſpexerit, is profectò videbit, eos tantùm imperium, vt virtutis ſuæ præmium, non vt fortunæ donum poßidere. neque enim bellum iis eſt armorum tractandorum principium, neque in ſolâ neceßitate mouent manus, tempore pacis ſegniter & ignauè tranſacto, ſed tanquam cum armis in lucem editi ſe ipſos ſine vllâ intermißione tractandis armis exercent.* Subdit: Καὶ οὐκ ἂν ἁμάρτοι τις εἰπὼν τὰς μὲν μελέτας αὐτῶν χωρὶς αἵματος παρατάξεις, τὰς παρατάξεις δὲ μεθ' αἵματος μελέτας. *Neque verbo lapſus fuerit, qui eorum exercitationes conflictus ſine ſanguine, conflictus verò cruentas exercitationes nominarit.* Illuſtre eſt caput primum Vegetij lib. 1. in hanc ſententiam, cuius rei reddit hanc rationem facta meditationis campeſtris mentione. *Scientia enim rei bellicæ, dimicandi nutrit audaciam. nemo facere metuit, quod ſe bene didiciſſe confidit. etenim in certamine bellorum exercitata paucitas ad victoriam planè promptior eſt: rudis & indocta multitudo expoſita ſemper ad cædem.* Vide. ex quo cum illo ſapiente apud Laërtium poſſis concludere, μελέτα τὸ πᾶν. Quod ſpectat ad exercitationum genera, eorum multa paucis quidem, ſed eleganter Auſonius in gratiarum actione complectitur. *In exercendo corpore, quis curſum tam perniciter incitauit? quis palæſtram tam lubricus expediuit? quis ſaltum in tam ſublime collegit? nemo abductius iacula contorſit; nemo ſpicula crebriùs iecit, aut certiùs deſtinata percußit. Mirabamur Poëtam qui infrænes dixerat Numidas, & alterum qui ita collegerat vt diceret, in equitando verbera & præcepta eſſe fugæ, & præcepta ſiſtendi,* &c. Breuiùs, etiam Plautus in Bacchidibus ſc. *Nunc experiar.*

Ibi curſu, luctando, haſta, diſco, pugilatu, pila,
Saliendo ſeſe exercebant.

Quis curſum tam perniciter incitauit. De curſu, ad quem exercebantur tyrones, ita Vegetius lib.
Curſus. 1. de re militari, cap. 9. *Militari ergo gradu viginti millia paſſuum horis quinque dumtaxat æſtiuis conficienda ſunt. Pleno autem gradu, qui citatior eſt totidem horis, viginti quatuor millia peragenda ſunt. Quicquid addideris iam curſus eſt, cuius ſpatium non poteſt definiri.* De eadem exercitatione curſus Sidonius Apollinaris carmine 5. ad Iulium Valerium Maiorianum Auguſtum, ver. circiter 175. De luctâ ſiue palæſtrâ Iulius Capitolinus in vitâ Maximini. *Exercebat cũ militib. ipſe luctam, quinos, ſenos, & ſeptenos iam grandæuus ad terram proſternens. Denique inuidentibus*
Lucta. *cunctis cùm quidam ſuperbior, magni corporis, virtutis notæ atque ideò ferocior ei dixiſſet: Non magnam rem facis ſi Tribunus tuos milites vincis. ille ait, viſne congrediamur. cúmque aduerſarius annuiſſet, venientem contra ſe palmâ in pectus percuſſum ſupinum reiecit, & continuò dixit, date alium, ſed Tribunum.* de luctâ Horatius.

--cur oliuum
Sanguine viperino
Cautiùs vitat.

Iuuenalis Sat. 6.

Luctantur paucæ, comedunt collyphia paucæ.

Tertullianus de pallio, cap. 4. *Vnde gentium in prouinciis meliùs exercitis, quas natura agro potiùs eluctando commodauit, ſtudia palæſtræ malè ſeneſcentia, & incaſſum laborantia, & lutea vnctio, & puluerea volutatio, & arida ſaginatio.* Item plerique alij, vt mirum ſit quid Vegetium commouerit, vt enumerãs alia Romanæ iuuentutis exercitia, luctam & palæſtram præteriret. Exercebantur præterea ad ſaltum, tum ad alios vſus, tum vt ſine ſuppedaneis in equos inſilirent. Sidonius carmine 2. ad Anthemium Auguſtum.

Inque frementis equi dorſum cum pondere conti
Indutas Chalybum ſaltu transferre cathenas. Saltus.

De iaculatione idem Horatius.

--ſæpè diſco Iaculatio.
Sæpe trans finem iaculo nobilis expedito.

7. Æneidos.

Aut acres tendunt arcus amentáque torquent.

Sidonius carmine 2.

Nunc tremulum tenero iaculum torquere lacerto.

Claudianus de tertio Conſulatu Honorij Auguſti de his exercitiis ſimul.

- tranſnare ſonoras
Torrentum furias, aſcenſu vincere montes,
Planitiem curſu, valles & concaua ſaltu,
Nec non in clypeo vigiles producere noctes,
In galea portare niues, nunc ſpicula cornu
Tendere, nunc glandes baleari ſpargere fundâ.

Alia item exercitia referuntur, vt clypei rotatio. Vegetius cap. 14. lib. 2. *Centurio eligendus eſt qui* Clypei rotatio.
ſit magnis viribus & procerâ ſtaturâ: qui haſtas vel miſſilia peritè iaculetur & fortiter: qui dimicare gladio, & ſcutum rotare doctißimè nouerit. Quo in genere rotationis Francos noſtros excelluiſſe, teſtatur Sidonius carmine quinto, cuius plures verſus quibus & Francorum habitus & exercitia, & robur animi ex his exercitiis collectum continetur, non grauabor aſſcribere, & vltra Romanæ exercitationis limites euagari. De Francorum igitur habitu ſic ſcribit.

-- Rutili quibus arce cerebri
Ad frontem coma tracta iacet, tum lumine glauco,
Albet aquoſa acies, ac vultibus vndique raſis
Pro barbâ tenues perarantur pectine criſtæ.
Strictiùs aſſuetæ veſtes, procera coërcent
Membra viri, patet iis arctato tegmine poples,
Latus & anguſtam ſuſpendit baltheus aluum.

Tum de Francorum exercitiis ſubiungit.

Excuſſiſſe citas vaſtum per inane bipennes,
Et plagæ præſciſſe locum, clypeóſque rotare
Ludus, & intortas præcedere ſaltibus haſtas,
Inque hoſtem veniſſe.

Tum de Francorum mira fortitudine.

--puerilibus annis
Eſt belli maturus amor. ſi fortè premantur
Seu numero, ſeu ſorte loci, mors obruit illos
Non timor: inuicti perſtant, animóque ſuperſunt
Iam prope poſt animam.--

Vide de hoc eodem exercitio Vegetium libro 1. cap. 11. *Scuta de vimine in modum cratium corrotundata texebant: itaut duplum pondus cratis haberet, quam ſcutum publicum habere conſueuit.* & quòd ſuperiùs dictum eſt ex Ammiano, *quatiens ſcutum variis motibus exercetur.* De natatione Vegetius lib. 1. cap. 10. quæ inter alias exer- Natatio.
citationes ab Horatio numeratur, Ode 8. lib. 1.

Cur timet flauum Tiberim tangere.

Et in ſat. *--ter vncti*

Tranant o Tiberim ſomno quibus eſt opus alto.

De exercitatione ad palum. Idem qui ſuprà Exercitatio ad palum.

Vegetius lib. I. cap. II. fuſiſſimè. & Iuuenalis Satura 6.

Endromidas Tyrias & fœmineum ceroma
Quis neſcit, aut quis non vidit vulnera pali
Quem cauat aßiduis ſudibus ſcutóque laceßit,
Atque omnes implet numeros digniſsima prorſus
Florali matrona tubâ.

Equitatus. Iam equitationem nemini dubium eſt inter priſcæ iuuentutis exercitia fuiſſe numeratam. Vegetius lib. I. cap. 18. *Equi lignei hyeme ſub tecto, æſtate ponebantur in campo: ſuper hos iuniores primo inermes, dum conſuetudine proficerent, demum armati cogebantur aſcendere. tantáque cura erat, vt non ſolùm à dextris, ſed etiam à ſiniſtris & inſilire, & deſilire condiſcerent, euaginatos etiam gladios, aut etiam contos tenentes.* Auſonius Gratiano: *Intelligimus te videntes, cùm idem arcum intenderes, & habenas remitteres,* &c. Sed omnium pulcherrimè Plutarchus in Pompeio: Τὴν πεζὴν ἐγύμναζεν ἐν Βρεττίᾳ καθήμενος, οὐκ ἀργὸς, ἀλλ' ὥσπερ ἀκμάζοντι χρώμενος αὐτῷ πρὸς τὰ γυμνάσια. μεγάλη γὰρ ἦν ῥοπὴ πρὸς τὸ θαῤῥεῖν τοῖς ὁρῶσι Πομπήϊον ἑξήκοντα ἔτη γεγενημένον, ἐν δὲ τοῖς ὅπλοις ἁμιλλώμενον πεζὸν, εἶτα ἱππότην αὖθις ἑλκόμενόν τε τὸ ξίφος ἀπραγμόνως θέοντι τῷ ἵππῳ, καὶ κατακλείοντα πάλιν εὐχερῶς· ἐν δὲ τοῖς ἀκοντισμοῖς οὐ μόνον ἀκρίβειαν, ἀλλὰ καὶ ῥώμην ἐπιδεικνύμενον, εἰς μῆκος ὃ πολλοὶ τῶν νέων οὐχ ὑπερέβαλλον. Adde & Pyrrhicham ſaltationem, quam Imperatorum temporibus in vſu fuiſſe conſtat. Ammianus lib. 16. de Iuliano. *Cùm exercere præludia diſciplinæ Caſtrenſis philoſophus cogeretur, artémque modulatiùs incedendi per Pyrricham concinentibus diſceret fiſtulis vetus illud prouerbium (clitellæ boui impoſitæ ſunt) planè non eſt noſtrum onus, Platonem crebro nominans exclamat.* Sed hanc Romanæ Iuuentutis exercitationem antiquis ignotam fuiſſe vel inde conſtat, quòd, vt teſtatur Dio & alij, in ludis publicis nonnunquam pueros ex Aſia Pyrricham ſaltaturos adſciſcerent, ſed imperatorum temporibus fuiſſe introductam exiſtimo, poſtquam ſcilicet, vt verbis vtar Plinij Iunioris, *ſtudium armorum à manibus ad oculos, ad voluptatem à labore tranſlatum eſt: poſtquam exercitationibus noſtris non veteranorum aliquis, cui decus muralis aut ciuica, ſed Græculus magiſter aſsiſtit.* Sed de Pyrrichâ vide Platonem 7. de legibus, Plutarchum, Atheneũ li. 14. & de omnib. exercitationibus Iſidorum lib. 18. originum multis capitibus. Adderem quædam de iactu miſſilium, ſagittarum, lapidum, de exercitio plumbatarum, de ponderis portatione, de cæteris huiuſmodi exercitationibus. ſed vereor, vt iam limites breuitatis exceſſerim, & hæc diligentiùs enucleaturo opus fuerit iuſtum volumen conſcribere. Non decet tamen id exercitium præterire, quod à Xenophonte non ſemel præſcribitur, nimirum vt miles ante omnia non ſolùm in procinctu, ſed etiam in omni vita pietatem exerceat. Extremis verbis Hipparchici: Εἰκὸς δὲ μᾶλλον ἐθέλειν αὐτοὺς (τοὺς θεοὺς) συμβουλεύειν τούτοις, οἳ ἂν μὴ μόνον ὅταν δέωνται μὴ ἐρωτῶσι τί χρὴ ποιεῖν, ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς εὐτυχίαις θεραπεύωσιν ὅτι ἂν δύνωνται τοὺς θεούς. *Magis conuenit, vt iis Dij velint conſulere qui non ſolùm cùm opus eſt eos conſulunt quid ſit faciendum, ſed etiam qui in proſperâ fortunâ eos pro virili parte venerantur.*

Pyrricha ſaltatio.

III. TVNICATI VTEREMVR.] Id eſt, cùm cæteri qui ad virilem ætatem peruenerant, lucta cæteríſque exercitiis nudi vterentur, adoleſcentes ad maiorem verecundiam erant tunicati, cuius rei haud ſcio an vllam reperias apud auctores mentionem, præterquam apud Iſidorum: *Cincto iuuenes in exercitatione campeſtri verecunda velabant. vnde & campeſtre dicebatur.* Sed Acron cinctum ſiue campeſtre à tunicâ manifeſtè diſtinguit. *Cinctuti*, inquit, *Cethegi tunicas non gerebant, ſed pro tunica cinctum, vel campeſtre ab vmbilico, ad pedes reliquo corpore exerto, & nudo niſi toga tegeretur.* Porro quod ſpectat ad nuditatem, notandum eſt id moris à Lacedæmoniis manauiſſe. de quibus Thucydides in ſe primo Peloponeſiaci: Ἐγυμνώθησάν τε πρῶτοι, καὶ ἐς τὸ φανερὸν ἀποδύντες λίπα μετὰ τοῦ γυμνάζεσθαι ἠλείψαντο. τὸ δὲ πάλαι καὶ ἐν τῷ ὀλυμπικῷ ἀγῶνι διαζώματα ἔχοντες περὶ τὰ αἰδοῖα οἱ ἀθληταὶ ἠγωνίζοντο. *Primi nudati ſunt, & palam ſe exuentes in ipſo certamine vngebantur. antiquitus autem etiam in olympico certamine cincto verenda velantes Athletæ certabant.* Licet epigrammate quodam apud eius interpretem id inuentum Megarenſibus tribui videatur.

Ὀρσίππῳ Μεγαρεῖ μεγαλόφρονι τῆδ' ἀρίδηλον
Μνῆμα θέσαν φάμᾳ δελφίδι πειθόμενοι.
Πρῶτος δ' Ἑλλήνων ἐν ὀλυμπίᾳ ἐστεφανώθη
Γυμνὸς ζωννυμένων τῶν πρὶν ἐπὶ σταδίῳ.

Magnanimo Orſippo Megarenſi hic nobile marmor
Græcia conſtituit delphica iuſſa ſequens.
Primus olympiacam nudus tulit ille coronam, Athletæ nudi.
Cùm prius in ſtadio Græcia tecta foret.

De cuius ſpectaculi fœditate tum alij Patres agunt ſæpiſſimè, tum Cyprianus libro de ſpectaculis: *Quàm fœda præterea iſta luctamina? vir infra virum iacens, & amplexus inhoneſtis nexibus implicatur. Ecce tibi alter nudus ſalit, alter orbem æneum contentis in aërem viribus iactat.* Et Sidonius Apollinaris lib. 2. epiſt. 2. *Abſunt lubrici tortuoſique pugilatu & nexibus palæſtritæ, quorum etiam viuentium luctas, ſi inuoluantur obſcœnius caſta confeſtim Gymnaſiarchorum virga diſſoluit.* Iure igitur Romani cùm adoleſcentium pudicitiæ cautum eſſe vellent, ſtatuerunt, vt quãuis alij nudi ſe exercerent, adoleſcentes tamen tunicati exercitationibus vterentur. Meliùs etiam barbari qui horruerint omnem corporis nuditatem, apud quos, vt ait Herodotus lib. I. Καὶ ἄνδρα ὀφθῆναι γυμνὸν αἰσχύνην μεγάλην φέρει. *Etiam virum nudum videri valdè propudioſum eſt.* Peſſimè Græci qui à priſcâ verecundiâ diſceſſerint. Plato 4. de Republica. ΟΥ πολὺς χρόνος ἐξ οὗ τοῖς Ἕλλησιν ἐδόκει αἰσχρὰ εἶναι καὶ γελοῖα, ἅπερ νῦν τοῖς πολλοῖς τῶν βαρβάρων, γυμνοὺς ἄνδρας ὁρᾶσθαι· καὶ ὅτε ἤρχοντο τῶν γυμνασίων, πρῶτον μὲν Κρῆτες, ἔπειτα Λακεδαιμόνιοι ἐξῆν τοῖς τότε ἀστείοις ταῦτα πάντα κωμῳδεῖν. ἢ οὐκ οἴει; Ἔγωγε. Ἀλλ' ἐπειδὴ οἶμαι χρωμένοις ἄμεινον τὸ ἀποδύεσθαι τοῦ συγκαλύπτειν πάντα τὰ τοιαῦτα ἐφάνη, καὶ τὸ ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς δὴ γελοῖον ἐξεῤῥύη ὑπὸ τοῦ ἐν τοῖς λόγοις μηνυθέντος ἀρίστου, καὶ τοῦτ' ἐνεδείξατο ὅτι μάταιος ὃς γελοῖον ἄλλο τι ἡγεῖται ἢ τὸ κακὸν, &c. *Non ita pridem Græcis turpe erat & ridiculum, quod etiam barbaris videri ſolet, nudos homines ſe videndos exhibere. & cùm primùm exerceri cœperunt, primùm quidem Cretenſes, deinde Lacedæmonij, vrbanioribus licebat hæc omnia traducere: Ecquid ita exiſtimas? Ita planè. Sed poſtquam vſu ipſo compertum eſt ſatius eſſe nudum quàm veſtitum in certamen procedere, omnia detecta ſunt, & quod oculis ridiculum erat, præ vtilitate quam ratio agnoſcebat quaſi defluens euanuit, tunc conſtitit*

eum vanum eſſe, qui quicquam, præter malum ridiculum exiſtimat. Sed cæteris Græcis peius Lacedæmoniis, de quibus Minias ſiue quis alius Pythagoricus in tractatu περὶ τῶ καλῶ καὶ αἰσχρῶ. Λακεδαιμονίοις τὰς κόρας γυμνάζεσθαι, ἀχειριδώτως καὶ ἀχίτωνας παρέρπειν, καλόν. Ἰωσι δὲ αἰσχρόν. *Apud Lacedæmonios puellis honeſtum eſt ſine tunicis manuleatis incedere.* De qua re fusè Propertius lib. 3. elegia cuius initium eſt,

Multa tuæ Sparte, &c.

Sed neſcio an omnium peſſimè Plato, qui cùm libro 2. de Republicâ fabulas impudicas & impias à puerorum auribus, libro tertio tabulas fœdas ab oculis amouiſſet. libro 4. ſui oblitus abſurdum non exiſtimat producere Γυμνὰς τὰς γυναῖκας ἐν ταῖς παλαίστραις, γυμναζομένας μετὰ τῶν ἀνδρῶν, οὐ μόνον τὰς νέας ἀλλ᾽ ἤδη καὶ τὰς πρεσβυτέρας. ὥσπερ τοὺς γέροντας ἐν τοῖς γυμνασίοις, ὅταν ῥυσοὶ καὶ μὴ ἡδεῖς τὴν ὄψιν, ὅμως φιλογυμναστῶσι. *Mulieres nudas in palæſtris, vt ſe cum viris exerceant, non ſolùm iuuenes, ſed etiam grandiores, quemadmodum ſenes in gymnaſiis exercentur, licet rugis pleni ſint & horridi.* Et aliquantò pòſt: Ἀποδυτέον δὴ ταῖς τῶν φυλάκων γυναιξὶν, ἐπειδήπερ ἀρετὴν ἀντὶ ἱματίων ἀμφιέσονται; *Exuendæ ſunt cuſtodum mulieres, quandoquidem virtute pro indumentis veſtiuntur.*

Mulieres nudæ in palæſtris.

Οἶδα καὶ ἄλλον μῦθον ἀμείνονα μυθήσασθαι.
Quò vobis mentes rectæ quæ ſtare ſolebant
Tandem præcipiti ſeſe flexere ruinâ?

Quanto ſapientius Gyges apud Herodotum libro primo: Ἅμα δὲ χιτῶνι ἐκδυομένῳ συνεκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνή. *Mulier exutâ tunicâ pariter pudicitiam exuit.* Cæterùm id omnem hac in re ſuperat fidem, quod de Tyrrhenis Timæus refert apud Athenæum libro 4. Καὶ τὰς θεραπαίνας φησὶ παρ᾽ αὐτοῖς μέχρις οὗ ἂν αὐξηθῶσι γυμνὰς διακονεῖσθαι. & de Romanis Herodianus libro 2. de Gaditanis ſaltatriculis, Iuuenalis Sat. 11. & Arnobius libro 2. aduerſus Gentes. vtinam non & ſuperiùs ſeculum huiuſmodi portenta retuliſſet. Sed haud ſcio an omnes illos impudentiâ ſuperarint ij qui luce palam, in foro, in roſtris, veſtibus pellucidis vtebantur, vt omnes corporis partes tanquam in nebulâ lineâ ſpectandas exhiberent. de quibus Sat. 2. Iuuenalis:

-multicia ſumis *Cretice.-*
Item: *Cretice pelluces.-*
Et: *Damnetur ſi vis etiam Corſinia, talem*
Non ſumet damnata togam.-

Veſtes pellucidæ.

Tertullianus libro de pallio cap. 4. loquens de Alexandro Macedone, *triumphalem cataphractem amolitus in captiuâ Sarrabarâ deceſſit: pectus ſquammarum ſignaculis diſculptum textu pellucido tegendo nudauit, anhelum adhuc ab opere belli, & vt molliùs ventilante ſerico extinxit.* & Petronius pulcherrimè, licet verſus corrupti ſint.

Quo Carchedonios optas ignes lapideos
Niſi vt ſcintillent? pietas eſt carbunculus.
Æquum eſt enim ducem nuptam ventum textilem
Palam, proſtare nudum in nebulâ linea.

Quam rem non tam exponit quàm obſcurat Ammianus lib. 14. his verbis, *Alij ſummum decus in carrucis ſolito altioribus, & ambitioſo veſtium cultu ponentes ſudant ſub ponderibus lacernarum, quas in colli exerta cingulis ipſis aduectant, nimia ſubtegminum tenuitate peruia* (lego peruias) *filis extantes crebris à locis omnibus maximéq. ſiniſtrâ: vt longioris fimbriæ tunicæ perſpicuâ luceant varietate liciorum effigiatæ in ſpecies animalium multiformes.* Planius Seneca lib. 7. de beneficiis cap. 9. *Video ſericas veſtes, vocandæ ſunt, in quibus nihil eſt, quo defendi aut corpus, aut denique pudor poſſit. quibus ſumptis mulier parum liquidò nudam ſe non eſſe iurabit, hæc ingenti ſumma ab ignotis etiam ad commercium gentibus accerſuntur, vt matronæ noſtræ, ne adulteris quidem, plus ſui in cubiculo quàm in publico oſtendant.* De nuditate vide Delrium Noſtrum in Senecam Chorum primum Medeæ. Seneca pater controuerſiâ 8. libri 2. *Ex omni rupe conchilium trahitur, quo veſtis cruentetur, infelices ancillarum greges laborant, vt adultera tenui veſte perſpicua ſit, & nihil in corpore vxoris ſuæ plus maritus, quàm quilibet alienus peregrinúſque agnouerit.*

MERERI STIPENDIA.] De ſtipendiis Lipſius de militiâ Romanâ, Valtrinus & alij conſulantur. IV.

SEIPSE SVA GRAVITATE.] Tria ſunt maximè quibus cùm aliæ virtutes, tum maximè pudicitia comparatur. 1. Indoles, quod naturale bonum hic nominatur, 2. doctrina, ſiue diſciplina & exercitatio. tertiò cenſura atque cuſtodia. nam pudicitia vt §. 2. ex Tertulliano retulimus, *Aliquatenus in ſeculo morabitur, ſi natura præſtruxerit, ſi diſciplina perſuaſerit, ſi cenſura compreſſerit.* Horatius iſta videtur coniungere libro 3. carminum Ode: V.

Senſere quid mens rite, quid indoles
Nutrita fauſtis ſub penetralibus Poſſent.
Item:
Doctrina ſed vim promouet inſitam
Rectique cultus pectora roborant
Vtcunque defecere mores
Dedecorant bene nata culpæ.

Natura, doctrina, exercitatio.

Plutarchus περὶ παίδων ἀγωγῆς. Ἡ μὲν φύσις ἄνευ μαθήσεως, τυφλόν. ἡ δὲ μάθησις δίχα φύσεως, ἐλλιπές· ἡ δ᾽ ἄσκησις χωρὶς ἀμφοῖν, ἀτελές. *Natura quidem ſine diſciplina, cæca eſt. diſciplina verò ſine natura & indole, non ſufficiens. exercitatio ſine his duobus imperfecta.* Heliodorus 7. Æthiop. Φύσει τε καὶ ἐκ παίδων εὖ πεφυκὼς τὰ εἰς σωφροσύνην. *Cùm à natura ad temperantiam idoneus, tum à puero præclarè inſtitutus.* Hæc porro quæſtio vtrum virtus ſolâ naturâ & indole, an verò etiam doctrinâ & diſciplinâ comparetur, à multis fuit ventilata. Plutarchus habet opuſculum quod ὅτι διδακτὴ ἡ ἀρετή. *Cuius in principio oſtendit quanti momenti ſit virtutem addiſcere.* Pythagoricus quidam anonymus librum ſcripſit inſcriptum περὶ τῆς σοφίας καὶ τᾶς ἀρετᾶς εἰ διδακτόν. Plato ſæpiſſimè. loca tamen indicare ſuffecerit. in Protagora ſiue Sophiſtis, circa poſt tertiam libri partem. in Menone paulò vltra medium fere ad finem dialogi. eſt & alius dialogus in hanc ſententiam: ſed inter νοθευομένοις numeratus qui περὶ ἀρετῆς εἰ διδακτὸν inſcribitur. Sed Philo libro de Abrahamo longè omnium pulcherrimè, rationem inquirens cur Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob nominetur. Τρόποις γὰρ ψυχῆς ἔοικεν ὁ ἱερὸς διηγεῖσθαι λόγος ἀστείοις ἅπαντας, τὸν μὲν ἐκ διδασκαλίας, τὸν δ᾽ ἐκ φύσεως, τὸν δ᾽ ἐξ ἀσκήσεως ἐφιέμενον τοῦ καλοῦ. ὁ μὲν γὰρ πρῶτος ἐπίκλησιν Ἀβραὰμ σύμβολον διδασκαλικῆς ἀρετῆς ἔχει. ὁ δὲ μέσος Ἰσαὰκ φυσικῆς. ὁ δὲ τρίτος Ἰακὼβ, ἀσκητικῆς. *Eſt enim probabile ſacro eloquio deſcribi modos animæ bonos omnes: quarum alia per doctrinam & præceptorum inſtitutionem, alia per naturam, alia per meditationem ad virtutem ad-*

ſpirat. nam primus nomine Abraham virtutem inſtitutione quæſitam ſignificat: medius Iſaac genuinam natiuámque: tertius Iacob vſu ac meditatione paratam. Subdit: Οὔτε γὰρ διδασκαλίαν ἄνευ φύσεως ἢ ἀσκήσεως τελειωθῆναι δυνατόν· οὔτε φύσις ἐπὶ πέρας ἐλθεῖν ἐστὶν ἱκανή, δίχα τοῦ μαθεῖν καὶ ἀσκῆσαι· οὔτε ἄσκησις εἰ μὴ προθεμελιωθείη φύσει τε καὶ διδασκαλίᾳ· προσηκόντως οὖν καὶ τὴν τῶν τριῶν, λόγῳ μὲν, ἀνδρῶν, ἔργῳ δ' ὡς εἶπον, ἀρετῶν, οἰκειότητα συνῆψε, φύσις, μάθησις, ἄσκησις, ἃς ἑτέρῳ ὀνόματι χάριτας ἰσαρίθμους ἄνθρωποι καλοῦσι, &c. *Nam nec inſtitutio ſine natura meditationéque poteſt perfici, nec natura ad optatam metam peruenire abſque diſciplina & exercitatione: nec meditatio niſi fundata in natura & inſtitutione. conuenienter igitur trium, verbo quidem virorum, re autem virtutum nomina iuncta ſunt, natura, diſciplina, meditatio, quas alio nomine totidem gratias homines vocant.* Hæc ille. vbi libenter legerim pro οἰκειότητα συνῆψε, paucis mutatis ὀνόματα συνῆφθη. Clemens Alexandrinus primo ſtromatum teſtatur, κυρίαν εἶναι τὴν σφραγῖδα τῆς γνώσεως, ἐκ φύσεως καὶ μαθήσεως, καὶ ἀσκήσεως συνεστῶσαν. *Præcipuam vim obtinere notionis ſigillum ex naturâ, ex doctrinâ, exercitatione conſtitutum.* Præclarè Auguſtinus libro de ciuitate Dei vndecimo cap.25. *Tria etiam quæ ſunt in vnoquoque homine artifices ſpectant, vt aliquid efficiatur, natura, doctrina, vſus: natura ingenio, doctrina ſcientiâ, vſus fructu diiudicandus eſt.* Cuius explicatio fusè ibidem conſulatur: qua in re impreſſam eſſe dicit imaginem ſanctiſſimæ Trinitatis.

AXIOMATA.

In adoleſcentia niſi qui ſeipſe ſua grauitate & caſtimoniâ, & cùm diſciplinâ domeſticâ, tum etiam naturali quodam bono defenderit, quoquo modo à ſuis cuſtodiatur, tamen infamiam effugere non poteſt.

Qui prima initia ætatis integra atque inuiolata præſtiterit, de eius famâ ac pudicitiâ, cùm is iam ſe corroborauerit, ac vir inter viros erit, nemo loqui ſolet.

ARGVMENTVM.

Poſtquam oſtendit eo tempore, quod alienæ libidini infeſtum Cœlio cum Catilina familiaritatis fuiſſe, eam familiaritatem quæ pòſt eſt conſecuta, eo nomine excuſat, quòd alios multos fucata ſpecie virtutis Catilina deceperit. & his duobus §. *Catilinæ naturam verſatilem ſimulationémque deſcribit.*

STVDVIT Catilinæ, cùm iam aliquot annos eſſet in foro Cœlius: XII
& multi hoc idem ex omni ordine atque ex omni ætate fecerunt. habuit enim ille, ſicuti meminiſſe vos arbitror, permulta maximarum non expreſſa ſigna, ſed adumbrata virtutum. vtebatur hominibus improbis multis, & quidem optimis ſe viris deditum eſſe ſimulabat. erant apud illum illecebræ libidinum multæ; erant etiam induſtriæ quidem ſtimuli ac laboris. flagrabant vitia libidinis apud illum; vigebant etiam ſtudia rei militaris. neque ego vnquam fuiſſe tale monſtrum in terris vllum puto, tam ex contrariis diuersíſque inter ſe pugnantibus naturæ ſtudiis cupiditatibúſque conflatum.

EXPLANATIO.

STVDVIT CATILINÆ.] Petenti ſecundo Conſulatum, quarto circiter anno poſt virilis togæ ſumptionem. poteſt tota res huc reuocari.

Excuſandus eſt Cœlius, quòd ſtuduerit Catilinæ, ſi alij etiam viri graues eidem ſtaduerunt, excuſationéque ſunt digni.

Sed Catilinæ multi viri graues ſtuduerunt, excuſationéque ſunt digni.

Ergo excuſandus eſt Cœlius.

MVLTI HOC IDEM.] Multi adoleſcentes, viri, ſenes ex ordine plebeio, equeſtri, Patritio Catilinæ ſtuduerunt.

HABVIT ENIM ILLE.] Reddit rationem cur excuſandus ſit Cœlius, etiamſi ſe à Catilinâ in fraudem induci permiſerit. ſed hæc adeo clara ſunt, vt nec debeant, nec fortaſſe poſſint planiùs explicari.

NOTÆ.

1. STVDVIT CATILINÆ.] Operæpretium fuerit aliquot huius morum varietatis deſcriptiones exhibere, vt habeas ad manum exempla quibus res eadem poſſit facilè variari. Saluſtius in Catilinâ: *Corpus patiens inediæ, algoris, vigiliæ ſupra quam cuiquam credibile eſt. animus audax, ſubdolus, varius, cuiuſlibet rei ſimulator, ac diſſimulator, alieni appetens, ſui profuſus, ardens in cupiditatibus. ſatis loquentiæ, ſapientiæ parum. vaſtus animus, immoderata, incredibilia, nimis alta ſemper cupiebat.* Talis Auidius Caſſius à Vulcatio Gallicano deſcribitur: *Fuit his moribus*, inquit, *vt nonnunquam trux & aſper videretur, aliquando mitis & lenis, ſæpè religioſus, aliàs contemptor ſacrorum, auidus vini, interim abſtinens, cibi appetens, & inediæ patiens. Veneris cupidus, & Caſtitatis amator. multi fuere qui illum Catilinam vocarent, cùm & ipſe ita gauderet appellari, addens futurum ſe Sergium, ſi dialogiſtam occidiſſet, Antoninum hoc nomine ſignificans.* Atque hi commodè quidem, ſed tamen ieiunè ſi cum Tullianâ copiâ conferantur. Catilinæ mores. Propiùs fortaſſe Plutarchus acceſſerit, ex quo proinde fuſiorem Alcibiadis in eiuſdem vita deſcriptionem non pigebit adſcribere. Ἦν γὰρ (ὥς φασι) μία δεινότης αὕτη τῶν πολλῶν ἐν αὐτῷ καὶ μηχανὴ θήρας ἀνθρώπων συνεξομοιοῦσθαι καὶ συνομοιοπαθεῖν τοῖς ἐπιτηδεύμασι καὶ ταῖς διαίταις, ὀξυ-

τέρας τρεπομένῳ τροπὰς τοῦ χαμαιλέοντος. πλὴν ἐκεῖνος μὲν (ὡς λέγεται) πρὸς ἓν ἐξαδυνατεῖ χρῶμα τὸ λευκὸν ἀφομοιοῦν ἑαυτόν. Ἀλκιβιάδη δὲ διὰ χρηστῶν ἰόντι καὶ πονηρῶν οὐδὲν ἦν ἀμίμητον οὐδ' ἀνεπιτήδευτον. ἀλλ' ἐν Σπάρτῃ γυμναστικὸς, εὐτελὴς, σκυθρωπός· ἐν Ἰωνίᾳ χλιδανὸς, ἐπιτερπὴς, ῥάθυμος· ἐν Θρᾴκῃ μεθυστικὸς, ἱππαστικός. Τισσαφέρνῃ δὲ τῷ σατράπῃ συνὼν, ὑπερέβαλλεν ὄγκῳ καὶ πολυτελείᾳ τὴν Περσικὴν μεγαλοπρέπειαν. οὐχ αὑτὸν ἐξιστὰς οὕτω ῥᾳδίως εἰς ἕτερον ἐξ ἑτέρου τρόπον, οὐδὲ πᾶσαν δεχόμενος τῷ ἤθει μεταβολὴν, ἀλλ' ὅτι τῇ φύσει χρώμενος ἔμελλε λυπεῖν τοὺς ἐντυγχάνοντας, εἰς πᾶν ἀεὶ τὸ πρόσφορον ἐκείνοις σχῆμα καὶ πλάσμα κατεδύετο, καὶ κατέφευγεν. *Cùm aliis multis modis tum eo maximè ſibi conciliabat hominum mentes, quòd ſe ad omnium mores & vitæ degendæ rationem effingeret, ſéque velociùs chamæleonte quoquo modo conuerteret. Veruntamen ille, vt aiunt, ſolùm ex omnibus coloribus candorem non poteſt imitari. & Alcibiades ſiue cum bonis, ſiue cum malis verſaretur, æqualiter eorum mores exprimebat. Sed in Spartâ laborioſus, frugalis, ſeuerus: in Ionia luxurioſus, iucundus, piger: in Thracia equitatui & ebrietati deditus: cum Tiſapherne ſatrapa degens faſtu & ſumptibus Perſicam magnificentiam ſuperabat. non quòd ipſe tam facilè à ſe ipſo in alium & alium morem ſubinde diſcederet, aut moribus mutaretur, ſed quia ſi ſuis moribus & natura vteretur moleſtiam iis quibuſcum viuebat exhiberet, in quamque figuram quæ vtilis eſſet, ſe flectebat & torquebat.* Hæc ille. quæ haud ſcio an ex hoc ipſo Ciceronis loco fuerit imitatus, vt ſingula ſingulis conferenti videri poteſt. Et opuſculo de adulatore & amico idem de Alcibiade repetit, aítque paulò antè. ὁ κόλαξ ἅτε δὴ μίαν ἑστίαν ἤθους οὐκ ἔχων μόνιμον οὐδ' ἑαυτῷ βίον ζητῶν αἱρετὸν, ἀλλ' ἑτέρῳ, &c. παντοδαπός ἐστι καὶ ποικίλος, εἰς ἄλλον ἐξ ἄλλου τύπον ὥσπερ τὸ μεταχεόμενον ὕδωρ. περιρρέων ἀεὶ καὶ μετασχηματιζόμενος (an περιρρέον ἀεὶ καὶ μετασχηματιζόμενον) τοῖς ὑποκειμένοις. *Adulator, vt qui nullam certam ſedem ſuis moribus fixerit, nec eam vitam quærens quam ipſe, ſed quam alius elegerit, &c. omnimodus eſt & varius. in alios & alios mores ſe inflectens, vt aqua quæ in aliud & aliud vas transfunditur, circumfluens ſemper, & iis, in quæ funditur ſe configurans.* Et aliquantò pòſt: ΟΥ δέομαι φίλου συμμεθισταμένου καὶ συνεπινεύοντος (ἡ γὰρ σκιὰ ταῦτα ποιεῖ μᾶλλον) ἀλλὰ συναληθεύοντος. *Mihi non eſt opus amico qui mecum ſtet, mecùmq; progrediatur (id enim vmbra melius effecerit) ſed qui mecum dicat veritatem.* Quod in memoriam mihi reuocat egregiam Panopolitani Poëtæ comparationem, quæ Catilinæ moribus apprimè poſſit conuenire. ea eſt 29. Dionyſiacon verſu 170.

Ὡς δ' ὅτε τις σκιόεις τύπος ἀνέρος ἄπνοος ἕρπων
Ἀγχι φανὴς, ἀχάρακτος, ὁμόδρομος ἀνδρὸς ὁδεύει.
Καί οἱ ἀεὶ σπεύδοντι συνέσπεται, ἱσταμένου δὲ
Ἵσταται, ἑζομένου δὲ παρέζεται, ἐν δὲ τραπέζῃ
Μιμηλαῖς παλάμαισι συνέμπορος εἰλαπινάζει.
Ὡς ὅγε κοῦρος ἔμιμνεν ὁμόδρομος οἰνοπι Βάκχῳ.
Sicut vbi exanimis, repens, vmbroſa figura
Vicina, haud impreſſa, hominem comitatur euntem. Vmbra.
Et feſtinantem ſequitur, ſtantíque ſubinde
Adſtat, vt aſſedit, ſimul aſidet æmula, menſæ
Accumbens, comitante manu conuiuia ſumit.
Talis erat pueri Bacchum comitantis imago.

SIGNA NON EXPRESSA QVIDEM, SED ADVMBRATA VIRTVTVM.] Præclarè Seneca in hanc ſententiam epiſt. 45. *Adulatio quàm ſimilis eſt amicitiæ? Non imitatur tantùm illam, ſed vincit & præterit. apertis & propitiis auribus recipitur, & in præcordia ima deſcendit, eo ipſo gratioſa quo lædit. Doce quemadmodum hanc ſimilitudinem dignoſcere poßim. Venit ad me pro amico blandus inimicus, vitia nobis ſub virtutum nomine obrepunt. temeritas ſub titulo fortitudinis latet. moderatio vocatur ignauia. pro cauto timidus accipitur. in his magno periculo erratur. his certas notas imprime.* Vbi vides quas ille certas & impreſſas notas, hîc expreſſa virtutum ſigna nominarit. Idem epiſtolâ 81. *Sciant apud ſapientem eſſe ipſa honeſta, apud vulgum ſimulachra rerum honeſtarum, & effigies.* Æſchines contra Cteſiphontem, τὰ τῶν χρηστῶν σημεῖα appellat: κλέπτων τὴν ἀκρόασιν καὶ μιμούμενος τοὺς τἀληθῆ λέγοντας. διὸ καὶ μάλιστα ἄξιός ἐστι μισεῖσθαι, ὅτι πονηρὸς ἂν καὶ τὰ τῶν χρηστῶν σημεῖα διαφθείρει. *Suffurans attentionem, eóſque qui vera dicunt imitans. Quamobrem & odio vel maximo dignus eſt, quandoquidem cùm ſit ipſe nefarius, nihilo minus tamen ſigna bonorum adulterat.* Vtitur his ipſis Tullij verbis S. Hieronymus in epitaphio Nepotiani, licet in ſenſum paulò diuerſum ea detorqueat. *Et ſicut ij, qui in breui tabellâ terrarum ſitus pingunt, ita in paruo iſto volumine, cernas adumbrata, non expreſſa ſigna virtutum.* Plato 9. de Repub. de malorum voluptatibus loquens: Ἆρ' οὖν οὐκ ἀνάγκη ἡδοναῖς ξυνεῖναι μεμιγμέναις λύπαις, εἰδώλοις τῆς ἀληθοῦς ἡδονῆς, καὶ ἐσκιαγραφημέναις, &c. *Numquid non neceſſe eſt voluptates habere doloribus permixtas, idola veræ voluptatis, & adumbratas.* Alio ſenſu Eunapius in Ædeſio, Socratem περιπατοῦν ἄγαλμα σοφίας. *ambulans ſapientiæ ſimulacrum* appellat. Porcius Latro Decl. in Catil. *Eſt enim in illo monſtro, ſicuti paulo antè tetigimus, vis eximia facetiarum & ratio quædam adumbrata virtutum, facilis ad comprehendendum omnium hominum familiaritates.* quibus verbis Ciceronis locum ſi non expreſſit, ſaltem adumbrauit. II.

Signa adumbrata virtutum.

ERANT APVD ILLVM ILLECEBRÆ LIBIDINVM MVLTÆ.] Salluſtius: *Quòd ſi quis etiam à culpâ vacuus in eius familiaritatem inciderat, quotidiano vſu atque illecebris facilè par ſimiliſque cæteris efficiebatur. Sed maximè adoleſcentium familiaritates appetebat. eorum animi molles, & ætate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur. nam vt cuiuſque ſtudium ex ætate flagrabat, aliis ſcorta præbere: aliis canes atque equos mercari: poſtremò neque ſumptui, neque modeſtiæ ſuæ parcere, dum illos obnoxios fidóſque ſibi faceret.* III.

Libidinum illecebræ apud Catilinam.

TALE MONSTRVM.] Eandem ob cauſam Catilinam monſtrum appellat Porcius Latro: *Nihil enim fuit illo monſtro verſipellius.* Item: *Nullas amplius tendiculas pertimeſcamus ab exſecrabili monſtro, nullas inſidias ab hoſte teterrimo.* IV.

Catilina mõſtrum.

AXIOMA.

Improbi nonnunquam habent non expreſſa ſigna, ſed adumbrata virtutum.

ARGVMENTVM.

Egregiis antithetis orationem ſuam illuſtrat, oſtendítque per enumerationem Catilinæ naturam ex variis diuerſiſque & inter ſe pugnantibus ſtudiis fuiſſe conflatam.

QVIS clarioribus viris quodam tempore iucundior? quis turpioribus coniunctior? quis ciuis meliorum partium aliquando? quis tetrior hoſtis huic ciuitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate auarior? quis in largitione effuſior? Illa verò, Iudices, in illo homine mirabilia fuerunt, comprehendere multos amicitia, tueri obſequio, cum omnibus communicare quod habebat, ſeruire temporibus ſuorum omnium, pecunia, gratia, labore corporis, ſcelere etiam, ſi opus eſſet, & audacia: verſare ſuam naturam, & regere ad tempus, atque huc & illuc torquere & flectere, cum triſtibus ſeuerè, cum remiſſis iucundè, cum ſenibus grauiter, cum iuuentute comiter, cum facinoroſis audacter, cum libidinoſis luxurioſè viuere. XIII.

EXPLANATIO.

QVIS CLARIORIBVS.] Cornificius ad Herennium lib. 4. §. 55. *Expolitio eſt cùm in eodem loco manemus, & aliud atque aliud dicere videmur. ea autem dupliciter fit, ſi aut eandem planè dicemus rem, aut de eadem re. eandem rem dicemus non eodem modo. nam id quidem obtundere auditorem eſt, non rem expolire, ſed commutatè. commutabimus tripliciter, verbis pronuntiando, tractando, &c.* Quæ commutatio tam in verbis quàm in tractatione liquidiùs videri non poteſt, quàm ſi ſuperiora poſterioribus conferamus.

QVIS CLARIORIBVS, &c.] Vides mutatam eſſe orationem tum ipſo tractationis ordine, nam ſuperiùs priùs familiaritatis improborum fecerat mentionem, hîc poſteriùs. tum quod ſimpliciter dictum fuerat, per interrogationem hîc explicatur. hîc *Quis clarioribus viris quodam tempore iucundior? quis turpioribus coniunctior?* ibi, *Vtebatur hominibus improbis multis: & quidem optimis ſe viris deditum eſſe ſimulabat.*

QVIS IN VOLVPTATIBVS.] Superiùs: *Erant apud illum illecebræ libidinum multæ: erant etiam induſtriæ quidam ſtimuli, ac laboris: flagrabant vitia libidinis apud illum: vigebant etiam ſtudia rei militaris.*

ILLA VERÒ IVDICES, &c. LVXVRIOSE VIVERE.] Idem hic dicit, atque ſuperioribus: *Neque ego vnquam, &c. cupiditatibúſque conflatum.*

NOTÆ.

I. MELIORVM PARTIVM.] Cicero pro Sextio §. 120. *Summus artifex, & mehercule ſemper partium in Repub. tanquam in ſcenâ optimarum.* vide locum.

II. COMPREHENDERE MVLTOS AMICITIA.] Dubitare poſſis cur Cicero minùs hic miretur voluptatem & patientiam, rapacitatem & largitionem in vno conſiſtere, quàm multos vnius amicitiâ comprehendi. ſed Ariſtoteles reddet huiuſce rei rationem 8. ethic. cap. 6. Πολλοῖς δ' εἶναι φίλον κατὰ τὴν τελείαν φιλίαν οὐκ ἐνδέχεται. ὥσπερ οὐδ' ἐρᾶν πολλῶν ἅμα. ἔοικε γὰρ ὑπερβολῇ· τὸ τοιοῦτο δὲ πρὸς ἕνα πέφυκε γίνεσθαι. πολλοὺς δ' ἅμα τῷ αὐτῷ ἀρέσκειν σφόδρα οὐ ῥᾴδιον, ἴσως δ' οὐδ' ἀγαθοὺς εἶναι. δεῖ δὲ καὶ ἐμπειρίαν λαβεῖν, καὶ ἐν συνηθείᾳ γενέσθαι, ὃ παγχάλεπον. *Multis autem eſſe amicum ſecundum perfectam amicitiam non contingit: quemadmodum neque amare multos ſimul. nam ſimile eſt hoc exſuperantiæ. Tale verò erga vnum natum eſt fieri: multos verò ſimul eidem placere non facilè, & fortaſſe neque bonos eſſe. oportet autem & experientiam aſſumere, & in conſuetudine verſatum eſſe, quod penitus difficile eſt.* Opuſculum habet Plutarchus in hanc ſententiam, quod περὶ πολυφιλίας inſcribitur, ex quo viſum eſt quædam excerpere, ea præſertim quæ non ſolùm rem noſtram probare, ſed etiam in omnibus quæ vidi impreſſis exemplaribus deprauata medico videntur indigere. ac primo quidem, αἴτιον μετὰ πολλῶν ἄλλων, οὐχ ἥκιστά γε εἰς φιλίας κτῆσιν ἡ τῆς πολυφιλίας ὄρεξις. ὥσπερ ἀκολάστων, &c. duo hîc emendanda exiſtimo, tollendam ſcilicet interpunctionem poſt ὄρεξις, & primo verbo legendum non αἴτιον, ſed ἐναντίον, hunc in modum: ἐναντίον μετὰ πολλῶν ἄλλων, οὐχ ἥκιστά γε εἰς φιλίας κτῆσιν ἡ τῆς πολυφιλίας ὄρεξις, ὥσπερ ἀκολάστων γυναικῶν, τῷ πολλάκις καὶ πολλοῖς συμπλέκεσθαι, τῶν προτέρων κρατεῖν μὴ δυναμένοις, ἀμελουμένων καὶ ἀπορρεόντων. *Non minimum verò inter cætera amicitiarum acquiſitioni aduerſatur multorum amicitiæ cupiditas, quæ polyphilia inſtar mulieris impudicæ, primos amaſios ſpretos ſubinde ac defluentes retinere non poteſt, propterea quòd multos & frequenter amplectatur.* Sic enim polyphiliam cum adulterio ipſi etiam Scythæ comparabant. Lucianus in Toxari: Ὅστις ἂν πολύφιλος ᾖ, ὅμοιος ἡμῖν δοκεῖ ταῖς κοιναῖς ταύταις καὶ μοιχευομέναις γυναιξί. καὶ οἰόμεθ' οὐκ ἔθ' ὁμοίως ἰσχυρὰν τὴν φιλίαν αὐτοῦ εἶναι πρὸς πολλὰς εὐνοίας διαιρεθεῖσαν. *Qui plures amicos habet is nobis ſimilis videtur vulgatæ & adulteræ, vt & tantam vim eſſe non putamus amicitiæ quæ in multas beneuolentias diuiſa eſt.* Aliam addit rationem, quod ſcilicet vel in ſolidam vnius amicitiam comparandam multum temporis neceſſe ſit impendere. Ὥσπερ ὁ Ζεῦξις αἰτιωμένων αὐτόν τινων, ὅτι ζωγραφεῖ βραδέως· ὁμολογῶ εἶπεν, ἐν πολλῷ χρόνῳ

Difficile eſt multis amicum eſſe.

Plutarchus emendatus.

χάρειν. καὶ γὰρ εἰς πολλὴν οὔπω φιλίαν καὶ συνήθειαν σῴζειν παραλαβὼν ἐν πολλῷ κριθεῖσαν, &c. lego. ὁμολογῶ, εἶπεν, ἐν πολλῷ χρόνῳ γράφειν· καὶ γὰρ εἰς πολύ. οὕτω φιλίαν, &c. *Quemadmodum Zeuxis, incuſantibus ipſum quibuſdam, quòd tardè pingeret. Fateor, inquit, multo me tempore pingere. pingo enim ad multum (* tempus, & æternitati pingo) *ſic amicitiam & conſuetudinem qui multo tempore ſeruandam ſuſceperit, longi temporis indicio ſuſceptam,* &c. Sed hæc ſatis vt intelligas quàm multæ mendæ in optimum ſcriptorem obrepſerint, & quantopere litteratos omnes demereri potuerit Amiotus, ſi ſuas in Plutarchum coniecturas edidiſſet. diſſentit tamen ab his Seneca epiſt. 63. *Ne vnum quidem amauit, qui plus quàm vnum amare non potuit.*

III. Cvm omnibvs commvnicare qvod habebat.] Notum illud κοινὰ τὰ τῶν φίλων. *amicorum omnia communia.* In quo proinde nolo diutiùs immorari. Illud ex Senecâ 7. de beneficiis cap. 12. ſuffecerit. *Æquè nihil prohibet, cùm omnia amicis dicamus eſſe communia, aliquid amico donari. non enim mihi ſic cum amico communia omnia ſunt, quomodo cum ſocio vt pars mea ſit, pars illius: ſed quomodo patri matríque communes liberi ſunt: quibus cùm duo ſint, non ſinguli ſingulos habent, ſed ſinguli binos. Primùm omnium iam efficiam vt quiſquis eſt iſte, qui me in ſocietatem vocat, ſciat ſe nihil mecum habere commune. Quare? quia hoc conſortium ſolùm inter ſapientes eſt, inter quos amicitia eſt. Cæteri non magis amici ſunt, quàm ſocij.* Et poſteà: *Quicquid habet amicus, commune eſt nobis: ſed illius proprium eſt, qui tenet, vti illo præſente non poſſum.* Et epiſt. 6. de veris amicis loquens: *Sciunt enim ipſos omnia habere communia, & quidem magis aduerſa.*

Amicorum omnia communia.

IV. Servire temporibvs svorvm omnivm.] De his hominibus temporum omnium, qui penſi nihil habent, dum ſe ad quaſuis aliorum voluntates accommodent, lepida ſunt illa apud Athenæum, quæ haud ſcio an magis paraſitis, quàm Catilinæ poſſint conuenire. Sic enim Ariſtophon apud eum 6. dipnoſophiſtarũ:

Βούλομαι δ᾽ αὐτῷ προειπεῖν οἷός εἰμι τοὺς τρόπους, &c.
Volo ipſi prædicere qualis ſum moribus.
—προσβαίνειν πρὸς οἰκίαν
Δεῖ; κριός. ἀναβῆναί τι πρὸς κλιμάκιον; Καπανεύς.
Ὑπομένειν πληγὰς ἄκμων καὶ κονδύλους.
—in alicuius domum adſcendere
Oportet? ſum aries. aſſcendere in ſcalas? Capaneus.
Incus verò ad tolerandum plagas & colaphos.

Temporiſeruientes.

Et Antiphanes:

—τὸν τρόπον μὲν οἶσθά μου
Ὅτι τῦφος οὐκ ἔνεστιν. ἀλλὰ τοῖς φίλοις
Τοιοῦτός εἰμι δή τις τύπτεσθαι μύδρος.

Libenter hunc & poſteriores verſus ita legerim.

Δεῖ τι τύπτεσθαι; μύδρος.
Τύπτειν; κεραυνός· ἐκτυφλῶσαί τιν᾽; ἀστραπή.
Φέρειν τιν᾽ ἄραντ᾽; ἄνεμος. ἀποπνῖξαι; βρόχος.
Θύρας μοχλεύειν; σεισμός. εἰσπηδᾶν; ἀκρίς, &c.
—noſti meum morem
Quod ſuperbia non ineſt, ſed amicis
Talis ſum. oportet verberari? ſum ferrũ candens.
Verberare? fulmen. aliquem obcœcare? fulgur.
Aliquem ſublatum auferre? ventus. ſuffocare? reſtis.
Ianuas effringere? terræmotus. inſilire? locuſta, &c.

Talem verò fuiſſe Catilinam, vt omnibus non ſua ſolùm, ſed etiam ſuorum familiarium ſcelera & audaciam commodaret, teſtatur etiam Salluſtius: *Sed iuuentutem, quam, vt ſuprà diximus, illexerat multis modis, mala facinora edocebat. ex illis teſtes ſignatoréſque falſos commodare, fidem, fortunas, pericula vilia habere. poſt, vbi eorum famam atque pudorem attriuerat, maiora alia imperabat,* &c. Eunapius in Libanio: Ἔφασκον γοῦν αὐτὸν οἱ πεπειραμένοι πίνακά τινα, καὶ ἐκμαγεῖον εἶναι παντοδαπῶν ἠθῶν, καὶ ποικίλων· οὐδ᾽ ἂν ἦλω ποτὲ πολλῶν καὶ διαφόρων συνεληλυθότων ᾧ μᾶλλον τρέπεται. ἀλλ᾽ ἐπὶ τοῖς ἐναντίοις ἐπῃνεῖτο παρὰ τῶν τὸν ἐναντίον ἐλαυνόντων βίον, καὶ πᾶς τις αὐτὸν τὰ σφέτερα θαυμάζειν ᾤετο. οὕτω πολύμορφόν τι χρῆμα, καὶ ἀλλοπρόσαλλον ἦν. *Qui ſæpè eius periculum fecerant, dictitabant illum veluti pictoris tabulam, aut materiam mollem exprimendis quarumuis rerum imaginibus idoneam, naturas hominum & mores omnigenos repræſentare, neque deprehendi vnquam potuit, quantumuis multa ac diuerſis confluentibus, quo ſe magis flecteret. Sed in reb. planè contrariis laudabatur ab iis qui contrarium vitæ genus ſectabantur, ſuúmque ab eo vitæ inſtitutum cum admiratione probari quiſque credebat. vſque adeo varia multiplicíque natura conſtabat.*

Cvm tristibvs severe, &c.] Simile eſt illud vulgatum Iuuenalis Satira 3. de Græculis: V.

Natio comœda eſt. rides? maiore cachinno
Concutitur. flet ſi lacrymas adſpexit amici,
Nec dolet: igniculum brumæ ſi tempore poſcas
Accipit endromidem, ſi dixeris, æſtuo, ſudat, &c.

Vide Plutarchum in opuſculis de amico & adulatore. quod ad hanc imitationem ſpectat, vnum vel alterum exemplum ab Athenæo mutuabor libro 6. Σάτυρος ἐν τῷ Φιλίππου βίῳ. ὅτε, φησί, Φίλιππος τὸν ὀφθαλμὸν ἐξεκόπη, συμπροῆλθεν αὐτῷ καὶ ὁ Κλείσοφος τελαμωνισθεὶς τὸν αὐτὸν ὀφθαλμόν, καὶ πάλιν ὅτε τὸ σκέλος ἐπηρώθη σκάζων συνωδοιπόρει τῷ βασιλεῖ. καὶ εἴ ποτε δριμὺ προσφέροιτο τῶν ἐδεσμάτων ὁ Φίλιππος, αὐτὸς συνέστρεφε τὴν ὄψιν, ὡς συνδακνόμενος· ἐν δὲ τῇ Ἀράβων χώρᾳ οὐχ ὡς ἐν κολακείᾳ τοῦτ᾽ ἐποίουν, ἀλλὰ κατά τι νόμιμον βασιλέως πηρωθέντος τι τῶν μελῶν, συνυποκρίνεσθαι τὸ ὅμοιον πάθος. ἐπεὶ καὶ γελοῖον νομίζουσιν ἀποθανόντι μὲν αὐτῷ σπουδάζειν συγκατορύττεσθαι, πηρωθέντι δὲ μὴ χαρίζεσθαι τὴν ἴσην δόξαν τοῦ πάθους. *Satyrus in Philippi vitâ. cùm, inquit, Philippo vnus oculus effoſſus eſt, ſimul progrediebatur Cleiſophus, eodem oculo faſciâ deuincto, & rurſum cum tibia claudus effectus eſt, procedens cum Rege claudicabat. & ſi quid acidum ori Philippus admoueret, ipſe tanquam vna comedens oculos amouebat. in Arabia verò, non adulationis causâ id faciebant, ſed lege quadam, ſi Rex aliquo membro malè fuiſſet affectus, eundem dolorem ſimul debebant imitari. Ridiculum enim iis videtur cum eo mortuo velle ſepeliri, eo mutilato nolle mutilationis ſpeciem exhibere.* Subiungit ex Nicolao Damaſceno de Silodunis, quos Cæſar ſoldurios appellat, vnde fortaſſe noſtri milites ſoldariorum potiùs quàm à penſitatione ſtipendij nomen acceperint, qui adeo ſolebant ſe ad Regum ſuorum mores effingere, vt iis morientibus vna morerentur: ſed rem Cæſar lib. 3. belli Gallici ſuis exponit verbis, vt nos à Græcis temperemus. *Adiantonus qui ſummam imperij tenebat, cùm ſexcentis deuotis, quos illi ſoldurios appellant: quorum hæc eſt conditio, vt omnibus in vitâ commodis vnà cum his fruantur*

Adulatores.

Soldurij.

quorum

quorum ſe amicitiæ dederint: ſi quod his infortunium accidat, vt eundem caſum vnà ferant, ac ſibi mortem conſciſcant. Neque adhuc hominum memoriâ repertus eſt quiſquam qui eo interfecto cuius ſe amicitiæ deuouiſſet, mori recuſarit. Sed hæc fortaſſe vix ad rem. Eleganter ſuo more D. Chryſoſtomus Hom. 22. epiſt. ad Romanos: Οὐδὲν γὰρ οὕτως ἀγάπην συνάγει, ὡς ὅταν καὶ χαρᾶς καὶ λύπης κοινωνῶμεν ἀλλήλοις. *Nihil enim ita amicitias conglutinat, quàm delectationis & doloris communitas.*

VI. TORQVERE AC FLECTERE.] Mirè toti huic ſententiæ conuenit cum Themiſtio in baſaniſte ſiue philoſopho: Καὶ ταῦτα πάσχουσιν ὑπ' ἀμηχανίου σοφίας πολλὰ καμπτόμενοί τε καὶ λυγιζόμενοι, καταβάλλοντες ἢ ἐπαίροντες τὴν ὀφρῦν, ταπεινοί τε πρὸς τὸ ξυμφέρον, καὶ αὖ ὑπερφρονοῦντες θεῶν καὶ ἀνθρώπων. *Atque iſta quidem faciunt, præ incredibili ſolertiâ, identidem flectentes ac vertentes ſe, contrahentes, attollentéſve ſupercilium, ſicubi vtilitas poſtulat, humiles ac deiecti, rurſúmque Deos atque homines contemnentes.* Vterque autem ad mimos ſiue ſaltatores videtur alludere, qui ſe torquebant & flectebant, & totius corporis conformatione quoſuis hominum mores exprimebant. Horatius lib. 2. epiſt. 2. verſu 124.

Ludentis ſpeciem dabit, & torquebitur: vt qui
Nunc ſatyrum nunc agreſtem Cyclopa mouetur.

Gregorius Nazianzenus ad Arianos: Κατωρχήσατο μειράκιον ἀσελγὲς, αἰσχρὰ λυγιζόμενον, καὶ καμπτόμενον. *Saltauit puer intemperans qui ſe turpiter torqueret, ac flecteret.* Claudianus in Eutropium lib. 2.

Quis magis enodes laterum detorqueat artus.
Quis voci digitos, oculos quis moribus aptet.

AXIOMATA.

Difficile eſt comprehendere multos amicitiâ.

Difficile eſt verſare ſuam naturam & regere, atque huc & illuc torquere ac flectere.

ARGVMENTVM.

Concludit excuſationem familiaritatis Cœlij cum Catilinâ, ídque duplici ratione. alterâ à perſonâ Catilinæ deſumitur, qui cùm eſſet tam variâ multiplicique naturâ, facilè potuit adoleſcentem in fraudem inducere. alterâ à clarorum virorum perſonis, atque adeò ipſius Ciceronis qui pene in eundem errorem impulſus eſt.

HAC ille tam varia multiplicíque natura, cùm omnes omnibus ex terris homines improbos audacéſque collegerat, tum etiam multos fortes viros, & bonos ſpecie quadam virtutis aſſimulatæ tenebat. neque vnquam ex illo delendi huius imperij tam ſceleratus impetus exſtitiſſet, niſi tot vitiorum tanta immanitas quibuſdam facilitatis, & patientiæ radicibus niteretur. Quare iſta conditio, Iudices, reſpuatur, ne Catilinæ familiaritatis crimen hæreat. eſt enim commune cum multis, & cum quibuſdam etiam bonis. me ipſum, me, inquam, quondam pæne ille decepit, cùm & ciuis mihi bonus, & optimi cuiuſque cupidus, & firmus amicus, & fidelis videretur. cuius ego facinora oculis priùs, quàm opinione, manibus antè, quàm ſuſpicione deprehendi. cuius in magnis cateruis amicorum, ſi fuit etiam Cœlius, magis eſt, vt ipſe moleſtè ferat erraſſe ſe, ſicut & nonnunquam in eodem homine me quoque erroris mei pœnitet, quàm, vt iſtius amicitiæ crimen reformidet. XIV.

EXPLANATIO.

HAC ILLE TAM VARIA.] Hoc enthymema poteſt ad hunc ſyllogiſmum reuocari.

Excuſari debet adoleſcens, qui cum bonis & grauibus viris deceptus eſt.

Sed Cœlius cum bonis viris & grauibus, à Catilina deceptus eſt.

Ergo debet excuſari.

Maior propoſitio vt facilis & clara ſubticetur. aſſumptio illis verbis, *Hac ille*, &c. *aſsimulatæ tenebat*. concluſio his, *Quare iſta conditio*, &c. *hæreat*.

NEQVE VNQVAM.] Probat ſuperiorem aſſumptionem vno epichiremate, quo duo ſyllogiſmi continentur. prior eſt ſyllogiſmus.

Qui virtutis fucatam habet ſpeciem, is etiam bonos & fortes viros allicit.

Sed Catilina virtutis fucatam habuit ſpeciem.

Ergo bonos & fortes viros allexit.

Poſterior verò, quo aſſumptionis proximæ probatio continetur, talis eſſe poteſt.

De imperio delendo non poteſt cogitare, qui naturam facilem non habet ad virtutem ſimulandam.

Sed Catilina de delendo imperio cogitauit.

Ergo naturam facilem habuit ad virtutem ſimulandam.

QVARE ISTA CONDITIO.] Quid per conditionem intelligat vix ſatis liquet. fortaſſe ſenſus eſt. Ne deterior ſit conditio Cœlij quàm aliorũ; quæ ſanè deterior erit, ſi cùm alij excuſentur, ipſi ſoli familiaritatis crimen hæreat.

ME INQVAM.] Qui Rempublicam ab eius coniuratione liberaui.

OCVLIS PRIVS QVAM OPINIONE.] Hæc hyperbolicè potiùs quàm ex rei veritate dicuntur. per Fuluiam enim (auctore Saluſtio & aliis) coniurationem cognouerat, antequam coniuratorum litteræ fuiſſent in ponte Miluio deprehenſæ.

NOTÆ.

I. Improbi amici Catilinæ. IMPROBOS.] Salluſtius: *Omnium flagitioſorum atque facinoroſorum circum ſe tanquam ſtipatorum cateruas habebat. nam quicunque impudicus, adulter, ganeo, manu, ventre, pene, bona patria lacerauerat, quique alienum æs grande conflauerat, quo flagitium aut facinus redimeret: præterea omnes vndique parricidæ, ſacrilegi conuicti iudiciis, aut pro factis iudicium timentes: ad hoc quos manus atque lingua periurio & ſanguine ciuili alebat: poſtremo omnes quos flagitium, egeſtas, conſcius animus exagitabat, hi Catilinæ proxumi, familiariſque erant.*

II. FACILITATIS ET PATIENTIÆ.] Bene facilitatis non virtutis, nam & ſuperiùs adumbrata ſigna virtutum, & fucatam aſſimulatámque virtutem nominauit. cùm, vt ait Ariſtoteles, abuti vera virtute nemo poſſit. Porro per facilitatem & patientiam indolis bonitatem & quandam animi generoſitatem intelligit, quæ non poteſt non aut inſignes virtutes, aut immania ſcelera parturire. quàm in ſententiam memini me alibi illud adferre ex Platonis 6. de Republica: Η οἴει τὰ μεγάλα ἀδικήματα καὶ τὴν ἄκρατον πονηρίαν ἐκ φαύλης, ἀλλ᾽ οὐκ ἐκ νεανικῆς φύσεως τροφῇ διολλυμένης γίγνεσθαι, ἀσθενῆ δὲ φύσιν μεγάλων οὔτ᾽ ἀγαθῶν, οὔτε κακῶν αἰτίαν ἔσεσθαι. *An non exiſtimas magna ſcelera & meram improbitatem, ex abiectâ & non ex elatâ & feruidâ indole, quæ educatione corrupta ſit proficiſci: infirmam verò indolem magnorum neque bonorum, neque malorum cauſſam fore.* Eodem ſenſu quo Tullius ψυχῆς κρᾶσιν ῥᾳδίαν vſurpat Lucianus in Pſeudamanti. Sed abs re non fuerit totum locum exhibere. Ἐπινόησόν μοι καὶ τῷ λογισμῷ διατύπωσον ποικιλωτάτην τινὰ ψυχῆς κρᾶσιν, ἐκ ψεύδους καὶ δόλων, καὶ ἐπιορκιῶν, καὶ κακοτεχνιῶν συγκειμένην, ῥᾳδίαν, τολμηράν, παράβολον, φιλόπονον ἐξεργάσασθαι τὰ νοηθέντα, καὶ πιθανήν, καὶ ἀξιόπιστον, καὶ ὑποκριτικὴν τοῦ βελτίονος, καὶ τῷ ἐναντιωτάτῳ τῆς βουλήσεως ἐοικυῖαν. *Excogita & animo finge varium quoddam animæ temperamentum, è mendaciis, dolis, periuriis, malis artibus conflatum, facile, audax, temerarium, laboris amans, vt quod animo deſtinauerit, exequatur: quod ſuadere quiduis facilè poſſit, fide dignum inueniri, meliora fingere ac ſimulare, & iis quæ conſtituit quàm maximè contraria præ ſe ferre.*

Magna ſcelera magnam indolem requirunt.

III. CATERVIS AMICORVM.] Solebant enim antiqui cateruas amicorum conſcribere, de quibus Seneca 6. de beneficiis cap. 34. planè eleganter: *Apud nos primus omnium Gracchus & mox Liuius Druſus inſtituerunt ſegregare turbam ſuam: & alios in ſecretum recipere, alios cum pluribus, alios cum vniuerſis. habuerunt itaque iſti amicos primos, habuerunt & ſecundos, neutros veros.* & capite ſuperiore: *Non ſunt iſti amici qui agmine magno ianuam pulſant, qui in primas & ſecundas admiſſiones digeruntur.* Præclarè Plutarchus opuſculo περὶ πολυφιλίας, ex quo viſum eſt pauca decerpere: Τὸ ἄλλον αὐτὸν ἡγεῖσθαι τὸν φίλον, καὶ προσαγορεύειν ἑταῖρον ὡς ἕτερον, οὐδέν ἐστιν ἄλλο πλὴν μέτρῳ φιλίας τῇ δυάδι χρωμένων. οὔτε γὰρ δούλους, οὔτε φίλους ἐστὶ κτήσασθαι πολλοὺς ἀπ᾽ ὀλίγου νομίσματος. τί οὖν νόμισμα φιλίας; εὔνοια καὶ χάρις μετ᾽ ἀρετῆς, ὧν οὐδὲν ἔχει σπανιώτερον ἡ φύσις. ὅθεν οὐ τὸ σφόδρα φιλεῖν καὶ φιλεῖσθαι πρὸς πολλοὺς· ὥσπερ οἱ ποταμοὶ πολλὰς σχίσεις καὶ κατατομὰς λαμβάνοντες, ἀσθενεῖς καὶ λεπτοὶ ῥέουσιν, οὕτω τὸ φιλεῖν σφοδρὸν ἐν ψυχῇ πεφυκὸς εἰς πολλοὺς μεριζόμενον ἐξαμαυροῦται. *Amicum alterum ipſum arbitrari, vnde & nomen Græcum ἑταῖρος, quaſi ἕτερος deductum eſt, nihil eſt aliud quàm amicitiam duobus definire. neque enim aut ſerui, aut amici poſſunt modico numiſmate comparari. Quod igitur amicitiæ numiſma? beneuolentia & gratia virtuti coniuncta, quibus natura rarius habet nihil. Quare firma & ſtabilis amicitia inter multos eſſe non poteſt, ſicut fluuij in multos riuulos diſperſi, infirmi & tenues fluunt: ſic amor quantumuis magnus in multas particulas diſpertitus euaneſcit, & fit infirmior.* Hæc Plutarchus. & aliquantò pòſt: Ἐν ταῖς τῶν πλουσίων καὶ ἡγεμονικῶν οἰκίαις πολὺν ὄχλον καὶ θόρυβον ἀσπαζομένων, &c. ὁρῶντες, εὐδαιμονίζουσι τοὺς πολυφίλους, καί τοι πλείονας γε μυίας ἐν τοῖς ὀπτανείοις αὐτῶν ὁρῶσιν. ἀλλ᾽ οὔτ᾽ αὗται τῆς λιχνείας, οὔτ᾽ ἐκεῖνοι τῆς χρείας ἐπιλειπούσης παραμένουσιν. *In diuitum & principum virorum ædibus qui frequentem ſalutantium turbam adſpiciunt, eos beatos prædicant, qui tantâ amicorum frequentiâ ſtipantur; licet plures muſcas in ſuis ipſorum culinis aduertant. Sed neque illæ cuppediis, neque hi commodis deficientibus perſeuerant.*

Primi & ſecundi amici.

πολυφιλία.

IV. ME ME IPSVM.] Totum hunc locum expreſſit Porcius Latro decl. in Catilinam: *Prætereo mentem illius plus quàm gladiatoriam, ſitim incredibilem humani cruoris, mirum inconſtantiæ genium, vultum nunc demiſſum, nunc alacrem, nunc anhelantem ſcelus, nunc gratiâ meretriciâ floreſcentem: ſummum pecuniæ deſiderium, ſummam ſimul prodigalitatem: contemptum incredibilem omnium bonorum, itémque eximiam cum ſummis atque optimis ciuibus familiaritatem. Nihil enim fuit iſto monſtro verſipellius, aut mutabilius hominum memoriâ, itavt res diuerſiſſimæ ſæpenumero videantur, in eodem ingenio, tanquam in ſentinâ quadam teterrimâ, ſimul redundare.* Et longè pòſt: *Vigent enim in illâ clade res diuerſiſſimæ pariter, continentia & libido, nihil illo perſæpe affixius ad colenda bonorum conſortia: nihil ſollertius ad illis inſidiandum: nihil illius munificentiâ inſignius, nihil auidius rapacitate: nihil acutius conſilio, nihil temeritate contemptibilius. Quæ cùm ita ſint, Capionem admirabimur in tantis viarum ambagibus errauiſſe? Me, me, inquam, fateor, Iudices, vetuſtiſſima quadam familiaritate Catilinæ coniunctum, perſæpe delirauiſſe, miris perplexionibus illius, neque vnquam certi quicquam in illo ingenio comprehendere potuiſſe,* &c.

Motes Catilinæ quàm varij.

AXIOMA.

Nunquam ad magnum facinus impetus ſceleratus extaret, niſi vitiorum immanitas quibuſdam facilitatis & patientiæ radicibus niteretur.

ARGVMENTVM.

Poſteaquam maledictis de impudicitiâ Cœlij & Catilinæ familiaritate reſponſum eſt, ad coniurationis crimen delabitur, quod crimen aduerſarij hoc ſyllogiſmo complexi fuerant.

Catilinæ familiares fuerunt coniurationis participes.
At Cœlius fuit Catilinæ familiaris.
Ergo fuit particeps coniurationis.

Cui Cicero reſpondet tum à perſonâ Cœlij, tum ab aduerſariorum conſcientiâ.

ITAQVE à maledictis pudicitiæ ad coniurationis inuidiam oratio eſt veſtra delapſa. poſuiſtis enim, atque id tamen titubanter & ſtrictim, coniurationis hunc propter amicitiam Catilinæ participem fuiſſe. in quo non modò crimen non hærebat, ſed vix diſerti adoleſcentis cohærebat oratio. Qui enim tantus furor in Cœlio? quod tantùm aut in moribus, naturáque vulnus, aut in re, atque fortuna? vbi denique in iſta ſuſpicione eſt Cœlij nomen auditum? Nimium multa de re minime dubia loquor: hoc tamen dico, non modò ſi ſocius coniurationis, ſed niſi inimiciſſimus iſtius ſceleris fuiſſet, nunquam coniurationis accuſatione adoleſcentiam ſuam potiſſimum commendare voluiſſet. XV.

EXPLANATIO.

ITAQVE.] Poſteaquam igitur aduertiſtis veſtrum de impudicitiâ maledictum nullius eſſe momenti, eum in inuidiam vocare, quaſi coniurationis particeps fuiſſet, tentauiſtis.

TITVBANTER ET STRICTIM.] Vt ſatis liqueret ex illâ veſtrâ titubatione & formidine vos vobiſmet ipſis conſcios eſſe mendacij.

CRIMEN NON HÆREBAT.] Lambinus in hunc locum: *In quo non modò crimine non inhærebat*, &c. Sic neceſſariò, non, vt vulgo, *in quo non modò crimen non hærebat*, ſanè inhærebat *habent omnes libri veteres*. Hæc ille. Sed non video cur debeamus à veteri lectione diſcedere, niſi fortaſſe vt plus quàm vulgus ſapere videamur, præſertim cum hærere crimen dicatur nō ſemel apud Ciceronem. ſi tamen legas, *in quo non modò crimine non inhærebat*, meus erit, quod crimen non modò nō vrgebat, ſiue in quo cuius criminis probatione non modò non inſiſtebat Atratini diſerti adoleſcentis oratio, ſed vix ita ſibi ipſi cohærebat, vt non ſibi repugnaret. Sin antiquam retineas lectionem, ſenſus erit. Qua in accuſatione coniurationis non modò crimen non probatur, ſed vix ſibi conſtabat diſerti adoleſcentis oratio.

QVI ENIM TANTVS FVROR.] Oſtendit accuſationis leuitatem hoc ſyllogiſmo.

Nemo fuit inter coniuratos niſi ob ſcelerum conſcientiam amentiâ præceps, aut moribus naturâque ſceleratus, aut oppreſſus ære alieno.

Sed talis non erat Cœlius. *Ergo*, &c.

NIMIVM MVLTA.] Correctio eſt oratoria, qua ſe ipſum reprehendit oſtenditque cauſæ fiduciam.

HOC TAMEN DICO.] Argumentum eſt à repugnantibus vno epichiremate contentum quod ſyllogiſmo, ſic explicari potuiſſet.

Qui alterum coniurationis crimine accuſauit, non fuit coniurationis particeps.

At Cœlius Antonium coniurationis crimine accuſauit.

Ergo non fuit coniurationis particeps.

ADOLESCENTIAM SVAM COMMENDARE.] Suum in malos ciues odium, & ſpem futuræ in poſterum virtutis oſtendere.

NOTÆ.

I. TITVBANTER ET STRICTIM.] Quia nimirum mendaces nihil clarè fuséque pronuntiant. Dio Chryſoſtomus in Troicis ſiue oratione vndecimà, de Mendaci: παρέργως καὶ βραχέως καὶ δῆλός ἐστιν ἐπιταράττων. *Extra rem & ſtrictum omnia ſe conturbare oſtendit.* &: Ὅθεν οὐδὲ τῇ φωνῇ μέγα λέγουσιν ψευδόμενοι, ὅταν ἐπὶ τοῦτ' ἔλθωσιν· οἱ δέ τινες αὐτῶν βατταρίζουσι καὶ ἀσαφῶς λέγουσι. *Quamobrem neque voce elatâ loquuntur mentientes, cùm ad id quod falſum eſt, peruenerint, nonnulli verò eorum balbutiunt & obſcurè loquuntur.* Quare ſapienter conſulit Themiſtius ei qui calumniam audiuerit. Εἰς φανερὸν προάγειν καὶ διελέγχειν· ὄψει γὰρ ἰλιγγιῶσαν εὐθέως καὶ λογιζομένην, καὶ βατταρίζουσαν, καὶ οὐκ ἔχουσαν ὅτι χρήσεται. καὶ εἰ τοῦτο ὑπομείνειεν ἅπαξ, οὐ μή ποτε ἐνοχλήσει λοιπόν, &c. *In apertum illico profer ac redargue. videbis enim illam (calumniam) ſubita vertigine correptam ac tergiuerſantem, & verbis hæſitantem, & prorſus attonitam. Quòd ſi ſemel perpeſſa fuerit, impoſterum moleſta eſſe deſinet.* Sic ille oratione περὶ φιλίας. Fabius lib. 12. cap. 1. *Prodit enim ſe quamlibet cuſtodiatur ſimulatio, nec vnquam tanta fuerit eloquendi facultas, vt non titubet ac hæreat, quoties ab animo verba diſſentiunt.*

Mentientes ſtrictim & titubanter loquuntur.

II. QVOD TANTVM.] A tribus fontibus rerum nouarum & coniurationum cauſſas acceſſit. à natura, à moribus, ab egeſtate, vt & Salluſtius agens de Catilina, *ingenio malo, prauóque.* en naturam. *huic ab adoleſcentiâ bella inteſtina, cædes, rapinæ, diſcordia ciuilis grata fuere: ibique iuuentutem ſuam exercuit.* en mores: *Agitabatur magis, magíſque in dies animus ferox, inopia rei familiaris & conſcientiâ ſcelerum.* en vulnus in re atque fortuna. Quibus rebus impulſus eſt, vt populi libertatem Reique publicæ ſtatum tentaret conuellere. coniuratoris ſiue naturam, ſiue mores ita Plato deſcripſit 9.

Vnde coniurationes oriantur.

de Republ. Τυραννικὸς δ᾽ ἀκριβῶς ὅταν ἢ φύσει, ἢ ἐπιτηδεύμασιν, ἢ ἀμφοτέροις μεθυστικός τε καὶ ἐρωτικὸς, καὶ μελαγχολικὸς γένηται. *Tyrannicus eſt plane cùm aut naturâ, aut moribus, aut vtroque ebrioſus, & amatorius, & melancholicus euaſerit.* vide fusè. & Lyſiam oratione pro Polyſtrato. De vulneribus vel in re vel in fortuna Lyſias apologia de populi diſſolutione. Ἐγὼ τοίνυν ἡγοῦμαι, ὅσοι μὲν ἐν τῇ δημοκρατίᾳ ἄτιμοι ἦσαν εὐθύνας δεδωκότες, ἢ τῶν ὄντων ἀπεστερημένοι, ἢ ἄλλῃ τινὶ συμφορᾷ τοιαύτῃ κεχρημένοι, προσήκειν αὐτοῖς ἑτέρας ἐπιθυμεῖν πολιτείας, ἐλπίζοντας τὴν μεταβολὴν ὠφέλειάν τινα αὐτοῖς ἔσεσθαι. *Ego verò exiſtimo iis qui in poplulari ſtatu exactis rationibus infames erant, aut bonis priuati, aut in aliam huiuſmodi calamitatem inciderant, conueniſſe vt rebus nouis ſtuderent, ſperantes aliquam ſuis rebus vtilitatem ex Reipublicæ conuerſione.* vnde concludit: Ἐμοὶ τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, οὔτ᾽ ἰδίᾳ, οὔτε δημοσίᾳ συμφορὰ ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ οὐδεμία πώποτε ἐγένετο, ἀνθ᾽ ἧς τινος ἂν προθυμούμενος τῶν παρόντων κακῶν ἀπαλλαγῆναι ἑτέρων ἐπεθύμουν πραγμάτων. *Mihi verò, Iudices, nulla neque priuatim, neque publicè eo tempore calamitas contigit, propterquam cupiens ex præſenti ſtatu euadere rebus nouis ſtuderem.* Vide Sextianam 99.

III. Vulnus. VVLNVS.] Pro Rabirio perduel. *Nullâ deſperatione rerum ſuarum, nullis domeſticis vulneribus coactus.*

IV. Antonius an coniurarit. CONIVRATIONIS ACCVSATIONE.] Caius Antonius à Cœlio coniurationis accuſatus, tamen, vt ait Dio lib. 38. non tam accuſationis crimine quàm repetundarum damnatus eſt, quantumuis Cicero ſuum in Conſulatu collegam defenderet. Καὶ συνέβη αὐτῷ ὧν μὲν ἐκρίνετο (τῆς τοῦ Κατιλίνου συνωμοσίας) μὴ ἐλεγχθῆναι, ὧν δὲ οὐκ ᾐτιάζετο (τῶν ἐν Μακεδονίᾳ πραχθέντων) κολασθῆναι. *Et accidit, vt iis, de quibus cauſam dicebat non conuinceretur, de quibus non dicebat, eorum cauſa plecteretur.* Eum tamen coniurationis fuiſſe participem tum Dio & alij teſtantur, tum innuit non obſcurè Cicero in Sextiana 7. *Atque ego de Antonio nihil dico præter vnum; nunquam illum in illo ſummo timore ac periculo ciuitatis, neque communem metum omnium, neque propriam nonnullorum ſuſpicionem. aut inficiando tollere, aut diſſimulando ſedare voluiſſe.* vide Piſonianam & pro domo.

V. Adoleſcentes accuſabāt viros graues. ADOLESCENTIAM SVAM COMMENDARE.] Infra §.73. *Voluit vetere inſtituto eorum adoleſcentium exemplo, qui pòſt in ciuitate ſummi viri & clariſſimi ciues extiterunt, induſtriam ſuam à populo Romano, ex aliqua illuſtri accuſatione cognoſci.* at Sanctus Hieronymus ad Auguſtinum reſcribit: *Puerilis eſſe iactantiæ, quod olim adoleſcentuli facere conſueuerant, accuſando illuſtres viros, ſuo nomini famam quærere.* Sic Iulius Cæſar adoleſcens, *compoſita ſeditione ciuili, Cornelium Dolabellam Conſularem & triumphalem virum, repetundarum poſtulauit.* Sic eodem tempore Noſter C. Verrem ex Siciliâ, ſic aliquantò pòſt, vt teſtatur Aſconius, Catilinam P. Clodius ex Africa de repetundis accuſauit: Lucullus Seruilium Augurem de quo Plutarchus in eius vitâ: Καὶ πάνυ τοὺς νέους ἐβούλοντο τοῖς ἀδικοῦσιν ἐπιφυομένους ὁρᾶν, ὥσπερ θηρίοις εὐγενεῖς σκύλακας. *Et omnino iuuenes expetebant iniuſtis mordicùs adfixos, vt generoſos canes feris videre.* Sic Marcus Cotta, vt ait Valerius libro 5. cap. 4. *Eo ipſo de quo togam ſumpſit virilem, protinus vt è Capitolio deſcendit, C. Carbonem, à quo pater eius damnatus fuerat, poſtulauit, protractúmque reum iudicio afflixit, & ingenium, & adoleſcentiam præclaro opere auſpicatus.*

AXIOMA.

Mendaces loquuntur titubanter & ſtrictim, & vix cohæret eorum oratio.

Et qui in patriam coniurat neceſſe eſt magnum ſit in moribus naturáque vulnus, aut in re atque fortunâ.

ARGVMENTVM.

Eadem ratione, qua coniurationis crimen dilutum eſt, altera pars accuſationis de ambitu corruptíſque populi Romani in ædilitatis petitione ſuffragiis, hoc loco diſſoluitur, cùm non potuerit is ambitu ſe maculare, qui alterum ambitus accuſarit.

XVI. QVOD, haud ſcio an de ambitu, & de criminibus iſtius ſodalium ac ſequeſtrium, quoniam huc incidi, ſimiliter reſpondendum putem. nunquam enim tam Cœlius amens fuiſſet, vt, ſi ſe iſto infinito ambitu commaculaſſet, ambitus alterum accuſaret. neque enim eius facti in altero ſuſpicionem quæreret, cuius ipſe ſibi perpetuam licentiam optaret: nec, ſi ſibi ſemel periculum ambitus ſubeundum putaret, ipſe alterum iterum ambitus crimine arceſſeret. quod quamquam nec ſapienter, & me inuito facit, tamen eſt eiuſmodi cupiditatis, vt magis inſectari alterius innocentiam, quàm de ſe timidè cogitare videatur.

EXPLANATIO.

QVOD HAVD SCIO.] Mihi non compertum eſt an eadem ratione diluendam putem illā partem accuſationis, qua dictus eſt Cœlius in petitione ædilitatis ſocietatem cum quibuſdam iniiſſe ad corrumpenda populi ſuffragia.

SODALIVM.] Eorum qui ſocietatem cum ipſo inierant, vt ſuffragia corrumperent.

AC SEQVESTRIVM.] Eorum quos Cœlius interpoſuiſſe dicebatur, vt ſuffragia corrumperet.

QVONIAM HVC INCIDI.] Quoniam

iſta accuſationis de coniuratione refutatio, hanc accuſationem de ambitu mihi in memoriam reuocauit.

INFINITO AMBITV.] Qualis ab aduerſariis cum amplificatione deſcribitur.

AMBITVS ALTERVM ACCVSARET.] Pollam Patrem Atratini.

NEQVE EIVS FACTI.] Ambitus corruptioniſque ſuffragiorum.

NEC SI SIBI SEMEL.] Niſi ſibi ſemel diem dictum iri de ambitu putaret, non eſſet adeò pertinax in altero ambitus accuſando, vt eum abſolutum perſequeretur, & in iudicium reuocaret.

ET ME INVITO FACIT.] Cauet Iudices offendere, apud quos ſciebat Pollam gratioſum eſſe in paucis.

TAMEN EST EIVSMODI CVPIDVS.] Turnebus legit, *eiuſmodi gloriæ cupidus.* Lambinus, *eiuſmodi cupiditatis.* aut quod & ipſe magis probat, & magis ad Ciceronis mentem videtur accedere, ſublata vna dictione legit, *tamen eſt eiuſmodi.* id eſt, tanta eſt animi magnitudine, tantâq. innocentiæ ſuæ fiduciâ præditus, vt inſectari Pollæ innocentiam quam de ſe ſuæque vitæ integritate timidè cogitare malle videatur.

NOTÆ.

I. SODALIVM.] Operæpretium eſt nonnulla ex poſterioribus magni Budæi annotationibus in pandectas, ad huius loci explanationem excerpere: *Sodales, inquit, ſunt qui eiuſdem collegij ſunt, quos Græci carpiam (legit Budæus ἑταιρείαν) vocant.* Subdit: *Fuit & olim Romæ alioquin hoc nomen crimi noſum, nam & lex Licinia lata eſt contra ſodalitia, id eſt, coitiones quæ fiebant ad corrumpenda ſuffragia popularia.* Cicero pro Plancio: *Sed aliquando veniamus ad cauſam, in qua tu nomine legis Liciniæ quæ eſt de ſodalitiis, omnes de ambitu leges complexus es.* Item: *Ego Plancium & ipſum gratioſum eſſe dico, & habuiſſe in petitione multos cupidos ſui gratioſos, quos ſi tu ſodales vocas, officioſam amicitiam nomine inquinas crimino ſo.* Senſus eſt igitur. Quemadmodum Cœlius ex eo quòd coniurationis nomine accuſauit Antonium, oſtendit ſe non fuiſſe coniurationis participem, ita accuſans Pollam patrem Atratini de ambitu, oſtendit ſe cùm peteret ædilitatem alióſque magiſtratus non corrupiſſe largitionibus populi Romani ſuffragia. de quo accuſatus eſt, quaſi cum ſodalibus ſocietatē ad corrūpenda populi ſuffragia coiiſſet.

Sodales.

Lex Licinia de ſodalitiis.

II. SEQVESTRES.] Per Sequeſtres vel corrumpendarum tribuum conductores intelligit, vel eos qui tanquam mediatores, vt ſic loquar, ſe medios interponerent ad fauorem populi & gratiam candidatis aucupandam, quod tamen crimini non fuiſſe conſtat, ſi à largitionibus abſtinerent. Qualem Octauium fuiſſe Antonio ſequeſtrem tradit Appianus I. ciuilium: Ἐλθούσης δὲ τῆς κυρίας ἡμέρας, ἡ μὲν βουλὴ τὴν φυλέτιν ἐνόμιζεν ἐκκλησίαν συλλεγήσεσθαι, οἱ δὲ νυκτὸς ἔτι τὴν ἀγορὰν περισχοινισάμενοι τὴν λοχῖτιν (lego λοχῖτιν) ἐκάλουν ἀπὸ συνθήματος ἐληλυθυῖαν, καὶ ὁ δημότης λεὼς ἀχθόμενος τῷ Ἀντωνίῳ συνέπραττεν ὅμως διὰ τὸν Καίσαρα ἐφεστῶτα τοῖς περισχοινίσμασι καὶ δεόμενον. *Cùm dies conſtituta illuxiſſet, Senatus decreuit comitia tributa conuocari: at illi ante ſolis ortum foro funibus circundato, comitia centuriata populi ex condicto confluentis vocarunt: ac plebs infima indignatione rei permota, Antonio fauebat, tamen propter Cæſarem in ſeptis ſumum ſtantem & deprecātem.* infra §. 13. *Adulter, impudicus, ſequeſter, conuicium eſt non accuſatio.* Porro Pacem Sequeſtram Virgilius eleganter dixit II. Æneidos:

Sequeſter.

Bis ſenos pepigere dies & pace ſequeſtrâ
Per ſiluas Teucri, mixtíque impune Latini
Errauere iugis.

Vbi *ſequeſtram* idem ſignificare vides atque intermediam, interceſſorem, proxenetam, vt ait Seneca epiſtolâ 109. *Vt negociari poſſis, æs alienum facias oportet; ſed nolo per interceſſorem mutueris, nolo proxenetæ nomen tuum iactent, paratum tibi creditorem dabo. Catonianum illud, à te mutuum ſumes.* propriè tamen ſequeſter, vt ex Modeſtino I.C. Lacerda Noſter annotauit, *Eſt is, apud quem plures deponunt rem eandem, de qua controuerſia eſt, ſic dictus, quod pars vtraque eius fidem ſequatur.* Eleganter hac voce vſus eſt Tertullianus libro de patientiâ: *Adeò ſatis idoneus patientiæ ſequeſter Deus: ſi iniuriam depoſueris penes eum, vltor eſt: ſi damnum, reſtitutor eſt: ſi dolorem, medicus: ſi mortem, reſuſcitator eſt.* Et apud Gellium lib. 20. c. 10. P. Lauinius: *Scripſit Sculnam vulgo dici quaſi ſeculnam, quem qui, elegantius, inquit, loquuntur, Sequeſtrem appellant.* & iam de ſuâ ſententiâ ſubiicit Gellius: *Vtrumque vocabulum à ſequendo factum eſt: quod eius qui electus ſit, vtraque pars fidem ſequatur.* Mox: *Sed quod apud Sequeſtrem depoſitum erat ſequeſtrò poſitum, per aduerbium dicebant. Cato de Ptolemæo contra Thermum: Per Deos immortales nolite vos ſequeſtro ponere.*

AMBITVS ALTERVM ACCVSARET.] III.
Lege videlicet Tulliâ, quam Cicero tulerat in ſuo cōſulatu. quamuis ante Tulliam iam aliæ de ambitu leges latę fuerant, vt inter cæteras lex Acilia. de qua Dio lib. 36. Ἐπὶ μὲν δὴ τοῦ Ἀκιλίου τοῦ τε Πίσωνος ταῦτά τε οὕτως ἐγένετο, καὶ κατὰ τῶν δεκασμοῦ περὶ τὰς ἀρχὰς ἁλισκομένων ἐνομοθετήθη πρὸς αὐτῶν τῶν ὑπάτων, μήτ᾽ ἄρχειν μήτε βουλεύειν σφῶν μηδένα, ἀλλὰ καὶ χρήματα προσοφλισκάνειν. *Atque hæc quidem Acilio & Piſone Cōſulibus ſic habuerūt, & in eos qui ambitus damnati eſſent, ab iiſdem Conſulibus lata lex eſt, vt & Senatū & magiſtratu prohiberentur, & inſuper pecunia multarentur.* Secuta eſt paucis pòſt annis lex Tullia, de qua Cicero in Sextianâ, Vatinianâ & alibi. & Dio lib. 37. Ἔδοξε τῇ βουλῇ, τοῦ τε ὑπατείου, καὶ τότε αἰτήσαντος (τοῦ Κατιλίνου) καὶ πᾶν ὅτι δήποτε ἐνεδέχετο ὅπως ἀποδειχθῇ μηχανωμένου, δέκα ἐτῶν φυγὴν, τοῦ Κικέρωνος ἐς τὰ μάλιστα ἐνάγοντος τοῖς ἐπιτιμίοις τοῖς ἐπὶ τῷ δεκασμῷ τεταγμένοις προσνομοθετῆσαι. *Viſum eſt Patribus, Conſulatum adhuc petente Catilinâ, & omnia, quoad eius fieri poterat, vt Conſul fieret moliente, vt decem annorum exilium, in id incumbente maximè Marco Tullio, ad pœnas in corruptores ſuffragiorū conſtitutas accederet.* Atque hac quidem lege tam ſeuerâ Cœlius Pollam accuſauit, licet ne ſic quidem ambitio potuerit cohiberi, niſi grauiores etiā pœnæ prædictis adderentur. Dio libro 39. loquens de ſecundo Pompeij & Craſſi conſulatu: Πικρότερα ἐπιτίμια τοῖς δεκάζουσί τινας ἐπέταξαν, ὥσπερ τοι αὐτοὶ ἔλαττον, ὅτι οὐ χρήμασιν, ἀλλὰ βίᾳ τὴν ἀρχὴν εἰληφότες ἁμαρτόντες. *Grauiores multas ſuffragiorum corruptoribus irrogarunt, quaſi verò minus ipſi peccaſſent, quòd non pecuniis, ſed vi ad magiſtratum peruenerant.* Quin etiam, vt idem ait lib. 40. in tertio Pōpeij Cōſulatu, ad ambitus cohibēdos neceſſe fuit decernere. Μηδένα μήτε στρατηγὸν, μηθ᾽ ὕπατον μήτ᾽ εὐθὺς, μήτε πρὸ πέμπτου ἔτους ἐς τὰς ἔξω ἡγεμονίας εἰσιέναι, ἵνα μὴ διὰ τοῦτο σπουδαρχοῦντες στασιάζωσι. *Neque quis ſiue Prætor, ſiue Conſul, aut ſtatim poſt magiſtratum,*

Leges de ambitu. Acilia.

Tullia.

Pompeia.

aut ante quinquennium proficiſceretur in externas prouincias, ne, qui propterea magiſtratus peterent, inter ſe dißiderent. Et paulò pòſt clariùs: Δόγμα τ' ἐποιήσατο μηδένα μήτε στρατηγήσαντα μήθ' ὑπατεύσαντα τὰς ἔξω ἡγεμονείας, πρὶν ἂν πέντε ἔτη διέλθῃ, λαμβάνειν, εἴπως ὑπὸ τοῦ μὴ παραυτίκα ἐν δυνάμει τινὶ γίγνεσθαι, παύσαιντο σπουδαρχοῦντες. *Edixit ne quis qui aut præturam aut conſulatum geßiſſet, ante quinquennium ad prouincias mitteretur, ſi fortè ab ambitione deſiſterent, ex eo quod non ſtatim poſt magiſtratum vrbanum, poteſtatem eſſent habituri.*

IV. ALTERVM ITERVM AMBITVS CRIMINE ARCESSERET.] Infra §.78. *Fecit me hercule inuito, & multùm repugnante, ſed tamen fecit: nomen amici mei de ambitu detulit: quem abſolutum inſequitur, reuocat: nemini noſtrûm obtemperat: eſt violentior, quàm vellem.* Quem in locum de iteratione & reuocatione iudiciorum pauca dicemus.

Reuocatio in iudicium.

NEC SI SIBI SEMEL.] Non abludit illud Plautinum Truculento ſc. 2. v

Qui alterum incuſat probri, eum ipſum ſe intueri oportet.

Vide Noſtrum 1. & 2. §. frumentariæ in Verrem.

AXIOMATA.

Qui ſe aliquo crimine commaculat, eodem alterum accuſare non debet.

Nemo prudens eius facti in altero ſuſpicionem quærit, cuius ipſe ſibi perpetuam licentiam optat.

Sapientis non eſt inſectari alterius innocentiam, ne de te timidè cogitare videaris.

ARGVMENTVM.

Hinc coniecturam duxerant aduerſarij aurum mutuo ſumptum à Cœlio, quod & eſſet oppreſſus ære alieno, & nihilominùs viueret ſumptuosè: vtrumque negat Cicero, cùm nec debeat Cœlius tabulas exhibere, vnde ratio conſtet æris alieni, nec tanti habitet, quanti dicebatur.

XVII. NAM quòd æs alienum obiectum eſt, ſumptus reprehenſi, tabulæ flagitatæ: videte quàm pauca reſpondeam. Tabulas, qui in patris poteſtate eſt, nullas confecit: verſuram nunquam omnino fecit vllam. Sumptus vnius generis obiectus eſt, habitationis: triginta millibus dixiſtis eum habitare. Nunc demum intelligo P. Clodij inſulam eſſe venalem, cuius hic in ædiculis habitet, decem, vt opinor, millibus: vos autem, dum illi placere vultis, ad tempus ei mendacium veſtrum accommodauiſtis.

EXPLANATIO.

TABVLÆ FLAGITATÆ.] Vt ſumptus & æs alienum à Cœlio conflatum oſtenderet, tabulas dati & expenſi flagitabant, in iis rati omnes contineri æris alieni rationes.

TABVLAS QVI IN PATRIS POTESTATE EST NVLLAS CONFECIT.] Deridiculi eſtis, qui tabulas dati & expenſi à Cœlio flagitatis, quaſi verò tabulas is poſſit exhibere, qui nullas adhuc conficit, cùm ſit adhuc pupillus & ſub patris poteſtate, nec dum tabularum conficiendarum ius acceperit.

VERSVRAM NVNQVAM OMNINO FECIT VLLAM.] Alio ſigno oſtendit Cœlij nullum eſſe æs alienum. Nunquam mutauit creditorem vt fœnus fœnore diſſoluens expungeret, vel quod vulgo dicitur nunquam pecuniam ad intereſſe eſt mutuatus. quaſi diceret:

Si Cœlius eſſet in ære alieno, mutuatus fuiſſet pecuniam ad intereſſe.

Sed nunquam mutuatus eſt pecuniam ad intereſſe.

Ergo Cœlius non eſt in ære alieno.

TRIGINTA MILLIBVS.] Dixiſtis Cœlium tam ſumptuosè habitare, vt XXX. M. HS. id eſt, coronatis CL. ædes conduxerit: quod ioco depellit, falſúmque eſſe dicit Orator. Cœlius enim non XXX. M. ſed X. M. tantùm partem ædium P. Clodij in Palatino monte conduxerat, id eſt, quinquaginta coronatis habitabat

NVNC DEMVM INTELLIGO.] Eleganter & lepidè habitationis ſumptuoſæ crimen in Clodium Cœlij accuſatorem retorquet, partim iocoſâ inficiatione crimen eludit. video, inquit, ampliſſimas illas ædes Clodij ad vicum vndequaque pertinentes, venales eſſe, atque vt cariùs venderentur vos ſubornatos fuiſſe ad mentiendum, dicendúmque illarum ædium particulam à Cœlio XXX. M. conductam fuiſſe, quæ decem tantum millibus conducta eſt. Qui enim illas ædes empturi ſunt, totas ædes magno comduci poſſe arbitrabuntur, ſi earum particula tanto conducta ſit. atque hic eſt germanus huius loci ſenſus, licet eum Philippus Melancthon haud multo melior Ciceronis quàm ſcripturæ diuinæ interpres, aliò ſed inſulſiſſimè detorſerit.

NOTÆ.

TABVLAS QVI IN PATRIS POTESTATE EST.] Miretur quiſpiam cur nondum Cœlius tabulas dati & expenſi conficeret, qui tamen iam à patre ſemigrarat, & ad Reipub. gubernationem magiſtratuúmque petitionem acceſſerat, proindéque tabulæ ab illo flagitari non debuerint ad exquirendam æris alieni rationem. Sed mirari deſinet, qui ex Dionyſio Halicarnaſſeo libro 2. amplitudinem paternæ in liberos poteſtatis aduerterit: Ὁ δὲ τῶν Ῥωμαίων νομοθέτης ἅπασαν, ὡς εἰπεῖν, ἔδωκεν ἐξουσίαν πατρὶ καθ' υἱοῦ, καὶ παρὰ πάντα τὸν τοῦ βίου χρόνον, ἐάν τ' εἴργειν, ἐάν τε μαστιγοῦν, ἐάν τε δέσμιον ἐπὶ τῶν κατ' ἀγρὸν ἔργων κατέχειν. I.

Patriæ poteſtatis amplitudo.

ἐάν τ' ἀποκτιννύναι προαιρῆται, κἂν τὰ πολιτικὰ πράττων ὁ παῖς ἤδη τυγχάνῃ, κἂν ἐν ἀρχαῖς ταῖς μεγίσταις ἐξεταζόμενος, κἂν διὰ τὴν εἰς τὰ κοινὰ φιλοτιμίαν ἐπαινούμενος. *Romanorum legiſlator, omnem vt ita dicam, patribus dedit in liberos poteſtatem, idque ad omne vitæ tempus, ſiue filium in vinculis detinere, ſiue virgis cædere, ſiue ad agros in ergaſtulis tenere, ſiue occidere voluiſſent. licet iam rempublicam attigiſſet filius, & maximos geßiſſet magiſtratus, & maximam in reip. adminiſtratione gloriam fuiſſet conſecutus.* Subdit paucis interiectis, Καὶ τοῦτο συνεχώρησε τῷ πατρὶ, μέχρι τῆς τρίτης πράσεως ἀφ' υἱοῦ χρηματίζεσθαι, μείζονα δοὺς ἐξουσίαν πατρὶ κατὰ παιδὸς, ἢ δεσπότῃ κατὰ δούλου. θεραπόντων μὲν γὰρ ὁ πραθεὶς ἅπαξ, ἔπειτα τὴν ἐλευθερίαν εὑράμενος, αὑτοῦ τὸ λοιπὸν κύριός ἐστιν. υἱὸς δ' ὁ πραθεὶς ὑπὸ τοῦ πατρὸς, εἰ γένοιτο ἐλεύθερος ὑπὸ τοῦ πατρὶ πάλιν ἐγίνετο. κἂν τὸ δεύτερον ἀπεμποληθεὶς καὶ ἐλευθερωθεὶς δοῦλος, ὥσπερ ἐξ ἀρχῆς τοῦ πατρὸς ἦν. μετὰ δὲ τὴν τρίτην πρᾶσιν ἀπήλλακτο τοῦ πατρός. *Idque conceßit patri vt ad tertiam vſque venditionem addictâ filij libertate ſibi pecuniam compararet, maiorem dans patri in liberos, quàm Domino in ſeruos poteſtatem. Seruus enim ſemel venditus, & deinde libertatem adeptus, ſui iuris eſt deinceps. at filius à patre diuenditus ſi libertatem conſecutus eſſet, redibat iterum in patris poteſtatem. & iterum venditus, iterũ libertatem adeptus, ad patrẽ redibat. poſt tertiã verò venditionem patri non erat obnoxius.* Vt minimè mirum ſit ſi Manlius, ſi Caſſius, ſi Fuluius, ſi alij liberos ſuos, in quos ius vitæ necíſque habebant, occiderint, cùm id, etiam in adoptionis formula vſurparent. Quod ſi ius vitæ necíſque & libertatis in liberos obtinebant, mirum non erit ſi quandiu in patrum poteſtate fuerunt, nihil proprium habuerint, nulláſque tabulas accepti & expenſi confecerint. quòd & idem Dionyſius teſtatur libro octauo, Ῥωμαίοις γὰρ οὐδὲν ἴδιόν ἐστι κτῆμα ζώντων ἔτι τῶν πατέρων, ἀλλὰ καὶ τὰ χρήματα καὶ τὰ σώματα τῶν παίδων, ὅτι βούλονται διατιθέναι τοῖς πατράσιν ἀποδέδοται. *Romanis, viuente adhuc patre, nulla planè eſt poſſeßio, ſed patribus fas eſt, quocunque modo voluerint de filiorum corporibus & rebus diſponere.* Tamen quod ad libertatem ſpectat vt idem libro ſecundo tradit à Numæ Pompilij lege fuit conſtitutum. ἐὰν πατὴρ υἱῷ συγχωρήσῃ γυναῖκα ἀγαγέσθαι, κοινωνὸν ἐσομένην ἱερῶν τε καὶ χρημάτων κατὰ τοὺς νόμους, μηκέτι τὴν ἐξουσίαν εἶναι τῷ πατρὶ πωλεῖν τὸν υἱόν. *Si pater vxorem ducere filio permiſerit, quæ ſit ſacrorum & bonorum particeps ſecundum leges, ne eſto patri libertas filij vendendi.* Non tamẽ eſt quod eos negemus, etiam cùm in patrum poteſtate eſſent, certum habuiſſe peculium. id omnes propemodum auctores de Spurio Caſſio loquentes perſuadent. Quem pater, vt eſt apud Valerium Maximum lib. 5. cap. 8. *Adhibito propinquorum & amicorum conſilio, affectati regni crimine domi damnauit, verberibúſque affectum necari iußit, ac peculium eius Cereri conſecrauit.* Plinius lib. 34. cap. 4. *Romæ ſimulacrum ex ære factum Cereri primum reperio ex peculio Spurij Caßij, quem regnum affectantem pater ipſius interemerat.* Nonnulli quidem ne peculium quidem liberis fuiſſe prodiderunt, eáque videtur eſſe Dionyſij libro octauo ſententia, eam vnicam ob cauſam ea quæ de Spurio Caſſio eiúſque peculio Cereri conſecrato traduntur in dubium reuocãtis. militibus tamen fas erat militare peculium ſibi comparare. Iuuenalis ſat. vlt.

Pater liberos vendere poterat.

Ius vitæ & necis.

Romanis viuente patre nulla poſſeſſio.

Peculium.

Solis præterea teſtandi militibus ius
Viuo patre datur: nam quæ ſunt parta labore
Militiæ, placuit non eſſe in corpore cenſus
Omne tenet cuius regimen pater.

Milites viuẽtibus patribus teſtandi ius habebant.

Vt omittam Iuriſconſultos qui de his agunt fuſiſſimè. Ex quibus animaduertis ne peculium quidem negotiationibus, aliiſue laboribus quæſitũ, excepto militari, pueros habuiſſe, aut de his potuiſſe teſtari. quod teſtandi priuilegium non militibus ſolùm conceſſum eſt, ſed etiam Veſtalibus. A. Gellius cap. 12. lib. 1. noctium Atticarũ. *Virgo autem Veſtalis ſimul atque capta, atque in atrium Veſtæ deducta, & Pontificibus tradita eſt, eo ſtatim tempore, ſine emancipatione, ac ſine capitis minutione, è patris poteſtate exit: & ius teſtamenti faciundi adipiſcitur.* Virgilius:

Et Veſtalis.

Nec ſpes libertatis erat, nec cura peculî.

Peculium.

Quem in locum noſter Lacerda ſuo more doctiſſimè. ad quem te remitto. Cæterùm poteſtas hæc conficiendi tabulas filiisfamilias adempta fuiſſe videtur lege Lætoria, quæ filium familias minorem vigintiquinque annis, quicquã omnino ſtipulari prohibebat. De qua lege Plautus in Pſeudolo.

Perij an non tum me lex perdit quina-vicenaria?

Lex Lætoria.

Metuunt credere omnes.- Et:
Ni dolo malo inſtipulatus es, nunc etiam dum ſiem
Quinque & viginti natus annos.

Quam legem auxit Claudius Imperator. Tacitus vndecimo annalium. *Lege lata ſæuitiam creditorum coërcuit, ne in mortem parentum pecunias filiis familiarum fœnori darent.* Et Veſpaſianus, apud Suetonium, capite vndecimo. *Auctor Senatui fuit decernendi, vt quæ ſe alieno ſeruo iunxiſſet ancilla haberetur, néue filiorum fœneratoribus exigendi crediti ius vnquam eſſet, hoc eſt, ne poſt patrum quidem mortem.* Sed in hunc Leuinus Torrentius in illam, Iuſtus Lipſius, & de iis in vniuerſum qui pecunias adoleſcentibus fœnori darent. Iuriſconſulti ad SC. Tribonianum conſulantur. Cicero 3. officiorum de lege Lætoria. *Atque iſte dolus malus etiam legibus erat vindicatus, vt tutela duodecim tabulis, & circumſcriptio adoleſcentum lege Lætoria, & ſine lege iudiciis.* Caius D. De minoribus, l. 27. *Si pecuniam quam mutuam minor accepit, dißipauit, denegare debet creditori aduerſus eum actionem.*

VERSVRAM.] Verſuram facere idem eſt, Budæo interprete annotationibus prioribus in pandectas, quod nos dicimus, *nunquam pecuniam ad intereſſe eſt mutuatus,* vel, vt alij loquuntur, *ad perditam finantiæ.* quamuis (vt paulò pòſt notat ex Donato) *verſuram facere vel ſoluere, eſt creditorem mutare, & fœnus fœnore diſſoluere,* quaſi nudato Petro Paulum tegere (vt vulgo dicunt) &, vt ita dicam, nomen nomine expungere. vide, immò potiùs conſule Feſtum Pompeium. *Verſuram,* inquit, *facere, mutuam pecuniam ſumere, ex eo dictum eſt, quòd initio, qui mutuabantur ab aliis, non vt domum ferrent, ſed vt aliis ſoluerent, velut verterent creditorem.* Præclarè Seneca epiſt. 19. *Poteram tecum & hac Mæcenatis ſententia parem facere rationem, ſed mouebis mihi controuerſiam, ſi te noui, nec voles quod debeo in aſpero & probro accipere, vt ſe res habet, ab Epicuro verſura facienda eſt.*

PVBLII CLODII INSVLAM ESSE VENALEM.] De ædibus ſiue inſulâ P. Clodij.

Plinius lib. 36. cap. 15. *P. Clodius ſeſtertium centies & quadraginta octies* (370000. *circiter coronatis*) *domo emptâ habitauit. Quod equidem non ſecus ac regum inſaniam miror, itaque & ipſum Milonem ſeſtertium ſeptingenties æris alieni debuiſſe.* ac proinde propter amplitudinem inſula vocatur. quo etiam ſenſu Suetonius in Nerone, cap. 11. *Sparſa & populo miſſilia omnium rerum per omnes dies* (ludorum Circenſium) *ſingula quotidie millia. auium cuiuſque generis multiplex genus, teſſeræ frumentariæ, veſtis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, iumenta; atque etiam manſuetæ feræ, nouiſſimè naues, inſulæ, agri.* Inſula enim eſt domus, quæ cum domibus vicinis pariete communi non coniungitur. vetus gloſſarium, *inſula, νῆσος, συνοικία.* clariùs Feſtus: *Inſulæ dictæ propriè quæ non iunguntur communibus parietibus cum vicinis, circuitúq; publico, aut priuato cinguntur, à ſimilitudine videlicet earum terrarum, quæ fluminibus ac mari eminent, ſúntque in ſalo poſitæ.* quòd videlicet populi per vicos perpetuò gradientis vndis alluantur. certè vndas populi ſæpe apud auctores bonos reperimus 2. Georgicûm.

Inſula.

--non ſi foribus domus alta ſuperbis
Mane ſalutantum totis vomit ædibus vndam.

Statius 2. Thebaidos.

--foribúſque emiſſa ſuperbis
Vnda fremit vulgi.

Ideóque eleganter Homerus 2. Iliados tumultũ abeuntis populi modò cum pelagi fluctibus, modò cum ſegetibus vndatim fluctuantibus comparauit.

Populus gradiẽs cum fluctu comparatus.

Κινήθη δ' ἀγορὴ, ὡς κύματα μακρὰ θαλάσσης
Πόντου Ἰκαρίοιο, τὰ μέν τ' Εὖρός τε Νότος τε
Ὤρορ' ἐπαΐξας, πατρὸς Διὸς ἐκ νεφελάων.
Ὡς δ' ὅτε κινήσει Ζέφυρος βαθὺ λήϊον ἐλθὼν,
Λάβρος ἐπαιγίζων, ἐπί τ' ἠμύει ἀσταχύεσσιν.
Concio commota eſt magni velut æquoris vnda
Icarij ponti, ſi quando Eurúſque Notúſque
Concitat, erumpítque Iouis de nubibus altis.
Aut vbi denſa ſeges Zephyro veniente mouetur
Horrificans tremulas campi nutantis ariſtas.

Hoc loco non omiſerim, quemadmodum quidam erant minores magiſtratus, qui ſingulis viris Romæ præeſſent, qui Magiſtri vicorum dicerentur. Liuius libro 4. decadis 4. *Magiſtris vicorum togæ prætextæ ius permittemus?* Martialis lib. 10. ep. 79. de Octacilio.

Magiſter vici.

Conſul Torquatus, vici fuit ille magiſter,
Nec minor in tanto viſus honore ſibi.

Sic etiam videri ſingulis inſulis & *συνοικίαις* quoſdam præfuiſſe, qui inſularum Domini vocarẽtur, inducit me Suetonius in hanc ſententiam, in Iulio cap. 40. *Recenſum populi nec more, nec loco ſolito, ſed vicatim per dominos inſularum egit, atque ex viginti trecentiſque millibus accipientium frumentum è publico ad centum quinquaginta retráxit.* Hos, inquam, dominos inſularum non poſſeſſores, ſed magiſtratus quoſdam qui ſingulis inſulis præeſſent, fuiſſe exiſtimo. Neque enim credibile eſt nullam fuiſſe inſulam in vrbe, cuius poſſeſſio ad plures dominos pertineret, & ita per inſularum dominos certam non potuiſſet cenſus inire rationem, cùm ſine alio cenſu ne dominorum quidem inſularũ certus numerus iniri potuiſſet. adde quod probabile eſt, vt in militia ſingulis contuberniis, ſic etiam in pace ſingulis inſulis quoſdam præfuiſſe. quem morem etiamnum à Iaponenſibus ſeruari noſtri temporis auctores prodiderunt.

Dominus inſulæ.

AXIOMA.

Tabulas qui in patris poteſtate eſt nullas conficit.

ARGVMENTVM.

Hinc argumentabantur aduerſarij aliquam inter Cœlium, eiúſque patrem exarſiſſe diſcordiam, quòd Cœlius à patre ſemigraſſet. Huius ſemigrationis reddit Cicero duplicem rationem. Altera eſt voluntas patris, altera maior commoditas ad obſequia & recipienda à clientibus, & Patronis deferenda. tum oſtendit omnes ſuſpiciones in Cœlium manaſſe, ex eo quòd ad Clodiæ viciniam commigrarit.

XVIII. REPREHENDISTIS, à patre quod ſemigrarit. quod quidem iam in hac ætate minimè reprehendendum eſt. qui, cùm ex Reipub. cauſſa eſſet mihi quidem moleſtam, ſibi tamen glorioſam victoriam conſecutus, & per ætatem magiſtratus petere poſſet, non modò permittente patre, ſed etiam ſuadente ab eo ſemigrauit: &, cùm domus patris à foro longè abeſſet, quo faciliùs & noſtras obire domos, & ipſe à ſuis coli poſſet, conduxit in Palatio non magno domum. Quo loco poſſum dicere id, quod vir clariſſimus M. Craſſus. cùm de aduentu regis Ptolemæi quereretur, paullo antè dixit, *Vtinam ne in nemore Pelio.* Ac longiùs quidem mihi contexere hoc carmen liceret: *Nam numquam hera errans* hanc moleſtiam nobis exhiberet, *Medea animo ægra, amore ſæuo ſaucia.* Sic enim, Iudices, reperietis (quod, cùm ad id loci venero, oſtendam) hanc Palatinam Medeam, migrationémque huic adoleſcenti cauſſam, ſiue malorum omnium, ſiue potiùs ſermonum fuiſſe.

EXPLANATIO.

IN HAC ÆTATE.] Aptâ iam & maturâ rebus gerendis.

QVI CVM.] Qui cùm in causâ publicâ, & ad totius Reipub. ſtatum pertinente, Caium Antonium coniurationis accuſans, obtinuiſſet vt C. Antonius exilio plecteretur, quæ Cœlij victoria ideò mihi permoleſta fuit, quòd Antonij collegæ mei patrocinium ſuſceperam.

A FORO.] Quem in locum ſæpe neceſſe eſt eos qui gerunt magiſtratus, accedere.

QVO FACILIVS.] Vt mihi, Craſſo cæteriſque ſuis patronis eſſet vicinior, & commodiùs ſuos patronos ſalutatum accederet.

ET IPSE A SVIS COLI POSSET.] Ne viæ longitudine fatigarentur ipſius clientes, qui ſalutationis impertiendæ obſequiíque deferendi causâ, ſingulis diebus ſolebant in eius atrium conuenire.

CONDVXIT IN PALATIO NON MAGNO DOMVM.] Decem millibus ſeſtertiûm, ſiue 50. coronatis particulam inſulæ, ſiue ædiculam à P. Clodio conduxit.

QVO IN LOCO.] Marcus Craſſus Cœlium ante Ciceronem defenderat, refutánſque ea crimina quæ præſertim de legatis Alexādrinis, Cœlij, vt ferebatur, operâ interemptis, accuſatores obiecerant, verſibus ex Ennij Medeâ depromptis expetendum fuiſſe dixerat, ne vnquam Ptolemæus Romam veniſſet, quemadmodum Medeæ nutrix apud Ennium expetebat, vt nunquam Argonautæ Colchidem attigiſſent, quia ex appulſu Iaſonis in Colchidem omnia in Medeam mala redundarāt. Senſus eſt igitur, Quemadmodum Craſſus verſus Ennianos vſurpans, expetendum dicebat Cœlio, ne vnquam Ptolemæus Romam acceſſiſſet, quia ex eius aduentu in Cœlium ſuſpicio ſceleris, & necis Alexandrinis legatis illatæ redundauit, ita expetere poſſum iiſdem verſibus Ennianis, vt Cœlius nunquam in Palatino monte prope Clodiam habitaſſet, quia illa eſt veluti Medea ex cuius ſcelere omnia mala oriuntur, & impudicitiæ, auri ſumpti, parati veneni ſuſpicio in Cœlium redundat.

VTINAM NE IN NEMORE PELIO.] Mons Pelius in Theſſalia. vide Notas.

HANC MOLESTIAM NOBIS EXHIBERET.] Nunquam Clodia hanc accuſationem & calumniam Cœlio compararet.

AMORE SÆVO SAVCIA.] Clodia quæ tanquam altera Medea ſuum priſtinum amorem in odium crudelitatémque mutauerit.

CVM AD ID LOCI VENERO.] Cùm in eum locum oratio mea me deduxerit, vt oſtendam ideò Clodiam exarſiſſe iracundiâ, quòd Cœlij pudicitiam expugnare non potuerit.

NOTÆ.

1. GLORIOSAM VICTORIAM.] Qui reorum damnationem obtinebant, ij palmas domum referebant. Martialis lib. 7. epig. 27.

Palmæ forēſes.

Sic fora mirentur, ſic te pallatia laudent.
Excolat & geminas plurima palma fores.

Quia ſcilicet palmis quas è forenſi victoriâ retulerant, fores adornabant. hinc Iuuenalis ſat. 7. cauſidicum alloquens,

Iuuenalis explicatus.

Rumpe miſer tenſum iecur vt tibi laſſo
Figantur virides, ſcalarum gloria, palmæ.

Qui locus quoniam multos torſit, vt alij ſcalas gemonias, alij aliud intelligant, videtur paucis explicandus. alloquitur pauperem cauſidicum incommodè in cœnaculo habitantem, & vt alibi loquitur,

--quem tegula ſola tuetur
A pluuiâ, molles vbi reddunt oua columbæ.

Et cui proinde neceſſe eſſet ſcalarum adminiculo in ſuum cubiculum adſcendere. Iam igitur cùm opulentiores cauſidici palmis victoriarum forenſium indicibus ſuas ianuas in forum ſpectātes adornarent, hortatur eum per ironiam Iuuenalis, vt quandoquidem domum magnificam non haberet,

In qua ſollicitas imitatur ianua portas.

ſui ſaltem cœnaculi ſcalas palmis redimiret. Sed quod ad gloriam huiuſce victoriæ palmáſque forenſes ſpectat, huc fortaſſe Ammianus lib. 30. alluſerit Craſſum & Antonium vocans *Laureas fori ſpecioſis certaminibus occupantes.* & Cornelius Gallus eleg. 1.

Sæpe perorata percepi lite coronam,
Et data ſunt linguæ præmia digna meæ.

Et auctor poëmatis ad Piſonem, quòd vulgo Naſoni Tributum Iuſtus Lipſius incerto Poëtæ qui ſub Nerone floruerit iuſtiſſimè vindicauit. Hic enim eſt ille Piſo qui à Nerone occiſus eſt, & ne Lucanus quidem eſſe potuit, cùm & diues & nobilis fuerit Lucanus, ac de ſe fateatur.

Palmæ iis datæ qui victores à iudicio diſceſſerant.

--nos humilis domus & ſincera parentum,
Sed tenuis fortuna ſuâ caligine celat.

Hic, inquam, auctor dicta confirmat.

--licet exercere togatæ
Munera militiæ: licet & ſine ſanguinis hauſtu
Mitia legitimo ſub iudice bella mouere.
Hic quoque ſeruati continget gloria ciuis,
Altáque victrices intexent liminā palmæ.

Ouidius ſecundò Amorum, eleg. 5.

Ferreus eſt, nimiúmque ſuo fauet ille dolori,
Cui petitur victâ palma cruenta reâ.

Valerius lib. 8. cap. 1. *Iudices iniquum rati ſunt eum victorem dimittere, qui palmam non ex alio ferre, ſed de ſe dare merebatur.* Lucianus in Rhetorum præceptore cacorhetorem ita de ſe loquentem inducit. Καὶ ἡττῶμαι μὲν τὰ πλεῖστα. οἱ φοίνικες δ' ἐπὶ τῇ θύρᾳ χλωροὶ ἐστεφανωμένοι. τούτοις γὰρ ἐπὶ τοὺς δυστυχεῖς χρῶμαι τοῖς δελεάσμασιν. *In cauſſis perorandis vincor vt plurimùm; ianua tamen palmis ſemper virentibus coronatur. his enim ſoleo miſeros illos ineſcare.* Ad has victoriarum forenſium palmas Noſter etiam frequenter alludit. vt pro Roſcio Amerino 17. *Homines eiuſmodi: alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur: hic autem nuper ſe ad eum laniſtam contulit, qui cùm ante hanc pugnam tiro eſſet ſcientiâ, facilè ipſum magiſtrum ſcelere audaciáque ſuperauit.* Et 99. *Audio prætereà non hanc ſuſpicionem nunc primùm in Capitonem conferri: multas eſſe eius infames palmas: hanc primam eſſe tamen lemniſcatam quæ Romā deferatur.* Et Philippicâ vndecimâ. §. item 11. *At hic, me defendente, quinquies abſolutus eſt. Sexta palma vrbana etiam in gladiatore difficilis. Sed hæc iudicum culpa, non mea eſt.* De hac fortaſſe palmari forenſis gloriæ coronâ Tullius poſſet intelligi 3. in Verrem 49. *Taménne putamus patronum tuum in hoc crimine ceruiculam iactaturum, & populo*

ſe ad coronam daturum. Sed fortaſſe, & fortaſſe vix. Satis habeamus è dictis glorioſam forenſem victoriam dici, quod victores Oratores palmam è iudicio referrent, eámque quaſi ſuæ victoriæ teſtem foribus ſuis appenderent. Poſteriùs tamen hanc palmæ gloriolam in pecuniæ lucrum commutarunt ſpecioſo nomine palmarij. Vide Vlpianum D. De extraord. cognit. l.1.§.12. Glorioſa fortaſſe, quòd quoties forenſem victoriam obtinerent, ſtatuæ excitarentur indices illius victoriæ. Martialis:

Statuæ victoribus forenſibus excitatæ.

Quàm graue percuſſis incudibus æra reſultant,
Cauſidicum medio cùm faber aptat equo.

Et ſanè claris oratoribus excitatas ſtatuas fuiſſe, cuiuis mediocriter erudito compertum eſt. Sidonius Apollinaris epiſt. 2. lib. 8. ad Ioannem. *Debent igitur vel æquæui, vel poſteri noſtri vniuerſatim feruentibus votis, alterum te vt Demoſthenem, alterum te vt Tullium, nunc ſtatuis ſi liceat conſecrare, nunc imaginibus, qui te docente formati inſtitutique iam ſinu in medio ſint gentis inuictæ, quod tamen aliena talium vetuſtorum ſigna retinebunt.* Eunapius Sardianus in Proæreſio. Ἀνδριάντα κατασκευασάμενοι χαλκοῦν ἰσομέτρητον ἀνέθηκαν ἐπιγράψαντες Η ΒΑΣΙΛΕΥΟΥΣΑ ΡΩΜΗ ΤΟΝ ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΑ ΛΟΓΩΝ. *Æream ſtatuam ad eius magnitudinem cum hac inſcriptione poſuerunt*, REGINA ROMA ORATORIÆ FACVLTATIS REGEM. Atque has magnorum Oratorum imagines maioris honoris cauſſâ inuenio fuiſſe in ipsâ Curiâ collocatas. Tacitus 2. annalium. *Igitur quatuor filiis ante limen Curiæ adſtantibus, loco ſententiæ cùm in palatio Senatus haberetur modò Hortenſij inter oratores ſitam imaginem, modò Auguſti intuens*, &c. paulò pòſt de Cæſare Germanico. *Statuarum locorúmque in queis coleretur, haud facilè quis numerum inierit: cùm cenſeretur clypeus auro, & magnitudine inſignis inter auctores eloquentiæ, adſeruit Tiberius ſolitum paremque cæteris dicaturum: neque enim eloquentiam fortunâ diſcerni, & ſatis illuſtre ſi veteres inter ſcriptores haberetur.* Sed tam de palmis quàm de ſtatuis oratorum iterum dicemus ad 46. §. nota *Tanto honore.* Neque vt arbitror accuſatoribus, vbi cauſſam obtinuerant, ſtatuæ dicabantur, ſed patronis. Plinius lib. 34. cap. 4. de ſtatuis loquens: *Iam honos clientum inſtituit ſic colere patronos.* Aut etiam iis qui magnam eloquentiæ lucem attuliſſent, quibus ſtatuas Auguſtus in palatio dedicauit.

II. Et per ætatem magiſtratus petere poſſet.] Quia ætate ſinguli magiſtratus peterentur, & quæ eſſent leges annales ad id inſtitutæ enucleatiùs inquiritur §. 24. Milonianæ. nunc ſatis fuerit obiter oſtendere quo primùm ætatis anno magiſtratus obiri petique poſſent. certè non ita poſt virilis togæ ſumptionem primos magiſtratus, ſaltem quæſturam peti potuiſſe, argumento eſt ille Tertulliani locus lib. de velandis virginibus, cap. 4. & 11. *Tempus etiã Ethnici ſeruant, vt ex lege naturæ iura ſua ætatibus reddant. Nam fœminas quidem à duodecim annis, maſculum verò à duobus ampliùs ad negocia mittunt, pubertatem in annis, non ſponſalibus aut nuptiis decernentes.*

Lex annalis.

III. Et noſtras obire domos.] Notæ clientium ſalutationes, tum matutinæ, tum ſerotinæ. Tranquillus in Galba. *Veterem ciuitatis exoletúmque morem ac tantùm in domo ſua hærentem obſtinatiſſimè retinuit, vt liberti ſeruíque bis die frequentes adeſſent, ac mane ſaluere, veſperi valere ſibi ſinguli dicerent.* Neque ſolum ſerui & liberti, ſed etiam liberi. Iuuenalis ſat. 3.

Limine ſummoueor, perierunt tempora longi
Seruitij. nuſquam minor eſt iactura clientis.
Quod porrò officium (ne nobis blandiar) aut quod
Pauperis hic meritum, ſi curet nocte togatus
Currere, cùm Prætor lictorem impellat, & ire
Præcipitem iubeat dudum vigilantibus orbis,
Ne prior Albinam, aut Modiam collega ſalutet.

Clientium ſalutationes.

Sat. 5.

Tota ſalutatrix iam turba peregerit orbem.

Sat. 6.

--ille excludetur amicus
Iam ſenior, cuius barbam tua ianua vidit.

Manilius 5. Aſtron.

Inſtar erit populi, totáque habitabit in vrbe,
Limina peruolitans, vnúmque per omnia verbũ
Mane ſalutandi portans communis amicus.

2. Georg.

--foribus domus alta ſuperbis
Mane ſalutantum totis vomit ædibus vndam.

Vide Martialem lib. 1. epiſt. 56. lib. 4. epiſt. 8. Horat. ſerm. 1. ſat. 86. Ouidium 1. de Ponto, eleg. 8. & alios quos refert Bernartius ad illa verba primi Thebaidos:

Montibus aut latè Graijs effulta nitebant
Atria, congeſtos ſatis explicitura clientes.

Vbi non video cur duas has voces *latè*, & *ſatis* reſpuerit, ſubſtitueritque *altè*, & *vix*. amplitudinem enim atriorum ex eo deſcribit, quòd congeſta & conferta ſalutantium turba, quæ ſe ad ſalutandum ſtipauerat perfuncta ſalutationis officio ſatis & commodè poſſit explicari. Cæterùm domos nonnunquam mutabant, vt amicorum potentiorum domus commodiùs obire poſſent. Martialis lib. 1. ep. 109. quod integrum non pigebit adſcribere.

Eſt tibi (ſitque precor multos creſcátque per annos)
Pulchra quidem, verùm Tranſtiberina domus.
At mea Vipſanas ſpectant cœnacula laurus,
Factus in hac ego ſum iam regione ſenex.
Migrandum eſt, vt mane domi te Galle ſalutem:
Es tanti, vel ſi longiùs illa foret.
Sed tibi non multum eſt, vnum ſi præſto togatũ:
Multum eſt, hunc vnum ſi mihi Galle nego.
Ipſe ſalutabo decimâ, vel ſeriùs, horâ.
Mane tibi pro me dicat auere liber.

Vel vt à ſuis clientibus commodiùs ipſi colerentur, vt Noſter relictâ domo paternâ in montem Palatinum ſemigrauit, ne clientibus & amicis ſalutatum venientibus moleſtiam exhiberet. Ita narrat Plutarchus in eius vitâ: ſed verba modo non ſuccurrunt.

Regis Ptolemæi.] Ptolemæus Alexandriæ Rex, cùm Ægyptiis Romanorum amicitiæ renuntiare iubentibus parere noluiſſet, nec eos poſſet in officio continere. Ἀπῆρέ τ' ἐκ τῆς Αἰγύπτου, καὶ ἐς τὴν Ῥώμην ἐλθὼν, κατηγόρησέ τε αὐτῶν ὡς καὶ ἐκ τῆς βασιλείας αὐτὸν ἐκβεβληκότων. *Ex Ægypto aufugit, Romámque ſe contulit, eóſque accuſauit quod ab ipſis regno fuiſſet eiectus.* Dio libro 39. Cæterùm hîc aduerte Ptolemæi nomen eiuſmodi fuiſſe, quòd omnibus Alexandrinis Regibus IV.

conueniret. Ioſephus Iudæus libro octauo antiquitatis Iudaïcæ. ὁ Φαραὼν κατ' Αἰγυπτίους βασιλέα
Ptolemæus. σημαίνει. οἶμαι δ' αὐτοὺς ἐκ παίδων ἄλλοις χρωμένους ὀνόμασιν. ἐπειδὰν δὲ βασιλεῖς γένωνται τὸ σημαῖνον αὐτῶν τὴν ἐξουσίαν κατὰ τὴν πάτριον γλῶτταν μετονομάζονται. καὶ γὰρ οἱ τῆς Ἀλεξανδρείας βασιλεῖς ἄλλοις ὀνόμασι καλούμενοι πρότερον ὅτε τὴν βασιλείαν ἔλαβον, Πτολεμαῖοι προσηγορεύθησαν, &c. Hunc tamen noſtrum alios aliis agnominibus inſigniens, Ptolemæum quaſi proprio nomine dixit Tertullianus aduerſus Iudæos cap. 8. *Regnauit illic in Alexandria Soter annis* XXXV. *cui ſuccedens Philadelphus, regnauit annis triginta nouem. huic ſuccedit Euergetes annis* XXV. *Deinde Philopator annis* XVII. *poſt hunc Epiphanes annis* XXIV. *item alius Euergetes annis* XXIX. *Soter annis* XXXVIII. *Ptolemæus annis* XXXVIII. *Cleopatra annis* XX. *menſibus* VI. *item adhuc Cleopatra conregnauit ſub Auguſto annis* XIII. alij Auletem cognominant.

V. VTINAM NE IN NEMORE PELIO.] Iuuat hic oſtendere quæ ſit illa carminis ſeries quam Cicero poterat contexere.

Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Caſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes,
Neue inde nauis inchoandæ exordium
Cœpiſſet, quæ nunc nominatur nomine
Argo, quia vecti Argiui delecti viri,
Petebant illam pellem inauratam arietis
Colchis imperio Regis Peliæ per dolum.
Nam nunquam hera errans mea domo efferret pedem,
Medea animo ægra amore ſæuo ſaucia.

Qui verſus penè ad verbum ex Euripidis Medea deprompti ſunt, vbi ſtatim in principio nutrix ita loquens inducitur.

Εἴθ' ὤφελ' Ἀργοῦς μὴ διαπτάσθαι σκάφος
Κόλχων ἐς αἶαν, κυανέας συμπληγάδας,
Μηδ' ἐν νάπαισι Πηλίου πεσεῖν ποτε
Τμηθεῖσα πεύκη, μηδ' ἐρετμῶσαι χέρας
Ἀνδρῶν ἀρίστων, οἳ τὸ πάγχρυσον δέρας
Πελίᾳ μετῆλθον. οὐ γὰρ δέσποιν' ἐμὴ
Μήδεια, πύργους γῆς ἔπλευσ' Ἰωλκίας
Ἔρωτι θυμὸν ἐκπλαγεῖσ' Ἰάσονος.

Non eſt quod plura de Medea hîc expectes. vide fabularum ſcriptores, & ex antiquis Pindarum
Vellus aureũ. Ode 9. Apollonium Rhodium 4. libris, Orpheũ vno, Valerium Flaccum 8. rem ex profeſſo tractantes. Tantùm vno verbo accipe quid antiquorum multi per aureum vellus intelligant. Tacitus 6. annalium de moribus Hiberorum & Albanorum loquens. *Nec quiſquam ariete ſacrificauerit, credito vexiſſe Phryxum, ſiue id animal, ſeu nauis inſigne fuit.* Appianus aliunde fabulam manaſſe exiſtimat. Sic enim in Mithridaticis. χρυσοφοροῦσι δ' ἐκ τοῦ Καυκάσου πολλαὶ πηγαὶ ψῆγμα ἀφανές. καὶ οἱ περίοικοι κώδια θέντες ἐς τὸ ῥεῦμα βαθύμαλλα, τὸ ψῆγμα ἐνισχόμενον αὐτοῖς ἐκλέγουσι. καὶ τοιοῦτον ἦν ἴσως τὸ χρυσόμαλλον Αἰήτου δέρος. *Plurimi fontes è Caucaſo profluentes aurea ramenta deuoluunt, & accolæ pelliculas cum ipſo vellere in fluentum demittentes, adhærens ipſis ramentum colligunt. & huiuſmodi fortaſſe fuit aureum Æetæ vellus.* At verò Suidas artem chymicam lapidémque philoſophalem intelligit, in voce δέρας, cùm aurei velleris feciſſet mentionem. Τοῦτο δὲ οὐχ, ὡς ποιητικῶς φέρεται. ἀλλὰ βιβλίον ἦν ἐν δέρμασι γεγραμμένον, περιέχον ὅπως δεῖ γίνεσθαι διὰ χημείας χρυσόν. εἰκότως οὖν οἱ τότε χρυσοῦν ὠνόμαζον αὐτὸ δέρας διὰ τὴν ἐνέργειαν τὴν ἐξ αὐτοῦ. *Res verò ita non habuit, vt Poëtæ fabulantur, ſed liber erat, qui in pelle conſcriptus artem auri per chimicam faciendi contineret. Iure igitur illius tempeſtatis homines, ab effectu, hunc librum auream pellem nominarunt.* Sic & Catullus in nuptiis, non vellus aureum, ſed pellem auratam dixit.

Auratam optantes Colchis auertere pellem.

ANIMO ÆGRA.] Hic Ennij verſus apud Gellium & Macrobium à quodam Poëta tantùm non iiſdem verbis expreſſus eſt. VI.

Anima ægra amore & ſaucia
Cucurrit ad labias mihi. Ægritudo.

Bene autem *animo ægra*, ſiquidem *ægritudo*, vt ait Cicero Tuſc. quæſt. & ex eo Nonnius Marcellus *in animo eſt*, & in veteri gloſſario *ægritudo* μέριμνα, id eſt cura, ſollicitudo nominatur, vt & Cura.
Poëtæ frequenter amorem curam appellant. Maro.

At Regina graui iamdudum ſaucia curâ.

Catullus.

Spinoſas Erycina ſerens in pectore curas.

Ægrum porrò, vt teſtatur Feſtus Pompeius, *ex Græco* ἄνιχρον *appellatur. à quibuſdam* putatur à voce doloris appellari, quod eſt αἰ, αἶ.

AMORE SÆVO.] 4. Æneidos. VII.

--rurſúſque reſurgens
Sæuit amor.--

Ecloga 8. poſtquam dixit,

Nunc ſcio quid ſit amor. Duris in cotibus illam Sæuus amor.
Aut Tmarus aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec noſtri generis puerum, nec ſanguinis edunt.

Subdit:

Sæuus amor docuit natorum ſanguine matres
Commaculare manus.

Theocritus Edyllio 3.

Νῦν ἔγνων τὸν Ἔρωτα, βαρὺς θεός· ἦ ῥα λεαίνας
Μαζὸν ἐθήλαζεν, δρυμῷ τέ μιν ἔτρεφε μάτηρ.
Nunc ſcio quid ſit amor, ſæuus Deus. ánne leænæ
Vbera ſuxit? eum nemora inter frondes mater
Nutriit.

Meleager.

Δεινὸς Ἔρως. Δεινός. τί δὲ τὸ πλέον, ἢν πάλιν εἴπω
Καὶ πάλιν οἰμώζων πολλάκι, δεινὸς Ἔρως.
Sæuus amor. Sæuus. Quid enim? ſi dixero rurſũ,
Et rurſum lugens plurima, ſæuus amor.

Tibullus lib. 3. eleg. 4.

Sæuus amor docuit dominæ fera verba minantis,
Sæuus amor docuit verbera poſſe pati.

ÆGRA, &c. SAVCIA.] Frequenter vtrumque coniungunt, ægritudinem ſiue curam & vulnus. *Saucia curâ vulnus alit venis.* Euripides Hippolyto. VIII.

Ἐπεί μ' ἔρως ἔτρωσεν, ἐσκόπουν ὅπως
Κάλλιστ' ἐνέγκαιμ' αὐτόν, ἠρξάμην μὲν οὖν
Ἐκ τοῦδε σιγᾶν, τήνδε καὶ κρύπτειν νόσον.
Amore ſæuo ſaucia expendi modum
Ferendi amoris fortiter, cœpi illico
Tacere morbum mentis abſtruſum meæ.

Menander apud Plutarchum in Erotico.

Ἡ νόσος ψυχῆς, ὁ πληγεὶς δὲ τιτρώσκεται.
Animi ægritudo, percuſſus verò ſauciatur.

AXIOMATA.

Magni refert vbi habites, quò faciliùs & patronorum obire domos, & à tuis clientibus coli poſſis.

Meretricis vicinitas adoleſcentibus cauſſa eſt vel malorum, vel ſaltem ſermonum.

ARGVMENTVM.

Iam incœptat teſtium fidem eleuare, ac primò de Senatore qui ſe Pontificiis comitiis à Cœlio pulſatum pro teſtimonio dicturus eſſe ferebatur, & fidem eius eleuat quod ſi reuera pulſatus fuiſſet, non tamdiù expectare, ſed ipſe per ſe actionem in Cœlium inſtituere debuiſſet: tum cauſæ gratulatur, quòd Clodia vnicum qui in Cœlium diceret Senatorem inuenerit.

XIX. QVAMOBREM illa, quæ ex accuſatorum oratione præmuniri iam, & fingi intelligebam, fretus veſtrâ prudentiâ, iudices, non pertimeſco. Aiebant enim fore teſtem Senatorem, qui ſe Pontificiis comitiis pulſatum à Cœlio diceret. à quo quæram, ſi prodierit, primùm cur ſtatim nihil egerit? deinde, ſi id queri, quàm agere maluerit, cur productus à vobis potiùs, quàm ipſe per ſe? cur tanto pòſt potiùs, quam continuò, queri maluerit? ſi mihi ad hæc acutè, arguteque reſponderit, tum quæram denique, ex quo iſte fonte Senator emanet? nam ſi ipſe orietur, & naſcetur ex ſeſe, fortaſſe, vt ſoleo, commouebor. ſin autem vt riuulus accerſitus, & ductus ab ipſo capite accuſationis veſtræ, lætabor, cùm tantâ gratiâ, tantíſque opibus accuſatio veſtra nitatur, vnum Senatorem ſolum eſſe, qui vobis gratificari vellet, inuentum.

EXPLANATIO.

QVAMOBREM] Præoccupatione oſtendit quid à Senatore teſte, ſi prodierit, ſit petiturus.

QVI SE PONTIFICIIS COMITIIS PVLSATVM.] Qui pro teſtimonio diceret ſe iis comitiis, *quæ pro collegio Pontificum habentur, aut Regis ſacrorum, aut Flaminum inaugurandorum causâ*, à M. Cœlio fuiſſe verberatum.

CVR STATIM NON EGERIT.] Cur ſtatim atque pulſatus eſt, recenti adhuc dolore & iniuriâ diem non dixerit Cœlio, nec ius ſuum actione voluerit experiri.

EX QVO ISTE FONTE SENATOR EMANET.] Suáne ſponte, an aduerſariorum precibus adductus, ad teſtimonium dicendum accedat.

NAM SI IPSE.] Si ipſe ſua ſponte ad teſtimonium dicendum acceſſerit, fortaſſe Senatoriam auctoritatem in eo reuerebor, & meæ cauſæ metuam, ſi aduertam Senatores reperiri, qui nullis inducti precibus, nullius gratiâ corrupti contra Cœlium teſtentur.

SIN AVTEM VT RIVVLVS.] Quòd ſi è contrario aduertero hunc teſtem à Clodiâ quæ princeps eſt & caput huius accuſationis, fuiſſe ſubornatum, &c.

TANTA GRATIA.] Clodiæ, *quam omnes amicam omnium potiùs, quàm cuiuſquam inimicam putauerunt.* infrà §. 32.

TANTISQVE OPIBVS.] Meretriciis quas illa ſibi meretricio quæſtu comparauit.

QVI VOBIS GRATIFICARI VELLET.] Qui vellet vobis ſuum teſtimonium commodare.

NOTÆ.

I. PONTIFICIIS COMITIIS.] Aulus Gellius libro 15. noctium Atticarum, cap. 27. *In libro Latij Felicis*, inquit, *ad Quintum Mutium primo, ſcriptum eſt, Labeonem ſcribere Calata comitia eſſe, quæ pro collegio Pontificum habentur, aut Regis ſacrorum aut Flaminum inaugurandorum cauſa: eorum autem alia eſſe Curiata, alia Centuriata: Curiata per lictorem curiatim calari, id eſt conuocari: Centuriata per cornicinem.* Hæc ille. quibus ſatis quænam Pontificia comitia eſſent intelligis. Tantùm hîc illud addam, quod ad lictorem & cornicinem ſpectat, aliam videri Dionyſij Halicarnaſſei libro 2. antiquitatum ſententiam. Τοὺς μὲν πατρικίους ὁπότε δόξειε τοῖς βασιλεῦσι συνκαλεῖν, οἱ κήρυκες ἐξ ὀνόματός τε καὶ πατρόθεν ἀνηγόρευον. τοὺς δὲ δημοτικοὺς ὑπηρέται τινὲς, καὶ ἀθρόοι κέρασι βοείοις ἐμβυκανῶντες ἐπὶ τὰς ἐκκλησίας συνῆγον. *Patricios quidem, ſi quando Regibus viſum fuiſſet eos conuocare, præcones proprio & paterno nomine inuitabant. Plebeios verò ſerui quidam publici confertim cornibus bouinis ad conciones conuocabant.* Quem conuocandi morem à Iudæis equidem manaſſe exiſtimo, Numerorum 16. *Viri proceres Synagogæ, & qui tempore Concilij per nomina vocarentur.* Plebeios autem cornibus ſolitos eſſe conuocari, teſtis eſt Ioſephus libro 5. ἀρχαιολογίας cap. 4. Καὶ διέπεμψαν εἰς τὴν χώραν τοὺς ἀποσημαίνοντας κέρασιν. τούτοις γὰρ συγκαλεῖν τὸ πλῆθος πάτριον ἦν. *Et per omnem circa regionem dimiſerunt cornicines. mos enim patrius obtinuerat, vt cornibus multitudinem conuocarent.*

Comitia calata. Centuriata. Curiata.

Patricij nominatim, plebei confertim & per cornicinem ad comitia conuocati.

Etiam apud Iudæos.

PVLSATVM.] Verberibus exceptum, verberatum. 6. Æneidos. II.

Pulſatúſque parens, aut fraus innexa clienti. Pulſare.

De quo alibi. infrà §. 23. *De legatorum pulſatione Puteolanâ.* Liuius lib. 10. decad. 4. *Qui ſpeculatoris à ſe pulſati præſentem vltionem metuebant.* Item: *Nam ab iis pulſatum conuiuam ſuum audierat.* Seneca controuerſia vigeſimâ ſeptimâ, *Qui patrem pulſauerit, manus ei præcidantur.* Statius lacrym. Hetruſci.

--procul hinc procul eſte nocentes
Si cui corde nefas tacitum, feſſique ſenectus

Longa

Longa patris, ſi quis pulſatæ conſcius vnquam
Matris, & infernâ rigidũ timet Æacon vrnâ.

III. Ex ſe natus. NASCETVR EX SESE.] Videtur & ad iſtius Senatoris obſcuritatem, & ad ipſum nomen Senatus alludere. vnde & fortaſſe Tiberius ſuum de Curtio Rufo, qui humili loco natus præturam adeptus eſt, iocum acceperit. *Cùm hiſce verbis Tiberius dedecus natalium eius velauiſſet. Curtius Rufus videtur mihi ex ſe natus.* Refert Tacitus libro vndecimo annalium.

IV. VT SOLEO COMMOVEBOR.] Sic pro Rege Deiotaro. *Cum in omnibus cauſis grauioribus, C. Cæſar, initio dicendi commoueri ſoleam vehementiùs, quàm videtur vel vſus, vel ætas mea poſtulare.* Sic & ipſe Demoſthenes de falſa legatione ſe ἀτολμότατον πάντων, *omnium timidiſsimum* eſſe non diffitetur. Noſter pro Cluentio 51. ſui timoris rationem adfert. *Hic ego cùm ad reſpondendum ſurrexi, qua cura! Dij immortales! qua ſollicitudine animi? quo timore? Semper equidem magno cum metu incipio dicere. Quotieſcunque dico, toties mihi videor in iudicium venire, non ingenij ſolùm, ſed etiam virtutis atque officij: ne aut id profiteri videar quod non poſſum implere, quod eſt imprudentiæ: aut id non efficere quod poſſim, quod eſt aut perfidiæ aut negligentiæ.* Cuius timoris exemplum ſit illud quod eidem exprobrat Calenus apud Dionem lib. 46. Ἀναισχυντεῖ τι πῶς μὲν τοῦ Θουερίου κατηγόρησας, καίτοι καὶ ἐκ τῆς τέχνης τι τῆς πατρῴας αὐτοῦ παραλαβὼν, ὅτι καὶ ἐνούρησας. Phi! Latinè non interpretor. Diuinatione in Q. Cæcilium 41. *Ego qui ſicut omnes ſciunt, in foro iudiciiſque ita verſer, vt eiuſdem ætatis aut nemo, aut pauci plureis cauſas defenderint, & qui omne tempus quod mihi ab amicorum negotiis datur, in his ſtudiis laboribúſque conſumam, quo paratior ad vſum forenſem, promptiórque eſſe poßim: tamen ita Deos mihi velim propitios, vt cùm illius diei mihi venit in mentem, quo die citato reo mihi dicendum ſit, non ſolùm commoueor animo, ſed etiam toto corpore perhorreſco.* Luc. Craſſus 1. de oratore multa in hanc ſententiam, eáque pulcherrima, idémque ſibi narrat accidiſſe. *Equidem & in vobis animaduertere ſoleo, & in me ipſe ſæpiſſimè experior, vt exalbeſcam in principiis dicendi, & totâ mente atque omnibus artubus contremiſcam. Adoleſcentulus verò ſic in initio accuſationis exanimatus ſum, vt hoc ſummum beneficium Q. Maximo debuerim, quod continuò conſilium dimiſerit, ſimul ac me fractum ac debilitatum metu vidit.* Cuius rei tum ipſe, tum Antonius præclaras adferunt rationes. Petrus Meſſius libro 3. variarum lectionum cap. 8. multa magnorum Oratorum exempla corradit, quos initio dicendi perturbatos repentè memoria defecit. vt Demoſthenem coram Philippo, Theophraſtum coram Areopagitis, Herodem Atticum coram M. Antonino, Heraclidem Lycium coram Seuero Auguſto, Bartholomæum Socinum coram Alexãdro Sexto. Addi potuiſſet & magnus ille Budæus, qui Carolum V. Cæſarem Pariſios venientem oratione excepturus repentè obmutuit. Sed de Demoſthene vide Æſchinem περὶ παραπρεσβείας. De Herode & Heraclide Philoſtratum in vitis Sophiſtarum.

Timor Ciceronis in cauſſis perorãdis.

Magni oratores qui perturbati obmutuerunt.

AXIOMA.

In iudiciis diligenter inquirendum eſt, ex quo fonte teſtes emanent.

ARGVMENTVM.

Hic eos teſtes præoccupat, qui coniuges ſuas è cœnâ redeuntes à Cœlio attrectatas dicturi eſſe ferebantur: quòd ſcilicet ante Cœlij nomen deferre, vel ſaltem coram arbitro queri debuiſſent, tum ſuſpicionem mouet hæc omnia mendacia ad Clodiæ voluntatem ficta fuiſſe, & in eius gratiam comparata.

NEc tamen illud genus alterum nocturnorum teſtium pertimeſco. XX. eſt enim dictum ab illis, fore qui dicerent vxores ſuas à cœna redeuntes attrectatas eſſe à Cœlio. graues erunt homines, qui hoc iurati dicere audeant: cùm ſit his confitendum, numquam ſe ne congreſſu quidem, & conſtituto cœpiſſe de tantis iniuriis experiri. Sed totum genus oppugnationis huius, Iudices, & iam proſpicitis animis, &, cùm inferetur, propulſare debebitis; non enim ab iiſdem accuſatur M. Cœlius, à quibus oppugnatur. palam in eum tela iaciuntur, clam ſubminiſtrantur.

EXPLANATIO.

NOCTVRNORVM TESTIVM.] Nocturnos teſtes appellat ſimul in eorum obſcuritatem iocans, ſimul quòd ad ea quæ noctu dicebant contigiſſe, teſtanda accederent.

GRAVES ERVNT HOMINES.] Per ironiam. Graues ſcilicet erunt homines, qui tantam ſibi à Cœlio illatam fuiſſe iniuriam impunè permiſerint, idque iurati fateantur.

CVM SIT ILLIS CONFITENDVM.] Cùm ſit illis confitendum tantùm abfuiſſe, vt diem Cœlio dicerent, iúſque ſuum actione legitimâ, apud iuratos Iudices experirentur, vt ne ex communibus amicis quidem arbitros adhibuerint, apud quos de illatis ſibi à M. Cœlio iniuriis, priuatim & quaſi ex condicto quererentur.

PALAM IN EVM TELA IACIVNTVR.] Apertè Atratinus, Herennius, Balbus in Cœlium accuſationis tela contorquent.

CLAM SVBMINISTRANTVR.] Clodia occultè ſubornat teſtes, & alios pretio corrumpit, vt opulenta, alios gratiâ & blanditiis vt impudica.

NOTÆ.

I. CONTRECTATAS.] Quantopere à mulieribus contrectandis abſtinerent, quantíque criminis id duceretur, argumento eſt, quòd vt ait Feſtus ex Verrio. *Matronæ à magiſtratibus non ſubmouebantur, ne pulſari, contrectaríue viderentur.* Valerius lib. 2. qui eſt de Inſtitutis antiquis. *Quo matronale decus verecundiæ munimento tutius eſſet, in ius vocanti matronam, corpus eius attingere non permiſerunt, vt inuiolata manus alienæ tactu ſtolæ relinqueretur.* Porrò hanc contrectandi vocem non rarò hoc ſenſu vſurpatam reperias. Publius Aſprenas apud Senecam Rhetorem lib. 1. controuerſ. 2. *Contrectata es alicuius oſculo, alicuius amplexu.* Et apud eundem Portius latro. *Puta enim virginem quidem eſſe te: ſed contrectatam oſculis omnium: etiamſi citra ſtuprum cum viris volutatam.* Diuus Cyprianus de habitu virginum. *Cum amictu veſtis honor corporis ac pudor ponitur, denotanda ac contrectanda virginitas reuelatur.* Eodem ſenſu Cornelius Gallus eleg. vltima, & Iuuenalis ſat. 10. verbum contrectandi ſumpſerunt. Ammianus lib. 24. de Iuliano. *Ex virginibus autem quæ ſpecioſæ ſunt captæ, vt in Perſide, vbi fœminarum pulchritudo excellit, nec contrectare aliquam voluit, nec videre Alexandrum imitatus & Africanum.* Plautus in milite glorioſo, ſc. *Iamne ante.*

Te compellare, & complecti, & contrectare.

II. A COENA REDEVNTES.] Bene & ſapienter huic rei à Syracuſanorum inſtituto prouiſum eſt, quorum nonnullas leges de pudicitiâ libet hoc loco referre, ex Athenæo lib. 12. dipnoſophiſtarum, cuius hæc verba ſunt à Phylarcho deſumpta. ὅτι παρὰ Συρακουσίοις νόμος ἦν γυναῖκας μὴ κοσμεῖσθαι χρυσῷ, μηδ' ἀνθινὰ φορεῖν, μηδ' ἐσθῆτας ἔχειν πορφυρᾶς ἐχούσας περυφάς, ἐὰν μή τις αὐτῶν συγχωρεῖ ἑταίρα εἶναι κοινή, καὶ ὅτι ἄλλος ἦν νόμος τὸν ἄνδρα μὴ καλλωπίζεσθαι, μηδ' ἐσθῆτι περιέργῳ χρῆσθαι, καὶ διαλλαττούσῃ ἐὰν μὴ ὁμολογεῖ μοιχεύειν καὶ κίναιδον εἶναι, καὶ τὴν ἐλευθέραν μὴ ἐκπορεύεσθαι ἡλίου δεδυκότος, ἐὰν μὴ μοιχευθησομένην. ἐκωλύετο δὲ καὶ ἡμέρας ἐξιέναι ἄνευ τῶν γυναικονόμων ἀκολουθούσης αὐτῇ μιᾶς θεραπαινίδος. *Apud Syracuſanos lex erat, vt mulieres neque auro ornarentur, neque floridis aut purpureis veſtibus pulchrè contextis vterentur, niſi ſi qua earum ſe publicam meretricem eſſe concederet. Alia item lex fuit, vt viri ambitioſe ſe non ornarent, aut veſte eleganti & variegatâ vterentur, niſi ſi ſe adulteros & cynædos eſſe vellent confiteri. item vt nulla ingenua poſt ſolis occaſum domo pedem efferret, niſi ſi ad adulterium egredi ſe oſtenderet. prohibebatur autem etiam interdiu egreſſus, ſine cuſtodibus & vnâ ancillâ comitante.* Cuius legis vtilitas hinc liquidiùs oſtenditur, quòd Romæ Veſtales è cœna redeuntes nonnunquam contrectatæ fuerint. Dio 47. Ταῖς δ' ἀεὶ παρθένοις ῥαβδούχῳ ἑνὶ ἑκάστῃ χρῆσθαι ὅτι τις αὐτῶν ἀπὸ δείπνου πρὸς ἑσπέραν οἴκαδε ἐπανιοῦσα ἠγνοήθη τε καὶ ὑβρίσθη. *Virginibus verò Veſtalibus* (conceſſum eſt) *vt vno lictore ſingulæ vterentur, cùm vnam ex iis à cœnâ noctu redeuntem, nec agnitam contrectari contigiſſet.*

III. NE CONSTITVTO QVIDEM.] Ne conueniſſe quidem Cœlium & compellaſſe vt coram
Arbiter. arbitro, loco & tempore inter ipſos amicè conſtituto, iniuriam repararet. quæ res vt liquidiùs poſſit intelligi, videndum eſt quæ ſit inter iudicē arbitrúmque diſtinctio. Hæc opinor. quòd accuſatori liceret arbitrum, ſine vllo mulctæ pecuniariæ periculo conuenire, cùm arbitri & ex amicis vtriuſque legerentur, & inter priuatos parietes amici de amicorum cauſa cognoſcerent. idque ſapienter fuit inſtitutum, vt etiam tenuibus liceret ius ſuum perſequi, quòd mulctæ pecuniariæ metu, apud legitimum iudicem non auſi fuiſſent experiri. De hac porrò multâ Varro lib.
4. de linguâ Latina ſub finem. *Ea pecunia quæ in* Sacramētum.
iudicium venit in litibus, Sacramentum à ſacro. Qui petebat, & qui inficiabatur de aliis rebus, vterque quingentos æris ad pontem (aliàs *Pontificem*) *deponebant: de aliis rebus item certo alio legitimo numero aſſium qui iudicio vicerat, ſuum ſacramentum à ſacro auferebat, victi ad ærarium redibat.* Feſtus. *Sacramentum æs ſignificat, quod pœnæ nomine penditur, ſiue eo quis interrogatur, ſiue contenditur. Id in aliis rebus quinquaginta aſſium eſt, in aliis rebus quingentorum inter eos qui iudicio inter ſe contenderent.* quem morem ab Athenienſibus fuiſſe vſurpatum teſtatur etiam Demoſthenes in Androtionem. Δικάζου κλοπῆς πρὸς τὸν διαιτητὴν, καὶ οὐ κινδυνεύσεις. *Ius tuum de furto experire, & apud arbitrum diſceptato, & periculum non adibis.* Hæc apud Atheniēſes. Seneca 3. de beneficiis, c. 7. *Ideò melior videtur conditio cauſæ bonæ ſi ad iudicem quàm ſi ad arbitrum mittitur: quia illum formula includit, & certos quos non excedat, terminos ponit: huius libera & nullis vinculis adſtricta religio, & detrahere aliquid poteſt, & adiicere, & ſententiam ſuam non prout lex aut iuſtitia ſuadet, ſed prout humanitas aut miſericordia impulit, regere.*
Cæterùm quod ait *experiri*, eſt locutio in iudi- Experiri.
ciis vſitata. Liuius decad. 4. lib. 10. *Si quod ſeu ius, ſeu auxilium ſe habere, ad eos libros repetendos exiſtimaret, experiretur.* Cicero pro Quintio §. *Nónne ſi quid in controuerſiam veniret, aut intra parietes, aut ſummo iure experiretur?* nota verba, *intra parietes.* Liuius lib. 4. *Cùm res peragi intra parietes nequiuiſſet, ventum in ius eſt.* vnde & Tul-
lius pro Cæcinna arbitrum *diſceptatorem domeſti-* Diſceptator domeſticus.
cum nominauit. *Ea iudicia, quæ diſtrahendarum controuerſiarum cauſſa reperta ſunt, perſæpe diſceptatore domeſtico diſceptantur.*

IV. PALAM IN EVM TELA IACIVNTVR.] Per tela accuſationes & calumnias intelligit. Vide Vatinianam §. 13. ſic Anacreon. φιλολοίδορεῖν γλώσσης βέλεμνα κοῦφα. *Linguæ conuitia amātis iacula leuia.* Sanctus Leo ſerm. 10. de paſſione Domini. *Fixuris clauorum addebatis tela linguarum.* Lucianus in Ioue Tragœdo. ἐν ἀκροβολισμοῖς ἔτι ἦσαν, ἀποσφενδονῶντες ἀλλήλοις, πόρρωθέν ποθεν λοιδορούμενοι. *In primis præludiis adhuc erant, ex inuicem quaſi fundis appetentes, è longinquo conuiciantes.* Adde ex D. Chryſoſtomo in ep. ad Rom. homil. 8. in morali iſtud pulcherrimum. Οὐ γὰρ ἀλλήλοις στρατευόμεθα κατ' ἐκείνου. (τοῦ διαβόλου) ἀλλὰ μετ' ἐκείνου κατ' ἀλλήλων ἱστάμεθα, καὶ αὐτῷ στρατηγῷ πρὸς τὰς τοιαύτας χρώμεθα παρατάξεις. δέον αὐτῷ μόνῳ πολεμεῖν. νυνὶ δὲ ἐκεῖνον ἀφέντες κατὰ τῶν ἀδελφῶν τὰ τόξα τείνομεν. ποῖα τόξα φησί; τὰ ἀπὸ γλώττης καὶ στόματος. οὐδὲ γὰρ ἀκόντια καὶ βέλη μόνον, ἀλλὰ καὶ ῥήματα πολὺ τῶν βελῶν πικρότερα ἐργάζεται τραύματα. *Neque enim coniunctis viribus aduerſus diabolum munimur, ſed nobis inuicem contrarij ſtamus, atque eo duce in eiuſmodi acie conflictúque vtimur, cùm conueniat aduerſus illum ſolum depugnare. nunc autem eo relicto aduerſus fratres tela dirigimus.*

Quænam, inquis, tela? ea inquam, quæ à linguâ atque ore exeunt. neque enim ipſa ſolùm iacula ac tela, ſed etiam verba telis ipſis multo lethaliora vulnera inferunt. Subdit: τὸ βέλος οὐ τὸν πληγέντα, ἀλλά σε τὸν τοξεύσαντα ἀναιρεῖ. *Hoc telum non eum qui ictus eſt, ſed te qui iaculatus es, interficit.* Et eiuſdem Chryſoſtomi contubernalis S. Baſilius Seleuciæ Iſauriæ Epiſcopus oratione in Olympiacâ. Καὶ γλῶτται πρὸς βλασφημίαν ὁπλίζονται, καὶ ποιητὴς τῶν ἁπάντων ταῖς κατ' ἀλλήλων λοιδορίαις διὰ βλασφημίας τοξεύεται. *Et linguæ ad blaſphemias armantur, & omnium factor mutuis contumeliis per blaſphemiam telis appetitur.* Themiſtius in Sophiſtâ. Τοξεύουσι δὲ ἀφανῶς, ὥσπερ οἱ Πλαταιεῖς ποτε Πελοποννησίους ἀποδιδράσκοντες ἐν νυκτὶ τὴν πολιορκίαν ἔβαλλον ἀπὸ τοῦ σκότους διώκοντας μετὰ λαμπάδων, καὶ δὴ τὰ μὲν βέλη περικέχυταί μοι ἔνθεν καὶ ἔνθεν ἀθρόα καὶ πολλά, καὶ ποικίλα, καὶ οὐδὲ ἐκ μιᾶς ἰοδόκης. τοὺς δὲ βάλλοντας οὔτε γινώσκω, οὔτ' ἂν βουλοίμην, ἀλλ' ἀγαπῶ ὅτι πολέμιοι ὄντες, οὕτω φαῦλοί εἰσι, καὶ οὐδεὶς αὐτῶν ἥψατο τῆς ψυχῆς, ἀλλ' οὐδ' ἐπέγραψέ τι τοῦ σώματος, οὐδ' ἤλειξέ τι τῶν φραγμάτων, ἀλλ' ὅσῳ περ ἂν πλείω καὶ εὐτονώτερά μοι ἐπιτοξάζωνται, τοσῷδε ἐκφαίνουσι μᾶλλον τῶν ὅπλων τὸ στεγανόν τε καὶ ἄρρηκτον, ἃ Ἥφαιστος μὲν οὐκ ἐχαλκεύσατό μοι ἐν τῷ Ὀλύμπῳ, θεοὶ δὲ οἱ φιλοσοφίας δοτῆρες καὶ προστάται οἳ ὅν τινα ἂν περιφράξωνται ἀκριβῶς ἄτρωτον ποιοῦσι μᾶλλον ἢ τὸν Καινέα.

Tela verborum. *At illi occultè ſua in me iacula contorquent, velut olim Plataenſes, cùm ex obſidione noctu fugerent, in Peloponneſios cum facibus inſequentes tela è tenebris coniiciebant. Quare iacula quidem hinc & inde circumfuſa atque conferta ſunt, atque & plurima & varia nec ex vnâ omnia pharetrâ deprompta, iaculatores verò ipſos, neque noui neque noſſe admodùm cupio: ſed hoc vno contentus ſum, quòd cùm hoſtes mei ſint, adeò tamen ſint ignaui, nec vllus ad animam meam peruenerit, ſed neque corporis partem vllam perſtrinxerit, nec denique armaturæ quicquam penetrare ac perfringere potuerit: imò quò plura & vehementiora in me iecerint, eò magis armorum ſoliditatem & firmitatem patefaciunt: quæ non Vulcanus ille mihi in Olympo fabricauit, ſed philoſophiæ largitores ac præſides Dij qui quidem, quemcumque armis munierint, impenetrabilem multo meliùs quàm Cæneum efficiunt,* &c. Bellè quidem, ſed verboſè & ſophiſticè. Quid enim neceſſe fuit vt illam de Platæenſibus hiſtoriam fictam fortaſſe, quippe quam nec Thucydides, nec Diodorus Siculus attigerunt, vt Vulcanum, vt Cæneum intruderet? Cedo, quid poſteà? poſtquam in Cænei fabella aliquãtum eſt immoratus. Ἐπεὶ οὖν, inquit, οἱ μὲν βάλλοντες εἰς τὸ ἐμφανὲς προελθεῖν οὐκ ἐθέλουσι, καὶ εἶναι ἐν μέσῳ παρ' ὑμῖν οὑτωσί, καὶ ἐν περιόπτῳ, ἀλλ' ἐν γωνίαις που καταδεδύκασιν ἢ χηραμοῖς, τοὺς δ' οἰστοὺς ὁρῶ πίπτοντας οὐκ οἶδα ὅθεν, καὶ ἐν ποσὶ κυλινδουμένους, φέρε ἐξαριθμήσωμαί τε αὐτοὺς ἀνελόμενος ἐκ τῆς γῆς καὶ πειραθῶ διακλάσαι, ἢν δυνώμαι καὶ ἐπιδεῖξαι τῶν ὀγκῶν τὴν μαλακότητα (an τῶν λογχῶν;) καὶ διαθρῆσαι εἰ δή τινες εἶεν φαρμάκῳ ἀληλιμμένοι. ἴσως δ' ἂν καὶ πυκνὰ ἐπαφώμενοι, καὶ μεταστρέφοντες, εὕροιμεν ἄγχου τῶν γλυφίδων, καὶ τοὔνομα τοῦ βάλλοντος ἐγκεχαραγμένον· ὅθεν περ καὶ Φιλίππῳ ἐγνωρίσθη τῷ Μακεδόνι πολιορκοῦντι Μεθώνην ὁ βαλὼν ἐκ τοῦ τείχους τοξότης. *Igitur quoniam illi ipſi qui me iaculis petunt prodire in lucem non ſuſtinent, & apud vos quemadmodum facię, in medium atque ante oculos omnium procedere, ſed in angulis ac latebris deliteſcunt, ſagittas verò ipſas neſcio quâ ex parte decidere, & ante pedes volutari ſentio; Age humo ſublatas numerabo, & confringere conabor ſi potero, ac dentalium atque cuſpidum imbecillitatem oſtendere, quin illud etiam deprehendere aliquãne ex iis ſine veneno delibuta. ac neſcio an ſi ſæpiùs contrectauerimus, ac verterimus, prope crenas ipſas inſculptum iaculatoris nomen inueniamus: vnde Philippus Macedo Methonem obſidens ſagittarium cognouit, à quo fuerat telo vulneratus.* Hæc ille, &c, quod magis mireris, ea ipſa oratione qua ſophiſtæ nomen à ſe deprecatur. Quod dictum volui non tam vt eum reprehenderem, cuius laudibus vel id ſufficit, quod Petauio noſtro viro limatiſſimi iudicij & doctrinæ ſingularis arriſerit, quàm vt eius comparatione Ciceronis in dicendo rotunditatem & verecundiam oſtenderem. Præclarè Lucianus, quamquam in aliam ſententiam, in fine cuiuſdam dialogi qui *Nigrinus* inſcribitur. Δοκεῖ μοι ἀνδρὸς εὐφυοῦς ψυχὴ, μάλα σκοπῷ τινι ἁπαλῷ προσεοικέναι. τοξόται δὲ πολλοὶ μὲν ἀνὰ τὸν βίον, καὶ μεστοὶ τὰς φαρέτρας ποικίλων τε καὶ παντοδαπῶν λόγων, οὐ μὴν πάντες εὔστοχα τοξεύουσιν. ἀλλ' οἱ μὲν αὐτῶν σφόδρα, τὰς νευρὰς ἐπιτείναντες ἐντονώτερον τοῦ δέοντος ἀφιᾶσι, &c. *Hominum bonæ indolis mentes ſcopo molli ſimiles videntur. ſagittarij verò multi ſunt inter mortales, qui pharetras variis & omnimodis ſermonibus plenas habent. non tamẽ omnes bene iaculantur. ſed alij neruos nimium adducentes, longiùs quàm oporteat, tela emittunt.* quæ ſequuntur ſunt ſanè pulcherrima, ſed omitto ne videar vltra ſcopum etiam ipſe iaculari. vide. Noſter pro Cluentio. *Omnia tela totius accuſationis in Oppianicum coniiciebantur.*

AXIOMA.

Sæpe tela accuſationis palam ab aliis iaciuntur, ab aliis clam ſubminiſtrantur.

ARGVMENTVM.

Aduerſariorum Cælij inuidiam deprecatur, & eos ſic excuſat, vt teſtes tamen reiiciendos eſſe dicat, quos illi contra Marcum Cælium produxerint, tanquam ſolitos viris potentibus & gratioſis vltro ſuam operam & teſtimonium polliceri.

NEQVE id ego dico, vt inuidioſum ſit in eos, quibus glorioſum hoc etiam eſſe debet. funguntur officio: defendunt ſuos: faciũt, quod viri fortiſſimi ſolent, læſi dolent, irati efferuntur, pugnant laceſſiti: ſed veſtræ ſapientiæ tamen eſt, Iudices, non, ſi cauſſa eſt viris fortibus oppugnandi M. Cœlium, ideò vobis quoque vos cauſſam putare eſſe iuſtam,

alieno dolori potiùs, quàm veſtræ fidei conſulendi. Quæ ſit multitudo in foro, quæ genera, quæ ſtudia, quæ varietas hominum, videtis, ex hac copia, quàm multos eſſe arbitramini, qui hominibus potentibus, gratioſis, diſertis, cùm aliquid eos velle arbitrentur, vltrò ſe offerre ſoleant, operam nauare, teſtimonium polliceri?

EXPLANATIO.

NEQVE ID DICO.] Non arguo teſtium leuitatem eo conſilio, vt in Herennium, Baſſum, & inprimis Atratinũ deriuetur inuidia.

DEFENDVNT SVOS.] Non eſt accuſandus Atratinus, quòd Cœlium de vi accuſarit, vt patrem ſuum Pollam à Cœlio de ambitu accerſitum, iudicio liberaret, & Cœlium à patris accuſatione ad proprij capitis defenſionem auocaret.

IRATI EFFERVNTVR.] Suam iracundiam effundunt.

QVAM VESTRÆ FIDEI.] Iuramento quo veſtram fidem ad ſeruandam in iure dicundo iuſtitiam obligaſtis.

CVM ALIQVID EOS VELLE.] Cùm alicuius nomen deferre, & ad Iudicem accerſere.

TESTIMONIVM POLLICERI.] Ad opprimendos calumniis & mendaciis innocentes.

NOTÆ.

I. FACIVNT QVOD FORTISSIMI VIRI SOLENT, LÆSI DOLENT, IRATI EFFERVNTVR.] Hæc à Tullio dicta ſunt offenſionis potiùs vitandæ cauſa quàm ſtudio veritatis, nam dolorem & iram fortitudini tribuit, cùm magis ad infirmitatem ſpectare videantur. *Nam animum vincere, iracundiam cohibere, ira victoriam temperare,* vt dicitur pro Marcello, id demum fortis & magni animi eſt, quo loco plura dicentur in hanc ſententiam. Ariſtoteles 2. Rhetor. cap. 2. Κάμνοντες, πενόμενοι, ἐρῶντες, διψῶντες, ὅλως ἐπιθυμοῦντες, καὶ μὴ κατορθοῦντες, ὀργίλοι εἰσὶ καὶ εὐπαρόρμητοι. *Ægrotantes, paupertate laborantes, amantes, ſitientes, omninò cupientes, ſi res ex ſententia non ſucceſſerit, iracundi ſunt, & qui concitentur idonei.* quod iudicium eſt,

--quod infirmi eſt animi exiguique voluptas
Vltio, continuo ſic collige quòd vindictâ
Nemo magis gaudet quàm fœmina. ait Iuuen.

Plato 4. de Repub. ὅσῳ ἂν γενναιότερος ᾖ, τοσούτῳ ἧττον δύναται ὀργίζεσθαι. *quo quis generoſior eſt, eò minùs poteſt iraſci.* Præclarè Plutarchus libro περὶ ἀοργησίας, qui totus liber eſt meritò conſulendus. Ira & vltio infirmi animi ſignum. Ὡς οἴδημα μεγάλης ἐστὶν ἐν σαρκὶ πληγῆς πάθος, οὕτως ἐν ταῖς μαλακωτάταις ψυχαῖς, ἡ πρὸς τὸ λυπῆσαι ἔνδοσις ἐκφέρει μείζονα θυμὸν ἀπὸ μείζονος ἀσθενείας. *Vt tumor in corpore magni vulneris effectus eſt, ſic in molliſſimis quibuſque mentibus, propenſa ad dolorem natura, maiorem à maiore infirmitate iracundiam exſuſcitat.* & Seneca lib. 2. de ira cap. 32. *Marcum Catonem in balneo quidam percuſſit imprudens. Quis enim illi ſciens faceret iniuriam? poſteà ſatisfacienti Cato: Non memini, inquit, percuſſum me. meliùs putauit non agnoſcere, quàm ignoſcere. Nihil, inquis, ille poſt tantam petulantiam mali factum eſt? immò multum boni. cœpit Catonem noſſe. Magni animi eſt iniurias deſpicere.* Et paulò poſt: *Ille magnus & nobilis eſt, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum ſecurus exaudit.* Sed commodiùs ad hunc locum Ciceronis idem Seneca lib. primo de ira cap. 12. *Quid ergo? vir bonus non iraſcetur, inquit, ſi cædi patrem ſuum viderit, ſi rapi matrem? non iraſcetur, ſed vindicabit, ſed tuebitur. Quid autem times, ne parum illi magnus ſtimulus, etiam ſine irâ pietas ſit?* Item: *Pater cæditur? defendam. cæſus eſt? exequar, quia oportet, non quia dolet.* Deinde: *Non pietas illam iram, ſed infirmitas mouet. ſicut pueri qui tam parentibus amiſſis flebunt, quàm nucibus. iraſci pro ſuis non eſt pij animi, ſed infirmi. illud pulchrum, dignúmque, parentibus, liberis, amicis, ciuibus, prodire defenſorem, ipſo officio ducente, volentem, iudicantem, prouidentem, non impulſum & rabidũ.* Hæc Seneca huic Ciceronis noſtri loco planè contraria. adde Tertullianum libro de patientiâ dicentem accepta iniuria non dolere, non iraſci id demum nobiliſſimum eſſe genus vltionis. Sic enim cap. 8. *Nam omnis iniuria ſeu linguâ, ſeu manu incuſſa, cùm patientiam offenderit, eodem exitu diſpungetur quo telum aliquod in petra conſtantiſſimæ duritiæ libratum & obtuſum. concidet enim ibidem irrita opera & infructuoſa, & nonnunquam repercuſſum in eum qui emiſit, reciproco impetu ſæuiet. Nempe, idcircò quis te lædit, vt doleas: quia fructus lædentis in dolore læſi eſt. Ergo cùm fructum eius euerteris non dolendo, ipſe doleat neceſſe eſt amiſſione fructus ſui: tunc tu non modò obtuſus ibis, quòd etiam ſolum tibi ſufficit, ſed inſuper aduerſarij tui, & fruſtratione oblectatus & dolore defenſus. hæc eſt patientiæ vtilitas & voluntas.* Sed hic libet tantiſper euagari & aliquot huius in remittendis iniuriis animi magnitudinis exempla ſubiungere. *Romanum Diogenem à Turcis captum habuit benignè Azam Sultanus, ſuâ quoque menſâ dignatus, cúmq; aliquando eum interrogaſſet, Quid mihi feciſſes, ſi me in tuâ poteſtate habuiſſes? reſpondiſſétque Imperator ſimpliciter, Multis plagis corpus tuum confeciſſem. At ego, inquis, Sultanus, tuam crudelitatem non imitabor. Audio namque veſtrûm vobis præcipere Chriſtum pacem & obliuionem iniuriarum, ſuperbíſque reſiſtentem, humilibus gratiam dare. Denique præſtitit ex animo dux barbarus, quod promiſit. nam initâ cum Imperatore pace perpetuâ, & nũquam amplius Romanum imperium à Turcis inuadendum fore pollicitus, reliquos etiam captiuos omnes relaxari præcepit.* Baronius anno Chriſti 1071. ex Curopalate. Memorabile & illud de Franciſco Lothareno Duce Guiſiæ noſtri ſcriptores memoriæ tradiderunt. *Cùm Rhotomagus vrbs ad ſequanam obſideretur, & in caſtris percuſſorem eſſe audiuiſſet, ſui occidendi gratiâ, agnitũ interrogauit, Nónne ad exercitum veniſti vt me interficias? Ille ingenuè crimen confeſſus eſt. Rurſum, Quæ cauſa te mouet, vt id facere velis? religio, inquit, quam profiteor, id eſt Caluinianæ ſectæ perſuaſio. Tum vir magnanimus & verè pius, Catholica ergo melior, quæ mihi imperat, vt tibi quem habeo confitentem reum, ſponte tamen ignoſcam, cúmque ſaluum & inco-*

Azami Sultani clementia.

Franciſci Lothareni pietas chriſtiana.

lumen caſtris quamprimum iuſsit excedere. Papyrius Maſſonius Foreſius in eius vita. prætermitto illum Rom. Imperatorem, item illum Galliæ Regem, quorum amicis hortantibus vt illatas ſibi quondam vlciſceretur iniurias, reſpondit alter indignum eſſe vt Imperator priuati, alter vt Rex Ducis Aurelianenſis perſequeretur iniuriam. Sed Tullius ne accuſatores & imprimis Atratinum offenderet, eam iram & vltionem maluit animi magnitudini tribuere. vt Neſtor Homericus Agamemnonem excuſat, lib. 9. Iliados, verſu 109.

-- σὺ δὲ σῷ μεγαλήτορι θυμῷ
Εἴξας ἄνδρα φέριστον, ὃν ἀθάνατοί περ ἔτισαν
Ἠτίμησας. ἑλὼν γὰρ ἔχεις γέρας.
-- tu autem tuo magno animo (magnanimæ iræ)
Cedens virum optimum quem immortales honorauerunt
Inhonoraſti, ereptum enim habes præmium.

II. Efferri ira. IRATI EFFERVNTVR.] Nazianzenus Hieronis encomio. θυμὸν ἐκφερόμενον, καὶ τὸν λογισμὸν ἐκφέροντα. *Iram quæ effertur, & rationem effert.* Baſilius homiliâ *Attende tibi.* ὀργή σου τῶν λογισμῶν κατεκράτησεν, καὶ ἐκφέρῃ ὑπὸ θυμοῦ πρὸς ῥήματ᾽ ἀπρεπῆ, καὶ πράξεις χαλεπὰς, καὶ θηριώδεις. *Ira tua rationem vincit, & animo efferris ad verba indecora, & actus noxios ac belluinos.*

III. NON SI CAVSA IVSTA EST.] Cur Iudices fidei ſuæ non conſuluiſſent, eum damnantes, quem alij iuſtè dicuntur accerſere? vel enim Cœlius, ea de quibus accuſabatur, ſcelera commiſerat, vel non commiſerat. Si commiſerat, eum iuſtè Atratinus accuſare, iuſtè Iudices damnare potuerunt. Si non commiſerat, certè iuſta cauſa aduerſariis eſſe non potuit, vt Cœlio innocenti negotium & moleſtiam exhiberent. Nihilominùs tamen iuſtam cauſam Atratino fuiſſe dicit, non quòd iuſtè Cœlium accuſaret, ſed quod iuſtam habuiſſet pietatis cauſam, quæ ipſum ad hanc iniuſtam Cœlij accuſationem, defendendi patris à Cœlio accuſati causâ impelleret, vt ſic illatam patri vlciſceretur accuſationem, & ipſe prior laceſſitus, vim vi, iniuriam iniuriâ refelleret. Sed præclarè

Remittendæ iniuriæ. Tertullianus libro de patientiâ cap. 10. *Vltio penes errorem ſolatium videtur doloris, penes veritatem certam redarguitur malignitatis. Quid enim refert inter prouocantem & prouocatum, niſi quòd ille prior in maleficio deprehenditur, at ille poſterior? Tamen vterque læſi hominis domino reus eſt: qui omnem nequam & prohibet & damnat. Nulla in maleficio ordinis ratio eſt: nec locus ſecernit, quod ſimilitudo coniungit.* Plato in Critone pulcherrimè. οὔτ᾽ ἄρα ἀνταδικεῖν δεῖ, οὔτε κακῶς ποιεῖν οὐδένα ἀνθρώπων, οὐδ᾽ ἂν ὁτιοῦν πάσχῃ ὑπ᾽ αὐτῶν. *Nemini igitur oportet referre iniuriam, neminem afficere, etiamſi quamlibet iniuriam acceperis.* Eámque ſubiungit huiuſce rei rationem. ἐπειδή γε οὐδαμῶς δεῖ ἀδικεῖν. *quandoquidem nemini iniuria facienda eſt.* Ad quem, quoniam cuiuis in promptu eſt, te remitto, vt habeas hîc probationem è maximo Tyrio depromptam, oratione quæ inſcribitur, περὶ τοῦ εἰ τὸν ἀδικήσαντα ἀνταδικητέον. an referre oporteat talionem. εἰ ὁ ἀδικῶν κακῶς ποιεῖ, ὁ ἀντιποιῶν κακῶς, οὐδὲν ἧττον ποιεῖ κακῶς κἂν ἀμύνηται. *Si qui facit alteri iniuriam, malè agit, non minùs malè agit is qui refert acceptam iniuriam.* Subdit rationem: ὥσπερ γὰρ ὁ ἀποδιδοὺς χάριν τῷ προϋπάρξαντι, οὐδὲν ἧττον εὖ ποιεῖ κἂν προπεπονθὼς ᾖ, οὕτως ὁ μεταθεὶς τὴν ἀμοιβὴν εἰς κάκωσιν οὐδὲν ἧττον κακῶς δρᾷ, κἂν προπεπονθὼς ᾖ. *Quemadmodum enim qui gratiam refert ei qui officio certare prior incœperat, non ideò minùs benefacit quòd ipſe beneficium prior acceperit. Sic qui maleficia maleficiis compenſat, non ideò minùs malefacit, quòd prior acceperit iniuriam.* Tandem addit: Τί δὲ τοίνυν ἔσται καὶ πέρας τοῦ κακοῦ; εἰ γὰρ ὁ ἀδικηθεὶς ἀμυνεῖται, ἀεὶ μεταβαίνει τὸ κακὸν ἀπ᾽ ἄλλου πρὸς ἄλλον, καὶ μεταπηδᾷ, &c. parcendum Græcis. *Quis tandem mali finis inuenietur? Nam ſi iniuriam paſſus vlciſcitur, ſemper malum ab vno ad alium tranſgreditur & tranſilit, & iniuria excipit iniuriam. Nam ſi eodem iure permittis ei qui iniuriâ affectus eſt, eum vlciſci qui affecerit, iterum redit ab illo ad eundem, qui prior paſſus eſt vindicta. Nam vtrique ius æquale eſt. Prô Deum immortalem! qualem iuſtitiam ex iniuriis feciſti? & quò progredietur malum? & vbi ſiſtet? non vides te perennem improbitatis fontem aperire?* Hæc Maximus. Subdit demùm inter alia longè pulcherrima. *Quandoquidem iniuſtitia, alteri iniuſtitiæ comparata habet exceſſum, is qui vlciſcitur eo qui prior iniuriam fecit, eſt iniuſtior.* ὁ μὲν γὰρ ὑπ᾽ ἀμαθίας ἐπὶ τὸ ἀδικεῖν ἐλθὼν, ἔχει τὴν δίκην ἐκ τοῦ ψόγου. ὁ δ᾽ ἐπεξιὼν προσλαβὼν ἐκ τοῦ ὁμοίου τὸ ἄδικον, ἀφῄρηκεν ἐκείνου τὸ ἐπίψογον. *Hic enim ex ignoratione ad iniuſtitiam delapſus infamiâ punitur, ex eáque iuſtitiam habet. At qui vlciſcitur, ab eo qui ſimilis eſt, iniuſtitiam capiens, ab eo, qui prior laceſsiuit, tollit infamiam.* Eleganter multis locis Chryſoſtomus, vt in morali homiliæ duodecimæ in epiſt. ad Rom. & in morali octauæ, vnde hæc excerpſiſſe ſuffecerit. Ἐκεῖνος μὲν τὸ σῶμα ἔτρωσε, σὺ δὲ κατὰ τῆς ψυχῆς τὸ ξίφος ἠκόνησας. ἀλλ᾽ ἔπαθες πρότερος κακῶς; ἀλλ᾽ οὐ τὸ παθεῖν, ἀλλὰ τὸ ποιῆσαι κακῶς, τοῦτό ἐστι τὸ παθεῖν κακῶς. *Ille quidem corpus tuum vulnerauit, tu verò contra tuam animam gladium acuiſti. Sed tu prior iniuriam paſſus es? Verùm non pati, ſed malum facere, hoc demùm eſt malum pati.* Concludamus igitur nullam Atratino cauſſam iuſtam eſſe potuiſſe, vt per ſubornatos teſtes Cœlio crimen affingeret, vanámque & futilem eſſe excuſationem, quam conatur Tullius Atratini cæterorúmque Cœlij accuſatorum facto prætendere. Quod fortaſſe de induſtriâ artificiosè fecerit, vt intelligerent Iudices malam eſſe aduerſariorum cauſſam, quippe quæ nullam iuſtam excuſationem poſſit inuenire.

TESTIMONIVM POLLICERI.] Bene polliceri. Nam, vt habetur in excerptis differentiarum Iacobi Bongarſij. *Inter polliceri & promittere hoc intereſt, quòd promittimus rogati, pollicemur vltrò.* Item Seruius. *Pollicemur ſponte, promittimus rogati.* Id etiam Doletus notauit, exemplíſq; confirmat. Quod ad rem ſpectat, iam alibi ex Demoſthenis oratione contra Cononem, hoc eorum qui teſtimonium ſibi commodant, vltróque pollicentur, allatum eſt exemplum. *Cùm congregati in vnum conuenerint, nihil improbitatis turpitudiniſque prætermittunt. Et quæ magnificè, ſummáque cum audaciâ iactant, ſunt eiuſmodi.* οὐ γὰρ ἡμεῖς μαρτυρήσομεν ἀλλήλοις; οὐ γὰρ ταῦτα ἑταίρων ἐστὶ καὶ φίλων; *Quid non teſtabimur pro nobis inuicem? Non hoc ſodaliũ & amicorũ eſt? Quid enim in te grauiter dici poteſt? Dicent aliqui vidiſſe ſe cùm tu aliquem verberares? Nos verò ne tetigiſſe quidẽ teſtabimur.* IV. Polliceri. Teſtimoniũ mutuum.

Spoliaſſe? At eos priùs id nobis feciſſe dicemus. Labium laceraſſe? At nos caput etiam nobis fuiſſe comminutum efferemus. Noſter pro Flacco §. 10. *Vnde illud*, DA MIHI TESTIMONIVM MVTVVM? *Num Gallorum? Num Hiſpanorum putatur? Totum illud Græcorum eſt, vt etiam qui Græcè neſciunt, hoc quibus verbis à Græcis dici ſoleat, ſciant.* Prouerbij autem locum obtinebat. Δάνεισόν μοι μαρτυρίαν.

AXIOMATA.

Etiam viri fortiſſimi læſi dolent, irati efferuntur, pugnant laceſſiti.

Iudicum ſapientiæ eſt, non ſi cauſſa iuſta eſt viris fortibus oppugnandi reum, ideò ſibi quoque cauſſam putare eſſe iuſtam alieno dolori potiùs, quàm ſuæ fidei conſulendi.

Multi ſunt qui hominibus potentibus, gratioſis, diſertis, cùm aliquid eos velle arbitrentur, vltrò ſe offerre ſoleant, operam nauare, teſtimonium polliceri.

ARGVMENTVM.

Iudices monet ne plus fidei teſtibus tribuant, quàm argumentis ex ipſa cauſſâ petitis, & rationi, quæ nullâ cupiditate corrumpi poteſt.

XXII. HOC ex genere ſi qui ſe in hoc iudicium fortè proiecerint, excluditote eorum cupiditatem, Iudices, ſapientiâ veſtrâ: vt eodem tempore, huius ſaluti, & religioni veſtræ, & contra periculoſiſſimas hominum potentias conditioni omnium ciuium prouidiſſe videamini. Equidem vos abducam à teſtibus, neque huius iudicij veritatem, quæ mutari nullo modo poteſt, in voluntate teſtium collocari ſinam: quæ facillimè fingi, nullo negotio flecti, ac detorqueri poteſt. argumentis agemus: ſignis omni luce clarioribus crimina refellemus: res cum re, cauſſa cum cauſſa, ratio cum ratione pugnabit.

EXPLANATIO.

HOC EX GENERE.] Teſtium, qui hominibus potentibus vltrò ſe offerre ſolent, operam nauare, teſtimonium polliceri, ſi qui ſe ad teſtimonium dicendum obtruſerint, pro veſtrâ ſapientiâ prouidete, Iudices, ne cupidè in hoc iudicium irrumpant.

VT EODEM.] Tres adfert rationes cur debeant teſtium cupiditatem à iudicio excludere. Prima eſt humanitatis & æquitatis, ne Cœlij innocentia falſis teſtimoniis obruatur. Altera religionis, ne Iudices contra quam iurauerunt iniquam ferant ſententiam. Tertia communis vtilitatis ne feneſtra teſtibus aperiatur ad calumnias.

EQVIDEM.] Locus communis contra teſtes, quorum teſtimonia certa non ſunt, ſed facilè mutari poſſunt, & ab eorum voluntate dependent, & prout vel lucri faciendi, vel ſumendæ vltionis ſpes, tanquam ventus adflauerit, eò facilè deferuntur.

NOTÆ.

I. PROIECERINT.] Vide orationem pro Flacco II. 12.

II. Cupiditas teſtium. CVPIDITATEM.] Teſtes, vt ait Orator pro Flacco 21. *Aut ſine vllo ſtudio dicebant, aut cum diſſimulatione aliquâ cupiditatis.* quare meritò teſtium vltrò ſe obtrudentium cupiditatem excludendam eſſe contendit. Vide Fonteianam, tum alibi, tum 18. & D. De teſtibus.

III. Iudicum ſapientia. SAPIENTIA.] Pro Fonteio II. *In rebus iudicandis non minimam partem ad vnamquamque rem æſtimandam, momentóque ſuo ponderandam ſapientia iudicis tenet.* & 13. *Quid eſt igitur, vbi elucere poſſit prudentia? vbi diſcerni ſtultus auditor & credulus ab religioſo, & ſapienti iudice? Nimirum illud in quo ea quæ dicuntur à teſtibus, coniecturæ & cogitationi traduntur, quantâ auctoritate, quantâ animi æquitate, quanto pudore, quanta fide, quanta religione, quanto ſtudio exiſtimationis bonæ, quantâ curâ, quanto timore dicantur.* & alia plura in hanc ſententiam.

RELIGIONI.] Aſconius in ſecundam Verrinam. *Iurabant in leges Iudices, vt obſtricti religione iudicarent.* Frequenter autem ſolent oratores, Græci potiſſimùm concepti iuriſiurandi religionem Iudicibus in memoriam reuocare. vt Æſchines contra Cteſiphontem, Demoſthenes de corona, contra Ariſtocratem, contra Timocratem, vbi tota iurandi formula exhibetur, item de falſa legatione, & alibi paſſim. Hinc Iupiter ὅρκιος, de quo Cicero Fonteianâ. *Ille Iupiter cuius nomine maiores noſtri ſanctam teſtimoniorum fidem eſſe voluerunt.* Tertio officiorum. *Præclarè Ennius.* IV. Iudicum religio & iuramentum.

O fides alma, apta pinnis & iuſiurandum Iouis. Qui igitur iuſiurandum violat, is fidem violat, quam in Capitolio vicinam Iouis optimi maximi (vt in Catonis oratione eſt) maiores noſtri eſſe voluerunt.

CONDITIONI OMNIVM.] Pro Fonteio 11. pro Flacco 24. moris eſt autem Oratoribus cauſſam à rei perſona ad Remp. traducere, vt nō vni ſolùm homini, ſed communi hominum vtilitati conſultum eſſe videatur. V.

VOS ABDVCAM A TESTIBVS.] Eleganter & neruoſè Demoſthenes oratione de falſa legatione Æſchinem à teſtibus ad rem ipſam abducit. Ταῦτ' οὐ φανερά, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι; ταῦτ' οὐχὶ βοᾷ, καὶ λέγει ὅτι χρήματα εἴληφεν Αἰσχίνης, &c. Καὶ τίς μου καταμαρτυρεῖ φησι, δῶρα λαβεῖν; τοῦτο γάρ ἐστι τὸ λαμπρόν. τὰ πράγματ' Αἰσχίνη, ἅπερ πιστότατ' ἐστὶν ἁπάντων. καὶ οὐκ ἔστιν εἰπεῖν, οὔτ' αἰτιάσασθαι, ὡς ἢ πεπεισμένα, ἢ χαριζόμενά τῳ ἐστὶ τοιαῦτα. ἀλλ' οἷα περ' αὐτὰ πρ- VI. Cōtra teſtes

ἰδεῖς, καὶ δι᾽ ἀκριβείας σοι πεποίηκας, τοιαῦτα ἐξεταζόμενα φαίνεται. *Hæc nónne perſpicua ſunt, Athenienſes? hæc nónne clamitant, & loquuntur pecuniam accepiſſe Æſchinem?* &c. *Et quis, inquit, teſtificatur me accepiſſe munera? Hæc enim eſt præclara illa defenſio. Res ipſæ, Æſchine, quæ ſunt fide omnium digniſſimæ. Neque dici poteſt, aut prætexi vel ex perſuaſione alicuius, aut gratificandi ſtudio eas eſſe tales: ſed quales prodendo & corrumpendo tu eas effeciſti, tales in exquirendo apparent.* Et ſanè, vt ait Philoſophus 1. Rhetoric. cap. 15. conducit Μάρτυρας μὴ ἔχοντι, ὅτι ἐκ τῶν εἰκότων δεῖ κρίνειν· καὶ τοῦτό ἐστι τῇ γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ. καὶ ὅτι οὐκ ἔστιν ἐξαπατῆσαι τὰ εἰκότα ἐπ᾽ ἀργυρίῳ, καὶ ὅτι οὐχ ἁλίσκεται ψευδομαρτυριῶν τὰ εἰκότα. *Teſtes non habenti illud ſeruit, quòd ex veriſimilibus oportet iudicare. &, id eſt, mente optimâ ſapientérque iudicare. Et quod non licet corrumpere veriſimilia argento, & quod non conuincuntur falſorum teſtimoniorum veriſimilia.* Cicero in partitionibus: *Impugnanti teſtes vnus locus eſt, vt dicatur de toto genere teſtium, quam id ſit infirmum, & argumenta rerum eſſe propria, teſtimonia voluntatum, & recitentur exempla quibus teſtibus creditum non ſit.* Vt pro Fonteio 13. 14. pergit: *Alter vt dicatur de ſingulis teſtibus ſi naturâ vani, ſi leues, ſi cum ignominiâ, ſi ſpe, ſi metu, ſi iracundiâ impulſi, ſi gratiâ, ſi præmio adducti: comparentúrque cum auctoritate teſtium quibus tamen creditum non ſit.* Vt pro Fonteio, Galli, pro Flacco Græci teſtes refutantur.

VII. ARGVMENTIS AGEMVS, SIGNIS.] Fabius lib. 5. cap. 9. *Omnis igitur probatio artificialis conſtat aut ſignis, aut argumentis, aut exemplis. Nec ignoro pleriſque videri ſigna partem argumentorum, quæ mihi ſeparandi ratio hæc fuit. Prima, quòd ſunt pene ex illis inartificialibus.* Argumenta. *Cruenta enim veſtis, & clamor, & liuor, & talia* Signa. *ſunt inſtrumenta, qualia tabulæ, rumores, teſtes; nec inueniuntur ab oratore, ſed ad eum cum ipsâ cauſâ deferuntur: Altera quòd ſigna ſiue indubitata ſunt, non ſunt argumenta, quia vbi illa ſunt, quæſtio non eſt, argumento autem, niſi in re controuerſa locus eſſe non poteſt: ſiue dubia non ſunt argumenta. ſed ipſis argumentis egent.* Hæc Fabius & alia non pauca ex Ariſtotele lib. 1. Rhetor. cap. 2. qui ſignorum alia τεκμήρια vocat, alia carere nomine dicit, quæ εἰκότα Quintilianus appellat, ſed obſcurior eſt Ariſtoteles; vt Victorium, Maioragium, Riccobonum & alios interpretes, in diuerſas explicationes diſtraxerit. vide Ciceronem in partitionibus Oratoriis ad §. 34. ad 40. vbi ſigna modò *proprias rerum notas* appellat, modò quædam *facti veſtigia.* Demoſthenes contra Androtionem: Ἔστι τοίνυν ἀνάγκη τοὺς ἐλέγχοντας, ἢ τεκμήρια δεικνύναι δι᾽ ὧν ἐμφανιοῦσι τὸ πρᾶγμα ὑμῖν, ἢ τὰ εἰκότα φράζειν, ἢ μάρτυρας παρέχεσθαι. *Neceſſe igitur eſt eos qui probant, aut argumentis viti per quæ rei veritatem vobis declarent, aut coniecturas afferre, aut producere teſtes.* aliter & aptiùs ad rem noſtram explicari fortaſſe queat, ſed ſequor Volphij verſionem.

AXIOMATA.

Teſtium cupiditas ſapientiâ iudicum debet excludi.

Iudices debent non ſolùm innocentium ſaluti ſuæque religioni, ſed etiam communi conditioni prouidere.

Veritas mutari nullo modo poteſt: teſtium voluntas facillimè fingi, nullo negotio flecti ac detorqueri poteſt.

ARGVMENTVM.

Reliqua crimina prætermittit, quod iis Marcus Craſſus ante iam abunde reſponderit. De nece Dionis legationis Alexandrinæ principis ait non eſſe laborandum, ídque eo præiudicio confirmat, quo Publius Aſſcitius qui ei ſe necem intuliſſe confeſſus eſt; iam ante de conſilij ſententiâ fuerit abſolutus.

ITAQVE illam partem cauſſæ facilè patior grauiter, & ornatè à M. XXIII. Craſſo peroratam, de ſeditionibus Neapolitanis, de Alexandrinorum pulſatione Puteolana, & de bonis Pallæ. vellem dictum eſſet ab eodem etiam de Dione. de quo ipſo tamen quid eſt, quod expectetis, quod is qui fecit, aut non timet, aut etiam fatetur? Etenim reus, qui dictus eſt & adiutor fuiſſe, & conſcius, P. Aſcitius, is iudicio eſt liberatus. quod igitur eſt huiuſmodi crimen, vt qui commiſit, non neget, qui non negauit; abſolutus ſit, id hic pertimeſcat, qui non modò à facto, verùm etiam à conſcientiæ ſuſpicione abfuit? & ſi Aſcitio cauſſa plus profuit, quàm nocuit inuidia, huic oberit tuum maledictum, qui iſtius facti non modò non ſuſpicione, ſed ne infamia quidem eſt aſperſus?

EXPLANATIO.

ITAQVE ILLAM PARTEM.] Multa fuerant obiecta Cœlio crimina, quæ ad vim publicam pertinebant, cuius vis publicæ prætextu Cœlius etiam die feſto cauſam dicebat. primùm, quòd Neapoli ſeditiones concitaſſet, vel ſaltem iis interfuiſſet. alterùm, quòd Ptolemæo fauens legatos Alexandrinos pulſaſſet, ſiue trucidaſſet. Tertiùm, crimen erat de bonis cuiuſdam Pallæ, quæ per vim aut fraudem inuaſiſſe Cœlius dicebatur. Quartùm crimen de Dione legationis Alexandrinæ principe qui paulò pòſt alios legatos, adiuuante, vt ferebatur, Cœlio iuſſu Ptolemæi

Regis occiſus eſt. atque tribus primis criminibus Marcus Craſſus copioſè reſponderat. Non eſt, inquit, Cicero, quòd his tribus criminibus reſpondeam, cùm ea Marcus Craſſus iam abunde diluerit: vellem vt & quartum crimen de Dione diluiſſet, vt ego confeſtim ad mutui & veneficij cauſam perorandam accederem.

De qvo ipso.] Sic argumentatur (vt res explicetur ſecundum vulgatam lectionem.

Non eſt quod reſpondeam illi crimini, à quo, qui confeſſus eſt fuit abſolutus.

Sed is qui confeſſus eſt necem Dionis, fuit abſolutus.

Ergo non eſt quod reſpondeam crimini de nece Dionis.

Propoſitio continetur partim his verbis, *quod igitur eſt eiuſmodi crimen*, &c. *abſolutus ſit*. partim aliis antè, *de quo*, &c. *aut etiam fatetur*. aſſumptio illis, *etenim reus*, &c. *iudicio & liberatus*. complexio ſiue concluſio his poſtremis, *id hic pertimeſcat*, &c. *à ſuſpicione abfuit*. argumentum à maioris comparatione deſumitur, quod etiam clarius ſic poterit explicari.

Si qui necem Dioni ſe intuliſſe confeſſus eſt, is fuit iudicio liberatus, multò minùs damnari debet propter necem Dionis, qui non modò à facto, ſed etiam à conſcientiæ ſuſpicione abfuit.

Sed Aſcitius qui ſe Dioni necem intuliſſe confeſſus eſt, fuit iudicio liberatus.

Cœlius non modò à facto, ſed etiam à conſcientiæ ſuſpicione abfuit.

Ergo Cœlius multò minùs damnari debet, propter necem Dionis.

Etenim revs.] Lambinus legit è M.S. *Eſt enim Rex*, nec fortè malè. & paulò pòſt in iiſdem codicibus ait, *non haberi negationem antè verbum, Negauit, & rectè. ſignificatur enim Aſcitius qui negauit factum.* Hæc ille. ex quibus ſenſum alium elicias ab illo qui ſuperiùs eſt explicatus. vt ſit hæc vis ſyllogiſmi.

Non eſt laborandum de crimine, quod perinde eſt, ſiue negemus, ſiue fateamur.

Sed perinde eſt ſiue negemus, ſiue fateamur Cœlium Dioni necem intuliſſe.

Ergo non eſt de nece Dionis magnopere laborandum.

Probatur aſſumptio. *Perinde eſt ſiue negemus, ſiue fateamur id crimen, quod quod qui fatetur non pertimeſcit, & qui negauit fuit abſolutus.*

Sed Rex Ptolemæus qui fatetur ſe auctorem necis fuiſſe, non pertimeſcit, & Aſcitius qui negauit ſe conſcium fuiſſe cædis fuit abſolutus.

Ergo perinde eſt ſiue negemus, ſiue fateamur, Cœlium Dioni necem intuliſſe.

Est enim Rex.] Conſtat enim Regem Ptolemæum fuiſſe necis illius auctorem.

Qvi dictvs est.] At verò Pub. Aſcitius quem aduerſarij dicebant conſcium necis fuiſſe, iudicio fuit liberatus, & abſolutus.

Vt qvi commisit.] Ptolemæus.

Qvi non negavit.] Lege cum Lambino, *qui negauit*, ſcilicet Aſcitius.

Qvi non modò a facto.] Qui non ſolùm non fuit auctor cædis, vt Ptolemæus, qui tamen non pertimeſcit, ſed etiam nunquam ſuſpectus fuit, quaſi in occidendo Dione operam ſuam præſtitiſſet, quemadmodum plurimi ſuſpicati ſunt Aſcitium cædis conſcium fuiſſe, qui nihilominùs conuinci non potuit, ſed tanquam innocens fuit abſolutus.

Cavsa plvs profvit.] Æquitas cauſæ. eum enim innocentem meritò dicit fuiſſe, quem ipſe defenderat.

Qvam nocvit invidia.] aduerſariorum.

Non modò non svspicione, sed ne infamia qvidem est aspersvs?] Res eſt obſcurior, nam infamiâ aſpergi maius eſt, quàm ſuſpicione, vt legendum eſſe videatur, *non modò non infamiâ, ſed ne ſuſpicione quidem eſt aſperſus.* niſi fortaſſe quiſquam dicat plus eſſe ſuſpicionem quàm infamiam, vt ſuſpicio ſit coniectura in Iudicum animis ingenerata, ex qua coniectura damnatio conſequatur, infamia verò exiſtimationem quidem apud populum minuat, ſed nihil adferat detrimenti.

NOTÆ.

De Alexandrinorvm pvlsatione Pvteolana.] De Neapoli, Alexandria, Puteolis, vide Geographos, alibi fortaſſe nonnihil ex occaſione dicemus. De hac legatorum cæde Dio Caſſius libro 39. Alexandrini: Ἄνδρας ἑκατὸν ἐς τὴν Ῥώμην ἔπεμψαν πρός τε τὰ ἐγκλήματα αὐτοῦ ἀπολογησομένους, καὶ ἀντικατηγορήσοντας ὅσα ἠδίκηντο. προμαθὼν δὲ ταῦτ' ἐκεῖνος (ἔτι δ' ἐν τῇ Ῥώμῃ ἦν) ἐνέδρευσε τοὺς πρέσβεις, πρὶν ἐλθεῖν, ἄλλους ἄλλῃ διαπέμψας. καὶ τοὺς μὲν πλείους αὐτῶν κατὰ τὴν ὁδὸν ἔφθειρε· τῶν δὲ λοιπῶν τοὺς μὲν αὐτῶν ἐν τῷ ἄστει αὐτῷ ἀπέκτεινε. τοὺς δὲ καὶ καταφοβήσας ἐκ τούτων ἢ χρήμασι διαφθείρας ἔπεισε, μήτε ταῖς ἀρχαῖς, ὑπὲρ ὧν ἐστείλαντο ἐντυχεῖν, μήθ' ὅλως μνείαν τινὰ περὶ τῶν ἀπολομένων ποιήσασθαι. *Centum viros Romam ablegauerunt, qui & contra eius accuſationes eos defenderent, & viciſſim ipſum de illatis iniuriis accuſarent. Ptolemæus (quippe adhuc Romæ tum erat) eo cognito, emiſſis in omnes partes certis hominibus, legatis inſidias poſuit, ac plerosque in ipſo itinere interfecit: cæteros partim in ipſâ vrbe occidit, partim iniecto terrore aut pecuniis corruptos, eo perduxit, ne cauſam, cuius gratiâ miſſi erant, apud magiſtratus agerent, vllámve interemptorum mentionem facerent.* I. Ptolemæus legatos interficit.

De Dione.] Idem Dio Caſſius eodem libro: καὶ μὴν τοῦ Δίωνος μετὰ τοῦτο δολοφονηθέντος, οὐδεμίαν οὐδ' ἐπ' ἐκείνῳ δίκην δέδωκε. *Quin immo ne Dione quidem poſt hac per dolum necato, vllas pœnas Ptolemæus dedit.* paulò antè: τὸν Δίωνα τὸν τῆς πρεσβείας αὐτοκράτορα, *Dionem legationis principem* nominarat. II.

Revs.] Græcis ὁ φεύγων, reus. ὁ διώκων, actor, recentiores petitorem, & defenſorem. Noſter 2. de Oratore 183. *Reos autem appello, non eos modò qui arguuntur, ſed omnes quorum de re diſceptatur.* Et longè pòſt: *Reos appello quorum res eſt.* Notant autem Iuriſconſulti, non in iudiciis ſolùm res dici, ſed etiam in contractibus. Vlpianus D. De verborum ſignif. *Nominis & rei appellatio, ad omnem contractum & obligationem pertinet.* III. Reus.

Adspersvs.] Veluti quadam macula & labe. In Vatinium 15. *Ne qua ex tua ſumma indignitate labes illius dignitati adſperſa videatur.* Et 41. *Cùm Titum Annium tantoperè laudes, & clariſſimo viro nonnullam laudatione tuâ* IV.

labeculum adſpergas. Cyprianus epiſt. 42. *Iactitare interim neſciunt, quæ probare non poſſunt: & cùm innocentiam deſtruere atque expugnare non valeant, ſatis habent famâ mendaci, et falſo rumore maculas inſpergere.*

AXIOMA.

Quod eſt huiuſmodi crimen, vt, qui commiſit, non neget, qui negauit abſolutus ſit, non eſt quod is pertimeſcat, qui non modò à facto, verùm etiam à conſcientiæ ſuſpicione abeſt.

ARGVMENTVM.

Occurrit obiectioni qua dicebatur Aſcitius per præuaricationem fuiſſe abſolutus. tum oſtendit aliam eſſe Cœlij cauſam, aliam Aſcitij: nam Aſcitius quamuis innocens tamen ſuſpectus fuit, Cœlius verò familiariſſimorum eius cui mors illata eſt teſtimoniis, ab omni non modò facti, ſed etiam ſuſpicione conſcientiæ liberatur.

AT præuaricatione eſt Aſcitius liberatus. perfacile eſt iſti loco reſpondere, mihi præſertim, à quo illa cauſſa defenſa eſt. ſed Cœlius optimam cauſſam Aſcitij eſſe arbitratur. cuiuſmodi autem ſit, à ſua putat eſſe ſeiunctam: neque ſolùm Cœlius, ſed etiam adoleſcentes humaniſſimi & doctiſſimi, rectiſſimis ſtudiis atque optimis artibus præditi, Titus Caiúſque Coponij, qui ex omnibus maximè Dionis mortem doluerunt, qui cùm doctrinæ ſtudio, atque humanitatis, tum etiam hoſpitio Dionis tenebantur. habitabat is apud L. Lucceium, vt audiſtis: fuerat ei cognitus Alexandriæ. quid aut hic, aut ſummo ſplendore præditus frater eius, de M. Cœlio exiſtimet, ex ipſis, ſi producti erunt, audietis. XXIV.

EXPLANATIO.

AT ENIM.] Sed fortaſſe quiſpiam obiicere Aſcitium fuiſſe abſolutum, non propter innocentiam ſuam, ſed propter accuſatoris præuaricationem, quod ſcilicet accuſator ſuam cauſam prodiderit, & cum Aſcitij patronis ſimulatè colluſerit.

PERFACILE EST RESPONDERE.] Facilè poſſum hanc obiectionem diſſoluere, cùm præſertim Aſcitium ego ipſe defenderim, nemínique magis quàm mihi compertum eſſe poſſit, vtrum Cœlij Aſcitij accuſator verè & ex animo, accuſarit, an mecum per ſimulationem colluſerit.

SED COELIVS.] Cauet hoc loco Aſcitium in facti ſuſpicionem adducere: ita tamen vt Cœlij cauſam ab Aſcitij causâ dicat eſſe alienã: quia ſcilicet Dionis occiſi familiares, qui, vt ſuſpicari licet, Aſcitio tanquam conſcio cædis diem dixerant, iidem ipſi Cœlium ab omni ſuſpicione ſuo teſtimonio liberabant.

CVIVSMODI.] alij *cuiuſcuiuſmodi*, alij *cuicuimodi*, legendum meritò exiſtimant.

ADOLESCENTES HVMANISSIMI.] Teſtimonio familiarium Dionis probat Cœlium fuiſſe cædis innocentem, qui & Aſcitium accuſauerant, & ſi vel tenuis eos de Cœlio ſuſpicionis aura perſtrinxiſſet, Cœlium accuſare debuiſſent.

HABITABAT IS.] Teſtimonio aliorum duorum, qui vel maximè Dionis necem vlciſci debuiſſent, & in quorum ædibus Dio occiſus eſt, oſtendit Cœlium ab omni ſuſpicione liberari. Nota quemadmodum idem ipſe, qui tantopere aduerſariorum teſtes ab obſcuritate, leuitate, ignobilitate depreſſerat, ſuorum teſtium, à ſtudiis, humanitate, ſplendore amplificet dignitatem.

SI PRODVCTI ERVNT.] Si ad teſtimonium dicendum acceſſerint.

NOTÆ.

PRÆVARICATIONE.] Vlpianus 3. D. de his qui notantur infamiâ. *Præuaricator autem eſt quaſi varicator, qui diuerſam partem adiuuat, proditâ causâ ſuâ, quod nomen Labeo à variâ certatione tractum ait, nam qui præuaricatur ex vtraque parte conſtitit, quin immò ex aduerſâ.* Vide Vatinianam 42. I. Præuaricatio.

HVMANISSIMI ATQVE DOCTISSIMI.] Alibi dictum è Gellio nomine *humanitatis*, amœniorem quandam & manſuetiorem doctrinam intelligi. mox dicet: *Doctrinæ ſtudio atque humanitatis.* II. Humanitas.

OPTIMIS ARTIBVS.] Quæ ſint bonæ aut etiam optimæ artes expoſuimus in Vatinium §. 8. *Omnia denique bonarum artium ſtudia ſiluerunt.* Terentius Adelph. act. 2. ſc. 3. III.

Fratrem homini nemini eſſe primarum artium
magis principem.

HOSPITIO DIONIS TENEBANTVR.] Primo Æneidos: IV. Tenere, teneri.

Hunc Phœniſſa tenet Dido, blandiſque moratur
Hoſpitiis.-

Notant verbum, *tenere*, amatorium eſſe. Ouid.

-*Iam te tenet altera coniux.*

Catullus de nuptiis Pelei & Thetidos:

Téne Thetis tenuit pulcherrima Neptunine.

Næuius apud Feſtum:

Alij adnutat, alij adnictat, alium amat, alium
tenet.

Vide Noſtrum Cerdanum in eclogam primam:

-*Dum me Galatæa tenebat.*

Quibus locis *tenere* eſt, vt opinor, conſuetudine ſua delectare ac remorari, vt qui tenetur vix ab alterius conſuetudine poſſit auelli.

-*Quòd amantes*
Non longè à charo corpore abeſſe volunt,

ait Catullus. *Teneri* itaque eſt delectari. Noſter 4. Acad. quæſt. 20. *Adhibitâ verò exercitatione &*

arte, vt oculi picturâ teneantur, & aures cantibus, quis eſt quin cernat quanta vis ſit in ſenſibus? 5.de finib.48. *Vt pompâ ludis atque eiuſmodi ſpectaculis teneantur, ob eámque rem vel famem & ſitim perferant. Quid verò qui ingenuis ſtudiis atque artibus delectantur?* &c. Et alibi non infrequenter.

AXIOMA.

Adoleſcentes bonis artibus præditi cum doctrinæ ſtudio atque humanitatis, tum etiam doctorum virorum conſuetudine tenentur.

ARGVMENTVM.

Remotis prioribus, tanquam ad cauſam minùs pertinerent, proponit quo modo L. Herennius in M. Cœlium perorarit, vt eius rationibus deinceps maiori cum perſpicuitate reſpondeat.

XXV. ERGO hæc remoueantur, vt aliquando in quibus cauſſa nititur, ad ea veniamus. Animaduerti enim, Iudices, audiri à vobis meum familiarem L. Herennium perattentè. in quo etſi magna ex parte ingenio eius, & dicendi genere quodam tenebamini, tamen nonnunquam verebar, ne illa ſubtiliter ad criminandum inducta oratio animos veſtros ſenſim ac leniter accenderet. dixit enim multa de luxuria, multa de libidine, multa de vitiis iuuentutis, multa de moribus: &, qui in reliqua vita mitis eſſet, & in hac ſuauitate humanitatis, qua propè iam delectantur homines, verſari periucundè ſoleret, fuit in hac cauſſa pertriſtis quidam patruus, cenſor, magiſter: obiurgauit M. Cœlium, ſicut neminem vnquam parens: multa de incontinentia, intemperantiáque diſſeruit. Quid quæritis, Iudices? ignoſcebam vobis attentè audientibus, propterea quòd egomet tam triſte illud, & tam aſperum genus orationis horrebam.

EXPLANATIO.

IN QVIBVS CAVSA NITITVR.] Fundamentum totius orationis intelligit.

IN QVO ETSI.] Etſi videbam vos attentos. quod vos ille ſuâ eloquentiâ delectaret, potiùs, quàm quod fidem faceret, tamen verebar ne vos hac orationis ſuauitate delinitos pedetentim grauiùs commoueret.

DE LVXVRIA.] De profuſione quæ fit ſupra modum & pudorem in ſumptibus faciendis.

DE LIBIDINE.] De profuſione in voluptatibus perfruendis.

PERTRISTIS QVIDAM PATRVVS.] Acerrimus & ſeueriſſimus reprehenſor.

NOTÆ.

1. Triſtis. PERTRISTIS QVIDAM PATRVVS.] Idem eſt atque grauis, ſeuerus, infeſtus, quæ omnia huic loco poſſunt conuenire. Cic. de officiis lib.1. *In eius familiari Scipione ambitio maior, vita triſtior.* infra §.27. *Et omnia inflammatus ageret, triſtiſſimis verbis, voce maximâ.* Terentius:

Triſtis ſeueritas ineſt in vultu atque in verbis fides.

Triſte graue apud Nonnium cap. 4. Tullius de Rep. libro 6. *Qui numero optimatum & Principum obtulit his vocibus, & grauitatis ſuæ liquit illum triſtem, & plenum dignitatis ſonum.* Subiungit paucis interiectis. *Afranius epiſtolâ: Iactauit ſeſe, iactet, mihi erit triſtior*, id eſt, *iratior*. Et apud eundem cap. 1. Lucilius lib. 30.

Idem tuus ſæuis factis & triſtibus dictis.

Ammianus Marcellinus lib. 22. de Iuliano: *Ille iudicibus Caſſiis triſtior, & Lycurgis cauſarum momenta æquo iure perpendens, ius ſuum cuique tribuebat.* Iuuenalis Sat. 2.

-Quis enim non vicus abundat
Triſtibus obſcœnis.-

Perſius Sat. 1.

Tunc cùm ad canitiem & noſtrum iſtud viuere triſte
Reſpexi & nucibus facimus quæcunque relictis.
Cùm ſapimus patruos, tunc tunc. Patruus.

Quo verſu vides pòſt vocem *triſtis* ſtatim fieri patrui mentionem. nam apud Satyricos patruus vſurpatur pro triſti rigidóque morum cenſore. Horatius Sat. 3. lib. 2.

-Siue ego prauè
Seu rectè hoc volui, ne ſis patruus mihi.-

Quod alicubi Perſius ſic eſt imitatus:

-ne ſis mihi tutor.

Vnde fit vt hæc mihi verba, *Pertriſtis quidam patruus*, ex Lucilij Satyris deprompta fuiſſe videantur, quod cæteri Satyrici Poëtæ fuerint imitati. Apuleius 3. floridorum: *& mater indulgens, & patruus obiurgator.* Horatius quadam Ode:

Metuentes patruæ verbera linguæ.

DE INCONTINENTIA INTEMPERANTIAQVE.] Hic operæpretium fuerit incontinentiæ, intemperantiæque diſtinctionem paucis oſtendere. Ariſtoteles libro 7. Ethic. cap. 11. Ὅμοιοι δὲ καὶ ὁ ἀκρατὴς καὶ ὁ ἀκόλαστος, ἕτεροι μὲν ὄντες, ἀμφότεροι δὲ τὰ σωματικὰ ἡδέα διώκουσιν· ἀλλ' ὁ μὲν καὶ οἰόμενος δεῖν, ὁ δ' οὐκ οἰόμενος. *Similes ſunt quoque inter ſe incontinens & intemperans, & cùm inter ſe alioquin differant ambo corporis delectationes perſequuntur, ſed hic ita vt exiſtimet eas ſequi oportere, ille itaut non exiſtimet.* Subdit de incontinente: Πονηρὸς δ' οὔ. ἡ γὰρ προαίρεσις ἐπιεικής. ὥστε ἡμιπόνηρος, καὶ οὐκ ἄδικος. *Improbus non eſt tamen. conſilium enim eius bonum eſt. itaque dimidia ex parte* II.

malus eſt, neque iniuſtus eſt. Iterum: Καὶ ἔοικε δὴ ὁ ἀκρατὴς πόλει, ἣ ψηφίζεται μὲν ἅπαντα τὰ δέοντα, καὶ νόμους ἔχει σπουδαίους, χρῆται δ' οὐδενὶ, ὥσπερ Ἀναξανδρίδης ἔσκωψεν,

Ἡ πόλις ἐβούλευθ' ᾗ νόμων οὐδὲν μέλει.

Ὁ δὲ πονηρὸς χρωμένῃ μὲν τοῖς νόμοις, πονηροῖς δὲ, χρωμένῃ. *Similis eſt igitur incontinens, ei ciuitati quæ omnia quidem decernit, quæ ſunt decernenda, legéſque habet bonas atque utiles, ſed nulla earum vtitur, quemadmodum Anaxandrides ſalsè dixit,*

Conſultat, à qua ſpernitur lex, ciuitas.

Malus autem ei ſimilis eſt qui legibus vtitur, ſed malis vtitur. quam diſtinctionem egregiè Plutarchus opuſculo περὶ ἠθικῆς ἀρετῆς explicauit: Οἴονται καὶ τὴν ἀκρασίαν ἔλαττόν τι κακίας εἶναι, παντελῆ δὲ κακίαν τὴν ἀκολασίαν. *Incontinentiam aliquid malitiâ minus, intemperantiam verò perfectam eſſe malitiam arbitrantur.* Reddit deinde rationem: Αὕτη μὲν γὰρ ἔχουσα καὶ πάθος φαῦλον καὶ λόγον, ὑφ' οὗ μὲν ἐξάγεται τὸ ἐπιθυμεῖν πρὸς τὸ αἰσχρὸν, ὑφ' οὗ δὲ τὸ κακῶς κρίνειν προστιθεμένου ταῖς ἐπιθυμίαις, καὶ τὴν αἴσθησιν ἀποβάλλει τῶν ἁμαρτανομένων. ἡ δ' ἀκρασία τῷ μὲν λόγῳ σώζει τὴν κρίσιν ὀρθὴν οὖσαν, τῷ δὲ πάθει φέρεται παρὰ τὴν κρίσιν ἰσχύοντι τοῦ λόγου μᾶλλον. *In-*
Intemperantiæ & incontinentiæ diſtinctio.
temperantia malam habens & cupiditatem, & rationem, quarum ab alterâ effertur vt turpia quæque deſideret, ab altera vt cupiditati prauum indicium adiungat, & peccati ſenſum amittit. At incontinentia iudicium quidem rectum ratione conſeruat, ſed fortiore præter id quod iudicat, fertur paſſione. Subdit & alias differentias: Ὅθεν διαφέρει τῆς ἀκολασίας. ὅπου μὲν γὰρ ἡττᾶται τοῦ πάθους ὁ λογισμὸς, ὅπου δ' οὐδὲ μάχεται. καὶ ὅπου μὲν ἀντιλέγων ἕπεται ταῖς ἐπιθυμίαις, ὅπου δ' ὑφηγεῖται συναγορεύων· καὶ ὅπου μὲν ἡδομένῳ κοινωνεῖν ὑπάρχει τῶν ἁμαρτανομένων, ὅπου δ' ἀχθομένῳ· καὶ ὅπου μὴ ἑκὼν φέρεται πρὸς τὸ αἰσχρὸν, ὅπου δὲ προδίδωσιν ἄκων τὸ καλόν. *Ab intemperantia diſtinguitur. quòd incontinentis ratio à cupiditate ſuperatur, intemperantis ne repugnat quidem illius ratio contradicens, tamen ſequitur cupiditates, huius etiam defendens eas antecedit. huius ratio iucunde illius moleſtè ſit peccati particeps. intemperantis ratio ſponte feratur ad turpitudinem, incontinentis inuitè prodat honeſtatem.* Et, vt ſubdit, intemperans eſt: Ὥσπερ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς συνεπινεύων ταῖς ἡδοναῖς καὶ ὑποφερόμενος. *Tanquam toto animo pronus in voluptates, & ad eas ſe deuoluens.* &, τὴν κρίσιν ἔχει τῷ πάθει συννοσοῦσαν. *Iudicium ægrum habet ſimul cum paſſione.* Item allatis multorum Poëtarum ſententiis: Τῷ γὰρ ὄντι πλησίστιος μὲν ἐπὶ τὰς ἡδονὰς ὁ ἀκόλαστος ὑπὸ τῶν ἐπιθυμιῶν φέρεται, καὶ δίδωσιν ἑαυτὸν καὶ συγκατευθύνει. πλάγιος δ' ὁ ἀκρατὴς, οἷον ἐξαναφέρειν γλιχόμενος καὶ διωθεῖσθαι τὸ πάθος ὑποσύρει καὶ ὑποπίπτει περὶ τὸ αἰσχρόν. *Reuera intemperans plenis, vt ita dicam, velis ad voluptatem ſuis cupiditatibus defertur. iiſque ſe tradens eo curſum dirigit. at incontinens obliquo curſu, tanquam educere cupiens, cupiditatémque depellere, ſubtrahit quodammodo cupiditatem, tamen ad turpitudinem delabitur.* Talis apud eundem Anaxarchus à Timone in Sillis deſcribitur:

...ὅς ῥα καὶ εἰδὼς,
Ὡς φάσαν ἄθλιος ἔσκε, φύσις δέ μιν ἔμπαλιν ἦγεν
Ἡδονοπλήξ.

-fuit ille miſer prudénſque ſciénſque
Vt memorant, illúmque retro natura trahebat
Icta voluptatum ſtimulis.-

Talia ſunt illa Phædræ apud Euripidem in Hippolyto:

Τὰ χρηστ' ἐπιστάμεσθα, καὶ γιγνώσκομεν
Οὐκ ἐκπονοῦμεν δ'. οἱ μὲν ἀργίας ὕπο,
Οἱ δ' ἡδονὴν προθέντες ἀντὶ τοῦ καλοῦ
Ἄλλην τιν', εἰσὶ δ' ἡδοναὶ πολλαὶ βίου,
Μακραί τε λέσχαι, καὶ σχολὴ τερπνὸν κακὸν, &c.
Meliora ſcimus atque nouimus probè
Nec illa facimus. alter ex ignauiâ
Alterum ab honeſto ſubdola voluptas trahit.
At non voluptas vna mortales trahit,
Vt ſermo longus, otium dulce eſt malum.

Et eadem illa nouerca priuigni amore incenſa apud Senecam in Hippolyto:

-ſed furor cogit ſequi
Peiora, vadit animus in præceps ſciens
Remeátque fruſtra ſana conſilia expetens.

Sic illa apud Naſonem puella incontinens 7. Metamorph.

Sed trahit inuitam noua vis, aliúdque cupido
Mens aliud ſuadet. video meliora, proboque
Deteriora ſequor.-

AXIOMATA.

Cauendum eſt ne ſubtiliter ad criminandum inducta oratio noſtros animos ſenſim, ac leniter accendat.
Suauitate humanitatis delectantur homines.

ARGVMENTVM.

Duas priores accuſationis partes oſtendit ſe contemnere, & pro vtroque ſubiicit rationem. quòd ſcilicet altera perſpicuè falſa eſſet, altera nihil vituperatione dignum contineret.

AC prima pars fuit illa, quæ me minùs mouebat, fuiſſe meo neceſſa- XXVI.
rio Beſtiæ Cœlium familiarem, cœnaſſe apud eum, ventitaſſe domum, ſtuduiſſe præturæ. non me hæc mouent, quæ perſpicuè falſa ſunt. etenim eos vnà cœnaſſe dicit, qui aut abſunt, aut quibus neceſſe eſt idem dicere. Neque verò illud me commouet, quòd ſibi in Lupercis ſodalem eſſe Cœlium dixit. fera quædam ſodalitas, & planè paſtoritia atque agreſtis, germanorum Lupercorum, quorum coitio illa ſilueſtris antè eſt inſtituta, quàm humanitas atque leges: ſiquidem non modò nomina deferunt inter ſe ſodales, ſed etiam commemorant ſodalitatem in accuſando, vt ne quis, ſi id fortè neſciat, timere videatur.

EXPLANATIO.

PRIMA PARS.] In primâ accuſationis parte Cœlium accuſauit, quod Beſtiam, qui de ambitu accuſatus & à me defenſus eſt, in petitione præturæ ambitioſè iuuiſſet, eique ſe ad corrumpenda populi ſuffragia ſequeſtrem præſtitiſſet.

ETENIM EOS VNA COENASSE.] Subiicit rationem cur illam accuſationis partem contemnendam & indignam reſponſione exiſtimet, hoc pacto. Tam apertè falſa eſt prima pars accuſationis, vt eos vna cœnaſſe dicat, qui à ſe inuicem aberant, aut ſaltem ſi non aberant, ita erant à ſe diſiuncti, tótque aliis occupationibus diſtricti, vt de iis neceſſe ſit idem dicere atque ſi abfuiſſent, id eſt, vt non magis vna cœnare potuerint, quàm ſi reuera à ſe inuicem magno locorum interuallo abfuiſſent. obſcuritas autem fortaſſe hunc in locum obrepſerit ob defectum vnius particulæ *de:* ſi enim legatur, *eos vnà cœnaſſe dicit, qui aut abſunt, aut de quibus neceſſe eſt idem dicere.* facilè tota res poterit expediri. alij vt Antonius Auguſtinus, & poſt eum Fuluius Vrſinus emendarunt: *qui aut abſunt, aut quibus nec eſſe ibidem liceret.* id eſt, qui aut penitùs à ſe ſeiuncti ſunt, aut quibus ſimul eſſe non permitteretur, etiamſi vellent. quam ſcriptionem ita cæteris antepono, vt tamen ſenſum oratoris nondum perſpicuè intelligam, alij permulti ne attigerunt quidem.

SIBI IN LVPERCIS COELIVM ESSE SODALEM DIXIT.] Et hoc loco etiam dubium eſt quid intelligat. Hanc opinor oratoris eſſe ſententiam, vt Cœlius Herennio diem dixerit, de quo Herennius conqueſtus fuerat, tantam videlicet Cœlij inhumanitatem fuiſſe, vt ipſum Cœlius licet in Lupercis ſodalem non dubitauerit ad Iudicem accerſere. Non me mouet, inquit Marcus Tullius, hæc in Cœlium obiectio, licet enim ſodales aliorum ſacerdotiorum ſibi inuicem non ſoleant lites intendere, tamen veri germaníque Luperci his humanitatis legibus haud quaquam adſtricti ſunt, cùm Lupercalia ſacra, antequam aut humanitas, aut leges eſſent, fuerint inſtituta, tantúmque abeſt vt Luperci ſe ad has humanitatis leges obligatos putent, vt potiùs cum ſuis ſodalibus diem dicunt, de ſodalitate illâ glorientur.

VT NE, SI QVIS ID FORTE NESCIAT TIMERE VIDEATVR.] alij legunt, *vt ne quis, ſi id fortè neſciat, timere videatur.* Sed iſta lectio communi lectione videtur obſcurior. alij, *vt ne, ſi quis id fortè neſciat, temere facere videantur.* & hoc pacto ſenſus quidem poteſt intelligi, ſed longiùs à vulgari lectione diſceditur. Ego legerim, *vt, ne quis id fortè neſciat, timere videantur.* Et ſenſus erit planè dilucidus, commemorant ſodalitatem in accuſando, vt timere videantur ne quis neſciat eos eſſe ſodales, qui nomina inter ſe detulerunt.

NOTÆ.

BESTIÆ.] Cic. epiſt. 7. ad Qu. Fratrem: *Ad quartum Idus Februarias dixi pro Beſtiâ de ambitu apud Prætorem Cn. Domitium in foro medio, maximo conuentu, incidíque in eum locum in dicendo, cùm Sextius multis in templo Caſtoris vulneribus acceptis ſubſidio Beſtiæ ſeruatus eſſet.* I.

SODALES IN LVPERCIS.] Sodales, vt II. dicitur in Pandectis, ſunt *qui eiuſdem collegij ſunt,* Sodales. *quos Græci* ἑταιρείαν *vocant.* Id autem nomen in ſacerdotiis locum habuiſſe multa teſtantur. Cic. apud Dionem libro 45. qui locus ex 2. Philippica pene totus expreſſus eſt. De his ipſis Lupercis nominatim: Τὰ γὰρ λυκαῖα ἦν, καὶ ἐπὶ τοῦ ἑταιρικοῦ τοῦ Ἰουλίου ἐτέτακτο. *Lupercalia erant, & in ſodalitio Iulij cenſebatur.* Spartianus in Caracalla: *Hic tamen omnium duriſſimus, &, vt vno complectamur verbo, parricida & inceſtus, Patris & Fratris, & Matris inimicus, à Macrinio qui eum occiderat, timore ac militum maximè Prætorianorum, inter Deos relatus eſt. Habet templum, habet Salios, habet ſodales Antonianos.*

IN LVPERCIS.] Lupercalia erant dies Februario menſe feſti Pani Lycæo. de quibus 2. Philippica. quando autem hæc Lupercorum Sodalitas inſtituta fuerit, opus eſt hoc loco diſquirere. Plutarchus in Romulo: Τοὔνομα δὲ τῆς ἑορτῆς Ἑλληνιστὶ σημαίνει Λύκαια. καὶ δοκεῖ διὰ τοῦτο παμπάλαιος ἀπὸ τῶν Ἀρκάδων εἶναι τῶν παρ' Εὐάνδρου. *Nomen feſti illud eſt quod Græci dicunt Lycæa, videtúrque feſtus antiquiſſimus ab iis Arcadibus inſtitutus, qui cum Euandro venerunt.* Subdit tamen videri poſſe à Romulo inſtitutam hanc Lupercorum decurſionem: III.

-ὅπως τότε φάσγαν' ἔχοντες
Ἐξ Ἄλβης ἔθεον Ῥωμύλος ἠδὲ Ῥέμος.
-Vt gladium dextrâ vibrante tenentes
Iuere ex Alba Romulus atque Remus.

Vt ait Buta in ſuis de Romanâ antiquitate elegiis. idem ex C. Acilio confirmat, quamuis aliâ occaſione dicat inſtituta fuiſſe. Virgilius certè 8. Æneidos ad Euandrum refert: Luperci.

-Et gelida monſtrat ſub rupe Lupercal
Parrhaſio dictum Panos de more Lycæi.

Et Ouidius 5. Faſtorum de eiuſdem Euandri inſtitutis:

Semicaper coleris cinctutis, Faune, Lupercis,
Cùm luſtrant celebres vellera ſecta vias.

Tamen Cato Cenſorius apud Noſtrum lib. de ſenectute 45. nullas ſodalitates ætate ſua vetuſtiores videtur agnoſcere. *Habui ſemper ſodales. ſodalitates autem me quæſtore conſtitutæ ſunt, ſacris Idæis magnæ Matris acceptis. Epulabar igitur cum ſodalibus omnino modicè.*

AXIOMA.

Non nos mouere debent quæ perſpicuè falſa ſunt.

Expoſita

Expoſita Herennij oratione, eáque in parte tres diſtributa, & duabus eius partibus, quòd minùs ad cauſſam pertinerent contemptim reiectis, tertiam partem & delitiarum obiurgationem confutat.

- 1. Deprecatione, vt ſibi liceat hanc cauſſam defendere, eorum exemplo qui adoleſcentiâ in voluptatibus tranſactâ clari poſtea viri extiterunt. 27. 28.
- 2. Monitione Iudicum, ne ſe in fraudem induci patiantur, & quæ in rem dicta ſunt ab Herennio in reum dici putent. 29. 30.
- 3. Præmunitione, quòd in Clodiam inuehatur. 30. 31. 32.
  - non inimicitiis inductus.
  - ſed criminis depellendi neceſſitate compulſus.
- 4. Criminis in Clodiã reiectione, à 33. ad 37.
  - per proſopopœias ad Claudiam
    - Appij Cæci obiurgãtis. 33. 34.
      - à perſona Cœlij, qui erat
        - & adoleſcentulus,
        - & alienus.
      - à perſona Clodiæ, & eius inconſtantiâ, qui vni & eidem erat
        - & familiaris.
        - & inimica.
      - à rebus geſtis
        - maiorum Clodiæ.
          - virorum.
          - mulierum.
        - mariti.
    - P. Clodij vrbanè monentis ne Cœlio diutiùs moleſta ſit. 36.
      - à Cœlij ſuperbia qui eam ſpernebat.
      - à facultate legendi alios amatores.
  - per comparationem aliarum proſopopœiarum, quæ ad Cœlium fieri poſſent
    - Patris Ceciliani ſeueri, parci, tenacis. 37. 38.
    - Patris Terentiani mitis & lenis. 38.
  - per apoſtrophen ad Clodiam, & dilemma. 35. & iterum. 50.
    - Si Clodia eſt meretrix, non debet eius teſtimonium admitti.
    - Si non eſt meretrix, Cœlius non habuit cum ea libidinis conſuetudinem.
- 5. Purgatione ſui ipſius, per laudationem antiquorum qui ab omni voluptate penitùs abhorrebant. 39. 42.
- 6. Eleuatione criminis obiecti Cœlio, à 40. ad 50.
  - à ſeculi licentiâ. 40. 42. 48.
  - ab auctoritate philoſophorum. 41.
    - Alij voluptatis cauſſâ ſapientes omnia facere dixerunt.
    - Alij cum voluptate dignitatem coniungendam putauerunt.
    - Qui ſolam voluptatem probauerunt, penè ſoli in ſcholis ſunt relicti.
  - à blandimentis ipſius naturæ, & lubricis adoleſcentiæ viis. 41. 42.
  - ab exemplo clarorum virorum qui adoleſcentiam in luxu & voluptate traduxerunt. 42. 43.
  - à criminis ipſius naturâ, à 44. ad 50. nõ obiicitur
    - Vinolentia, aut libidines, quæ cum ætate augentur.
    - ſed amores & delitiæ, quæ celeriter defloreſcunt.
      - Quibus nunquam fuit occupatus. quod probat
        - ab eius eloquentiâ, quæ non poteſt ſine labore & voluptatis abdicatione comparari. 45. 46.
        - ab eius ſtudiis, & exercitatione forenſi. 47.
      - ſed ad eas meretriciâ Clodiæ procacitate pellectus. 48. 49.
- 7. Concludit dilẽmate non eſſe pertimeſcendum crimen, quod
  - Vel nullum eſt.
  - vel cum Clodia commune.

ARGVMENTVM.

Ad aliud accuſationis caput, nimirum delitiarum, obiurgationem ita delabitur, vt interim ſumptâ occaſione ex illa orationis Herennij lenitate vehementiam & atrocitatem Clodij in perorando reſponſione penitùs indignam irrideat, & ironicè veniam precetur eius defendendi, qui delitiis aliquantùm indulſerit.

XXVII. SED hæc omittam: ad illa, quæ me magis mouerunt, reſpondebo. Deliciarum obiurgatio fuit longa, & ea lenior, plúſque diſputationis habuit, quàm atrocitatis, quò etiam audita eſt attentiùs. nam P. Clodius amicus meus, cùm ſe grauiſſimè, vehementiſſiméque iactaret, & omnia inflammatus ageret triſtiſſimis verbis, voce maxima, tametſi probabam eius eloquentiam, tamen non pertimeſcebam. aliquot enim in cauſſis eum videram fruſtra litigantem: tibi autem, Balbe, reſpondebo, primum precariò, ſi licet, ſi fas eſt, defendi à me eum, qui nullum conuiuium renuerit, qui vnguenta ſumpſerit, qui Baias viderit.

EXPLANATIO.

SED HÆC OMITTAM.] Quæ circa Beſtiæ familiaritatem, & illam Lupercorum ſodalitatem obiecta ſunt.

AD ILLA QVÆ ME MAGIS MOVERVNT.] Cùm viderem illam ſubtiliter ad criminandum inductam orationem animos Iudicum ſenſim ac leniter accendere.

DELITIARVM OBIVRGATIO.] Reddit rationem cur ipſum delitiarum obiurgatio magis commouerit, quàm reliquæ partes orationis. quòd videlicet propter ipſam diſputationis lenitatem audita fuiſſet attentiùs & magis in animos Iudicum ſenſim obrepſiſſet.

PLVS DISPVTATIONIS HABVIT, QVAM ATROCITATIS.] Diutiùs in diſputando & probando, quàm in inſectando verſata eſt, vt ad philoſophicæ diſputationis formam accederet.

NAM P. CLODIVS.] Reddit rationem ab experientiâ ſumptâm, cur magis motus fuerit orationis ſuauitate quàm atrocitate dicendi. Quia, inquit, expertus fueram inflammatas & accenſas maximis clamoribus P. Clodij orationes, iam ſæpè ad permouendos Iudicum animos nihil habuiſſe momenti, cœpi magis metuere orationes, quæ ſua lenitate in auditorum animos latenter irreperent, quàm eas quæ clamoribus inconditis, voce maximâ, ſummâ verborum atrocitate conarentur violenter irrumpere.

AMICVS MEVS.] Dubium non eſt quin, vt ait Plutarchus, aliquando ſumma P. Clodio interceſſerit amicitia cum Cicerone, ſed tamen hæc magis videntur ad tempus præſens, quo iam pridem vtrinque ſimultas exarſerat eſſe referenda, vt ironicè loquatur Orator. Cur igitur amicum appellat? ne ipſe qui inflammatam Clodij reprehendit orationem inflammatus agere videatur, quæ cauſa eſt vt eâdem ironiâ eiuſdem Clodij eloquentiam laudauerit. Cæterùm ex hoc loco aduertis, Clodium vnum ex accuſatoribus Cœlij fuiſſe quem Cicero ſic contemnit, vt ne reſponſione quidem dignum exiſtimet.

FRVSTRA LITIGANTEM.] Clodium aliquoties cauſa cecidiſſe, immò & calumniæ præuaricationíſve fuiſſe damnatum, videtur latenter obiicere, vt eum alibi præuaricatorem Catilinæ nominauit.

TIBI AVTEM BALBE.] Lepidè à Balbo veniam petit defendendi Cœlij, qui conuiuiis interfuiſſe, vnguentis delibutus fuiſſe dicebatur, cùm illis Baianis delitiis intereſſet.

NOTÆ.

DELICIARVM OBIVRGATIO.] §. 25. *Fuit in hac cauſa pertriſtis quidam patruus, Cenſor, Magiſter: obiurgauit M. Cœlium, ſicut neminem vnquam Parens.* Quibus è duobus locis aduertis & poteſtatem in obiurgante, & ſeueritatem requiri. *Obiurgatio eſt poſt turpe factum caſtigatio, monitio verò eſt ante commiſſum.* Cornelius Fronto: *Obiurgat eum cuius habet poteſtatem: monet propter beneuolentiam: Admonet vt confirmet memoriam: ſubmonet vt poßit ordinatè pronunciare. Igitur in obiurgante poteſtas, in monente beneuolentia, in admonente memoria, in ſubmonente officium.* At paulò aliter M. Varro lib. 6. explicans illud Plauti: 1.

Euax, iurgio vxorem tandem abegi ab ianua.

Iurgare. inquit, *ab iure dictum: cùm quis iure litigaret: à quo obiurgat is qui id facit iniuſtè.* Ex quo vides quàm accommodatè M. Tullius in rem ſuam verba ſelegerit, vt & nimiam Balbi auctoritatem, & iniquitatem correptionis oſtenderet, licet idem de Repub. nonnihil à Varrone diſſenſiſſe videatur. N. Marcellus cap. 5. *Iurgium & lis hanc habent diſtinctionem: quod iurgium leuior res eſt, ſiquidem inter beneuolos aut propinquos diſſenſio, vel concertatio iurgium dicitur, inter inimicos diſſenſio lis appellatur.* M. Tullius de Repub. libro quarto: *Admiror nec rerum ſolùm, ſed etiam verborum elegantiam. Si iurgant*, inquit, *beneuolorum concertatio non lis, inimicorum iurgium dicitur.* diſtingue: *Beneuolorum concertatio, non lis inimicorum, iurgium dicitur.* Et in ſequenti: *Iurgare igitur lex putat inter ſe vicinos, non litigare.* Neque ſolùm in verbis obiurgatio, ſed etiam in verberibus reperitur. Suetonius in Caligula cap. 20. *Sed & certamen quoque Græcæ Latinæque facundiæ.* Videlicet Lugduni apud Aram Auguſti inſtitutum: *Quo certami-*

Iurgare quid?

ne ferunt victoribus præmia victos contuliſſe, eorundem & laudes componere coactos: eos autem qui maximè diſplicuiſſent ſcripta ſua ſpongiâ linguave delere iuſſos, niſi ferulis obiurgari, aut flumine proximo mergi maluiſſent. Perſius Sat. 5.

Obiurgare. *-Soleâ puer obiurgabere rubrâ.*

Seneca libro 3. de ira, de Platone loquens: *Abſtulit ſibi in ſuos poteſtatem, & ob peccatum quoddam commotior: Tu*, inquit, *Speuſippe, ſeruulum iſtum verberibus obiurga, nam ego iraſcor.*

II. ATROCITATIS.] Vide Milonianam §. 21. *atrociter tuliſſet.*

III. VNGVENTA SVMPSERIT.] Vide Sextianam 18. Piſonianam 25.

IV. VOCE MAXIMA.] Noſter apud Plutarchum huiuſmodi rabulas plenis ſonantes buccis eleganter irridet: Τοὺς γε τῷ βοᾷν μεγάλα χρωμένους ῥήτορας ἀποσκώπτων, ἔλεγε δι' ἀσθένειαν ἐπὶ τὴν κραυγὴν, ὥσπερ χωλοὺς ἐφ' ἵππον πηδᾷν. *Oratores magno clamore vociferantes irridens, eos dicebat imbecillitatis ſuæ conſcios ad clamores, vt claudos in equum inſilire.* Huiuſmodi clamores etiam Æſchini obiecit

Clamatores. Declamatores. Demoſthenes oratione de falſa legatione: Τίνα δὲ φθέγγεσθαι μέγιστον καὶ σαφέστατ' ἂν εἰπεῖν ὅ τι βούλοιτο τῇ φωνῇ; Αἰσχίνην οἶδ' ὅτι τουτονί. *Quem omnium voce maximâ & clariſſimè, quodcunque voluerit, dicere cenſetis? Æſchinem iſtum vt opinor.* Cicero Diuinat. in Cecilium 47. *Habet Allienum, hunc tamen à ſubſelliis, qui quid dicendo poſſet, nunquam ſatis attendi. in clamando quidem video eſſe bene robuſtum, atque exercitatum.* vbi Aſconius: *Huiuſmodi homines in libris de oratore non declamatores, ſed clamatores idem Tullius vocat.*

V. Baiæ. QVI BAIAS VIDERIT.] Id ipſum Clodius obiecerat Ciceroni, lib. 1. epiſt. ad Attic. 13. *Surgit pulchellus puer, obiicit mihi me ad Baias fuiſſe. Falſum: ſed tamen quid huic ſimile eſt, inquam? quaſi in operto dicas fuiſſe.* Nec iniuriâ. ſiquidem, vt ait Strabo lib. 5. Geographiæ: αἱ Βαΐαι, καὶ τὰ θερμὰ ὕδατα τὰ πρὸς τρυφὴν, καὶ πρὸς θεραπείαν νόσων ἐπιτήδεια. *Baiæ, & aquæ tepentes ad luxum & morborum curationem idoneæ.* Seneca epiſt. 51. Sapiens: *De ſeceſſu cogitans nunquam Canopum eliget, quamuis neminem Canopus eſſe frugi vetet, ne Baias quidem. diuerſorium vitiorum eſſe cœperunt: illic ſibi plurimum luxuria permittit: illic tanquam aliqua licentia debeatur loco magis ſoluitur.* Vide infrà 35. vbi de ſymphoniis & nauigiis eo loci celebrari ſolitis diſſeremus. Subdit: *Effœminat animos amœnitas nimia: nec dubiò. aliquid ad corrumpendum vigorem poteſt regio. quamlibet viam iumenta patiuntur, quorum durata in aſpero vngula eſt. in molli paluſtrique paſcuo ſaginata cito ſubteruntur, & fortior miles ex confragoſo venit.* Propertius lib. 1. eleg. vndecima:

Tu modo quam primùm corruptas deſere Baias.
Multis iſta dabunt littora diſſidium.
Littora quæ fuerant caſtis inimica puellis.
Ah pereant Baiæ crimen amoris aquæ.

Sic eadem Læuinæ priùs caſtæ, ſed ad Baias adulteræ fuerunt inimica, de qua Martialis lib. 1. epigr. 63. Neque ſolùm puellis, ſed etiam adoleſcentibus Ouidius 1. de arte:

Hinc aliquis vulnus referens in pectore dixit,
Non hac vt fama eſt vnda ſalubris erat.

Naturam artis amœnitas adiuuabat. De vtroque, id eſt, de loci amœnitate & operibus ab Agrippâ extructis, Dio ſub finem lib. 58. fusè conſulatur. De villis Baianis paſſim, vt apud Martialem lib. 4. epigr. 25.

Æmula Baianis Altini littora villis.

Adde ad cæteram elegantiam quod nonnunquam in eo lacu piſces cicures nutriebant. Martialis eodem lib epigr. 30.

Sacris piſcibus hæ natantur vndæ
Quæ norunt dominum manúmque lambunt
Illam qua nihil eſt in orbe maius.
Quid? quod nomen habent & ad magiſtri
Vocem quiſque ſui venit citatus.

Vt mirum non ſit eas fuiſſe Veneri & amoribus conſecratas. Martialis lib. 11. epigr. 81.

Litus beatæ Veneris aureum Baias,
Baias ſuperbæ blanda dona naturæ.

Reperitur elegans tetraſtichum Regiani veteris Poëtæ:

Ante bonam Venerem gelidæ per littora Baiæ,
Illa natare lacus cum lampade iuſſit Amorem.
Dum natat, algentes cecidit ſcintilla per vndas.
Hinc vapor vſſit aquas, quicunque natauit, amauit.

AXIOMA.

Audiri ſolet attentiùs oratio, quæ plus habet diſputationis, quàm atrocitatis.

ARGVMENTVM.

Reddit rationes cur ipſi negari non debeat venia defendendi eius, qui ab aduerſariis voluptatibus obtemperaſſe diceretur: quod videlicet deſtituendus non eſſet is, qui ſpem vitæ in poſterum frugalioris oſtenderet; quod exemplo probat eorum qui diu in hoc adoleſcentiæ ſalo iactati, cùm tandem emerſiſſent, grauiſſimi, ſanctiſſimi, vtiliſſimi Reipub. ciues extiterunt.

EQVIDEM multos & vidi in hac ciuitate, & audiui, non modò qui XXVIII.
primoribus labris guſtaſſent genus hoc vitæ, & extremis, vt dicitur, digitis attigiſſent, ſed qui totam adoleſcentiam voluptatibus dediſſent, emerſiſſe aliquando, & ſe ad frugem bonam, vt dicitur, recepiſſe, grauéſque homines, atque illuſtres fuiſſe. datur enim, conceſſu omnium, huic aliquis ludus ætati, & ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates: quæ ſi ita erumpunt, vt nullius vitam labefactent, nullius domum euertant, faciles & tolerabiles haberi ſolent.

EXPLANATIO.

EQVIDEM MVLTOS, &c.] Hoc ipſum eſt quod ait §.43. *At multi & noſtra, & Patrum maiorúmque memoria, Iudices, ſummi homines & clariſſimi ciues fuerunt, quorum cùm adoleſcentiæ cupiditates deferbuiſſent, eximiæ virtutes, firmata iam ætate extiterunt.*

ET VIDI.] Noſtra *audiui* patrum maiorúmque memoria.

NON MODO.] Non modò qui voluptatem leuiter & ſummis labris delibauerant, nec ſe penitus in eam immerſerant, ſed etiam in eorum qui ſe penitus voluptatibus obſequentes tradiderant, ab earum ſeruitute fuiſſe liberatos, & ad vitam frugaliorem minúſque diſſolutam rediiſſe. nota tria prouerbia hoc vno loco contineri.

DATVR ENIM.] Duas addit rationes cur ipſi permitti debeat adoleſcentis diſſoluti defenſio, quarum altera petitur ab hominum moribus & inſtituto, altera ab ipſa adoleſcentiæ natura. Prior eſt quòd eius patrocinium ſuſcipere fas ſit, quem omnes ætatis voluptatibus ætatíque ludo indulgere æquo animo patiuntur. poſterior, quòd ipſa adoleſcentia variis cupiditatibus iactetur, quibus ita demum obſecundari poteſt, ſi in nullius damnum redundant.

IPSA NATVRA PROFVNDIT.] Extra ſe quodammodo emittit.

NOTÆ.

I. EQVIDEM MVLTOS.] Vide quæ §.42. & 43. in hanc ſententiam dicenda ſunt.

II. PRIMORIBVS LABRIS GVSTASSENT.] Eraſmus vir ſanè doctus, ſi ſuam doctrinam Chriſtianâ modeſtiâ temperaſſet, hoc prouerbium monet ab iis ductum eſſe, *qui cibum aut potum tenuiter deguſtant, nihil inde in ſtomachum tranſmittentes.* Adfert exemplum Ciceronis 2. de nat. Deorum, Fabij lib. 12. cap. 2. Procopij Sophiſtæ, quod paulò pòſt referetur, &c. Adde Ennodium orat. ſeptimâ. *Cui ſaporem vitæ labris primoribus contingenti guſtum deprecor vbertatis infundi.* Caſſiodorum epiſt. 3. lib. 2. *Non primis, vt aiunt, labris eloquentiam conſecutus toto ſe Aönij fonte ſatiauit.* Philonem de nobilitate ipſo exordio: Ὁ γὰρ νοῦς ἀγαλματοφορεῖ τὸ ἀγαθὸν κἂν ἀπογεύωνται. (Primoribus labris guſtare.)

Τῶν μὴ γευσαμένων σοφίας ἢ χείλεσιν ἄκροις.

Mens enim circumfert ipſius boni effigiem, quamuis id perſuaderi non poſſit nonnullis eorũ,

Qui ſophiam primis deguſtauere labellis.

Nec multùm abludit verſus Homericus:

Χείλεα μέν τ' ἐδίην', ὑπερῴην δ' οὐκ ἐδίηνε.

Labra quidem adſpergit, ſed non rigat ille palatum.

Pindarus 3. Nemeorum:

Συγγενεῖ δέ τις εὐδοξίᾳ μέγα βρίθει
Ὃς δὲ διδάκτ' ἔχει ψεφεννὸς ἀνὴρ
Ἄλλοτ' ἄλλα πνέων οὔποτ' ἀτρεκεῖ
Κατέβα ποδὶ, μυρίαν
Δ' ἀρετᾶν ἀτελεῖ νόῳ γεύεται.

Sic ex ingenitâ virtute illuſtri quiſque magnum pondus obtinet: at qui ex diſciplinâ accepit ea quæ habet obſcurus vir, aliàs alia ſpirans nunquam pede exactè ſtabili incedit, ſed infinitas virtutes non ſufficiente mente deguſtat. Plato lib. 1. de Repub. ſub finem, ad hoc prouerbium videtur alludere, de iis loquens qui quæſtiones, quas tractandas ſibi proponunt, leuiter attingunt: Ὥσπερ οἱ λίχνοι τοῦ ἀεὶ παραφερομένου ἀπογεύονται ἁρπάζοντες, πρὶν τοῦ προτέρου μετρίως ἀπολαῦσαι. *Quemadmodum guloſi ſemper id quod adfertur raptim deguſtant, priuſquam vel modicè primo ferculo ſe oblectent.* Quod Themiſtius & Iulianus oratione de Imperatoribus, Polybius libro 3. pene verbatim retulerunt.

GVSTASSENT.] Non ſolùm labris guſtare dicunt, ſed etiam digitis eodem etiam adagio. Lucianus de hæreſibus: Ἄκρῳ τῷ ὄνυχι ἀπογευσάσθω. *Summis vnguibus deguſtet.* Procopius Sophiſta epiſtolâ quadam: Πάλιν δὲ ταύτην ἐμεμφόμην εἰ τοσούτου γεύσασα πράγματος ἄκρῳ δακτύλῳ φασὶν, εἶτα τῆς ἡδονῆς ἀφαιρεῖται. *Rurſum in hanc ſtomachabar, ſi cùm tantam rem ſummo, vt aiunt, digito deguſtandam præbuiſſet, deinde voluptate ſpoliaret.* Eſt enim *deguſtare* in vtraque linguâ leuiter attingere. 11. Æneidos: III. (Guſtare.)

-Summum deguſtat vulnere corpus.

Ariſtophanes in Ranis:

ΟΥ μὴ διαλείψῃς, ἀλλὰ γεῦσαι τῆς θύρας.

Ne tu perfunge, ſed deguſta ianuam.

EXTREMIS, VT DICITVR, DIGITIS ATTIGISSENT.] D. Baſilius epiſt. quadam: Οἶδα καὶ αὐτὸς, εἰ καὶ ἄκρῳ δακτύλῳ τοῦ γλυκυτάτου μέλιτος τῆς παρ' ὑμῖν ἐκκλησίας ἀπολαυσάμεθα πέρυσιν. *Noui & ipſe, tametſi ſummo digito mel dulciſſimum veſtratis eccleſiæ guſtauimus anno ſuperiore.* Et Lucianus in Demonactis vita: Οὐδὲ κατὰ τὴν παροιμίαν ἄκρῳ τῷ δακτύλῳ ἁψάμενος. *Neque ſummis, vt aiunt, digitis attigerat.* Similia ſunt illa: *Leui brachio, ſuſpenſa manu.* Plinius lib. 6. epiſt. *Tu verò non debes ſuſpenſa manu commendare mihi quos putas.* Hæc iterum ex eodem Chiliaſte decerpta non debui lectoribus inuidere. Iuſtinianus 4. inſtitutionum tit. de publicis iudiciis. *Sed de publicis iudiciis hæc expoſuimus, vt vobis poſſibile ſit ſummo digito, & quaſi per indicem ea tetigiſſe.* Similis eſt & illa parœmia quam in Ioue Tragœdo vſurpat Lucianus: ἄκρᾳ τῇ ῥινὶ ὀσφραίνεσθαι. *ſummis naribus odorari.* Ælianus 12. hiſtoriæ cap. 1. de Aſpaſia loquens, citra parœmiam: Ἄκρᾳ τῇ χειρὶ μόνον τοῦ Κύρου περιψαύσαντος, ἐξεβόησε τε καὶ ἔφατο αὐτὸν οἰμώξεσθαι τοιαῦτα δρῶντα. *Cùm eam ſumma tantùm manu Cyrus attigiſſet, exclamauit dixítque fore vt ipſum facti pœniteret.* IV. (Extremis digitis attingere.)

EMERSISSE.] Hoc iterum prouerbium videtur redolere. Perſius Sat. 3. *-& alto*

Demerſus ſummâ rurſus non bullit in vndâ.

Cicero in Piſonem: *Ac ne tum quidem emerſiſti lutulente Ceſonine ex miſerrimis naturæ tuæ ſordibus.* in Vatinium: *emerſus è cœno.* pro Sextio: *Hominem emerſum ſubito ex diuturnis tenebris ſtuprorum ac luſtrorum.* &, ne te morer, alibi ſæpiſſimè. V. (Emergere.)

AD MELIOREM FRVGEM.] Plautus in Trinummo ſcenâ prima: VI.

Quid tu? adoleſcentem quem eſſe corruptum vides,
Qui tuæ mandatus eſt fidei & fiduciæ,
Quin eum reſtituis? quin ad frugem corrigis?

& ſcena: *Multas res* quid ſit ad bonam frugem redire, ſic exponit: (Ad frugem redire.)

-apage ſis amor

Tuas res tibi habe, amor mihi amicus ne fuas
vnquam: ſunt tamen
Quos miſeros maléque habeas, quos tibi obno-
xios feciſti.
Certum eſt ad frugem applicare animum, quan-
quam ibi animo
Labos grandis capitur: boni ſibi hæc expetunt,
rem, fidem, honorem,
Gloriam & gratiam. hoc probis pretium eſt: eo
mihi magis lubet
Cùm probis potiùs, quàm cum improbis viuere
vanidicis.

Hinc homines frugi, vt Lucius ille Piſo de quo Noſter in Fonteianâ 29. *Qui tantâ virtute atque integritate fuit, vt etiam illis optimis temporibus cùm hominem inuenire nequam neminem poſſes, ſolus tamen frugi nominaretur: quem cùm in concionem Gracchus vocari iuberet, & viator quæreret, quem Piſonem? quòd erant plures: Cogis me, inquit, dicere inimicum meum, Frugi. Is igitur vir, quem ne inimicus quidem ſatis in appellando ſignificare poterat, niſi antè laudaſſet,* &c.

Lvdvs ætati.] Vide infrà 42. *Cùm paruerit voluptatibus, dederit aliquid temporis ad ludum ætatis, atque inanes haſce adoleſcentiæ cupiditates, reuocet ſe aliquando.* VII.

AXIOMATA.

Multi non modò qui primoribus labris guſtarunt voluptates, & extremis vt dicitur digitis attigerunt, ſed qui totam adoleſcentiam voluptatibus dediderunt, emerſerunt aliquando, & ſe ad bonam frugem receperunt.

Ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates.

ARGVMENTVM.

Reddit rationem cur Balbus auditus fuerit attentiùs, eúmque reprehendit, quod luxuriam accuſans, diúque in theſi morans ad hypotheſim minimè deſcenderit. deinde Iudices monet ne ſe in fraudem illius oratione impelli patiantur.

SED tu mihi videbare ex communi infamia iuuentutis aliquam inuidiam Cœlio velle conflare. itaque omne illud ſilentium, quod eſt orationi tributum tuæ, fuit ob eam cauſſam, quod vno reo propoſito, de multorum vitiis cogitabamus. Facile eſt accuſare luxuriem: dies iam me deficiet, ſi, quæ dici in eam ſententiam poſſunt, coner expromere. de corruptelis, de adulteriis, de proteruitate, de ſumptibus, immenſa oratio eſt: vt tibi reum neminem, ſed vitia proponas, res tamen ipſa & copiosè, & grauiter accuſari poteſt. Sed veſtræ ſapientiæ eſt, Iudices, non abduci ab reo, nec quos aculeos habeat ſeueritas, grauitáſque veſtra, cùm eos accuſator erexerit in rem, in vitia, in mores, in tempora, emittere in hominem, & in reum, cùm is non ſuo crimine, ſed multorum vitio ſit in quoddam odium iniuſtum vocatus. XXIX.

EXPLANATIO.

SED TV.] In vniuerſum & generatim luxuriam accuſabas, vt M. Cœlij communi hac infamiâ iuuentutis laborantem in inuidiam adduceres.

ITAQVE.] Reddit attentionis præſtitæ rationem. Ideò, inquit, attentè auditus es, non quod vllam inuidiam in Cœlium priuatim conflaueris: ſed quia tua oratio reuocabat nobis in memoriam publicos diſſolutæ iuuentutis mores, & ſtatum totius ciuitatis: quamuis vnum reum accuſare videreris.

FACILE.] Facile eſt in ipſa vitia declamare, ſi nullum tibi reum proponas, quem tentes in ſuſpicionem accuſati ſceleris adducere.

DE CORRVPTELIS.] De illecebris & amoribus, quibus iuuentus corrumpitur.

DE ADVLTERIIS.] De violatione connubij alieni.

DE PROTERVITATE.] De procaciâ ſiue petulantiâ.

IMMENSA.] Vel longa, vel indefinita, nullis perſonarum, locorum, temporum circumſcriptionibus limitata.

VT TIBI REVM.] Etiamſi nullum reum accuſes, ſed in ipſa tantùm vitia declamites.

SED VESTRÆ SAPIENTIÆ.] Monet Iudices quemadmodum ſe gerere debeant indefinitam huiuſmodi orationem audientes, ne ſe videlicet ab ipſo reo abduci patiantur, & tamdiu quæ dicuntur ad cauſſam iudicent pertinere, quamdiu in reo & facti probatione hærebit oratio.

NEC QVOS ACVLEOS.] Metaphora videtur ducta ab iis qui apes aut crabrones irritant. Id eſt, Ne cùm accuſator veſtram ſeueritatem in luxuriam & vitia concitarit, & permouerit, veſtræ ſapientiæ eſt eius ſeueritatis aculeos in reum non conuertere, cùm ob publicam potiùs morum corruptelam, quàm ob proprium vitæ inſtitutum in odium fuerit vocatus.

NOTÆ.

DIES ME DEFICERET.] Seneca 3. de benefic. cap. 13. *Dies me deficiet omnes difficultates perſequi tentantem.* Et lib. 5. cap. 17. *Deficiet dies enumerantem ingratos vſque ad vltima patriæ exitia.* Plinius epiſt. 9. lib. 3. *Verebamur ne* I.

nos dies, ne vox, ne latera deficerent. ſi tot crimina, tot reos vno velut faſce complecteremur. Eumenius Paneg. Conſtantini: *Dies me ante deficiet, quàm oratio ſi omnia patris tui facta, vel hac breuitate percurram.* Ita etiam Græci. Demoſthenes pro corona: Ἐπιλείψει με λέγοντα ἡ ἡμέρα τὰ τῶν προδοτῶν ὀνόματα. *Dies me deficiet ſi omnia proditorum nomina coner expromere.* Diuus Baſilius homiliâ *Attende tibi.* Ἐπιλείψει με ἡμέρα διηγούμενον τά τε ἐπιτηδεύματα τῶν συνεργούντων εἰς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ, καὶ τὴν δύναμιν τοῦ προστάγματος. *Dies me deficiet ſi ſtudia eorum qui Euangelio Chriſti cooperantur, & vim præcepti coner expromere.* Athenæus libro I. Dipnoſ. Ἐπιλείποι δ' ἂν γ' οὐχ ἡμέρα μία ἐξαριθμουμένον τὰς ἐν τῇ Ῥωμαίων οὐρανοπόλει Ῥώμῃ ἀριθμουμένας πόλεις. *Dies non vna deficiet recenſentem quot vrbes in cœleſti Romanorum vrbe numerentur.* Dicunt etiam ἐπιλείποι ὁ χρόνος, vt Iſocrates ad Demonicum, Clemens 2. ſtromatum, ipſe etiam Paulus ad Heb. 11. Andocides in Alcibiadem aliquantùm deflexit: Καθ' ἕκαστον εἰ δεήσει λέγειν οὐκ ἂν ἐξαρκέσειεν ὁ παρὼν λόγος. *Si de ſingulis dicere velimus præſens tempus haudquaquam ſuffecerit.* Aut etiam ἐπιλείψει ὁ βίος, vt apud Clementem Alexandrinum libris ſtromatum 5. & 6. Nec longè aliter Poëtæ. vt Plautus Captiueis ſc. *Quæ res bene.*

Dies me deficeret.

Si ego item memorem quæ meo erga multa feciſti bene
Nox diem adimat.-

Maro I. Æneidos:

Ante diem clauſo componet veſper olympo.

Naſo 15. Metam.

Deſinet ante dies, & in alto Phœbus anhelos
Gurgite condet equos, quàm conſequar omnia dictis.

Vlyſſes Homericus Odyſſ. λ'.

Πάσας δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι, οὐδ' ὀνομήνω
Ὅσσας ἡρώων ἀλόχους ἴδον, ἠδὲ θύγατρας
Πρὶν γάρ κεν καὶ νὺξ φθεῖτ' ἄμβροτος.-
Nomine tentantem aut numero comprehendere cunctas
Heroum vxores, heroum aut ſtirpe creatas
Deficiat nox ipſa prius.-

II. Corruptela. De corrvptelis.] Terentius in Adelphis:

Communis corruptela noſtrûm liberûm.

Plautus Aſinaria actu 5. ſc. 2.

Corruptela & liberis luſtris ſtudet.

Truculento:

--*Niſi ſi clanculum*
Collapſus eſt hic in corruptelam ſuam.

E quibus vocis ſignificationem ſatis intelligis.

III. De protervitate.] Claudianus lib. 2. in Eutropium:

-*Iuuenes venere proterui*
Laſciuique ſenes.-

Terentius Heautontimor. actu 4. ſc. 5. Syrum Cliphonti qui paulò antè neſcio quid vel petulantiùs, vel immodeſtiùs egerat, ita loquentem inducit.

Quàm pene tua me perdidit proteruitas. Proteruitas.

Horatius I. Carminum Ode 19.

-*Vrit grata proteruitas*
Et vultus nimium lubricus adſpici.

Et Ode 25.

Parciùs iunctas quatiunt feneſtras
Ictibus crebris iuuenes proterui.

Proteruitas itaque idem eſt atque procacitas ſiue petulantia, qualis eſſe ſolet in pecudibus, dum vi amoris proritata obuia quæque propellunt ac proterunt. vide quæ dicemus infrà 38. *Vidua liberè, proterua petulanter.* Aduertit Læuinus Torrentius hac voce propriè vſum eſſe Lucretium cùm ait:

Capripedes agitat cum læta proteruia Panas. Proteruia.

IV. De svmptibvs.] Meritò ſumptus proteruitati ſubiunxit, quod proterui adoleſcentes bona diſperdant, atque conſumant, quaſi ſacrum Proteruiæ facerent. Lepidum eſt illud Macrobij 2. Saturn. cap. 2. *Sacrificium apud veteres fuit quod vocabatur Proteruia. In eo mos erat, vt ſi quid ex epulis ſuperfuiſſet, igne conſumeretur. Hinc Catonis iocus eſt. Namque Albidium quendam, qui ſua bona comediſſet: & nouiſſimè domum quæ ei reliqua erat, incendio perdidiſſet, Proteruiam feciſſe dicebat: quod comeſſe non potuerit, id combuſſiſſe.* Proteruiam facere.

V. Acvleos.] Noſter pro Cluentio: *Vident iudicia comprobari: hoc metu propoſito euellere ſe aculeum ſeueritatis veſtræ poſſe putant.* Arnobius lib. I. aduerſus gentes: *Hoccine eſt, quæſo, audax illud facinus, propter quod maximi cœlites aculeos in nos intendunt irarum, atque indignationum ſuarum.* Hinc Ariſtophanes in Veſpis Iudices iratos veſpis lepidè comparauit: Aculei iudicum.

Ἔχουσι γὰρ καὶ κέντρον ἐκ τῆς ὀσφύος
Ὀξύτατον, ᾧ κεντοῦσι καὶ κεκραγότες
Πηδῶσι, καὶ βάλλουσιν, ὥσπερ φέψαλοι.
Nam ſtrictum aculeum pendulũ lumbis gerunt,
Quo lancinant, pungúntque, clangunt, ſaltitant,
Ictúmque mittunt, vtque ſtricturæ micant.

Et paulò pòſt Iudices ſeipſos ſic ad ſeueritatem exhortantur.

Νῦν ἐκεῖνο, νῦν ἐκεῖνο τοὔξύθυμον
Ὧι κολαζόμεσθα, κέντρον ἐντέτατ' ὀξύ.
Nunc illum, nunc illum iracundum
Quo vindicamus aculeum erigite acutum.

Quod non ſemel, ſed iterum ac tertiò repetit eadem comœdiâ. vbi propter hos aculeos, Iudices appellat:

Τοὺς τρόπους καὶ τὴν δίαιταν σφηξὶν ἐμφερεστάτους.
Moribus vitáque veſpis Iudices ſimillimos.

AXIOMATA.

Indignum eſt ex communi infamiâ aliquam inuidiam innocenti conflare.

Facilè eſt accuſare luxuriem.

Iudicum ſapientiæ eſt non abduci ab reo: nec quos aculeos habeat ſeueritas grauitáſque eorum, cùm eos accuſator erexerit in rem, in vitia, in mores, in tempora, emittere in hominem & in reum.

ARGVMENTVM.

Ironicâ ſimulatione oſtendit, ſe Balbi ſeueritate commotum nullam Cœlio excuſationem ab adoleſcentiâ petiturum, ſibíque ſatis eſſe dicit, ſi ex communi temporum vitio nulla priuatim in Cœlium accuſatio redundet. deinde conuitia & maledicta à veris criminibus ſeiungit, vt illa prætermittat, his reſpondeat quæ verè in iudicium cadunt & quæſtionem.

ITAQVE ſeueritati tuæ, vt oporteret, ita reſpondere non audeo: erat enim meum deprecari vacationem adoleſcentiæ, veniámque petere. non, inquam, audeo: perfugiis non vtor ætatis: conceſſa omnibus iura dimitto: tantùm peto, vt ſi qua eſt inuidia communis hoc tempore æris alieni, petulantiæ, libidinum iuuentutis, quam video eſſe magnam, ne huic aliena peccata, ne ætatis ac temporum vitia noceant. Atque ego idem, qui hæc poſtulo, quin criminibus, quæ in hunc propriè conferuntur, diligentiſſimè reſpondeam, non recuſo. Sunt autem duo crimina, auri, & veneni, in quibus vna atque eadem perſona verſatur. Aurum ſumptum à Clodia, venenum quæſitum, quod Clodiæ daretur, dicitur. omnia ſunt alia non crimina, ſed maledicta iurgij petulantis magis, quàm publicæ quæſtionis. adulter, impudicus, ſequeſter, conuicium eſt, non accuſatio. nullum eſt enim fundamentum horum criminum, nulla ſedes, voces ſunt contumelioſæ, temerè ab irato accuſatore, nullo auctore, emiſſæ. XXX.

EXPLANATIO.

ITAQVE SEVERITATI TVÆ.] Ironia eſt. nam & oportere dicit reſponderi, & audet poſteà, excuſſo metu, quem hîc ex Balbi ſeueritate concepiſſe fingit.

ERAT ENIM MEVM.] Si meo iure vti voluiſſem, excuſationem, veniam, & impunitatem à Cœlij adoleſcentiâ petere potuiſſem. aduerte hic oratoris artificium: non audere ſe dicit eo iure excuſationis vti quod omnibus conceſſum eſt, vt & ipſum Balbus auctoritate ſua oppreſſiſſe, & ipſe nihilominùs, quantumuis Balbi ſeueritate oppreſſus magnam in iuſtitiâ cauſæ fiduciam habere videatur, quo facto & inuidia in Balbum, & in ipſum Tullium ſuo iure cedentem beneuolentia concitatur.

TANTVM PETO.] Aduerte petitionis æquitatem, in ſolâ deprecatione iniuriæ, ne videlicet Cœlius ſi eſt innocens, propter aliorum petulantiam, libidinem, & temporum vitia puniatur. Tantùm, inquit, illud peto, vt ſi hoc tempore plerique diſſoluti adoleſcentes inuidiâ & odio laborant, quòd luxurioſè & ſumptuoſè viuentes, diſſipato patrimonio ære alieno ſe immerſerint, quod petulanter, quòd libidinoſè viuant, vt reuera plerique viuunt, & inuidiâ odióque bonorum flagrant: peto, inquam, vt ſi Cœlius eſt innocens, ne propter aliena flagitia, ideò tantùm quia & adoleſcens eſt, & his miſeris temporibus viuit, puniatur.

ÆTATIS.] Adoleſcentiæ, quæ ad ſumptus & libidinem ſuapte naturâ procliuis eſt.

ATQVE EGO IDEM.] Vt planiùs oſtendat ſuæ petitionis æquitatem, ſubiungit, ſe omnibus criminibus, quæ in Cœlium propriè conferuntur, reſponſurū eſſe, ne iuſtæ petitionis ſpecie fucum Iudicibus feciſſe, & reſponſionem ad crimina deprecatus fuiſſe videatur.

SVNT ENIM DVO CRIMINA.] Legitima crimina à maledictis ſeiungit, oſtendítque in quo verſetur ſtatus quæſtionis. prima cauſarum conflictio eſt.

Accuſatoris, *Cœlius venenum parauit vt Clodiam extingueret.*

Patroni, *Cœlius venenum non parauit vt Clodiam extingueret.*

Hinc reſultat quæſtio, *Vtrùm Cœlius venenum parauerit vt Clodiam extingueret.*

Accuſatoris firmamentum eſt. *Qui aurum ſumpſit à Clodiâ, facilè induci potuit vt in eam venenum pararet, ne aurum reddere cogeretur.*

Sed Cœlius aurum ſumpſit à Clodiâ. Ergo, &c. Patronus ratione non eget, cùm iſta defenſio in inficiatione verſetur.

SEQVESTER.] Corruptor ſuffragiorum.

NVLLA SEDES.] Nullus locus vnde coniectura & argumentum eruatur.

NOTÆ.

DEPRECARI VACATIONEM ADOLESCENTIÆ.] Metaphora à militibus deducta eſt, quibus immunitas vacatióque conceditur. Poteram petere vt quemadmodum nõnullis militibus vacatio datur, ita adoleſcentiæ liceret à caſtris ſeueriorum hominum impunè diſcedere. Liuius lib. 23. *Præneſtinis militibus Senatus duplex ſtipendium, & quinquennis militiæ vacationem decreuit.* Cic. 2. de natura Deorum. §. *Q. Vatienus & agro à Senatu & vacatione donatus eſt.* Et Philippic. 5. *Militibus veteranis qui libertatem Pop. Romani defendiſſent, vacationem militiæ eſſe.* Adde Valerium Maximum. *Et* 1. Vacatio militiæ.

cuſtodiâ liberatus, & inſuper agro & vacatione donatus. Quare *petere vacationem adoleſcentiæ*, idem eſt atque *ætatis perfugiis uti*, de quo præter laudatos nota ſequenti Lyſias orat. de non dandâ pecuniâ impotenti: Οἱ μὲν πλούσιοι τοῖς χρήμασιν ἐξωνοῦνται τοὺς κινδύνους, οἱ δὲ πένητες ὑπὸ τῆς παρούσης ἀπορίας σωφρονεῖν ἀναγκάζονται. καὶ οἱ μὲν νέοι συγγνώμης ἀξιοῦνται τυγχάνειν παρὰ τῶν πρεσβυτέρων, τοῖς δ᾽ ἑτέροις ἐξαμαρτάνουσιν, ὁμοίως ἐπιτιμῶσιν ἀμφότεροι. *Diuites quidem pecuniis redimunt pericula, pauperes verò ob præſentem indigentiam moderatè viuere coguntur. Et adoleſcentes quidem veniam à prouectioribus ſuo quaſi iure deprecantur, alios autem peccantes vtrique ſimiliter reprehendunt.* Herodotus certè lib. 7. Xerxem Artabano quem pridie contumelioſiùs tractauerat, ita loquentem ac veniam petentem inducit: Συγγνώμην μοι ἔχετε ὅτι ἀγχίστροφα βουλεύομαι. φρενῶν τε γὰρ ἐς τὰ ἐμεωυτοῦ πρῶτα οὔκω ἀνήκω, &c. παραυτίκα μὲν ἡ νεότης ἐπέζεσε, ὥστε ἀεικέστερα ἀπορρῖψαι ἔπεα ἐς ἄνδρα πρεσβύτερον ἢ χρεών. *Veniam mihi date mutanti ſententiam. Nam ego nondum ad ſummum quò perueniendum eſt mihi prudentiæ perueni*, &c. *Confeſtim iuuentus efferbuit, vt verba in virum grandem natu effunderem petulantiora quàm debui.* Contra Epheſij etiam in puero ſacrilegium punierunt. Ælianus lib. 5. variæ hiſtoriæ, cap. 16. Ὅτι ἐκ τοῦ τῆς Ἀρτέμιδος στεφάνου πέταλον χρυσοῦν ἐκπεσὸν, ἀνείλετο παιδίον, οὐ μὴν ἔλαθεν. οἱ οὖν δικασταὶ παίγνια καὶ ἀστραγάλους προὔθηκαν τῷ παιδὶ καὶ τὸ πέταλον. ὁ δὲ καὶ αὖθις ἐπὶ τὸν χρυσὸν κατηνέχθη, καὶ διὰ ταῦτα ἀπέκτειναν αὐτὸν ὡς ἱερόσυλον. *Folium aureum quod ex Dianæ coronâ defluxerat puer ſuſtulit, & eſt deprehenſus. Iudices ludicra quadam puerilia & aſtragalos ante puerum poſuerunt. ille rurſus aurum accepit. Eum illi tanquam Deæ ſpoliatorem neci tradiderunt.*

Excuſatio ab ætate.

II. Adoleſcentia excuſat.

PERFVGIIS NON VTOR ÆTATIS.] Sic Serui Hippolyti perfugiis vtuntur ætatis apud Euripidem.

--χρὴ δὲ συγγνώμην ἔχειν
Εἴ τίς γ᾽ ὑφ᾽ ἥβης σπλάγχνον ἔντονον φέρων
Μάταια βάζει.--
--*Eſt opus veniam dare*

Si quem iuuentus vana compellit loqui
Feruore mentis.--

Horatius 1. Carminum.

Me quoque pectoris
Tentauit in dulci iuuentâ feruor, & in celeres iambos
Miſit furentem.--

Sic apud Lucianum in Deorum dialogis neſcio quis. ἀλλ᾽ εἰ καί τι ἥμαρτον, ὦ Ζεῦ, σύγγνωθί μοι. παιδίον γάρ εἰμι, καὶ ἔτι ἄφρων. *Sed ſi quid peccauerim, ô Iupiter, ignoſce mihi, puer enim ſum & adhuc inſipiens.* Lacedæmonij, vt auctor eſt Ælianus libro 3. var. hiſt. cap. 10. ὅταν ἁμαρτῇ μειράκιον τῇ μὲν ἀφελείᾳ τοῦ τρόπου, καὶ τῷ νεαρῷ τῆς ἡλικίας συγγινώσκουσι, τὸν δ᾽ ἐραστὴν ὑπὲρ αὐτοῦ κολάζουσιν, ἐπιγνώμονας αὐτοὺς καὶ ἐξεταστὰς, ὧν ἐκεῖνοι πράττουσι κελεύοντες εἶναι. *Cùm adoleſcentulus peccauerit ſimplicitati morum & feruori ætatis ignoſcunt, amatorem verò puniunt, iubentes vt illi aduertant, & quaſi cenſoria virgâ examinent ea quæ ab adoleſcentibus perpetrantur.* Euripides in Supplicibus.

Ἥμαρτεν. ἐν νέοισι δ᾽ ἀνθρώπων τόδε
Ἔνεστι, συγγνώμην δὲ τῷδ᾽ ἔχειν χρεών.
Peccauit. illud inſitum adoleſcentiæ eſt.
Oportet autem iuuenibus veniam dare.

III. ADVLTER.] Infrà 49.

IV. Sequeſter. SEQVESTER.] Sequeſter dicitur in comitiis, qui ſubmittitur ad corrumpenda populi ſuffragia. Pro Plancio 47. *Doce ſequeſtrem fuiſſe, largitum eſſe, conſcripſiſſe, tribules decuriauiſſe.* Et 48. *Quam tibi commodum eſt, vnam tribum deligemus, doce id quod debes, per quem ſequeſtrem, quo diuiſore corrupta ſit.* Item 45. *Decuriaſſe Plancium, conſcripſiſſe, pronuntiaſſe, diuiſiſſe.* Suprà 16. *De ambitu & de criminibus iſtius ſodalium & ſequeſtrium.* Quamuis etiam hoc loco ſequeſter appellari poteſt conciliator adulteriorum & emiſſarius ad conditiones colligendas.

AXIOMATA.

Ætati venia nonnunquam conceditur.

Æquum non eſt vt aliena peccata & communis inuidia noceant innocenti.

ARGVMENTVM.

Poſito ſtatu quæſtionis aduerſariam ſibi conſtituit Clodiam, videlicet à qua omnem accuſationem manare dicit. obitérque accuſationis falſitatem ex eo demonſtrat, quòd res inter ſe pugnantes, familiaritatem videlicet & odium matrum Clodiæ & Cœlij contineret.

XXXI. HORVM duorum criminum video fontem, video auctorem, video certum nomen, & caput. auro opus fuit: ſumpſit à Clodia, ſumpſit ſine teſte, habuit quandiu voluit. maximum video ſignum cuiuſdam egregiæ familiaritatis. necare eandem voluit, quæſiuit venenum, ſolicitauit quos potuit, parauit locum, conſtituit, attulit. magnum rurſus odium video cum crudeliſſimo diſſidio exſtitiſſe. Res eſt omnis in hac cauſſa nobis, Iudices, cum Clodia, muliere non ſolùm nobili, ſed etiam nota: de qua ego nihil dicam, niſi depellendi criminis cauſſa.

EXPLANATIO.

HORVM DVORVM CRIMINVM.] Auri, & veneni. video ex quo auctore iſta accuſatio profluxerit.

ET CAPVT.] Originem. Metaphora primùm ab animantibus ad fontes fluuiorúmque ſcaturigines, à fontibus ad auctores alicuius rei deducitur.

AVRO OPVS FVIT.] Vel ad ludorum

apparatum, vt dicebat Balbus, vel, vt alij, ad corrumpendos Luceij ſeruos, vt Dionem Principem Alexandrinæ legationis occiderent.

Egregiæ familiaritatis.] Ironicè. neque enim Matronæ cum adoleſcente laudanda familiaritas eſſe poteſt, præſertim cum alieno.

Necare eandem voluit.] Cœlius Clodiam veneno necare conatus eſt.

Sollicitavit qvos potvit.] Sollicitauit Clodiæ ſeruos ad necem dominæ inferendam.

Paravit locvm, constitvit, attvlit.] Meliùs alij diſtingunt *parauit, locum conſtituit, attulit.* Parauit venenum, conſtituit locum Balneas xenias, in quibus venenum ſeruis Clodiæ traderetur, attulit venenum non ipſe quidem, ſed per Lucium Licinium tanti facinoris adminiſtrum.

Magnvm rvrsvs odivm.] Quòd priori illi familiaritati valdè repugnet.

Non solvm nobili, sed etiam nota.] De Clodiæ nobilitate §. 23. Notam quaſi famoſam propter libidines, & (vt dicit §. 64.) veterem poëtriam multarum fabularum.

NOTÆ.

I. Caput.

Et capvt.] Auctorem ſiue præcipuam cauſam. Lepidè actu 3. Aſinariæ ſc. 1.

Leonidas, *Ego caput huic argento fui hodie reperiundo.*

Liban. *Ego pes fui.* Argyr.

Quin nec caput, nec pes ſermonis apparet.

II. Teſtes quomodo adhibendi.

Svmpsit sine teste.] Magnæ familiaritatis indicium oſtendit ſine teſte aut ſyngrapha quicquam alteri commodare, quòd ne inter fratres quidem Heſiodus cenſet eſſe faciendum in operibus, v. 368.

Καί τε κασιγνήτῳ γελάσας ἐπὶ μάρτυρα θέσθαι.

Quinetiam fratri ridens, apponito teſtem.

Quam in ſententiam commodè Plutarchus, περὶ δυσωπίας ait: Περσαῖος ἀργύριόν τινι τῶν γνωρίμων δανείζων δι' ἀγορᾶς καὶ τραπέζης ἐποιεῖτο τὸ συμβόλαιον, &c. θαυμάζοντος δ' ἐκείνου καὶ εἰπόντος· οὕτως, ὦ Περσαῖε, νομικῶς; Ναὶ, εἶπεν, ἵνα φιλικῶς ἀπολάβω, καὶ μὴ νομικῶς ἀπαιτήσω. *Perſæus pecuniam familiari cuidam dans mutuò in foro & menſâ ſyngrapham faciebat, &c. Eo verò mirante & dicente: Itáne verò, Perſæe, ex iure mecum agis? omnino, inquit, vt amicè recipiam, non ex iure repetam.*

Sollicitavit.] Infra 51. *Magnum crimen vel in legatis inſidiandis, vel in ſeruis ad hoſpitem domi necandum ſollicitandis.* Vlpianus D. de ſeruo corrupto, l. 1. *Qui igitur ſeruum ſollicitat ad aliquid vel faciendum, vel cogitandum improbè, hic videtur hoc edicto notari.* Item, *Is quoque deteriorem facit, qui ſeruo perſuadet vt iniuriam faceret, vel furtum, vel fugeret, vel alienum ſeruum vt ſollicitaret, vel vt peculium intricaret, aut amator exiſteret*, &c. Caius Gracchus oratione habitâ cùm ex Sardiniâ rediit: *Si vlla meretrix domum meam introiuit, aut cuiuſquam ſeruulus propter me ſollicitatus eſt, omnium me nationum poſtremiſſimum, nequiſſimúmque exiſtimatote.* Refert Gellius lib. 15. cap. 12. noct. Atticar. E quibus, vt vides, idem eſt *ſollicitare* ſeruum, atque deteriorem facere, & quoquo modo corrumpere, ſed potiſſimum hortari vt aliquid contra dominum moliatur. Dicitur etiam ſollicitari exercitus, cùm ad defectionem excitatur. De haruſpic. reſp. 42. *Exercitu Luc. Lucalli ſollicitato, per nefandum ſcelus, fugit illinc.* Et apud Iuriſconſultos D. de extraordinariis crimin. l. 1. *Sollicitatores alienarum nuptiarum.* III. Sollicitare.

Non solvm nobili, sed etiam nota.] Aliud eſt *nota*, aliud *nobilis*. Martialis lib. 5. ep. 39. IV.

Ego coniugem, inquit, extuli, & tamen viuo,
Notam, ſuperbam, nobilem, locupletem.
Quid eſſe noſtro fortiùs poteſt Pæto.
Ducenties accepit, & tamen viuit.

Et quamuis etiam nobilis in malam partem vſurpatur, Lucilius; Nobilis, notus.

Phryne nobilis illa, vbi amatorem improbiùs quem.

Notus tamen ob facta, nobilis ob familiæ ſplendorem. Eumenus Panegyr. Conſtantini: *Quamuis te ſupra omnes acquirendæ gloriæ moras fortuna poſuiſſet, creſcere militando voluiſti, & adeundis belli periculis, ac manu cum hoſtibus etiam ſingulari certamine conſerenda, notiorem te gentibus reddidiſti, cùm non poſſes eſſe nobilior.* Pacuuius apud Chariſium, lib. 1. etiam differentiam agnoſcit:

Ques ſunt ij ignoti, neſcio ques ignobiles.

Cicero actione primâ in Verrem 15. *Proponit inania mihi nobilitatis, hoc eſt hominum arrogantium, nomina: qui non tam me impediunt, quòd nobiles ſunt, quàm adiuuant, quòd noti ſunt.*

AXIOMA.

De muliere præſertim nobili & nota nihil in iudicio, niſi depellendi criminis cauſſâ, dicendum eſt.

ARGVMENTVM.

Reddit rationem cur cogatur hac oratione ſtylum ſuum in Clodiam exprimere; quòd ſcilicet niſi illam perſtringat officio ſuo ſit defuturus, nec impetus aduerſariorum alio modo frangere poſſe videatur. Demùm promittens lenitatem in perorando, eam acerbiſſimo cauillo laceſſit.

SED intelligis pro tua præſtanti prudentia, Cn. Domiti, cùm hac ſola rem eſſe nobis: quæ ſi ſe aurum Cœlio commodaſſe non dicit, ſi venenum ab hoc ſibi paratum eſſe non arguit, petulanter facimus, ſi matrem familias ſecus, quàm matronarum ſanctitas poſtulat, nominamus? ſin iſta muliere remota, nec crimen vllum, nec opes ad oppugnandum Cœlium illis relinquetur, quid eſt aliud, quod nos patroni facere debea-

mus, niſi vt eos, qui inſectantur, repellamus: quod quidem facerem vehementiùs, niſi intercederent mihi inimicitiæ cum iſtius mulieris viro: fratrem volui dicere: ſemper hîc erro. nunc agam modicè, nec longiùs progrediar, quàm me mea fides & cauſſa ipſa coget. neque enim mulieres vnquam inimicitias mihi gerendas putaui, præſertim cum ea, quam omnes ſemper amicam omnium potiùs, quàm cuiuſquam inimicam putauerunt.

EXPLANATIO.

SED INTELLIGIS.] Intelligis Cn. Domiti Ænobarbe, qui es quæſitor in hac cauſsâ conſtitutus, cum ſolâ Clodia nobis eſſe contentionem.

AVRVM COELIO COMMODASSE.] Vaſa aurea dediſſe ad tempus, ea conditione vt eadem ipſa vaſa poſt modum redderentur.

AB HÆC.] A Marco Cœlio.

PETVLANTER FACIMVS.] Proteruo impetu & crebro petimus matronã, vt ei aliquod damnum & infamiam inferamus.

MATREM FAMILIAS.] Vide Notas.

REPELLAMVS.] Repulſor & propulſator, petulanti opponitur.

CVM IPSIVS MVLIERIS VIRO.] Feſtiuè & acerbè fingit ſe verbo lapſum eſſe, dum Publium Clodium non fratrem Clodiæ, ſed virum dixit. ferebatur enim Clodius ſororibus ſuis ſtuprum intuliſſe, vnde hic quaſi per imprudentiam maritus Clodiæ nominatur.

AMICAM.] ἑταίραν, ſiue meretricem.

NOTÆ.

I. Commodare Mutuo dare. AVRVM COELIO COMMODASSE.] Benè hîc notant interpretes, aurum illud non fuiſſe mutuum, ſed commodatum. Nam vt notat Agrœcius. *Inter commodatum & mutuatum nonnihil diſtat, commodamus amico pro tempore, equum, ſeruum, veſtem. hanc ipſam rem quam dedimus recepturi. mutuo damus pecuniam, triticum, vinum, & ſimilia, quæ mutuo data recipi neceſſe non eſt.*

II. SI MATREM FAMILIAS SECVS QVAM MATRONARVM SANCTITAS.] Duo hîc videnda ſunt, alterum quid ſit materfamilias, quid matrona, alterum quid ſit ſanctitas matronarum. Helius Meliſſus apud Gellium libro 18. cap. 6. *Matronæ eſt*, inquit, *quæ ſemel peperit, quæ ſæpius, materfamilias, ſicut ſus quæ ſemel peperit, porcetra, quæ ſæpius ſcropha.* Hæc ille, quam ſententiam meritò ridet Gellius, ſubii-
Matrona. citque: *Matronam dictam eſſe propriè quæ in matrimonium cum viro conueniſſet, quoad in eo matrimonio maneret, etiamſi ſibi liberi nondum nati forent, dictúmque eſſe ita à matris nomine, non adepto iam, ſed cum ſpe & omine adipiſcendi, vnde ipſum*
Materfamilias. *quoque matrimonium dicitur. Matrem autem familias appellatam eſſe eam ſolam, quæ in mariti manu mãcipióque, aut in eius in cuius maritus manu mancipióque eſſet. quoniam non in matrimonium tantùm, ſed in familiam quoque mariti, & in ſui hæredis locum veniſſet.* Hæc Gellius, in quibus tamen tria ſunt quæ non ſatis intelligam. Vnum eſt cur matremfamilias à matronâ tam ſcrupuloſè diſtinxerit, cùm, vt poſtea dicetur, nulla ſit apud Ciceronem vtriuſque diſtinctio. Alteram, cur ſine matrimonio matronam eſſe non putarit, *ſed quoad in matrimonio maneret*, cùm conſtet Clodiam viduam fuiſſe quæ hoc loco matrona nominatur. tertium cur matrisfamiliæ maritum adhuc dixerit in alicuius manu mancipióque remanere, cùm, vt ait Dionyſius lib. 2. ne in patris quidem ſui poteſtate remaneret. Tulerat enim legem Numa Pompilius: ἐὰν πατὴρ υἱῷ συγχωρήσῃ γυναῖκα ἀγαγέσθαι, κοινωνὸν ἐσομένην ἱερῶν τε καὶ χρημάτων κατὰ τοὺς νόμους, μηκέτι τὴν ἐξουσίαν εἶναι τῷ πατρὶ πωλεῖν τὸν υἱόν. *Si pater permiſerit filio vxorem ducere, quæ ex legibus particeps ſit, & ſacrorum & bonorum, patri poſthac nullum ius eſto vendendi filium.* Non igitur paterfamilias in patris mancipio remanebat. Et ſi non dubito à Gellio ſtare Feſtum Pompeium in voce Materfamiliæ. *Nec vidua hoc nomine, nec quæ ſine filiis eſt, appellari poteſt.* Et Nonnius Marcellus cap. 5. *Matronam quæ in matrimonio ſit mariti etiam ante ſuſceptos liberos dictam: meliore tamen matris futuræ ſpe M. Tull. nomine nuncupatam: matrem verò familias quæ in familiâ mancipióque ſint patris, etſi in mariti matrimonio eſſet.* qui locus valde corruptus eſt, niſi vt viri docti volunt ſiç corrigatur. *Matronam quæ in matrimonio ſit mariti etiam ante ſuſceptos liberos dictam: meliore tamen matris futuræ ſpe, matronæ nomine nuncupatam, matrem verò familias quæ in familiâ mancipióque ſit patrisfamilias. etſi in matrimonio eſſet.* Sed quid iſti grammatici contra Ciceronem? Boëtius 2. commentario in Topica Ciceronis. *Tribus*, inquit, *modis vxor habebatur, vſu, farre, emptione,* Confarreatio.
ſed confarreatio ſolis Pontificibus conueniebat, quæ autem in manum per coëmptionem conuenerant, hæ matresfamilias vocabantur, quæ verò vſu vel farre, minimè. Coëmptio verò certis ſolemnitatibus Coëmptio.
peragebatur, & ſeſe coëmendo inuicem interrogabant. Vir ita, an ſibi mulier materfamilias eſſe vellet? illa reſpondebat, velle. Mulier, An ſibi vir paterfamilias eſſe vellet? ille velle reſpondebat. Itáque mulier viri conueniebat in manum, & erat materfamilias viro loco filiæ, quam ſolemnitatem in ſuis inſtitutionibus Vlpianus poſuit. Hæc Boëtius. Quòd tamen dicit confarreationem ſolis Pontificibus conueniſſe non ita debet intelligi, quaſi ſoli Pontifices confarreati fuerint. antiquitus enim Patricij non ſolùm Pontifices, hac ſolemnitate nuptias contrahebant. Cornelius Tacitus 4. annalium. *Patricios*, inquit, *confar-* Confarreatio an ſolis Pontificibus conuenerit?
reatis parentibus genitos treis ſimul nominari, ex queis vnus legeretur (Flamen Dialis) *vetuſto more neque adeſſe vt olim eam copiam omiſsâ confarreandi conſuetudine.* De his ipſis nuptiis Dionyſius lib. 2. fuſiſſimè, qui conſulendus. Et Seruius in illum Maronis verſum,

Téque ſibi generum Thetis emat omnibus vndis.
Vſus. *Tribus modis*, inquit, *apud veteres nuptiæ fiebant: vſu, ſi, verbi gratiâ, mulier anno vno, cum viro licet ſine legibus fuiſſet. Farre cùm per Pontificem Maximum & Dialem Flaminem per fruges & molam ſalſam coniungebantur, vnde & confarreatio appellatur, ex quibus Patrimi & Matrimi* Patrimi. Matrimi. *naſcebantur. Coemptione verò atque in manu conuentione, cùm illa in filiæ locum, maritus in patris veniebat, vt ſi quis prior fuiſſet defunctus, locum hæreditatis iuſtum alteri faceret.* Ita Seruius: tamen non ſolùm videntur fuiſſe matresfamilias, quæ per coemptionem in manum mariti conueniſſent, ſed etiam quæ per confarreationem viris iungerentur, immò videtur inter vtrumque nihil eſſe diſcriminis, ſed vnis & iiſdem nuptiis vtrumque confarreationis & coëmptionis ritum contineri. Id ſuadet Dionyſius, confarreationi tribuens conuentionem in manu, & ius hæreditatis adeundæ, quæ ab aliis coemptioni tribuuntur. ἦν δὲ τοιόσδε ὁ νόμος, γυναῖκα γαμετὴν κατὰ νόμους ἱεροὺς συνελθοῦσαν ἀνδρὶ κοινωνὸν ἁπάντων εἶναι ἱερῶν τε καὶ χρημάτων. ἐκάλουν δὲ τοὺς ἱεροὺς οἱ παλαιοὶ γάμους ῥωμαϊκῇ προσηγορίᾳ περιλαμβάνοντες φαῤῥάκια, ἐπὶ τῆς κοινωνίας τοῦ φαῤῥὸς, ὃ καλοῦμεν ἡμεῖς ζέαν. id eſt ſecundum Æmilij Porti verſionem: *Lex autem hæc erat, mulierem nuptam, quæ ex ſacratis legibus in manum mariti conueniſſet, cùm eo omnium & ſacrorum & bonorum participem eſſe. Vocabant autem antiqui ſacras nuptias, Romanâ quadam appellatione rem exprimentes, confarreationem, à farris communicatione, quòd nos ζέαν vocamus*, nota verba, *mulierem nuptam quæ ex ſacratis legibus in manum mariti conueniſſet.* γυναῖκα γαμετὴν κατὰ νόμους ἱεροὺς συνελθοῦσαν ἀνδρί. ex quibus intelligis confarreationem non fuiſſe ipſas nuptias, ſed potiùs ritum quemdam & cerimonias quæ nuptiis iam antè per conuentionem in manum contractis accederēt. Subdit idem, quod ſpectat ad alterum coemptionis effectum eundem confarreationi tribuens, σωφρονοῦσα μὲν καὶ πάντα τῷ γεγαμηκότι πειθομένη γυνὴ κυρία τοῦ οἴκου τὸν αὐτὸν τρόπον ἦν ὅνπερ καὶ ὁ ἀνὴρ καὶ τελευτήσαντος τοῦ ἀνδρὸς κληρονόμος ἐγίνετο τῶν χρημάτων ὡς θυγάτηρ πατρός. *Vxor enim ſi pudica fuiſſet, & marito in omnibus rebus morem geßiſſet, erat familiæ domina æquè atque ipſe vir, & in eius defuncti bona, vt filia in patris hæres ſuccedebat.* Vbi vides confarreatam loco filiæ habitam fuiſſe, vnde exiſtimo eas dici Matresfamilias quæ ſiue per coemptionem, ſiue per confarreationem nuptias contraxiſſent, imò potiùs inter vtraſque nuptias diſcriminis nihil fuiſſe. Addo matrumfamilias nomen latiùs patuiſſe, & non ſolùm maritatis, ſed etiam viduis. Patet ex hoc ipſo Ciceronis loco, vbi Clodia vidua morte Metelli Celeris materfamilias nominatur. immò & virginibus ſtatim atque de poteſtate patris exiiſſent. Tertullianus de velandis virginibus, cap. 11. *Tempus etiam Ethnici obſeruant vt ex lege naturæ iura ſua ætatibus reddant. Nam fœminas quidem à duodecim annis, maſculum verò à duobus ampliùs ad negotia mittunt, pubertatem in annis non ſponſalibus aut nuptiis decernentes. Materfamiliæ vocatur, licet virgo, & Paterfamiliæ, licet inueſtis.* Atque eodem ſenſu Virgines Veſtales conſtat à Virgilio matres fuiſſe nuncupatas.

Confarreatio an diſtincta à conuentione in manum.

Vxor hæres mariti.

Matresfamilias etiam viduæ.

Imò & virgines.

-- caſtæ ducebant ſacra per vrbem
Pilentis matres in mollibus.-

Mollibus. Vlpianus D. de verb. ſignific. l. 46. *Matremfamilias accipere debemus eam quæ non inhoneſtè vixit. Matrem enim familias à cæteris fœminis mores diſcernunt atque ſeparant. Proinde nihil intererit nupta ſit an vidua, ingenua ſit an libertina. Nam neque nuptiæ, neque natales faciunt matremfamilias, ſed boni mores.* Papinianus D. ad legem Iuliam de adult. *Mater autem familias ſignificatur non tantùm nupta, ſed etiam vidua.* Et vt vno verbo dicamus cum Vlpiano D. de liberis exhibendis, l. Deinde, in fine. *Cùm audis matrem familias, accipe notæ auctoritatis fœminam.* quemadmodum matronas Clemens vocat τῶν εὐγενῶν γυναικῶν τὰς πρεσβυτέρας. Vide Cuiacium lib. 3. obſeru. 18. E quibus vides, ſi propriè loquamur, Clodiam matremfamilias non fuiſſe, non tam quòd vidua erat, quàm quòd improbis moribus matronæ ſanctitatem & auctoritatem amiſerat. Fieri tamen potuit vt ne concubinæ quidem matronarum nomen amitterent. Vlpianus D. De adult. l. 13. *Si modò ea ſit quæ in concubinatu ſe dando matronæ nomen non amiſit, vt puta quæ patroni concubina fuit.* Marcellus D. De ritu nuptiarum l. 41. *Et ſi qua ſe in concubinatu alterius, quàm patroni tradidiſſet, matrisfamilias honeſtatem non habuiſſe dico.* Nec verò inter Matronam & Matremfamilias vlla penitus apparet diſtinctio. Inter matronam & matrē familias nulla diſtinctio. Cæteroqui quid abſurdius fuiſſet Cicerone dicente, *Petulanter facimus, ſi matremfamilias ſecus quàm matronarum ſanctitas poſtulat nominamus.* Si non idem eſt matrona & materfamilias eodem iure dicere potuiſſet. *Petulanter facimus, ſi coniugatam mulierem ſecus quàm virginis ſanctitas poſtulat nominamus.* quo quid abſurdius? Concludo igitur matronam ſiue matrem familias eam fuiſſe quæ in familiam, domeſticos, & rem familiarem, poteſtatem & dominium obtineret, ſiue maritata, ſiue vidua, ſiue virgo eſſet, itáque inuidiæ vitandæ cauſâ, non autem dominam familiæ fuiſſe nominatam. Lexicon Cyrilli οἰκοδέσποινα. *Materfamilias, Matrona.* Seneca epiſtolâ 47. *Ne illud quidem videtis quam omnem inuidiam maiores noſtri dominis, omnem contumeliam detraxerint. Dominum Patremfamiliæ appellauerunt, Seruos (quod etiam in mimis adhuc durat) familiares.* A quo videtur ſumpſiſſe Iſidorus lib. 9. Originum, cap. 5. *Paterfamilias autem dictus, quòd omnibus in familiâ ſuâ poſitis ſeruis, tanquam Paterfiliis patriâ dilectione conſulit, ſeruorúmque conditionem à filiorum affectu non diſcernit.* quamuis idem matremfamilias aliunde deduxerit. *Quia per quandam iuris ſolemnitatem in familiam tranſit mariti.* vnde illud 14. Odyſſ. longè pulcherrimum loquitur Eumæus.

-οὐ γὰρ ἔτ' ἄλλον
Ἤπιον ὧδε ἄνακτα κιχήσομαι ὁππόσ' ἐπέλθω,
Οὐδ' εἴ κεν πατρὸς καὶ μητέρος αὖτις ἵκωμαι
Οἶκον ἐπ' ἔνθα τὸ πρῶτον ἐγεινόμην καί μ' ἔτρεφον αὐτοί.
-non enim amplius alium
Humanum ſic Dominū inueniā, quocunque ibo,
Neque ſi ad patris & matris iterum eam
Domum, vbi primum natus ſum, & me educarunt ipſi. Subdit:
Ἀλλά μιν ἠθεῖον καλέω καὶ νόσφιν ἐόντα.
Sed ipſum fratrem maiorem voco, vel longè abſentem.

Atque hæc dicta ſint, vt liqueat vnde materfamilias nomen acceperit. Neque enim dubitari poteſt eandem eſſe Patrisfamilias & Matrisfamilias

rationem. Matrona tamẽ aliquando pro coniuge. Mart. ep. 4. lib. 9. *-matrona tonantis.* Et Plinius lib. 9. cap. 35. *Lolliam Paulinam Caij Principis matronam mediocrium ſponſalium cœna vidi ſmaragdis margaritiſque opertam, alterno textu fulgentibus, quæ ſumma quadringenties colligebat.* id eſt vnum coronatorum millionem. Horat.

Matrona bellantis tyranni.

III. MATRONARUM SANCTITAS.] De voce ſanctitatis alibi. De matronarum ſanctitate Afranius ſuſpectâ apud Nonnium Marcellum cap. ſecundo voce Sanctitudo. *Tuam maieſtatem & nominis matronæ ſanctitudinem.* Ac præter Afranium inuenio etiam à Catone maieſtatem, apud Liuium lib. 4. decad. 4. nominari. *Niſi me verecundia ſingularum magis maieſtatis ac pudoris quàm vniuerſarum tenuiſſet.* Et ibidem Valerius Tribunusplebis in illâ ſuâ concione. *Quid vetus regia lex ſimul cum ipſâ vrbe nata, aut (quod ſecundum eſt) à Decemuiris ad condenda iura creatis in XII. tabulis ſcripta? ſine qua cùm maiores noſtri non exiſtimarint, Matronale decus ſeruari poſſe, nobis quoque verendum ſit, ne cum ea pudorem, ſanctitatémque fœminarum abrogemus?* Huc etiam traho illud Plinianum cap. 36. lib. 9. de purpurâ. *Huic faſces ſecuréſque Romana viam faciunt: idémque pro maieſtate pueritiæ eſt.* quod ſcilicet lictoris matronas purpura inſignes non ſubmouerent. Porrò ſanctitas, ſiue, vt alij loquuntur, maieſtas matronarum ea fuit quæ Plutarcho in Romuli vitâ oſtenditur. Πολλὰ ταῖς γυναιξὶν εἰς τιμὴν ἀπέδωκαν, ὧν καὶ ταῦτά ἐστιν· ἐξίστασθαι μὲν ὁδοῦ βαδιζούσαις, αἰσχρὸν δὲ μηδένα μηδὲν εἰπεῖν παρούσης γυναικὸς, μηδὲ ὀφθῆναι γυμνὸν, ἢ δίκην φεύγειν παρὰ τοῖς ἐπὶ τῶν φονικῶν καθεστῶσι. φορεῖν δὲ καὶ τοὺς παῖδας αὐτῶν τὴν καλουμένην βοῦλλαν ἀπὸ τοῦ σχήματος ὅμοιον πομφόλυγι περιδέραιόν τι καὶ περιπόρφυρον. *Multa verò mulieribus honoris cauſâ conceſſa ſunt, in quibus & iſta. Euntibus de viâ decedere, nihil turpe loqui in earum præſentiâ, non nudari iis præſentibus, aut apud Triumuiros capitales cauſam dicere. Earum verò liberos ornari bulla, quæ ex ſimilitudine bullæ aqueæ nomen accepit, purpureo loro de collo appenſâ.* Quæ ſingula ſingulis exemplis ſunt comprobanda. ἐξίστασθαι μὲν ὁδοῦ βαδιζούσαις, *euntibus è viâ decedere.* quod opulentis Matronis ſolerent è viâ decedere, indicio eſt, quod, vt ait Plinius, *Lictorem fœminæ in publico vnionem eſſe dictitabant.* αἰσχρὸν δὲ μηδένα μηδὲν εἰπεῖν παρούσης γυναικός. *Ne quis præſente muliere turpia loqueretur.* Iuuenalis ſat. 11.

Maieſtas & ſanctitas matronarum.

Matronis de viâ decedebant.

Nefas coram matronis turpia loqui.

Spectent hoc nuptæ iuxta recubante marito,
Quod pudeat narraſſe aliquem præſentibus ipſis.

μηδ᾽ ὀφθῆναι γυμνὸν ἢ δίκην φεύγειν, &c. *Ne quis coram ipſis nudus appareret, aut cauſam diceret,* &c. Dio libro 58. de Liuia loquens, γυμνούς ποτε ἄνδρας ἀπαντήσαντας αὐτῇ, καὶ μέλλοντας διὰ τοῦτο θανατωθήσεσθαι, ἔσωσεν, εἰποῦσα, ὅτι οὐδὲν ἀνδριάντων ταῖς σωφρονούσαις οἱ τοιοῦτοι διαφέρουσι. *Viros, qui ipſi nudi occurrerant, ideóque erant extremo ſupplicio afficiendi, liberauit, dicens pudicis matronis nihil inter ſtatuas & huiuſmodi viros intereſſe.* Hinc illud Martialis lib. 3. ep. 68. ad Matronam pudicam.

Aut nudari.

Gymnaſium, Thermæ, ſtadiũ eſt hac parte: recede
Exuimur, nudos parce videre viros.

Addo & alia duo ex Verrio Flacco Matronarum priuilegia. *Matronæ à magiſtratibus non ſummouebantur,* &c. *ne pulſari contrectaríue viderentur, néue grauidæ concuterentur. Sed nec viri earum ſedentes cum vxoribus in vehiculo deſcendere cogebãtur.* atq; hæc quidem Paulus ex Feſto. Sed quæ ex Feſti fragmentis à Verrio deprompta eſſe videãtur. Ad hoc matronarum priuilegium traho illud Iuuenalis ſat. 1.

Matronæ à magiſtratibus non ſubmouebantur.

-dum peruolat axe citato
Flaminiam, puer Automedon nam lora tenebat
Ipſe lacernatæ dum ſe iactaret amicæ.

Lucianus in Toxari de Zenothemi Maſſilienſi. Καλὸς ἀνὴρ καὶ μέγας, καὶ πλούσιος, ὡς ἐδόκει. παρεκάθητο δὲ αὐτῷ γυνὴ ἐπὶ ζεύγους ὁδοιποροῦντι, τὰ ἄλλ᾽ εἰδεχθὴς, καὶ ξηρὰ τὸ ἥμισυ τὸ δεξιὸν, καὶ τὸν ὀφθαλμὸν ἐκκεκομμένη, παντὶ καὶ ἀπρόσοπτον μορμολύκειον. *Vir formoſus, magnus & opulentus, vt videbatur. Aſſidebat verò ipſi viam facienti in rhedâ mulier tum cætera corpore fœdiſſimo, tum arida parte corporis dextrâ, oculo effoſſo, mutilata, & infœlicis ominis terriculamentum.* quod exemplum eſt amicitiæ ſingularis. eam enim filiam Menecratis amici ſui bonorum confiſcatione, & publicâ infamiâ mulctati duxerat vxorem, vt eius dolorem & inopiam hac ratione releuaret.

FRATREM VOLVI DICERE.] Vide infra 78. *Cum ſuo coniuge & fratre.* IV.

AXIOMATA.

Petulanter facit, qui matremfamilias ſecus quàm matronarum ſanctitas exigit, appellat.
Eos qui nos inſectantur, repellere aliquãdo debemus.
Muliebres inimicitias gerere non oportet.

ARGVMENTVM.

Lepidè ſimul & acriter Clodiam inſectatur, ita tamen vt muliebres inimicitias exercere minimè videatur, ideóque per Proſopopeiam Appium cæcum loquentem inducit, & in eius vitia grauiter inuehentem.

XXXIII. SED tamen ex ipſa quæram priùs, vtrùm me ſecum ſeuerè, & grauiter, & priſcè agere malit, an remiſsè, ac leniter, & vrbanè, ſi illo auſtero more ac modo, aliquis mihi ab inferis excitandus eſt, ex barbatis illis, non hac barbulâ, qua iſta delectatur: ſed illâ horridâ, quam in ſtatuis antiquis, & imaginibus videmus, qui obiurget mulierem, & pro me loquatur, ne iſta mihi fortè ſuccenſeat. Exſiſtat igitur, ex hac ipſa familia aliquis, ac potiſſimum Cæcus ille. minimum enim dolorem capiet, qui iſtam non videbit. qui profectò ſi exſtiterit, ſic aget, & ſic loquetur:

quetur: Mulier quid tibi cum Cœlio? quid cum homine adoleſcentulo? quid cum alieno? aut tam familiaris huic fuiſti, vt aurum commodares, aut tam inimica, vt venenum timeres? non patrē tuum videras, non patruum, non auum, proauum, atauum audieras conſules fuiſſe?

EXPLANATIO.

SED TAMEN EX IPSA QVÆRAM.] Feſtiuè & eleganter dum ipſius Clodiæ genus reprehenſionis relinquere videtur optioni, eam vtroque genere reprehendit: ſic tamen vt ſe Clodiæ voluntati accommodare videatur.

PRISCE AGERE.] More antiquorum vitia grauiter inſectantium.

ALIQVIS MIHI AB INFERIS EST EXCITANDVS.] Mortuus per Proſopopœiam, ſiue per fictionem perſonæ inducendus.

EX BARBATIS ILLIS.] Ex antiquis, qui adeò omnem morum elegantiam aſpernabantur, vt ne barbam quidem tonderent.

NON HAC BARBVLA QVA ISTA DELECTATVR.] Non hâc barbulâ quam ad annum ætatis 21. adoleſcentes & elegantiæ & ornatus cauſa nutrire conſuerunt, quâ barbulâ Clodia delectatur, impudica quippe & iuuenum amoribus dedita. alij legunt, *quæ iſti delectantur.*

NE ISTA MIHI FORTE SVCCENSEAT.] Clodia in me iraſcatur. *Quam omnes ſemper amicam omnium potiùs quàm cuiquam inimicam eſſe putauerunt.*

EXISTAT.] Repentè in hominum conſpectum è terrâ emerſus appareat.

CÆCVS ILLE.] Appius Clodius Cœcus, abauus ipſius Clodiæ.

QVI ISTAM NON VIDEBIT.] Iſtam Clodiam ſui generis dedecus & infamiam. Aduerte quàm paucis verbis Cicero, quot iocis, cauillis, dicteriiſque Clodiam perſtrinxerat. 1. *Cum iſtius mulieris viro: fratrem volui dicere,* quo nihil poteſt excogitari mordacius. 2. *Amicam omnium,* quo inſignis & meretricia eius impudicitia denotatur. 3. *Non hac barbulâ qua iſta delectatur.* 4. *Qui iſtam non videbit.*

MVLIER.] Tantam enim generi noſtro paris infamiam, vt communi te ſexus nomine compellem, erubeſcámque te proneptis aut proprio Clodiæ nomine nuncupare.

QVID TIBI CVM COELIO.] Hanc conuerſationem, per quam aut familiaritas, aut inimicitiæ contractæ ſunt, à tribus exaggerat. 1. à ſexu, quod cum Cœlio, cum viro ſcilicet. 2. ab ætate, quod cum homine adoleſcentulo. 3. quod cum alieno.

NON PATREM TVVM VIDERAS.] A maiorum exemplis eam acriùs reprehendit.

NOTÆ.

PRISCE, IDEM PENE EST ATQVE SEVERE.]
I. Vnde Sabini qui frequenter, vt in Vatinianâ viſum eſt, ſeueri, iidem etiam priſci quaſi ſeueris moribus inſtituti nominantur. vt Virgil.

Curibúſque ſeueris. &:
Priſcíque Quirites. Item:
Priſcus. *Ecce Sabinorum priſcâ de gente.* Horat.
Narratur & priſci Catonis
Sæpe mero caluiſſe virtus.

Poëta ille in Copa:

Ah pereant cui ſunt priſca ſupercilia.

Velleius Paterculus lib. 2. inter cætera, quibus Seiano adulatur eum vocat *Virum ſeueritatis lætiſſimæ, hilaritatis priſcæ, actu otioſis ſimillimū, nihil ſibi vendicantem, eóque aſſequentem omnia.* Seneca in Hippolyto.

Vbi vultus ille, & ficta maieſtas viri
Atque habitus horrens, priſcos & antiqua appetēs
Morúmque ſenium triſte & aſpectu graue?

Quòd non tam propter antiquitatem, quàm propter morum grauitatem dictum exiſtimo, non enim Cato maior, ſed Cato Vticenſis apud inuidos ebrietatis infamiâ laborauit. Catull. in Nupt.

Sana quod horrebas priſci præcepta parentis.

Aliter dici poſſet *priſcè*, idem eſſe atque inſulsè, impolitè, &c. ſiquidem *vrbanè* huic opponitur. Seneca de beneficiis, lib. 3. c. 16. vocem *antiqui* eo ſenſu vſurpauit. *Infrunita & antiqua eſt quæ neſcit matrimonium vocari vnius adulterium.* Terentius, *Pol antiquum hoc ſapit.* ſic Græci, κρόνιον ὄζειν & βεκκεσέληνον vſurpant pro impolito, inurbano, rudi, agreſti. Ariſtophanes in nubibus.

Καὶ, πῶς ὦ μωρὲ σὺ, καὶ κρόνιον ὄζων καὶ βεκκεσέληνε.
Et, Quomodo, ô ſtulte & Saturnium redolens, & beccecelene.

Vbi interpres κρόνιον ὄζων οἷον ἀρχαϊκῆς συνηθείας ὀδωδώς. *tanquam priſcam ſimplicitatē redolens.* Apud quem de voce βεκκεσελήνου fuſiſſimè. Fabius declam. 3. *prædura priſcis moribus mater, frigoribus ac ſolibus peruſta.*

EX BARBATIS ILLIS NON HAC BARBVLA.] Romani antiquitus barbam nutriebant. Varro 2. de re ruſticâ. *Omnino tonſores in Italia primùm veniſſe ex Siciliâ dicuntur poſt R. C. anno* CDLIV. *vt* II. Romani veteres barbati
ſcriptum in publico Ardeæ in litteris extat. eóſque adduxiſſe P. Ticinium Manam. Olim tonſores non fuiſſe adſignificant antiquorum ſtatuæ, quòd pleræque habent capillum & barbam magnam. quæ verba etiam à Plinio referuntur lib. 7. vnde fit vt antiquos Cicero ſæpe barbatos nominarit, vt pro Sextio. *Alter odij boni, quàm teter incedebat! quàm truculentus! quàm terribili aſpectu! vnum aliquem te ex barbatis illis exemplū imperij veteris, imaginem antiquitatis diceres intueri.* Liuius tamen lib. 6. Videtur innuere viros antè tonderi conſueſſe, anno nimirum circiter 370. *Satis conſtat magnam partem plebis veſtem mutaſſe, multos mortales capillū & barbā promiſiſſe.* Ex quo bene Lipſius. *Si in luctu promiſerint barbam, ergo aliàs raſa.* At verò Cicero noſter vocat non paucis poſt annis Appium Cæcum barbatum, quem conſtat circa annum CDXL. floruiſſe. Atque hæc quidem antiquitùs, poſteà tamen vſus inualuit, vt ſingulis propemodùm diebus arderentur præter adoleſcentes, qui aliquandiù barbam nutriebant. Qua de re fuſiùs tractaſſem, niſi pulcherrima quæque Iuſtus Lipſius ſuis in Tacitum notis 14. annalium occupaſſet, ex quo viſum eſt pauca depromere. Iuuenalia, inquit, dicta, quia vt Tyrocinij die pueros exuebāt: ſic barbâ raſâ iuuentutē, tranſibántq; tunc in viros. vnde illud Domitiæ Amitæ blandiētis Neroni votum. *Simul hanc excepero, mori volo.* Suetonius cap. XXXIV. de Octauiano Dio libro XLVIII. ἀμέλει τὸν πώγωνα ὁ Καῖσαρ τότε πρῶτον ξυ-

Iuuenalia.

εὔθυμος αὐτός τε μεγάλως ἑώρτασε, καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι δημοτελῆ ἑορτὴν παρέσχε. καὶ ὁ μὲν καὶ ἔπειτα ἐπελειοῦτο τὸ γένειον, ὥσπερ οἱ ἄλλοι. *Cæſar tum primùm barbam radens, & ipſe diem eum planè feſtum habuit, & aliis publicam feſtiuitatem indixit, atque ex eo etiam genas ſuas læues habuit ad exemplum reliquorum.* Ex quo vides & iuuenes barbam aluiſſe, & viros genas læues habuiſſe. vnde & ſæpe iuuentus à barba deſcribitur. Iuuenalis ſat. 1.

Iuuenes barbatuli.

Quo tondente grauis iuueni mihi barba ſonabat.

Et ſat. ſextâ.

Iam ſenior, cuius barbam tua ianua vidit.

Id eſt, qui à iuuentute detulit tibi ſuum obſequiũ, & tuum veſtibulum frequentauit. Socios autem Catilinæ, quos pleroſque omnes ille ſibi è iuuentute delegerat, ſæpe Cicero barbatos vocat, vt in Catilinariis, *aut imberbes, aut bene barbatos.* Primo ad Atticum, *commeſſatores coniurationis barbatulos iuuenes.* D. Hieronymus lib. 2. ep. 9. *Dabit tibi barbatulus quilibet manum, ſuſtentabit laſſam, & preſſis digitis aut tentabitur, aut tentabit.* Porrò quòd ad ritus ponendæ barbæ ſpectat, quædam ex eodem Lipſio noſcenda ſunt, munera peti daríque eo die ad barbam conſueſſe. Ammianus lib. 27. *Cæſar* (Iulianus) *cùm petenti ex vſu gregario cuidam vt barbas detonderet, dediſſet aliquid vile contumelioſis calumniis appetitus eſt à Gaudentio.* Iuuenalis:

Munera dabantur primã barbam radẽtibus.

Ille metit barbam, crinem hic deponit amici
Plena domus libis venalibus.

Alterum notatu dignum eſt Deo alicui ſacrari ſolita, vt apud Græcos, virginum puerorúmque comæ. Suetonius de Nerone c. 12. *Gymnico quod in ſeptis edebat, inter buthyſiæ apparatum, barbam primam poſuit, conditam in auream pyxidem & pretioſiſſimis margaritis adornatam, Capitolio conſecrauit.* Legit Lipſius *Capitolino*, Ioui ſcilicet ex Dione. Earinus apud Martialem primam lanuginem comámque,

Pergameo poſuit ſacrata Deo.

Barbam Diis ſacrabant.

Tertull. lib. de animâ. *Quis non exinde aut totum filij caput reatui vouet, aut aliquem excipit crinem, aut tota nouacula proſecat, aut ſacrificio obligat, aut ſacro obſignat, pro publica aut priuata deuotione.* Cenſorinus de die natali, cap. 1. *Quidam etiam pro cæterá boná corporis valetudine crinem Deo ſacrum paſcebant.* Tertiũ eſt de tempore quo barba radi conſuerat. Ponebant eam ſeriùs, citiùs, plerumq; ſub XXI. annum. Macrobius certè in ſomnium Scipionis. *Ter ſeptenarium numerũ requirit ad radendam barbam.* Affirmauit ita quidẽ Lipſius, ſed Macrobij locum non potui inuenire, immò pene contrarium. *Poſt ter ſeptenos annos, genas flore veſtit iuuenta, idémque annus finem in longum creſcẽdi fecit.* Caligula tamen XX. anno poſuit. Suetonij cx. At Cæſar Octauianus anno demum XXV. vti clarum ex Dione. Natus enim Marco Tullio C. Antonio Coſſ. poſuit Lucio Martio, C. Sabino. Atque hæc ex Lipſio pene verbatim placuit exſcribere, ne ſi omnino tacuiſſem, lectoris vtilitati, ſi aliena mihi vindicaſſem, fidei, ſi ex meo ſolius labore eadem propemodum protuliſſem, viri de litteris optimè meriti gloriæ viderer inuidere. Addam & quartum ritum, barbam videlicet nõnunquã apud lares domeſticos ſeruari conſueſſe. Petronius in ſatyrico de Trimalcione loquens. *Præterea grande armarium in angulo vidi, in cuius ædiculâ erant lares argentei poſiti, Venerisque ſignum marmoreum, & pyxis aurea non puſilla, in qua barbam ipſius conditam eſſe dicebant.*

Tempus ponẽdæ barbæ.

Barbam apud Lares ponebant.

Mutauit primus omnium Imperatorum hunc morem Adrianus, vt Xyphilinus annotauit, quem Ælius Spartianus fuiſſe tradit, *flexo ad pectinem capillo, promiſsâ barbâ, vt vulnera quæ in facie erant naturalia tegeret.* Barbam item nutriuit Iulianus, vnde & ab Antiochenis deriſus eſt, & nata eſt ſcribendi Miſopogonis occaſio, in quo & ſcribit Antiochenos crebris vſurpaſſe ſermonibus, ὡς ἐκ τῆς πώγωνός μου πλέκειν δεῖ σχοινία. *è mea barba funes eſſe texendos.* Atque ab Adriani temporibus id inualuiſſe moris exiſtimo, vt priuati ad annum ætatis quadrageſimum barbam alerent, poſt quadrageſimum raderentur, quòd in admirationem adduxerit Gellium ſui ſeculi moribus maiorum mores metientem, lib. 3. noctium Atticarum, cap. 4. tradit in libris de vitâ Scipionis Æmiliani ſcriptum eſſe. *Eum quùm eſſet reus, neque barbam deſiſſe radi, neque fuiſſe cultu ſolito reorum. Sed cùm in eo tempore Scipionem minorem XL. annorum fuiſſe conſtaret, quòd de barba raſa ita ſcriptum eſſet, mirabamur. Comperimus autem cæteros quoque in iiſdem temporibus nobiles viros, barbam in eiuſmodi ætate raſitauiſſe, idcircò pleraſque imagines veterum, non admodum ſenum, ſed in medio ætatis, ita factas videmus.* Priuatos dixi ad 40. ætatis annum barbam aluiſſe, nam cæteri Imperatores non inſtiterunt Adriani Iulianíque veſtigiis. Tradunt enim Glicas & Cedrenus Heraclium, cùm anteà barbam haberet latam & prolixam, mox vbi factus eſt Imperator, comam totondiſſe, ac mentum raſiſſe qui erat Imperatorum habitus. de quo Baronius ad annum DCX. Quod ſpectat ad exteras nationes, apud Græcos barbam in pretio fuiſſe conſtat, ad tempora Alexandri Macedonis, vt ex Chryſippo refert Athenæus lib. 6. qua autem occaſione barbæ comarúmque raſionem induxerit, tum inſinuat Plutarchus in apophtegmatis, tum fusè & eleganter deſcribit Syneſius in Encomio Caluitij, cuius rei Ptolemæum Regem laudat auctorem, cuius teſtimonio Alexander pugnâ in Arbelis tonderi Macedonas imperauit, cùm videret ſuos milites barbâ capillóque arreptos pridie à Perſis fuiſſe ſuperatos. Cæterùm quibus occaſionibus barbam capillúmque deponerent, operæpretium fuerit paucis explicare.

Adrianus & Iulianus barbã nutriuerunt.

Imperatorem barbam radebant.

Barba olim in pretio apud Græcos & Macedonas.

Primò, Capillos radebant ad indicium libertatis, ſed

Rem nulli obſcuram noſtræ nec vocis egentem,

ſatis fuerit ex vno Liuio lib. 4. decad. 4. triumphi Flaminiani magnificentiam deſcribente comprobare. *Præbuerunt ſpeciem triumpho capitibus raſis ſecuti, qui ſeruitute exempti fuerant.* Ideò fortaſſe quod ſerui comas alerent, liberi ad cutem raderentur contra Athenienſium inſtitutum. Ariſtophanes in auibus:

Radebantur ad iudicium libertatis.

Ἄπελθ' ἀφ' ἡμῶν καὶ σύ, καὶ σὰ στέμματα
Ἔπειτα δῆτα δοῦλος ὢν κομᾷν ἔχεις.
Procul recede à nobis & tu & tua corona
Quandoquidem, cùm tu ſeruus ſis comam habes.

Vbi interpres ἐπεὶ δὲ τῶν ἐλευθέρων τὸ κομᾷν, *comas verò nutrire erat liberorum.*

Secundò, Nonnullæ gentes capillum ignominiæ cauſa poſuerunt. ſic apud Indos tonderi fuit ignominioſum. Nonnus 26. Dionyſiacorum, verſu 158.

Raſio ignominioſa.

νεοτμήτων δὲ κομάων
Αἰθιόπων κεκόρυστο, χόλον καὶ πένθος ἀέξων
Βουκεράου βασιλῆος, ἐπεί τε οἱ ἄφρονι λύσσῃ

Δηριάδης ὑπέροπλος ὅλην ἀπεκείρατο χαίτην
Ἰνδοῖς πικρὸν ὄνειδος.

--ob recenter deciſas cauas
Pudore ſuffuſus armabatur, iram & luctũ augens
Cornuti Regis. quandoquidem ipſi efferata rabie
Deriades ſuperbus omnem detotondit comam.
Indis turpis ignominia.

Notum eſt illud 2. Regum cap. 10. de Hanone Rege Moabitarum. *Tulit itaque Hanon ſeruos Dauid, raſitque dimidiam partem barbæ eorum, & præcidit veſtes eorum medias vſque ad nates, & dimiſit eos.*

Radebantur in luctu, & capillis mortuos honorabant.

Tertiò, vt mortuos amicos ſuis capillis honorarent. 23. Iliados, Δῖος Ἀχιλλεύς.

Στὰς ἀπάνευθε πυρῆς ξανθὴν ἀπεκείρατο χαίτην.
Stans ſeorſum à pyra flauam abſcidit comam.

Et paulò pòſt:

Ὣς εἰπὼν ἐν χερσὶ κόμην ἑτάροιο φίλοιο Θῆκεν.-
Sic fatus comam in manibus dilecti ſocij
Poſuit, &c.- Nonnus lib. 37.
Νεκρὸν ἀμοιβαίῃσιν ὅλως σκιόωντες ἐθείραις.
Mortuum alternis omnino adumbrantes capillis.

Vide Sophoclem in Electra, & alios paſſim, in quo proinde neceſſe non eſt immorari, ſic Alexander in exequiis Hepheſtionis, & ſe & ſuos, & iumenta etiam detotondit. Plutarchus & alij.

Quartò, Vt placato crinium oblatione Neptuno, tempeſtatum ſe periculo liberarent. Petronius in ſatyrico. *Ergo illi qui ſunt qui nocte ad lu[..]m radebantur? peſſimo medius fidius exemplo. Audio enim non licere, cuiquam mortalium in naue, neque vngues, neque capillos deponere, niſi cum pelago ventus iraſcitur.* Rurſum: *Notauit ſibi ad lunam tonſorem intempeſtiuo inhærentem miniſterio, execratúſque omen, quod imitaretur naufragorum vltimum votum, in cubile reiectus eſt.* Vnde locus ille Iuuenalis, qui haud ſcio an ab vllo interpretum tentatus fuerit, facilè poterit expediri ſat.

Tonſio in naufragiis.

--gaudent ibi vertice raſo
Garrula ſecuri narrare pericula nautæ.

Id eſt nautæ cùm tempeſtates euaſerint, & extremo periculo naufragij detonſos crines in mare proiecerint, gaudent narrare pericula quæ adierunt. Quos ſi in mare non miſerant, vbi ad portum euaſerant incolumes, eoſdem raſos Diis marinis offerebant, in gratiarum actionem. Lucianus oratione quæ περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων inſcribitur ipſo exordio. Οὐ παρέργως οὖν οὐδ' ἀμελῶς ἐπήκουον αὐτῶν, καθάπερ ναυαγίαν τινὰ καὶ σωτηρίαν παράλογον διηγουμένων, οἷοί εἰσιν οἱ πρὸς τοῖς ἱεροῖς ἐξυρημένοι τὰς κεφαλάς, συνάμα πολλοὶ τὰς τρικυμίας, καὶ ζάλας καὶ ἀκρωτήρια, καὶ ἐκβολάς, καὶ ἱστῶν κλάσεις, καὶ πηδαλίων ἀπαγυλίσεις διεξιόντες. *Non perfunctoriè aut negligenter eos audiebam, quoddam veluti naufragium & inexpectatam ſalutem referentes. quales ij ſunt qui ad templa caput radunt, multi ſimul fluctus & procellas, & ſcopulos, & iacturas, & fractiones velorum, & deterſiones clauorum narrantes.* Et in fine dialogi de hæreſibus. Δοκῶ δέ μοι οὐκ ἀλόγως ἂν καὶ ξυρήσασθαι τὴν κεφαλήν, ὥσπερ οἱ ἐκ τῶν ναυαγίων ἀποσωθέντες ἐλεύθεροι ἅ τε καὶ σωτήρια τήμερον ἄξιον. *Videor mihi non abs re caput raſurum, vt ij qui à naufragiis incolumes euaſerunt, tanquam pro adepta ſalute gratiam habiturus.* Lib. 6. Anthologiæ c. 1.

Γλαύκῳ καὶ Νηρεῖ, καὶ Ἰνοῖ, καὶ Μελικέρτῃ,
Καὶ βυθίῳ Κρονίδῃ, καὶ Σαμόθρηξι θεοῖς.
Σωθεὶς ἐκ πελάγους Λουκίλλιος, ὧδε κέκαρμαι
Τὰς τρίχας ἐκ κεφαλῆς. ἄλλο γὰρ οὐδὲν ἔχω.
Glaucóque, Nereéque, atque Ino, & Melicertæ,
Neptunóque, Diis, Threiciæque Sami.
Seruatus pelago Lucilius, ecce capillos
Hic pono: neque enim mî ſupereſt aliud.

Quos verſus Luciano vulgo attributos arbitror eſſe Parthenij, quo Grammatico Virgilius vſus eſt. primus enim eius nómine citatur à Macrobio lib. 5. ſat. cap. 17.

Quintò, aliquæ gentes capillos non ponebant priùs quàm ſuæ in bello virtutis ſpecimen edidiſſent. Cornelius Tacitus hiſtoriarum 4. *Ciuilis barbaro voto poſt cœpta aduerſus Romanos arma, propexum rutilatúmque crinem, patratâ demum cæde legionum depoſuit.* Sed idem etiam expreſſiùs libro de moribus Germanorum: *Apud Cattos in conſenſum vertit, vt primùm adoleuerint, crinem barbámque ſummittere, nec niſi hoſte cæſo exuere votiuum obligatúmque oris habitum.* Idem de Carolo Burgundionum duce, Petrus de Blarroriuo, Remigius, & alij prodiderunt.

Sextò, Crines radebant, vt aliquod honoris, obſequij & obſeruantiæ ſignum erga ſuperiores exhiberent. Vnde Ephori primùm Lacedæmonas radi imperabant, vt hoc facto ciuium obedientia teſtata remaneret. Plutarchus & alij ſæpiſſimè, quod remanſit etiam apud Chriſtianos, vnde *anno Domini* DCLXXXIV. *qui præcedit obitum Conſtantini Pogonis contigiſſe ait Anaſtaſius, vt Benedictus Papa receperit mallones Capillorum Iuſtiniani & Heraclij filiorum eiuſdem Conſtantini Auguſti.* Quid autem eſſent mallones ſatis ex ipſa Græca voce vellus & pilos ſignificante compertum eſt. *Paulus Diaconus ait Carolum Principem Francorum Pipinum filium ſuum ad Luitprandum miſiſſe, vt eius, iuxta morem, capillum acciperet, qui eius cæſariem incidens pater effectus eſt.* Anaſtaſius in hiſtoricâ præfatione ad octauam Synodum meminit Regis Bulgarorum, qui *manu propriâ capillos ſuos apprehendens, contemplantibus cunctis Apoſtolicæ ſedis legatis tradidit dicens, Omnes primates & cuncti populi Bulgarorum terræ cognoſcant, ab hodierno die me ſeruum fore poſt Deum Beati Petri & eius Vicarij.* Hæc Baronius ad annum DCLXXXIV. annotauit.

Oblatio capillorum obſeruantiæ cauſâ.

Septimò, Religionis cauſa crines numini ſacros nutriebant, aut etiam radebant, non loquar de tonſurâ clericorum, de qua idem Baronius & alij doctiſſimè, non de Sacerdotibus Iſidis, qui ne pilum quidem in corpore ſinebant excreſcere. Plutarchus, Syneſius, omnes paſſim. tantùm illud vulgatiſſimum monebo ſolitos crines fluuiis exeunte adoleſcentia radendos parentum voto deuoueri. Homerus 23. Iliados.

--ξανθὴν ἀπεκείρατο χαίτην
Τήν ῥα Σπερχειῷ ποταμῷ τρέφε τηλεθόωσαν.
Ὀχθήσας δ' ἄρα εἶπεν ἰδὼν ἐπὶ οἴνοπα πόντον.
Σπερχεί' ἄλλως σοί γε πατὴρ ἠρήσατο Πηλεὺς
Κεῖσέ με νοστήσαντα φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν
Σοί τε κόμην κερέειν, ῥέξειν θ' ἱερὴν ἑκατόμβην.

Capilli voti fluuiis.

--flauam abſcidit comam
Quam Sperchio fluuio nutriebat floreſcentem.
Lugens autem dixit inſpiciens nigrum Pontum.
Sperchie, fruſtra tibi pater vouit Peleus
Illuc me reuerſum dilectam in patriam terram
Tibi comam tonſurum, ſacrificaturúmque ſacram hecatombem.

Nonnius lib.3. Dionyſ. verſu 343.

Υἱὸς ἐμὸς λιπόπατρις ὅτε χνόον εἶχεν ἰούλων
Δάρδανος Ἰδαίης μετανάστατο κόλπον ἀρούρης
Καὶ Φρυγίῳ Σιμόεντι θαλύσια δῶκε κομάων.
Filius abſcedens patriâ pubentibus annis
Dardanus Idæas Phrygiæ penetrauit ad oras,
Et Phrygio Simoenti comæ ſacrauit honorem.

Sed hæc, vt dixi, vulgaria, nec multùm faciunt ad Ciceronem.

III. Appij cæcitas ex diuinâ vltione. ILLIVS COECI.] Appij Claudij, qui, vt ait Valerius lib. 8. cap. 14. *infinitum numerum annorum orbatus luminibus exegit.* Cur autem oculorum aciem amiſerit, indicat Liuius libro 9. Appio Claudio *Auctore Poticia gens cuius ad aram maximam Herculis familiare ſacerdotium fuerat, ſeruos publicos miniſterij delegandi causâ ſolemnis eius ſacri docuerat. Traditur inde dictu mirabile, & quod dimouendis ſtatu ſuo ſacris religionem facere poſſet: cùm duodecim familiæ ea tempeſtate Poticiorum eſſent, puberes ad triginta, omnes intra annum cum ſtirpe extinctos: nec nomen tantùm Poticiorum interiiſſe, ſed cenſorem etiam Appium memori Deûm irâ, poſt aliquot annos luminibus captum.*

IV. MINIMVM ENIM DOLOREM CAPIET QVI ISTAM NON VIDEBIT.] Talis fuit Maris Epiſcopi ad Iulianum Imperatorem reſponſio, quam, vt vnius te interim moneam, ipſis Sozomeni lib. v. cap. IV. verbis exponi patieris: Λέγεται γοῦν πυθομένῳ αὐτῷ ἐν Κωνσταντινουπόλεως τείχῳ προσελθόντα Μάριν τὸν Χαλκηδόνος ἐπίσκοπον, ἀσεβῆ τε δημοσίως ὑβρίσαι, καὶ ἄθεον, καὶ παραβάτην ἀποκαλέσαι. τὸν δὲ μόνον αὐτῷ ὀνειδίσαι τύφλωσιν, ὑπὸ χειραγωγῷ προεληλύθει γέρων ὤν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑποκεχυμένος. ἐπεὶ δὲ καὶ ἐπισκώπτων, οἷά περ εἰώθει, εἰς τὸν Χριστὸν βλασφημῶν, οὐδὲ ὁ Γαλιλαῖός σου θεὸς, εἶπε, θεραπεύσει σε. ὑπολαβὼν Μάρις, ἀλλ' ἐγὼ χάριν ἔχω τῷ θεῷ μου τῆς τυφλώσεως, ἔφη, ἵνα μή σε θεάσωμαι τῆς εὐσεβείας ἐκπεπτωκότα. καὶ ὁ βασιλεὺς μηδὲν ἀποκρινόμενος παρέδραμεν. ᾤετο γὰρ ταύτῃ μᾶλλον ἑλληνισμὸν κρατῦναι ἀνεξίκακον καὶ πρᾶον ἀδοκήτως τῷ πλήθει τῶν χριστιανῶν ἑαυτὸν ἐπιδεικνύς. Sic quidem habet vulgata etiam Roberti Stephani editio, tamen illud te monitum volebam duos errores in prima verba obrepſiſſe, quæ ſic planè legēda ſunt, θυομένῳ αὐτῷ ἐν Κωνσταντινουπόλεως τυχείῳ. quam lectionem videtur agnouiſſe Ioãnes Chriſtophorus interpres. *Ferunt*, inquit Sozomenus, *Iuliano ſacrificanti in fortunæ fano Conſtantinopolitano Marim Chalcedonis Epiſcopum adfuiſſe, & impietatem publicè exprobraſſe, Atheûmque & præuaricatorem appellaſſe. Eique cùm Iulianus ſolam cæcitatem irridens obiecisset, (alterius quippe manu præ ſenectute, & oculorum ſuffuſione ductus acceſſerat.) Et cauillatus, pro more, in Chriſtum, dixiſſet, Non te Galilæus Deus tuus ſanabit. Excipiens ſermonem Maris, At ego, inquit, gratiam Deo meo habeo propter cæcitatē, ne te à pietate prolapſum oculis aſpiciã. Et Imperator nullo dato reſponſo eum præteriuit. credebat enim hoc pacto gentilitatem magis roboratum iri, ſi ſe ex improuiſo patientem & lenem Chriſtianis exhiberet.*

Maris Epiſcopi iocus in Iulianum.

PATREM, PATRVVM, PROAVVM, &c.] V.

Pater Clodiæ Appius Claudius Pulcher Conſul cum Publio Seruilio Iſaurico, anno vrbis conditæ DCLXXIV. cuius meminit initio orationis de Aruſp. reſp.

Stēma Clodianum.

Patruus Caius Claudius Conſul cum M. Perpenna, anno DCLXI.

Auus C. Claudius Conſul cum M. Perpenna anno DCXXIII.

Proauus C. Claudius Conſul cum Tib. Graccho, anno DLXXVI.

Abauus Appius Claudius Cœcus, de quo Cicero in Catone maiore.

Atauus Pub. Claudius Pulcher Cœci Pater Conſul cum Lucio Iunio, anno V.C. DIV.

Atq; hãc notam debes Andreæ Scoto è Societate noſtra viro doctiſſimo, in ſuis nodis Ciceronianis, in quibus ſoluendis egregiam nauauit operam. Breuiter Suetonius in Tib. cap. I. de huius familiæ ſplendore. *Duodetriginta Conſulatus, Dictaturas quinque, Cenſuras ſeptem, Triumphos ſex, duas ouationes adepta eſt.*

MVLIER QVID TIBI CVM COELIO.] VI.

Terentius in re eiuſmodi in Eunucho, act. 3. ſc. 5.

Roget quis. Quid tibi cum illa? ne coram quidē,

Item actu 4. ſc. 7.

Quid tibi vis? quid cum illâ rei tibi eſt?

AXIOMATA.

Mulier nihil rei habere debet cum adoleſcentibus & alienis.

Nobiles, in inſtituendâ vitâ debent maiorum ſuorum meminiſſe.

ARGVMENTVM.

A Quinti Metelli mariti & maiorum exemplo demonſtrat Clodiam adeò familiarem Cœlio eſſe non debuiſſe, eámque grauiter reprehendit, quòd tam ſuæ quàm mariti nobiliſſimæ familiæ labem aſpergens, ab vtriuſque maiorum virtute non ſolùm defecerit, ſed etiam eorum monumentis ad licentiam & libidinem abuſa fuerit.

XXXIV. NON denique modò te Q. Metelli matrimonium tenuiſſe ſciebas clariſſimi & fortiſſimi viri, patriæque amantiſſimi, qui ſimul ac pedem limini extulerat, omnes propè ciues virtute, gloria, dignitate ſuperabat? cui cùm ex ampliſſimo genere in familiam clariſſimam nupſiſſes, cur tibi Cœlius tam coniunctus fuit? cognatus? affinis? viri tui familiaris? nihil horum. quid igitur fuit, niſi quædam temeritas ac libido? nónne te ſi noſtræ imagines viriles non commouebant, ne progenies quidem mea, Q. illa Claudia æmulam domeſticæ laudis in gloria muliebri eſſe admonebat? non virgo illa Veſtalis Claudia, quæ patrem complexa triumphantem ab inimico Tribuno plebis de curru detrahi paſſa non eſt? cur te fraterna

vitia potiùs, quàm bona paterna, & auita, & vſque à nobis cùm in viris, tum etiam in feminis repetita mouerunt? ideóne ego pacem Pyrrhi diremi, vt tu, amorum turpiſſimorum quotidie fœdera ferires? ideo aquam adduxi, vt ea tu inceſtè vtere? ideo viam muniui, vt eam tu, alienis viris comitata celebrares?

EXPLANATIO.

QVINTI METELLI.] Celeris.

QVI SIMVLAC PEDEM LIMINE EXTVLERAT.] Statim atque domo ad forum, Curiam vel Prouincias exiuerat omnes propemodum ciues virtute, gloriâ quæ merces virtutis eſt, & dignitate honoribúſque, qui à populo propter gloriam opinionémque virtutis concedi ſolent, ſuperabat.

CVI CVM EX AMPLISSIMO GENERE.] Ex genere Clodiorum, ex gente Clodia in Metellorum familiam nuptiis, aut per coemptionem, aut per confarreationem contractis, tranſiiſſes facta materfamilias, & ſacrorum illius familiæ bonorúmque particeps.

TEMERITAS.] Qua pudicitiam tuam cum adoleſcente viuens familiariter in periculum adduceres.

AC LIBIDO.] Quæ te ad hanc familiaritatem ineundam impelleret.

NONNE TE SI NOSTRÆ IMAGINES VIRILES.] Si virtutes virorum qui in noſtrâ familiâ floruerunt, & exempla quæ tibi in memoriam reuocari debent, quoties imagines maiorum tuorum in atrio domus diſpoſitas intueris.

NE PROGENIES.] Neptis mea ex filio C. Claudio, te ad imitationem & æmulationem ſuarum virtutum incitabat.

TRIVMPHANTEM.] Anno DCX. de Salaſſis.

FRATERNA VITIA.] P. Clodij omnium non bipedum ſolum, ſed etiam quadrupedum turpiſſimi.

IDEONE PACEM PYRRHI.] Ideóne, cùm in Senatu de pace cum Pyrrho Epirotarum Rege turpiſſimis conditionibus ineunda per Cyneam Pyrrhi legatum ageretur, pacem diſſuaſi donec Pyrrhus in Græciam rediiſſet, vt tu quotidie meretrix impudens nouos & nouos amatores mutares, turpiſſimorum armorum fœdera ineundo.

IDEONE AQVAM ADDVXI.] Ideóne fluuium Anienem in vrbem adduxi, ex quo aqua Appia nominatur, vt ea tu in meretriciis tuis & inceſtis amoribus vtere?

IDEONE VIAM MVNIVI.] Ideóne viam Appiam ſtraui, vt eam cum alienis frequentares. Libet hic vno conſpectu totam orationis Appianæ ſeriem propiùs intueri. Eam non Clodiæ, ſed communi mulieris nomine compellat, ne ſi Clodiam vocet, toti Clodiorum familiæ labẽ aſpergere videatur. tum vehementi percunctatione ſic eius cum Cœlio familiaritatem perſtringit, vt à Cœlij & adoleſcentuli, & alieni perſonâ rem exaggeret: & ne illa familiaritatem neget, vrget dilemmate, ex eius ipſius confeſſione deſumpto: dicebat enim Clodia, & à ſe aurum Cœlio commodatum, & venenum ſibi à Cœlio fuiſſe comparatum. ex quo ſic argumentatur. Si aurum Cœlio commodaſti, fuiſti familiaris; ſi venenum timuiſti, fuiſti inimica: at ſiue inimica fuiſti, ſiue familiaris, neceſſe eſt aliquid tibi cum Cœlio & adoleſcentulo, & alieno negotij fuiſſe fatearis, quod vtrumque eſt à muliere nobili penitùs alienum. Quam indignitatem à maiorum, & mariti dignitate grauiter exaggerat: deinceps occupatione oratoriâ omnes excuſationes anteuertit, quas illa facto ſuo prætexere potuiſſet. Eam oſtendens neque conſanguinitatem poſſe, neque affinitatem, neque familiaritatem mariti prætendere, tandémque ſublatis falſis prætextibus, libidinem & temeritatem veram huiuſce familiaritatis oſtendit fuiſſe rationem, & vt illam libidinem magis inſectetur, comparat eam cum mulieribus quæ vel ſacerdotio & virginitate, vel pudicitiâ magnam ſibi auctoritatem, magnam Clodiæ genti gloriam compararunt. Eóque magis reprehendendam oſtendit, quòd in decorandâ familiâ fratrem ſuum imitaretur, adiuuarétque, cùm potiùs has ignominiæ notas à Clodio familiæ inuſtas, morum honeſtate delere, & non cum fratre de nequitiâ, ſed cum patre & maioribus ſuis de virtute certare debuiſſet. Et tandem eo magis eam reprehendendam oſtẽdit, quòd non ſolùm à maiorum virtute defecerit, ſed quod res ab iis geſtas, & excitata ab iis monumenta, ad occaſionem materiámque liberiùs peccandi conuerterit.

NOTÆ.

SIMVL AC PEDEM LIMINE EXTVLERAT.] Virgilius 2. Æneidos. 10.

Mene efferre pedem genitor te poſſe relicto
Sperasti?

Seneca in Medea, actu 2.

Medea nondum exportat è tectis pedem.

Iuuenalis ſat.10.

-quoties à limine mouerat vnum
Protuleràtque pedem.-

Noſter lib.7.ad Atticum. *Pedem portâ non extulit.* Adde Plautum in Mercatore, ſcenâ quæ ſic inchoatur.

Limen ſuperum, inferúmque ſalue, ſimul autem vale Pedẽ efferre.
Hunc hodie poſtremum extollo mea domo patria pedem. In Captiuis ſc. 3. act. 2.
Seruate iſtum, ſultis, intus ſerui, ne quoquam pedem
Efferat ſine cuſtode.-

Item in Bacchidibus actu 3. ſc. 3.

Nego tibi hoc annis viginti fuiſſe primis copiæ
Digitum longè à pædagogo pedem vt efferres ædibus.

Habetur etiam quoddam Laberij fragmentum. *Pedem ex taberna tulimus.*

IN FAMILIAM.] Plautus Trinummo ſcena vltima. *-Sed ego hoc nequeo mirari ſatis* 11.
Eum ſororem deſpondiſſe ſuam in tam fortem familiam.

Item: *Familiam optimam occupauit.*

In Vat. 28. *Antonius hac vna re miſeriam ſuam*

conſolatur, quòd imaginem patris & fratris ſui non in familiâ, ſed in carcere collocatas audire maluit, quàm videre. Quid ſit autem in familiam nubere, facilè poterit ex dictis in §. 32. explicari. Ea enim dicitur in familiam tranſire quæ marito in manum conuenerit, & ſiue per coemptionem, ſiue per confarreationem matrimonium contraxerit, *quoniam*, vt ait Gellius, *non in matrimonium tantùm, ſed in familiam quoque mariti, & in ſui hæredis locum veniſſet.* Poſſem hîc ad oſtendendam familiæ Cæciliæ claritatem Conſulum Metellorum, vt in Claudiis feci, per titulos memoréſque faſtos, ſeriem detexere, ſed vnus aut alter Velleij locus ſuffecerit. Is l. 2. de Metelli Numidici triumpho locutus ſubiicit. *Vt paulò antè Domitiæ familiæ, ita Cæciliæ notanda claritudo eſt: quippe intra duodecim fermè annos, huius temporis Conſules fuere Metelli aut Cenſores, aut triumpharunt ampliùs* XII. *vt appareat quemadmodum vrbium imperiorúmque, ita gentium nunc florere fortunam, nunc ſeneſcere, nunc interire.* Non pigebit huic loco Lipſij notam iiſdem verbis adſcribere. *Quid ſi notulas detrahas ſcribáſque, amplius* X*? id certè verum ſit, & reperio ab anno* DCXXXIII. *ad annum* DCLVI. (*qui ſunt anni* XII.) *reperio inquam in gente Cæciliâ Conſules* V. *Cenſores* II. *Triumphales* IV. *ergo vndecim*. Hæc ille. Sed quis miretur mendum in Velleio, cùm iam vitio Bibliariorum fœdus error in numerum Lipſianum irrepſerit? Quod ſpectat ad huius familiæ claritudinem. Metellus Macedonicus, teſte eodem Velleio in fragmentis libri primi. *Quatuor filios ſuſtulit, omnes adultæ ætatis vidit, omnes reliquit ſuperſtites & honoratiſſimos. Mortui eius lectum pro roſtris ſuſtulerunt, quatuor filij, vnus Conſularis & Cenſorius, alter Conſularis, tertius Conſul, quartus candidatus conſulatus, quem honorem adeptus eſt.* Diſſentit Plinius lib. 7. cap. 43. *A quatuor filiis illatus eſt rogo, vno Prætore, tribus Conſularibus, duobus triumphalibus, vno Cenſorio.*

Cæciliæ gẽtis claritudo.

III. VIRI TVI FAMILIARIS.] Bene addidit, quia ſi Cœlius Quinto Metello Celeri fuiſſet familiaris, eundem Clodia familiarem habere potuiſſet. nam vt notat Plutarchus in præceptis coniugalibus. Ἰδίους οὐ δεῖ κτᾶσθαι φίλους τὴν γυναῖκα, κοινοῖς δὲ χρῆσθαι τοῖς τοῦ ἀνδρός. *Mulierem non oportet priuatos amicos ſibi comparare, ſed mariti familiaribus vti.* Vnde Iuuenalis malam coniugem deſcribit à contrario, ſat. 6.

Mulier non debet habere amicos ſeorſum à marito.

-viuit tanquam vicina marito
Hoc ſolo propior, quod amicos coniugis odit.

IV. NOSTRÆ IMAGINES VIRILES.] Bene viriles, quia viri tantùm ſuas imagines poſteris tradebant, qui geſſerant curules magiſtratus. Sed dubitari poteſt an Clodia, cùm per nuptias in aliã familiam tranſiiſſet, ſecum in mariti domum maiorum ſuorũ imagines aſportarit, quas in domus veſtibulo potuerit intueri, Claudiorúmque imagines cum imaginibus Metellorum coniunxerit. Id hoc loco videtur innuere, cùm oſtẽsâ vtriuſq; gentis claritudine, imaginum fecit mentionem. Quid? quod in Vatiniana diſertis verbis id videtur exponi? *At nunc quidem C. Antonius hac vna re miſeriam ſuam conſolatur, quòd imagines patris & fratris ſui, fratriſque filiam, non in familiâ, ſed in carcere collocatas audire maluit, quàm videre.* Loquitur enim de Antonia ſorore Marci Antonij Triumuiri, quæ nupta in familiam Vatinij videtur, in eandem familiam maiorum ſuorum imagines tranſtuliſſe. Et verò mulieres nullas imagines ad memoriam poſteris prodendam reliquiſſe ex illo Liuij loco, lib. 1. videtur eſſe compertum *Ancus Martius nobilis vnâ imagine Numæ.* Hic enim cùm eſſet Numæ Nepos, ſi mulieres imaginis poſteris tradendæ ius habuiſſent, non aui ſolùm, ſed etiã matris imaginem habuiſſet. Quanquam quid verbis opus? cùm ne viri quidẽ quantumuis nobilibus parentibus prognati imaginem ſuam ad poſteros tranſmiſiſſe videantur? alioquin Cato Vticenſis aui Catonis Cenſorij, & patris imaginibus fuiſſet inſignis, de quo tamen Valerius lib. 2. cap. 4. de Maieſtate. *Exiguum viri patrimonium, adſtricti continentiâ mores, modicæ cliẽtelæ, domus ambitioni clauſa, paterni generis vna imago, minimè blanda frons, ſed omnibus numeris perfecta virtus.*

Mulier maiorum imagines ad domum mariti transferebat.

Mulierũ imagines nullæ in atriis.

Ne virorum quidem omnium qui geſſerant curulem magiſtratum.

V. NE PROGENIES QVIDEM MEA.] Progeniem ſuam appellat, ex quo filiam Appij Cœci non fuiſſe ſatis intelligas: neque enim filia ac neptis quidem, Iſidoro teſte progenies aptè diceretur. *Dictus pronepos quaſi natus porrò poſt: ex hoc quoque gradu incipit vocari & progenies, quaſi porrò pòſt geniti: nam filij & nepotes non ſunt progenies, quia non eſt in eis longa poſteritas.* Pacuuius apud Nonnium.

Pater ſupremæ noſtræ progeniei patris.

Progenies.

Et verò filiã non fuiſſe Appij Cæci hanc Q. Claudiam ex eo conſtat, quòd 2. bello Punico quinquaginta plus minùs annis, poſtquam Appius Cæcus ſumma ſenectute confectus pacem cum Pyrrho diſſuaſit, ætate florens in ſuſpicionem impudicitiæ vocaretur, cùm Matris Peſinuntiæ ſimulacrum Romam aduectum eſt. Liuius decadis 4. lib. 8. *Matronæ primores ciuitatis, inter quas vnius Claudiæ Quintiæ inſigne eſt nomen accepere, cui dubia, vt traditur, antè fama, clariorem ad poſteros tam religioſo miniſterio pudicitiam fecit.* Quemadmodum autem pudicitia eius eluxerit, quæ Clodiam noſtram, æmulam eſſe domeſticæ laudis in gloriâ muliebri debuerat admonere, oſtendit Suetonius in Tiberio. *Nauem*, inquit, *cum ſacris Matris Deûm Idææ adhærentem Tiberino vado extraxit, precata propalam, vt ita demum ſe ſequeretur, ſi ſibi pudicitia conſtaret.* Eam autẽ fuiſſe Virginem Veſtalem tradit Herodianus lib. 1. quod ſi verum eſt, mirum eſt id Tullium hoc loco tacuiſſe. Verba ſunt Herodiani: Κομισθὲν δ' ἐπὶ νεὼς τὸ ἄγαλμα καὶ γενόμενον ἐν ταῖς τοῦ Θύμβριδος ἐκβολαῖς (ταύταις γὰρ ἀντὶ λιμένων ἐχρῶντο Ῥωμαῖοι) ἔστησε θείᾳ δυνάμει τὸ σκάφος. Ἐπὶ πολὺ δὲ πανδημεὶ τῶν Ῥωμαίων τὴν ναῦν ἐφελκόντων, ἀντεχούσης τῆς ἰλύος, οὐ πρότερον ἡ ναῦς ἀνέδραμε, πρὶν ἢ τὴν ἱέρειαν ἐνεχθῆναι τοῦ θεοῦ, ἥ τις τῆς Ἑστίας ἦν. ταύτην ἔδει παρθενεύειν, αἰτίαν δὲ διαφθορᾶς εἶχεν. ὡς μέλλουσα δὲ κριθήσεσθαι, ἱκετεύει τὸν δῆμον ἐπιτρέψαι τῇ Πεσινουντίᾳ θεῷ τὴν κρίσιν. λυσαμένη τὴν ζώνην ἐπέθηκε τῇ πρώρᾳ τῆς νεώς, προσευξαμένη εἰ παρθένος εἴη καὶ ἁγνὴ πειθῆναι τὸ σκάφος. ῥᾳδίως δὲ τῆς ζώνης ἐξαρτηθείσης ἡ ναῦς ἠκολούθησεν. ὅμως δὲ τὸ ἐναργὲς τοῦ θεοῦ, καὶ τὸ σεμνὸν τῆς παρθένου Ῥωμαῖοι ἐθαύμασαν. *Cùm itaque nauigio deuectũ ſimulacrũ ad ipſas Tiberis fauces appuliſſet (quibus tum Romani vice portuum vtebantur) diuinâ quadã vi fecit vt ſubſiſteret nauigium: adeo vt cum longo tempore Romani cunctis populi totius viribus illud traherent, limo renitente, non priùs proueheretur, quã Deæ ſacerdos, quæ Veſtalis erat, aduecta eſſet. Ea cùm virginitatem perpetuo ſeruandam polluiſſe falsò argueretur, damnationem metuens, ſupplex petiit à populo vt iudicium de ſe Peſinuntiæ permitteret, quo impetrato zonam recinxit, eámque proræ iniecit, clarè precata vt ſi intemeratam ſe eſſe ac Virgi-*

Quintæ Clodiæ pudicitia.

nem Dea ſciret, exorari ſe ſineret nauigium. Facile autem id, poſtquam alligata Zona fuit ſecutum eſt. ita ſunt pariter Romani manifeſtam numinis diuinitatem, atque innocentiam Virginis admirati. Malim poſtrema verba ſic vertere: *Ita ſunt pariter Romani, & ſplendorem Deæ, & venerandam Virginis claritatem admirati.*

V. QVINTAM ILLAM CLAVDIAM.] Hinc eos iure reprehendas, qui mulieribus nullum inditum fuiſſe prænomen arbitrantur. de quo vide Sigonium in libro de nominibus Romanorum, ex quo ſatis fuerit pauca decerpere. Plutarchus in quæſtionibus Romanis, χρῶνται δὲ δυσὶν ὀνόμασιν αἱ θήλειαι, τρισὶ δὲ οἱ ἄρρενες. *Vtuntur verò duobus nominibus fœminæ, tribus verò mares.* Sed quod ad Quintæ prænomen attinet, Varro 8. de linguâ Latinâ prænomina dicit, *Inſtituta ad vſum ſingularia, quibus diſcernerentur nomina gentilitia, vt à numero Prima, Secunda, Tertia, Quarta, in viris vt Quintus, Sextus, Decimus.* De Prima exemplum eſt in Romulo apud Plutarchum referentem ex Zenodoto Trœſenio: Γενέσθαι καὶ παῖδας αὐτῷ, μίαν μὲν θυγατέρα. Πρίμαν τῇ τάξει τῆς γενέσεως οὕτω προσαγορευθεῖσαν. *Natos illi fuiſſe liberos, vnam quidem filiam. Primam à natiuitatis ordine nominatam.* de Secunda, ſiue Secundillâ Plinius in ſuis epiſtolis non infrequenter. De Tertia lepidum eſt illud Ciceronis apud Suetonium in Iulio. Cæſar Matri Bruti ampliſſima prædia minimo addixerat. *Cum pleriſque vilitatem mirantibus facetiſſimè Cicero: Quo meliùs, inquit, emptum ſciatis, Tertia deducta: exiſtimabatur enim Seruilia etiam filiam ſuam Tertiam Cæſari conciliare.* Quartillam habes apud Petronium ὑποκοριστικῶς pro Quarta. hîc Quintam Clodiam legis. De his Romanorum appellationibus Appianus præfatione in ſuam Hiſtoriam: Καὶ τὰ ὀνόματα Ῥωμαίοις πάλαι μὲν ἦν ἓν, ὥσπερ ἀνθρώποις ἅπασιν, ἑκάστῳ, μετὰ δὲ ἐγένοντο δύο, καὶ οὐ πολὺς χρόνος ἐξ οὗ καὶ τρίτον ἤρξατό τισιν ἐς ἐπίγνωσιν, ἐκ πάθους ἢ ἀρετῆς προστίθεσθαι. καθὰ καὶ τῶν Ἑλλήνων τισὶν ἐπὶ τὰ ὀνόματα ἦσαν ἐπικλήσεις. *Olim vt cæteri mortales, ita ſinguli Romani vnicum nomen obtinebant. Deinde verò duo indita ſunt, nec multum temporis effluxit, ex quo etiam tertium ad faciliorem notitiam ex caſu, vel ex virtute cœpit imponi. Quemadmodum & Græcorum nonnullis nomini cognomen adiunctum eſt.* Quando verò, quâve ex occaſione prænominum impoſitio manarit, oſtendit Eutropius, qui etiam à Petro Crinito citatur lib. 3. de honeſtâ diſciplinâ cap. 4. *Poſt multas contentiones inter Sabinum populum & Romanum, factum eſt fœdus: ac iure ſocietatis in eandem ſententiam conuenere, vt Rex Titus Tatius ſimul cum Romulo imperium teneret, Sabiníque & Romani vnus populus efficeretur. Et quo ad hoc confirmandum Romani tum cœperunt Sabinorum nomina ſuis præponere: Sabini autem Romanorum, vt nouæ quidem amicitiæ nominum iura adiicerent, quo factum eſt, vt nemo deinceps Romanorum ſine prænomine haberetur.* Quod ſpectat ad tertiam appellationem, eam cōſtat ex omnibus annalium monumentis, non paucis paulò poſt Reges exactos adiunctam fuiſſe: quorum nominum ambitionem Plautus irridet.

Mulieres an habuerint prænomina.

Prænomina vnde.

VI. IN GLORIA MVLIEBRI.] De gloria muliebri Plutarchus procemio libelli de virtutibus mulierum: Θουκυδίδης ἧς ἂν ἐλάχιστος ᾖ παρὰ τοῖς ἐκτὸς ψόγου πέρι, ἢ ἐπαίνου λόγος, ἀρίστην ἀποφαίνεται, &c. ἡμῖν δὲ κομψότερος ὁ Γοργίας φαίνεται, κελεύων μὴ τὸ εἶδος, ἀλλὰ τὴν δόξαν εἶναι πολλοῖς γνώριμον τῆς γυναικός. *Thucydides eam mulierem optimam eſſe declarat, quæ minimè vel laude, vel vituperatione apud externos celebratur, &c. Nobis verò elegantior & concinnior videtur Gorgias, qui iubet vt non forma, ſed gloria mulieris multis innoteſcat.* At Gregorius Nazianzenus ſtat à Thucydide, περὶ καλλωπιζομένων γυναικῶν.

Gloria muliebris.

Ἄλλοισιν τὰ περισσά, σὺ δ' ἅζεο χείλεσιν ἀνδρῶν
Καὶ λαλιζομένη, τοῦτο γυναιξὶ κλέος.

Marcellus:

Linque aliis vana: at labiis vereare virorum
Commendari etiam, hoc fœmineum decus eſt.

Et Syneſius orat. I. de prouidentiâ: Μίαν ἀρετὴν Ὄσιρις ᾤετο γυναικὸς εἶναι, τὸ μήτε τὸ σῶμα αὐτῆς, μήτε τοὔνομα διαβῆναι τὴν αὔλειον. *Vnam virtutem Oſiris muliebrem eſſe cenſebat, vt neque corpus, neque nomen mulieris è veſtibulo exiret.*

VIRGO VESTALIS.] Suetonius in Tiberio Fratrem vocat, niſi fortaſſe mendum in VII.
ſcripturam obrepſerit. *Etiam*, inquit, *virgo Veſtalis Fratrem iniuſſu populi triumphantem aſſcenſo ſimul curru vſque in Capitolium proſecuta eſt, ne vetare aut interdicere fas cuiquam Tribunorum eſſet.* Sed quomodò, poſtquam illa currum adſcendit, nec vetare, nec interdicere cuiquam Tribunorum fas fuit? opinor, id aut propter religionis & Sacerdotij reuerentiam contigiſſe: aut propter matronarum (quales fuiſſe Veſtales alibi iam oſtendimus) maieſtatem & dignitatem. Siquidem, vt ait Feſtus ex Verrio, ſiue potiùs Paulus ex Feſto: *Matronæ à magiſtratibus non ſummouebantur, ne pulſari contrectaríve viderentur, néve grauidæ concuterentur: ſed nec viri earum ſedentes cum vxoribus, in vehiculo deſcendere cogebantur.* Quid ni ergo quod nuptæ ſedentes in vehiculo cum maritis, idem Virgo Veſtalis cum patre ſedens priuilegium obtineret? Sed de hoc matronarum priuilegio vide quæ dicta ſunt 32. §. Poſtremo nota non cum Suetonio Fratrem, ſed cum Tullio patrem apud Valerium lib. 5. cap. 4. & Oroſium lib. 5. nominari.

Veſtalium auctoritas.

TRIBVNO PLEBIS.] Tribuni plebis erat VIII.
triumphos prohibere, vt ex citatis Suetonij verbis liquet. Liuius lib. 38. in oratione Cn. Manlij. *Currum triumphalem me conſcendere prohibent, coronam inſignem capiti detrahunt, quos ego ſi Tribuni me triumphare prohiberent, teſtes citaturus fui rerum à me geſtarum. Nullius equidem inuideo honori, P. C. Vos Tribunos plebis nuper viros fortes ac ſtrenuos impedientes Qu. Fabij Labeonis triumphum auctoritate veſtrâ deterruiſtis.* Et in principio libri 39. M. Aburius Tribunus plebis narratur triumpho M. Fuluij obſtitiſſe.

CVR TE FRATERNA VITIA POTIVS.] Eleganter Henricus IV. Rex Chriſtianiſſimus hortantibus quibuſdam ne à matris impiâ religione diſcederet. *Vos mihi*, inquit, *vnicum matris exemplum exhibetis, quæ nouam hanc ſectam amplexa ſit. Ego vobis immenſam maiorum meorum, Chriſtianiſſimorum Regum ſeriem oppono, qui pietate, virtute, religione Catholicâ floruerunt.* Hæc ille, tanto dignior cuius virtutem filius imitetur, & ſuperet, quantò minùs ille matris errorem voluit imitari.

IX. Hẽrici quarti dictum.

PACEM PYRRHI DIREMI.] Rex cuius comperta eſt ex Cicerone in officiis, Plutarcho, Floro, &c. Paucis Plinius de viris illuſtribus: X.
Cùm de pace Pyrrhi ageretur, & gratia potentum

per legatum Cyneam pretio quæreretur, ſenex, & cæcus, lecticâ in Senatum latus, turpiſsimas conditiones magnificâ oratione diſcuſsit.

XI. Fœdera.

Foedera ferires.] Ad fœderis ſanciendi verbum alluditur. nam, vt ait Liuius lib. 1. *Cùm fecialis dixiſſet, illis legibus populus Romanus prior non deficiet: ſi prior defexit publico conſilio, dolo malo, tu illo die Iupiter populum Romanum ſic ferito, quanto magis potes, polléſque: id vbi dixit. porcam ſaxo ſilice percuſsit.* octauo Æneidos:

-& cæsâ iungebant fœdera porcâ.

Vnde, à feriendâ videlicet porcâ fœderis nomen, alij à porca fœdè necanda, alij à fide, alij ab hœdo deductum exiſtimant. vnde & Homerus 3. Iliados:

Ὅρκια πιστὰ ταμόντες.

Catullus has ipſas Leſbiæ, id eſt, Clodiæ pactiones amicitiæ fœdera nuncupauit epigr. 41.

Fœdera amoris.

Vt liceat nobis totâ perducere vita
Alternum hoc ſanctæ fœdus amicitiæ.

Eodem ſenſu Tibullus lib. 4. eleg. vltima.

Hoc primùm iuncta eſt fœdere noſtra Venus.

Propertius lib. 2. eleg. 9.

Non ſic incerto mutantur ſtamine ſortes,
Nec folia hyberno tam tremefacta noto.
Quàm citò fœmineâ non conſtat fœdus in irâ.

Idem lib. 3. eleg. 19.

Fœdera ſunt ponenda priùs, ſignandáque iura,
Et ſcribenda mihi lex in amore nouo.

Item:

Namque vbi non certo vincitur fœdere lectus,
Non habet vltores nox vigilanda Deos.

Paulò pòſt:

Ergo qui pactas in fœdera ruperit aras,
Pollueritque nouo ſacra marita toro,
Illi ſint quicunque ſolent in amore, dolores.

Lib. 4. eleg. 3.

Incorrupta mei conſerua fœdera lecti.

XII.

Aqvam addvxi.] Appius Cœcus, vt auctor eſt Plinius de viris illuſtribus, *aquam Anienem in vrbem induxit.* In quo notandum eſt hallucinari eos, qui hanc aquam Claudiam vocant, cùm Appia ſit nominanda. Siquidem, vt verbis vtar Iulij Frontini libello de aquæductibus Romanis, *Appia M. Valerio Maximo, P. Decio Mure Coſſ. anno* XX. *poſt initium Samnitici belli inducta eſt ab Appio Claudio Craſſo Cenſore, cui poſtea Cæco fuit cognomen.* De Claudiâ autem aquâ ſubiungit loquens de duobus fontibus, quos Claudius Auguſtus in vrbem anno DCCC. induxerat. *Alteri nomen quod ex fontibus Cæculo & Curtio producebatur Claudiæ datum. Hæc bonitate proxima Martiæ.* Plinius lib. 36. cap. 15. *Vicit antecedentes aquarum ductus nouiſsimum impendium operis inchoati à C. Cæſare, & peracti à Claudio. quippe à lapide* XL. *ad eam excelſitatem, vt in omnes vrbis montes leuarentur, influxere Curtius atque Cæculus fontes. Erogata in id opus HS. ter millies.* Id eſt, ex communi ſupputatione ſeptem Philippeorum milliones & ſemis. *Quòd ſi quis æſtimauerit aquarum abundantiam in publico, balneis, piſcinis, domibus, Euripis, hortis, ſuburbanis villis, ſpatióque aduenientium exſtructos arcus, montes perfoſſos, conualles æquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuiſſe in toto orbe terrarum.* Pulchrè etiam Rutilius:

Aquæ Appiæ & Claudiæ diſtinctio.

Aquæ ductuũ magnificẽtia.

Quid loquar aërio pendentes fornice riuos,
Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas.
Hos potiùs dicas creuiſſe in ſidera montes.
Tale Giganteum Græcia laudat opus.

Cæterùm non eſt quòd, vt viri docti voluerunt, Appium primum fuiſſe putes, qui aquam in vrbem adduxerit. Nam Plinius lib. 31. cap. 3. *Clariſſima, inquit, aquarum omnium toto orbe frigoris ſalubritatíſque palma præconio vrbis Marcia eſt, inter reliqua Deûm munera vrbi tributa,* &c. *nouem millibus paſſuum fornicibus inſtructis perducta. Primus eam in vrbem ducere auſpicatus eſt Ancus Marcius vnus è Regibus, poſtea Q. Marcius Rex in præturâ, rurſúſque reſtituit M. Agrippa.* Quamuis alibi à ſeipſo diſſentire videatur lib. 36. cap. 15. *Sed dicantur verâ æſtimatione, inuicta miracula Q. Marcius Rex fecit. Is iuſſus à Senatu aquarum Appiæ & Anienis tegulâ ductus reficere, nouam à nomine ſuo appellatam, cuniculis per montes actis intra præturæ ſuæ tempus adduxit.* Et vt videas quàm meritò de his aquæductibus Appius glorietur, audi Dionyſium Halicarnaſſeum libro 3. Ἐν τρισὶ τοῖς μεγαλοπρεπεστάτοις κατασκευάσμασι τῆς Ῥώμης, ἐξ ὧν μάλιστα τὸ τῆς ἡγεμονίας ἐμφαίνεται μέγιστον, malim μέγεθος, τάς τε τῶν ὑδάτων ἀγωγὰς, καὶ τὰς τῶν ὁδῶν στρώσεις, καὶ τὰς τῶν ὑπονόμων ἐργασίας. *In tribus magnificentiſsimis vrbis operibus, è quibus maximè Imperij magnitudo declaratur, aquæductus, viarum munitiones, cloacarum ſubſtructiones* numerantem.

XIII. Inceſtus aquæ vſus.

Inceste vterere.] Apud aquam Appiam videntur amores imprimis flagraſſe. Ouidius 1. de arte:

Subdita qua Veneris facto de marmore templo
Appias expreſſis aëra pulſat aquis.
Illo ſæpè loco capitur conſultus amore,
Quique aliis cauit, non cauet ille ſibi.

Quod ad inceſtum aquæ vſum ſpectat, videtur eò Tullius alludere lib. 1. ad Atticum, epiſt. 15. de hac ipſa Clodiâ loquens, quam feſtiuè Pub. Clodij fratris patronum appellat. *Quid, inquit, homini Arpinati cum aquis calidis? narra, inquam, patrono tuo, qui Arpinates aquas concupiuit. Noſti enim marinas.* Clodia enim, vt refert Plutarchus, Ciceronem amauerat, & ſuſpicionem grauem attulerat Terentiæ coniugi Ciceronis, & Clodius olim captus fuerat à piratis, qui eius pudicitiæ illuſerant. Iulius Frontinus lib. 2. de aquæductibus. *Itaut ipſam Marciam ſplendore & frigore gratiſsimam balneis, ac fullonicis, ac relatu quoque fœdis miniſteriis deprehenderimus ſeruientem.* Iuſtus Lipſius lib. 1. antiquarum lectionum cap. 12. multa profert exempla, ex Lampridio, Naſone, Luciano, auctore Priapeorum, Martiale. Sed hæc libens omitto, quòd ipſe, hanc animaduerſionem non ad Cleanthis, ſed ad Ariſtippi lucernam elucubratam eſſe fateatur. Hinc dicti aquarij, ſiue aquarioli, aut etiam aquagulæ lenonum miniſtri. Aquarius Iuuenali Sat. 6. aquariolus Tertull. apolog. Aquagula in gloſſis Iſidori. Aquam etiam reperio in honeſtis coniugiis apud omnes gentes locum habuiſſe. Nonnus 3. Dionyſ. verſu 88.

--Νύμφιον ὕδασι θεσμῷ
Ζωογόνοις προ γάμοιο καθικμάζουσι λοετροῖς.

-Sponſum de more recepto
Humectant præ coniugio genitalibus vndis.

Æſchines epiſt. 10. Νενόμισται δ' ἐν τῇ Τρῳάδι γῇ τὰς γαμουμένας παρθένους ἐπὶ τὸν Σκάμανδρον ἔρχεσθαι, καὶ λουσαμένας ἀπ' αὐτοῦ ἔπος τοῦτο ὥσπερ ἱερόν τι ἐπιλέγειν, λάβε μου, Σκάμανδρε, τὴν παρθενίαν. *Id moris in Troade receptum eſt, vt nupturæ virgines ad Sca-* Aquæ vſus in coniugio.

mandrum ſe conferant, & lota in eius fluento hæc verba tanquam ſacra pronuntient, Accipe, Scamander, meam virginitatem. Thucydides lib. 2. Καὶ νῦν ἔτι ἀπὸ τοῦ ἀρχαίου πρό τε γαμικῶν, καὶ ἐς ἄλλα τῶν ἱερῶν νομίζεται τῷ ὕδατι χρῆσθαι. *Etiamnum ex veteri conſuetudine manet hoc inſtitutum, vt tum ante nuptias, tum ad alia ſacra aqua vſus ſit.* Id etiam moris apud Gallos Iuſtinus lib. 43. fuiſſe teſtatur: *Introducta deinde virgo cùm iuberetur à patre aquam porrigere ei quem virum eligeret.* Quid quòd, vt narrat Ælianus lib. 4. cap. 1. & Nic. Damaſcenus in hiſtoriâ Catholicâ de moribus gentium: Δαρδανεῖς, Ἰλλυρικὸν ἔθνος, τρὶς ἐν τῷ βίῳ λούονται μόνον, ὅταν γεννῶνται, καὶ ἐπὶ γάμοις, καὶ τελευτῶντες. *Dardani, quæ gens eſt Illyrica, ter in vitâ lauantur cùm naſcuntur, matrimonium contrahunt, & moriuntur.* Quid, quòd Romani, teſte Plutarcho, Feſto, aliiſque ſcriptoribus, γαμουμένην ἅπτεσθαι πυρὸς καὶ ὕδατος κελεύουσι; Vide rationes huius rei in quæſtionibus Romanis. Feſtus, *aquam accipiunt nuptæ.*

XIV. Via Appia. Eius longitudo. Munitio.

VIAM.] Libet cum Procopio libr. 1. de bello Gethico tantiſper in iſtius viæ deſcriptionem excurrere, ſed breuitatis cauſſâ Græca proferre non libet. *Hanc, inquit, Appius Romanorum Cenſor ante annos nongentos ſtruxerat, & à ſe dederat nomen. Longitudinem eius quinque dierum ſpatio vir expeditus poſſit emetiri. Ab vrbe Româ Capuam pertinet, eâ latitudine vt duo currus ex aduerſo obuij liberè queant peruadere, & commeare.* Plinius facit etiam longiorem, ſiue quiſquis eſt auctor libelli de viris illuſtribus, & eam milliaria circiter CCCL. id eſt, Brunduſium vſque producit. *Viam vſque Brunduſium ſtrauit lapidibus, vnde illa Appia dicta.* Frontinus tamen præiuit Procopio: *Viam Appiam à porta Capenâ vſque ad vrbem Capuam muniendam curauit.* Quibus ſatius eſt fidem adhibere quàm Plinio, cùm adhuc temporibus Appij Cœci imperium Romanorum anguſtioribus finibus clauderetur, necdum Brunduſium perueniret: licet, vt innuere videtur Strabo libro 5. eandem poſtea vel Iulius, vel Auguſtus Brunduſium vſque produxerint. Horatius:

Brunduſium meliùs Numici vis ducat, an Appî.

Atque hæc de longitudine. Quod ad cæteram munitionem ſpectat, pergit idem quæ ſupra Procopius: *Et eſt ſanè hæc via præter cæteras ſpectabilis. Siquidem Appius ex alia & longinqua tunc, vt reor, regione exciſos lapides, & hos quidem ſiliceos & ſuopte ingenio duriſſimos in hanc viam vehendos curauit. Quos planos deinde & leues redditos, ac quadratos inciſione factos iunxit, & in ordine locauit, metalli nihil vel alterius rei inſerendo. Sunt tamen ita connexi, & validè inter ſe hærent, vt ſpeciem viſentibus præbeant non coniunctos ita, ſed congenitos eſſe. Et quamuis tot iam ſeculis atterantur aſſiduis plauſtris iumentiſque, tamen neque ſerie ſuâ vel minimùm exeunt & dimouentur, neque franguntur, aut læuorem ſuum amittunt.* Quod tibi propter admirabilitatem ſui & magnitudinem impenſarum incredibile, & in mentem nemini veniſſe videatur, Liuius quidam, vt auctor eſt Tacitus 2. annalium, *protulit libellos vecordes, adeò vt conſultauerit Libo an habiturus foret opes quîs viam Appiam Brunduſium vſque pecuniâ operiret.* Sed conſultauerat ille, hic quod conſultauerat effecit, vt non immeritò inter cætera cenſuræ ſuæ monumenta Appius Cœcus Appiæ viarum reginæ faciat mentionem. de qua Papinius in Syluis:

Appia longarum teritur regina viarum.

MVNIVI.] Ita Frontinus ſuperiore notâ, *viam muniendam.* Hermogenianus D. De muneribus & hon. *Publicæ viæ munitiones.* Iauolenus eodem: *Cætera omnia quæ ad tempus extra ordinem exiguntur, veluti munitio viarum ab huiuſmodi perſona exigenda non ſunt.* Calliſtratus eodem: *Viarum munitiones, prædiorum collationes, non perſonæ, ſed locorum munera ſunt.* Lucretius libro 5. XV. Munire vias.

Vt ſit vbi inſolitam rem adportes auribus antè,
Nec tamen hanc poſſis oculorum cernere viſu,
Nec iacere endo manus, via quà munita fideiꝗ
Proxima fert humanum in pectus, templáque mentis.

Viam munitam vocat, quam ἀμαξιτὸν Empedocles apud Clementem Alexandrinum lib. 5. ſtromatum, ex quo Lucretius:

Οὐκ ἔστιν πελάσασθαι ἐν ὀφθαλμοῖσιν ἐφικτὸν
Ἡμετέροις, ἢ χερσὶ λαβεῖν· ᾗπέρ τε μεγίστη
Πειθοῦς ἀνθρώποισιν ἀμαξιτὸς εἰς φρένα πίπτει.

ALIENIS VIRIS.] Suprà. *Quid cum alieno?* Naumachius apud Stobæum in præceptis coniugalibus: XVI. Mulieres non ſint cum alienis.

Ὀθνείων φιλότητας ἀναίνεο.-
Reſpue amicitias alienorum. -

COMITATA.] Paſſiuâ ſignificatione. Ouidius 2. de Ponto elegiâ 2. XVII.

-Proles comitauit euntem.

Et lib. 3. eleg. 2.

Occidit & Theſeus, & qui comitauit Oreſtem.
Sed tamen in laudes viuit vterque ſuas.

& alibi frequenter.

CELEBRARES.] Frequentares. Nonnius: *Celebre non ſolùm frequens, ſed etiam velox.* Accius Ægiſtho: *Celebri gradu greſſum acceleraſſe decet.* Vetus gloſſarium: *Celeberrima* συνεχὴς ἢ πολυάνθρωπος. *Celebrat* ἐπιτελεῖ καὶ πληροῖ. *Celeberrimus* πληθύνων τόπος. Tertull. de pœnitentiâ: *Nullis conuiuiis celebres, nullis comeſſationibus congreges.* Noſter pro Flacco: *Sepulcrum L. Catilinæ floribus ornatum, hominum audaciſſimorum ac domeſticorum hoſtium conuentu epuliſque celebratum.* Infrà 47. *In turpiſſimis rebus & frequentiſſimâ celebritate, & clariſſimâ luce verſetur.* 49. *In Baiarum illa celebritate.* Vide Notas in Sextianam 131. *Viæ multitudine legatorum vndique miſſorum celebrabantur.* Quàm raro autem mulieres debeant in publicum procedere, viaſque celebrare multis exponi poſſet. Sed vnus Hyperides apud Stobæum ſufficiet. Δεῖ τὴν ἐκ τῆς οἰκίας ἐκπορευομένην ἐν τοιαύτῃ καταστάσει τῆς ἡλικίας εἶναι, ὥστε τοὺς ἀπαντῶντας πυνθάνεσθαι, μὴ τίνος ἐστὶ γυνὴ, ἀλλὰ τίνος μήτηρ. *Oportet mulierem egredientem domo hunc ætatis terminum attigiſſe, vt qui non cognoſcunt ipſam, cuiuſnam ſit mater, non autem cuius vxor, interrogent.* adde Theognidem: XVIII. Celebrare. Quando mulier debeat domo procedere.

Ἐχθαίρω δὲ γυναῖκα περίδρομον, ἄνδρα τε μάργον
Ὃς τὴν ἀλλοτρίην βούλετ' ἄρουραν ἀροῦν.
Eſt odio curſans mulier mihi, virque proteruus
Alterius terram quiſquis arare volet.

AXIOMATA.

Mulier neminem debet habere coniunctum, niſi cognatum, affinem, aut viri ſui familiarem.

Debemus domeſticam laudem æmulari.

Mulier non debet alienis viris comitata vias celebrare.

ARGVMENTVM.

Feſtiuè ſe reprehendit, primò quòd Appium Clodiæ vitia grauiter increpantem induxerit, deinde ad Clodiam conuerſus graui & efficaci dilemmate demonſtrat nullam Clodiæ in iudicio, tanquam aut adulteræ, aut mendacis habendam eſſe rationem.

XXXV. SED quid ego, Iudices, ita grauem perſonam induxi, vt & verear, ne ſe idem Appius repente conuertat, & Cœlium incipiat accuſare illa ſua grauitate cenſoria? Sed videro hoc poſteriùs, atque ita, Iudices, vt vel ſeueriſſimis diſceptatoribus M. Cœlij vitam me probaturum eſſe confidam. Tu verò mulier (iam enim ipſe tecum nullâ perſonâ introductâ loquor) ſi ea quæ facis, quæ dicis, quæ inſimulas, quæ moliris, quæ arguis, probare cogitas, rationem tantæ familiaritatis, tantæ conſuetudinis, tantæ coniunctionis reddas, atque exponas neceſſe eſt. accuſatores quidem libidines, amores, adulteria, Baias, actas, conuiuia, comeſſationes, cantus, ſymphonias, nauigia iactant: iidemque ſignificant, nihil ſe, te inuita, dicere. quæ tu, quoniam, mente neſcio qua effrænata, atque præcipiti in forum deferri iudiciúmque voluiſti, aut diluas oportet, & falſa eſſe doceas, aut nihil neque crimini tuo, neque teſtimonio credendum eſſe fateare.

EXPLANATIO.

SED QVID EGO.] Correctio eſt, quâ & aptè Appij terminat orationem, & concinnè ad ipſam cauſam dilabitur.

TV VERÒ MVLIER.] Hoc dilemma concluditur in totâ ſectione.

Aut reddes rationem familiaritatis quæ tibi fuit cum Clodio, aut non reddes.

Si non reddes fides tibi non eſt à iudicibus adhibenda, id ſine ratione aſſerenti.

Si reddes, oſtendes te fuiſſe adulteram, & proinde tuum teſtimonium reſpuetur.

Sed clariùs hoc pacto reuocari poterit ad ſyllogiſmum.

Aut reddes rationem familiaritatis quæ tibi fuit cum Clodio, aut non reddes.

Sed ſiue reddes, ſiue non reddes, non eſt tibi fides adhibenda.

Ergo, &c.

Maior propoſitio liquet. probat aſſumptionem, quoad vtramque partem.

Qui eorum quæ dicit non reddit cauſam, non eſt in iudicio audiendus, nec audienda eſt, quæ ſe adulteram confitetur.

Sed aut nullam familiaritatis, quæ tibi fuit cum Cœlio, reddes cauſam, aut ſi reddes neceſſe eſt vt te adulteram fuiſſe fatearis.

Ergo ſiue cauſam reddes, ſiue non reddes, non eſt tibi fides adhibenda.

Idque eò vehementiùs concludit, quòd ipſa accuſatorum Cœlij argumenta hoc pacto erant ipſi Clodiæ diluenda.

ACCVSATORES.] Poſtquàm oſtendit Clodiam nullam conſuetudinis cum Cœlio afferre poſſe rationem, niſi ſi ſe impudicam eſſe fateatur: grauiùs vrget aduerſariorum teſtimonio, qui pro cauſâ Clodiæ libidines & impudicitiam adferebant, quod maiorem mulieris impudentiam oſtendit, ea ex Clodiæ voluntate fieri ſignificat.

ADVLTERIA.] Cum aliis, non cum Cœlio, neque enim inter ſolutos adulterium propriè diceretur: quamuis lex Iulia de adulteriis, vix ac ne vix quidem diſtinguat.

BAIIS ACTA CONVIVIA.] Quibus à te Cœlius exceptus eſt.

SYMPHONIAS.] Concertationes vocum ex graui & acuto concordantibus ſonis temperatas.

COMESSATIONES.] Epulas poſt cœnam intempeſtiuè inter Cœlium & Clodiam celebratas.

NAVIGIA.] Quibus per lacus Lucrinum & Auernum vnà nauigaſtis.

NIHIL NEQVE CRIMINI TVO.] Id eſt, ſi non refutas & diluis hanc à tuis allatam conſuetudinis veſtræ rationem, neceſſe eſt, vt tuum teſtimonium momenti nihil habere fatea: ris, ſiquidem impudicis teſtibus fides abrogatur, eorúmque teſtimonia reſpuuntur.

NOTÆ.

BAIIS ACTA CONVIVIA.] Legunt alij & quidem elegantiùs, vt opinor, *Baias, actas, conuiuia.* Hæc enim lectio longè eſt ad amplificationem rerúmque conglobationem illuſtrior. ſunt autem *actæ* littora non Græcis ſolùm, ſed etiam Latinis. 5. Æneidos: 1.

At procul in ſola ſecretæ Troades acta.

Luxurioſorum autem conuiuia frequenter in actis ſiue littoribus celebrata. Verrinâ de ſuppliciis 79. 80. *Tabernacula, quemadmodum conſueuerat temporibus æſtiuis, quod antea iam demonſtraui, carbaſeis intenta velis, collocari iuſſit in littore: quod eſt littus in inſula Syracuſis poſt Aretuſæ fontem, propter ipſum introitum atque oſtium portus, amœno ſanè & ab arbitris remoto loco. Hîc dies æſtiuos ſexaginta Prætor populi Romani cuſtos defenſórque prouinciæ ſic vixit, vt muliebria quotidie conuiuia eſſent, vir accumberet nemo præter ipſum*

& prætextatum filium. & §.81.ipſum *actæ* nomen vſurpat. *Vxorem eius parum poterat animo ſoluto, ac libero tot in acta dies ſecum habere.* Plutarchus lib.4. conuiualium quæſt. problem. 4. vbi quærit vtrum mare delicatiores cibos quàm terra ſubminiſtret: Τί δὲ οἱ πολλοὶ βούλονται, πρὸς θεῶν ὅταν ἡδέως ζῆσαι παρακαλοῦντες ἀλλήλους λέγωσιν, Σήμερον ἀκτάσωμεν; οὐχὶ τὸ παρ᾽ αὐτῇ δεῖπνον ἥδιστον ἀποφαίνουσι; *Quid verò per Deos immortales, cùm ſe inuicem ad delicatè viuendum hortantur, dicunt, Hodie littoremus? nónne conuiuium quod in acta celebratur, iucundißimum eſſe demonſtrant?* De Baiis vide ſuprà 27.

II. CONVIVIA, COMESSATIONES.] Diſcrimen eſſe inter comeſſationes & conuiuia non ſolùm hic locus oſtendit, ſed etiam Martialis lib. 5. epigr. 16.

At nunc conuiua eſt, comiſſatórque libellus.

Et Tertullianus de pœnitentiâ: *Nullis conuiuiis celebres, nullis commeſſationibus congreges.* Titus Liuius decadis 4. lib. 10. *Credis me, Pater, inter inermes conuiuas cœnaturum fuiſſe, ad quem armati comeſſatum venerunt.* Fruſtra enim ſi nullum diſcrimen eſſet, vox vtraque iungeretur. Comeſſationes autem fuiſſe epulas poſt cœnam celebratas, & intempeſtiua conuiuia ſatis declarant, quæ tradit Suetonius in vitâ Othonis c. 13. [Comeſſatio.] *Epulas trifariam ſemper, interdum quadrifariam diſpertiebat, in ientacula, & prandia, & cœnas, comiſſationéſque facilè omnibus ſufficiens vomitandi conſuetudine.* Et in Domitiano cap.21. *Conuiuabatur, frequenter & largè, ſed pene raptim, certè non vltra Solis occaſum, negat vt poſtea comiſſaretur, nam ad horam ſomni nihil aliud, quàm ſecretò ſolus deambulabat.* Liuius loco citato: *Conuiuium eo die ſodalium qui ſimul decurrerant, vterque habuit: cùm vocatus ad cœnam ab Demetrio Perſeus negaſſet, feſto die, inuitatio benigna & hilaritas iuuenilis, vtroſque in vinum traxit,* &c. *Demetrius, quin comeſſatum, inquit, ad Fratrem imus?* Et ſtatim pòſt: *Comeſſatores tanquam ad cædem ſuam venientes, aditu ianuæ excludit. Demetrius per vinum quòd excluderetur pauliſper vociferatus, in conuiuium redit totius rei ignarus.* Item: *Si iero ad fratrem inuitatus, moriendum eſt. ſi recepero intra ianuam comeſſatum fratrem, moriendum eſt.* Quæ comeſſationes profuſæ erant vt plurimùm & diſſolutæ, epulæ ſcilicet helluonum. Seneca conſolatione ad Heluiam cap. 10. de Apicio loquens: *Cùm ſeſtertium millies in culinam congeßiſſet, cùm tot congiaria Principum, & ingens Capitolij vectigal* [Comeſſationes diſſolutæ.] *ſingulis comiſſationibus hauſiſſet, ære alieno oppreſſus, rationes ſuas tunc primùm coactus inſpexit, ſuperfuturum ſibi ſeſtertium centies computauit, & velut in vltimâ fame victurus, ſi ſeſtertio centies vixiſſet, veneno vitam finiuit.* Quales illæ Veri comeſſationes fuerunt, de quibus Iulius Capitolinus: *Tantæ luxuriæ fuiſſe dicitur, vt etiam poſteaquàm de Syriâ rediit, popinam domi inſtitueret, ad quam poſt conuiuium Marci diuertebat, miniſtrantibus ſibi omni genere turpium perſonarum.* Addo non ſolùm profuſas fuiſſe, ſed etiam impudicas & ſolitas à mulierculis exhiberi. qualis illa comeſſatio, ab Apuleio lib. 2. verè aſininâ impuritate deſcribitur. Cicero: *In vino & oleo comeſſationes & ſcorta quærere.* Terentius in Eunucho:

Vbi nominabit Phædriam, tu Pamphilam
Continuò, ſi quando illa dicet, Phædriam
Intromittamus comeſſatum: tu, Pamphilam
Cantatum prouocemus.

Horatius Ode 1. lib.4. Venerem ſic alloquitur:

Tempeſtiuiùs in domo
Pauli purpureis ales oloribus
Comeſſabere Maximi.

Senecâ lib. 6. de beneficiis cap. 32. *Admiſſos gregatim adulteros, pererratam nocturnis comeſſationibus ciuitatem, forum ipſum ac roſtra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiæ in ſtupra placuiſſe.* Gellius lib. 4. cap. 14. ex Atteio Capitone de Manulia meretrice loquens: *Dixit comeſſatorem Mancinum ad ædes ſuas veniſſe, eum ſibi recipere viſum non fuiſſe in æde ſua: ſed cùm vi irrumperet lapidibus depulſum.* Apuleius apolog. 2. *Domus eius tota lenonia, tota familia contaminata, ipſe propudioſus, vxor lupa, filij ſimiles prorſus, diebus ac noctibus ludibrio iuuentutis, ianua calcibus propulſata, feneſtræ canticis circumſtrepitæ, triclinium comeſſatoribus inquietum, cubiculum adulteris peruium,* &c. Lucianus in vitarum licitatione: Καὶ κωμάζειν μετὰ αὐλητρίδος ἐπιτήδειος. *Idoneus ad comeſſandum cum tibicina.* Item in iudiciis: Καθ᾽ ἑκάστην δὲ τὴν νύκτα ὁ μὲν στενωπὸς ἡμῶν ἐνεπίμπλατο μεθυόντων ἐραστῶν, κωμαζόντων ἐπ᾽ αὐτὴν, καὶ κοπτόντων τὴν θύραν. *Per ſingulas noctes triuium noſtrum amatoribus ebriis celebrabatur, ad eam comeſſatum euntibus, ianuámque pulſantibus.* Addam huc ex Leuino Torrentio pauca quæ ſpectant ad rectam huius vocis ſcriptionem. *Lambinus* ἀπὸ τοῦ κωμάζω *Comaſſari ſcribendum eſſe contendit. Aliis Feſti auctoritas potior eſt, qui à vicis (quos* κώμας *vocant Græci) vocabulum deducens comiſſari ſcribit. Petrus Victorinus M geminat, & commiſſari, commiſſationéſque ſcribi debere vult, vt in Bembi Terentio.* Tandem concludit ſatius eſſe, vt communem comeſſationis ſcripturam retineret, ſubiicitque hanc vocem. *Probabiliùs à comeſum deriuari, veluti frequentatiuum (vt Grammatici vocant) quàm vel à vicis quos* κώμας *vocant Græci, vel* ἀπὸ τοῦ κώμου, *vt Varro maluit.* Sed pace tanti viri dixerim, potior eſt mihi Varronis auctoritas, quam & antiqua gloſſaria confirmant. *Comiſatum* ἐπὶ κώμου. *comiſationes,* κώμοις.

SYMPHONIAS, NAVIGIA.] Mirè facit ad hunc locum Seneca epiſtolâ 51. Sapiens: *De ſeceſſu cogitans nunquam Canopum eliget, quamuis neminem Canopus eſſe frugi vetet, ne Baias quidem. diuerſorium vitiorum eſſe cœperunt. illic ſibi plurimùm luxuria permittit: illic tanquam aliqua licentia debeatur loco, magis ſoluitur. non tantùm corpori, ſed etiam moribus ſalubrem locum eligere debemus. Quemadmodum inter tortores habitare nolim, ſic nec inter popinas quidem. Videre ebrios per littora errantes, & comeſſationes nauigantium, & ſymphoniarum cantibus perſtrepentes lacus, & alia quæ velut ſoluta legibus luxuria, non tantùm peccat, ſed publicat, quid neceſſe eſt? id agere debemus vt irritamenta vitiorum, quàm longißimè profugiamus.* & in fine epiſtolæ: *Habitaturum tu putas vnquam fuiſſe, in Vticâ Catonem, vt præternauigantes adulteras dinumeraret, vt aſpiceret tot genera cymbarum variis coloribus picta, & fluitantem toto lacu roſam, vt audiret canentium nocturna, conuicia? nónne* III. [Nauigationes diſſolutæ.]

manere ille intra vallum maluiſſet, quàm vnam noctem inter talia duxiſſe? Quidni malit quiſquis vir eſt, ſomnum ſuum claſsico quàm ſymphoniâ rumpi? Sed ſatis diu cum Baiis litigauimus. nunquam ſatis cum vitiis. Talis fuit illa Neronis nauigatio, de qua Tacitus 15. annalium: *In ſtagno Agrippæ fabricatus eſt ratem, cui ſuperpoſitum conuiuium alarum tractu moueretur. naues auro & ebore diſtinctæ, remigéſque exoleti per ætates & ſcientiam libidinum componebantur. volucres & feras diuerſis terris, & animalia maris Oceano ab vſque petiuerat. crepidinibus ſtagni lupanaria adſtabant, illuſtribus fœminis completa, & contra ſcorta viſebantur, nudis corporibus, iam geſtus motúſque obſcœni, & poſtquam tenebræ incedebant, quantum iuxta nemoris & circumiecta tecta conſonare cantu & luminibus clareſcere,* &c. Vt mirum non ſit ſi iiſdem in locis vel ſuam ipſius matrem extinxerit. Atque his vides apud vtrumque Baianæ libidinis, ſymphoniæ, comeſſationis, nauigij fieri mentionem: vnde factum eſt vt Auſonius eidyllio 9. ludicras in Moſella pugnas cum hac Baianâ nauigatione conferens, Bacchi Veneríſque meminerit verſu 208.

Tales Cumano deſpectat in æquore ludos
Liber, ſulphurei cum per iuga conſita Gauri
Pérque vaporiferi graditur vineta Veſeui.
Quùm Venus Actiacis Auguſti læta triumphis
Ludere laſciuos fera prælia iuſsit amores.

Bordeau. Aduertit Ludouicus Dorleans ex eo quod crepidinibus, & ripis fluuiorum lupanaria adſtarent, Gallicam vocem *Bordeau* manaſſe. Capitolinus in Vero nauigationi ſymphoniam adiunxit. *Apud Corinthum & Athenas inter ſymphonias & cantica nauigabat.* Porro ſymphonia ſolita comeſſationibus adhiberi eleganter à Seneca epiſtolâ 84. deſcribitur. *Non vides quàm multorum vocibus chorus conſtet? vnus tamen ex omnibus ſonus redditur. aliqua illic acuta eſt, aliqua grauis, alia media. accedunt viris fœminæ: interponuntur tibiæ: ſingulorum illic latent voces: omnium apparent. de choro dico quem veteres philoſophi nouerant. In comeſſationibus noſtris plus cantorum eſt, quàm in theatris olim ſpectatorum fuit. cùm omnes vias ordo canentium impleuit, & cauea æneatoribus cincta eſt, & ex pulpito, omne tibiarum genus organorúmque conſonuit, fit concentus ex diſſonis. Talem animum eſſe noſtrum volo, vt multæ in illo artes: multa præcepta ſint, multarum ætatum exempla, ſed in vnum conſpirata.* (Symphonia.) & epiſt. 88. *Ad muſicum tranſeo. Docet me quomodo inter ſe acutæ voces & graues conſonent. quomodo neruorum diſparem reddentium ſonum fiat concordia. Fac potiùs, quomodo animus ſecum meus conſonet, nec conſilia mea diſcrepent.*

IV. TESTIMONIO TVO.] Quia ſcilicet infamibus & meretricibus teſtimonium dicentibus nulla fides debet adhiberi. D. De teſtibus habetur reſcriptum Hadriani, *Alij verò propter notam & infamiam vitæ ſuæ, admittendi non ſunt ad teſtimonij fidem.* Quamuis mulieribus videtur quantumuis pudicis non licitum fuiſſe ad teſtimonium dicendum accedere. Gellius lib. 6. cap. 7. *Tarratiam Virginem Veſtæ fuiſſe, lex Horatia teſtis eſt, quæ ſuper ea ad populum lata. qua lege ei plurimi honores fiunt, inter quos ius quoque teſtimonij dicendi tribuitur. teſtabilíſque vna omnium fœminarum vt ſit, datur.* (Initio omnes mulieres inteſtabiles.) ac dubito an Liuius lib. 4. dec. 4. ad teſtimonium in priuatis rebus dicendum reſpexerit, *Maiores noſtri nullam ne priuatam quidem rem agere fœminas ſine auctore voluerunt: in manu eſſe parentum, fratrum, virorum. Nos (ſi Diis placet) iam etiam Rempubl. capeſſere eas patimur, & foro prope, & concionibus & comitiis immiſceri.* Licet Cornelius Tacitus 2. annalium longè aliter quàm Gellius (nam de Liuij mente non ſatis liquet) ſentire videatur. *Cæterùm*, inquit, *Vrgulaniæ potentia, adeò nimia ciuitati erat*, (quam ſupra leges amicitia Auguſtæ extulerat, vt paulò antè dixit) *vt teſtis in cauſâ quadam quæ apud Senatum tractabatur, venire dedignaretur. miſſus eſt Prætor, qui domi interrogaret: cùm Virgines Veſtales in foro & iudicio audiri, quoties teſtimonium dicerent vetus mos fuerit.* Paulus D. de teſtibus: *Ex eo quòd prohibet lex Iulia de adulteriis teſtimonium dicere condemnatam mulierem, colligitur etiam mulieres teſtimonij in iudicio dicendi ius habere.* Et Papinianus ibidem de eo qui adulterij damnatus fuerit. *Sanè iuſtè teſtimonio ei interdicetur.* Ex quibus vides poſt legem Horatiam abrogatâ veteri conſuetudine mulieres teſtimonij dicendi ius habuiſſe, præter adulteras & meretrices, quarum teſtimonium haudquaquam admiſſum eſt; (Pòſt impudicæ.) tum in aliis cauſis, tum maximè in causâ de vi qualis erat Cœliana. Calliſtratus D. de teſtibus. *Lege Iuliâ de vi cauetur, ne hac lege in reum teſtimonium dicere liceret*, &c. *qui ad beſtias vt depugnaret, ſe locauerit, quæve palam quæſtum faciet, fecerítve.* Quapropter neceſſe fuit, vt Clodia negaret ſe meretricio more cum Cœlio fuiſſe verſatam, vel ſuum teſtimonium, præſertim in cauſâ de vi nullius momenti eſſe fateretur. Suetonius in Claudio cap. 15. videtur id oſtendere non obſcurè: *Equitem quidem Romanum obſcœnitatis in fœminas reum, ſed falſò & ab impotentibus inimicis confictò crimine, ſatis conſtat, cùm ſcorta meritoria citari aduerſus ſe, & audiri pro teſtimonio videret, graphium & libellos quos tenebat in manu, ita cum magnâ ſtultitiæ & ſæuitiæ exprobratione ieciſſe in faciem eius, vt genam non leuiter perſtrinxerit.*

AXIOMATA.

Qui quæ arguit probare cogitat, debet reddere dictorum rationem.

Mulieris impudicæ teſtimonio non credendum.

ARGVMENTVM.

Lepidâ correctione ſeipſum reprehendens, Publium Clodium minimum Clodiæ fratrem in ſermonem inducit, ſic tamen vt & interim Cicero Clodiæ inceſtum grauiter inſectetur, & ipſe Clodius vrbanâ quadam monitione Clodiam ab inſectatione Cœlij, ita dehortetur, vt tamen ſororis ſuæ impudicitiæ vilificari videatur.

SIN autem vrbaniùs me agere mauis, ſic agam tecum. remouebo illum ſenem durum, ac pene agreſtem, ex hiſque tuis ſumam aliquem, ac potiſſimùm minimum fratrem tuum, qui eſt in illo genere vrbaniſſimus, qui te amat plurimùm, qui propter neſcio quam, credo, timiditatem, & nocturnos quoſdam inanes metus, tecum ſemper puſio cum maiore ſorore cubitauit. eum putato tecum loqui: Quid tumultuaris ſoror? quid inſanis? quid clamore exorſa, verbis, paruam rem, magnam facis? vicinum adoleſcentulum aſpexiſti: candor huius te, & proceritas, vultus, oculíque perpulerunt: ſæpius videre voluiſti: fuiſti nonnunquam in iiſdem hortis. vis, ô nobilis mulier, illum filium familias patre parco, ac tenaci, habere tuis copiis deuinctum? non potes: calcitrat: reſpuit: non putat tua dona eſſe tanti. confer te aliò. habes hortos ad Tiberim: ac diligenter eo loco paraſti, quò omnis iuuentus natandi cauſsâ venit, hinc licet conditiones quotidie legas. cur huic, qui te ſpernit, moleſta es? XXXVI.

EXPLANATIO.

SIN AVTEM.] Oratoria correctio. *Vrbaniùs* quàm aut ipſe tecum egerim, aut Appius Cæcus qui graui oratione tuam libidinem inſectans inductus eſt.

MINIMVM FRATREM TVVM.] P. Clodium.

QVI TE AMAT.] Per Ironiam inceſtum Clodij cum ſorore reprehendit.

NOCTVRNOS METVS.] Quales ſolent puerulis & puſionibus euenire.

VICINVM ADOLESCENTVLVM.] Marcum Cœlium habitantem in particulâ mearum ædium quæ ædes ædibus Metelli coniunctæ ſunt.

OCVLIQVE PERPVLERVNT.] Perculerunt legendum ait Lambinus, non perpulerunt. *Perculerunt autem, id eſt, ita mouerunt vt tu victa eius pulchritudine caderes: te euerterunt ſeu peruerterunt.*

NONNVNQVAM IN IISDEM HORTIS.] Hunc locum partim Lambinus, partim Fuluius Vrſinus ſic reſtituendum putant. *Fuiſti nonnunquam in iiſdem hortis: vis, ô nobilis mulier, illum filiumfamilias patre parco & tenaci habere tuis copiis deuinctum: non potes.* Quanquam vt verum fatear, vetus & vulgaris lectio nonnihil elegantior eſſe videatur.

CALCITRAT, RESPVIT.] Tuæ voluntati non obtemperat, aſpernatur tuum amorem. non putat tua dona eſſe tanti, vt eorum cauſa tibi velit ſuam libertatem addicere.

CONFER TE ALIÒ.] Ad alium amatorem te conuerte, quandoquidem ab iſto contemneris.

HINC LICET CONDITIONES QVOTIDIE LEGAS.] Ex iſtis iuuenibus qui ad tuos hortos natandi causâ conuenerint, licet tibi ad arbitratum deligas amatores.

NOTÆ.

NOCTVRNOS QVOSDAM INANES METVS.] De hoc timore nocturno & puerili eiúſque timoris inanitate, pulchrè Lucretius libro 2.

Omnis cùm in tenebris præſertim vita laboret.
Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt: ſic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ ſunt metuēda magis, quàm Metus nocturni & pueriles.
Quæ pueri in tenebris pauitant, fingúntq. futura.
Hunc igitur terrorem animi, tenebráſq. neceſſe eſt
Non radij ſolis, neque lucida tela diei
Diſcutiant, ſed naturæ ſpecies, ratióque.

Bene autem ab vtroque nocturnus metus dicitur, quòd adeò verum eſt, vt vel propter tenebrarum metum, Seneca mortem dicat timeri. ep. 82. *Naturalis præterea tenebrarum metus eſt, in quas adductura mors creditur.* Idē de metu inani & puerili epiſtolâ 4. *Adhuc enim non pueritia in nobis, ſed quòd eſt grauiùs puerilitas remanet: & hoc quidem peius eſt, quòd auctoritatem habemus ſenū, vitia puerorum, nec puerorum tantùm, ſed infantium. illi leuia, hi falſa formidant, nos vtraque.* Pulchrè Arrianus l. 2. diſſert. Epict. cap. 1. Ὡς γὰρ τοῖς παιδίοις τὰ προσωπεῖα φαίνεται δεινὰ καὶ φοβερὰ δι' ἀπειρίαν, τοιοῦτόν τι καὶ ἡμεῖς πάσχομεν πρὸς τὰ πράγματα. δι' οὐδὲν ἄλλο ἢ ὥσπερ καὶ τὰ παιδία πρὸς τὰς μορμολυκείας. τί γάρ ἐστι παιδίον; ἄγνοια. τί ἐστι παιδίον; ἀμαθία, &c. θάνατος τί ἐστι; μορμολύκειον· στρέψας αὐτὸ κατέμαθες. ἰδοὺ πῶς οὐ δάκνει, &c. πόνος τί ἐστι; μορμολύκειον. *Quemadmodum pueris propter inexperientiam laruæ terrorem incutiunt, ita & nos erga res quæ occurrunt, affecti ſumus, non aliam ob rem niſi propter quam terrentur pueri terriculamentis inanibus. Quid enim eſt puer? ignorantia. Quid eſt puer? inſcientia,* &c. *Mors verò quid? inane terriculamentum. Si conuerteris, videbis. Ecce quemadmodum*

non mordet? labor quid eſt? inane terriculamentum, &c.

VI. Pvsio cvm maiore sorore.] De induſtriâ vtitur verbis ambiguis, quæ quis vel ad honeſtum, vel ad obſcœnum ſenſum pro arbitratu facilè detorqueat. nam puſionis nomen nonnunquam pro paruulo quouis vſurpatum reperitur, vt à D. Hieronymo ad Furiam de ſeruanda viduitate: *An vereris ne proles Furiana deficiat, & ex te parens tuus non habeat puſionem qui reptet in pectore.* 2. Arnobius lib. 6. *Ergóne iniurias ſuas Dij vendunt, atque vt paruuli puſiones quo animis parcant abſtineántque ratibus, paſſerculos, pupulos, equuleos, panes accipiunt?* Sæpiſſimè tamen vox fuit amatoria, & impudica, vt videre eſt apud Iuuenalem Sat. 6. & Apuleium li. 9. *belliſsimus adulter ille puſio.* Quemadmodùm nomen puſi, & puſæ raro reperias aliter quàm in amoribus & nequitiis vſurpatum. vnde eſt illud apud Varronem *Papinij epigrammation, quod in adoleſcentem fecerat Caſcam*:

Puſio.

Ridiculum eſt cùm te Caſcam tua dicit amica,
Caſca Philippotomis ſeſquiſenex puerum.
Dic tu puſam illam, ſic fiet mutua muli.
Nam verè puſus tu, tua amica ſenex 'ſt.

Cuius epigrammatij lectio veráne ſit & germana, equidem nihil aſſero, cùm Octauius Pantagathus, Turnebus, & Scaliger hunc venerandæ antiquitatis auctorem à mendis vindicare conati, haudquaquam inter ſe conſenſerint. quos tu conſule. Horatius Sat. 3. lib. 2.

Puſam aut pupillam appellet.

quamuis alij, *Ruſam aut Ruſillam*, alij *Pupam aut pupillam* legendum exiſtimant.

VII. Sorore.] Soror honeſta, ſoror laſciua apud Poëtas. Horatius Sat. 3. lib. 2.

Mater, honeſta ſoror, cum cognatis. pater, vxor.

Tibullus elegia 9. lib. 1.

Nec laſciua ſoror dicatur plura dediſſe
Pocula, nec plures emeruiſſe viros.

Quia ſcilicet nominis huius ſanctitatem obſcœnæ appellationis impuritate fœdabant, & ad ſuos amores transferebant, qua de re Iuſtus Lipſius lib. 3. antiquarum lectionum, ex Tibullo ad Neæram. Seneca in Hippolyto, Petronio, Martiale lib. 2. epigr. 4. lib. 10. epigr. 65. Nos ſpicas legemus quæ ex metentis manibus exciderunt. Cornelius Gallus eleg. 2.

Frater. Soror.

Dicere ſeu fratrem, ſeu dedignaris amicum
Dic fratrem, affectum nomen vtrumque ſolet.

Xenarchus apud Athenæum lib. 13. meretricum mores deſcribens inter cætera ſic habet;

Αὗται βιάζονται γὰρ εἰσέλκουσί τε.
Τοὺς μὲν γέροντας ὄντας ἐπικαλούμεναι
Πατρίδια, τοὺς δ' ἀπφάρια τοὺς νεωτέρους.
Etiam recuſantes illæ per vim attrahunt.
Quippe ſeniores appellant paterculos,
At iuniores nominant fraterculos.

ἀπφάριον. De quo Euſtathius: Λέγει δ' ἀπφάρια κατά τινας τὰ ἀδέλφια· μάλιστα δὲ, ὡς εἰπεῖν, πατρίδια. ἀπφὺς γὰρ δωρικῶς ὁ πατὴρ, ἀφ' οὗ δηλαδὴ τὶς ἔφυ. id eſt, ἀπφάρια, *vt quidam volunt, dicit fraterculos. maximè verò, paterculos.* ἀπφὺς *enim doricè pater, ex quo videlicet quis natus eſt.* Non probat Euſtathius, vt ἀπφάρια exponatur *fraterculi.* Diſcedit (vt notat Caſaubonus) non ſolùm ab aliis, verùm etiam à ſeipſo: nam ſæpius idem ſcribit alibi ἀπφὰ, vel ἀπφὰν, vſitatum Atticis nomen inter blandientes inuicem fratres aut ſorores. Suidas vtrumque agnoſcit: ἀπφὰ ἀδελφῆς καὶ ἀδελφοῦ ὑποκόρισμα· καὶ ἀπφὺς ὑποκοριστικῶς ὁ πατήρ. Minutius Felix in Octauio Cæcilium Ethnicum ita de Chriſtianis loquentem inducit. *Paſſim etiam inter eas quædam libidinum religio miſcetur, ac ſe promiſcuè appellant fratres ac ſorores.* Vnde Græci Deam iugalem ſiue Venerem, ſiue Lucinam: Κασνίαν καὶ Μελιναίαν Θεὸν vocabant, quam vocem ſic interpretatur Lycophronis Scholiaſtes: Κασνίαν τοῦτ' ἔστι τὴν ἀδελφοποιόν. οἱ γὰρ ἐρῶντες λέγουσιν, Ἀδελφός. *Caſtniam, hoc eſt, facientem fratres & ſorores: nam amatores dicunt, Frater.* Plautus act. 4. ſc. Aſinariæ:

ἀπφύς.

Hominem alienúmque introducat neminem
Quòd illa aut amicum ſuum, aut patronum nominet,
Aut quòd ille amicam ſuam aut ſororem prædicet.

IV. Vicinvm adol. adspexisti.] Plato in Cratylo: Ἔρως δὲ ὅτι ἐσρεῖ ἔξωθεν, καὶ οὐκ οἰκεία ἐστὶν ἡ ῥοὴ αὕτη τῷ ἔχοντι, ἀλλ' ἐπείσακτος διὰ τῶν ὀμμάτων. *Amor dicitur quòd extrinſecus influat, neque ei qui amorem ſentit domeſticus eſt eius influxus, ſed aduentitius eſt per oculos.* Lucianus in amoribus: Οὕτω τις ὑγρὸς τοῖς ὄμμασιν ἐνοικεῖ μύωψ, ὃς ἅπαν κάλλος εἰς αὐτὸν ἁρπάζων, ἐπ' οὐδενὶ κόρῳ παύεται. *Tam mollis oculis inhabitat tauanus, qui omnem pulchritudinem ad ſe rapiens nulla ſatietate ceſſat.* Philemon apud Clementem Alexandrinum 6. ſtromatum:

ἔρως vnde nomen.

Ὁρῶσι πάντες πρῶτον, εἶτ' ἐθαύμασαν,
Εἶτ' ἐπεθεώρησαν, εἶτ' ἐς ἐλπίδα
Ἐνέπεσον, οὕτω γίγνετ' ἐκ τούτων ἔρως.
Primùm intuentur, inde mirantur, dein
Attentiùs ſpectant, deinde in ſpem incidunt,
Taliquc pacto naſcitur ab iſtis amor.

Iliados 14. verſu 294.

Ὡς δ' ἴδεν, ὥς μιν ἔρως πυκινὰς φρένας ἀμφεκάλυψεν.
Vt verò vidit, vt ipſi amor prudentem (denſam) mentem circumtexit. Amor ex oculis.

Virgilius fœliciter:

Vt vidi, vt perij, vt me malus abſtulit error.
Et:
Carpit amor vires paulatim vritque videndo
Fœmina. Propertius:
Si neſcis, oculi ſunt in amore duces.

Nonnus 7. Dionyſiacon ver. 203.

Ἀστατον ὄμμα φέρων γαμίης ὀχετηγὸν ἀνάγκης.
Inſtabilem voluens oculum qui cogit amores.

Vide Platonem in Phædro fuſiſſimè iuxta & pulcherrimè docentem, quomodo amor ſenſim per oculos excitetur, quæ ne longior ſim prætermittam, verbis diſcipuli, Maximi Tyrij concione decimâ contentus. Ἀρχὴ δ' αὐτοῦ (τοῦ ἔρωτος) ἄνθος σώματος ἐπιχύμενον δι' ὀφθαλμοῖς, καὶ δι' αὐτῶν ἐπὶ τὴν ψυχὴν ῥέον. ὁδοὶ γὰρ κάλλους οἱ ὀφθαλμοί. *Principium verò huius amoris flos eſt corporis means in oculos, & per ipſos in animam fluens. viæ enim pulchritudinis ſunt oculi.* Peruerſus ordo, vt inquit, ſi amor oculis, & non animo generetur. Nam amoris honeſti, verique, Ἀρχὴ δ' αὐτοῦ ψυχῆς ἄνθος ἐν σώματι διαφαινόμενον, οἷον εἰ ξανθῆς ποταμοῦ κάλλος λειμῶνι ἐπιρρέον. καλὰ μὲν τὰ ὑπ' αὐτοῦ ἄνθη λαμπρυνόμενα δ' ὑπὸ τοῦ ὕδατος πρὸς τὴν ὄψιν. τοῦτο δύναται καὶ ψυχῆς ἄνθος ἐμφυτευόμενον σώματι καλῷ. ἐκλαμπρύνεται ὑπ' αὐτοῦ καὶ ἐκλάμπει, καὶ διαφαίνει), καὶ ἔστι σωμάτων ὥρα οὐδὲν ἄλλο, ἢ μελλούσης ἀρετῆς ἄνθος, καὶ οἱονεὶ προοίμιον κάλλους ὡραιοτέρου. ὥσπερ γὰρ τοῦ ἡλίου προσαίρει τις Amor vnde oriatur.

ἀυγὴ ὑπὲρ ἄκρων ὀρῶν, ἀγαπητὸν ὀφθαλμοῖς θέαμα διὰ τὴν προσδοκίαν τοῦ μέλλοντος. οὕτω καὶ τῆς λαμπρᾶς ψυχῆς προμηνύει τις ὥρα ὑπὲρ ἄκρων τῶν σωμάτων, ἀγαπητὸν φιλοσόφοις θέαμα διὰ τὴν προσδοκίαν τοῦ μέλλοντος. *Principium verò eius flos eſt animi in corpore tranſparens, vt ſi animo fingas fluuij pulchritudinem in pratum influentem. pulchri quidem ſunt ſubiecti flores, ſed aqua illuſtrati ſunt oculis pulchriores. Eandem vim habet flos animi in pulchro corpore ſatus. illuſtratur ab eo, & effulget, & tranſparet, & corporum dignitas nihil eſt aliud quàm flos virtutis futuræ, & tanquam formæ pulchrioris exordium. quemadmodum enim in montium faſtigio radius quidam ſolem antecedens apparet, iucundum oculis ſpectaculum propter expectationem futuri: ſic illuſtris animæ præuia exoritur quædam pulchritudo in corporum ſummitate, amabile philoſophis ſpectaculum propter expectationem futuri.* Et quidem quòd amor oculis hauriatur, Apuleius lib. 2. Aſini ſui, teſtis eſt non tam luculentus quàm & oratione, & ſenſu, & rebus omnibus lutulentus. *Simul ac quemquam conſpexit ſpecioſæ formæ iuuenem, venuſtate eius capitur, & illicò in eum & oculum & animum detorquet.* Sed hæc ſatis in re tam omnibus expedita, quanquam non debeo illud Xenophontis primo Memorabilium præterire. Οὐκ οἶσθα, ἔφη, καὶ τὰ φαλάγγια οὐδὲ ἡμιωβολιαῖα τὸ μέγεθος ὄντα προσαψάμενα μόνον τῷ στόματι, ταῖς τε ὀδύναις ἐπιτρίβει τοὺς ἀνθρώπους καὶ τοῦ φρονεῖν ἐξίστησι; Ναὶ μὰ Δία, ἔφη, ὁ Ξενοφῶν. ἐνίησι γάρ τι τὰ φαλάγγια κατὰ τὸ δῆγμα. ὦ μωρὲ, ἔφη Σωκράτης, τοὺς δὲ καλοὺς, οὐκ οἴει φιλοῦντας ἐνιέναι τι ὅτι σὺ οὐχ ὁρᾷς; οὐκ οἶσθ' ὅτι τοῦτο τὸ θηρίον, ὃ καλοῦσι καλὸν καὶ ὡραῖον, τοσούτῳ δεινότερον ἐστὶ τῶν φαλαγγίων, ὅσῳ ἐκεῖνα μὲν ἁψάμενα, τοῦτο δὲ οὐδ' ἁπτόμενον, ἐάν τις αὐτὸ θεᾶται, ἐνίησί τε καὶ πάνυ πρόσωθεν τοιοῦτον, ὥστε μαίνεσθαι ποιεῖν; ἴσως δὲ καὶ οἱ ἔρωτες τοξόται διὰ τοῦτο καλοῦνται, ὅτι καὶ πρόσωθεν οἱ καλοὶ τιτρώσκουσιν. *Neſcis, inquit, phalangia*, genus eſt araneorum, *cùm non ſint medij oboli magnitudine, ſi tamen quempiam ore tetigerint, tot doloribus tactum conficere, vt etiam à mente deturbent. Herculè, inquit Xenophon. morſu enim phalangia neſcio quid emittunt. O ſtulte, inquit, formoſos cùm oſculantur, an, quia nihil vides, non putas quicquam mittere? neſcis hanc belluam, quam pulchrum & formoſum appellant, eo periculoſiorem eſſe phalangiis, quod illa cùm tacta, iſta etiam ſine tactu: ſi tantùm inſpexeris, neſcio quid eminus iaculantur, quod inuehat inſaniam fortaſſe, & amores ideo iactatores appellantur, quia pulchri eminus vulnus infligunt.* Ideóque ſapienter monet ab huiuſmodi aſpectibus quam longiſſimè fugiendum. ſapientiùs, opinor, & ſecuriùs quam Ageſilaus, qui ſaltem oculorum tenus amorem ſolebat admittere. Simile illud Propertij lib. 3. eleg. 20. *Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.* Maximus Tyrius loco proximè citato: Ἀγησιλάῳ δὲ μέχρι τῶν ὀφθαλμῶν προσπελάσας ὁ ἔρως, ἐνταῦθα ἔστη ἐπὶ θύραις τῆς ψυχῆς. *Ageſilao cùm amor ad oculos peruenerat, ibi conſiſtebat in ipſo animæ veſtibulo.* Prætermitto eos qui amoris concepti ab oculis ſuis pœnas exegerint, vt Homerum de quo Heſychius illuſtrius, Ὅμηρος ἱστορεῖται γενέσθαι τυφλὸς ἡττηθεὶς ἐπιθυμίας, ἣ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν ἔρχεται. *Homerum aiunt ſibi cæcitatem attuliſſe eâ cupiditate victum, quæ per oculos illabitur.*

Amor honeſtus. Pulchritudo virtutis indicium.

V. Procerltas.] Adoleſcentis pulchritudinem deſcribens, iure proceritatis facit mentionē. Ariſtoteles lib. 4. ethic. cap. 3. Ἐν μεγέθει γὰρ ἡ μεγαλοψυχία, ὥσπερ καὶ τὸ κάλλος ἐν μεγάλῳ σώματι. οἱ μικροὶ δ' ἀστεῖοι καὶ σύμμετροι, καλοὶ δ' οὔ. *In magnitudine verò magnanimitas conſiſtit, quemadmodum & in magno corpore pulchritudo. nam parui ciuiles quidem & commenſurati ſunt, nequaquam verò pulchri.* Achilles Homericus 21. Iliados verſu 108.

Οὐχ ὁρᾷς οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας τε.
Nónne vides quàm ſim magnus, quàm corpore
pulchro?

Et apud Virgilium ille:

- præſtanti corpore Turnus
Vertitur in mediis, & toto vertice ſupra eſt.

Vnde & ab Apuleio lib. 2. Aſini aurei inter cætera pulchritudinis indicia numerantur. *Inenormis proceritas, ſucculenta gracilitas, rubor temperatus.* Cornelius etiam Celſus: *Longa ſtatura, vt in iuuenta decora eſt, ſic in maturâ ætate conficitur.* Sed hic operæpretium non eſt immorari, cùm Dio Chryſoſtomus orationem de Pulchritudine his verbis incœperit, ὡς ὑψηλὸς ὁ νεανίσκος καὶ ὡραῖος, *quàm procerus & formoſus adoleſcens.* Eunapius in Priſco: κάλλος δ' ὢν καὶ μέγας ὀφθῆναι. & in Proæreſio facta pulchritudinis eius mentione ſubdit: Τὸ δὲ μέγεθος ἦν ἡλίκον ἄν τις οὐ πιστεύσειεν, ἀλλ' εἰκάσειε μόλις. ἀνεστηκέναι γὰρ εἰς ἕνα τὸν πόδα κατεφαίνετο, ὥστε κολοσσὸς ἐδόκει παρὰ τοὺς μεγίστους ὁρώμενος τῶν καθ' ἑαυτὸν ἀνθρώπων. *Maiore fuit ſtatura quàm quis credat, imo ne coniicias quidem facile: vno namque pede cæteris altior extabat, inſtar coloßi, &c.* Theodoricus: *Exacto corpore, longißimis breuior; procerior eminentiórque mediocribus.* A Sidonio lib. 1. epiſt. 2. deſcribitur. Plutarchus in Ageſilao: εὐπρεπὴς τὸ εἶδος καὶ τὸ μέγεθος τοῦ σώματος. *Formâ & corporis proceritate pulcherrimus.* Lucanus in Proxeno: μέγας εἰς καὶ καλὸς, ἀρρενωπήν τινα τὴν εὐμορφίαν.

Ocvliqve.] Superiùs oſtendimus oculis amorem hauriri, & amantis oculos eſſe meatus, quibus amor ad intimos animi ſenſus irreperet, nunc paucis oſtendamus, amorem ex eorum, qui amantur, oculis & aſpectu maximè proficiſci. Nonnus lib. 42. Dionyſiacωn ſuo more pulcherrimè: VI.

Ὀφθαλμοὶ γελόωντος ἀκοντιστῆρες ἐρώτων.
-ridens oculus iaculator amorum.

Bellè Anacreon:

Οὐχ ἵππος ὤλεσέν με
Οὐ πεζὸς, οὐχὶ νῆες.
Στρατὸς δὲ καινὸς ἄλλος
Ἀπ' ὀμμάτων βαλών με.

Vertit Henricus Stephanus:

Me non eques pedéſve
Non perdidere naues.
Aliud nouum ſed agmen
Dominæ inſidens ocellis
Et inde tela mittens.

Nec infœliciùs Plutarchus lib. 5. conuiua[illegible] quæſtionum problemate 7. Τοσαύτη γίνεται διάδοσις καὶ ἀνάφλεξις ἀπὸ τῆς ὄψεως, ὥστε παντελῶς ἀπείρους ἔρωτος ἡγεῖσθαι, τοὺς τὴν Μηδικὸν νάφθαν θαυμάζοντας ἐκ διαστήματος ὑπὸ τοῦ πυρὸς ἀναφλεγομένην. αἱ γὰρ τῶν καλῶν ὄψεις κἂν πόῤῥωθεν ἀντιβλέψωσι, πῦρ ἐντὸς τῶν ἐρωτικῶν ψυχαῖς ἀνάπτουσι. καὶ μὴν τόγε τῶν ἰκτερικῶν βοήθημα πολλάκις ἱστοροῦμεν. ἐμβλέποντες γὰρ τῷ χαραδριῷ θεραπεύονται. *Tanta exiſtit exhalatio & inflammatio ab aſpectu, vt amoris experimentum nullum habere videantur,*

qui Medicam naphtam ex interuallo ad ignem incendi mirantur. nam formoſorum adſpectus, etiamſi èminùs adſpexerint ignem, in eorum qui ad amorem propenſi ſunt, pectoribus accendunt. Atqui ictericorum ſanè eorum qui flauedine laborant, remedium ſæpe narramus. reſpicientes enim in charadrium curantur. Athenæus 13. Dipnoſophiſtarum: Καὶ ὁ Ἀριστοτέλης δὲ ἔφη, τοὺς ἐραστὰς οὐδὲν ἄλλο τοῦ σώματος τῶν ἐρωμένων ἀποβλέπειν, ἢ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐν οἷς τὴν αἰδῶ κατοικεῖν. *Et Ariſtoteles amatores ait in amaſiis aliud nihil, quàm oculos, in quibus pudor habitat intueri.* Subdit Athenæus: Ὁ δὲ μεγαλοφωνότατος Πίνδαρος, ταῖς δὲ Φιλοξένου, φησὶν, ἀκτῖνας, ὄσσων μαρμαριζοίσας δρακεὶς, ὃς μὴ πόθῳ κυμαίνεται, ἐξ ἀδάμαντος ἢ σιδάρου κεχάλκευται μέλαιναν ψυχάν. *Vocaliſſimus verò Pindarus, Philoxeni, inquit, oculorum radios fulgurantes intuens, qui non amore fluctuat, ex adamante aut ferro compactus eſt mentem nigram.* Quare ab oculis pulchritudinem maximè ſolent deſcribere. Muſæus de Leandro verſu 65.

Ὀφθαλμὸς γελόων ἑκατὸν χαρίτεσσι τεθήλει.
At centum charites oculo ridente refulgent.

Apud Athenæum libro 4. Euripides:

ΕΙ δ' ἡ Κύπρις τοιοῦτον ὀφθαλμοῖς ὁρᾷ,
ΟΥ θαῦμ' ἔρωτας μυρίους αὐτὴν ἔχειν.

Id eſt, ſecundum Magni Senecæ verſionem epiſtola 115.

Tam dulce ſi quid Veneris in vultu micat,
Meritò illa amores cœlitum atque hominum trahit.

Elegantiùs quidem verti non potuit, ſed tamen ad verbum & ad rem noſtram expreſſiùs:

Tam dulce ſi quid Veneris ex oculis micat
Næ meritò amores illa ſexcentos habet.

Tibullus lib. 1. in laude Sulpitiæ:

Illius ex oculis cùm vult exurere Diuos
Accendit geminas lampadas acer amor.

Quod autem ſubdit perculerunt pulchrè Muſæus, vt cæteros omittam:

Κάλλος γὰρ περίπυστον ἀμωμήτοιο γυναικὸς
Ὀξύτερον μερόπεσσι πέλει πτερόεντος ὀϊστοῦ
Ὀφθαλμὸς δ' ὁδός ἐστιν· ἀπ' ὀφθαλμοῖο βολάων
Ἕλκος ὀλισθαίνει, καὶ ἐπὶ φρένας ἀνδρὸς ὁδεύει.
Namque inculpatæ ſpecies memoranda puellæ
Alatum ſuperat præacutâ cuſpide telum.
Eſt oculus via certa. oculi ſpectantis ab ictu
Labitur in mentem transfixo pectore vulnus.

Quod Achilles Tatius libro primo tantumnon verbatim expreſſit. Sed haud ſcio an omnium optimè S. Orientius:

Nam malè permixto ludentia lumina viſu
Blandè ſæpè ſolent ore tacente loqui.
Atque amor, vt lacrymæ quas fundi iniuria cogit,
Ex oculis ſurgit, pectoris ima petit.

711. SÆPIUS VIDERE VOLVISTI.] Hoc nimirum eſt inualeſcentis amoris indicium, cùm quis alium ſæpius videre deſiderat. quo in genere feſtiua eſt apud Xenophontem lib. 1. Cyropædiæ narratio. refert Cyri conſanguineum vix ab eo digreſſum. Καὶ ὁδόν τε οὔπω πολλὴν διεληλύθασι αὐτοῖς, καὶ τὸν Μῆδον ἥκειν πάλιν ἱδρῶντι τῷ ἵππῳ. καὶ τὸν Κῦρον ἰδόντα, ἀλλ' ἤ, φάναι, ἐπελάθου τι ὧν ἐβούλου εἰπεῖν; οὐ μὰ Δία, φάναι, ἀλλ' ἥκω διὰ χρόνου. καὶ τὸν Κῦρον εἰπεῖν, Νὴ Δία, ὦ σύγγενες, δι' ὀλίγου γε. ποίου ὀλίγου; εἰπεῖν τὸν Μῆδον· οὐκ οἶσθα, φάναι, ὦ Κῦρε, ὅτι καὶ ὅσον σκαρδαμύττω χρόνον, πάνυ πολύς μοι δοκεῖ εἶναι, ὅτι οὐχ ὁρῶ σε τότε τοιοῦτον ὄντα; ἐνταῦθα δὴ τὸν Κῦρον γελάσαι τε ἐκ τῶν ἔμπροσθεν δακρύων, καὶ εἰπεῖν αὐτῷ. ἀπιόντα θαρρεῖν ὅτι παρέσται αὐτοῖς ὀλίγου χρόνου. ὥστε ὁρᾶν σοι ἔξεστι, κἂν βούλῃ, ἀσκαρδαμυκτί. *Neque multùm adhuc itineris confecerat, & Medus equo ſudante rurſum acceſſit. Et Cyrus, Ecquid, inquit, eorum quæ volebas, oblitus es? Nihil Hercle, inquit, ſed venio, poſt aliquod tempus. Cui Cyrus, Ita mediuſfidius, ô cognate, ſed poſt modicum. Quomodo modicum? an ignoras, me vel illud tempus, quo oculis nictans, te qui tam egregius es videre nequeo, mihi videri longiſſimum? hic Cyrus prioribus lacrymis deterſis ſubridens. abi, inquit, & bono animo fac ſis, redibo paulò pòſt, méque tuo arbitratu videre poteris oculis non nictantibus.* Ita Critobulus de Clinia, cuius pulchritudinem deperibat, ſic à Xenophonte in conuiuio loquens inducitur. Ἄχθομαι δὲ καὶ νυκτὶ καὶ ὕπνῳ, ὅτι ἐκεῖνον οὐχ ὁρῶ. ἡμέρᾳ δὲ καὶ ἡλίῳ τὴν μεγίστην χάριν οἶδα, ὅτι μοι Κλεινίαν ἀναφαίνουσιν. *Et nocti & ſomno iraſcor, quòd eum videre non poſſum: ſoli verò, & diei maximam habeo gratiam, quòd eum mihi oſtendunt.* Ex quo etiam manauit elegans illud Platonis epigramma εἰς Ἀστέρα ἀστρόλογον τὸν ἐρώμενον apud Laërtium:

Amatores quos amant ſæpius videre volunt.

Ἀστέρας εἰσαθρεῖς Ἀστὴρ ἐμὸς, εἴθε γενοίμην
Οὐρανὸς, ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σὲ βλέπειν.
Spectas aſtra, nitens Aſter meus, ô ego ſi ſim,
Cœlum, quò te oculis pluribus aſpiciam.

Et eius diſcipulus Ariſtoteles, apud eundem Laërtium: Πρὸς τὸν πυθόμενον διὰ τί καλοῖς πολὺν χρόνον ὁμιλοῦμεν. τυφλοῦ, ἔφη, τὸ ἐρώτημα. *Rogante quodam cur cum pulchris multo tempore verſemur. Cæci, inquit, eſt hoc rogare.* Plutarchus opuſculo Quomodo quis ſentiat ſe in virtute proficere. Ἔρωτος ἀρχομένου σημεῖόν ἐστιν, οὐ τὸ χαίρειν τῷ καλῷ παρόντι (τοῦτο γὰρ κοινόν ἐστιν) ἀλλὰ τὸ δάκνεσθαι καὶ ἀλγεῖν ἀποσπώμενον. *Incipientis amoris indicium, non gaudere pulchris præſentibus, (hoc enim omnibus commune eſt) ſed morſu quodam doloris vellicari, cùm te abduxeris.* Diuus Gregorius Nazianzenus περὶ τῶν καλλωπιζομένων γυναικῶν.

Ἀρχὴ γὰρ φιλότητος ἀναιδέος ὄψις ἀναιδής.

vertit Morellus:

Sunt laſciui oculi fœdi primordia amoris.

Pulchrè etiam Ambroſius libro de pœnitentia cap. 14. *Oculus meretricis laqueus amoris eſt, ipſi nobis oculi noſtri retia ſunt, & ideo ſcriptum eſt, neque capiaris oculis tuis,* &c. *ipſis nobis vincula nectimus, ſicut legimus quia vinculis peccatorum ſuorum vnuſquiſque adſtringitur.* Vide initio libri 5. Cyropædiæ longè pulcherrima. Cyrus amico Araſpæ Panthiam venuſtiſſimam mulierem captiuam ſeruandam commiſerat. Ὁ Ἀράσπας ἐπήρετο. Ἑώρακας δ' ἔφη, ὦ Κῦρε, τὴν γυναῖκα, ἥν με κελεύεις φυλάττειν. Μὰ Δί', ἔφη ὁ Κῦρος, οὐκ ἔγωγε. Πολύ γε ἧττον εἰ τοιαύτη ἐστὶν οἵαν σὺ λέγεις. *Rogauit eum Araſpes. Vidiſti, ô Cyre, hanc mulierem, quam mihi ſeruandam tradidiſti. Non Herclè, inquit Cyrus, & multo minùs ſi talis eſt qualem eſſe dicis.* Δέδοικα μὴ πολὺ θᾶττον ἐκείνη με αὖθις ἀναπείσῃ, καὶ πάλιν ἐλθεῖν θεασόμενον. Ἐκ δὲ τούτου ἴσως ἂν ἀμελήσας ὧν με δεῖ πράττειν, καθήμην ἐκείνην θεώμενος. *Vereor ne multò celeriùs ea mihi perſuadeat vt redeam poſtquàm ſpectauero. Ex eo forſitan eorum quæ mihi facienda ſunt abiectâ curâ, ſederem eam contemplans.* Et aliquantò pòſt: Καὶ πῦρ γάρ τοι ἐστὶ θίγοντα μὴ εὐθὺς καίεσθαι, καὶ τὰ ξύλα οὐκ εὐθὺς ἀναλάμπει· ὅμως ἔγωγε οὔτε πυρὸς ἑκὼν εἶναι ἅπτομαι, οὔτε τοὺς καλοὺς εἰσορῶ. οὐδέ γέ σοι συμβουλεύω, ἔφη, ὦ Ἀράσπα, ἐν τοῖς καλοῖς ἐᾷν τὴν

Cauẽdus mulierum adſpectus.

ὄψιν ἐνδιατρίβειν. ὡς τὸ μὲν πῦρ τοὺς ἁπτομένους καίει, οἱ δὲ καλοὶ καὶ τοὺς ἄποθεν θεωμένους ὑφάπτουσιν, ὥστ' αἴθεσθαι τῷ ἔρωτι. *Et fieri poteſt vt qui ignem tetigerit, non ſtatim comburatur, neque ligna primo quoque tempore ardeſcunt, tamen neque ſponte ignem tango, neque formoſos adſpicio. Neque tibi auctor ſum, ô Araſpa, vt obtutum tuum in pulchris diutiùs hærere patiaris. Adeò ignis eos qui tetigerint comburit, formoſi verò etiam eminùs ſpectantes inflammant vt amore inardeſcant.* Pulchrè Muſæus,

Παπταίνων ἐμόγησα, κόρον δ' οὐχ εὗρον ὀπωπῆς.
Laſſaui, ſed non ſatiaui lumina viſu.

Nec abludit illud Heliodori 2. Æthiop. Γίγνεται δὴ κἀμοῦ κρείττων ὀφθεῖσα πολλάκις ἐνίκα τὴν διὰ βίου μοι μελετηθεῖσαν ἐγκράτειαν. *Sæpius viſa me ſuperior euaſit, & continentiam toto vitæ meæ tempore ſpectatam ſuperauit.* Sed quoniam in hunc auctorem incidimus, placet totum hunc de oculis locum optimis eius verbis è libro ſequẽti depromptis concludere. Hic igitur poſtquàm de oculorum faſcinatione diſſeruit, Τεκμηριούτω δέ σοι τὸν λόγον, inquit, εἴπερ ἄλλο τι καὶ ἡ τῶν ἐρώτων γένεσις. οἷς τὰ ὁρώμενα τὴν ἀρχὴν ἐνδίδωσι καὶ οἷον ὑπηνέμια διὰ τῶν ὀφθαλμῶν τὰ πάθη ταῖς ψυχαῖς εἰστοξεύονται. Καὶ μάλα γ' εἰκότως. τῶν γὰρ ἐν ἡμῖν πόρων τε καὶ αἰσθήσεων, πολυκίνητόν τε καὶ θερμότατον οὖσα ἡ ὄψις δεκτικωτέρα πρὸς τὰς ἀπορροίας γίνεται τῷ κατ' αὐτὴν ἐμπύρῳ πνεύματι τὰς μεταβάσεις τῶν ἐρώτων ἐπισπωμένη. *Probatio ſit ſermonis cumprimis amorum generatio, quibus ea quæ ſpectantur dant initium, & cupiditates oculis tanquam interiecto deuectas aëre iaculantur. Et meritò id quidem. cùm enim viſus omnium corporis meatuum mobiliſſimus ſit, & calidiſſimus aptior eſt ad ſuſcipiendos effluxus, ingenito ſibi igneo ſpiritu attrahens amores in ſe tranſeuntes, & vltrò citróq; commeantes.* Hæc Heliodorus eleganter. Adde Clementem Alexandrinum lib. 3. Pædag. cap. 11. Κλαδαροὶ δ' ὄψεις καὶ τὸ ἐνιλλώπτειν, ὃ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν βλεφαρίζειν ἐστὶν, οὐδὲν ἄλλο, ἢ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν μοιχεύειν ἐστὶν, ἀκροβολιζομένης τῆς ἐπιθυμίας δι' αὐτῶν. *Vibrantes aſpectus, & fractim patrare, quod eſt oculis conniuentibus palpebríſq; micantibus intueri, nihil eſt aliud quàm mœchari oculis, cupiditate per illos ineunte prima pugnæ præludia.* Certè noſter Cornelius à Lapide in Danielem matronæ cuiuſdam imprimis probæ & prudentis mentionem facit, quæ ſuum confeſſarium monebat, ne vnquam oculos in mulierum vultu defigeret: Neminem eſſe tam ſanctis ſeueríſque moribus ornatum, quem, ſi per horæ quadrantem alloqui liceat, & oculis vltrò citróque colludentibus intueri, non poſſit ad inſanos ſui amores impellere. Adeò paciſcendum fœdus cum oculis noſtris, vt ne de virgine quidem cogitemus.

Amorum generatio.

VIII. PATRE PARCO ET TENACI.] C. Baſſus lib. de origine verborum & vocabulorum, vt eius verba à Gellio lib. 3. Noct. Attic. referuntur. *Parcus, inquit, compoſito vocabulo, dictus eſt quaſi par arcæ: quando ſicut in arca omnia reconduntur, eiúſque cuſtodiâ ſeruantur, & continentur: ita homo tenax paruóque contentus, omnia cuſtodita & recondita habet, ſicuti arca: quam ob cauſam parcus, quaſi par arcæ nominatus eſt.* Phauorinus ibidem mauult, *parcum ob eam cauſam dictum quod pecuniam conſumi atque impendi arceat, & prohibeat quaſi pecuniarius,* aut *ab eo quod eſt parum & paruum* denominari. Tamẽ pro Baſſo facit quod parci & tenaces non quidem cum arcâ, ſed cum fictili ſitula elegantiſſimè comparantur à Plutarcho περὶ φιλοπλουτίας his verbis. ὥσπερ οἱ κεραμεοῖ σωλῆνες οὐδὲν ἀναλαμβάνοντες εἰς ἑαυτοὺς, ἀλλ' ἕκαστος εἰς ἕτερον ἐξ ἑαυτοῦ μεθιεὶς, ἄχρις ἄν τις ἔξωθεν ἢ συκοφάντης, ἢ τύραννος ἐκκόψας τὸν φυλάττοντα, καὶ κατερρήξας ἀλλαχόσε παρατρέψῃ, καὶ παροχετεύσῃ τὸν πλοῦτον. *Vt fictiles canales nihil in ſeipſis recipientes, ſed vnuſquiſque in alium ex ſe dimittens, donec aliquis vel ſycophanta, vel tyrannus extrinſecùs veniens, frangens & comminuens eum qui diuitias ſeruat, eas alio diuertat ac diſtrahat.* Nota hæc duo verba ſæpe cõiungi. Suetonius in Tib. cap. 46. *Pecuniæ parcus ac tenax.* Propertius lib. 2. eleg. 23. Patrem adſtrictum appellat.

Parcus. Tenax.

Differet hæc nunquam, nec poſcet garrula, quæ te
Aſtrictus ploret ſæpe dediſſe pater.

TVIS COPIIS.] Eleganter *copiis habere deuinctum,* quaſi vinctum aureis catenis, ita beneficiis obligatum retinere. Herodotus in Thaliâ de Democede qui Darium grauiter affectum ſanauerat. Δωρέεται δέ μιν μετὰ ταῦτα ὁ Δαρεῖος πεδέων χρυσέων δύο ζεύγεα. ὁ δέ μιν ἐπείρετο εἴ οἱ διπλήσιον τὸ κακὸν ἐπίτηδες νέμει, ὅτι μιν ὑγιέα ἐποίησε. *Ob quam curationem poſteà cùm eum Darius duarum compedum aurearum paribus donaſſet, interrogauit Democedes, nunquid ideò ſe duplici malo remunerandum putaret, quòd ab eo ſoſpes ipſe foret effectus.* Et Dio Caſſius lib. 60. de Claudio Imperatore, ἐπειδή τε Σαρδίνιός τις βουλεῦσαι δυνάμενος, ἐς τὴν Καρχηδόνα ἐξῴκησε, σπουδῇ τε αὐτὸν μετεπέμψατο, καὶ, ἔφη, ὅτι χρυσαῖς σε πέδαις δήσω. καὶ ὁ μὲν οὕτω τῷ ἀξιώματι πεδηθεὶς κατὰ χώραν ἔμεινε. *Cùm Sardinius quidam cenſum Senatorium poſſidens, habitandi cauſâ, Carthaginem ſemigraret, eum magno ſtudio reuocauit. &, aureis, inquit, ego te compedibus obligabo. & ita, ille ſenatoria dignitate deuinctus, in vrbe remanſit.* IX.

Aureis catenis retinere.

HABERE.] Tibullus lib. 1. eodem ſenſu.

Ferreus ille fuit, qui te cùm poſſet habere X.
Maluerit prædas ſtultus & arma ſequi.

Maro Eclogâ 1.

Poſtquam nos Amaryllis habet, Galatæa reliquit.

Eclogâ 3.

-& Phyllida ſolus habeto.

Naſo 1. remed.

Redde Parin nobis, Helenam Menelaus habebit.

Habere. Tenere.

Theocritus Eidyllio 2.

Πᾶσαν ἔχει με τάλαιναν ὁ Μύνδιος.
Totam habet en miſeram me Myndius.

Vnde & illud Ariſtippi apud Laërtium & alios paſſim. ἔχω Λαΐδα, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι. *habeo Laïdem, ſed non habeor.* Habere itaque aliquem eſt eius amorem poſſidere. contra Terentius ſc. 1. Adelph.

-habui, amaui pro meo:
In eo me oblecto, ſolum id eſt carum mihi.
Ille vt item contra me habeat, facio ſedulò.

Habui, id eſt amaui, habeat, amet, non ametur. paulò pòſt dixit, *retinere.*

Pudore & liberalitate liberos
Retinere, ſatius eſſe credo, quàm metu.

Quintus Cicero de petitione Conſulatus. *Adoleſcentes nobiles elabora vel vt habeas, vel vt teneas ſtudioſos tui quos habes.*

DEVINCTVM.] Videtur Eidyllium ſecundum Theocriti præ oculis habuiſſe, è quo non pauca libauerit. *habere* ἔχει με Μύνδιος. *Deuinctum, calcitrat, reſpuit.* XI.

Ἐκ θυμῶ δέδεμαι. ὁ δέ μευ λόγον οὐδένα ποιεῖ.
Vincior ex animo. nihil hic mea vincula curat.

Oculi perculerunt.
Ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην, ὥς μευ περὶ θυμὸς ἰάφθη.
Vt vidi, vt perij, vt me malus abſtulit error.

Paulò pòſt dicet Noſter ex Terentio, *Fores effregit.* Ibi Simetha:

Vincula amoris.

-οὐδέ ποθ' ἥκει
Οὐδ' ἔγνω πότερον τεθνάκαμες, ἢ ζοοὶ εἰμές,
Οὐδὲ θύρας ἄραξεν ἀνάρσιος.
Non redit, aut nouit ſim viua an mortua, noſtras
Effregitne fores durus.-

Cæterùm vinculum amoris à Plauto pulchrè deſcribitur initio Aſinariæ.

Fixus hic apud nos eſt animus tuus clauo Cupidinis.
Remigio velóque quantùm poteris feſtina & fuge,
Quàm magis te in altum capeßis, tam æſtus te in portum refert.

Elegantiùs etiam Lucretius libro 4. de naturâ rerum:

Nam vitare plagas in amoris ne laciamur,
Non ita difficile eſt quàm captum retibus ipſis
Exire, & validos Veneris perrumpere nodos.
Et tamen implicitus quoque poßis inque peditus
Effugere, infeſtum niſi tu te tibi obuius obſtes.

Xenophon Cyrop. δεδεμένοις ἰσχυροτέρᾳ τινὶ ἀνάγκῃ, ἢ εἰ σιδήρῳ ἐδέδεντο. *Maiori neceßitate deuinctos, quàm ſi ferro vincirentur.*

XII. CALCITRAT, RESPVIT.] Hæc duo verba aptè inter ſe coniuncta ſunt. vtrumque enim ab equis transfertur ad adoleſcentulum calcitrantem, & frenum reſpuentem, qui non poteſt amorum turpium habenis regi, aut loco retineri. Sic Græci frænum reſpuere dicunt, vt Nonnus pulcherrimè 1. Dionyſiacon verſu 311.

Ὡς δ' ὅτε τις πλήξιππος ἀποπτύστειρα χαλινοῦ
Ξεινὶς ἀνὴρ ἀδίδακτος ἀπειθέα πῶλον ἱμάσσων
Πυκνὰ μάτην μεμάστιγεν, ὁ δὲ θρασὺς ἔμφρονι θυμῷ
Χεῖρα νόθην γίγνωσκεν ἀηθέος ἡνιοχῆος.
Οἰστρηθεὶς δ' ἀνέπαλτο καὶ ὄρθιος ὑψόσε βαίνων
Στηρίξας ἀτίνακτον ἀπ' ἐδαφίου πόδας ὁπλῇ
Προθοροῖσι προβλῆτας ἐκούφισε γούνατα κώλων
Καὶ λόφον ἠώρησεν, ἐπ' ἀμφοτέρων δέ οἱ ὤμων
Ἀμφιλαφὴς δεδόνητο πυρκόεσσ' αὐχένι χαίτη.

Reſpuere frenum.

Qualis equum duro frenum qui reſpuit ore
Verberibus crebro feriens eques, inſcius artis
Ipſe ſuæ fruſtra trepidans in verbera pendet.
Nam quadrupes prudens equitémque agnoſcit habenis
Inſuetum trepidáſque manus, & percitus œſtro
Tollit ſe arrectum vacuum per inane, putrémque
Poſterior campum fixo premit vngula greſſu
Inconcuſſa ſolo, medias ſublimis in auras
Emicat anterior, varióque reciproca flictu
Collidunt ſeſe genua, & ſublime rotantur
Ludentes. hinc inde iubæ per colla, per armos.

Oppianus 2. ἁλιευτικῶν ſtatim à principio de Dei gubernatione loquens ait,

-οὐδέ τις ἀλκὴ
Τρηχείαις γενύεσσιν ὑπερφιάλως ἐρύσαντα
Ἐκφυγέειν, ἅτε πῶλον ἀποπτύστειρα χαλινοῦ.
Ἀλλ' αἰεὶ μάκαρες πανυπέρτατοι ἡνία πάντη
Κλίνουσ' ᾗ κ' ἐθέλωσιν, ὁ δ' ἕσπεται ὅς κε σαόφρων
Πρὶν χαλεπῇ μάστιγι καὶ οὐκ ἐθέλων ἐλάηται.
-non vlla potentia duro
Ore reluctari & preßis pugnare lupatis.
Qualis eques duro frenum qui reſpuit ore.
At ſemper ſuperi rerum moderantur habenas,
Vt placitum eſt, ſuperum ſequitur moderamina prudens
Vt ne verberibus crudis inuitus agatur.

Statius 8. Thebaidos:

Saucius extremo donec cum ſanguine frenos
Reſpuit, & iunctâ domino ceruice recumbit.

Porro verbum *Reſpuit* etiam in amore Nazianzenus vſurpat carmine 3. ad virgines:

Χριστὸν ἔχεις ἀγαπητὸν, ἀπόπτυσον ἀνέρας ἅπαντας.
Chriſti ardeſcis amore, viros age reſpue cunctos.

Cornelius Gallus in ſuis nequitiis vtitur verbo Reſpuendi, quod penè pudet Nazianzeno ſubſcribere:

Reſpuit amplexus heu ſtupeſacta meos.

Poſtremùm nota, vt qui amicam ſpernit cum equo recalcitrante, ſic contra qui ſe matrimonio addicit, cum equo capiſtrum recipiente comparari. Iuuenalis Sat. 6.

Stulta maritali iam porrigit ora capiſtro.

Statius 3. Sylu. ad vxorem:

-Me vulnere primo
Intactum thalamis & adhuc iuuenile vagantem
Fixiſti. tua frena libens dociliſque recepi,
Et ſemel incertas non mutaturus habenas
Vſque premo.-

Apuleius apolog. 2. *Quid multis? iuuenem ſimplicem, præterea nouæ nuptæ illecebris obſrenatum, ſuo arbitratu, de via deflectit.* Et illud Anacreonticum:

Ὦ παῖ παρθένιον βλέπων, δίζημαί σε,
Σὺ δ' οὐκ αἴεις, οὐκ εἰδὼς ὅτι τῆς ἐμῆς ψυχῆς ἡνιοχεύεις.
O puer puellariter intuens, quæro te,
At tu non audis, neſciens te animi mei eſſe aurigam.

HINC LICET CONDITIONES QVOTIDIE LEGAS.] Expoſui, *licet tibi ad arbitratum deligas amatores.* porro conditionis nomen tam honeſtis coniugiis poteſt, quàm impudicis amoribus conuenire, vt ex auctoritatibus adferendis aduertere potes. nos eas primùm adferemus, in quibus *legendi, deligendi, colligendi verba*, cum *conditionis* voce connexa ſunt. Iulius Capitolinus in Antonino Philoſopho: *Fauſtinam ſatis conſtat apud Caietam conditiones ſibi & nauticas, & gladiatorias elegiſſe.* Ælius Lampridius in Heliogabalo: *Lauacrum publicum in ædibus aulicis fecit ſimul & palam populo exhibuit, vt eo conditiones bene naſatorum hominum colligeret.* Plinius Iunior l. 1. ep. 14. de cenſu loquens: *Hic quoque in conditionibus deligendis ponendus eſt calculus.* Et epiſtolâ decimâ eiuſdem libri: *Socer Pompeius Iulianus cùm cæterâ vitâ, tum vel hoc vno clarus, quod ipſe prouinciæ princeps, hunc inter altißimas conditiones, generum non honoribus principem, ſed ſapientiâ elegit.* Et libro 6. epiſtolâ 32. *Debet ſecundum conditiones mariti, veſte & comitatu augeri.* Seneca libro de ſuperſtitione apud Diuum Auguſtinum 6. de ciuitate Dei cap. 10. *Bellonam Marti collocamus, Vulcano Venerem, Neptuno Salaciam: quoſdam tamen cœlibes relinquimus, quaſi conditio defecerit.* Lampridius iterum in Heliogabalo: *Eóſque ad aulam perducerent, quorum conditionibus frui poſſet.* Terentius in Andria ſc. 1. actus primi: XIII.

Conditio.

Accepit conditionem, dein quæſtum occipit.

Plautus in Truculento ſc. *Egóne tibi*, &c.

Dicam vt aliam conditionem filio inueniat ſuo.

Arnobius aduerſus gentes libro 4. *Vxores enim Dij habent, atque in coniugalia fœdera conditionibus veniunt, ante quæſitis? vſu farrco* (lege) *vſu, farre, coemptione, genialis lectuli ſacramenta conducunt? habent ſperatas, habent pactas, habent interpoſitis ſtipulationibus ſponſas?*

XIV. CVR HVIC QVI TE SPERNIT.] Talis amatæ contemptus à Plauto in Aſinaria actu 1. ſc.2. deſcribitur.

At ſceleſta, viden' vt ne id quidem me dignum
eſſe exiſtimat
Quem adeat, quem colloquatur, cuique irato
ſupplicet.

Pamphilus Terentianus actu 1. Andriæ, ſc. 5.

--nullon' ego
Chremetis pacto affinitatem effugere potero? quot
modis
Contemptus, ſpretus? facta, tranſacta omnia. Hem
Repudiatus repetor.

Et Phædrias in Eunucho actus primi, ſc.2.

Spernere. *Tamen contemptus abs te hæc habui in memoriâ:*
Ob hæc facta ab te ſpernor.

Item in Heautontimorimeno, actus ſecundi, ſcena 2.

At hoc demiror, quî tam facilè potueris
Perſuadere illi, quæ ſolet quos ſpernere?

Plautus in Milite glorioſo, ſc. *Iamne ante.*

-vt quæ te cupit, eam ne ſpernas.

Lucianus in ſomnio, καὶ ἐρῶσιν αὐτοῦ, καὶ αἱ γυναῖκες, ὁ δὲ θρύπτεται καὶ πρὸς πάντας, καὶ ὑπερορᾷ. *Amant eum mulieres, ipſe verò faſtidit & ſpernit.* Cornelius Tacitus lib. 13. annalium de Octauio Sagitta loquens, qui *poſtquam ſpernebatur, noctem vnam ad ſolatium poſcit, qua delinitus modum in poſterum adhiberet.* eáque impetratâ Pontiam, à qua ſpernebatur, *nihil metuentem ferro tranſuerberat.* D. Chryſoſtomus homil. 23. in epiſt. ad Rom. ἀλλὰ πάλιν ἐραστοῦ φθέγγεται ῥήματα ὑβρισμένου, καὶ καταφρονουμένου. *Sed iterum verba loquitur contumeliis affecti, & ſpreti amatoris.* Item: Τί τούτου πλέον ἂν εἴποι σφοδρὸς ἐραστὴς ὑπὸ τῆς ἐρωμένης καταφρονούμενος; καὶ μετὰ ταῦτα πάλιν προσκαρτερούμενος αὐτῆς; *Quid potuit maius dicere vehemens amator ab amata ſpretus, qui tamen poſt iſta omnia amore eius accenditur?* Tibullus eleg. 4. lib. 1.

Gloria cuique ſua eſt; me, qui ſpernentur,
amantes
Conſultent: cunctis ianua noſtra patet.

Propert. eleg. 5. lib. 1.

Ah mea contemptus, quoties ad limina curret.

Et eleg. 10.

Irritata venit, quando contemnitur illa.

Elegia 15.

Vltro contemptus rogat, & peccaſſe fatetur
Læſus, & inuitis ipſe redit pedibus.

Cornelius Gallus eleg. 2.

Immò etiam cauſas ingrata ac perfida fingit,
Vt ſpretus vitio iudicer eſſe meo.

Heliodorus Æthiop. lib. 1. Τῆς Δημαινέτης ὑπερεῖδε πολὺ τὴν ὥραν αὐτῆς ὑπερβάλλων. *Demænetam contempſit quàm longè formâ ſuperabat.* Et alibi Clemens Alexandrinus 5. Stromatum: cuius verba non pigebit adſcribere. Ὁ Κυρηναῖος Ἀριστοτέλης Λαΐδα ἐρῶσαν ὑπερεώρα μόνος. ὁμωμοκὼς οὖν τῇ ἑταίρᾳ ἦ μὴν ἀπάξειν αὐτὴν εἰς τὴν πατρίδα, εἰ συμπράξειεν αὐτῷ τινα πρὸς τοὺς ἀνταγωνιστάς, ἐπειδὴ διαπράξαιτο χαριέντως ἐκπληρῶν τὸν ὅρκον, γραψάμενος αὐτῇ ὡς ὅτι μάλιστα ὁμοιοτάτην εἰκόνα. ἀνέστησεν εἰς Κυρήνην, ὡς ἱστορεῖ Ἴστρος. *Cyrenæus Ariſtoteles Laïda amantem ſolus ſpernebat. Cùm igitur ei iuraſſet, ſi opem illa ſibi contra aduerſarios præſtitiſſet, fore vt eam in patriam ſecum abduceret, poſtquam id quod volebat obtinuit, feſtiuè iuſiurandum impleuit, eiúſque imaginem quàm ſimillimam in Cyrenem auexit, vt auctor eſt Iſter.*

MOLESTA ES.] Eodem ſenſu Achilles Tatius lib. 5. de Leucippe & Clitophonte. XV. Μόνον ὅπως τὸ γύναιόν μοι μὴ παρέχῃ πράγματα ἐπείγουσα πρὸς τὸ ἔργον. *Solùm ne mihi mulier moleſta ſit, ad opus vrgens.* & Longus Sophiſta lib. 2. paſtoralium. Παύεται δ' οὐδέποτε δρυάσιν ἐνοχλῶν, καὶ ἐπιμηλίσι νύμφαις πράγματα παρέχων. *Non ceſſat Driadibus moleſtus eſſe, & Panariis Nymphis negotium exhibere.* Heliodorus 7. Æthiopic. τὸ μηκέτι διοχλεῖν ἡμῖν. *vt non ſit ampliùs nobis moleſta.* Citatur auctor teſtamenti Patriarcharum cap. 1. Moleſtus. *Fleui pro Memphiticâ Ægyptia, quia multùm & indeſinenter moleſta erat mihi.* Immò Geneſis 39. *Et mulier moleſta erat adoleſcenti.* Herodotus lib. 1. aliâ in re. λιπαρεόντων δὲ αὐτῶν, καὶ ὄχλον παρεχόντων. *Cùm ab eo peterent & moleſti eſſent.* Hæc in perſona P. Clodij, quibus vides quantopere decorum Orator vbique ſeruauerit, de quo Fabius lib. 11. cap. 1. *Vtimur fictione perſonarum, & velut ore alieno loquimur, dandique ſunt his quibus vocem accommodamus ſui mores. aliter enim P. Clodius, aliter Appius Cæcus, aliter Cecilianus ille, aliter Terentianus pater fingitur.*

AXIOMATA.

Non decet tumultuari, aut paruam rem, verbis magnam facere.

Homines, quos amant, ſæpiùs videre volunt.

Nobilis mulier non debet videri cum alieno.

Non debemus putare cuiuſquam dona eſſe tanti, vt illius copiis deuincti teneamur.

Qui nos ſpernunt, iis moleſti eſſe non debemus.

ARGVMENTVM.

A Clodiæ inſectatione ad ipſius Cœlij reprehenſionem delapſus, ſub ſeueri patris, & lenis perſonâ Cœlium variè reprehendit, oſtenditque apud vtrumque eius cauſam eſſe expeditam.

REDEO nunc ad te, Cœli, viciſſim, ac mihi auctoritatem patriam, XXXVII. ſeueritatémque ſuſcipio: ſed dubito, quem patrem potiſſimùm ſumam. Cæcilianúmne aliquem, vehementem, atque durum? *Nunc enim demum mihi animus ardet, nunc meum cor cumulatur ira:* an illum, *O infelix, ô ſceleſte.* Ferrei ſunt iſti patres. *Egóne quid dicam? egóne quid*

velim? quæ tu omnia tuis fœdis factis facis, vt ne quidquam velim. Vix ferenda diceret talis pater, Cur te in iſtam vicinitatem meretriciam contuliſti? cur illecebris cognitis, non refugiſti? cur alienam vllam mulierum noſti, *dede te ac diſiice. per me licebit. ſi egebis, tibi dolebit: mihi ſat eſt, quî ætatis quod reliquum eſt oblectem meæ.*

EXPLANATIO.

REDEO NVNC AD TE COELI.] A Clodiæ inſectatione ad te reuertor viciſſim, ne tibi impuniùs cedat illa nimia familiaritas quàm Clodiæ.

AVCTORITATEM PATERNAM SEVERITATEMQVE SVSCIPIO.] Aduerſum te qui à patre tuo ad me deductus es bonis artibus imbuendus, meæque fidei commendatus.

CÆCILIANVMNE ALIQVEM.] Feſtiuè è comicis & Cæcilio comœdiarum ſcriptore primùm pater ſeuerè Cœlium noſtrum obiurgans, & in filium excandeſcens inducitur. *Vehementem*, magno impetu mentis loquentem. Gellius. Fronto.

COR CVMVLATVR IRA.] Sanguine oppletur, qui per iram ebulliens circa cor meum conglobatur.

AVT ILLVM.] Alium patrem vehementem & durum, qui in alia tragœdiâ loquens inducitur.

QVÆ TV OMNIA.] Alij legunt, quin tu omnia.

VIX FERENDA DICERET TALIS PATER.] Aliàs. vix ferendi. diceret talia pater.

CVR TE IN ISTAM VICINITATEM MERETRICIAM CONTVLISTI?] Cur ad Palatinum montem à patre ſemigraſti, vt in ædiculis P. Clodij propter Clodiam impudicam & adulteram, corruptricémque Romanæ iuuentutis, habitares?

DEDE TE AC DISIICE.] Trade te impuris voluptatibus, & te meretriciis amoribus implicatum duci patere, vt ij qui factâ deditione ſe ab hoſtibus in captiuitatem duci patiuntur. *Diſiice*, patrimonium profunde, diſſipa, meretricibus elargire. Legit Claudius Puteanus apud Lambinum, *Dede ac diſſice.* Lambinus, *Dide ac diſſice.* id eſt, rem tuam dona ac diſſipa, diſperge, profunde.

SI EGEBIS, TIBI DOLEBIT.] Si profuſis tuis largitionibus in extremas te redegeris rei familiaris anguſtias, in tuum vnius caput id redundabit.

NOTÆ.

I. Cæcilius. CÆCILIANVMNE.] Vehementem & durum, qualis à Cæcilio Comico Poëta frequenter inducitur. Cæcilianum autẽ potiùs eligit, quàm Plautinum & Terentianum, quia Cæcilius præ cæteris comœdiarum ſcriptoribus vehementiam grauitatémque ſectatus eſt. Horatius in Arte:

Vincere Cæcilius grauitate, Terentius arte.

Quem & vnicè laudat Velleius lib. 1. *Dulcéſque Latini lepôris facetiæ per Cæcilium, Terentiúmque Afranium ſuppari ætate nituerunt.* & Sedigitus apud Gellium, Plauto & cæteris comicis anteponit.

Cæcilio palmam ſtatuo dandam ſcenico.

II. Ira ardor eſt & tumor. ANIMVS ARDET, COR CVMVLATVR IRA.] Bene hîc animi ardor cum cordis tumore coniungitur. vt apud Nonnum lib. 48. Dionyſ. verſu 372.

--οἰδαίνοντι χόλῳ κυμαίνετο δαίμων
Καὶ φονίους σπινθῆρας ἀπηκόντιζον ὀπωπαί.

- tumente ira, fluctuabat Deus,
Et crudeles ſcintillas eiaculabantur oculi.

Homerus lib. 9. cor ira cumulatum irâ deſcribit.

- χόλος ὅς τε καὶ ἄλλων
Οἰδάνει ἐν στήθεσσι νόον πύκα περ φρονεόντων.

--ira quæ & aliorum
Inflat in pectoribus mentem prudenter quamuis ſapientium.

Et paulò ante:

Ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλῳ ὁππότ᾽ ἐκείνου μνήσομαι.

Sed mihi cor cumulatur irâ cùm illius memini.

Et meritò ſanè, nam vt ait Damaſcenus lib. 2. Orthodoxæ fidei, cap. 16. *Ira & feruor eius, qui circa cor eſt, ſanguinis, è fellis euaporatione procedens*, quo ſenſu & ζέσις αἵματος, ebullitio ſanguinis à Theocrito οἴδημα νόου nominatur. vt mirum non ſit ſi & animus dicatur ardere, & cor ira cumulari. Cæterùm non video quid doctos homines impulerit, vt de verſus huius auctore dubitarint, cùm & hic Cecilianum patrem nominarit, & 2. de finibus. §. 14. poſt factam Cecilij mentionem, duos iſtos verſus tanquam ab eodem Poëta depromptos ſubiecerit.

Tanta lætitiâ auctus ſum, vt mihi non conſtem.

&, *Nunc demum mihi animus ardet.-*

Themiſtius oratione 9. φάρμακον δ᾽ ὀργῆς οἰδαινούσης τὸ μὲν αὐτίκα λόγος ἐστὶν, ᾧ σὺ τηνικαῦτα ἐβοήθεις σφαδάζουσαν καὶ ζέουσαν ἔτι. τὸ μετὰ ταῦτα δὲ ὁ χρόνος ἰατρὸς ἤδη γίνεται, καὶ τοῖς λίαν δυσμεταχειρίστοις. *Iræ porrò tumentis adhuc remedium ſubitum quidem ratio ipſa eſt, qua tu illam tum impotentem, & adhuc feruentem compeſcuiſti. Deinceps verò etiam ferociſſimis quibuſque temporis longinquitas medetur.* Plautus in Caſina, actu 2. ſc. 5.

Nunc in fermento tota eſt, ita turget mihi.

III. Ferreus. FERREI SVNT ISTI PATRES.] Ferreos vocat duros, immites, feros, qui nullâ beneuolentiâ, nullo amore, nullâ cupiditate molliuntur. multa congeſſit exempla Lacerda noſter vir ſanè doctiſſimus in 4. Eclogam.

-quo ferrea primùm
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo.

Homerus Iliad. 10.

Σοὶ δὲ σιδήρεος ἔνδοθι θυμός.

Intus tibi ferrea mens eſt.

Heliodorus 4. Æthiopicorum. Εἰ δέ τις καὶ τοῦ Θεαγένους καὶ Χαρικλείας ἔρωτος μνημονεύοι, τίς οὕτως ἀδαμάντινος ἢ σιδήρεος τὴν καρδίαν, ὡς μὴ θέλγεσθαι καὶ εἰς ἐνιαυτὸν ἀκούων; *Quòd ſi ab aliquo Theagenis & Chariclia amoris fiat mentio, quis eſt vſque adeò adamantino corde aut ferreo vt non ſe oblectet, licet totum audiat annum?* Eunapius Sardianus in vitâ Proæreſij, ἀπαθῆ τινα καὶ σιδήρεον ὑπελάμβανον. *Iudicabant illum ſine affectibus, ac ferreum.* Philo libro de Abraham, σιδήρεον ψυχὴν, *animum è ferro.*

Hieronymus epiſtola 47. *Etiam ferreas mentes libido domat.* Homerus 12. Odyſſeæ Eutylochum Vlyſſi ita loquentem inducit.

Σχέτλιος εἶς Ὀδυσεῦ, περί τοι μένος. οὐδέ τι γυῖα
κάμνεις· ἦ ῥά νυ σοί γε σιδήρεα πάντα τέτυκται.

Inſanum eſt robur, labor haud tibi membra fatigat
Infœlix, ferríque rigent tibi cuncta metallo.

Hæc è pluribus à viro doctiſſimo mutuata. paulò ante hanc adferebamus Pindari auctoritatem. ἐξ ἀδάμαντος ἢ σιδάρου κεχάλκευται μέλαιναν ψυχάν. *ex adamante aut ferro nigram mentem æratus eſt.* In quo eum Horatius voluit æmulari.

Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat.

Æſchines in Cteſiphōtem ferreos vocat, eos qui nullâ indignatione moueantur. πῶς ποθ' ὑμεῖς, ὦ σιδήρεοι, ἐκαρτερεῖτε ἀκροώμενοι. *Quomodo vos, ô ferrei, ſufferebatis, audientes.* hinc illud boni Poëtæ.

Quis fuit horrendos primus qui protulit enſes?
Quàm ferus & verè ferreus ille fuit?

Diuus Hieronymus ad Heliodorum de laude vitæ ſolitariæ. *Non eſt nobis ferreum pectus & dura præcordia. non ex ſilice natos Hircanæ nutriere tigres. Et nos per iſta tranſiuimus.* Tibullus eleg. 1.

Flebis; non tua ſunt duro præcordia ferro
Vincta, nec in tenero ſtat tibi corde ſilex.

Et eleg. ſequent.

Ferreus ille fuit, qui te, cùm poſſet habere,
Maluerit prædas ſtultus & arma ſequi.

Item eleg. 10.

At lapis eſt, ferrúmque ſuam quicunque puellã
Verberat, è cœlo diripit ille Deos.

Lib. 2. eleg. 3.

Ferreus eſt, eheu! quiſquis in vrbe manet.

Propertius eleg. 16. lib. 1.

Sit licet & ſaxo patientior illa Sicano,
Sit licet & ferro durior & chalibe.

Et lib. 2. eleg. 8.

Illa tamen nunquam ferrea dixit, amo.

IV. DEDE AC DISIICE.] *Dide* repoſuit Lambinus 1. diuide, diſſipa, diſperge *ac diſiice.* Puteanus. 1. diſſeca, dilacera. Eadem, inquit, tranſlatione qua Catullus in Cæſarem.

Paterna primùm lancinata ſunt bona.

Et Plautus in Sticho, *lacerare rem ſuam.* Addere potuiſſet & eundem Captiueis.

Dilacerauiſti, deartuauiſtique opes,
Confeciſti omnes res ac rationes meas.

Quorum coniectura etſi laudanda eſt, non video tamen cur à veteri lectione diſcedere debeamus. Nam & omnes auctoritates, quibus Puteanus vocem *diſſicere* Latio donat, vel *diſſecare*, vel diſiicere ſubſtituunt in vulgatis, nec video cur vox *dide* Lambino mendi ſuſpicionem induxerit, cùm idem verbum eadem in re Thraſo Terentianus vſurpet in Eunucho, actu 5. ſc. 8.

Dedere. *Egóne vt Thaidi me dedam, & faciam quod iubeat?* Gnato. *Quid eſt?* Thraſo. *Qui minùs huic quàm Hercules ſeruiuit Omphalæ?* Gnat. *Exemplum placet.*

Vtinam commitigari videam ſandalio caput.

Q. Trabeas apud Tullium 4. Tuſc. §. 67.

De improuiſo Thais vbi me adſpexerit, &c.
Mihi ſe dedet.--

Nec abludit Lucianus in Iudiciis. Διέφθειρεν ἄθλιον τοῖς κώμοις, καὶ ταῖς ἑταίραις παραδοῦσα ἔκδοτον. *Miſerum perducit eum comeſſationibus & meretricibus dedititium addicens.* Quod ad ſententiam ipſam attinet, non abſimilis locus eſt apud Plautum in Caſinâ, actu 2. ſc. 3.

--age vt lubet
Bibe, es, diſperde rem. -

Et apud Terentium Adelphis, actu 1. ſc. 2.

Profundat, pereat, nihil ad me attinet.

SI EGEBIS TIBI DOLEBIT.] Sic hunc locum explicaui. *Si profuſis tuis largitionibus in extremas te redegeris, rei familiaris anguſtias,* non autem *ſi pauper euaſeris.* nam plus eſt egere, quàm eſſe pauperem. Martialis: V. Egeſtas, paupertas.

Non eſt paupertas Neſtor habere nihil.

Seneca epiſtola 17. *Non eſt quòd paupertas nos à philoſophia reuocet, ne egeſtas quidem: toleranda eſt enim ad hoc properantibus vel fames, quod tolerauere quidam in obſidionibus.* Et epiſt. 58. *Quanta verborum nobis paupertas, immò egeſtas ſit, nunquam magis quàm hodierno die intellexit.* Plautus in Aſinariâ ſatis oſtendit egeſtatem extremum eſſe in paupertate, actu 1. ſc. 2. nam cùm dixiſſet:

Ego pol te redigam eodem vnde orta es, ad egeſtatis terminos. Subiecit:

Sordido vitam oblectabas pane, in pannis, inopia
Atque ea ſi erant, magnas habebas omnibus
Dis gratias.

Hermogenianus D. de accuſat. & inſcript. lib. 10. pauperes vocat, *qui minùs quàm quinquaginta aureos habent.* Aureus autem Romanus, vt ait Dio lib. 45. quinque & viginti drachmis Atticis æſtimabatur. Verùm de pauperis & mendici diuerſitate, Ariſtophanes in Pluto copioſè & eleganter.

TIBI DOLEBIT.] Terentius in Eunucho, actu 1. ſc. 2.

Aut hoc ſibi doleret itidem, vt mihi dolet.

Cic. Tuſcul. quæſt. *Eſt illud è vitâ ductum ab Afranio. nam cùm diſſolutus filius*

Heu me miſerum!

dixiſſet: tum ſeuerus pater:

Dummodo doleat aliquid, doleat quod lubet.

Terentius in Adelphis, actu 2. ſc. 4.

Sed hoc mihi dolet, nos pene ſero ſciſſe.

Iterum actu 4. ſc. 7.

Quid facias, rogitas? ſi non re ipſa tibi dolet;
Simulare certè eſt hominis. & alibi ſæpe.

Plautus in Ciſtellariâ, ſc. 1.

Sed, amabo, tranquillè, ne quid, quod illi doleat, dixeris,

Pater autem iratus ait, *tibi dolebit.* quia vt notat Donatus in Andria, actu 5. ſc. 8.

Proprium eſt parentibus indignatione velut abiicere Curam filiorum cùm deſtomachati fuerint.

Simo ibidem in filium Pamphilum incenſus.

Imò habeat, valeat, viuat cum illa, &c.

AXIOMATA.

Periculoſum eſt in vicinitatem meretriciam ſe conferre.

Illecebris cognitis refugere debemus, nec alienam vllam mulierem noſſe.

ARGVMENTVM.

Quid Cœlius tum illi duri & vehementis patris obiurgationi, tum clementis alterius patris orationi reſpondere poſſit, Cicero ſic oſtendit, vt vtramque reſponſionem in inſignem Clodiæ contumeliam, cum ironiâ amariſſimâ deriuet.

XXXVIII. HVIC triſti, ac decrepito ſeni reſponderet Cœlius, ſe nullâ cupiditate inductum de via deceſſiſſe. quid ſigni? nulli ſumptus, nulla iactura, nulla verſura. At fuit fama. quotusquiſque iſtam effugere poteſt in tam maledica ciuitate? vicinum eius mulieris miraris malè audiſſe, cuius frater germanus ſermones iniquorum effugere non potuit? Leni verò, & clementi patri, cuiuſmodi ille eſt: *Fores effregit? reſtituentur: diſcidit veſtem? reſarcietur:* Cœlij cauſſa eſt expeditiſſima. Quid enim eſſet, in quo ſe non facilè defenderet? Nihil iam in iſtam mulierem dico: ſed ſi eſſet aliqua diſsimilis iſtius, quæ ſe omnibus peruulgaret, quæ haberet palàm decretum ſemper aliquem, cuius in hortos, domum, Baias, iure ſuo, libidines omnium commearent: quæ etiam aleret adoleſcentes, & parſimoniam patrum, ſuis ſumptibus, ſuſtentaret: ſi vidua liberè, proterua petulanter, diues effuſè, libidinoſa meretricio more viueret: adulterum ego putarem, ſi quis hanc paullo liberiùs ſalutaſſet?

EXPLANATIO.

HVIC TRISTI ET DECREPITO SENI.] Oſtendit quænam à Cœlio dici poſſit, aduerſus hanc acrem ſeueri patris obiurgationem reſponſio: ſiquidem omnia Cœlius quæ obiiciebantur nullo negotio negare potuiſſet, cùm nullo ſigno, nullis facti veſtigiis eius libidines, ob quas obiurgatur, poſſent deprehendi.

DECREPITO.] Senem decrepitum vocat, quaſi iam ætate confectum, & iam in dubio vitæ conſtitutum. Alij tamen legunt *directo ſeni*, id eſt, in rectum vadenti, ſiue directè in contrarium ſe filij libidinibus & cupiditatibus opponenti. vide Notas.

DE VIA DISCESSISSE.] Metaphora eſt à viatoribus, id eſt, in tranſuerſum abiiſſe, exorbitaſſe, à viâ virtutis diuertiſſe. nulla ſe cupiditate inductum fuiſſe, vt ad meretricis viciniam commigraret. hæc autem eſt Cœlij reſponſio, & inficiatio.

Qui nullos ſumptus fecit, ad meretriciam familiaritatem nullâ cupiditate inductus eſt.

Sed ego nullos ſumptus feci.

Ergo nullâ cupiditate ad meretriciam familiaritatem ſum inductus.

Propoſitio aperta eſt, ideóque duobus tantùm verbis continetur. *Quid ſigni.* concluſionem quæ præcedit, & concluſionem quæ ſubſequitur cuique promptum eſt inuenire.

NVLLA IACTVRA.] Nullum rei familiaris diſpendium, nullum, vt alibi loquitur, patrimonij naufragium.

NVLLA VERSVRA.] Non mutatus eſt creditor, nullum nomen nomine expunctum, nullum fœnus fœnore diſſolutum.

AT FAMA FVIT.] Hæc eſt ſeueri patris obiectio. atqui tam modeſtus, tam ab huius mulieris conſortio alienus eſſe debuiſti, vt ne fama quidem familiaritatis huiuſce laborares.

QVOTVSQVISQVE.] Vis eſt reſponſionis, argumento à maiori ſumpto.

Non eſt mirum vicinum illius mulieris malè audire, cuius frater ſermones iniquorum effugere non potuit.

Sed P. Clodius frater Clodiæ ſermones iniquorum & inceſti famam effugere non potuit.

Ergo non eſt mirum me malè audire, ex quo ad huius mulieris vicinitatem me contuli.

Vbi vides quàm acriter eam ſauciet, dum tamen ironicè hos de P. Clodio ſermones ſimulat ſe in dubium reuocare.

LENI VERO ET CLEMENTI.] Indulgenti & benigno patri, qualis in comœdiâ loquens inducitur, facilis eſt Cœlij & expedita reſponſio.

NIHIL IAM IN ISTAM.] Mirâ diſſimulatione & ironiâ Cœlium ſic excuſat, vt iterum grauiùs omnem culpam in ipſam Clodiam detorqueat, & ita Clodiæ impudicitiam deſcribit, vt de aliâ ſermonem habere videatur.

QVÆ SE OMNIBVS PERVVLGARET.] Quæ ſuam pudicitiam omnibus proſtitueret.

QVÆ HABERET PALAM DECRETVM SEMPER ALIQVEM.] Quæ ſuam libidinem non celaret, ſed apertè amatorum conditiones colligeret.

BAIAS.] Alij legunt *balneas*, non video cur veterem ſcriptionem mutare debeamus, cùm præſertim ſi Baias, id eſt baianas balneas, pro balneis, ſpeciem pro genere accipias, in idem recidere videatur.

VIDVA LIBERE, PROTERVA PETVLANTER, &c.] Aduerte quàm paucis quàm multa comprehendat, & quàm aptè verba verbis, effectis cauſæ reſpondeant. Vidua liberè, quòd nullo mariti metu teneatur.

PROTERVA PETVLANTER.] Tam impudens & libidinis impotens, vt non dubitet adoleſcentes crebrò impetu prouocare, & vltrò laceſſere.

Qvid enim esset.] Oſtendit quàm facilis & expedita ſit Cœlij reſponſio, idque ſyllogiſmo probat, qui §§. decem ſequentibus continetur in hanc ſententiam.

Si reprehendi non ſolent adoleſcentes, qui delitiis vacant, multò minùs reprehendi debet qui impudicitiæ deditus non fuit, & voluptati.

Sed reprehendi non ſolent adoleſcentes, qui delitiis vacant, & Cœlius impudicitiæ deditus non fuit.

Ergo multò minùs debet reprehendi.

NOTÆ.

I. Decrepitus. Decrepito.] *Decrepitus*, auctore Feſto, *eſt deſperatus, creperâ iam vitâ, vt crepuſculum extremum diei tempus, ſiue decrepitus dictus, quia propter ſenectutem, nec mouere ſe, nec vllum facere poteſt crepitum.* Nonnius Marcellus cap. I. *Crepera res propriè dicitur dubia. vnde & crepuſculum dicitur lex (lux) dubia, & ſenes decrepiti dicti in dubio vitæ conſtituti.* Creperum bellum, anceps & dubium. Lucretius libro 5.

Exæquatáque ſunt creperi certamina martis.

Accius Phœniſſ.

Quæ ego cuncta eſſe fluxa, in meâ re creperâ comperi. Idem Telepho.

Nunc tu in re creperâ tuâ, quid capias conſilij vide.

Lucilius libro 5. (vt ſequar ingenioſam Scaligeri correctionem.)

Creperus. *Samni ſole mihi in magno mœrore, metúque*

Triſtitiâ in ſummâ, creperâ in re, inuectus ſalutis.

Malim tamen cum aliis legere, *ventus ſalutis*. Secundus ventus ad ſalutem, οὖρος πρὸς σωτηρίαν. pergit Nonnius. Pacuuius Duloreſte.

Non vetet animum ægritudine in re creperâ confici. Plautus Aſinariâ.

-qui quidem cum filiò

Potet vna, atque vna amicam ductitet decrepitus ſenex.

Varro Myſteriis *Priſca horrida ſilent oracla crepera in nemoribus.* Non improbo tamen eorum coniecturam, qui *triſti ac directo ſeni* legendum exiſtimant. Nam directus pater dici poteſt, qui filio non aſſentatur, ſed directè ſe vitiis adoleſcentium opponit, quæ vox ſeni poteſt bellè conuenire. Gloſſæ veteres ὀρθοπλὴξ, *ſenax*, legerim Directus. *ſenex*. ὀρθοπλὴξ autem quaſi directè feriens, vitia carpens ſine diſſimulatione,

-cenſor caſtigatórque minorum.

qualis Neſtor ab Homero frequenter inducitur. D. Hieronymus de vitâ clericorum. *Certè Homerus refert, quod de linguâ Neſtoris, iam veteli & penè decrepiti dulcior melle oratio fluxerit.*

II. De via decessisse.] Metaphora eſt de viatoribus, quæ ſæpe ad adoleſcentiæ mores Via. traducitur. Terentianus Soſias actu I. Andriæ, ſc. 2. de filio ſuo Pamphilo:

Nunc hac dies aliam vitam adfert, alios mores poſtulat:

Dehinc poſtulo ſiue æquum eſt, te oro, Daue, vt redeas iam in viam.

Plautus in Caſina, ſcena *Nulla ſum.*

De via in ſemitam regredere.-

Apuleius apologia 2. *Quid multis? Iuuenem ſimplicem, præterea nouæ nuptæ illecebris obfrœnatum ſuo arbitratu de viâ deflectit.* Noſter in Cluětiana alio ſenſu. *Sic hominem accipiemus, vt moleſtè ferat ſe de viâ deceſſiſſe.*

Nvlla iactvra, nvlla versvra.] De ſumptibus ſolitis in meretrices erogari, hac ipſa oratione dictum eſt I. §. & infrà §. 52. pauca dicentur. De verſura iam dictum eſt §. 17. reſtat vt cur hoc loco iacturam dixerat paucis explicemus. Ideò nimirùm quod meretrix eſt mare, gurges, ſcopulus ad quem fieri ſolet rei familiaris naufragium. Perſius ſat. 5. III.

-an rem patriam rumore ſiniſtro Naufragium ad ianuas meretricum.

Limen ad obſcœnum frangam, dum Chryſidis vdas

Ebrius ante fores extinctâ cum face canto?

Plautus Trinummo, ſc. *Larem*

-rem confregit filius.

Ideóque Scyllam in ſcopulum naufragiis infamem conuerſam eſſe fabulantur, quæ vt ait Virgilius in Ceiri, *-formâ cùm vinceret omnes,*

Et cupidos quæſtu paſſim ſpoliaret amantes, Meretrix Scylla.

Piſcibus & canibus rabidis vallata repente

Horribiles circum vidit ſe ſiſtere formas.

Et apud Euſtathium breuiatorem ὁ Ὀδυσσείας μ. Anaxilas Poëta, εἰς κακοβότους ἑταίρας μετέλαβεν εἰπών.

Ἡ Χάρυβδις ἢ τρίκρανος Σκύλλα ποντία κύων.

ad improbas meretrices tranſtulit dicens.

Triceps Charybdis, Scylla vel ponti canis.

Neque cum ſcopulo ſolùm, ſed etiam cum mari comparatur. Sic apud Plautum in Aſinariâ, actu I. ſcena 2. Argyripus adoleſcens,

Perlecebræ, pernicies, adoleſcentum exitium. Mare.

Nam mare, haud eſt mare, vos mare acerrimum.

Nam in mari repperi, hic elaui bonis.

Et in Truculento ſc. *Ite, ite hac*, &c.

-meretricem ego item eſſe reor, mare, vt eſt, quod des, deuorat. nec vnquam

Abundat. At hoc ſaltem ſeruat, vbi eſt ea apparet, huic des

Quantumuis, nunquam apparet, neque datori, neque acceptrici.

At fvit fama.] Non immeritò vel ipſam impudicitiæ famam obiicit iſte pater directus, nam de omni pudicitia dici poteſt, quòd Tertullianus de Chriſtiana, libro de cultu fœminarum. *Pudicitiæ Chriſtianæ ſatis non eſt eſſe, verùm & videri. tanta enim debet eſſe plenitudo eius vt emanet ab animo in habitum, & eructet à conſcientia in ſuperficiem*, &c. Seneca Pater in ſacerdote proſtituta: *Nulla ſatis pudica eſt de qua quæritur.* & in peregrino negotiatore, id eſt controuerſia 8. lib. 2. *Magnus pudicitiæ fructus eſt, pudicam credi, & aduerſus omnes illecebras, atque omnia delinimenta muliebris ingenij, eſt veluti ſolum ac firmamentum in nullam incidiſſe fabulam*, &c. *quæ poteſt non timere opinionem adulterij, poteſt non timere adulterium.* quam ob rem obiicere videtur famam aduerſam, quòd vel magnum flagitium ſit non fugere occaſiones fabularum, nec pudicus eſſe poſſit qui impudicitiæ famam non timuit incurrere. Sic Æſchines in Timarchum à famâ conatur Timarchi impudicitiam comprobare, in eo tamen quàm Cicero noſter frigidior, quòd Poëtarum auctoritates didaſcalico potiùs quàm oratorio more congeſſerit. εὑρήσετε καὶ τὴν πόλιν ἡμῶν, καὶ τοὺς προγόνους φήμης, ὡς θεοῦ μεγίστης βωμὸν ἱδρυμένους, καὶ τὸν Ὅμηρον, &c. λέγοντα περί τι τῶν μελλόντων [illegible]. IV. Non ſolùm impudicitia, ſed etiam impudicitiæ fama fugienda.

Φήμη δ' εἰς στρατὸν ἦλθε.

— καὶ πάλιν τὸν Εὐριπίδην, &c.

Φήμη τὸν ἐσθλὸν κἂν μυχῷ δείκνυσι γῆς.

ὁ δ' Ἡσίοδος, &c. λέγει.

Φήμη δ' οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται, ἥν τινα λαοὶ
Πολλοὶ φημίζουσι, θεός νύ τίς ἐστι καὶ αὐτή.

Fama. *Inuenietis enim, & noſtram ciuitatem, & maiores noſtros, Famæ tanquam Deæ maximæ aram dedicaſſe, & Homerum, &c. ita dicere ſolitum priuſquam aliquid eueniat.*

Fama volans totis aciem perfuderat alis.

Et rurſum Euripidem:

Terræ in receſſu fama demonſtrat probum.

Heſiodus autem:

Nuſquam fama perit, populi quæ plurima multi
Ore celebratur: namq; hæc Dea magna videtur.

Primus enim ad improbitatem gradus eſt famam contemnere. quòd Catilina aduerterat vt adoleſcentum animos corrumperet. Salluſtius: *Vbi eorum famam pudorémque attriuerat maiora alia imperabat.* Ideóque ſapienter Tiberius apud Tacitum tertio annalium, cùm de coërcendo luxu ageretur. *Corruptus ſemel*, inquit, *& corruptor, æger ac flagrans animus, haud minoribus remediis reſtinguendus eſt, quàm libidinibus ardeſcit. tot à maioribus repertæ leges, tot quas D. Auguſtus tulit. illæ obliuione, hæ (quod flagitioſius eſt) contemptu abolitæ ſecuriorem luxum fecere. nam ſi velis quod nondum vetitum eſt, timeas ne vetere. at ſi prohibita impunè tranſcenderis, neque metus vltra, neque pudor eſt.* Quamobrem ſapientiſſimi quique integram ſibi ſuiſque famam eſſe voluerunt. Plutarchus in Cæſare, de Pompeia loquens quam à Clodio conſtupratam in operto Bonæ Deæ fama vulgauerat. ὁ δὲ Καῖσαρ ἐπέμψατο μὲν εὐθὺς τὴν Πομπηΐαν, ἐρωτηθεὶς πῶς ἀπεπέμψατο τὴν γυναῖκα; ὅτι, ἔφη, τὴν ἐμὴν ἠξίουν μηδ' ὑπονοηθῆναι. *Cæſar autem repudiauit ſtatim Pompeiam, rogatúſque cur coniugẽ dimiſiſſet: meam, inquit, coniugẽ ne in ſuſpicionem quidem vocari fero.* Æſchines in Timarchũ. οὕτω χρὴ καθαρὸν τὸν βίον εἶναι τοῦ σώφρονος ἀνδρὸς, ὥστε μὴ ἐπιδέχεσθαι δόξαν αἰτίας πονηρᾶς. *Sic puram oportet eſſe vitam hominis temperãtis, vt neque in ſiniſtram ſuſpicionem vocari poſſit.* Megaronides Plautinus ſcenâ 1. Trinummi.

-omnes bonos bonáſque accurare addecet
Suſpicionem & culpam vt ab ſe ſegregent.

reſpondet Callicles.

Ne admittam culpã ego meo ſum promus pectori.
Suſpicio eſt in pectore alieno ſita.

Et ſanè Clytemnæſtra apud Æſchylum Agamemnone non ſolùm ſuam vitam & caſtitatem, ſed etiam famam commendat.

Οὐδ' οἶδα τέρψιν, οὐδ' ἐπίψογον φάτιν
Ἄλλου πρὸς ἀνδρὸς, μᾶλλον ἢ χαλκοῦ βαφάς.

V. QVOTVSQVISQVE.] Eleganter. idem autem eſt atque quam pauci, è quàm multis vel vnus ſaltem poteſt reperiri? Seneca epiſt. 42. *Qui ſe habet, nihil perdidit: ſed quoto cuique habere ſe contigit?* Auctor dialogi de oratoribus. *Quotus enim quiſque ſcholaſticorum non hac ſuâ perſuaſione fruitur, vt ſe ante Ciceronem numeret, ſed planè poſt Gabinianum?* Sed hæc ſatis de nomine. Commodè Callicles Plautinus ad hanc ſententiam Megaronidi ſe excuſans, qui famam ipſi ſic obiecerat.

Malè dictitatur tibi vulgo in ſermonibus
Turpilucricupidum te vocant ciues tui, &c.

Ita reſpondet:

Eſt, atque non eſt, mihi in manu Megaronides,
Quid dicant, non eſt; meritò vt ne dicant, id eſt.

VI. IN TAM MALEDICA CIVITATE.] Benè. nam maledicentia famæ mater. Achilles Tatius lib. 6. de amoribus Leucippes & Clitophontis. Φήμη δὲ καὶ διαβολὴ δύο συγγενῆ κακά. θυγάτηρ ἡ φήμη τῆς διαβολῆς. Καὶ ἔστι μὲν ἡ διαβολὴ μαχαίρας ὀξυτέρα, πυρὸς σφοδροτέρα, Σειρήνων πιθανωτέρα. ἡ δὲ φήμη ὕδατος ὑγροτέρα, πνεύματος δρομικωτέρα, πτερῶν ταχυτέρα. ὅταν οὖν ἡ διαβολὴ τοξεύσῃ τὸν λόγον, ὁ μὲν δίκην βέλους ἐξίπταται, καὶ τιτρώσκει μὴ παρόντα καθ' οὗ πέμπεται. ὁ δὲ ἀκούων ταχὺ πείθεται, καὶ ὀργῆς αὐτῷ πῦρ ἐξάπτεται, καὶ ἐπὶ τὸν βληθέντα μαίνεται. τεχθεῖσα δὲ ἡ φήμη τῷ τοξεύματι, ῥεῖ μὲν εὐθὺς πολλὴ καὶ ἐπικλύζει τὰ ὦτα τῶν ἐντυγχόντων, διαπνεῖ δὲ ἐπιπλέκουσα καταιγίζουσα τῷ τοῦ λόγου πνεύματι, καὶ ἐξίπταται κουφιζομένη τῷ τῆς γλώσσης πτερῷ. *Calumnia enim & fama duo ſunt ſibi cognata mala, nimirùm quia fama calumniæ filia eſt, atque illa quidem gladio acutior, igne ardentior, & ad perſuadendum aptior Sirenibus: hæc verò aquâ fluxior, vento celerior, alis pernicior. Quamobrem ſermo cùm à calumnia emiſſus fuerit, ſagittæ in morem euolat, abſentémque in quem mittitur, vulnerat. Qui verò audit, facilè admodum credit, iráque accenſus in vulneratum furit. At fama ex vulnere huiuſmodi genita multiplex quidem ſtatim diffunditur: & ſermonis vento acta, linguæque pennis interim ſuſtentata omnes in partes circumfertur, in obuij cuiuſque aures illabens.* Porrò quòd hîc famam Cœlius tribus rationibus, 1. quòd vel in caſtiſſimum quemque poſſit cadere, 2. quòd ſit maledica ciuitas, 3. quòd ne frater quidem Clodiæ vitauerit, arguit vanitatis, eleganter ille quidem & ingenioſè, ſed ni fallor etiam longè diuiniùs à Tertulliano falſitas famæ deſcribitur, cap. 8. apologetici. cuius proinde plura verba non pigebit aſſcribere. *Natura famæ omnib. nota eſt: veſtrũ eſt:*

Fama malum quo non aliud velocius vllum.

Cur fama malum? quia velox? quia index? an quia plurimum mendax? quæ ne tunc quidem cùm aliquid veri affert, ſine vitio mendacij eſt, detrahens, adiiciens, demutans de veritate. Quid? quod ea illi conditio eſt, vt non niſi cùm mentitur, perſeueret? & tamdiù viuit, quamdiù non probat. Siquidem, vbi probauit, ceſſat eſſe: & quaſi officio nuntiandi functa rem tradit: exinde res tenetur, res nominatur. Nec quiſquam dicit, verbi gratiâ, hoc Romæ aiunt factum aut fama eſt, illum prouinciam ſortitum: ſed ſortitus eſt ille prouinciam, & hoc factum eſt Romæ. Fama nomen incerti locum non habet vbi certum eſt. An verò famæ credat niſi inconſideratus? quia ſapiens, non credit incerto? Omnium eſt æſtimare, quantacunque ambitione diffuſa ſit, quantacunque aſſeueratione constructa, quòd ab vno aliquando principe exorta ſit: neceſſe eſt exinde in traduces linguarum & aurium ſerpat: & ita modici ſeminis vitium, cætera rumoris obſcura: vt nemo recogitet, num primùm illud os mendacium ſeminauerit, quòd ſæpe fit aut ingenio æmulationis, aut arbitrio ſuſpicionis, aut non nouâ, ſed ingenitâ quibuſdam mentiendi voluptate. Hæc ille. quibus ſimilia decies plura vel ab vno libẽter exſcriberem. Hic autem oratoris locus videtur neſcio quid è Pindaro redolere, Ode vndecima Pythiorum.

Fama filia Calumniæ.

Fama incerta.

Ἢ ἑτέρῳ δαμαλιζομέναν
Ἐννυχοι πάρῆγον κοῖται,
Τὸ δὴ νέαις ἀλόχοις
Ἔχθιστον ἀμπλάκιον, καλύψαι τ' ἀμάχανον
Ἀλλοτρίαισι γλώσσαις.
κακολόγοι δὲ πολῖται.

An alieno in cubili laſciuientem iuuencæ more no-ctu rni tranſuerſam egerunt concubitus? Quod certè iuuenibus nuptis odioſiſſimum eſt delictum. & quod abſcondi non poteſt alienis linguis. maledici enim ſunt ciues.

VII. Fores effregit.] Hi verſus deſumpti ſunt ex Terentij Adelphis, actu 1. ſc. 2. vbi Mitio in Æſchinum fratris filium à ſe adoptatum indulgentior, eius petulantiam & proteruitatem excuſat. Quod ad vocem *effringendi* attinet, iam non pauca diximus ad 11. §. Vatinianæ. *Parietes in adoleſcentiâ perfoderis.* Hinc effractores, perfoſſores, vecticularij, τοιχορύχοι, quos Seneca epiſt. 68. effractarios appellat. *Multi aperta tranſeunt, condita & abſtruſa rimantur, furem ſignata ſollicitant, vile videtur quicquid patet, aperta effractarius præterit,* &c. Fuit autem frequens vt amatores ſuarum delitiarũ ianuas effringerent. Tibull.

Fores frangebant amatores.

Nunc leuis eſt tractanda Venus du frangere poſtes
Non pudet.

Propertius lib. 2. eleg. 5.

Nec mea præcluſas fregerit ira fores.

Ouidius 1. amorum eleg. 9. comparatione militis & amantis.

Ille graues vrbes, hic duræ limen amicæ
Obſidet: hic portas frangit, at ille fores.

Seneca lib. 4. nat. quæſt. initio. *Criſpus Paßienus,* &c. *ſæpe dicebat, Adulationi opus eſſe non claudere oſtium, ſed operire, & quidem ſic quemadmodum amicæ ſolet, quæ ſi impulit, grata eſt: gratior, ſi effregit.* Idque nonnunquam ferro, aut etiam facibus admotis. 3. de Arte.

Ferro aut facibus admotis.

Nec franget poſtes, nec ſæuis ignibus vret.

Theocritus Eidyllio 2.

Εἰ δ' ἄλλα μ' ὠθεῖτε, καὶ ἁ θύρα εἴχετο μόχλῳ
Πάντως καὶ πελέκεις, καὶ λαμπάδες ἦνθον ἐφ' ὑμέας.
Si repuliſſetis, ſi ianua clauſa maneret
Veniſſent omnino ad vos tædæ atque ſecures.

Frequentiùs tamen aut calcibus aut lapidibus pulſabant. Apuleius apologiâ 2. *Ianua calcibus propulſata, feneſtræ canticis circumſtrepitæ.* Terentius Eunucho actu 2. ſc. 2.

Qui mihi nũc vno digitulo fores aperis fortunatus,
Næ tu iſtas faxo calcibus ſæpe inſultabis fruſtra.

Claudianus lib. 1. in Eutrop.

--tum turba procax, noctiſque recedit
Ambitus, & rarò pulſatur ianua iactu.

VIII. Discidit.] Frequentes huiuſmodi nugæ, vt apud Terentium Eunucho, actu 4. ſc. 3.

Veſtem omnem miſeræ diſcidit, tum ipſam capillo conſcidit. Et actu 5. ſc. 1.
Virgo conſciſſa veſte lacrumans obticet.

IX. Palam.] Infrà 49. *Palámque ſeſe in meretricia vita collocarit.* Vlpianus D. De ritu nuptiarũ. *Palam quæſtum facere dicemus non tantùm eam quæ in lupanario ſe proſtituit: verùm etiam ſi qua (vt adſolet) in tabernâ cauponiâ, vel quâ aliâ pudori ſuo non parcit. Palam autem ſic accipimus paßim, hoc eſt ſine delectu. Non ſi qua adulteris vel ſtupratoribus ſe committit, ſed quæ vicem proſtitutæ ſuſtinet. Item quæ cum vno & altero pecuniâ accepta commiſcuit, non videtur palam corpore quæſtum facere. Octauenus tamen rectißimè ait, eam quæ ſine quæſtu palam ſe proſtituerit, debuiſſe his connumerari.* At vt alibi tum ex Catullo, tum ex Martiale referemus, Clodia aut *in triuiis & angiportis,* vel *incuſtoditis & apertis liminibus* peccabat.

Palam.

X. In hortos.] Suprà 36. *Habes hortos ad Tiberim, ac diligenter eo loco præparaſti quo omnis iuuentus natandi cauſâ venit.* Infra 49. *Si in hortis, ſi in Baiarum illâ celebritate faciet.* Tertullianus lib. de pœnitentia, huc penè alluſit. *Exquirito balneas latiores hortulani maritimique ſeceſſus.* Sed quid vetat locum integrum producere, vt legant Græculi Nouatores, qui verborum aucupia ſectantes, in vno μετανοίας nomine, inueniſſe ſe putant, quo à pœnitentia dolorem omnem excluderent. *Num igitur in coccino & Tyrio pro delictis ſupplicare nos condecet? Cedo acum crinibus diſtinguendis, & puluerem dentibus elimandis, & biſulcum aliquid ferri vel æris vnguibus repaſtinandis, ſi quid ficti nitoris, ſi quid coacti ruboris in labia aut genas vrgeat: præterea exquirito balneas latiores hortulani maritimique ſeceſſus: adiicito ad ſumptum, conquirito altilium enormem ſaginam, defecato ſenectutem vini; Cúmque quis te interrogarit cur animæ largiaris, Deliqui, dicito, in Deum, & periclitor in æternum perire: Itaque nunc pendeo, & maceror, & excrucior, vt Deum reconciliem mihi quem delinquendo læſi,* &c. Adde quod Venus hortorum Dea, teſte Varrone 5. de linguâ, & primo de re ruſtica. Vnde & Mæuius apud Feſtum, *Venerem pro oleribus, vt Cererem pro pane, Neptunum pro piſcibus vſurpauit.* Cùm & Athenienſes quoque Veneris ſimulacrum ponerent ἐν κήποις, vt ex Pauſania in Atticis, & Luciano in imaginibus annotauit Gothofredus ad legem 66. D. De donationibus inter virum & vxorem. vbi Scæuola, *Virgini in hortos deductæ ante diem tertium quàm ibi nuptiæ fierent,* &c. Vide Iuuenalem ſat. 6. & 10.

In hortis amores.

Baias.] De Baiis ſupra 27. *Qui Baias viderit.* Si *balneas* mauis legere, adi infra 62. *Quadrantaria.* & habe interim illud Martialis lib. 3. ep. 51. XI.

Cùm te lucernâ balneator extinctâ.
Admittat inter balnearias mœchas.

Vid. lib. prot. pet.] Elegans locus in quo verba verbis, effectis cauſſæ reſpondeant, vt apud Senecam Rhetorem lib. 1. in ſacerdote proſtituta. *Viderimus quid in te audere potuerit feritas hoſtium, libido barbarorum, licentia dominorum.* Noſter pro Sextio 145. *Pertuli crudelitatem inimicorum, ſcelus infidelium, fraudem inuidorum.* XII.

Vidua libere.] Iauolenus D. De verb. ſignif. l. 242. §. 3. *Viduam non ſolùm eam quæ aliquando nupta fuiſſet, ſed eam quoque mulierem quæ virum non habuiſſet, appellari ait Labeo: quæ vidua ſic dicta eſt, quaſi vecors, veſanus qui ſine corde aut ſanitate eſſet, ſimiliter viduam dictam ſine duitate.* Macrobius 1. Saturnal. c. 15. *Nobis illa ratio nominis vero propior exiſtimatur, vt Idus vocemus diem qui diuidit menſem. Iduare enim Hetruſcâ lingua diuidere eſt: vnde vidua quaſi valde idua, id eſt, valdè diuiſa, aut vidua, id eſt à viro diuiſa.* Notat Gothofredus viduam etiam dici quæ virum quidem habet ſed inutilem, putà damnatum ad triremes. Gloſſ. in leg. vlt. in verb. orbitati. C. ad legem Fabiam de plagiariis, vt Eccleſia ſponſo viduata dicitur quæ Epiſcopum habet inutilem. Cap. 2. §. Sed neque illud. extra. de tranſlatione Epiſcoporum. aut etiam quæ virum abſentem habet. Plautus in Sticho. XIII.

Viduæ.

Libere.] Meritò viduitati libertatem adiungit. Hippocrates epiſtolâ ad Dionyſium. Ἀεὶ χρῄζει γυνὴ κολάζοντος. ἔχει γὰρ φύσει καὶ τὸ ἀκόλαστον ἐν αὐτῇ ὅπερ εἰ καθ' ἡμέρην μὴ ἐκκόπτοιτο, ὥσπερ τὰ δένδρα, καταλυμαίνει. *Semper indiget mulier . . .* XIV.

Libertas viduarum.

gante. habet enim in ſe ipſâ quandam diſſolutionem, quæ niſi ſingulis diebus, arborum inſtar, amputetur, noxia eſt. Egregiè S. Hieronymus ad Saluinam de viduitate ſeruādâ. *Tenera res in fœminis fama pudicitiæ eſt, vt flos pulcherrimus citò ad leuẽ marceſcit auram, leuique flatu corrumpitur, maximè vbi & ætas conſentit ad vitium, & maritalis deeſt auctoritas, cuius vmbra tutamen vxoris eſt.* Et ad Furiam. *Noli in publicum ſubinde procedere, & ſpadonum exercitu praeunte, viduarum circumferri libertate.*

XV. Proteruia. PROTERVA PETVLANTER.] De proteruitate iam dictum ad §. 29. Adde Donatum in Hecyram, actu 3. ſc. 5. ſic explicantem. *Proteruus eſt qui dum alius obuius eſt proterit. quod faciũt & tauri in appetitu fœminarum, in quas calent.* Hinc etiam Horatius Lalagen cum iuuenca cõparat. Ode 5. lib. 2. Carminum & addit,

--iam protervâ
Fronte petet Lalage maritum.

E quibus aduertis quàm aptè & concinnè petulantiam proteruitati coniunxerit. eodem enim vtrumque pertinet. Orator in paradoxis: *Lapſa eſt libido in muliere ignota, dolor ad pauciores pertinet, quàm ſi petulans fuiſſet in aliqua nobili virgine.* Et de ſenectute. *Vt petulantia & libido magis eſt adoleſcentium quàm ſenum, nec tamen omnium adoleſcentum, ſed non proborum.* Ouidius epiſtolâ Paridis ad Helenam.

Sæpe etiam vt poſſem verbis petulantiùs vti Petulantia.
Non ſemel ebrietas eſt ſimulata mihi.

Ductâ etiam à pecudibus tranſlatione quæ cornibus petunt, tum maximè, cùm eas libido proritat. Columella lib. 3. cap. 6. *Quoniam cornuti ferè pernicioſi ſunt propter petulantiam.* Nam vt ait Plato 9. de Rep. libidinoſi βοσκημάτων δίκην, *pecudum inſtar*, λακτίζοντες ϗ κυρίττοντες ἀλλήλους σιδηροῖς κέρασί τε ϗ ὁπλαῖς, ἀποκτιννύασι δὲ ἀπληστίαν. *Calcitrantes & cornupetentes inuicem ferreis cornibus & vngulis ſe propter inexplebilem cupiditatem interimunt.*

ADVLTERVM.] Vide infrà 49. XVI.

AXIOMATA.

Nulla cupiditate inducti debemus de via decedere.
Quotuſquiſque ſiniſtram famam effugere poteſt in maledicâ ciuitate?

ARGVMENTVM.

Antequam probet excuſandum eſſe adoleſcentem qui voluptatibus aliquantùm obtemperet, vtitur præmunitione, ne voluptatis patrocinium ſuſcipere videatur. & diuiniùs quidem eſſe demonſtrat ab omnibus ſe voluptatibus abſtinere, ſed diuinos non eſſe homines, vt omnem reſpuant voluptatem, ſoláque virtutis honeſtate contenti ſint.

XXXIX. DICET aliquis, hæc igitur eſt tua diſciplina? ſic tu inſtituis adoleſcentes? ob hanc cauſſam tibi hunc puerum parens commendauit & tradidit, vt in amore & voluptatibus adoleſcentiam ſuam collocaret, & hanc tu vitam atque hæc ſtudia defenderes? Ego ſi quis, Iudices, hoc robore animi, atque hac indole virtutis ac continentiæ fuit, vt reſpueret omnes voluptates, omnémque vitæ ſuæ curſum in labore corporis, atque in animi contentione conficeret: quem non quies, non remiſſio, non æqualium ſtudia, non ludi, non conuiuia delectarent: nihil in vita expetendum putaret, niſi quod eſſet cum laude, & cum dignitate coniunctum: hunc mea ſententia diuinis quibuſdam bonis inſtructum, atque ornatum puto. Ex hoc genere illos fuiſſe arbitror Camillos, Fabricios, Curios, omnéſque eos, qui hæc ex minimis tanta fecerunt.

EXPLANATIO.

DICET ALIQVIS.] Talis eſt obiectio.
Is ad quem adoleſcentes deducuntur bonis artibus imbuendi non debet commendare voluptatẽ, aut iis ſuadere vt amori & voluptatibus indulgeãt.
Sed Cœlius ad te deductus eſt bonis artibus imbuendus.
Ergo non debes commendare voluptatem, eíque ſuadere vt amori & voluptatibus indulgeat.

EGO SI QVIS IVDICES.] Reſpondet argumento, totúmque concedit. Fateor, inquit, me non debere commendare voluptatem, nec Cœlio ſuadere vt amoris & voluptatibus indulgeat. Sed non commendo voluptatem, immò potiùs diuinos eſſe homines dico, qui repudiatis voluptatibus, ſummum bonũ vnâ honeſtate metiuntur: ſed tantùm excuſandos adoleſcentes eſſe confirmo, ſi nonnihil voluptatibus indulſerint, atq; ita vix vllum hominem eſſe qui contineat ſe penitùs, omnémque reſpuat voluptatem ab ipsâ hominis naturâ demonſtrat.
Qui reſpuit omnem voluptatem diuino bono inſtructus eſt.
Sed vix vllus hominũ diuino bono inſtructus eſt.
Ergo vix vllus reſpuit omnem voluptatem.

HOC ROBORE ANIMI.] Contra voluptates obdurati.

HAC INDOLE VIRTVTIS.] Ad ſuſcipiendos labores præparatæ. *& continentiæ*, per quam ſe cupiditatibus duci minimè patiatur.

NON QVIES.] Corporis *non remiſſio* animi.

NON ÆQVALIVM STVDIA.] Tria ſunt quæ maximè poſſint homines ad voluptatem adducere. Neceſſitas, exempla, ipſæ voluptatum illecebræ. neceſſitas eſt quietis, exempla æqualium, illecebræ ludorum & conuiuiorum.

EX HOC GENERE.] Diuinorum hominũ qui diuinis quibuſdam bonis inſtructi & ornati voluptates reſpuerunt, ſola virtutis honeſtate cõtenti.

CAMILLOS.] Similes illi Furio Camillo, qui in exilio dictator electus eſt, & à Gallis vrbem iam occupatam, obſeſſúmque Capitolium liberauit. Plut. Florus, alij.

Fabricios.] Similes illi C. Fabricio qui à luxu tam fuit alienus, vt Conſul munera Pyrrhi, primámque in regiâ dignitatem neglexerit, & Cenſor P. Cornelium Ruffinum Senatu mouerit, quòd decem argenti pondo facti haberet. Plut. Florus, alij.

Cvrios.] Similes illi Curio Dentato de quo de ſenectute 55. *Curio ad focum ſedenti magnam auri pondus Samnites cùm attuliſſent, repudiati ab eo ſunt. non enim aurum habere præclarum ſibi videri dixit, ſed iis, qui haberent aurum, imperare.*

Qvi hæc ex minimis.] Quia adeò auxerunt imperij Romani dignitatem.

NOTÆ.

I. Hæc stvdia.] Studia adoleſcentiæ pro ludis & oblectamentis ſæpe reperies. Horatius lib. 2. ſat. 1.

Caſtor gaudet equis ouo prognatus eodem
Pugnis: quot capitum ſenſus, totidem ſtudiorum
Millia.

Sic hac ipſa ſectione, *non æqualium ſtudia, non ludi, non conuiuia.* Sic & Græci ἐπιτηδεύματα vocant. Plato in epiſtolis de luxu Siculo loquens, ϗ ὅσα τούτων ἐπιτηδεύματα ξυνέπεται τῷ βίῳ. *Et quæcunque harum viuendi rationum ſtudia conſequuntur.* Æſchines contra Timarchum diſcinctum nepotem & impudicum. εἰ μὲν δώσει τῶν ἐπιτηδευμάτων Τίμαρχος δίκην, ἀρχὴν εὐκοσμίας ἐν τῇ πόλει κατασκευάσετε. *Si Timarchus pœnam luerit ſuorum* Studia *ſtudiorum, modeſtiæ principium in vrbe ſtatuetis.* Plato 1. de legibus. Αθ. οὐ μόνον ἄρα, ὡς ἔοικεν, ὁ γέρων δὶς παῖς γίγνοιτ' ἄν, ἀλλὰ ϗ ὁ μεθυσθείς. Κλ. ἄριστ' εἶπες, ὦ ξένε. Αθ. τούτου δὴ τοῦ ἐπιτηδεύματος, ἔσθ' ὅστις λόγος ἐπιχειρήσει πείθειν ἡμᾶς ὡς χρὴ γεύεσθαι, ϗ μὴ φεύγειν παντὶ σθένει κατὰ τὸ δυνατόν. *Non ſolùm igitur, vt videtur, ſenex bis puer eſt, ſed etiam ebrius. Veriſſimè dictum eſt, hoſpes. Eſtne igitur oratio quæ nobis perſuadere conetur, hoc ſtudium eſſe deguſtandum, & non omnibus viribus fugiendum?* Studia autem hæc oblectamenta dicuntur, quod plerique mortaliũ in futilibus oblectationibus omne ſtudium ſoleant, tanquam in re vel maximè ſeriâ collocare. Ariſtoteles lib. 10. Ethic. Nicomach. cap. 6. Σπουδάζειν ϗ πονεῖν παιδιᾶς χάριν, ἠλίθιον φαίνεται, ϗ λίαν παιδικόν. παίζειν δ' ὅπως σπουδάζῃ κατ' Ανάχαρσιν, ὀρθῶς ἔχειν δοκεῖ. ἀναπαύσει γὰρ ἔοικεν ἡ παιδιά. *Seriò aliquid agere & laborare ludi cauſâ, valdè ineptum videtur, & puerile. at ludere, vt ſeriò aliquid agere & laborare poſſimus, valdè conſentaneũ eſt, iuxta Anacharſim. ludus enim quieti ſimilis eſt.* Plutarchus lib. 7. conuiualium quæſtionum problemate 6. Λάκων, οὐκ ἔφη. σωφρονεῖν τὴν πόλιν (τῶν Αθηναίων) μετὰ τοσαύτης σπουδῆς παίζουσαν. *Lacon Athenienſem vrbem non ſapere dixit, cum tanto ſtudio ludentem.* Quare ſapienter Cato Vticenſis ne ſtudium in ludis terere videretur, in ædilitate M. Fauonij ludos ad miraculũ frugales exhibuit. ἔπραττε δὲ ταῦτα, διασύρων τὸ πρᾶγμα, ϗ διδάσκων ὅτι παίζοντα δεῖ παιδιᾷ χρῆσθαι. *Hac verò faciebat, vt & rem ipſam irrideret, & ludenti ludendum eſſe oſtenderet.* Subdit: ϗ χάριτι παραπέμπειν ἀφελῶς μᾶλλον ἢ παρασκευαῖς ϗ πολυτελείαις, εἰς τὰ μηδενὸς ἄξια φροντίδας μεγάλας ϗ σπουδὰς κατατιθέμενον.

II. Labor. Dolor. Labore corporis.] Dolor non corpori ſolùm, ſed etiam animo videtur conuenire. 2. Tuſculana. *Dolor motus aſper in corpore à ſenſibus alienus, labor eſt functio quadam vel animi, vel corporis grauioris operis, & muneris.*

Divinis qvibvsdam bonis.] Bene poſt mentionem ſapientis illius qui ſecundum Stoicos, *nihil in vitâ expetendum putaret, niſi quod eſſet cum laude & dignitate coniunctum*, eum *diuinis quibuſdam bonis inſtructum, & ornatum eſſe ſubiunxit.* Nam vnum erat placitum Stoicorum diuinum planè, & hac parte Chriſtianum: Nemini bonam mentem ſine Dei beneficio contingere. Seneca epiſtolâ 10. *Votorum tuorum veterum licet Diis gratiam facias, alia de integro ſuſcipe. roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis.* Et epiſtolâ 73. *Non ſunt Dij faſtidioſi, non inuidi, admittunt & adſcendentibus manum porrigunt. miraris hominem ad Deos ire? Deus ad hominem venit. immò (quod propiùs eſt) in hominem venit. nulla ſine Deo mens bona eſt. Semina corporibus humanis diuina diſperſa ſunt. quæ ſi bonus cultor excipit, ſimilia origini prodeunt, & paria his, ex quibus orta ſunt, ſurgunt: ſi malus, non aliter quàm humus ſterilis ac paluſtris necat, ac deinde creat purgamenta pro frugibus.* Et epiſtolâ 41. pulcherrimè: *Non ſunt ad cœlum eleuandæ manus, nec exorandus ædituus, vt nos ad aures ſimulacri, quaſi magis exaudiri poſſimus, admittat. Prope eſt à te Deus: tecum eſt: intus eſt. Ita dico, Lucili: ſacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum bonorúmque noſtrorum obſeruator & cuſtos: hic prout à nobis tractatus eſt, ita nos ipſe tractat. bonus vir ſine Deo nemo eſt. An poteſt aliquis ſupra fortunam, niſi ab illo adiutus exurgere? ille dat conſilia magnifica & erecta*, &c. Vel potiùs diuinis bonis inſtructos appellat, quod ſapientem bona in honeſtate ponentem Stoici dicerent ad Deum accedere. Idem Seneca ep. 53. *Omnes mortales multo antecedes, non multo te Dij antecedent. Quid inter te & illos interfuturum ſit, quæris? Diutiùs erunt. at me hercule magni artificis eſt clauſiſſe totum in exiguo. Tantùm ſapienti ſua, quantùm Deo omnis ætas patet. Eſt aliquid quo ſapiens antecedat Deum, ille naturæ beneficio non ſuo ſapiens eſt. ecce res magna, habere imbecillitatem hominis, ſecuritatem Dei.* Cuius rei probationem adfert epiſt. 73. ex Sextij ſententiâ. *Solebat Sextius dicere Iouem plus non poſſe, quàm bonum virum.* Vide fusè rationes, ſi rationes dicendæ ſunt, & non deliria quibus vir tantus in eam fraudem inductus eſt, vt virum bonum Deo præferre non dubitaret. nimirùm animus fidei luce priuatus, paruo momento in falſitatem impellitur. Quantò meliùs Tyrius ille Maximus 22. concione? Τὸ θεῖον πάντως πη πέφυκε τελεώτατον, ϗ αὐταρκέστατον, ϗ ἰσχυρότατον. ὡς εἴ τι ἀφέλῃς, λυμανεῖς τῷ ὅλῳ. εἰ γὰρ μὴ τέλεον, οὐκ αὔταρκες· εἰ δ' οὐκ αὔταρκες, οὔπω τέλεον. εἰ δὲ αὔταρκες (lege εἰ δὲ οὐκ αὔταρκες) μηδὲ τέλεον, πῶς ἰσχυρόν; αὔταρκες δὲ ὂν ϗ τέλεον, ϗ ἰσχυρόν, κατὰ μὲν τὴν τελειότητα τὰ ἀγαθὰ βούλεται, κατὰ δὲ τὴν αὐτάρκειαν, ἔχει. κατὰ δὲ τὴν ἰσχὺν δύναται. βουλόμενος δὲ δὴ ϗ ἔχων ϗ δυνάμενος. κατὰ τί μὴ δῷ; ὁ μὲν γὰρ ἔχων μὴ διδοὺς, οὐ βούλεται. ὁ δὲ βουλόμενος οὐκ ἔχων. οὐ δύναται. ὁ δὲ ἔχων ϗ βουλόμενος πῶς οὐ δύναται; οὐκοῦν εἴπερ ἔχει τὰ ἀγαθὰ, τὰ τελεώτατα ἔχει. τελεώτατον δὲ ἡ ἀρετή. δίδωσι τοίνυν, ὃ ἔχει. ὥστε οὐ δέος μή ἄλλο ἀγαθὸν εἰς ἀνθρώπους ἔλθῃ μὴ παρὰ θεοῦ ὁρμηθέν. *Deum ſtátuis omnino perfectiſſimum eſſe, & ſibi ſufficientiſſimum, & potentiſſimum. Adeò vt ſi quid detraxeris, totum deſtruatur: ſi enim perfectus non eſt, neque ſibi ſufficiens eſt. Si verò non ſibi ſufficit, nondum perfectus eſt. Quod ſi neque ſibi ſufficit, neque perfectus eſt, quomodo fortis? Sin autem & ſibi ſufficiens,*

Margin notes (right): III. — Gratiæ Dei neceſſitas ad virtutem cōſequendam. — Vir bonus cũ Deo comparatus. — Virtus à Deo.

& perfectus, & fortis eſt, ſecundum perfectionem vult bona, ſecundum ſufficientiam habet, ſecundum fortitudinem poteſt. Quod ſi & vult & habet, & poteſt, quam ob cauſſam bona non largiatur? Nam qui habens non largitur, is non vult largiri. Qui vult, nec habet, is non poteſt. Qui & habet, & vult quomodo non poteſt? Igitur ſi bona habet, perfectiſſima habet: perfectiſſimam autem eſt virtus. Dat igitur quod habet. Quare metuendum non eſt, ne quodpiam bonum hominibus eueniat, niſi à Deo profluxerit.

AXIOMATA.

Opus eſt robore animi atque indole virtutis ad reſpuendas omnes voluptates.

Qui nihil in vitâ expetendum putat, niſi quod eſt cum laude atque dignitate coniunctum, is diuinis quibuſdam bonis inſtructus atque ornatus eſt.

ARGVMENTVM.

Oſtendit exemplo tum Romanorum, tum etiam Philoſophorum ſcriptis diuinam hanc, quæ in voluptatum contemptu laborúmque tolerantiâ continetur, virtutem adeò raram eſſe vt vix iam in litteris poſſit reperiri.

XL. VERVM hæc genera virtutum non ſolùm in moribus noſtris, ſed vix iam in libris reperiuntur. chartæ quoque, quæ illam priſtinam ſceueritatem continebant, obſoleuerunt: neque ſolùm apud nos, qui hanc ſectam, rationémque vitæ re magis, quàm verbis ſecuti ſumus, ſed etiam apud Græcos doctiſſimos homines, quibus, cùm facere non poſſent, loqui tamen, & ſcribere honeſtè, & magnificè licebat. Alia quædam, mutatis Græciæ temporibus, præcepta exſtiterunt.

EXPLANATIO.

VERVM HÆC GENERA VIRTVTVM.] Non ſunt tam diuinæ virtutes ab hominibus noſtræ tempeſtatis exigendæ. Sic enim ab illâ virtute deſciuimus, vt ne in litteris quidem noſtris aut huius virtutis exemplum, aut commẽdatio poſſit reperiri. tantùm abeſt vt eam iam quis exerceat.

CHARTÆ QVOQVE.] Per hyperbolem oſtendit, quampridem Romani ab hac antiquâ morum grauitate defecerint, libróſque iam ſitu & ſquallore obſoletos dicens in quibus aliquod huiuſce virtutis exemplum extare potuiſſet.

ABSOLVERVNT.] Alij *abſoleuerunt.*

HANC SECTAM, RATIONEMQVE VITÆ.] Sectam appellat ad Philoſophorum αἱρέσεις alludens, vt oſtendat Romanos, non verbis quidem, ſed factis fuiſſe philoſophatos.

ALIA QVÆDAM.] Molliora, & ad voluptatem procliuiora.

NOTÆ.

1\. CHARTÆ QVOQVE.] Cur chartas iam vetuſtate dicat obſoleuiſſe, poteſt non immeritò dubitari, quippe quas vix trecentis ante Ciceronem annis repertas fuiſſe ſcriptores grauiſſimi litteris prodiderunt. Plinius lib. 13. cap. 11. *Prius tamen quàm digrediamur ab Ægypto, & papyri natura dicetur. cùm chartæ vſu maximè humanitas conſtet, & memoria, & hanc Alexandri Magni victoriâ repertam auctor eſt M. Varro, conditâ in Ægypto Alexandria. antea non fuiſſe chartarum vſum, palmarum foliis primo ſcriptitatum. deinde quarumdam arborum libris. poſteà publica monumenta plumbeis voluminibus. mox & priuata linteis confici cœpta: aut ceris. pugillarium enim vſum fuiſſe ante Troiana tempora inuenimus apud Homerum.* Condita autem fuit Alexandria C. Petilio & L. Papyrio Mugilano Coſſ. vt eſt apud Liuium libro 8. id eſt anno ab vrbe condita circiter 428. Varroni Plinius c. 13. auctoritate Caſſij Heminæ vetuſtiſſimi auctoris annalium refragatur, qui Hemina de libris Numæ è charta in Ianiculo repertis faciens mentionem 4. annalium. *Mirabantur*, inquit, *alij, quomodo illi libri durare potuiſſent. ille ita rationem reddebat: lapidem fuiſſe quadratum circiter in mediâ arcâ vinctum candelis quaqua verſum in eo lapide inſuper libros impoſitum fuiſſe: propterea arbitrarier eos non computruiſſe, & libros cedratos propterea arbitrarier eos tineas non contigiſſe. Nulla in iis libris ſcripta erant, niſi Philoſophia Pythagorica*, &c. Cuius rei etiam auctorem profert C. Piſonem Cenſorium. Sed pace tantorum virorum dixerim. Neque Plinio, neque Heminæ, neque Piſoni libẽter aſſentior. neque enim ij libri à Numa conſcripti eſſe potuerunt. Etenim cùm penè ex omnibus ad vnũ auctoribus conſtet Numam longè ante Pythagorim floruiſſe, aut à Numâ non conſcripti ſunt, aut certè Pythagoricam philoſophiam non continebant. Prudentiùs fortaſſe Titus Liuius decad. 4. lib. 10. & illud auctorum de Pythagora mendacium notat, & in eadem re nullam chartæ facit mentionem. *In alterâ* (arcâ) *duo faſces candelis inuoluti ſeptenos habuere libros, non integros modò, ſed recentiſſimâ ſpecie. Septem Latini de iure Pontificio erant: ſeptem Græci de diſciplinâ ſapientiæ, quæ illius ætatis eſſe potuit. Adiicit Antias Valerius Pythagoricos fuiſſe, vulgatæ opinioni, quâ creditur Pythagoræ auditorem fuiſſe Numam, mendacio probabili accommodatâ fide.* Quod ſpectat ad libros Sibyllinos, certè neque Aulus Gellius lib. 1. ex veteribus annalibus rem referens, neque Dionyſius Halicarnaſſeus, chartæ vllo pacto meminerunt. certè circa annum ab vrbe condita CCCXVI. nondum chartas in vſu fuiſſe, videtur ex eo conſtare, quod etiam tum Faſti Conſulares populi Romani in libris linteis ſcriberentur. Liuius lib. 4. *Magiſtratuum libri, quos linteos in æde repoſitos Monetæ Macer Licinius citat identidẽ auctores.* Neq; tanti eſt Mutiani, vidiſſe ſe epiſtolam in charta Memnonia manu exaratam tradentis

Chartarum vſus quando inuentus.

auctoritas, vt ipſi Homero de ſuis propemodum temporibus loquenti præferendus eſſe videatur, apud quem Bellerophonti litteras non in chartâ ſed in tabellis tradit Prœtus ad ſocerum deferendas. (Tabellæ.)

--πόρεν δ' ὅ γε σήματα λυγρὰ
Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά.
--dedit verò litteras perniciosas
Scribens in tabellâ plicatâ exitiabilia multa.

Neque verò eſt quòd antiquiores Alexandri temporibus chartas hîc inſinuari exiſtiment. nam ducentorum annorum ſpatio obſoleſcere debuerunt. cùm Plinius libro 15. cap. 12. pro miraculo hæc narret. *Ita ſunt longinqua monumenta Tiberij Caijque Gracchorum manus: quæ apud Pomponium Secundum vatem, ciuémque clariſſimum vidi annos ferè poſt* cc. *Iam verò Ciceronis ac Diui Auguſti Virgiliique ſæpenumerò videmus.*

II. (Sectæ.) SECTAM.] De Philoſophorum Sectis, ſiue hæreſibus agunt quamplurimi. Vide Diogenem Laërtium, tum in prooemio, tum alibi, tum præſertim in ſingularum ſectarum principibus, & D. Auguſtinum libris de ciuitate Dei.

III. RE MAGIS QVAM VERBIS.] Salluſtius in Catilinâ. *Optumus quiſque facere quàm dicere, ſua ab aliis benefacta laudari, quàm ipſe aliorum narrare malebat.* Idem Salluſtius apud Acronem Horatij interpretem, *vt res mgis quàm verba gererent, liberos Parentéſque in muris locauerant.* Ouidius tertio Faſtorum. (Opera verbis potiora.)

Qui bene pugnabat, Romanam nouerat artem:
Mittere qui poterat pila, diſertus erat.

Feſtiuè Stratophanes Plautinus Truculento, ſc. 7. ſe re magis quàm verbis fortem eſſe demonſtrat.

Manibus duellis prædicare ſoleo, haud in ſermonibus, &c.
Non placet quem ſcurræ laudant, manipulares muſſitant.
Neque illi quorum lingua gladiorum aciem præſtringit domi.
Strenui nimio plus proſunt populo, quàm arguti & cati.
Facilè ſibi facunditatem virtus arguta inuenit. an *argutam?*
Sine virtute argutum ciuem mihi habeam pro præficâ
Quæ alios collaudare abſentes, ſe verò non poteſt.

IV. CVM FACERE NON POSSENT, LOQVI TAMEN.] Notum eſt illud,

Græcia facundum, ſed malè fortè genus.

quod iam antè Aſclepius in ſuis ad Ammonem Regem definitionibus indicarat, αὕτη ἐστὶν ἡ φιλοσοφία Ἑλλήνων, λόγων ψόφος. ἡμεῖς δ' οὐ λόγοις χρώμεθα, ἀλλὰ φωναῖς μεγίσταις τῶν ἔργων. *Hæc eſt Græcorum philoſophia, ſtrepitus verborum. nos verò verbis non vtimur, ſed maximis vocibus operum.* (Græcia facūdum, ſed malè fortè genus.) quod philoſophiæ nomen, vel ab eo qui Ægyptiacâ linguâ in Græciam tranſcripſit, importunè intruſum eſt, cùm Aſclepius longè ante Troiana tempora, nedum ante Pythagoram huius nominis inuentorem floruerit, vel eſt cur de libri totius auctore non immeritò dubitemus. Sic Cleanthes apud Laërtium. ἔλεγε δὲ καὶ τοὺς ἐκ τοῦ περιπάτου ὅμοιόν τι πάσχειν ταῖς λύραις αἳ καλῶς φθεγξάμεναι αὐτῶν οὐκ ἀκούουσιν. *Peripateticos lyris ſimiles eſſe dicebat, quæ pulchrè canentes ſeipſas non audiunt.* Cuiuſmodi Philoſophos ait Themiſtius oratione in obitum Patris, τῇ μὲν γλώττῃ φιλοσοφήσειν, τῇ καρδίᾳ δ' οὐδαμῶς. *Linguâ tenus philoſophaturos, corde verò nihil minùs quàm hoc eſſe facturos.* At ſapienter alij verba cum operibus iunxerunt. Craſſus 3. de oratore ſic inducitur. *Nam vetus quidem videtur eadem doctrina, & rectè faciendi & bene dicendi magiſtra: neque diſiuncti doctores, ſed iidem erant, viuendi præceptores atque dicendi: vt ille apud Homerum Phœnix qui ſe à Peleo Patre Achilli iuueni comitem eſſe datum dicit ad bellum, vt illum efficeret oratorem verborum actorémque rerum.* verba ſunt Phœnicis 9. Iliados.

Τοὔνεκά με προέηκε διδασκέμεναι τάδε πάντα
Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.
Cuius cauſa me miſit vt docerem hæc omnia
Verborúmque locutorem eſſe, & factorem operū. (Olim iidem erant & rectè faciendi, & bene loquēdi doctores.)

Porrò quàm neceſſe ſit verba operibus coniungere ad virtutem conſequēndam, ſæpe Ariſtoteles oſtendit, vt 2. Ethic. Nicomach. cap. 13. ἐκ δὲ τοῦ μὴ πράττειν ταῦτα οὐδεὶς ἂν οὐδὲ μελλήσειε γίνεσθαι ἀγαθός. ἀλλ' οἱ πολλοὶ ταῦτα μὲν οὐ πράττουσιν. ἐπὶ δὲ τὸν λόγον καταφεύγοντες οἴονται φιλοσοφεῖν, καὶ οὕτως ἔσεσθαι σπουδαῖοι, ὅμοιόν τι ποιοῦντες τοῖς κάμνουσι. οἳ τῶν ἰατρῶν ἀκούουσι μὲν ἐπιμελῶς, ποιοῦσι δ' οὐδὲν τῶν προσταττομένων. ὥσπερ οὖν οὐδ' ἐκεῖνοι εὖ ἕξουσι τὸ σῶμα οὕτω θεραπευόμενοι, οὐδ' οὗτοι τὴν ψυχὴν οὕτω φιλοσοφοῦντες. *Nemo bonus euadet, niſi operi manum admouerit. ſed plurimi non operantur, ad ſermonem verò profugientes ſe philoſophari & ad virtutem conniti exiſtimant, ægrotis non abſimiles, qui cùm medicum diligenter audiuerint, præſtant tamen eorum nihil quæ fuerint imperata, vt enim qui ſic curantur, nunquam corporis, ſic nec ij, qui ſic philoſophantur vnquam animi recipient ſanitatem.* (Ad virtutem non ſufficiūt verba.) Et moralia his verbis concludit. Οὐ περὶ ἀρετῆς ἱκανὸν τὸ εἰδέναι, ἀλλ' ἔχειν καὶ χρῆσθαι πειρατέον. *Ad virtutem non ſatis eſt cognoſcere, ſed nitendum vt eam & habeamus & exerceamus.* Ideóque apud Platonem Socrates eleganter à Lachete laudatur, quòd cum verbis opera coniungeret. Καὶ κομιδῇ μοι δοκεῖ μουσικὸς ὁ τοιοῦτος εἶναι ἁρμονίαν καλλίστην ἡρμοσμένος. οὐ λύραν οὐδὲ παιδιᾶς ὄργανα, ἀλλὰ τῷ ὄντι ζῆν ἡρμοσμένος, οὗ αὐτὸς αὑτοῦ τὸν βίον σύμφωνον τοῖς λόγοις πρὸς τὰ ἔργα ἀτεχνῶς δωριστί, καὶ οὐκ ἰαστί. οἴομαι δ' οὐδὲ φρυγιστί, οὐδὲ λυδιστί, ἀλλ' ἥπερ μόνη ἑλληνική ἐστιν ἁρμονία. *Et ſanè mihi videtur ille muſicus eſſe, quique pulcherrimum concentum effecerit, qui non lyram aut alia ludi inſtrumenta, ſed vitam reuera ſui ipſius, verbis & operibus conſonam reddiderit, non Doricâ, aut Ionicâ, immò nec Phrygiâ, aut Lydiâ harmoniâ, ſed eo concentu qui reuera Græcus dicendus eſt.* Et paulò pòſt: Σωκράτης δ' ἐγὼ τῶν μὲν λόγων οὐκ ἔμπειρός εἰμι, ἀλλὰ πρότερον ὡς ἔοικε, τῶν ἔργων ἐπειράθην. καὶ ἐκεῖ αὐτὸν εὗρον ἄξιον ὄντα λόγων καλῶν, καὶ πάσης παρρησίας. *Socratis quidem ſermones nondum expertus ſum, ſed priùs, vt docet eius opera ſum expertus, & ex his eum inueni digniſſimum qui & verbis præclaris, & cum omni libertate loqueretur.* (Concentus virtutum.) Hæc ille de Socrate, qui & facere poterat, & magnificè loqui. Sed quoniam iam bis lyræ fecimus mentionem, operæpretium fuerit, hanc lyræ comparationem ex Euryphemo Pythagorico exhibere, apud quem videas virtutum opera cum lyræ fidiúmque pulſu conferri. Sic igitur ille fragmentis libelli περὶ βίου. ἀνθρώπῳ γὰρ ὁ βίος λύρας ἐξηρτυμένας, καὶ κατὰ πᾶν ἐπιτελέος ἔστω εἰκών ἐστι. λύρα τε γὰρ πᾶσα χρήζει τριῶν τούτων τυχὲν, ἐξαρτύσιος, συναρμογᾶς, ἐπαφᾶς τινος μωσικᾶς. ἐξάρτυσις μὲν οὖν ἐστι, ἁ τῶν οἰκήων μερέων τῶ σώματος παρασκευὰ

πάντων. λέγω δὲ τᾶν χορδᾶν, καὶ τῶν ὀργάνων τῶν ποτ' εὐφωνίαν, καὶ πλαγᾶν ἐπιπαυεργουμένων. συναρμογὰ δὲ, ἁ ποτ' ἀλλήλως σύγκρασις τῶν φθόγγων. ἐπαφὰ δὲ μωσικά, ἁ κατὰ συναρμογὰν κίνησις ἤδη τούτων. οὕτως ὦν καὶ βίος ἀνθρώπων χρήζει τριῶν τούτων τυχέν. ἐξαρτυσις μὲν, ἁ τῶν τῶ βίω μερέων ἐστὶ συμπλάρωσις. βίω δὲ μέρεα, τά τε σώματος ἀγαθὰ, καὶ τὰ τῶν χρημάτων, καὶ τὰ τὰς δόξας, καὶ τὰ τῶν φίλων. συναρμογὰ δὲ, ἁ κατ' ἀρετὰν καὶ νόμως τούτων σύνταξις. ἐπαφὰ δὲ μωσικά, ἁ κατ' ἀρετὰν καὶ νόμως τούτων σύγκρασις ὀρθοπλοουμένας τᾶς ἀρετᾶς, καὶ μηδὲν ἔξωθεν ἀντίπνοιον ἐχούσας αὐτῇ. *Etenim humana vita lyræ vndique perfectæ & accuratæ ſimilis eſt. ſicut enim lyra omnis tria hæc requirit, apparatum, compoſitionem & pulſum muſicum. apparatum dico propriarum partium omnium copiam vt chordarum, & ad pulſum ac ſonum pertinentium inſtrumentorum: compoſitionem autem mutuam ſonorum proportionem; pulſum denique horum pro compoſitione motum: ſic etiam humana vita tribus his indiget. apparatus quidem eſt vitæ partium iuſtus numerus. Sunt autem vitæ partes corporis bona, opes, amici, gloria. Compoſitio eſt horum ſecundum virtutem & leges conſtructio. pulſus denique muſicus eſt horum ſecundum eadem permixtio, cum ſecundo vento virtus fertur, neque aduerſi quicquam aliunde ſentit.* Secutus ſum Guillelmi Canteri verſionem: & fuit fortaſſe longior, ſed volui tibi venerandum antiquæ philoſophiæ ſpecimen exhibere, qualis erat antequam ſophiſtæ ſuis eam captioſis nodis inuoluerent. Cæterùm ex hac fortaſſe comparatione deſumptus fuerit ille boni Poëtæ verſus,

Κινοῦσα χορδὰς τὰς ἀκινήτους φρενός.

Nuſquam mouendas pectoris chordas mouet.

Homo cum lyra comparatus.

Vide Senecam epiſt. 88. & Laërtium in Diogene. Sed vereor ne iam modum breuitatis exceſſerim. ad hos qui neglectis operibus, philoſophiam verbis metiuntur, redeamus. Plutarchus in opuſculo, πῶς ἄν τις αἴσθοιτο ἑαυτοῦ προκόπτοντος ἐπ' ἀρετῇ, eum de eo qui philoſophiæ ſtudet, vt aliis enuntiet, non vt ipſe virtutem exerceat. οὐδὲν διαφέρει τῆς Ὁμηρικῆς ὄρνιθος, ὅ,τι ἂν λάβοι τοῖς μαθηταῖς, ὥσπερ ἀπτῆσι νεοττοῖς διὰ τοῦ στόματος προσφέρων. --κακῶς δέ τε οἱ πέλει αὐτῷ.

μηδὲν εἰς ὄνησιν οἰκείαν ἀναδιδόντι, μηδὲ καταπέττοντι τῶν λαμβανομένων. *Non differt ab aue Homericâ, quicquid acceperit, diſcipulis, tanquam implumibus pullis ore deferens,*

--fame tabeſcit at ipſe.

Nihil ad propriam vtilitatem digerens, aut concoquens quidquam eorum quæ acceperit. Et paulò pòſt: καθάπερ ἀγγείων ὑγρὸν δεχομένων ὁ κενὸς ἀὴρ ἐκθλιβόμενος ὑπεξέρχεται, οὕτως ἀνθρώποις πληρουμένοις τῶν ἀληθινῶν ἀγαθῶν ἐνδίδωσιν ὁ τῦφος. *Quemadmodum humore in vaſa infuſo, aër extruditur, ſic hominum veris bonis plenorum ſuperbia faſtuſque depellitur, & detumeſcit.* Hæc Plutarchus. Bene Demoſthenes paſſim, & præcipuè cõtra Philippi epiſtolã: ἅπας μὲν γὰρ κενὸς λόγος πράξεων ἀμοιρῶν φαινόμενος. *Omnis oratio vana eſt ſi fuerit operibus deſtituta.* Sed in horum inſectatione totus eſt multis in dialogis Lucianus, & Dio Pruſæus oratione quæ *de Philoſophia* inſcribitur, atque de hominibus eiuſmodi Æſchines eleganter oratione in Cteſiphontem. περὶ δ' εὐγνωμοσύνης καὶ λόγου δύναμιν, πῶς πέφυκε; δεινὸς λέγειν, κακὸς βιῶναι. οὕτω γὰρ κέχρηται καὶ τῷ ἑαυτοῦ σώματι, καὶ παιδοποιΐᾳ, ὥστε με μὴ βούλεσθαι λέγειν ἃ τούτῳ πέπρακται. ἤδη γάρ ποτε εἶδον μισηθέντας, τοὺς τὰ τῶν πλησίον αἰσχρὰ λίαν σαφῶς λέγοντας. ἔπειτα, τί συμβαίνει τῇ πόλει; οἱ μὲν λόγοι καλοί, τὰ δ' ἔργα φαῦλα. *Quod ad prudentiam & eloquentiam ſpectat, quomodo eſt à naturâ inſtitutus? vt bene loquatur, male viuat. ſic enim vtitur & corpore ſuo, & matrimonio, vt pudeat me dicere, quæ iſte in ſe admiſerit. Nonnunquam enim aduerti eos odio eſſe, qui aliorum flagitia nimis perſpicuâ oratione deſcriberent. quid deinde? quid in rempublicam redundat? pulchra oratio, opera mala.* Quibus & illud Socratis apud Xenophontem lib. 4. Memorabilium poſſit optimè cõuenire. τοὺς γάρ τοι ῥαψῳδοὺς οἶδα τὰ μὲν ἔπη ἀκριβοῦντας, αὐτοὺς δὲ πάνυ ἠλιθίους ὄντας. Maximus certè Tyrius concionem habet 14. quæ ſic inſcribitur, ὅτι οἱ σύμφωνοι τοῖς ἔργοις λόγοι ἄριστοι. *Optimos eos eſſe ſermones qui cum factis conſentiant.* Ex qua viſum eſt pauca delibare. ἦσαν δέ που καὶ οἱ Πυθαγόρου λόγοι ἐοικότες τοῖς νόμοις, βραχεῖς καὶ σύντομοι· τὰ δ' ἔργα μακρὰ καὶ διηνεκῆ, καὶ νύκτωρ καὶ καθ' ἡμέραν μηδαμοῦ τὴν ψυχὴν ἀνιέντα μηδ' εἰς ῥαθυμίαν χαλῶντα. ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς τῶν μελῶν ἁρμονίαις, τὸ παραλειφθὲν, κἂν σμικρὸν ᾖ, διαλύει τὸν κόσμον τοῦ μέλους, οὕτω κἂν τῇ τοῦ βίου ἁρμονίᾳ, εἴπερ μὴ ἐμμελὴς ἡμῖν ἔσται, μηδ' εἰκῇ διαπεραινόμενος, ὁμολογίαν εἶναι δεῖ ἔργου καὶ λόγου. καὶ μήτε τὰ ἔργα εἰς ἀφάνειαν κομιδῇ ξυνηλάσθαι, μήτε τοὺς λόγους ὑπὲρ τὰ ἔργα χωρεῖν, ὥσπερ ἐξ ἀγγείου στενοῦ ἀποχεομένους. ἀλλ' ἑκάτερα ἑκατέροις συντεταγμένοις ἰσομέτρητά τε καὶ ἰσοχειλῆ εἶναι. *Pythagoræ legibus ſimilis erat oratio, breuis & conciſa: opera verò longa & aſſidua, quæ nec diù nec noctu animam aut remitti paterentur, aut in ſegnitiem ignauiámque diſſoluerent. ſicut enim in verſuum harmonia & concentu, ſi vel minimum relinquatur, concentus ipſe & verſuum ornatus diſſoluitur: ſic in vita concentu, niſi abſona fuerit & temerariè tranſacta, verba oportet & opera inter ſe conſentiant, vt neque opera in obſcurum trudantur, neque ſermones ſuper opera ſe effundant, non ſecùs ac ſi ex anguſto vaſculo funderentur: ſed ſibi inuicem congruant & commenſurentur neceſſe eſt.* Nec malè Seneca epiſtola 16. *Illud ante omnia vide vtrum in philoſophia an in ipſa vita profeceris. nõ eſt philoſophia populare artificium, nec oſtentationi paratum. Non in verbis, ſed in rebus eſt*, &c. Et epiſt. 26. *Eſt enim oratio etiam timidiſſimis audax.* quare meritò hunc Pacuuij verſum, vt Auli Gellij verbis vtar, lib.13.noct. Attic. cap.10. *Macedo philoſophus*, &c. *ſcribi debere cenſebat pro foribus omnium templorum:*

Opere philoſophandum non verbis.

Pulchra oratio, opera mala.

Optimi ſermones qui cũ vitâ conſentiunt.

Ego odi homines ignauâ operâ, & philoſophâ
ſententiâ.

Nihil enim fieri poſſe indigniùs, neque intolerantiùs dicebat, quàm quòd homines ignaui ac deſides, operti barbâ & pallio, mores & emolumenta philoſophiæ, in linguæ verborúmque artes conuerterent: & vitia facundiſſimè accuſarent, intercutibus ipſi vitiis madentes. qua de re vide Iuuenalem tota ferè ſat.2. & ſanè cui non facile eſt verba magnifica, longo tractu deuoluere, quæ non virtus, ſed ipſa fucata virtutis ſimulatio ſubminiſtret? Eleganter Hector Homericus 20. Iliados, v.367.

Καί κεν ἐγὼν ἐπέεσσι, καὶ ἀθανάτοισι μαχοίμην,
Ἔγχει δ' ἀργαλέον. ἐπεὶ ἦ πολὺ φέρτεροί εἰσι.
Atqui egomet ſermone Diis contendere poſſum,
Haſtâ difficile eſt. ſuperant mortalia Diui.

Facilè loqui, non item facere.

Sic permultos ſanè reperias qui *talia verbis Herculis* poſſunt inuadere: pauci tamen ipſam virtutem exercere potuerunt. ſed vt ait Patroclus 16. Iliados v. 825.

Ἐν γὰρ χερσὶ τέλος πολέμου, ἐπέων δ' ἐνὶ βουλῇ.

Τῷ οὔτι χρὴ μῦθον ὀφέλλειν, ἀλλὰ μάχεσθαι.
In manibus finis belli, ſermonis in ipſo
Conſilio: quare haud certandum voce, ſed armis.

Nam etiam ignauiſſimis tanta copia ſermonis eſt, vt quod ait Æneas 20. Iliados verſu 247.

-οὐ δ' ἂν νηῦς ἑκατόνζυγος ἄχθος ἄροιτο.
Στρεπτὴ δὲ γλῶσσ' ἐστὶ βροτῶν· πολέες δ' ἔνι μῦθοι.
-Centeno non portet onus ratis excita verſu.
Sermones hominum varij, verſatilis ipſa eſt
Lingua.

AXIOMATA.

Virtus re magis quàm verbis ſequenda eſt.

Multis, cùm facere non poſſint, loqui tamen honeſtè & magnificè licet.

ARGVMENTVM.

Primò per inductionem oſtendit etiam in ipſis philoſophis paucos fuiſſe, qui non vel totam fœlicitatem, vel maximam eius partem in corporis voluptatibus collocarint. deinde ab ipsâ rei naturâ demonſtrat mirum non eſſe, ſi quam plurimi voluptatibus ſeruiant, & ſuis cupiditatibus obtemperent.

XLI. ITAQVE alij voluptatis cauſsâ omnia ſapientes facere dixerunt: neque ab hac orationis turpitudine eruditi homines refugerunt. alij cum voluptate dignitatem coniungendam putauerunt, vt res maximè inter ſe repugnantes dicendi facultate coniungerent. illud vnum ad laudem cum labore directum iter qui probauerunt, propè iam ſoli in ſcholis ſunt relicti: multa enim nobis blandimenta natura ipſa genuit, quibus ſopita virtus conniueret: & interdum multas vias adoleſcentiæ lubricas oſtendit, quibus illa inſiſtere, aut ingredi ſine caſu aliquo aut prolapſione vix poſſet: & multarum rerum iucundiſſimarum varietatem dedit, quæ non modò hæc ætas, ſed etiam iam corroborata caperetur.

EXPLANATIO.

ITAQVE ALII.] Cùm itaque molliora iam philoſophorum præcepta extitiſſent, alij, vt Ariſtippus, dixerunt omnia ad voluptatem tanquam ad ſummum bonum eſſe referenda.

ALII CVM VOLVPTATE DIGNITATEM.] Vt Callipho, qui *ad virtutem nihil adiunxit niſi voluptatem*, Diodorus, *niſi vacuitatem doloris.* Cicero 2. de finibus §. 34.

VT RES MAXIME.] Vt voluptatem & honeſtatem duas res inter ſe valdè diſſidentes eloquentiâ ſuâ iungendas eſſe ſuaderent.

ILLVD VNVM.] Zeno verò cæteríque Stoici qui virtutem dicebant ad bene beatéque viuendum ſe ſolâ eſſe contentam, ideò nullum recuſandum eſſe laborem ad eam conſequendam, iam nuſquam niſi in Scholis & inter priuatos parietes audiuntur, diſcipulorum frequentiâ deſtituti.

MVLTA ENIM BLANDIMENTA.] ab ipſâ rei naturâ demonſtrat mirum non eſſe, ſi pauci Stoicos ſectentur, in hanc penè ſententiam.

Mirum non eſt ſi qui alliciuntur ad voluptatem Stoicos non ſectentur.

Sed adoleſcentes ipſius naturæ blandimentis alliciuntur ad voluptatem.

Ergo mirum non eſt ſi Stoicos non ſectentur.

Probat aſſumptum.

Mirum non eſt allici iuuenes iis blandimentis, quibus viri ipſi capiuntur.

Sed voluptatum blandimentis viri capiuntur.

Ergo mirum non eſt allici adoleſcentes voluptatum blandimentis.

Cuius vtriuſque argumentationis partes vnâ periodo concluſæ ſunt.

MVLTA ENIM BLANDIMENTA.] Multas voluptatum illecebras natura nobis ingenerauit, quibus allecta virtus quodammodo dormiret, & oculos clauderet, ne voluptatum blandimentis reluctari & obſiſtere cogeretur.

VIAS ADOLESCENTIÆ LVBRICAS OSTENDIT.] Caſibus & prolapſioni expoſitas.

NOTÆ.

I. ITAQVE ALII.] Hæc eſt nimirum illa quæſtio quam veteres philoſophi variis inter ſe ſententiis adeo ventilarunt, vt Auguſtinus lib. 19. cap. 1. de Ciuitate Dei 288. philoſophorum placita ex Marco Varrone numerarit. quem tu conſule, cum Diogene Laërtio in ſingulis propemodum cuiuſque ſectæ Principibus, & Cicerone libris de finibus bonorum & malorum, præſertim libro 2. §. 19. *Ariſtoteles, qui virtutis vſum cum vitæ perfectæ proſperitate coniunxit. Calliphò adiunxit ad honeſtatem, voluptatem Diodorus ad eandem honeſtatem addidit, vacuitatem doloris. idem feciſſet Epicurus, ſi ſententiam hanc quæ nunc Hieronymi eſt, coniunxiſſet cum Ariſtippi vetere ſententiâ*, &c. Tacui Epicurum de induſtriâ, quia dubium eſt quid nomine voluptatis intelligat. Seneca de beata vita cap. 13. *Mea quidem iſta ſententia eſt (inuitis hoc noſtris popularibus dicam) ſancta Epicurum & recta præcipere, &, ſi propiùs acceſſeris, triſtia: voluptas enim illa ad paruum & exile reuocatur: & quam nos virtuti legem dicimus, eam ipſe dicit voluptati. iubet ille parere naturæ. parum autem eſt luxuriæ, quod naturæ ſatis*

Philoſophorum de beatitudine & voluptate ſententiæ.

eſt. Sed de his vide Notas ad Piſonianam §. 69. Idem tamen Seneca epiſt. 83. *Xenocrates,* inquit, *& Speuſippus putant beatum vel ſolâ virtute fieri poſſe. non tamen vnum bonum eſſe quod honeſtum eſt. Epicurus quoque indicat, cùm virtutem habeat, beatum eſſe: ſed ipſam virtutem non ſatis eſſe ad beatam vitam: quia beatam vitam efficiat voluptas, quæ ex virtute eſt, non ipſa virtus.* Et quidẽ videtur Callimachus Hymno εἰς Δία, in eam iuiſſe ſententiam, vt diuitias & voluptatem cum virtute, & honeſtate coniungeret.

Οὔτ' ἀρετῆς ἄτερ ὄλβος ἐπίσταται ἄνδρας ἀέξειν
Οὔτ' ἀρετὴ ἀφένοιο. δίδου δ' ἀρετήν τε καὶ ὄλβον.
Nuſquam diuitiæ proſunt virtute carentes,
Orbáque diuitiis virtus, largitor vtrumque.

II. RES MAXIME INTER SE REPVGNANTES.] Repugnant videlicet inter ſe voluptas & honeſtas. Cicero in partitionibus: *Voluptas quæ maximè eſt inimica virtuti, boníque naturam fallaciter imitando adulterat, quàm immaniſſimus quiſque acerrimè ſequitur, neque ſolùm honeſtis rebus. ſed etiam neceſſariis anteponit.* Res eſt notiſſima. non grauabor tamen hunc locum paucis principum in philoſophiâ virorum illuſtrare ſententiis. ac primùm, vt omittam ea quæ à Xenophonte 2. memorabilium & Tullio in officiis ex Prodico Sophiſtâ referuntur. Plato epiſtola 7. de menſis Siculis & Italicis: Ἐκ γὰρ τούτων τῶν ἐθῶν, οὔτ' ἂν φρόνιμος οὐδεὶς γενέσθαι τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ἀνθρώπων ἐκ νέου ἐπιτηδεύων δύναιτο, οὐδ' οὕτως θαυμαστῇ φύσει κραθήσεται. σώφρων δ' οὐδ' ἂν μελλήσαι ποτε γενέσθαι, καὶ δὴ καὶ περὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς ὁ αὐτὸς λόγος ἂν εἴη.

Voluptas inimica virtuti. *Qui enim in his vitæ ſtudiis à pueritiâ verſatus ſit, nemo mortalium, licet quàm optimâ indole præditus, poterit aut ad prudentiam, aut ad temperantiam peruenire, eadémque eſt ratio aliarum virtutum.* Et Ariſtoteles 7. Nicomach. cap. 9. Ἐμπόδιον τῷ φρονεῖν αἱ ἡδοναί, καὶ ὅσῳ μᾶλλον, χαίρει μᾶλλον. οἷον τὴν τῶν ἀφροδισίων. οὐδένα γὰρ ἂν δύνασθαι τι νοῆσαι τι ἐν αὐτῇ. *Voluptates impedimento ſunt prudentiæ, & tanto magis, quanto fuerint maiores. vt patet in venereis. nemo enim quidquam potes in illas cogitare.* Quare, vt eſt apud Theodoretum oratione 3. de curandis Græcorum affectionibus, meritò dicebat Antiſthenes: Ἐγὼ δὲ τὴν Ἀφροδίτην κατατοξεύσαιμι, εἰ λάβοιμι. *Ego verò Venerem iaculo confoderem, ſi illi poſſem occurrere.* Non ſolùm vt ait, πολλὰς καὶ ἀγαθὰς ἡμῶν γυναῖκας διέφθειρε. *quia multas & præclaras fœminas corrupit.* Sed etiam & multo magis, quia *maximè eſt inimica virtuti, boníque naturam fallaciter imitando adulterat.* Seneca libro de vitâ beatâ cap. 7. pulcherrimè oſtendit, quid ſit inter vtramque diſſenſionis & diſcordiæ. inter cætera, *Quid diſſimilia, immò diuerſa componitis? altum quiddam eſt virtus, excelſum, regale, inuictum, infatigabile:*

In quo ſit virtutis & voluptatis diuerſitas. *Voluptas humile, ſeruile, imbecillum, caducum, cuius ſtatio ac domicilium fornices & popinæ ſunt. Virtutem in templo inuenies, in foro, in curiâ, pro muris ſtantem, puluerulentam, coloratam, calloſas habentem manus: voluptatem latitantem ſæpius, ac tenebras captantem: circa balnea, ac ſudatoria, & loca ædilem metuentia, mollem, eneruem, mero atque vnguentis madentem, pallidam, fucatam & medicamentis pollinctam. Summum bonum immortale eſt,* &c. *at voluptas, cùm maximè delectat, extinguitur.* Sed quorſum hæc cùm hanc inter voluptatem & bonas artes diſſenſionem, εὐφυνόστατος, vt cum Tyrio Maximo loquar, τῶν ὄντων Πλάτων, aut, vt cum Theodoreto, ὁ πάντας ἀνθρώπους, καὶ οὐ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας μόνον, ἀλλὰ καὶ αὐτοὺς Ἀθηναίους εὐγλωττίᾳ πάμπαν ἀποκρύψας in Philebo penè extremo rem ex profeſſo tractauerit? Concludamus igitur cum Seneca cap. 12. eiuſdem libri: *Deſinant ergo inconuenientia iungere, & virtuti voluptatem implicare, per quod vitium peſſimis quibuſque adulantur.*

CVM LABORE.] Duplex reddi poteſt ratio, cur laborem cum virtutis honeſtate coniunxerit. altera eſt quia III.

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεὸς προπάροιθεν ἔθηκε.
Virtutem poſuere Dÿ ſudore parandam.

Epicharmus:

Τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγαθ' οἱ θεοί.
Dÿ laboribus omnia vendunt.

Ridiculus ſim ſi hîc morer. vide Xenophontem in principio 2. Memorabilium. Syneſius in ſecundâ parte Ægyptij, & principio libri de inſomniis, Silium Italicum lib. 15. Ciceronem de officiis, Orpheum in proœmio περὶ λίθων, ſanè pulcherrimè. vnicum è Nonno 2. Dionyſiacῶn referetur: Virtus labore comparatur.

Νόσφι πόνων οὐκ ἔστιν ἀνέμβατον αἰθέρα ναίειν
Οὐ πέλε ῥηϊδίη μακάρων ὁδός· ἐκ δ' ἀρετῆς δὲ
Ἀτραπὸς οὐλύμποιο θεοσσυτὸς ἐς πόθον ἕλκει
Τεθλάσθι καὶ σὺ πόνοις πολυειδέας.
Abſque labore nefas arcem ſuperare polorum,
Nec facile eſt iter ad ſuperos: in ſidera cœli
A virtute trahit dono data ſemita Diuûm
Ætheris, Ergo & tu varios tolerato labores.

Et libro 13.

-Διὸς ἄμβροτος αὐλὴ
Οὔτε πόνων ἀπάνευθε δεδέξεται· οὐδέ σοι ὧραι
Μήπω ἀεθλεύσαντι πύλας πετάσουσιν ὀλύμπου.
-non aurea regia cœli
Accipiet nullis functum ſudoribus, horæ
Non niſi certanti portam reſecare polorum
Cernentur.-

Altera ratio eſſe poteſt quòd ibi virtus eluceat, vbi cum laboribus & difficultate luctandum eſt. ad cuius probationem ſatis erit Stoicorum ſapientiſſimus Seneca epiſt. 66. *Permitte mihi, mi Lucili virorum optime, aliquid audaciùs dicere. ſi vlla bona maiora eſſe aliis poſſent, hæc ego quæ triſtia videntur, mollibus illis & delicatis prætuliſſem. maius eſt enim perfringere difficilia, quàm læta moderari.* Et epiſtola ſequenti Demetrij faciens mentionem. *Vitam ſecuram & ſine vllis fortunæ incurſionibus, mare mortuum vocat. nihil habere ad quod exciteris, ad quod te concites, cuius denunciatione, & incurſu firmitatem animi tui tentes: ſed in otio inconcuſſo manere, non eſt tranquillitas, malacia eſt. Attalus Stoicus dicere ſolebat: malo me fortuna in caſtris ſuis, quàm in delitiis habeat. Torqueor, ſed fortiter: bene eſt. occidor, ſed fortiter: bene eſt.* Sed hîc non immoror. vtraque epiſtola conſulatur. Virtus in aſperis magis elucet.

DIRECTVM ITER.] Multò minùs etiam hoc loco decet immorari. ad vulgatos enim vt arbitror Heſiodi verſus alluditur. IV.

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι. μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον, ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται
Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.

Tres poſteriores verſus interpretatur Silius libro 15. Punicorum:

Virtutis iter arduum.

Caſta mihi domus, & celſo ſtant colle penates,
Ardua ſaxoſo perducit ſemita cliuo,
Aſpera principio (nec enim mihi fallere fas eſt)
Proſequitur, labor ad nitendum intrare volenti,
Nec bona conſcendunt quæ fore infida dediſſet,
Atque eadem rapuiſſe valet: mox celſus ab alto
Infra te cernes hominum genus.

Huius verò in virtute conſequenda difficultatis ratio ab Ariſtotele lib. Ethic. Nicomac. 2. cap. 6. eleganter oſtenditur. poſtquam enim dixit: μεσότης τίς ἐστιν ἀρετὴ στοχαστική γε οὖσα τοῦ μέσου. *Mediocritas quædam eſt virtus ad medium certo velut ictu collineans.* Subdit: Ἔτι τὸ μὲν ἁμαρτάνειν πολλαχῶς ἐστί· τὸ δὲ κατορθοῦν μοναχῶς. διὸ καὶ τὸ μὲν ῥᾴδιον, τὸ δὲ χαλεπόν. ῥᾴδιον μὲν τὸ ἀποτυχεῖν τοῦ σκοποῦ· χαλεπὸν δὲ τὸ ἐπιτυχεῖν. *Multis viis in peccatum incurritur: vnâ ad rectum & bonum peruenitur. quare alterum facile eſt, alterum difficile. facile eſt à ſcopo aberrare, difficile ad eum peruenire.* Sed de hac directa virtutis via & edito eius domicilio, vide quæ proximè dicentur ex Æliano. Theodoretus 1. de curatione Græc. affect. Πορφύριος ἐκεῖνος ὁ τὸν πρὸς ἡμᾶς ἐκθύμως ἀναδεξάμενος πόλεμον ἐν τοῖς περὶ τῶν ἐκ λογίων φιλοσοφίας ἔφη. χαλκόδετος γὰρ ἡ πρὸς θεοὺς ὁδὸς, αἰπεινή τε καὶ τραχεῖα· ἧς πολλὰς ἀτραποὺς βάρβαροι μὲν ἐξηῦρον· Ἕλληνες δ' ἀπεπλανήθησαν, οἱ δὲ κρατοῦντες ἤδη καὶ διέφθειραν. τὴν δ' εὕρεσιν ὁ Θεὸς Αἰγυπτίοις ἐμαρτύρησε, Φοίνιξί τε, καὶ Χαλδαίοις, Λυδοῖς τε καὶ Ἑβραίοις. *Porphyrius qui acerrimè nobis bellum indixit, libris, quos excerpta philoſophiæ vocat, ita ſcribit. ære ſubſtrata eſt ad Deos via, ardua & aſpera. Cuius multas ſemitas barbari quidem inuenerunt, Græci verò aberrarunt, aut etiam qui iam inuenerant perdiderunt. Deus autem Ægyptios, Phœnices, Chaldæos, Lydos & Iudæos eam inueniſſe teſtatus eſt.* Vide Chryſoſtomum homiliâ 14. in epiſt. 1. ad Corint.

Relicti in scholis.] Meritò relicti. quippe qui docerent à voluptatibus abſtinendum quæ animis blandiuntur. Ælianus variæ hiſtoriæ lib. 13. cap. 32. Καλλιστοῦς ἑταίρας εἰπούσης, ἐγὼ μὲν, ὦ Σωφρονίσκου, κρείττων εἰμί σου· σὺ μὲν γὰρ οὐδένα τῶν ἐμῶν δύνῃ ἀποσπάσαι, ἐγὼ δὲ, ἐὰν βούλωμαι, τοὺς σοὺς πάντας. ὁ δὲ, καὶ μάλα γε εἰκότως. σὺ μὲν γὰρ ἐπὶ τὴν κατάντη αὐτοὺς πάντας ἄγεις. ἐγὼ δὲ ἐπὶ τὴν ἀρετὴν ἠπείγειν βιάζομαι. ὀρθία δὲ ἡ ἄνοδος ἐστὶ, καὶ ἀήθης τοῖς πολλοῖς. *Calliſto meretrici dicenti. Ego quidem, ô Socrates, ſum te longè ſuperior. neminem enim meorum potes abducere: Ego ſi libuerit tuos omnes diſcipulos auertam: ſubiecit Socrates. Et meritò, tu enim ad pronam procliuem viam eos omnes abducis. Ego compello ad virtutem contendere. directus autem ad virtutem aſſcenſus eſt, & multis inſuetus.*

Multitudo ſcholaſticorum.

Quare Chryſippus, vt eſt apud Laërtium: Ὀνειδισθεὶς ὅτι οὐχὶ παρὰ Ἀρίστωνι μετὰ πολλῶν σχολάζει, εἰ τοῖς πολλοῖς εἶπε προσεῖχον, ἔφη, οὐκ ἂν ἐφιλοσόφησα. *Exprobranti cuidam quod Ariſtonem cum multis non audiret, non philoſopharer, inquit, ſi ad multos accederem.* At verò, vt refert Heſychius Illuſtrius in libro de viris illuſtribus: Λέγεται, inquit, εἰς τὴν Θεοφράστου διατριβὴν φοιτᾶν μαθητὰς πρὸς δισχιλίους. *Dicuntur Theophraſti Scholam ad duo diſcipulorum millia frequentaſſe.* Quam tamen diſcipulorum frequentiam Zeno Stoicorum princeps non appetiuit. Plutarchus opuſculo 4. impreſſionis Henricianæ: Ὁ δὲ Ζήνων ὁρῶν τὸν Θεόφραστον ἐπὶ τῷ πολλοὺς ἔχειν μαθητὰς θαυμαζόμενον. ὁ ἐκείνου μὲν χορὸς, ἔφη, μείζων. οὑμὸς δὲ συμφωνότερος. *Zenon Theophraſtum videns omnibus admirationi eſſe, quòd plures diſcipulos haberet. Eius, inquit, chorus maior eſt: meus magis ſibiipſi concinens.* In quo mireris Ariſtotelis Peripateticorúmque prudentiam, qui cùm de virtute & bono, eadem cum Stoicis, Epicureiſque ſentirent, aliam tamen loquendi, ſi non philoſophandi viam inſtiterunt, ne ſi vel bonum in voluptate ponerent, cum Epicureis infamiâ, ſi voluptatem excluderent, cum Stoicis diſcipulorum infrequentiâ laborarent. Porro Epicureos non molliùs de ſummo bono quàm Stoicos ſenſiſſe primâ §. huiuſce notâ iam oſtenſum eſt. de Peripateticis Iulianus Imperator p. 17. ad Oribaſium: Οὐκ ἔστιν, ὥς λέγουσί τινες τὰ περιπατητικὰ δόγματα τῶν στωϊκῶν ἀγεννέστερα. τοσούτῳ δὲ μᾶλλον ἀλλήλων, ὡς ἐγὼ κρίνω, διαφέρει, τὰ μὲν γάρ ἐστιν ἀεὶ θερμότερα καὶ ἀβουλότερα. τὰ δὲ φρονήσεως ἄξια τοῖς ἐγνωσμένοις ἐμμένειν. *Non ſunt, vt quidam exiſtimant peripateticorum dogmata, minùs generoſa quàm placita Stoicorum. immò potiùs tantùm, mea quidem ſententia, hoc vno à ſe diſſentiunt, quòd hæc calidiora ſunt & inconſultiora. illa verò prudentiæ plena, dignáque, vt in iis perſeuerent, qui ea matura deliberatione elegerint.* Peripateticorũ in loquendo prudentia.

In Scholis.] Notum eſt cur Græci Scholam, Latini ludum litterarium nominarint. nimirum, vt ait Auſonius eidyllio quodam, VI. Schola ludus.

-Graiis Schola nomine dicta
Iuſta laboriferis tribuantur vt otia muſis.
-ſtudium puerile fatiſcit
Læta niſi auſteris varientur feſta profeſſis.

Cuius rei videtur Plato rationem pulcherrimam reddidiſſe 7. de Repub. Οὐδὲν μάθημα μετὰ δουλείας τὸν ἐλεύθερον χρὴ μανθάνειν. οἱ μὲν γὰρ τοῦ σώματος πόνοι βίᾳ πονούμενοι χεῖρον οὐδὲν τὸ σῶμα ἀπεργάζονται. ψυχῇ δὲ βίαιον οὐδὲν ἔμμονον μάθημα. ἀληθῆ, ἔφη· μὴ τοίνυν βίᾳ, εἶπον, ὦ ἄριστε, τοὺς παῖδας ἐν τοῖς μαθήμασιν, ἀλλὰ παίζοντας τρέφε, ἵνα καὶ μᾶλλον, οἷός τε ᾖ καθορᾶν ἐφ' ὃ ἕκαστος πέφυκεν. *Nemo ingenuus vllam ſcientiam ſeruiliter debet addiſcere. nam corporis labores, qui contra voluntatem ſubeuntur, nihilo deteriùs corpus afficiunt. at nulla ſcientia quam contra voluntatem didiceris, altas aget in animo radices. Ne igitur, inuitos, ſed potiùs ludentes pueros ſtudiis excole, vt hoc pacto liquidiùs etiam videre poſſis ad quam quiſque ſcientiam ſit à natura comparatus.* Nulla ars liberalis diſcẽda ſeruiliter.

Blandimenta.] Blandimenta voluptatum ſæpè reperias. Seneca de beatâ vitâ cap. 5. *Nam quod ad voluptatem attinet, licet circumfundatur vndique, per omnes vias influat, animúmque blandimentis ſuis leniat, aliáque ex aliis admoueat, quibus totas quoque partes noſtri ſollicitet: quis mortalium cui vllum ſupereſt hominis veſtigium, per diem noctémque titillari velit, & deſerto animo corpori operam dare?* Cicero 1. de finibus 33. *At verò eos accuſamus, & iuſto odio digniſſimos ducimus, qui blanditiis præſentium voluptatum deliniti atque corrupti, quos dolores, quas moleſtias excepturi ſint, cupiditate non prouident.* D. Cyprianus lib. de bono pudicitiæ: *Blandimento voluptatis fallentes.* Item: *Malum omne faciliùs vincitur quàm voluptas, quia illud quicquid eſt, horridum eſt, hoc blandum eſt.* Lactantius lib. 3. cap. 8. *Quid ergo me docet vt viuam ſecundum naturam, quia ipſa in deterius prona eſt, & quibuſdam blandimentis lenioribus in vitia præcipitat.* VII. Voluptatum blandimenta.

Genvit ipsa natvra.] Hæc voluptatum blandimenta & ab ipsâ naturâ fluxiſſe, & in naturam quodammodo tranſiſſe multi prodi- VIII.

derunt. ab antiquiſſimo ordiemur. Mercurius Triſmegiſtus 12. c. Timandri voluptates ab ipſâ corporis naturâ profluere, ſic oſtendit: Ψυχὴ πᾶσα ἐν σώματι γενομένη, εὐθέως ὑπό τε τῆς λύπης καὶ τῆς ἡδονῆς κακίζεται. σώματος γὰρ συνθέτου, ὥσπερ χυμοί, ζέουσιν, ἥ τε λύπη καὶ ἡ ἡδονή, εἰς ἃς ἐμβᾶσα ἡ ψυχὴ βαπτίζεται. *Omnis anima cùm ad corpus peruenerit, dolore & voluptate vitiatur. corporis enim compoſiti, tanquam ſapidi quidam vapores, dolor & voluptas, ebulliunt. in quas cùm anima deuenerit, demergitur.* Hæc ille. Timæus Locrenſis De natura, qui inter Platonis opera poſt librum de vniuerſitate reperitur: ἀρχαὶ δὲ κακίας ἁδοναὶ καὶ λῦπαι, ἐπιθυμίαι τε καὶ φόβοι, ἐξαπτόμεναι μὲν ἐκ τῶ σώματος, ἀνακεκραμέναι δὲ τᾷ ψυχᾷ, καὶ ἐξαγγελλόμεναι ὀνόμασι ποικίλοις. *Malitiæ principium dolor & voluptas, cupiditates & metus. aptæ quidem pendentéſque è corpore & anima mixtæ & velut temperatæ, varia nomina ſortiuntur.* Omitto Platonem in Timæo, Philebo & alibi. at ille Phædri locus taceri non debet, quem locum, cùm mihi inter legendum excidiſſet, Theodoretus oratione tertia De curandis Græcorum affectionibus in memoriam reuocauit: Πλάτων καὶ ταῦτ' εἴρηκεν ἐν τῷ Φαίδρῳ. Ἔστι μὲν οὖν καὶ ἄλλα κακά, ἀλλά τις δαίμων ἔμιξε τοῖς πλείστοις ἐν τῷ παραυτίκα ἡδονήν. ταύτῃ γάρ τοι οἷον δελέατι κεχρημένος, καὶ τὸ ἄγκιστρον τὸ ὀλέθριον καταχρύπτων, τοὺς μὲν εὐεξαπατήτοις ἀποβουκολεῖ, καὶ διόλλυσι τῶν ἀνθρώπων, οἱ δέ γε τὸν νοῦν ἐρρωμένοι περιορῶσι τὰς πάγας καὶ ταύτας ὑπερπηδῶσιν. *Sunt igitur & alia mala, ſed dæmon aliquis eorum plurimis aliquam voluptatem admiſcuit: hac igitur tanquam ineſcatione quadam lethiferum hamum abſcondens, eos qui fraudi ſunt expoſiti, in fraudem inducit, & perdit, qui verò mente firmi ſunt & inconcuſſi, laqueos prauident & ſuperſiliunt.* Xenophon primo Memorabilium: Ἐν τῷ αὐτῷ σώματι συμπεφυτευμέναι τῇ ψυχῇ ἡδοναί τε καὶ ἡδοναί, πείθουσιν αὐτὴν μὴ σωφρονεῖν ἀλλὰ τὴν ταχίστην ἑαυταῖς τε καὶ σώματι χαρίζεσθαι. *In eodē corpore inſiti ſunt in animâ dolores & voluptates, quæ & eam à temperantiâ abducunt, compellúntque vt & ipſis, & corpori ſeruiat atque obtemperet.* Vide etiam tabulam Cebetis Thebani. Ariſtoteles 2. Ethic. Nicomach. cap. 3. Ἡδὺ ἐκ νηπίου πᾶσιν ἡμῶν συντέθραπται, διὸ καὶ χαλεπὸν ἀποτρίψασθαι τοῦτο τὸ πάθος ἐγκεχρωσμένον τῷ βίῳ. *Voluptas à pueritiâ nobiſcum nutrita eſt. ideóque arduum eſt hanc perturbationem extrudere, quod cum vita noſtra in eandem prope naturam conflata ſit.* Et lib. 8. cap. 5. Μάλιστα ἡ φύσις φαίνεται τὸ μὲν λυπηρὸν φεύγειν, ἐφίεσθαι δὲ τοῦ ἡδέος. *Maximè videtur natura fugere quod moleſtum eſt, expetere verò iucundum.* Syneſius libro de inſomniis: Εἰσελθούσῃ δὲ εἰς τὸν βίον ψυχῇ ληθαῖον ὀρέγεται πῶμα τὸ τῆδε ἡδὺ καὶ μειλίχιον· γοητευθεῖσα δ' ὑπὸ τῶν δώρων τῆς ὕλης πάθος πάσχει παραπλήσιον ἐλευθέροις ἐπὶ συγκειμένων χρόνον μεμισθωμένοις, οἱ κάλλει θεραπαίνης ἁλόντες μένειν ἐθέλουσι τῷ κυρίῳ τῆς ἐρωμένης δουλεύειν ὁμολογήσαντες. *Ingredienti hanc vitam animæ lethæum poculum exhibetur: nimirum huius vitæ mellita iucunditas. materiæ verò donis, tanquam magnis artibus in fraudem inducta, ſimilis euadit liberis, qui ad tempus conſtitutum conductis & locatis, qui ancillæ pulchritudine & amore deuincti, manere volunt & apud dominum ancillæ ſeruitutem vltrò profitentur.* Plutarchus opuſculo De auditu: Τὰς ἐφ' ἡδονὴν ὁρμάς, καὶ πρὸς πόνον ὑποψίας οὐ θυραίας οὐδ' ὑπὸ λόγων ἐπεισάκτους, ἀλλ' ὥσπερ αὐτόχθονας οὔσας μυρίων παθῶν καὶ νοσημάτων πηγάς, &c. *Impetus ad voluptatem, & laboris auerſiones, non extrinſecùs aut præceptoris oratione accerſitas, ſed tanquam in eodem ſolo natas, ſexcentarum perturbationum & dolorum fontes* appellat. Maximus Tyrius 33. concione: Ἡδονὴ δὲ καὶ λόγου ἀδεής, καὶ τέχνης πρεσβυτέρα, καὶ τὴν πεῖραν φθάνει, καὶ οὐκ ἀναμένει χρόνον, ἀλλ' ὑπερφυὴς ἡ πρὸς αὐτὴν φιλία, καὶ ἡλικιῶτις τῶν σωμάτων, ὥσπερ κρηπὶς τῇ σωτηρίᾳ τοῦ ζῴου ὑποβέβληται. *Voluptas & rationis opus non habens, & arte antiquior, experientiam antecedit, nec tempus expectat, ſed ſupra modum inſita eius amicitia, & corporibus æqueua, tanquam fundamentum animantis ſaluti ſubiicitur.* Item: Ἡδονὴν δ' αὐτοδίδακτος παρὰ τῆς φύσεως λαβών, ἔχει ἐξ ἀρχῆς εὐθύς, καὶ ταύτην μὲν ἀγαπᾷ, πολεμεῖ δὲ τῷ ἀλγεινῷ. *Voluptatem nullo magiſtro ab ipſâ naturâ accipiens, habet ſtatim à principio, & eam quidem diligit, reſiſtit autem dolori.*

Voluptas inſita naturæ.

SOPITA VIRTVS CONNIVERET.] IX.
Eleganter virtutem non extinctam, ſed ſopitā & conniuentem dicit, quòd quaſi diſſimulans voluptates expleri patiatur. metaphora ab iis ducta qui oculos claudunt ſomnúmque ſimulant, vt alios malè quid agentes videre videantur. Iuuenalis Sat. 1.

-doctus ſpectare lacunar
Doctus & ad calicem vigilanti ſtertere naſo.

Vnde & illud, *Non tibi dormio ſed Mecenati.* Plutarchus in amatorio: Ὁ Ῥωμαῖος ἐκεῖνος, ὦ ἑταῖρε, Κάλβας ἑστιῶν Μαικήναν, ὡς ἔοικεν, εἶτα ὁρῶν διαπληκτιζόμενον ἀπὸ νευμάτων πρὸς τὴν γυναῖκα, ἀπέκλινεν ἠρέμα τὴν κεφαλήν, ὡς δὴ καθεύδων. ἐν τούτῳ δὲ τῶν οἰκετῶν τινος προσρυέντος ἔξωθεν τῇ τραπέζῃ, καὶ τὸν οἶνον ὑφαιρουμένου, διαβλέψας, Κακόδαιμον, εἶπεν, οὐκ οἶσθα, ὅτι μόνῳ Μαικήνᾳ καθεύδω. *Romanus ille Galbas, conniuio Mecenatem, vt veriſimile eſt, exceperat, is deinde cùm ex ipſis nutibus eum & ſuam ipſius vxorem videret connictantibus oculis inter ſe colludere, ſenſim demiſit caput, perinde ac ſi in ſomnum laberetur. interim verò cùm miniſtrorum neſcio quis aliunde ad menſam vinum ſublaturus accederet, reſpectans, Furcifer, inquit, neſcis me ſoli dormire Mecenati?* Simile eſt & illud eiuſdem in comparatione Ageſilai & Pompeij de Ageſilao qui poſt pugnam Leuctrenſem, ἐκέλευσε τοὺς νόμους ἐκείνην τὴν ἡμέραν καθεύδειν. *leges eo die dormire imperauit.* id eſt, conniuere.

Conniuere.

SINE PROLAPSIONE.] Eleganter Tertullianus *carnis vacillationem* dixit libro De pudicitiâ. ſed præſtat totum locum oppidò pulcherrimum exhibere. *Age tu funambule pudicitiæ & caſtitatis, & omnis circa ſexum caſtitatis, qui tenuiſſimum filum diſciplina eiuſmodi veri ania pendente veſtigio ingrederis, carnem ſpiritu librans, animam fide moderans, oculum metu temperans. Quid itaque in gradu totus es? perge ſanè, ſi potueris, ſi volueris, dum tam ſecurus & quaſi in ſolido es. Nam ſi qua te carnis vacillatio, animi auocatio, oculi euagatio, de tenore decuſſerit, &c.* vbi vides has ad pudicitiam vias lubricas *tenuiſſimum filum*, ac proinde prolapſioni obnoxium, prolapſionem verò carnis vacillationem nominari, ſimúlque aduertis quantâ cautione per has adoleſcentiæ vias lubricas debeamus incedere. Latinus Pacatus in panegyrico ad Theodoſium de his ipſis adoleſcentiæ viis lubricis. *Et qui venturi ſunt in virtutis adoptionem, illo tamen adoleſcentiæ lubrico, vt non cadant, titubant.* D. Cyprianus ſub finem libri de bono pudicitiæ: *Citò natura corporis periclitatur in corpore, dum rapit illam ſecum caro quæ ſem-*

X.

Pudicitiæ periculum.

Prolapſio in amorem.

per in lapſu eſt, &c. S. Hieronymus ad Saluinam de ſeruanda viduitate: *Si Dauid amicus Domini & Salomon amabilis eius victi ſunt quaſi homines, vt & ruinæ nobis ad cautionem, & pœnitudinis ad ſalutem exempla præberent: quis in lubricâ viâ lapſum non metuat?* Propertius lib. 1. eleg. 1.

At vos, qui ſerò lapſum reuocatis, amici.

Lucianus in Demoſthenis encomio: Ταχείας δ' οὔσης τῆς μειρακίοις τῆς ἡλικίας εἰς τὰς τέρψεις ἀπολισθαίνειν, παρὸν δ' αὐτῷ κατ' ἐξουσίαν κωμάζειν, ἐκ τῆς τῶν ἐπιτρόπων ὀλιγωρίας, ὁ τῆς φιλοσοφίας καὶ τῆς πολιτικῆς ἀρετῆς κατεῖχε πόθος. *Cùm prona ſit adoleſcentibus ætatis ad voluptatem prolapſio, cúmque propter tutorum incuriam, magna eſſet commeſſandi facultas, deſiderio philoſophiæ & doctrinæ ciuilis exarſit.* Petrus Chryſologus ſermone 88. *Quis fumi inſcius cupiditatum tranſit incendia? quis vitæ lubricum nunquam lapſus euadit? per vitiorum gurgites quis impollutus incedit?* Statius 1. Sylu. Epithal. Stellæ & Violantillæ.

Hic iuuenum lapſus, ſuáque haud heſterna reuoluit
Vulnera.

Apuleius lib. 11. Mileſiorum: *Lubrico virentis ætatulæ ad ſeruiles delapſus voluptates.* Non abs re fuerit opinor meis hiſce centonibus etiam purpuræ clauum attexere ex Illuſtriſſimi olim Cardinalis Maphæi Barberini, nunc Sanctiſſimi Pontificis Vrbani octaui monumentis.

Ingreſſe pubis limina lubricis
Calcanda plantis, ſic tibi ſemita
Decliuis offert, & doloſo
Pandit iter malefida ductu.

AXIOMATA.

Voluptas & virtus ſunt res inter ſe maximè repugnantes.

Ad laudem cum labore directum eſt iter.

Multa nobis blandimenta natura genuit, quibus ſopita virtus conniueat.

Natura multas vias adoleſcentiæ lubricas oſtendit, quibus ipſa inſiſtere aut ingredi ſine caſu aliquo, aut prolapſione vix poſſit.

ARGVMENTVM.

Concludit per enumerationem, idque ex communi mortalium iudicio vix vllum eſſe, qui non ſenſuum voluptate capiatur. oſtendítque quatenus tolerandum ſit, ſi adoleſcentia ſuapte naturâ procliuis ad voluptatem, inanibus ſuis cupiditatibus obſecundet.

QVAMOBREM ſi quem fortè inueneritis, qui aſpernetur oculis XLII.
pulchritudinem rerum, non odore vllo, non tactu, non ſapore capiatur, excludat auribus omnem ſuauitatem: huic homini ego fortaſſe & pauci deos propitios, plerique autem iratos putabunt. Ergo hæc deſerta via, & inculta: atque interclusa iam frondibus, & virgultis relinquatur: detur aliquid ætati: ſit adoleſcentia liberior: non omnia voluptatibus denegentur: non ſemper ſuperet vera illa & directa ratio: vincat aliquando cupiditas voluptáſque rationem, dummodo illa in hoc genere præſcriptio, moderatióque teneatur: parcat iuuentus pudicitiæ ſuæ, ne ſpoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne fenore trucidetur, ne incurrat in alterius domum, atque famam, ne probrum caſtis, labem integris, infamiam bonis inferat, ne quem vi terreat, ne interſit inſidiis, ſcelere careat: poſtremo cùm paruerit voluptatibus, dederit aliquid temporis ad ludum ætatis, atque ad inaneis haſce adoleſcentiæ cupiditates, reuocet ſe aliquando ad curam rei domeſticæ, rei forenſis, Reipublicæ. vt ea quæ ratione anteà non perſpexerat, ſatietate abieciſſe, experiendo contempſiſſe videatur.

EXPLANATIO.

QVAM OB REM SI QVEM FORTE.] Si vel vnum ex omnibus inueneritis adeo temperantem, vt nullis ſenſuum voluptatibus obtemperet.

EGO FORTASSE ET PAVCI.] Hoc prudenter addit ne voluptatis patrocinium ſuſcepiſſe videatur. Sed hanc ſuam ſententiam oſtendit non è communi hominum ſenſu fuiſſe depromptam, eóſque ſolos ſecum ſentire qui in Stoicâ diſciplinâ verſati ſunt.

DEOS PROPITIOS.] Qui naturam illi ſic ab omnibus voluptatum illecebris alienam conceſſerint.

PLERIQVE ETIAM IRATOS PVTABVNT.] Plerique omnes, & ſcilicet qui hominis fœlicitatem corporis voluptatibus metiuntur, illi Deos iratos putabunt, qui ipſum omni vitæ iucunditate priuauerint.

ERGO HÆC VIA.] Allegoria à viatoribus tranſlata eleganter. Quandoquidem adeò pauci hanc ſolius honeſtatis viam terunt, vt vepres in eâ propter ſolitudinem excreſcentes, eius aditum penitùs obſtruxerint, non eſt quod per eam deſertam & ſquallidam viam adoleſcentes cogamus ambulare.

SIT ADOLESCENTIA LIBERIOR.] Vide quot modis rem eandem expoliat, id eſt, aliquid adoleſcentiæ indulgeatur, ac ſimul aduerte

quanta cum moderatione nonnullam adoleſcentiæ voluptatem indulgeat. non dicit *ſit adoleſcentia libera*, ſed *ſit liberior*, quòd longè minus eſt quaſi diceret, adoleſcentes adeò ſeuerè non educentur, vt ne illis quidem reſpirare liceat, ſed modicum illis libertatis & moderatæ licentiæ tribuatur. Non dicit, *detur libertas ætati*, ſed *detur aliquid ætati*, non *liceat illis indulgere voluptatibus*, ſed *non omnia voluptatibus denegentur*. non dicit *ratio cupiditati obtemperet*, ſed *non ſemper ſuperet vera illa & directa ratio*. quaſi voluptas illa non omnem rationem, ſed ſolam veram & directam, directè in voluptatis oppoſita tendentem excluderet, ſed in his ipſis voluptatibus & ludis adoleſcentiæ, aliquam virtutis & honeſtatis ſpeciem retineret. Ex quibus vides quanta verborum moderatione viam ſibi ad illud quod dicendum erat, præſtruxerit. videlicet *vincat aliquãdo cupiditas voluptáſque rationem*. & vt hæc Epicurea ſententia, præclaris moderationibus obruatur, víxque inter tot graues ſententias appareat, ſubdit quibus rationibus & reſtrictionibus oporteat hanc licentiam moderari.

Ne foenore trvcidetvr.] Ne cùm patrimonium in ſuas voluptates exhauſerit, & profuſis largitionibus diſſiparit, pecuniis cum fœnore mutuatis, ære alieno penitus opprimatur.

Domvm atqve famam.] Alij legunt, *domum atque familiam*, ſicut & paulò pòſt pro *ne quem interimat*, legunt, *ne quem vi terreat*. nota hic ſingularem Oratoris prudentiam, inter cæteras præſcriptiones, moderationéſque quas in adoleſcentiâ requirit, ea ponit quæ aduerſarij in M. Cœlium obiecerant, ne deſperatione cauſſæ ad hoc defenſionis genus confugiſſe videatur. Quaſi dicat. Cùm aliquid adoleſcentibus indulgendum eſſe contendo, hæc ideò non dico, vt impune ſit Marco Cœlio ſi vera ſunt ea quæ ab aduerſariis obiecta ſunt: ſi patrimonium abſumpſit, verſuram fecit, æs alienum contraxit, ſeditionibus Puteolanis interfuit, legatis Alexandrinis inſidiatus eſt, Dionem Principem legationis interemit, &c. Non, inquam, ideò dico, vt id impune ſit illi, cùm ſatis ſupérque ex ſuperioribus conſtet, Cœlium fuiſſe horum criminum innocentem.

Ad has inanes.] Ludicras, futiles, & iuueniles, quæ vt nihil proſunt, ſic nullum aliis inferunt detrimentum.

Rei domesticæ.] Ad adminiſtrationem familiæ. *Rei forenſis* ad iudicia, & innocentium defenſionem. *Reipublicæ* ad adminiſtrationem Reipub. gerendóſque tum in pace, tùm in bello magiſtratus.

Vt ea qvæ antea non perspexerat.] Alij legunt, *non proſpexerat*, parum refert. vt eas voluptates, quarum ante vanitatem non peruiderat, ſatietate, abieciſſe videatur, &c.

NOTÆ.

I. Si qvem forte.] De huiuſmodi ſtupiditate Ariſtoteles libro 3. Eth. Nicomach. c. 12. Ἐλλείποντες δὲ περὶ τὰς ἡδονὰς, καὶ ἧττον ἢ δεῖ χαίροντες, οὐ πάνυ γίνονται. οὐ γὰρ ἀνθρωπική ἐστιν ἡ τοιαύτη ἀναισθησία. καὶ γὰρ τὰ λοιπὰ ζῶα διακρίνει τὰ βρώματα, καὶ τοῖς μὲν χαίρει, τοῖς δ' οὔ. εἰ δέ τῳ μηδέν ἐστιν ἡδύ, μηδὲ διαφέρει ἕτερον ἑτέρου, πόῤῥω ἂν εἴη τοῦ ἄνθρωπος εἶναι. οὐ τέτευχε τοιοῦτος ὀνόματος. διὰ τὸ μὴ πάνυ γίνεσθαι. *Deficientes verò circa voluptates, & minùs quàm oportet gaudentes non admodùm exiſtunt: non enim humana eſt huiuſmodi vacuitas ſenſus. etenim reliqua animalia diiudicant cibos, & his quidem gaudent, his verò non. ſi verò alicui nihil eſt iucundum neque differt vnum ab altero, is procul eſt ab hominis naturâ. non eſt autem talia conſecutus, propterea quòd non admodum exiſtat.* Cicero in partitionibus §.82. *Et prudentiam malitia, & temperantiam immanitas in voluptatibus aſpernandis*, &c. *imitatur.* Immanitas & ſtupiditas naturæ.

II. Deos iratos.] Plerumque eos qui nullas perciperent voluptates, ſed qui omnibus lautitiis ſe abſtinerent, Diis iratis natos, aut etiam Diis inimicos appellant. Horatius lib.2. Sat.3.

Diis inimice ſenex cuſtodis ne tibi deſit.
Quantulum enim ſumens curtabit quiſque dierum
Vngere ſi caules oleo meliore capútque
Cœperis, impexâ fœdum porrigine.

Et Perſius Sat.

-Hunc diis iratis genióque ſiniſtro, &c.

Iratis enim Diis natus idem eſt atque infœlix, miſer, κακοδαίμων, vnde Horatius ibidem eleganter: Dij irati.

Culpantur fruſtra calami, immeritúſque laborat
Iratis natus paries Diis atque Poëtis. Diis iratus.

Inde & Baton Comicus apud Athenæum libro 4. eum qui per auaritiam genium ſuum voluptate fraudaret Diis inferre dixit iniuriam. Dij propitij.

Ἄνθρωπ' ἀλάστωρ διά τι συμβολὰς ἔχων
Νήφεις; τί τηλικοῦτον ἀδικεῖς θεούς;
Τί τ' ἀργύριον ἄνθρωπε τιμιώτερον
Σαυτοῦ τέθεικας, ἢ πέφυκε τῇ φύσει;
Inimice Diuis ſymbolas quorſum obtinens
Ieiunus es? quorsúmve ſic lædis Deos.
Cur temetipſo pluris argentum facis
Natura quàm fert eius infœlix homo?

Plautus Truculento ſc. *Ad fores*

Sed iſti qui cum Geniis ſuis belligerant parcipromi.

Quòd autem aduertis Deos iratos Diis propitiis opponi, id ſolemne eſt. in Piſonem 59. *Neque propitij cuiquam eſſe ſolent, neque irati.* profert Briſſonius hæc exempla. Seneca libro 2. natur. quæſt. *Mors omnes æque vocat, iratis Diis propitiíſque moriendum eſt.* Tertullianus apologet. *Ne præmanu eſſet iure libertatis dicere, nolo mihi Iouem propitium. Tu quis es? me conueniat Ianus iratus ex qua volet fronte.* Addit deinde quod apprimè facit ad Ciceronem, iis Deos eſſe propitios dici, qui bonam & ſanam mentem haberent. Seneca epiſtolâ cxi. *Iubeo te habere mentem bonam, hoc eſt propitios Deos omnes, quos habet placatos, & fauentes, quiſquis ſibi propitiauit.* Sic apud Terentium in Phormione actu 4. ſcen. 3. Antipho dubitans vtrum inſaniret aliquis, ait

-ſatin' illi Dij ſunt propitij?

Liuius libro 39. *Eiectus à matre, quod probus adoleſcens (Dij propitij eſſent) obſcœnis, vt fama eſſet, ſacris initiari nollet.* vt contra inſanientibus Deos iratos eſſe credebant. Plautus Amphit. act.4.ſc.2.

Tibi Iupiter Diíque omnes irati certò ſunt.

Idem Rud.act.4.ſc.4.

Tibi Herclè Deos iratos eſſe oportet, quiſquis es.

Teren-

Terentius Andriâ act.4.ſc.1.

-niſi mihi Deos ſatis
Scio fuiſſe iratos, qui auſcultauerim.

Ridiculè Plautus in Curculione:

Quoi homini Dij ſunt propitij.
Quid expectas? quid tandem? audi.
Ei non eſſe iratos puto.

III. Parcat ivventvs pvdicitiæ.] Eius rei inſigne exemplum eſt apud Plutarc. in Demetrio, de Democle qui cùm Demetrij libidinem fugiens ſe in balneas abdidiſſet: Ἐπιτηρήσας τὸν καιρὸν ὁ Δημήτριος ἐπεισῆλθεν αὐτῷ μόνῳ. ὁ δὲ παῖς ἀφελὼν τὸ πῶμα τοῦ χαλκώματος εἰς ζέον ὕδωρ ἐνήλατο, καὶ διέφθειρεν αὐτόν. *Demetrius tempus obſeruans ad illum ſolum ingreſſus eſt. at puer tollens operculum arei labri in aquam feruentem inſiluit, mortémque ſibi conſciuit.* Nobile & illud Spurinæ exemplum, de quo Valerius lib. 4. cap.5. & Cl. Mamertinus gratiarum actione: *Nobilem Hetruriæ adoleſcentem ferunt, cùm propter eximiam formæ dignitatem multarum in ſe fœminarum amores excitaret, faciem ſuam ad oblitterandam pulchritudinem vulneribus ſauciaſſe.* Quod ad amoris præſcriptiones ſpectat, vide Plautum Amphitruone act.3.ſc.vltima, Curcullione actu 1.ſc. 1. Bacchidibus ſc. *Nunc experiar.* Nec fortaſſe abluſerit ab hoc loco Iuuenalis Sat.8.

Pudicitiæ cuſtodia.

Defenſor culpæ dicet mihi: fecimus & nos
Hæc iuuenes: eſto: deſiſti nempe, nec vltra
Fouiſti errorem. Breue ſit quod turpiter audes.
Quædam cum primâ reſecentur crimina barbâ.
Indulge veniam pueris.-

XV. Ne foenore trvcidetvr.] Auſonius: *-turpia lucra*
Fœnoris & velox inopes vſura trucidat.

Huc etiam referri poſſit illud Valerij lib.4.cap. 8. de Qu. Conſidio, qui *amaritudinem publicæ confuſionis priuatâ tranquillitate mitigauit: opportunè mirificéque teſtatus, ſe nummorum ſuorum, non ciuilis ſanguinis eſſe fœneratorem: Nam qui nunc præcipuè negatione delectantur, cùm pecuniam cruentam domum retulerint*, &c. Vulgo quidem legitur *negotiatione*: ſed in præſentia placuit ſequi criticem Claudij Salmaſij reponentis *necatione*. Cicero extremis pene verbis lib. 2. de officiis agens de Catone Cenſorio: *A quo cùm quæreretur quid maximè in re familiari expediret, reſpondit, Bene paſcere: Quid ſecundum? ſatis bene paſcere. Quid tertium? Bene veſtire.* aliàs, *Bene vitire.* hoc eſt vites colere. *Quid quartum? Arare. Et cùm ille qui quæſierat, dixiſſet, Quid fœnerari? Tum Cato, Quid hominem, inquit, occidere?* E quibus intelligis quo pacto debitores dicantur fœnore trucidari. Videtur enim ad antiquam fœneratorum crudelitatem alludere, de qua Tacitus 6. annalium: *Primò duodecim tabulis ſanctum ne quis vnciario fœnore amplius exerceret, cùm antea ex libidine locupletium agitaretur. dein rogatione tribunitiâ ad ſemuncias redacta. Poſtremo vetita verſura.* Liuius hanc vnciariam legem videtur ad poſteriora tempora referre. lib.7. *Cn. Marcio, Cn. Manlio Conſulibus de vnciario fœnore à M. Duellio, Luc. Menenio Tribunisplebis rogatio eſt perlata: & plebs aliquanto eam cupidiùs ſciuit, accepítque.* Et interiectâ decem annorum hiſtoriâ. *Tit. Manlio Torquato, C. Plautio ſecundùm Conſulibus ſemunciarium tantum ex vnciario fœnus factum.* Biennio pòſt, *Iudicia pop. Romani triſtia in fœneratores facta.* Sed cùm nec ſic quidem fœneratorum ſæuitia coërceri potuiſſet, quinto anno poſt ſemunciariam legem L. Genutius Tribunusplebis omnem penitus vſuram auferre conatus eſt lege ad populum perlatâ, *ne fœnerare liceret.* Appianus 1. ciuil. Κατὰ τὸ ἄστυ οἱ χρῆσται πρὸς ἀλλήλους ἐστασίασαν, οἱ μὲν εἰσπράττοντες τὰ χρέα σὺν τόκοις, νόμου τινὸς παλαιοῦ προαγορεύοντος μὴ δανείζειν ἐπὶ τόκοις, ἢ ζημίαν τὸν οὕτω δανείσαντα προσοφλεῖν. ἀποστραφῆναι γάρ μοι δοκοῦσιν οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι, καθάπερ Ἕλληνες τὸ δανείζειν, ὡς καπηλεύειν καὶ βαρὺ τοῖς πένησι, καὶ δύσερι, καὶ ἐχθροποιόν. καθάπερ καὶ Πέρσαι τὸ κιχρᾶσθαι, ὡς ἀπατηλὸν καὶ φιλοψευδές. *In vrbe ſeditio creditores inter & debitores grauis exarſit, exigentibus illis debita cum fœnore, cùm antiquâ lege ſancitum eſſet ne fœnerare liceret, aut qui fœneraſſet multâ plecteretur. Auerſati enim mihi fuiſſe videntur vſuram veteres Romani, perinde vt Græci, vt & cauponationem, tanquam rem grauem egentibus, & ſeditionum diſcordiarúmque creberrimam cauſam. Quo pacto etiam Perſæ aſpernebantur mutuari, tanquam rem fraudi mendacióque obnoxiam.* Quænam autem mulcta fœneratoribus fuerit irrogata, conſtare poterit ex Catonis Cenſorij proœmio in librum de re ruſticâ. *Eſt interdum præſtare mercaturis rem quærere, ni tam periculoſum ſiet, & item fœnerari ſi tam honeſtum ſiet. Maiores enim noſtri ſic habuerunt, & ita in legibus poſuerunt furem dupli condemnari: fœneratorem quadrupli. Quanto peiorem ciuem exiſtimauerant fœneratorem quàm furem, hinc licet exiſtimari.* Hinc fortaſſe explicari poſſit illud Zachæi dictum Lucæ 19. *Et ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Ex hac multatitiâ fœneratorum pecuniâ plerumque donaria templis offerebant. Exempla ſunt apud Liuium lib. 10. circa medium, & lib. 35. vergente ad finem. Cæterùm faciliùs intelligi poterit iſta creditorum ſæuitia, ſi quantum vſuræ nomine exigere ſoliti ſint, diligenter aduerteris. Atque ante vnciariam legem certus fœnori modus non erat conſtitutus: ſed, vt è Tacito vidimus, res ex libidine locupletium agitabatur, compreſſa eſt fœneratorum cupiditas ad vnciariam vſuram, vetitúmque ne plus duodecimâ parte ſingulis annis exigerent. Totam enim ſummam antiqui *aſſem*, ſiue *ſolidum* vocabant: eum aſſem in vncias duodecim diuidebant. Exempli cauſſâ Seius è Titio fœneratione mille ducentos philippeos acceperit: cùm illum aſſem ſiue totam ſummam in duodecim partes, ſiue vncias diuiſeris, ſingulæ vnciæ centum philippeos continebunt, quos Seius Titio ſingulis annis fœnoris vnciarij nomine penſitabit. Quod fœnus ſi ad ſemuncias redegeris, quartam & viceſimam totius ſummæ partem, id eſt, philippeos quinquaginta expendet. Quæ vſura moderata fuit, poſteà tamen Genutij lege etiam ſublata eſt. Nihilo tamen ſeciùs, vt auctor eſt Liuius lib. 35. poſt hanc aliáſque leges, moribus præualentibus, *Ciuitas fœnore laborabat, & cùm multis fœnebribus legibus conſtricta auaritia eſſet, via fraudis inita erat, vt in ſocios qui non tenerentur iis legibus nomina tranſcriberent. Ita libero fœnore obruebant debitores*, &c. Et paucis interiectis: *Marcus Sempronius Tribunus plebis ex auctoritate Patrum plebem rogauit, plebéſque ſciuit, vt cum ſociis ac nomine Latino pecuniæ creditæ ius idem quod cum ciuibus Romanis eſſet.* Verùm cùm

Fœnore trucidari.

Leges fœnebres.

Vnciarium fœnus.

Semunciarium.

Fœnus ſublatum.

Pœna in fœneratores.

Lucas explicatur.

Vnciariũ fœnus explicatur.

ne ſic quidem fœneratorum cupiditas arceri
potuiſſet, & egentes extremâ propemodum
neceſſitate preſſi pecuniam mutuam non in-
uenirent; rurſus permiſſa eſt vſura centeſi-
ma ſupra quam ſtipulari non liceret: id eſt, per-
Vſura centeſima. miſſum lege Gabinia, vt centeſima pars totius
ſummæ ſingulis menſibus vſuræ nomine ſolue-
retur. quæ vſura modum vnciariâ lege præſcri-
ptum non mediocriter exceſſit: Nam cùm oc-
cupatis mille ducentis Philippeis, centum quot-
annis philippei vnciarij fœnoris nomine pende-
rentur, fœneratores centeſimarum nomine duo-
decim philippeos menſtruos, id eſt, centum qua-
draginta quatuor annuos exigebant. Accedebat
ἀνατοκισμὸς, ſiue vſurarum vſura. ad hanc crudelitatem ἀνατοκισμὸς, ſiue παλιντοκία,
id eſt, vſurarum vſura, cùm videlicet illi centum
quadraginta quatuor philippei vſuræ nomine de-
biti, nec perſoluti rurſus aliam vſuram pariebant,
quod vel maximè debitores trucidabat, & credi-
toribus crudelitatis infamiam adferebat. Quæ
omnia non obſcurè colligere mihi videor ex ep.
vltima lib. 5. ad Atticum. *Cùm ego in edicto tranſ-
latitio centeſimas me obſeruaturum diceret cum a-
natociſmi anniuerſario.* Quibus inſinuare videtur
centeſimos menſtruos fuiſſe, anatociſmum an-
nuum, quòd exigi non poſſet niſi anno euoluto.
Addit: *Cùm Romæ verſuram facere vellent, non
poterant, quod lex Gabinia vetabat.* E quibus col-
ligo centeſimas lege Gabiniâ fuiſſe permiſſas.
Subiungit: *Clamare omnes qui aderant nihil im-
pudentius Scaptio qui centeſimis cum anatociſmo
contentus non eſſet.* Item: *Nam aut bono nomine
centeſimis contentus erat, aut non bono quaternas
centeſimas ſperabat.* Ad quas videlicet quaternas,
ſi anatociſmi paulo diutiùs currerent. peruenire
facilè potuiſſent, quòd probro & infamiæ duce-
batur. l. 20. C. Ex quibus cauſ. inf. irrog. *Im-
probum fœnus exercentibus & vſuras vſurarum
illicitè ex gentibus infamiæ macula irroganda eſt.*
Hos tamen anatociſmos ſiue vſurarum vſuras,
cùm hæc habita eſt oratio, permiſſas fuiſſe, ſal-
tem aliquo modo toleratas, vel inde conſtat,
quòd vt ibidem dicitur, paulò pòſt, abſente Ci-
cerone & Ciliciam prouinciam obtinente S. C.
factum eſt. *Vt centeſimæ ſine perpetuo fœnore du-
cerentur.* Id eſt, ſine anatociſmo, vt ibi explicat
Vſura legitima. Gothofredus. Atque hæc eſt vſura quam Iu-
riſconſulti legitimam, grauiſſimam, maximam
frequenter appellant. ex quâ tanquam ex aſſe
cæteræ minores nomen habuerunt. vt Scæuola
Semiſſis vſura. D. De vſuris & fructibus. *Semiſſes vſuras* vo-
cat, *cùm*, vt ibidem explicat Gothofredus. *ex
ducentis aureis ſingulis penſionibus vnus ſoluitur*,
Trientarium fœnus. &c. *ſemis vſura. à ſix pour cent.* Hinc *trienta-
rium fœnus, à quatre pour cent.* Lampridius in
Alexandro Seuero: *Vſuras fœneratorum contra-
xit ad trientes penſiones.* Item: *Fœnus publicum
trientarium exercuit, ita vt pauperibus pleriſque
ſine vſuris pecuniam dederit.* Iulius Capitolinus
in Antonino Pio: *Idem fœnus trientarium, hoc
eſt minimis vſuris exercuit, vt patrimonio ſuo plu-
rimos adiuuaret.* Atque hæc ſatis, vt intelligas
quam *-Velox inopes vſura trucidet.*
Fœnus in mortem parentum. Qui quòd ipſos etiam filios familias nonnulli fœ-
noribus obruebant, ipsíſque pecuniam crede-
bant vſque ad mortem parentum. Hinc, vt ait
Lex Latoria. Cicero libro 3. de officiis vindicata eſt, *Cir-
cumſcriptio adoleſcentum lege Latoria.* Hinc S.
C. Macedonianum, de quo titulus in iure ciui-
li: Hinc, auctore Tacito lib. 11. annalium Clau-
dius Auguſtus: *Lege latâ ſæuitiam creditorum
coërcuit, ne in mortem parentum pecunias filiis
familiarum fœnori darent.* Neque verò ſolùm
in bona, verùm etiam in obæratorum corpo-
ra ſæuiebant. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 5.
Οὐκ ἐμετρίαζον ἐν ταῖς ἐξουσίαις οἱ δανείζοντες, ἀλλ' εἰς
δεσμοὺς τὰ τῶν ὑποχρέων ἀπῆγον σώματα, καὶ ὥσπερ
ἀργυρωνήτοις, οὕτως ἐχρῶντο. *Non ſibi moderabantur* Fœneratorũ crudelitas.
*in poteſtate creditores, ſed debitores in vincula com-
pingebant, iíſque tanquam venalitiis ſeruis vte-
bantur.* Sic ille ſenex apud Liuium lib. 2. *Sabi-
no bello ait ſe militantem, quia propter populatio-
nes agri fructu non modò caruerit, ſed villa incen-
ſa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, tributum
iniquo ſuo tempore imperatum, æs alienum feciſ-
ſe, id cumulatum vſuris, primò ſe agro paterno
auitóque exuiſſe, deinde fortunis aliis, poſtremò
velut tabem perueniſſe ad corpus: ductum ſe à
creditore non in ſeruitium, ſed in ergaſtulum &
carnificinam eſſe: inde oſtentare tergum fœdum
recentibus veſtigiis verberum.* Qui ſæuiendi mos
ad CDXXIIX. ciuitatis annum propagatus eſt,
cùm, vt ait Liuius idem libro 8. Luc. Papi-
rius: *Cui cùm ſe C. Publius ob æs alienum pa-
ternum nexum dediſſet*, &c. *primò perlicere a-
doleſcentem ſermone inceſto eſt conatus: dein, pòſt
quàm aſpernabantur flagitium aures, minis ter-
ritare, poſtremò*, &c. *nudari iubet, verberáque
afferri. Quibus laceratus iuuenis*, &c. Subiicit Debitores nexu liberati.
quomodo hac occaſione illa poteſtas in debi-
torum corpora ſæuiendi fuerit creditoribus ab-
rogata, *iuſſique Conſules* C. Petilius, & L. Pa-
pirius Mugilanus, *Ferre ad populum, ne quis,
niſi qui noxam meruiſſet, donec pœnam lueret, in
compedibus aut in neruo teneretur: pecuniæ cre-
ditæ bona debitoris, non corpus obnoxium eſſet: ita
nexu ſoluti cautúmque in poſterum ne necteren-
tur.* Hæc Liuius. Immò etiam vlteriùs pro-
greſſa fuerat, vel fœneratorum crudelitas, vel
potiùs legum ſeueritas in obæratos, ſi Tertul-
lianum apologet. cap. 4. audiamus: *Sed &
iudicatos in partes ſecari à creditoribus leges e-* Legum ſeueritas in obæratos.
*rant: conſenſu tamen publico crudelitas poſteà
eraſa eſt, & in pudoris notam capitis pœna con-
uerſa eſt, bonorum adhibitâ proſcriptione. ſuffun-
dere maluit hominum ſanguinem, quàm effun-
dere.* Gellius lib. 20. cap. 1. de legibus XII.
tabularum: *Si plures forent quibus reus eſſet iu-
dicatus, ſecari ſi vellent atque partiri corpus ad-
dicti ſibi hominis permiſerunt.* Adfert verba le-
gis: *Tertiis nundinis parteis ſecanto: ſi plus mi-
núsve ſecuerunt, ſine fraude eſto.* Vide locum.
Quod autem ad pudoris notam ſpectat de
qua Tertullianus, tangendus obiter mos Bœo- Cophinus obæratis iniectus apud Bœotos.
torum, quem refert Nicolaus Damaſcenus in
hiſtoriâ gentium: Βοιωτῶν ἔνιοι τοὺς χρέος οὐκ ἀ-
ποδιδόντας εἰς ἀγορὰν ἄγοντες καθίσαι κελεύουσιν, εἶ-
τα κόφινον ἐπιβάλλουσιν αὐτοῖς. ὃς δ' ἂν κοφινωθῇ ἄ-
τιμος γίνεται. *Bœotorum nonnulli eos qui ſoluen-
do non fuerint in forum adductos ſedere iubent,
iíſque cophinum iniiciunt. Qui verò cophino coo-* Viridis galerus apud Gallos.
pertus fuerit, notatur infamiâ. Horum exem-
plo decreto Curiæ Pariſienſis 26. Iunij, anno
1582. ſtatutum eſt, vt qui bonis ceſſiſſet, is
ignominiæ cauſſâ viridem galerum ſibi à cre-
ditore donatum capite geſtaret, ſed hæc pu-
doris nota quadriennio pòſt alio eiuſdem Cu-
riæ decreto ſublata eſt, vt refert L. Charondas

in libro 6. Codicis Henriciani titulo De ceſſione bonorum. Romæ qui ſoluendo non eſſent ad puteal & columnam Mæuiam multorum conuiciis deducti. Vide Notas noſtras in Sextianam 18. Aliter etiam explicari poſſet, cur, qui, ſoluendo non eſſent, ab antiquis trucidari fœnore dicerentur, nimirum propter aſſiduas animi ægritudines, quibus obærati tantumnon enecantur: quo alluſit Auguſtus apud Macrobium Sat. 2. cap. 4. *Relatâ ad ſe magnitudine æris alieni, quam quidam Eques Romanus excedentem ducenties H-S celauerat, culcitram emi cubicularem in eius auctione ſibi iuſſit: & præceptum mirantibus hanc rationem reddidit. habenda eſt culcitra in qua ille, cùm tantùm deberet, dormire potuit.* Pulchrè Baſilius Magnus in Pſalmos homiliâ contra fœneratores, ex quâ iam nonnulla retulimus pro Sextio 28. Huic loco illud ſuffecerit. Τόκος γάρ, ὡς οἶμαι, διὰ τὴν πολυγονίαν τοῦ κακοῦ προσηγόρευται. πόθεν γὰρ ἄλλοθεν; ἢ τάχα τόκος λέγεται, διὰ τὰς ὠδῖνας καὶ λύπας, ἃς ἐμποιεῖν ταῖς ψυχαῖς τῶν δανεισαμένων πέφυκεν; ὡς γὰρ ἡ ὠδὶς τῇ τικτούσῃ, οὕτως ἡ προθεσμία τῷ ὑποχρέῳ παρίσταται. τόκος ἐπὶ τόκῳ· πονηρῶν γονέων πονηρὸν ἔκγονον. *Fœnus enim, vt arbitror, propter abundantem mali fœturam vocatur: vnde enim aliunde? an fortaſſe fœnus dicitur à fœturâ partúſque doloribus, quos debitorum animis ingenerat? vt enim partus parienti, ita conſtituta dies debitori adeſt. fœnus fenore cumulatur, malorum parentum malus fœtus.*

Obæratorum anxietas & ſollicitudo.

Et alia plura quæ Ambroſius libro de Tobia pene verbatim expreſſit, ſed conſulendum eſt breuitati. Eadem de re Plutarchus opuſculo περὶ τοῦ μὴ δανείζεσθαι quamplurima: pauca ſeligemus. Τὴν δὲ τράπεζαν οὐ καλὴ Αὐλὶς καὶ Τένεδος ἀντικοσμήσει τοῖς κεραμεοῖς καθαρωτέροις οὖσι τῶν ἀργυρῶν, οὐκ ὄζει τόκου βαρὺ καὶ δυσχερὲς (lego βαρέως καὶ δυσχερῶς) τοῦ καθ' ἡμέραν ἐπιρρυπαίνοντος τὴν πολυτέλειαν· οὐδ' ἀναμνήσει τῶν καλανδῶν, καὶ τῆς νουμηνίας, ἣν ἱερωτάτην ἡμερῶν οὖσαν ἀποφράδα ποιοῦσιν οἱ δανεισταὶ καὶ στύγιον. τοὺς μὲν γὰρ ἀντὶ τοῦ πωλεῖν, τιθέντας ἐνέχυρα τὰ αὑτῶν, οὐδ' ἂν ὁ Θεὸς σώσειεν ὁ Κτήσιος. *Menſam elegans Aulis aut Tenedus ornabit fictilibus, quæ vaſis argenteis puritate antecellunt, nec grauem fœnoris odorem inhalant quotidianis ſumptibus ſordes aſpergentis. Memoriæ non obtrudunt Calendas & nouilunium, quem diem omnium dierum ſanctiſſimum infauſtum & odioſum reddit fœnerator. Hos enim dum ſua vendere refugiunt, ſua ipſorum bona pignori deponentes ne Deus quidem ipſe Lucrinus liberarit.* Atque hinc eſt quòd Strepſiades oppreſſus ære alieno apud Ariſtophanem in Nubibus, ita dierum rationem iniens inducitur.

Πέμπτη, τετράς, τρίτη, μετὰ ταύτην δευτέρα,
Εἶθ' ἣν ἐγὼ μάλιστα πασῶν ἡμερῶν
Δέδοικα, καὶ πέφρικα, καὶ βδελύττομαι
Εὐθὺς μετὰ ταύτην ἔσθ' ἕνη τε καὶ νέα
Πᾶς γάρ τις ὀμνύς, οἷς ὀφείλων τυγχάνω
Θείς μοι πρυτανεῖ. -
Lux quinta, quarta, tertia, dehinc altera,
Deinde lux quam præ diebus cæteris
Tremiſco, vereor, horreo & faſtidio,
Pridie Calendas illa confeſtim venit.
Nam debitorem quiſque me iurans rapit
In ius. -

Iam exclamauerat in lectulo ſuo tanquam à pulicibus, ſic à magiſtratu morſus & vellicatus.

Δάκνει με δήμαρχός τις ἐκ τῶν στρωμάτων.
Me mordet è ſtratis Tribunus quiſpiam.

Δάκνει inquit. quod mihi reuocabat in memoriam Hebraïcum nomen vſuræ. נשך à radice נשך. à mordendo, vt explicat Santes Pagninus, quia vſura ſubſtantiam & homines arrodit, & mordendo perdit, ſerpentis inſtar lethiferum dentem infigens. Vide Ambroſium libro de Tobia cap. 12. pecuniam fœneratoris quæ vſurarum vſuras parit, cùm echidnæ pulcherrimè comparantem, *matrem enim illa morſibus ſuis ſcindit*, &c. quam ſolam vſuræ ſpeciem ait Carolus Molineus tractatu de vſuris, diuino iure prohiberi. Sed impiè, & contra omnium non ſacrorum modò, ſed etiã profanorum ſententiam. Redeo ad Plutarchum: Ὁ Κάτων πρός τινα πρεσβύτην πονηρευόμενον, ὦ ἄνθρωπε· τί τῷ γήρᾳ, ἔφη, πολλὰ κακὰ ἔχοντι τὴν ἐκ τῆς πονηρίας αἰσχύνην προστίθης; οὐκοῦν καὶ σὺ τῇ πενίᾳ πολλῶν κακῶν προσόντων μὴ ἐπισώρευε τὰς ἐκ τοῦ δανείζεσθαι καὶ ὀφείλειν ἀμηχανίας, μηδ' ἀφαιροῦ τῆς πενίας, ᾧ μόνῳ τοῦ πλούτου διαφέρει τὴν ἀμεριμνίαν. *Cato ſeni cuidam in vitiis ſe volutanti, Amice, inquit, quorſum ſenectuti tot mala habenti dedecus improbitatis adiungis? Tu igitur, cùm egeſtati iam tot inſint mala, deſperationes quæ ex ære alieno manant, ad tot miſeriarum cumulum ne patiaris accedere, neque à paupertate ſollicitudinis vacuitatem auferas, quâ vnâ diuitiis antecellit.* Et ſanè propter has ſollicitudines vel ipſâ morte grauiores, facilè in animum inducerem fœnus à funere nomen habuiſſe, vt ſolebant antiqui *œ* & *u* confundere. Lucretius:

-fera mœnera militiai.

& alibi ſæpè *mœri*, pro *muris*, &c. niſi me grauiſſimi ſcriptores ab hac ſententiâ reuocarent. Feſtus: *Fœnus & fœneratores, & lex de creditâ pecuniâ fœnebris, à fœtu dicta, quòd crediti nummi alios pariant, vt apud Græcos eadem res* τόκος *dicitur. Fœnum quoque pratorum ab hac cauſa eſt appellatum, quando idipſum manens quotannis nouum parit: vnde etiam fœſtuca vocata eſt.* Sed hanc rem explicat ibidem Plutarchus longè pulcherrimè: Τοὺς μὲν λαγὼς λέγουσι τίκτειν ἅμα καὶ τρέφειν ἕτερα καὶ ἐπικυΐσκεσθαι πάλιν. τὰ δὲ τῶν μαστιγιῶν τούτων καὶ βαρβάρων χρέα, πρὶν ἢ συλλαβεῖν, τίκτει. διδόντες γὰρ εὐθὺς ἀπαιτοῦσι, καὶ τιθέντες αἴρουσι, καὶ δανείζουσιν ὃ λαμβάνουσιν ὑπὲρ τοῦ δανεῖσαι, λέγεται μὲν παρὰ Μεσσηνίοις,

Fœnus vnde.

Ἔστι πύλος πρὸ πύλοιο, πύλος γε μέν ἐστι καὶ ἄλλος.
λεχθήσεται δὲ πρὸς τοὺς δανειστάς.
Ἔστι τόκος πρὸ τόκοιο, τόκος γε μέν ἐστι καὶ ἄλλος.

Εἶτα τῶν φυσικῶν δήπου καταγελῶσι λεγόντων μηδὲν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος γενέσθαι. παρὰ τούτοις μὲν ἐκ τοῦ μηδέ τ' ὄντος, μηδ' ὑφεστῶτος γεννᾶται τόκος. *Lepores ferunt ſimul parere & alios fœtus alere, ſimul alios in vtero conceptos continere. Horum verò carnificum & barbarorum debita pariunt, priùs quàm conceperint. cùm enim dederint mox exigunt. cùm poſuerint, tollunt, & mutuo dant vt recipiant ad mutuandum: apud Meſſenios hic verſiculus circumfertur:*

Porta prior portâ eſt, ſed & hæc prior altera porta eſt.

at in fœneratores optimè poſſit conuenire.

Vſurâ eſt vſura prior, prior altera reſtat. generatur. *Sic demum phyſicos rident è nihilo fieri nihil aſſerentes. apud hos enim ex eo quod neque eſt, neq. ſubſiſtit vſura.* Quare præclarè vt alia pleraq. Plato 5. Creticorum ſiue de legibus, hanc inter alias leges

Platonis lex in fœneratores.

putauit eſſe ſanciendam, vt ita compeſci poſſet fœneratorum crudelitas. Μηδὲ δανείζειν ἐπὶ τόκῳ, ὡς ἐξὶν μὴ ἀποδιδόναι τοπαράπαν τῷ δανεισαμένῳ, μήτε τόκον μηδὲ κεφάλαιον. *Ne fœnerantor: Qui ſecus faxit, ei fas eſto & fœnus & ipſam ſummam denegare.* Sed hic finis eſto, & vt inopes *fœnore trucidari* videas, concludamus verbis Ambroſij lib. de Tobia cap.10. *Nihil intereſt inter funus & fœnus: nihil inter mortem diſtat & ſortem. Perſonat funebrem vlulatum fœnoris vſura.* Et cap.15. *Ab hoc vſuram exige, quem non ſit crimen occidere.* Vide.

V. Voluptates dominæ. PARVERIT VOLVPTATIBVS.] Bene paruerit. voluptates enim blandiſſimæ dominæ vocantur. Xenophon in œconomico cap.3. Εἰσὶν ἀπατηλαί τινες δέσποιναι προσποιούμεναι ἡδοναὶ εἶναι. *Fraudulentæ ſunt dominæ quæ ſe voluptates eſſe mentiuntur.* Cic.2.de off.37. *Voluptates, blandiſſimæ dominæ ſæpe maiores partes animæ à virtute detorquent.* Xenophon ibidem: Δοῦλοι γάρ εἰσι καὶ οὗτοι, ἔφη ὁ Σωκράτης, καὶ πάνυ χαλεπῶν δεσποτῶν, οἱ μὲν λιχνειῶν, οἱ δὲ λαγνειῶν, οἱ δ' οἰνοφλυγιῶν, οἱ δὲ φιλοτιμιῶν τινων μωρῶν καὶ δαπανηρῶν. ἃ οὕτω χαλεπῶς ἄρχει τῶν ἀνθρώπων, ὧν ἂν ἐπικρατήσωσιν, ὥστε ἕως μὲν ἂν ὁρῶσιν ἡβῶντας αὐτοὺς καὶ δυναμένους ἐργάζεσθαι, ἀναγκάζουσι φέρειν ἃ ἂν αὐτοὶ ἐργάζωνται, καὶ τελεῖν εἰς τὰς αὐτῶν ἐπιθυμίας. ἐπειδὰν δ' αὐτοὺς ἀδυνάτους αἴσθωνται ὄντας ἐργάζεσθαι διὰ τὸ γῆρας, ἀπολείπουσι τούτους κακῶς γηράσκειν, ἄλλοις δ' αὖ πειρῶνται δούλοις χρῆσθαι, &c. *Serui ſunt etiam ipſi, inquit Socrates, & moleſtorum dominorum, hi gulæ, illi libidinis, alij ebrietatis, alij ambitionis ſtultæ & ſumptuoſæ. quæ ita imperant hominibus, quos ipſæ ſibi ſubiecerint, vt quamdiu eos viderint ætate florentes, & valentes aliquid corradere, eos conferre cogant ad explendas cupiditates quicquid lucrati fuerint. poſtquam autem eos ſenſerint ſenectute confectos, atque adeo non poſſe quicquam agere, eos in miſera ſenectute relinquant, aliſque ſeruis vti conentur.* Lucianus in Nigrino: Ὅστις ἡδονῇ πᾶσαν τὴν ψυχὴν ἐπιτρέψας, ταύτῃ μόνῃ λατρεύει. *Quiſquis voluptati totam animam permittens, ei ſoli obſequitur.* Clemens Alexandrinus tertio ſtromatum: Μηδὲ λεγόντων ἐλευθερίαν τὴν ὑπὸ ἡδονῆς δουλείαν. *Neque voluptatis ſeruitutem, libertatem appellent.* Sed hîc non moror, vide Cicer. paradoxo penultimo, Perſium Satyra item penultima. Senecam ſæpe. illud epiſt.39. pulcherrimum: *Seruiunt itaque voluptatibus ſuis, non fruuntur, & mala ſua, quod malorum vltimum eſt, amant. tunc autem conſummata eſt infœlicitas, vbi turpia non ſolùm delectant, ſed etiam placent: & deſinit eſſe remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores ſunt.*

AD LVDVM ÆTATIS.] Liuius decade 3.lib.6. *Ipſe ſi frui liceret ludo ætatis, præſertim recto & legitimo amore, & non Reſpublica animum noſtrum occupaſſet, veniam mihi dari ſponſam impenſiùs amanti vellem.* VI.

SATIETATE.] Menelaus XIII. Iliados verſu 636. VII.

Πάντων μὲν κόρος ἐστί, καὶ ὕπνου, καὶ φιλότητος
Μολπῆς τε γλυκερῆς καὶ ἀμύμονος ὀρχηθμοῖο
Τῶν πέρ τις καὶ μᾶλλον ἐέλδεται ἐξ ἔρον εἶναι
Ἢ πολέμου. Τρῶες δὲ μάχης ἀκόρητοι ἔασιν.

Res omnes ſatiant animos: ſomnúſque, venúſque,
Et cum inculpato dulcis ſymphonia ſaltu.
Quæ deſiderio mentem maiore perurunt
Quàm bellum: tamen haud ſatiant certamina Teucros.

AXIOMATA.

Si quis nullâ voluptate capiatur, Deus illi propitius eſſe cenſendus eſt, quamuis multi iratum putent.

Dandum aliquid ætati.

Adoleſcenti hæc præſcriptio moderatióque tenenda eſt, vt parcat pudicitiæ ſuæ, ne ſpoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne fœnore trucidetur, &c.

ARGVMENTVM.

Probat has in adoleſcentibus voluptates eſſe tolerandas, eorum exemplo qui his manibus ætatis ludis & cupiditatibus, cùm ſe ad meliorem frugem recepiſſent, vberrimos virtutum fructus ediderunt. eorum tamen parcit nomini, ne commemoratione priorum vitiorum aliquam iis infamiam aſpergat.

XLIII. AC multi & noſtrâ & patrum maiorúmque memoriâ, Iudices, ſummi homines, & clariſſimi ciues fuerunt, quorum cùm adoleſcentiæ cupiditates deferbuiſſent, eximiæ virtutes, firmata iam ætate, exſtiterunt, ex quibus neminem mihi neceſſe eſt nominare. voſmet vobiſcum recordamini. nolo enim cuiuſquam fortis, atque illuſtris viri ne minimum quidem erratum cum maxima laude coniungere. quòd ſi facere vellem, multi à me ſummi atque ornatiſſimi viri prædicarentur, quorum partim nimia libertas in adoleſcentia, partim profuſa luxuries, magnitudo æris alieni, ſumptus, libidines nominarentur: quæ multis poſteà virtutibus obtecta, adoleſcentiæ, qui vellet, excuſatione defenderet.

EXPLANATIO.

AC MVLTI NOSTRA.] Vt Qu. Catulus & Cæſar noſtra, maiorum verò memoria Scipiones.

CVPIDITATES DEFERBVISSENT.] Cùm ætas & dies illum, qui ſolet adoleſcentibus ineſſe, cupiditatum feruorem mitigaſſet, ſtatim atque virilem attigerunt ætatem, eximiis virtutibus floruerunt. legunt alij *deferuiſſent*.

NIMIA LIBERTAS.] Nimia licentia, quippe qui nullis prudentium, aut etiam parentum monitis parere noluerunt.

MAGNITVDO ÆRIS ALIENI.] Quod illi ſumptuosè & luxurioſè viuentes contraxerant.

QVÆ MVLTIS.] Quæ vitia ſuperiùs enumerata excuſari deinde poſſent ab ætate & adoleſcentia, cuius feruore, illi ſe voluptatibus dediderunt.

NOTÆ.

I. CVPIDITATES DEFERBVISSENT.] Bene deferbuiſſent propter adoleſcentiæ feruorem. de quo Plato ſecundo de legibus ſuo more pulcherrimè: Η φύσις ἁπάντων τῶν νέων διάπυρος οὖσα ἡσυχίαν οὐχ οἵα τ' ἄγειν, οὔτε κατὰ τὸ σῶμα, οὔτε κατὰ τὴν φωνὴν εἴη, φθέγγοιτο δ' ἀτάκτως καὶ πηδῷ, &c. *Iuuenum natura cùm ignea ſit & accenſa, fieri non poteſt vt ſibi neque ſecundum corpus, neque ſecundum vocem quietem impertiat, ſaltat & clamat inconditè*, &c. Ex quo paulò pòſt infert: Ἆρ' οὐ νομοθετήσομεν, πρῶτον μὲν τοὺς παῖδας μέχρις ἐτῶν ὀκτωκαίδεκα τὸ παράπαν οἴνου μὴ γεύεσθαι, διδάσκοντες ὡς οὐ χρὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ ὀχετεύειν. *Quid igitur? non lege latâ ſanciemus primùm quidem pueros, donec ad octauum & decimum ætatis annum peruenerint, vini potu prorſus abſtinere, docentes ignem igni non eſſe inuehendum.* S. Hieronymus ad Nepotianum de vitâ clericorum: *Quòd ſi abſque vino ardeo adoleſcentiâ & inflammor calore ſanguinis, & ſucculento validóque ſum corpore: libenter carebo poculo in quo ſuſpicio veneni eſt.* Legem huic Platonicæ ſimilem apud Romanos fuiſſe tradit Ælianus variæ hiſt. lib. 2. cap. 38. Ρωμαίοις ἦν ἐν τοῖς μάλιστα νόμος ὅδ' ἐρρωμένος, οὔτ' ἐλευθέρα γυνὴ ἔπιεν ἂν οἶνον, οὔτε οἰκέτις, οὐδὲ μὴν τῶν εὖ γεγονότων οἱ ἀφ' ἥβης μέχρι πέντε καὶ τριάκοντα ἐτῶν. *Romanis fuit iſta lex vel omnium firmiſſimè ſtabilita, vt neque ingenua mulier vinum biberet, neque ſerua, neque nobilium vllus à pubertate ad quintum & trigeſimum ætatis annum.* Terentius Adelphis actu primo ſc. 2.

Feruor ætatis.

Sperabam iam deferuiſſe adoleſcentiam.

Quo verſu cõfirmare poſſis Lambini lectionem, *cupiditates deferuiſſent.* quam in omnibus ſe manuſcriptis reperiſſe teſtatur. De ſenectute 45. *Erat quidam feruor ætatis, qua progrediente omnia fiunt in dies mitiora.*

II. NOMINARE.] Nonnullos Latinus Pacatus in panegyrico nominauit: *Et qui venturi ſunt in virtutis adoptionem, illo tamen adoleſcentiæ lubrico, vt non cadant, titubant. An non clariſſimos nominis Romani viros (illos Catulos, Scipiones loquor) aliquantiſper ſibi luxuria vendicauit? quos etſi ad portum mutati in melius reuexerint flatus, diu tamen vitiorum turbo iactauit, & naufragos atque fluctuantes, ab illis quibus merſabantur erroribus, ægrè ætas recepit.* Sed nec aliis iniuriam fecero, ſi nonnullos proferre voluero, qui ex illis morum pudicitiæque naufragiis, ad virtutis portum emerſerunt. Inſigne eſt imprimis exemplum illius L. Flacci Flaminis maximi ex adoleſcente diſſoluto de quo Liuius Dec. 3. lib. 7. *Vt animum eius cura ſacrorum & ceremoniarum cepit, ita repente exuit antiquos mores, vt nemo tota iuuentute haberetur prior, nec probatior primoribus Patrum, ſuis pariter alieniſque eſſet. huius fama conſenſu elatus ad iuſtam fiduciam ſui, rem intermiſſam per multos annos ob indignitatem Flaminum priorum repetiuit, vt in Senatum introiret.* Valerius Maximus lib. 6. c. 9. hunc, Africanum Maiorem, Quintum Fabium Maximum Allobrogicum, Q. Lutatium Catulum, & L. Cornelium Sullam ex iis fuiſſe teſtatur, quorum adoleſcentiam diſſolutam clariſſima virilis ætas exceperit. in quibus non morabor, illos tamen de Scipione apud Gellium lib. 6. cap. 8. Cn. Næuij Poëtæ verſus non omittam.

Quinam ex adoleſcentibus diſſolutis in viros claros euaſerint.

Etiam qui res magnas manu ſæpe geſſit glorioſè,
Cuius facta viua nunc vigent, qui apud gentes ſolus
Præſtat: eum ſuus Pater cum pallio vno ab amica abduxit.

Ælius Lampridius in Heliogabalo: *Dalmaticatus in publico poſt cœnam ſæpe viſus eſt, Gurgitem Fabium & Scipionem ſe appellans, quod cum ea veſte eſſet cum qua Fabius & Cornelius à parentibus ad corrigendos mores adoleſcentes in publicum eſſent producti.* De cuius tamen inſigni caſtitate vide Liuium libro citato, Gellium ſic, Appianum in Ibericis, &c. Ex quibus morum mutationibus videas quàm prudenter Plato eos qui exhæredati fuiſſent à Patribus, ita iuſſerit exulare, vt tamen eos ab aliis adoptari, & ita in patriâ manere permitteret. Τὸν δ' ἀποκηρυχθέντα ἐάν τις τῶν πολιτῶν ὑὸν βούληται θέσθαι, μηδεὶς νόμος ἀπειργέτω ποιεῖσθαι· τὰ γὰρ τῶν νέων ἤθη πολλὰς μεταβολὰς ἐν τῷ βίῳ μεταβάλλειν ἑκάστοτε πέφυκεν. *Exhæredatum ſi quis ciuium adoptare voluerit, ne qua lex id fieri prohibeto: nam ita naturâ comparatum eſt, vt iuuenum mores frequenter in vitâ mutentur.*

NOLO ENIM CVIVSQVAM.] Quantopere à detrahendo de viris bonis cauere debeamus, illa Platonis in Minoë demonſtrant. III. Οὐ γάρ ἐσθ' ὅτι τούτου ἀσεβέστερόν ἐστιν, οὐδ' ὅτι χρὴ μᾶλλον εὐλαβεῖσθαι, πλὴν εἰς θεοὺς καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ ἐξαμαρτάνειν. δεύτερον δ' εἰς τοὺς θείους ἀνθρώπους· ἀλλὰ πάνυ πολλὴν χρὴ προμήθειαν ποιεῖσθαι ἀεί, ὅταν μέλλῃς ἄνδρα ψέξαι ἢ ἐπαινέσαι, μὴ οὐκ ὀρθῶς εἴπῃς. τούτου καὶ ἕνεκα χρὴ μανθάνειν διαγιγνώσκειν χρηστοὺς καὶ πονηροὺς ἄνδρας· νεμεσᾷ γὰρ ὁ Θεὸς ὅταν τις ψέγῃ τὸν ἑαυτῷ ὅμοιον, ἢ ἐπαινῇ τὸν ἑαυτῷ ἐναντίως ἔχοντα, ἔστι δ' οὗτος ὁ ἀγαθός. μὴ γὰρ οἴου λίθους μὲν εἶναι ἱερούς, καὶ ξύλου, καὶ ὄφεις· ἀνθρώπους δὲ μή. ἀλλὰ πάντων ἱερώτατόν ἐστιν ὁ ἄνθρωπος ἀγαθὸς καὶ μιαρώτατος ὁ πονηρός. *Neque enim eſt quidquam aut magis à pietate alienum, aut cauendum magis quàm in Deos verbo aut facto quicquam admittere. Secundo verò loco in viros diuinos. Sed maximâ ſemper opus eſt cautione, cùm virum aut vituperaturus, aut laudaturus es, ne id rectè non facias. huius etiam cauſſâ curare oportet, vt probum poſſimus à ſcelerato dignoſcere. indignatur enim Deus cùm quis aut vituperat ipſi ſimilem, aut laudat ipſi contrarium. hic autem Deo ſimilis eſt vir bonus. Ne enim lapides, ligna, ſerpentes, non autem homines ſacros exiſtima. Sed res omnium ſacratiſſima vir bonus eſt, omnium contaminatiſſima, ſceleratus.*

De viris bonis non detrahendum.

AXIOMATA.

Multi ſummi homines & clariſſimi ciues fuerunt, quorum cùm adoleſcentiæ cupiditates deferbuiſſent, eximiæ virtutis firmata iam ætate extiterunt.

Non debemus cuiuſquam fortis, atque illuſtris vel minimum erratum cum maximâ laude coniungere.

Adoleſcentiæ vitia multis poſtea virtutibus obtecta poſſunt ætatis excuſatione defendi.

ARGVMENTVM.

Hactenus à 36. §. oſtendit excuſandos eſſe adoleſcentes qui voluptatibus tantiſper obſecundant, nunc ad aliam partem aſſumptionis §. 36. poſitæ delabitur, Cœlium & cæteris adoleſcentiæ vitiis caruiſſe, & nunquam fuiſſe amoribus & delitiis occupatum licet iis aliquantùm indulſerit, quæ probatio 4. §. continetur.

XLIV. AT verò in Marco Cœlio (dicam enim iam confidentiùs de ſtudiis eius honeſtis: quoniam audeo quædam fretus veſtrâ ſapientiâ liberè confiteri) nulla luxuries reperietur, nulli ſumptus, nullum æs alienum, nulla conuiuiorum ac luſtrorum libido. quod quidem vitium ventris, & gutturis non modò non minuit ætas hominibus, ſed etiam auget. Amores autem, & hæ delitiæ quæ vocantur, quæ firmiore animo præditis diutiùs moleſtæ non ſolent eſſe (maturè enim, & celeriter defloreſcunt) numquam hunc occupatum impeditúmque tenuerunt.

EXPLANATIO.

DICAM ENIM.] Retractanda ſunt hoc loco è ſuperioribus nonnulla, vt liquidiùs artificium oratoris appareat. M. Cœlium, cuius vitam fuiſſe inquinatam tum diſertis verbis teſtatur Valerius Maximus lib. 4. cap. 2. tum ex Catulli ad eum verſiculis apparet, de moribus accuſatum, ſuo patrocinio defendendum ſuſceperat. Periclitabatur ipſe Cicero de famâ ſi Cœlij nequitias & libidines famæ publicæ voce teſtatas ſuo patrocinio comprobaret. periclitabatur aliâ parte Cœlius niſi fuiſſet Ciceronis oratione defenſus. Hanc igitur Orator mediam iniit perorandi rationem. vt, quoad eius fieri poterat, & Cœlium libidinis, & ſeipſum eiuſdem libidinis patrocinij infamiâ liberaret. & quoniam de Cœlij nequitiis tam conſtans erat fama, vt ea ſuſpicio de iudicum animis eradi & oblitterari non poſſet, oſtendit in Cœlio hos ætatis ludos, & licentiam tolerari debuiſſe, ſi Cœlius illis ſe voluptatibus tradidiſſet: ne tamen hoc modo voluptatis patrocinium ſuſcipere videatur, oſtendit aliam ſuam eſſe ſententiam, ſed id tum philoſophorum, tum omnium prope mortalium ſuffragio nititur comprobare: cáſque moderationes adoleſcentiæ præſcribit, quas non ſeruatas à Cœlio fuiſſe aduerſarij obiecerant, vt ſimul ſe oſtendat & ab his voluptatibus, quas tam exiguis finibus claudit, eſſe penitus alienùm, & iam ab aduerſariorum calumniis nihil vereri, vt eas planè diluiſſe videatur. Et quoniam, vt iam dixi, Cœlij vitam inquinatam adeo fama totâ ciuitate vulgauerat, vt negari non poſſet, eam Tullius miro quodam artificio nititur eleuare. Primò vt ingenuè ſe omnia expromere, nec quicquam in pectore tenere clauſum oſtendat, dicit ſe iudicum ſapientiæ confidere, vt ita nihil penitùs celaturus eſſe videatur. quid deinde? quod crimen Cœlij, quod impunitum debere eſſe docuit, fretus iudicum ſapientiâ confitetur? Cœlium ait cæteris adoleſcentiæ vitiis caruiſſe, amoribus & delitiis nunquam occupatum fuiſſe aut impeditum, cui tamen, ſi his voluptatibus deditus fuiſſet ignoſcendum erat. Summa eſt:

Si Cœlius libidini cæteríſque adoleſcentiæ vitiis excuſatione dignis deditus fuiſſet, id poſſem iudicum ſapientiâ fretus impune confiteri:

Sed nunquam fuit his vitiis impeditus.

Ergo multò magis eſt venia dignus, licet nonnihil amoribus & delitiis indulſerit.

DE STVDIIS EIVS HONESTIS.] De honeſtis eius oblectamentis.

LIBERE CONFITERI.] Vide calliditatem ſiue malitiam oratoris, libertatem præfatur, vt poſſit de honeſtis Cœlij ſtudiis confiteri: eum ſcilicet vino, ebrietati, luſtris, impudicitiæ deditum non fuiſſe, aut meretriciis amoribus implicitum: quaſi nullum aliud in Cœlio crimen inuenire poſſit, in cuius ingenuâ confeſſione, ſuam hanc libertatem exerceat.

CONVIVIORVM AC LVSTRORVM.] Lambinus libri, inquit, veteres habent *conuiuiorum ac ſtuprorum*, ego nihil muto. exiſtimo enim hoc *ſtuprorum* natum eſſe ex interpretatione vocis *luſtrorum*, ad oram libri adſcriptâ.

LVSTRORVM.] Flagitiorum quæ in locis abditis ac ſordidis ſolent perpetrari.

QVOD QVIDEM VITIVM VENTRIS ET GVTTVRIS.] Hinc vides luſtra non ſolùm pro ſtupris & rebus venereis vſurpari, ſed etiam pro ebrietate, crapulâ & quibuſuis aliis vitiis lutulentis, immo maximè pro ventris vitio & deſidiâ. alij legunt *ventris & gurgitis.*

NON MINVIT ÆTAS.] Quaſi diceret, toleranda non ſunt hæc ventris & gutturis vitia in adoleſcente, quia progreſſu ætatis magis augentur, ideóque inutilem Reipub. reddunt eum quem ſemel occuparint.

AMORES AVTEM.] Amores & iſti luſus adoleſcentiæ, cùm animus ætate corroboratus fuerit, non ſolent diutiùs moleſtiam exhibere, nunquam eius animum ſic inuaſerunt, vt eum à ſtudio eloquentiæ, & à recto virtutis curſu in tranſuerſum abduxerint.

MATVRE ENIM ET CELERITER DEFLORESCVNT.] Metaphora ab arboribus, quæ videtur oſtendere, quemadmodum flores arboris fœcunditatem oſtendunt, quibus deinde marcentibus, arbor in fructus protuberat, ſic iſtos amores & delitias oſtendere, tanquam in floribus, quanta futura ſit virtutum copia.

NOTÆ.

I. **L**VSTRORVM.] Feſtus Pompeius. *Luſtra ſignificat lacunas lutoſas, quæ ſunt in ſiluis aprorum cubilia. à qua ſimilitudine ij qui in locis abditis,& ſordidis ventri & deſidiæ operam dant,dicuntur in luſtris vitam agere.* Qualis, vt iam ſuperiùs oſtendimus, à Seneca libro de beatâ vitâ, cap.7. vita mollis & in luſtris tranſacta deſcribitur. *Altum quiddam eſt virtus, excelſum, regale, inuictum, infatigabile: voluptas, humile, ſeruile, imbecillum, caducum, cuius ſtatio ac domicilium, fornices ac popinæ ſunt. Virtutem in templo inuenies, in foro, in curiâ, pro muris ſtantem, puluerulentam, coloratam, calloſas habentem manus: voluptatem latitantem ſæpiùs ac tenebras captantem: circa balnea, ac ſudatoria, ac loca ædilem metuentia.* Lustra. De huiuſmodi luſtris & popinis illud eſt feſtiuum apud Plutarchum opuſculo De profectu in virtute. χαρίεν τὸ τοῦ Διογένους πρός τινα νεανίσκον ὀφθέντα ἐν καπηλείῳ, καταφυγόντα δ' εἰς τὸ καπηλεῖον, ὅσῳ γὰρ εἶπεν ἐνδοτέρω φεύγεις, μᾶλλον ἐν τῷ καπηλείῳ γίνῃ. καὶ τῶν φαύλων ἕκαστος, ὅσῳ μᾶλλον ἀρνεῖται, τοσούτῳ μᾶλλον ἐνδύεται καὶ κατείργουσιν ἑαυτὸν εἰς τὴν κακίαν. *Lepidum illud Diogenis ad adoleſcentem quem in cauponâ conſpexerat, cùm ille ſe in ganeum magis abſtruderet, Quo magis intro refugis, eo magis es in cauponâ,& ſceleratorum quiſque, quo magis ſe negat eſſe vitioſum, eo magis induit ſe & includit in malitiam.* Talia fuerunt luſtra Veri Imperatoris, de quibus Iulius Capitolinus. *Tanta luxuriæ fuiſſe dicitur, vt etiam poſteaquam de Syriâ rediit, popinam domi inſtitueret, ad quam poſt conuiuium Marci diuertebat, miniſtrantibus ſibi omni genere turpium perſonarum.* Eundémque ſubiungit. *In tabernis agnitum cùm ſe abſtruderet.* Quæ luſtra & in popinis acta conuiuia quanto crimini verterentur, liquet ex Hyperide apud Athenæum lib. 13. Ὑπερείδης τοὺς Ἀρεοπαγίτας φησὶν ἀριστήσαντά τινα ἐν καπηλείῳ κωλῦσαι ἀνιέναι εἰς Ἄρειον πάγον. *Hyperides Areopagitas refert neſcio cui, qui in tabernâ ientauerat, prohibuiſſe, ne ad Areopagum accederet.* Horatius ſat. 6. lib.1.

Si neque auaritiam,neque ſordeis ac mala luſtra
Obiiciet quiſquam verè mihi.-

II. VITIVM VENTRIS ET GVTTVRIS NON MODÒ ÆTAS MINVIT, SED ETIAM AVGET.] Huc alluſit Antipater apud Plutarchũ in apophthegmatis. Δημάδου δὲ τοῦ ῥήτορος ἤδη πρεσβύτου γεγονότος, ἔφη, καθάπερ ἱερεῖου διαπεπραγμένου καταλείπεσθαι μόνην τὴν γαστέρα, καὶ τὴν γλῶτταν. *Cùm Demades orator iam conſenuiſſet, ex eo tanquam è victimâ confectâ nihil præter linguam & ventrem ſupereſſe dicebat.* Adeò enim proprium ſenectutis vitium ebrietas, vt eam ſenibus Plato conceſſerit. 2. de legibus. ſed locum præſtat integrum exhibere. Ἆρ' οὐ νομοθετήσομεν πρῶτον μὲν τοὺς παῖδας μέχρις ἐτῶν ὀκτωκαίδεκα τὸ παράπαν οἴνου μὴ γεύεσθαι, διδάσκοντες ὡς οὐ χρὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ ὀχετεύειν εἰς τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν, πρὶν ἐπὶ τοὺς πόνους ἐγχειρεῖν πορεύεσθαι. Vinum & ebrietas ſenum. τὴν ἐμμανῆ εὐλαβουμένους ἕξιν τῶν νέων. μετὰ δὲ τοῦτο οἴνου μὲν δὴ γεύεσθαι τοῦ μετρίου μέχρι τριάκοντα ἐτῶν, μέθης δὲ καὶ πολυοινίας τὸ παράπαν τὸν νέον ἀπέχεσθαι. τετταράκοντα δ' ἐπιβαίνοντα ἐτῶν, ἐν τοῖς ξυσσιτίοις εὐωχηθέντα καλεῖν τούς τ' ἄλλους θεοὺς, καὶ δὴ καὶ Διόνυσον παρακαλεῖν εἰς τὴν τῶν πρεσβυτῶν τελετὴν ἅμα καὶ παιδιὰν, ἣν τοῖς ἀνθρώποις ἐπίκουρον τῆς τοῦ γήρως αὐστηρότητος ἐδωρήσατο, τὸν οἶνον φάρμακον, ὥστε ἀνηβᾶν ἡμᾶς καὶ δυσθυμίας λήθῃ γίγνεσθαι, μαλακώτερον ἐκ σκληροτέρου τὸ τῆς ψυχῆς ἦθος, καθάπερ εἰς πῦρ σίδηρον ἐντεθέντα γιγνόμενον, καὶ οὕτω εὐπλαστότερον εἶναι. *Legem feremus vt puerorum nemo ante ætatis annum octauum & decimum vinum omnino deguſtet, docentes non oportere ignem igni in corpus atque animam ſuggerere, antequam viri effecti ſubire labores incipiant. furioſum namque habitum iuuentutis cauere oportet. Deinde vino moderatè vtantur vſque ad annum ætatis trigeſimum: ab ebrietate verò & vini repletione iuuenes omnino abſtineant. Sed cùm ad quadrageſimum peruenerint, tunc in conuiuiis liberiùs diſcumbentes, cùm alios Deos tum Dionyſium ad ſacra & ludos inuocent; qui hominibus vinum quaſi remedium aduerſus ſenectutis duritiam eſt largitus, vt reiuueneſcere videamur, & mœſtitiæ nos obliuio capiat, ipſaque affectio animi ſicuti ferrum in igne ex duritie in mollitiem deducta flexibilior fiat.* Plutarchus libro primo conuiualium quæſtionum habet problema ſeptimum in hanc ſententiam. Διὰ τί μᾶλλον ἀκράτῳ χαίρουσιν οἱ γέροντες; *Cur ſenes magis mero delectantur?* Vide ibidem rationes. ideoque non immeritò ab Homero, *qui nil molitur ineptè,* Neſtor vinolentus deſcribitur:

Νέστορα δ' οὐκ ἔλαθεν ἰαχὴ πίνοντά περ ἔμπης.

vertit Auſonius.

Concuſſit, quamuis potantem, Neſtora clamor.

Sed de hac Neſtoris vinolentiâ conſule Athenæum lib. 10. & libro vndecimo, vbi ex vndecimo Iliados Neſtoris poculum fusè deſcribitur. quo in genere prodigioſum eſt illud quod P. Boayſtuau ſiue Launæus lib. 1. Theatri ex Paulo Diacono in geſtis Longobardorum, de quatuor ſenibus refert, quorum natu minimus cùm octauum & quinquageſimum, ſecundus tertium & ſexageſimum,tertius ſeptimum & octogeſimum. Quartus nonageſimum ſecundum ætatis annum ageret, tot pro ætatis quiſque ratione cyathos exhauſerunt, vt ſinguli potionibus ſuæ ætatis annos æquauerint.

DIVTIVS MOLESTÆ ESSE NON SOLENT.] Notum eſt illud ex Platone primo de III. Repub. Καὶ δὴ καὶ Σοφοκλεῖ ποτε τῷ ποιητῇ παραγενόμην (loquitur Cephalus) ἐρωτωμένῳ ὑπό τινος, πῶς ἔφη, ὦ Σοφόκλεις, ἔχεις πρὸς τὰ ἀφροδίσια; ἔτι οἷός τ' εἶ γυναικὶ συγγίνεσθαι, καὶ ὃς, εὐφήμει, ἔφη, ὦ ἄνθρωπε. ἀσμενέστατα μέντοι αὐτὸ ἀπέφυγον, ὥσπερ λυττῶντά τινα καὶ ἄγριον δεσπότην ἀποφυγών. Hunc locum Cic. de ſenectute §. 47. elegantiùs quàm ego ſuis verbis explicabit. *Bene Sophocles cùm ex eo quidam iam confecta ætate quæreret, vteretúrne rebus venereis: Dij meliora, inquit. libenter verò iſtius tanquam à domino agreſti ac furioſo profugi.* Præclarum & illud in œconomico, cuius iam ante fecimus mẽtionem. Amores in ſenectute non ſunt adeò moleſti. Οὕτω χαλεπῶς ἄρχει τῶν ἀνθρώπων, ὧν ἂν ἐπικρατήσωσιν, ὥσθ' ἕως μὲν ἂν ὁρῶσιν ἡβῶντας αὐτοὺς καὶ δυναμένους ἐργάζεσθαι, ἀναγκάζουσι φέρειν ἃ ἂν αὐτοὶ ἐργάζωνται, καὶ τελεῖν εἰς τὰς αὐτῶν ἐπιθυμίας. ἐπειδὰν δ' αὐτοὺς ἀδυνάτους αἴσθωνται ὄντας ἐργάζεσθαι διὰ τὸ γῆρας, ἀπολείπουσι τούτους κακῶς γηράσκειν, ἄλλοις δ' αὖ πειρῶνται δούλοις χρῆσθαι. *Tam aſperè imperant hominibus quos poteſtati ſuæ ſubiecerint, vt quamdiù vident eos ætate florentes & valentes operari, eos conferre cogant, quæ operando lucrati fuerint,& in ſuas cupiditates erogare. Poſtquam verò eos ſenectute confectos, nec valentes operari cognouerint,relinquunt eos malè ſeneſcere, aliiſque ſeruis vti conantur.* Seneca epiſtola 12. de ſenectute ſic loquitur. *Complectamur illam & amemus, plena eſt voluptatis, ſi illa ſcias vti. gratiſſima ſunt poma, cùm*

fugiunt. Pueritiæ maximus in exitu decor eſt. deditos vino potatio extrema delectat: illa quæ mergit, quæ ebrietati ſummam manum imponit. Quod in ſe iucundiſſimum hominis voluptas habet, in finem ſui differt. iucundiſſima eſt ætas deuexa iam, non tamen præceps: & illam quoque in extrema regula ſtantem, iudico habere ſuas voluptates: aut hoc ipſum ſuccedit in locum voluptatum, nullis egere. quàm dulce eſt cupiditates fugaſſe ac reliquiſſe? Et verò quòd amores & huiuſmodi cupiditates ipſo tempore conſeneſcant, diſtichon illud Cratetis oſtendit apud Laërtium.

Ἔρωτα παύει λιμός, εἰ δὲ μή, χρόνος.
Ἐὰν δὲ τούτοις μὴ δύνῃ χρῆσθαι, βρόχος.
Fames amorem finit, aut ſaltem dies.
Si refugis iſta, reſtis huic finem dabit.

Vnde & illud præclarum de ſenectute apud Senecam. *Ago gratias ſenectuti, quòd me lectulo affixit. Quid ni gratias illi hoc nomine agam? Quicquid debebam nolle, non poſſum.* Quia nimirum, vt ait Piſtoclerus ille Plautinus in Bacchidibus, ſc.
Iamdudum Piſtoclere.
Non omnis ætas, Lyde, ludo conuenit.

Tibull. eleg. 1.
Iam ſubrepet iners ætas, nec amare licebit.

Occvpatvm.] Non ſolum Diogenes, vt eſt apud Laërtium, vocabat *amorem occupationem otioſorum*, τὸν ἔρωτα σχολαζόντων ἀσχολίαν, ſed etiã amor quem ſemel occuparit, à cæteris occupationibus & præſertim ſtudiis litterarum auertit. Lucianus in Philopſeude de Glauciâ quodam. Καὶ εἴ γε μὴ ὁ ἔρως ἐκεῖνος ἀπησχόλησεν αὐτὸν, ἅπαντα ἂν ἤδη τὰ τοῦ περιπάτου ἠπίστατο. *Et niſi is amor illum occupaſſet, iam omnem peripateticorum philoſophiam animo penitùs imbibiſſet.* Terentius Andria, actu 5. ſc. 3. Amoris occupatio.
In alio occupato amore, abhorrenti ab re vxoriâ.

AXIOMATA.

Vitium ventris & gutturis non modò non minuit ætas hominibus, ſed etiam auget.

Amores & delitiæ firmiore animo præditis diutiùs moleſtæ eſſe non ſolent.

Amores maturè & celeriter defloreſcunt,

ARGVMENTVM.

Oſtendit Marcum Cœlium nunquam fuiſſe amoribus & adoleſcentiæ delitiis occupatum, ex eo quòd non poſſit tanta eloquentia, quanta in Cœlio elucebat, cum his amorum & delitiarum ſtudiis conſiſtere.

XLV. Avdistis, cùm pro ſe diceret: audiſtis antea, cùm accuſaret: defendendi hæc cauſsâ, non gloriandi loquor. genus orationis, facultatem, copiam ſententiarum, atque verborum, quæ veſtra prudentia eſt, perſpexiſtis. Atque in eo non ſolùm ingenium elucere eius videbatis: quòd ſæpe, etiamſi induſtriâ non alitur, valet tamen ipſum ſuis viribus: ſed inerat (niſi me propter beneuolentiam fortè fallebat) oratio & bonis artibus inſtituta, & curâ, & vigiliis elaborata. Atque ſcitote, Iudices, eas cupiditates quæ obiiciuntur Cœlio, atque hæc ſtudia, de quibus diſputo, non facilè in eodem homine eſſe poſſe. fieri enim non poteſt, vt animus libidini deditus, amore, deſiderio, cupiditate, ſæpe nimia copia, inopia etiam nonnumquam impeditus, hoc quidquid eſt, quòd nos facimus in dicendo, non modò agendo, verùm etiam cogitando poſſit ſuſtinere.

EXPLANATIO.

Avdistis.] Argumentum hoc ſyllogiſmo continetur.
Qui impeditus eſt amoribus, non poteſt ad eloquentiam peruenire.
Sed Marcus Cœlius ad ſummam eloquentiam peruenit.
Ergo non fuit delitiis & amoribus impeditus.
Propoſitio eiúſque probatio iis verbis, *atqui ſcitote, Iudices,* ad finem ſequentis §. aſſumptio illis, *atque in eo,* &c. *vigiliis elaborata,* complexio his præcedentibus in ſuperiori §. *Amores autem & hæ delitiæ,* &c. *occupatum impeditúmque tenuerunt,* continetur. Argumentum autem à repugnantibus deſumitur, delitiæ enim & eloquentia ſibi repugnant.

Avdistis cvm pro se diceret.] Cùm ſe ipſum ab Atratino, Herennio, & aliis accuſatum de vi defenderet.

Cvm accvsaret.] Polam de ambitu. de eo enim potiùs quàm de C. Antonio debet intelligi, cùm iidem Iudices vtramque Cœlij orationem dicantur audiiſſe.

Defendendi cavsa, non gloriandi loqvor.] Hæc eo conſilio dico, vt eum oſtendam non fuiſſe deliciis & amoribus impeditum, non autem vt ipſe glorier quòd tam diſertus adoleſcens è meâ diſciplinâ & inſtitutione prodierit.

Genvs orationis.] Ipſum orationis characterem genúſque dicendi, quod ſubtili, temperata, grandi eloquendi figurâ continetur.

Facvltatem.] Ipſam vim oratoris, quanto ingenio res & argumenta inuenerit, quãtâ prudentiâ verba ad elocutionem accommodata ſelegerit.

Atqve in eo.] Occupat obiectionem. ſic enim quiſpiam obiicere potuiſſet. *Potuit Cœlius ſolis naturæ ſuæ viribus & ingenio peruenire*

ergo ex eo quod ſit eloquens non oſtenditur eum non fuiſſe amoribus & deliciis occupatum.

SED INERAT.] Reſpondet obiectioni. Ineſt Cœlio non ſolùm eloquentia naturalis, ſed etiam labore & ſtudio comparata.

NISI ME PROPTER BENEVOLENTIAM FORTE FALLEBAT.] Niſi mea in illum beneuolentia ſic meum iudicium corruperat, vt maiorem in eo eloquentiam, quàm reuera eſſet, eſſe arbitrarer.

BONIS ARTIBVS INSTITVTA.] Erudita, & quæ Cœlium facilè oſtenderet, in liberalibus ſtudiis & omni doctrinæ genere plurimum laboris & operæ poſuiſſe.

EAS CVPIDITATES.] Luxuriem, luſtra, libidines, impudicitiam, cum his eloquentiæ ſtudiis, non facilè in eodem homine reperiri cùm à ſe maximè diſſentiant.

FIERI ENIM NON POTEST.] Probatur propoſitio ſyllogiſmi.

NOTÆ.

I. AVDISTIS.] De eloquentia Cœliana ſic ſcribit auctor dialogi de oratoribus apud Tacitum. *Quid ex Cœlianis orationibus? nempe hæ placent, ſiue in vniuerſa parte factum, in quibus nitorem & altitudinem horum temporum agnoſcimus. Sordes autem verborum & hians compoſitio, & inconditi ſenſus redolent antiquitatem. nec quemquam adeò antiquarium puto, vt Cœlium ex ea parte laudet quà antiquus eſt.* Et poſteà: *Cicero quidem cæteros eorumdem temporum diſertos antecesſit: Caluus autem & Aſinius & Cæſar, & Cœlius & Brutus ſuo iure & prioribus & ſequentibus anteponuntur. nec refert quod inter ſe ſpecie differant, cùm genere conſentiant. at ſtrictior Caluus, numeroſior Aſinius, ſplendidior Cæſar, amarior Cœlius, grauior Brutus, vehementior, & plenior, & valentior Cicero: omnes tamen eandem ſanitatem eloquentiæ ferunt.* Tullius in Bruto §. 272. *Eius actionem, multum tamen & ſplendida & grandis, & eadem imprimis faceta & perurbana commendabat oratio. Graues eius conciones aliquot fuerunt, acres accuſationes tres,* &c. Fabius lib. 10. inſtitut. orat. cap. 1. *Multum ingenij in Cœlio, & præcipuè in accuſando multa vrbanitas, dignúſque vir, cui & mens melior, & vita longior contigiſſet.* Et cap. 2. *Quid enim nocet vim Cæſaris, aſperitatem Cœlij, diligentiam Pollionis, iudicium Calui, quibuſdam in locis aſſumere?* Porrò defenſionis Cœlianæ, cuius hîc meminit Tullius fragmentum habes apud eundem Fabium libro 11. cap. 1. *Ne cui veſtram atque etiam omnium qui ad rem agendam, adſunt, mens aut vultus moleſtior, aut vox immoderatior aliqua, aut denique, quòd nimium eſt, iactantior geſtus fuiſſe videatur.*

Eloquentia Cœlij.

II. INDVSTRIA NON ALITVR.] Exercitatio enim & bonæ artes ſunt animi alimenta. Auctor dialogi de oratoribus. *Euiuſmodi etiam diſputationes adiungitis, quæ & ingenium alunt & eruditionem.* Ariſtides in exordio Panathenaicæ. Τροφὴ ὡς ἀληθῶς καθαρὰ καὶ ἰδία τρέφοντος ἀνθρώπου ἡ ἐν μαθήμασι καὶ λόγοις. *Alimentum verè purum & proprium hominis, ſunt artes & litteræ.* Themiſtius oratione ſecunda: ἐξ ὧν δὲ τρέφεται ψυχὴ καὶ ἀμείνων γίνεται ἑαυτῆς, οὔτ' εἰδότας λέγειν, οὔτε πειρωμένους. *Ea verò quibus alitur animus, ac ſeipſo melior efficitur, eloqui neque ſcientes, neque conantes.* Et oratione 6. Arcadium à Theodoſio patre ſibi commiſſum ſic alloquitur. Δεῦρ' ἴθι οὖν, ὦ φίλε παῖ, ἐπὶ τῶν ἐμῶν καθίζου γονάτων, ὅπως ἄν σ' ἐκείνων γεύσαιμι τῶν παιδευμάτων, οὐχ ὥσπερ ὁ Φοῖνιξ τὸν Ἀχιλλέα, σιτία καὶ ὄψα ἐπάγων, ἀλλὰ τροφεῖα παρέχων ἃ μόνα σκευάζει φιλοσοφία τοῖς νέοις βασιλεῦσιν, καὶ εἴσω τῆς αὐτοκράτορος ἡλικίας, λόγοις ἐγκάρποις, καὶ ὑψηλοῖς, καὶ ὠφελίμοις καὶ παλαιῶν κλέα αὐτοκρατόρων· οἷς Κῦρος ὁ μέγας ἐτράφη. καὶ Νουμᾶς ὁ κλεινὸς, καὶ Τίτος ὁ Ῥωμαῖος, οὗ τὸ λαμπρὸν καὶ μέγα ἐκεῖνο ῥῆμα. ὅτι σήμερον οὐκ ἐβασίλευσα. οὐδένα γὰρ εὐηργέτησα. *Adeſdum itaque, chariſſime fili, genibúſque meis inſide, vti ipſe te diſciplinis informem atque inſtituam, non quemadmodum Achillem Phœnix, cibum atque obſonium ingerens, ſed ea alimenta, quæ pueris principibus, infráque eam ætatem, quæ ſui arbitrij ſit, philoſophia ſola præparat, fructuoſas, inquam, illas diſciplinas, ac ſublimes, & vtilitatis plenas, veterum Imperatorum decora atque ornamenta: quibus magnus olim Cyrus educatus eſt, & Romanus Numa, & præclarus ille Titus cuius magna illa atque inſignis vox extat. Hodie non imperaui, nihil enim boni cuiquam feci.* Tertullianus de animâ. *Bene autem quod & artes Stoici corporales affirmant: adeò ſic quoque anima corporalis, ſi & artibus ali creditur.*

Bonæ artes cibus animæ.

SVIS VIRIBVS.] Non omittam poſtremò Fabium lib. 12. c. 10. eloquentiam Cœlij ad indolem potiùs quàm ad ſtudium & induſtriam retuliſſe. *Hinc vim Cæſaris, indolem Cœlij, ſubtilitatem Callidij, grauitatem Bruti, acumen Sulpitij, acerbitatem Caſſij, diligentiam Pollionis, dignitatem Meſſalæ, ſanctitatem Calui reperiemus.* Et lib. 10. cap. 1. *Multum ingenij in Cœlio,* &c. III.

Ingenium Cœlij.

NISI ME PROPTER BENEVOLENTIAM FORTE FALLEBAT.] Plinius Iunior lib. 4. epiſt. 27. *Aliquot annis puto nihil generis eiuſdem abſolutius ſcriptum, niſi fortè me fallit aut amor eius, aut quòd meipſum laudibus euexit.* Seneca epiſtolâ 45. *Cæterùm quod libros meos tibi mitti deſideras, non magis ideò me diſertum puto, quàm formoſum putarem ſi imaginem meam peteres. indulgentiæ ſcio iſtud eſſe non iudicij; & ſi modo iudicij eſt, indulgentia tibi impoſuit.* In hanc ſententiam eſt illud Syneſij epiſt. 1. Τὰς πιθήκους φασὶν ἐπειδὰν τέκωσιν, ὥσπερ ἀγάλμασιν ἐνατενίζειν τοῖς βρέφεσιν ἀγαμένας τοῦ κάλλους. οὕτως ἐστὶν ἡ φύσις φιλότεκνον. τὰ δ' ἀλλήλων ὁρῶσιν ἅπερ ἐστὶ, πιθήκων παιδία. ἑτέροις οὖν ἐπιτρεπτέον ἐξετάζειν τὰ ἔκγονα. αἱ γὰρ εὔνοιαι δειναὶ δεκάσαι τὰς ψήφους. διὰ τοῦτο Λύσιππος Ἀπελλῆν εἰς τὰς γραφὰς ἐπῆγε, καὶ Λύσιππον Ἀπελλῆς. *Simias ferunt poſtquam pepererint, pulchritudinis admiratione defixas, oculos tanquam in ſtatuas ſic in fœtum defigere. Sic natura fœtum adamat. aliarum verò fœtus, quales reuera ſunt agnoſcunt, partus videlicet ſimiarum. aliis itaque iudicium de noſtris operibus, animique fœtibus iudicium debemus cenſurámque permittere. ideóque Lyſippus Apellem ad ſuas tabulas, ad ſuas viciſſim Apelles diiudicandas Lyſippum admittebat.* Hic bene notat Petauius lapſum eſſe memoriæ, nam loco Lyſippi ſcribēdum erat Protogenes, vel ſic fortaſſe legendum. Λύσιππος Ἀπελλῆν εἰς τὰ ἀγάλματα ἐπῆγε καὶ Λύσιππον Ἀπελλῆς εἰς τὰς γραφάς. Nec ſanè mirum, nam vt ait ille, IV.

Beneuolentia fallit iudiciū.

--malè verum examinat omnis
Corruptus iudex.-

Et animus beneuolentiâ corruptus facilè næuos ipſos laudauerit. Plutarchus de amico & adulatore. Πλάτων φησὶ τὸν ἐραστὴν κόλακα τῶν ἐρωμένων

ὄντα, τὸν μὲν σιμὸν καλεῖν ἐπίχαριν, τὸν δὲ γρυπὸν βασιλικὸν, μέλανας δὲ ἀνδρικοὺς, &c. *Amator, vt ait Plato, cùm amaſiorum ſit adulator, ſimum venuſtum appellat, aquilinum, regium; nigros, fortes & generoſos.* Hæc ex libro 5. de Repub. Poſt quem Lucretius lib. 4. exeunte. Quòd ſi in cæteris rebus beneuolentia iudicium obnubilat, id vel maximè de eloquentiâ dicendum eſt. Nam, vt ait Demoſthenes in Epitaphio. ἡ τῶν λόγων πειθὼ τῆς τῶν ἀκουόντων εὐνοίας προσδεῖται. *Orationis ſuada indiget beneuolentia auditorum.* Vide Sextianam 121. *amico animo.* Symmachus lib. 1. epiſt. 78. *Niſi fortè amator mei ſtylum tuum coëgit in gratiam. fit enim ſæpe vt Iudicis ſeueritatem frangat affectio, & amicorum facta dictáque eâ indulgentiâ cenſeamus, qua plerumque ſinguli etiam vitia noſtra diligimus.* Item: *Mihi in alterutrâ conditione ſummus eſt honor. ſiue enim magnificè de me iudicas. vt gratificatus eſſe videaris: ſiue ita es diligens, niſi vt ſecus iudicare non poſſis.* Sidonius Apollinaris lib. 8. epiſt. 6. à Nicetio propter eloquētiam laudatus. *Equidem*, inquit, *in quantum fieri præter iactantiam poteſt, gaudeo de præſtantiſſimi viri auctoritate, ſi certus eſt: amore, ſi fallitur.* Item: *Vereor ſententiam ſupra quam veritas habet, affectu ponderatiore prolatam.* Et eiuſdem libri epiſt. vltimâ. *Dictio mea (quod mihi ſufficit) placet amicis. In quibus tamen vtrumque complector, ſiue non falluntur examine, ſiue charitate falluntur.* Et epiſt. 13. lib. 9. ad Tonantium qui ipſius carmina laudauerat. *Crederem tibi, ſi non, vt multùm ſapis, ita quoque multùm me amares: hinc eſt quòd de laudibus meis charitas tua mentiri poteſt, non poteſt fallere.*

V. LIBIDINI DEDITVS.] Fieri enim non poteſt vt animus libidini deditus, quicquam non dicam eloquentiæ, quam bonarum artium reginā eſſe conſtat, ſed ne alterius quidem ſcientiæ conſequatur. Ariſtoteles Ethic. Nicomach. lib. 7. cap. 9. Ἐμπόδιον τῷ φρονεῖν αἱ ἡδοναί. καὶ ὅσῳ μᾶλλον χαίρει, μᾶλλον. οἷον τῇ τῶν ἀφροδισίων, οὐδένα γὰρ ἂν δύνασθαί τι νοῆσαί τι ἐν αὐτῇ. *Omnes voluptates impedimento ſunt prudentiæ, & quo ſunt maiores, eo magis officiunt, vt patet in venereis, in quibus homines ſapere nihil poſſunt aut cogitare.* Dixerat iam lib. 3. cap. 12. Κἂν μεγάλαι καὶ σφοδραὶ ὦσι, καὶ τὸν λόγον ἐκκρούουσι. *Si magnæ fuerint & vehementes, rationem eliminant.* Pulchrè Socrates in Philebo ſub finem, mentem & ſapientiam interrogat. Sed parco Græcis. *Vtrum præter illas veras voluptates vobis opus eſt vehementiſſimarum maximarúmque voluptatum commercio? fortè ſic illæ reſpondebunt. Minimè, ô Socrates; hæ namque impedimenta nobis innumerabilia præbent. Animas ſiquidem quas incolimus, voluptates furioſe perturbant, nec adoleſcere nos permittant, noſtráſque progenies, vt plurimùm per negligentiam obliuione illatâ omnino corrumpunt.* Vide plura in hanc ſententiam. Quid quod Auerroës ipſe 7. Phyſic. caſtitatem teſtatur, & alias virtutes quibus concupiſcentia carnis cohibetur præcipuè valere ad ſcientias comparandas? cuius rei Plato in Timæo videtur reddere rationem. Ἡδονὰς δὲ καὶ λύπας ὑπερβαλλούσας τῶν νόσων μεγίστας θετέον τῇ ψυχῇ. περιχαρὴς γὰρ ἄνθρωπος ὢν ἢ καὶ τἀναντία ὑπὸ λύπης πάσχων, σπεύδων τὸ μὲν ἑλεῖν ἀκαίρως, τὸ δὲ φυγεῖν, οὔτε ὁρᾶν, οὔτ᾽ ἀκούειν, ὀρθὸν οὐδὲν δύναται, λυττᾷ δὲ λογισμοῦ μετασχεῖν ἥκιστα τότε δὴ δυνατός. *Voluptates & dolores, ſi modum excedant, inter maximos animæ morbos debemus numerare. Homo enim nimiâ lætitiâ elatus, aut contra nimio*

Voluptates & libidines officiunt ingenio.

dolore depreſſus, feſtinans iucundum eligere præmaturè, & moleſtum fugere, neque videre, neque audire rectè quicquam poteſt, ſed inſanit, nec tunc poteſt vllo pacto audire rationem. Quare idem Plato 8. de legibus, longè pulcherrimè ad virtutes & ſcientias quærendas ſeruandam eſſe docet caſtitatem. Ἆρ᾽ οὖν οὐκ ἴσμεν τὸν Ταραντῖνον Ἴκκον ἀκοῇ διὰ τὸν Ὀλυμπίασί τ᾽ ἀγῶνα, καὶ τοὺς τ᾽ ἄλλους ὧν διὰ φιλονεικίαν καὶ τέχνην, καὶ τὸ μετὰ τοῦ σωφρονεῖν ἀνδρεῖον ἐν τῇ ψυχῇ κεκτημένος, ὡς λόγος, οὔτε τινὸς πώποτε γυναικὸς ἥψατο, οὔτ᾽ αὖ παιδὸς ἐν ὅλῃ τῇ τῆς ἀσκήσεως ἀκμῇ. καὶ δὴ καὶ Κρίσωνα, καὶ Ἄστυλον, καὶ Διόπομπον, καὶ ἄλλους παμπόλλους ὁ αὐτός που λόγος ἔχει. καί τοι τῶν γε ἐμῶν καὶ σῶν πολιτῶν, ὦ Κλεινία, πολὺ κάκιον ἦσαν πεπαιδευμένοι τὰς ψυχάς, τὰ δὲ σώματα πολὺ μᾶλλον σφριγῶντες. Τί οὖν; οἱ μὲν ἄρα νίκης ἕνεκα πάλης καὶ δρόμων, καὶ τῶν τοιούτων ἐτόλμησαν ἀπέχεσθαι λεγομένου πράγματος ὑπὸ πολλῶν εὐδαίμονος, οἱ δ᾽ ἡμέτεροι παῖδες ἀδυνατήσουσι καρτερεῖν πολὺ καλλίονος ἕνεκα νίκης, ἣν ἡμεῖς καλλίστην ἐκ παίδων πρὸς αὐτοὺς λέγοντες ἐν μύθοις τε καὶ ἐν ῥήμασι, καὶ ἐν μέλεσιν ᾄδοντες, ὡς εἰκὸς, κηλήσομεν; *Quid igitur? non Iccum Tarentinum auditu percepimus, qui ad obeundum Olympicum & alia certamina ſtudio victoriæ & artis affectu, temperantiâ ſuâ fortitudinem eſt conſecutus, neque, vt aiunt, toto tempore quo illa corporis exercitatione floruit, vllam mulierem aut puerum voluit attingere. atque eadem de Criſſone, Aryllo, Diopompo, aliſque multis fama vulgatur. Tamen longè deteriùs, quàm tui aut mei ciues, ô Clinia fuerunt animo inſtituti, & corpore magis ad libidinem pruriebant. Quid igitur? illi ſtudio victoriæ, luctæ, & curſus, & aliorum eiuſmodi, auſi ſunt ab eo abſtinere, quòd à multis beatum prædicatur, & noſtri liberi non poterunt ſe continere, propter longè excellentiorem victoriam, quàm nos pulcherrimam ipſis à pueritiâ dicentes, & in fabulis, in ſermonibus & verſibus canentes, vt par eſt, vocabimus.* Quare mirari cuipiam veniat in mentem cur antiqui Veneri mentem coniunxerint. Liuius decad. tertiæ, libro tertio. *Duumuiri creati ſunt, &c. ædibus dedicandis? Menti Otacilius, Fabius Veneri Erycinæ. vtraque in Capitolio eſt canali vno diſcretæ.*

Templum Mentis & Veneris.

VI. SÆPE NIMIA COPIA.] Tertullianus lib. de anima. *Opimitas ſapientiam impedit, exilitas expedit, paralyſis mentem prodigit, phtiſis ſeruat.* Et vt ait Horat. ſat. 2. lib. 2.

--quin corpus onuſtum
Heſternis vitiis animum quoque prægrauat vna,
Atque affigit humo diuinæ particulam auræ.

Quæ cauſa fuit cur Ægyptij ſuum illum Apim aquâ è Nilo hauſtâ non alerent, veriti ne hoc potu contractâ pinguedine obrueretur eius diuinitas. Plutarchus in Iſide & Oſiride. λέγονται δὲ καὶ τὸν Ἆπιν ἐκ φρέατος ἰδίου ποτίζειν. *dicuntur Api potum è peculiari quodam puteo exhibere.* Etenim vt ſubdit rationem. Πιαίνειν δοκεῖ καὶ μάλιστα πολυσαρκίαν ποιεῖν τὸ Νειλῷον ὕδωρ πινόμενον. οὐ βούλονται δὲ τὸν Ἆπιν οὕτως ἔχειν, οὐδ᾽ ἑαυτούς, ἀλλ᾽ εὐσταλῆ καὶ κοῦφα ταῖς ψυχαῖς περικεῖσθαι τὰ σώματα, καὶ μὴ πιέζειν, μηδὲ καταθλίβειν ἰσχύοντι τῷ θνητῷ καὶ βαρύνοντι τὸ θεῖον. *Pinguefacere eum videtur, & valdè carnem incraſſare aqua Nili. Nolunt autem aut Apim, aut ſeipſos eſſe præpingues. Sed leue & macilentum corpus habere animæ circumdatum, & eam non comprimere, & veluti atterere, eâ parte roboratâ quæ mortalis eſt, & id quod diuinum eſt prægrauante.* Et ideò fortaſſe quòd nimia ciborum copia mentem obnubilet impediátque rationem, cùm cæteris Diis

Nimia copia ſapientiam impedit.

merum libarent, Mercurio eloquentiæ Deo vinum aquâ dilutum offerebant. Interpres Ariſtophanis in Pluto. Τοῖς ἄλλοις θεοῖς δίδοται ἄκρατος σπονδὴ, τῷ δ' Ἑρμῇ κεκραμμένη. *Aliis Diis merum libatur, mixtum Mercurio.* Clearchus apud Athenæum libro 4. dipnoſ. Οὐ γὰρ ἐπίσασθε, ὦ ταλαίπωροι, ὅτι αἱ βαρεῖαι αὗται τροφαὶ φράττουσι τὸ ἡγεμονικὸν, καὶ οὐκ ἐῶσι τὴν φρόνησιν ἐν αὐτῇ εἶναι; *Non enim ſcitis ô miſeri, quòd iſtæ graues eſcæ, obſtruunt principalem animi portionem, nec in eâ prudentiam eſſe patiuntur.* Hæc Clearchus. Θεόπομπος οὖν ἐν πέμπτῳ φιλιππικῶν φησί· τὸ γὰρ ἐσθίειν πολλὰ καὶ κρέα φαγεῖν τοὺς μὲν λογισμοὺς ἐξαιρεῖ, καὶ τὰς ψυχὰς ποιεῖται βραδυτέρας· ὀργῆς δὲ καὶ πολλῆς σκαιότητος ἐμπίμπλησι. *Theopompus 5. Philippicorum ait, multum edere & carnibus veſci aufert rationem, animas reddit tardiores, eáſque iracundia & moroſitate quadã exaſperat.* Galenus Protreptico de Athletis. Σαρκῶν γὰρ ἀεὶ καὶ αἵματος ἀθροίζοντες πλῆθος, ὡς ἐν βορβόρῳ πολλῷ τὴν ψυχὴν ἑαυτῶν ἔχουσι κατεσβεσμένην, οὐδὲν ἀκριβὲς νοῆσαι δυναμένην, ἀλλ' ἄνοαι ὁμοίως τοῖς ἀλόγοις ζώοις. *Carnis enim & ſanguinis vim cumulantes, tanquam in multo luto animam habent extinctam, nihil ad liquidum valentem cognoſcere, ſed inſtar animalium rationis expertem.* Hieronymus ad Nepotianum de vitâ Clericorum. *Pulchrè dicitur apud Græcos, & neſcio an apud nos æquè reſonet.*

Pinguis venter non gignit mentem tenuem.

Græcus eſt ſenarius.

Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον.

habent & aliud adagium. Αὔη ψυχὴ σοφωτάτη. *mens ſobria ſapientiſſima.* De quo Adrianus Iunius Cẽturiâ tertiâ adagio primo, non imperitè. Poteſt & aliud per *nimiam copiam* intelligi, diuitiarum ſcilicet abundantiâ, nimiáque fœlicitas quæ mortalium animos ſtupidos reddit, & ad artes bonas imparatos. Iuuenalis:

Rarus enim ferme ſenſus communis in illâ
Fortunâ. Perſius:
Sed ſtupet hic vitio & fibris increuit opimum
Pingue.

Architas Tarentinus lib. περὶ ἀγαθοῦ ἀνδρὸς καὶ εὐδαίμονος. αἱ δ' ὑπερβολαὶ τᾶς εὐτυχίας τοῖς ἀγαθοῖς οὐ κρατεῖσθαι πέφυκεν ὑπὸ τᾶς ψυχᾶς, ἀλλὰ κρατὴν αὐτᾶς. ὥσπερ γὰρ τὸ λαμπρὸν φάος μαρμαρυγίαν παρατίθησι τοῖς ὀφθαλμοῖς, οὕτω καὶ ἁ ὑπερβάλλουσα εὐτυχία τῷ νόῳ τᾶς ψυχᾶς. *Exceſſus verò proſperitatis & rerum ſecundarum non poteſt animo contineri, ſed eam ſolet ſuperare. vt enim nimium lumen præſtringit oculos intuentis, ſic & nimia fœlicitas hebetat aciem mentis.*

VII. INOPIA.] Non copiam ſolùm, verùm etiam inopiam ſtudiis officere, eloquentiæ præſertim, alij quoque tradiderunt: quanqum cæteroquin, vt ait Theocritus:

Paupertas artium mater.

Ἁ πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει.
Paupertas, Diophante, artes vna excitat omnes.

Cuius rei duæ poſſunt adferri cauſſæ. Altera quòd inopes haud facilè poſſint ſtudiis liberalibus erudiri: vnde illud Alciati emblema, quo docet *Paupertatem ſummis ingeniis obeſſe, ne prouehantur.* Depicta eſt mediis in nubibus Sapientia, ad quam puer conatur adſcendere: ſed

Dextra tenet lapidẽ, manus altera ſuſtinet alas,
Vt me pluma leuat, ſic graue mergit onus.
Ingenio poteram ſuperas volitare per arces,
Me niſi paupertas inuida deprimeret.

Vide Claudium Minoem in commentariis, & Creſſolium noſtrum in theatro Rhetorum de mercede quam diſcipuli Rhetoribus & Sophiſtis penſitabant. Feſtiuum illud quod refert Plutarchus in vita Iſocratis. Δημοσθένει ἔτι ῥητορεύοντί φασι μετὰ σπουδῆς προσελθεῖν αὐτῷ, καὶ χιλίας μὲν ἃς μόνας εἰσεπράττετο οὐκ ἔχειν φάναι παρασχεῖν, διακοσίας δὲ δώσειν, ἐφ' ᾧ τὸ πέμπτον μέρος ἐκμάθῃ. τὸν δ' ἀποκρίνασθαι, ὡς οὐ τεμαχίζομεν, ὦ Δημόσθενες, τὴν πραγματείαν. ὥσπερ δὲ τοὺς καλοὺς ἰχθῦς ὅλους πωλοῦμεν, οὕτω κἀγώ σοι, εἰ βούλοιο μαθητεύειν ὁλόκληρον ἀποδώσομαι τὴν τέχνην. *Demoſthenes, vt aiunt, ad eum adhuc Rhetoricæ præcepta tradentem magno ſtudio acceſſit, & mille quidem drachmas quas ille ſolus exigebat ſe non habere confeſſus eſt, ſed ducentas ſe præbiturum vt quintam artis partem addiſceret. Cui ille artem, inquit, non in fruſta partimur, ô Demoſthenes, ſed vt pulchros piſces integros vendimus, ſic & ego tibi, ſi velis diſcere, vendam artem ſuis omnibus partibus abſolutam.* Vſque adeò rei familiaris inopia pene ipſum eloquentiæ Græcæ antiſtitem ab eloquentiæ ſtudiis auertit. At non eadem penuria Proæreſium & Hephæſtionẽ impediuit. de quibus Eunapius in Proæreſio. Ἡφαιστίων δ' αὐτῷ συνείπετο, &c. parco Græcis. *Sequebatur eum Hephæſtion. Hi ſe inuicem plurimùm diligebant, & inter ſe de paupertatis & eloquentiæ principatu certabant. vna erat veſtis ambobus, vnum palliolum: prætereà nihil. ſtragulæ veſtes tres vel quatuor, quæ præ vetuſtate propriam cum craſſitie tincturam abiecerant.* Ita verto, nam Hadrianus Iunius minùs videtur rem percepiſſe, dum iſta verba, καὶ στρώματα τρία που ἢ τέτταρα. τὴν οἰκόθεν βαφὴν μετὰ τῆς παχύτητος διὰ χρόνον ἀπαγορεύοντα, hæc, inquam, verba ita vertit: *Quæ domeſticâ tincturâ craſſitiem facilè teſtabantur præ vetuſtate.* Pergit Eunapius paucis interiectis. *Proæreſio ſiquidem in publicum prodeunte Hephæſtion latebat ſtragulis inuolutus, ſeipſum declamationibus exercens. Eadem Hephæſtione procedente Proæreſius faciebat. Tantâ penuriâ laborabant.* Quæ tamen paupertas non obſtitit, quò minùs Romani eius magnitudini ſtatuam æream excitarent cum hac inſcriptione, ἡ βασιλεύουσα Ῥώμη τὸν βασιλεύοντα λόγων. *Regina Roma eloquentiæ Regem.* vt diximus §. 18. Verùm de mercede Rhetorum, annuente Deo, plura dicemus in Philippicam 2. Altera cauſſa cur inopia eloquentiæ ſtudiis impedimento ſit, affertur ab Ennio.

Inopia efficit eloquentiæ.

Merces Rhetorum.

Proæreſij inopia, & eloquentia.

Nam cum opulenti loquuntur pariter atque ignobiles,
Eadem dicta, eadémque oratio æqua non æquè valet. Theognis:

Πᾶς γὰρ ἀνὴρ πενίῃ δεδμημένος, οὔτε τι εἰπεῖν
Οὔτ' ἔρξαι δύναται, γλῶσσα δέ οἱ δέδεται.
Omnis enim domitus vir paupertate tacebit.
Nec faciet quicquam, lingua ligata manet.

Item:

Γνώτη τοι πενίη καὶ ἀλλοτρίη περ ἐοῦσα
Οὔτε γὰρ εἰς ἀγορὴν ἔρχεται, οὔτε δίκην.
Πάντῃ γὰρ τοὔλασσον ἔχει, &c.
Pauperiem facilè eſt alienam agnoſcere: namque
Iudicia euitat, nec petit illa forum.
Inferior quocunque loco.

Hoc ipſum eſt quòd multis ſat. queritur Iuuenalis, vt ſat. 3. fusè. ſat. 5.

— plurima ſunt, quæ
Non audent homines pertusâ dicere lænâ.

Sed præcipuè ſat. 7. è quâ operæpretium eſſet, & v. 104. ad 150. omnia exſcribere. ſed illud ſatis eſto.

-rara in tenui facundia panno.
Quando licet Baſilo flentem producere matrem?
Quis bene dicentem Baſilum ferat?

Hinc lepidum illud Luciani præceptum, poſtquam imperitiam, audaciam, impudentiam futuro Oratori ironicè commendauit. Ἡ ἐσθὴς δ᾽ ἔσω ὀυανθὴς καὶ λευκή, ἔργον τῆς Ταραντίνης ἐργασίας, ὡς διαφαίνεσθαι τὸ σῶμα, καὶ ἡ κρηπὶς Ἀττική, καὶ γυναικεία καὶ πολυσχιδὴς ἢ ἐμβὰς Σικυωνία, πίλοις τοῖς λευκοῖς ἐπιπρέπουσα, καὶ ἀκόλουθοι πολλοί, καὶ βιβλίον ἀεί. *Veſtis ſit florida & candida, opere Tarentino contexta, vt corpus perluceat, crepida Attica, muliebria & multifariam ſciſſa in pedibus Sicyonia rideant, pilis candidis decora, multi aſſeclæ, volumen in manu.*

AXIOMATA.

Ingenium ſæpe, etiamſi induſtriâ non alitur, valet tamen ipſum ſuis viribus.

Frequenter in iudicando propter beneuolentiam fallimur.

Cupiditates & bonarum artium ſtudia non facilè in eodem homine eſſe poſſunt.

Fieri non poteſt vt animus libidini deditus, amore, deſiderio, cupiditate, ſæpe nimiâ copiâ, inopia etiam nonnunquam impeditus, eloquentiæ nomen poſſit ſuſtinere.

ARGVMENTVM.

Oſtendit, quod ſuperiùs probandum aſſumpſerat, neminem videlicet ſine maximis laboribus ad eloquentiam peruenire: idque à poſteriore demonſtrat, quòd ſcilicet tam pauci reperiantur, qui præmiis eloquentiæ propoſitis ad eius ſtudium allecti, in hoc dicendi labore verſentur. ſubiungítque per enumerationem labores in eo ſtudio ſubeundos.

XLVI. AN vos aliam cauſſam eſſe vllam putatis, cur in tantis præmiis eloquentiæ, tanta voluptate dicendi, tanta laude, tanta gloria, tantò honore, tam ſint pauci, ſempérque fuerint, qui in hoc labore verſentur? Obterendæ ſunt omnes voluptates: relinquenda ſtudia delectationis: ludus, iocus, conuiuium, ſermo eſt pæne familiarium deſerendus, quæ res in hoc genere homines à labore ſtudióque dicendi deterret, non quo aut ingenia deficiant, aut doctrina puerilis.

EXPLANATIO.

AN VOS.] Poteſt tota res ad hunc ſyllogiſmum reuocari.

Si voluptates & eloquentiæ ſtudia poſſent in eodem homine reperiri, plures eloquentiam ſectarētur.

Sed pauciſſimi eloquentiam ſectantur.

Ergo voluptates & eloquentiæ ſtudia non poſſunt in eodem homine reperiri.

Probat deinde propoſitionem in hanc ſententiā.

Omnes laudem, gloriam, vtilitatem ſectarentur, ſi iſta poſſent cum corporis voluptate conſiſtere.

Sed in eloquentia laus, gloria, vtilitas maxima continetur.

Ergo omnes eam ſectarentur, ſi poſſet cum deliciis & corporis voluptate conſiſtere.

IN TANTIS PRÆMIIS ELOQVENTIÆ.] Cùm tanta præmia, cùm tot vtilitates ex eloquentiæ ſtudiis colligantur.

TANTA VOLVPTATE DICENDI.] Cùm tanta animi delectatio ex illis ſtudiis capiatur.

TANTA LAVDE.] Qua eloquentes etiam ab exteris nationibus celebrantur.

TANTA GRATIA.] Quâ oratores apud populum ſunt ita gratioſi, vt quoduis beneficium poſſint eius ſuffragiis obtinere.

TANTO HONORE.] Qui externo corporis geſtu oratori ab obuiis exhibetur.

TAM SINT PAVCI.] Vt vix ſingulis ſeculis vnum tolerabilem oratorem poſſimus inuenire.

OMITTENDÆ SVNT.] Ab enumeratione oſtendit eloquentiæ & voluptatibus inter ſe non conuenire. eámque ſolam eſſe dicit rationem quæ homines à ſtudio dicendi deterreat.

NON QVO AVT INGENIA DEFICIANT, AVT DOCTRINA PVERILIS.] Breuiter occurrit obiectioni per inficiationem, negátque huius paucitatis cauſam, aut ad ingeniorum tarditatem, aut ad defectum doctrinæ puerilis & grammaticæ, ſed ad vnum huius ſtudij laborem eſſe referendam.

NOTÆ.

IN TANTIS PRÆMIIS ELOQVENTIÆ.] De præmiis & vtilitatibus quas Orator ex eloquentiæ ſtudio decerpit, placet hic ex dialogo ſiue Fabij, ſiue Taciti de Oratoribus exſcribere. 1. *Nam ſi ad vtilitatem vitæ omnia conſilia & facta noſtra dirigenda ſunt; quid erit tutius quàm eam exercere artem, qua ſemper armatus præſidium amicis, opem alienis, ſalutem periclitantibus, inuidis verò & inimicis metum & terrorem vltro feras, ipſe ſecurus, & velut quadam perpetuâ potentiâ ac poteſtate munitus? cuius vis & vtilitas rebus prope fluentibus, aliorum præſidio & tutelâ intelligitur. Sin proprium periculum increpuit, non hercule lorica aut gladius in acie firmius munimentum, quàm reo ac periclitanti eloquentia præſidium ſimul & telum, quo propugnare pariter & inceſſere, vel in iudicio, ſiue in ſenatu, ſiue apud Principem poſſis.* Cic. 1. De oratore, §. 16. *Quis enim aliud in maximâ diſcentium multitudine, ſummâ magiſtrorum copiâ, præſtantiſſimis hominum ingeniis, infinitâ cauſarum varietate, ampliſſimis eloquentiæ propoſitis præmiis, eſſe cauſæ putet, niſi rei quandam incredibilem magnitudinem & difficultatem?* Sed Tullius eo loco & alibi frequentiſſimè conſulatur, & præſertim à 32. §. eiuſdem libri ad 35. vbi vtilitates eloquentiæ explicantur. Queritur tamen Petronius eloquētiæ præmia ſic euanuiſſe, vt iam nemo ex eius ſtudiis fructum excerperet.

Præmia eloquentiæ.

Qui

Qui pelago credit, magno ſe fœnore tollit.
Qui pugnas & caſtra petit præcingitur auro.
Vilis adulator picto iacet ebrius oſtro.
Et qui ſollicitat nuptas ad præmia peccat.
Sola pruinoſis horret facundia pennis,
Atque inopi linguâ deſertas inuocat artes.

Idem queritur Iuuenalis ſat. 7. qui conſulatur. Sed vt peculiariter de oratorum emolumentis agamus, accuſatoribus ſua præmia fuerunt conſtituta. Aſconius in Milonianam. *Milo apud Fauonium Quæſtorem de ſodalitiis damnatus eſt accuſante P. Fuluo Nerato, cui lege præmium datum eſt.* Sub Tiberio, vt refert Tacitus 4. annalium, *Actum de præmiis accuſatorum abolendis.* Quod cùm impetratum non fuiſſet, *Lælius Balbus*, vt idem refert libro ſequenti, *Acutiam P. Vitellij quondam vxorem maieſtatis poſtulauerat: quâ damnatâ cùm præmium accuſatori decerneretur, Otho Tribunusplebis interceſſit.* Et vt Briſſonij verbis vtar lib. 3. Selectarum Antiquitatum cap. 17. Præmia hæc partim legibus ipſis ex quibus crimen intendebatur, definita erant, partim æſtimatione arbitrióque eius qui de crimine cognouiſſet, conſtituebantur. veluti lege Corneliâ ad Senatuſconſultum Silonianum pertinente de præmio accuſatorum, qui ſeruos ante quæſtionem de familiâ habitam fugâ elapſos conquiſiſſent, & renunciaſſent, hoc cauebatur, vt in ſingulos ſeruos quos conuiciſſent, quinque aureos ex bonis occiſi, aut ſi inde redigi ea quantitas non poſſet, ex publico acciperent. l. lege Corneliâ D. De SC. Silon. In eo quoque Senatuſconſulto quod à Frontino lib. 2. de aquæductibus refertur, præmium accuſatori conſtituitur dimidia pars eius, quo condemnabitur is qui in Senatusconſultum commiſerit. De lege repetundarum Tacitus 4. annalium. *Manius Lepidus quartam accuſatoribus, ſecundum neceſſitudinem legis, cætera liberis conceſſit.* Inde *quadruplatores*, de quibus Lipſius in notis conſulatur. Aſconius in Diuinationem: *Quadruplatores delatores erant criminum publicorum, in qua re quartam partem de proſcriptorum bonis, quos detulerant aſſequebantur.* Nero etiam, vt auctor eſt Tranquillus in eius vitâ cap 10. *Præmia delatorum Papiæ legis ad quartas redegit.* De præmiis ex æſtimatione & arbitrio iudicis accuſatori delatis l. lex Cornelia in fin. D. de iniur. ab eodem Briſſonio citata conſulatur. Atque hæc quidem præmia accuſatoribus conſtituta? Quid patrono? Nihil. Tacitus vndecimo Annalium. *Conſurgunt Patres, legémque Cinciam flagitant, qua cauetur antiquitùs ne quis ob cauſam orandam, pecuniam donúmve accipiat.* Item lib. 13. *Pœnâque Cinciæ legis aduerſus eos qui precio cauſas orauiſſent.* Et libro 15. *Sic oratorum licentia Cinciam rogationem, Candidatorum ambitus Iulias leges: magiſtratuum auaritia Calpurnia ſcita pepererunt.* Atque hinc cauſam intelligas cur noſter Hortenſio Sphingem à Verre dono datam obiecerit, Plutarchus in Cicerone. Ορτησίου λαβόντος ἐλεφαντίνην σφίγγα μισθὸν, εἰπόντι τι πλαγίως ὁ Κικέρων πρὸς αὐτὸν, τοῦ δ' φήσαντος αἰνιγμάτων λύσεων ἀπείρως ἔχειν, καὶ μὴν, ἔφη, ἐπὶ τῆς οἰκίας τὴν σφίγγα ἔχεις. *Cùm Hortenſius ſphingem auream mercedis loco accepiſſet, Cicero dixit neſcio quid obliquè, eóque dicente ſe in ænigmatum ſolutionibus non eſſe verſatum. Atqui, inquit, domi ſphingem habes.* De hac eadem epiſtolâ vltimâ, libri primi ad Atticum. *L. Papirius Pætus, vir bonus amatórque noſtri, mihi libros eos, quos Seruius Claudius reliquit, donauit. Cùm mihi per legem Cinciam licere capere Cincius amicus tuus diceret, libenter dixi me accepturum, ſi attuliſſet.* Quo autem tempore ea rogatio lata fuerit, narrat Cato Maior libro de ſenectute. *Factus ſum Prætor: quem magiſtratum geſſi Conſulibus Tuditano & Cethego, cùm quidem ille*, Fabius Maximus, *admodum ſenex, ſuaſor legis Cinciæ de donis & muneribus fuit.* Huic tamen legi tam antiquæ poſteà Claudius Princeps nonnihil derogauit. Tacitus 11. Annalium. *Capiendis pecuniis poſuit modum vſque ad dena ſeſtertia, quæ egreſſi repetundarum tenerentur.* Vbi vide rationes in vtramque partem. Hinc intelligas illud Vlpiani D. De extraord. cognit. l. 1. *In honorariis aduocatorum ita verſari Iudex debet, vt pro modo litis, próque aduocati facundiâ, & fori conſuetudine, & iudicij in quo erat acturus, æſtimationem adhibeat: dummodo licitum honorarium quantitas non egrediatur.* Paulò pòſt iſtud Seueri & Antonini Caracallæ reſcriptum refert. *Si verò poſt cauſſam actam cauta eſt honoraria ſumma, peti poterit vſque ad probabilem quantitatem, etſi nomine palmarij cautum ſit.* Subdítque: *Licita autem quantitas intelligitur pro ſingulis cauſis ad centum aureos.* Quem in locum Godefredus. *Ordinatione verò Curiæ Pariſienſis aduocati pro ſingulis cauſis ſupra decem libras Gallicas accipere prohibentur.* De hac aduocatorum auaritia Ammianus libro 30. *Hoc ipſum venditant, quod oſcitantur.* Item: *Si voluntate matrem finxeris occidiſſe, multas tibi ſuffragantes abſolutionis lectiones & reconditas pollicentur, ſi te nummatum ſenſerint.* Cur autem *palmarium* vocarent, cauſſa eſt in promptu, quia palmis illis ſterilibus, quas antiqui abſoluto reo, honoris cauſâ referebant, hæc munerum emolumenta ſucceſſerant. De quibus ſupra 18. Et frequenter quidem pecunia patronis non dabatur, ſed honoraria quædam munuſcula, vt etiamnum fieri conſueuit. Iuuenalis ſatira 7.

-rumpe miſer tenſum iecur, vt tibi laſſo
Figantur virides ſcalarum gloria palmæ.
Quod vocis preciũ? ſiccus petaſunculus, & vas
Pelamidum, aut veteres, Afrorum epimenia, bulbi
Aut vinum Tiberi deuectum, quinque lagenæ.

Addit tamen:

Si quater egiſti, ſi contigit aureus vnus,
Inde cadunt partes in fœdere pragmaticorum.

Perſius ſat. 3.

Diſce, neque inuideas quòd multa fidelia putet
In locuplete penu, defenſis pinguibus Vmbris,
Et piper & pernæ Marſi monumenta clientis,
Manáque quòd primâ nondum defecerit orcâ.

Sed vt ad accuſatorum præmia redeamus, accuſatores, cùm reum obtinuerant, ſi Latini erant, nonnunquam ciuitate donabantur, ſi inferioris tribus ad ſuperiorem & honoratiorem promouebantur, ſi Senatores pedarij, antiquiorem in Senatu dicendæ ſententiæ locum obtinebant. De ciuitate pro Balbo 53. *Quomodo igitur Lucius Caſſinius Tiburs*, &c.

Præmia accuſatorum.

Lex Cincia patronos quicquam recipere prohibebat.

Quando lata.

A Claudio ei legi derogatum.

Merces patronorum.

Honorariũ.

Palmarium.

damnato Cœlio : quomodo ex eadem ciuitate Tit. Coponius, &c. *damnato C. Maſſone ciuis Romanus eſt factus ? An lingua & ingenio patefieri aditus ad ciuitatem potuit, manu & virtute non potuit?* De Tribu & loco dicendæ ſententiæ ibidem 57. *Obiectum eſt etiam quod in tribum cruſtuminam peruenerit : quòd hic aſſecutus eſt legis de ambitu præmio minùs inuidioſo, quàm qui legum præmiis prætoriam ſententiam & prætextam togam conſequuntur.*

II. TANTA VOLVPTATE DICENDI.] Libet hic integram ex eodem dialogo paginam exſcribere : *Ad voluptatem oratoriæ eloquentiæ tranſeo cuius iucunditas non vno alióve momento, ſed omnibus prope diebus & prope omnibus horis contingit. Quid enim dulcius libero & ingenuo animo, & ad voluptates honeſtas nato, quàm videre plenam ſemper ac frequentem domum concurſu ſplendidiſſimorum hominum ? idque ſcire non pecuniæ, non orbitati, neque officij alicuius adminiſtrationi, ſed ſibi ipſi dari ? illos quinimmo orbos & locupletes & potentes, venire plerumque ad iuuenem & pauperem, vt aut ſua aut amicorum diſcrimina commendent. vllàne tanta ingentium opum ac magnæ potentiæ voluptas quàm ſpectare homines veteres & ſenes, & totius orbis gratiâ ſubnixos, in ſummâ omnium rerum abundantiâ confitentes, id quod optimum ſit ſe non habere ? Iam verò qui togatorum comitatus & egreſſus ? quæ in publico ſpecies ? quæ in iudiciis veneratio ? Quod gaudium conſurgendi aßiſtendíque inter tacentes, in vnum conuerſos*, &c. Subdit deinde: *Siue accuratam meditatámque affert orationem : eſt quoddam ſicut ipſius dictionis, ita gaudij pondus & conſtantia. Siue nouam & recentem curam nō ſine aliquâ trepidatione animus attulerit : ipſa ſollicitudo commendat euentum & lenocinatur voluptati. ſine extemporalis audaciæ atque ipſius temeritatis vel præcipua iucunditas eſt.* Et alia ibidem ſanè pulchra in hanc ſententiam. Tullius 1. de oratore, §. 32. *Quid enim eſt aut tam admirabile, quàm ex infinita multitudine hominum exiſtere vnum, qui id quod omnibus naturâ ſit datum, vel ſolus vel cum paucis facere poſſit ? aut tam iucundum cognitu, atque auditu, quàm ſapientibus ſententiis grauibúſque verbis ornata oratio & perpolita?* &c.

Voluptas dicendi.

III. TANTA LAVDE.] Quanta laus & gloria, quanta nominis claritudo diſertos conſequatur, idem auctor citati dialogi fusè demonſtrat. *Quæ fama & laus cuiuſue artis cum oratorum gloria comparanda eſt, qui non illuſtres in vrbe ſolùm apud negotioſos & rebus intentos, ſed etiam apud iuuenes & adoleſcentes quibus morum indoles eſt, & bona ſpes ſui ? Quorum nomina priùs parentes liberis ſuis ingerunt ? quos ſæpius vulgus imperitum & tunicatus hic populus tranſeuntes nomine vocat, & digito demonſtrat ? aduenæ quoque & peregrini iam in municipiis & coloniis ſuis auditos, cùm primùm vrbem attigerunt, requirunt, ac vultus agnoſcere concupiſcunt.* Plinius Iunior epiſt. 2. lib. 2. *Nunquámne legiſti Gaditanum quendam T. Liuij nomine gloriáque commotum, ad viſendum eum ab vltimo terrarum orbe veniſſe ; ſtatímque, vt viderat, abiiſſe.* Sed idem diſertiùs Hieronymus, ex quo expreſſiùs videas quanta ex eloquentiæ ſtudiis gloria compararetur. benè autem laudem dixit non laudationem. nam vt ait Seneca epiſt. 102. *Aliud eſt laus, aliud laudatio. Itaque nemo dicit laudem funebrem, ſed laudationem cuius officium oratione conſtat. cùm dicimus aliquem, laude dignum, non verba illi benigna hominum, ſed iudicia promittimus*, &c. Subdit : *Cùm æquè antiquus Poëta ait, Laus alit artes, non laudationem dicit quæ corrumpit artes. Nihil enim æquè & eloquentiam, & omne aliud ſtudium auribus deditum vitiauit, quàm popularis aſſenſio.* Plinius Iunior epiſt. 14. lib. 2. *Heri duo nomenclatores mei (habent ſane ætatem eorum qui nuper togas ſumpſerunt) ternis denariis ad laudandum trahebantur. Tanti conſtat vt ſis diſertiſſimus : hoc precio quamlibet numeroſa ſubſellia implentur : hoc ingens corona colligitur : hoc infiniti clamores commouentur, cùm μονόχορος dedit ſignum. opus eſt enim ſignó apud non intelligentes, ne audientes quidem : nam plerique non audiunt, nec vlli magis laudant : ſi quando tranſibis per baſilicam, & voles ſcire quomodo quiſque dicat, nihil eſt quod tribunal adſcendas, nihil quod præbeas aurem, facilis diuinatio : ſcito eum peſſimè dicere qui laudabitur maximè.* Quid autem ſit laus propriè ex Archita libro de viro bono & beato, poteſt intelligi. γίνεται δ' ὁ μὲν ἔπαινος ἐπ' ἀρετᾷ. ὁ δὲ μακαρισμὸς ἐπ' εὐτυχίᾳ. *Laudamus ob virtutem, ob fœlicitatem beatum prædicamus.* Poſt quem Ariſtoteles 1. Ethic. cap. 12. Φαίνεται πᾶν τὸ ἐπαινετὸν τῷ ποιόν τι εἶναι καὶ πρός τι πῶς ἔχειν ἐπαινεῖσθαι, &c. δῆλον ὅτι τῶν ἀρίστων οὐκ ἔστιν ἔπαινος, ἀλλὰ μεῖζόν τι καὶ βέλτιον, καθάπερ καὶ φαίνεται, τούς τε γὰρ θεοὺς μακαρίζομεν καὶ εὐδαιμονίζομεν, καὶ τῶν ἀνδρῶν τοὺς θειοτάτους μακαρίζομεν. *Videtur quod laudabile eſt, propterea quòd aliquo modo affectum ſit, & ad aliud referatur, laudari*, &c. *Liquet præſtantiſſimis rebus laudem haudquaquam conuenire, ſed aliquid maius & melius, vt videtur, Deos enim, & homines maximè diuinos beatos & fœlices prædicamus.* ὁ δὲ ἔπαινος τῆς ἀρετῆς. πρακτικοὶ γὰρ τῶν καλῶν ἀπὸ ταύτης, τὰ δ' ἐγκώμια τῶν ἔργων. *Laus virtuti conuenire, per eam enim res pulchras gerimus, at encomia ſunt operum.* Aliam adfert diſtinctionem Syneſius de regno. Μακαρίζεται τις ἐπὶ τῶν ἔξωθεν, ἐπαινεῖται δ' ἐπὶ τοῖς ἔνδοθεν. *Homines propter externa beati prædicantur, at propter interna laudantur.* Et paulò pòſt: Καὶ πολλάκις ἤρξατο μὲν εὐτυχίας ἀρετὴ, καὶ ἔπαινος ἡγήσατο μακαρισμοῦ τοῖς ἀνθρώποις, ὥσπερ αἰσχυνομένης τῆς τύχης ἀρεταῖς ἐπιδήλοις μὴ μαρτυρῆσαι. *Et frequenter in mortalibus virtus fœlicitatem. laus beatificationem antecedit, quaſi fortunam pudeat virtutibus cognitis non ſuffragari.*

Laus & gloria eloquentiæ.

Laudatio corrumpit eloquentiam.

Laus, macariſmus.

IV. TANTA GRATIA.] Alij *tantâ gloriâ* legunt. Ego à vulgata lectione non facilè diſceſſerim, cùm eloquentes vt plurimum gratiâ florreant, ſoleántque maximam auctoritatem apud populum obtinere. Auctor dialogi ſæpe citati: *Quanto quiſque plus dicendo poterat, tantò faciliùs honores aſſequebatur : tantò magis in ipſis honoribus collegas ſuos anteibat : tantò plus apud Principes gratiæ, plus auctoritatis apud Patres, plus notitiæ ac nominis apud plebem parabat. hi clientelis etiam exterarum nationum redundabant*, &c. Vnde illud de Pericle gratiáque quam vi orationis eſt conſecutus, ex Valerio libro 8. cap. 8. Cic. Plutarcho & aliis vulgatum eſt. *Quid enim inter Piſiſtratum & Periclem interfuit ? niſi quod ille armatus, hic ſine armis tyrannidem geſſit ?* De cuius eloquentia per quam ſic apud populum gratioſus euaſerat.

Gratia eloquentium.

Plinius Iunior epiſt. 19. lib. 1. *Nec me præterit ſummum oratorem Periclem ſic à comico Eupolide laudari:*

-- πρὸς δέ γ' αὖ τούτῳ τάχει
Πειθώ τις ἐπεκάθητο τοῖσι χείλεσιν.
Οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων
Τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις.

Periclis eloquentia.

Suada labris inſidebat illius;
Sic leniebat, atque ſolus Rhetorum
Stimulum ſuis linquebat auditoribus.

Adde quod de eodem Pericle Comicus alter.

Ἤστραπτ' ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα.
Et fulgurabat, & tonabat, Græciam
Miſcebat omnem.

Non enim amputata oratio & abſciſſa, ſed lata & magnifica & excelſa tonat, fulgurat, omnia denique perturbat, & miſcet. Sed quid mirum eloquentes tantùm vel gratiæ, vel auctoritatis obtinere, cùm oratoriam facultatem cum regiâ poteſtate, ſiue cum arte regnandi Plato coniunxerit in Politico: βασιλικῇ κοινωνοῦσα ῥητορεία. *Oratoria facultas aliquid commune habet cum arte regnandi.* Immò in Cratylo & Heroas nominauit, & non ſolùm apud homines, ſed etiam apud Deum gratioſos. cùm enim Heroum nomen ἀπὸ τοῦ ἔρωτος deduxiſſet, ἐρασθέντος ἢ θεοῦ θνητῆς, ἢ θνητοῦ θεᾶς. Subiecit. οἱ Ἥρωες ῥήτορές τινες καὶ ἐρωτηματικοὶ ἢ καὶ ἐρωτικοὶ συμβαίνουσιν, ὥστε ῥητόρων καὶ σοφιστῶν γένος γίνεται τὸ ἡρωϊκὸν φῦλον. *Heroes ſunt Rhetores, interrogationibus aſſueti, & ad amorem ipſa natura comparati. quare Rhetorum & Sophiſtarum natio eſt gens heroica.* Hinc eſt quòd Appianus 4. ciuilium Ciceronem tradit tantâ gratiâ floruiſſe, vt cùm Cæſar armis, ille eloquentiâ monarchiam obtineret. Κικέρων δ' ὃς μετὰ Γάϊον Καίσαρα ἴσχυσεν ὅσην γένοιτο ἂν δημαγωγοῦ μοναρχία. *Cicero qui poſt C. Cæſarem maximam poteſtatem habebat, quanta eſſe poteſt Oratoris monarchia.* Sed operæpretium fuerit eloquentiam Luciani penicillo depingere, quòd illa effigies toti huic loco optimè quadrare videatur. Sic igitur ille in Rhetorum præceptore. Ἡ μὲν ἐφ' ὑψηλοῦ καθήσθω, πάνυ καλὴ, καὶ εὐπρόσωπος, καὶ τῆς Ἀμαλθείας κέρας ἔχουσα, παντοίοις καρποῖς ὑπέρβριον. ἐν θατέρᾳ δέ μοι δοκεῖ τὸν πλοῦτον παρεστῶτα ὁρᾶν, χρυσοῦν ὅλον ὄντα, καὶ ἐπέραστον, καὶ ἡ δόξα δὲ, καὶ ἡ ἰσχὺς παρέστωσαν, καὶ οἱ ἔπαινοι περὶ πᾶσαν αὐτὴν, ἔρωσι μικροῖς ἐοικότες, πολλοὶ ἁπανταχόθεν περιπλεκέσθωσαν ἐκπετόμενοι. *Ipſam in loco excelſo ſedere fingamus, formoſam planè, & facie honeſtâ & liberali, dextrâ geſtet Amalthea cornu, omnis generis fructibus exuberans: ad læuam ſpectet diuitias, aureas planè, & amabiles, & gloria, & potentia circumſiſtant, & laudes paruis amoribus ſimiles illam hac & illac circumuolent.* Γαμήσειας τ' αὐτὴν αἰεὶ ἐλθὼν, καὶ πάντα ἐκεῖνα ἔχοις, τὸν πλοῦτον, τὴν δόξαν, τοὺς ἐπαίνους. *Illam cùm aſcenderis, vxorem ducas, & omnia illa habeas, diuitias, gloriam, honores.*

Eloquentia arti regiæ coniuncta.

Et pene diuina.

Gratia & auctoritas Ciceronis ob eloquentiam.

Eloquentiæ imago.

v. Honor delatus oratoribus.

TANTO HONORE.] Cur laudem ab honore diſtinxerit, palàm eſt: nam vt diximus, laus continetur iudicio; at honor exteriùs exhibetur. Seneca epiſt. 64. *Si conſulem videro, aut Prætorem. omnia quibus honor haberi ſolet, faciam, equo deſiliam, caput adaperiam, ſemitâ cedam.* Porrò quinam honores ſolerent viris diſertis exhiberi, in dialogo de oratoribus ſic oſtenditur. *Minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines, ac tituli & ſtatuæ. quæ neque ipſa tamen negliguntur, tam hercule, quàm diuitiæ & opes, quas faciliùs inuenies qui vituperet, quàm faſtidiat. his igitur honoribus & ornamentis, & facultatibus, refertas domos eorum videmus, qui ſe ab ineunte adoleſcentiâ cauſſis forenſibus, & oratorio ſtudio dederunt.* Certè Alexander Seuerus auctore Lampridio, *Virgilium Platonem Poëtarum vocabat, eiuſque imaginem cum Ciceronis ſimulachro in ſecundo lario habuit, vbi & Achillis, & magnorum virorum.* Ad has oratorum ſtatuas Iuuenalis videtur alludere, ſat. 7. v. 125.

Huius enim ſtat currus aheneus, alti
Quadriiuges in veſtibulis, atque ipſe feroci
Bellatore ſedens curuatum haſtile minatur
Comminus, & ſtatuâ meditatur prælia luſcâ.

Statuæ Oratorum.

Vnde & illud incerti auctoris lepidum Epigramma:

Εἰκὼν ἡ Σέξτου μελετᾷ, Σέξτος δὲ σιωπᾷ,
Ῥήτωρ ἡ εἰκὼν, ὁ δὲ ῥήτωρ εἰκόνος εἰκών.

Quod variis modis Auſonius conatus eſt in Latinam linguam conuertere ab Epigrammate 44. ad 51. eóque ni fallor titulo ſtatua Apuleio decreta eſt. 3. floridorum. *ad dedicationem ſtatuæ meæ.* Aliud præmium honoris causâ oratores domum referebant. Iuuenalis ſat. 7.

-rumpe miſer tenſum iecur, vt tibi laſſo
Figantur virides, ſcalarum gloria, palmæ.

Palmæ Oratorum.

Martialis libro 7. ep. 27.

Sic fora mirentur, ſic te pallatia laudent,
Excolat & geminas plurima palma fores.

Sed vide quæ diximus §. 18. huius ipſius orationis. Alio tamen ſenſu honor hoc loco dici poteſt, vt videlicet eloquentibus ad honores & magiſtratus facilem aditum patêre intelligat. Auctor dialogi de oratoribus. *Hos & Præturæ & Conſulatus vocare vltrò videbantur. hi ne priuati quidem ſine poteſtate erant, cùm & populum & ſenatum conſilio & auctoritate regerent. quin immò ſibi ipſi perſuaſerant, neminem ſine eloquentiâ, aut aſſequi poſſe in ciuitate, aut tueri conſpicuum & eminentem locum.* Ad vtrumque ſenſum ſpectat illud Symmachi libro primo epiſt. 96. *Studium quod ſcribendis orationibus exhibebam, præmio laudis auxiſti. vetus quippe ſententia eſt, Artes honore nutriri. quis autem tam cumulatus eſt honor quàm Palma dicendi?* Adde honores etiam ſtatuarum ob minutas & centumuirales cauſſas claris Oratoribus fuiſſe delatos. Interpres Iuuenalis ſatira 4. *Plurimas ſponte cauſſas, apud Centumuiros egit, pro qua re in Baſilicâ Iuliâ eius ſtatua poſita eſt.*

Magiſtratus oratoribus mandati.

VI. TAM SINT PAVCI.] Cicero primo de oratore, §. 11. *Verè mihi hoc videor eſſe dicturus, ex omnibus iis qui in harum artium ſtudiis liberaliſſimis ſint doctriníſque verſati, minimam copiam Poëtarum egregiorum: atque in hoc ipſo numero, in quo perrarò exoritur aliquis excellens, ſi diligenter & ex noſtrorum, & ex Græcorum copiâ comparare voles, multo tamen pauciores oratores, quàm Poëtæ boni reperientur.* De eadem eloquentium paucitate quæritur Euripides.

Pauci eloquentes.

Τί δῆτα θνητοὶ τἄλλα μὲν μαθήματα
Μοχθοῦμεν ὡς χρὴ πάντα καὶ μαστεύομεν,
Πειθὼ δὲ τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην,
Οὐδέν τι μᾶλλον ἐς τέλος σπουδάζομεν,
Μισθὸν διδόντες μανθάνειν, ἵν' ἦν ποτε
Πείθειν ἅ τις βούλοιτο τυγχάνειν θ' ἅμα.

Quid alia ſequimur ſtudia mortales? quid eſt
Cur applicemus cæteris mentem, neque
Omni ſuadam mente Reginam datâ
Mercede volumus diſcere, vt quicquid libet
Suadere & obtinere poſsimus ſimul?

VII. Omittendæ voluptates eloquentiæ ſtudioſis.

OMITTENDÆ SVNT OMNES VOLVPTATES.] Voluptatibus & eloquentiæ non conuenire iam ſuperiore §. oſtendimus: nunc ſatis fuerit vnam aut alteram antiquorum querelam adferre, quòd nimio iuuentutis luxu eloquentia concidiſſet. Seneca Pater præfatione libri I. controu. *Quidquid Romana facultas habet, quod inſolenti Græciæ aut opponat aut præferat, circa Ciceronem effloruit. omnia ingenia quæ lucem noſtris ſtudiis attulerunt, tunc nata ſunt. In deterius deinde quotidie data res eſt: ſiue luxu temporum: nihil eſt enim tam mortiferum ingeniis quàm luxuria: ſiue cùm præmium pulcherrimæ rei cecidiſſet*, &c. Et paulò pòſt: *Ite nunc & in iſtis vulſis atque expolitis quærite oratorem.* Et Petronius (quis enim prohibet ex eius ſtercore gemmas colligere?) tum cæteras artes tanto olim ſtudio cultas, tum imprimis eloquentiam queritur ſuorum temporum luxu concidiſſe. *Herbarum*, inquit, *omnium ſuccos Democritus expreſſit, & ne lapidum virgultorúmque vis lateret, ætatem inter experimenta conſumpſit. Eudoxus quidem in cacumen excelſiſſimi montis conſcendit, vt aſtrorum cœlique motus, deprehenderet: & Chryſippus vt ad inuentionem ſufficeret, ter elleboro animum deterſit. Verùm vt ad Plaſtas conuertar, Lyſippum ſtatuæ vnius lineamentis inhærentem inopia extinxit: & Myron qui penè hominum animas ferarúmque ære comprehendit, non inuenit hæredem. At nos vino ſcortiſque demerſi ne paratas quidem artes audemus cognoſcere. ſed accuſatores antiquitatis vitia tantùm docemus & diſcimus. vbi eſt dialectica? vbi aſtronomia? vbi ſapientiæ conſultiſſima via? Quis vnquam venit in templum & votum fecit, ſi ad eloquentiam perueniſſet? Quis ſi philoſophiæ fontem attigiſſet? ac ne bonam quidem mentem aut bonam valetudinem petunt: ſed ſtatim antequam limen Capitolij tangant, alius donum promittit ſi propinquum diuitem extulerit: alius ſi theſaurum effoderit: alius ſi ad trecenties ſeſtertium ſaluus peruenerit. ipſe Senatus recti boniq; præceptor mille pondo auri Capitolio promittere ſolet: & ne quis dubitet pecuniam concupiſcere, Iouem quoque peculio exorat*, &c. Apuleius apologia 2. *De eloquentia verò ſi qua mihi fuiſſet, neque mirum, neque inuidioſum deberet videri, ſi ab ineunte æuo vnis ſtudiis litterarum ex ſummis viribus deditus, omnibus aliis ſpretis voluptatibus, ad hoc veni.*

SERMO ETIAM OMNIVM PENE FAMILIARIVM DESERENDVS.] Notum eſt illud Plutarchi de Demoſthene. VIII. Item ſermo familiarium deſerendus. Κατάγειον μὲν οἰκοδομῆσαι μελετήριον, ἐνταῦθα δὲ πάντως μὲν ἑκάστης ἡμέρας προσιόντα πλάττειν τὴν ὑπόκρισιν, καὶ διαπονεῖν τὴν φωνήν, πολλάκις δὲ καὶ μῆνας ἑξῆς δύο, καὶ τρεῖς συνάπτειν ξυρούμενον τῆς κεφαλῆς θάτερον μέρος, ὑπὲρ τοῦ μηδὲ βουλομένῳ πάνυ προελθεῖν ἐνδέχεσθαι δι' αἰσχύνην. *Locum ſibi ſubterraneum fecit ad exercitationes obeundas, in eum ſingulis diebus ingrediens ſingebat ſuam actionem, & vocem formabat, frequenter duos treſve menſes ſine intermiſſione hoc pacto tranſigebat, alteram capitis partem radens eo conſilio, vt etiamſi egredi vellet, eum nihilominùs pudor incluſum contineret.*

AVT DOCTRINA PVERILIS.] Per doctrinam puerilem vel ipſas Rhetorum præceptiones, quibus oratores futuris pueris imbuuntur, intelligit, vt in principio librorum de Oratore non ſemel loquitur: vel ipſam Grammaticam, quam neceſſe eſt pueros ſi velint oratores euadere ab ipsâ pueritiâ comparare. Quintilianus lib. primo inſtitut. fusè. IX.

AXIOMATA.

Magna ſunt eloquentiæ præmia, magna voluptas dicendi, magna laus, magna gratia, magnus honor.

Pauci ſunt qui in adipiſcendæ eloquentiæ labore verſentur.

Eloquentiæ ſtudioſo ſunt omittendæ voluptates, relinquenda ſtudia delectationis, ludus, iocus, conuiuiũ, ſermo etiam penè omnium familiarium deſerendus.

ARGVMENTVM.

Hic paragraphus duas partes complectitur. alterâ concludit ex ipſis rebus quas gerebat Cœlius, eum voluptatibus obſtrictum non fuiſſe. alterâ omnem libidinis ſuſpicionem in ipſam Clodiam detorquet.

XLVII. AN hic, ſi ſeſe iſti vitæ dediſſet, conſularem hominem admodum adoleſcens in iudicium vocauiſſet, hic, ſi laborem fugeret, ſi obſtrictus voluptatibus teneretur, in hac acie quotidie verſaretur? appeteret inimicitias? in iudicium vocaret? ſubiret periculum capitis? ipſo inſpectante populo Romano, tot menſes aut de ſalute, aut de gloria dimicaret? Nihil igitur illa vicinitas redolet? nihil hominum fama? nihil Baiæ denique ipſæ loquuntur? illæ verò non loquuntur ſolùm, verùm etiam perſonam, huc vnius mulieris libidinem eſſe prolapſam, vt ea non modò ſolitudinem, ac tenebras, atque hæc flagitiorum integumenta non quærat, ſed in turpiſſimis rebus frequentiſſimâ celebritate, & clariſſimâ luce lætetur.

ANATIO.

AN HIC SI SE ISTI.] An Marcus Cœlius ſi ſe voluptatibus tradidiſſet, C. Antonium Conſularem, & meum in conſulatu collegam, de coniuratione accuſaſſet?

IN ACIE.] In Iudiciis, cauſiſque forenſibus.

SVBIRET PERICVLVM CAPITIS.] Eas lites aliis intenderent, in quibus ipſius ſalus & incolumitas ageretur.

IPSO INSPECTANTE POPVLO ROM.] Qui ſolet cauſis maioris momenti aſſiſtere.

AVT DE SALVTE.] Alios in ius vocabat, periculúmque adibat ne calumniæ conuictus, aut morte aut exilio plecteretur.

AVT DE GLORIA DIMICARET.] Aut ſaltem periclitabatur calumniæ notam & infamiam incurrere.

NIHIL IGITVR.] Adfert obiectionem, eique ſic reſpondet, vt in Clodiam omnem culpam, & impudicitiæ crimen detorqueat.

ILLA VICINITAS.] Ad quam Cœlius à patre ſemigrauit, conducens in palatio particulam inſulæ, quam P. Clodius Clodiæ ipſius frater, vno tantùm pariete à Q. Metelli Celeris Clodiæ mariti domo diſiunctam poſſidebat.

NIHIL HOMINVM FAMA.] Quæ per totam vrbem de nimia M. Cœlij & Clodiæ familiaritate percrebuit.

NIHIL DENIQVE BAIÆ IPSÆ LOQVVNTVR.] In quibus Cœlius & Clodia comeſſationes, conuiuia, ſymphonias, & nauigia celebrarunt.

HVC VNIVS MVLIERIS.] Eo libidinis & impudicitiæ Clodiam vnam ex omnibus mulieribus deuenire, vt omnem cum pudicitia pudorem abiecerit, & nullum velum ſuis flagitiis obtendens, palam, in luce, in omnium oculis, ſuæ libidini indulgere haudquaquam vereatur.

FREQVENTISSIMA CELEBRITATE.] Apud Baias, quem locum frequentant quamplurimi eo tum ex vrbe, tum ex reliqua Italiâ, ſanitatis aut oblectationis causâ confluentes.

NOTÆ.

I. CONSVLAREM HOMINEM.] Antonium, de cuius iudicio & damnatione dictum eſt 15. §. huius orationis. ad quem locum te remitto.

II. IN HAC ACIE QVOTIDIE VERSARETVR.] Frequenter iuuenes cauſas forenſes, pugnam & aciem nominari. Iuuenalis ſat. 7. verſ. 173.

Ad pugnam qui Rhetoricâ deſcendit ab vmbrâ.

Seneca Rhetor præfatione libri 3. controuerſiarum: *Totum aliud eſt pugnare, aliud ventilare: hoc ita ſemper arbitratum eſt, ſcholam quaſi ludum eſſe, forum arenam.* quæ Senecæ tranſlatio non ab acie quidem, ſed à gladiatoribus deducitur. huc referri poſſunt congeſta in §. 15. Vatinianæ, vbi fusè oſtendimus orationis tela frequentiſſimè nominari. & quod modò ex Ammiani 30. dicebamus, *laureáſque fori ſpecioſis certaminibus occupantes.* & quod ſuperiore §. Acies eloquentiæ.

--licet exercere togatæ
Munera militiæ: licet & ſine ſanguinis hauſtu
Mitia legitimo ſub iudice bella mouere.

Eumenius orat. pro reſtaurandis ſcholis: *Inter hanc aciem fori, & noſtra illa ſecreta ſtudiorum exercitia diuerſitas: ibi armantur ingenia, hîc prælиantur: ibi præluſio, hîc pugna committitur: hic plerumque velut ſudibus & ſaxis, illic ſemper telis ſplendentibus dimicatur.* Ammianus libro 30. *Sicam ingenij diſtringentes.* Eodem penè modò Pindarus in Pythiis, Ode 1. Strophe 4.

νώμα δικαίῳ πηδαλίῳ στρατόν· ἀ-
ψευδεῖ δὲ πρὸς ἄκμονι χάλ-
κευε τὴν γλῶσσαν.

Moderare iuſto gubernaculo exercitum.
Ad veram vero incudem fabricato
Linguam.

Ouidius 3. Faſtorum.

Et fora Marte ſuo litigioſa vacent.

Papinius lib. 5. ſyluarum protreptico ad Criſpinum. *--medij bellare togatâ.*

Strage fori.

Valerius lib. 4. cap. 1. de Metello Macedonico & Africano loquens. *Vbi maximorum ciuium & ducum tantorum togata prælia?* Idem Valerius lib. 8. cap. 5. *Quid? M. Cicero forenſi militiâ ſummos honores ampliſſimúmque dignitatis locum adeptus, nonne in ipſius eloquentiæ ſuæ caſtris teſtis abiectus eſt.* Huc etiam traduci poſſit illud Plutarchi in Demoſthene de Phormione & Apollodoro, qui inter ſe litigantes vterque orationem à Demoſthene ſcriptam acceperant. Καθάπερ γὰρ ἐξ ἑνὸς μαχαιροπωλίου τὰ κατ' ἀλλήλων ἐγχειρίδια πωλοῦντος αὐτοῦ τοῖς ἀντιδίκοις. *Eo tanquam ex vnâ gladiorum officinâ pugiones aduerſariis vendente, quibus illi contra ſe vterentur.* Fabius lib. 12. cap. 10. reddit huius ſimilitudinis rationem: *Nam vt gerentibus bella non ſemper exercitus per plana & amœna ducendus eſt, ſed adeundi plerumque aſperi colles, expugnandæ ciuitates quamlibet aſperis impoſitæ rupibus, aut operum mole difficiles: ita oratio gaudebit quidem occaſione latiùs decurrendi. & æquo congreſſa campo totas vires populariter explicabit: at ſi iuris anfractus, aut eruendæ veritatis latebras adire cogetur, non obequitabit, nec illis vibrantibus concitatíſque miſſilibus vtetur, ſed operibus & cuniculis, & inſidiis, & occultis artibus rem geret.*

VERSARETVR.] Ariſtoteles περὶ τὴν ἀγορὰν κυλίεσθαι. Plutarchus: καλινδούμενον ἐν ἀγορᾷ. Item: κυλινδεῖσθαι περὶ τὴν ἡλιαίαν. Iſocrates: περὶ τὰ δικαστήρια καλινδουμένων. vt pro Marcello §. 2. referemus. Herodotus lib. 3. Διακαρτερέων ἐν τῇσι στοῇσι ἐκαλινδέετο. *Perſeuerans in porticibus verſabatur.* III. Verſari in foro.

SVBIRET PERICVLVM CAPITIS.] Paulus D. De publicis iudiciis. *Publicorum iudiciorum quædam capitalia ſunt, quædam non capitalia. Capitalia ſunt, in quibus pœna mors aut exilium eſt: hoc eſt aquæ & ignis interdictio. Per has enim pœnas eximitur caput de ciuitate. Nam cætera non exilia, ſed relegationes propriè dicuntur. Tunc enim ciuitas retinetur. Non capitalia ſunt, in quibus pecuniaria aut in corpus aliqua coërcitio pœna eſt.* Ex quo poterit quiſpiam dubitare quid ſit, quòd Cœlius alios in iudicium vocans periculum capitis ſubire dicatur. IV. Iudicia capitalia. Non capitalia.

Neque enim manus adibat periculum, quàm vt ipſi dies de calumniâ diceretur. Quod vt diſſoluamus paucis, de pœna calumniatoribus propoſitâ diſſerendum videtur. Pecuniariam multam fuiſſe innuere videtur Vlpianus D. De calumniatoribus lege 1. vbi hæc edicti verba. *In eum qui vt calumniæ cauſſâ negotium faceret, vel non faceret, pecuniam accepiſſe dicetur: intra annum in quadruplum eius pecuniæ, quam accepiſſe dicetur: poſt annum ſimpli in factum actio competit.* Apud Græcos quidem mille drachmarum multa irrogata fuit iis qui ſine cauſſa litem intenderant. Demoſthenes contra Androtionem. Δεῖν δ' ᾤετο (ὁ νομοθέτης) μηδένα ἀποστερεῖσθαι τοῦ δίκης τυχεῖν, ὡς ἕκαστος δύναται. Πῶς οὖν ἔσται τοῦτο; ἐὰν πολλὰς ὁδοὺς δῶ διὰ τῶν νόμων ἐπὶ τοὺς ἠδικηκότας. οἷον τῆς κλοπῆς.

Calumniatores multâ pecuniaria affecti apud Græcos.

ἔῤῥωσαι καὶ σεαυτῷ πιστεύεις; ἄπαγε. Ἐν χιλίαις δ' ὁ κίνδυνος. ἀσθενέστερος εἶ; τοῖς ἄρχουσιν ἐφηγοῦ. τοῦτο ποιήσουσιν ἐκεῖνοι. φοβῇ καὶ τοῦτο; γράφου. καταμέμφῃ σεαυτὸν καὶ πένης ὢν οὐκ ἂν ἔχοις χιλίας ἐκτῖσαι. Δικάζου κλοπῆς πρὸς διαιτητήν, καὶ οὐ κινδυνεύσεις. *Æquum autem cenſuit legiſlator, ne cui pro ſua cuiuſque facultate exigendæ pœnæ ius negaretur. Id autem fieri quî potuit? ſi multas vias per leges muniret ad facinoroſos inuadendos. Veluti in furto. firmus es, & teipſo fretus? Abduc ad vndecimuiros. Sed mille drachmis periclitaris. Infirmior es? Nouemuiris indica. illi facient Id quoque formidas? accuſa. Non tibi fidis & pauperiores, quàm qui mille drachmas ſoluas? furti age apud arbitrum & extra periculum eris.* Dixerat priùs: Περὶ χιλίων ἐκινδυνεύομεν εἰ καταψευδόμενοι ταῦτ' ἐφαινόμεθα. *Mille drachmis periclitaremur, ſi calumniari videremur.* Oratione tamen pro Cteſiphonte innuit drachmas fuiſſe quingentas. Καὶ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων οὐ λαβών, ἀπέτισε τὰς πεντακοσίας δραχμάς. *Et cùm quintam calculorum partem non obtinuiſſet, quingentis drachmis multatus eſt.* Sed aliud eſt calumniari, aliud non probare, ſiue eius damnationem non obtinere, cui litem intenderis. Qui calumniari viſus fuerat, καταψευδόμενος, is mille drachmas opinor, pendebat, qui ita parum probauerat, vt quintam ſententiarum partem non obtineret, quingentas ſoluebat. Verùm ad Romanos. Vlpianus D. De calumniatoribus, dicere videtur hanc multam in Iudicis arbitrio poſitam fuiſſe. *Et ei qui id commiſit, pro modo pœnam irroget.* Paulus D. ad S. C. Turpilianum, lib. 3. *Et in priuatis & in extraordinariis criminibus omnes calumnioſi extra ordinem pro qualitate admiſſi plectuntur.* Alij tamen legitimam pœnam agnoſcunt. Marcianus eod. l. 1. §. 2. *Calumniatoribus pœna lege Remmiâ irrogatur. Sed non vtique qui non probat quod intendit protinus calumniari videtur. Nam eius rei inquiſitio arbitrio cognoſcentis committitur, qui reo abſoluto de accuſatoris incipit conſilio quærere qua mente ductus ad accuſationem proceſſit. & ſi quidem iuſtum eius errorem repererit, abſoluit eum, ſi verò in euidenti calumniâ deprehenderit, legitimam pœnam ei irrogat.* quòd confirmatur l. 8. Cod. De calumniat. Quò ſpectare videtur illud Eunapij Sardiani in Iuliano. Ἀλλ' ὁ ἀνθύπατος ὑπολαβών, ἀλλ' οὐ τοῦτό γ' εἶπε, Ῥωμαῖοι δοκιμάζουσιν, ἀλλ' ὁ τὴν προτέραν εἰπὼν κατηγορίαν κινδυνεύει περὶ τῆς δευτέρας. *At Proconſul ſubiiciens, Iſtud, inquit, Romanis non probatur, quin is qui priorem accuſationem capeſſit, de ſecundâ periclitatur.* Apuleius apologiâ primâ. *Dat libellum nomine priuigni mei Sicinij Pudentis admodum pueri, & adſcribit ſe ei aſſiſtere, nouo more per alium laceſſendi, ſcilicet vt obtentu eius ætatulæ, ipſe inſimulationis falſæ non plecteretur.* Et paulò pòſt: *Ita toties ab accuſandi periculo profugus in aſſiſtendi veniâ perſeuerauit.* Eam porrò fuiſſe non pecuniariam, ſed capitalem vel ex hoc loco liquet.

Vtrum pœna in calumniatores arbitraria fuerit?

Modeſtinus D. De verb. ſignificatione: *Licet capitalis Latinè loquentibus omnis cauſſa exiſtimationis videatur, tamen appellatio capitalis mortis, vel amiſſionis ciuitatis intelligenda eſt.* Quibus tribus modis calumniæ cauſſa appellari potuit capitalis. Nam ſummæ exiſtimationis fuit, propter inſignem ignominiæ notam, & frontis inuſtionem lege Remmiâ conſtitutam.

Capitalis pœna in calumniatores.

Plinius Iunior panegyrico Traiani. *Ereptum alienas pecunias eunt? perdant quas habent. Expellere penatibus geſtiunt? ſuis exturbentur, neque vt antea exanguem illam & ferream frontem nequicquam conuulnerandam præbeant punctis & notas ſuas rideant.* Atque verba quæ ſequuntur. *Ingenti quidem animo D. Titus ſecuritati noſtræ vltionique proſpexerat.* Hæc, inquam, verba in eam mentem me inducerent, vt putarem hanc à Tito pœnam inſtitutam fuiſſe, niſi Tullius pro Roſcio Amerino 57. eius rei ſubobſcurè meminiſſet. *Sin autem ſic agetis vt arguatis aliquem patrem occidiſſe, neque dicere poſſitis aut quare aut quomodò: ac tantummodò ſine ſuſpicione latrabitis, crura quidem vobis nemo ſuffringet: ſed ſi ego vos bene noui, litteram illam, cui vos vſque eò inimici eſtis, vt etiam alias omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, vt poſteà neminem alium, niſi fortunas veſtras, accuſare poſſitis.*

Frontis inuſtio.

Hanc litteram C. condemnationis notam fuiſſe putant Manutius & Othomanus. Lambinus K. Kalumniæ notam fuiſſe contendit. Poſterioris ſententia magis arridet, eique tum alij adſtipulantur, tum Pithœus 4. Not. Moſaïcarum Longi auctoritate fretus, tum Gothefredus D. Ad SC. Turpillianum citans Iulianum orat. in Antiochenos. Egregiâ lege Charondas Thuriorum legiſlator ſimilem huic inuſtioni pœnam calumniatoribus imponens, maluit hominum ſanguinem ſuffundere, quàm effundere. Diodorus Siculus lib. 12. bibliothecæ. Τοὺς δ' ἐπὶ συκοφαντίᾳ καταγνωσθέντας προσέταξε περιπατεῖν ἐστεφανωμένους μυρίκῃ, ὅπως ἐν πᾶσι τοῖς πολίταις φαίνωνται τὸ πρωτεῖον τῆς πονηρίας περιπεποιημένοι. Διό καί τινας ἐπὶ τούτῳ τῷ ἐγκλήματι καταδικασθέντας, τὸ μέγεθος τῆς ὕβρεως οὐκ ἐνέγκοντας, ἑκουσίως ἑαυτοὺς ἐκ τοῦ ζῆν μεταστῆσαι. *Calumniæ ſeu falſæ accuſationis conuictis hanc pœnam irrogauit, vt myricâ coronati per vrbem circumducerentur, quo manifeſtè ad ſummum nequitiæ gradum illos perueniſſe ciuibus appareret. Nonnullos ergo ob hoc flagitium condemnatos, quòd tantæ ignominiæ dedecus perferre non poſſent, violentia ſibi manibus ſponte vitam abrupiſſe tradunt.* Ad hanc exiſtimationis pœnam ſpectat ordinis amotio. de qua Caius D. De iniuriis & famoſ. lib. l. 43. *Qui iniuriarum actionem per calumniam inſtituit, extra ordinem damnatur: id eſt exilium aut relegationem, aut ordinis amotionem patiatur.* In quibus habes.

Secundum pœnæ in calumniatores conſtitutæ genus, exilium ſiue relegationem. Martialis lib. de ſpectaculis ep. 4.

Turba grauis paci, placidæque inimica quieti,
Quæ ſemper miſeras ſollicitabat opes.

Tradita Getulis, nec cepit arena nocentes,
Et delator habet quod dabat exilium.
Exulat Auſoniâ profugus delator ab vrbe,
Impenſis vitam principis annumeres.

Plinius Panegyrico: *Nihil tamen gratius, nihil ſeculo dignius, quàm quòd contigit deſuper intueri ſupina ora, retortáſque ceruices agnoſcebamus, & fruebamur, cùm velut piaculares publicæ ſollicitudinis victimæ ſupra ſanguinem noxiorum ad lenta ſupplicia, grauioréſque pœnas ducerentur. Congeſti ſunt in nauigia raptim conquiſita, cùm tempeſtatibus dediti abirent, fugeréntque vaſtatas delationibus terras: aut ſi quem fluctus, aut procellæ ſcopulis reſeruaſſent, hic nuda ſaxa & inhoſpitale littus incoleret, ageret duram & anxiam vitam, relictáque poſt tergum totius generis humani ſecuritate mœreret. Memoranda facies. Delatorum claßis permiſſa omnibus ventis, coacta vela tempeſtiuos pandere* (lege *tempeſtati pandere,*) *iratóſque fluctu ſe ſequi quoſcunque in ſcopulos detuliſſent.*

Mors. Tertio mors nonnunquam calumniatoribus inflicta. Tiberius certè apud Dionem lib. 58. Τούς τ' ἐπιβουλοτάτους τῶν τὰς κατηγορίας ποιουμένων ἀποθανεῖν ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἐκέλευσεν. *Præcipuos eorum qui* per calumniam *accuſationes intenderent, vno die iußit interfici.* Quid? quod XII. tabulæ falſos teſtes de ſaxo deiici imperabant? Gellius cap. 1. lib. 20. Noct. Attic. *An putas, Phauorine, ſi non illa etiam ex XII. tabulis de teſtimoniis falſis pœna aboleuiſſet, & ſi nunc quoque, vt antea, qui falſum teſtimonium dixiſſe conuictus eſſet, è ſaxo Tarpeio deiiceretur, mentituros fuiſſe pro teſtimonio tam multos, quàm videmus?* Atque tribus his modis dici poteſt iudicium capitis ſubire, qui alios in iudicium vocat. vt mirum non ſit quòd ſuperiore §. diximus præmiis inuitatos ad accuſandum fuiſſe, cùm patroni ſolo eſſent honore contenti, propter periculum iudicij de calumnia quod accuſatoribus imminebat. Iure canonico pœna talionis calumniatoribus infligitur. Decreti 2. parte cauſa 5. Quæſt. 7. Gregorius. *Iuxta canonicas Patrum ſententias, qui calumniam illatam non probat, pœnam debet incurrere, quam ſi probaſſet, reus vtique ſuſtineret.* Eadem parte cauſa

Talio. 2. Quæſt. 7. Eutychianus: *Nec impunitam fore ſibi nouerit licentiam mentiendi, cùm calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicij.* Sixtus tertius: *Qui non probauerit quod obiecit, pœnam quam intulerit, ipſe patiatur.* Quæ verba Hadriano Papæ tribuuntur ſuprà 3. quæſt. Immò D. De præuaricatione Paulus Seueri & Antonini reſcriptum refert: *Vt in criminibus quæ extra ordinem obiiciuntur, præuaricationes eadem pœna adficiantur, qua tenerentur ſi ipſi in legem commiſiſſent, qua reus per præuaricationem abſolutus eſt.* quòd multò magis de calumniatore dicendum eſt. Adderem eum & verberibus puniri iure canonico ex Gregorio quæſt. citatâ, & Decretal. 5. De calumn. cap. 1. ſed hîc finiendum eſt. vbi Papiniani verba retulero D. De teſtibus §. 13. *Quæſitum ſcio an in publicis iudiciis calumniæ damnati teſtimonium iudicio publico perhibere poſſunt? Sed neque lege Remmiâ prohibentur, & Iulia lex de vi, & repetundarum, & peculatus eos homines teſtimonium dicere non vetuerunt: Verumtamen quod legibus omiſſum eſt, non omittetur religione iudicantium, ad quorum officium pertinet eius quoque teſtimonij fidem, quod integræ frontis homo dixerit, perpendere.* Integræ frontis homo, non damnatus calumniæ, qui frontem inuſtam non habet.

IPSO INSPECTANTE POPVLO ROMANO.] Auctor dialogi de oratoribus & cauſis corruptæ eloquētiæ. *Oratori autem clamore plauſúque opus eſt, & velut quodam theatro. qualia cottidie antiquis oratoribus contingebant: cùm tot pariter ac tam nobiles forum coartarent: cùm clientelæ quoque & tribus, & municipiorum legationes, ac partes Italiæ periclitantibus aſſiſterent: cùm in pleriſque iudiciis crederet populus Rom. ſua intereſſe quid iudicaretur.* Sed de hac populi inſpectantis & iudicij finem expectantis frequentiâ §. 1. Milonianæ dicendum eſt. V.

Excitat auditor ſtudium.

NON LOQVVNTVR SOLVM, VERVM ETIAM PERSONANT.] Vide Milonianam 54. *Res ipſa loquitur,* &c. VI.

VT NON MODO SOLITVDINEM ET TENEBRAS.] Singularem Clodiæ impudentiam aduerte, quæ huc vſque progreſſa fuerat, vt luce palam ſe in omne flagitij genus effunderet. in quo meretrices etiam ipſas & frictrices impudentiâ ſuperabat. nam, vt ait Martialis lib. 1. epigr. 35. fortaſſe ad hunc ipſum locum alludens, nam ea in quam ſcribit Leſbia nominatur, quo nomine apud Catullum Clodiam noſtram ſignificari volunt interpretes: VII.

Incuſtoditis & apertis Leſbia ſemper
Liminibus peccas, nec tua furta tegis. &c.
At meretrix abigit teſtem, veloque ſeráque
Raráque, Summœni fornice rima patet, &c.

Voluptas quærit latebras.

Et Ouidius in amor.

Ignoto meretrix corpus iunctura, Quiriti,
Oppoſita populum ſubmouet ante ſerâ.

Et eam ob cauſſam amor in Plauti Trinummo: *Latebricolarum hominum corruptor,* vocatur. Ideóque Seneca non minùs verè quàm eleganter cap. 7. de beatâ vitâ deſcribit: *voluptatem latitantem ſæpius ac tenebras captantem.* Nec minùs acriter Cyprianus ad Donatum in eos inuehitur qui nocte ſocia, tegentibus tenebris in hac flagitiorum impuritate volutantur.

Nocte quidem ſed luna videt, ſed ſidera teſtes
Aduertunt oculos. ait alibi Iuuenalis.

Et ille alter:

Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας.
Reſpiciunt oculis ſuperi mortalia iuſtis.

Quo in genere præclarum eſt illud Pindari Ode 1. Olymp. ſtrophe 3.

Deus videt in tenebris.

εἰ δὲ Θεὸν
Ἀνήρ τις ἔλπεταί τι λαθέ-
μεν ἔρδων, ἁμαρτάνει.

Si quis verò ſe quidpiam agentem, latêre poſſe Deum exiſtimat, fallitur. Præclarè Chryſoſtomus hom. 12. in 1. ad Corinth. Καὶ ἀνθρώπου μὲν ὁρῶντος, οὐκ ἄν τις ἕλοιτο πορνεύειν, ἀλλὰ κἂν μυριάκις φλέγηται τῷ κακῷ, νικᾶται τοῦ πάθους ἡ τυραννὶς ὑπὸ τῆς τῶν ἀνθρώπων αἰδοῦς, τοῦ Θεοῦ δ' ὁρῶντος οὐχὶ μοιχεύουσιν, οὐδὲ πορνεύουσι μόνον, ἀλλὰ καὶ ἕτερα πολλῷ χαλεπώτερα πολλὰ τετολμήκασι καὶ τολμῶσι. *Et homine quidem vidente nemo fornicari elegerit, ſed etiamſi millies praua cupiditate exarſerit, tyrannis paßionis humana verecundiâ ſuperatur, Deo verò arbitro non fornicantur, & adulterantur ſolùm, ſed longè fœdiora multi & auſi ſunt, & etiamnum audent.*

FREQVENTISSIMA CELEBRITATE.] Cornelius Nepos, ſiue, vt alij volunt, Æmilius Probus in præfatione: *Quem Romanorum pudet,* VIII.

vxorem ducere in conuiuium, aut cuius Materfamilias non primum locum tenet ædium, atque in celebritate verſatur? quod multò aliter fit in Græciâ, nam neque in conuiuium adhibetur niſi propinquorum, neque ſedet niſi in interiore parte ædium, &c. Sed de huius nominis ſignificatione vide quæ ſuperiùs dicta ſunt in 34. §. in illud, *celebrares* §. ſequenti. *Si hoc in vrbe, ſi in hortis, ſi in Baiarum illa celebritate faciet.* Et D. Cyprianus epiſt. ad Donatum: *Iam ſi ad vrbes ipſas oculos tuos atque ora conuertas, offendas omni ſolitudine triſtiorem.* Quemadmodum etiam hoc loco ſolitudini celebritas opponitur. item in partitionibus oratoriis §.36. in locis conſiderandum ait, ſintne *culti, an inculti; celebres, an deſerti,* &c.

AXIOMATA.

Qui obſtrictus voluptatibus tenetur, in acie forenſi quotidie non verſatur.

Vix vllius mulieris libido eò prolapſa eſt, vt ea non modò ſolitudinem ac tenebras, atque flagitiorum integumenta non quærat, ſed in turpiſſimis rebus frequentiſſimâ celebritate, & clariſſimâ luce lætetur.

ARGVMENTVM.

Poſtquam ſuperiùs M. Cœlium oſtendit nunquam fuiſſe voluptatibus & delitiis occupatum, oſtendit eum tolerandum fuiſſe, etiamſi amoribus implicitus teneretur.

VERVM ſi quis eſt, qui etiam meretriciis amoribus interdictum iuuentuti putet, eſt ille quidem valde ſeuerus, negare non poſſum: ſed abhorret non modò ab huius ſeculi licentia, verùm etiam à maiorum conſuetudine, atque conceſſis. quando enim hoc non factum eſt? quando reprehenſum? quando non permiſſum? quando denique fuit, vt quod licet, non liceret? Hic ego iam rem definiam, mulierem nullam nominabo: tantum in medio relinquam.

EXPLANATIO.

VERVM SI QVIS EST.] Si quis exiſtimat ſic ab omnibus prorſus libidinibus abſtinendum eſſe, vt ne amores quidem debeant in adoleſcentibus tolerari: qui amores, etſi impudici ſunt & inhoneſti, nullam tamen aliis inferunt iniuriam.

EST ILLE QVIDEM VALDE SEVERVS.] Ille quidem ob morum ſeueritatem & animum ab omnibus libidinibus alienum laudandus eſt: hoc enim ſic eſt manifeſtum, vt ab omnibus confeſſionem veritatis extorqueat. Nota artem oratoris: vt enim ipſe ab omnibus voluptatum lenociniis magis alienus eſſe videatur, eum ipſum laudat qui libidines adoleſcentię condemnat, vt maiore deinceps auctoritate eaſdem excuſet.

SED ABHORRET NON MODÒ AB HVIVS SECVLI LICENTIA.] Non ſolùm repugnat moribus huius ſeculi deprauatis, adeóque diſſolutis vt adoleſcentes libidinibus dediti quiduis ſibi licere exiſtiment.

VERVM ETIAM A MAIORVM CONSVETVDINE ATQVE CONCESSIS.] Qui quamuis auſteris moribus imbuti omnia referrent ad vitæ dignitatem, huiuſmodi tamen ſtudia & aliquem ludum ætatis in adoleſcentibus tolerabant.

QVANDO ENIM HOC NON FACTVM EST.] Alij legunt, *non factitatum eſt.* cæterùm expoſitio eſt oratoria, qua rem eandem diuerſis modis enunciat: ita tamen, vt cùm idem dicere videatur, magis tamen & magis creſcat oratio. nam plus eſt aliquid non eſſe reprehenſum, quàm eſſe factum. nam fieri potuit, vt adoleſcentes amoribus indulſerint, ſed eam ob rem in aliorum reprehenſionem incurrerint: proptereáque nemo iam poſſit eorum imitatione defendi, quos conſtaret à maioribus fuiſſe reprehenſos. Plus etiam eſt aliquid à maioribus fuiſſe conceſſum, quàm non reprehenſum. maiori enim veniâ dignus eſt qui id facit, quod maiores conceſſerint, indulſerintque, quàm ſi id tantummodò toleraſſent, & impunitum reliquiſſent, &c.

HIC EGO IAM REM DEFINIAM.] Præmunit ſe ad ea quæ futura ſectione dicenda ſunt, *Rem,* inquit, *definiam,* id eſt, de re ipſâ loquar, vt in ſe eſt, nullâ perſonarum factâ mentione: *mulierem nullam nominabo,* ne Clodiam videar oratione meâ perſtringere: tantùm in medio relinquam, & permittam vnicuique apud ſe cogitare, an quæ dicenda ſunt, Clodiæ poſſint an alteri cuipiam mulieri conuenire. Eo autem vehementiùs eam pungit quò minùs videtur attingere, eius enim libidinem magis auditores agnoſcent, ſi ex morum deſcriptione ad eius cognitionem ſponte peruenerint, quàm ſi Orator eam nominarit.

NOTÆ.

SED ABHORRET NON MODÒ.] Quàm rarum eſſet inter miſeros gentiles caſtum inuenire teſtantur ea, quæ in vitâ Catonis Vticenſis, de ipſo & Lælio quaſi ad miraculum referuntur. Ἔγημε δὲ Ἀτιλίαν Σωρράνου θυγατέρα, καὶ ταύτῃ πρώτῃ συνῆλθεν. οὐ μόνῃ δὲ καθάπερ Λαίλιος ὁ Σκιπίωνος ἑταῖρος, ἀλλ' εὐτυχέστερος ἐκεῖνος, ἐν πολλοῖς οἷς ἐβίωσε χρόνοις, μίαν ἣν ἔγημεν ἐξ ἀρχῆς γνοὺς γυναῖκα. *Duxit Attiliam Sorani filiam, & cum ea primum fuit, non cum ſolâ verò, vt Lælius amicus Scipionis. fœlicior enim ille, qui multis annis totóque vitæ decurſu, eam ſolam quam primùm duxit, mulierem cognouerit.* Immo legibus latis fuiſſe permiſſum Beatus Eunodius inſinuat orat. octauâ. *Tu pudicitiæ in illâ ætate cuſtos inuentus es, in qua & lex obſequitur deſideriis. Satis enim eſt pueritiæ ambitum, quem licentia fulcit, horreri.* Chryſoſtomus loco proximè citato: Τίς γὰρ ἂν δόξειε παρὰ τοῖς πολλοῖς σοφώτερος εἶναι τοῦ νομισθέντος ἀξίου πόλεσι, καὶ δήμοις νομοθετεῖν; ἀλλ' ὅμως τοῖς σοφοῖς τούτοις, 1.

Rara caſtitas apud antiquos.

τὸ πορνεύειν οὐδὲν εἶναι δοκεῖ πονηρὸν, οὐδὲ κολάσεως ἄξιον. οὐδεὶς γὰρ τῶν νόμων τῶν ἔξωθεν αὐτὸ κόλασιν, οὐδεὶς εἰς δικαστήριον εἵλκυσεν ἐντεῦθεν. ἀλλ᾽ ἂν κἂν ἑλκύσῃ τις ὑπὲρ τούτων καταγελῶσιν οἱ πολλοὶ, καὶ οὐκ ἀνέξεται ὁ δικάζων. *Quis enim vulgo ſapientior eò cuiquam videatur, qui dignus qui leges ciuitatibus poneret fuerit iudicatus? tamen iſtis ſapientibus fornicatio mala non videtur. Nulla enim externarum legum ei ſupplicium imponit, neque propterea iudicium conſtituit, immò ſi quis hoc crimine quempiam ad iudicem accerſat, vulgo ridebitur, nec iudex eum ſuſtinebit.* O ſordes! vnde non immeritò exclamat, Τί ταύτης τῆς μανίας χεῖρον; *Quid peius hac inſania?* Saluianus lib. 7. de gubernatione Dei. *Romana illa decreta, quæ ſcortatores quidem ab alienis vxoribus remouerunt, ad omnes autem ſolitarias paſſim admiſerunt, adulteria vetantes, lupanaria ædificantes, timuerunt videlicet ne nimis caſti homines ac puri eſſent, ſi ab omni*
II. *eos penitus improbitate prohiberent.*

Seculum. SECVLI.] Cenſorinus de die natali: *Seculum autem eſt ſpatium vitæ humanæ longiſſimum, partu & morte definitum. Quare qui annos triginta ſeculum putarunt, multum videntur erraſſe. Hoc enim tempus* γενεὰν *vocari Herodicus auctor eſt, quia orbis ætatis in eo ſit ſpatio. orbem autem vocant ætatis, dum natura humana à ſementi ad ſementem reuertitur.* Paulò pòſt ſubdit in ritualibus Hetruſcorum libris ſcriptum eſſe, *Initia ſic poni ſeculorum, quo die vrbes atque ciuitates conſtituerentur de his qui eo die nati eſſent. eum qui diutiſſimè vixiſſet die mortis ſuæ primi ſeculi modulum finire: eóque die qui eſſent reliqui in ciuitate, de his rurſum eius mortem qui longiſſimam ætatem egiſſet, finem eſſe ſeculi ſecundi: ſic deinceps tempus reliquorum terminari: ſed, ea quod ignorarent homines, portenta mitti diuinitus, quibus admonerentur vnumquodque ſeculum eſſe finitum.*

III. In medio relinquere. IN MEDIO RELINQVAM.] Explicui, *vnicuique permittam prout volet liberè cogitare.* ad hanc explicationem ducit Herodotus libro 7. ἵνα δὲ μὴ ἰδίῃ βουλεύειν ὑμῖν δοκέω, τίθημι τὸ πρῆγμα ἐς μέσον, γνώμην κελεύων ὑμέων τὸν βουλόμενον ἀποφαίνεσθαι. *Sed ne vobis priuatum videar inire conſilium, rem in medio relinquo iubens vnicuique, qui volet, ad ſententiam pro arbitratu dicendam accedere.* In medio enim habere, vt explicant Turnebus & Lacerda, idem eſt atque non ſuum ſed commune poſſidere: in quod videlicet ius omnibus ſit æquale. Lucanus libro 1.

Quid miſcere iuuat vires, orbémque tenere
In medio.

Sic apud Demoſthenem 1. Philippica: Ἆθλα τοῦ πολέμου κεῖνται ἐν μέσῳ. *Belli præmia in medio relicta.* Sed magis accedit ad Ciceronem illud Luciani in Deorum concione: Σαφῶς καὶ διηρθρωμένα λέγε, προσθεὶς καὶ τοὔνομα. νῦν γὰρ ἐς τὸ μέσον ἀπέρριπταί σοι ὁ λόγος, ὡς πολλοὺς εἰκάζειν, καὶ ἐφαρμόζειν ἄλλοτ᾽ ἄλλον τοῖς λεγομένοις. *Clarè & manifeſtè eloquere, nomen etiam exprimens: nunc enim in medium tuus ſermo proiectus eſt, vt multos ſuſpicemur, & modò hunc modò illum dictis comparemus.* Qu. Claudius annalium primo: *Nos in medium relinquemus.* in quæ verba Gellius lib. 17. cap. 2. In medium relinquere. *Vulgus*, inquit, *in medio dicit, nam vitium iſtuc putant, & ſi dicas, in medium ponere, id quoque eſſe* σόλοικον *putant. & tamen probabiliùs ſignificantiúſque ſic dici videbitur, ſi quis ea verba non incurioſè introſpiciat.* Græcè quoque θεῖναι εἰς μέσον, vitium id non eſt. Lucianus quemadmodum oporteat hiſtoriam conſcribere: Καὶ μῦθος εἴ τις παρεμπέσοι λεκτέος μὲν, οὐ μὴν πιστωτέος πάντως, ἀλλ᾽ ἐν μέσῳ θετέος, τοῖς ὅπως ἂν ἐθέλωσιν, εἰκάσουσι περὶ αὐτοῦ. *Et fabula, ſi qua inciderit, dicenda quidem eſt, non tamen omnino aſſerenda, ſed in medio relinquenda, iis qui de ipſa coniecturam facient ſuo arbitratu.* Euripides prologo Oreſtis:

ΕΚτεινεν. ὧν δ᾽ ἕκατι παρθένον λέγειν
ΟΥ καλόν. ἐῶ τοῦτ᾽ ἀσαφὲς ἐν κοινῷ σκοπεῖν.
Occidit. At cur? virginem haud fari decet,
Conſiderandum at illud in medio ſino.

ARGVMENTVM.

Idem eſt huius & ſuperioris textus argumentum, tantùm à deſcriptione vitæ meretriciæ clariùs oſtendit eum adulterum non eſſe, ſed amatorem, qui cum huiuſmodi muliere habuerit aliquid rationis.

SI qua non nupta mulier domum ſuam patefecerit omnium cupiditati, palámque ſeſe in meretricia vita collocarit, virorum alieniſſimorum conuiuiis vti inſtituerit: ſi hoc in vrbe, ſi in hortis, ſi in Baiarum illa celebritate faciet: ſi denique ita ſeſe geret, non inceſſu ſolùm, ſed ornatu, atque comitatu, non flagrantia oculorum, non libertate ſermonis, ſed etiam complexu, oſculatione, aquis, nauigatione, conuiuiis, vt non ſolùm meretrix, ſed etiam proterua meretrix procáxque videatur: cùm hac ſi quis adoleſcens fortè fuerit, vtrum hic tibi, L. Herenni, adulter, an amator, expugnare pudicitiam, an explere libidinem voluiſſe videatur? XLIX.

EXPLANATIO.

SI QVA NON NVPTA MVLIER.] Addit *non nuptam* ob duas maximè rationes. altera eſt vt maior mulieris impudicæ libertas indicetur: longè enim liberiùs ſe talis mulier in omnem libidinem effundet, ſi nullo mariti metu conſtricta teneatur. vnde ſuperiùs dixit *vidua libere, proterua petulanter.* altera ratio eſt, vt adulterij crimine liberentur adoleſcentes, ſi qui ad eiuſmodi mulierem acceſſerint.

DOMVM SVAM.] Omnibus copiam ſui fa-

ciens, eos in ſuam domum admiſerit.

Palamqve ſeſe in meretricia vita collocarit.] Publicè apud Ædiles meretriciam vitam profeſſa fuerit, & hunc quaſi certum vitæ ſtatum elegerit.

Virorvm.] Certo decretóque conſilio id amplexa ſit vitæ inſtitutum, vt alieniſſimos viros, quibuſcum nec conſanguinitate, nec ſuorum cum iiſdem familiaritate coniuncta ſit, ad ſua conuiuia ſoleat & comeſſationes adhibere.

Sic hoc in vrbe.] Si adeò omnem cum pudicitiâ pudorem abiecerit, vt ſuis libidinibus nulla integumenta quærat, ſi non hominum ora vereatur, ſed in vrbe, palàm, in populi conſpectu meretriciam vitam exerceat: ſi adoleſcentes in ſuos hortos, quò omnis iuuentus natandi causâ conuenire ſolet, admittat: ſi in ipſis Baiis, quo in loco maxima eſt populi frequentia ad tepidas illas & ſalubres aquas confluentis, ſi, inquam, in Baiis ipſis cum adoleſcentibus iiſque alienis, conuiuia, comeſſationes, cantus ſymphonias, nauigationéſque celebrarit.

Si denique ita ſe geret.] Si domo progrediens tanto faſtu ſuperbiâque proceſſerit, ſi purpureis aureíſque veſtibus induta, pigmentis faciem ſuam coloribúſque fucauerit, ſi adoleſcentes comptulos & calamiſtratos in ſuum comitatum aſſciuerit, ſi vnguentis delibuta ſuauiſſimis ſe odoribus perfuderit, ſi oculos impudicè huc illuc amoris illices in adoleſcentes coniecerit, &c. vt non ſolùm meretrix, ſed etiam petulans & proterua videatur.

Libertate sermonis.] Quæ non modò iocetur, ſed etiam procaciter verbis vtatur impudicis.

Cvm hac si qvis adoleſcens forte fverit.] Si quis adoleſcens, quæ ætas ſolet eſſe ad libidinem procliuior, ac proinde minùs eſt reprehendenda, ſi aliquantùm voluptatibus indulſerit, ſi, inquam, quis adoleſcens non deliberato conſilio, & certo libidinoſæ vitæ inſtituto, ſed fortè & ex occaſione ad huiuſmodi mulierem impudicam acceſſerit.

Vtrvm tibi, Lvci Herenni, advlter, an amator.] Te ipſum interrogo, L. Herenni, qui paulò ante tam acriter in libidinem & intemperantiam iuuentutis inuectus es, quid de huiuſmodi adoleſcente ſentias, vtrum tibi alieni matrimonij violator, & ad alterius coniugem accedens, an amator eſſe videatur?

Expvgnare pvdicitiam.] An matronæ pudicitiam donis promiſsíſque corrumpere & ſpoliare, an ad mulierem omnium libidini proſtitutam accedens, ſuam ipſius libidinem explere voluiſſe videatur?

NOTÆ.

I. Si qva non nvpta.] Huic §. ſimillimus eſt 38. qui adiri poteſt & cum iſto conferri.

II. Domvm svam patefecerit.] Nihil eſt frequentius apud Poëtas. Sic Qu. Trabeas in Chærea apud Tullium:

Lena delinita argento nutum obſeruabit meum,
Quid velim, quid ſtudeam: adueniens digito impellam ianuam,
Fores patebunt, &c.

Sed ne te his in rebus morer, vide elegiam Catulli ad ianuam impudicæ, comicos & quotquot aut odas, aut elegias, aut Satyras de rebus amatoriis ediderunt. Quamquam, vt Tertulliani verbis vtar, præſtat oculos abducere ab huiuſmodi propudiis occiſæ in publico caſtitatis. neque enim huiuſmodi Poëtarum laſciuiorum muſas minùs propudia aut meretrices appello, quàm ipſas popularium libidinum nundinas.

Palamqve ſeſe in meretricia vita collocarit.] Quomodo ſe mulieres palàm in meretriciâ vitâ collocarent, obſcurum eſt, vnicum reperi in ſcriptoribus antiquis veſtigium cui certò poſſem inſiſtere. Cornelius Tacitus ſub finem ſecundi annalium, *Eodem anno* (ab vrbe condita DCCLXXII.) *grauibus Senatus decretis libido fœminarum coërcita, cautúmque ne quæſtum corpore faceret, cui auus aut pater, aut maritus Eques Rom. fuiſſet. nam Viſtilia prætoriâ familia genita, licentiam ſtupri apud Ædiles vulgauerat: more inter veteres recepto, qui ſatis pœnarum aduerſum impudicas, in ipſâ profeſſione ſtupri credebant.* Vbi manifeſtè vides eas mulieres quæ ſe in meretricia vitâ collocarent, ſolitas fuiſſe apud Ædiles id genus vitæ profiteri. eâ tamen conditione vt cederent iure & dignitate matronali, vt doctiſſimus Lipſius ad hunc Taciti locum probat ex Tranquillo in Tiberio c. XXXV. *Fœminæ famoſæ vt ad euitandas legum pœnas, iure ac dignitate matronali exſoluerentur, lenocinium profiteri cœperant: quas, ne quod refugium in tali fraude cuiquam eſſet, exſilio affecit.* Qui idem Lipſius doctiſſimè ſuo more demonſtrat Ædilium fuiſſe de famoſis impudicíſque mulieribus iudicare: vtar auctoritatibus ab eo collectis. Seneca l. de vitâ beatâ cap. 7. *Inuenies voluptatem circa balnea & ſudatoria, & loca Ædilem metuentia.* Id eſt, fornices & popinas. & illuc alludens Iuſtinus ſcribit: *Apud Ædiles aduerſus lenones iurgari* ſolitum lib. 21. Liuius lib. 10. *Eo anno Q. Fabius Gurges Conſulis filius* (is autem tunc Ædilis) *aliquot matronas ad populum ſtupri damnatas pecuniâ multauit.* Nec pecuniâ ſolùm, ſed & exilio. Idem lib. 25 *Vilius Tapullus & M. Fundanius Ædiles plebei aliquot matronas apud populum probri accuſarunt: quaſdam ex eis damnatas in exilium egerunt.* Matronas igitur meritò cenſet idem Lipſius aut ſtupri damnatas, aut ſponte vitam meretriciam profeſſas, inſtitam, ſtolam, vittas poſuiſſe. imò ſumpſiſſe meretriciam togam. Iuuenalis Sat. 2.

Damnetur ſi vis etiam Carſinia, talem
Non ſumet damnata togam.-

Sed de huiuſmodi togâ hac ipſâ ſectione cùm de ornatu diſſeremus. & Philipp. 2. §. 44. *Sumpſiſti virilem togam, quam ſtatim muliebrem togam reddidiſti.* Poſtremò non omittam illud moris habuiſſe meretrices, vt nomen in meretricij profeſſione mutarent. Plautus in Pœnulo ſc. *Quis pulsat?*

Tua pietas nobis planè auxilio fuit,
Cùm huc adueniſti hodie in ipſo tempore:
Namque hodie earum mutarentur nomina,
Facerêntque indignum genere quæſtum corpore.

Eâ nimirum de causâ, vt familiarum pudori ac famæ conſuleretur, idque magiſtratibus, putà Ædilibus annuentibus. vt Noſter Serrarius, lib. 1. in Ioſue 44. prudenter annotauit. Suſpicor & eas Veneri priùs vota nuncupaſſe. nam Plautus ibidem de his ipſis quæ nomen mutaturæ erant,

III.

Meretriciæ vitæ profeſſio apud Ædiles.

Meretrices nomen mutabant.

Aphrodiſia hodiè Veneris eſt feſtus dies
Oratum ierunt Deam vt ſibi eſſet propitia.

Quo etiam ex loco quis exiſtimare poſſit Aphrodiſiorum diem, id eſt, feſtum Veneri diem fuiſſe huic apud Ædiles profeſſioni meretriciæ deſtinatum. Addam poſtremò me Tertulliani auctoritate induci, vt exiſtimem hanc meretriciæ vitæ publicam profeſſionem quotannis apud Ædiles renouari conſueſſe. Sic enim ille lib. de ſpectaculis: *Ipſæ illæ pudoris ſui interemptrices de geſtibus ſuis ad lucem & populum expaueſcentes ſemel anno erubeſcunt.* de quo tamen nihil affirmo.

IV. NON SOLVM INCESSV.] Diuus Hieronymus ad Furiam: *Vidimus nuper ignominioſum quemdam per totum orientem volitaſſe rumorem, & ætas, & cultus, & habitus, & inceſſus, & indiſcreta ſocietas, exquiſitæ epulæ, regius apparatus, Neronis & Sardanapali nuptias loquebantur.* Seneca epiſt. 52. *Omnia rerum omnium ſi obſeruentur indicia ſunt: & argumentum morum ex minimis quoque licet capere: impudicum & inceſſus oſtendit, & manus mota, & vnum interdum reſponſum & relatus ad caput digitus, & flexus oculorum.* Hinc illud Iuuenalis Sat. 2.

-Qui vultu morbum inceſſúque fatetur.

Et verò quantopere in ipſo inceſſu mores eluceant, oſtẽdit illud S. Ambroſij 1. officiorum cap. 18. *Quidam amicus hoc ſolo in clerum à me non receptus, quòd geſtus eius plurimum dedeceret. alterum quoque cùm in clero reperiſſem, iuſſi ne vnquam præiret mihi, quia velut quodam inſolentis inceſſus verbere oculos feriret meos. vterque ab eccleſiâ receßit, vt qualis inceſſu prodebatur, talis animi perfidiâ demonſtraretur.* Qui meretricis inceſſus paucis ſic à Gregorio Nazianzeno deſcribitur κατὰ γυναικῶν καλλωπιζομένων.

Τῇ καὶ τῇ σοβαροῖς ἴθμασι κινυμένην.
Hac illac tumidis paßibus ire viam.

Et carmine tertio ad Virgines:

-πόδας δ' ὑπέροπλον ἰόντες
Ψευσῇ παρθενίης· καὶ ἴθματα πόρνον ἔχει τι.
Nec verò caſtam te iactes eſſe, ſuperbe
Si graderis; meretricis habent veſtigia quoddam.

V. SED ORNATV.] Alterum meretriciæ vitæ indicium ornatus eſt. Liuius lib. 4. dec. 4. ornatum à cultu diſtinguit: *Munditiæ & ornatus & cultus: hæc fœminarum inſignia ſunt: his gaudent & gloriantur: hunc mundum muliebrem appellauerunt maiores noſtri,* &c. Cic. in oratore 79. *Tam remouebitur omnis inſignis ornatus, quaſi margaritarum, ne calamiſtri quidem adhibebuntur. Fucati verò medicamenta candoris, & ruboris omnia repellentur, elegantia modò & munditia remanebit.* Sed vtroque enucleatiùs Tertullianus de habitu mulierum: *Habitus fœminæ duplicem ſpeciem circumfert, cultum & ornatum. cultum dicimus quem mundum muliebrem vocant: ornatum autem immundum muliebrem conuenit dici: ille in auro & argento, in gemmis & veſtibus deputatur: iſte in curâ capilli & cutis, & earum partium corporis quæ oculos trahunt. alteri ambitionis nomen intendimus, alteri proſtitutionis.* Sed hoc loco, ni fallor, ornatus nomine, vtrumque complectitur, quare pauca quædam primo de cultu ſiue mundo muliebri, deinde de ornatu formæque fucatione dicenda ſunt. Ac primò quidem quantopere nimius ille corporis cultus abhorreat à caſtitate, oſtendit Liuius libro 4. *Eodem anno 335. Poſthumia Virgo Veſtalis de inceſtu cauſam dixit, crimine obnoxia ob ſuſpicionem propter cultum amœniorem, ingeniúmque liberiùs quàm Virginem decet, parum abhorrens famam: ampliatam deinde & abſolutam pro collegij ſententiâ, Pontifex Maximus abſtinere iocis, coliqueſanctè potiùs quàm ſcitè iuſſit.* Id oſtendit lex illa Syracuſanorum apud Athenæum libro 12. ex Philarcho referentem: Ὅτι παρὰ Συρακοσίοις νόμος ἦν τὰς γυναῖκας μὴ κοσμεῖσθαι χρυσῷ μηδ' ἀνθινὰ φορεῖν, μηδ' ἐσθῆτας ἔχειν πορφυρᾶς ἐχούσας παρυφάς, ἐὰν μή τις αὐτῶν συγχωρῇ ἑταίρα εἶναι κοινή. *Apud Syracuſanos lex erat ne mulieres auro, purpurâ, floridis veſtibus vterentur, niſi ſi qua ſe publicam meretricem eſſe concederet.* Quare eleganter S. Cyprianus de diſciplinâ & habitu Virginum: *Ornamentum ac veſtium inſignia & lenocinia formarum, non niſi proſtitutis & impudicis fœminis congruunt, & nullarum ferè precioſior cultus eſt, quàm quarum pudor vilis eſt.* Et paulò pòſt: *Fugiant caſtæ virgines & pudicæ inceſtarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium inſignia, ornamenta meretricum.* Et libro de pudicitiâ eleganter: *Cultus mulieris pudicæ pudicus ſit, adulterium fidelis nec in coloribus nouerit. veſtibus aurum intexere, quaſi precio eſt veſtes corrumpere. quid inter fila ſtaminũ delicata rigida faciunt metalla, niſi vt fluentes humeros premant, & luxuriam fœliciter ſe animi iactantis oſtendant. Quid cùm ceruices peregrinis lapidibus vrgentur & abſconduntur? quorum precia etiam ſine artibus Calendarium cuiuſuis excedunt? Non ornatur mulier, ſed vitia oſtenduntur,* &c. Quibus vides hunc ornatum magis meretricibus, quàm honeſtis matronis conuenire. Alium tamen ornatum matronis, alium meretricibus fuiſſe conceſſum Tertullianus oſtẽdit libro de cultu fœminarum: *Quid minùs habent infœliciſſimæ illæ publicarum libidinum victimæ? quas ſi quæ leges à matronis, & matronalibus decoramentis coërcebant iam certè ſeculi improbitas, quotidie inſurgens honeſtiſſimis quibuſque fœminis vſque ad errorem dignoſcendi coæquauit. quamquam lenocinia formæ nunquam non proſtituto corpori coniuncta & debita etiam ſcripturæ ſuggerunt.* Et quidem meretricibus non fuiſſe conceſſum legibus antiquis, vt aureis veſtib. vterentur videri poſſit. Sic enim Apuleius lib. 2. de aſino aureo: *Aurum*, inquit, *in gemmis & in tunicis, ibi inflexum, hic intextum, matronam profectò confitebantur.* Caius D. De iniuriis & fam. libellis l. 15. §. 15. *Si quis virgines appellaſſet, tamen ancillari veſte veſtitas minùs peccare videtur; multò minus ſi meretricià veſte fœminæ non matrum familiarum veſtitæ fuiſſent*, &c. Quem morem Tertullianus ſuo tempore queritur excidiſſe lib. de pallio: *Conuerte te & ad fœminas. habes ſpectare quod Cecina Seuerus grauiter Senatui impreſſit, Matrona ſine ſtolà in publico. Denique Lentuli auguris conſultis, quæ ita ſeſe exauctoraſſet pro ſtupro erat pœna: quoniam quidem iudices cuſtodéſque dignitatis habitus, vt lenocinij factitandi impedimenta ſedulo quadam deſueſecerant: ſed nunc in ſemetipſas lenocinando quo planitùs adeantur, & ſtolam, & ſupparum, & crepidulum, & calliandrum, ipſas quoque iam lecticas & cellas, queis in publico quoque domeſticè ac ſecretæ habebantur, eierauere.* Ex quibus verbis intelligis eum fuiſſe morem vt matronæ ſtolatæ, ſine ſtolis in publicum meretrices procederent, eúmque, vt opinor, legibus conſtitutum, ídque inter cætera cautum ne meretrices purpureis veſtib. vte-

Ornatus indicium mentis impudicæ.

Alius matronarum ornatus, alius meretricum.

Matronæ ſtolatæ.

rentur, quod matronis & iam olim & maximè poſt Oppiam legem abrogatam Liuius lib.4. dec. 4. conceſſum fuiſſe teſtatur. vnde Tertullianus ibidem: *Sed alius extinguit ſua lumina, alius non ſua accendit.* id eſt, ſed matronæ colorem ſibi cõceſſum relinquunt, meretrices inconceſſum ſibi colorem aſſumunt. Subdit enim: *Aſpice lupas popularium libidinum nundinas, ipſas quoque frictrices. Etſi præſtat oculos abducere ab eiuſmodi propudiis occiſæ in publico caſtitatis, aſpice tamen vel ſublimis iam. Matronas videbis: & cùm latrinarum antiſtes ſericum ventilat, & immundiorem loco ceruicem monilibus conſolatur, & armillis quas ex virorum fortium donis ipſæ quoque matronæ temerè vſurpaſſent, omnium pudendorum conſcias manus inſerit, impuro cruri purum malleolum inducit.* Ea præterea fuit inter matronalem meretriciúmque habitum diſtinctio, vt matronæ ſtolatæ, meretrices togatæ. & nonnunquam, vt reor, lacernatæ incederent. de ſtolâ alibi dicendum eſt. de toga meretricum vide Notas noſtras ad illa verba ſecundæ Philippicæ §. 31. *Sumpſiſti virilem togam quam ſtatim muliebrem togam reddidiſti.* Atque hæc ſatis ad Ciceronem. Operæ tamen precium fuerit longiùs excurrentem inſanos illos mulierum ſumptus oſtendere. Plinius lib.9. cap.35. *Lolliam Paulinam Caij principis matronam mediocrium ſponſalium cœnâ vidi ſmaragdis margaritíſque opertam, alterno textu fulgentibus quæ ſumma quadringenties colligebat.* id eſt, circiter vnum coronatorum millionem. Plinius cap.3. lib.33. de auro: *Netur ac texitur lanæ modò & ſine lana. Nos vidimus Agrippinam Claudij Principis, edente eo naualis prælij ſpectaculum, aſsidentem ei indutam paludamento, auro textili ſine aliâ materie.* Tertullianus de habitu mulierum: *Breuiſsimis loculis patrimonium grande profertur, vno lino decies ſeſtertium inſeritur. ſaltus & inſulas tenera ceruix fert, graciles aurium cutes Calendarium expendunt, & in ſiniſtrâ per ſingulos digitos de ſacris ſingulis ludit. hæ ſunt vires ambitionis, tantarum vſurarum ſubſtantiam vno & muliebri corpuſculo baiulare.* Quem imitatus S. Cyprianus cùm de lapillis feciſſet mentionem: *Quorum pretia ſine artibus Calendarium cuiuſuis excedunt.* Subiecit: *Vtrum vſus expoſcitur, an patrimoniorum inanis pompa monſtratur. mirum negotium, mulieres ad omnia delicatæ, ad vitiorum ſarcinas, fortiores ſunt viris.* Sed expreſſiùs ad Tertullianum D. Hieronymus in vita Pauli Eremitæ: *Qui domos marmoribus veſtiunt, qui vno filo villarum inſuunt precia,* &c. Trebellius Pollio de Zenobia cùm ab Aureliano in triumphum duceretur: *Fertur mulier fortiſsima ſæpiſsimè reſtitiſſe, cùm diceret ſe gemmarum onera ferre non poſſe.* Redeo ad Tertullianum: *Gemmarum quoque nobilitatem, inquit, vidimus Romæ de faſtidio Parthorum & Medorum cæterorúmque gentilium ſuorum, coram Matronis erubeſcentem: niſi quod nec ad oſtenſionem ferè habentur, latent in cingulis, ſmaragdi & cylindros vaginæ ſuæ ſolus gladius ſub ſinu nouit: & in peronibus vniones emergere de luto cupiunt: denique tantum gemmatum habent quod gemmatum eſſe non debet, ſi non comparet: aut ideo comparet, vt neglectum quoque oſtendantur,* &c. Vt mirum ſit quod in tantâ gemmarum frequentiâ lib. 22. tradit Ammianus: *Notum eſt enim ſub Maximiano Cæſare vallo Regis Perſarum direpto, gregarium quemdam, poſt ſacculum Parthicum in quo erant margaritæ, repertum, proiectis imperitiâ gemmis, abiſſe pellis ſolo nitore contentum.* Finiam vbi dixero has aureas veſtes videri fuiſſe variè figuratas. Cyprianus de laude Martyrij: *Nam licet precioſarum veſtium more purpura in imagines currat, & lenteſcentibus filis aurum erret ad ſpeciem,* &c. Quod ad purpuram ſpectat, eam propriam fuiſſe matronarum, maieſtatémque dictam videri, multa declarant. vide Liuium fusè in principio lib.4. dec. 4. Sic Plinius & Fabius purpuram prætextámque puerilem nominarunt. quæ maieſtas ſic ab Ouidio 15. Faſtorum deſcribitur purpurata:

Luxus matronarum in veſtibus.

-conſedit medio ſublimis olympo
Aurea purpureo conſpicienda ſinu.

Purpura matronarum.

Et verò purpuram ſic matronis propriam, vt quam ſibi nonnulli Imperatores negabant, eam matronis vltro concederent, Lampridius oſtendit in Alexandro: *Purpuræ clariſsimæ non ad vſum ſuum, ſed ad Matronarum, ſi quæ aut poſſent, aut vellent, certè ad vendendum grauiſsimus exactor fuit: Ita vt Alexandrina purpura hodiéque dicatur, quæ vulgo Probiana dicitur: idcirco quòd Aurelius Probus baphiis præpoſitus id genus muricis reperiſſet.* Et Flauius Vopiſcus in Aureliano in Capitolio fuiſſe dicit *Pallium breue purpureum laneſtre, ad quod cùm Matronæ atque ipſe Aurelianus iungerent purpuras ſuas, cineris ſpecie decolorari videbantur cæteræ diuini comparatione fulgoris. Hoc munus Rex Perſarum ab Indis interioribus ſumptum Aureliano dediſſe perhibetur,* &c. Vbi vides matronalis purpuræ, tanquam omnium pulcherrimæ fieri mentionem. Sed de ornatu ſatis. Cultum corporis maximè ad impudicas & meretrices pertinere D. Gregorius Nazianzenus ſic oſtendit περὶ τῶν καλλωπιζομένων γυναικῶν:

Cultus corporis.

Ταῦτ' οὐ σωφροσύνης τὰ σοφίσματα, μαχλοσύνης δὲ,
Πᾶν γὰρ ὃ τεχνάζεις ἄρσεσι, μαχλοσύνη.
Hæc lenocinij ſunt, non commenta pudoris.
Nam lenocinium eſt quod ſtruis arte viris.

Ideóque eleganter Seneca lib. de beata vita voluptatem *fucatam, & medicamentis pollinctam* appellat, inſtar cadaueris. Et quoniam, vt ex Tertulliano dixi, in curam capilli, cutíſque fucationem diſtinguitur, de ſingulis pauca dicenda ſunt. De cura capillorum pulchrè Iuuenalis Sat. 6. verſu 402.

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput: Andromachen à fronte videbis
Poſt minor eſt.-

Et D. Gregorius Nazianzenus περὶ γυναικῶν καλλωπιζομένων:

Μὴ κεφαλὰς πυργοῦτε νόθοις πλοκάμοισι γυναῖκες
Θρύπτουσαι μαλακοὺς αὐχένας ἐκ σκοπέλων.

vertit Federicus Morellus:

Crinibus adſcitis capiti faſtigia veſtro
Ne addite, conſpicua vt mollia colla ſient.

Sed nec ſenſum nec verba video hanc interpretationem admittere. libenter verterim,

Crinibus adſcitis capiti haud ſtrue fœmina turrim
Montibus aggreſtis mollia colla premens.

Cura capillorum.

Incidi poſtea in hanc Billij verſionem: *Cauete, ô mulieres, ne caput veſtrum nothis & adulterinis crinibus, tanquam turribus quibuſdam muniatis, mollia colla è ſcopulis delicatè oſtentantes.* Sed iudicet lector quàm obſcuriſſimi loci verſionem

[illegible]is

cæteris anteponat. Eleganter ſuo more Tertullianus: *Quid crinibus veſtris quieſcere nonlicet, modò ſubſtrictis, modò relaxatis: modò ſuſcitatis, modò eliſis: aliæ geſtiunt in cincinnis coërcere: aliæ vt vagi & volucres elabantur non bona ſimplicitate. affigitis præterea neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum quaſi vaginam capitis, eo operculum verticis nunc in ceruicem retro ſuggeſtum.* quos capillos in ceruicem retro ſuggeſtos videtur Nazianzenus ſcopulos nominaſſe. Idem Tertullianus paulò poſt: *Ne exuuias alieni capitis forſitan immundi, forſan nocentis & gehennæ deſtinati Chriſtiano capiti ſuppares.* Ouidius 3. de arte, qui plus æquo eſt in manibus. Sentius Augurinus:

Nec tibi multiplicem crines reuocentur in orbem.

Crines enim (vt notat Beruartius 1. Syluarum Statij epithalamio Stellæ & Violantillæ) in ſex aut ſeptem ſerta diſtinguebant. Martialis:

Portabat vxor rufa crinibus ſeptem.

Feſtus: *Senis crinibus nubentes ornantur, quod is ornatus vetuſtiſſimus fuit.* Hinc etiam illud Claudiani:

Illi multifidos crinis ſinuatur in orbes
Idaliâ diuiſus acu.

Vide Sextianam 18. Piſonianam 26. De curâ cutis, pigmentis & fuco, quam alteram eſſe cultus muliebris partem oſtendimus, præclarè Sanctus Gregorius Nazianzenus toto carmine περὶ τῶν γυναικῶν καλλωπιζομένων, vbi docet inter cætera, fucos meretricibus potiſſimùm conuenire:

Χρώματα μὲν τοίχοισι παρήσομεν, ἠδὲ γυναιξὶ
　Ταῖς ὁπόσαις λύσση βόρβορός ἐστι νέων.
Κείναις καὶ σκιρτῶσιν ἀναιδέα καὶ γελόωσιν
　Ἡμῖν δ' οὐδ' ὁράαν μαχλάδας ἐστὶ θέμις.

Morellus:

Ergo age, picturæ muris linquamus honorem
　Atque his, queis rabies ſpurcitia eſt iuuenum.
Turpiter & ſaltare his & ridere decebit
　Nobis vel meretricem intuitum eſſe nefas.

Non video quæ ſit iſta Latinitas. verte:

Eſt nobis viſâ vel meretrice nefas.　　vel:
Nobis proſtibulum cernere, grande nefas.

Cæterùm in huiuſmodi pigmentatas eleganter idem iocatur. eas appellans

Ἱστὸν Πηνελόπης, τὸν νὺξ λύεν, ἦμαρ ὕφαινεν
　Ἔνδοθι τὴν Ἑκάβην, ἔκτοθι τὴν Ἑλένην.

Morellus:

Telam Penelopes luce orſam, nocte retextam
　Nempe Hecuba eſt intus, ſed foris eſt Helena.

Et:

Μηδὲ Θεοῦ μορφὰς ἐπαλείφετε χρώμασιν αἰσχροῖς
　Ὥστε προσωπεῖα, κοὐχὶ πρόσωπα φέρειν.

Fucus muliebris.
Néve Dei formas picturâ inducite fœdâ,
　Vt iam non facies larua, ſed ora notet.

Poſt Clementem Alexandrinum qui lib. 3. pædagogi cap. 2. mulieres irriſit προσωπεῖα ποιούσας τὰ πρόσωπα. *quòd vultus in laruas conuerterent.* Huius locutionis leporem ſermo Latinus non admittit. vide eundem cap. 2. & 3. eiuſdem libri. parco Græcis. Tertullianus l. ſæpè citato à malis Angelis data fuiſſe dicit: *Medicamenta ex fuco quibus lanæ colorantur: & illum ipſum nigrum puluerem, quo oculorum exordia producuntur.* Mulieréſque in Deum grauiter oſtendit delinquere, *Quæ cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt: diſplicet illis nimirum plaſtica Dei.* &c. Et meritò, nam vt Cyprianus de diſciplinâ & habitu Virginum ait: *Manus Deo inferunt, quando id, quod ille formauit, reformare & transfigurare contendunt, neſcientes quod opus Dei eſt omne quod naſcitur, diaboli quodcunque mutatur. Si quis pingendi artifex vultum alicuius & ſpeciem, & corporis qualitates, æmulo colore ſignaſſet, & ſignato iam conſummatóque ſimulachro manus alius inſereret, vt iam formata iam picta quaſi peritior reformaret, grauis prioris artificis iniuria, & iuſta indignatio videretur. Tu te exiſtimas impune laturam tam improbæ temeritatis audaciam Dei artificis offenſam? vt enim impudica circa homines & inceſta fucis lenocinantibus non ſis, corruptis violatíſque quæ Dei ſunt, peior adultera detineris, quòd ornari te putas, quòd putas comi, impugnatio eſt iſta diuini operis, præuaricatio veritatis,* &c. vide locum. Ambroſius lib. 1. de Virginibus in hanc ſententiam: *Tolerabilioráque propemodum in adulterio crimina ſunt, ibi enim pudicitiâ, hîc natura adulteratur.* Taceo Hieronymum, qui ſæpè hac in re ſtylum exercuit. Arnobius eleganter libro 2. quem locum in Piſoniana §. 25. proferemus, tantùm nota huiuſmodi fucos ab eo dici, *caſtitatis impendio comparari.* Sed quoniam iam terminos breuitatis exceſſi, Attica tibi bellaria melliti Xenophontis exhibebo, apud quem in Oeconómico cap. 17. Iſchomachus ita Socrati loquens inducitur: Ἐγὼ τοίνυν, ἔφη, ἰδών ποτε αὐτὴν (τὴν γυναῖκα) ὦ Σώκρατες, ἐντετριμμένην πολλῷ μὲν ψιμυθίῳ ὅπως λευκοτέρα ἔτι δοκῇ εἶναι, ἢ ἦν, πολλῇ δ' ἐγχούσῃ, ὅπως ἐρυθροτέρα φαίνοιτο τῆς ἀληθείας, ὑποδήματα δ' ἔχουσαν ὑψηλά, ὅπως μείζων δοκοίη εἶναι, ἢ ἐπεφύκει, εἰπέ μοι, ἔφην, ὦ γύναι ποτέρως ἄν με κρίναις ἀξιοφίλητον μᾶλλον εἶναι χρημάτων κοινωνόν, εἴ σοι αὐτὰ τὰ ὄντα ἀποδεικνύοιμι, καὶ μή τι κομπάζοιμι ὡς πλείω τῶν ὄντων ἐστί μοι, μήτ' ἀποκρυπτοίμην τι τῶν ὄντων μηδὲν, ἢ εἰ ἐπειρώμην σε ἐξαπατᾷν, λέγων τε ὡς πλείω τῶν ὄντων ἐστί μοι, ἐπιδεικνύς τ' ἀργύριον κίβδηλον, δηλοίην τε καὶ ὅρμους ὑποξύλους, καὶ πορφυρίδας ἐξιτήλους φαίην ἀληθινὰς εἶναι, καὶ ὑπολαβοῦσα εὐθὺς, εὐφήμει, ἔφη, μὴ γένοιο σὺ τοιοῦτος. οὐ γὰρ ἂν ἔγωγε δυναίμην εἰ τοιοῦτος εἴης ἀσπάσασθαί σε ἐκ τῆς ψυχῆς. οὐκοῦν, ἔφην ἐγὼ καὶ σὺ συνεληλύθαμεν, ὦ γύναι, ὡς καὶ τῶν σωμάτων κοινωνήσοντες ἀλλήλοις; φασὶ γοῦν, ἔφη, οἱ ἄνθρωποι. ποτέρως ἂν οὖν, ἔφην ἐγὼ, τοῦ σώματος αὖ δοκοίην εἶναι ἀξιοφίλητος μᾶλλον κοινωνὸς, εἴ σοι τὸ σῶμα πειρῴμην παρέχειν τὸ ἐμαυτοῦ, ἐπιμελόμενος ὅπως ὑγιαίνοντε καὶ ἐρρωμένον ἔσται, καὶ διὰ ταῦτα τῷ ὄντι εὔχρως σοι ἔσομαι, ἢ εἴ σοι μίλτῳ ἀλειφόμενος, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπαλειφόμενος ἀνδρεικέλῳ, ἐπιδεικνυμί τ' ἐμαυτὸν, καὶ συνείην ἐξαπατῶν σε καὶ παρέχων ὁρᾷν, καὶ ἅπτεσθαι μίλτου ἀντὶ τοῦ ἐμαυτοῦ χρωτός. &c. vide. *Ego, ô Socrates, cùm eam vidiſſem ceruſſato vultu, vt candidior appareret, & miniato, vt rubicundior videretur quàm reapſe eſſet, excelſis cothurnis incedentem, vt ſe maiorem, quàm erat oſtenderet. Dic mihi, inquam, ô mulier, méne amore digniorem in bonorum communitate iudicares, ſi tibi, quas habeo diuitias ſine fuco & fallaciâ demonſtrarem, neque eas maiores quàm reuera ſunt, venditarem, neque quicquam earum abs te abſconderem, quàm ſi te conarer in fraudem inducere, dicens me maiores vero diuitias poſſidere, ſi tibi argentum adulteratum, & armillas intus ligneas, fucatam purpuram pro veris germaníſque oſtenderem. At illa ſtatim arrepto ſermone: Bona verba, quæſo, inquit, ne ita te geſſeris:*

Te

non enim ſi talis eſſes, te poſſem ex animo ſalutare. Ecquid, inquam, in mutuam corporum communicationem ambo conuenimus? Sic aiunt, inquit. vtrum igitur, inquam, dignior eſſem cui tecum eſſet corporis communicatio, ſi tibi corpus meum conarer, ſanum, vegetum, ac proinde bene coloratum exhibere quam ſi tibi vultu miniatus, oculis andricelo delibutis me ipſum tibi oſtenderem, tecúmque verſarer, te in fraudem inducens, & tibi pro corpore meo minium videndum & contrectandum exhiberem, &c. Fui longior. ſed quis ſibi in tantâ orationis ſuauitate temperaret? Poſt hanc apem Atticam, Doricam apem Meliſſam Pythagoream placet adducere. quæ epiſtolâ ad Claretam: Παραιτητέον, inquit, τὰν διαυγῆ καὶ διαπόρφυρον, καὶ χρυσόπαστα τῶν ἐνδυμάτων. ταῖς ἑταίραις γὰρ ταῦτα χρήσιμα, ποτὶ τὰν τῶν πλειόνων θήραν. τᾶς δὲ ποθ' ἕνα τὸν ἴδιον εὐαρεστούσας γυναικὸς κόσμος ὁ τρόπος πέλει, καὶ οὐχ αἱ στολαί. εὔμορφον γὰρ τὰν ἐλευθέραν ἅδεσθαι τῷ αὐτᾶς ἀνδρὶ ἀλλ' οὐ τοῖς πλησίον. ἔχεις δ' ἂν ἐπὶ τᾶς ὄψιος ἐρύθημα μὲν σαμεῖον αἰδοῦς ἀντὶ τῶ φύκεος. καλοκαγαθίαν δὲ καὶ κοσμιότητα καὶ σωφροσύναν ἀντὶ χρυσῶ καὶ σμαράγδω. *Aſpernanda*, inquit, *& reſpuenda veſtis pellucida, purpurea, aurata. Hæc enim meretricibus conducunt ad conditiones plurium colligendas: eius verò qui vni placere ſtudet, mores ſunt ornatus, non veſtes. pulchrum eſt enim & formoſum liberam mulierem, ſuo viro delectari, non alienis. Habes enim ad omnem ruborem verecundiam pro fuco, probitatem, modeſtiam, temperantiam pro auro & ſmaragdo.* & ille apud Petronium: *Quid Charchedonios optas ignes lapideos niſi vt ſcintillent? probitas eſt carbunculus.* vide etiam Plutarchum in præceptis coniugalibus. S. Chryſoſtomum homilia ad Romanos ſub finem. Quæ poſtrema tantùm non expreſſit Nazianzenus περὶ καλλωπιζομένων γυναικῶν·

Ἄνθος ἓν ἔστι γυναιξὶν ἐράσμιον, ἐσθλὸν ἔρευθος
Αἰδώς· τοῦτο χάραξε ζωγράφος ἠμέτερος.

Vertit Morellus:

Quis verus mulierum ornatus. *Vnus amabilis eſt mulieribus & color & flos*
Eque pudore rubor: pinxit eum ipſe Deus.

Sed omnium optimè Tertullianus ſub finem libri de cultu fœminarum: *Prodite vos iam medicamentis & ornamentis extructæ Apoſtolorum, ſumentes de ſimplicitate candorem, de pudicitiâ ruborem, depictæ oculos verecundiâ, & ſpiritus taciturnitate, inſerentes in aures ſermonem Dei, annectentes ceruicibus iugum Chriſti. caput maritis ſubiicite, & ſatis ornatæ eritis, lanis manus occupate, pedes domi figite, & pluſquam in auro placebunt. veſtite vos ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis, purpurâ pudicitiæ, taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem.* lege *inſerentes in aurea ſermonum Dei.*

VI. COMITATV.] Pudicæ mulieris & impudicæ comitatus à Macrobio 2. Saturn. cap. 5. deſcribitur: *Notum & illud: Auerterant in ſe populum in ſpectaculo gladiatorum, Liuia & Iulia, comitatus diſsimilitudine. quippe cingentibus Liuiam grauibus viris: hæc iuuentutis & quidem luxurioſæ grege circumſidebatur. Admonuit Pater ſcripto: Videret quantum inter duas principes fœminas intereſſet. Eleganter illa reſcripſit & hi mecum ſenes fient.* Senes autem in matronarum fuiſſe comitatu teſtatur Apuleius lib. 2. de aſino aureo. (Comitatus matronarum.) *Aurum in gemmis & in tunicis ibi inflexum, hìc intextum matronam profectò confitebantur: huius adhærebat lateri ſenex iam grauis in annis.* Sic & apud Syracuſanos teſte Philarcho lex erat: Τὴν ἐλευθέραν μὴ ἐκπορεύεσθαι ἡλίου δεδυκότος ἐὰν μὴ μοιχευθησομένην. ἐκωλύετο δὲ καὶ ἡμέρας ἐξιέναι ἄνευ τῶν γυναικονόμων ἀκολουθούσης αὐτῇ μιᾶς θεραπαινίδος. *Mulierem ingenuam poſt ſolis occaſum domo pedem non efferre, niſi ſi ſtuprum pati vellet. Interdiu verò vetabatur exire ſine cuſtode, & ancillâ quæ ſequeretur.* Athenæus lib 12.

NON FLAGRANTIA OCVLORVM.] VII. Flagrantia oculorum. Alij legunt, *Non fragrantia odorum.* vtrumque poteſt optimè loco conuenire. De oculorum flagrantiâ, quorum coniectu amor excitetur, vide quæ dicta ſunt ad §. 36. Virgilius 1.

Flagrantéſque Dei vultus, ſimulatáque verba.

Superiùs inter cætera impudicitiæ ſigna à Seneca eſt numeratus *flexus oculorum.* Huc illud Æſchyli eſt referendum:

Νέας γυναικὸς οὔ με μὴ λάθῃ φλέγων
Ὀφθαλμὸς, ἥ τις ἀνδρὸς ᾖ γεγευμένη.

Non me puellæ latebit iuuenis ignarum flagrãs
Oculus puellæ, ſi qua guſtarit virum,

Hinc illud Gellij lib. 3. c. 5. *Plutarchus refert Ageſilaum philoſophum vehementi verbo vſum eſſe, de quodam nimis delicato diuite, qui incorruptus tamẽ & caſtus, & perinteger dicebatur. nam quum vocem eius infractam, capillúmque arte compoſitum, & oculos ludibundos atque illecebræ voluptatiſque plenos videret: nihil intereſt, inquit, quibus membris cinædi ſitis poſterioribus, an prioribus.* Sed hoc loco plura dicenda non ſunt. quod ſpectat ad odorum fragrantiam, dicemus ad §. 18. orationis pro Sextio. Nunc illud vnum Nazianzeni loco ſæpè citato ſuffecerit:

Οὐδὲ μύροις μαλακοῖσι τεὸν δέμας, οὐδὲ κάρηνον
Χρίεσθαι, νεκροῖς ἀμφιέπουσι γύπες.

Mollibus & caput vnguentis aut vngere corpus
Quid prodeſt? vultur nempe cadauer amat.

Vnde Homerus 14. Iliados cùm Iunonis cultum deſcriberet, vnguenti meminit: (Fragrantia odorum.)

Τοῦ καὶ κινυμένοιο Διὸς ποτὶ χαλκοβατὲς δῶ
Ἔμπης ἐς γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἵκετ' ἀϋτμή.

Hoc vbi commotum eſt Iouis omnipotentis in æde
In cœlum & terras iucundum halauit odorem.

NON LIBERTATE SERMONIS.] VIII. Hanc libertatem ſermonis eſſe impudicæ mentis indicium cuiuis compertum eſt. atque hinc eſt quod Homerus 14. Iliados inter alias amoris illecebras ſuſurros & blandiloquentiam poſuerit.

Ἔνθ' ἔνι μὲν φιλότης, ἐν δ' ἵμερος, ἐν δ' ὀαριστὺς,
Πάρφασις, ἥ τ' ἔκλεψε νόον πύκα περ φρονεόντων.

Hic deſiderium eſt & amor, leneſque ſuſurri,
Hic eſt prudentes & blandiloquentia fallens.

Quare ſapientiſſimè monet Virgines carmine 3. Nazianzenus, vt ſe ab omni verborum procacitate cuſtodiant:

Παρθένε παρθένος ἴσθι, καὶ οὔασι, καὶ στομάτεσσι,
Καὶ γλώσσῃ. πᾶσιν γὰρ ἐπίτροχός ἐστιν ἁμαρτάς.
Οὔατα μὲν πίτναιντο μόνοις ἐσθλοῖσι λόγοισιν,
Αἰσχροῖσι δὲ θύρετρα, καὶ ἀφραδέεσσι πέτασθω.
Ὄμματα δ' ἐν νυμφῶσι τεοῖς βλεφάροισιν ἐρύχθω
Σώφρονα μηδὲ μάχλοις κινήμασι κέντρον ἐγείροι.
Χείλεα δ' αὖ καλύκεσσι ὁμοίια δέσμια κείσθω
Καὶ μῦθος πιέζοιτο. πολὺς δ' ὑστερόπλοον ἰόντες
Ψευσταὶ παρθενίης, καὶ ἴθματα πόρνον ἔχει τι.

Libertas ſermonis ſignũ mentis parum pudicæ.

Morellus vertit:

Virgo ſis oculis ſis ore atque auribus ipſis
Virgo, nam tribus his facile eſt diſcedere recto.
Egregiis tantùm pateant ſermonibus aures:
Turpibus & ſtultis claudatur ianua verbis.
Quinetiã velut in Thalamo tua lumina claude

Inuolucris deuincta ſuis: nec motibus illa
Laſciuis ſtimulent veſano pectus amore,
Vtque latet roſa verna ſuo putamine clauſa,
Sic os vincla ferat, validíſque arctetur habenis,
Indicátque ſuis prolixa ſilentia labris.
Nec verò caſtam te iactes eſſe, ſuperbè
Si graderis. greſſus eſt quædam nempe libido.

Aiax Sophocleus:

Γύναι, γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.
Mulier, mulieri fert decus ſilentium.

IX. Procax. SED ETIAM PROCAX.] Alij legunt, *vt non ſolùm meretrix, ſed etiam proterua meretrix videatur.* de voce proterua §.38. iam antè dictum eſt. procacitatem etiam meretricibus conuenire oſtendit illud Saluſtij, in Catilinario de Sempronia muliere impudicâ: *Iocum mouere, ſermone vti, vel modeſto, vel molli, vel procaci, prorſus multa facetiæ multúſque lepos inerat.* Macrobius lib. 2. Saturn. cap. 5. *Blandiebatur ſibi Auguſtus, catum in filiâ animum, vſque ad ſpeciem procacitatis, ſed reatu liberum: & talem fuiſſe apud maiores Claudiam credere audebat.* Terentius Heaut. ſc. 2. act. 2.

Mea eſt potens, procax, magnifica, ſumptuoſa, nobilis.

Donatus: *Procare, poſcere eſt, vnde procaces meretrices ab aſſiduè poſcendo.* Martianus Capella libro octauo: *Impatiens atque inuerecundis procax ac proteruus aſſultibus.* paulò pòſt: *Cupido vel Satyrus petulantis auſus procacitate diſsiliunt.* Claudianus lib. 1. in Eutropium:

Haud aliter iuuenum flammis Ephyreia Lais
Et gemino ditata mari, cùm ſerta refudit
Canicies, iam turba procax, noctíſque recedit
Ambitus, & raro pulſatur ianua tactu,
Séque reformidat ſpeculo damnante ſenectus.

X. FVERIT.] Varro de linguâ lib. 5. *Et Acciacum illud, obuiolauit, &c. à quo etiam violauit virginem pro vitiauit dicebant. atque eadem modeſtiâ potiùs cum muliere fuiſſe quàm concubuiſſe dicebant.* Græcis συνεῖναι, συνουσία, συγγίνεσθαι.

ADVLTER.] Superiùs dixit: *Si qua non nupta.* at verò Papinianus D. Ad legem Iuliam de adult. l. 6. *Propriè adulterium in nuptâ committitur propter partum ex altero conceptum compoſito nomine. ſtuprum verò in virginem viduámve committitur. quod Græci φθορὰν appellant.* Et Modeſtinus eodem 34. *Adulterium in nupta admittitur: ſtuprum in viduâ, vel virgine, vel puero committitur.* XI. Adulter.

EXPVGNARE PVDICITIAM.] Seneca præfatione libri 1. controuerſ. *Expugnatores alienæ pudicitiæ, negligentes ſuæ.* Cyprianus initio libri de pudicitiâ: *Beata ipſa & beatos efficiens apud quoſcunque habitare dignatur, quam nunquam accuſare poſſunt, nec qui eam non habent, venerabilis etiam hoſtibus ſuis, dum multò magis illam mirantur qui eam expugnare non poſſunt.* XII.

EXPLERE LIBIDINEM.] Heliodorus Æthiop. 1. Καὶ σιωπῶσαν πληροῦν τὴν ἐπιθυμίαν. *Et cum ſilentio explere libidinem.* Voluptates autem, vt pulchrè diſſerit Plato, in vacuitatis expletione conſiſtunt, vnde argumentatur. nullam earum quæ ſenſibus percipiuntur, propriè dicendam eſſe voluptatem. Εἰ ἄρα τὸ πληροῦσθαι τῶν φύσει προσηκόντων ἡδύ ἐστι, τὸ τῷ ὄντι, καὶ τῶν μᾶλλον ὄντων πληρούμενον μᾶλλον ὄντως τε καὶ ἀληθεστέρως χαίρειν ἂν ποιοῖ ἡδονῇ ἀληθεῖ. τὸ δὲ ἧττον ὄντων μεταλαμβάνον ἧττόν τε ἂν ἀληθῶς καὶ βεβαίως πληροῖτο, καὶ ἀπιστοτέρας ἂν ἡδονῆς καὶ ἧττον ἀληθοῦς μεταλαμβάνοι. XIII.

AXIOMATA.

Mulier non debet vti virorum alienorum conuiuiis.
Mulieris mores noſcuntur inceſſu, ornatu, comitatu.

ARGVMENTVM.

Eleganti apoſtrophe auerſo à iudicibus ſermone ad Clodiámque conuerſo, exprobratâ priùs eius in coniugem liberóſque Tullij crudelitate, cum eâ rem defenſioníſque rationem communicans, eandem graui dilemmate perſtringit: vel enim pudica fuit Clodia, vel impudica, ſi pudica Cœlius non eſt cum eâ libidinosè verſatus, ſi impudica, non eſt magis Cœlio quàm ipſi Clodiæ ab hoc impudicitiæ crimine metuendum.

OBLIVISCOR iam iniurias, Clodia: depono memoriam doloris mei: L.
quæ abs te crudeliter in meos, me abſente, facta ſunt, negligo, ne ſint hæc in te dicta, quæ dixi: ſed ex te ipſa requiro, quoniam & crimen accuſatores abs te, & teſtem eius criminis te ipſam dicunt ſe habere: ſi qua mulier ſit huiuſmodi, qualem ego paullo ante deſcripſi, tui diſſimilis, vita, inſtitutóque meretricio, cum hac aliquid adoleſcentem hominem habuiſſe rationis, nũ tibi perturpe, aut perflagitioſum eſſe videatur? Ea ſi tu non es, ſicut ego malo, quid eſt quod obiiciant Cœlio? ſin eam te volunt eſſe: quid eſt, cur nos crimen hoc, ſi tu contemnis, pertimeſcamus? Quare nobis da viam rationémque defenſionis. nam aut pudor tuus defendet, nihil à M. Cœlio petulantius eſſe factum, aut impudentia & huic, & cæteris magnam ad ſe defendendum facultatem dabit.

EXPLANATIO.

OBLIVISCOR IAM INIVRIAS.] Acerba excuſatio, dum enim, ſuperiora in Clodiam dicta fuiſſe deprecatur, fingens ſe ab ea orationem abducere, eo magis id impudicitiæ crimen tacitis iudicum ſenſibus cogitandum reliquit, quod quæ de meretrice dicta ſunt, ea

omnia in Clodiam optimè cadere videantur: deinde iniuriarum obliuionem præ ſe ferens obiter exprobrat eam crudelitatem, quam Clodia in Ciceronis coniugem exercuit:eâ enim vt credere par eſt,fratrem ſuum P. Clodium inſtigante, Terentia Tullij exulantis coniux ad tabulam vſque Valeriam raptata, vexata Tulliola, Ciceronis filius ad necem quæſitus eſt, vt ex epiſtolâ 2. lib. 14. ad familiares, & oratione pro domo ſuâ rem innuit, nullam tamen Clodiæ faciens mentionem.

SED EX TE IPSA REQVIRO.] Eſt communicatio oratoria. priùs tamen rationem reddit cur Clodiæ partem huius conſultationis impertiat, quòd ſcilicet accuſatores eius vnius contra Cœlium teſtimonio niterentur.

TVI DISSIMILIS.] Per ironiam:ſic enim meretricem deſcripſerat vt omnia Clodiæ conuenirent.

ADOLESCENTEM.] Qualis eſt Cœlius,qui tecum dicitur aliquid habuiſſe rationis.

EA SI TV NON ES.] Si non es impudica,procax,petulans,meretrix,ſicut ego malo te eſſe.(facilius enim erit hac ratione Cœliū ab omni ſuſpicione libidinis expedire.) Quid eſt quod obiiciant Cœlio,eúmque cum honeſtâ matronâ parum honeſtè verſatum eſſe dicant? quaſi verò cum pudicâ muliere potuerit libidinis habere conſortium.

SIN EAM TE VOLVNT ESSE.] Si accuſatores à te ſubornati & inſtructi, vt faciliùs Cœlium libidinis accuſent,te impudicam & meretricem eſſe confitentur, cur nos hîc libidinis crimen pertimeſcamus, cùm tu minimè pertimeſcas?

QVARE NOBIS DA VIAM.] Nobis præſcribe an impudicam illam & libidinoſam familiaritatem,quam Cœlius tecum habuiſſe iactatur, negare debeat, an confiteri.

NAM AVT PVDOR TVVS DEFENDET.] Nam ſi pudore & verecundiâ matronali negaueris te aut eſſe meretricem, aut libidinoſas adoleſcentium familiaritates admittere; Cauſſa Cœlij erit expedita: conſtabit enim eum libidinosè tecum non potuiſſe verſari. aut ſi tam impudens fueris, vt, & impudicam & meretricem eſſe fatearis,magnam & Cœlio, & cæteris adoleſcentibus ſui defendendi facilitatem dabis. dicent enim ſe reprehenſione dignos non eſſe quod aliquid habuerint cum meretrice rationis: quod ſemper adoleſcentiæ conceſſum eſt.

NOTÆ.

I. Clodianorū crudelitas in Ciceronem.

CRVDELITER IN MEOS.] De crudelitate quam P. Clodius Clodiæ frater in coniugem liberóſque Ciceronis exulantis, exercuit oratione pro domo §. 59. *Quid enim vos uxor mea miſera violarat? quam vexauiſtis, raptauiſtis, omni crudelitate laceraſtis. Quid mea filia? cuius fletus aſsiduus, ſordéſque lugubres vobis erant iucundæ, cæterorum omnium mentes oculóſque flectebant. Quid paruus filius? quem quamdiu abfui, nemo niſi lacrymantem confectúmque vidit, quid fecerat quòd eum toties interficere voluiſtis? Quid? frater meus*, &c. Et epiſt.2. lib.14. ad familiares ſic ipſi Terentiæ reſcribit: *Nam ad me P. Valerius homo officioſus ſcripſit, id quod ego maximo cum fletu legi, quemadmodum à Veſta ad tabulam Valeriam ducta eſſes.* Sed de hac Clodianorum in ſuos crudelitate ipſe alibi ſæpiſſimè.

TESTEM EIVS CRIMINIS.] Vide §.35. huius ipſius orationis, vbi diſputatum eſt an mulieres, & quænam teſtimonij dicendi ius haberent. certè vel ex hoc ipſo loco liquere poteſt mulieribus ſaltem ob certas cauſas fas fuiſſe ad teſtimonium in iudicio dicendum accedere. Vlpianus D. Qui teſtamentum facere poſſunt. lege 20. §. 6. *Mulier teſtimonium dicere in teſtamento quidem non poterit. aliàs autem poſſe teſtem eſſe mulierem argumento eſt lex Iulia de adulteriis, quæ adulterij damnatam teſtem produci, vel dicere teſtimonium vetat.* Notat Gothofredus D. De teſtibus l. Ex eo. *Tempore Ciceronis mulieres teſtimonij dictionem habuiſſe. Verrinâ tertiâ. antiquitus non habuiſſe. l.1. C.25. de rapt. & magni beneficij loco teſtimonij dictionem mulieribus eſſe conceſſam.* Gellius 7. Noct. Att. Ius canonicum videtur eas à teſtimonio dicendo penitus excludere Decreti 2. parte, cauſa 33. qu.5. ex Auguſtino: *Mulierem conſtat ſubiectam dominio viri eſſe, & nullam auctoritatem habere, nec docere enim poteſt, nec teſtis eſſe, nec fidem dare, nec iudicare: quanto magis non poteſt imperare?* Excipiuntur tamen certi caſus de quibus gloſſa conſulatur. II.

Teſtimoniū mulieris.

SI QVA.] Hoc loco pueri duo notare poterunt ad ſermonis elegantiam. alterum eſt poſt dictionem *ſi*, non facilè pronomen *quæ*, ſed *qua* reperiri. alterum non ſolere pronomen *aliquis*, ſed *quis*, poſt particulam *ſi* adiungi, 10. Æneidos: III.

Rhebe diu (res ſi qua diu mortalibus vlla eſt)
Viximus.

Item in Bucolicis 3.

Te duce ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri
Irrita perpetuâ ſoluent formidine terras.

Liuius tamen lib.39. in oratione Poſthumij *ſi aliquid*, dicit: *Equidem nec quid taceam, nec quatenus proloquar inuenio. ſi aliquid ignorabitis, ne locum negligentiæ dem: ſi omnia nudauero, ne nimium terroris offundam vobis, vereor.* Quod fortaſſe, vt Fabij verbo loquar, Patauinitatem redolet.

AXIOMATA.

Obliuiſci debemus iniurias & deponere memoriam doloris noſtri.

Nihil eſt cur reus illud, quod accuſator contemnit, crimen pertimeſcat.

Crimen de auro commodato: quo iactabatur Cœlium aurum à Clodia accepiſſe. quod ſeruis L. Lucei daret ad hoſpitem Luceij Dionem legationis Alexandrinæ principem necandum. Confutatur id crimen à § 51. ad 56.

- à remotione
  - antecedentium, ſiue cauſſarum
    - finalis 51. 52. 53.
      - Si reſciuit Clodia quem ad finem aurum peteretur, cædis conſcia fuit, eodémque ſcelere ſe deuinxit.
      - Si non reſciuit, tam familiaris non erat Cœlio vt aurum ei commodaret.
    - efficientis
      - voluntatis à perſona Cœlij, eiúſque
        - moribus.
        - ingenio.
        - prudentiâ.
      - facultatis. 53.
        - rei perficiendæ.
        - facinoris occultandi.
  - comitantium, ſiue circumſtantiarum. 53.
    - loci.
    - temporis.
  - conſequentium, vt ſignorum & facti veſtigiorum. 53. 55.
- à Lucij Luceij teſtimonio. 54. quod
  - & abſolutè laudatur, quia in gratiã Cœlij mentiri noluiſſet. 54.
    - Vel ob iuriſiurandi religionem morúmque ſuorum ſanctitatem.
    - Vel ob magnitudinem iniuriæ, quam Cœlius cæde Dionis intuliſſet.
    - Vel ob amorem Dionis, cuius ille mortem perſequi voluiſſet.
  - & comparatione cũ aduerſariorum teſtimonio. 55.
    - & domibus vnde teſtimonia proferuntur.
      - contra Cœlium teſtimoniũ profertur ex domo
        - inimicâ.
        - infami.
        - crudeli.
        - facinoroſâ.
        - libidinoſâ.
      - pro Cœlio ex domo
        - quæ tentata ſcelere iſto dicitur.
        - & plena eſt
          - integritatis.
          - officij.
          - religionis.
    - à perſonis quarum teſtimonia proferuntur.
      - contra Cœlium teſtatur Clodia mulier
        - temeraria.
        - procax.
        - irata.
      - pro Cœlio teſtatur Luceius vir
        - grauis.
        - ſapiens.
        - moderatus.

ARGVMENTVM.

Poſtquam ſuperioribus criminibus tum aliis, tum maximè impudicitiæ reſponſum eſt, ad alia duo de auro ad necandum Dionem ſumpto à Clodiâ, & veneno in Clodiam parato, ne aurum redderet, factâ per allegoriam tranſitione, & eorum, quæ dicenda reſtant breui diuiſione, delabitur.

LI. SED quoniam emerſiſſe iam è vadis, & ſcopulos præteruecta videtur oratio mea, perfacilis mihi reliquus curſus oſtenditur. Duo ſunt enim crimina vna in muliere ſummorum facinorum: auri, quod ſumptum à Clodia dicitur: & veneni, quod eiuſdem Clodiæ necandæ cauſſâ paraſſe Cœlium criminantur: Aurum ſumpſit, vt dicitis, quod L. Lucceij ſeruis daret, per quos Alexandrinus Dio, qui tum apud Lucceium habitabat, necaretur. Magnum crimen vel in legatis inſidiandis, vel in ſeruis ad hoſpitem domi necandum ſollicitandis: plenum ſceleris conſilium, plenum audaciæ.

EXPLANATIO.

SED QVONIAM.] Tranſitio eſt allegorica à nauibus ſumpta dicendi ratione. Quoniam, inquit, orationis partem maximè difficilem & periculoſam reo, patrono autem ob infamiæ periculum, ne libidinis patrocinium ſuſcepiſſe videretur, maximè ſuſpectam & moleſtam abſoluimus, reliqua quæ dicenda reſtant facilia ſunt & expedita. de ſingulorum verborum ſignificatione, vide Notas.

DVO SVNT ENIM.] Propoſitio & diuiſio eorum quæ reliquâ oratione dicenda ſunt.

VNA IN MVLIERE.] Clodia. duo autem illa crimina in vna muliere dicit conſtitiſſe, quia & ab eadem aurum ſumpſiſſe, vt per ſeruos alienos precio corruptos Dionem occideret, & venenum in ipſam Clodiam paraſſe ferebatur.

ALEXANDRINVS DIO.] Princeps centum illorum legatorum, quos Alexandrini Romam miſerant, vt de Ptolemæi Regis crudelitate & auaritiâ gererentur.

MAGNVM CRIMEN.] Crimen exaggerat ſimul ad attentionem fatigatis iam auditoribus colligendam, ſimul ad oſtentandam ſuam in cauſâ fiduciam. neque enim factum augeret dicendo, niſi ſperaret ſe nullo negotio criminationem poſſe diſſoluere.

INSIDIANDIS.] Alij legunt *violandis*, alij *per inſidias violandis*, alij *inſidioſè violandis*. Sed non video quid religionem aut ſcrupulum mouerit, cóſque à vulgatâ lectione dimouerit.

VEL IN SERVIS DOMI NECANDVM.] Alij legunt, *vel in ſeruis ad hoſpitem domini necandum ſollicitandis*. Vtramque probo lectionem: elegantior tamen videtur illa *Domini*. Sic enim ſerui ad Dominum bellè referentur.

PLENVM SCELERIS CONSILIVM, PLENVM AVDACIÆ.] Hîc nota ipſo ſcelere atrociorem eſſe audaciam: ſcelus enim ipſo contemptu, audacia contemptu legum & licentiâ continetur.

NOTÆ.

SED QVONIAM.] Oratio ſæpè cum naue aut nauigatione comparatur. 4. Tuſc. §. 33. locus habetur huic ſimillimus: *Habes ea quæ de perturbationibus enucleatè diſputant Stoici quæ logica appellant, quia diſputantur ſubtiliùs. E quibus quoniam, tanquam è ſcrupuloſis cotibus enauigauit oratio, reliquæ diſputationis curſum teneamus.* Iam dixerat §. 8. *Vtrum mauis? ſtatímne nos vela facere, an quaſi è portu egredientes paululùm remigare?* & §. 9. *Quærebam igitur, vtrum panderem vela orationis ſtatim, an eam antè paululùm dialecticorum remis propellerem.* in oratore §. 75. *Sed ingredientibus conſiderandum fuit quid ageremus: nunc quidem iam, quocunque feremur, danda nimirum vela ſunt.* Sidonius Apollinaris lib. 9. epig. 16. I. Oratio cum naui comparata.

Iam per alternum pelagus loquendi
Egit audacem mea cymba curſum,
Nec bipartito timuit fluento
Flectere clauum.
Soluit antemnas, ligat alta vela,
Palmulam ponit manus, atque tranſtris
Littori iunctis petit oſculandam
Saltus arenam. &c.

Vide. Gregorius verò Nazianzenus Epitaphio Baſilij, vt ſenſu, ita tranſlatione penè contraria: Τὸ μὲν δὴ μέχρι τούτων εὔδρομος ἡμῖν ὁ λόγος, καὶ διὰ λείας τῆς ὁδοῦ φέρων, καὶ ἄγαν εὐπόρου, καὶ βασιλικῆς ὄντως τῶν τοῦ ἀνδρὸς ἐγκωμίων. τὸ δ' ἐντεῦθεν, οὐκ οἶδ' ὅτι τῷ λόγῳ χρήσωμαι, καὶ ποῖ τράπωμαι, ἔχει γάρ τι καὶ προσάντες ἡμῖν ὁ λόγος. *Hactenus facilis fuit nobis ſermo, & per planam veréque regiam viam proceßit huius viri laudatio. Quod ſupereſt non video qua ratione loquar, quóve me vertam, habet enim aliquid arduum & præceps oratio.* Et 2. de oratore §. 187. Antonius loquens de ſua perorandi ratione: *Si ſe dant, &, vt antè dixi ſua ſponte, quo impellimus, inclinant, atque propendent: accipio, quod datur, & ad id, vnde aliquis flatus oſtenditur, vela do.* Ad eandem allegoriam ſpectat illa pro Sextio §. 13. inſignis tranſitio: *Verùm hæc ita prætereamus, vt tamen intuentes & reſpectantes relinquamus. ad Tribunatum, quia ipſe, ad ſeſe iam-*

dudum vocat, & quodammodò abſorbet orationem meam, contento ſtudio curſúque veniamus. Cæterùm vt oratores ad ſuas orationes, philoſophi ad diſputationes, ſic etiam Poëtæ ad ſuam poëſim eandem allegoriam tranſtulerunt. Naſo primo Faſtorum.

-& timidæ dirige nauis iter.

Poſt quem Ronſardus primo Franciados.

Sers moy de Phare, & gardes d'abyſmer
Ma nef, qui flotte en ſi profonde mer.

Et Iuuenalis ſat. 1. ſic ad ſcribendas ſatyras ſeipſum cohortatur.

Omne in præcipiti vitium ſtetit, vtere velis,
Totos pande ſinus.

E VADIS.] S. Hieron. ad Heliodorum de laude vitæ ſolitariæ hunc locum fœliciter expreſſit. *Sed quoniam è ſcopuloſis locis enauigauit oratio, & inter canas ſpumeis fluctibus cautes fragilis in altum cymba proceſſit, pandenda vela ſunt ventis, & quæſtionum ſcopulis tranſuadatis, lætantium more nautarum, epilogi celeuma cantandum eſt.* Eodem ſenſu Pindarus, Ode 10. Pythiorum, Epodo 3.

Κώπαν σχάσον. ταχὺ δ' ἄγκυραν
Ἔρεισον χθονὶ
Πρώραθεν χοιράδος ἄλκαρ πέτρας·
Ἐγκωμίων γὰρ ἄωτος ὕμνων
Ἐπ' ἄλλοτ' ἄλλον, ὥτε μέ-
λισσα θύνει λόγον.

Remum inhibe, ſubitóque ancoram firmato in terram è prora, munimentum aduerſus ſcopulos in mari latentes. Laudatoriorum enim flos hymnorum, aliàs ad alium, ſicut apis, feſtinat ſermonem. Vide etiam apud Lucianum in Deorum concione ſub finem pulchra magis, quàm pia. Ariſtophanes in ranis.

Μὴ πρὸς ὀργὴν ἀντιλέξῃς
Ἀλλὰ συστείλας, ἄκροισι
Χρώμενος τοῖς ἱστίοις.

Caue iracundè reſpondeas, ſed vela contrahens, velis vtens extremis. Preſsè Themiſtius in ſophiſta, ſed tamen obſcuriùs. Τὸν μὲν δὴ ἔμμισθον σοφιστὴν μόλις πως ἄρα διανενεύκαμεν. *Mercenarium iam ſophiſtam ægrè aliquando natando tranſmiſimus.*

II. SCOPVLOS.] Scopulos aut ſaxa in mari dici cuiuis compertum eſt, quod proinde non debet explicari. [Duæ Cypriani auctoritates ex eodem libro de laude martyrij depromptæ ſuffecerint.] Chryſoſtomus homil. 22. in epiſtolam ad Romanos. Καὶ χειμῶνα ἐπὶ χειμῶνι συνάγεις, καὶ τὸν εἰς λιμένα καταφυγόντα, σκοπέλῳ προσαράξαι ποιεῖς, καὶ ναυάγιον ἐργάζῃ τῶν ἐν τῇ θαλάσσῃ χαλεπώτερον. *Et tempeſtatem tempeſtati ſuperaddis, fugientémque ad portum, in ſcopulum incidere ac naufragium marino grauius pati facis. Tunc ergo omne fidei robur expenditur, tunc credulitas comprobatur cùm in ſermones vulgi, atque in opprobrium veneris: cúmque te contra illas populares inſanias, religioſâ mente firmaueris, conuincens ſcilicet ac repugnans quicquid ſuper perſonâ tuâ, in iniuriam Chriſti prophanus ſermo iactauerit: vt cùm aduerſo mari moles oppoſita reluctatur, feriant licèt fluctus & reuolutum æquor identidem pulſet, tamen hæret immobilis virtus, nec vndis circumſpumantibus adoperta ſuccumbit, donec per ſcopulos vis digeſta ſe ſupprimat, & ſuperiacens ſaxis in aperta littoris ſpatia victum æquor euadat.* Item: *Et cum cœlo imber incumbit, pluuius aër triſta oſtendit, & quoties atra tempeſtas horrenti imminet pelago, per interapertam nubium noctem, coruſca ignium fulmina relucеſcunt: ſed & cum magnis mare fluctibus voluitur, paulatim vnda ſe tollit, paulatímque æquor albeſcit, donec cernas ita poſtmodum ruere, vt in illis quibus retunditur ſaxis ſpumam altiùs faciat, quam vndam tumidum æquor expuebat.* Quæ prolata ſunt non tam vt ſcopuli ſignificationem exponerem (quid enim cuiuis magis expeditum? quàm ne quis hanc Ciceronis allegoriam & tranſitionem, Aſiaticam, tumidam, inflatam exiſtimet, ſi cum Patre modeſtiſſimo & diſertiſſimo comparetur. De quo genere orationis (ne te morer) vide Plinium Iuniorem libro 9. epiſt. 26. multa de iis oratoribus diſſerentem, qui *nihil peccant, niſi quòd nihil peccant.* Porrò ſcopuli nomen aut ἀπὸ τοῦ σκοπεῖν, quòd ex iis proſpectus in mare pateat, ductum exiſtimant. vnde illud Maronis. Scopulus.

Æneas ſcopulum interea conſcendit, & omnem,
Proſpectum late pelago petit.-

Et Catulli:

Vnde aciem in pelagi vaſtos portenderet æſtus.

Alij ἀπὸ τοῦ σκεπάζειν, quòd naues & curſus ſcopulis obtegantur. ad quod etymon hic orator noſter videtur alludere, poſtquam enim dixit *præteruecta ſcopulos.* ſubiicit, *curſus oſtenditur.* Scopulas in fœminino genere Tertullianus vſurpat cap. 2. de pallio. *Quid non aliud ex alio mutat? & montium ſcopulæ decurrendo, & fontium vena colluando, & fluminum via obumbrando.*

PRÆTERVECTA.] Bene præteruecta. naues enim vehicula & currus nominantur. Catullus in nuptiis. III. Nauis maris vehiculum.

Ipſa leui fecit volitantem flamine currum.

Nonnus: ἁλίδρομον ἅρμα θαλάσσης.

Nomen porrò (præteruectionis) ſic in re nautica commune eſt, vt videatur ad eam penè ſolam pertinere. Virgil. Præteruchi

-& viuo præteruehor hoſtia ſaxo.

CVRSVS.] Signanter, curſus enim in nauigatione. Virgilius 3. Æneidos. IV. Curſus.

Excutimur curſu & cæcis erramus in vndis.

Item:

Qua curſus, ventúſque, gubernatórque vocabant.

Sed præter ea quæ iam ſuperiùs è variis auctoribus allata ſunt, oratio cum curſu & nauigatione à D. Baſilio homilia εἰς τὸ πρόσεχε σεαυτῷ, longè pulcherrimè comparatur. Εἰ μὲν γὰρ γυμνῇ τῇ ψυχῇ διεζῶμεν, εὐθὺς ἂν ἀπὸ τῶν νοημάτων ἀλλήλοις συνεγινόμεθα. ἐπειδὴ δὲ ὑπὸ παραπετάσματι τῇ σαρκὶ καλυπτομένη ἡμῶν ἡ ψυχὴ τὰς ἐννοίας ἐργάζεται, ῥημάτων δεῖ καὶ ὀνομάτων πρὸς τὸ δημοσιεύειν τὰ ἐν τῷ βάθει κείμενα. ἐπειδὰν οὖν ποτε λάβηται φωνῆς σημαντικῆς ἡ ἔννοια ἡμῶν, ὥσπερ πορθμείῳ τινὶ τῷ λόγῳ ἐποχουμένη, διαπερῶσα τὸν ἀέρα ἐκ τοῦ φθεγγομένου μεταβαίνει πρὸς τὸν ἀκούοντα. κἂν μὲν εὕρῃ γαλήνην βαθεῖαν, καὶ ἡσυχίαν, ὥσπερ λιμέσιν εὐδίοις καὶ ἀχειμάστοις ταῖς ἀκοαῖς τῶν μανθανόντων ὁ λόγος ἐνορμίζεται. ἐὰν δὲ οἷον ζάλη τις τραχεῖα, ὁ παρὰ τῶν ἀκουόντων θόρυβος ἀντιπνεύσῃ, ἐν μέσῳ τῷ ἀέρι διαλυθεὶς ἐναυάγησε. ποιήσατε τοίνυν γαλήνην, τῷ λόγῳ διὰ τῆς σιωπῆς. *Si enim ſolâ mente viueremus, nobis inuicem ſtatim ſola cogitatione loqueremur. Quandoquidem verò anima noſtra aulæo carnis velata ſuas cogitationes operatur, verbis & nominibus opus eſt, vt ea promulgentur quæ in profundum abſtruſa deliteſcunt. Cùm igitur noſtra cogitatio vocem ſignificatiuam, vt vectorem acceperit, tranſfretans aërem, ad audientem dela-* Cur oratio cũ naui conferatur.

bitur. Et ſi profundam ſerenitatem inuenerit & quietem, tanquam in portu tranquillo & non fluctuante, ſic in diſcentium auribus oratio conquieſcit. Si verò tanquam aſpera quædam procella tumultus audientium reflauerit, in medio aëre diſſoluta facit naufragium, præſtate igitur tranquillitatem orationi meæ veſtro ſilentio, &c. Nec alio ſenſu Hippias Platonicus in Protagora Socratem hortatur. ἐφεῖναι καὶ χαλάσαι ἡνίας τοῖς λόγοις, ἵνα μεγαλοπρεπέστεροι καὶ εὐσχημονέστεροι ὑμῖν φαίνωνται, μήτ' αὖ Πρωταγόραν πάντα κάλων ἐκτείναντα, οὐρίᾳ ἐφέντα, φεύγειν εἰς τὸ πέλαγος τῶν λόγων, ἀποκρύψαντα γῆν. *Emittere & laxare habenas ſermonibus, vt magnificentiores & concinniores eſſe videantur, neque viciſſim Protagoram omnes rudentes tendentem, obſecundantibus ventis afflatum, longè à terræ conſpectu fugere in pelagus ſermonum.* Hæc ille quibus magnificentiora qui deſiderat; non video quid deſideret. quem imitatur Dio Chryſoſtomus oratione 4. de regno. Πάντα αὐεὶς κάλων μάλα ὑψηλῶς καὶ ἀδεῶς τὸν ἑξῆς διεπέραινε λόγον. *Omnem immittens rudentem, excelsè intrepidéque ſequentem abſoluit ſermonem.* non κακῶς, vt malè in vulgatis.

V. VEL IN LEGATIS INSIDIANDIS.] Papinius 2. Thebaidos.

> *-nocturnáque prælia ſæuus*
> *Inſtruit, & ſanctum populis per ſecula nomen*
> *Legatum inſidiis tacitóque inuadere ferro.*

Legati ſacroſancti. Noſter de Haruſp. reſp. 34. *Sic enim ſentio ius legatorum, cùm hominum præſidio munitum ſit, tum etiam diuino iure eſſe vallatum.* Pomponius D. De legationibus. *Si quis legatum hoſtium pulſaſſet, contra ius gentium id commiſſum eſſe exiſtimatur. quia ſancti habentur legati.* Vbi Gothofredus non pauca. Probus in Pelopida. *Legationum iure tutum ſe arbitrabatur, quòd apud gentes ſanctum eſſe conſueſſet.* Varro 3. de linguâ Lat. *Sancta ſunt corpora legatorũ, hiſque de rebus iudicabat fetialis.* Vide Cuiac. 2. obſeruat. 5. 1. in Verrem. *Nónne legati inter hoſtes incolumes eſſe debent?* Vide Aſconium.

VI. SERVIS SOLLICITANDIS.] Præclarè Cicero pro Deiotaro 29. *Adeóne vt etiam omnia vitæ ſalutiſque communis, atque etiam humanitatis iura violentur? ſeruum ſollicitare verbis, ſpe promiſſiſque corrumpere, abducere domo, contra dominum armare. Hoc eſt non vni propinquo, ſed omnibus familiis bellum nefarium indicere*, &c. Vide fusè. Vide Iuriſconſultos ad legem Aquiliam, atque vt cæteri omittantur Claudius Chiffletus in ſecundum caput legis Aquiliæ ita concludit. *Omninò ergo dicendum eſt ſerui corrupti maleficium non primùm Prætoris edicto coërcitum fuiſſe, ſed lege Aquilia cui prætoris edictum ſucceſſit.* Pergit: *Pœnulus Comœdia in ſecundi huius capitis tractatione tota ferè conſumitur, & nos primi ad eius interpretationem adducimus. Iuuat inſigniores ex ea locos referre. Milphio ſeruus Agoraſtoclis domino perſuadet, vt ſi lenonem perdere velit trecentos Philippeos nummos Collybiſco villico ſuo det, quos ad lenonem deferat ſimulans ſe peregrinum, & ait act.* 1. *ſc.* 1. Serui corrupti maleficiũ.

> *Leno ad ſe accipiet auri cupidus*, &c.
> *Rogato ſeruos veneritne ad eum tuus:*
> *Ille me cenſebit quæri; continuò tibi*
> *Negabit. Quid tu dubitas quin extempulo*
> *Dupli tibi auri & hominis fur leno ſiet.*
> *Neque id vnde efficiat habet. vbi in ius venerit*
> *Addicet Prætor familiam totam tibi*, &c.

Actu 3. ſcen. 1.

> *Ille negabit, Milphionem quæri cenſebit tuum*
> *Id duplicabit omne furtum: leno addicetur tibi*, &c.

Et ſc. 4. Agoraſt. *Vidiſtis leno cùm aurum accepit.* Aduocati. *vidimus.* Dupli pœna ſeruorum corruptoribus irrogata.

> Agoraſt. *Eum vos eſſe ſeruum meum ſcitis?* Aduoc. *ſciuimus.*
> Agoraſt. *Rem aduerſus populi ſæpe leges?* Aduocat. *ſciuimus.*

Et actu 5. ſc. 6. Lycus leno. *Omnibus amicis meis idem vnum conuenit.*

> *Vt me ſuſpendam ne addicar Agoraſtocli*
> Agor. *Duplum pro furto mihi eſt opus*, &c.
> Lycus *Quin egomet tibi me addico, quid Prætore eſt opus?*
> *Verum obſecro te vt liceat ſimplum ſoluere.*

His verbis, inquit Chiffletus, *non dubito quin ad ſecundum legis Aquiliæ caput reſpexerit Plautus, quo ſerui corruptor aut receptator ex inficiatione tenebatur in duplum*, &c. *Non poteſt pariter ad legem Fabiam locus ille referri*, &c. *Nam eius legis iuſſu olim pœna pecuniaria, non duplum ex inficiatione.* &c.

VII. AD HOSPITEM DOMI NECANDVM.] Hoſpitum violatio. Nicolaus Damaſcenus libro de moribus gentium, de Celtis ita loquitur. Μείζων δ' ἐστὶν ἐπιτιμία κατὰ τοῦ ξένον ἀνελόντος, ἢ πολίτην. ὑπὲρ τούτου μὲν γὰρ θάνατος ἡ ζημία. ὑπὲρ τοῦ δὲ πολίτου, φυγή. *Ei maius ſupplicium irrogatur, qui hoſpitem, quàm qui ciuem occiderit. Huic enim mors illi exilium infertur.* Noſter pro Deiotaro. *Cuius tanti ſceleris in conſpectu Deorum Penatium necare hoſpitem.* Horatius hoc ſcelus inter atrociſſima facinora numerauit Ode.

> *Illum & Parentis crediderim ſui*
> *Fregiſſe ceruicem, & penetralia*
> *Sparſiſſe nocturno cruore*
> *Hoſpitis.*

Sed 83. §. Piſonianæ conſulatur.

AXIOMA.

Magnum crimen vel in legatis inſidiandis, vel in ſeruis ad hoſpitem domi necandum ſollicitandi.

ARGVMENTVM.

Incipit crimen refutare de auro à Clodiâ ſumpto, & hac ſectione priorem vehementis dilemmatis partem complexus, neque Clodiæ moribus, neque familiæ conuenire vt aurum ad corrumpendos ſeruos alienos, & inferendam legato necem commodaret.

QVO quidem in crimine primùm illud requiram, dixerítne Clodiæ, quam ad rem aurum tum ſumeret, an non dixerit. ſi non dixit, cur dedit? ſi dixit, eodem ſe conſcientiæ ſcelere deuinxit. Tune

aurum ex armario tuo promere auſa es? túne Venerem illam tuam ſpoliatricem ſpoliare ornamentis? Cæterùm cùm ſcires, quantum ad facinus aurum hoc quæreretur, ad necem legati, ad L. Lucceij ſanctiſſimi hominis, atque integerrimi labem ſceleris ſempiterni, huic facinori tanto tua mens liberalis conſcia, tua domus popularis miniſtra, tua denique hoſpitalis illa Venus adiutrix eſſe non debuit.

EXPLANATIO.

QVO QVIDEM IN CRIMINE.] Refutationis ſuæ rationem concludit hoc dilemmate.

Si Cœlius petiit aurum à Clodiâ, vel dixit quam ob cauſam peteret, vel non dixit.

Si dixit, non minori ſcelere Clodia quàm ipſe Cœlius ſe obligauit, nec probabile eſt eam dediſſe ad necem legato inferendam: ſi non dixit, neque Clodia ei qui ipſi rem celaret, aurum dare voluiſſet.

Ergo nullo modo dedit.

Prior pars minoris propoſitionis paulò aliter continetur, quàm à nobis expreſſa eſt. eodem tamen recidit, eandémque vim habet ad criminationem aduerſariorum diluendam. nam dum oſtendit Clodiam aurum Cœlio dare ſine ſcelere non potuiſſe, ab aduerſariis extorquet, vt nec omninò dediſſe fateantur.

DIXERITNE CLODIÆ QVAM AD REM.] Dixerítne Clodiæ ſe ideò aurum petere vt ſeruos Lucceij pecuniâ corruptos ad necem Dioni moliendam impelleret.

SI NON DIXIT, CVR DEDIT.] Cùm animaduerteret Cœlium ſibi tam parum eſſe familiarem, vt non ingenuè ipſi pectoris arcana committeret, cur aurum dedit?

SI DEDIT, EODEM, &c.] Si dedit aurum, cùm ſciret eius adminiculo Dioni necem comparari, fecit ſe ſceleris & homicidij participem, illi facinori conſentiens.

TVNE AVRVM EX ARMARIO TVO PROMERE.] Graui apoſtrophe ſceleris atrocitatem demonſtrat, quod Clodia commiſiſſet, ſi ad legati necem Deos auro, ſiue ornamentis aureis ſpoliaſſet, aurúmque ex eorum ſacrariis ad tantum facinus protuliſſet.

TVNE VENEREM ILLAM TVAM.] Cuius numen præcipuè colis, quippe meretrix, & impudica.

SPOLIATRICEM.] Cuius auxilio multos iuuenes patrimonio ſpoliaſti, qui vt copiam tui haberent, tuíſque conditionibus frui poſſent, magna tibi munera largiti ſunt.

SPOLIARE.] Argumentum eſt à coniugatis hoc epichiremate comprehẽſum. fac ſyllogiſmũ.

Non debuiſti eam ſpoliare cuius ope tot iuuenes patrimonio ſpoliaſti.

Sed Veneris ope multos iuuenes patrimonio ſpoliaſti.

Ergo non debuiſti eam ſpoliare.

CÆTERVM CVM SCIRES.] Ex triplici fonte argumenta deducit, quibus oſtendat Clodiam ad legati necem aurum dare non debuiſſe. 1. quod eſſet mente liberali, quod vel ironicè dictum eſt, vel per amphibologiam, vt eius mentem liberalem intelligat, quæ ſui copiam nullius cupiditatibus & libidini denegaret. 2. quòd cùm eius domus eſſet popularis, & ipſius frater P. Clodius præ cæteris populi gratiam aucuparetur, non debuit hoc facto maximum tum in ſe, tum in ſuos populi odium & indignationem concitare. 3. quòd cùm coleret Venerem hoſpitalem, & omnes adoleſcentes, libidinis explendæ cauſsâ domum ſuam admitteret, in hoſtibus necem coniurare non debuit.

NOTÆ.

ARMARIO.] Hæc omnia, quæ de auro dicuntur, de pecuniâ ſignatâ non de vaſis aureis videntur intelligi: neque enim ad corrumpendos Luceij ſeruos aurea vaſa petiiſſet. Quid enim erat opus? quod ſi ita eſt, arcam potiùs quàm armarium debuit nominare: in arcis enim pecuniam ſeruabant. Iuuenalis ſat. 1.

-neque enim loculis comitantibus itur Arca.
Ad caſum tabulæ, poſitâ ſed luditur arcâ.

Et ſatyra 11. Armarium.

Ignoret quantum ferratâ diſtet ab arcâ
Sacculus.-

Quamuis aliunde eadem arca ferrea ſeruandis pecuniis deſtinata armarium dicta fuiſſe videatur. nam cui non compertum eſt libros in armariis fuiſſe ſeruatos? Iuuenalis ſat. 3. 7. & alibi paſſim. at eodem in loco pecuniã & libros poſitos fuiſſe reperio. Appianus 4. ciuilium de iis loquens qui in proſcriptione Triumuirali mortem euaſerant. Ἰούνιον δ' ἀπελεύθερος αὐτοῦ Ἰουνίου Φιλήμων οἰκίαν κεκτημένος λαμπρὰν ἐν τῷ μεσαιτάτῳ τῆς οἰκίας, ἔκρυψεν ἐν λάρνακι αἷ ἀπὸ σιδήρου ἐς χρημάτων ἢ βιβλίων ἔχουσι φυλακὴν, καὶ νυκτὸς ἔτρεφε μέχρι τῶν σπονδῶν. *Iunium libertus Philemon qui ſplendidam domum habebat, in medio domus abdidit in arcam ferream, cuiuſmodi arcas habent ad pecuniæ & librorum cuſtodiam & noctu aluit, donec in pacis conditiones conuentum eſt.* Sunt tamen aliæ rationes quæ me impellunt vt credam aurea fuiſſe vaſa, quæ M. Cœlio data dicerentur. primò quæ dicta ſunt ſuperiùs ad 32. ſectionem. deinde quòd inter Veneris ornamenta numerentur. 3. quòd inſinuentur in eodem poſita fuiſſe armario. nam Venerem nominatim apud delicátulos & molles in armario collocatam fuiſſe teſtatur Petronius in ſatyrico. *Prætereà grande armarium in angulo vidi, in cuius ædiculâ erant lares argentei, Veneríſque ſignum marmoreum, & pyxis aurea non puſilla in qua barbam eius (Trimalcionis) poſitam eſſe dicebant.* Et in armariis repoſitas fuiſſe imagines maiorum Plinius oſtendit, lib. 35. cap. 2. eáſque cùm codicibus coniungit. *Expreſſi cera vultus ſingulis diſponebantur armariis, &c. Stemmata verò lineis diſcurrebant ad imagines pictas. Tablina codicibus implebantur, & monumentis rerum in magiſtratu geſtarum.* quanquã armarium à ſacrario diſtinguitur. Vide 6. Verrinam 27. & Cluentianam 179. qui locus fauet iis qui aurum ſignatum fuiſſe dicunt è Clodiæ depromptum armario.

Venus in armario.

Maiorum imagines in armariis.

Cùm eſſet, in ædibus armarium, in quo ſciret eſſe nummorum aliquantum, & auri.

VENEREM ILLAM TVAM SPOLIATRICEM.] Eodem ſenſu Bacchid. ſc. *Pandite*, ianuam meretricum, quæ vt eius verbis vtar, *hominum ſorbent ſanguinem, deſpoliabula* appellat. Idem Aſinaria.

Aliam nunc orationem deſpoliato prædicas.

Et Caſina ſc. *Senſim.*

Vir te veſtiat, tu virum deſpolies.

Ouidius 1. amorum eleg. 10.

Sola viro mulier ſpoliis exultat ademptis.

Iuuenalis ſat. 6.

Ardeat illa licet, tormentis gaudet amantis
Et ſpoliis.-

Et eam ob rem, *Venerem illam tuam ſpoliatricem*, expoſui dici quòd Clodia iuuenes omnibus propemodum bonis ſpoliaret. huius vocis ſignificatio ſupereſt iterum comprobanda. Martialis lib. 4. ep. 29.

Sic ſpoliatricem commendat feſtus amicam,
Ianua nec iuuenem ſemper aperta tenet.

Et libro 5. ep. 44. quod propter elegantiam non pigebit integrum opponere.

Callidus effractâ nummos fur auferes arcâ
Proſternet patrios impia flamma Lares.
Debitor vſuram pariter, ſortémque negabit.
Non reddet ſterilis ſemina iacta ſeges.
Diſpenſatorem fallax ſpoliabit amica:
Mercibus inſtructas obruet vnda rates.
Extra fortunam eſt, quidquid donatur amicis.
Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

Virgilius in Ciri.

Spoliare. *Et cupidos quæſtu paſſim ſpoliaret amantes.*

Hinc munera ab amatoribus expreſſa, ſpolia paſſim nominantur. Propertius lib. 3. eleg.

Matrona incedit cenſus induta nepotum
Et ſpolia opprobrij noſtra per ora trahit.

Spolia. Iuuenalis ſat. 6.

Illa docet ſpoliis nudi gaudere mariti.

Eleganter Xenophon in hanc ſententiam libro Memorabilium 2. Socratem ita cum Theodota meretrice loquentem inducit. Πόθεν οὖν, ἔφη, τὰ ἐπιτήδεια ἔχεις; ἐάν τις, ἔφη, φίλος μοι γενόμενος, εὖ ποιεῖν ἐθέλῃ. οὗτός μοι βίος ἐστί. νὴ τὴν Ἥραν, ἔφη, ὦ Θεοδότη, καλόν γε τὸ κτῆμα καὶ πολλῷ κρεῖττον οἰῶν τε καὶ βοῶν, καὶ αἰγῶν φίλων δ' ἀγέλην κεκτῆσθαι. *Vnde igitur, inquit Socrates, habes quæ ad vitam ſunt neceſſaria? Si quis, inquit, illa, meæ pulchritudinis amator effectus bene mihi facere voluerit; hæc mea vitæ ratio. Tum Socrates: Præclara ſcilicet, inquit, ô Theodota, poſſeſſio, multóque melior ouibus, bobus, & capris amatorum gregem poſsidere.* quo, ni fallor, reſpexit. Propertius libro 2. eleg. 16.

Carpere. *Quare ſi ſapis, oblatas ne deſere merces,*
Et ſtolidum pleno vellere carpe pecus.
Deinde vbi conſumpto reſtabit munere pauper,
Dic, alias iterum nauiget Illyrias.

De hac meretricularum auaritiâ vide Tibullum eleg. 4. lib. 2. Inuenio Græcos etiam verbo ſpoliandi vſos eſſe. Alexis apud Athenæum lib. 13. dipnoſophiſtarum.

Πρῶτον τὸ κέρδος καὶ τὸ συλᾷν τοὺς πέλας
συλᾷν. Τἄλλ' αὐταῖς πάρεργα γίνεται.

Verſus poſterior corruptus eſt. alij legunt apud Clementem Alexandrinum, πάντα τἄλλα αὐταῖς πάρεργα γίνεται. neque tamen ſic verſus conſtat, libenter legerim,

Τὰ δ' ἄλλα πάντ' αὐταῖς πάρεργα γίνεται.

Primum illud illis eſt lucrum vt ſpolient viros.
Reliquáque cuncta negligenda exiſtimant.

Sed Clodiæ noſtræ ſatis non fuit ſtolidum amatorum pecus carpere, aut tondere, niſi etiam raderet, penitúſque degluberet. Catullus epiſt. 59. de Leſbiâ, quam plerique omnes Clodiam fuiſſe exiſtimant, ad Cœlium noſtrum ita ſcribit:

Cœli Leſbia noſtra, Leſbia illa
Illa Leſbia, quam tuus Catullus
Plus quam ſe atque ſuos amauit omnes,
Nunc in quadriuiis & angiportis Glubere.
Glubit magnanimos Remi nepotes.

Quamuis hanc vocem *glubit*, alius fortaſſe aliter intelligat, & ex Auſonio ep. 70. in obſcœniorem ſenſum deflectat, quod præſtat ſilentio præterire. Poſt emò non omittam de hac ſpoliandi voce egiſſe iam ante me Gebhardum in ſuis crepundiis, qui alia fortaſſe vel eadem tibi ſubminiſtraſſet, ſi librum ad manus habuiſſem.

TVA DOMVS POPVLARIS.] Cur Clodiæ domum popularem appellat? id non de omni III.
Claudiorum gente, ſed de ſolo P. Clodio debet intelligi. Siquidem, vt auctor eſt Suetonius in Tiberio cap. 2. *Notiſsimum eſt Claudios omnes excepto duntaxat P. Clodio, qui ob expellendum vrbe Ciceronem plebeio homini, atque etiam natu minori in adoptionem ſe dedit, optimates aſſertoréſque vnicos dignitatis ac potentiæ Patriciorum ſemper fuiſſe, atque aduerſus plebem adeò violentos, ac contumaces vt ne capitis quidem quiſquam reus apud populum, mutare veſtem aut deprecari ſuſtinuerit, nonnulli in altercatione & iurgio Tribunos plebis pulſauerint.* Vnde Cornelius Tacitus 1. annalium, cùm de Auguſti ſucceſſore agatur, id multorum tradit iactatum fuiſſe ſermonibus. *Tiberium Neronem maturum annis, ſpectatum bello: ſed vetere atque inſitâ Claudiæ familiæ ſuperbiâ: multáque indicia ſæuitiæ, quanquam premantur erumpere.* Sed de hoc Claudiorum in aſſerendâ Patriciorum contra plebem potentiâ ſtudio Liuius ſæpe, Dionyſius ſæpiſſimè conſulantur. Aduerte igitur hic Clodiam obiter reprehendi, quòd fratrem P. Clodium imitata, à maioribus ſuis defecerit, & quòd eſſet vulgati pudoris & meretrix *πάνδημος popularis.*

Clodiorum gens minimè popularis.

HOSPITALIS ILLA VENVS.] Bene Venerem hoſpitalem appellat, & id ni fallor ex meretriciæ vitæ inſtituto. meretrices enim hoſpitas & cauponarias fuiſſe adeò compertum eſt, vt vix eas antiqui nominis appellatione vel Hebræi, vel Græci, vel etiam Latini diſtinxerint. Proferam quæ Serrarius noſter vir eruditione ſingulari Lotharingus, (quem neſcio qua ratione Clarus Bonartius viſus eſt Saxonibus vindicare) in cap. 2. Ioſue annotauit. Is igitur inquirẽs fueritne Raab meretrix. *Negant*, inquit, *Rabinorum nonnulli, vt Radah, R. Ionah, alij: & è recentioribus Chriſtianis pauci quidam, vt Lyranus hîc & Matth. 1. Vatablus hîc, Pagninus, Arias Montanus hîc & in Iſaiam 23. Titelmannus Matth. 1. ſed eſſe volunt Cauponariam mulierem, ſeu, vt vocant Lyranus & Abulenſis hoſpitalariam, D. Auguſtinus lib. 18. ciuit. cap. 18. ſtabulariam: paſſim omnes hodiè Cicerone, Ouidio, & Horatio ſuffragantibus, hoſpitam.* Poſtmodum ſeptem adfert rationes, quæ hos auctores in eam opinionem induxerint: excerpam quæ huc videbuntur maximè pertinere. 1. *Thargum vertit* פונרקיתא, *id eſt fœminam hoſpitem, quæ hoſpitio aduenientes omnes accipit, ducitur*

IV.

Hoſpitæ meretrices.

enim à Græco πανδοκία *, vel* πανδοκεύτρια*, & inter eruditos conſtat è Græcorum lingua eſſe in Thargum voces quamplurimas. 2. Hebræum Mazon eſcam omníſque generis cibum ſignificat. ergo Hebræum quo Raab appellatur Zonah ſignificabit ciborum paratricem & venditricem, vt exponit Radak.* Subdit aliquantò pòſt: *Poſſunt Græca & Latina etiam nomina, ſicuti Hebræum in honeſtiorem trahi ſignificationem.* πόρνη *enim à* πωλῶμαι *ſiue à* πέρνημι*, quod eſt vendo, ducitur: & à merendo, vt ſemel, & iterum notat Nonnius, meretrix. cur igitur cauponatrix, & quæ cibos vendit, hoſpitiúmque præſtando meretur, iſtis in bonam partem nominibus ornari non poſsit?* Hæc ille. & quamuis vir doctiſſimus eodem loco horum ſententiæ refragetur: ſatis eſt tamen huic loco oſtendere magnum eſſe nominis in illâ triplici lingua commercium, vnde & Venus hoſpitalis nomen acceperit. Et verò *quæ cauponantur mulieres ſolent etiam meretricari, vt ait Radakius & Arias*, quod nonnullis exemplis, poteſt, ni fallor, liquidò comprobari. Vlpianus D. De his qui notantur infamiâ. *Lenocinium facit qui quæſtuaria mancipia habuerit, ſed & qui in liberis hunc quæſtum exercet, in eadem cauſa eſt. Siue autem principaliter hoc negotium gerat, ſiue alterius negotiationis acceſsione vtatur; vt puta ſi caupo fuit vel ſtabularius, & mancipia talia habuit miniſtrantia, & occaſione miniſterij quæſtum facientia: ſiue balneator fuerit, velut in quibuſdam prouinciis, in balneis ad cuſtodienda veſtimenta conducta habent mancipia hoc genus obſeruantia in officina: lenocinij pœna tenebitur.* Non omittam poſtremò Herodotum libro 2. in Ægypto templum *Veneris hoſpitalis*, ξείνης Ἀφροδίτης agnoſcere.

AXIOMA.

Qui ſciens ſceleri arma ſubminiſtrat, eodem ſe conſcientiæ ſcelere deuincit.

ARGVMENTVM.

Hic paragraphus duas partes complectitur. altera nouo dilemmate confirmat ſecundam prioris dilemmatis partem: videlicet, ſi Cœlius non dixit ad quid auro ipſi opus eſſet, Clodiam aurum non commodaſſe. alterá parte per tranſitionem oſtendit quot quantiſque argumentis ad refellendum hoc crimen vti potuiſſet.

VIDIT hoc Balbus: celatam eſſe Clodiam dixit, atque ita Cœlium ad illam attuliſſe, ſe ad ornatum ludorum aurum quærere. Si tam familiaris erat Clodiæ, quàm tu eſſe vis, cùm de libidine eius tam multa dicis, dixit profectò, quò vellet aurum: ſi tam familiaris non erat, non dedit. Ita, ſi verum tibi Cœlius dixit, ô immoderata mulier, ſciens tu, aurum ad facinus dediſti? ſi non eſt auſus dicere, non dediſti. Quid ergo nunc argumentis huic crimini, quæ ſunt innumerabilia, reſiſtam? poſſum dicere mores M. Cœlij longiſſimè à tanti ſceleris atrocitate eſſe diſiunctos: minimè eſſe credendum, homini tam ingenioſo, támque prudenti non veniſſe in mentem rem tanti ſceleris ignotis, alieníſque ſeruis non eſſe credendam. Poſſum etiam illa & cæterorum patronorum, & mea conſuetudine ab accuſatore perquirere, vbi ſit congreſſus cum ſeruis Lucceij Cœlius? qui ei fuerit auditus? ſi per ſe, qua temeritate? ſi per alium, per quem? poſſum omnes latebras ſuſpicionum peragrare dicendo: non cauſſa, non locus, non facultas, non conſcius, non perficiendi, non occultandi maleficij ſpes, non ratio vlla, non veſtigium maximi facinoris reperietur. LIII.

EXPLANATIO.

VIDIT HOC BALBVS.] Animaduertit Balbus, ſi diceret cauſam Clodiæ notam fuiſſe, propter quam aurum peteretur, non poſſe Clodiam atrociſſimi ſceleris conſcientiá liberari.

FACINORIS TANTVM.] Legunt alij *facinori tanto* ex M. S. alij *facinoris tanti*. alij cum Pantagatho *facinus tantum*, ſed non video quorſum à vulgata lectione diſceſſerint. Senſus eſt apertus. Dixit Balbus cauſam cur aurum peteret Cœlius Clodiæ non fuiſſe detectam, cùm ille alium prætextum attuliſſet, ſe videlicet aurum quærere, vt eo, ad ornatum ludorum quos Ædilis exhibere debebat, vteretur.

SI TAM FAMILIARIS.] Apertum eſt dilemma, quod proinde iiſdem verbis referetur.

Vel Clodiæ Cœlius familiaris fuit, vel non fuit.

Si familiaris fuit, cauſam dixit, ſi non fuit familiaris Clodia aurum non commodauit.

Ergo vel non dedit aurum omninò, vel ſe conſcientiâ magni facinoris obligauit.

ITA SI VERVM TIBI.] Expolitio eſt, quâ (vt ait Cornificius ad Herennium, §. 55.) manèt in eodem loco, & aliud, atque aliud dicere videtur. Hic eandem planè eam dicit, ſed non eodem modo, quamuis iiſdem pæne verbis, ſed tractatione variatur oratio. Superiùs enim Balbo loquebatur, hic per apoſtrophen ad Clodiam ipſam conuertitur. immoderatam appellat, quòd adeò cupiditates ſuas non potuerit moderari, vt

hac accuſatione, vel ſeipſam ſceleris conſciam fuiſſe, vel falſum obiicere crimen oſtendat.

QVID EGO NVNC.] Hæc eſt altera pars ſectionis, qua tantam ſibi argumentorum ad conuincendam criminis obiecti falſitatem copiam ſuppetere, adeóque ſe cauſæ ſuæ confidere demonſtrat, vt ea non dubitet ſilentio præterire.

MORES M. COELII.] Partitionum 29. hanc cauſarum infirmationem eſſe dicit ſi oſtendatur reus. *Aut non his moribus eſſe, aut non ea vita, aut nullos animi motus, aut non tam impotentes fuiſſe.* Primò igitur argumentari ſe poſſe dicit à Cœlij moribus, qui ſemper fuerunt ab huiuſmodi facinoribus alieni.

MINIME ESSE.] Poteram argumentari à naturâ Cœlij, qui cùm ſit adeò ingenioſus & prudens, ſi Dionem voluiſſet extinguere, prudentiùs latebras ſuo facinori quærens, rem tantam, tam periculoſam ſeruis Luceij haudquaquam credidiſſet, præſertim cùm ignoti eſſent, & de eorum fide & taciturnitate meritò dubitare poſſet.

POSSVM ETIAM.] Non aliorum modò, ſed ſuam etiam conſuetudinem eſſe dicit ea perquirere, quæ hoc loco prætermittit, vt maiorem oſtendat in cauſâ fiduciam, dum ea ſe concedere aduerſariis ait, quæ nec ipſe nec alij in aliis cauſis dare conſuerunt.

SI PER SE. Aliud oſtendit dilemma quo vti potuiſſet.

Si congreſſus eſt cum ſeruis Luceij Cœlius, vel per ſe, vel per alium congreſſus eſt.

Alius aſsignari non poteſt per quem congreſſus fuerit, nec fuit adeò temerarius vt per ſe congrederetur.

Ergo nullo modo congreſſus eſt.

POSSVM OMNES FACTI LATEBRAS.] Duo ſunt maximè ex quibus cauſa deducitur, cauſa & euentus. de quibus in partit. orat. 110. 111. 112. 113. tam igitur, à cauſâ ſiue facultate, quàm ipſis facti veſtigiis, & euentu nullam coniecturam innuit deduci poſſe, qua Cœlius tanti ſceleris arguatur.

NOTÆ.

I. AD ORNATVM LVDORVM.] Ludorum etymon in Piſonianâ oſtendemus. Hic quoſnam ludos intelligat, non ſatis conſtat: nam curulem ædilitatem aliquot poſt annis adeptus eſt, videlicet ſub ipſa exordia bellorum ciuilium, vt ex Cicerone liquet in Bruto, & ex ipſis Cœlij pleriſque epiſtolis libro 8. ad familiares. Fortaſſe iam tum ædilitatem petens, de ludis edendis cogitabat. de quibus ædilitiis ludis alio loco dicendum eſt. Et ne quis miretur Cœlium horum ludorum prætextu petiiſſe, longè ante ædilitatem parare neceſſe fuit neceſſarij, cùm ij ludi priuatis ædilium ſumptibus ederentur. ad cuius probationem illud ex Appiano 4. ciuilium exemplum ſuffecerit, qui inter cætera quæ proſcriptione Triũuirali contigerunt, ita loquitur. Ὄππιον δ' ὁ υἱὸς ὑπὸ γήρως ἀσθενέστατον μένειν ἐθέλοντα ἔφερεν ἐπὶ τοῦ σώματος. ἕως ἐξήγαγέ τε διὰ τῶν πυλῶν, καὶ τὸ λοιπὸν μέχρι Σικελίας ἄγων, ἢ φέρων ἐκόμισεν, οὐδενὸς ἄρα τὸ σχῆμα ὑπονοήσαντος, καὶ ἐνυβρίσαντος οἷόν που τὸν Αἰνείαν γράφουσιν αἰδέσιμον τοῖς πολεμίοις γενέσθαι, φέροντα τὸν πατέρα, καὶ τὸν νεανίαν ὁ δῆμος ἐπαινῶν ὕστερον ἀπέφηνεν ἀγορανόμον, δεδημευμένης δ' αὐτῷ τῆς οὐσίας, οὐκ ἔχοντι τῆς ἀρχῆς τὸ δαπάνημα, οἵ τε χειροτέχναι τὰ ἐς τὴν ἀρχὴν ἀμισθὶ συνεργάσαντο, καὶ τῶν θεωμένων ἕκαστος ἐπὶ τὴν ὀρχήστραν ὅσον ἐβούλετο νόμισμα ἐρρίπτει, ἕως τὸν ἄνδρα ἐπλούτισαν. *Oppium filius propter infirmiſsimam ſenectutem manere volentem ſuis tulit ceruicibus quoad eum per portas vrbis eduxit, ad poſtremum partim ducens, partim ferens ad Siciliam vſque perduxit, nemine aut rem ſuſpicante, aut contumeliis afficiente, quemadmodum Æneam cùm patrem ferret, hoſtibus quoque venerationi fuiſſe tradiderunt, & eum poſteà populus non ſolùm laudauit, ſed etiam Ædilem creauit, cúmque publicatis eius bonis non haberet magiſtratus impenſas, artifices, quæ ad ludorum apparatum neceſſaria erant, ſine mercede fecernnt, & ſpectatorum quiſque quantum pecuniæ voluit, in orcheſtram immiſit, quoad hominem ditauerunt.*

Ornatus ludorum.

Pietas Oppij.

DIXIT PROFECTO.] Quia nimirum amicis & familiaribus omnia ſecreta, & pectoris arcana deteguntur. pulchrè Seneca ep. 3. *Tu verò omnia cum amico delibera, ſed de ipſo priùs. poſt amicitiam credendum eſt, ante amicitiam iudicandum. Iſti verò præpoſterè officia permiſcent, qui contra præcepta Theophraſti, cùm amauerint iudicant, & non amant cùm iudicauerint. Diu cogita an tibi in amicitiam aliquis recipiendus ſit: cùm placuerit fieri, toto illum pectore admitte: tam audacter cum illo loquere, quàm tecum. Tu quidem ita viue vt nihil committas, niſi quod committere etiam inimico poſſis, ſed quia interueniunt quædam quæ conſuetudo fecit arcana, cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas miſce. Fidelem ſi putaueris, facies. nam multi fallere docuerunt, dum timent falli, & aliis ius peccandi ſuſpicando fecerunt. quid eſt ergo, quare verba coram amico retraham? Quid eſt quare me coram illo non putem eſſe ſolum? Quidam quæ tantùm amicis committenda ſunt, obuiis narrant, & in quaſlibet aures, quidquid illos vrit, exonerant: quidã rurſus etiam cariſsimorum conſcientiam reformidãt, & ſi poſſent, ne ſibi quidem credituri interiùs premũt omne ſecretum.* Æſchylus in Prometheo. II.

Amicis ſecreta deteguntur.

Λέξω τορῶς σοι πᾶν ὅ, τι χρῄζεις μαθεῖν
Οὐκ ἐμπλέκων αἰνίγματ' ἀλλ' ἁπλῷ λόγῳ
Ὥσπερ δίκαιον πρὸς φίλους οἴγειν στόμα.
Clarè loquar, quodcunque me fari iubes,
Sermone ſimplici, abſque flexu ænigmatum
Vt fas amicis cuncta manifeſtè loqui.

Euripides Alceſtide.

Φίλον πρὸς ἄνδρα χρὴ λέγειν ἐλευθέρως
Ἄδμητε, μομφὰς δ' οὐχ ὑπὸ σπλάγχνοις ἔχειν
Σιγῶντα -
Loquendum amico liberè: haud præcordiis,
Admete, probrum ſupprimere ſilentio.

Quod etiam in nequitiis & amoribus vel maximè reperitur: omitto Dalilam à Samſone extorquẽtem, in quo ſua fortitudo cõſiſteret. Διονύσιος, verba ſunt Polyeni lib. ſtratag. 5. Βουλόμενος μαθεῖν, οἷα περὶ αὐτοῦ φρονοῖεν καὶ λέγοιεν οἱ ἀρχόμενοι, τὰς μουσουργοὺς, καὶ τὰς ἑταίρας ἐκέλευσεν ἀπογράψασθαι, &c. ἑκάστην δὲ τῶν ἑταιρῶν ἀνέκρινε βασανίζων τίνα παρὰ τῶν ἐραστῶν συνόντων ἀκούσειαν περὶ τῆς τυραννίδος. οὕτω τοὺς βλασφημοῦντας μαθὼν, οὓς μὲν ἀπέκτεινεν, οὓς δ' ἐδίωξεν. *Dionyſius vt cognoſceret quam de ſe ſententiam haberent, & quid dicerent ſubditi, muſicas fœminas, & meretrices conſcribi iuſsit,* &c. *Meretrices ſingulas percontatus eſt adhibitis tormentis, quidnam ab amatoribus audirẽt de tyrannide. Ita cognitis obtrectatoribus, partim morte affecit, partim in exilium miſit.*

MORES.] Pro Cluentio 70. *Perinde vt opinio* III.
eſt de cuiuſque moribus, ita quid ab eo factum, & non factum ſit, exiſtimari poteſt.

ATRO-

IV. Atrocitate.] Vide Milonianam 21. *Quamuis atrociter tuliſſet, vos tamen fortiter eſſe iudicaturos.*

V. Refutatio ab ingenio. Homini tam ingenioso.] Talis eſt Antipatri ab Herode patre accuſati defenſio apud Ioſephum I. de excidio. Πῶς οὖν ὁ πανοῦργος οὕτως ἐν τοῖς ἄλλοις ἄφρων ἐγινόμην, ὡς μὴ νοεῖν ὅτι λαθεῖν οὔτ' ἀνθρώποις ῥᾴδιον τηλικοῦτον μύσος ἐνσκευαζόμενον, τὸν δ' ἀπ' οὐρανοῦ δικαστὴν ἀμήχανον, ὃς ἐφορᾷ πάντα καὶ πανταχοῦ πάρεστι. ἢ τὸ τῶν ἀδελφῶν τέλος ἠγνόουν, οὓς ὁ θεὸς οὕτω μετῆλθε τῆς εἰς σὲ κακοβουλίας; *Quomodo igitur ego tam callidus & ingenioſus in cæteris, factus ſum adeò imprudens, vt non nouerim facile non eſſe homines latere, tantum ſceleris machinantem, nec iudicem illum cœleſtem, qui & omnia videt, & vbique præſens eſt omnino poſſe; an ignorabam, quem finem ſortiti fuerint fratres mei, quos Deus puniuit ob inſidias quas tibi comparabant?* Vide infra 57. *Seruis committeret.*

VI. Patronus. Patronorum.] Iam protulimus ſupra §. 10. hæc verba Pediani. *Qui defendit alterum in iudicio aut Patronus dicitur ſi Orator eſt, aut aduocatus ſi aut ius ſuggerit, aut præſentiam ſuam commodat,* &c. Fuit & aliud genus patronorum, eorum qui clientes ſuos non in iudicio ſolùm, ſed etiam vbicunque defenderent. de quibus pro Sextio 9. & in Piſonem 25. *Me patronum vnum adſciuerant.* Vide Notas.

VII. Refutatio à reiectione circunſtantiarum. Non locus, non tempus.] Leontinus Georgias in apologiâ Palamedis: Πότερα γάρ μου κατηγορεῖς εἰδὼς ἀκριβῶς, ἢ δοξάζων; εἰ μὲν γὰρ εἰδώς, οἶσθα ἰδών, ἢ μετέχων, ἢ του πυθόμενος. εἰ μὲν οὖν εἰδώς, φράσον τούτοις τὸν τόπον, τὸν χρόνον, πότε, ποῦ, πῶς εἶδες. εἰ δὲ μετέχων, ἔνοχος εἶ ταῖς αὐταῖς αἰτίαις. εἰ δέ του μετέχοντος ἀκούσας, ὅστις ἐστίν, αὐτὸς ἐλθέτω, φανήτω, μαρτυρησάτω. *Vtrum igitur me ex certâ ſcientiâ, an ex ſuſpicione tantùm accuſas? Si ex certâ ſcientiâ rem compertam habes, aut quòd videris, aut quòd particeps fueris, aut quòd ab aliis audiueris. Si igitur ſciens, dic iſtis locum, tempus, quando, vbi, quomodo cognoueris. Si particeps, iiſdem accuſationibus teneris alligatus. Si ab eo qui particeps fuit audiiſti, ipſe procedat, in conſpectum ſe det, teſtetur.*

AXIOMATA.

Familiares nihil habent arcanum.

Non eſt credendum ſcelus ab eo admiſſum, cuius mores longiſſimè ſunt ab illius ſceleris atrocitate diſiuncti.

Fidendum non eſt ſeruis alienis.

ARGVMENTVM.

Rationem primò modeſtè exponit, cur eas prætereat rationes, quæ ad refutandum crimen ſuppetebant. deinde, antequam Lucey teſtimonium iubeat recitari, commendat eius religionem, integritatem, ſanctitatem, ſimúlque profert rationes, quæ, ſi modò ſceleris aliquid profectum fuiſſet à Cœlio, ipſum ad teſtimonium dicendum impellere debuiſſent.

LIV. Sed hæc, quæ ſunt oratoris propria, quæ mihi non propter ingenium meum, ſed propter hanc exercitationem vſúmque dicendi, fructum aliquem ferre potuiſſent, cùm à meipſo elaborata proferri viderentur, breuitatis cauſſa relinquo omnia. Habeo enim, Iudices, quem vos ſocium veſtræ religionis, iuríſque iurandi facilè eſſe patiemini, L. Lucceium ſanctiſſimum hominem, & grauiſſimum teſtem: qui tantum facinus in famam, atque fortunas ſuas neque non audiſſet illatum à Cœlio, neque neglexiſſet, neque tuliſſet. An ille vir, illa humanitate præditus, illis ſtudiis, artibus, atque doctrina, illius ipſius periculum, quem propter hæc ipſa ſtudia diligebat, negligere potuiſſet? & quod facinus in alienum hominem illatum ſeuerè acciperet, id omiſiſſet curare in hoſpite? quod per ignotos actum ſi doleret, id à ſuis tentatum eſſe negligeret? quod in agris, locíſve publicis factum reprehenderet, id in vrbe, ac ſuæ domi cœptum eſſe leuiter ferret? quod in alicuius agreſtis periculo non prætermitteret, id homo eruditus in inſidiis doctiſſimi hominis diſſimulandum putaret?

EXPLANATIO.

Sed hæc quæ sunt oratoris propria.] Hæc argumenta quæ proprio oratoris ingenio excogitantur, proindéque minùs ſolent habere momenti, quòd magis ab oratoris ſolertiâ & inuentione, quàm ab ipſius rei veritate profluxerint.

Quæ mihi non propter ingenium meum.] Bene & modeſtè: nam cùm omnis moleſta eſt tui iactantia, tum maximè ſi de ingenio & eloquentiâ glorieris.

Propter hanc exercitationem.] *In qua me non inficior mediocriter eſſe verſatum.*

Fructum aliquem ferre potuiſſent.] Argumentorũ & rationum ſegetem & copiam ad ea refutanda quæ aduerſarij criminãtur. Hîc vide quot rationes adferat, relinquit primò

quia ſunt oratoris propria, & ab eius ingenio magis quàm à veritate dependent. 2. quia elaborata viderentur. minùs autem mouent quæ elaborata, quàm quæ ex tempore prolata videntur exprimere vocem ipſius veritatis. 3. relinquit breuitatis cauſâ, & nequis eum ingenium ſuum plus æquo iactare exiſtimet, primam rationem ſummâ modeſtiæ ſignificatione attemperat. quartam deinde ſubiicit rationem, his verbis.

HABEO ENIM, IVDICES.] Habeo teſtem tantæ auctoritatis, vt cauſa nullis aliis argumentis egere videatur. eiúſque auctoritatem oſtendit ex ipſâ Iudicum opinione & iudicio. quorum nemo eſt qui non tam bonam de Luceij integritate opinionem animo conceperit, vt eum in religionis, & iuriſiurandi, quo ſe ante iudicium obligauit, iurans ſe contra leges nihil facturum, vt eum, inquam in religionis ſocietatem, æquo animo venire patiatur.

QVI TANTVM.] Subiungit rationes cur Luceio fides ſit adhibenda declaranti Cœlium innocentem. quia ſi Cœlius ipſius ſeruos ſollicitaſſet, nec factum Lucceius ignorare potuiſſet, nec tuliſſet inuſtam ſuæ familiæ labem ſceleris ſempiternam. ſiquidem hoc Cœlij facinus, & in famam eius redundans ſummam ipſi attuliſſet infamiam, & in fortunas: periculum quippe fuiſſet, ne ſi in ipſius domo hoſpes fuiſſet interemptus, ipſe tanquam ſicarius grauiſſimas pœnas perſolueret.

AN ILLE VIR.] Tum ab ipſius Luceij, tum Dionis perſonâ demonſtrat Luceium Dionis necem perſequi, & multo magis contra homicidam teſtari debuiſſe. A Luceij perſonâ quod humanitate, optimis ſtudiis & artibus eſſet inſtitutus, à Dionis perſonâ, quod propter eadem ſtudia à Luceio amaretur, quæ ſtudiorum ſimilitudo maximè amicitias conglutinat. argumentum autem quatenus à Luceij perſonâ ducitur, à cauſâ deſumitur. quatenus à Dionis perſonâ videri poſſit à repugnantibus accerſitum.

Luceius Dionem propter eadem ſtudia diligebat.
Ergo Luceius Dionis periculum non neglexit.

ET QVOD FACINVS.] Quatuor argumentis à minori ad maius conglobatis Luceij auctoritatem exaggerat, quæ tam clara ſunt vt explicatione non egeant.

NOTÆ.

I. NON PROPTER INGENIVM.] Quæ cautio & modeſtia ſoleat ab oratoribus, de ſe, præſertim autem de ingenio loquentibus adhiberi, conſulatur Oratio Sextiana 3. *Doloris quàm ingenij* 121. *amico animo.*

II. *Elaborata minùs mouent.* LABORATA PROFERRI.] Quia videlicet, vt iam dictum eſt, plus mouet oratio, ſi ex tempore depropta, quam ſi domi elucubrata fuiſſe videatur. notum eſt illud Perſij ſat. I.

Men' moueat quippè, & cantet ſi naufragus, aſſem
Protulerim? cantas, cum fractâ te in trabe pictum
Ex humero portes? Verùm nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incuruaſſe querela.

Quod etiam in teſtibus conſiderandum ait Hadrianus apud Calliſtratum D. de teſtibus. *Et qui ſimpliciter viſi ſint dicere vtrum vnum eundémque meditatum ſermonem attulerint, an ad ea quæ interrogaueras ex tempore veriſimilia reſponderint.* Nam vt ex Caio contra Muſæum de adulteri crimine refert Stobæus, τὸ ἀληθὲς ἀμελέτητόν ἐστι. *nullam præmeditationem veritas requirit.*

HVMANITATE.] Vide Gellium lib. 13. cap. 15. noct. Atticarum. III.

ARTIBVS.] Vide Notas noſtras in Vat. 8. *Omnia denique bonarum artium ſtudia ſiluerunt.*

QVEM PROPTER HÆC IPSA STVDIA DILIGEBAT.] Notum eſt illud ex Tullio. *Pares cum paribus vetere prouerbio facilè congregantur.* Homerus: IV.

ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον.

Sic ſemper ſimilem ſimili Deus aggregat ipſe.

Apuleius 3. Floridorum. *Iura amicitiæ & commilitia ſtudiorum* appellat. Sed maximè propter ſtudiorum ſimilitudinem amicitiæ copulantur. Sidonius Apollinaris ep. 4. lib. 4. *Secundus nobis animorum nexus acceſſit de ſtudiorum parilitate, quia idem ſentimus, culpamus, laudamus, in litteris, & æquè nobis qualibet dictio placere improbatúrque.* Plinius Iunior epiſt. 20. lib. 7. ſic ad Cornelium Tacitum ſcribit multa de ſtudiis vtriuſque præfatus. *Quæ omnia huc ſpectant vt inuicem ardentiùs diligamus, cùm tot vinculis nos ſtudia, mores, fama, ſuprema denique nos hominum iudicia conſtringant.* Nec malè ille quiſquis eſt, Senecæ exceptor antiquus. *Amicum perdidi: alium quære, & ibi eum quæras vbi inuenire poſſis. Quære inter liberales artes, inter honeſta & recta officia, quære in laboribus.* Sed quid opus eſt multis. cùm Plato tantum non hoc ipſum tractauerit, & nullam niſi inter bonos ſtudiorum ſimilitudinem, proindéque nullam amicitiam reperiri poſſe oſtenderit? ἀλλά μοι δοκοῦσι λέγειν τοὺς ἀγαθοὺς ὁμοίους ἀλλήλοις εἶναι καὶ φίλους, τοὺς δὲ κακοὺς (ὅπερ καὶ λέγεται περὶ αὐτῶν) μηδέποτε ὁμοίους μηδὲ τοὺς αὐτοὺς αὐτοῖς εἶναι, ἀλλ' ἐμπλήκτους τε καὶ ἀσταθμήτους. ὃ δὲ αὐτὸς αὑτῷ ἀνόμοιον εἴη, σχολῇ δὲ τῷ ἄλλῳ ὅμοιον ἢ φίλον γένοιτο. *Dicere mihi videntur bonos ſibi ſimiles inuicem eſſe & amicos, improbos verò (quod & de ipſis dici ſolet) neque ſibi ſimiles, neque amicos eſſe, ſed ſtolidos penitùs & inſtabiles. Qui verò ſecum ipſe diſſentit, nullo modo cum alio conſentiet, nec vlli amicus eſſe poterit.* Sic ille in Lyſide, vbi diſputans hac de re in vtramque ſententiam videri poteſt. Sidonius lib. 5. epiſt. 9. ad Aquilinum. *In ſimilem familiaritatem præter hæreditariam prærogatiuam multifariâ oportunitate compellimur, ætas virtúſque non minùs iuncta quàm patria. Vnus nos exercuit ludus, magiſter inſtituit, diſciplina formauit.* Contra tamen Heſiodicum illud, καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ, &c. *& figulus figulo.* Sed prudenter hîc admonens Themiſtius oratione περὶ φιλίας eſt audiendus. Οὐδὲ τοῖς αὐταῖς ἐπιστήμαις ἢ τύχαις εὐδοκιμεῖν εἰκὸς τοὺς ἀσφαλῶς τὴν κοινωνίαν φυλάξοντας. σφαλερὰ γὰρ ἡ ὁμοιότης, ἔρωτα ἐπιτηδεῦσα τῶν αὐτῶν ἐπαίνων ἠρέμα ἀντιπαρεξάγειν εἰς ἅμιλλαν. *Non iiſdem diſciplinis aut fortunis clareſcere conſentaneum eſt, eos qui communionem hanc amicitiæ ſartam tectam conſeruaturi ſint. periculoſa enim res eſt ſimilitudo, faciléque dum earumdem laudum amorem occultè in animis inſerit, ad certamen & contentionem impellit.* Subdit: Εἰ δ' οὖν σε δαίμων ξυνεζεύξειεν ἢ ῥήτορα ὄντα ῥήτορι. ἢ ἰατρὸν ἰατρῷ, ἢ γραμματιστὴν γραμματιστῇ, μήτοι πρὸς τὸν φίλον φιλονεικεῖν, ἀλλὰ μᾶλλον πρὸς τὸν Ἡσίοδον, μηδ' ἐκεῖνον χείρω σεαυτοῦ διελέγχειν, ἀλλὰ τὸν ποιητὴν

Studiorum coniunctio an amicitiam conciliet.

μᾶλλον ἀπολειφθέντα τῆς ἀληθείας, ἀεὶ μὲν παραχωροῦντα τῆς πλείονος δόξης, εἰ ἄρα τι καὶ σοφώτερον ἐπίσταιο, ἀεὶ δ᾽ ἐγχώρει δευτέρα τῆς τιμῆς ἰσάζων, ἡ ἄρα σοι καὶ μᾶλλον ἡ πρώτη προσήκει. Quamobrem ſi te fortuna vel oratorem cum oratore conciliarit, vel cum medico medicum, vel grammaticum cum grammatico, noli cum amico contentioſè certare, ſed cum Heſiodo ipſo potiùs, ne te illum deteriorem eſſe conuincito, ſed Poëtam potiùs à veritate alienum, ſemper, quantumuis ipſo ſis peritior, maiori ei famâ atque exiſtimatione cedas, & in ſecundo ſemper honoris gradu conſiſtas, licet prior tibi potiori iure debeatur. Addit: Οὐχ ἡ τῶν τεχνῶν ὁμοιότης τὸν κότον ποιεῖ καὶ τὴν ἔριν, ἀλλ᾽ ὁ τρόπος τῶν ἀνθρώπων. ἂν μὲν γὰρ κόσμιοι καὶ εὔκολοι ὦσι, καὶ ἡ τέχνη μετρίως αὐτοὺς παρακινήσει. εἰ δὲ μὴ καὶ τέχνη καὶ ἀτεχνία χαλεπὸν κοινωνεῖν τοῖς τοιούτοις συμβαίνει. *Non artium ſimilitudo ipſa, ſed mores hominum inuidiam ac contentionem efficiunt. ſi enim moderati ac faciles ſint. parum illos eiuſdem communio artis incitabit, ſin minùs, tam peritia quam imperitia minimè ad ſocietatem coniunctionémque animorum eiuſmodi hominibus accidet.*

AXIOMATA.

Minùs probant quæ videntur elaborata proferri.
Non debemus amicorum pericula negligere.
Ad conciliandos animos magnam vim habet ſtudiorum coniunctio.

ARGVMENTVM.

Iubet primo Luceij teſtimonium recitari, deinde, vbi paucis oſtendit, nullum extare facti veſtigium, huius teſtimonij grauitatem cum Clodiæ contrarium teſtantis tum impudicitia, tum cupiditate, quæ fidei plurimum detrahunt, confert, & diligentiùs examinat.

SED cur diutiùs vos, Iudices, teneo? ipſius iurati religionem, auctoritatémque percipite, atque omnia diligenter teſtimonij verba cognoſcite. Recita teſtimonium Lucceij. Quid exſpectatis amplius? an aliquam vocem putatis ipſam pro ſe cauſſam, & veritatem poſſe mittere? hæc eſt innocentiæ defenſio, hæc ipſius cauſſæ oratio, hæc vna vox veritatis. in crimine ipſo nulla ſuſpicio eſt, & in re nihil eſt argumenti: in negotio, quod actum eſſe dicitur, nullum veſtigium ſermonis, loci, temporis: nemo teſtis, nemo conſcius, nominatur: totum crimen profertur ex inimica, ex infami, ex crudeli, ex facinoroſa, ex libidinoſa domo: domus autem illa, quæ tentata ſcelere iſto nefario dicitur, plena eſt integritatis, officij, religionis: ex qua domo recitatur vobis iureiurando deuincta auctoritas: vt res minimè dubia in contentione ponatur, vtrùm temeraria, procax, irata mulier finxiſſe crimen, an grauis, ſapiens, moderatúſque vir religioſè teſtimonium dixiſſe videatur.

LV.

Teſtimoniũ Luceij,

EXPLANATIO.

TENEO.] Expectatione ſuſpenſos.

IPSIVS IVRATI.] Percipite auctoritatem quam morum integritate & ſanctitate, ſibi collegit, & iuramenti religionem qua ſe teſtimonium ſcripto traditurus obſtrinxit, nihil ſe teſtaturum præter animi ſui ſententiam.

LVCEII TESTIMONIVM RECITA.] Lege. idem eſt recitare atque de ſcripto dicere. ex quo vides Luceium per ſe Iudicio non adfuiſſe, ſed teſtimonium ſcriptum miſiſſe.

QVID EXPECTATIS.] Recitato teſtimonio Luceij, eius veritatem ex eo confirmat, quòd optimè cum ipſa re conſentiat, idque à Cœlio tentatum neget, cuius nullum ſignum extet, nullum veſtigium. Si ipſa, inquit, cauſa, ſi veritas, ſi M. Cœlij innocentia pro ſe loqueretur, non poſſet ſe meliùs defendere, quam Luceij teſtimonium defendit.

TOTVM CRIMEN.] Luceij teſtimonium cum ipſius Clodiæ teſtimonio confert. & primo Clodiæ fidem non habendam eſſe docet, quòd eius teſtimonium non ſolùm ex inimicâ, ſed ex inimicâ domo proferatur, cuius videlicet omnes domeſtici in Cœlij perniciem iurauerint. at inimici contra inimicum teſtimonia vacillant. 2. quòd ex infami. at teſtes quidam propter notam & infamiam vitæ ſuæ admittendi non ſunt ad teſtimonij fidem. D. de teſtibus. 3. Quod ex crudeli. at crudeles in teſtimonium audiendi non ſunt, cùm facilè vel per mendacia perniciem aliis moliantur. 4. quod ex facinoroſa. at familia, quæ iam aliis ſe facinoribus obligarit, non dubitabit innocentem capitis accerſere. 5. ex libidinosâ. at facilè Clodia per impotentiam libidinis, cùm Cœlij, à quo ſpernebatur, conditionibus frui non poſſet, facilè potuit ad iram & odium concitari.

DOMVS AVTEM ILLA.] Poſtquam eas attulit rationes quæ auctoritatem Clodiæ eiuſque teſtimonij à perſonâ teſtis eleuare poterant, antequam ad Luceiani teſtimonij commendationem veniat, oſtendit idem Clodiæ teſtimonium, etiamſi à graui perſona proueniret, nullam tamen vim habiturum, cùm non rebus perſoniſque quæ accuſabantur, vlla ratione conſentiat. dicebatur enim Cœlius tentaſſe tanto ſcelere familiam optimis moribus inſtitutam.

Ex qua domo recitatur.] Vt paulò antè multis è capitibus teſtimonij Clodiani leuitatem falſitatémque deduxerat, ita nunc à multis circunſtantiis auctoritatem Luceiani teſtimonij demonſtrat. 1. ab integritate Luceij. 2. ab officio quod tum in cæteros, tum maximè in Dionem præſtare debuiſſet. 3. à religione in Deo. 4. ab auctoritate quam ſibi tùm optimis moribus compararat, tum iuriſiurãdi religione deuinxerat.

Vt res minime dubia.] Vtrumque teſtimonium per antitheſim opponit, & teſtis temeraria cum graui, procax cum ſapiente, irata cum moderato, vir cum muliere comparatur.

NOTÆ.

I. Divtivs teneo.] 6. Æneidos. *Dicam equidem, nec te ſuſpenſum nate tenebo.* Petrus Chryſologus ſerm. 88. *Quid tenemus, quid diu ſuſpendimus animos auditorum?*

II. *Minor eſt auctoritas teſtimoniorum, quàm teſtiũ.* Recita.] Recitare eſt de ſcripto dicere: ex quo liquet ſcriptum fuiſſe teſtimonium Luceij, ideóque minùs obtinebat auctoritatis. Calliſtratus de teſtibus. lege *Teſtium* hæc verba D. Hadriani refert. *Nec teſtes producebat, ſed teſtimoniis vti volebat, quibus apud me locus non eſt. nam ipſos interrogare ſoleo.* §. ſequenti: *Gabinio quoque Maximo idem princeps in hæc verba reſcripſit: Alia eſt auctoritas præſentium teſtium, alia teſtimoniorum quæ recitari ſolent.* quare vt quod auctoritatis propter teſtis abſentiam defuit, aliunde reſarciat pluribus Luceij religionem & ſanctitatem commendat.

III. Hæc vna vox veritatis.] Vocem veritatis appellat. tum quòd huic teſtimonio & coniectura ſuffragetur, & res ipſa conſentiat. vnde Ariſtoteles 1. Ethic. Nicomachiorum cap. 8. τῷ ἀληθεῖ πάντα συνᾴδει τὰ ὑπάρχοντα. τῷ δὲ ψευδεῖ ταχὺ διαφωνεῖ τἀληθές. *Veritati omnia quæ inſunt rei, conſentiunt, veritas verò ſtatim diſſentit à falſitate.* (*Vox veritatis.*) Tum quòd illud teſtimonium verbis ſimplicibus conceptum eſſet, nec vllis ambagibus inuolutũ. nam, vt ait Seneca in epiſtolis, *Simplex veritatis oratio eſt.* poſt Euripidem.

Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ.

Meritò autem ex ipſa re teſtimonij fidem examinat, nam, vt ait Arcadius, qui & Chariſius, D. de teſtibus, l. 21. *Quod naturæ negotij conuenit, & quod inimicitiæ aut gratiæ ſuſpicione caret, confirmabítque Iudex motum animi ſui ex argumentis, & teſtimoniis, & quæ rei aptiora, & vero proximiora eſſe compererit: non enim ad multitudinem reſpici oportet: ſed ad ſinceram teſtimoniorum fidem, & teſtimonia quibus potiùs lux veritatis aſſiſtit.*

IV. Ex inimica domo.] Nota loquendi formulam quam I. C. frequenter vſurpant. Paulus D. de teſtibus. *Teſtes eos quos accuſator de domo produxerit, interrogari non placuit.* Item Vlpianus ibidem: *Nihil nocet ex vna domo plures teſtes alieno negotio adhiberi.* Abs re non fuerit ad liquidiorem huius loci intelligentiam è Dionyſij Gothofredi notis quædam attexere. *Domeſticus, inquit Duarenus, non is tantùm dicitur qui in eadem domo habitat, ſed & qui eiuſdem familiæ & gentis eſt, vt pater, & filius, libertus Patronus, ſeruus, dominus, mercenarius, & is apud quem quis degit.* (Teſtes domeſtici.) *Duarenus fratrem ea voce contineri putat, etiamſi alibi moretur. Renardus domeſtici vocabulo intelligit eum qui in accuſatoris poteſtate eſt. Cuiacius domeſticum intelligit qui in eadem domo habitat, quod Græci dicunt* οἴκοθεν ὁ μάρτυς *ex Luciano in Ioue tragœdo conſtare non eſſe domeſticum, ſed eum qui aduerſus ſemetipſum teſtimonium dixerit. Petrus Pithœus domeſticorum nomine ſuſceptos & clientes accipit.* Addit οἰκιακοὺς μάρτυρας, & οἰκιακὰς μαρτυρίας *nominari.* Vide apud auctorem ex quo quodque depromſerit. infrà §. 60. *Ex hac igitur domo progreſſa iſta mulier de veneni celeritate dicere audebit?* Themiſtius in Sophiſta. ἀλλ᾽ ὅμως οὐκ οἶμαι δεῖν τὸν μάρτυρα οἴκοθεν εἶναι. *Verùm minimè domeſticum laudis ac præconij teſtem eſſe oportere cenſeo.* Subiungit rationem. Οὐδὲ γὰρ ἀθλητὴν ὁρῶ τὸν τοιοῦτον στεφανούμενον καὶ εὐδοκιμοῦντα, ὃν ὁ παιδοτρίβης ἐπαινεῖ, καὶ οἱ συνδειπνοῦντες, ἀλλ᾽ ὃν πολλοὶ ἐθεάσαντο ἐν τοῖς γυμνασίοις τραχηλιζόμενόν τε ῥᾳδίως καὶ μεταφέροντα τοὺς ἁλτῆρας. *Neque enim Athletam eum coronari ac celebrari omnium exiſtimatione video, quem magiſter ludi ſolus, aut compotores laudauerint, ſed quem multi in gymnaſiis ſæpius ceruicem facilè luxantem, & halteras portantem viderint.* Lycurgus orator contra Leocratem. Φοβούμενος μὴ ἐκ τῆς αὐτῆς οἰκίας οἵ τ᾽ ἐξελέγχοντες τῷ ἔργῳ, καὶ ὁ ἐξελεγχόμενος γένωνται. *Timens ne ex eadem domo, & ij qui re ipſa arguebant, & is qui arguebatur procederent.* Tatianus contra Græcos adeò ſuæ cauſæ confidit, vt non vereatur dicere. Μάρτυρας δ᾽ οὐ τοὺς οἴκοι παραλήψομαι, βοηθοῖς δὲ μᾶλλον Ἕλλησι χρήσομαι. *Teſtes non domeſticos aſſumam, ſed magis Græcorum teſtimonio nitar.* Adde Valeriani & Gallieni reſcriptum. C. De teſtibus. *Etiam iure ciuili domeſtici teſtimonij fides improbatur.* Vide pro Flacco 22.

V. Ivreivrando devincta avctoritas.] M. Tullius 3. Offic. *Nullum etiam vinculum ad adſtringendam fidem iureiurando arctius maiores eſſe voluerunt. id indicant leges in duodecim tabulis, indicant ſacra, indicant fœdera, quibus etiam cum hoſte deuincitur fides, indicant notationes animaduerſionéſque cenſoriæ, qui nulla de re diligentiùs quàm de iureiurando iudicabant.* (Iuriſiurandi vinculum.)

AXIOMATA.

Non expectandum eſt dum aliquam vocem ipſa pro ſe cauſſa & veritas mittat.

Non admittendum eſt teſtimonium quod profertur ex inimicâ, ex infami, ex crudeli, ex facinoroſâ, ex libidinoſâ domo.

Magnum momentum habet iureiurando deuincta viri grauis auctoritas.

Crimen de veneno à 56. ad 70. confutatur.

- à remotione
  - antecedentium, ſiue cauſſarum
    - finalium 56. quæ duplex fingebatur.
      - ne aurum redderet.
      - ne crimen hæreret.
    - efficientium, ſiue adiuuantium, quia non adeò ſtolidus fuit Cœlius, vt ſeruis adiutoribus vteretur, iiſque rem tantam committeret.
      - & alienis 57.
      - & dominæ familiaribus 57. 58.
  - comitantium, ſiue circumſtantiarum
    - veneni quæſiti & parati 59.
    - veneni ad balneas à Licinio delati, vt ſeruis Clodiæ traderetur. à 61. ad 66.
  - conſequentium, ſiue facti veſtigiorum
    - cauſæ propter quam Clodia ſeruos manumiſit.
      - non quia illi veneficium detexerant.
      - ſed hac manumiſſione
        - aut crimen eſt Cœlio quæſitum.
        - aut quæſtio ſublata.
        - aut multorum ſcelerũ conſciis ſeruis præmiũ cum cauſâ perſolutũ.
    - obſcœnæ fabulæ quæ conſecuta eſt. 69.
- Digreſſione in Clodiã, quòd ipſa Cœlium veneficij accuſet, quæ veneno Q. Metellum Celerem maritum ſuum extinxerat. 59. 60. factum exaggerat poſt grauem exclamationem.
  - à perſona Metelli, eiuſque
    - ſplendore.
    - virtute.
    - habitu corporis quo extinctus eſt.
  - à ſeditionibus Clodij poſt Metelli mortem.
  - ab ope & præſidio quod Metellus Reipub. attuliſſet.
- ab inſectatione teſtium, tum alibi paſſim, tum maximè 67. ab eorum
  - familiaritate cum Clodiâ.
  - ab indignitate quos in balneis contrudi non puduit.
  - à leuitate quâ temerè proſiluerunt.
  - à ſtoliditate qua Licinium de manibus amiſerunt.

ARGVMENTVM.

Ad crimen de veneficio, quod erat alterum accuſationis caput, deueniens, id inficiatione refellit, negátque vllam ab aduerſariis excogitari potuiſſe cauſam, quæ Marcum Cælium videretur ad tantum facinus impuliſſe.

LVI. RELIQVVM eſt igitur crimen de veneno: cuius ego neque principium inuenire, neque euoluere exitum poſſum. Quæ fuit enim cauſſa, quamobrem iſti mulieri venenum vellet dare Cœlius? ne aurum redderet? num petiuit? ne crimen hæreret? num quis obiecit? num quis denique feciſſet mentionem, ſi hic nemini nomen detuliſſet? Quinetiam Herennium dicere audiſtis, verbo ſe moleſtum non futurum fuiſſe Cœlio, niſi iterum eadem de re ſuo familiari abſoluto nomen hic detuliſſet. Credibile eſt igitur, tantum facinus nullam ob cauſſam eſſe commiſſum? & vos non videtis fingi ſceleris maximi crimen, vt alterius cauſſa ſceleris ſuſcipiendi fuiſſe videatur?

EXPLANATIO.

RELIQVVM EST.] Reſtat igitur vt de veneno quod Cœlius Clodiæ paraſſe dicitur, pauca dicamus.

CVIVS EGO.] Bene principium illius criminis inuenire ſe poſſe negat, quòd ne cauſam quidem aduerſarij ſuſpicioni mouendæ ſatis idoneam confinxerant, quam ob rem Cœlius veneno Clodiam conaretur extinguere. Bene item euoluere ſe criminis exitum poſſe inficiatur, quòd eorum figmenta inter ſe non cohærerent, nec illam fabulam poſſent ad exitum perducere.

QVÆ FVIT CAVSA.] Vt omnis coniectura, ſic etiam coniectura refutatio à cauſa & euentu deducitur. iam ex inficiatione cauſæ demonſtrat nullum poſſe huius criminis principium inueniri, quæ refutatio poteſt ad hunc modum reuocari.

Si Cœlius venenum Clodiæ parauit, ideò parauit ne aurum redderet ſibi à Cœliâ commodatum.

Sed nullum aurum fuit Cœlio à Clodiâ commodatum.

Ergo venenum Clodiæ non parauit.

NE CRIMEN HÆRERET?] Alius item hic ſyllogiſmus latet.

Si venenum parauit, maximè quia metuebat accuſari à Clodiâ, quòd Luceij ſeruos ſollicitaſſet ad necem Dioni inferendam.

Sed id non erat metuendum.

Ergo non parauit.

Probat non fuiſſe metuendum ex eo quod niſi Pollæ nomen detuliſſet, nemo vnquam ipſi ob ſollicitatos Luceij ſeruos diem dixiſſet.

FAMILIARI ABSOLVTO.] Pollam intelligit. de quo infra §. 76. *Nomen amici mei de ambitu detulit: quem abſolutum inſequitur, reuocat*, &c.

CREDIBILE EST IGITVR.] Concluſio eſt enthymematis, quod hoc paragrapho continetur.

Nullam habuit cauſam Cœlius veneni parandi.

Ergo non parauit.

Quod tamen in explicatione in alios ſyllogiſmos enucleatiùs diuiſimus.

NOTÆ.

NEQVE PRINCIPIVM.] Vide §. 64. D. Chryſoſtomum hom. 2. in epiſt. ad Roman. Τοιαύτη γὰρ ἡ τῶν λογισμῶν φύσις· λαβυρίνθῳ τινὶ καὶ γρίφοις ἔοικεν, οὐδὲν οὐδαμοῦ τέλος ἔχουσα. *Talis eſt ratiocinationum natura. labyrintho cuipiam & griphis ſimilis eſt. nullum vſquam finem habens.* Et alter Chryſoſtomus Dio Pruſæus, hinc arguit Homerum mendacij, quòd hiſtoriam Troianam nec à ſuo principio accerſierit, nec ad finem euoluerit. Οὐκ εὐθὺς ἤρξατο ἀπὸ τῆς ἀρχῆς, ἀλλ' ὅθεν ἔτυχεν. ὃ ποιοῦσι πάντες οἱ ψευδόμενοι σχεδὸν, ἐμπλέκοντες, καὶ περιπλέκοντες, καὶ οὐδὲν βουλόμενοι λέγειν ἐφεξῆς. ἧττον γὰρ καταδηλοί εἰσιν. εἰ δὲ μὴ, ὑπ' αὐτοῦ τοῦ πράγματος ἐξελέγχονται. τοῦτο δ' ἰδεῖν ἐστὶ καὶ ἐν τοῖς δικαστηρίοις, καὶ ἄλλως γιγνόμενον ὅπου μετὰ τέχνης ψεύδονται. *Non ſtatim à rei principio duxit, carminis exordiũ, ſed vt ſe res obtulit. quod ferè faciunt omnes qui mendacia concinnant, implicantes, & præterplicantes, nihilque quod ſibi cohæreat dicere cupientes. minùs enim ſunt manifeſti. Sin autem, ab ipſo negotio arguuntur. quod videre eſt in iudiciis, & vbicunque cum arte mentiuntur.* I. Mendacium ſimile eſt labyrintho, cuius neque principium, neque finis inuenitur.

QVÆ FVIT ENIM CAVSA.] A remotione cauſæ ſolent factum negare. vt Marcus Tullius paſſim. qua de re Miloniana conſulatur. nunc vnum exemplum Leontini Gorgiæ in apologia Palamedis ſuffecerit. Σκέψασθε δὲ κοινῇ καὶ τόδε, τίνος ἕνεκα προσῆκε βουληθῆναι ταῦτα πράττειν, εἰ καὶ μάλιστα πάντων ἐδυνάμην. οὐδεὶς βούλεται περὶ γε τοὺς μεγίστοις κινδύνοις κινδυνεύειν, οὐδὲ τὴν μεγίστην κακότητα εἶναι κάκιστος, &c. *Illud & in commune conſiderate, cuius rei cauſſâ cõuenit vt illa facere vellem, etiamſi omnium maximè ad exitum poſſem perducere. Nemo vult gratis aut ſalutem ſuam ſummis periculis exponere, aut ſummâ improbitate nefarius videri.* In quo multis deinde verbis immoratur. oſtenditque neque regni, neque pecuniæ, neque honoris cupiditate potuiſſe ſe commoueri. quod Tullius vno verbo perſtrinxit. Noſter addit, *ne crimen hæreret.* ille, τὸ δὲ λοιπὸν ἐστιν, εἴ τινα φόβον, ἢ πόνον, ἢ κίνδυνον φεύγων ἔπραξα. ταῦτα δὲ οὐδεὶς ἂν εἰπεῖν ἔχοι τί μοι προσῆκεν, διοῖν γὰρ τούτων ἕνεκα πάντες πάντα πράττουσιν, ἢ κέρδος τι μετιόντες, ἢ ζημίαν φεύγοντες. *Reliquum eſt vt videamus vtrum alicuius aut la-* II. Refutatio à remotione cauſſæ.

boris aut periculi metu illud effecerim. Nemo verò dicere poßit, qui id mihi facere conuenerit. Duorum enim horum cauſsâ omnes omnia faciunt, aut lucrum ſectantes, aut damnum fugientes.

III. CRIMEN HÆRERET.] Eodem ſenſu Terentius Hecyra actu 2. ſc. 1.

Sola hic fuiſti: in te omnis hæret culpa ſolâ, Soſtrata.

Suprà 14. *Iſta conditio, Iudices, reſpuatur, nec Catilinæ familiaritatis crimen hæreat.* pro Roſcio Comœdo. 17. *Roſcius ſocium fraudauit? poteſt hoc homini huic hærere peccatum.*

ITERVM EADEM DE RE.] Infrà 76. *Nomen amici mei de ambitu detulit: quem abſolutum inſequitur, reuocat.* & 78. *Non poteſt qui ambitu ne abſolutum quidem patitur eſſe abſolutum, ipſe impunè vnquam eſſe largitor.* IV.

AXIOMATA.

Mendaces frequenter neque principium inuenire, neque euoluere exitum poſſunt.

Credibile non eſt magnum facinus nullam ob cauſſam eſſe commiſſum.

Nonnunquam fingitur ſceleris maximi crimen, vt alterius cauſſa ſceleris ſuſcipiendi fuiſſe videatur.

ARGVMENTVM.

Pòſt quàm ſuperiùs ab inficiatione cauſæ finalis crimen refutauit, à negatione efficientis oſtendit nullam Cœlio fuiſſe perficiendi ſceleris facultatem, nullos ſocios, nullos adiutores quibus negotium prudenter poſſet & ſine temeritate committere.

CVI denique commiſit? quo adiutore vſus eſt? quo ſocio? quo conſcio? cui tantum facinus, cui ſe, cui ſalutem ſuam credidit? ſeruíſne mulieris? ſic enim obiectum eſt. & erat tam demens hic, cui vos ingenium certè tribuitis, etiam ſi cætera inimica oratione detrahitis, vt omnes ſuas fortunas alienis ſeruis committeret? at quibus ſeruis? refert enim magnopere idipſum: híſne, quos intelligebat non communi conditione ſeruitutis vti, ſed licentiùs, liberiùs, familiariùs cum domina viuere? quis enim hoc non videt, Iudices, aut quis hoc ignorat, in eiuſmodi domo, in qua materfamilias meretricio more viuat, in qua nihil geratur, quod foras proferendum ſit, in qua luſtra, libidines, luxuries, omnia denique inaudita vitia, atque flagitia verſentur, hîc ſeruos non eſſe ſeruos? quibus omnia committantur, per quos gerantur, qui verſentur iiſdem in voluptatibus, quibus occulta credantur, ad quos aliquantum etiam ex quotidianis ſumptibus, ac luxuria redundet? LVII.

EXPLANATIO.

CVI DENIQVE COMMISIT?] Hanc prouinciam vt veneno Clodiam extingueret. placet hoc loco totum paragraphum ad formam ſyllogiſticam reuocare.

Is de veneficio non cogitauit, qui nemini potuit venenum committere.

Sed Cœlius nemini potuit venenum committere.

Ergo de veneficio non cogitauit.

Hic ſyllogiſmus vna aſſumptione, ſed ea variè tractatâ & per expolitionem, & per interrogationem vehementiùs vrgente aduerſarios, tanquam epichiremate continetur. probatur deinceps eadem aſſumptio.

Dixerunt accuſatores Cœlium id tentaſſe per ſeruos Clodiæ.

Sed illis non potuit venenum committere.

Ergo nemini.

Concluſio tacetur, vtramque præmiſſam his paucis complexus eſt. *Seruíſne? ſic enim dictum eſt.* propoſitio ab aduerſariis non admittitur ſolùm, ſed etiam ingeritur. probatur aſſumptio.

Vir prudens non potuit negotium, ex quo periculum capitis impendet, Clodiæ ſeruis committere.

Atqui Cœlius eſt vir prudens.

Ergo veneni dandi negotium non potuit Clodiæ ſeruis committere, ex quo periculum capitis imminebat.

Aſſumptionem etiam aduerſarij veram eſſe confitentur. probatur maior propoſitio.

Si vir prudens ſuam ſalutem quibuſuis ſeruis alienis committere non auderet, multò minùs eam ſeruis Clodiæ committeret.

Sed id verum eſt.

Ergo & hoc.

Probatur maior.

Seruis qui ſummam habent in herili domo licentiam minus prudenter interficiendi domini negotium committitur, quàm iis qui licentiam habent minorem.

Sed ſerui Clodiæ ſummam habent in herili domo licentiam. *Ergo*, &c.

Maior probatione non indiget, iterum ſic probatur aſſumptio.

In domo cuius materfamilias meretricio more viuit, ſerui ſummam habent licentiam.

Sed Clodia meretricio more viuit.

Ergo ſerui in eius domo ſummam habent licentiam.

Minor modeſtiæ cauſa reticetur. propoſitio ſic iterum probatur.

In ea domo in qua nihil geritur, quod foras proferendum ſit ſerui ſummam habent licentiam.

Sed in domo meretricis nihil geritur quod foras proferendum ſit.

Ergo in domo meretricis ſerui ſummam habent licentiam.

Longior fui; ſed operæprecium fuit indicare, quemadmodum ſyllogiſmos ſyllogiſmis intexat, facile erit cuiuis vbique propemodum eandem argumentorum copiam notare.

CVI SALVTEM SVAM CREDIDIT.] Quem facinoris conſcium tam fidelem inuenire potuit, vt illi facinus mente conceptum auderet committere, quo in lucem prolato actum fuiſſet de Cœlij ſalute.

MATER FAMILIAS.] οἰκοδέσποινα, domina palàm ſe in meretricia vita collocarit.

IN QVA NIHIL GERATVR, QVOD FORAS PROFERENDVM SIT.] Quibus ſeruis materfamilias omnem tribuat licentiam, verita, ne ſi illis offenderet, eius flagitia priuatis parietibus tecta detegantur, atque in lucem proferantur. atque idem penè ſenſus eſt reliquorum verborum, ſed res eadem variè expolitur.

QVIBVS OMNIA COMMITTANTVR.] Verbi cauſa litteræ ad adulteros deferendæ, per quos emiſſarias conditiones colligantur. &c.

NOTÆ.

I. CVI DENIQVE COMMISIT.] De hac diluendi criminis ratione vide partitiones oratorias §. 119. & alibi ſæpè. quem locum fusè tractat Leontinus Gorgias in apologiâ Palamedis: Ἔδει γάρ τινα πρῶτον ἀρχὴν γενέσθαι τῆς προδοσίας. ἡ δ' ἀρχὴ λόγος ἂν εἴη. πρὸ γὰρ τῶν μελλόντων ἔργων ἀνάγκη λόγους γίνεσθαι πρότερον. λόγοι δὲ πῶς ἂν γένοιντο μὴ συνουσίας τινὸς γενομένης; συνουσία δὲ τίνα τρόπον γένοιτ' ἄν, μήτ' ἐκείνου πρὸς ἐμὲ πέμψαντος, μήτε παρ' ἐμοῦ πρὸς ἐκεῖνον ἐλθόντος; οὐδὲ παραγγελία διὰ γραμμάτων ἀφῖκται ἄνευ τοῦ φέροντος. &c. *Neceſſe erat vt ex aliquo principio proditio duceretur. Principium aliud non fuit quàm ſermo. Iis enim quæ facienda ſunt neceſſe eſt, vt ſermo præcedat. Sermones verò haberi qui poſſint, niſi duo pluréſve conuenerint? quomodo autem fieri poſſet iſta conuentio, niſi aut ille miſerit ad me, aut ego ad eum acceſſerim. Neque nuncius per literas ſine tabellario peruenit.*

Refutatio à reiectione facultatis.

II. SERVIS COMMITTERET.] E duplici fonte criminis obiecti refutationem accerſit, 1. ab ingenio & prudentiâ. 2. ab infidelitate ſeruorum, quibus non debuit ſalutem vitámque ſuam committere. vtrumque refutationis modum, idem qui ſupra Gorgias eleganter vſurpat. de prudentia quam ne Vlyſſes quidem ſuſtulerat Palamedi: Κατηγορήσας δέ μου διὰ τῶν εἰρημένων λόγων δύο τὰ ἐναντιώτατα σοφίαν καὶ μανίαν. ἅπερ οὐχ οἷόν τε τὸν αὐτὸν ἄνθρωπον ἔχειν. ὅπου μὲν γάρ με φῂς εἶναι τεχνήεντά τε καὶ δεινὸν, καὶ πόριμον, σοφίαν μου κατηγορεῖς. ὅπου δὲ λέγεις, ὡς προὐδίδουν τὴν Ἑλλάδα, μανίαν. μανία γάρ ἐστιν ἔργοις ἐπιχειρεῖν ἀδυνάτοις, ἀσυμφόροις, αἰσχροῖς, ἀφ' ὧν τις τοὺς μὲν φίλους βλάψει, τοὺς δ' ἐχθροὺς ὠφελήσει, τὸν δ' αὐτοῦ βίον ἐπονείδιστον καὶ σφαλερὸν καταστήσει. *Duo in me inter ſe planè contraria reprehendit, ſapientiam & inſaniam. Quæ duo vni & eidem homini eſſe non poſſunt. Cùm enim me dicis artificioſum eſſe, & vehementem & ſagacem, meam ſapientiam accuſas. Cùm me dicis Græciæ fuiſſe proditorem, inſaniam. Inſaniam enim eſt res aggredi impoſſibiles, inutiles, inhoneſtas, quibus amicis adferas detrimentum vtilitatem hoſtibus, tuam ipſius vitam & opprobrio & lapſui obnoxiam facias.* Idem argumentatur ab infidelitate ſeruorum & conditione ſeruitutis. Πράττων μὲν γὰρ, αὐτὸς ἔπραττον, ἢ μεθ' ἑτέρων. ἀλλ' οὐχ ἑνὸς ἡ πρᾶξις, ἀλλὰ μεθ' ἑτέρων; τίνων; δῆλον ὅτι τῶν νῦν ὄντων. πότερον ἐλευθέρων ἢ δούλων; ἐλευθέροις μὲν γὰρ ἡμῖν σύνειμι. τίς οὖν ὑμῶν ξυνοιδε, λεγέτω. δούλοις δὲ πῶς οὐκ ἄπιστον; ἑκόντες γὰρ ἐπ' ἐλευθερίᾳ, χειμαζόμενοί τε δι' ἀνάγκην κατηγοροῦσιν. *Hæc ego faciens, aut per me ipſum feci, aut per adminiſtros. Atqui non vnius eſt opus. Per alios igitur? quos? manifeſtum eſt ex iis qui nunc viuunt. Vtrum igitur per ſeruos, an per liberos? Vobiſcum viuo liberis. Quis igitur veſtrûm conſcius eſt? loquatur. Seruis verò quis audeat rem committere? Voluntarij enim propter libertatem, & iactari propter neceſſitatem accuſant.* Ab infidelitate ſeruorum.

Refutatio ab ingenio rei.

III. COMMITTERET.] Terentius Andriâ actu 1. ſc. 4. *Nec ſatis digna cui committas.* Vbi Donatus: *Mirè ſignateque dixit committas, etenim committimus magna, & quæ ſalutem in dubio habent.* Committere.

IV. IN QVA NIHIL GERATVR, &c.] Certum eſt ſeruos non eſſe ſeruos, quibus Domini ſecreta parum honeſta commiſerint. Iuuenalis Sat. 3.

Quis nunc diligitur niſi conſcius? &c.

Et contra:

Nil tibi ſe debere putat, nil conferet vnquam
Participem qui te ſecreti fecit honeſti.

Plutarchus de inſtitutione puerili: Οἱ δ' ὅλως φαύλως ζῶντες οὔτε τοῖς δούλοις παῤῥησίαν ἔχουσιν ἐπιτιμᾶν, μή τοί γε τοῖς υἱοῖς. *Qui verò ſe flagitiis omnibus immerſerint, ne quidem ſatis libertatis habent vt ſeruos reprehendant, nedum vt liberos.* Nec multùm abludit Sanctus Hieronymus ad Saluinam de ſeruanda viduitate: *Scio multas clauſis ad publicum foribus, non caruiſſe infamiâ ſeruulorum, quos ſuſpectos faciebat, aut cultus immoderatus, aut craſſi corporis nitor, aut ætas apta libidini, aut ex conſcientiâ amoris occulti, ſecurus animi tumor, qui etiam bene diſſimulatus frequenter erumpit in publicum, & conſeruos, quaſi ſeruos, deſpicit.* Sicut contrà in caſtâ domo minùs & ſeruis indulgetur, & domini diliguntur. nam vt idem ſcribit ad Furiam: *Vbi pudicitiæ ſanctitas, ibi frugalitas eſt; vbi frugalitas ibi damna ſeruulorum. Quicquid non tulerint, ſibi ablatum putant: nec conſiderant de quanto, ſed quantum accipiant.* Sed pulcherrimè Iuuenalis Sat. 9.

Male ſibi cõſcij timent ſeruos.

Sed prodere malunt
Arcanum quàm ſubrepti potare falerni
Pro populo faciens quantum Lauſella bibebat
Viuendum rectè, tum propter plurima, tum de his
Præcipuè cauſis, vt linguas mancipiorum
Contemnas. Nam lingua mali per peßima ſerui.
Deterior tamen hic, qui liber non erit illis.

Cauendæ linguæ ſeruorũ.

Dixerat Sat. 3.

Scire volunt ſecreta domus atque inde timeri.

Ouidius 2. amorum eleg. 2.

Conſcius aßiduos commißi tollet honores.
Quis minor eſt autem quàm tacuiſſe labor?
Ille placet, verſatque domum, nec verbera ſentit.
Ille placet dominæ: cætera turba iacet.

V. LVSTRA, LIBIDINES.] Dicendum erat quæ ſit inter *luſtra, libidines, luxuriem, vitia, fla-*

gitiæ diſtinctio, ſed id aliò reſeruamus.

VI. Serui ſcelerũ dominorum conſcij non ſunt ſerui.

SERVOS NON ESSE SERVOS.] Lyſias Areopagitico: Πῶς οὖν οὐκ ἂν ἦν ἀθλιώτατος ἀνθρώπων ἁπάντων, εἰ τοὺς ἐμαυτοῦ θεράποντας μηκέτι δούλους ἔμελλον ἕξειν, ἀλλὰ δεσπότας τὸν λοιπὸν βίον, τοιούτων ἔργων συνειδότας; ὥστε εἰ καὶ τὰ μέγιστα εἰς ἐμὲ ἐξημάρτανον, οὐκ ἂν οἷόν τ' ἦν δίκην με παρ' αὐτῶν λαμβάνειν. *Quomodo igitur non omnium mortalium eſſem infœliciſſimus, ſi ſeruos meos non ampliùs ſeruos eſſem habiturus, ſed dominos per reliquam vitam, talium operum mihi conſcios? Adeò vt etiamſi vel atrociſſimè in me peccarent, non poſſem ſumere vindictam.*

AXIOMATA.

Dementis eſt omnes ſuas fortunas alienis ſeruis committere.

In eiuſmodi domo in qua materfamilias meretricio more viuat, in qua nihil geratur quod foris proferendum ſit, ſerui non ſunt ſerui.

Non ſunt ſerui quibus occulta creduntur.

ARGVMENTVM.

Superior ratio de ſeruis & facultatis inficiatione priore §. parte concluditur, deinde ab ipſâ re & loco crimen refutatur.

ID igitur Cœlius non videbat? ſi enim tam familiaris erat mulieris, LVIII. quàm vos vultis, iſtos quoque ſeruos familiares eſſe dominæ ſciebat. ſin ei tanta conſuetudo, quanta à vobis inducitur, non erat, quæ cum ſeruis potuit familiaritas eſſe tanta? Ipſius autem veneni quæ ratio fingitur? vbi quæſitum eſt? quemadmodum paratum? quo pacto? cui? quo in loco traditum? habuiſſe aiunt domi, vímque eius eſſe expertum in ſeruo quodam ad rem ipſam parato, cuius perceleri interitu eſſe ab hoc comprobatum venenum.

EXPLANATIO.

ID IGITVR.] Refutat hoc dilemmate.

Vel fuit Cœlius familiaris Clodiæ, vel non fuit.

Si fuit, vidit ſeruos Clodiæ eſſe Dominæ acceptos, ac proinde Clodiam per eos non poſſe interfici.

Si non fuit Clodiæ familiaris, neque adeò familiaris fuit ſeruis eiuſdem, vt cum iis de interficiendâ dominâ loqueretur.

Quare nullo modo locutus eſt.

DOMINÆ.] Clodiæ matrifamilias.

SIN EI TANTA CONSVETVDO.] Sin Cœlio cum Clodiâ tanta conſuetudo non fuit, quantam vos fuiſſe dicitis, cùm eorum comeſſationes, conuiuia, ſymphonias, in medium adducitis.

QVÆ CVM SERVIS POTVIT ESSE FAMILIARITAS TANTA.] vt eis tantum facinus, ſecretum tanti momenti, ſalutem ſuam committeret?

IPSIVS AVTEM VENENI.] Altera pars eſt huius §. qua à remotione circumſtantiarum crimen de veneficio refutatur.

VBI QVÆSITVM EST.] Apud quem pharmacopolam emptum fuiſſe oſtenditur?

CVI, QVO IN LOCO TRADITVM.] Cœlióne ipſi, an alicui ex ipſius ſeruis à pharmacopola in manus traditum eſt?

AD HANC REM.] vt venenum biberet, periculi faciendi cauſa vtrum hoc venenum celeriter perimendi vim haberet.

NOTÆ.

I. FAMILIARES ESSE DOMINÆ SCIEBAT.] Videtur ad antiquam ſeruorum appellationem alludere: quos familiares vocabant. Seneca epiſt. 47. *Ne illud quidem videtis quam omnem inuidiam maiores noſtri dominis, omnem contumeliam ſeruis detraxerint? Dominum, patremfamiliæ appellauerunt, ſeruos (quod etiam in mimis adhuc durat) familiares, inſtituerunt diem feſtum, quo non ſolùm cum ſeruis domini veſcerentur, ſed vtique illis honores in domo gerere, ius dicere permiſerunt, & domum puſillam Rempub. eſſe iudicauerunt.* Feſtus Pompeius: *Familia antea in liberis hominibus dicebatur, quorum dux & princeps generis vocabatur Pater & Materfamiliæ, &c. & familiares ex eadem familiâ. poſtea hoc nomine etiam famuli appellari cœperunt, permutatâ i cum u litterâ.* Idem teſtatur Macrobius I. Saturnal. cap. I. ſed duas paginas è Seneca impudenter excerpſit, ne ſolùm Gellium explicaſſe videatur. Apud Plautum ſexcenta exempla ſunt: pauca ex vno Amphitruone libata ſuffecerint. in prologo: Serui familiares.

Ego ſerui ſumpſi Soſiæ mihi imaginem, &c.
Atque vt ne qui eſſem familiares quærerent.

Paulò pòſt:

Ea ſigna nemo horunce familiarium
Videre poterit.

& ſc. I. Soſ.

At nunc abi ſanè, adueniſſe familiares dicito.

Merc. *Neſcio quam tu familiaris ſis, niſi actutum hinc abis*
Familiaris accipere faxo haud familiariter.

Notat etiam Feſtus: *Famuli originem ab Oſcis dependere. apud quos ſeruus Famel nominabatur, vnde & familia vocata.*

VBI QVÆSITVM.] Simillimus eſt locus in Cluentianâ 167. *Quod autem tempus veneni dandi in illo die? in illâ frequentiâ? per quem porro datum? vnde ſumptum? quæ deinde interceptio poculi? cur non de integro autem datum? Multa ſunt quæ dici poſſunt, ſed non committam vt videor non dicendo voluiſſe dicere. Res enim iam ſe ipſa defendet.* II.

VIMQVE EIVS ESSE EXPERTVM.] III.

Suetonius Nerone cap. 33. de veneno quod Britannico parabatur *in hœdo expertus, poſtquam is quinque horas protraxit, iterum ac ſæpius recoctum procello obiecit. Quo ſtatim exanimato, inferri in triclinium, darique cœnanti ſecum Britannico imperauit.* Sed crudelius Cleopatra veneni vim in hominibus ſolebat experiri. Plinius l. 21. c. 3. *Scelerate Cleopatra apparatu belli Acciaci gratificationem ipſius Reginæ, Antonio timente, nec niſi prægustatos cibos ſumente fertur amore eius luſiſſe, extremis coronæ floribus veneno illitis, ipsáque capiti impoſita. mox procedente hilaritate inuitauit Antonium vt coronas biberent. Quis iſtas timeret inſidias? Ergo concerptâ in ſcyphum incipienti hauriæ, oppoſitâ manu: En ego ſum, inquit, illa, Care Antoni, quam tu noua prægustandi diligentiâ caues: adeò mihi ſi poſſim ſine te viuere occaſio & ratio adeſt. Ius eductum è cuſtodiâ bibere iuſſit, illico expirantem.*

ARGVMENTVM.

Graui & inflammatâ oratione tantiſper à propoſito digreſſus, Clodiæ inſignem impudentiam accuſat, quod ipſa alteri veneficium obiiceret, quæ Qu. Metellum Celerem maritum ſuum veneno extinxerat. prius tamen, vt magis Iudicum animos accendat, eum laudat tum à cæteris virtutibus, tum vel maximè à ſuâ in patriam charitate.

LIX. PRO Dij immortales, cur interdum in hominum ſceleribus maximis, aut conniuetis, aut præſentis fraudis pœnas in diem reſeruatis? Vidi enim, vidi, & illum hauſi dolorem vel acerbiſſimum in vita, cùm Qu. Metellus abſtraheretur è ſinu gremióque patriæ, cúmque ille vir, qui ſe natum huic imperio putauit, tertio die pòſt, quàm in curia, in roſtris, in Republ. floruiſſet, integerrima ætate, optimo habitu, maximis viribus eriperetur indigniſſimè bonis omnibus, atque vniuerſæ ciuitati. Quo quidem tempore ille moriens, cùm iam cæteris ex partibus oppreſſa mens eſſet, extremum ſenſum ad memoriam Reipub. reſeruabat: cùm me intuens flentem ſignificabat interruptis atque morientibus vocibus, quanta impenderet procella vrbi, quanta tempeſtas ciuitati: & cùm parietem ſæpè feriens eum, qui cum Qu. Catulo fuerat ei communis, crebro Catulum, ſæpè me, ſæpiſſimè Rempub. nominabat: vt non tam ſe emori, quàm ſpoliari ſuo præſidio cùm patriam, tum etiam me doleret.

EXPLANATIO.

PRO DII.] Cur aliquando in maximis hominum ſceleribus, aut diſſimulatis, ab iiſque peccari impune permittitis, aut præſentis ſceleris pœnas in diem vindictæ differtis, ac reſeruatis.

VIDI ENIM VIDI.] Verbi duplicatione, & variis circunſtantiis cauſam ſui doloris exaggerat. primò quòd ipſe viderit, non auditu acceperit. deinde, quòd vir ille fuerit patriæ chariſſimus, qui veneno extinctus eſt. tertiò, quòd vnicè patriam dilexiſſet. quartò, quòd inexpectatâ morte fuerit extinctus, tertio pòſt die, quàm in curia, roſtris, & Repub. floruiſſet. quintò, quòd eo tempore diem obierit, quo vitam ad Reipub. commodum propagare debuiſſet. ſextò, quòd violentâ morte perierit, nec tam deceſſerit, quàm indigniſſime ereptus fuerit ciuitati.

QVINTVS METELLVS.] Celer, vir Conſularis, maritus Clodiæ.

ABSTRAHERETVR A SINV.] Eriperetur patriæ lugenti caſum tam præſtantis viri, vt mater luget filij ſui mortem, cùm à ſinu gremióque ipſius violenter abſtractus occiditur.

ILLE VIR.] Qu. Cecilius Metellus Celer, qui adeò de patriæ & imperij commodis ſemper cogitabat, vt natus patriæ, & datus à Diis immortalibus videretur ad tuendam & propagandam Imperij Romani dignitatem.

IN CVRIA.] In Senatu, dicendáque pro patriæ ſalute ſententiâ.

IN ROSTRIS.] In Iudicum tribunalibus & ſubſelliis, quæ pro roſtris in foro ſunt collocata.

IN REPVB.] In magiſtratibus honoribúſque gerendis.

OPTIMO HABITV.] Conſtitutione corporis & ſanitate.

CVM IAM.] Cùm iam imminente morte vis veneni graſſantis intra præcordia, adeò ſenſus omnes & mentem oppreſſiſſet, vt de aliis rebus non poſſet cogitare.

QVANTA IMPENDERET.] Quantas turbas, quantas ſeditiones poſt ipſius mortem in Repub. concitaturus eſſet P. Clodius: vel etiam quantæ turbæ Cæſaris conſulatum ſecuturæ eſſent, propter leges quæ ferebantur.

NOTÆ.

CONNIVETIS.] Hæc quæſtio totam antiquitatem turbauit, cur nimirum Deus in maximis hominum ſceleribus, quaſi conniuens iis bona accidere pateretur, adeò vt propter hanc vnam rationem plerique Deum auteſſe negauerint, aut rebus humanis prouidere.

Marmoreo Licinus tumulo iacet: at Cato paruo:

Pompeius nullo: credimus eſſe Deos?

Cur multi Dei prouidentiam negauerint.

Sic & Iaſon apud Senecam, cùm Medeam filiorum cruore imbutam videret auolare.

Teſtare nullos eſſe qua veheris Deos.

Ouidius:

Eſſe Deos credámne? fidem iurata fefellit,
16. *Et & manet in ſolito qui fuit ore decor.*

Et ille:

Τολμῶ κατειπεῖν, μήποτ' οὐκ εἰσὶ Θεοί.
Κακοὶ γὰρ εὐτυχοῦντες ἐκπλήττουσί με.
Hoc dicere auſim: nullus in cœlo eſt Deus.
Siquidem malorum turba me fœlix premit.

Et impius ille Telamon apud Ciceronem 3. de nat. Deor.

Nam ſi curent bene bonis ſit: malè malis: quod nunc abeſt.

Ideóque vt refert Heſychius Illuſtrius: Διαγόρας ἐπεκλήθη ἄθεος, ὅτι ὁμότεχνός τις αἰτιαθεὶς ὑπ' αὐτοῦ, ὡς δὴ παιᾶνα ὑφελόμενος, ὃν αὐτὸς ἐποίησεν, ἐξωμόσατο μὴ κεκλοφέναι αὐτὸν, μικρὸν δ' ὕστερον ἐπιδειξάμενος αὐτὸν εὐημέρησεν. *Diagoras vocatus eſt Atheus, quod quidem eiuſdem cum ipſo artis accuſatus ab ipſo, quod paana à ſe factum ſibi arrogaſſet, id cum iuramento contra negauit, & paulò pòſt eum proferens gloriam adeptus eſt.* Talis vox illa nefaria Athenienſium, qui, vt auctor eſt Demochares apud Athenæum, aduenіente Demetrio: Ορχούμενοι καὶ ἐπᾴδοντες, ὡς εἴη μόνος Θεὸς ἀληθινός, οἱ δ' ἄλλοι καθεύδουσιν, ἢ ἀποδημοῦσιν, ἢ οὐκ εἰσίν. *Saltantes & cantantes ſolum Demetrium verum eſſe Deum, cæteros, aut dormire, aut peregrinari, aut non eſſe.* vide Lucianum dialogo qui Ζεὺς ἐλεγχόμενος inſcribitur. & in Ioue Tragœdo. Idem Claudianus de ſe ipſo confitetur 1. in Ruffinum:

Sed cùm res hominum tanta caligine volui
Aſpicerem, latóſque diu florere nocentes
Vexaríque pios: rurſus labefacta cadebat
Relligio, &c.

Item:

Abſtulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum.

Et ille apud Plutarchum lib. 1. de placitis philoſophorum: Πῶς δ', εἴπερ ὁ Θεός ἐστι, καὶ τῇ τούτου φροντίδι τὰ τῶν ἀνθρώπων οἰκονομεῖται, τὸ μὲν κίβδηλον εὐτυχεῖ, τὸ δ' ἀστεῖον, τἀναντία πάσχει; *Quomodo, ſi quidem Deus eſt, & illius prouidentia res humanas adminiſtrat, quod corruptum, idem & beatum eſt, quod autem bonis artibus imbutum eſt, id affectiones habet planè contrarias.* Sed hos impios cum ſuâ impietate relinquamus, & paucas attingamus cauſas, cur Deus in maximis nonnullorum ſceleribus conniuere videatur. Cæſar 1. Gall. tradit: *Conſueſſe Deos immortales, quo grauiùs homines ex commutatione rerum doleant, quos pro ſcelere eorum vlciſci velint, his ſecundiores interdum res, & diuturniorem impietatem comedere.* Hinc vulgatum illud Claudiani:

-Tolluntur in altum
Vt lapſu grauiore ruant.-

Iuuenalis:

-numeroſa parabat
Excelſa turris tabulata, vnde altior eſſet
Caſus, & impulſa preceps immane ruina.

Pulchrè Heraclitus ad Hermodorum: Ἀποτίσονται ἑαυτῶν τὴν ὕβριν, καὶ νῦν ἀποτίννυνται γνώμης ἀναπίμπλαντες ἡμᾶς κακῆς. οὐκ ἀφαιρούμενος πλοῦτον κολάζει Θεὸς, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον δίδωσι, ἵν' ἔχοντες δι' ὧν ἁμαρτάνουσιν ἐλεγχθήσονται· καὶ περιουσιάζοντες σκίωσιν ἀυτῶν τὴν μοχθηρίαν· ἡ δ' ἀπορία παραπέτασμά ἐστιν. *Paulò pòſt inſolentiæ pœnas luent, & verò etiam iam luent ij, à quibus nobis malè de prouidentiâ diuinâ cogitandi datur occaſio. non auferens diuitias punit Deus, ſed potiùs largitur vt materiam peccandi habeant & grauius puniantur. illi diuitiis affluentes, tanquam in theatro ſuam improbitatem oſtentant. at paupertas aliis eſt integumento.* Aliam adfert Plato rationem in Gorgia: Ο ἀδικῶν τε καὶ ὁ ἄδικος ἁπάντων μὲν ἄθλιος· ἀθλιώτερος μὲν τοίνυν ἐὰν μὴ διδῷ δίκην, μηδὲ τυγχάνῃ τιμωρίας ἀδικῶν. ἧττον δ' ἄθλιος, ἐὰν διδῷ δίκην, καὶ τυγχάνῃ δίκης ὑπὸ θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων, &c. *Qui infert iniuriam & iniuſtus quiuis omnium quidem eſt miſerrimus, ſed longè miſerior, ſi propter iniuriam illatam non plectatur. minùs verò miſer, ſi & à Diis & ab hominibus propter iniuriam puniatur.*

Reservatis.] Deum pedes laneos, manus plumbeas, habere vulgatum eſt, quòd ſerò quidem nefarij, ſed tamen grauiſſimè nonnunquam puniantur. etenim vt ait Propertius: IX.

Si qua venit ſerò magna ruina venit.

Statius 5. Theb.

-mouet & cœleſtia quondam
Corda dolor, lentóque irrepunt agmine pœnæ.

Solon apud Demoſthenem de falsâ legatione iuſtitiam deſcribit:

Ἡ σιγῶσα σύνοιδε τὰ γιγνόμενα πρό τ' ἐόντα
Τῷ δὲ χρόνῳ πάντως ἦλθ' ἀποτεισομένη.

Vertit non malè Philippus Melanchton, & veritatem huius effati miſer experitur:

Et quamuis pœnas differt aliquando tacétque,
Mente tamen memori facta nefanda notat.
Exigit & tandem pœnas.

Hinc ὀπισθόποδες ἐριννύες à Tragicis frequenter dicuntur. Sed res elegantiùs quam à Platone non poteſt explicari, 4. de legibus: Sera numinis vindicta.

Ο μὲν δὴ Θεὸς (ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος) ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων, εὐθείᾳ περαίνει κατὰ φύσιν περιπορευόμενος. τῷ δ' ἀεὶ ξυνέπεται δίκη τῶν ἀπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρός. ἧ ὁ μὲν εὐδαιμονήσειν μέλλων, ἐχόμενος, ξυνέπεται ταπεινῶς κεκοσμημένος. ὁ δέ τις ἐξαρθεὶς ὑπὸ μεγαλαυχίας, καὶ χρήμασιν ἐπαιρόμενος, ἢ τιμαῖς, ἢ καὶ σώματος εὐμορφίᾳ, ἅμα νεότητι καὶ ἀνοίᾳ φλεγόμενος, τὴν ψυχὴν, μεθ' ὕβρεως, ὡς οὔτ' ἄρχοντος, οὔτέ τινος ἡγεμόνος δεόμενος, ἀλλὰ καὶ ἄλλοις ἱκανὸς ὢν ἡγεῖσθαι, καταλείπεται ἔρημος θεοῦ. καταλειφθεὶς δὲ καὶ ἔτι ἄλλους τοιούτους προσλαβὼν σκιρτᾷ ταράττων πάνθ' ἅμα. καὶ πολλοῖς τισιν ἔδοξεν εἶναί τις, μετὰ δὲ χρόνον οὐ πολὺν ὑποσχὼν τιμωρίαν οὐ μεμπτὴν τῇ δίκῃ ἑαυτόν τε καὶ οἶκον καὶ πόλιν ἄρδην ἀνάστατον ἐποίησε. *Deus, ſicut antiquus quoque ſermo teſtatur, principium, finem, & media rerum omnium continens, recta peragit ſecundum naturam circumiens. Hunc ſemper iudicium comitatur eos qui diuinâ lege deſciuerint puniens. Cui quidem iudicio, quicumque felix futurus eſt, adhærens, humilis ſubſequitur atque compoſitus. Qui autem ſuperbiâ elatus eſt quod pecuniâ vel honoribus antecellat, vel corporis formâ polleat, qua cùm iuuenilis animus dementiâ ſimul ardeat & petulantiâ, quaſi nec principe nec duce vllo indigeat, ſed aliorum ipſe ſufficiens ductor ſit, is penitus à Deo deſeritur. deſertus autem & alios huiuſmodi nactus exultat omnia ſimul perturbans, multiſque videtur minimè contemnendus. breui tamen poſtea inculpabili Dei penitùs iudicio, ſemper domum ſuam ciuitatémque vniuerſam ſimul euertit.* Hæc Plato quæ ex operibus Heſiodi partim deprompta, partim mirè illuſtrata referuntur. Quibus meliorem ſanè reddit cauſam cur antiqui Ioui iuſtitiam adiunxerint, quam Ana-

xarchus apud Arrianum: Οἱ πάλαι σοφοὶ ἄνδρες τὴν δίκην πάρεδρον τῷ Διῒ ἐποίησαν, ὡς ὅ,τι ἂν πρὸς τοῦ Διὸς κυρωθῇ τοῦτο ξὺν δίκῃ πεπραγμένον. καὶ οὖν καὶ τὰ ἐκ βασιλέως μεγάλου γιγνόμενα, δίκαια χρῆναι νομίζεσθαι, πρῶτα μὲν πρὸς αὐτοῦ βασιλέως, ἔπειτα πρὸς τῶν ἄλλων ἀνθρώπων. *Antiqui ſapientes Iuſtitiam Ioui finxerunt aßidere, quòd quicquid Iupiter decreuerit, id licitum ſit & iuſtum. quare quæ Rex magnus fecerit, ea iuſta primùm ab ipſo Rege, deinde à cæteris mortalibus debent iudicari.* Sed res ipſa & experientia rem magis oſtendit quàm vt debeam immorari. vide exemplum ſeræ, ſed grauis vindictæ in Macaræum Mitylenæum apud Ælianum lib. 13. variæ hiſtoriæ cap. 2. vide Plutarchum de ſerâ numinis vindictâ, Rhianum in fragmentis, & alios. Nũc vt petitioni Ciceronis fiat ſatis, paucas rationes delibare ſuffecerit, quanquã, vt ait Plutarchus loco proximè laudato: πλέον ἐστὶ τῶν περὶ μουσικῆς ἀμούσοις, καὶ πολεμικῶν ἀστρατεύτοις διαλέγεσθαι τὸ τὰ θεῖα καὶ δαιμόνια πράγματα διασκοπεῖν ἀνθρώποις ὄντας. *Periculoſius eſt hominem de rebus diuinis cogitare, quàm muſicæ imperitum de muſicâ loqui, belli inexpertem de re militari.* Vna igitur ratio, eáque præcipua cur nonnunquam impiorum ſupplicia differantur, ea eſt quam Auguſtinus adfert primo de ciuitate cap. 8. *Si nunc omne peccatum manifeſtâ plecteretur pœnâ, nihil vltimo Iudicio reſeruari putaretur. rurſus ſi nullum peccatum nunc puniret apertè diuinitas, nulla eſſe prouidentia diuina crederetur.* Adfert plures alias Plutarchus. 1. ad oſtendendam diuinæ patientiæ lenitatem. 2. vt quorum ſcelera patienter tulerit, ad meliorem frugem ſe recipiant. In Hierone, Piſiſtrato, Miltiade, Themiſtocle, Gelone, &c. apud eundem exempla ſunt. 3. malos Deus tolerat, vt eorum ſceleribus alij puniantur. Ἐνίοις ἀμέλει καὶ κολασταῖς ἑτέρων πονηρῶν, οἷον δημοκοίνοις ἀπεχρήσατο τὸ δαιμόνιον, εἶτ᾽ ἐπέτριψε, καθάπερ οἶμαι τοὺς πλείστους τυράννους.

Cauſſæ impij non ſtatim atque peccauerunt, puniantur.

Quibuſdam ſanè tanquam carnificibus, ad punienda aliorum ſcelera, Deus vtitur, deinde eos conterit, vt contigit multis tyrannis. 4. Τί ἄτοπον εἰ καθάπερ γεωργὸς οὐκ ἐκκόπτει τὴν ἄκανθαν, ἂν μὴ λάβῃ τὸν ἀσπάραγον, οὐδ᾽ οἱ Λίβυες τὸ φρύγανον ἐμπιπρᾶσι πρότερον, ἢ τὸ λήδανον ἀπ᾽ αὐτοῦ συναγαγεῖν, οὕτως ὁ Θεὸς ἐνδόξου καὶ βασιλικοῦ γένους ῥίζαν πονηρὰν καὶ τραχεῖαν, οὐκ ἀναιρεῖ πρότερον ἢ φῦναι τὸν προσήκοντα καρπὸν ἀπ᾽ αὐτῆς. *Quid abſurdi ſi quemadmodum agricola ſpinam non amputat priuſquam aſparagum acceperit, neque Lybes virgultum priùs incendunt, quàm ledanum ab eo collegerint, ſic Deus glorioſi & regij generis radicem malam & aſperam non extirpat priùs quàm fructus conueniens naſcatur.* 5. Τῷ δ᾽ ἐν καιρῷ καὶ τρόπῳ προσήκοντι γίνεσθαι τὰς τιμωρίας, οὐ βέλτιον εἶναι τοῦ ταχὺ καὶ παραχρῆμα νομίζεις; οἷόν ἐστι τὸ κατὰ Κάλλιππον, ᾧ ξιφιδίῳ φίλος εἶναι δοκῶν ἀπέκτεινε Δίωνα, τούτῳ πάλιν αὐτὸν ὑπὸ τῶν φίλων ἀποθανεῖν, καὶ τὸ Μιτίου τοῦ Ἀργείου κατὰ στάσιν ἀναιρεθέντος ἀνδριάντα χαλκοῦν ἐν ἀγορᾷ, θέας οὔσης, ἐμπεσεῖν τῷ κτείναντι τὸν Μίτιον καὶ ἀνελεῖν. *Ecquid exiſtimas melius eſſe & modo & tempore decenti pœnas ſumi, quàm ſi eodem temporis veſtigio quo peccatum eſt pœna ſumeretur? vt Callippo contigit, qui quo gladio per ſpeciem amicitiæ Dionem interemit, eodem ab amicis occiſus eſt. aut quemadmodum Mitij Argiui, qui in ſeditione populari cæſus fuerat, ærea ſtatua ſpectaculo quodam collabens occiſorem ipſius interemit.* Non Mitium ſed Mitym appellat Ariſtoteles cap. 1. de poëſi. 6. Quod peccatum ſibi ipſi ſit pœna, ſatiſque, vt ſupplicia deſint ſcelerum conſcientiâ crucientur. Τῷ μὲν σώματι τῶν κολαζομένων ἕκαστος τῶν κακούργων ἐκφέρει τὸν αὐτοῦ σταυρόν· ἡ δὲ κακία τῶν κολαστηρίων ἐφ᾽ ἑαυτὴν ἕκαστον ἐξ αὑτῆς τεκταίνεται, &c. *Singuli qui propter maleficia morti addicti ſunt, corpore ſecum efferunt crucem ſuam. at improbitas ex ſeipsâ vnumquodque ſupplicium machinatur.* Vide exempla. Septima denique ratio quod ad inferorum ſupplicia reſeruentur. vbi vide & alias rationes cur plerumque filij pro parentum ſceleribus puniantur. De his Conſule Platonem decimo Creticorum fusè tractantem, An diuinæ iuſtitiæ ſeueritas aut hominum muneribus & impiorum ſacrificiis corrumpi ſe ſinat, aut in hominum ſceleribus conniueat. vide etiam Pindarum Olymp. Ode 2. epodo 3. &c. Theognidem à verſu 200.

VIDI ENIM VIDI.] Verbo videndi ſæpè vtimur ad miſerationem commouendam. 2. Æneidos: III

-quæque ipſe miſerrima vidi.

12. *Vidi oculos ante ipſe meos me voce vocantem*
Murranum.

3. *Vidi egomet duo de numero*, &c.

Cicero pro Milone §. 38. *Vidi enim vidi hunc ipſum Qu. Hortenſium lumen & ornamentum Reipub. penè interfici ſeruorum manu.* Quem in locum plura annotamus.

VEL ACERBISSIMVM IN VITA HAVSI DOLOREM.] Acerbiſſimum dolorem vocat, quòd ex acerbâ & immaturâ Metelli Celeris morte caperetur. porro quòd dicit *hauſi dolorem*, id optimè conuenit cum ſuperioribus *vidi enim, vidi.* nam oculis hauriri dicuntur, quæ vel horribilia ſunt vel moleſta. 4. Æneidos: IV.

Haurire.

Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, & noſtræ ſecum ferat omina mortis.

Et lib. 12.

-oculis ſæui monumenta doloris
Exuuiáſque hauſit, furiis accenſus & irâ
Terribilis.

Idem verbum in rebus horrendis auditui tribuitur. 3. Æneidos:

Vocémque his auribus hauſi.

Et 6. *Conſiſtit Æneas ſtrepitúmque exterritus*
hauſit.

Quamuis etiam amorem oculis hauſtum dici reperio in anthologiâ. locus modò non ſuccurrit.

ABRIPERETVR E SINV GREMIOQVE PATRIÆ.] Tale eſt illud Catulli in carmine nuptiali: V.

Heſpere qui cœlo fertur crudelior ignis
Qui natam poßis complexu auellere matris
Complexu matris retinentem auellere natam.

Poſt Euripides in Hecuba:

Ἥξει δ᾽ Ὀδυσσεὺς σπουδῇ
Πῶλον ἀφέλξων σὸν ἀπὸ μαζῶν
Ἔκ τε γεραιᾶς χειρὸς ὁρμήσων.

Venit ecce venit dirus Vlyſſes
Erepturus pullum à mammis
Vetulæque manu.

Ouidius ſiue, vt alij volunt, Pædo Albinouanus ſinum gremio coniunxit ad Liuiam:

Erumpunt iterúmque grauant gremiúmque ſinúſque
Effuſa grauidis vberibúſque genis.

Claudianus primo in Ruffinum:

Ruffinus quem prima meo de matre cadentem
Suſcepi

Suſcepi gremio, reptauit paruus in iſto
Sæpè ſinu.

Cæterùm ſinus videtur eſſe virorum, gremium verò fœminarum. Virg. 10. Æneidos: Sinus. Gremium.
-& gremiis abducere pactas.

Lib. 1. Æneidos:
-interdum gremio fouet inſcia Dido.

4. *Aut gremio Aſcanium genitoris imagine capta*
Detinet.

Lucretius lib. 1.
-in gremium nam ſæpe tuum ſe
Reiicit. Virgilius 8.
Coniugis infuſus gremio.

De ſinu verò virorum Liuius dec. 3. lib. 1. *Sinu ex togâ facto. &, Cùm is iterum ſinu effuſo bellum dare dixiſſet.* Perſius:
Teneros tu ſuſcipis annos
Socratico Cornute ſinu.

Vide Tertullianum libro de pallio, vbi ſinus togæ virilis accuratè deſcribitur. Licet nonnunquam ſinus fœminis, gremium viris tribuatur, vt 4. Æneidos:
Sic effata ſinum lacrymis impleuit obortis.

Et 9. *In veſtris pono gremiis.-*

Ideo fortaſſe Noſter ſinum gremio coniunxit, vt patriam non patris ſolùm, ſed etiam Matris vice nobis eſſe & vtriuſque charitatem continere oſtenderet, vt eam Plato 8. de Repub. Τὴν πάλαι φίλην μητρίδα τε Κρῆτές φασι, καὶ πατρίδα, nominauit. Quod ſpectat ad ſinus gremiique diſtinctionem bene Agretius: *Sinum dicimus exterius expanſum receptaculum: gremium veſtis receptaculum interius iacens, ſecretum.* Virgilius:
Pandentémque ſinus & tota veſte vacantem
Cæruleum in gremium.-

Gremium autem dicimus à contrario, ab ingreſſu difficili. Atque hinc, opinor, gremium terræ de interioribus terræ viſceribus dictum reperitur. 5. Æneidos:
Et Patris Anchiſæ gremio complectitur oſſa.

Cicero de ſenectute ſuſcipi ſemen dicitur *gremio terræ mollito & ſubacto*, &c. & alibi ſæpè. vide Vallam in elegantiis.

VI. In cvria, in rostris, in Repvbl.] Hanc Senatoriam, oratoriam, Imperatoriam dignitatem paucis etiam complexus eſt. Horatius Ode prima libri primi carminum:
Inſigne mœſtis præſidium reis
Et conſulenti Pollio Curiæ
Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.

VII. Optimo habitv.] Habitus corporis optimus idem eſt atque ſanitas. Græcis εὐεξία, vnde natus eſt ille paradoxus aphoriſmus apud Hippocratem αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραί. *Nimium bonus corporis habitus eſt periculis obnoxius.* Seneca epiſt. 93. *Quemadmodum in minore corporis habitu poteſt homo eſſe perfectus, ſic & in minore temporis modo poteſt eſſe vita perfecta.* Vulgo: *embompoint.* Gellius cap. 20. Noct. Attic. Sabini Maſſulij verbis: *Cenſores P. Scipio Naſica, & M. Pompilius, cùm equitum cenſum agerent, equum nimis ſtrigoſum & malè Habitum, ſed equitem eius vberrimum & Habitiſſimum viderunt. &, Cur, inquiunt, ita eſt vt tu ſis quam equus curatior? Quoniam, inquit, ego me curo, equum Statius meus. Viſum eſt parum reuerens eſſe reſponſum, relatúſque in ærarios, vt mos eſt. Statius autem ſeruile nomen fuit.* quæ vox habitiſſimum videtur explicari poſſe ex cap. 22. lib. 7. cùm ait: *Nimis pingui homini & corpulento Cenſores equum adimere ſolitos.* Plautus Epidico: Habitus.
Corpulentior videre atque habitior.

Terentius Eunucho actu 2. ſc. 2.
Qui color, nitor, veſtitus, quæ habitudo eſt corporis? Et ſc. 3.
Haud ſimilis virgo eſt virginum noſtrarum: quas matres ſtudent
Demiſſis humeris eſſe vincto pectore, vt graciles ſient.
Si qua eſt habitior paulò, pugilem eſſe aiunt: deducunt cibum
Tametſi bona eſt natura, reddunt curaturâ iunceas.

Impenderet procella vrbi.] Sæpè apud Tullium ciuiles diſcordiæ cum procellis comparantur, vt contra Virgilius tempeſtatis ſuæ deſcriptionem comparatione diſcordiæ ciuilis illuſtrat. quam ad rem magnificè non ſemel alludit Æſchylus, ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, apud quem nuncius ita loquens inducitur: VIII.
Σὺ δ' ὥστε νηὸς κεδνὸς οἰακοστρόφος
Φράξαι πόλισμα πρὶν καταιγίσαι πνοὰς
Ἄρεος· βοᾷ γὰρ κῦμα χερσαῖον στρατοῦ.
Tu verò nauis ceu gubernator bonus
Vrbem tuere hanc, antequam incumbat grauis
Belli procella: namque terreſtris gemit Procella belli aut ſeditionis.
Fluctus cohortis.

Ibidem chorus:
Κακῶν δ' ὥσπερ θάλασσα κῦμ' ἄγει
Τὸ μὲν πίτνον, ἄλλο δ' ἀείρει
Τείχαλον, ὃ καὶ περὶ πρύμναν
Πόλεως καχλάζει.-
Dira malorum quaſi tempeſtas
Fluctus voluit, cadit ille, ille
Circa proram voluitur vrbis
Magno fremitu.

Et non multò pòſt nuntius:
Πέπτωκεν ἀνδρῶν ὀμβρίμων κομπάσματα,
Πόλις δ' ἐν εὐδίᾳ τε, καὶ κλυδωνίου
Πολλαῖσι πληγαῖς ἄντλον οὐκ ἐδέξατο.
Cecidit virorum fortium iactantia,
Vrbem ſecundus flatus excepit, neque
Hanc merſit alto ſæua tempeſtas ſalo.

Sed de his alibi ſæpè, ipſo Tullio nouas & nouas occaſiones ſubminiſtrante.

Parietem sæpe feriens.] Id ſignum eſſe doloris & mœſtitiæ illa Horatij verba ſignificant Sat. 3. lib. 2. IX.
Culpantur fruſtra calami immeritúſque laborat
Iratur natus paries Diis atque Poëtis.

Æſchylus Agamemnone:
-ὥστε χθόνα βάκτροις
Ἐπικρούσαντας Ἀτρείδας
Δάκρυ μὴ κατασχεῖν.
Vt terram baculis
Ferientes Atridæ
Lacrymas non continerent.

Spoliari svo præsidio patriam.] Viros bonos patriæ præſidium appellari oſtendit Hippocrates in ep. ad Abderitanum Senatum: Μακάριοί γε δῆμοι ὁκόσοι ἴσασι τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἔρματα ἑωυτῶν, καὶ οὐ τοὺς πύργους, οὐδὲ τὰ τείχεα, ἀλλὰ σοφῶν ἀνδρῶν σοφὰς γνώμας. *Fœlices populi quicunque ſua ipſorum propugnacula viros bonos eſſe cognoſcunt, & non turres aut muros, ſed ſapientum ſapientes ſententias.* Et Darium X.

Vir bonus præſidium Reipub.

in epiſtola ad Epheſios: Ἀνὴρ ἀγαθὸς μέγα ἀγαθὸν πόλει, λόγοις καλοῖς καὶ νόμοις ψυχὰς ἀγαθὰς ποιεῖ, καιρίως ἄγων εἰς ἀγαθά. *Vir bonus magna eſt vrbis ſuæ fœlicitas, bonis legibus & ſermonibus bonos ciuium animos reddit, opportunè ad bonum inducens.* adeò vt mutato nomine fabula de viro bono narrari videatur, à Callimacho hymno in Delum de aliis vrbibus & inſulis ita loquente:

Κεῖναι μὲν πύργοισι περισκεπέεσσιν ἐρυμναὶ
Δῆλος δ᾽ Ἀπόλλωνι. τί δὲ στιβαρώτερον ἕρκος;
Τείχεα μὲν καὶ λᾶες ὑπαὶ ῥιπῆς κε πέσοιεν
Στρυμονίου βορέαο. Θεὸς δ᾽ ἀεὶ ἀστυφέλικτος.
Turribus hæ ſeptæ validis, ſed Apolline Delus.
Quod vallum Phœbo munitius? ardua venti.
Flamina procumbunt diſiectis mœnia ſaxis.
At Deus immoto ſemper ſibi numine conſtat.

Theognides verſu 227.

Ἀκρόπολις καὶ πύργος ἐὼν κενεόφρονι δήμῳ
Κύρν᾽ ὀλίγης τιμῆς ἔμμορεν ἐσθλὸς ἀνήρ.
Vir bonus arx cùm ſit vano turríſque popello
Is tamen exiguæ præmia laudis habet.

Callinus vetus poëta:

Ὥσπερ γάρ νιν πύργον ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶσιν.
Hunc veluti turrim defixo lumine ſpectant.

AXIOMATA.

Deus aliquando præſentis fraudis pœnam in diem reſeruat.

Boni ciues natos ſe Reipub. putant.

ARGVMENTVM.

Primo mortis Metello celeri violenter illatæ indignitatem exaggerat, tum ab eius perſpectâ conſtantiâ, tum ad auxilium, quod vitam diutius propagans, Reipubl. præſtitiſſet. deinde oſtensâ per hyperbolem facinoris & veneficij illius atrocitate, ad propoſitum redit.

LX. QVEM quidem virum, ſi nulla vis repentini ſceleris ſuſtuliſſet, quonam modo ille furenti fratri ſuo patrueli Conſularis reſtitiſſet, qui Conſul, incipientem furere, atque conantem, ſua ſe manu interfecturum, audiente Senatu, dixerit? Ex hac igitur domo progreſſa iſta mulier de veneni celeritate dicere audebit? nónne ipſam domum metuet, ne quam vocem eliciat? non parietes conſcios, non noctem illam funeſtam, ac luctuoſam perhorreſcet? Sed reuertar ad crimen. Sed enim hæc facta illius clariſſimi, ac fortiſſimi viri mentio, & vocem meam fletu debilitauit, & mentem dolore impediuit.

EXPLANATIO.

QVEM QVIDEM.] Qui quidem Qu. Metellus Celer niſi immaturâ morte, per veneficium fuiſſet extinctus, quonam modo furenti P. Clodio cùm in tribunatu tum alias pernicioſas leges rogauit, tum me in exilium expulit, reſtitiſſet, qui Conſul incipientem furere, & iam tum ad plebem tranſire conantem promulgante Herennio Tribunoplebis, legem de eo ad plebem traducendo, ſua ſe manu interfecturum audiente Senatu dixerit? Fratrem autem Patruelem appellat, non quòd nati eſſent duobus Fratribus, ſed quòd Mater Clodij ſoror eſſet patris Metelli Celeris. porro vides legendum eſſe, *Conſularis reſtitiſſet, qui Conſul incipientem furere eſt*, non vt vulgo, *Conſulari reſtitiſſet, qui Conſulem incipientem furere*, &c.

Lib. 1. ad Attic. & de Haruſp. Reſp.

EX HAC IGITVR DOMO.] Ex hac igitur domo propter tam deteſtabile veneficium infami progreſſa Clodia venenum à Cœlio efficax, paratum, & perceleri ſerui cuiuſdam interitu comprabatum fuiſſe dicet, cùm ipſa tribus diebus maritum, maximis viribus pollentem exinxerit?

NONNE IPSAM DOMVM.] per hyperbolem ſceleris atrocitatem exaggerat. Nónne ipſam domum tanti maleficij conſciam metuet, ne propter facinoris indignitatem humanâ voce loquatur, & eam tanti ſceleris intra ſuos parietes concepti accuſet?

NOCTEM ILLAM FVNESTAM.] Qua Qu. Metellus extinctus eſt.

SED REVERTAR.] Reditio eſt ad propoſitum, qua vt maius mortui Metelli deſiderium in animum Iudicum, maiorémque in aduerſarios inuidiam relinquat, & vocem ſuam fletu debilitatam ait, & vi doloris impeditam.

NOTÆ.

FRATRI SVO PATRVELI.] Qui ſint fratres Patrueles ex D. Auguſtino lib. 15. de ciuitate Dei cap. 16. poteſt intelligi, vbi ſic loquitur de coniugio inter conſobrinos: *Experti autem ſumus in connubiis conſobrinarum etiam noſtris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradu proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat: quia id nec diuina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana. Veruntamen factum etiam licitum, propter vicinitatem horrebatur illiciti: & quod fiebat cum conſobrinâ penè, cum ſorore fieri videbatur: quia & ipſi inter ſe propter tam propinquam conſanguinitatem fratres vocantur, & penè germani ſunt.* I.

Fratres patrueles.

IPSAM DOMVM METVET.] Lycurgus Orator in Leocratem: Ὤχετο φεύγων οὔτε τοὺς λιμένας τῆς πόλεως ἐλεῶν, ἐξ ὧν ἀνήγετο, οὔτε τὰ τείχη τῆς πατρίδος αἰσχυνόμενος, ὧν τὴν φυλακὴν ἔρημον, τὸ καθ᾽ ἑαυτὸν μέρος κατέλιπεν, οὔτε τὴν ἀκρόπολιν καὶ τὸ ἱερὸν τοῦ Διὸς τοῦ Σωτῆρος, καὶ τῆς II.

Ἀθηνᾶς τῆς Σωτείρας ἀφορῶν ϗ̀ περιδεῶς ἐφοβεῖτο, οὐ αὐτίκα σώσοντας ἑαυτὸν ἐκ τῶν κινδύνων ἐπικαλέσεται. *Abiit in fugam conuerſus, neque portus vrbis miſerans, neque muros patriæ reueritus, quorum deſertam cuſtodiam, quantum in ipſo fuit, reliquit, neque arcem & templum Iouis Seruatoris, & Mineruæ Seruatricis negligens ac prodens metuit, quos breui ad ſalutem accipiendam inuocabit.* lego σώσοντας, non σώσοντας.

III. DOMVM METVET NE VOCEM ELICIAT.] Æſchylus Agamemnone:

Τὰ δ' ἄλλα σιγῶ. βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ μέγας
Βέβηκεν. οἶκος δ' αὐτὸς εἰ φθογγὴν λάβοι
Σαφέστατ' ἂν λέξειεν.-
Cætera ſilebo. Bos meæ linguæ grauis
Incumbit. ipſa ſi domus vocem queat
Elicere, clarâ voce teſtetur.-

Hippolytus apud Euripidem:

Ὦ δώματ', εἴθε φθέγμα γηρύσαισθέ μοι
Καὶ μαρτυρήσαιτ' εἰ κακὸς πέφυκ' ἀνήρ.
Vtinam ipſa nobis promeres vocem domus,
Et teſtis eſſes ſi quod admiſi nefas.

Libanius Vlyſſis laudatione: Πράγματα γὰρ ὁρῶν ἐπὶ τῆς οἰκίας, ἃ καὶ λίθους ἐξεβιάσατο πρὸς φωνήν. *Ea domi negotia nactus, quæ lapides etiam loqui compuliſſent.* Chryſoſtomus oratione de terræ motu: Σήμερον οἱ τοῖχοι καὶ φωνὴν ἀφίασι. *Hodie parietes etiam vocem emittunt.* Lepidè à Catullo ianua vocem eliciens, & detectis dominæ flagitiis ita loquens inducitur:

Dixerit hic aliquis: Quî tu iſtæc ianua noſti
Cui nunquam Domini limine abeſſe licet,
Nec populum auſcultare, ſed huic ſuffixa tigillo
Tantùm aperire ſoles, aut aperire domum.
Sæpè illam audiui furtiuâ voce loquentem Peccanti etiã domus & parietes metuẽdi.
Solam conſiliis hæc ſua flagitia.
Nomine dicentem quos diximus: vt pote quæ mî
Speraret nec linguam eſſe, nec auriculam.

Euripides in Hippolyto de his ipſis mulieribus impudicis Phædram ſic loquentem inducit:

Μισῶ δὲ καὶ τὰς σώφρονας μὲν ἐν λόγοις,
Λάθρᾳ δὲ τόλμας οὐ καλὰς κεκτημένας.
Αἳ πῶς ποτ', ὦ δέσποινα ποντία Κύπρι,
Βλέπουσιν εἰς πρόσωπα τῶν ξυνευνετῶν;
Οὐδὲ σκότον φρίσσουσι τὸν ξυνεργάτην
Τέρεμνά τ' οἴκων μήποτε φθογγὴν ἀφῇ;
Odi pudicas ore mendaci palam,
Sed clam inſolentes, impudentes, perfidas.
Quæ quâ impudentes fronte reſpectant ſuos
Venus maritos? nec maritales thoros?
Sociáſque tenebras non perhorreſcunt, mali
Conſcia domorum tecta ne vocem exerant?

IV. NON PARIETES CONSCIOS.] Ammianus Marcellinus lib. 14. de Galli Cæſaris crudelitate loquens: *Excogitatum eſt ſuper his, vt homines quidam ignoti, vtilitate ipſa parum cauendi ad colligendos rumores per Antiochiæ latera cuncta deſtinarentur, relaturi quæ audirent,* &c. *Ideóque etiam parietes arcanorum conſcij, ſoli cauebantur.* Iuuenalis Sat. 9.

Ergo occulta teges, vt curia Martis Athenis.
O Corydon, Corydon, ſecretum diuitis vllum
Eſſe putas? ſerui vt taceant, iumenta loquentur,
Et canis, & poſtes & marmora, claude feneſtras,
Vela tegant rimas, iunge oſtia, tollito lumen
E medio, clament omnes, propè nemo recumbat:
Quod tamen ad cantum Galli facit ille ſecundi
Proximus ante diem caupo ſciet, &c.

Non abludit & ille locus Diui Chryſoſtomi homiliâ 22. in epiſt. primam ad Corinthios, de adultero ſic loquentis: Ἅπαντας δέδοικε καὶ ὑποπτεύει, καὶ τὴν αὐτοῦ γυναῖκα, καὶ τὸν τῆς μοιχευομένης ἄνδρα, καὶ τὴν μοιχευομένην αὐτήν, καὶ οἰκείους, καὶ φίλους, καὶ συγγενεῖς, καὶ τοίχους, καὶ σκιάς, καὶ ἑαυτόν, καὶ τὸ πάντων χαλεπώτερον, τὸ συνειδὸς ἔχει καταβοῶν, ἐλαύνων καθ' ἑκάστην ἡμέραν, &c. *Omnes metuit, omnes ſuſpectos habet, & ſuam ipſius vxorem, & maritum eius cum qua adulterium commiſerat, immò & ipſam cum qua mœchatus eſt, & domeſticos, & amicos, & conſanguineos, & parietes, & vmbras, & ſeipſum, & quod omnium eſt moleſtiſſimum ſuam conſcientiam reclamantem, & ſingulis diebus oblatrantem.* Et Noſter pro Cluentio 15. pene diuinitùs: *O libidinem effrenatam & indomitam! ô audaciam ſingularem! non timuiſſe, ſi minùs vim Deorum hominúmque fidem, at illam ipſam noctem, facéſque illas nuptiales? non limen cubiculi? non cubile filiæ? non parietes denique ipſos ſuperiorum teſtes nuptiarum? perfregit ac proſtrauit omnia cupiditate ac furore.* I nunc & aliquem confer cum maieſtate eloquentæ Tullianæ: quamquam hæc iam degenerant, cùm à corpore ſuo & toto contextu orationis abrupta ſunt. atque illud Chryſoſtomi de vmbra, & hoc Tullij de cubili duorum mihi locorum memoriam reuocat ex Luciano, quorum altero vmbras, altero cubilia ipſa contra conſceleratos apud Rhadamantum teſtes eſſe fingit. De vmbris in Menippo ſiue necyomantia: Κατηγόρουν δὲ αὐτῶν καινοί τινες καὶ παράδοξοι ῥήτορες. ΦΙΛΩΝΙΔΗΣ. Τίνες οὗτοι πρὸς Διός, μὴ γὰρ ὀκνήσῃς καὶ τοῦτ' εἰπεῖν. ΜΕΝΙΠΠΟΣ. Οἶσθά που ταυτασὶ τὰς πρὸς τὸν ἥλιον ἀποτελουμένας σκιὰς ἀπὸ τῶν σωμάτων. ΦΙΛΩΝ. Πάνυ μὲν οὖν. ΜΕΝΙΠΠΟΣ. Αὗται τοίνυν ἐπειδὰν ἀποθάνωμεν κατηγοροῦσί τε, καὶ καταμαρτυροῦσι, καὶ διελέγχουσι τὰ πεπραγμένα ἡμῖν παρὰ τὸν βίον. καὶ σφόδρα τινὲς αὐτῶν ἀξιόπιστοι δοκοῦσιν, ἅτε ἀεὶ συνοῦσαι, καὶ μηδέποτε ἀφιστάμεναι τῶν σωμάτων. *Accuſabant verò eos noui quidem & inexpectati oratores.* PHILONIDES. *Quinam illi per Deum immortalem? ediſſere.* MENIPPVS. *Noſti has vmbras quæ oppoſito ſole à corporibus proiiciuntur.* PHILONIDES. *Omnino.* MENIPP. *Illæ ipſæ, poſt quam obiimus, nos accuſant, contra nos teſtantur, nos conuincunt de omnibus quæ in vitâ patrauimus. & quædam earum videntur fide digniſſimæ, quippe quæ nos ſemper comitantur, nec vnquam vel latum vnguem à corporibus recedunt.* De cubili tyranni libidinum teſte Cynicus in Tyranno: Προσκάλει μοι, ὦ Ἑρμῆ, τὸν λύχνον αὐτοῦ καὶ τὴν κλίνην, μαρτυρήσουσι γὰρ αὐτοὶ παρελθόντες οἷα πράττοντι συνηπίσταντο αὐτῷ. *Voca quæſo, ô Mercuri, lucernam & lectum ipſius, vt prodeuntes teſtentur, quorum ipſi flagitiorum conſcij ſunt.* Deinde lectus ita vocem eliciens apud Rhadamanthum inducitur: Πάντα ἀληθῆ κατηγόρησε Κυνίσκος. ἐγὼ μέντοι ταῦτ' εἰπεῖν, ὦ δέσποτα Ῥαδάμανθυ, αἰσχύνομαι τοιαῦτ' ἦν ἃ ἐπ' ἐμοῦ διεπράττετο. *Verò ſunt omnia de quibus Tyrannum Cynicus accuſauit. Me verò, ô Rhadamanthe dicere pudet, quæ* Malorum cõſcientia.

in me flagitioſè perpetrauit. Suas etiam partes agit lucerna. Ἐγὼ τὰ μεθ' ἡμέραν μὲν οὐκ οἶδα, οὐ γὰρ παρῆν. ἃ δὲ τῶν νυκτῶν ἐποίει καὶ ἔπασχεν, ὀκνῶ λέγειν. πλὴν ἀλλὰ ἐθεασάμην γε πολλὰ καὶ ἄρρητα, καὶ πᾶσαν ὕβριν ὑπερπεπτωκότα. καί τοι πολλάκις ἑκὼν τοὔλαιον οὐκ ἔπινον, ἀποσβῶσαι θέλων, ὁ δὲ καὶ προσῆγέ με τοῖς δρωμένοις, καὶ τὸ φῶς μου πάντα τρόπον κατεμίαινεν. *Quæ fecerit interdiu penitùs ignoro, non enim aderam. Quæ verò noctu & fecit & paſſus eſt, non audeo dicere. Veruntamen multa quæ dici non poſſunt, & quæ plùs quàm contumelioſè contra naturam admiſit, ſpectaui, licet frequenter oleum non biberem, cupiens extingui. ille verò me monſtris quæ fiebant, admouebat, & lumen meum modis omnibus contaminabat.* Hæc ille, quibus quid aut grauius, aut feſtiuius?

AXIOMA.

Viri ſcelerati, ipſam domum, in qua flagitia admittunt, metuere debent ne quam vocem eiiciat. & parietes conſcios, & noctem ipſam perhorreſcere.

ARGVMENTVM.

Oſtendit confictum eſſe crimen tum à moribus Licinij quem dicebant fuiſſe tanti ſceleris adminiſtrum, tùm à loco in quo traditum fuiſſe volebant, tùm quòd Cœlius & domi ſuæ commodiùs, & ipſe ſine conſcio ſecuriùs & ſine ſuſpicione tradere potuiſſet: poſtremò ſuſpicionem mouet propter impotentem Clodiæ furorem has in Cœlium calumnias fuiſſe concinnatas.

LXI. SED tamen venenum vnde fuerit, quemadmodum paratum ſit, non dicitur. datum eſſe hoc aiunt P. Licinio pudenti adoleſcenti & bono Cœlij familiari: conſtitutum eſſe cum ſeruis, vt venirent ad balneas Xenias: eodem Licinium eſſe venturum, atque iis veneni pyxidem traditurum. Hîc primum illud requiro. quid attinuerit illud ferri in eum locum conſtitutum? cur illi ſerui non ad Cœlium domum venerint? ſi manebat tanta illa conſuetudo Cœlij cum Clodia, tantáque familiaritas, quid ſuſpicionis eſſet, ſi apud Cœlium mulieris ſeruus viſus eſſet? ſin autem iam ſuberat ſimultas, exſtincta erat conſuetudo, diſſidium exſtiterat, *hinc illæ lacrymæ* nimirum, & hæc cauſſa eſt horum omnium ſcelerum, atque criminum.

EXPLANATIO.

SED TAMEN VENENVM.] Hæc oratio cum ſuperioribus illis connexa eſt. *Habuiſſe aiunt domi*, &c. *comprobatum venenum. Sed tamen venenum.* atque hanc digreſſionem duobus §. contentam & parentheſis inſtar interiectam minùs mirari debemus, cum Perſius 1. Satyra non ſolùm orationem, vt Tullius ſed ſententiam ipſam abruperit:

Et verum, inquis amo, verum mihi dicito de me, &c.

Quis populi ſermo?

DATVM ESSE HOC AIVNT.] Duas adfert rationes cur probabile non ſit Licinium fuiſſe huius ſceleris adminiſtrum. altera eſt eius pudor, quo fiebat vt aduerſum populi famam non vſque adeò contemneret, vt ſe tanto infamiæ periculo vellet exponere aut alienos ſeruos de occidendâ dominâ compellare. altera eius bonitas, per quam ab eiuſmodi maleficiis abhorrebat. Benè autem notat hoc loco Manutius non fuiſſe hunc *P. Licinium Craſſum Marci filium, Ciceronis propter eloquentiam ſtudioſiſſimum: maioribus enim laudibus, vel ipſius, vel Patris causâ qui aderat, eum ornaret.*

BALNEAS XENIAS.] Peregrinis deſtinatas, ne cum ciuibus lauarent promiſcuè.

HIC PRIMVM.] Crimen à loco refutat in hanc ſententiam.

Si Cœlius venenum ſeruis Clodiæ tradere voluiſſet, domi ſuæ potiùs quàm in balneis tradidiſſet.

Sed domi ſuæ non tradidit.

Ergo non voluit tradere.

aſſumptionem veram eſſe ipſi aduerſarij confitentur, propoſitionem ſic oſtendit.

Vel manebat illa Cœlij conſuetudo cum Clodiâ, vel non manebat.

Si manebat, ſerui Clodiæ ad Cœlij domum accedere & venenum accipere ſine ſuſpicione potuerunt.

Si non manebat, accuſationi non credendum eſt, cùm irata mulier propter hanc conſuetudinem abruptam calumnias in Cœlium concinnarit.

HINC ILLÆ LACRYMÆ.] Propter hanc vnam cauſam Clodia, contemni ſe à Cœlio credens impotentiâ libidinis accenſa, ſic exarſit, vt has Cœlio moleſtias exhibuerit.

NOTÆ.

BALNEAS XENIAS.] Balneæ fuerunt ſolis addictæ peregrinis, vt nomen ipſum ἀπὸ τοῦ ξένου deductum videtur indicare, ad quas, ni fallor, nefas eſſet, *Romanos gentémque togatam* accedere. vnde infrà de his ipſis lo- I. Balneæ xeniæ.

quens. *In quibus non inuenio quæ latebra togatis hominibus eſſe poſſit.* Probabile eſt autem fuiſſe Baiarum partem ſolis peregrinis & hoſpitibus deſtinatam.

II. Hinc illæ lacrymæ.

HINC ILLÆ LACRYMÆ.] Hæc verba ex Terentio ſc. 1. Andriæ deprompta videntur in prouerbium abiiſſe:

-at at hoc illud eſt
Hinc illæ lacrymæ, hæc eſt illa miſericordia

Iuuenalis Sat. 1.

Inde iræ & lacrymæ.-

Horatius epiſt. 19. lib. 1.

Grammaticas ambire tribus & pulpita dignor.
Hinc illæ lacrymæ.-

Porro quàm ſæpè mulieres libidinis impotentiâ in adoleſcentes à quibus ſpernebantur, furore plusquam belluino exarſerint, indicio eſſe poſſunt exempla octo, quæ à Mureto in variis lectionibus colliguntur. His Guillelmus Canterus in nouis lectionibus addit alia quinque, & quaſi ipſe vel laureolam in muſtaceo inuenerit, vel Cornicum oculos confixerit, Mureto propemodum inſultat, quòd & obuia quæque collegerit, & cùm ad intactam meſſem accederet, facilè potuerit exemplorum ſegetem inuenire. Neuter in manibus eſt: meum tamen ſymbolum conferre conabor: Illi facilè, vt ſpero, induſtriæ ſuæ meam mediocritatem accedere patientur: & quoniam certò affirmare non poſſum quænam illi corraſerint exempla, quænam præterierint, ego octodecim conglobabo.

Mulieres ob repulſam ſæuientes in eos ipſos quos amabant.

Vxor Putipharis. Primo igitur loco ſit vxor Putipharis quæ Ioſephum ſuæ cupiditati non obſecundantem in vincla compegit. Geneſis 38.

Stenobœa. 2. Notum ex Homero 6. Iliados & Horatio 3. carm. Ode 7.

Vt Prœtum mulier perfida credulum
Falſis impulerit criminibus nimis
Caſto Bellerophonti
Maturare necem.-

Eam Homerus Antiam, alij Stenobæam appellant.

3. Horatius ibidem:

Narrat pene datum Pelea tartaro
Magneſſam Hippolyten dum fugit abſtinens.

Hippolyte ſiue Aſtydamæa. Aſtydamæam, vocat Apollodorus lib. 3. his verbis, *Aſtydamæa Acaſti coniux Pelei amore correpta ad eum literas de concubitu dedit, quæ quoniam vlli perſuadere non potuit, &c. Peleum Acaſto, quòd eam de ſtupro interpellaſſet, calumniatur.*

Phædrâ. 4. De Phædrâ & Hippolyto res eſt notiſſima ex Euripide, Senecâ, aliiſque ſexcentis.

Gidica. 5. Gidica Cominium priuignum eodem euentu amauit, & ab eo repudiata, falſis apud patrem delationibus interemit. Plutarchus in parallelis Græcæ & Romanæ hiſtoriæ.

Dæmeneta. 6. Exemplo ſit Dæmenetæ amor, & inſidiæ in Cnemonem priuignum, quem pater Ariſtippus coniugis ſuæ criminibus inductus apud populum Athenienſem accuſauit. Heliodorus 1. Æthiop.

Arſace. 7. Theagenis ab Arſace adamati, & ob caſtitatem in vincla coniecti conſtantia. Idem Æthiop. 8. ex quo viſum eſt ſententias paucas excerpere, quæ huic loco potiſſimùm quadrare videantur. Αἱ φιλόνεοι γυναῖκες ἀμείλικτοι γίνονται καὶ βαρυμήνιδες ἀποτυγχάνουσαι, καὶ τοὺς ὑπερόπτας, ὡς ὑβρίστας εἰκότως ἀμύνονται. *Mulieres adoleſcentum amoribus deditæ, cum ſpernuntur, implacabiles fiunt, & graui furore percitæ, eos à quibus ſpernuntur, tanquam contumelioſos vlciſcuntur.* Item: Ἀπελπισθεὶς γὰρ ὁ ἔρως οὐδεμίαν ἔχει φειδὼ τοῦ ἐρωμένου. τρέπειν δὲ φιλεῖ τὴν ἀποτυχίαν εἰς τιμωρίαν. *Deſperatus amor amato non parcit, ſed repulſam ſolet in vindictam conuertere.* Theagenes cum Charicleâ in carcerem contruſus, cui prædictum fuerat. Αὐτὸς ἴσθι δέσμιος ἀχθῆναι τῆς δορῆς ἀφαιρησόμενος. *Noris te in vincula duci cute ſpoliandum.* Verterat interpres *officio priuandum.* Sed ipſe viderit an non interpretis officio priuandus videatur. Cybele lena cùm vellet Charicleam veneno extinguere, ipſa hauſto per imprudentiam veneno extincta eſt. Chariclea in ignem coniecta pantarbæ lapidis auxilio de flammis incolumis euaſit. vtrumque Oroondates Rex Perſarum, Arſacæ maritus è vinclis exemit: Arſace re compertâ vitam laqueo finiuit.

8. Illa apud Apuleium 10. Mileſiorum nouerca, quæ à priuigno repudiata, eidem venenum parauit, quod ipſius nouercæ filius hauſit imprudens. Mulier priuignum veneficij dicit auctorem, & pater *tum fletu, tum precibus genua etiam decurionum contingens, neſcius fraudium peſſimæ mulieris in exitium reliqui filij plenis operabatur affectibus: illum inceſtum paterno thalamo: illum parricidam fraterno exitio: & in comminatâ nouercæ cæde ſicarium.* Cùm iam ferretur triſtis in adoleſcentia, vnus è iudicum conſeſſu medicus dicit ſe *non venenum, ſed ſomniferum mandragoræ illum potum grauedinis compertæ famoſum, & morti ſimillimi ſoporis efficacem.* Centum aureis dotali mulieris ſeruulo vendidiſſe, eóſque aureos in ſacculo ſeruari, quem ille ſeruulus annulo ſuo ſignauerat. Quid plura? Itur ad ſepulchrum, puer iam vigilans educitur, abſoluitur adoleſcens, medicus. centum illis aureis donatur, *nouercæ perpetuum indicitur auxilium, ſeruus patibulo ſuffigitur.* Nouerca Apuleiana.

9. Sicinij Pudentis mater, quæ cum ab Apuleio ſperneretur, & filium accuſatorem ſubornauit, ſi ſaltem Apuleio in ſua cauſſâ fidem adhibemus, qui apologiâ 2. *An ſola Phædra falſum epiſtolium de amore commenta eſt? An non omnibus mulieribus hæc ars vſitata eſt, vt cum aliquid huiuſmodi velle cœperint, malint coactæ videri?* Pudentis mater.

10. Stratonice ab Antiocho priuigno quondam adamata, de qua Lucianus lib. de Deâ Syriâ fusè & eleganter. Cùm eam Combabus ad extruendum Iunonis templum ducturus eſſet, præuidens id quod euenit: ἀπελέα ἑωυτὸν ἐποίεε καὶ ταμὼν τὰ αἰδοῖα, ἐς ἀγγήϊον μικρὸν κατέθετο. σμύρνῃ τε ἅμα καὶ μέλιτι, καὶ ἄλλοισι θυμιάμασι, καὶ ἔπειτα σφρηγῖδι, τὴν ἐφόρεε σημηνάμενος τὸ τρῶμα ἰῆτο. μετὰ δὲ, ὥς μιν ὁδοιπορέειν ἐδόκεε, ἀπικόμενος ἐς τὸν βασιλέα πολλῶν παρεόντων, διδοῖ τε ἅμα τὸ ἀγγήϊον, καὶ &c. *Seipſum euirauit, & amputatam virilitatem myrrhâ, melle, aliiſque conditam aromatibus in ciſtellâ ſuo ipſius annulo ſignatâ repoſuit. Deinde vulnere perſanato, vbi viſum eſt iter inchoandum, ad Regem ſe contulit, multiſque præſentibus ciſtellam ei tradidit ſeruandam.* Eum, vt ipſe præuiderat Stratonice adamauit, nec tamen ad amorem pellexit. Subdit Lucianus: Τὴν Στρα- Stratonice.

τονίκην, ἐπειδὴ ἀπέτυχε τῶν ἐδέετο, αὐτὴν γράψασαν ὡς τὸν ἄνδρα τοῦ Κομβάβου κατηγορέειν, πείρην οἱ ἐπιχειρέουσαν. *Stratonicem vbi ſuas preces repudiari vidit, datis ad maritum literis Combabum accuſaſſe, quaſi ipſius pudicitiæ illudere voluiſſet.* Ἐπειδὴ δὲ ἐς τὸν φόνον ἤγετο, ἐφθέγξατό τε καὶ κειμήλιον ᾔτεε, &c. *Cùm ad necem duceretur, locutus eſt tandem, depoſitúmque repetiit,* &c. Αὐτὸς τὴν σφρηγῖδα ὁ Κομβάβος τά τε ἐνεόντα ἀπέδειξε, καὶ ἑωυτὸν ὁποῖα ἐπεπόνθεε. *Combabus ciſtellâ reſignatâ, ea quæ intus erant oſtendit. expoſuítque quid ſibi accidiſſet.*

11. Meſſalina Silio, ſi preces ille reſpuiſſet, exitium parabat. Tacitus 11. annalium: *Neque Silius flagitij aut periculi neſcius erat, ſed certo, ſi abnueret, exitio, & nonnullâ fallendi ſpe, ſimul magnis præmiis operiri futura, & præſentibus frui pro ſolatio habebat.* Iuuenalis Sat. 10.

Sed caſto quid forma nocet? Quid profuit olim
Hippolyto graue propoſitum? quid Bellerophonti?
Erubuit nempe hæc ſeu faſtidita repulſa.
Nec Stenobœa minùs quàm Creſſa excanduit, & ſe
Concuſſere ambæ. Mulier ſæuiſſima tunc eſt
Cùm ſtimulos odio pudor admouet. Elige quidnam
Suadendum eſſe putes, cui nubere Cæſaris vxor
Deſtinat. Optimus hic & formoſiſſimus idem
Gentis patriciæ rapitur miſer extinguendus
Meſſalina. *Meſſalinæ oculis. Dudum ſedet illa parato*
Flammeolo, &c.
Ni parere velis pereundum eſt ante lucernas, &c.

12. Eadem Meſſalina C. Appium Silanum ſibi parere renuentem in perniciem adduxit. quem Claudius, vt narrat Dio libro 60. Ἐξαίφνης ἔσφαξεν, ὅτι τῇ τε Μεσσαλίνῃ προσκρούσειεν οὐκ ἐθελήσας αὐτῇ συγγενέσθαι. πορνικωτάτῃ γε καὶ ἀσελγεστάτῃ οὔσῃ, καὶ τῷ Ναρκίσσῳ τῷ ἀπελευθέρῳ αὐτοῦ δι' ἐκείνην. Καὶ (οὐ γὰρ εἶχον οὔτ' ἀληθὲς, οὔτε πιθανόν τι κατ' αὐτοῦ εἰπεῖν) συνέπλασεν ὁ Νάρκισσος, ὡς σφαττόμενον τὸν Κλαύδιον ὑπὸ τοῦ Σιλανοῦ αὐτοχειρίᾳ ἰδὼν, καὶ αὐτός τε εὐθὺς ὑπὸ τὴν ἕω ἐν τῇ εὐνῇ οἱ ἔτ' ὄντι ὑπότρομος διηγήσατο, καὶ ἡ Μεσσαλίνα παραλαβοῦσα ἐδείνωσε. Claudius C. Appium Silanum *repente necari iuſſit, quia cum Meſſalinâ muliere impudiciſſimâ & intemperantiſſimâ nolens cum ea rem habere, & cum Narciſſo eius liberto propter eam rixatus fuerat, & Narciſſus (neque enim quicquam aut verum, aut veriſimile habebant, quod ei poſſent abiicere) ſe in ſomnis Claudium Silani manu interfectum vidiſſe confinxit, eíque ſummo mane adhuc in lectulo recubanti trepidus nuntiauit, & Meſſalina ſermonem excipiens rem exaggerauit.*

Fauſta. 13. Fauſta Conſtantini Magni coniux, de cuius in Criſpum priuignum & amore inceſto, & nouercali ſæuitiâ loquerer, niſi eam Strephonius noſter cothurnatâ planè tragœdiâ, quicquid obringat Euphormio, celebrem reddidiſſet. vide Baronium anno CCCXXIV.

Clematij Socrus. 14. Clematij Alexandrini Socrus, de qua Ammianus lib. 14. *Socrus commiſceri ſibi generum flagrans, eius amore non impetrato, vt ferebatur, per palatij pſeudothyrum intromiſſa, oblato pretioſo Reginæ* (Conſtantinæ Galli Cæſaris vxori) *monili id aſſequuta eſt, vt ad Honoratum tum Comitem orientis formulâ miſſâ, lethali odio, ſcelere nullo contactus idem Clematius nec hiſcere, nec loqui permiſſus occideretur.*

15. Maria Othonis tertij Imperatoris coniux, quæ Comitem adamauit, repudiata eſt, ac- Maria Auguſta Othonis coniux.
cuſauit, extinxit. Comitis coniux ferro candenti impunè contrectato, mariti innocentiam cùm probauiſſet, cúmque Imperatoris vltrò ſe ad necem offerentis ſanguine defuncti coniugis manes expiare vellet, procerum tandem precibus mitigata à ſolâ Auguſtâ flammis vltricibus addictâ pœnas exegit. vide Baronium anno CMIIC.

16. Mater illa nefaria de qua Abdias Babylonius in vita S. Andreæ, quæ cùm filium, à quo ſpernebatur, eodem crimine apud Aſiæ proconſulem accuſaſſet, iſque obſtinato ad ſilentium animo mortem oppetere, quàm matris impudicitiam detegere maluiſſet, vnico eius patrono Andreâ in carcerem coniecto, exorto terræ motu, inter micantia fulgura, tonitruúmque fragores exanimata mater. Proconſul è tribunali deiectus, adoleſcens & Andreas è vinculis exempti.

17. Impudens illa muliercula, quæ cùm Vincentium Ferrarienſem ad ſe viſendam morbi prætextu accerſitum pellicere non potuiſſet, domeſticos inclamans caſtiſſimo adoleſcenti infamiæ labem adſpergere conata eſt. Sed eam confeſtim cacodæmon arripuit, ſe non exiturum vociferans niſi precibus eius extruderetur qui è mediis flammis intactus euaſerat.

18. Adderem Eraſtum Diocletiani, vt eſt in fabulis, filium Aphrodiſiæ nouercæ eandem ob cauſſam inſidiis appetitum. Sed piget & tædet recentium fabularum.

19. In his etiam ſi placet noſtra Clodia cenſeatur.

Ὡς οὐκ αἰνότερον καὶ κύντερον ἄλλο γυναικός.
Deterius nihil eſt adeò quàm fœmina.

Hæc ſcripſeram cùm mihi Canteri & Mureti facultas oblata eſt, & animaduerti apud eos prætereà Tennis, Myrtili, Timalionis, Lycormæ, Hebri, Myeni, Eunoſti fieri mentionem.

Poſtremùm & 27. impotentiæ muliebris exemplum erit Cleobæa, ſiue Philæchme Phobij Mileſij coniux, quæ Antheum Hippoclei Halicarnaſſeorum Regis filium efflictim adamauit, & ab eo repudiata perdicem cicurem in puteum immiſit, rogauit adoleſcentulum vt in puteum deſcenderet. τοῦ δὲ ἑτοίμως ὑπακούσαντος, verba ſunt Parthenij in amatoriis ad Cornelium Gallum,
Διὰ τὸ μηδὲν ὑφορᾶσθαι, ἡ Κλεόβοια ἐπισείει στιβαρὸν αὐτῷ πέτρον. καὶ ὁ μὲν παραχρῆμα ἐτεθνήκει. ἡ δ' ἄρα συννοηθεῖσα ὡς δεινὸν ἔργον ἐδεδράκει, καὶ ἄλλως δὲ καιομένη σφοδρῷ ἔρωτι τοῦ παιδὸς, ἀναρτᾷ ἑαυτήν. Cleobœa.
Ille itaque cum promptè obediret, nihil enim mali ſuſpicabatur, Cleobœa ingentem ſuper eum deiicit petram, vnde ille ſtatim mortuus eſt. Ipſa verò animo voluens quàm graue flagitium perpetraſſet, atque alias etiam vehementi adoleſcentis amore flagrans, ſeipſam ſuſpendit. Vide ibidem verſus Alexandri Ætoli iſta narrantis. Atque huiuſmodi cupiditatum inter ſe pugnantium, etſi ratione modóque tractari nolunt, bellam tamen adfert rationem Achilles Tatius libro 6. Quid vetat eius verba producere? qui properas actutum præteruola. Ἤρα καὶ ὠργίζετο. θυμὸς δὲ καὶ ἔρως δύο λαμπάδες. ἔστιν δὲ

καὶ ὁ θυμὸς ἄλλο πῦρ, καὶ ἔχει τὴν μὲν φύσιν ἐναντιωτάτην, τὴν δὲ βίαν ὁμοίαν. ὁ μὲν γὰρ παροξύνει μισεῖν, ὁ δὲ ἀναγκάζει φιλεῖν, καὶ ἀλλήλων πάροικος ἡ τοῦ πυρὸς ἐστὶ πηγή. ὁ μὲν γὰρ εἰς τὸ ἧπαρ κάθηται, ὁ δὲ τῇ καρδίᾳ παραμαίνεται. ὅταν οὖν ἄμφω τὸν ἄνθρωπον καταλάβῃ, γίνεται μὲν αὐτοῖς ἡ ψυχὴ τρυτάνη. τὸ δὲ πῦρ ἑκατέρου ταλαντεύεται. μάχεται δὲ ἄμφω περὶ τῆς ῥοπῆς, καὶ τὰ πολλὰ μὲν ὁ ἔρως εἴωθεν νικᾶν, ὅταν εἰς τὴν ἐπιθυμίαν εὐτυχῇ. ἢν δὲ αὐτὸν ἀτιμάσῃ τὸ ἐρώμενον, αὐτὸς τὸν θυμὸν εἰς συμμαχίαν καλεῖ, κἀκεῖνος ὡς γείτων πείθεται, καὶ ἀνάπτουσιν ἄμφω τὸ πῦρ. ἂν δὲ ἅπαξ ὁ θυμὸς τὸν ἔρωτα παρ' αὐτῷ λάβῃ, καὶ τῆς οἰκείας ἕδρας ἐκπεσόντα κατάσχῃ φύσει τ' ὢν ἄσπονδος, οὐχ ὡς φίλῳ πρὸς τὴν ἐπιθυμίαν συμμαχεῖ, ἀλλ' ὡς δοῦλον τῆς ἐπιθυμίας πεπεδήσας κρατεῖ. οὐκ ἐπιτρέπει δὲ αὐτῷ σπείσασθαι πρὸς τὸ ἐρώμενον, κἂν θέλῃ. ὁ δὲ τῷ θυμῷ βεβαπτισμένος καταδύεται, καὶ εἰς τὴν ἰδίαν ἀρχὴν ἀναπηδῆσαι θέλων, οὐκ ἔστιν ἐλεύθερος, ἀλλὰ μισεῖν ἀναγκάζεται τὸ φιλούμενον. ὅταν δὲ ὁ θυμὸς κολάζων γεμισθῇ, καὶ τῆς ἐξουσίας ἐμφορηθεὶς ἀποβλύσῃ, κάμνει μὲν ἐκ τοῦ κόρου, κάμνων δὲ παρίεται, καὶ ὁ ἔρως ἀμύνεται, καὶ ὁπλίζει τὴν ἐπιθυμίαν, καὶ τὸν θυμὸν ἤδη καθεύδοντα νικᾷ. ὁρῶν δὲ τὰς ὕβρεις, ἃς κατὰ τῶν φιλτάτων ἐπαρῴνησεν, ἀλγεῖ, καὶ πρὸς τὸ ἐρώμενον ἀπολογεῖται, καὶ εἰς ὁμιλίαν παρακαλεῖ, καὶ τὸν θυμὸν ἐπαγγέλλεται καταπαλαίσειν ἡδονῇ. τυχὼν μὲν οὖν ὧν ἠθέλησεν ἵλεως γίνεται, ἀτιμούμενος δὲ πάλιν εἰς τὸν θυμὸν καταδύεται. ὁ δὲ καθεύδων ἐξεγείρεται, καὶ τὰ ἀρχαῖα ποιεῖ. ἀτιμίᾳ γὰρ ἔρωτος σύμμαχός ἐστι θυμός. *Amore atque irâ æſtuabat. Amor autem atque ira faces animæ duæ ſunt : ſuum enim*
Iræ amantiũ. *ira ignem habet, amori quidem naturâ contrarium, potentiâ verò perſimilem. Nam altera odio, alter beneuolentiâ proſequi cogit. Vicina etiam vtriuſque eorum ardoris ſedes eſt : illa enim in iecore, hic in corde inhabitat. Hominem igitur ambo cùm occupauerint, animus eius libra quædam fit, qua vtriuſque ignis expenditur : atque alter alterum impellere conatur. Plerumque autem amor ſuperior euadit, cum ſcilicet, quod concupierat, adipiſcitur. Sin autem negligi ſe animaduertat, iram ſibi auxilio aduocat, quæ vtpote vicina vocanti præſto adeſt, vnáque tum ambo ignem exſuſcitant. Quòd ſi amorem ira peſſumdet, ac domo ſua, vt naturâ infida eſt, eiiciat, tantùm abeſt vt ei tanquam amico ad aſſequenda optata opem ferat, vt etiam tanquam ſeruum vinculis coërceat : neque cum amato amplius in gratiam, tametſi maximè velit, redire patitur. Quo fit vt vi huiuſmodi oppreſſus amor ſubmergatur, & ad imperium reſilire cupiens, minimè poſſit, ſed amatum odiſſe compellatur. At verò vbi ſatis ſupérque ira ſeipſam ſupplicio expleuerit, licentiæque plena exundauerit, præ ſatietate tandem ægreſcit, ægreſcénſque remittitur. Amor autem vires denuò ſumit, deſideriúmque in aciem producens, iram iam cedentem ſede ſua exturbat : deinde animo reputans quàm contumelioſè in amatum bacchatus fuerit, mœret ac ſeſe purgat, iterúmque ad familiaritatem inuitat, ſéque iram voluptate expugnaturum eſſe promittit. Voti ergo compos amor miteſcit : neglectus autem ira ſe arbitrio totum permittit, quæ ſi fortè ſopita fuerit, excitatur, atque, vt anteà, ſæuit. Amoris enim contemptum ira ſemper vlciſcitur.* Atque hinc illæ lacrymæ, hæc iræ amantium cauſa, quam Catullus ignorabat.

Odi & amo : quare id faciam fortaſſe requiris.
Neſcio, ſed fieri ſentio & excrucior.

Frontem fortaſſe caperas, mi lector, fluentémque nauſeam ſubſtringis, ſed monueram vt iſta tranſiliens à moleſtia te longitudinis expedires.

ARGVMENTVM.

Alterâ huius §. parte exponit quas adferrent aduerſarij rationes, cur ille locus accipiendo veneno fuerit à ſeruis Clodiæ conſtitutus. alterâ oſtendit nec locum illum teſtibus fuiſſe commodum, nec omninò in illis balneis latere potuiſſe.

IMMÒ, inquit, cùm ſerui ad dominam rem iſtam & maleficium LXII.
Cœlij detuliſſent, mulier ingenioſa præcepit ſuis, vt omnia Cœlio pollicerentur : ſed vt venenum, cùm à Licinio traderetur, manifeſtò comprehendi poſſet, conſtitui locum iuſſit balneas Xenias, vt eò mitteret amicos, qui deliteſcerent, deinde repentè, cùm veniſſet Licinius, venenúmque traderet, proſilirent, hominémque comprehenderent. Quæ quidem omnia, Iudices, perfacilem rationem habent reprehendendi. cur enim balneas publicas potiſſimum conſtituerat? in quibus non inuenio quæ latebra togatis hominibus eſſe poſſit : nam ſi eſſent in veſtibulo balnearum, non laterent : ſin ſe in intimum coniicere vellent, nec ſatis commodè calceati, & veſtiti id facere poſſent, & fortaſſe non reciperentur : niſi fortè mulier potens, quadrantaria illa permutatione, familiaris facta erat balneatori.

EXPLANATIO.

VT OMNIA COELIO.] Vt operam ſuam in interficiendâ dominâ vltro promitterent.

DEINDE REPENTE.] Duæ ſunt huius loci lectiones. alij legunt : *Deinde repentè, cùm veniſſent, Licinius venenum traderet, proſilirent,* &c. alij, &, ni fallor, commodiùs. *Deinde repentè, cùm veniſſet Licinius, venenúmque traderet.*

QVÆ LATEBRA TOGATIS.] Vel quòd ad balneas ſolis peregrinis deſtinatas, ciues & togati non deberent accedere, vel quo ante-

quam balneas ingrederentur, veſtes in ſpoliario relinquerent.

NAM SI ESSENT.] Senſus eſt, fateor quidem permiſſum illis fuiſſe, vt manerent in veſtibulo balnearum togati: ſed ibi latere nequaquam potuiſſent. ſi autem intimiùs balneas penetraſſent, veſtes ſuas ſudore, & craſſis balnearũ vaporibus, calceóſque aquâ madefactos maculaſſent.

ET FORTASSE NON RECIPERENTVR.] Nec eos fortaſſe balneator, tanquam togatos & ciues in balneas peregrinorum vſibus addictas voluiſſet admittere.

NISI FORTE MVLIER POTENS.] In quo ſit iſtius ioci feſtiuitas ſic accipe. Erant in balneis plerumque proſtibula, ibíque meretriciæ libidines flagrabant. Huc primò alludit faciens familiaritatis balneatoris & Clodiæ mentionem. Qui ad balneas veniebant, ſinguli ſolebant balneatori quadrantem perſoluere, vnde & balneũ res quadrantaria dicebatur. Clodia item propter quandam de ipſius impudicitiâ fabulam Quadrãtariæ nomen acceperat. ideò videlicet quòd cum ab amatoribus ingentem pecuniæ vim accepiſſe ſe crediſiſſet, in manu minutos quadrantes inuenerat, tanquam auro in quadrantes permutato. Propter hanc igitur ſimilitudinem mercedis, facta fuiſſe dicitur Clodia familiaris balneatori. addit *mulier potens* vt comparatione Clodiæ fœminæ nobiliſſimæ, cùm vili balneatoris officio riſum aucupetur. de ſingulis vide Notas. *Cùm hoc ioco,* inquit Manutius, *alterum coniungit, balneatori Clodiam factâ ſui copiâ, familiarem eſſe potuiſſe: vt ſtuprum quaſi loco quadrantis eſſet, quem balneator ab iis qui lauarent, mercedem ſuam accipere ſoleret; & in hoc quoque quadrantaria permutatio eſt, quadrante in ſtuprum permutato.* alij legunt *quadrantariâ permulſatione,* quaſi illecebrâ, ſed minùs arridet.

NOTÆ.

I. QVÆ LATEBRA.] Nullam in balneis reperiri latebram dicit, quod vndequáque lucem admitterent. Seneca epiſt. 86. De balneo Scipionis: *Balneolum anguſtum, tenebricoſum, ex conſuetudine antiquâ, non videbatur maioribus, noſtris caldum, niſi obſcurum.* Subdit: *At nunc, quis eſt qui ſic lauari ſuſtineat. pauper ſibi videtur ac ſordidus, niſi parietes magnis & precioſis orbibus refulſerint, niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta ſint, niſi illis vndique operoſa & in picturæ modum variata circumlitio prætexitur, niſi vitro abſconditur camera, niſi Thaſius lapis quondam rarum in aliquo ſpectaculum templo, piſcinas noſtras circumdedit, in quas multâ ſudatione corpora exinanita demittimus, niſi aquam argentea epiſtomia fuderunt. Et adhuc plebeias fiſtulas loquor: quid cùm ad balnea libertinorum peruenero? Quantum ſtatuarum, quantum columnarum eſt nihil ſuſtinentium, ſed in ornamentum poſitarum impenſæ cauſa? quantum aquarum per gradus cum fragore labentium? eò delitiarum peruenimus, vt niſi gemmas calcare nolimus. In hoc balneo Scipionis minime ſunt rimæ, magis quam feneſtræ muro lapideo exſectæ, vt ſine iniuriâ munimenti lumen admitterent. At nunc blattaria vocant balnea, ſi qua non ita aptata ſunt vt totius diei ſolem feneſtris ampliſſimis recipiant, niſi & lauantur ſimul & colorantur. niſi ex ſolio agros & maria proſpiciunt.* Lucianus in Hippia ſiue balneo poſt elegantem balnei deſcriptionem ſubdit: Καὶ ταῦτα ὑπὸ φωτὶ μεγάλῳ, καὶ πολλῇ τῇ ἔνδον ἡμέρᾳ, &c. *Et hæc ſub magnâ luce & multâ die intus admiſſâ.* & paulò pòſt: Πάσας ἔχων τὰς βαλανείου ἀρετὰς, τὸ χρήσιμον, τὸ εὔκαιρον, τὸ εὐφεγγές. *Omnes habens balnei virtutes, vtilitatem, oportunitatem, lucem.* Martialis lib. I. ep. 60. huc alluſit: Balnea luminoſa.

Redde lupi nobis tenebroſáque balnea Grylli.
Tam malè cum cœnem, cur bene, Sexte, lauor.

Statius I. Syluarum de balneis Etruſci:

Multus vbique dies, radiis vbi culmina totis
Perforat: atque alio ſol improbus vritur æſtu.

De iiſdem Martialis lib. 6. ep. 42.

Nuſquam tam nitidum micat ſerenum,
Lux ipſa eſt ibi longior, diéſque
Nullo tardiùs à loco recedit.

CALCEATI.] Bene poſt togam, meminit calceorum. nam qui togati, iidem erant & calceati. II.
Iuuenalis Satyrâ primâ:

-quibus hinc toga, calceus hinc eſt.

Et diſertè Tertullianus lib. de pallio cap. 5. poſt fuſam togæ deſcriptionem ſubiungit: *Calceos nihil dicimus proprium togæ tormentum, immundiſſimam pedum tutelam, verum & falſam. Quem enim non expediat in algore & ardore rigere nudipedem, quàm in calceo vnguipedem?* (an vncipedem?) *magnum inceſſui monumentum ſutrinæ veneriæ proſpexere Perones effœminantes.* Martialis lib. I. epig. 17. Calcei cum toga.

Lunata nuſquam pellis, & nuſquam toga.

QVADRANTARIA.] Per partes hic probanda ſunt, quæ inexplicatione congeſſimus. Dixi iure familiaritatis Clodiæ cum balneatore fieri mentionem. quòd meretrices ſolereut in balneis verſari. iam aliâ occaſione dictum eſt ex Vlpiano D. de his qui notantur infamiâ: *Lenocinium facit qui quæſtuaria mancipia habuerit,* &c. *vt puta ſi caupo fuit vel ſtabularius & mancipia talia habuit miniſtrantia, & occaſione miniſterij, quæſtum facientia, ſiue balneator fuerit, velut in quibuſdam prouinciis in balneis ad cuſtodienda veſtimenta conducta habent mancipia hoc genus obſeruantia in officinâ, lenocinij pœnâ tenebitur.* Nec ſolùm in prouinciis ſed etiam Romæ, vt opinor id factitatum. Seneca de beatâ vita cap. 7. *Virtutem in templo inuenies, in foro, in curiâ, pro muris ſtantem, puluerulentam, coloratam, calloſas habentem manus: voluptatem latitantem ſæpius ac tenebras captantem: circa balnea, ac ſudatoria, ac loca ædilem metuentia, mollem, eneruem mœro atque vnguentis madentem, pallidam, fucatam, & medicamentis pollinctam.* Quare non immerito cum balneatore meretrix ab Alcæo apud interpretem Pyndari comparatur: III. Proſtibula in balneis.

Πόρνη καὶ βαλανεὺς ταυτὸν ἔχουσ' ἐμπεδίως ἔθος
Ἐν ταὐτᾷ πυέλῳ τόν τ' ἀγαθὸν, τόν τε κακὸν λόει.
Meretrix & balneator eundem habent perpetuo morem,
In eodem ſolio & probum & improbum lauat.

Secundo dixi à ſingulis quadrantem balneatori fuiſſe perſolutam. Horatius Sat. 3. l. I.

Ne longum faciam, dum tu quadrante lauatum Rex ibis.-

Iuuenalis ſat.

Cadere Syluano porcum, quadrante lauari.

Balneum res quadrantaria.

Seneca epiſtolâ 85. *At olim & pauca erant balnea, nec vllo cultu exornata, cur enim ornaretur res quadrantaria, & in vſum, non in oblectamenta reperta?* Impuberes tamen gratis ad balneas admitti conſuerant. Iuuenalis ſat. 6.

Nec pueri credunt niſi qui nondum ære lauantur.

Nonnunquam tamen à munerariis, balnea gratis exhibebantur. Dio Caſſius lib. 37. φαῦστος ὁ τοῦ Σύλλου παῖς ἀγῶνά τε μονομαχίας ἐπὶ τῷ πατρὶ ἐποίησε καὶ τὸν δῆμον λαμπρῶς εἱστίασε, τά τε λουτρὰ καὶ ἔλαιον προῖκα αὐτοῖς παρέσχεν. *Fauſtus Syllæ filius in honorem patris funebre gladiatorum munus, & ſplendidum epulum populo exhibuit, balneáſque & oleum gratis præbuit.* cuius moris & alij meminerunt. Iam Clodiam quadrantariam dictam fuiſſe conſtat ex Plutarcho in Cicerone. Κλωδίαν Μέτελλος ὁ Κέλερ εἶχεν, ἣν Κουαδραντίαν ἐκάλουν, ὅτι τῶν ἐραστῶν τις αὐτῇ χαλκοῦς ἐμβαλὼν, εἰς βαλάντιον, ὡς ἀργύρεον εἰσέπεμψε. τὸ δὲ λεπτότατον τοῦ χαλκοῦ νομίσματος κουαδράντην ἐκάλουν. *Clodiam Metellus Celer coniugem habebat, quam ideò Quadrantariam vocabant, quòd ex eius amatoribus quidam æreos nummos argenteorum loco in loculos immiſerat. minutiſſimum autem nummum æreum quadrantem appellant.* Ex quibus ſoluere poſſis illud ænigma quod apud Fabium l. 8. cap. 6. proponitur. *Hæc allegoria quæ eſt obſcurior, ænigma dicitur, vitium meo quidem iudicio, ſiquidem dicere dilucidè virtus: quo tamen & Poëtæ vtuntur.*

Clodia quadrantaria.

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cœli ſpatium non amplius vlnas.

Et oratores nonnunquam, vt Cœlius Quadrantariam Clytemneſtram, in triclinio Coam, in cubiculo Nolam. quod ænigma Cælius Rhodiginus lib. 18. cap. 16. & Andreas Alciatus parerg. lib. 2. cap. 12. explicarunt. Et Cælius quidem hunc locum de impudicâ quadam muliere, pro nomine Clytemneſtra intelligit, quadrantéſque vult precium proſtitutarum fuiſſe: Crediderim explicandum de noſtrâ Clodiâ, eámque in triclinio Coam dici, quòd eſſet vinoſa & bibax, celebre enim vinum Coum vel ex Perſio.

--ebenum, tus, lubrica Coa.

Nola dicitur ob garrulitatem. Iuuenalis.

Tot pariter pelues, tot tintinnabula dicas.

Idem lib. 19. cap. 11. illud. *in cubiculo nolam* prolatum dicit. *In garrulum deſidentem dies totos domi, & nugali verborum futilium importunitate, & copiâ exundanti delinientem, vt obſtreperâ loquacitate vti picâ verboſiore obſurdeſcerent aures, ac veluti tintinnabulo conuulnerarentur.* Quemadmodum, vt Iulius Pollux lib. 6. refert, Græci garrulum *ahenum ex Dodone*, Δωδωναῖον χαλκεῖον appellant, atque ita per nolam tintinnabulum, ſiue æs campanum intelligit, cuiuſmodi tintinnabula ex Iuuenale, Strabone, Martiale probat iam tum in vſu fuiſſe. Addo Clytemneſtram hoc loco à noſtro Cœlio dictam fuiſſe Clodiam, quòd vt Clytemneſtra Agamemnonem, ita & illa Metellum maritum ſuum occiderat. Clodia familiaris erat balneatori, Clytemneſtra maritum in balneis extinxerat. ſolebant enim maritos aduenientes balneis excipere: Plautus in Amphytruone.

Quadrātaria Clytemneſtra.

Alc. *-lauiſti.* Amph. *Quid poſteaquam laui?*
Alc. *-accubuiſti*, &c.

Æſchylus in Eumenidibus de hac ipsâ Clytemneſtra.

Ἀπὸ στρατείας γάρ μιν ἡμπολυκότα
Τὰ πλεῖς ἀμείνον' εὔφρεσιν δεδεγμένη
Δρύτῃ, περῶντι λουτρὰ, κἀπὶ τέρματι
Φᾶρος παρεσκήνωσεν, ἐν δ' ἀτέρμονι
Κόπτει πεδήσασ' ἄνδρα δαιδάλῳ πέπλῳ.
Redeuntem ab armis, facta poſt mauortia
Præclara, quorum multa prudentes probent
Feſſum calenti balneo excepit virum
Penetrauit ille balneum: hæc in exitu
Irretit illum veſte inextricabili,
Atque inuolutum pallio mactat virum.

ARGVMENTVM.

Eleuat teſtium fidem. 1. quod vel nulli ſunt, vel adeò obſcuri vt ne aduerſarij quidem auſint eos nominare. 2. à Clodiæ familiaritate. 3. ab ipſa re & officio quod Clodiæ detulerant. 4. à ſeueritate, & inconſideratâ leuitate in exequendo eo quod ſuſceperant, atque hæc maioris leporis causâ perpetuâ ironiâ condita ſunt.

ATQVE equidem vehementer exſpectabam, quinam iſti viri boni, LXIII. teſtes huius manifeſtò deprehenſi veneni dicerentur. nulli enim ſunt adhuc nominati. ſed non dubito, quin ſint pergraues, qui primùm ſint talis fœminæ familiares, deinde eam prouinciam ſuſceperint; vt in balneas contruderentur: quod illa niſi à viris honeſtiſſimis, ac pleniſſimis dignitatis, quàm velit ſit potens, nunquam impetrauiſſet. Sed quid ego de dignitate iſtorum teſtium loquor? virtutem eorum diligentiámque cognoſcite. in balneis delituerunt. teſteis egregios. deinde temerè proſiluerunt. homines grauitati deditos. ſic enim fingunt, cùm Licinius veniſſet, pyxidem teneret in manu, conaretur tradere, nondum tradidiſſet, tum repentè euolaſſe iſtos præclaros teſtes ſine nomine: Licinium autem, cùm iam manum ad tradendam pyxidem porrexiſſet, retraxiſſe, atque illo repentino hominum impetu ſe in fugam conieciſſe. O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contráque fictas omnium inſidias facilè ſe per ſeipſam defendat!

EXPLANATIO.

ISTI VIRI BONI.] Ad deprehendendum maleficium in balneis iuſſu Clodiæ collocati.

NVLLI ENIM SVNT ADHVC NOMINATI.] Accuſatores dixerant, teſtes ſe habere qui Licinium vidiſſent, cùm venenum Clodiæ ſeruis eſſet traditurus. eos igitur irridet Tullius quòd neminem hactenus nominarint. quod profectò feciſſent, ſi teſtes producere potuiſſent.

SED NON DVBITO.] Ironicè carpit eorum teſtium leuitatem, tum quòd eſſent impudicæ fœminæ familiares, tum quòd id munus & officium ſuſcepiſſent, vt deprehendendi veneficij causâ, ſe in balneas abſtruderent, quod viris bonis & grauibus planè indignum eſt.

SED QVID EGO DE DIGNITATE.] Non ſolùm à dignitate, id eſt, familiæ, munerum, officiorum vitæ ſplendore fides teſtibus conciliatur, ſed etiam à morum integritate & ſanctitate, quæ multò plus ad faciendam fidem habet momenti. nunc igitur poſtquam obſcuritate teſtium fidem eleuauit, oſtendit ne ab alio quidem capite, à virtute ſcilicet & integritate fidem debere illis teſtibus adhiberi.

SIC ENIM FINGVNT.] Ex ipsâ aduerſariorum narratione teſtium implicatam ſtultitiâ temeritatem oſtendit. omnia ſunt clara.

O MAGNA VIS VERITATIS.] Ne ſcurrilis oratio reddatur, ironicam ſuperiorum feſtiuitatem graui ſeriáque ſententiâ per exclamationem attemperat, qua & oſtendit aduerſariorum technas, & cauſæ ſuæ æquitatem.

NOTÆ.

I. TALIS FOEMINÆ FAMILIARES.] Teſtium eleuat auctoritatem à Clodiæ familiaritate. præclarus ille Euripidis locus, quem ne Æſchines quidem dubitauit ſuæ contra Timarchum accuſationi intexere.

Ὅστις δ᾽ ὁμιλῶν ἥδεται κακοῖς ἀνὴρ
Οὐ πώποτ᾽ ἠρώτησα, γιγνώσκων ὅτι (Malorum familiaritas.)
Τοιοῦτός ἐστιν, οἷσπερ ἥδεται ξυνών.
Si quem malorum conſuetudo iuuat
Nunquam rogauit qualiter viuat, ſciens
Talem eſſe, qualis grex erit ſodalium.

II. IN BALNEIS DELITVERVNT.] Vt aliquid dicamus parergon, notandum eſt illud de militibus, qui captâ ab Herode Canâ, vt victoris manus effugerent ſe in balneas abſtruſerant. de quibus Ioſephus I. de excidio, cap. 13. Ἡρώδης πρὸς ἑσπέραν ἤδη τοὺς φίλους κεκμηκότας ἐπὶ θεραπείᾳ τοῦ σώματος διαφεὶς, καὶ αὐτὸς, ὡς ἦν ἔτι θερμὸς ἐκ τῶν ὅπλων λυσάμενος ᾔει στρατιωτικώτερον. εἷς γοῦν αὐτῷ παῖς εἵπετο, καὶ πρὶν εἰς τὸ βαλανεῖον εἰσελθεῖν, ἐναντίον αὐτῷ τις ἐκτρέχει τῶν πολεμίων ξιφήρης, ἔπειτα δεύτερος, καὶ τρίτος καὶ ἑξῆς πλείους. οὗτοι καταπεφεύγεσαν μὲν ἐκ τῆς παρατάξεως, εἰς τὸ βαλανεῖον ὡπλισμένοι. τέως δ᾽ ὑποπεπτηχότες καὶ διαλανθάνοντες, ὡς ἐθεάσαντο τὸν βασιλέα λυθέντες ὑπ᾽ ἐκπλήξεως αὐτὸν μὲν παρέτρεχον γυμνὸν ὄντα τρέμοντες, ἐπὶ δὲ τὰς ἐξόδους ἐχώρουν. τῶν μὲν οὖν ἄλλων οὐδεὶς παρῆν κατὰ τύχην ὁ συλληψόμενος τοὺς ἄνδρας, Ἡρώδῃ δ᾽ ἀπέχρησε τὸ μηδὲν παθεῖν, ὥστε διαφεύγουσι πάντες. *Herodes ſub veſperam amicis ad curanda corpora dimißis, ipſe vt erat à pugnâ recenti calidus, ad balneas ſe contulit inſtar militis gregarij, vnus eum puer ſequebatur, & priuſquàm balneum intraret, vnus hoſtium occurrit ſtricto gladio, tum alter, tertius aliique complures. Illi ex acie in balneum armati diffugerant. & ad eam horam cùm in balneis delituiſſent pauitantes, vbi Regem viderunt, obſtupefacti eum tranſilierunt, & ad exitus ſe contulerunt nudum metuentes. Neque quiſquam aderat qui viros comprehenderet, Herodi ſatis fuit ſaluum euadere. & ita omnes fuga elapſi.*

III. DIGNITATE.] In admittendis teſtimoniis dignitatis vniuſcuiuſque habendam eſſe rationem iam §. I. Vatinianæ oſtenſum eſt. & alibi ſæpe.

IV. O MAGNA VIS VERITATIS.] Lactantius lib. 3. cap. I. *Deus hanc voluit rei eſſe naturam, vt ſimplex & nuda veritas eſſet luculentior, quia ſatis ornata per ſe eſt, ideóque ornamentis extrinſecùs additis fucata, corrumpitur: mendacium verò ſpecie placet alienâ, quia per ſe corruptum vaneſcit, ac defluit, niſi aliunde ornatu quæſito, circumlitum fuerit ac politum.* Paulò pòſt: *Tanta eſt potentia veritatis, vt ſeipſam, quamuis in rebus exiguis ſua claritate defendat.* Demoſthenes περὶ παραπρεσβείας idem teſtatur. τἀληθὲς ἰσχυρόν ἐστι, καὶ τοὐναντίον ἀσθενές· *Magna vis eſt veritatis, mendacij magna infirmitas.* Et oratione de Corona. θεάσασθε τοίνυν, ὡς ἔοικέν ἐστι, φύσει πᾶν ὅτι ἂν μὴ δικαίως ᾖ πεπραγμένον. *Videte igitur quàm naturâ ſuâ carioſum ſit, quidquid iniuſtè fuerit factum.* Euripides in Phœniſſis.

Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ
Κοὐ ποικίλων δεῖ τἄνδιχ᾽ ἑρμηνευμάτων. (Magna vis veritatis.)
Ἔχει γὰρ αὐτὰ καιρόν. ὁ δ᾽ ἄδικος λόγος
Νοσῶν ἐν αὑτῷ φαρμάκων δεῖται σοφῶν.

Primum verſum ita vertit Seneca epiſtola 49. (Magna mendacij infirmitas.)
Nam (vt ille ait Tragicus)
Veritatis ſimplex oratio eſt.
Nec verſipellem quærit eloquentiam.
Habet illa tempus: eget iniqua oratio
In ſe laborans pharmacis prudentibus.

Dio Chryſoſtomus in Troicis, ſiue oratione II. mendacij calliditatem ita deſcribit: ὃ ποιοῦσι πάντες οἱ ψευδόμενοι σχεδὸν ἐμπλέκοντες καὶ περιπλέκοντες, καὶ οὐδὲν βουλόμενοι λέγειν ἐφεξῆς, &c. τοῦτο δ᾽ ἰδεῖν ἐστι, καὶ ἐν τοῖς δικαστηρίοις καὶ ἄλλως γιγνόμενον ὅπου μετὰ τέχνης ψεύδονται. *Quod fermè faciunt omnes mendaces, implicantes & circumplicantes, nihilque continuum dicere volentes. Id in iudiciis videre eſt, & vbicumque ex arte mentiuntur.* Item: ὃς δ᾽ ἂν ἀληθῶς λέγει τι, θαρρῶν καὶ οὐδὲν ὑποστελλόμενος λέγει. *Qui verò verè quid dicit, confidens & nihil veritus dicit.* Atque has in mendaciis conſarcinandis affamas verborúmque offutias feſtiuè deſcribit Socrates apud Ariſtophanem in nubibus.

Λέγειν γενήσῃ τρῖμμα, κρόταλον, παιπάλη.
Dicendo fies exercitatus, crotalum, ſubtilis vt flos farinæ. Et ibidem Strepſiades.

Τοῖς ἀνθρώποις τ᾽ εἶναι δόξω
Θρασὺς, εὔγλωττος, τολμηρὸς, ἴτης,
Βδελυρὸς, ψευδῶν συγκολλητὴς,
Εὑρεσιεπὴς, περίτριμμα δικῶν,
κύρβις, κρόταλον, κίναδος, τρῦμη, & alia in hanc ſententiam.

Mortalibus eſſe videbar
Petulans, linguoſus, audax, temerarius,
Putidus, mendaciorum conſarcinator,
Inuentor verborum, tabula fori,
Leguleius, crotalum, vulpes, veterator.

Bene etiam Æſchines ex quo hîc à Cicerone locus expreſſus eſt, οὕτως ἰσχυρόν ἐστιν ἀλήθεια ὥστε πάντων

ἀποκρατεῖν τῶν ἀνθρωπίνων λογισμῶν. *Tanta vis eſt veritatis, vt omnes ſuperet humanas rationes.* Diuus Chryſoſtomus, quem locum mihi ſuggeſſit Maximus: οὐδεμιᾶς δεῖται βοηθείας ἡ τῆς ἀληθείας ἰσχύς, ἀλλὰ κἂν μυρίοις ἔχῃ τοὺς σβεννῦντας αὐτὴν, οὐ μόνον οὐκ ἀφανίζεται, ἀλλὰ καὶ δι' αὐτῶν τῶν ἐπηρεάζειν ἐπιχειρούντων, φαιδροτέρα καὶ ὑψηλοτέρα ἂν εἴη, τὸν εἰκῆ κοπιόντων ἑαυτοὺς καταγελῶσα. *Nullo eget auxilio vis veritatis. Quin etiam ſi ipſam infiniti velint extinguere, non modo non obſcuratur, verùm etiam per eos ipſos, qui incommodare conantur, illuſtrior & excelſior redditur, illos fruſtra ſe torquentes deridens.* Idem homiliâ 2. in epiſt. ad Rom. de hæreticorum figmentis ſic loquitur. Τοιαύτη γὰρ ἡ τῶν λογισμῶν φύσις. λαβυρίνθῳ τινὶ καὶ γρίφοις ἔοικεν, οὐδὲν τέλος ἔχουσα. *Talis eſt enim ratiocinationum natura. labyrintho cuipiam ac griphis ſimilis eſt, nullum vſquam finem habens.* Et homiliâ 3. loquens de veritate: ἐκείνη γὰρ ἄτρεπτος μένει, τὴν οἰκείαν δόξαν ἔχουσα ἀκίνητον. *Illa enim immutabilis manet, vt quæ habet propriam gloriam immotam.* Hanc Athenienſes veritatis firmitatem vt oſtenderent, Mercurios quadratos fingebant. Thucydides libro 6. ἐν δὲ τούτῳ ὅσοι ἑρμαῖ ἦσαν λίθινοι ἐν τῇ πόλει τῶν Ἀθηναίων (εἰσὶ δὲ κατὰ τὸ ἐπιχώριον, ἡ τετράγωνος ἐργασία, πολλοὶ καὶ ἐν ἰδίοις προθύροις καὶ ἐν ἱεροῖς) μιᾷ νυκτὶ οἱ πλεῖστοι περιεκόπησαν τὰ πρόσωπα. *Interim quotquot Athenis erant Mercurij lapidei (ſunt autem more geſtis opere quadrato multi tum in priuatis veſtibulis, tum in templis) iis vna nocte facies abſciſſæ ſunt.* quem in locum interpres ſanè eruditè: Ἐπεὶ φασὶ τὸν Ἑρμῆν λόγου καὶ ἀληθείας ἔφορον εἶναι, διὰ τοῦτο καὶ τὰς εἰκόνας αὐτοῦ τετραγώνους καὶ κυβοειδεῖς κατεσκεύαζον, αἰνιττόμενοι ὅτι τὸ τοιοῦτο σχῆμα, ἐφ' ἃ μέρη πέσῃ, πανταχόσε βάσιμον καὶ ὀρθιόν ἐστι. οὕτω καὶ ὁ λόγος καὶ ἡ ἀλήθεια ὁμοία ἐστὶ πανταχόθεν αὐτῇ· τὸ ψεῦδος δὲ πολύχουν καὶ πολυειδές. *Cùm dicant Mercurium arbitrum eſſe ſermonis & veritatis, eam ob rem eius ſimulacra quadrata & cubica faciebant, ſignificãtes, quòd vt illa figura quamcunque in partem ceciderit, in ſua baſi conſiſtit: ita ſermonis veritas ſibi ſimilis eſt vndequaque, mendacium autem multifariam diffunditur, & varias in partes propagatur.* Fabius Maximus apud Liuium decade tertiâ, oratione quam habuit cum L. Paulo contra Annibalem proficiſcente, ſcitè ait: *A veritate laborare nimis ius ſæpe aiunt, extingui nunquam.* Mendosè, Muretus emendat: *Veritatem laborare nimis ſæpe aiunt, extingui nunquam.*

AXIOMA.

O magna vis veritatis, &c.

ARGVMENTVM.

Superiore §. narrauerat rem prout aduerſarij geſtam eſſe dicebant, ex eáque narratione teſtium leuitatem & temeritatem oſtenderat. nunc eam narrationem ex eo confictam eſſe demonſtrat, quòd ſibi non cohæreret, ſed res inter repugnantes contineret.

VERVM hæc tota fabella veteris & plurimarum fabularum poëtriæ quàm eſt ſine argumento? quàm nullum inuenire exitum poteſt? Quid enim iſti tot viri (nam neceſſe eſt fuiſſe non paucos, vt & comprehendi Licinius facilè poſſet, & res multorum oculis eſſet teſtatior) cur Licinium de manibus amiſerunt? quî minùs enim Licinius comprehendi potuit, cùm ſe retraxit, ne pyxidem traderet, quàm ſi non retraxiſſet. erant enim illi poſiti, vt comprehenderent Licinium, vt manifeſtò Licinius teneretur, aut cùm retineret venenum, aut cùm tradidiſſet. hoc fuit totum conſilium mulieris, hæc iſtorum prouincia, qui rogati ſunt: quos quidem, tu, quamobrem temerè proſiluiſſe dicas, atque ante tempus, non reperio. fuerant hoc rogati, fuerant ad hanc rem collocati, vt venenum, vt inſidiæ, facinus denique ipſum vt manifeſtò comprehenderetur. LXIV.

EXPLANATIO.

VERVM HÆC TOTA FABVLA.] Antequam huius narrationis repugnantiam oſtendat, eius auctorem oſtendit, Clodiam nimirum, quæ iampridem & alia multa confinxerat, allegoriâ ductâ à Poëtis comicis & auctoribus fabularum.

QVAM EST SINE ARGVMENTO.] Quàm nullam habet ſubiectam materiam? quàm tota ex mendaciis & fictionibus probabilitatis nihil habentibus concinnata eſt?

QVAM NVLLVM INVENIRE EXITVM POTEST.] Quàm ſe non poteſt probabiliter explicare, & nullum finem principiis conſentaneum inuenire?

QVID ENIM.] Licinium in maleficio comprehenſum non fuiſſe dicebant, quia cùm ad eum teſtes euolaſſent repentino hominum impetu ſe in fugam coniecerat. contra Cicero:

Vnus multos non potuit effugere.
Sed vnus erat Licinius, multi teſtes.
Ergo Licinius teſtes non potuit effugere.

Propoſitio plana eſt, primam minoris partem, quòd ſcilicet ſolus fuerit Licinius, aduerſarij fatebantur, alterâ pars ſic oſtenditur.

Neceſſe eſt fuiſſe non paucos, qui fuerant ad hanc rem collocati, vt & comprehendi Licinius facilè poſſet, & res multorum oculis eſſet teſtatior.

Sed illi fuerant ad hanc rem collocati, vt venenum, vt inſidiæ, facinus denique ipſum vt manifeſtò comprehenderetur. Ergo, &c.

CVM SE RETRAXIT.] Eam illi cauſam adferebant, cur Licinius comprehenſus non fuiſſet, quòd teſtes nimiùm citò, nondum traditâ pyxide, ad eum comprehendendum temerè euolarant. Contra Cicero.

Non illi temerè proſiluiſſe dicendi ſunt, qui non minùs eum Licinium comprehendere potuerunt, ſi nondum tradidiſſet pyxidem, quàm ſi iam tradidiſſet.

Sed non minùs id illi potuerunt.

Ergo nihil eſt quòd eos temerè proſiluiſſe dicamus. Omnia ſunt clara.

NOTÆ.

I. FABELLA.] Fabulæ nomen optimè noſtræ Quadrantariæ conuenire videbis, ex iis quæ proximè dicentur ad 69. §.

II. POETRIÆ.] Poëtriam appellat, propter figmenta quæ in ſuperiore narratione detexit, nam, vt ait Socrates in Phædone, ἐννοήσας ὅτι τὸν ποιητὴν δέοι, εἴπερ μέλλει ποιητὴς εἶναι, ποιεῖν μύθους, ἀλλ' οὐ λόγους· καὶ αὐτὸς οὐκ ἦν μυθολογικός. διὰ ταῦτα οὓς προχείρους εἶχον, καὶ ἠπιστάμην μύθους τοὺς Αἰσώπου, τούτων ἐποίησα, οἷς πρώτοις ἐνέτυχον. *Sciens poëtam ſi modò poëta eſſe vult, debere fabulas non orationes contexere: & ego in fabulis fingendis idoneus non eram, ideò Æſopi fabulas quas in manibus habebam verſibus expreſſi quæ mihi primùm occurrerunt.* Quæ eadem refert Plutarchus opuſculo de audiendis Poëtis, & addit de ſuo hanc rationem cur Poëtæ pleraque mentiantur. Πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί, τὰ μὲν ἑκόντες, τὰ δ' ἄκοντες. ἑκόντες μὲν, ὅτι πρὸς ἡδονὴν ἀκοῆς καὶ χάριν (ἣν οἱ πλεῖστοι διώκουσιν) αὐστηροτέραν ἡγοῦνται τὴν ἀλήθειαν τοῦ ψεύδους. ἡ μὲν γὰρ ἔργῳ γινομένη, κἂν ἀτερπὲς ἔχῃ τέλος, οὐκ ἐξίσταται. τὸ δὲ πλαττόμενον λόγῳ ῥᾷστα παραχωρεῖ καὶ τρέπεται πρὸς τὸ ἥδιον ἐκ τοῦ λυποῦντος. οὔτε γὰρ μέτρον, οὔτε τρόπος, οὔτε λέξεως ὄγκος, οὔτ' εὐκαιρία μεταφορᾶς, οὐδ' ἁρμονία καὶ σύνθεσις ἔχει τοσοῦτον αἱμυλίας καὶ χάριτος, ὅσον εὖ πεπλεγμένη διάθεσις μυθολογίας. ἀλλ' ὥσπερ ἐν γραφαῖς κινητικώτερόν ἐστι χρῶμα γραμμῆς, διὰ τὸ ἀνδρείκελον καὶ ἀπατηλόν, οὕτως ἐν ποιήμασι μεμιγμένον πιθανότητι ψεῦδος ἐκπλήττει καὶ ἀγαπᾶται μᾶλλον τῆς ἀμύθου καὶ ἀπλάστου περὶ μέτρον καὶ λέξιν κατασκευῆς, &c. *Frequenter mentiuntur poëtæ, partim volentes, partim contra voluntatem. Volentes quidem, quia quod ſpectat ad voluptatem aurium & leporem (quem plurimi aucupantur) veritatem putant ſeueriorem eſſe mendacio. Ea enim cùm re ipſa fuerit, etiamſi moleſtum habeat finem, ab eo non diſcedit: quod autem oratione fingitur facillimè diſcedit, & à moleſtiâ ad iucunditatem conuertitur. Neque enim menſura, neque tropus, neque orationis amplitudo, neque metaphoræ opportunitas, neque harmonia & compoſitio tantum habet feſtiuitatis & gratiæ, quantum ſuauis diſpoſitio fabularum. Sed vt in picturis magis mouet color quàm linea, quòd magis ad hominis ſimilitudinem accedat, & oculos in fraudem inducat: ſic in poëmatibus falſitas probabilitati mixta, magis in admirationem & ſui amorem adducit, quàm oratio nullis fictionibus aut menſuris figurata.* Item: Θυσίας μὲν γὰρ ἀχόρους καὶ ἀναύλους ἴσμεν, οὐκ ἴσμεν δ' ἄμυθον οὐδ' ἀψευδῆ ποίησιν. *Sacrificia ſine choris & tibiis ſcimus, non ſcimus autem poëſim ſine fabulis & mendacio.* Porrò vt hîc Tullius Poëtriam, ita Lucianus Peregrinum, ſiue Protea, cùm mortem eius deſcriberet, Poëtam nominauit. Τὸν μὲν ποιητὴν οἶσθ', οἷός γ' ἦν, καὶ ἡλίκα ἐτραγῴδει παρ' ὅλον τὸν βίον ὑπὲρ τὸν Σοφοκλέα καὶ τὸν Αἰσχύλον. *Poëtam hunc nouiſti, qualis erat & quas tragœdias excitabat toto vitæ decurſu præ Sophocle & Æſchylo.* Idem Lucianus in Tyrannicidâ. Ἐγὼ γὰρ ἀπήλλαττόμην ποιητὴς μὲν τῆς ὅλης τραγῳδίας, καταλιπὼν δὲ τῷ ὑποκριτῇ τὸν νεκρὸν, καὶ τὴν σκηνὴν, καὶ τὸ ξίφος, καὶ τὰ λοιπὰ τοῦ δράματος. *Ego enim abij poëta quidem totius tragœdiæ, ſed relinquens actori mortuum, ſcenam, gladium, & reliqua ad actionem ſpectantia.* Simile illud Plutarchi in præceptis politicis. Οἱ γοῦν Σκιπίωνι βασκαίνοντες, ὑποκριτὴν αὐτὸν ἀπεφαίνοντο τῶν πράξεων, ποιητὴν δὲ Λαίλιον τὸν ἑταῖρον. *Qui Scipionis gloriæ inuidebant, eum rerum geſtarum actorem eſſe dicebant, poëtam autem Lælium eius familiarem.* Heliodorus 1. Æthiopic. Θίσβην γοῦν εἶναι Κνήμων ὁ δέ φησι τὴν Ἀθήνῃσιν ἐκείνην τὴν ψάλτριαν, τὴν τὸν ἐπ' αὐτὸν ἐπιβουλῶν, & lego μετὰ Δημαινέτην ποιήτριαν. *Thiſben enim Cnemon hic dicit eſſe Athenienſem illam fidicinam inſidiarum in ſe ſtructarum ſecundum Demenetem poëtriam.* Ita & Pſeudolus ille Plautinus ſe poëtam vocat, ſuum conatum fabulã quæ exitum inuenire non poſſit.

--neque nunc quid faciam ſcio.
Neque exordiri primùm, vnde nunc occipias, habes,
Neque ad detexundam telam certos terminos.
Sed quaſi poëta tabulas cùm ſumpſit ſibi,
Quærit quod nuſquam eſt gentium, reperit tamen.
Facit illud veriſimile quod mendacium eſt,
Nunc ego poëta fiam, viginti minæ,
Quæ nuſquam nunc ſunt gentium, inueniam tamen. Aſinariâ act. 4. ſc. 1.
Nam tu poëta es prorſus ad eam rem vnicus.

Trinummo act. 3. ſc. 2.

Non enim poſſum quin exclamem: euge, euge Lyſiteles,
Facilè palmam habes hîc victus, vicit tua comœdia:
Hic agit magis ex argumento, & verſus meliores facit.

QVAM NVLLVM INVENIRE EXITVM POTEST.] Ideò nullum inuenire exitum poteſt, quia eſt ſine argumento meréque fictitia, alioquin, vt ait Sophocles.

Εἰ γοῦν δὲ παντὸς ἦν τις ἄρχεται καλῶς
Καὶ τὰς τελευτὰς εἰκὸς ἐσθ' οὕτως ἔχειν.
Principia ſi quis duxerit rerum omnium
Rectè, neceſſe eſt & bonum finem ſequi.

Quamuis enim ſagax & callidus ſic interdum veris falſa permiſceat.

Primo ne medium, medio ne diſcrepet vnum.

Verum eſt tamen quòd Plato in Cratylo ſic expreſſit. Μέγιστον δέ σοι ἔστω τεκμήριον, ὅτι οὐκ ἔσφαλται τῆς ἀληθείας ὁ τιθέμενος. οὐ γὰρ ἄν ποτε σύμφωνα ἦν αὐτῷ ἅπαντα. *Euidentiſſimo argumento id eſſe tibi poteſt, haud à veritate aberrauiſſe nominum auctorẽ, quia ſi malè ſenſiſſet, nequaquam ſibi ita omnia conſonarent.* Quamuis ſuo more in vtramque partem diſputans, oſtendit fieri poſſe vt fabula ſine argumento ſibi cohærens & conſtãs exitum inueniat. Εἰ γὰρ τὸ πρῶτον σφαλεὶς ὁ τιθέμενος, τ' ἄλλ' ἤδη πρὸς τοῦτο ἐβιάζετο, καὶ αὐτῷ ξυμφωνεῖν ἠνάγκαζεν οὐδὲν ἄτοπον. ὥσπερ τῶν διαγραμμάτων ἐνίοτε τοῦ πρώτου σμικροῦ καὶ ἀδήλου ψεύδους γενομένου τὰ λοιπὰ πάμπολλα ἤδη ὄντα ἑπόμενα ὁμολογεῖν ἀλλήλοις. δεῖ δὴ περὶ τῆς ἀρχῆς παντὸς πράγματος, παντὶ ἀνδρὶ τὸν πολὺν λόγον εἶναι, καὶ τὴν πολλὴν σκέψιν εἴτε ὀρθῶς, εἴτε μὴ ὑπόκειται, ἐκείνης δ' ἐξετασθείσης ἱκανῶς, τὰ λοιπὰ φαίνεσθαι ἐκείνῃ ἑπόμενα. *Quid enim mirum eſt ſi primo deceptus nominum inſti-*

Marginalia: Poëſis amat fabulas. Poëta.

inſtitutor, ſequentia rurſus ad primum vi quadam traxit, & ipſi conſonare coëgit? quemadmodum circa figuras interdum exiguo quodam primo ignoto falſóque exiſtente reliqua deinceps multa inuicem conſonant. Debet enim quiſque circa rei cuiuſque principium ſtatuendum diſſerere multa diligentiſſiméque conſiderare vtrum rectè decernat, nécne. quo quidem ſufficienter examinato, cætera iam principium ſequi debent. Sequor Ficini verſionem. Reddit rationem Ariſtoteles cur oratio quæ ſubiectam materiam non habet, carétque principio & argumento, exitum vix poſſit inuenire. 1. Ethic. cap. 8. Τῷ ἀληθεῖ πάντα συνᾴδει τὰ ὑπάρχοντα, τῷ δὲ ψευδεῖ ταχὺ διαφωνεῖ τἀληθές. *Vero omnia concinunt ea quæ inſunt, à falſitate veritas ſtatim diſcrepat.* Cui adſtipulatur Seneca epiſt. 79. *Nihil diſſimulatio proficit, paucis imponit leuiter extrinſecus inducta facies. veritas in omnem partem ſui ſemper eadem eſt. Quæ decipiunt, nihil habent ſolidi. Tenue eſt mendacium: perlucet ſi diligenter inſpexeris.* Sed Polybium lib. 3. hiſtoriæ audire præſtat accommodatè huic loco narrationem confictam cum fabulâ, quæ cùm ſit ſine argumento nullum exitum inuenire poteſt, egregiè comparantem. Ἔνιοι δὲ τῶν γεγραφότων περὶ τῆς ὑπερβολῆς ταύτης (τοῦ Ἀννίβου τὰς Ἄλπεις διαβήσαντος) βουλόμενοι τοὺς ἀναγινώσκοντας ἐκπλήττειν τῇ περὶ τῶν προειρημένων τόπων παραδοξολογίᾳ λανθάνουσιν ἐμπίπτοντες εἰς δύο τὰ πάσης ἱστορίας ἀλλοτριώτατα. καὶ γὰρ ψευδολογεῖν καὶ μαχόμενα γράφειν αὑτοῖς ἀναγκάζονται. *Circa hunc Annibalis tranſitum per Alpes (ſcriptores quidam dum magnitudine rei perterrefacere legentium animos ſtudent, non animaduerterunt, labi ſe in duo ab hiſtoriæ lege alieniſſima. ſiquidem & falſa ſcribere, & planè inter ſe repugnantia coguntur.* Sequor Perotti verſionem. paulò poſt. ἅμα δὲ καταστροφὴν οὐ δυνάμενοι λαμβάνειν, οὐδ' ἔξοδον τοῦ ψεύδους θεοὺς καὶ θεῶν παῖδας εἰς πραγματικὴν ἱστορίαν παρεισάγουσιν. *Simul nullum exitum mendacio reperientes, ad Deos & Deorum filios ad pragmaticam hiſtoriam confugiunt.* Item; Εἰκότως ἐμπίπτουσιν εἰς τὸ παραπλήσιον τοῖς τραγῳδιογράφοις. καὶ γὰρ ἐκείνοις πᾶσιν αἱ καταστροφαὶ τῶν δραμάτων προσδέονται θεοῦ καὶ μηχανῆς, διὰ τὸ τὰς πρώτας ὑποθέσεις ψευδεῖς καὶ παραλόγους λαμβάνειν. τούς τε συγγραφέας ἀνάγκη τὸ παραπλήσιον πάσχειν, καὶ ποιεῖν ἥρωάς τε καὶ θεοὺς ἐπιφαινομένους, ἐπειδὰν τὰς ἀρχὰς ἀπιθάνους καὶ ψευδεῖς ὑποστήσωνται. πῶς γὰρ οἷόν τε, παραλόγοις ἀρχαῖς εὔλογον ἐπιθεῖναι τέλος. *Quò fit vt tragœdis potiùs quàm hiſtoricis ſimiles videantur. nam vt illi frequenter dramata ſua, aut Diis aliquibus, aut machinis terminant, quòd falſa irrationabiliáque principia ſumant: ita hi rerum geſtarum ſcriptores ſimile quiddam patiuntur: & dum falſa ſumunt exordia tandem ad Deos aliquos, ſiue Heroas confugere coguntur. nam qui fieri poteſt vt ex falſis initiis veri fines ſequantur?* Preſſiùs Plato in Cratylo: ὥσπερ οἱ τραγῳδοποιοὶ ἐπειδάν τι ἀπορῶσιν ἐπὶ τὰς μηχανὰς καταφεύγουσι, θεοὺς αἴροντες. *Vt tragici poëtæ cùm aliquâ de re dubitarint, ad machinas confugiunt.*

Mendacium nullum exitũ poteſt inuenire.

Mendacium cum fabula mali poetæ comparatum.

Deus è machina.

Præclarè etiam Themiſtius in Exploratore maledicum tacito perſonarum nomine maledicta concinnantẽ cum Poëta comparauit. Ἐάν τις πυνθάνηται καὶ ἐκλιπαρῇ, ἧττον ἂν εἰς φῶς ἀπάγῃς ἢ τὴν μητέρα Πριάμου. ὅτι οἶμαι αὐτὸς ἐκεῖνος ὢν τυγχάνεις, αὐτὸς ὁ ποιητὴς καὶ ὑποκριτὴς τῶν δραμάτων. ὀκνῶν δ' αὐτοπρόσωπος ἀγωνίζεσθαι ἐπὶ τὰ ἀνώνυμα πρόσωπα καταφεύγεις, ὥσπερ ἐν ταῖς τραγῳδίαις ὅταν ὀνομάτων ἀπορῶσιν οἱ ποιηταί. πολλάκις δὲ ὅλην αἴρεις τὴν μηχανήν, θεούς τε καὶ δαίμονας τῷ δράματι ἐπεισάγεις· ἢ γὰρ οὐ τοιοῦτόν τι πρὸς Διὸς ἡ κατὰ τῶν ὀνειράτων συκοφαντία; Vertit noſter Petauius. *Si quiſpiam roget, & nomen eius enixè poſtulet, minùs quàm Priami matrem in lucem ediderꝭ. Quòd, opinor, idem ipſe fabularum inuentor & actor ſis. Sed quòd in perſonâ tuâ certamen ſuſcipere non audeas, ad perſonas nomine carentes confugis, vt in tragœdiis fieri ſolet, cùm nomina Poëtæ non inueniunt. Ad hæc ſæpenumero integram attollens machinam Deos & dæmonas in fabulam introducis. Nunquid enim eiuſmodi, per Iouem, eſt illa de inſomniis calumnia?* &c. Eandem comparationem adfert in gratiarum actione Imperatori dictâ, à quo fuerat in ſenatu laudatus. Sed conſulendum eſt breuitati. Eunapius in legationibus. Καθάπερ ἐν τοῖς δράμασιν ὅταν εἰς ἄπορον καὶ δύσλυτον αἱ τῶν ὑποκειμένων ἔργων πλοκαὶ τελευτήσωσιν, ὁ λεγόμενος ἀπὸ μηχανῆς θεὸς ἐπεισόδιος εἰς μέσον ἕλκεται πάντα συμπεραίνων, καὶ καταστρέφων ἐπὶ τὸ σαφέστερον καὶ εὔκριτον, οὕτω καὶ αὐτὸς ἐπὶ πράγμασιν ἀμηχάνοις, καὶ δυσεξόδοις, &c. *Quemadmodum in dramatibus cùm ſubiecti argumenti tricæ in nodum inexplicabilem deuenerunt, Deus aliquis è machinâ in medium quaſi obuiam adducitur qui omnia ad finem euoluat, & ad maiorem lucem facilitatémque conuertat, ita & ille in rebus inextricabilibus, & quæ exitum inuenire non poterant,* &c. Huc igitur transferamus illud Demoſthenis Olynthiaca 2. ὥσπερ γὰρ οἰκίας οἶμαι καὶ πλοίου καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων τὰ κάτωθεν ἰσχυρότατα εἶναι δεῖ, οὕτω καὶ τῶν πράξεων τὰς ἀρχὰς, καὶ τὰς ὑποθέσεις ἀληθεῖς καὶ δικαίας εἶναι προσήκει. *Sicut domus, nauigij & ſimilium fundamenta debent eſſe firmiſſima, ſic actionum principia & ſuppoſitiones veras & iuſtas eſſe conuenit.*

Se retraxit.] Nec eſt quod locutionem contemnas, etiamſi propiùs ad vernaculam phraſim accedere videatur. Catullus ep. 28. IV.

Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia, factáque.

Ventos irrita ferre ad nebulas aërias ſinis.

Horatius lib. 1. ep. ad Lollium.

Ac ne te retrahas & inexorabilis abſis.

Prouincia.] Prouincia dicitur quoduis negotium ſiue procuratio, etiam in rebus vrbanis, etiam in priuatis, vt hoc loco, vide Vatinianam §. 12. Nota 3. Terentius Heautont. actu 3. ſcen. 2. V.

Prouincia.

Idcirco huic noſtro tradita eſt prouincia.

AXIOMA.

Fabellæ & mendacia nullum inuenire exitum poſſunt.

ARGVMENTVM.

Idem eſt quod ſuperioris §. argumentum. oſtendit enim nullam fuiſſe rationem quam aduerſarij prætexerent, faciliúſque & commodiùs Licinium nondum tradito veneno, comprehendi potuiſſe: cùm tamen aduerſarij hanc vnam rationem adferrent, cur non fuiſſet comprehenſus.

LXV. POTVERVNTNE meliori tempore proſilire, quàm cùm Licinius veniſſet? cùm in manu teneret veneni pyxidem? quæ ſi cùm iam erat tradita ſeruis, euaſiſſent ſubitò ex balneis mulieris amici, Liciniúmque comprehendiſſent: imploraret hominum fidem, atque à ſe illam pyxidem traditam pernegaret. quem quomodo illi reprehenderent? vidiſſe ſe dicerent? primùm ad ſe reuocarent maximi facinoris crimen: deinde id ſe vidiſſe dicerent, quod, quo loco collocati fuiſſent, non potuiſſent videre. Tempore igitur ipſo ſe oſtenderunt, cùm Licinius veniſſet, pyxidem expediret, manum porrigeret, venenum traderet. Mimi ergo eſt iam exitus, non fabulæ, in quo cùm clauſula non inuenitur, fugit aliquis è manibus, deinde ſcabilla concrepant, aulæum tollitur.

EXPLANATIO.

POTVERVNTNE.] Eſt probatio ſuperioris illius. *Quî minùs Licinius comprehendi potuit, cùm ſe retraxit ne pyxidem traderet, quàm ſi non retraxiſſet?* probátque illud temporis antequam traderet, fuiſſe quouis alio tempore cōmodius.

QVÆ SI CVM.] Oſtendit nullum potuiſſe tempus commodius inueniri.

Vel commodum fuit ad Licinium comprehendendum accurrere, vel pòſt, vel antequàm venenum tradidit.

Non poſt. Ergo ante:

Aſſumptionem probat. quia ſi iam veneno tradito accurriſſent, facilè Licinius à ſe traditum eſſe negare potuiſſet.

REPREHENDERENT.] Sceleris & veneficij conuincerent.

VIDISSE SE DICERENT.] Licinium ſeruis Clodiæ venenum tradentem.

MAXIMI FACINORIS CRIMEN.] Duplex eſſe poteſt ſenſus. 1. ſe non ſolùm teſtes, ſed etiam accuſatores & actores in causâ periculosâ & maximi facinoris profiterentur. 2. periculum adirent, ne veneno in ipſorum manibus deprehenſo & calumniæ in Licinium, & veneficij auctores dicerentur, & ita crimen in ſe reuocarent.

QVO LOCO.] Siue in veſtibulo, ſiue in intimo balnearum. in veſtibulo enim nec latere potuerunt, nec ex intimis balneis videre.

TEMPORE IGITVR IPSO.] Opportunè & commodè ad comprehendendum facinus.

PYXIDEM EXPEDIRET.] Iam pararet, & è ſinu ad dandam ſeruis Clodiæ depromeret.

MIMI ERGO EST IAM EXITVS NON FABVLÆ.] Supra huius criminis nullum inueniri finem dixerat §. 59. *Reliquum eſt igitur crimen de veneno: cuius neque principium inuenire, neque euoluere exitum poſſum.* Proximè non crimen, ſed fabulam eſſe oſtenderat. *Verùm hæc tota fabella veteris & plurimarum fabularum Poëtriæ, quàm eſt ſine argumento? quàm nullum inuenire exitum poteſt?* Pergit vlteriùs ne fabulam quidem eſſe, ſed mimum, tam malè concinnat... ſine vllo prorſus argumento, vt abrumpi neceſſe ſit, nullúmque exitum inueniat, quo finiatur.

AVLÆVM TOLLITVR.] Scenæ apparatus tollitur. ſiparium, id eſt velum mimicum, deponitur. vt ſpectatores, qui nullum finem aduerterant, hoc ſaltem ſigno moueantur.

NOTÆ.

IMPLORARET HOMINVM FIDEM.] I.
Barnabas Briſſonius lib. 8. de formulis multa doctiſſimè pro more collegit. *Exemplorum copiam ſuppeditat Liuius è quibus aliquot producam. is enim lib. 2. Voleronem fidem plebis imploraſſe refert. Idem lib. 3. nutrix puellæ fidem Quiritium implorat. Eodem libro. ipſius Appij, Fidem populi Rom. implorantis vox audiebatur. & lib. 4. Cùm fidem plebis Rom. imploraret, à Seruilio Hala obtruncatus eſt. ibidem de Melio fidem plebis implorare, & opprimi ſe conſenſu Patrum dicere. Idem lib. 42. Tot millia captiuorum fidem implorantia Populi Romani. Cic. lib. 5. in Verrem. Implorat ille fidem populi Romani. Idem pro Fonteio. Cum virgo Veſtalis ex alterâ parte germanum fratrem complexa teneat, veſtrámque Iudices ac Populi Romani fidem imploret.* Seneca epiſt. 15. *Nemo ſtatim Quiritum fidem implorat. implorare autem Seruius in lib. 10. Æneidos interpretatur, auxilium cum miſeratione depoſcere. Feſtus verò inuocare.* Hæc vir doctiſſimus. Alibi idem Feſtus. *Endoplorato, implorato, quod eſt cum quæſtione implorare. Implorare namque eſt cum fletu rogare, quod eſt propriè vapulantis.*

MIMI ERGO EST IAM EXITVS, NON II.
FABVLÆ.] Quem exitum fabulæ ſine vllo argumento, ſine materiâ incœptæ ſortiri ſoleant iam ſuperiori §. ex Polybio & Platone oſtenſum eſt. Solebant enim è machinâ Deos, ad terminandam fabulam in ſcenam inducere. hoc autem loco mimi exitum deſcribit. Porrò quæ ſit inter Mimum & fabulam diſtinctio demonſtrat. Donatus præfatione in Terentium agens de variis formis comœdiæ. Apuleius initio libro 4. floridorum. *Mimus hallucinatur,*

cinatur, comœdus ſermocinatur, tragœdus vociferatur, funirepus periclitatur, præſtigiator furatur, hiſtrio geſticulatur, cæterique omnes ludiones oſtentant populo quod cuiuſque artis eſt. Seneca epiſt. 8. *Non attingam tragicos aut togatas noſtras*, &c. *Quantum diſertiſſimorum verſuum inter mimos iacet? quam multa Publij non excalceatis ſed cothurnatis dicenda ſunt?* Atque adeò, ni fallor, mimus dictus eſt, quòd præ cæteris geſticulationem maximè contineret, & loco verborum muta rerum imitatione & geſtibus vt plurimum, veretur. Sicut pantomimus ideò dictus eſt, quòd ſolis geſticulationibus contentus nullas planè voces adhiberet. Caſſiodorus epiſt. 20. lib. 1. *Hanc partem muſicæ diſciplinæ mutam nominauere Maiores, ſcilicet quæ ore clauſo manibus loquitur, & quibuſdam geſticulationibus facit intelligi, quòd vix narrante linguâ, aut ſcripturæ textu poſſit agnoſci.* Quo fit vt nō mimi ſolùm, ſed etiam pantomimi exitus dici debuerit, quod nullam penitus rationem muta illa clauſula contineret. Sed Romani nondum ætate Ciceronis Pantomimis vtebantur. Zoſimus lib. 1. Κατὰ τὴν Ὀκταβιανοῦ βασιλείαν, ἥτε γὰρ παντόμιμος ὄρχησις ἐν ἐκείνοις εἰσήχθη τοῖς χρόνοις. *Regnante Octauio pantomimica ſaltatio, initium accepit.* Etſi omnis poëſis mimus poteſt non immeritò nominari. Plato 8. de Rep. Οὐκοῦν τιθῶμεν ἀπὸ Ὁμήρου ἀρξαμένους πάντας τοὺς ποιητικοὺς μιμητὰς εἰδώλων ἀρετῆς εἶναι, καὶ τῶν ἄλλων περὶ ὧν ποιοῦσι, τῆς δ' ἀληθείας οὐχ ἅπτεσθαι, &c. *Statuamus igitur omnes poëtas ab Homero ducentes initium, imitatores eſſe ſimulacrorum virtutis, & aliorum de quibus carmina faciunt, veritatem autem ipſam non attingere.* Vnde & in principio Timæi ποιητικὸν γένος, μιμητικὸν ἔθνος, *poëtarum gens mimica & imitatrix* nominatur. Plutarchus de audiendis Poëtis. Μιμητικὴ τέχνη καὶ δύναμις ἐστὶν ἀντίστροφος τῇ ζωγραφίᾳ. *Imitatoria ars & facultas eſt, quæ cum picturâ conuertitur.* Vnde adfert illud vulgatum ζωγραφίαν εἶναι φθεγγομένην τὴν ποίησιν, ποίησιν δὲ σιγῶσαν τὴν ζωγραφίαν. *Poëſim quidem loquentem eſſe picturam, picturam verò tacentem poëſim.* Vide locum & Ariſtotelem de arte Poëticâ. Horatius item in arte.

Vt pictura poëſis erit.

Magis tamen mimi ſiue imitatoriæ nomen conuenit poëſi dramaticæ, quòd tota ex imitatione conflata ſit. Plato 3. de Repub. Τῆς ποιήσεώς τε καὶ μυθολογίας ἡ μὲν διὰ μιμήσεως ὅλη ἐστὶν, ὥσπερ σὺ λέγεις, τραγῳδία τε καὶ κωμῳδία. ἡ δὲ δι' ἀπαγγελίας αὐτοῦ τοῦ ποιητοῦ, εὕροις δ' ἂν αὐτὴν μάλιστά που ἐν διθυράμβοις, ἡ δ' αὖ δι' ἀμφοτέρων, ἔν τε τῇ τῶν ἐπῶν ποιήσει. *Poëſis & mythologiæ ſpecies, alia imitatione tota continetur, vt tu dicis, tragœdia & comœdia, alia ſolâ narratione poëtæ, quod reperire eſt maximè in dithyrambis, alia ex vtroque temperata, vt in Epicâ poëſi.* Meritò autē mimus commune omni poëſi nomen ſibi tanquam proprium vindicauit, quòd in hominum moribus, res vel minimas & abiectiſſimas præ cæteris poëſibus imitetur.

III. Clauſula. CLAVSVLA.] Eleganter ſuo more Seneca epiſt. 77. *Quomodo fabula, ſic vita: non quamdiù, ſed quàm benè acta ſit refert. nihil ad rem pertinet, quo loco deſinas; Quocunque voles deſine: tantùm bonam clauſulam impone.*

IV. SCABELLA CONCREPANT.] Arnobius lib. 6. *Etiam Dij ſertis, coronis afficiuntur & floribus? etiámne æris tinnitibus & quaſſationibus cymbalorum? etiámne tympanis, etiámne ſymphoniis? quid efficiunt ſtrepitus ſcabillorum?* Et libro 2. de his ipſis, ni fallo̊r, mimicis [illegible]nibus loquens. *Cantionibus vt præirent obſcœnis numeroſiter, & ſcabillorum concrepationibus ſonoris.* Tranquillus in Caligulâ. *Saltabat autem nonnunquam etiam noctu: & quondam tres conſulares ſecundâ vigiliâ in palatium accitos, multáque & extrema metuentes ſuper pulpitum collocauit: deinde repentè magno tibiarum & ſcabellorum crepitu, cum pallâ tunicáque talari proſiluit, ac deſaltato cantico abiit.* Auguſtinus lib. 4. de muſicâ. *Quæro ex te vtrùm poſſint copulati ſibi pedes, quos copulari oportet, perpetuum quemdam numerum creare, vbi nullus finis appareat: veluti cùm ſymphoniaci ſcabella vel cymbala pedibus feriantur, certis quidem numeris, & his qui ſibi cum aurium voluptate iunguntur, ſed tamen tenore perpetuo: ita vt ſi tibias non audias, nullo modo ibi notare poſſis, quouſque procurrat connexio pedum, & vnde rurſus ad caput redeatur.* E quibus vides ſcabellorum crepitus ad maiorem ſymphoniam tibiarum ſono fuiſſe permixtos. Claudius Salmaſius in Flauij Vopiſci Carum, Carinum & Numerianum Scabillum ſiue ſcabellum putat fuiſſe *inſtrumentum in modum ſcabelli ex ligno factum, vel ſcabellum potius reuera, hoc eſt* ὑποπόδιον, *quod pede feriebatur cum ligneâ aut ferreâ ſoleâ vt maior ederetur crepitus*, &c. De ligneâ ſoleâ Pollux. Τὰ δὲ κρούπεζα ξύλινον ὑπόδημα εἰς ἐνδόσιμον χοροῦ. *Crupezia dicūtur ligneæ ſoleæ factæ ad chori præludiū.* De ferreâ Lucianus De ſaltatione. Ἑνὸς γὰρ τῶν τῷ σιδηρῷ ὑποδήματι κτυπούντων τὴν ἐσθῆτα κατέρρηξεν. *Vnius eorum qui ferreâ ſoleâ crepitum edunt veſtem diſcidit.* Hinc dicti ποδοψόφοι & ποδοκτύποι. E quibus vides mimos dum ſaltabant, non oculis ſolùm fuiſſe blanditos, ſed etiam ſcabellis concrepantibus numerum quemdam & concentum ad aurium voluptatem ediſſe. Quid ſi dicamus ſcabella organa quædam fuiſſe, quæ inſtar noſtrorum organorum ſpiritu in tubulis recepto, ſaltantium pedibus numeroſè pulſata ſonitum illum emitteret? Interpres vetus Papinij ad illud:

--& ad inſpirata rotari

Buxa.-

Buxa, inquit, tibia vel ſcabillum quòd in ſacris tibicines pede ſonare conſueuerunt. Vide fuſiùs apud Salmaſium, ſed fortaſſe confuſiùs.

V. Aulæum. Siparium. AVLÆVM TOLLITVR.] Solebant enim ſtatim atque mimus ad finem euolutus erat vela deponere. Ammianus Marcellinus lib. 16. *Veriſſimus illico tacuit, quaſi aulæo depoſito ſcenæ.* Apuleius lib. 1. de aſino. *Oro te, inquam, aulæum tragicum dimoueto, & ſiparium ſcenicum complicato; & cedo verbis communibus.* Item libro 10. *Aulæo ſubducto, & complicitis ſipariis ſcena diſponitur.* Horatius lib. 1. ep. 2.

Quatuor aut plures aulæa premuntur in horas,
Dum fugiunt equitū turmæ peditūmq; cateruæ.

quem in locum plura Torrentius. pauca decerpam. *Aulæa ex Attalicis opibus Romam aduecta, quòd vel parietes ornandi, vel etiam pulueris arcendi causâ, per aulas, hoc eſt, diuitum domos, potiſſimùm conſpicerentur, ſic dicta: in ſcenam quoque venere: ideò maximè vt ante exordium fabulæ ſcena iis velaretur: repentè demiſſa ac humi ſtrata cùm prodibant actores: ſublatáque iterum & in altum attracta finita iam actione. Tolli igitur & premi aulæa contraria ſunt. Premuntur cùm iacent inter agendum. tolluntur peracta iam fabulâ. Sic enim ad Piſones.*

Mimus. | Pantomimus. | Omnis poëſis eſt in imitatione. | Scabellum quid.

Si plauſoris eges aulæa manentis, & vſque
Seſſuri donec cantor, iam plaudite, dicat.

3. Georg.

Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.

Ouid. 3. Met.

--creſcitque ſeges clypeata virorum,
Sic vbi tolluntur feſtis aulæa theatris
Surgere ſigna ſolent, primúmque oſtendere vultus,
Cætera paulatim, tacitóque educta tenore
Tota patent, quocunque pedes in margine ponunt.

AXIOMA.

Non agit prudenter qui alium accuſans reuocat in ſe magni facinoris crimen.

ARGVMENTVM.

Multas adfert rationes cur Licinius facilè potuerit deprehendi, petitas tum à Licinij, tum ab teſtium perſonâ. deinde poſtquàm argumentis argumenta diluit, ad teſtium refutationem delabitur.

QVÆRO enim, cur Licinium titubantem, hæſitantem, cedentem, fugere conantem, muliebris manus iſta de manibus emiſerit? cur
LXVI. non comprehenderint? cur non ipſius confeſſionem multorum oculis, facinoris denique, voce, tanti ſceleris crimen expreſſerint? an timebant, ne tot vnum, valentes imbecillum, alacres perterritum ſuperare non poſſent? Nullum argumentum in re, nulla ſuſpicio in cauſſa, nullus exitus criminis reperietur. Itaque hæc cauſſa ab argumentis, à coniectura, ab iis ſignis, quibus veritas illuſtrari ſolet, ad teſtes tota traducta eſt. Quos quidem ego teſtes, Iudices, non modò ſine vllo timore, ſed etiam cum aliqua ſpe delectationis exſpecto.

EXPLANATIO.

QVÆRO ENIM CVR LICINIVM.] Coniecturam ducit à facultate, in hanc ſententiam.

Vnus adoleſcens à multis, infirmus à valentibus, hæſitans, titubans, & inexpectatæ rei nouitate perterritus ab iis qui omnia præuiderãt, & ad hoc ipſum in inſidiis collocati fuerant, potuit cõprehendi.

Sed vnus erat Licinius, infirmus, perterritus, teſtes multi, valentes, &c.

Ergo facilè potuit ab iis comprehendi.

CVR NON IPSIVS CONFESSIONEM.] Duo maximè in coniecturâ ſpectanda ſunt, facultas & voluntas. de facultate iam dictum eſt. nunc oſtendit, ſi Licinius venenum tradere voluit, ne voluntatem quidem ad eum comprehendendum teſtibus defuiſſe. argumento ducto à causâ finali.

Nihil aliud ſpectabant quàm vt manifeſtè confeſſionem tanti facinoris extorquerent.

Sed manifeſtiùs extorquere non potuerunt, quàm ſi Licinium comprehenderent, antequam pyxidem tradidiſſet.

Ergo non defuit iis voluntas Licinij comprehendendi antequam venenum tradidiſſet.

FACINORIS DENIQVE VOCE.] Non extorſerint à Licinio confeſſionem criminis adeò manifeſti, vt vel eo tacente res ipſa loqueretur.

NVLLVM ARGVMENTVM IN RE.] Breuis concluſio ſuperioris orationis, qua ſe ad tranſitionem comparat.

ITAQVE HÆC CAVSA.] Strictim & breuiter eleuat teſtium fidem in genere, antequam ſequenti §. iſtos Clodiæ teſtes nominatim & peculiariter exagitet.

NOTÆ.

1. FACINORIS DENIQVE VOCE.] Solent oratores cùm rem aliquam claram eſſe demonſtrant, dicere hanc ipſius rei eſſe vocem. Supra 55. *Hæc eſt innocentiæ defenſio: hæc ipſius cauſæ oratio, hæc vna vox veritatis.* Demoſthenes Olynthiacâ primâ. ὁ μὲν οὖν παρὼν καιρὸς, ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μονονουχὶ λέγει φωνὴν ἀφιεὶς, ὅτι τῶν πραγμάτων ὑμῖν ἐκείνων αὐτοῖς ἀντιληπτέον ἐστί. *Præſens occaſio, Athenienſes, tantùm non dicit, vocem eliciens, res eas vobis ipſis eſſe ſuſcipiendas.* Apuleius apologiâ 2. ſuo more luxurians. *Oro te, Maxime, ſi litteræ, ita vt, partim vocales dicuntur, etiam propriam vocem vſurparent, ſi verba, ita vt Poëtæ aiunt, pinnis apta volarent, nónne cùm primùm epiſtolam iſtam Rufinus malâ fide excerperet, pauca legeret, multa & meliora ſciens reticeret, nónne tum cæteræ litteræ ſceleſtè ſe detineri proclamaſſent? verba ſuppreſſa de Rufini manibus foras euolaſſent? totum forum tumultu compleſſent?* &c. Mox: *Patent artes tuæ, Ruffine, fraudes hiant, detectum mendacium eſt, veritas olim interuerſa, nunc ſe effert, & velut alto barathro calumnias emergit.* Euripides in Hippolyto coronato.

Ἱππ. Ὦ δώματ᾽ εἴθε φθέγμα γηρύσαισθέ μοι
Καὶ μαρτυρήσαιτ᾽ εἰ κακὸς πέφυκ᾽ ἀνήρ.
O tecta ſi nunc verba laxetis mihi
Teſteminique ſimne vir nefarius.

Reſpondet Theſeus.

Εἰς τοὺς ἀφώνους μάρτυρας φεύγεις; σαφῶς
Τὸ δ᾽ ἔργον, οὐ λόγος σε, μηνύσει κακόν.
Teſtare mutos. luce ſolis clariùs
Res ipſa te, non ſermo teſtatur malum.

Eodem penè flexu alibi.

Φεῦ, φεῦ τὸ μὴ τὰ πράγματ᾽ ἀνθρώποις ἔχειν
Φωνὴν ἵν᾽ ἦσαν μηδὲν οἱ δεινοὶ λέγειν.
Res ipſa quare non habet vocem ſuam,
Fucare nil vt poßit eloquentia.

VALENTES.] Vide ſect. ſequentem. II.

SIGNIS.] De argumentis & ſignis eorúmque diſtinctione vide ſupra 22. III.

AXIOMATA.

Accuſator, quantum aſſequi poteſt efficere, debet vt criminis confeſſio multorum oculis & facinoris voce exprimatur.

Argumentis & ſignis veritas illuſtrari ſolet.

ARGVMENTVM.

Teſtes, quamuis nondum fuerint nominati, à Clodiæ familiaritate primùm irridet, deinde ea ſe ab illis rogaturum minatur, quibus illi reſpondere non poſsint, variáſque ſubiungit rationes quibus eos à teſtimonio dicendo deterreat.

PRÆGESTIT animus iam videre, primùm lautos iuuenes, mulieris beatæ ac nobilis familiares, deinde fortes viros ab Imperatrice in inſidiis, atque in præſidio balnearum locatos. ex quibus requiram, quonam modo latuerint, aut vbi: alueúſne ille, an equus Troianus fuerit, qui tot inuictos viros muliebre bellum gerentes tulerit, ac texerit. Illud verò reſpondere cogam, cur tot viri, ac tales hunc, & vnum, & tam imbecillum, quàm videtis, non aut ſtantem comprehenderint, aut fugientem conſecuti ſint. qui ſe nunquam profectò, ſi iſtum in locum proceſſerint, explicabunt. quàm volent in conuiuiis faceti, dicaces, nonnunquam etiam ad vinum diſerti ſint: alia fori vis eſt, alia triclinij: alia ſubſelliorum ratio, alia lectorum: non idem iudicum, comiſſatorúmque conſpectus: lux denique longè alia eſt ſolis, & lychnorum. Quamobrem excutiemus omnes iſtorum delicias, omnes ineptias, ſi prodierint: ſed ſi me audiant, nauent aliam operam, aliam ineant gratiam, in aliis ſe rebus oſtentent: vigeant apud iſtam mulierem venuſtate, dominentur ſumptibus, hæreant, iaceant, deſeruiant: capiti verò innocentis, & fortunis parcant. LXVII.

EXPLANATIO.

PRÆGESTIT ANIMVS VIDERE.] Iam longè ante præſentit & præcipit animus voluptatem, expectans eiuſmodi teſtes è Clodiæ comitatu prodeuntes, primùm pingues & nitidos bene curatâ cute, quippe qui menſis Clodiæ mulieris opulentæ iuxta & luxurioſæ, comeſſationibus & conuiuiis ſint aſſueti, deinde fortes viros, quippe quos Clodia imperatrix tanquam milites in balnearum præſidio ad comprehendendum Licinium collocarit.

MVLIERIS BEATÆ.] Clodiæ diuitis & opulentæ.

ALVEVS NE ILLE.] Fuerítne labrum balneorum, in quo tam commodè ſe ad inſidias abſconderent.

AN EQVVS TROIANVS FVERIT.] An quemadmodum Principes Græciæ in equum Troianum ſe abdiderunt, vt ſic in vrbem inducerentur occultè, ita hi teſtes in aliquam latebram ſe abſtruſerint ad comprehendendum Licinium.

MVLIEBRE BELLVM GERENTES.] Quemadmodum Græci muliebre bellum gerentes pro Helena pugnabant.

TVLERIT AC TEXERIT.] In balneas introduxerit, atque ab hominum conſpectu abſconderit.

QVI SE NVNQVAM PROFECTO.] Qui ſi ad reſpondendum huic interrogationi adigentur, nunquam profectò hanc reſponſionem poterunt expedire.

QVAM VOLENT IN CONVIVIIS FACETI.] Per antitheſim fori & conuiuiorum, quibus illi aſſueuerant, teſtes illos à dicendo teſtimonio deterret.

LVX DENIQVE.] Alij legunt, *lux denique longe alia eſt ſolis, alia lychnorum. ſolis*, in cuius conſpectu iudicia exercentur. *lychnorum*, qui cõuiuiis adhibentur, & menſis per noctem illuſtrandis inſeruiunt.

QVAMOBREM EXCVTIEMVS.] Sic eos exagitabimus, vt has lautitiarum delitias & affectationem deponere cogantur.

SED SI ME.] Sed, ſi mihi credunt, aliis in rebus ſtudeant ſibi Clodiam demereri, & thraſonico faſtu, omnia ſe alia ipſius cauſâ facturos eſſe glorientur.

VIGEANT APVD ISTAM.] Sint apud iſtam gratioſi propter ſuam elegantiam & formæ venuſtatem.

DOMINENTVR SVMPTIBVS.] Sic ſumptibus, impenſis & muneribus eiuſdem gratiam aucupentur, vt primum in eius amatoribus locum obtineant, ceteríſque dominentur.

HÆREANT, IACEANT.] Alij bene legunt, *adiaceant*. ita Lambinus, id eſt eam ſemper & vbique comitentur, ab eius latere non diſcedant.

CAPITI VERO.] Ne Marcum Cœlium innocentem ſuis calumniis in dimicationem capitis fortunarúmque omnium vocent.

NOTÆ.

PRÆGESTIT ANIMVS.] Præcipit voluptatem, iam ante ſolâ cogitationis & expectationis delectatione perfunditur. ita Catullus in nuptiis Pelei & Thetidos. I. Prægeſtire,

Nunc iam nulla viro iuranti fœmina credat,
Nulla viri ſperet ſermones eſſe fideles.
Qui, dum aliquid cupiens animus prægeſtit apiſci,

Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt.
Sed ſimul ac cupidæ mentis ſatiata libido eſt,
Dicta nihil metuere, nihil periuria curant.
vide pro Marcello.

II. Lavtos ivvenes.] Et lautos & iuuenes appellat, vt parum pudicæ & honeſtæ mulieris deſcribat comitatum. iam ſupra nonnulla dicta ſunt ad 49. §. Diuus Hieronymus ad Saluinam de ſeruanda viduitate: *Scio multas clauſis ad publicum foribus, non caruiſſe infamiâ ſeruulorum, quos ſuſpectos faciebat aut cultus immoderatus, aut craſsi corporis nitor, aut ætas apta libidini.* Et ad Furiam: *Nec procurator calamiſtratus, nec formoſus collactaneus, nec candidulus & rubicundus aſſecla adhæreat lateri tuo. interdum animus dominarum ex ancillarum habitu indicatur.* Et iterum ad Saluinam: *Non ambulet iuxta te calamiſtratus procurator, non hiſtrio fractus in fœminam, non cantoris diabolici venenata dulcedo, non iuuenis cultus & nitidus,* &c.

Matronarum animus ex comitum habitu iudicatur.

III. Mvlieris beatæ.] Notum eſt à Græcis ὀλβίοις & εὐδαίμονας diuites, à Latinis *beatos* nominari, ſed quàm malè Plato demonſtrat. εὐδαίμονας ἅμα καὶ ἀγαθοὺς ἀνάγκη γίγνεσθαι, τοῦτο μὲν οὖν βούλοιτο ἄν. πλουσίους δ' αὖ σφόδρα καὶ ἀγαθοὺς ἀδύνατον, οὕς γε δὴ πλουσίους οἱ πολλοὶ καταλέγοισι. λέγοισι δὲ τοὺς κεκτημένους ἐν ὀλίγοις τῶν ἀνθρώπων, πλείστου νομίσματος ἄξια κτήματα, ἃ καὶ κακός τις κέκτητ' ἄν. εἰ δ' ἔστι τοῦτο οὕτως ἔχον, οὐκ ἄν ἔγωγε αὐτοῖς ποτε συγχωροίην τὸν πλούσιον εὐδαίμονα τῇ ἀληθείᾳ γίγνεσθαι, μὴ καὶ ἀγαθὸν ὄντα. ἀγαθὸν δ' ὄντα, καὶ πλούσιον εἶναι διαφερόντως ἀδύνατον. *Felices ergo & probos eſſe, quæ ſimul neceſſariò fermè fieri ſolent, volet quidem. Diuites autem valdè ſimúlque probos eſſe impoßibile. Dico autem diuites, vt multi exiſtimant, aſſerentes eos eſſe diuites, qui pauci è multis pecunias plurimas poßident, quas etiam poſſet malus quilibet poßidere. Quod ſi ita eſt, nunquam ego his concedam diuitem reuera eſſe felicem, niſi etiam bonus ſit. fieri verò non poteſt vt diuitiis aliquis præſtet, & probitate.* Sic ille 5. de legibus & alibi. Plutarchus περὶ φιλοπλουτίας ſanè eleganter. Ἱππόμαχος ὁ ἀλείπτης, ἐπαινούντων τινῶν ἄνθρωπον ὑψηλὸν καὶ μακρὰς ἔχοντα χεῖρας, ὡς πυκτικόν, εἶπεν, ἔφη, καθελεῖν ἔδει τὸν στέφανον κρεμάμενον. τοῦτο ἔστιν εἰπεῖν περὶ τοὺς (φιλοπλούτους) εἴ γ' ἔδει πωλουμένην πρίασθαι τὴν εὐδαιμονίαν. *Hippomachus aliptes quibuſdam neſcio quem à corporis proceritate, & manuum longitudine, quaſi pugilatui aptum laudantibus. Ita, inquit, ſi coronam altè appenſam detrahere oporteret, hoc de diuitibus dici poteſt, ſi venderetur felicitas.* Ita Ariſtoteles, ita boni quique philoſophi de diuitiis cenſuerunt, ſed vulgi delirantis opinio longè extra lineam hanc exorbitat, vnde factum eſt vt diuites beati nominentur. Iuuenalis ſat. 1.

Beati an diuites.

Signator falſo qui ſe lautum atque beatum
Exiguis tabulis & gemmâ fecerat vdâ.

Horatius 1. carm.

Icci beatis nunc Arabum inuides
Gazis.--

Iuuenalis: *--vetulæ veſica beatæ.*

Catullus: *Otium & Reges ſimul & beatas*
Perdidit vrbes.

Ex Græcis Alphæus Mitylenæus pulcherrimè primo Anthologiæ.

Οὐ στέργω βαθυληΐους ἀρούρας,
Οὐκ ὄλβον πολύχρυσον, οἷα Γύγης,
Αὐτάρκους ἔραμαι βίου, Μακρῖνε,
Τὸ μηδὲν γὰρ ἄγαν, ἄγαν με τέρπει.
Non agros cupio, aureámque, Gygis
Inſtar, non cupio beatitatem,
Sed qui ſufficiat, Macrine, victum:
Illud nil nimium nimis ſuaue eſt.

Homerus Iliados λ.

Οἱ δ' ὥστ' ἀμητῆρες ἐναντίοι ἀλλήλοισιν
Ὄγμον ἐλαύνωσιν ἀνδρὸς μάκαρος κατ' ἄρουραν
Πυρῶν ἢ κριθῶν.
Aſt hi vt meſſores verſo in contraria vultu,
Hordea triticeámque metunt qui ex ordine frugem
Aruis in locupletis heri.

IV. Ab Imperatrice in insidiis et præsidio.] Allegoria eſt à bello ironicè deducta. porrò aliquid de inſidiarum & præſidij nomine dicendum eſt in Miloniana 14.

V. Alvevs ne.] Vitruuius libro 5. cap. 1. balneum deſcribens. *Quanta longitudo fuerit, tertiâ demptâ, latitudo ſit, præter ſcholam labri & aluei, labrum vtique ſub lumine faciendum videtur, ne ſtantes circum ſuis vmbris obſcurent locum. Scholas autem laborum ita fieri oportet ſpacioſas, vt cùm priores occupauerint loca, circumſpectantes reliqui rectè ſtare poßint.* in quem locum Daniel Barbarus: *labrum ſeu alueus lapidea vel ſtructilis foſſa erat balnearum. Schola autem labri vel aluei erat tanquam margo labri, vbi lauaturi præſtolabantur, & ſpectantes eos qui priùs locum occupauerant, ſtabant. Vult igitur labrum ſub lumine, ne ſtantes circum ſuis vmbris obſcurent lucem.* Hæc ille: è quibus facilè inſidiantium illorum latebras intelliges.

VI. Mvliebre bellvm gerentes.] Notum eſt ad Græcos alludi, qui propter Helenæ raptum Troianis bellum intulerunt. vnde & 3. Iliados pugnas ſui causâ pugnatas acu Phrygiâ pingens deſcribitur. non omiſerim tamen quod permulti de Helenâ fabulantur, vt eam ab impudicitiâ excuſent. Ipſa apud Euripidem in prologo Helenæ ita loquens inducitur. Helena.

Ἥρα τε μεμφθεῖσ' οὕνεκ' οὐ νικᾷ θεάς
Ἐξηνέμωσε τἄμ' Ἀλεξάνδρῳ λέχη.
Δίδωσι δ' οὐκ ἐμ' ἀλλ' ὁμοιώσασ' ἐμοὶ
Εἴδωλον ἔμπνουν, &c.
Viciſſe ſe non cæteras Iuno dolens
Meo cubili irata fruſtrata eſt Parim
Dedítque non me, fecit idolum mihi
Simile atque ſpirans.

Quod ipſum tum Herodotus lib. 2. tum præ cæteris Steſichorus memoriæ prodiderunt. & ex eo Plato nono de Republicâ, quem locum, licet totus ad rem noſtram non adeò pertineat, tamen propter miram & verborum, & ſententiæ elegantiam integrum adferre non grauabor. Οἱ ἄρα φρονήσεως καὶ ἀρετῆς ἄπειροι, εὐωχίαις τε καὶ τοῖς τοιούτοις ἀεὶ ξυνόντες, &c. οὐδὲ τοῦ ὄντος τῷ ὄντι ἐπληρώθησαν, οὐδὲ βεβαίου τε καὶ καθαρᾶς ἡδονῆς ἐγεύσαντο, ἀλλὰ βοσκημάτων δίκην κάτω ἀεὶ βλέποντες, καὶ κεκυφότες εἰς γῆν καὶ εἰς τραπέζας, βόσκονται χορταζόμενοι καὶ ὀχεύοντες, καὶ ἕνεκα τῆς τούτων πλεονεξίας λακτίζοντες καὶ κυρίττοντες ἀλλήλους σιδηροῖς κέρασί τε καὶ ὁπλαῖς, ἀποκτιννύασι δι' ἀπληστίαν, &c. Ἆρ' οὖν οὐκ ἀνάγκη καὶ ἡδοναῖς ξυνεῖναι μεμιγμέναις λύπαις, εἰδώλοις τῆς ἀληθοῦς ἡδονῆς, καὶ ἐσκιογραφημέναις, ὑπὸ τῆς παρ' ἀλλήλας θέσεως ἀποχραινομέναις; ὥστε σφοδροὺς ἑκατέρας φαίνεσθαι καὶ ἔρωτας ἑαυτῶν λυττῶντας τοῖς ἄφροσιν ἐντίκτειν, καὶ περιμαχήτους εἶναι, ὥσπερ τὸ τῆς Ἑλένης εἴδωλον ὑπὸ τῶν ἐν Τροίᾳ Στησίχορός φησι γενέσθαι περιμάχητον Voluptas.

ἀγνοίᾳ τῆς ἀληθοῦς. *Homines igitur prudentiæ virtutíſque expertes, & epulis rebúſque ſimilibus dediti,&c. neque verâ vllâ re quandoque fruuntur, neque ſtabilem purámque guſtant voluptatem : ſed veluti pecora humum proni ſpectant, ventríque obedientes paſcendo coeundóque ætatem conterunt, próque his rebus vberiùs potiundis calcibus inter ſe & cornibus ferreis vnguibúſque decertant, ſeſe inuicem ob inexplebilem libidinem trucidantes*, &c. *Hos neceſſe eſt voluptates doloribus mixtas proſequi, quæ ſimulacra voluptatis veræ & vmbræ ſunt, vſque adeo inuicem doloris comparatione mutuâ inquinatæ, vt & voluptates & dolores ex ea comparatione vehementiores appareant, amoréſque ipſarum huiuſmodi voluptates rabidos inſipientibus parcant, inflamméntque ad pugnam. Quemadmodum Steſichorus Troianos inquit veræ ignaros Helenæ de ipſius imagine inuicem decertaſſe.* Porro principium palinodiæ Steſichori ſic ab eodem Platone refertur in Phædro: Οὐκ ἔστι ἔτυμος ὁ λόγος οὗτος. οὐδ' ἔβας ἐν νηυσὶν εὐσέλμοις οὐδ' ἵκεο Πέργαμα Τροίας. *Non iſte ſermo verus. Nec Ilium petiſti volantibus carinis, bene facta tranſtra ſcandens.* Porro de bellis muliebribus Iliaco, Sacro, Ægyptio propter mulieres illatis. Athenæus libro 13, non ita poſt initium eſt conſulendus.

Bella propter mulieres excitata.

VII. VALENTES, &c. FVGIENTEM CONSECVTI.] Vis & corporis robur cum velocitate, vt debilitas cum tarditate coniungitur. Lucretius lib. de natura rerum:

> *- Quid enim contendat hirundo*
> *Cygnis, aut quidnã tremulis facere artubus hœdi*
> *Conſimile in curſu poßint vt fortis equi vis?*

Virgilius ſæpe fortem equum pro veloce vſurpat. Hinc illud Ennianum apud Ciceronem de ſenectute:

> *Sicut fortis equus ſpatio qui forte ſupremo*
> *Vicit olympia, nunc ſenio confectus quieſcit.*

Valens. Hinc etiam factum eſt, vt Plinius lib. 7. cap. 20. Solinus Polyhiſtor corporis firmitatem cum pedum velocitate coniunxerint, in quo proinde non eſt immorandum, nam Ariſtoteles diſertè pedum velocitatem, inter fortitudinis viriúmque partes numerauit. 1. Rhet. cap. 5. Καὶ γὰρ ὁ ταχὺς ἰσχυρός ἐστιν. *Nam & velox robuſtus eſt.* Et Achilles Homericus vt Græcorum fortiſſimus ita πόδας ὠκὺς deſcribitur. Nec minùs frequenter reſpicias pedum tarditatem cum virium debilitate coniungi. Seneca epiſt. 85. *Quid ſi miretur velocitatem ſuam Ladas ad claudos debiléſque reſpiciens?* quo referri poſſit & illud Tertulliani de Pallio: *Chamæleon pellicula viuit, capitulum ſtatim à dorſo : nam deficit ceruix. itaque durum reflecti, ſed circumſpectu emißitij ocelli, immò luminis puncta vertiginant, hebes, feſſus, vix à terrâ ſuſpendit: molitur inceſſam ſtupens, & promouet, gradum magis demonſtrat quàm explicat, ieiunus ſcilicet ſemper & inde feſſus. oſcitans veſcitur, follicans ruminat, de vento cibus, tamen & Camæleon mutare totus, nec aliud valet. nam cùm illi coloris proprietas vna ſit, vt quid acceßit, inde ſuffunditur: hoc ſoli chamæleonti datum, quod vulgo dictum eſt, de corio ſuo ludere.* Hæc ille : quæ quamuis fuſiùs prolata videri poſſint, tamen & fatigationem debilitatémque cum tarditate coniungi demonſtrant, & verbum *valere* ad inceſſum referri. vt Cicero *valentes*, dixit & Virgilius 5. Æneidos:

> *Quique pedum curſu valet, & qui viribus audax.*

Hinc eſt fortaſſe quod in Circo, vbi equorum celeritate certabatur, aræ *Diis valentibus* ſunt conſecratæ. Tertullianus cap. 5. de ſpectaculis: *Oua honori Caſtorum adſcribunt, qui illos ouo editos credendo, de cygno Ioue non erubeſcunt. Delphinos Neptuno vouent, columnas Seßias à ſementationibus, meßis à meßibus, tutulinas à tutelis fructuum ſuſtinent. ante has tres aræ tribus Diis parent, Magnis, Potentibus, Valentibus. eoſdem Samothracas exiſtimant.* Sed in re tam clarâ ne diutius hæreamus.

VIII. Faceti, dicaces.

FACETI, DICACES.] Per facetias, opinor, eutrapeliam intelligit, quæ ſic ab Ariſtotele deſcribitur lib. 4. cap. 8. Ethicorum: Οἱ τῷ γελοίῳ ὑπερβάλλοντες βωμολόχοι δοκοῦσιν εἶναι καὶ φορτικοὶ γλιχόμενοι πάντως τοῦ γελοίου, καὶ μᾶλλον στοχαζόμενοι τοῦ γέλωτα ποιῆσαι, ἢ τοῦ λέγειν εὐσχήμονα, καὶ μὴ λυπεῖν τὸν σκωπτόμενον. οἱ δ' ἐμμελῶς παίζοντες εὐτράπελοι προσαγορεύονται, οἷον εὔτροποι. τοῦ γὰρ ἤθους αἱ τοιαῦται δοκοῦσι κινήσεις εἶναι. ὥσπερ δὲ τὰ σώματα τῶν κινήσεων κρίνεται, οὕτω καὶ τὰ ἤθη, &c. τοῦ δ' ἐπιδεξίου ἐστὶ τοιαῦτα λέγειν καὶ ἀκούειν οἷα τῷ ἐπιεικεῖ καὶ ἐλευθερίῳ ἁρμόττει. *Qui ridiculè excedunt ſcurræ videntur eſſe, & oneroſi, ridiculum vbíque expetentes, magíſque riſum captantes quàm decorum loquantur, aut ne quos dicteriis proſcindunt, offendant. qui verò ſcitè iocantur, eutrapeli, quaſi benè ſe vertentes nominantur. morum enim huiuſmodi videntur eſſe motiones, & mores perinde vt corpora ſuis motionibus diiudicantur, hominis verò dexteri eſt ea dicere quæ viro bono & ingenuo conueniunt.* ſic apud Xenophontem: Ἀστεῖοι καὶ εὐχάριτες dicuntur 2. Cyrop. Οἱ μηχανώμενοι γέλωτα τοῖς συνοῦσι μήτε ἐπὶ τῷ ἑαυτῶν κέρδει, μήτ' ἐπὶ ζημίᾳ τῶν ἀκουόντων, μήτ' ἐπὶ βλάβῃ μηδεμιᾷ. *Qui riſum iis, quibuſcum verſantur, procurant: neque proprij emolumenti gratia, neque ad alterius detrimentum, aut vllum omnino nocumentum.* Plautus Truculento ſcen.

Miram.

> Stra. *Heus tu, iam poſtquam in vrbem crebrò commeo*
> *Dicax ſum factus, iam ſum cauillator probus.*
> Aſtaph. *Quid id eſt amabo? iſthæcce ridicularia*
> *Cauillationes vis fortaſſe dicere?*

Cœlius Noſter apud Fabium lib. 6. cap. 4. *Quomodo tranſierit, vtrum rate, an piſcatorio nauigio nemo ſciebat. Siculi quidem vtvt ſunt laſciui & dicaces, aiebant in delphino ſediſſe, & ſic tanquam Ariona tranſuectum.*

IX. Mercurius cur Libero aſſideat.

AD VINVM DISERTI.] Heliodorus Æthiopicorum lib. 5. Καί μοι δοκεῖς καὶ τοῦ δαιμονίου κάλλιστα συνιέναι τὸν Ἑρμῆν τῷ Διονύσῳ συγκαθιδρύων, καὶ λόγων ἥδυσμα τῷ πότῳ συναναχέων, ὡς ἐγώ σου καὶ τὴν ἄλλην μὲν τῆς οὐσίας πολυτέλειαν ἔχω θαυμάσας. οὐκ ἔστι δ' ὅπως μᾶλλον ἄν τις τὸν Ἑρμῆν ἱλάσαιτο, ἢ τὸ οἰκειότατον ἐκείνῳ λόγους εἰς εὐωχίαν ἐρανιζόμενος. *Et mihi videris res diuinas apprimè callere, qui Mercurium Libero coniunxeris, & potui ſermonum condimentum affuderis : Sic ego cùm opum tuarum magnificentiam fuerim admiratus, nihil tamen eſt quo quis Mercurium magis propitiet, quàm ſi ſermones, quod ei maximè proprium eſt, ad epulas quaſi ſymbolum conferat.* Plautus Ciſtellariâ actu 1. ſc. 2. ad hanc in vino facundiam alluſit:

> *- Quiáque adeo me compleui flore Liberi*
> *Magis liberâ vti linguâ conlibutum eſt mihi.*

Notum eſt illud:

Fœcundi calices quem non fecere diſertum?

Licet Heſiodus apud Athenæum libro 10. titulo κωθακίζειν diſſentiat:

Οἷα Διώνυσος δῶκ' ἀνδράσι χάρμα καὶ ἄχθος,
Ὅστις ἄδην πίνει, οἶνος δέ οἱ ἔπλετο μάργος.
Σὺν δὲ πόδας χεῖράς τε δέει, γλῶσσάν τε νόον τε
Δεσμοῖς ἀφράστοισι. φιλεῖ δέ ἑ μαλθακὸς ὕπνος.

Vinum linguæ vinculum. *Lætitiámque, odiúmque viris dedit cuius & qui*
Multa bibit, pleno qui vinum ingurgitat ore.
Huic linguam mentémque ligat, palmáſque pedéſque
Nexibus occultis: ſopor hunc leuiſſimus ambit.

Tamen & experientiâ conſtat & ſcriptorum auctoritate, homines ad vinum vel garrulos fieri, vel diſertos difficillimúmque eſſe linguam in epulis continere. cuius rei Plutarchus bonam reddit rationem: Οἰνώσεως μὲν ἄνεσις, μέθης δὲ φλυαρία. τὸ γὰρ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ νήφοντος, ἐπὶ τῆς γλώττης ἐστὶ τοῦ μεθύοντος. *Vinoſitatis quidem relaxatio, ebrietatis verò garrulitas. nam quod eſt in corde ſobrij, id eſt in linguâ ebrij.* Sic ille in libro περὶ ἀδολεσχίας. Subiicit exemplum: Ὅθεν ὁ μὲν Βίας ἔν τινι πότῳ σιωπῶν, καὶ σκωπτόμενος εἰς ἀβελτερίαν ὑπό τινος ἀδολέσχου, Καὶ τίς ἄν, ἔφη, δύναιτο μωρὸς ὢν ἐν οἴνῳ σιωπᾶν. *Vnde Bias alicubi tacens, cùm à quodam garrulo tanquam inſania rideretur. Quis, inquit, ſi fatuus eſſet, in vino tacere poſſet.* Vnde & notum eſt illud de Zenone, qui, vt ait tum Plutarchus ibidem, tum Laërtius cum præſente Regis Ptolemæi legato: Ἐν συμποσίῳ κατακείμενος σιγῇ τὴν αἰτίαν ἠρωτήθη, ἔφη οὖν τῷ ἐγκαλέσαντι ἀπαγγεῖλαι πρὸς τὸν βασιλέα, ὅτι παρῆν τις σιωπᾶν ἐπιστάμενος. *Cùm in conuiuio ſede tacens accumberet, cauſam cur id faceret rogatus. Regi, inquit, renuncia quendam qui tacere ſciret adfuiſſe.* Ideóque fortaſſe eloquentiæ præſidi Mercurio linguas expleto conuiuio offerebant. Homerus 3. Odyſſeæ ver. 332. Mineruam ita loquentem inducit:

Quod eſt in corde ſobrij, id eſt, in linguâ ebrij.

Ἀλλ' ἄγε τάμνετε μὲν γλώσσας, κεράασθε δὲ οἶνον.
Immiſcete merum pateris, & ſcindite linguas.

Vt ſcilicet linguas in Mercurij honorem incenderent. ibidem ver. 341.

Mercurio linguas ſacrificabant. Γλώσσας δ' ἐν πυρὶ βάλλον, ἀνιστάμενοι δ' ἐπέλειβον.
Libarúntque merum, linguáſque dedere fauillis.

In honorem, inquam, Mercurij. nam Vlyſſes 7. Odyſſeæ ver. 136.

Εὗρε δὲ Φαιήκων ἡγήτορας, ἠδὲ μέδοντας
Σπένδοντας δεπάεσσιν ἐϋσκόπῳ ἀργειφόντῃ
Ὧ πυμάτῳ σπένδεσκον ὅτε μνησαίατο κοίτου.
Phæacum inuenit proceres, cùm pocula læti
Libarent Athlantiadæ, cui vina capaci
Vltima fundebant paterâ, cùm blanda vocaret
In lectum requies.

Qua de re Athenæus lib. 1. Ἔσπενδον δ' ἀπὸ τῶν δείπνων ἀναλύοντες, καὶ τὰς σπονδὰς ἐποιοῦντο τῷ Ἑρμῇ, καὶ οὐχ ὡς ὕστερον, Διὶ τελείῳ. δοκεῖ γὰρ Ἑρμῆς ὕπνου προστάτης εἶναι. σπένδουσι δ' αὐτῷ καὶ ἐπὶ ταῖς γλώσσαις ἐκ τῶν δείπνων ἀπιόντες. προσνέμονται δ' αὐτῷ αἱ γλῶσσαι διὰ τὴν ἑρμηνείαν. *Libabant è cœnis exeuntes, & libationes Mercurio faciebant, & non vt poſteà, Ioui vltimo. videtur enim ſomni præſes eſſe Mercurius. libant verò ipſi etiam in linguas è cœnis abeuntes. linguæ verò ipſi propter eloquentiam tribuuntur.* Hæc Athenæus. Meritò Mercurio linguas incendebant, poſtquam ad vinum diſerti euaſiſſent, non ij quidem qui ſe vino penitùs immerſerant, de quibus Heſiodus, ſed qui eo moderatè ſumpto languentem ſuam facundiam excitarant: ideóque fortaſſe ſolas Mercurij libationes aquâ temperabant, vt iis qui ad vinum diſerti eſſe vellent, vinum moderatè ſumendum oſtenderent. interpres Ariſtophanis in Pluto: Τοῖς ἄλλοις θεοῖς δίδοται ἄκρατος σπονδή, τῷ δ' Ἑρμῇ κεκραμμένη. *Aliis Diis merum libatur, Mercurio dilutum.* Xenophon in ſympoſio inter alia longè pulcherrima: Εἰ μὲν ἀθρόον τὸ ποτὸν ἐγχεώμεθα, ταχὺ ἡμῶν καὶ τὰ σώματα, καὶ αἱ γνῶμαι σφαλοῦνται, καὶ οὐδ' ἀναπνεῖν, μὴ ὅτι λέγειν τι, δυνησόμεθα, ἢν δ' ἡμῖν οἱ παῖδες μικραῖς κύλιξι πυκνὰ ἐπιψεκάζωσιν, &c. *Si quidem vinum vno hauſtu totum ſimul infuderimus, celeriter nobis & corpora & mentes titubabant, neque reſpirare poterimus, tantum abeſt vt loqui valeamus. Sin autem nobis miniſtri paruis cyathis frequenter infuderint, &c.* vide locum. Et ſanè, vt ait Ariſtoteles in probl. §. 30. Οἶνος παραλαβὼν ἀπεψυγμένους ἐν τῷ νήφειν καὶ σιωπηλούς μικρῷ μὲν πλείων ποθεὶς, λαλιστέρους ποιεῖ, ἔτι δὲ πλείων, ῥητορικοὺς καὶ θαρραλέους. προϊόντας δὲ πρὸς τὸ πράττειν ἰταμούς· ὅτι δὲ μᾶλλον πινόμενος, ὑβριστάς· ἔπειτα μανικούς. λίαν δὲ πολὺς ἐκλύει καὶ ποιεῖ μωρούς. *Vbi vinum hominem frigentem, taciturnúmque à ſobrietate accepit, paulò liberaliori poculo refouet, excitátque in verba: tum largiori potu verborum vberem, eloquentem, fidentémque reddit: poſt hæc proceſſu potandi ampliori audacem propenſúmque facit ad agendum: deinde pleniùs amplificato in contumeliam & petulantiam accendit, mox ad inſaniam accendit: poſtremo nimio ex potu reſoluit, ſtultúmque reddit.* Vide Dionem Chryſoſtomum oratione 27. Plutarchus capite primo lib. primi conuiualium quæſtionum: Εἰ δὲ πάντων μὲν ὁ Διονύσιος Λύσιός ἐστι, καὶ Λύδιος, μάλιστα δὲ τῆς γλώττης ἀφαιρεῖ τὰ χαλινὰ, καὶ πλείστην ἐλευθερίαν τῇ φωνῇ δίδωσιν, &c. *Si verò omnium liber Lyſius eſt, & Lydius maximè linguæ frena tollit, multámque voci libertatem impertit.* Lyſius quaſi ſolutorius, vnde & Lyæus. huc alluſit Ennius Alceſtide apud Fulgentiam Placiadem:

Liber Lyſius & Lydius.

Hæc anus admodum friguttit: nimirum ſauciauit ſe flore Liberi.

Varro citatus à Gellio ex Satyris Menippeis: *Nec loquaces autem conuiuas, nec mutos legere oportet, quia eloquentia in foro & apud ſubſellia: ſilentium verò non in conuiuio, ſed in cubiculo eſſe debet.* De his ad vinum diſertis ſermonibus Cato Maior apud Tullium de Senectute: *Me verò & magiſteria delectant à maioribus inſtituta, & is ſermo qui more maiorum à ſummo adhibetur magiſtrorum poculo: & pocula ſicut in Sympoſio Xenophontis minuta atque rorantia.* Neque ſolutâ tantùm oratione, ſed etiam ſtrictâ. Valerius Maximus lib. 2. *Maiores natu in conuiuiis ad tibias egregia ſuperiorum opera carmine comprehenſa pangebant, quo ad ea imitanda iuuentutem alacriorem redderent.* Ac præter has maiorum laudes, quibus & quàm honeſtis de rebus qui paulò humaniores erant in conuiuiis loquerentur, videre eſt apud Xenophontem & Platonem in ſuis ſympoſiis, apud Homerum & Maronem in Didonis & Phæacum conuiuiis, apud Plutarchum & Athenæum, apud Gellium Macrobium alióſque paſſim. Lepidum illud Simonidis Poëtæ dictum cuidam inter Scyphos tacenti: Ὦ ἄνθρωπε, εἶπεν, εἰ μὲν ἀνόητος εἶ, σοφὸν πρᾶγμα ποιεῖς,

In vino loquacitas.

καὶ δὲ σοφὸς, ἠλίθιον. *O homo, inquit, ſi fatuus es, ſapienter facis, ſi ſapiens es, fatuè.* refert Plutarchus proœmio lib. 3. conuiu. quæſtionum. Et 8. lib. problem. 1. ΟΥ φαύλως καὶ παρ' ἡμῖν ἐν τοῖς ἀγριωνίοις τὸν Διόνυσον αἱ γυναῖκες ὡς ἀποδεδρακότα ζητοῦσιν. εἶτα παύονται καὶ λέγουσιν ὅτι πρὸς τὰς Μούσας καταπέφευγε, καὶ κέκρυπται παρ' ἐκείναις. μετ' ὀλίγον δὲ τοῦ δείπνου τέλος ἔχοντος αἰνίγματα καὶ γρίφοις ἀλλήλοις προβάλλουσιν.
Ænigmata. Griphi. *Non malè etiam apud nos* in Chæronea, *feſto agroniorum die Liberum, quaſi is aufugerit, quærunt mulieres: deinde quærere deſinunt eúmque dicunt ad Muſas confugiſſe, ibíque delitere, paulò pòſt deducto ad finem conuiuio griphos & ænigmata ſibi mutuo proponunt.* Vide exempla ænigmatum apud Sympoſium, & præſertim Athenæum libro 10. ſub finem, vbi pulcherrima. Certè Samſon Iud. 14. *Proponam vobis problema: quòd ſi ſolueritis mihi intra ſeptem dies conuiuij,* &c.

X. Triclinium. TRICLINII.] Per triclinium cœnaculum tribus ad epulandum lectis inſtructum intelligit, quod tres haberet lectos ſiue κλίνας. Sed de triclinio & lectis diſcubitoriis iam nos diſſeruimus in Nonnum Ioannis paraphraſtem, &, ſi Deus annuet, alibi diſſeremus.

XI. Subſellium. SVBSELLIORVM.] Subſellia videntur à tribunalibus eo diſtingui quòd ſubſellia minorum eſſent iudicum, tribunalia maiorum. Pedianus in diuinationem. *Sunt enim ſubſellia tribunorum, quæſtorum, & huiuſmodi minora iudicia exercentium, qui non in ſellis curulibus, nec tribunalibus, ſed in ſubſelliis conſidebant.* Vide tamen dicta in Vatinium. 34.

XII. SOLIS.] Per ſolem iudicia intelligit, quòd in noſtris ſub dio & loco patente iudicarent. quemadmodum & Athenis Iudices ἡλιασταὶ dicebantur. Suidas: Ἡλιαστὴς, δικαστὴς, ἀπὸ μεγάλου δικαστηρίου τῆς ἡλιαίας. οὕτω δ' ἐκλήθη διὰ τὸ ἐν ὑπαίθρῳ εἶναι τὸν τόπον, καὶ ὑπὸ τοῦ ἡλίου βάλλεσθαι. *Heliaſtes Iudex à magno iudicio quod heliæa nuncupatur. nomen autem accepit hic locus, eò quòd ſub Dio ſit & ſolis radiis expoſitus.* Ariſtophanes in Veſpis:

Φιληλιαστὴς ἐστὶν ὡς οὐδεὶς ἀνήρ,
Ἐρᾷ τε τούτου τοῦ δικάζειν, καὶ στένει
Ἢν μὴ 'πὶ τοῦ πρώτου καθίζηται ξύλου, &c.
Phileliaſtes ille vir præ cæteris,
Amánſque iudicare lamentabitur,
Niſi ipſe primis ſedeat in ſubſelliis.

ἡλιαστής. Sicut contra apud eundem, ἀπηλιαστὴν ἀντὶ τοῦ μισόδικος. *pro iudiciorum oſore.* Ἡλιάζεσθαι δὲ καὶ ἡλιαστὶς ἐστὶ τὸ ἐν ἡλιαίᾳ δικάζεσθαι. *Abſolanum pro eo qui iudicia & lites oderit. ſolari enim & ſolatio eſt ad ſolem cauſam dicere.* Vide eorum iuramentum certâ formulâ conceptum apud Demoſthenem oratione contra Timocratem, vbi hæc verba referuntur: Οὐδὲ δῶρα δέξομαι τῆς ἡλιάσεως ἕνεκα. *Neque dona accipiam heliaſis causâ.* id eſt, ſolationis & iudicij. quòd ad ſolem exercetur. Sicut contrà, vt ait Lucianus dialogo de ſectis: Ἀρεοπαγῖται ἐν νυκτὶ καὶ σκότῳ δικάζουσιν, ὡς μὴ εἰς τοὺς λέγοντας, ἀλλ' ἐς τὰ λεγόμενα ἀποβλέπειν. *Areopagitæ noctu & in tenebris iudicant, vt non in eos qui dicunt, ſed in ea quæ dicuntur, reſpiciant.* Hinc mos vt tum Iudices, tum oratores nonnunquam manum ad ſolem intenderent, & manu elatâ ſolem atteſtarentur. Clemens Romanus 2. Apoſtolic. conſtitut. cap. 52. Οὐκ εὐθέως ἐπὶ τὴν κόλασιν αὐτὸν ἐκπέμπουσιν, ἀλλὰ πλείοσιν ἡμέραις ποιοῦνται αὐτοῦ τὴν ἐξέτασιν μετὰ συμβουλίου πολλοῦ, καὶ παραπετάσματος μέσου πλευτῶσιν ὄρσν, καὶ ψῆφον θανάτου ὁ μέλλων ἐκφέρειν κατ' αὐτοῦ πρὸς τὸν ἥλιον ἐπάρας τὰς χεῖρας διαμαρτύρεται ἀθῷος ὑπάρχειν τοῦ αἵματος τοῦ ἀνθρώπου. Καί γὰρ ὄντες ἐθνικοί. &c. *Non ſtatim mittitur ad ſupplicium, immò pluribus diebus cum multâ deliberatione ac conſultatione & interiecto velo inquiritur in eum. poſtremò qui ſententiam de capite contra eum laturus eſt, ſublatis manibus ſolem atteſtatur innocentem ſe eſſe ac mundum à ſanguine illius hominis. Itaque iſti quamuis gentiles,* &c. Hinc pro Milone 84. *ſol ille,* &c. & alibi frequenter.

LYCHNORVM.] Lychnorum frequentem inuenias in conuiuiis mentionem. 1. Æneidos: XIII.

-*Pendent lychni laquearibus aureis*
Incenſi & noctem flammis funalia vincunt.

Alias lucernæ. Horatius:

Vino & lucernis Medus acinaces
Immane quantùm diſcrepat.-

Item: -*Et vigiles lucernas*
Profer in lucem.-

Sed hæc omitto. Addo tamen, lychnos huiuſmodi ſiue lychnuchos fuiſſe iuuenum ſimulacra. Lucretius:

Si non aurea ſunt iuuenum ſimulacra per ædes Lychni.
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris.

Homerus 7. Odyſſ. ver. 10. Alcinoi domum deſcribens:

Χρύσειοι δ' ἄρα κοῦροι ἐϋδμήτων ἐπὶ βωμῶν
Ἕστασαν, αἰθομένας δαΐδας μετὰ χερσὶν ἔχοντες
Φαίνοντες νύκτας κατὰ δώματα δαιτυμόνεσσι.
Aurati pueri benefacta altaria circum
Stabant flammiferam retinentes lampada dextrâ
Luſtrantes nocturna domi conuiuia.-

COMESSATORVM.] De comeſſationibus fusè ſuprà ad 35. §. Adde Philoſtratum in imaginibus, apud quem Ο δαίμων ὁ Κῶμος παρ' οὗ κωμάζειν τοῖς ἀνθρώποις. *Deus Comus à quo comeſſatio data mortalibus.* qui Deus ita depingitur: Ἐρυθρὸς ὑπὸ τοῦ οἴνου καὶ καθεύδων ὀρθὸς ὑπὸ τοῦ μεθύειν. *Vino rubicundus & ſtando dormiens præ ebrietate.* Ὅθεν καὶ τὸ ἐν τῇ δεξιᾷ λαμπάδιον ἔοικε διαφεύγειν τὴν χεῖρα καταρρᾳθυμοῦντος αὐτὴν τοῦ ὕπνου. *Vnde & facula dexteram implens è manu videtur elabi, ſomno neruos reſoluente.* Συγχωρεῖ δὲ ὁ Κῶμος καὶ γυναικὶ ἀνδρείζεσθαι, καὶ ἀνδρὶ θῆλυν ἐνδῦναι στολὴν, καὶ θηλυβαίνειν. καὶ οἱ στέφανοι οὐκ ἀνθηροί ἔτι, ἀλλ' ἀφῄρηνται αὐτοῖς τὸ ἱλαρὸν ὑπὸ τοῦ ταῖς κεφαλαῖς ξυμπιέζεσθαι διὰ τὸ ἄτακτον ἐν τῷ δρόμῳ. *Permittit verò Comus & mulieribus virilem habitum imitari, & viris tum muliebri ſtolâ amiciri, tum muliebriter incedere. Et coronæ non amplius fulgidæ, ſed iis hilaritas omnis oblata eſt, quòd nimiùm capitibus fuerint applicitæ curſu immoderato.* XIV. Comeſſatio. Comus,

INEANT GRATIAM.] *Inire gratiam,* vt ait Donatus, *eſt alicuius* gratiam & *amicitiam promereri.* Terentius Eunucho actu 3. ſc. 5. XV.

Abibo atque abeo gratiam hanc, quam video velle, inibo.

Plautus:

Iniet tamen ſolidam & grandem gratiam.

Propriè tamen in amoribus dictum videtur, teſte Plutarcho in Eroticis, apud quem iſta exempla ſunt. Æſchylus:

-Ω δυσέρεις τῶν πικρῶν φιλημάτων.

Χάρις γὰρ σοῦ, ὦ Πρωτόγενες, ἡ τῆς θήλεος ὑπείξις τῷ ἄρρενι κέκληται πρὸς τῶν παλαιῶν, ὡς καὶ Πίνδαρος ἔφη, τὸν Ἥφαιστον ἄνευ χαρίτων ἐκ τῆς Ἥρας γενέσθαι. καὶ τὴν οὔπω γάμων ἔχουσαν ὥραν ἡ Σαπφὼ προσαγορεύουσά φησιν, ὅτι

Gratia. Σμικρά μοι παῖς ἔμμεναι φαίνεαι κἄχαρις.

Ὁ δ' Ἡρακλῆς ὑπό τινος ἐρωτᾶται.

Βίᾳ δ' ἔπρεξας χάριτας, ἢ πείσας κόρην.

Ingrate propter baſia amariſsima.

Gratia enim ab Antiquis dicitur, ô Protogenes, cùm fœmina mari conceſſerit, vt Pindarus ait, Vulcanum ſine gratiis à Iunone fuiſſe genitum, & nondum nubilem Sappho compellans ait,

Parua mihi puella videris, & ſine gratiâ. & Hercules à quodam interrogatur, Vine feciſti gratias an perſuaſiſti puella? χαρίζεσθαι frequenter hoc ſenſu. Plato in Phædro profert Lyſiæ orationem, cuius hæc inſcriptio: Εἰ χρὴ τὸν ἐρώμενον τῷ ἐραστῇ χαρίζεσθαι. *An qui amatur debeat amatori gratificari.* Lucianus de iis qui mercede acceptâ conueſcuntur: Μὴ παντελῶς πόῤῥω Ἀφροδίτης καὶ χαρίτων. *Non omninò à Venere & gratiis alienus.* Idem apud Latinos. Pacuuius apud Fulgentium:

Non ego fui, vt nunc ſunt, meretrices diabolæ,
Quæ ſuam nummi cauſâ paruipendunt gratiam.

XVI. IN ALIIS SE REBVS OSTENTENT.] Amor ſui oſtentator. Tyrius maximus 10. concione: Ὁ δ' ἔρως οὐδενὶ οὕτως πολεμεῖ ὡς ἀνάγκῃ καὶ δέει. καὶ ἔστι χρῆμα γαῦρον, καὶ δεινῶς ἐλεύθερον, καὶ τῆς Σπάρτης αὐτῆς ἐλευθερώτερον. *Amor nulli rei eſt infeſtior quàm neceſsitati & timori: & eſt res quædam ſuperba & ſui oſtentatrix. oppidò libera, & Spartâ ipsâ liberior.* Sic apud Plutarchum in erotico Cleomachus ob amaſij conſpectum ἐπιγαυρωθεὶς deſcribitur. Quamuis aliunde vt ſubditur amator: Καὶ τὸν αὐχ[ένα] κεχυμένον οἷος ἂν ὑπομένειν ἅμα τῷ γε καλὸν ἰδεῖν

Amor ſui oſtentator.

Ἔπτηξ' ἀλέκτωρ δοῦλον ὡς κλίνας πτέρυγ,

καὶ τὸ θράσος ἐκκέκλασται, καὶ κατακόπτεται οἱ τὸ τῆς ψυχῆς γαῦρον. *Qui lanceamum*, vt ait quidam Poëta, *poſit ſuſtinere, tamen vt pulchrum adſpexerit,*

Pauet ille galli more pennas complicans,
infringit audaciam, & animi iactantiam. Hinc illud Claudiani Epithalamio Palladij & Serenæ:

-Lætantur Amores
Frenatiſque truces auibus per nubila vecti
Oſtentant ſe quiſque Deæ.-

XVII. Venuſtas. VENVSTATE.] Venuſtas & ſpecies & pulchritudo à Venere. Gloſſæ Philoxeni *Venuſtus* ἐπαφρόδιτος. Venuſtas etiam pro felicitate interprete Marcello. Terentius Hecyrâ actu 5. ſcen. 4.

Quis me fortunatior, venuſtatiſque adeo plenior?

Vnde & Sylla qui ſe *felicem* Latinè, Græcè Ἐπαφρόδιτον nominabat. Plutarchus.

DOMINENTVR SVMPTIBVS.] Amor ſumptuoſus. Vide Trinummum Plauti actu 2. vbi amor dicitur *Harpago, mendax, cupes, auarus, elegans, deſpoliator*, &c. Paulò pòſt: XVIII.

Quàm extemplo ſaniis ſagittatis percuſſus eſt, illicò res foras Amor ſumptuoſus.
Labitur, liquitur.-

Et alia multa in hanc ſententiam. Lucretius lib. 4. de nat. rer. ſub finem, inter cætera amoris incommoda hoc etiam recenſet:

Labitur interea res & vadimonia fiunt.

HÆREANT, IACEANT.] Alij legunt *hæreant, adiaceant.* bene opinor, id eſt, illam comitentur, latus tegant, adſideant in theatro. Vide Ouidium lib. 3. amorum eleg. 2. & in arte lib. 1. XIX.

Seu pedibus vacuis illi ſpatioſa teretur
Porticus: hîc ſocias tu quoque iunge moras.
Et modò præcedas, facito, modò terga ſequaris,
Et modò feſtines, & modò lentus eas.
Nec tibi de mediis aliquot tranſire columnas
Sit pudor, & lateri continuaſſe latus.
Nec ſine te curuo ſedeat ſpecioſa theatro:
Quod ſpectes, humeris adferet illa tuis. Hærere.

Statius Achilleide:

Nunc nimius lateri non euitantis adhæret.

Martialis lib. 5. epig. 63.

Criſpulus iſte quis eſt vxori ſemper adhæret
Qui Macrine tuæ.-

Diuus Hieronymus ad Furiam: *Nec candidulus & rubicundus aſſecla adhæreat lateri tuo.* Argyripus Plautinus Aſinariâ actu 1. ſc. 3.

Vbi quid dederam quaſi columbæ pulli in ore ambæ meo
Vſque eratis, meo de ſtudio ſtudia erant veſtra omnia,
Vſque adhærebatis.-

Tacitus libro 11. in eadem re de Meſſalina & Silio: *Illa non furtim, ſed multo comitatu ventitare domum, egreſsibus adhæreſcere*, &c. Rurſum Martialis lib. 12. epigr. 38.

Crine nitens, niger vnguento, perlucidus oſtro,
Ore tener, latus pectore, crine glaber,
Vxori qui ſæpè tuæ comes improbus hæret.

Hærere etiam eſt vigere gratiâ. Terentius Eunucho actu 5. ſc. 9.

--Perfice hoc
Precibus, precio, vt hæream aliquâ in parte tamen apud Thaidem.

AXIOMATA.

Multi ſunt in conuiuiis faceti, dicaces nonnunquam in vino diſerti, qui ſe nunquam ſi in iudicium proceſſerint, explicabunt.

Alia fori vis eſt, alia triclinij: alia ſubſelliorum ratio, alia lectorum: non idem iudicum comeſſatorúmque conſpectus.

Excutiendæ ſunt leuium hominum delitiæ, & ineptiæ.

Capiti innocentis & fortunis parcendum.

ARGVMENTVM.

Occurrit ſuſpicioni quam aduerſarij mouere tentabant. ſeruos enim Clodiæ dicebant de propinquorum ſententia fuiſſe libertate donatos. quod profectò fieri non ſtatuiſſent, niſi putaſſent reuerà Licinium in crimine fuiſſe deprehenſum, & mortem à Clodiæ capite ſeruorum, qui inſidias detegerant, fidelitate depulſam.

AT ſunt ſerui illi de cognatorum ſententia nobiliſſimorum, & clariſſimorum hominum manumiſſi. Tandem aliquid inueniemus, quod iſta mulier de ſuorum propinquorum fortiſſimorum virorum ſententia atque auctoritate feciſſe dicatur. Sed ſcire cupio, quid habeat argumenti iſta manumiſſio. in qua, aut crimen eſt Cœlio quæſitum, aut quæſtio ſubleuata, aut multarum rerum conſciis ſeruis, cum cauſſa præmium perſolutum. At propinquis placuit. cur non placeret? cùm rem tutè ad eos, non ab aliis tibi allatam, ſed à te ipſa compertam deferre diceres? LXVIII.

EXPLANATIO.

AT SVNT SERVI.] Atenim obiicietis ſeruos illos, qui ad dominam rem iſtam & maleficium Cœlij detulerant, propinquorum Clodiorum iudicio, in fidelitatis mercedem, fuiſſe libertate donatos, & manumiſſos ſiue vindictâ liberatos.

TANDEM INVENIEMVS.] Eleganter arreptâ criminis occaſione Clodiam inſectatur, quæ adeo ſe in omnem libidinem effuderat, vt vix vnquam in vitâ, conſanguineorum auctoritati conſilióve paruerit. eos fortiſſimos appellat, vt tantò nocentior appareat Clodia, quo fortiorum virorum auctoritatem neglexit.

SED SCIRE CVPIO.] hoc argumento hanc obiectionem reprehendit.

Illud nullam vim habet ad conuincendum venefici Cœlium, quod factum eſt vt aut in inuidiam Cœlius vocaretur, aut vt de ſeruis iam liberis non liceret quæſtionibus veritatem exquirere, aut vt ſeruis multorum flagitiorum conſciis præmium ſolueretur.

Sed talis fuit manumiſſio ſeruorum.

Ergo nullam vim habet ad conuincendum maleficij Cœlium.

AVT QVÆSTIO SVBLEVATA.] Lambinus legit *ſublata.* quæſtio autem hac manumiſſione ſublata eſt, quia liberos non licebat tradere in quæſtionem.

CVM CAVSA.] Cùm præſertim ad illam ſcelerum conſcientiam noua cauſa acceſſiſſet, nimirum vt hoc pacto inuidia Cœlio conflaretur.

AT PROPINQVIS.] Excuſat Clodiæ propinquos, quòd hanc manumiſſionem ſuâ ſententiâ comprobarint. non enim ad inuidiam Cœlio conflandam, non ad tollendam quæſtionem, non ad ſoluendum ſceleribus præmium id fecerant. ſed quia putabant eos erga dominam fuiſſe fideles, Clodiæ credebant dicenti ſe M. Cœlij inſidias certiſſimò comperiſſe.

NOTÆ.

I. MANVMISSI.] De manumiſſione Dionyſius lib. antiquitatum 4. Plutarchus in Publicolâ, Perſius Sat. 5. Appianus 4. ciuilium, & alij paſſim conſulantur, ex quibus nonnulla dicentur pro Milone ad §. 58.

II. DE PROPINQVORVM AVCTORITATE, &c.] Tantam enim auctoritatem propinqui erga fœminas obtinebant, vt in eas etiam ferre poſſent damnationis ſententiam. quod antequam probo, cur adeo viris mulieres leges Romanæ ſubiecerint. Ea fortaſſe cauſa fuerit quam refert Hippocrates epiſt. ad Dionyſium: Ἀεὶ χρῄζει γυνὴ κολάζοντος. ἔχει γὰρ φύσει καὶ τὸ ἀκόλαστον ἐν αὐτῇ· ὅπερ μὴ καθ' ἡμέρην μὴ ἐκκόπτοιτο, ὥσπερ τὰ δένδρεα, καταλυμανέει. *Semper indiget mulier puniente: habet enim naturâ ſuâ aliquid minus caſtigatum in ſeipsâ. quod niſi ſingulis diebus arboris inſtar putatur, noxam afferet.* Iam propinquos etiam in fœminarum vitam poteſtatis aliquid habuiſſe indicio eſt quod tradit Plinius lib. 14. cap. 13. *Fabius Pictor in annalibus ſcripſit matronam, quòd loculos in quibus erant claues cellæ vinariæ reſignauiſſet à ſuis inediâ mori coactam.* Item: *Cato ideò propinquis fœminas oſcula dare volebat, vt ſcirent an temetum olerent.* Diſertè Dionyſius lib. 2. Ἁμαρτάνουσα δέ τι δικαστὴν τὸν ἀδικούμενον ἐλάμβανε καὶ τοῦ μεγέθους τῆς τιμωρίας κύριον· ταῦτα δὲ οἱ συγγενεῖς μετὰ τοῦ ἀνδρὸς ἐδίκαζον, ἐν οἷς ἦν φθορὰ σώματος, καὶ ὃ πάντων ἐλάχιστον ἁμαρτημάτων Ἕλλησι δόξειεν ἂν ὑπάρχειν, εἴ τις οἶνον εὑρεθείη πιοῦσα γυνή. ἀμφότερα γὰρ ταῦτα ζημιοῦν ἐκέλευσεν ὁ Ῥωμύλος, ὡς ἁμαρτημάτων γυναικείων ἔσχατα. φθορὰν μὲν ἀπονοίας ἀρχὴν νομίσας, μέθην δὲ φθορᾶς. *Si quid verò peccarat mulier, virum qui affectus iniuriâ fuerat, iudicem habebat, penes quem erat ius puniendi. De his autem conſanguinei cum marito iudicabant. In quibus criminibus erat corporis corruptio, & quod omnium minimum Græcis videri poſſit, ſi qua mulier bibens vinum fuerat deprehenſa. Horum enim vtrumque puniri iuſſit Romulus, vt muliebrium peccatorum extrema. Corruptionem petulantiæ principium eſſe ratus, ebrietatem corruptionis.* Sed de hac lege vide Ælianum variæ hiſtoriæ lib. 2. c. 38.

Maritus & propinqui ius necis in mulieres obtinebant.

Vinum mulieribus interdictum.

Athenæum. Tranquillus in Tiberio cap. 35. *Matronas proſtratæ pudicitiæ, quibus accuſator publicus deeſſet, vt propinqui more maiorum de communi ſententiâ coërcerent, auctor fuit.* Neque verò his ſolùm in rebus Propinqui in mulieres auctoritatem obtinebant. Cato Cenſorius apud Liuium lib. 4. dec. 4. *Maiores noſtri nullam ne priuatam quidem rem agere fœminas ſine auctore voluerunt: in manu eſſe Parentum, Patrum, virorum. nos, ſi Diis placet, iam etiam Rempub. capeſſere iſta patiuntur, & foro prope, & concionibus, & comitiis miſceri.* Cic. pro A. Cæcinna: *Ipſe nunquam auderet iudicare deberi viro dotem, quam mulier nullo auctore dixiſſet.* Ibidem negat: *Quod mulier ſine tutore auctore promiſerit, deberi.* Pro Flacco: *Nihil iſtorum explicari poteſt, niſi oſtenderis, illam in tutela Flacci non fuiſſe, ſi fuit, quæcunque ſine hoc auctore eſt dicta dos, nulla eſt.* Et pro Murenâ: *Mulieres omnes propter infirmitatem conſilij Maiores in tutorum poteſtate eſſe voluerunt, hi inuenerunt genera tutorum quæ poteſtate mulierum continerentur.* Ideóque mariti morientes, cùm teſtamentum faciebant, ſolebant vxores ſuas tutorum fidei committere. quare, vt auctor eſt Liuius libro 39. inter cætera præmia quæ iudicibus Bacchanaliorum conceſſa ſunt, illud quoque non ſine

Tutores coniugibus dati teſtamento maritorum.

ſingulari priuilegio decretum eſt: *Vti Fecenia Hiſpalæ datio, diminutio, gentis emptio, tutoris optio item eſſet, quaſi ei vir teſtamento dediſſet, vtique ei ingenuo nubere liceret*, &c. Plutarchus in comparatione Numæ & Lycurgi: Αἰδῶ δὲ πολλὴν ἐπέστησεν αὐταῖς, καὶ πολυπραγμοσύνην ἀφεῖλε, καὶ νήφειν ἐδίδαξε, καὶ σιωπᾷν εἴθισεν, οἴνου μὲν ἀπεχομένας τὸ πάμπαν, λόγῳ δὲ μηδὲ ὑπὲρ τῶν ἀναγκαίων ἄνδρος ἄνευ χρωμένας. λέγεται γοῦν ποτε γυναικὸς εἰπούσης δίκην ἰδίαν ἐν ἀγορᾷ, πέμψαι τὴν σύγκλητον εἰς Θεοῦ, πυνθανομένην τίνος ἄρα τῇ πόλει σημεῖον εἴη τὸ γεγενημένον. Quod ad verbum expreſſit Cœlius Rhodiginus lib. 13. cap. 33. *Illis Numa pudoris adiecit plurimùm, curioſitatem remouit, ſobrietatem docuit, tacere ac abſtemias prorſus eſſe, neque de neceſſariis rebus abſente viro quicquam eas loqui aſſuefecit. nam cùm mulier quandoque propriam cauſam in foro dixiſſet, miſiſſe Senatum memoriæ traditur Deos conſultum quidnam ea res ciuitati portenderet.* Ea fuit fortaſſe

Muliebris verecundia.

Caia illa Afrania inſignis impudentiæ, quæ vt verbis loquar Valerij Maximi lib. 8. cap. 3. *Inuſitatis foro latratibus aſſiduè tribunalia exercendo ad muliebris calumniæ notiſſimum exemplum euaſit. adeò vt pro crimine improbis fœminarum moribus Caiæ Afraniæ nomen obiiciatur. Prorogauit autem ſpiritum ſuum ad C. Cæſarem iterum, Pub. Seruilium Conſules. Tale enim monſtrum magis quo tempore extinctum, quàm quo ſit ortum memoriæ tradendum eſt.* Hos porro mulierum tutores ſiue auctores etiam κυρίους, Dominos, nominabant. Dio de Auguſto lib. 49. Τῇ δὲ Ὀκταουΐᾳ καὶ τῇ Λιουΐᾳ καὶ εἰκόνας, καὶ τὸ τὰ σφέτερα ἄνευ κυρίου τινὸς διοικεῖν, τό τ' ἄδεες καὶ τὸ ἀνύβριστον, ἐκ τοῦ ὁμοίου τοῖς Δημάρχοις ἔδωκεν. *Octauia & Liuia vt & ſtatuas haberent, & res ſuas ſine Dominis adminiſtrarent, & ſacroſancta eſſent, perinde atque Tribuni plebis indulſit.* De more

Mulierum Domini.

videlicet Athenienſium Ariſtophanes in Equitibus: Διώξεις Σμικύθην καὶ κύριον. *Perſequeris Smicythem & Dominum.* vbi interpres: Οὕτω γὰρ προσκαλεῖσθαι εἰώθασιν ἐν τῷ δικαστηρίῳ. Ἡ δεῖνα καὶ ὁ κύριος, τουτέστιν, ὁ ἀνήρ. ἅμα οὖν ὡς γυναικώδη τὸν Σμικύθην κωμῳδεῖ, ὡς ἔχοντα κύριον, ὡς αἱ θήλειαι. *Sic enim ad iudicium vocare ſoliti ſunt. Talis mulier & Dominus, id eſt, maritus. ſimul igitur vt effœminatum Smicythen deridet & Domino ſubiectum inſtar fœminarum.* Perperam aſſumit *Mariti* nomen pro *auctore*, ſiue *tutore*. commodiùs Dinarchus oratione priore contra Ariſtogitonem προστάτην appellat. Καλεῖ δὲ μετὰ πάντων πρῶτον τὸν τῆς Ζωβίας προστάτην. *Aduoca verò primum omnium Zobiæ auctorem.*

Κύριος.

προστάτης.

QVÆSTIO SVBLEVATA.] Marcianus D. De manumiſſ. l. Qui pœnæ. *Sed ne quidem illos ad iuſtam libertatem peruenire Diuus Hadrianus reſcripſit, qui ideò manumiſſi ſunt, vt crimini ſubtraherentur.* Ruſum D. Qui & quibus manumiſſi l. 12. *Proſpexit legiſlator ne mancipia per manumiſſionem quæſtioni ſubducantur: idcircóque prohibuit ea manumitti: certúmque diem conſtituit intra quem manumittere non liceat.* Sexageſimum diem, vt notat Gothofredus. Confirmari poſſet l. 5. C. De adulteriis. Sed aliud ius viguit æuo Ciceronis, vt vel ex hoc loco patet, & ex Milonianâ. 58. 59. III.

ARGVMENTVM.

Breuiter & ſubobſcurè fabulam vulgi ſermonibus celebratam attingit, quæ hoc veneficij figmentum fuerat conſecuta, obitérque tantum fuiſſe impudicitiam Clodiæ demonſtrat, vt populo credibile videri poſſet, quicquid obſcœni de illâ diceretur.

LXIX. HIC etiam miramur, ſi illam commentitiam pyxidem obſceniſſima ſit fabula conſecuta? Nihil eſt, quod in eiuſmodi mulierem non cadere videatur. audita, & percelebrata ſermonibus res eſt. Percipitis animis, Iudices, iamdudum quid velim, vel potius quid nolim dicere. Quod etiam ſi eſt factum, certè, à Cœlio non eſt factum: quid enim attinebat? eſt enim ab aliquo fortaſſe adoleſcente non tam inſulſo, quàm non verecundo. Sin autem eſt factum: non illud quidem modeſtum, ſed tamen non eſt infacetum mendacium. Quod profectò numquam hominum ſermo atque opinio comprobaſſet, niſi omnia quæ cum turpitudine aliqua dicerentur, in iſtam quadrare viderentur.

EXPLA-

EXPLANATIO.

OBSCOENISSIMA FABVLA.] Quænam obſcœna fabula fuerit hanc commentitiam veneni pyxidem conſecuta, non compertum eſt. ſuſpicionibus agendum eſt. opinor ſparſum fuiſſe rumorem de hac pyxide quaſi non venena lethifera, ſed potiones amatorias & philtra contineret. Clodia enim, Metello Celere ipſius marito adhuc ſuperſtite, iam ſe in iuuenum quorundam, vt Catulli & aliorum amores clam effuderat. eo demortuo liberiùs & procaciùs viuens, aliis vt Cœlio ſeipſam indulſerat. Sed nec eius libido his ſe finibus continere potuit, niſi tanquam publicè lenocinium profeſſa, ſe in meretriciâ vitâ collocaret, vel ſaltem ita viueret, vt breui vitam meretriciam profeſſura facilè crederetur. Cùm igitur eo tempore diceretur deprehenſus fuiſſe Licinius cum veneno, rumor per totam vrbem Clodiæ moribus planè conſentaneus increbuit, id venenum à Cœlio fuiſſe paratum, non vt Clodiam extingueret, ſed vt potionibus amatoriis & philtris eam in ſuâ conſuetudine retineret, eiúſque animum ipſi & paucis aliis amatoribus deuinctum à publicâ proſtitutione, & conſilio meretriciæ profeſſionis abduceret. vide Notas.

NIHIL EST QVOD IN HVIVSMODI.] Subiicit rationem cur tam obſcœnus rumor in vulgus emerſerit. Clodia tam procax eſt, tam petulans, tam impudica, vt ab hoc publicâ corporis proſtitutione, philtris & amatoriis potionibus abducenda fuiſſe videatur, nihílque tam obſcœnum excogitari poſſit, quod non eius moribus optimè conueniat.

PERCIPITIS ANIMIS.] Reticentia eſt tum maioris ſuſpicionis mouendæ, tum obſcœnitatis vitandæ causâ.

QVOD ETIAMSI.] Si paratum eſt venenum & philtrum, quo Clodia à meretriciæ vitæ profeſſione reuocaretur vt ſe priuatis quorũdam adoleſcentium amoribus manciparet, certè à Cœlio non eſt factum.

QVID ENIM ATTINEBAT?] Quid ad rem pertinebat, quæve ex hoc veneficio in Cœlium redundare poterat vtilitas, cùm, vt euentus ipſe declarat, paulò pòſt à Clodiæ familiaritate diſcedere ſtatuiſſet?

INSVLSO.] fatuo, ſtolido.

NON ILLVD QVIDEM MODESTVM.] Immodeſtum eſt & inuerecundum illud mendacium quod in matronam, quoquo tandem illa modo vixerit, iactatur, eiúſque ſanctitatem & dignitatem impudicitiæ labe aſpergit: tamen non eſt infacetum, ſed lepidè, & feſtiuè excogitatum.

QVADRARE.] Eleganter ad Quadrantariæ nomen alludit, quaſi dicat, Non mirum eſt ſi hanc fabulam aliáque omnia, quantumuis obſcœna vulgus de Clodia credat, cùm ſciat eam iam ante corpore quæſtum feciſſe, & huius rei teſtes eſſe illos quadrantes, qui pro nummis argenteis à quodam amatore, in eius loculos ſubiecti ſunt, vnde & ipſa Quadrantariæ nomen accepit.

NOTÆ.

OBSCOENISSIMA.] Abs re non fuerit exſcribere, quæ de nominis huius ſignificatione tradit Varro lib. 6. de linguâ Latinâ: I.

-apud Matium
Obſcæni interpres funeſtique ominis auctor.

Mox vbi monuit apud alios ſcribi *obſcæni*, apud alios *obſceni*. ſubdit: *Turpe, id obſcænum: quod niſi in ſcenâ palam dici non debet. poteſt vel ab eo quòd pueris turpicula res in collo quadam ſuſpenditur, ne quid obſit bonæ ſcænæ cauſa.* id eſt, bonæ rei, vt interpretatur Dionyſius Gothofredus. ſubdit Varro: *Quare quod dixi ſcænum bonum omen eſt: obſcænum verò turpe.* quo ſenſu Plautus in Aſinaria: Obſcenus.

Metuo quod illic obſcænauit meæ falſæ fallaciæ.

quo loco *obſcænauit, quaſi ſcænum, id eſt, malum omen attulit.* vt interpretatur Nonnius Marcellus cap. 2. qui & cap. 3. adfert auctoritatem Cic. de officiis lib. 1. *Alter ne libero quidem ſi rerum turpitudini adhibetur verborum obſcœnitas.* Et Varrinus Agathone: *Pueri obſcænis verbis nouæ nuptulæ aures reſtaurant.*

FABVLA.] Operæprecium eſt ſingulas coniecturæ meæ partes probare. dixi Metello adhuc ſuperſtite, Clodiam iam tum in Iuuenum amores fuiſſe effuſam. teſtis eſt illud Catulli epigr. II.

Leſbia mi præſente viro, mala plurima dicit, &c.

Dixi ſecundo tantam eius impudicitiam fuiſſe, vt marito demortuo, non vno aut altero amatore contenta plurium adoleſcentum conditiones primò collegerit, deinde ſe tanquam in meretriciâ vitâ callocarit. innuit hîc Cicero §. 49. & illud Catulli epigramma:

Cœli Leſbia noſtra, Leſbia illa,
Illa Leſbia, quam tuus Catullus
Plus quàm ſe atque ſuos amauit omnes,
Nunc in quadriuiis, & angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

Dixi tertiò hanc de eius impudicitiâ meretricióque viuendi genere famam increbuiſſe propter illam pyxidem, quam paraſſe dicebatur Cœlius, vt eam à meretricio publico reuocatam priuatim ſibi haberet, & amatoriis potionibus in ſuâ conſuetudine retineret. id vt liqueat adeundus eſt Propertius eleg. 32. lib. 2. Cynthia frequenter ruſticabatur: dicebatúrque non aliam ob cauſam ruſticari, quàm vt oculos Propertij fugiens liberiùs amatoribus ſuis copiam ſui faceret. Dicit Propertius hũc rumorem ſibi fictitium videri, & ad hanc ipſam Cœlij pyxidem, ſecutámque infamiam alludens, iurat ſe nullo veneficio occaſionem huic fabulæ præbuiſſe:

Nuper enim de te noſtras peruenit ad aures
Rumor, & in totâ non bonus vrbe fuit.
Sed tu non debes inimicæ credere linguæ,
Semper formoſis fabula pœna fuit.
Non tua deprenſo damnata eſt fama veneno:
Teſtis eris puras Phœbe videre manus.

Quod autem ad iſtam veneni pyxidem alludat, illud indicio eſt, quòd cùm Cynthiam ſuam excuſaſſet, quæ, vt vulgo ferebatur, aliorum toro indulſerat. Subiecit:

Hæc eadem ante illam impune & Leſbia fecit,
Quæ ſequitur, certè eſt inuidioſa minùs.

Clodiam autem noſtram fuiſſe quam ficto nomine Leſbiam Catullus appellat, & ſuperiùs dictum eſt. & teſtatur Apuleius in oratione ad Claudium Maximum. Nam quod ait Pet. Victorius hîc fabulam de quadrantibus aureorum loco ſubiectis intelligi, non arridet; nam non vſque adeo obſcœna diceretur; neque ratio apparet cur hæc fabella fuerit commentitiam pyxidem conſecuta. Porro fabulæ nomen ſæpè in huiuſmodi nequitiis iuuenies. Catullus:

Lædit te quædam mala fabula, qua tibi fatur
Valle ſub alarum trux habitare caper.

Propertius lib.2.eleg.24.

Tu loquere cùm ſis iam toto fabula libro,
Et tua ſit toto Cynthia lecta foro.

Fabula. Cicero pro Sextio 116. *Ipſe ille maximè Ludius non ſolùm ſpectator, ſed actor & acroama, qui omnia ſororis embolia nouit, qui in cœtum mulierum pro pſaltria adducitur*, &c. Plutarchus in Catone de ipſo & Hortenſio loquens, qui coniuges inter ſe mutauerant: Εἶτα ἔγημε θυγατέρα Φιλίππου Μαρκίαν ἐπιεικῆ δοκοῦσαν εἶναι γυναῖκα. περὶ ἧς ὁ πλεῖστος λόγος· καθάπερ ἐν δράματι τῷ βίῳ, τοῦτο τὸ μέρος προβληματῶδες γέγονε καὶ ἄπορον, &c. *Deinde Marciam Philippi filiam, quæ proba mulier eſſe credebatur, duxit vxorem. De qua multi multa loquebantur, & in Catonis vita tanquam in dramate ea pars dubitationem attulit.* Apuleius apol. 2. *Mulier ſanctè pudica, tot annis viduitatis ſine culpa, ſine fabula.* Seneca epiſt. 122. *Multi bona comedunt, multi amicas habent. vt inter iſtos nomen inuenias, opus eſt non tantùm luxurioſam rem, ſed notabilem facere, in tam occupata ciuitate fabulas, vulgaris nequitia non inuenit.* Apud Heliodorum in Æthiopicis amores Theagenis & Charicleæ plus vigeſies cum fabulis, modò cum tragœdiâ, modò cum comœdiâ comparantur, vt lib. 1. Φόνῳ τῷ καθ' ἡμῶν δρᾶμα τὸ περὶ ἡμᾶς καταστρέψωσι. *Cæde noſtrâ fabulam noſtram terminantes.* Et lib. 6. Οὕτω τὸ δρᾶμα τὸ περὶ ἡμᾶς ἐμηκύνατε καὶ πᾶσαν λοιπὸν σκηνὴν ὑπερφθέγγεται. *Sic fabulam noſtram in immenſum produxiſtis, vt vltra omnes ſcenas repræſentetur.* Et lib. 7. Τὸ ἐρωτικὸν μέρος τοῦ δράματος. *Amatoriam partem fabulæ*, &c. Quæ comparatio frequenter ad omnem vitam traducitur. Omitto Senecam, Dionem, Petronium, Plutarchum, & reliquos. Hic vnus Plato ſuffecerit: Μηνύει δὲ νῦν ὁ λόγος ἡμῖν ἐν θρήνοις τε καὶ ἐν τραγῳδίαις, μὴ τοῖς δράμασι μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ τοῦ βίου ξυμπάσῃ τραγῳδίᾳ καὶ κωμῳδίᾳ λύπας ἡδοναῖς ἅμα κεράννυσθαι. *Præſens ſermo in luctibus & tragœdiis, nec in dramatibus ſolùm, ſed etiam in omni humana vita tragœdiâ & comœdiâ dolores voluptatibus mixtos eſſe teſtatur.*

AXIOMA.

Facilè probantur quæ quadrant in perſonam de qua dicuntur.

Peroratio.

- Aduerſarios in inuidiam adducit
  - à commendatione legis Plautiæ. ductâ
    - à tempore quo lata eſt.
    - ab effectu & vtilitate, quia reliquias coniurationis extinxit. 70.
  - ab accuſatorum impudentiâ qui tam bonæ legis prætextu volunt opprimere Cœlium, cui
    - nec proprium quæſtionis crimen obiicitur.
    - nec vllum aliud crimen probatur, propter quod ſit damnandus. 71. 72.
- Cœlij
  - commendat induſtriam. 72. 73.
    - à pueritiâ, quæ dedita fuit
      - optimis diſciplinis.
      - amicitiis clarorum virorum.
      - ſtudiis nobiliſſimorum æqualium.
    - à primâ adoleſcentiâ quia
      - fuit Qu. Pompeio contubernalis.
      - illuſtri accuſatione induſtriam ſuam probauit.
      - nemini conceſſit æqualium.
    - à flexu ætatis ab adoleſcentiâ in iuuentutem.
      - eius fama paululum hæſit ad metas. Sed
      - ſubitò emerſit, & ad priſtinam induſtriam ſe recepit.
  - violentiam & ferociam excuſat. 76. 77.
    - ab ætate.
    - ab ardore mentis ad gloriam.
- Iudices deprecatur, vt reum abſoluant
  - à ſpe bonæ frugis. 77. ad quam ſe obligauit duabus accuſationibus
    - coniurationis,
    - ambitus. 78.
  - à comparatione cum Sexto Clodio, qui paucis antè diebus fuerat abſolutus. 78.
  - à perſonâ
    - Cœlij filij bonæ ſpei adoleſcentis. 79. 80.
    - Patris, eiuſque
      - ſenectute.
      - pietate.
      - lacrymis. 79. 80.

PERORATIO.

ARGVMENTVM.

Inde perorationem auſpicatur, vnde ductum fuerat totius orationis exordium. à legis videlicet dignitate, cuius reus agebatur Cœlius, legem commendat à causâ finali, quòd ad ſalutem communem pertineret. 2. ab auctore, & tempore quo lata fuit. 3. ab effectu & vtilitatibus, quæ in Rempub. redundarant. poſtremò inuidiam in aduerſarios conuertit, qui prætextu tam ſanctæ legis Cœlium innocentem non ad Reipublicæ pœnas, ſed ad libidinem delitiáſque Clodiæ depoſcerent.

LXX. DICTA eſt à me cauſſa, Iudices, & perorata: iam intelligitis quantum iudicium ſuſtineatis, quanta res ſit commiſſa vobis. de vi quæritis, quæ lex ad imperium, ad maieſtatem, ad ſtatum patriæ, ad ſalutem omnium pertinet: quam legem Qu. Catulus armata diſſenſione ciuium, Reipubl. pænè extremis temporibus tulit: quæque lex ſedatâ illâ flammâ Conſulatus mei fumantis reliquias coniurationis exſtinxit. hac enim lege, Cœlij adoleſcentia, non ad Reipubl. pœnas, ſed ad mulieris libidines, & delicias depoſcitur.

EXPLANATIO.

DICTA EST À ME CAVSSA, IVDICES, ET PERORATA.] Vox *dicta* ad ipſam Ciceronis orationem refertur. *perorata* ad totam cauſam. cùm enim Oratores cauſam integram inter ſe partiebantur, ſinguli quidem dicebant, ſed vnus cauſam perorabat. is videlicet cui poſtremus dicendi locus contigiſſet.

IAM INTELLIGITIS.] Oſtendit cauſam eſſe magni momenti; vt & ita Iudices intelligant quantam integritatem debeant adhibere, ſuámque oſtendat in cauſa fiduciam, & à legis dignitate accuſationis indignitatem exaggeret.

DE VI QVÆRITIS.] Lege Plautia de vi habetis quæſtionem, quæ lex *de ſeditioſis conſceleratiſque ciuibus, qui armati Senatum obſederint, Magiſtratibus vim attulerint, Rempublicam oppugnarint, quotidie quæri iubet*, cuius legis obſeruatione ſalus Reipublicæ continetur.

QVAM LEGEM QV. CATVLVS.] Quam Plautiam legem Qu. Catulus Conſul tulit Qu. Plautio Tribunoplebis rogationis adminiſtro, à quo tanquam auctore Plautiæ nomen ſortita eſt, & ſic ab auctore legis dignitatem oſtendit, tum à tempore hoc pacto.

ARMATA DISSENSIONE CIVIVM.] Cùm Lepidus Catuli Collega in conſulatu malè ſopitum Marianæ ſeditionis incendium renouaret, renitente Catulo qui Syllanas partes ſectatus fuerat, & hac ſeditione Rempub. in extremum prope diſcrimen adduxerat.

QVÆ QVE LEX.] Ab effectu legem laudat. Ea lege, poſtquam profligato Catilinæ exercitu, coniuratio ſedata fuit, de iis coniuratis qui ſupererant, quæſitum eſt, & ita coniuratio penitus extincta. lege autem Plautiâ de coniuratis quæſitum fuiſſe innuit Salluſtius.

HAC ENIM LEGE.] Lege Plautiâ quæ periculoſiſſimis temporibus ad ſalutem communem lata fuit, Cœlius adoleſcens, non vt perſoluat Reipub. pœnas, quam vllâ ſeditione violarit, ſed vt ſatisfaciat Clodiæ libidini, quæ quod eum non habeat ſuis cupiditatibus & libidinibus obſequentem, in eum exarſit, ad pœnam ſuppliciúmque depoſcitur. quod nimium quantum indignum eſt.

NOTÆ.

COMMISSA.] Id frequenter in Iudicum memoriam reuocat, vt iam notauimus ex- I.
trema §. pro Sextio: *Veſtræ poteſtati, Iudices, commiſerunt.* pro C. Rabirio Poſthumo 12. *Vbi eſt igitur ſapientia Iudicis? In hoc, vt non ſolùm quid poſſit, ſed etiam quid debeat ponderet; nec quantum ſibi permiſſum, meminerit ſolùm, ſed etiam quatenus commiſſum ſit.*

AD MAIESTATEM.] Bellè Ouidius Ma- II.
ieſtatem Honoris & Reuerentiæ filiam eſſe fabulatur 5. faſt.

Donec Honor, placidóque decens Reuerentia vultu
Corpora legitimis impoſuere toris.
Hinc ſata Maieſtas, quæ mundum temperat omnem,
Quáque die partu eſt edita, magna fuit.
Nec mora conſedit medio ſublimis Olympo Maieſtas.
Aurea purpureo conſpicienda ſinu. &c.
Illa patres in honore ſuo, matréſque tuetur:
Illa comes pueris virginibúſque venit.
Illa datos faſces commendat, ebúrque curule:
Illa coronatis alta triumphat equis.

E quibus conſtat cur lex Plautia quæ inquiri iubebat in eos qui magiſtratibus vim intuliſſent, dicatur ad maieſtatem pertinere.

FVMANTIS RELIQVIAS CONIV- III.
RAT.] Mercurius apud Ariſtophanem in Pace de Pericle:

Πεὶν παθεῖν τι δεινὸν αὐτὸς ἐξέφλεξε τὴν πόλιν,
Ἐμβαλὼν σπινθῆρα μικρὸν Μεγαρικοῦ ψηφίσματος.
Ἐξεφύσησε γὰρ τοσοῦτον πόλεμον, ὥστε τῷ καπνῷ Famus,
Πάντας Ἕλληνας δακρῦσαι τούς τ' ἐκεῖ, τούς τ' ἐνθάδε.
Occupans diſcrimen hauſit ciuitatem incendio.
Parua nam ſcintilla iacta Megarici pſephiſmatis

Tale bellum concitauit, fumus omni vt Græciæ Vberes & hinc & inde lacrymas expreſſerit.

IV. EXTINXIT.] Themiſtius oratione 6. Ὥστε τὴν φλόγα σβέσαι τὴν Σκυθικήν. *Vt Scythicam flammam extinxerit.* Porcius Latro declam. in Catil. de hac ipſa coniuratione: *Reſtinguenda eſt itaque flamma nobis ſcelerata & atrox: dum adhuc velata cineribus ac ſopita, facultas reſtinguendi leuiſſimè data eſt, ne cùm omnia comprehenderit (quod Dij immortales penitùs auertant) nos fruſtra poſtmodum furibundam atque exultantem reſtinguere cupiamus.*

AXIOMATA.

Opus eſt vt intelligat iudex quantum iudicium ſuſtineat.

Indignum eſt prætextu legum innocentes ad inimicorum libidines & delitias depoſci.

ARGVMENTVM.

Accuſationis indignitatem ab impudentiâ Clodiæ demonſtrat, de cuius conſenſu aduerſarij, præiudicio vtebantur quod ſummam Clodiæ pariebat infamiam, vt hoc præiudicio Cœlium damnandum eſſe lege Plautiâ comprobarent: tum præiudicium ſic refutat, vt oſtendat eos lege Plautiâ non fuiſſe damnatos, & ſi damnati fuiſſent, ait non eandem illis & Cœlio damnationis fuiſſe rationem.

ATQVE hoc etiam loco M. Camurti, & Ceſerni damnatio prædicatur. O ſtultitiam! ſtultitiámne dicam, an impudentiam ſingularem? audetíſne, cùm ab ea muliere veniatis, facere iſtorum hominum mentionem? audetíſne excitare tanti flagitij memoriam, non exſtinctam illam quidem, ſed repreſſam vetuſtate? Quo enim illi crimine, peccatóque perierunt? nempe, quòd eiuſdem mulieris dolorem, & iniuriam Vettiano nefario ſunt ſtupro perſecuti. Ergo, vt audiretur Vettij nomen in cauſſa, vt illa vetus Afrania fabula refricaretur, idcirco Camurti, & Ceſerni cauſſa eſt renouata? qui quamquam lege de vi certè non tenebantur, eo maleficio tamen erant implicati, vt ex nullius legis laqueis emittendi viderentur. LXXI.

EXPLANATIO.

DAMNATIO PRÆDICATVR.] Vt hoc præiudicio Cœlium damnandum eſſe contendant, M. autem Camurtus & Ceſernus, quantum ſuſpicari licet, damnati fuerant, quòd Vettio cuidam adoleſcenti caſtiſſimo vim intuliſſent, eiúſque pudicitiam nefariè polluiſſent, Clodiæ dolorem perſecuti, quæ veluti Phædra quædam in Vettium furore exarſerat, quod eius pudicitiam expugnare minimè potuiſſet.

O STVLTITIAM.] Exclamatio eſt vi indignationis erumpens, cum dubitatione nominis quod tantæ indignitati reſpondeat. Stultitiáne debeat appellari, cùm ſuo ſeipſi gladio iugulent, propriæque cauſæ noceant commemoratione tanti facinoris, an impudentia cùm ad gloriam ex tanto ſcelere captandam, huius præiudicij mentionem feciſſe videantur.

AVDETISNE.] Grauis interrogatio qua aduerſarij magis vrgeantur, audetíſque cùm à Clodia, in cuius gratiam & ad cuius explendam libidinem tantum flagitium patratum Camurti, & Ceſerni eiuſdem libidinis vindicum facere mentionem.

NON EXTINCTAM ILLAM QVIDEM.] Tantum eſt enim ſcelus vt illud nulla vnquam deletura ſit obliuio:

-nulla quod laudet dies,
Sed nulla taceat.

QVO ENIM CRIMEN.] Ex ſuperioribus liquet quid velit. dolorem & iniuriam Clodiæ dicit, quod cùm amaret, Vettium tamen ab eo ſperneretur.

VT ILLA VETVS AFRANIA.] Alias, & vt puto melius, *Afraniana fabula.* ſenſus eſt, vt flagitium in memoriam reuocaretur, ſimile illis flagitiis de quibus Afranius Poëta togatas impudiciſſimè contexuit.

QVI QVAMQVAM LEGE DE VI.] Iam oſtendit non eandem Cœlio & illis damnationis eſſe rationem. Fateor, inquit, quanquam reuera, nullum crimen, ex iis, de quibus lata eſt lex Plautia, Camurto & Ceſerno intenderetur, atque adeo illi immeritò in iudicium lege Plautiâ vocarentur, tamen eâ lege fuiſſe damnatos. tantum enim ſcelus admiſerant, vt quauis lege iure damnari potuerint.

NOTÆ.

O STVLTITIA, STVLTITIAMNE DICAM.] Plinius Iunior lib. 1. epiſt. 14. *Honeſtam quietem huic noſtræ, ambitioni dicam, an dignitati? conſtantiſſimè prætulit.* Apuleius apologia 1. *Tantámne eſſe mentiendi cæcitatem dicam, an conſuetudinem?* Placet hoc loco ad imitationem nonnullas correctionis huiuſce formulas pueris exhibere. Præclara eſt illa Tullióque digna correctio pro Sextio 17. *Sed fuit profectò quædam illa Reip. fortuna fatalis, vt ille cæcus atque amens Tribunus plebis nanciſceretur. Quid dicam Conſules? hoccine vt ego appellem nomine, euerſores huius imperij, proditores veſtræ dignitatis, hoſtes bonorum omnium?* Quod memini me ſic aliquando imitari. *Adiunxerat enim ſibi Lutherus, Quid di-*

cam religioſos? quid dicam Sacerdotes? hoccine ego vt appellem nomine fidei, pietatis, religionis, Sacerdotij proditores qui omnem cum pudore pudicitiam, cum habitu religionem, cùm fide pietatem abiecerant? Sed tamen adiunxerat ſibi quoſdam emiſſarios, qui præfractis pudicitiæ repagulis in ſuas cupiditates dehinniebant: quaſdam belluas ex omnium ſcelerum colluuione natas conſtrictas legum diuinarum catenis, illaqueatas cenſuris eccleſiæ, implicatas ſcelerum conſcientiâ, expectatione ſupplicij iam non diuturnâ impeditas Lutherus ex omni fæce collegerat. Aliam dubitationis formulam Scipio apud Liuium vſurpat l. 8. decadis 3. *Apud vos quemadmodum loquar, nec conſilium, nec oratio ſuppeditat, quos nec quo nomine quidem appellare debeam, ſcio. Ciues? qui à patriâ veſtrâ deſciuiſtis. an milites? qui imperium auſpiciúmque abnuiſtis, Sacramenti religionem rupiſtis. Hoſtes? corpora, ora, veſtitum, habitum ciuium agnoſco: facta, dicta, conſilia, animos hoſtium video.* Quem imitatus Cornelius Tacitus primo annalium in perſona Germanici: *Quod nomen, inquit, huic cœtui dabo? militéſne appellem? qui filium Imperatoris veſtri vallo & armis circumſediſtis. an ciues? quibus tam proiecta Senatus auctoritas, hoſtium quoque ius & ſacra legationis & fas gentium rupiſtis.* Poſt vtrumque Dio Caſſius lib. 56. apud quem talis eſt Auguſti Cæſaris ad cœlibes oratio: Θαυμαστὸν μέν τοι πέπονθα, ὦ τί ἂν ὀνομάσαιμι ὑμᾶς; ἄνδρας; ἀλλ' οὐδὲν ἀνδρῶν ἔργον παρέχεσθε. πολίτας; ἀλλ' ὅσον ἐφ' ὑμῖν, ἡ πόλις ἀπόλλυται. Ῥωμαίους; ἀλλ' ἐπιχειρεῖτε τοὔνομα τοῦτο καταλῦσαι. *Miro quodam modo affectus ſum. O quo vos nomine appellem? viros? ſed nullum virorum opus exhibetis. Ciues? ſed quantum in vobis eſt, perditis ciuitatem. Romanos? ſed conamini hoc nomen extinguere.* Et Theagenes apud Heliodorum in Æthiopicis lugens mortem Charicleæ: Ἀλλ', ὦ τί ἄν σε τις ὀνομάσειε. Νύμφην; ἀλλ' ἀνύμφευτος. γαμετήν; ἀλλ' ἀπείρατος. τίνα οὖν ἀνακαλέσω; τίνα προσφθέγξομαι λοιπόν; ἢ ἆρα τὸ πάντων ὀνομάτων ἥδιστον Χαρίκλειαν; ὦ Χαρίκλεια, &c. *Sed, ô quo te nomine quis appellet? ſponſam? at non deſponſa es. nuptam? at nuptias nondum experta es. Quam igitur te appellabo? quam te de cætero compellabo? an igitur omnium nominum iucundiſſimum eſt Chariclea? ô Chariclea, &c.*

II. Afranius. AFRANIANA.] Fabius lib. 10. cap. 1. *Togatis excellit Afranius, vtinámque non inquinaſſet argumenta puerorum fœdis amoribus, mores ſuos faſſus.* De cuius eloquentiâ idem fatetur Velleius, vt meritò γλυκύπικρον dicere poſſimus huius ſcriptoris naufragium. Lætandum eſt laſciuas fabulas periiſſe: dolendum nullos excellentis ingenij fœtus ſupereſſe, in eo præſertim genere cuius nullum poſſit apud cæteros poëtas exemplum inueniri. quod tamen ipſum genus à Seneca magnopere laudatur epiſt. 8. *Quam multa poëtæ dicunt, quæ à philoſophis aut dicenda, aut dicta ſunt? non attingam tragicos, aut togatas noſtras. Habent enim hæ quoque aliquid ſeueritatis, & ſunt inter comœdias & tragœdias mediæ.* Togatæ. *Quantum diſertiſſimorum verſuum inter mimos iacet?* Quid ſi non ad Afranium Togatarum ſcriptorem, ſed ad Caiam Afraniam impudentiſſimam mulierem, &, vt credere par eſt, plurimarum fabularum poëtriam, quam Clodia imitari voluerit, alludat Orator? Valerius Maximus lib. 8. cap. 3. *Caia Afrania verò Licinij Bructionis vxor prompta ad lites contrahendas, pro ſe ſemper apud prætorem verba fecit: non quod aduocatis deficeret, ſed quod impudentiâ abundabat. Itaque inuſitatis foro latratibus aſſiduè tribunalia exercendo, ad muliebris calumniæ notiſſimum exemplum; adeò vt pro crimine improbis fœminarum moribus Caiæ Afraniæ nomen obiiciatur.* C. Afraniæ impudentia. Viuebat autem etiamnum cùm dies Cœlio dicta fuit, ſed iam ætate prouectior, ideóque vetus fabula dici potuit, is rumor qui de ipsâ adoleſcentulâ ſparſus fuerat. Valerius ibidem: *Prorogauit autem ſpiritum ſuum, ad C. Cæſarem tertium, itémque M. Seruilium Conſulem: tale enim monſtrum magis quo tempore extinctum, quàm quo ſit ortum memoriæ tradendum eſt.* Hæc certè interpretatio Franciſco Luiſino libro 3. παρέργων cap. 42. non mediocriter arriſit.

LEGIS LAQVEIS.] Vide Vatinianam §. 12. in illa verba, *Hominéſque negotia gerentes iniquiſſimis iudiciis irretires.* pro Milone 41. *Illam belluam iudicij laqueos declinantem.* pro Sextio 88. *Sed illum tot iam in funeribus Reſpub. exultantem ac tripudiantem, legum, ſi poſſet, laqueis conſtringeret.* Vide etiam pro Marcello 23. *Seueris legibus vincienda.* 7. Æneidos: III. Legis laquei

Saturni gentem haud vinclo nec legibus æquam
Sponte ſuâ, veteriſque Dei ſe more tenentem.

AXIOMA.

Qui inſigni maleficio ſunt implicati, è nullius legis laqueis emitti debent.

ARGVMENTVM.

Peroratio tres maximè partes complectitur, prima fuit vt de lege Plautia, qua Cœlius ea lege damnari non poſſe oſtenditur, & tum ſuperioribus duobus paragraphis, tum iſtius mediâ parte continetur. altera perorationis parte demonſtrat quomodo Cœlius laudabiliter adoleſcentiam exegerit. tertiâ parte Iudicum ſeueritatem deprecatur. hîc Cœlij adoleſcentiam à morum probitate commendans ſecundam perorationis partem aggreditur.

LXXII. M. verò Cœlius, cur in hoc iudicium vocatur? cui, neque proprium quæſtionis crimen obiicitur, nec verò aliquid eiuſmodi, quod ſit à lege ſeiunctum, & cum veſtra ſeueritate coniunctum. cuius prima ætas dedita diſciplinis fuit, iiſque artibus, quibus inſtruimur ad hunc vſum forenſem, ad capeſſendam Rempublicam, ad honorem, gloriam, dignitatem. iis autem fuit amicitiis maiorum natu, quorum imi-

tari induſtriam continentiámque maximè velit: iis æqualium ſtudiis, vt eundem, quem optimi ac nobiliſſimi, petere curſum laudis videretur.

EXPLANATIO.

M. VERO COELIVS.] Oſtendit hoc præiudicium nihil habere momenti, nec illam aduerſariorum rationem.

Camurtus & Ceſernus, licet iis proprium quæſtionis crimen non obiiceretur, tamen hac lege damnati ſunt.

Ergo & Cœlius hac lege damnandus eſt.

Negat Orator conſecutionem enthymematis, Tantum illi facinus admiſerant, vt quamuis nullum proprium quæſtionis crimen intenderetur, tamen ex nullius legis laqueis emittendi viderentur: at verò alia fuit Cœlij ratio, quia nec proprium quæſtionis crimen obiiciebatur, nec aliunde facinus vllum admiſerat, quod quamuis ab ipsâ lege & quæſtione ſeiunctum, tamen propter facti atrocitatem eſſet puniendum.

CVIVS PRIMA ÆTAS.] Hæc eſt altera pars perorationis, quæ eſt veluti ſuperioris probatio. Cœlium enim à primâ ſurgentis pueritiæ vitâ tam laudabiliter vixiſſe demonſtrat, vt nihil Iudicum ſeueritate præſertim extra legem & quæſtionem dignum admiſerit.

DEDITA DISCIPLINIS.] Liberalium artium ſtudiis, quibus animus tum ad oratoriam facultatem, tum ad politicam ſcientiam præparatur.

IIS AVTEM FVIT AMICITIIS.] Cœlium laudat partim ab iis quos ipſius pater vitæ inſtitutores elegerat, partim à ſtudio quo eos conatus eſt imitari. Superiùs §. 9. *Hoc dicam, hunc à Patre continuò ad me eſſe deductum. Nemo hunc M. Cœlium in illa ætatis flore vidit, niſi aut cum Patre, aut mecum, aut in M. Craſſi ſanctiſſimâ domo, cum artibus honeſtiſſimis erudiretur.*

NOTÆ.

I. Honor Laus. AD HONOREM, GLOR. DIGN.] Pro Sextio 137. *Hæc eſt vna via, mihi credite, & laudis, & dignitatis & honoris.* Et alibi frequenter. Eſt autem, vt alibi notauimus, inter iſta diuerſitas. Honor facto & externo corporis geſtu vt genuflexione, capitis detectione: laus tacitâ exiſtimatione, laudatio verbis exhibetur. Gloria eſt clara cum laude notitia, & multorum ac magnorum fama meritorum. Dignitas ex his effloreſcit, & eſt veluti quidam auctoritatis apex ex omnibus comparatus. quanquam & *honorem verborum* inuenies, nec in aliis ſemper locum habet iſta λεπτολογία. Gloria. Dignitas.

MAIORVM NATV.] Vide dicta ad §. 9. & Xenophontem initio libri 4. Memorabilium de Euthydemo, qui maiorum natu & eruditorum conſuetudinem fugiebat. II.

ÆQVALIVM STVDIIS.] Vel quod eum æquales obſeruarent, quemadmodum Ciceronem adhuc puerum nobiles condiſcipuli ob ingenium tanti faciebant, vt eum ſingulis diebus è ſcholis redeuntem honoris cauſsâ domum deducerent: & Catonis item pueri virtutem tanti æſtimabant, vt Troiam equitare noluerint, alio quouis agmen ducente, vt in eorum vitâ narrat Plutarchus, vel quòd æmularetur æqualium ſtudia & cum quibuſuis ingenio, virtute, induſtriáque certaret. III.

CVRSVM.] Noſter libro tertio de ſuo conſulatu. IV.

Intereà curſus quos primâ parte iuuentæ
Quoſque adeò Conſul virtute animóque petiſti,
Hos retine atq. auge famam laudémq. bonorum. Curſus laudis.

Voce tranſlata vel à curribus qui in ſpatio, vel à nauibus quæ in mari decurrunt. ad vtramque tranſlationem alludit 3. de orat. §. 7. *O fallacem hominum ſpem fragilémque fortunam, & inanes noſtras contentiones, quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur, & corruunt, & ante in ipſo curſu obruuntur, quàm portum conſpicere potuerunt!* Vide de claris oratoribus 307.

AXIOMATA.

Prima ætas debet eſſe dedita diſciplinis & bonis artibus, &c.

Eorum amicitiis vti debemus, quorum imitari induſtriam continentiámque maximè velimus.

ARGVMENTVM.

Hactenus oſtendit quemadmodum tum in ſinu patris, tum in oculis grauiſſimorum virorum fuerit educatus, nunc eum commendat à Q. Pompeij Proconſulis in Africâ contubernio, cauſáſque reddit cur eum decuerit in Africam proficiſci.

CVM autem paullum iam roboris acceſſiſſet ætati, in Africam profectus eſt, Q. Pompeio Proconſuli contubernalis, caſtiſſimo viro, atque omnis officij diligentiſſimo: in qua prouincia cùm res erant, & poſſeſſiones paternæ, tum etiam vſus quidam prouincialis, non ſine cauſſa à maioribus huic ætati tributus. diſceſsit illinc Pompeij iudicio probatiſsimus, vt ipſius teſtimonio cognoſcetis. voluit vetere inſtituto, eorum adoleſcentium exemplo, qui poſt in ciuitate ſummi viri, & clariſsimi ciues exſtiterunt, induſtriam ſuam à populo Rom. ex aliqua illuſtri accuſatione cognoſci. LXXIII.

EXPLANATIO.

CVM AVTEM.] Cùm iam paulò fuiſſet in adoleſcentiam prouectior, in Africam profectus eſt in Q. Pompeij comitatu, vt ei ſocius eſſet, & in eodem contubernio maneret.

CASTISSIMO VIRO.] Cœlium laudat, à Q. Pompeij, cuius contubernalis fuit, integritate morúmque ſanctitate: qui tam caſtus fuit, vt in eius contubernio, Cœlio non liceret eſſe impudicum: tam officij diligens, vt Cœlium ad omne officium erudiret.

IN QVA PROVINCIA.] Duas adfert rationes cur expedierit Cœlium in Africam proficiſci. altera petitur ab adminiſtratione rei familiaris; quia decebat Cœlium filium ea prædia inuiſere, quæ ipſius pater in Africâ poſſidebat. altera à maiorum inſtituto, qui cum Proconſulibus adoleſcentes nobiles in prouincias eo conſilio mittebant, vt hoc pacto ad reipub. adminiſtrationem ipſo vſu, optimo magiſtro erudirentur.

DISCESSIT.] Pergit oſtendere quàm laudabiliter ſe geſſerit Cœlius, poſtquam diſceſſit è prouinciâ: & quomodo vt ſuum in remp. animum oſtenderet illuſtris viri, de more maiorum, accuſationem ſuſceperit.

NOTÆ.

I. CONTVBERNALIS.] Cic. pro Plancio §. *Hic eſt enim qui adoleſcentulus cum Aulo Torquato profectus in Africam ſic ab illo grauiſſimo & ſanctiſſimo viro dilectus eſt, vt contubernij neceſſitudo, & adoleſcentuli modeſtiſſimi pudor poſtulabat.* Feſtus: *Contubernales dicuntur a tabernis, quæ fiebant ex tabulis, vnde tabernacula dicta ſunt, licet tentoria e pellibus fiant.* Libet hîc ex Commentariis Turnebi in præfationem Plinianam quædam deſcribere. *Contubernium*, inquit Feſtus, *contubernalium habitatio eſt.* Modeſtus autem partem dicit eſſe centuriæ. decem enim militibus ſub vno papilione degentibus, præerat vnus decurio, qui caput contubernij dicebatur. Contubernium autem, id eſt, decem milites, manipulus vocabatur. Hinc in alicuius contubernio militare quis dicitur, qui militiæ eſt cum aliquo, & in eius tabernaculo & comitatu degit. Suetonius in Iulio. *Stipendia prima in Aſiâ fecit, M. Thermi Prætoris contubernio.* Eſt & contubernium inter ſeruos, vt matrimonium inter liberos apud Iuriſconſultos: vnde apud Columellam contubernalis vxor ſerui eſt. *Ac ſi quis*, inquit Columella, *vt euenit cura contubernalis eius intra tectum tergiuerſans feſellerit.* Contubernium tale ſignificauit Maro, cùm ſcripſit,

Contubernium.

Contubernalis.

Poſtquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit, &c.

Eſt & contubernium in concubinatu. Tranquillus. *Poſt vxoris exceſſum Cenidem Antoniæ libertam, & à manu, quondam dilectam ſibi, reuocauit in contubernium: habuitque etiam Imperator penè iuſtæ vxoris loco.* Vide Poletum lib. 2. c. 7.

I ILLVSTRI ACCVSATIONE.] Supra 15. *Coniurationis accuſatione adoleſcentiam ſuam potiſſimum commendare voluiſſet.* vide Notas. Adde Apuleium apologiâ poſteriore. *Neque autem gloriæ cauſa me accuſat, vt M. Antonius Cn. Carbonem, C. Mutius M. Albutium, P. Sulpicius Cn. Norbanum, C. Furius M. Aquilium, C. Curio Q. Metellum. Quippe homines, eruditiſſimi* (legerim *Quippe hi omnes*) *eruditiſſimi iuuenes, laudis gratia primum hoc rudimentum forenſis operæ ſubibant, vt aliquo inſigni iudicio ciuibus ſuis noſcerentur. Qui mos incipientibus adoleſcentulis, ad illuſtrandum ingenij florem, apud antiquos conceſſus, iam diu exoleuit.*

Iuuenes accuſabant.

AXIOMA.

Veteris fuit inſtituti, vt adoleſcentes vellent induſtriam ſuam à populo Romano ex illuſtri aliqua accuſatione cognoſci.

ARGVMENTVM.

Breuiter conqueſtus de C. Antonij damnatione quem, accuſante Cœlio, ipſe defenderat, ex quo & in Cœlium non mediocris gloria redundat, quòd ipſum Ciceronem in cauſa ſuperarit, ad cætera eius honeſta ſtudia delabitur.

LXIV. VELLEM aliò potiùs eum cupiditas gloriæ detuliſſet: ſed abiit huius tempus querelæ. accuſauit C. Antonium collegam meum: cui miſero præclari in Rempub. beneficij memoria nihil profuit, nocuit opinio maleficij cogitati. poſteà nemini conceſsit æqualium, plus vt in foro, plus vt in negotiis verſaretur, cauſsíſque amicorum, plus vt valeret inter ſuos gratia. quæ niſi vigilantes homines, niſi ſobrij, niſi induſtrij conſequi non poſſunt, omnia labore, & diligentia eſt conſecutus.

EXPLANATIO.

VELLEM ALIO.] Vellem in alium potiùs, quàm in C. Antonium ſuæ accuſationis impetum conuertiſſet. videtur autem à nauigantibus ducta tranſlatio, qui vi tempeſtatis, non conſilio quamlibet in partem deferuntur.

SED ABIIT.] Sed iam ſero conquerimur, poſtquam Antonius iam exilio multatus eſt.

ACCVSAVIT C. ANTONIVM.] Lege repetundarum ex Prouincia Macedonia digreſſum in Iudicium ſic vocauit, vt tamen maximam accuſationis partem, non in repetundarum, ſed in coniurationis crimine conſumpſerit, quaſi Antonius Catilinariæ coniurationis fuiſſet particeps.

Collegam mevm.] In Conſulatu.

Cvi misero.] Antonio nihil profuit memoria inſignis illius victoriæ, qua eius auſpiciis Catilinæ exercitus, iam in totius Reip. perniciem imminens, internecione deletus eſt, occiſo imprimis ipſo Catilina.

Nocvit opinio maleficii cogitati.] Coniurationis cuius ineuntis particeps fuiſſe dicebatur. ab ea tamen cogitatione ad Reip. defenſionem ſe receperat obſequio Ciceronis & pactione prouinciæ mitigatus. Nota autem elegantem antitheſim. *profuit, nocuit, memoria, opinio, beneficij.* videlicet, collati, *maleficij cogitati.*

Postea.] Poſteà quàm accuſauit Antonium, & hoc pacto fidem ſuam obligauit, fore vt ab iis ſe vitiis abſtineret, quæ in aliis accuſabat, forenſibus negotiis cauſiſque agendis ita vacauit, vt nulli adoleſcenti de diligentia & officio conceſſerit.

Qvæ nisi vigilantes.] Ab affectis Cœlij induſtriam laudat, quòd ea fuerit conſecutus, quæ nemini ſine magno labore & vigilantiâ contigerunt.

NOTÆ.

I. Detvlisset.] Dixi à nauigatione ſiue potiùs tempeſtate vocem eſſe tranſlatam. Horatius.

Quò me cùmque tulit tempeſtas, deferor hoſpes. Deferri.

Maro:

Huc vbi delati portus intrauimus.--

Versaretvr.] Vide Notas pro Marcello 2. *Verſari me in noſtro veteri curriculo.* Herodotus lib. 3. Διακαρτερέων ἐν τῇσι στοῇσι ἐκαλινδέετο. *Perſeuerans in porticibus verſabatur.* II. Verſari.

Sobrii.] Græci dicerent νήφοντας, quod verbum non magis externam corporis temperantiam ſignificat, quàm internam animi ſanitatem. hîc vſurpare poſſumus illa Chryſoſtomi homil. 20. in epiſtolam ad Romanos. Σωφροσύνην ἐνταῦθα λέγων οὐ τὴν ἀντιδιαστελλομένην τῇ ἀσελγείᾳ ἀρετήν, οὐδὲ τὸ ἀπηλλάχθαι ἀκολασίας, ἀλλὰ τὸ νήφειν καὶ ὑγιαίνειν κατὰ τὴν διάνοιαν. καὶ γὰρ καὶ τοῦτο σωφροσύνη λέγεται ἀπὸ τοῦ σώας τὰς φρένας ἔχειν. *Temperantiam & ſobrietatem hîc dicit, non eam virtutem quæ petulantiæ & laſciuiæ contraria eſt, neque ab intemperantiâ liberum eſſe, ſed ſobrium mentéque ſanum.* σωφροσύνη *ſiquidem dicitur* ἀπὸ τοῦ σώας τὰς φρένας ἔχειν, *hoc eſt ab eo quòd mentes habeantur ſanæ.* III. Sobrius.

AXIOMA.

Sæpe quibus beneficij memoria nihil prodeſt, nocet opinio maleficij cogitati.

ARGVMENTVM.

Fatetur Cœlium, cùm ſe ab extrema adoleſcentia in primam iuuentutem inflecteret, videlicet circa annum ætatis 21. aliqua laboraſſe voluptatum & amorum infamia, ſic tamen vt eum multis rationibus excuſet.

In hoc flexu quaſi ætatis (nihil enim occultabo fretus humanitate, ac ſapientia veſtra) fama adoleſcentis paullum hæſit ad metas notitiâ nouæ mulieris, & infelici vicinitate & inſolentia voluptatum. Quæ cùm incluſæ diutiùs, & prima ætate compreſſæ, & conſtrictæ fuerunt, ſubitò ſe nonnumquam profundunt, atque eiiciunt vniuerſæ: qua ex vita, vel dicam, quo ex ſermone (nequaquam enim tantum erat, quantum homines loquebantur) verùm ex eo quidquid erat, emerſit, totúmque ſe eiecit, atque extulit: tantúmque abeſt ab illius familiaritatis infamia, vt eiuſdem nunc ab ſeſe inimicitias, odiúmque propulſet. LXXV.

EXPLANATIO.

In hoc flexv qvasi ætatis.] A circo circenſibúſque ludis allegoria deducitur, quemadmodum aurigæ confectis circi ſpatiis, ſæpe labuntur currúſque ad metam allidunt, ſic M. Cœlius decurſis pueritiæ & adoleſcentiæ ſpatiis, cùm iam vigeſimum ætatis annum, quaſi extremam adoleſcentiæ metam attigiſſet, ex eáque ſe in iuuentutem inflecteret, nonnihil de fama ſuæ priſtinæ frugalitatis amiſit.

Nihil enim occvltabo.] Duas profert rationes cur nihil occultare velit. altera eſt Iudicum humanitas, qua etiamſi aliquam in adoleſcente culpam inuenirent, ætati facilè ignoſcerent. altera eorumdem ſapientia, qua non neſciebant multa in adoleſcentibus eſſe ferenda, quæ in viris non deberent tolerari.

Fama adolescentis.] Cœlium tribus rationibus excuſat. prima eſt notitia mulieris, id eſt Clodiæ, à qua in voluptates abductus eſt. altera eſt, non notitia tantùm, ſed etiam mulieris vicinitas. tertia eſt inſolentia voluptatum, tanto enim faciliùs ineſcari potuit, & lenociniis in fraudē induci, quò minùs erat voluptatibus aſſuetus.

Qvæ cvm inclvsæ divtivs.] Reddit rationem cur voluptatum inſolentes iis facile capiantur. allegoria ni fallor, à feris ducta, quæ quò arctiùs in cauea conſtrictæ fuerint, eò nonnunquam ferociùs & vehementiùs erumpunt. quibus oſtendit Cœlium non tam intemperantiâ & certâ animi inductione, quàm incontinentiâ & ætatis feruore abreptum in voluptates fuiſſe.

Qva ex vita.] Cœlium excuſat, quòd licet has voluptates extremis digitis attigerit, nunquam tamen in eas ſe penitùs immerſerit, ſed primo quoque tempore ad meliorem frugem ſe receperit: eóque ſigno argutè demonſtrat, Cœ-

lium in Clodiæ familiaritate diutiùs non hæſiſſe, quòd iam Clodiæ factus fuerit inimicus.

VEL DICAM.] Nota egregiam dubitationem in nominis delectu. vitam dixerat, ſe corrigit, dicit non vitam fuiſſe, ſed ſermonem iniquúmque rumorem, mox hanc ipſam correctionem corrigit, vt magis oſtendat ſe cauſæ confidere, & ſiue vita Cœlij iure fuerit infamis, ſiue ſolo hominum rumore, eum oſtendit veniâ & excuſatione dignum.

NOTÆ.

1. FLEXV ÆTATIS.] Hominum ætas & vita ſæpe cum curſu comparatur, vt cum decurſu ad lampadem. Plato 6. de legibus. γεννῶντάς τε καὶ ἐκτρέφοντας παῖδας, καθάπερ λαμπάδα τὸν βίον παραδιδόντας ἄλλοις ἐξ ἄλλων. *Eos qui & generant, & pueros educant, vitam ſibi quaſi lampadem de manu ad manum tradentes.* Quam ſimilitudinem expreſſit Lucretius ſanè eleganter, lib. 2. de natura rerum.

Vita cum decurſu ad lampadem comparata.

Et quaſi curſores vitai lampada tradunt.

Perſius ſat. 6.

Qui prior es cur me in decurſu lampada poſcis?

Diuus Baſilius libro de vera virginitate eò videtur alludere. Οὐ τὴν πρὸς ἄλληλα συμπλοκὴν μόνον διὰ τῶν προειρημένων τρόπων ἡδεῖαν τοῖς σώμασιν αὐτῶν ἐργασάμενος, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὸ ἐκ τῆς συμπλοκῆς τοῖς τοῦ ἔρωτος λαμπάσι δᾳδουχούμενον γένος πολὺ τὸ φίλτρον ἐγκατασπείρας. *Non modò mutuum complexum prædictis modis iucundum corporibus effecit, ſed etiam magnam vim amoris indidit erga id quod ex illo complexu velut amoris lampadibus deducitur.* Verba non ſuppetunt, quibus Græci ſermonis concinnitas exprimatur. Sæpius etiam cum curuli certamine decurſúque ludorum circenſium. Noſter in Lælio. *Quoniam ita ratio comparata eſt vitæ naturæque noſtræ, vt alia ætas oriatur ex aliâ, maximè quidem optandum eſt vt cum æqualibus poſſis, quibuſcum è carceribus emiſſus ſis, cum iiſdem ad calcem vt dicitur peruenire.* Et lib. 1. de Oratore. *Ambitionis occupatio decurſu honorum, etiam ætatis flexu conſtitiſſet.* Seneca lib. de tranquillitate animi, cap. 9. *Aſſueſcamus ergo cœnare poſſe ſine populo, & ſeruis paucioribus ſeruiri, & veſtes parare in quod inuentæ ſunt, habitare contractiùs, non in curſu tantùm, circíque certamine, ſed in his ſpatiis vitæ interiùs flectendum eſt.* Perſius ſat. 5.

Et cum curuli certamine.

Flexus ætatis.

--vitæ quam mollis flexus, & vnde.

Sidonius Apollinaris lib. 9. ep. 16.

Nam ſenectutis propiore metâ.
Quicquid extremis ſociamur annis
Plus pudet, ſi quid leuè luſit ætas
Nunc reminiſci.

Huc etiam pertinere poſſit illud Diogenis apud Laërtium. Πρὸς τοὺς εἰπόντας, γέρων εἶ, καὶ λοιπὸν ἄνες. Τί, δ' ἔφη, εἰ δόλιχον ἔδραμον πρὸς τὸ τέλος, ἔδει με ἀνεῖναι, καὶ μὴ μᾶλλον ἐπιτεῖναι. *Ad eos qui dicebant. Iam ætate prouectior es, de reliquo remiſſiùs viue. Quid, inquit, ſi currerem, an ad finem ſpatij remittere deberem an intendere?* Eleganter Euripides eodem penè ſenſu mortem vitæ metam appellat in Hippolyto.

Κρυπτῷ δὲ πένθει θανάτου θέλουσαν
Κέλσαι πρὸς τέρμα δύστανον.

Latente verò luctu volentem ad mortis metam infœlicem impingere. Et Simonides apud Stobæū.

--βιότου ποτὶ τέρμα
Ψυχῇ τῶν ἀγαθῶν πλήθει χαριζόμενος.
--*vitæ*
Ad metam, genio gratificare tuo.

Sed elegantiùs, ni fallor, Cicero & Perſius, qui metam non cum ſenectute, ſed potiùs cum adoleſcentiâ compararũt. nam quemadmodum agitatores in curuli certamine, cùm è carceribus fuerint emiſſi, non priùs eo redeunt vnde diſceſſerant, quàm circa metam flexerint, ad quam flexus erat mollis, id eſt molliter & artificiosè faciendus, ne rotis ad metas tanquam ad ſcopulos alliſis, facerent curule naufragium: ſic in vitæ ſpatiis, antequam ad terram vnde diſceſſum eſt, redeatur, circa adoleſcentiæ metam flectendum eſt, quo in flexu maximum vitæ virtutíque diſcrimẽ impendet, vt maximus labor eſt ad metam in illo curuli certamine. vnde,

Has motu ad metas ſudet oportet equus.

Virg. 3. Georg.

Hic vel ad Elæi metas & maxima circi
Sudabit ſpatia.

In eo autem potiſſimùm flexu & agitatorum elucebat induſtria, quòd ſexies metam debebant circuire, quo in circuitu qui propiùs ad metam acceſſerat, nec ad eam tamen rotas alliſerat, is palmam referebat. Ouidius 3. Amorum, eleg. 2.

Et modò lora dabo, modò verbere terga notabo,
Nunc ſtringam metas interiore rotâ. Item:
Me miſerum! metam ſpatioſo circuit orbe
Quid facis? admoto protinùs axe ſubi.
Quid facis infœlix? perdit bona vota puellæ.
Tende precor validâ lora ſiniſtra manu.

Curſoribus in flexu & ad metam maximus labor.

Quibus vides ei contigiſſe victoriam qui metam legeret, & quaſi leuiter perſtringeret; eum contra victum fuiſſe, qui metam ſpatioſiore gyro circuiret. Homerus 23. Iliados, v. 309.

Οἶσθα γὰρ εὖ περὶ τέρμαθ' ἑλισσέμεν.
Aurigans etenim ſcis circumflectere metam.

Et Neſtor Antilochum mouet ibidem, verſ. 333.

Ars circumflectendi ad metam.

Καὶ νῦν τέρματ' ἔθηκε ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεύς.
Τῷ σὺ μάλ' ἐγχρίμψας ἐλάαν σχεδὸν ἅρμα καὶ ἵππους.
Αὐτὸς δὲ κλινθῆναι ἐϋπλέκτῳ ἐνὶ δίφρῳ
Ἦκ' ἐπ' ἀριστερὰ τοῖιν. ἀτὰρ τὸν δεξιὸν ἵππον
Κένσαι ὁμοκλήσας, εἶξαί τέ οἱ ἡνία χερσίν.
Ἐν νύσσῃ δέ τοι ἵππος ἀριστερὸς ἐγχριμφθήτω
Ὡς ἄν τοι πλήμνη γε δοάσσεται ἄκρον ἱκέσθαι
Κύκλου ποιητοῖο, λίθου δ' ἀλέασθαι ἐπαυρεῖν.
Μήπως ἵππους τε τρώσῃς, κατὰ θ' ἅρματα ἄξῃς
Χάρμα δὲ τοῖς ἄλλοισιν, ἔλεγχος δὲ σοὶ αὐτῷ
Ἔσσεται.-

Nunc autem metam poſuit generoſus Achilles
Quam tu perſtringens volitantem impellito currum.
Ipſe quidem curru benefacto accliuis, equorum
In læuam procumbe, minans dextrúmque iugalem
Hortare, exſtimula, manibus laxentur habenæ.
Molliter & læuus quadrupes perſtringito metam
Axis vt extremum metæ libare putetur
Molliter; at currum caueas impingere ſaxo.
Ne celeres lædantur equi currúſque fatiſcat,
Lætitiam accerſas aliis, tibique ipſe pudorem.

Libet hoc loco verſus extemporales adiicere, quibus Heſiodus Homerum ſuperauit, ex Leſche apud Plutarchum in ſeptem ſapientum cõuiuio.

Ἀλλ' ὅταν ἀμφὶ Διὸς τύμβῳ καναχήποδες ἵπποι
Ἅρματα συντρίψωσιν ἐπειγόμενοι περὶ νίκης.

Cùm Iouis ad tumulum ſonipes impegerit axem
Palmarum accenſus ſtudio.-

καὶ διὰ τοῦτο λέγεται μάλιστα θαυμασθεὶς τοῦ τρίποδος τυχεῖν. *& ideò maximè laudatus tripodem fuiſſe conſecutus.* Nonnus Panopolitanus Homeri ſimia, Poëta digniſſimus qui muſas Homericas imitetur, Ariſtæum ſic Actæoni filio loquentem inducit 37. Dionyſiacon, verſu 202.

Ὃς δέ κε τεχνήεντι δόλῳ μεμελημένος εἴη
Ἡνίοχος πολύμητις ἔχων καὶ ἐλάσσονας ἵππους
Ἰθύνει προκέλευθον ὀπιπεύων ἐλατῆρα.
Εἰς ὑδὲ αἰεὶ περὶ νύσσαν ἄγων δεξιόν, ἅρμα δὲ κάμπτει
Ἱππεύων περὶ τέρμα, καὶ οὔ ποτε τέρμα χαλάσσων.
Σκέπτεό μοι καὶ σφίγγε κυβερνητῆρι χαλινῷ
Δοχμώσας ὅλον ἵππον ἀριστερὸν ἔνθα νύσσης
Λοξὸς ἐπὶ πλευρῇσι παρακλιδὸν ἅρμα βαρύνων
Ἀγχιφανής, ἄψαυστος. ἀπειλείω τινὶ μέτρῳ
Σὸν δεξιὸν ἰθύνων περιελαδόμενον, ἄχρι φανείη
Γλήνῃ ἐλισσομένης στέγην ἁρματος, οἷά περ ἄκρης
Τέρματος ἀπτομένης προχοειδεῖ γείτονι κύκλῳ.
Ἀλλὰ λίθον πεφύλαξο, μὴ ἄξονι νύσσαν ἀράξας
Εἰν ἑνὶ δηλήσαιο καὶ ἅρματα καὶ σέθεν ἵππους.

Qui verò arte valet prudens agitator equorum,
Deteriore licet campi petat æquora curru,
Aurigam aſpectans præeuntem effundit habenas
Semper agens greſſum prope metam. axémque reflectit
Metam circumequitans, nec ſaxo alliditur axis.
Huc aduerte animum, & fræenos cohibeto iugalis
Quadrupedem inflectens læuum, prætereg e metã
In latus inflexum vergens, currúmque grauato
Apparens prope, nec tangens, certóque tenore,
Dirige prudentem curſum, dum appareat axis
Verſantis ſeſe ſinuoſo tramite canthi
Summam delibans vicino circite metam.
Sed caue ne impactus ſaxum terat, axis, & vno
Afflictu lædantur equi currúſque fatiſcat.

Sic apud Quintum Smyrnæũ quem alij Calabrũ appellant, ingentis & ipſum ſpiritus Poëtam lib. 4. Sthenelus ab Agamemnone ſuperatur, quia πολλάκι νύσσης ἤλιθεν. *ſæpe à metâ aberrauerat.* apud quem doleo periiſſe deſcriptionem curulis naufragij, quo Thoas & Euripylus ad metam dicuntur alliſi. Vide Sophoclem in Electrâ fuſiſſimè. Adderem & ex Calliſthene nõ inſulſam ſcriptoris inſulſi enarrationem, ſed iam vereor ne dum de metâ diſſerimus à metâ longiùs euagemur. priuſquam tamen ex hoc flexu ad carceres redeamus, aduerte hunc circuitum fuiſſe ſepties iterandum. Sophocles in Electrâ, hunc ipſum flexum deſcribens: --ἐκ δ' ὑποστροφῆς

Flexus ad metã ſepties faciendus.

Τελοῦντες ἕκτον, ἕβδομόν τ' ἤδη δρόμον
Μέτωπα συμπαίουσι Βαρκαίοις ὄχοις.

Redeunte flexu, iámque ſexto & ſeptimo
Curſu abſoluto quatere tranſuerſis rotis
Cœpere frontem.

Vide Sidonium Apollinarem in Narbone ad Cõſenſium, vbi inter cætera hæc pulcherrimè.

Atque ipſis pariter viris equiſque
Fit curſu calor, & timore frigus.
Itur ſic ſemel, itur & ſecundò,
Eſt ſic tertius, atque quartus orbis.
Quinto circite non valens ſequentum
Pondus ferre prior, rotabat axem:
Quod velocibus imperans quadrigis,
Exhauſtos ſibi ſenſerat iugales
Iam ſexto reditu perexplicato.

Immò etiam duodecies. Pindarus Olymp. 3.

Τῷ ἰὼν γλυκὺς ἵμερος ἔσχε
Δωδεκάγναμπτον περὶ τέρμα δρόμου, &c.

Ideò eum dulcis amor habebat
Duodecies circumflectendã circa metam curſũs.

Hæc autẽ curruum alliſio dicebatur curule naufragium. Demoſthenes ſiue quiſquis eſt ille qui amatoriam ſcripſit orationem, inter alia multa, ἐν τοῖς ἱππικοῖς ἀγῶσιν ἥδιστον θέαν παρέχει τὰ ναυάγια. *In equeſtribus certaminibus iucundiſſimum ſpectaculum præbent naufragia.* Sophocles in Electra.

Curule naufragium.

--πᾶν δ' ἐπίμπλατο
Ναυαγίων Κρισαῖον ἱππικῶν πέδον.

--campus iacebat
Equeſtribus Criſſæus in naufragiis. Item:

Γνοὺς δ' οὐξ Ἀθηνῶν δεινὸς ἡνιοστρόφος
Ἔξω παρασπᾷ, κἀνακωχεύει παρεὶς
Κλύδων' ἔφιππον ἐν μέσῳ κυκώμενον.

Athenienſis iſta cùm noſſet probè
Auriga prudens ille deflexit rotas,
Equitúmque pretergreſſus vndantem exiit
Procellam.

Aduerte poſtremò nomen *flexus*, & à Cicerone vſurpatum, & ab omnibus penè aliis quorum auctoritatem ad huius loci probationẽ adduximus. Sic & citatus Calliſthenes κάμπτης facit mentionem, deſcribens quomodo Alexander Olympiæ certauerit. Ἐτέθησαν λοιπὸν τὰ τοῦ ἀγῶνος πάντα, καὶ ὁ κάμπτης ἐκληρώθη, ἔλαχε πρῶτον Νικόλαος, &c. ἔστησαν λοιπὸν ἐπὶ τὴν ἱππασίαν, ἠλάλαξεν ἡ σάλπιγξ τὸ ἐναγώνιον μέλος, ἐξῆλθον αἱ πυλώσεις τῶν ἵππων, ὡρμήσαν οἱ ἀφεσῆρες τῶν καγκέλλων, &c. *De cætero diſpoſuerunt omnia ad agonem ſpectantia, & flexum ſortiti ſunt. primus ſortitus eſt Nicolaus.* &c. *Deinceps ſteterunt ad equitationem. Clanxit tuba carmen agoniſticum.* Et Ariſtoteles 3. Rhetor. c. 9. Metam ipſam καμπτῆρα nominauit. ἐπὶ τοῖς καμπτῆρσιν ἐκπνέουσι καὶ ἐκλύονται. *Inflexionibus ſiue ad metam anhelant, & deficiunt.* Paulò pòſt τέρμα appellat. ἐξωτέρω ἀποκάμπτοντες τοῦ τέρματος. *vltra metam ſe conuertentes.* Non omittam vt hîc famæ metam coniungit, ita ab Orpheo, quiſquis ille fuit, gloriam dici circa metam currum agitare hymno in Parcas.

Μορφῶν ἐν δαπέδῳ, ὅθι πάγγεον ἅρμα διώκει
Δόξα δίκης παρὰ τέρμα, καὶ ἐλπίδος, ἠδὲ μεριμνῶν.

Parcarum in campis vbi currum gloria ducit
Circum iuſtitiæ metam curaque ſpeique.

quæ iam alibi citata.

INSOLENTIA VOLVPTATVM.] Diuus Hieronymus lib. 2. ep. 9. *Inter has tantas illecebras voluptatum, etiam ferreas mentes libido domat, quæ maiorem in virginibus patitur famem, dum dulcius putat omne, quod neſcit.* & vt ait Iuu. ſat. II. Inſolẽtia voluptatum.

--voluptates commendat rarior vſus.

Liuius libro tertio dec. 3. de Annibale. *In hyberna Capuam conceſſit, ibi partem maiorem hyemis exercitum in tectis habuit, aduerſus omnia humana mala ſæpe durantem, bonis inexpertum atque inſuetum. itaque quos nulla mali vicerat vis, perdidere nimia bona, ac voluptates immodicæ, & eo impenſius, quo auidiùs ex inſolentiâ in eas ſe immerſerant.*

INCLVSÆ.] Meritò cupiditates cum belluis hac tranſlatione comparat. vide Piſonianam 1. §. Plutarchus initio opuſculi de auditione. III. Cupiditates belluæ. Αἱ ἀρχαὶ ἣν ἔνιοι τῶν νέων ἐλευθερίας ἀπαιδευσίᾳ νομίζουσι χαλεπωτέρους τῶν ἐν παισὶ διδασκάλων καὶ παιδαγωγῶν δεσπότας ἐφιστᾶσι τὰς ἐπιθυμίας ὥσπερ ἐκ δεσμῶν λυθείσας. *Superiorum priuatio quam nonnulli adoleſcentum per imperitiam libertatem arbitrantur, longè moroſiores dominos puerorum præceptoribus & pædagogis inducit cupiditates tanquam è vin-*

culis ſolutas. Dio Chryſoſtomus in Charidemo de cupiditatibus loquens. Ὅσις ἐπιεικέστερον διάκειται, καθόλου μὲν ἀπήλλακται τούτων οὐδενός. ὥσπερ τε θηρία ἔνδον κατακεκλεισμένα ἔχει μετὰ βίας ὁμοῦ καὶ πειθοῦς τινὸς ἠναγκασμένα ἠρεμεῖν. εἰ δὲ καὶ σμικρὸν παύσαιτο κατεπᾴδων καὶ προσέχων, αὐτίκα δὲ μάλα κινούμενα. *Quicunque etiam moderatiùs affectus eſt, in vniuerſum tamen à nullâ cupiditatum plenè abſolutus eſt: ſed quemadmodum feras intùs habet incluſas, vi pariter & ſuadelâ quadam coactas quieſcere. Si verò vel modicum ceſſet incantare & attendere, continuò ſe commouentes.*

AXIOMATA.

Plerumque in flexu ætatis fama adoleſcentum hæret ad metas inſolentiâ voluptatum.

Voluptates cùm incluſæ diutiùs & primâ ætate compreſſæ & conſtrictæ fuerunt, ſubitò ſe nonnunquam profundunt, atque eiiciunt vniuerſæ.

ARGVMENTVM.

Oſtendit quàm celeriter Cœlius ex illâ vitâ deſidioſâ ad meliorem frugem emerſerit, eúmque excuſat ab ætate, quod violentiùs quàm par eſſet, animum iam à voluptatibus illis liberum, rebus forenſibus intenderit, & Polam de ambitu accuſatum, ſed de Iudicum ſententiâ abſolutum, in iudicium reuocarit.

LXXVI. ATQVE, vt iſte interpoſitus ſermo deliciarum, deſidiæque moreretur (fecit me, mehercule inuito, & multùm repugnante, ſed tamen fecit) nomen amici mei de ambitu detulit: quem abſolutum inſequitur, reuocat, nemini noſtrûm obtemperat, eſt violentior quàm vellem. Sed ego non loquor de ſapientia, quæ non cadit in hanc ætatem: de impetu animi loquor, de cupiditate vincendi, de ardore mentis ad gloriam: quæ ſtudia in his iam ætatibus noſtris contractiora eſſe debent: in adoleſcentia verò, tanquam in herbis, ſignificant quæ virtutis maturitas, & quantæ fruges induſtriæ ſint futuræ. Etenim, ſemper magno ingenio adoleſcentes, refrenandi potiùs à gloria, quàm incitandi fuerunt: amputanda plura ſunt illi ætati (ſi quidē efflorescit ingenij laudibus) quàm inſerenda.

EXPLANATIO.

ATQVE VT ISTE.] Vt iſte rumor de eius delitiis & luxu, qui interpoſitus ipſius quodammodo bonæ exiſtimationis curſum abruperat, extingueretur, nomen Pollæ amici mei detulit.

FECIT MEHERCVLE INVITO.] Hæc per parentheſim interiicit, ne Iudices offendat, qui Pollam abſoluerant, indignabantúrque eum in iudicium reuocari.

NEMINI NOSTRVM OBTEMPERAT.] Non patri, non M. Craſſo, cuius in caſtiſſimâ domo ſæpe verſatur, non mihi, ad quem ſumptâ virili togâ à patre deductus eſt.

EST VIOLENTIOR QVAM VELLEM.] Eſt peruicacior, & animo obfirmatiore quàm vellem.

SED EGO NON LOQVOR.] Vide quàm prudenter Cœlij violentiam oſtendat ſibi diſplicere. eam enim, ſi qua eſt, reprehenſionem cum non mediocri indolis laude coniungit.

QVÆ NON CADIT IN HANC ÆTATEM.] Quæ in adoleſcenti non reperitur.

DE IMPETV ANIMI.] Synonymis conglobatis rem illuſtrat. bene autem ſapientiam ſiue virtutem, ab indole & cupiditate diſtinguit. iſta enim naturalis eſt; illa frequenti exercitatione virtutis acquiritur. iſta eſt ſubiecta virtuti materia; hæc illa naturæ paſſioniſque perfectio. iſta in iuuenili ætate maximè ſe exerit; illa non cadit in hanc ætatem.

QVÆ STVDIA.] Non ſatis videtur cupiditatem, à ſtudio obſequendi cupiditati, & à mentis ad illam applicatione diſtinguere: ſtudium enim cum indole & mentis ardore confundit, de induſtriâ, ni fallor. neque enim negari poterat, quin Cœlius plus, quàm par eſſet huic ſuæ indoli fuiſſet obſecutus: ingenioſè laudatur indoles, & vt laus ad ipſum factum ab indole & principio redundet, ſtudium & mentis applicatio cum indole & mentis ardore confunditur. Hanc, inquit, vincendi cupiditatem in virili ætate moderari debemus, at in adoleſcentiâ bonum eſt indicium. Orationem verò allegoriâ à frugibus ductâ eleganter illuſtrat.

ETENIM SEMPER MAGNO.] Superiora morali ratione confirmat, in eadem allegoriâ perſeuerans.

NOTÆ.

SAPIENTIA.] Etſi, vt ait Pindarus Ode 4. Olymp. 1.

Φύονται δὲ καὶ νέοις
Ἐν ἀνδράσι πολιαὶ
Θαμὰ καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας
Ἐοικότα χρόνον.

Cani à pueritia.

Naſcuntur & in iuuenibus hominibus cani frequenter, etiam præter conueniens tempus ætatis. Etſi contra pueri centum annorum reperiuntur, & non ſolùm argenteâ illâ ætate, vt vult Heſiodus in operibus, v. 129.

Puer centum annorum.

Ἀλλ' ἑκατὸν μὲν παῖς ἔτεα παρὰ μητέρι κεδνῇ
Ἐτρέφετ' ἀτάλλων μέγα νήπιος ᾧ ἐνὶ οἴκῳ.
Sed puer annorum centum genitricis in vlnis
Creſcebat domibus patris puerilia tractans.

Tamen ſapientia vel in ſolam, vel pene in ſolam cadit ſenectutem. D. Hieronymus ep. ad Nepotianum

tianum de vitâ clericorum & ſacerdotum. *Omnes penè virtutes corporis mutantur in ſenibus, & creſcente ſolâ ſapientiâ, decreſcunt cætera,* &c. Subiungit deinde rationem. *Nec hoc dico quod*
Sapientia non cadit in iuuẽtutem. *in iuuenibus & adhuc ſolidioris ætatis, his duntaxat qui labore & ardentiſſimo ſtudio, vitæ quoque ſanctimoniâ, & orationis ad Dominum* IESVM *frequentiâ, ſcientiam conſecuti ſunt: frigeat ſapientia, quæ in pleriſque ſenibus ætate marceſcit, ſed quòd adoleſcentia multa corporis bella ſuſtineat, & inter incentiua vitiorum, & carnis titillationes quaſi ignis in lignis viridibus ſuffocetur, vt ſuum non poſſit explicare fulgorem. Senectus verò rurſus eorum qui adoleſcentiam ſuam honeſtis artibus inſtruxerunt, & in lege Domini meditati ſunt die ac nocte, ætate fit doctior, vſu tritior, proceſſu temporis ſapientior, & veterum ſtudiorum dulciſſimos fructus metit.* Idque probat Themiſtoclis, Iſocratis, Platonis, Democriti, Heſiodi, Simonidis, Steſichori, Sophoclis, Catonis Cenſorij, & aliorum exemplo: ad quem locum te remitto. Homerus certè 3. Iliados, verſu 108.

Αἰεὶ δ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες ἠερέθονται.
Οἷς δ' ὁ γέρων μετέῃσιν ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω
Λεύσσει. ὅπως ὄχ' ἄριστα μετ' ἀμφοτέροισι γένηται.
At ſemper iuuenum mens eſt elata virorum.
Sin autem interſit ſenior, videt ante retróque
Quæ fuerint. veniántque, vt res bene cedat vtriſque.

Sed præclarè Apuleius apologiâ 2. *Eſt ille Poëtæ verſus non ignotus*

Odi puerulos præcoci ſapientiâ.

Sed enim malitiâ præcoci puerum quis non aduerſetur, atque oderit, cùm videat velut monſtrum, quoddam priùs robuſtos ſcelere, quàm tempore, ante nocentem quàm potentem, viridi pueritiâ, canâ malitiâ, vel potiùs hoc magis noxium, quòd cum veniâ pernicioſus eſt, & nondum pœnæ iam iniuriæ ſufficit. Lyſiteles Plautinus in Trinummo, ſcen. *Quo illic.*

Sapientiæ ætas condimentum eſt: ſapiens ætati cibus eſt.

Reſpondet paulò pòſt Philto pater.

Non ætate, verùm ingenio adipiſcitur ſapientia. Quòd autem â iuuenili ætate nimium in accuſando ardorem & impetum ad gloriam excuſat, Vlpianus D. ad legem Iuliam de adulteriis, l. *ſi*
Iuuenes non facilè calumniæ damnãdi. *maritus* non abludit. *Sanè ſi iuuenili facilitate ductus, vel etiam feruore ætatis accenſus ad accuſationem proſilit, accuſanti non facilè calumniæ pœna irrogabitur.* Vnde & illud ex Apuleio proximè allatum facilè poſſit intelligi. Iam dixerat apologiâ priore. *Dat libellum nomine priuigni mei Sicinij Pudentis admodum pueri & adſcribit ſe ei aſſiſtere nouo more per alium laceſſendi, ſcilicet vt obtentu eius ætatulæ ipſe inſimulationis falſæ non plecteretur.*

II. TANQVAM IN HERBIS.] Nouum non
Homo plãtæ comparatus. eſt hominem & eius educationem cum plantâ, res eius præclarè geſtas & virtutes cum fructibus aut frugibus comparare, aliquot exempla ſubtexam. Plato in Theage ipſo exordio. Πάντα τὰ φυτὰ κινδυνεύει τὸν αὐτὸν τρόπον ἔχειν, καὶ τὰ ἐκ τῆς γῆς φυόμενα, καὶ τὰ ζῶα τά τ' ἄλλα καὶ ἄνθρωπος. καὶ γὰρ ἐν τοῖς φυτοῖς ῥᾷστον ἡμῖν τοῦτο γίνεται. ὅσοι τὴν γῆν γεωργοῦμεν, τὸ παρασκευάσασθαι πάντα τὰ πρὸ τοῦ φυτεύειν, καὶ αὐτὸ τὸ φυτεῦσαι. ἐπειδὰν δὲ τὸ φυτευθὲν βιῷ, μετὰ τοῦτο θεραπεία τοῦ φυτοῦ πολλὴ καὶ χαλεπὴ καὶ δύσκολος γίγνεται. οὕτω δὲ ἔχειν ἔοικε καὶ τὸ περὶ τῶν ἀνθρώπων, ἀπὸ τῶν ἐμαυτοῦ ἐγὼ πραγμάτων τεκμαίρομαι, καὶ εἰς τὰ ἄλλα. καὶ γὰρ ἐμοὶ ἡ τοῦ υἱέος τουτουῒ εἴτε φυτείαν, εἴτε παιδοποιίαν δεῖ αὐτὴν ὀνομάζειν, πάντων ῥᾴστη γέγονεν. ἡ δὲ τροφὴ δύσκολός τε καὶ ἀεὶ ἐν φόβῳ περὶ αὐτοῦ δεδιότι. *Omnes quidem plantæ eodem ſe modo habere videntur, & quæ è terrâ naſcantur, animaliáque omnia, & homines denique ipſi. Vt enim in plantis facillimum hoc nobis eſt qui terram colimus præparare quidem omnia antequàm plantemus, & ipſa etiam plantatio: poſt quam verò quod plantatum eſt, viuit, tunc cultus ipſius varius eſt & difficilis, ſic & in hominibus videtur. Ex meis enim rebus de reliquis coniicio. Etenim hæc mei filij ſiue plantatio, ſiue generatio appellanda ſit, omnium facillima extitit: educatio autem difficilis & plena timoris ſemper, maximum metum ipſius cauſâ ſubeunti fuit.* Et 5. de Repub. Παντὸς, ἦν δ' ἐγὼ, σπέρματος πέρι ἢ φυτοῦ, εἴτ' ἐγγείων, εἴτε τῶν ζώων ἴσμεν. ὅτι τὸ μὴ τυχὸν τροφῆς, ἧς προσήκει ἑκάστῳ, μηδ' ὥρας, μηδὲ τόπου. ὅσῳ ἂν ἐρρωμενέστερον ᾖ, τοσούτῳ πλειόνων ἐνδεῖ τῶν πρεπόντων. ἀγαθῷ γάρ που κακὸν ἐναντιώτερον, ἢ τῷ μὴ ἀγαθῷ. *De omni ſemine aut planta ſiue ea terreſtris ſit, ſiue animal illud compertum habemus, eam quæ nec conueniens alimentum, nec tempus nec locum obtinet, quo robuſtior eſt, eo pluribus ſibi conuenientibus indigere. malum enim bono magis eſt contrarium quàm non bono.* Et paulò pòſt: Ἣν τοίνυν ἔθεμεν τοῦ φιλοσόφου φύσιν, ἂν μὲν, οἶμαι, μαθήσεως προσηκούσης τύχῃ, εἰς πᾶσαν ἀρετὴν μὲν ἀνάγκη αὐξανομένην ἀφικνεῖσθαι. ἐὰν δὲ ἐν μὴ προσηκούσῃ, σπαρεῖσά τε καὶ φυτευθεῖσα τρέφηται, εἰς πάντα τ' ἀναντία αὖ, ἐὰν μή τις αὐτῇ βοηθήσας θεῶν τύχῃ. *Quàm igitur poſuimus philoſophi naturam ſi conuenientem opinor diſciplinam obtineat, eam cùm accreuerit ad omnem virtutem neceſſe eſt peruenire. Quòd ſi vbi ſata fuerit & plantata conuenienti doctrinâ non alatur, niſi Deorum aliquis adiuuerit, habebit omnia contraria.* Et 6. de legibus cùm dixiſſet maximam curam habẽdam puerilis educationis, hanc ſubdit rationem. Παντὸς γὰρ δὴ φυτοῦ ἡ πρώτη βλάστη καλῶς ὁρμηθεῖσα πρὸς ἀρετὴν τῆς αὐτοῦ φύσεως, κυριωτάτη τέλος ἐπιθεῖναι τὸ πρόσφορον. τῶν τ' ἄλλων φυτῶν, καὶ τῶν ζώων ἡμέρων καὶ ἀγρείων καὶ ἀνθρώπων, &c. *Omnis enim plantæ prima fruticatio ſi rectè ad naturæ ſuæ virtutem pullulare cœperit, maximam vim habet vt conuenientem finem ſortiatur. Quòd tum de aliis plantis intelligi debet, tum de animantibus cicuribus & feris, immò etiam de hominibus.* Item in ipſo limine libri 7. Τί δὲ τόδε; οὐκ ἐννοοῦμεν ὡς ἡ πρώτη βλάστη παντὸς ζώου πολὺ μεγίστη καὶ πλείστη φύεται; ὥστε καὶ ἔριν πολλοῖς παρέσχηκε μὴ γίγνεσθαι τά γ' ἀνθρώπινα μήκη διπλάσια ἀπὸ πέντε ἐτῶν ἐν τοῖς λοιποῖς εἴκοσιν ἔτεσιν αὐξανόμενα. *Quid illud? non intelligimus primum cuiuſuis animalis florem maximum & plurimum naſci. adeò vt contendendi anſas multis præbuerint corpora humana à primis quinque annis in reliquis viginti in duplum non creſcere.* Homerus.

–ὁ δ' ἀνέδραμεν ἔρνεϊ ἶσος.

Heliodorus 2. Æthiopic. Τάχιστα δ' εἰς ἀκμὴν καθάπερ ἔρνος τι τῶν εὐθαλῶν ἀνέδραμεν. *Celeriter ad florem tanquam ramus aliquis præclarè florens peruenit.* Sed haud ſcio an omnium pulcherrimè Tertullianus lib. de Virginibus velãdis. *Aſpice ipſam creaturam paulatim ad fructum promoueri, granum eſt primo, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuſcula enititur. Deinde rami & frondes inualeſcũt, & totum arboris nomen expanditur, inde germinis tumor, & flos de germine ſoluitur. & de flore fructus aperitur, is quoque rudis aliquandiu & informis*

paulatim ætatem ſuam dirigens eruditur in manſuetudinem ſaporis. Sic & iuſtitia (nam idem Deus iuſtitiæ & creatura) primo fuit in rudimentis naturæ Deum metuens, dehinc per legem & prophetas promouit in infantiam: dehinc per euangelium efferbuit in iuuentutem: nunc per paracletum componitur in maturitatem. en iam delirat Montaniſta.

III. QVANTÆ FRVGES INDVSTRIÆ SINT FVTVRÆ.] Eodē penè ſenſu Æſchylus. Amphiaraū à frugibus induſtriæ deſcripſit ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις.

Τοιαῦθ' ὁ μάντις ἀσπίδ' εὔκυκλον νέμων
Πάγχαλκον ηὔδα. σῆμα δ' οὐκ ἐπῆν κύκλῳ.
Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει
Βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς, καρπούμενος,
Ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.
Clamore tali ſe ferens vates quatit
Clypeum, ille nullis fulgurantem inſignibus
Nec enim videri, at eſſe ſe iuſtum cupit
Segetem profundam mente fœcundâ metens
Conſilia de qua pullulant illuſtria.

Sicut contrà Eteocles ſubiicit malorum ſocietatem eſſe terram, ex qua malæ fruges colligantur.

Ἐν παντὶ πράγει δ' ἔσθ' ὁμιλίας κακῆς
Κάκιον οὐδὲν, καρπὸς οὐ κομιστέος
Ἄτης ἄρουρα θάνατον ἐκκαρπίζεται.
Nihil malorum peius eſt conſortio,
Nec eſt metenda frugis infauſtæ ſeges
Fœcunda noxæ terra fert fructum necis.

Nazarius paneg. Conſt. *Nobiliſſimorum quoque Cæſarum laudes exequi velle ſtudium quidem dulce, ſed non & cura mediocris eſt. quorum in annis pubeſcentibus non eruptura virtutis tumens germen, non flos præcurſor indolis bonæ, lætior quam vberior apparet, ſed iam facta grandifera, & contra rationem ætatis maximorúmque fructuum matura perceptio.* Plato eadem tranſlatione vſus eſt in contrarium, epiſt. 7. Ἀμαθίας ἐξ ἧς πάντα κακὰ πᾶσιν ἐρρίζωται, καὶ βλαστάνει, καὶ εἰς ὕστερον ἀποτελεῖ καρπὸν τοῖς γεννήσασι πικρότατον *Imperitiæ ex qua omnia mala omnibus radicantur, & effloreſcunt, & deinceps fructum facient iis qui produxerint acerbiſſimum.* τοῖς γεννήσασι *Nepotibus* vertit Serranus. ſed vt frequenter imperitè. Pindarus Ode 2. Pythiorum, ſtrophe 4.

--ὁ δὲ Ῥαδάμανθυς εὖ
Πέπραγεν ὅτι φρενῶν
Ἔλαχε καρπὸν ἀμώμητον.

Rhadamanthus autem fœlix fuit, quia mentis ſortitus eſt fructum inculpatum. Hunc locum Ennodius Ticinenſis panegyrico ad Theodoricum, ſed vt ſeculum ferebat ſtylo pinguiore. *Adhuc in cauo flore degebas adoleſcentiæ, nec virtutum meſſem lacteus ante experimentum culmus attulerat, adhuc blanda erat imago pubeſcentis, nec tingens faciem lanugo veſtiebat, quando aui purpura & floſculus ſuperuenientis imperij promittebat ſollicitis de gratiæ commutatione terrorem: cùm ad probationem ruboris & clementiæ tuæ ruptis vinculis furor emicuit, & euiſceratos diuturnâ quiete mentis, occaſionis pabulo ſubiugauit.* Seneca epiſt. 75. *Non ſunt Dij faſtidioſi, non inuidi, admittunt & adſcendentibus manum porrigunt. Miraris hominem ad Deos ire? Deus ad hominem venit. immò (quod propius eſt) in hominem venit. nulla ſine Deo mens bona eſt. Semina corporibus humanis diuina diſperſa ſunt: quæ ſi bonus cultor excipit, ſimilia origini prodeunt, & paria his, ex quibus orta ſunt, ſurgunt: ſi malus, non aliter quàm humus ſterilis ac paluſtris necat, ac deinde creat purgamenta pro frugibus.*

REFRENANDI.] Rhetorum præceptum eſt vt in allegoriis à quo genere tranſlationum inceperis eo deſinas, vt mirum ſit cur Noſter ab herbis & plantis ad equos tranſiuerit. id tamen tùm fieri ſolet cùm vna tranſlatio alteri voci in propriâ ſignificatione ſumptæ quadrat, vt ſi dicas, *Gemmantes virtutum palmites luxuriare, & ſcientiæ maritari.* quia voces à gemmis, & coniugio ad palmites in propria ſignificatione vſurpatæ trāſferuntur. non ineptè hoc loco tranſlationem mutaueris. at verò quod vox freni & habenæ ad plantas transferatur, patet ex Virgilio 2. Georg. IV.

-& cùm ſe lætus in auras
Palmes aget laxis per purum emiſſus habenis.

Lucretius lib. 5.

Arboribúſque datum eſt variis exinde per auras
Creſcendi magnum immiſſis certamen habenis.

AXIOMATA.

Sapientia non cadit in iuuentutem.

Impetus animi, cupiditas vincendi, ardor mentis ad gloriam, & alia eiuſmodi ſtudia in virili ætate contractiora eſſe debent: in adoleſcentiâ verò tanquam in herbis ſignificant quæ virtutis maturitas, & quantæ fruges induſtriæ ſint futuræ.

Semper magno ingenio adoleſcentes refrenandi potiùs à gloriâ quàm incitandi fuerunt.

Amputanda plura adoleſcentiæ, ſiquidem effloreſcit ingenij laudibus, quàm inſerenda.

ARGVMENTVM.

Ad poſtremam perorationis partem ſenſim delapſus, Cœlij vim & ferocitatem à ſpe futuræ virtutis excuſat, & modeſtâ commemoratione ſuorum in Remp. beneficiorum Cœlio veniam deprecatur.

LXXVII. QVARE, ſi cui nimiùm efferbuiſſe videtur huius vel in ſuſcipiendis, vel in gerendis inimicitiis vis, ferocitas, pertinacia, ſi quem etiam minimorum horum aliquid offendit, ſi purpuræ genus, ſi amicorum catervæ, ſi ſplendor, ſi nitor: iam iſta deferbuerint, iam ætas, iam dies iſta omnia mitigarit. Conſeruate igitur Reip. Iudices, ciuem bonarum artium, bonarum partium, bonorum virorum, promitto hoc vobis, & Reipub. ſpondeo, ſi modò nos ipſi Reipub. ſatisfecimus, nunquam hunc à noſtris rationibus ſeiunctum fore. quod cùm fretus noſtra familiaritate promitto, tum quòd duriſſimis ſe ipſe legibus iam obligarit.

EXPLANATIO.

VIS.] In ſuſcipiendis inimicitiis. *ferocitas* in gerendis. *pertinacia* in perſequendis, eóque ad iudicium obſtinatè reuocando, qui de Iudicum conſilio fuerat abſolutus.

SI PVRPVRÆ GENVS.] Si purpura dibapha & ſplendidior quàm deceat equitis Romani filium, aut etiam lupercum, & Municipij Senatorem.

SI AMICORVM CATERVÆ.] In comitatu. *ſi ſplendor*, in epulis, ornatu corporis & reliquâ vitæ ratione: *ſi nitor*, in cultu corporis & vnguentis quibus eſt delibutus.

IAM ISTA DEFERBVERINT.] Adoleſcentia ſuum illum calorem deſpumans, ſucceſſu temporis ſe ipſam temperabit.

CONSERVATE.] Ad deprecationem delabitur, ſuperiora repetens, & *ciuem bonarum artium* vocat, quia *nemini conceſsit æqualium, plùs vt in foro, plùs vt in negotiis verſaretur, cauſiſque amicorum.* §. 74. vide etiam §. 72. Subiungit, *bonarum partium.* quia vt dixit §. 15. *Non modò non ſocius coniurationis, ſed inimiciſſimus iſtius ſceleris fuerat.* ait, *bonorum virorum*, quia & *in Africam profectus eſt Q. Pompeio Proconſuli, contubernalis caſtiſſimo viro.* §. 73. & poſt togæ virilis ſumptionem. *Nemo hunc M. Cœlium in illo ætatis flore vidit, niſi aut cum patre, aut mecum, aut in M. Craſsi caſtiſſimâ domo, cùm artibus honeſtiſſimis erudiretur.*

PROMITTO HOC VOBIS.] Vim & momentum addit ſuæ deprecationis, partim promiſſione & ſpe vtilitatis, quæ ex Cœlij virtute in Remp. redundabit, partim honeſta & modeſta commemoratione ſuorum ipſius in Remp. meritorum, & hanc deprecationem recordatione præteriti, & ſpe futuri mirè attemperat. porrò vide in notis quæ ſit inter promiſſionem, & ſponſionem diſtinctio.

QVOD CVM FRETVS.] Duabus rationibus promiſſionem confirmat. altera eſt:

Meæ rationes ſemper cum Rep. coniunctæ erunt.

Sed Cœlius nunquam erit à meis rationibus alienus. Ergo neque vnquam alienus erit à Repub.

Altera eſt: *Non poteſt eſſe à reip. rationibus alienus, qui ad id duriſſimis ſe ipſe legibus iam obligarit.*

Sed Cœlius ad defendendam remp. duriſſimis ſe legibus iam obligauit.

Ergo non poteſt eſſe à reip. rationibus alienus.

Huius poſterioris ſyllogiſmi minor propoſitio poſtremis huius paragraphi verbis continetur, maior verò ad ſequentem reſeruatur.

NOTÆ.

I. PERTINACIA.] Quam hîc de Iudicum ſeueriorum mente pertinaciam appellat, eam ſuperiore §. leuiori nomine cupiditatem vincendi, id eſt peruicaciam nominauit. de vtraque Accius Myrmidonibus.

Tu pertinaciam eſſe Archiloche hanc prædicas,
Pertinacia. *Ego peruicaciam aio, & me vti volo.*
Nam peruicacem dicit me eſſe & vincere.
Peruicacia. *Perfacilè patior, pertinacem nil moror.*
Hæc fortes ſequitur, illam indocti poſsident,
Tu addis quod vitio eſt, demis quod laudi eſt.

Eo ſenſu Horat.

Heu peruicacis ad pedes Achillei.

GENVS PVRPVRÆ.] Plutarchus in Catone Vticenſi. II. Καθόλου δὲ τοῖς τότε βίοις καὶ τοῖς ἐπιτηδεύμασιν ὁ Κάτων τὴν ἐναντίαν ὁδὸν οἰόμενος δεῖν βαδίζειν, ὡς οὖσι φαύλοις καὶ μεγάλοις δεομένοις μεταβολῆς, ἐπεὶ πορφύραν ἑώρα τὴν κατακόρως ἐρυθρὰν καὶ ὀξεῖαν ἀγαπωμένην, αὐτὸς ἐφόρει τὴν μέλαιναν. *In vniuerſum verò Cato contrariam moribus ſui temporis inſiſtendam viam eſſe ratus, cùm & mali eſſent, & magnam emendationem deſiderarent, cùm purpuram ſaturam & acuto rubore ſplendentem in pretio videret eſſe, ipſe fuſcam & obtuſam gerebat.* De his ipſis temporibus Plinius lib. 9. cap. 39. *Nepos Cornelius qui D. Auguſti principatu obiit: me, inquit, iuuene violacea purpura vigebat, cuius libra denariis centum venibat: nec multo poſt rubra Tarentina. huic ſucceſsit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi. hac P. Lentulus Spinter Ædilis curulis primus in prætexta vſus improbatur: qua purpura, quis iam, inquit, non triclinaria facit? Spinter Ædilis fuit vrbis conditæ anno ſeptingenteſimo Cicerone Conſule. dibapha tunc dicebatur, quæ bis tincta eſſet veluti magnifico impendio, qualiter nunc omnes pene commodiores purpuræ tinguntur.* Cic. pro Sextio, §. 19. *Veſtitus aſper, noſtra hac purpura plebeiâ ac pene fuſcâ.* Cæterùm quod ſpectat ad purpuræ genera, digna eſt illa purpura Suſis inuenta quæ ex Plutarcho in Alexandri vitâ refeRatur à 200. fere annus. Πρόσφατον τὸ ἄνθος ἔτι καὶ νεαρὸν φυλάττουσα, αἴτιον δὲ τούτου φασὶν εἶναι τὸ τὴν βαφὴν διὰ μέλιτος γίνεσθαι τῶν ἁλουργῶν, δι᾽ ἐλαίου δὲ λευκοῦ τῶν λευκῶν. *Nouum & recentem florem ſeruans, cuius rei cauſſam eam eſſe dicunt quod rubea melle, candida oleo cãdido tingerentur.* Adde quod §. 40. de Alexandrinâ purpurâ ex Ælio Lampridio, item de Perſica ſiue potiùs Indicâ ex Flauio Vopiſco dictum eſt, cùm de ornatu mulierum ageretur. His libentiùs ſuperſedeo quod Thileſius libello de coloribus, & Blaſius Vigenerius in Imagines Philoſtrati. Pollux lib. 1. Caſſiodorus ſecunda epiſtola libri primi rem ex profeſſo tractauerint. de hac & nos alibi commodiùs diſſeremus, vide omnium recentiſſimum Fabium Columnã lynceũ libro ſingulari qui *Purpura* inſcribitur. Sed operoſius fortaſſe fuerit inquirere, quẽ ad vſum Cœlius purpura vteretur. nam nec erat magiſtratus, necdum in ſenatum admiſſus. Venit mihi aliquando in mentem hic tunicæ clauos intelligi, quibus tunicam diſcriminatam, & velut inoculatam geſtabant, latis Senatores, equites anguſtis. de quibus vide Piſonianam §. 17. *veſtis mutatione.* 22. *toga & prætexta.* 31. *paludati.* quos tunicæ clauos non ſolùm extremã oram ambire, ſed totâ tunicâ diſperſos fuiſſe poſſit quis non immeritò ſuſpicari, ex eo quod humeris indui dicatur, quamuis eos ſolam tunicæ marginem prætexuiſſe alibi ſentiamus. Statius 5. ſiluarum protreptico ad Criſpinum.

Mox Tyrios ex more ſinus tunicámque potentem
Agnouere humeri.

Ouidius 4. Triſtium, elegia decima.

Induitúrque humeris cum lato purpura clauo.

Tertullianus de Idololatria: *Quales & quanti eum faſces producerent, qualis purpura de humeris eius floreret, quale aurum de capite radiaret, niſi gloriam ſeculi alienam, & ſibi & ſuis iudicaſſet?* Sed dici poteſt Tertullianum non de communi ciuium, aut etiam magiſtratuum habitu, ſed de triumphali loqui, vt conſtat ex

coronæ mentione, & alios poëticè locutos cùm dicunt indutam humeris cum lato purpuram clauo, nihil aliud velle quàm inductam humeris tunicam quæ extremas oras paulùm infra genua defluentes purpureis clauis diſtinctas & variegatas haberet: neque tam paucos fuiſſe huiſmodi clauos vt facilè purpuræ genus aduerti non poſſet, ſicut in prætexta Spinteris aduerſum eſt. Quintilianus lib. 8. cap. 5. *Vt affert lumen clauus purpuræ, loco inſertus, ita certè neminem deceat intexta pluribus notis veſtis.*

III. DEFERVERINT.] Vide ſupra 43. *Cupiditates deferuiſſent.* vbi & laudatus eſt Terentius Adelphis, actu 1. ſc. 2.

Sperabam iam deferuiſſe adoleſcentiam.

Huic loco ſimilis eſt illa L. Lucretij viri Conſularis oratio, cùm Cæſonem Quintium defenderet. *Quod offendat in eo, feruorem & audaciam, ætatem quotidie auferre. Quod deſideretur conſilium, id in dies creſcere. ſeneſcentibus vitiis, matureſcente virtute, ſinerent tantum virum ſenem in ciuitate fieri.*

IV. ÆTAS MITIGARIT.] Allegoria à vinis, quæ primo quidem ſunt acerba, paulatim tamen ipſa ſenectute langueſcunt, & ætate mitigantur. Præclarè Alexis Demetrio apud Stobæum ſerm. 114.

Ὁμοιότατον ἄνθρωπος οἴνῳ τὴν φύσιν
Τρόπον τιν' ἐστί. τὸν γὰρ οἶνον τὸν νέον
Hominis vita cum vino cõparata. Πολλήγ' ἀνάγκη καὶ τὸν ἄνδρ' ἀποζέσαι
Πρώτιστον ἀφυβρίσαντ' ἀπανθῆσαί τε
Σκληρὸν γενέσθαι καὶ καταστῆναι πάλιν
Ἡδὺν δ' ἅπασι τὸ λοιπὸν διατελεῖν.
Vino, vt videtur, eſt homo ſimillimus,
Ratione quadam. Namque tam iuuenem virum
Neceſſe deferuere quàm vinum recens.
Ille inſoleſcens, iſtud expumans priùs
Durum atque acerbum eſt, mox vbi reſederit,
Suaue cunctis vſque ad extremum manet.

Aut etiam à fructibus. Accius apud Gellium lib. 13. cap. 2. *Quod in pomis eſt, itidem, inquit, eſſe aiunt in ingeniis; quæ dura & acerba naſcuntur, pòſt fiunt mitia & iucunda.*

REIPVBLICÆ SPONDEO.] Meritò promittit hominibus, reip. ſpondet. Sponſio enim promiſſione eſt quiddam maius, & auguſtius. Seneca epiſt. 19. *Exulto quoties epiſtolas tuas accipio. implent enim me bona ſpe: iam non promittunt de te, ſed ſpondent.* & lib. 4. de beneficiis, cap. 39. *Sponſum deſcendam quia promiſi: ſed non ſi ſpondere in incertum iubebis, ſi fiſco obligabis.* atque hæc videtur inter vtramque diſtinctio, quòd ſponſio ſolemnis ſit, & vel certis iudicij formulis, vel fœderis ritibus aut etiam ſacrificiis & libationibus deuincta promiſſio. vnde & Græci σπονδὰς appellant. vt Verrius apud Feſtum notauit. quamuis ſui ipſius oblitus hanc vocem à *ſponte*, id eſt à voluntate deflexerit. Varro lib. 5. de linguâ Latinâ. *Spondet enim qui dicit ſua ſponte, ſpondeo, ſpondet etiam ſponſor qui idem vt faciat obligatur,* &c. *non ſpondet ille ſtatim qui dixit, ſpondeo, ſi iocandi cauſa dixit: neque agi poteſt cum eo ex ſponſo.* Vnde colligis hanc eſſe diſtinctionem quod aut per iocum emitti, aut per vim & metum extorqueri poſſit promiſſio, ſponſio non poſſit, nec qui promiſit ſuam in iudicio promiſſionem præſtare cogatur, qui ſpopondit obligetur. V. Spondere. Promittere.

AXIOMA.

Adoleſcentiæ ſtudia citò deferuerint: iam ætas omnis, iam iſta dies mitigarit.

ARGVMENTVM.

A duabus accuſationibus à Cælio ſuſceptis probat quod ſuperiùs aſſumpſerat. Cælium nunquam Reip. defuturum. deinde comparatione inter Cælium & Sext. Clodium, qui non ita pridem abſolutus fuerat, inſtitutâ, Iudices à Cælij damnatione deterret, damnationíſque indignitatem exaggerans contra Clodiam Iudicum indignationem inflammat.

LXXVIII. NEQVE enim poteſt, qui hominem conſularem, quòd ab eo Remp. violatam diceret, in iudicium vocarit, ipſe eſſe in Repub. ciuis turbulentus: non poteſt, qui ambitu ne abſolutum quidem patitur eſſe abſolutum, ipſe impunè vnquam eſſe largitor. Habet è M. Cœlio reſpub. Iudices, duas accuſationes vel obſides periculi, vel pignora voluntatis. Quare oro obteſtórque vos iudices, vt qua in ciuitate paucis his diebus Sext. Clodius abſolutus ſit, quem vos per biennium aut miniſtrũ ſeditionis, aut ducẽ vidiſtis, qui ædes ſacras, qui ſenſum populi Romani qui memoriam publicam ſuis manibus incendit, hominum ſine re, ſine fide, ſine ſpe, ſine ſede, ſine fortunis, ore, lingua, manu, vita omni inquinatum, qui Catuli monumentum afflixit, meam domum diruit, mei fratris incendit, qui in Palatio, atque in vrbis oculis ſeruitia ad cædem, & inflammandam vrbem incitauit, in ea ciuitate ne patiamini illum abſolutum muliebri gratia, M. Cœlium libidini muliebri condonatum: ne eadem mulier cum ſuo coniuge, & fratre, turpiſſimum latronem eripuiſſe, & honeſtiſſimum adoleſcentem oppreſſiſſe videatur.

EXPLANATIO.

NEQVE ENIM.] Cùm virtus boni ciuis potiſſimùm in petendis & gerendis magiſtratibus eluceat, Cœlium oſtendit, & ad petendos ſine ambitu, & largitione, & ad gerendos ſine ſeditione & coniuratione magiſtratus duriſſimis legibus ſe iam obligaſſe. hoc ſyllogiſmo.

Non poteſt eſſe aut largitor & ambitioſus in petendis, aut turbulentus in gerendis magiſtratibus, qui ſe ad ſeditionem & largitionem vitandam duriſsimis legibus obligauit.

Sed M. Cœlius ad ſeditiones & largitionem vitandam ſe duriſsimis legibus obligauit.

Ergo non poteſt eſſe aut largitor in petendis magiſtratibus aut turbulentus in gerendis.

Propoſitio penè verbatim concepta eſt. aſſumptionem & complexionem habes partim ſuperiore paragrapho partim poſtremis huius §. verbis inuolutam. Aſſumptio ſic probatur.

Qui alterum coniurationis, alterum ambitus accuſauit, is ad coniurationem & largitionem vitandam duriſsimis legibus ſe obligauit.

Sed Cœlius M. Antonium hominem Conſularem meúmque collegam in conſulatu, coniurationis, & Pollam patrem Atratini ambitûs accuſauit.

Ergo ad coniurationem & ad largitionem vitandam duriſsimis ſe legibus obligauit.

REMP. VIOLATAM.] Coniuratione Catilinæ, cuius particeps fuiſſe dicebatur Antonius.

ALIAS ACCVSATIONES.] *Pollæ & Antonij.*

OBSIDES PERICVLI.] Pignus & auctoramētum fidei quam præſtat Cœlius de periculo capitis haudquaquam deprecando, ſi ea ipſe commiſerit, de quibus alios accuſat.

QVARE ORO.] Per conglobationem omnia S. Clodij facinora dinumerat vt adoleſcentem optimum in ea ciuitate damnandum non eſſe demonſtret, in qua paulò antè vir adeò nefarius fuerit abſolutus.

PER BIENNIVM.] Ab adoptione P. Clodij eiuſdémque tranſitu ad plebeios vſque ad reditum Ciceronis Lentulo & Metello Nepote Coſſ. inter quod tempus interceſſit Piſonis & Gabinij Conſulatus, adeò vt P. Clodius Sexto Clodio ſceleris adminiſtro ſuas ſeditiones ad biennium extraxerit.

QVI ÆDES SACRAS.] Hæc facinora ipſi P. Clodio in Milonianâ tanquam auctori tribuuntur. §. 74. *Eum qui ædem Nympharum incendit, vt memoriam publicæ recenſionis, tabulis publicis impreſſam extingueret.* & in Paradoxis: *Ædes Nympharum tuâ manu deflagrauit.* Hic ad Sext. Clodium, ſigniferum & Canem P. Clodij, vt alibi appellat, & ſeditionis adminiſtrum referuntur.

CENSVM POP. ROM.] Tabulas cenſorias, quæ nomina ciuium Rom. prout cenſiti fuerant, auctoritate publicâ continebant.

HOMINEM SINE RE.] Ex triplici fonte Sext. Clodij indignitatem accerſit, primò à ſordibus domeſticis & egeſtate quæ ſæpe homines in ſcelus & fraudem impellit. Secundò à turpitudine vitæ, libidinibus & flagitiis quibus vitam inquinarat. Tertiò à facinoribus & ſeditionibus, quarum vel auctor fuerat, vel adminiſter. *ſine re.* ſine diuitiis, *ſine fide.* qui nec inuenire poſſit mutuum.

ORE, LINGVA, MANV.] Vel eum vt periurum falſariúmque accuſat, vel potiùs in eo libidinem impuritatémque tacitè reprehendit, de qua in oratione pro domo ſua noſter Orator.

QVI CATVLI MONVMENTVM.] Porticum in palatio meis ædibus vicinam, quam Q. Lutatius Catulus è manubiis Cymbrorum extruxerat.

MEAM DOMVM DIRVIT.] Vt in eius ſolo adiectâ Catuli porticu ædem libertatis excitaret.

SERVITIA AD CÆDEM.] Pro Sextio 34. *Iiſdem Conſulibus inſpectantibus ſeruorum delectus habebatur pro tribunali Aurelio nomine collegiorum, cùm vicatim homines conſcriberentur, decuriarentur ad vim, ad manus, ad cædem, ad direptionem incitarentur.*

IN EA CIVITATE.] Hîc indignationem grauiter inflammat, infamiámque ciuitati inurendam oſtendit, ſi Iudices ſuas ſententias diſpenſent ad Clodiæ gratiam & libidinem, non autem ipſius iuſtitiæ momentis examinent.

MARCVM COELIVM.] Cuius damnatio ad delitias libidinémque Clodiæ depoſcitur.

CVM SVO CONIVGE ET FRATRE.] Cùm Publio Clodio fratre, qui cum Clodiâ ſorore incœſtu ſe nefario maculauit, vt non tam frater quàm maritus eſſe videatur.

TVRPISSIMVM LATRONEM.] Sextum Clodium eripuiſſe Iudicum ſeueritati, & honeſtiſſimum adoleſcentem M. Cœlium ſuâ gratiâ oppreſſiſſe videatur.

NOTÆ.

NON POTEST.] Vide ſupra 16. Æſchines de falsâ legat. Τὸν ἐπὶ ταῖς δωροδοκίαις τοὺς δικαστὰς παροξυνόμενον ὀργίζεσθαι, αὐτὸν χρὴ τῶν τοιούτων ἔργων πολὺ ἀφεστάναι. *Eum qui ob accepta munera iudices ad iracundiam inflammat, oportet ab huiuſmodi rebus longè abſiſtere.* Frumentaria in Verrem 4. *Poſtulatur ab omnibus vt ab iis ſe abſtineant, maximè in quibus alterum reprehenderunt.* Ne ſenarius ille meritò ingeratur. I. Accuſator ne ſit ſibi conſcius eiuſdem culpæ,

Ἄλλοις ἰατρεῖ αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

Medetur aliis ipſe vulneribus ſcatens.

NON PATITVR ESSE ABSOLVTVM.] Superiùs 76. *Nomen amici mei de ambitu detulit, quem abſolutum inſequitur, reuocat, nemini noſtrûm obtemperat.* Quibus vides id moris apud Romanos fuiſſe, vt abſolutos nonnunquam in iudicium reuocarent. contra Athenienſium inſtitùtum. Andocides oratione contra Alcibiadem, id confirmat egregiâ ratione. Εἰ μὲν γὰρ ἄκριτος ἦν, εἰκότως ἂν τῶν κατηγορούντων ἠκροᾶσθε, καὶ ἐμοὶ ἀναγκαῖον ἦν ἀπολογεῖσθαι περὶ τούτων. ἐπειδὴ δὲ τετράκις ἀγωνιζόμενος ἀπέφυγον, οὐκ ἔτι δίκαιον ἡγοῦμαι λόγον οὐδένα περὶ τούτου γίνεσθαι. *Etenim ſi iudicium nunquam ſubiiſſem, meritò accuſato-* II.

ribus meis aures commodaretis, & neceſſariò ego meam ipſius cauſam perorarem. at verò cum iam quater cognitâ causâ fuerim abſolutus, non arbitror vllam ipſius mei faciendam eſſe mentionem. Πρὶν μὲν γὰρ κριθῆναι, οὐ ῥᾴδιον ἦν εἰδέναι τὰς αἰτίας, οὔτ' εἰ ψευδεῖς εἶεν, οὔτ' εἰ ἀληθεῖς. ἀποφυγόντος δὲ, ἢ καταγνωσθέντος, τέλος ἔχει, καὶ διώρισται τούτων ὁπότερόν ἐστιν. ὥστε δεινὸν νομίζω τοὺς μὲν ἁλόντας μιᾷ ψήφῳ μόνον ἀποθνήσκειν, καὶ τὰ χρήματα δημεύειν αὐτῶν. τοὺς δὲ νικήσαντας πάλιν τὰς αὐτὰς κατηγορίας ὑπομένειν, καὶ τοὺς δικαστὰς ἀπολέσαι μὲν κυρίους εἶναι, σῶσαι δὲ ἀκύρους καὶ ἀτελεῖς φαίνεσθαι. *Priuſquàm enim reus fieret, facile non erat cauſas verane an falſæ eſſent cognoſcere. at poſtquam quis aut damnatus eſt aut abſolutus, iam definitum eſt vtrum de iis ſit ſentiendum. Quamobrem durum exiſtimo, eos qui damnati fuerint, per vnam ſententiam ſemel morte multari, bonis confiſcatis. eos verò, qui abſoluti fuerint, eaſdem denuò accuſationes periculúmque capitis ſubire. adeò vt iudices mortis poteſtatem habere, ſeruare verò neminem poſſe videantur.* quòd ne fieret legibus conſtitutum fuiſſe ſic oſtendit. ἄλλως τε καὶ τῶν νόμων ἀπαγορευόντων δὶς περὶ τοῦ αὐτοῦ πρὸς τὸν αὐτὸν μὴ ἐξεῖναι δικάζεσθαι. *Cùm præſertim legibus cautum ſit, ne quiſquam bis eadem de cauſâ iudicetur.* Neque verò apud Romanos licebat apud eoſdem Iudices eodem crimine reum abſolutum accerſere, cùm ij non poſſent mutare ſuam ſententiam. Vlpianus D. De re iudicatâ. *Iudex poſtea quam ſententiam dixit, poſteà Iudex eſſe deſinit, & hoc iure vtimur, vt Iudex qui ſemel vel pluris, vel minoris condemnauit ampliùs corrigere ſententiam ſuam non poſſit. Semel enim malè ſeu bene officio functus eſt.* Et Alfenus eodem. *Cùm quærebatur Iudex ſi perperam iudicaſſet, an poſſet eodem die iterum iudicare? reſpondit non poſſe.* Tamen vt dicitur D. De minoribus. l. 42. *Præſes prouinciæ minorem in integrum reſtituere poteſt etiam contra ſuam vel deceſſoris ſui ſententiam.* Vide C. l. 1. De ſententiâ. l. 6. Quomodo & quando Iudex l. 4. de accuſationibus, & hanc antinomiam concilient, imò hunc Ciceronis locum enodent eruditi. Conſtat tamen æuo Ciceronis reos abſolutos nonnunquã ad Iudicium fuiſſe reuocatos. lib. 2. ad Q. fratrem. *Vnum accidit imprudentiâ Milonis incommodè de Sexto Clodio: quem neque hoc tempore, neque ab imbecillis accuſatoribus mihi placuit accuſari, ei tres ſententiæ teterrimæ in conſilio defuerunt.* Malim: *Teterrimo.* Pergit. *Itaque hominem populus reuocat, & retrahatur neceſſe eſt. Non enim ferunt homines, & quia cùm apud ſuos diceret, pene damnatus eſt, vident damnatum.*

Athenis abſoluti non poterant in iudicium reuocari.

III. Obsides.] Paucis explicanda eſt vadis, prædis, obſidis, pignoris diſtinctio. Vas, præs, obſes, ſponſores fuerunt ſiue ſatiſdatores, qui periculum omne pro altero præſtare debuerunt. Sed vas in re capitali, præs in lite nummariâ. Auſonius in monoſ.

> *Quis ſubit in pœnam capitali iudicio? vas.*
> *Quis cùm lis fuerit nummaria, qui dabitur? præs.*

Obſes in re militari, ſic dictus, vt Grammatici volunt, quòd eo dato obſidio ſolueretur. Pignus autem eſt res ipſa quæ obligatur. de quo Marcianus D. de pignoribus & hypothec. *Inter pignus & hypothecam tantùm nominis ſonus differt.* Notant tamen Iuriſconſulti, vulgò pignus eſſe rei mobilis, hypothecam immobilis. Quod ad rem ſpectat Fabius lib. 12. cap. 7. *Creditique ſunt etiam clari iuuenes obſidem Reipub. dare malorum ciuium accuſationem, quia nec odiſſe improbos, nec ſimultates prouocare, niſi ex fiducia bonæ mentis videbantur.*

Vas. Præs. Obſes. Pignus.

Oro obtestórque.] Terentius Andria actu 1. ſc. 5. IV. Obteſtatio.

> *Quod ego per hanc te dextram oro, & genium tuum*
> *Per tuam fidem, pérque huius ſolitudinem*
> *Te obteſtor, ne abs te hanc ſegreges, neu deſeras.*

Donatus. *Obteſtatio dicitur, quando eum adiuramus quem rogamus. oramus per eas res, propter quas rogamus.*

Sine re, sine spe, sine fide.] Pompeius apud Salluſtium lib. hiſtoriarum tertio, bello Sertoriano in hæc verba ad Senatum V. reſcripſit. *Ego non rem familiarem modò, verùm etiam fidem conſumpſi.* quia nimirum plus eſt fidem quàm rem familiarem amittere. Bellè Gorgias in apologia Palamedis. Βίος δ' οὐ βιωτὸς πίστεως ἐστερημένῳ. χρήματα μὲν γὰρ ἀποβαλόντα, τυραννίδος ἐκπεσόντα, καὶ τὴν πατρίδα φυγόντα, ἀναλάβοι τις ἄν· ὁ δὲ πίστιν ἀποβαλὼν, οὐκ ἂν ἔτι κτήσαιτο. *Vita non ei poteſt eſſe vitalis qui fidem amiſerit. nam qui pecuniarum iacturam fecerit, qui regno, qui patriâ ceciderit, priſtinam poteſt recuperare fortunam, at qui fidem perdiderit, non poteſt.* quo fit vt fidei iacturam, etiam ſpei, vt ita loquar, amiſſio conſequatur. qui enim fidem amiſerit, is vt plurimùm, ne ſperare quidem poteſt fortunam meliorem. tamen id Ciceroni ſatis non fuit, niſi dixiſſet eum ſpe quoque excidiſſe. Plautus Truculento actu 1. ſc. *Non omnis.*

Res, fides.

> *Extemplo & ipſis perit & res & fides.*

Item:

> *Cùm rem fidémque, nóſque noſmet perdimus.*

Vide quæ dicemus oratione de prouinciis Conſularibus 11. *Non ſolùm bona, ſed etiam honeſtatem miſeri deperdiderunt.*

Ore, lingva.] Pro domo ſua 25. *Scilicet tu helluoni ſpurciſſimo, prægustatori libidinum tuarum, homini egentiſſimo & facinoroſiſſimo Sexto Clodio, ſocio tui ſanguinis, qui ſuâ linguâ etiam ſororem tuam à te abalienauit,* &c. & 47. *O cœnum! ô portentum! ô ſcelus! hanc tibi legem S. Clodius ſcripſit, ſpurciorem linguâ ſuâ.* &c. *Sexte noſter, bonâ veniâ dic, quoniam iam dialecticus es, & hoc quoque liguris.* & alibi ſæpe. vt nec neceſſe ſit, nec libeat immorari. VI.

Sine spe.] Elegans Heſiodi fabella. Pandora Epimetheo pyxidem attulerat: abſtulit operculum: cúmque omnia inde mala videret erumpere, iterum operuit; VII.

> Μούνη δ' αὐτόθι ἐλπὶς ἐν ἀρρήκτοισι δόμοισιν
> Ἔνδον ἔμιμνε, πίθου ὑπὸ χείλεσιν, οὐδὲ θύραζε
> Ἐξέπτη. πρόσθεν γὰρ ἐπέμβαλε πῶμα πίθοιο.
> *Infractâ verò ſpes ſola in pyxide manſit*
> *Sub labris, non illa foras emiſſa volauit,*
> *Nam priùs iniecit feſtinus opercula vaſi.*

Spes.

Quam proinde Prometheus apud Æſchylum φάρμακον νόσου, *omnis morbi remedium*, chorus Μέγα ὠφέλημα. *magnam vtilitatem* appellat. Vide Platonem Alcibiade priore ineunte, & Syneſium de inſomniis.

Condonatvm.] Eodem ſenſu Græcus Orator contra Meidiam: Μή με Δημοσθένη παρα- VIII.

Condonare. δῶτε, μηδὲ διὰ Δημοσθένην με ἀνέλητε. *Ne me condonate Demoſtheni, neque me propter Demoſthenem è medio tollite.* Mox: Οὐδένα γὰρ τῶν ἀδικούντων ὑμεῖς, οὐδενὶ τῶν κατηγόρων ἐκδίδοτε. *Neminem enim ſontem vos cuiquam accuſatori condonatis.* Iterum: Ὅταν τοίνυν παραβαινόντων τινὰ τοὺς νόμους κολάζητε, οὐ τοῖς κατηγόροις τοῦτον ἐκδίδοτε, ἀλλὰ τοὺς νόμους ὑμῖν αὐτοῖς βεβαιοῦτε. *Si quem igitur leges violantem punitis, non accuſatoribus eum condonatis, ſed leges vobis ipſis confirmatis.*

CONIVGE ET FRATRE.] Frequenter in eo iocatur, ſuprà 32. *Facerem vehementius niſi intercederent mihi inimicitiæ cum iſtius mulieris viro: fratrem volui dicere, ſemper hic erro.* pro domo ſuâ 92. *Sed vide ne tu te debeas Iouem dicere, quoòd tu iure eandem ſororem & vxorem appellare poßis.* Hinc 2. de Atticum bis Clodiam βοώπιδα cognomento Iunonis appellat. Clodia & ſoror & coniux.

AXIOMATA.

Non debet qui alterum ob Rempub. violatam accuſat, ipſe eſſe in Repub. ciuis turbulentus.

Non debent innocentes aliorum libidini condonari.

IX.

ARGVMENTVM.

Ab adoleſcentiâ Cœlij & patris ipſius ſenectute miſericordiam captat, Iudicúmque animos eo artificio tractat, vt oſtendat fore, vt illi Cœlium abſoluentes non magis ipſius Cœlij Patronorúmque petitioni, quàm ſuæ ipſorum vel pietati in parentes, vel indulgentiæ in liberos obſecundent.

QVOD, cùm huius vobis adoleſcentiam propoſueritis, conſtituitote vobis ante oculos huius etiam miſeri ſenectutem, qui hoc vnico filio nititur, in huius ſpe requieſcit, huius vnius caſum pertimeſcit: quem vos ſupplicem veſtræ miſericordiæ, ſeruum poteſtatis, abiectum non tam ad pedes, quàm ad mores ſenſúſque veſtros, vel recordatione parentum veſtrorum, vel liberorum iucunditate ſuſtentate: vt in alterius dolore, vel pietati, vel indulgentiæ veſtræ ſeruiatis. Nolite, Iudices, aut hunc iam natura ipſa occidentem velle maturiùs exſtingui vulnere veſtro, quàm ſuo fato: aut hunc nunc primùm floreſcentem, firmata iam ſtirpe virtutis, tanquam turbine aliquo, aut ſubita tempeſtate peruertere. LXXIX.

EXPLANATIO.

QVOD CVM.] Poſt quàm M. Cœlij adoleſcentiam veniâ & impunitate dignam vobis ob oculos propoſueritis, conſtituitote etiam vobis ante oculos M. Cœlij patris ſordidati & iudicij euentum ſollicitè expectantis ſenectutem, cuius ingraueſcens ætas in vnâ filij adoleſcentiâ & ſpe conquieſcit.

VNICO FILIO.] Quem filium ſi amiſerit, alium non habet in cuius ſpe requieſcat.

QVEM.] M. Cœlium patrem, qui veſtram miſericordiam ſupplex deprecatur, & ſuam ſalutem à veſtro iudicio & poteſtate pendere confitetur. Leuiter Iudicum animos, ſed tamen nihilo ſeciùs vehementer accendit. 1. dum patris non ipſius filij rei nomine filio veniam deprecatur. 2. dum & Iudicum poteſtatis, & illius miſeriæ demiſſionìſque facit mentionem: nulla enim re citiùs miſericordiam mouemus, quàm ſi nos aliis inferiorem, veſtrámque ſalutem ab illorum poteſtate pendere fateamur. 3. breuiter Iudicum laudem interſerit, dum eos ab ipſorum moribus ad miſericordiam adhortatur. 4. Eorum ſenſus leuiter parentum & liberorum recordatione pertentat, qua facillimè animus ad commiſerationem accenditur.

VT IN ALTERIVS DOLORE.] lego, *vt in alterutrius dolore*, vt vel in commiſeratione Cœlij filij, veſtræ pietati, quæ vos magis parentum dolore quàm veſtri ipſorum periculi timore percelleret, ſi vt Cœlius filius falſo crimine accuſati de capite dimicaretis, vel commiſeratione Cœlij patris, veſtræ in liberos indulgentiæ ſeruiatis, cogitetíſque quem animo dolorem caperetis, ſi filios veſtros in eodem periculo conſtitutos videretis, in quo ſuum filium Cœlius intuetur.

NOLITE IVDICES.] Iterum ab vtriuſque ætate miſericordiam aucupatur. Nolite Iudices aut M. Cœlij patris extremâ iam ſenectute confecti, & propemodum occidentis naturalem mortem violentâ nece præuenire, eúmque extinguere vi doloris quem ex veſtris ſententiis, & filij ſui damnatione perceperit: aut M. Cœlij adoleſcentiam, quæ velut in herbis vberrimas virtutis fruges in futurum pollicetur, veſtris ſententiis affligere. Nota phraſim, *nolite extingui*, pro *nolite committere vt extinguatur*.

NOTÆ.

QVOD CVM.] Noſter 2. de orat. 211. *Iam miſericordia mouetur, ſi is qui audit, adduci poteſt, vt illa, quæ de altero deplorentur, ad ſuas res reuocet, quas aut tulerit acerbas, aut timeat, aut intuens alium, crebrò ad ſeipſum reuertatur.* Ex Ariſtotele 2. Rhet. cap. 8. à quo nu- I.

merantur inter eos qui maximè ad commiſerationem propenſi ſunt: Οἵ τε πεπονθότες ἤδη καὶ διαπεφευγότες· καὶ οἱ πρεσβύτεροι, καὶ διὰ τὸ φρονεῖν, καὶ δι' ἐμπειρίαν, καὶ οἱ δειλότεροι μᾶλλον, καὶ οἱ ἀσθενεῖς, καὶ οἱ πεπαιδευμένοι. εὐλόγιστοι γάρ· καὶ οἷς ὑπάρχουσι γονεῖς, ἢ τέκνα, ἢ γυναῖκες. αὐτοῦ τε (libenter legerim) αὐτῶν τε γὰρ ταῦτα, καὶ οἷα παθεῖν τὰ εἰρημένα. *Qui iam paſſi ſunt & euaſerunt: Tum ſenes & ob prudentiam, & ob experientiam: tùm debiles, &* Miſericordiæ motus. *timidiores magis: tum eruditi: conſiderati enim ſunt. tum quibus ſunt parentes, & liberi, & vxores. ſua enim ſunt hæc & poſſunt pati ob ea quæ dicta ſunt.* Quod elegantibus verbis expreſſit Claudianus in Eutropium:

Adde quòd Eunuchus nullâ pietate mouetur,
Nec generi, natiſve cauet: clementia cunctis
In ſimiles, animóſque ligant conſortia damni.

Quam miſerationis mouendæ rationem tanti putauit Homerus, vt Mercurium eloquentię Deum id ipſum Priamo præcipientem induxerit. Iliados vltimo verſu 465.

Τύνη δ' εἰσελθὼν λαβὲ γούνατα Πηλείωνος,
Καί μιν ὑπὲρ πατρὸς καὶ μητέρος ἠϋκόμοιο
Λίσσεο καὶ τέκεος ἵνα οἱ σὺν θυμὸν ὀρίνῃς.
Ingreſſus genibus ſupplex aduoluere Achilles
Obteſtare gemens illum per vtrumque parentem
Et natum vt mentem moueas & pectora flectas.

Priamus 486.

Μνῆσαι πατρὸς σεῖο θεοῖς ἐπιείκελ' Ἀχιλλεῦ
Τηλίκου, ὥσπερ ἐγὼν ὀλοῷ ἐπὶ γήραος οὐδῷ,
Καὶ μέν που κεῖνον περιναιέται ἀμφὶς ἐόντες
Τείρουσ' οὐδέ τις ἐστὶν ἀρὴν καὶ λοιγὸν ἀμῦναι, &c.
In mentem genitor nobis æquæuus Achille
Extremo poſitus veniat iam in limine vitæ.
Quem fortaſſe premunt iam defenſore carentem
Vicini, & dubio verſantem in turbine ſortis.

Paulò pòſt:

Ἀλλ' αἰδεῖο θεοὺς Ἀχιλεῦ, αὐτόν τ' ἐλέησον
Μνησάμενος σοῦ πατρός, ἐγὼ δ' ἐλεεινότερός περ.
Sed reuerere Deos, noſtri miſerere, parentem
In mentem reuocans, fatis grauioribus angor.

Subdit:

Ὣς φάτο· τῷ δ' ἄρα πατρὸς ὑφ' ἵμερον ὦρσε γόοιο.
Sic ait: ille pro chari genitoris autore Ingemuit.

Idem 18. Iliados verſu 338.

Ὣς ἔφατο κλαίων· ἐπὶ δὲ στενάχοντο γέροντες
Μνησάμενοι τὰ ἕκαστος ἐνὶ μεγάροισιν ἔλειπον.
Sic fatur lacrymans, ſeniorum turba gementi
Aggemuit tacito voluens in pectore, quicquid
In domibus liquit patriis.-

Euripidis Hecuba:

Πρόσπιπτε δ' οἰκτρῶς τοῦδ' Ὀδυσσέως γόνυ,
Καὶ πεῖθ' (ἔχεις γὰρ πρόφασιν. ἔστι τέκνα
Καὶ τῷδε) τὴν σὴν ὥστ' ἐποικτεῖραι τύχην.
Procumbe Vlyſſis genibus & mentem excita
(Eſt excitandi ratio, liberos habet)
Vt ſortis illi ſit tuæ miſeratio.

Hinc patheticum illud Telemachi iuramentum 20. Odyſſeæ verſu 339.

ΟΥ μὰ Ζῆν' Ἀγέλαε, καὶ ἄλγεα πατρὸς ἐμεῖο.
Iuro volens Agelae Iouem patríſque dolores.

Demoſthenes oratione 2. in Aphobum: Σώσατέ με, ἐλεήσατέ με. ἐπειδὴ οὗτοι, συγγενεῖς ὄντες, οὐκ ἠλέησαν, εἰς ὑμᾶς καταπέφευγα. ἱκετεύω, ἀντιβολῶ, πρὸς παίδων, πρὸς γυναικῶν, πρὸς τῶν ὄντων ἀγαθῶν ὑμῖν, οὕτως ὄναισθε τούτων, μὴ περιίδητέ με, μηδὲ ποιήσητε τὴν μητέρα καὶ τῶν ἐπιλοίπων ἐλπίδων εἰς τὸν βίον στερηθεῖσαν ἀνάξιον αὑτῆς τι παθεῖν. *Seruate me, miſeremini mei. Quoniam iſti, cognati cùm eſſent, miſerti non ſunt, ad vos confugimus. Supplico, obteſtor per liberos, per coniuges, per quicquid boni habebit; ita vos illa iuuent, ne me contemnite, neu committite vt mater reliquis in vitam ſpecibus priuata aliquid ſe indignum patiatur.* Sed hic Tullij locus preſſiùs, ni fallor, ad Lyſiam pro Polyſtrato expreſſus eſt: ΟΙ μὲν γὰρ ἄλλοι παῖδας παραστησάμενοι ἐξαιτοῦνται ὑμᾶς, ἡμεῖς δὲ τὸν πατέρα τουτονὶ καὶ ἡμᾶς, ἐξαιτούμεθα μὴ ἡμᾶς ἀντὶ μὲν ἐπιτίμων ἀτίμους ποιήσετε, ἀντὶ δὲ πολιτῶν, ἀπόλιδας. ἀλλ' ἐλεήσατε καὶ τὸν πατέρα γέροντα ὄντα καὶ ὑμᾶς· εἰ δὲ ἡμᾶς ἀδίκως ἀπολεῖτε πῶς ἢ οὗτος ἡδέως συνέσται, ἢ ἡμεῖς ἀλλήλοις ἐν τῷ αὐτῷ ὄντες, ὑμῶν τε ἀνάξιοι καὶ τῆς πόλεως; ἀλλ' ὑμῶν δεόμεθα τρεῖς ὄντες ἐᾶσαι ἡμᾶς ἔτι προθυμοτέρους γενέσθαι. δεόμεθα οὖν ὑμῶν (πρὸς τῶν ὑπαρχόντων ἀγαθῶν ἑκάστῳ) ὅτῳ μὲν εἰσὶν υἱεῖς, τούτων ἕνεκεν ἐλεῆσαι. ὅστις ἡμῖν ἡλικιώτης τυγχάνει, ἢ τῷ πατρὶ ἐλεήσαντες, ἀποψηφίσασθε, καὶ μὴ ἡμᾶς βουλομένους εὖ ποιεῖν τὴν πόλιν ὑμεῖς κωλύσητε. vertit Iodocus Vandecheidius: *Siquidem alij liberis adductis vos exorant, nos autem patrem hunc & nos ipſos ſiſtimus, rogamúſque vos, ne nos, qui integræ famæ ſemper fuimus, infames: & qui ciues, exules efficiatis: ſed miſereat vos potiùs & patris ætate iam grauis & noſtri. Quòd ſi hunc* (Græca habent ἡμᾶς corruptè, ni fallor, interpres videtur legiſſe τοῦτον) *iniquè condemnatis, quæ nobis poterit eſſe iucunda vobiſcum conuerſatio, aut nobis inter nos, ſi hæc indigna & vobis, & Republicâ patiamur? rogamus autem nos numero tres, vt per vos liceat nobis maiorem erga vos beneuolentiam declarare. Obſecramus vnumquemque veſtrûm, per veſtras fortunas, vt cui liberi ſunt, horum gratiâ miſereatur noſtri: qui verò præterea viri boni, vel noſtrâ, vel patris ætate ſunt, miſericordiâ moti nos abſoluant, neque bene de Republicâ mereri prohibeant.* Hæc ille: ſed quanto prudentiùs noſter ad beneuolentiam Iudicum colligendam, qui non importunè Iudicum officium occupauit. vt, ille, & iniuſtè facturos eſſe dixit, ſi Cœlium damnauerint.

HVIVS MISERI SENECTVTEM.] A ſenectute vel pueritia ſæpè miſeratio captatur, quòd vtraque hæc ætas ſit infirmior 24. Iliados verſu 516. II. Miſericordia à ſenectute.

Οἰκτείρων πολιόν τε κάρη, πολιόν τε γένειον.
Incanúmque caput miſerans, incanáque menta.

Eurypides in Hecuba:

Οἲ ἐγὼ μελέα; τί ποτ' ἀπύσω;
Ποίαν ἀχώ; ποῖον ὀδυρμόν;
Δειλαία δειλαίου γήρως.
Heu me miſeram! quæ verba dabo
Ecquam vocem? quos dabo gemitus
Miſeram miſera ſorte ſenecta.

Eodem modo Antiphon priore apologia cædis inuoluntariæ adoleſcentiam filij patrui ſenectuti coniungit: Ἐπί τε καὶ τῇ τούτου διαφορᾷ ἀβίωτον τὸ λειπόμενον τοῦ βίου διάξω, ἐπί τε τῇ ἐμαυτοῦ ἀπαιδίᾳ ζῶν ἐπικατορυχθήσομαι. ἐλεοῦντες οὖν, τοῦδε μὲν τοῦ νηπίου τὴν ἀναμάρτητον συμφοράν, ἐμοῦ δὲ τοῦ γεραιοῦ καὶ ἀθλίου τὴν ἀπροσδόκητον κακοπάθειαν, μὴ καταψηφισάμενοι (lege καταψηφισάμενοι) δυσμόρους ἡμᾶς καταστήσατε, ἀλλ' ἀπολύοντες εὐσεβεῖτε. *Propter huius verò ſimultatem reliqua mihi vita vitalis non erit, & propter meam ipſius orbitatem viuus vidénſque ſepeliar. Quare miſericordia commoti, tum propter paruuli caſum ſine ipſius culpa, tum propter mei-*

ipſius vetuli & miſeri inopinatam calamitatem, ne nobis damnatis infœlicitatem augeatis, ſed abſolutis nobis veſtram expromatis pietatem. Nazianzenus in Macabæos: Καὶ προέτεινε τὴν πολιὰν, καὶ τὸ γῆρας ἀνθ' ἱκετηρίας προυβάλλετο. *Et canos porrigebat, & ſenectutem pro caduceo obiiciebat.*

III. IN HVIVS SPE REQVIESCIT.] Eleganter Hecuba apud Euripidem Polydorum domus anchoram nominauit:

Ὦ χθόνιοι θεοὶ σώσατε παῖδ' ἐμὸν,
Ὃς μόνος οἴκων ἄγκυρά τ' ἐμῶν
Τὴν χιονώδη Θρῄκην κατέχει.
Manes, ſobolem ſeruate meam
Quæ ſola meis anchora tectis
Thraciam inhabitat niuibus ſparſam.

Baculus ſenectutis.

Et paulò pòſt de Philoxenâ:

Μή μου τὸ τέκνον ἐκ χερῶν ἀποσπάσῃς,
Μηδὲ κτάνητε, τῶν τεθνηκότων ἅλις.
Ταύτῃ γέγηθα κἀπιλήθομαι κακῶν.
Ἥδ' ἀντὶ πολλῶν ἐστί μοι παραψυχή.
Πόλις, τιθήνη, βάκτρον, ἡγεμὼν ὁδοῦ.
Ne quæſo natam manibus abſtractam meis
Occide, dirá morte functorum ſatis.
Hac lætor vna, oblitterantur hæc mala.
Super eſt leuamen vna de multis mihi
Vrbs illa, nutrix, baculus & dux eſt viæ.

Sed non eſt quod hîc diutiùs immoremur.

IV. AD PEDES.] Lepidum eſt illud Ariſtippi apud Laërtium: Δεόμενός ποτε περὶ φίλου Διονυσίου, καὶ μὴ ἐπιτυγχάνων εἰς πόδας αὐτοῦ ἔπεσε. πρὸς οὖν τὸν ἐπισκώψαντα, οὐκ, ἐγώ, φησιν, αἴτιος, ἀλλὰ Διονύσιος ὁ ἐν τοῖς ποσὶ τὰς ἀκοὰς ἔχων. *Cùm neſcio quid pro amico Dionyſium rogans non impetraret, ad pedes procidit. Deinde irridente quodam, non ego, inquit, cauſa ſum, ſed Dionyſius qui aures habet in pedibus.* Plura non addam in re tam facili, niſi ſic eos ad pedes prouolui præſertim temporibus Heroicis conſueſſe, vt alterâ manu genua, altera mentum eius quem rogabant, attingerent. Homerus I. Iliados:

In ſupplicatione pedes aut genus & mentum tangebant.

Καί ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο, καὶ λάβε γούνων
Σκαιῇ, δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα
Λισσομένη προσέειπε Δία Κρονίωνα ἄνακτα.
Ante patrem genua amplexans læuâ aſidet atque
Accipiens mentum dextrâ, ſic illa tonanti
Effuditque preces, rupítque has pectore voces.

Callimachus hymno in Dianam verſu 26.

Ὣς ἡ παῖς εἰποῦσα γενειάδος ἤθελε πατρὸς
Ἅψασθαι.
Sic effata patris voluit contingere mentum.

Euripides loco proximè citato:

Ἥψω δὲ γονάτων τῶν ἐμῶν ταπεινὸς ὤν.
Mihi aduolutus genua tetigiſti mea.

Item: —ἥψω τῆς ἐμῆς, ὡς φῄς, χερὸς,
Καὶ τῆσδε γραίας προσπίτνων παρηίδος,
Ἀνθάπτομαί σου τῶν δὲ τῶν αὐτῶν ἐγώ.
Meam, vt fateris ipſe, tetigiſti manum,
Et has ſeniles procidens Hecubæ genas.
Genas manúmque tango nunc versâ vice.

Et aliquantò pòſt:

Ἀγάμεμνον ἱκετεύω σε τῶνδε γουνάτων.
Καί σου γενείου δεξιᾶς τ' εὐδαίμονος.

In priore verſu libenter legerim:

Ἀγάμεμνον ἱκετεύω σε διὰ σῶν γονάτων.
Per ego Agamemnon genua te obteſtor tua
Tuámque barbam, pérque fœlicem manum.

Nonnus 6. Dionyſiacon:

Λαιῇ μὲν παλάμῃ γονάτων θίγε. λισσομένη δὲ
Δεξιτερῇ ψαύεσκε βαθυσμήριγγος ὑπήνης.
Illa manum læuam genibus tum admouit, & orans
Barbatum tetigit mentum.

Sed præſtat audire Plinium lib. II. cap. 45. *Hominis genibus ineſt quædam religio obſeruatione gentium, hæc ſupplices attingunt, ad hæc manus tendunt, fortaſſe quia ineſt iis vitalitas, nam in ipſa commiſſura à priore parte ineſt veluti buccarum inanitas, qua perfoſſa, ſeu iugulo fugit ſpiritus.* Subdit: *Aliis etiam partibus religio ineſt, vt dextra quæ in oſculis appetitur, in fide porrigitur. Antiquis Græciæ in ſupplicando mentum attingere mos erat.*

NOLITE IVDICES.] Antiphon loco proximè citato: Καὶ μὴ ἀθλιωτάτω δύο, πατέρα καὶ παῖδα, ἀώροις συμφοραῖς περιβάλητε. *Neque duos miſerrimos patrem & filium intempeſtiuis calamitatibus obiicite.* V.

ARGVMENTVM.

Orationi clauſulam imponit, rationibus omnibus per repetitionem conglobatis, quæ poſſunt Iudices, vel ſenſu naturali, vel pietate, vel indulgentiâ, vel ſpe futuræ Cœlij virtutis, vel vtilitatis publicæ, vel priuatæ expectatione ad miſericordiam commouere.

LXXX. CONSERVATE parenti filium, parentem filio: ne aut ſenectutem iam prope deſperatam contempſiſſe, aut adoleſcentiam plenam ſpei maximæ, non modò non aluiſſe vos, ſed etiam perculiſſe, atque afflixiſſe videamini. Quem ſi vobis, ſi ſuis, ſi Reipublicæ conſeruatis, addictum, deditum, obſtrictum vobis, ac liberis veſtris habebitis: omniúmque huius neruorum, ac laborum vos potiſſimum, Iudices, fructus vberes, diuturnóſque capietis.

EXPLANATIO.

CONSERVATE.] Videtur ſic argumentari.

Niſi conſeruaueritis Cœlium parenti, incolumem videbimini patris ſenectutem contemnere.
Sed non oportet patris deſperatam ſenectutem contemnere.

Ergo Cœlius parenti conſeruandus eſt.

AVT ADOLESCENTIAM.] Alius ſyllogiſmus hîc inuoluitur.

Non debetis adoleſcentiam plenam ſpei maximæ veſtris ſententiis affligere.

Sed Cœlij adoleſcentia eſt plena ſpei maximæ.

Ergo non debetis Cœlij adoleſcentiam veſtris ſententiis affligere.

NON ALVISSE.] Nota quàm eleganter ſenſim augeſcat oratio. *Non aluiſſe, perculiſſe, afflixiſſe:* plus eſt enim percellere, ſiue ſubita tempeſtate peruertere, quàm non alere: plus eſt item affligere, quàm percellere: plantæ enim à quibus ducta eſt tranſlatio, perculſæ vel non penitus euelluntur, vel euulſæ iterum plantari poſſunt, at afflictæ, ſiue confractæ & comminutæ iterum pullulare non poſſunt. Sic pro Sextio 3. *in ruinis euerſa atque afflicta Reipub.*

QVEM SI VOBIS.] A ſpe futuræ vtilitatis miſericordiam captat, & diuerſos affectus amoris proprij *ſi vobis;* miſericordiæ in alienos *ſi ſuis:* charitatis in patriam *ſi Reipublicæ:* pietatis in liberos *ſi liberis veſtri.* ſic coniungit & attemperat, vt occaſionem oſtendat oblatam ſatisfaciendi ſtudio quo magnanimus quiſque ad beneficia aliis conferenda impellitur.

ADDICTVM.] Quaſi iudicio mancipatum. dicere enim & addicere à Græco δικάζειν, Varro deductum exiſtimat, vel, vt vult Nonnius Marcellus, *addictum eſt quaſi deuotum vel obnoxium. Cic. Tuſculanarum lib. 2. Qui certis quibuſdam deſtinatiſque ſententiis quaſi addicti & conſecrati ſunt.*

DEDITVM.] Valde datum, vt eſt apud Feſtum Pompeium, vel vt ait antiquus interpres Terentij in Andriam: *Dare, eſt quod repetas: dedere eſt ad perpetuum. Damus amicis: dedimus tantùm hoſtibus.* Quibus vides *addictum, deditum,* idem eſſe atque, vel iudicij, vel belli, vel etiam religionis iure perpetuo mancipatum. at quod etiam dedititij poſſint aufugere, quamuis in perpetuum fuerint mancipati, ſubdit *obſtrictum,* id eſt, perpetuis veſtri beneficij vinculis deuinctum & obligatum.

NERVORVM.] virium, conatûs.

NOTÆ.

1. ADOLESCENTIAM, &c.] Superiùs, *Aut hunc nunc primùm floreſcentem firmatâ iam ſtirpe virtutis tanquam turbine aliquo, aut ſubitâ tempeſtate peruertere.* Ad vtriuſque loci placet Cauſſini noſtri, verba ex octauo libro Parallelorum deprompta ſubtexere. vbi miſerationem augeri dicit, *A tempore, ſi noua, ſi extra tempus iniuria ſit illata, vt ſi tener floſculus in ipſo ætatis limine fuerit demeſſus, cùm iam ad magnas ſpes pubeſcere inciperet, eo magis defletur.* Subdit exemplum Gregorij Nyſſeni in funere Pulcheriæ. *Noſtis* (inquit) *teneram hanc columbam, quæ in nido regio nutriebatur, quæ iam primùm quidem nitidioribus pennis volucris euadebat, ſed ætatem gratiis & virtutibus exceſſerat: vt relicto nido diſceſſerit, vt ex oculis noſtris auolauerit, vt eam inuidia repente de manibus noſtris rapuerit, ſiue columbam hanc dicere oportet, ſiue recens pullulantem florem, qui nondum quidem toto ſuo ſplendore ex gemmis ac vaginis emerſiſſet, ſed partim quidem iam enituiſſet, partim verò in lucem emerſurus ſperaretur: nec eo minus in exigua ſui parte mirum in modum reſplenderet, vt repente in gemma emarcuerit,* &c. Græca ſunt: Ἐγνώκατε πάντως τὴν νέαν ταύτην περιστερὰν τὴν ἐντρεφομένην τῇ βασιλικῇ καλιᾷ, τὴν ἄρτι μὲν πτερουμένην ἐν λαμπρῷ τῷ πτερῷ, ὑπερβᾶσαν δὲ τὴν ἡλικίαν ταῖς χάρισιν, ὅπως ἀπέπτη; ὅπως αὐτὴν ἀθρόως ὁ φθόνος τῶν χειρῶν ἡμῶν ἀφήρπασεν, εἴτε περιστερὰν χρὴ λέγειν ταύτην, εἴτε νεοθαλὲς ἄνθος, ὃ οὔπω μὲν ὅλων τῶν καλύκων ἐξέλαμψεν, ἀλλὰ τὸ μὲν ἔλαμπεν ἤδη, τὸ δὲ λάμψειν ἠλπίζετο, καὶ ὅμως ἐν τῷ μικρῷ τε καὶ ἀτελεῖ ὑπέλαμπεν, ὅπως ἀθρόως ἐναπέσβη τῇ κάλυκι, καὶ πρὶν εἰς ἀκμὴν προελθεῖν, καὶ ὅλον συνωδία πετάσαι τὸ ἄνθος αὐτὸ περὶ ἑαυτὸ κατερρύη καὶ κόνις ἐγένετο, καὶ οὔτ' ἐδρέψατό τις, οὔτ' ἐστεφανώσατο. Ideóque magnus motuum artifex miſerationem excitaturus, eas comparationes in adoleſcentum morte ſolet à flore ſucciſo deſumere. 9. Æneidos:

Voluitur Euryalus letho pulchróſque per artus
It cruor, inque humeros ceruix collapſa recumbit.
Purpureus veluti cùm flos ſucciſus aratro
Langueſcit moriens, laſſóve papauera collo
Demiſere caput pluuia cùm fortè grauantur.

Et vndecimo libro non minùs eleganter de Pallante:

Hic iuuenem agreſti ſublimem in ſtramine ponunt,
Qualem virgineo demeſſum pollice florem
Seu mollis violæ, ſeu languentis hyacinthi:
Cui neque fulgor adhuc, necdum ſua forma receſſit,
Non iam mater alit tellus, viréſque miniſtrat.

Statius 2. Silu. Epiced. Glauciæ Melioris:

Ille velut primos expiraturus ad auſtros
Mollibus in pratis altè flos improbus extat,
Sic tener ante diem, &c.

Homerus pulcherrimè mortem Euphorbi deſcribit, ad quem Tullius hîc alludere non immeritò videatur, Iliados ρ'.

Αἵματί οἱ δεύοντο κόμαι Χαρίτεσσιν ὁμοῖαι
Πλοχμοί θ' οἳ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἐσφήκωντο.
Οἷον δὲ τρέφει ἔρνος ἀνὴρ ἐριθηλὲς ἐλαίης
Χώρῳ ἐν οἰοπόλῳ, ὅθ' ἅλις ἀναβέβρυχεν ὕδωρ
Καλὸν, τηλεθάον, τὸ δέ τε πνοιαὶ δονέουσι
Παντοίων ἀνέμων, καί τε βρύει ἄνθεϊ λευκῷ.
Ἐλθὼν δ' ἐξαπίνης ἄνεμος σὺν λαίλαπι πολλῇ
Βόθρου τ' ἐξέστρεψε καὶ ἐξετάνυσσ' ἐπὶ γαίῃ.
Τοῖον Πάνθου υἱὸν ἐϋμμελίην Εὔφορβον
Ἀτρεΐδης Μενέλαος ἐπεὶ κτάνε τεύχε' ἐσύλα.

Sanguine rorabant crines, quos plurima circum
Fuſa Charis, molli nectebat circulus auro
Agricola vt ſolo nutrit viridantis in aruo
Truncum oleæ, multis rorat quem fluctibus imber
Pulchrum & vernantem, tremulis quem flatibus auræ
Omnimodæ quatiunt canenti flore comantem.
At ſubitò incumbens ventus cum turbine, foſſâ
Eruit eductum, nudiſque extendit in aruis
Non ſecus Euphorbum crudeli morte cadentem
Iunior exultans armis ſpoliauit Atrides.

Iuuenis moriens flori demeſſo comparatus.

II. Nerui.

NERVORVM.] Polyhiſtor cap. 4. *Maximam virium ſubſtantiam neruos facere certiſſimum eſt, quantóque fuerint denſiores, tanto propenſiùs augeſcere firmitatem. Varro in relatione prodigioſæ fortitudinis annotauit Tritanum gladiatorem naturâ Samnitem fuiſſe, qui & rectis, & tranſuerſis neruis, non modò crate pectoris, ſed & manibus cancellatis, & brachiis, omnes aduerſarios leui tactu, ac pene ſecuris congreſſionibus vicerit: eiúſque filium militem Cn. Pompeij pari modo natum ita ſpreuiſſe hoſtem prouocantem, vt inermi eum dextrâ & ſuperaret, & captum digito vno in caſtra Imperatoris ſui reportaret.* Hinc eſt quòd Plato, vt ait Apuleius libro de Philoſophia: *fortitudinem neruos animi, ipſaſque ceruices* eſſe dicebat.

AXIOMATA.

Non oportet aut ſenectutem iam propè deſperatam contemnere, aut adoleſcentiam plenam ſpei maximæ percellere.

Optandum eſt vt eos nobis addictos, deditos, obſtrictos habeamus, quorum induſtriæ fructus vberes diuturnóſque capere noſcimus.

EVENTVS.

COELIVS abſolutus, & paulò pòſt factus ædilis, vt conſtat ex lib. 8. ad Familiares.

IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM DE PROVINCIIS CONSVLARIBVS

PRÆFATIO.

L. Calpvrnivs *Piſo Cæſoninus & Aulus Gabinius Conſules fuerant anno vrbis* DCXCV. *Ciceronis* XLIX. *& P. Clodium Ciceronis inimicum in lege de Ciceronis exilio ferendâ iuuerant, eóque Tullium adegerant, vt noctu ex vrbe belli ciuilis metu diſcederet. His Clodius Tribunusplebis Prouincias, quas poſt Conſulatum obtinerent rogatione ad populum latâ, Piſoni Macedoniam, Gabinio Syriam attribuit (cùm ad id tempus lege Semproniâ in Senatûs poteſtate fuiſſet Prouincias Conſulares decernere.) In quibus illi agebant etiam anno vrbis* DCLXXXXVII. *Ciceronis* LI. *cùm ille priſtino ordini dignitatíque reſtitutus Romæ eſſet Conſulibus Cn. Cornelio Lentulo Marcellino, & L. Marcio Philippo. Eodem tempore C. Iulius Cæſar duas Gallias Citeriorem & Vlteriorem cum Illyrico, quartum iam annum rebus maximis contra Germanos, Heluetios alióſque geſtis obtinebat. Sempronia lex erat, vt quotannis Prouincias Conſulares duas neceſſe eſſet decernere, vt videlicet qui Conſules fuerant, exacto conſulatu ſuam quiſque Prouinciam obtinerent. Et cæteræ quidem Prouinciæ placatæ erant, ſolæ Galliæ nondum penitus ſubactæ Germaníſque finitimæ, Macedonia Thracibus, Scythis, cæteríſque Barbaris infeſta, Syria recèns armis Cn. Pompeij ſubiugata & vicina Parthis egere videbatur auctoritate, & exercitu Conſulari. Hic igitur ſententiam ſuam dicit Orator, & Piſonem è Macedoniâ, Gabinium è Syriâ reuocandos, Cæſarem in Galliis retinendum eſſe cenſet, quæ fuerat etiam ante Pub. Seruilij ſententia. Dicendi character eſt temperatus; Genus orationis deliberatiuum. Status qualitatis, loci ad probationem. ab honeſto, vtili, neceſſario, per Cæſaris laudem, inſectationem Piſonis & Gabinij.*

Generalis diuiſio.
- Exordium. 1. 2.
- Contentio.
  - confirmatio
    - reuocandi. 3.
      - Piſo. 4. 5. 6. 7. 8.
      - Gabinius à 9. ad 17.
    - retinendus Cæſar à 7. ad 36.
  - confutatio à 36. ad 40.
- Peroratio à 40. ad finem.

Exordium

TABVLA EXORDII.

Exordium ſexqui duobus numeris contentum reddit auditorem,

- Attentum
  - inuitans vt auditor conſideret ipſe ſecum, &c.
  - promittens ſe dicturum, non ſolùm quid conueniat, ſed etiam quid neceſſe ſit ſentire.
- Beneuolum
  - 1. veniam petens dolori.
  - 2. voluptatem oſtendens ex communi vtilitate perceptam.
  - 3. Seruilium principem ſententiæ, quam ipſe dicturus eſt ingenuè agnoſcens: & ſi laudandus erat ſi ipſe princeps ſententiam diceret.
  - 4. amabiles mores oſtendens & gratitudinem erga Seruilium.
  - 5. acceptæ à Piſone & Gabinio iniuriæ grauitatem ponderans, non tam ex ſuo quàm ex P. Seruilij ſenſu: quibus & ſibi beneuolentiam, & aduerſariis inuidiam quærit. 2.
  - 6. Animi moderationem oſtendens dum ſe non iracundiæ ſeruiturum, ſed quo animo Senatorum quiſque in Piſonem & Gabinium eſſe debet, eo ſe futurum eſſe promittit. 2.
- Docilem
  - partitione & conſtitutione quæſtionis. 3.

M. TVLLII CICERONIS ORATIO

DE PROVINCIIS CONSVLARIBVS.

ARGVMENTVM.

Dicturus ſuam in Senatu ſententiam decreturúſque, vt Piſo & Gabinius reuocentur è prouinciis, quas cum imperio tum obtinebant, ſe quidem iis inimicum eſſe profitetur, oſtendit tamen ſe non priuato affectu, ſed vel vniuerſi Senatus ſenſu, vel vtilitate Reipub. vel Pub. Seruilij, qui iam idem ſenſerat, auctoritate commoueri.

SI quis veſtrum, P. C. expectat, quas ſim prouincias decreturus, conſideret ipſe ſecum, qui mihi homines ex prouinciis potiſſimùm detrahendi ſint: non dubitabit, quid me ſentire conueniat, cùm, quid mihi ſentire neceſſe ſit, cogitarit. Ac ſi princeps eam ſententiam dicerem, laudaretis profectò: ſi ſolus, certè ignoſceretis: etiam ſi paullò minùs vtilis vobis ſententia videretur, veniam tamen aliquam dolori meo tribueretis. Nunc verò, P. C. non parua afficior voluptate, vel quòd hoc maximè Reipub. conducit, Syriam, Macedoniámque decerni vt dolor meus nihil à communi vtilitate diſſentiat, vel quòd habeo auctorem P. Seruilium, qui ante me ſententiam dixit, virum clariſſimum, & cùm in vniuerſam Rempublicam, tum etiam erga meam ſalutem fide, ac beneuolentia ſingulari.

EXPLANATIO.

SI QVIS VESTRVM.] Prudenter orationem orditur, vt oſtendat ſe non priuati odij, ſed ipſius Senatus habere rationem, quaſi ſe ad communem omnium ſenſum accommodet, eóſque inuitat, vt tacita cogitatione occupent ſuam ipſius ſententiam. Sic enim & amouet à ſe priuati affectus ſuſpicionem, & ſibi Patrum animos conciliat, eorum quaſi voluntati ſubſeruiens, & dum rem ipſis conſiderandam, & quaſi diuinandam exponit, reddit attentos. Aduerte etiam quàm bene ſupponat, non conuenire ſolùm, ſed etiam neceſſe eſſe id ſentire quod ſenſurus eſt, vt non animum ſuum & inimicitias explere, ſed vnam neceſſitatem ſpectare videatur. Quod ad numerum ſpectat, periodus eſt quatuor membris comprehenſa, quæ ſpondæis quinque, quaſi fundamento cuidam inſiſtens, ſe ipſam initio ſua grauitate ſuſtentat, tum variis pedibus, quaſi lapidibus diuerſis in parietes aſſurgens, deſinit in anapæſtos duos, creticum & dichoræum, quibus mirè hilaratur oratio. Vnius tamen, vt verum fatear, verbi delectum non immerito deſiderare poſſis. Prudentiùs enim fortaſſe dixiſſet Piſonem & Gabinium *reuocandos è prouinciis*, quàm *detrahendos.* Nam præterquam quòd prima periodo non ſunt auditorum aures vllius vocis inſolentiâ feriendæ, callidi non fuit Oratoris odium, quo ſe ad dicendam ſententiam impelli negaturus eſt. ipſo ſtatim initio verbi atrocitate profiteri, vt quod de Homero dixit Horatius, de Demoſthene Tullius, audacior quiſpiam dicere poſſit, *quandoque bonum dormitare* Ciceronem. Sed rem in medio relinquamus. Id enim de induſtria factum videri poſſit, vt ſubdat quod proximè faciet, dolori ſuo veniam eſſe tribuendam.

AC SI PRINCEPS.] Altera periodus, cuius membra nec ad æqualitatem, vt in ſuperiore, dimenſa ſunt, nec ita ſuis articulis inter ſe colligata, vt alterum penitùs ab altero dependeat, quippe quæ ſecundo membro ſenſum expleuerit, vt vides. hac autem periodo tres ſyllogiſmos breuiter perſtringit. quorum vnus eſt.

Non eſt reprehendendus qui alterius ſententiam ſequitur, qui laudaretur ſi eſſet princeps, ſiue primus auctor illius ſententiæ.

Sed ego laudarer, ſi princeps eſſem ſententiæ quam dicturus ſum.

Ergo, &c.

Alter ſyllogiſmus:

Non eſt reprehendendus qui poſt viros graues eam ſententiam dicit, quam cui, ſi ſolus diceret, ignoſceretis.

Sed ſi ſolus de Piſone & Gabinio reuocandis ſententiam dicerem, mihi ignoſceretis.

Ergo, &c. Tertius eſt:

Cui ſententiam minùs vtilem dicenti venia daretur, ei multò magis vtilem ſententiam dicenti venia tribuenda eſt.

Sed mihi etiam minùs vtilem ſententiam dicenti veniam daretis.

Ergo magis vtilem dicenti tribuetis.

NVNC VERÒ.] Tertia periodus. quadrata rurſus, & certis membrorum internodiis alligata. Notandum tamen periodos ſuas quantâ varietate diſtinxerit. Primus ambitus à duobus membris Heroico verſu grandioribus exorſus, in alia duo non ſolùm inter ſe, ſed etiam æqualia cum Heroico verſu deſinebat. Secunda periodus ſex membris quatuor primis hexametro longè breuioribus, duobus poſtremis eidem pene æqualibus continetur. Tertia, quam in manibus habemus, quatuor habet membra mutuis inter ſe vinculis copulata, quorum primum & tertium ad Heroici magnitudinem accedunt, ſecundum paulò grandius eſt. Quartum tantæ eſt amplitudinis, vt & tres heroicos facilè ſuperet, & ſi à reliquo corpore diuulſum ſpectes, poſſit inter indiſtinctas periodos numerari. Poſſent etiam expendi pedes quibus ſingula membra commodè terminantur. ſed hæc

-ſpatiis diſcluſus iniquis
Prætereo. atque aliis poſt me memoranda relinquo.

Satis ſit obiter adoleſcentibus facem prætuliſſe, vt ad eum modum cæteris in ſectionibus, cùm otium fuerit, numeri rationem examinent. Nos ad rem. Non parua, inquit, afficior voluptate, vel quod maximè Reipub. conducit, vt Syria & Macedonia decernantur hoc anno Conſulares, & miſſis ſucceſſoribus Piſo è Macedonia, Gabinius è Syria reuocentur, ſic enim Syriam Macedoniámque decernens vna & eadem opera, & inimicos meos vlciſcar, & Reipub. commodis prouidebo.

PVB. SERVILIVM.] Iſauricum, qui ſummum ſtudium impendit, vt in patriam ab exilio reuocarer, & me abſentem cum Metello Nepote Conſule in gratiam reduxit.

NOTÆ.

I. Prouinciæ.

DE PROVINCIIS CONSVL.] Prouinciæ dictæ ſunt exteræ regiones, quæ in populi Romani ditionem imperiúmque conceſſerant. dictæ quaſi *procul victæ*, vt auctor eſt Varro. Eædem modò Conſulares fuerunt, modò Prætoriæ, ad Senatus arbitratum. Conſulares dictæ fuerunt cùm eas Proconſules, aut etiam, quod non raro contigit, Conſules; Prætoriæ cùm Prætores obtinebant. De Conſularibus oratione

Senatus fuit decernere prouincias Conſulares.

pro domo ſua 24. *Tu Prouincias Conſulares quas C. Gracchus, qui vnus maximè popularis fuit, non modò non abſtulit ab Senatu, ſed etiam vt neceſſe eſſet quot annis conſtitui per Senatum decreta lege ſanxit, eas lege Sempronia per Senatum decretas, reſcidiſti, extra ordinem, ſiue fortè nominatim dediſti.* Idem etiam iuris in decernendis prætoriis

Et Prætorias.

Senatus obtinebat, niſi quòd Conſularibus intercedere non poterant Tribuni plebis. poterant autem Prætoriis, vt infrà dicetur 17. Porrò nihil aliud Senatus decernebat, quàm vt Conſules Proconſuléſve eas prouincias obtinerent, non autem ſuam ſingulis aſſignabat Prouinciam, ſed Conſulum arbitrio relinquebat, vt ſortirentur vel inter ſe compararent. Exemplis ſuperſedeo, quæ congeſſit Briſſonius libro 2. formularum. Vnum illud ab eo prætermiſſum ex Liuij libro 33. ſuffecerit. *Luc. Valerius Flaccus, & M. Porcius quo die Conſulatum inierunt, de Prouinciis cùm ad Senatum retuliſſent, Patres cenſuerunt. Cùm in Hiſpania tantum gliſceret bellum, vt iam Conſulari & Duce & exercitu opus eſſet, placere Conſules Hiſpaniam citeriorem, & Italiam Prouincias aut comparare inter ſe aut ſortiri, vtri Hiſpania prouincia eueniſſet, eum duas legiones, & quinque millia Sociûm Latini nominis & quingentos equites ſecum portare, & naues longas viginti ducere. Alter Conſulum duas legiones ſcriberet, his Galliam prouinciam obtineri ſatis eſſe.* Quibus habes non pauca quæ magnam huic orationi lucem adferre poſſint. Primò, vt iam dictum, prouincias Conſulares eſſe decernebat, non eaſdem ſemper; ſed modò hanc modò illam prout ratio bellorum & temporum exigebat. 2. Addebat Senatuſconſultis, vt Conſules eas inter ſe vel ſortirentur, vel communi conſenſu compararent, id eſt, conuenirent inter ſe vter vtram obtineret. 3. Prouincias, ne locus ambitioni daretur aut gratiæ, ante ſortitionem aut comparationem, dum adhuc incertum erat vtra vtri obueniret, militibus, cæteríſque, quantum ſatis erat, inſtruebant. Aliquando tamen alteri Conſulum, altera prouincia decernebatur extra ſortem. Sic Decio ad populum prouocante: *Nec minore populi conſenſu quàm Senatus prouincia Etruria extra ſortem Fabio decreta eſt.* vt Plinius libro decimo teſtatur. Sed id extra ordinem, vt Decius meritò quereretur, *Omnes ante ſe Conſules ſortitos prouincias eſſe: nunc extra ſortem Senatum Fabio prouinciam dare.* Aliàs enim ſi quid huiuſmodi obtigiſſet, id Senatus bonâ Conſulum veniâ faciebat. Idem Liuius lib. 8. *Collega additus Coruino M. Attilius Regulus. Et ne fortè erraretur, petitum ab Conſulibus vt extra ſortem Coruini ea prouincia eſſet.* lib. 43. *Cùm Conſules noui Qu. Marcius & Qu. Seruilius de prouinciis retuliſſent, primo quoque tempore aut comparare inter ſe Italiam & Macedoniam, aut ſortiri placuit. Priuſquam id ſors cerneret, in incertum, ne quid gratia momenti faceret in vtramque prouinciam, quod res deſideraret ſupplementi decerni.*

Cõſules prouincias inter ſe ſortiebantur aut comparabant.

Nonnunquã alteri Conſulum nominatim datæ prouinciæ.

DETRAHENDI.] Quod monebat Cæſar: *Inſolens verbum tanquam ſcopulum eſſe fugiendum.* Id potiſſimùm in exordiis locum habet, &, vt cum Fabio loquar: *Peſſimus certè gubernator, qui nauem, dum portum egreditur, impegit.* Sed quis vetat eius præceptum producere lib. 3. cap. 1. *Illud ex præceptis veteribus manet, ne quid inſolens verbum, ne audaciùs tranſlatum, ne aut obſoletâ vetuſtate, aut poëticâ licentiâ ſumptum in principio deprehendatur. Nondum enim recepti ſumus, & cuſtodit nos recens audientium intentio. magis conciliatur animis, & iam calentibus hæc libertas feretur,* &c. Quo in genere nonnulli fuerunt adeo delicati, vt etiam II.

Inſolens verbum vitãdum in exordio.

reprehenderent illud Demoſthenis : Αν δ' ἐφ' ἃ καὶ πεποίηκα καὶ πεπολίτευμαι βαδίζω, πολλάκις λέγειν ἀναγκασθήσομαι περὶ ἐμαυτοῦ. *Sin ad facta mea & acta in Repub. narranda acceſſero, ſæpè neceſſe habebo dicere de meipſo.* Quem in locum Vlpianus : Τινὲς ἐμέμψαντο ὡς τροπικὴν ἐν προοιμίοις οὐ καλῶς κειμένην τὴν λέξιν. ἀλλ' οὔτ' ἐν τῷ πρώτῳ προοιμίῳ ἐστὶν, ἀλλ' ἐν τοῖς τελευταίοις τοῦ δευτέρου, οὔτ' ἀπεξενωμένη καὶ ἀπόκροτος, οἷα Αἰσχίνης ἐχρήσατο ἐν τῷ προοιμίῳ, παρασκευὴν εἰπὼν καὶ παράταξιν, ἀλλὰ προσηχὴς καὶ μᾶλλον ἁρμόττουσα, &c. *Quidam hoc verbum reprehenderunt, quod tropus in exordiis ineptè ponatur. Sed nec in primo exordio eſt, ſed in extremo ſecundo, neque peregrinus aut durus tropus, quali Æſchines vſus eſt in exordio, inſtructionem dicendo & aciem; ſed vicinior & conuenientior.* Verba prima Æſchinis ea ſunt orat. contra Cteſiphontem : Τὴν μὲν παρασκευὴν ὁρᾶτε, ὦ Ἀθηναῖοι, καὶ παράταξιν, ὅση γεγένηται, &c. *Videtis, Athenienſes, quanto apparatu, quantiſque copiis aduerſarij ſe ad hoc iudicium inſtruxerint.* Quid nunc dicerent in ætatis noſtræ λογοδαιδάλους, vt vocat Plato, vel vt Democritus λεξιδίων θηράτορας, καὶ ἱμαντολεκτέας, qui quaſi obiectis tendiculis neſcio quas dictiunculas aucupantur, & ſi quod vbicunque dædalum verbum inuenerint, ſi marcidum euanidæ locutionis floſculum apud Marcianum Capellam, Apuleium, cæteróſque luxuriantis eloquentiæ topiarios collegerint, eum vel in primam orationis ſuæ periodum obtrudunt. Non tamen verterim religioni, ſi cùm paululùm fueris oratione prouectus in exordio tranſlatam dictionem vſurpes, vt Noſter pro Milone 3. *Quos Pub. Clodij furor, rapinis & incendiis, & omnibus exitiis publicis pauit.* & 5. *Cæteras tempeſtates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum ſemper putaui Miloni eſſe ſubeundas.* Nonnunquam etiam in ipſo quaſi portu, vt Philipp. 2. *Bellum mihi quoque induxerit.* Et alibi fortaſſe : *Non tamen hæc*, vt prudenter monet Fabius, *quia poſſunt benè aliquando fieri, paſſim facienda ſunt, ſed quoties præceptum vicerit ratio.* Quæ autem ratio vicerit, vt ipſo initio noſter Orator atrocitate vocis exacerbaret odium ſuum, mihi non liquet, niſi ſi dicamus eum ita de induſtriâ loqui, quaſi non ex ſuo ſenſu, ſed ex aliorum, qui Piſonem & Gabinium vel è prouinciis detrahendos eſſe ſentiebant, vt paulò pòſt eoſdem appellat, *duo Reipub. portenta & pene funera.* Ex Pub. Seruilij ſenſu qui eos *Non ſolùm ſententiâ ſuâ, ſed etiam verborum grauitate eſſe notandos putauit.*

Necesse sit.] Veriſſimum quidem illud eſt Ariſtotelis effatum : Ὅσα δ' ἐξ ἀνάγκης ἢ ἔστιν, ἢ ἔσται, ἢ ἀδύνατον εἶναι, ἢ γενέσθαι, περὶ τούτων οὐκ ἔστι συμβουλή. *Quæcunque verò ex neceſſitate vel ſunt, vel erunt, vel non poſſunt eſſe, vel fieri, de his non eſt deliberatio.* Sed aliud eſt neceſſitatis genus, non ſimplex illud & abſolutum. verùm ex præſtituti finis ſuppoſitione promanans, verbi cauſſâ, ſi bellum gerere ſtatuiſti, neceſſariò conſcribendus eſt exercitus, ſi nauigare, nauigium comparandum. ſi ſeruare Reipub. ſtatum & dignitatem, non ſolùm conuenit, ſed etiam neceſſe eſt improbos Præſides à prouinciarum gubernaculis amouere. Hunc autem eſſe vitæ politicæ, & deliberationis ad Rempub. ſpectantis finem, *cum dignitate otium*, vidimus pro Sextio 96. ex quo neceſſitas medij redundat. Atque hoc neceſſitatis genus in conſultationibus maximè dominatur. nam vt dicebat Simonides : Ἀνάγκῃ οὐδὲ Θεὸς μάχεται. *Cùm neceſſitate ne Deus quidem pugnat.* III.

Neceſſitas.

Princeps.] Quis ſit princeps ſententiæ dicetur in Piſonem. 35. hic obiter notandum eundem eſſe Principem & auctorem ſententiæ, vt loco citato Piſonianæ, & pro domo ſua. IV.

P. Servilivm.] Vt videas quàm grauem ſequatur auctorem, viſum eſt hunc ex Valerio Maximo lib. 8. cap. 6. quaſi purpuræ clauum intexere : *P. Seruilius Conſularis, Cenſorius, triumphalis, qui maiorum ſuorum titulis Iſaurici cognomen adiecit, cùm forum præteriens teſtes in reum dari vidiſſet, loco teſtis conſtitit, ac per ſummam inter patronorum pariter & accuſatorum admirationem ſic orſus : Hunc ego, Iudices, qui cauſam dicit, cuias ſit, aut quam vitam egerit, quámque meritò vel iniuriâ accuſetur, ignoro : illud tantum ſcio, cùm occurriſſet mihi Laurentinâ viâ iter facienti, admodum anguſto loco, equo deſcendere noluiſſe. Quod an aliquid ad religionem veſtram pertineat, ipſi æſtimabitis : ego id ſupprimendum non putaui. Iudices reum vix auditis cæteris teſtibus damnauerunt.* Eadem à Dione referuntur. V.

P. Seruilij auctoritas.

AXIOMATA.

Nemo dubitabit quid ſentire conueniat, cùm quid ſentire neceſſe ſit, cogitarit.

Quis princeps vtilem Reipub. ſententiam dicit, is laudandus eſt. Qui ſolus, ei eſt ignoſcendum.

Iuſto dolori & iracundiæ nonnunquam venia conceditur.

Optandum eſt vt dolor noſter nihil à communi vtilitate diſſentiat.

ARGVMENTVM.

Poſtquam oſtendit ſibi vitio non vertendum fore, etiamſi ductus odio Piſonis & Gabinij atrocem in eos diceret ſententiam, promittit in dicendâ ſententiâ ſe nullam priuati doloris habiturum eſſe rationem.

II. Qvòd ſi ille & paulò antè, & quotieſcunque ei locus dicendi, ac poteſtas fuit, Gabinium & Piſonem, duo Reipublicæ portenta, ac pænè funera, cùm propter alias cauſſas, tum maximè propter illud inſigne ſcelus eorum, & importunam in me crudelitatem, non ſolùm ſententia ſua, ſed etiam verborum grauitate eſſe notandos putauit: quonam me animo in eos eſſe oportet, cuius illi ſalutem pro pignore tradiderunt ad explendas ſuas cupiditates? Sed ego in hac ſententia dicenda non parebo dolori meo, nec iracundiæ ſeruiam: quo animo

vnuſquiſque veſtrûm debet eſſe in illos, hoc ero: præcipuum illum & proprium ſenſum doloris mei, quem tamen vos communem ſemper vobis mecum eſſe duxiſtis, à ſententia dicenda amouebo, ad vlciſcendi tempora reſeruabo.

EXPLANATIO.

QVOD SI.] Argumentum à minori ad maius.

Si P. Seruilius Iſauricus, qui priuatim læſus non eſt, nullam omittit occaſionem in Piſonem & Gabinium inuehendi, multò magis id mihi qui læſus ſum concedi poteſt & debet.

Sed hoc Seruilio conceditur. *Ergo*, &c.

ET PAVLO ANTE.] Cùm diceret ſuam ſententiam, & quoties rogatus eſt in Senatu vel productus in concionem. Locum dicendi habet cui oblata eſt occaſio. Poteſtatem in Senatu, qui ab iis qui referunt ad Senatum rogatur ſententiam, in concione qui vel magiſtratum gerit, vel in concionem à magiſtratu producitur.

PORTENTA.] Vox quidem atrocior quàm vt principio quadrare videatur. Sed vt iam dictum eſt, ea videntur fuiſſe verba P. Seruilij, quæ commodè repetuntur vt altiores in auditorum animis radices agant. Hæc enim mirè & Seruilij μισοπονηρίαν oſtendunt, & Ciceronis iracundiam excuſant.

IMPORTVNAM.] ἐμφατικῶς. Apud quos Conſules Senatori & Conſulari Tribunitiis furoribus, & tempeſtatibus iactato portus non fuit. Eſt enim importunum, vt notat Seruius, quaſi importuoſum, *quod caret portu.*

CVIVS ILLI SALVTEM.] Qui vt dicitur pro Sextio 24. & alibi paſſim. *Fœdus fecerunt cum Tribunoplebis* (P. Clodio) *vt ab eo prouincias acciperent, quas ipſi vellent, exercitum & pecuniam, quantam vellent. Ea lege ſi ipſi priùs Tribunoplebis afflictam & conſtrictam Rempub. tradidiſſent. id autem fœdus meo ſanguine ſanciri poſſe dicebant.*

SED EGO.] Iure ſententiam dicturus iracundiæ ſuſpicionem amolitur. quia cùm cæteræ cupiditates tum iracundia præſertim rationem obnubilat, & eſt inimica conſiliis.

QVO ANIMO.] De Haruſp. Reſp. 4. *Cùm his furiis & facibus, cùm his, inquam, exitioſis prodigiis, ac pene huius imperij peſtibus, bellum mihi inexpiabile dico eſſe ſuſceptum: neque id tamen ipſum tantum, quantum meus ac meorum, ſed tantum, quantum veſter atque omnium bonorum dolor poſtulauit.* Iure autem tum ad captandam beneuolentiam, tum ad inimicos magis in inuidiam vocandos, dolorem ſuum teſtatur non eſſe præcipuum, ſed ſibi cum cæteris Senatoribus eſſe communem.

NOTÆ.

I. QVOTIESCVNQVE EI LOCVS DICENDI] Locus de Piſone & Gabinio dicendi fuit, cùm fuit oportunum, & res de qua rogabatur, cum eorum ſcelere fuit aliquo modo connexa. Poteſtas autem quotieſcunque de qualibet re rogatus eſt ſententiam. *Erat enim ius Senatori,* (verba ſunt Atteij Capitonis apud Gellium lib. 4. cap. 10. Noct. Attic.) *vt ſententiam rogatus diceret antè quicquid vellet alius rei, & quoad vellet.* Vide ibidem exemplum Catonis Vticenſis qui *eximebat dicendo diem*, & apud alios Catonis Cenſorij, qui quotieſcunque de vlla re conſulebatur, *Cenſebat præterea Carthaginem eſſe delendam.* Noſter Philippica 7. *Paruis de rebus ſed fortaſſe neceſſariis conſulimur P. C. De Appià vià & de Monetà Conſul de Lupercis Tribunusplebis refert. Quarum rerum etſi facilis explicatio videtur, tamen animus aberrat à ſententià ſuſpenſus curis maioribus.* Et tota deinde oratione pacem cum Antonio diſſuadet, de cæteris ne reſpondet quidem. Senator potuit dicere de re qualibet, etiam non rogatus.

AD EXPLENDAS.] Legit Ianus Grutterus: *Ad expiandas ſuas cupiditates* coactus, vt ait obedire omnibus antiquitus cuſis, & ſeptem Palatinis in quibus iſthæc ſcriptura, niſi quòd octauus haberet *expediendas*, ſuperſcriptum verò à gloſſatore *purgandas.* Recentiùs cuſi obtruſere nobis, *ad explendas*, quod neque extare in Erfurdienſi aut S. Victoris fidem facit nota Guillelmij. Equidem vt tot manuſcriptis non auſim refragari, ita non dubitem ignorantiam meam confiteri. Quid eſt enim illud *expiare ſuas cupiditates?* niſi ſi dicamus, eorum auaritiam prodigioſè, vt ita loquar, hiantem & imminentem fuiſſe, cui explendæ, & velut expiando prodigio Cicero, tanquam victima & piaculum debuerit immolari. II.

Expiare cupiditates.

NON PAREBO DOLORI MEO.] Dolor Ciceroni eſt ira. Eſt enim, vt definit Ariſtoteles, Ἡ ὀργὴ ὄρεξις μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης, διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν τῶν εἰς αὐτὸν, ἢ εἰς αὐτοῦ τινα μὴ προσηκόντως. *Ira appetitio cum dolore coniuncta, eius quæ apparet vltionis propter eam quæ apparet deſpicientiam, vel in ſe vel in ſuorum quempiam non conuenienter.* E quibus videas & cur iram dolorem appellet, & cur ſibi magis argumentetur quàm Seruilio conuenire; deſpectus enim adeò fuerat, vt eius ſalutem pro pignore tradiderint ad explendas cupiditates. Cur autem ira quæ vel dolor eſt, vel dolori coniuncta, πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο, *longè effuſo melle dulcior*, ab Homero dicatur, alibi differemus. III.

Dolor, ira.

PAREBO.] Agamemnon Homericus lib. 9. IV.

Ἀλλ' ἐπεὶ ἀασάμην φρεσὶ λευγαλέῃσι πιθήσας
Ἂψ ἐθέλω ἀρέσαι. -
At quoniam læſi parens animóque dolorique
Hunc rurſus placare volo.-

Parere iracundiæ.

Neſtor eidem prædixerat:

-Σὺ δὲ σῷ μεγαλήτορι θυμῷ
Εἴξας ἄνδρα φέριστον, ὃν ἀθάνατοί περ ἔτισαν
Ἠτίμησας. ἑλὼν γὰρ ἔχεις γέρας.-
Excelſo cedens animo ſine honore relinquis
Contemptum, quem vel Superi dignantur honore,
Atque viro forti virtutis præmia tollis.

Galenus libro de curatione propriarum affectionum frequenter, vt θυμῷ δουλεύων, *dolori ſeruiens.* Item: Ἆρα βέλτιον ἐστι πάθεσι δουλεύοντα ζῆν, ἢ λογισμῷ πείθεσθαι πρὸς ἅπαντα. *An melius eſt viuere ſuis affectionibus ſeruientem, an in omnibus obſequi rationi?* Et alibi paſſim. Quod ad rem

ipſam attinet, iure ſe dolori ſuo non pariturum, ſed inimicitias in aliud tempus reſeruaturum eſſe profitetur. quia iracundia eſt inimica conſilio, & ipſam rationem obnubilat. Demoſthenes epiſtola 2. eodem pene modo commemoratis nonnullorum iniuriis iracundiæ ſuſpicionem amolitur : Παρακαλῶ δ' εἰς ταῦτα, οὐ τυχὼν αὐτὸς τοιαύτης φιλανθρωπίας παρ' ἐνίων, ἀλλ' ἀδίκως καὶ στασιαστικῶς εἰς τὴν ἑτέρων χάριν προποθείς. ἀλλ' οὐδὲ τὴν ἰδίαν ὀργὴν ἀναπληρῶν τὸ κοινῇ συμφέρον οἶμαι δεῖν βλάπτειν· οὐδὲ μίγνυμι τῆς ἰδίας ἔχθρας εἰς τὰ κοινῇ συμφέροντα οὐδέν. *Atque hæc ego moneo non eandem humanitatem expertus apud nonnullos, ſed per iniuriam & ſeditionem in aliorum gratiam quaſi propinatus. Verùm nec priuatæ explendæ iracundiæ cauſa, Reipub. commodis nocendum puto : neque vllam priuati odij partem publicis vtilitatibus admiſceo.* Rectè. Nam vt apud Stobæum ſermone 20. ſiue Euripides, ſiue Epicharmus:

Iracundia eſt inimica conſilio.

> Οὐδεὶς μετ' ὀργῆς οὐδὲν εὖ βουλεύεται.
> *Elatus ira nemo conſultat bene.*

Et Ariſtoteles ibidem : Ὥσπερ ὁ καπνὸς ἐπιδάκνων τὰς ὄψεις οὐκ ἐᾷ βλέπειν τὸ κείμενον ἐν τοῖς ποσὶν, οὕτως ὁ θυμὸς ἐπαιρόμενος τῷ λογισμῷ ἐπισκοτεῖ. *Vt fumus mordicans oculos non videre ſinit, quæ pedibus adiacent, ſic iracundia oboriens rationem offuſcat.* Ita vertit Geſnerus, libenter tamen pro ἄπονον, legerim ἄτοπον, hoc ſenſu : *Et quod abſurdum ex ipſa euenturum eſt non ſinit cogitatione præuidere.* Euripides:

> Θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων,
> Ὅσπερ μεγίστων αἴτιος κακῶν βροτοῖς.
> *Conſilia noſtra vincit iracundia,*
> *Homini hæc malorum cauſa multorum fuit.*

Sicut contra :

> Ἐξὼν μὲν ὀργῆς πᾶς ἀνὴρ σοφώτερος.
> *Prudentior vir omnis vbi ceßit furor.*

VLCISCENDI.] Commodè vt oſtendat ſe non priuatæ cupiditatis, ſed publicæ vtilitatis habere rationem. Nam, vt ait Ariſtoteles lib. 1. Rhetor. cap. 10. Διὰ θυμὸν δὲ καὶ ὀργὴν τὰ τιμωρητικά. διαφέρει δὲ τιμωρία καὶ κόλασις. ἡ μὲν γὰρ κόλασις τοῦ πάσχοντος ἕνεκά ἐστιν. ἡ δὲ τιμωρία τοῦ ποιοῦντος, ἵνα ἀποπληρωθῇ. *Propter excandeſcentiam & iram fiunt, quæ pertinent ad vltionem, Differt autem vltro à caſtigatione. Nam caſtigatio patientis cauſa eſt, vltio efficientis, vt expleatur.* V.

τιμωρία. κόλασις.

AXIOMATA.

Senator in ſententia dicenda non debet parere dolori ſuo, nec iracundiæ ſeruire.

Senſus doloris à ſententia dicenda eſt amouendus.

Contentio cuius duæ partes.

- Confirmatio quæ rurſum duas partes habet.
  - Syria & Macedonia decernendæ ſunt prouinciæ Conſulares. Piſo & Gabinius ex iis reuocandi.
  - Galliæ non ſunt decernendæ, nec Cæſar ex iis reuocandus.
- Confutatio.

Prior pars confirmationis. Piſo & Gabinius reuocandi à n. ad 17.

- 1. Propter rationes vtrique communes. n. 3.
  - Piſo & Gabinius prouincias ſcelere partas habent.
  - Senatus auctoritatem exterminarunt è ciuitate.
  - Remp. vexauerunt, & nominatim ipſum Ciceronem.
- 2. Piſo propter peculiares rationes à n. 4. ad 9.
  - Huius vel infœlicitate vel ſocordia contigit vt prouincia expilaretur incurſionibus Barbarorum. 4.
  - Eius culpa interiit exercitus fame, frigore, incuria vaſtitate conſumptus. 5.
  - Vbique auaritiæ ſuæ, libidinis, ſacrilegiorum crudelitatis reliquit veſtigia. 5.6.7.8.
- 3. Gabinius item propter peculiares rationes, à 9. ad 13.
  - 1. Exercitum pop. Rom. Ariobarzani locauit ad cædem faciendam. 9.
  - 2. Equitatum & cohortes amiſit. 9.
  - 3. Pactiones fecit pecuniarum cum tyrannis, deciſiones, direptiones, latrocinia, cædes. 9.
  - 4. Publicanos grauiter afflixit, quod exagerat 10. &c.
    - 1. ab illius ordinis ſplendore & dignitate.
    - 2. à neceſſitate ſubueniẽdi.
    - 3. ab anguſtiis ærarij & incommodo, quod inde redundabit in Remp.
    - 4. ab eorum parſimonia & continentia.
- Vtriuſque inſectatio à 13. ad 17.
  - Gabinij quòd ipſi ſupplicatio fuerit denegata quam exaggerat
    - ab ignominiæ nouitate.
    - à cõparatione T. Albutij.
  - Piſonis quòd de rebus à ſe geſtis non auſus fuerit ſcribere ad Senatum.

ARGVMENTVM.

Ponit ſtatum quæſtionis, oſtendens in quo totius deliberationis cardo vertatur, deinde ſuam ſententiam profert, & oratoriá præteritione confirmat.

QVATVOR ſunt prouinciæ P. C. de quibus adhuc intelligo ſen- III.
tentias eſſe dictas: Galliæ duæ, quas hoc tempore vno imperio videmus eſſe coniunctas, & Syria, & Macedonia, quas vobis inuitis & oppreſſis, peſtiferi illi conſules pro euerſæ reipublicæ præmiis occupauerunt: decernendæ nobis ſunt lege Sempronia duæ. quid eſt, quod poſſimus de Syria, Macedoniáque dubitare? Mitto, quòd eas ita partas habent ij, qui nunc obtinent, vt non antè attigerint, quàm hunc ordinem

condemnarint, quàm auctoritatem veſtram è ciuitate exterminarint, quàm fidem publicam, quàm perpetuam populi Rom. ſalutem, quàm me ac meos omnes fœdiſſimè, crudeliſſiméque vexarint.

EXPLANATIO.

QVATVOR.] Macedonia, Syria, Gallia Ciſalpina, Gallia Tranſalpina. de quibus ij qui ante me rogati ſunt ſententiam dixerunt.

VNO IMPERIO.] Cæſaris Senatuſconſulto Galliam Tranſalpinam, lege Vatiniâ Illyricum & Galliam Ciſalpinam, vſque ad fluuium Rubiconem obtinentis. Ac vide, quàm ſobriè loquatur de Cæſaris prouinciis, qui nihilo ſeciùs quàm Piſo & Gabinius, inuito Senatu Galliam Ciſalpinam occuparat.

SYRIA.] De his prouinciis noſter paſſim, vt pro domo ſua 60. *Cùm alteri totam Achaiam, Theſſaliam, Bœotiam, Græciam, Macedoniam, omnémque barbariam, bona ciuium Rom. condonaſſes: alteri Syriam, Babylonem, Perſas, integerrimas pacatiſſimaſque gentes ad diripiendum tradidiſſes.*

LEGE SEMPRONIA.] Quam tulit C. Gracchus, vt neceſſe eſſet quotannis Senatus decreto conſtitui prouincias Conſulares duas.

MITTO QVOD.] Probat ſuam ſententiam hoc ſyllogiſmo Rhetorica præteritione concepto.

Reuocandi ſunt è prouinciis ij qui eas contra Senatus voluntatem occupauerunt.

Sed contra Senatus voluntatem Gabinius Syriã, Piſo Macedoniam occupauit.

Ergo, &c.

HVNC ORDINEM COND.] Cùm Senatum ad veſtem redire iuſſum ſuis ipſius decretis parere vetuerunt, cùm adſcendit in concionem Gabinius, dixitque: *Errare homines ſi etiam tum Senatum aliquid in Rep. poſſe arbitrarentur.* vt dicitur pro Sextio 28.

QVAM FIDEM PVBL.] Quid ſit hoc loco vexare fidem publicam non ſatis intelligo. An quod ij Conſules Senatus & Equeſtris ordinis preces repudiarint, cùm is magiſtratus quaſi publicæ fidei templum & aſylum eſſe deberet? An quod ærarium exhauſerint, vt non potuerit Reſpub. fidem ſuam redemptoribus operum publicorum datam & obligatam illius anni vectigalibus liberare? An quod egenis & ſeditioſis nouarum tabularum ſpem iniecerint, & ita publicam fidem ſuſdéque euerterint? An quod iam in publicanorum bona manus fuerint admoliti? Alius hunc nodum extricet.

NOTÆ.

PRÆMIIS.] Infra 13. *Reſtituiſſetis, id quod cupiebatis veſtram auctoritatem, iis per quos erat amiſſa, reuocatis, & his ipſis præmiis extortis quæ erant pro ſcelere atque euerſione patriæ conſecuti.* Pro Sextio 24. *Fœdus fecerunt cum Tribuno plebis palam, vt ab eo prouincias acciperent quas ipſi vellent: exercitum & pecuniam, quantam vellent, ea lege ſi ipſi priùs Tribunoplebis afflictam Remp. tradidiſſent. Id autem fœdus meo ſanguine ictum ſanciri poſſe dicebant.* & 54. *Statim me perculſo ad meum ſanguinem hauriendum & ſpirante etiam Rep. ad eius ſpolia detrahenda aduolauerunt.* & alibi paſſim. I.

AVCTORITATEM.] Propriè. Nam in populo maieſtas fuit, in magiſtratu poteſtas, in Senatu auctoritas, vt etiam alibi notamus. Ordines autem duo propriè fuerunt, Senatorius & Equeſter. Iam alibi laudauimus Martialem. II. Auctoritas. Ordo.

Cùm plebs & minor ordo, maximíſque.

Vide tamen quæ dicentur in Piſonianam 3. *Omnes ordines.* Et pro Milone 4. *Locus ampliſſimorum ordinum delectis viris datus eſt.*

FIDEM PVBLICAM.] De fide publicâ menſariorum publicorum vide pro Marcello 24. *Reuocanda fides.* Quamuis hîc non de ſolâ menſariorum fide locus accipi poteſt, *fidem* enim *publicam* ſummis religionibus cultam à Romanis fuiſſe prodiderunt. Halicarnaſſeus lib. 2 antiquitatum de Numâ Pompilio. Πρῶτος ἀνθρώπων ἱερὸν ἱδρύσατο Πίστεως δημοσίας, καὶ θυσίας αὐτῇ κατεστήσατο, καθάπερ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς, δημοτελεῖς. *Primus hominum fidei Publicæ templum conſecrauit, & ſacrificia ſumptibus publicis facienda, vt & aliis Diis inſtituit.* Liuius lib. 1. *Fidei ſolemne inſtituit. Ad id ſacrarium Flamines bigis curru arcuato vehi iuſſit: manúque ad digitos vſque inuoluta rem diuinam facere, ſignificantes fidem tutandam, ſedémque eius etiam in dexteris ſacratam eſſe.* Valerius Maximus lib. 6. c. De fide Publica. *Venerabile Fidei numen dexteram ſuam certiſſimum ſalutis humanæ pignus oſtentat, quam ſemper in noſtra ciuitate viguiſſe, & omnes gentes ſenſerunt*, &c. Sed vide Plutarchum in Numâ. III. Fides publica

ARGVMENTVM.

Duobus argumentis, quorum alterum per præteritionem curſim perſtringitur, alterum fuſiùs explicatur, Piſonem oſtendit è Macedoniâ debere reuocari.

IV. OMNIA illa domeſtica, atque vrbana mitto: quæ tanta ſunt, vt nunquam Hannibal huic vrbi tantum mali optarit, quantum illi effecerint. Ad ipſas venio prouincias: quarum Macedonia, quæ erat antea munita plurimorum imperatorum non turribus, ſed trophæis: quæ multis victoriis erat iamdiu, triumphíſque pacata, ſic à barbaris, quibus eſt propter auaritiam pax erepta, vexatur, vt Theſſalonicenſes poſiti in gremio imperij noſtri, relinquere oppidum, & arcem munire co-

gantur, vt via illa noſtra, quæ per Macedoniam eſt vſque ad Helleſpontum militaris, non ſolùm excurſionibus barbarorum ſit infeſta, ſed etiam caſtris Thraciis diſtincta, ac notata. Ita gentes hæ, quæ, vt pace vterentur, vim argenti dederant præclaro imperatori noſtro, vt exhauſtas domos replere poſſent, pro empta pace bellũ nobis propè iuſtum intulerũt.

EXPLANATIO.

OMNIA.] Epichirema per præteritionem, quod exponi poterat hoc ſyllogiſmo. Retinendi nõ ſunt in prouinciis ij Procõſules, qui cũ gererent in vrbe conſulatum, tantas Reip. clades intulerunt, vt nunquam Annibal maiores optauerit. Quid enim non facient ij, cùm remoti fuerint à noſtro conſpectu, qui palam ſpectante ſenatu, in luce totius ciuitatis, non Deos, non homines reueriti, tam crudeles in Remp. fuerunt? Sed Piſo & Gabinius plus calamitatis Reip. pepererunt, quàm vnquam Annibal optauit. Ergo non ſunt in Prouinciis retinendi. Quas autem Reip. peſtes inuexerint, ad probationem aſſumptionis. vide Sextianam à §. 24. ad 71. Piſonianam à §. 8. ad 31. & alibi paſſim.

ANNIBAL.] Qui fuit vnicè Reipub. Romanæ infeſtus, & omnes hoſtes crudelitate ſuperauit.

AD IPSAS.] Hactenus duo protulit argumenta, quæ tam Piſoni quàm Gabinio conuenirent: Nunc Piſonem arripit, & è prouincia detrahendum eſſe demonſtrat hoc ſyllogiſmo.

Is eſt è prouinciâ reuocandus, qui permittit eam à barbaris expilari.

Sed Piſo permittit Macedoniam barbarorum excurſionibus expilari.

Ergo eſt reuocandus.

Propoſitio faciliùs intelligi poteſt, quàm vt conceptis verbis exhiberi debuerit: Aſſumptio facti narratione continetur. Complexio §. 8 cæteris argumentis communis proferetur. *Huic vos non ſummittetis? hunc diutiùs manere patiemini?*

PLVRIMOR. IMPER.] Titum præſertim Quintium, Luc. Paulum, Quint. Cæcilium Metellum, qui Macedonici nomen ſortitus eſt, Vib. Didium. Cn. Dolabellam, C. Curionem. M. Lucullum, qui omnes de Macedoniâ triumpharunt, intelligit, vt dicitur in Piſonem.

TROPHÆIS.] Arcubus triumphalibus & ſimilibus victoriæ monumentis.

A BARBARIS.] Denſeletis, quos *Perpetuos defenſores Macedoniæ; vexatores ac perditores effeciſti. Vectigalia noſtra perturbarunt, vrbes ceperunt, vaſtarunt agros, ſocios arripuerunt, pecus abegerunt, Theſſalonicenſes, cùm oppidò deſperaſſent, arcem munire coëgerunt.* Vt dicitur in Piſonem 84. vel Thracibus & Dardanis, vt pro Sextio 93.

PAX EREPTA.] Quibus, vt ibidem dicitur, *Nefarium bellum & crudele intuliſti: niſque cum fideliſſimis ſociis vti poſſes, hoſtibus vti acerrimis maluiſti.*

VIA.] Militari labore conſtrata, ad Helleſpontum vſque, qui anguſtus maris inter Aſiam & Europam traiectus eſt, ab Helle ſorore Phryxi, quæ, vt fabulãtur, cum fratre arietis aureis villis operti tergo inſidens, idque fretum tranſmittens ibidem demerſa eſt.

CASTRIS THRACIIS.] Foſſis, aggeribus, & vallis, quibus Thraces ſua caſtra munierunt.

PRÆCLARO IMPER.] Piſoni. de quo in Piſonem 38. *Appellatus eſt hic vulturius illius Prouinciæ (ſi Diis placet) Imperator.* Et 54. Luc. Flacci, & Q. Marcij *legatorum prælio Imperator appellatus eras, cùm longè abfuiſſes.*

NOTÆ.

ANNIBAL.] Qui ſic à Silio primo Punicorum deſcribitur. I.

Ingenio motûs auidus, fideíque ſiniſter
Is fuit, exuperans aſtu, ſed deuius æqui.
Armato nullus Diuûm pudor: improba virtus Annibalis mores.
Et pacis deſpectus honos: penitúſque medullis
Sanguinis humani flagrat ſitis.

Et Liuius lib. 21. deſcriptis aliquot eius virtutibus, ſubdit. *Has tantas viri virtutes ingentia vitia æquabant, inhumana crudelitas, perfidia pluſquam Punica, nihil veri, nihil ſancti, nullum Deûm metus, nullum iuſiurandum, nulla religio.* Accedebat ad hanc immanem naturam, quod, *Fama etiam eſt Annibalem annorum fermè nouem pueriliter blandientem patri Amilcari, vt duceretur in Hiſpaniam, cum perfecto Africo bello exercitum eo traiecturus ſacrificaret, altaribus admotum, tactis aris iureiurando adactum ſe cùm primùm poſſet hoſtem fore populo Romano.* vt meritò Dirus &

Parentibus abominatus Annibal

ab Horatio dicatur. Vide Liuium lib. 35. cap. 19. vbi Annibal ipſe Antiocho, *Proinde cùm de bello Romano cogitabis, inter primos amicos Annibalem habeto: ſi qua res te ad pacem compellet, in id conſilium alium, cum quo deliberes, quærito.* Vide Polybium, Appianum, alios. Quid? quod vt ait Valerius lib. 9. cap. 3. adhuc puer, *Significare cupiens quanto inter ſe odio Carthago & Roma diſſiderent, infixo in terram pede, ſuſcitatóque puluere, tunc inter eas fore finem belli dixit, cùm alterutra pars in habitum pulueris eſſet redacta.*

NON TVRRIBVS SED TROPHÆIS.] II.
Glorioſius eſt vrbes & prouincias trophæis, victoriis, rerum geſtarum gloriâ, militum robore, quã turribus & propugnaculis munire. Demoſthenes de coroná. Οὐ γὰρ λίθοις ἐτείχισα τὴν πόλιν, οὐδὲ πλίνθοις ἐγὼ, οὐδ᾽ ἐπὶ τούτοις μέγιστον τῶν ἐμαυτοῦ φρονῶ. ἀλλ᾽ ἐὰν τὸν ἐμὸν τειχισμὸν βούλῃ δικαίως σκοπεῖν, εὑρήσεις ὅπλα καὶ πόλεις, καὶ τόπους, καὶ λιμένας, καὶ ναῦς, καὶ πολλοὺς ἵππους, καὶ τοὺς ὑπὲρ τούτων ἀμυνουμένους. ταῦτα προὐβαλόμην ἐγὼ πρὸ τῆς Ἀττικῆς, ὅσον ἦν ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ δυνατόν. καὶ τούτοις ἐτείχισα τὴν χώραν, οὐχὶ τὸν κύκλον μόνον τοῦ Πειραιῶς οὐδὲ τοῦ ἄστεος. *Neque enim lapidibus vrbem muniui aut lateribus ego, neque hoc in meis laudibus præclariſſimum eſſe duco. Sed ſi meam munitionem rectè conſiderare voles, inuenies arma, & vrbes, & loca & portus, & naues & multos equos, & viros pro harum rerum defenſione pugnaturos. Hæc ego Atticæ propugnacula conſtruxi, quantum humano conſequi licuit ingenio,* Quæ vera vrbium propugnacula.

& his rebus legionem hanc ſepſi, non ambitum tantùm Pyræi aut vrbis. Demades illo fragmento, quod inſtar tabulæ cuiuſdam naufragij damnum oſtendit. Τοὺς ὅρους τῆς χώρας περιβαλὼν, οὐ λίθοις, ἀλλὰ τῇ τῆς πόλεως ἀσφαλείᾳ. *Regionis fines non lapidibus, ſed vrbis ſecuritate muniiſſe* ſe dicit. Et Plato 6. de legibus. *Quod ad muros ſpectat Spartiatis conſentit, muróſque in ſolo iacere facilè patitur.* Καὶ ὁ ποιητικὸς, inquit, ὑπὲρ αὐτῶν λόγος ὑμνεῖται, τὸ χαλκᾶ καὶ σιδηρᾶ δεῖν εἶναι τὰ τείχη μᾶλλον, ἢ γήϊνα. *Et Poëtæ de ipſis dictum celebratur, quo æreos & ferreos magis muros, quàm ferreos condere admonemur.* Subdit rationem, ſed parco Græcis Marcilij Ficini interpretatione contentus. *Et muros quidem circumducimus, quòd primùm ad ciuitatem ciuibus nihil confert, deinde animos ciuium mollire & eneruare conſueuit.* Et ſanè Roma & Lacedæmon, quæ duæ vrbes præ cæteris belli gloriâ floruerũnt, mœnibus aut nullis, aut per quam tenuibus ſeptæ fuerunt. vt de Spartanis innuit Plato, & apertiùs Lycurgus ipſe quadam epiſtola apud Plutarchum in eius vitâ. Οὐκ ἂν εἴη ἀτείχιστος ἡ πόλις, ἅ τις ἀνδρείοις καὶ πλίνθοις ἐστεφάνωται. *Quomodo hanc vrbem mœnibus deſtitutam eſſe dicamus, quæ fortibus viris non autem lateribus vndequaque munita ſit?* Tamen Plutarchus in Philopœmene, Liuius lib. 38. aliquos Spartæ muros agnoſcunt, eóſque iuſſu Philopœmenis dirutos fuiſſe teſtantur. Græcis ſuperſedeo. Latinus: *Imperatum primùm vt muros diruerent, &c. Lycurgi leges moréſque abrogarent, &c. Nihil obedientiùs fecerunt, quàm vt muros diruerent: nec ægriùs paſſi ſunt quàm exules reduci.* Qui murus quando primùm fuerit excitatus, mihi non liquet. crediderim id factum Pyrrho Spartam obſidente, quo tempore auctor eſt Plutarchus foſſam ſex cubitos latam, profundam quatuor, octingentis pedibus longam vna nocte à mulieribus & puellis ductam fuiſſe, vt hoſtem vrbis aditu prohiberent. Liuius lib. 4. dec. 4. *Fuerat quondam ſine muro Sparta. Tyrannis nuper locis patentibus, planíſque obiecerant murum.* Iuſtinus lib. 14. ante Pyrrhum ſtatim poſt Alexandri necem id factum inſinuat. *Vrbium vicinarum excidio, veluti vicino incendio territi Spartani vrbem, quam ſemper armis, non muris defenderant, tum contra reſponſa fatorum, & veterem maiorum gloriam, armis diffiſi, murorum præſidio includunt.* Roma diù præter anguſtam foſſam quam Remus potuerit tranſilire, & modicum aggerem nihil habuit. donec tandem Tarquinius Priſcus, vt Liuij verbis vtar, *Muro lapideo, cuius exordium operis bello Sabino turbatum erat, vrbem, quà nondum munierat, cingere parat.* Seruius etiam Tullius. *Aggere & foſſis & muro circundat vrbem, ita pomœrium profert.* Sed lapſu deinde temporis, vrbe in immenſum auctâ, ſéque extra veteres illos muros proferente, nulla propemodum extabãt muri veſtigia. Placet paulò plura ex Halicarnaſſei lib. 4. antiquitatis in medium proferre. Ἔστιν ἅπαντα τὰ περὶ τὴν πόλιν οἰκούμενα χωρία πολλ᾽ ὄντα καὶ μεγάλα, γυμνὰ καὶ ἀτείχιστα, καὶ ῥᾷστα τοῖς πολεμίοις ἐλθοῦσιν ὑποχείρια γενέσθαι. *Omnes ſuburbanæ regiones ædificiis inſtructæ, multa & magnæ nudæ ſunt, & mœnibus deſtitutæ, vt hoſti ingruenti facilè pateat acceſſus, & veniant in poteſtatem.* Subdit quod miram vrbis magnitudinem oſtendit. Καὶ εἰ μέν εἰς ταῦτα ὁρῶν, τὸ μέγεθος ἐξετάζειν βουλήσεται τῆς πόλεως, πλανᾶσθαί τ᾽ ἀναγκασθήσεται, καὶ οὐχ ἕξει βέβαιον σημεῖον οὐδὲν ᾧ διαγνώσεται μέχρι ποῦ προβαίνουσα ἡ πόλις ἐστὶ, καὶ πόθεν ἄρχεται μηκέτι εἶναι πόλις. οὕτω συνύφανται τῷ ἄστει ἡ χώρα καὶ εἰς ἄπειρον ἐκμηκυνομένης πόλεως ὑπόληψιν τοῖς θεωμένοις παρέχεται. εἰ δὲ δεῖ τῷ τείχει τῷ δυσευρέτῳ μὲν ὄντι διὰ τὰς περιλαμβανούσας αὐτὸ πολλαχόθεν οἰκήσεις, ἴχνη δέ τινα φυλάττοντι κατὰ πολλοὺς τόπους, τῆς ἀρχαίας κατασκευῆς, βουληθείη μετρεῖν αὐτὴν κατὰ τὸν Ἀθηναίων κύκλον τὸν περιέχοντα ἄστυ, οὐ πολλῷ τινι μείζων ὁ τῆς Ῥώμης φανείη κύκλος. *Quòd ſi quis in hæc inſpiciens, vrbis Romanæ magnitudinem volet inquirere, is frequenter aberrare cogetur, neque certum habebit ſignum quo dignoſcat, quem ad finem vrbs porrigatur, & quo tandem loco vrbis nomen amittat. Adeò ſuburbana regio inædificata conuexa eſt, vt ſpectantibus vrbis in infinitum ſe porrigentis ſpeciem præbere videatur. Quòd ſi muro, qui facilè quidem inueniri non poteſt, quod vndique penè circumiectis ædificiis ambiatur, ſeruat tamen adhuc multis in locis aliqua veteris ſtructuræ veſtigia, velis vrbis magnitudinem æſtimare, muri ambitum reperies Athenienſis muri, qui oppidum cingit, circulo non multo maiorem.* Strabo lib. 5. Ῥωμαίοις προσῆκεν οὐκ ἀπὸ τῶν ἐρυμάτων, ἀλλ᾽ ἀπὸ τῶν ὅπλων καὶ τῆς οἰκείας ἀρετῆς ἔχειν τὴν ἀσφάλειαν, καὶ τὴν ἄλλην εὐπορίαν. προβλήματα νομίζοντας οὐ τὰ τείχη τοῖς ἀνδράσιν, ἀλλὰ τοὺς ἄνδρας τοῖς τείχεσι. *Romanum erat non munitionibus, ſed armis ſuáque virtute ſecuritatem ſibi & opes parare, neque muros viris, ſed viros muris defendere.* Tandem Aurelianus fatiſcente iam opinor virtute Romanâ, vt refert Flauius Vopiſcus, *Muros vrbis Romæ ſic ampliauit, vt quinquaginta prope millia murorum eius ambitus tenerent.* Sed ſatis in præſentia nobis fuerit, imbelles ſemper habitos fuiſſe, & veras potiùs Phrygias quàm Phryges,

> -*Quibus hæc medy fiducia valli*
> *Foſſarúmque moræ lethi diſcrimina parua*
> *Dant animos.*-

Quàm placet Iſcholaus ille apud Polyænum libro 2. qui ὑπὸ Χαβρίου πολιορκούμενος ἐν Δρυῒ μέλλοντος προσαγαγεῖν τοὺς κριοὺς αὐτὸς φθάσας μέρος κατέβαλε τοῦ τείχους, ἄμφω μηχανώμενος, τοῖς μὲν αὐτοῦ στρατιώταις ἀνδρειότερον ἀγωνίζεσθαι τοῦ τείχους ὀχυρὸν οὐκ ἔχουσι. τοῖς δὲ πολεμίοις τὸ καταπεφρονῆσθαι τὴν παρασκευὴν τῶν πολιορκητικῶν μηχανημάτων. *A Chabria in Drye obſeſſus, cùm is iam ſe ad admonendos vrbi arietes compararet, ipſe occupans partem muri deiecit, duo maximè intendens, & vt milites ſuos murorum præſidio nudatos ad fortiùs pugnandum incenderet, & vt machinas ab hoſtibus ad oppugnationem paratas in contemptum adduceret.* Et conſilio reſpondit euentus. Ἀμέλει τὴν ἑκούσιον ἀποτείχισιν φοβηθέντες παρελθεῖν εἰς τὴν πόλιν οὐκ ἐθάρρησαν. *Hoſtes ſpontaneam muri deiectionem metuentes non auſi ſunt in vrbem ingredi.* Præclarè Ageſilaus apud Plutarchum in dictis Laconicis rogatus. Διὰ τί ἀτείχιστος ἡ Σπάρτη, ἐπιδείξας τοὺς πολίτας ἐξωπλισμένους ταῦτά ἐστιν, εἶπε, τὰ Λακεδαιμονίων τείχη. *Cur Sparta ſine muro eſſet, oſtenſis ciuibus armatis, Hi ſunt, inquit, Lacedæmoniorum muri.* Ἄλλου δὲ τὸ αὐτὸ ἐπιζητοῦντος, Οὐ λίθοις δεῖ καὶ ξύλοις τετειχίσθαι τὰς πόλεις, ἔφη, ταῖς δὲ ἐνοικούντων ἀρεταῖς. *Alio, idem quærente, Non lapidibus, inquit, & lignis, ſed inhabitantium virtutibus, vrbes munitas eſſe oportet.* Et Agis filius Archidami. Διερχόμενος τὰ τῶν Κορινθίων τείχη καὶ θεασάμενος ὑψηλά τε καὶ ὀχυρὰ, ἐπιπολὺ τε παρατείνοντα, τίνες, εἶπε, ἆρ᾽ τὸν τόπον ἐνοικοῦσι γυναῖκες; *Cùm*

Vrbes ſintne muris cingendæ.

Muri Spartæ.

Muri Romani.

Muri ſignum ignauiæ.

Corinthiorum muros præteriret, ac illos & altos, & munitos, & in multum ſpatium protenſos videret, Quænam, inquit, ſunt hunc locum habitantes mulieres? Lycurgus Orator in Leocratem: Τὴν μὲν αὐτῶν ἀνδρείαν ἀσφαλεστέραν φυλακὴν εἶναι νομίζοντες τῶν λιθίνων περιβόλων. *Ipſorum fortitudinem tutiorem eſſe rati lapideo murorum circumiectu.* Et eo fortaſſe ſenſu Ambroſius de morte Satyri fratris *murum pudoris* eleganter appellat. Quis vetat eius verba proferre? *Nam quæ eras ſanctæ mentis miſericordia in tuos: ſi nunc vrgeri Italiam tam propinquo hoſte cognoſceres, quantùm ingemiſceres, quàm doleres in Alpium vallo ſummam noſtræ ſalutis conſiſtere, lignorúmque concædibus conſtrui murum pudoris? Quæ afflictione mœreres tam tenui diſcrimine tuos ab hoſte diſtineri, ab hoſte impuro atque crudeli, qui nec pudicitiæ parceret, nec ſaluti?* Sed iam vereor, vt extra inſtituti noſtri pomœrium, & metuendum ne nos Ariſtoteles 7. politic. capite vndecimo exeunte irrideat. Περὶ δὲ τειχῶν οἱ μὴ φάσκοντες δεῖν ἔχειν τὰς τῆς ἀρετῆς ἀντιποιουμένας πόλεις, λίαν ἀρχαίως ὑπολαμβάνουσι. *Muros autem vrbibus qui negant ciuitates eas habere debere, quæ ſe virtutem colere profitentur, næ illi valdè antiquè hac de re exiſtimant.* Huius rei nonnullas adfert ibi rationes: prima eſt quod fieri poteſt vt hoſtes longè potentiores nos inuadant; quod cùm accidit, τὴν ἀσφαλεστάτην ἐρυμνότητα τῶν τειχῶν οἰητέον εἶναι πολεμικωτάτην. *Vt quæque munitio ſtabiliſſima & munitiſſima eſt: ita habenda eſt ad bellum accommodatiſſima.* Altera. Ὅμοιον γὰρ τὸ τείχη μὴ περιβάλλειν ταῖς πόλεσιν ἀξιοῦν, καὶ τὸ τὴν χώραν εὐέμβολον ζητεῖν, καὶ περιαιρεῖν τοὺς ὀρεινοὺς τόπους. *Simile enim eſt vrbes muris non eſſe cingendas cenſere, atque ſi quis regionem quærat excurſionibus hoſtium expoſitam atque opportunam, & loca montoſa circumcidat.* Tertia rurſum petitur

Vrbes mœnibus inſtruendæ.

à ſimili. Ὁμοίως δὲ καὶ ταῖς οἰκήσεσι ταῖς ἰδίαις μὴ περιβάλλειν τοίχους, ὡς ἀνάνδρων ἐσομένων τῶν κατοικούντων. *Perinde faciunt atque ſi quis domiciliis priuatis parietes non circumcidet, tanquam habitatores propterea ignaui ſint futuri.* Quarta & poſtrema ratio. Ὅτι ταῖς μὲν περιβεβλημένοις τείχη περὶ τὴν πόλιν ἔξεστιν ἀμφοτέρως χρῆσθαι ταῖς πόλεσιν, καὶ ὡς ἐχούσαις τείχη καὶ ὡς μὴ ἐχούσαις. ταῖς δὲ μὴ κεκτημέναις οὐκ ἔξεστιν. *Quorum vrbes mœnibus ſeptæ ſunt, vtroque modo vrbibus vti poſſunt, & vt muros habentibus, & vt non habentibus: quorum verò vrbibus muri non ſunt circumdati, hoc idem facere non poſſunt.* Concludit: Εἰ δὴ τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον, οὐχ ὅτι τείχη μόνον περιβλητέον, ἀλλὰ καὶ τούτων ἐπιμελητέον, ὅπως καὶ πρὸς κόσμον ἔχῃ τῇ πόλει πρεπόντως, καὶ πρὸς τὰς πολεμικὰς χρείας. *Si igitur hæc vera ſunt, non ſolùm mœnibus vrbes ſepiendæ ac muniendæ ſunt, verùm etiam curandum eſt vt hæc ad ornamentum vrbis ſint magnifica ac decora, & ad vſus bellicos opportuna.*

III. TROPHÆIS.] De his fusè diſſeremus in Piſonem §. 92. Notis 1. & 2.

IV. TRIVMPHIS.] Vide infra 15. 36. in Piſonem 35. 44. 59. 60. 61.

Vexare.

VEXATVR.] De huius vocis atrocitate non pauca diximus in Vatinium 7. Adde Gellium lib. 2. noct. Attic. cap. 6. *Vexaſſe graue verbum eſt, factúmque ab eo videtur quod eſt vehere: in quo ineſt iam vis quædam alieni arbitrij. non enim ſui potens eſt qui vehitur. Vexare autem quod ex eo inclinatum eſt, vi atque motu proculdubio vehementior eſt. Nam qui fertur & raptatur, atque huc atque illuc diſtrahitur, is vexari propriè dicitur.* Verùm vndecumque manauerit hoc verbum, dubium non eſt quin apud veteres, qui propriè & ſignatè locuti ſunt, ingentem, vt Aſconius notat, calamitatem importet. Laudat Gellius Catonem oratione quam de Achæis ſcripſit. *Cúmque Annibal terram Italiam laceraret atque vexaret.* Subditque: *Vexatam Italiam dixit Cato ab Annibale, quando nullum calamitatis aut ſæuitiæ, aut immanitatis genus reperiri queat, quòd eo tempore Italia non perpeſſa ſit.* M. Tull. 4. in Verrem. *Quæ ab iſto ſic ſpoliata atque direpta eſt, vt non ab hoſte aliquo, qui tamen in bello religionem & conſuetudinis iura retineret, ſed vt à barbaris prædonibus vexata eſſe videatur.* Superiore §. *Fœdiſſimè crudeliſſiméque vexarint.*

THESSALONICENSES. Theſſalonice vrbis Macedoniæ. de qua vide Geographos paſſim. nunc etiam Salonichi nominatur. ſed non eſt quòd in ſingulis moremur. VI.

IN GREMIO IMPERII.] In Piſonem 91. VII. *Ætoliam quæ procul à barbaris diſiuncta gentibus in ſinu pacis poſita, medio ferè Græciæ gremio continetur (ô pœna, ô furia ſociorum) decedens miſeram perdidiſti.* Pindarus Ode 6. Pythiorum ipſo initio.

Ἑλικώπιδος Ἀφροδίτας
Ἄρουραν ἢ Χαρίτων ἀναπολίζομεν
Ὀμφαλὸν ἐριβρόμου χθονὸς
Ἐς ναὸν προσοιχόμενοι.

Nigriocula Veneris aruum aut Charitum verſamus, vmbilicum horriſonæ terræ ad templum pergentes.

VIA.] De viis militaribus vide quæ in Piſonem §. 40. diſſeremus ad illa verba, *An munitio Theſſalonicæ? an obſeſſio militaris via?* Dictæ militares vel quòd labore militum ſtratæ eſſent, vel quòd per eas exercitus procederent. VIII.

HELLESPONTVM.] De Helleſponto Plinius lib. 4. cap. 12. Polyhiſtor. cap. 21. Marcianus Capella, Strabo, alij paſſim. Plinius vnus ſatis erit, quòd omnes inter ſe conſentiant. *Vaſtum mare præiacens Aſiæ, & ab Europa porrecto Cherroneſi littore expulſum anguſto meatu irrumpit in terras, ſeptem ſtadiorum interuallo Europam auferens Aſiæ. Primas anguſtias Helleſpontum vocant. Hac Xerxes Perſarum Rex conſtrato nauibus ponte, duxit exercitum. Porrigitur inde tenuis Euripus LXXXVI. M. paſſ. ſpatio ad Priapum vrbem Aſiæ, qua Magnus Alexander tranſcendit. Inde exſpatiatur æquor, rurſúſque in arctum coit: laxitas Propontis appellatur: Anguſtiæ Thracius Boſphorus latitudine D. paſſuum qua Darius pater Xerxis copias ponte tranſuexit.* Dictus Helleſpontus ab Helle filia Athamantis, ſorore Phryxi, quam ibi demerſam fabulantur. IX. Helleſpontus.

BARBARORVM.] Vide Milonianam §. 26. Sed præcipuè noſtrum Lælium Biſciolam 1. parte horarum ſubceſiuarum libro 1. cap. 21. Aduerte tantùm regiones ad Thraciam ſitas barbariam à Tullio nominari pro domo ſua 60. *Non exiſtimo Campanum illum Conſulem cum ſaltatore collega, cùm alteri, Piſoni totam Achaiam, Theſſaliam, Bœotiam, Græciam, Macedoniam, omnémque Bar-* X. Barbari.

bariam, bona ciuium Romanorum condonaſſes: alteri Gabinio Syriam, Babylonem, Perſas, integerrimas pacatiſſimáſque gentes ad dirimendum tradidiſſes: illos tam cupidos liminum meorum, & columnarum & valuarum fuiſſe. Vbi Barbariam Perſis & Syris opponit. Vide Piſonianam 38. *Tantis gentibus barbarorum.*

XI. Infeſtus. INFESTA.] Infeſtus dicitur non ſolùm qui malum infert cuipiam, ſed etiam cui aliunde impendet malum. vt ex Gellio videor dixiſſe ad illa verba Cœlianæ §. 10. *Illud tempus ætatis, quod ipſum ſua ſponte infirmum, aliorum libidine infeſtum eſt.* Lib. 3. de Rep. apud Nonium. *Nam cùm quæreretur ex eo quo ſcelere compulſus mare haberet infeſtum vno myoparone, eodem, inquit, quo in orbem terræ.*

AXIOMA.

Muniendæ ſunt vrbes non turribus, ſed trophæis.

ARGVMENTVM.

A ſtrage exercitus, vexatione prouinciæ, Piſonis auaritiâ rapiníſque demonſtrat eundem Piſonem eſſe è Macedoniâ reuocandum.

V. IAM verò exercitus ille noſter ſuperbiſſimo delectu, & duriſſima conquiſitione collectus, omnis interiit. magno hoc dico cum dolore: miſerandum in modum milites populi Romani capti, necati, deſerti, diſſipati ſunt: incuria, fame, morbo, vaſtitate conſumpti: vt, quod eſt indigniſſimum ſcelus, is imperator in pœnam exercitus expetitus eſſe videatur. Atque hanc Macedoniam, domitis iam gentibus finitimis, barbariáque compreſſa, pacatam ipſam per ſe, & quietam tenui præſidio atque exiguâ manu, etiam ſine imperio, per legatos, nomine ipſo populi Romani, tuebamur, quæ nunc conſulari imperio atque exercitu ita vexata eſt, vix vt ſe poſſit diuturna pace recreare: cùm interea quis veſtrûm hoc non audiuit, quis ignorat, Achæos ingentem pecuniam pendere L. Piſoni quotannis? vectigal, ac portorium Dyrrachinorum totum in huius vnius quæſtum eſſe conuerſum? vrbem Byzantiorum vobis, atque huic imperio fideliſſimam, hoſtilem in modum eſſe vexatam? quò ille, poſtquam nihil exprimere ab egentibus, nihil, vlla vi, à miſeris extorquere potuit, cohortes in hiberna miſit: his præpoſuit, quos putauit fore diligentiſſimos ſatellites ſcelerum, miniſtros cupiditatum ſuarum.

EXPLANATIO.

IAM VERÒ.] Quartus ſyllogiſmus.

Reuocandus eſt is è prouinciâ cuius Imperio exercitus pop. Romani omnis interiit, incuriâ, fame, frigore, morbo, vaſtitate conſumptus.

Sed id contigit imperio Piſonis.

Ergo Piſo reuocandus.

Aduerte quanto motu doloris orationem inflammet, & quod momentum habeant ſingula. *ille* μιμητικῶς, *noſter* παθητικῶς. faciliùs enim noſtris quàm alienis malis indolemus. Addit *ſuperbiſſimum fuiſſe delectum*, quòd non niſi præſtantes milites collegerit, vt hinc etiam maius Reipub. damnum appareat. *duriſſimam conquiſitionem*, quòd nulli conceſſerit vacationem, nullius excuſationem admiſerit. vt hoc etiam è capite magis in inuidiam vocetur. Sed longum fuerit ire per ſingula. Conſidera tantùm expolitionem, qua rem eandem aliis & aliis verbis expreſſit, & diſſolutum vt plura in cumulum incommoda coaceruari videantur. Siquidem ea diſſolutio, vt notat Fabius, *Aptè eſt cùm quid inſtantiùs dicimus. Nam & ſingula inculcantur, & quaſi plura fiunt.*

VT QVOD.] Hoc ipſum videtur innuere quod clariùs in Piſonem 85. *Tua ſcelera Dij immortales in noſtros milites expiauerunt: qui cùm vno genere morbi affligerentur, neque ſe recreare quiſquam poſſet, qui ſemel incidiſſet, dubitabat nemo quin violati hoſpites, legati, necati, pacati, atque ſocij nefario bello laceſſiti, fana vexata hanc tantam efficerent vaſtitatem.* Hic Piſo tanquam ab infeſtis Romanæ fœlicitati Diis expetitus dicitur ad cladem exercitus. vel ſenſus eſt. Vt ne ſi quidem expetitus fuiſſet Imperator ad pœnam exercitus, potuerit vllus Piſone aptior ad id inueniri.

ATQVE HANC.] Quintus ſyllogiſmus.

Reuocandus eſt qui prouinciam Conſulari imperio & exercitu tueri non poteſt, quam priùs per legatos tenui præſidio & exiguâ manu tuebamur.

Sed Piſo non poteſt tueri Macedoniam, quam priùs, &c. *Ergo reuocandus.*

Plus tamen dicit orator, nec ſolùm eam à Piſone contra Barbarorum impreſſiones defendi negat, ſed etiam crudeliſſimè vexari tradit.

GENTIBVS FINIT.] Triballis, Thracibus, Odryſis, Pannoniis.

EXERCITV.] Duabus legionibus Romanis, præter Equites & auxilia ſociorum.

CVM INTEREA.] Sextus ſyllogiſmus petitus à ſceleribus & auaritia Piſonis, cùm priores ab eius ignauiâ, ſocordiâ, infelicitate peterentur, nec tam ab iis quæ ipſe fecerat, quàm quæ Barbarorum impetu fieri permiſerat.

Reuocandus eſt expilator vexatórque Prouinciæ.
Talis eſt Piſo. Ergo reuocandus.

VECTIGAL AC PORT.] Grandem pecuniam ob necem hoſpitis ſui Platoris à Dyrrhachinis acceperat, vt dicetur in Piſonem 98. Vt hinc ſuſpicari libeat alteram portorij vectigaliúmque partem ad ciuitates ſingulas, alteram ad populum Romanum pertinuiſſe, vt eam partem ad ſuum quæſtum conuerterit Piſo quæ ad Dyrrhachinos pertinebat. Portorium autem à portu dictum, fuit id precium quod in portu pro mercium vecturâ ſoluebatur. Portus autem Dyrrhachinus celeberrimus fuit ex Epiro & Macedoniâ in Italiam nauigantibus.

VRBEM BYZANT.] Ad Boſphorum Thracium ſitam è regione Chalcedonis.

COHORTES IN HIBERNA.] Cohortes intra mœnia recipi iuſſit, vt ibi hiemarent.

NOTÆ.

I. DELECTV.] Superbiſſimus dicitur delectus, cùm Conſules qui delectui præſunt ſummo iure vtuntur, nec vllam habent eorum qui ſe excuſant rationem. Variis porrò modis eos coërcebant, qui citati ad nomen non reſponderant. Sed quia prohibet quædam tum ex Lipſij dialogo 3. lib. 1. de militia Romana, tum ex Valtrino noſtro lib. 2. de re militari Romanorum cap. 3. decerpere? Polybius lib. 6. Ἐπὰν δὲ μέλλωσι ποιεῖσθαι τὴν καταγραφὴν τῶν στρατιωτῶν οἱ ταῖς ὑπάτοις ἔχοντες ἀρχὰς, προλέγουσιν ἐν τῷ δήμῳ τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ δεήσει παραγενέσθαι τοὺς ἐν ταῖς ἡλικίαις Ῥωμαίους ἅπαντας. *Cùm verò delectum habituri ſunt, conſules publicè diem prodicunt, qua die Romanos omnes adeſſe oporteat, quibus ætas ſit militaris.* Duobus autem modis prodicebant diem, vel dimiſſis per loca præconibus, vt ex Dionyſio lib. 4. tradit Valtrinus, vel ſcripto, vt Lipſius ex eodem lib. 8. προέγραψαν ἡμέραν, *Diem proſcripſerunt.* Τῆς δ' ἡμέρας ἐπελθούσης, inquit Polybius, καὶ τῶν στρατευσίμων παραγινομένων εἰς τὴν Ῥώμην, καὶ μετὰ ταῦτα συναθροισθέντων εἰς τὸ Καπιτώλιον. *Is vbi dies aduenerat, militari omni iuuentute in vrbem, & mox in Capitolium congregatâ.*] Tum delectus habebatur eo modo quo fusè ibidem deſcribitur. Conſules verò delectum habentes ſellis curulibus in tribunali poſitis conſidebant. Dionyſius lib. 8. Οἱ ὕπατοι προελθόντες ἔξω τῆς πόλεως ἐν τῷ παρακειμένῳ πεδίῳ τοὺς στρατηγικοὺς δίφρους ἔθηκαν ἐνταῦθα, καὶ τὸν στρατιωτικὸν ἐποίουν κατάλογον. *Conſules vrbem egreſſi ſellas in adiacente campo poſuerunt, & ibi militum delectum habuerunt.* Liuius lib. 2. *Conſules in tribunal adſcendunt, citant nominatim iuniores.* Et lib. 3. *Conſules in conſpectu tribunorum poſitis ſellis delectum habebant.* Eos variis pœnis afficiebant, qui citati ad nomen non reſponderant. De vinculis Dionyſius lib. 10. Πολλοὺς τῶν πολιτῶν ἐκέλευσαν εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀπάγειν. *Multos ciuium in vincla duci iuſſerunt.* Etiam obtorto collo Liuius lib. 4. *Hoc decreto Conſul armatus cum paucis appellantibus Tribunum collum torſiſſet, metu cæteri ſacramentum dixerunt.* Virgis etiam Liuius 7. *Acerbitas in delectu non damno modò ciuium, ſed laceratione corporum, partim virgis cæſis qui ad nomina non reſpondiſſent, partim in vincla ductis inuiſa erat.* Bona publicabant, & notabant infamiâ. Dio 56. Auguſtus in ſimili caſu, τὴν τ' οὐσίαν ἀφείλετο καὶ ἠτίμωσε. *Bonis priuauit & infamiâ notauit.* Etiam interdum libertate priuabant. Varro apud Nonniũ in Teneb. *Curius Conſul in Capitolio cùm dilectum haberet, nec citatus in tribu ciuis reſpondiſſet, vendidit tenebrionem.* Menander I. C. D. de re militari. *Qui ad delectum olim non reſpondebant, vt proditores libertatis in ſeruitutem redigebantur.* Auguſtus apud Tranquillum. *Equitem Romanum quod duobus filiis adoleſcentibus, cauſà detrectandi ſacramenti pollices amputaſſet, ipſum bonáque ſubiecit haſtæ.* Atque, ne omnia exſcripſiſſe, nihilque dixiſſe ipſi videamur, obiter notabis huiuſmodi homines armis inutiles Murcos fuiſſe dictos. Ammianus lib. 15. de Gallis diſſerens. *Nec eorum aliquando quiſquam, vt in Italiâ, munus Martium pertimeſcens, pollicem ſibi præcidit, quos localiter murcos appellant.* Quod nomen vnde profluxerit ignoro: Gallicum fortaſſe feſtiuius, vt *poltrons* dicantur à *pollice truncato*. Sed ad rem. Ex his ſuppliciis in detrectantes militiam irrogatis, vides qui ſuperbus, acerbus, ſeuerus delectus dicatur.

Conſules diē prodicebant ad delectum.
vel ſcripto, vel dimiſſis præconibus.
Pœnæ in eos qui nomen non dabant in delectu.
Murci. Poltrons.

II. DVRISSIMA CONQVISITIONE.] Liuius lib. 25. *Triumuiri bini conquiſitionem per agros habuerunt.* Putaui nonnunquam conquiſitionem dici, cùm certi homines ad vicos mitterentur, qui milites voluntarios colligerent, cùm non contrahendus eſſet legitimus exercitus, ac proinde nec indicendus toti populo delectus, ſed vel ſupplendæ legiones, vel aliud modicum prædium rebus id exigentibus comparandum, vt factum eſt in cauſâ Milonis. pro Mil. 68. *Si Italiæ delectus vt nonnulli conquiſitores tui dictitant,* &c. vide. Sed cùm hoc loco, *duriſſimam conquiſitionem* appellet, hinc liquet conquiſitores etiam parendi neceſſitatem attuliſſe. Eóſque fuiſſe credendum eſt, qui nomine Conſulum ad diuerſas Italiæ colonias, municipia, præfecturáſue mittebantur, vti ibi delectum indicerent, conſcriberéntque exercitum. Niſi ſi dicamus eorum officium fuiſſe, militiæ detrectatores, & ad nomen reſpondere nolentes conquirere.

Conquiſitio.

III. INCVRIA.] Impenſam Duci debere eſſe curam ſanitatis exercitus docet Xenophon lib. 1. Cyrop. & Veget. l. 3. c. 2. *Malè enim cum his agitur quibus neceſſitas, & belli incũbit, & morbi. Sed rei militaris periti plus quotidiana armorum exercitia ad ſanitatē militum putauerunt prodeſſe quã medicos.* Vide. Incuria autē dicitur Imperatoris, cùm nõ curat militum ſanitatē. veteres impolitiã videntur dixiſſe. Gell. lib. 4. noct. Attic. c. 12. *Si quis eques Romanus equum haberet gracilentum, aut parum nitidus viſus erat, impolitiæ notabatur. Id verbum ſignificat quaſi tu dicas incuria.* Sic 9. Æneidos.

-bene geſtis corpora rebus Procurate viri.-
Item 8. *-feſſique & equos & corpora curant.*
Vbi vide Pontanum noſtrum.

Imperator curare debet ſanitatē exercitus.
Incuria.

IV. FAME.] Veget. lib. 3. de re militari c. 3. *In omni expeditione vnum eſt & maximum cõſilium vt tibi ſufficiat victus, hoſtes frangat inopia.* Quare præclarè Alexander, vt refert in eius vita Plutarchus, Ἀθλιώτατος μηδὲν τῶν ἀναγκαίων παρασκευάσαντες, ἀλλ' ἢ χίλια τάλαντα νομίσματος αὐτῷ προσαγαγόντες ἐκέλευσε τοῖς ἵπποις τὸ ἀργύριον παραβαλεῖν, ὡς δ' ἐξηγοῦντο, φήσας, τί οὖν ὠφελεῖ ἡμῖν τῆς σῆς παρασκευῆς

καθεῖρξε τὸν Ἀβουλίτην. *Cum Abulites nihil commeatuum comparaſſet, ſed tria talentorum millia obtuliſſet, iuſsit argentum equis obiici, vt verò non guſtabant, dixit, Quid nobis proſunt ea quæ præparaſti? & Abulitem in vincla compegit.* Quod etiam apud Iulianum oratione de Cæſaribus, Cæſari idem Alexander obiecit. Ἐν ἐνδείᾳ γέγονας τῶν ἐπιτηδείων, ἔστι δ' οὐ μικρὸν, ὡς οἶσθα, τοῦτο ἁμάρτημα στρατηγοῦ. *Rerum neceſſariarum inopia preſſus fuiſti. In quo eſt, vt ſcis, non leue ducis peccatum.* De his etiam multa præſcribit Cambyſes ſenior apud Xenophontem lib.1. Cyropædi. Meritò. nam hoc vnum eſt quo exercitus omnium victores domari poſſint. Alexandri milites in India fame ſtimulati, *Iumenta cædere aggreſsi*, vt ait Curtius, *ne equis quidem diſtinebant. Et cùm deeſſent qui ſarcinas veherent, ſpolia de hoſtibus, propter quæ vltima orientis peragrauerant, cremabant incendio.* Cambyſes apud Herodotum lib.3. Ἐστρατεύετο ἐπὶ τοὺς Αἰθίοπας, οὔτε παρασκευὴν σίτου οὐδεμίαν παραγγείλας, οὔτε λόγον ἑωυτῷ δοὺς ὅτι ἐς ἔσχατα γῆς ἔμελλε στρατεύεσθαι. *Aduerſus Æthiopes expeditionem ſuſcepit, neque rei frumentariæ apparatu indicto, neque ſecum ipſo ratione initâ quòd in vltima terrarum expeditionem facere deſtinaret.* Quid euenit? conſumptis omnibus, etiam iumentis, herbis demum deficientibus, Δεινὸν ἔργον αὐτέων τινὲς εἰργάζοντο. Ἐκ δεκάδος γὰρ ἕνα σφέων αὐτέων ἀποκληρώσαντες κατέφαγον. *Nonnulli diram rem perpetrauerunt. nam ſortiti ex ſeipſis decimum quemque comederunt.* Sic cohors Vſipiorum, apud Tacitum in vita Iulij Agricolæ, quæ centurionem occiderat, nec habebat ducem qui rei frumentariæ prouideret. *Eò ad extremum inopiæ venere, vt infirmiſsimos ſuorum mox ſorte ductos veſcerentur.* Mitiùs quidem, ſed tamen miſerè Xerxis fugientis milites, vt auctor eſt Herodotus lib.8. Καὶ τῶν δενδρέων τὸν φλοιὸν περιλέποντες καὶ τὰ φύλλα καταδρέποντες κατήσθιον. *Delibratis arborum corticibus, & ſtrictis frondibus veſcebantur.* Audiiſſet ille ſapiens Artabani conſilium. Qui cùm ille ſuum exercitum è decies octies centenis hominum millibus conflatum ſpectaret, Ορέω, inquit, δύο τὰ μέγιστα πάντων ἐόντα τοι πολεμιώτατα. *Duo, & ea omnium maxima video tibi eſſe hoſtiliſsima.* Ἢν δὲ πλεῦνας συλλέξῃς τὰ δύο τοι τὰ λέγω, πολλῷ ἔτι πολεμιώτερα γίνεται. τὰ δὲ δύο ταῦτα ἐστὶ γῆ τε καὶ θάλασσα. *Quod ſi maiorem numerum coëgeris duo illa quæ dico, multo etiam hoſtiliora futura ſunt. ſunt autem hæc, duo: terra & mare.* Mare, quod ſi tempeſtas ingrueret, nullus portus claſſem capere poſſet. Terra, quod quò longiùs procederet, eo maius à fame periculum immineret. Omitto Mithridatis milites, qui in obſidione Cyſici tantâ annonæ penuriâ laborarunt vt carnibus humanis veſcerentur. auctor Plutarchus in Lucullo.

Prouidenda annona exercitui.

Famis exempla.

IV. Morbo.] Artaxerxes epiſtola ad Pætum, quæ in epiſtolis Hippocratis primum obtinet locum. pulchrè exercitus ſui morbum deplorat. Οὐ πολεμοῦντες πολεμούμεθα, ἐχθρὸν ἔχοντες τὸν θῆρα λοιμὸν, ... τὰ πτώματα τῶν ... πολλοὺς δυσιάτους ἐποίησε. ... βελῶν κατὰ πέμπει. *Non bellum facientes bellum patimur, habentes hoſtem belluam cuncta ... Omnia vulnerauit, multos inſanabiles reddidit, multa contra noſtras ſagittas tela contorquet.* Peſtem autem Noſter morbum vocat cum Homero.

Moibus.

> Νοῦσον ἀνὰ στρατὸν ὦρσε.
>
> *Militibus morbum immiſit.*

Peſtem etiam Virgilius ſemper *morbum* appellat 3. Georgicon, nec vnquam *peſtis* nomen vſurpat. vt,

> *Hic quondam morbo cœli miſeranda coorta eſt* Peſtis.
>
> *Tempeſtas.*-

Eleganter. nam vt ait Nazianzenus apologetico. Νοσερά τις ἀναχεῖται εἰς τὸν ἀέρα, καὶ διὰ τοῦ ἀέρος ὁμιλεῖ τοῖς ζώοις ἀτμὶς, ὃ δὴ λοιμός ἐστί τε καὶ ὀνομάζεται. *Morbidus quidam in aëre diffunditur, & per aërem in animalia dimanat vapor, qui peſtis eſt & nominatur.*

V. Vaſtitas.

Vastitate.] Vaſtitas ex peſtilentiâ. Lucretius.

> *Vaſtauitque vias, exhauſit ciuibus vrbem.*

Vaſtare autem eſt hominibus aut ædificiis exinanire. vt 8. Æneidos. -*vndique cogant*

> *Auxilia, & latos vaſtant cultoribus agros.*

Lib. 9.

> *Hæc ego vaſta dabo, & lato te limite ducam.*

Vaſtari itaque dicētur milites, cùm legiones plenæ non fuerint, nec legitimum cohortium aut militum numerum expleuerint.

VI. Conſumere.

Consvmpti.] Commodè. conſumi enim dicitur, quod paulatim & quaſi lentâ tabe interit, vt apud Horatium.

> --*lento conſumere bello.*

Multa exempla proferri poſſent, ſed nimirum tardus eſt viator, qui ſingulis diuerſoriis interiungit.

VII. Expetere.

Expetitvs.] Ianus Guillelmius in Mercatorem Plauti cap. 5. hîc mendoſam perſpicuè contendit eſſe lectionem. A quibus enim expetitus Imperator Piſo? certè non à Prouincialibus: at à populo Romano? multò minùs. E meis membranis Turingicæ & Gemblacenſes habuerunt. *Vt quod indigniſſimum eſt ſcelus Imperatoris in pœnam exercitus expetitus eſſe videatur.* Volunt videlicet exercitum à Piſone eò expetitum vt omnibus iniuriis perderet. Verùm hæc etiam ſententia parum idonea, & quam multo illuſtrioribus verbis Cicero extuliſſet. Mirum ni rectè ego interpunxi & emendaui, *Vt, quod eſt indigniſsimum, ſcelus Imperatoris in pœnam exercitûs expetiſſe videatur.* Expetere antiquâ notâ valet idem ferè quod Euenire. Milite Plauti.

> *Satin' eadem vigilanti expetunt, quæ in ſomnis viſa memoras?*

Sed in re mala imprimis & ſupplicio poni amat.

> *Cuius ego in tergo faxo iſta expetant mendacia.*

Eâdem:

> *Nequiter planè expetiuit prima paraſitatio.*

Et rurſum:

> *Nam meâ ſi culpâ quod egomet contraxerim*
>
> *Id Alcumenæ innocenti ſi expetat.*-

Denique ibidem:

> *Suámque culpam in mortalem expetere vt ſinat.*

Hæc totidem verbis Guillelmius. ſed non amo tam antiquarios in emendando Cicerone: qui cum plerumque ſic emendant quaſi cùm Carmenta loqueretur Grutterus legit è M.S.Sancti Victoris, *Vt quod eſt indigniſsimum, ſcelus imperatoris, in pœnam exercitûs, expetitum eſſe videatur.*

VIII. Thraces Barbari.

Barbariaqve.] Etſi Græci cæteras omnes gentes præter ſe barbaros vocabant: Thraces tamen, Odryſi, Triballi cæteræque gentes ad Septentrionem porrectæ. Barbari potiſſimùm nominantur. & has regiones noſter Barbariā ſignanter appellat, vt pro domo ſua 60. *Cùm alteri totam Achaiam, Theſſaliam, Græciam, Macedoniam, omnémque Barbariam bona ciuium Rom. condonaſſes.*

Vnde & Dido 1. Æneidos Ilioneo obiicienti barbariem.

> *-quæue hunc tam barbara morem*
> *Permittit patria?* Reſpondet.
> *Non obtuſa adeo geſtamus pectora Pœni,*
> *Nec tam auerſus equos Tyriâ ſol iungit ab vrbe.*

Id eſt non ſumus adeò Septentrionales & remoti ab Æquatore ſiue Tyri ſitum ſpectes, ſiue Carthaginis, vt barbari dicendi ſimus. Vide quæ interpretes conferunt in hanc ſententiã. nunc mutatâ ratione proprium Barbariæ nomen in Africâ conſedit.

IX. TENVI PRÆSIDIO.] Quam tenui præſidio Romani deuictas à ſe gentes in officio continerent, videre eſt apud Ioſephum lib. 2. de excidio cap. 28. oratione Regis Agrippæ. Ἕλληνες ἓξ Ῥωμαίων ὑπείκουσι ῥάβδοις. τοσαύταις δὲ Μακεδόνες, &c. *Græci ſex Romanorum ſecuribus obediunt, totidem Macedones.* Cùm tamen opinor Prætores illi militum nihil haberent præter cohortem prætoriam, quæ maieſtatis potiùs fuit & dignitatis inſigne quàm præſidij. Nam ſubdit: Τί δὲ αἱ πεντακόσιαι τῆς Ἀσίας πόλεις; οὐχὶ δίχα φρουρᾶς ἕνα προσκυνοῦσιν ἡγεμόνα, καὶ τὰς ὑπατικὰς ῥάβδοις; *Quid verò illæ quingentæ vrbes Aſiæ? nunquid non ſine præſidio vnum præſidem venerantur, & ſecures Conſulares?* Alias gentes per quam exiguâ manu continebant. Ibidem. Τί δεῖ λέγειν Ἡνιόχους, καὶ Κόλχους, καὶ τὸ Ταύρων φῦλον; &c. Νῦν δὲ τρισχιλίοις ὁπλίταις ὑποτάσσεται. *Quid dicam Heniochos, Colchos gentémque Taurorum? Nunc tribus militum millibus obediunt.* Paulò pòſt: Τί δὲ Θρᾷκες οἱ πέντε μὲν εὖρος, ἑπτὰ δὲ μῆκος ἡμερῶν χώραν διειληφότες, &c. οὐχὶ δισχιλίοις Ῥωμαίων ὑπακούουσι φρουροῖς; *Quid vero Thraces regionem dierum quinque itinere latam, ſeptem longam obtinentes, nunquid non bis mille Romanorum parent cuſtodibus?* Et poſt multa dè laudibus Galliarum quæ pro Marcello commodiùs adferentur. ὑπὸ χιλίοις καὶ διακοσίοις, inquit, στρατιώταις δουλεύουσιν, ὧν ὀλίγου δεῖν πλείους ἔχουσι πόλεις. *Mille & ducentis militibus ſeruiunt, quibus propemodum plures incolunt ciuitates.* Et ne in ſingulis moremur, Hiſpanias vnâ legione, octo Germanias, Ægyptum duabus, quatuor Britanniam obtinebant. Sed hæc ſub Nerone: è quibus tamen de cæteris coniecturam facere poſſis. Etſi modò maius modò minus erat præſidium prout maior vel minor belli moles incumberet.

Rom. tenui præſidio tutabantur prouincias.

X. SINE IMPERIO PER LEGATOS.] Nonnunquam legati nomine populi Romani, aut etiam Conſulum, Prætorúmue Prouincias obtinebant, quo tempore lictores etiam ſuos habuerunt, & cætera pene ornamenta quæ magiſtratibus & imperiis conceſſa ſunt. Vltimo libro in Verrem 82. *Vbi tot tantáque ornamenta magiſtratibus & legatis à Senatu populóque Romano permiſſa & data?* Liuius lib. 29. de Plemminio legato Scipionis Locris ad præſidium relicto. *Sine reſpectu non maieſtatis modò, ſed etiam humanitatis, in legatum impetum lictoribus priùs indignũ in modum mulctatis faciunt.* Noſter primo libro in Verrem 60. & Imperium legati, & lictores agnoſcit, de Verre qui tum legatus erat Dolabellæ loquens. *In Achaiam, Aſiam, Pamphyliam ſumptu publico, & legationis nomine, cum imperio & ſecuribus, mercator ſignorum, tabularúmque pictarum miſſus eſt.* Propriè tamen ſi loquamur, Imperium non fuit legatis, quod propria auſpicia non haberent, vnde nec triumphabant ipſi, nec Imperatores ſalutabantur ab exercitu, poſt inſignem aliquam victoriam, quod rem ſuis auſpiciis non geſſiſſent. De faſcibus legato præferri ſolitis etiam Spartianus in vitâ Septimij Seueri. *Actâ igitur quæſturâ Sardinienſi legationem Proconſulis Africæ accepit. In qua legatione cùm eum quidam municipum ſuorum Leptitanus, præcedentibus faſcibus, vt antiquum contubernalem ipſe plebeius amplexus eſſet, fuſtibus eum ſub elogio præconis cecidit. Legatum populi Romani homo plebeius temerè amplecti noli. Ex quo factum eſt vt in vehiculo etiam legati ſederent, qui ante pedibus ambulabant.*

Legati lictores ſuos habuerunt.

CONSVLARI IMPERIO ATQVE EXERCITV.] Vide Piſonianam 38. *Quas res geſſiſti imperio, exercitu, prouincia Conſulari?* XI.

PENDERE.] Non numerare, vt maiorem pecuniæ vim oſtendat. Philippica 2. §. 81. *Itaque tanti acerui nummorum apud iſtum conſtruuntur, vt iam expendantur, non numerentur pecuniæ.* Plinius lib. 33. cap. 3. tradit antiquitus pecuniam omnem non numerari, ſed pendi conſueſſe. *Libralis, vnde etiam nunc libella dicitur, & dipondius appendebatur aſſis.* qua de re nos fuſiùs alibi, Deo fauente, diſſeremus. XII.

PORTORIVM.] In Piſonem 88. *Vectigalem prouinciam, ſingulis rebus, quæcumque veniret, certo portorio impoſito, ſeruis tuis publicanis à te factam eſſe meminiſti?* Quem in locum nonnihil de vectigalibus pop. Romani diſſeremus. De Dyrrachio nonnihil in Piſonem 83. De Byſantio in Piſonem 86. XIII. Portorium.

FIDELISSIMAM.] Hanc appellationem iis ſolùm tribuebant, quos amicos & ſocios declarabant. vt multis probat eruditus Briſſonius lib. 2. formul. pauca decerpam. *Moneo, inquit, ſocios & amicos bonorum & fidelium appellatione olim ornari conſueuiſſe, eáque præcipuè laude commendatos.* Laudat Liuium tum alibi, tum lib. 24. *Vt pro bonis ac fidelibus ſociis facerent, orauit.* Idem Liuius lib. 42. per legatos Antiochum Regem petiiſſe ait, *Imperaret ſibi Pop. Rom. quæ bono fideliquè Socio Regi eſſent imperanda.* Lib. 22. *Nunc autem quemadmodum hi boni fidelésque (nam fortes ne ipſi quidem dixerint) ciues eſſe poſſunt.* XIV.

Socij dicti boni & fideles.

MISERIS.] Egentibus, ſpoliatis. Iuuenalis ſat. 8. XV.

> *Curandum imprimis ne magna iniuria fiat*
> *Fortibus & miſeris, tollas licet omne quod vſquam eſt*
> *Auri atque argenti, ſcutum gladiúmque relinques,*
> *Et iacula & galeam, ſpoliatis arma ſuperſunt.*

AXIOMATA.

Indigniſſimum eſt tam malè adminiſtrari rem bellicam, vt imperator in pœnam exercitus expetitus eſſe videatur.

Prouincia diu vexata non ſe poteſt niſi diuturnâ pace recreare

Nihil exprimi poteſt ab egentibus, nihil vllâ vi à miſeris extorqueri.

ARGVMENTVM.

Oſtendit Piſonis libidines, crudelitatem, auaritiam in Byſantinos depromptam, & ex hoc etiam capite Piſonem è prouinciâ reuocandum eſſe contendit.

VI. OMITTO iuriſdictionem in libera ciuitate contra leges, ſenatúſque conſulta: cædes relinquo: libidines prætereo: quarum acerbiſſimum exſtat iudicium, & ad inſignem memoriam turpitudinis, & pænè ad iuſtum imperij noſtri odium, quòd conſtat nobiliſſimas virgines ſe in puteos abieciſſe, & morte voluntaria nefariam turpitudinem depuliſſe. Nec hæc idcirco omitto, quòd non grauiſſima ſint: ſed quia nunc ſine teſte dico. Ipſam verò vrbem Byzantiorum fuiſſe refertiſſimam, atque ornatiſſimam ſignis, quis ignorat? quæ illi exhauſti ſumptibus bellorum maximis, cùm Mithridaticos impetus, totúmque Pontum armatum efferueſcentem in Aſiam, atque erumpentem ægrè repulſum, & ceruicibus intercluſum ſuis ſuſtinerent: tum, inquam, Byzantij & poſteà ſigna illa, & reliqua vrbis ornamenta ſanctiſſimè cuſtodita tenuerunt. te imperatore, infeliciſſimo, & teterrimo, Ceſonine Caluenti, ciuitas libera, & proximis ſuis beneficiis à ſenatu, & à populo Rom. liberata, ſic ſpoliata, atq; nudata eſt, vt niſi C. Virginius legatus, vir fortis, & innocens, interueniſſet, vnum ſignum Byzantij, ex maximo numero, nullũ haberent.

OMITTO.] Legem tulerat Iulius Cæſar in conſulatu, vt populi liberi verè eſſent liberi, vt dicitur in Piſonem 37. id eſt, ne præſides prouinciarum eos ſuis legibus viuere, iúſque ſuis ipſorum moribus dicere permitterent. at Piſo ſtatim atque attigit prouinciam, in Achaiâ & Byſantio ius dixit.

CÆDES RELINQVO.] De cæde Platoris, vel vt alibi legitur Platonis legati, quem Piſo in vincula coniecit, & medicum intromiſit ſuum qui legato, ſocio, amico, libero fœdiſſimè & crudeliſſimè venas incideret. vide orat. de Haruſpic. reſp. 35. in Piſonem 83. De nece Pleurati & Rabocenti in Piſ. 84. De libidinibus minimè res eſt obſcura. vereor tamen vt plus quàm veritas patiatur exaggeret. Siquidem in Piſ. 86. præſente Piſone tum inſignem turpitudinem ſtrictim obitérque tranſcurrit. *Euertiſti miſeras ciuitates, quæ non ſolùm bonis ſunt exhauſtæ, ſed etiam nefarias libidinum contumelias, turpitudinéſque ſubierunt.* Grutterus pro, *nefariam turpitudinem*, legit, *neceſſariam turpitudinem*: ex Palatinis, vt inquit, omnibus, & vetuſtè cuſis: quæ videlicet neceſſariò ſubeunda fuerat, niſi ſibi mortem voluntariam attuliſſent.

IPSAM VERÒ.] Ad Piſonis ſacrilegia delabitur.

QVÆ ILLI.] Vt ſacrilegij Piſoniani, qui Byſantium ſignis omnibus ornamentiſque nudauit atrocitatem oſtendat, priùs demonſtrat quanti fecerint ea Byſantini, quò enim quódque pluris æſtimatur, eo maiore cum dolore amittitur.

EFFERVESCENTEM.] Elegans tranſlatio, & metonymia, quaſi non ipſi tantam incolæ, ſed ipſe pontus in Aſiam ſe effunderet, inſtar aquæ quæ ſubiectis ignibus ebullit, & circa lebetis oras effunditur.

TE IMP.] Apoſtrophe vehemens & inflammata. Cuius vim aduertes ſi te ad Senatum conuerteris hoc pacto. *Illo imperatore infœl. & teterr.* &c. *ciuitas libera*, &c. *nudata eſt.* Languidam hanc & quaſi ſemimortuam orationem eſſe cognoſces, quæ hac apoſtrophe non ſolùm viuit, ſed etiam ſubiectis quaſi facibus inardeſcit.

CÆSON. CALVENTI.] Cæſoninus cognomen factum à Cæſonio, & hoc à Cæſare putat Sigonius. fuit autem Calpurniorum Piſonum antequam frugi dicerentur, vt ex faſtis Capitolinis obſeruat Manutius. Caluentius autem ignominioſè vocatur ab auo materno. de quo in fragmentis exordij in Piſonem apud Aſconium. *Inſuber quidam fuit, id eſt mercator & præco: is cùm Romam cum filiâ veniſſet adoleſcentem nobilem Cæſonium hominis fortiſſimi filium auſus eſt appellare, filiam collocauit.* Cæſoninus itaque à patre, Caluentius à matre, vtrumque ignominiæ cauſsâ. nam & mater fuit ignobilis, & pater furti peculatúſque videtur fuiſſe conuictus. in Piſonem 87. *Omni totius prouinciæ pecore compulſo, pellium nomine omnem quæſtum illum domeſticum paternúmque renouaſti. videras enim grandis iam puer, bello Italico, repleri quæſtu veſtram domum cùm pater tuus armis faciendis præfuiſſet.* Et eadem orat. 14. vtramque appellationem ad ignominiam coniunxerat. *Cæſoninus Semiplacentinus Caluentius.*

CIVITAS LIBERA.] Byſantium.

REC. BENEFICIIS.] Ob ſeruatam egregiè populo Rom. fidem & Mithridatem depulſum atque intercluſum ne in Aſiam irrumperet.

LIBERATA.] Suis legibus & magiſtratibus vti permiſſa.

INTERVENISSET.] Tuis furtis & ſacrilegiis obſtitiſſet.

C. Virginivs.] Imò *Virgilius*, vt notat Grutterus ex manuſcriptis Palatinis, Gemblacenſi & S. Victoris.

NOTÆ.

I. Iurisdictionem.] De iuriſdictione fusè Carolus Sigonius de antiquo iure Prouinciarum.

II. Virgines se in pvteos abiecisse.] Ad inuidiam Piſonis traducit, quod fortaſſe virgines illæ morbi naturalis impulſu faciebant. Certè Hippocrates lib. περὶ παρθενίων puellarem quendam furorem agnoſcit ex ſanguine menſtruo, cùm effluere non potuerit, circa cor conglobato, eóque furore virgines concitatas dicit, nonnunquam ἅλλεσθαι καὶ καταπίπτειν ἐς τὰ φρέατα, καὶ ἄγχεσθαι. *Inſilire & decidere in puteos, & ſeipſas ſtrangulare.* Notum eſt quod de Mileſiis tradit Plutarchus lib. de virtutibus mulierum. Idem penè de virginibus Lugdunenſibus recentiores prodiderunt, Cœlius Rhodiginus lib. antiq. lect. 23. cap. 32. Brodæus lib. 5. Miſcellaneorum cap. 27. Lælius Biſciola Societatis Iesv lib. 3. ſubceſiuarum cap. 3. quem tu conſule.

Puellaris furor.

III. Morte volvntaria.] Plenæ ſunt hiſtoriæ, plenæ fabulæ Poëtarum huiuſmodi exemplis. pauca delibo. In fabulis Melis ne à Damnameneo, Britomartis ſiue Dictynna ne à Minoe, Chalcomede ne à Morrheo vim paterentur in mare ſe præcipites dederunt. vt fabulatur Nonnus lib. 33. Dionyſiacon à verſu 325. De Britomarti Callymachus hymno in Dianam. In hiſtoriis *Græca fœmina, nomine Hippo*, verba ſunt Valerij Maximi libro 6. cap. 1. *cùm hoſtium claſſe eſſet excepta, in mare ſe, vt pudicitiam morte tueretur, abiecit*, &c. *Teutonicorum verò coniuges Marium victorem orarunt, vt ab eo virginibus Veſtalibus dono mitterentur, affirmantes æquè ſe atque illas virilis concubitus expertes futuras: eáque re non impetratâ, laqueis ſibi nocte proximâ ſpiritum eripuerunt.* Et ille Democles apud Plutarchum in Demetrio cùm Demetrij libidinem fugiens in balnea ſe abdidiſſet, iſque ſequeretur, ὁ παῖς ἀφελὼν τὸ πῶμα τοῦ χαλκώματος εἰς ζέον ὕδωρ ἐνήλατο, καὶ διέφθειρεν αὑτὸν, &c. *Puer ablato ærei labri operculo, in aquam feruentem inſiliit, ſibique mortem conſciuit.* S. Hieronymus lib. 1. aduerſus Iouinianum. *Triginta Athenienſium tyranni cùm Phidonem in conuiuio necaſſent, filias eius virgines ad ſe venire iuſſerunt, & ſcortorum more nudari: ac ſuper pauimenta patris ſanguine cruentata impudicis geſtibus ludere, quæ pauliſper diſſimulato doloris habitu, cùm temulentos conuiuas cernerent, quaſi ad requiſita naturæ egredientes, inuicem ſe complexæ præcipitauerunt in puteum vt virginitatem morte ſeruarent.* Nam quid dicemus de virginibus Chriſtianis? Perſecutoribus matris & ſororum ſanctæ Pelagiæ virginum pudicitiæ imminentibus. *Illæ*, verba ſunt S. Ambroſij lib. 3. de Virginibus, *ſpiritali volatu iam campum caſtitatis tenebant, cùm ſubitò hinc perſecutoribus imminentibus, inde torrente fluuio excluſæ à fuga, incluſæ ad coronam*, &c. *Suſpenſæ paululum, in cincto ſinu, quo pudorem tegerent, nec greſſum impedirent, conſertis manibus, tanquam choros ducerent, in medium progrediuntur alueum, vbi vnda torrentior, vbi profundum abruptius, illo veſtigia dirigentes, nulla pedem retulit, nulla ſuſpendit inceſſum, nulla tentauit vbi greſſum figeret, anxiæ cum terra occurreret, offenſæ vado, lætæ profundo.* Quid illæ Virgines Leodienſes, quæ, vt auctor eſt Iacobus de Vitriaco, vt turpitudinē à ſe voluntariâ morte depellerent, auſæ ſunt partim in Moſam, partim in cloacas inſilire? Quid innumerabiles aliæ, quæ vitæ pudicitiam prætulerunt. Peculiari quidem inſtinctæ diuini ſpiritus afflatu. Ambroſius tamen loco citato non dubitat exemplum proponere. *Et quidem*, inquit, *de virginibus in neceſſitate cuſtodiæ conſtitutis eandem habemus aſſertionem, cùm martyrij extet exemplum.* Tantus eſt enim virginitatis ſplendor, tanta dignitas, vt non ſolùm vitæ præferēda, ſed etiam ſi dicere fas eſt, ipſi Deo tantùm non æquanda videatur. omitto Cyprianum, Ambroſium, pleróſque alios. Vnus ſit inſtar omnium Nazianzenus carmine de Virginitate.

Caſtitas vitæ præferenda.

S. Pelagia.

--Παρθενίη στράψεν μετέπειτα φαεινὴ
Λυομένη κόσμοιο, λύουσά τε κόσμον ἀφαυρόν.
Τόσσάπερ προφέρουσα γάμου, βιότοιό τε δεσμῶν,
Ὅσσάπερ ψυχὴ προφερεστέρη ἔπλετο σαρκὸς,
Καὶ χθονὸς οὐρανὸς εὐρὺς, ὅσον βιότοιο ῥέοντος
Ἑστῶς μακάρεσσιν, ὅσον θεὸς ἀνδρὸς ἀρείων,
-*Virginitas diuino lumine fulget*
Virginitas mundum ſoluens, mundóque ſoluta.
Tantùm coniugium ſuperans & vincula vitæ
Quantùm animus carnem ſuperat: quantùm ardua cœli
Aſtra ſolo, quantùm præſtant æterna caducis,
Quanto mortales ſuperat Deus interuallo.

Virginitas Deo comparata.

Armatvm effervescentem in Asiam.] Hanc vocem alij quoque ad rem bellicam tranſtulerunt. Terentius Varro. IV.

Feruere piratis vaſtarique omnia circum.

Maro 8. Æneidos.

Totúmque inſtructo marte videres
Feruere Leucatem.-

Quod maiore verborum pompâ ad parabolam reuocauerat lib. 7.

Sæuit amor ferri & ſcelerata inſania belli
Ira ſuper Magno veluti cum flamma ſonore
Virgea ſuggeritur coſtis vndantis aheni,
Exultántque æſtu latices: furit intus aquaï
Fumidus atque alte ſpumis exuberat amnis:
Nec iam ſe capit vnda, volat vapor ater ad auras.

Feruor.

Να σαφῆ καὶ στρογγύλα καὶ ἀκριβῶς ἕκαστα τῶν ὀνομάτων ἀποτετόρνευται, vt inquit Plato, vt Homerus eandem parabolam potiùs informans quàm poliens Macrobio, Scaligero, Cardano ne comparandus quidem eſſe videatur. Noſter tamen vnico verbo plus, ni fallor, expreſſit. Turnus enim apud Maronem ira exæſtuans, *Nec capere irarum fluctus in pectore* valens deſcribitur; at hoc loco pontus vniuerſus armatus, efferueſcens & in Aſiam erumpens, militéſque ſuos, tanquam bullas aquæ feruentis ſupra labra redundantes, extra fines ſuos proiiciens, aptiùs & expreſſiùs exhibetur. Adde quod Poëta fluctus, vt aiunt, excitat in ſimpulo, & quocunque tandem verborum ſonitu, nihil aliud quàm vnum hominem in lectulo ſuo belli amore flagrantem, & cacabum bullientem deſcribit.

AXIOMATA.

Nonnulli magnâ cum laude nefariam turpitudinem morte voluntaria depulerunt.

Moleſtum eſt iis quæ in bello retinueris, in pace ſpoliari.

ARGVMENTVM.

Piſonis ſacrilegia, templorúmque Græciæ totius expilationem, iniuſtitiam in iure dicundo, & illatas ciuibus Romanis iniurias oſtendit.

VII. QVOD fanum in Achaia, qui locus aut lucus in Græcia tota, tam ſanctus fuit, in quo vllum ſimulacrum, vllum ornamentum reliquum ſit? Emiſti à fœdiſſimo Tribunopleb. tum in illo naufragio huius vrbis, quam tu idem, qui gubernare debueras, euerteras: tum, inquam, emiſti grandi pecunia, vt tibi de pecuniis creditis ius in liberos populos contra ſenatuſconſultum, & contra legem generi tui dicere liceret, id emptum ita vendidiſti, vt aut ius non diceres, aut bonis ciues Romanos euerteres.

EXPLANATIO.

QVOD FANVM.] Vehemens & acris percunctatio, qua ſacrilegiorum Piſonis multitudinem oſtendit. In quo mireris illam paronomaſiam, *lucus aut locus*, quæ ad amœnitatem ſolet adhiberi, vim etiam & impetum quendam habere. Vt quod in Sapphone poëtriâ notauit Phalereus, eam figuras & geminationes quæ cæteris ad vim inſeruiunt, ad ſuauitatem amœnitatémque traducere, in Cicerone contrarium mirari poſſimus.

EMISTI.] Piſo cum P. Clodio inierat pactionem, vt Clodius lege ad populum lata iuris in liberis ciuitatibus dicundi poteſtatem Piſoni tribueret, Piſo Clodium faceret lucri ex eâ iuriſdictione prouenientis & prædæ participem. Sed vt prouinciam attigit Piſo pecuniâ corruptus ab iis qui erant in ære alieno, ius non dixit creditoribus, aut ſi dixit in gratiam debitorum creditores damnauit, & bonis euertit.

NAVFRAGIO.] In ſeditione Clodianâ Piſone & Gabinio Conſulibus, & vt dicitur pro domo 24. *In illis Reip. tenebris, cæciſque nubibus ac procellis, cum P. Clodius Senatum à gubernaculis deieciſſet, populum è naui exturbaſſet, ipſe archipirata cum grege prædonum impuriſſimo pleniſſimis velis nauigaret.* Cùm Piſo & Gabinius, qui pro Conſulari officio, Remp. gubernare & ad tranquillitatis otiíque portum & dignitatis dirigere debebant, tanquam duo turbines fluctus illos concitarēt & illam Reip. nauem euerterent.

LEGEM GENERI TVI.] Quam Iulius Cæſar, qui tuam filiam duxit vxorem, tulit in Conſulatu vt populi liberi verè eſſent liberi, propriíſque legibus & iudiciis vterentur.

IVS NON DICERES.] De pecuniis creditis & ad ſoluendum creditoribus debitores adigeres.

AVT BON. CIVES ROM. EVERT.] Pro Sextio 93. Piſonem ait. *Bona creditorum ciuium Rom. cum debitoribus Græcis diuiſiſſe.* In Piſonem 86. *Nonne cùm ducenta talenta tibi Apolloniatæ Romæ dediſſent, ne pecunias creditas ſoluerent, vltro Fuſidium Equitem Rom. hominem ornatiſſimum creditorem debitoribus ſuis addixiſti.*

NOTÆ.

I. Fanum. FANVM.] Cornelius Fronto in differentiis. *Fanum fando conſecratum, vnde Fauni appellabantur priùs, & illi qui vagabantur fanatici.*

II. Lucus, locus. LVCVS AVT LOCVS.] Alluſio non infrequens. Pro C. Rabirio perd. reo 7. *Niſi fortè de locis religioſis ac de lucis, quos ab hoc violatos eſſe dixiſti, pluribus verbis tibi reſpondendum putas.* Apuleius initio primi Floridorum. *Religioſis viantium moris eſt, cùm aliquis lucus aut aliquis locus ſanctus in via oblatus eſt, votum poſtulare, portum apponere, pauliſper aſſidere.* Luci fuerunt nemora Diis conſecrata. vt 9. Æneidos.

Pinea ſilua fuit multos dilecta per annos,
Lucus in arce fuit ſummâ, quò ſacra ferebant Lucus.
Nigranti piceâ trabibúſque obſcurus acernis.

Tibullus lib. 3. eleg. 3.

Et nemora in domibus ſacros imitantia lucos.

7. Æneidos.

Vnde etiam Triuiæ templo luciſque ſacratis
Cornipedes arcentur equi.--

6. *-lucis Hecate præfecit Auernis.*

Et alibi frequenter vt putidum ſit exempla conglobare.

III. Reip. nauis. NAVFRAGIO.] Vide Sextianam paſſim, vbi vrbs cum naui, 46. ſeditio cum fluctibus & tempeſtatibus 20. Reip. clades cum naufragio, 14. Magiſtratus cum gubernatoribus 20. 99. otium & dignitas cum portu 98. ſeditioſi malique conſules cum turbinibus comparantur. 25.

IV. Bonis euertere. BONIS CIVES ROMANOS EVERTERES.] Plautus Trinummo act. 1. ſc. 2.

Bonis qui hunc adoleſcentem euertiſſet ſuis.

Et actu 3. ſc. item 1.

Vt agro euortat Leſbonicum quando euertit ædibus.

In Verrem de Præturâ vrbanâ 135. *Ne per ſummam iniuriam pupillum ſuum fortunis patriis conetur euertere.* Eadem tranſlatione ſed inuſitatiore voce Tacitus 6. annalium. *Multíque fortunis prouoluebantur: euerſio rei dignitatem ac famam præceps dabat.*

ARGVMENTVM.

Fingit ſe vrbanam Piſonis audaciam, ſuperbiam, contumeliam, crudelitatem, occultas libidines præterire, vt eum magis in odium adducat, & propter improbitatem & infœlicitatem eum concludit non eſſe diutiùs in Macedoniâ retinendum.

QVORVM ego nihil dico nunc, Patres conſcripti, hominem ipſum relinquo, de prouincia diſputo. Itaque omnia illa, quæ & ſæpè audiſtis, & tenetis animis, etiam ſi non audiatis, prætermitto: nihil de hac eius vrbana, quam ille præſens in oculis veſtris mentibúſque defixit, audacia loquor: nihil de ſuperbia, nihil de contumelia, nihil de crudelitate diſputo: lateant libidines eius illæ tenebricoſæ, quas fronte & ſupercilio, non pudore & temperantia contegebat: de prouincia, quod agitur, id diſputo. Huic vos non ſummittetis? hunc diutius manere patiemini? cuius, vt prouinciam tetigit, ſic fortuna cum improbitate certauit, vt nemo poſſet, vtrum poſterior, an infelicior eſſet, iudicare. VIII.

EXPLANATIO.

QVORVM.] In dicendâ ſententiâ non ciuium Romanorum, qui bonis euerſi ſunt, ſed prouinciæ ſolius per improbitatem Imperatoris ſignis ornamentíſque nudatæ, per infœlicitatem barbarorum excurſionibus vaſtatæ volo habere rationem. Legit Grutterus: *Quorum ego nihil nunc, P. C. in hominem ipſum: de prouincia diſputo.* Ex Palatino nono, cui alludit S. Victoris.

ITAQVE.] Prudenter Piſonis flagitia tanquam omnibus comperta, & altis in cuiuſque animo defixa radicibus præterire ſe dicit. Si enim ea tãquam quibuſdam incognita narraſſet, fidem fortaſſe non faceret. Nunc etiam qui priùs ignorabant aſſentiuntur præ pudore, ne quod omnes ſciunt ſoli neſcire videantur.

AVDACIA.] Vt cùm edicere auſus eſt: *Ne mœrerent homines meam, ſuam, Reipub. calamitatem: néve hunc ſuum dolorem veſte mutatâ ſignificarent.* pro Sextio 32.

CONTVMACIA.] Vt cùm Gabinio Clodij partes deſerente, Piſo contumax adeò fuit vt noluerit deſciſcere. Pro domo ſua 66. *Poſteà fregit fœdus Gabinius: Piſo tamen in fide manſit.* vide Piſonianam 27. 28.

CRVDELITATE.] Vt cùm *Vexabatur vxor mea, liberi ad necem quærebantur, gener & Piſo gener à Piſonis Conſulis pedibus ſupplex reiiciebatur.* pro Sextio 54. vide Piſonianam 17. 18. pro domo ſua à §. 59. ad 63.

LIBIDINES.] Vide poſt reditum Senatu 13. 14. pro Sextio 22. 23. 24. in Piſonem 12. 13. *Vereor ne qui ſit qui iſtius inſignem nequitiam frontis inuolutam integumentis nondum cernat,* &c.

FRONTE ET SVPERCILIO.] pro Sextio 20. *Nam quid ego de ſupercilio dicam? quod tum hominibus non ſupercilium, ſed pignus Reip. videbatur. Tanta erat grauitas in oculo, tanta frontis contractio, vt illo ſupercilio Reſp. tanquam Atlante cœlum niti videretur.*

HVIC VOS NON SVMMITTETIS?] Non mittetis Piſonis ſucceſſorem? Eſtque ſuperiorum omnium ſyllogiſmorum complexio, quæ rurſus alium, tanquam ex omnibus concinnatum ſyllogiſmum inuoluit.

Reuocandus eſt infœlix & improbus Imperator.
Sed Piſo eſt infœlix & improbus Imperator.
Ergo reuocandus eſt Piſo.

Propoſitio ſubticetur: plana eſt aſſumptio: concluſio ad maiorem vim, & vt acriùs inſiſtat, vibrata quaſi interrogatione torquetur.

POSTERIOR.] Vulgo *deterior.* Secutus ſum Turnebum. qui *poſterior* tradit in iuratiſſimis libris extare, & Grutterum ex olim editis, Palatinîſque.

NOTÆ.

ITAQVE.] Prætermiſſio oratoria qua plus in ſuſpicione relinquitur, quam ſi apertè dixiſſet, libet pauca ad imitationem exempla proferre. primâ accuſatione in Verrem 14. *In ſtupris verò & flagitiis nefarias eius libidines commemorare pudore deterreor. ſimul illorum calamitatem commemorando augere nolo, quibus liberos coniugéſque ſuas liberas ab iſtius petulantiâ conſeruare non licitum eſt.* Et de præturâ vrbanâ 32. *Itaque primum illum actum iſtius vitæ turpiſſimum & flagitioſiſſimum prætermittam. nihil à me de pueritiæ ſuæ flagitiis audiet: nihil de illâ impurâ adoleſcentiâ ſuâ: quæ qualis fuerit aut meminiſtis, aut ex eo quem ſui ſimillimum produxit recognoſcere poteſtis. Omnia prætermitto,* &c. vide fusè. In Vatinium 11. *Atque illud tenebricoſiſſimum tempus ineuntis ætatis tuæ patior latere. Licet impunè per me parietes in adoleſcentiâ perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris. habeat hoc præmium tua indignitas vt adoleſcentiæ turpitudo obſcuritate & ſordibus tuis obtegatur.* I.

Prætermiſſionum exempla.

LIBID. TENEBRIC.] Seneca lib. 1. nat. quæſt. cap. 16. *Scelera conſpectum ſuum reformidant. In perditis quoque & ad omne dedecus expoſitis tenerrima eſt oculorum verecundia.* Item: *Eſt aliqua etiam proſtitutis modeſtia, & illa corpora publico obiecta ludibrio, aliquid, quo infœlix patientia lateat obtendunt: adeo quodammodo lupanar quoque verecundum eſt.* Vide Cœlianam 47. *Hæc vnius mulieris libidinem eſſe prolapſam,* II.

vt ea non modò ſolitudinem & tenebras, atque hæc flagitiorum integumenta non quærat, ſed in turpiſſimis rebus frequentiſſimâ celebritate & clariſſimâ luce lætetur. Quod etiam in legitimis nuptiis, non ſolùm in impuris libidinibus euenire notat Pindarus Ode 9. Pythiorum, antiſtrophe 2.

Κρυπταὶ κλαΐδες ἐντὶ σοφᾶς
Πειθοῦς ἱερᾶν φιλοτάτων,
Φοῖβε, καὶ ἔν τε θεοῖς
Libidines amant tenebras. Τοῦτο. κἀνθρώποις ὁμῶς
Αἰδέοντ' ἀμφαδὸν ἁδείας
Τυχεῖν τοπρῶτον εὐνᾶς.

Occultæ claues ſunt Sapientis Suadelæ ſacrorum amorum, Phœbe & in Diis hoc, & in hominibus nihilo ſeciùs verecundantur palam iucundum torum attingere. Adeò vt Vlyſſis & Penelopes mortalium nemo genialem torum adſpexerit. vt Penelope ipſa teſtatur 23. Odyſſ. v. 236.

Εὐνῆς ἡμετέρης, τὴν οὐ βροτὸς ἄλλος ὀπώπει. vide:
Adſpexit noſtrum mortalis nemo cubile.

Et vt omittam Plutarchum in Lycurgo de eiuſdem Lycurgi inſtitutis, vt Triſmegiſtum in Aſclepio qui dialogus ab Apuleio Latinus factus eſt, Ocellus Lucanus huiuſmodi rebus obtenta eſſe teſtatur, οἷς πλεῖστα καλύμματα. *obuolucra quamplurima.* Grauiter Cyprianus libro de ſpectaculis: *Erubeſcunt videri etiam quæ pudorem vendiderunt.*

III. FRONTE ET SVPERCILIO.] Frons eſt ſpeculum animi, vt dicemus in Piſonem 1. item ſupercilium, vt ibidem dicetur 14. & dictum eſt pro Sextio 20. Galenus lib. Quod mores animi corporis temperaturam ſequantur, verbis Ariſtotelis ex primo de hiſtoriâ animalium non pauca refert in hanc ſententiam: Προσώπου δὲ τὸ μέτωπον. τούτου δὲ οἷς μὲν μέγα, βραδύτεροι, οἷς δὲ μικρὸν εὐκίνητοι, καὶ οἷς μὲν πλατὺ ἐκστατικοί. *Frons ad vultum pertinet. Ea quibus magna eſt, tardiores, quibus parua, mobiles, quibus plana, proni in amentiam.* Et paulò pòſt: Ὑπὸ τῷ μετώπῳ, ὀφρύες δὲ αἱ μὲν εὐθεῖαι φύουσαι μαλακοῦ ἤθους σημεῖον, οἷς δὲ βραχεῖς, ἤθους βελτίονος, αἱ δὲ πρὸς τοὺς κροτάφους μεμηκυῖαι, εἴρωνος. *Sub fronte verò ſupercilia recta, mollitiem indolis ſignificant, breuis ſigna ſunt morum meliorum, quæ ad tempora vergunt, deriſoris ſiue diſſimulatoris.* & alia plura. Iure autem Piſonem reprehendit, quòd libidines illas tenebricoſas fronte & ſupercilio velaret: quemadmodum enim, vt ait Plato 2. de Repub. Ἐσχάτη ἀδικία δοκεῖν δίκαιον εἶναι μὴ ὄντα. *Extrema iniuſtitia eſt iuſtum videri cùm non ſis.* Ita extrema intemperantia eſt, cùm non ſis, videri temperantem.

Frons animi ſpeculum.

Supercilia.

PVDORE ET TEMPERANTIA.] Bene temperantiam cum pudore & verecundia coniungit. Vide Cœlianam 7. *Pudor optimi adoleſcentis.* Pulchrè Arrianus lib. 3. diſſertationum Epicteti cap. 22. Οἱ ἄλλοι ἄνθρωποι τοὺς τοίχους προβέβληνται, καὶ τὰς οἰκίας, καὶ τὸ σκότος, ὅταν τι τῶν τοιούτων ποιῶσι, καὶ τὰ κρύψαντα πολλὰ ἔχουσιν. Κέκλεικε τὴν θύραν, ἑστακέναι τινὰ πρὸ τοῦ κοιτῶνος, ἄν τις ἔλθῃ, λέγε ὅτι ἔξω ἐστὶν, οὐ σχολάζει. ὁ κυνικὸς δ' ἀντὶ πάντων τούτων ὀφείλει τὴν αἰδῶ προβεβλῆσθαι. εἰ δὲ μὴ γυμνὸς καὶ ἐν ὑπαίθρῳ ἀσχημονήσει. τοῦτο οἰκία ἐστὶν αὐτῷ, τοῦτο θύρα, τοῦτο οἱ ἐπὶ κοιτῶνος, τοῦτο σκότος. *Alij mortales, cùm aliquid huiuſmodi faciunt, parietes & domos & tenebras obtendunt, & multis integumentis velantur. Hic fores clauſit, iuſſit aliquem pro cubiculi foribus ſtare, Si quis acceſſerit. dic, domi non eſt, ei non vacat. Cynicus verò pro omnibus iſtis debet pudorem obtendere. Id niſi fecerit, nudus & in propatulo ſuam indecentiam traducet. hoc ei domus eſt, hoc fores, hoc famuli ante cubiculum ſtantes, hoc tenebræ.* IV.

Pudor & temperantia.

POSTERIOR.] Vide Piſonianam §. 66. Notâ 2. V.

AXIOMATA.

Libidines tenebricoſæ à multis fronte, & ſupercilio non pudore, & temperantiâ conteguntur.

In nonnullis ſic fortuna cum improbitate certat, vt nemo poſſit vtrum deteriores an infœliciores ſint iudicare.

ARGVMENTVM.

Poſt quàm de Piſone dixit, Gabinium etiam è Syriâ tribus rationibus demonſtrat eſſe reuocandum. 1. Quòd ſuam operam tyrannis ad cædem faciendam locans imperio labem inferret. 2. Quòd partem exercitûs perdidiſſet. 3. Quòd explicaret prouinciam.

IX. AN verò in Syria diutius eſt Semiramis illa retinenda? cuius iter in prouinciam fuit eiuſmodi, vt Rex Ariobarzanes Conſulem veſtrum ad cædem faciendam, tanquam aliquem Thracem conduceret, deinde aduentus in Syriam primus equitatûs habuit interitum: poſt conciſæ ſunt optimæ cohortes. Igitur in Syria, Imperatore illo, nihil aliud actum eſt, niſi pactiones pecuniarum cum tyrannis, deciſiones, direptiones, latrocinia, cædes: cùm palam pop. Rom. Imperator, inſtructo exercitu, dexteram tendens, non ad laudem milites hortaretur, ſed omnia ſibi & empta, & emenda eſſe clamaret.

EXPLANATIO.

SEMIRAMIS.] A. Gabinius. cuius appellationis duplex in Gabinio cauſſa. Altera, quòd Syriam, antiquum Semiramidis regnum prouinciam obtineret. Altera, quòd eſſet perditis moribus, & libidine portentoſâ, cuiuſmodi libidinis monſtra Diodorus Siculus, Iuſtinus & alij de Semiramide retulerunt.

CVIVS ITER.] Aduerte quibus adiectis indignitatem facinoris oſtendit. 1. Quòd in ipſa profectione. 2. Quòd ſe addixerit & quaſi au-

ctorauerit. 3. Quòd non cuilibet, ſed Ariobarzani, id eſt, Cappadoci quæ gens eſt viliſſima. 4. Quòd ad cædem faciendam. 5. Quòd Conſul eſſet. Addit *veſter*, quo magis indignationem inflammet. Poſtremò inuidioſam adhibet Threcis ſiue gladiatoris comparationem, vt atrocitatem facti magis exaggeret.

DEINDE ADVENTVS.] Pro Sextio 71. *Exierunt malis omnibus atque execrationibus duo vulturi paludati: quibus vtinam ipſis eueniſſent ea quæ tum homines precabantur; neque nos prouinciam Macedoniam cum exercitu, neque equitatum in Syriâ & cohortes optimas perdidiſſemus.*

CVM TYRANNIS.] Ariobarzane, Hyrcano Iudæo, vt contra Alexandrum Ariſtobuli filium bellum ſuſciperet, cùm nobilibus Parthis Orſane & Mithridate, vt in patriam reducerentur, cum Antipatro vt Nabathæis bellum inferret, cum Ptolemæo Rege Alexandriæ. de quibus vide Ioſephum lib. 14. cap. 11. Antiquitatum Iudaïcarum.

DECISIONES.] Decidere Iuriſconſultis eſt cum creditoribus ſuper debito tranſigere. Paulus D. ad legem Falcidiam l. Si hæres: *cum creditoribus tranſigere*. Gallicè, *faire compoſition.*

DEXTERAM TENDENS.] Inſtar mancipis qui manu ſublatâ oſtendit ſe auctorem eſſe emptionis. vide Notas. quamuis fortaſſe res ſimpliciter intelligi poſſit, ne nodum in ſcirpo quæſiſſe videamur.

HORTARETVR.] Meliores membranæ, inquit Grutterus: *Hortetur ſed*, &c. *clamet.*

NOTÆ.

1. ARIOBARZ.] Ariobarzanes Cappadociæ Rex, regno factionibus, vt credere par eſt, Archelai Cappadocis exercitui Mithridatico præfecti eiectus fuit à Mithridate, mox à Sullâ victore reſtitutus, vt narrat Plutarchus. Rurſum inſtaurante bellum Mithridate *regno expulſus eſt*, vt ait Cicero pro lege Maniliâ. Finito demum Mithridatico bello rurſus in regnum à Pompeio reſtitutus *Ariobarzanes*, vt narrat Valerius Maximus. lib. 5. cap. 7. *Filio ſuo Cappadociæ regno ceßit in conſpectu Cn. Pompeij: cuius cùm ipſe Tribunal conſcendiſſet, inuitatúſque ab eo in ſellâ curuli ſediſſet, poſtquam filium in cornu ſcribæ humiliorem fortunâ ſuâ locum obtinentem conſpexit, non ſuſtinuit infra ſe collocatum intueri: ſed protinus ſellâ deſcendit, & diadema in caput eius tranſtulit: hortaríque cœpit vt eò tranſiret, vnde ipſe ſurrexerat. Exciderunt lacrymæ iuueni, cohorruit corpus, dilapſum diadema eſt, nec quò iuſſus erat progredi potuit: quandóque pene fidem veritatis excedit lætus erat qui regnum deponebat: triſtis cui dabatur: nec vllum finem tam egregium certamen habuiſſet, niſi patriæ voluntati auctoritas Pompeij præfuiſſet. Filium enim & Regem appellauit, & diadema ſumere iuſſit, & in curuli ſellâ conſidere coëgit.* Senior regno & regiâ cuſtodiâ nudatus paulò pòſt inſidiis, vt opinor, Archelai eſt interemptus. De inſidiis conſtat ex epiſtolâ 2. lib. 15. ad familiares, vbi Cicero Proconſul narratur Ariobarzanem Philoromæum regni ſucceſſorem, *cohortatus vt recordaretur caſum illum interitûs paterni*. Item, *Hortatus ſum* Cappadocas *Regis ſui vitam docti caſu acerbißimo patris eius, omni curâ cuſtodiáque defenderent*. De auctore harum inſidiarum Archelao ſuſpicari libet, quòd & filio inſidiatus fuerit, vt dicitur epiſtolâ 4. eiuſdem libri, Ariobarzanem *præſentibus inſidiis nec opinantem liberaui*, &c. *Cúmque magnum bellum in Cappadociâ concitaretur, ſi Sacerdos armis ſe, quod facturus putabatur, defenderet, adoleſcens & equitatu, & peditatu, & pecuniâ paratus, & ſociis qui nouari aliquid volebant*, &c. Hic autem ſacerdos adoleſcens fuit filius Archelai ſuperioris, quem (vt auctor eſt Appianus) confecto Mithridaticò bello Cn. Pompeius Sacerdotio Comanæ præfecerat. De cuius Sacerdotij maieſtate tum Strabo lib. 12. tum Hirtius de bello Alexandrino: *Comana vetuſtißimum & ſanctißimum in Cappadociâ Bellonæ templum, quòd tanta religione colitur, vt ſacerdos eius Deæ maieſtate, imperio, & potentiâ ſecundus à Rege conſenſu gentis illius habeatur.* E quibus meritò ſuſpiceris diutinas inter Archelaum & Ariobarzanem ſimultates fuiſſe, neque facilè Archelai factionem ſine Romanorum auxilio opprimi potuiſſe. Fuit igitur Gabinius ad cædem Archelai conductus. Sed ille rem ſubodoratus, è Cappadociâ diſceſſit, quo tempore (vt loquitur Strabo) *Ptolemæum Cleopatræ patrem regno eiecerant Ægyptij, regnabátque filia ſoror Cleopatræ natu maior. Ei cùm quæreretur maritus regio ſanguine natus, obtulit ſe Archelaus cum auxiliariorum manu, ſimulauítque ſe filium eſſe Mithridatis Eupatoris. Itaque receptus ſex menſes regno potitus eſt. Sed eum Gabinius Ptolemæum reducens in pugnâ occidit. Filius, ſacerdotium accepit, deinde Nicomedes.* Poſtquam Gabinius è Syriâ diſceſſit, reualeſcente Archelai factione, Ariobarzanes ſenior occiſus eſt, & Iunior iiſdem inſidiis appetitus, ſed à Cicerone in Ciliciam prouinciam veniente fuit à periculo liberatus, repreſſúſque Iunior Archelaus, immò & paucis pòſt annis, vt tradit Appianus, à Cæſare victore, poſt bellum ciuile Pompeianum ſacerdotio priuatus eſt, ſuffecto in eius locum Nicomede. Quamuis tandem Archelai factio ſuperior euaſit, & Ariobarzanis genus, vt loquitur Strabo, εἰς τρίτην δὲ προελθόντος τοῦ γένους ἐξέλιπε, *poſt tertiam generationem defecit.* & Archelaus Cappadociæ regnum occupauit, qui deinde affinitatem cum Herode Iudæorum Rege contraxit, vt videbis apud Ioſephum. Sed hæc ſatis vt videas, & quam inolita fuerit inter duas iſtas familia diſcordia, & ad cuius cædem Ariobarzanes Conſulem populi Romani conduxerit. Quod quàm alienum fuerit ab Imperij Romani dignitate, liquere poteſt ex iis quæ narrat Liuius lib. 5. Paulo Æmilio *Demetriadem cùm reuertit in itinere ſordidata turba Ætolorũ occurrit. mirantíque & percunctati quid eſſet, defertur ſexcentos principes ab Lyciſco & Tiſippo circumſeſſo Senatu per milites Romanos, miſſos à Bæbio Præſide interfectos: alios in exilium actos eſſe: boráque eorum qui interfecti eſſent, & exulum poßidere qui arguebant*, &c. *Ætoli deinde citati, in qua cognitione magis vtra pars Romanis, vtra Regi fauiſſet, quæſitum eſt, quàm vtri feciſſent iniuriam, quam accepiſſent. Noxâ liberati interfectores, exilium pulſis æquè ratum fuit ac mors interfectis. Aulus Bæbius vnus eſt damnatus, quòd milites Romanos præbuiſſet ad miniſterium cædis.* Quæ indignitas eò maior fuit quò gens Cappadocum fuit vilior atque abiectior. Notum illud ex Anthologiâ: τρία κάππα κάκιστα. *tria peßima cappa.*

Ariobarzanis & Archelai res geſtæ.

Auli Bæbij damnatio, quia milites ad cædem præbuerat.

Cretenſes, Cares, Cappadoces, vt interpretatur Suidas, nec inficetum illud Demodici:

Καππαδόκην ποτ' ἔχιδνα κακὴ δάκεν, ἀλλὰ καὶ αὐτὴ
Κάτθανε γευσαμένη αἵματος ἰοβόλου.

Cappadoces natio vilis & abiecta. *Cappadocem appetiit morſu mala vipera, guſtu*
Ipſa venenati ſanguinis appetiit.

Ad hanc morum improbitatem etiam egeſtas accedebat, de qua Saudanis Lydus apud Herodotum lib. 1. Σκυτίνας μὲν ἀναξυρίδας, σκυτίνην δὲ τὴν ἄλλην ἐσθῆτα φορέουσι. σιτέονται δὲ οὐχ ὅσα ἐθέλουσι, ἀλλὰ ὅσα ἔχουσι χώρην ἔχοντες τρηχέην. πρὸς δὲ οὐκ οἴνῳ διαχρέωνται, ἀλλὰ ὑδροποτέουσι, οὐ σῦκα δὲ ἔχουσι τρώγειν, οὐκ ἄλλο ἀγαθὸν οὐδέν. *Qui coriacea femoralia, qui è corio reliquam veſtem ferunt, qui non quibus volunt cibis veſcuntur, ſed quos habent vtpote regionem aſperam incolentes. Ad hæc potu non vini vtuntur, ſed aquæ, non ficos ad comedendum, nec aliud quicquam boni habentes.* Vbi mireris Vallæ interpretis, & Stephani emendatoris oſcitantiam, qui paucis interiectis hæc verba, καὶ γῆς ἱμέρῳ προσκτήσασθαι πρὸς τὴν ἑωυτοῦ μοῖραν βουλόμενος. ita verterunt, *Cupidus hanc partem ſoli fœcundi ſuo adiiciendi.* Vt de fœcunditate Cappadociæ ne γρῦ quidem apud Herodotum. En duos oculiſſimos muſarum paſſerculos, qui ſe tam oculatos eſſe putauerunt, vt eorum alter & ſubiectam Conſtantini donationem agnouerit, & iam tum oua fouerit quæ poſteà Lutherus excluſit, alter Eccleſiam in ſuperſtitiones prolapſam aduerterit, & eam præfatione in hunc ipſum ſcriptorem ſtultâ quadam ſcurrilitate lacerarit.

Vallæ & Stephani error.

II. Thrax. Threx. THRACEM.] Thrax ſiue Threx, genus eſt gladiatorum ſic dictum, vt auctor eſt Feſtus, *à ſimilitudine Thraciarum palmularum.* De quo Auſonius in Monoſyllabis:

Quis myrmilloni componitur æquimanus? Threx.

Noſter Philippica 6. §.12. *Tantúmne ſibi ſumpſit quia Mylaſis Myrmillo Thracem iugulauit ſamiliarem ſuum?* Sed de his Saturnalia Lipſij conſulantur.

III. Cohortes. COHORTES.] Vides tùm ex hoc loco, tùm ex illo Sextianæ, quem in explanatione protulimus, cohorteis peditum fuiſſe, cùm eas vtrobique ab equitatu diſtinxerit. Singulæ tres manipulos, vnum principum, alterum haſtatorum, tertium triariorum continebant, vt videbimus pro Milone ad illa verba §.3. *Nam illa arma, centuriones cohortes.* Cæterùm Ioſephus Gabinium multis prœliis ait fuiſſe victorem: ſed vel Ioſephus fauebat Gabinio, vel Noſter reticet de induſtriâ tot tantáſque victorias. Vide librum primum de excidio cap. 6. Libet ex eo nonnulla decerpere: Ὁ δὲ ἀποδρὰς τῶν Ἀριστοβούλου παίδων Ἀλέξανδρος, χρόνῳ συναγαγὼν χεῖρα συχνὴν βαρὺς ἦν Ὑρκανῷ καὶ τὴν Ἰουδαίαν κατέτρεχεν. ἐδόκει δ' ἂν ταχέως καταλῦσαι αὐτόν· ὅς γε ἤδη καὶ τὸ καταρριφθὲν ὑπὸ Πομπηίου τεῖχος ἐν Ἱεροσολύμοις ἀνακτίζειν ἐθάρρει προσελθὼν, εἰ μὴ Γαβίνιος εἰς Συρίαν πεμφθεὶς Σκαύρου διάδοχος τά τ' ἄλλα γενναῖον ἀπέδειξεν ἑαυτὸν ἐν πολλοῖς καὶ ἐπ' Ἀλέξανδρον ὥρμησεν. *Alexander qui vnus ex Ariſtobuli liberis Pompeij manus euaſerat, progreſſu temporis copioſâ militum manu collectâ infeſtus erat Hyrcano & per Iudæam populabundus volitabat, quem viſum eſt primo quoque tempore opprimere. Iámque Hieroſolymas accedens deiectum à Pompeio murum inſtaurare audebat, niſi Gabinius Scauri ſucceſſor miſſus in Syriam, tum in multis aliis rebus præclarè ſe fortitérque geſſiſſet, tum expeditionem ſuſcepiſſet in Alexandrum.* Quo

Quando Gabinius equitatum & cohortes amiſerit.

peditione videtur equitatum & cohortes perdidiſſe. Etſi enim ad tempus ceſſit Alexander, non ita tamen priore illo congreſſu profligatus eſt, vt non aliquantò pòſt bellum maioribus viribus renouarit. Cùm tamen Noſter vtriuſque iacturæ diuerſum tempus aſſignet, malim equitatus interitum priore illâ Alexandri pugnâ contigiſſe, ab Ariſtobulo autem Alexandri patre cohorteis fuiſſe conciſas. Ioſephus ibidem: Μετ' οὐ πολὺ γε μὴν αὐτοῖς ἀρχὴ γίνεται θορύβων Ἀριστόβουλος ἀποδρὰς ἐκ Ῥώμης, &c. *Paulò pòſt aliorum tumultuum initium fuit Ariſtobulus Romæ è vinculis elapſus,* &c. Προσπεσόντων δὲ Ῥωμαίων ἐπὶ δύο ἡμέρας ἀντισχὼν ὑπὲρ δύναμιν ἁλίσκεται, καὶ μετ' Ἀντιγόνου τοῦ παιδὸς, ὃς ἀπὸ Ῥώμης αὐτῷ συναπέδρα, δεσμώτης ἐπὶ Γαβίνιον ἀνήχθη, καὶ ἀπὸ Γαβινίου πάλιν εἰς Ῥώμην. *Impreſſionem verò facientibus Romanis cùm duos dies ſupra vires reſtitiſſet, captus eſt, & cum Antigono filio qui ſimul Româ profugerat, ad Gabinium vinctus adductus eſt, & remiſſus iterum Romam à Gabinio.* Quam pugnam probabile non eſt tantâ hoſtium obſtinatione in alterum diem extractam fuiſſe ſine aliquâ Romanorum cohortium iacturâ, quam nunc Orator ſuppreſſis ſilentio victoriis in inuidiam adducit.

DECISIONES.] Dixi *decidere* idem eſſe atque tranſigere. Verrinâ frumentariâ 69. *Iniquiſſimis verbis, improbiſſimis recuperatoribus conflictari malebant, quam quicquam cum illo ſuâ voluntate decidere. Summittebat iſte Timarchidem qui moneret eos, ſi ſaperent, vt tranſigerent.* Pro Roſcio Amerino 14. *Si hanc ei rem priuatim Sextus Roſcius mandauiſſet, vt cum Chryſogono tranſigeret atque decideret.* lib. 1. in Verrem, ſiue de Præturâ vrbanâ 140. *Cùm Rabonio tutore quod erat vix quadraginta millibus tranſigunt ducentis millibus. Refert ad iſtum rem Rabonius, vt ſibi videbatur, ſatis grandem & ſatis impudentem pecuniam eſſe: iſte qui aliquantò plus cogitaſſet, malè accipit verbis Rabonium: negat eum ſibi illâ deciſione ſatisfacere poſſe.* & 141. *Renuntiat Rabonius illam deciſionem tutoribus.* IV. Deciſiones.

DIREPTIONES.] Notæ ſunt Gabinij rapinæ ex Sextianâ 93. *Haurire quotidie ex pacatiſſimis atque opulentiſſimis Syriæ gaſis innumerabile pondus auri, bellum inferre quieſcentibus vt eorum veteres illibatáſque diuitias in profundiſſimum libidinum ſuarum gurgitem profundat.* Vide etiam Piſonianam 41. 48. Dio lib. 39. Ὁ Γαβίνιος πολλὰ μὲν καὶ τὴν Συρίαν ἐκάκωσεν, ὥστε καὶ τῶν λῃστικῶν, ἃ καὶ τότε ἤκμαζε, πολὺ πλείω σφίσι λυμήνασθαι. *Gabinius multis cladibus Syriam afflixit, adeò vt maiorem quàm latrocinia quæ etiam tum vigebant, calamitatem inuexerit.* V. Rapinæ Gabinij.

LATROCINIA.] Videri poſſit bis idem dixiſſe, eſt tamen aliqua diuerſitas. Nam direptiones ſunt prouincialium, latrocinia ſociorum aut etiam gentium exterarum. Sunt enim *latrones qui iniuſtum bellum mouent.* l. hoſtes. D. De capt. & poſtlimin. & l. hoſtes de verb. ſignif. VI. Latrones.

DEXTERAM TENDENS.] Feſtus Pompeius: *Manceps dicitur qui quid à populo emit, conducítve, quia manu ſublatâ ſignificat ſe auctorem emptionis eſſe.* B. Ambroſius epiſt. 1. lib. 2. *Sed non ille ſolùm liber qui dominum licitatorem non pertulit, aut tollentem digitum non vidit.* Vetus Horatij Commentator ad eum verſum Sat. 8. lib. 2. VII.

Indice monſtraret digito.--

Dexteram ſiue digitos tollebant licitatores.

Alluſit, ait, *ad morem; Erat enim Nomentanus Decumanus, & Porcius publicanus. Publicani autem ſublato digito licitationem vectigalium faciebant.* Noſter in Verrem lib.1. §. 141. *Locare incipit non proſcriptâ, neque prodictâ die, alieniſſimo tempore, ludis ipſis Romanis,* &c. *Accurrunt tamen ad tempus tutores: digitum tollit Iunius patruus.* Subdit 144. *Addicitur id opus* LLS. CLX. *millibus, cùm tutores* LLS. CXXX. *millibus id opus ad illius hominis iniquiſſimi arbitrium ſe effecturos eſſe clamarent.* Rurſum 141. *Quid ageret cœpit cogitare. Si opus pupillo redimeretur, ſi res abiret ab eo mancipe quem ipſe appoſuiſſet, ſibi nullam prædam eſſe.* E quibus vides *digitum tollere*, idem eſſe atque mancipem fieri, redimere, licitari. Huc alluſit in frumentariâ 27. *Verùm eſt æquius decumanum petere, an aratorem repetere? Iudicium integrâ re an perditâ fieri? eum qui manu quæſierit, an eum qui digito licitus ſit, poſſidere?* Huc etiam traho illa orationis domo 50. *Quàm quiſque partem tetigit digito, voce, ſuffragio.* Dixerat enim proximè 48. *Ne in prædæ quidem ſocietate mancipem, aut prædæ ſocium extra tuorum gladiatorum numerum, aut denique ſuffragij latorem,* &c. *reperire potuiſti.* Licitantes autem digitos attollebant, vt iis, nummos quibus licitabantur, digitis numerarent. Nota hæc ratio numerandi tum ex Eraſmo in Hieronymum, tum ex Pierio in Hieroglyphicis, ſed præſertim ex Venerabili Beda libro ſingulari. Marcianus Capella libro 7. de Arithmeticâ. *Digiti verò virginis recurſantes, & quadam incomprehensâ mobilitatis ſcaturigine vermiculati. Quæ mox ingreſſa ſeptingentos decem & ſeptem numeros complicatis in eos digitis Iouem ſalutabunda ſurrexit.* Plutarchus in apopht. de Oronte genero Artaxerxis, qui de priſtinæ dignitatis ſtatu deiectus, Ἔφη καθάπερ οἱ τῶν ἀριθμητικῶν δάκτυλοι νῦν μὲν μυριάδας, νῦν δὲ μονάδα τιθέναι δύνανται, τὸ αὐτὸ καὶ τοὺς τῶν βασιλέων φίλους, νῦν μὲν τὸ πᾶν δύνασθαι, νῦν δὲ τοὐλάχιστον. *Dicebat quemadmodum numeratorum digiti nunc dena millia, nunc vnitates efficere poſſunt, ita amicos regum, nunc omnia poſſe, nunc quàm minimùm.* Hinc digitorum micatio, hinc adagium à Cicerone 2. de finibus vſurpatum: *Dignus qui cùm in tenebris mices.* Id eſt, qui ne in tenebris quidem & cæcâ licitatione fraudem ſit facturus. Hinc illud Stoicorum. Eum qui ſapiens non ſit, non poſſe ſine peccato vel δακτύλους αἴρειν. Perſius:

-Digitum exere, peccas.
Et quid tam tenue eſt?

Id eſt, ne rem quidem minimam poteſt ſine fraude licitari. Hinc etiam illud De venditione carnium ex Edito Aproniani præfecti vrbis, *Conſuetudine micandi ſummotâ.* Ad has igitur mancipum licitationes alluſit Orator, & vt emptionis ſiue potiùs latrocinij magnitudinem oſtenderet, non dixit *manum*, aut *digitos*, ſed *dexteram tendens*: nam minores numeros ad centenarium ſiniſtræ manûs digitis exprimebant, ſupra centenarium dexterâ numerabant. Iuuenalis:

Atque ſuos dextrâ iam computat annos.

AXIOMATA.

Indignum eſt magiſtratum & Imperatorem ad cædem faciendam, tanquam aliquem gladiatorem conduci.
Ad laudem non ad prædam milites hortandi ſunt.

ARGVMENTVM.

Alio argumento probat Gabinium non eſſe diutiùs in Syria retinendum, quod videlicet Publicanos, vectigalia populi Romani tractantes Syria & Iudæis addixerit, eóſque funditùs bonis euerterit.

IAM verò publicanos miſeros (me etiam miſerum, illorum de me meritorum miſeriis ac dolore) tradidit in ſeruitutem Iudæis & Syris, nationibus natis ſeruituti. ſtatuit ab initio, & in eo perſeuerauit, ius publicano non dicere: pactiones ſine vlla iniuria factas reſcidit: cuſtodias ſuſtulit: vectigales multos ac ſtipendiarios liberauit: quo in oppido ipſe eſſet, aut quò veniret, ibi publicanum, aut publicani ſeruum eſſe vetuit. quid multa? crudelis haberetur, ſi in hoſtem animo fuiſſet eo, quo fuit in ciues Romanos, eius ordinis præſertim, qui eſt ſemper dignitate ſua, benignitate magiſtratûs ſuſtentatus. X.

EXPLANATIO.

IAM VERÒ.] *Qui publicanos vexat & bonis euertit reuocandus eſt è Prouinciâ.*
Sed Gabinius vexat & bonis euertit publicanos.
Ergo reuocandus.

Gabinius enim, vt auctor eſt Ioſephus Antiquit. Iudaicarum lib. 14. cap. 10. & lib. 1. excidij cap. 6. Alexandrum Ariſtobuli filium, qui Iudæam incurſionibus vexabat, cæſis tribus hominum millibus vicit, & Iudæam perluſtrans, *quotquot inueniebat vrbes dirutas, ædificari iubebat. atque hoc pacto inſtauratæ ſunt Samaria, Azotus, Scythopolis, Arcthedon, Raphia, Dora, Mariſſa, Gaza, & aliæ non paucæ: idque mandante Gabinio, quarum poſthac habitatio tuta permanſit, cùm antè longo tempore deſertæ fuiſſent.* Quæ vrbium tot & tantarum inſtauratio fieri non potuit, niſi colonias, qui ad eos inhabitandas conuenirent, immunitatem aliquam proponeret, & vectigales ac ſtipendiarios, cum magno publicanorum, qui veſtigalia Iudææ redemerant, damno liberaret, quaſi publicanos ipſos Iudæis & Syros in ſeruitutem addiceret.

ITA DE ME MARITORVM.] Pro domo ſua 74. *Omnes omnium publicanorum ſocietates de meo Conſulatu, ac de meis rebus geſtis ampliſſima atque ornatiſſima decreta fecerunt.* Quibus quan-

ta fuerit cum Cicerone coniunctio, tum ex aliis videbis, tum ex ep. I. ad Qu. Fratrem, tum ex libro Quinti fratris de petitione conſulatus.

NATIS SERVITVTI.] Magna cum emphaſi. quia tum omnis ſeruitus eſt miſera, tum illa miſerrima ſi hominibus non ingenuis, ſed potiùs ad ſeruitutem natis ſeruiamus.

STATVIT.] Oſtendit quibus rationibus publicanos vexauerit. Primò, *Statuit iis ius non dicere*, neque debitores Iudæos aut Syros iudicio compellere, vt publicanis tributa, vel quoduis aliud æs alienum perſoluerent. 2. *Pactiones ſine vllâ iniuriâ factas reſcidit*. Id eſt, noluit vt Iudæi vel Syri tenerentur iis conditionibus, quas pepigerant contrahentes, ſéque publicanis, ſine vlla contrahentium iniuriâ obligarant. 3. *Cuſtodias ſuſtulit*, id eſt, dirui iuſſit illas caſulas quas publicani vel in pontium aditu, vel in exitu viarum, vel in portubus extruxerant, vt inde publicanorum ſerui & portitores vecturam, & portorium exigerent. 4. Populos vectigales & ſtipendiarios, qui vectigalia ſoluere debebant, cum magnâ publicanorum, qui ea redemerant à Cenſoribus, & ſuo periculo colligebant, iniuriâ liberauit, & immunitate donauit. 5. Ab iis oppidis, quæ inſtaurabat, publicanos omnes eorúmque ſeruos exegit. Poſtremo cùm eum crudelem futurum fuiſſe dicit, ſi talis in hoſtem extitiſſet, qualis fuit in publicanos orationem mirum in modum exacerbat.

NOTÆ.

I. IVDÆIS.] Iudæos natos fuiſſe ſeruituti vel id indicio fuerit, quòd vt dicitur 1. Regum cap. 8. dixerunt Samueli: *Conſtitue nobis Regem*, &c. cùm libertate frui poſſent. Eos Manethon Ægyptius apud Ioſephum lib. priore contra Appionem, Γσκὼ, initio tradit appellatos fuiſſe, tanquam αἰχμαλώτους ποιμένας. *Captiuos paſtores*. vide locum. Ad hanc ſeruilem indolem referri poſſit illa Iudæorum aſſentatio & mendicitas. Iuuenalis 6. — Iudæi ſeruiles.

-Cophino fœnóque relicto
Arcanam Iudæa tremens mendicat in aurem.

Mox:

Qualiacunque voles Iudæi ſomnia vendunt.

Martialis libro 12. epigr. 57.

Nec turba ceſſat entheata Bellonæ,
Nec faſciato naufragus loquax trunco
A matre doctus nec rogare Iudæus.

Vt autem id obiter dicamus frequenter Iudæos cum Syria iungunt auctores, vt Arrianus libro 1. diſſert. Epicteti cap. 11. Ἰουδαίοις καὶ Σύροις. rurſum cap. 22. Ἰουδαίων καὶ Σύρων. Clearchus apud Ioſephum libro 1. de Antiquit. Καλοῦνται δὲ, ὥς φασιν, οἱ φιλόσοφοι παρὰ μὲν Ἰνδοῖς Καλλανοὶ, παρὰ δὲ Σύροις Ἰουδαῖοι. *Vocantur autem, vt aiunt, philoſophi apud Indos Callani, apud Syros Iudæi.*

II. Syros nationem fuiſſe natam ſeruituti dicemus ad illa Piſonianæ, *Syrum neſcio quem de grege nouitiorum*. Antiochenis tamen, quæ vrbs fuit Syriæ facilè princeps nimiam libertatem & licentiam obiicit. Iulianus in Miſopogone: Καὶ μέχρι τῶν ὄνων ἐστὶν ἐλευθερία παρ' αὐτῆς (τῆς Αντιοχείας.) Ἄγουσί τοι καὶ ταύτας οἱ μισθωτοὶ διὰ τῶν στοῶν, ὥσπερ τὰς νύμφας, &c. *Immo apud Antiochenos vſque ad aſellas libertas extenditur. Eas enim mercenarij ſponſarum inſtar per porticus deducunt.* Mox: Χρῆσθαι δ' ὑπ' ἐλευθερίας οἱ ὄνοι βούλονται ταῖς στοαῖς. *Præ libertate verò etiam aſini porticibus vti volunt.* Item: Συμβαίνει μάλα ὑμῖν εὐδαίμοσιν εἶναι, πᾶσαν ἀρνουμένοις δουλείαν, ἀπὸ τῆς εἰς θεοὺς πρῶτον, ἔπειτα τοὺς νόμους, καὶ τρίτον τοὺς νομοφύλακας ἡμᾶς. *Vobis verò contingit magna fœlicitas, repudiatâ penitus omni ſeruitute, primùm erga Deos, deinde erga leges, denique erga nos legum cuſtodes.* Cæteri tamen ad vnum teſtantur Syros genus eſſe patientiſſimum ſeruitutis, vt in Piſonem fuſiùs. Plautus Trinummo actu 2. ſc. 4. agrum ſterilem & infœlicem deſcribens eò alluſit: — Syri ſeruiles.

Tum autem Syrorum genus quod patientiſſimum eſt
Hominum, nemo extat qui ibi ſex menſes vixerit.

Item: *-Genus*
Multo Syrorum iam anteit patientiâ.

Crediderim autem potiſſimùm hoc loco Cappadocas intelligi, quos deuicto Mithridate Pompeius ſuis quidem legibus & regibus vti iuſſit, ita tamen vt fierent populo Romano ſtipendiarij, quemadmodum & Iudæis ſuum regem habere permiſit. Cùm igitur eſſet eadem Iudæorum & Cappadocum conditio, vtroſque Gabinius à pendendis vectigalibus & ſtipendiis liberauit. Iam Cappadocas natos fuiſſe ſeruituti multa declarant. Noſter poſt reditum in Senatu 13. *Cappadocem modò abreptum de grege venalium diceres.* Horatius lib. 1. epiſt. 6. — Cappadoces.

Mancipiis locuples, eget æris Cappadocum Rex.

Perſius Sat. 6.

Cappadocas rigidâ pingues pauiſſe cataſtâ.

Martialis:

Nec de Cappadocis eques cataſtis.

Huc alluſit Sylla apud Plutarchum: Σὺ μὲν, ὦ Ἀρχέλαε, Καππαδόκης ὢν, καὶ βαρβάρου βασιλέως δοῦλος, &c. *Tu verò, ô Archelaë, cùm ſis Cappadox & Barbari Regis ſeruus.* In quo genere mirum eſt quod refert Strabo lib. 12. eos adeo natos fuiſſe ſeruituti, vt cùm Romani libertatem Cappadocibus obtuliſſent, eam ij inſtanter renuerint, ſibíque tandem Ariobarzanem Regem immemores ſummi boni præfecerint: Οἱ δὲ πρεσβευσάμενοι τὴν μὲν ἐλευθερίαν παρῃτοῦντο. οὐ γὰρ δύνασθαι φέρειν αὐτὴν ἔφασαν. βασιλέα δ' ἠξίουν αὐτοῖς ἀποδειχθῆναι, &c. *Illi miſsis legatis libertatem à ſe deprecati ſunt. non enim eam ſe ferre poſſe dicebant. & Regem ſibi præfici ſummis precibus petierunt.* Vide Iuſtinum libro trigeſimo octauo eadem narrantem. Eoſdem autem Syros & Cappadocas eſſe, ſaltem Cappadocas Syrorum nomine comprehendi, multi ſunt auctores. Vnus ſit inſtar omnium Herodotus libro 5. Καππαδόκας, τοὺς ἡμεῖς Συρίους καλέομεν. *Cappadoces quos Syrios nuncupamus.* Et lib. 7. Οἱ δὲ Σύριοι οὗτοι ὑπὸ Περσέων Καππαδόκαι καλέονται. *Iſti autem Syri à Perſis Cappadoces vocantur.* Eos Plinius à Cappadoce amne nomen ſortitos fuiſſe dicit lib. 6. cap. 3. *Cùm antea Leucoſyri dicerentur.* Sed vt de Syris generatim nonnihil iterùm dicamus, illuſtris eſt ille Cornelianæ locus citatus in Oratore 232. *Neque me diuitiæ mouent, quibus omnes Africanos & Lælios multi venalitij mercatoréſque ſuperarunt: Neque veſtis aut cælatum aurum & argentum, quo noſtros veteres Marcellos Maximóſque multi Eunuchi è Syria, Ægyptóque vicerunt. Neque verò ornamenta iſta villarum, quibus Luc. Paulum, & Luc. Mummium, qui rebus his vrbem* — Syri Cappadoces.

Italiámque

Italiámque omnem referſerunt; ab aliquo video perfacilè Deliaco, aut Syro potuiſſe ſuperari. Tria ſunt quæ velim obiter hîc notari. primò non placere hanc lectionem, *Venalitij mercatoréſque*, niſi *venalitiorum* nomine, non venales ſeruos, ſed mangones & ſeruorum venalium venditores intelligat, vt alicubi Seneca mercatorem à Mangone diſtinguit. *Mercator vrbibus prodeſt, medicus ægris, mango venalibus.* Plautus Trinummo actu 2. ſc. 2.

Mercaturámne an venales habuit? vbi rem perdidit.

Venuleius certè D. De ædilitio edicto. l. vltima. *Quicunque ex venalitio nouitiorum emptus, alicui miniſterio præpoſitus ſit, ſtatim eum veteratorum numero eſſe.* Sed fortaſſe legendum, *ex venalitiario.* vt apud Ciceronem, *venalitiarij mercatoréſque.* ex Africano D. De verb. ſignific. lege 207. *Mercis appellatione homines non contineri Mela ait, & ob eam rem mangones non mercatores, ſed venalitiarios appellari ait, & rectè.* Papinianus D. Mandati. l. Mandatum. *Venalitiarium ex prouinciâ reuerſum.* & alibi. Secundò quod ait, *è Syria Ægyptóque*, inducit me vt interpreter illud Iuuenalis Sat. 1.

-Inter quos auſus habere
Neſcio quis titulos Ægyptius aut Alabarches.

de Syro venali, qui dicatur Alabarches ab atro colore. ἀλάβας enim Græcis eſt atramentum, & Cappadoces λευκόσυροι, candidi Syri dicuntur ad diſtinctionem aliorum. ſic in epiſtola ad Atticum Pompeius ἀντισυατικῶς Alabarches, quòd Syriam redegerit in formam prouinciæ. 3. Syros Deliacóſque vocari venales.

III. Publicani. Ivs pvblicanis.] Publicani fuerunt, qui vectigalia de publico redempta colligebant. Noſter pro lege Manilia 17. *Si vectigalia neruos eſſe Reip. ſemper duximus, eum certè ordinem qui exercet illa, firmamentum cæterorum ordinum rectè eſſe dicemus.*

IV. Cuſtodiæ publicanorum. Cvstodias svstvlit.] Publicani cuſtodias habuerunt. Verrina frumentaria 20. *Omnibus cuſtodiis ſubiectum aratorem decumano tradit.* Et 60. *Equitem Romanum ſcitote biduum cibo tectóque prohibitum: biduum Leontini in foro cuſtodiis Apronij retentum atque ſeruatum.* Mox ex Maniliana 16. *Familias, &c. quas in ſiluis habent, quas in agris, quas in portubus atque cuſtodiis.*

Vectigales mvltos ac stipend.] Vide Piſonianam 88. *Vectigalem prouinciam ſingulis rebus quæcunque veniret certo portorio impoſitis, ſeruis tuis publicanis à te factam eſſe meminiſti.* E quibus ſatis liquet non omnes prouincias fuiſſe vectigales, ſed nonnullas, quorum fidem experti fuiſſent Romani, fuiſſe à ſoluendis vectigalibus ac portoriis liberatas. Ibidem: *Quid ſtipendium militibus per omnes annos à ciuitatibus, menſis palam propoſitis, eſſe numeratum?* Non igitur ſtipendiariæ fuerunt omnes prouinciæ. Alioquin non reprehenſus fuiſſet Piſo, qui juſſerat ſtipendium à prouincialibus numerari. Vide §. 98. *Quem fœderati, quem liberi populi, quem ſtipendiarij.* Vbi dicemus quæ fuerit inter eos diuerſitas. Habe interim hunc locum ex frumentariâ in Verrem 12. *Inter Siciliam cæteráſque prouincias in agrorum vectigalium rationibus hoc intereſt, quòd cæteris aut impoſitum vectigal eſt certum, quod ſtipendiarium dicitur, vt Hiſpanis & pleriſque Pœnorum, quaſi victoriæ præmium ac pœna belli: aut cenſoria locatio conſtituta eſt, vt Aſiæ lege Semproniâ.* Et §. 13. *Perpaucæ Siciliæ ciuitates ſunt bello à maioribus noſtris ſubactæ: quarum ager cùm eſſet publicus pop. Rom. factus, tamen illis eſt redditus. Is ager à Cenſoribus locari ſolet. Fœderatæ ciuitates duæ ſunt, quarum decumæ venire non ſoleant, Mamertina & Tauromintana: quinque præterea ſine fœdere immunes ciuitates ac liberæ, &c. Præterea omnis ager Siciliæ ciuitatum decumanus eſt.* E quibus ſatis intelligis quid ſit, *Vectigales ac ſtipendiarios liberare.* V.

Vectigales.

Pvblicani servvm.] Pro lege Manilia magnam ſeruorum vim tribuit publicanis. 16. *Cùm publicani familias maximas quas in Salinis habent.* Legunt alij, & meliùs quidem, *Quas in ſiluis habent, quas in agris, quas in portubus aque cuſtodiis, magno periculo ſe habere arbitrentur.* VI.

AXIOMA.

Durum eſt tradi in ſeruitutem nationibus natis ſeruiuti.

ARGVMENTVM.

Publicanorum cladem tum ab ipſorum, tum à Gabinij perſonâ, tum ab aliis adiectis exaggerat.

ITAQVE videtis, patres conſcripti, non temeritate redemptionis, aut negotij gerendi inſcitia: ſed auaritia, ſuperbia, crudelitate Gabinij, penè afflictos iam, atque euerſos publicanos: quibus quidem vos, in his anguſtiis ærarij, tamen ſubueniatis neceſſe eſt: etſi iam multis non poteſtis, qui propter illum hoſtem Senatûs, inimiciſſimum ordinis equeſtris, bonorúmque omnium, non ſolùm bona, ſed etiam honeſtatem miſeri deperdiderunt: quos non parſimonia, non continentia, non virtus, non labor, non ſplendor tueri potuit contra illius helluonis, & prædonis audaciam. XI.

EXPLANATIO.

Itaqve.] A cauſâ calamitatis miſericordiam in publicanos, indignationem in Gabinium inflammat. Quòd non eò prolapſi calamitatis fuerint publicani ſuâ temeritate aut cupiditate, ſed iniuriis Gabinij. Eſt autem redimere vel opus publicum faciendum ſuo periculo, vel vectigalia colligenda conducere. Gallis *ammodier.* Bonis igitur euertuntur *temeritate redemptionis*

ij qui vectigalia, non antè ſubductis rationibus, cariùs conducunt, quàm par fuerit. *Negotij gerendi inſcitiâ.* qui quamuis iuſto precio vectigalia colligenda conduxerint, vel in colligendo oſcitantur, vel ſeruos adhibent parum fidos & diligentes, vel parum vtiles cum prouincialibus ineunt pactiones.

ANGVSTIIS ÆRARII.] Exhauſti legibus & latrociniis P. Clodij, qui vt dicitur pro Sextio 55. Et legem tulit, *Vt remiſſis ſemiſſibus, & trientibus, quinta propè pars vectigalium tolleretur.* Et, *Seſtertiûm centies & octogies, quaſi vaſarij nomine Piſoni adſcripſit ex ærario attributum.* in Piſonem 86.

SVBVENIATIS.] Subuenire publicanis erat eos, qui non prolapſi cupiditate nimis magno publica redemiſſent, ſed aliqua ex cauſa, quam præſtare ipſi non deberent, publicis frui prohibiti eſſent, id eſt, vectigalia colligere, ſaltem parte aliquâ releuare.

ETSI IAM.] Ad miſeriarum cumulum eò redactos oſtendit multos publicanos, vt iam nullâ poſſint Senatus liberalitate recreari, propterea quòd non ſolùm bona, ſed etiam omnem honeſtatem & locum quem in Repub. tenebant, amiſerint.

HOSTEM SENATVS.] Gabinium qui palam in concione dixit. vt dicitur pro Sextio 28. *Errare homines ſi etiam tum Senatum aliquid in Repub. poſſe arbitrarentur. Equites verò Romanos daturos illius diei pœnas, quo, me Conſule cum gladiis in cliuo Capitolino fuiſſent*, &c.

HONESTATEM.] Locum ſiue gradum, quem in ciuitate tenebant.

QVAM.] Ab iis artibus quibus defendi debuit honeſtas publicanorum, rei indignitatem oſtendit. quia nulla re magis ſtomachamur, quàm ſi videamus mala bonis, bona malis euenire.

NOTÆ.

I. TEMERITATE REDEMPTIONIS.] Barnabas Briſſonius lib. 6. formul. *In huiuſmodi locationibus calor licitantium interdum vltra modum ſolitæ conductionis vectigalia inflabat.* L. Locatio. D. de publicanis: *Proinde Cæſar, vt à Suetonio in eius vitâ cap. 20. refertur, cùm publicanos remiſſionem petentes tertiâ mercedum parte releuaſſet, ne in locatione nouorum vectigalium immoderatiùs licitarentur, propalam monuit.* Cic. 1. ad Attic. 14. *Aſiani qui de cenſoribus conduxerunt, queſti ſunt in Senatu ſe cupiditate prolapſos nimium magno conduxiſſe: vt induceretur locatio poſtulauerunt.*

Calor licitãtium vectigalibus redimendis.

II. REDEMPTIONIS.] Redimere, vt iam diximus, & opus faciendum, vel fructus colligendos conducere. Opus faciendum. vt Horatius:

-Huc frequens
Cæmenta demittit redemptor.

Martialis lib. 14.

Redimere.

Puncta notis ilex, & acutâ cuſpide clauſa
Sæpè redemptoris prodere furta ſolet.

Vide Verris edictum oratione de Prætura Vrbana 143. Fructus, aut alia colligenda, vt fodinas, ſalinas, &c. redimebant, vt Iulia lex de cotoriis apud Alphenum: *Ne quis præter redemptorem poſt Idus Martias cotem ex Inſulâ Cretâ fodito, néve eximito, néve auellito.* Liuius lib. 43. *Quæ publica vectigalia vltro tributa C. Claudius & Tiberius Sempronius locaſſent, ea rata locatio, ne eſſet, de integro locarentur, & vt omnibus redimendi, & conducendi promiſcuè ius eſſet.*

ANGVSTIIS ÆRARII.] Quid ſit ærarium explicamus in Piſonem 61. De anguſtiis ærarij nonnihil à nobis dictum Vat. 29. *Erogariſne pecunias ex ærario tuis legibus? eripueriſne partes eo tempore clariſſimas, partim à Cæſare, partim à publicanis?* Vbi diximus Vatinio Tribunatum plebis obtinente, non adeò vacuum fuiſſe ærarium: Secutæ ſunt variæ partim leges, partim S. C. quæ exhauſerint. Leges partim Clodiæ, partim Vatiniæ, partim etiam Iuliæ. Cæſar publicanos tertiâ vectigalium parte releuauit. Vatinius ex ærario ſtipendium Cæſari in quinquennium erogauit. Clodius trientes & ſemiſſes remiſit, quâ lege quinta propè pars vectigalium ſublata eſt, è quibus iam tertiam partem Cæſar anno ſuperiore detraxerat. Adde pecuniam non ſolùm ſtipendij, ſed etiam vaſarij nomine Piſoni & Gabinio attributam. Senatuſconſulto etiam paulò antè ſtipendium Cæſari ex ærario fuerat rurſus attributum, vt dicetur infrà 28. cùm interim à Iulij Cæſaris Conſulatu vix vllus quidquam in ærarium inuexerit, præter vnum M. Catonem, qui è bonis Ptolemæi Regis Cypri ſeptem talentorum millia, id eſt, ex vulgari ſupputatione quatuor Philippeorum milliones ducenta millia corraſerat: tamen iam redierat ab expeditione cùm habita fuit hæc oratio. Adde quod, vt dicitur libro 2. ad Atticum epiſt. 16. *Italiæ portoria paucis antè annis ſublata fuerant* Qu. Metelli Celeris & L. Afranij Conſulatu, quod factum à Qu. Metello Nepote Prætore ſcribit Dio 37. Ἐπειδὴ τὰ τέλη δεινῶς τήν τε πόλιν καὶ τὴν ἄλλην Ἰταλίαν ἐλύπει, ὁ μὲν νόμος ὁ καταλύσας αὐτὰ πᾶσιν ἀρεστὸς ἐγένετο. τῷ δὲ στρατηγῷ τῷ εἰσενεγκόντι αὐτὸν ἀχθόμενοι οἱ βουλευταὶ (ὁ γὰρ Μέτελλος ὁ Νέπως ἦν) ἠθέλησαν τοὔνομα αὐτοῦ ἀπαλεῖψαι ἀπὸ τοῦ νόμου καὶ ἕτερον ἀντεγγράψαι. *Cùm verò tributa magnam & vrbi & Italiæ moleſtiam exhiberent, lex quæ ea ſuſtulit, grata fuit vniuerſis. Sed Patres Prætorem legis auctorem exoſi (Is enim erat Metellus Nepos) nomen eius delere, & alterius nomen inſcribere voluerunt.* Verùm quod ſpectat ad tributa ciuitati remiſſa, videtur id multis antè annis Perſæ deuicto contigiſſe. Noſter officiorum lib. 2. *Omni Macedonum gazâ, quæ fuit maxima, potitus eſt Paulus: tantum in ærarium inuexit, vt vnius Imperatoris præda finem attulerit tributorum.* III.

Leges quæ ærarium exhauſerunt.

HONESTATEM.] Honeſtas idem eſt, atque fides. honeſtatem perdere quod vulgò dicimus, *perdre ſon credit.* qui foro ceſſerat, qui decoxerat creditoribus, qui vadimonium deſeruerat, cuius bona proſcribebantur, cuius in bonorum poſſeſſionem, ex prætoris edicto mittebantur creditores. Noſter pro Quintio 49. *Pecuniam ſi cuipiam fortuna ademit, aut ſi alicuius eripuit iniuria: tamen dum exiſtimatio eſt integra, facilè conſolatur honeſtas egeſtatem.* E quibus vides plus eſſe honeſtatem quàm bona amittere. ſubdit: *Cuius verò bona venierunt, cuius non modò illæ ampliſſimæ fortunæ, ſed etiam victus veſtitúſque neceſſarius ſub præcone cum dedecore ſubiectus eſt: is non modò ex numero viuorum exturbatur, ſed ſi fieri poteſt, etiam infra mortuos amandatur. Etenim mors honeſta ſæpè vitam quoque turpem exornat: vita turpis ne morti* IV.

Honeſtas.

quidem honeſtæ locum relinquit. Ergo herclè cuius bona ex edicto poßidentur, huius omnis fama & exiſtimatio cum bonis ſimul poßidetur : de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem certè tacitè obſcuréque conceditur: cui magiſtri fiunt & domini conſtituuntur, qui qua lege & qua conditione pereat, pronuntient : de quo homine præconis vox prædicat, & precium conficit, huic acerbißimum viuo videntique funus indicitur: ſi funus id habendum ſit, quo non amici conueniunt ad exequias cohoneſtandas, ſed bonorum emptores, vt carnifices ad reliquias vitæ lacerandas & diſtrahendas. Fui longior. Sed quid iuuiſſet locum integrum in minutias concerpere? E dictis vides honeſtatem eſſe bonam exiſtimationem, cùm quis bonum nomen exiſtimatur & fidem habere apud creditores. Eadem oratione 99. *Itaque te hoc obſecrat, C. Aquili, vt quam exiſtimationem, quam honeſtatem in iudicium tuum, propè actâ iam ætate decurſaque attulit, eam liceat & ſecum ex hoc loco efferre.* Pro Rabirio Poſthumo 44. *Amicißimum hominem ſi honeſtate ſpoliatum audierit; nec ſine magno dolore feret.* Et §. 48. *Vos obſecro, Iudices, vt huic,* &c. *nomen equitis Romani, & vſuram huius lucis, & veſtrum conſpectum ne eripiatis. Hic vos aliud nihil orat, niſi vt rectis oculis hanc vrbem intueri, atque in hoc foro veſtigium facere liceat.* Eſt igitur honeſtatem habere idem ac nomen equitis Romani & dignitatem obtinere, fidem apud eos qui in foro verſantur inuenire, in foro poſſe conſiſtere, locum ſuum tueri. pro Quintio 43. *Quid igitur pugnas? an quod ſæpè multis in locis dixiſti ne in ciuitate ſit? ne locum ſuum quem adhuc honeſtißimè defendit obtineat?* Hinc pro Sextio 109. *Omnes honeſtates ciuitatis*, id eſt, omnes ciues qui rem & fidem habent, qui bonis, non ſolùm capite cenſentur, qui ſunt in quinque pop. Rom. claſſibus, non infra claſſes amandantur. Quæ honeſtas præſertim publica potiſſimùm in equitibus Romanis ſpectabatur, quòd ex eo ordine eſſent operum publicorum & vectigalium redemptores, iique penè ſoli ad haſtam publicam accederent. Hinc *honeſti homines* qui locum ſuum tenent in ciuitate. Vernaculè : *Qui ont du credit, qui tiennent*
Honeſtus. *leur rang.* pro Quintio 94. *Si eſt homini honeſto locus in ciuitate.* Propertius :

Ipſa Venus, quāquam corrupta libidine Martis
Non minus in cœlo ſemper honeſta fuit.

Pro Roſcio Comœdo 1. *Per tabulas hominis honeſti pecuniam expenſam tulerunt.* Famam & decus Plautus appellat Moſtellaria actu 1. ſc. 2.

Nunc ſimul res, fides, fama, virtus
Decúſque deſeruerunt.-

Et Horatius :

Virtus, fama, fides.

V. QVAM NON PARSIMONIA.] Simile pathos in re diſſimili 3. Georg.

Quid labor aut benefacta iuuant? quid vomere terras
Inuertiſſe graues? Atqui non Maßica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repoſtæ, &c.

Et pro Rabirio Poſthumo 45. *Túne ille in omnes tuos liberalis, cuius multos bonitas locupletauit? qui nihil profudiſti, nihil vnquam in libidinem contuliſti?* Seneca conſolatione ad Polybium: *Nihil ergo prodeſt innocentia ad omnem legem exacta? nihil antiqua frugalitas? nihil fœlicitatis ſummæ potentia ſummâ conſeruata innocentiâ? nihil ſincerus & purus literarum amor? nihil ab omni labe mens vacans?* &c.

SPLENDOR.] Splendor equitum fuit, claritas & amplitudo Senatorum. De claritate in Vat. 41. & pro Milone 17. De ordine ampliſſimo in Cœliana. Iam vt in ſolis equitibus hæreamus: Equites dicti *illuſtres, ſplendidi, inſignes.* Illuſtres vt Verrinâ frumentariâ. 60. *Quid ſi Equitibus Romanis non obſcuris neque ignotis, ſed honeſtis & illuſtribus, manus ab Apronio, iſto prætore ſine vlla dubitatione afferebantur?* Liuius lib. 30. *Duodeuiginti ferme equites illuſtres obtriti ab elephantis.* Cornelius Tacitus vndecimo Annalium : *Pergítque Suilius addere reos Equites Romanos illuſtres.* Quem in locum aduertit Lipſius hanc Equitum appellationem, libro 4. Annalium, lib. 6. lib. 15. rurſum lib. 11. reperiri, ſuſpicatúrque ſic dictos, qui non quidem Senatores, ſed cenſum habebant & ſpem Senatoriæ dignitatis: imò etiam ordinis eius inſigne, id eſt, latum clauum. Colligit quòd Tacitus Equites Illuſtres cum Senatoribus coniungit pari ſtatu. 2. Annalium loquens de Tiberio qui Germanicum *acerrimè increpuit, quòd contra inſtituta Auguſti, non ſponte Principis Alexandriam introiſſet. Nam Auguſtus inter alia dominationis arcana, vetitis, niſi permiſſu, ingredi Senatoribus, aut Equitibus Romanis Illuſtribus ſepoſuit Ægyptum.* Et clarè Annal. 16. *Mella & Criſpinus Equites Romani dignitate Senatoriâ. Nam hic quondam præfectus prætorij, & Conſularibus inſignibus donatus,* &c. *Mella quibus Gallio & Seneca parentibus natus, petitione honorum abſtinuerat, per ambitionem præpoſteram. vt Eques Romanus Conſularibus potentiâ æquaretur.* VI. Equites illuſtres.

SPLENDIDI.] Vt apud Noſtrum frumentariâ iam laudata 37. *Iſti ipſi Equites Romani, qui ſuum ius retinere ſe contra Apronium poſſe erant arbitrati, ſplendidi homines, & aliis Prætoribus gratioſi, vincti Apronio traditi ſunt.* De finibus lib. 2. *Rogatum à C. Plotio Equite Romano ſplendido.* Plinius lib. 6. epiſtola 15. *Paßienus Paulus, ſplendidus Eques Romanus, & in primis eruditus ſcribit elegos,* &c. *Is cùm recitaret, ita cœpit dicere, Priſce Iubes? Ad hoc Iauolenus Priſcus (aderat enim vt Paulo amicißimus.) Ego verò non iubeo. Cogita qui riſus hominum, qui ioci.* Et ep. 25. eiuſdem libri: *Scribis Robuſtum ſplendidum Equitem Romanum,* &c. Inſignes. Tacitus 11. Annalium: *Samius inſignis Eques Romanus.* Iterúmque: *C. Nonius inſignis Eques Romanus.* Sed hi duo tituli infra illum non dubiè: & à famâ ducti opibúſque. Horum magna pars è Lipſio, quem tamen ſi adieris, & contuleris, vt alia in nobis omnia, diligentiam certè non requires. VII. Equites ſplendidi. Equites inſignes.

AXIOMA.

Miſerum eſt non ſolùm bona, ſed etiam honeſtatem deperdere.

ARGVMENTVM.

Oſtendit ſubueniendum eſſe publicanis Gabinij crudelitate vexatis, reuocandum è prouincia Gabinium, eandem ipſius & Piſonis eſſe rationem.

XII. QVID? qui ſe etiam nunc ſubſidiis patrimonij, aut amicorum liberalitate ſuſtentant, hos perire patiemini? An, ſi qui frui publico non potuit per hoſtem, hic tegitur ipſa lege cenſoria: quem is frui non ſinit, qui eſt; etiam ſi non appellatur, hoſtis, huic ferri auxilium non oportet? Retinete igitur in prouincia diutius eum, qui de ſociis cum hoſtibus, de ciuibus cum ſociis faciat pactiones: qui hoc etiam ſe pluris eſſe, quàm collegam putet, quòd ille vos triſtitia, vultúque deceperit, ipſe nunquam ſe minùs, quàm erat, nequam eſſe ſimularit. Piſo autem, quodam modò gloriatur: ſe breui tempore perfeciſſe, ne Gabinius vnus omnium nequiſſimus exiſtimaretur.

EXPLANATIO.

QVID?] Aduerte ſtomachationis plenam orationem, qua tribus penè verbis & crudelitatem Gabinij, & miſeriam publicanorum, & Reip. detrimentum oſtendit.

PERIRE.] Rem, fidem, & honeſtatem amittere.

AN.] Syllogiſmus.

Qui frui publico non potuit per hoſtem, hic tegitur lege cenſoriâ.

Sed publicani Syriæ frui publico non potuerunt per hoſtem Gabinium.

Ergo publicani Syriæ tegendi ſunt lege cenſoriâ.

FRVI PVBLICO.] Eſt fructus vectigalium publicorum ſine impedimento percipere: *tegitur lege cenſoria*, cui ſubuenitur lege Cenſoris vectigalia locantis.

RETINETE.] Concluſio per ironiam, quaſi diceret, *ne retinete.*

QVI DE SOCIIS.] Quam de ſociis cum hoſtibus fecerit pactionem, non liquet, nec Orator vllam huius rei fecerat mentionem: qui tamen ita concludit, vt id non obieciſſe ſolùm, ſed etiam probaſſe videatur. vbi veteratoriam Oratoris calliditatem aduertes. Crediderim inſimulari Gabinium, quòd eò prouinciam obtinente, Latrones Syriam fuerint populati conſentiente ipſo Gabinio, & fortaſſis ex pactione: quod quamuis paulò pòſt contigerit, cùm is Alexandriam profectus eſt, tamen neſcio quid iam huiuſmodi priùs factum fuiſſe innuit Dio lib. 49.

DE CIVIBVS CVM SOCIIS.] De publicanis, quos Syris & Iudæis addixit.

QVI HOC.] Se Piſoni præfert Gabinius, quod Piſo frontis ſeueritate, ſupercilio & virtutis ſimulatione homines deceperit, & adeptus fuerit tam conſulatum quàm prouinciam. Ipſe verò eoſdem honores adeptus fuerit, quamuis apertè in omnem ſe libidinem & nequitiam effunderet. Ille enim vulpis inſtar, hic leonis oppreſſit Rempubl.

PISO AVTEM.] Aduerte lepidam narrationem, cuius leporis fontem oſtendit 2. de orat. 240. *Si quando quid tanquam aliqua fabella narratur.* & 241. *Perſpicitis hoc genus, quàm ſit facetum, quàm oratorium, ſiue habeas verè quod narrare poſſis, quod tamen eſt mendaciunculis adſpergendum: ſiue fingas*, &c. Quod ait de mendaciunculis non ſuaſerim Oratori Chriſtiano, qui nunquam facetias ſectabitur cum detrimento veritatis. fabuloſas tamen narratiunculas, parabolarum inſtar poterit adſpergere.

NOTÆ.

SVSTENTANT.] Suſtentari & ſuſtineri dicuntur, qui intricatis rationibus in foro, aut exercitio vectigalium, nihilominùs vel adminiculis patrimonij, vel amicorum liberalitate ſuam tuentur honeſtatem. pro Rab. Poſthumo 41. *Nihil eripi poteſt præter hoc ſimulacrum priſtinæ dignitatis, quod Cæſar ſolus tuetur, & ſuſtinet.* & 43. *Equitem Romanum* &c. *labentem excepit, corruere non ſinit, fulſit & ſuſtinuit re, fortuna, fide.* dixerat §.4. *Mittere in negotium, dare parteis, re augere, fide ſuſtentare.* I. Suſtentare.

PERIRE.] Honeſtatem perdere, quam qui amittit, vt iam retulimus ex Quintianâ 49. *Is non modò ex numero viuorum exturbatur, ſed ſi fieri poteſt, etiam infra mortuos amandatur*, &c. vide 43. *Ne numeretur inter viuos.* pro Roſcio Amerino 113. *Is inter honeſtos homines, atque adeo inter viuos numerabatur.* dicitur etiam *iugulari* 51. *Alterius bona proſcribere: iugulare ciuem.* & 91. *Funeſtum eſt à forti atque honeſto viro iugulari; funeſtius ab eo cuius vox præconio quæſtu conſtitit.* dicitur vſuram lucis amittere. pro Rab. Poſthumo 48. *Nomen Equitis Romani, & vſuram huius lucis & veſtrum conſpectum ne eripiatis.* Trucidari pro Cœlio: *Ne fœnore trucidetur.* vbi vide Notas. Hinc Cato idem dicebat eſſe fœnerari, atque *hominem occidere*, quod fides & honeſtas debitoribus auferretur. Hoc etiam ſenſu intelligo legem duodecim tabularum, *Tertiis nundinis partes ſecantò.* Non quòd reuera membratim ſecarent creditorem: ſed quòd eum honeſtate priuarent, eiúſque bona publicarent: ſiquidem Gellius lib. 20. Noct. Attic. cap. 1. quamuis de ſecãdo partiendóque humano corpore legem interpretetur. ſubdit tamen: *Diſſectum eſſe antiquitus neminem equidem neque legi, neque audiui.* Noſter enim pro Quintio 50. Creditores debitoris bona proſcribentes, *Carnifices* appellat, *ad reliquias vitæ lacerandas & diſtrahendas.* Timocles apud Stobæum ſermone 89. II.

Qui honeſtatem perdebãt perire & iugulari dicebantur.

Τἀργύριον ἐστὶν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς
Ὅστις οὐδὲ μὴ ἔχει τοῦτο, μηδ' ἐκτήσατο
Οὗτος μετὰ ζώντων τεθνηκὼς περιπατεῖ.
Pecunia anima & ſanguis eſt mortalibus.
Hac deſtitutus omnis, & non poßidens
Is moritur unâ cúmque viuis ambulat.

III. FRVI PVBLICO.] Verbum in publicanorum licitationibus ſolemne. Liuius lib. 27. *Hi cenſores, vt agrum publicum fruendum locarent ex auctoritate Patrum latum ad populum eſt.* & lib. 42. *Lucretius Tribunusplebis promulgauit, vt agrum Campanum cenſores fruendum locarent.* D. De locut. publ. fruend. Vlpianus: *Prætor ait,* QVO MINVS LOCO PVBLICO QVEM IS CVI LOCANDI IVS FVERIT FRVENDVM ALICVI LOCAVIT EI QVI CONDVXIT SOCIÓVE EIVS E LEGE LOCATIONIS FRVI LICEAT, VIM FIERI VETO. *Interdictum hoc publicæ vtilitatis cauſâ proponi palam eſt. tuetur enim vectigalia publica, dum prohibetur quis vim facere ei qui id fruendum conduxit.*

Frui publico.

IV. LEGE CENSORIA.] Cenſorum fuit vectigalia publica locare, &, *vt publicorum ius priuatorúmque locorum & vectigalia populi Romani ſub nutu atque arbitrio eſſent.* Verba ſunt Liuij lib. 4. Hinc lex cenſoria, quod vt notat Briſſonius lib. 2. formularum, in publicorum locatione lex à cenſoribus dicebatur, qua & populo & conductori proſpici, & vectigali ipſi certa forma ſolebat. l. Si publicanus. D. Si bon. capt. Quæ lex cenſoria locum habebat tam in operum quàm in vectigalium locatione: de operibus Verrinâ frumentariâ 16. *Te memini cenſorias quoque leges in ſartis tectis tollendis tollere & commutare; ne is redimeret, cuia res eſſet,* &c. De vectigalibus. Ibidem 18. *Cùm locatio decumarum & vectigalium, publicani poſtularunt quaſdam res vt ad legem adderent, neque tamen à cenſoriis cæteris legibus recederent.* & 3. de naturâ Deorum tradit: *Agros Deorum immortalium in Bœotiæ publicis locandis exceptos fuiſſe lege cenſoriâ.* Sed ſuperſedeo pluribus referendis, quod vir eruditiſſimus omnia penè illa præcerpſerit. Quibus autem ita cauebatur iis dicebatur eſſe periculum publicum, quod non ſuo priuato, ſed Reipub. periculo vectigalia tractarent. Liuius lib. 25. *Hi, quia publicum periculum erat à vi tempeſtatis, in iis, quæ portabantur ad exercitus, & ementiti erant falſa naufragia,* &c.

Lex cenſoria.

Locatio cenſoria operum & vectigaliũ publicorum.

RETINETE.] Conceſſio ironica. vt pro domo 37. *Probate genus adoptionis. Iam omnium ſacra interierint, quorum cuſtodes vos eſſe debetis.* Pro Milone 92. *Excitate, excitate eum ſi poteſtis ab inferis. Frangetis impetum viui, cuius vix ſuſtinuiſtis furias inſepulti.* Pro Flacco 96. *Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethego, reuocemus eiectos: Nimiæ pietatis & ſummi amoris in patriam viciſſim nos pœnas, ſi ita placet, ſufferamus.* In Verrem de præturâ vrbanâ 13. *Confringat iſte ſanè vi ſuâ conſilia Senatoria: quæſtiones omnium perrumpat, euolet ex veſtrâ ſeueritate: Mihi credite, arctioribus apud populum Romanum laqueis tenebitur.* Primâ agrariâ 15. *Verùm eſto: nihil eſt quod non emi poßit, ſi tantum des quantum velit venditor. Spoliemus orbem terrarum, vendamus vectigalia, effundamus ærarium,* &c. Et 2. agrariâ 46. *Cùm ſeſe ſociorum, cùm exterarum nationum, cùm Regum ſanguine implerint, incidant neruos populi Romani, adhibeant manus vectigalibus veſtris, irrumpant in ærarium.* Et alibi frequenter apud Tullium. Liuius lib. 24. Qu. Fabij concione: *Create Coſſ. Titum Otacilium, non dico ſi omnia hæc, ſed ſi aliquid eorum Reipub. præſtitit. Sin autem te claſſem obtinente, etiam velut pacato mari, quælibet Annibali tuta atque integra ab domo venerunt: ſi ora Italiæ infeſtior hoc anno quàm Africæ fuit: quid dicere potes cur te potißimum ducem Annibali hoſti opponant.* V.

Conceſſionũ ironicarum exempla.

AXIOMATA.

Qui frui publico non poterat per hoſtem, is tegebatur lege cenſoriâ.

Improbus eſt magiſtratus, neque retinendus, qui de ſociis cum hoſtibus, cum ſociis de ciuibus facit pactiones.

Nonnulli ſe magnifaciunt, ſi non homines triſtitiâ vultúque deceperint, neque ſe minùs, quàm erant, nequam eſſe ſimularint.

Improbi nonnulli gloriantur ſe perfeciſſe, vt nemo ipſis nequior exiſtimetur.

ARGVMENTVM.

Oſtendit Piſonem & Gabinium reuocandos vel ex præiudicio Senatus, qui iam anno ſuperiore reuocare voluerat, niſi res vel Tribunorum interceßionibus, vel alio modo è manibus fuiſſet erepta, & in aliud tempus reiecta.

HOS vos de prouinciis, ſi non aliquando deducendi eſſent, diripiendos non putaretis? & has publicas peſtes ſociorum, militum clades, publicanorum ruinas, prouinciarum vaſtitates, imperij maculas teneretis? At iidem vos, anno ſuperiore, hos eoſdem reuocabatis, cùm in prouincias iam perueniſſent. Quo tempore, ſi liberum veſtrum iudicium fuiſſet, nec toties dilata res, nec ad extremum è manibus erepta eſſet: reſtituiſſetis, id quod cupiebatis, veſtram auctoritatem, iis, per quos erat amiſſa, reuocatis, & his ipſis præmiis extortis, quæ erant pro ſcelere atque euerſione patriæ conſecuti. XIII.

EXPLANATIO.

HOS VOS.] Vt fluuius euenire ſolet, qui cum vno & eodem alueo contenti fuerint, frequenter quaſi facto diuortio in duos ſinus ſinduntur, & aliquod ſpatium emenſi rurſus in ſeſe coëunt ab illis aquarum diuergiis. Sic Noſter orationis flumine initio Piſonem & Gabinium ſimul inundauit. deinde ſingulos à ſe diſtractos & ſeparatos apprehendit, & rurſum vtriuſque cauſam coniungens, eos è prouinciâ reuocandos eſſe contendit.

DEDVCENDI.] Veſtris ſententiis & auctoritate reuocandi.

DIRIPIENDOS.] Vi, armis, exercitu, ſi contumaces eſſent, nec ſenatui vellent obtemperare, detrahendos & exturbandos è ſuis prouinciis.

ET HAS.] Aduerte vim orationis & energiam in nominibus abſtractis & tranſlatis. Peſtifer fuit ſociis Piſo, qui Byſantium hoſtilem in modum vexauit, & alias ſociorum ciuitates exhauſit. Peſtifer Gabinius, qui de ſociis cum hoſtibus faciat pactiones. Militum clades Piſo, cuius Imperio *Milites populi Romani capti, necati, deſerti, diſsipati, incuriâ, fame, morbo, vaſtitate conſumpti.* Item Gabinius: *Cuius aduentus in Syriam primus equitatus habuit interitum: pòſt conciſæ ſunt optimæ cohortes.* Publicanos vterque bonis euertit. ſuprà 7.10. Vterque prouinciis intulit vaſtitatem. ſuprà 4. de Piſone. Gabinius Syriam latrociniis vexari permiſit educens exercitum è prouinciâ. Vterque imperio maculam & labem inuſſit. Piſo 6. Gabinius Threcis in modum conductus 9. E quibus vides hîc eſſe recapitulationem dictorum paucis vocibus comprehenſam.

PVBLICAS PESTES.] Lambinus & Grutterus ediderunt *dupliceis* è M. S. parum refert.

AT IIDEM.] Anno ab V. C. 696. P. Lentulo, & Qu. Metello Nepote Conſulibus, Piſo & Gabinius acto Conſulatu profecti ſunt in Prouincias, quas non per Senatus auctoritatem obtinuerant lege Semproniâ, ſed lege Clodiâ per vim & ſeditionem occuparant. Senatus vt ſuperioris anni vulneribus mederetur, primùm omnium Ciceronem ab exilio reuocauit, deinde deliberauit de vniuerſâ Repub. Cenſebant multi omnes leges Clodij per vim & contra auſpicia latas eſſe abrogandas, atque inter cæteras eam qua Piſoni Macedoniam, Gabinio Syriam decreuerat: ſed cùm inter eas vna eſſet maximè popularis, qua remiſſis ſemiſſibus & trientibus frumentum de publico plebi dabatur, Senatui liberum non fuit, quod cupiebat, decernere, cùm præſertim eo tempore propter famem ſeditio timeretur, nec huius legis abrogatione plebs exacerbanda videretur. Hinc ſyllogiſmus.

Si reuocandos putabatis è prouinciis per vim & contra leges occupatis, multò magis reuocandi ſunt poſt quàm eas omni ſcelere & crudelitate vexarint.

Sed hoc. *Ergo illud.*

PRÆMIIS.] Prouincias præmia vocat ſcelerum, quia Clodius eas decreuit Coſſ. quod Ciceronem & patriam prodidiſſent.

NOTÆ.

1. DIRIPIENDOS.] Suprà *detrahendos* dixit eâdem vocis atrocitate. vide Notas.

PVBLICAS PESTES.] Græci frequenter II. Peſtis.
λοιμοὺς, ὀλέθρους, ἀνατροπίας, nonnunquam etiam ὑπολάμνους, & ἀλάστορας vſurpant. In Piſonem 91. *O pœna, ô furia ſociorum.* Lambinus in hunc locum. Non putaui, inquit, mihi fas eſſe omnium codicum veterum auctoritatem negligere, qui ſic habent, *dupliceis* non *publicas peſteis.* Porro clades peſti etiam alibi coniungitur. vt Noſter lib. 2. de ſuo conſulatu:

Vitare horribilem cladem peſtémque monebant.

Citatur 1. de diuinatione. & lib. 2. ita Homerum vertit:

Argolicis primùm vt veſtita eſt claſsibus Aulis
Quæ Priamo cladem & Troiæ peſtémque ferebant.

MILITVM CLADES.] Commodè. nam III.
etſi propriè clades nomen ruſticum eſt, & vt aliqui volunt ἀπὸ τῶν κλάδων, id eſt, à ramis deducitur, quia vt calamitas culmorum ſtrages eſt, ita clades arborum euerſio, tamen frequenter clades idem eſt, atque profligatio & internecio exercitus, vt clades Fabiorum, Allienſis, Cannenſis. Liuius lib. 2. de Fabiis agens: *Cùm hæc accepta clades eſſet.* Lib. 5. de Allienſi: *Ne nuncius quidem cladis Romam eſt miſſus.* De vtrâque initio lib. 6. *Diémque ad XV. Calendas Sextileis duplici clade inſignem, quo die ad Cremeram Fabij cæſi: quo deinde ad Alliam cum exitio vrbis fœdè pugnatum: à poſteriore clade Allienſem appellarunt.* De Cannenſi tum alibi frequenter, tum lib. 22. *Hæc eſt pugna Cannenſi clade nobilitata par Allienſi.* Item: *Quanto autem maior hæc clades ſuperioribus cladibus fuerit, vel ea res indicio eſt, quòd qui ſociorum ad eam diem firmi ſteterant, tum labare cœperunt.* 2. Æneidos:

Militum clades.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, & poſſit lacrymis æquare dolores?

Ad cuius imitationem Curtius libro 4. *Quis tot ludibria fortunæ, Ducum agminúmque cædem multiplicem, deuictorúmque fugam, clades nunc ſingulorum, nunc vniuerſorum, aut animo aſſequi queat, aut oratione complecti.* E quibus vides nomen *cladis* militum ſtragibus conuenire, ſiue illud à *cadendo* deducas, ſiue ἀπὸ τοῦ κλαίειν. à *flendo*, ſiue, vt iam diximus, ἀπὸ τῶ κλάδου, quòd milites quos ὄζους Ἄρηος, *ramos Martis*, Poëtæ frequenter appellant, huiuſmodi cladibus ſternantur. Sic etiam *gladium* dici volunt, quaſi *cladium*, à clade inferendâ.

Clades vnde.

PVBLIC. RVINAS.] Commodè etiam IV.
hîc ruinæ nomen vſurpat: ſiquidem publicani cùm perdunt honeſtatem dicuntur bonis euerti. ſuprà 7. *Bonis ciues Romanos euerteres.* aut etiam *labi & corruere*, vt pro Rabirio Poſthumo 47. quem locum iam protulimus ſuperiore §. *Equitem Romanum, &c. labentem excepit, corruere non ſinit, fulſit & ſuſtinuit, re, fortunâ, fide.* Iam dixerat §. 2. *Ne quid ad eas ruinas quibus hic oppreſſus eſt, addendum acerbitatis putet,* &c.

Ruina publicanorum.

PROVINCIARVM VASTITATES.] V.
Deſolationes. vt 8 Æneidos:

-& latos vaſtant culteribus agros.

Quod alibi ſic expreſſit:

-Ingentes & deſolauimus agros.

Vide quæ iam diximus ad quintam §.

Imperii macvlas.] Inter cætera otioſæ dignitatis membra ac fundamenta *laus imperij* numeratur pro Sextio 98. quia vt dicitur 3. officiorum Imperium *gloriâ debet fultum eſſe & beneuolentiâ Sociorum.* Et lib. 2. *Quamdiu Imperium Populi Romani beneficiis tenebatur, non iniuriis, bella aut pro Sociis aut de Imperio gerebantur, exitus erant bellorum aut mites aut neceſſarij, regum, populorum, nationum portus erat & refugium Senatus, noſtri autem magiſtratus Imperatoréſque ex vnâ hac re maximam laudem capere ſtudebant, ſi prouincias, ſi ſocios æquitate & fide defendiſſent. Itaque illud patrocinium orbis terræ veriùs, quàm imperium poterat nominari.* Pro lege Maniliâ: *Nunc Imperij noſtri ſplendor illis gentibus lucet, nunc intelligunt non ſine cauſâ maiores ſuos tum, cum hac temperantiâ magiſtratus habeamus, ſeruire populo Romano, quàm imperare aliis maluiſſe.* Nunc contra magiſtratus intemperantes Imperij maculas appellat, quòd ſuis ſceleribus & flagitiis Imperio infamiæ labem adferrent.

AXIOMATA.

Mali magiſtratus de prouinciis ſi non deduci poſſent, eſſent diripiendi.

Non ſunt publicæ peſtes Sociorum, militum clades, publicanorum ruinæ, prouinciarum vaſtitates, imperij maculæ in prouinciis retinendæ.

Quod frequenter differtur, ad extremum è manibus eripitur.

Sceleratis extorquenda ſunt præmia, quæ ſunt pro ſcelere & euerſione Reip. conſecuti.

ARGVMENTVM.

Piſonem & Gabinium inſectatur, quòd Gabinio ſcribenti de rebus à ſe geſtis fuerit ſupplicatio denegata, Piſo adeo ſibi malè conſcius ſit, vt non auſus fuerit ſcribere ad Senatum, ex quo etiam inferri poßit eos eſſe reuocandos.

QVAM pœnam, ſi tum aliorum opibus, non ſuis, inuictiſſimis vobis, euolarunt, at aliam multo maiorem grauiorémque ſubierunt. XIV. quæ enim homini, in quo aliquis ſi non famæ pudor, at ſupplicij timor eſt, grauior pœna accidere potuit, quàm non credi litteris iis, quæ rem bene geſtam in bello nuntiarent? hoc ſtatuit ſenatus, cùm frequens ſupplicationem Gabinio denegauit: primùm, homini ſceleribus, flagitiis contaminatiſſimo nihil eſſe credendum: deinde, à proditore, atque eo, quem præſentem hoſtem Reipubl. cognoſſet, bene rem geri non potuiſſe: poſtremò, ne deos quidem immortales velle aperiri ſua templa, & ſibi ſupplicari, hominis impuriſſimi, & ſceleratiſſimi nomine. Itaque ille alter, aut ipſe eſt homo doctus, & à ſuis Græcis ſubtiliùs eruditus, quibuſcum iam in orcheſtra heluatur, anteà poſt ſiparium ſolebat: aut amicos habet prudentiores, quàm Gabinius, cuius nullæ litteræ perferuntur.

EXPLANATIO.

Qvam poenam.] Etiamſi hanc Senatûs ignominiam vitauerint, non gratiâ ſuâ & auctoritate, ſed opibus & gratiâ Pompeij qui Gabinium defendebat, & Cæſaris qui Piſonis gener fuit, grauiorem tamen infamiam incurrerunt.

Qvæ enim.] Probat grauiſſimâ pœnâ Gabinium affectum fuiſſe.

Grauiſſimâ pœnâ & ignominiâ notatur, cuius litteris Senatus ſtatuit non eſſe credendum.

Sed Senatus litteris Gabinij ſtatuit non eſſe credendum.

Ergo grauiſſimâ ignominiâ notatus eſt.

Propoſitio his verbis, *Quæ enim homini*, &c. *nuntiarent*, aſſumptio, eiúſque probatio illis, *Hoc ſtatuit*, &c. *ſceleratiſſimi nomine*, complexio primâ ſectionis periodo continetur.

Statvit.] Lib. 2. ad Quintum fratrem epiſt. 7. *Idibus Maiis Senatus frequens diuinus fuit in ſupplicatione Gabinio denegandâ. Adiurat Procilius hoc nemini accidiſſe. foris valdè plauditur, mihi cum ſuâ ſponte iucundum, tum iucundius quòd me abſente (eſt enim εἰλικρινὲς iudicium) ſine oppugnatione, ſiue gratiâ noſtrâ.* Vide Piſonianam 45. Philippicam decimam quartam 24. Quæ ſequuntur perſpicua ſunt.

Ille alter.] Piſo, quem dum laudare ſe fingit à conſuetudine Græcorum & prudentiâ, quòd de rebus à ſe geſtis nihil ſcripſerit ad Senatum, magis vituperat, & informat huiuſmodi ſyllogiſmum.

Reuocandus eſt qui tam malè prouinciam regit vt non audeat ad Senatum reſcribere.

Sed Piſo tam malè prouinciam regit vt non audeat ad Senatum reſcribere.

Ergo reuocandus.

Vt est homo doctvs.] Piſonis 59. *Homulus ex argillâ, & luto factus Epicureus.*

In orchestra.] Antea vt dicitur poſt reditum in Senatu 13. *Dŋ quàm libidinoſus? quàm impurus? quàm intemperans non ianuâ receptis, ſed pſeudothyro intromiſſis voluptatibus? cùm verò etiam literas ſtudere incipit, & belluo immanis cum Græculis philoſophari*, &c. *His vtitur quaſi præfectis libidinum ſuarum, hi voluptates omnes veſtigant & odorantur.* Sed hæc Romæ

vbi libidines fronte & ſupercilio, non pudore & temperantiâ contegebat, quaſi velum quoddam & ſiparium ſuis flagitiis obtenderet. nunc verò poſtquam eſt in prouinciâ, & remotus eſt ab oculis ciuitatis, palàm & aperto, vt aiunt, capite helluatur, in omnémque ſe libidinem effundit, adeò vt conſtet *nobiliſſimas virgines ſe in puteos abiecisse, & morte voluntaria nefariam turpitudinem depuliſſe.* Eſt autem metaphora ducta à mimis & theatris.

NOTÆ.

I. Euolare pœnam.

QVAM POENAM.] Nota tranſlatio ab auibus quæ ſe extricant è tendiculis, aut ex aucupum manibus elabuntur. In Verrem de Quæſtura & Prætura Vrbana. *Hic Sociorum ambuſtus incendio, tamen ex illa flamma periculóque euolauit.* & alibi frequenter. Quidam legunt, *Qua ex pœna, &c. euolarunt.* Nihil muto. Arnobius lib. 7. ſub finem. *Flammas euolauiſſe contagij.*

II. Pudor, timor.

FAMÆ PVDOR.] Eleganter Liuius lib. 10. *Valeria lex cùm eum qui prouocaſſet, virgis cædi ſecuríque necari vetuiſſet: ſi quis aduerſus ea feciſſet, nihil vltra quàm improbè factum adiecit: id, qui tum pudor, hominum erat, viſum eſt credo vinculum ſatis validum legis: nunc vix ſeruo ita minitetur quiſquam.* Quia nimirum, vt ait Demoſthenes 1. Olynth. ἡ τῶν πραγμάτων αἰσχύνη οὐδεμιᾶς ἐλάττων ζημίας τοῖς γε σώφροσι. *Pudor è rebus geſtis proueniens nullo damno leuior eſt ſaltem hominibus moderatis.* Prudenter tamen Noſter famæ pudorem cum ſupplicij timore coniungit. Siquidem, vt ait Plato 5. de Repub. Ἱκανὼ τὼ φύλακε κωλύοντι δέος τε καὶ αἰδώς. *Sufficientes ſunt cuſtodes ad prohibendum timor, & pudor.* Et 1. de legibus pudorem definire videtur, φίλων φόβον αἰσχύνης περὶ κακῆς. *amicorum timorem circa malam turpitudinem* Staſimus antiquus Poëta apud Stobæum ſermone 31. vtrumque coniunxit.

--ἵνα γὰρ δέος, ἔνθα γὰρ αἰδώς.
--*vbi timor, eſt pudor illic.*

Cuius verba tacito nomine Plato in Euthyphrone, & Plutarchus περὶ δυσωπίας referunt, & meritò reprehendunt, malúntque dici, ἵνα γὰρ αἰδώς, ἔνθα καὶ δέος. *Vbi pudor, ibi & timor.*

III. Res bene geſta.

REM BENE GESTAM.] Recepta loquendi formula in ſupplicationis petitione. Liuius lib. 33. *Ob res proſperè geſtas in dies quinque ſupplicationes decretæ.* Cato libro de re militari apud Gellium lib. 7. noct. Attic. cap. 4. *Vt populus ſuâ operâ potius ob rem bene geſtam coronatus ſupplicatum eat, quàm re malè geſta coronatus veneat.* Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 2. *Quod poſtridie nonas Iulias re bene geſta, cùm pridie populus à Tuſcis in fugam verſus ſit, poſt victoriam certis ſacrificiis fit vitulatio.* Et alia plura quæ refert Briſſonius lib. 2. formularum.

IV. SCELERIBVS FLAGITIISQVE.] Quid ſit ſcelus, quid flagitium in Piſonem 12. *Flagitiorum ſuorum recordabitur.*

V. APERIRI SVA TEMPLA.] In Piſonem 6. *Mihi togato Senatus, non vt multis bene geſta, ſed vt nemini conſeruata Reip. ſingulari genere ſupplicationis, Deorum immortalium templa patefecit.*

VI. NOMINE.] Frequens locutio 3. in Catil. *Supplicatio Diis immortalibus pro ſingulari eorum meritò, meo nomine decreta eſt.* 4. *Meo nomine ſupplicationem decreuiſtis.* Philipp. decima 4. §. 29. *Decerno igitur eorum trium nomine quinquaginta dierum ſupplicationes.* Liuius libro decimo. *Supplicationes ob rem bene geſtam conſulis nomine decernunt.* & alibi paſſim.

ORCHESTRA.] Emendat hunc locum Lambinus, & *exoſtra* pro *orcheſtra* legendum eſſe contendit, contentus de P. Victorio, qui antiquam lectionem retinebat, dixiſſe: *ſed fallitur.* Sed hos odi malè feriatos librorum emẽdatores, qui dum aliquam nouitatem obtrudunt, cœlum ſe digito putant attingere. Eſto enim *Exoſtra*, vt Lambinus ait ex Polluce ſit *pars ſcenæ, ſeu machina, qua quæ intus geruntur rotis circumactis ſpectatoribus patefiunt.* Ideóne tamen vulgatam repudiabimus lectionem, quaſi orcheſtra non eſſet pars theatri? Pulchrè Baſilius de ieiunio orat. priore. Ἐν τῷ βίῳ τούτῳ, ὥσπερ ἐπὶ ὀρχήστρας τῆς ἑαυτῶν ζωῆς οἱ πολλοὶ θεατρίζουσιν, ἄλλα μὲν ἐν τῇ καρδίᾳ φέροντες, ἄλλα δὲ ἐν τῇ ἐπιφανείᾳ τοῖς ἀνθρώποις δεικνῦντες. *In hac vitâ, tanquam in ſua vitæ orcheſtrâ multi ſeipſos præbent ſpectaculo, aliud in pectore clauſum, aliud externa ſpecie promptum habentes.* Tranquillus in Nerone. *Deinde in orcheſtram ſcenámque deſcendit.* Orcheſtra dicta eſt ἀπὸ τοῦ ὀρχεῖσθαι, *ſaltare,* quòd in eam ſcenæ partem tibicines & ludij ſiue ſaltatores procederent. Eodem etiam ſenſu capio Iuuenalem ſat. 3. VII. Exoſtra. Orcheſtra.

Æquales habitus illic ſimilémque videbis
Orcheſtram & populum.

Vbi per orcheſtram ludios & tibicines, per populum ſpectatores intelligo. Adde Appianum 4. de bellis ciuilibus. Καὶ τῶν θεωμένων ἕκαστος ἐπὶ τὴν ὀρχήστραν ὅσον ἐβούλετο νόμισμα ἐρρίπτει. *Et ſpectatorum quiſque in orcheſtram quantum pecuniæ voluit, proiecit.* De ſipario dictum in Cœlianâ velum eſſe mimicum. Auſonius ludo 7. ſapientum.

Hodie in orcheſtram palliati prodeunt. vide. Caſſiodorus lib. 4. Variar. *His addita ſunt orcheſtarum loquaciſſimæ manus, linguoſi digiti, ſilentium clamoſum, expoſitio tacita, quàm Muſa Polyhymnia reperiſſe narratur, oſtendens homines poſſe & ſine oris affatu ſuum velle declarare.* Duo poſtrema mihi ſuggeſſit Ioannes Ludouicus de la Cerda Societatis noſtræ, vir ſanè eruditus.

AMICOS HABET PRVDENTIORES.] Qui literas è prouinciis mittebant ad Senatum, eas priùs ad amicos legendas examinandáſque deſtinabant; vt eas vel exhiberent, vel retinerent. Decimus Brutus epiſt. ad Ciceronem lib. vndecimo ad familiares 19. *Ad Senatum quas literas miſi velim priùs perlegas: & ſi qua tibi videbuntur commutes.* Vide Piſonianam 39. *Amici tui tabellas abdiderint.* Cæterùm vt amici de literis in Senatu, ita Senatus de iiſdem in concione recitandis ſtatuebat. Liuius lib. 33. *Hæ literæ priùs in Senatu à Sergio Pratore, deinde ex auctoritate Patrum in concione ſunt recitatæ.* VIII. Amici legebant litteras ad Senatum miſſas.

AXIOMATA.

Quæ homini, in quo aliquis ſi non famæ pudor ac ſupplicij timor eſt, grauior pœna accidere potuit, quàm non credi litteris eis quæ rem bene geſtam in bello nuntiarent?

Homini ſceleribus flagitiiſque contaminato nihil eſt credendum.

A proditore bene geri reſpublica non poteſt.

Deus non vult aperiri ſua templa, & ſibi ſupplicari nomine hominis impuri & ſcelerati.

ARGVMENTVM.

Concludit orationem de ignominia qua Gabinius à Senatu notatus eſt, oſtendens aliam fuiſſe T. Albutij, aliam Gabinij cauſam, ac preinde cauſſæ nihil eſſe cur Gabinius & eius amici hac conſolatione vtantur; etiam T. Albutio ſupplicationem à Senatu denegatam fuiſſe.

HOSCE igitur imperatores habebimus? quorum alter non audet nos certiores facere, vt imperator appelletur: alterum, ſi tabellarij non ceſſarint, neceſſe eſt paucis diebus pœniteat audere. cuius amici, ſi qui ſunt, aut ſi belluæ tam immani támque tetræ poſſunt vlli eſſe amici, hac conſolatione vtuntur, etiam T. Albutio ſupplicationem hunc ordinem denegaſſe, quod eſt primùm diſſimile. res in Sardinia cum maſtrucatis latrunculis à proprætore, vnâ cohorte auxiliariâ geſta, & bellum cum maximis Syriæ gentibus, ac tyrannis, conſulari exercitu, imperióque confectum; deinde Albutius, quod à ſenatu petebat, ipſe ſibi in Sardinia antè decreuerat. conſtabat enim, Græcum hominem, ac leuem in ipſa prouincia quaſi triumphaſſe. Itaque hanc eius temeritatem ſenatus ſupplicatione denegata notauit. XV.

EXPLANATIO.

HOSCE.] Quid igitur? an Piſonem & Gabinium diutiùs in prouinciis remanere patiemur? quorum Piſo etiamſi, propter relatam à Q. Martio & Luc. Flacco legatis quodam prælio victoriam, Imperatorem ſe appellari voluerat, non auſus eſt tamen de rebus à ſe geſtis ad Senatum reſcribere, vt huius appellationis confirmationem iudicio Senatûs obtineret: Gabinius autem auſus litteras ad Senatum mittere eâ Senatus ignominiâ notatus eſt, vt eum neceſſe ſit ſuæ audaciæ pœnitere.

CVIVS.] Gabinij familiares hoc ſe conſolantur, quòd ignominiæ ſocium habeat Gabinius Titum Albutium, qui eadem denegatæ ſupplicationis ignominiâ iam olim notatus fuit.

QVOD EST PRIMVM.] Vtriuſque diſſimilitudinem oſtendit, vt maiorem Gabinio quã Albutio ignominiæ notam inuſtam eſſe demonſtret. Sunt autem hæ diſſimilitudinis rationes. 1. Albutius rem geſſerat in Sardiniâ quæ eſt inſula mediocris, nec proinde ſegetem præſtare potuit præclaræ victoriæ. Gabinius in Syriâ magnâ prouinciâ. 2. Pugnauerat Albutius cum maſtrucatis latrunculis. Gabinius ſe cum maximis Syriæ gentibus ac Tyrannis pugnaſſe dicebat. 3. Albutius erat Proprætor, Proconſul Gabinius. 4. Albutius rem geſſerat vnâ cohorte auxiliariâ, Gabinius exercitu Conſulari, ſiue duabus legionibus Romanis. Atque adeò ſi ſupplicationem Albutio negauit Senatus, non ideò negauit, quòd Albutij litteris fidem denegaret, eúmque crederet de rebus à ſe geſtis eſſe mentitum, ſed quòd eam victoriam non putaret tanti eſſe momenti, vt decernenda ſupplicatio videretur. Gabinio autem cùm negauit, non propter exiguitatem victoriæ de qua ſcribebat, negauit, ſed quia vel eum putabat mẽtiri, vel Deos offenſum iri credebat, ſi nomine tam ſcelerati hominis ſupplicatio ad eorum templa & puluinaria decerneretur. Poſtrema diuerſitas eſt, quod Senatus non ſcelus, non audaciam, non mendaciũ in Albutio notauit, ſed quandam animi leuitatem, qua non expectato Iudicio Senatus ſibi ipſe triumphum in Sardiniâ arrogauit. at nihil aliud in Gabinio notandum eſſe duxit, quàm perfidiã, ſcelus, audaciam. Nihil eſt igitur quòd ſe illius exemplo conſoletur.

NOTÆ.

IMPERAT. APPELLETVR.] Vide Piſonianam 38. de triplici acceptione Imperatoris, & de numero cæſorum vt hanc appellationem obtinerent. item 44. de eodem nomine Senatus auctoritate tribui ſolito ad illa verba, *Me referente abſens Imperator ſit appellatus.* I. Imperator.

TABELLARII.] Qui tabulas è prouinciis ad Senatum cum laureâ deferebant. in Piſonem 39. *Ne tum quidem, Paule noſter, tabulas Romam cum laureâ mittere audebas.* Sed de toto genere tabellarum, & quemadmodum antiqui in tabellis ligneis cera oblitis ſcripſerint. vide Vatinianiam §. 5. vbi de tabellis & codicibus plura. Adde Iſidorum lib. 7. *Ante chartæ & membranarum vſum in dolatis ex ligno codicillis epiſtolarum colloquia ſcribebantur.* Fiebant illæ inductâ cerâ è fago, abiete, buxo, tiliâ ſiue philyrâ, acere, citro, ebore. vt notat alicubi Iuſtus Lipſius. II. Tabellæ.

BELLVÆ TAM IMMANI.] Vide Sextianam 16. *Hanc tetram, immanémque belluam.* Piſonianam 1. *Iámne vides, bellua, iámne ſentis?* III.

VLLI AMICI.] Xenophon 2. memorabilium. Οἱ μὲν οὖν πονηροὶ πάντως, ἐμοί γε δοκοῦσιν ἀλλήλοις ἐχθροὶ μᾶλλον, ἢ φίλοι πεφυκέναι. *Mali omnino mihi magis inimici eſſe videntur, quàm amici.* Pulchrè Plato libro primo de Rep. exeunte iniuſtum eſſe ait. στασιάζοντα καὶ οὐχ ὁμονοοῦντα αὐτὸν αὑτῷ. ἔπειτ' ἐχθρὸν καὶ ἑαυτῷ καὶ τοῖς δικαίοις. *Diſsidentem à ſe ipſo, nec ſibi conſentientem, deinde & ſibi & iuſtis eſſe inimicum.* Δίκαιοι δέ γ' εἰσὶν, ὦ φίλε, καὶ οἱ θεοί. καὶ θεοῖς ἄρα ἐχθρὸς ἔσται ὁ ἄδικος. ὁ δὲ δίκαιος φίλος. *Iuſti ſunt Dij, quare iniuſtus Diis erit inimicus: iuſtus autem amicus.* Vide Arrianum diſſert. Epicteti lib. 2. c. 22. fusè de hac malorum amicitiâ diſſerentem. IV. Improbi ſibi inuicem inimici.

V. SARDINIA.] Eius ſitum, figuram, naturam bellè deſcribit Claudianus de bello Gildonico ſub finem.

Humanæ ſpeciem plantæ ſe magna figurat
Inſula, Sardiniam veteres dixere coloni:
Sardinia. *Diues ager frugum, Pœnos Italóſque petenti*
Opportuna ſitu: qua pars vicinior Afris
Plana ſolo, ratibus clemens: qua reſpicit Arcton
Immitis, ſcopuloſa, procax, ſubitíſque ſonora
Fluctibus: inſanos infamat nauita montes.

Eam veteres à figura Sandaliotim, vel Ichnuſam dixerunt, vt auctores ſunt Plinius, Silius, Salluſtius. vide Geographos, & Ludouicum Dorleans nouarum cogitationum in Tacitum lib. 2. Silium lib. 12. Punicorum à verſu 354.

VI. MASTRVCATIS.] Fabius 1. Inſtit. cap. 9. *Maſtrugam, quod Sardum eſt, illudens Cicero ex induſtriâ dixit.* Erat maſtruca Sardorum veſtis. de qua fragmentis orationis pro Scauro. *Quem purpura regalis non commouit, eum Sardorum maſtruca tentauit?* Apud Plautum Pœnulo actus 5. ſc. 5. maſtruga dicitur, & inter res odoris fœtidiſſimi nominatur.

Deglubta manus, Sarapis ſemicinctium
Maſtruga, halſagoras (ἀλς ἀγορᾶς) hama, tùm autem plenior
Allî vlpicique, quam ſint Romani remiges.

Et in Arabico-Latino gloſſario *maſturgo* pro *maſtruga.* Turnebus autem lib. 10. cap. 24. *Veſtem ſcorteam, quæ peſſimè olet eſſe dicit, qua Sardi vtebantur & barbari ſeptentrionales.* Prudentius libro poſteriore in Symmachum.

Maſtrucæ. *—Templa aurea flammis*
Soluere, maſtrucis proceres veſtire togatos.

Idem Turnebus lib. 20. cap. 9. ſic: *Montani autem in Sardiniâ quòd agrum frumentarium non habebant, latrocinari ſolebant, & campos frumentarios populari. Ij pellibus muſmomum vel muſimomum ſe loricabant, proinde maſtrucatos dixit ſcorteis munitos & pellitos.* Laudat Strabonem libro 5. Γίνονται οἱ τρίχα φέροντες αἰγείαν ἀντ' ἐρέας κριοί, καλούμενοι δὲ μούσμονες. ὧν ταῖς δοραῖς θωρακίζονται. *Naſcuntur pilum caprinum pro vellere gerentes arietes, qui muſmones dicuntur. horum pellibus ſe loricant.* Ælianus lib. 16. de animalibus, cap. 34. Νυμφόδωρος λέγει τὴν Σαρδὼ εἶναι θρεμμάτων μητέρα ἀγαθήν, θαυμάσαι δ' ἄξιον τίκτει ζῶον τὰς αἶγας αὕτη. τὰς γάρ τοι δορὰς τοῖς ἐπιχωρίοις ἐσθῆτα, καὶ εἶναι ταύτην σκέπην. καὶ διὰ χειμῶνος μὲν ἀλεαίνειν, ψύχειν δ' ἐν τῷ θέρει. φύσει τινὶ ἀπορρήτῳ, συμπεφυκέναι δ' ἄρα ταῖς δοραῖς, καὶ πήχεως τὴν τρίχα. *Sardiniam pecudum optimam eſſe parentem Nymphodorus ſcribit: capráſque procreare, quarum pellibus pro veſtimentis indigenæ vtantur: támque mirificâ vi eſſe, vt hiberno tempore calefaciant, æſtiuo refrigerent: ſimúlque in iis ipſis pellibus cubiti magnitudine pilos innaſci.* Varro lib. 2. de re ruſtica exeunte. *Neque non quædam nationes harum caprarum pellibus ſunt veſtitæ, vt in Getulia & Sardinia.* Vnde facilè in eam mentem inducor, vt Liuium emendem libro 23. *Harſicora tum fortè profectus erat in Pellidos,* lego Pellitos, *Sardos ad iuuentutem armandam.* quo loco per *Pellitos,* montanos illos maſtrucatos intelligit. quid ſi ex hac voce *Harſicora* loco Plauti citato, *Maſtruga, Halſagoras,* lucem velis adferre? viderint eruditi.

VII. LATRVNCVLIS.] Gens Sardorum latrociniis aſſueta. citatur à Ludouico Dorleans Salluſtius Sardorum faciens mentionem. *Genus militum ſtatim à pueritiâ ſuetum latrociniis.* Tacitus ſub finem 2. Annalium. *Actum & de ſacris Ægyptiis Iudaicíſque pellendis: factúmque Patrum Conſultum vt quatuor millia libertini generis eâ ſuperſtitione infecta, quîs idonea ætas in Inſulam Sardiniam veherentur; coercendis illic latrociniis.* Sed iidem Sardi fontes ſe habere coarguendis furibus aptos iactabant. Rheninus in Dionyſij periegeſi.

Sardiniæ poſtquam pelago circumflua tellus
Fontibus è liquidis præbet miracula mundo,
Quod ſanant ægros, pandunt damnántque nefando Sardi latrones.
Periuros furto, quos tacto lumine cæcant.

Solinus cap. 10. de iiſdem fontibus Sardiniæ. *Ocularias diſſipant ægritudines. Sed qui oculis medentur, & coarguendis valent furibus. Nam quiſquis ſacramento raptum negat, lumina aquis attrectat. Si perfidiâ abnuit, detegitur facinus cœcitate, & captus oculis admiſſum tenebris fatetur.* Corſicam etiam Sardiniæ vicinam latrociniis infamem fuiſſe tradit Strabo lib. 5. Οἰκεῖται δὲ φαύλως τραχεῖά τ' οὖσα, καὶ τοῖς πλείστοις μέρεσι δύσβατος, ὥστε τοὺς κατέχοντας τὰ ὄρη καὶ ἀπὸ λῃστειῶν ζῶντας ἀγριωτέρους εἶναι θηρίων. *Malè & difficulter habitatur, cùm & aſpera ſit, & multis partibus inacceſſa, adeò vt montium accolæ & latrocinio viuentes belluis ipſis ſint immaniores.*

COHORTE.] Cohors peditum fuit, vt ſupra VIII. 9. *Equitatus habuit interitum, poſt conciſæ ſunt optimæ cohortes.* Cohors. ea tres manipulos continebat. vt fusè explicamus pro Milone. *Illa arma, centuriones, cohortes.*

AVXILIARIA.] Auxiliarij milites erant IX. Socij: quorum in ſingulis legionibus, teſte Polybio, peditum quidem par fuit Romanorum: Auxilia. equitum verò duplo maior. vt notat Valtrinus lib. 3. de re militari cap. 5. & ex Liuio confirmat. Ij autem, perinde atque legionarij in cohortes fuerunt diſtributi. Cæſar libro primo ciuil. *Duabus auxiliaribus cohortibus Ilerdæ præſidio relictis.* Auxiliares cohortes, ſiue alariæ. Tacitus 3. hiſt. *Cohortes auxiliorum in cornibus.* Dictæ & alariæ ſiue alares, eæque cohortibus legionariis oppoſitæ. Cæſar 1. ciuil. *Crebras ſtationes diſponunt equitum & cohortium alariarum: legionariáſque interiiciunt cohorteis.* Sed vide Valtrinum loco citato.

GRÆCVM HOMINEM.] Orator in Bruto X. 131. *Doctus etiam Græcis Tit. Albutius, vel potiùs penè Græcus.* & 1. de finib. bon. & mal. §. 9. *Niſi qui ſe planè Græcum dici velit, vt à Scæuola eſt Prætor ſalutatus Athenis Albutius. quem quidem* Albutius Græcus. *locum cum multa venuſtate, & omni ſale idem Lucilius. apud quem præclarè Sceuola.*

Græcum te, Albuti, quam Romanum atque Sabinum, &c.
Maluiſti dici. Græcè ergo Prætor Athenis
Id quod maluiſti, te, cùm ad me accedi' ſaluto:
Χαῖρε, inquam, Tite: lictores, turma omni' cohórſque
Χαῖρε. hinc hoſtis Muti Albutius hinc inimicus.

ET LEVEM.] Nota eſt Græcorum leuitas. XI. vide orationem pro Flacco, Liuium paſſim & Leuitas græcorum. dicenda à nobis in Piſonem 71. pro Milone 56. *Comites Græculi.* Meritò autem hunc Sardinienſem triumphum tribuit leuitati. Nam vt dicitur in Piſonem 57. *Leuitatis eſt inanem aucupari rumorem, & omnes vmbras etiam falſæ gloriæ conſectari.*

XII. In provincia.] Contra morem. Triumphandi enim ius non erat niſi pacatâ prouinciâ & deportato exercitu. vt diceemus in Piſonem §. 44. nota 4. Romæ tantùm triumphabatur, vt ex omnibus ſcriptoribus liquet. aut etiam in monte Albano, ſed id rariùs, & extra ordinem.

XIII. Trivmphasse.] Triumphum Græcæ eſſe originis aliqui notant ex Vitruuij præfatione. *Nobilibus Athletis qui Olympia, Pythia, Iſthmia, Nemea viciſſent, Græcorum maiores ita magnos honores conſtituerunt, vt non modò in conuentu ſtantes cum palmâ & coronâ ferant laudes, ſed etiam cùm reuertuntur in ſuas ciuitates, cum victoriâ triumphantes quadrigis in mœnia & in patriam inuehantur, è Reque publica perpetua victa conſtitutis vectigalibus fruantur.* Inde εἰσελαστικοὶ ἀγῶνες, ab illa inuectione triumphali. de quibus Plinius Iunior ad Traianum lib. 10. ep. 119. De nomine triumphi, cæteríſque ad eum ſpectantibus in Piſonem 35. 44. 59. 60. 61. & infra 35.

AXIOMATA.

Homini nefario tanquam belluæ immani & terræ nulli poſſunt eſſe amici.

Non eſt mirum aliquid ei denegari, qui quod ab aliis petendum fuit, ipſe ſibi decreuerit.

ARGVMENTVM.

Concedit eandem Albutij cauſam & Gabinij, ſed ex hoc etiam capite ignominiam Iudicio Senatus exaggerat, quia T. Albutius hac ignominiâ Senatûs ita concidit, vt paulò pòſt damnatus fuerit.

Sed fruatur ſanè hoc ſolatio, atque hanc inſignem ignominiam, XVI. quoniam vni præter ſe inuſta eſt, putet eſſe leuiorem: dummodo cuius exemplo ſe conſolatur, eius exitum exſpectet: præſertim cùm in Albutio nec Piſonis libidines, nec audacia Gabinij fuerit: hæc tamen vna plaga conciderit, ignominia ſenatus.

EXPLANATIO.

Sed.] Sed eſto, conſoletur ſe Gabinius, quòd in miſeriâ ſuâ parem, & ignominiæ ſocium Titum Albutium inuenerit, dummodo damnationem expectet, quemadmodum, vt dicitur in Piſonem 92. *Albutius cùm in Sardiniâ triumphaſſet, Romæ damnatus eſt.*

Invsta est.] Quemadmodum ſeruis fugitiuis, ergaſtulo tradendis nota in fronte ferro candenti inuritur.

Præsertim.] A minori ad maius.

Si Albutius nec audax, nec libidinoſus, tamen propter ignominiam Senatus, ſic apud Iudices offendit, vt damnatus fuerit, multò magis damnabuntur, libidinoſus Piſo, audax Gabinius.

Sed hoc. Ergo illud.

Fuit autem damnatus lege de repetundis, vt colligitur ex Noſtro de claris oratoribus. *Mutius autem augur, quòd pro ſe opus erat ipſe dicebat, vt de pecuniis repetundis contra T. Albutium.* Quod etiã Apuleius in apologia teſtatur, ſed perperam A. Albutum appellat. Atque hactenus de Piſone & Gabinio reuocandis. Cuius ſuaſionis tota vis poteſt ad hunc ſyllogiſmum reuocari.

Qui & malè obtinuerunt, & malè rexerunt prouincias, ſunt reuocandi.

Sed Piſo & Gabinius malè obtinuerunt, & malè rexerunt prouincias.

Ergo reuocandi.

NOTÆ.

1. Hoc solatio.] Etſi, vt ait Orator epiſtolâ ad Torquatum tertiâ, *Leuis eſt conſolatio ex miſeriis aliorum*, tamen frequentiſſimè conſolatio ducitur à miſeriâ cæterorũ, & paſſim noſter eam iniit rationem. Vide lib. 10. ad Attic. ep. 14. 15. Thucydides lib. 7. Ἰσομοιρία τῶν κακῶν μετὰ πολλῶν κουφότητα ἔχει μεῖζον. *Æqualis malorum participatio cum multis maximum habet leuamen.* Pedo Albinouanus conſolat. ad Liuiam alluſit.

I nunc, & rebus tantâ impendente ruinâ
In te ſolam oculos, & tua damna refer.

Eleganter Helena apud Senecam actu 4. Troadis, cæteris ſe miſeriorem eſſe contendit, quòd Andromache & Hecuba miſeriæ ſocias haberent, ipſa non haberet. vt

Grauiora paſſa luget Andromacha Hectorem
Et Hecuba Priamum. Solus occultè Paris
Lugendus Helenæ eſt, &c.
Vos leuat tanti mali
Comitatus. In me victus & victor furit.

Iuuenalis ſat. 13. multa in hanc ſententiam. iſta libabo.

Si nullum in terris tam deteſtabile factum
Oſtendis, taceo, nec pugnis cædere pectus Conſolatio miſerorum eſt habere miſeriæ ſocios.
Te veto, nec planâ faciem contundere palmâ.
& aliquantò pòſt:
Sed ſi cuncta vides ſimili fora plena querelâ, &c.
Te nunc delicias extra communia cenſes
Ponendum, quia tu Gallinæ filius albæ
Nos humiles corui nati infœlicibus ouis.

Huc referri poſſint & conſolationes quæ à communi rerum, mundíque ſeneſcentis conditione ducuntur. Vide Senecam ep. de incendio Lugdunenſi 91. Conſol. ad Polyb. initio, ad Marciam fine. Plutarchum Conſolat. ad Apollon. & ad vxorem. Statium Epicedio in Glauciam Melioris 2. ſylu. Silium libro 6. punic. à verſu 120. Sic Dione Venerem à Diomede vulneratam cõſolatur 5. Iliados.

Τέτλαθι τέκνον ἐμὸν καὶ ἀνάσχεο κηδομένη περ
Πολλοὶ γὰρ δὴ τλῆμεν ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες.
Quamuis preſſa graui luctu mea filia perfer,
Namque & nos multi tulimus ſupera alta tenentes.

Huc etiam facit Socratis dictum, Δεῖν συνενέγκαι μὲν εἰς τὸ κοινὸν τὰς ἀτυχίας, ὥστε διελέσθαι τὸ ἴσον ἑκάστῳ, ἀσμένως ἂν τοὺς πλείους τὰς αὑτῶν λαβόντας ἀπελθεῖν. *Ærumnas omnes in medium eſſe conferendas, vt ſua*

cuique pars ad æqualitatem tribuatur, tum enim plures acceptâ ſuâ parte libenter abituros. Verba ſunt Plutarchi ad Apollonium. Præclarum illud Demonactis apud Lucianum in eius vitâ, Democriti apud Iulianum Auguſtum epiſt.38. Quorum Demonax neſcio cui filium lugenti, Democritus Dario ob mortem coniugis ſe affli&ctanti, promiſerunt ſe filium & coniugem ex inferis excitaturos, ſi illi tres luctus & calamitatis expertes poſſent nominare. Iis inuenire ſe poſſe negantibus, ſubiecerunt. Εἶτ' ὦ πάντων ἀτοπώτατε, θρηνεῖς ἀνέδην, ὡς μόνος ἀλγεινῷ τοσούτῳ συμπλακείς, ὃ μηδὲ ἕνα τῶν πώποτε γεγονότων ἄμοιρον οἰκείου πάθους ἔχων εὑρεῖν; *Tamen, ô omnium abſurdiſſime, effusè lamentaris, tanquam ſolus omnium mortalium fueris tam acerbo dolore conflictatus, cùm ne vnum quidem qui vnquam fuerunt, domeſticæ cladis expertem poſſis inuenire?* Symmachus lib. 8. ep. 27. *Et illa quidem aduerſa quæ cum pluribus pertuliſti, more humani ingenij habent aliquid de ſocietate ſolatium.* Chryſoſtomus 1. ad Timoth. homil. 10. Παραμυθίαν φέρει τὸ κοινωνοὺς εἶναι τῶν συμφορῶν. *Miſeriarum habere ſocios adfert ſolatium.* Contrà, vt notat Sophocles in Aiace.

Τὸ γὰρ ἐσλεύσσειν οἰκεῖα πάθη
Μηδενὸς ἄλλου παραπράξαντος,
Μεγάλας ὀδύνας ὑποτείνει.
Proprias etenim cernere clades
Nec habere mali ſocios, auget
Id mœrorem, luctúmque grauat.

Sed vt finiamus, pulchrè Telemachus matrem conſolatur 1. Odyſſ.

Οὐ γὰρ Ὀδυσσεὺς οἶος ἀπώλετο νόστιμον ἦμαρ
Ἐν Τροίῃ, πολλοὶ δὲ καὶ ἄλλοι φῶτες ὄλοντο.
Non etenim ſolus reditu priuatus Vlyſſes
Ad Troiam, rapuit fati inclementia multos.

Seneca initio conſolationis ad Polybium. *Maximum ergo ſolatium eſt cogitare id ſibi accidiſſe, quod antè paſſi ſunt omnes, omnéſque paſſuri.* vide fusè & eleganter. Placet fabellam ex Achillis Tatij lib. 2. non illepidam attexere. Leo quòd gallum timeret, pudore ſuffuſus, & hanc naturæ contumeliam non ferens ἀποθανεῖν ἤθελεν. *mori decreuerat.* Οὕτω δὲ γνώμην ἔχων, ἐλέφαντι περιτυγχάνει, καὶ προσαγορεύσας εἱστήκει διαλεγόμενος. καὶ ὁρῶν διὰ παντὸς τὰ ὦτα κινοῦντα, τί πάσχεις; ἔφη. καὶ τί δήποτε οὐδὲ μικρὸν ἀτρεμεῖ σου τὸ οὖς; καὶ ὁ ἐλέφας, κατὰ τύχην παραπτάντος αὐτῷ κώνωπος, ὁρᾷς, ἔφη, τί τοῦτο τὸ βραχὺ τὸ βομβοῦν; ἢν εἰσδύῃ μου τῇ τῆς ἀκοῆς ὁδῷ, τέθνηκα. Καὶ ὁ λέων. Τί οὖν, ἔφη, ἀποθνήσκειν με δεῖ; τοσοῦτον ὄντα καὶ ἐλέφαντος εὐτυχέστερον; ὅσον κρείττων κώνωπος ἀλεκτρυών. *Qua in cogitatione dum eſſet, in elephantem incidit, quo cùm poſt datam ſalutem, in ſermonem delapſus, vbi aures perpetuò mouentem illum vidit: Quid hoc, inquit, rei eſt? cur ne punctum quidem temporis auribus quietem das? Tum elephas, cuius circum caput culex tum fortè volitabat, Vides, inquit, hanc paruam beſtiolam ſuſurrantem? Si aures meas ingrediatur, actum de me eſt. Tum leo, Quid me igitur, inquit, mori oportet? qui talis ſim, tantóque elephante beatior, quàm culici gallus gallinaceus antecellit?*

INVSTA.] Vox tranſlata ab inuſtione frontis. Vide Piſonianam 30. *Quæ lex priuatis hominibus eſſe non videbatur, inuſta per ſeruos.* Et Milonianam 33. *Quas ille leges fuerit impoſiturus nobis atque inuſturus.* Quòd autem ait hanc ignominiam vni Albutio fuiſſe inuſtam, vt Senatus ei ſupplicationem denegaret, neſcio an verè. Nam Liuius lib.42. de Marco Popilio, qui in Ligures deditos ſæuierat, *Literas,* inquit, *Senatui de rebus ab ſe geſtis miſit. Quas cùm Aulus Atilius Prætor in Curiâ recitaſſet,* &c. *atrox res viſa Senatui,* &c. *Quas ob res S.C. factum eſt,* &c. *Conſulem de Prouinciâ decedere, cùm deditos in ſedem ſuam reſtituiſſet,* &c. *Conſul iratus Patribus, infeſtus Prætori Romam rediit. Senatúque ex templo ad ædem Bellonæ vocato multis verbis inuectus eſt in Prætorem, qui cùm ob rem bello bene geſtam vti Diis immortalibus, honos haberetur, referre ad Senatum debuiſſet, aduerſus ſe pro hoſtibus Senatuſconſultum feciſſet, quo victoriam ſuam ad Ligures transferret, dedíque eis propè Conſulem Prætor iuberet. Itaque mulctam ei ſe dicere: à Patribus poſtulare vt Senatuſconſultum in ſe factum tolli iuberent: ſupplicationémque quam abſentes ex literis de bene geſta Rep. miſſis decernere debuerint, præſentes honoris Deorum primùm cauſſâ, deinde & ſui aliquo tandem reſpectu decernerent. Nihilo leuioribus quàm abſens Senatorum aliquot orationibus increpitus neutrâ impetratâ re in prouinciam redit. De literis etiã L. Cornelij* Merulæ, *quas ſcripſerat ſecundum prælium cum Boiis factum, diſceptatio in Senatu fuit: quia priuatim pleriſque Senatoribus legatus M. Claudius ſcripſerat* nonnulla, quæ cum literis Conſulis pugnarent. *De eâ re nihil decerni placuit: ad frequentiores conſultatio delata eſt.* Conſul cùm Romam ad habenda comitia rediiſſet. *Cùm pergeret nihilo ſegniùs referre, vt ſupplicatio decerneretur, triumphantíque ſibi in vrbem inuehi liceret M. & C. Titinij Tribuni plebis ſe interceſſuros, ſi de ea re fieret Senatuſconſultum dixerunt.* Atque ita res diſcuſſa eſt, nec Cornelius vllâ Senatus ignominiâ notatus. 11. Inuſtio.

AXIOMA.

Multi fruuntur hoc ſolatio, quòd etiam inſignes ignominias, quoniam aliis præter ſe inuſtæ ſunt, putant eſſe leuiores.

Poſterior

Poſterior pars confirmationis à n. 17. ad 36. Cæſar non reuocandus.

- à perſona & officio Ciceronis.
  - Poſſum inimicum ad publicam vtilitatem in prouincia retinere. 19. 20.
    - Exemplo Scauri, L. Craſſi, Metellorum, qui Marium in Gallia retinuerunt ob vtilitatem publicam. 18.
    - Tiberij Gracchi, qui Scipionibus auxilio fuit ob Reipub. dignitatem.
  - Poſſum inimicitias Reip. cauſa deponere. 21. 22.
    - 1. Exemplo M. Lepidi. 21.
    - 2. L. Philippi. 21.
    - 3. Seruilij, Lucullorum Metelli Nepotis. 22.
    - 4. à meritis Cæſaris. 23. 24. 1.
    - 5. Exemplo Senatus vniuerſi. 35.
    - 6. à comparatis quia ſine reprehenſione iam antè decreuit Cæſari
      - 1. ſupplicationē viginti dierum. 26. 27.
      - 2. ſtipendium ex ærario. 28.
      - decem legatos. 28.
- à ratione prouinciæ & vtilitate communi.
  - cætera ſunt domita: ſolæ Galliæ ſunt imperio Romano metuendæ. 31. 32.
  - vtile eſt Galliā ſubiugari.
- à perſonæ Cæſaris eiuſque voluntate.
  - Solus Cæſar poteſt Gallias ſubiugare. 32. 33. 34. probatur.
    - Poteſt, quia iam domuit Germanos, Heluetios, & alias nationes.
    - Solus, quia neque Marius, neque Pontinus, neque alius auſus eſt bellum Gallis inferre.
  - Cupit in Galliis remanere quoad bellum confecerit. 29. 35.

ARGVMENTVM.

Poſtquam expoſuit quid de Prouinciis Conſularibus ipſe cenſeret, refellit eos qui aliter ſentiebant, oſtendítque è Rep. non eſſe Piſonem & Gabinium, vel alterum eorum diutiùs in Prouinciâ retineri.

AT qui duas Gallias decernit conſulibus duobus, hos retinet ambos: qui autem alteram Galliam, & aut Syriam, aut Macedoniam, tamen alterum retinet, & in vtriuſque pari ſcelere diſparem conditionem facit. Faciam, inquit, illas prætorias, vt Piſoni & Gabinio ſuccedatur ſtatim. Si hic ſinat. tum enim tribunus intercedere poterit, nunc non poteſt, itaque ego idem, qui nunc conſulibus iis, qui deſignati erunt, Syriam, Macedoniámque decerno, decernam eaſdem prætorias, vt & prætores XVII.

annuas prouincias habeant, & eos quamprimùm videamus, quos animo æquo videre non poſſumus. Sed, mihi credite, nunquam ſuccedetur illis: niſi cum ea lege referetur, qua intercedi de prouinciis non licebit. Itaque, hoc tempore amiſſo, annus eſt integer vobis exſpectandus: quo interiecto, ciuium calamitas, ſociorum ærumna, ſceleratiſſimorum hominum impunitas propagatur.

EXPLANATIO.

AT QVI.] Præceſſerant variæ diſcrepanteſque ſententiæ. Quidam enim Senator; vel quòd eſſet Cæſaris inimicus, vt Domitius, Marcellus, Bibulus; M. Cato, vel quòd exiſtimaret pernicioſum eſſe exemplum, vt vnus & idem duas Prouincias obtineret; cenſuerat vtrã-que Galliam decernendam eſſe futuris conſulibus, vt primò quoque tempore ſucceſſor Iulio Cæſari mitteretur. Qua in ſententiâ noſter id reprehendit, quòd hoc pacto retinerentur Piſo & Gabinius in ſuâ vterque Prouinciâ, & ita ciuium, præſertim autem Publicanorum calamitas, ſociorum ærumna, ſceleratiſſimorum hominum impunitas propagaretur. Alij mediâ quaſi incedentes viâ, Cæſarem quidem cenſebant, non eſſe omninò reuocandum, ſed alterâ ex duabus, quas obtinebat, Prouinciis eſſe priuandum, vt alteri Conſulum qui deſignandi erant proximis comitiis vel citerior, vel vlterior Gallia, alteri verò vel Syria, vel Macedonia obueniret. In qua poſteriore ſententiâ noſter notat illud incommodi, quòd in pari ſcelere Piſonis & Gabinij diſparem faceret conditionem, dum reuocaretur alter, alter in Prouinciâ remaneret.

FACIAM, INQVIT.] Hîc occurrunt non pauca notatu digna. 1. Non eaſdem ſemper fuiſſe conſulares prouincias, ſed modò hanc, modò illam, & eandem modò Conſularem, modò Prætoriam fuiſſe prout Reip. tempora, bellorúmque aut pacis ratio exigebat. 2. Penes Senatum fuiſſe tam Cõſulares quàm Prætorias quotannis decernere. 3. Antequam deſignarentur Conſules actum fuiſſe de futuris eorum prouinciis. 4. Quamprimùm miſſos fuiſſe Prætores in ſuas prouincias, Proconſules verò non niſi poſt annum geſti in vrbe magiſtratus euolutum. 5. Denique eam fuiſſe vim legis Semproniæ, vt cùm poſſent Tribuniplebis intercedere Senatuſconſulto quo decernebantur prouinciæ Prætoriæ, ei tamen quo fiebant prouinciæ Conſulares intercedere non poſſent. Iam ad ſenſum. Proponit Orator rationem, quam inierat ille Senator, vt & Cæſarem vel reuocaret omninò, vel ſaltem prouinciæ diminutione multaret, & tam Piſonem quàm Gabinium è prouinciâ reuocaret. Faciam, inquit, Syriam & Macedoniam prouincias Prætorias, in quo plus conſequar, quàm ſi decernerem eſſe Conſulares. Si enim Prætoriæ fuerint, iis primo quoque tempore, vt primùm Prætores magiſtratum inierint, ſuccedetur: At ſi Conſulares eſſent, non niſi poſt annum Conſul, geſto in vrbe magiſtratu, ſucceſſor mitteretur.

SI HIC SINAT.] Probarem illam ſententiam, niſi vererer, ne Tribunusplebis id interceſſione ſuâ prohiberet. Hic autem Tribunusplebis videtur fuiſſe C. Cato, quem iuxta ſedentem intento digito noſter oſtenderit. Is enim hoc ipſo anno multas ſeditiones ſuis interceſſionibus concitâuit. De quo frequenter Orator lib. 2. epiſt. ad Q. fratrem, & epitome Liuiana CV.

TVM ENIM.] Si decreuerimus Prætorias, tum Tribunusplebis intercedere poterit, nunc cùm decernimus Conſulares intercedere non poteſt.

ITAQVE IDEM.] Oſtendit ſe vtrique incommodo, quoad eius fieri poterit, obuiam iturũ. Nam & Conſulares eſſe decernet, vt ſi non ſtatim, ſaltē certò & ſine interceſſione ſuccedatur: & poſtquàm Conſulares eſſe decreuerit, eaſdem illius anni interſtitio Prætorias eſſe cenſebit, vt Piſo & Gabinius, ſi per Tribunumplebis licuerit, primo quoque tempore reuocentur.

SED MIHI CREDITE.] Id decernam amoris potiùs in Remp. mei teſtandi, & rei tentandæ causâ, quàm ſpe impetrandi: quia præuideo fore, vt Tribunusplebis intercedat, nec patiatur Syriã & Macedoniam fieri Prætorias, neque ſucceſſor Piſoni & Gabinio vnquam mittetur, niſi cùm referetur lege Semproniâ, cuius ea vis eſt, vt intercedi Senatuſconſulto de prouinciis Conſularibus minimè patiatur.

ITAQVE.] Si hoc tempus & occaſionem interceſſio tribunitia nobis eripuerit, non poterimus ſucceſſorem mittere, antequam annus fuerit elapſus.

CIVIVM CALAMITAS.] Quos Piſo creditoribus ſuis addicit, & bonis euertit, Gabinius tradit Iudæis, & Syria nationibus notis ſeruituti.

SCEL. HOM.] Piſonis & Gabinij.

NOTÆ.

1. In pari ſcelere pœnæ pares.

PARI SCELERE.] Poſsítne in pari ſcelere mulcta diſpar irrogari, nõ immeritò dubitari poſſit. Et ſanè cùm Iudex debeat ſecundum leges pœnas irrogare, leges autem ſint omnibus communes, neque per duodecim tabulas fas fuerit *priuilegium irrogari*, quòd etiam, vt Andocides & Demoſthenes aiunt Athenienſium legibus cautum fuit, Μηδ' ἐπ' ἀνδρὶ νόμον ἐξεῖναι θεῖναι ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις. *Ne de quoquã nominatim lex feratur, niſi eadem omnibus Athenienſibus imponatur*: hinc cõſtat ſi legitimo iudicio diſceptetur, in pari ſcelere diſparem conditionem eſſe non poſſe: Princeps tamen aut Senatus, vbi penes ipſum eſt ſumma Reſpublica, vel etiam populus vbi ſtatus eſt popularis diſparē facere poſſunt, & altero puniendo legibus obſequi, altero abſoluendo legum ſeueritatem temperare. Pulchrè Themiſtius orat. de clementia Theodoſij Imperatoris. Ἄλλη μὲν δικαστοῦ, ἄλλη δὲ βασιλέως ἀρετὴ, καὶ τῷ μὲν προσήκει ἕπεσθαι τοῖς νόμοις, τῷ δὲ ἐπανορθοῦν καὶ τοὺς νόμους, καὶ τὸ ἀπηνὲς αὐτῶν, καὶ ἀμείλικτον παραδεικνύναι, ἅτε νόμῳ ἐμψύχῳ ὄντι καὶ οὐκ ἐν γράμμασιν ἀμεταθέτοις, καὶ ἀσαλεύτοις. *Alia Iudicis, alia Regis eſt virtus, & illi quidem conuenit ſecundum leges iudicare, huic autem leges etiam ipſas moderari, & earum aſperitatem miti-*

Rex & ſupremus quidem dominus poteſt ſceleribus paribus pœnas diſpares irrogare.

gare, quippe qui lex ſit animata non in literis poſita, quæ nec transferri nec tranſmutari poßint. Eſt tamen ita ſupra leges vt nocentes quidem abſoluere poſſit, non autẽ damnare liceat innocentes. Ibidem Themiſtius. Διὰ τοῦτο γὰρ, ὡς ἔοικε, βασιλείαν ἐξ οὐρανοῦ κατέπεμψεν εἰς τὴν γῆν ὁ θεὸς ὅπως ἂν εἴη καταφυγὴ τῷ ἀνθρώπῳ ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀκινήτου ἐπὶ τὸν ἔμπνουν καὶ ζῶντα. *Eam enim ob rem, vt videtur, regiam poteſtatem Deus è cœlo demiſit, vt homini refugium eſſet à lege immobili ad animatam* (Non tamen poteſt pœnæ cõdignæ modum excedere.) *& viventem.* Multa tamen interuenire poſſunt, cur non ſolùm ſummi principes, ſed etiam iurati iudices alterum altero mitiùs clementiúſque tractent, etiamſi pari ſcelere ſe obligarint: cùm rei plerumque perfugio vtantur ætatis, vt dictum eſt in Cœlianâ §. aut beneficia, & nobilitatem obtendant, vt auctor eſt Lyſias oratione contra Nicomachum. Ἤδη τινὲς εἰς κρίσιν καταστάντες ἀδικεῖν μὲν ἔδοξαν, ἀποφαίνοντες δὲ τὰς τῶν προγόνων ἀρετὰς, καὶ τὰς σφετέρας αὐτῶν εὐεργεσίας συγγνώμης ἔτυχον. *Iam nonnulli in iudicium vocati peccaſſe viſi ſunt, ſed demonſtratis maiorum ſuorum virtutibus ſuiſque ipſorum beneficiis veniam impetrarunt.* Quòd quatenus intelligendum ſit dicemus in Milonianâ.

11. SINAT.] Cùm intercedebant Tribuniplebis dicebant *ſe non paſſuros*, vt multis auctorum locis probat Barnabas Briſſonius lib. 2. formularum. Quod etiã οὐκ ἐάσειν, vt idem aduertit, ex Dionyſio Græci reddiderunt. Commodiùs tamen Orator *ſi hic ſinat.* Sinere enim dicitur, vt notabat Theodorus Marcilius, qui prohibere poteſt, vt Pontifex Maximus Flaminem: patitur etiam qui prohibere nequit. Vnde illud Catilinariâ primâ. *Non feram* tanquam onus: *non patiar* tanquam iniuriam: *Non ſinam* tanquam Conſul, (Sinere. Pati.) non ſinam ego qui Conſul ſum & prohibere poſſum. Donatus in Eunuchum act. 1. ſc. 2. Hinc Tiberius apud Cornelium Tacitum lib. 4. annalium. *Ego vt ſinam credíſne paſſuros proceres.* Se ait ſinere Tiberius, nam vetare poteſt: Proceres autem ait non paſſuros, quibus ſcilicet nulla vetandi poteſtas. hæc Marcilius. Sed vt cum comico loquar in nubibus,

Καὶ λεπτολογεῖν ἤδη ζητεῖ, καὶ περὶ καπνοῦ στενολεσχεῖν.

Neque enim Turnus Latinum, id eſt Iuuenis Senem gener ſocerum iure ſuo potuit impedire. Latinus tamen 12. Æneidos.

-Sine me hæc haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis.- Turnus Iuturnæ.
Hunc oro ſine me furere ante furorem.

AXIOMATA.

In duorum pari ſcelere non eſt facienda diſpar conditio.

Prouidendum eſt ne ciuium calamitas, Sociorũ ærumna, ſceleratorum hominum impunitas propagetur.

ARGVMENTVM.

Altera pars eſt orationis qua diſſuadet Iulium Cæſarem è Galliis reuocari: & primò cuidam obiectioni reſpondens, oſtendit ſe non perſonæ, ſed communis vtilitatis habere rationẽ.

QVÒD ſi eſſent illi optimi viri, tamen ego mea ſententia C. Cæſari ſuccedendum nondum putarem. Qua de re dicam, Patres Conſcripti, quod ſentio: atque illam interpellationem mei familiariſſimi, quæ paullò antè interrupta eſt oratio mea, non ertimeſcam. Negat me vir optimus, inimiciorem Gabinio debere eſſe, quàm Cæſari. omnem enim illam tempeſtatem, cui ceſſerim, Cæſare impulſore, atque adiutore eſſe excitatam: cui, ſi primùm ſic reſpondeam, me communis vtilitatis habere rationem, non doloris mei, poſsímne probare, cùm id me facere dicam, quod exemplo fortiſſimorum, & clariſſimorum ciuium facere poſſim? XVII.

EXPLANATIO.

QVOD SI ESSENT.] Si Piſo & Gabinius bene & ex imperij Romani dignitate regerent ſuas prouincias, ſi ciuium, ſociorúmque commodis prouiderent, ſi hoſtium impetus propulſarent, aliam quamlibet prouinciam decernerem potiùs quàm Gallias, nec Iulio Cæſari, qui eas adminiſtrat, ſucceſſorem mittendum eſſe cenſerem.

QVA DE RE.] Initio, cùm Syriam Macedoniámque decerneret, eum quidam ex Cæſaris inimicis, Marcus Cato fortaſſe, vel Domitius Ænobarbus, interpellauerat cùm propè ſederet, in aurem inſuſurrans, vt Gallias potiùs faceret conſulares, quòd non minùs à Cæſare fuiſſet violatus quàm à Piſone & Gabinio. ad hanc igitur obiectionem ſe præmunit Orator, antequam in laudem Cæſaris plura dicat.

INTERPELLATIONEM.] Interpellare, eſt interrũpere vt ſignificat, *interrupta eſt oratio mea.* maiorem tamen vim habet, vel hoc loco, éſtque accuſare aut reprehendere.

OMNEM.] Exponitur ratio quam is Senator adferebat: vt Tullium in Cæſarem concitaret. & *tempeſtatem* appellat ſeditionem Clodianam, qua Tullius erectus eſt, cuius auctor videtur fuiſſe Cęſar, qui Clodium è Patriciis traduxit ad plebem, vt Tribunusplebis fieri poſſet, & Ciceronẽ expellere.

CVI SI.] Reſpondet ad illam Senatoris obiectionem primùm hoc ſyllogiſmo.

Qui potiùs vtilitatis publicæ quàm priuati doloris habet rationem is rectè facit.

Sed ego potiùs vtilitatis publicæ quàm priuati doloris habeo rationem. Ergo rectè facio.

Aſſumptio quòd vtilitatis publicæ rationem habeat totâ oratione probabitur, dum oſtendet publicis rationibus expedire Cæſarem, quoad bellũ confecerit, in Prouinciâ remorari, nilque ſibi cum Cæſare intercedere ſimultatis. Propoſitionem probat exemplis clarorum ciuium, qui Reipub. commoda priuatis inimicitiis prætulerunt.

NOTÆ.

I. Optimi, qui? OPTIMI VIRI.] Optimi dicti videntur fuiſſe proconſules & præſides prouinciarum, vnde & Paulus Feſtum & Felicem, homines omnibus ſceleribus & flagitiis coopertos citra aſſentationem *Optimos* appellat, vt alibi ex Baronio notamus.

II. Interpellare. INTERPELLATIONEM.] Vetus gloſſarium, *Interpellatio*, κατηγορεία. *Interpellat* προσεγκεῖται, κατηγορεῖ. Aſconius in 3. Verrinam. *Interpellare autem eſt mediam alterius orationem interrumpere*, &c. Demoſthenes epiſtola ad populum Athenienſem videtur dixiſſe Ἀπαντᾷν & θορυβεῖν eodem ſenſu. Πολλοῖς γὰρ εἰώθατε ἀπαντᾷν ὑμεῖς πρὸ τοῦ πεισθῆναι μαθεῖν. λέγοντι μὲν οὖν ἔστιν αἰσθέσθαι τί βούλεσθε καὶ διορθῶσαι τ'ἀγνοούμενον ῥᾴδιον. Τὸ δὲ βιβλίον οὐδεμίαν ἔχει βοήθειαν τοιαύτην πρὸς τοὺς θορυβοῦντας. *Multa enim vos ante rem cognitam ſoletis interpellare. Ac dicenti facile eſt quid velitis animaduertere, quódque ignoratur rectè explicare. libello autem nullum tale adiumentum ſuppetit contra tumultuantes.* Alij μεσολαβεῖν τὸν λόγον, vt Dionyſius Halicarnaſſeus libro 7. Quod ad rem attinet meritò interpellationem negligendam eſſe non putat, quòd is eſſet optimus & familiariſſimus: non minùs tamen laudatus eſt Phocion, qui interpellatorem ne reſponſione quidem dignatus eſt. de quo Plutarchus in præceptis politicis. Αεισα ὁ Φωκίων ὑπεκστὰς τῷ λοιδοροῦντι, καὶ παυσάμενος τοῦ λέγειν, ἐπεὶ μόλις ἐσιώπησεν ὁ ἄνθρωπος, αὖθις παρελθὼν, ἀλλ᾽ οὖν, ἔφη, περὶ μὲν τῶν ἱππέων καὶ τῶν ὁπλιτῶν ἀκηκόατε, λείπεται δέ μοι περὶ τῶν ψιλῶν καὶ πελταστῶν διελθεῖν. *Optimè Phocion cùm conuitianti neſcio cui cedens interrupiſſet orationem ſuam, vbi vix ille tandem conticuit. Igitur, inquit, de Equitibus & grauis armaturæ militibus audiuiſtis, reſtat vt de leui armaturâ & peltaſtis diſſeramus.*

TEMPESTATEM.] Idem teſtatur Appianus 1. ciuiliū. Ὁ Καῖσαρ, &c. δήμαρχον εἰς ἐπιβουλὴν τοῦ Κικέρωνος ἀπέφηνε, διαβάλλοντος ἤδη τὴν συμφροσύνην τῶν τριῶν ἀνδρῶν εἰς μοναρχίαν. *Clodium Cæſar ad parandas inſidias Ciceroni Tribunum plebis effecit, cùm is iam obliquè carperet trium virorum conſpirationem ad inuadendam Remp.* Idem Dio lib. 38. ſed obſcuriùs, & ſuo more maligniùs, omnia detorquens in inuidiam Ciceronis. æquius Paterculus libro 2. *Non caruerunt ſuſpicione oppreßi Ciceronis Cæſar & Pompeius*, &c. vide. Quòd ad *tempeſtatis* allegoriam ſpectat, frequens eſt Ciceroni de ſuis illis temporibus loquenti, vt in Piſonem 21. *Alios ego vidi ventos, alias proſpexi animo procellas, aliis impendentibus tempeſtatibus non ceßi, ſed his vnum me pro omnium ſalute obtuli.* Lib. 15. epiſt. ad Catonem. *Mitto quòd inuidiam, quòd pericula, quòd omnes meas tempeſtates, & ſubieris, & multò etiam magis, ſi per me licuiſſet, ſubire paratißimus fueris.* Pro Sextio 73. dicebat Cotta. *Declinaſſe me paululùm, & ſpe reliquæ tranquillitatis præſentes fluctus tempeſtatéſque fugiſſe.* III. Cæſar Clodium in Ciceronem excitauit.

IV. EXEMPLO FORTISSIMORVM.] Præter exempla quæ proximè afferentur, lepidum eſt quod refert Quintilianus lib. 12. cap. 1. *Certè Fabricius Cornelium Rufinum alioqui & malum ciuem & ſibi inimicum, tamen quia vtilem ſciebat ducem, imminente bello, palàm Conſulem ſuffragio ſuo fecit, atque id mirantibus quibuſdam reſpondit, à ciue ſe ſpoliari malle quàm ab hoſte venire.* Idem poſt Fabium Gellius, ſed vterque poſt Ciceronem 2. de Oratore.

AXIOMATA.

Debemus non priuati doloris, ſed communis vtilitatis habere rationem.

Probatur id quod fit exemplo clarorum virorum.

ARGVMENTVM.

Exemplo Tiberij Gracchi patris demonſtrat ſe, etiamſi manerent inimicitiæ cum Cæſare ſuſceptæ, poſſe nihilò ſeciùs ac debere in decernendis prouinciis conſularibus, publicæ vtilitatis non priuati doloris habere rationem.

XIX. AN Tib. Gracchus (patrem dico, cuius vtinam filij non degeneraſſent à grauitate paterna) tantam laudem eſt adeptus, quòd tribunusplebis ſolus ex toto illo collegio L. Scipioni auxilio fuit inimiciſſimus & ipſius, & fratris eius Africani: iurauítque in concione, ſe in gratiam non rediiſſe, ſed alienum ſibi videri dignitate imperij, quò duces eſſent hoſtium, Scipione triumphante, ducti, eodem ipſum duci, qui triumphaſſet.

EXPLANATIO.

AN TIBERIVS.] Hîc ordo periodorum ac ſententiarum integrarum erat perturbatus, Lambinus codicum duorum auctoritate fretus in ordinem redegit. Et ſanè cùm Tib. Gracchi exemplum ad eos pertineat, qui etiamſi cum inimicis in gratiam non redirent, tamen eorum vel ſaluti, vel dignitati conſuluerunt, cùm id publicis rationibus expedire cenſerent, non debuit à L. Craſſi, M. Scauri, omnium Metellorum exēplo ſeparari, & M. Lepidi, Luciíque Philippi exēplis alieno planè loco interſeri: non enim illi, vt Tiberius Gracchus, ſeruatis inimicitiis, inimicis ſuis honoris aliquid detulerunt, ſed publicæ vtilitatis ſtudio cum inimicis in gratiam redierunt. Et ſanè tradit Grutterus hanc periodum hoc ipſo loco poſitam, quam poſteriores editiones malè diſtraxerant in omnibus ſuis manuſcriptis, nec non editionibus priſcis, etiam P. Victorij, reperiri. ne fortè ſibi arroget Lambinus, quòd tamen fiant.

FILII.] Tiberius & Caius, qui cùm à Senatu defeciſſent & degeneraſſent à grauitate paterna

facti populares agrariis & iudiciariis legibus multas ſeditiones in Republicâ concitarunt.

L. SCIPIONI.] Qui ex deuictâ Aſiâ & Antiocho Aſiæ Rege Aſiatici nomen obtinuit.

AVXILIO FVIT.] Cùm peculatûs damnatus nec prædes dare volens, contendénſque omnem quam accepiſſet ab Antiocho pecuniam in ærario eſſe, nec ſe quicquam publici habere, in vincula duceretur. Sed vide Notas.

AFRICANI.] Maioris, qui ex Africâ deuictâ & Annibale nomen Africani retulit.

NOTÆ.

I. GRACCHVS.] Non conſentiunt ſcriptores in hac narratione. Liuius lib. 38. exeunte varia refert ex variis ſcriptoribus. Maiorem fidem habendam crediderim Aulo Gellio lib. 7. noct. Attic. cap. 19. tum quòd magis adſtipuletur Ciceroni, tum quòd ipſa decreti Tribunitij verba referre ſe confirmet. *Eius decreti verba hæc ſunt. Cùm Lucius Cornelius Scipio Aſiaticus hoſtium duces in carcerem coniectauerit, alienum videtur eſſe à dignitate Reip. in eum locum Imperatorem pop. Romani duci, in quem locum ab eo coniecti ſunt duces hoſtium. Itaque Luc. Cornelium Scipionem à collega vi prohibeo.* Vide decretum aliorum tribunorum. Subdit Gellius. *Valerius autem Antias contra hanc decretorum memoriam, contráque auctoritates veterum annalium poſt Africani mortem interceßionem iſtam pro Scipione Aſiatico factam eſſe à Tiberio Graccho dixit: neque mulctam irrogatam Scipioni, ſed damnatum eum peculatûs ob Antiochenam pecuniam, quia prædes non daret in carcerem duci cœptum, atque ita intercedente Gracco exemptum.* Quorum decretorum ſi modò vera ſunt, ignoratio Liuium mirè turbauit, & Valerium Maximum lib. 4. cap. 1. In eo tamen omnes conſentiunt, quòd iurauerit ſe in gratiam non rediiſſe. Eodem tamen die in gratiam redierunt, traditque Liuius ex quorundam relatione. *Senatum eo fortè die in Capitolio cœnantem conſurrexiſſe, & petiſſe vt inter epulas Graccho filiam Africanus deſponderet. Quibus ita inter publicum ſolemne ſponſalibus ritè factis, cùm ſe domum recepiſſet Scipionem Æmiliæ vxori dixiſſe, filiam ſe minorem deſpondiſſe. Cùm illa muliebriter indignabunda nihil de communi filiâ ſecum conſultatum, adieciſſet non ſi Tiberio Graccho daret, expertem conſilij debuiſſe matrem eſſe, Pætum Scipionem tam concordi iudicio ipſi deſponſam reſpondiſſe.*

Gracchus auxiliatur Scipioni.

Reditus in gratiâ Gracchi cum Scipione.

II. FILII.] De Gracchis nota res eſt ex omnibus hiſtoriis, quibus, vt ait Velleius lib. 2. *Si ciuilem dignitatis concupiſſent modum, quicquid tumultuando adipiſci geſtierunt, quietis obtuliſſet Reſpub.* Eos autem à grauitate paternâ degeneraſſe dicit Orator, quia facti fuerant, populares, & à Patribus ad plebem defecerant. De popularium leuitate pro Sextio 139. & 115. *Ei verò qui pendet à rebus leuißimis, qui rumore & (vt ipſi loquuntur) fauore populi tenetur & ducitur, plauſum immortalitatem, ſibilum mortem videri neceſſe eſt.* Vbi vide Notas, & in §. 96. *populares*, ἐχθρὸν δέ μοί ἐστιν

Gracchi degeneres.

Αὖτις ἀριζήλως εἰρημένα μυθολογεύειν.
Eſt odio rurſum manifeſtè dicta profari.

III. COLLEGIO.] Frequenter *collegium Tribunorum*, vt pro Sextio 113. *Fuit collegium nuper tribunitium.* In Vatinium 17. *Num quis ex toto collegio legem ſit auſus ferre.* Valerius Maximus lib. 6. cap. 5. *Magnam laudem & illud collegium Tribunorum tulit.* Gellius loco citato. *Ad collegium Tribunorum prouocabat.* & alibi paſſim.

Collegium.

IV. AVXILIO FVIT.] Liuius libro 38. hanc ipſam hiſtoriam narrans. *Tum quoque ſi ſe appellet auxilio ei futurum ne cauſſam dicat.* Receptâ loquendi formulâ. Tribunorum enim, vt notat Briſſonius lib. 2. formul. exeunte. *Propria erat auxilij poteſtas. Inde apud Liuium lib. 6. ſcriptum eſt, Imperium penes Conſules, penes Tribunos auxilium tantùm eſſe.* Et poſt exempla non pauca, laudat etiam Feſtum Pompeium. *Sacer mons appellatur trans Anienem, paulò vltra tertium milliarium, quòd eum plebs cùm ſeceßiſſet à Patribus, creatis Tribunis qui ſibi eſſent auxilio diſcedentes, Ioui conſecrarunt.* In qua ſeceſſione plebeij petierunt, vt notat Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 6. antiquitatis. Ἄρχοντας ἀποδεικνύναι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἐξ ἡμῶν ὅσους δή τινας, οἵ τινος ἄλλου μὲν οὐδενὸς ἔσονται κύριοι, τοῖς δ' ἀδικουμένοις ἢ κατισχυμένοις τῶν δημοτῶν βοηθήσουσι. *Magiſtratus aliquot annuos ex ordine noſtro creari, qui alterius rei nullius poteſtatem habebunt, ſed iis qui iniuriam patiuntur, vel nexu tenentur auxilio erunt.* Sed vide Plutarchum in Catone Vticenſi, & in quæſt. Romanis problem. 81. Διὰ τί περιπόρφυρον ὁ δήμαρχος οὐ φορεῖ, τῶν ἄλλων ἀρχόντων φορούντων; *Cur Tribunusplebis prætextam non gerit, cùm eam gerant reliqui magiſtratus?* Vbi tum alia multa de tribunatu, tum ait Tribuno plebis lictores non fuiſſe vt cæteris magiſtratibus, qui populum ſubmouerent, immò ne ædes quidem tribunitias clauſas fuiſſe, ſed ſemper tanquam aſylum aut portum quendam omnibus patuiſſe: quòd is magiſtratus non ad imperium, ſed ad auxilium eſſet inſtitutus.

Auxilium tribunorum.

V. QVO DVCES.] Eumenius panegyrico Conſtantini. *Captiui Reges cùm à portis vſque ad forum triumphantium honeſtaſſent currus, ſimul atque in Capitolium currum flectere cœperat Imperator, abrepti in carcerem necabantur.*

Hoſtium duces in carcerē ducti.

AXIOMA.

Optandum vt filij non degenerent à virtutibus paternis.

ARGVMENTVM.

Exemplo Luc. Craſſi M. Scauri Metellorum, qui quamuis C. Marium odiſſent, eius tamen, quòd ita Reip. rationibus conduceret, imperium in Galliâ prorogarunt, oſtendit etiamſi Cæſaris eſſet inimicus, Cæſarem non debere ſuâ ſententiâ reuocari.

XX. QVIS plenior inimicorum fuit C. Mario? L. Craſſus, M. Scaurus, aliíne inimici? omnes Metelli: at hi non modò illum inimicum ex Gallia, ſententiis ſuis, non detrahebant, ſed & propter rationem Gallici belli, prouinciam extra otdinem decernebant. Bellum in Gallia maximum geſtum eſt, domitæ ſunt à Cæſare maximæ nationes: ſed nondum legibus, nondum iure certo, nondum ſatis firma pace deuinctæ. bellum affectum videmus, &, verè vt dicam, pænè confectum, ſed ita, vt, ſi idem extrema perſequitur, qui inchoauit, iam omnia perfecta videamus: ſi ſucceditur, periculum ſit, ne inſtauratas maximi belli reliquias acrenouatas audiamus. Ergo, ego ſenator, inimicus, ſi ita vultis, homini, amicus eſſe, ſicut ſemper fui, reipubl. debeo.

EXPLANATIO.

QVIS PLENIOR.] C. Marius obſcuro loco, ex Arpinate municipio natus, Quintum Metellum Numidicum, vt dicitur 3. offic. *Cuius legatus erat, ſummum virum & ciuem cùm ab eo Imperatore ſuo Romam miſſus eſſet, apud populum Rom. criminatus eſt bellum illud* contra Iugurtham *ducere, ſed ſi ſe Conſulem feciſſent breui tempore aut viuum aut mortuum, Iugurtham ſe in poteſtatem populi Romani redacturum. Itaque factus eſt ille quidem Conſul, ſed à fide iuſtitiáque diſceſſit, qui optimum, & grauiſſimum ciuem, cuius legatus & à quo miſſus eſſet in inuidiam falſo crimine adduxerit.* Quo ſcelere omnium in ſe Metellorum odium concitauit. Idem Conſulatum adeptus atrocem habuit contra nobiles concionem, quam videbis apud Salluſtium. hinc in eum vniuerſa propè nobilitas exarſit. Is deinde de Iugurthâ triumphauit, & Cymbris, qui iam M. Iunij Syllam, C. Manlij, Seruilij Cæpionis conſulares exercitus internecione deleuerant, in Italiam ſe infundentibus, Mario, vt ait epitome Liuiana lib. LXVII. *Propter Cymbrici belli metum continuatus per complures annos magiſtratus eſt; conſulatu ſecundo & tertio abſens Conſul creatus, quartum conſulatum diſsimulanter captans conſecutus eſt.* Ne refragantibus quidem inimicis, qui actum videbant eſſe de imperio, niſi Marius illi ſeculo contigiſſet, atque adeò ei per plures annos imperium ſuis ſententiis prorogabant.

BELLVM IN GALLIA.] Iam Heluetios Cæſar & Ariouiſtum Germanorum Regem. Iam Neruios & Belgas cæteros ingentibus præliis afflixerat.

MAXIMÆ NATIONES.] Heluetiorum, qui ad nouas ſedes quærendas exeuntes, oppida ſua, ne reuerti poſſent, vicóſque incenderant. *Summa erant capitum*, vt recenſet ipſe Cæſar *Heluetiorum millia* CCXLIII. *Tulignorum millia* XXX. *Lotabricorum* XXIII. *Boiorum* XXII. *Rauracorum* XXIII. Neruij etiam deuicti. *Ex ſexcentis ad tres Senatores, ex hominum millibus* LX *ad quingentos, qui arma ferre poſſent, ſeſe redactos eſſe dixerunt.* Vide Cæſarem ipſum libro primo & ſecundo de bello Gallico. E quibus intelligas quàm magnæ fuerint eæ nationes, & è Notis noſtris in orationem pro Marcello 8. *Domuiſti gentes*, &c.

BELLVM AFFECTVM.] Tres ſunt, vt ita dicam, rerum ſtatûs, aliæ dicuntur inchoatæ, aliæ affectæ, aliæ confectæ. Quæ ſint inchoatæ planum eſt: affectæ ſunt quæ iam vltra medium perductæ vergunt ad finem: confectæ quæ abſolutæ ſunt, & iam ſuum finem attigerunt.

SI SVCCEDITVR.] Si Cæſari ſucceſſor mittitur, ſi Cæſar è prouinciâ reuocatur.

ERGO.] Concludit quod intendebat ſe publicam vtilitatem priuatis inimicitiis anteferre.

NOTÆ.

L. CRASSVS.] Paucos è multis elegit, quorum Luc. Craſſus eloquentiâ, M. Æmilius Scaurus auctoritate, Metelli familiæ amplitudine facilè primas obtinerent. De Craſſi eloquentiâ plenus eſt Brutus, pleni tres libri de Oratore, de quo illud ſuffecerit initio libri tertij. *Quanquam hoc Craſſo cùm aliquid accuratiùs dixiſſet, ſemper ferè contigiſſet, vt nunquam dixiſſe meliùs putaretur, tamen omnium conſenſu ſic eſſe tum iudicatum cætero à Craſſo ſemper omnes, illo autem die etiam ipſum à ſe ſuperatum.* De hoc eodem & auctoritate Scauri Valerius lib. 8. cap. 5. *Luc. quoque Craſſus, tantus apud Iudices, quantus apud Patres Conſcriptos Æmilius Scaurus: namque eorũ ſuffragia robuſtiſsimis & fœliciſsimis eloquentiæ ſtipendiis regebat, erátque ſic fori vt ille curiæ princeps.* Huc refer quòd, vt dicit Aurelius Victor, ſiue quis alius auctor libelli de viris illuſtribus, *Scaurus ſenex cùm à Vario Tribunoplebis argueretur, quaſi Socios ad arma coëgiſſet, ad populum ait: Varius Sucronenſis Æmilium Scaurum, ait Socios ad arma coëgiſſe: Scaurus negat. Vtri potiùs credendũ putatis.* Tantùm auctoritate potuit vt hac vnâ voce accuſatori ſilentium indixerit. Vide Sextianam 101. De Metellorum familiâ notandum illud ex Velleio. *Intra duodecim ferè annos Conſules fuere Metelli aut Cenſores, aut triumpharunt amplius duodecim.* Vide Notas ad §. 130 Sextianæ.

1. Craſſi eloquentiâ. Scauri auctoritas. Metellorum claritudo

Iam Craſſum Mario fuiſſe inimicum hinc colligere licet, quod Pub. Craſſus eiúſque filius inſequentibus militibus Marianis mortem oppetierunt: id etiam M. Craſſo periculum impendebat, niſi in ſpeluncâ latuiſſet. Scaurum amicum Mario fuiſſe inſinuat auctor libelli de viris illuſtribus: *Tantúmque auctoritate potuit, vt Opimium contra Gracchum, Marium contra Glauciam & Saturnium priuato conſilio armaret.* Sed cùm Ceciliam Metelli Pontificis filiam vxorem habuerit, eáque poſt mortem Scauri Sullæ Dictatori nupſerit, vix adducor vt credam Mario & Scauro inter ſe conueniſſe. Adde quòd Marius in amicitiis varius fuit & mutabilis, & cum inimicis rediit in gratiam ſexto Cõſulatu, cùm Luc. Saturninum oppreſſit. De Metellorum inimicitiis res eſt clarior, quàm vt dicenda videatur.

II. GALLICI BELLI.] Immò Teutonici & Cimbrici. Teutones autem, vt etiamnum vocantur, Germani fuerunt. Cimbri vel antiqui Cimmerij Homero cogniti, Septentrionali polo ſubiecti, ſemeſtrémque noctem habentes, vel Oceani Septentrionalis incolæ, vel denique Celtoſcythæ fuerunt, vt vult Plutarchus in Mario. Quare non errauerit fortaſſe, qui *Celtici belli* legendum putarit. Adeò enim latè patebat Celticum nomen, vt non ſolùm Galliæ partem, ſed totam etiam Germaniam, Sarmatiam, Daciam, Scythiam, Europeam, & alias gentes contineret. vnde illud Nazianzeni:

Celtarum nomen.

Κελτοὶ μὲν κρίνουσι γονὴν Ῥήνοιο ῥεέθροις.

Explorant Celtæ fœtus in gurgite Rheni.

Germani. Vt tamen receptæ Scripturæ hæreamus, Teutones eadem ratione Gallorum nomen obtinere potuerunt, quo dicti ſunt Germani; id eſt, Fratres Gallorum, vel ob corporis animíque ſimilitudinem, vel quòd hæ duæ nationes à fratribus duobus fuerint propagatæ. Tradunt enim nonnulli, vt auctor eſt Appianus in Illyricis: Πολυφήμῳ τῷ Κύκλωπι καὶ Γαλατείᾳ Κελτὸν, καὶ Ἰλλυρικὸν, Γάλαν παῖδας ὄντας ἐξορμῆσαι Σικελίας, καὶ ἄρξαι τῶν δι' αὐτοὺς Κελτῶν, Ἰλλυρικῶν, καὶ Γαλατῶν λεγομένων. *Polyphemi Cyclopis & Galatææ filios Celtum, Illyricum & Galam è Siciliæ finibus exiiſſe, & iis gentibus initium dediſſe quæ ab ipſis Celtarum, Illyricorum, Gallorum nomen habuerunt.* vide infrà 32.

EXTRA ORDINEM.] Vel quòd habita fuerit abſentis ratio in comitiis Conſularibus, vel quòd ei per plures annos continuatus fuerit conſulatus, vel quòd ei nominatim mandatum fuerit bellum Cimbricum in Galliâ gerendum, cùm de more Conſules alij prouincias ſortirentur, aut inter ſe compararent. His & aliis modis imperium extra ordinem dicebatur. De primo Velleius: *Quem virum qui non miretur per tot extraordinaria imperia in ſummum faſtigium vectum iniquo tuliſſe animo C. Cæſaris, in altero conſulatu petendo Senatum populúmque Romanum rationem habere.* III.

DEVINCTÆ.] Dictum iam multis locis, & iterum dicendum pro Marcello, leges & iura ciuitatum, & animarum vincula appellari. Plutarchus etiam ἀπὸ τοῦ εἴρειν, à vinciendo nomen τῆς εἰρήνης deriuat. IV.

AXIOMATA.

Leges, ius & pax vincula ſunt, quibus homines inter ſe vinciuntur.

Negotia meliùs conficiuntur, ſi idem extrema perſequitur qui inchoauit.

Senator amicus eſſe Reipub. debet.

ARGVMENTVM.

Hactenus ita diſputauit, quaſi ſe etiam tum cum Cæſare inimicitias exercere concederet: nunc ita diſputat quaſi ſe inimicum quidem fuiſſe, ſed iam inimicitias deponere Reip. cauſſâ concedat: quod leuitati non eſſe tribuendum oſtendit magnorum virorum exemplis.

QVID ſi ipſas inimicitias depono Reipub. cauſsâ, quis me tandem iure reprehendat? præſertim cùm ego omnium meorum conſiliorum, atque factorum exempla ſemper ex ſummorum hominum factis mihi cenſuerim petenda. An non M. ille Lepidus, qui bis Conſul, & Pontifex maximus fuit, non ſolùm memoriæ teſtimonio, ſed etiam annalium litteris, & ſummi Poëtæ voce laudatus eſt, quòd cum M. Fuluio collega, quo die cenſor eſt factus, homine inimiciſſimo, in campo ſtatim rediit in gratiam, vt commune officium cenſuræ, communi animo, ac voluntate defenderent? Atque, vt vetera, quæ ſunt innumerabilia, mittam: tuus pater, Philippe, nónne vno tempore cum ſuis inimiciſſimis in gratiam rediit, quibus eum omnibus eadem Reſpub. reconciliauit, quæ alienarat? XXI.

EXPLANATIO.

QVID SI.] Etiamſi eſſem Cæſaris inimicus, poſſem ſine nota leuitatis ſimultates & inimicitias publicæ vtilitatis cauſsâ deponere: quia ſequerer exempla clarorum virorum.

AN NON.] Exemplo M. Æmilij Lepidi demonſtrat honeſtum eſſe ob Rempub. cum inimicis in gratiam redire.

BIS CONSVL.] Conſul fuit cum C. Flaminio, vt auctor eſt Liuius anno ab vrbe Conditâ DLXIV. ex quo conſulatu Ligures domuit, anno DLXXIV. Pontifex Maximus, & ſequente Cenſor, ac rurſus anno DLXXVIII. Conſul.

MEMORIÆ TESTIMONIO.] Alias, *memoria & teſtimonio.* ſequor Lambinum & Grutterum.

Svmmi Poetæ.] Quinti Ennij qui hanc reconciliationem eò lubentius Annalium ſuorum monumentis conſignatam poſteritati mandauit; quòd erat M. Fuluio Nobiliori familiaris. Noſter pro Archiâ poëtâ 27. *Iam verò ille qui cum Ætolis Ennio comite bellauit, Fuluius non dubitauit Martis manubias muſis conſecrare.*

Homine inimicissimo.] Æmilius querebatur *Bis à M. Fuluio ſe certo conſulatu deiectum. Fuluius contra ſe ab eo ſemper laceßitum, & in probrum ſuum ſponſionem factam: tamen ambo ſignificare ſi alter vellet ſe in poteſtate tot principum ciuitatis futuros: omnibus inſtantibus qui aderant dexteras, fidémque dedere, mittere verè ac finire odium. Deinde collaudantibus cunctis deducti ſunt in Capitolium.* Liuius lib. 40.

Atqve vt vetera.] Vt Liuij illius Salinatoris, de quo Valerius lib. 4. cap. 2.

Philippe.] Fuit hic Luc. Marcus Philippus ſocer Catonis Vticenſis, vitricus Augusti, qui hoc ipſo anno gerebat conſulatum. Eius pater fuit Luc. Philippus, qui Conſul, vt dicitur in proœmio libri tertij de Oratore, omnem auctoritatem Senatus vniuerſi grauiter oppugnarat, eámque in conſpectu populi Romani conciderat, quem in concione dixiſſe conſtabat. *Videndum ſibi aliud eſſe conſilium: illo Senatu ſe Remp. gerere non poſſe.* Quo dicto Senatus vniuerſi odium in ſe concitauit, ſed Luc. Craſſum & M. Liuium Druſum præcipuos habuit inimicos.

NOTÆ.

I. Ille.] Ad Emphaſim, quòd eſſet propter geſtos honores notiſſimus: de quo epitome Liuiana 48. *M. Æmilius Lepidus, qui princeps Senatûs ab ſextis iam cenſoribus erat lectus, antequam expiraret præcepit filiis lecto ſe ſtrato ſine linteis, ſine purpurâ efferrent: in reliquum funus ne pluſquam æris denos conſumerent: imaginum ſpecie non ſumptibus nobilitari maximorum hominum funera ſolere.* De huius autem cenſurâ & reconciliatione, præter laudatum Liuium lib. 40. Valerius Maximus libro quarto, cap. 2. Gellius lib. 12. cap. 8. Noct. Attic. conſulantur. Huius Marci Lepidi extant etiamnum nobilia monumenta, nummi videlicet ſtatuam equeſtrem habentes, cuius in manu inſigne eſt trophæum: quorum alij hanc epigraphen habent: M. Lepidvs. alij hanc, M. Lepidvs. an. xv. pr. h. o. c. s. Quòd εὐστόχως interpretatur noſter Stephanus Hudelotus lib. 4. Gymnadum miſcellarum cap. 6. quem poſtumum reliquit, breui vt ſperamus in lucem proditurum, ſic inquam interpretatur: *Marc. Lepidus annorum* xv. *Prætextatus hoſtem occidit, ciuem ſeruauit.* Valerius Maximus lib. 3. cap. 1. de indole: *Æmilius Lepidus puer etiam tum progreſſus in aciem hoſtem interemit, ciuem ſeruauit: cuius tam memorabilis operis index in Capitolio ſtatua bullata, & incincta prætextâ S. C. poſita. Iniquum enim putauit eum honori nondum tempeſtiuum videri, qui iam virtuti maturus fuiſſet.* Idem doctiſſimus Hudelotus notat alium eiuſdem Lepidi nummum extare, in quo comparet ipſe haſtam, cui inſidet aquila manu geſtans. Hinc adſtat vir quidam grauitate & corporis maieſtate ſpectandus, eius capiti coronam imponens cum hoc epigrammate, M. Lepidvs. Pont. Max. tvtor. reg. ſupernè verò S. C. In altera parte muliebre caput murorum pinnis coronatum cum hac inſcriptione, Alexandrea. de quo Valerius lib. 6. cap. 6. *Cùm Ptolemæus Rex tutorem populum Romanum filio reliquiſſet, Senatus M. Æmilium Lepidum Pont. Max. bis Conſulem ad pueri tutelam gerendam Alexandriam miſit: ampliſſimique & integerrimi viri ſanctitatem Reipub. vſibus, & ſacris operatam externæ procurationi vacare voluit,* &c.

M. Æmilij res geſtæ.

Svmmi Poetæ.] Idem Ennius pro Cornelio Balbo §. 51. *Summus Poëta noſter* appellatur. II.

In campo.] Liuius lib. 40. *Comitiis confectis, vt traditum eſt antiquitùs, Cenſores in campo ad aram Martis ſellis curulibus conſederunt: quo repente principes Senatorum cum agmine venerunt ciuitatis.* Vbi oratione Qu. Cecilij Metelli in gratiam redierunt. Quòd autem ait Cenſores in Capitolium fuiſſe deductos, eò primum omnium initi magiſtratûs officium auſpicaturi ſe conferebant. Plutarchus Quæſtionibus Romanis 98. *Διὰ τί οἱ τιμηταὶ τὴν ἀρχὴν παραλαβόντες οὐδὲν ἄλλο πράττουσι πρότερον ἢ τὴν τροφὴν ἀπομισθοῦσι τῶν ἱερῶν χηνῶν, καὶ τὴν γάνωσιν τοῦ ἀγάλματος; Cur Cenſores inito magiſtratu nihil agunt priùs quàm anſeribus ſacris cibaria & Iouis ſimulacrum miniandum locauerint?* Sed tum de minio, tum de ſacris anſeribus Plinius lib. 10. cap. 33. conſulatur. Satis ſit huic loco Cenſores inito Magiſtratu primùm, omnium ſe in Capitolium contuliſſe. Porro *campus* abſolùtè frequenter vſurpatur pro *campo Martio*, vt in Piſonem, *Sit ſane Domina campi.* Horatius: III.

Cenſores anſeribus cibaria & Iouis ſimulacrũ minium locabant.

-Hic generoſior
Deſcendat in campum petitor.

Gellius lib. 12. cap. 8. de hac ipsâ re diſſerens: *Atque illi vbi voce præconis renuntiati ſunt, ibidem in campo ſtatim nondum dimiſſâ concione vltrò vterque & pari voluntate coniuncti complexique ſunt.*

AXIOMATA.

Nemo iure reprehendat eum qui inimicitias Reipub. cauſſâ deponit.

Omnium noſtrorum conſiliorum atque factorum exempla ſunt ex ſummorum hominum factis petenda.

Debemus commune officium communi animo, ac voluntate defendere.

ARGVMENTVM.

Exemplo Lucullorum, Seruiliorum, Metelli Nepotis oſtendit vituperandum non eſſe, qui inimicitias Reipub. cauſſa ſuſceptas, eiuſdem cauſſâ relinquat.

XXII. Mvlta prætereo, quòd intueor coram hæc lumina, atque ornamenta Reipub. P. Seruilium, & M. Lucullum (vtinam etiam L. Lu-

cullus ille viueret.) quæ fuerunt inimicitiæ grauiores in ciuitate, quàm Lucullorum, atque Seruiliorum? quas in viris fortiſſimis non ſolùm exſtinxit Reipublicæ dignitas, & ipſorum: ſed etiam ad amicitiam, conſuetudinémque traduxit. Quid? Qu. Metellus Nepos, nónne Conſul templo Iouis Optimi Maximi permotus cùm auctoritate veſtra, tum illius P. Seruilij incredibili grauitate dicendi, abſens mecum, ſummo ſuo beneficio, rediit in gratiam? An ego poſſum huic eſſe inimicus, cuius litteris, fama, nuntiis, celebrantur aures quotidie meæ nouis nominibus gentium, nationum, locorum?

EXPLANATIO.

MVLTA.] Liuij, Neronis & aliorum multorum, qui ex inimicitiis in gratiam redierunt exempla prætermitto. Subdit rationem cur eos prætermiſerat, quia præſens exemplum habebat.

HÆC LVMINA.] Viros vrbis & Senatus ipſius primarios.

LVC. LVCVLLVS ILLE.] Emphaſis, quia fuerat ille ſummus Imperator, & ciuis clariſſimus, qui Mithridatem & Tigranem Reges potentiſſimos, hoſtes Romani nominis acerrimos ſuperauit, qui hoc ipſo anno videtur & diem obiiſſe, quippe cuius tanquam adhuc ſuperſtitis in Vatinianâ facit mentionem. Notat Grutterus *viueret*, neque in antiquitus editis, neque in ſuis manu exaratis extare, ſed cùm nihil ſani adferat, ſtandum putaui recepta lectione, vnde vnde illa prouenerit.

FORTISSIMIS.] Quorum inimicitiæ ſolent eſſe diuturniores & grauiores.

QVID? QV. METELLVS NEPOS.] Extremum exemplum eſt Metelli Nepotis, de quo fusè oratione pro Sextio 130. poſt reditum in Senatu 24. 25. pro domo ſua, & alibi. Addere potuiſſet exemplum Craſſi & Pompeij, qui primo conſulatu variis occaſionibus diſſenſerant, poſtea tamen antequam eiurarent magiſtratum in gratiam redierunt, Iouis ipſius monitu, vt auctor eſt Plutarchus in Craſſo: ſed eos fortaſſe præteriit, quod Senatui non intereſſent. Petebat enim vterque tum temporis conſulatum, & probabile eſt candidatos in Senatum, non veniſſe cùm de prouinciis conſularibus ageretur, vt liberiores eſſent Patrum ſententiæ. Adde quòd iam tum Cato coalitam inter Craſſum, Pompeium, & Cæſarem amicitiam in odium vocabat apud Cæſaris inimicos, ex eáque Reip. cladem erupturam eſſe dicebat, quare prudenter id prætermiſit Orator, cuius mentio cauſæ Cæſaris nocuiſſet.

AN EGO.] Pòſt quàm exemplis egit, adfert reditus in gratiam rationes, ac primò quidem leuiuſculam antè quàm ad ſolidiores euadat. Eam hoc ſyllogiſmo poſſis explicare.

Non debeo eſſe inimicus ei qui celebrat aures meas nominibus nouis gentium à ſe victarum.

Celebrat Cæſar.

Ergo non debeo illi eſſe inimicus.

Celebrare aures, eſt frequenter aliquid nuntiare.

NOTÆ.

LVMINA.] Vide Milonianam 21. *Delegit è florentiſſimis ordinibus ipſa lumina.* Sic Nazianzenus Magnum Athanaſium τὸν ἁγιώτατον τῆς οἰκουμένης ὀφθαλμὸν, *ſacratiſſimum orbis terrarum oculum*, eleganter appellat oratione ad Heronem philoſophum ab exilio redeuntem. I. Lumina Senatus.

IN VIRIS FORTISSIMIS.] Inter quos inimicitiæ ſolent eſſe grauiores. vide Cœlianam 21. *Faciunt quod fortiſſimi viri ſolent, læſi dolent, irati efferuntur.* vbi docuimus id plerumque non tam ex fortitudine quàm ex infirmitate animi prouenire. Notum tamen illud Satyrici: II. Virorum fortium inimicitiæ grauiores.

Hectora Priamiden, animoſum atque inter Achillem
Ira fuit capitalis, vt vltima diuideret mors,
Non aliam ob cauſam, niſi quod virtus in vtroque
Summa fuit.

Vide Piſonianam 81. *Hoc ita fit, vt viri fortes inter ſe comminùs decertarint, tamen illud contentionis odium ſimul cum ipsâ pugnâ armíſque ponant.* Euripides Medea:

Μεγαλόσπλαγχος δυσκατάπαυστος
Ψυχὴ δηχθεῖσα κακοῖσι.

Vix compeſci poteſt excelſus animus malè acceptus.

TEMPLO IOVIS OPTIMI MAXIMI.] Capitolini: *Quem propter beneficia populus Romanus Optimum, propter vim Maximum nominauit.* vt dicitur pro domo 144. Notant tamen viri eruditi apud Iuriſconſultos non Iouem ſolùm, ſed agros etiam & fundos optimos maximos ſolemni verborum formula vocari. Celſus D. de contrahenda emptione: *Cùm venderes fundum non dixiſti, vt optimus maximúſque eſt.* Venuleius de emptionibus. l. Quod ad ſeruitutes. *Niſi vt optimus maximúſque eſt, traditus fuerit fundus.* Paulus de legatis. 3. l. Si mihi. *Iiſdem fundis, &c. vt optimi maximíque ſunt, vtique eos in diem mortis meæ poſſedi.* Item D. de inſtructo. l. Cùm de lanionis. *Mæuio fundum Seianum, ita vt optimus, maximúſque eſt,* &c. III. Opt. Max.

AXIOMA.

In viris fortibus inimicitias Reipubl. dignitas extinguit.

ARGVMENTVM.

Ab amore patriæ oſtendit, etiamſi hactenus Cæſaris inimicus fuiſſet, nunc tantis rebus à Cæſare geſtis, in gratiam eſſe redeundum, argumento à Cæſaris meritis petito.

XXIII. ARDEO, mihi credite, Patres Conſcripti, (id quod voſmet de me exiſtimatis, & facitis ipſi) incredibili quodam amore patriæ, qui me amor, & ſubuenire olim impendentibus maximis cum dimicatione capitis: & rurſum, cùm omnia tela vndique eſſe intenta in patriam viderem, ſubire coëgit, atque excipere vnum pro vniuerſis. Hic me meus in Rempublicam animus priſtinus, ac perennis cum C. Cæſare reducit, reconciliat, reſtituit in gratiam.

EXPLANATIO.

ARDEO.] Syllogiſmus.
Cæſarem odiſſe non poteſt qui amat Remp.
Sed ego amo Rempub.
Ergo Cæſarem odiſſe non poſſum.

Maior propoſitio ſubticetur, & tùm è dictis, tùm è proximè dicendis facilè poteſt intelligi. Aſſumptio duabus rationibus ab effectu comprobatur.

Is amat Rempub. qui & ei ſubuenit cum dimicatione capitis ſui, & tela in ipſam ab improbis coniecta vnus ſubit pro vniuerſis.
Hoc feci. *Ergo amo Rempub.*

ID QVOD.] Ne ſuperbum ſit amorem Reipub. ſibi præ cæteris arrogare, eam laudem Senatoribus impertit, vt & eorum ſibi gratiam conciliet, & inuidiam à ſe deprecetur. Adde quòd eam laudem homines libentiùs alteri concedunt, cuius ſe particeps fore intelligunt.

OLIM.] In meo Conſulatu, impendente coniuratione Catilinæ, quo tempore mihi magna fuit dimicatio ſubeunda, cùm Cethegus negotium ſibi depopoſcit, vt ianuam meam obſideret, & me in lectulo meo confoderet.

ET RVRSVM.] Piſone & Gabinio Conſulibus, cùm exire de ciuitate malui, quàm committere vt boni cum improbis dimicarent. vide Sextianam 49. Vatinianã 6. Plancianam, &c.

PERENNIS.] Perpetuus, non intermiſſus inſtar fluuij perenniter fluentis.

NOTÆ.

ARDEO.] Iure amoris in patriam ſui facit mentionem. Nam, vt ait Ariſtoteles 2. Rhet. cap. 1. Πολὺ διαφέρει πρὸς πίστιν, μάλιστα μὲν ἐν ταῖς συμβολαῖς, εἶτα δὲ καὶ ἐν ταῖς δίκαις τότε ποιόν τινα φαίνεσθαι τὸν λέγοντα, καὶ τὸ πρὸς αὐτοὺς ὑπολαμβάνειν ἔχειν πῶς αὐτόν· πρὸς δὲ τούτοις ἐὰν καὶ αὐτοὶ διακείμενοί πως τυγχάνωσι. *Multum enim intereſt ad fidem maximè quidem in conſiliis, deinde verò etiam in iudiciis tum ſi hoc vel illo modo affectus orator eſſe videatur, tum ſi auditores aliquo modo ipſum erga ſe affectum exiſtiment: tum verò ſi ipſi etiam affecti ſint quodammodo.* Pergit: Τὸ μὲν οὖν ποιόν τινα φαίνεσθαι τὸν λέγοντα χρησιμώτερον εἰς τὰς συμβουλάς ἐστι. *Vtilius eſt igitur ad conſilia, vt orator hoc vel illo modo affectus appareat.* I. Mores faciũt fidem.

DIMICATIONE CAPITIS.] Vide Milonianam 100. *Si qua dimicatio capitis.* II.

INTENTA.] Pro Sextio 15. *Fuerat ille annus in Reipubl. magno metu & multorum timore tanquam intentus arcus in me vnum, ſicut vulgò ignari rerum loquebantur, re quidem verâ in vniuerſam Remp.* De re ipſa vide pro domo pro Plancio, pro Sextio, in Piſonem. III.

AXIOMATA.

Debemus etiam cum dimicatione capitis impendentibus periculis patriæ ſubuenire.

Bonus ciuis cùm omnia tela in patriam intenta eſſe videt, ſubit atque excipit vnus pro vniuerſis.

ARGVMENTVM.

A contrariis oſtendit ſe vituperandum aut lenitatis arguendum non eſſe, ſi cum Cæſare in gratiam redierit de Repub. bene merenti.

XXIV. QVOD volent denique homines exiſtiment: nemini ego eſſe poſſum benè de Republica merenti non amicus. Etenim, ſi iis, qui hæc omnia flamma ac ferro delere voluerunt, non inimicitias ſolùm, ſed etiam bellum indixi atque intuli, cùm partim mihi illorum familiares, partim etiam, me defendente, capitis iudiciis eſſent liberati: cur eadem Reſpub. quæ me in amicos inflammare potuit, inimicis placare non poſſit? Quod mihi odium cum P. Clodio fuit, niſi quòd pernicioſum patriæ ciuem fore putabam: qui turpiſſima libidine incenſus, duas res ſanctiſſimas, religionem, & pudicitiam, vno ſcelere, violaſſet? num

eſt igitur dubium ex iis rebus, quas is egit, agítque quotidie, quin ego in illo oppugnando Reipubl. plus, quàm otio meo, nonnulli in eodem defendendo, ſuo plus otio, quàm communi proſpexerint?

EXPLANATIO.

QVOD VOLENT.] Arguat me, qui volet, leuitatis & inconſtantiæ, quaſi mutauerim mentem, & iam eos amem quibus ante fueram inimicus, meus in patriam amor non patitur, vt eos oderim, qui amant Rempub. & fines imperij propagant.

ETENIM.] Argumentum à contrariis.

Quem Reſpub. inflammat in amicos, eum placare debet erga inimicos.

Sed me Reſpub. inflammauit contra amicos.

Ergo eadem Reſpub. me placare debet erga inimicos.

Minorem probat exemplis, quòd in Catilinam, Cethegum, Lentulum, Clodium & alios pernicioſos Reipub. ciues inimicitias ſuſceperit.

QVI HÆC OMNIA.] De coniuratis ita Salluſtius: *Negotia diuiſa hoc modo dicebantur, Statilius & Gabinius vti cum magnâ manu duodecim ſimul opportuna loca vrbis incenderent,* &c. *Cethegus Ciceronis ianuam obtineret, eúmque vt aggrederetur, alius item alium: Sed filij familiarum, quorum ex nobilitate magna pars erat, parentes interficerent: ſimul cæde & incendio perculſis omnibus ad Catilinam erumperent.*

CVM PARTIM.] Nota Syntaxim. *Cùm partim illorum mihi familiares.* pro *cùm illi mihi partim familiares.* quod ad rem attinet pro Cœlio 15. ita loquitur de ipſo Catilina: *Me ipſum, me, inquam, quondam pæne ille decepit, cùm & ciuis mihi bonus, & optimi cuiuſque cupidus & firmus amicus, & fidelis videretur,* &c.

ME DEFENDENTE.] Feneſtella putauit ipſum Catilinam à Cicerone fuiſſe defenſum: ſed hanc opinionem refutat multis Aſconius commentariis orationis contra C. Antonium & Luc. Catilinam in togâ candidâ. Fortaſſe Cornelium Lentulum Suram defenderat, frequenter enim cauſam capitis dixit, vt auctor eſt Plutarchus in Cicerone.

LIBIDINE.] Amore Pompeiæ Cæſaris vxoris.

RELIGIONEM.] Sacrificium bonæ Deæ. quod tam caſtè ſanctéque celebratur à Virginibus Veſtalibus & matronis, vt etiam maſculorum animalium effigies & ſimulacra velentur. Pudicitiam itaque violauit conatus cum Pompeiâ adulterium committere. Religionem ingreſſus habitu tibicinæ ſacrarium ſiue opertum Bonæ Deæ, quo nefas erat viros accedere cùm in ædibus Cæſaris eidem Deæ ſacra fiebant.

NOTÆ.

1. QVOD VOLENT.] Ad ſumma tendenti contemnendos eſſe ſermones hominum non cothurnati ſolùm, ſed etiam ſoccati aut planipedes crediderunt. vt ille Callicles Plautinus Trinummo:

Ne admittam culpam ego meo ſum promus pectori.
Suſpicio eſt in pectore alienâ ſita.

Et alia multa in hanc ſententiam, vt minùs mirari debeamus aut philoſophos, aut Patres, qui eadem frequenter inculcant. Vt Seneca epiſt. 76. *Æquo animo audienda ſunt imperitorum conuitia, & ad honeſta vadenti contemnendus eſt iſte contemptus.* Et epiſt. 91. *Quid autem ſtultius homine verba metuente? eleganter Demetrius noſter,* &c. Cætera ſubnecterem, niſi mihi Stoica loquendi ſpurcitia diſpliceret. Subdit: *Quanta dementia eſt vereri ne infameris ab infamibus?* Clemens Alexandrinus 5. ſtromatum:

Contemnendi hominum ſermones.

Η Κλεάνθους δὲ τοῦ Στωϊκοῦ ποιητικὴ ὧδέ πως γράφει·
Μὴ πρὸς δόξαν ὅρα ἐθέλων σοφὸς αἶψα γενέσθαι
Μηδὲ φοβοῦ πολλῶν ἄκριτον καὶ ἀναιδέα δόξαν.
ΟΥ γὰρ πλῆθος ἔχει συνετὸν κρίσιν, οὔτε δικαίαν,
Οὔτε καλήν, ὀλίγοις δὲ παρ' ἀνδράσι τοῦτό κεν εὕροις.
Γνωμικώτερον δὲ ὁ Κωμικὸς ἐν βραχεῖ·
Αἰσχρὸν τὸ κρίνειν τὰ καλὰ τῷ πολλῷ ψόφῳ.

In Cleanthis Stoici poëſi ſcriptum ita reperitur:

Eſſe cupis ſapiens? tibi ne ſit opinio curæ
Nullo iudicio vulgus, nullóque pudore eſt,
Qui neque prudentem nec iuſtè indicat vnquam
Nec bene: apud paucos homines reperire valebis.

Preſſius & ſententioſius ille Comicus:

Malè iudicantur vocibus vulgi bona.

Pythagoras apud Stobæum ſermone 44. Φαῦλος κριτὴς παντὸς καλοῦ πράγματος ὄχλος· διόπερ ὧν αὐτῶν ἐπαίνων καταφρονῆς καὶ τῶν ψόγων καταφρόνει. *Omnis honeſta rei duabus iudex eſt vulgus: quorum igitur laudes contemptui haberes, eorundem vituperia quoque ſpernas.* Vide Vatinianam 9. *Boni viri iudicent.* Non poſſum præterire Platonem in Critone: Γυμναζόμενος ἀνὴρ καὶ τοῦτο πράττων πότερον παντὸς ἀνδρὸς ἐπαίνῳ καὶ ψόγῳ, καὶ δόξῃ τὸν νοῦν προσέχει, ἢ ἑνὸς μόνου, ὃς ἂν τυγχάνει ἰατρὸς, ἢ παιδοτρίβης ὤν; οὐκ ἄρα, ὦ βέλτιστε, πάνυ ἡμῖν οὕτω φροντιστέον ὅτι ἐροῦσιν οἱ πολλοὶ ἡμᾶς, ἀλλ' ὅτι ὁ ἐπαΐων τῶν δικαίων καὶ ἀδίκων, ὁ εἷς καὶ αὐτὴ ἀλήθεια. *Qui exercetur, & in hoc vnum incumbit vtrum cuiuſlibet hominis laudi, vituperationi & opinioni animum aduertit, an vnius hominis qui medicus eſt, & laniſta? Non igitur, amice, nobis omnino curandum eſt, quid dicturi ſint de nobis homines, ſed quid ille qui iuſta & iniuſta, quæ nos gerimus, audítque & videt, qui vnus eſt & ipſa veritas?* Et alia pulcherrima in hanc ſententiam, quæ Chryſoſtomus homiliâ 17. in epiſt. ad Romanos in morali, ſi non verbis ſaltem ſenſu penitùs expreſſit. quem adderem & Nazianzenum orat. habitâ Conſtantinopoli, & orat. ad eos qui dicebant ipſum expetere ſedem Conſtantinopolitanam: ſed piget tam multa Græcè adſcribere. vnus in præſentiâ ſatis fuerit Auguſtinus lib. quinquaginta homiliarum 25. *Ille nouit ſub cuius oculis loquor, imò ſub cuius oculis cogito, non me tam delectari laudibus popularibus, quàm ſtimulari & angi quomodo viuant qui me laudat: laudari autem à malè viuentibus nolo, abhorreo, deteſtor, dolori mihi eſt non voluptati. Laudari autem à bene viuentibus ſi dicam nolo, mentior: ſi dicam volo, timeo ne ſim inanitatis appetentior, quàm ſoliditatis. Ergo quid dicam? nec plenè volo, nec plenè nolo. non plenè volo, ne in laude humanâ pericliter: non plenè nolo, ne ingrati ſint quibus prædico, quibus ſcribo.*

Deo vni placendum.

Quatenus laus appetenda.

FLAMMA AC FERRO.] Ab his vocabulis cùm de oppreſsâ coniuratione loquitur, orationis pigmenta frequenter accerſit. lib. 1. ad Attic. epiſt. 11. *Totum hunc locum, quem ego variè meis orationibus, quarum tu Ariſtarchus es ſoleo pingere de flammâ, de ferro (noſti illas ληκύθους) valdè grauiter pertexuit.* vbi Godefredus de his lecythis: *Ampullæ ſunt*, inquit, *pigmentorum ex quibus pictores ſumunt, quæ ad colorandum apta.*

III. PARTIM ILLORVM.] Id eſt, pars illorum. ſiue quidam ex illis, vt interpretatur Gellius lib. 10. Noct. Attic. cap. 13. cuius archaiſmi profert aliquot exempla. Cato: *In cubiculum ſubreptitauit è conuiuio: cùm partim illorum iam ſæpè ad eum modum erat.* Quint. Claudius 21. Annali:

Partim. *Eum enim cum partim copiis hominum adoleſcentium placentem ſibi.* Et 23. *Sed idcirco me feciſſe quod vtrùm negligentiâ partim magiſtratuum, an auaritiâ, an calamitate populi Romani eueniſſe dicam, neſcio.* Idem Gellius lib. 3. cap. 16. *Partim eorum diſputabant, Homeri quoque ætate ſicuti Romuli, annum fuiſſe non duodecim menſium, ſed decem.* In Piſonem 48. *Cùm partim eius prædæ profundæ libidines deuoraſſent, partim noua quædam & inauditas luxuries, partim, &c.* non partem, vt Faërnus emendat apud Lambinum.

IV. INFLAMMARE.] Notum eſt iram frequenter ignem nominari. vt 2. Æneidos:

Exarſere ignes animo, ſubit ira cadentem
Vlciſci patriam.-

Panopolitanus Poëta frequenter. vt l. 23. Dionyſ.

Φθονερῷ δὲ χόλου βακχεύετο πυρσῷ
Σφίγξας καρχαρόδοντι μεμυκότα χείλεα δεσμῷ.

Ira ignis. *Inuidus irarum flammis exarſit, & ira*
Infrendens labrum compreſſit mordicùs.

Papinius lib. 2.

-Illi tacito ſub pectore dudum
Ignea corda fremunt.-

Meritò, ſiquidem ira definitur ζέσις αἵματος, tum ab Ariſtotele, tum à Theocrito & aliis, quod ſanguis iratis circa cor ebulliat: cæteros omitto. pulchrè Baſilius Magnus homilia contra Iracundos: Ὀρεγομένοις, inquit, τῆς ἀντιλυπήσεως περιζεῖ μὲν τῇ καρδίᾳ τὸ αἷμα, ὥσπερ βίᾳ πυρὸς κυκώμενον καὶ παφλάζον. *Expetentibus iis dolorem referre ſanguis circa cor ebullit, quaſi quadam ignis violentiâ turbatus & efferueſcens.* Paulò poſt: Ὀφθαλμοὶ μὲν γὰρ ἐκείνοις οἱ συνήθεις τε καὶ [illegible] ἠγνόηνται, παράφορον τὸ ὄμμα, καὶ πῦρ ἤδη βλέπει, καὶ παραθήγει τὸν ὀδόντα κατὰ τοὺς τῶν συῶν τοὺς ὁμόσε χωροῦντας. *Oculi ipſorum ſoliti non videntur, vagus & truculentus aſpectus, & ignem iam intuentur. dentes acuunt inſtar aprorum qui cominus congrediuntur.* Ira. Arnobius aduerſus Gentes lib. 1. *Et quid ſequitur neceſſariò, niſi vt ex eorum luminibus ſcintillæ emicent, flammæ æſtuent, anhelans pectus ſpiritum iaciat ex ore, & ex verbis ardentibus labiorum ſiccitas inalbeſcat.* Et ſanè, vt id obiter dicamus, veræ nonnunquam flammæ ex iratis animantibus emanare, non immeritò videri poſſint. Xenophon de venatione apri: Τεθνεῶτος εὐθὺς ἐάν τις ἐπὶ τὸν ὀδόντα ἐπιθῇ τρίχας συντρέχουσιν. οὕτως εἰσὶ θερμοί. ζῶντι δὲ διάπυροι ὅταν ἐρεθίζηται. οὐ γὰρ ἂν τῶν κυνῶν ἁμαρτάνων τῇ πληγῇ τοῦ σώματος ἄκρα τὰ τριχώματα περιεπίμπρη. *Si quis in recens mortui dentem pilos immiſerit, contrahuntur. Adeò ſunt calidi. viuenti verò etiam ignei cùm irritatur. non enim aliter cum ictu à corpore canum aberat, ſummitatem pilorum ambureret.* Vt minùs mirum ſit quod aiunt è colliſis inter ſe leonis oſſibus ſcintillas extundi.

AXIOMATA.

Quod volent de nobis homines exiſtiment.

Non debemus eſſe bene de Republ. merenti non amici.

Eadem Reſpub. quæ non in amicos inflammare poteſt, inimicis placare debet.

Duæ ſunt res ſanctiſſimæ religio & pudicitia.

Non debemus noſtro plus otio quam communi proſpicere.

ARGVMENTVM.

Cæſari ſe reconciliatum ait exemplo Senatus vniuerſi, qui Cæſari decreuit honores ampliſſimos, ac proinde ſe reprehendendum non eſſe qui non proprio dolori, ſed auctoritati voluntatique Senatûs obſequatur.

XXV. EGO me à C. Cæſare in Republ. diſſenſiſſe fateor, & ſenſiſſe vobiſcum: ſed nunc iiſdem vobis aſſentior, cum quibus antea ſentiebam. vos enim, ad quos litteras L. Piſo de ſuis rebus non audet mittere, qui Gabinij litteras, inſigni quadam nota atque ignominia noua, condemnaſtis, C. Cæſari ſupplicationes decreuiſtis numero, vt nemini, vno ex bello: honore, vt omnino nemini. cur igitur exſpectem hominem aliquem, qui me cum illo in gratiam reducat? reduxit ordo ampliſſimus, & ordo is, qui eſt & publici conſilij, & meorum omnium conſiliorum auctor & princeps. vos ſequor, Patres Conſcripti, vobis obtempero, vobis aſſentior: qui quamdiu C. Cæſaris conſilia in Repub. non maximè diligebatis, me quoque cum illo minus coniunctum videbatis: poſteaquam rebus geſtis mentes veſtras, voluntatémque mutaſtis: me non ſolùm comitem eſſe ſententiæ veſtræ, ſed etiam laudatorem vidiſtis.

EXPLANATIO.

EGO ME.] Non negò me à Cæſare diſſenſiſſe, cùm ille in ſuo conſulatu & alia noua moliretur, & initio collegâ Bibulo colonos Capuam tranſcriberet.

ET SENSISSE VOBISCVM.] Quibus illa coloniæ deductio non placebat. Prudenter autem ſe & cum Senatu priùs ſenſiſſe, & nunc ſentire dicit, tùm ad crimen leuitatis diluendum, tùm ad captandam beneuolentiam ordinis vniuerſi: ídque argumentum tanquam omnium firmiſſimum expolit, & variis ac variis modis inculcat. hic eſſe poteſt ſyllogiſmus.

Non eſt accuſandus leuitatis qui in ornandis ciuibus iudicio Senatus obtemperat.

Sed ego in ornando Cæſare iudicio Senatus obtempero.

Ergo non ſum accuſandus leuitatis.

VOS ENIM.] Quoniam contraria contrariis oppoſita magis eluceſcunt, Piſonis & Gabinij dedecus honori Cæſaris opponit, vt Senatûs in Cæſarem amor magis eluceat.

IGNOMINIA.] Denegatione ſupplicationis, nouâ & inuſitatâ, quippe quæ vel nemini omnino, vel ſoli poſt homines natos T. Albutio inuſta fuerat.

NVMERO.] Quindecim dierum. Lambinus autem legit: *Vno ex bello.* quod imprimis arridet. quia ſubnectitur, *honore vt omnino nemini.* quaſi dicat, ſupplicationes Cæſari decreuiſtis numero dierum, vt nemini decreta ſit tot dierum vno ſaltem ex bello: nam ex pluribus bellis alicui fortaſſe plurium dierum ſupplicationes decretæ fuerunt. Verbi cauſâ, Pompeio poſt mortem Mithridatis dierum duodecim ſupplicatio decreta fuit, ſed plures iam antè ſupplicationes, poſt victoriam Hiſpanienſem, Africanam, piraticam: quorum dierum ſi ſubductis rationibus ſummam faciamus, numerus maior erit: ſed eximium & præcipuum id habet Cæſar, quod tanto verborum honore ei ſupplicatio decreta fuerit, vt omnino nemini, ſiue ex vno, ſiue ex pluribus bellis. Certè Grutterus *vno* extare dicit in omnibus ſuis Palatinis.

ORDO AMPL.] Senatus. aduerte varietatem orationis, & commorationem Rhetoricam.

NOTÆ.

I. πλοκὴ verborum.

EGO ME.] Nota iucundam πλοκὴν verborum *diſſenſiſſe, ſenſiſſe, aſſentior, ſentiebam.* cuius aliquot exempla proferemus in Piſonem 2. *Ædilis es factus. Piſo eſt à populo Romano factus, non iſte Piſo.* Tales ſunt 11. verſus Enniani, *vno multifariam verbo concinniter implicati*, apud Gellium cap. 2. lib. 18. Noct. Attic.

Nam qui lepidè poſtulat alterum fruſtrari.
Quem fruſtratur, fruſtra eam dicit fruſtra eſſe.
Nam qui ſeſe fruſtrari quem fruſtra ſentit.
Qui fruſtratur, is fruſtra eſt, ſi non ille eſt fruſtra.

II. Noua ignominia inſignior.

NOVA.] Ignominia noua eſt ad hominum memoriam inſignior. ſuprà 16. *Hanc inſignem ignominiam, quoniam vni præter ſe inuſta eſt, putet eſſe leuiorem.* Ignominioſum eſt enim vel maximè, maximúmque pudorem incutit, vt ait Philoſophus cap. 6. lib. 2. Rhet. Τὸ τῶν καλῶν ὧν πάντες μετέχουσι, ἢ οἱ ὅμοιοι πάντες, ἢ οἱ πλεῖστοι μὴ μετέχειν. *Rerum honeſtarum, quarum omnes participes ſunt, aut ſimiles omnes, aut plurimi, non eſſe participem.* In Piſonem 45. *Idne ego optarem, vt inimicus meus, eâ qua nemo vnquam ignominiâ notaretur.*

III. Honores ſingulares.

VT NEMINI.] Non ſolùm, vt ait Satyricus,

-Voluptates commendat rarior vſus,

ſed etiam honores & beneficia, ſi nulli vel paucis delata fuerint, vt quod Camillus alter Romulus, Marius item tertius Romæ conditor. Cicero primus omnium pater patriæ fuit appellatus: Soli Coſſus & Marcellus opima ſpolia retulerunt. Soli poſt vrbem conditam M. Varro & Agrippa coronâ nauali donati fuerunt: Soli vel penè ſoli M. Catoni milites veſtimenta ſubſtrauerunt. Solus Pompeius necdum Senator triumphauit. Sed Alexander & Hercules ſiue Corinthiorum, ſiue Megarenſium ciuitate donati. Seneca lib. 1. de beneficiis cap. 14. *Beneficium quod quibuslibet datur, nulli gratum eſt: nemo ſe ſtabularij aut cauponis hoſpitem indicat, nec conuiuam dantis epulum.* Vide Piſonianam 52. *Mihique. quod ante me nemini, pecuniâ publicâ ædificandam domum cenſuerunt.*

IV. Honos verborum.

HONORE.] Non ſolùm refert quid, ſed etiam quo verborum honore decernatur, niſi ſi quis non contumelioſum putat illud Spartanorum decretum: Ἐπεὶ Ἀλέξανδρος Θεὸς εἶναι βούλεται, Θεὸς ἔστω. *Quandoquidem Alexander Deus eſſe vult, Deus eſto.* Licet enim decerneret quod is expetebat, verbis tamen grauiùs ſacrilegam eius ambitionem traducebat, quàm ſi omnino negauiſſet. Noſter infrà 28. *Alij tempus differebant, alij ſine vllis verborum ornamentis dabant.* Philipp. 14. num. 29. *Decerno igitur eorum trium nomine, quinquaginta dierum ſupplicationes, quas vt honorificentiſſimis verbis conſequi potero, conſequar ipſâ ſententiâ.* Et Africanus apud Liuium lib. 20. cùm Maſaniſſam, *Aureâ coronâ, aureâ paterâ, ſella curuli, ſcipione eburneo, togâ pictâ, & tunicâ palmatâ, addit verbis honorem*, &c. Vide Piſonianam 35. *Iiſque verbis ea de me Senatûs auctoritas declarata eſt, vt nemini ſit triumphus honorificentiùs, quàm mihi ſalus reſtitutióque perſcripta.* Et 45. *Nouis honoribus afficiat, & numero dierum, & genere verborum.*

V. Ordo ampliſſimus.

ORDO AMPLISSIMVS.] Senatus. Adeò vt etiam in coloniis & municipiis decuriones id honorarium nomen obtinerent. Vide Cœlianam 5. *Nemini vnquam præſenti Puteolani maiores honores habuerunt, quàm abſenti M. Cœlio, quem & abſentem in ampliſſimum ordinem cooptarunt*, &c. nonnunquam tamen id nominis etiam in Equitum & Tribunorum ærariorum ordines redundat, vt pro Milone, florentiſſimi ordines dicuntur.

AXIOMATA.

Ignominia noua eſt ad memoriam inſignior.

Ordo ampliſſimus ſiue Senatus eſt publici conſilij, auctor & princeps.

Reprehendendus non eſt, qui Senatui obtemperat.

Rebus geſtis mentes hominum voluntatéſque mutantur.

ARGVMENTVM.

Hactenus ab exemplis clarorum virorum à Cæſaris meritis, ab exemplo Senatus oſtendit ſe redire in gratiam cum Cæſare debuiſſe: nunc idem probat à comparatis, & iis quæ ſine cuiuſquam reprehenſione in gratiam Cæſaris, iam antè decreuerat.

XXVI. SED quid eſt, quod in hac cauſſa maximè homines admirentur, & reprehendant meum conſilium: cùm ego idem antea multa decreuerim, quæ magis ad hominis dignitatem, quàm ad Reipub. neceſſitatem pertinerent? Supplicationem quindecim dierum decreui ſententiâ meâ. Reipub. ſatis erat tot dierum quot C. Mario: diis immortalibus non erat exigua eadem gratulatio, quæ ex maximis bellis. ergo ille cumulus dierum hominis eſt dignitati tributus.

XXVII. In quo ego, quo Conſule referente, primùm decem dierum ſupplicatio decreta Cn. Pompeio, Mithridate interfecto, confectóque Mithridatico bello, & cuius ſententia primùm duplicata eſt ſupplicatio Conſularis (mihi enim eſtis aſſenſi, cùm eiuſdem Pompeij litteris recitatis, confectis omnibus maritimis, terreſtribúſque bellis, ſupplicationem dierum duodecim decreuiſtis) ſum Cn. Pompeij virtutem & animi magnitudinem admiratus, quòd cùm ipſe cæteris omnibus eſſet omni honore antelatus, ampliorem honorem alteri tribuebat, quàm ipſe erat conſecutus. Ergo in illa ſupplicatione, quam ego decreui, res ipſa tributa eſt diis immortalibus, & maiorum inſtitutis, & vtilitati Reipub. ſed dignitas verborum, honos, & nouitas, & numerus dierum, Cæſaris ipſius laudi & gloriæ conceſſus eſt.

EXPLANATIO.

SED QVID.] *Si nemo me reprehendit cùm Cæſaris magis dignitati, quàm neceſſitati Reipubl. conſulebam, multò minùs ſum reprehendendus, cùm neceſſitati Reip. magis conſulo, quàm Cæſaris dignitati.*

Sed me nemo reprehendit, cùm magis Cæſaris dignitati, quàm neceſſitati Reip. conſulebam.

Ergo nunc multò minùs ſum reprehendendus, cùm neceſſitati Reipub. magis conſulo, quàm Cæſaris dignitati.

Maior huius ſectionis habetur initio. minor & eius probatio eſt tripartita: de ſupplicatione, de ſtipendio, de legatis: quæ tria magis ad Cæſaris dignitatem, quàm ad neceſſitatem publicam pertinebant: complexionem habes initio 29. §.

REIP.] Sufficiebat Reipub. ſupplicationem quinque, vel ad ſummum ſex dierum nomine Cęſaris decernere: quemadmodum Mario deuictis Cimbris decreta eſt, quo tempore, vt ait Plutarchus, Populus Romanus C. Marium tertium Romæ conditorém appellauit, poſt Romulum ſcilicet & Camillum: eique ſinguli inter epulas priuatas cœnæ primitias, perinde ac Diis libauerunt.

CVMVLVS.] Auctarium & additamentum dierum, quod ad ſupplicationem ordinariam acceſſit, tributum eſt Cæſaris dignitati non Reipub. aut Deorum immortalium honori.

IN QVO.] Duplex tempus ſupplicationis decretæ ſignificatur, quam proinde duplicem exiſtimamus. alteram decem dierum, iſtam in Ciceronis conſulatu, alteram duodecim dierum poſt conſulatum. Quod ſatis apertè declarant verba: cùm in priore dicat, *quo Conſule referente.* In poſteriore non referente, ſed ſententiam dicente: *Et cuius ſententiâ.* In priore etiam cauſa ponatur tantùm: *Mithridate interfecto, confectóque Mithridatico bello.* In poſteriore multò amplior: *Confectis omnibus maritimis terreſtribúſque bellis.* Victis ſcilicet ac domitis tum aliis Aſiæ populis, tum Iudæis adhuc intactis, atque adeo orbe pacato, vt ex Dione intelligitur. Vnum hîc habet dubitationem, quòd ex Liuio conſtare videtur ſupplicationem dierum quinque ordinariam fuiſſe, ac proinde cùm ait Cicero ſupplicationem Conſularem duplicatam, decem dierum non plus videtur poſſe intelligi. Eſt quidem hæc ratio Manutij & aliorum, quibus *decem dierum* etiam poſteriore loco pro *duodecim* videtur legendum. Verùm nihil obſtat, quin quæ ſuperioribus fuiſſet temporibus ordinaria quinque dierum, Ciceronis & Pompeij æuo ſex fuerit, initio à C. Marij ſupplicatione ſumpto. Quid ſi etiam Conſulibus id honoris habitum dicamus, vt cum omnibus promiſcuè, ſiue qui pro Conſule, ſiue qui pro Prætore bella geſſiſſent, ſupplicatio quinque dierum tribueretur, deinde vt eſſet diſcrimen inter vtroſque, Proprætoribus quinque dierum ordinaria eſſet ſupplicatio, at Proconſulibus ſex dierum, quæ diceretur ſupplicatio Conſularis.

ALTERI.] Iulio Cæſari.

N O T Æ.

SVPPLICATIONEM.] Duplex genus ſupplicationis fuit. nam vel ante bellum ad 1. Supplicatio ante bellum

poſcendam Deorum pacem, vel ob victoriam ad gratiam Diis referendam, fuit indicta. Liuius lib. 31. *Supplicatio inde à Conſulibus in triduum ex S.C. indicta eſt, obſecratique circa omnia puluinaria Dij, quòd bellum cum Philippo populus iuſsiſſet, id bene ac fœliciter eueniret.* Vide paulò pòſt, & lib. 36. ante bella cum Antiocho & Perſe ſuſcepta ſupplicatio indicta deſcribitur. De ſupplicationibus poſt victoriam indictis pleni ſunt auctores, cuiuſmodi ſupplicationem Cato Vticenſis epiſtolâ ad Ciceronem, *triumphi prærogatiuam* appellat. *Dicebatur autem ſupplicatio*, vt verbis Valtrini noſtri lib. 7. de re militari Romanorum vtar: *Cùm populus Romanus vniuerſus ad omnia Deorum templa, cæſis victimis de victoria partâ gratulabatur, eámque ſupplicationem magiſtratus aliquis pro concione edicebat.* Quæ ſingula veterum teſtimoniis confirmat, & addit. *Videtur autem populus Romanus coronatus, atque in veſte candida ſupplicaſſe.* Cato lib. de re militari, vt citat Feſtus, & Gellius lib. 7. cap. 4. Noct. Attic. *Vt populus ſuâ operâ potiùs ob rem bene geſtam coronatus ſupplicatum eat, quàm re malè geſta coronatus veneat.* De veſte candidâ Liuius lib. 45. *Cùm primò in veſte candidâ viſi eſſent, quod & gratulantes decebat.* Fuerunt autem aliæ ſupplicationes ante bellum, aliæ poſt nunciatam victoriam, aliæ ad compita, ad vnum vel plura templa, cum hoſtiis maioribus, aut minoribus, aut lactentibus, cum pueris patrimis matrimiſque, aut in vrbe tantùm, aut per totam Italiam decretæ, &c. de quibus vide Notas noſtras in perorationem pro Cornelio Balbo.

(Supplicatio poſt victoriam. — Supplicantiũ coronæ. — Vt veſtes candidæ.)

II. Cumulus.

CVMVLVS DIERVM.] Cumulus eſt id quod ad menſuram apponitur. Græcis ἐπίμετρον, Latinis auctarium, corollarium, mantiſſa, ſi Feſto Pompeio fidem adhibemus. Inuenitur & in Gloſſis veteribus, *admodera*, item, *abituarium*, vel *abetuarium*, ἐπίμετρον. Sed viderint Grammatici: nobis ſatis ſit ſupplicationem tot dierum quot C. Mario decreta eſt plenam habuiſſe menſuram, quæ Cæſari decreta, eam tot dies pro cumulo habuiſſe, quot diebus ſupplicationem Marij ſuperauit.

III. Animi magnitudo deſpicit honores.

ANIMI MAGNITVDINEM.] Bene animi magnitudinem virtuti ſubnectit. nam vt auctor eſt Ariſtoteles 4. Ethic. Nicomach. Ἔοικε μεγαλοψυχία οἷον κόσμος τις εἶναι τῶν ἀρετῶν. *Videtur animi magnitudo veluti quidam ornatus eſſe virtutum.* Subdit: Ὧ καὶ τιμὴ μικρόν ἐστι τούτῳ καὶ τἆλλα. *Cui honor parua res eſt, ei ſunt & cætera.* E quibus intelligis cur ampliorem honorem alteri tribuere, quam ipſe fueris conſecutus, animi magnitudini tribuatur: Ea enim virtus non ſolùm in cæterarum rerum humanarum, ſed etiam in honoris ipſius deſpicientiâ verſatur. Idem libello de Virtutibus. Μεγαλοψυχία δ' ἐστὶν ἀρετὴ ψυχῆς καθ' ἣν δύνανται φέρειν εὐτυχίαν ἢ δυστυχίαν, καὶ τιμὴν καὶ ἀτιμίαν. *Magnanimitas virtus eſt per quam vtraque fortuna, honórque & ignominia feruntur.* Pulchrè Chryſoſtomus orat. 42. in epiſtolam ad Roman. Ἕτερον μεγαλοφροσύνη, καὶ ἕτερον ἀπόνοια. καὶ τοῦτο δῆλον ἐκεῖθεν. Εἰ γὰρ τὸν πηλὸν πηλὸν ἡγοῖτο, καὶ καταφρονοῖ, ἕτερος δὲ τὸν πηλὸν, ὡς χρυσὸν θαυμάζοι, καὶ μέγα ἄγοι (malim ἡγοῖ) Τίς ἄρα ἐστὶν ὁ ὑψηλός; οὐχὶ τὸν πηλὸν μὴ θαυμάζων; τίς δὲ ταπεινὸς καὶ εὐτελής; οὐχὶ ὁ θαυμάζων αὐτόν; &c. *Aliud eſt animi magnitudo, aliud animi elatio. Et hoc inde manifeſtè oſtenditur. Si enim quis lutum lutum exiſtimet & contemnat, alius lutum vt aurum admiretur, & rem magnam eſſe ducat, Vter eorum erit excelſi animi? Nónne is qui lutum non miratur? Vter vilis & abiectus? nónne is qui ipſum admiratur.* Et alia plura quibus oſtendit, quæ ſit inter magnitudinem & elationem animi diſtinctio. Vide etiam præclara apud Nazianzenum oratione de ſuo in vrbem reditu, ex quibus vera animi magnitudo eluceat.

DIGNITAS VERBORVM.] Vide ſuprà 25. *Honore.* & ibidem de nouitate. IV.

AXIOMATA.

Animi magnitudinis eſt, cùm ipſe cæteris hominibus honore fueris antelatus, ampliorem honorem alteri tribuere quàm ipſe fueris conſecutus.

Delatum honorem commendat nouitas rei, dignitáſque verborum.

ARGVMENTVM.

Duobus aliis exemplis ſyllogiſmi ſuperioris aſſumptionem probat, ſe iam antè citra cuiuſquam reprehenſionem plus Cæſaris dignitati, quàm neceſſitati Reipublicæ tribuiſſe, cùm ei decem legatos decreuit, & ſtipendium militare attribuit ex ærario.

RELATVM eſt ad nos nuper de ſtipendio exercitus: non decreui ſolùm, ſed etiam, vt vos decerneretis laboraui: multa diſſentientibus reſpondi: ſcribendo affui: tum quoque homini plus tribui, quàm neſcio cui neceſſitati. illum enim arbitrabar etiam ſine hoc ſubſidio pecuniæ retinere exercitum prædâ antè partâ, & bellum conficere poſſe: ſed decus illud & ornamentum triumphi minuendum noſtrâ parſimoniâ non putaui. Actum eſt de decem legatis, quos alij omnino non dabant, alij exempla quærebant, alij tempus differebant, alij ſine vllis verborum ornamentis dabant: in ea quoque re ſic ſum locutus, vt omnes intelligerent, me, id quod Reipub. cauſâ ſentirem, facere vberiùs propter ipſius Cæſaris dignitatem. XXVIII.

EXPLANATIO.

RELAT.] Actum eſt nuper in Senatu, vtrùm Cæſari attribuenda eſſet pecunia ex ærario, vt eius exercitui ſtipendium ſolueretur.

SCRIBENDO AFFVI.] Non ſolùm voce dixi meam in Senatu ſententiam, ſed etiam cùm Senatuſconſultum illud ſcriberetur, interfui.

TVM QVOQVE.] Cùm id feci, maiorem dignitatis Cæſaris, quàm publicæ neceſſitatis habui rationem. Quòd illum ſine ſubſidio pecuniæ ex ærario noſtro ad ſtipendium attributæ videbam poſſe bellum inchoatum ad exitum perducere, ac proinde neceſſe non eſſe pecuniam erogari, ſed illud ſatagebam vt prædam & manubias integras conſeruaret, quibus in vrbem illatis ſpecioſiorem triumphi pompam exhiberet.

ACTVM EST.] Deliberatum eſt in Senatu, vtrum illi tanquam bello confecto redactiſque in Prouinciam Galliis, ad conſtituendas nouæ prouinciæ rationes decem legati mitterentur. quod factum honoris & gratulationis cauſsâ tradit Dio, vt videbitur in Notis, niſi malis intelligere de legatis qui eũ in adminiſtratione belli iuuarent, eiúſque vices obirent, quàm de legatis qui poſt victoriam, prouinciæ rationes componerent.

NOTÆ.

I. Stipendium. STIPENDIO.] De ſtipendio militari fusè Lipſius & Noſter Antonius Valtrinus lib. 3. de re militar. Roman. cap. 15. Ex hoc viſum eſt pauca decerpere, quod breuiùs, & ſuo more liquidiùs rem exequatur. Is vbi Feſti verba laudauit: *Priuato ſumptu ſe alebant milites Romani penè ad id tempus quo Roma capta eſt à Gallis.* Subdit: *Rectè id quidem. nam peditibus ſtipendium de publico perſolutum eſt anno* CCCXLVII. V. C. *Anxure Volſcorum oppido capto & direpto: Equitibus verò tertio anno poſt bello Veienti.* De peditibus Liuius lib. 4. paginâ pene extremâ. De equitibus idem lib. 5. ineunte. Quãtum autem ſtipendium militare fuerit, enucleatiùs diſputat, & ita concludit: *Initio cùm ſtipendium de publico pedites mereri cœperunt, ternos in diem aſſes habere: ſenos deinde ſeptenóſve: tum denos: poſtea denarium: poſtremo ſingulis menſibus aureos ternos, quibus quartum addidit Domitianus*, &c. *Centurio duplex, Eques autem triplex ſtipendium meruit, vt docet Polybius.* Vide plura. nos neque plura exſcribere contra conſuetudinem, neque lectori paucula debuimus inuidere. Vide Piſonianam 88. *Stipendium militibus per omnes annos menſis palam propoſitis eſſe numeratum.*

II. SCRIBENDO ADFVI.] Receptus in Senatuſconſultis loquendi modus. Cicero lib. 15. ad famil. epiſt. 6. ad Catonem: *Réſque ipſa declarat tibi illum honorem noſtrum ſupplicationis fuiſſe iucundum, quòd ſcribendo affuiſti. Hæc enim Senatuſconſulta non ignoro ab amiciſſimis eius, cuius de honore agitur, ſcribi ſolere.* Marc. Cœlius

Scribendo S.C. adeſſe, quid? epiſt. 8. ad Ciceronem. Senatuſconſulti exemplum refert, cuius hæc prima ſunt verba, *Pridie Calendas Octobris in æde Apollinis ſcribendo affuerunt Luc. Domitius*, &c. Et ne in ſingulis moremur, eadem verba reperies in decretis Veſtinorum, Peltuinatium, Neapolitanorum, quæ ex antiquis tabulis à Briſſonio referuntur lib. 2. formul. Secutis temporibus *Senatuſconſulta*, vt id obiter notem ex Flauio Vopiſco in Tacito, *quæ ad principes pertinebant, in libris elephantinis ſcribebantur.* Sed contra morem antiquum, & per adulationem nouitiam. Tacitus tertio annalium Senatuſconſultum de tribunitia Druſi poteſtate referens: *Qu. Haterius*, inquit, *cùm S. C. aureis literis figenda in curia cenſuiſſet, deridiculo fuit ſenex fœdiſſimæ adulationis tantum infamia vſurus*, &c. *Tiberius decretas ob Tribunitiam Druſi poteſtatem ceremonias temperauit: nominatim arguens inſolentiam ſententiæ, aureáſque literas contra patrium morem.*

ORNAMENTVM TRIVMPHI.] Ad triumphi ſplendorem pertinebat, vt quamplurimum in ærarium inferretur. Scipio maior in triumpho: *Argenti tulit in ærarium pondo centum millia* XXXIII. id eſt, vnum, vt loquimur, millionem, ducenta triginta millia coronatorum, vt ait Liuius lib. 30. Eius frater Aſiaticus apud eundem Liuium libro 37. *Tulit in triumpho ſigna militaria* CCXXXIV. *oppidorum ſimulacra* CXXXIV. *eburneos dentes* MCCXXI. *aureas coronas* CCXXXIV. *argenti pondo* CXXXVII. *millia* CDXX. *tetradrachmûm Atticorum* CCXXIV. *millia. Ciſtophororum* CCCXX'XI. *millia &* LXX. *nummos aureos Philippeos* CXL. *millia. Vaſorum argenteorum (omnia cælata erant) mille pondo, &* CCCCCXXIV. *aureorum mille pondo &* XXIV. Quorum ſi ſummam facias, vt viri docti ſupputarunt inuenies, 2239213. coronatos, præter eburneos illos dentes & aureas coronas, quæ certo precio non poſſunt æſtimari. Vide eundem lib. 39. de M. Fuluij & Cn. Manlij triumphis, & L. Manlij ouatione. & lib. 40. triumphum Qu. Fuluij Flacci de Celtiberis, & iterum de Liguribus. Idem libro 45. de Luc. Æmilij Pauli triumpho: *Summam omnis capti auri argentique tranſlati HS. millies ducenties fuiſſe Valerius Antias tradit: quæ haud dubiè maior aliquantò ſumma ex numero plauſtrorum, ponderibúſque auri & argenti ab ipſo ſcriptis efficitur.* HS. millies ducenties efficerent tres tantùm milliones. maiorem tamen fuiſſe ſummam neceſſe eſt, ſiquidem, vt ait Tullius offic. lib. 2. ad finem vergente: *Omni Macedonum gazâ, quæ fuit maxima, potitus eſt Paulus: tantum in ærarium inuexit, vt vnius Imperatoris præda finem attulerit tributorum.* Vide Plinium lib. 33. qui hoc idem teſtatur, & inſuper oſtendit 3. cap. quantum fuerit auri diuerſis temporibus in ærario. Quod ad Cæſaris triumphos ſpectat, audiendus eſt Appianus 2. bellorum ciuilium. Χρήματα δ' ἐν τοῖς θριάμβοις φασὶ παρενεχθῆναι μυριάδας ἓξ ϗ ἥμισυ ταλάντων, ϗ στεφάνους δύο καὶ εἴκοσι, ϗ διχιλίους ἐπὶ τοῖς ὀκτακοσίοις ἀπὸ χρυσοῦ, ἕλκοντας ἐς δισμυρίας ϗ δέκα ϗ τέσσαρας, ϗ τετρακοσίας λίτρας. *Pecunias verò in triumphis illatas fuiſſe tradunt* LXV. *millia talentûm, coronas aureas bis mille octingentas viginti duas, quæ viginti millia octingenta viginti quatuor pondo efficerent.* Iam ſi talentum, vt vulgaris eſt opinio, ſexcentis Philippeis æſtimemus, ſexaginta quinque talentûm millia efficient nouem & triginta milliones. Ad hunc etiam triumphi ſplendorem pertinuit donatiuum quod triumphantes militibus diuidebant. Vide Liuium lib. 30. de donatiuo Africa-

II. Triumphus Scipionis Africani.

Aſiatici.

Fuluij.

Manlij.

Pauli.

Cæſaris.

ni, lib.33. de Cn. Cornelij & Qu. Minutij triumphis. Sic Quint. Fuluius lib.40. *Militibus de prædâ quinquagenos denarios dedit, duplex centurionibus, triplex Equiti, tantundem ſociis Latini nominis: & ſtipendium omnibus duplex.* Idem, vt eodem lib. dicitur, iterum triumphans: *Diuiſit in ſingulos milites tricenos æris: duplex centurionibus, triplex Equiti.* lib.41. de Tiberij Gracchi & L. Poſthumij Albini donatiuis, lib.45. in Pauli triumpho: *Pediti in ſingulos dati centeni, duplex centurioni, triplex Equiti.* Eodem libro C. Octauius, & Minutius ſua etiam dederunt militi donatiua. Minutum igitur fuiſſet triumphi decus, ſi ſtipendium non fuiſſet ex ærario erogatum, ſed ex prædâ & manubiis Cæſar militibus ſuis ſtipendium ſoluere debuiſſet. Adde quod honoris causâ triumphi ſumptus ex ærario ſolebant erogare. Liuius lib.33. *Qu. Minutius Conſul de Liguribus Boiiſque Gallis in monte Albano triumphauit. Is triumphus vt loco, & famâ rerum geſtarum, & quod ſumptum non erogatum ex ærario omnes ſciebant, inhonoratior fuit.*

IV. NOSTRA PARSIMONIA.] Senatûs, ad quem diſpenſatio ærarij pertinebat. vide Vatinianam 6.

V. DE DECEM LEGATIS.] Tria fuerunt Legatorum genera, quantum ad rem præſentem ſatis. alios ſibi Imperator ipſe legebat, quaſi muneris ſui vicarios ex auctoritate Senatûs, qui ipſius Imperatoris perſonam ſuſtinerent; & vt ait Cæſar 2. de bello ciuili, *fiduciariam operam obtinerent.* Alij mittebantur à Senatu, qui vel exercitum inſpicerent, & Imperatorem auctoritate Senatûs in officio continerent, renunciaréntve quo pacto ſe erga milites, ſocios & prouinciales gereret Imperator. Sic vt tradit

Legati.

Liuius initio libri 43. Patres, vbi C. Caſſium Conſulem: *Aquileiam indicto exercitu profectum per Illyricum in Macedoniam eſſe* comperiſſent. *Decernunt frequentes vt C. Sulpitius prætor tres ex Senatu nominet legatos, qui ex die proficiſcantur ex vrbe, & quantùm accelerare poſſent Caſſium Conſulem, vbicunque ſit, perſequantur: nuncient ne bellum cum vlla gente moueat, niſi cum qua Senatus gerendum cenſuerat.* Et eodem libro cùm rem malè in Macedonia ab Appio geſtam audiſſent: *Veriti Patres, ne qua maior ignominia acciperetur, legatos in Macedoniam M. Fuluium Flaccum, & M. Caninium Rebilum miſerunt, qui comperta quæ agerentur, referrent: & vt Aulus Hoſtilius Conſul comitia Conſulibus ſubrogandis ita ediceret*, &c. Ibidem Luc. Paulus cùm ſe ad expeditionem Macedonicam accingeret, *A Senatu petiit, vt legatos in Macedoniam mitterent ad exercitus viſendos, claſſémque, & comperta referenda.* Sed neque huius, neque illius generis Noſter facit mentionem. Non prioris: quia nemo exempla quæſiiſſet, cùm ſoleret Senatus vel legatos Imperatoribus adiutores deligere, vel ab ipſis Imperatoribus delectos ſuâ ſententiâ comprobare: non poſterioris, quia huiuſmodi legati ignominiæ potiùs quàm honoris cauſsâ ad exercitus mittebantur.

Legati miſſi à Senatu ad Imperatores in officio continendos.

Tertium legatorum genus fuit, qui poſt victoriam de pacis conditionibus agerent, réſque componerent. Liuius lib.33. *Decem legati more maiorum, quorum ex conſilio Titus Quintius Imperator leges pacis Philippo daret, decreti.* lib.38. in oratione Manlij: *Ex decem legatis, ſi Diis placet, quod concilium honeſtandæ diſpenſandæque victoriæ maiores dederunt noſtri, aduerſarios habeo.* Alia ſunt exempla, ſed prætermitto, quia Briſſonius hunc locum occupauit. Ex hoc tertio genere, Cæſari decem legatos decreuit Senatus, vt auctor eſt Dio, quaſi iam bellum omnino confeciſſet: Ὥστε καὶ ἐκ τῆς βουλῆς ἄνδρας, ὡς καὶ περὶ δεδουλωμένοις παντελῶς τῆς Γαλάταις, ἀποστεῖλαι. *Adeò vt è Senatu viros, tanquam Gallis iam penitus in ſeruitutem redactis, legauerint.* In qua legatione nonnulli exempla meritò requirebant, quòd hactenus nemini niſi confectò penitûs bello decreta fuiſſet decem virorum legatio. Vide Philippicam duodecimam. 28.

Legati qui poſt victoriam res cõponant.

Decem legati.

Aduerte, quod haud ſcio an quiſquam hactenus aduerterit. Etiamſi Tribuniplebis extra pomœrium ordinariam poteſtatem, vt alibi dicemus, non haberent, tamen cùm ſecundi generis legati ad Imperatores comprimendos mitterentur, adiunctos fuiſſe Tribunosplebis. Liuius lib. 29. cùm Locrenſium legati fuiſſent de Scipione tradit factum fuiſſe S. C. in Qu. Metelli ſententiam, qui ſibi placere dixerat: *Conſules decem legatos, quos iis videretur, ex Senatu legere, quos cum prætore mitterent, & duos tribunosplebis atque ædilem, cum eo concilio Prætorem cognoſcere, ſi ea quæ Locrenſes facta quererentur, iuſſu ac voluntate P. Scipionis facta eſſent, vt eum de prouinciâ decedere iuberent: ſi P. Scipio iam in Africam traieciſſet, Tribuniplebis atque Ædilis cum duobus legatis, quos maximè Prætor idoneos cenſuiſſet, in Africam proficiſcerentur, qui reducerent inde Scipionem.* Subdit: *Tribuniplebis cum Prætore & decem legatis profecti M. Clodius Marcellus, & M. Cincius Alimentus. Iiſque Ædilis plebis datus eſt: quem ſi aut in Sicilia Prætoris dicto audiens non eſſet Scipio, aut iam in Africam traieciſſet, comprehendere Tribuni iuberent, ac iure Sacroſanctæ poteſtatis reducerent.* Libro 9. cùm Fabium Maximum Saltus Ciminios cum exercitu penetrare velle nunciatum eſſet, *Quinque legati cum duobus Tribunisplebis venerant, denunciatum Fabio Senatûs verbis ne ſaltum Ciminium tranſiret. Legati ſeriùs ſe quàm vt impedire bellum poſſent, veniſſe, nuntij victoria Romam reuertuntur.*

Tribuniplebis miſſi cum legatis.

AXIOMATA.

Nonnunquam plus eſt homini tribuendum, quàm neſcio cui neceſſitati.

Victor exercitus poteſt ſine præſidio pecuniæ retineri.

Vbi præclara eſt victoriâ, decus & ornamentum triumphi minuendum non eſt parſimoniâ Senatus.

Optandum eſt vt quod Reipub. causâ ſentimus, id etiam faciamus propter amicorum noſtrorum dignitatem.

ARGVMENTVM.

Concluſionem affert ſuperioris ſyllogiſmi, & à perſona Cæſaris oſtendit eum è prouinciâ non eſſe reuocandum, quippe qui non voluptatis, ſed publicæ vtilitatis cauſsâ cupiebat diutiùs in Galliis morari.

XXIX. AT ego idem nunc in prouinciis decernendis, qui illas omnes res egi ſilentio, interpellor: cùm in ſuperioribus cauſſis hominis ornamenta fuerint, in hac me nihil aliud, niſi ratio belli, niſi ſumma vtilitas Reipub. moueat. Nam ipſe Cæſar, quid eſt, cur in prouincia commorari velit, niſi vt ea quæ per eum affecta ſunt, perfecta Reipub. tradantur? amœnitas eum credo locorum, vrbium pulchritudo, hominum, nationúmque illarum humanitas, & lepos, victoriæ cupiditas, finium imperij noſtri propagatio, retinet. quid illis terris aſperius? quid incultius oppidis? quid nationibus immanius? quid porrò tot victoriis præſtabilius? quid Oceano longius inueniri poteſt? An reditus in patriam habet aliquam offenſionem? vtrùm apud populum, à quo miſſus eſt, an apud Senatum, à quo ornatus eſt? an dies auget eius deſiderium? an magis obliuionem? ac laurea illa magnis periculis parta amittit longo interuallo viriditatem? Quare, ſi qui hominem non diligunt, nihil eſt, quòd eum de prouincia deuocent; ad gloriam deuocant, ad triumphum, ad gratulationem, ad ſummum honorem Senatus, equeſtris ordinis gratiam, populi caritatem.

EXPLANATIO.

AT EGO.] Hactenus aſſumptionem probauit, nunc eandem in pauca verba confert per repetitionem, vt illius & complexionis connexio magis appareat.

Ego ſine cuiuſquam interpellatione Cæſari ſupplicationem, ſtipendium, decem legatos decreui.

Ergo neque ſum interpellandus, cum eidem prorogationem imperij decerno.

Probat conſequentiam, vel potiùs repetit conſequentiæ probationem, quia ſuperiora illa decreuerat, vt ipſi Cæſari gratificaretur, at imperij prorogationem non Cæſari gratificandi, ſed ſolius vtilitatis publicæ cauſa decernit.

NAM IPSE.] Nouum adfert ſyllogiſmum, qui tamen probationi ſuperioris inſeruiat.

Non poſſum magis Cæſaris cauſsâ moueri in decernendis prouinciis, quàm Cæſar mouetur in prouinciis expetendis.

Atque Cæſar in expetendis Galliis non ſua, ſed Reipub. cauſsâ mouetur.

Ergo neque ego in decernendis.

Propoſitio habetur initio proximæ ſectionis; nunc probationi minoris ſiue aſſumptionis inſiſtit. Nullam, inquit, habet aliam rationem Cæſar cur in Galliis diutiùs morari velit, niſi, vt inchoatum bellum ad exitum perducat. Quod probat à remotione cæterarum cauſſarum, quæ eum poſſent in prouinciâ retinere.

Si aliam morandi cauſam haberet, maximè, quòd eum locorum amœnitas, vrbium pulchritudo, nationum illarum humanitas & lepos, victoriæ cupiditas, finium imperij propagatio retineret.

Sed nihil horum eum retinet.

Ergo, &c.

Non amœnitas locorum, quia nihil illis terris aſperius. non vrbium pulchritudo, quia nihil incultius oppidis. Non hominum humanitas & lepos, quia nihil illis nationibus immanius. Non victoriæ cupiditas, quia nihil victoriis quas iam retulit præſtabilius. Non denique finium imperij propagatio, quia nihil Oceano, ad quem imperium Romanum protulit, longius inueniri poteſt.

AN REDITVS.] Poſtquam oſtendit nullam eſſe cauſam cur velit Cæſar diutius in Prouinciâ commorari, nunc ex abundanti demonſtrat multas cauſſas eſſe, cur reditus Cæſar fuerit expetendus, niſi ipſum communis vtilitas in Galliis retineret.

A QVO MISSVS EST.] Lege Vatiniâ & Populi Romani ſuffragiis, quibus Galliam Citeriorem Italiæ adiacentem cum Illyrico obtinuit in quinquennium.

A QVO ORNATVS EST.] Multorum dierum ſupplicationibus, ſtipēdio, decem legatis.

AN DIES.] Diuturnitas abſentiæ.

LAVREA ILLA.] Gloria quam tot inſignibus victoriis conſecutus eſt, ipſa temporis longinquitate conſeneſcit, obſoleſcit, & in obliuionem ſenſim adducitur.

QVARE.] Aduerte vim Oratoris, & exuberantem rationum copiam. Interpellatus fuerat & incuſatus, quòd Cæſarem è prouinciâ non reuocaret, à quo tamen omnis in Ciceronem tēpeſtas fuerat excitata. quam obiectionem variis modis diluit. Primò concedendo ſe adhuc eſſe Cæſaris inimicum. 2. dicendo ſe inimicitias Reipub. cauſsâ deponere. quod factum defendit exemplo clarorum virorum, Cæſaris meritis, & Senatus auctoritate: tum quòd iam antè

ad dignitatem Cæſaris multa ſine cuiuſquam interpellatione decreuerit. Nunc quoniam perfecti demum eſt oratoris, ea quæ contra facere videntur, in vſum cauſæ ſuæ conuertere, & vt dicitur, aduerſarium ſuo gladio iugulare, aſſumit ipſam interpellatoris rationem,

Qui Cæſarem non diligit is eum debet è prouinciâ reuocare.

Sed Cicero non diligit (aut ſaltem diligere non debet Cæſarem.)

Ergo Cicero Cæſarem debet è prouinciâ reuocare.

Hanc inquam Orator arripit rationem, & vibratum in ſe telum, reciproco velut impetu retorquet è contrario.

Qui Cæſarem non diligit is eum debet in prouinciâ retinere.

Sed aduerſarius Cæſarem non diligit.

Ergo debet eum in prouinciâ retinere.

NOTÆ.

I. Affectus perfectus. AFFECTA.] Gellius lib. 3. noct. Attic. cap. 16. *Phauorinus mihi ait* πεπλωκὼς ἐνιαυτὸς *non confecto eſſe anno, ſed affecto. In qua re vſus eſt verbo non vulgaris ſignificationis. Affecta enim (ſicuti M. Cicero, & veterum elegantiſsimi locuti ſunt) ea propriè dicebantur, quæ non ad finem ipſum, ſed proximè finem progreſſa deductáve erant.* Supra 20. *Bellum affectum videmus, & verè vt dicam penè confectum.* Idem Gellius lib. 15. cap. 5. duobus his locis addit tertium ex œconomico Ciceronis. *Cùm verò affecta iam propè æſtate vuas à ſole miteſcere tempus eſt.*

II. Antiquæ Galliæ amœnitas. AMOENITAS.] Non magnam fuiſſe antiquæ Galliæ amœnitatem, narrat Scropha apud Varronem lib. 1. de re ruſtica cap. 7. *In Gallia Tranſalpina intus ad Rhenum, cùm exercitum ducerem aliquot regiones acceſsi, vbi nec vitis, nec olea, nec poma naſcerentur, vbi agros ſtercorarent candidâ foſsitiâ cretâ: vbi ſalem nec foſsitium nec maritimum haberent: ſed ex quibuſdam lignis combuſtis, carbonibus ſalſis pro eo vterentur.* Sed id opinor potiùs defectu culturæ quàm ſoli. Strabo libro 4. Ἀργὸν δ' αὐτοῖς οὐδὲν, πλὴν εἴ τι ἕλεσι κεκώλυται, καὶ δρυμοῖς, καί τοι καὶ τοῦτο συνοικεῖται, πολυανθρωπίᾳ μᾶλλον, ἢ ἐπιμελείᾳ. καὶ γὰρ τοκάδες αἱ γυναῖκες, καὶ τρέφειν ἀγαθαί, οἱ δ' ἄνδρες μαχηταὶ μᾶλλον, ἢ γεωργοί. νῦν δ' ἀναγκάζονται γεωργεῖν καταθέμενοι τὰ ὅπλα. *Nihil ipſis eſt otioſum, niſi quod paludibus aut quercetis impeditur. Idque habitatur magis hominum frequentiâ, quàm culturâ. Nam mulieres & fœcundæ ſunt, & aptæ ad nutriendum. Viri magis bellatores ſunt quàm agricolæ. Nunc autem coguntur terram colere poſitis armis.* Scribebat ſub Auguſto. Mela Galliam vocat *amœnam lucis immanibus.*

III. Credo. CREDO.] Verbum ironiæ ſubſeruiens, vt apud Lucretium lib. 5. de natura rerum.

An credo, in tenebris vita ac mœrore iacebat,
Donec diluxit rerum genitalis origo?

Vbi libentiùs legerim: *At credo,* ſine notâ interrogationis. Plinius Iunior Panegyrico Traiani. *Permitteret (credo) famam vitámque eius carpi, qui mortem vlciſcebatur.* Vide Sextianam 134. & alibi.

IV. Antiquæ Galliæ vrbes. VRBIVM PVLCHRITVDO.] Tamen vt citra ironiam ſcribit Ammianus lib. 15. *Prouincia eſt Aquitanica amplitudine ciuitatum admodum culta.* Iterum: *Viennenſis ciuitatum exultat decore multarum.* Quid? quod Auſonius in Moſella:

Culmina villarum pendentibus edita ripis.

Non dubitat vel cum ipſis mundi miraculis comparare. Vide locum.

Hæc eſt natiui ſublimis in aggere ſaxi, Villæ ad Moſellam.
Hæc procurrentis fundata crepidine ripæ.
Hæc refugit, captúmque ſinu ſibi vendicat amnem.
Illa tenens collem, qui plurimus imminet amni,
Vſurpat faciles per culta, per aſpera viſus:
Vtque ſuis fruitur diues ſpeculatio terris.
Quin etiam riguis humili pede condita pratis
Compenſat celſi bona naturalia montis:
Sublimique minans irrumpit in æthera tecto,
Oſtentans altam Pharos vt Memphitica turrim.

Sed hæc villarum magnificentia poſt Cæſaris aduentum, cùm priùs Belgæ à cultu atque humanitate longiſſimè abeſſent, vt cùm cæteri, tum Cæſar ipſe teſtatur.

NATIONVMQVE ILLARVM.] Nationum nomen frequentiùs in malam partem, vt pro Sextio §. 96. num. 1. fusè optimis Bernardi Martini verbis oſtendimus, pro Fonteio 20. *An verò iſtas nationes religione iuſiurandi ac metu Deorum immortalium in teſtimoniis dicendis commoueri arbitramini?* &c. *Hæ ſunt nationes, quæ quondam tam longè ab ſuis ſedibus, Delphos vſque ad Apollinem Pythium, atque ad oraculum orbis terræ vexandum ac ſpoliandum profectæ ſunt.* Hac ipſa oratione 32. *Semper illas nationes noſtri imperatores, refutandas potiùs bello, quàm laceſſendas putauerunt.* Vide ſemel & iterum §. 3. V. Natio.

HVMANITAS AC LEPOS.] Veteres Galli deſcribuntur ab Ammiano. *Luminum toruitate terribiles, auidi iurgiorum, & ſublatiùs inſoleſcentes. Nec enim eorum quemquam adhibitâ vxore rixantem multò fortiore & glaucâ peregrinorum ferre poterit globus:* &c. *Metuendæ voces complurium, & minaces, placatorum iuxta & iraſcentium, terſi tamen pari diligentia cuncti, & mundi,* &c. Eoſdem deſcribit Orator pro Fonteio 23. *Cum quibuſdam minis, & barbaro atque immani terrore verborum.* Diodorus Siculus rerum antiquarum lib. 6. *Aſpectu ſunt terribiles, voce graui atque aſpera, ſermone vtuntur breui, ac ſubobſcuro, multáque ex animo dubia loquuntur: plurima ad iactantiã in ſuam laudem dicunt, & ad cæterorum contemptum: minaces ſunt opinionéque inflati, acuti ingenio, & à doctrina minimè alieni.* Neque verò ſolùm voce fuerunt terribiles, ſed etiam (vt ait idem Diodorus.) *Veſtes ad terrorem intonſas, ac coloris varij ferebant, quas illi vocabant braccas.* Manlius apud Liuium lib. 38. *Procera corpora, promiſſæ & rutilatæ comæ, vaſta ſcuta, prælongi gladij, ad hoc cantus ineuntium prælium, & vlulatus & tripudia, & quatientium ſcuta in patrium quendam morem horrendus armorum crepitus, omnia de induſtria compoſita ad terrorem.* Verùm cùm hac ætate Galli ſic omni ſint humanitate perpoliti, vt nulli genti concedere videantur, hunc terrorem bellicæ potiùs virtuti quàm morum immanitati tribuendũ puto. Sic enim naturã comparatum eſt, vt quorum virtutem metuimus, eos immanitate terribiles putemus. De fortitudine Gallorum Liuius ibidem. *Profecti ex Bythinia in Aſiam proceſſerunt. Non plus ex viginti millibus quàm decem armata erant, tamen tantum terroris omnibus, quæ cis Taurum incolunt, gentibus iniecerunt, vt quas* VI.

Antiqui Galli omnia ad terrorem componebant.

Veteres Galli pauci Aſiam totam ſtipendiariam fecerant.

adiſſent, quáſque non adiſſent, pariter vltimæ propinquis imperio parerent. Poſtremo, cùm tres eſſent gentes, Toliſtobogij, Trocmi. Tectoſagi, in tres partes, quæ cuique populorum ſuorum vectigalis Aſia eſſet, diuiſerunt. Trocmis Helleſponti ora data: Toliſtobogij Æolida atque Ioniam, Tectoſagi mediterranea Aſiæ ſortiti ſunt. Et ſtipendium totâ cis Taurum Aſiâ exigebant. Sedem autem ipſi circa Halim flumen ceperunt. Tantúſque terror eorum nominis erat, multitudine etiam magnâ ſobole auctâ, vt Syriæ quoque ad poſtremum Reges ſtipendiũ dare non abnuerent. Quicquid ſit, multum de hac morum atrocitate dies decoxit, doctrina leniit, Chriſtiana religio planè mitigauit, & ad manſuetudinem humanitatémque traduxit. Ammianus libro 15. *Per hæc loca hominibus paulatim excultis viguere ſtudia laudabilium doctrinarum inchoata per Bardos, & Eubages, & Druidas.* Adeò vt æuo Auſonij, Moſellani noſtri, id eſt Lotharingi & Treuirenſes, iam tum cùm politiſſimis Romanis, de eloquentia, morum grauitate, omníque virtutum genere certarent. Auſonius in Moſella:

Accolæ Moſellæ viri præſtantes.

Salue magne parens frugúmque virûmque Moſella:
Te clari proceres, te bello exercita pubes
Æmula te Latiæ decorat facundia linguæ.
Quin etiam mores, & lætum fronte ſeuera
Ingenium natura tuis conceſſit alumnis,
Nec ſola antiquos oſtentat Roma Catones, &c.

Paulò pòſt de iiſdem Moſellæ accolis.

--memorabo quietos
Agricolas, legúmque catos, fandíque potentes
Præſidium ſublime reis:--

Et alia plura in hanc ſententiam, aſſerens inde lectos pleróſque decuriones, Rhetoras, Iudices, Prouinciarum præſides & præfectos, qui virtutis & eruditionis gloriâ floruerunt. quorum tamen:

Ad nos vix tenuis famæ delabitur aurâ.

Quamuis ne Poëtis quidem caruerunt, qui famã eorum propagare poſſent ad hominum memoriam ſempiternam. Ibidem Auſonius.

-- ſunt tibi multi
Alme amnis, ſacros qui ſollicitare liquores
Aonidum, totamque ſolent haurire Aganippen.

AXIOMATA.

Viri fortis eſt elaborare, vt quæ per eum affecta ſunt, perfecta Reip. tradantur.

Victoriæ lauʀea magnis periculis parta amittit longo interuallo viriditatem.

ARGVMENTVM.

Argumentis duobus, quorum alterum à comparatione à minori ad maius, alterum à conſequentibus, & perpetua pace ſtabilienda petitur, ſuperiùs dicta confirmat, oſtenditque debuiſſe ſe Syriam & Macedoniam decernere.

XXX. SED, ſi ille hac tam eximiâ fortunâ propter vtilitatem reipublicæ frui non properat, vt omnia illa conficiat; quid ego ſenator facere debeo, quem, etiam ſi ille aliud vellet, Reipubl. conſulere oporteret? Ego verò ſic intelligo, Patres Conſcripti, nos hoc tempore in prouinciis decernendis perpetuæ pacis habere oportere rationem. nam quis hoc tempore non ſentit, omnia alia eſſe nobis vacua ab omni periculo, atque etiam ab omni ſuſpicione belli?

EXPLANATIO.

SED, SI.] Argumentum à minori ad maius, quo non ſolùm probat Cæſarem in Galliis eſſe retinendum, ſed etiam vt plenius interpellatori reſpondeat, quaſi iam cætera omnia dicendo fuerit conſecutus, excuſat ſe quodammodo Cæſaris amicis, & rationem exponit cur vtilitatem publicam, Cæſaris vel dignitati, vel commodis anteponat.

Si Cæſar priuatæ vel dignitati, vel commodis, vtilitatem publicam anteponit, multò magis ego Senator debeo publicam vtilitatem priuatis Cæſaris commodis & dignitati præponere.

Sed id facit Cæſar.

Ergo multò magis debeo id facere.

VT OMNIA.] Vt ſuſcepta cum Gallis bella ad exitum perducat, & prouinciam ad pacem tranquillitatémque componat.

QVEM ETIAMSI.] Probatio ſequelæ maioris, iterum à minori ad maius.

Qui Cæſarem inuitum deberet, multò magis volentem debet in prouincia retinere.

Sed Cæſarem etiam inuitum deberem in prouincia retinere.

Ergo multò magis volentem.

Probatur Minor ſiue Aſſumptio.

Senator debet conſulere Reip. Ego ſum Senator.

Ergo debeo conſulere Reip.

Conſulit Reip. qui Cæſarem etiam inuitum retinet in prouincia.

Ergo Cæſarem etiam inuitum deberem in prouincia retinere.

Vides quàm multas argumentationes, quàm paucis verbis agglobarit.

EGO VERO.] Aliud argumentum.

Senator debet perpetuæ pacis habere rationem.

Sed qui Cæſarem in prouincia retinet, perpetuæ pacis habet rationem.

Ergo ego Senator debeo Cæſarem in prouincia retinere.

NAM QVIS.] Præparatio quædam & quaſi probatio aſſumptionis paulò pòſt adferendæ.

OMNIA ALIA.] Omnes alias orbis terrarum regiones.

NOTÆ.

FORTVNA.] Fœlicitate ἀώρως, vt videtur, cùm vt aiunt philoſophi fortuna cauſa ſit effectus, qui præter agentis intentionem obue-

Felicitas. Fortuna. nerit, & iſta Cæſaris felicitas fructus fuerit virtutis & induſtriæ. Nihilo tamen ſeciùs ad felicitatem fortunam requirunt magni ſcriptores, vt videlicet euentus labori & virtuti reſpondeat. Ammianus lib. 21. hæc Tullij verba refert ex quadam ad Nepotem epiſtola. *Neque enim quidquam eſt aliud felicitas, niſi honeſtarum rerum proſperitas, vel vt alio modo definiam, felicitas eſt fortuna adiutrix conſiliorum bonorum, quibus qui non vtitur, fœlix nullo pacto eſſe poteſt.* Felix igitur Cæſar, qui optimo conſilio res præclariſſimas geſſerit, & fructum ſui laboris honorem Senatus, gratiam equeſtris ordinis, populi charitatem inuenerit.

Εἰ γάρ τις ἀνθρώπων (verba ſunt Pindari Ode 6. Iſthmiorum) δαπάνᾳ τε χαρείς,
Καὶ πόνῳ πράσσῃ θεοδμάτους ἀρετάς,
Σύν τέ οἱ δαίμων φυτεύει δόξαν ἐπήρατον, ἐσχατιαῖς
Ἤδη πρὸς ὄλβου βάλλετ' ἄγκυραν θεότιμος ἐών.
Si verò quis hominum ſumptibus gaudens
Et labore exercet virtutes diuinitus datas,
Simúlque Deus concedit gloriam amabilem,
Iam ad extrema fœlicitatis iacit anchoram, à
Deo honoratus.

II. FRVI.] Vtimur mediis, fruimur fine, vt alibi dictum.

SENATOR.] Nomen à Senibus ductum, vt Ouidius aliíque teſtantur: quòd non tam ætatem quàm ſapientiam denotaret, nam ab anno quinto & viceſimo patebat aditus in Senatum. Sed Senatores dicebantur quaſi ſapientes. III. Senator.

Παλαιὸς αἶνος, inquit Euripides, Ἔργα μὲν νεωτέρων
Βουλαὶ δ' ἔχουσι τῶν γεραιτέρων κράτος.
Antiqua vox eſt. Rem gerent iuuenes, Senes
Conſilia meliùs rebus in dubiis dabunt.

Sophocles: --τῷ γήρᾳ φιλεῖ
Χὠ νοῦς ὁμαρτεῖν καὶ τὸ βουλεύειν ἃ δεῖ.
--mens ſenectutem ſequi
Solet, boníque conſilij prudentia.

Menelaus Homericus 3. Iliados.

Αἰεὶ δ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες ἠερέθονται.
Οἷς δ' ὁ γέρων μετέῃσιν ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω
Λεύσσει. ὅπως ὄχ' ἄριστα μετ' ἀμφοτέροισι γένηται.
At ſemper iuuenum mens eſt elata virorum.
Si quibus interſit ſenior, videt antè, retróque
Vt bene conſultum ſit iis ambobus vbique.

AXIOMATA.

Senatorem Reip. conſulere oportet.
Senator pacis debet habere rationem.

ARGVMENTVM.

Oſtendit reliquum terrarum orbem eſſe pacatum, vt ex hoc capite magnam & præcipuam Gallici belli rationem habendam eſſe demonſtret, quòd eo confecto ſumma pax & tranquillitas Reip. conſecutura eſſe videatur.

IAMDIV mare videmus illud immenſum, cuius feruore non ſolùm maritimi curſus, ſed vrbes etiam, & viæ militares iam tenebantur, virtute Cn. Pompeij ſic à populo Romano ab Oceano vſque ad vltimum pontum, tanquam vnum aliquem portum tutum, & clauſum teneri: nationes eas, quæ numero hominum, ac multitudine ipſa poterant in prouincias noſtras redundare, ita ab eodem eſſe partim reciſas, partim repreſſas, vt Aſia, quæ imperium antea noſtrum terminabat, nunc tribus nouis prouinciis ipſa cingatur. Poſſum de omni regione, de omni hoſtiũ genere dicere: nulla gens eſt, quæ non aut ita ſubacta ſit, vt vix extet, aut ita domita, vt quieſcat, aut ita pacata, vt victoria noſtra imperióque lætetur. XXXI.

EXPLANATIO.

IAMDIV.] Ab anno V.C. DCXC. quo Pompeius Mithridaticum bellum confecit, totúmque orientem ſuâ victoriâ pacauit, Conſulibus Cicerone & Antonio.

MARE ILLVD IMMENSVM.] Mediterraneum, quod inter Oceanum Gaditanum ad Pontum Euxinum per varios ſinus & anfractus extenditur.

CVIVS FERVORE.] Quod mare ita piratarum latrociniis infeſtum erat, vt non ſolùm maritimi curſus occuparentur, ſed etiam piratæ quaſi feruore quodam redundantes in terram ſe effunderent, vrbes caperent, vias publicas militum operâ ſtratas obſiderent. Siquidem, vt auctor eſt Plutarchus in Pompeio, mare mille nauibus infeſtabant, omnia propemodum littora turribus & propugnaculis munierant, Prætores duos Sextilium & Belinum, item filiã Antonij viri triumphalis captiuam abduxerant, & iam vrbes quadringentas obtinebant.

VIRTVTE CN.] Non ſolùm fortitudine militari, ſed etiam clementiâ & prudentiâ, qua eos longiùs à mari remotos ad iuſtitiam manſuetudinémque traduxit. vide Notas.

NATIONES.] Ponticos, Cilicas, Cappadocas, Paphlagonas, Syros, Armenos, Iudæos, Albanos, Iberos, & alias huiuſmodi. quarum aliæ in fidem æquo fœdere receptæ ſunt, aliæ vectigales & ſtipendiariæ factæ, aliæ redactæ in Prouinciam. Pro Sextio 51. *Externa bella Regum, gentium, nationum iampridem ita extincta ſunt, vt præclarè cum iis agamus, quos pacatos eſſe patiamur.*

ASIA.] Duplex eſt Aſiæ acceptio. Nam vel ſumitur, pro tertiâ illâ parte terrarum quæ ab Europa Helleſponto, ab Africa Ægypto diſcluditur, vel pro ea parte ingentis illius Aſiæ, quæ victoriâ Scipionis Aſiatici in pop. Romani ditionem cõceſſit. quæ vt ait Orator pro Flacco 65. *Conſtabat*

ex Phrygia, Myſia, Cariâ, Lydiâ, quam veteres Aſiam minorem, poſteri Natoliam, quaſi ἀνατολὼ, Orientem, appellant. quamuis etiam Pontus & Bithynia, teſte Magino communi Natoliæ nomine continentur.

TRIBVS PROVINCIIS.] Ponto, Syria, Cilicia. vt conſtare videtur ex epitome Liuij, lib. CI. & CII. adeò vt Aſiam quam imperij limitem acceperat, fecerit imperij vmbilicum.

NOTÆ.

I. FERVORE.] Ebullitione. vide ſupra 6. *Totúmque pontum armatum efferueſcentem in Aſiam atque erumpentem.*

II. MARITIMI CVRSVS.] Iam dictum eſt in Cœliana, nauigationem *curſum*, nauem currum frequenter appellari.

III. OCEANO.] Oceanus ab Orpheo in hymnis pulchrè deſcribitur.

Ὃς περικυκλοῖ γαίης περιτέρμονα κύκλον
Ἐξ οὗ γὰρ πάντες ποταμοὶ, καὶ πᾶσα θάλασσα,
Καὶ χθόνιοι γαίης πηγόρρυτοι ἰκμάδες ἁγναί.

Oceanus.
Ingentem terræ qui circum fluctuat orbem,
Ex quo omnes fluuij pontúſque arceßitur omnis:
Ex quo fontani latices quos terra remittit.

Herodotus in Melpomene. Τὸν δ' ὠκεανὸν λόγῳ μὲν λέγουσι ἀπὸ ἡλίου ἀνατολέων ἀρξάμενον γῆν περὶ πᾶσαν ῥέειν, ἔργῳ δ' οὐκ ἀποδεικνῦσι. *Oceanum verò ab ortu ſolis incipientem circumfluere terram verbis quidem affirmant, ſed re tamen non demonſtrant.*

IV. VRBES ETIAM.] Plutarchus: Ἐγένοντο δ' οὖν αἱ μὲν λῃστρίδες νῆες ὑπὲρ χιλίας, αἱ δ' ἁλοῦσαι πόλεις ὑπ' αὐτῶν, τετρακόσιαι. *Eorum naues piraticæ erant amplius mille, vrbes captæ quadringentæ.* Neque ſolùm claſſem habebant fortiſſimam. Ἀλλὰ καὶ τοῦ φοβεροῦ μᾶλλον αὐτῶν τὸ ἐπίφθονον ἐλύπει καὶ ὑπερήφανον, ςυλίσι χρυσαῖς καὶ παραπετάσμασιν ἁλουργοῖς, καὶ πλάταις ὑπαργύροις, ὥσπερ ἐντρυφώντων τῷ κακουργεῖν, καὶ καλλωπιζομένων. *Sed & inuidioſa erat inſolentia ac ſuperbia, maiorem quam terror moleſtiam afferebat, aureis puppium columellis, purpureis velis, argentatis palmulis tanquam in ſceleribus delitias agerent, ſéque in iis magnificè venditarent.* Quod ſi quis ab eis captus ſe ciuem eſſe Romanum diceret, motum & formidinem præ ſe ferebant, femora ſua percutiebant, ad eius pedes accidebant, veniam precabantur. Ille fidem his adhibebat, cùm abiectos & trementes aduerteret. Deinde verò, οἱ μὲν ἐπίδησαν τοῖς καλτίοις αὐτὸν, οἱ δὲ τήβεννον περιέβαλλον, *alij calceos illi ſubligabant, alij toga circundabant, ne rurſum ignotus caperetur.* Et poſt-

Piratarum inſolentia.

quam diu illuſerant, eóque ſe oblectarant, tandẽ ἐν μέσῳ πελάγει κλίμακα προσβαλόντες, ἐκέλευον ἐκβαίνειν, καὶ ἀπιέναι, lege ἀπιέναι χαίροντα, τὸν δὲ μὴ βουλόμενον ὠθοῦντες αὐτοὶ κατέδυον. *Scalis in medium pelagus demißis, iubebant in eas adſcendere, & cum multa ſalute diſcedere. Quod facere ſi renuiſſet, ipſi impulſum demergebant.* Sed de rebus geſtis victoriíſque Pompeij vide Manilianam à §. 30. ad 35. vbi ita concludit. *Ita tantum bellum tam diuturnum, tam longè latéque diſperſum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extrema hieme apparauit, ineunte vere ſuſcepit, media æſtate confecit.* Vide Plinium lib. 7. cap. 26. vbi Cn. Pompeius non ſolùm cum Alexandro Magno, ſed etiam cum Hercule & Libero Patre comparatur. Atque vt Siciliam recuperatam, Africam totã ſubactam taceamus. *Excitatis in Pyrenæo trophæis*, oppida DCCCLXXVI. *ab Alpibus ad fines Hiſpaniæ vlterioris in ditionem redacta victoriæ ſuæ adſcripſit.* Quod ad bellum Piraticum & Mithridaticum pertinet, præclara fuit inſcriptio, de qua ibidem Plinius. *Hos ergo honores Vrbi tribuit in delubro Mineruæ quod ex manubiis dicabat.* CN. POMPEIVS MAGNVS IMPERATOR BELLO XXX. (lege XXXX.) ANNORVM CONFECTO, FVSIS, FVGATIS, OCCISIS, IN DEDITIONEM ACCEPTIS VICIES SEMEL CENTENIS LXXX M. DEPRESSIS AVT CAPTIS NAVIBVS DCCCXLVI. OPPIDIS, CASTELLIS MDXXXVIII. IN FIDEM RECEPTIS, TERRIS A MÆOTIS LACV AD RVBRVM MARE SVBACTIS, VOTVM MERITO MINERVÆ. *Hoc eſt breuiarium eius ab oriente.* Vide ibidem præfationem tertij triumphi, qua ſubactarum gentium nomina referuntur: Diſſentit in quibuſdam Plutarchus. confer ſi otium, item cum Appiano.

Pompeij geſta in Piratas.

ASIA.] Plinius ibidem. *Summa ſummarum in illo gloria fuit, vt ipſe in concione dixit, cùm de rebus ſuis diſſereret, Aſiam vltimam prouinciarũ accepiſſe, eandémque mediam patriæ reddidiſſe.* Plutarchus: Πρὸς δὲ τούτοις ἔφραζε διὰ τῶν γραμμάτων ὅτι πεντακισχίλιαι μὲν μυριάδες ἐκ τῶν τελῶν ὑπῆρχον, ἐκ δ' ὧν αὐτὸς προσεκτήσατο τῇ πόλει μυριάδας ὀκτακισχιλίας πεντακοσίας λαμβάνουσιν. *Prælatum titulum qui literis indicaret, antea quidem vectigalia reddidiſſe ad bis millies HS. Ex iis autem quæ ipſe acquiſiſſet redire ad ter millies quadringenties:* quod non de vniuerſis pop. Romani prouinciis, ſed duntaxat de tranſmarinis Lipſius lib. 2. de Magnit. Rom. cap. 2. capiendum eſſe contendit, & probat eruditè.

ARGVMENTVM.

Poſtquam reliquum terrarum orbem pacatum eſſe demonſtrauit, Gallorum vim & robur, & ſuperiorum Imperatorum, qui res ante Cæſarem in Gallia geſſerunt, adminiſtrandi belli rationem oſtendit, vt ex eorum comparatione Cæſaris virtus, è virtute Cæſaris perpetuæ pacis ſtabiliendæ ſpes magis effulgeat.

XXXII. BELLVM Gallicum, Patres Conſcripti, C. Cæſare imperatore geſtum eſt: antea tantummodò repulſum. ſemper illas nationes noſtri imperatores refutandas potiùs bello, quàm laceſſendas putauerunt. Ipſe ille C. Marius, cuius diuina, atque eximia virtus, magnis populi Romani luctibus funeribúſque ſubuenit, influentes in Italiam Gallorum maximas copias repreſſit: non ipſe ad eorum vrbes, ſedeſque penetrauit. Modò

ille meorum laborum, periculorum, conſiliorum ſocius C. Pontinus fortiſſimus vir, ortum repentè bellum Allobrogum; atque hac ſceleratâ coniuratione excitatum prælijs fregit, eóſque domuit, qui laceſſierant, & eâ victoriâ contentus, republicâ metu liberatâ, quieuit. C. Cæſaris longè aliam video fuiſſe rationem. non enim ſibi ſolùm cum iis, quos iam armatos contra populum Romanum videbat, bellandum eſſe duxit, ſed totam Galliam in noſtram ditionem eſſe redigendam.

EXPLANATIO.

BELLVM.] Non eadem eſt ratio Gallorum & gentium cæterarum. Nam cæteras gentes bello laceſſiuerunt Romani, & virtute domuerunt: at ante Cæſarem nemo Romanorum imperatorum auſus eſt bello prouocare Gallos, ſed bene ſe & præclarè rem geſſiſſe putauerunt ſuperiores Imperatores, ſi laceſſiti reſtitiſſent, & vim vi repuliſſent. ſolus poſt vrbem conditam Cæſar tantâ virtute fuit, vt vltrò bellum intulerit quieſcentibus, & ad eorum vrbes penetrarit.

ILLE IPSE.] Emphaſis. fortiſſimus ille omnium Imperatorum, qui heroicâ quadam & penè diuinâ virtute fuit ornatus, qui *magnis pop. Romani luctibus funeribúſque ſubuenit*, poſtquam, vt dicitur in epitome Liuiana lib. 77. *M. Aurelius Scaurus legatus Conſulis à Cimbris fuſo exercitu captus eſt.* & paulò poſt: *C. Manlius Conſul & Q. Seruilius Cæpio Proconſul victi prælio caſtris quoque binis exuti ſunt, octoginta millia militum occiſa, calonum & lixarum quadraginta.* E quibus funeribus magni luctus ſunt conſecuti.

INFLVENTES IN ITALIAM.] Torrentis aut rapidi cuiuſdam fluuij inſtar ex Alpibus ſe in Italiam effundentes.

GALLORVM.] Cimbrorum, Teutonum, Ambronum, Tigurinorum, qui communi Gallorum nomine continentur.

MAXIMAS COPIAS.] E trecentis armatorum millibus conflatas, præter mulieres & impuberes, vt ait Plutarchus in Marij vita.

MODÒ ILLE.] Non multis ante annis C. Pontinus, qui fidelem mihi in extinguendâ coniuratione Catilinæ Prætor operam nauauit, & litteras coniuratorum in ponte Miluio deprehendit, deinde prouinciam Galliam ex Prætura ſortitus, Allobrogas ſiue Sabaudos qui à coniuratis ſollicitati repentè bellum excitarant, bello domuit, eóſque refutauit: ſed non vltra progreſſus eſt, quàm vt excitato bello finem imponeret.

C. CÆSARIS.] Cæſarem ait non bellum repuliſſe vt Marius & Pontinus, ſed intuliſſe, vt totas Gallias in ditionem populi Romani redigeret, & ita pacem æternis vinculis ſtabiliret.

NOTÆ.

SEMPER ILLAS.] Salluſtius ſub finem belli Iugurthini. *Ad noſtram memoriam Romani ſic habuere, alia omnia virtuti ſuæ prona eſſe: cum Gallis pro ſalute non de gloria certari.* Appianus 2. ciuilium exeunte. Τεσσαρακοντάκις αὐτὸς ἐν Κελτοῖς μόνος παρετάξατο, μέχρι τετρακόσια αὐτῶν ἐχειρώσατο ἔθνη, οὕτω δή τοι Ῥωμαίοις ἐπίφοβα, ὡς νόμῳ τῷ περὶ ἀστρατείας ἱερέων καὶ γερόντων ἐξαφεῖσθαι, πλὴν εἰ μὴ Κελτικὸς πόλεμος ἐπίοι, τότε δὲ καὶ γέροντας καὶ ἱερέας στρατεύεσθαι. *Quadragies ipſe ſolus collatis ſignis in Galliis conflixit, quadringentas eorum gentes accepit in ditionem, quæ tantum populo Romano nominis ſui terrorem incuſſerant, vt lege de vacatione militiæ ſenum & ſacerdotum exceptum fuerit, ſi Gallicus tumultus ingrueret, tunc enim & ſenes & ſacerdotes iuſſi militare.* Eadem apud Plutarchum in Camillo ſub finem. I. Gallorum fortitudo.

REFVTANDAS.] Verbum tenue & modicæ ſignificationis vſurpat de induſtria. Feſtus, vt à Paulo truncatus eſt. *Futare arguere eſt, vnde & confutare. Sed Cato hoc pro ſæpius fuiſſe poſuit.* Gloſſæ *futat*, ἐλέγχει. II.

DIVINA.] Vide Sextianam §. 50. vbi C. Marium *diuinum illum virum appellat.* III.

GALLORVM.] Vide §. 19. *Gallici belli.* vbi oſtendimus Germanos nonnunquam communi Gallorum nomine contineri. Florus lib. 3. cap. 3. *Cimbri, Teutoni atque Tigurini ab extremis Galliæ profugi, cùm eorum inundaſſet Oceanus, nouas ſedes toto orbe quærebant.* Certè, vt notat Maginus lib. 1. in Ptolemæi Geographiam, *Germanorum vocabulum recens ait Tacitus: Diodorus lib. 6. eos omnes ſub Galatarum nomine comprehendit.* IV. Galli pro Germanis.

ARGVMENTVM.

Res à Cæſare præclarè geſtas in Galliis, terroremque quem hactenus Galli Romanis incuſſerant oſtendit, vt hinc efficiat Cæſarem in Galliis eſſe retinendum, quoad bellum affectum iam & profligatum confecerit.

ITAQVE cum acerrimis nationibus, & maximis, Germanorum & XXXIII. Heluetiorum, prœliis feliciſſimè decertauit: cæteras contriuit, contudit, domuit, imperio populi Romani parere aſſuefecit: & quas regiones, quáſque gentes nullæ nobis antea litteræ, nulla vox, nulla fama notas fecerat, has noſter imperator, noſtérque exercitus, & populi Romani arma peragrarunt. ſemitam tantùm Galliæ tenebamus antea, Patres Conſcripti: cæteræ partes à gentibus aut inimicis huic imperio, aut

inſidis, aut incognitis, aut certè immanibus, & barbaris, & bellicoſis tenebantur, quas nationes nemo vnquam fuit, qui non frangit, domaríque cuperet: nemo ſapienter de Republ. noſtra cogitauit iam inde à principio huius imperij, quin Galliam maximè timendam huic imperio putaret: ſed propter vim ac multitudinem gentium illarum, numquam eſt antea cum omnibus dimicatum. reſtitimus ſemper laceſſiti. nunc denique eſt perfectum, vt imperij noſtri, terrarúmque illarum idem eſſet extremum.

EXPLANATIO.

ITAQVE.] Cùm igitur ſtatuiſſet Cæſar vniuerſam Galliam redigere in populi Romani ditionem, primo cum Heluetiis qui nouas ſedes quæſituri, & è patriis finibus egreſſi ſuas vrbes & pagos incenderant, deinde cum Ariouiſto Germanorum Rege qui Rhenum trãſgreſſus Sequanos magnis tributis opprimebat, ita conflixit, vt eius virtuti euentus reſponderit. Cur has nationes acerrimas&maximas appellet, dicetur in Notis. Aduerte tantùm oratoris prudentiam, qui priùs conſilij quàm fœlicitatis & euentûs facit mentionem.

CÆTERAS.] De his epitome Liuiana lib. CIV. *Cæſar Ambianos, Sueſſiones, Viromanduos, Atrebates Belgarum populos, quorum maxima multitudo erat prælio victos, in deditionem accepit: ac deinde contra Neruios vnam harum ciuitatum cum maximo diſcrimine pugnauit, eámque gentem deleuit, quæ bellum geßit, donec ex ſexaginta millibus armatorum trecenti ſupereſſent, ex nonaginta quinque Senatoribus tres tantummodò euaderent.* Vel, vt magis Cæſari ſua narranti credamus, Neruij prælio victi, *Legatos ad Cæſarem miſerunt, ſéque ei dediderunt: & in commemorandâ ciuitatis calamitate ex ſexcentis ad tres Senatores, ex hominum millibus ſexaginta, vix ad quingentos, qui arma ferre poſſent, ſe redactos eſſe dixerunt.* Contriuit itaque Neruios, contudit ac domuit cæteros Belgas, Sequanos, Remos, Hæduos *Imperio populi Romani parere aſſuefecit.*

SEMITAM.] Anguſtam quandam partem Galliarum. Galliam Narbonenſem intelligit, quæ iam pridem Domitij Ænobarbi, Fabij Maximi Allobrogis, & aliorum armis in pop. Romani ditionem conceſſerat. Semitam Galliæ vocat, quòd ea prouincia eſſet velut aditus quidam patefactus ad cæteras Galliæ regiones. Quæ ſequuntur de moribus Gallorum, & fortitudine præſertim perſpicua ſunt.

NOTÆ.

I. ACERRIMIS.] Acerrimi fuerunt Germani quibuſcum Cæſar in Galliâ dimicauit, de quibus Rex Ariouiſtus ita gloriatur apud Cæſarem 1. commentario de bello Gallico. *Cùm vellet congrederetur, intellecturum quid inuicti Germani, exercitatiſſimi in armis, qui intra annos quatuordecim tectum non ſubiſſent, virtute poſſent.* Et Appianus in Celticis etiam fabuloſè. Θανάτου καταφρονηταὶ δι' ἐλπίδα ἀναβιώσεως, καὶ κρύος ὁμοίως ἔφερον θάλπει, καὶ πόᾳ ἐχρῶντο, περὶ τὰς ἀπορίας τροφῇ, καὶ οἱ ἵπποι ξύλοις. *Mortis contemptores ob ſpem reſurrectionis, & frigus perinde ferebant ac calorem, & ipſi herbis pro cibo, Equi lignis veſcebantur, cùm egeſtate premerentur.*

Germanorũ ferocitas.

Et quicquid Græcia mendax
Audet in hiſtoria.

Acerrimi Heluetij Cæſar ipſo commentariorum initio. *Heluetij quoque reliquos Gallos virtute præcedunt, quò fere quotidianis prælus cum Germanis contendunt.* Diu tamen poſtcà obſcuri iacuerunt, donec eo bello, quod *Bonum Publicum* vocant, Ioannes Calabriæ & Lotharingiæ Dux quingentos ſecum Heluetios adduxit, qui primi nomẽ & eam ſuæ genti gloriam pepererunt, quâ etiamnũ floret, vt Philippus Commineus libro commentariorum primo, capite ſexto teſtatur. Nec ſanè mirum tanti Ducis auſpiciis gentem priùs obſcuram ad nominis celebritatem emerſiſſe, cuius Ducis comitatum ſcriptor ille quotquot in Galliâ fuerunt grauiſſimus, totius exercitus centum Equitum millia continẽtis florem appellat. (vide locum, & mirare, niſi fortè error in numerum irrepſit.) & eum capite vndecimo, non ſolùm Biturigum & Britanniæ Ducibus, ſed illi ipſi Carolo Burgundo Europæ terrori, ſeu potiùs fulmini ob bellicam virtutem anteponit. Eo denique famæ poſt hæc initia peruenerunt, vt & Carolum Burgundum duobus ingentibus præliis fuderint, & Ludouicus vndecimus Rex Franciæ eorum amicitiæ retinendæ cauſsâ decies centena florenorũ Rhenanorum millia paucis annis erogarit. Vide eundem Commineum libro 5. capite 2. Renatus autem Lotharingus, vt ſequenti capite narratur, magno ſuo & honore & emolumento poſteriori pugnæ interfuit.

Heluetiorũ.

Quis primus maiorũ ætate Heluetios in Franciam adduxerit.

Ioannis Calabri fortitudo.

FELICISSIME.] Non ita feliciter vt non aliquot clades acceperit. Appianus in Celticis. II.
Σύκαμβροι δὲ πεντακοσίοις ἱππεῦσι τοὺς πεντακισχιλίους ἱππεῖς τοῦ Καίσαρος ἔτρεψαν, ἐξαίφνης ἐπιπεσόντες, καὶ δίκην ἔδοσαν ἡττηθέντες μετὰ ταῦτα. *Sycambri quingentis equitibus quinque equitũ Cæſarianorum millia in fugã verterunt, impreſſionem repentè facientes, & poſteà ſuperati hanc cladem expiauerunt.* Dio lib. 38. Heluetij primo congreſſu, τῷ ἱππικῷ ἐνίκησαν, *Equitatu vicerunt.* & de Ariouiſto, καὶ ὀλίγου καὶ τὸ χαράκωμα αὐτῶν εἷλε. *Et parum abſuit quin eorum caſtra caperet.* Plutarchus in Cæſare. Δεικνύουσιν Ἀρβέρνοι ξιφίδιον πρὸς ἱερῷ κρεμάμενον ὡς δὴ Καίσαρος λάφυρον. ὃ θεασάμενος αὐτὸς ὕστερον ἐμειδίασε, καὶ τῶν φίλων καθελεῖν κελευόντων, οὐκ εἴασεν ἱερὸν ἡγούμενος. *Oſtendut Arubeni pugionem templo appenſum tanquam ſpolium Cæſaris, quo ille poſteà conſpecto riſit, & amicis tolli iubentibus non permiſit, ſacrum ratus.*

Clades à Cæſare acceptæ in Galliis.

IAM INDE AB INITIO.] Nota dicendi modum elegantem. *Iam, vel iam inde à pueritia, à cunabulis, ab initio, à principio, ab adoleſcentia, à teneris, &c. vel iam inde vſque à pueritia.* ſingulorum exempla ſuggeret Hadrianus. III.

AXIOMA.

Nemo ſapienter de Rep Romana cogitauit, iam inde à principio imperij Rom. quin Galliam maximè timendam illi imperio putaret.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Non ſine Dei prouidentiâ Italiam contra vim Gallorum munitam fuiſſe demonſtrat, & inde fortitudinem Gallorum, Cæſaris victorias, rei quæ in deliberationem vocatur, grauitatem & momentum exaggerat.

ALPIBVS Italiam munierat ante natura non ſine aliquo diuino numine. nam ſi ille aditus Gallorum immanitati multitudiníque patuiſſet, numquam hæc vrbs ſummo imperio domicilium ac ſedem præbuiſſet: quæ iam licet conſidant, nihil eſt enim vltra illam altitudinem montium vſque ad Oceanum, quod ſit Italiæ pertimeſcendum. Sed tamen vna atque altera æſtas vel metu, vel ſpe, vel pœna, vel præmiis, vel armis, vel legibus poteſt totam Galliam ſempiternis vinculis aſtringere. impolitæ verò res & acerbæ ſi erunt relictæ, quamquam ſunt abſciſſæ, tamen efferent ſe aliquando, & ad renouandum bellum reuireſcent. XXXIV.

EXPLANATIO.

ALPIBVS.] Cùm diuina prouidentia vellet imperij ſedem in Italiâ collocare, Alpium altitudinem contra Gallorum irruptionem obiecit, & his montibus Italiam quaſi muro quodam muniuit.

QVÆ IAM.] Quæ Alpes etiamſi plano æquarentur, id tamen deinceps curæ non eſſet. Neque enim iam Alpium altitudo, ſed Cæſaris victoriæ ſecuros reddunt.

SED TAMEN.] Totum hunc locum à §. 30. poteris ad hunc ſyllogiſmum reuocare.

Is in Prouinciâ retinendus eſt, qui ſolus poteſt Reip. ſecuritatem parere, & pacem in perpetuum ſtabilire.

Sed Cæſar poteſt imperio ſecuritatem parere, & pacem in perpetuum ſtabilire.

Ergo Cæſar retinendus eſt in prouinciâ.

Propoſitio habetur his verbis. *Ego verò*, &c. *in decernendis prouinciis perpetuæ pacis habere oportere rationem.* Aſſumptionem probat altero ſyllogiſmo.

Qui Gallos debellare poteſt, is poteſt imperio ſecuritatem offerre, & pacem in perpetuum ſtabilire.

Sed ſolus Cæſar poteſt Gallos debellare.

Ergo ſolus, &c.

Minorem probat exemplis maximorum Imperatorum, qui non auſi ſunt vnquam bellum Gallis inferre, ſed vim tantummodo repulerunt, & reſtiterunt laceſſiti, vt Marius. Maioris probatio cæteris rationibus à Gallorum robore, multitudine, immanitate, petitis continetur.

ÆSTAS.] Annus (quod æſtas aptior ſit rebus gerendis) pacem perpetuam poteſt virtute & induſtriâ Cæſaris in totâ Galliâ ſtabilire.

IMPOLITÆ.] Imperfectæ & inchoatæ, tranſlatio ducitur ab arboribus, quæ tonſæ repullulant, & reuireſcunt.

NOTÆ.

1. ALPIBVS.] Veteres Grammatici nomen Alpium à candore niuium ſumptum aſſerunt, Græci enim ἄλφον, *album, Sabini alpum dixerunt.* Sed, quod ad rem attinet, Rutilius Numatianus Itinerarij libro 2. etiam in Italiâ Alpium vallo ſepiendâ diuinam prouidentiam agnoſcit.

Inuidiam timuit natura, parúmque putauit
Arctois Alpes oppoſuiſſe minis.
Sicut vallauit multis vitalia membris,
Nec ſemel incluſit quæ precioſa tulit.
Iam tum multiplici meruit munimine cingi,
Sollicitóſque habuit Roma futura Deos.

Dei prouidẽtia Alpibus Italiam muniuit.

Et Herodianus lib. 2. Μέγιστα ἐκεῖνα ὄρη, καὶ οἷα οὐκ ἄλλα ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς γῇ, ἐν τείχους σχήματι περίκειται καὶ προβέβληται Ἰταλίας. Καὶ τοῦτο μετὰ τῆς ἄλλης εὐδαιμονίας παραχούσης τῆς φύσεως Ἰταλιώταις ἔρυμα ἄρρηκτον. *Maximi ſunt illi montes, cuiuſmodi nullos in terrâ nobis cognitâ reperire poſsis, qui murorum vice Italiæ circumiacent & obiecti ſunt. Id natura ſuper cæteram fœlicitatem, Italiæ inſtar inexpugnabilis cuiuſdam munitionis exhibente.* Ideòque Poëta *aggeres Alpinos* appellat 6. Æneidos, quod, vt ait Seruius, *Italiæ murorum exhibent vicem.* & vt idem notat in librum decimũ, *Secundum Catonem & Liuium muri vice tuentur Italiam.* Huc alluſit Plinius lib. 12. cap. 1. *Alpibus inexuperabili munimento coërcitæ Galliæ hanc habuere cauſam ſuperfundendi ſe Italiæ, quòd Helico Heluetius qui Romæ fabrilem exercuerat, rediens in patriam ficum ſiccam, vuam, olei & vini præmiſſa ſecum in patriam tuliſſet.* Ambroſius in obitu Valentiniani Iunioris. *Nos adhuc murum Alpibus addere parabamus. Valentiniani gratia non expectauit Alpium vallum, fluenta amnium, aggeres niuium, ſed Alpes & fluuios ſupergreſſa muro nos ſui imperij protexit.* Vide Piſonianam 81. *Non Alpium vallum contra adſcenſum tranſgreſſionémque Gallorum, non Rheni foſſam gurgitibus illis redundantem Germanorum immaniſſimis gentibus obiicio & oppono.* Iuuenalis ſat. 10.

Oppoſuit natura Alpéſque niuémque.

Omnes, vt vides, præter vnum Catonem è Tulliano fonte manarunt. Adde Petrarcham in prima parte Cantione 16. qua deplorat ſtatum Italiæ ſuæ.

Ben prouide natura al' noſtro ſtato
Quando de l'Alpi ſchermo
Poſe frà noi, & la Tedeſca rabbia.

Cætera taceo, quia magis me Latina delectãt. Petrus Victorius in politicos Ariſtotelis lib. 7. cap. 11. *Noſter*, inquit, *politiſsimus Poëta cecinit, Naturam rerum mirificè conſuluiſſe olim ſaluti Italorum cũ Alpibus hanc tellurem muniuit, & ipſis, tanquã aggere quodam ac caſtello, tectam ac defenſam voluit gentibus feris & immanibus: quod tamen eximium*

bonum poſtea Itali ipſi ſuâ culpâ & auaritiâ corruperunt, iter ſibi illac facientes ad vrbes locáque tranſalpina, vnde factum eſſet vt Italia efficeretur peruia illis nationibus, & tanquam ſinus & commune nobiſcum domicilium barbarorum.

II. IMMANITATI MVLTITVDINIQVE.] Vide pro Marcello 8. *Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles.* Floro certè lib. 3. cap. 10. *Immaniſſimi gentium Galli atque Germani,* dicuntur. Vide noſtrum pro Fonteio 20. 21.

III. CONSIDANT.] In Piſonem 82. *Perfecit ille vt ſi montes reſediſſent, amnes exaruiſſent, non naturæ præſidio, ſed victoriâ ſuâ rebúſque geſtis Italiam munitam haberemus.* Vide Notas.

IV. ALTITVDINEM MONTIVM.] Liuius lib. 21. *Quid aliud Alpes eſſe credentes, quàm montium altitudines? fingerent altiores pyrenæis iugis, nullas profectò terras cœlum contingere.* Item: *Ex propinquo viſa montium altitudo, niuéſque cœlo prope immiſtæ.* Florus lib. 2. cap. 6. *Medias perfregit Alpes, & in Italiam, ab illis fabuloſæ altitudinis niuibus velut cœlo miſſa deſcendit.* Silius lib. 3.

Alpium altitudo.

--caligat in altis
Obtutus ſaxis, abeúntque in ſidera montes.

Nec minùs fœliciter Petronius Alpes, & Herculis Monœci arcem ita deſcripſit.

Eſt locus Herculeis aris ſacer, hunc niue dirâ
Claudit hyems, canóque ad ſidera vertice tollit.
Cœlum illinc cecidiſſe putes: non ſolis adulti
Manſueſcit radiis, non verni temporis aurâ, &c.

Rurſum Liuius lib. 5. *Ibi cùm velut ſeptos montium altitudo teneret Gallos, circumſpectarèntque quanam per iuncta cœlo iuga in alium orbem terrarum tranſirent.*

IMPOLITÆ.] Eodem genere tranſlationis vſus eſt Plautus Pœnulo, actu 1. ſc. 1. VI.

Agoraſtocles. *Placet conſilium.* Milphio. *Immò etiam vbi expoliuero.*
Magis hoc tum demum dices, nunc etiã rude eſt.

Et paulò duriùs Aſinariâ, actu 2. ſc. 2.
Iam hoc opus eſt exaſciatum.

ABSCISSÆ.] Lyricus. VII.

Duris vt ilex tunſa bibennibus
Nigræ feraci frondis in Algido
Per damna, per cædes ab ipſo
Ducit opes animúmque ferro.

AXIOMATA.

Vel metu, vel ſpe, vel pœnâ, vel præmiis, vel armis, vel legibus adſtringuntur etiam immanes & barbaræ nationes.

Relinquendæ non ſunt res impolitæ & acerbæ, ne ſe efferant aliquando, & ad grauius malum reuireſcant.

ARGVMENTVM.

Confirmationi finem imponens expolit argumentum quod informauerat triceſimâ ſectione à voluntate Cæſaris, & publicâ vtilitate deductum.

XXXV. QVARE ſit in eius tutela Gallia, cuius virtuti, fidei, felicitati commendata eſt. Etenim, ſi Fortunæ muneribus ampliſſimis ornatus ſæpius eius deæ periculum facere nollet, ſi in patriam, ſi ad Deos Penates, ſi ad eam dignitatem, quam in ciuitate ſibi propoſitam videt, ſi ad iucundiſſimos liberos, ſi ad clariſſimum generum redire properaret, ſi in Capitolium inuehi victor cum illa inſigni laurea geſtiret, ſi denique timeret caſum aliquem, qui illi tantum addere iam non poteſt, quantum auferre: vos tamen oporteret ab eodem illa omnia, à quo profligata ſunt, confici velle. cùm verò ille ſuæ gloriæ iampridem, Reipub. nondum ſatisfecerit, & malit tamen tardiùs ad ſuorum laborum fructus peruenire, quàm non explere ſuſceptum Reipub. munus: nec imperatorem incenſum ad Rempub. bene gerendam reuocare, nec totam Gallici belli rationẽ prope iam explicatam perturbare, atque impedire debemus.

EXPLANATIO.

QVARE.] Complexio ſuperioris ſyllogiſmi, qua ſignificat Cæſarem non ſolùm eſſe in prouinciâ retinendum, ſed etiam ad eum eiúſque poſteros Galliæ tutelam eſſe deferendam.

QVI SI FORT.] Syllogiſmus iam inchoatur 30. §.

Non eſt reuocandus è prouincia, præſertim inuitus, qui etiamſi redire vellet, tamen eſſet ob vtilitatem publicam retinendus.

Sed Cæſar etiamſi redire vellet, tamen eſſet ob vtilitatem publicam retinendus.

Ergo Cæſar non eſt reuocandus è prouinciâ.

SI FORTVNÆ.] Coaceruat omnes rationes propter quas meritò Cæſari reditus in patriã expetendus eſſe videatur, vt maiorem vim habeat oratio.

LIBEROS.] Iuliam filiam ſuam, vxorem Cn. Pompeij.

GENERVM.] Pompeium.

VOS TAMEN.] Deberent nihilominùs Senatores eum vi compellere, vt ad conficiendum bellum, pacandámque penitùs Galliam diutiùs in prouinciâ remaneret. cætera ſunt perſpicua.

NOTÆ.

TVTELA.] De vrbium & prouinciarum patronis iam dictum in Sextianâ 9. *Conuentus ille Capuæ me vnum patronum adoptauit.* 10. *Non recito decretum officio aliquo expreſſum vicinitatis, aut clientelæ, aut officij publici.* & dicetur in Piſonem 25. *Me inauratâ ſtatuâ donarant, me patronum vnum adſciuerant.* Nunc obiter illud notandum, victores vt plurimùm deuictarum à ſe gentium fuiſſe patronos. Noſter officiorum lib. 1. *Tantopere apud noſtros iuſtitia culta eſt, vt hi qui ciuitates, aut nationes deuictas bello, in fidem cepiſſent, earum patroni eſſent more maiorum.* Ita Sicilia in Marcellorum tutelam cõceſſit. Noſter Verrinâ de ſignis 90. *Itaque nunc Siculorum Marcelli non ſunt patroni: Verres in eorum locum ſubſtitutus eſt. Quam in te tantam virtutem eſſe aut dignitatem arbitratus es, vt conarere clientelam tam illuſtrem, tam ſplendidæ prouinciæ transducere ad te, auferre à certiſsimis antiquiſſimiſque patronis? Tu iſtâ ſtultitiâ, nequitiâ, inertiâ non modò totius Siciliæ, ſed vnius tenuiſsimi Siculi clientelam tueri potes? tibi Marcelli ſtatua pro patibulo in clientes Marcellorum fuit.* Sic Allobroges à Q. Fabio Maximo deuicti in clientelam Fabiorum venerunt. Appianus 2. ciuilium. Οἱ δ᾽ Ἀλλόβριγες ἐνδοιάσαντες ἐκοινώσαντο Φαβίῳ Σάγγᾳ, ὃς ἦν τῶν Ἀλλοβρίγων προστάτης, ὥσπερ ἁπάσαις πόλεσιν ἐστί τις ἐν Ῥώμῃ προστάτης. *Allobroges verò dubitantes rem cum Fabio Sangâ Allobrogum patrono communicarunt, quemadmodum omnibus ciuitatibus aliquis eſt in vrbe patronus.* Tamdiù igitur retinendum Cæſarem ait in Prouinciâ, dum Gallos penitùs debellet, iique deuicti victoris patrocinium & clientelam implorent. Hunc autem tutelæ honorem mulieribus etiam delatum inuenimus, in quodã Puluenatium decreto quod refert Briſſonius lib. 2. formularum. *Vt meritò debeat ex conſenſu vniuerſorum patrona præfecturæ noſtræ fieri.* Item: *Placere vniuerſis conſcriptis Nummiæ Variæ, &c. Patrocinium præfecturæ noſtræ offerri, petique ab eius claritate & eximiâ benignitate, vt hunc honorem ſibi à nobis oblatum libenti, & prono animo ſuſcipere, & ſingulos vniuerſoſque nos Remque publicam noſtram in clientelam domus ſuæ recipere dignetur.* Sed hæc opinor poſteriora ſunt æuo Ciceronis, moribus ad aſſentationem deuolutis.

Victores gẽtium à ſe victarum patroni.

II. EIVS DEÆ.] Fortunæ, quæ vt alibi diximus multis nominibus eſt conſecrata. Certè Plutarchus opuſculo de fortuna Romanorum. Templa fortunæ Virilis, Muliebris, Primigeniæ, Obſequentis, Priuatæ, Viſcatæ, Virginis, Bonæ ſpei, &c. agnoſcit. Variis eam modis pingebant. Dio Chryſoſtomus oratione 63. Ἔχει δ᾽ οὐ κακῶς οὐδὲ τὰ τῶν παλαιῶν αἰνίγματα περὶ αὐτήν. οἱ μὲν γὰρ ἐπὶ ξυροῦ ἔστησαν αὐτὴν, οἱ δ᾽ ἐπὶ σφαίρας, οἱ δὲ πηδάλιον ἔδωκαν κρατεῖν. οἱ δὲ τὰ κρείττω γράφοντες τὸ τῆς Ἀμαλθείας ἔδοσαν κέρας, &c. *Non inconcinna verò fuerunt antiquorum circa fortunam ænigmata. Quorum alij eam nouaculæ, alij globo inſiſtere faciebant, alij clauum in manu dabant. Qui autem meliùs pinxerunt ei cornu copiæ tribuebant.* Reddit ſingulorum rationem. Τὸ μὲν οὖν ξυρὸν τὸ ἀπότομον τῆς εὐτυχίας μηνύει. ἡ δὲ σφαῖρα ὅτι εὔκολος ἡ μεταβολὴ αὐτῆς ἐστίν. ἐν κινήσει γὰρ τυγχάνει πάντοτε τὸ θεῖον. τὸ δὲ πηδάλιον δηλοῖ ὅτι κυβερνᾷ τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον ἡ τύχη. τὸ δὲ τῆς Ἀμαλθείας κέρας μηνύει τὴν τῶν ἀγαθῶν δόσιν τε καὶ εὐδαιμονίαν. *Nouacula felicitatis tenuitatem & aciem declarat, ſphæra facilem eius eſſe mutationem. Sors enim diuina perpetuo motu agitatur, clauus ſignificat fortunâ res humanas gubernari. Cornucopia bonorum largitionem & fœlicitatem declarat.* Hæc Dio Chryſoſtomus. Aliter eam depingit Marcianus 1. de nuptiis Philologiæ. *Omnium garrula puellarum, & contrario ſemper fluitabunda luxu, leuitate pernix, deſultoria geſtiebat,* Aliter apud Ælianum lib. 2. cap. 29. Πίτ̓ακος ἐν Μιτυλήνῃ κατεσκεύασε τοῖς ἱεροῖς κλίμακας, αἰνιτ̓όμενος τὴν ἐκ τῆς τύχης ἄνω καὶ κάτω μετάπτωσιν. *Pittacus Mitylenæ ſcalas in templis poſuit, fortunæ ſurſum deorſum mutationem ſignificans.* Ægyptij rotæ ſolutione fortunam adumbrabant, vt in Piſonem 22. referemus. Scythæ apud Curtium lib. 7. *Sine pedibus dicunt eſſe fortunam, quæ manus & pinnas tantùm habet: cùm manus porrigit, pinnas quoque comprehendere non ſinit.* Huc alluſit Horat. lib. 3. Ode 29.

Laudo manentem: ſi celereis quatit
Pennas reſigno quæ dedit, & meâ
Virtute me inuoluo.

Fortuna varia nomina.

Fortunæ picturæ.

Alij cœcam, inſanam, brutam, globo inſiſtentem, vt Pacuuius, Apuleius, Ariſtoteles, Cebes. Alias fortunæ picturas tibi ſuggeret Pauſanias multis locis. Quòd autem noſter Deam appellat, eidem alij omnium propemodum numinum nomina tribuerunt Dio Chryſoſtomus orat. 1. de Fortuna. Αὕτη πολεμούντων μὲν ἐστὶ Νίκη, καὶ εἰρήνην ἀγόντων Ὁμόνοια, καὶ γαμούντων Εὔνοια, καὶ ἐρώντων Ἡδονὴ, καὶ ὅλως ἡ ἐπὶ παντὶ τῷ γινομένῳ Εὐτυχία. *Ea eſt pugnantium Victoria, pacem agentium Concordia, matrimonia contrahentium Beneuolentia, amantium Voluptas, & omnino in rebus omnibus quæ accidunt Fœlicitas.* Et oratione 2. Ὠνόμασται δ᾽ ἡ τύχη καὶ πολλοῖς τισιν ἐν ἀνθρώποις ὀνόμασι. Τὸ μὲν ἴσον αὐτῆς Νέμεσις, τὸ δ᾽ ἄδηλον Ἐλπίς. τὸ δ᾽ ἀναγκαῖον, Μοῖρα. τὸ δὲ δίκαιον, Θέμις. Πολυώνυμός τις ὡς ἀληθῶς θεὸς καὶ πολύτροπος. Ταύτῃ ἐπέθεσαν καὶ γεωργοὶ Δήμητρος ὄνομα, καὶ ποιμένες Πανὸς, καὶ ναῦται Λευκοθέας. *Fortuna inter mortales nomina multa ſortita eſt. Illius æquale Nemeſis, obſcurum Spes, neceſſarium Parca, Iuſtum Themis nuncupatur. Multi nominis, vt verè dicam Dea, & multiformis: huic agricolæ Cereris, paſtores Panis, nautæ Matutæ nomen indiderunt.* Marcianus Capella lib. 1. *Quam alij ſortem aſſerunt, Nemeſimque nonnulli: Tychémque quamplures aut Nortiam.* Deam etiã Plautus appellat in Pſeudolo, ſc. *Dij immort.*

Fortunæ varij affectus.

Centum doctûm hominum conſilia Sola hæc deuincit Dea Fortuna.

Fortuna Dea Hera.

Omnipotentem Maro 8. Æneidos.

Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum.

Heram Ennius & Plautus hic in Pſeudolo.

Diuûm atque hominum quæ ſpectatrix atque hera eadẽ es hominibus, &c. Ille apud Tulliũ 1. offic.
Vóſne velit an me regnare hera, quidve ferat ſors
Virtute experiamur.

Galenus in protreptico fortunam τυφλὴν δαίμονα non ſemel appellat. Dio, vt vidiſti, nõ ſolùm θεὸν, ſed etiam τὸ θεῖον. De qua Plinius lib. 2. c. 7. Vbi de Deo multa ſed impiè diſputauit, in eam ſententiã propendet, vt vel fortunam vel naturam Deum agnoſcat. *Fortunæ omnia expenſa, omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium ſola vtramque paginam facit. Ideóque obnoxij ſumus ſorti, vt ſors ipſi pro Dea ſit, quâ Deus probetur incertus.*

III. IN PATRIAM] Inter cauſas quas habebat Cæſar reditûs expetendi primo loco patria nominatur. Sic vt ex Homero notat Orator Vlyſſes Itacham ſuam, tanquam nidulum ſcopulis

Patriæ charitas.

affixam, tamen immortalitati præferebat. Nono Odyſſeæ Vlyſſes.

Ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος οὐδὲ τοκήων
Γίνεται.
Vſque adeò nihil eſt patriâ vultúque parentum
Dulcius. Item:
Οὔτι ἔγωγε ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο
Ἰδέσθαι.
Nec quicquam patriâ poſſum iucundius ipsâ
Cernere.

Siquidem vt dicitur primo officiorum. *Omnes omnium charitates patria vna complexa eſt.* Notum illud Ouidianum:

Neſcio qua natale ſolum, &c.

IV. Ad Deos Penates.] Qui fuerint Dij Penates alibi oſtendimus. Vide pro Milone 39.

V. Dignitas. Dignitatem.] Dignitas eſt auctoritatis quidam apex tum rebus geſtis; tum honoribus & magiſtratibus comparatus. Philippicâ ſeptimâ. §. 7. *Hinc honores ampliſſimos, hinc mediocres opes, hinc dignitatem, ſi quam habemus, conſecuti ſumus.*

VI. Liberi. Liberos.] Liberos magnam eſſe reditus illecebram, notius eſt quàm vt probandum eſſe videatur. Liberos habuit vnam Iuliam nuptam Cn. Pompeio, tamen numero multitudinis dixit. vt & Verrinâ de præturâ vrbanâ 76. *Ille quòd pudicitiam liberorum, hic quòd vitam patris famamque ſororis defenderat.* Sempronius Aſellio laudatus apud Gellium lib. 2. cap. 13. Noct. Attic. *Liberóſque ſuos, eum quem virilis ſexus, tum in eo tempore habebat, produci iuſſit, populóque commendauit.* Vide Sextianam 54. Caius D. De verb. ſignific. *Non eſt ſine liberis, cui vel vnus filius, vnáve filia eſt,* &c.

VII. Clarissimvm.] Vide Milonianam §. 17.

VIII. In Capitolivm invehi.] Maro 6. Æneidos.

Ille triumphatâ Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum.-

Sidonius Apollinaris Paneg. Maioriani.

Triumphantes in Capitolium inuecti.

-cùm victor ſcandere currum
Incipies, crinémque ſacrum tibi more priorum
Nectet muralis, vallaris, ciuica laurus,
Et Regum aſpicient Capitolia fulua catenas.

Rurſum 8. Æneidos.

At Cæſar triplici inuectus Romana triumpho
Mœnia. -

Liuius lib. 10. *Qui Iouis optimi maximi ornatu decoratus curru aurato per vrbem vectus in Capitolium adſcenderit.* Albinus rerum Romanarum 1. citatus à Priſciano lib. 7.

Ille cui ternis Capitolia celſa triumphis
Sponte Deûm patuere, cui freta nulla repoſtos
Abſcondere ſinus, non tutæ mœnibus vrbes.

IX. Laurus triũphalis. Lavrea.] Triumphantes laurum in Capitolium deferebant. nihil vulgarius. Lucanus 1. Pharſal.

Nunc neque te longi remeantem pompa triumphi
Excipit, aut ſacras poſcunt Capitolia laurus.

Has autem laureas, vt in Piſonem dicemus, ſolebant in gremio Iouis Capitolini deponere. vide §. 39. Nota 1. habe interim Latinum Pacatum Panegyr. Theodoſij. *Depoſitis in gremio Iouis Capitolini laureis triumphales viri ruſticabantur.* Sueton. in Nerone cap. 13. *Imperator conſalutatus, laureâ in Capitolium latâ, Ianum Geminum clauſit.* Senecam conſolatione ad Heluiam. *Laurámque in Capitolini Iouis gremio repoſuerat.* Silium lib. 15. *- Laurúmque ſuperbam*
In gremio Iouis excîſis deponere Pœnis.

X. Profligare. Addere iam non potest.] Annibal Liuianus lib. 30. ad Scipionem. *In bonis tuis rebus, noſtris dubiis, tibi ampla ac ſpecioſa danti eſt pax: nobis petentibus magis neceſſaria, quàm honeſta. Melior tutiórque eſt certa pax, quàm ſperata victoria. Hæc in tuâ, illa in Deorum manu eſt. Ne tot annorum fœlicitatem in vnius horæ dederis diſcrimen. Cùm tuas vires, tum vim fortunæ, Martémque belli communẽ propone animo. Vtrimque ferrum, corpora humana erunt. Nuſquam minùs quàm in bello euentus reſpondent. Non tantùm ad id quod datâ pace iam habere potes, ſi prælio vincas, gloriæ adieceris; quantum ademeris, ſi quid aduerſi eueniat, ſimul parta ac ſperata decora vnius horæ fortuna euertere poteſt.*

XI. Profligata.] Tuſculana 5. *Profligata iam hæc & penè ad exitum deducta quæſtio eſt.* E quibus meritò Gellij mireris oſcitantiam lib. 15. cap. 5. Noct. Attic. Qui cùm hanc ipſam orationem præ oculis haberet, fictus, vt putat auctoritate Ciceronis, eos ignorationis & inſcitiæ reprehendit, qui *improbe dicunt quæ non intelligant*, & indignatur; *ædificia, & templa & alia ferè multa, quæ prope abſoluta effectáque ſunt, in profligato eſſe dici, ipſáque eſſe iam profligata.* Non omittendus tamen prætoris cuiuſdam iocus, qui ibidem refertur Sulpitij Apollinaris verbis. *Cùm rabula audaculus ita poſtulaſſet, verbáque ita feciſſet: Omnia vir clariſſime negotia, de quibus te cogniturum hodie eſſe dixiſti, diligentiâ & velocitate tua profligata ſunt: vnum id ſolum relictum eſt, de quo rogo audias. Tum Prætor ſatis ridiculè. An illa negotia, de quibus iam cognouiſſe me dicis, profligata ſint equidem neſcio: hoc autem negotium quod in te incidit, proculdubiò ſiue id audiam, ſiue non audiam, profligatum eſt.* Subdit Gellius: *Quòd ſignificare autem volunt qui profligatum dicunt, ij qui Latinè locuti ſunt non profligatum, ſed affectum dixerunt: ſicut M. Cicero in oratione quam habuit de prouinciis conſularibus.* Immò non ſolùm Tullius, ſed & alij profligatum dixerunt pro abſoluto. Liuius lib. 9. *Hac expeditione Conſulis motum latiùs erat, quàm profligatum bellum.* Lib. 35. *Vt is qui profligatum bellum haberet, ad comitia Romam rediret.* Lentulus Spinter epiſtola ad Ciceronem. ea eſt 14. lib. 12. ad familiares. *Quæ res, ſi à Rhodiis non eſſem interpellatus, fortaſſe tota ſublata eſſet, tamen magna ex parte profligata eſt.* Auſonius Moſella:

Hæc profligati venit modò laurea belli.

XII. Gloriæ svæ.] Hunc locum fusè tractat pro Marcello, vbi & oſtendit Cæſarem gloriæ nondum ſatisfeciſſe, quamuis confectis non Gallicis ſolùm bellis, ſed etiam ciuilibus. 26. *Quia ſi iſtud ne gloriæ quidem tuæ ſatis eſt?* &c. vide.

XIII. Expl. svsc. Reip. mvnvs.] Dio Caſſius lib. 38. ita Cæſarem ipſum loquentem inducit. *Ἐγὼ γε καὶ ὡς πλεονάσω, οὐδ' ἐγκαταλείψω τὴν τάξιν, ἣν ἐτάχθην ὑπὸ τῆς πατρίδος. Ego verò etiam ita pugnabo, & explebo ſuſceptum Reip. munus.*

XIV. Explicatam.] Plautus Pœnulo actu 3. ſc 5.

Is explicaui meam rem poſt illa lucro.

Valerius lib. 2. *Equeſtris quoque ordinis bona magnáque pars quadringenti iuuenes cenſoriam notam patiente animo ſuſtinuerunt, quos M. Valerius & L. Sempronius, quia in Siciliâ ad munitionum opus explicandum ire iuſſi, facere id neglexerant, equis publicis ſpoliatos in numerum ærariorum retulerunt.*

AXIOMATA.

Qui ampliſſimis Fortunæ muneribus ſunt ornati, ſæpius eius deæ periculum facere non debent.

Fortunatis caſus tantùm addere non poteſt, quantum auferre.

Præſtat tardiùs ad ſuorum laborum fructus peruenire, quàm non explere ſuſceptum Reip. munus.

Confutatio duarum ſententiarum quæ Gabinium è Syria reuocabant, ita tamen vt earum altera Cæſarem ex vlteriore Gallia, altera ex Citeriore reuocaret. à 36. ad 40.

- Prior ſententia confutatur propter rationes peculiares. 36.
  - 1. perturbat belli Gallici rationem.
  - 2. approbat legem Vatiniam.
  - 3. relinquit Cæſari eam ſolam partem prouinciæ cui poſſit intercedi: ac proinde fieri poterit vt Cæſar interceſſione cuiuſpiam Tribuniplebis, etiam ab illa parte prouinciæ reuocetur.
  - 4. beneficium Senatus violat, populi beneficium tuetur.
- Poſterior propter rationes item peculiares. 37.
  - Si reuocetur Cæſar è Gallia Citeriore ante Calendas Martias, offendetur populus qui ad id tempus eam prouinciam Cæſari conceſſit, quòd auctor ſententiæ prudenter aduertit.
  - Si expectetur vſque ad Calendas Martias, Conſul qui deſignatus erit non habebit prouinciam Calendis Ianuariis, quòd & abſurdum eſt, & alienum ab Imperij dignitate.
- Vtraque ſimul propter rationes vtrique communes. 38. 39.
  - Piſo in Prouincia remanebit. 38.
  - contumelia Cæſari infertur, quòd cauendum eſt.
    - Ne Senatus accuſetur inconſtantiæ & leuitatis.
    - Ne Cæſar alienetur à Senatu.

ARGVMENTVM.

Poſtquam oſtendit Cæſarem è prouinciâ non eſſe reuocandum, eos confutat qui cenſuerant alteram ſaltem Galliarum ei eſſe tollendam, ne vnus & idem contra morem maiorum duas prouincias obtineret. Iam eos confutat qui vlteriorem decernebant.

NAM illæ ſententiæ virorum clariſſimorum minimè probandæ ſunt: XXXVI. quorum alter vlteriorem Galliam decernit cum Syria, alter citeriorem. qui vlteriorem, omnia illa, de quibus diſſerui paulò antè, perturbat: ſimul oſtendit eam ſe ſciſcere legem, quam eſſe legem neget: & quæ pars prouinciæ ſit, cui non poſſit intercedi, hanc ſe auellere: quæ defenſorem habeat, non tangere: ſimul & illud facit, vt quod illi à populo datum ſit, id non violet: quod Senatus dederit, id Senator properet auferre.

EXPLANATIO.

NAM.] Lege Vatiniâ C. Cæſari Citerior ſiue Ciſalpina Gallia quæ Rubicone fluuio & Alpibus continetur, vnà cum Illyrico in quinquennium data fuerat populi Romani ſuffragiis. Vlteriorem autem, ſiue, vt vocabant, Tranſalpinam, quæ etiamnum Prouinciæ nomen retinet, à Senatu habebat lege Semproniâ. In hoc autem prouinciarum Conſularium negotio, dicta fuerat ante Ciceronem duplex de Galliis ſententia. Nam alij vtramque decernebant, alij alteram tantùm vnà cum Syria. Qui rurſus duplices fuere, aut enim Citeriorem decernebant, verùm ita vt futuri Conſules non antè inirent, quàm eſſet quinquennium Cæſaris expletum, id eſt Calendis Martiis, atque ita eos oporteret Ianuario & Februario menſe ſine prouinciâ manere, quod incommodum vrget Cicero. Aut vlteriorem Galliam decernebant. In quo hæc erant incommoda, quòd rationem belli Gallici perturbarent, & legem Vatiniam, quam Senatus contra ſuam auctoritatem latam nunquam legis nomine dignatus eſſet, ſciſcere viderentur, & ſuis ſententiis approbare. In vtrâque autem ſententiâ illud præterea notat abſurdi, quòd Piſo Macedoniam eſſet retenturus, & contumelia Cęſari inferretur, ſi parte prouinciæ mulctaretur à Senatu, quòd eius animum ab ordine ampliſſimo poſſet abalienare. Hæc eſt totius huius loci ſententia iiſdem penè verbis expoſita, quibus eam vir eruditiſſimus R. P. Ioannes Galterius noſter è Doctore Sorbonenſi Muſſipontanus eloquentiæ profeſſor explicabat.

VIRORVM CLAR.] Qui fuerint illi viri clariſſimi non liquet, Domitius fortaſſe, Bibulus & alij Cæſaris inimici.

VLTERIOREM.] Narbonenſem, quæ cùm decreta fuit, iam erat Romanorum prouincia. nonnunquam tamen prouinciæ nomine continebantur etiam exteræ nationes & Reges, quibuſcum bellum gerere licebat per Senatum, aut pop. Romanum. vt videre eſt pro domo ſuâ 60. *Cùm alteri totam Achaiam, Theſſaliam, Bœotiam, Græciam, Macedoniam, omnémque Barbariam, bona ciuium Romanorum condonaſſes: alteri Syriam, Babylonem, Perſas, integerrimas pacatiſſimáſque gentes ad diripiendum tradidiſſes.* quo ſenſu tota Gallia quæ Rheno, Oceano, Pyrenęis, Alpibus continetur, dicetur Cæſaris prouincia. quam Romani Vlteriorem ſiue Tranſalpinam vocabant.

CITERIOREM.] Quæ Rubicone, & Alpibus limitatur.

QVI VLTER.] Oſtendit quatuor incommoda quæ conſequebantur ex illius ſenatoris ſententiâ, qui Cæſarem cenſebat è Tranſalpinâ Galliâ reuocandum. 1. quòd totam belli Gallici rationem perturbaret atque impediret. 2. quod, vt iam diximus, legem Vatiniam, quam Senatus nunquam legis nomine dignatus fuerat, ſuâ ſententiâ approbaret. 3. quòd ea pars prouinciæ, quam Cæſari ſe relinquere dicebat, poſſet à quolibet Tribunoplebis auferri, ac proinde non magis Cæſaris dignitati conſuleret, quàm ſi vtramque Galliam decreuiſſet. 4. quod populi magis quam Senatûs beneficium in Cæſarem collatum tueretur, & ita Cæſarem populo conciliaret, alienaret à Senatu. Quæ vt liquidiùs intelligas, recordare eam vim fuiſſe legis Semproniæ, *Vt neceſſe eſſet quotannis conſtitui per Senatum conſulares prouincias*, vt dicitur pro domo 24. & vt Tribunoplebis intercedere non liceret iis prouinciis quas Senatus Conſulares eſſe decreuerat. vt ſuprà monuimus 17. Cæſaris autem prouincia duas partes continebat. Alteram Vlteriorem Galliam à Senatu decretam conſularem, cui proinde intercedi non potuit lege Semproniâ. Alteram Citeriorem Galliam cum Illyrico, quam non Senatus, ſed populus lege Vatiniâ Cæſari decreuerat, quæ proinde defenſorem habebat, id eſt Tribunumplebis qui poſſet impedire, & prohibere quò minùs Cæſar hanc partem prouinciæ retineret. Auellebat itaque ille Senator Vlteriorem Galliam, quæ non erat Tribunitiis interceſſionibus obnoxia Citeriorem, cui intercedi potuit, intactam relinquebat. Verboſiùs fortaſſe, ſed malo longior videri quàm obſcurior, vbi præſertim difficilior nodus occurrit.

NOTÆ.

NAM.] Quæ ſit vis huius particulæ, quæ trãſitionibus inſeruit, monuimus in Cœliana. I.

PERTVRBAT.] Mox dixit. *Nec totam Gallici belli rationem prope iam explicatam perturbare, atque impedire debemus.* Pro Sextio 99. *Implicationem rei familiaris.* vbi diximus *perturbare* & *conturbare* eos dici, qui cùm ſoluendo ſe non eſſe animaduerterint, perturbant dati & accepti rationes, ſicut contra qui ære alieno liberantur dicuntur expedire & extricare rationes. II.

SCIRE.] Pro *ſciſcere*. Plebis autem eſt legem ſciſcere, populi vniuerſi iubere. Pro L. Flacco 15. *Nullam illi noſtri ſapientiſſimi & ſanctiſſimi viri vim concionis eſſe voluerunt. Quæ ſciſceret plebs, aut quæ populus iuberet, ſummotâ concione, diſtributis partibus, tributim & centuriatim deſcriptis ordinibus, claſſibus, ætatibus, auditis auctoribus, re multos dies promulgatâ & cognitâ, iuberi vetaríque voluerunt.* Hinc, vt ait Feſtus: *Scita plebei appellantur ea quæ plebs ſuo ſuffragio, ſine Patribus iuſſit plebeio magiſtratu rogante.* III.

DEFENSOREM.] Opponuntur prouincia cui non poſſit intercedi, & prouincia quæ defenſorem habeat. Igitur *defendere*, eſt *intercedere*, ſiue *prohibere*. Vide quæ diximus in Cœlianâ ad 10. §. Gellius lib. 7. cap. 19. *Petebátque vt virum conſularem triumphalémque à collegæ vi defenderent.* Subditur edictum Gracchi. *Luc. Cornelium Scipionem Aſiaticum à collegæ vi prohibeo.* IV.

AXIOMA.

Quod Senatus dederit, id Senator non debet auferre.

ARGVMENTVM.

Poſtquàm eas confutauit qui Narbonenſem Galliam decernebant futuris Conſulibus, ad alterius ſententiæ de Galliâ Italicâ confutationem delabitur.

XXXVII. ALTER belli Gallici rationem habet: fungitur officio boni Senatoris: legem, quam non putat, eam quoque ſeruat. præfinit enim ſucceſſori diem. qui mihi nihil videtur minus à dignitate diſciplináque maiorum diſſidere, quàm vt, qui Conſul Kalend. Ian. habere prouinciam debet, is, vt eam deſponſam, non decretam habere videatur: fuerit toto in Conſulatu ſine prouincia, cui fuerit, antequam deſignatus eſſet, prouincia decreta. ſortietur, an non? nam, & non ſortiri abſurdum eſt, & quod ſortitus ſis, non habere. proficiſcetur paludatus? quò? quò peruenire ante certam diem non licebit. Ianuario, Februario, prouinciam non habebit: Kalendis ei denique Martiis naſcetur repentè prouincia.

EXPLANATIO.

ALTER.] Qui Cæſarem in Galliâ Narbonenſi relinquit, eum reuocat à Galliâ Italicâ, quam Romani Citeriorem vocabant, nos qui cis Alpes habitamus, meliùs Vlteriorem diceremus. Placuit perſpicuitatis causâ Italicam nominare. Sententiæ porro laudat auctorem quod fungatur officio Senatoris, cuius eſt imperij ſecuritati ab hoſtibus, & ciuium inter ſe concordiæ conſulere. Qui igitur Cæſarem in Narbonenſi Galliâ retinendum eſſe cenſebat, is habebat belli Gallici rationem, è cuius exitu pendebat Reipub. ſecuritas. Dum Vatiniam legem ſeruandam eſſe ſtatuebat, plebis offenſionem vitabat, & ciuium inter ſe concordiæ prouidebat.

LEGEM.] Pacis & concordiæ cauſſa legem Vatiniam ſeruandam eſſe ducit, quam tamen legem eſſe non putat, quòd obnunciante Bibulo lata fuerit. Eam inquam legem ſeruandam eſſe ducit, ſucceſſori diem præfiniens, decernénſque, ne Cæſaris ſucceſſor ante Calendas Martias Citeriorem Galliam ineat, donec quinquennium lege Vatiniâ Cæſari conceſſum expleatur.

QVI MIHI.] Locus ſine dubio corruptus eſt. Emendat Lambinus: *Atqui nihil mihi videtur magis*, &c. Qua lectione liquida eſt ſententia. Vrget enim incommodum quod ex illâ ſententia ſequeretur, hoc pacto.

Conſul Calendis Ianuariis debet habere Prouinciam.
Sed non haberet Prouinciam.
Ergo quod debet habere, non haberet.
Sed hoc eſt alienum à more maiorum & Imperij noſtri dignitate. *Ergo*, &c.

Non ſum tamen auſus mutare, quòd alteram teſtetur Grutterus in omnibus penè manuſcriptis reperiri.

FVERIT.] Conſules nonnunquam eo ipſo anno quo gerebant magiſtratum, in prouinciam proficiſcebantur, frequentiùs tamen in vrbe manebant, & Calendis Ianuarij poſt magiſtratum prouincias obtinebant. Eſto, inquit, fuerit in toto conſulatu ſine prouinciâ. non id vrgeo, cum aliis nonnunquam idem ſoleat euenire: tamen

Prouinciam ſibi antequam Conſul eſſet decretam vel ſortietur, vel non ſortietur.
Vtrumque abſurdum eſt.
Ergo & id vnde ſequitur.

Abſurdum eſt non ſortiri, quia conſuetudo refragatur: abſurdum eſt ſortiri, quia quod ſortitus eſſet, non eſſet habiturus. cætera perſpicua ſunt.

NOTÆ.

FVNGITVR.] Duas adfert cauſas cur ille fungatur officio boni Senatoris. Alterã, quòd habeat belli Gallici conficiendi, & perpetuæ pacis ſtabiliendæ rationem: alteram, quòd domeſticæ quieti, & populi Senatúſque concordiæ conſulendum putet. quia nimirum debet ſibi *cum tranquillitate otium* proponere, vt fusè diximus in Sextianâ 98. Et prouidere ne domeſticis ſeditio inter ciues oriatur, quæ eſt longè bellis externis atrocior, vt dicemus in Piſonem. Porro ſenator iſte vt plebem ſenatui mitigaret, atque adeò ſuborientes diſcordias compeſceret, aliquid de ſummo iure remittebat, eíque legi parendum eſſe ſtatuebat, quam legem eſſe non putabat. Prudenter:

Ὅταν γὰρ ἡβᾷ δῆμος εἰς ὀργὴν πεσών,
Ὅμοιος ὥστε πῦρ κατασβέσαι λαβρόν·
Εἰ δ' ἡσύχως τις αὐτῷ ἐντείνοντι μὲν
Χαλῶν ὑπείκοι, καιρὸν εὐλαβούμενος
Ἴσως ἂν ἐκπνεύσειεν. ὅταν δ' ἀνῇ πνοάς
Τύχοις ἂν αὐτοῦ ῥᾳδίως ὅσον θέλεις.
Nam cùm furore populus accenſus furit
Perinde, vt ingens ignis extingui nequit.
Quòd ſi quietè ceſſeris, cùm intenditur,
Aliquid relaxans, tempus obſeruans, ſuos
Flatus remittet forſan, vt remiſerit
Flatum, impetrabis ex eo quantum voles.

Inquit eleganter Euripides in Oreſte, quos verſus, ſed aliquantùm vitiatos nonnulli videntur ex Supplicibus retuliſſe. Aliis comparationibus rem illuſtrat Sophocles in Antigone:

Ὁρᾷς παρὰ ῥείθροισι χειμάρροις ὅσα
Δένδρων ὑπείκει κλῶνας ὡς ἐκσῴζεται,
Τὰ δ' ἀντιτείνοντ' αὐτόπρεμν' ἀπόλλυται.
Αὔτως δὲ ναὸς ὅστις ἐγκρατὴς, πόδα
Τείνας ὑπείκει μηδὲν, ὑπτίοις κάτω
Στρέψας τὸ λοιπὸν σέλμασιν, ναυτίλλεται.
Vidéſne propter flumen hibernum arbores
Quæcunque cedunt frondium vt ſeruent decus,

Et quæ reſiſtunt penitus euulſa cadant.
Sic & carinæ ſi gubernator pedem
Tendens nihil concedit, in præceps dabit
Ratem ſupinam naufragum abſorbens mare.

Ex quo infert τὸ μὴ τείνειν ἄγαν, *non nimium contra tendere* eſſe viri ſapientis. vt quod ait Ambroſius 1. de officiis cap. 5. *Cedendo vincat, ſicut periti iaculandi cedentes ſolent vincere, & fugientes ſequentem grauioribus ictibus vulnerare.* Aduerte interim legendũ in Sophocle, τὸ πλοῖον, nō τὸ λοιπόν.

ARGVMENTVM.

Pertractat incommoda duo quæ ex vtraque ſententia pariter oriuntur. alterum, quòd in prouinciâ ſuâ Piſo retineatur, alterum, quòd per contumeliam Cæſar prouinciæ parte multetur, & eius animus alienetur à Senatu.

XXXVIII. ATtamen his ſententiis Piſo in prouincia permanebit. Quæ cùm grauia ſunt, tum nihil grauius illo, quòd multari Imperatorem deminutione prouinciæ contumelioſum eſt: neque ſolùm ſummo in viro, ſed etiam in mediocri homine ne accidat, prouidendum. Ego vos intelligo P. C. multos decreuiſſe honores eximios C. Cæſari & prope ſingulares, quòd ita meritus erat: gratis etiam, vt quàm coniunctiſſimus huic ordini eſſet. ſapientes, ac diuini fuiſtis. neminem vnquam eſt hic ordo complexus honoribus, & beneficiis ſuis, qui vllam dignitatem præſtabiliorem ea, quam per vos eſſet adeptus, putauit. nemo vnquam hic potuit eſſe princeps, qui maluerit eſſe popularis: ſed homines aut propter indignitatem ſuam diffiſi ipſi ſibi, aut propter reliquorum obtrectationem, ab huius ordinis coniunctione depulſi, ſæpè ex hoc portu ſe in illos fluctus propè neceſſariò contulerunt. qui, ſi ex illa iactatione, curſúque populari, bene geſta Repub. referunt aſpectum in curiam, atque huic ampliſſimæ dignitati commendati eſſe volunt, non modò non repellendi ſunt, verumetiam expetendi.

EXPLANATIO.

HIS SENTENTIIS.] Quarum altera Citeriorem, altera Vlteriorem Galliam cum Syriâ decernit, nullâ factâ Macedoniæ mentione. Piſo in Macedoniâ remanebit.

QVÆ CVM.] Argumentum.

Non ſunt probandæ ſententiæ contumelioſæ in Cæſarem.

Sed ambæ ſententiæ ſunt contumelioſæ in Cæſarem. *Ergo*, &c.

Probatur propoſitio.

Prouidendum eſt ne contumelia vel mediocribus viris inferatur.

Ergo multò magis ne ſummis viris.

Cæſar eſt vir ſummus.

Ergo, &c.

EGO VOS.] Probat eandem concluſionem.

Abſurdum eſt ei contumeliam inferre, cui honores ſingulares & eximios decreueris.

Sed Cæſari ſingulares & eximios honores decreuit Senatus.

Ergo abſurdum eſt Cæſari contumeliam inferre. Vt autem non modò abſurdum, ſed etiam periculoſum eſſe demonſtret, Senatum ſapientem & diuinum fuiſſe dixit, quòd ſibi Cæſarem hac ratione deuinxerit, prouiderítque ne vir tantus ab optimatibus diſſideret. quod poſſit huc reuocari.

Sapienter facit qui Cæſarem reconciliat optimatibus.

Sed Senatus Cæſarem reconciliat optimatibus.

Ergo ſapienter facit.

Probat minorem ab honoribus eximiis, quos illi decreuit, & quia Cæſar malet honores, & auctoritatem habere in Senatu, quàm florere gratiâ populari. Quia tamen odioſum fuiſſet fateri Cæſarem fuiſſe optimatibus inimicum, hypotheſim ad theſim reuocauit.

SED HOMINES.] Poſſunt tria popularium genera numerari. Primum eorum qui propter inſitum animi furorem diſcordiâ ciuium & ſeditione paſcuntur. Alterum eorum qui expetunt quidem honores & dignitatem, ſed mediocritatis ſuæ conſcij diffidunt ipſi ſibi, aduertúntque ſe in Senatu nomen obtinere non poſſe, ideóque fiunt populares, vt ibi ſaltem ad aliquam nominis claritatem emergant. Tertium genus eſt eorum, qui cùm in Senatu florere poſſint, & ſummam auctoritatem obtinere, ab eo tamen diſcedunt & fiunt populares non ſponte ſuâ, ſed inimicorum obtrectationibus impulſi. Primi generis populares, ſiue dubio repellendi ſunt à Senatu, ideóque nullam Orator facit eorum mentionem. Secundi, ſi redire velint ad Senatum, repellendi non ſunt: tertij, qualis fuit Cæſar, vir ſummus, etiam expetendi, & præmiis atque honoribus inuitandi. Sapiens igitur & diuinus fuit Senatus qui eum honoribus illexit. Stultus igitur eſſet Senatus, ſi contumeliis eum alienaret.

PORTV.] Senatu.

FLVCTVS.] populares.

NOTÆ.

I. DIMINVTIONE.] Circumſcribere magiſtratum dicebatur Senatus, cùm partem vel exercitûs, vel prouinciæ, vel poteſtatis adimebat. Vide Milonianam 89. *Senatus, credo, Prætorem eum circumſcripſiſſet.* Id autem fere contumelioſum, vt cùm Fabio dictatori poteſtas eſt diminuta, & imperium cum magiſtro equitum æquatum. *Omnes eam rogationem, quique Romæ, quique in exercitu erant, æqui atque iniqui, præter ipſum Dictatorem, in contumeliam eius latam acceperunt.* Verba ſunt Liuij lib. 22.

Circumſcriptio magiſtratuum.

II. CONTVMELIOSVM.] Ariſtot. 2. Rhet. cap. 2. Ἔστι ὕβρις τὸ βλάπτειν καὶ λυπεῖν, ἐφ' οἷς αἰσχύνη ἐστὶ τῷ πάσχοντι, μὴ ἵνα τι γένηται αὐτῷ ἄλλο, ἢ ὅτι ἐγένετο, ἀλλ' ὅπως ἡσθῇ. *Eſt contumelia nocere & moleſtum eſſe in iis, in quibus dedecus eſt patienti, non vt aliquid fiat ſibi aliud, aut quod factum fuerit, ſed vt voluptatem percipiat.* Sic autem eſſe vertendum, *aut quod factum fuerit*, non *niſi quod fit.* vt vertit Riccobonus, patet ex verbis proximè ſequentibus: οἱ γὰρ ἀντιποιοῦντες οὐχ ὑβρίζουσιν, ἀλλὰ τιμωροῦνται. *Etenim referentes non faciunt contumeliam, ſed vlciſcuntur.*

Contumelia.

III. EGO VOS.] Legit Ianus Guilielmus in Merc. Plauti cap. 5. *Ego vos intelligo, P. C. decreuiſſe eximios honores C. Cæſari, ac propè ſingulares, quòd ita meritus erat, gratis: ſi etiam vt quàm coniunctiſſimus huic ordini eſſet, ſapientes ac diuini fuiſtis.* additque, *ſenſus valdè bonus eſt. Affectum C. Cæſarem à Senatu maximis honoribus, & id gratis: nullâ mercede expectatâ, ſed ob ſola illius in Rempub. merita: ſed tamen, ſi idem Senatus eam mercedem à Cæſare expectarit, vt in poſterum iſti, ordini eſſet amicior, non erraſſe ait Cicero, ſed ſapientiâ ſuâ rem dignam feciſſe.* Quamuis cum lectione vulgata ſtare poteſt Oratoris ſententia, vt videbitur Notâ 5. Addit Ianus Grutterus, habuit ipſe Ianus locum pro integrato: at mihi adhuc ſyllaba videtur abſorpta à voce præcedenti. Scribendum *ſingulareis: ſi quòd ita meritus erat, grati: ſin etiam, vt quàm coniunctiſſimus huic ordini eſſet, ſapientes ac diuini fuiſtis.* Senſu, inquit apertiſſimo, hoc eſt mentè Ciceroniano.

IV. EXIMIOS ET SINGVLARES.] Vide ſuprà 25. Piſonianam 52. Et ſanè cum, vt ait Philoſophus 1. Rhetoricorum cap. 7. non in honore ſolùm, ſed etiam in cæteris rebus anteponatur meliúſque credatur, Τὸ σπανιώτερον τοῦ ἀφθόνου, οἷον χρυσὸς σιδήρου, ἀχρηστότερος ὤν· μεῖζον γὰρ ἡ κτῆσις διὰ τὸ χαλεπωτέραν εἶναι. *Rarius quàm copioſum, vt aurum quàm ferrum, cùm minus vtile ſit. maior enim eſt poſſeſſio, propterea quòd difficilior.* multò tamen magis id in honore contingit, qui, vt ait idem cap. 9. ὑπεροχὴ ἀρετῆς δηλοῖ. *virtutis excellentiam demonſtrat.* vbi & addit: Τὰ μόνῳ ὑπάρχοντα καλλίω, εὐμνημονευτότερα γάρ. *Quæ ſoli adſunt, honeſtiora ſunt, valdè enim commemorabilia ſunt.* Neque verò aliis honoribus quàm eximiis è ſingularibus potuit Cæſar in Senatûs beneuolentiâ retineri. Teſtis eſt illa excellentiæ cupiditas, ἡ τὸ φιλόπρωτον, de quo feſtiuè Iulianus in duodecim

Honores ſingulares.

Cæſaribus. Lucianus 1. Pharſalic. Dio lib. 41. Πομπήϊος μὲν οὐδενὸς ἀνθρώπων δεύτερος, Καῖσαρ δὲ καὶ πρῶτος πάντων εἶναι ἐπεθύμει. *Pompeius nulli mortalium ſecundus, Cæſar etiam omnium primus eſſe cupiebat.* Quid? quòd cum in Alpibus per obſcurum quendam viculum tranſiret, comitéſque per iocum quærerent an inter huiuſmodi ruſticellas flagraret ambitio, ſeuerè ſerióque reſpondit: Ἐγὼ μὲν ἐβουλόμην παρὰ τούτοις εἶναι μᾶλλον πρῶτος, ἢ παρὰ Ῥωμαίοις δεύτερος. *Ego quidem apud iſtos malim primas, quàm apud Romanos ſecundas obtinere.* Narrat Plutarchus in eius vitâ.

Cæſaris ambitio.

V. GRATIS.] Meritò non ſolùm honores, quos meritus erat, Cæſari tributos à Senatu, ſed etiam quoſdam gratis datos fuiſſe teſtatur, vt Cæſar Senatui quàm coniunctiſſimus eſſet. minùs enim alliciunt honores quos putamus virtuti noſtræ deberi. Iuxta illam hortationem, Ἣν ὁ Ἀντισθένους Ἡρακλῆς παρῄνει τοῖς παισὶ, verba ſunt Plutarchi opuſculo de malo pudore; διακελευόμενος μηδενὶ χάριν ἔχειν ἐπαινοῦντι. *Qua Hercules apud Antiſthenem filios hortabatur, vt nemini ſe laudanti gratiam haberent.* Τοῦτο δ' ἦν οὐδὲν ἄλλο ἢ μὴ δυσωπεῖσθαι, μηδ' ἀντικολακεύειν τοὺς ἐπαινοῦντας. ἀρκεῖ γὰρ, οἶμαι, τὸ τοῦ Πινδάρου πρὸς τὸν λέγοντα πανταχοῦ καὶ πρὸς πάντας ἐπαινεῖν αὐτόν. Κἀγώ σοι χάριν ἀποδίδωμι. ποιῶ γάρ σε ἀληθεύειν. *Hoc verò nihil aliud erat quàm hortari, vt ne ſubruſtico quodam pudore afficerentur, nec viciſſim ſuis laudatoribus aſſentarentur. Sufficit enim illud Pindari, ad illum qui dicebat ipſum ſuis laudationibus vbique celebrari. Et ego, inquit, tibi gratiam cumulatè refero. Facio enim te dicere veritatem.* Sicut contrà, vt notat Xenophon Ageſilai encomio: Οἱ προῖκα εὖ πεπονθότες, οὗτοι ἀεὶ ἡδέως ὑπηρετοῦσι τῷ εὐεργέτῃ. καὶ διότι εὖ ἔπαθον, καὶ διότι προεπιστεύθησαν ἄξιοι εἶναι παρακαταθήκην χάριτος φυλάττειν. *Qui gratis beneficium acceperunt, hi libenter benefactori ſeruiunt, tum quòd beneficium acceperint, tum quòd priùs digni habiti ſint, quibus ſeruandum depoſitum gratiæ crederetur.*

Honores gratuiti gratiores.

VI. SAPIENTES AC DIVINI.] Bene *ſapientes ac diuini*: Sapientia enim eſt *diuina virtus.* Vide pro Marcello §. 1. lib. 2. ad fratrem epiſt. 7. *Senatus frequens diuinus fuit in ſupplicatione Gabinio denegandâ.*

VII. ESSE PRINCEPS.] Præclarè. nam *vt aiunt in Græcis artificibus eos aulœdos eſſe qui citharœdi fieri non potuerint.* Sic in Rep. populares fiunt, qui in Senatu principes eſſe non poſſunt. Vt huc Bionis philoſophi ſimilitudo quadrare poſſit. Ὥσπερ οἱ μνηστῆρες τῇ Πηνελόπῃ πλησιάζειν μὴ δυνάμενοι ταῖς ταύτης ἐμίγνυντο θεραπαίναις, οὕτω, &c. *Quemadmodum proci, cùm ad Penelopem non poſſent accedere, ancillarum eius conditiones colligebant.* Ita qui Senatui placere non poſſunt, plebis gratiam aucupantur.

AXIOMATA.

Multari Imperatorem diminutione prouinciæ contumelioſum eſt: neque ſolùm ſummo in viro, ſed etiam in mediocri homine ne accidat prouidendum.

Nemo vnquam in Senatu potuit eſſe princeps, qui maluerit eſſe popularis.

ARGVMENTVM.

Reſpondet obiectioni cuidam Marcellini Conſulis, timendum eſſe ne ſi Senatus præſentem vindicandæ ſibi Galliæ Citerioris occaſionem amiſerit, eam populus inuito Senatu rurſus alicui decernat, eiúſque in poſterum decernendæ ſibi ius vſurpet.

XXXIX. MONEMVR à fortiſſimo viro, atque optimo poſt hominum memoriam Conſule, vt prouideamus ne citerior Gallia, nobis inuitis, alicui decernatur poſt eos Conſules, qui nunc erunt deſignati: perpetuóque poſthac ab iis, qui hunc ordinem oppugnent, populari ac turbulenta ratione teneatur. Quam ego plagam, etſi non contemno, P. C. præſertim monitus à ſapientiſſimo Conſule, & diligentiſſimo cuſtode pacis & otij, tamen vehementiùs arbitror pertimeſcendam, ſi hominum clariſſimorum ac potentiſsimorum aut honorem minuero, aut ſtudium erga hunc ordinem repudiaro. nam, vt C. Iulius omnibus à Senatu eximiis, ac nouis rebus ornatus, per manus hanc prouinciam tradat ei, cui minimè vos velitis: per quem ordinem ipſe ampliſsimam ſit gloriam conſecutus, ei ne libertatem quidem relinquat, adduci ad ſuſpicandum nullo modo poſſum. Poſtremò, quo quiſque animo futurus ſit, neſcio: quid ſperem, video. præſtare hoc Senator debeo, quantum poſſum, ne quis vir clarus, aut potens huic ordini iure iraſci poſſe videatur.

EXPLANATIO.

MONEMVR.] Proponit rationem, quam Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus Cõſul, cùm de prouinciis Conſularibus referret, ponderandam eſſe & examinandam monuerat, antequam de prouinciis decerneretur. videtur enim in vſu fuiſſe vt cùm Magiſtratus rem Senatui diſcutiendam proponeret, rationes etiam dubitandi in vtramque partem breuiter afferret. Præmonuerat igitur Lentulus periculum eſſe ne ſi Senatores præſentem occaſionem è manibus elabi paterentur, non poſſent deinde Citeriorem Galliam in ſuam poteſtatem vindicare, quòd populus eam fortaſſe daturus eſſet alicui populari. quemadmodum rogatione Vatiniâ eam Cæſari decreuerat.

ERVNT DESIGNATI.] Iam antè monuimus decretas fuiſſe prouincias Conſulares antequam Conſules qui eas obtinerent, eſſent deſignati, vt in iis decernendis nihil vel factioni, vel gratiæ tribueretur. Deſignati fuerunt Pompeius & Craſſus.

QVAM EGO.] Aduerte oratoris prudentiam. non potuit refellere Marcellini rationem: nec opus fuit. Non contemnendam eſſe concedit: laudat eius auctorem, tum à ſapientiâ, tum à diligentiâ ſtudióque ſeruandæ pacis. rationem rationi, metui metum iuſtiorem opponit. ne alienetur à Senatu Cæſar qui potentiſſimus erat, & militum populíque Romani beneuolentiâ fretus pacem turbare poterat, & Reip. ſtatum funditus conuellere. poſtea tamen ſuas affert rationes, quibus ille Marcellini timor leniatur, gratitudine Cæſaris & æquitate qui nullo modo traditurus eſt prouinciam alteri, quàm ei quem Senatus decreuerit.

POTREMO.] Prudenter concludit, etiamſi ſecus ac ſperabat eueniret, tamen prudentis non eſſe viro forti dare iuſtam occaſionem alienationis à Senatu.

NOTÆ.

CONSVLE.] Senatui Marcius Philippus Conſul interfuit. ſuprà 21. *Tuus pater Philippe.* quibus eum præſentem compellat; vt tamen de Lentulo altero Conſule interpretarer induxit me tum epiſtola 6. lib. 2. ad Quintum Fratrem: *Conſul eſt egregius Lentulus non impediente collegâ: ſic, inquam, bonus vt meliorem non viderim.* tum quòd Philippus erat Cæſari coniunctior, quàm vt eum palam oppugnaret. Iuliam enim Cæſaris ſororis filiam, Auguſti matrem habebat vxorem, vt Velleius, Appianus, & vt cæteros omittam, ipſe Cicero tradiderunt. I.

PER MANVS.] Hoc videtur prouerbium redolere, vt epiſtolâ quadam ad Cæſarem lib. 7. ad familiares. *Totum denique hominem tibi trado, de manu; vt aiunt, in manum tuam iſtam & victoria, & fide præſtantem.* II.

QVO QVISQVE.] Prudenter conſilia negat euentis ponderanda. Vide quæ pro Rabirio Poſthumo §. 1. & in Piſonem 98. diſſeremus. Quod autem hîc ait, id videtur è Stoicorum philoſophiâ manaſſe, vt apud Epictetum & Arrianum qui frequenter non alieni facti, ſed noſtri ipſorum conſilij inculcant reddendam eſſe rationem. Vide inter cætera lib. 1. diſſert. cap. 12. III.

POTENS.] Vitanda potentium offenſio. vide Vatinianam 21. *Ne tu mihi homo potens iraſcare.* pro Milone 100. *Ego inimicitias potentium pro te appetiui.* IV.

AXIOMATA.

Nullam oportet Reipub. plagam contemnere.

Præſtare hoc Senator debet, quantùm poteſt, ne quis vir clarus aut potens Senatui iraſci poſſe videatur.

PERORATIO.

Nonnulli ſex proximè ſequentes paragraphos contentionis partem eſſet rentur: melius opinor ad perorationem referemus. Neque enim iam Cæſarem in Galliis retinendum eſſe contendit, ſed hominum opinionem, qui ipſum à Cæſare grauiter offenſum fuiſſe credebant, ex eorum animis euellit, ne exulceratos amicorum Cæſaris amicos relinquat.

TABVLA PERORATIONIS.

Peroratio partes habet tres.

- À numero 40. ad 46. Expoſitionem ſuæ neceſſitudinis & coniunctionis cum Cæſare, oſtendit: à triplici tempore
  - ante Cæſaris Conſulatum
    - adoleſcentiam in ſumma familiaritate, & mutua neceſſitudine traduxerunt.
    - Ita poſtea diſſenſerunt in Repub. vt in diſiunctione ſententiæ coniuncti amicitia manerent.
  - in ipſo Conſulatu
    - 1. Cæſar quinquiuiratum detulit Ciceroni.
    - 2. voluit eum in tribus Conſularibus ſibi coniunctiſſimis habere.
    - 3. obtulit legationem.
    - 4. Clodium quidem ad plebem traduxit, eíque viam ad tribunatum patefecit, ſed aliunde prouidit incolumitati Ciceronis.
    - Ergo Cæſar non offendit Ciceronem.
    - neque Cicero Cæſarem, quia Cæſaris beneficia non ingrato animo, ſed ſtudio conſtantiæ repudiauit.
  - poſt Conſulatum
    - Nihil fecit contra Ciceronem.
    - Si Ciceronem oppugnauit, iniuriam maioribus beneficiis compenſauit.
    - Ergo Cicero debet eſſe gratus, & Cæſaris acta defendere, cùm præſertim viri graues, dum Clodij tribunatum defendunt, Cæſaris acta rata eſſe debere, vel inuiti fateantur.
- recapitulationem dictorum. 47.
- Conqueſtionem in eos qui ipſum reprehendebant, quòd in gratiam cum Cæſare rediiſſet. 47.

ARGVMENTVM.

Poſtquàm ita diſputauit, vt ſe inimicum Cæſari vel eſſe, vel ſaltem fuiſſe concederet, nunc amicitiam iam inde ab adoleſcentia contractam, nullâ Cæſaris iniuriâ diſſolutam fuiſſe demonſtrat.

XL. ATQVE hoc, ſi inimiciſſimus eſſem C. Cæſari, ſentirem tamen Reipub. cauſsâ. Sed non alienum eſſe arbitror, quo minùs ſæpè aut interpeller à nonnullis, aut tacita exiſtimatione reprehendar, explicare breuiter, quæ mihi ſit ratio, & cauſſa cum Cæſare. Ac primùm illud tempus familiaritatis & conſuetudinis, quæ mihi cum illo, quæ fratri meo, quæ C. Varroni conſobrino noſtro ab omnium noſtrum adoleſcentia fuit, prætermitto. poſteaquam ſum penitus in Rempubl. ingreſſus, ita diſſenſi ab illo, vt in diſiunctione ſententiæ, coniuncti tamen amicitia maneremus.

EXPLANATIO.

ATQVE HOC.] Tota ad interpellatorem reſponſio potuit ad hunc ſyllogiſmum reuocari.

Si mihi inimicitiæ cum Cæſare vel eſſent, vel fuiſſent, tamen eum non deberem è Gallia reuocare.

Sed nullæ mihi cum Cæſare inimicitiæ vel ſunt, vel fuerunt.

Ergo multò minùs eum debeo reuocare.

Hactenus propoſitionem variis rationibus probauit, nunc ad aſſumptionem delabitur.

SED NON.] Tranſitio, qua reddit conſilij ſui rationem docilitatis cauſa, & breuitatem promittit ad vitandum faſtidium. Monet Grutterus extare in Palatinis, Gemblacenſi, & S. Victoris, *aut tacitorum exiſtimatione.* cùm illud *tacita æſtimatione*, ne primæ quidem editiones habeant.

AC PRIMVM.] Prætermiſſio oratoria.

POSTEAQVAM.] Ante Ciceronis Conſulatum nulla reperitur Cæſaris & Ciceronis diſiunctio. immò diſſentientibus cæteris optimatibus vterque contendit, vt ferretur lex Manilia, & Pompeius L. Luculli ſucceſſor contra Mithridatem in Aſiam mitteretur, vt Dio narrat lib. 36. Prima igitur iſta ſententiarum diſiunctio videtur fuiſſe, cùm Cicerone Conſule ad Senatum referente ſuaſit Cato vt coniurati neci dederentur, Cæſar diſſuaſit, Cicero Catonis ſententiam amplexus eſt, eámque quartâ Catilinariâ fuſiùs probauit. coniuncti tamen amicitiâ manſerunt. ſi quidem, cùm Cæſar in coniurationis ſuſpicionem vocatus eſſet, & adoleſcentes nobiles Ciceronis cuſtodes ſtrictis in eum gladiis impetum feciſſent, eum Cicero à periculo mortis exemit, vt auctor eſt Plutarchus in Cæſare.

NOTÆ.

I. INTERPELLER.] Vide ſuprà 18. *Illam interpellationem mei familiariſſimi, qua paulò antè interrupta eſt oratio mea.*

II. Exiſtimare. TACITA EXISTIMATIONE.] Benè *tacitâ*, quia nonnunquam etiam in verbis *exiſtimatio* reperitur. Vide Sext. 87. & ſecundam Philippicam 9. *Omne autem crimen tuum eſt, quòd de te in* [illegible] *uis literis non malè exiſtimem.* Sicut contrà Græci verba φάναι, & φράζειν, quæ primariò locutionem ſignificant, pro tacita animi cogitatione frequenter vſurpant. Odyſſ. π.

Ἦλθες Τηλέμαχε γλυκερὸν φάος· οὔ σ' ἔτ' ἔγωγε
Ὄψεσθαι ἐφάμην.

Telemache accedis mea lux dulciſſima: nec te
Viſurum ducebam animo.– Item:

Καὶ φράσαι εἴ κεν νῶϊν Ἀθήνη σὺν Διῒ πατρὶ
Ἀρκέσει, ἠέ τιν' ἄλλον ἀμύντορα μερμηρίξω.

Tu quoque nunc expende animo, nobíſne Minerua
Cum Ioue ſufficiet? Defenſorémne requiram
Præterea?–

Sexcenta proferri exempla poſſent, ſed his ſuperſedendum ne in ſingulis hæreamus.

C. VARRONI.] De claris oratoribus 264. *Erat etiam vir doctus imprimis C. Viſellius Varro conſobrinus meus,* &c. *Neque verbis aptiorem citò alium dixerim, neque ſententiis crebriorem. Præterea perfectus in literis iuriſque ciuilis iam à patre Aculeone traditam tenuit diſciplinam.* Huius etiam meminit 3. in Verrem. Sed non vt doctrinâ & ingenio, ita moribus fuit probatus. Si quidem, vt narrat Valerius lib. 8. cap. 2. libidinis habuit commercium cum Octacilia Laterenſi. *Is cùm poſt curulem ædilitatem Iudex quæſtionis eſſet, mortuus eſt,* inquit Orator, & eam ob cauſſam neque frequens huius mentio apud Ciceronem, neque pro ingenij ſui claritate ad nominis celebritatem emerſit. III.

ADOLESCENTIA.] Bene ab adoleſcentia familiaritatem repetit: hæc enim ætas ad amicitias conciliandas procliuior. Ariſtoteles 2. Rhetoric. cap. 11. Καὶ φιλόφιλοι, καὶ φιλέταιροι μᾶλλον τῶν ἄλλων ἡλικιῶν διὰ τὸ χαίρειν τῷ συζῆν. *Et ſtudioſi amicorum, & ſtudioſi ſodalium magis quàm aliæ ætates, quia gaudent conuictu,* &c. φιλοῦσί τε γὰρ ἄγαν, καὶ μισοῦσιν ἄγαν, καὶ τἆλλα πάντα ὁμοίως. *Nam & amant nimis, & nimis odio habent, & alia omnia ſimiliter.* Et ſanè celebres omnes amicitiæ à primâ adoleſcentiâ coaluerunt, vt Theſei & Pyrithoi, Achillis & Patrocli, Damonis & Pythiæ, Armodij & Ariſtogitonis, Gregorij Nazianzeni & Baſilij Magni, Auguſtini & Alypij, vt eos prætermittam de quibus Lucianus in Toxari pulcherrima. IV. Adoleſcentia ad amicitias procliuior.

AXIOMA.

Ita diſſentire debemus ab aliis, vt in diſiunctione ſententiæ, coniuncti tamen amicitiâ maneamus.

ARGVMENTVM.

Exponit beneuolentiæ ſignificationem, quam ipſi Cæſar oſtendit in ſuo Conſulatu, & beneficia quibus ipſum Cæſar ad ſuas partes perducere conatus eſt.

CONSVL ille egit eas res, quarum participem me eſſe voluit: quibus ego ſi minùs aſſentiebar, tamen illius mihi iudicium gratum eſſe debebat. me ille, vt quinqueuiratum acciperem, rogauit: me in tribus ſibi coniunctiſſimis Conſularibus eſſe voluit: mihi legationem quam vellem, quanto cum honore vellem, detulit. Quæ ego omnia non ingrato animo, ſed obſtinatione quadam ſententiæ repudiaui, quàm ſapienter non diſputo. multis enim non probabo: conſtanter quidem, & fortiter certè. qui, cùm me fortiſſimis opibus contra ſcelus inimicorum munire, & populares impetus populari præſidio poſſem propulſare, quamuis excipere fortunam, ſubire vim atque iniuriam malui, quàm aut à veſtris ſanctiſſimis mentibus diſsidere, aut de meo ſtatu declinare. Sed non is ſolùm gratus debet eſſe, qui accepit beneficium, verùm etiam is, cui poteſtas accipiendi fuit. Ego illa ornamenta, quibus ille me ornabat, decere me, & conuenire iis rebus, quas geſſeram, non putabam. illum quidem amico animo me habere eodem loco, quo principem ciuem ſuum generum, ſentiebam. XLI.

EXPLANATIO.

CONSVL.] Cæſar Conſul Publicanos, tertiâ vectigalium parte releuauit, Regna tetrarchias immanes pecunias paucis dedit, Ptolemæum Alexandriæ Regem ſocium nominauit, legem tulit de agro Campano diuidundo, & alia quædam fecit quæ furioſo magis Tribuno plebis, quàm amanti patriam Conſuli conuenirent.

QVARVM.] Me in rerum quas Conſul faciebat, voluit ſocietatem accerſere, eáſque mecum communicare: quod etſi repudiarim, gratum mihi tamen eſſe debuit, quòd me rerum ſuarum communicatione dignum eſſe iudicabat.

ME ILLE.] Noſter ad Atticum lib. 9. epiſt. 2. *Repudiari ſe totum magis etiam quam olim in vigintiuiratu putabit. Ac ſolet, cùm ſe purgat in me conferre omnem illorum temporum culpam: ita me ſibi fuiſſe inimicum, vt ne honorem quidem à ſe accipere vellem.* Velleius lib. 2. *Non caruerunt ſuſpicione oppreßi Ciceronis Cæſar & Pompeius. hoc ſibi contraxiſſe videbatur, quod inter vigintiuiros diuidendo agro Campano eſſe noluiſſet.* E quibus aliíſque ſcriptoribus Manutius, Antonius Auguſtinus, & alij hunc locum emendant. Alij non ſolùm vigintiuiros, ſed etiam quinqueuiros à Cæſare fuiſſe creatos contendunt: alteros vt agrum Campanum æſtimarent, alteros vt æſtimatum diuiderent. Quòd ſi ita eſt potuit Cæſar Tullio & vigintiuiratum, & quinqueuiratum detuliſſe. Vtrorumque certè Tullius lib. 2. ad Atticum ep. 7. facit mentionem: *Subcontumelioſè tractatur noſter Publius. primùm, qui cùm in domo Cæſaris quondam vnus vir fuerit, nunc ne in viginti quidem eſſe potuerit.* Et paulò pòſt: *Sed illud quid ſit ſcire cupio quod iacis obſcurè iam etiam de quinqueuiris loqui quoſdam.* Immò Pompeium & Piſonem Duumuiros creatos fuiſſe, qui Coloniam in agrum diuiſum & ſingulis attributum deducerent, conſtat è Piſonianâ & Sextianâ.

ME IN TRIBVS.] Cæſare *Conſulatus candidato, & captante Rempub. inuadere, conſpiratio inter tres principes ciuitatis facta eſt, Cn. Pompeium, M. Craſſum, C. Cæſarem.* verba ſunt epitomes Liuianæ. Cæſar qui cæteris duobus Conſularibus auctor conſpirationis fuerit, conatus eſt Ciceronem tertium Conſularem ad ſuam factionem adducere.

MIHI LEGATIONEM.] Lib. 2. ad Atticum epiſt. 18. *A Cæſare valde liberaliter inuitor in legationem illam ſibi, vt ſim legatus.* Fuiſſe autem inter legationes diſcrimen aliquod hinc intelligis, & è Notis liquebit.

QVÆ EGO OMNIA.] Quinqueuiratum, legationem, Societatem conſiliorum omnium reieci, non quòd ingratus eſſem, aut illorum beneficiorum magnitudinem non cognoſcerem, ſed quòd obſtinaueram animo à Senatu nunquam diſcedere.

NON PROBABO.] Me feciſſe ſapienter.

POPVLARI PRÆSIDIO.] Qui aberant Reipub. cauſsâ, non poterant in iudicium vocari. ac proinde Cicero accepta Cæſaris legatione, ſe contra Clodij conatus munire potuit, & iudicium quod intendebat Clodius declinare, ſi quamdiu ille fuit in magiſtratu, Noſter Reipub. cauſsâ ſuam illam legationem obiiſſet. Præſidium etiam illud fuiſſet populare, cùm Cæſar, qui legationem dabat, apud populum eſſet gratioſus, & Citeriorem, vt vocabant, Galliam lege Vatiniâ & beneficio plebis obtineret.

SVBIRE VIM.] Per ſummam iniuriam ex vrbe pelli.

DE MEO STATV.] De propoſito Reipub.

gerendæ & priſtinâ vitæ ratione, qua animum induxi optimatium partes ſemper amplecti ac tueri contra plebis leuitatem.

Sed non.] Sententia moralis: qua oſtendit ſe Cæſari obligatum, etiamſi beneficium non acceperit, quia per Cæſarem non ſtetit, quo minùs acciperet.

Ego illa.] Reddit rationem cur Cæſaris beneficiis vſus non fuerit: quia ipſe qui ſemper optimatum & ordinis ampliſſimi ſectam ſecutus fuerat, conuenire non putabat vitæ anteactæ, vt cum Pompeio, Craſſo, & Cæſare ſocietatem coiret contra optimates: & cùm tantæ auctoritatis, & innocentiæ eſſet, nolebat iudicium prætextu legationis declinare.

Illvm.] Cæſarem.

Genervm.] Pompeium.

NOTÆ.

I. Consvl.] Multas tulit leges Iulius Cæſar in primo Conſulatu, quarum aliæ ſummo omnium plauſu exceptæ ſunt, aliȩ repudiatæ à Senatu. vt illa cuius fit mentio pro Cornelio Balbo 21. *Qua lege ciuitas Latinis & Sociis data.* Si tamē ea lex hunc Iulium Cæſarem auctorem agnoſcit, & non illum qui floruit ante tempora Sullana. vt lex de populis liberis, lex de repetundis, de legationibus, de rationib. ad ærarium referendis, &c.

Geſta Cæſaris primo Cōſulatu.

Sed eæ præ cæteris à Senatu repudiatæ ſunt, de quibus in explanatione. de agro Campano, & publicanis nota res eſt, de Ptolemæo fortaſſe obſcurior. Liquere poterit ex ſecundâ Agrariâ 41. *Quis enim veſtrûm hoc ignorat dici illud regnum teſtamento regis Alexandrini Pop. Rom. eſſe factum, &c. Video qui teſtamentum factum eſſe confirmet: auctoritatem Senatûs extare hereditatis aditæ ſentio, tum quando Alexandro mortuo legatos Tyrum miſimus, qui ab illo pecuniam depoſitam noſtris recuperarent: Hæc Luc. Philippum ſæpè in Senatu confirmaſſe memoriâ teneo: Eum qui regnum illud teneat hoc tempore neque genere, neque animo regio eſſe inter omnes fere video conuenire. Dicitur contra nullum eſſe teſtamentum, &c.* Cùm igitur ius illud dubium eſſet, ſæpè à Senatu petierat, vt Rex & Socius Pop. Rom. diceretur, quo non impetrato, Cæſarem vel prece, vel precio exorauit, vt eam à populo Regis appellationem obtineret. lib. 2. ad Att. ep. 16. de Cn. Pompeio: *Nam adhuc* ἐσοφίζετο *ſe leges Cæſaris probare: actiones ipſum præſtare debere: Agrariam legem ſibi placuiſſe: potuerit intercedi nécne nihil ad ſe pertinere. De Rege Alexandrino placuiſſe ſibi aliquando confici: Bibulus de cœlo tum ſeruaſſet, nécne ſibi quærendum non fuiſſe. De publicanis voluiſſe illi ordini commodare: quid futurum fuerit, ſi Bibulus tum in forum deſcendiſſet, ſe diuinare non potuiſſe.* Cæſar ipſe lib. 3. de bello ciuili: *Superiore Conſulatu cum patre Ptolemæo, & lege & Senatuſconſulto ſocietas erat facta.*

II. Legationem.] Alias aliis legationes plus habuiſſe dignitatis, vel ex hoc loco compertum eſt. & innuitur Piſon. 88. *Præpoſitus legatorum tuorum turpiſſimus.* Qui videlicet cæteris legatis præfectus eſſet, & abſente Imperatore cæteris omnibus imperaret: qualis, vt ibi dicemus ex Dione, videtur fuiſſe T. Labienus. Epitome Liuiana lib. 73. *Cùm P. Rutilius Conſul parum proſperè contra Marſos pugnaſſet, & in prælio cecidiſſet. C. Marius, legatus eius meliore euentu cum hoſtibus conflixit*, &c.

Legationes aliæ aliis potiores.

Qu. Cæpio legatus Rutilij, cùm obſeſſus proſperè in hoſtes erupiſſet, & ob eum ſucceſſum æquatum ei cum Mario eſſet imperium, temerarius factus & circumuentus inſidiis fuſo exercitu cecidit. E quibus aduertis inter legationes aliquod fuiſſe diſcrimen. Neque enim niſi priùs primam legationem Marius habuiſſet, cum eo Cæpioni propter victoriam æquatum fuiſſe imperium diceretur.

Qvam sapienter.] Multis ait non probatum iri ſe feciſſe ſapienter, quia plerique, vt dicetur in Piſonem 98. oportere putant *Euentis & factis fortunam cuiuſque ponderari.* & pro Rabirio Poſthumo 1. *Hoc plerumque facimus, vt conſilia euentis ponderemus, &, cui bene quid proceſſerit, multum illum prouidiſſe, cui ſecus nihil ſenſiſſe dicamus.* vide. III.

Popvlari præsidio.] Legatione Cæſaris apud plebem gratioſi. Præſidium appellat, quia qui legatione fungebantur, cogi non poterant, & ad iudicium reuocari. in Vatinium 34. *Atque illud etiam quæro quod poſtea quàm ea poſtulatus ex legatione redieris, ne quis te iudicia defugere arbitraretur: Téque, cùm tibi vtrum velles liceret, dictitaris cauſſam dicere maluiſſe: quî conſentaneum fuerit, cùm legationis perfugio vti potuiſſet, appellatione improbiſſimâ te ad auxilium nefarium confugiſſe.* Cōtra tamen rei nonnunquam videntur à legationibus ad cauſſam dicendā Prætoris edicto fuiſſe reuocati. lib. 4. ad Atticum ep. 14. *Meſſius defendebatur à nobis à legatione reuocatus. Nam eam Cæſari legarat Appius. Seruilius edixit vt adeſſet.* Quare fortaſſe dicendum hanc Meſſij legationem non publicam illam & militarem fuiſſe, ſed priuatarum rerum & declinandi periculi cauſsâ ſuſceptam, cuiuſmodi legationes liberas vocabant, & à quibus poterant Prætoris edicto reuocari, cùm ab illâ publicâ non poſſent. Noſter 2. ad Att. ep. 18. *A Cæſare valde liberaliter inuitor in legationem illam ſibi vt ſim legatus: atque etiam libera legatio voti causâ datur: ſed hæc & præſidij apud furorem Pulchelli non habet ſatis: & à fratris aduentu me ablegat. illa & munitior eſt, & non impedit quo minùs adſim cùm velim: hanc ego teneo, ſed vſurum me non puto.* Iam dixerat epiſtolâ 4. eiuſdem libri: *Accommodatius nobis eſt ad liberam legationem tempus illud, cùm & Quirtus noſter, iam, vt ſperamus, in otio conſederit.* Has autem, vt dixi, liberas legationes vel priuatarum rerum cauſsâ, vel honeſtæ fugæ prætextu, vel ad vota exoluenda ſuſcipiebantur, & vt Senatores maiorem in prouinciis, tanquā magiſtratus pop. Romani auctoritatem obtinerent. Rerum priuatarum, prima Agraria 8. *Hereditatum obeundarū cauſsâ, quibus vos legationes dediſtis, qui & priuati, & priuatum ad negotium exierunt, non maximis opibus, neque ſummâ auctoritate præditi, tamen auditis profectò, quàm graues eorum aduentus ſociis veſtris eſſe ſoleant.* Quia videlicet publicis ſumptibus & hoſpitiis excipiebantur, vt mox dicemus. Et Agrariâ 2. nu. 44. *Legatos veſtros, qui rerum priuatarum cauſsâ, legationes liberas obeunt, tamen exteræ nationes ferre vix poſſunt.* Pro Flacco 86. *An legationes ſumere liberas exigendi cauſsâ, ſicut & tu ipſe nuper, & multi viri boni ſæpè fecerunt, rectum eſt, quod ego non reprehendo: ſocios video queri: Prætorem ſi hereditatem in prouinciâ creuerit, non ſolùm reprehendendum, verùm etiam condemnandum putas?* Honeſtæ fugæ. &c. Brutus ep. ad Cic. quæ eſt prima libri vndecimi ad Fam. *Placi-*

IV. Legati cauſſam dicere nō cogebantur.

Niſi eſſet libera legatio.

tum eſt mihi vt poſtularem legationem liberam, mihi reliquiſque noſtris, vt aliqua cauſſâ proficiſcendi honeſta quæreretur. audiuerat enim in interfectores Cæſaris, *eſſe militum concitatos animos & plebis.* Plutarchus in Gracchis: Δείσασα περὶ τοῦ ἀνδρὸς ἡ βουλὴ, ψηφίζεται μηδὲν δεομένη πέμπειν αὐτὸν εἰς Ἀσίαν. *Senatus Scipioni Naſicæ timens legationem ei in Aſiam decreuit, etiamſi nulla ſuſcipiendæ legationis alia neceſſitas vrgeret.* Aliquando voti & religionis exoluendæ cauſsâ dabatur, vt iam dictum ex epiſt. 18. lib. 2. ad Atticum. Adde epiſt. 11. lib. 15. ad Attic. *Dolabella me ſibi legauit ad* IV. *Nonas Aprilis. Id mihi heri veſperi nuntiatum eſt, votiua ne tibi quidem placebat. Etenim erat abſurdum, quæ, ſi ſtetiſſet Reſpub. vouiſſem, ea me euersâ illâ vota diſſoluere.* Plutarchus in Mario: Ἐξέπλευσεν εἰς Καππαδοκίαν, καὶ Γαλατίαν, λόγῳ μὲν ἀποδώσων, ἃς εὔξατο τῇ μητρὶ τῶν θεῶν θυσίας. *In Cappadociam, & Galatiam nauigauit, eo prætextu quaſi ſacrificia facturus eſſet & vota perſoluturus, quæ matri Deorum nuncuparat.* Hanc etiam legationem petebant vt plus auctoritatis obtinerent, & publicis ciuitatum ſumptibus inuitarentur, tanquam magiſtratus populi Romani, quem morem in magiſtratibus Luc. Poſthumius Conſul primus induxit, cùm priùs, vt auctor eſt Liuius lib. 42. *Legati qui repente aliquò mitterentur, ſingula iumenta per oppida, iter qua faciendum erat, imperabant: aliam impenſam ſocij in magiſtratus Romanos non faciebant. Iniuria Conſulis etiamſi iuſta, non tamen in magiſtratu exercenda, & ſilentium nimis aut modeſtum, aut timidum Prœneſtinorum ius, velut probato exemplo, magiſtratibus fecit grauiorum in dies Imperiorum.* Quod non Magiſtratus ſolùm, ſed etiam Senatores qui ius liberæ legationis habebant, faciebant, eóque grauius fuit eorum Imperium quòd & priuatâ, non Reipub. cauſâ legabantur, & libera fuit eorum legatio, id eſt, nullo tempore limitata, & quamdiu commodum eſſet, in ea manere potuerunt, vnde, vt ex orat. de lege Agrariâ, & pro Flacco vidiſti, multæ fuerunt querelæ ſociorum, donec tandem Iulius Cæſar ſumptum & legationis tempus definiit. De ſumptibus lege Iuliâ limitatis lib. 5. ad Attic. epiſt. 10. *Adhuc ſumptus nec in me aut priuatim, nec in quemquam comitum. Nihil accipitur lege Iulia, nihil ab hoſpite.* epiſt. 16. *Nullus fit ſumptus in nos, neque in legatos, neque in quæſtorem, neque in quemquam. Scito non modò nos fœnum, aut quod lege Iuliâ dari ſolet non accipere, ſed ne ligna quidem, nec præter quatuor lectos & tectum quemquam accipere quicquam: multis locis ne tectum quidem, & in tabernaculo manere plerumque.* Rurſum epiſt. 21. *Caue putes homines magis vnquam quicquam eſſe nec in Rempub. nec in quemquam meorum, præter quàm in Luc. Tullium legatum. Is cæteroquin abſtinens, ſed Iuliâ lege tranſitans, ſemel tamen in diem, non vt alij ſolebant, omnibus vicis, præter eum ſemel nemo accepit,* &c. Ad hanc Iuliam legem refero verba Horatij lib. 1. Sat. 5. de Mecœnate & Coceio legatis:

Libera legatio religionis cauſsâ.

Legati publico hoſpitio excepti.

Sumptus lege Iulia limitati.

Parochi.

> *Proxima Campano ponti quæ villula tectum*
> *Præbuit, & parochi quæ debent ligna ſalémque.*

E quibus vides, cùm magiſtratus & legati ſocios ſumptibus exhaurirent, lege Iuliâ compreſſam fuiſſe licentiam, & conſtitutum vt parochi, fœnum iumentis, ligna coquendis cibis, veſtes ſternendis lectis, ſalem ferculis condiendis, & alia quædam minuta præberent, ab aliis oneribus & ſumptibus eſſent immunes. Certum etiam tempus liberis legationibus conſtitutum fuiſſe, ne arbitratu ſuo diutiùs quàm par eſſet, id ius obtinerent, liquet ex epiſt. 11. lib. 15. ad Attic. *Et habent opinor liberæ legationes definitum tempus lege Iuliâ, nec facilè addi poteſt.* Quod autem id tempus fuerit, ibidem inſinuat. *Bella eſt autem huius iuris quinquennij licentia. Quanquam quid de quinquennio cogitem?* &c. Sed vereor, ne & ipſe in hac liberiore digreſſione, tanquam in libera legatione diutiùs videar morari. Nunc ad inſtitutum. Orator legationem à Cæſare delatam accipiens munire ſe potuit contra Clodium, & intentos ab eodem iudicij laqueos declinare, legis Memmiæ beneficio, quæ, vt ait Valerius Maximus libro 3. cap. 7. *Eorum qui Reipub. causâ abeſſent recipi nomina vetabat.* Quam ſecuritatem libera legatio haudquaquam præſtitiſſet. Vlpianus D. de legation. *Qui liberâ legatione abeſt, non videtur Reipub. cauſſâ abeſſe. hic enim non publici commodi cauſſâ, ſed ſui abeſt.* Ac proinde neque leges Memmiæ beneficio continetur. Quod ſpectat ad liberas legationes rerum priuatarum cauſsâ impetratas, illud iterum addam ex 3. de legibus. §. 18. *Iam illud apertum profectò eſt nihil eſſe turpius, quàm quemquam legari niſi Reipub. cauſsâ. Omitto quemadmodum iſti ſe gerant, atque geſſerint, qui legatione hæreditates, aut ſyngraphas ſuas perſequuntur. In hominibus eſt hoc fortaſſe vitium. Sed quæro quid hac re ſit turpius, quàm ſine procuratione Senator, legatus ſine mandatis, ſine vllo Reipub. munere? Quod quidem genus legationis ego Conſul, quamquam ad commodum Senatûs pertinere videatur, tamen approbante Senatu frequentiſſimo, niſi mihi leuiſſimus Tribunus plebis interceſſiſſet, ſuſtuliſſem, tamen minui tempus, & quod erat infinitum annuum feci. ita turpitudo manet, diuturnitate ſublata.*

Tempus legationum limitatum.

De meo statv declinare.] Laberius mimorum Scriptor apud Macrobium in Saturnalibus: V.

> *Quem nulla ambitio, nulla vnquam largitio,*
> *Nullus timor, vis nulla, nulla auctoritas*
> *Mouere potuit in iuuentâ de ſtatu,*
> *Ecce in ſenectâ vt facilè labefecit loco!*

Declinare de ſtatu.

Lib. 4. ad Attic. epiſt. 16. *Nec tamen ego de meo ſtatu demigro.*

AXIOMATA.

Iudicium hominum de nobis bene exiſtimantium gratum eſſe debet, etiamſi non aſſentiamur eorum voluntati.

Populares impetus aliquando populari præſidio ſunt propulſandi.

Præſtat quamuis excipere fortunam, ſubire vim atque iniuriam, quam aut à bonorum mentibus diſſidere, aut de ſuo ſtatu declinare.

Non is ſolùm gratus debet eſſe qui accepit beneficia, verùm etiam is cui poteſtas accipiendi fuit.

ARGVMENTVM.

Oſtendit ne tum quidem ſe à Cæſare fuiſſe violatum, cùm ille P. Clodium Ciceronis inimicum traduxit ad plebem lege Curiatâ: quia etſi apertè præ ſe ferebat Clodius ſe ad plebem tranſire, vt adeptus Tribunatumplebis poſſet vexare Ciceronem, aliunde tamen Cæſar, oblatâ legatione Ciceronis incolumitati prouiderat.

XLII. TRADVXIT ad plebem inimicum meum, ſiue iratus mihi, quòd me ſecum ne beneficiis quidem videbat poſſe coniungi, ſiue exoratus. ne hoc quidem fuit iniuria, nam poſtea me, vt ſibi eſſem legatus, non ſolùm ſuaſit, verùm etiam rogauit. ne id quidem accepi: non quod alienum à mea dignitate arbitrarer, ſed quòd tantum Reipub. ſceleris impendere à conſulibus proximis non ſuſpicabar. Ergo adhuc magis eſt mihi verendum, ne mea ſuperbia in illius liberalitate, quam ne illius iniuria in noſtra amicitia reprehendatur.

EXPLANATIO.

TRADVXIT.] Pub. Clodius, vt iam ſæpè dictum eſt, cum veſte muliebri deprehenſus domi C. Cæſaris, cùm pro populo fieret, & per manus ſeruulæ ſeruatus, & eductus, ad iudicium violatæ religionis & pudicitiæ vocatus eſt. Is factum negauit, & Caſſinium Scholam teſtem produxit, qui Clodium, eo ipſo die, quo in opertum Bonæ Deæ ingreſſus fuiſſe dicebatur, diceret Interamnæ fuiſſe, contrà Cicero teſtis productus Romæ fuiſſe Clodium, domúmque ſuam veniſſe teſtatus eſt. Sed Clodius Iudices pecuniâ corruperat: etiam noctes certarum mulierum, atque adoleſcentulorum nobilium introductiones nonnullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerant. Et ille abſolutus, in omnémq. vlciſcendi Ciceronis occaſionem intentus primo quoque tempore ad plebem C. Herennij Tribunumplebis operâ trãſire conatus eſt, ſed Qu. Metello Celere, qui tum Conſul erat, & Clodij frater patruelis, obſiſtente, conata perficere nõ potuit. Altero pòſt anno Cæſar factus eſt Conſul, eáſque turbas in Rep. concitauit, quas proximè expoſuimus. & Cicero cùm Antonium ſuum collegam à M. Cœlio accuſatũ defenderet, de ſtatu Reip. conqueſtus eſt, quæ viſa ſunt ad illius miſeri cauſſam pertinere, inuectus opinor in Vatinium Tribunumplebis Cæſaris in omnibus adminiſtrum, vt indicatur Vatinianâ 27. Cæſar Conſul hanc ob cauſam infenſus Ciceroni Clodium eius inimicũ à Fonteio homine plebeio adoptatum ad plebem traduxit, vt fieri poſſet Tribunusplebis. Hæc ex Cicerone lib. 1. ad Attic. ep. 9. 15. 13. 16. pro domo ſua 41. pro Sextio 16. in Vatinium 17. pro Cœlio 60. 74. & alibi paſſim.

IRATVS.] Factum Cæſaris excuſat, quòd vel iratus fuerit, vel à Clodio exoratus. aliam autem, vt vidiſti pro domo 41. cauſam adfert, cur Cæſar exarſerit. Nunc ad rem præſentem appoſitè eam ipſam cauſſam adfert, quam Cæſar ſe excuſans adferebat.

BENEF.] Quinqueuiratu, omnium rerum ſuarum communicatione & ſocietate, quam mecum perinde atque cum Craſſo & Pompeio coire expetebat.

NE HOC.] Probat iniuriam ſibi à Cæſare factam non fuiſſe, etiamſi ille Clodium ad plebem traduxerit.

Non facit iniuriam qui alteri inimicorum viam ſternit ad poteſtatem & magiſtratus, alteri præcauet ne ab inimico poteſtatem adepto detrimentũ accipiat.

Sed hoc fecit Cæſar quantum in ipſo fuit.

Ergo non fecit iniuriam.

Probat aſſumptionem, quia etiam ſi Cæſar Clodio Ciceronis inimico ad plebem traducto viam ad Tribunatumplebis aperuerat, aliunde cauebat incolumitati Ciceronis, legationem ei deferendo, cuius ille præſidio ſe contra Clodij vim & accuſationem tueretur. Sed hanc legationem non admiſit Cicero, vel quòd diſſuaderet Pompeius, operámque ſuam contra Clodium prolixè promitteret, vt auctor eſt Dio, & è lib. 2. ad Atticum colligi poteſt: vel quia Tullius tantũ ſceleris impendere non ſuſpicabatur à Piſone & Gabinio futuris anno proximè ſequenti Conſulibus, vt ipſum desererent, & à Clodio pelli paterentur.

ERGO.] Tantum abeſt vt hactenus fuerim à Cæſare violatus, vt potiùs mihi verendum ſit ne ego accuſer, quaſi contumaciâ quadam & ſuperbiâ ipſius beneficia & honores ab illo mihi delatos reiecerim.

NOTÆ.

TRADVXIT AD PLEBEM.] Tradunt omnes Clodiũ ad plebem tranſiiſſe. Tamen 1.
epitome Liuiana & Dio Caſſius videtur ad aliud tempus referre. Illa lib. 103. *Pub. Clodius ad plebem tranſiit: C. Cæſar Luſitanos ſubegit.* Hic lib. 37. τήν τ' εὐγένειαν ἐξωμόσατο, καὶ πρὸς τὰ τοῦ πλήθους δικαιώματα εἰς αὐτῶν τὸν σύλλογον ἐσελθὼν, μετέστη. καὶ ἤτησε μὲν εὐθὺς τὴν δημαρχίαν, οὐκ ἀπεδείχθη δὲ, ἐναντιωθέντος οἱ τοῦ Μετέλλου. *P. Clodius patricios abiurauit, & ad plebeiorum iura, in eorũ cœtũ ingreſſus, tranſiuit. Statímq. petiit Tribunatum, non obtinuit tamen, obſiſtente Q. Metello.* Metellũ Celerem, qui tũ Cõſul erat, intelligit. Sed fas non eſt de rei veritate dubitare, cùm Tulliũ ipſum, ad quem res ſpectabat, oculatũ teſtẽ habeamus. Ne tamen facilè graues auctores deſeramus, videtur P. Clodius primùm à C. Herẽnio Tribunoplebis ad plebẽ fuiſſe traductus Q. Metello Celere, Luc. Afranio Cõſulibus, Sed cùm ea traductio legitima legitimíſq. comitiis facta non eſſet, rurſus auctore Cæſare ad plebẽ comitiis legitimis tranſiiſſe. lib. 1. ad Attic. 15. *Eſt autem C. Herẽnius quidam Tribunuſplebis, &c. Is ad plebem*

P.Clodium traducit, idémque fert vt vniuerſus populus in Campo Martio ſuffragium de re Clodij ferat. Hunc ego accepi in Senatum vt ſoleo: ſed nihil eſt illo homine lentius. Metellus eſt Conſul egregius, &c. Item epiſt. 16. *Herennium quẽdam Tribunum plebis tribulem tuum, ſanè hominem nequam atque egentem ſæpè iam de P.Clodio ad plebem traducendo agere cœpiſſe: huic frequenter interceditur.* Clarè Dio: Πρόφασιν δ' ἐποιήσατο, ὅτι μὴ κατὰ τὰ πάτρια ἡ ἐκποίησις ἐγεγόνει, ἐν γὰρ τῇ εἰσφορᾷ τοῦ στρατιωτικοῦ νόμου μόνον ἐξῆν γίνεσθαι. Q. Metellus cùm Tribunatũ Clodij prohiberet, *id prætexebat, quòd non more maiorum fuiſſet adoptatus, id enim fieri tantùm potuit lege curiatâ.* Ita verti στρατιωτικοῦ νόμου, *lege curiatâ,* tum ductus auctoritate Ciceronis, qui pro Sextio 16. Clodium *victum auſpiciis alligatum more maiorum.* tradit ſolutum fuiſſe *lege curiatâ*, vt legit Turnebus: tum quòd, vt idem teſtatur ſecundâ agrariâ 30. *Conſuli ſi legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet.* Vnde lex curiatâ meritò dicetur militaris. Sed hæc eſt arena Grucchij & Sigonij velitationibus notiſſima. vide vtrumque.

11. IRATVS.] Vide Notas in Sextianam 16. *Vel vt ego arbitror, exoratus, vel, vt non nemo putaret, mihi iratus, ignarus quidem certè,* &c. Hinc illa excuſatio Lyrici palinodiam recantantis Ode 16. lib. 1. Carm. *-Me quoque pectoris*

Tentauit in dulci iuuentâ
Feruor, & in celeres iambos
Miſit furentem, &c. vide pulcherrima.

Sic excuſatur Agamemnon, vt iam vidimus 9. Iliados, quod -φρεσὶ λευγαλέῃσι πιθήσας. &, -μεγαλήτορι θυμῷ Εἴξας. Achillem contumelioſè tractauerit. Ita etiam Xerxes apud Herodotum lib. 7. ſe excuſat, quòd & iuuenis, & iratus Artabanum duriùs appellarit: Παραυτίκα μὲν ἡ νεότης ἐπέζεσε, ὥστε ἀεικέστερα ἀποῤῥίψαι ἔπεα ἐς ἄνδρα πρεσβύτερον ἢ χρεών. *Confeſtim iuuentus efferbuit, vt verba in virum grandem natu effunderem petulantiora quàm debui.* Demoſthenes aduerſus Midiã: Ὁ Πολύζηλος ὀργῇ καὶ τρόπου προπετείᾳ, φθάσαι τὸν λογισμὸν, ἁμαρτὼν ἔφησεν. οὐ γὰρ ἐχθρός γ' ὑπάρχων ὢν, οὐδ' ἐφ' ὕβρει τοῦτ' ἐποίησεν. *Polyzelus iracundiâ, & ſubito impulſu animi, ſe cùm peccaret, deliberandi ſpatium non habuiſſe dixit: nec enim inimicus fuerat, neque contumeliæ cauſâ fecerat.* Et paulò pòſt: Ποία γὰρ πρόφασις; τίς ἀνθρωπίνη καὶ μετρία σκῆψις φανεῖται τῶν πεπραγμένων αὐτῷ; ὀργὴ, νὴ Δία. καὶ γὰρ τοῦτο τυχὸν λέξει. *Quis enim prætextus? quæ humana ſaltem & mediocris excuſatio facinorum illius proferetur? iracundia nimirum. nam hoc fortaſſe dicet.*

EXORATVS.] Vide pro Sextio 16.

AXIOMA.

Homines iis iraſcuntur, quos ſecum ne beneficiis quidem vident poſſe coniungi.

ARGVMENTVM.

Poſtquàm & ante Cæſaris conſulatum, & in ipſo conſulatu, communem amicitiam negauit à Cæſare fuiſſe violatam, ea quæ ſecuta ſunt excuſat: & ſi quæ fuerint iniuriæ, eas maioribus beneficiis obliterandas eſſe contendit.

ECCE illa tempeſtas, caligo bonorum, & ſubita atque improuiſa formido, tenebræ Reip. ruina, atque incendium ciuitatis, terror iniectus Cæſari de eius actis, metus cædis bonis omnibus, Conſulum ſcelus, cupiditas, egeſtas, audacia. ſi non ſum adiutus, non debuit: ſi deſertus, ſibi fortaſſe prouidit: ſi etiam oppugnatus, vt quidam aut putant, aut volunt: violata amicitia eſt, accepi iniuriam, inimicus eſſe debui: non nego. ſed ſi idem ille tum me ſaluum eſſe voluit, cùm vos me, vt cariſſimum filium, deſiderabatis, &, ſi vos iidem pertinere ad cauſſam illam putabatis, voluntatem C. Cæſaris à ſalute mea non abhorrere: & ſi illius voluntatis generum eius habeo teſtem, qui idem Italiam in municipiis, populum Romanum in concione, vos mei ſemper cupidiſſimos in Capitolio ad meam ſalutem incitauit: ſi denique Cn. Pompeius, idem mihi teſtis de voluntate Cæſaris, & ſponſor eſt illi de mea: nónne vobis videor & vltimi temporis recordatione, & proximi memoria, medium illud triſtiſſimum tempus debere, ſi ex rerum natura non poſſim euellere, ex animo quidem certè excidere? XLIII.

EXPLANATIO.

ECCE.] Piſonis & Gabinij conſulatum Clodiíque ſeditiones exponit oratione tranſlatâ à tempeſtate, tenebris, ruinâ, incendio.

DE SVIS ACTIS.] Cæſaris inimici Bibulus, Domitius, Marcellus eius acta omnia in Conſulatu vehementer improbabant, & Iulias leges, id eſt, ab ipſo Iulio Cæſare, & cæteras ab aliis illo Conſule latas iure latas negabant, ob eam cauſam quòd contra ius & fas auſpiciorum latæ eſſent, id eſt, eo die quo de cœlo ſeruatum eſſet, atque obnunciatum auſpiciis Iouem declarare legem ferri ſibi non placere.

METVS CÆDIS.] Cùm Pub. Clodius ſeruos ex ergaſtulis eductos ad cædem, rapinas, incendia concitaret: cùm reuulſis gradibus templum Ca-

ſtoris armatis hominibus occuparet, *cui templum illud fuit arx ciuium perditorum, receptaculum veterum Catilinæ militum, caſtellum forenſis latrocinij.* vt dicitur in Piſonem 11.

CONS.] Piſonis & Gabinij.

SIBI FORT. PROV.] In Piſonem 79. *Adducta res in certamen putabatur, vtrùm quæ ſuperiore anno ille geſſiſſet, manerent, an reſcinderentur. Quid loquar plura? Si tantum in me ille eſſe roboris & virtutis putauit, vt ea quæ ipſe geſſerat conciderent, ſi ipſe reſtitiſſem, cur ei non ignoſcam ſi anteposuit ſuam ſalutem meæ?*

VT QVIDAM.] Bibulus, Domitius, Marcellus, qui cùm eſſent Cæſaris inimici, vel reuera putabant, vel cupiditate quadam potiùs quàm iudicio inducti ſibi perſuadere cupiebant Ciceronem à Cæſare fuiſſe violatum.

SED SI.] Hactenus de iniuriâ: nunc ad Cæſaris beneficia tranſit.

SALVVM ESSE.] Rediro in patriam, incolumem eſſe, & reſtitui priſtinæ dignitati.

VOS.] Senatores P. Sextium Tribunum plebis ad Cæſarem legauiſtis, vt eum ad meam cauſam vobiſcum ſuſcipiendam induceret.

GENERVM.] Cn. Pompeium.

ITALIAM.] Vide orat. poſt reditum in Senatu 28. De Pompeij ſententiâ in Senatu §. 74. Sextianæ & §. 132. 133. de Pompeij concione 107. pro domo ſua, & alibi paſſim.

DENIQVE CN. POMPEIVS.] lib. 1. epiſt. ad famil. 9. reddens rationem cur in gratiam cum Cæſare redierit, *Grauiſſimè autem*, inquit, *me in hanc mentem impulit, & Pompeij fides quam de me Cæſari dederat, & fratris mei quam Pompeio.* vide.

VLTIMI TEMPORIS.] Quo mihi neceſſitudo fuit cum Cæſare iam inde ab adoleſcentiâ. Eadẽ epiſtolâ. *Hic multum valuit, cùm vetus amicitia, quam tu non ignoras mihi & Qu. Fratri cum Cæſare fuiſſe, tum humanitas eius ac liberalitas breui tempore, & literis, & officiis perſpecta nobis, & cognita.*

PROXIMI.] quod ſecutum eſt meam fugam ſiue diſceſſum.

EVELLERE.] Extirpare ab ipſis radicibus.

EXCIDERE.] Eradere, & reſecare.

NOTÆ.

I. Tempeſtas & caligo.

TEMPESTAS, CALIGO.] Frequens eſt noctis & caliginis in tempeſtate mentio. Pacuuius 3. de Oratore laudatus:

-Inhorreſcit mare,
Tenebræ conduplicantur, noctiſque & nimbûm occœcat nigror.
Flamma inter nubes coruſcat, cœlum tonitru contremit. &c.

Homerus: -ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ.

Maro: *-Imber*
Noctem hyemémque ferens & inhorruit vnda tenebris.

Silius 12. *-Cœlúmque tenebris*
Clauditur, & terras cœco nox condit amictu:
Inſtat tempeſtas oculis.- Item 17.
Conſenſere ignes, nimbique & fluctus, & ira
Ventorum, noctémque freto impoſuere tenebræ.

Naſo 11. Metam.
Cæcáq. nox premitur tenebris hyemiſq. ſuiſque.

Item: *-Inductâ piceis è nubibus vmbrâ*
Omne latet cœlum duplicatáque noctis imago eſt.

Seneca Agamemnone:
Premunt tenebræ lumina, & diræ ſtygis
Inferna nox eſt, excidunt ignes tamen.

Valerius Flaccus 1. Argon.
-Vaſto pariter ruit igneus æther
Cum tonitru, piceóque premit nox omnia cœlo.

Papinius 1. Theb. *-Sed plurimus auſter*
Inglomerat noctẽ, & tenebroſa volumina torquet.

Magnâ etiam verborum pompâ paraphraſtes Ioannis à nobis olim in lucem editus cap. 6.

Γαῖαν ὅλην ἐκάλυψε μελαγχρήδεμνος ὁμίχλη,
Καὶ χροὶ ποικιλονῶτον ἐπισφίγξασα χιτῶνα
Ἀστερόεν σελάγιζεν.

Terram totam texit atrum-peplum-gerẽs caligo,
Et circum corpus varium-dorſum-habentem contrahens tunicam Stellatim ſplendebat.-

Sed ſuperſedeo Græcis, vt Muſæo, Apollonio Rhodio 1. & 2. Argon. Quinto Smyrnæo, & aliis. Noſter pro domo ſua 24. *Illis Reipub. tenebris cæciſque nubibus & procellis cùm Senatum à gubernaculis deieciſſes, populum è naui exturbaſſes, ipſe archipirata cum grege impuriſſimo pleniſſimis velis nauigares*, &c.

SVBITA ATQVE IMPROVISA FORMIDO.] II.
Improuiſa formido grauior. Horat. lib. 1. ep. 6.

Improuiſa ſimul ſpecies exterret vtrumque.

Ambroſius 1. de officiis c. 38. *Niſi explorentur aduerſa citò occupant. Vt in bello improuiſus hoſtis vix ſuſtinetur, ſi & imparatos inueniat facilè opprimit: ita animum mala inexplorata plus frangunt.* Et libro de obitu Fratris: *His igitur tantis ac talibus bonis in exceſſum quendam fateor mentis elatus, ſuperſtitem me timere deſieram, quod nullum vita crederem digniorem, & ideo excepi plagam, quam ferre non poſſum. Tolerabiliora enim tanti doloris præmeditata, quàm inexplorata vulnera.* Publius Syrus apud Macrobium: (Ira excuſat.)

Grauiùs nocet quodcunque inexpertum accidit.

Eleganter Heliodorus 2. Æthiop. Τοὺς γὰρ μοιρῶν ἀτρέπτους ὅρους προειδεῖν μὲν δυνατὸν, ἐκφεύγειν δ' οὐκ ἐφικτόν. Κέρδος δὲ ὡς ἐν τοῖς τοιούτοις ἡ προέγνωσις ἀμβλύνουσα τοῦ δεινοῦ τὸ φλεγμαῖνον. Συμφορὰ γὰρ, ὦ παῖ, τὸ μὲν ἀπροσδόκητον. ἀφόρητον, τὸ δὲ προεγνωσμένον εὐσότερον. τὸ μὲν γὰρ ἡ διάνοια φόβῳ προληφθεῖσα κατέπληξε. τὸ δὲ ἡ συνήθεια τῷ λογισμῷ διήνυσε. *Parcarum quidem indeclinabilia decreta prauideri poſſunt, ſed euitari non poſſunt. Huiuſmodi tamen prauiſio lucro deputanda eſt, quæ mali vehementiam, & quaſi pruritum obtundit. Ea enim calamitas quæ improuiſa accidit, intolerabilis eſt, tolerabilior autem quæ præuidetur. illam enim animus metu occupatus reformidat, hanc conſuetudo ratiocinatione diſpenſat.* Quod Achilles Tatius lib. 1. de amoribus Clitophontis, & Leucippes ſi non iiſdem verbis, ſenſu penitus expreſſit.

RVINA.] Pro Sextio 5. de eadem re: *Ingrauiſſimis temporibus ciuitatis, atque in ruinis euerſæ atque afflictæ Reip. P. Sextij tribunatus eſt à fortunâ ipsâ collocatus.* 2. Philipp. §. 39. *Labentem & propè cadentem Remp. fulcire cuperetis.* III. Ruina Reip.

AXIOMATA.

Subita atque improuiſa formido magis conturbat.

Iis iraſci non debemus, qui vel nos adiuuare non debuerunt, vel ſibi potiùs, quam nobis prouideiunt.

Beneficiorum recordatione iniuriarum memoriam debemus, ſi ex rerum naturâ non poſſumus euellere, ex animo quidem certè excidere.

ARGVMENTVM.

Gratum erga Cæſarem animum profitetur, & flagitat à Cæſaris inimicis, vt æqui boniq́ue conſulant, ſi inimicitiarum, quas illi cum Cæſare exercent, particeps eſſe nolit.

EGo verò, ſi mihi non licet per aliquos ita gloriari, me dolorem, atque inimicitias meas Reip. conceſſiſſe, quod magni cuiuſdam hominis, & perſapientis videtur: vtar hoc, quod non tam ad laudem adipiſcendã, quàm ad vitandam vituperationem valet: hominem me eſſe gratum: & non modò tantis beneficiis, ſed etiam mediocri hominum beneuolentia commoueri, à viris fortiſſimis, & de me optimè meritis quibuſdam peto, vt, ſi ego illos meorum laborum, & incommodorum participes eſſe nolui, ne illi me ſuarum inimicitiarum ſocium velint eſſe, præſertim, cùm mihi iidem illi conceſſerint, vt etiam acta illa Cæſaris, quæ neque oppugnaui antea, neque defendi, meo iam iure poſſim defendere. XLIV.

EXPLANATIO.

EGo vero.] Cæſaris inimici negabant Reip. rationibus conducere, vt Cicero cum Cæſare in gratiam rediret: Eſto, inquit Cicero, non poſſim gloriari me in gratiam rediiſſe, quòd Reip. expediret: at certè gratitudinem animi profitebor.

Tantis benef.] Quantis affectus ſum à Cæſare, cùm mihi legationem, cùm vigintiiuratum detulit, cùm ſibi gratum eſſe ſignificauit vt in patriam reuocarer.

A viris.] Domitio, Marcello, Catone, cæteris Cæſaris inimicis. Quoniam autem erga Cæſarem animum beneficiorũ memorem oſtenderat, prudenter & commodè ſatisfacit iis qui reconciliatum ipſum Cæſari haudquaquam boni conſulebant, ne dum erga Cæſarem vult eſſe gratus, erga cæteros ingratus eſſe videatur.

Vt si.] Vt ſi malui ex vrbe cedere, & ſolus quamuis excipere fortunam, quàm committere vt mei tuendi cauſsâ boni ciues cum improbis dimicarent, amicóſque meos mei periculi facere participes: ne ipſi me ſuarum, quas cum Cæſare exercent, inimicitiarum eſſe conſortem.

Præsertim.] Addit rationem cur poſſit non ſolùm Cæſaris amicus eſſe, ſed etiam eius acta quæ ab amicis impugnabantur, defendere. quæ ratio liquidior fiet ex ſequenti §.

NOTÆ.

I. Sapientis eſt priuatas inimicitias Reip. cauſsâ deponere.

EGo vero.] Magni & ſapientis eſt viri inimicitias Reip. cauſsâ deponere. Πολίτου γάρ ἐστι δικαίου, inquit Lycurgus orator contra Leocratem, μὴ διὰ τὰς ἰδίας ἔχθρας εἰς τὰς κοινὰς κρίσεις καθιστάναι τοὺς τὴν πόλιν μηδὲν ἀδικοῦντας, ἀλλὰ τοὺς εἰς τὴν πατρίδα τι παρανομοῦντας ἰδίους ἐχθροὺς εἶναι νομίζειν, καὶ τὰ κοινὰ τῶν ἀδικημάτων κοινὰς καὶ τὰς προφάσεις ἔχειν τῆς πρὸς αὐτοὺς διαφορᾶς. *Boni ciuis eſt non propter inimicitias priuatas eos qui Reip. nullam iniuriam fecerunt in publicum iudicium vocare, ſed eos qui Remp. violarint proprios inimicos arbitrari, & publicas iniurias publicas habere cauſas ſimultatis.* Andòcides de myſteriis. Τὸ δὲ τὰς γενομένας διαφορὰς πρὸς ἀλλήλους θέσθαι καλῶς τοῦτ᾽ εἰκότως ἤδη δοκεῖ ἀνδρῶν ἀγαθῶν καὶ σωφρόνων ἔργον εἶναι. ἐπειδὴ τοίνυν παρὰ πάντων ὁμολογουμένως τοῦθ᾽ ὑμῖν ὑπάρχει, καὶ εἴ τις φίλος ὢν τυγχάνει, καὶ εἴ τις ἐχθρὸς, μὴ μεταγνῶτε, μηδὲ βουλεύσησθε τὴν πόλιν ἀποστερῆσαι ταύτης τῆς δόξης, μηδ᾽ αὐτοὶ δοκεῖν τύχῃ ταῦτα μᾶλλον ἢ γνώμῃ ψηφίσασθαι. *Simultates mutuas honeſtè deponere, hoc meritò videtur bonorum & moderatorum virorum opus eſſe. Quandoquidem igitur apud omnes in confeſſo eſt eam vobis ineſſe virtutem, & ſiue quis vobis amicus eſt ſiue inimicus, nolite mutare ſententiam, neque velitis iſtâ gloriâ ciuitatem priuare, aut videri hac caſu potiùs quàm certâ animi inductione probauiſſe.*

II. Gratum.] Præcipiunt rhetores oratori, morum amabilium vbique ſpecimen exhibendum eſſe gratitudinis præſertim, quæ mirè auditorum beneuolentiam aucupatur. Id præceptum ſi quis alius non voce ſolùm, ſed perpetuâ vitæ ratione ſeruauit Orator. Vnus ex Plancianâ locus ſuffecerit. obiecerat Laterenſis Ciceronem nimiùm eſſe gratum. Reſpondet 80. *Etenim Iudices, cum omnibus virtutibus me affectum eſſe cupiam, tamen nihil eſt quod malim, quàm me & gratum eſſe & videri. Hæc eſt enim vna virtus non ſolùm maxima, ſed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quid eſt pietas niſi voluntas grata in parentes? Qui ſunt boni ciues? qui domi, qui belli de patriâ bene merentes, niſi qui patriæ beneficia meminerunt? Qui ſancti? qui religionem colentes, niſi qui meritam Diis immortalibus gratiam iuſtis honoribus & memori mente perſoluunt? Quæ poteſt eſſe iucunditas vitæ ſublatis amicitiis? Quæ porrò amicitia poteſt eſſe inter ingratos?* & alia multa in hanc ſententiam. Gratitudo. Pulchrè Dio Chryſoſtomus Rhodiacâ: Τί γάρ ἐστιν ἱερώτερον τιμῆς καὶ χάριτος; οὐκ ἴστε ὅτι καὶ θεὰς νομίζουσιν οἱ πλεῖστοι τῶν ἀνθρώπων τὰς Χάριτας; ἐὰν οὖν τὰ ἀγάλματα αὐτῶν περικόπτῃ τις, ἢ τοὺς βωμοὺς ἀνατρέπῃ, τοῦτον ἡγεῖσθε ἀσεβεῖν. ἐὰν δ᾽ αὐτὸ λυμαίνηταί τε καὶ διαφθείρῃ τὸ πρᾶγμα, ἀφ᾽ οὗ καὶ τὰς θεὰς ὀνομάζεσθαι συμβέβηκεν, μὴ ὃν δεῖ τρόπον χαριζόμενος, ἀλλ᾽ ἀγεννῶς καὶ ἀνελευθέρως, καὶ μετὰ τέχνης τοῖς εὐεργέταις ἀχαρίστως αὐτὸν φέρειν φήσομεν; *Quid enim eſt honore & Gratiis ſacratius? an neſcitis Gratias à multis hominum in Deorum numero cenſeri? Quod ſi quis eorum ſtatuas mutilarit, aut aras euerterit, eum putatis ſacrilegij ſe alligare: Quòd ſi quis rem ipſam, à qua Deæ vocantur, violarit, & corruperit, non vt par eſt gratiam referens, ſed animo nec generoſo, nec liberali, nec grato benefactoribus vtens, eum ſapere cenſebimus?* &c.

III. Neqve oppvgnavi antea.] Imò

hoc ipſo anno oppugnauerat etiam in Senatu epiſtolâ nonâ ad Lentulum. *Marcellino & Philippo Conſulibus nonis Aprilibus mihi eſt Senatus aſſenſus, vt de agro Campano frequenti Senatu Idibus Maiis referretur. Non potui magis in arcem illius cauſæ inuadere, aut magis obliuiſci temporum meorum, & meminiſſe actionum.* quare vel hæc verba, *neque oppugnaui antea,* ſic interpretor, vt non oppugnauerit acta Cæſaris antequam pulſus eſt ſeditione Clodianâ, vel mihi ſuſpectus eſt, ne os Lentuli fuco & mendacio ſubleuerit, vt ſe diù conſtantérque aduerſatum Cæſari fuiſſe demonſtraret: quemadmodum epiſtolâ 7. Senatus conſulta de ſtipendio & decem legatis ſignificauerat ſibi non placere. *Perpaucis aduerſantibus omnia quæ ne per populum quidem, ſine ſeditione ſe aſſequi poſſe arbitrabantur, per Senatum conſecuti ſunt. nam & ſtipendium Cæſari decretum eſt, & decem legati, & ne lege Semproniâ ſuccederetur facilè perfectum eſt. Quod eo ad te breuiùs ſcribo, quia me ſtatus hic Reip. non delectat.* Quæ ſi conferas cum hoc loco, & dictis ſuperiùs 28. videbis eum vel Lentulo eſſe mentitum, vel parum ſincerè cũ Cæſare in gratiam rediiſſe, &, vt obiecit ei Vatinius, fœlicitate Cæſaris commotum tempori ſeruiiſſe.

Cic. mendacium.

AXIOMATA.

Magni cuiuſdam hominis & perſapientis videtur priuatas inimicitias Reip. concedere.

Debemus eſſe grati, & non modò magnis beneficiis, ſed etiam mediocri hominum beneuolentiâ commoueri.

Non æquum eſt vt quos noſtrorum laborum & incommodorum participes eſſe noluimus, illi nos ſuarum inimicitiarum ſocios velint eſſe.

ARGVMENTVM.

Oſtendit Cæſaris inimicos hoc ipſo quod P. Clodium verè Tribunumplebis fuiſſe concedebant, acta Cæſaris approbare: ac proinde ſecum ipſis pugnare dum alterum impugnarent, alterum concederent.

XLV. NAM ſummi ciuitatis viri, quorum ego conſilio Rempub. conſeruaui, & quorum auctoritate illam coniunctionem Cæſaris defugi, Iulias leges, & cæteras, illo conſule, rogatas, iure latas negant. iidem illam proſcriptionis capitis mei, contra ſalutem Reipub. ſed ſaluis auſpiciis, rogatam eſſe dicebant. itaque vir ſummâ auctoritate, ſummâ eloquentiâ dixit grauiter, caſum illum meum funus eſſe Reipub. ſed funus iuſtum, & indictum. mihi ipſi omninò perhonorificum, diſceſſum meum funus dici Reipub. reliqua non reprehendo, ſed mihi ad id quod ſentio aſſumo. nam ſi illud iure rogatum dicere auſi ſunt, quod nullo exemplo fieri potuit, nullâ lege licuit: quia nemo de cœlo ſeruarat, oblitíne erant tum, cùm ille, qui id egerat, plebeius eſt lege curiata factus, dici de cœlo eſſe ſeruatum? qui ſi plebeius omninò eſſe non potuit, quî Tribunuspleb. potuit eſſe? &, cuius tribunatus ſi ratus eſt, nihil eſt quod irritum ex actis Cæſaris poſſit eſſe: eius non ſolùm tribunatus, ſed etiam pernicioſiſſimæ leges, auſpiciorum religione conſeruata, iure latæ videbuntur?

EXPLANATIO.

NAM SVMMI.] Lex Cæſaris Curiata de adoptione Clodij, & traductione ad plebẽ, lata fuerat contra auſpicia, cùm & de cœlo ſeruatum, & obnuntiatum eſſet à M. Bibulo Cæſaris collegâ: ex quo fit vt ſi cæteræ Cæſaris leges reſcindendæ ſint tanquam contra auſpicia latæ, reſcindenda ſit Clodij ad plebem traductio: ea ſi reſcinditur Clodius non fuit verè plebeius: ſi non fuit iure factus plebeius, patritius adhuc fuerit neceſſe eſt: ſi patritius, Tribunusplebis creari non potuit, quia legibus ſacratis id prohibetur: Si non ille Tribunusplebis, nulla igitur lex quam eius magiſtratûs nomine de proſcriptione Ciceronis tulit, quamuis quo die tulit de cœlo ſeruatum non eſſet, aut obnunciatum. Ex his igitur facile eſt hunc locum explicare. Nam ex inimicis Cæſaris qui eius acta improbabant, tamen multi legem à Clodio latam de proſcriptione Ciceronis, iniuſtam illam quidem, ſed tamen iure, id eſt ſaluis auſpiciis, ſeruato more maiorũ, & legitimâ poteſtate latam eſſe dicebant, ſéque ipſos ſuo, vt aiunt, gladio iugulabant, obliti legem qua plebeius factus eſſet Clodius contra religiones & auſpicia latam eſſe.

SVMMI CIVITATIS VIRI.] M. Catonem præcipuè intelligit, qui & Ciceroni præclarã operam nauauit in opprimendâ coniuratione Catilinæ, & ei, vt ſuſpicari libet, auctor fuit ne ſe Pompeio, Craſſo, Cæſari coniungeret, & Cæſaris leges iure latas negabat, & præ cæteris Clodium verè Tribunumplebis fuiſſe, & quaſcunque leges tuliſſet, quantumuis iniuſtas, iure latas fuiſſe contendebat: quia videlicet ſi tribunatus Clodij reſcinderetur, reſciſſa fuiſſet etiam illa Clodij rogatio, qua rogatione Cato Prætoris nomine miſſus eſt in Inſulam Cyprum ad aſportandas pecunias Regis Ptolemæi, & faciendam bonorum eius auctionem.

CONIVRAT. CAT. DEFVGI.] Legunt alij, *Illam coniunctionem Cæſaris defugi.* Bene vt opinor, tum quòd langueret oratio ſi ſe non defugiſſe tantùm, non oppreſſiſſe coniurationem

diceret, tum quòd nullius auctoritate indiguerit, nullum auctorem deſiderarit, vt coniurationem illam fugeret, id eſt ſaluti ſuæ contra Catilinæ gladios prouideret.

ITAQVE VIR.] Quis iſte fuerit mihi non liquet. Cato certè non fuit, qui tum aberat, cùm ageretur de reditu Ciceronis. Bibulum, Luc. Domitium, duos Lentulos non indiſertos fuiſſe prædicat, lib. de claris Oratoribus, ſed M. Marcellũ eloquentiâ longè cæteris anteponit: qui & Prætor erat cùm agebatur de reditu Ciceronis, & conabatur acta Cæſaris reſcindere: vt ex Suetonio conſtat.

FVNVS.] Pro domo ſua 42. *Video quoſdam clariſsimos viros, principes ciuitatis, aliquot locis iudicaſſe, te cum plebe iure agere potuiſſe: qui etiam de me ipſo cum tuâ rogatione funere elatam Remp. eſſe dicerent, tamen id funus etſi miſerum atque acerbũ fuiſſet, iure indictum eſſe dicebant, quòd de me ciue ac de Rep. bene merito ciue tuliſſes, funeſtum funus te indixiſſe Reip. quòd ſaluis auſpiciis tuliſſes, iure egiſſe dicebant. Quare licebit, vt opinor, nobis eas actiones non infirmare, quibus illi actionibus conſtitutum tribunatum tuum comprobauerunt.*

QVIA NEMO.] Locus obſcurior ob amphibologiam. perſpicuus eſſet paucorum traiectione verborum. *Si iure rogatum, quod nullo exemplo fieri potuit, nullâ lege licuit, dicere auſi ſunt, quia nemo de cœlo ſeruarat.*

NIHIL EST.] Lambinus in hunc locum. *Nihil eſt quod non irritum.* vel ſic legendum, inquit, vel, *Nihil eſt quod ratum, &c.* nam lectio vulgata. *Nihil eſt quod irritum, ferri non poteſt.* imò Lambini emendatio ferri non poteſt. Nam ſenſus apertus eſt. Si rata eſt Cæſaris lex curiata, qua lege Clodius ad plebem traductus eſt, ratæ eſſe debent etiam cæteræ leges, cùm omnium ſit eadem ratio, neque leges de agro diuidendo, de publicanis tertiâ vectigalium parte releuandis magis contra religiones & auſpicia latæ fuerint, quàm iſta de adoptione Clodij.

NOTÆ.

I. PROSCRIPT.] Pro domo ſua 43. *Proſcriptionis miſerrimum nomen illud, & omnis acerbitas Syllani temporis quid habet, quod maximè ſit inſigne ad memoriam crudelitatis? Opinor, pœnam in ciues Romanos nominatim ſine iudicio conſtitutam, &c.* vide fusè.

II. IVSTVM.] Iuſta ſepultura, iuſtum ſepulchrũ, iuſta flamma. Marcianus D. de religioſis & ſumptibus funerum l. 39. *Diui fratres edicto admonuerunt, ne iuſtæ ſepulturæ traditum, id eſt terra conditum corpus inquietetur.* Papinianus eodem, lege 43. *Nam ſi intulerit, non faciet iuſtum ſepulchrum.* Lucanus initio lib. 9. de funere Pompeij.

Oſtendítque rogum non iuſti flamma ſepulchri.

Iuſtum funus ſepulchrum, ſepultura, &c.

Eodem libro:

Mors erat in tutum: iuſtus ſibi noſtra ſenectus
Proſpiciat flammas: bellum ciuile ſepulchra
Vix ducibus ſeruare poteſt.-

Rurſum eodem exeunte.

-iuſto date thura ſepulchro,
Et placate caput, cineréſque in littore fuſos
Colligite, atq; vnam ſparſis date manibus vmbrã.

Hinc *iuſta facere* 2. de legibus, & pro L. Flacco. *Iuſta ſoluere*, pro Roſcio Amerino. Feſtus *humanum.*

INDICTVM.] Placet huc Briſſonij verba tranſcribere. In funeribus indictiuis (quo nomine vt Paulus ex Feſto interpretatur, ea funera ſignificabantur, ad quæ per præconem euocabãtur) dici ſolitum à præcone, *ex adibus efferri mortuum.* Varro lib. 4. de lingua Lat. oſtendit. Idémque lib. 6. auctor eſt in eiuſmodi funeribus pronũtiatum. *Ollus letho datus eſt, &c.* Ad huiuſmodi funerũ indictiuorũ præconia pertinere videntur hæc verba quæ ſunt apud Terent. Phormione actu 5. ſc. vlt. III.

Indictum funus.

Exequias Chremeti, quibus eſt commodum ire, iam tempus eſt, &c.

Taubmanus in Plautum hanc indictiui funeris formulam refert. *Luc. Titius vixit. Luc. Titio exequias ire cui commodum eſt, hem tempus eſt. ollus effertur.* Noſter 2. de legibus exeunte. *Reliqua ſunt in more, funus vt indicatur, ſi quid ludorum, dominúſque funeris vtatur accenſo & lictoribus.* Feſtus: *Simpludiaria funera ſunt quibus adhibentur duntaxat ludi coruitoréſque. Quidam ea dixerunt eſſe quibus neutrum genus intereſſet ludorum. Nam indictiua ſunt quibus adhibentur non ludi modò, ſed etiam deſultores, quæ ſunt ampliſſima.* De quibus vide Scaligerum in Feſtum, Kerkmãnus de funerib. Romanorũ, Clarum Siluium in leges tam Regias quàm XII. tabularum, & alios.

PERHONORIFICVM.] Vide Vatinianam §. 7. 8. IV.

DE COELO SERVARAT.] Vide 2. Philippicam §. 67. V.

LEGE CVRIATA.] Pro Sextio 16. *Soluit ſubitò lege curiatâ conſul.* Non vt in multis exemplaribus, *legum cura.* VI.

SI PLEBEIVS.] Florus lib. 1. cap. 23. *Prima diſcordia ob impotentiam fœneratorum, quibus in terga quoque ſeruiliter ſæuientibus, in Sacrum montem plebs armata ſeceſſit, ægréque, nec niſi Tribunos impetraſſet, Menenij Agrippæ facundi & ſapientis viri auctoritate reuocata eſt.* Quæ fuſiùs Dionyſius lib. 6. Liuius lib. 2. & alij paſſim. Liuius: *Agi deinde de concordia cœptum, conceſſúmque in conditiones vt plebi ſui magiſtratus eſſent ſacroſancti, quibus auxilij latio contra conſules eſſet: néue cui Patrum capere eum magiſtratum liceret.* E quibus conſtat legibus ſacratis non ſolùm Patricios, ſed etiam Patres ſiue Senatores à Tribunatu plebis petitione fuiſſe ſubmotos. Poſtmodùm tamẽ, vt me docuit eruditiſſimus ille Lipſius lib. 2. electorum, cap. 13. huic legi, quatenùs Senatores à petitione Tribunatûs arcebat, derogatum, imò ſeuerè cautum, ne quis Tribunus plebis fieret, niſi Senator, id eſt, ne ius quidem haberet petendi Tribunatûs, niſi iam antè è Patribus. Tranquillus in Auguſto. *In locum Tribuni plebis demortui candidatum ſe oſtendit, quamuis Patricius, necdum Senator.* Vbi diſertè & extra cauillum, impedimenta duo Cæſari ad Tribunatum ponit, quòd gente Patricius, & quòd honore nondum Senator. Idẽ tamen Auguſtus, vt dicitur cap. 40. *Comitiis tribunitiis ſi deeſſent, candidati Senatores, ex equitibus Romanis creauit.* Dio lib. 45. Τοῖς ἱππεῦσι τὴν δημαρχίαν αἰτῆσαι ἐπέτρεψε. *Equitibus Tribunatum plebis petere conceſſit,* Huc etiam aptat Plinium lib. 2. ep. 9. *Ego Sexto latum clauum à Cæſare, ego Quæſturam impetraui: meo ſuffragio perueniit ad ius Tribunatûs petendi.* Hanc mutationem Cornelio Syllæ dubitat an acceptam referre debeat Appianus 1. ciuilium. *Tribunitiam poteſtatem tantum non ſuſtulit, eneruatam eam prorſus relinquens, lege lata ne quis qui Tribunus fuiſſet, alium vllum caperet*

VII. Seceſſio in ſacrũ montem.

Tribuni plebis plebeij, & non Senatores.

Huic legi derogatum & facti Tribuni ſoli Senatores.

Quis hanc mutationem induxerit.

magiſtratum. Καὶ οὐκ ἔχω σαφῶς εἰπεῖν, εἰ Σύλλας αὐτὴν καθὰ νῦν ἐστιν εἰς τὴν βουλὴν, ἀπὸ τοῦ δήμου μετήνεγκεν. *Nec liquidò poſſim dicere, an Sulla hunc magiſtratum vti nunc eſt, à plebe tranſtulerit ad Senatum.* Quanquam fortaſſe hoc Atinio plebiſcito aſſignat Ateius Capito apud Gellium. *Tribunusplebis Senatus habendi iuserat, quamquam Senatores non eſſent ante Atinium plebiſcitum.*

AXIOMA.

Eſt perhonorificum diſceſſum alicuius, funus Reipub. dici.

ARGVMENTVM.

Concludit aut acta Cæſaris impugnanda non eſſe, aut omnes Clodij leges abrogandas.

XLVI. QVARE aut vobis ſtatuendum eſt, legem Æliam manere, legem Fuſiam non eſſe abrogatam, non omnibus faſtis legem ferri licere: cùm lex feratur, de cœlo ſeruari, obnuntiari, intercedi licere: cenſorium iudicium, ac notionem, & illud morum ſeueriſſimum magiſterium non eſſe nefariis legibus de ciuitate ſublatum: ſi patricius tribunusplebis fuerit, contra leges ſacratas: ſi plebeius, contra auſpicia fuiſſe, aut mihi concedant homines oportet, in rebus bonis non exquirere iura ea, quæ ipſi in perditis non exquirunt, præſertim cùm ab illis aliquoties conditio C. Cæſari lata ſit, vt eaſdem res alio modo ferret, qua conditione auſpicia requirebant, leges comprobabant: in Clodio auſpiciorum ratio ſit eadem, leges omnes ſint euerſæ, ac perditæ ciuitatis.

EXPLANATIO.

QVARE.] Dilemma. Aut Cæſaris inimici qui eius acta improbant propter auſpicia ſimiliter leges Clodias improbant, quia contra auſpicia factus eſt plebeius, aut ſi volunt plebeiũ factum eſſe iure Clodium vt eius acta retineant, quamuis pernicioſa, neceſſe eſt vt acta Cæſaris vtilia Reip. non repudient.

LEGEM ÆLIAM.] Fuit hæc de comitiis quam tulit Q. Ælius Conſul cum M. Iunio, anno DLXXXVI. vt quoties cum populo ageretur, Augures de cœlo ſeruarent, & magiſtratus obnuntiandi, id eſt denuntiandi agi per Iouem non licere, & legiſlationi intercedendi poteſtatem haberent. Sic Othomannus. Addendum hoc fuiſſe diſcrimen vt vi legis Æliæ, augures de cœlo ſeruarent, intercederent Tribuniplebis, obnuntiarent reliqui magiſtratus.

LEGEM FVSIAM.] Fuit & ipſa de comitiis, quam tulit P. Furius ſiue Fuſius Conſul anno DCXVII. vt certis diebus qui tamen faſti eſſent, agi cum populo non liceret. Quæ duæ leges ſapienter à Cõſulibus excogitatæ ſunt, ne ſeditioſi Tribunusplebis legum multitudine turbas in Rep. concitarent. Eas autem Clodius abrogauit: Æliã ea lege qua prohibuit de cœlo ſeruari aut obnuntiari eo die quo cum populo ageretur: Fuſiam eã quam tulit, vt omnibus diebus faſtis agere cum populo liceret.

CENSORIVM.] Piſ. 9. *Ab eodem homine in ſtupris inauditis nefariiſque verſato, vetus illa magiſtra pudoris & modeſtiæ ſeueritas cenſoria ſublata eſt.* Pro Sextio 55. A Clodio latam eſſe legem dicit. *Vt cenſoria notatio & grauiſſimum Iudicium ſanctiſſimi magiſtratus de Rep. tolleretur.* Legit Lambinus: *Et illud morum ſeueriſſimum magiſterium non eſſe*, &c.

SI PATRICIVS.] Inter cæteras leges in monte ſacro latas, quibus coaluit Patrum & plebis concordia, fuit Iunia de Tribunisplebis, quã tulit quidam L. Iunius Brutus primus Tribunuspleb. *Vt plebi ſui magiſtratus eſſent ſacroſancti, quibus auxiliatio aduerſus Conſules eſſet, néue cui patrum capere eum magiſtratum liceret.* Ex quo fit dilemma Clodius vel eſt patricius, vel plebeius. Si patritius non eſt tribunusplebis. Si plebeius, tranſiuit ad plebem contra auſpicia obnuntiante Bibulo. Ergo, &c. qui ratum habent eius tribunatum pernicioſum Reip. multò magis ratas habere debent Cæſaris leges, quas vtiles eſſe Reip. confitentur, illud vnum in iis reprehendunt quod latæ fuerint contra auſpicia.

NOTÆ.

LEGEM ÆLIAM.] Pro Sextio 34. *Lata lex eſt ne auſpicia valerent, ne quis obnuntiaret, ne quis intercederet, vt omnibus faſtis diebus lege ferri liceret, vt lex Ælia, lex Fuſia ne valeret.* & 56. *Mitto eam legem quæ omnia iura religionum, auſpiciorum, poteſtatum, omnes leges quæ ſunt de iure & de tempore legum rogandarum vna rogatione deleuit.* Preſſiùs de Aruſp. reſp. 58. *Suſtulit duas leges Æliam & Fuſiam maximè Reip. ſalutares: cenſuram extinxit: interceſſionem remouit: auſpicia deleuit.* In Piſon. 9. *A P. Clodio fatali portento prodigióque Reip. lex Ælia & Fuſia euerſa eſt, propugnacula murique tranquillitatis atque otij.* quo loco vide cur ita diceretur his legibus duabus Reip. ſalus contineri. De his legibus multa & erudita Clarus Sylvius lib. ſingulari in leges Regias & XII. tabularum. I. Lex Ælia.

FASTIS.] Ouidius I. Faſtorum. II.

Faſtus erit per quem iure licebit agi.

Vide Macrobium in Saturnalibus, & quæ multis locis explicamus. vt pro Sextio 34. vbi de obnuntiatione, & interceſſione nonnihil.

ABROGATA.] Qui leges, priuilegia, aut etiam plebiſcita ad populum aut plebem ferebant, rogabant, vt populus ea ſuo ſuffragio comprobaret. Qui recipiebant legem tabellas in ciſtam ia- III.

ciebant his vocibus inaratas VTI ROGAS, id eſt, accipimus legem vt rogas, acquieſcimus tuæ rogationi. Et eam ob cauſſam, vt iam pro Sextio §.61. dictũ à nobis eſt ex Gellio lib.10. noct. Attic. cap.20. Totius iuris, *ſiue cùm plebs, ſiue cùm populus rogatur, ſiue quod ad ſingulos, ſiue quod ad vniuerſos pertinet, caput ipſum & origo & quaſi fons rogatio eſt. iſta enim omnia vocabula cenſentur continentúrque Rogationis principali genere, & nomine. Nam niſi populus aut plebs rogatur, nullum plebis aut populi iuſſum fieri poteſt.* Hinc vt ſcribit Feſtus legem *abrogare* eſt *infirmare*. Item: *Derogare propriè eſt, cùm quid ex lege vetere quo minùs fiat, ſancitur lege noua. Derogare ergo detrahere eſt.* Hæc ille obſcuriùs quidem & incultiùs. Dicere voluit opinor, eam eſſe inter *abrogare* & *derogare* diuerſitatem, quòd lex quæ abrogatur, ſecundum omnes ſuas partes penitùs infirmetur, lex autem cui derogatur, non quoad omnia capita, ſed certis tantùm in rebus vim & auctoritatem amittat. Sic opinor, *multam irrogare, pecuniam erogare*, ab eodem fonte promanat. *Irrogare multam* eſt rogatione ad populum plebemve lata pœnã pecuniariam alicui imponere: *erogare* eſt huiuſmodi rogatione pecuniam ex ærario depromere. Rogatio verò genus eſt, quod tres formas ſub ſe communi quadam notione complectitur: legem, plebiſcitum, priuilegium. *Lex*, vt ait Atteius Capito, *eſt generale iuſſum populi aut plebis rogante magiſtratu.* Quæ definitio videtur etiam plebiſcitum continere: adeò vt lex propriè ſit *generale iuſſum populi rogante magiſtratu. Plebiſcitum* autem *lex quam plebs non populus accipit*: ſiue *generale iuſſum plebis rogante magiſtratu.* Priuilegia verò ſunt *iuſſa ſiue populi, ſiue plebis non generalia, neque de vniuerſis ciuibus, ſed de quibuſdam aut etiam de ſingulis concepta*, vt ex eodem Gellio colligitur. Feſtus tamen ſolum priuilegium videtur rogationem nominare. *Rogatio eſt cùm populus conſulitur de vno pluribúſve hominibus, quod non ad omnes pertineat, & de vna pluribúſve rebus, de quibus non omnibus ſanciatur. Nam quod in omnes homines réſve populus ſciuit, lex appellatur. Itaque Gallos Ælius ait, inter legem & rogationem hoc intereſt, rogatio eſt genus legis, quæ lex non continuò rogatio eſt. (rogatio) non poteſt non eſſe lex, ſi modò iuſtis comitiis rogata eſt.* Sed concilient eruditi, certè lectionem & ordinem verborum Ælij Galli præſtare non auſim, cùm neſcio quid in iis turbatum ſibíque repugnans eſſe videatur.

Rogare. Abrogare. Derogare. Irrogare. Erogare. Lex. Plebiſcitum. Priuilegium.

IV. CENSORIVM IVDICIVM AC NOTIONEM.] Vide Sextianam 55. & in Piſonem 9. locis in explanatione laudatis. de *nefario* Milonianam §. 87. n. 3. De legibus ſacratis Sextianam. §. 16. n. 6. de patriciis & plebeiis Milon. §. 4. n. 3. de Tribunatu plebis paſſim, & potiſſimùm Philippic. 2. §. 42. Nota 2. & 3. & alibi non ſemel. De auſpiciis Milonianam §. 44. Nota 3. Piſonianam §. 11. n. 2. & alibi paſſim.

AXIOMA.

In bonis rebus non exquirenda ſunt ea iura, quæ in perditis non exquiruntur.

ARGVMENTVM.

Peroratio breuis quæ dictorum recapitulatione continetur: vt rationes maiorem vim habeant in aceruum conglobatæ.

EXTREMVM illud eſt: ego, ſi eſſent inimicitiæ mihi cum C. Cæſare, tamen hoc tempore Reipub. conſulere, inimicitias in aliud tempus reſeruare deberem. poſſem etiam ſummorum virorum exemplo inimicitias Reipub. cauſsâ deponere, ſed cùm inimicitiæ fuerint nunquam, opinio iniuriæ beneficio ſit exſtincta: ſententiâ meâ P. C. ſi dignitas agitur C. Cæſaris, homini tribuam: ſi honos quidam, ſenatûs concordiæ conſulam: ſi auctoritas decretorum veſtrorum, conſtantiam ordinis in eodẽ ornando imperatore ſeruabo: ſi perpetua ratio Gallici belli, Reip. prouidebo: ſi aliquod meum priuatum officium, me non ingratum præſtabo. Atque hoc velim probare omnibus, Patres Cõſcripti: ſed leuiſſimè feram, ſi fortè aut iis minùs probare, qui meum inimicum, repugnante veſtra auctoritate, texerunt: aut iis qui meum cum inimico ſuo reditum in gratiã vituperabunt, cùm ipſi & cum ſuo inimico in gratiã non dubitarint redire. XLVII.

EGO, SI ESSENT.] Quoniam perſpicua ſunt omnia, ſatis in præſentiarum fuerit à tergo reſpectare, & ſectiones vbi fuſiùs explicantur, breuiter iudicare.

SI ESSENT INIM.] Supra 19. 20. exemplo Tiberij Gracchi, Luc. Craſſi, M. Scauri, omnium Metellorum, qui vtilitatem Reip. ſuis inimicitiis prætulerunt.

POSSEM ETIAM.] 21. 22. 23. 24. exemplo M. Lepidi, Seruilij, Metelli Nepotis, aliorum.

CVM IN. FVER. NVNQ.] 40. ad 42. *Opinio.* à 42. ad 44.

SI DIGNITAS.] 26. 27. 28.

SI HONOS.] Videtur hîc repeti quod dictum fuerat, 38. §. nihil affirmo.

SI AVCTORITAS.] 25. & fortaſſe. 38.

SI PERPET. RAT.] A 29. ad 36.

SI ALIQVOD.] 43. 44.

INIMICVM.] Illi ipſi Cæſaris inimici Clodio fauerunt, cùm is Cæſaris acta vellet reſcindere. de Aruſp. reſp. 48. *Vobis ſe cœpit ſubitò fallaciſſimè venditare. Tum leges Iulias contra auſpicia latas, & hîc & in concionibus dicere: in quibus legibus inerat Curiata lex illa, quæ totum eius tribunatum*

continebat, quam cacus amentiâ non videbat: producebat fortiſſimum virum M. Bibulum: quærebat ex eo C. Cæſare leges ferente, ſempérne de cœlo ſeruaſſet? Semper ſe ilie ſeruaſſe dicebat. Augures interrogabat quæ ita lata eſſent, recténe lata eſſent? illi vitio lata eſſe dicebant. Ferebant in oculis hominem viri quidam boni, & de me optimè meriti: ſed illius, vt ego arbitror furoris ignari. Et epiſt. 9. ad Lentulum: *Inimicum meum, meum autem? imò verò legum, iudiciorum, otij, patriæ, bonorum omniũ, ſic amplexabantur, ſic in manibus habebant, ſic fouebant, ſic me præſente oſculabantur, non illi quidem vt mihi ſtomachum facerent, quem ego funditus perdidi, ſed certè vt facere ſe arbitrantur.* Item: *Nobiles homines & de me optimè meriti nimis amarent inimicum meum, méque inſpectante ſæpe eum in Senatu modò ſeuerè ſeducerent, modò familiariter atque hilarè amplexarentur.* Et pro Sextio 95. Milo dicitur Clodium accuſare per Senatus auctoritatem non eſſe ſitus, atque hæc eſt cauſa cur non ſine ſtomacho orationem hanc ſuam terminarit.

NOTÆ.

1. EXTREMVM ILLVD.] Præcipiunt Rhetores enumerationem dictorúmque *ἀνακεφαλαίωσιν* adhibendam, quæ ſparſim & diffusè dicta fuerant, vnum in aceruum colliguntur. Porrò enumerationum aliæ directæ ſunt, aliæ figuratæ. Directæ exemplum eſt pro Quintio à §. 86. ad 98. & pro Milone 52. 53. figuratè vel per inſectationem, vt ſecunda Agraria §. 97. 98. prætermiſſione oratoria, vt pro Cluentio 188. *Mitto illam primam libidinis iniuriam: mitto nefarias generi nuptias: mitto cupiditate matris expulſam ex matrimonio filiam*, &c. Perſonarum ficta inductione, vt Verrina de ſuppliciis 135. *Hic tu etiam dicere audebis, Eſt in iudicibus ille familiaris meus, eſt patruus amicus ille?* &c. *Paternus amicus eſt? Ipſe pater ſi iudicaret, per Deos immortales! quid facere poſſet, cùm tibi hæc diceret: Tu in Prouincia populi Romani, prætor.* & cætera quibus omnia ſcelera Verris ſuperius fusè narrata tanquam in cumulũ coaceruat, & ſubdit: *Hæc ſi tuus tibi parens diceret, poſſes ab eo veniam petere? poſſes, vt tibi ignoſceret, poſtulare?* Inuocatione, vt eadem Verrina à §. 183. ad 187. vbi Verris omnia ſacrilegia conglobantur. *Nunc te Iupiter Opt. Max. cuius ille donum*, &c. *Téque Iuno Regina cuius duo fana*, &c. *Téque Minerua*, &c. Præclara eſt etiam illa recapitulatio errorum & laborum Vlyſſis viceſimo tertio Odyſſeæ, vbi Vlyſſes inducitur Penelopæ in ipſo thalamo narrans quid ſibi longa illa peregrinatione contigerit. Non diſplicet etiam ille repetendi modus apud Apuleium extremis penè apologiæ verbis. *Cæterùm ad hæc quæ obieciſtis innumera binis verbis reſpondeam. Dentes ſplendidas: ignoſce mundiciis. Specula inſpicis: debet philoſophus. Verſus facis: licet fieri. Piſces exploras: Ariſtoteles docet. lignum conſecras: Plato ſuadet. Vxorem ducis: leges iubent. Prior natu ea eſt: Solet fieri. Lucrum ſectatus es dotis: dotale accipe, donationem recordare, teſtamentum lege.* Adfert & alios enumerandi modos Quintilianus lib. 6. inſtitut. orat. cap. 1. & Cicero 1. de inuentione, quem tu vide, & eius commentatorem M. Fabium Victorinum.

EVENTVS.

PISO quidem & Gabinius reuocati, retentus Cæſar in ſua prouincia. Submiſſus in locum Gabinij M. Craſſus, qui proximis comitiis deſignatus eſt Conſul cum Cn. Pompeio, in locum Piſonis Q. Ancharius. Et Prætoria quidem Macedonia, Syria verò facta Conſularis. Atque ita Piſoni primo quoque tempore ſucceſſum eſt: Gabinio non niſi poſt annum, id eſt poſt Craſſi & Pompeij conſulatum. vnde & intelligas illud in Piſonem 88. *Quid? debilitatio atque abiectio animi tui, Macedoniâ Prætoriâ nuntiatâ, cùm tu non ſolùm quòd tibi ſuccederetur, ſed quòd Gabinio non ſuccederetur, exanguis & mortuus concidiſti?* & 89. *Cùm tibi ſpe falsâ, quòd Q. Ancharium non eſſe ſucceſſurum putares, animos rumor inflaſſet, quo te modo ad tuam intemperantiam, ſceleratè, innouaſti.* Non conſtat tamen vtrum hoc etiam S.C. an duntaxat lege Trebonia Syria facta fuerit Conſularis. de qua lege Plutarchus, Appianus, Dio, epitome Liuiana lib. 105. Cato *cùm legem impediret, qua prouinciæ Conſulibus in quinquennium, Pompeio Hiſpaniæ, Craſſo Syria & Parthicum bellum, Cæſari Gallia & Germania dabantur, à C. Trebonio Tribuno plebis legis auctore in vincula ductus eſt.*

IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO L. CORNELIO BALBO

PRÆFATIO.

L.Cornelius Balbus Gadibus natus in Hiſpania, duriſsimo bello contra Q. Sertorium & Luſitanos ſuſcepto, egregiam Q. Metello Pio, deinde etiam Cn. Pompeio Proconſuli operam nauarat: & à C. Memmio Pompeij Quæſtore non diſceſſerat, profectus erat Carthaginem, acerrimis & maximis prælijs Sucronenſi & Durienſi interfuerat: deinde Pompeio adhæſerat ad extremum belli tempus. Donatus eſt ob eas cauſſas à Cn. Pompeio ciuitate: & eodem penè tempore L. Gellius, Cn. Cornelius Conſules legem ex Senatus ſententia tulerunt: qua lege ſanciebatur, vti ciues Romani eſſent ij quos Cn. Pompeius de conſilij ſententia ſigillatim ciuitate donauerat. Hac ille lege ciuis Romanus factus ab altero Conſule Lucij prænomen, ab altero Cornelij nomen accepit, itáque ſe primoribus ciuibus commendauit, vt Cn. Pompeio, M. Craſſo, C. Cæſare, Cicerone familiariſsimè vteretur, & à Theophane Mitylenæo apud Pompeium imprimis gratioſo adoptaretur, ad eáſque demum diuitias, Cæſaris maximè liberalitate peruenit, vt hortos ſibi longè pulcherrimos, & Tuſculanum quod Q. Metelli, & L. Craſsi fuerat, ſibi compararet. Tantúmque gratia valuit vt non in extremis tribubus, in quas referri ſolebant noui ciues, hæſerit, ſed ad Cruſtuminam Tribum peruenerit. Huius felicitati non pauci inuidebant, eum in conuiuiis rodebant, in circulis vellicabant, maledico dente carpebant. Donec tandem à Cæſaris inimicis ſubornatus eſt accuſator & ipſe Gaditanus, qui Cornelio diem de ciuitate diceret, & per eius latus Cæſarem & Pompeium ſauciaret. Non accuſabatur furatus eſſe ciuitatem, non genus ſuum ementitus, non in aliquo impudenti mendacio delituiſſe, non irrepſiſſe in cenſum dicebatur: Non negabat accuſator eum ob res in Hiſpania præclarè fortitérque geſtas, & nauatam Reip. operam donatum eſſe ciuitate. Sed vnum obiiciebat natum eſſe Gadibus, populo fœderato, negabátque quemquam ex fœderato populo potuiſſe, niſi is populus fundus factus eſſet in ciuitatem venire: ac proinde cùm fundus factus non eſſet populus Gaditanus, negabat ciuem Romanum fieri potuiſſe Cornelium. Re multò antè inauditâ Gadibus, fore vt ab illo accuſatore dies Cornelio diceretur, grauiſsima in illum accuſatorem ciuem ſuum Senatuſconſulta fecerunt, eúmque mulcta & pœna mactarunt: ſummóſque homines ac nobiliſsimos ſuæ ciuitatis laudatores deprecatoréſque periculi miſerunt. Actoris nomen ignotum, niſi fortaſſe fuit ille Octauius, de quo Plutarchus in Cicerone. τῷ δέ τις Ὀκτάβιος

αἰτίαν ἔχων ἐκ Λιβύης γεγονέναι. πρὸς τοῦτον ἔν τινι δίκῃ λέγοντα τοῦ Κικέρωνος μὴ ἐξακούειν, καὶ μὴν οὐκ ἔχεις (εἶπε) τὸ οὖς ἀτρύπητον. Erat quidam Octauius, qui ex Libya natus audiebat. Cùm is quodam iudicio diceret ſe non audire Ciceronem, atqui, inquit, aurem habes perforatam. *Patroni fuerunt principes ciuitatis, M. Craſſus, Cn. Pompeius, ipſe Cicero, qui cauſſam ſic inter ſe partiti ſunt, vt primò dicerent Craſſus & Pompeius, ſequenti die Cicero peroraret, extremámque vt ita loquar, cauſſæ manum admouens, opus ab aliis delineatum, & iam informatum dicendo perpoliret.*

Cauſſæ genus eſt iudiciale, etſi nonnulla de Pompeio & Mario dicuntur, quæ ad demonſtratiuum genus referri videntur. Status qualitatis: nam donatum eſſe ciuitate Luc. Cornelium præſens Pompeius dicebat, indicabant publicæ tabulæ, accuſator non negabat: negabat autem iure eſſe donatum.

Dicendi character varius eſt, & modò ſubtilis, vt de populis, fundis & fœderatis: modò temperatus vt de laudibus Cn. Pompeij: modò ſublimis, vt in peroratione.

Partium orationis diſtributio conſtabit è ſubiecta tabula.

- Exordium & conſtitutio quæſtionis ad §. 6.
- Confirmatio conſtans partibus quatuor à 7. ad 56.
  - 1. ab auctoritate Pompeij. à 7. ad 17.
  - 2. à natura fœderum, quibus ius adipiſcendæ ciuitatis non impeditur. à 17. ad 38.
  - 3. à voluntate Gaditanorum. à 39. ad 44.
  - 4. ab auctoritate & pro iudicio
    - Imperatorum. à 44. ad 52.
    - Iudicum. 52.
    - Populi. 53. 54.
    - Senatus. 55.
- Peroratio. à §. 56.

Hoc autem ſyllogiſmo vertitur cardo totius orationis.

Iure ciuis eſt Romanus qui virtutis ergò ciuitate donatus eſt à præſtantiſſimo Imperatore, ſi id confirmatum eſt lege, & ius adipiſcendæ ciuitatis fœdere non impeditur, & Imperatores alij multos ciuitate donarunt, eámque donationem Iudices, Senatus populúſque Romanus ratam ſemper habuerunt.

Sed Cornelius Balbus à Pompeio præſtantiſſimo Imperatore virtutis ergò ciuitate donatus eſt, idque confirmatum lege Gellia & Cornelia, nec ius adipiſcendæ ciuitatis impeditum eſt fœdere Gaditano, & multi alij Imperatores multos ciuitate donarunt, eámque donationé, Iudices S.P.Q.R. ratam ſemper habuerunt.

Ergo iure ciuis Romanus eſt Cornelius Balbus.

Abſolutus Balbus, vt certò colligitur ex eiuſdem epiſtolis ad Ciceronem, quarum vna habetur lib. 8. *ad Attic.* 24. *altera lib.* 9. *epiſt.* 10. *Cæſarem ita ſecutus eſt bello ciuili, vt vnicè caueret concordiæ publicæ, nec Pompeium vllo ſcelere violaret, nec ſolùm ius obtinuit ciuitatis, ſed etiam peruenit ad Conſulatum. Plinius lib.* 7. *natural. hiſt. cap.* 43. Fuit & Balbus Cornelius maior Conſul, ſed accuſatus, atque de iure virgarum in eum, iudicum in conſilium miſſus, (*malim,* de iure virgarum in eum Iudex in conſilium miſſus) primus externorum atque etiam in Oceano genitorum vſus illo honore, quem maiores, Latio

quoque negauerunt. *Tantiſque opibus abundauit; vt moriens ſingulis ciuibus Romanis drachmas, ſiue denarios viginti quinque legauerit: vt infrà dicemus ex Dione lib. 48. Habuit & fratris filium nec honoribus, nec diuitiis inferiorem, imò ſuperiorem rebus geſtis & triumpho. Plinius lib. 5, cap. 5.* Clariſſimúmque oppidum Garama caput Garamantum: omnia armis Romæ ſuperata, & à Cornelio Balbo triumphata, vno omnium externorum curru & Quiritium iure donato. Quippe Gadibus nato Ciuitas Romana cum Balbo maiore patruo data eſt. *De eius magnificentia Strabo lib. 3. loquens de Gaditanis.* Πόλιν δὲ κατ' ἀρχὰς μὲν ᾤκουν παντάπασι μικράν. προσέκτισε δ' αὐτοῖς Βάλβος Γαδειτανὸς ὁ θριαμβεύσας, ἄλλην ἣν νέαν καλοῦσι. Vrbem ab initio habitarunt omninò exiguam, condidit iis aliam, quam Nouam vocant, Balbus Gaditanus vir triumphalis. *Quibus autem initiis ad eam potentiam peruenerit, ſcribit Velleius, cùm Cæſar & Pompeius Brunduſio Dyrrhachium nauigaſſent, eóque bellum ciuile tranſtuliſſent:* Tum Balbus Cornelius, excedente humanam fidem temeritate, ingreſſus caſtra hoſtium, ſæpiúſque cum Lentulo collocutus Conſule, dubitante quanti ſe venderet, illis incrementis fecit viam, quibus non Hiſpaniæ ſuæ natus, ſed Hiſpanus in triumphum & pontificatum aſſurgeret, fierétque ex priuato Conſularis.

Exordium ſex primis numeris comprehenſum reddit Iudicem.

- beneuolum
  - à ſua perſona, oſtendens amabiles mores
    - laudans oratores qui ante dixerunt. 1.
    - modeſtè & ſine iactatione loquens
      - de ſua auctoritate.
      - exercitatione.
      - ingenio. 1.
    - Gratum animum præ ſe ferens. 2.
    - reddens officij ſui rationem. Cornelium defendit vt morem gerat. 5.
      - Pompeio
      - ipſi Cornelio.
  - à perſona Pompeij in quem crimen transfertur.
  - à perſonæ Cornelij, & eius virtutibus. 9.
- attentum à difficultate habendæ orationis poſt Cn. Pompeium, cuius oratio
  - fuerat admirationi, quòd homo militaris diceret
    - de iure ſubtiliter.
    - de more maiorum & exemplis acutè.
    - de fœderibus peritè.
    - illuſtri auctoritate de bellis.
    - grauiter de Republica.
    - de ſeipſo modeſtè.
    - de cauſa & crimine ornatè. 2.
    - è quibus explicat dogma Stoicorum. 3.
  - mirè delectarat. 4.
  - in animis omnium inſederat. 4.
- docilem
  - remotione eorum quæ non verſantur in quæſtione. 5.
    - non dicitur furatus eſſe ciuitatem Cornelius.
    - non genus ſuum ementitus.
    - non aliquo impudenti mendacio delituiſſe.
    - non irrepſiſſe in cenſum.
    - nullum crimen accuſatur Cornelij, ſed fatetur accuſator, quòd narrationis locum obtinere poſſit
      - eum in Hiſpanis fuiſſe, & fidelem operam nauaſſe Pompeio.
      - ob hæc merita ciuitate donatum à Pompeio.
  - Conſtitutione propriæ quæſtionis. Quæritur vtrum licuerit Pompeio Cornelium ciuitate donare. 6. 7.

M. TVLLII CICERONIS ORATIO

PRO L. CORNELIO BALBO.

EXORDIVM.

I. SI auctoritates patronorum in iudiciis valerent, ab ampliſſimis viris L. Cornelij cauſſa defenſa eſt: ſi vſus, à peritiſſimis: ſi ingenia, ab eloquentiſſimis: ſi ſtudia, ab amiciſsimis, & cùm beneficiis cum L. Cornelio, tum maxima familiaritate coniunctis. Quæ ſunt igitur meæ partes? auctoritatis tantæ, quantam vos in me eſſe voluiſtis, vſus mediocris, ingenij, minimè voluntati paris. nam cæteris, à quibus eſt defenſus, hunc debere plurimum video: ego quantum ei debeam, alio loco.

II. Principio orationis hoc oppono, me omnibus, qui amici fuerint ſaluti meæ, & dignitati, ſi minus referendâ gratiâ ſatisfacere potuerim, at prædicandâ & habendâ certè ſatis eſſe facturum. Quæ fuerit heſterno die Cn. Pompeij grauitas in dicendo, Iudices, quæ facultas, quæ copia non opinione tacitâ veſtrorum animorum, ſed perſpicuâ admiratione declarari videbatur. Nihil enim vnquam audiui, quod mihi de iure ſubtiliùs dici videretur, nihil de memoria, de more, de exemplis acutiùs, nihil peritiùs de fœderibus, nihil illuſtriore auctoritate de bellis, nihil de republica grauiùs, nihil de ipſo modeſtiùs, nihil de cauſſa, & crimine ornatiùs.

III. Vt mihi iam verum videatur illud eſſe, quòd nonnulli litteris, ac ſtudiis doctrinæ dediti quaſi quiddam incredibile dicere putabantur, eum, qui omnes animo virtutes penitus comprehendiſſet, omnia, quæ facere vellet, facillimè tractare. Quæ enim in L. Craſſo, potuit, homine nato ad dicendi ſingularem quandam facultatem, ſi hanc cauſſam ageret, maior eſſe vbertas, varietas, copia, quàm fuit in eo, qui tantum potuit impertire huic ſtudio temporis, quantum ipſe à pueritia vſque ad hanc ætatem à continuis bellis, & victoriis conquieuit?

IV. Quo mihi difficilior eſt hic extremus perorandi locus. Etenim ei ſuccedo orationi, quæ non præteruecta ſit aures veſtras, ſed in animis omniũ penitus inſederit: vt plus voluptatis ex recordatione illius orationis, quàm non modò ex mea, ſed ex cuiuſquam oratione capere poſſitis. Sed mos eſt gerendus non modò Cornelio, cuius ego voluntati in eius periculis, nullo modo, deeſſe poſſum: ſed etiam Cn. Pompeio, qui ſui facti, ſui iudicij, ſui beneficij, voluit me eſſe, vt apud eoſdem vos, Iudices, nuper in alia cauſſa fuerim, & prædicatorem, & auctorem.

V. Ac mihi quidem hoc dignum reo videtur, hoc deberi huius excellentis

viri præſtantiſſimæ gloriæ, hoc proprium eſſe veſtri officij, hoc ſatis eſſe cauſſæ, vt, quod feciſſe Cn. Pompeium conſtet, id omnes & licuiſſe concedant. Nam verius nihil eſt, quàm quod heſterno die dixit ipſe, ita L. Cornelium de fortunis omnibus dimicare, vt nullius in delicti crimen vocaretur. Non enim furatus eſſe ciuitatem, non genus ſuum ementitus, non in aliquo impudenti mendacio delituiſſe, non irrepſiſſe in cenſum dicitur: vnum obiicitur, natum eſſe Gadibus, quod negat nemo. cæterùm accuſator fatetur, hunc in Hiſpania, duriſſimo bello, cum Q. Metello, cum C. Memmio, & in claſſe, & in exercitu fuiſſe, &, vt Pompeius in Hiſpaniam venerit, Memmiúmque habere quæſtorem cœperit, nunquam à Memmio diſceſſiſſe: Carthaginem eſſe profectum: acerrimis illis præliis, & maximis, Sucronenſi, & Durienſi interfuiſſe: cum Pompeio ad extremum belli tempus fuiſſe.

Hæc ſunt prælia Cornelij, talis in Rempub. noſtram labor, aſſiduitas, VI.
dimicatio, virtus digna ſummo imperatore, ſpes pro periculis præmiorũ. præmia quidem ipſa non ſunt in eius facto, qui adeptus eſt, ſed in eius, qui dedit. Donatus igitur eſt ob eas cauſſas à Cn. Pompeio ciuitate. id accuſator non negat, ſed reprehendit: vt in Cornelio cauſſa ipſius probetur, pœna quæratur: in Pompeio, cauſſa lædatur, pœna ſit nulla: ſic famam, ſic innocentiſſimi hominis fortunas; præſtantiſſimi imperatoris factum condemnari volunt: ergo in iudicium caput Cornelij, factum Pompeij vocatur. Hunc enim in ea ciuitate, in qua ſit natus, honeſtiſſimo loco natum eſſe concedis, & ab ineunte ætate relictis rebus ſuis omnibus in noſtris bellis, noſtris cum imperatoribus eſſe verſatum: nullius laboris, nullius obſeſsionis, nullius prælij expertem fuiſſe. hæc ſunt omnia cùm plena laudis, tum propria Cornelij. nec in his rebus crimen eſt vllum.

NOTÆ.

I. Oratori neceſſaria. SI AVCTORITATES PATRONORVM.] Qui ſint patroni, diximus in Cœlianâ 53. Quatuor autem hoc loco patroni virtutes enumerat Orator. auctoritatem, vſum, ingenium, ſtudium & fidem. Neceſſaria eſt auctoritas, quia vt ait

Auctoritas. Fabius lib. 12. c. 1. ſi patroni minùs bonæ fuerint exiſtimationis, *Frequenter accidit vt his etiam vera dicentibus fides deſit, videatúrque talis aduocatus malæ cauſſæ argumentum.* Vnde illud Menandri apud Plutarchum in præceptis politicis.

Τρόπος ἔσθ' ὁ πείθων τοῦ λέγοντος, οὐ λόγος.

Suadet loquentis vita, non oratio.

Hinc eſt vt pauperes quia minùs auctoritatis habent, etiam iniquioribus animis audiantur, vnde illud Ennianum,

Hæc tu etſi peruersè dices facilè Achiuos flexeris,
Nam cum opulenti loquuntur pariter atque ignobiles,
Eadem dicta, atque eadem oratio, æqua non æquè valet.

Poſt Euripidem Hecubâ.

Τὸ δ' ἀξίωμα κἂν κακῶς λέγῃ τὸ σὸν,
Πείσει, λόγος γὰρ ἔκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν,
Κἀκ τῶν δοκούντων αὐτὸς οὐ ταυτὸν σθένει.

Vide quæ diximus oratione pro Cœlio 45. *inopiâ.*

Vſus. De vſu & exercitatione dicendi Fabius lib. 12. c. 5. *Plúſque, ſi ſepares, vſus ſine doctrinâ, quam citra vſum doctrina valeat.* Ingenium & fidem hic eſt

Ingenium. ipſa eloquentia, quam Oratori neceſſariam inficietur nemo. de ingenio & fide elegans illud Plutarchi in Cicerone. Ἐπεὶ Μάρκος Ἄππιος ἔν τινι δίκῃ προοιμιαζόμενος φίλον αὐτοῦ δεδεῆσθαι παρασχεῖν ἐπιμέλειαν καὶ λογιότητα, καὶ πίστιν, εἶθ' οὕτως, ἔφη, σιδηροῦς γέγονας ἄνθρωπος, ὥστε μηδὲν ἐκ τοσούτων, ὧν ἠτήσατο φίλος, παρασχεῖν. Fides. *Cùm M. Appius in cuiuſdam cauſſæ procemio dixiſſet ab amico ſe rogatum vt curam, ingenium, & fidem præberet, adeóne, inquit, ferreus fuiſti, vt è tam multis quæ amicus à te petierat, ne vnum quidem exhiberes?*

INGENII NEQVAQVAM VOLVNTATI II.
PARIS.] Quantam oporteat moderationem in ingenij laudibus ſibi vindicandis adhibere. vide pro Sextio 13. *Potiùs, &c. doloris quàm ingenij parteis eſſe ſuſceptas.* & 121. *Nam illud ipſe actor adiungebat amico animo, & fortaſſis homines propter aliquod deſiderium approbabant, ſummo ingenio præditum.*

REFERENDA GRATIA.] Pro Sextio 2. III.
agendis gratiis. De prouinciis Conſularibus 44. *hominem eſſe gratum.*

POMPEII GRAVITAS IN DICENDO.] IV.
De claris Oratoribus 239. *Meus autẽ æqualis Cn. Pompeius, vir ad omnia ſumma natus, maiorem dicendi gloriam habuiſſet, niſi eum maioris gloriæ cupiditas ad bellicas laudes abſtraxiſſet. Erat oratione ſatis amplus, rem prudenter videbat; actio verò eius habebat, & in voce magnum ſplendorem, & in motu ſummam dignitatem.* Pompeij eloquentia.

NIHIL DE MEMORIA.] Multi ſubeſſe V.
mendum arbitrantur. nihil tamen muto. *Nihil de*

memoriâ. Id eſt de antiquitate rebúſque propagatis ad memoriam poſterorũ. Certè teſtatur Grutterus nihil variare Palatinos, excepto nono.

VI. VT MIHI IAM VERVM.] Paradoxum Stoicorum. qui ſapientem dicebant nullum eſſe, qui non eſſet omnium virtutum numeris & partibus abſolutus atq; perfectus: item virtutes ita inter ſe eſſe connexas vt altera non poſſet ab alterâ ſeparari, ac proinde eum qui vnam virtutem habeat, nihil vitij habere admixtum, & omnia quæ facere velit facillimè tractare. in quos lepidè Horat. lib. 1. ſat.3. *- ſi diues qui ſapiens eſt,*

Et ſutor bonus, & ſolus formoſus, & eſt Rex,
Cur optas quod habes? Nō noſti quid pater, inquit,
Chryſippus dicat : ſapiens crepidas ſibi nunquam
Nec ſoleas fecit, Sutor tamen eſt ſapiens. Quò?
Vt quamuis tacet Hermogenes, cantor tamē, atq;
Optimus vt modulator : vt Alfenus Vafer, omni
Abiecto inſtrumento artis, clauſáque tabernâ
Sutor erat; Sapiens operis ſic optimus omnis
Eſt opifex : ſic Rex ſolus, &c.

Paradoxum Stoicorum de ſapiente.

Vnde & Poſidonius Stoicus omnium mechanicarum artium inuentionem ſapienti qui nuſquã fortaſſe inuentus eſt, tribuebat. Vide Senecam epiſt. xc. de his fusè differentem. Verùm ante Stoicos inuenti omnium artium homines, vt Hippias ille. De quo fusè Apuleius initio libri ſecundi Floridorum. Fabius vltimo cap. inſtitutionum, & alij. Sed quid opus eſt ſectari riuulos cùm fontem habeamus? Plato in Hippia minore Socratem Hippiæ ſic loquentem inducit. ἔφησθα δὲ ἀφικέσθαι ποτ' εἰς ὀλυμπίαν, ἃ εἶχες περὶ τὸ σῶμα ἅπαντα σαυτοῦ ἔργα ἔχων. Πρῶτον μὲν δακτύλιον (ἐντεῦθεν γὰρ ἤρχου) ὃν εἶχες σαυτοῦ ἔχειν ἔργον, ὡς ἐπιστάμενος δακτυλίους γλύφειν, καὶ ἄλλην σφραγῖδα, σὸν ἔργον, καὶ στλεγγίδα καὶ λήκυθον, ἃ αὐτὸς εἰργάσω. ἔπειτα ὑποδήματα ἃ εἶχες ἔφησθα αὐτὸς σκυτοτομῆσαι, καὶ τὸ ἱμάτιον ὑφῆναι, καὶ τὸν χιτωνίσκον, καὶ (ὅγε ἀτοπώτατον καὶ σοφίας πλείστης ἐπίδειγμα) ἐπειδὴ τὴν ζώνην ἔφησθα τοῦ χιτωνίσκου, ἣν εἶχες, εἶναι μὲν οἷαι αἱ Περσικαὶ τῶν πολυτελῶν, ταύτην δ' αὐτὸς πλέξαι. πρὸς δὲ τούτοις ποιήματα ἔχων ἐλθεῖν, &c. *Dicebas te quondam Olympicũ adiiſſe certamen corporis ornatu ſpectandum, & omnia corporis ornamenta propriis manibus confeciſſe. Primo quidem annulum quem habebas (hinc enim cœpiſti) tuum fuiſſe opus, quaſi eſſes ſculpendi peritus. quin etiam ſigillum quoddam, tuum opus, & ſtrigilem, & vaſculum vnguentarium ſimiliter opus tuum, calceos quinetiam tuis conſutos manibus, veſtē & interulam abs te contextam. quódque admodum mirabile viſum eſt, & ſingularis ſapientiæ indicium eſt, cingulum dicebas oſtendiſſe te opus tuum Perſicis precioſiſque ſimile. Item tua quædam poëmata, carmina, tragœdias, dithyrambos,* &c. Tales plerumque Græculi omnium artiũ profeſſores. Iuu. ſat.3.

Hippias omnium artium homo.

-quemuis hominem ſecum attulit ad nos,
Grammaticus, Rhetor, Geometres, Pictor, aliptes,
Augur, Schœnobates, Medicus, Magus omnia nouit,
Græculus eſuriens in cœlum, iuſſeris, ibit.

Græculi omnium artium profeſſores.

Sed nimirum, vt vulgò dicimus ex omnibus parũ, ex toto nihil: parum ſtringit qui multa amplectitur, nihil ſcit qui nihil ignorat. *Nuſquam eſt*, inquit Seneca epiſt. 2. *qui vbique eſt*, & ſimilis eſt Homerico illi Margitæ. -πάσας ἡμάρτανε τέχνας
Πολλὰ δ' ἐπίστατο ἔργα, κακῶς δ' ἠπίστατο πάντα.
-omni peccabat in arte,
Multa quidem norat, ſed nouerat omnia prauè.

Pauci adeò ſimiles illi Catoni Cenſorio, de quo tum alij, tum Liuius lib. 39. *In hoc viro tanta vis animi ingeniique fuit, vt quocunque loco natus eſſet, fortunam ſibi ipſe facturus fuiſſe videretur : nulla ars neque priuatæ, neque publicæ rei gerendæ ei defuit, vrbanas ruſticáſque res pariter callebat. Ad ſummos honores alios ſcientia iuris, alios eloquentia, alios gloria militaris prouexit. Huic verſatile ingenium ſic pariter ad omnia fuit, vt natum ad id vnũ diceres, quodcunque ageret. In bello manu fortiſſimus, multiſq; inſignibus clarus pugnis: idem poſteaquam ad magnos honores peruenit, ſummus imperator : idem in pace, ſi ius conſuleres, peritiſſimus: ſi cauſa oranda eſſet, eloquentiſſimus.* Sed non, quia Cato omnia quæ vellet facillimè tractabat, & Ciceronem Fabius lib.12.cap.10. teſtatur, *in omnibus quæ in quóque laudantur, eminentiſſimum fuiſſe.* Non quia, vt idem ait in epilogo totius operis, Homerus, Plato, Ariſtoteles, Gorgias, Varro, & alij fortaſſe

Catonis Cenſorij ingeniũ.

- pauci quos æquus amauit
Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus,

omni bonarum artium genere floruerunt, ideò temerè magni ardeliones eſſe debemus: quia nimirum animus vni rei dedendus eſt, vt dicetur infra ad §. 45.

LVCIVS CRASSVS.] De hoc Cicero tum alibi paſſim, tum maximè in Bruto: vbi & illa, *Equidē quanquam Antonio tantum tribuo, quantum ſuprà dixi, tamen Craſſo nihil ſtatuo fieri poſſe perfectius. erat ſumma grauitas, erat cum grauitate iunctus facetiarum & vrbanitatis oratorius, non ſcurrilis lepos : Latinè loquendi accurata, & ſine moleſtia diligens elegantia: in differendo mira explicatio,* &c. VII.

L. Craſſi eloquentia.

PRÆTERVECTA SIT.] Præteruehi dicuntur nauigantes, vt VIII.

Vino præteruehor oſtia ſaxo.

Oratio autem frequenter cum nauigio comparatur. vide Notas noſtras ad illa verba Cœlianæ 51. *Sed quoniam emerſiſſe iam è vadis, & ſcopulos prætervecta videtur oratio mea, perfacilis mihi reliquus curſus oſtenditur.*

SVI IVDICII, SVI BENEFICII.] Notum illud Senecæ lib. 1. de beneficiis cap. 15. IX. *Criſpus Paſſienus ſolebat dicere, quorundam ſe iudicium malle, quàm beneficium, quorundam beneficium malle, quàm iudicium: & ſubiiciebat exempla. Malo, aiebat. D. Auguſti iudiciũ, quàm Claudij beneficium. Ego verò nullius puto expetendum eſſe beneficium, cuius vile iudicium eſt.* Sed hæc iam alibi videor protuliſſe. quare ne fruſtra repetierim, aduerte quædã verba deeſſe, legendúmque, *Malo, aiebat, Diui Auguſti iudicium, quàm beneficium, Claudij beneficium, quàm iudicium.*

Iudicium beneficium.

DIMICARE.] Vide Milonianam §.100. *Dimicatio capitis.* X.

FVRATVS ESSE CIVITATEM.] Variæ in eo genere fraudes. Liuius lib. 41. C. Claudio Pulchro. Tib. Sempronio Graccho Conſulibus. XI. *Mouerunt Senatum & legationes Sociûm latini nominis, quæ & cenſores & priores Conſules fatigauerunt, tandem in Senatum introductæ. Summa querelarum erat. Ciues ſuos Romæ cenſos pleroſque Romam commigraſſe. Quòd ſi permittatur, perpaucis luſtris futurum, vt deſerta oppida, deſerti agri, nullum militem dare poſſent. Fregellas, quoque quatuor millia familiarium, (an familiarum?) tranſiſſe ab ſe Samnites Pelignique querebantur, neque eo minùs aut hos aut illos in delectum militum dare. Genera autem fraudis duo mutandæ viritim ciuitatis inducta erant. Lex Sociis ac nominis La-*

Modi fraudãdæ ciuitatis.

tini qui ſtirpem ex ſe domi relinquerent, dabat vt ciues Romani fierent. Ea lege malè vtendo alij ſociis, alij populo Romano iniuriam faciebant. Nam & ne ſtirpem domi relinquerent, liberos ſuos quibuſquibus Romanis in conditionem vt manumitterentur, mancipia dabant, libertiníque ciues eſſent: & quibus ſtirpes deeſſet quam relinquerent, vt ciues Romani fiebant. Poſtea his quoque imaginibus iuris ſpretis, promiſcuè ſine lege, ſine ſtirpe in ciuitatem Romanam per migrationem & cenſum tranſibant. Hæc ne poſteà fierent petebant legati, & vt redire in ciuitates iuberent ſocios deinde vt lege cauerent, ne quis quem ciuitatis mutandæ causâ ſuum faceret, néve alienaret, & ſi quis ita ciuis Romanus factus eſſet, ciuis non eſſet. Hæc impetrata ab Senatu. vide plura.

XII. GENVS SVVM EMENTITVS.] Eorum qui genus ſuum ementiti in cenſum & ciuitatem obrepſerunt, multa ſunt exempla, vt Quintij illius ſiue Equitij, quem Noſter pro Sextio 101. *inſitiuum Gracchum* appellat. Herophili Equarij, qui ſe Marij filium eſſe fingebat. illius qui ſe Q. Sertorij filium dicebat, item illius *Qui Cornelio Syllâ Rep. potiente, in domum Cn. Aſidionis irrupit.* de quibus aliíſque vide Valerium lib. 9. exeunte.

XIII. IRREPSISSE IN CENSVM.] Pro Archia 10. *Aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepſerint.* Irrepere autem, ſiue obrepere, vt exponit Budæus in Pandectas, *latèter progredi & fallaciter adire: παρέρπειν, vt ſerpentes humi repentes ſolent. vnde fit, vt quicquid ſenſum fallat, id obrepere dicatur.* Profert exemplum Iuuenalis Sat. 9.

Irrepere. Obrepere.

-Obrepit non intellecta ſenectus.

Ciceronis in Catone: *Qui enim citius adoleſcentiæ ſenectus, quàm pueritiæ adoleſcentia obrepit.* Lib. 6. ad Att. ep. 4. & 6. quæ tu vide. Tertio offic. *Itaque ſi vir bonus habeat hanc vim, vt ſi digitis concrepuerit, poſſit in locupletum teſtamenta nomen eius irrepere, hac vi non vtatur.* Irrepere pro falſaci quodam commento & obtentu iniquo inter heredes adſcribi. Sic *obrepere ad honores*, vt dicitur in Piſonem.

XIV. Cenſus. IN CENSVM.] Quid ſit propriè cenſus, videri poteſt ex Annæo Floro lib. 1. c. 6. *Ab hoc*, Seruio videlicet Tullio, *Populus Romanus relatus in cenſum, digeſtus in claſſes, curiis atque collegiis diſtributus, ſummáque Regis ſollertiâ ita eſt ordinata Reſpub. vt omnia patrimonij, dignitatis, ætatis, artium officiorúmque diſcrimina in tabulis referrentur, ac ſi maxima ciuitas minimæ domus diligentiâ contineretur.* Et ex Dionyſ. lib. 4. antiq. *Iuſſit cenſeri bona omnium ciuium cum iureiurando bonæ fidei, adſcriptis ætatis annis & parentum nominibus, atque adeo liberorum etiam atque coniugum: ad hac quam quiſque regionem vrbis quémve pagum incoleret:* Τῷ δὲ μὴ τιμησαμένῳ τιμωρίαν ὥρισε τῆς τε οὐσίας στέρεσθαι, καὶ αὐτὸν μαστιγωθέντα πεπρᾶσθαι· καὶ μέχρι πολλοῦ διέμεινε παρὰ Ῥωμαίοις οὗτος ὁ νόμος. *Et qui non cenſeretur pœna propoſita, vt bonis in fiſcum redactis, cæſus virgis ſub haſta veneat: diúque lex ea à Romanis ſeruata eſt.* Qui autem cenſi fuerant, etiamſi ſerui fuiſſent, priùs ius ciuitatis obtinebant, dicebantúrque cenſu liberari, vt pro Milone differemus §. 58. Pro Aul. Cæcina §. 99. *Iam populus, cùm eum vendit qui miles factus non eſt, non adimit ei libertatem: ſed indicat non eſſe eum liberum, qui vt liber ſit adire periculum noluit. Cùm autem incenſum vendit, hoc indicat: cùm is qui in ſeruitute iuſta fuerit, cenſu liberetur, eum qui cùm liber eſſet, cenſeri noluerit, ipſum ſibi libertatem abiudicaſſe.* E quibus vides eum meritò dici furatum eſſe ciuitatem, qui in cenſum obrepſerit.

GADIBVS.] Auienus. XV.

Gadir prima fretum gemina ſupereminet arce,
Attollitque caput geminis inſerta columnis:
Hæc Cotinuſa priùs fuerat ſub nomine priſco,
Tarteſſúmque dehinc Tyrij dixere coloni.
Barbara quinetiam Gades hanc lingua frequentat; Gades.
Pœnus quippe locũ Gadir vocat vndique ſeptum.

Stephanus de Vrbibus: Γάδειρα, πόλις καὶ νῆσος ἐν τῷ Ὠκεανῷ στενὴ καὶ παραμήκης οἷον ταινία, τῆς γῆς δέρη. *Gadera vrbs & inſula in Oceano anguſta & oblonga exiſtens, velut vitta quadam & terræ ceruix.* De qua vide Plinium lib. 4. cap. 22. Diodorum Siculum lib. 6. Solini Polyhiſtorem c. 36. & Ioannem Camertem eruditum eius interpretem, apud quem laudatos reperies pleroſque omnes qui fecerunt Gadium mentionem.

DVRISSIMO BELLO.] Bello Sertoriano XVI. quod Q. Sertorius è partibus Marianis profugus in Hiſpania concitauit. de quo, vt Appianum 1. ciuilium, Plutarchum & alios omittam, Florus libro 3. cap. 22. *Hoſtile potiùs an ciuile dixerim,* Bellum Sertorianum. *neſcio, quippe quod Luſitani Celtiberíque Romano geſſerint duce. Exul & profugus feralis illius tabulæ, vir ſummæ quidem, ſed calamitoſæ virtutis, malis ſuis maria terráſque permiſcuit.* Et alia plura, quæ referre non eſt inſtitutæ breuitatis. Cui bello cùm Qu. Metellus Pius non ſufficeret, miſſus eſt Cn. Pompeius adhuc eques Romanus cum imperio proconſulari. de quo Noſter Oratione pro lege Manilia. 62. *Quid tam inuſitatum, quàm vt, cùm duo Conſules clariſſimi fortiſſimíque eſſent, eques Romanus ad bellum maximum formidoloſiſſimúmque pro Conſule mitteretur? Miſſus eſt, quo quidem tempore, cùm eſſet non nemo in Senatu qui diceret, non oportere mitti hominem priuatum pro Conſule: L. Philippus dixiſſe dicitur, non ſe illum ſuâ ſententiâ pro Conſule, ſed pro Conſulibus mittere.*

QVÆSTOREM.] Vide 2. Philippicam §. 38. nu. 1. Piſonianam §. 2. nu. 5. XVII.

CARTHAGINEM.] Duæ fuerunt Carthagines. Carthago vetus illa nobilis in Libya, Carthago noua in Hiſpania, de qua Polyhiſtor cap. 36. XVIII. *Carthaginem apud Iberos, quæ mox colonia facta eſt, Pœni condiderunt.* cui adſtipulantur Plinius lib. 3. c. 3. Mela lib. 2. Strabo lib. 3. Silius tamen lib. 15.

Vrbs colitur Teucro quondam fundata vetuſto,
Nomen Carthago, Tyrius tenet incola muros.

Sequitur vrbis ecphraſis, ſed malo Liuij verbis Carthaginis nouæ ſitus. deſcribere lib. 26. *Sita Carthago ſic eſt. Sinus eſt maris mediâ ferè Hiſpaniæ orâ, maximè Africo vento oppoſitus, & quingentos paſſus introrſus retractus, paullulò plus paſſuum in latitudinem patens. Huius in oſtio ſinus parua inſula obiecta ab alto, portum ab omnibus ventis, præter quàm Africo, tutum facit. Ab intimo ſinu peninſula excurrit, tumulus is ipſe, in quo condita vrbs eſt: ab ortu ſolis & à meridie cincta mari: ab occaſu ſtagnum claudit, paullùm & ad ſeptemtrionem fuſum, incertæ altitudinis, vtcunque exæſtuat aut deficit mare, continenti vrbem iugum ducentos ferè & quinquaginta paſſus patens coniungit.* In ea vrbe fuit vnus è ſeptem Ciceronis Hiſpaniæ conuentibus, de quo Plinius loco citato: *Carthaginem conueniunt populi* LXII. *exceptis inſularum incolis.*

XIX. SVCRONENSI ET DVRIENSI.] De his duob. præliis ipſe Pompeius ita ſcripſit ad Senatũ. *Caſtra hoſtium apud Sucronem capta, & prælium apud flumen Durium, & dux hoſtium C. Herennius, cum vrbe Valentia, & exercitus deleti ſatis clara vobis ſunt.* Ad Sucronem quidem, vt ſcribit Plutarchus, caſtra Sertorij capta ſunt ab Afranio Pompeij legato: ſed cum magna ſuorum clade repulſus Afranius à Sertorio: Καὶ Πομπήϊος ἐγγὺς ἐλθὼν ἀποθανεῖν, καὶ τραυματισθεὶς, παραλόγως διέφυγεν. οἱ γὰρ μετὰ Σερτωρίου Λίβυες, ὡς ἔλαβον αὐτοῦ τὸν ἵππον, χρυσῷ κεκοσμημένον, καὶ φαλάρων ἀνάπλεων πολυτελῶν, ἐν τῷ διανέμεσθαι, καὶ διαφέρεσθαι πρὸς ἀλλήλους, προήκαντο τὴν δίωξιν. *Et Pompeius propemodum occiſus & vulneratus præter ſpem euaſit. Nam Libyes Sertoriani, cùm eius equum cepiſſent, auro & pretioſis & phaleris ornatum, diuidentes inter ſe & rixantes à perſequendo deſtiterunt.* Nec minùs durum fuit prælium Durienſe, quod Plutarchus περὶ Τουτίαν, corruptè opinor pro περὶ Δουρίαν videtur nominare. Durias autem fluuius non longè à Sagunto, vbi & Metellus πλήττεται δόρατι. haſtâ vulneratur. Καὶ Μέμμιος μὲν ὁ τῶν ὑπὸ Πομπηΐου στρατηγῶν ἡγεμονικώτατος ἐν τῷ καρτερωτάτῳ τῆς μάχης ἔπεσεν. *Et Memmius omnium Pompeij legatorum dux optimus, in pugna, quâ maximè ſæuiebat, cecidit.* Dicta Sucronenſe & Durienſe à Sucrone & Duria fluuiis Hiſpaniæ.

Prælia, Sucronenſe.

Durenſe.

AXIOMATA.

Si minùs referenda gratia amicis ſatisfacere poſſumus, at prædicanda, & habenda certè ſatisfacere debem us.

Is qui omnes animo virtutes penitus comprehendit, omnia quæ facere vult, facillimè tractat.

Præmia non ſunt in eius facto qui adeptus eſt, ſed in eius qui dedit.

In eo pœna quærenda non eſt, cuius cauſſa probatur.

Prima pars contentionis à §.7. ad 17. ducitur à perſona Pompeij.

- Auctoritas, vt eius omnis reprehenſio ſit à iudicibus repudianda, etiamſi ciuitate donaſſet,
  - aut minùs idoneum.
  - aut non ita bene meritum.
  - aut eum quem non oporteret.
- Cauſæ huius auctoritatis
  - Virtutes Pompeij
    - Vſus rei militaris. 9.
      - pueritiæ extremum, principium habuit bellorum & imperiorũ maximorum.
      - Plerique eius æquales minùs ſæpè caſtra viderunt, quàm hic triumphauit.
      - Tot habet triumphos quot ſunt partes terrarum.
      - Tot victorias quot ſunt genera bellorum.
    - ingenium & prudentia. 9.
    - pudor, integritas, religio probata
      - Regibus.
      - liberis populis.
      - exteris nationibus.
  - honores à populo delati. 10.
    - non poſtulanti.
    - imo recuſanti.
- Comparatio
  - cum Metello Numidico. 11.
  - cum Xenocrate Athenienſi. 12.
- Ex his oritur dilemma à §.13. ad 17. Si Pompeius fecit contra fœdus, id fecit,
  - Vel ſciens, quod nefas eſt de tali viro iudicare: cuius virtutis teſtes ſunt
    - animata, ſiue homines,
      - nationes.
      - populi.
      - Reges.
      - Tetrarchæ.
      - Tyranni.
    - Inanima, ſiue mutæ regiones.
      - maria.
      - portus.
      - inſulæ.
      - littora.
  - Vel inſciens
    - quod nec dicendum eſſet, etiam ſi verè diceretur.
    - nec verè dici poteſt. 14. 15.
      - Pompeius non ignorauit, quod librarioli ſe ſcire profitentur. 14.
      - & in hoc genere magnam habet ſcientiam, quam didicit
        - in pace libris legendis.
        - in bello rebus gerendis.
- Concluditur querelâ de natura hominum. 16. qui ſolent
  - laudare præterita.
  - præſentibus inuidere.

VBI igitur eſt crimen? quòd eum Pompeius ciuitate donauit. huiuſcéne crimen? minimè: niſi honos ignominia putanda eſt. cuius igitur? re vera nullius, actione accuſatoris, eius vnius, qui donauit. qui, ſi adductus gratia minùs idoneum hominem præmio affeciſſet, qui, etiam ſi virum bonum, ſed non ita meritum, ſi denique aliquid, quod non contrà ac liceret, factum diceretur, ſed contrà atque oporteret, tamen eſſet omnis eiuſmodi mali reprehenſio à vobis, Iudices, repudianda. VII.

Nunc verò quid dicitur? quid ait accuſator? feciſſe Pompeium, quod ei facere non licuerit? quod grauius eſt, quàm ſi id factum ab eo diceret, quod non oportuiſſet. Eſt enim aliquid, quod non oporteat, etiam ſi licet: quidquid verò non licet, certè non oportet. Hic ego nunc cuncter ſic agere, Iudices, non eſſe fas dubitari, quin quod Cn. Pompeium feciſſe conſtet, id non ſolùm decuiſſe, ſed etiam debuiſſe, fateamur. VIII.

Quid enim abeſt huic homini, quòd ſi adeſſet, iure hoc tribui, & concedi putaremus? vſúſne rerum? qui pueritiæ tempus extremum, principium habuit bellorum, atque imperiorum maximorum: cuius plerique æquales minùs ſæpè caſtra viderunt, quàm hic triumphauit? qui tot habet triumphos, quot oræ ſunt partéſque terrarum? tot victorias bellicas, quot ſunt in rerum natura genera bellorum? an ingenium? cùm etiam ipſi caſus euentúſque rerum, non duces, ſed comites eius conſiliorum fuerint: in quo vno ita ſumma fortuna cum ſumma virtute certauit, vt omnium iudicio plus homini, quàm Deæ, tribueretur. an pudor, an integritas, an religio in eo, an diligentia vnquam requiſita eſt? quem prouinciæ noſtræ, quem liberi populi, quem Reges, quem exteræ gentes caſtiorem, moderatiorem, ſanctiorem, non modò viderunt, ſed aut ſperando vnquam, aut optando cogitauerunt? IX.

Quid dicam de auctoritate, quæ tanta eſt, quanta in his tantis virtutibus ac laudibus eſſe debet? Cui S. P. Q. R. ampliſſimæ dignitatis præmia dedit non poſtulanti, imperia verò etiam recuſanti, huius de facto, Iudices, ita quæri, vt id agatur, licueritne ei facere quod fecit, an verò, non dicam non licuerit, ſed nefas fuerit (contra fœdus enim, id eſt, contra populi Romani religionem, & fidem feciſſe dicitur,) non turpe populo Romano, nónne vobis? X.

Audiui hoc de parente meo puer: cùm Qu. Metellus L. F. cauſſam de pecuniis repetundis diceret, ille, ille vir, cui patriæ ſalus dulcior, quàm conſpectus fuit, qui de ciuitate decedere quàm de ſententia maluit: hoc igitur cauſſam dicente, cùm ipſius tabulæ circumferrentur inſpiciendi nominis cauſſa, fuiſſe iudicem ex illis equitibus Romanis grauiſſimis viris neminem, quin remoueret oculos, & ſe totum auerteret, ne fortè quod ille in tabulas publicas retuliſſet, dubitaſſe quiſquam, verúmne an falſum eſſet, videretur. nos Cn. Pompeij decretum, iudicium de conſilij ſententia pronunciatum recognoſcemus? cum legibus conferemus? cum fœderibus, quorum acerbiſſima diligentia eſt, pertendemus? XI.

Athenis aiunt, cùm quidam apud eos, qui ſanctè grauitérque vixiſſet, & teſtimonium publicè dixiſſet, & (vt mos Græcorum eſt) iurandi cauſſa ad aras accederet, vna voce omnes Iudices, ne is iuraret, reclamaſſe. Cùm Græci homines, ſpectati viri, noluerint religione videri potiùs, quàm veritate fidem eſſe conſtrictam: nos etiam in ipſa religione & legum, & fœ- XII.

derum conſeruanda, qualis fuerit Cn. Pompeius dubitabimus?

XIII. Vtrùm enim inſcientem vultis contra fœdera feciſſe, an ſcientem? ſi ſcientem, ô nomen noſtri imperij, ô populi Romani excellens dignitas, ô Cn. Pompeij ſic latè longéque diffuſa laus, vt eius gloriæ domicilium, communis imperij finibus terminetur: ô nationes, vrbes, populi, Reges, Tetrarchæ, Tyranni, teſtes Cn. Pompeij non ſolùm virtutis in bello, ſed etiam religionis in pace: vos denique mutæ regiones imploro, & ſola terrarum vltimarum: vos maria, portus, inſulæ, littora. quæ eſt enim ora, quæ ſedes, qui locus, in quo non exſtent huius cùm fortitudinis, tum verò humanitatis, tum animi, tum conſilij impreſſa veſtigia? Hunc quiſquam incredibili quadam, atque inaudita grauitate, virtute, conſtantia præditum fœdera ſcientem neglexiſſe, violaſſe, rupiſſe dicere audebit?

XIV. Gratificatur mihi geſtu accuſator: inſcientem Cn. Pompeium feciſſe ſignificat. quaſi verò leuius ſit, cùm in tanta Repub. verſere, & maximis negotiis præſis, facere aliquid, quod ſcias non licere, an omnino neſcire quid liceat. Etenim cùm in Hiſpania bellum acerrimum & maximum geſſerat, quo iure Gaditana ciuitas eſſet, neſciebat? an cuius linguam populi non noſſet, interpretationem fœderis non tenebat? id igitur quiſquam Cn. Pompeium ignoraſſe dicere audebit, quod mediocres homines, quod nullo vſu, nullo ſtudio militari præditi, quod librarioli denique ſcire profiteantur?

XV. Equidem contrà exiſtimo, Iudices, cùm in omni genere, ac varietate artium, etiam illarum, quæ ſine ſummo otio non facilè diſcuntur, Cn. Pompeius excellat, ſingularem quandam laudem eius, & præſtabilem eſſe ſcientiam in fœderibus, pactionibus, conditionibus, populorum, Regum, exterarum nationum, in vniuerſo denique belli iure, ac pacis. niſi fortè, quæ nos libri docent in vmbra, & otio, & ea Cn. Pompeium neque cùm requieſceret, litteræ, neque cùm rem gereret, res ipſe docere potuerunt. Atque vt ego ſentio, Iudices, cauſſa dicta eſt temporis magis. Ego non huius, inquam, genere iudicij plura dicam. eſt enim huius ſæculi labes quædam, & macula, virtuti inuidere, velle ipſum florem dignitatis infringere.

XVI. Etenim ſi Cn. Pompeius abhinc annos quingentos fuiſſet, is vir, à quo Senatus adoleſcentulo atque equite Romano ſæpè communis ſalutis auxilium expetiſſet: cuius res geſtæ omnes gentes, cum clariſſima victoria, terra maríque peragraſſent: cuius tres triumphi teſtes eſſent totum orbem terrarum noſtro imperio teneri: quem populus Romanus ſingularibus honoribus decoraſſet: ſi nunc apud vos, id, quòd is feciſſet, contra fœdus factum diceretur, quis audiret? nemo profectò. mors enim cùm exſtinxiſſet inuidiam, res eius geſtæ, ſempiterni nominis gloria niterentur. Cuius igitur audita virtus dubitationi locum non daret, huius præſens, experta, atque perſpecta, obtrectatorum voce lædetur?

NOTÆ.

I. PVERITIÆ TEMPVS EXTREMVM.] Anno ætatis 23. tres legiones conſcripſit, aliquot exercitus fudit, exercitúmque victorem ad Syllam perduxit, & cùm è Carbonianis vnus eum è Scholæ Imperatorem eſſe dixiſſet, à præſentibus occiſus morte linguæ procacitatem expiauit. Bis denique antequam per ætatem Senator eſſe poſſet, triumphauit, vt meritò Cenſoribus in recenſione equitum reſponderit ſe omnia ſtipendia ſe Imperatore meruiſſe. Vide Plutarchum in Pompeio, & alios paſſim ſcriptores.

TOT HABET TRIVMPHOS.] De tribus triumphis Pompeij vide Sextianam 67. Piſonianam 29. II.

CASVS EVENTVSQVE RERVM.] Vide pro Marcello 7. *Nec in conſilium caſus admittitur.* III.

IV. Fortuna cum virtute certans. SVMMA FORTVNA CVM SVMMA VIRTVTE CERTAVIT.] Pro Archiâ Poëtâ 24. *Noſter hic Magnus qui cum virtute fortunam adæquauit.* Porrò hunc locum explicare non poſſis, niſi cum viris doctis emendes. *In quo vno ita ſumma fortuna cum ſummâ virtute certauit, vt omnium iudicio plus homini quàm poſſit, minùs quàm decet tribueretur.* Eo ſenſu vt Pompeius virtutis humanæ modum exceſſiſſe dicatur, & plus ei quàm poſſit mortali tribuatur, minus tamen quàm deceat diuinæ eius virtuti tribuere. Magis tamen arridet Iani Grutteri lectio, *plus homini quàm Deæ tribuiretur*, quam ille lectionem Palatini noni, Turingici, & S. Victoris auctoritate confirmat, ſenſu perſpicuo. *In vno Pompeio poſt homines natos, ita ſumma fortuna cum ſumma virtute certauit, vt tamen omnes iudicarent fortunam à virtute fuiſſe ſuperatam, & plus virtuti hominis quàm fortunæ tribuendum, quia fortuna ſequitur virtutem, non antecedit.* Sic de Prouinc. Conſular. §.35. Fortunam Deam appellat. *Si fortunæ muneribus ampliſſimis ornatus ſæpius eius Deæ periculum facere nollet.* Torquatus Taſſus Cantu I. Hieroſolymæ liberatæ ſtansâ 41. videtur hos Tullij locos præ oculis habuiſſe:

Occupa Guelpho il campo à lor vicino
Huom ch' à d'alta fortuna agguaglia il merto.

V. Pudor Pompeij. PVDOR.] Seneca epiſt. 11. *Nihil mollius ore Pompeij, nunquam non coram pluribus erubuit.* Libentiùs tamen interpreter de eo pudore quo quis ſemetipſum conſcientiámque ſuam reueretur ex illo Pythagoræ præcepto:

-μάλις' αἰσχύνεο σαυτόν.

VI. Caſtus. CASTIOREM.] Abſtinentiorem maximè à pecuniis. vide Sextianam 93. *Fortiſſimum ac ſummum ciuem in inuidiam homo caſtus ac non cupidus vocaret.*

VII. NON POSTVLANTI.] Viri docti ita diſtingunt. *Cui S. P. Q. R. ampliſſimæ dignitatis præmia dedit non poſtulanti, imperia verò etiam recuſanti.* Verè. nam & ampliſſima quædam præmia non poſtulauit, & imperia etiam recuſauit. Velleius libro 2. poſt nunciatam Pompeij de Mi-
Pompeij modeſtia. thridate victoriam: *Abſente Pompeio Tit. Ampius & Tit. Labienus Tribunipleb. legem tulerunt vt ludis Circenſibus coronâ aureâ & omni cultu triumphantium vteretur, ſcenicis autem prætextâ coronáque aureâ. Id ille non plùs quàm ſemel (& hoc ſanè nimium fuit) vſurpare ſuſtinuit.* Dio 37. Οὐδ' ἄλλην τινὰ τιμὴν ὑπέρογκον λαβεῖν διεπράξατο, ἢ τοῖς γε ψηφισθεῖσιν ἀπόντι οἱ πλὴν ἅπαξ ἐχρήσατο. ἦν δὲ ταῦτα. δαφνοφορεῖν τ' αὐτὸν κατὰ πάσας ἀεὶ τὰς πανηγύρεις, καὶ τὴν στολὴν τὴν μὲν ἀρχικὴν ἐν πάσαις αὐταῖς, τὴν δ' ἐπινίκιον ἐν τοῖς τῶν ἵππων ἀγῶσιν ἐνδύειν. Non opus eſt Latina ſubſcribere, cùm Velleianis ad amuſſim quadrent.

VIII. RECVSANTI.] Recuſauit adminiſtrationem belli piratici. Vide Dionem initio libri 36. vbi fuſa Gabinij imperium mandantis, & Pompeij recuſantis habetur oratio. Iterum, vt narrat Plutarchus in eius vitâ, cùm populus ei bellum
Pōpeius quæ imperia recuſarit. Mithridaticum detuliſſet, exclamauit: Φεῦ τῶν ἀνηνύτων ἄθλων! ὡς ἄρα κρεῖττον ἦν ἕνα τῶν ἀδόξων γενέσθαι, εἰ μηδέποτε παύσομαι στρατευόμενος. *O inexplicabiles meos labores! quanto magis expetendum fuerat, vt ignotus in tenebris iacerem, ſi nullus vnquam militiæ dabitur finis.* Verùm id ſimulaſſe potiùs videtur quàm dixiſſe ex animi ſui ſententiâ. fuit enim, vt auctor eſt Velleius, adſtipulantibus cæteris, *In appetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundiſſimus, vt qui eos vt libentiſſimè iniret, ita finiret æquo animo, & quod cupiſſet arbitrio ſuo ſumere, alieno deponeret.*

NON LICVERIT SED NEFAS FVERIT.] Philippicâ 13. §. 14. *Licet autem nemini contra patriam ducere exercitum: ſiquidem licere dicimus, quod legibus, quod more maiorum, inſtitutiſque conceditur. Neque enim quod quiſque poteſt, id ei licet: nec, ſi non obſtatur, propterea etiam permittitur.* IX.

QVINTVS METELLVS.] Vide Plutarchum in Mario. Ciceronem in Sextio 37. in Piſonem 20. Appianum 1. de bellis ciuilibus. De hac ipſa re Valerium lib. 2. cap. 5. & Noſtrum ep. 13. lib. 1. ad Atticum: *Quæ mihi res multò honorificentior viſa eſt, quàm aut illa cùm iurare tui ciues Xenocratem teſtimonium dicentem prohibuerunt, aut cùm tabulas Metelli Numidici (cùm hæc, vt mos eſt circumferrentur) noſtri Iudices adſpicere noluerunt.* Tabulæ porrò quas Iudices adſpicere noluerunt, priuatæ ipſius Metelli videntur fuiſſe, priuatarúmque rationum: quæ tabulæ dati & expenſi nomina ſiue æs alienum, vel ſolutum, vel non ſolutum continebant. Cùm igitur accuſator ei de pecuniis repetundis diem diceret, contenderétque pecuniis è prouincia compilatis eum domeſticas expediuiſſe rationes, & ad eius rei fidem exhiberi tabulas poſtularet, eas Iudices adſpicere noluerunt. Moris autem fuiſſe, vt accuſatores ad cognoſcendum æs alienum tabulas dati & expenſi poſtularent, tum aliis probari poſſet, tum illo loco Cœlianæ 17. *Nam quòd æs alienum obiectum eſt, ſumptus reprehenſi, tabulæ poſtulatæ,* &c. Verrina 3. §. 60. *Habeo iſtius & patris eius accepti tabulas omnes: quas diligentiſſimè legi, atque digeſſi: patris, quoad vixit: tuas, quoad ais te confeciſſe. Nam in iſto, Iudices, hoc nouum reperietis,* &c. *Hoc verò nouum & ridiculum eſt, quòd hic nobis reſpondit, cùm ab eo tabulas poſtularemus, vſque ad M. Terentium, C. Caſſium Conſules confeciſſe, poſtea deſtitiſſe.* Vbi Pedianus: *Moris autem fuit vnumquemque domeſticam rationem ſibi totius vitæ ſuæ per dies ſingulos ſcribere, in quo appareret quid quiſque de redditibus ſuis, quid de arte, fœnore lucróve ſepoſuiſſet, quo die, & quid item ſumptûs damníve feciſſet. Sed poſtquam obſignandis literis reorum, ex ſuis quiſque tabulis damnari cœpit, ad noſtram memoriam tota hæc vetus conſuetudo ceſſauit.* Neque verò ſolùm tabulas priuatas flagitabant, ſed etiam *Moris fuit vt accuſator obſignaret domum, & clauſa omnia eius quem accuſaturus erat, ne qua furtorum indicia, aut in vaſis, aut in ſignis, aut in literis conſtituta ab eo remouerentur.* Vt ſcribit idem Aſconius ad illa verba eiuſdem Verrinæ §. 50. *Quas iſte tabulas illinc, quæ ſigna ſuſtulit? quæ cognoui egomet apud iſtum in ædibus nuper, cùm obſignandi gratiâ veniſſem.* Vt minus mirum ſit tabulas priuatas, & dati expenſique rationes, quæ deinde cum rationibus publicis conferrentur, ab accuſatore fuiſſe poſtulatas. Quare non audiendus Valerius, qui publicas tabulas intelligit. *Cùm cauſſam repetundarum diceret,* &c. *Non in tabulis, ſed in vitâ Q. Metelli argumenta ſincerè adminiſtratæ prouinciæ legenda ſibi Iudices crediderunt: indignum rati integritatem tanti viri exiguâ cerâ, & paucis literis perpendi.* Nam, vt ex hoc loco colligi poteſt, Iudices publicas tabulas adſpexerant, quibus conti-

X. Q. Metelli auctoritas. Tabulæ priuatæ reorum ab accuſatoribus poſtulatæ. Domus reorũ obſignatæ.

nebatur ratio adminiſtratæ prouinciæ, ſed eas cum tabulis priuatis conferre noluerunt, ne viderentur de tabularum publicarum fide dubitaſſe.

XI. EQVITIBVS ROMANIS.] Qui tum iudicabãt, iudiciis à Senatu ad Equeſtrem ordinem tranſlatis lege Sempronia. Vide Plutarchùm in Gracchis, Appianum 1. ciuilium, Velleium lib. 2. alios paſſim. de quibus Aſconius in Diuinationem: *Iudicauerunt per annos quadraginta ſine infamia.* Hinc eſt, opinor, quod eos Orator *grauiſſimos viros* appellat.

XII. Xenocratis continentia. QVIDAM] Xenocrates, vt proximè vidimus è Cicerone, & refert tum Valerius lib. 2. c. 5 tum Laërtius in eius vitâ Fuit Platonis diſcipulus. Tã ſanctè caſtéque vixit, vt Phryne in eius torum admiſſa nullis cum illecebris pellexerit, & adoleſcẽtibus quorum operâ id factum fuerat etiam pignore poſito *pactum victoriæ pretium flagitantibus de homine ſe cum iis, non de ſtatuâ pignus poſuiſſe reſponderit.* Vide Valerium lib. 4. c. 3. & Laërtium. Tam grauiter vixit, támque fuit Σεμνὸς τὰ ἄλλα Ξενοκράτης καὶ σκυθρωπὸς ἀεί, ὥστε αὐτῷ λέγειν συνεχὲς τὸν Πλάτωνα, Ξενόκρατες θῦε ταῖς χάρισι. *Grauis cætera Xenocrates ſempérque triſtis, adeo vt ei Plato diceret aßiduè, Xenocrates Gratiis ſacrifica.*

XIII. Iurãtes aram tangebant. IVRANDI CAVSSA AD ARAS ACCEDERET.] Nota iurantium conſuetudo, ex qua dictum Periclis: φίλος μέχρι τοῦ βωμοῦ. *amicus vſque ad aras.* & illud Euandri 12. Æneidos:

Tango aras medióſque ignes, & numina teſtor.

Vide interpretes, & Macrobium 3. Saturn. cap. 2. Æſchines in Timarchum: λαβὼν εἰς τὴν ἑαυτοῦ χεῖρα τὰ ἱερὰ καὶ ὀμόσας. *Sacris in manu acceptis & concepto iureiurando.* Orator pro Flacco §. 90. *Ergo is qui ſi aram tenens iuraret, crederet nemo, per epiſtolas quod volet iniuratus probabit.* Æmilius Probus in Annibale cum ita de ſe & patre ſuo loquentem inducit: *Ad aram adduxit apud quam ſacrificare inſtituerat, eámque, cæteris remotis, tenentem iurare iußit nunquam me in amicitia cum Romanis fore.* Quod idem Appianus, Polybius, Liuius, & alij literis prodiderunt. Iuſtinus libro 24. *Ptolemæus ſumptis in manu altaribus, contingens ipſa ſimulacra & puluinaria Deorum, &c.*

XIV. TETRARCHÆ.] Vide Vatinianam 26. *Cum tetrarchis.* Aduerte verò apoſtrophen quam opportunè & quibus verborum facibus inardeſcat. Maria, portus, inſulas, littora implorat, quia Pompeius efferatos piratarum animos ſuâ lenitate, fide, iuſtitiâ mitigauit. adi Plutarchum.

XV. Ignorantia non ſemper excuſat. QVASI VERÒ.] Videtur ordo verborum perturbatus. Lambinus emendat: *Quaſi verò leuius ſit, cùm in tantâ Repub. verſere, & maximis negotiis prœſis, omnino neſcire quid liceat, quàm facere aliquid quod ſcias non licere.* Præclarè Demoſthenes paulò antè medium orationis de falſa legatione negat excuſandum, qui per ignorantiam aliquid contra Remp. admiſerit: ΟΥ γὰρ αὖ ἀρκέσει τοῖς ἀπολωλόσι, &c. διὰ τὴν ἀβελτερίαν τὴν ἐμήν, ἵνα μὴ τὴν τούτου λέγω. τοιαῦτα πεπονθέναι, πολλοῦ γε καὶ δεῖ. *Neque enim id ſufficiet & ſatisfaciet iis qui perierunt. ſi conſtet eis ſe propter meam inſcitiam, ne dicam iſtius periiſſe. Multum certè abeſt.* Vide locum, & confer cum Cicerone.

XVI. ATQVE VT EGO.] Emendant: *Atque vt ego ſentio, Iudices, cauſſa dicta eſt temporis magis vitio, quàm vllo Cornelij crimine: de quo plura non dicam. Ego de huius, inquam, genere iudicij plura non dicam.* Hotomannus ex M.S. *Temporis huius magis vitio, quàm hominis: neque ego de tam iniquo genere, &c.*

MORS ENIM CVM EXTINXISSET INVIDIAM.] Vide quæ dicemus ad §. 30. orationis pro Marco Marcello: *Inuidia* Archilochus apud Stobæum: XVII.

Τοῖς μὲν τεθνεῶσιν ἔλεος ἐπεικὴς θεός.
Τοῖς ζῶσιν ἕτερον αἰσχρώτατον φθόνος.
Deus eſt propitius Miſericordia mortuis.
Viuentibúſque Liuor infeſtus Deus.

Mninecmus apud eundem:

Δεινοὶ γὰρ αἰεὶ πάντες ἐσμὲν εὐκλεεῖ
Ζῶντι φθονῆσαι, κατθανόντα δ' αἰνέσαι.
Viuis enim inuidere mortales ſolent,
Laudare functos morte præſtantes viros.

Nec alia mens fuit Demoſthenis oratione de falſâ legatione: Τῶν μὲν ἄλλων ἀγαθῶν οὐ μέτεστι τοῖς τεθνεῶσιν· οἱ δ' ἐπὶ τοῖς καλῶς πεπραγμένοις ἔπαινοι τῶν οὕτω τετελευτηκότων ἴδιον κτῆμά εἰσιν. οὐδὲ γὰρ ὁ φθόνος αὐτοῖς ἔτι τηλικαῦτα ἐναντιοῦται. *Cæterorum quidem bonorũ mortui ſunt expertes; at laudes rebus præclarè geſtis partæ eorum qui ita mortem obierunt, ſunt propria poſſeßio. inuidia enim non amplius eſt contraria.* Theon Sophiſta prooemio ſuorum progymnaſmatum, tum priorem Demoſthenis locũ protulit, tum alia duo exempla congeſſit: Ὁ μὲν Θουκυδίδης φησί. φθόνος γὰρ τοῖς ζῶσι πρὸς τὸ ἀντίπαλον. τὸ δὲ μὴ ἐμποδὼν ἀνανταγωνίστῳ εὐνοίᾳ τετίμηται. ὁ δὲ Θεόπομπος. Ἐπίσταμαι γὰρ ὅτι τοὺς μὲν ζῶντας πολλοὶ μετὰ δυσμενείας ἐξετάζουσι· τοῖς δὲ τετελευτηκόσι διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἐτῶν, ἐπανιᾶσι τοὺς φθόνους. *Thucydides ait* lib. 2. *In vita viget inter æmulos inuidia. Id autem quod è medio ſublatum eſt contentione omni liberatum beneuolentiæ honore fruitur. Theopompus verò: Satis enim ſcio in viuentes inquiri à multis acerbè: in mortuis verò ob annorum multitudinem remitti inuidiam conſueuiſſe.* Sequor Ioachimi Camerarij verſionem: etſi fortaſſe melius verti poſſit, εὐνοίᾳ τετίμηται. *cum beneuolentia celebratur.* μετὰ δυσμενείας ἐξετάζουσι. *cum maleuolentia examinant.* Velleius lib. 2. *Audita viſis laudamus libentiùs, & præſentia inuidiâ, præterita veneratione proſequimur.* Fabius lib. 3. c. 1. *Veniet eorum laudi ſuum tempus, & ad poſteros virtus durabit, non perueniet inuidia.* Salluſtius orat. 2. ad Cæſarem de ord. Rep. *Viuos interdum fortuna, ſæpè inuidia fatigat. vbi anima naturæ ceßit, demptis obtrectatoribus ipſa ſe virtus magis magíſque attollit.* Sic adulatores apud Arrianũ lib. 4. expeditionis Alexandri, eius facta reb. ab Hercule & Libero geſtis præferentes dicebãt: Τὸν φθόνον ἐμποδὼν ἵστασθαι τοῖς ζῶσι τὸ μὴ οὐ τὰς ἀξίας τιμὰς αὐτοῖς ἐκ τῶν ξυνόντων γίγνεσθαι. *Inuidiam viuis obſtare, quò minùs meritos honores apud eos quibuſcũ viuunt, aſſequantur.* Sed ad hunc locum propiùs alludit Plinius Iunior lib. 1. ep. 16. loquens de Põpeio Saturnino: *Neque enim debet operibus eius obeſſe quod viuit. An ſi inter eos quos nunquam vidimus floruiſſet, non ſolùm libros eius, verùm etiam imagines conquireremus eiuſdem. nunc honor præſentis & gratia quaſi ſatietate langueſcet. At hoc primùm & malignum eſt hominem non admirari admiratione digniſſimum, quia videre, alloqui, audire, complecti, nec laudare tantùm, verùm etiam amare contingit.* Paſcitur in viuis liuor.

AXIOMATA.

Eſt aliquid quod non oportet, etiamſi licet: quicquid verò non licet, certè non oportet.

Eſt huius ſeculi labes quædam virtuti inuidere: velle ipſum florem dignitatis infringere.

Mors extinguit inuidiam.

Secunda

Secunda pars confirmationis à §. 17. ad 39. Qua probatur Cornelium Balbum ciuitate donari potuiſſe non expectato Gaditanorum conſenſu.

- Theſis. 18. 19. continens
  - querelam de miſera conditione hominum. 18.
    - Si quo quiſque loco natus eſt, ſi in qua fortuna eſt naſcendi initio conſtitutus, hunc vitæ ſtatum vſque ad ſenectutem obtinere debet.
    - Si omnes quos fortuna extulit, aut labor illuſtrauit, pœna ſunt afficiendi.
  - petitionem oratoria præteritione contentam, vt Iudices
    - ne oderint ingenium.
    - ne inimici ſint induſtriæ.
    - ne humanitatem opprimendam;
    - ne virtutem puniendam putent.
- Hypotheſis de cauſa propria Cornelij, quē accuſator negat fieri ciuem potuiſſe, niſi populus Gaditanus fundus fieret.
  - Nec bona eſt interpretatio vocis fundus. quod oſtenditur
    - ſubſtitutione melioris interpretationis. 22.
    - enumeratione incommodorum, quæ ex ea ſequerentur
      - hanc pœnam fœderibus adſcribit, vt omniū præmiorum expertes faciat fœderatos. 20. 24. quorū participes ſunt
        - ſocij.
        - ſtipendiarij.
        - hoſtes.
        - ſerui.
      - eſt contra maieſtatem pop. Rom. 22. 23. 25. dum vetat affici præmiis, qui imperium defenderint.
      - Eſt contra ius omne mutandæ ciuitatis. 27. 28. 29. quo iure liberrima eſt ciuitatis mutatio.
        - Neque mutare ciuitatem quiſquam inuitus poteſt.
        - Neque inuitus in ciuitate retineri.
        - Datur poſtliminium ſi quem pœnitet mutationis.
  - Neque fundum fieri magis proprium eſt fœderatorū, quàm omnium liberorum. 20. 27. Niſi ipſo fœdere fuerit exceptum, ne tranſire liceat ex altera in alteram ciuitatem, niſi populus qui deſeretur, eam tranſitionem ſuo ſuffragio comprobarit, vt exceptum eſt in fœderibus
    - Germanorum.
    - Inſubrium.
    - Heluetiorum.
    - Iapidum.
    - Gallorum quorumdam.
  - Et ſi exceptum eſſet in fœdere Gaditano, tamen ei fuit lege Gellia & Cornelia derogatum, cui derogari potuit lege contraria, quia
    - illud fœdus non eſt Sacroſanctū. 33. Nam
      - De eo fœdere nec latū eſt ad populum.
      - Nec ſancitum eſt
        - genere ipſo verborum.
        - obteſtatione legis.
        - cōſecratione legis, cùm caput eius, qui contrà facit, conſeruatur.
    - firmum tamen 34. 35.
      - 1. Beneficiis & fide populi Gaditani.
      - 2. Iuſtitia & tacita approbatione populi Romani.
      - 3. Ipſa vetuſtate.
      - 4. Senatusconſulto renouatum.
  - Nihil autem exceptum eſt de ciuitate. 35. Nihil eſt enim aliud in fœdere Gaditano, niſi
    - Vt pia & æterna pax ſit.
    - Vt maieſtatem populi Romani comiter conſeruent. vnde colligitur
      - Inferiores eſſe Gaditanis.
      - Romanos ſuperiores. 36.
      - Ac proinde Romanos poſſe Gaditanis hominib. ciuitatem dare non expectato populi Gaditani conſenſu. 37.

XVII. OMITTAM igitur Pompeium iam oratione mea reliqua: ſed vos, Iudices, animis ac memoria tenetote. de lege, de fœdere, de exemplis, de perpetua conſuetudine ciuitatis noſtræ, renouabo ea, quæ dicta ſunt. nihil enim mihi noui, nihil integri, neque M. Craſſus, qui totam cauſſam & pro facultate, & pro fide ſua diligentiſsimè vobis explicauit, neque Cn. Pompeius, cuius oratio omnibus ornamentis abundauit, ad dicendum reliquit. Sed quoniam, me recuſante, placuit ambobus adhiberi hunc à me quaſi perpoliendi quendam operis extremum laborem: peto à vobis, vt me officij potiùs, quàm dicendi ſtudio hanc ſuſcepiſſe operam ac munus putetis.

XVIII. Ac priùs quàm aggrediar ad ius cauſſámque Cornelij, quiddam de communi conditione omnium noſtrûm deprecandæ maleuolentiæ cauſsâ breuiter commemorandum videtur. Si quo quiſque loco noſtrûm eſt, Iudices, natus, aut ſi in qua fortuna eſt naſcendi initio conſtitutus, hunc vitæ ſtatum vſque ad ſenectutem obtinere debet: &, ſi omnes, quos aut fortuna extulit, aut ipſorum illuſtrauit labor & induſtria, pœnâ ſunt afficiendi; non grauior L. Cornelio, quàm multis viris bonis atque fortibus conſtitui lex vitæ & conditio videtur. Sin autem multorum virtus, ingenium, humanitas ex infimo genere, & fortunæ gradu non modò amicitias & rei familiaris copias conſecuta eſt, ſummam laudem, honores, gloriam, dignitatem, non intelligo, cur potius inuidia violatura virtutem L. Cornelij, quàm æquitas veſtra pudorem eius adiutura videatur.

XIX. Itaque quod maximè petendum eſt, à vobis idcirco non peto, Iudices, ne de veſtra ſapientia, atque de veſtra humanitate dubitare videar, eſt autem petendum, ne oderitis ingenium, ne inimici ſitis induſtriæ, ne humanitatem opprimendam, ne virtutem puniendam putetis. illud peto, vt, ſi cauſſam ipſam per ſe firmam eſſe, & ſtabilem videritis, hominis ipſius ornamenta adiumento cauſſæ potiùs, quàm impedimento eſſe malitis. Naſcitur, Iudices, cauſſa Cornelij ex ea lege, quam L. Gellius, Cn. Cornelius ex Senatûs ſententia tulerunt. qua lege videmus ſatis eſſe ſanctum vti ciues Romani ſint ij, quos Cn. Pompeius de conſilij ſententia ſigillatim ciuitate donauerint. Donatum eſſe L. Cornelium præſens Pompeius dicit, indicant publicæ tabulæ, accuſator fatetur: ſed negat ex fœderato populo quemquam potuiſſe, niſi is populus fundus factus eſſet, in hoc ciuitatem venire.

XX. O præclarum interpretem iuris, auctorem antiquitatis, correctorem, atque emendatorem noſtræ ciuitatis, qui hanc pœnam fœderibus aſcribat, vt omnium præmiorum, beneficiorúmque noſtrorum expertes faciat fœderatos. Quid enim potuit dici imperitius, quàm fœderatos populos fieri fundos oportere? nam id non magis eſt proprium fœderatorum, quàm omnium liberorum. Sed totum hoc, Iudices, in ea fuit poſitum ſemper ratione atque ſententia, vt cùm iuſſiſſet P. R. aliquid, ſi id aſciuiſſent ſocij populi, ac Latini, & ſi ea lex, quam nos haberemus, eadem in populo aliquo tanquam in fundo reſediſſet, vt tum lege eadem is populus teneretur, non, vt de noſtro iure aliquid minueretur, ſed, vt illi populi aut iure eo, quod à nobis eſſet conſtitutum, aut aliquo commodo, aut beneficio vterentur.

Tulit apud maiores noſtros legem C. Furius de teſtamentis: tulit Qu. Voconius de mulierum hereditatibus: innumerabiles aliæ leges de ciuili iure ſunt latæ: quas Latini voluerunt, aſciuerunt: ipſa denique Iulia, qua lege ciuitas eſt ſociis, & Latinis data, qui fundi populi facti non eſſent, ciuitatem non haberent. in quo magna contentio Heracliensium, & Neapolitanorum fuit, cùm magna pars in iis ciuitatibus iuris ſui libertatem ciuitati anteferret. Poſtremò hæc vis eſt iſtius & iuris & verbi, vt fundi populi beneficio noſtro, non ſuo iure fiant. XXI.

Cùm aliquid populus Romanus iuſſit, id, ſi eſt eiuſmodi, vt quibuſdam populis ſiue fœderatis, ſiue liberis permittendum eſſe videatur, vt ſtatuant ipſi, non de noſtris, ſed de ſuis rebus, quo iure vti velint: tum vtrùm fundi facti ſint, an non, quærendum eſſe videatur. de noſtra verò Republica, de noſtro imperio, de noſtris bellis, de victoria, de ſalute fundos populos fieri noluerunt. Atqui ſi Imperatoribus noſtris, ſi Senatui, ſi populo Romano non licebit, propoſitis præmiis elicere ex ciuitatibus ſociorum, atque amicorum, fortiſſimum, atque optimum quemque ad ſubeunda pro ſalute noſtra pericula: ſumma vtilitate, ac maximo ſæpè præſidio in periculis, atque aſperis temporibus carendum erit. XXII.

Sed, per Deos immortales, quæ eſt iſta ſocietas, quæ amicitia, quod fœdus, vt, aut noſtra ciuitas careat in ſuis periculis Maſſilienſi propugnatore, careat Gaditano, careat Saguntino, aut ſi quis ex illis populis ſit exortus, qui noſtros duces auxilio, labore, commeatu, periculo ſuo iuuerit, qui cum hoſte noſtro cominus in acie ſæpè pugnarit, qui ſe ſæpè telis hoſtium, qui dimicationi capitis, qui morti obiecerit, nulla conditione huius ciuitatis præmiis affici poſſit? XXIII.

Etenim in populum Romanum graue eſt, non poſſe vti ſociis excellenti virtute præditis, qui velint cum periculis noſtris ſua communicare: in ſocios verò ipſos, & in eos, de quibus agimus, fœderatos, iniurioſum, & contumelioſum eſt, his præmiis, & his honoribus excluſis eſſe fideliſsimos, & coniunctiſsimos ſocios, quæ pateant ſtipendiariis, pateant hoſtibus, pateant ſæpè ſeruis. Nam & ſtipendiarios ex Africa, Sicilia, Sardinia, cæteris prouinciis multos ciuitate donatos videmus: &, qui hoſtes ad noſtros Imperatores perfugiſſent, & magno vſui Reipublicæ noſtræ fuiſſent, ſcimus ciuitate eſſe donatos: ſeruos denique, quorum ius, & fortunæ conditio infima eſt, bene de Repub. meritos perſæpe libertate, id eſt, ciuitate publicè donari videbamus. XXIV.

Hanc tu igitur, patrone fœderum, ac fœderatorum, conditionem ſtatuis Gaditanis tuis ciuibus, vt quod iis, quos Gaditanis adiutoribus armis ſubegimus, atque in ditionem noſtram redegimus, liceat, ſi populus Romanus permiſerit, vt ab Senatu, ab Imperatoribus noſtris, ciuitate donentur: id ne liceat ipſis? qui, ſi ſuis decretis, legibúsve ſanxiſſent, ne quis ſuorum ciuium caſtra Imperatorum populi Romani iniret, ne quis ſe pro noſtro imperio in periculum capitis, atque in vitæ diſcrimen inferret, Gaditanorum auxiliis, cùm vellemus, vti nobis non liceret. priuatim verò, ne quis vir & animo, & virtute præcellens pro noſtro imperio, periculo ſuo, dimicaret, grauiter id iure ferremus, minui auxilia populi Roma- XXV.

ni, debilitari animos fortiſſimorum virorum, alienigenarum nos homi-num ſtudiis, atque externâ virtute priuari.

XXVI. Atqui nihil intereſt, Iudices, vtrum hæc fœderati iura conſtituant, vt ne cui liceat ex his ciuitatibus ad noſtrorum bellorum pericula accedere, an, quæ nos eorum ciuibus virtutis cauſsâ tribuerimus, ea rata eſſe non poſſint. nihil enim magis vteremur his adiutoribus, ſublatis præmiis virtutis, quàm ſi omnino his verſari in noſtris bellis non liceret. Etenim cùm pro ſua patria pauci poſt genus hominum natum reperti ſint, qui, nullis præmiis propoſitis, vitam ſuam hoſtium telis obiecerint: pro aliena Republica quemquam fore putatis, qui ſe opponat periculis, non modò nullo propoſito præmio, ſed etiam interdicto?

XXVII. Sed, cùm eſt illud imperitiſſimè dictum de populis fundis, quod commune liberorum eſt populorum, non proprium fœderatorum, ex quo intelligi neceſſe eſt, aut neminem ex ſociis ciuem fieri poſſe, aut etiam poſſe ex fœderatis, tum verò ius omne noſter iſte magiſter mutandæ ciuitatis ignorat, quod eſt, Iudices, non ſolùm in legibus publicis poſitum, ſed etiam in priuatorum voluntate. iure enim noſtro neque mutare ciuitatem quiſquam inuitus poteſt, neque, ſi velit mutare, non poteſt, modò aſciſcatur ab ea ciuitate, cuius eſſe ſe ciuitatis velit: vt, ſi Gaditani ſciuerint nominatim de aliquo ciue Romano, vt ſit is ciuis Gaditanus, magna poteſtas ſit noſtro ciui mutandæ ciuitatis, nec fœdere impediatur, quo minùs ex ciue Romano ciuis Gaditanus poſſit eſſe.

XXVIII. Duarum ciuitatum ciuis eſſe noſtro iure ciuili nemo poteſt: non eſſe huius ciuitatis ciuis, qui ſe alij ciuitati dicarit, poteſt. Neque ſolùm dicatione, quod in calamitate clariſſimis viris Qu. Maximo, C. Lenati, Qu. Philippo Nuceriæ, C. Catoni Tarracone, Qu. Cepioni, P. Rutilio Smyrnæ vidimus accidiſſe, vt earum ciuitatum fierent ciues, hanc ante amittere non potuiſſent, quàm huius ſolum ciuitatis mutatione vertiſſent: ſed etiam poſtliminio poteſt ciuitatis fieri mutatio. neque enim ſine cauſſa de Cn. Publicio Menandro libertino homine, quem apud maiores legati noſtri in Græciam proficiſcentes interpretem ſecum habere voluerunt, ad populum latum, vt is Publicius, ſi domum reuertiſſet, & inde Romam rediſſet, ne minus ciuis eſſet. Multi etiam ſuperiore memoria ciues Romani ſua voluntate indemnati, & incolumes, his rebus relictis, alias ſe in ciuitates contulerunt.

XXIX. Quòd ſi ciui Romano licet eſſe Gaditanum ſiue exſilio, ſiue poſtliminio, ſiue reiectione huius ciuitatis, vt iam ad fœdus veniam, quod ad cauſſam nihil pertinet (de ciuitatis enim iure, non de fœderibus diſceptamus) quid eſt quamobrem ciui Gaditano in hanc ciuitatem venire non liceat? Equidem longè ſecus ſentio. nam cùm ex omnibus ciuitatibus via ſit in noſtram, cúmque noſtris ciuibus pateat iter ad cæteras ciuitates, tum verò, vt quæque nobiſcum maximè ſocietate, amicitia, ſponſione, pactione, fœdere coniuncta eſt, ita mihi maximè communionem beneficiorum, præmiorum, ciuitatis continere videtur. Atqui, cæteræ ciuitates non dubitarent noſtros omnes recipere in ſuas ciuitates, ſi idem nos iuris haberemus, quod cæteri, ſed nos non poſſumus & huius eſſe ciuitatis, & cuiuſuis præterea: cæteris conceſſum eſt.

Itaque in Græcis ciuitatibus videmus, Athenis Rhodios, Lacedæmonios, cæteros vndique aſcribi, multarúmque eſſe eoſdem homines ciuitatum. Quo errore ductos vidi egomet nonnullos imperitos homines, noſtros ciues Athenis in numero iudicum atque Areopagitarum, certa tribu, certo numero, cùm ignorarent, ſi illam ciuitatem eſſent adepti, hanc ſe perdidiſſe, niſi poſtliminio recuperaſſent. Peritus verò noſtri iuris ac moris, nemo vnquam, qui hanc ciuitatem retinere vellet, in aliam ciuitatem ſe dicauit. Sed hic totus locus diſputationis atque orationis meæ, Iudices, pertinet ad commune ius mutandarum ciuitatum: nihil habet, quod ſit proprium religionis, ac fœderum. Defendo enim rem vniuerſam, nullam eſſe gentem ex omni regione terrarum, neque tam diſſidentem à populo Romano odio quodam, atque diſſidio, neque tam fide, beneuolentiáque coniunctam, ex qua nobis interdictum ſit, vt neque aſciſcere ciuem, aut ciuitate donare poſſimus. XXX.

O iura præclara, atque diuinitus iam inde à principio Romani nominis à maioribus noſtris comparata, ne quis noſtrûm plus, quàm vnius ciuitatis eſſe poſſit (diſſimilitudo enim ciuitatum varietatem iuris habeat neceſſe eſt) ne quis inuitus ciuitate mutetur, néve in ciuitate maneat inuitus. Hæc ſunt enim fundamenta firmiſſima noſtræ libertatis, ſui quemque iuris & retinendi, & dimittendi eſſe dominum. Illud verò ſine vlla dubitatione maximè noſtrum fundauit imperium, & populi Romani nomen auxit, quod princeps ille creator huius vrbis Romulus fœdere Sabino docuit, etiam hoſtibus recipiendis augeri hanc ciuitatem oportere. cuius auctoritate, & exemplo nunquam eſt intermiſſa à maioribus noſtris largitio, & communicatio ciuitatis. Itaque & ex Latio multi, & Tuſculani, & Lanuuini, & ex ceteris generibus gentes vniuerſæ in ciuitatem ſunt receptæ, vt Sabinorum, Volſcorum, Hernicorum: quibus ex ciuitatibus nec coacti eſſent ciuitatem mutare, ſi qui noluiſſent: nec, ſi qui eſſent ciuitatem noſtram beneficio populi Romani conſecuti, violatum fœdus eorum videretur. XXXI.

At enim quædam fœdera exſtant, vt Germanorum, Inſubrium, Heluetiorum, Iapidum, nonnullorum item ex Gallia barbarorum, quorum in fœderibus exceptum eſt, ne quis eorum à nobis ciuis recipiatur. quòd ſi exceptio facit, ne liceat: ibi neceſſe eſt licere, vbi non eſt exceptum. Vbi eſt igitur exceptum fœdere Gaditano, ne quem populus Romanus Gaditanum recipiat ciuitate? nuſquam. ac ſicubi eſſet, lex id Gellia, & Cornelia, quæ definitè poteſtatem Pompeio ciuitatem donandi dederat, ſuſtuliſſet. Exceptum eſt, inquit: fœdus ſiquidem ſacroſanctum eſt. Ignoſco tibi, ſi neque Pœnorum iura calles: reliqueras enim ciuitatem tuam, neque noſtras potuiſti leges inſpicere: ipſæ enim te à cognitione ſua iudicio publico repulerunt. XXXII.

Quid fuit in rogatione ea, quæ de Pompeio à Gellio, & à Lentulo XXXIII. COSS. lata eſt, in qua aliquid ſacroſanctum videretur? Primum enim ſacroſanctum eſſe nihil poteſt, niſi quod populus, plebsve ſanxiſſet: deinde ſanctiones ſacrandæ ſunt, aut genere ipſo, aut obteſtatione & conſecratione legis, aut pœnæ, cùm caput eius, qui contrà facit, conſecratur. Quid habes igitur dicere de Gaditano fœdere eiuſmodi? vtrum à capitis conſecra-

tione, an obteſtatione legis ſacroſanctum eſſe confirmas? nihil omnino vnquam de iſto fœdere ad plebem, neque de lege, neque de pœna latum eſſe dico: de quibus etiam ſi eſſet latum, ne quem ciuem reciperemus, tamen id eſſet, quod populus poſtea iuſſiſſet, ratum: neque quidquam illis verbis, ſi quid ſacroſanctum eſſet, eſſe exceptum videretur. de his, cùm populus Romanus nihil vnquam iuſſerit, quidquam audes dicere ſacroſanctum fuiſſe?

XXXIV. Nec verò hæc oratio mea ad infirmandum fœdus Gaditanorum, Iudices, pertinet. neque enim eſt meum contra ius optimè meritæ ciuitatis, contra opinionem vetuſtatis, contra auctoritatem Senatus dicere. Duris enim quondam temporibus Reip. noſtræ, cùm præpotens terra maríque Carthago nixa duabus Hiſpaniis huic imperio immineret, & cùm duo fulmina noſtri imperij ſubitò in Hiſpania Cn. & P. Scipiones exſtincti occidiſſent: L. Marcius primipili centurio cum Gaditanis fœdus iciſſe dicitur. quod cùm magis fide illius populi, iuſtitiâ veſtrâ, vetuſtate denique ipſa, quàm aliquo publico vinculo religionis teneretur: ſapientes homines, & publici iuris periti Gaditani M. Lepido, Qu. Catulo Coss. à Senatu de fœdere poſtulauerunt. tum eſt cum Gaditanis fœdus vel renouatum, vel ictum: de quo fœdere populus Romanus ſententiam non tulit, qui iniuſſu ſuo, nullo pacto, poteſt religione obligari.

XXXV. Ita Gaditana ciuitas, quod beneficiis ſuis erga Rempub. noſtram conſequi potuit, quod Imperatorum teſtimoniis, quod vetuſtate, quod Qu. Catuli ſummi viri auctoritate, quod iudicio Senatus, quod fœdere, conſecuta eſt: quod publica religione ſanciri potuit, id abeſt. populus enim ſe nuſquam obligauit. neque ideo eſt Gaditanorum cauſſa deterior. grauiſſimis enim & plurimis rebus eſt fulta. ſed iſti diſputationi certè nihil eſt loci. ſacroſanctum enim nihil poteſt eſſe, niſi quod per populum, plebémve ſancitum eſt. Quòd ſi hoc fœdus, quod populus Romanus, auctore Senatu, commendatione, & iudicio vetuſtatis, voluntate, & ſententiis ſuis comprobat, idem ſuffragiis comprobaſſet: quid erat cur ex ipſo fœdere Gaditanum in ciuitatem noſtram recipi non liceret? nihil eſt enim aliud in fœdere, niſi vt pia & æterna pax ſit. quid id ad ciuitatem? Adiunctum illud etiam eſt, quod non eſt in omnibus fœderibus, MAIESTATEM POPVLI ROMANI COMITER CONSERVANTO. Id habet hanc vim, vt ſit ille in fœdere inferior.

XXXVI. Primùm, verbi genus hoc conſeruandi, quo magis in legibus, quàm in fœderibus vti ſolemus, imperantis eſt, non precantis. Deinde, cùm alterius populi maieſtas conſeruari iubetur, de altero ſiletur: certè ille populus in ſuperiori conditione, cauſſâque ponitur, cuius maieſtas fœderis ſanctione defenditur. In quo erat accuſatoris interpretatio indigna reſponſione, qui ita dicebat, *Comiter* eſſe *communiter.* quaſi verò priſcum aliquod, aut inſolitum verbum interpretaretur. Comes, benigni, faciles, ſuaues, homines eſſe dicuntur, *Qui erranti comiter monſtrant viam:* benignè, non grauatè. Communiter quidem certè non conuenit. & ſimul abſurda res eſt, cauere fœdere, vt maieſtatem populi Romani communiter conſeruent: id eſt, vt populus Romanus ſuam maieſtatem eſſe ſaluam velit.

XXXVII. Quòd ſi iam ita eſſet, vt eſſe non poteſt, tamen de noſtra maieſtate,

nihil de illorum, caueretur. Poteſtne igitur noſtra maieſtas à Gaditanis benignè conſeruari, ſi ad eam retinendam Gaditanos præmiis elicere non poſſumus? poteſt eſſe vlla denique maieſtas, ſi impedimur, quo minus per populum Romanum beneficiorum, virtutis cauſſa, tribuendorum poteſtatem imperatoribus noſtris deferamus.

Sed quid ego diſputo, quæ mihi tum, ſi Gaditani contra me dice- XXXVIII.
rent, verè poſſe dici viderentur? illis enim repetentibus L. Cornelium, reſponderem legem populum Romanum iuſſiſſe de ciuitate tribuenda: huic generi legum fundos populos fieri non ſolere: Cn. Pompeium de conſilij ſententia ciuitatem huic dediſſe: nullum populi noſtri iuſſum Gaditanos habere. itaque nihil eſſe ſacroſanctum, quod lege exceptum videretur: ſi eſſet, tamen in fœdere nihil eſſe cautum præter pacem. additum etiam eſſe illud, vt maieſtatem illi noſtram conſeruare deberent: quæ certè minueretur, ſi aut adiutoribus illorum ciuibus vti in bellis nobis non liceret, aut præmij tribuendi poteſtatem nullam haberemus.

NOTÆ.

I. EXTREMVM LABOREM.] Vide Sextianam 3. *Extremo dicendi loco.* Aduerte tantùm cùm plures patroni cauſſam defenderent, plures etiam dies iis fuiſſe conceſſos. ſupra 2. *Quæ fuerit heſterno die Cn. Pompeij grauitas in dicendo.* huc adfert Lambinus illud Eclogæ vltimæ.

Extremum hunc Aretuſa mihi concede laborem.

II. HVMANITAS.] Studia politiorum & reconditiorum literarum. pro Cœlio 54. *Illa humanitate præditus illis ſtudiis.*

III. REI FAMILIARIS COPIAS.] Res familiaris ſiue domeſtica ſunt diuitiæ & facultates priuatæ. vt videbimus 2. Philippica. §. 33. num. 6. De nomine copiarum vide eandem orat. §. 56. num. 4. laus iudicio bonorum, in Vatinium. 9. Honores vel ſunt magiſtratus ipſi, vel indicia quædam excellentiæ quæ externo corporis geſtu exhibentur. Vide Piſonianam 26. *Gloria eſt frequens de aliquo fama cum laude.* Vide pro Marcello 17. Dignitas ex his omnibus effloreſcit.

IV. LVC. GELLIVS CN. CORNELIVS.] Cõſules fuerunt anno ab vrbe cõdita DCLXXXII. ſiue, vt alij ſupputant, DCLXXXIII.

V. Leges latæ de Senatus ſententiâ. EX SENATVS SENTENTIA.] Iam alibi diximus leges Conſulares ad populum latas fuiſſe præuia Senatûs ſententia. vide Sextianam §. 137. *Deſcriptionem ciuitatis.* Quod de legibus curiatis debet intelligi. Dionyſius lib. 9. antiq. τὰς μὲν φατριακὰς ψηφοφορίας ἔδει προβουλευσαμένης τῆς βουλῆς, &c. *Tributorum curiatorum ſuffragia præmiſſo Senatus decreto ferri oportebat.* τὰς δὲ φυλετικὰς μήτε προβουλεύματος γινομένου. *Tributa ſine præuio Senatusconſulto.* vide. Liuius lib. 40. *Et leges de ambitu Conſules ex auctoritate Senatus ad populum tulerunt.*

VI. Conſilium militare. DE CONSILII SENTENTIA.] Conſilium militare intelligit. de quo plura diximus in Vatinium 35. ad illa verba, *Bellici conſilij auctores.* Cæſar lib. 3. de bello Gallico. *His nuntiis acceptis Galba conſilio celeriter aduocato ſententias exquirere cœpit.* Intererant autem huic conſilio legati, Quæſtores, Tribuni militũm, primorum ordinũ Centuriones: interdum etiam Equites: quò ſpectaſſe videtur Poëta 9. Æneidos.

Ductores Teucrûm primi & delecta iuuentus,
Conſilium ſummis regni de rebus agebant.

Vide eius interpretes, Lipſium lib. 2. de militiâ Romanorum, Valtrinum lib. 3. cap. 10. de re militari.

VII. FVNDVS.] *Fundum populum fieri*, vt ait Feſtus, *eſt populum eius rei quam alienat fieri auctorem.* quo ſenſu accipiebat Balbi accuſator. Vel quemlibet contractum ab alio factum ratum habere, & auctoritate ſuâ cõprobare, vt apud Plautum Trinummo, Leſbonicus adoleſcens abſente patre Charmide, ſororem ſuam Lyſiteli deſponderat, ait Lyſiteles actu 5. ſc. 1.

Modò me Staſimus Leſbonici ſeruus conuenit, is Populus fundus.
Mihi dixit ſuum herum peregrè huc aduenisse
Charmidem;
Nunc mihi is properè conueniendus eſt, vt quæ
cum eius filio
Egi, & rei fundus pater ſit potior.

Id eſt, approbet conditionem & ſponſalia pater, cuius potior eſt quàm filij auctoritas. Gellius lib. 19. cap. 8. *Sed hac ego, inquit, dixi, non vt huius ſententiæ legiſque fundus ſubſcriptórque fierem: ſed vt ne Cæſaris viri docti opinionem* ἀπαραμύθητον *deſtituerem.* Iam Manutius præfatione huius orationis. *Mihi omninò Feſtus Pompeius & Plautus veriorem eſſe interpretationem accuſatoris, Ciceronem autem ſeruientem cauſſæ, ſenſum peruertiſſe facilè perſuadent.* Manutio adſtipulatur Hotomannus obſeruationum lib. 2. cap. 5. *Si quis tamen*, vt Turnebi verbis vtar lib. 4. aduerſ. cap. 12. *propiùs inſpiciat, M. Tullium intelliget verè ſincerèque argumentari ſine vlla captione verborum.* Non enim negat *fundum*, idem eſſe atque *alienationis auctorem*, ſed tantùm negat quod pertendebat aduerſarius. *Neminem è fœderato populo fieri poſſe ciuem Romanum, niſi is populus fundus & auctor factus eſſet.* Neque aduerſarium tam reprehendit, quòd malè vocem *fundum* interpretatus fuerit, quàm quòd malus fuerit iuris interpres, malus antiquitatis auctor, & imperitè dixerit, *fœderatos populos fieri fundos oportere.*

VIII. Lex furia teſtamentaria. FVRIVS.] Iuſtinianus Inſt. De lege falcidiæ. *Olim lege XII. tabularum libera erat legandi poteſtas, vt liceret vel totum patrimonium legatis erogare (quippe cùm eâ lege ita cautum eſſet,*

Vti qvisqve legassit svæ rei, ita ivs esto. *Viſum eſt hanc legandi licentiam coarctare,* &c. *Et cùm ſuper hoc tam lex Furia quàm lex Voconia latæ ſunt,* &c. vbi Theophilus citante Gotofredo. *Lege* XII. *tabularum liberrima erat legandi facultas. Poſt lege Furiâ cautum fuit, vt ne quis plus centum aureis legaret. Dein lege Voconiâ, vt ne plus legatario relinqueretur quàm hæredi. Poſtremò lege Falcidiâ conſtitutum, vt ne legatario vltra nouem vncias relinqui poſſet.* Vlpianus in Corpore tit. 1. §. 2. *Lex Furia teſtamentaria, quæ plus quàm mille aßium legatum, mortiſue causâ prohibet capere: præter exceptas perſonas, & aduerſus eum qui plus ceperit, quadrupli pœnam conſtituit.* Et lib. 28. de poſſeſſionibus §. 7. *L. Cognatis manumiſſoris per legem Furiam plus mille aſſes capere licet. Si nemo ſit ad quem bonorum poſſeßio pertinere poßit.*

IX. Q. Voconivs.] Noſter in Verrem de præ-
Lex Voconia. turâ vrbana 107. C. Voconium appellat, Epitome Liuiana lib. 41. Q. Volumnium Saxam, ſed mendoſè opinor ex librariorum incuriâ, eúmque cùm legem ferret Tribunum plebis fuiſſe teſtatur. Quando lata fuerit, conſtat ex Catone Maiore 14. vbi de Ennio. *Ille autem Capione & Philippo iterùm Conſulibus mortuus eſt: cùm ego quidem quinque & ſexaginta annos natus legem Voconiam voce magnâ & bonis lateribus ſuaſiſſem.* Idque Poſthumio & Qu. Fuluio Cenſoribus, vt conſtat ex edicto Verris Prætoris vrbani, quod refertur loco Verrinæ proximè citato. Sanxit autem, vt ibidem dicitur, *Qui poſt eos cenſores cenſus eſſet, ne quis hæredem virginem, néve mulierem faceret. Cenſus* autem dicitur Aſconio *pecunioſus, qui centum millia profeßione detuliſſet.* ac proinde *cenſus* idem erit atque *claßicus.* de quo
Claſſicus. infra claſſem. Gellius lib. 7. Noct. Attic. cap. 13. *Claßici dicebantur non omnes qui in claßibus erant, ſed primæ tantùm claßis homines qui centum & viginti quinque millia æris ampliúſue cenſi erant. Infra claſſem autem appellabantur ſecundæ claßis, cæterarúmque omnium claßium: qui minore ſummâ æris quàm ſupra dixi, cenſebantur. Hoc ea ſtrictim notaui, quoniam in M. Catonis oratione qua legem Voconiam ſuaſit, quæri ſolet, quid claßicus, quid infra claſſem.* In ſummâ ſcriptores inter ſe diſſentiunt. Liuius lib. 1. cùm Aſconio centum millia æris primæ claſſis cenſum fuiſſe dicit. Plinius lib. 33. cap. 30. centum ac decem millia, Gellius, vt vidiſti, centum ac viginti quinque millia. Halicarnaſſeus lib. 4. primam claſſem fuiſſe dicit, ἧς τὸ μέγιστον τίμημα ἦν τῆς οὐσίας οὐκ ἔλαττον ἑκατὸν μνῶν.
Cenſus primę claſſis. *Cuius maximus cenſus erat non minor centum minis.* Erat autem mina ſexageſima pars talenti, vt alibi probandum erit ex oratione Demoſthenis contra Pantænetum, eáque octo drachmas & vnam tertiam continebat. Et vt ad noſtratem monetam redigamus per dena millia æris, Budæus libro 5. de aſſe centenos aureos intelligit: ac proinde claſſici ſiue cenſi dicebantur, qui cenſum non minorem mille aureis profeſſione detuliſſent, ad quos ſolos lex Voconia pertinebat, ne videlicet hæredem virginem, néve mulierem facerent: hæredem, inquam, ex aſſe: potuit enim aliqua pars hæreditatis ad eas peruenire. Noſter 2. de finibus 55. *Aderamus nos quidem adoleſcentes, ſed & multi ampliſsimi viri: quorum nemo cenſuit plus filiæ dandum, quàm poſſet ad eam lege Voconiâ peruenire.* Quis autem modus in hac mulierum hæreditate præſcriptióque teneretur, videre eſt apud Dionem lib. 56. Τῶν τε γυναικῶν τισὶ καὶ παρὰ τὸν Οὐοκώνιον νόμον, καθ' ὃν οὐδεμιᾷ αὐτῶν οὐδενὸς ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδας οὐσίας κληρονομεῖν ἐξῆν, συνεχώρησε τοῦτο ποιεῖν, καὶ ταῖς ἀειπαρθένοις πάντα ὅσαπερ αἱ τεκοῦσαι εἶχον, ἐχαρίσατο. *Mulierum quibuſdam, etiam præter Voconiam legem, ſecundum quam nulli earum ſupra ſexquiduas myriadas, licebat vllam hæreditatem adire, id facere permiſit, & Veſtalibus omnia matronarum quæ ter enixæ ſunt, iura conceßit.* Iam cùm auctor eſt Plutarchus in Antonio quinque & viginti myriades efficerent decies, id eſt mille ſeſtertia, ſexquiduæ myriades erunt centum ſeſtertia, quæ ſola ex omni paternâ hæreditate ad virgines aut mulieres peruenire potuerunt. De hac eadem lege Auguſtinus lib. 3. de ciuit. cap. 21. *Lata lex Voconia, ne quis hæredem filiam faceret, nec vnicam filiam. Qua lege quid iniquius dici & cogitari poßit, ignoro.* Filiæ non poterat legari plus quàm centum ſeſtertia.

Ipsa deniqve.] Franciſcus Hotomannus libro 2. obſeruationum, cap. 6. Videndum an non multis verbis deminutus ſit: vt huiuſmodi certè aliquid deſideretur, & locus in hanc ſententiam legatur: *Ipſa denique Iulia, qua lege ciuitas eſt Sociis & Latinis data, ita lata eſt, vt beneficio ciuitatis omnes afficerentur: non vt qui fundi populi,* &c. Propterea enim ſuperiores illas de iure ciuili leges, Furiam ſcilicet & Voconiam protulit, & poſtremò Iuliam, vt illud probaret, quod ſuperiùs ſignificarat, aliorum populorum auctoritatem, non in pop. Romani iure, ſed in ipſorum rebus & commodis deſiderari. Hæc Hotomannus, qui & proximè legendum putat: *Cùm magna pars in iis ciuitatibus iuris ſui libertatem ciuitati noſtræ anteferrent.* X.

Ivlia.] Non C. Iulij Cæſaris, qui & amicus erat Balbi, & cùm habita eſt hæc oratio Gallias obtinebat, ſed Luc. Iulij Cæſaris illius, qui Conſul fuit bello ſociali, & vt narrat Epitome Liuiana lib. 73. *Feliciter contra Samnites pugnauit, ob eam victoriam Romæ ſaga poſita ſunt.* Paulò pòſt, vt fusè narrat Appianus 1. de bellis ciuilibus, & ſtrictim Velleius lib. 2. *Romani victis afflictiſque ipſi exarmati, quàm integris vniuerſis ciuitatem dare maluerunt.* Ab hoc igitur Luc. Iulio Iulia lex de ciuitate nomen accepit. Lata fuit anno 663. vt notat Sigonius l. 3. de antiq. iure Italiæ. XI.

Heracliensivm.] Varia fuerunt oppida Heracleæ nomine inſignia. Prope Caduſios, ait Plinius lib. 6. cap. 15. oppidum Heracleam ab Alexandro conditum, qui variis locis agnoſcit Heracleam Syriæ, Cariæ, Ponti, Thraciæ, Tauri, Cretæ, Græciæ, quæ Thrachin dicta, Macedoniæ, Sintica, *ſunt auctores & Heracleam oppidum in oſtio Rhodani fuiſſe.* Ea autem Heraclea, cuius hîc mentio fuit in ſinu Tarentino, de qua idem Plinius lib. 3. cap. 11. *Inter Sirin & Acrin* (duos amnes) *Heraclea, aliquando Siris vocitata.* vbi notat Dalecampius, *Apud Athenæum lib. 12. Timæus & Euripides ſic dictum volunt à muliere quadam Syri nomine: Archilochus verò à fluuio.* Sed adi Coſmographos. XII.

Massiliensi.] Inter fœderatos populos eximiâ quadam erga populum Romanum fide & beneuolentiâ præſtantiſſimi fuerunt Maſſilienſes, Saguntini, Gaditani. de Maſſilienſibus vide pro Flacco 63. Iuſtinus lib. 43. vrbem Romanam à Gallis captam, incenſámque, *Publico funere Maßilienſes proſecuti ſunt, aurúmque &* XIII.

argentum publicum & priuatum contulerunt, ad explendum pondus Gallis, à quibus redemptam pacem cognouerant. ob quod meritum & immunitas illis decreta, & locus ſpectaculorum in Senatu datus, & fœdus æquo iure percuſſum. Iidem Cæſari patriæ bellum inferenti conſtantiſſimè reſtiterũt: Cæſar, Dio, Plutarchus, &c. Saguntinorum fides & calamitas notior eſt ex Polybio, Liuio, Appiano, cæteríſque rerum Romanarum ſcriptoribus, quàm vt pluribus exponenda videatur. *Saguntini*, vt ait Petronius, *ab Annibale oppreſſi humanas edère carnes,* quod teſtatur etiam Iuuenalis ſat. 15. & inſinuat Silius lib. 2. punicorum. Tandem, vt ait Valerius lib. 6. cap. 6. *Collatis in forum, quæ vnicuique erant chariſſima, atque vndique circundatis accenſíſque ignis nutrimentis, ne à ſocietate noſtrâ deficerent, publico & communi rogo ſemetipſos ſuperiecerunt.* Hæc ille. Sed neſcio quid illum induxerit, vt hanc Saguntinorum cladem, *Poſt duorum in Hiſpaniâ Scipionum, totidémque Romani ſanguinis exercituum miſerabilem ſtragem,* diceret contigiſſe. Sed vide Silium libro citato exeunte. De Gaditanis mox dicetur.

XIV. FIDELISSIMOS.] De prouinciis Conſularibus 5. De ſtipendiariis ibidem.

XV. HOSTES.] Exemplum ponet in Sabinis §. 31. Sed id rarũ. Quod vel ex eo liquere poteſt, quòd ne Oneſimo quidem Macedoni ciuitas data fuit, ſed in formulam ſociorum referri iuſſus à Senatu eíque Tarenti domus empta. Vide Liuium 44. Pedianus in Piſonem refert Mutino cuidam, *quòd in Siciliâ cum equitatu ſuo tranſierat ad nos, ciuitatem datam, ædeſque & pecuniam ex ærario.*

XVI. SERVOS.] Liuius lib. 2. de Vindicio ſeruo, qui filiorum Bruti coniurationem detexerat. *Pecuniâ ex ærario libertas & ciuitas data. Ille primùm dicitur vindictâ liberatus,* &c. *Poſt illum obſeruatum, vt qui ita liberati eſſent, in ciuitatem accepti viderentur.* Immò quocunque modo libertatem aſſequerentur, videntur adepti fuiſſe ciuitatem. de vindictâ Perſius:

-quos vna Quirites
Vertigo facit.-

De manumiſſis teſtamento idem:

Heſterni capite induto ſubiere Quirites.

De cenſu liberatis, vel ex ipſo nomine planum eſt, ſed vide Milonianam 58.

XVII. NVLLIS PRÆMIIS.] De præmiis vide primam Notam Sextianæ.

XVIII. NEQVE MVTARE CIVITATEM INVITVS.] Vide fusè pro domo ſuâ 78. 79. & pro Cæcinnâ à 97. ad 102.

XIX. QVINTO MAXIMO.] Crediderim Quintum illum Fabium intelligi, qui P. Rutilij gener fuit. de quo Valerius lib. 2. cap. 2. *P. Rutilius Conſul eo bello quod in Siciliâ cum fugitiuis geſſit, Q. Fabium generum ſuum, quia negligentiâ Taurominitanam arcem amiſerat, prouinciâ iuſſit decedere.* Sed nihil aſſero.

XX. C. LÆNATI.] Caium, opinor, Popilium Lænatem illum, cuius celebris illa legatio. de qua Cic. Philipp. Velleius libro 2. Liuius 45. eiuſdem Epitome. *Popilius virga Regem circumſcripſit: iuſſítque antequam circulo excederet, reſponſum daret, qua aſperitate effecit vt Antiochus bellum omitteret.* De eius tamen exilio nihil mihi compertum.

XXI. QV. PHILIPPO.] Eum fortaſſe Q. Martium Philippum intelligit qui cum Quinto Seruilio Cæpione proximè ante Paulum Æmilium Conſul fuit, qui etſi, vt ait Liuius, & eius epitome lib. 44. *Per inuios ſaltus penetrauit in Macedoniam, compluréſque vrbes occupauit;* Legati tamen ad viſendum exercitum miſſi graues de eo querelas retulerunt: eúmque damnatum fuiſſe conſtat, ex eo quòd non triumphauit: nam, vt ait Orator in Piſonem 38. è Macedoniâ imperio conſulari, *nemo rediit, qui incolumis fuerit, qui non triumpharit.*

(XXII.) C. CATONI.] Verrinâ de ſignis 22. *Cùm Conſul fuiſſet, condemnatus eſt. Ita C. Cato duorum hominum clariſſimorum nepos, L. Pauli, & M. Catonis & P. Africani ſororis filius: quo damnato tum, cùm ſeuera iudicia fiebant L. S.* XVIII. *millibus lis æſtimata eſt.* Imò, vt ait Velleius lib. 2. *Repetundarum ex Macedoniâ damnatus eſt, cùm lis eius* IV. *millibus æſtimaretur: adeò illi viri magis voluntatem peccandi intuebãtur quàm modum, factáque ad conſilium dirigebant, & quid non in quantum admiſſum foret æſtimabant.* Cui conſentit frumentaria §. 184. vide.

(XXIII.) Q. CÆPIONI.] Quintus Cæpio, vt refert Valerius lib. 6. cap. 11. *Præturæ ſplendore, triumphi claritate, Conſulatus decore, Maximi Pontificis ſacerdotio, vt Senatûs patronus diceretur aſſecutus, in publicis vinculis ſpiritum depoſuit, corpúſq; eius funeſti carnificis manibus laceratum in ſcalis gemoniis iacens, magno cum horrore totius fori Romani conſpectum eſt.* Diſſentit, vt vides, à Cicerone, qui eum exulaſſe dicit; & apud Smyrnenſes adeptum ius ciuitatis. Noſter in Bruto 135. *Q. Cæpio vir acer & fortis, cui fortuna belli crimini, inuidia calamitati fuit.* Imò non diſſentit Valerius; fuerunt enim duo Cæpiones. De poſteriore idem lib. 4. cap. de amicitiâ. *Lucius Rheginus,* &c. *Tribunus plebis Cæpionem in carcerem coniectum, quòd illius culpâ exercitus noſter à Cimbris & Teutonibus videbatur deletus, veteris arctæque amicitiæ memor, publicâ cuſtodiâ liberauit: nec eatenus amicum egiſſe contentus, etiam fugæ eius comes acceſſit.* Vide Epitomem Liuij lib. 67. & 2. de Oratore, Strabonem lib. 4.

(XXIV.) RVTILIO.] De Rutilij innocentiâ & exilio vide quæ dicentur in Piſonem 95. Nota verò ex geographia Tarraconem Hiſpaniæ, Nuceriam Italiæ, Smyrnam Aſiæ minoris fuiſſe ciuitates.

(XXV.) MENANDRO.] Pomponius lege 5. de captiuis, & poſtliminio §. 3. *Captiuus autem ſi à nobis manumiſſus fuerit & peruenerit ad ſuos, ita demùm poſtliminio reuerſus intelligitur, ſi malit eos ſequi quàm in noſtra ciuitate manere: & ideò in Attilio Regulo quem Carthaginienſes Romam miſerunt, reſponſum eſt non eſſe eum poſtliminio reuerſum: quia iurauerat Carthaginem reuerſurum, & non habuerat animum Romæ remanendi, & ideò in quodam interprete Menandro, qui poſteaquàm apud nos manumiſſus erat, miſſus eſt ad ſuos. non eſt viſa neceſſaria lex, quæ lata eſt de illo vt manêret ciuis Romanus. Nam ſiue animus ei fuiſſet remanendi apud ſuos. deſineret eſſe ciuis: ſiue animus fuiſſet reuertendi maneret ciuis. & ideò lex ſuperuacua.* Orator tamen non ſine cauſsâ latum fuiſſe dicit, non quidem quòd ea lex eſſet omninò neceſſaria, ſed vt omnis dubitatio tolleretur.

(XXVI. Exilium.) SIVE EXILIO. Aduerte tres modos mutandæ ciuitatis. Exilium, poſtliminium, reiectionem ciuitatis. De exilio pro Cæcinna 100. *Exilium enim non ſupplicium eſt, ſed perfugium por-*

túſque ſupplicij. Nam qui volunt pœnam aliquam ſubterfugere aut calamitatem, eo ſolum vertunt: hoc eſt ſedem ac locum mutant. Paulò pòſt: *Non adimitur his ciuitas, ſed ab his relinquitur, atque deponitur. Nam cùm ex noſtro iure duarum ciuitatum nemo eſſe poßit, tum amittitur hac ciuitas denique, cùm is qui profugit, receptus eſt in exilium. hoc eſt, in aliam ciuitatem.* Qui autem exules recipiebantur, ij dicebantur ſe alij ciuitati dicare: eáque ciuitatis mutatio erat dicatio, vt ex hoc ipſo loco planum eſt. De poſtliminio Cicero in Topicis 37. *Scæuola autem P. filius iunctum putat eſſe verbum, vt ſit in eo & poſt & limen, vt quæ à nobis alienata ſunt, cùm ad hoſtem peruenerint, & ex ſuo tanquam limine exierint, dein cùm redierint poſt ad idem limen poſtliminio videantur rediiſſe.* Vide orationem pro Cæcinna 98. lib. 1. de Oratore 182. Paulus D. de poſtlim. & redempt. l. 19. *Poſtliminium eſt ius amiſſæ rei recipiendæ, & in ſtatum priſtinum reſtituendæ, inter nos ac liberos populos Regéſque legibus conſtitutum. Nam quod bello amiſimus, aut etiam citra bellum, hoc ſi rurſus recipiamus, dicimur poſtliminio recipere.* Vide prætereà Feſtum, & Notas Scaligeri. Reiectio dicebatur, cùm indemnati & incolumes in alias ciuitates ſe conferebant, & ibi domicilio poſito ſponte renuntiabant priſtinæ ciuitati.

Poſtliminiũ.

XXVII. Societas. Amicitia.

SOCIETATE, AMICITIA, SPONSIONE, PACTIONE, FOEDERE.] Societas eſt συμμαχία, & obligationem habet auxilij ferendi, amicitia non habet. Inter ſponſionem, pactionẽ, & fœdus, eſt etiam diuerſitas, vt notat Sigonius lib. 1. de antiq. iure Italiæ cap. 1. Liuius lib. 9. *Ocriculani ſponſione in amicitiam accepti.* Pactio & ſponſio fiebat per magiſtratus quoſlibet, fœdus per ſolos fetiales. Liuius lib. 9. agens de furcis Caudinis & ſponſione. *Non, vt vulgo credunt, Claudiúſque etiam ſcribit fœdere pax Caudina, ſed per ſponſionem facta eſt. Quid enim aut ſponſoribus in fœdere opus eſſet, aut obſidibus vbi precatione res tranſigitur. Per quem populum fiat quo minùs legibus dictis ſtetur, vt eum ita Iupiter feriat, quemadmodum à fetialibus porcus feriatur? Spoponderunt Conſules, Legati, Quæſtores, Tribunimilitum: nomináque omnium qui ſpoponderunt, extant. vbi ſi ex fœdere acta res eſſet, præterquam duorum fetialium non extarent. Et propter neceſſariam fœderis dilationem obſides etiam ſexcenti equites imperati.*

Sponſio. Pactio. Fœdus.

XXVIII. In aliam ciuitatem adſcitus amittebat ius Romanæ ciuitatis.

HVIVS ESSE CIVITATIS.] Præter hunc locum, vbi ter idem repetit, & illum ex oratione pro Cæcinnâ 100. idem etiam teſtatur Cornelius nepos in vitâ Attici de Athenienſibus. *Quo factũ eſt, vt huic omnes honores quos poſſent, publicè haberent: ciuémque facere ſtuderent: quo beneficio ille vti noluit: quod nonnulli ita interpretantur amitti ciuitatem Romanam aliâ adſcitâ.* At Græcis alia conſuetudo fuit, adeò vt non ſolùm priuatos, ſed etiam Reges in ſuas ciuitates adſciſcerent. Philippus Macedo epiſtolâ ad Senatum populúmq; Athenienſem: Ὑμεῖς ἔδοτε πολιτείαν Εὐαγόρᾳ τῷ Κυπρίῳ, καὶ Διονυσίῳ τῷ Συρακουσίῳ, καὶ τοῖς ἐκγόνοις τοῖς ἐκείνων. *Dediſtis Euagoræ Cyprio, & Dionyſio Syracuſano, eorúmque poſteris ciuitatem.* Perdiccæ tamẽ optimè merito, vt ait Demoſthenes oratione deliberatiuâ, Οὐκ ἐψηφίσαντο πολιτείαν, ἀλλ' ἀτέλειαν ἔδωκαν μόνον. μεγάλην, εἶμαι, καὶ τιμίαν, καὶ σεμνὴν τὴν αὑτῶν πατρίδα ἡγούμενοι, καὶ πάσης μείζονα εὐεργεσίας. Νῦν δ' ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, φθόρους ἀνθρώπους, οἰκοτρίβων οἰκότριβας, τιμὴν ὥσπερ ἄλλων τινὸς τῶν ὠνίων λαμβάνοντες, ποιεῖσθε πολίτας. *Maiores veſtri non decreuerunt ciuitatem, ſed immunitatem duntaxat: magnam nimirum & præclaram & venerabilem ſuam patriam exiſtimantes, & quouis maiorem beneficio. Nunc verò, Athenienſes, homines perditos, ſeruos ſeruorum accepto tanquam pro aliis mercibus pretio ciues facitis.* Et ſic vnus & idẽ poterat apud Græcos eſſe plurium ciuitatum. pro Archia poëta 5. *Itaque hunc & Tarentini, & Rhegini, & Neapolitani ciuitate cæteríſq; præmiis donarunt.* Sic apud Plutarchum Megarenſes, vel, vt ait Seneca, Corinthij Alexandrum ciuitate donarunt. de quo nos in Piſonem 52. Eáque honoraria fuit ciuitatis donatio, non quæ Alexandrum, Dionyſium, Euagoram, & cęteros legib. earum ciuitatum, aut oneribus obligaret. vt Bodinus de hoc Ciceronis loco dubitare videatur, & in hac parte vix vllam inter Romanos & Græcos in accipiendâ retinendáque ciuitate diuerſitatem agnoſcat ex Hermogeniano l. Municeps. D. ad Municipalem. *Municeps eſſe deſinit Senatoriam adeptus dignitatem, quantum ad munera, quantum verò ad honores retinere creditur originem.* Et Paulus lege Senatores. D. de Senatoribus. *Senatores, licet in vrbe domicilium habere videantur, tamen & ibi vnde oriundi ſunt habere domicilium intelliguntur: quia dignitas domicilij adiectionem potiùs dediſſe, quàm permutaſſe videtur.*

Non ita apud Græcos.

NVMERO IVDICVM.] Varia fuerunt Athenienſium iudicia, vt in homicidas Areopagi, Palladij, Delphinij, Prytanæi, Phreatti, de quibus ſingulis eorúmque inter ſe diuerſitate fusè Demoſthenes oratione contra Ariſtocratem. In rebus ciuilibus, vt in contractibus alia fuerunt. de quibus idem oratione aduerſus Lacritum exeũte. Fuit & aliud Iudicium Milleuirorum. de quo alicubi Demoſthenes, & Themiſtius oratione 4. quæ Sophiſtes inſcribitur: Δικαστήριον ἀκριβέστερον τῷ εἰς ἕνα καὶ χιλίους, οἷς ἐπιτέτραπται ἐκ τῆς ψήφου εἰσενεγκεῖν ὅ,τι χρὴ παθεῖν, τὸν ἁλόντα, ἢ ἀποτίσαι. *Iudicium accuratiùs eo quod mille & vni mandatum eſt, quibus permittitur è tabella decernere, quid pati, quid ſoluere damnatum oporteat.* Sed de his Iudicum generibus Iulius Pollux lib. 18. cap. 10. fusè conſulatur, & ne vel de varietate iudiciorum, vel de numero Iudicum plura dicamus, ij fuerunt in quatuor & viginti veluti claſſes diſtributi, quæ ſingulæ peculiarem locum & ſeptum habuerunt, ſingulíſque ſeptis inditum nomen vicius quatuor & viginti literarum. Eò certè ducit Ariſtophanes Concionantibus.

XXIX.

Iudicia Attica.

Τὰ δὲ κλητώρια ποῖ τρέψεις; Πρ. Εἰς τὴν ἀγορὰν καταθήσω.
Κᾆτα στήσασα παρ' Ἁρμοδίῳ, κληρώσω πάντας, ἕως ἂν
Εἰδὼς ὁ λαχὼν ἀπίῃ χαίρων ἐν ὁποίῳ γράμματι δειπνεῖ.
Καὶ κηρύξει τοὺς ἐκ τοῦ βῆτ' ἐπὶ τὴν στοιὰν ἀκολουθεῖν
Τὴν βασίλειον δειπνήσοντας. Τὸ δὲ θῆτ' ἐς τὴν παρὰ ταύτην.
Τοὺς δ' ἐκ τοῦ κάππ' εἰς τὴν στοιὰν χωρεῖν τὴν ἀλφιτόπωλιν.

Alij legunt κληρωτήρια, imò ſic legit Suidas, & vetus Scholiaſtes.

Iudicia ſorte ducta quo conuertes? In foro deponam.
Deinde conſtituens iuxta Harmodium ſortiar omnes, quouſque
Sciens ſortitus abeat gaudens in qua littera cœnet.
Et edicat eos qui ſunt in beta ad porticum ſequi
Regiam cœnaturos, Theta verò in eam quæ iuxta eſt.

Eos verò qui ſunt è cappa euocati ire ad porticum in qua farina venundatur.

Propius tamen vero eſt non fuiſſe quatuor & viginti ſepta ſiue cubicula, ſed decem duntaxat & nominibus decem primarum literarum. quod etiam ſignificat interpres.

XXX. Areopagus. AREOPAGITARVM.] Operæpretium non eſt deſcribendis Areopagitarum moribus inhærere. Hoc labore multi me leuarunt, & imprimis eruditiſſimus Budæus annotationibus in Pandectas ad legem vltimam de Senatoribus, Sigonius de Rep. Athenienſium, Alexāder Neapolitanus. Aduerte tantùm meliùs & emendatiùs pronuntiare videri, qui penultimâ correptâ Areopagum pronuntiant. Eſt enim Ἄρειος πάγος, *collis Martis*, Euripidi, Æſchylo, & aliis. Non à voce πάγυς, ſed παγᾶς deductum nomen.

XXXI. Tribus Athenienſes. CERTA TRIBV.] Ciuitas Athenienſis in tribus decem deſcripta fuit. Vlpianus enarratione in orationem aduerſus Midiam. Δέκατον μέρος φυλὴ τῆς πόλεως, *Tribus eſt decima pars ciuitatis.* Singularum meminit Orator oratione funebri exeunte, & tribules appellat 1. Erecthidas. 2. Ægidas. 3. Pandionidas. 4. Leontidas. 5. Acamantidas. 6. Oenidas. 7. Cecropidas. 8. Hippothoontidas. 9. Aiacidas. 10. Antiochidas. A quibuſdam heroibus ita dictas, quorum ſtatuæ in foro, quos & ἐπωνύμους vocabant.

XXXII. IAM INDE A PRINCIPIO.] Nota loquendi rationem Liuio imprimis familiarem, vt libro 1. *Iam inde ab initio fauſtulo ſpes fuerat regiam ſtirpem apud ſe educari.* Et alibi frequenter. Plautus Caſina:

Vt vos mihi æquos iam inde à principio dicam.

XXXIII. Prudētia Romuli in amplificanda ciuitate. CREATOR.] Græcè κτιστὴς τῆς πόλεως. Notatu dignus autem eſt locus ille Halicarnaſſei lib. 2. de Romuli prudentiâ in amplificandâ ciuitate. Οἱ μὲν συνοικίσαντες μετ' αὐτοῦ τὴν Ῥώμην, οὐ πλείους ἦσαν ἀνδρῶν δισχιλίων πεζοὶ, καὶ τριακοσίων ἐλάττους ἱππεῖς. οἱ δὲ καταλειφθέντες ὑπ' ἐκείνου, ὅτε ἐξ ἀνθρώπων ἠφανίσθη, πεζοὶ μὲν ἑξακισχίλιοι πρὸς τέτταρσι μυριάσιν, ἱππεῖς δὲ οὐ πολλοῦ ἀπέχοντες χιλίων. *Qui primi cum eo vrbem habuerunt, non plures erant duobus peditum millibus, Equites trecentis pauciores. Qui autem ab ipſo relicti ſunt, cùm inter mortales eſſe deſiit, quadraginta ſex erant peditum milliâ, Equites propemodũ mille.* Quo in genere grauiter erraſſe dicit, tum Lycurgum, tum cæteros Græcarum vrbium conditores.

XXXIV. TVSCVLANI.] Pro Plancio 19. *Tu es ex municipio antiquo Tuſculano, ex quo plurimæ familiæ ſunt Conſulares: in quibus eſt etiam Iuuentia, quot è reliquis municipiis omnibus non ſunt.* Inde Porcij, inde Coruncani, vt ibidem dicitur 20.

XXXV. Ciuitas data gentibus vniuerſis. GENTES VNIVERSÆ.] Epitome Liuij 72. *Italici populi defecerunt Picentes, Veſtini, Marci, Peligni, Marrucini, Samnites, Lucani, initio belli à Picentibus moto.* Reliquis Italiæ populis, qui in fide manſerant, ciuitas data, vt teſtatur Appianus 1. ciuil. & ita gentes Sabinorum, Volſcorum, Hernicorum in ciuitatem receptæ. immò paulò pòſt Italia vniuerſa obtinuit ciuitatem. vide Notas in Piſonianam 3. *Me cuncta Italia.*

XXXVI. FOEDERA EXTANT VT GERM.] Quo tempore ita fuerint hæc fœdera nemini, puto, compertum: quamuis, vt alibi vidimus, primo Cæſaris conſulatu fœdus cum Arioniſto Germanorum Rege percuſſum, iſque Rex à Senatu appellatus. Germani & Heluetij noti ſunt. Inſubres alij Ciſalpini, alij Tranſalpini fuerunt. Liuius lib. 5. *Fuſiſque acie Thuſcia haud procul Ticino flumine, cùm in quo conſederant agrum Inſubrium appellari audiſſent, cognomine Inſubribus, pago Heduorum, ibi omen ſequentes loci, condidere vrbem, Mediolanum appellarunt.* Iapidiam ponit Plinius in Venetia, ſiue decima regione Italiæ, iuxta amnem Timanum, lib. 3. c. 18. Bernardus Iuſtinus lib. 3. hiſtoriæ Venetæ auctor eſt Soſium fluuium Carſos montes, quos olim Iapidiam vocabant, ab Alpibus diuidere. Inſubres. Iapides.

POENORVM IVRA.] Gaditanorum. hi enim à Phœnicibus oriundi. Vide Plinium lib. 4. c. 22. Solinum cap. 36. & Diodorum Siculum lib. 6. hinc à Lucano 7. à Silio 16. Gades Tyriæ nominantur. Liuius lib. 28. loquens de Gaditanis. *Suffetes eorum qui ſummus Pœnis eſt magiſtratus.* XXXVII. Gaditani à Pœnis.

Horat. *Latiùs regnes auidum domando*
Spiritum, quàm ſi Libyam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.

Ipſum etiam Gadium nomen Punicum eſt. Plinius: *Noſtri Tarteſſon appellant, quam Pœni appellarunt Gadira. Nam Pœni Gadira Punicâ linguâ ſertum ſignificant.* Solinus: *Tyrij à rubro profecti mari Erythræam, Pœni linguâ ſua Gadir, id eſt Sepem nominarunt.*

IVDICIO PVBLICO REPVLERVNT.] Manutius. *Damnatio legum cognitione priuat: quia damnati, præſertim iudicio publico, non præficiuntur publicis muneribus. Ita leges inſpicere, & cognoſcere non poſſunt.* Accuſator autē, quiſquis ille fuit, erat Gaditanus. de quo infrà 41. *Re denique multò antè Gadibus inaudita, fore huic* Balbo, *vt ab illo* accuſatore *periculum crearetur, grauiſſima tum in iſtũ ciuem ſuum* accuſatorem *Senatuſconſulta fecerũt.* vbi Grutterus legit è M. S. & olim editis *conuitia fecerunt.* Suſpicor eum fuiſſe Octauium, de quo Plutarchus in Cic. ὡς δέ τις Ὀκταούιος αἰτίαν ἔχων ἐκ Λιβύης γεγονέναι. de quo nos in Piſonem §. 35. Nota 6. XXXVIII.

SACROSANCTVM.] *Sacroſanctum* inquit Feſtus Pompeius, *dicitur, quod iureiurando interpoſito eſt inſtitutum, ſi quis id violaſſet, vt morte pœnas penderet: cuius generis ſunt Tribuniplebis Ædileſque eiuſdem ordinis. quod affirmat M. Cato in ea qua ſcripſit Ædiles plebis ſacroſanctos eſſe.* Ait tamen Liuius lib. 3. ex Iuris interpretum ſententia *non haberi pro ſacroſancto Ædilem.* Quædam autem ſacroſancta fœdera fuerunt, vt innuitur à Liuio lib. 27. *Colonos etiam maritimos, qui ſacroſanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebāt.* id eſt vacationem iureiurando ſancitam. Gloſſæ *ſacroſanctum*: καθωσιωμένον. ſacroſanctas ἀφιερωμένας. Legit autem Manutius. *Deinde ſanctiones ſacroſanctæ ſunt, aut genere ipſo, aut obteſtatione legis, aut pœnæ, cùm caput eius qui contra facit, conſecratur.* Si liceret nouitatem inducere, legerem: *Aut genere ipſo & obteſtatione legis, aut pœnæ, cùm caput eius, qui contra facit, conſecratur.* Vt duos tantùm modos afferat, quibus aliquid fit ſacroſanctum. Nimirum genus ipſum verborum, quibus ita concepta lex eſt, vt obteſtatione quadam populum adiuret ad ſeruanda quæ iubentur, & genus pœnæ, cùm caput eius, qui contra fecerit, alicui Deo, maximè Diis inferis conſecratur. Ἔθος γὰρ Ῥωμαίοις, inquit Dionyſius lib. 2. ὅσους ἐβούλοντο νηποινὶ τεθνάναι, τὰ τούτων σώματα θεῶν ὁτῳδήτινι, μάλιστα δὲ τοῖς καταχθονίοις κατονομάζειν. *Moris enim erat apud Roma-* XXXIX. Sacroſancta.

nos, vt ſi quem vellent impunè interfici, eius corpus cuilibet Deo, maximè verò Diis inferis nuncupare. Placet tamen emendatio Pantagathi, vt illud *conſecratione* locum mutet, non omninò deleatur. *Aut genere ipſo, aut obteſtatione, aut conſecratione pœnæ.*

XL. ESSET QVOD POPVLVS POSTEA IVSSISSET, RATVM.] Modeſtinus D. de Conſtit. Principum. Αἱ μεταγενέστεραι διατάξεις ἰσχυρότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν εἰσίν. *Conſtitutiones tempore poſteriores, potiores ſunt his quæ ipſas præceſſerunt.* Paulus D. de legibus Senatúſque conſultis. *Non eſt nouum vt priores leges ad poſteriores trahantur.* Tertullianus eodem: *Antiquiores leges ad poſteriores trahi vſitatum eſt.* Idque ex legibus XII. tabularum apud Liuium lib. 7. vbi interrex Fabius aiebat in XII. tabulis legem eſſe, VT QVODCVNQVE POSTREMVM POPVLVS IVSSISSET, ID IVS RATVMQVE ESSET.] Idem 2. de inuentione, author ad Herennium lib. 2. Varro 8. de linguâ Latinâ. Rurſum Liuius lib. 9. in oratione Sempronij contra Appium: *Vbi duæ contrariæ leges ſunt, ſemper antiquæ abrogat noua.*

Veteri legi abrogat noua.

XLI. DVRIS ENIM TEMPORIBVS.] Amiſſis penè Hiſpaniis duorum exercituum clade, Publij & Cnei Scipionum interitu, Annibale Italiam infeſtante. de quibus vide Polybium, Liuium, Appianum. Duas Hiſpanias vocat prout Ibero flumine bifariam diuiduntur in Citeriorem & Vlteriorem.

XLII. DVO FVLMINA.] Lucretius:

Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror.

Virg. 6. Æneid.

- & geminos duo fulmina belli Scipiadas.-

Lambinus tamen emendat *duo lumina.* Quòd eleganter dicitur *fulmen belli*, non item *fulmen imperij*, fauet tamen Silius Italicus lib. 7. vulgatæ lectioni. *-vbi nunc ſunt fulmina gentis Scipiadæ.*

Fulmina imperij.

XLIII. L. MARCIVS.] Vide Liuium lib. 25. vt cæteros omittam. *Erat in exercitu Luc. Martius Septimij filius eques Romanus, impiger iuuenis*, &c. Noſter primi pili centurionem non equitem appellat. Talis fuit ille apud Lucanum lib. 1.

-- ſummi tunc munera pili
Lælius, emeritíque gerens inſignia doni
Seruati ciuis referentem prælia quercum.

Primipili centurio.

Liuius lib. 7. de Salonio. *Alternis propè annis & tribunus militum, & primus centurio erat quem nunc primi pili appellant.* Lib. 8. *Duo primipili ex vtraque acie inter triarios erant.* Sed ne plura dicamus, Halicarnaſſeus lib. 9. de M. Flabuleio: Ἑνὸς τῶν ταγμάτων τῇ λαμπροτάτῃ ἀρχῇ κεκοσμημένος, ᾗ ταῖς ἑξήκοντα ἑκατονταρχίαις ἕπεσθαί τε καὶ τὸ κελευόμενον ὑπηρετεῖν κελεύει νόμος. τούτους τοὺς ἡγεμόνας τῇ πατρίῳ γλώττῃ πριμιπίλους καλοῦσιν. *Vnius ordinis ſpendidiſſimo imperio ornatus, cui ſexaginta centurias parere, & quod ille iuſſerit exequi lex iubet, huiuſmodi porro duces patriâ linguâ Primipilos appellant.*

XLIV. CVM GADITANIS.] Magnam adhibet cautionem in verbis, *dicitur*, & paulò antè *vetuſtatis opinionem.* quia reuera nō ſtatim poſt necem duorum Scipionum fœdus percuſſum eſt cum Gaditanis, diúque poſt Africani aduentum Gades manſerunt in Carthaginenſium poteſtate, vt ea ciuitas tutum Afris perfugiū exhiberet. Aſdrubal à Scipione victus apud Liuium 28. *Nocte relicto exercitu Gades profugit.* Paulò pòſt tamen ad Scipionem. *Perfugæ à Gadibus venerūt, pollicentes vrbem Punicúmq; præſidium quod in eā eſſet, & imperatorē præſidij cum claſſe prodituros eſſe. fide acceptâ dataq; perfugis, & Martius eò cum expeditis cohortibus, & Lælius cum ſeptem triremibus quinqueremi eſt miſſus, vt terra maríque communi conſilio rem gererent,* &c. *Sed patefacta immaturè proditio eſt, comprehenſóſque omnes Mago Adherbali prætori Carthaginem deuehendos tradit.* Et ita re infectâ: *Paucos poſt dies ambo rediere,* &c. Mago iuſſus in Italiam traiicere, pecuniam. *Quantam potuit à Gaditanis exegit, non ærario modò eorum, ſed etiam templis ſpoliatis, & priuatim omnibus coactis aurum argentúmque in publicum conferre,* &c. *Mago cum Gadeis repetiſſet excluſus,* &c. *ad colloquium Suffetes eorum, qui ſummus Pœnis eſt magiſtratus cum Quæſtore elicuit. laceratóſque verberibus cruci affigi iuſſit,* &c. *Poſt Magonis ab Oceani orâ diſceſſum Gaditani Romanis deduntur.* Hæc ſparſim è Liuio lib. 28. lib. autem 32. obſcurè meminit fœderis Marciani: *Gaditanis item petentibus remiſſum, ne præfectus Gadeis mitteretur, aduerſus quos iis in fidem populi Romani venientibus, cùm Luc. Martio Septimio conueniſſet.*

Quando fœdus cum Gaditanis initū.

FOEDVS ICISSE.] Fœdus icere, ferire, percutere, à cædendâ porcâ. vide Sextianam 24. Quibuſdam tamē exēplaribus legitur *fœdus iniſſe.* XLV.

VETVSTATE DENIQVE IPSA.] Vetuſtas in fœderibus ſpectanda pro Sextio 57. *Vetuſtate ſocietatis.* XLVI.

VINCVLO RELIGIONIS.] Mox *religione obligatum* Lucretius lib. 1. *- & arctis* XLVII.

Religionum animos nodis exoluere conor.

Religionis vinculum.

Dicitur à *religando*, quamuis alij à *relinquendo*, alij à relegendo deduxerint. Vetus Poëta à Nigidio citatus:

Religentem eſſe oportet, religioſum nefas.

Vide Gellium cap. 9. lib. 4. Noct. Attic.

POPVLVM PLEBEMQVE.] Populus omnes ordines complectitur, plebs à patriciis ſeparatur. Vide Muraenianam 4. *ampliſſimorum ordinū.* XLVIII.

VT PIA ET ÆTERNA PAX SIT.] Halicarnaſſeus lib. 6. refert hæc verba fœderis Latini. Ῥωμαίοις καὶ ταῖς Λατίνων πόλεσιν ἁπάσαις εἰρήνη πρὸς ἀλλήλους ἔστω, μέχρις ἂν οὐρανός τε καὶ γῆ τὴν αὐτὴν στάσιν ἔχωσι. *Romanis & vniuerſis Latinorum ciuitatibus pax eſto, quamdiu cœlum & terra in eodem ſtatu permanſerint.* 12. Æneidos. XLIX.

Nulla dies pacem hanc Italiæ, nec fœdera rumpet. L.

MAIESTATEM.] Liuius 38. refert hæc verba fœderis Ætolici. *Imperium maieſtatémque populi Romani gens Ætolorum conſeruato ſine dolo malo.* E quibus lectionem Lambini cōfirmes. ſic ille legendum putat. MAIESTATEM POPVLI ROMANI COMITER CONSERVANTO. *Id habet hanc vim vt ſit ille fœdere inferior. primùm verbi genus hoc* CONSERVANTO, *quo magis in legibus quam in fœderibus vti ſolemus, imperantis eſt non precantis.* id eſt CONSERVANTO eſt imperatiui non optatiui modi. Proculus l. *non dubito* D. de poſtliminio & redempt. *Liber autem populus eſt is qui nullius alterius populi poteſtati eſt ſubiectus, ſiue is fœderatus eſt. Item ſiue æquo fœdere in amicitiā venit. ſiue fœdere comprehenſum eſt, vt is populus alterius populi* MAIESTATEM COMITER CONSERVARET: *hoc enim adiicitur vt intelligatur alterum populū ſuperiorem eſſe, non vt intelligatur alterum nō eſſe liberū.*

Maieſtatem conſeruare.

COMITER MONSTRANT VIAM.] Suam interpretationem Ennij auctoritatē confirmat, cuius illa ſunt. LI.

Vt

Comiter.

Vt homo qui erranti comiter monſtrat viam
Quaſi lumen de lumine accendat, facit,
Vt nihilominùs ipſi luceat, cùm accenderit.

Inuenias tamen apud antiquos *comiter* idem eſſe atque *communiter*, ſic in carmine Martiano apud Liuium lib. 26. *Apollini vouendos cenſeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant, cùm populus dederit ex publico partem: priuati verò conferant pro ſe ſuíſque*

AXIOMATA.

Quo quiſque loco natus, aut in qua fortuna eſt naſcendi initio conſtitutus, hunc vitæ ſtatum vſque ad ſenectutem obtinere neceſſe non eſt.

Non debemus odiſſe ingenium, inimici eſſe induſtriæ, humanitatem opprimendam, virtutem puniendam putare.

Pro ſua patria pauci poſt genus hominum natum reperti ſunt, qui nullis præmiis propoſitis, vitam ſuam hoſtium telis obiecerint.

Iure Romano neque mutare ciuitatem quiſquam inuitus poteſt, neque ſi velit, mutare non poteſt.

Duarum ciuitatum ciuis eſſe Romano iure ciuili nemo poteſt.

Diſſimilitudo ciúitatum varietatem iuris habeat neceſſe eſt.

Hæc ſunt fundamenta firmiſſima libertatis, ſui quemque iuris & retinendi, & dimittendi eſſe dominum.

Sacroſanctum fit aut capitis conſecratione, aut obteſtatione legis.

Sacroſanctum nihil poteſt eſſe, niſi quod per populum plebémve ſancitum eſt.

Tertia pars confirmationis à §. 39. ad 44. petita à voluntate populi Gaditani, qui etiamſi iure fœderis impedire poſſet, quo minus Cornelius in ciuitatem reciperetur, tamen fiebat fundus illius rei & beneficium Pompeij ſuo conſenſu approbabat.

Populus Gaditanus

- commemorat ſua beneficia non exprobrandi, ſed beneuolentiæ teſtandæ cauſa. 39. 40.
  - 1. à principio mentes ſuas à Pœnorum partibus ad noſtrum imperium noménque flexerunt.
  - 2. Pœnis bellum pop. Romano inferentibus reſtiterunt.
  - 3. Veterem ſpeciem fœderis cum Marcio icti ſemper omni ſanctiorem ara duxerunt.
  - 4. Fœdere Catuli & auctoritate Senatus ſe coniunctiſſimos arbitrantur.
  - 5. Imperatoribus Romanis ſemper auxilium præbuerunt
    - Scipionibus.
    - Brutis.
    - Portiis.
    - Gracchis.
    - Metellis.
    - Ipſi Pompeio.
  - 6. Vrbem proximè frumento leuauerunt.
- Pro quibus beneficiis obteſtantur. 40. & quaſi pro ſuo iure flagitant
  - 1. Vt ſibi & liberis ſi qui eximia virtute fuerint, ſit in noſtris caſtris locus.
  - 2. Sit Imperatorum Prætoriis.
  - 3. Sit denique inter ſigna atque in acie locus.
  - 4. Sit his gradibus etiam adſcenſus in ciuitatem.
- fit fundus Cornelio, 41. 42. etiam ſecundum interpretationem aduerſarij, & donationem ciuitatis ratam habet. 41.
  - 1. Faciens hoſpitium publicè cum Cornelio, tanquam cum ciue Romano.
  - 2. Mittens publicè legatos, qui deprecentur ne Cornelius ius Romanæ ciuitatis amittat.
  - 3. Grauiſſimis Senatuſconſultis multâ & pœna mactans accuſatorem Cornelij.
- Id etiam expedit populo Gaditano. 43.
  - 1. Propter Cornelium commendatior eſt Gaditanus pop. principibus Romanæ ciuitatis.
  - 2. Eiuſdem gratia & commendatione Cæſar multa beneficia contulit Gaditanis.
    - 1. controuerſia ſedauit.
    - 2. iura ipſorum permiſſu ſtatuit.
    - 3. inolitos barbariæ mores deleuit.
  - 3. Multa quotidie labore Cornelij, & ſtudio conſequuntur.

XXXIX. NVNC verò quid ego contra Gaditanos loquar? cùm id, quod defendo, voluntate eorum, auctoritate, legatione ipſa comprobetur? qui à principio ſui generis, ac Reipubl. ab omni ſtudio, ſenſúque Pœnorũ mentes ſuas ad noſtrum imperium, noménque flexerunt: quos, cùm maxima bella nobis inferrentur, mœnibus excluſerunt, claſſibus inſecuti ſunt, corporibus, copiis, opibus depulerunt: qui & veterem illam ſpeciem fœderis Marciani ſemper omni ſanctiorem Marte duxerunt: & hoc fœdere Catuli, ſenatúſque auctoritate ſe nobiſcum coniunctiſſimos eſſe arbitrati ſunt: quorum mœnia, delubra, agros, vt ipſe Hercules itinerum, ac laborum ſuorum, ſic maiores noſtri imperij, ac nominis populi Romani terminos eſſe voluerunt.

XL. Teſtantur & mortuos noſtros Imperatores, quorum viuit immortalis memoria, & gloria, Scipiones, Brutos, Horatios, Caſſios, Metellos, & hunc præſentem Cn. Pompeium, quem procul ab eorum mœnibus acre, & magnum bellum gerentem commeatu, pecuniáque iuuerunt, & hoc tempore ipſo populum Romanum, quem in caritate annonæ, vt ſæpe antè fecerant, frumento ſuppeditato leuauerunt, ſe hoc ius eſſe velle, vt ſibi, & liberis, ſi qui eximia virtute fuerint, ſit in noſtris caſtris, ſit in Imperatorũ Prætoriis, ſit denique inter ſigna, atque in acie locus, ſit his gradibus aſcenſus etiam ad ciuitatem.

XLI. Quod ſi Afris, ſi Sardis, ſi Hiſpanis, agris, ſtipendióque multatis, virtute adipiſci licet ciuitatem, Gaditanis autem officiis, vetuſtate, fide, periculis, fœdere coniunctis hoc idem non licebit, non fœdus ſibi nobiſcum, ſed iniquiſſimas leges impoſitas à nobis eſſe arbitrabuntur. Atque hanc, Iudices, non à me fingi orationem, ſed me dicere, quæ Gaditani iudicarint, res ipſa declarat. Hoſpitium multis annis ante hoc tempus cum L. Cornelio Gaditanos feciſſe publicè dico. proferam teſtes, proferam legatos, excitabo laudatores, quos ad hoc iudicium ſummos homines, ac nobiliſſimos, deprecatores huius periculi miſſos videtis. re denique multo antè Gadibus tam audita, fore huic, vt ab illo periculum crearetur, grauiſſima tum in iſtum ciuem ſuum Gaditani Senatuſconſulta fecerunt.

XLII. Potuit magis fundus populus Gaditanus fieri (quoniam hoc magnopere delectare verbo) ſi tum ſit fundus, cùm ſcita, ac iuſſa noſtra ſua ſententia comprobat, quàm cùm hoſpitium fecit, vt & ciuitate illum mutatum eſſe fateretur, & huius ciuitatis honore digniſſimum iudicaret? potuit certius interponere iudicium voluntatis ſuæ, quàm, cùm etiam accuſatorem huius multâ, & pœnâ multauit? potuit magis de re iudicare, quàm cùm ad veſtrum iudicium ciueis ampliſſimos legauit, teſtes huius iuris, vitæ laudatores, periculi deprecatores?

XLIII. Etenim quis eſt tam demens, quin ſentiat ius hoc Gaditanis eſſe retinẽdum, ne interceptum ſit iis iter perpetuò ad hoc ampliſſimum præmium ciuitatis, & magnopere iis eſſe lætandum, huius L. Cornelij beneuolentiam erga ſuos remanere Gadibus, gratiam & facultatem commendandi in hac ciuitate verſari? Quis enim noſtrûm eſt, cui non illa ciuitas ſit huius ſtudio, cura, diligentia, commendatior? Omitto quantis ornamentis populum iſtum C. Cæſar, cùm eſſet in Hiſpania Prætor, affecerit, controuerſias ſedarit, iura ipſorum permiſſu ſtatuerit, inueteratam quondam barbariam ex Gaditanorum moribus, diſciplináq;

delerit, ſumma in eam ciuitatem, huius rogatu, ſtudia, & beneficia contulerit. multa præterea, quæ quotidie labore huius, & ſtudio, aut omnino, aut certè faciliùs conſequuntur. Itaque, & adſunt principes ciuitatis, & defendunt, amore, vt ſuum ciuem; teſtimonio, vt noſtrum; officio, vt è nobiliſsimo ciue ſanctiſsimum hoſpitem; ſtudio, vt diligentiſsimum defenſorem commodorum ſuorum.

NOTÆ.

I. A PRINCIPIO.] Ex quo tempore fundata eſt eorum Reſp. Vel *à principio ſui generis*, id eſt à Carthaginienſibus quibuſcum commune generis ſui habebant principium. Vterque enim populus à Tyriis oriundus.

II. MOENIBVS EXCLVSERVNT.] Liuius lib. 28. *Mago cum Gadeis repetiſſet, excluſus.*

III. OMNI SANCTIOREM MARTE.] Lambinus emendat *omni ſanctiorem arâ*: & ad confirmandam hanc lectionem inuehit plauſtra verborum. Quòd nec vox omnis poſſit nominibus propriis conuenire, nec Mars ſanctus ab Homero dicatur, ſed omnium Deorum inſipientiſſimus. Alij legunt *omni ſanctiorem arce*. Verùm quia citra neceſſitatem nouare nihil placet, placet hærere in antiquæ ſcripturæ veſtigiis, & ita rem explicare. Etiamſi fœdus illud à Marcio cum Gaditanis ictum non eſſet verè fœdus ſolemnibus populi Romani ritibus percuſſum, ſed tantùm ſpecies quædam & imago fœderis, nihilominùs tantæ fuit auctoritatis apud Gaditanos, vt ea fœderis ſpecies omni marte, id eſt, omni fœdere per iuſiurandum Martis initio ſanctius crederetur. Mars ſiquidem in fœderibus ſolebat inuocari. 12. Æneidos: *-túque inclyte Mauors*

Mars in fœderibus inuocatus.

Cuncta tuo qui bella, Pater, ſub numine torques.

Dixit *omni Marte*, quia non ſolùm per Martem, ſed etiam per Enyalium, & fortaſſe per alios belli præſides Deos iurabāt. Polybius lib. 3. Totum locum perelegantem exhibebimus, ne cogamur in minutias cōcerpere. Τὸν δ' ὅρκον ὀμνύειν ἔδει τοιοῦτον. Ἐπὶ μὲν τῶν πρώτων συνθηκῶν Καρχηδονίους μὲν τοὺς θεοὺς τοὺς πατρῴους, Ῥωμαίους δὲ Δία λίθον κατά τι παλαιὸν ἔθος, ἐπὶ δὲ τούτῳ τὸν Ἄρην καὶ τὸν Ἐνυάλιον. Ἔστι δὲ τὸ Δία λίθον τοιοῦτον· λαβὼν εἰς τὴν χεῖρα λίθον ὁ ποιούμενος τὰ ὅρκια περὶ τῶν συνθηκῶν, ἐπειδὰν ὀμόσῃ δημοσίᾳ πίστει λέγει τάδε. Εὐορκοῦντι μὲ ποιεῖν τἀγαθά. εἰ δ' ἄλλως διανοηθείην τι ἢ πράξαιμι πάντων ἄλλων σῳζομένων ἐν ταῖς ἰδίαις πατρίσιν, ἐν τοῖς ἰδίοις νόμοις, ἐπὶ τῶν ἰδίων βίων, ἱερῶν, τάφων, ἐγὼ μόνος ἐκπέσοιμι οὕτως, ὡς ὅδε λίθος νῦν. Καὶ ταῦτ' εἰπὼν ῥίπτει τὸν λίθον ἐκ τῆς χειρός. *Huiuſmodi iuſiurandum nuncupandum erat. Carthaginienſes primis fœderibus Deos patrios, Romani per lapidem ex antiquâ conſuetudine, & inſuper Martem & Enyalium iurare debebant. Quod autem ad lapidem ſpectat, id eſt eiuſmodi. Qui de fœderibus concipit iuſiurandum, accepto lapide poſtquam iurauit, fide publicâ ita loquitur. Si ſanctè caſtéq; iuro, mihi res proſperè ſuccedant: ſin aliter cogitauero aut faxo ſaluis aliis & incolumibus in ſuâ patriâ, legibus, opibus, ſacris, ſepulchris, ego ſolus ita proiiciar, vt nunc iſte lapis. hoc dicto abiicit è manu lapidem.* Alium porrò Martem fuiſſe, alium Enyalium patet etiam ex Ariſtophane in Pace.

Iupiter Lapis.

Mars Enyalius.

Ἄρει δέ; Μὰ, μή. Μηδ' Ἐνυαλίῳ γε; Μά.

Marti verò? Non, non. Neque Enyalio? Non.

Vbi interpres, Πρὸς τοὺς οἰομένους τῶν νεωτέρων τὸν αὐτὸν Ἄρεα εἶναι, καὶ Ἐνυάλιον κατὰ τὸ ἐπίθετον. Τινὲς δ' Ἄρεος καὶ Ἐνυοῦς τὸν Ἐνυάλιον, οἱ δὲ Κρόνου καὶ Ῥέας. *Aduerſus eos recentiores qui Martem & Enyalium ex epitheto eundem eſſe exiſtimant. Quidam Enyalium Martis & Bellonæ, alij Saturni & Rheæ filium eſſe fabulantur.* Quamuis etiam Homerus Iliados ε. & Martem Enyalium nuncuparit.

--Δῦ δέ μιν Ἄρης Δεινὸς Ἐνυάλιος--

--Mars inducit illum Sæuus Enyalius.-

Quod ad Homerū ſpectat, etſi Minerua 15. Iliados, v. 137. excandeſcens Martem ita compellet,

Οὐλόμενε, φρένας ἠλέ, διέφθορας. ἦ νύ τοι αὔτως
Οὔατ' ἀκουέμεν ἐστί. Νόος δ' ἀπόλωλε καὶ αἰδώς.
Perniciose, excors, corrumperis. An tibi fruſtra
Aures panduntur? pudor & reuerentia ceſſit.

Tamen Homerus ipſe in hymnis eum ita ſalutat:

--συναρωγὲ Θέμιστος,
Ἀντιβίοισι τύραννε, δικαιοτάτων ἀγὲ φωτῶν.
Iuſtitiæ vindex infeſtorúmque tyranne
Dux quoque iuſtorum.

Adde quòd Accius apud Chariſium lib. 1. Martes numero multitudinis agnoſcit.

Martes armis duo congreſſos crederes.

Dionyſius Halic. lib. 2. *Enyalium* (parco Græcis) *Sabini, ſicut eos ſecuti Romani, Quirinum nominant, nondum ſatis certi Márſne is ſit, an quis alius honore Marti ſimilis. Nam quidam vni Deo bellorum præſidi nomen vtrumque tribuunt, alij duorum hæc putant eſſe numinum.*

VT IPSE HERCVLES.] Silius lib. 17. IV.

Terrarum finis Gades, ac laudibus olim
Terminus Herculeis Calpe.-

Herodotus Melpomene. Ἐρύθειαν νῆσον τὴν πρὸς Γαδείροισι τοῖσι ἔξω τῶν Ἡρακλέων στηλέων ἐπὶ τὸν Ὠκεανόν. *Inſulam Erythiam contra Gades, quæ ſunt extra columnas Herculis in Oceano.*

SCIPIONES, BRVTOS, HORATIOS, CASSIOS.] P. Cornelius, & Cn. Cornelius Scipiones alter Maioris Africani pater, alter patruus, bello Punico ſecundo contra Carthaginiēſes Hiſpanias annis octo tenuerunt, his ſucceſſit Scipio maior Africanus, & inde tandem Carthaginienſes exegit. de quibus Polybius, Appianus, Liuius & alij ſecundi belli Punici ſcriptores adeantur. Aliquantò pòſt, vt ait Liuius lib. 35. *Prætor P. Cornelius Cn. filius Scipio trans Iberum multa ſecunda prælia fecit: quo terrore non minùs quinquaginta oppida ad eum defecerunt.* Idem Proprætor Luſitanos ingenti clade afflixit. Scipio Æmilianus in eadem Hiſpania deleuit Numantiam. De Bruto epitome Liuiana lib. 55. *D. Iunius Luſitaniam vrbium expugnationibus vſque ad Oceanū perdomuit: & cùm fluuium obliuionem tranſire nollent, raptum ſignifero ſignum ipſe tranſtulit, & ſic vt tranſgrederentur perſuaſit.* Lib. 56. *D. Iunius Brutus in vlteriore Hiſpania fœliciter aduerſus Gallæcios pugnauit.* Quod ad Horatios Caſſióſque ſpectat, vix facilè quemquam imperatorem his nominibus reperias, qui res magnas in Hiſpania geſſerit, cuiúſque mortui viuat immortalis memoria. quare placet Fuluij Vrſini coniectura re-

V. Scipionum res geſtæ in Hiſpania.

Iunij Bruti.

ponentis *Porcios, Gracchos.* Iam de rebus M. Por-
Catonis. cij Catonis Cenſorij in Hiſpania geſtis fusè Appianus Ibericis, & Liuius lib. 34. vbi & illud. *Arma omnibus cis Iberum Hiſpanis ademit. quã rem adeò ægrè paſſi vt multi mortem ſibimetipſi conſciſcerent: ferox gens nullam vitam rati ſine armis eſſe.* Vno die muros omnium vrbium dirui iuſſit, vrbéſque quadringẽtas in poteſtatẽ redegit, adeò vt diceret, teſte Plutarcho, Πλείονας εἰληφέναι πόλεις ὧν διήγαγεν ἡμερῶν ἐν Ἰβηρίᾳ. *Plures ſe vrbes cepiſſe,*
Gracchi. *quàm egiſſet dies in Hiſpaniâ.* vide citatos. Gracchus etiam multa præclarè geſſit in eâdem Hiſpaniâ, de quibus videre eſt Liuium lib. 40. *Gracchus duxit ad populandam Celtiberiam legiones: & cùm ferret paſſim cuncta atque ageret, populíque alij voluntate, alij metu iugum acciperent,* CIII. *oppida, intra paucos dies in ditionem accepit.* De Quinto Metello eiuſque rebus in Hiſpaniâ geſtis, Salluſtius in fragmentis lib. 2. hiſtoriarum. Epitome Liuiana, Plutarchus in Pompeio & Sertorio: vbi & de bellis Cn. Pompeij.

VI Prætorium. IN IMPERATORVM PRÆTORIIS.] Prætorium Polybio, ἡ τοῦ στρατηγοῦ σκηνὴ, *tabernaculum Prætoris.* aliquando στρατήγιον. Feſtus: *Initio Prætores erant qui nunc Conſules, & ij bella adminiſtrabant, quorum tabernaculum quoque dicebatur Prætorium.* Et quemadmodum Senatus non ſolùm pro curiâ & loco, ſed etiam pro Senatoribus, ita prætorium non ſolùm pro tabernaculo, ſed etiam pro ipſo conuentu & hominibus, qui conſultandi cauſsâ in tabernaculum veniebant, vſurpatur. Liuius lib. 30. *Tribunis indicit, vt ibi prætorio dimiſſo ſigna concinuiſſent.* Lib. 36. *Priuſquam prætorium dimitteret, denuntiauit.* Vide Lipſium lib. 5. dialogo 2. de militiâ.

VII. INTER SIGNA.] De inſignibus, ſignis, vexillis, draconibus legionum nonnulla diximus in Sextianam 42. De draconibus, vt iterum aliquid dicam, Chryſoſtomus homilia 14. in epiſt. ad Rom. καὶ δράκοντας ἐν ἱματίοις ζωγραφουμένους σηρικοῖς. *Et dracones in veſtibus ſericis figuratos,* inter Romanorum ſigna recenſet. Videntur tamen propriè fuiſſe Scytharum & Dacorum vexillum. Sidonius paneg. Anthemij.

Hîc primùm vt noſtras aquilas prouincia vidit
Deſiit hoſtiles confeſtim horrere dracones.

Fuit etiam Parthorum, qui à Scythis, Iuſtino teſte fuerunt oriundi, quòd inſulſo illi Corinthio feſtiuæ fabellæ dedit occaſionem apud Lucianum libro de ſcribendâ hiſtoriâ. Τοὺς δράκοντας ἔφη τῶν Παρθυαίων (σημεῖον δὲ πλήθους τοῦτ' αὐτοῖς, χιλίους γὰρ, οἶμαι, ὁ δράκων ἄγει) ζῶντας δράκοντας παμμεγέθεις εἶναι, γιγνομένους ἐν τῇ Περσίδι, μικρὸν ὑπὲρ τὴν Ἰβηρίαν. τούτους δὲ, τέως μὲν ἐπὶ κοντῶν μεγάλων ἐνδεδεμένους, ὑψηλοὺς αἰωρεῖσθαι, καὶ πόρρωθεν ἐπελαυνόντων δέος ἐμποιεῖν, ἐν αὐτῷ δὲ τῷ ἔργῳ, ἐπειδὰν ὁμοῦ ἴωσι, λύσαντες αὐτοὺς ἐπαφιᾶσι τοῖς πολεμίοις. ἀμέλει πολλοὺς τῶν ἡμετέρων οὕτω καταποθῆναι, καὶ ἄλλους περισπειραθέντων ἀποπνιγῆναι, καὶ συνθλασθῆναι. *Dracones Parthorum ait (ſignum autẽ illud eſt apud eos, quod mille homines agit) viuos dracones eſſe immani magnitudine, qui in Perſide, paulò vltra Iberiam naſcantur, hoc ad tempus magnis perticis alligatos ſublimes efferri, & longè venientibus incutere terrorem. In ipſo verò conflictu, poſtquam ad manus ventum eſt, eos ſolutos in hoſtiũ agmen immittunt. Sic vtique multos è noſtris fuiſſe deuoratos, alios ab iiſdem draconibus in ſpiram conuolutis ſuffocatos aut etiam diſruptos fuiſſe.* Sed hæc taceri ſine interpretationis detrimento poterant, cùm præſertim æuo Ciceronis vel ſolis, vel penè ſolis aquilis vterentur. Quod ſpectat ad locum ſignorum, peculiaria ſigna erant in ſuo quæque manipulo, aquila, quæ ſignum fuit totius legionis in primâ centuriâ & inter triarios, vbi & primipilus, vt docet Lipſius lib. 4. de militiâ dialogo 3. quamuis nihil admodùm affirmet: In caſtris autẽ erant in illo ſpatio quod inter prætorium & legionariorum militum tabernacula interiectum erat, quem locum *principia* vocabant. vide eundẽ lib. 5. dialogo 4. De ſignis placet Vvilelmi Godeleuæi verba ſubſcribere. *Auctore Vegetio lib. de re militari ſecundo, tria Romani in exercitu ſignorum genera habebant, Aquilam, dracones, & vexilla. Aquila totius legionis ſignum eſt, quam portat aquilifer: dracones ſunt ſingularum cohortiũ (legio enim in decem cohortes diuiditur) quos qui ferunt draconarij dicuntur. Cohortes verò in centurias tres diuidebantur, ſingulis centuriis ſuum erat vexillum. In vexillis ſingulis notatum erat, ex quotâ cohorte quota centuria eſſet, ne qui milites à ſigno aberrarent, quo & Dio lib. 40. declarat.*

LEGES IMPOSITAS.] Pro Milone 33. *Quas ille leges. &c. fuerit impoſiturus nobis atque inuſturus.* in Piſonem 30. *Quæ lex priuatis hominibus eſſe lex non videbatur, inuſta per ſeruos, inciſa per vim, impoſita per latrocinium.* Epiſtolâ vndecimâ ad Tironem. *Spes eſt pacis non honeſtæ, leges imponuntur, ſed quiduis eſt melius, quàm ſic eſſe vt ſumus.* VIII.

HOSPITIVM.] De hoſpitio publico vide Sextianam §. 10. & Budæum fusè in Pandectas. IX.

ET IVS CIVITATIS.] Emendant, & quidem eleganter. *Et huius ciuitatis honore digniſſimum iudicaret* Sicut aliquantò pòſt: *Et defendunt, amore vt ſuum ciuem: teſtimonio vt noſtrum: officio vt ex nobiliſſimo ciue ſanctiſſimum hoſpitem.* quas emẽdationes libenter in textum admiſimus, freti auctoritate tum Lambini, tum maximè Grutteri ex M.S. Erfurdienſi, S. Victoris, & Palatino. Quod autem ait: *ex nobiliſſimo ciue:* adſtipulatorem habet Iulium Capitolinum in Balbino: *Familia vetuſtiſſima, vt ipſe dicebat, à Balbo Cornelio Theophane originem ducens, qui per Cn. Pompeium ciuitatem meruerat, cùm eſſet ſuæ patriæ nobiliſſimus, idémque hiſtoriæ ſcriptor.* X.

CONTROVERSIAS SEDARIT.] Plutarchus in vniuerſum. Θέμενος δὲ τὰ τοῦ πολέμου καλῶς, οὐ χεῖρον ἐβράβευε τὰ τῆς εἰρήνης, ὁμόνοιάν τε ταῖς πόλεσι καθιστὰς, καὶ μάλιστα ταῖς τῶν χρεωφειλετῶν καὶ δανειστῶν ἰώμενος διαφοράς. *Rebus bellicis bene conſtitutis, nõ peiùs adminiſtrauit ea quæ ad pacem ſpectabant, concordiâ in ciuitatibus compoſitâ, & maximè debitorum & creditorum controuerſiis ſedatis.* vide. Iura ipſorum permiſſu ſtatuit, quia contra eorum voluntatem iuriſdictionem non vſurpaſſet in fœderata & libera ciuitate. XI.

INVETERATAM QVONDAM BARBARIEM.] Fortaſſe quòd homines Herculi immolarẽt, nihil aſſero. Tamen ſcribit Diodorus lib. 6. Gaditanos ad ſuam vſq; ætatem ſummo in honore templum Herculis habuiſſe, ſtatutis de more Phœnicum ſacris. Gadira ſiquidem Tyriorum colonia. Tyrios autem humanas etiã Saturno victimas, id eſt ingenuum puerũ ſacrificaſſe ſcribit Curtius lib. 3. vt non minùs de his quàm de alteris Pœnis intelligendũ videatur illud Plinij lib. 36. c. 5. *Inhonorus eſt nec in vllo templo Hercules, ad quem Pœni omnibus annis humanâ ſacrificauerunt victimâ.*

AXIOMA.

Virorum fortium viuit immortalis memoria.

Quarta & poſtrema pars confirmationis, qua oſtenditur Gaditanorum fœdus non eſſe inferius quàm cæterorum, & quo de iure iudicium præſens conſtitutum eſt, de eo nunquam fuiſſe dubitatum. à § 44. ad 56.

- Auctoritate ſummorum Imperatorum, qui multos è fœderatis ciuitate donarunt, etiamſi populus fœderatus fundus non fieret, & exemplo Annibalis Enniani, qui ciuitatem promittit viris fortibus. à 44. ad 52.
  - Caius Marius M. Annium, & alios multos ciuitate donauit. 46. eius auctoritas commendatur
    - à magiſtro 47. diſcipulus fuit minoris Africani, ſub quo meruit bello Numantino.
    - à rebus geſtis. plurima bella confecit.
    - à magiſtratibus. ſepties Conſul fuit.
  - Cn. Pompeius pater. 50.
    - P. Cæſium.
    - duas cohortes Camertium.
  - P. Craſſus Heracleenſium legionem. 50.
  - L. Sylla
    - Ariſtonem Maſſilienſem. 50.
    - ſexaginta Gaditanos. 50.
  - Q. Metellus Pius Q. Fabium Saguntinum. 50.
  - M. Craſſus Aletrinenſem fœderatum. 50.
  - Cn. ipſe Pompeius. 51. qui non vnum Cornelium ciuitate donauit, ſed
    - Aſdrubalem Gaditanum.
    - Mamertinos Ouios.
    - Quoſdam Vticenſes.
    - Saguntinos Fabios.
- Iudiciis ea de re habitis. 52.
  - Mamertini cùm quoſdam lege Papiâ repetere voluiſſent, à ſuſceptâ publicè cauſâ deſtiterunt.
  - Nemo vnquam eſt de ciuitate accuſatus, quòd
    - aut populus fœderatus fundus factus non eſſet.
    - aut quòd fœdere ciuitatis mutandæ ius impediretur.
- Iudicio populi vniuerſi. 53. 54. qui ob cauſſas leuiores quàm ſit fortitudo bellica, duos è Latinis populo fœderato ciuitate donarunt.
  - L. Caſſium Tiburtem damnato Cœlio.
  - Titum Coponium damnato C. Maſſone.
- Iudicio Senatûs. 55. qui ſacerdotes Cereris è populis fœderatis in ciuitatem adſciſcebat, non expectato fœderatorum conſenſu.

XLIV. AC ne ipſi Gaditani arbitrentur, quamquam nullo incommodo afficiantur, ſi liceat eorum ciues virtutis cauſſa in noſtram ciuitatem venire, tamen hoc ipſo inferius eſſe ſuum fœdus, quàm cæterorum: conſolabor & hos præſentes viros optimos, & illam fideliſſimam atque amiciſſimam nobis ciuitatem: ſimul & vos non ignorantes, Iudices, admonebo, quo de iure hoc iudicium conſtitutum ſit, de eo nunquam omnino eſſe dubitatum.

XLV. Quos igitur prudentiſſimos interpretes fœderum, quos peritiſſimos bellici iuris, quos diligentiſſimos in exquirendis conditionibus ciuitatum, atque cauſſis eſſe arbitramur? eos profectò, qui iam imperia, ac bella geſſerunt. Etenim, ſi Q. Scæuola ille augur, cùm de iure prædiatorio conſuleretur, homo iuris peritiſſimus, conſultores ſuos nonnunquam ad Furium, & Caſcellium prædiatores reiiciebat, ſi nos de aqua noſtra Tuſculana M. Tugionem potiùs, quàm C. Aquillium conſulebamus, quòd aſſiduus vſus vni rei deditus, & ingenium, & artem ſæpe vincit, quis dubitet de fœderibus, & de toto iure pacis & belli omnibus iuris peritiſsimis imperatores noſtros anteferre?

XLVI. Poſſumúsne igitur tibi probare auctorem exempli atque facti illius, quod à te reprehenditur, C. Marium? quæris aliquem grauiorem? conſtantiorem? præſtantiorem virtute, prudentia, religione, æquitate? Is igitur M. Annium Appium, fortiſſimum virum, ſumma virtute præditum, ciuitate donauit, cùm Camertinum fœdus ſanctiſſimum atque æquiſsimum ſciret eſſe. Poteſt igitur, Iudices, L. Cornelius condemnari, vt non C. Marij factum condemnetur?

XLVII. Exſiſtat ergo ille vir parumper cogitatione veſtra, quoniam re non poteſt, vt conſpiciatis eum mentibus, quem oculis non poteſtis: dicat, ſe non imperitum fœderis, non rudem exemplorum, non ignarum belli fuiſſe: ſe P. Africani diſcipulum, ac militem, ſe ſtipendiis, ſe legationibus bellicis eruditum: ſe, ſi tanta bella legiſſet, quanta geſsit, & confecit, ſi tot conſulibus meruiſſet, quoties ipſe conſul fuiſſet, omnia iura belli perdiſcere, ac noſſe potuiſſe: ſibi non fuiſſe dubium, quin nullo fœdere à Republ. bene gerenda impediretur, à ſe ex coniunctiſsima, atque amiciſsima ciuitate fortiſsimum quemque eſſe delectum: neque Fulginatium, neque Camertium fœdere eſſe exceptum, quo minùs eorum ciuibus à populo Romano præmia virtutis tribuerentur.

XLVIII. Itaque, cum paucis annis poſt hanc ciuitatis donationem acerrima de ciuitate quæſtio Licinia & Mucia lege veniſſet, num quis eorum, qui de fœderatis ciuitatibus eſſet ciuitate donatus, in iudicium eſt vocatus? Nam Spoletinus T. Matrinius vnus ex iis, quos C. Marius ciuitate donaſſet, dixit cauſſam ex colonia Latina in primis firma & illuſtri. quem cùm diſertus homo L. Antiſtius accuſaret, item Spoletinus, non dixit fundum populum Spoletinum non eſſe factum. videbat enim populos de ſuo iure, non de noſtro fundos fieri ſolere. ſed cùm lege Apuleia coloniæ non eſſent deductæ, qua lege Saturninus C. Mario tulerat, vt in ſingulas colonias ternos ciues Rom. facere poſſet: negabat hoc beneficium, re ipſa ſublata, valere debere.

XLIX. Nihil habet ſimilitudinis iſta accuſatio, ſed tamen tanta auctoritas in C. Mario fuit, vt non per P. Craſſum affinem ſuum, hominem in-

credibili eloquentia, ſed paucis ipſe verbis cauſſam illam grauitate ſua defenderit, & probarit. Quis enim eſſet, Iudices, qui Imperatoribus noſtris in bello, in acie, in exercitu delectum virtutis: qui ſociis, qui fœderatis, in defendenda Repub. noſtra ſpem præmiorum eripi vellet? Quòd ſi vultus C. Marij, ſi vox, ſi ille Imperatorius ardor oculorum, ſi recentes triumphi, ſi præſens valuit aſpectus: valeat auctoritas, valeant res geſtæ, valeat memoria, valeat fortiſſimi & clariſſimi viri nomen æternum: ſit hoc diſcrimen inter gratioſos ciues, atque fortes, vt illi viui fruantur opibus ſuis: horum etiam mortuorum (ſi quiſquam huius imperij defenſor mori poteſt) viuat auctoritas immortalis.

Quid? Cn. Pompeius pater, rebus Italico bello maximis geſtis P. Ceſium equitem Rom. virum bonum, qui viuit Rauennæ, fœderato ex populo nónne ciuitate donauit? quid? cohortes duas vniuerſas Camertium? quid? Heracleinſium legionem, P. Craſſus vir ampliſſimus ex ea ciuitate, qua cum prope ſingulare fœdus Pyrrhi temporibus C. Fabricio Conſule ictum putatur? quid? Maſſilienſem Ariſtonem Sulla? quid? quoniam de Gaditanis agimus, idem heros IX. Gaditanos? quid? vir ſanctiſſimus & ſumma religione ac modeſtia Qu. Metellus Pius Qu. Fabium Saguntinum? quid? hic qui adeſt, à quo hæc, quæ ego nunc percurro, ſubtiliſſimè ſunt omnia perpolita, M. Craſſus, non Aletrinenſem fœderatum ciuitate donauit, homo tum grauitate, & prudentia præſtans, tum vel nimium parens in largienda ciuitate? L.

Hîc, tu, Cn. Pompeij beneficium, vel potiùs iudicium, & factum infirmare conaris, qui fecit quod C. Marium feciſſe audierat, fecit quod P. Craſſum, quod L. Sullam, quod Qu. Metellum, quod denique domeſticum auctorem patrem ſuum facere viderat? neque verò in vno Cornelio id fecit. nam & Gaditanum Haſdrubalem ex bello illo Africano, & Mamertinos obuios, & quoſdam Vticenſes, & Saguntinos fabros ciuitate donauit. Etenim, cùm cæteris præmiis digni ſunt, qui ſuo labore, & periculo noſtram Rempubl. defendunt, tum certè digniſſimi ſunt, qui ciuitate ea donentur, pro qua pericula, ac tela ſubierunt. Atque vtinam qui vbique ſunt propugnatores huius imperij, poſſent in hanc ciuitatem venire: & contrà, oppugnatores Reipub. de ciuitate exterminari. Neque enim ille ſummus Poëta noſter Hannibalis illam magis cohortationem, quàm communem Imperatorum voluit eſſe. LI.

Hoſtem qui feriet, mihi erit Carthaginienſis.
Quiſquis erit, cuiatiˀ ſiet.--

id habent omnes leue, & ſemper habuerunt. Itaque, & ſibi vndique fortes viros adſciuerunt, & hominum ignobilium virtutem perſæpe nobilitatis inertiæ prætulerunt.

Habetis Imperatorum ſummorum, & ſapientiſſimorum hominum, clariſſimorum virorum interpretationem iuris, ac fœderum: dabo etiam iudicum, qui huic quæſtioni præfuerunt: dabo vniuerſi populi Romani, dabo ſanctiſsimum etiam iudicium Senatûs. Iudices cùm præ ſe ferrent, palámque loquerentur, quid eſſent lege Pappia de M. Craſſo Mamertinis repetentibus iudicaturi: Mamertini publicè, ſuſceptâ cauſsâ, deſtiterunt. multi in ciuitatem recepti ex liberis, fœderatíſque populis: nemo vnquam eſt de ciuitate accuſatus, quòd, aut populus fundus factus non eſ- LII.

ſet, aut quòd fœdere ciuitatis mutandæ ius impediretur. audebo etiam hoc contendere, nunquam eſſe condemnatum, quem conſtaret ab Imperatore noſtro ciuitate donatum.

LIII. Cognoſcite nunc populi Romani iudicium multis rebus interpoſitum, atque in maximis cauſsis, re ipſa atque vſu comprobatum. Cum Latinis omnibus fœdus ictum Sp. Caſsio, Poſthumio Cominio COSS. quis ignorat? quod quidem nuper in columna ænea meminimus poſt roſtra inciſum, & perſcriptum fuiſſe. quomodo igitur L. Coſsinius Tiburs, pater huius equitis Rom. optimi atque ornatiſsimi viri damnato Cœlio, quomodo ex eadem ciuitate T. Coponius, ciuis item ſumma virtute, & dignitate (nepotes T. & C. Coponios noſtis) damnato C. Maſſone, ciuis Romanus eſt factus? an lingua, & ingenio patefieri aditus ad ciuitatem potuit manu; & virtute non potuit? ánne de nobis detrahere ſpolia, fœderatis licebit, de hoſtibus non licebit? an quod adipiſci poterunt dicendo, id eis aſſequi pugnando non licebit? an accuſatori maiores noſtri maiora præmia, quàm bellatori eſſe voluerunt?

LIV. Quòd ſi acerbiſſima lege Seruilia principes viri, ac grauiſſimi, & ſapientiſſimi ciues, hanc Latinis, id eſt, fœderatis, viam ad ciuitatem populi iuſſu patere paſſi ſunt, neque in his eſt hoc reprehenſum Licinia & Mucia lege, cùm præſertim genus ipſum accuſationis, & nomen, eiuſmodi præmium, quod nemo aſſequi poſsit, niſi ex Senatoris calamitate, neque Senatori, neque bono cuiquam nimis iucundum eſſe poſſet: dubitandum fuit, quin quo in genere iudiciorum præmia rata eſſent, in eodem iudicia Imperatorum valerent? Num fundos igitur factos populos Latinos arbitramur, aut Seruilia lege, aut cæteris, quibus Latinis hominibus erat propoſitum aliqua ex re præmium ciuitatis?

LV. Cognoſcite nunc iudicium Senatûs, quod ſemper eſt iudicio populi comprobatum. Sacra Cereris, Iudices, ſumma maiores noſtri religione confici, cæremoniáque voluerunt: quæ cùm eſſent aſſumpta de Græcia, & per Græcas ſemper curata ſunt ſacerdotes, & Græca omnia nominata: ſed cùm illam, quæ Græcum illud ſacrum monſtraret, & faceret, ex Græcia deligerent, tamen ſacra pro ciuibus ciuem facere voluerunt, vt Deos immortales ſcientia peregrina, & externa, mente domeſtica, & ciuili precarentur. has ſacerdotes video ferè aut Neapolitanas, aut Velienſes fuiſſe, fœderatarum ſine dubio ciuitatum. mitto vetera: proxima dico, ante ciuitatem Velienſibus datam, de Senatus ſententia C. Valerium Flaccum, prætorem vrbanum nominatim ad populum de Calliphana Velienſe, vt ea ciuis Romana eſſet, tuliſſe. num igitur aut fundos factos Velienſes, aut ſacerdotem illam ciuem Rom. factam non eſſe, aut fœdus & à Senatu, & à populo Romano violatum arbitrabimur?

NOTÆ.

I. Scæuola. QV. SCÆVOLA.] Hic eſt ille de quo Pomponius D. de origine iuris: *Qu. Mucius Publij filius Pontifex Maximus ius ciuile primus conſtituit, generatim in libros decem & octo redigendo.* pro Cæcinâ §.78.

II. Conſultor. CONSVLTORES.] Qui iuriſperitos adibant conſilij petendi cauſsâ. Horatius:

Agricolas laudat legum iuriſque peritus
Sub Galli cantum conſultor vbi oſtia pulſat.

pro Murena 28. *Itaque non modò beneficij collocandi ſpem, ſed etiam illud quod aliquando fuit, licet conſulere iam perdidiſtis.* ad quam formulam Horatius alludit lib. 2. Sat. 3.

Ergo conſulere & mox reſpondere licebit? Conſulere.
Conſule.

Placet duo huiuſmodi conſultationis exempla proferre. alterum ex Pomponio ibidem: *Seruius cùm in cauſsis orandis primum locum, aut pro cer-*

to poſt M. Tullium obtineret, traditur ad conſulendum Qu. Mucium de re amori ſui perueniſſe, Seruius. *cúmque eum ſibi reſpondiſſe de iure Seruius parum intellexiſſet, iterum Qu. Mucium rogaſſe, & à Qu. Mucio reſponſum eſſe, nec tamen percepiſſe, & ita obiurgatum eſſe à Qu. Mucio: namque eum dixiſſe, turpe eſſe patricio & nobili & cauſſas oranti, ius in quo verſaretur ignorare. Eâ velut contumeliâ Seruius tractatus operam dedit iuri ciuili.* Hæc ille. Verùm cùm Qu. Mucius iuſſu Marij fuerit in Tiberim proiectus, vt ſcribunt Appianus primo ciuilium, & Lucanus lib. 2. eſt quod de huius hiſtoriæ fide meritò dubites. cùm præſertim viuo Mario Tullius nondum forum attigiſſet, nec Seruius adhuc adoleſcentulus inter Craſſos & Antonios primum in orandis cauſſis potuerit locum obtinere. Alterum exemplum eſt apud Macrobium Caſellius. Saturn. 2. *Lapidatus à populo Vatinius, cùm gladiatorum munus ederet, obtinuerat vt Ædiles edicerent, Ne quis in arenam niſi pomum miſiſſe vellet. Fortè iis diebus Caſellius à quodam conſultus, an nux pinea pomum eſſet, reſpondit: Si in Vatinium miſſurus es, pomum eſt.* Hic eſt fortaſſe ille Caſellius qui adoleſcens fuerat prædiator, ætate prouectior ad cæteras iuriſprudentiæ partes animum applicauit. Huius etiam meminit Pomponius: *Trebatius peritior Caſcellio, Caſcellius Trebatio eloquentior fuiſſe dicitur.* De Furio & M. Tugione nihil liquet, quamuis videtur innui Lucius Furius Philus, de quo Cicero in Bruto 108. Videntur etiam dici *prædiatores*, qui non omne ius ciuile tractant, ſed eam tantùm partem quæ agit *de iure prædiorum.* vulgo doctores vnius tituli diceremus. de quo iure multi tituli in C. Iuſtiniani, & in Digeſto titulus De aqua cottidianâ & æſtiua. C. de aquæductu.

III. IVRE PRÆDIATORIO.] In Verrem de præturâ vrbanâ 142. *Vbi illa conſuetudo in bonis, prædibus, prædiiſque vendendis, omnium Conſulum, Cenſorum, Prætorum, quæſtorum denique, vt optimâ conditione ſit is, cuia res ſit, cuium periculum.* Item: *Prædibus & prædiis populo cautum eſt, & ſi non putas cautum, ſcilicet tu prætor, in mea bona,* Prædes. *quos voles, immittes?* vbi Aſconius: *Prædes fideiuſſores: bona prædia prædum ipſorum bona ſatiſdationibus obnoxia.* E quibus quid ſit ius prædiatorium facilè intelligas. Turnebus Aduerſ. lib. 20. Prædia. cap. 30. *Prædia dicta, item vt prædes à præſtando, quòd ea pignori data, vt publicè mancupes præſtent fidem.* Verba ſunt Varronis 4. de lingua, quibus ille addit: *Cæterùm prædes exponuntur in antiquo lexico.* Οἱ ὑπὲρ φόρου δήμου ἐνδεδωκότες. *Qui pro vectigalibus populi obligati ſunt. Prædiatores* ὠνηταὶ ὑπαρχόντων, *qui eorum ſcilicet bona & fortunas emunt. Hinc ius prædiatorium apud Ciceronem, quo obligata ſunt bona ærario & populo.* De his iterum agemus Philippica 2. §. 62. Vide Valerium Maximum lib. 8. cap. 12. penè hæc ipſa Ciceronis verba referentem.

IV. AQVA NOSTRA TVSC.] Aquam habuit
Aqua Crabra Orator in villâ Tuſculanâ Crabræ nomine, pro
Ciceronis. qua vectigal pendebat Tuſculanis. tertiâ Agrariâ §. 9. *Ego Tuſculanis pro aquâ Crabrâ vectigal pendam, quia à municipio fundum accepi, ſi à Sylla mihi datus eſſet, Rulli lege non penderem.* Epiſtolâ ad Tironem 18. lib. 16. ad fam. *De Crabrâ quid agatur, etſi nunc quidem nimium eſt aquæ, tamen velim ſcire.* Vide Frontinum de aquæductibus. Certè fuit in aquis alterius villæ Academiæ felicior, quæ miro diuinæ prouidentiæ dono calidæ & oculis ſalubres repente manare cœperunt, & etiamnum vocantur *balneum Ciceronis.* In quas elegans Laureæ Tullij epigramma his verbis concluſum:

Vt quoniam totum legitur ſine fine per orbem
Sint plures oculis quæ medeantur aquæ.

Vide Plinium libro 31. cap. 2.

C. AQVILIVM.] Pomponius loco citato: V.
Mutij auditores fuerunt complures, ſed præcipuæ auctoritatis Aquilius Gallus. De quo oratione pro Cæcinâ 78. *Quapropter hoc dicam, nunquam eius auctoritatem nimium valere, cuius prudentiam populus Romanus in cauendo non in decipiendo perſpexerit: qui iuris ciuilis rationem nunquam ab æquitate ſeiunxerit: qui tot annos ingenium, laborem, fidem ſuam populo Romano promptam expoſitámque præbuerit: qui ita bonus & iuſtus vir eſt vt naturâ, non diſciplinâ conſultus eſſe videatur: ita peritus ac prudens, vt ex iure ciuili, non ſcientia ſolùm quædam, verùm etiam bonitas nata videatur: cuius tantum eſt ingenium, ita prompta fides, vt quidquid inde haurias, purum liquidúmque te haurire ſentias.*

VNI REI DEDITVS.] Hinc Platonis edi- VI.
ctum lib. 8. de legibus, vt omnes vni Reip. animũ dedant, nemóque ciuium vllam mechanicam artem attingat. Δύο δ' ἐπιτηδεύματα, ἢ δύο τέχνας ἀκριβῶς διαπονεῖσθαι σχεδὸν οὐδεμία φύσις ἱκανὴ τῶν ἀνθρώπων, οὐδ' αὖ τὴν μὲν αὐτὸς ἱκανὸς ἀσκεῖν, τὴν δ' ἄλλον ἀσκοῦντα ἐπιτροπεύειν. *Duo ſtudia, aut duas artes exactè exercere, nulla propemodum mortalium indoles ſufficiens eſt, neque rurſum quiſquam aliam artem exercere per ſe ſufficiens eſt, & alij aliam exercenti præeſſe.* Vide fusè libro exeunte, & eam ob cauſſam ſub initium 4. de Rep. ſapienter monuerat: Πρὸς ὅ τις πέφυκε, πρὸς τοῦτο ἕνα ἐν ἕκαστον ἔργον δεῖ κομίζειν. *Ad quam rem quis à natura comparatus eſt,* Vni rei vacandum, non
ad eam vnam vnumquemque oportet applicare. Xe- pluribus.
nophon octauo de inſtitutione Cyri: Ἀδύνατον οὖν πολλὰ τεχνώμενον ἄνθρωπον πάντα καλῶς ποιεῖν. *Fieri non poteſt, vt qui multas artes exerceat, omnia bene agat.* Atque eam cauſſam eſſe dicit cur meliores ſint in magnis vrbibus, quàm in paruis oppidis artifices, quòd in magnis ſinguli ſingulas artes exerceant. Dixerat lib. 2. Οὕτοι κράτιστοι ἕκαστα γίγνονται οἱ ἂν ἀφέμενοι τοῖς πολλοῖς προσέχειν τὸν νοῦν, ἐπὶ ἓν ἔργον τράπωνται. *Hi peritiſſimi in ſingulis euadunt, qui dimittentes multis rebus animum adhibere vni rei ſe addixerint.* Ariſtoteles quarto polit. cap. 15. Βέλτιον ἕκαστον ἔργον τυγχάνει τῆς ἐπιμελείας μονοπραγματούσης, ἢ πολυπραγματούσης. *Melius vnumquodque opus eſt ab animo vni rei dedito, quàm à pluribus occupato.* Herodotus in Euterpe de Ægyptiis: Μιῆς νούσου ἕκαστος ἰητρός ἐστι καὶ οὐ πλεόνων. πάντα δ' ἰητρῶν ἐστι πλέα. οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμῶν ἰητροὶ κατεστέασι, οἱ δὲ κεφαλῆς, οἱ δ' ὀδόντων, &c. *Vnius morbi vnus eſt medicus, non vnus & idem plurium. Itaque omnia referta ſunt medicis. Alij enim ſunt oculorum, alij capitis, alij dentium,* &c. Quidam autem hîc legunt *aſſiduus vſus vni rei dediti*, id eſt, vſus & experientia hominis qui deditus eſt. Neque enim ſatis Latinum videtur *vſus deditus.*

CAMERTINVM FOEDVS.] Qu. Fabio VII.
Maximo Conſule miſſi in Etruriam & Vmbriam Camertinum
exploratores, vt narrat Liuius lib. 9. *Vſque ad Ca-* fœdus.
mertes Vmbros penetraſſe dicuntur. Ibi qui eſſent fateri Romanum auſum: introductúmque in Senatum, Conſulis verbis egiſſe de Societate amicitiáque:

atque inde comi hoſpitio acceptum, nuntiare Romanis iuſſum, commeatum exercitui dictum triginta praſto fore ſi ea loca intraſſet: iuuentutem qui Camertium Vbrorum min armis paratam imperio futuram.

VIII. Tria fœderũ genera.

ÆQVISSIMVM.] Menippus Antiochi legatus apud Lib.34.dicebat: *Eſſe tria genera fœderum, quibus inter ſe paciſcerentur amicitias ciuitates regéſque. Vnum cum bello victis dicerentur leges. Vbi enim omnia ei qui armis plus poſſet, dedita eſſent, quæ ex eis habere victos, quibus mulctari eos velit, ipſius ius atque arbitrium eſſe. Alterum cùm pares bello aque fœdere in pacem atque amicitiam venirent, tunc enim repeti reddíque per conuentionem rea, & ſi quarum turbata bello poſſeſſio ſit, eas aut ex formula iuris antiqui, aut ex partis vtriuſque commodo componi. Tertium eſſe genus, cùm qui hoſtes nunquam fuerint ad amicitiam ſociali fœdere inter ſe iungendam coeant: eos neque dicere neque accipere leges: id enim victoris & victi eſſe.* Vide Briſſonium 2.formularum ex Liuij 9. Appiani Ibericis 11.Æneidos:

- & fœderis æquas
Dicamus leges, ſociόſque in regna vocemus.
12. *Non ego Teucris Italos parere iubebo,*
Nec mihi regna peto: paribus ſe legibus ambæ
Inuicta gentes æterna in fœdera mittant.

IX. PVB. AFRICANI DISCIPVLVM.] Scipionis Æmiliani. Valerius lib.8.cap.vltimo. Marius *cùm apud Numantiam ſub eo Scipione duce ſtipendia equeſtria mereret, & fortè inter cœnam quidam Scipionem interrogaſſet, ſi quid illi accidiſſet, quemnam Reſpub. æque magnum habitura eſſet Imperatorem, reſpiciens ſe ſupra ipſum* Marium, *cubantem, vel hunc dixit.* Vide Plutarchum. Legatus autem fuit bello Iugurthino Qu. Metelli Numidici, bello Italico P. Rutilij Rufi. Septies etiam Conſul fuit. Quod ait, *Si tanta bella legiſſet, quanta geſſit, & confecit, ſi tot Conſulibus meruiſſet, quoties ipſe Conſul fuiſſet,* Credo legendum *quoties ipſe Conſul fuit.* Sed vix à me impetro nouitatem.

X. FVLGINATIVM ATQVE CAMERTIVM.] Fulgina ciuitas fuit in ſextâ Regione quam Galliam togatam vocabant, vbi Ariminum Plinius lib.3.cap.14. Eos autem qui à Mario ciuitate donati ſunt, non Fulginates aut Camertes, ſed Camarinos Plutarchus appellat in apopht. Ἐν τοῖς Κιμβρικοῖς πολέμοις Καμαρίνων χιλίους ἄνδρας ἀγαθοὺς γενομένους ὁμοῦ Ῥωμαίους ἐποίησε. πρὸς δὲ τοὺς ἐγκαλοῦντας ἔλεγε τῶν νόμων οὐκ ἐξακοῦσαι διὰ τὸν τῶν ὅπλων ψόφον. *In bellis Cimbricis Camarinos mille, qui fortiter fecerant, ſimul ciuitate donauit, & accuſantibus reſpondit ſe propter ſtrepitum armorum haudquaquam leges audiiſſe.* Monet Grutterus in Palatino nono, Erfurdienſi & Gemblacenſi legi *Iquinatium* (fortè *Aquinatium*) in aliis *Ignatium*, pro quo ignoto notum *Fulginatium* nomen irrepſerit.

XI. PAVCIS ANNIS.] Legem de ciuitate tulerunt Luc. Licinius Craſſus, & Q. Mutius Scæuola anno vrbis conditæ DCLVIII. Marius cum Cimbris pugnauit quinto ſuo conſulatu DLII. quamuis alij vno anno tardiùs ponunt horum Conſulatum, totámque adeo chronologiam. Quicquid ſex annis lata lex Licinia Mutiâ poſt Camertes à Mario ciuitate dónatos.

XII. LICINIA ET MVCIA LEGE.] Tertio de officiis: *Malè etiam qui peregrinos vrbibus vti prohibent, eóſque exterminant, vt Pennus, apud patres noſtros, Papius nuper. Nam eſſe pro ciue, qui ciuis non ſit, rectum eſt non licere, quam tulerunt legem ſapientiſſimi Conſules Craſſus & Scæuola, vſu verò vrbis prohibere peregrinos ſanè inhumanum eſt.* Iam, vt id obiter aduertam, vera eſt lectio *Pennus*, nec legendum *Penæus*, aut *Petronius*, vt alij maluerunt. Hic eſt enim Marcus Iunius Pennus. de quo libro de claris Oratoribus 109. *Tuus etiã gentilis Brute, M. Pennus facilè agitauit in tribunatu C. Gracchum paulùm ætate antecedens,* &c. Lex Licinia & Mutia.

EX COLONIA LATINA.] Coloniarum, vt ait Aſconius, duo genera erant, quædam ciuium Romanorum, & quædam Latinæ coloniæ. Coloniæ ciuium Romanorum præter ſacra omnia iura habebant, quæ ciues Romani obtinebant. Et tum centuriatis, tum etiam tributis comitiis ferebant ſuffragia. Coloniæ Latinæ Latij ius habebant, non autem ciuitatis. quare nonnulli è Latinis illis colonijs ciuitate donabantur. Cùm igitur T. Macrinus è Spoleto Latinâ coloniâ ciuitatem eſſet adeptus. eum Luc. Antiſtius item Spoletinus accuſauit, dixítque Macrinum ciuitatis iure non eſſe donatum: Quod quamuis Antiſtius, diceret nunquam tamen eo vſus eſt firmamento, quod Marius Spoletinum colonum ciuitate donare non potuerit, niſi populus Spoletinus fundus factus eſſet, & illam Macrini alienationem & priſtinæ coloniæ abdicationem approbaret. Non, inquam, Antiſtius hoc vſus eſt firmamento, ſed aliam rationem adferebat. Cùm enim L. Apuleius Saturninus legẽ de coloniis tuliſſet, quæ lex duo capita continebat: alterum præcipuum vt C. Marius colonias quaſdam Latini iuris deduceret, alterum quaſi ſecundarium, vt in ſingulas colonias ternos ciues Romanos facere poſſet, id eſt opinor, & cùm è Latinis coloniis rurſum alias faceret colonias, è ſingulis illis veteribus coloniis ternos viros primarios eligeret, quos donare poſſet Romanâ ciuitate. Marius erumpente belli Italici flammâ colonias deducere non potuit, aliquos tamen è veteribus illis coloniis. è quibus colonos tranſcribere animo deſtinarat, & in his Titum Macrinium ciuitate donauit. Negabat igitur Antiſtius hoc beneficium, id eſt ciuitatis donationem valere debere, cùm res ipſa, id eſt, coloniarum deductio fuiſſet ſublata, neque ad exitum perduci potuiſſet. Atque hæc videtur eſſe huius loci ſatis intricati ſententia. Legendum igitur ex emendatione Pantagathi: *Quem cùm diſertus homo L. Antiſtius accuſaret, iſtud ei non dixit fundum Spoletinum populum non eſſe factum.* vel, *L. Antiſtius accuſaret item Spoletinus non dixit fundum,* &c. XIII.

Coloniæ ciuium Romanorum.

Coloniæ Latinæ.

LVC. ANTISTIVS.] Haud ſcio an legi debeat *P. Antiſtius*, de quo in Bruto 226. *Coniunctus igitur Sulpicij ætati P. Antiſtius fuit, rabula ſanè probabilis*, &c. *Itaque poſt Tribunatum primo multa ad eum cauſſæ, deinde omnes maximæ quæcunque erant, deferebantur*, &c. Secutus ſum neceſſariò emendationem Lambini, cùm priùs contra Ciceronis mentem legeretur: *Spoletinus dixit fundum populum Spoletinum non eſſe factum.* Negationem addidit etiam Manutius. XIV.

LVC. CRASSVM AFFINEM SVVM.] Craſſus 1. de Oratore §.66. *Ita ſi de re militari dicendum huic erit Sulpicio, quæret à C. Mario affini noſtro, & cùm acceperit, ita pronunciabit, vt ipſi C. Mario penè hic meliùs quàm ipſe ille ſcire videatur.* XV.

XVI. Ardor ocvlorvm.] Peculiaris in Mario fuit ardor oculorum. Minturnenſes Marium necare decreuerant, miſerántque Cimbrum equitem qui rem tranſigeret. Is ſtricto gladio ad eum ingreſſus eſt, cùm locus in quo erat, eſſet obſcurior: Λέγεται τὰ μὲν ὄμματα τοῦ Μαρίου, φλόγα πολλὴν ἐκβάλλοντα τῷ στρατιώτῃ φανῆναι, φωνὴν δὲ μεγάλην ἐκ τοῦ ἐπισκίου γενέσθαι, Σὺ δὴ τολμᾷς, ἄνθρωπε, Γάϊον Μάριον ἀναιρεῖν; ἐξῆλθεν οὖν εὐθὺς ὁ βάρβαρος φυγῇ, καὶ τὸ ξίφος ἐν μέσῳ καταβαλὼν ἐχώρει διὰ θυρῶν, τοῦτο μόνον βοῶν, Οὐ δύναμαι Γάϊον Μάριον ἀποκτεῖναι. *Aiunt oculos Marij copioſam flammam emittentes militi apparuiſſe, magnámque vocem ex tenebroſo loco emiſſam. Túne etiam, ô homo, audes C. Marium interficere? Fugâ ſe ſtatim proripuit barbarus, abiectóque in medium gladio per fores erupit, hoc ſolùm inclamans, Non poſſum C. Marium occidere.*

Ardor oculorum Marij.

XVII. Rebvs Italico bello.] Cn. Pompeius Strabo Cn. Pompeij Magni pater bello Italico Conſul, *Picentes prælio fudit, & obſedit. Propter quam victoriam Romæ prætextæ aliáque magiſtratuum ornamenta & inſignia ſumpta ſunt.* Iterum: *Marſos acie vicit.* vt dicit epitome Liuiana lib. 74. & libro ſequenti: *Præneſtinos in deditionem accepit.* lib. 76. *Cn. Pompeius Proconſul Veſtinos & Pelignos in deditionem accepit.* Iterúmque: *Aſculum à Cn. Pompeio captum eſt.* Vide Appianum primo de bellis ciuilibus.

Pompeij Strabonis geſta Italico bello.

XVIII. Heracliensivm legionem.] Quidam legunt, *Heraclienſem Alexam*, & paulò pòſt: *idem prætor*, pro *idem Heros.* Fuit autem Heraclea Tarentinorum colonia, vt ait Liuius lib. 8. de qua pro Archia 6. *Venit Heracleam, quæ cùm eſſet ciuitas æquiſſimo iure ac fœdere.*

XIX. Modestia.] Mirum quid Oratorem induxerit, vt Qu. Metelli Pij modeſtiam adeò commendaret, de quo Salluſtius 2. Hiſt. *At Metellus in vlteriorem Hiſpaniam poſt annum regreſſus magnâ gloriâ: Concurrentium vndique virile ac muliebre genus, per vias ac tecta omnium viſebatur: Cùm Quæſtor C. Vrbinus, aliíque cognitâ eius voluntate, eum ad cœnam inuitauerant, vltra Romanum & mortalium etiam morem curabant, exornatis ædificiis per aulæa & inſignia, ſcenîſque ad oſtentationem hiſtrionum fabricatis: ſimul croco ſparſa humus, & alia in modum templi celeberrimi. Præterea cùm ſedenti tranſennâ demiſſum victoriæ ſimulacrum cum machinato ſtrepitu tonitruum coronam capiti imponebat: tum venienti thure quaſi Deo ſupplicabatur. Toga picta plerumque amiculo erat ei accũbenti. Epulæ exquiſitiſſimæ, neque per omnem modò prouinciam, ſed trans maria ex Mauritaniâ volucrum & ferarum incognita antea plura genera. Quibus rebus aliquantam partem gloriæ dempſerat: maximè apud veteres & ſanctos viros ſuperba illa, grauia, indigna Romano imperio exiſtimantes.* Eadem Plutarchus in Sertorio.

Metelli Pij inſolentia.

XX. Aletrinensem.] Palatinus ſecundus Grutteri fide *Auernienſem*, Secundus *Auenienſem*, Nonus *Auenenſem*, S. Victoris *Auenienſem.* Aletrium non longè à Velitris, & Fregellis ad dextrã Latinę vię collocat Strabo lib. 5. Geographię.

XXI. Bello illo Africano.] Epitome Liuiana lib. 89. *Cn. Pompeius in Africâ Cn. Domitium proſcriptum & Hiarbam Regem Numidarum bellum molientes, victos interemit: & quatuor & viginti annos natus adhuc eques Romanus, quod nulli contigerat ex Africa triumphauit.* Vide Plutarchum & Appianum.

Mamertinos Ovios.] Ita legit Bucananus. Nam vox *obuios* hîc proculdubio locum non habet. Neque dubito, inquit, quin pro eo ſubſtituendum ſit *Ouios.* Ouiorum enim familia imprimis clara erat apud Campanos, vt ex Tit. Liuij lib. 9. & ex hiſtoria belli Punici ſecundi facilè intelligi poteſt. Porro Mamertini coloni erãt Campanorum. Nam Campani milites Meſſanã in præſidium miſſi, veteribus incolis expulſis ſeſe Mamertinos dixerunt, vt ſcribit Polybius lib. 1. & Liuius lib. 28. in oratione Scipionis: *Illi ſicut Campani Capuam Thuſcis veteribus incolis ademptam, Mamertini in Siciliâ Meſſanam. Sic Rhegium habituri*, &c. De quibus adi Feſtum Pompeium, & Ciceronem Verrinâ de Signis. Itaque non mirũ ſi multa veterum è Campaniâ familiarum nomina ibi reſederint, quale Ouiorum: ab oue enim multæ ex veteribus cognomento fuerunt appellatæ, vt præter eam quam dixi apud eoſdem Campanos Otilij pro Ouilij, & Romæ Ouinij, & Fabius Ouicula, & in Pelignis Ouidij, quod ab ὄϊδιον declinatum videtur. Hæc penè Bucananus, quæ iam Lambinus, Freigius, & alij retulerunt. XXII.

Svmmvs Poeta.] XXIII.

Ennius ingenio maximus, arte rudis.

cuius verſus ita legitur:

Hoſtem qui fecit, mihi erit Carthaginienſis
(Quiſquis erit) ciuis. vel,
Quiſquis erit, cuiati' ſiet.

Id habent omnes leue & ſemper habuerunt. Itaque & ciues vndique fortes viros adſciuerunt. Id eſt, Magni Duces in habendo militum delectu non patriæ, ſed virtutis ſolent habere rationem, fortéſque viros ſibi ciues adſciſcunt vndecunque fuerint oriundi. Pulchrè Cyrus apud Xenophontem lib. 2. de Cyri inſtitutione: Καὶ μηδὲ μὲν τι σκοπεῖτε ὅπως ἐκ τῶν πολιτῶν ἀντιπληρώσετε τὰς τάξεις, ἀλλ' ὥσπερ ἵππους, οἳ ἂν ἄριστοι ὦσιν, οὐχ οἳ ἂν πατριῶται, τούτους ζητεῖτε, οὕτω καὶ ἀνθρώπους ἐκ πάντων, οἳ ἂν ἡμῖν μάλιστα δοκῶσι συνισχυρεῖν τε ὑμᾶς, καὶ συγκοσμήσειν, τούτους λαμβάνετε. *Nec eſt item conſiderandum vobis quomodo ex ciuibus veſtros ordines ſuppleatis: ſed quemadmodũ equos quæritis, non qui patrij ſunt, ſed qui optimi, ſic etiam homines quoſcunque arbitrabimini robori vobis ornamentóque præ cæteris omnibus maximè futuros, hos ſumite.* Ad hunc verſum alludit Orator Verrina de ſuppliciis 31. *Iſte autem Annibal qui in ſuis caſtris virtute putaret oportere non genere certari.*

Lege Papia.] Cùm Iudices, qui lege Papiâ iudicabant de peregrinis prę ſe ferrent, palámque loquerentur, ſe ſecundum M. Caſſium pronunciaturos, Mamertini qui eum repetebant, publicè à ſuſceptâ cauſsâ deſtiterunt. De lege Papiâ 3. de officiis: *Malè etiam qui peregrinos vrbibus vti prohibent, vt Pennius apud patres noſtros, Papius nuper.* pro Archiâ 10. *Quid? cùm cæteri non modò poſt ciuitatem datam, ſed etiam poſt legem Papiam aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepſerint*, &c. Valerius lib. 3. c. 4. de M. Perpennâ: *Regem Ariſtonicum cepit: Craßianæque ſtragis punitor extitit, cùm interim cuius vita triumphauit, mors Papiâ lege damnata eſt. Namque patrem illius nihil ad ſe pertinentia ciuis Romani iura complexum, Sabelli iudicio petitum, redire in priſtinas ſedes coëgerunt.* Neque mirum fortaſſe fuerit eius mortem lege Papiâ, quæ Cotta & Torquato Conſulibus XXIV.

Lex Papia de ciuitate.

lata eſt fuiſſe damnatam, cùm vitam vſque ad initium belli ciuilis Pompeiani propagarit, & inter miranda Senectutis exempla cenſeatur, Valerius lib. 8. cap. 13. *Iam de Marco Perpennâ quid loquar? qui omnibus quos in Senatu rogauerat ſuperſtes fuit: ſeptémque tantummodo quos Cenſor Collegâ L. Philippi legerat è Patribus conſcriptis reliquos vidit, toto ordine ampliſſimo diuturnior.* Paulò etiam plus addit Dio lib. 41. Καὶ ὁ Περπέννας ὁ μετὰ Φιλίππου τιμητεύσας ἀπέθανεν, πλεῖστον πάντων τῶν ἐν τῇ τιμητείᾳ αὐτοῦ βουλευσάντων. *Perpenna qui cum Philippo Cenſor fuit, diem obiit poſtremus omnium, qui in eius cenſurâ lecti fuerant Senatores.*

XXV. Fœdus Latinum. CVM LATINIS FOEDVS ICTVM.] De fœdere Latino Dionyſius Halic. antiq. 6. exeunte. verba retulimus ſuprà ad §. 35. Liuius lib. 2. *Per ſeceſſionem plebis*, in ſacrum montem vbi tribunatus plebis inſtitutus, *Sp. Caſſius & Poſthumius Cominius Conſulatum inierunt. His Conſulibus cum Latinis populis ictum fœdus. Ad id feriendum Conſul alter Romæ manſit.*

XXVI. IN COLVMNA ÆNEA.] Leges & fœdera columnis aut tabulis æreis incidebant. Liuius lib. 3. de hoc ipſo fœdere: *Tantúmque ſuâ laude obſtitit famæ Conſulis Marcius, vt niſi fœdus cum Latinis columnâ ænea inſculptum monumento eſſet ab Spurio Caſſio vno, quia collega abſuerat, ictum, Poſthumum Cominium bellum geſſiſſe cum Volſcis memoria ceſſiſſet.* De legibus Ouidius 1. Metamorph.

Nec verba minantia fixo
Ære ligabantur.

Sic duodecim tabulas in æs inciſas fuiſſe dicit Liuius lib. 3. & Dionyſius libro 10. ἐπικυρώσαντος δὲ καὶ τοῦ δήμου τοὺς νόμους στήλαις χαλκαῖς ἐγχαράξαντες αὐτούς. *Cùm populus leges approbaſſet, & eas columnis æreis incidiſſet.* Dio lib. 37. & Cicero tum in Catilinariis, tum libro 2. de diuinatione tradunt *legum æra liquefacta.* Plautus huc alluſit Trinummo ſc. Staſime.

Mores leges produxerunt iam in poteſtatem ſuã
Et miſeræ etiam ad parietem ſunt fixæ clauis ferreis.

XXVII. ACCVSATORI.] Vide fusè Cœlianam §. 46. *In tantis præmiis eloquentiæ.*

XXVIII. Lex Seruilia. LEGE SERVILIA.] Iudiciis à Senatu ad equeſtrem ordinem translatis C. Gracchus diuiſerat populum Romanum, & bicipitem ex vna fecerat ciuitatem, vt ait Florus lib. 3. c 17. *Equidem Seruilius Cæpio, Senatum Liuius Druſus aſſerere*, &c. *Druſus plebem ad ſe Gracchanis legibus eiſdem, Socios ad plebem ſpe ciuitatis erexit.* contra Seruilius legem tulit acerbiſſimam de ciuitate Sociis negãda. Nam, vt ait Epitome Liuij lib. 7. *Cùm deinde promiſſa Sociis ciuitas præſtari non poſſet, irati Italici defectionem agitare cœperunt.* vide Appianum 1. ciuil.

XXIX. SACRA CERERIS.] Feſtus Pompeius: *Græca ſacra feſta Cereris ex Græcia tranſlata, quæ ob inuentionem Proſerpinæ matronæ colebant.* Noſter 2. de legibus, *Néve quem initianto, niſi, vt aſſolet, Cereri Græco ſacro.* Horum ſacrorum originem ad

Sacra Cereris. Euandrum refert Halicarnaſſeus lib. 1. ἱδρύσαντο δὲ καὶ Δήμητρος ἱερὸν, καὶ τὰς θυσίας αὐτῇ διὰ γυναικῶν τε καὶ νηφαλίους ἔθυσαν, ὡς Ἕλλησι νόμος, ὧν οὐδὲν ὁ καθ᾽ ἡμᾶς ἤλλαξε χρόνος. *Conſtituerunt & Cereris templum, & ſacrificia ipſi more Græco ieiuniáque celebrarunt, in quibus nihil præſens tempus mutauit.* His Feſtis duo videntur fuiſſe celebrata, Orci nuptiæ, & inuentio Proſerpinæ. In Orci nuptiis vino abſtinebant, in ſacrificio Cereris ob inuentionem Proſerpinæ fauos lacte & vino diluebant, vt notat Seruius ad illud 1. Georg.

Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret, Orci nuptiæ.
Cui tu lacte fauos & miti dilue Baccho.

De nuptiis Plautus Aulularia actu 3. ſcen. 6. vbi Staphyla:

Cererin', Strobile, iſtas facturi nuptias? Inuentio Proſerpinæ.
Strob. *Qui?* Staph.
Quia temeti nihil allatum intelligo.

His ſacris Senarium illud pro Symbolo habebãt:
Ταῦρος δράκοντος, καὶ δράκων ταύρου πατήρ.
Ita legit Iulius Firmicus lib. de myſteriis & erroribus prof. relig. c. 17. Arnobius lib. 5. aduerſus gẽtes legit ταῦρος & ταῦρον, his verbis, *Tum illum citabimus Tarentinum notúmque Senarium, quem antiquitas canit dicens,*

Taurus draconem genuit, & taurum draco.

Ipſa nouiſſimè ſacra & ritus initiationis ipſius, quibus Sebadiis nomen eſt, teſtimonio eſſe poterunt veritati: in quibus aureus coluber in ſinum dimittitur conſecratis, & eximitur rurſus ab inferioribus partibus, atque imis. Quo loco vide fusè horum ſacrorum originem planè inſulſam. In iiſdem ſacris ieiunabant. Liuius lib. 6. decadis 4. *Eorum prodigiorũ cauſſâ libros Sibyllinos ex SC. decemuiri cùm adiſſent renuntiarunt, ieiunium inſtituendum Cereri eſſe: & id quinto quoque anno ſeruandum.* Idque ex ritu Græco. Palæphatus: Νηστεύουσι δ᾽ εἰς τιμὴν τῆς Δήμητρος, ἢ γεραίροντες αὐτὴν ἰδίῳ τρόπῳ, &c. *Ieiunant verò in honorem Cereris, aut eam peculiari quodam ritu venerantes*, &c. Vbi & alias illius ſacri cerimonias recenſet. Maternus lib. citato cap. 28. *In Proſerpinæ ſacris cæſa arbor in effigiem virginis formámque componitur, & cùm intra ciuitatem fuerit illata quadraginta noctibus plangitur, quadrageſimâ verò nocte cõburitur.* Hæc ſacra per Græcam ſacerdotem matronæ albatæ faciebant. Ieiunia Cereris. Liuius lib. 2. decadis 3. poſt pugnam Cannenſem: *Adeò totam vrbem oppleuit luctus, vt ſacrum anniuerſarium Cereris intermiſſum ſit, quia nec lugentibus id facere eſt fas, nec vlla in vlla tempeſtate matrona expers luctûs fuerat.* Feſtus: *Græca ſacra*, &c. *Dum non eſſent matronæ quæ facerent, propter pugnam Cannenſem, & frequentiam lugentium inſtitutum eſt ne amplius triginta dies lugeretur.* Ouidius lib. 10. Metamorph.

Feſta piæ Cereris celebrabant annua matres,
Illa quibus niueâ velatæ corpora veſte
Primitias frugum dant ſpicea ſerta ſuarum.

GRÆCA] Supra ex Feſto Pompeio. Noſter Verrinâ de ſignis 115. *Nunc verò in communi omnium gentium religione, ínque his ſacris quæ maiores noſtri ab exteris nationibus adſcita, atque acceſſita coluerunt: quæ ſacra vt erant reuera, ſic appellari Græca voluerunt, negligentes ac diſſoluti, ſi cupiamus eſſe, qui poſſumus.* Loquitur de ſacris Cereris Ennenſis. Vide à §. 106. & Valerium lib. 1. cap. 1. vbi & iſta. *Cereríque quam more Græco venerari inſtituerant, ſacerdotem à Veliâ cùm id oppidum nondum ciuitatis nomen accepiſſet, Calcitanam peterent, vel, vt alij dicunt, Caliphenam: ne Dea vetuſtis ritibus perita deeſſet.* XXX. Græca ſacra.

VELIA.] Græca vrbs fuit, & colonia Phocẽſium. Nam vt ait Higinus apud Gellium lib. 10. cap. 16. Seruio Tullio Romæ regnante. *Qui ab Harpalo Regis Cyri Præfecto ex terra Phocide fugati ſunt, alij Veliam, partim Maſſiliam condiderunt.* Ciuitas autem Velienſibus data videtur bello XXXI. Velia.

lo

lo ſociali, paulò pòſt Gracchi necem. Vide Valerium loco citato, Tullium Verrinâ citata 108. Ideò autem hæc ſacra quibus raptus Liberæ, vt dictum eſt, per dies x l. plangebatur, externâ ſcientiâ, per ſacerdotes è Græciâ accerſitas faciebant, quia vt auctor eſt Dionyſius Halic. lib. 2. Ἑορτὴ παρ' αὐτοῖς οὐδεμία μελανείμων, ἢ πένθιμος κοπετοὺς ἔχουσα, καὶ θρήνους γυναικῶν ἐπὶ θεοῖς ἀφανιζομένοις. *Feſtum apud eos nullum eſt quod cum atra veſte, & luctuosâ, cum planctibus & lamentis mulierum, propter Deorum abitionem celebretur.* Nolo plura de Cereris ſacris. vide Firmicum & Arnobium locis iam antè laudatis, item Palæphatum de Cerere eiúſque ſacris fusè diſſerentem. Clementem Alexandrinum in Protreptico.

AXIOMATA.

Aſſiduus vſus hominis vni rei dediti & ingenium, & artem ſæpè vincit.

Sit hoc diſcrimen inter gratioſos ciues atque fortes vt illi viui fruantur opibus ſuis, horum etiam mortuorum viuat auctoritas immortalis.

Hominum ignobilium virtus nobilitatis inertiæ præferenda.

Peroratio à 56. ad finem.

- Sedatur
  - inuidia concepta
    - ob pecuniam: ſed ea
      - neque tam magna eſt, vt ſit inuidenda.
      - neque correpta, id eſt, rapinis & latrociniis parta.
      - ſed conſeruata, id eſt, à maioribus accepta.
    - ob luxum & ſumptus, ſed id ab inuidis iactatur
      - non proprio crimine libidinis.
      - ſed maledicto communi.
    - ob villam Tuſculanam inſtar montis extructam, quæ prius Qu. Metelli, & L. Craſſi fuerat, quaſi tam potens eſſet Cornelius, vt in bona & villas principum ciuitatis inuaderet. ſed
      - ea prius fuerat Soterici libertini hominis.
      - De Venonij Vindicij hominis obſcuri bonis ad Metellum peruenerat.
      - Prædiorum nulla gens eſt: ſed emptionibus ea ſolent, ſæpè ad alienos homines, ſæpè etiam ad infimos peruenire.
    - ob tribum Cruſtuminam, ad quam peruenerat præmio legis de ambitu.
    - lenitur inuidia per comparationem, quia alij legum præmiis aſſequuntur
      - prætoriam ſententiam.
      - togam prætextam.
    - ob adoptionem Theophanis Mitylenæi, qua nihil aſſecutus eſt præter hæreditates propinquorum.
  - odium excitatum
    - non proprio nomine, quia
      - 1. Neminem bonum non coluit.
      - 2. Nullius fortunæ dignitatíque non conceſſit.
      - 3. Cum diſſidentibus Cæſare & Bibulo Cæſari eſſet familiariſſimus, neminem aduerſæ partis offendit.
      - 4. Ciceronem his diſcordiis erectum ſubleuauit.
    - Sed nomine Cæſaris, & Pompeij amicorum. ſed
      - Æquius fuerat cum ipſis ducibus, quàm cum eorum amicis confligere.
      - Aut etiam ſuſceptas inimicitias deponere, eáſque non retinere niſi quamdiu
        - aut proficit.
        - aut certè non obeſt ciuitati.
      - Cum Cæſare præſertim, exemplo Senatus, qui Cæſarem à quo priùs diſſenſerat ornauit
        - nouo genere ſupplicationum.
        - ſtipendio.
        - decem legatis.
        - prorogatione imperij.
- Mitigātur Iudices
  - deprecatione
    - 1. Ne noceat Cornelio Cæſaris familiaritas, ob quam vel maximè laudandus eſt.
    - 2. Ne Cæſari in extremis terris res magnas pro Rep. gerenti triſtis nuntius de damnatione Cornelij perferatur.
    - 3. Meminerint ſe Iudices iudicare,
      - non de maleficio Cornelij,
      - ſed de beneficio Pompeij & multorum Imperatorum facto, qui alios fœderatos ciuitate donarunt.
  - recapitulatione rationum, quibus oſtenſum eſt, Cornelium non eſſe ciuitate priuandum.

LVI. INTELLIGO, Iudices, in cauſſa aperta, miniméque dubia, multo & plura, & à pluribus peritiſsimis eſſe dicta, quàm res poſtularet: ſed id factum eſt, non vt vobis rem tam perſpicuam dicendo probaremus, verùm vt omnium maleuolorum, iniquorum, inuidorum animos frangeremus: quos, vt accuſator incenderet, vt aliqui ſermones hominum alienis bonis mœrentium, etiam ad veſtras aures permanarent, & in iudicio ipſo redundarent, idcirco illa in omni parte orationis ſumma arte aſpergi videbatis: tum pecuniam L.Cornelij, quæ neque inuidioſa eſt, & quantacumque eſt, eiuſmodi eſt, vt conſeruata magis, quàm corrupta eſſe videatur: tum luxuriam, quæ non crimine aliquo libidinis, ſed communi maledicto notabatur: tum Tuſculanum, quod Qu. Metelli fuiſſe meminerat, & L.Craſſi: Craſſum emiſſe de libertino homine Soterico Marcio: ad Metellum perueniſſe de Venonij Vindicij bonis non tenebat, ſimul illud neſciebat, prædiorum nullam eſſe gentem: emptionibus ea ſolere ſæpè ad alienos homines, ſæpè ad infimos, non legibus, tanquam tutelas, peruenire.

LVII. Obiectum eſt etiam quòd in tribum Cruſtuminam peruenerit: quod hic aſſecutus eſt legis de ambitu præmio, minùs inuidioſo, quàm, qui legum præmiis prætoriam ſententiam, & prætextam togam conſequuntur. Et adoptio Theophanis agitata eſt: per quam Cornelius nihil eſt, præterquam propinquorum ſuorum hæreditates, aſſecutus. quamquam iſtorum animos, qui ipſi Cornelio inuident, non eſt difficillimum mitigare: more hominum inuident, in conuiuiis rodunt, in circulis vellicant, non illo mimico, ſed hoc maledico dente carpunt.

LVIII. Qui amicis L.Cornelij aut inimici ſunt, aut inuident, hi ſunt huic multo vehementiùs pertimeſcendi. nam huic quidem ipſi quis eſt vnquam inuentus inimicus? aut quis iure eſſe potuit? quem bonum non coluit? cuius fortunæ dignitatíque non conceſſit? verſatus in intima familiaritate hominis potentiſſimi, in maximis noſtris malis, atque diſcordiis neminem vnquam alterius rationis ac partis, non re, non verbo, non vultu denique offendit. fuit hoc ſiue meum, ſiue Reipubl. fatum, vt in me vnum omnis illa inclinatio communium temporum incumberet. non modò non exſultauit in ruinis veſtris, noſtríſque diſcordiis Cornelius, ſed omni officio, lacrymis, opera, conſolatione, omnes, me abſente, meos ſubleuauit, quorum ego teſtimonio ac precibus, munus hoc meritum huic, & vt, à principio dixi, iuſtam, & debitam gratiam refero, ſperóque, Iudices, vt eos, qui principes fuerunt conſeruandæ ſalutis, aut dignitatis meæ, diligitis, & caros habetis, ſic quæ ab hoc pro facultate huius, pro loco facta ſunt, & grata eſſe vobis, & probata.

LIX. Non igitur à ſuis, quos nullos habet, ſed à ſuorum, qui & multi & potentes ſunt, vrgetur inimicis: quos quidem heſterno die Cn. Pompeius copioſa oratione, & graui, ſecum, ſi vellent, contendere iubebat: ab hoc improbo certamine, atque iniuſta contentione auocabat. Et erat æqua lex, & nobis, Iudices, atque omnibus, qui noſtris familiaritatibus implicantur, vehementer vtilis, vt noſtras inimicitias ipſi inter nos geramus, amicis noſtrorum inimicorum temperemus.

LX. Ac, ſi mea auctoritas ſatis apud illos in hac re ponderis haberet, cùm me præſertim rerum varietate, atque vſu ipſo iam perdoctum viderent, etiam ab illis eos maioribus diſcordiis auocarem. Id enim contendere

mihi videtur è Repub. cùm id defendas, quod eſſe optimum ſentias, & id fortium virorum, & magnorum hominum ſemper putaui: neque huic vnquam labori, officio, muneri defui, ſed contentio tamdiu ſapiens eſt, quamdiu aut proficit aliquid, aut, ſi non proficit, non obeſt ciuitati.

Voluimus quædam, contendimus, experti ſumus: obtenta non ſunt: dolorem alij, nos luctum mœrorémque ſuſcepimus, cur ea, quæ mutare non poſſumus, conuellere malumus, quàm tueri? C. Cæſarem, Senatûs, & genere ſupplicationum ampliſsimo ornauit, & numero dierum nouo. Idem in anguſtiis ærarij victorem exercitum ſtipendio affecit, Imperatori decem legatos decreuit, lege Semproniâ ſuccedendum non cenſuit. Harum ego ſententiarum & princeps & auctor fui, neque me diſſenſioni meæ priſtinæ putaui potiùs aſſentiri, quàm præſentibus Reip. temporibus, & concordiæ conuenire. Non idem aliis videtur. ſunt fortaſſe in ſententia firmiores, reprehendo neminem: ſed aſſentior non omnibus, neque eſſe inconſtantis puto ſententiam aliquam, tamquam aliquod nauigium, atque curſum ex Reipub. tempeſtate moderari. LXI.

Sed, ſi qui ſunt, quibus infinitum ſit odium, in quos ſemel ſuſceptum ſit (quos video eſſe nonnullos) cum ducibus ipſis, non cum comitatu, aſſectatoribúſque confligant. Illam enim fortaſſe pertinaciam nonnulli, virtutem alij putabunt: hanc verò iniquitatem omnes, cum aliqua crudelitate coniunctam. Sed, ſi certorum hominum mentes nullâ ratione placare poſſumus, Iudices, veſtros quidem animos certè confidimus, non oratione noſtra, ſed humanitate veſtra eſſe placatos. LXII.

Quid enim eſt, cur non potiùs ad ſummam laudem huic, quàm ad minimam fraudem Cæſaris familiaritas valere debeat? cognouit adoleſcens: placuit homini prudentiſsimo: in ſumma amicorum copia cum familiariſsimis eius eſt adæquatus in prætura: in conſulatu præfectum fabrûm detulit: conſilium hominis probauit, fidem eſt complexus, officia, obſeruantiámque dilexit. fuit hic multorum illi laborum ſocius aliquando, eſt fortaſſe nunc nonnullorum particeps commodorum, quæ quidem ſi huic obfuerint apud vos, non intelligo, quod bonum cuiquam ſit apud tales viros profuturum. LXIII.

Sed quoniam C. Cæſar abeſt longiſsimè, atque in iis eſt nunc locis, quæ regione orbem terrarum, rebus illius geſtis imperium populi Romani definiunt: nolite per Deos immortales, Iudices, hunc illi acerbum nuntium velle perferri, vt ſuum præfectum fabrûm, vt hominem ſibi cariſſimum, & familiariſsimum, non ob ipſius aliquod delictum, ſed ob ſuam familiaritatem, veſtris oppreſſum ſententiis, audiat. Miſeremini eius, qui non de ſuo peccato, ſed de huius ſummi & clariſsimi viri facto, non de aliquo crimine, ſed periculo ſuo, de publico iure diſceptat: quod ius ſi Cn. Pompeius ignorauit, ſi M. Craſſus, ſi Qu. Metellus, ſi Cn. Pompeius pater, ſi L. Sulla, ſi L. Craſſus, ſi C. Marius, ſi Senatus, ſi populus Romanus, ſi qui de re ſimili iudicarunt, ſi fœderati populi, ſi ſocij, ſi illi antiqui Latini: videte ne vtilius vobis & honeſtius ſit, illis ducibus errare, quàm hoc magiſtro erudiri. LXIV.

Sed, ſi de certo, de perſpicuo, de vtili, probato, de iudicato vobis iure eſſe conſtituendum videtis; nolite committere, vt in re tam inueterata quidquam noui ſentiatis. Simul & illa, Iudices, omnia ante oculos veſtros LXV.

proponite, primùm eſſe omnes etiam poſt mortem reos clariſſimos illos viros qui fœderatos ciuitate donarunt: deinde Senatum, qui perſæpe hoc iudicauit: populum, qui iuſsit: Iudices, qui approbarunt, tum etiam illud cogitatote, ſic viuere, ac vixiſſe Cornelium: vt cùm omnium peccatorum quæſtiones ſint, non de vitiorum ſuorum pœna, ſed de virtutis præmio in iudicium vocetur. Accedat etiam illud, vt ſtatuatis hoc iudicio, vtrum poſthac amicitias clarorum virorum calamitati hominibus, an ornamento eſſe malitis. Poſtremò illud, Iudices, fixum in animis veſtris tenetote, vos in hac cauſſa non de maleficio L. Cornelij, ſed de beneficio Cn. Pompeij iudicaturos.

NOTÆ.

I. ALIENIS BONIS MOERENTIVM.] Notum illud,

Inuidus alterius rebus macreſcit opimis.

Statius 2. Theb. inuidiæ proprium eſſe dicit:

Inſultare malis, rebúſque ægreſcere lætis.

Inuidia. Valerius lib. 4. c. de amicitia extremis verbis, *Verùm nulla tam modeſta fœlicitas eſt, quæ malignitatis dentes vitare poſſit, & quo ſeceſſu quoſdam fungeris*, lege *& quos ſeceſſu quodam fugeris, aut quibus inſulis*, lege, *quos inſulis miſericordiæ permulſeris, non cohibebis ne vt alienis malis, perinde ac bonis ſuis lætentur, ac geſtiant. Diuites ſunt aliorum iacturis, locupletes calamitatibus, immortales funeribus: ſed illi quatenus alienis incommodis ſuorum adhuc expertes inſultent, optima vindex inſolentiæ varietas humanæ conditionis viderit.* Socrates apud Xenocratem 3. Memorabilium: Μόνους ἔφη φθονεῖν τοὺς ἐπὶ ταῖς τῶν φίλων εὐπραξίαις ἀνιωμένους. *Solos inuidere dicebat qui amicorum bonis mœrerent.* Atque hic mœror eſt illa,

-Liuida tabes Inuidiæ.-

vt cum Papinio loquar, de quâ pulchrè Iſocrates in Euagora: Φθόνος ᾧ τοῦτο μόνον πρόσεστιν ἀγαθὸν, ὅτι μέγιστον κακὸν τοῖς ἔχουσίν ἐστιν. *Inuidia cui ſolum illud eſt boni, quòd habentibus maximum eſt malum.* vnde & illud incerti auctoris in anthologia:

Ὁ φθόνος ἐστὶ κάκιστον, ἔχει δέ τι καλὸν ἐν αὐτῷ·
Τήκει τῶν φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην.

Peſſima res liuor, ſed habet laudabile quiddam:
Tabentes oculos, tabida corda facit.

Vel vt vertit Ioannes Saraſberienſis lib. 7. Policratici cap. 24.

Iuſtius inuidiâ nihil eſt, quæ protinus ipſum
Auctorem rodit, excrucians animum.

Quæ ſit autem inter inimicos & inuidos diuerſitas, quoniam id facit ad hunc locum, vide apud Plutarchum opuſculo ſingulari. Adde Ambroſium 2. de officiis cap. vltimo: *Filij fugite improbos, cauete inuidos. Inter improbum & inuidum hoc intereſt: improbus ſuo delectatur bono, inuidus torquetur alieno: ille diligit mala, hic bona odit: vt propè tolerabilior ſit, qui ſibi vult bene quàm qui malè omnibus.* Vide longè pulcherrima apud Baſilium Magnum homilia contra Inuidos.

II. Inuidioſum. NEQVE INVIDIOSA EST.] Magna & copioſa, vt Lyricus *inuidendam aulam* dixit, & alibi:

Cur inuidendis poſtibus & nouo
Sublime ritu moliar atrium.

Contra Græci ἀφθονον dixerunt. Quanta porro fuerit Cornelij pecunia, illud indicio eſſe poteſt, quod refert Dio lib. 48. Καὶ εἷς γε τῶν τότε ὑπατευσάντων Λεύκιος Κορνήλιος Βάλβος ἐγένετο Γαδειρεὺς τε ὢν καὶ πλούτῳ καὶ μεγαλονοίᾳ τοσαύτῃ τοὺς καθ' αὑτὸν ἀνθρώπους ὑπερενεγκὼν, ὥστε καὶ δωρεὰς τοῖς Ῥωμαίοις ἀνὰ πέντε καὶ εἴκοσι δραχμὰς τελευτῶν καταλιπεῖν. *Et eorum qui Conſules tum fuerunt fuit Lucius Cornelius Balbus, qui adeò omnes qui tum viuebant homines diuitiis & animi magnitudine ſuperauit, vt moriens ſingulis Romanis viginti quinque drachmas legauerit.* Id eſt, vnum aureum Romanum. Balbi diuitiæ.

III. Corrumpere. CONSERVATA MAGIS QVAM CORRVPTA.] Emendant *correpta*, quaſi diceret rapinis & expilationibus coaceruata. Non video cur neceſſe ſit hanc nouitatem inducere: corrumpi enim dicitur non ſolùm quod fit deterius, ſed etiam quod alterius rei mutatione quacunque ratione mutatur. Maro:

Nec caſiâ liquidi corrumpitur vſus oliui.

Perſius:

Hæc ſibi corrupto caſiam diſſoluit oliuo.

Conſeruauit igitur Balbus ſuum patrimonium, prout illud acceperat, non autem corrupit, id eſt, nouarum diuitiarum adiectione cumulauit. Id autem dicitur ad leniendam inuidiam, antiquis enim diuitiis quàm recentibus, præſertim per malas artes quæſitis, minus inuidetur. Pulchrè Themiſtius in Sophiſta cùm dixiſſet: Ποιεῖται μὲν γάρ που καὶ τἄλλ' ἀγαθὰ τοὺς κεκτημένους ἐπιφθόνους καὶ ἐπιβούλοις, καὶ βαρεῖς τοῖς τῶν αὐτῶν οὐ μετέχουσι, κἂν μηδὲν πω ἀδικοῦνται· ἐπεὶ τῷ πένητι οὐχ ἡδὺ ὁρᾶν τὸν πλούτῳ σεμνυνόμενον, καὶ τῷ ἀφίππῳ τὸν ἱππικὸν, καὶ τῷ ἀσθενεῖ τὸν ῥωμαλέον, &c. *Etiam alia bona poſſeſſores inuidiæ & inſidiis reddunt obnoxios, & graues iis qui non ſunt eorumdem bonorum participes, etiamſi nullâ penitùs afficiantur iniuriâ. Neque pauperi iucundum eſt videre alium diuitiis gloriantem, neque pediti equitantem, nec valentem infirmo.* Paulò pòſt ita ſedat inuidiam: ΟΥ γὰρ ἂν φαῦλον ἦν ἐλευθεριότητα καὶ μεγαλοπρέπειαν ἐπιδείκνυσθαι, οὐ μόνον ἐν λόγῳ καλῷ, [ἀλλὰ] καὶ ἔργῳ, μάλιστα ἐκ πλούτου δικαίου ἄνωθεν καταπόντος, οὗ αἱ πηγαὶ πόρρωθεν ῥέουσιν ἄγαν διαφανεῖς καὶ πραεῖαι, καὶ οὐδαμόσε αὐτὰς μολύνει ῥεῦμα ξυμμιγνύμενον ἀδικίας. *Neque enim malum eſt liberalitatem & magnificentiam non modò verbis honeſtis, ſed etiam factis oſtendere, maximè ex diuitiis iuſtis supernè, id eſt, ex maiorum patrimonio delapſis, quarum fontes limpidiſſimi fluunt & lenes, nec vnquam ipſos coinquinat iniuſtitiæ fluxus commixtus.* Diuitiæ hereditariæ minus inuidioſæ.

IV. COMMVNI MALEDICTO.] Vide Cœlianam 6. *Aliud eſt maledicere, aliud accuſare: accuſatio crimen deſiderat*, &c.

V. Tutela teſtamenti. TANQVAM TVTELAS.] Eſt tutela duplex, vt ex Petro Anchorano ſcribit Simon Scardius. teſtamentaria & legitima, quarum meminit præter Iuriſconſultos lex XII. tabularum. TV-

TORES. LIBERIS. IN. POTESTATE. TESTAMENTO. PARENTES. DANTO. SI. NON. SINT. DATI. AGNATI. QVI. SVCCESSIONEM. SPERANT. SVNTO. Tutela legitima. Hanc fuiſſe legis mentem planum eſt è iure ciuili, verba ipſa conficta eſſe ab Anchorano facilè crediderim. Teſtamentaria tutela eſt, quæ teſtamento ſiue codicillis dat tutores. Legitima quæ ex lege XII. tabularum agnatos efficit tutores, ſi teſtamento non ſunt dati. Vnde & Franc. Hotomannus hoc loco legendum putat:

Tanquam tutelas ad agnatos.

VI. IN TRIBVM CRVSTVMINAM PERVENERIT.] Aliæ tribus aliis honoratiores fuerunt, & ex vno in aliam honoris & præmij, aut etiam pœnæ dedecoríſque cauſsâ tranſibant. qua de re illuſtris eſt locus Liuij lib. 40. quem operæprecium fuerit paulò latius exhibere. Tribus aliæ aliis honoratiores. *In quatuor vrbanas tribus deſcripti erant libertini, præter eos quibus filius quinquennij maior ex S. C. eſſet.* Ergo libertini quibus filius quinquennij maior erat ex vrbanis tribubus in ruſticanas ex S. C. honoris cauſsâ promouebantur. pergit: *Eos vbi proximo luſtro cenſi eſſent, cenſeri iuſſerunt, & eos qui prædium prædiáve ruſtica pluris ſeſtertiûm triginta millium haberent, cenſendi ius factum eſt. Hoc cùm ita ſeruatum eſſet, negabat Claudius ſuffragij lationem iniuſſu populi cenſorem cuiquam homini, nedum ordini vniuerſo adimere poſſe. Neque enim ſi tribu moueri poſſet, quod ſit nihil aliud quàm mutare iubere tribum, ideo omnibus quinque & triginta tribubus emouere poſſe: id eſt, ciuitatem libertatémque eripere, non vbi cenſeatur finire, ſed cenſu excludere.* De hac autem tribu Liuius lib. 42. *Sp. Liguſtinus tribus Cruſtuminæ ex Sabinis ſum oriundus.* A Tuſcorum vrbe Cruſtuminâ ſiue Cluſtumina dicta eſt, auctore Feſto Pompeio. Ad quam tribum, cùm priùs recens in ciuitatem adſcriptus in inferiore cenſeretur, peruenit Cornelius Balbus præmio legis de ambitu. Variæ autem leges de ambitu fuerunt. verbi cauſsâ, vt recentiores attingam, Acilia & Calpurnia, de qua Dio lib. 36. Καὶ κατὰ τῶν τὸ δεκασμοῦ περὶ τὰς ἀρχὰς ἁλισκομένων ἐνομοθετήθη πρὸς αὐτῶν τῶν ὑπάτων μήτ' ἄρχειν, μήτε βουλεύειν σφῶν μηδένα, ἀλλὰ καὶ χρήματα προσοφλισκάνειν, Acilio & Piſone Conſulibus, Variæ leges de ambitu. *in eos qui in petitione magiſtratuum ambitûs conuicti eſſent, lex ab ipſis Conſulibus perlata eſt, vt neque magiſtratus gererent, neque in Senatu manerent, & inſuper pecuniâ multarentur.* Lex Tullia lib. 37. Ἔδοξε τῇ βουλῇ, &c. δέκα ἐτῶν φυγὴν, τοῦ Κικέρωνος ἐς τὰ μάλιστα ἐνάγοντος τοῖς ἐπιτιμίοις τοῖς ἐπὶ τῷ δεκασμῷ τεταγμένοις προσνομοθετῆσαι. *Decreuit Senatus, &c. Cicerone cum primis legem perferente, vt decem annorum relegatio pœnis ambitui irrogatis adderetur.* Præmia inſuper accuſatoribus qui reos detuliſſent & obtinuiſſent, ſunt legibus conſtituta, vt vel ex hoc loco liquet.

VII. PRÆTORIAM SENTENTIAM.] Qui curulem magiſtratum geſſerant iis, *antiquiorem in Senatu dicendæ, ſententiæ locum.* datum fuiſſe Cicero teſtatur Verrinâ de ſuppliciis §. 36. Ita opinor, vt primos omnium rogarent viros cenſorios, cùm ex eo ordine princeps Senatûs legeretur. vnde apud Liuium libro 27. Cornelius Ce- Ordo rogandi ſententias in Senatu. thegus: *Morem traditum à patribus ſequendum aiebat, vt qui primus Cenſor ex iis qui viuerent fuiſſet, eum principem legerent.* Verùm qui Cenſorij, iidem & conſulares fuerunt vt plurimùm, víxque prætura mandabatur niſi functis conſulatu. fuit enim cenſura quaſi reliquorum honorum apex & faſtigium. Quamuis, vt notat Liuius loco citato, *Creati Cenſores ambo qui nondum Conſules fuerant, M. Cornelius Cethegus, P. Sempronius Tuditanus.* Quare primi omnium rogati Conſulares, niſi Conſul deſignatus fuiſſet. Gellius lib. 4. Noct. Attic. cap. 10. *Aliàs primus rogabatur, qui à Cenſoribus princeps Senatus lectus fuerat: aliàs qui deſignati Conſules erant. Quidam è Conſulibus ſtudio aut neceſſitudine aliquâ adducti, quem iis viſum erat, honoris gratiâ extra ordinem ſententiam primùm rogabant. Obſeruatum tamen eſt, cùm extra ordinem fieret, ne quis quemquam ex alio quam ex Conſulari loco ſententiam primum rogaret.* Hic igitur ordo videtur fuiſſe. Rogabatur primo loco vel Princeps Senatus, vel Conſules deſignati. 2. Conſulares. 3. Prætorij. 4. Ædilitij. Nonnullis tamen honoris & præmij cauſsâ, quamuis magiſtratibus curulibus functi non eſſent, permittebatur vt inter Conſulares aut prætorios, aut etiam ædilitios dicerent ſententiam. in Vatinium 16. *Tertium ſcis ex illo obſeſſo atque afflicto tribunatu Conſularem auctoritatem hominem eſſe adoleſcentem conſecutum.* Quem in locum tum alia protulimus, tum illud ex Dione 36. de M. Cottæ damnatione: Γάϊον Κάρβωνα τὸν κατηγορήσαντα αὐτοῦ τιμαῖς ὑπατικαῖς, καίπερ δεδημαρχηκότα μόνον, ἐσέμνυναν. *C. Carbonem eius accuſatorem, honoribus Conſularibus, etſi tribunatum plebis duntaxat geſſerat, ornauerunt.*

PRÆTEXTAM TOGAM.] Non, opinor, VIII. magiſtratuum prætextam: (ea enim mandabatur, non legum præmiis, ſed populi ſuffragiis) ſed Senatorum, quàm ludorum & ſacrificiorum diebus gerere poterant, ij Senatores, qui vel ex geſtis magiſtratibus curulibus, vel ex legum præmiis Conſularem, prætoriam, ædilitiam auctoritatem obtinebant. Philippicâ 2. §. 110. *Quæro deinceps, non hodiernus dies, quis ſit ignores. Neſcis heri quartum in circo diem ludorum Romanorum fuiſſe. Teipſum autem ad populum tuliſſe, vt quintus præterea dies Cæſari tribueretur? cur non ſumus prætextati?* &c. De quo tamen in præſentiarum nihil affirmo eo loco plura dicturus.

ADOPTIO THEOPHANIS.] De hoc pro IX. Archia 24. *Quid Magnus hic noſter, qui cum virtute fortunam adæquauit, nónne Theophanem Mitylenæum ſcriptorem rerum ſuarum in concione militum ciuitate donauit?* Tacitus 6. annalium: *In* Balbus à Theophane adoptatus. *Pompeiam Macrinam exilium ſtatuitur, cuius maritum Argolicum, ſocerum Laconem è primoribus Achæorum Cæſar adflixerat. Pater quoque illuſtris eques Romanus ac frater prætorius, cùm damnatio inſtaret, ſeipſi interfecere. Datum erat crimini quod Theophanem Mitylenæum proauum eorum Cn. Magnus inter intimos habuiſſet: quodque defuncto Theophani. cœleſtes honores Græca adulatione tribuerat.* Porro cùm iſta verba *adoptatio Theophanis* duplici modo poſſint explicari, vel quòd Theophanes Balbum adoptarit, vel quòd à Balbo fuerit adoptatus conſtat ex hiſtoria & ipſo Cicerone Balbum Gaditanum à Theophane Mitylenæo fuiſſe adoptatum primo Iulij Cæſaris conſulatu. lib. 7. ad Atticum epiſt. 6. *Placet igitur etiam me expulſum? & agrum Campanum periiſſe? & adoptatum patricium à plebeio, Gaditanum à Mitylenæo? & Labieni diuitiæ, &*

Mamurræ placent? & Balbi hortus & Tuſculanum?

X. Maledico dente carpvnt.] Lyricis 3.carm.

Et iam dente minùs mordeor inuido.

Ioannes Sareſberienſis lib. 7. de nugis curialium cap. 24. *Vbique tamen qui illuſtrioribus clareſcunt meritis, acriùs inuidiæ toxicato dente roduntur.* Noti ſunt Inuidiæ:

-ſcabri rubigine dentes.

Græci eodem ſenſu maledicos & calumniatores δάκνειν dixerunt. Ariſtophanes in Ranis:

Ἑτοιμός εἰμ' ἔγωγε κοὐκ ἀναδύομαι
Δάκνειν, δάκνεσθαι πρότερος.-
Ego ſum paratus, nec reformido prior
Mordere, morderi.-

Plutarchus de amico & adulatore: Μήδιος ἐκέλευεν θαῤῥοῦντας ἅπτεσθαι, καὶ δάκνειν ταῖς διαβολαῖς, διδάσκων ὅτι κἂν θεραπεύσῃ τὸ ἕλκος ὁ δεδηγμένος, ἡ οὐλὴ μένει τῆς διαβολῆς. *Medius iubebat audacter carpere, & mordere calumniis, docens etiamſi qui morſus fuerat, plagam ſanaret, cicatricem nihilominùs manere.* Themiſtius orat. de amicitia: Κηλούμεθα γὰρ πολλάκις καὶ γανύμεθα δάκνουσι τὰ ἄκρα τῆς γλώττης μόνον ὁρῶντες, τὰ δ' ἐντὸς οὐκ ἐθέλοντες ἰδεῖν. *Titillamur verò & geſtimus mordentibus, primorem linguam videntes duntaxat, nec interiora videre cupientes.*

XI. Intima familiaritate.] Vide ſecundam Philippicam §.35. num. 1. *Intimus erat in tribunatu Clodio.*

XII. Hominis potentissimi.] Iulij Cæſaris, quo tempore Conſul multa contra Senatûs voluntatem faciebat. Vide orat. De prouinciis conſularibus 41.

XIII. Inclinatio.] Vide Sextianam 64. *Si commoueri omnia videbantur.*

XIV. Et erat æqva lex.] Videtur Demoſthenem in fine exordij orationis de corona præ oculis habuiſſe: Καίτοι πρὸς ἅπασιν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς ἄλλοις δικαίοις, οἷς ἂν εἰπεῖν τις ὑπὲρ Κτησιφῶντος ἔχοι, καὶ τοῦτ' ἔμοιγε δοκεῖ, καὶ μάλ' εἰκότως ἂν λέγειν, ὅτι τῆς ἡμετέρας ἔχθρας ἡμᾶς ἐφ' ἡμῶν αὐτῶν δίκαιον ἦν τὸν ἐξετασμὸν ποιεῖσθαι, οὐ τὸ μὲν πρὸς ἀλλήλους ἀγωνίζεσθαι παραλείπειν, ἑτέρῳ δ' ὅτῳ κακόν τι δώσομεν, ζητεῖν. *Atqui præter alias rationes, Athenienſes, quæ ad defenſionem Cteſiphontis afferri poſſent, hoc mihi æquiſſimum dici videtur, vt ipſi noſtras inimicitias inter nos diſceptemus, non autem dimiſſa inter nos concertatione, quæramus alium cui malum inferamus.*

XV. Id enim contendere.] Locus videtur corruptus. Quidam legunt, *Id enim contendere mecum de Repub.* alij, *Id enim contendere mihi videtur de Repub.* Palatini teſte Gruttero, *Id enim contendere mihi de Repub.* Lambinus, *Ita enim contendere mihi videtur è Repub.* Sed nondum locus perſanatus, neque ſubeſt vlla ſententia. Libenter legerim: *Etenim contendere de Repub. cùm id defendas, quod eſſe optimum ſentias, & fortium virorum & magnorum hominum ſemper putaui.*

XVI. Et genere svpplicationvm.] Vide de prouinciis conſularibus 26. In his duo ſpectat orator, & genus, & numerũ dierum. Aliæ ſupplicationes fuerunt nuntiatis prodigiis. vt apud Liuium paſſim: aliæ ante quam bellum ſuſciperent ad expoſcendam Deorum pacem. Li-

Supplicatio- uius lib. 3. *Supplicatio inde à Conſulibus in triduum ex S. C. indicta eſt, obſecratíque circa omnia puluinaria Dij, quod bellum cum Philippo populus iuſſiſſet, bene ac feliciter eueniret.* nes a[n]te bellum. Aliæ poſt nuntiatam Victoriam. Poſt nuntiatam victoriam. lib. 32. *Literæ Conſulum à Galliâ de geſtis proſperè ſub idem tempus Romam allatæ, M. Sergius Prætor vrbanus in Senatu eas, deinde ex auctoritate Patrum ad populum recitauit, ſupplicatio in quatriduum decreta.* Aliæ ſupplicationes ad compita, aliæ ad templa decretæ. lib. 38. *Supplicatio in triduum pro collegio Decemuirorum imperata fuit in omnibus compitis.* Supplicationes ad compita De templis paſſim. Ad templa. Modò ad vnicum templum, modò ad omnia. Ad vnum templum. lib. 40. *Decemuiri iuſſi adire libros edidere, quibus Diis & quot hoſtiis ſacrificaretur, & ab fulminibus complura loca deformata, ad ædem Iouis, vt ſupplicatio diem vnum eſſet.* lib. 21. *Romæ quoque & lectiſternium Iuuentæ, & ſupplicatio ad ædem Herculis nominatim, deinde vniuerſo populo circa omnia puluinaria indicta.* Vel ad omnia Aliæ cum minoribus hoſtiis, aliæ cum maioribus. lib. 45. nuntiatâ Pauli Æmilij victoriâ, *cùm Conſul edixiſſet, vt omnes ædes ſacræ aperirentur, pro ſe quiſque ex concione ad gratias agendas ire Diis: ingentique turbâ non virorum modò, ſed etiam fœminarum, confectâ totâ vrbe Deûm immortalium templa adierunt. Senatus reuocatus in Curiam ſupplicationes ob rem egregiè geſtam à Luc. Æmilio Coſſ. in quinque dies circa omnia puluinaria decreuit, hoſtiiſque maioribus ſacrificari iuſſit.* Cum hoſtiis maioribus, aut minoribus. lib. 45. *Decemuiri libros adire iuſſi ſupplicationem in diem vnum populo edixerunt, & quinquaginta capris in foro ſacrificauerunt: & aliorum prodigiorum cauſſâ diem alterum ſupplicatio circa omnia puluinaria fuit, & hoſtiis maioribus ſacrificatum eſt, & vrbs luſtrata.* Nonnunquam etiam hoſtiis lactentibus. lib. 37. *Supplicatio quoque earum religionum cauſſâ fuit, quibus Diis Decemuiri ex libris vt fieret ediderunt. Decem ingenui, decem virgines patrimi omnes matrimique ad id ſacrificium adhibiti: & decemuiri nocte lactentibus rem diuinam fecerunt.* Aut lactentibus. De hoc genere ſupplicationis virginum & puerorum frequenter Lyricus, vt in carmine ſeculari: Cum pueris patrimis matrimiſque.

Virgines lectas pueróſque caſtos, &c.

Et 4. carm. ode 1.

Illic bis pueri die
Nomen cum teneris virginibus tuum
Laudantes pede candido
In morem Salium ter quatiunt humum.

Aliæ ſupplicationes in vrbe tantùm, aliæ per totam Italiam indictæ. Liuius: Decemuirorum *Decreto ſupplicatio circa omnia puluinaria Romæ in diem vnum indicta eſt: iiſdem auctoribus & Senatus cenſuit, & Conſules edixerunt vt per totam Italiam triduum ſupplicatio, & feriæ eſſent.* Aut in vrbe tantùm. Aut per totã Italiam. Nonnunquam lectos ſternebant, & Deorum effigies ſuper puluinaria in propatulo ponebant. Liuius lib. 22. *Supplicatio edicta, &c. curatum lectiſternium & per triduum habitum. Decemuiris ſacrorum curantibus & puluinaria in conſpectu fuere. Ioui ac Iunoni vnum, alterum Neptuno ac Mineruæ, tertium Marti & Veneri, quartum Apollini ac Dianæ, quintum Vulcano & Veſtæ, ſextum Mercurio ac Cereri.* Lectiſternium. Deorum ſimulachra in propatulo poſita. Nonnunquam eaſdem effigies humeris deferebant. Dionyſius lib. 7. Τελευταῖαι δὲ πάντων αἱ τῶν Θεῶν εἰκόνες ἐπόμπευον, ὤμοις ὑπ' ἀνδρῶν φερόμεναι. *Poſtremæ verò omnium traducebantur Deorum effigies, virorum humeris delatæ.* Humeris delata. Nonnunquam, ſed rariùs ver ſacrum vouebant: *Quod*

Ver ſacrum. *ver attulerit ex ſuillo, ouillo, caprino grege, quæque profana erant Ioui fieri.* Vide Liuium lib. 22. Adde quod refert lib. 5. circa annum vrbis CDLVI. *Duumuiri ſacris faciundis, lectiſternio tum primùm in vrbe Romanâ facto, per dies octo Apollinem, Latonámque & Dianam, Herculem & Mercurium, atque Neptunum, tribus, quàm ampliſſimè tum apparari poterat, lectis placauere. Priuatim quoque id ſacrum celebratum eſt, tota vrbe patentibus ianuis, promiſcuóque vſu rerum omnium in propatulo poſito, notos ignotóſque paſſim aduenas in hoſpitio ductos fuiſſe, & cum inimicis quoque benignè ac comi- ter ſermones habitos, iurgiis ac litibus temperatum: vinctis quoque dempta in eos dies vincula: religioni deinde fuit, quibus Dij eam opem tuliſſent, vinciri.* Nonnunquam coronati ſupplicatum ibant. Cato lib. de re militari. *Vt populus ſuâ operâ potiùs ob rem bene geſtam coronatus ſupplicatum eat, quàm re malè geſta coronatus veneat.* Nonnunquam nudis pedibus ſupplicabant. Tertullianus apologet.

Aquilicia. cap. 40. *Aquilicia Ioui immolatis, nudipedalia populo denuntiatis.* Et aduerſus Pſychicos ſub finem: *Sed & omnem* ταπεινοφρόνησιν *Ethnici agnoſcunt.*

Nudipedalia. *Cùm ſtupet cœlum, & aret annus, nudipedalia denuntiantur, magiſtratus purpuras ponunt, faſces retrò auertunt, precem indigitant, hoſtiam inſtaurant. Apud quaſdam verò colonias præterea annuo ritu ſaccis velati & cinere conſperſi idolis ſuis inuidiam ſupplicem obiiciunt, balnea & tabernacula in nonam vſque clauduntur, vnus in publico ignis apud aras, aqua nec in lancibus Nineuiticum credo iuſtitium.* De numero dierum de Prou. conſ. 26. in Piſonem 45. De anguſtiis ærarij eadem de Prou. Conſ. 11. De ſtipendio & decem legatis 28. De lege Semproniâ 3. Perperam Pantagathus legit *Treboniâ* ex Dione 39.

XVII. EX REIP. TEMPESTATE MODERARI.] Vide epiſt. 9. lib. 1. ad familiares. Plancianam, & alibi ſæpe. Non pauca protulimus pro Milone, §. 2. ad illa verba, *cederem tempori.*

XVIII. IN PRÆTVRA.] Sic hunc locum interpungo. *Cum familiariſſimis eius eſt adæquatus in prætura: in Conſulatu Præfectum fabrûm detulit.* Id eſt Cornelius neſcio quem præfectum fabrûm malè ſe gerentem accuſauit, & ad Cæſarem Conſulē detulit: Cæſar conſilium Cornelij probauit, fidémque ita eſt complexus vt alterum ex officio deiecerit, hunc ad præfecturam fabrûm promouerit. De præfecto fabrûm ita Valtrinus noſter, lib. 3. de re militari Rom. cap. 10. *Præfectus fabrûm in binis legionibus vnus omninò fuit, id eſt in exercitu Conſulari. Itaque præfectus fabrûm Ciceronis vnus tantùm nominatur Q. Lepta ep. 7. lib. 3. famil. vnus etiam præfectus fabrûm in Appij exercitu appellatur epiſt. 8. eiuſdem libri. Cùm autem ſcribit Cæſar in ep. ad Oppium, quæ legitur lib. 9. ad Attic. duos præfectos fabrûm in ſuam poteſtatem veniſſe, vtrumque in binis legionibus præfectum fabrûm fuiſſe puto: vt duorum Conſulum exercitus qui à Pompeio regebantur, duos omnino præfectos fabrûm habuerit. Hic præfectus fabris præerat, machiniſque bellicis, vt ſcribit Vegetius lib. 7. cap.* 11. Hæc ille.

PERFERRI.] Vulgo *deferri.* Lambinus & Grutterus *perferri* ex S. Victoris, Gemblacenſi, Erfurdienſi. Sicut & paulò pòſt iidem legunt, & quidem elegantiùs. *Sed, periculo ſuo, de publico iure diſceptat.* ex Palatinis omnibus. non *ſed de periculo*, vt in vulgatis. XIX.

AXIOMATA.

Inuidi mœrent bonis alienis.

Inuidi viros bonos in conuiuiis rodunt, in circulis vellicant, & maledico dente carpunt.

Et erat æqua lex & nobis atque omnibus qui noſtris familiaritatibus implicantur, vehementer vtilis, vt noſtras inimicitias ipſi inter nos geramus, amicis noſtrorum inimicorum temperemus.

Fortis viri eſt contendere de Rep. cùm id defendas, quod eſſe optimum ſentias.

Cur ea quæ mutare non poſſumus, conuellere malumus, quàm tueri?

Non eſt inconſtantis ſententiam aliquam tanquam aliquod nauigium atque curſum ex Reip. tempeſtate moderari.

Committere non debemus vt in re inueterata quicquam noui ſentiamus.

EVENTVS.

Abſolutus Cornelius, vt dictum in præfatione.

IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM IN L. PISONEM.

PRÆFATIO.

QVI M. T. Cic. *orationem legit de Prouinciis Conſularibus, is fontem inſpexerit, vnde deducta hæc oratio, copioſo irarum æſtu L. Calpurnij Piſonis vitam famámque inundauit.* Nam cùm (*vt loquitur Aſconius Pædianus*) reuocati eſſent ex Prouinciis Piſo & Gabinius, ſententiâ Ciceronis quam dixerat de Prouinciis Conſularibus, Lentulo & Philippo Coſſ. reuerſus in ciuitatem Piſo de inſectatione Ciceronis conqueſtus eſt, & in eum inuectus, fiduciâ Cæſaris generi qui tum Gallias obtinebat. Piſoni Cicero reſpondit hac oratione. *Hæc Aſconius. Si quid tamen velis habere diſtinctius, genus cauſæ eſt demonſtratiuum, character ſublimis & magnificus, ſtatus eſt qualitatis, cuius quæſtiouis pars prior comparata eſt, & publica Piſonis in Conſulatu, prouinciæ adminiſtratione & reditu ſcelera complectitur. quam ita claudit 63. §.* (Iam vides, quandoquidem ita mihimet fui inimicus vt me tecum compararem) & digreſſum meum & abſentiam & reditum ita longè tuo præſtitiſſe, vt mihi illa omnia immortalem gloriam dederint, tibi ſempiternam turpitudinem inflexerint. *altera ſimplex à §. 64. ad 72. qua priuata Piſonis flagitia continentur, licet etiam decem ſequentibus paragraphis ſuſpicionem inimicitiarum Cæſaris & Pompeij à ſe amoliens, aliquid comparationis adferre videatur. Sequitur peroratio quæ à §. 82. ad finem, partim Piſonis auaritiam, libidinem, crudelitatem multis criminibus conglobatis exaggerat, & nominis delationem repetundarúmque iudicium comminatur.*

Inſectatio Piſonis.

- Vita publica ſiue magiſtratus per comparationem cum Cicerone.
  - minores magiſtratus. 2. quos adeptus eſt
    - Piſo
      - virtutis ſimulatione.
      - nobilitatis commendatione.
    - Cicero propria virtute.
  - Conſulatus à 3. ad 31.
    - partus.
    - geſtus.
  - Proconſulatus cum exilio Tullij collocatus. in quo ſpectantur
    - profectio. 31. 33.
    - abſentia à 33. ad 51.
    - reditus à 51. ad 64.
- Vita priuata à 64. cum digreſſione.
  - de verſu Ciceronis à 72. ad 75.
  - de amicitia Cæſaris & Pompeij cum Cicerone à 75. ad 82.
- Comminatione iudicij cum enumeratione criminum Piſonis ad 82. ad finem.

M. TVLLII CICERONIS ORATIO IN L. PISONEM.

ARGVMENTVM.

Piſonis indignitatem oſtendit, qui quamuis eſſet indolis planè ſeruilis & abiectæ, nullúmque aut domi aut foris eloquentiæ, prudentiæ, fortitudinis ſpecimen præbuiſſet, tamen virtutis fucatâ ſpecie, ſeueritatis ſimulatione, errore hominum, & commendatione maiorum ſuorum ad honores & magiſtratus obrepſerat.

DEEST PRINCIPIVM.

1. Iámne vides bellua? iámne ſentis, quæ ſit hominum querela frontis tuæ? nemo queritur, Syrum, neſcio quem, de grege nouitiorum, factum eſſe Conſulem. non enim nos color iſte ſeruilis, non piloſæ genæ, non dentes putridi deceperunt: oculi, ſupercilia, frons, vultus denique totus, qui ſermo quidam tacitus mentis eſt, hic in errorem homines impulit: hic eos, quibus eras ignotus, decepit, fefellit, induxit. Pauci iſta tua lutulenta vitia noueramus, pauci tarditatem ingenij, ſtuporem debilitatémque linguæ. nunquam erat audita vox in foro: nunquam periculum factum conſilij: nullum non modò illuſtre, ſed ne notum quidem factum, aut militiæ, aut domi. obrepiſti ad honores errore hominum, commendatione fumoſarum imaginum, quarum ſimile habes nihil, præter colorem.

EXPLANATIO.

IAMNE VIDES.] Hic locus vel ideò obſcurus eſt, quia exordium à quo dependet, temporis iniuriâ periit: neque enim audiendi ſunt ij qui integrum putant eſſe huius orationis exordium, refragantur ea fragmenta quæ referuntur ab Aſconio tantæ vetuſtatis & auctoritatis interprete. Et ſanè ſecundo fragmento, hæc verba præſcripta ſunt, CIRCA VER. A PRIMO LXXX. hæc igitur poſtrema pars eſt exordij qua Cicero dicit ſibi magiſtratus ex virtutis opinione, Piſoni ex ſola nobilitatis commendatione contigiſſe.

FRONTIS TVÆ.] Qua ad ſeueritatem compoſitâ ſic in errorem inducti ſunt, vt te ad honores & magiſtratus prouexerint.

NEMO QVERITVR.] Reddit rationem cur homines non de Piſonis indole peruerſa, ſed de fronte & virtutis ſimulatione conquerantur, hoc pacto:

Nemo queritur de tua promotione ad conſulatum, niſi ob eam cauſam qua deceptus eſt.

Sed ſimulatâ frontis ſeueritate, non autem indole ſeruili, quam tibi ex ipſius corporis notis externáque ſpecie ineſſe conſtabat, homines decepti ſunt.

Ergo nemo queritur quòd ſeruum aliquem & Syrum, ſed quòd hominem libidinoſum & nequam frontis integumento flagitia ſua obtegentem, ad Conſulatum homines virtutis ſimulatione decepti promouerint.

SYRVM.] Nota ſingulorum verborum energiam *Syrum* ait, quòd Syri eſſent ad ſeruitutem nati. Subiungit maioris contemptus causâ *neſcio quem*, eúmque Syrum appellat *de grege* & turba, vnum de multis, vile mancipium. neque de qualibet turba ſeruorum, ſed *de grege nouitiorum*, qui ne miniſteriis quidem ſeruilibus & officiis inſtructi ſunt.

COLOR ISTE SERVILIS.] Color ater, quales ſunt Syri, & cæteræ gentes natæ ad ſeruitutem. Hunc locum paucis mutatis libenter ita legerem, *Iámne* vides, &c. frontis tuæ (nemo queritur, &c. factum eſſe Conſulem.) Nos enim, nos color iſte ſeruilis, nos piloſæ genæ, nos dentes putridi *deceperunt*. quaſi diceret *Iámne vides*, ô Piſo, quemadmodum homines conquerantur quod eos frontis tuæ ſeueritate deceperis? Nemo autem de Gabinio conqueritur, quia ſimpliciùs & apertiùs fuit nequam, vt Gabinium *Syrum* appellet, quia Syriam prouinciam tùm obtinebat: *nouitium* ob familiæ obſcuritatem. Subdit rationem cur homines potiùs de Piſone conquerantur, quia atrum colorem, piloſas genas, dentes putridos, putabant eſſe virtutis indicium, quæ ſeruilem potiùs indolem indicabãt. Neque refert quod cùm dicit, *nos deceperunt*, mox ſe deceptum fuiſſe neget. *pauci noueramus*. Solent enim Oratores nonnunquam ſibi ipſis culpam tribuere, vt eam faciliùs & leuiùs in aliis reprehendant. Quod ſi velis minùs etiam mutare, eodem tamen ſenſu leges cum nota interrogationis. *Non enim nos deceperunt?* id eſt, *Nónne nos deceperunt?*

QVI SERMO.] Ex cuius ſolo aſpectu facilè mores cuiuſque noſcuntur.

FEFELLIT, INDVXIT.] Alij *fefellit, in fraudem induxit*, ego ſecutus ſum, Faërnum, Grutterum, &c.

LVTVLENTA VITIA.] Quædam exemplaria habent *luculenta*, quaſi magna & immania. ſed magis arridet vitia Piſonis dici *lutulcta*, quòd eſſet *amica luto ſus*, & *Epicuri de grege porcus*, nec ſolùm luxurioſus eſſet, ſed etiam ſordidè luxurioſus, vt infrà dicetur.

NVNQVAM ERAT AVDITA VOX.] Inductione probat Piſonem, nullum vnquam virtutis politicæ ſpecimen edidiſſe. virtus enim politica tribus maximè continetur. 1. in iudiciis cauſiſque forenſibus tractandis. 2. dicendâ in Senatu ſententiâ, & Reip. conſulendo. 3. in gerendis magiſtratibus, & arte militari. ſic pro Cœlio: *Poſtquam in curiâ, in roſtris, in Repub. floruiſſet.*

OBREPSISTI AD HONORES.] Magiſtratus obtinuiſti per fraudem te inſinuans, *& multos planè in omnes partes fefelliſti. eras enim hominum opinioni nobilitate ipſa blanda conciliatricula commendatus.*

FVMOSARVM IMAGINVM.] Nobilitatis, quæ imaginum, quas tibi maiores tui tradiderunt, multitudine ſignificatur: quæ imagines propter vetuſtatem fumo & fuligine conſperſæ nigredinem contraxerunt.

NOTÆ.

IAMNE VIDES, BELLVA, IAMNE SENTIS.] Videtur hîc eſſe correctio, quaſi dicat, Iámne vides, quamuis quid peto an videas? cùm hic ſenſus ſit nobilior, quàm vt tibi viliſſimæ belluæ tribuatur? Iámne ſentis ſaltem? qui ſenſus omnibus animantibus communis eſt, atque ex hac ſenſus ignobilitate Ariſtoteles problemate quodam oſtendit voluptatem quæ tactu percipitur belluinam eſſe, & omnium tœdiſſimam. Διὰ τί κατὰ τὴν τῆς ἁφῆς καὶ γεύσεως ἡδονὴν γιγνομένην ἂν ὑπερβάλλωσιν ἀκρατεῖς λέγονται; *Quare qui in voluptate tactus & guſtus modum excedunt, intemperantes dicuntur?* &c. Subdit: Οὐσῶν δὲ τῶν αἰσθήσεων πέντε, τὰ ἄλλα ζῶα ἀπὸ δύο μόνον τῶν προειρημένων ἥδεται, κατὰ δὲ τὰς ἄλλας ἢ ὅλως οὐχ ἥδεται, ἢ κατὰ συμβεβηκὸς τοῦτο πάσχει, &c. *Cùm ſentiendi genera quinque ſint, cætera animalia duobus tantùm quæ modò dixi, voluptatem ſibi acquirunt, cæteris vel nihil omninò delectantur, vel per accidens ita afficiuntur.* Vide Gellium lib. 19. cap. 2. I. Tactus & guſtus cæteris ſenſibus inferiores.

BELLVA.] Eos belluas vocamus qui ita ſe gerunt, vt non rationi, ſed belluinis cupiditatibus obſecundent, vnde in epiſt. Lyſidis Pythagorei ad Hipparchum cupiditates feris ſiluam incolentibus conferuntur. πυκιναὶ γὰρ καὶ βαθεῖαι λόχμαι περὶ τὰς φρένας καὶ τὴν καρδίαν ἐμπεφύκαντι. *Denſæ & profundæ ſiluæ circa mentem & cor naſcuntur.* Deinde: Ἐς κατὰ δεδύκαντι δὲ τῷ δάσει τούτῳ παντοῖαι κακότητες ἐκβοσκόμεναι, καὶ κωλύουσαι, καὶ μηδαμῶς ἐῶσαι προκύψαι τὸν λόγον. *Omnimoda prauitas ſub his vmbraculis paſcens deliteſcit, prohibens nec vllo modo ſinens vel tantiſper reſpicere rationẽ.* Hinc Ariſtoteles 3. policon c. 12. ὁ τὸν νοῦν κελεύων ἄρχειν. δοκεῖ κελεύειν ἄρχειν τὸν θεὸν, καὶ τοὺς νόμους. ὁ δ' ἄνθρωπον κελεύων προστίθησι καὶ θηρίον. *Qui mentem imperare iubet, Deum iubet & leges imperare. qui hominem iubet, & belluam adiungit.* Siquidẽ homo ex ratione qua ad Deum accedit, & ex belluâ ſine cupiditate conflatus eſt. Plato 9. de Rep. omnium pulcherrimè cupiditatem cum belluâ multicipite, iram cum leone, rationem cum homine comparauit. Πλάττε τοίνυν μίαν μὲν ἰδέαν θηρίου καὶ πολυκεφάλου, ἡμέρων δὲ θηρίων ἔχοντος II. Vitia belluina. Cupiditates belluinæ

κεφαλὰς κύκλῳ καὶ ἀγρίων. *Effinge mihi ſpeciem belluæ multicipitis, habentis circa ſe capita belluarum cicurum & ferarum.* Μίαν δὴ τοίνυν ἄλλην ἰδέαν λέοντος, μίαν δὲ ἀνθρώπου. πολὺ δὲ μέγιστον ἔστω τὸ πρῶτον καὶ δεύτερον, δεύτερον τὸ δεύτερον. ταῦτα, ἔφη, ῥᾷον καὶ πέπλασται. σύναπτε τοίνυν αὐτὰ εἰς ἓν τρία ὄντα, ὥστε πῃ ξυμπεφυκέναι ἀλλήλοις. Συνῆπται, ἔφη, περίπλασον δὲ αὐτοῖς ἔξωθεν ἑνὸς εἰκόνα τὴν τοῦ ἀνθρώπου. ὥστε τῷ μὴ δυναμένῳ τὰ ἐντὸς ὁρᾶν, ἀλλὰ τὸ ἔξω μόνον ἔλυτρον ὁρῶντι, ἓν ζῶον φαίνεσθαι ἄνθρωπον. *Vnam igitur aliam effigiem leonis, aliam hominis effinge, ita vt prima quidem & ſecunda ſint tertiâ longe maiores, ſecundum verò magnitudinis modum obtinent ſecunda. Hæc, inquit, longè faciliùs efficta ſunt. Has igitur tres figuras ſic inter ſe conuerte, vt ſibi cohæreant & aptæ ſint ex ſeſe, conuexa ſunt,* inquit, *circum autem & aliam hominis figuram efforma, vt ei qui interiora videre non poterit, ſed exterius videbit inuolucrum vnum animal & homo vnus appareat.* Subdit quod is qui vitiis & cupiditatibus obtemperans, id ſibi dicit expedire. Οὐδὲν ἄλλο φησὶν ἢ λυσιτελεῖν αὐτῷ τὸ παντοδαπὸν θηρίον εὐωχοῦντι ποιεῖν ἰσχυρὸν, καὶ τὸν λέοντα, καὶ τὰ περὶ τὸν λέοντα, τὸν δὲ ἄνθρωπον λιμοκτονεῖν καὶ ποιεῖν ἀσθενῆ, ὥστε ἕλκεσθαι ὅπῃ ἂν ἐκείνων ὁπότερον ἄγει. καὶ μηδὲν ἕτερον ἑτέρῳ ξυνεθίζειν, μηδὲ φίλον ποιεῖν, ἀλλ' ἐᾶν αὐτὰ ἐν αὐτοῖς δάκνεσθαί τε καὶ μαχόμενα ἐσθίειν ἄλληλα. *Nihil aliud dicit ſibi expedire, quàm omnimodum illud animal & leonem frequenter pabulo roborare, fame hominem enecare, aut ita debilem efficere, vt quamcunque in partem vtrumuis eorum duxerit, rapiatur. nec alterum alteri conciliare, ſed permittere vt illa ſe inuicem mordeant, inuicem mordeantur, deuorentque ſe inter ſe pugnantia.* Sed ne te diutiùs morer vide Ariſtotelem cap. 1. lib. 7. Ethicorum. vide Chryſoſtomum homilia 3. in epiſt. ad Romanos in morali. θηρίον ἐν μορφῇ ἀνθρώπου vocat Themiſtius orat. 5.

III. Syrorum natio, ſeruilis. S Y R V M.] Syri nomen plerumque pro ſeruo vſurpatur à natione. Sic apud comicos Seruum Syri nomine reperias. huc pertinet quod Cic. lib. 2. de orat. §. 265. M. Ciceronis aui, ni fallor, ſui dictum refert. *Noſtros homines ſimiles eſſe Syrorum venalium: vt quiſque maximè Græcè ſciret, ita eſſe nequiſſimum.* & oratione de Prouinciis Conſularibus. §. 10. *Syris & Iudæis nationibus natis ſeruituti.* Liuius lib. 45. *Multa nomina gentium inauditarum, Dahas, & Medos & Caduſios & Elymæos, Syros omnes eſſe haud paulò mancipiorum meliùs propter ſeruilia ingenia quàm militum genus.* Et lib. 46. *Syri & Aſiatici Græci ſunt leuiſſima genera hominum, & ſeruituti nata.* Xenophon certè lib. 2. de factis & dictis Socratis inter nationes ſeruituti natas Syros etiam numerauit. talis ille à Iuuenale ſat. 1. deſcribitur.

Natus ad Eufratem, molles quod in aure feneſtræ
Arguerint, licet ipſe neget.

& de Syris propriè ſat. 6.

-- longorum vehitur ceruice Syrorum.

& ſatyra tertia de gregibus nouitiorum loquens, qui Romam è Syriâ confluebant.

Iampridem Syrus in Tyberim defluxit Orontes.

Sic apud Plutarchum Idathyrſus Rex Scytharũ Syros aliáſque Aſiaticas gentes, ἀνδράποδα χρηστὰ καὶ ἄνδρεια ἐκάλει, *bona & ignaua mancipia vocabat.* Non omittam quod ex Strabone lib. 13. de Syris loquente aptiſſimè Turnebus annotauit ex Delo fieri ſolitam Syrorum τῶν ἀνδραπόδων ἐξαγωγὴν, *mancipiorum deportationem.* vide quæ paulò pòſt ex Ioſepho referemus, & Martialem lib. 10. ep. 76. *Ciuis non Syriæve, Parthiæve*
Nec de Cappadocis eques cataſtis.

D E G R E G E.] Gregem per contemptum appellat. Iuuenalis de Ægyptiis ſat. 6. IV. Grex per contemptum.

Qui grege linigero circundatus, & grege caluo
Plangentis populi currit latrator Anubis.

& ſat. 9. *--& duo fortes*
De grege Myſorum.- item ſat. 1.
Cùm populum gregibus comitum premat hic ſpoliator
Pupilli proſtantis.

Poſt reditum in Senatu non Syrum, ſed Cappadocem dixit., *Cappadocem modò abreptum de grege venalium diceres.*

N O V I T I O R V M.] Nouitius venalitius dicitur, qui recens alicunde aduenerit. idem, qui ſæpe iam laudatus eſt, Iuuenalis ſat. 3. V. Nouitius.

--tetrúmque nouitius horret
Porthmea.

qualis ab eodem ſat. 1. deſcribitur.

Nuper in hanc vrbem pedibus qui venerat albis.

Alphenus Iureconſultus tradit, *Eſſe purum putum valde purum, ſicut nouum nouitium dicimus, & proprium propitium, augere atque intendere volentes noui & proprij ſignificationem.* Id Aulus Gellius lib. 6. noct. Attic. c. 5. reprehendit, quàm benè, iudicet lector. *Id etiam mirum fuit, quod nouitium per augendi figuram dictum exiſtimauit: cùm ſit nouitium, non quod magis nouum ſit, ſed quod à nouo dictum inclinatúmque ſit.* Porrò nouitij nomen etiam Plautus in Captiuis ſeruo coniunxit:

Recens captum hominem nuperum & nouitium.

Vide Quintilianum lib. 8. cap. 9. *Et venales, nouitios.* Martianus D. de publicanis lege 15. *Veterana mancipia ſunt, quæ anno in vrbe ſeruierunt: nouitia autem intelliguntur, quæ anno nondum ſeruierunt.* Notandus etiam Venuleij locus D. de Ædilitio edicto, lege 65.

C O L O R I S T E S E R V I L I S.] Atrum colorem intelligit proprium, vt notat Ammianus lib. 33. Aſiaticis nationibus natis ſeruituti. de Syris peculiariter Strabo. Λευκόσυροι καλοῦνται ὡς ἂν ὄντων τινῶν Σύρων καὶ μελάνων. *Leucoſyri vocantur ex eo quòd ſint alij Syri nigro colore.* Et Euſtathius in Dionyſij periegeſim: Καὶ λευκόσυροι λέγονται πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν ἑτέρων μελαγχρόων Σύρων. *Ad diſtinctionem quorundam atri coloris Syrorum Leucoſyri nominantur.* Plato in Phædro, inter alias prauæ indolis notas videtur numerare, ſi quis ſit μελάγχρως *nigri coloris*, contra verò ſi λευκὸς ἰδεῖν, de quo Ariſtoteles in phyſiognomicis eſt conſulendus. lepidum eſt & illud Martialis. VI.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luſcus Color ſeruilis ater.
Rem magnam præſtas Zoile ſi bonus es.

Lucianus in Paraſito. Καὶ τὸ χρῶμα ἡδὺς, οὐ μέλας δὲ, οὐδὲ λευκός. τὸ μὲν γὰρ, γυναικί. τὸ δὲ δούλῳ προσέοικεν. *Et colore iucundus, non ater, aut candidus. ille enim mulieri, hic ſeruo quadrat.* Atri autem coloris fuiſſe Piſonem etiam ſuperiùs teſtatus fuerat, in fragmentis quæ ab Aſconio referuntur: *qui colore ipſo patriam aſpernaris, oratione genus.* Patriam, id eſt Galliam quæ nomen à lacte ſortita eſt. Mox infrà: *Fumoſarum imaginum, quarum ſimile habes, nihil præter colorem.*

P I L O S Æ G E N Æ.] Feſtiuè piloſum deſcribit Lucillius lib. 2. Anthologiæ cap. 26. εἰς κουρέας epiſt. 1. VII. Piloſus.

Τὸν λασιωῦ Ἑρμογένην ζητεῖ πόθεν ἄρξεθ' ὁ κουρεὺς
Κείρειν τὴν κεφαλήν, ὄντ' ὅλον ὡς κεφαλήν.

Villoſi Hermogenis tonſor petit vnde capillos
Tondere incipiat, totus enim caput eſt.

Et lepidiùs Iulianus eodem l. c. 13. εἰς λασιώδεις epiſt. 15.

Ἀμητὸς πολὺς ἐστὶ τέων κατὰ δάσκιον ὄψιν
Τῷ σε χρὴ δρεπάνοισι, καὶ οὐ ψαλίδεσσι κάρεσθαι.

Multa tibi vultum cùm barba meſſis obumbret
Tonderi facies tibi falce, haud forſice debet.

Pili malæ indolis indicia. Plato in Phædro inter alia malæ indolis indicia ponit, ſi quis ſit περὶ ὦτα λάσιος, *circa aures piloſus.* Et eam ob cauſam Antiocheni Iuliano pilos & barbam exprobrabant, vt ipſe teſtatur in Miſopogone. ὅτι ἐκ τοῦ πώγωνός μου πλέκειν δεῖ σχοινία. *ex meâ barbâ funes eſſe texendos.* Addam ex Ioſepho 6. de excidio, cap. 5. locum quo tria ſuperiùs dicta confirmem. 1. Syros abiectam fuiſſe nationem. 2. colorem atrum. 3. pilos eſſe abiectæ & ignauæ mentis indicia. Σαβῖνος τοὔνομα γένος ἀπὸ Συρίας ἀνὴρ, καὶ κατὰ χεῖρα, καὶ κατὰ ψυχὴν ἄριστος ἐφάνη, καί τοι πρὶν ἰδὼν ἄν τις αὐτὸν ἀπό γε τῆς σωματικῆς ἕξεως οὐ δίκαιον εἶναι στρατιώτην ἔδοξε. μέλας μὲν γὰρ ἦν τὴν χρόαν, ἰσχνὸς τὴν σάρκα, πεπιλημένος, ἀλλ' ἐνῴκει τις ἡρωϊκὴ ψυχὴ λεπτῷ σώματι, καὶ πολὺ τῆς ἰδίας ἀλκῆς στενοτέρῳ. *Sabinus nomine, Syrus natione, vir & animo & manu fortiſſimus apparuit. Etiamſi qui illum intuitus virtutem habitu corporis menſus fuiſſet, eum ne iuſtum quidem militem eſſe credidiſſet. Etenim colore niger erat, corpore gracilis & piloſus, & in tenui corpore, & viribus anguſtiore heroïca quædam virtus habitabat.* Lepidè Syneſius in caluitij encomio. Ὥσπερ ἄνθρωπος τῶν ἐπὶ γῆς φρονιμώτατόν τε καὶ ὁμοῦ ψιλότατον. οὕτως ὁμολογεῖται μὲν τῶν βοσκημάτων ἁπάντων πρόβατον ἠλιθιώτατον εἶναι. ὥστε κινδυνεύει τὸ τῶν τριχῶν τοῦτο πρᾶγμα πόλεμον ἔχειν πρὸς φρόνησιν. *Quemadmodum homo omnium qui in terrâ degunt animantium eſt, & prudentiſſimus & pilo maximè deſtitutus, ſic in confeſſo eſt pecudum omnium ſtupidiſſimam ouem eſſe. Quare probabile eſt inter pilos & prudentiam bellum eſſe & diſcordias.* Subdit: ὄψις δὲ πάντων θειότατον, ἀλλὰ καὶ ψιλότατον. *viſus omnium diuiniſſimũ, ſed & glabriſſimum.* Benè autem Cic. non pilos, ſed piloſas genas, ad malæ indolis indicium nominauit. nam genæ ſunt vel ipſæ palpebræ, vel pars oculis ſubiecta. Feſtus Pompeius. *Genas Ennius palpebras putat, cùm dicit hoc verſu,*

Genæ. *Pandite ſulti genas, & corde relinquite ſomnum.* *alij eas partes putant genas dici quæ ſunt ſub oculis.* qua de re Plinius cap. 37. lib. 11. eſt conſulendus. Subdit Feſtus: *Pacuuius genas putat eſſe, quâ barba primùm oritur, hoc verſu.*

Nunc primum opacat flore lanugo genas.

Virgilius 8.

Tum mihi prima genas veſtibat flore iuuentus.

Statius 4. Th.

Dum roſeis venit vmbra genis.

Plinius loco citato: *Antiqui malas genas vocabant, quas 12. tabulis fœminis radi vetabant.* quem in locum vide Notas Dalecampij, ex quibus ni fallor, intelligis verba Platonis, τὰ περὶ ὦτα λάσιος optimè piloſis genis conuenire, genæ enim hoc ſenſu acceptæ proximè auriculis ſubiectæ ſunt. Quòd ſi genas primo, immò & ſecundo ſenſu capiamus, cum Plinio eodem cap. dicente ineſſe cilium. *Quadrupedibus in ſuperiore tantùm genâ, volucribus in inferiore, nec genæ quidem omnibus, grauiores alitum inferiore genâ conniuent.* Si, inquam, genas hoc ſenſu capiamus, piloſas habere genas laudi potiùs quàm vitio tribuetur. Ariſtoteles in phyſiognomicis: Οἱ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς προσαντιφυκυίας ἔχοντες τὰς τρίχας ἐπὶ τοῦ μετώπου κατὰ τὴν ῥῖνα ἐλευθέριοι, ἀναφέρεται ἐπὶ τὴν εὐπρέπειαν. ὅτι δουλοπρεπὲς τὸ φαινόμενον. *Qui ad caput aſſitos habent pilos, ad frontem ſecundùm nares, ij ſunt liberi. hoc ad decentiam refertur: quia nudari ſeruile eſt.* Non abludit Homerus cùm 2. Iliados Therſitem glabrum depingit 2. Iliados: — Pili ingenuitatis ſignum.

αὐτὰρ ὕπερθε
Φοξὸς ἔην κεφαλήν, ψεδνὴ δ' ἐπενήνοθε λάχνη.
--deſuper autem
Vertice acutus erat, rarâ lanugine tectus.

Et incertus ille Poëta lib. 2. Anthologiæ cap. 3. εἰς αἰσχροὺς epiſt. 6. — Caluities.

Ἢν ἐσίδῃς κεφαλὴν μαδαρὴν καὶ στέρνα καὶ ὤμους
Μηδὲν ἐρωτήσῃς, μωρὸν ὁρᾷς φαλακρόν.

Cùm glabrum caput atque humeros pectúſque videbis,
Noris te ſtultam cernere caluitiem.

Sed ne nobis calui ſuccenſeant palinodiam recantemus, dicamúſque cum Syneſio in encomio caluitij. Οὔτε ἀκρόδρυον ἐν τῷ φυτῷ πρὶν ἀποξηνθῆσαι, νοῦς τ' ἐκ ἂν παραγένοιτο κεφαλῇ, πρὶν τελειωθεῖσαν ἀποσκευάσηται τὰ περιττὰ· καθάπερ ὑπὸ πτύου τοῦ χρόνου, καὶ πᾶσαν ἀποσκευάσασθαι τὴν φλυαρίαν τῆς φύσεως. *Neque nux in arbore priuſquàm defloreſcat, neque mens in capite naſcitur, priuſquam ſuam perfectionem attingens illam capillorum ſuperfluitatem eiecerit, & ipſo tempore tanquam ventilabro illas laſciuientis naturæ nugas excuſſerit.*

VIII. Dentes putridi ſtoliditatis indiciũ. NON DENTES PVTRIDI.] Quia nimirum pituita & dentes putreſcunt, & mens obtunditur. de mente Perſius:

Somnia pituita qui purgatiſſima mittunt.

De dentibus Plinius lib. 7. cap. 16. *Dentes flammis indomiti cauantur tabe pituitæ.* & ideò alterum altero ſignificatur, quòd ab iiſdem cauſis oriantur. Sidonius certè, *dentes buxeos*, pro malæ mentis indicio nominauit.

IX. Frons & oculi ſpecula animi. QVI SERMO QVIDAM TACITVS MENTIS EST.] Nonnus lib. 3. Dionyſiacon, v. 224. ἀσάκτων

Αὐτόματοι κήρυκες ἀναυδέες εἰσὶν ὀπωπαί.
Vltro præcones taciti ſunt lumina Regum.

Seneca in Hercule Oetæo:

--licet ipſa neges
Vultus loquitur, quodcunque negas.

& lib. 33. v. 26.

--ἐκ δὲ προσώπου
Πασιθέης ἐνόησεν ἄχος κήρυκι σιωπῇ.
--vultu
Paſitheæ agnouit tacito præcone dolore.

Heliodorus 2. τὸ κρυπτόμενον βούλημα τῆς ψυχῆς τῷ βλέμματι καταμηνύων. *Occultam animi ſententiam vultu declarans.* Ouidius 1. de Arte:

Atque oculos oculis ſpectare fatentibus ignem:
Sæpe tacens vocem verbáque vultus habet.

Quintilianus lib. 9. *Sed in ipſo vultu plurimùm valent oculi, per quos maximè animus emanat, vt citra motum quoque & hilaritate eniteſcant, & triſtitiâ quoddam nubilum ducant.* & Q. Cicero de petitione Conſulatus vultum & frontem, *animi ianuam.* M. Tullius primâ Tuſculanâ oculos *animi feneſtras* appellat. Latinus Pacatus in panegyrico: *Fingit quidem vt ſcimus timor gaudium, ſed ita intimos mentis affectus proditor vultus enuntiat, vt in ſpeculo frontium, imago extet animorum.* Plinius vndecimo libro, cap. 36. *Facies homini tantùm: cæteris os aut roſtra: frons & aliis, ſed*

ſed homini tantùm triſtitiæ, hilaritatis, clementiæ, ſeueritatis index, in aſſenſu eius. De oculis idem: *Nulla in parte maiora animi indicia: profectò in oculis animus inhabitat.* Et paulò pòſt: *Hos cùm oſculamur, animum ipſum videmur attingere.* Sed de his Ariſtoteles in phyſiognomicis,& D. Baſilius homilia vltima in Hexameron ſunt conſulendi. ſic Tibullus eleg. vltima lib. 21. *Oculos loquaces* nominauit S. Orientius in Commonitorio.

Nam malè permixto ludentia lumina viſu
Blandè ſæpè ſolent ore tacente loqui.

X. Nobiles magiſtratus promouendi.

OBREPSISTI AD HONORES.] Bene honores & magiſtratus nobilitati tribuuntur, cùm nobiles, vt ait Plato, qui gerendis magiſtratibus deſtinantur, ex auro diuino cõflati ſint.3. de Rep. ὁ θεὸς πλάττων, ὅσοι μὲν ὑμῶν ἱκανοὶ ἄρχειν χρυσὸν ἐν τῇ γενέσει συνέμιξεν αὐτοῖς, διὸ τιμιώτατοί εἰσιν· ὅσοι δ' ἐπίκουροι ἄργυρον, σίδηρον δὲ καὶ χαλκὸν τοῖς τε γεωργοῖς καὶ τοῖς ἄλλοις δημιουργοῖς. *Deus hominem fingens, in eorum productione qui apti ſunt ad gerendos magiſtratus, aurum immiſcuit. quare ſunt honore digniſsimi in militibus argentum, æs & ferrum in agricolis, & cæteris artificibus.* Et verò dubium non eſt, quin nobilitas ſit blanda conciliatricula, vt dicitur pro Sextio §.11. *Erat enim hominum opinioni nobilitate ipſa blanda conciliatricula commendatus. omnes boni ſemper nobilitati fauemus, & quia vtile eſt reip. nobiles homines eſſe dignos maioribus ſuis, & quia valet apud nos clarorum hominum & bene de Rep. meritorum memoria etiam mortuorum.* Quem in locum nos plura annotamus. Fuit tamen hic hominum error, qui non aduerterunt vtrùm hic degener à maiorum ſuorũ virtute deflexerit, & vtrùm

Annulus aurato mendax ſubtinniat ære.

Neque enim nobilis præficiendus eſt magiſtratibus licet: *-omnem Titanida pugnam*
Inter maiores ipsúmque Promethea ponat.
Nil niſi Cecropides truncóq; ſimillimus Hermæ.

Plato ibidem: Τοῖς οὖν ἄρχουσι καὶ πρῶτον καὶ μάλιστα παραγγέλλει ὁ θεὸς, ὅπως μηδενὸς οὕτω φύλακες ἀγαθοὶ ἔσονται, μηδ' οὕτω σφόδρα φυλάξουσι μηδὲν, ὡς τοὺς ἐκγόνους, ὅ, τι αὐτοῖς τούτων ἐν ταῖς ψυχαῖς παραμέμικται. καὶ ἐάν τε σφέτερος ἔκγονος ὑπόχαλκος, ἢ ὑποσίδηρος γένηται, μηδενὶ τρόπῳ κατελεήσουσιν, ἀλλὰ τὴν τῇ φύσει προσήκουσαν τιμὴν ἀποδόντες ὤσουσιν εἰς δημιουργοὺς, ἢ εἰς γεωργούς. καὶ ἂν αὖ ἐκ τούτων τις ὑπόχρυσος ἢ ὑπάργυρος φυῇ, τιμήσαντες ἀνάξουσι, τοὺς μὲν εἰς φυλακὴν, τοὺς δ' εἰς ἐπικουρίαν. ὡς χρησμοῦ ὄντος τότε τὴν πόλιν διαφθαρῆναι ὅταν αὐτὴν ὁ σίδηρος, ἢ ὁ χαλκὸς φυλάξῃ. *Magiſtratibus id primùm & maximè Deus denuntiat, nihil vt magis habeant curæ quàm vt obſeruent & omni ſagacitate indagent, quónam metallo liberorum ſuorũ indoles ſit temperata: & ſi liberos ſuos intus è ferro aut ære conflatos aduerterint, nullâ eorum miſeratione moueãtur, ſed honorẽ ipſorum indoli debitum habentes, eos in agricolarum aut artificum ſeriem detrudant. & ſi ex iis quempiã intus aureum aut argentum eſſe deprehenderint, honorem iis habeant, illos ad magiſtratus, hos ad militiã promouentes, quaſi redditum ſit diuinitus oraculum, tunc vrbem eſſe perituram cùm eam æs aut ferrum cuſtodiet.* Vnde & de Seppio Leſſio homine ferreo, ſiue mores, ſiue maiores inſpicias, ait Liuius dec.3.l.6. *Mediaſtucius, qui ſummus magiſtratus apud Campanos eſt, eo anno Seppius Leſsius erat, loco obſcuro tenuique fortunâ ortus: matrem eius quondã pro pupillo eo procurantem familiare oſtentum, cùm reſpondiſſet Aruſpex, ſummum quod eſſet imperium Capuæ peruenturum ad eum puerum, nihil ad eam ſpem agnoſcentem dixiſſe ferunt: Tu perditas res Campanorum narras, vbi ſummus honos ad filium meum peruenerit, ea ludificatio veri, & ipſa in verum vertit.* Sed plura nõ addam, cùm Tiraquellus lib. de nobilitate c.20. rem ex profeſſo eruditè tractauerit. de proprietate verbi *obrepere*. Budæus annotationibus reliquis in Pandectas. Obrepere ad magiſtratum dicitur, qui falſa ſpecie vel probitatis, vel doctrinæ ad magiſtratus aſſumitur: &, vt vulgo loquimur, per hypocriſim. *Obrepſiſti ad honores.* παρεισῆλθες εἰς τὰς ἀρχάς. pro Plancio. *Quid ſi doceo Cn. Plancium non obrepſiſſe ad honores, ſed eo veniſſe curſu, qui ſemper patuerit omnibus hoc noſtro equeſtri loco?*

XI. Fumoſæ imagines.

FVMOSARVM IMAGINVM.] Fumoſas appellat quia fuliginem ipsã vetuſtate contraxerãt. Seneca ep. 44. *Quis eſt ergo generoſus? ad virtutem bene à natura compoſitus. hoc vnum eſt intuendum. alioqui ſi ad vetera reuocas, nemo non inde eſt, ante quod nihil eſt. à primo mundi ortu vſq; in hoc tempus perduxit, nos ex ſplendidis ſordidiſque alternata ſeries. non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus.* Iuuenalis ſat.8. *-multa deducere virgâ*
Fumoſos equitum cum Dictatore Magiſtros.

Boëtius in ſuæ conſolationis exordio veſtes ipſius Philoſophiæ manu contextas deſcribit: *Quarũm ſpeciem ſicut fumoſas ſolet imagines, caligo quædam obduxerat.* Fumoſas autem vocat, quod in atrio ignis fieret, vt vel ex Beato Luca quidam oſtendunt, & imagines in atrio ponerentur. Iuu. ſat.8.

Tota licet veteres exórnent vndique ceræ Atria. Imagines in atrio.

Seneca de beneficiis lib. 3. c.28. *Nemo altero nobilior niſi cui rectius ingeniũ, & artibus bonis aptius. Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ ſuæ longo ordine ac multis ſtemmatum illigata flexuris in parte primâ ædium collocant, noti magis quàm nobiles ſunt.* Fortaſſe fumoſas vocat, quòd maiores ſuos diuinis honoribus venerarentur antiquitus. Plut. in quæſt. Rom. τιμᾶσθαι μὲν ὑπὸ τῶν ἀρρένων δεῖ τοὺς πατέρας ὡς θεούς. *Coli quidem à maribus Patres oportet vt Deos.* proindéque iis cereos accenderent. Ammianus lib. 22. de Aſclepiade philoſopho, qui *cùm viſendi gratiâ Iuliani ad ſuburbanum Daphnæum veniſſet, Deæ cœleſtis argenteum breue figmentum, quocunque ibat, ſecum ſolitus afferre, ante pedes ſtatuit ſimulachri, Iouis Olympij ſublime, accenſiſque cereis ex vſu ceſſit.* Idque diebus præſertim feſtis. Iulianus in Miſopogone: ἐνιαυσίου δ' ἑορτῆς οὔσης οὐδεὶς ἐκόμισεν ἔλαιον εἰς λύχνον τῷ θεῷ. *Cùm celebraretur annua feſtiuitas, nemo ad Dei lucernam oleum obtulit.* Quare cùm diebus feſtis, & in veſtibulo atque adeò in atrio lucernas accenderent, & aliis item diebus armaria reſerarent, neceſſe erat vt maiorum imagines, fuligine contractâ, fumoſæ redderentur. de opertione armarij Lipſius in Electis fusè, Flauius Vopiſcus in Floriano, cùm Senatoribus data facultas eſſet Imperatoris eligendi, dicit: *Senatores omnes eâ eſſe lætitiâ elatos, vt domibus ſuis omnes albas hoſtias cæderent, imagines frequenter aperirent, albati ſederent.* De lucernis præter dicta, vide §. 20. ad illa verba, *Catilinæ laternario.* M. Tullius 3. officiorum de Mario. *Et ea res, ſi quæris, ei magno honori fuit. omnibus vicis ſtatuæ factæ ſunt, ad eas thus & cerei.*

Cur fumoſæ?

AXIOMATA.

Vultus ſermo quidam tacitus mentis eſt.

Plerique nobiles obrepunt ad honores, errore hominum, commendatione fumoſarum imaginum.

ARGVMENTVM.

Per inductionem oſtendit non Piſonis moribus, ſed maioribus eſſe tribuendum, quòd omnes magiſtratus ſine repulsâ conſecutus eſſet, ſibi verò ipſi propter virtutes proprias magiſtratus omnes contigiſſe.

II. IS mihi etiam gloriabitur, ſe omnes magiſtratus ſine repulſa aſſecutum? mihi iſta licet de me vera cum gloria prædicare. omnes enim honores populus Romanus mihi ipſi homini nouo detulit. Nam tu cùm Quæſtor es factus, etiam qui te nunquam viderant, tamen illum honorem nomini mandabant tuo. Ædilis es factus: Piſo eſt à populo Rom. factus, non iſte Piſo. Prætura item maioribus delata eſt tuis. noti erant illi mortui: te viuum nondum nouerat quiſquam. me cùm, Quæſtorem in primis, Ædilem priorem, Prætorem primum cunctis ſuffragiis populus Romanus faciebat, homini ille honorem, non generi, moribus, non maioribus meis, virtuti perſpectæ, non auditæ nobilitati deferebat.

EXPLANATIO.

IS MIHI ETIAM.] L. Piſo de Ciceronis inſectatione querens in Senatu, ſuos mores vitámq. ciuibus probatam eſſe, eo maximè argumento demonſtrauerat, quòd ipſi populus omnes honores ſine repulſa, communi ſuffragio detuliſſet. hinc eſt quod Noſter per indignitatem exclamet.

OMNES ENIM HONORES.] Omnes magiſtratus populus Romanus, mihi ipſi, non familiæ & maioribus detulit, homini nouo, qui primus in meam familiam curulem magiſtratum inuexi, iúſque imaginis tradendæ poſteris ad perpetuam nobilitatis memoriam, ſum conſecutus.

NOMINI MANDABANT TVO.] Hunc honorem tibi propter nobilitatem tuam ſolúmque Piſonis nomen tribuebant, quòd à Piſone frugi eſſes oriundus.

ÆDILIS ES FACTVS.] Ædilitatem curulem es conſecutus.

PISO EST A POPVLO ROMANO FACTVS.] Nobilitati & familiæ tuæ non moribus & vitæ delata eſt ædilitas. hic ad Platonicas ideas videtur alludere. interim nota quot modis rem eandem expreſſerit.

ME CVM QVÆSTOREM IMPRIMIS.] Nota Quæſtorem in primis, quo magnus fuiſſe Quæſtorùm numerus oſtenditur. ÆDILEM PRIOREM quo numerus Ædilium binarius denotatur. Prætorem primum. de quorum numero dicetur in Notis ſeparatim.

NOTÆ.

I. Repulſa. SINE REPVLSA.] Quàm glorioſum eſſet ſine repulsâ conſequi magiſtratus, colligi poteſt ex repulſa, ſiue dolore, ſiue infamiâ. quam ad rem vnus Plutarchi locus è Catone Vticẽſi ſuffecerit. Ἀπέτυχε τῆς ἀρχῆς. φέροντος δὲ τοῦ πράγματος, οὐκ αὐτοῖς μόνοις τοῖς ἀποτυχοῦσιν, ἀλλὰ καὶ φίλοις αὐτῶν, καὶ οἰκείοις σὺν αἰσχύνῃ τινὶ κατήφειαν, καὶ πένθος ἐφ' ἡμέρας πολλάς, οὕτως ἤνεγκε ῥᾳθύμως τὸ συμβεβηκὸς, ὥστε ἀλειψάμενος μὲν ἐν τῷ πεδίῳ σφαιρίσαι. *In petitione magiſtratus tulit repulſam. cùm verò id non iis ſolùm qui repulſam paſſi fuerant, ſed etiam amicis & familiaribus triſtitiam cum pudore & luctum ad multos dies adferre conſueſſet, tantâ animi æquitate pertulit id quod euenerat, vt vnctus in campo pilâ luſerit.* Plinius lib. 7. cap. 36. *P. Rutilius morbo leui impeditus nuntiatâ fratris repulsâ in petitione Conſulatus illico expirauit.*

II. Nouus homo. NOVO.] Tiraquellus vir eruditus nouum hominem dictũ exiſtimat pro plebeio ſiue ignobili, ſed, quod pace tanti viri dictum ſit, non arbitror quemuis plebeium, obſcurum & ignobilem à Latinis ſcriptoribus, Nouum hominem nominari, ſed eum tantummodo, qui magiſtratuum curulium adeptione primus ſuæ familiæ ad nobilitatem emergeret, iúſque imaginis tradendæ poſteris eſſet conſecutus. quòd vel iiſdem teſtimoniis confirmo, quæ congeruntur ab eodem doctiſſimè, cap. 10. de nobilitate, in quibus videas vix vnquam nouitatis ſine magiſtratu curuli, ædilitate, prætura, conſulatu fieri mentionem. Tullius Verrinâ 6. *Ne iſta præclara nobilitas deſinat queri populum Romanum hominibus nouis atque induſtriis, libenter honores mandare, ſempérque mandaſſe.* Salluſtius in Catilinâ de Cicer. *Namque antea pleraque nobilitas inuidiâ æſtuabat: & quaſi pollui Conſulatum petebat, ſi eum quamuis egregius nouus homo adeptus foret.* & alibi ſæpe. Et verò quis hominem nouum appellet, niſi qui nouâ virtute maiorum obſcuritati præluxerit? Is igitur eſt nouus homo qui vel rebus præclarè geſtis, vel magiſtratibus nouam nobilitatem adeptus poteſt cum Mario apud Salluſtium in Iugurtha ſic gloriari. *Quod ex alienâ virtute ſibi arrogant, id ex meâ non concedunt, ſcilicet quòd imagines non habeo, & mihi noua nobilitas eſt.* aut cum Tullio Philipp. 6. *Quid enim non debeo vobis, Quirites, quem vos hominem à ſe ortum, hominibus nobiliſſimis omnibus honoribus prætuliſtis?* Liuius lib. 7. *Annus hic erit inſignis noui hominis conſulatu.* Atque hi homines noui, qui ignobiles genere, primi in ſuam familiam nobilitatem inuexerant, ius imaginis tradendæ poſteris obtinebant: vt noſter Tullius, licet iam antea Quæſtor fuiſſet, & omni genere virtutis in Republicâ floruiſſet, non ante ædilitatem curulem id ius adeptus eſt à Verrinâ vltimâ 35. *Nunc ſum deſignatus Ædilis: habeo rationem quid à populo Romano* Ius imaginis tradendæ poſteris obtinebant.

acceperim, &c. *ob earum rerum laborem ac ſollicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in Senatu ſententiæ dicendæ locum, togam prætextam, ſellam curulem, ius imaginis ad memoriam poſteritatémque prodendæ.* Quem locum Alciatus aduertit in d. l. 2. Parergon, cap. 30. In exordio legis Agrariæ: *Eſt hoc in more poſitum, Quirites, inſtitutóque maiorum, vt ij qui beneficio ſuo imagines familiæ ſuæ conſecuti ſunt, eam primam habeant orationem, qua gratiam beneficij veſtri cum ſuorum laude coniungant.* Qui fortaſſe locus, virum doctum in fraudem induxerit, vt exiſtimaret viros nouos cùm primùm magiſtratũ curulem eſſent adepti, ius habuiſſe non ſuæ ſolùm poſteris tradendæ, ſed etiam patris & maiorum ſuorum imaginis in atrio collocandæ. vox enim familiæ non maiores hoc loco, ſed propriè poſteros & nepotes ſignificat. vt ſenſus non ſit: *Imagines maiorum ſuorum conſecuti ſunt.* ſed, *Imagines poſteris & nepotibus conſecuti ſunt.* nam ſubiungitur: *Quemadmodum cùm petebam, nulli me vobis auctores generis mei commendarunt: ſic, ſi quid deliquero nullæ ſunt imagines quæ me à vobis deprecentur.* Quod autem ſoli curules magiſtratus ius imaginis impertirent, liquet tum ex prædictâ Ciceronis quæſturâ, tum ex alterius Ciceronis tribunatu anno ab V.C. trecenteſimo, duobus annis ante Decemuiros. Liuius lib. 3. Quod item ſine magiſtratu curuli nemo ad nobilitatem perueniret, quãtumuis eius maiores floruiſſent, ex eo conſtat quòd noſtrum Tullium fuiſſe tradunt etiam à Regibus oriundum. Silius Italicus lib. 8. de quodam Tullio è Ciceronis maioribus.

Cicero à Regibus oriundus.

Tullius æratas raptabat in agmine turmas
Regia progenies & Tullo ſanguis ab alto
Indole prò quanta iuuenis, quantúmque daturus
Auſoniæ populis ventura in ſecula ciuem!
Ille ſuper Gangem ſuper exauditus & Indos
Implebit terras voce, & furialia bella
Fulmine compeſcet lingua, nec deinde relinquet
Par decus eloquij cuiquam ſperare nepotum.

Plutarchus in Cicerone: Περὶ δὲ τοῦ πατρὸς οὐδὲν ἦν πυθέσθαι μέτριον. οἱ μὲν γὰρ ἐν κναφείῳ τινὶ καὶ γενέσθαι, καὶ τραφῆναι τὸν ἄνδρα λέγουσιν, οἱ δὲ εἰς Τύλλιον Ἄππιον (lege Ἄκτιον, vel Ἄττιον) ἀνάγουσι τὴν ἀρχὴν τοῦ γένους βασιλεύσαντα λαμπρῶς ἐν Οὐολούσκοις. *De patre verò nihil moderatum audiebatur. nonnulli enim eum in Fulloniâ officinâ, & natum & educatũ fuiſſe tradũt, alij à Tullio Attio familiæ originem arceſſerunt, qui magno cum ſplendore in Volſcis regnauit.* Priori hominum opinioni ſubſcribit Calenus oratione contra Ciceronem, apud Dionem libro 46. poſteriori Euſebius in chronicis, & Eutropius lib. 4. nec obſcurè ipſe Tullius lib. 1. Tuſculanarum quæſt. dum Pherecydem Syrum tradit, *regnante ſuo gentili*, floruiſſe. & 2. de legibus, dum ortum ſe ſtirpe antiquiſſimâ prædicat. vnde miteris Tullium laudis appetentiſſimum vix vllam ſtirpis ſuæ feciſſe mentionem, quippe qui maluerit maioribus virtute ſuâ prælucere, quàm ab iis ſuam laudem & dignitatem accerſere.

Dubitatur.

III. Mandare honores.

MANDABANT.] Modò referebamus ex Verrinâ Sextâ. *Ne iſta præclara nobilitas deſinat queri, populum Romanum hominibus nouis atque induſtriis honores mandare, ſempérque mandaſſe.* Salluſtius in Iugurtha: *Ita perculſa nobilitate poſt multas tempeſtates nouo homini conſulatus mandatur.* Et ne te morer alibi ſæpiſſimè, vt apud Liuium lib. 24. quadam Fabij concione. *Veſtris ſtudiis, quæ in campum, ad mandandos, quibus velitis, honores adfertis.*

IV. Piſonum nobilitas.

ÆDILIS ES FACTVS.] Nota repetitionem lepidiſſimam, quæ duplicem anadiploſim complectitur. quarum alterâ duo membra eodẽ vocabulo terminantur. *Ædilis es factus, Piſo eſt à populo Romano factus.* alterâ ad idem verbum redit, vnde exorſa fuerat oratio. *Piſo eſt à populo Romano factus, non iſte Piſo.* Hanc figuram Fabius πλοκὴν appellat, profértque exemplum. *Veſtrum iam hic factum deprehenditur, P. C. non meum, at pulcherrimum quidem factum, verum, vt dixi, non meum, ſed veſtrum.* qua figurarum mirâ mixturâ, vt cum Fabio loquar, *Et primo verbo longo poſt interuallo redditum eſt vltimum, & media primis & mediis vltima congruunt.* Cæterùm hoc loco de Piſonum nobilitate pauca dicenda ſunt, de qua incertus auctor poëmatis ad Piſonem, quod aliàs Naſoni, aliàs Lucàno adſcribitur: *-hinc tua Piſo*

Nobilitas, veteríſque citant ſublimia Calpi
Nomina Romanas inter fulgentia gentes.

Mox:

Nam quid imaginibus, quid auitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroſo Conſule faſti
Profuerint, ſi vita labat? perit omnis in illo
Gentis honos, cuius laus eſt in origine ſolâ.
At tu qui tantis animum natalibus æquas,
Et partem tituli non ſummam ponis in illis,
Ipſe canendus eris: nam quid memorare neceſſe eſt.
Vt domus à Calpo nomen Calphurnia ducat.
Claráque Piſonis tulerit cognomina prima (legerim *Piſonum primus*)
Humida calloſâ cùm pinſeret hordea dextrâ?
Nec ſi cuncta velim breuiter decurrere poſſim:
Et priùs ætherea moles circumvaga flammæ
Annua biſſenis reuocabit menſibus aſtra
Quam mihi priſcorum titulos operoſáque bella
Contigerit memorare, &c.

Quæ protuli, non magis quòd Calphurniæ gentis nobilitatem oſtendant, quàm quòd ad mentem Tullij facere videantur. Taceo multos eſſe Scriptores, qui hanc à Numa Pompilio ſecundo Romanorum Rege deduxerint. vnde & Piſones apud Horatium in Arte, *Pompilius ſanguis* nominantur. Vide Plutarchum in Numâ. Trebellius triginta tyrannis: *Vir ſummæ ſanctitatis & temporibus ſuis frugi dictus, & qui ex illa Piſonum familiâ ducere originem duceretur, cui ſe Cicero nobilitandi causâ ſociauerat.*

V. Quæſtores.

QVÆSTOREM IN PRIMIS.] Operæpretium non eſt hîc pluribus de quæſtura agere. Alexander lib. 2. c. 2. Piggius in annalibus, & ille Preuotius cap. 13. de Magiſtratibus Rom. conſulantur. Illud, quod ad numerum Quæſtorum ſpectat in præſentiâ ſufficerit ex Tacito 11. annalium. *Sed Quæſtores, Regibus etiam tum imperantibus inſtituti ſunt: quòd lex Curiata oſtendit ab L. Bruto repetita. manſítque Conſulibus poteſtas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret. creatíque primùm Valerius Potus, Æmilius Mamercus, LXIII. anno poſt Tarquinios exactos, vt rem militarem comitarentur. Dein gliſcentibus negotiis duo additi qui Romæ curarent. mox duplicatus numerus, ſtipendiariâ iam Italiâ, & accedentibus prouinciarum vectigalibus, poſt lege Syllæ 20. creati,*

ſupplendo Senatui cui iudicia tradiderat. Hæc ille. ex quibus ni fallor Preuotium meritò reprehendas aſſerentem Regibus datos fuiſſe Quæſtores, *non ſuâ auctoritate. ſed populi ſuffragio.* Quanquã habet auctorem D. de offic. Quæſtoris Gracchanum qui citatur ab Vlpiano. Neque verò viginti Quæſtoribus contentus fuit Cæſar Dictator confectis bellis ciuilibus. Dio lib. 43. Στρατηγοὶ δὲ τεσσαρεσκαίδεκα, ταμίαι δὲ τεσσαράκοντα ἀπεδείχθησαν. *Prætores quatuordecim, Quæſtores quadraginta ſunt creati.* Sed hæc poſt Quæſturam M. Tulli contigerunt, qui non inter quadraginta ſecundum legem Iuliam, ſed inter viginti ſecundum legem Corneliam in primis creatus eſt.

ÆDILEM PRIOREM.] Quæ ad ædilitatem tum plebeiam tum curulem ſpectant, iidem qui ſupra diligentiſſimè ſunt executi, præſertim Pighius ad annum CCLX. agens de ædilitate plebeia lib. 2. annaliũ, & lib. 4. ad annũ CCCXCVII. de curuli. vide quæ à nobis in Vatinianam §. 16.
VI. Ædiles. notata ſunt. Duos verò tantùm fuiſſe Ædiles curules, cuiuis etiam indocto compertum eſt. quare hîc non immoramur.

PRÆTOREM PRIMVM.] De Præturâ iidem qui ſupra & alij copioſè. de Præturæ progreſſu, & quomodo ſenſim ab vno ad octo Ciceronis ætate peruenerit, Doctiſſimus Lypſius Cõmentariis in Tacitum 1. annalium eſt conſulendus. Cæterum quòd ſe primùm Prętorem factum
VII. Prætor primus. fuiſſe gloriatur, adſtipulatur & Plutarchus: στρατηγίαν δὲ μετιόντων ἅμα σὺν αὐτῷ πολλῶν καὶ μεγάλων, πρῶτος ἁπάντων ἀνηγορεύθη. *Multis verò & magnis viris Præturam cum eo petentibus, primus omnium eſt renuntiatus.* Prætor autem primus is, ni fallor, dicebatur, qui tuliſſet plura ſuffragia, vel qui Iuri inter ciues dicundo præſideret. vnde & *urbanus* aut etiam *maior* diceretur. teſte Feſto Pompeio: *Maiorem Conſulem Lucius Cæſar putat dici, vel eum penes quem faſces ſint; vel eum qui prior factus ſit: Prætorem autem maiorem, vrbanum, minores cæteros.* Vnde fortaſſe & ij qui vulgo pagorum & oppidorum Maiores vocantur, nomen acceperint. De Præturâ ſuâ Tullius in togâ candidâ ſic alloquitur competitorem Antonium.
Prætor maior. *Neſcis me Prætorem primum eſſe factum; te conceſſione competitorum, & collatione centuriarum, & meo maximè beneficio è poſtremo in tertium locum eſſe ſubuectum.* Alius tamen fuiſſe videtur Prætor maximus, alius Prætor maior ſiue primus. Liuius lib. 7. penè ſub initium. *Lex vetuſta eſt priſcis litteris verbiſque ſcripta, vt qui Prætor maximus ſit, Idibus Septembribus clauum pangat.* Et lib. 3. *Sed refellitur hæc interpretatio, quòd his temporibus nondum Conſulem iudicem, ſed Prætorem appellari mos fuerit.*

VIRTVTI PERSPECTÆ NON AVDITÆ NOBILITATI.] Vulgatum eſt illud Iuuenalis ſat. 8. hoc tractantis ex profeſſo,

--nobilitas ſola eſt atque vnica virtus. VIII. Sola virtus nobilitat.

Phalaris epiſtola 120. Ἐγὼ δὲ μίαν εὐγένειαν ἀρετὴν οἶδα. *Ego verò vnam nobilitatem virtutem eſſe ſcio.* D. Gregorius Nazianzenus quodam carmine, quod εἰς εὐγενῆ δύστροπον in nobilem malè moratum inſcribitur, non abludit:

Αἵματος ἐξ ἀγαθοῦ τις, ἅπαν κακὸν, αἰεὶ γένος μὲν
Οὐ τῶν εὐπατέρων, τἆλλα δὲ θαυμασίῳ. malè legebatur θαυμασίων.
Προὔφερε τοὺς προγόνους. κ᾽ ὃς μάλα ἡδὺ γελάσσας
Εἶπε λόγον μνήμης ἄξιον, ὡς τὸ γένος
Ἐστὶν ὄνειδος ἔμοιγε, γένει δὲ σύ. τοῦτο φύλασσε
Ὡς μὴ τῆς ἀρετῆς ἄλλο τι πρόσθεν ἄγοις.
Nobilis at grauibus vitiis adopertus, honeſto
Non tamen illuſtri commemorabat auos.
Riſit ad hæc alter ſcitéque hoc retulit: vt mî
Dedecori genus eſt, ſic quoque tu generi.
Hoc memori condas animo, repetáſque ſubinde,
Vt virtute tibi nil priùs eſſe queat, &c.

Hoc auctore Plutarcho reſpõdit Iphicrates Harmodio cuidam, ex illius Harmodij poſteris qui cum Ariſtogitone Hipparchum occiderat, pluribus verſibus referendis ſuperſedeo, tum quòd carmen illud haberi poſſit ad manum, tum quòd vix quicquam elegantiæ ſummi illius viri redolere, atque adeò ſubiectum eſſe videatur

AXIOMATA.

Ciues virtute præſtantes noti ſunt etiam, mortui; vitioſos & leues viuos non nouit quiſquam.

Honores homini non generi, moribus non maioribus, virtuti perſpectæ, non auditæ nobilitati, ſunt deferendi.

Piſonis & M. Tullij Conſulatus,

- partus 3.
  - Piſo factus eſt Conſul
    - impeditis Reip. temporibus.
    - diſſidentibus Cæſare & Bibulo.
    - cùm Cæſari promiſiſſet ſe nequiorem Gabinio futurum in vexanda Rep.
  - Cicero factus Conſul
    - non tabella,
    - ſed voce
      - totius Italiæ.
      - ciuitatis vniverſæ.
- geſtus à 4. ad 31.
  - Cicero
    - Calendis Ianuarij diſcuſſit legem Agrariam. 4.
    - C. Rabirium defendit, & in eo Senatus auctoritatem. 4.
    - Proſcriptorum liberos à petendis honoribus deterruit. 4.
    - Antonium collegam obſequio & patientia mitigauit. 5.
    - Prouinciam Galliam depoſuit pro Rep. 5.
    - Catilinæ coniurationem oppreſſit. 5.
    - Ob eas res geſtas maximos honores eſt conſecutus. *6. 7.*
      - Eum patrem patriæ dixit Q. Catulus. *6.*
      - Luc. Gellius ei ciuicam coronam deberi dixit. *6.*
      - ſupplicationem eius nomine decreuit Senatus. *6.*
      - iurauit populus eius vnius opera Remp. eſſe ſaluam. 7.
      - ab omnibus ciuibus domum magnificè reductus eſt. 7.
  - Piſo ſceleratè ſe geſſit in
    - Rempub. quam vexari paſſus eſt
      - inſtauratione ludorum compital. per Sext. Clodium. 8.
      - ſceleribus P. Clodij
        - euerſione legum Æliæ & Fuſiæ. *9.* 10.
        - ablatione notationis Cenſoriæ. *9.* 10.
        - nouorum ſodalitiorum inſtitutione. *9.* 10.
        - ſeruorum delectu. 11.
        - templi Caſtoris occupatione.
    - Ciceronem quem
      - prodidit
        - cui primam dederat tabulam prærogatiuæ.
        - Quem in Senatu rogabat tertium. 12.
      - à ſe reiecit
        - improbi reſpondendo. 12.
        - turpiter eructando. 13.
    - Senatum
      - lugere vetuit, quod exaggerat à 17. ad 23.
      - crudelitatis in concione condemnauit. 14.
    - quibus ſceleribus
      - & Catilinam ſuperauit. 15. *16.*
      - & indignum ſe nomine Conſulis exhibuit.

ARGVMENTVM.

Poſtquam ſuperius oſtendit ſe glorioſius quàm Piſonem cæteros magiſtratus conſecutum fuiſſe, ad Conſulatum dilabitur, & primò quidem oſtendit qua ratione ad eum honorem vterque peruenerit.

III. NAM quid ego de Conſulatu loquar? parto vis, ánne geſto? miſerum me, cum hac me peſte, atque labe confero: ſed nihil comparandi cauſſa loquar: ac tamen ea quæ ſunt longiſſimè diſiuncta comprehendam. Tu Conſul es renuntiatus (nihil dicam grauius, quàm quod omnes fatentur) impeditis Reipub. temporibus, diſſidentibus COSS. Cæſare, & Bibulo, cùm hoc non recuſares, quin ij, à quibus dicebare Conſul, te luce dignum non putarent, niſi nequior quàm Gabinius exſtitiſſes. me cuncta Italia, me omnes ordines, me vniuerſa ciuitas non prius tabellâ, quàm voce priorem Conſulem declarauit. Sed omitto, vt ſit factus vterque noſtrum: ſit ſanè fors domina campi. magnificentius eſt dicere, quemadmodum geſſerimus Conſulatum, quàm quemadmodum ceperimus.

EXPLANATIO.

NAM QVID EGO.] Tranſitio eſt oratoria, quam dubitatione illuſtrat. hanc autem particulam, *nam*, vim habere tranſitionis iam in Cœlianâ oſtenſum eſt.

PARTO VIS ANNE GESTO?] Conceſſio eſt & permiſſio, qua rem dicendam relinquit aduerſarij ipſius optioni, vt maiorem oſtendat in cauſſa fiduciam.

MISERVM ME.] Retractatio eſt cum exclamatione, qua oratoriè reprehendit comparationem, quam inter ſe & Piſonem inſtituere inceperat. Miſerum me, inquit, ſummam mihi ipſi facio iniuriam, qui me ciuem clariſſimum & Reip. ſalutarem, cum hoc peſtifero ciue comparo, qui vrbem ſuorum ſcelerum contagione funeſtat, labefactátque Remp. Tamen non dicit *peſtifero*, ſed *peſte*, non *labefactatore Reip.* ſed *labe*, vt maiorem vim habeat oratio, ſi Piſo non peſtifer in concreto, ſed mera, puta peſtis in abſtracto nuncupetur.

EA QVÆ SVNT LONGISSIME DISIVNCTA.] Vtriuſque conſulatum, quorum plenus eſt meus dignitate & virtutibus, tuus infamiâ & flagitiis.

TV CONSVL ES RENVNTIATVS.] Tu Conſul es declaratus voce præconis & Conſulis, cùm libera non eſſet Reſpublica in ferendis ſuffragiis, cùm Iul. Cæſar & M. Bibulus illius anni Conſules adeò diſſidebant, vt nullas Bibulus à Cæſare leges ferri pateretur de cœlo ſeruans, & obnuntians. Cæſar verò Bibulum è foro eiecerit, ſolúſque quodammodo adminiſtrarit Remp.

NIHIL DICAM GRAVIVS.] Hanc parentheſim interſerit, ſuſpicionis & inuidiæ renouandæ cauſa. grauius autem aliquid dicere potuiſſet, niſi vitaſſet offenſam Cæſaris & Pompeij, qui ſuis factionibus Piſonem & Gabinium ad Conſulatum euexerant.

ME CVNCTA ITALIA.] Quæ poſt bellum Italicum ius ciuitatis ſuffragiíque accepit.

ME OMNES ORDINES.] Senatorius, Equeſter, Plebeius.

NON PRIVS TABELLA.] Mihi conſulatum ciues vniuerſi, non ex tabella & ſcripto, quòd aliàs, vt eſſent liberiora populi ſuffragia, faciebant, ſed voce viuâ detulerunt.

PRIOREM CONSVLEM.] vide Notas.

SIT SANE FORS DOMINA CAMPI.] Eſto: quicquid in comitiis euenit, id caſu & fortuito euenire fateamur. Campus pro comitiis, quod in campo Martio ſolerent armati Magiſtratuum centuriata comitia celebrare, vt auctor eſt Dio lib. 36. donec tandem poſt mortem Auguſti, vt notat Tacitus 1. Annalium. *Tum primùm è campo comitia, ad Patres tranſlata ſunt.*

NOTÆ.

CONSVL ES RENVNTIATVS.] Duplex videtur fuiſſe magiſtratuum renuntiatio, altera voce præconis, altera voce ipſius Conſulis, vel cuiuſuis alterius Magiſtratus qui comitiis præſidebat. De priore 7. in Verrem. *Tu cùm prætor renuntiatus es, quoquo modo (mitto enim ac prætereo quid tum actum ſit) cùm es renuntiatus vt dixi, non ipſa præconis voce excitatus es, qui te toties ſeniorum, Iudiciorúmque centuriis illo honore affici pronuntiauit.* Varro lib. 5. de lingua Latina: *Olli valet dictum illi ab ollâ & ollis, quod alterum comitiis cùm recitatur à præcone dicitur, olla centuria, non illa.* Suetonius in Domitiano cap. 10. *Flauium Sabinum alterum ex patruelibus occidit, quod eum comitiorum Conſularium die deſtinatum, perperam præco non Conſulem ad populum, ſed Imperatorem pronuntiaſſet.* Agellius lib. 12. cap. 8. *Poſteà populus Rom. eos ſimul cenſores fecit: atque illi vbi voce præconis renuntiati ſunt,* &c. De poſteriore Velleius lib. 2. *Egnatium florentem fauore publico, ſperantémque vt præturam Ædilitati, ita Conſulatum Præturæ ſe iuncturum, profiteri vetuit,* C. Sentius Saturninus Conſul: *& cùm id non obtinuiſſet, iurauit etiamſi factus eſſet Conſul ſuffragiis populi, tamen ſe eum non renuntiaturum.* Quæ verba vides intelligi debere de renuntiatione, quę ipſius Conſulis voce fiebat. Cicero pro Murena §. 1. *Illo die quo auſpicato, comitiis centuriatis, Lucium Murenam Conſulem renuntiaui.* Plinius in Panegyrico: *Tuo Iudicio Conſules facti, tua voce renuntiati ſumus, vt idem honoribus noſtris ſuffragator in curiâ, in campo declarator exiſteres.*

1\. Magiſtratus renũtiabatur voce præconis.

Et Conſulis.

Hæc & alia plura Briſſonius lib. 1. de formulis. Gratianus Auguſtus epiſtola ad Auſonium: *Conſilium meum ad Deum retuli: eius auctoritati obſecutus te Conſulem deſignaui, & declaraui, & priorem nuncupaui.*

II. Piſor Conſul perfactione. NIHIL DICAM GRAVIVS.] Cauet, vt monui, Cæſaris & Pompeij offenſionem, qui Piſonem & Gabinium ſuis factionibus ad Conſulatum prouexerant. Plutarchus in Catone Vticenſi: Γ' πλιον δὲ Κλώδιον ἐκ πατρικίων εἰς δημοτικοὺς παρῳχόμενος μεταστήσαντες ἀπέδειξαν δήμαρχον ἐπὶ μισθῷ τῇ Κικέρωνος ἐξελάσει, πάντα πρὸς χάριν ἐκείνοις πολιτευόμενον. ὑπάτους δὲ Πείσωνά τε καὶ Κηπούρνιον, ὃς ἦν πατὴρ τῆς Καίσαρος γυναικὸς, καὶ Γαβίνιον Παῦλον ἐκ τῶν Πομπηΐου κόλπων, ἄνθρωπον, ὥς φασιν οἱ τὸν τρόπον αὐτοῦ, καὶ τὸν βίον εἰδότες. *P. Clodium è patriciis ad plebeios contra leges traductum Tribunum plebis fecerunt, ea conditione vt Ciceronem expelleret, & ad eorum libidinem gereret tribunatum. Conſules verò fecerunt Calpurnium Piſonem Cæſaris generum, & Aulum Gabinium Pompeij familiarem, leuem hominem & nequam, vt aiunt qui mores eius*

Plutarchus emendatus. *perſpectos habuerunt.* Ex quibus vides quàm multi & aperti errores in optimum ſcriptorem irrepſerint. Quid enim illud eſt? Πείσωνά τε καὶ Κηπούρνιον, lege, Πείσωνά τε Καλπούρνιον. & loco Παῦλον, lege, Αὖλον. & poſt ἄνθρωπον, ſubdendum ni fallor, aliquid puta, vel μοχθηρὸν, vel ἀσελγῆ, vel ἀκόλαστον, vel quid eiuſmodi.

III. Cæſaris & Bibuli diſſenſio. DISSIDENTIBVS CÆSARE ET BIBVLO.] Velleius Paterculus libro 2. *Bibulus collega Cæſaris cùm actiones (& præſertim leges agrarias de agro Campano plebi diuidendo) eius magis vellet impedire quàm poſſet, maiore parte anni domi ſe tenuit, quo facto dum augere vult inuidiam, collegæ auxit potentiam.* vnde natum eſt illud epigramma quod refert Suetonius:

Non Bibulo quicquam nuper, ſed Cæſare factum eſt:
Nam Bibulo fieri Conſule nil memini.

Sed de his Cic. in ep. ad Atticum. Plutarchus in Catone, & Cæſare, Suetonius in Iulio, Dio libro 38. Appianus 2. ciuilium, & paſſim alij conſulantur.

IV. Italia ius habuit ſuffragij. ME CVNCTA ITALIA.] Non mirum ſi cuncta Italia Conſulem declararet, ſiquidem bello ſociali ius ciuitatis ferendique ſuffragij fuerat conſecuta. Velleius 2. *Romani victis afflictiſque ipſi exarmati, quam integris vniuerſis ciuitatem dare maluerunt.* Id enim ius vt extorquerent, ſociale bellum exarſerat. Quamuis Appianus 1. ciuilium nonnihil à Velleio diſſentire videatur: Ἀπελευθέρων τότε πρῶτον ἐς στρατείαν δι' ἀπορίαν ἀνδρῶν καταλεγομένων, Ἰταλιωτῶν δὲ τοὺς ἔτι ἐν τῇ συμμαχίᾳ παραμένοντας ἐψηφίσατο (ἡ βουλὴ) εἶναι πολίτας, οὗ δὴ μάλιστα μόνου πάντες ἐπεθύμουν. *Libertinis tum primum conſcriptis ob virorum paucitatem, decreuit* Senatus, *vt ex Italis ij qui in fide permanſerant, ius ciuitatis obtinerent, quod vniuerſi maximè cupiebant.* De vniuerſis ſubdit: Ἰταλία πᾶσα προσεχώρησεν ἐς τὴν Ῥωμαίων πολιτείαν, χωρὶς γε Λευκανῶν καὶ Σαμνιτῶν τότε. δοκοῦσι γάρ μοι καὶ οἵδε τυχεῖν ὧν ἐχρῆζον ὕστερον, ἐς δὲ τὰς φυλὰς ὅμοια τοῖς προτυχοῦσιν ἕκαστοι κατελέγοντο, τοῦ μὴ τοῖς ἀρχαίοις ἀναμεμιγμένοι ἐπικρατεῖν ἐν ταῖς χειροτονίαις πλέονες ὄντες. *Vniuerſa Italia conceſſit in ius Romanæ ciuitatis, præter Lucanos & Samnites eo tempore. videntur enim etiam ij, quæ petebant, aliquanto pòſt adepti fuiſſe, & in tribus inſtar priorum, ſinguli relati ſunt, ne ſi veteribus ciuibus miſcerentur, in comitiis multitudine ſuperarent.* Quæ poſtrema verba indicant omnes nominis Italici, ita ius habuiſſe ciuitatis, vt tamen eorum eſſent diſtincta ſuffragia. Planiùs idem paulò antè: Ῥωμαῖοι μὲν δὴ τούσδε τοὺς νεοπολίτας οὐκ ἐς τὰς πέντε καὶ τριάκοντα φυλὰς, αἳ τότε ἦσαν αὐτοῖς κατέλεξαν, ἵνα μὴ τῶν ἀρχαίων πλέονες ὄντες ἐν ταῖς χειροτονίαις ἐπικρατοῖεν, ἀλλὰ δεκατεύοντες ἀπέφηναν ἑτέρας, ἐν αἷς ἐχειροτόνουν ἔσχατοι, καὶ πολλάκις αὐτῶν ἡ ψῆφος ἀχρεῖος ἦν, ἅτε τῶν πέντε καὶ τριάκοντα προτέρων τε καλουμένων καὶ οὐσῶν ὑπὲρ ἥμισυ, ὅπερ ἢ λαθὸν αὐτίκα, ἢ καὶ ὡς αὐτῷ (libenter legerim ὡσαύτως) ἀγαπησάντων τῶν Ἰταλιωτῶν, ὕστερον ἐπιγνωσθὲν ἑτέρας στάσεως ἦρξεν. *Romani nouos ciues non in quinque & triginta tribus, quæ tunc ipſis erant, retulerunt, ne propter multitudinem veterum ciuium in magiſtratibus mandandis ſuffragia ſuperarent, ſed decimantes alias tribus fecerunt, in quibus noui ciues omnium poſtremi ferebant ſuffragia, & frequenter inutile erat eorum ſuffragium, quippe cùm priores quinque & triginta tribus nouas illas duplo ſuperarent, quod aut ignoratum tunc temporis, aut ab iis vel ſic ciuitatem adipiſci contentis exceptum, poſtea vbi cognitum fuit nouas turbas conciuit.* Marius enim paulò pòſt: Τοὺς ἐκ τῆς Ἰταλίας νεοπολίτας μειονεκτοῦντας ἐπὶ ταῖς χειροτονίαις ἐπήλπισεν ἐς τὰς φυλὰς ἁπάσας διαιρήσειν. *Recentes ciues ex Italia minùs volentes in ſuffragiis in ſpem adduxit fore, vt eos in omnes tribus diſtribueret.* Aliter Velleius: *Cùm ita ciuitas Italiæ data eſſet, vt in octo tribus contribuerentur noui ciues: ne potentia eorum & multitudo veterum ciuium dignitatem frangeret, plúſque poſſent recepti in beneficium, quàm auctores beneficij: Cinna in omnibus tribubus eos ſe diſtributurum pollicitus eſt.*

Nouorum ciuium ſuffragia diſtincta à veterũ ſuffragiis.

OMNES ORDINES.] Senatorius, equeſter, plebeius. tamen à M. Manilio libro vltimo quatuor ordines numerantur: V. 4. ordines ciuium.

Vtque per ingentem populus deſcribitur vrbem,
Præcipuúmque Patres retinent, & proximum Equeſter
Ordo locum, populúmque Equiti, populóque ſubire
Vulgus iners videas.

Vbi per *vulgus iners* capite cenſos intelligit. eos videlicet qui ob paupertatem in ſextam claſſem reiecti à bello vacabant. Seruius enim Tullius auctore Dionyſio 4. Romanorum antiquitatum: Τοὺς δὲ λοιποὺς πολίτας οἳ τίμησιν εἶχον ἐλάττονα δώδεκα καὶ ἡμίσους μνῶν πλείους ἀριθμὸν ὄντας τῶν προτέρων ἅπαντας εἰς ἕνα συντάξας λόχον, στρατειῶν τ' ἀπέλυσε καὶ πάσης εἰσφορᾶς ἐποίησεν ἀτελεῖς. *Reliquos verò ciues qui cenſum duodecim ſeſqui mnis minorem habebant, cùm plures eſſent numero quàm priores, omnes in vnam centuriam referens à militia tributorúmque penſitatione fecit immunes.* De quibus Iul. Exuperantius in hiſtoria omnium, quos legi, clariſſimè, *Populus Romanus per partes diuiſus erat, & pro patrimonij facultate cenſebatur, ex iis omnes quibus res erat ad militiam ducebantur. diligenter enim pro victoria laborabant, qui ex libertate bona & patriam defendebant.* malim, qui cum libertate bona patria defendebant. *Illi autem quibus nulla opes erant caput ſuum, quod ſolùm poſſidebant cenſebantur, & belli tempore in mœnibus reſidebant. facilè enim poterant exiſtere proditores, quia egeſtas haud facilè habetur ſine damno.*

NON PRIVS TABELLA QVAM VO- VI.

Tabella in ſuffragiis. CE.] Cic. agraria 2. *Meis comitiis non tabellam vindicem tacitæ libertatis, ſed vocem viuam pro vobis, indicem veſtrarum erga me voluntatū, & ſtudiorum tuliſtis.* Sed vide Notas noſtras ad illa verba Sextianæ §. 103. *Tabellaria lex ab Luc. Caſſio ferebatur: populus libertatem agi putabat ſuam, diſſentiebant principes & in ſalute optimatium temeritatem multitudinis & tabellæ licentiam pertimeſcebant.* Quamquam ibi loquitur de tabella iudiciorum, non de comitiorum ſuffragiis.

VII. Conſul prior. CONSVLEM PRIOREM.] Auſonius in gratiarum actione cùm hæc verba Gratiani ſuperiùs laudata retuliſſet: *Te Conſulem deſignaui, & declaraui, & priorem nuncupaui.* Subiecit: *Nam eſt hæc gloria ignota Ciceroni? Prætorem me, inquit, Populus Romanus primum fecit, Conſulem priorem.* Et quod modò dicebamus ex Feſto Pompeio, *Maiorem Conſulem Lucius Cæſar putat dici vel eum penes quem faſces ſint, vel eum qui prior factus ſit.* Is igitur, vt opinor, prior Conſul erat, cuius nomen in Faſtis priorem locum obtinebat, & penes quem faſces erant anno ineunte. alternis enim menſibus faſces habebant. Dionyſius libro 5. Ἐκρίναντό τε δέος ἀφελέσθαι τῶν πολιτῶν, καὶ τῆς ἐξουσίας μειῶσαι τὸν φθόνον, τῷ μὲν ἑτέρῳ τῶν ὑπάτων τοὺς δώδεκα καταπάξαντες ἡγεῖσθαι πελέκεις, τῷ δ᾽ ἑτέρῳ δώδεκα ὑπηρέτας ῥάβδους ἔχοντας μόνον, ὡς δέ τινες ἱστοροῦσι καὶ κορύνας. γίνεσθαι δὲ τῶν πελεκέων τὴν παράληψιν ἐκ περιτροπῆς, ἵνα μῆνα κατέχοντος αὐτοὺς ἑκατέρου. *Statuerunt & ciuibus terrorem auferre, & minuere poteſtatis inuidiam, iubentes vt ante alterum Conſulem duodecim ſecures, ante alterum irent duodecim ſerui cum virgis ſolis, & clauam geſtantes vt nonnulli prodiderunt, & vt alternis menſibus ſecures ab altero Conſule ſumerentur.* Atque hæc quidem ſub primis Conſulibus, nam eodem anno ſecures in vrbe ſublatæ ſunt. de hac porro faſciū alterna traditione idem libro 9. Ἦν δὲ ἡ τοῦ μηνὸς ἐκείνου ἡγεμονία τῷ Κοΐντῳ προσήκουσα, ὥστ᾽ ἀναγκαῖον ἦν τὸν ἕτερον τῶν ὑπάτων μηδὲν ἄκοντος ἐκείνου ποιεῖν. *Eo menſe Quintius poteſtatem habebat, adeò vt alter Conſulum eo inuito facere nihil poſſet.* De his alternis faſcibus Suetonius in Iulio cap. 20. *Antiquum etiam retulit morem, vt quo menſe faſces non haberet, accenſus ante eum iret, lictores ponè ſequerentur.* Neque verò ſolùm in vrbe, ſed etiam in exercitu, vtroque Conſule præſente, vſurpata erat iſta faſcium alterna mutatio. Dionyſius libro 10. Ἦν δ᾽ ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις ἡ τοῦ πολέμου ἐξουσία Ῥωμιλίῳ προσήκουσα, ὥστε ὁ τὸ σύνθημα διδοὺς, καὶ εἰς τάξιν καθιστὰς, ἄρχειν τε καὶ παύεσθαι μάχης τὸν καιρὸν ταμιεύων ἐκεῖνος ἦν. *Ille diebus bellandi poteſtatem Romilius obtinebat, & ipſe teſſeram dare, inſtruere aciem: tempus pugnæ, receptuſque moderari ſuo iure & auctoritate poterat.* Ex quibus, ni fallor, haud obſcure colligi poteſt eum priorem Conſulem fuiſſe, qui prior nominis inſcriptione faſtos aperiret, primóque menſe ius faſcium obtineret, eum fortaſſe qui plura tuliſſet populi Romani ſuffragia. Sic & ipſe Iunius Brutus, qui prior faſtis inſcribitur, prior etiam faſces habuit, quamuis id ex Collegæ conceſſione factum fuerit, non ex populi ſuffragiis. Liuius libro 2. *Id modò cautum eſt, ne ſi ambo faſces haberent, duplicatus terror videretur: Brutus prior concedente collega faſces habuit.* Id igitur non ſuffragiorum ius, ſed collegæ conceſſione: immo & ratio ætatis habebatur. Gellius lib. 2. cap. 5. *Si verò ambo & mariti & Patris totidem liberorum ſunt, tum ille priſtinus honos inſtauratur, & qui maior natu eſt, prior faſces ſumit.* Vide locum vbi de lege Iulia, & faſcium ſumptione permulta. Addam poſtremò in exercitu non alternis menſibus, ſed diebus hanc faſcium permutationem factam videri, licet ſuperiore loco Dionyſius paulò ſecus dicere videatur. Polybius lib. 3. Τῆς δ᾽ ἡγεμονίας τῷ Γαΐῳ καθηκούσης εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν, διὰ τὸ παρὰ μίαν ἐκ τῶν ἐθισμῶν μεταλαμβάνειν τὴν ἀρχὴν τοὺς ὑπάτους ἀναστρατοπεδεύσας προῆγε. Vertit penè ad verbum Liuius libro 2. decad. 3. *Itaque Varro poſtero die, cui ſors eius diei imperij erat, nihil conſulto collega ſignum pugnæ propoſuit.* Nota tamen verba διὰ τὸ παρὰ μίαν, &c. *Propterea quod moris habeant Conſules alternis diebus imperare.*

Conſul maior. [margin note beside "peio, Maiorem Conſulem…"]

Conſules faſces alternis menſibus habebant. [margin note beside "libro 5."]

Fueritne Cōſul prior qui primo menſe faſces obtinebat? [margin note beside "ſequerentur. Neque verò…"]

Alternis diebus faſces habebant in exercitu. [margin note beside "uius libro 2. decad. 3."]

VIII. MAGNIFICENTIVS.] Ex hoc loco mendum quod in Fauij Vopiſci Tacitum irrepſit, emendes. Sic enim in impreſſa quondam legitur: *Cùm Tullius dicat magnificentius eſſe dicere, quemadmodum ceperit conſulatum, at in iſto viro magnificum fuit, quòd tanta gloria cepit imperium.* (lege, *quemadmodum geſſerit,*) *quàm quemadmodum ceperit conſulatum.*

AXIOMATA.

Fors eſt domina campi.
Magnificentiùs eſt dicere, quomodo quis geſſerit magiſtratum, quàm quemadmodum acceperit.

ARGVMENTVM.

Quatuor ſequentibus paragraphis exponit res à ſe geſtas in conſulatu, & quidem oſtendit qua diligentia, & celeritate Rulli & aliorum Tribunorum plebis de agro Campano diuidendo conſilia molitionéſque diſcuſſerit: tum agit de C. Rabirio perduellionis reo, quem in concione defendit, tertio de proſcriptorum filiis à Sylla Dictatore comitiorum iure priuatis, quibus diſſuaſit ne magiſtratus peterent contra legem Corneliam.

IV. EGO Kalendis Ianua. Senatum & bonos omnes legis agrariæ maximarúmque largitionum metu liberaui. Ego agrum Campanum, ſi diuidi non oportuit, conſeruaui, ſi oportuit, melioribus auctoribus reſeruaui. Ego in C. Rabirio perduellionis reo XL. annis ante me Conſulem, interpoſitam Senatûs auctoritatem ſuſtinui contra inuidiam atque defendi. Ego adoleſcentes bonos, & fortes, ſed vſos ea conditione fortunæ, vt ſi eſſent magiſtratus adepti, Reipubl. ſtatum con-

uulſuri viderentur, meis inimicitiis, nullâ Senatûs malâ gratiâ, comitiorum ratione priuaui.

EXPLANATIO.

Ego Calendis.] Ego primo die Ianuarij, quo die inij conſulatum Senatum & bonos omnes liberaui legis Agrariæ metu, qua lege Rullus Tribunusplebis agrum Campanum plebi diuidebat, multáſque alias largitiones, ad corrumpendam plebem contra ſalutem Reipub. faciebat.

Ego agrum Campanum.] Prudenter vtitur hoc dilemmate, ad vitandam Cæſaris & Pompeij offenſionem: Cæſar enim aliquot pòſt annis in ſuo conſulatu, fauente & adiuuante Pompeio, agrum Campanum diuiſerat, eóque Coloniam deduxerat.

Conservavi.] Reipub.

Melioribus auctoribus.] Cæſari & Pompeio.

Ego in C. Rabirio.] L. Apuleius Saturninus Tribunusplebis & Glaucias Prætor, poſt multas ſeditiones in Repub. concitatas, auctore Senatu, C. Mario VI. Cos. ciuibus ad arma conuocatis, in Capitolio obſeſſi ſunt, Saturninus à C. Rabirio occiſus eſt. trigeſimo ſexto pòſt anno T. Labienus C. Rabirio crimen perduellionis intendit. quæ accuſatio non tam in Rabirium, quàm in Senatum cædis illius & armorum auctorem redundabat. Quare M. Tullius in C. Rabirio ſe Senatus interpoſitam auctoritatem defendiſſe meritò gloriatur. dies enim Rabirio dicta fuerat: *Vt nihil poſt hac auctoritas Senatus, nihil conſulare Imperium, nihil conſenſio bonorum contra peſtem ac perniciem ciuitatis valeret. Idcirco in his rebus euertendis vnius hominis ſenectus, infirmitas, ſolitudóque tentata eſt.* pro Rab.

Adolescentes bonos.] Liberos proſcriptorum, quos lex Cornelia comitiorum ratione & magiſtratuum petitione priuauerat.

Reipub. statum convulsuri.] Sullæ leges antiquaturi, eiuſdémque & Sullanarum partium acta reſciſſuri, quod præſentem Reipubl. ſtatum funditus ſuſtuliſſet, ciuiléſque diſcordias & ſeditiones renouaſſet.

NOTÆ.

I. Geſta Ciceronis in Cõſulatu.

Ego.] Plinius lib. 7. cap. 30. paucis totum Tullij Conſulatum complexus eſt. *Sed quo te M. Tulli piaculo taceam? quóve maximè excellentem inſigni prædicem? Quo potiùs quàm vniuerſi populi, & illius gentis ampliſſimæ teſtimonio, & è tota vita tua conſulatus tantùm operibus electis? Te dicente legem Agrariam, hoc eſt alimenta ſua abdicauerunt tribus: te ſuadente Roſcio theatralis auctori legis ignouerunt, notatáſque ſe diſcrimine ſedis æquo animo tulerunt: te orante proſcriptorum liberos honores petere puduit, tuum Catilina fuit ingenium: tu M. Antonium proſcripſiſti. Salue primus omnium parens patriæ appellate primus in toga triumphum, linguæque lauream merite, & facundiæ latiarúmque litterarum parens: atque (vt Dictator Cæſar hoſtis quondam tuus de te ſcripſit) omnium triumphorum lauream adepte tanto maiorem, quanto plus eſt ingenij Romani terminos in tantum promouiſſe, quàm Imperij.*

Calendis Ianuariis.] Bene à Calendis Ianuariis, id eſt, ab ipſius anni Conſulatúſque principio narrationem ſuã auſpicatur. Gregorius Figulus oratione de principio indictionis: Ρωμαίοις δὲ πάλαι μὲν ὁ Ιανουάριος ἦν τοῦ ἔτους ἀρχὴ, ἀφ᾽ οὗ δὲ Αὔγουστος Καῖσαρ τὸν Ἀντώνιον ἐτροπώσατο, κατὰ τὸν Σεπτέμβριον μῆνα περιφανῆ ποιῆσαι τὴν νίκην βουλόμενος, μεταμείβει τὸ Ρωμαϊκὸν ἔθος, καὶ χαρίζεται τῷ μηνὶ τὰ πρεσβεῖα, καθάπερ προτέλεια. *Romani quidem olim Ianuario menſe annum inchoabant, ex quo verò Auguſtus Cæſar Antonium Septembri menſe ſuperauit, illuſtrem volens facere victoriam Romanorum conſuetudinem mutauit, eíque menſi tribuit principatum.* Sed cui non vel ex ſexcentis auctoribus compertum eſt Calendis Ianuariis initum fuiſſe Conſulatum, licet nonnihil hac in re fuerit variatum. Aliquando Idibus Decembribus magiſtratum inierunt, vt M. Geganius & Tit. Quintius anno ab V. C. CCCXII. vt teſtatur Dionyſius lib. 9. παραλαμβάνουσι τὴν ὕπατον ἀρχὴν τῇ διχομηνίδι τοῦ Δεκεμβρίου μηνός. *Plenilunio Decembris ineunt Conſulatum.* eúmque diem fuiſſe magiſtratibus ineundis ſolemnem, non obſcurè Liuius oſtendit de Tribunis militum loquẽs, qui conſulari poteſtati ſucceſſerant lib. 5. *Et populum Romanum Tribunos creaſſe, qui non Idibus Decembribus die ſolemni, ſed extemplo Calendis Octobribus magiſtratum occiperent.* At verò circa bella Punica à Calendis Martiis anni Conſularis principium faciebant. Liuius lib. 23. *Circumacto tertio anno belli Punici Titus Sempronius Conſul Idibus Martiis Conſulatum iniit.* libro 27. *Idibus Martiis, quo die magiſtratum inierunt, Italia ambobus Prouincia decreta.* lib. 28. *M. Marcellus cùm Idibus Martiis Conſulatum iniſſet, Senatum eo die moris cauſſâ habuit.* Item: *Cn. Fuluius Centimalus, P. Sulpitius Galba Conſules cum Idibus Martiis Conſulatum iniiſſent.* Eúmque diem fuiſſe tum magiſtratibus ineundis deſtinatum, tradit idem ſcriptor lib. 31. *Eam rem Idibus Martiis, quo die tum Conſulatus inibatur, P. Sulpicius Conſul retulit.* lib. 32. *Conſules Prætoréſque, cùm Idibus Martiis magiſtratum iniſſent, prouincias ſortiti ſunt.* Quem morem conſtat ſecutis etiam temporibus diu viguiſſe. Idem lib. 39. *M. Claudius, Qu. Fabius Idibus Martiis, quo die Conſulatum inierunt, de prouinciis ſuis Prætorúmque retulerunt.* & libro 40. *Si omnes magiſtratum Idibus Martiis inierunt.* At circa annum CCC. cùm videlicet Decemuiri creati ſunt, *Idus tum Maiæ ſolemnes ineundis magiſtratibus erant.* Vt Liuij verba vtar lib. 3. ex quibus corrigo Dionyſium lib. 10. Romanarum antiquitatum: Παραλαβόντες τὴν ὑπατικὴν ἐξουσίαν οἱ σὺν Ἀππίῳ Κλαυδίῳ δέκα ἄνδρες εἰδοῖς μόναις, (lego εἰδοῖς Μαΐαις) ἦγον δὲ τοὺς μῆνας κατὰ τὴν σελήνην, καὶ συνέπιπτεν εἰς τὰς εἰδοὺς ἡ πανσέληνος. *Conſularem poteſtatem ineuntes, ij qui cum Appio Claudio erant Decemuiri Idibus Maiis. menſes verò ſecundum Lunæ curſus numerabant, & plenilunium in Idus incidebat.* Nonnunquam menſe Auguſto magiſtratum inierunt, vt Seruius Seruilius, & Aulus Virginius anno CCLXXIIX. Dionyſius lib. 9. περὶ τὰς θερινὰς μάλιστα τροπὰς Σεξτιλίου μηνὸς παραλαμβάνουσι τὴν ὑπατείαν. *Circa æſtiuum ſolſtitium Sextilis menſis ineunt Conſulatum.*

II. Calendis Ianuariis inibat Conſulatum.

Vel Idibus Decembribus.

Item Calendis Martiis.

Aut Idibus Martiis.

Idibus Maiis.

Item menſe Sextili.

Et Calendis Septembribus.

Liuius lib. 3. *Comitia habita, creati Conſules S. Æbutius Pub. Seruilius, Calendis Sextilibus, vt tunc principium anni agebatur, conſulatum ineunt.* Aliquando Calendis Septembribus, vt Poſthumius Comminius & Sp. Caſſius anno CCLXI. Idem libro 6. Παραλαβόντες τὴν ἀρχὴν Καλάνδαις Σεπτεμβρίαις, θᾶττον ἢ τοῖς προτέροις ἔθος ἦν. *Calendis Septembribus, ſolitò maturius magiſtratum ineuntes.*

III. IN C. RABIRIO PERDVELLIONIS REO.] De L. Apuleio Saturnino, quem C. Rabirius eques Romanus vel, vt ait, Noſter Scæua ſeruus Qu. Crotonis occiderat, Appianus primo ciuilium, & epitome Liuiana libro 9. decadis ſeptimæ, de cauſa Rabirij. Dio Caſſius lib. 37. & Cic. præſertim in Rabiriana ſunt conſulendi. *Tunc autem eſt perduellio, cùm vel in ipſam Rempub. vel in perſonam magiſtratus aut principis infertur iniuria.* Manutius de legibus Romanis. Porro *perduellionis crimen*, vt notat Budæus in Pandectas, *Rabirio Labienus intruderat ob Saturnini mortem, qui contra fidem publicam occiſus fuerat.*

Perduellio.

IV. QVADRAGINTA ANNIS.] Dio libro 37. Ὅτι Σατουρνῖνος πρὸ ἓξ καὶ τριάκοντα ἐτῶν ἐτεθνήκει. *Ante ſex & triginta annos fuerat interemptus.* ſed vt bene monet Aſconius, *Hic non ſubtilis computatio annorum facta eſt, verùm ſummatim tempus comprehenſum eſt.*

V. INTERPOSITAM SENATVS AVCTORITATEM.] De eodem in oratore perfecto gloriatur, quòd ſcilicet coram populo Senatus auctoritatem defenderit, & verè. auctor enim fuerat Senatus, vt contra Saturninum & Glauciam arma caperentur. &, vt ait Dio, in hac Rabirij accuſatione: Οἱ δήμαρχοι τήν τε ἰσχὺν καὶ τὴν ἀξίωσιν τῆς βουλῆς καταλῦσαι παντελῶς ἐσπούδαζον. *Tribuni plebis omni ope nitebantur omnem Senatus vim auctoritatémque diſſoluere.* Hæc ille. & Noſter in Rabiriana fuſiſſimè.

VI. ADOLESCENTES.] Filios, vt dixi eorum quos Sylla Dictator proſcripſerat, quos excluſit ab honoribus petendis lex Cornelia, ne adepti magiſtratus, vlturi parentum necem nouas turbas in Repub. concitarent. legem hanc nonnulli reprehendunt. Seneca 2. de ira cap. 34. *Inter Syllanæ crudelitatis exempla eſt, quod à Repub. liberos proſcriptorum ſubmouit, nihil eſt iniquius, quàm aliquem hæredem paterni odij fieri.* Illuſtris eſt Dionyſij Halicarnaſſei lib. 8. locus in hanc ſententiam, quem proinde iuuerit totum exſcribere: Ἐπιβαλλομένων δέ τινων καὶ τοὺς παῖδας ἀποκτεῖναι τοῦ Κασσίου, δεινὸν τὸ ἔθος ἔδοξεν εἶναι τῇ βουλῇ καὶ ἀσύμφορον, καὶ συνελθοῦσα ἐψηφίσατο ἀφεῖσθαι τὰ μειράκια τῆς τιμωρίας, καὶ ἐπὶ πάσῃ ἀδείᾳ ζῆν, μήτε φυγῇ, μήτε ἀτιμίᾳ, μήτ᾽ ἄλλῃ συμφορᾷ ζημιωθέντα. καὶ ἐξ ἐκείνου τὸ ἔθος διέμεινεν, ἕως τῆς καθ᾽ ἡμᾶς διατηρούμενον ἡλικίας, ἀφεῖσθαι δὲ τιμωρίας ἁπάσης τοὺς παῖδας, ὧν ἂν οἱ πατέρες ἀδικήσωσιν, ἐάν τε τυράννων ὄντες υἱοὶ τύχωσιν, ἐάν τε πατροκτόνων, ἐάν τε προδοτῶν, ὃ μέγιστόν ἐστι παρ᾽ ἐκείνοις ἀδίκημα. οἵ τε καταλῦσαι τὸ ἔθος τοῦτο ἐπιβαλλόμενοι κατὰ τοὺς ἡμετέρους χρόνους, κατὰ τὴν συντέλειαν τοῦ Μαρσικοῦ τε καὶ ἐμφυλίου πολέμου, καὶ τοὺς παῖδας τῶν ἐπικηρυχθέντων ἐπὶ Σύλλα πατέρων ἀφελόμενοι τὸ μετιέναι τὰς πατρίους ἀρχὰς, καὶ βουλῆς μετέχειν καθ᾽ ὃν ἐδυνάστευον αὐτοὶ χρόνον, ἐπίφθονόν τ᾽ ἀνθρώποις καὶ νεμεσητὸν θεοῖς ἔργον ἔδοξαν ἀποδείξασθαι. *Cùm verò nonnulli vrgerent tollendos etiam filios Caſſij, atrox Senatui & pernicioſum exemplum viſum eſt; remiſsáque ex Senatuſconſulto pœna, permiſſum adoleſcentibus in patria viuere, abſque omni periculo ſine vlla infamia, aliáve mulcta. & ex eo tempore vſque ad noſtram ætatem mos hic Romæ inualuit, ut parentum peccata, impune ſint liberis, ſiue illi tyranni, ſiue parricidæ fuerint, ſiue proditores, quod apud Romanos crimen eſt grauiſsimum, & qui morem hunc antiquare aggreſsi ſunt noſtris temporibus, circa finem Marſici & ciuilis belli, & proſcriptorum à Sylla liberos curia paterniſque honoribus, quamdiu rerum potiti ſunt, prohibuerunt, viſi ſunt rem dignam hominum inuidia Deorúmq; indignatione facere.* Τοιγάρτοι δίκην μὲν ἐκείνοις σὺν χρόνῳ τιμωρὸς οὐ μεμπτὴν παρηκολούθησε, δι᾽ ἣν ἐκ μεγίστου τ᾽ αὐχήματος εἰς ταπεινότατον πτῶμα ἤχθησαν, καὶ οὐδὲ γένος τὸ ἐξ αὐτῶν, ὅτι μὴ κατὰ γυναῖκας ἔτι λείπεται. *Quapropter procedente tempore non euaſerunt vltionem iuſtiſsimam ex altiſsimo faſtigio ſic deiecti, vt ne genus quidem eorum niſi per fœminas deductum, ſit reliquum.* Subdit: Παρὰ Ἑλλήνων δὲ οὐχ οὕτως ἐνίοις ὁ νόμος ἔχει, ἀλλὰ τοὺς ἐκ τυράννων. γενομένους οἱ μὲν συναποκτίννυσθαι τοῖς πατράσι δικαιοῦσιν, οἱ δ᾽ ἀειφυγίᾳ κολάζουσιν, ὥσπερ οὐκ ἐνδεχομένης τῆς φύσεως χρηστοὺς παῖδας ἐκ πονηρῶν πατέρων, ἢ κακοὺς ἐξ ἀγαθῶν γενέσθαι. *Cæterùm apud Græcos nonnullos diuerſa lex eſt. nam ex tyrannis natos, alij cum patribus necandos cenſent, alij perpetuo exilio mulctant, quaſi natura non ferat bonos filios naſci è malis patribus, aut malos è bonis.* Plato octauo de legibus mediam viam inſiſtit: Ἐὰν δὲ λόγῳ πατρὸς ὀνείδη καὶ τιμωρίας παίδων μηδενὶ ξυνέπεσθαι, πλὴν ἐάν τινι πατὴρ καὶ πάππος καὶ πάππου πατὴρ ἑαλωσι θανάτου δίκην. *Vt verbo dicam, filij paterni ſupplicij, aut infamiæ hæredes ne ſint, niſi ſi cuius pater, auus & atauus capite damnati fuerint.* Sed vt ad Syllanam proſcriptionem redeamus, illud quidem indigniſſimum fuit, quod ait Velleius libro 2. *In multos inſontes ſæuitum, adiectum vt bona proſcriptorum vænirent, excluſique paternis opibus liberi, etiam petendorum honorum iure prohiberentur: ſimúlque, quod indigniſsimum eſt Senatorum filij & onera ordinis ſuſtinerent, & iura perderent.* Non iniuriâ tamen eos Cic. quamuis cæteroquin innocentes comitiorum ratione priuauit. licet enim, vt ait Ariſtoteles 3. politic. cap. 1. ius ciuitatis potiſſimùm in iudiciorum & magiſtratuum participatione conſiſtat, πολίτης δ᾽ ἁπλῶς οὐδενὶ τῶν ἄλλων ὁρίζεται μᾶλλον ἢ τῷ μετέχειν κρίσεως καὶ ἀρχῆς, nulla tamen fit iis ciuibus iniuria, qui ab honoribus petendis prohibentur, ſi ex eorum magiſtratibus aut publicum exitium, aut certè periculum conſequeretur. nec prudenter, vt plurimùm, fecerit, qui viri publico iudicio damnati liberos Reipub. gubernaculis admouerit. Eleganter ſuo more Demoſthenes ſiue Dinarchus oratione in Ariſtogitonem: Πότερον ὅτι τοῦ πατρὸς αὐτοῦ θάνατον κατέγνωτε, καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ ὀφλοῦσαν ἀποστασίου ἀπέδοσθε, διὰ ταῦτ᾽ αὐτὸν ὑμῖν ὑπολαμβάνετ᾽ εὔνουν εἶναι; ἀλλ᾽ ἄτοπον, νὴ τὸν Δία καὶ πάντας τοὺς θεούς, τοῦτό γε. εἰ μὲν γὰρ εὔνους ἐστὶν ἐκείνοις, καὶ τὸν τῆς φύσεως διασώζει νόμον, ὃς καὶ ἀνθρώποις καὶ θηρίοις εἷς ὁ αὐτὸς ἅπασιν ὥρισται, στέργειν τοὺς γονεῖς, κακόνους ἐστὶ τοῖς ἐκείνους ἀπολωλεκόσι, δῆλον ὅτι καὶ νόμοις καὶ πολιτείᾳ τῇ τούτων. εἰ δὲ μηδένα τούτων ὑπόλογον ποιεῖται, ἡδέως ἂν εἰδείην. τίς ἐστιν, ὁ τὴν πρὸς τοὺς γονέας εὔνοιαν ὁρῶν προδεδωκότα τοῦτον, ἣν πρὸς τὸν δῆμον ταύτην ἔχειν ὑποληψεται πιστεύων. ἐγὼ μὲν γὰρ ἄπιστον, καὶ θεοῖς ἐχθρὸν οὐ μόνον ἀνθρώποις ὑπολαμβάνω τὸν τῶν γονέων ἀμελοῦντα. *An quia patrem eius capite damnaſtis, & matrem ipſius deſertionis conuictam vendidiſtis,*

Filij non ſunt ob ſcelera parentum puniendi.

Poſſunt tamé ab honoribus ſubmoueri.

Non ſunt bene affecti erga Rempub. quorum parentes publico iudicio dánati ſunt.

idcirco eum vobis beneuolum fore arbitramini? Sed, hoc per Iouem cæteróſque Deos, abſurdum eſt. ſi enim illis eſt beneuolus, & legem ab ipſa natura inſitam conſeruat, quæ & hominibus & belluis vna eadémque communis eſt Parentes amare, malè affectus eſt in illos, qui parentibus necem intulerunt: liquet eum & legibus & Reipub. eorum eſſe infenſum. ſi verò nullam habet iſtorum rationem, ſcire velim quiſnam animaduerteret iſtum pietatem in parentes & beneuolentiam prodidiſſe, huic beneuolentiæ fidem adhibeat, quam nunc populo pollicetur. Ego certè infidelem, & Diis, non ſolùm hominibus inimicum duco eum qui parentes neglexerit. Non igitur iniuriâ noſter Orator & proſcriptorum liberos laudat, & tamen eos ſe comitiorum ratione priuaſſe gloriatur. nam & iuſtè illi de Syllæ crudelitate conquerebantur: & iuſtè à Tullio petendorum honorum iure prohibiti fuerunt. Plutarchus in Cic. Οἱ κεκωλυμένοι κατὰ τοὺς Σύλλα νόμους ἄρχειν, οὔτ' ἀσθενεῖς ὄντες, οὔτ' ὀλίγοι μετιόντες ἀρχὰς ἐδημαγώγουν. πολλὰ τῆς Σύλλα τυραννίδος ἀληθῆ μὲν καὶ δίκαια κατηγοροῦντες, οὐ μὴν ἐν δέοντι τὴν πολιτείαν οὐδὲ σὺν καιρῷ κινοῦντες. *Qui prohibiti fuerant legibus Syllanis, neque pauci, neque minimarum virium, magiſtratus petentes habebant conciones, & multis crudelitatem Syllæ accuſabant, verè quidem & iuſtè, ſed tamen incommodè & alieno tempore Rempub. mouebant.* Atque hæc à me dicta ſunt, vt factum hoc Ciceronis ab iniuſtitia vindicarem, quamuis non poſſum non laudare illud Demoſthenis epiſt. 3. Εἰ μὲν χρηστὰ καὶ δημοτικὰ, καὶ ἐπ' εὐνοίᾳ τῷ Λυκούργῳ πεπραγμένα φαίνεται, μηδενὸς κακοῦ, ἀλλὰ καὶ πάντων τῶν ἀγαθῶν, τοὺς παῖδας αὐτοῦ δίκαιόν ἐστι τυγχάνειν παρ' ὑμῶν. εἰ δὲ τ' ἀναντία τούτων, ἐκεῖνον, ὅτ' ἔζη, ἔδει δίκην διδόναι. τούτους δὲ, μηδ' οὕτως ἐφ' οἷς ἐκείνῳ τις ἐγκαλεῖ, τυγχάνειν ὀργῆς. πᾶσι γὰρ ἁπάντων τῶν ἁμαρτημάτων ὅρος ἐστὶ τελευτή. *Si bene, populariter, & beneuolè Lycurgum ſe geßiſſe conſtat, iuſtum eſt vt eius liberi non ſolùm ab omni calamitate prohibeantur, ſed etiam omnia bona conſequantur. Sin autem, omnia his contraria feciſſe deprehendatur, hunc, dum viueret, mulctari, & lege puniri oportebat, hos verò ne ſic quidem ſcelerum de quibus accuſatur, inuidiam ſubire. omnibus enim omnium peccatorum mors eſt finis.*

MALA GRATIA.] Cato Cenſorius oratione pro Hiſpanis apud Chariſium libro 2. *De frumento vtrobi bona, vtrobi mala gratia capiatur, vtrinde iram, vtrinde factiones tibi pares.* Gratia in malam partem. Gellius lib. 12. cap. 9. *Quintus Metellus Numidicus in oratione quam de triumpho ſuo dixit, his verbis vſus eſt: Qua in re quanto vniuerſi me vnum anteſtatis, tanto vobis, quàm mihi, maiorem iniuriam atque contumeliam facit, Quirites. Et quanto probi iniuriam faciliùs accipiunt, quàm alteri tradunt, tanto ille vobis, quàm gratiam mihi peiorem honorem habuit. nam me iniuriam ferre, vos facere vult, Quirites; vt hic conqueſtio, iſthic vituperatio relinquatur. Honorem, inquit, peiorem vobis habuit, quàm gratiam mihi: cuius verbi ſententia eſt, quam ipſe quoque ſupra dicit, maiore vos affecit iniuriâ & contumeliâ quàm me.* Apuleius apologiâ 2. *At tibi, Æmiliane, pro iſto mendacio, aut Deus iſte Superûm & Inferûm commeator, vtrorumque Deorum malam gratiam, ſempérque obuias ſpecies mortuorum, quidquid vmbrarum eſt vſquam, quidquid lemurum, quidquid manium, quidquid laruarum oculis tuis oggerat. omnia noctium occurſacula, omnia buſtorum formidamina, omnia ſepulchrorum terriculamenta,* &c. Sic Plautus Aulularia malam malitiam dixit: VII.

Mala gratia.

Malus honor.

Te ciuem ſine omni malâ malitiâ
Semper ſum arbitratus.

AXIOMATA.

Si quid faciendum eſt, expetendum eſt vt à bonis fiat auctoribus.

Non ſatis eſt bonum eſſe & fortem eſſe ad gerendos magiſtratus, ſed etiam fortuna ſpectanda eſt.

ARGVMENTVM.

Exponit qua arte, quibus obſequiis C. Antonium ſuum collegam ad partes bonorum allexerit, & Catilinæ coniurationem primùm detexerit, deinde penitus oppreſſerit.

EGO Antonium collegam cupidum prouinciæ, multa in Republ. molientem, patientiâ atque obſequio meo mitigaui. ego prouinciam Galliam Senatus auctoritate, exercitu, & pecunia inſtructam, & ornatam, quam cum Antonio communicaui (quod ita exiſtimabam tempora Reipubl. ferre) in concione depoſui reclamante populo Romano. Ego L. Catilinam cædem Senatûs, interitum vrbis, non obſcurè, ſed palam molientem, egredi ex vrbe iuſſi: vt, à quo legibus non poteramus, mœnibus tuti eſſe poſſemus. Ego tela extremo menſe Conſulatus mei intenta iugulis ciuitatis de coniuratorum nefariis manibus extorſi. Ego faces iam accenſas ad huius vrbis incendium comprehendi, protuli, exſtinxi. V.

EXPLANATIO.

EGO.] Ego C. Antonium meum Collegam meis obſequiis, & facilitate in concedenda illi Macedonia ad Reipublicæ defenſionem allexi.

CVPIDVM PROVINCIÆ.] Macedoniæ prouinciæ opulentæ, vt ex eius adminiſtratione

diuitias ſibi compararet, quibus ſe ære alieno poſſet expedire.

MVLTA IN REPVBL. MOLIENTEM.] Studentem legibus Agrariis, & Catilinæ, vt vel Decemuir fieret per leges Agrarias, vel per Catilinam nouis tabulis confectis ære alieno ſe liberaret.

EGO PROVINCIAM.] Conſules ſolebant prouincias ſortiri, vel inter ſe comparare, id eſt, extra ſortem conuenire inter ſe, quam quiſque prouinciam in annum ſequentem obtineret. Cicero cùm Antonium Macedoniæ cupidum videret, eam vltro ipſi ſine ſorte conceſſit, vt Collegam hoc obſequio mitigatum ad Reipub. partes adduceret. ac ne Galliam quidem, quam in illa prouinciarum comparatione obtinuerat, retinuit, ſed eam deinde in concione depoſuit, quod id putaret Reipubl. rationibus expedire. Aduerte quàm copiosè iuxtà & prudenter id factum exaggeret. Ego, inquit, Prouinciam Galliam in concione depoſui, diceret aliquis. Quid ſi eam iniuſtè inuaſeras? cùm prætoria eſſet, non autem Conſularis? Eam, inquit, ipſam quam Senatus auctoritate ſua eo anno Conſularem eſſe decreuerat. Quid ſi eam tanquam inutilem aut ingloriam repudiaſti? at eam Senatus exercitu & pecuniâ non ſolùm ad vtilitatem inſtruxerat, ſed etiam ad dignitatem ornauerat. Quid ſi non Reipubl. ſed vel otio & quieti, vel propriis rationibus conſulebas, vt non diſcederes ex vrbe, ſed in foro iudiciíſque floreres? At eam depoſui quòd ita exiſtimabam tempora Reipubl. ferre. Quid ſi eam depoſuiſti quòd eam inuito populo Romano obtinebas? at inuito populo Romano eam in concione depoſui. Quid ſi leuitatis eſt eam prouinciam deponere, quam paucis antè diebus tanto ſtudio tibi compararas? At eam, inquit, cum Antonio communicaui & comparaui, ſimulauíque pariter me cupidum eſſe prouinciæ, vt ei cedens Macedoniam eiúſque voluntatem propriis commodis & rationibus anteponens, viderer obſequi: ſi enim noluiſſem prouinciam cum eo comparare, putaſſet me non ipſius amore, ſed Prouinciæ faſtidio conceſſiſſe, vt ipſe, quam vellet, Macedoniam obtineret.

EGO L. CATILINAM.] Hæc ſexcentis locis Orator, in quibus proinde explicandis non immoramur.

FACES IAM ACCENSAS.] Effectum ponit pro cauſa, non enim faces iam accenſas, ſed coniuratorum litteras, per L. Flaccum Prætorem in Ponte Miluio comprehendit, protulit, & in Senatu recitauit.

NOTÆ.

I. Antonius in ſuſpicionem coniurationis vocatus.

ANTONIVM.] Culpam in Antonio coniurationis aliquam fuiſſe ipſe Cicero, qui reum defenderat §. octaua orationis pro Sextio confitetur. *Atque, inquit, de Antonio nihil dico præter vnum, nunquam illum in illo ſummo timore ac periculo ciuitatis, neque communem metum omnium, neque propriam nonnullorum de ipſo ſuſpicionem, aut inficiando tollere, aut diſſimulando ſedare voluiſſe.* Quod autem legibus Agrariis aliíſque nouis rebus ſtuduerit, tum ex Plutarcho in vita Tullij de Catilina: Καὶ λαμπρὸς ἦν ταῖς ἐλπίσιν, ὡς Καίῳ Ἀντωνίῳ συνυπατεύσων, ἀνδρὶ καθ' αὑτὸν μὲν οὔτε πρὸς τὸ βέλτιον, οὔτε πρὸς τὸ χεῖρον ἡγεμονικῷ, προσθήκην δ' ἄγοντος ἑτέρου δυνάμεως ἐσομένου. lege, προσθήκην δὲ, ἄγοντος ἑτέρου, δυνάμεως οἰσομένῳ. *Spem magnam conceperat fore, vt Conſulatum gereret cum Antonio, qui per ſe quidem neque ad bonum, neque ad malum dux eſſe, ſed alteri incipienti opem & poteſtatem addere potuiſſet.* De damnatione Antonij pluribus 2. Philipp. §. 82.

II. PROVINCIAM GALLIAM.] Sic explicaui, quaſi duo Conſules comparauiſſent inter ſe prouincias. partim quòd ad Plutarchi mentem facere videretur, partim ne à recepta lectione diſcederem. tamen monet Freigius legendum eſſe non *communicaui*, ſed *commutaui*. Siquidem auctore Dione Cicero: Εἰλήχει τῆς Μακεδονίας ἄρξειν· οὔτε δὲ ἐς ἐκείνην (τῷ γὰρ συνάρχοντι αὐτῆς διὰ τὴν περὶ τὰς δίκας σπουδὴν ἐξέστη) οὔτε ἐς τὴν Γαλατίαν τὴν πλησίον, ἣν ἀντέλαβε διὰ τὰ παρόντα ἐξήλασεν. *Sortitus fuerat Macedoniam: ſed nec in eam (collegæ enim propter rerum forenſium ſtudia conceſſit) neque in Galliam citeriorem, propter præſentem Reipubl. ſtatum profectus eſt.* Sed, vt iam alibi monui, in his quæ ad Tullium ſpectant, vix vlla Dioni fides debet adhiberi. Vt enim Plato Xenophonti, Xenophon Platoni, eidem Ariſtoteles, Plutarchus Herodoto, ita Tullio & Senecæ, Dio vir cæteroqui magnus, infenſus eſt. adeò ne magni quidem viri abiectiſſimum parui animi vitium effugere potuerunt. Magis ingenuè Plutarchus: Τοῦτο πρῶτον θεραπεύων ὁ Κικέρων ἐκείνῳ μὲν ἐψηφίσατο τῶν ἐπαρχιῶν, Μακεδονίαν, αὐτῷ δὲ τὴν Γαλατίαν διδομένην παρῃτήσατο, καὶ κατειργάσατο τῇ χάριτι ταύτῃ τὸν Ἀντώνιον, ὥσπερ ὑποκριτὴν ἔμμισθον, αὐτῷ τὰ δεύτερα λέγειν ὑπὲρ τῆς πατρίδος. *Primùm quidem Cicero obſequio ſibi deuinciens Antonium, illi prouinciam Macedoniam conceſſit, Galliam ſibi datam deprecatus eſt, & hoc beneficio ſibi conciliauit Antonium, vt tanquam actor mercenarius ſecundas partes pro patria teneret.* Vide epiſt. 2. libri 5. ad familiares, ad Metellum Celerem.

AXIOMATA.

Homines quantumuis feroces patientia, & obſequio mitigantur.

Optandum eſt, vt à quo legibus non poſſumus, moribus tuti eſſe poſſimus.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Hactenus oſtendit ſuas res geſtas in Conſulatu, nunc paucis perſtringit honores & præmia, quæ grauiſsimorum hominum iudicio ipſius virtuti ob ſeruatam Remp. decreta ſunt.

ME Qu. Catulus princeps huius ordinis, & auctor publici conſilij, frequentiſsimo Senatu, parentem patriæ nominauit. mihi hic vir clariſsimus, qui propter te ſedet, L. Gellius his audientibus ciuicam coronam deberi à Repub. dixit. mihi togato Senatus non, vt multis, bene geſtæ, ſed vt nemini, conſeruatæ Reipub. ſingulari genere ſupplicationis Deorum immortalium templa patefecit. Ego, cùm in concione abiens magiſtratu dicere à Tribunoplebis prohiberer, quæ conſtitueram: cúmque is mihi tantummodo vt iurarem, permitteret: ſine vlla dubitatione iuraui, Rempub. atque hanc vrbem, mea vnius opera, eſſe ſaluam. VI.

EXPLANATIO.

ME QV. CATVLVS.] Res clara eſt. Qu. Lutatium Catulum laudat, vt maior ſit illius iudicij & laudationis auctoritas.

MIHI HIC VIR.] L. Gellius vir cenſorius me ob ſeruatam Rempub. ciuica corona donandum eſſe dixit.

PROPTER TE.] Prope te.

MIHI TOGATO.] Hactenus grauiſſimo quidem illo, ſed tamen ſingulorum hominum iudicio ſui Conſulatus dignitatem oſtendit; nunc eandem totius Senatus auctoritate confirmat, eiúſque rei ſplendorem aliquot circunſtantiis exaggerat. 1. Quòd togatus & ſine armis eum honorem fuerit conſecutus. 2. Quòd iis verbis ſupplicatio ipſi Senatûs auctoritate decreta ſit, vt Conſeruator patriæ nō ſolùm propagator imperij diceretur. 3. Quòd ipſi ſoli poſt vrbem conditam is honor contigerit. Decreuit, inquit, Senatus vt in honorem meum ad Deorum templa & puluinaria ſupplicatio procederet, quæ ſupplicatio tanto mihi honorificentior fuit, quo magis fuit ſingularis, quippe quæ nec viris togatis, id eſt, iis qui in vrbe & foro Rempub. adminiſtrarunt vnquam decreta ſit, nec iis qui armis Reipub. fines propagarunt, ea verborum formula, vt ſeruatores Reip. nominentur.

SVPPLICATIO.] Vulgo proceſſio.

EGO CVM.] Mirum fortaſſe quis exiſtimet, quid ſit cur Cicero poſt Qu. Catuli, L. Gellij, totius Senatus auctoritatem ſui etiam fecerit mentionem, quaſi verò magni retulerit quid de ſeipſo ſentiret. duæ fuerunt rationes. altera vt res à ſe geſtas propriæ conſcientiæ iuramenti religione deuinctæ teſtimonio, altera vt eaſdem vniuerſis populi ſuffragiis comprobaret. Ego, inquit, cùm in Roſtris, populo ad concionem vocato deponens Conſulatum, dicere à Qu. Metello Nepote Tribunoplebis prohiberet, cúmque idem Metellus tantummodo permitteret, vt ſecundum morem maiorum iurarem me nihil feciſſe contra leges: non ſeruaui conſuetam iurandi formulam: ſed ita mihi rerum à me geſtarum conſcius eram, vt ſine vlla dubitatione iurauerim, mea vnius opera Rempubl. fuiſſe à coniuratione & interitu liberatam.

NOTÆ.

QV. CATVLVS.] Ex hoc loco videas Plutarchum lapſum fuiſſe memoria, qui Catoni hanc rem tribuit non Catulo: Τὴν Κικέρωνος ὑπατείαν οὕτως ἦρε τῷ λόγῳ μεγάλην δημηγορείσας, ὥστε τιμὰς αὐτῷ τῶν πώποτε μεγίστας ψηφίσασθαι, καὶ προσαγορεῦσαι πατέρα πατρίδος. πρώτῳ γὰρ ἐκείνῳ δοκεῖ τοῦτο καθυπάρξαι, Κάτωνος αὐτὸν οὕτως ἐν τῷ δήμῳ προσαγορεύσαντος. *Ciceronis Conſulatum ſic verbis extulit habitâ concione, vt honores illi, omnium, qui vnquam conceßi fuiſſent, maximos decreuerit, & eum Patrem patriæ nominarit: hoc enim nomen huic primo omnium videtur contigiſſe, cùm ei Cato hoc nomen in concione tribuiſſet.* Sed nihil obſtat quo minùs eum Catulus, in Senatu, & Cato in concione Patrem patriæ nominarit: qui honor, etſi gliſcente adulatione ad mulierculas etiam ſi ſuperis placet, deuenerit: Tacitus primo annalium, *Multa Patrum & in Auguſtam adulatio: alij Parentem, alij Matrem patriæ appellandam*, &c. *dicebant.* Non tamen adeò vulgaris fuit, vt paſſim Imperatoribus decerneretur. Iulius Capitolinus in Pertinace: *Primus ſanè omnium ea die qua Auguſtus eſt appellatus, etiam Patris-patriæ nomen recepit.* Et Lampridius in Alexandro: *Auguſtúmque nomen idem recepit, addito eo vt & Patris-patriæ nomen, & ius proconſulare, & tribunitiam poteſtatem, & ius quintæ relationis, deferente Senatu, vno die aſſumeret.* Sed de his alibi fortaſſe. Plinius Tullium lib. 7. cap. 30. ſic compellat, *Salue primus omnium Pater-patriæ appellate.* I. Pater patriæ.

CIVICAM CORONAM.] De ciuica corona tria dicenda ſunt. 1. de eius materia. 2. de cauſis cur daretur. 3. de eiuſdem præ cæteris honoribus dignitate. Si priùs iſta Gellij verba ex c. 6. l. 5. noct. Attic. exſcripſero: *Corona ciuica L. Gellius vir Cenſorius in Senatu Ciceronem Conſulem donari à Rep. cenſuit: quòd eius operâ eſſet atrociſsima illa Catilinæ coniuratio detecta vindicatáque.* Idem de materia: *Et fit è fronde querna: quoniam cibus victúſque antiquiſsimus quercens capi ſolitus ſit; fit etiam ex ilice: quod genus ſuperiori proximum eſt: ſicuti ſcriptum eſt in quadam comœdia, Cæcilij:* II. Corona ciuica è quercu.

Aduehuntur, inquit, cum ilignea corona & chlamyde? Hinc 6. Æneidos:

Atque vmbrata gerunt ciuili tempora quercu.

Plinius lib. 16. c. 4. *Ciuica ilignea primò fuit, poſtea magis placuit ex æſculo Ioui ſacrâ. variatáque in hoc cum quercu eſt.* Plutarchus in Romanis problema nonageſimũ primũ hoc proponit: Διὰ τί τῷ σώσαντι

πολίτην ἐν πολέμῳ δρύϊνον διδόασι στέφανον; *Cur eum qui ciuem in bello ſeruauerit, quernâ donant coronâ?* Redditque hanc inter cæteras rationem: Ὅτι Διὸς καὶ Ἥρας ἱερὸς ὁ στέφανός ἐστιν, οὓς πολιούχους νομίζουσιν. *Quòd Ioui & Iunoni ſacra eſt, quos vrbium præſides arbitrantur.* Hecate tamen à Sophocle in Rhiſotomis apud interpretem Apollonij στεφανωσαμένη δρυσὶ, *quercu redimita* inducitur. Sed hactenus de materia. Cauſas & conditiones requiſitas iam innuimus. Seneca de clementia formulam adfert, OB CIVES SERVATOS. Gellius: *Ciuica corona appellatur, quam ciuis ciui, à quo ſeruatus eſt in prælio, teſtem vitæ ſalutíſque perceptæ dat.* Dionyſius lib.10. Luc. Siccium, vel vt Plinius & Solinus appellant Sicinium Dentatum, ita loquentem inducit, τεσσαρεσκαίδεκα μὲν στεφάνοις πολιτικοῖς, οἷς ἀνέδησάν με οἱ σωθέντες ἐν ταῖς μάχαις ὑπ' ἐμοῦ. *Quatuordecim ciuicas coronas, quibus me ſeruati ciues in prælio coronarunt.* Plinius lib. 16. cap.4. paucis leges arctas, vt ipſe appellat, ciuicæ coronæ complectitur. *Quique patriæ muros primus ſcandens audentem irrumpere occidit: quique ciuem maluit ſeruare, quàm hoſtem occidere. vtque eum locum in quo ſit actum obtineret hoſtis eo die, vtque ſeruatus fateatur: alias teſtes nihil proſunt, vt ciuis fuerit. Auxiliis quouis rege ſeruato decus id non dant. nec creſcit honos idem Imperatore conſeruato: quoniam conditores in quocunque ciue ſummum eſſe voluerunt.* Quibus tamen conditionibus, Maſſurius Sabinus apud Gellium alias adferre videtur nonnihil contrarias: *Ciuicam coronam tum dari ſolitam dicit, cùm is qui ciuem ſeruauerat, eodem tempore etiam hoſtem occiderat, neque locum in ea pugna reliquerat: aliter ius ciuicæ coronæ negat conceſſum.* A Plinio certè facit, quod vt tum idem ait lib.7.cap.27. tum Polyhiſtor. cap. 6. M. Sergius, *à Thraſimeno, Trebia, Ticinóque coronas ciuicas retulit.* & quòd, *Africanus de patre accipere noluit apud Trebiam* Quibus præliis hoſtes loco potiti ſunt. de dignitate ſequenti nota paucis agemus.

Ob ciues ſeruatos dabatur.

III. VT NEMINI.] Sapienter ex eo honores ſibi decretos exaggerat, ex eo quod vel paucis, vel nemini decreti fuerint, cùm enim, vt philoſophi poſt Ariſtotelem teſtantur, honor ſit aliud nihil quàm quædam excellentiæ teſtatio, paucique adeò ſint excellentes viri, tanto magis erit expetendus honor, quo paucioribus conferetur. Præclarè Seneca libro primo de beneficiis cap.13. *Alexandro Macedoni cùm Victor orientis animos ſupra humana tolleret, Corinthij* (Megarenſes vocat alicubi Plutarchus) *per legatos gratulati ſunt, & ciuitate illum ſua donauerunt: cùm riſiſſet Alexander hoc officij genus, vnus ex legatis: Nulli, inquit, ciuitatem vnquam dedimus alij, quàm tibi & Herculi. libens accepit delatum honorem, & legatos inuitatione, aliáque humanitate proſecutus, cogitauit, non qui ſibi ciuitatem darent, ſed cui dediſſent.* Et lib. 6. cap. 18. *Plato cùm flumen naue tranſiſſet, nec ab illo quidquam portitor exegiſſet, honori hoc ſuo datum credens, dixit poſitum illi eſſe apud Platonem officium: Deinde paulò poſt cùm alium atque alium gratis eadem tranſueheret ſedulitate, negauit illi iam apud Platonem poſitum eſſe officium.* Cæterùm cùm ſibi ſoli togato dicat orator ſupplicationem fuiſſe decretam, id hyperbolicè dictum videri poſſit, ſiquidem, vt auctor eſt Dionyſius 5. antiquit. Rom. Seruilio Sulpitio Camerino, qui coniurationem pauperum exitialem ſanè Reipubl. futuram, niſi ipſi duces ſpectris & ſomniis deterriti rem vltro ad Conſulem detuliſſent, prudenter togatus extinxerat. Supplicatio decreta eſt, paucis annis poſt Tarquinios exactos: Ἡ δὲ βουλὴ καθαίρεσθαι ψηφισαμένη τοὺς πολίτας ἅπαντας, ὅτι πολιτικοῦ φόνου γνώμας ἠναγκάσθησαν ἀποδείξασθαι, ὡς οὐ θεμιτὸν αὐτοῖς ἐφ' ἱερὰ παρεῖναι καὶ θυσιῶν κατάρχειν, πρὶν ἀφοσιώσασθαι τὸ μίασμα, καὶ τὴν συμφορὰν λῦσαι τοῖς εἰωθόσι καθαρμοῖς, ἐπειδὴ πᾶν, ὅσον ἦν ὅσιον, ἐπὶ τοῖς ἐξηγουμένοις τὰ θεῖα κατὰ τὸν ἐπιχώριον νόμον ἐπετελέσθη, θυσίας μὲν μετὰ τοῦτο χαριστηρίους, καὶ ἀγῶνας ἔγνωμεν ἐπιτελεσθῆναι, καὶ τρεῖς ἡμέρας ἔθηκεν εἰς ταῦτα ἱεράς. *Senatusconſultum factum eſt, vt tota luſtraretur ciuitas, quòd neceſſitate coacta eſſet ciuilis cædis auctor fieri: cùm nefas eſſet ad ſacra accedere, & victimas immolare, antequam facinus expiatum eſſet, luéſque ſolitis luſtrationibus abolita. cúmque vniuerſas religionis cerimonias patrio ritu peregiſſent diuini cultus antiſtites, Senatus tum demum ſacra ad agendas Diis gratias & ludos celebrari iuſſit, tréſque huic rei dies feſtos inſtituit.* Cæterùm nemini à Republ. ciuicam coronam datam hactenus fuiſſe potiori iure dicere potuiſſet: nemo enim ad eam ætatem à Repub. huiuſmodi coronas acceperat. quamuis ſecutis temporibus ea quoque ad cæteram adulationem frequenter acceſſerit. Plinius cap. 4 lib.16. *Hinc ciuicæ coronæ militum virtutis inſigne clariſſimum. Iampridem verò & clementiæ Imperatorum poſtquam ciuilium bellorum profanatione meritum cœpit videri, ciuem non occidere.* Item: *Dedit hanc Auguſtus coronam naualem Agrippæ. ſed ciuicam à genere humano accepit ipſe.* Sic Iulio Cæſari, cuius in Rempub. impreſſio, centum & ſeptuaginta ciuium millibus mortem acciuerat, vt Plutarchus in eius vita tradit è cenſoriis tabulis conſtitiſſe, huic inquam ſtatuas ciuicâ coronâ redimitas per ſummam adulationem excitarunt. Appianus 2. ciuilium: Καὶ στέφανος ἐκ δρυὸς ἦν ἐπ' εἰκόνας, ὡς σωτῆρι τῆς πατρίδος, ᾧ πάλαι τοὺς ὑπερασπίσαντας ἐγέραιρον οἱ περισωθέντες. Sed hæc, vt dixi per adulationem, at

Honor.

Supplicatio togato decreta.

Coronæ ciuicæ honor.

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

& vir grauiſſimus ei ciuicam coronam à Repub. dandam putauit. cuius dignitas eò ſit illuſtrior quòd etiam à priuatis: *Acceptâ licet vti perpetuo. ludos ineunti ſemper aſſurgi etiam ab Senatu in more eſt. Sedendi ius in proximo Senatui. Vacatio omnium munerum ipſi: patríque & auo paterno.* vt tradit Plinius loco proximè citato. De coronis vide Tertullianum libro de corona militis, & ex recentioribus Paſchalium.

ARGVMENTVM.

Partim res à ſe geſtas in conſulatu ex eo laudat, quòd eas vniuerſus populus iuramenti religione deuinctus communi ſuffragio comprobarit, partim ex eo celebrat, quòd ſemper fuerit pacis & concordiæ ſtudioſus, nec ciuium ordines in partes factionéſque diſtraxerit.

MIHI populus Romanus vniuerſus illa in concione non vnius diei VII. gratulationem, ſed æternitatem, immortalitatémque donauit, cùm meum iuſiurandum tale, atque tantum iuratus ipſe vna voce, & conſenſu approbauit. Quo quidem tempore, is meus domum fuit è foro reditus, vt nemo, niſi qui mecum eſſet, ciuium eſſe in numero videretur. Atque ita eſt à me Conſulatus peractus, vt nihil ſine conſilio Senatûs, nihil non approbante populo Romano egerim, vt ſemper in roſtris curiam, in Senatu populum defenderim, vt multitudinem cum principibus, equeſtrem ordinem cum Senatu coniunxerim.

EXPLANATIO.

MIHI POP. ROM.] Tantum ex eo populi Romani ſtudio & approbatione in meum nomen decoris gloriæque manauit, vt honos ille non cum vnius diei gratulatione finitus ſit, ſed ad æternitatem nominis mei redundarit. Hanc enim gratulationem excipient omnes anni conſequentes, nec vlla vnquam ætas de populi Romani in me ſtudiis conticeſcet.

CVM MEVM IVSIVRANDVM.] Cùm meum iuramentum eo conſenſu excepit, vt ipſe iuraret meâ vnius operâ ſaluam ipſe Rempublicam, méque proinde haudquaquam peierare.

QVO QVIDEM TEMPORE.] Quo iuramento concepto ſic è foro & concione, ad montem Palatinum meámque domum adſcendi, vt me populus vniuerſus honoris cauſsâ deduceret, adeò, vt qui me non deducebat, is vnus è coniuratis eſſe videretur, & à Reipub. rationibus alienus.

ATQVE ITA.] Obiici poterant duo. alterum quod tyrannicè, & oppreſſa Senatus auctoritate geſſiſſet Rempubl. (Vatin. 23.) alterum quòd non tam coniurationem repreſſiſſet, quàm nouarum ſeditionum cauſſas ſeminaſſet, quam vtramque obiectionem prudenter occupat, docétque ſe & Senatûs conſiliis vſum fuiſſe, & paci concordiæque ſtuduiſſe.

NOTÆ.

I. Iuſiurandum in ineundo magiſtratu. IVSIVRANDVM.] Duo reperio fuiſſe tempora, quibus Magiſtratus iureiurando fidem obligabāt, alterum cùm initio Magiſtratus IN LEGES iurarent, alterum cùm Magiſtratum deponerēt. de priore Liuius libro primo Decadis quartæ. *Caius Valerius Flaccus quem præſentem Ædilem creauerant, quia flamen Dialis erat, iurare in leges non poterat, Magiſtratum autem plus quinque dies, niſi qui iuraſſet in leges, non licebat gerere.* Subdit de fratre ipſius Flacci, qui pro fratre iurauit.

Iuſiurandum in deponendo Magiſtratū. De poſteriore non obſcurè Tullius hoc loco, & Plutarchus in vitâ Ciceronis innuens iuſiurandum, ab iis qui Magiſtratum deponerent, conceptum fuiſſe more maiorum: Καίσαρα μὲν στρατηγοῦντα, Μέτελλον δὲ καὶ Βηστίαν δημαρχοῦντας. οἱ τὴν ἀρχὴν παραλαβόντες ἔτι τοῦ Κικέρωνος ἡμέρας ὀλίγας ἄρχοντος, οὐκ εἴων δημηγορεῖν αὐτόν, ἀλλ᾽ ὑπὲρ τῶν ἐμβόλων βάθρα θέντες, οὐ παρίεσαν, οὐδ᾽ ἐπέτρεπον λέγειν, ἀλλ᾽ ἐκέλευον εἰ βούλοιτο μόνον περὶ τῆς ἀρχῆς ἀπομόσαντα, καταβαίνειν. κἀκεῖνος ἐπὶ τούτοις ὡς ὀμόσων, προῆλθε, καὶ γενομένης αὐτῷ σιωπῆς ὤμνυεν οὐ τὸν πάτριον, ἀλλ᾽ ἴδιόν τινα καὶ καινὸν ὅρκον, ἦ μὴν σεσωκέναι τὴν πατρίδα, καὶ διατετηρηκέναι τὴν ἡγεμονίαν. ἐπώμνυε δὲ τὸν ὅρκον αὐτῷ σύμπας ὁ δῆμος. *Cæſarem Prætorem, Metellum, & Beſtiam Tribunos, qui Magiſtratum ineuntes paucis diebus antè quàm Cicero abiret Conſulatu, non permiſerunt ei habere concionem, ſed in roſtris Tribunalia ponentes non ſinebant loqui, ſed tātummodo iubebant vt de Magiſtratu iuraret, & mox deſcenderet, & ille his cōditionibus, tanquam iuraturus adſcendit, factóq. ſilentio iurauit, non patrium, ſed proprium quoddam & nouum iuſiurandū, ſuâ operâ patriam & imperium eſſe Senatum, quod iureiurando excepit populus vniuerſus.* Quæ ideo placuit verbatim exſcribere, quod viderētur quaſdam circumſtantias ad cognitionem hiſtoriæ neceſſarias continere. vide ep. 2. lib. 5. ad familiares. Patrij autem & recepti more maiorum iuramēti formulam Plinius Iunior in panegyrico ſic expreſſit: *Itaque & abiturus Conſulatu iuraſti te nihil contra leges feciſſe.* Vide auctorē ibidem de priore Conſulum iuramento fuſiſſimè iuxta & pulcherrimè differentem. Herodianus lib. 4. Κομίζουσι διὰ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ, ἐς τε τὴν ἀρχαίαν ἀγορὰν προτιθέασιν, ἔνθα οἱ Ρωμαίων ἄρχοντες ἀπομνύουσι. *Deferunt per ſacram viam, & in veteri foro locant, vbi Romanorum Magiſtratus abiurant.*

II. Iuſiurandum populi. IVRATVS IPSE.] At idem populus, vt auctor eſt Plutarchus in Præceptis politicis ad Traianum: ὁ Ρωμαίων δῆμος ὑπισχνουμένου τι Κάρβωνος, καὶ προσθέντος ὅρκον δή τινα καὶ ἀρὰν αὐτόμοσεν ὁμοῦ μὴ πιστεύειν. *Populus Romanus Carbone aliquid cum iureiurando, & execrationibus pollicente, iurauit vna voce ſe fidem haudquaquam adhibere.* Ibidem refert & hoc in honorem noſtri Ciceronis.

III. Deductio honoraria. IS MEVS FVIT DOMVM REDITVS.] Solebant antiqui vt ſua in primarios ciues ſtudia demonſtrarent, eos comitari & honoris cauſsâ deducere. Quadrigarius apud Gellium, *Metellus in Capitolium venit cum multis mortalibus. inde cùm domum proficiſceretur tota ciuitas eum reduxit.* quo in genere illuſtris eſt illa ad Capitolium Scipionis Africani deductio. de qua Liuius decadis 4. lib. 8. Appianus in Syriacis, & alij paſſim. ſed ne lōgiùs euagemur, pulchrè Plutarchus de noſtro Cicerone, poſtquàm coniuratos iuſſit in carcere iugulari: Ἤδη δ᾽ ἦν ἑσπέρα, καὶ διὰ τῆς ἀγορᾶς ἀνέβαινεν εἰς τὴν οἰκίαν, οὐκέτι σιωπῇ τῶν πολιτῶν, οὐδὲ τάξει προπεμπόντων αὐτὸν, ἀλλὰ φωναῖς καὶ κρότοις δεχομένων καθ᾽ οὓς γένοιτο, σω-

πατέρα καὶ κτίστην ἀνακαλούντων τῆς πατρίδος. τὰ δὲ φῶτα πολλὰ κατέλαμπε τοὺς στενωπούς, λαμπάδια καὶ δᾷδας ἱστώντων ἐπὶ ταῖς θύραις. αἱ δὲ γυναῖκες ἐκ τῶν τεγῶν προὔφαινον ἐπὶ τιμῇ καὶ θέᾳ τοῦ ἀνδρὸς, ὑπὸ κομπῇ τῶν ἀρίστων μάλα σεμνῶς ἀνιόντος,&c. *Iam adueſperaſcebat,& per foru in ædes ſuas adſcendebat,non iam ſilentibus ciuib. aut ipſum ordine deducentibus, ſed voce & applauſu excipientibus iis ad quos peruenerat, ſeruatorem & conditorem patriæ appellantibus, frequenter faces in triuiis lucebant, ſingulis lampadas & tædas in ædium ſuarum ianuâ ponentibus. matronæ verò è tectis reſpectabant vt eum honorarent & viderent cum magnâ deducentium Procerum coronâ adſcendentem.* Sed non eſt quod in re ſexcentis exemplis teſtata diutiùs immoremur.

IV. In rostris cvriam, in Senatv popvlvm defenderim.] Bene gloriatur quod ordines inter ſe coniunxerit. id enim & ad dignitatem Reip. & ad pacem otiúmque ciuium pertinebat, quæ duo Conſuli ſpectanda ſunt. Noſter pro Sextio 98. *Quid eſt igitur propoſitum his Reipub. gubernatoribus, quod intueri, & quo curſum ſuum dirigere debeant? id quod eſt præſtantiſſimum, maximéque optabile omnibus ſanis, & bonis, & beatis cum dignitate otium. hoc qui volunt, omnes optimates: qui efficiunt, ſummi viri & conſeruatores ciuitatis putantur,* &c. Vide. Pacis & concordiæ ſtudium.

AXIOMATA.

Magiſtratus eniti debet, vt nihil ſine conſilio Senatus, nihil non approbante populo agat.

Magiſtratus debet in concione curiam, in curia populum defendere,& ordines inter ſe coniungere.

ARGVMENTVM.

Hactenus de ſuo Conſulatu, nunc ad res à Piſone geſtas in eodem Magiſtratu delabitur, ac primò quidem eum reprehendit, quòd ipſis Calendis Ianuarij ludos Compitalitios Senatus auctoritate ſublatos inſtaurari permiſerit.

VIII. EXposvi breuiter Conſulatum meum. Aude nunc, ô furia, de tuo dicere. cuius fuit initium ludi compitalitij, tum primùm facti poſt L. Metellum, & Qu. Marcium Coss. contrâ auctoritatem huius ordinis: quos Qu. Metellus (facio iniuriam fortiſſimo viro mortuo, qui illum, cui paucos pares hæc ciuitas tulit, cùm hæc importuna bellua conferam,) ſed ille deſignatus Conſul, cùm quidam Tribunusplebis ſuo auxilio magnos ludos contra Senatuſconſultum facere iuſſiſſet, priuatus, fieri vetuit: atque id, quod nondum poteſtate poterat, obtinuit auctoritate. Tu, cùm in Calend. Ian. compitalitiorum dies incidiſſet, Sex. Clodium, qui nunquam antea prætextatus fuiſſet, ludos facere, & prætextatum volitare paſſus es, hominem impurum, atque non modò facie, ſed etiam oculo tuo digniſſimum.

EXPLANATIO.

EXposvi.] Tranſitio breuis perſpicuitatis gratiâ, qua dicta à dicendis ſeparantur, duobus iſocolis contenta. Furiam porro appellat, quia patriæ fuerat Erinnys, vt cum Marone loquar, & Remp. ſeditionibus factionibúſque turbauerat.

Cvivs initivm.] Cùm ludos Compitalitios & ſacrificia Serui Diis Laribus ſolerent exhibere, Senatus veritus ne ſerui prætextu & occaſione ludorum aliquid contra ſalutem Reipub. molirentur, eos ludos fieri prohibuit, Luc. Metello & Qu. Marcio Conſulibus decem annis ante Piſonis & Gabinij Conſulatum. Publius igitur Clodius, cùm ſtatuiſſet omni ſcelere vexare Rempubl. & fæcem populi contra optimates, ſeruitia contra liberos concitare, Sextum Clodium ſcribam ſuum, quem Cicero paulò pòſt Clodianum canem appellat, impulit, vt ludos illos Senatus auctoritati ſublatos renouaret. Id Tullius hoc loco reprehendit, quod Piſo ipſo ſui Conſulatus initio ludos huiuſmodi fieri permiſerit. Monet Grutterus hos Conſules eſſe è Manutij coniectura, aut etiam Faërni prius cui, *poſt Luc. Aurelium, C. Marium.* At Victoriana, *poſt L. Luſcellium, & C. Marium. quomodo* item manuſcripti. ſed monuit Turnebus, auctore Aſconio, legendum, *poſt Luc. Iulium, & C. Marium.*

Lvdi Compitalitii.] In honorem larium inſtituti. Vide Notas.

Qvos Qv. Metellvs.] Qu. Metellum Celerem paulò antè Clodiæ ſcelere extinctum intelligit. pro Cœlio §. 59. Cæterùm locus eſt inuolutus, & quem nemo niſi ſcripturam emendet poſſit euoluere. Placet mihi Manutij coniectura, qui legit adiuuante Aſconio Pediano: *Magiſtros ludorum ludos contrà S. C. facere iuſſiſſet.* quo poſito res eſt expedita. Quos quidem ludos Compitalitios, cùm quidem Tribunuſplebis eos contra S. C. fieri iuſſiſſet à magiſtris ludorum, Qu. Metellus Conſul quidem deſignatus, ſed adhuc priuatus fieri vetuit. Neque verò eſt quod illa verba, *ſed ille* quemquam obturbent. ſiquidem propter parentheſim adiecta ſunt. Mihi venit aliquando in mentem poſſe legi *ludos*, &c. *fieri iuſſiſſet* quaſi τὸ magnos ex imperiti cuiuſdam nota ad marginem adſcriptâ in textum irrepſerit: vel, *hos & magnos ludos contra S. C. fieri iuſſiſſet.* cuius coniecturæ reddam in Notis rationem.

Svo avxilio.] Promittens ſe pro Tribunitia poteſtate auxilio futurum contra eos qui impedirent.

INCIDISSET.] Erat conceptiuus dies, non ſtatus, ideo dicitur incidiſſe, quòd modò hoc modò illo die clebraretur. Vide Notas.

QVI NVNQVAM ANTEA.] Qui nunquam anteà prætextæ ferẽdæ ius habuiſſet, quippe qui nec geſſiſſet magiſtratum, nec ludos hactenus edidiſſet.

PRÆTEXTATVM VOLITARE.] Magiſtrum ludorum cum prætexta & lictoribus impune per vrbem incedere.

HOMINEM IMPVRVM.] *Hominem ſine re, ſine fide, ſine ſpe, ſine ſede, ſine fortunis, ore, lingua, manu, vita omni inquinatum.* pro Cœlio 78.

NON MODÒ FACIE.] Notat Manutius Tullium hîc ad Piſonis deformitatem alludere. de facie ſupra. *Color ſeruilis, piloſæ genæ.* de oculis in ea quæ eſt poſt reditum in Senatu. *Luci Piſo tum auſus es iſto oculo, non dicam iſto animo, iſta fronte, non vita.*

DIGNISSIMVM.] Notum adagium, *dignum patella operculum.* Sext. Clodius dicitur in Sextiana, *Homo digniſſimus iis quibuſcum viuit.*

NOTÆ.

I. CVIVS INITIVM.] Bene totius rei ſpecimen editurus ipſum initium aſſumit. Notum eſt illud Horatij:

Dimidium facti qui bene cœpit habet.

quod habetur apud Lucianum in ſomno,

Ἀρχὴ δέ τοι ἥμισυ παντός.

Ariſtoteles 1. Ethic. cap. 7. Δοκεῖ πλεῖον ἢ τὸ ἥμισυ τοῦ παντὸς εἶναι ἡ ἀρχή. *Videtur plus quàm medium totius eſſe principium.* Plato 6. de legibus: Ἀρχὴ λέγεται μὲν ἥμισυ παντὸς, ἐν ταῖς παροιμίαις, ἔργου· καὶ τό γε καλῶς ἄρξασθαι πάντες ἐγκωμιάζομεν ἑκάστοτε. τὸ δὲ, ἔστι τε, ὡς ἐμοὶ φαίνεται πλέον ἢ τὸ ἥμισυ, καὶ οὐδεὶς αὐτὸ καλῶς γενόμενον ἐγκεκωμίακεν ἱκανῶς. *Principium communi prouerbio dicitur omnis operis principium. Et bonum initium laudamus omnes. Hoc verò, meâ ſententiâ plus eſt quàm dimidium. & quod pulchrè poſitum fuerit principium, nemo laudauit ſatis hactenus pro rei dignitate.* Elegantiſſimè omnium Pindarus ode 1. Pythiorum epodo 2. (Principium.)

Ναυσιφορήτοις
Δ' ἀνδράσι πρώτα χάρις
Ἐς πλόον ἀρχομένοις, πομπαῖον ἐλθεῖν οὖρον, ἐοικότα γὰρ
Κἀν τελευτᾷ φερτέρου νόστου τυχεῖν.

Nauigantibus viris prius gratia eſt nauigationem auſpicantibus ventum ſecundum aſpirare, par eſt enim vt, etiamſi deſierit, fœlicem reditum conſequantur.

II. Ludi compitalitij. LVDI COMPITALITII.] Feſtus Pompeius: *Compitalia Feſta quæ in compitis peragebant.* Gloſſæ: *Compitalia* θεῶν ἀγυιαίων ἑορταὶ αἱ γινόμεναι ἐν τοῖς τριόδοις ὑπὸ τῶν προσηκόντων τοῖς νεκροῖς. *Feſta Diis viarum præſidibus ſacra, in compitis celebrari ſolita à mortuorum affinibus.* Per hos autem Θεοὺς ἀγυιαίους viarum præſides lares intelligit, quibus compitalia ſolebant celebrari. Feſtus in voce pilæ: *Pilæ & effigies viriles & muliebres ex lana compitalibus ſuſpendebantur in compitis, quòd hunc diem feſtum eſſe Deorum inferorum, quos vocant lares, putarent, quibus tot pilæ, quot capita ſeruorum, tot effigies, quot eſſent liberi, ponebantur, vt viuis parcerent, & eſſent his pilis & ſimulachris contenti.* Ante quem Varro lib. 5. de lingua Latina: *Compitalia dies attributus laribus.* Næuius apud Feſtum V. *Penis*, vt ſequar Scaligeri lectionem: (Laribus ſacri.)

Theodotum compella, qui aris compitalibus
Sedens in cella circumtectâ tegetibus
Lares ludentes peni pinxit bubulo.

De laribus vide quæ dicta ſunt in Vatinianâ §.14. V. Manes. & 2. Philipp. §.63. Nunc quod ad rem ſpectat, Senatus Qu. Metello, Q. Marcio Conſ. eam ob cauſam videtur ludos Compitalitios ſuſtuliſſe, quòd cùm proximè Italia bellis ſeruilibus arſiſſet, prouidendum fuit ne ſerui ad eos ludos & ſacrificia conuenirent, néve inde noua conſpirationis occaſio naſceretur. Solitos enim fuiſſe ſeruos huiuſmodi ſacrificiis adhiberi ex Dionyſio libro 4. compertum eſt: Ἔπειτα κατὰ πάντας ἐκέλευσε τοὺς στενωποὺς (Σερούϊος ὁ Τύλλιος) ἱερὰς κατασκευασθῆναι καλιάδας, ὑπὸ τῶν γειτόνων ἥρωσι προνωπίοις, καὶ θυσίας αὐτοῖς ἐνομοθέτησεν ἐπιτελεῖσθαι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν πελάνους εἰσφερούσης ἑκάστης οἰκίας. τοῖς δὲ τὰ περὶ τῶν γειτόνων ἱερὰ συντελοῦσιν ἐν τοῖς προνωπίοις οὐ τοὺς ἐλευθέρους, ἀλλὰ τοὺς δούλους ἔταξε παρεῖναί τε καὶ συνιερουργεῖν, ὡς κεχαρισμένης τοῖς ἥρωσι τῆς τῶν θεραπόντων ὑπηρεσίας. ἣν ἔτι καθ' ἡμᾶς ἑορτὴν ἄγοντες Ῥωμαῖοι διετέλουν, ὀλίγαις ὕστερον ἡμέραις τῶν Κρονίων σεμνὴν ἐν τοῖς πάνυ, καὶ πολυτελῆ Κομπιτάλια προσαγορεύοντες. *Deinde per omnia compita mandauit, vt viciniæ ſacella lignea dedicarent Geniis Compitalibus, & quotannis eis ſacra facerent, conferentibus liba ſingulis domibus. Sacrificiis qui Compitalium tempore pro vicinis ſacra facerent, non ingenuos, ſed ſeruos adeſſe & miniſtrare voluit: quaſi Geniis illis gratum eſſet ſeruorum miniſterium. quod feſtum noſtra quoque ætate Romani agitant, paucis diebus poſt Saturnalia ſumma cum veneratione ac magnificentia, & Compitalia à compitis appellant.* (Cur ſublati.) (Seruorũ fuit iis miniſtrare.)

L. METELLO ET QV. MARCIO COSS.] Vtrumque Conſulem appellat, licet ſolus Marcius geſſerit Conſulatum. Dio fragmento lib. 34. Ἐπὶ δὲ Κυΐντου Μαρκίου, οὗτος γὰρ καίπερ μόνος ἀποδειχθεὶς, μόνος ὑπάτευσεν. ὅτι γὰρ σὺν αὐτῷ χειροτονηθεὶς Λούκιος Μέτελλος ἐν ἀρχῇ τοῦ ἔτους ἀπέθανε. καὶ ὁ ἀφιερωθεὶς πρὶν ἐπιβῆναι τῆς ἀρχῆς μετήλλαξε, καὶ διὰ τοῦτο οὐδεὶς ἄλλος ἀπεδείχθη. *Qu. M. Conſulatu, hic enim, quamuis non ſolus Conſul declaratus, ſolus tamen geſſit Conſulatum. nam & L. Metello cum eo factus Conſul anno ineunte vita defunctus eſt. & qui in eius locum ſuffectus fuerat, priuſquam magiſtratum iniret diem obiit, & eam ob rem nemo alius Conſul eſt creatus.* verti *ſuffectus fuerat*, quamuis ἀφιερωθεὶς aliud ſonare videatur. ſed ſententiæ potiùs quàm vocis habendam ſtatuo rationem, vt & fecit Xylander. Hîc de annorum ſupputatione pauca libanda ſunt. atque vt taceam veteres Græcos qui à Sicyoniorum Regibus, recentes qui ab Olympiadibus, Argiuos qui ab Antiſtitis, Athenienſes qui ab Archontibus, Hebræos qui ab Adamo, à diluuio, ab Abrahamo, à Moyſe, &c. vt Gallos qui à morte S. Martini, Hiſpanos qui ab æris annos ſupputabant, inuenio præcipuè duas apud Romanos fuiſſe ſupputationis huiuſce rationes. Altera fuit ex claui fixione. Liuius lib. 7. *Lex vetuſta eſt, priſcis litteris verbiſque ſcripta, vt qui Prætor Maximus ſit Idibus Septembribus clauum pangat. Fixus fuit dextro lateri ædis Iouis Opt. Max. ex ea parte qua Miner-* III. (Supputatio annorum apud Græcos.) (Clauus annalis.)

uæ templum eſt. eum clauum, quia raræ per ea tempora litteræ erant, notam numeri annorum fuiſſe ferunt, eóque Mineruæ templo dicatam legem, quia numerus à Minerua inuentus ſit. Volſcinus quoque clauos indices numeri in templo Nortiæ Hetruſcæ Deæ comparere diligens talium monimentorum auctor Cincius affirmat. à Coſſ. ad Dictatores ſolemne claui figendi tranſlatum eſt. Vide Feſtum, *clauus annalis.* Altera ſupputandi ratio fuit per Faſtos & Conſules, aut quodam tempore per Tribunos militum Conſulari poteſtate, ſic tamen vt qui anno ineunte magiſtratum iniſſent, totum annum à ſe nominarent. Liuius lib. 4. *Credo quod Tribuni militum initio anni fuerunt, ſuffectis his Conſulibus prætermiſſa nomina Conſulum horum. Licinius Macer auctor eſt, & in fœdere Ardeatino, & in linteis libris ad Monetæ inuentos.* Sed hæc clara ſunt & omnibus expedita. vnum eſt quod breuiter hic Chronologiæ tirones moneam, non eſſe quod mirentur ſi cuius Conſulatum ſecundum faſtis inſcriptum, ſine vlla primi mentione inuenerint. Dio

Ratio numerandi per Cōſules.

46. de Auguſto loquens: ΟΥ μέντοι, ὡς δεύτερον ὑπατεύων, ὅτι τὰς τιμὰς τὰς ὑπατικὰς ἐκεκόσμητο, ἐσεμνύνατο. καὶ τοῦτο καὶ ἔπειτα ἐπὶ πάντων τῶν ὁμοίων μέχρι ἡμῶν ἐτηρήθη. Σεβῆρος γὰρ αὐτοκράτωρ πρῶτος Πλαυτιανὸν ὑπατικαῖς τιμαῖς τιμήσας, καὶ μετὰ τοῦτο ἐς τὸ βουλευτικὸν ἐσαγαγὼν, καὶ ὕπατον ἀποδείξας, ὡς ἐς δεύτερον ὑπατεύοντα ἀνεκήρυξε, καὶ ἀπ᾽ ἐκείνου καὶ ἐφ᾽ ἑτέρων τὸ αὐτὸ ἐγένετο. *Non tamen quia Conſularibus ornamentis donatus fuerat, tanquam ſecundum Conſul eſt gloriatus, & hoc in ſimilibus ad noſtram ætatem ſeruatum eſt. Seuerus enim Imperator primus cùm Plautianum Conſularibus honoribus ornaſſet, & eum poſteà in Senatum allegiſſet. Deinde etiam Conſulem creauiſſet, tanquam iterum Conſulem renunciauit, & ex illo id in reliquis ſimilibus ſeruatum eſt.* Gregorius Magnus homilia tertia in Euangelia videtur reddere rationem, cur hæc mutatio in numerandis conſularibus facta fuiſſe videatur. *Fertur apud veteres mos fuiſſe, vt quiſquis Conſul exiſteret iuxta ordinem temporum honoris ſui locum teneret. Et ſi quis poſteriùs ad Conſulatum veniens, Conſul non ſemel, ſed bis fortaſſe, aut tertiò fieret etiam illos laude & honore tranſcenderet, qui non plus quàm ſemel Conſules extitiſſent.* At malè ſit ambitioni quæ tantum Chronologiæ caliginis offudit, ſed enim verendum eſt ne hæc ad rem minùs pertinentia ambitioſiùs conquiſita fuiſſe videantur.

IV. CVM QVIDAM TRIBVNVSPLEBIS.] Quiſnam fuerit iſte Tribunusplebis non conſtat. Ex hoc tamen loco facilè ſuſpiceris legendum eſſe in Cœliana 60. §. *Quem quidem virum ſi nulla vis repentini ſceleris ſuſtuliſſet, quonam modo ille furenti fratri ſuo patrueli Conſularis reſtitiſſet, qui Conſulem* (lege, *qui Conſul deſignatus Tribunumplebis*) *incipientem furere, atque conantem ſua ſe manu interfecturum audiente Senatu dixerit?*

V. MAGNOS LVDOS.] Dixi mihi placere Manutij lectionem, *Magiſtros ludorum ludos.* malim tamen *Magiſtros vicorum ludos*, &c. Nam in eo Tullius Piſonem Qu. Metelli comparatione reprehendit per antitheſim. Primò quòd Metellus prohibuerit, Piſo ludos fieri permiſerit, Piſo iam Conſul, Metellus deſignatus duntaxat, Metellus exhiberi vetuerit per eos qui purpuræ iam antea ius habuiſſent, Piſo ab eo fieri permiſerit, qui nunquam anteà prætextatus fuiſſet. Adde quòd ſi Magiſtros ludorum dixit, vel Magiſtros omnium ludorum, vel duntaxat Magiſtros ludorum Compitalitiorum intelligit: non omnium ludorum, ſiquidem pleroſque Ædiles & maiores alij magiſtratus exhibebant, non Compitalitiorum: ſiquidem iis Senatus auctoritate ſublatis, nulli horum ludorum Magiſtri erant inſtituti. Iam quòd vicorum Magiſtri alio quàm ludorum nomine proprij ſcilicet Magiſtratûs prætextæ ius obtinerent, conſtare videtur ex Liuio libro 4. decad. 4. *Magiſtris vicorum togæ prætextæ ius permittemus?* Et ex Dione lib. 55. ΟΙ δὲ στενωποὶ (ἔτυχον) ἐπιμελητῶν τινῶν ἐκ τοῦ δήμου, οὓς καὶ στενωπάρχους καλοῦμεν. καὶ σφίσι καὶ τῇ ἐσθῆτι τῇ ἀρχικῇ, καὶ ῥαβδούχοις δύο ἐν αὐτοῖς τοῖς χωρίοις, ὧν ἂν ἄρχωσιν, ἡμέραις τισὶ χρῆσθαι ἐδόθη. *Compita vicique ſuos è plebe procuratores habuerunt, quos vocamus Magiſtros compitorum. Et iis conceſſum eſt vt prætexta duobúſque lictoribus, in iis locis quibus præſunt, certis diebus vterentur.* Στενωπάρχους *vicorum ſiue compitorum Magiſtros* appellat, ad quos proinde, ludorum Compitalitiorum, ſi cæteroqui permiſſi fuiſſent, procuratio pertinebat. duplici igitur nomine reprehenditur Piſo, & quòd ludos fieri, & quòd per alium quam per vicorum Magiſtros fieri permiſerit. Iam ſi velis *Magnos ludos* retinere, *Magnos ludos, Romanos ludos appellabant, quos in honorem Iouis, quem Principem Deorum, putabant, faciebant,* inquit Plautus ex Feſto. Aſconius in 2. Verrinam: *Romani ludi ſub Regibus inſtituti ſunt, magníque appellati, quòd magnis impenſis dati ſunt: tunc enim primùm ludis impenſa ſunt ducenta millia nummûm. Alij ideò Magnos ludos dictos putant, quòd Conſo conſiliorum ſecretorum Deo, id eſt, Neptuno laticum Regi, & rerum conditarum, & Dijs magnis, id eſt, laribus vrbis Romæ dati ſunt: quibus aiunt raptas Sabinas eſſe.* Quamquam nùllis litterarum monumentis conſtat eos S. C. fuiſſe ſublatos. Si vaticinari licet non ludos Romanos, ſed ludos Megaleſia appellatos in honorem Magnæ matris inſtitutos, intelligit, quos par fuit cum Compitalitiis eodem S. C. prohiberi, ne ſerui horum ludorum occaſione noua molirentur. Nam præterquam quod ea ſolebant à ſeruis & Phrygibus, vt tradit Halicarnaſſeus, celebrari, fas fuit cuiuis ad libidinem veſtem aſſumere, quod erat rebus nouandis opportunum. Herodianus libro 1. Ἀνετός τε πᾶσι δέδοται ἐξουσία παντοδαπῆς παιδιᾶς· ἕκαστός τε ὃ βούλεται σχῆμα ὑποκρίνεται. οὐδ᾽ ἔστιν οὕτω μέγα καὶ ἐξαίρετον ἀξίωμα, ὃ μὴ παντὶ τῷ βουλομένῳ ἀμφιεσθέντι ὑπάρχει· παῖξαί τε καὶ κρύψαι τὴν ἀλήθειαν, ὡς μὴ ῥᾳδίως διαγνῶναι τόν τ᾽ ὄντα καὶ τὸν μιμούμενον. *Cuiuſlibet luſûs cuilibet facultas conceditur: & quiuis quem voluerit habitum imitatur. neque vlla eſt tanta támque ſublimis dignitas, cuius inſignibus vti non liceat ad cuiuſque arbitratum, luſus cauſâ & occultandæ veritatis, vt facilè non ſit verum ab adumbrato dignoſcere.*

Magiſtri vicorum prætextæ ius habebant.

Megaleſia.

VI. IN CAL. IAN. COMP. DIES INCIDISSENT.] Legit Manutius, *incidiſſet.* quòd nec plures dies in vnas Calendas incidere potuerint, & ex Varrone vnus dies eſſet laribus attributus. Bene autem in Calendas Ianuarias in-

uidit. nam vt ſuprà è Dionyſio retulimus, ſolebat paucis diebus poſt Saturnalia celebrari, quæ Decembri menſe contingebant. Vnus in re tam cõpertâ Senecæ locus ſuffecerit, ep.18. *December eſt menſis, quo maximè ciuitas deſudat, ius luxuriæ publicè datum eſt: ingenti apparatu ſonant omnia: tanquam quidquam inter Saturnalia interſit, & dies rerum agendarum. adeò nihil intereſt, vt non videatur mihi erraſſe qui dicit, olim menſem Decembrem fuiſſe, nunc annum.* Nec immeritò ſanè Compitalia Saturnalibus annexa celebrabant. vt enim Compitalibus ſerui publicè, ſic domi Saturnalibus auctoritatem obtinebant. Idem Seneca ep. 47. *Inſtituerunt diem feſtum quo non ſolùm cum ſeruis domini veſcerentur: ſed vtique honores illis in domo gerere, ius dicere permiſerunt, & domum puſillam Remp. eſſe iudicauerunt.* Sed de his plura non dicam, cùm & Lipſius & Macrobius aliíque rem ex profeſſo tractauerint. tantùm nota hunc feſtum à Cretenſibus videri deductum: licet Creticam ſeruorum libertatem Romani ſua prudentia temperarint. Athenæus lib. 6. Τούτοις δέ εἰσι νενομισμένα τινὲς ἑορταὶ ἐν Κυδωνίᾳ, ἐν αἷς ἐκ εἰσίασιν εἰς τὴν πόλιν ἐλεύθεροι, ἀλλ' οἱ δοῦλοι πάντων κρατοῦσι καὶ κύριοι μαστιγοῦν εἰσὶ τοὺς ἐλευθέρους. *His verò ſunt ſtatæ quædam feſtiuitates in Cydonia, quibus non ingrediuntur vrbem liberi, ſed ſerui ſummam habent omnium poteſtatem, iúſque liberos virgis cædendi.* Sed ad rem. Quamuis Compitalia Saturnalibus ſuccederent, certus tamen dies non erat iis attributus: vides hic in Calendas Ianuarias incidiſſe. At lib.7. ad Atticum: *Ego, quoniam IV. Non. Ian. Compitalitius dies eſt, nolo eo die in Albanum venire moleſtus familiæ.* Feſtus: *Conceptiuæ feriæ feſta dicebantur, quæ incertis diebus ſeruabantur quotannis, vt ſementinæ, compitalitiæ.* Varro 5. de lingua Latina: *Compitalia dies attributus laribus, quotannis is dies concipitur.* id eſt, cõſtituitur Pontificum vel Magiſtratuum arbitratu, & nunc hoc nunc illo die celebrandus inducitur. Macrobius lib.1. Saturnal. cap. 4. refert hæc verba ex edicto Prætoris has ferias indicentis. *Die nono poſt Calend. Ianuar. Quiritibus compitalia erunt.*

Saturnalia menſe Decẽbri celebrata.

Saturnalia petita à Cretenſibus.

Conceptiuæ feriæ.

VII. Prætextæ ius habuerunt ludorum editores.

PRÆTEXTATVM.] Prætextæ ius habuerunt ludorum editores. vide quæ de funerum arbitris dicta ſunt ad Vatinianam trigeſima §. Feſtus Pompeius, vt Ioſephus Scaliger odoratur ex tenuibus ſcripturæ veſtigiis. *Prætexta nulli alij licebat vti, quàm ei qui iure magiſtratûs haberet, & in loco publico ludos faceret. Is enim ea vtitur, & ſcribam habet, ob eos quos facit ludos.* vide Scaligerum in hunc locum. adſtipulatur Aſconius hîc & Cic. paulò pòſt.

VIII. Volitare.

VOLITARE.] Verbum (*volitare*) tum impunitatem oſtendit, vt in Sextiana §.1. *Non ſolùm alacres lætóſque volitare, ſed etiam voluntarios fortiſſimis atque optimis ciuibus periculum moliri, de ſe nihil timere.* tum oſtentationem

Ductores oſtro volitant, auróque decori.

Græci eadem tranſlatione dicunt ἀεροβατεῖν & πέτεσθαι. vide lepidiſſima apud Diuum Chryſoſtomum in morali homiliæ vigeſimæ in epiſtolam ad Romanos. Quod Sophocles ſic expreſſit in Aiace.

Ὑψηλ' ἐκόμπεις κἀπ' ἄκρων ὡδοιπόρεις.

Εἰώθασι γὰρ, ait interpres Ariſtophanis, ἀλαζόνες ἐπ' ἄκρων ὀνύχων βαδίζειν. *Solent enim ſuperbi extremis vnguibus inſiſtentes incedere.* vnde fortaſſe & ὑπερφίαλοι, quòd ita leuiter terram tangant, vt ſuper phialas ambulare videantur.

AXIOMA.

Fit iniuria forti viro, ſi cum importuna bellua conferatur.

ARGVMENTVM.

Piſonem accuſat, quòd pernicioſas leges à Clodio ferri, leges Æliam & Fuſiam abrogari, collegia Senatus auctoritate ſublata renouari, minui cenſoriam poteſtatem in ſuo Conſulatu permiſerit.

ERGO his fundamentis poſitis Conſulatus tui, triduo pòſt, inſpectante & tacente te, à P. Clodio fatali portento prodigióque Reipub. lex Ælia & Fuſia euerſa eſt, propugnacula muríque tranquillitatis atque otij. Collegia, non ea ſolùm, quæ Senatus ſuſtulerat, reſtituta ſunt, ſed innumerabilia quædam noua ex omni fæce vrbis, ac ſeruitio conſtituta. Ab eodem homine in ſtupris inauditis, nefariíſque verſato, vetus illa magiſtra pudoris, & modeſtiæ ſeueritas cenſoria ſublata eſt, cùm tu interim, buſtum Reip. qui te Conſulem tum Romæ dicis fuiſſe, verbo nunquam ſignificaris ſententiam tuam tantis in naufragiis ciuitatis. IX.

EXPLANATIO.

ERGO HIS FVNDAMENTIS.] Poſtquam ludos Compitalitios fieri ſinens, totius magiſtratus gerendi ſpecimen edidiſti.

TRIDVO POST.] Pridie nonas Ianuarias paſſus es P. Clodij Tribuniplebis rogatione leges Æliam & Fuſiam abrogari.

FATALI PORTENTO.] Qui quaſi fatalis eſſet miſſus videri potuit ad lacerandam perdendámque Remp.

PROPVGNACVLA.] Quibus legibus, tanquam obiecto muro, prohibebantur ſeditioſi Tribuniplebis, legum multitudine turbas in Rep. concitare.

COLLEGIA.] Eodem ni fallor S. C. Marciano, quo ludi Compitalitij, etiam & collegia ſublata ſunt, ne fæce populi, vt fit, & ſeruitio ad hæc collegia confluente, noua coniurationis occaſio naſceretur. Erant enim collegia, ſodalitates ſiue conuentus certorum hominum vnam artem profitentium à Numa Pompilio primùm inſti-

tuta, quæ ob continuas conſpirationes S.C. ſublata ſunt, & poſtmodum lege Publij Clodij reſtituta. vulgo, *les meſtiers.*

Ab eodem.] à P. Clodio, qui & Pompeiæ coniugi Cæſaris in ipſis puluinaribus bonæ Deæ ſtuprum inferre conatus eſt, & cum Clodia ſorore nefariam conſuetudinem habuit. meritò autem flagitiorum meminit, vt eo grauiùs & indigniùs appareat, ab eo Cenſoriam ſeueritatem euerſam fuiſſe, quò tetrioribus ipſe flagitiis erat coopertus.

Vetus illa.] Cenſores cùm ſingulis luſtris in ciuium mores inquirerent, plebeios vitioſos ærarios faciebant, equitibus equos adimebãt, Senatores in recitatione Senatûs præteribant. ſed hæc ſeueritas lege P. Clodij ſublata eſt. nam tum in aliis rebus eorum minuebat auctoritatem, tum prohibebat, ne Cenſores quemquam Senatu deiicerent, niſi qui apud eos accuſatus damnatúſq; fuiſſet Cenſoris vtriuſque ſententiâ.

Bvstvm Reip.] Tradit alicubi Cic. ne naufragio finias, cùm ab incendio & flammâ inceperis. aptè tamen hoc loco vtraque tranſlatione Reip. calamitatem exaggerat, quaſi flamma cum fluctibus coniurarit ad Reip. perniciem.

NOTÆ.

I. Lex Ælia & Fuſia.

Lex Ælia et Fvsia.] Quid iſtæ leges continerent, ſatis pro Sextio §.34. explicatur. *Lata lex eſt*, inquit, *ne auſpicia valerent, ne quis obnunciaret, ne quis legi intercederet, vt omnibus feſtis* (aliàs *faſtis*) *diebus legem ferri liceret, vt lex Ælia, lex Fuſia ne valeret.* Hæc autem erat, vt oſtendit Manutius fuſiſſimè libro de legibus Romanis inter vtramque diſtinctio, quòd lex Ælia de auſpiciis eſſet, obnunciatione Augurum & Magiſtratuum, & interceſſione Tribunorum, iuberétque vt eo die quo obnũciatum aut interceſſum fuiſſet, conuitia ſoluerentur, nec omninò cùm populo ageretur. Lex verò Fuſia diebus faſtis cum populo agi prohiberet, diéſque tantummodò nonnullos relinqueret, qui à comitiis habendis comitiales dicerentur. Has autem leges propugnaculum Reip. vocat, quòd hac ratione tolleretur legum Tribunitiarum multitudo, quas ſi ſingulis diebus ſine interceſſione & obnunciatione ferre licuiſſet, multæ ſeditiones extitiſſent. Poſt reditum ad Quirites. *Quo inſpectante ac ſedente legem Tribunusplebis tulit, ne auſpiciis obtemperaretur: ne obnunciare concilio aut comitiis, ne legi intercedere liceret: vt lex Ælia, vt Fuſia ne valeret: quæ noſtri maiores certiſſima ſubſidia Reip. contra tribunitios furores eſſe voluerunt.*

II. Collegia.

Collegia.] Dio lib. 38. de Clodij Tribunatu: Καὶ τὰ ἑταιρικὰ κολλήγια ἐπιχωρίως καλούμενα, ὄντα μὲν ἐκ τοῦ ἀρχαίου, καταλυθέντα δὲ χρόνον τινὰ ἀνενεώσατο. *Et ſodalitatum collegia ſic appellata nomine ſanè honeſto & liberali, antiqua illa quidem, ſed per aliquod tempus ſublata renouauit.* Plutarchus in Numa Pompilio tradit hæc artium mechanicarum collegia fuiſſe iam tum ab eo inſtituta. Ἦν δὲ ἡ διανομὴ κατὰ τὰς τέχνας, αὐλητῶν, χρυσοχόων, τεκτόνων, βαφέων, σκυτοτόμων, σκυτοδεψῶν, χαλκέων, κεραμέων. τὰς δὲ λοιπὰς τέχνας εἰς ταυτὸ συναγαγὼν, ἓν αὐτὸ ἐκ πασῶν ἀπέδειξε σύστημα. κοινωνίας δὲ καὶ συνόδους καὶ θεῶν τιμὰς ἀποδοὺς ἑκάστῳ γένει πρεπούσας. *Erat autem diſtributio ſecundum artes huiuſmodi, tibicinum, aurificum, fabrorum, tectonicorum, tinctorum, ſutorum, coriariorum, fabrorum ærariorum, figulorum. cæteras verò artes in vnum congregans, ex iis vnam ſocietatem effecit, communitates verò & conuentus, & ritus ſingulis dedit conuenientes.* Libenter deleuerim αὐλητῶν, χρυσοχόων. cùm Plinius lib. 35. c. 12. ſeptem tantùm collegia agnoſcere videatur. *Numa Rex ſeptimum collegium figulorum inſtituit.* Adde quòd in tanta paupertate non videtur fuiſſe tanta aurariorum & tibicinum multitudo, in ea præſertim vrbe, in qua multis pòſt annis, aucto iam imperio, vt auctor eſt Plinius lib. 33. cap. 1. *Cùm à Gallis capta vrbe pax emeretur, non pluſquã mille pondo effici potuerunt.* in qua circa bellum Pyrrhi, *Fab. Cenſor Pub. Cornelium Rufinum ſenatu mouit, quòd decem argenti pondo facti haberet.* Epitome Liuiana Plinius, alij; de qua legati Carthaginienſium dixerunt, *Nullos hominum inter ſe benigniùs viuere quàm Romanos. eodem enim argento apud omnes cœnitauiſſe ipſos.* Plinius lib. 33. cap. vndecimo. neque facilè inducor vt credam, aut ad bullas pueriles, aut ad ornamenta matronarum, aut ad annulos virorum tam multos aurifices fuiſſe, vt ex iis conſtitui poſſet collegium. Nam *à Tarquinio Priſco filium cùm in prætextæ annis occidiſſet hoſtem, bullâ aureâ donatum conſtat, vnde mos bullæ durauit.* vt Plinius teſtatur lib. 33. cap. 1. item de annulis. *Longo quidem tempore ne Senatum quidem habuiſſe aureos manifeſtum eſt. ſi quidem his tantùm qui legati ad exteras gentes ituri eſſent, annuli publicè dabantur*, &c. *Neque aliis vti mos fuit, quàm qui ex ea cauſa publicè accepiſſent: vulgóque ſic triumphabant.* Neque verò tibicinum fuiſſe collegium crediderim: quippe qui ne ciues quidem fuiſſe videantur. vnde Iuuenalis ſat. 3.

Auri raritas Romæ.

Bullæ aureæ.

Annuli aurei.

Et cum tibicine chordas Obliquas,

inter peregrinos numerauit. ſed de his ſatis. Atenim ſi peregrinos ab artificum collegiis excludimus, nulla penitus videbãtur fuiſſe collegia? nulli enim fuerunt Romæ artifices præter ſeruos ac peregrinos. Dionyſius libro 2. agens de Romuli inſtitutis. Ἐπιδιφρείους μὲν καὶ βαναύσους, καὶ προσαγωγοὺς ἐπιθυμιῶν αἰσχρῶν τέχνας, ὡς ἀφανιζούσας καὶ λυμαινομένας, τά τε σώματα καὶ τὰς ψυχὰς, τῶν μεταχειριζομένων, δούλοις καὶ ξένοις ἐπέδωκε μεθοδεύειν. καὶ διέμεινεν ἕως πολλοῦ χρόνου, δι᾽ αἰσχύνης ὄντα Ῥωμαίοις, τὰ τοιαῦτα ἔργα, καὶ ὑπ᾽ οὐδενὸς τῶν αὐθιγενῶν ἐπιτηδευόμενα. δύο δὲ μόνα τοῖς ἐλευθέροις ἐπιτηδεύματα καταλείπεται, τὰ κατὰ γεωργίαν, καὶ τὰ κατὰ πολέμους. *Sedentarias, & mechanicas, & turpium cupiditatum illices, artes, tanquam corporibus & animis eas colentium noxias ſolis ſeruis permiſit, & peregrinis. Atque diu pudori fuit Romanis ingenuis huiuſmodi artibus curam impendere. duóque ſola Romanis ingenuis relicta ſunt, agricultura & ars militaris.* Reſpondeo id fortaſſe factum fuiſſe in primo Romæ naſcentis exordio: ſed probabile eſt ante Romuli mortem, aucta iam vrbe, id fieri deſiiſſe: vix enim aliter in illa ſua magnitudine ſubſiſtere potuiſſet, quamuis id voluerit ſeruari. Plato octauo de legibus. Πρῶτον μὲν ἐπιχώριος μηδεὶς ἔστω τῶν περὶ τὰ δημιουργικὰ τεχνήματα διαπονούντων μηδ᾽ οἰκέτης ἀνδρὸς ἐπιχωρίου. τέχνην γὰρ ἱκανὴν πολλῆς ἀσκήσεως καὶ μαθημάτων πολλῶν δεομένην κέκτηται πολίτης ἀνὴρ, τὸν κοινὸν τῆς πόλεως κόσμον σώζων, καὶ κτώμενος οὐκ ἐν παρέργῳ δεόμενον ἐπιτηδεύειν. δύο δ᾽ ἐπιτηδεύματα ἢ δύο τέχνας ἀκριβῶς διαπονεῖσθαι σχεδὸν οὐδεμία φύσις ἱκανὴ τῶν ἀνθρωπίνων, οὐδ᾽ αὖ τὴν μὲν αὐτὸς ἱκανὸς ἀσκεῖν, τὴν δ᾽ ἄλλον ἀσκοῦντα ἐπιτροπεύειν. *Primùm quidem*

Fuerintne Romæ mechanici.

Plato reiicit artes mechanicas à ſua ciuitate.

nullus indigena in artibus mechanicis verſetur, neque ſeruus indigenæ, artem enim ſufficientem & multa doctrina & exercitatione indigentem habet ciuis vrbem in ſuo ſtatu conſeruans, quod non perfunctoriè faciendum eſt. duo autem ſtudia aut duas artes accuratè exercere fortaſſe nulla indoles humana poßit, neque hanc ipſe per ſe exerceat, illam exercenti alteri præſit. Atenim Plato non ipſam hominum naturam ſpectabat, vt ait Athenæus, ſed cereos in quamcumque partem flecti ſibi ciues effinxerat: Crederem ſi non id in nonnullis vrbibus ſeruatum fuiſſe ſcriptores grauiſſimi prodidiſſent. Xenophon in œconomico. καὶ ἐν ἐνίαις μὲν τῶν πόλεων, μάλιστα δ' ἐν ταῖς ἐν πολέμοις δοκούσαις εἶναι, οὐδ' ἔξεστι τῶν πολιτῶν οὐδενὶ βαναυσικὰς τέχνας ἐργάζεσθαι. *Et in nonnullis ciuitatibus, iis præſertim quæ belli gloriâ florent, nemini ciuium fas eſt artes mechanicas exercere.* Adſtipulatur Ariſtoteles in politicis. de Lacedæmoniis ex Plutarcho aliíſque compertum eſt. Sed, vt vt ſeruari potuerit, conſtat Romæ diu non fuiſſe ſeruatum: quod vel ex ipſo Dionyſio poteſt comprobari, apud quem lib. 4. Seruius Tullius pauperes in ſexta claſſe recenſitos, στρατείας τ' ἀπέλυσε, καὶ πάσης εἰσφορᾶς ἐποίησεν ἀτελεῖς. *Immunes militia & omnis tributi fecit.* καὶ τοὺς πένητας ἀπελάσας τῶν κοινῶν. *& pauperes à publicis muniis reiecit.* Quis eos autem exiſtimet artes mechanicas non exercuiſſe, cùm neque militiâ, neque publicis muneribus eſſent occupati? & cùm pauperes huiuſmodi, cæteram, vt idem ait, ciuium multitudinem ſuperarent, quis neget prudentiſſimos homines pauperibus artes aliquas tribuiſſe, nec *ignauum, fucos, pecus à præſepibus* arcuiſſe? verè enim fuci fuiſſent, ſi & militiæ, & muniûm publicorum, & mechanicarum artium fuiſſent immunes.

Artes mechanicæ.

Τῷ δὲ θεοὶ νεμεσῶσι καὶ ἀνέρες, ὅς κεν ἀεργὸς
Ζώῃ, κηφήνεσσι κοθούροις ἴκελος ὁρμήν,
Οἵ τε μελισσάων κάματον τρύχουσιν ἀεργοὶ
Ἔσθοντες.

Otioſi ſunt fuci Reip.

Hunc odere Dij atque homines, quicunque laborum
Immunis viuit fuco aßimilatus inermi,
Otia qui ſegnis fouet abſumítque laborem
Tardus apum.

Et eam ob cauſam pauperes otioſos Plato octauo de Rep. fucos pedeſtres appellat, additque, Τοὺς μὲν πτηνοὺς κηφῆνας πάντας, ἀκέντρους ὁ θεὸς πεποίηκε, τοὺς δὲ πεζοὺς τούτους ἐνίους μὲν αὐτῶν ἀκέντρους, ἐνίους δὲ δεινὰ κέντρα ἔχοντας, καὶ ἐκ μὲν τῶν ἀκέντρων πτωχοὶ πρὸς τὸ γῆρας τελευτῶσιν, ἐκ δὲ τῶν κεκεντρωμένων, πάντες ὅσοι κέκληνται κακοῦργοι. *Volatiles fucos Deus omnes ſine aculeo procreauit, at pedeſtrium alios ſine aculeo, alios grauibus aculeis armatos effecit: & ex iis qui ſunt ſine aculeo ſunt, ij qui in paupertate vſque ad ſenectutem verſantur, ex aculeatis autem, omnes qui malefici nominantur.* Eos autem qui militiæ erant immunes verè ciues fuiſſe conſtat ex illa lege duodecim tabularum. *Aßiduo vindex aßiduus eſto: proletario ciui quiuis volet, vindex eſto.* quæ explicans Iulius Paulus apud Gellium lib. 16. cap. 10. noct. Attic. *Neque proletarij, neque capite cenſi milites, niſi in tumultu maximo, ſcribebantur: quia familia his aut tenuis, aut nulla eſſet.* vide locum. Iam quid abſurdiùs fuiſſet Romanis inſtitutis, ſi fuiſſent aliqui ciues qui nec arte, nec militiâ, ſed *ſolo munere officióque prolis edendæ* fungerentur, à quo munere idem Iulius Paulus Proletarij nomen deductum eſſe exiſtimat.

Proletarij.

Quid? quod, ſi bene Dionyſij verba citata intelligo, non negauit paulò pòſt Romæ exordia, ciues artibus mechanicis operam nauaſſe, immò videtur hoc ipſum inſinuare, καὶ διέμεινεν ἕως πολλοῦ χρόνου δι' αἰσχύνης ὄντα Ῥωμαίοις τὰ τοιαῦτα ἔργα. *Diúq; manſit ille mos vt huiuſmodi opera pudorem Romanis exercentibus afferrent.* quare quod ait, καὶ ὑπ' οὐδενὸς τῶν αὐθιγενῶν ἐπιτηδευόμενα, *& à nemine ingenuorum culta.* libenter legerem εὐγενῶν, *nobilium.* Quamquam quid coniecturis vtimur, & veſtigiis ſectamur veritatem, cùm eam in ipſis cubilibus inuenire poſſimus? Lucius Florus apertè. *A Seruio Tullio Rege populus Romanus relatus in cenſum, digeſtus in claſſes, decuriis atque collegiis diſtributus: ſummâque Regis ſolertiâ, ita eſt ordinata Reſp. vt omnia patrimonij, dignitatis, ætatis, artium officiorúmque diſcrimina in tabulas referrentur, ac ſi maxima ciuitas minimæ domus diligentiâ contineretur.* Ecce iam tum in populo Romano *collegia* agnoſcit, iam tum *artium officiorúmque diſcrimina.* vt iam de patre Terentij Varronis qui ad Cannas malè pugnauit, quem lanium fuiſſe tradunt, vt de patre M. Æmilij Scauri, qui vt ait Auctor de viris illuſtribus. *Quamuis patricius ob paupertatem, carbonarium negotium exercuit.* vt de patre noſtri Ciceronis quem Fullonem fuiſſe apud Dionem & Plutarchum aliqui tradiderunt, mentionē facere ſuperfluum eſſe videatur. quid? quod longè ante recenſitos idem ille Dionyſius artifices populares agnoſcit, & Menenium Agrippam in ſeceſſione plebis paulò pòſt Reges exactos ita loquentem inducit. Τοῦ δ' ὀλίγου καὶ οὐκ ἀξιομάχου πληρώματος τὸ πλεῖόν ἐστι δημοτικόν, θῆτες καὶ πελάται, καὶ χειρωνάκται, οὐ πάνυ βέβαιοι τεταραγμένης ἀριστοκρατείας φύλακες. *In hoc ipſo modico & imbelli numero maior pars plebeij ſunt, mercenarij, clientes noſtri & opifices non admodum firmi cuſtodes turbati optimatium regiminis.* Hæc fortaſſe conciliari poterunt, ſi dicamus artes mechanicas longo poſt vrbem conditam tempore ab ingenuis exercitas non fuiſſe, vt ſcribit Dionyſius, ſed libertinos qui & ipſi ciues erant animum ad eas appuliſſe, atque ex his libertinis quidem, ſed tamen ciuibus conflata fuiſſe collegia.

Artes mechanicæ Romæ viguerunt.

MAGISTRA PVDORIS AC MODESTIÆ SEVERITAS CENSORIA.] Lucanos ita commendat Nicolaus Damaſcenus: XII.
Λευκανοὶ δικάζονται ἀλλήλοις, ὥσπερ ἄλλου τινὸς ἀδικήματος οὕτω καὶ ἀσωτίας καὶ ἀργίας. *Lucani iudicia habent vt de aliis iniuriis, ita & de intemperantiâ & inertiâ conſtituta.* At Romani magiſtratum habuerunt qui in cuiuſuis mores inquireret. Plutarchus in Catone Cenſorio de Cenſura loquens: Κορυφὴ δέ τις ἐστὶ τιμῆς ἁπάσης ἡ ἀρχή, καὶ τρόπον τινὰ τῆς πολιτείας ἁπάσης ἐπιτελείωσις, ἄλλην τε πολλὴν ἐξουσίαν ἔχουσα, καὶ τὴν περὶ τὰ ἤθη καὶ τοὺς βίους ἐξέτασιν. οὔτε γὰρ γάμον, οὔτε παιδοποιΐαν τινὸς, οὔτε δίαιταν, οὔτε συμπόσιον ᾤοντο δεῖν ἄκριτον καὶ ἀνεξέταστον, ὡς ἕκαστος ἐπιθυμίας ἔχοι, καὶ προαιρέσεως ἀφεῖσθαι. πολὺ δὲ μᾶλλον ἐν τούτοις νομίζοντες, ἢ ταῖς ὑπαίθροις καὶ πολιτικαῖς πράξεσι, τρόπον ἀνδρὸς ἐνορᾶσθαι, φύλακα καὶ σωφρονιστὴν καὶ κολαστὴν, τοῦ μηδένα καθ' ἡδονὰς ἐκτρέπεσθαι, καὶ παρεκβαίνειν τὸν ἐπιχώριον καὶ συνήθη βίον ᾑροῦντο τῶν καλουμένων πατρικίων ἕνα, καὶ τῶν δημοτικῶν ἕνα. *Hic magiſtratus omnium honorum eſt faſtigium, & quodammodo vitæ politicæ perfectio, tum quoad cætera magnam poteſtatem habens, tum in primis inquiſitionem in mores cuiuſcunque ciuis. neque enim nuptias aut matrimonium cuiuſquam, neque vitæ degendæ rationem*

Cenſura morum magiſtra.

aut conuiuium ſine iudicio & examine arbitrabantur eſſe relinquẽdum, quin de cuiuſuis cupiditatibus & animi inductione inquirerent, multò magis in rebus huiuſmodi, quàm in publicis actionibus hominum mores elucere arbitrati cuſtodem & moderatorem & punitorem, ne quis voluptatibus adductus, à patriis moribus, & communi vitâ deflecteret, elegerunt ex patriciis vnum, vnum item ex plebeiis. Liuius libro 4. *Tanto incremento aucta eſt cenſura, vt morum diſciplinæque Romanæ penes eam regimen, Senatus equitúmque centuriæ, decoris dedecoríſque diſcrimen ſub ditione eius Magiſtratus publicorum ius priuatorúmque locorum & vectigalia populi Romani ſub nutu atque arbitrio eſſent.*

Seueritas cenſoria. Atque vt de ſeueritate pœníſque cenſoriis pauca dicamus: Τιμητὰς δὲ τούτους προσηγόρευον, ait Plutarchus, ἐξουσίαν ἔχοντας ἀφελέσθαι μὲν ἵππους, ἐκβαλεῖν δὲ συγκλήτου τὸν ἀκολάστως βιοῦντα καὶ ἀτάκτως. *Cenſores eos vocabant poteſtatem habentes equos equitibus detrahendi, & Senatu mouendi eos qui intemperanter & inordinatè vixiſſent.* Si grauiùs Senatores peccauerant, non eos ſolùm in recenſione Senatus præteribãt, neque ſolùm equitibus equum publicum adimebant, ſed etiam tribu mouebant & ærarios faciebant, id eſt cogebant certum tributum ærario penſitare. Sexcenta apud Liuium exempla ſunt, lib. 24. *His ſuperioribúſque illis equi adempti qui publicum equum habebant: tribúque moti, ærarij omnes facti.* Subdit de plebeiis: *Et ea ſupra duo millia nominum in ærarios relata, tribúque omnes moti.* Libro 27. etiam de equitibus loquens, *omnes ærarios fecerunt.* lib. 34. & alibi. Libro 4. Cenſores ægrè paſſi Mamercum, quod magiſtratum populi Romani minuiſſet, *tribu mouerunt octuplicatóque cenſu ærarium fecerunt.* Nonnunquam autem quibus equos adimebant, eos equis priuatis militare cogebant. l. 37. *Iis omnibus (& multis erant adempti equi, qui Cannenſium legionum equites in Sicilia erant,) addiderunt acerbitati etiam tempus; ne præterita ſtipendia procederent, iis qui equo publico meruerant, ſed dena ſtipendia equis priuatis facerent.* Iam verò quàm pudori pudicitiæque conſultum vellet ſeueritas Cenſoria, illud Catonis exemplo ſit: Βουλῆς ἐξέβαλεν ὑπατεύσειν ἔνδοξον ὄντα Μανίλιον, ὅτι τὴν αὑτοῦ γυναῖκα μεθ' ἡμέραν ὁρώσης τῆς θυγατρὸς κατεφίλησεν. *Senatu mouit Manilium, qui Conſul futurus videbatur, propterea quod ſuam vxorem interdiu, & vidente filia fuerat oſculatus.* Atque vt poſtremo & Cenſoriæ ſeueritatis exemplum habeamus, & ne longius abeamus. *C. Lentulus & L. Gellius Cenſores aſperam cenſuram egerunt, quatuor & ſexaginta ſenatu motis.* vt habetur in epitome Liuiana dec. decimæ, lib. 8. vide Gelliũ lib. 4. noct. Attic. de eo qui penè damnatus eſt quod coram cenſore clarè nimis & ſonorè oſcitaſſet. Multa cenſoriæ ſeueritatis exempla congeſſit Petrus Herodius in ſuas pandectas rerum iudicatarum.

AXIOMA.

Leges quæ legum multitudinem prohibent, ſunt propugnacula muríque tranquillitatis atque otij.

ARGVMENTVM.

Legum euerſionem, poteſtatíſque cenſoriæ diminutionem ab adiunctis, à legum & cenſuræ antiquitate, aliorúmque improborum comparatione per expolitionem exaggerat.

X. NONDVM quæ feceris, ſed quæ fieri paſſus ſis, dico: neque verò multum intereſt, præſertim in Conſule, vtrùm ipſe pernicioſis legibus, improbis concionibus Rempubl. vexet, an alios vexare patiatur. An poteſt vlla eſſe excuſatio, non dicam malè ſentienti, ſed ſedenti, cunctanti, dormienti in maximo Reipub. motu conſuli? centum propè annos legem Æliam & Fuſiam tenueramus, quadringentos iudicium, notionémque cenſoriam: quas leges auſus eſt non nemo improbus (potuit quidem nemo) conuellere: quam poteſtatem minuere, quo minus de moribus noſtris quinto quoque anno iudicaretur, nemo tam effusè petulans conatus eſt. Hæc ſunt, ô carnifex, in gremio ſepulta conſulatus tui. Perſequere connexos his funeribus dies.

EXPLANATIO.

NONDVM QVÆ FECERIS.] Prudenter hæc addit, partim vt obiectionem occupet, viámque defenſionis omnem præcludat, partim vt auditorum animos maiorum ſcelerum expectatione ſuſpenſos ad attentionem inuitet.

NEQVE VERÒ.] Sententiam moralem interſerit, tum vt grauius feriat, tum vt delectet.

PRÆSERTIM IN CONSVLE.] Qui eam ob cauſam eſt inſtitutus, vt ſeditiones & iniuriam à Rep. prohiberet.

CENTVM PROPE ANNOS.] Legem Æliam ab anno 586. à M. Ælij & M. Iunij Conſulatu, Fuſiam ab anno V. C. 617. quo P. Furius ſiue Fuſius Conſul eam tulit.

QVADRINGENTOS.] A M. Geganij Macerini ſecundo, & Titi Quintij Capitolini quinto Conſulatu.

QVAS LEGES.] Cæterorum Conſulum tacita comparatione Piſonem reprehendit. Legem Æliam & Fuſiam non nemo improbus Tribunusplebis conatus eſt abrogare, ſed ſemper his conatibus Conſules obſtiterunt. at Piſo paſſus eſt eas à Clodio abrogari.

NON NEMO.] Vatinius.

Qvam potestatem.] Cenſoriam. iterum id ad Piſonis infamiam redundat. plus efficere potuit Clodius Piſone Conſule, quàm aliis Conſulibus vel petulantiſſimi tentauerint.

Hæc svnt.] Per epiphonema rei indignitatem oſtendit, ducta à funeribus tranſlatione.

NOTÆ.

I. Qui non vetat peccare cũ poſſit, iubet.

Neqve vero mvltvm.] *Quiſquis enim potitur peccare peccantem, is vires ſubminiſtrat audaciæ*, ait Arnobius lib. 4. Ioannes Xiphilinus in Galba. Τοῖς μὲν γὰρ ἰδιώταις ἀπόχρη μηδὲν ἀδικεῖν, τοῖς δὲ δὴ τὰς ἡγεμονίας ἔχουσιν ἀνάγκη προνοεῖν ὅπως μηδ᾽ ἄλλος κακουργῇ. οὐδὲ γὰρ διαφέρει τι τοῖς κακῶς πάσχουσιν ὑφ᾽ ὅτου ἂν καὶ κακῶνται. ὥστε εἰ καὶ ἔξω τοῦ τι δεινὸν ποιεῖν ὁ Γάλβας ἦν, ἀλλ᾽ ὅτι ἐκείνοις (τοῖς ἐλευθέροις) ἀδικεῖν ἐπέτρεπεν, ἢ ὅτι ἠγνόει τὰ γινόμενα, οὐ καλῶς ἤκουε. *Nam etſi ſatis eſt priuatis hominibus nullam iniuriam facere, tamen principem etiam prouidere oportet ne cæteri faciant: propterea quod nihil intereſt eorum qui iniuriam patiuntur, à quo eam acceperint. Itaque Galba licet ipſe nihil per iniuriam faceret, tamen quòd ſineret libertos facere, aut quòd ea quæ ab aliis gererentur, ignoraret, malè audiebat.* Seneca in Troade, actu ſecundo Agamemnonem ita loquentem inducit.

--in me culpa cunctorum redit,
Qui non vetat peccare cùm poßit, iubet.

Saluianus 7. de Gubernatione Dei. *Poteſtas quippe magna & potentißima, quæ inhibere ſcelus maximum poteſt, quaſi probat debere fieri, ſi ſciens patitur perpetrari: in cuius enim manu eſt vt prohibeat, iubet agi ſi non prohibet admitti.* Philo in Flaccum: Πίστις ἐναργὴς τοῦ συνεῖπον γεγονέναι τοῖς βλασφημοῦσι Φλάκκον. ὁ γὰρ ἐπιπλήττειν ἢ τὸ παύσαντος ἐπέχειν ἂν δυνηθεὶς, εἰ μὴ κεκώλυκε, δῆλος ἦν ἐφιείς, καὶ ἐπιτρέπων αὐτός. *Argumenta ſunt manifeſtißima Flaccum, eius maledicentiæ fuiſſe ſocium. nam qui caſtigare, aut ſaltem cohibere valens, non cohibuit, ſatis apparet quòd permiſerit.* Libanius declamatione Achillis: ὁ γὰρ τῷ πονηρῷ δοὺς ἀδικεῖν, παῦσαι παρὸν, μᾶλλον αὐτὸς εἴργασται τὸ πραχθέν. *Qui enim prohibere valens, improbo iniuſtè facere permittit, magis ipſe quod factum eſt, perpetrauit*, &c. addi poſſet ex eodem accuſatio Martis. ſed aliò properamus, poſtquam Agapetum Diaconum monitum hoc Imperatori tradentem audiueris. Ἴσον τῷ πλημμελεῖν τὸ μὴ κωλύειν τοὺς πλημμελοῦντας. *Peccare, & non cohibere peccantes iuxta æſtimandum.* Et Libanium Chria Diogenis: Οὗ γὰρ μὴ συγχωρήσαντος οὐκ ἄν ποτε ἐπέπρακτο, τοῦτον ἡγεῖτο δίκην τῶν πραχθέντων ὀφείλειν. *Abſque cuius permiſſu nunquam perpetraretur, eum pœnas commißi perſoluere debere ſtatuit.*

II. Sedere.

Sedenti.] Oſcitanti, non auxilianti. Liuius lib. 7. *Quid enim aliud eſſe cauſæ credamus, cur veteranus Dux fortißimus bello, compreßis, quod aiunt manibus ſedeas.* Demoſthenes Olynthiaca 2. Ἀλλ᾽, οἶμαι, καθήμεθα οὐδὲν ποιοῦντες. οὐκ ἔνι δ᾽ αὐτὸν ἀργοῦντα, οὐδὲ φίλοις ἐπιτάττειν ὑπὲρ αὑτοῦ τι ποιεῖν, μή τί γε τοῖς θεοῖς. *Nos verò ſedemus nihil facientes. atqui non licet eum qui otiatur, amicum hortari, vt quicquam pro ſe moliatur: multò minùs Deos licebit.* Maro 3. Georgicon.

Dum medicus adhibere manus ad vulnera paſtor
Abnegat, & meliora Deos ſedet omnia poſcens.

Sed hîc non moramur, cùm in illum verſum non pauca congeſſerit Cerdanus, & Biſciola in ſecundam partem ſubceſiuarum.

Centvm prope annos.] Bene legem commendat à vetuſtate: nihil enim periculoſius quàm ſi quid in legibus innouetur. Thucydides lib. 3. Πάντων δὲ δεινότατον εἰ βέβαιον ἡμῖν μηδὲν καταστήσεται ὧν ἂν δόξῃ πέρι, μηδὲ γνωσόμεθα ὅτι χείροσι νόμοις ἀκινήτοις χρωμένη πόλις κρείσσων ἐστὶν, ἢ καλῶς ἔχουσιν ἀκύροις. *Omnium verò grauißimum eſt, ſi de quibus decreuimus, eorum nihil firmum fixúmque teneamus, neque nouerimus meliorem eſſe ſtatum ciuitatis, quæ deterioribus legibus, ſed ſtabilioris vtitur, quàm quæ bonis quidem, ſed inſtabilibus fuerit conſtituta.* Auguſtus apud Dionem 53. Romanis Remp. redditurus ſic eos monet: Πρῶτον μὲν τοῖς κειμένοις νόμοις ἰσχυρῶς φυλάττετε, καὶ μηδένα αὐτῶν μεταβάλητε· τὰ γὰρ ἐν ταυτῷ μένοντα, κἂν χείρω ᾖ, συμφορώτερα τῶν ἀεὶ καινοτομουμένων, κἂν βελτίω εἶναι δοκῇ, ἐστίν. *Primùm quidem poſitas leges ſeruate diligenter, neque earum vllam mutate: quæ enim ſibi conſtant, etiamſi deteriora fuerint, vtiliora ſunt iis quæ ſubinde mutantur, licet ea meliora videantur.* Plato 7. de legibus multa in hanc ſententiam & ſuo more pulcherrima. Μεταβολὴν γὰρ δὴ πάντων, πλὴν κακῶν, πολὺ σφαλερώτατον εὑρήσομεν, ἐν ὥραις πάσαις ἐν πνεύμασιν, ἐν διαίταις σωμάτων, ἐν τρόποις ψυχῶν, &c. *Mutationem enim omnium præter quàm malorum multo periculoſißimam inueniemus, in anni tempeſtatibus, in ventis, in viuendi rationibus, in moribus animorum. Quare ſi quis frequenter nouas leges veteribus ſubrogarit:* τούτου πόλει λώβην οὐκ εἶναι μείζω φαῖμεν ἄν; *nullam ea maiorem ciuitati peſtem eſſe dixerimus.* Eámque ob rem ſic in principio libri ſecundi laudat Ægyptios, quod ritus antiquos retinerent: Οὐκ ἐξῆν οὔτε ζωγράφοις οὔτ᾽ ἄλλοις ὅσοι σχήματα, καὶ ὁποῖ᾽ ἄττα ἀπεργάζονται καινοτομεῖν, οὔτ᾽ ἐν τούτοις, οὔτ᾽ ἐν μουσικῇ ξυμπάσῃ. σκοπῶν δ᾽ εὑρήσεις αὐτόθι τὰ μυριοστὸν ἔτος γεγραμμένα, ἢ τετυπωμένα, (οὐχ ὡς ἔπος εἰπεῖν μυριοστὸν, ἀλλ᾽ ὄντως,) τῶν νῦν δεδημιουργημένων οὔτε καλλίονα, οὔτ᾽ αἰσχίω, τὴν αὐτὴν δὲ τέχνην ἀπειργασμένα. *Fas non erat aut pictoribus, aut aliis, qui aut figuras aut alia huiuſmodi delineant, quicquam innouare, neque in illis, neque muſica vniuerſa. Si aduerteris, inuenies ibi picturas & figuras iam à decem annorum millibus depictas (quòd verbi gratia non dixi, ſed veritatis) à decem, inquã millibus annorum, quæ neque elegantiùs, neque deteriùs, quàm nunc fiant, ſed eadem penitus arte effecta ſunt.* Libet locum bene longum ex Demoſthene contra Timocratem verbatim exſcribere. Locri οὕτως οἴονται δεῖν τοῖς πάλαι κειμένοις χρῆσθαι νόμοις, καὶ τὰ πάτρια περιστέλλειν, καὶ μὴ πρὸς τὰς βουλήσεις, μηδὲ πρὸς τὰς διαδύσεις τῶν ἀδικημάτων νομοθετεῖσθαι, ὥστε ἄν τις βούληται νόμον καινὸν τιθέναι, ἐν βρόχῳ τὸν τράχηλον ἔχων νομοθετεῖ. καὶ ἐὰν μὲν δόξῃ καλὸς καὶ χρήσιμος εἶναι ὁ νόμος, ζῇ ὁ τιθεὶς καὶ ἀπέρχεται, εἰ δὲ μὴ τέθνηκεν ἐπισπασθέντος τοῦ βρόχου. Καὶ γάρ τοι καινοὺς μὲν οὐ τολμῶσι τιθέναι νόμους, τοῖς δὲ πάλαι κειμένοις ἀκριβῶς χρῶνται. *Locri ſic vtendum antiquis legibus, & patria ſeruanda eſſe inſtituta, neque ad cuiuſque libidinem, aut ad expedienda reorum iudicia ferendas eſſe leges arbitrantur, vt ſi quis velit legem nouam ferre, reſte in collum inſerto eam promulget, & ſi quidem bona lex & vtilis eſſe videatur, incolumis diſcedit legiſlator, ſi ſecùs, adducto reſte præfocatur, nouas enim leges ferre non audent, ſed veteribus vtuntur accuratè.* Hîc libenter finirem, ſed quis ſibi in tanta rerum & verborum ſuauitate temperaret? addit. Ἐν πολλοῖς δὲ πάνυ ἔτεσιν, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, εἷς λέγεται παρ᾽ αὐτοῖς νόμος καινὸς τεθῆναι, ὄντος γὰρ αὐτόθι νόμου ἐάν τις ὀφθαλμὸν ἐκκόψῃ, ἀντεκκόψαι παρασχεῖν τὸν ἑαυτοῦ, καὶ οὐ

III. Legum antiquitas.

Nouitas fugienda.

Leges non mutandæ.

Locrenſiũ lex de nouitate fugienda.

χρημάτων πολλῶν οὐδεμιᾶς, ἀπειλῆσαί τις λέγεται ἐχθρὸς ἐχθρῷ ἕνα ἔχοντι ὀφθαλμὸν, ὅτι αὐτοῦ ἐκκόψει τοῦτον τὸν ἕνα, ὀργιζομένης δὲ ταύτης τῆς ἀπειλῆς χαλεπῶς ἐνεγκὼν ὁ ἑτερόφθαλμος, καὶ ἡγούμενος ἀβίωτον αὐτῷ εἶναι τὸν βίον τοῦτο παθόντι, λέγεται τολμῆσαι νόμον εἰσενεγκεῖν ἐάν τις ἕνα ἔχοντος ὀφθαλμὸν ἐκκόψῃ, ἀμφὼ ἀντεκκόψαι παρασχεῖν, ἵνα τῇ ἴσῃ συμφορᾷ ἀμφότεροι χρῶνται. καὶ τοῦτον μόνον λέγονται Λοκροὶ θέσθαι τὸν νόμον ἐν πλείοσιν ἢ διακοσίοις ἔτεσιν, &c. *Multis annis, Iudices, lex apud eos de nouo lata perhibetur: cùm enim legem haberent, vt ſi quis alteri oculum effodiſſet, ſuum viciſſim eruendũ præberet, nec aliâ præterea pecuniariâ mulctâ plecteretur, neſcio quis inimico ſuo vnum oculum habenti, dicitur effoſſionem illius ipſius oculi fuiſſe comminatus. quam comminationẽ grauiter ferens vnoculus, nec vitam ſibi fore vitalem ratus, ſi illum, qui reſtabat, oculum amitteret, legem ferre auſus narratur, vt ſi quis vnoculo oculum eruiſſet, is vtrúmque oculum effodiendum exhiberet, vt vterque idem incommodum pateretur. & hanc ſuam legem Locri feruntur annis plus ducentis nouam poſuiſſe.* Hæc Demoſthenes, quæ eadem à Diodoro Siculo lib. 12. bibliothecæ referuntur: non Zaleuco tamen & Locris, ſed Charondæ & Thuriis ea tribuuntur. Ideóque Ariſtoteles 2. politic. cap. 6. non immeritò reprehendit Hippodamum: Ἐτίθει δὲ νόμον περὶ τῶν εὑρισκόντων τι τῇ πόλει συμφέρον, ὅπως τυγχάνωσι τιμῆς. *Legem poſuit vt iis honos haberetur qui aliquid vtile Reip. inuenirent.* Subdit rationes cur id non probet: Ὅταν γὰρ ᾖ τὸ μὲν βέλτιον μικρὸν, τὸ δ' ἐθίζειν εὐχερῶς λύειν τοὺς νόμους φαῦλον, φανερὸν ὡς ἐατέον ἐνίας ἁμαρτίας, καὶ τῶν νομοθετῶν, καὶ τῶν ἀρχόντων. οὐ γὰρ τοσοῦτον ὠφελήσεται κινήσας, ὅσον βλαβήσεται τοῖς ἄρχουσιν ἀπειθεῖν ἐθισθείς. *Cùm enim quod melius eſt paruum fuerit, conſuetudo verò leges facilè ſoluendi mala, liquet ſatius eſſe quædam errata tum legum, tum magiſtratuum relinqui, neque enim tanta vtilitas ex hac mutatione conſequetur, quantum detrimentum capient ij, qui non eſſe dicto audientes magiſtratibus aſſueſcent.* Paulò pòſt: ὁ γὰρ νόμος ἰσχὺν οὐδεμίαν ἔχει πρὸς τὸ πείθεσθαι πλὴν παρὰ τὸ ἔθος. τοῦτο δ' οὐ γίνεται εἰ μὴ διὰ χρόνου πλῆθος, ὥστε τὸ ῥᾳδίως μεταβάλλειν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων νόμων εἰς ἑτέρους νόμους καινοὺς, ἀσθενῆ ποιεῖν ἐστι τὴν τοῦ νόμου δύναμιν. *Neque enim lex vllam vim habet ad perſuadendum, niſi quam à conſuetudine acceperit. hoc verò ſola temporis longinquitate fieri poteſt. quare qui facilè receptas leges immutant, nihil aliud agunt quàm legis vim infirment.*

IV. Auſus.

Avsvs est.] Audendi verbum, haud frequenter vſurpatur, niſi res incœpta ſuum euentum ſortiatur. Suidas: Αὔσονες οἱ βασιλεῖς παρὰ τὸ αὔσω τὸ τολμῶ οἱ πάντα ἐπιτολμῶντες τῷ προστάγματι. opinor legendum: οἱ πάντα πράττειν ἐπιτολμῶντες. *Reges dicuntur* αὔσονες, *à verbo* αὔσω, *quòd audentes imperio nihil non efficiant.* Sic inquam legendum exiſtimo. Regum enim poteſtas non tam imperio (quis enim imperare non poſſit) quàm ſubditorum obſequio, & imperij executione continetur. Callimachus hymno εἰς Δία, id de ſuo Rege prædicat, v 86.

Ἑσπέριος κεῖνός γε τελεῖ τά κεν ἦρι νοήσῃ,
Ἑσπέριος τὰ μέγιστα, τὰ μείονα δ' εὖτε νοήσῃ.
Veſpertinus ille perficit, quæ mane cogitarit
Veſpertinus maxima, cùm minora cogitarit.

V.

Non nemo improbvs.] Dixi Vatinium intelligi. Vatiniana 18. *Lex Ælia & Fuſia, quæ leges ſæpenumero tribunitios furores debilitarunt, & repreſſerunt, quas contra, præter te nemo vnquam eſt facere conatus.*

VI. Cenſuræ poteſtas quãdo primùm imminuta.

Qvam potestatem.] Tamen legem tulerat Mamercus Æmilius ſecundùm Dictator: *Ne plus quàm annus ac ſemeſtris cenſura eſſet,* &c. *depoſito magiſtratu,* &c. *Cenſores ægrè paſſi, Mamercum, quod magiſtratum populi Romani minuiſſet, tribu mouerunt, octuplicatóque cenſu ærarium fecerunt, quam rem ipſum ingenti animo tuliſſe ferunt, cauſſam potiùs ignominiæ intuentem, quàm ignominiam; primores Patrum, quanquam diminutum cenſuræ ius voluiſſent, exemplo acerbitatis cenſoriæ offenſos* (ſuſpicor neſcio quid ſubeſſe mendi, ſed non emendo) *quippe cùm ſe quiſque diutiùs ac ſæpiùs ſubiectum cenſoribus fore cerneret, quàm cenſuram geſturum. Populi certè tanta indignatio coorta dicitur, vt vis à cenſoribus nullius auctoritate præter quàm ipſius Mamerci deterreri quiuerit.* Ita Liuius lib. 4. ſcriptum reliquit. Quæ lex diu populum tenuit, donec vt refert idem Liuius lib. 9. *Appius Claudius Cæcus, cenſor circumactis decem & octo menſibus, quod Æmiliâ lege finitum cenſuræ ſpatium temporis erat, cùm C. Plautius collega eius magiſtratu ſe abdicaſſet, nullâ vi compelli, vt abdicare potuit,* In quem P. Sempronius Tribunus plebis. *Itáne tandem, Appi Claudi, cùm centeſimus iam annus ſit ab Mamerco Æmilio Dictatore, tot Cenſores fuerint nobiliſſimi fortiſſimique viri, nemo eorum duodecim tabulas legit?* &c. *An hoc dicis, Appi, non teneri Æmiliâ lege populum?* &c. *Tenuit deinceps omnes cenſores intra centum annorum ſpatium.* Subdit: *Hæc aliáque cùm dixiſſet, prehendi cenſorem & in vincula duci iuſſit, approbantibus ſex Tribunis actionem collegæ: Tres appellanti Appio auxilio fuerunt: ſummáque inuidiâ omnium ordinum ſolus cenſuram geſſit.* Quid? quod C. Claudio Pulchro & Tiberio Sempronio Graccho Cenſoribus, vt dicitur apud Liuium lib. 45. *Petentibus vt ex inſtituto ad ſarta tecta exigenda, & ad opera quæ locaſſent probanda anni & bimenſis tempus prorogaretur, Cn. Tremellius Tribunus, quia lectus non erat in Senatum, interceſſit.*

Carnifex.] Terentius Andria, act. 1. ſc. 3. VII. Carnifex.

Carnu ex qua loquitur. vbi Donatus, *aut excarnificans dominum, aut ipſe dignus carnifice, vt caro fiat, id eſt lanietur. Lucilius,*

--carcer vix carcere dignus.

Carnifex igitur Piſo, vel quòd excarnificaſſet Remp. vel quòd eſſet dignus carnifice.

Connexos.] Dies funeri connexos vocabant eos, opinor, qui inter ipſum diem funeris, & nouendiale ſacrum intercedebant, quo dierum interſtitio expiationem familiæ, ludos gladiatorios, epulas funebres tum priuatas, tum publicas, ſilicernium, & alia cuiuſmodi exhibebant. De expiatione familiæ pro Milone. §. 66. *Popa.* De ludis gladiatoriis & buſtuariis infrà §. 19. n. 6. De epulis & Silicernio in Vatinium, §. 30. 31. De nouendiali ſacro cuius compertum eſt ex Interpretibus Maronis in quintum Æneidos. VIII. Cõnexi dies.

--nonámque ſerenâ
Auroram Phaëthontis equi iam luce vehebant. &c.
Præterea ſi nona dies mortalibus almam
Extulerit lucem.-- Et Flacci:
Nouendiales diſſipare pulueres.

AXIOMA.

Non multùm intereſt in magiſtratu vtrùm ipſe pernicioſis legibus, improbis concionibus Remp. vexet, an alios vexare patiatur.

Pergit

ARGVMENTVM.

Pergit enumerare ſeditiones Conſulibus conniuentibus à P. Clodio concitatas. deinde Piſonem accuſat infidelitatis, qui ipſum ab eodem Clodio iniuſtè vexari Conſul permiſerit.

PRo Aurelio tribunali ne conniuente quidem te, quod ipſum eſſet ſcelus, ſed etiam hilarioribus oculis, quàm ſolitus eras, intuente, delectus ſeruorum habebatur ab eo, qui nihil ſibi vnquam nec facere, nec pati turpe eſſe duxit: arma in templo Caſtoris, ô proditor templorum omnium, vidente te, conſtituebantur ab eo latrone, cui templum illud fuit, te Conſule arx ciuium perditorum, receptaculum veterum Catilinæ militum, caſtellum forenſis latrocinij, buſtum legum omnium, ac religionum. Erat non ſolùm domus mea, ſed totum Palatium ſenatu, equitibus Roman. ciuitate omni, Italia cuncta refertum: cùm tu non modò ad eum Ciceronem (mitto enim domeſtica, quæ negari poſſunt: hæc commemoro, quæ ſunt palam) non modò, inquam, ad eum, cui primam comitiis tuis dederas tabulam prærogatiuæ, quem in Senatu ſententiam rogabas tertium nunquam aſpiraſti: ſed omnibus conſiliis, quæ ad me opprimendum parabantur, non interfuiſti ſolùm, verùm etiam crudeliſſimè præfuiſti. XI.

EXPLANATIO.

PRO AVRELIO TRIBVNALI.] In Tribunali, quod ab Aurelio Cotta nomen acceperat: locus hic totus frequentiùs occurrit, quàm vt hic explanari debeat, cum ea quæ eſt pro Sextio 34. pro domo item poſt reditum ad Quirites conferatur.

AB EO QVI.] à Publio Clodio: *Scurrarum locupletum ſcorto, ſororis adultero, ſtuprorum ſacerdote, venefico, teſtamentario, latrone.* pro Sextio 39.

ARMA IN TEMPLO CASTORIS.] Templum Caſtoris & Pollucis erat in ipſo foro, hanc latrocinij arcem Clodius armatis hominibus occuparat, vt inde comitia diſturbaret, ſuóſque ſicarios in concionem immitteret.

O PRODITOR TEMPLORVM OMNIVM.] Qui templum Caſtoris, & ædem nympharum, vt à Clodio incenderetur, prodidiſti.

BVSTVM LEGVM OMNIVM AC RELIGIONVM.] Quo templo à ſeditioſis occupato leges Ælia & Fuſia deflagrarunt, quæ leges auſpicia, hactenus ſumma religione ſeruata continebant.

ERAT NON SOLVM.] Cùm plerique omnes ex Senatu & equeſtri ordine, neque ſolùm ex veteribus ciuibus, ſed etiam ex Italia poſt bellum ſociale recens in ciuitatem adſcriptis, ita frequenter auxilij conſiliíque dandi cauſa domum meam conuenirent, vt redundante multitudine totum montem palatinum, in quo mea domus eſt opplerent: nunquam accedere conatus es, vt amico indigniſſimè vexato aliquid opis Conſul adferres.

PRIMAM TABVLAM.] Sic interpretatur Manutius: *Vt ego primus comitiis tuis conſularibus in prima centuria primæ claßis ſuffragium ferrem, in quo multum beneuolentiæ erga te meæ multum fidei tribuere viſus es.* Sed vide Notas.

ROGABAS TERTIVM.] Conſul, fortaſſe poſt Pompeium & Craſſum, nam aberat Cæſar quem ſine dubio Tullio prætuliſſet.

PARABANTVR.] à Publio Clodio.

NOTÆ.

O PRODITOR TEMPLORVM OMNIVM.] Vel quia qui vnum templum violari permiſerat, facilè alia templa eſſet proditurus, vel quia etiam alia templa prodiderat, vt vidimus de æde Nympharum. Tertullianus in apologetico cap. 6. *Serapidem & Iſidem & Harpocratem cum ſuo Cynocephalo, Capitolio prohibitos inferri, id eſt curiâ Deorum pulſos, Piſo & Gabinius Conſules non vtique Chriſtiani, euerſis etiam aris eorum abdicauerunt, turpium & otioſarum ſuperſtitionum vitia cohibentes. his vos reſtitutis ſummam maieſtatem contuliſtis.* Ad hanc fortaſſe ararum euerſionem orator reſpexerit. De haruſp. reſp. 32. *Piſonem quis neſcit his ipſis temporibus maximum & ſanctißimum Dianæ ſacellum in Colliculo ſuſtuliſſe.* I. Piſo proditor templorum.

AC RELIGIONVM.] In quo auſpicia conflagrauerunt. de auſpiciorum porrò religione, Cicero libro ſecundo de natura Deorum. Plutarchus, Dionyſius & alij multa paſſim ediderunt. Dionyſius lib. 2 de Romulo: Κατεστήσατο ἐν ἔθει τοῖς μετ' αὐτὸν ἅπασι μήτε βασιλείας, μήτ' ἀρχὰς λαμβάνειν, ἐὰν μὴ καὶ τὸ δαιμόνιον αὐτοῖς θεσπίσῃ. *In more poſuit eorum qui deinceps* II. Auſpiciorum religio.

ſunt conſecuti, vt neque regna, neque magiſtratus inirent, niſi diuinitus auſpicium haberent. Atque hæc fuit cauſſa cur in Vatinium dicatur vrbs auſpiciis fuiſſe conſtituta & ſeruata, nihilo ſeciùs tamen hæc ſuperſtitio paulatim exoleuit. Nam quod ad Romuli legem de auſpiciis ſpectat: Πέπαυται δ' ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς χρόνοις, inquit Dionyſius, πλὴν οἷον εἰκών τις αὐτοῦ λείπεται τῆς ὁσίας ταύτης ἕνεκα γινομένη. ἐπαυλίζονται μὲν γὰρ οἱ τὰς ἀρχὰς μέλλοντες λαμβάνειν, καὶ περὶ τὸν ὄρθρον ἀνιστάμενοι ποιοῦνταί τινας εὐχὰς ὑπαίθριοι· τῶν δὲ παρόντων τινὲς ὀρνιθοσκόπων μισθὸν ἐκ τοῦ δημοσίου φερόμενοι ἀστραπὴν αὐτοῖς μηνύειν φασὶν, ἐκ τῶν ἀριστερῶν τὴν οὐ γενομένην. οἱ δὲ τὸν ἐκ τῆς φωνῆς οἰωνὸν λαβόντες ἀπέρχονται τὰς ἀρχὰς παραληψόμενοι, οἱ μὲν αὐτὸ τοῦτο ἱκανὸν ὑπολαμβάνοντες εἶναι τὸ μηδένα γενέσθαι τῶν ἐναντιουμένων τε καὶ κωλυόντων οἰωνῶν· οἱ δὲ καὶ παρὰ τὸ βούλημα τοῦ θεοῦ κωλύοντος. *Hæc conſuetudo antiquata eſt noſtra tempeſtate. Veruntamen quædam velut eius imago relicta eſt, ominis & auſpicij cauſſa. foris enim pernoctant qui ſunt magiſtratum inituri, & ſub auroram ſurgentes quaſdam ſub Dio preces concipiunt. quibuſdam verò è præſentibus auium inſpectoribus, quibus è publico merces exhibetur, fulgur è læua addicere dicunt, quòd reuera non apparuit. Hi verò vocis auſpicium capientes abeunt magiſtratum inituri, & alij quidem ſatis eſſe exiſtimant, ſi nullum auſpicium fuerit aduerſum, alij contra auſpicia facere non verentur.* Quamuis præcipua ſemper manſit penes ea quæ de cœlo peterentur religionis auctoritas, adeò vt ſi ſeruatum eſſet de cœlo & obnuntiatum, ſtatim comitia ſoluerentur. Omitto Plutarchum in Catone, Appianum primo ciuilium, Ciceronem. Arnobius lib. 2. paucis multa complectitur. *Nunquid magiſtratus per populum creatis? militaria, vrbana, communia quæ ſint comitia ſcitis? ſeruatis de cœlo aut otioſas facitis obnuntiationibus actiones.* Dio libro 38. diſertè de auſpiciis Clodia lege abrogatis. Τῆς μαντείας τῆς δημοσίας ἔκ τε τοῦ οὐρανοῦ καὶ ἐξ ἄλλων τινῶν ποιουμένης, τὸ μέγιστον κῦρος ἡ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ εἶχεν, οὕτως ὥστε τὰ μὲν ἄλλ' οἰωνίσματα πολλὰ καὶ καθ' ἑκάστην πρᾶξιν, ἐκεῖνα δ' εἰσάπαξ ἐπὶ πάσῃ τῇ ἡμέρᾳ γίνεσθαι. τοῦτό τ' οὖν ἰδιώτατον ἐν αὐτῷ ἦν, καὶ ὅτι ἐπὶ μὲν τῶν ἄλλων ἁπάντων ἢ ἐπέτρεπε πραχθῆναί τινα, καὶ ἐγένετο μηδενὸς ἔτι καθ' ἕκαστον οἰωνίσματος ἐπαγομένου, ἢ ἐκώλυε καὶ ἀνεχειρίζετό τι. τὰς δὲ δὴ τοῦ δήμου διαψηφίσεις πάντως ἐπεῖχεν. καὶ ἦν πρὸς αὐτὰς ἀεὶ διοσημία εἴτ' ἐναίσιον, εἴτ' ἐξαίσιον ἐγένετο. *Cùm publica diuinatio tum ex cœlo, tum ex aliis capiatur, præcipua tamen penes auſpicium quod è cœlo petebatur, fuit auctoritas; adeò vt alia auſpicia ſint multa, & ad ſingulas actiones, hoc ſemel ad totam diem captetur. Hoc igitur habuit proprium & ſingulare quod præ cæteris omnibus, vel permittebat aliquid agi, nullo deinde ampliùs augurio obſeruato, aut prohibebat aliquam actionem, impediebátque ita vt populi ſuffragationes omninò inhiberet. Porrò quoties, populus in ſuffragia ire de certa re vellet, de cœlo ſeruabatur, ſiue ſecundum id augurium, ſiue aduerſum eueniret.* Quam auſpiciorum horum auctoritatem præ cæteris, vt liquidiùs intelligas, ea fuit inter hæc & alia diſtinctio, quòd ſi auguri auguria ex arce captanti proſperæ aues ſemel addixerant, nulla ampliùs eo die auſpicia captabant, neque ſi augures auium volatu comitia permitti reſponderant, ea poterant ampliùs vllo pacto earundem auium inſpectione diſſoluere. innuit Dio citatus, & Auguſtinus libro ſecundo de doctrinâ Chriſtianâ cap. 24. *Quod manifeſtiſſimè oſtendit ritus augurum, qui & antequam obſeruent, & poſteaquam obſeruata ſigna tenuerint, id agunt ne videant volatus, aut audiant voces auium: quia iſta nulla ſigna ſunt niſi conſenſus obſeruantis accedat.* At verò toto die licebat ſeruare de cœlo, & comitia per obnuntiationem quocunque momento diſſoluere. Sed de auguriis & auſpiciis Arnobius libro quarto, & Ammianus Marcellinus libro 21. conſulantur.

Auſpicia ſpecie tenus remanſerunt.

Præcipua fuit vis auſpiciorum quæ de cœlo peterentur.

Tantùm addo licet cordati homines nullam in his diuinitatem agnoſcerent, eos tamen hac religionis opinione vulgum imbuiſſe, vt animis ſuperſtitione occupatis faciliùs in officio contineretur, quòd Machiauellus & alij nefariè è cœnoſis gentilium lacunis hauſerunt, vt religionis quidem viro politico dicant habendam eſſe rationem, eáque vulgi animos imbuendos, ſed eo fine vt plebem diuinitatis timore perculſam faciliùs officij ſui cancellis coërceat. Præclarè Xenophon in Hipparchico: Κἂν ἐκεῖνο λάβωσιν εἰς τὴν γνώμην ὡς οὔτ' ἂν εἰκῇ, οὔτ' ἄνευ θεῶν οὔτε παρὰ τὰ ἱερὰ ἡγήσαιτ' ἂν ἐπὶ πολεμίους, πάντα ταῦτα πιθανωτέρους, τῷ ἄρχοντι τοὺς ἀρχομένους ποιεῖ. *Si hoc in animum inducant, neque ſe temere, neque ſine Diis contra auſpicia in hoſtes duci. hæc omnia exercitum reddunt magis Imperatoris dicto audientem.* Sed ille veram in Imperatore pietatem exigebat: Εἰκὸς δὲ μᾶλλον ἐθέλειν αὐτοὺς συμβουλεύειν τούτοις, οἳ ἂν μὴ μόνον ὅταν δέωνται μὴ ἐπερωτῶσι τί χρὴ ποιεῖν, ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς εὐτυχίαις θεραπεύωσι, ὅτι ἂν δύνωνται τοὺς θεούς. *Magis conſentaneum Deos iis conſulere malle, qui non ſolùm cùm neceſſitas incumbit, quid ſit faciendum Deos conſultant, ſed etiam in rebus proſperis Deos, quanto maximo cultu poſſunt, venerantur.* Si τὸν θεὸν dixiſſet, quid potuit dixiſſe præſtantius? nam Syneſius Regis verique politici ſtatuam fingens εὐσέβεια πρῶτον, inquit, ὑποβεβλήσθω κρηπὶς ἀσφαλής, ἐφ' ἧς ἑστήξει τὸ ἄγαλμα ἔμπεδον, καὶ οὐ μή ποτε αὐτὸ περιτρέψῃ χειμὼν τῆς κρηπῖδος ἐχόμενον. *Pietas primò ſubiiciatur immobile fundamentum, in qua ſtabit illud ſimulachrum, vt nulla poſſit tempeſtate conuelli.* Eámque ob cauſam Plato 6. de Republ. politicum cum pictore Dei ipſius imaginem exprimente elegantiſſimè comparauit. At ô proiectam noſtræ ætatis audaciam (cogit enim indignatio me præter operis ſuſcepti rationem in exclamationem erumpere) Machiauellus aliíque re athei, nomine Chriſtiani, dum irreligioſam plebi religionem obtrudant, viro politico ſatis eſſe religionis ſimulationem exiſtimant. Sed vt ad auſpiciorum religionem redeamus, eam Arnobius libro quarto, & alibi verbis acutè ſugillat, & Moſollamus Iudæus reipſa. Verba referam Hecatæi apud Ioſephum contra Appionem, libro primo: Μαντέως τινὸς ὀρνιθευομένου, καὶ πάντας ἐπισχεῖν ἀξιοῦντος, ἠρώτησε (ὁ Μοσόλλαμος) τί προσμένουσι. δείξαντος δὲ τοῦ μάντεως αὐτῷ τὴν ὄρνιθα καὶ φήσαντος ἐὰν μὲν αὐτοῦ μένῃ, προσμένειν συμφέρειν πᾶσι, ἂν δ' ἀναστᾶσα εἰς τοὔμπροσθεν πέτηται, προάγειν, ἐὰν δὲ εἰς τοὔπισθεν

Cur politici ſuperſtitioné induxerint.

Pietas neceſſaria ſtatui politico.

Auſpiciorum vanitas.

ἀναχωρεῖν. αὖθις σιωπήσας, καὶ παρελκύσας τὸ τόξον ἔβαλε, καὶ τὴν ὄρνιθα πατάξας ἀπέκτεινεν. ἀγανακτούντων δὲ τοῦ μάντεως καί τινων ἄλλων, καὶ καταρωμένων αὐτῷ, τί μαίνεσθε, ἔφη, κακοδαιμονέστατον ὄρνιθα λαβόντες εἰς τὰς χεῖρας; πῶς γὰρ οὗτος τὴν αὑτοῦ σωτηρίαν οὐ προϊδὼν περὶ τῆς ἡμετέρας πορείας ἡμῖν ἄν τι ὑγιὲς ἀπήγγελλεν; εἰ γὰρ ἠδύνατο προγινώσκειν τὸ μέλλον, εἰς τὸν τόπον τοῦτον ἐκ ἂν ἦλθε, φοβούμενος μὴ τοξεύσας αὐτὸν ἀποκτείνῃ Μοσόλλαμος Ἰουδαῖος. *Diuinatore quodam auſpicia captante, & flagitante vt conſiſterent, rogauit Moſellamus quorſum remanerent. augur digito in auem intento, dixit ſi ea conſiſteret, expedire vt omnes conſiſterent, ſin præuolaret, vt progrederentur, ſi reuolaret, vt retrocederent. Tacens ille & arcum extrahens iaculatus eſt, & auem percuſſam interemit. indignantibus verò diuinatori & nonnullis aliis, diráſque ei imprecantibus. Quæ vos agit inſania, inquit, cùm miſeram auim manibus teneatis? quomodo enim quæ ſibi ſuæque ſaluti non prouidit, vobis ſani quidquam de veſtra profectione nuntiabat? ſi enim futura prænoſcere potuiſſet, hunc in locum non veniſſet, verita ne Moſellamus Iudæus ipſam occideret.* Quamuis, vt iam dixi, qui magis cordati erant, nullam in his auſpiciis diuinitatem agnoſcebant. vt Xenophon in apologia Socratis, & Ammianus, à quo fortaſſe Chriſtianorum argumenta confeſſionem aliquam veritatis extorſerant. lib. 21. *Auguria & auſpicia non volucrum arbitratu futura neſcientium colliguntur (nec enim hoc vel inſipiens quiſquam diceret) ſed volatus auium dirigit Deus, vt roſtrum ſonans, aut præteruolans pinna turbido meatu vel leni futura demonſtrat.* Verè ſi pro Deo dæmonem poſuiſſet. Hæc enim omnia præclarè Auguſtinus loco citato appellat, *Pacta quædam ſignificationum cum dæmonibus placita atque fœderata.* Item: *Plena peſtiferæ curioſitatis, cruciantis ſolitudinis, mortiferæ ſeruitutis.* Sed hæc plus ſatis: nam vt alias omittam horum auſpiciorum ineptias humanioribus etiam auribus indignas, ex vna potes agnoſcere Cato in oratione quam ſcripſit de ſacrilegio commiſſo. *Domi cùm auſpicamus honorem me Deûm immortalium velim habuiſſe, ſerui, ancillæ, ſi quis eorum ſub centone crepuit, quod ego non ſenſi nullum mihi vitium facit. Si cui ibidem ſeruo aut ancillæ dormienti euenit, quod comitia prohibere ſolet, ne is quidem mihi vitium facit.* Adeò non ſolùm Iouis tonitru comitia prohibebat, citatur à Feſto in *prohibere*.

III. Comitia magiſtratuum.

III. COMITIIS TVIS.] Comitiis conſularibus ait Manutius. non opinor. neque enim Piſo tabulam prærogatiuæ Tullio deferre potuit, iis comitiis conſularibus quibus fuerat candidatus. magis enim conſentaneum eſt vt is qui præerat comitiis, prærogatiuæ tabulam alicui deferret, quàm candidati, quia id factum fuiſſe videtur, ad vitandas fraudes, ne in gratiam candidatorum falſa pro veris ſubiicerentur ſuffragia. Neque item de comitiis quibus Piſo præfuerat, vt crearentur Conſules in annum conſequentem. Cicero enim eiectus fuerat Piſonis conſulatu à paucis menſibus ineunte: quo tempore vix crediderim habita fuiſſe comitia conſularia: ſed quædam aliorum magiſtratuum creandorum cauſa, quibus Piſo præfuerit.

IV. PRÆROGATIVÆ.] Res eſt obſcurior.

Prærogatiuæ centuriæ & tribus.

Feſtus: *Prærogatiuæ centuriæ dicuntur, vt docet Varro rerum humanarum libro ſexto quæ rus . . .* (lego *quæ primæ rogabantur vt*) *ruſtici Romani, qui ignorarent petitores, faciliùs eos animaduertere poſſent. Verrius probabiliùs iudicat eſſe, vt cùm eſſent deſignati à prærogatiuis, in ſermonem res veniret populi de dignis indignísve, & fierent cæteri diligentiores ad ſuffragia de his ferenda.* Aſconius Pædianus in diuinationem. *Prærogatiuæ*, inquit, *ſunt tribus quæ primæ ſuffragium ferunt ante iure vocatos. Mos enim fuerat, quo faciliùs in comitiis concordia populi firmaretur, bina de iiſdem candidatis comitia fieri, quorum tribus primæ dicebantur quos vellent Conſules fieri* (libenter legerim, *quæ tribus primæ rogabantur.*) *Secundæ iure vocatæ, quòd in his ſequente populo, vt ſæpe contulit, prærogatiuarum voluntatem iure omnia complerentur.* Hæc Aſconius. qui locus, etſi corruptus videtur, oſtendit tamen hanc fuiſſe inter prærogatiuas tribus & iure vocatas diſtinctionem, quòd prærogatiuæ primæ omnium ferrent ſuffragium. de vtroque Auſonius in gratiarum actione: *Valete modò claſſes populi, & vrbanarum tribuum prærogatiuæ & centuriæ iure vocatæ.* Hæc autem quantum colligi poteſt erat diuerſitas, quòd prærogatiuæ ſortitione, & quaſi diuina voluntate non humano ſenſu legerentur, quæ primæ omnium ferrent ſuffragium, vt innuit Cicero primo de diuinatione. *Prærogatiuam etiam maiores omnes iuſtorum comitiorum eſſe voluerunt.* & ſecunda Philippica §. 67. *Ecce Dolabellæ comitiorum dies; ſortitio prærogatiuæ, quieſcit: renuntiatur, tacet:* Atque hæc de prærogatiua, tum de claſſibus claſſiúmque centuriis iure vocatis. *Prima claſſis vocatur, renuntiatur: deinde vt aſſolet ſuffragia: tum ſecunda claſſis: quæ omnia citiùs ſunt facta quàm dixi.* Quod faciliùs vt intelligatur de comitiis Centuriatis agendum, & ſciendum eſt ex Dionyſio libro quarto id à Seruio Tullio fuiſſe inſtitutum, comitiis quæ anteà per tribus fiebant ad centurias reuocatis, vt prima claſſis quæ octoginta peditum & octodecim equitum centurias plures nimirum quàm cæteræ quinque claſſes ſola continebat, omnium prima ferret ſuffragium, quo pacto, vt ait ὁ Τύλλιος ἐπὶ τοὺς πλουσίους μετέθεικε τὸ τῶν ψήφων κράτος. *Ad diuites tranſtulit omnem poteſtatem in ferendis ſuffragiis.* Cùm igitur ſecutis deinde temporibus præreptam ſibi omnem in comitiis auctoritatem, & ad primam claſſem tranſlatam eſſe poſtremæ claſſes aduerterent, crebráſque turbas ideò concitarent, *quò faciliùs*, vt verbis vtar Aſconij, *in comitiis concordia firmaretur*, mos inualuit vt bina fierent comitia de iiſdem candidatis, & primis quidem comitiis Centuria quæ prima omnium latura eſſet ſuffragium non ordine claſſium, ſed ſortitione legeretur, ideò prærogatiua quaſi præ cæteris rogata diceretur: poſterioribus verò comitiis Centuriæ non iam ſortitione, ſed iure, id eſt ſecundum ordinem claſſium à Seruio Tullio inſtitutum vocatæ ferrent ſuffragium. Illi igitur qui vel comitiis præerant, vel ſaltem qui erant candidati, quantum liquet ex Cicerone alicui ex amicis honoris cauſa primam prærogatiuæ tabulam deferebant, vt ille primus

Iure vocatæ.

Comitia centuriata.

Cẽturia prærogatiua ſorte legebatur.

in prærogatiua, atque adeò in totis comitiis ferret ſuffragium: vt voluiſſe videtur Manutius, licet in prærogatiuæ explicatione ceſpitarit: vel potiùs vt centuriæ prærogatiuæ præeſſet, videretque ne quid in ſuffragio ferendo fraudis obreperet, néve candidati tabulas & ſuffragiorum puncta clam ſubiicerent. poſt reditum in Senatu: *quem comitiis prærogatiuæ primum cuſtodem præfeceras.* Hæc igitur huiuſce loci videtur eſſe ſententia: Cùm omnes ordines obſequium mihi ſuum contra vim Clodianam deferrent, ad me nunquam te contuliſti, cui tamen tantùm tribuebas vt in tuis comitiis, quibus Conſul præeras, honoris cauſa primam tabulam prærogatiuæ centuriæ cuſtodiendam deferres. Iam vt de tributis comitiis & curiatis, atque adeò de tribu prærogatiua pauca dicamus, vereor primùm vt in Feſti verba ſuperiùs laudata vox *centuriæ*, vel in vacuum, vel in locum vocis *tribus* irrepſerit. cùm enim populus Romanus in quinque & triginta tribus eſſet diſtributus, quarum *Saburrana, Palatina, Eſquilina, Collina,* vrbanæ dicebantur, cæteræ ruſticanæ, ex iis videlicet ciuibus Romanis conflatæ, qui in agris colendis occupati candidatos facilè non cognoſcerent, ea mens videtur fuiſſe Varronis, vt tribus vrbanæ ideò prærogatiuæ dicerentur, quòd præ cæteris rogarentur ſuffragium, vt ruſtici Romani qui ignorarent petitores faciliùs animaduertere poſſent. & illo Tribuum vrbanarum præiudicio in candidatorum notitiam ducerentur. ſic Auſonius: *vrbanarum tribuum prærogatiua.* atque eas primas tribus etiam nominabant Piſo de Flauio Scriba: *eundem primæ tribus Ædilem curulem renuntiauerunt.* Ex quo emendes Plutarchi interpretem, qui in Catone Vticenſi. vbi dicitur, ὅτι πρώτη κληθεῖσα τῶν φυλῶν, vertit, *prærogatiua tribus.* quamquam in his omnibus lubricum eſt iter, nec video cuius veſtigiis tutò poſſim inſiſtere, immò nec me rem in his penitùs attigiſſe, niſi ſi Pædianus prærogatiuam tribum cum centuriæ prærogatiua confuderit. Nec diſtinctionem comitiorum tributorum & Curiatorum poſſum ſagaciùs indagare, odorabor veſtigia. In libro Lælij Felicis ad Q. Mutium primò ſcriptum fuiſſe tradit. Aul. Gellius lib. 15. cap. 26. Noct. Attic. *Cùm ex generibus omnium ſuffragium feratur curiata comitia eſſe: cùm ex cenſu & ætate, centuriata: cùm ex regionibus & locis tributa.* atque haud ſcio an eo Arnobius lib. 2. alluſerit, *militaria, vrbana, communia quæ ſint comitia ſcitis?* Vt per militaria centuriata, per vrbana tributa, per communia curiata intelligat. Certè probabilius duco vrbanorum nomine curiata comitia denotari, nam curiæ in vrbe fuerunt certis regionibus & locis à Romulo conſtitutæ, tribus pleræque in agris verſabantur, vt dictum eſt. Dionyſius lib. 2. Ῥωμύλος ἐν ἑκάστῃ τῶν τριάκοντα φρατριῶν ἱδρυσάμενος ἑστίαν ἐφ' ἧς ἔθυον οἱ φρατρεῖς συμπλόοις αὐτοῖς ἐπίνισε τοὺς τῶν κουριῶν ἡγεμόνας, &c. Feſtus rem explicabit: *Curiæ etiam nominantur in quibus vniuſcuiuſque partis populi Romani quid geritur. quales ſunt eæ in quas Romulus populum diſtribuit, numero triginta, vt in ſua quiſque curia ſacra publicè faceret, feriáſque obſeruaret.* Adeò vt Lælius Felix ita legendus eſſe videatur. *Cùm ex generibus omnium ſuffragium feratur tributa comitia eſſe.* Quòd ſcilicet non vrbani ſolùm, ſed etiam ruſtici nulla habita loci ratione, tributim & ex omni ciuium genere conuenirent, *cùm ex regionibus & locis curiata.* Id eſt cùm ex curiis ſiue locis in quaque vrbis regione ad ſacra facienda conſtitutis, curiatim vocarentur. Quamuis alicui videri poſſit pro curiatis militaria poſuiſſe. Furius Camillus apud Liuium lib. 5. *Comitia curiata, quæ rem militarem continent: centuriata quibus Conſules Tribunóſque militares creatis.* Sed longè alia mens fuit Camilli. nam comitia curiata ideò dicuntur rem militarem complecti, quòd plebs curiatim vocata ferret de bello inferendo ſedandóve ſuffragium: Cic. 2. Agraria. *Conſuli ſi legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet.* At vt & verbis Dionis vtar lib. 37. ἐν μόναις ταῖς κατὰ τοὺς λόχους ἐκκλησίαις, &c. πάντες οἱ τὰ ὅπλα ἔχοντες ἀνάγκην εἶχον ἐς αὐτὰς συνιέναι. *Solis centuriatis comitiis omnes qui arma ferebant, cogebantur intereſſe.* Aliam adfert Dionyſius lib. 8, inter curiata & tributa diſtinctionem, vbi de P. Volerone Tribuno plebis faciens mentionem: Συναγαγὼν τὸν δῆμον, inquit, εἰς ἐκκλησίαν, νόμον εἰσφέρει περὶ τῶν δημαρχικῶν ἀρχαιρεσιῶν, μετάγων αὐτὰς ἐκ τῆς φρατριακῆς ψηφοφορείας ἣν οἱ Ῥωμαῖοι κουριᾶτιν καλοῦσιν, ἐπὶ τὴν φυλετικήν. τίς δὲ τούτων διαφορὰ ἀρχαιρεσιῶν ἐγὼ σημανῶ. τὰς μὲν φρατριακὰς ψηφοφορείας ἔδει, προβουλευσαμένης τῆς βουλῆς, καὶ τοῦ πλήθους κατὰ φρατρίας τὰς ψήφους ἐπενέγκαντος, καὶ μετ' ἀμφότερα ταῦτα τῶν παρὰ δαιμονίου σημείων τε καὶ οἰωνῶν μηδὲν ἐναντιωθέντων τότε κυρίας εἶναι. τὰς δὲ φυλετικὰς μήτε προβουλεύματος γινομένου, μήτε τῶν ἱερῶν τε καὶ οἰωνοσκόπων ἐπιθεσπισάντων ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ τελεσθείσας ὑπὸ τῶν φυλετῶν τέλος ἔχειν. *Conuocans populum in concionem legem tulit de comitiis tribunitiis, ea transferens à curiatis comitiis ad tributa. Quæ verò ſit iſtorum inter ſe diſtinctio, oſtendam. oportebat vt ſuffragia curiatis tributis lata tum demum vim haberent, cùm & Senatus antè ſtatuiſſet, & populus fuiſſet in curias diſtributus, & auſpicia non prohiberent. Tributa verò vim habebant, licet nullum præceſſiſſet Senatus decretum, neque vllum fuiſſet augurum reſponſum vno die à tribulibus abſoluebantur.*

Prærogatiuã alicui deferre, quid?

Tribus prærogatiuæ.

Comitia curiata. Centuriata. Tributa. Militaria. Vrbana. Communia.

Curiæ.

Comitia curiata nonnunquam militaria.

AXIOMATA.

Hoc ipſum eſt ſcelus magiſtratum in publicis cladibus conniuere.

Qui ſibi nihil vnquam facere turpe eſſe ducunt, nec pati fœdum quicquam arbitrantur.

ARGVMENTVM.

Superiori paragrapho ſe à Piſone fuiſſe derelictum conqueſtus eſt, nunc oſtendit quàm improbam excuſationem ille ſuæ infidelitati prætenderit.

MIHI verò ipſi coram genero meo propinquo tuo, quæ dicere auſus es? egere, foris eſſe Gabinium: ſine prouincia ſtare non poſſe; ſpem habere à Tribunopleb. ſi tua conſilia cum illo coniunxiſſes: à Senatu quidem deſperaſſe: huius te cupiditati obſequi, ſicuti ego feciſſem in collega meo: nihil eſſe quod præſidium conſulum implorarem: ſibi quemque conſulere oportere. Atque hæc dicere vix audeo. vereor ne qui ſit, qui iſtius inſignem nequitiam frontis inuolutam integumentis nondum cernat. dicam tamen: ipſe certè agnoſcet, & cum aliquo dolore flagitiorum ſuorum recordabitur. XII.

EXPLANATIO.

GENERO MEO.] Piſone Craſſipede Tulliæ meæ marito.

EGERE FORIS ESSE GABINIVM.] Manutius legendum putat, *ægre conſiſtere poſſe Gabinium*, & congruit cum verbo *ſtare*, vt dicat: nunc quidem vix conſiſtit Gabinius: ſed niſi prouinciam habeat, ſine dubio corruet, ære ſcilicet alieno oppreſſus. Hæc ille: ſed cùm liberiorem eſſe coniecturam ipſe fateatur, alia explicatio tentanda eſt. *foris eſſe*, id eſt, eſſe in ære alieno, extra ſuos nummos, & quaſi extra rem familiarem conſtitutum. ſic alicubi Cicero: *At eum video non modò in ære alieno nullo, ſed etiam in ſuis nummis multum eſſe.* Alij ſic locutum Cic. putant, quòd debitores cùm à creditoribus conueniuntur, abdant ſe in latebras, & per ſeruos ſe foris eſſe reſpondeant.

SPEM HABERE.] Prouinciæ Publij Clodij Tribuniplebis, rogatione à populo Romano obtinendæ.

SI TVA CONSILIA.] Si cum ipſo Gabinio conſilia tua coniunxeris, ad prouinciam Clodij rogationibus impetrandam.

IN COLLEGA MEO.] C. Antonio, quem *cupidam prouinciæ, multa in Rep. molientem, patientia mea atque obſequio mitigaui.*

ATQVE HÆC DICERE VIX AVDEO.] Præmunitione vtitur, cauétque ne propter opinionem virtutis quam homines virtutis ſimulatione decepti de Piſone conceperant, fides orationi detrahatur. Frontis porrò integumenta vocat, & alibi frontis nubeculam illam affectatam ſeueritatis ſimulationem, qua nequitiam ſuam obtegebat, ſimilis illis

Qui Curios ſimulant & bacchanalia viuunt.

NOTÆ.

I. FORIS ESSE GABINIVM.] Interpretor non eſſe in ſuis nummis, ſed in ære alieno, quòd qui ſunt in ære alieno non poſſint facilè domi ſuæ conueniri, vt & illum lib. 4. ad Atticũ, ep. 16. locum intelligo: *Candidati Conſulares omnes rei ambitus: accedit etiam Gabinius, quem P. Sulla non dubitans quin foris eſſet, poſtularat.* Nihil tamen aſſero, quantumuis Ariſtophanes Acharnẽſibus huic interpretationi fauere videatur.

Foris eſſe, quid?

Οἷς ὑπ' ἐράνου τε καὶ χρεῶν πρῴην ποτὲ
Ὥσπερ ἀπόνιπτρον ἐκχέοντες ἑσπέρας,
Ἅπαντες ἐξίστων παρῄνουν οἱ φίλοι.
Quibus pro erano & debitis nuperrimè
Tanquam malluuium effundentes ad veſperam
Omnes vt cederent auctores erant amici.

Ὅτι, inquit interpres, αὐτοῖς οἱ φίλοι χθὲς καὶ πρῴην συνεβούλευον καταχρέοις οὖσιν, ὑπό τ' ἐράνων καὶ ὀφλημάτων ἐξίστασθαι τῆς οὐσίας, ὡς μὴ δυναμένοις ἀποδοῦναι. *Quoniam amici heri & mane auctores fuerant debitoribus, vt præ magnitudine æris alieni ſuis bonis cederent, vt qui non eſſent ſoluendo.* Eodem ſenſu, vt quidam legunt & interpretantur, Vlpianus D. De euictionibus debitores veſpertiliones appellat, quòd veſpertilionum inſtar interdiu domum ſe abſtrudant, noctúque duntaxat compareãt. Vide Notas noſtras in Sextianam. §. 28. *Non minùs perturbato animo atque vultu quàm ſi paucis antè annis in creditorum manus incidiſſet.* & in Cœlianam 42. *Ne fœnore trucidetur.* Adde tantùm quòd propter hoc mentiendi, renuntiandíque ſe domi non eſſe periculum, vt auctor eſt Herodotus libro 1. de Perſarum moribus diſſerens: Αἴσχιστον αὐτοῖσι τὸ ψεύδεσθαι νενόμισται. δεύτερα δὲ τὸ ὀφείλειν χρέος, πολλῶν μὲν καὶ ἄλλων εἵνεκα, μάλιστα δὲ ἀναγκαίην φασὶ εἶναι τὸν ὀφείλοντα καί τι ψεῦδος λέγειν. *Apud eos omniũ fœdiſſimum putatur mentiri, ſecundo loco eſſe in ære alieno. tum ob alias cauſſas, tum maximè quod aiunt, ei qui debet mentiendi neceſſitatẽ incumbere.*

Obærati veſpertiliones.

Obærati mendaces.

II. A SENATV.] Cuius erat decernere quænam eſſent in ſequentem annum futuræ prouinciæ Conſulares lege Semproniâ. vide orat. de Prouinc. Conſ.

III. FRONTIS INTEGVMENTIS.] Vide quæ infrà dicentur de Piſonis ſupercilio, §. 14. de frontis nubecula 20. de Piſonis ſimulatione pro Sextio 22. poſt reditum & alibi ſæpe. Porrò Piſonem magna exiſtimatione fuiſſe apud homines tum ipſe Cicero fatetur, tum delata paulò pòſt ei cenſura teſtatur, tum eum à ſplendore vitæ commendat. Appianus libro 3. ciuilium. ἀνὴρ ἐν τοῖς μάλιστα ἐπιφανής, *vir cumprimis illuſtris.* Item: Πείσωνος αὐτοῦ παρελθόντος ἥ τ' ἄλλη βουλὴ κατ' αἰδῶ τοῦ ἀνδρὸς ἡσύχασε, &c. *Ipſo Piſone prodeunte tum reliquus ſenatus viri reuerentiâ conquieuit.*

Piſonis vita ſplendida.

IV. FLAGITIORVM.] Auguſtinus 3. de doctrina Chriſtiana, cap. 10. *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe atque proximo propter Deum. cupiditatem autem motum animi ad fruendum ſe & proximo & quo-*

Flagitium.

libet corpore non propter Deum, quod autem agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum & corpus ſuum, flagitium vocatur. quod autem agit, vt alteri noceat, facinus dicitur. & hæc ſunt duo genera omnium peccatorum, ſed flagitia priora ſunt. quæ cùm exanimauerint animum, & ad quandam egeſtatem perduxerint, ad facinora proſilitur, quibus remoueantur impedimenta flagitiorum, aut adiumenta quærantur. Atque hæc fuit cauſſa cur Noſter priùs flagitiorum quàm facinorum faciat mentionem, poſteà de egeſtate animi, proditione Reip. ad prouinciam obtinendam, reliquiſque facinoribus orationem habiturus.

AXIOMATA.

Sibi quemque conſulere oportet.
Multorum nequitia frontis integumentis eſt inuoluta.

ARGVMENTVM.

Piſoni reuocat in memoriam quomodo Conſul temulentus ex popina quadam prodierit, & quàm improbè ipſi Ciceroni contra vim tribunitiam auxilium à Conſule flagitanti reſponderit.

XIII. MEMINISTINE, cœnum, cùm ad te quinta fere hora cum C. Piſone veniſſem, neſcio quo è gurguſtio te prodire, inuoluto capite, ſoleatum? & cum iſto ore fœtido teterrimam nobis popinam inhalaſſes, excuſatione te vti valetudinis, quod diceres vinolentis te quibuſdam medicaminibus ſolere curari? quàm nos cauſſam cùm accepiſſemus (quid enim facere poteramus?) pauliſper ſtetimus in illo ganearum tuarum nidore, atque fumo: vnde tu nos cùm improbiſsimè reſpondendo, tum turpiſsimè eructando eiecisti.

EXPLANATIO.

MEMINISTINE.] Ipſius conſcientiam teſtatur, vt tanto plus momenti habeat oratio.

COENVM.] Homo tam lutulente, & in tam ſordidis vitiis toto corpore volutate, vt non tam cœnoſus & ſordidus quàm ipſum cœnum dicendus eſſe videaris.

QVINTA FERE HORA.] Quatuor horis antequam alij ſoleant menſis accumbere.

CVM C. PISONE.] Craſſipede, genero meo, tuo propinquo.

NESCIO QVO E GVRGVSTIO.] Eneſcio qua caupona anguſta & obſcura. Feſtus: *Gurguſtium genus habitationis anguſtum à gurgulione dictum.* Gloſſæ *gurguſtium* οἰκημάτιον βραχύ.

INVOLVTO CAPITE, SOLEATVM.] Vtrumque dicit tanquam à Romanis moribus alienum, neque enim caput niſi tempore pluuio ſolebant inuoluere neque ſoleis, ſed calceis niſi tempore conuiuiorum vti conſueerant. vide Notas.

ISTO ORE FOETIDO.] Quod iam dentium putrefactione ſatis fœtidum eſt, etiamſi ex vino & crapula fœtor alius non acceſſerit.

POPINAM.] Teterrimum odorem in popina contractum.

IN ILLO GANEARVM TVARVM NIDORE.] In illo nidore quem ex ganeo prodiens inhalabas. Feſtus: *Ganeum antiqui locum abditum ac velut ſub terra dixerunt.*

NIDORE.] Carnium quas ructabas.

FVMO.] Vini quod in ſtomachum ingurgitaras.]

NOTÆ.

I. COENVM.] Abſtractum loco concreti ſæpiſſimè. Lepidè Martialis:

Mentitur qui te vitioſum Zoile dicit
Non vitioſus homo es Zoile, ſed vitium.

QVINTA FERE HORA.] Ante ſolitum. notum eſt illud Martialis: II. Hora comedendi.

Imperat extructos frangere nona thoros.

Iuuenalis:

Exul ab octaua Marius bibit, & fruitur Diis
Iratis.

Sed ne te morer in expedito, vide Interpretes locis citatis, & nos Philipp. 2. §. 65.

INVOLVTO CAPITE.] Solebant libidini & popinis vacaturi caput inuoluere. Suetonius in Nerone cap. 26. *Poſt crepuſculum ſtatim arrepto pileo vel galero popinas inibat.* Iulius Cap. in Vero: *Vt vagaretur nocte per tabernas ac lupanaria, obtecto capite, cucullione vulgari viatorio.* Horatius lib. 2. ſat. 7. III. Caput inuolutum ad libidinem.

Turpis odoratum caput obſcurante lacerna.

Iuuenalis:

Tempora Santonico velas adoperta cucullo.

Plautus in captiuis act. 3. ſc. 1. quendam ſuorum temporum mores carpentem inducit.

Ipſi de foro tam aperto capite ad lenones eunt,
In tribu quàm aperto capite ſontes condemnant
reos.

Et alij ſæpe. An igitur aliàs caput non obtegebant? libet ex Lipſio de amphitheatro cap. 18. pauca decerpere. vbi probauit aperto capite fuiſſe Romanos, *conuiua*, inquit, *fuiſſe videntur pileati.* Horatius ſuſpicionem clarè facit:

Vt vinoſa glomos furtiua Pyrrhia lanæ Conuiuæ pileati.
Vt cum pileolo ſoleas conuiua tribulis.

Nam habitum conuiualem attribuere illi neſcio cui videtur, ſoleas & pileum. Itaque vetus ibi interpres, néve ſic ſuffarcinatus eas vt vnus de tribu qui ad cœnam vadens, ipſe ſibi ſoleas fert cum pileolo. Larenſius apud Athenæum libro ſexto dilaudans ſuos Romanos: Ἐσθῆτας δ᾽ εἴχομεν καὶ ὑποδέσεις εὐτελεῖς, πίλους τε ταῖς κεφαλαῖς περικείμεθα προβατίων δερμάτων δασεῖς. *Veſtes*

etiam habemus & calceatus frugi ac ſimplices, & pileos capitibus circumponimus ex ouium pellibus denſos ac villoſos. Quod de menſalibus pileis videtur capiendum. Addé quod *Saturnalibus optimis dierum*, vt ait ille, qui dies erant epulis deſtinati, non ſolùm ſyntheſes & veſtes conuiuales vſurpabant. Seneca epiſt. 18. *Quod fieri niſi in tumultu & triſti tempore ciuitatis non ſolebat voluptatis cauſa, & feſtorum dierum veſtem mutamus.* Sed etiam ad eadem conuiuia caput pileis obtegebant. Martialis lib. 10. epig. 7.

In Saturnalibus pileati.

Vnctis falciferi ſenis diebus
Regnator quibus imperat fritillus
Verſu ludere non laborioſo
Permittis puto pileata Roma.

Et lib. 14. epig. 1.

Syntheſibus dum gaudet eques, dominúſque Senatus
Dúmque decent noſtrum pilea ſumpta Iouem.

Lacinia togæ in caput reiecta mollitiem ſignificat.

Verùm quod ait Noſter *capite inuoluto*, id non tam de pileo quàm de togæ palliive Græcanici lacinia in caput reiecta, qua Piſo caput obnubebat, debet intelligi. quæ res ſuſpicionem luxus non mediocrem adferebat. Seneca de Mæcenate epiſt. 115. *Hunc eſſe qui in Tribunali, in roſtris, in omni publico cœtu ſic apparuerit, vt pallio velaretur caput, excluſis vtrimque auribus, non aliter quàm in mimo diuite fugitiui ſolent.* Qui accumbentium ritus erat. Plutarchus in Pompeio de Demetrio ipſius liberto: Λέγεται ὅτι πολλάκις ἐν ταῖς ὑποδοχαῖς τοῦ Πομπηίου προσμένοντος καὶ δεχομένου τοὺς ἄλλους ἐκεῖνος ἤδη κατέκειτο σοβαρῶς ἔχων δι' ὤτων κατὰ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον. *In Pompeij conuiuiis, cùm Pompeius expectaret, & conuiuas exciperet, frequenter ille iam accumbere ſolitus fertur, cum magno faſtu veſtem habens per caput ad aures adductam.* Nota particulam ἤδη, qua notatur Demetrius, non quòd accumbens veſte caput inuolueret, ſed quòd Pompeium ipſum in eo præueniret. Petronius deſcribens accubitum Trimalcionis hominis molliſſimi: *Pallio*, inquit, *coccino adraſum incluſerat caput, circáque oneratas veſte ceruices laticlauiam immiſerat mappam fimbriis hinc atque illinc pendentibus.* Ad eandem mollitiem trahit vir ille doctiſſimus eum Plauti verſum:

Tum iſti Græci palliati, capite operto qui ambulant.

Huc etiam trahi poſſit illud Philipp. 2. 65. *Delituit in quadam cauponula, atque ibi ſe occultans perpotauit ad veſperam: inde ciſio celeriter ad vrbem aduectus, domum venit capite inuoluto.* Eo ſcilicet habitu quo in popina potauerat. Plinius Iunior epiſt. 12. lib. 3. *Veniam ad cœnam, ſed iam nunc paciſcor ſic expedita, ſic parca: Socraticis tantum ſermonibus abundet, in his quoque teneat modum. erunt officia antelucana, in quæ incidere impune, ne Catoni quidem licuit: quem tamen C. Cæſar ita reprehendit, vt laudet. deſcribit enim eos quibus obuius fuerat, cùm caput ebrij retexiſſent, erubuiſſe. deinde adiicit. Putares non ab illis Catonem, ſed illos à Catone deprehenſos. potuítne plus auctoritatis tribui Catoni, quàm ſi ebrius quoque tam venerabilis erat?* Hæc ille. Cæterùm è dictis libenter emendauerim Afranium, apud Nonnium, itáque legerim:

Quis tu es ventoſo in loco
Soleatus, intempeſta nocte, ſub diuo
Operto capite ſilices cùm findat gelus

Operto, inquam, non vt legitur, *aperto*.

SOLEATVM.] Gellius lib. 13. cap. 20. *Omnia fere id genus quibus plantarum calces tantùm infimè teguntur, cætera prope nuda & teretibus habenis vincta ſunt, ſoleas dixerunt, nonnunquam voce Græca crepidulas.* Vbi ſoleas eaſdem cum gallicis fuiſſe teſtatur. vide 2. Philipp. 65. apud Feſtum ex Verrio: *Solea ea quæ ſolo pedis ſubiicitur.* Soleis autem vti fuit indecorum, quod etiam Verri 7. Verrina probro obiectum eſt. *Stetit ſoleatus Prætor populi Romani, cum pallio purpureo tunicáque talari muliercula nixus in littore. Iam hoc ipſo iſtum veſtitu Siculi ciuéſque Romani permulti ſæpè viderunt.* Sic & Scipio apud Liuium decad. 3. lib. 9. in mollitiei ſuſpicionem vocatus eſt, cùm in Sicilia *cum pallio crepidulíſque inambulare* diceretur. Titus Caſtritius apud Gellium loco citato: *Soleatos tamen vos populi Romani Senatores per vrbis vias ingredi nequaquam decorum eſt.* Nec mirum, meretricibus enim frequens fuit vſus ſolearum. Iuuenalis Sat. 6. de ea quæ virum amore dementauerat:

IV. Solea

Soleis vti indecorum.

Solea meretricum.

Et ſoleâ pulſare nates.-

Perſius:

-Soleâ puer obiurgabere rubrâ.

Solea verberare.

Lucianus in Deorum colloquiis Æſculapium ita Herculi loquentem inducit: Οὔτ' ἔξαινον ἔρια ἐν Λυδίᾳ, πορφυρίδα ἐνδεδυκὼς, καὶ παιόμενος ὑπὸ τῆς Ὀμφάλης χρυσῷ σανδάλῳ. *Neque lanas in Lydia carminaui purpura indutus, & caſus ab Omphale aureo ſandalio.* Adde quòd cōuiuantium habitu prodire fuit indecorum. & ſolearum vſus in conuiuiis, vt iam ex Horatio ſuprà oſtenſum eſt:

Soleati ad conuiuia veniebant.

Vt cum pileolo ſoleas conuiua tribulis.

Interpres: *Ad cœnam vadens ipſe ſibi ſoleas fert cum pileolo.* Non autem, cum calceis, ſed cum ſoleis itabant ad conuiuia, vt ante accubitum faciliùs eas deponerent. nam Horatius Sat. vltima Naſidienum de cœna ſurgentem deſcribens: *Et ſoleas poſcit*, inquit. Plinius Iunior de conuiuiis loquens, *Quàm multi cùm lector aut lyriſtes, aut comœdus inductus eſt, calceos poſcunt, aut non minori cum tædio recubant, quàm tu iſta (ſic enim appellas) prodigia perpeſſus es.* Sic epiſt. 17. lib. 9. vbi calceum cum ſolea videtur confundere. Nec aliam ob cauſſam factum puto, vt Demonides teſte Plutarcho de audiendis Poëtis aut Dromion, vt auctor eſt Athenæus lib. 8. in conuiuio crepidulas ſuas amiſerit: Ἀριστόδημός φησι Δρωμίωνος τοῦ κρουματοποιοῦ κυλλόποδος ὄντος, ἀπώλετο ἐν τῷ συμποσίῳ τοῦ ποδὸς χωλοῦ τὸ βλαυτίον. καὶ ὅς οὐδὲν, ἔφη, πλεῖον καταράσομαι τῷ κλέψαντι ἢ ἁρμόσαι αὐτῷ τὸ σανδάλιον. *Dromion cantor loripes, vt refert Ariſtodemus, in conuiuio crepidam diſtorti pedis amiſerat, & nihil, inquit, ei qui furatus eſt deteriùs imprecabor, quàm vt conueniat ipſi ſandalium.* id eſt, ſolea, vt iam vidimus ex Luciano. Martialis clariſſimè lib. 4. epig. 50.

Hæc tibi non alia eſt ad cœnam cauſſa vocandi
Verſiculos recites vt Ligurine tuos.
Depoſui ſoleas, affertur protinus ingens
Inter lactucas oxygarúmque liber, &c.

Et lib. 8. epig. de luſco furace conuiua:

Si nihil inuaſit, puerum tunc arte doloſa
Circuit, & ſoleas ſurripit ipſe ſuas.

Puerum videlicet qui accumbentium ſoleas aſſeruabat. Soleas enim ſumebant vt è balneis ad

triclinium ſe conferrent. idem lib. 12. ep. 84.

Et ſi iam lotus, iam ſoleatus erit.

Lepidum eſt & illud eodem libro ep. 89.

Bis Cotta ſoleas perdidiſſe ſe queſtus
Dum negligentem ducit ad pedes vernam,
Qui ſolus inopi præſtat & facit turbam:
Excogitauit homo ſagax & aſtutus
Ne facere poſſet tale ſæpiùs damnum
Excalceatus ire cœpit ad cœnam.

Plautus in Truculento:

Iam redit animus, deme ſoleas, cedo vinum.

Item:

Cedo ſoleas mihi, properate, auferte menſam.

Vibius Rufus apud Senecam controuerſia 25. de Flaminio: *Prætor ad occidendum hominem ſoleas popoſcit.* Eas autem, vt notat Ramires de Prado, in triclinio deponebant, ne lectos conſpurcarent. Terentius in Heautontimorumeno act. 1. ſc. 1. *Accurrunt ſerui, ſoccos detrahunt, video alios feſtinare, lectos ſternere, cœnam apparare.* Quamuis alia potuit hîc eſſe ponendarum ſolearum occaſio, vt ſcilicet de more Athenien-

Vngebantur pedes conuiuantium. ſium, vbi hæc acta finguntur, epulantis pedes vngerentur. Athenæus lib. 12. Ἔθος δ' ἦν Ἀθήνησιν καὶ τοὺς πόδας τῶν τρυφώντων ἐναλείφειν μύροις. *Erat in Athenienſium more poſitum, vt pedes delicatiorum vnguentis vngerentur.* De Iudæis id vel ex Euangelio conſtat, licet ſeriùs ad Romanos ea conſuetudo manauerit. Plinius lib. 13. cap. 3. *Vidimus etiam veſtigia pedum tingi, quod Othonem monſtraſſe principi Neroni ferebant.*

V. Popina. POPINAM.] Popinæ, ganeæ, gurguſtia idem penè ſignificant, loca videlicet obſcura & anguſta, in quibus homines ebrietati vacantes deliteſcunt. Adrianus Imperator apud Spartianum, *Floro Poëtæ ſcribenti ad ſe:*

Ego nolo Cæſar eſſe
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

Reſcripſit:

Ego nolo Florus eſſe
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas
Pulices pati rotundos.

Capitolinus in Vero: *Tantæ luxuriæ fuiſſe dicitur, vt etiam poſt ea quàm de Syria rediit, popinam domi inſtitueret, ad quam poſt conuiuium Marci diuertebat, miniſtrantibus ſibi omni genere turpium perſonarum.* Vide ſecundam Philippicam §. 59. *Pro tricliniis popinæ ſunt.* Hîc tamen ſumitur μετωνυμικῶς, vt explicauimus.

VI. Ægroti pileati. EXCVSATIONE TE VTI VALETVDINIS.] Bene. nam & valetudine plurimùm vtebatur infirma, τά τε γὰρ πολλὰ ἠρρώστει. vt auctor eſt Dio, & caput inuoluere ægrotos haud quaquam dedecebat. Suetonius in Auguſto: *Solis ne hyberni quidem patiens domi quoque non niſi petaſatus ſub diuo ſpatiabatur.* Ouidius:

Arguat & macies animum: nec turpe putaris
Pileolum nitidis impoſuiſſe comis.

Eò trahit Artemidorum Lipſius libro 1. Ἔρια ἀντὶ τριχῶν ἔχειν νόσους μακρὰς, καὶ φθίσιν προαγορεύει. *Lanam pro capillis habere longos morbos & tabem ſignificat.* nimirum quia pileoli iſti è lana. Plato 3. de Republ. Ἐὰν δέ τις αὐτῷ μακρὰν δίαιταν προστάττῃ, πιλίδιά τε περὶ τὴν κεφαλὴν περιτιθείς. *Si verò quis ſibi ipſi longam diætam imperarit, pileolo caput tegens.* Lucianus in Lexiphane: Ἴστε γὰρ ὡς ὀδυνῶμαι, καὶ διεμπιλον ἔχω τὴν κεφαλήν. *Noſtis vt doleam, & caput habeam pileatum.* Quibus etiam fas erat vti palliolis ad caput obtegendum. Suetonius in Claudio cap. 2. *Ob valetudinem gladiatorio munere palliolatus præſedit.* Quintilianus lib. 11. *Palliolum ſicut faſcias & focalia ſol[illegible] excuſare poteſt valetudo.* Seneca: *Videbis qu[illegible] am graciles, & palliolo focalíque circundatos, pallentes & ægros.* Ægroti palliati.

VII. Medicina ex vino. VINOLENTIS TE QVIBVSDAM MEDICAMINIBVS.] Notum eſt illud Plinij lib. 22. cap. 24. *Pollio Romulus ab Auguſto rogatus qua arte ad centum annos & vltra vegetus perueniſſet, reſpondit, Intus mulſo, foris oleo.* Vidi ego, qui cùm eandem ætatem attigiſſet, dicebat duobus ſe viuum fuiſſe remediis, altero vt nulla medicina, altero vt vino meraciſſimo ſemper vteretur: Παρὰ δὲ Λοκροῖς τοῖς Ἐπιζεφυρίοις, inquit Athenæus lib. 10. εἴ τις ἄκρατον ἔπιε μὴ προστάξαντος ἰατροῦ θεραπείας ἕνεκα θάνατος ἦν ἡ ζημία Ζαλεύκου τὸν νόμον θέντος. *Apud Locrenſes Epizephyrios, ſi quis medico non imperante merum bibiſſet, lege Zaleuci morte plectebatur.*

VIII. Ganeæ. GANEARVM.] Plautus in Menæchmis ſcena *Nimis ſtultè.*

Immerſit aliquo ſeſe credo in ganeum.

Terentius in Adelphis, &c.

Vbi illum quæram? credo abductum in ganeum
Aliquò.

Vbi Donatus: *Veteres ganeum meretricum tabernam dixerunt,* ἀπὸ τοῦ γᾶς τοῦτ' ἐστι τῆς γῆς: *quòd ea ſint in terra ſiue ſub terra. non, vt cœnacula, ſuprà.* Nonius laudat Varronem Sexquiulyſſe:

Qui ſe ſe in ganeum accenſum coniecit amicæ.

Hinc, opinor, vetus gloſſarium *ganit*, λαγνεύει. &, *ganeo*, λιχνὸς, καταφαγὰς, λωποδύτης, λιμβὸς, λαιμαργὸς, vbi ni fallor per λίμβον, ſubterraneum locum intelligit. Sic *limbum puerorum, limbum patrum* nominamus.

AXIOMA.

Nonnunquam ab improbis quæuis excuſatio accipienda eſt, ſi nihil aliud facere poſſimus.

ARGVMENTVM.

Piſo à Clodio productus in concionem, vt ſignificaret populo ſuam ſententiam de Conſulatu Ciceronis, crudelitatem ſibi non placere, reſponderat. inuidiam quæ Ciceroni quærebatur hac reſponſione, oſtendit Orator non tam ad ſe quàm ad Senatum pertinere.

XIV. ITEM illo fere biduo productus in concionem ab eo, cui ſic æqui tum præbebas Conſulatum tuum, cùm eſſes interrogatus, quid ſentires de Conſulatu meo, grauis auctor, Calatinus credo aliquis, aut

Africanus, aut Maximus, & non Ceſoninus ſemiplacentinus Caluentius, reſpondes, altero ad frontem ſublato, altero ad mentum depreſſo ſupercilio, crudelitatem tibi non placere. Hîc te ille homo digniſſimus tuis laudibus collaudauit. Crudelitatis tu, furcifer, Senatum Conſul in concione condemnas? non enim me qui Senatui parui, nam delatio illa ſalutaris, & diligens fuerat Conſulis: animaduerſio quidem, & iudicium, Senatus: quæ cùm reprehendis, oſtendis, qualis tu, ſi ita fortè accidiſſet, fueris illo tempore Conſul futurus; ſtipendio, mehercule, & frumento Catilinam eſſe putaſſes iuuandum.

EXPLANATIO.

IDEM.] Tu idem Piſo biduo poſtquam mihi tam improbè reſponderas, productus in concionem à Clodio, cui ad vexandam Rempubl. totam tui Conſulatûs vim poteſtatémque tribuebas, vt æqualis tibi in poteſtate videretur cùm eſſes interrogatus, &c.

GRAVIS AVCTOR.] Per ironiam eum cum grauiſſimis viris Attilio Calatino, Scipione Africano, Fabio Maximo confert, quod morum ſeueritatem oſtentans nequitiam ſuam ſuperciliorum contractione & frontis integumentis inuolueret.

ALTERO AD FRONTEM.] Feſtiua hyperbole ſimulatam Piſonis ſeueritatem irridet, à ſuperciliis adductis eum deſcribens, quod ſeueritas & grauitas in iis ſedem habere videatur.

ET NON CÆSONINVS.] Cæſonius patris L. Piſonis cognomen eſt. vide Aſconium. quod fortaſſe cognomen hîc vſurpat quo Cæſoniorum aliquis ſuis maleficiis & turpitudine vitæ Calpurniæ genti labem aſperſerit.

SEMIPLACENTIVS CALVENTINVS.] Sic ab auo materno qui præco fuerat Placentiæ, nominatur. Semiplacentinum autem non Placentinum appellat, quia paterno genere Romanus fuit, materno Placentinus. Iuxtà auum Piſonis Gallum fuiſſe oſtendit, quia Caluentius ex Gallia trans Alpes profectus Placentiæ conſederat.

CRVDELITATEM.] Qua aduerſus coniuratos, Cethegum, Lentulum & alios in carcere iugulatos vſus fueram in meo Conſulatu.

HIC TE.] P. Clodius, *digniſſimus à quo tu laudareris* (ait Manutius) *nam vt rectè laudatur vir præſtans à laudato viro, ſic contrà improbus ab improbo: vt paria paribus reſpondeant.* poſſit etiam ſic intelligi. Digniſſimus qui à te laudetur, cui maiorem infamiam non poſſum imprecari, quàm vt tu eum viciſſim laudes, & quod dicitur, ſcabant mutua muli, vt enim bonorum laudes honori ſunt, ſic contra laudes improborum ſunt infamiæ.

CRVDELITATIS.] Nota ſingulorum verborum energiam. Primò ſenſum vno membro concludit, vt vibratior contorqueatur oratio. furciferum appellat, vel tanquam omni ſupplicio mactandum propter improbitatem, vel tanquam ſeruum, & Syrum neſcio quem, propter indolis & materni generis indignitatem. vel hac vna voce epichirema concludit. quaſi diceret:

Qui Senatum Conſul in concione condemnat, hic omni ſupplicio mactandus eſt.
Sed tu Senatum Conſul in concione condemnas.
Ergo omni ſupplicio mactandus es.

ait *condemnas*, non ſolùm accuſas, quod eſt indigniſſimum vt indicta cauſſa damnetur. *Senatum*, qui eſt ordo ampliſſimus. *Conſul*, cuius eſt tum Reipub. paci & tranquillitati, tum vel maximè dignitati & ſplendori Senatûs prouidere. *In concione*, quæ & facilè poteſt ad ſeditionem concitari, & apud quam ſumma eſſe debet Senatûs auctoritas. condemnas, neque quouis crimine, ſed *crudelitatis*, à qua maximè Senatus debet eſſe alienus, cùm Patres à pietate & clementia nomen acceperint.

NON ENIM ME.] Non in me, ſed in Senatum redundat hæc infamia crudelitatis, quam mihi volebas aſpergere.

QVI SENATVI PARVI.] Qui Senatus voluntatem ſum executus, iubentis vt coniurati de medio tollerentur.

NAM RELATIO.] Oſtendit ſe tantummodo Senatui paruiſſe: Ego Conſul legatos Allobrogum cum litteris Cethegi, Lentuli & aliorum coniuratorum deduxi ad Senatum: Senatus autem in coniuratos animaduertit, eóſque iuſſit in carcere fractis ceruicibus iugulari.

QVÆ CVM.] Grauiter perſtringit Piſonem, quaſi fuiſſet ille Rempubl. proditurus, & arrepta occaſione ad comparationem Piſonis & Catilinæ delabitur.

NOTÆ.

PRODVCTVS IN CONCIONEM.] Vide §. 24. in Vatinium. in hæc verba, *Auctoritatis exquirendæ cauſſâ.* Nonnius: *Producere foras ducere. Lucilius lib. xxx.* I. Producere in concionem.

Producunt me ad te, tibi me hæc oſtendere cogunt.

GRAVIS AVCTOR.] Demoſth. orat. de coronâ: Εἰ γὰρ Αἰακὸς ἢ Ῥαδάμανθυς, ἢ Μίνως ἦν ὁ κατηγορῶν, ἀλλὰ μὴ σπερμολόγος, περίτριμμα ἀγορᾶς, ὄλεθρος γραμματεὺς, οὐκ ἂν αὐτὸν οἶμαι τοιαῦτ᾽ εἰπεῖν, οὐδ᾽ ἂν οὕτως ἐπαχθεῖς λόγους ποιήσασθαι, ὥσπερ ἐν τραγῳδίᾳ βοῶντα, ὦ γῆ, καὶ ἥλιε, καὶ ἀρετὴ, καὶ τὰ τοιαῦτα. *Si enim Æacus aut Rhadamanthus, aut Minos eſſet accuſator, & non ſeminiuerbius, rabula fori, furcifer ſcriba, non eum arbitror talia fuiſſe dicturum: neque verba tam odioſa facturum, tanquam in tragœdiâ clamantem, ô terra, ô ſol, & virtus, & alia eiuſmodi.* Hæc præ oculis habuit Noſter & pro Æaco, Minoë, Rhadamantho, Calatinum, Africanum, Maximum poſuit, pro ſeminiuerbio, rabulâ fori, furcifero ſcribâ, Cæſoninum, Semiplacentinum, Caluentium, commodiùs vt opinor. Superat etiam Noſter feſtiuâ il- II.

la & hyberbolicâ hypotypoſi de ſupercilio Piſonis, & ironia neſcio quem addit orationi leporem.

III. Calatinvs.] Noſter de ſenectute: *Apex autem ſenectutis auctoritas. Quanta fuit in Luc. Cecilio Metello? Quanta in Calatino, in quem illud elogium* Vno ore cvi plvrimæ conſentivnt gentes popvli primarivm fvisse virvm. *Notum eſt totum eius carmen inciſum in ſepulchro. Iure igitur grauis de cuius laudibus omnium eſſet fama conſentiens.* Eadem lib. 2. de finibus exeunte. Hunc opinor Calatinum intelligit, cuius paupertatem Valerius ita commendat libro 4. cap. 4. *Illæ ruſtico opere attritæ manus, ſalutem publicam ſtabilierunt: ingentéſque hoſtium copias peſſundederunt: quæque modò boum iugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt: nec fuit iis rubor eburneo ſcipione depoſito agreſtem ſtiuam aratri repetere.* Cuius quanta fuerit auctoritas in dicenda ſententia, conſtat ex eo quod *Luctatius Conſul & Qu. Valerius Prætor*, qui, *circa Siciliam inſignem Pœnorum claſſem deleuerant*, de triumphi iure diſſiderent. *Iudex inter eos conuenit Attilius Calatinus.* qui ita iudicauit, *Itaque Luctati, quamuis adhuc tacueris ſecundum te litem do. magnificus Iudex. quòd in manifeſto negotio tempus teri paſſus non eſt.* Idem Valerius libro 2. cap. 1. conſulatur.

Calatini auctoritas.

IV. Avt Africanvs.] Vtriuſque magna extitit auctoritas in concione. Superioris, vt cùm reus factus à roſtris ad Capitolium adſcendit, omni populo comitante. Liuius decad. 4. lib. 8. *Nec alius antea quiſquam, nec ille ipſe Scipio Conſul Cenſórve maiore omnis generis frequentia, quàm reus illo die in forum eſt deductus*, &c. vide planiſſimè. & cùm *librum rationis eius, cùm Lucium fratrem adferre iuſſiſſet, inſpectante Senatu, ſuis ipſe manibus concerpſit, indignans quod cùm bis millies in ærarium intuliſſet, quadragies ratio abs ſe poſceretur.* Ibidem. vide. Minoris Africani auctoritas enituit, cùm, vt dicitur pro Milone 8. *A C. Carbone Tribunoplebis in concione ſeditioſè interrogatus, quid de Tiberij Gracchi morte ſentiret, reſpondit, iure cæſum videri.* Idem populum reſponſi libertate tumultuantem, qua auctoritate compeſcuit? Valerius libro 6. cap. 2. *Cui dicto cùm concio tribunitio furore inſtincta violenter ſucclamaſſet: Taceant, inquit, quibus Italia nouerca eſt. Orto deinde murmure: Non efficietis, ait, vt ſolutos verear, quos alligatos adduxi. Vniuerſus populus iterum ab vno contumelioſè correptus erat. Quantus eſt honos virtutis? tacuit actutùm*, &c.

Vtriuſque Africani auctoritas.

V. Avt Maximvs.] Cuius tanta fuit auctoritas apud populum, vt de eo narret Valerius libro 8. cap. 1. *L. Attilium Calatinum Soranorum oppidi proditione reum, admodum infamem imminentis damnationis periculo, Qu. Maximi ſoceri paucà verba ſubtraxerunt, quibus affirmauit, ſi in eo crimine, ſontem illum ipſe comperiſſet, dirempturum ſe fuiſſe affinitatem. continuò enim populus, penè iam exploratam ſententiam ſuam vnius iudicio conceſſit.* Atque non eſſe eundem Calatinum facilè crediderim, cuius modò fiebat mentio: quamuis eodem penè tempore floruiſſe videantur. Cicero de Senectute: *Quid de Paulo aut Africano loquar, aut vt iam antè de Maximo? quorum non in ſententia ſolùm, ſed etiam in nutu reſidebat auctoritas?*

Maximi apud populum auctoritas.

VI. Svpercilio.] Non ſemel in Piſonis ſupercilium iocatus eſt. Poſt reditum in Senatu, *Luci Piſo, túne auſus es iſto oculo, non dicam iſto animo: iſta fronte, non vita: iſto ſupercilio: non enim poſſum dicere tantis rebus geſtis cum Gabinio conſociare conſilia peſtis meæ?* Et pro Sextio 19. *Nam quid ego de ſupercilio dicam? quod tum hominibus, non ſupercilium, ſed pignus Reipub. videbatur? tanta erat grauitas in oculo, tanta frontis contractio, vt illo ſupercilio Reſp. tanquam Athlante cœlum niti videretur.* Quintilianus lib. 1. inſtit. cap. 9. *Vidi multos quorum ſupercilia ad ſingulos vocis conatus alleuarentur: aliorum conſtricta: aliorum etiam diſſidentia, cum altero in verticem tenderent, altero penè oculus ipſe premeretur.* imitari voluit & Ammianus lib. 20. *Supercilia erigentem vt cornua, & de tragico, quod aiunt, cothurno ſtrepentem.* Sed quàm aduerſis Gratiis ſi cum Tullij veneribus conferatur. nec abs re ſanè: nam ſeueritas, auctoritas, grauitas, maieſtas ſedem habent in oculo, fronte, ſupercilio collocatam. inde Homerus 1. Iliad. Iouis maieſtatem à ſupercilio videtur deſcribere:

Piſonis ſupercilium.

> Ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.
> Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος
> Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο· μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.
> *Hæc vbi diuino fudit Saturnius ore*
> *Dicta, ſuperciliis & maieſtate verenda*
> *Cæſariem quaſſans nutu tremefecit Olympum.*

Supercilium ſedes grauitatis & maieſtatis.

Poſt quem Horatius:

> *Reges in ipſos imperium eſt Iouis*
> *Clari gygantæo triumpho*
> *Cuncta ſupercilio mouentis.*

Alibi idem pro ſeueritatis & triſtitiæ ſigno:

> *Deme ſupercilio nubem.*

Triſtitiæ & ſeueritatis.

quod Euripides dixit, ϛυγνὸν ὀφρύων νέφος, vt ſuo loco dicetur. atque hinc eſt quod inter cætera philoſophiæ ſeueritatiſque affectatæ ſigna in *Triſtibus obſcœnis* à Iuuenale *Supercilio breuior coma* Satira tertia numeretur. de quibus & Nicephorus Gregoras: Οἷς τῦφος καὶ λογισμῶν ἀκοσμία οὔτ' ἐς χρεὼν τυραννεῖ τὴν διάνοιαν, ὅλην γε μὴν σοφίαν ἐπὶ τῆς ὀφρύος ἔχουσι καθημένην. *Qua arrogantia & ſermonum indecentia etiam importunè cogitationibus dominatur, totámque ſapientiam gerunt ſuperciliis inſidentem.* Hinc Tertullianus de pallio cap. 4. *Cenſoria intentionis epiſcynio diſperſo.* id eſt, laxata ſeueritate cenſoriâ. Minutius Felix: *Philoſophorum ſupercilia contemnimus, quos corruptores & adulteros nouimus, & tyrannos.* Sed de his vide Ariſtotelem & alios phyſiognomos, nunc vnius Trogi verba ſuffecerint: *Supercilia quibus porriguntur in rectum molles ſignificant; quibus iuxta naſum flexa ſunt auſteros: quibus iuxta tempora inflexa, deriſores, quibus in totum demiſſa, maleuolos & inuidos.* Et eam ob rem, qui morum auſteritatem præ ſe ferunt, ſupercilia contrahunt, eáque conantur ad naſum adducere: ſed Tullius in Piſone, dum alterum ſupercilium ad frontem extulit, alterum depreſſit, deriſoris, inuidi, maleuoli ſigna deſcripſit. Quæ morum varietas cum ſuperciliorum varietate notetur. Strato Phyſicus impulſus eſt, vt principale animæ & mentem ipſam in ſuperciliorū meditullio collocaret. Libet ex Tertulliano de anima varias hac de re philoſophorum proferre ſententias: *Vt neque intrinſecus agitari putes principale iſtud ſecundum Heraclitum: neque per totum corpus ventilari, ſecundum Moſchionem; neque in capite concludi ſecundum Platonem: neque in vertice præſidere, ſecundum*

Phyſiognomia ex ſuperciliis.

Qua in parte corporis animi principale reſidere dicatur.

Xenocratem, neque in cerebro cubare, ſecundum Hippocratem, ſed nec circa cerebri fundamentum vt Herophilus, nec in membranulis, vt Strato & Eraſiſtratus, nec in ſuperciliorum meditullio, vt Strato Phyſicus, nec in tota lorica pectoris, vt Epicurus, ſed quod & Ægyptij renunciauerunt ei qui diuinarum commentatores videbantur, & ille verſus Orphei vel Empedoclis. Namque hominum ſanguis circumcordialis eſt ſenſus, etiam Protagoras, etiam Apollodorus & Oſippus, hæc ſapiunt. Verſus apud Græcos fuerit:

Ψυχὴ δ᾽ ἀνθρώπων πέλεται περικάρδιον αἷμα.

hunc porro iocum de ſuperciliis ita diductis videtur ab Alexide fuiſſe mutuatus apud Athenæum lib. 6.

Τοὺς μὲν στρατηγοὺς τὰς ὀφρῦς ἐπὰν ἴδω
Ἀνεσπακότας, δεινὸν μὲν ἡγοῦμαι ποιεῖν.
ΟΥ πάνυ, θαυμάζω δὲ τοὺς τετιμημένους
Ὑπὸ τῆς πόλεως μεῖζω τι τῶν ἄλλων φρονεῖν.
Τοὺς δ᾽ ἰχθυοπώλας τοὺς κακῶς ἀπολουμένους
Ἐπὰν ἴδω κάτω βλέποντας, τὰς δ᾽ ὀφρῦς
Ἔχοντας ἐπάνω τῆς κορυφῆς, ἀποπνίγομαι.

Video reductis cùm ſuperciliis duces,
Graue credo facinus facere, non miror tamen,
Si quos honorat ciuitas præ cæteris,
Gerant ſuperbos ſpiritus præ cæteris.
At venditores piſcium, quos Dij malè
Perdant, humum ſpectare cùm video, & ſuper
Caput gerentes ſua ſupercilia, enecor.

FVRCIFER.] Vide orationem pro Deiotaro §. 26. VII.

AXIOMA.

Sceleratus eſt Conſul, qui Senatum in concione condemnat.

ARGVMENTVM.

Probat quod parte paragraphi ſuperioris aſſumpſerat: Piſonem, ſi eo tempore Conſul fuiſſet, auxilio futurum fuiſſe Catilinæ ad delendam Rempublicam.

QVID enim interfuit inter Catilinam, & eum, cui tu Senatûs au- XV. ctoritatem, ſalutem ciuitatis, totam Rempubl. prouinciæ præmio vendidiſti? Quæ enim L. Catilinam conantem Conſul prohibui, ea P. Clodium facientem Conſules adiuuerunt: voluit ille Senatum interficere, vos ſuſtuliſtis: leges incendere, vos abrogaſtis: interire patriam, vos adiuuiſtis. Quid eſt vobis COSS. geſtum ſine armis? incendere illa coniuratorum manus voluit vrbem, vos eius domum, quem propter vrbs incenſa non eſt. ac ne illi quidem, ſi habuiſſent veſtri ſimilem Conſulem de vrbis incendio cogitaſſent. non enim ſe tectis priuare voluerunt: ſed his ſtantibus nullum domicilium ſceleri ſuo fore putauerunt. Cædem illi ciuium, vos ſeruitutem expetiſtis. his vos etiam crudeliores. huic enim populo ita fuerat ante hos COSS. libertas inſita, vt emori potiùs, quàm ſeruire præſtaret.

EXPLANATIO.

QVID ENIM] Hic eſt ſyllogiſmus:

Qui ſimilem Catilinæ iuuit in euertenda Repub. is ipſum Catilinam iuuiſſet.

Sed Piſo & Gabinius Conſules Clodium Catilinæ ſimilem iuuerunt.

Ergo iuuiſſent & ipſum Catilinam.

Concluſio ſuperioris §. extrema parte *ſtipendio*, &c. *putaſſes iuuandum* continetur. propoſitio quamuis non expreſsè, aliquo tamen modo illis, *Quid enim interfuit*, &c. *vendidiſti.* aſſumptio illis, *quæ enim*, &c. *adiuuerunt.* diſertè expreſſa eſt.

EVM.] Publium Clodium, *cui tu Senatus auctoritatem.* eripiens Senatui poteſtatem decernendæ prouinciæ Conſularis lege Sempronia, *Salutem ciuitatis* ſeditiones fouens & permittens ſeruitia ad vim concitari *prouinciæ præmio*, Macedoniæ, quam lege Clodia non auctoritate Senatus obtinere cupiebas, contra legem Sempronium *vendidiſti*, & vexari lacerarique permiſiſti.

QVÆ ENIM.] Nota egregiam antitheſim.

VOLVIT ILLE CATILINA.] Comparatio concinna iſocolis contenta, vt membra membris, paria paribus reſpondeant.

VOS SVSTVLISTIS.] Senatum ſuo Senatuſconſulto de veſtis mutatione facto obtemperare vetuiſtis. infrà 17. 18. dixítque Gabinius in concione: *Errare homines ſi etiam tum Senatum aliquid in Republ. poſſe arbitrarentur.* pro Sextio 28.

VOS ABROGASTIS.] Rogatione Clodia leges Æliam & Fuſiam abrogaſtis.

VOS ADIVVISTIS.] Clodium peſtem patriæ nefariè molientem.

VOS EIVS DOMVM.] Meam ipſius qui faces iam ad vrbis incendium comparatas patefeci, protuli, extinxi.

SI HABVISSENT VESTRI SIMILEM CONSVLEM.] Ideo enim vel præcipuè, teſte Salluſtio vrbem incendere ſtatuerant, vt in illo tumultu Ciceronem occiderent, qui ſe contra eorum impetus muniebat.

HIS ETIAM.] Oſtendit Piſonem & Gabinium fuiſſe crudeliores coniuratis.

Qui aufert alicui, quod vitâ charius habet, eſt illo qui vitam aufert crudelior.

Sed Catilina vitam auferre voluit populo Romano, vos libertatem ipſa vita chariorem.

Ergo eſtis crudeliores ipſo Catilina.

ANTE VOS CONSVLES.] Cum magna emphaſi oſtendit non ſolam libertatem populi Romani, ſed etiam ipſos mores iis Conſulibus peſſundatos fuiſſe, quippe qui ab inſito libertatis amore deſciuerint.

NOTÆ.

I. Catilina incendiarius. DE VRBIS INCENDIO.] Salluſtius in Catilinario bello: *Negotia diuiſa hoc modo dicebantur. Statilius & Gabinius vti cum magna manu duodecim ſimul opportuna loca vrbis incenderent, quo tumultu facilior aditus ad Conſulem, cæteróſque quibus inſidiæ parabantur, fieret. Cethegus Ciceronis ianuam obſideret, eúmque vt aggrederetur, alium autem alius: ſed filij familiarum, quorum ex nobilitate magna pars erat, parentes interficerent: ſimul cæde & incendio perculſis omnibus ad Catilinam erumperent.* Sed in his quæ ad coniurationem ſpectant non moror, vide Ciceronem ipſum paſſim, Dionem, Caſſium, Appianum, Plutarchum, &c.

II. ABROGASTIS.] Vlpianus in fragmentis: *Lex aut rogatur, id eſt, fertur: aut abrogatur, id eſt, prior lex tollitur: aut ſubrogatur, id eſt, adiicitur aliquid primæ legi: aut obrogatur, id eſt, mutatur aliquid ex prima lege.*

III. Libertas inſita Romanis. LIBERTAS INSITA.] Philippica 6. extremis verbis, *Populo Romano ſeruire fas non eſt, quem Dij immortales omnibus gentibus imperare voluerunt*, &c. *Aliæ nationes ſeruitutem pati poſſunt, populo Romano eſt propria libertas.* Notum illud:

Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.

Item:

-Natóſque pater noua bella mouentes
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit.

Quid ſit autem libertas Græcis ἐλευθερία fusè & eruditè tractat Noſter Biſciola prima parte horarum ſubſeſiuarum lib. 2. cap. 8. vbi & ex Clementis Alexandrini ſtromate 4. refert exemplum pueri Spartani ab Antigoni milite capti, qui cùm liberalibus in ſtudiis parêret, ne parêret in ſordidis, matulámque deferret clamans, *Non ſeruiam*, caput parieti alliſit: Mulierum Dardaniarum quæ in amne liberos ſuffocarunt, hoc elogio addito *Non ſeruietis.* item Calani. De quibus vide Senecam epiſt. 78. & Philonem libro Quod omnis probus liber. Vt autem Noſter propriam Romanis libertatem eſſe dicit, ita Græci Spartanam libertatem prouerbij loco poſuerunt. Maximus Tyrius concione 10. Ὁ δ' ἔρως οὐδενὶ οὕτως πολεμεῖ, ὡς ἀνάγκῃ καὶ δέει· καὶ ἔστι χρῆμα γαῦρον, καὶ δεινῶς ἐλεύθερον, καὶ τῆς Σπάρτης αὐτῆς ἐλευθερώτερον. *Amor nulli rei ita aduerſatur, vt neceſſitati, éſtque res alacris, & valde libera, & ipsâ Spartâ liberior.*

AXIOMA.

Quibus libertas eſt penitus inſita, iis emori potiùs, quam ſeruire præſtat.

ARGVMENTVM.

Superioribus oſtendit qua in re Catilinam improbitate ſceleribúſque in totam Rempub. conceptis ſuperarint, nunc eos demonſtrat Catilinæ fuiſſe ſimillimos in inſidiis ipſi priuatim & Pompeio comparandis.

XVI. ILLVD verò geminum conſiliis Catilinæ, & Lentuli, quod me domo mea expuliſtis, Cn. Pompeium domum ſuam compuliſtis, neque enim, me ſtante, & manente in vrbis vigilia, neque reſiſtente Cn. Pompeio omnium gentium victore, vnquam ſe illi Rempub. delere poſſe duxerunt: à me quidem etiam pœnas expetiſtis, quibus coniuratorum manes mortuorum expiaretis: omne odium incluſum nefariis ſenſibus impiorum in me profudiſtis? quorum ego furori niſi ceſſiſſem, in Catilinæ buſto vobis ducibus mactatus eſſem. Quod autem maius indicium exſpectatis, nihil inter vos, & Catilinam interfuiſſe, quàm quòd eandem illam manum ex intermortuis Catilinæ reliquiis concitaſtis, quòd omnes vndique perditos collegiſtis, quòd in me carcerem effudiſtis, quòd coniuratos armaſtis, quòd eorum ferro meum corpus, atque omnium bonorum vitam obiicere voluiſtis?

EXPLANATIO.

ILLVD VERÒ GEMINVN.] Res ita non debet intelligi, quaſi verò Catilina & Lentulus Ciceronem domo eiecerint, & Pompeium domum ſuam compulerint. tunc enim temporis Pompeius erat in Aſia, & bellum contra Mithridatem gerebat: ſed quia coniurati illis duobus potiſſimùm necem moliti ſunt, ſtatuerant enim, vt ait Saluſtius, & Ciceronem occidere & liberos Pompeij obſidum loco retinere ne reuerſus ex Aſia Pompeius ipſorum furori obſiſteret.

ME DOMO MEA EXPVLISTIS.] Me rogatione Clodia in exilium eieciſtis.

CN. POMPEIVM DOMVM SVAM COMPVLISTIS.] Pompeius, eiecto Cicerone à P. Clodio tam multis contumeliis eſt appetitus, vt, ne conuiciis cum impudentis adoleſcentis petulantia certaret, coactus fuerit priuatis ſe parietibus continere, vnde eum domum ſuam Conſules compuliſſe dicuntur, quòd eum contumeliis impune vexari permiſerant.

OMNIVM

Omnivm gentivm victore.] Qui imperiũ pop. Rom. orbis terrarũ finib. definiuit, & tripartitas orbis terrarũ oras trib. triumphis adiungens huic imperio, Carbonem in Africa, in Hiſpania Sertorium, Mithridatem in Aſia ſuperauit.

Mortvorvm.] videtur gloſſema, & ſuperfluũ.

Conivratorvm manes.] Meo ſanguine placaretis animas eorum qui ob coniurationem ex S.C. iuſſi ſunt à me in carcere iugulari.

Mactatvs fvissem.] tanquam victima piacularis.

Carcerem effvdistis.] ſeruos & ſceleratos ex ergaſtulis & carcere, immiſiſtis ad vexandam Rempublicam, & conflanda ſeditionis incendia.

NOTÆ.

I. Clodij contumeliæ in Pompeium.

Compvlistis.] De Clodij contumeliis in Põpeium fusè Plutarchus in Pomp. Ἐπεχείρει τῶν Πομπηΐου διατάξεων ἐνίας ἀναιρεῖν, καὶ Τιγράνην τὸν αἰχμάλωτον ἀφαρπάσας εἶχε σὺν αὑτῷ. *Conabatur nonnulla è Pompeij ſtatutis conuellere, & Tigranem qui in vincla coniectus fuerat, è vinculis ereptum apud ſe habebat.* Item: Καὶ προελθόντος αὐτοῦ πρός τινα δίκην ἔχων ὑφ' αὑτῷ πλῆθος ἀνθρώπων ἀσελγείας καὶ ὀλιγωρίας μεστῶν, αὐτὸς μὲν εἰς ἐπιφανῆ τόπον καταστὰς ἐρωτήματα τοιαῦτα προὔβαλλε, τίς ἐστιν αὐτοκράτωρ ἀκόλαστος; τίς ἀνὴρ ἄνδρα ζητεῖ; τίς ἑνὶ δακτύλῳ κνᾶται τὴν κεφαλήν; οἱ δὲ ὥσπερ χορὸς εἰς ἀμοιβαῖα συγκεκροτημένος, ἐκείνου τὴν τήβεννον ἀνασείοντος, ἐφ' ἑκάστῳ μέγα βοῶντες, ἀπεκρίναντο, Πομπήϊος. *Et eo ad iudicium quoddam exeunte, multitudinem circa te habens hominum diſſolutorũ & audacium, ipſe è loco eminenti huiuſmodi interrogationes in medium proferebat: Quis eſt Imperator intẽperans? quis vir virum quærit? quis vno digito ſcalpit caput? illi verò tanquam chorus ad dicendum alternis comparatus, eo togam mouente ad ſingulas interrogationes magna voce reſpondebant: Pompeius.*

II. Manes.] Vide Notas in Vatinium §.14.

III. Expiare.

Expiaretis.] Expiare, placare, pios efficere. Plautus in Moſtellaria ſc. *Habeo Neptuno.*

Theār. *Dij te, Deæque omnes perduaxint cum iſto omine*

Tramo: *Metuo te atque iſtos expiare vt poſſis.*

Manes igitur, & Dij dicuntur expiari cum hominis potiſſimũ immolatione placantur, de quo ritu Interpres Ariſtophanis in Equitibus ad illa verba,

Εἶτ' ἐκ σ' ἐπίτηδες ὥσπερ Δημοσίους τρέφεις
Ἐν τῇ πυκνί, ἵν' ὅταν Μή σοι τύχῃ ὄψον ὄν
Τούτων ὃς ἂν ᾖ παχὺς, Θύσας ἐπιδειπνεῖς.

Si hos de induſtria tanquam Publicos nutris in Pnyce, vt cùm tibi Non fuerit obſonium, vno ex iis qui pinguis fuerit, mactato cœnes. Δημοσίους, inquit Interpres, τοὺς λεγομένους φαρμακοὺς, οἵπερ καθαίρουσι τὰς πόλεις τῷ ἑαυτῶν φόνῳ. *Publicos eos qui Pharmaci nominantur, qui vrbes expiant ſua ipſorum cæde.* Pergit: Ἔτρεφον γάρ τινας Ἀθηναῖοι λίαν ἀγεννεῖς καὶ ἀχρήστους, καὶ ἐν καιρῷ συμφορᾶς τινος ἐπελθούσης τῇ πόλει, λοιμοῦ λέγω ἢ τοιούτου τινός, ἔθυον τούτους ἕνεκα τοῦ καθαρθῆναι τοῦ μιάσματος, οὓς καὶ ἐπωνόμαζον καθάρματα. *Quoſdam enim Athenienſes infimi generis & planè inutiles alebant, & cùm aliqua vrbi calamitas puta peſtis, aut aliquid eiuſmodi accidiſſet, eos mactabant vt vrbem piaculo expiarent, quos & καθάρματα, tanquam Purgamina ſiue Piacula nuncupabant.* Rem totam accuratè deſcribit Ioannes Tzetzes Chiliade 5. hiſtor. 23. Græcum adfero infrà §. 85. nunc vtar Franciſci Sanctij verſione:

Catharma.

Catharma quondam tale, purgamen fuit,
Si peſtis, aut fames, vel alia calamitas
Vexaret vrbem ira Deorum percitam.
Ad victimam deformis ante omnes homo
Purgamen atque Pharmacus ductus fuit.
Cùm ventum ad aram eſt caſeum ficus ador
Ipſi in manum dabant: deinde, ſepties,
Pudenda ſcillis verberabant victimæ
Caprifico & aliis ſurculis agreſtibus.
Agreſtiúmque vrebant ramis arborum
Deuota membra: tum ſacrum cinerem grauis
Leuamen vrbis ventilabant in mare.

Quem ille ritum Lycophronis & Leſbonactis, auctoritate confirmat. immò quod addit Chiliade 8. hiſt. 239.

Τὴν τέφραν ἔρραινον αὐτῇ πάσῃ σχεδὸν τῇ πόλει.
Totam per vrbem ventilabatur cinis.

Innuit Suidas à populo acclamari ſolitum: Περίψημα ἡμῶν γενοῦ. Sed quoniã eius verba nimiè corrupta ſunt, operæpretiũ fuerit, verba proferre, &, ſi quã poſſumus, adferre medicinam, Περίψημα, κατάμαγμα, ἢ ὑπὸ τὰ ἴχνη ἀπολύτρωσις, lege, κάθαρμα, ἢ ὑπὸ τὰ ἴχνη ἀπόλυσις. *Purgamen, aut ſordes ex imis pedibus exterſæ & elutæ.* vel, lege, ἀπολύθρωσις, *ſanies è veſtigiis exterſæ.* Pergit: οὕτως ἐπέλεγον τῷ κατ' ἐνιαυτὸν συνέχοντι τῶν κακῶν. lege, οὕτως ἐπέλεγον τῷ καθάρματι συνεχόντων κακῶν. *Sic acclamabãt illi piaculo cùm aliqua calamitas incidiſſet.* Περίψημα ἡμῶν γενοῦ, ἤτοι σωτηρία καὶ ἀπολύτρωσις, καὶ οὕτως ἐνέβαλλον τῇ θαλάσσῃ, ὡσανεὶ τῷ Ποσειδῶνι θυσίας ἀποτιννύντες. *Periſſema nobis eſto, id eſt, ſalus ac redẽptio. & ita porriciebãt in mare, quaſi Neptuno mactantes.* — Peripſema.

At enim quid hæc ad mores Romanos aut Ciceronẽ? audi Interpretem Ariſtophanis in Pluto: καθάρματα ἐλέγοντο, οἱ ἐπὶ καθάρσει λοιμοῦ τινος, ἢ τινος ἑτέρας νόσου θυόμενοι τοῖς θεοῖς. τοῦτο δὲ τὸ ἔθος καὶ παρὰ Ῥωμαίοις ἐπεκράτησεν. *Catharmata dicebantur, qui ob peſtẽ aliquam, aut aliũ morbum ſolebant Diis immolari. Hic autẽ mos etiam apud Romanos inualuit.* Certè tradit Plutarchus in quæſtionibus Romanis Græcũ & Græcã, Gallum & Gallã in foro boario piaculi cauſâ fuiſſe defoſſos, & confectis bellis ciuilibus, cùm Cæſar ludos exhiberet: Δύο ἄνδρες, inquit Dio lib. 43. ἐν τρόπῳ τινὶ ἱερουργίας ἐσφάγησαν. *Duo homines certo quodam ſacrificij genere ſunt immolati.* Qua de re fusè diſſeremus in Milonianam §.86. ad illa verba, *Sacrorum populi Romani ſociæ & æquales.*

In Catilinæ bvsto.] Quid ſit buſtum explicamus 2. Philip. §. 90. n. 2. Non abſimilis eſt locus pro Flacco 95. C. Antonij *damnatione ſepulchrũ L. Catilinæ floribus ornatum, hominum audaciſſimorũ ac domeſticorũ hoſtium conuentu epuliſq. celebratum eſt: iuſta Catilinæ facta ſunt. Nunc à Flacco Lentuli pœnæ per vos expetuntur: Quam poteſtis P. Lentulo, qui vos in cõplexu liberorum coniugũmq. veſtrarum trucidatos, incendio patriæ ſepelire conatus eſt, mactare victimã gratiorem, quàm ſi L. Flacci ſanguine illius nefarium in vos omnes odium ſaturaueritis. Litemus igitur Lentulo: parentemus Cethego.* Vtrobique vſus eſt verbo *mactandi* à ſacris petito, vt ad ſacrificia veterum alluderet. IV.

Solebant enim Heroicis temporibus ad cæſorum buſta victimas humanas immolare. Sic Polyxenæ ſanguis ad expiandos Achillis manes expetitus. Sic Achilles Troianos duodecim ad Patrocli buſtum mactauit. De Polyxena Euripides in Hecuba, Seneca Troade, Naſo Metamorphoſi. De Troianis duodecim Homerus φ. ψ.

Δώδεκα δὲ Τρώων μεγαθύμων υἱέας ἐσθλοὺς
Χαλκῷ δηϊόων, κακὰ δὲ φρεσὶ μήδετο ἔργα.
Biſſenos addit iuuenes è ſanguine Teucrûm
Infeſto mactans animo.

Homines immolati ad buſta mortuorum.

Equis quatuor, canibus duobus iam ante macta-

tis. Sic Æneas 10. Æneidos audita Pallantis nece, hoſtes octo:

Viuentes rapit inferias, quos immolet vmbris
Captiuóque rogi perfundat ſanguine flammas.

lib. ſequenti:

Vinxerat & poſt terga manus, quos mitteret vmbris
Inferias, cæſo ſparſuros ſanguine flammas.

Quam impiam pietatem Antonius Triumuir Philippenſi victoria renouans: Ὀρτήσιον ἐκέλευσεν ἀποσφάξαι τῷ μνήματι. *Hortenſium*, oratoris filium *mactari iuſſit ad monumentum* C. Antonij Fratris ſui, quem Brutus interfici iuſſerat ad vlciſcendam necem Ciceronis. Vide Plutarchum in Antonio. Egregius videlicet Sullæ diſcipulus: de cuius crudelitate Lucanus lib. 2.

-Quid ſanguine manes
Placatos Catuli referam? cùm victima triſtis
Inferias Marius, forſan nolentibus vmbris
Pendit inexpleto non fanda piacula buſto. &c.

AXIOMA.

Præſtat ad tempus improborum furori cedere, quàm in inimicorum mortuorum buſto mactari.

ARGVMENTVM.

Comparatione Piſonis & Catilinæ duabus ſectionibus abſolutâ, Piſonis ipſius qui Senatum crudelitatis damnauerat, ex eo crudelitatem oſtendit, quòd ne Senatum quidem ſuam reique publicæ calamitatem lugere, aut veſtem mutare permiſerit.

XVII. SED iam redeo ad præclaram illam concionem tuam. Tu es ille, cui crudelitas diſplicet? cui, cùm Senatus luctum, ac dolorem ſuum veſtis mutatione declarandum cenſuiſſet, cùm videres mœrere Rempub. ampliſſimi ordinis luctu, ô noſter miſericors, quid facis? quod nulla in Barbaria quiſquam tyrannus: omitto enim illud Conſulem edicere, vt Senatusconſulto ne obtemperet: quo fædius nec fieri, nec cogitari quidquam poteſt. ad miſericordiam redeo eius, cui nimis videtur Senatus in conſeruanda patria fuiſſe crudelis.

EXPLANATIO.

SED IAM.] Reditio ad propoſitum & ad Piſonis factum, qui productus à Clodio, Tullij Conſulatum crudelitatis in concione damnarat.

CVI CVM SENATVS.] Cùm Senatus tibi collegæque tuo luctum doloremque quem ex meo periculo hauſerat, veſtis lugubris ſumptione declarandum cenſuiſſet, vt reſpiceretis aliquando videretíſque, quibus cladibus afficeretis Rempublicam. alij legunt: *Qui cum Senatus.* & ſenſus planus eſt.

AMPLISSIMI ORDINIS.] Senatus luctu & veſtis mutatione.

O NOSTER MISERICORS.] Qui dicis crudelitatem non placere. ironia.

QVOD NVLLA IN BARBARIA.] quæ ſequuntur ſunt clariſſima, ſi cum eâ quæ eſt pro Sextio §. 32. conferantur.

CVI NIMIS VIDETVR.] Hanc particulam *nimis* libenter deleuerim. neque enim potuit Senatus mediocriter eſſe crudelis.

NOTÆ.

VESTIS MVTATIONE.] pro Sextio 27. *Quid enim quiſquam poteſt ex omni memoria ſumere illuſtrius, quàm pro vno ciue & bonos omnes priuato conſenſu, & vniuerſum Senatum publico conſilio mutaſſe veſtem.* de hoc, quod ſcilicet veſtis Senatûs auctoritate mutata ſit, Plutarchus aliíque cōſentiunt. at Dio ſuo more gloriæ Ciceronis inuidens adeò nullā S.C. facit mentionē, vt potiùs contrarium ſentire videatur: καὶ ὁ Νίννιος τά τ' ἄλλα αὐτῷ συνῄρετο, καὶ τὴν ἐσθῆτα τῷ πλήθει, ὡς καὶ ἐπὶ τινι κοινῇ συμφορᾷ, μεταβαλεῖν παρῄνεσε· καὶ πολλοὶ τοῦτο καὶ τῶν βουλευτῶν. *At Ninnius tum in aliis rebus eum adiuuabat, cum plebē, vt tanquā in publica calamitate veſtem mutaret, hortatus eſt. quod & fecerūt non pauci ex Senatu.* Adeo dū de eius gloria quid decerperet, penſi nihil habuit cornicum oculos cōfigere. Cæterùm quæri poſſit quam veſtē ob luctū Ciceronis Senatus acceperit. innuit Dio l. 40. Senatores in magno Reip. luctu ſolitos fuiſſe nō in purpura Senatoria, ſed in equeſtrib. conuenire: Τὴν βουλευτικὴν ἐσθῆτα καταθέμενοι, κἀν τῇ ἱππάδι τῇ γερουσίᾳ, ὥσπερ ἐπὶ μεγάλῳ τινὶ πένθει συνάγοντες. *Senatoriam veſtem deponentes (Conſules) & in veſte equeſtri, Senatum, tanquā in magno luctu conuocantes.* Videlicet propter ſeditionem, quæ in comitiis exarſerat. Sic & ipſe Cic. in ſua præſenti cauſa τὴν βουλευτικὴν ἐσθῆτα ἀποῤῥίψας ἐν τῇ ἱππάδι. *Senatoria veſte depoſita, in equeſtri.* deſcribitur apud eundē lib. 38. idem li. 56. Τῇ τε ὑστεραίᾳ βουλὴ ἠθροίζετο, καὶ ἐς αὐτὴν οἱ μὲν ἄλλοι τὴν ἱππάδα στολὴν ἐνδεδυκότες συνῆλθον, οἱ δ' ἄρχοντες τὴν βουλευτικὴν πλὴν τῶν ἱματίων τῶν περιπορφύρων. *Sequenti die Senatus habitus, & ad eū alij quidem in veſte equeſtri cōuenerūt, magiſtratus vero in Senatoriâ, demptis prætextis, conuenerunt.* Græca obſcura ſunt: quid eſt enim illud, πλὴν τῶν ἱματίων περιπορφύρων. *quaſi Senatorib. prætextam tribuere videatur.* videtur enim vox πλὴν eſſe particula exceptiua, & innui magiſtratus è veſte Senatoria dēpſiſſe prætextā: Id ſic explico. Senatores veſtem equeſtrē, id eſt, tunicā anguſto clauo diſtinctā habuerunt: magiſtratus Senatoriā: id eſt, retinuerūt illi quidem latū clauum tunicæ, ſed togā prætextā depoſuerūt, vt poſitâ prætexta, quæ fuit inſigne magiſtratûs & poteſtatis, in ſolo habitu Senatorio remanerēt. Atque hoc innuit, opinor lib. 8. Sibylla Romam ita compellans:

Καὶ τότε πενθήσεις πλατυπόρφυρον ἡγεμονήων
Φᾶρος ἐκδῦσα σέθεν, καὶ πένθιμον εἷμα φέρουσα.
Roma magiſtratûs prætextam exuta nitentem
Flebis & in pallo luctûs iterabis amictu.

Quāuis πλατυπόρφυρον fortaſſe meliùs vertes *latum clauum* de quo paulo pòſt. Lucanus ſecundo Pharſalicorum:

-Ferale per vrbem
Iuſtitium: latuit plebeio tectus amictu
Omnis honos: nullos comitata eſt purpura faſceis.

Hæc igitur videtur fuiſſe luctus publici conſuetudo, vt magiſtratus prætextā, Senatores latum clauum, accepto anguſto, deponerent. Diſcrimē autem vtriuſque ordinis à clauo petitam fuiſſe, conſtat ex ſexcentis auctoribus. Satis erit vnus Statius 5. ſyluarum protreptico ad Criſpinum:

-non te ſeries inhonora parentum
Plebeia de ſtirpe tulit, non ſanguine cretum
Turmali trabeáque Remi, non paupere clauo
Anguſtam ſedem, & Latij penetrale Senatûs

Senatores in luctu veſtem equeſtrem capiebant.

Magiſtratus in luctu poſitâ prætextâ ſolam veſtem Senatoriam retinebant

Diſcrimē Senatoris & equeſtris ordinis a clauo petebatur.

Anguſtus clauus.

Latus clauus.

Aduena pulſaſti, ſed præcedente tuorum
Agmine.

Ecce equeſter ordo, quem ſanguinem turmalem appellat, à trabeâ & paupere, id eſt, anguſto clauo deſcribitur. mox de veſte Senatorum ſiue Patriciorum, è quibus primo Senatus eſt conſtitutus.

Sic te clare puer genitum ſibi curia ſenſit,
Primáque patritiâ clauſit veſtigia lunâ
Mox Tyrios ex more ſinus, tunicámque potentem
Agnouere humeri.

Per *tyrios ſinus*, prætextam puerilem, per *tunicam potentem*, tunicam lati claui, intelligo. quam Senatûs inſigne fuiſſe, vt alia omittam, liquet ex Suetonio in Auguſto cap. 92. *Sumenti virilem togam, tunica lati claui reſuta ex vtraque parte, ad pedes decidit. fuerunt qui interpretarentur, non aliud ſignificare, quàm vt is ordo, cuius inſigne id eſſet quandoque ei ſubiiceretur.* is ordo, id eſt, Senatorius. Dio lib. 45. hoc ipſum exponens Auguſtum patri dixiſſe refert: Τὸ ἀξίωμα τὸ βουλευτικὸν πᾶν ὑπὸ τοὺς πόδας μου ἄξω. *Pedibus meis ſubiiciam omnem Senatoriam dignitatem.* Hinc eſt quòd Plinius lib. 9. de purpura, id eſt, clauis lato & anguſto loquens c. 34. dicit, *diſtinguit ab equite curiam.* vide quæ dicentur 22. *toga & prætexta.* & 31. *paludati.* quod autem per Tyrios ſinus prætextam puerilem intelligat, liquet ex iis quæ ſequuntur:

Nec ſaltem teneris oſtrum puerile lacertis
Exuit, albentíque humeros induxit amictu.

Ponebāt igitur in luctu Senatores, latum clauum. Liuius libro nono de deditione ad Caudinas furculas nunciata, *tabernæ circa forum clauſæ, iuſtitiúmque in foro ſua ſponte cœptum priùs, quàm indictum, lati claui, annuli aurei poſiti, penè mœſtior exercitu ipſo ciuitas eſſe.* Et libro 43. de C. Claudio Cenſore ad populum accuſato ſic agit: *Prior Claudius cauſſam dixit: & cum ex duodecim centuriis equitum, octo Cenſorem condemnaſſent, multaque alia primæ claſſis: extemplo principes ciuitatis, in conſpectu populi, aureis annulis poſitis, veſtem mutarunt, vt ſupplices plebem circumirent.*

Senatores in luctu ponebant latum clauum.

Qua in re fidem viri cuiuſdam ſanè docti meritò deſideres, qui vt Liuium ad ſuam mentem & propoſitum detorqueat, & quod aſſerit, veterum auctoritate tueatur, hunc locum ita profert: *Equites, in conſpectu populi aureis annulis poſitis, veſtem mutarunt.* Parco nomini, neque enim perſonam impugno, ſed tueor veritatem. Adde Liuium libro 9. extremis penè verbis, *Tantúmque Flauij comitia indignitatis habuerunt, vt plerique nobilium annulos aureos & phaleras deponerent.* Senatores videlicet, annulos aureos, equites phaleras, vt Plinius videtur interpretari. libro 32. c. 2. *Additum Flauio vt ſimul & Tribunusplebis fieret. quo facto, tanta Senatus indignatione exarſit, vt annulos ab eo abiectos fuiſſe, in antiquiſſimis reperiatur annalibus. Fallit pleroſque qui tum & equeſtrem ordinem id feciſſe arbitrantur. eſt enim adiectum, hoc quoque: ſed & phaleræ poſita propter quod & nomen equitum adiectum eſt. annulos quoque depoſitos à nobilitate in annales relatum eſt, non à Senatu vniuerſo,* &c. Subdit: *ita* CCCCXLVIII. *à condita vrbe geſtum eſt: & primum annulorum veſtigium extat.* Ex dictis collige Senatum cùm veſtem mutaret tantum clauum & annulum aureū poſuiſſe: equeſtrémque, id eſt, tunicam anguſto clauo variatam ſumpſiſſe, reſtat vt de equitum luctu pauca dicenda eſſe videantur. atque vt res meliùs digeratur.

Et annulos aureos.

Equites & annulos & phaleras.

Veſtis mutatio publica, duplici ex cauſa fieri conſueuit, vel deprecationis, vel luctûs deprecationis, vt pro M. Manlio. Plutarchus in Camillo: Ο δὲ δῆμος ἀχθομένου τούτου μετέβαλε τὴν ἐσθῆτα, σχῆμα χρώμενον ἐπὶ συμφοραῖς μεγάλαις, καὶ δημοσίαις. *Populus hoc facto veſtem mutauit, quod in magnis & publicis calamitatibus fieri conſueuit.* Luctus, vt in exemplis ſupra allatis, & ex Dionyſio in funere Bruti & Menenij Agrippæ comperturn eſt, licet dictorum nonnulla ad luctum etiam referantur. pro Sextio 27. *Quæ quidem tum mutatio non deprecationis cauſsâ eſt facta, ſed luctus.* In vtraque mutatione ſinguli ordines dimittebant propria ſuæ dignitatis inſignia. vt de annulis & lato clauo dictum eſt. Equites autem, vt erant medij inter Senatum & plebem: ita vt verbis vtar Plinij libro 33. *Annuli diſtinxere alterum ordinem à plebe, vt ſemel cœperunt eſſe celebres, ſicut tunica ab annulis Senatum tantùm, quamquam & hoc ſerò, vulgoque purpura latiore tunica vſos inuenimus etiam præcones, ſicut patrem Lucij Ælij Stolonis, Præconini ob id cognominati.* Videtur locus planè corruptus, libenter in hanc ſcripturam graſſarer & legerem, *Sicut tunica ab equeſtribus Senatum tantùm.* Fieri enim poteſt vt vox *annulis* ab imperito quodam margini adſcripta in ſcripturam irrepſerit, vt ita legeretur, *Sicut tunica ab equeſtribus annulis Senatum tantùm.* Mox alius exſcriptor vocem *equeſtribus*, tanquam adſcititium gloſſema reiecerit, aliam vocem *annulis* retinuerit, & ſic ſenſus erit: *Annuli diſtinxere equeſtrem ordinem à plebe, ſicut tunica lato clauo ornata Senatum tantùm ab equeſtri ordine diſtinxit.* annulus enim erat Senatoribus equitibúſque communis, & eorum ordinum diſtinctio penes ſolam tunicam petebatur: quòd Senatus latum clauum, equeſter ordo anguſtum clauum in tunica geſtaret. quamquam & hoc ſerò, nam antè latus clauus non adeo proprius erat Senatui, vt non etiam aliis, vt præconibus conueniret. Equeſter igitur ordo in veſtis mutatione videtur anguſtum clauum poſuiſſe, & accepiſſe veſtem planè plebeiam. De annulis dubium videri non poteſt, eos ab equitibus poſitos fuiſſe, perinde atque à Senatu, cùm præſertim eſſent vtrique ordini communes. Dio libro 48. de Mena Pompeij liberto, quem Auguſtus ad ſe transfugam: Δακτυλίοις τε χρυσοῖς ἐκόσμησε, καὶ ἐς τὸ τῶν ἱππέων τέλος ἐπέγραψε. τὸ δὲ δὴ τῶν δακτυλίων τοιόνδε ἐστίν. οὐδενὶ τῶν πάλαι Ῥωμαίων, οὐχ ὅτι τῶν δουλευσάντων ποτὲ, ἀλλ᾽ οὐδὲ τῶν ἐν ἐλευθέρᾳ γένει τραφέντων δακτυλίοις χρυσοῖς πλὴν τῶν τε βουλευτῶν, καὶ τῶν ἱππέων χρῆσθαι, ὥσπερ εἴρηταί μοι, ἐξῆν, καὶ διὰ τοῦτο τοῖς ἐξελευθέροις, οἷς ἂν τὸ κράτος ἔχων ἐθελήσῃ, καίτοι καὶ ἄλλως χρυσοφορεῦσιν, ὅμως ὡς τιμῆς μέρει, ὡς καὶ βελτίοσιν ἢ κατ᾽ ἐλευθερίαν, ἱππεύειν τε δυναμένοις δίδοται. *Annulis aureis ornauit, & in equeſtrem ordinem tranſcripſit. quod autem ad annulos ſpectat, id eſt, eiuſmodi. Nemini veterum Romanorum, non dicam eorum qui aliquando ſeruierant, ſed ne eorum quidem qui in libera familia & ingenua nutriti fuerant, fas erat annulis aureis, vti exceptis Senatoribus & equitibus: & eam ob rem libertis,*

Veſtis mutatio deprecationis cauſa.

Item luctus.

Latus clauus præconum.

Equeſter ordo in luctu anguſtū clauum ponebat.

Ius annulorum.

quibus Imperator conceſſerat, etiamſi aurum alias ferre poſſent, tamen honoris cauſa tribuebantur, vt indicio eſſent eos ſupra liberorum vulgus elatos eſſe, & dignos qui in equeſtrem ordinem referrentur. Horatius:

Tu cùm proiectis inſignibus annulo equeſtri.

Annulus tamen neque ad ſolos equites, neque ad omnes, præſertim aureus, pertinebat: nam præter Senatores etiam Tribunos militum aureis vſos fuiſſe conſtat. Appianus in Libycis: Χρυσοφοροῦσι γὰρ τῶν στρατευομένων οἱ χιλίαρχοι, τῶν ἐλαττόνων σιδηροφορούντων. *Aureos annulos in exercitu geſtant Tribuni, cæteris minoribus ferreos geſtantibus.* Plinius lib. 33. c. 1. agens de initio belli ſocialis: *Ne tum quidem omnes Senatores habuerunt: vtpote cùm memoria auorum, multi prætura quoque functi in ferro conſenuerint, ſicut Calphurnium & Manilium qui legatus C. Marij fuerat, Iugurthino bello Feneſtella tradit.* Adde Magonem Liuianum cùm modios annulorum teſtes Cannenſis cladis in veſtibulo curiæ Carthaginenſis exponeret. lib. 23. *Adiecit deinde verbis quo maioris cladis indicium eſſet, neminem niſi equitem, atque eorum ipſorum primores id gerere inſigne.* Plinio refragante, qui tum dicit annulos aureos fuiſſe *vſus promiſcui.* Tertullianus ſuis temporibus hunc vſum promiſcuum etiam in libertis videtur agnoſcere libro de reſurrectione carnis c. 57. *Oro te ſi famulum tuum libertate mutaueris, quia eadem caro, atque anima permanebunt, quæ flagellis & compedibus, & ſtigmatibus obnoxiæ retro fuerant, idcircóne illas eadem pati oportebit? non opinor. Atquin & veſtis albæ nitore, & annuli aurei honore, & patroni nomine, ac tribu menſáque honoratur.* Quam licentiam tradit Plinius ſua iam ætate viguiſſe lib. 33. c. 1. *Nec non & ſeruitia iam ferrum auro cingunt.* Iſidorus lib. 19. c. 13. Mecenatis qui, vt ait Velleius, anguſto clauo & equeſtri ordine contentus fuit. adfert hendecaſyllabos de morte Horatij Flacci:

Lugent te mea vita, te ſmaragdus,
Berillus quoque Flacce: nec nitentes
Nunc per candida margarita quæro,
Nec quos Thynica lima perpoliuit
Annellos, nec iaſpios lapillos.

Ordines igitur, plebem dignitate ſuperabant, cùm veſtem publicè mutarent ſuæ dignitatis ornamẽta, annulos aureos vtrique ordini communes: & Senatus latum clauum, equeſter ordo anguſtũ ſui ordinis inſigne poſuerũt. Adde & phaleras, ex Liuij lib. 9. & Plinio lib. 38. c. 1. vt iam antè diximus, *vt plerique nobilium aureos annulos & phaleras deponerent.* Reſtat vt quam veſtem acceperint, paucis etiam videamus. Etſi, vt ſupra oſtendimus Senatus equeſtrem in luctu veſtem acceperit, id tamen de tunica ſolùm, vt arbitror, & anguſto clauo debet intelligi. nam quod ad togam pertinet, ſi luctus publici cauſsâ fieret veſtis mutatio, togam pullam capiebant. Iuuenalis Sat. 3. v. 210. *Toga pulla in luctu.*

Si magna Aſturi cecidit domus, horrida mater.
Pullati proceres, differt vadimonia prætor.

Si deprecationis cauſsâ fiebat, erant ſordidati, vt ex Tullio multis locis planum eſt. & nos vltima ſectione dicemus. Atque hæc quidem quæ dicta ſunt reor conſtare omnia. vnum tamen eſt quod obiici poſſe videatur. Diximus latum clauum inſigne fuiſſe curiæ, equeſtris ordinis anguſtum. at Ouidius:

Si quid id eſt, vſque à proauis vetus ordinis heres *Filij equitum latum clauum capiebant.*
Non modò fortunæ munere factus eques.

Libro 4. triſtium elegia 10. poſita prætexta puerili ſe latum clauum accepiſſe teſtatur:

Interea tacito paſſu labentibus annis
Liberior fratri ſumpta mihíque toga eſt.
Induitúrque humeris cum lato purpura clauo.

Reſpondeo. Qui in ſpem Senatorij ordinis alebantur, etſi reuera Senatores non eſſent, latum clauum induebant, at ſi poſtquam Senatoriam ætatem attigerant, Senatores eſſe nollent, equeſtri dignitate contenti anguſticlauiam tunicam capiebant, vt hoc veluti indicio ſe ad Senatum haudquaquam adſpirare oſtenderent: quod Ouidius ibidem ſibi accidiſſe teſtatur:

Cepimus & teneræ primos ætatis honores:
Déque viris quondam pars tribus vna fui.
Curia reſtabat: claui menſura coacta eſt:
Maius erat noſtris viribus illud onus.

Quamuis nonnunquam, ſed rarò, equitibus ipſis extra ordinem permiſſum eſt vt latiore purpura vterentur. quemadmodum Plautianus apud Herodianum libro 3. Ἠμφίεστο τὴν πλατύσημον ἐσθῆτα. *Veſte laticlauia induebatur.* Vide Lampridium in Alexandro Seuero.

AXIOMA.

Eo fœdius nec fieri nec cogitari quicquam poteſt, quàm Conſulem edicere, vt Senatus Senatuſconſulto ne obtemperet.

ARGVMENTVM.

Per expolitionem & argumento à minori ad maius edicti Conſularis, quo patres ad veſtitum redire iubebantur, crudelitatem exaggerat, & ex occaſione tranſit ad reddendam diſceſſus ſui rationem cum improborum conatibus priuatis copiis poſſet obſiſtere.

XVIII. EDICERE eſt auſus cum illo ſuo pari, quem tamen omnibus vitiis ſuperare cupiebat, in Senatus, contra quàm ipſe cenſuiſſet, ad veſtitum rediret. Quis hoc fecit vlla in Scythia tyrannus, vt eos, quos luctu afficeret, lugere non ſineret? mœrorem relinquis: mœroris aufers inſignia: eripis lacrymas non conſolando, ſed minando. Quòd ſi veſtem non publico conſilio Patres conſcripti, ſed priuato officio, aut miſericordia mutauiſſent, tamen id iis non licere per interdicta crudelitatis tuæ, poteſtatis erat non ferendæ. cùm verò id Senatus frequens cenſuiſſet, ordines reliqui iam antè feciſſent: tu ex tenebricoſa popina Conſul

extractus, cùm illa ſaltatrice tonſa, Senatum Reipub. occaſum, atque interitum lugere vetuiſti. At quærebat etiam paulò antè de me, quid ſuo mihi opus fuiſſet auxilio: cur non meis inimicis, meis copiis reſtitiſſem. Quaſi verò non modò ego, qui multis ſæpè auxilio fuiſſem, ſed quiſquam tam inops fuerit vnquam, qui iſto non modò propugnatore, tutiorem ſe, ſed aduocato, aut adſtipulatore, paratiorem fore putaret.

EXPLANATIO.

EDICERE.] Auſus eſt Piſo cum Gabinio collega ſuo eiuſdem improbitatis maculis aſperſo per edictum iubere, vt Senatus ad veſtitum rediret.

QVIS HOC FACIT VLLA IN SCYTHIA TYRANNVS.] Argumentum ab exemplo: immò duo his verbis argumenta continentur, alterum ab oppoſitis.

Quod nullus facit vlla in Scythia tyrannus, Romæ non debet facere Conſul.

Sed nullus hoc facit in Scythia tyrannus, vt lugere vetet quos luctu affecerit.

Ergo neque tu Romæ Conſul id facere debuiſti. vel,

Crudelis eſt qui & Conſul & Romæ facit, quod nullus facit in Scythia tyrannus.

Sed nullus in Scythia tyrannus lugere vetat, quos luctu affecerit.

Ergo crudelis eſt qui Conſul Romæ lugere vetat, quos luctu affecerit.

Alterum ducitur à coniugatis *lugere, luctu affecerit.*

MOEROREM RELINQVIS.] Me exulare & à Clodio vexari permittis, ex quo dolorem Senatus hauriebat. *mœroris aufers inſignia*, veſtis mutationem qua Senatus ſuum dolorem & luctum teſtabatur.

ERIPIS LACRYMAS.] Expoſitio oratoria, quæ res alio atque alio modo exprimitur.

QVÒD SI VESTEM.] Argumentum à minori ad maius. deeſt complexio, propoſitio his, *quòd ſi,* &c. *non ferendæ.* aſſumptio proximè ſequentibus, *cùm verò,* &c. *lugere vetuiſti*, concluſio ſupplenda. *Ergo poteſtatis fuit non ferendæ.*

EX TENEBRICOSA POPINA.] Prodire ſolitus è gurguſtio neſcio quo.

CVM ILLA SALTATRICE.] Cum Gabinio collega, qui & ſaltandi artem præ ſe fert, & poſt meũ diſceſſum domo & cantu, & cymbalis perſonãte nudus in conuiuio ſaltauit. Saltatricem vocat genere fœminino, vt eius effœminatos mores & impudicitiam carpat, quemadmodum de prouinciis Conſularibus eum Semiramidem nominauit.

TONSA.] pro Sextio, *Conſul cincinnatus, vnguentis affluens, calamiſtrata coma.* poſt reditum in Senatu: *frons eius calamiſtri notata veſtigiis.* infrà: *cincinnorum fimbriæ* deſcribuntur. quare vel error in ſcripturam irrepſit, & legendum eſt *ſaltatrice intonſa*, vel dicendum eſt eius barbam, & capillos fuiſſe ad venuſtatem, & veluti tantiſper delibatos, cùm aliorum barba ad cutem quotidie raderetur. vt pro Cœlio §.33. oſtenſum eſt. Virg.

Ipſe caput tonſæ foliis euinctus oliuæ.

id eſt, ad venuſtatem ſectæ, vel tonſam appellat, qua mulier eſſet moribus, vir ſola tonſione.

AT QVÆREBAT.] tranſitio.

MEIS INIMICIS.] Pub. Clodio.

PAVLÒ ANTE.] Cùm in me orationem habens quereretur, quod eum reuocandum è Macedoniâ cenſuiſſem.

ADVOCATO.] Aduocatus qui vel ius ſuggerit, vel præſentiam ſuam amico commodat.

ADSTIPVLATORE.] adpromiſſore. vide Notas.

PARATIOREM.] ad litigandum, aut ad ſe tuendum.

NOTÆ.

I. Malorum inter ſe contentio de improbitate.

CVM ILLO SVO PARI.] Lepida eſt quædam Phalaridis epiſt. ad Adimantum: Ἀκούω σε διαφέρεσθαι πρὸς τὸν ἀδελφὸν ὁπότερος ὑμῶν ἐστὶ χείρων. σοῦ μὲν ἐκεῖνον λέγοντος, ἐκείνου δὲ τοὔμπαλιν, σέ. ἐγὼ δ' οἴομαι, μᾶλλον δὲ καλῶς πέπεισμαι τῶν μὲν ἄλλων πάντων ἐκεῖνον εἶναι κακίω. σοῦ δ' οὔτ' ἐκεῖνον, οὔτ' ἄλλον ἀνθρώπων οὐδένα. *Audio tibi cum fratre tuo eſſe contentionem vter veſtrûm ſit deterior. te dicente illum, illo viciſſim te ſceleratiorem eſſe. Ego verò ſic exiſtimo, vel potiùs mihi planè perſuadeo, hunc aliis quidem omnibus, te neque illum, neq. quemquam alium eſſe nequiorem.*

II. Qui virgis cædebantur apud Perſas gratias agere cogebantur.

QVIS HOC FACIT.] Immo & nonnulli, ſi Diis placet, poſt inflictas plagas ſibi gratiam haberi voluerunt. Nicolaus Damaſcenus de Perſis: Ἐὰν δέ τινα προστάξῃ ὁ βασιλεὺς μαστιγῶσαι, εὐχαριστεῖ ὡς ἀγαθοῦ τυχὼν, ὅτι αὐτοῦ ἐμνήσθη βασιλεύς. *Si quem Rex cædi virgis imperarit, gratias agit tanquam beneficium conſecutus, quia Rex eius meminiſſe dignatus eſt.* Poſſidonius lib. 5. Parthicorum, vt eius verba ab Athenæo lib. 4. referuntur: Ὁ δὲ καλούμενος φίλος τραπέζης μὲν οὐ κοινωνεῖ, χαμαὶ δ' ὑποκαθήμενος, ἐφ' ὑψηλῆς κλίνης κατακειμένῳ τῷ βασιλεῖ, τὸ παραβληθὲν ὑπ' αὐτοῦ κυνιστὶ σιτεῖται, καὶ πολλάκις διὰ τὴν τυχοῦσαν αἰτίαν ἀποσπασθεὶς τοῦ χαμαιπετοῦς δείπνου ῥάβδοις καὶ ἱμᾶσιν ἀστραγαλωτοῖς μαστιγοῦται, καὶ γενόμενος αἱμόφυρτος τὸν τιμωρησάμενον, ὡς εὐεργέτην ἐπὶ τὸ ἔδαφος πρηνὴς προσπεσὼν προσκυνεῖ. *Qui amicus vocatur menſæ quidem non eſt particeps, ſed humi aſsidens Regi excelſo in ſolio ſedenti, quod ab illo proiectum fuerit, canis inſtar manducat, & ſæpè ob cauſam nullius momenti abſtractus ab illa cœna ad terram abiecta, virgis & loris aculeatis cæditur, & ſanguine manans eum qui ceciderit, vt benefactorẽ ad humum prouolutus adorat.* Regis Perſarum amicus. Cæterùm repertus eſt & qui lacrymas prohiberet. Ælianus lib. 14. c. 22. de Tryſo quodam tyranno, qui cùm primò colloquia, deinde nutus & ſigna vetuiſſet, lacrymas tandem prohibere conatus eſt: Tyrannus lacrymas prohibens. Ἀφίκετό τις εἰς τὴν ἀγορὰν, εἶτα ἔκλαε στὰς πολλοῖς ἅμα καὶ θαλεροῖς τοῖς δακρύοις. περιέστησαν οὖν αὐτὸν καὶ περιῆλθεν τὸ πλῆθος καὶ ὀδυρμῷ κἀκεῖνοι συνείχοντο. *Quidam in forum progreſſus eſt, ibi ſtans magnam vim feruidarum lacrymarum effudit. Circumſtetit affluens multitudo in fletum ac luctum erumpens.* Quid deinde Tyrannus: Ὁ δὲ ἐπειγόμενος, καὶ τοῦτο παῦσαι μὴ μόνον τῆς γλώσσης καταγνώσκων δουλείαν, μηδὲ μόνον τῶν νευμάτων, ἀλλ' ἤδη καὶ τοῖς ὀφθαλμοῖς τὴν ἐκ φύσεως ἀποκλείων ἐλευθερίαν, ᾗ ποδῶν εἶχεν ἀφίκετο σὺν τοῖς δορυφόροις, ἵνα ἀναστείλῃ τὰ δάκρυα, οἱ δὲ οὐκ ἔφθησαν ἰδόντες αὐτὸν, καὶ τὰ ὅπλα τῶν δορυφόρων

ἀφ᾽ ἁπάντες τὸν τύραννον ἀπέκτειναν. *Ille feſtinans, vt ei illud prohiberet, neque ſolùm linguam nutúſque ſeruitute conſtringeret, ſed etiam oculis à natura tributam libertatem eriperet, quanta potuit celeritate cum ſtipatoribus ac ſatellitibus accurrit, vt lacrymas etiam compeſceret. at illi cùm è longinquo vix eum vidiſſent, eripientes arma ſatellitibus tyrannum interfecerunt.* Thucydides ſtatum Athenienſium ſub triginta tyrannis ita deſcribit, κατὰ δὲ τὸ αὐτὸ τοῦτο καὶ προσολοφύρεσθαί τινι ἀγανακτήσαντα, ὥστε ἀμύνασθαι ἐπιβουλεύσαντα ἀδύνατον ἦν· ἢ γὰρ ἀγνῶτα ἂν εὗρεν ᾧ ἐρεῖ, ἢ γνώριμον ἄπιστον. *Ad hæc lamentari per indignationem, vt nec vlciſci per inſidias quiſquam poterat. aut enim ignotum inueniebat cui loqueretur, aut notum infidelem.* Sed hæc externorum tyrãnorum fuit immanitas à Romana libertate penitus aliena. at in triumuirali proſcriptione, vt habet Dio lib. 46. Οὐδὲ πενθεῖν τισιν ἐξουσία ἦν, ἀλλὰ πολλοὶ καὶ ἐκ τούτου παραπώλοντο. *Neque lugere quibuſdam licebat, ſed & eam ob rem plurimi perierunt.* Auctor edicti nefarij & verba ſic habentur apud Appianum lib. 4. ciuilium: Γινομένων δὲ τούτων Λέπιδος ἐπὶ Ἴβηρσιν ἐθριάμβευε, καὶ προυτέθη διάγραμμα οὕτως ἔχον. Ἀγαθῇ τύχῃ προειρήσθω πᾶσι καὶ πάσαις θύειν τε καὶ εὐωχεῖσθαι τὴν ἡμέραν τὴν παροῦσαν. ὃς δ᾽ ἂν μὴ φαίνηται ταῦτα ποιῶν, ἐν τοῖς προγεγραμμένοις ἔσται. ὁ μὲν δὴ τὸν θρίαμβον ἐς τὰ ἱερὰ ἀνῆγε παραπεμπόντων αὐτὸν ἁπάντων μετὰ σχήματος ἱλαροῦ, καὶ γνώμης δυσμενοῦς. *His verò factis* (trecentis Senatoribus, bis millie equitibus proſcriptis, & maiorem partem crudeliter occiſis) *Lepidus de Hiſpanis triumphauit, & propoſitum eſt edictum huiuſmodi. Quod fœlix fauſtúmque ſit omnibus vtriuſque ſexus ſacrificium & epulum indicitur. qui ſecus faxit, inter proſcriptos eſto. Et ille quidem ad Deorum templa, omnibus eum læta ſpecie, animo inimico deducentibus triumphum legit.* Pulchrè Latinus Pacatus in Theodoſij panegyrico Maximi Tyranni crudelitatem inſectans: *Audires enim dicere delatorem, quid ita ille triſtis incedit? an quia pauper ex diuite eſt? non enim ſe viuere gratulatur. Quid ita publicum atratus incœſtat? Luget, credo, fratrem. Sed habet filium. ita fleri non licebat amiſſa metu reliquorum. Serenos ergo nubilis mentibus vultus induebamus, & ad illorum vicem qui deguſtato Sardorum graminum ſucco feruntur in morte ridere, imitabamur læta mœrentes. Eſt aliquod calamitatum delinimentum, dediſſe lacrymas malis, & pectus laxaſſe ſuſpiriis. nulla maior eſt pœna quàm eſſe miſerum, nec videri.* Seneca Rhetor controuerſiâ primâ libri quarti: *Nunquam lacrymæ opprimuntur imperio, ſed etiam irritantur. Nulla flendi maior eſt cauſa, quàm flere non poſſe.* Item: *Cogi flere qui non ſinit.* Et verè. Nam, vt ait idem Seneca controuerſia 8. lib. 3. *Miſero ſi flere non licet, magis flendum eſt. Imperari dolori ſilentium non poteſt.*

Heu quàm difficile eſt imitari gaudia falſa!

Quàm miſerum eſt, vt cum Horatio loquar, *malis ridere alienis?* Et cum tuis ridere non poſſis, alienas malas ad riſum aſſumere? Ex Homero 20. Odyſſeæ ver. 34.

> ΟΙ δ᾽ ἤδη γναθμοῖσι γελώων ἀλλοτρίοισι.
> *Aſt illi malis iam ridebant alienis.*

Sed iam hæc magis in rem quam ad rem. redeamus. Ouidius 3. triſtium elegiá primâ:

> *Exigis vt nulli gemitus tormenta ſequantur*
> *Acceptóque graui vulnere flere vetas.* Lacrymæ ſolantur.
> *Ipſe Perillæo Phalaris permiſit in ære*
> *Edere mugitus, & bonis ore queri.*
> *Cum Priami lacrymis offenſus non ſit Achilles,*
> *Tun' flectus inhibes durior hoſte meos?*

Et tandem allatis Niobes, Procnes & Philoctetæ exemplis, ſubiicit rationem cur ſummæ crudelitatis ſit lacrymas prohibere:

> *Strangulat incluſus dolor, atque exæſtuat intus,*
> *Cogitur & vires multiplicare ſuas.*

Cuius rei phyſicam reddit rationem Baſilius Magnus oratione priore, περὶ εὐχαριστίας, ſanè luculentam de qua pro Sextio 32. *Quis tyrannus miſeros lugere vetuit.*

VLLA IN SCYTHIA.] Vides non vnam II.
fuiſſe Scythiam antiquis. Plinius libro 4. cap. Scythia.
12. *Scytharum nomen vſquequaque tranſit in Sarmatas, atque Germanos, nec aliis priſca illa durauit appellatio: quàm qui extremi gentium harum ignoti propè cæteris mortalibus degunt.* Adſtipulatur & Strabo lib. 11. Ἅπαντας μὲν δὴ τοὺς προσβόρρους κοινῶς οἱ παλαιοὶ τῶν Ἑλλήνων συγγραφεῖς Σκύθας, καὶ Κελτοσκύθας ἐκάλουν. *Veteres Græcorum ſcriptores vniuerſas terras Septentrionales Scytharum, & Celtoſcytharū nomine affecerunt.* Vide locum, vbi Cteſias & Herodotus reprehenduntur, & varia affertur Scythiæ diuiſio. Sed quicquid ſit, hoc ſenſu Noſter Scythiæ nomen vſurpans omnem barbariam intelligit. Propriè tamen ex Ptolemæo Scythia eſt, quæ à Rha fluuio, ad Sericam, hodie, vt quidam putant, Cataiæ regnum exporrigitur: quam deinde mons Imaus, quem recentiores *Altai*, aut *Belgiam* appellant, è radicibus Tauri longè ad mare Glaciale progreſſus, ita diuidit, vt altera intra Imaum, altera extra Imaum nominetur. Sed vide paſſim omnes Geographos, nobis operæpretium non eſt diutiùs immorari.

SALTATRICE.] Sic Torquatus Hortenſium ignominiæ cauſſâ geſticulariam nominauit. Gellius lib. 1. cap. 5. *Cùm Lucius Torquatus ſubagreſti homo ingenio & infeſtiuo grauiùs acerbiúſque apud conſilium iudicum, cùm de cauſsâ Syllæ quereretur, non iam hiſtrionem eum eſſe diceret, ſed geſticulatoriam, Dionyſiámque eum notiſſimæ ſaltatriculæ nomine appellaret: tum voce molli atque demiſſa Hortenſius: Dionyſia, inquit, Dionyſia malo equidem eſſe, quàm quod tu Torquate* ἄμουσος, ἀφρόδιτος, καὶ ἀπρόσιτος. Macrobius 3. Saturnalorium cap. 14. *Ac priuſquam à ſaltatione diſcedo illud adiiciam tribus nobiliſſimis ciuibus non ſolùm ſtudium ſaltandi, ſed etiam peritiam, ſi Diis placet, qua gloriarentur fuiſſe, Gabinio Conſulari Ciceronis inimico, quod ei & Cicero non diſſimulanter obiecit, & M. Cœlio noto inter turbas viro, quem idem Cicero defendit, & Licinio Craſſo Craſſi eius, qui apud Parthos extinctus eſt, filio.* Hic miretur quis cur Noſter in Gabinio ſaltationem culpauerit, qui in Roſcio Comœdo tanti hanc artem fecit, vt eodem Macrobio teſte ſatis conſtet, *Contendere eum cum ipſo hiſtrione ſolitum,* Saltatio.
vtrum ille ſæpius eandem ſententiam variis geſtibus efficeret, an ipſe per eloquentiæ copiam ſermone diuerſo pronunciaret, quæ res ad hanc artis ſuæ fiduciam Roſcium abſtraxit, vt librum conſcriberet, quo eloquentiam cum hiſtrionia compararet. Hanc porrò geſtuum expreſſionem ſaltan-

do fieri ſolitam eſſe, 2. Philipp. & pro Cœlio explicamus. miretur, inquam, quis cur ſaltationem culpauerit, quam & Fabius lib. 1. cap. 9. commendat, & apud eum Socrates, Plato, Chryſippus: & Lucianus fusè περὶ ὀρχήσεως, & Homericus Menelaus ſolam ex omnibus oblectationibus inculpabilem nominauit. Iliados ν. verſu 636.

Πάντων μὲν κόρος ἐστὶ, καὶ ὕπνου, καὶ φιλότητος
Μολπῆς τε γλυκερῆς, καὶ ἀμύμονος ὀρχηθμοῖο.
Omnia cor ſatiant hominum, Somnúſque, Venúſque,
Et dulces cantus inculpatæque choreæ.

Et ibidem Polydamas inter præcipua Deorum munera numerauit. verſu 730.

Ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήϊα ἔργα
Ἄλλῳ δ' ὀρχηστύν, ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν, legit Lucianus ὀρχηστύν τε καὶ ἱμερόεσσαν ἀοιδήν.
Ἄλλῳ δ' ἐν στήθεσσι τιθεῖ νόον εὐρύοπα Ζεύς.
Dat vires alij fortémque in prælia dextram
Huic ſaltum Deus, huic citharam dulcéſque camœnas.
Inſerit huic claram prudenti in pectore mentem.

Plato 7. de legibus: τοὺς παῖδάς τε καὶ τὰς παῖδας ὀρχεῖσθαι δὴ δεῖ καὶ γυμνάζεσθαι μανθάνειν. *Pueros & puellas oportet ſaltationem, & alias exercitationes addiſcere.* Cuius rei, vbi libro 2. pulcherrimam reddidit rationem. Subiicit: Θεοὺς δ' ἔφαμεν ἐλεοῦντας ἡμᾶς συγχορευτάς τε καὶ χορηγοὺς ἡμῖν δεδωκέναι τόν τ' Ἀπόλλωνα, καὶ μούσας καὶ δὴ τρίτον ἔφαμεν, εἰ μεμνήμεθα, τὸν Διόνυσον. *Deos dicebamus noſtri miſeratione commotos Apollinem nobis & Muſas, & tertium dicebamus Bacchum, ni fallor, dediſſe qui nobiſcum choreas agerent, & ſaltationibus præeſſent.* Cur igitur Tullius admirator vnicus Platonis ſaltationem in Gabinio reprehendit? quia nimirum ſaltationum aliæ honeſtæ, aliæ penitus inhoneſtæ.

Saltationes honeſtæ.

Has etiam repudiat Plato, eas tantùm probat 3. de Rep. quæ rationi obſequuntur. Τὸν πόδα τῷ λόγῳ ἀναγκάζειν ἕπεσθαι καὶ τὸ μέλος, ἀλλὰ μὴ λόγον ποδί τε καὶ μέλει. *Pes & membrum ſequatur rationem, non pedem & membrum ratio.* Subdit: Τρία ἄττα ἐστὶν εἴδη ἐξ ὧν αἱ βάσεις πλέκονται, ὥσπερ ἐν τοῖς φθόγγοις τέτταρα, ὅθεν αἱ πᾶσαι ἁρμονίαι. *Tres ſunt ſpecies è quibus inceſſus conſtant, quemadmodum in ſonis ſunt quatuor è quibus omnes concentus conflati ſunt.* Sed de variis ſaltationum generibus vide Pollucem Athenæum libro 1. cap. 43. 44. 45. 46. & libro 14. cap. 24. 25. 26. & Platonem citatis locis, qui duas præcipuas probat: Καὶ δύο δὴ τῶν ὀρχήσεων τῶν καλῶν εἴδη κατεστήσατο τὸ μὲν πολεμικὸν, πυρρίχην, τὸ δ' εἰρηνικὸν ἐμμέλειαν. *Et duas honeſtarum ſaltationum ſpecies conſtituit, militarem, videlicet pyrrhicam, & pacificam quæ eumelia nominatur.* Vbi vtriuſque fuſa deſcriptio. de Pyrricha Athenæus libro 14. cap. 25. ἐκμανθάνουσί τε πάντες ἀπὸ πέντ' ἐτῶν πυρριχίζειν, *à quinto ætatis anno omnes pyrricham ſaltationem addiſcunt.* Sed hæ ſaltationes viriles erant, & minimè probro ducendæ, aliæ effœminatæ magis & homine libero indignæ. Talis erat ſaltatio cum crotalis quæ hîc probro obiicitur. de qua Scipio Africanus Æmilianus oratione contra legem iudiciariam Tiberij Gracchi.

Saltationes inhoneſtæ.

Docentur præſtigias inhoneſtas: cum cinædulis & ſambuca, pſalterióque eunt in ludum hiſtrionum: diſcunt cantare quæ maiores noſtri ingenuis probro ducier voluerunt. Eunt, inquam, in ludum ſaltatorium inter cinædos virgines puerique ingenui. Hæc cùm mihi quiſquam narrabat non poteram animum inducere, ea liberos ſuos nobiles homines docere: ſed cùm ductus ſum in ludum ſaltatorium, plus medius fidius in eo ludo vidi pueris virginibúſque quingentis. in his vnum (quo me Reip. maximè miſertum eſt) puerum bullatum petitoris filium, non minorem annis duodecim cum crotalis ſaltare, quã ſaltationem impudicus ſeruulus honeſtè ſaltare non poſſet.

Saltatio ad crotalum.

Libuit rem clariſſimi Romanorum verbis, quæ à Macrobio referuntur, exponere, de hoc, ni fallor, etiam queritur Horatius:

Motus doceri gaudet Ionicos
Adulta virgo.

Virgilius ſiue quis alius auctor carminis illius obſcœni.

Copa Syriſca caput Graiâ redimita mitellâ
Criſpum ſub crotalo docta mouere latus.
Ebria fumoſâ ſaltat laſciua tabernâ
Ad cubitum raucos excutiens calamos.

De hoc etiam crotaliſmo intelligo illud Iuuenalis ſat. 11.

Forſitan expectes vt Gaditana canoro
Incipiat prurire choro, plausúque probatæ
Ad terram tremulo deſcendant clune puellæ, &c.

Item illud Arnobij libro 2. aduerſus gentes: *Idcircò animas miſit vt res ſancti atque auguſtiſſimi nominis, ſymphoniacas agerent, & fiſtulatorias hîc artes, vt inflandis bucculas diſtenderent tibiis, cantionibus vt prairent obſcœnis numeroſiter & ſcabillorum concrepationibus ſonoris, quibus animarum alia laſciuiens multitudo incompoſitos corporum diſſolueretur in motus, ſaltitaret & cantaret orbes ſaltatorios verteret, & ad vltimum clunibus & coxendicibus ſubleuatis, lumborum criſpitudine fluctuaret.* Hæc inter ſe mirè conſentiunt, & cum Cicerone. huc etiam traho illud Ammiani lib. 14. *Poſtremò ad id indignitatis eſt ventum, vt cùm peregrini, ob formidatam haud ita dudum alimentorum inopiam, pellerentur ab vrbe præcipites, ſpectatoribus diſciplinarum liberalium impendio paucis ſine reſpiratione vlla extruſis, tenerentur mimarum aſſeclæ veri, quíve id ſimularant ad tempus, & tria millia ſaltatricum ne interpellata quidem cum choris totidémque remanerent magiſtris. & licet quocunque oculos flexeris fœminas affatim multas ſpectare cyrrhatas, quibus ſi nupſiſſent, per ætatem, ter iam nixus poterat ſuppetere, liberorum, ad vſque tædium pedibus pauimenta terentes, iactari volubilibus gyris, dum exprimunt innumera ſimulacra quæ finxere fabulæ theatrales.* Etiámne nudæ? videtur omninò, ô propudium! nam & Gabinius nudus in conuiuio ſaltauit, neque ſi tectæ fuiſſent, tremulam illam lumborum fluctuãtium vibrationem tam exactè deſcriberent.

Saltatio nuda.

Adde quòd illa ad crotalum ſaltatio meretricularum propria fuit. nam meretrix à Virgilio per Graiam mitellam deſcribitur, vt & à Iuuenale ſat. 3.

-ad circum iuſſas proſtare puellas.
Ite quibus grata eſt pictâ lupa barbara mitrâ.

At nudæ plerumque meretrices. *Nudáſque meretrices furtim conſpatiantes tardè.* inquit Petronius. Adde quòd in conuiuiis luxurioſis pueri cinædi puellæque nudæ miniſtrabant. à Iuuenale conuiuium frugale deſcribitur, in quo miniſtrat:

-incultus puer atque à frigore tutus.

More videlicet à Thyrrenis deducto. Athenæus libro 4. agens de Thyrrhenorum Romanorúmque conuiuis. Τίμαιος δ' ἐν τῇ πρώτῃ τῶν ἱστοριῶν,

καὶ τὰς θεραπαίνας φησὶ παρ' αὐτοῖς μέχρις οὗ ἂν αὐξηθῶσι γυμνὰς διακονεῖσθαι. Timæus in primo hiſtoriarum libro dicit apud eos ancillas, quoad adoleuerint nudas miniſtrare. O proceres Cenſore opus eſt an haruſpice nobis? Atque hinc eſt, quod ſaltatricem Gabinium appellat genere fœminino. nam vel puellæ ad crotalum ſaltabant vel cinædi, qui, vt cum Arnobio loquar, *vigorem virilitatis exponerent, & in habitum fœminarum delitiáſque mollirent.*
Saltatio impura. Tertullianus de ſpectaculis: *Hoc igitur modo etiam à theatro ſeparamur, quod eſt priuatum conſiſtorium impudicitiæ, vbi nihil probatur, quàm quod alibi non probatur. ita ſumma gratia eius de ſpurcitia plurimùm concinnata eſt, quam Attellanus geſticulator, quam mimus etiam per mulieres repræſentat, ſexum pudoris exterminans, vt faciliùs domi quàm ſcena erubeſcant. quam denique pantomimus à pueritia patitur in corpore vt artifex eſſe poſſit*, &c. D. Cyprianus ad Donatum. *Adhuc deinde morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum hiſtrionicis geſtibus inquinari? videre contra fœdus iúſque naſcendi patientiam incœptæ turpitudinis elaboratam. Euirantur mares, honor omnis & vigor ſexûs eneruati corporis dedecore mollitur, plúſque illic placet, quiſquis virum in fœminam, in laudem creſcit ex crimine experitior, quo turpior iudicatur.* Taceo Iuuenalem ſat. 3. Iulium Firmicum libro de
Cordax. myſteriis proph. rel. &c. Nunc addo ſaltationem ad crotalum eandem cum cordace ſiue cordalo paucis litteris mutatis videri. Suidas: κόρδαξ, κορδακίζειν αἰσχρὸν εἶδος ὀρχήσεως κωμικόν. *Genus turpe comicæ ſaltationis.* Lucianus περὶ ὀρχήσεως, τριῶν γοῦν οὐσῶν, τῶν γενικωτάτων ὀρχήσεως κορδακος, καὶ σικιννίδος, καὶ ἐμμελείας. *Cùm tres ſint nobiliſſimarum ſaltationum ſpecies cordax, ſicinnis, & eumelia.* Item, Τραγικῆ μὲν ἡ ἐμμέλεια, κωμῳδικῆ δὲ ὁ κόρδαξ. *In tragœdia emmelia, in comœdia cordax.* Iulianus in Miſopogone Gallos maiores noſtros laudat, quòd ab huiuſmodi propudiis abhorrerent: Ἀσέλγεια δ' οὐκ ἔστιν ἐν τοῖς θεάτροις, οὐδ' ὕβρεις, οὐδ' ἕλκει τις εἴσω τῆς σκηνῆς τὸν κόρδακα. *Intemperantia non eſt in theatris, neque contumelia, nec quiſquam cordacem in ſcenam inducit.* Et paulò pòſt de ſaltatoribus loquens ex Antiochia in Galliam Celticam euocatis. Τοὺς ὀρχηστὰς δ' ἐπιτραπέντας ἐν τῷ θεάτρῳ τὴν τέχνην ἀποδεῖξαι εἴασαν οἰόμενοι τοῖς νυμφολήπτοις ἐοικέναι. *Saltatoribus cùm permiſiſſent in theatro artem oſtendere, eos lymphatis ſimiles eſſe iudicarunt.* De cordalo in balneis, quod eſt alterum impudicitiæ conſiſtorium, exerceri ſolito Seneca ep. 57. quem tu conſule. Sed cur adeò hic ludus infamis? colligi poteſt ex dictis. Cyprianus loco citato. *Exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem*, &c. Minutius Felix in Octauio: *In ludis curulibus quis non horreat populi in ſe rixantis inſaniam? in gladiatoriis homicidij diſciplinam. in ſcenicis etiam non minor furor, turpitudo prolixior. nunc enim mimus vel exponit adulteria vel monſtrat, nunc eneruis hiſtrio amorem dum fingit, infligit.* Omitto ſciens Saluianum libris de Prouidentia. Lucianum περὶ ὀρχήσεως, qui in hac turpitudinum expreſſione deſcribēda multi ſunt, ſed hic laudans, ille vituperans, omitto autem libentiùs quòd ſciam ex eodem Luciano & Zoſimo hanc pantomimicam ſaltationem, hoc tempore quo ſaltabat ad crotalum Gabinius nondū fuiſſe perfectam, ſed tantùm inchoatam.

E TENEBRICOSA POPINA.] Popina, inquit Oldendorpius, locus eſt vbi edulia eſcu- V. Popina.
lentáque parantur. Nonius Marcellus: *Popinones vel hi quos nunc dicimus tabernarios à popinis, vel luxurioſos, qui ſe popinis dedunt. Varro Modio. Quis poculis argenteis in chorum introibit? popino. Lucilius: Infamem, honeſtam, turpémque odiſſe popinam.* Lego, *Infamem, turpem atque inhoneſtam odiſſe popinam.* Vide §. 13. *Teterrimam nobis popinam inhalaſſes.* Vide etiam de prouinc. Conſularibus 8. *Lateant libidines eius illæ tenebricoſæ.*

TONSA.] Ea videtur hac in re fuiſſe peruer- VI.
ſitas, vt quemadmodum mimi in viro fœminam quærebant, vultum effœminabant, cutem poliebant, ita mimæ illæ meretriculæ virilem ſexum conarentur imitari. nam vt omittam togas mere- Meretrices togatæ.
tricum, de quibus Horatius:

-quid inter
Eſt in matrona, ancilla peccéſve togata.

Iuuenalis:

Damnetur ſi vis etiam Corfinia talem
Non ſumet damnata togam.

A comis videntur aliquid diſcriminis habuiſſe, comâ virilem in modum detonſâ, & in cirrhos vibrata. vnde & Ammianus loco proximè citato ſaltatrices *cirrhatas* appellat, aliter enim puellæ Saltatrices cirrhatæ.
immaturæ, aliter nubiles & matronæ comam componebant. Tertullianus de virginibus velandis. *Si autem & naturæ præiudicium adducit Apoſtolus, quòd honor ſit mulieris redundantia capillorum. quia coma pro operimento eſt. vtique hoc maximè virgini inſigne eſt, quarum & ornatus ipſo propriè ſic eſt, vt circumlata in verticem ipſam capitis arcem ambitu crinium contegat.* De nubilibus & nuptis infrà. *Quid quod hæ noſtræ etiam habitus mutationem ætatis confitentur? ſimúlque ſe mulieres intellexerunt de virginibus, educantur à capite quidem ipſo deponentes quod fuerunt: vertunt capillum. & in acu laſciuiore comam ſibi inſerunt crinibus à fron[te] diuiſis apertam profeſſæ mulieritatem?* Vt igitur diuerſi virginum & matronarum crines, ita & meretricum, quòd virgines & matronæ crines pro[…]mitterent, meretrices cirrhos geſta[r]ent, capil[l]oſque tonderent. vnde Meſſalina meretricium habitum aſſumēs galerum ſumit vt tonſa videatur. Sat. 6. Iuuenalis.

Et nigrum flauo crinem abſcondente galero
Intrauit calidum veteri centone lupanar. Meretrices tonſæ.

Quamuis etiam video viris ipſis probro fuiſſe moroſam illam tonſionem, perinde ac mulieribus togam. Martialis:

Sed patris ad ſpeculum tonſi matríſque togatæ
Filius.

Vnde & carpitur Gabinius, quòd & cincinno- Tonſio viris probroſa.
rum fimbrias haberet, & eſſet ad ſpeculum tonſus. Sic Archilochus apud Dionem Chryſoſtomum Tarſica priore cum cinnis & cincinnis iunxit tonſionem.

Οὐ φιλέω τὸν στρατηγὸν,
Οὐδὲ διαπεπλεγμένον,
Οὐδὲ βοστρύχοισι γαῦρον,
Οὐδ' ὑπεξυρημένον.
Non diligo magnum ducem,
Stupido nec animo præditum,
Nec gloriantem pendulâ
Cæſarie, & adraſum vndique.

ADVOCATO.] Aſconius in Diuinationem: VII.

Aduocatus. *Qui defendit alterum in iudicio, aut patronus dicitur, ſi orator eſt; aut aduocatus, ſi ius ſuggerit, aut præſentiam ſuam commodat amico: aut procurator, ſi negotium ſuſcipit, aut cognitor, ſi præſentis cauſſam nouit, & ſic tuetur, vt ſuam.* Lege *procurator, ſi abſentis.* vt conſtabit ex iis quæ dicentur ad 2. Philipp. §. 87. Nota 5.

VIII. Stipulatio. ADSTIPVLATORE.] *Stipulatio*, inquit Pomponius. D. de verborum oblıgat. l. Stipulationum aliæ. *Eſt verborum conceptio, quibus is qui interrogatur, daturum facturúmve ſe, quod interrogatus eſt, reſpondet.* Nam antiquitus, vt notat Oldendorpius, ſtipulationes certis verbis ſic concipiebantur, vt eodem quis verbo reſpondere cogeretur quo eſſet interrogatus, ſiue pro ſe, ſiue pro alio vellet promittere. vt, ſpondes? ſpondeo. Promittis? promitto. Dabis? dabo. Facies? faciam, &c. A ſtipe deriuat M. Varro lib. 4. exeunte de lingua Latina. *Cùm theſauris aſſes dant, ſtipem dicunt: & qui pecuniam alligat, ſtipulari & reſtipulari.* Alij ſtipulationem dictam malunt, ab eo quòd veteres *ſtipulum* firmum vocabant, à ſtipite. Alciatus lib. 1. Parergon, ἀπὸ τοῦ στιπτοῦ quòd adſtringat. Vnde vnde manarit *ſtipulator, Promiſſor, ſtipulari enim promittere eſt.* inquit Iſidorus lib. 10. Originum. Gloſſæ. *Stipulationes* ἐπερωτήσεις. *Stipulatio* ἱκανοδοσία, *id eſt ſatisdatio.* Hinc *Adſtipulator.* Auctor epiſtolæ ad Octauiũ. *An eſſe quendam annos* XXIII. *natum, cuius auus fuerit argentarius, Adſtipulator pater, vterque verò precarium fecerit quæſtum: ſed alter ad ſenectutem, vt non negaret: alter à pueritia vt non poſſet non confiteri.* Quem locum explicans magnus Criticus lib. 16. Aduerſariorum, cap. 8. Dicitur, inquit, adſtipulator hac epiſtola fuiſſe pater Augusti. Adſtipulator autem erat, qui ſtipulanti accedebat, idémque ſtipulabatur, vt pacta & conuenta eſſent firmiora, magíſque cauta & rata: ac in foro Romano circum argentarias homines erant, qui adſtipulandi quæſtum exercebant, præſtóque erant ſtipulantibus, & paciſcentibus. Adſtipulator in antiquo lexico προσεπερωτητής exponitur, id eſt, qui præter ſtipulatorem interrogat atque ſtipulatur. At Conanus lib. 6. cap. 6. num. 3. apud Simonem Scardium: *eſt adſtipulator,* inquit, non qui accedit ſtipulatori, ſed qui ei adſtipulatur & adpoſcit aliquid: quo verbo Terentius vſus eſt.

Adſtipulator.

Minas quidem iam à me decem habet filia,
Quas pro alimentis eſſe nunc datas duco.
Haſce pro ornamentis conſequentur alteræ.
Porrò hæ talenta dotis adpoſcent duo.

Id eſt hæ minæ adpoſcent filiæ, & adſtipulabuntur duo talenta. Sed has duas opiniones expendant otioſi. Ego certè Turnebo libentiùs acceſſerim. Quamuis fortaſſe & vocis non rei diſſenſio, nam & qui promittit, & qui poſcit, dicitur ſtipulari: vnde adſtipulator non ſolùm qui adpromittit, ſed etiam qui adpoſcit. Iuuenalis ſat. 7.

Quantum vis ſtipulare: & protinus accipe: quid do
Vt toties illum pater audiat?

Id eſt quantam voles, poſce mercedem.

AXIOMATA.

Quis hoc facit vlla in Scythia tyrannus, vt eos quos luctu afficeret, lugere non ſineret?

Crudele eſt quibus mœrorem relinquas iis auferre mœroris inſignia, & eripere lacrymas non conſolando, ſed minando.

ARGVMENTVM.

Reddit rationem cur auxilium à Piſone petierit, quòd nimirum Ciceronis cauſſa & Conſularis eſſet & Senatoria: & in diſcrimen adduceretur, tam Conſulum quàm Senatûs auctoritas.

EGO iſtius pecudis, ac putidæ carnis, conſilio ſcilicet, aut præſidio niti volebam? ab hoc eiecto cadauere quidquam mihi aut opis, aut ornamenti, exſpectabam? Conſulem ego tum requirebam, conſulem, inquam, non illum quidem, quem in hoc animali inuenire non poſſem, qui tantam Reipub. cauſam grauitate, & conſilio ſuo tueretur: ſed qui tanquam truncus, atque ſtipes, ſi ſtetiſſet modò, poſſet ſuſtinere tamen titulum conſulatus. Cùm enim eſſet omnis cauſa illa mea conſularis & ſenatoria auxilio mihi opus fuerat, & conſulis, & ſenatus: quorum alterum etiam ad perniciem meam erat à vobis conſulibus conuerſum: alterum Reip. penitus ereptum. Attamen, ſi conſilium exquiris meum: neque ego ceſsiſſem, & me ipſa ſuo complexu patria tenuiſſet, ſi mihi cum illo buſtuario gladiatore, & tecum, & cum collega tuo decertandum fuiſſet. XIX.

EXPLANATIO.

EGO ISTIVS.] Graui tum animi, tum corporis vitiorum exprobratione Piſonem inſectans, à ſtoliditate pecudem, à valetudine & forma putidam carnem appellat, vt hoc contemptu oſtendat ſe neque conſilio neque præſidio Piſonis vti voluiſſe.

AB HOC EIECTO CADAVERE.] Inſepulto & in publicum eiecto, vt à canibus alitibúſque lanietur.

CONSVLEM EGO.] Miro contemptu Piſonis indignitatem perſtringit. eum enim non ſolùm negat fuiſſe animo & grauitate conſulem, ſed adeò nomine Conſulis indignum fuiſſe dicit, vt ne nomen quidem & titulum ſuſtineret.

Cvm enim.] *In cauſſa & Senatoria & Conſulari opus eſt auxilio & Conſulum & Senatus.*

Sed mea cauſſa & Senatoria fuit & Conſularis, accuſabar enim quòd ego Conſul Senatui paruiſſem.

Ergo in mea cauſſa opus fuit auxilio Conſulum & Senatus.

Qvorvm alterum.] Auxilium quod à Conſulibus expectabam.

Altervm.] Auxilium Senatûs, cuius omnem auctoritatem ſuſtuliſtis.

Attamen.] Duo petierat Piſo. alterum quid ſuo auxilio opus fuiſſet Ciceroni. alterum cur nō Clodio propriis viribus & copiis Cicero reſtitiſſet. priori petitioni reſponſum eſt, , iam ad poſteriorem delabitur.

Neqve ego cessissem.] Neque ego in exilium abiiſſem.

Et me ipsa.] Et me ipſa patria, tanquam filium ſibi chariſſimum in ſinu complexúque ſuo tenuiſſet, ne poſſem auelli.

Si mihi cvm illo bvstvario.] Cum P. Clodio, qui per buſtuarios gladiatores multas turbas in vrbe concitauit. Mens autem eſt Ciceronis, arma ſumpſiſſē, & tibi, Gabinio, Clodio, meis vel potiùs ipſius Reip. copiis reſtitiſſem, méque magna pars plebis, viginti equitum Romanorum millia qui pro me veſtem mutauerant, & Senatus ipſe contra veſtros impetus muniuiſſet, ſi mihi vobiſcum ſolis decertandum fuiſſet, nec veritus eſſem Remp. in maius diſcrimen adducere.

NOTÆ.

I. Pecus. Ego istivs pecvdis.] Per pecudem homo ſtolidus & κριόμυξος hîc denotatur. vide Chiliaſtem, & infra 72. Accius. *Vide ne quem tu eſſe hebetem deputes æquè ac pecus, is ſapientia munitum pectus egregium gerat.*

II. Eiectum cadauer. Eiecto cadavere.] Quid ſit eiectum cadauer ſatis in Miloniana 87. explicatur. *Vt ſine imaginibus, ſine cantu, ſine ludis, ſine exequiis, ſine lamentis, ſine laudationibus, ſine funere, oblitus cruore & luto, ſpoliatus illius ſupremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici ſolent, ambureretur etiam abiectus.* Præclarè Turnebus 21. cap. 15. *Eiecta cadauera quæ ſunt? nempe quibus honos ſepulturæ non tribuitur, quod vltimæ cenſebatur apud veteres ignominiæ, & qui propter paupertatem cùm ſumptus deeſſet funeri, è cellis eiecti mortui à ſandapilariis in exquilinum buſtum, puticulóſque portabantur in arcis.* Terentius Adelph. actu 1. ſcen. 2.

Et tu illum tuum ſi eſſes homo,
Sineres nunc facere, dum per ætatem licet,
Potiùs quàm, vbi te expectatum eieciſſet foras,
Alieniori ætate poſt facere tamen.

III. Pvtidæ carnis.] Doctiſſimus Faber primo ſemeſtrium cap. 11. quouis pignore contendit legendum eſſe *putidæ canis*, id enim in
Canis. maledicto & conuitio ponebatur apud veteres. Terentius Chremetem & Gnathonem ſic loquentes inducit in Eunucho act. 4. ſc. 7.

Ch. *Diminuam ego caput tuum hodie niſi abis.*
Gn. *Ain' verò canis.*

Addit Horatium lib. Epod. Ode 6. Suetonium in Veſpaſiano cap. 13. Plautum in Menæchmis actu 5. ſc. 1. Beatum Paulum ad Philippenſes c. 3. Hieronymum paſſim. Horatium ſat. 2. lib. 2. Plautum in Caſina actu 2. ſc. 5.

Quam tu mihi vxorem? quaſi venator tu quidem es
Dies atque noctes cum cane ætatem exigis.

Denique, inquit, Catullus Mœcham quandam & canem & putidam vocat, his elegantiſſimis & feſtiuiſſimis hendecaſyllabis.

-ruborem ferreo canis exprimamus ore.
Conclamate iterum altiore voce,
Mœcha putida redde codicillos.

vide. Homerus Iliados θ. verſu 527.

Εὔχομαι εὐχόμενος Διΐ τ' ἄλλοισί τε θεοῖσιν
Ἐξελάαν ἐνθένδε κύνας κηρεσιφορήτους.

In hoc animali.] Quidam *in hoc Maiali* legendum putant. eſt enim Maialis, vt con- IV. Maialis.
ſtat ex Iſidori gloſſario, *Porcus pinguis, qui Deæ Maiæ mactabatur tanquam matri Mercurij.* quo titulo Tullius Piſonem, *Epicuri de grege porcum*, & vt infra dicet: *ex hara productum* inſigniat. ſed nulla eſt ratio cur à vulgari lectione recedendum eſſe videatur. infra. *Complexus es illud funeſtum animal.* 3. Verrina, *Quid hoc homine faciatis, aut quam ad ſpem tam perfidioſum, tam importunum animal reſeruatis.* nam etiam apud primæ claſſis auctores nomen animalis ab homine diſtinctum, & pro bruto ſumptum reperitur Varro 7. de lingua Latina.

Trvncvs atqve stipes.] Non ſo- V.
lùm truncum & ſtipitem, ſed etiam fruticem vi- Truncus, ſtipes.
deo dici in conuiuiis. Plautus in Moſtellaria ſcen. 1.

Nec veriſimile loquere, nec verum frutex
Comeſſe quemquam vt quiſquam abſentem poſſidet.

Caudicem etiam Terentius in Heautontimorumeno actu 5. ſc. 1.

-in me quiduis harum rerum conuenit
Quæ ſunt dicta in ſtultum, caudex, ſtipes, aſinus plumbeus.

Lactantius libro primo de falſa religione, cap. 20. Termino *publicè ſupplicatur, quaſi cuſtodi finium Deo qui non tantùm lapis, ſed etiam ſtipes interdum eſt. Quid de iis dicam qui colunt talia, niſi ipſos potiſſimum lapides ac ſtipites eſſe?* Noſter 1. de natura Deorum, *Quid ergo? Solem dicam, aut Lunam aut Cœlum Deum? Ergo etiam beatum. Quibus fruentem voluptatibus? Et ſapientem. Quæ poteſt eſſe in eiuſmodi trunco ſapientia?* Claudianus lib. 1. in Eutropium.

Et nihil exhauſto caperent in ſtipite lucri.

Quid ſi ſtultitiæ nomen ab hac etiam tranſlatione profluxerit? Auſonius ad Theonem grammaticum.

Sed iam non potes, ô ſtolo, doceri.

Stolo idem eſt atque ſtipes, vel vt interpretatur Varro, *inutilis fruticatio.* Hinc *ſtolidus* in veteribus gloſſis, *ſtulo* ἀπαιδεύω. hinc *ſtulitus, ſtultus.*

Bvstvario.] Buſtum, inquit Manutius VI.
dicebatur, *vbi mortuorum corpora comburerentur. hinc buſtuarius gladiator, qui ſolitus eſſet homines interimere, quaſi per quem multi cremarentur.* Hæc ille. malim tamen oratorem ad peculiare Clodij facinus alludere. gladiatores enim buſtuarios ad ſeditionem concitauerat, vt reditum Ciceroni præcluderet. Dio lib. 39. ἐν αὐτῇ τῇ διαψηφίσει ὁ Κλώδιος γνοὺς τὸ πλῆθος πρὸς τὸ Κικέρωνος ἐσόμενον, τοὺς μονομάχους, οὓς ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Buſtuarij.
πρὸς ἀγῶνας ἐπιταφίους ἐπὶ τῷ Μάρκῳ, τῷ συγγενεῖ προ-

παρεσκεύαστο λαβὼν, ἐσεπήδησεν εἰς τὸν σύλλογον, καὶ πολλοὺς μὲν ἔτρωσε, πολλοὺς δ' ἔκτεινε. *In ipſa ſuffragiorum latione, videns Clodius populum à Cicerone futurum, gladiatores, quos frater ipſius ad ludos funebres Marco conſobrino faciendos ante præparauerat aſſumens, impetu in concionem facto, multos vulnerauit, multos interfecit.* De buſtuariis autem, vt alios omittam, Tertullianus cap.11. de ſpectaculis: *Olim quoniam animas defunctorum humano ſanguine propitiari creditum erat, captiuos vt malo ingenio ſeruos mercati in exequiis immolabant, poſteà placuit impietatem voluptate adumbrare, itaque quos parauerant armis, quibus tunc & qualiter poterant eruditos, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant.* Quæ impietas ab Heroicis temporibus repetita ſi Statium 6. Thebaidos, & Nonnium lib. 37. Dionyſiacῶν audiamus, circa bellum Punicum primum ad Romanos manauit, auctor epitome Liuiana: *Decius Iunius Brutus munus gladiatorium in honorem defuncti patris edidit primus.* Eóque tandem prouecta eſt, vt vel fœminæ in buſto dimicarent. Athenæus libro 4. verbis Nicolai Damaſceni: Ἤδη δέ τις καὶ τὰς διαθήκας γέγραφε γυναῖκας εὐπρεπεστάτας μονομαχῆσαι ἃς ἐκέκτητο, ἕτερος δὲ παῖδας ἀνήβους ἐρωμένους ἑαυτοῦ. *Iam & quidem in ſuo teſtamento mandauit mulieres, quas habebat facie admodum honeſta & liberali, inter ſe gladiari, alius verò pueros impuberes, ſuas ipſius delitias.* Ne morer, Lipſius cap.8. libri primi Saturnaliorum adeatur.

AXIOMA.

In cauſſa & Conſulari & Senatoria auxilio opus eſt & Conſulis & Senatus.

ARGVMENTVM.

Reddit rationem cur noluerit Clodio reſiſtere: ac primò ſe in exilium abiiſſe negat, quòd vereretur cum Piſone & Gabinio confligere, aliámque ſuam ait, aliam Q. Metelli Numidici fuiſſe rationem.

ALIA enim cauſa præſtantiſſimi viri, Q. Metelli, fuit: quem ego ciuem, meo iudicio, cum Deorum immortalium laude coniungo: qui C. illi Mario, fortiſsimo viro, & Conſuli, & ſextùm Conſuli, & eius inuictis legionibus, ne armis confligeret, cedendum eſſe dixit. Quod mihi igitur certamen eſſet huiuſmodi cum C. Mario ſcilicet, aut cum aliquo pari, an cum altero barbaro Epicuro, cum altero Catilinæ laternario? quos neque hercule ego: neque ſupercilium tuum, neque collegæ tui cymbala, ac crotala fugi: neque tam fui timidus, vt, qui in maximis turbinibus, ac fluctibus Reipub. nauem gubernaſſem, ſaluámque in portu collocaſſem, frontis tuæ nubeculam, tum collegæ tui contaminatum ſpiritum pertimeſcerem. XX.

EXPLANATIO.

ALIA ENIM CAVSA.] Non eſt quòd quiſquam exiſtimet, me Quinti Metelli Numidici factum voluiſſe imitari, qui quòd in Luc. Apuleij Saturnini legem Agrariam adnitente Mario latam de Cimbrorum agris viritim dirimendis iurare noluiſſet, de ciuitate maluit quàm de ſententia dimoueri, & ſponte cõceſſit, ne ſi inuito Mario in vrbe remanere voluiſſet, cum Mario fortiſſimo imperatore armis confligens Remp. in graue diſcrimen adduceret.

FORTISSIMO VIRO.] Qui & Iugurtham & Cimbros atque Teutonas occiſis ducentis millibus, captis nonaginta, ſuperauit.

QVOD MIHI CERTAMEN.] Alteram comparationis partem aggreditur, & Marium confert cum Piſone, fortiſſimum virum, cum Epicureo & impudico, Conſulem & Sextùm Conſulem cum iis qui ne nomen quidem Conſulum ſuſtinerent.

CVM ALTERO BARBARO EPICVRO.] Cum Piſone Epicuri Sectæ dedito, qui tamen in eo differt ab Epicuro, quòd hic barbarus eſt, ille humanitate fuit & litteris perpolitus, alij *barbato Epicuro* legunt, quòd barba tenus eſſet philoſophus, & ad oſtentationem ſeueritatis, morúmque antiquitatis barbam promitteret.

CVM ALTERO CATILINÆ LATERNARIO.] Cum Gabinio qui Catilinæ erat in delitiis, eíque laternam & facem ad libidines præferebat. vide Notas.

QVOS NEQVE.] Lepidè iocatur in ſupercilium Piſonis & Cymbala Gabinij quaſi diceret, eos cùm propter ſuam infirmitatem nemini poſſent eſſe terrori, μορμολύκεια quædam ſumpſiſſe & terriculamenta puerorum, vt Piſo quidem ad timorem incutiendum, fronte in rugas contracta ſupercilium adduceret, Gabinius verò Cymbalis circumtinnientibus, crotaliſque perſonaret. ſic facto à minori ad maius argumento:

Multò magis me tuum ſupercilium Gabinij crotala terruiſſent, quàm vos ipſi.

Sed neque ſupercilium neque Gabinij crotala terruerunt.

Ergo neque vos ipſi me terruiſtis.

CYMBALA ET CROTALA.] Species inſtrumentorum muſicorum. vide Notas.

IN MAXIMIS TVRBINIBVS.] Præclara allegoria, ſi qua apud vllum auctorem illuſtris eſt.

TVRBINIBVS.] Coniuratione Catilinaria.

NEBECVLAM.] Frontis tuæ contractionem & ſimulatam ſeueritatem nubis inſtar ſupercilio tuo inſidentem.

Contaminato spiritv.] Vento: & ad tempeſtatem ventorúmque flatum,& ad crotalorum inflationem alludit vt dicetur. contaminatum appellat quod eſſet oris ſpurciſſimi, & flagitiis, quæ dicere piget, libidinibúſque corrupti.

NOTÆ.

I. Q. Metelli.] Vide Sextianam §.37.

II. Cvm Deorvm.] Hæc impietas videtur hauſta è Stoicis, vt vir ſapiens cum Deo cõparetur, immò & ei præferatur. Seneca epiſt. 53. *Quid inter te & illos interfuturum ſit, quæris? diutiùs erant, at mehercule magni artificis eſt clauſiſſe totum in exiguo. Tantùm ſapienti ſua quantum Deo omnis ætas patet, eſt aliquid quo ſapiens antecedat Deum. ille naturæ beneficio non ſuo ſapiens eſt.* Et epiſt. 73. *Solebat Sextius dicere Iouem plus non poſſe quàm bonum virum.* cuius rei ratio fusè oſtenditur. Heraclitus ante Stoicos iam ſe virtutis ſuæ cauſsâ cum Deorum laude coniunxerat. Sic enim ipſe ſcribit epiſt. ad Hermodorum: Εὐθυκλῆς ὁ Νικοφῶντος τοῦ συλήσαντος τὴν θεὸν ἀσεβείας με γέγραπται ἄνδρα σοφίᾳ προὔχοντα ἀπαιδευσίᾳ νικῶν. Ὡς ὅτι ἐπέγραψα τῷ βωμῷ καὶ ὑπέστησα τὸ ἐμὸν ὄνομα θεοποιῶν ἄνθρωπον ὄντα ἐμαυτόν. *Euthycles Nicophontis illius filius qui templum Dianæ ſpoliauit, me impietatis accerſit, imperitia vincens virum ſapientia excellentem. quòd mihi diuinos honores arrogans, aræ meum nomen inſcripſerim.* vide fusè eum ſe Deo comparantem.

Vir ſapiens Deo ſimilis.

III. Invictis legionibvs.] Tales erant illæ legiones, de quibus Cæſar apud Hirtium ſiue Oppium. *An me deleto non animaduertebatis decem habere legiones populum Romanum, quæ non ſolùm vobis obſiſtere, ſed etiam cœlum diruere poſſent?*

Inuictæ legiones.

IV. Cedendvm.] *Et Fauorinus quidem, cùm verbum eius quoddam ab Adriano reprehenſum eſſet, atque ille ceſſiſſet, arguentibus amicis, quod malè cederet Adriano de verbo quod idonei auctores vſurpaſſent, riſum iucundiſſimum mouit. ait enim non rectè ſuadetis familiares, qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones.* Ælius Spartianus in Adriano.

Cedendum fortiori.

V. Catilinæ laternario.] Hunc locum Lipſius libro 3. variarum lectionum legendum eſſe ſuſpicatur. *Cùm altero Catilinâ? at timui ais? quos neque*, &c. vel *cum altero Catilinæ laterario.* quod Catilinam ſtiparet, nec vnquam ab eius latere diſcederet. Turnebus *lautumiario* legendum putat, id eſt tenebrione, & qui tanquam fuit in carcere & lautumiis (carcer fuit apud Syracuſanos quī à Thucydide, Cicerone Verrina 7. aliiſque deſcribitur) ſic in Catilinæ domo perpetuo habitaret, vulgaris tamen lectio defendi poteſt. laternarium enim vocat, quod ad libidines facem & laternam præferret Catilinæ. ex qua conſuetudine manauit hoc Valerij Æditui apud Gellium Epigramma.

Faces ad libidinem prælatæ.

Faces amatorum.

Quid faculam præfers Phileros qua nil opus nobis?
Ibimus, hic lucet pectore flamma ſatis.
Iſtam non potis eſt vis ſæua extinguere venti
Aut imber cœlo candidus præcipitans.
At contra hunc ignem Veneris ſi non Venus ipſa
Nulla eſt quæ poſſit vis alia opprimere.

Tibullus eleg. 9. lib. 1. hac ipsâ de re.

Ipſe comes multâ lumina nocte tuli.

Valerius Maximus lib. 6. cap. 8. *M. Antonius inceſti reus agebatur, cuius in iudicio accuſatores ſeruum, in quæſtionem perſeuerantiſſimè poſtulabant, quòd ab eo, cum ad ſtuprum iret, laternam prælatam contenderent.* Perſius ſat.

-dum Chryſidis vndas
Ebrius ante fores extinctâ cum face canto.

Et à Propertio libro 1. eleg. 16. ianua de amatoribus dominæ ſuæ loquens inducitur.

Et mihi non deſunt triſtes pendere corollæ
Semper, & excluſis ſigna iacere faces.

Et Phædromus Plautinus ſcena prima Curculionis ianuam amicæ adiens ſic alloquitur ſeruum Palinurum.

Tace occultemus lumen & vocem.

Et ſcenâ ſecundâ vt ſe amatorem oſtẽderet hoc vtitur indicio *lumen hoc vide.* Ouidius libro 1. Amorum, eleg. 6. ad ianitorem.

-excute poſte ſeram.
Aut ego iam ferróque, ignique potentior ipſo,
Quem face ſuſtineo tecta ſuperba petam.

Huc libenter traxerim, & illud Varronis lib. 1. de re ruſticâ. *Prætereuntis laſciui, non metuet facem ardentem.* Horat. lib. 1. ſat. 4.

-at pater ardens
Sæuit, quòd meretrice nepos inſanit amicâ
Filius vxorem grandi cum dote recuſet.
Ebrius & (magnum quod dedecus) ambulet ante
Noctem cum facibus.

Taceo faces nuptiales, quòd parum attineant, taceo faces quæ Cupidini tribuuntur, taceo quam ad nequitias apud Petronium, *embaſicœtas præferebat facem.* Nunc ſatis fuerit has faces laternáſque videri fuiſſe cum ſertis dominarum foribus appenſas in honorem Cupidinis, & eam ob cauſam poſtes vnguento fuiſſe delibutos. Nam & diebus feſtis in honorem Deorum ſimulachra poſtes vngebant & lapides. Minutius Felix: *Vt tam luculento die in lapides eum patiaris impingere effigiatos ſane & vnctos, & coronatos.* Eodem modo & amatores Dominarum ianuas vnguento ſpargebant. Lucretius lib. 4. Lapides vncti.

At lachrymans excluſus amator limina ſæpe
Floribus & ſertis aperit, poſtéſque ſuperbos
Vnguit amaracino, & foribus miſer oſcula figit.

Poſtes amicarum amatores vngebant.

Diebus feſtis non ſolùm ſtatuas, ſed etiam poſtes & ianuas lucernis & floribus veſtiebant. Perſius:

-vnctáque feneſtra
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

Iuuenalis 12.

-longos erexit ianua ramos
Et matitutinis operitur feſta lucernis.

Feneſtræ & ianuæ lucernis ornatæ & frondibus.

Tertullianus in apologetico, cap. 35. inter cætera Chriſtianis obiectum fuiſſe dicit: *Cur die læto non laureis poſtes obumbramus, nec lucernis diem infringimus.* Et aliquantò pòſt: *Sed & qui nunc ſceleſtarum partium ſocij aut plauſores quotidie reuelantur, & poſt vindemiam parricidarum racematio ſuperſtes, quàm recentiſſimis & ramoſiſſimis laureis poſtes præſtruebant: quàm elatiſſimis & clariſſimis lucernis veſtibula enubilabant.* Idque non ſolùm diebus feſtis, ſed etiam nuptiis faciebant. Iuuenalis 6.

Permutátque domos & flammea conterit, inde
Aduolat & ſpreti repetit veſtigia lecti.
Ornatas paulò antè fores, pendentia linquit
Vela domus, & adhuc virides in limine ramos.

In nuptiis ianuæ ramis ornatæ.

Id igitur per adulationem imitatione religionis & coniugij faciebant amatores. Athenæus libro

vltimo

vltimo. Στεφανοῦσι δὲ τὰς τῶν ἐρωμένων θύρας, ἤτοι τιμῆς χάριν καθάπερ εἴ τινος θεοῦ τὰ πρόθυρα στεφανοῦσιν, *Coronãt verò amicorum fores, honoris cauſa, quaſi Dei cuiuſdam veſtibula coronarent.* Item: τοῦ μὲν ἔρωτος τὸ ἐρώμενον ἄγαλμα. τούτου δὲ ναὸν ὄντα τὴν οἴκησιν, στεφανοῦσι τὰς τῶν ἐρωμένων θύρας. *Quod amatur, id ipſius amoris eſt ſimulacrum. cùm igitur domus ſit illius templum, coronant amaſiorum fores.* Quare nõ mirum eſt, ſi cũ amaſios vt Deorum ſtatuas venerarẽtur, ad illorũ fores lucernas appenderent. Neque id ſolùm, ſed quod magis ad Ciceronem facit, hunc honorem etiam lupanaribus tribuebant. Tertull. l. 2. ad Vxorem: *Moratur Dei ancilla cum laribus alienis, & inter illos omnibus honoribus dæmonum, omnibus ſolennibus Regum, incipiente anno, incipiente menſe nidore thuris agitabitur, & procedit de ianua laureata & lucernata, vt de nouo conſiſtorio libidinũ publicarum.* Et libro de Idololatria vbi dixit: *Ergo,* inquis, *honor Dei eſt lucernæ pro foribus, & laurus in poſtibus?* Item: *Nam & alia oſtia in balneis adorari videmus. ſi autem eorũ ſunt quæ in oſtiis adorentur, ad eos & lucernæ & laureæ pertinebunt.* Subiunxit: *Tu lume es mundi. & arbor virens ſemper, ſi templis renuntiaſti, ne feceris templum ianuam tuã, ſi lupanaribus renũtiaſti, ne indueris domi tuæ faciem noui lupanaris.* Id eſt, ne fores tuas lupanaris inſtar laureis & lucernis ornaueris. vnde liquidò cõſtat cur Cicero Gabinium nõ Catilinæ laterariũ, ſiue comitem, quales erãt plurimi venefici, ſicarij, latrones, atque adeò metuendi, ſed laternarium, id eſt Catilinæ non in facinoribus, ſed in ſolis flagitiis ſeruientem, lucernámque Catilinæ lupanariũ foribus appendendam ferẽtem nominarit, vt & Piſonem dixit barbatũ Epicurum. Vtrumque autẽ hoc loco maluit ab impudicitia quàm à reliqua improbitate deſcribere, vt metuendi ſibi ab iis nullam oſtenderet fuiſſe rationem. Suetonius in Domitiano c. 10. *Satíſque conſtat, duos ſolos è notioribus veniâ donatos, Tribunum laticlauium & Cẽturionem, qui ſe, quò facilius expertes culpæ oſtenderent, impudicos probauerant: & ob id neque apud ducem, nec apud milites vllius momenti eſſe potuiſſe.* Addam corollarij loco tenuiores cãdelis vſos videri, cereis facibus lautiores. Plautus in Curculione ſc. 1. Palinurum ita Phædromo loquentem inducit:

Quò te hoc noctis dicam proficiſci foras,
Cum iſthoc ornatu cúmque hac pompa, Phædrome?
Phæd. *Quo Venus Cupidóque imperant, ſuadérque amor.*

Et 6. poſt verſu Pal.

Tute tibi puer es lautus, luces cereum.
Phæd. *Egon' apicularum opera congeſtum non feram*
Ex dulci oriundum meliculo dulci meo?

Confirmat hanc coniecturam. Feſtus: *Cereos Saturnalibus muneri dabant humiliores potentioribus: quia candelis pauperes, locupletes cereis vtebantur.* Et ſanctus Orientius in commonitorio.

Diuitibus menſis cerea flamma micat.

VI. Cymbala. CYMBALA.] Cymbala dicta putant, ἀπὸ τοῦ κύπτειν, quaſi κύτματα καὶ caua & incurua ſint. de quibus Lucretius lib. 2. eleganter:

Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum
Concaua, rauciſonóque minantur cornua cantu,
Et Phrygio [...]mulat numero caua tibia mentes.

Ærea videntur fuiſſe inſtrumenta peluium inſtar, quæ pulſata tinnitum emitterent. Catullus in Nuptiis:

Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.

Vbi per *æs teres* virgas æreas rotundas & oblongas intelligit. Nonnus 3. Dionyſiacωn verſu 231.

Καὶ τροχάλοις κροτέοντα τινάγμασι σύνθροον ἠχώ,
Κύμβαλα βομβήεντα συνέκτυπε δίζυγι χαλκῷ
Συμφερτοῖς δονάκεσσιν.
Vibranti retonant crepitantia cymbala motu
Tinnitúmque cient, duplicique ex ære bacillo
Confertis ſonitum crotalis pulſata maritant.

Concaua autem peluis inſtar fuiſſe præter Lucretium oſtendit Iulius Firmicus c. 19 de erroribus & myſteriis prophanarum religionum: *In quodam templo vt in interiores partes homo moriturus poßit admitti, dicit. De tympano manducaui, de cymbalo bibi, & religionis ſecreta perdidici, quod Græco ſermone dicitur.* ἐκ τυμπάνου βέβρωκα, ἐκ κυμβάλου πέπωκα, γέγονα μυστικός. Caua igitur fuerut quippe quæ laticẽ continerent. Ærea fuiſſe vel ex ipſo ſono poteſt intelligi. Xenophon de re equeſtri: ὥσπερ γὰρ κύμβαλον ψοφεῖ πρὸς τῷ δαπέδῳ ἡ κοίλη ὁπλή. *Nam caua vngula inſtar cymbali reſonat ad pauimẽtum.* Clarè Ioſephus 7. de Antiq. c. 10. κύμβαλα τ' ἦν πλατέα, καὶ μεγάλα χάλκεα. *Cymbala lata erãt & magna ex ære.* quæ relata volui ne quis exiſtimaret, cymbalum eſſe illud triangulare ferrum annulis tinnientibus inſtructum, quòd vulgo cymbalum nuncupatur.

VII. Crotala. CROTALA.] Crotalum ſic ab interprete Ariſtophanis & Suida deſcribitur: κρόταλον ἰδίως ἐσχισμένος κάλαμος, καὶ μεμηχανημένος ἐπιτηδὲς ὥστε ἠχεῖν, εἴ τις αὐτὸν δονοίη ταῖς χερσὶ καθάπερ κρόταλον (lege κρότον) ἀποτελῶν· τρανὸς οὖν, ἔστι, φησί, καὶ τὴν φωνὴν διηρθρωμένος, ὥσπερ κρόταλον. *Crotalu propriè calamus fiſſus, & ita comparatus vt reſonet, ſi quis ipſum manibus quatiat, quemdam veluti plauſum efficiens, clarè loquens, inquit, ille & vocem articulatam habens, vt crotalum.* Prætereà Nonnus libro proximè citato, verſu 229.

Τοῖσι δὲ δαινυμένοισιν ἐπήτριμος ἄλλος ἐπ' ἄλλον
Ἔμπνοος ἐσμαράγησε δόναξ Κορυβαντίδος Ἴδης,
Ἐκ δὲ πολυτρήτοιο πόρου σκιρτήματα χειρῶν
Σύνθροον ἐκρεύσαντο μέλος μυκήτορος αὐλοῦ
Δάκτυλοι ὀρχηστῆρες ἐπιθλίβοντες ἀοιδῇ.
Alterno mediis compoſtus in ordine menſis
Inflatus ſonuit calamus Coribantidos Idæ,
Atque ex multifori ſaltator arundine vocem
Dactylus emittit digitis ſaltantibus ipſe
Saltans, & vario fingit modulamina cantu.

Quod inſtrumentum, ni fallor, eleganter à Cypriano deſcribitur libro de Spectaculis: *Non licet, inquam, adeſſe Chriſtianis fidelibus, non licet omnino: nec illos quos ad delinimenta aurium, ad omnes vbique Græcis inſtructos ſuis vanis artibus mittit. clangores tubæ bellicos alter imitatur raucos: alter lugubres ſonos ſpiritu tibiam inſlante moderatur: alter cum choris & cum hominis canora voce, contendens ſpiritu ſuo, quem de viſceribus ſuis ſuperioribus nitens hauſerat, tibiarum foramina modulans nunc effuſo, & nunc intus recluſo ac repreſſo, nunc certis foraminibus emiſſo, atque in aërem profuſo, item in articulos ſonum frangens, loqui digitis elaborat, ingratus artifici qui linguam dedit.* Hæc ille. ex quo vides cur Cicero contaminatum Gabinij ſpiritum cum vento compararit. His adde quod Ioannes Saraſberienſis Policratici lib. 8. cap. 12. ediſſerit, *Crotos,* ait, *Græcè pulſus dicitur, & inde cymbala,* (lege crotala) *ſic dicuntur, vel muſicum notat inſtrumẽtum, quòd in ſono vocem ciconiæ imitatur: nam ipſa apud Ægyptios crotalus appellatur. Crotala quoque dicuntur ſonoræ*

Rrr

Ianua lupanarium laureata & lucernata.

ſphærulæ, quæ quibuſdã granis interpoſitis, pro quantitate ſui, & ſpecie metalli varios ſonos edunt. Porrò
Saltatio ad crotalum. ad crotalum ſaltabant, auctor carminis obſcœni.

Criſpum ſub crotalo docta mouere latus.

Philoſtratus in imagine Comi, ἢ οὐ περιβάλλει σε κρόταλα, καὶ θροῦς ἔναυλος; *Ecquid aures tuas non verberant crotala, & ſonus tibiarum?*

VIII. Nubes ſupercilij & frontis. FRONTIS TVÆ NVBECVLAM.] Horatius ep. ad Lollium:

Deme ſupercilio nubem.

Euripides in Hippolyto coronato, συγνὸν δ' ὀφρύων νέφος αὔξεται. *triſtis ſuperciliorum nubes augetur.* Item in Phœniſſis, ἀλλὰ γὰρ

Κρέοντα λεύσσω τόνδε δεῦρο συννεφῆ.

Sed enim Creontem nubilum cerno gradus
Huc admouentem.

Hæc Victorius lib. Var. lect. 16. cap. 14. addo 6. Æneidos:

Sed frons læta parum & demiſſo nubila vultu.

Brutus apud Silium libro 8. ita deſcribitur:

Læta viro grauitas & mentis amabile pondus,
Et ſine triſtitiâ vultus, non ille rigoris
Ingratas laudes, nec nubem frontis amabat,
Nec famam læuo quærebat limite vitæ.

Statius 7. Thebaidos *nubilus irâ.* Ariſtoteles in phyſiognomicis ſæpiſſimè vocẽ συννεφὴ vſurpat. Themiſtius in exploratore σκυθρωποῦ τε καὶ συννεφοῦς, & circa medium eiuſdem orationis expreſſiùs inuidam deſcribens: ὅταν δέ τινα θαυμάσωσι μὲν οἱ ἄνθρωποι, θαυμάσῃς δ' αὐτὸς ἔνδον ἐν τῇ καρδίᾳ, τηνικαῦτα ἡ δυσμένεια καὶ τὸ νέφος κατὰ τοῦ προσώπου, καὶ τὸ βλέπειν ἐχθρῶς, οὐ μόνον τὸν ἐπαινούμενον, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐπαινοῦντας. *Si quẽ homines mirentur, & tu ipſe tacitus apud te mireris, tunc verò maleuolentiâ tabeſcis, & nubes vultui offunditur, & inimicis oculis intueris non eum ſolùm qui laudatur, ſed etiam eos qui laudant.* Iulius Pollux aliquid adfert quod non abludat. ἐπαίρειν τὰς ὀφρύας ἐπὶ τὰ νέφη. *ſupercilia ad nubes attollere.* Sophocles in Antigone: Νεφέλη δ' ὀφρύων ὕπερ αἱματόεν ῥέθος αἰσχύνει τέγγουσ' εὐῶπα παρειάν. *Nubes ſuperciliis inſidens, rubicundum vultum fœdat tingens faciem honeſtam & liberalem.* Georgius Piſidas in prooemio κοσμουργίας, hanc locutionem aliò conuertit, nec fortaſſe minùs eleganter.

Οὐδὲν γὰρ οὕτως ὡς ἀθυμίας νέφος
Χειμῶνα κινεῖ καὶ νοημάτων ζάλην,
Καὶ συσκιάζει τοῦ λόγου τὸν ἥλιον,
Καὶ νύκτα ποιεῖ γνωστικῆς ἀβλεψίας
Καὶ τοῦ λογισμοῦ συνθολοῖ τοὺς ἀστέρας.
Nihil perinde vt anxij animi nubila
Hyemem & procellas mentibus noſtris ciet
Et ſolem inumbrat mentis, & noctem creat
Caliginoſam intelligentiæ, ſimul
Rationis etiam turbidas ſtellas facit.

AXIOMA.

Non eſt hominum leuium frontis nubecula, & contaminatus ſpiritus pertimeſcendus.

ARGVMENTVM.

Poſtquam ſuperiùs oſtendit ſe neque Piſonis, neque Gabinij metu ceſſiſſe, latenter inſinuat cauſas quæ ipſum ad cedendum ſceleratorum improbitati commouerint. quòd videlicet Cæſar, Pompeius & Craſſus, infeſti cauſæ dicerentur.

XXI. ALIOS ego vidi ventos: alias proſpexi animo procellas: aliis impendentibus tempeſtatibus non ceſsi, ſed his vnum me pro omnium ſalute obtuli. Itaque diſceſſu tum meo omnes illi nefarij gladij de manibus crudeliſsimis exciderunt: cùm quidem tu, ô vecors, & amens, cùm omnes boni abditi, incluſíque mœrerent, templa gemerent, tecta ipſa vrbis lugerent, complexus es illud funeſtum animal ex nefariis ſtupris, ex ciuili cruore, ex omnium ſcelerum importunitate, & flagitiorum impunita concretum, atque eodem in templo, eodem & loci veſtigio, & temporis, arbitria non mei ſolùm, ſed patriæ funeris abſtuliſti.

EXPLANATIO.

ALIOS EGO VIDI VENTOS.] Hæret in eadem tranſlatione *turbinibus, fluctibus, nauem, gubernaſſem, portu, nubeculam, ſpiritum, ventos, procellas, tempeſtatibus.* quam tamen ne in ænigma degenerans obſcurior euadat propriis verbis attemperat *Reip. nauem appellans. Alios ego vidi ventos.* alia pericula, quæ aliunde quàm à vobis Reip. ceruicibus imminebant. hæc pericula obſcurè perſtringit, quòd Cæſarem & Pompeium offendere videatur. clariùs pro Sextio à §. 36. ad 53 quanquam eiuſdem offenſionis metu rem digreſſionibus prudenter obruit, & longis ambagibus inuoluit. ſi quid tamen liberè dictum eſt, illud eſt 41. *Ipſe autem Cæſar, quem maximè ignari homines veritatis mihi eſſe iratum putabant, erat ad portas, erat cum imperio, erat in Italia eius exercitus, in eóque exercitu ipſius Tribuni plebis inimici mei fratrem præfecerat.* quibus innuit, aut Clodio cedendum fuiſſe, aut armis cum Cæſare certandum.

SED HIS VNVM.] Obuiam iui periculo, & pro Republica ſolus tempeſtatẽ excepi. §. 45. 46. cum hoc loco planè eſt conferendus pro Sextio.

ITAQVE DISCESSV.] Cedens è ciuitate id ſum conſecutus, vt improborum ciuium animos iam ad bellum ciuile paratos repreſſerim, effecerímque ne Reſp. bellorum incendio deflagraret.

DE MANIBVS CRVDELISSIMIS.] An Cæſarem & Pompeium latenter carpit, vix adducor vt credam. ſed potiùs hoc epitheton prudenter vſurpat, vt ab iis ſuſpicionem omnem auertere videatur.

CVM QVIDEM TV.] Hîc Piſonem cum bonis ciuibus per antitheſin collatum, & in publico luctu Clodio totiùs illius calamitatis auctori gratulantem, in buſto Reip. tripudiantem grauiter reprehendit.

CVM OMNES BONI.] Cùm Senatus veſte mutata, viginti millia equitum Romanorum, omnes boni nollent in publicum procedere, ſed ob meum diſceſſum dolore conſternati, luctu & ſquallore confecti priuatis ſe parietibus continerent.

TEMPLA GEMERENT.] Ad quæ mihi togato ſoli poſt homines natos ob Rempublicam conſeruatam ſupplicatio decreta fuerat.

TECTA IPSA VRBIS LVGERENT.] Deſiderio mei, quæ ab incendio & vaſtitate ſeruaram.

COMPLEXVS ES.] P. Clodium: *Omnium non bipedum ſolùm, ſed etiam quadrupedum nequiſſimum.* tanquam mei victorem cum ſumma gratulatione complexus es.

EX NEFARIIS STVPRIS.] Qui & in operta bonæ Deæ ſtupri cauſa ingreſſus eſt, & inceſtum cum ſororibus perpetrauit.

EX CIVILI CRVORE.] Qui multos ciues partim veneno, partim ferro interemit, pro domo ſua, pro Milone & alibi.

SCELERVM.] In inferendis iniuriis, & vexãda Rep. *flagitiorum* in libidinibus & adulteriis amittendis.

CONCRETVM.] Inſtar animalium imperfectorum quæ ex ſordiũ colluuione generantur.

ATQVE EODEM IN TEMPLO.] In templo Caſtoris vel in ipſo foro, & pro Aurelio tribunali. Pro Sextio 53. *Cùm illum meum caſum tam horribilem, tam grauem, tam repentinum, non ſolùm homines, ſed tecta vrbis ac templa lugerent, nemo veſtrum forum, nemo curiam, nemo lucem aſpicere vellet: illo inquam ipſo die, die dico? imo hora, atque etiam puncto temporis eodem, mihi Reique publicæ pernicies, Gabinio & Piſoni prouincia rogata eſt.* Et paulò pòſt: *Ne noctem quidem Conſules inter meum diſcrimen, & eorum prædam intereſſe paſſi ſunt: ſtatim me perculſo ad meum ſanguinem hauriendum, & ſpirante etiam Rep. ad eius ſpolia detrahenda aduolauerunt.*

ARBITRIA.] Vide Notas.

NOTÆ.

I. ALIOS EGO VIDI VENTOS.] Inſignis allegoria, cuius apud auctores ſexcenta exempla ſunt. ſic à Demoſthene σκηπτὸς καὶ χειμὼν, fulmen & tempeſtas eodem planè ſenſu nominatur. illuſtris eſt & illa Ode in hanc ſententiam.

Tempeſtas turbarum.

O Nauis referent in mare te noui
Fluctus, &c.

Vide Sextianam 45. 46. pro domo ſua, & alibi paſſim. Locus ille Demoſthenis eſt pulcherrimus, quem profert & expendit Hermogenes de inuentione, §. 4. de Epiphonemate. ἐν χειμῶνι καὶ νῦν ἐστὶ τὰ τῆς πόλεως πράγματα, καὶ κλύδωνι, καὶ σαλεύεται τὰ καθεστηκότα, καὶ δεῖται τοῦ κυβερνήσαντος αὐτά. *Etiamnum res vrbis in tempeſtate & fluctuatione verſantur, & quæ conſtituta fuerant, quaſſantur & indigent gubernatore.*

II. EXCIDERVNT.] Porcius Latro Decl. in Catil. *Quos verò tetenderit ibi coniurationis laqueos, aut quas catenas ſcelerum conflauerit nobis ac facultatibus noſtris Saturnalium dies patefactura fuerat, niſi primùm benignitate Deorum immortalium, deinde vigilantia conſulari, nefariæ ſicæ de latronum manibus excidiſſent.*

III. TEMPLA GEMERENT.] Neque id magnis ſcriptoribus eſt inſuetum, vt luctum tribuant reb. inanimis & brutis. Maro in Bucolicis

Daphni tuum Pœnos etiam ingemuiſſe leones
Interitum montéſque feri ſyluæque loquuntur.

Nazianzenus 2. in Iulianum: ὥστε καὶ τοῖς ἀψύχοις διακελεύεται θρηνεῖν, καὶ τῶν τειχῶν προκαλεῖται δάκρυα. *Vt etiam inanimis imperet luctum, & tectis ipſis lacrymas eliceat.* Cur autem templa gemere dicerentur, colliges ex Pedone Albinouano conſolatione ad Liuiam de morte Druſi. Luctus publicus.

Diiq; latent templis, neq; iniqua ad funera luctus
Præbent, nec poſcunt thura ferenda rogo.
Obſcuros delubra tenent, pudet ora colentum
Adſpicere inuidiæ, quam meruere, metu.

Velata Deorum ſimulachra in luctu.

Paucis antè verſibus luctum publicum non templorum ſolùm, ſed vniuerſæ ciuitatis ita deſcripſerat.

Conſul iuit fractis mœrentem faſcibus vrbem,
Quid faceret victus, ſic vbi victor init.
Mœſta domus plangore ſonat, cui figere lætus
Parta ſua dominus vouerat arma manu.
Vrbs gemit, & vultum miſerabilis induit vnũ:
Gentibus aduerſis forma ſit illa precor.
Incerti claudúntque domos ſtrepitántq; per vrbẽ,
Hic illic pauidi clámque palámque dolent.
Iura ſilent mutæque tacent, ſine vindice leges:
Aſpicitur toto purpura nulla foro.

Legum ſilentium in luctu.

Quibus verbis multa mœroris, & luctûs indicia demonſtrat. fractos faſces: haud ſcio an omnium magiſtratuum, an ſolius Druſi Conſulis qui mortuus in vrbem inferebatur incluſionem, vt hîc, *cùm omnes boni abditi incluſique mœrerent.* Legum iudiciorúmque ſilentia pro Sextio 128. *Quem curia magis requiſiuit? quem forum luxit? quem æquè ipſa tribunalia deſiderauerunt? omnia diſceſſu meo deſerta, horrida, muta, plena luctûs & mœroris fuerunt.* Iuuenalis:

Pullati proceres, differt vadimonia prætor.

quod in graui luctu fiebat indicto iuſtitio, vnde, vt eſt in oratione de haruſpicum reſponſis Clodius: *Auſus in concione eſt dicere, Iuſtitium edici oportere, iuriſdictionem intermitti, claudi ærarium, iudicia tolli*: purpuræ ſiue prætextæ depoſitionem. Lucanus 2. *-ferale per vrbem*

Iuſtitium, latuit plebeio tectus amictu
Omnis honos, nullos comitata eſt purpura faſces.

vide dicta ad 17. ſectionem. Adde Ouidium in Faſtis menſe Maio:

Templa tamen veteres illis clauſere diebus,
Vt nunc ferali tempore operta vides.

IV ARBITRIA.] Cic. poſt reditum §. 17. *Nondum palam factum erat concidiſſe Remp. cùm tibi arbitria funeris ſoluebantur. vno eodémque tempore domus mea diripiebatur, ardebat, bona ad vicinum Conſulem de palatio, de Tuſculano ad item vicinum alterum Conſulem deferebantur.* Item pro domo ſua 98. *Videre prætextatos inimicos nondum morte complorata arbitria petentes funeris.* hæc ille. quibus ex locis ſi licet aliquid ſuſpicari, *arbitria funeris* erant hæreditas cum annexâ obligatione funeris ad alicuius arbitriũ faciendi, & *arbitria funeris auferre* dicebantur, qui morte defunctis, heredes fiebant, ea conditione, vt ſecundũ alicuius arbitri ſententiã mortuum ſepelirent. adiuuat hanc ſuſpicionem Feſtus in voce Euerriator. *Euerriator, inquit, dicebatur, qui accepta iure hæreditate iuſta facere defuncto debet. quæ ſi non fecerit, ſeu quid in ea turbauerit, ſuo capite luat. id nomen ductum à verendo. nam exuerræ ſunt purgatio* Arbitria funeris. Euerriator.

quædam domûs ex qua mortuus ad ſepulturam ferendus eſt, quæ ſit per euerriatorem certo genere ſcoparum adhibita ab extra verrendo dictarum. apud Tertullianum *deſignatorem* etiam *arbitrum funeris* dictum reperio libro de teſtimonio animæ. *duobus inquinatiſſimis arbitris funerum & ſacrorum, deſignatore & aruſpice.* Sic & apud Vlpianũ D. tit. de religioſis lib. 14. inuenio in funeribus arbitrij mentionem: *Sed interdum is qui ſumptum in funus fecit, ſumptum non recipit, ſi pietatis gratia fecit non hoc animo, quaſi recepturus ſumptum quem fecit, & ita imperator noſter reſcripſit, igitur æſtimandum erit arbitro & perpendendum quo animo ſumptus factus ſit.* Sed hæc iam alio ſenſu. Vt ad rem redeam, *hæredes arbitria funerum* dicuntur auferre, quid enim iuſtius quàm vt iuſta faciant ij qui hæreditatem adierunt? Syneſius epiſtola 4. periculam naufragij deſcribens: κελεύει τις ἐξαρτᾶσθαι χρυσίον οἷς ἔστι. πάλαι καταδεδειγμένον τοῦτο ποιεῖν νόμῳ δ' ἔχει τοιοῦτον. φέρειν δεῖ πυλωρὸν ἐντάφιον τὸν ἐκ ναυαγίου νεκρόν. ὁ γὰρ ἐντυχὼν καὶ κερδάνας, νόμοις Ἀδραστείας αἰδέσεται, μὴ οὐχὶ μικρόν τι μέρος ἀποδύσασθαι τῷ χαρισαμένῳ τὸ πλ-ἀκολούθιον. *Edicit aliquis, vt ſi qui haberent aurum, de collo appenderent. quod fieri inde vſque ab antiquo conſueuit, id autem ſit ob eam rationem. Qui naufragio periit, par eſt vt ſecum ferat pretium ſuæ ſepulturæ, qui enim ipſum offenderit lucrúmque fecerit, is Adraſteæ leges verebitur ſi non modicum in eius funus erogarit, à quo longè plura gratis acceperit.* Dixi *arbitria funeris*, dictã fuiſſe hæreditatem quod alicuius arbitrio, iuſta fierent ab hæredibus. Horat. lib. 2. ſat.

Hæredes Staberi ſummam incidere ſepulchro:
Nî ſic feciſſent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atque epulum, arbitrio
Arrû.

Quid ſi *auferre arbitrium*, idem ſit atque auferre bona alicuius demortui, ita vt ſepultura & modus exequiarum à teſtatore non limitetur, ſed hæredis arbitrio permittatur. Horat. 2. ſerm. ſat. 4. *-ſepulchrum*
Permiſſum arbitrio, ſine ſordibus extrue.

AXIOMA.

Impendentibus tempeſtatibus non cedendum.

ARGVMENTVM.

Conſulum expulſo Cicerone gratulationes & epulas Piſonis in perpotando ſordes, Gabinij in ſaltando leuitatem impudicitiâ quadam & flagitiis implicatam acriter reprehendit.

XXII. QVID ego dierum illorum epulas, quid lætitiam & gratulationem tuam, quid cum tuis ſordidiſsimis gregibus intemperantiſsimas perpotationes prædicem? quis te illis diebus ſobrium, quis agentem aliquid, quod eſſet libero dignum, quis denique in publico vidit? cum collegæ tui domus cantu, & cymbalis perſonaret; cúmque ipſe nudus in conuiuio ſaltaret: in quo ne tum quidem, cùm illum ſuum ſaltatorium verſaret orbem, fortunæ rotam pertimeſcebat. Hic autem non tam concinnus helluo, nec tam muſicus, iacebat in ſuo Græcorum fœtore, atque vino. Quod quidem iſtius, in illis Reipublicæ luctibus quaſi aliquod Lapitharum, aut Centaurorum conuiuium ferebatur: in quo nemo poteſt dicere, vtrùm iſte plus biberit, aut vomuerit, an effuderit.

EXPLANATIO.

QVID EGO.] Pro Sextio 54. *Omitto gratulationes, & epulas, &c. domus ardebat in Palatio, Conſules epulabantur.*

CVM TVIS SORDIDISSIMIS GREGIBVS.] Cum tuis Græculis & Epicureis qui pecudum inſtar ſummum bonum ſordidiſſimis corporis voluptatibus metiuntur.

SOBRIVM.] Sed idem eſt atque vini temperantem quæ eſt communis nominis acceptio, ſiquidem ſobrietas ebrietati opponitur, vel *ſobrium* vt Græci dicunt νήφοντα vigilantem, induſtrium, agentem aliquid.

IN PVBLICO VIDIT.] Vel ſemel ex popina tua & gurguſtio prodeuntem.

CVM COLLEGÆ TVI.] Cùm interea Gabinij domus ſymphoniaco concentu & cymbalis perſonaret.

CVM ILLVM.] Cùm ſe in orbem ſaltando conuerteret, vel cum ſaltando orbem quendam rotæ inſtat conuolueret.

FORTVNÆ ROTAM.] Fortunæ inconſtantiam & leuitatem, quæ rotæ inſtar volubilitate ſua imis ſumma cõuertit. tam cœcus erat & præſenti fœlicitate inflatus, vt cùm ſaltando rotam verſaret, non recordaretur tam citò ſuam fœlicitatem in deterius poſſe mutari, quàm citò rota conuertitur.

HIC AVTEM.] Piſo non tam elegans gluto, *nec tam muſicus*, nec tam ad cantum, ſymphoniam & ſaltationem idoneus.

IACEBAT IN SVO GRÆCORVM.] Et Græcorum temulentiæ deditorum, & Epicureorum qui more porcorum in fœdiſſimis voluptatibus volutantur.

QVOD QVIDEM.] Comparatione à fabuloſis Lapithis ducta illius conuiuij temulentiam reprehendit. Lapithæ enim cum Centauris ad Pyrithoi nuptias vocati ſic inter ſcyphos accenſa vino libidine exarſerant, vt mutuis vulneribus ſe confecerint. vide fabulas, Ouidium & alios.

IN QVO.] Poſtquam comparatione ridicula orationi ſalem aſperſit, iterum iocatur quaſi propoſita magni momenti quæſtione. tanquam inquiſierint multi, neque tamen hactenus ſcire potuerint, vtrùm Piſo plus vini biberit, an vomuerit, an temulentus in pauimentum effuderit. iterum ridicula eſt quæſtio vtrùm plus biberit quàm vomuerit, an plus vomuerit quàm biberit. quaſi verò vinum in ſtomacho aliud habere potuerit, quàm quod per fauces infuderat.

NOTÆ.

I. SOBRIVM.] In vino moderatum, vini abſtinentem. Feſtus ex lectione Ioſephi Scaligeri. *Sobrium vicum dictum eſſe teſtatur Ælius, quòd in eo neque taberna locus, neque caupona fuerit. Alij quod in eo Mercurio, non lacte, ſed vino ſolitum erat ſupplicari.* Lege cũ Paulo: *Alij quod in eo Mercurio non vino, ſed lacte ſolitũ erat ſupplicari.* Vopiſcus in Firmo: *Quidam Burburus nomine, &c. eum ad bibendum eundem prouocaſſet, ſitulas duas plenas mero duxit, & toto poſteà conuiuio fuit. Et cum ei Burburus diceret, Quare non feces bibiſti? reſpondit ille: Stulte, terra non bibitur.* De qua voce lepidum eſt quod Paulus Leopardus ex Chariſio refert: *Bria vas eſt vinarium, vnde ebrius & ebria dicitur, ebrioſuſque & ebrioſa, vt ebrius ſit ille qui multas brias exhauſerit, & ſobrius qui nullas.* quod ille Arnobij auctoritate confirmat lib. 7. *Date quæſo immortalibus Dijs bibant ſcyphos, brias, pateras, ſympiniáque depromite.* De altera huius vocis ſignificatione pro Cœlio.

II. LIBERO HOMINE DIGNVM.] Nam voluptati vacare ſeruile eſt, & libero homine penitus indignum. Ariſtoteles primo Ethicorum cap. 5. Οἱ μὲν οὖν πολλοὶ παντελῶς ἀνδραποδώδεις φαίνονται, βοσκημάτων βίον προαιρούμενοι. τυγχάνουσι δὲ λόγου διὰ τὸ πολλοὺς τῶν ἐν ταῖς ἐξουσίαις ὁμοιοπαθεῖν Σαρδαναπάλῳ. *Plurimi omninò ſeruiles apparent, quippe qui pecudum vitam elegerint: aliquam verò ſpeciem rationis prætexunt, quòd multi eorum qui plurimum poteſtatis habent, inſtar Sardanapali voluptatibus indulgeant.*

III. Saltatorius orbis, ſiue verſus.

SALTATORIVM VERSARET ORBEM.] Saltatorium orbem verſare, vt multi interpretantur, idem eſt atque in orbem ſaltitare. Turnebus lib. 4. aduerſariorum cap. 21. ex Plauto in Sticho hunc verſum proferens:

Si iſtoc verſu me viceris, alio me prouocato.

Subdit: *Eſt enim verſus & orbis ſaltatorius ſpecies quædam motus, cuius multa genera tripudiatores frequentant. ſed iidem etiam ſæpe ſe verſant in orbémque rotant. de ſaltatorio orbe ſic in Piſonem ſcribit Cicero, cùm illum ſuum ſaltatorium verſaret orbem.* Libet viri item doctiſſimi Brodæi verba ex cap. 26. libri 5. Miſcellaneorum attexere: *Orbem hunc ligneum tympanum fuiſſe, in quod deſilirent, quódque modo ſaltantes pedibus circumducerent, modo per longum ſpatium ſuperſtantes vno impetu lubricando agitarent, aliquando ſuſpicatus ſum. nam Burdigalæ petauriſtam quemdam ſaltationis huius gnarum adoleſcens conſpexeram. Nunc in eam opinionem inclino, vt illud tripudij genus eſſe putem, in quo diu ſe in gyrum verſantes hodie quoque mimi ſubinde emicant, ac ſubſiliunt.* Hæc viri doctiſſimi, vix tamen adduci poſſum vt credam, tum quòd puriùs locuturus Cicero, &, ſi eſſet hæc

Saltatorius orbis an ligneum tympanum.

loci ſententia, *Cùm ſe in ſaltatorium verſaret orbem* dicturus fuiſſe videatur, tum quòd vix vlla ſit huius orbis cum rota fortunæ ſimilitudo. Quamquam Piſidas libro de vanitate vitæ fortunam cum ſaltatrice in orbem ſe verſante ſic comparauit.

Fortuna ſaltatrix.

Ἡ γὰρ παρ' ἄλλοις ὀνομασμένη τύχη
Εἰκών τίς ἐστιν ἀπρεπὴς ὀρχηστρίδος
Ἐν τοῖς ἑαυτοῖς ἀντικλωμένης τρόποις.
Nam quæ apud alios nominatur fortuna
Imago quædam eſt indecoræ ſaltatricis,
In ſuis ipſius reciprocata flexibus.

Immò & Homerus Ephebos in Achillis clypeo ſaltantes cum figulo rotam torquente comparauit.

Οἱ δ' ὅτε μὲν θρέξασκον ἐπισταμένοισι πόδεσσι
Ῥεῖα μάλ'. ὡς ὅτε τις τροχὸν ἄρμενον, ἐν παλάμῃσιν
Ἑζόμενος κεραμεὺς πειρήσεται αἴ κε θέῃσιν.
Atque illi in numerum pedibus ſaltare ſuetis
Saltantes duxere choros, facilíque rotatu
Nunc hac, nunc illac vertuntur: non ſecus ac ſi
Siquis adaptatam manibus prius experiatur
Currere poſſe rotam figulus.

Pilæ luſus.

Fortaſſe idem eſt atque pila ludere cum cantu, & geſtu quodam numeroſo qualem fuiſſe veterum conſuetudinem. Poëta teſtatur in 6. Odyſſeæ.

Σφαίρῃ ταὶ δ' ἄρ' ἔπαιζον ἀπὸ κρήδεμνα βαλοῦσαι
Τῇσι δὲ Ναυσικάα λευκώλενος ἤρχετο μολπῆς.
Sphæra enim ludebant abiectis capitis amiculis.
His verò Nauſicaa candidas vlnas habens præibat cantu.

Quod autem numero & rhythmo vterentur, Demoxenes apud Athenæum, ἐ δειπνοσοφιστῶν de quodam adoleſcente, qui pila ludebat ita teſtatur, ἐπεί ποτε ἐμβλέψειε τοῖς καθημένοις, ἢ λαμβάνων τὴν σφαῖραν, ἢ διδοὺς ἅμα πάντες ἐβοῶμεν. ἡ δ' εὐρυθμία τότε ἦθος, &c. *Si quando in ſpectatores oculos conieceras, ſphæram aut accipiens aut remittens, omnes inclamabamus, numerus verò & vultus, &c.* quod ludi genus octauo Odyſſeæ graphicè deſcribitur:

Οἱ δ' ἐπεὶ οὖν σφαῖραν καλὴν μετὰ χερσὶν ἕλοντο
Πορφυρέην.
Illi verò poſtquam ſphæram pulchram manibus acceperunt Purpuream. Subdit:

Τὴν δ' ἕτερος ῥίπτασκε ποτὶ νέφεα σκιόεντα
Ἰδνωθεὶς ὀπίσω. ὁ δ' ἀπὸ χθονὸς ὕψοσ' ἀερθεὶς
Ῥηϊδίως μεθέλεσκε πάρος ποσὶν οὖδας ἱκέσθαι.
Hanc alius iaciebat ad nubes opacas
Curuatus retro; alius verò à terra alte elatus
Facilè recipiebat antequam ad pedes pauimentum attingeret.

Pilaris ſaltatio.

Vbi Euſtathius, vt cætera omittam quæ videntur parum attinere, ὀρχήσεως εἶδος ἦν καὶ ἡ τοιαύτη διὰ σφαίρας παιδιά. *Saltationis ſpecies erat & huiuſmodi ſphæra ludus.* Quid ſi ad hunc ſaltatorium orbem Statius primo Achilleidos alluſerit?

-modo quo citat orbe Lacænas.

Orbis Lacedæmonius.

Quid ſi Iuuenalis?

Et Lacedæmonium pedemate lubricat orbem.

nam, vt auctor eſt Euſtathius in 6. Odyſſeæ, μάλιστα δέ, φασιν, ἐπιμελήθησαν ἱστορεῖν σφαιριστικῆς, πόλεων μὲν, κοινῇ Λακεδαιμόνιοι. Βασιλέων δὲ ὁ μέγας Ἀλέξανδρος, ἰδιωτῶν δὲ, Σοφοκλῆς ὁ Τραγικός. *Maximè vero, vt aiunt, pila ſe exercuerunt, ex vrbibus quidem, publicè Lacedæmonij, e Regibus Alexander, e priuatis Sophocles Tragicus.* Quare per Lacedæmoniũ orbem, pilam & ſaltatoriũ orbem intelligo, cũ præſertim Arnob. illum Iuuenalis è ſat. 11. locum præ oculis habuiſſe videatur libro 2. aduerſus gentes.

Incompoſitos corporum diſſolueretur in motus, ſaltitaret & cantaret, orbes ſaltatorios verteret, & ad vltimum clunibus & coxendicibus ſubleuatis lumborum criſpitudine fluctuaret. Quæ Arnobij auctoritas in eam opinionem me adducit, vt probabile exiſtimem, *ſaltatorium verſare orbem* idem eſſe, atque lumbos & totum corpus in orbem & rotæ ſpeciem retro inflectere. Sic enim auctor carminis impudici:

Saltatorius orbis an corporis in rotã inflexio.

Non me vocabis pulchra per Cotyttia
Ad feriatos faſcinos.
Nec deinde mouere lumbos in rotulam
Prenſis videbo altaribus.

Penultimus verſus corruptus eſt, libenter correxerim:

Deinde nec mouere lumbos in rotam.

Atque huc referri poſſit illud Xenophontis in Sympoſio de Philippo Scurra differentis, Διῆλθε μιμούμενος τήν τε τοῦ παιδὸς, καὶ τὴν τῆς παιδὸς ὄρχησιν. καὶ πρῶτον μὲν ὅτι ἐπῄνεσαν ὡς ὁ παῖς σὺν τοῖς σχήμασιν ἔτι καλλίων ἐφαίνετο, ἀντεπέδειξεν ὅτι κινοίη τοῦ σώματος ἅπαν τῆς φύσεως γελοιότερον. ὅτι δὲ ἡ παῖς εἰς τοὔπισθεν καμπτομένη τροχοὺς ἐμιμεῖτο, ἐκεῖνος ταὐτὰ εἰς τὸ ἔμπροσθεν ἐπικύπτων μιμεῖσθαι τροχοὺς ἐπειρᾶτο. *Acceſsit imitans pueri puellæque ſaltationem. & primùm quidem, quoniam id in puero laudauerant, quòd puer corporis compoſitione pulchrior videbatur, ille contra quodcunque membrum moueret, exhibebat naturali compoſitione deformius. quoniam verò puella retro inflexa rotas imitabatur, ille in anteriorem ſe partem incuruans rotas conabatur imitari.* Item: Οὐδὲ μὴν τό γε διαστρέφοντας τὰ σώματα, καὶ τροχοὺς μιμουμένους ἥδιον, ἢ ἡσυχίαν ἔχοντας τοὺς καλοὺς καὶ ὡραίους θεωρεῖν. *Neque verò iucundius eſt formoſos dum corpora verſant & rotas imitantur, quam dum quieſcunt intueri.* Nonnus libro 19. Dionyſiacon, verſu 275. Silenum ſaltantem ita deſcribit:

Καὶ βαλίῃ στροφάλιγγι παλιννόστοιο χορείης,
Ὕπτιος, αὐτοέλικτος, ἐκάμπτετο κυκλάδι τέχνῃ
Πεπταμένην ἐπίκυρτον, ἐς ἠέρα γαστέρα φαίνων.
Et criſpo flexu, chorea redeunte, ſupinus
Vertitur artificem per ſe reuolutus in orbem,
Expanſum oſtentat curuúmque ſub aëre ventrem.

Dictorum ſumma eſt poſſe per orbem ſaltatorium, vel illam corporis rotæ inſtar incuruati retroflexionem, vel pilam aut corynum (genus eſt pilæ maioris) quem Gabinius ſaltitando verſauerit. de quo genere ludi Apollonius Rhodius libro 4. verſu 950. videatur. Dici etiam poſſit ſaltatorios orbes rotulas quaſdam fuiſſe, quas inter manus in ipſa ſaltatione iactitarent. Xenophon in Sympoſio: Ὁρῶ γὰρ ἔγωγε τήνδε τὴν ὀρχηστρίδα ἑστηκυῖαν καὶ τροχούς τινα αὐτῇ προσφέροντα. ἐκ τούτου δὲ ηὔλει μὲν αὐτῇ ἡ ἑτέρα. παρεστηκὼς δέ τις τῇ ὀρχηστρίδι ἀνεδίδου τοὺς τροχοὺς μέχρι δώδεκα. ἡ δὲ λαμβάνουσα ἅμα τ' ὠρχεῖτο, καὶ ἀνερρίπτει δινουμένους, συντεκμαιρομένη ὅσον ἔδει ῥιπτεῖν ὕψος, ὡς ἐν ῥυθμῷ δέχεσθαι αὐτούς. *Vidi enim ſaltatricem ſtantem, & quendam rotulas ei offerentem. Deinde alia quidem ipſi accinebat, aliquis verò iuxta ſtans ſaltatrici ad duodecim rotulas exhibebat, illa verò his acceptis ſaltabat, & cum rotatione quadam ſurſum iaciebat, prauidens in quantam altitudinem eſſent iaciendæ, vt cum decoro & numeroſo corporis motu eas reciperet.* Atque hæ ſunt, ni fallor, volubiles illæ rotulæ, quæ ab Arnobio libro 4. aduerſus gentes inter cætera Veneris ἀθύρματα numerantur. *Talos, ſpeculum, turbines, volubiles rotulas, & teretes pilas, & virginibus aurea aſſumpta ab heſperidibus mala erat nobis conſilium præterire,* &c. Mihi venit in mentem hunc locum de trocho poſſe explicari. quo ludicri genere Græci potiſſimum ſe exercebant, vnde & Græcus trochus ab Horatio nominatur. Martialis libro 16. ep. 153.

An rotulæ quædam.

An trochus?

Trochus quid?

Inducenda rota eſt, das nobis vtile munus,
Iſte trochus pueris, at mihi canthus erit.

& ſequenti:

Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur?
Cedat vt argutis obuia turba trochis.

Nota trochum laxum orbem nuncupari. idem libro 11.

Quàm celer arguto qui ſonat ære trochus.

Propertius libro tertio, eleg.

Cum pila veloces fallit per brachia iactus
Increpat, & verſi clauis adunca trochi.

E quibus locis hanc Mercurialis adfert trochi deſcriptionem libro tertio artis gymnaſticæ. *Trochus, inquit, primò in publicis gymnaſiis aliiſve locis peragebatur. Secundò is annulum habebat, ſeu annulos, vt homines per viam ambulantes, ſonitu audito longiùs ab incurſu trochi cauerent. poſtremò ex ære conflabatur atque clauem aduncam habebat.* Hæc ille, de quibus Raderus in Martialem fuſiſſimè. Iam fortaſſe Cicero trochum huiuſmodi intelligit, quem Gabinius in ſaltatione verſauerit, præſertim cùm rotæ poſtea faciat mentionem, cum qua pila bellè comparari nō poteſt, trochus tam bellè vt apud Græcos à rota nomen inuenerit. Neſcio an huc trahere debeam quod ait Pindarus Olymp. Ode 9. Strophe 4.

Φῶτας δ' ὀξυρεπεῖ δόλῳ
Ἀπτῶτι δαμάσαις
Διήρχετο κύκλον, ὅσσᾳ
Βοᾷ, ὡραῖος ἐὼν, καὶ
Καλὸς, κάλλιστά τε ῥέξαις.

Addam corollarij loco ex Platonis Euthydemo volutionem in rota ſiue trocho, inter alia ſaltationum ludicrorúmque genera numerari: Καὶ εἰς μαχαίρας γε κυβιστᾶν καὶ ἐπὶ τροχοὺς δινεῖσθαι. *& in gladios ſaltare, & in rotis verſari.* Xenophon loco ſæpe laudato. Μετὰ δὲ τοῦτο κύκλος εἰσηνέχθη περίμεστος ξιφῶν ὀρθῶν. εἰς οὖν ταῦτα ἡ ὀρχηστρὶς ἐκυβίστα τε καὶ ἐξεκυβίστα ὑπὲρ αὐτῶν, ὥστε οἱ μὲν θεώμενοι ἐφοβοῦντο μή τι πάθῃ. ἡ δὲ θαρρούντως τε καὶ ἀσφαλῶς ταῦτα διεπράττετο. *Poſteà verò circulus directis gladiis obuallatus in medium prolatus eſt. In hunc ſaltatrix & ſaliebat & ſuper ipſos reſiliebat, adeò vt ſpectatores eius periculo percellerentur, hæc verò audacter & ſecurè id faciebat.* Immò non inſiliebant ſolùm in rotas, ſaltatrices, ſed etiam in iiſdem volutatæ ſcribebant, legebant & alia huiuſmodi ad miraculum faciebant. idem ibidem, ἐπεὶ δ' ἦισεν εἰσεφέρετο τῇ ὀρχηστρίδι τροχὸς τῶν κεραμεικῶν, ἐφ' οὗ ἔμελλε θαυματουργήσειν. *Poſtquàm verò cecinit rota figuli ad ſaltatricem allata eſt* (vocat Ribittus ſaltatorium orbem) *in qua miracula ſua erat editura.* Subdit: Τό τε ἐπὶ τοῦ τροχοῦ ἅμα περιδινουμένου γράφειν τε καὶ ἀναγιγνώσκειν θαῦμα μὲν ἴσως τί ἐστιν, ἡδονὴν δὲ οὐδὲ ταῦτα δύναμαι γνῶναι τί ἂν παρέχοι. *At verò ſuper rotam ſimul circumuolutam ſcribere & legere mirum fortaſſe fuerit; Quid autem hæc voluptatis afferant videre non poſſum.* Sed de hoc poſtremo ſaltationis genere non puto Tullium facere mentionem. Imò fortaſſe hæremus in expedito, & nodum in ſcirpo

Volutio in rotam.

Saltatio in rotam gladiis inſtructam.

quærimus, cùm ſimpliciter interpretari poſſimus *ſaltatorium verſare orbem*, circumagere ſe ſaltando, ſéque in orbem conuertere: quo ſenſu dixit Liuius lib. 4. *voluere orbem*, cùm enim dixiſſet, *circumagenti ſe ad diſſonos clamores, ac ſubitos tumultus hoſti*, ſubiecit: *Iam orbem voluentes ſuos increpans clara voce.* Vide.

IV. Globus fortunæ. FORTVNÆ ROTAM.] Alij globum fortunæ tribuerunt. Pacuuius 2. ad Herennium:

Saxóque illam inſtare globoſo prædicant volubilem.

Cebes Thebanus in tabula, & alij paſſim. Alij

Rota fortunæ. rotam fortunæ & Nemeſi dederunt, quæ Nemeſis ſiue Adraſtia, vt ait Ammianus lib. 24. *Vrnam ſortium temperat, accedentium vices alternans, voluntatúmque noſtrarum exorſa, interdum aliò quàm contendebant, exitu terminans, multiplices actus permutando conuoluit.* ei antiquitas *ſubdidit rotam vt vniuerſitatem regere per elementa diſcurrens omnia non ignoretur.* Nonnus lib. 48. verſu 377. de Nemeſi:

Καὶ τροχὸς αὐτοκύλιστος ἔλω παρὰ ποσὶν ἀνάσσης
Σημαίνων ὅτι πάντας ἀγήνορας ἐς πέδον ἕλκει
Ὑψόθεν εἰλυφόωσα δίκης ποινήτορι κύκλῳ.

Et rota per ſe voluta erat pro pedibus Reginæ
Significans quod omnes ſuperbos ad planum trahit
Deſuper conuoluens iuſtitiæ punitore circulo.

Iterum:

Ὡς τροχὸν αὐτοκύλιστον ἀγήνορα φῶτα κυλίνδει.

Vt rotam per ſe volutã ſuperbũ hominem verſat.

Hæc de Nemeſi de fortuna, (quæ eadem eſt, ſed Nemeſis reſpectu Dei, fortuna reſpectu hominum nominatur) Tibullus elegia 5. libri II.

Verſatur celeri ſors leuis orbe rota.

Boëtius 2. de cõſolatione philoſophica fortunam ita loquentem inducit, *rotam volubili orbe verſamus, infima ſummis, ſumma infimis mutare gaudemus.* quo loco vide pulcherrima. Ammianus lib. 26. *Eâ victoriâ vltra homines Procopius ſeſe efferens & ignorans quod quiuis Beatus, verſâ rotâ fortunæ ante veſperum poteſt eſſe miſerrimus.* & libro 31. *Interea & fortunæ volucris rota aduerſa proſperis ſemper alternans, bellonam furiis in ætatem adſcitis armabat.* Vides cacozeliam auctoris prætumidi, qui à Cicerone eum dicendi modum arripuit, qui à politioribus ingeniis & ſeculis penè cùm riſu exceptus eſt. huc enim ſpectauit auctor dialogi de oratoribus apud Tacitum: *Nolo irrideri rotam fortunæ, & ius verrinum, & illud tertio quoque ſenſu, in omnibus pro ſententia* (lego, *& illud tertio quoque verſu, in omnibus prope ſententiis*)

Vita humana ſimilis rotæ. *poſitum, eſſe videatur.* Hinc eſt quòd Anacreon vitam humanam rotæ comparauit:

Τροχὸς ἅρματος γὰρ οἷα
Βίοτος τρέχει κυλισθείς.

Similis rotæ volanti
Reuoluta vita currit.

Hippocrates epiſtola ad Demagetum in perſona Democriti: Νουθεσίη γὰρ αὐτάρκης ὑπάρχει ἡ τῶν πάντων μεταβολὴ ὀξεῖα τροπῇσιν ἐμπίπτουσα αἰφνίδιον τροχηλασίην παντοίην ἑλίσσουσα. Plautus Truculento, vt Lambinus & Ianus Guillelmus lib. 2. Veriſimilium cap. 17. emendant:

Vertit ſeſe rota viciſſim: ſtultus eſt qui id admiretur.

Hanc humanæ vitæ volubilitatem ſignificabat,

Rota apud Ægyptios. *per ſymbolũ rota illa voluta in Deorum fanis & tractâ apud Ægyptios.* Διὰ δὲ συμβόλων, ὡς ὁ στρεφόμενος ἐν τοῖς τῶν θεῶν τεμένεσιν ἑλκυσμένος παρ' Αἰγυπτίων. verba ſunt Dionyſij Thracij apud Clementem Alexandrinũ quinto ſtromatum. Libet duo Georgij Cedreni verbis ſubtexere: Ὁ Κῦρος αἰχμαλωτεύσας πολλοὺς βασιλεῖς, καὶ ἔχων αὐτοὺς ἐν φυλακῇ προσέταξε κατὰ ἑορτὴν τοῖς ὤμοις αὐτῶν σύρειν τὸ τετράιππον, ἅρμα ἐν ᾧ αὐτὸς ἐποχεῖτο· εἷς δὲ ἐκ τῶν βασιλέων ἐπιστρεφόμενος, συχνῶς ἑώρα τοὺς τροχοὺς ἀναβαίνοντας. ὃν θεασάμενος ὁ βασιλεὺς, καὶ θυμωθεὶς, ἤρετο τίνος χάριν πυκνῶς στρεφόμενος οὐκ ἐᾷ τὸ ἅρμα κατ' εὐθεῖαν τρέχειν; ὃ ὥσπερ μετὰ φόβου ἀπελογήσατο. τοὺς τροχοὺς ὁρῶν ἀναβαίνοντας καὶ καταβαίνοντας, ἐννοῶ τὸ ἄστατον τοῦ βίου πῶς τὰ κάτω ἄνω γίνονται, καὶ τὰ ἄνω, κάτω. ὅπερ ἀκούσας ὁ Κῦρος καὶ αἰδεσάμενος ἔλυσεν αὐτὸν, καὶ τιμήσας φιλοφρόνως ἀνεβίβασεν ἐν τῷ ἅρματι, καὶ ἐλευθερίας ἠξίωσεν οὐ μόνον αὐτὸν, ἀλλὰ καὶ τοὺς λοιπούς. Vertit Xylander: *Cyrus cùm multos haberet Reges captiuos, & in cuſtodia detineret, ſolemni quadam feſtiuitate, eos quadrigas quibus inuehebatur, humeris ſuis agitare iuſſit. eorum quidam crebrò reſpiciens, rotas ſpectauit ſurſum deorſúmque ſe circumuertentes: quod cùm animaduertiſſet Cyrus, indignabundus interrogauit: Quid ita ſubinde ſe conuertens rectum quadrigarum inceſſum auerteret? is timidè reſpondit ſe, cùm rotas ſurſum deorſúmque volui cernat, vitæ inſtabilitatem conſiderare, in qua ſumma ad imum deuoluuntur, ima ad ſummum euehuntur. Hoc audiens Cyrus atque animo reputans eum ſoluit, ac comiter honore affectum in quadrigas ſuſtulit, libertatéque & ipſum & reliquos donauit.* Alterum & prope ſimile de quodam Sultano Agarenorum, quẽ Rex Franciæ Ludouicus Balbus captiuum detinebat: quem Δολίχον perperam appellat: Ὁ δὲ Σολδάνος αἰχμάλωτος, ὡς εἴρηται, παρὰ τοῦ Ρηγὸς ληφθεὶς, καὶ ἐν Καπύῃ ἀχθεὶς ἐπὶ διετίαν ὅλην ἐνδιατρίψας, οὐδέποτε παρά τινος ὤφθη γελῶν. ὁ δὲ Ρὴξ τῷ καταφωράσαντι αὐτὸν γελῶντα πεποιηκότι, χρυσίου δόσιν κατεπηγγείλατο. προσήγγειλε δέ τις ποτε τῷ Ρηγὶ, γελῶντα τὸν Σολδάνον θεάσασθαι, καὶ τούτου παρείχετο μάρτυρα· ὃν καλέσας ὁ Ρὴξ τὴν μεταβολὴν τοῦ γέλωτος ἐπυνθάνετο. ὁ δὲ ἅμαξαν (φησὶ) κατιδὼν, καὶ τοὺς ταύτης κατανοήσας τροχοὺς, πῶς ὁ μὲν ταπεινὸς αἴρεται, ὁ δὲ μετέωρος ταπεινοῦται, καὶ ὡς εἰκόνα ταύτην λαβὼν τῆς ἀσταθμήτου καὶ ἀβεβαίου τῶν ἀνθρώπων εὐδαιμονίας, ἐγέλασα. ἅμα μὲν ἐνθυμηθεὶς πῶς ἐφ' οὕτως ἀβεβαίῳ πράγματι ἐπαιρόμεθα, ἅμα δὲ καὶ οὐκ ἀδύνατον οἰηθεὶς τὸ καὶ ἐμὲ, ὥσπερ ἐκ μετεώρου γέγονα ταπεινὸν, οὕτως καὶ ἐκ τοῦ χαμερποῦς ἐνδέχεται πάλιν ἀρθῆναι πρὸς τὸ μέγεθος. τούτων ἀκούσας ὁ Ρὴξ καὶ ἔννοιαν τῶν οἰκείων λαβὼν, συνετόν τε τὸν ἄνδρα λογισάμενος, διά τε τὴν προηγηθεῖσαν ἀρχὴν, καὶ τὸ γῆρας, καὶ τὸ εὐτυχίας τε ἅμα καὶ δυστυχίας πειραθῆναι, παρρησίας τε μετεδίδου αὐτῷ, καὶ συνδιαιτήσεως. *Soldanus autem à Rege Franciæ Capuam captiuus abductus, toto biennio nunquam ridere viſus eſt. Itaque Rex ei qui effuſum Soldano riſum concitaſſet, aureum munus promiſit. cùm autem quidam Regi narraret, vidiſſe ſe Soldanum ridentem, teſtémque rei produxiſſet, vocauit ad ſe Rex Soldanum, cauſámque mutationis quæſiuit. ibi Soldanus, currum, inquit, contemplabar, eiúſque rotas, vt earum aliæ partes in imum, aliæ in ſummum obuerterentur: atque hanc ego incertæ inconſtantiſque hominum fœlicitatis imaginem ſentiens, riſi: cúmque in mentem mihi veniret, quàm inſtabili nos de re ſuperbiremus: tum ſimul etiam hoc fieri poſſe iudicans: vt quomodo ex ſummo infimus ſum factus, ita ex humili rurſum loco ad primum attollar faſtigium. His auditis Rex & ſuo quoq. ſtatu cogitans, Soldanúmque & ob geſtum ante Imperium, & ob ſenectutem, & ob vtriuſq;*

que fortunæ peritiam virum iudicans ſapientem, liberè poſtmodo ſecum congredi ac verſari permiſit. hoc loco:

Tres mihi conuiuæ prope diſſentire videntur.

Scio fore vt viri docti hanc pugnam multâ damnoſam papyro nolint excreſcere, nec diutiùs circa fortunæ rotam me velint,

Aut circa vilem patulúmque morarier orbem.

vt Semidocti Latina Græcis ſubiuncta, indocti Græca faſtidiant: ſed quiſque quod nauſcam pariet, relinquat, id ſibi ſumat, quod palato magis arriſerit. Docti facilè mihi ignoſcent imperitiorum commodis ſeruienti, indocti Græca prætermittent, ſcioli vel carpent, vel Latina ſe præterire ſimulabunt.

v. Petronius cõcinnus Helluo. CONCINNVS HELLVO.] Talis Petronius Arbiter à Tacito annalium 16. deſcribitur: *Habebatúrque non ganeo & profligator, vt pleríque ſua haurientium, ſed erudito luxu. inter paucos familiarium Neroni aſſumptus eſt elegantiæ arbiter, dum nihil amœnum, & molle affluentiâ putat, niſi quod Petronius approbauiſſet.* Sed ne infamem, & Nerone dignum arbitrum laudare videar, operæpretium eſt Ixionem noſtrum, ΟΥ μὴ τοι πρέπειεν ἐκ τῆς τελλῆς ἐξαγαγεῖν, ἢ τῷ τροχῷ προσηλῶσαι, quod de ſuo dicebat Eurypides. is igitur ab ipſo Nerone iuſſus venas exoluere, cùm iam ſibi præciſa vena mortem in præcordiis conceptam contineret, *Audiebat referentes nihil de immortalitate animæ & ſapientium placitis, ſed leuia carmina & faciles verſus.* En quam infœlicem exitum impudicitia ſortiatur. Quod ad *concinnum* ſpectat, *Proprietas verbi hæc eſt*, vt ait Nonnius, *quod apud veteres cinnus potionis genus ex multis liquoribus confectum dici ſolet.*

vi. Muſicus. MVSICVS.] Saltandi peritus & ſymphoniæ. Muſis enim ab Heſiodo choreæ tribuuntur. adde quod muſicæ nomen non ſolùm quadrat in ſaltatores, ſed etiam in Helluones lautos, & elegantes Plautus in moſtellaria ſcena *Melius anus.*

Muſæ nomen vndæ.

Muſicè hercle agitis ætatem ita vt vos decet
Vino & victu, piſcatu probo, electili
Vitam colitis.

Porro quod ad muſarum nomen ſpectat Plato in Cratylo: Μούσας ἀπὸ τοῦ μῶσθαι καὶ τῆς ζητήσεως à verbo μῶσθαι, & inquiſitione nomen habere exiſtimat. Syneſius in Dione: Τὸ δὲ Μούσας οὐχ ὁμοῦ τι οὔσας ἐμφαίνει τὸ ὄνομα θεῶν κελευσάντων, ἢ ἀνθρώπων γε θεοῦ φήμῃ χρωμένων, χορὸς τέ εἰσι δι' αὐτὴν δή που τὴν συνοδον. *Muſas tanquam ſimul exiſtentes ipſum nomen oſtendit, Diis ita iubentibus, aut hominibus Dei ipſius voce compulſis, chorúmque conſtituunt propter iſtud vtique conuentum.* Non ineptè fortaſſe quiſpiam ab Hebraïco fonte deduxerit, ſiquidem מוסר apud Hebræos diſciplinam ſignificat. Iacobus Nicolaus Loënſis lib. 9. Epiphyllidum cap. 4. citatis Plauti verbis, *Muſicè ætatem agitis*: putat vitam luxurioſam indicari, & diſſolutam, nihílque de craſtino ſollicitam, quòd tali ſtudio dediti plerumque perditam vitam agant. Ariſtoteles de Dionyſiacis artificibus: Ἐν ἀκρασίαις τὸν πολὺν χρόνον εἰσί. *Magnam ætatis partem intemperantiâ traducunt.* Noſter *muſicum* appellat Helluonem, non illum quidem ſordidum, & lutulentum, qualis Piſo deſcribitur, ſed concinnum & elegantem, & nitore potiùs quàm ſordib. gaudentem. Plutarchus Præceptis ſanitatis: Μουσικοῦ καὶ λιτοῦ δεῖπνον. *Muſica & tenuis cœna.* Quæſtionum conuiualium lib. 6. Μουσικῶς καὶ ἀφελῶς. *Muſicè & parcè.* Athenæus lib. 10. Ἑστιαθεὶς ἀφελῶς καὶ μουσικῶς. *Muſicè & parcè conuiuio exceptus.* Euphron Comicus: ἅλας δοὺς μουσικῶς. *Salem dans muſicè.* E quibus vides helluonem muſicum dici, cui non ſumptus & temulentia, ſed nitor & elegantia dominatur. Sic Orator 2. de finibus aſotos in duo genera §. 23, Alij ſordidi & iacentes in ganearum fœtore: *qui in menſam vomant, & qui de conuiuiis auferantur, crudíque poſtridiè ſe rurſus ingurgitent: qui ſolem, vt aiunt, nec occidentem vnquam viderint, nec orientem: qui conſumptis patrimoniis egerant.* Alij muſici, concinni, *elegantes, optimis cocis, piſtoribus, piſcatu, aucupio, venatione, his omnibus exquiſitis, vitantes cruditatem, quibus vinum diffuſum è pleno ſit œnophoro, vt ait Lucilius, cui nihil dempſerit nix, nec ſacculus abſtulerit: adhibentes ludos & quæ ſequuntur*, &c. *adſint etiam formoſi pueri, qui miniſtrent: reſplendeat his veſtis, argentum, æs Corinthium, locus ipſe, ædificium.* Secutus ſum emendationes Lambini.

GRÆCORVM.] Nota Græcorum temulentia. Verrina de legatione Verris 66 *Adueniunt: diſcumbitur. fit ſermo inter eos & inuitatio vt Græco more biberetur: hortatur hoſpes: poſcunt maioribus poculis, celebratur omnium ſermone lætitiáque conuiuium.* Scribit Aſconius *Græco more* potare quibuſdam nihil aliud eſſe, quàm potare *Grandibus poculis & meracis potionibus.* Quam interpretationē ipſe non probat. *Eſt autem Græcus mos vt Græci dicunt, cùm merum cyathis libantes ſalutant primò Deos, deinde amicos ſuos nominatim. Nā toties merū bibunt, quoties & deos & charos ſuos nominatim vocant.* Ad quem morem alluſit Tibullus lib. 2. el. 1. vii.

Sed bene Meſſalam ſua quiſque ad pocula dicat,
Nomen & abſentis ſingula verba ſonent.

Vide Lyricum lib. 3. carm. ode 19. Plautū in Sticho, & alios. Certè Græci moris vt ad irritandam ſitim variis poculis vterentur. queritur D. Baſilius homilia contra temulentos: Κοσμοῦσιν ἑαυτῶν τὰ συμπόσια τάπησι ποικίλοις, καὶ αὐλαίοις παραπετάσμασι, σπουδήν τι καὶ ἐπιμέλειαν εἰς τὴν τῶν ἐκπωμάτων παρασκευὴν ἐπιδεικνύωνται, ψυκτῆρας καὶ κρατῆρας, καὶ φιάλας ὡς ἐν πομπῇ τινι καὶ πανηγύρει διαθέντες, ὡς ἂν τὸ τῶν ἀγγείων διάφορον τὸν κόρον αὐτοῖς ἀποκλείῃ· καὶ ἡ τῶν ἐκπωμάτων ὑπαλλαγὴ, καὶ μετάβασις ἐπὶ πλεῖον αὐτοῖς εἰς τὸ πίνειν διατριβὴν ἐμποιῇ. *Sua conuiuia tapetibus variis & aulæis ornāt, in hoc omnem curam & diligentiam oſtendunt, vt pocula comparent, vaſa refrigeratoria, crateras & phialas ſicut in pompa quadam & feſta die ponentes, vt vaſorum varietas, pulchritudóque ſatietatem excludat, & poculorum mutatio, ex vnóque ad aliud tranſitio longiùs eorum compotationem extendat.* Hæc ille & alia ſuorum Græcorum temulentiam deplorans. Certè, vt auctor eſt, Feſtus, *Pergræcari eſt epulis & potationibus inſeruire. Titinnius. Hominem improbum: nunc ruri pergræcatur.*

LAPITHARVM AVT CENTAVRORVM.] Maro 2. Georg. viii.

Bacchus & ad culpam cauſſas dedit: ille furentes
Cētauros letho domuit, Rhœtúmque, Pholúmque
Et Magno Hylæum Lapithis cratere minantem.

Sed vide Homerum Odyſſ. φ.

Οἶνος σε τρώει μελιηδὴς, &c.

Naſonem Metamorph. & alios.

EFFVDERIT.] De varia vini effuſione 2. Philippica §. 88. ad illa verba, *Natabant pauimenta vino.* ix.

AXIOMA.

Intemperans nihil agit homine libero dignum.

Piſo Conſulis nomine indignus à §. 23. ad 31.

- ab ipſa natura Conſulatus. 23. qui non conſiſtit
  - in externis, quæ in Piſone fuerunt
    - lictoribus.
    - prætexta.
  - ſed in internis, quibus caruit Piſo
    - conſilio.
    - fide.
    - grauitate.
    - vigilantia.
    - cura.
    - toto munere conſulatûs.
- à relatione Conſulis ad Senatum non eſt Conſul qui Senatum in Republ. eſſe non putauit. 23. quod probatur
  - à maiori. Ne Reges quidem Romæ ſine Senatu eſſe potuerunt.
  - Ergo multò minùs Conſules Romæ ſine Senatu eſſe poſſunt.
- à ſceleribus Clodianis, quibus paſſus eſt vexari Rempub. 23.
- à contrariis. 24.
  - Fuit latro, prædo, hoſtis, proditor, tyrannus.
  - Ergo non fuit Conſul.
- à Piſonis leuitate & animi anguſtiis. 24.
- à maieſtate Conſulatûs. 24.
- à minori. 24. 25. Iudicatus eſt Piſo indignus duumuiratu Capuano. comparatione
  - Decij Magij.
  - Taureæ Iubellij.
- ab effectis. 26.
  - domum Ciceronis incendi permiſit. 26.
  - Socrus ſuæ domum ad exportandam patefecit.
  - Cùm iuberetur reuocare Ciceronem metuere ſe dicebat legem Clodij, quam nemo ſeruandam putabat
    - latam per vim.
    - inuſtam per ſeruos.
    - impoſitam per latrocinium. 30.
- à Iudicio
  - totius ciuitatis. 27.
    - nemo ei paruit.
    - nemo aſſurrexit.
    - nemo proſecutus eſt exeuntem in prouinciam. 31.
  - Senatûs, qui Conſulenti reſpondere noluit niſi priùs, de Ciceronis reditu retuliſſet.
- à comparatione Gabinij. 27. 28.
  - Gabinius collegit ipſe ſe, & deſeruit partes Clodianas.
  - Piſo manſit obſtinatus.

ARGVMENTVM.

Hactenus ita ſe Piſoni, vt Conſulem Conſuli comparauit, & quaſi eum verè fuiſſe Conſulem admitteret, nunc ſequentibus octo paragraphis probare contendit Piſonem, ne Conſulis quidem nomine eſſe decorandum, cùm ne quidem tanquam truncus atque ſtipes, poſſet ſuſtinere titulum Conſulatûs.

XXIII. TV etiam mentionem facies Conſulatus tui? aut te fuiſſe Romæ Conſulem dicere audebis? quid? tu in lictoribus, in toga, & prætexta eſſe Conſulatum putas? quæ ornamenta etiam in Sex. Clodio, te Conſule, eſſe voluiſti. Huius tu Clodiani canis, inſignibus Conſulatum declarari putas? animo Conſulem eſſe oportet, conſilio, fide, grauitate, vigilantia, cura, toto denique munere Conſulatus. ego Conſulem eſſe putem, qui Senatum eſſe in Republica non putauit? & ſine eo conſilio Conſulem numerem, ſine quo Romæ ne Reges quidem eſſe potuerunt? Etenim illa iam omitto. cùm ſeruorum delectus haberetur in foro: arma in templum Caſtoris luce, & palam comportarentur: id autem templum, ſublato aditu, reuulſis gradibus à coniuratorum reliquiis, atque à Catilinæ, præuaricatore quondam tum vltore, armis teneretur: cùm equites Romani relegarentur, viri boni lapidibus è foro pellerentur, Senatui non ſolùm iuuare Rempublicam, ſed ne lugere quidem liceret, cùm ciuis is quem hic ordo aſſentiente Italia, cunctíſque gentibus, conſeruatorem patriæ iudicarat, nullo iudicio, nulla lege, nullo more, ſeruitio, atque armis pelleretur, non dicam auxilio veſtro, quod verè licet dicere, ſed certè ſilentio: tum Romæ fuiſſe Conſules quiſquam exiſtimabit?

EXPLANATIO.

TV ETIAM.] Hic eſt ſyllogiſmus.

Conſul non eſt qui ſolùm faſces & lictores, & prætextam habet.

Sed tu præter lictores & prætextam nihil Conſulis habuiſti.

Ergo Conſul non fuiſti.

Propoſitio ſic oſtenditur.

Conſul non eſt qui ſolùm habet ea quæ tu in Sexto Clodio homine indigniſſimo fuerunt.

Sed hæc ornamenta (lictores, prætextam) in Sexto Clodio eſſe voluiſti.

Ergo Conſul non eſt qui ſolùm lictores & prætextam habet.

Aſſumptio prioris ſyllogiſmi toto ſequentium octo paragraphorum decurſu fusè oſtenditur, hoc veluti ſyllogiſmo.

Conſul debet conſulere patriæ, amare Senatum, ſeditiones ſedare, &c.

Sed tu præter lictores & prætextam horum nihil habuiſti.

Ergo, &c.

ETIAM IN SEXTO CLODIO.] Tu cùm in Calendas Ianuarias compitalitiorum dies incidiſſet, Sextum Clodium, Pub. Clodij ſcribam, hominem impurum, qui nunquam anteà prætextatus fuiſſet, ludos facere, lictores habere, & prætextatum volitare paſſus es, atque his verbis aſſumptio ſecundi ſyllogiſmi, ſequentibus *huius tu Clodiani*, &c. *putas*. eiuſdem propoſitio continetur.

CLODIANI CANIS.] Huius Sexti Clodij qui canis inſtar ſequutus eſt in vexanda Republ. bonis allatrandis, & morſu appetendis P. Clodij veſtigia. alij legunt, *his tu Clodiane canis*. & per Clodianum canem L. ipſum Piſonem intelligunt. qui canis inſtar blandiendo à P. Clodio Macedoniam impetrauit.

ANIMO.] Aſſumptio tertij ſyllogiſmi, qua oſtendit, quibus partibus & numeris, qui verè Conſul & eſſe, & dici velit, debeat eſſe abſolutus.

TOTO DENIQVE MVNERE CONSVLATVS, OMNI OFFICIO.] Vereor vt τὸ *omni officio* gloſſema ſit, quod in textum irrepſerit. nam præter quam quòd idem eſt ac *toto munere* particula *denique* ſatis indicat ibi periodum terminari. at Ianus Guillelmus in Truculentum Plauti cap. 5. non ſolùm retinet *omni officio*, ſed etiam addit è manuſcripto Turingico. *Omni officio tuendo, maximéque, id quod vis ipſa præſcribit, Reip. conſulendo.* quam ille lectionem ſic & probat, & exponit. *Et quis ille Carneades, qui hæc Ciceronis ſint an gloſſographorum in dubium vocet? vim ipſam præſcribere ait, vt Conſul Reip. conſulat, ſcilicet quia inde ſic nominatur.*

Attius. *Qui rectè conſulat, Conſul fuat.*

At Ianus Grutterus è Palatino ſecundo ſic edidit: *Omni officio tuendo, maximéque, id quod vis nominis ipſa præſcribit, Reip. conſulendo.*

EGO CONSVLEM.] Quæ ſequuntur omnia, eò referuntur, vt, quod in tertio ſyllogiſmo aſſumptum eſt, probet Piſonem præter lictores, & prætextam nihil Conſulis habuiſſe, hîc ſic argumentatur.

Conſul non poteſt eſſe Senatu ſublato.

Sed tu Senatum de Republica ſuſtuliſti.

Ergo Conſul non fuiſti.

Propoſitionem probat à minori ad maius.

Conſul non poteſt eſſe ſine Senatu, ſi ne Reges quidem ſine illo eſſe potuerunt.

Sed Reges ſine publico conſilio eſſe non potuerunt.

Ergo nec Conſul.

PRÆVARICATORE.] P. Clodio qui quondam fingens ſe accuſare Catilinam de repetundis, non verè & ex animo accuſarat, ſed tantùm cum eo colluſerat, tum vltore & mihi ob mortem coniuratis illatam exilium irrogante.

REVVLSIS GRADIBVS.] Ne cui, qui ferente leges Clodio, obnuntiare, intercedere aut aliquo modo vellet impedire, daretur introitus. pro Sextio. pro domo.

CVM EQVITES ROM. RELEGARENTVR.] Synecdoche, numerus pluralis pro ſingulari. cum Gabinius Lu-ium Lamiam *in concione relegauit: edixítque vt ab vrbe abeſſet mille paſſus, quòd eſſet auſus pro ciue, pro bene merito ciue, pro amico, pro Repub. deprecari.* pro Sextio 29.

VIRI BONI LAPIDIBVS E FORO PELLERENTVR.] pro Sextio. *armati homines forum & conciones tenebant: cædes, & lapidationes fiebant.*

NOTÆ.

I. Primo loco ponenda fuit.

LICTORIBVS.] Manutius in §.8. *Docet hic locus magiſtros quoque ludorum prætexta vti ſolitos eſſe: lictoribus vix adducor vt credam: quamquam infrà ſcriptum videam: Quid tu in lictoribus, in toga prætexta,* &c. non video tamen quid eum in hanc dubitationem adduxerit. nam magiſtris vicorum, qui ludos compitalitios ex officio videntur edidiſſe, ſui fuere lictores, vt & ſuperiùs ex Dione iam oſtendimus libro 55. Καὶ σφίσι καὶ τῇ ἐσθῆτι τῇ ἀρχικῇ καὶ ῥαβδούχοις δύο ἐν αὐτοῖς τοῖς χωρίοις ὧν ἂν ἄρχωσιν, ἡμέραις τισὶ χρῆσθαι ἐδόθη. *Et iis tum prætexta tum lictoribus duobus quibuſdam diebus, iis in locis quibus præſunt, vti conceſſum eſt.* Quod mirum non eſt, ſi illi quantulicunque magiſtratus, lictoribus vſi fuerint, cum eos priuatis habere licuerit iis diebus, quibus ludos funebres edebant. Horatius:

Magiſtri vicorum ſuos lictores habuerunt.

-cùm ficus prima calórque
Deſignatorem decorat lictoribus atris.

II. Prætexta nobilitatis nota.

IN TOGA ET PRÆTEXTA.] Hæc erant Conſularis poteſtatis inſignia. Tertullianus lib. de Idololatria: *Penes nos quoque fideles, ſi neceſſe fuerit, poterit & pueris prætexta concedi, & puellis ſtola, natiuitatis inſignia, non poteſtatis, generis non honoris, ordinis non ſuperſtitionis. Cæterum purpura vel cætera inſignia dignitatum & poteſtatum inſertæ dignitati & poteſtatibus idololatriæ ab initio dicata, habent profanationis ſuæ maculam: cùm præterea ipſis etiam idolis, in quantum prætextæ & trabeæ, & laticlaui, faſces quoque & virgæ praferantur. & meritò. nam dæmonia magiſtratus ſunt ſeculi huius, vnius collegij inſignia faſces & purpuras geſtant.* Ex quo loco vides triplicem eſſe prætextam, Deorum, magiſtratuum, puerorum. de lictoribus alibi. nunc ſatis fuerit prætextam Conſularem, à toga picta, & tunica palmata diſtinguere. tunica palmata purpurea fuit, & palmarum aureis foliis diſcriminata. vnde & Dionyſius lib. 3. eam χιτῶνά τε πορφυροῦν χρυσόσημον appellat, toga picta fuit item purpurea, ſed variis figuris aliiſque coloribus aulæi cuiuſdam inſtar diſtincta. vnde & è Iuuenale aulæa togæ pictæ nominantur:

Prætextæ Deorum.

Magiſtratuũ puerorum.

Tunica palmata.

Toga picta.

In tunica Iouis, & picta Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa toga.

Lineis autem candicantibus & figuris fuiſſe diſtinctam, liquet ex Seruio, quod his verbis memini me aliquando complecti.

-Prætori Phrygiæ Sarrana fluebant
Ex humeris aulæa togæ, cum præpete curſu
Mitteret effuſos biiugo certamine currus.
Læta triumphales exornat purpura currus,
A Patribus murex equitem diſcriminat, omni
Prætexta radiat murex incoctus, honorat
Ille Magiſtratus, pueriļibus ille renidet
Veſtibus & lato texit diſcrimina clauo.

Quæ ſequuntur, non tam de toga picta, quàm de trabæa Conſulum, augurum, Deorum.

Purpurei Reges mixto candore rubeſcunt.
Anguribus mixto radiatur purpura cocco,
Imbuit æthercam Diuûm mera purpura veſtem.

Vnde & à Dionyſio ibidem περιβόλαιον πορφυροῦν ποικίλον, *tegumentum purpureum variegatum* nominatur. Feſtus tamen videtur diſcrepare. *Picta quæ nunc toga dicitur purpurea antea vocitata eſt, eáque erat ſine pictura. eius rei argumentum eſt, pictura in æde Vertumni & Conſi, quarum in altera M. Fuluius Flaccus, in altera L. Papyrius Curſor triumphantes ita picti ſunt. Tunica autem palmata à latitudine clauorum dicebatur, quæ nunc à genere picturæ appellatur.* At togam prætextam idem Dionyſius libri quarti verbis extremis, Λευκὴν ἐσθῆτα περιπόρφυρον, *Candidam veſtem purpureo limbo circundatam* appellat. Tunicâ palmata Reges quidem & toga picta ſingulis diebus vti conſuerant. at Conſules eodem auctore, iis non vtebantur, Πλὴν ὅταν ἐκ πολέμου νίκην κατάγοντες θριάμβου παρὰ τῆς βουλῆς ἀξιωθῶσι. τότε δὲ χρυσοφοροῦσι καὶ ποικίλοις ἁλουργίσιν ἀμφιέννυνται. *Niſi cùm è bello victoribus ius triumphi ab Senatu conceditur, tunc enim aurum geſtant, & variegata purpura induuntur.* Et libro 4. Iunius Brutus de inſtitutione Conſulatus diſſerens, auferri iubet ex Regiis ornamentis: Τὰς ἁλουργεῖς καὶ χρυσοσήμους ἀμπεχόνας, πλὴν εἰ μὴ κατὰ καιρούς τινας ἑορτασίους καὶ ἐν πομπαῖς θριάμβων, ὅτι αὐτὰ τιμῆς θεῶν ἕνεκα λήψονται. *Purpureas & auro pictas togas, niſi certis feſtorum temporibus, & in triumphis, cum ea in Deorum honorem aſſumunt.* At prætexta ſingulis diebus idem eodem loco vſos fuiſſe non obſcurè teſtatur. Fuit & alia diuerſitas. tunicam palmatam & togam pictam penes ſe non habebant. Iulius Capitolinus in Gordiano: *Palmatam tunicam & togam pictam primus Romanorum priuatus ſuam propriam habuit, cùm antè Imperatores etiam de Capitolio acciperent, vel de Palatio.* At prætextam etiam priuati penes ſe retinebant, vnde & ille verſus, quem vt inſulſum ridet Fabius:

Tunicam palmatam & togam pictam priuati propriam penes ſe non habebant.

Prætextam in ciſta mures roſere Camilli.

Id eſt, tamdiu differtur Camillus in magiſtratus adeptione, vt prætextam quam ad ineundos magiſtratus paratam in ciſta ſeruabat, mures arroſerint. vnde & intelliges illum Lampridij locum in Alexandro: *Prætextam & pictam togam nunquam niſi Conſul accepit. & eam quidem quam de Iouis templo alij quoque accipiebant, aut Prætores, aut Conſules.* Hæc inquam vertit, *& eam quidem,* &c. non de prætexta, ſed de ſola toga picta intelliges, nam ſubiungitur, *accepit prætextam etiam cùm ſa-*

Prætextam habere poterant.

cra faceret, ſed loco Pontificis maximi non Imperatoris. Ex quibus & aliam eruo diſtinctionem, ſi primam prætextæ ſpectemus originem: *Prætexta Prætoribus & Conſulibus vota quædam nuncupantibus datum eſſe vti: item votum ſoluentibus aliquod.* Vt Scaliger apud Feſtum legendum eſſe putat inductus tenuibus quibuſdam mutilatæ ſcripturæ veſtigiis. vnde colligit vſum prætextæ magiſtratibus conceſſum non tam iure magiſtratûs, quàm ludorum cauſsâ. at togâ pictâ & tunicâ palmatâ Reges vtebantur, non tam ſacrorum cauſſâ quàm iudicio regiæ dignitatis. Dionyſius loco citato, Χιτῶνά τε πορφυροῦν χρυσόσημον, καὶ περιβόλαιον πορφυροῦν, οἷα Λυδῶν τε καὶ Περσῶν ἐφόρουν οἱ βασιλεῖς, πλὴν οὐ τετράγωνόν γε τῷ σχήματι, καθάπερ ἐκεῖνα ἦν, ἀλλ' ἡμικύκλιον. *Tunicam purpuream auro pictam, & indumentum purpureum, qualia Lydorum & Perſarum Reges ferebant, niſi quòd quadratum non eſt figura, inſtar Perſicorum, ſed ſemicirculare.* Et eam ob cauſam cùm Regem aliquem nominarent, ea munerum loco mittebant cum aliis Regni inſignibus. Sic apud Liuium lib. 30. Scipio Maſſaniſſam *Aurea corona, aurea patera, ſella curuli & ſcipione eburneo, toga picta & palmata tunica donat.* Tacitus 4. annalium: *Repetitus ex vetuſto mos, miſſúſque è Senatoribus qui ſcipionem eburneum, togam pictam, tunicam palmatam, antiqua Patrum munera daret* (Ptolemæo) *Regémque & ſocium atque amicum appellaret.* Tamen ni fallor, eiectis Regibus ratio ſic in contrarium planè mutata eſt, vt prætexta magiſtratus iure, toga picta & palmata ludorum cauſſâ vſi fuiſſe videantur, quaſi Romani, quod de aliis loquens tradit Plutarchus in quæſt. Rom. 63. *Regnum à Repub. penitùs depulſum ſolâ Deorum & religionis cauſſâ ſuſtinerent.* Ὅπως μόνον ἐν τοῖς ἱεροῖς βασιλεύεσθαι δοκῶσι καὶ βασιλείαν διὰ τοὺς θεοὺς ὑπομένειν. Vnde, vt ex Dionyſio dicebam ſolùm in ludis & ſacrificiis toga picta & tunica palmata Conſules vti conſuerant, cùm prætextæ vſum iure magiſtratûs & perpetuum obtinerent. Plutarchus ibidem quæſtione 81. Διὰ τί περιπόρφυρον ὁ δήμαρχος οὐ φορεῖ τῶν ἄλλων ἀρχόντων φορούντων; *Cur prætexta Tribunusplebis non vtitur aliis vtentibus?* Reddit hanc inter cæteras rationem, Ἢ τὸ παράπαν, οὐδὲ ἔστιν ἄρχων; οὐδὲ γὰρ ῥαβδούχους ἔχουσι, οὐδὲ ἐπὶ δίφρου καθήμενοι χρηματίζουσιν, οὐδὲ ἔτους ἀρχῇ καθάπερ οἱ λοιποὶ πάντες, ἄρχοντες εἰσίν, οὐδὲ παύονται αἱρεθέντος. &c. *An quia omnino magiſtratus non eſt? nam neque lictores habet* Tribunusplebis, *neque pro Tribunali ſedens reſponſa dat, neque initio anni, quod alij ſolent magiſtratus, ineunt, neque Dictatore creato abdicant magiſtratum.* Prætexta igitur inſigne fuit magiſtratuum & præcipuè Conſulatûs. vnde Aurelianus Iouem Conſulem prætextatum voluit effingere. Vopiſcus in Firmo: *Ipſe quoque dicitur habuiſſe duos dentes elephanti pedum denûm, è quibus Aurelianus ipſe ſellam conſtituerat facere additis aliis duobus, in qua Iuppiter aureus & gemmatus ſederet, cum prætexta ponendus in templo Solis Appenninis ſortibus additis, quem appellari voluerat Iouem Conſulem Conſulenrem, ſed eoſdem dentes poſtea Carinus mulieri cuidam donauit, quæ lectum ex eis feciſſe narratur.* Iam pauci videndum eſt quæ ſit à lato clauo diſtinctio. in hoc ſanè conueniebant, quòd prætexta eſſet è purpura, item & clauus. Iuuenalis:

Prætexta magiſtratibus conceſſa non tam iure magiſtratus quã ſacrorum.

Quæ munera Regibus mitteret Senatus.

Latus clauus.

Quid confert purpura maior

Optandum. --

Martialis:

Purpura te felix, te colit omnis honor.

Vbi nomine purpuræ vterque latum clauum intelligit. licet aliquando clauus aureus Vopiſcus in Tacito: *auro clauatis veſtibus idem interdixit.* Prætexta extremam veſtis oram obibat, obibat & clauus, vt paulò poſt ex Fabij verbis eruetur. Hæc autem primò erat diuerſitas, quòd toga prætexta diceretur, vt iam ſuperiùs oſtenſum eſt, tunica clauata Quintilianus libro 11. cap. 3. *Cui lati claui ius non erit, ita cingatur vt tunicæ prioribus oris infra genua paulum, poſterioribus ad medios poplites vſque perueniant, nam infrà mulierum eſt, ſupra centurionum. Vt purpuræ rectè deſcendant leuis cura eſt, notatur interim negligentia. latum habentium clauum modus eſt, vt ſit paulùm cinctis ſummiſsior.* Varro libro 8. *Si quis tunicam in vſu ita conſuit, vt altera plagula ſit anguſtis clauis, altera latis, vtraque pars in ſuo genere caret analogia.* Idem Modio apud Nonnium: *Iſtorum vitrea toga ostentant tunica clauos.* Liuius libro 30. *Munera quæ legati ferrent Regi decreuerunt, ſagula purpurea duo, cum fibulis aureis ſingulis & lato clauo tunicis.* Clauus inſigne generis fuit & nudæ dignitatis, prætexta vicorum magiſtratus & poteſtatis, vt latus clauus magiſtratuum adeptionem præcederet. Suetonius in Tiberio cap. 35. *Senatori latum clauum ademit, cùm cognouiſſet ſub Calendas Iuly demigraſſe in hortos, quò viliùs poſt diem ædes in vrbe conduceret.* Et in Auguſto cap. 38. *Liberis Senatorum quò celeriùs Reipubl. aſſueſcerent, protinus virilem togam latum clauum induere & curiæ intereſſe permiſit.* Mox: *Binos plerumque laticlauios ſingulis præpoſuit alis.* Prætexta fuit limbus perpetuus non interruptus, extremam togæ oram ambiens, quæ ni fallor à Marone deſcribitur:

Prætexta togæ.

Clauus tunicæ.

-quam plurima circum

Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit.

Latus clauus erant maculæ quædam purpureæ, quæ extremam tunicæ partem, vt ſic loquar inoculabant, cum & à ſimilitudine clauorum nomen acceperit. Vnde & mappæ floribus quibuſdam aut ſtellulis, clauorum capitatorum inſtar variatæ, clauatæ dicebantur. Petronius: *Circaque oneratas veſte ceruices laticlauiam miſerat mappam fimbriis hinc atque illinc pendentibus.* Martialis:

Mappæ clauatæ.

Et lato variata mappa clauo.

Ælius Lampridius in Alexandro Seuero: *Conuiuium neque opimum, neque nimis parcum, ſed nitoris ſummi fuit, ita tamen vt pura mantilia mitterentur. ſæpiùs cocco clauata, aurata verò nunquam, cùm hæc Heliogabalus iam recepiſſet; & antè, vt quidam prædicat, Adrianus.* Quamuis nonnunquam tunicis præſertim matronarum non clauatas roſiſque ſiue ſtellulis aureis purpureiſque peiſperſas, ſed belluatas & aulæorum inſtar hominum figuris vel nominum inſcriptionibus diſcriminatas fuiſſe reperio. Trebellius in Quieto. qui fuit vnus ex triginta Tyrannis de Macrianorum familia diſſerens: *Alexandrum Magnum Macedonem viri in auro & argento, mulieres in reticulis & dextrocheriis, & in annulis, & in omni ornamentorum genere exſculptum ſemper habuerunt. eo vſque vt tunicæ & limbi & penulæ matronales in familia eius hodiéque ſint,* quæ

Tunicæ matronarum pictæ & belluatæ.

quæ Alexandri effigiem delitus variantibus monſtrent, &c. *Dicuntur iuuari in omni actu ſuo qui Alexandrum expreſſum vel auro geſtitant, vel argento.* Flauius Vopiſcus in Carino de Iunio Meſſala loquens: *Matris tunicam dedit mimæ, lacernam patris mimo. & rectè ſi auiæ pallio aurato atque purpurato pro ſyrmate tragœdus vteretur. inſcriptum eſt adhuc in choraulæ pallio tyrianthino, quo ille velut ſpolio nobilitatis exultat, Meſſalæ nomen & vxoris. Iam quid lineas petitas Ægypto loquar? quid Tyro & Sidone tenuitate perlucidas micantes purpura, plumandi difficultate pernobiles?* Dictorum ſumma eſt.

Recapitulatio dictorum. Reges togas purpureas & pictas, tunicas verò palmatas ſiue clauatas variiſque floribus diſcriminatas ferebant. iis exactis, ſic hæc ornamenta retinuerunt vt iis quidem integris Conſules in ludis & triumphis vterentur, at præter ludos & triumphos, pro tunica palmata ſolam tunicæ extremitatem clauatam. pro toga purpurea & picta ſolam togæ oram purpura prætextam retinerent, cum hoc diſcrimine, vt in pueris prætextæ nobilitatem generis, in viris magiſtratus poteſtatem eadem prætexta, nobilitatem verò famulæ latus clauus indicaret.

III. In Sexto Clodio.] Simili argumento vtitur Sanctus Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus epiſtola parænetica ad Valerianum: *In honoribus verò huius mundi, vt cætera taceam, quæ æſtimari dignitas poteſt rerum, cùm ad hanc promiſcuè cum bonis mali ambitione conſcendant, & non vnius meriti viros vnus honor ambiat, dignóſque & indignos non iam diſcernat dignitas, ſed confundat? ita quæ meliores deterioribus præferre debebat æquare cœpit: nouóque modo optimi ac peßimi viri nuſquam ferè minùs diſcrimen eſt quàm in honore. Nónne honor maior eſt huiuſmodi honore inhonorum eſſe malle, ac ſuis magis moribus, quàm promiſcuis honoribus æſtimari.*

IV. Ego Consulem esse putem qui Senatum.] 2. Philipp. §. 10. *Non tractabo vt Conſulem, ne ille quidem me vt Conſularem.* Sic Lucius Craſſus 3. de Oratore: *Multa à Craſſo diuinitus dicta ferebantur, cùm ſibi illum Conſulem eſſe negaret, cui Senator ipſe non eſſet.*

V. Ne Reges quidem.] Senatus enim

Senatus à Romulo inſtitutus. eſt ab ipſo Romulo inſtitutus: Ἑλληνικὸν δ᾽ ἄρα (inquit Dionyſius libro ſecundo) καὶ τοῦτ᾽ ἔθος ἦν τοῖς γοῦν βασιλεῦσιν ὅσοι τὸ πατρίους ἀρχὰς παρελάβοιεν, καὶ ὅσοις ἡ πληθὺς αὐτὴ κατεστήσατο ἡγεμόνας βουλευτήριον ἦν ἐκ τῶν κρατίστων. ὡς Ὅμηρός τε φησὶ καὶ παλαιότατοι τῶν ποιητῶν μαρτυροῦσι. καὶ οὐχ ὥσπερ ἐν τοῖς καθ᾽ ἡμᾶς χρόνοις, αὐθάδεις καὶ μονογνώμονες ἦσαν αἱ τῶν ἀρχαίων βασιλέων δυναστεῖαι. *Id vel maximè ex Græcorum conſuetudine manauit. Regibus enim, ſiue hæreditario iure, ſiue populi ſuffragiis Regnum accepiſſent, conſilium erat ex optimatibus conſtitutum. vt & Homerus & cæteri antiquiſſimi Poëtarum teſtantur. & non, vt hac tempeſtate, priuatis conſiliis, & ſoliúſque Regis arbitratu adminiſtrabatur Regum antiquorum poteſtas.* Sic & Agamemnon non ſolùm in νυκτηγερσίᾳ conſilium vocaſſe deſcribitur, ſed etiam ipſe 2. Iliados conſiliarius nominatur:

Agamemnon conſiliarius.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

Nocte Senatorem tota dormire nefas eſt.

Sic Priamus ſuos habuit conſiliarios,

Αἰνεία Τρώων βουληφόρε ποῦ τοι ἀπειλαί

Æneæ Teucrorum, vbi ſunt promiſſa, Senator.

Et ne morer 3. Iliados præcipui Priami conſiliarij numerantur & ἀγορηταὶ ἐσθλοὶ, τεττίγεσσιν ἐοικότες. *Oratores boni, cicadis ſimiles* dicuntur. Sic & Lacedæmonij ſuos habebant, domi quidem Ephoros, militiæ rariùs quidem, ſed tamen nonnunquam, quos Thucydides libro quinto ξυμβούλους appellat. Sic Perſarum Reges, de quibus lepidum illud refert Ælianus lib. 12. variæ hiſtoriæ cap. 62. Νόμος καὶ οὗτος Περσικός, ἐάν τις μέλλῃ τι τῶν ἀπορρητοτέρων καὶ τῶν ἀμφιλόγων συμβουλεύειν βασιλεῖ ἐπὶ πλίνθου χρυσῆς ἕστηκε. καὶ ἐὰν δόξῃ παραινεῖν τὰ δέοντα, τὴν πλίνθον λαβὼν ὑπὲρ τῆς συμβουλῆς μισθὸν ἀπέρχεται, μαστιγοῦται δ᾽ ὅμως ὅτι ἀντεῖπε. *Iſta lex viget apud Perſas, ſi quis de rebus ſecretioribus & de quibus poteſt in vtramque partem diſputari, dicturus eſt in conſilio Regio ſententiam, ſtat in tegula aurea, & ſi vtilia dicere videatur, tegulam ob datum conſilium mercedis loco accipiens dimittitur, cæditur tamen virgis quia Regi contradixit.* Et eam ob cauſam Imperatores qui boni videri voluerunt, Senatum ſemper magni ſe facere ſimularunt, Tiberij verba ſunt in Senatu apud Suetonium cap. 29. *Et bonos & æquos & fauentes vos habui Dominos, & adhuc habeo.* Vide locum & Plinij Iunioris Panegyricum Traiano dictum, cuius ſucceſſor Adrianus, vt Spartiani verbis vtar, *Senatus faſtigium in tantum extulit, difficile faciens Senatorem, vt cùm Tatianum ex præfecto Prætorij, ornamentis Conſularibus præditum faceret Senatorem nihil ſe ampliùs habere, quod in eum conferri poſſet, oſtenderit.* At contrà mali Principes, Caius, Nero, Commodus Senatum delere voluerunt. de Caio Dio 39. de Nerone Suetonius & alij, de Commodo Herodianus, &c. & Heliogabalus, vt auctor eſt Lampridius, *Senatum nonnunquam ita contempſit, vt mancipia togata appellaret: populum verò vnius fundi cultorem.* Sed vt ad veterum Regum conſiliarios qui temporibus Heroicis fuerunt, redeamus, eos etiam regiis ornamentis inſtructos & Reges appellatos fuiſſe conſtat, ex octauo Odyſſeæ, vbi conſilium Alcinoi deſcribitur: — αὐτὰρ οἱ ἄλλοι

Conſiliarij ſiue Senatores Reges dicti antiquitus. Σκηπτοῦχοι βασιλῆες ἐμὰ πρὸς δώματα καλὰ

Ἔρχεσθε.

Sceptriferi Reges tectis ſuccedite noſtris,

ait Alcinous conſiliarios ſuos alloquens.

VI. Seruorum delectus. Servorum delectus.] Nefas erat ſeruos ad dilectum vocari, atque adeò hoc ſeruorum dilectu pop. Roman. maieſtas, &c. imminuta. Liuius lib. 22. deleto apud Cannas Romanorum exercitu: *Aliam formam noui dilectus, inopia liberorum capitum, ac neceßitas dedit: octo millia iuuenum validorum ex ſeruis, priùs ſciſcitantes ſingulos velléntne militare empta publicè armauerunt.* Tullius Verrina de ſuppliciis, omnium penè in Sicilia Prætorum edicta fuiſſe tradit: *Vt ne quis cum telo ſeruus eſſet.* Subiicítque: *Luc. Domitium Prætorem in Sicilia, cum aper ingens ad eum allatus eſſet, admiratum requiſiſſe quis eum percußiſſet; cùm audiſſet paſtorem cuiuſdam fuiſſe, eum ad ſe vocari iußiſſe: illum cupidè ad Prætorem, quaſi ad laudem atque præmium accurriſſe: quæſiſſe Domitiu quî tantã beſtiam percußiſſet: illu reſpondiſſe venabulo. ſtatim deinde iuſſu prætoris in crucem eſſe ſublatum.* Adeò ſeruus arma capere nõ licebat. Quamquam militia ſeruis interdictum

fuiſſe quis miretur? cùm ne liberti quidem, aut etiam libertini militarint? ſiquidem bello Sociali, vt refert epit. Liuiana libro 74. *Libertini tum primùm militare cœperunt.* Macrobius 1. Saturn. cap. 1. *Poſt calamitatem apud Thraſymenum notæ cladis acceptam, libertini quoque in ſacramentum vocati ſunt. Bello Sociali cohortium duodecim ex libertinis conſcriptarum opera memorabilis, virtutis apparuit.* Neque ſolùm libertos, aut libertinos, ſed etiam alios tenuioris fortunæ liberos, Capite cenſos & proletarios rem militarem vetuerunt attingere, donec C. Marius eos bello Iugurthino conſcripſit. Plutarchus in Mario, Salluſtius in Iugurtha, Exuperantius in compendio, Gellius lib. 16. cap. 9. & alij paſſim. interdum tamen, in tumultu arma de publico proletariis exhibebant. Ennius:

Proletarius publicitùs ſcutiſque feroque
Ornatur ferro, &c.

VII. Templũ Caſtoris. TEMPLO CASTORIS.] Templum fuit Dioſcurorum ſiue Caſtoris & Pollucis in foro Romano poſitum, ſed mos inualuit vt ſolius Caſtoris diceretur. Tranquillus in Iulio, cap. 10. loquens de Ædilitate eius ita geſta, vt *nec diſſimularet Collega eius, eueniſſe ſibi quod Polluci. vt enim geminis fratribus ædes in foro conſtituta, tantùm Caſtoris vocaretur, ita ſuam Cæſariſque munificentiam vnius Cæſaris dici.*

PRÆVARICATORE.] Catilinam ex Africa. cauſſam dixiſſe de pecuniis repetundis auctor eſt Salluſtius: *Catilina pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat petere Conſulatum, quòd intra legitimos dies profiteri nequiuerit.* Atque vt bene notat Manutius: *Catilinam à P. Clodio repetundarum eſſe accuſatum, eóque præuaricante abſolutum, & Aſconius auctor eſt, & Cicero ipſe his verbis in ea de Haruſp. Reſp. §. à Catilina pecuniam accepit, vt turpiſſimè præuaricaretur.* Sed de præuaricatoris appellatione Cœliana adeatur. Aſconius in Catilinam & Antonium in toga candida: *Hoc autem iudicio abſolutus eſt Catilina, infamiâ iudicum, vt & Clodius infamis fuerit. Nam & reiectio iudicum ad arbitrium rei videbatur eſſe facta.* VIII. Præuaricator.

NVLLA LEGE, NVLLO MORE.] Vide infrà §. 30. De legis & moris diſtinctione vide Sextianam §. 16. num. 5. IX.

AXIOMATA.

Non eſt in lictoribus, in toga & prætexta Conſulatus.

Animo Conſulem eſſe oportet, fide, grauitate, vigilantiâ, curâ, toto denique munere Conſulatus.

Ego Conſulem eſſe putem, qui Senatum in Republ. eſſe non putauit.

ARGVMENTVM.

Duabus rationibus confirmat nomen Conſulis Piſoni non conuenire. prior à contrario & à Conſulatus ipſius præſtantia, quæ Piſonem longè ſuperabat. poſterior à minori ad maius, & à Capuanorum communi ſenſu deducitur.

XXIV. QVI latrones igitur, ſi quidem vos Conſules? qui prædones, qui hoſtes, qui proditores, qui tyranni nominabuntur? Magnum nomen eſt, magna ſpecies, magna dignitas, magna maieſtas Conſulis: non capiunt anguſtiæ pectoris tui, non recipit leuitas iſta, non egeſtas animi: non infirmitas ingenij ſuſtinet, non inſolentia rerum ſecundarum tantam perſonam, tam grauem, tam ſeueram. Seplaſia mehercule, vt dici audiebam, te, vt primum adſpexit, Campanum Conſulem repudiauit. Audierat Decios, Magios, & de Taurea illo Iubellio aliquid acceperat: in quibus ſi moderatio illa, quæ in noſtris ſolet eſſe Conſulibus, non fuit: at fuit pompa, fuit ſpecies, fuit inceſſus, ſaltem Seplaſia dignus, & Capua.

EXPLANATIO.

QVI LATRONES.] Hæc eſt ſuperiorum concluſio, qua multa argumenta conglobantur ſumpta à contrario.

Latrones, hoſtes, proditores, tyranni non ſunt Conſules dicendi.

Sed eſtis latrones, hoſtes, proditores, tyranni.

Non ergo Conſules.

MAGNVM NOMEN.] Aliud argumentum à magiſtratus ipſius dignitate.

Non capiunt anguſtiæ pectoris tui magnam dignitatem.

Sed magna eſt dignitas Conſulatus.

Ergo non capiunt anguſtiæ pectoris tui Conſulatũ.

Sed figamus hîc veſtigium, & videamus quomodo ſenſim creſcat oratio. ſuperiùs impotentiam oſtendit Piſonis & Gabinij, qui adeò Romanam Remp. oppreſſerant, vt Senatũ nihili fecerint, ſine quo ne reges quidẽ eſſe potuerunt. mox, quod deterius eſt, eorũ ſeditiones paucis complectitur, idque per prætermiſſionem, vt rerũ dicendarum & maleficiorũ copia cogi ſe ad tacendum præ ſe ferat. mox argumenta multa paucis cõprehendit, vt vibratior in aduerſarium contorqueatur oratio. ſenſímque rem magis & magis exaggerat. Eos primò latrones appellat, quòd Rempublicã expilantes, prouincias obtinuerint lege Clodia, & ærarium exhauſerint. Parum eſt dicere latrones: prædones appellat, quod latrocinio eſt atrocius. latrones enim palã quidẽ viuentes videntéſq. ſpoliant, ſed tamen ſoli ſolos aggrediuntur viatores. Prædones conflatis copiis palam in ædes & vicos irrũpunt. Neque id ſatis: hoſtes vocãtur, quaſi palã conſcripto exercitu Reip. nefariũ bellũ induxerint. Magis etiã ſceleris atrocitatẽ exaggerat, vocat proditores. prodere enim ſuas partes aut ciuitatẽ longè eſt immanius quàm apertè bellũ indi-

cere, addit demum tyrannos, quaſi quoddã exaggerationis faſtigium. Iam eodem modo à leuioribus ſenſim aſcendens eodem modo Conſulatus maieſtatem aggerat. magnum eſt & arduum vel ſolum Conſulatus nomen ſuſtinere, multò eſt illuſtrius ſpeciem & imaginem illius magiſtratus exhibere. imago enim & ſpecies rei ſignum eſt rei, nomine ipſo longè expreſſius. quòd ſi adumbrata tantùm ſpecies & imago Conſulatus tam illuſtris eſt, ipſa dignitas ſpecie ſui longè eſt auguſtior. quòd ſi dignitas magiſtratus illius tanta eſt, támque auguſta, longè auguſtior erit ipſa maieſtas quæ nihil aliud eſt, quàm honoris magnitudo, dignitatíſque faſtigium.

ANGVSTIÆ PECTORIS.] puſillanimitas.

NON INSOLENTIA.] vel ſuperbiam intelligit qua plerumque qui ſubitò ad res ſecundas perueniunt, efferuntur & inſoleſcunt, vel inſuetudinem quòd Piſo ante hac non fuiſſet rebus ſecundis aſſuetus. vide quomodo contraria contrariis hoc loco reſpondeant.

SEPLASIA.] argumentatur à minore in hanc ſententiam.

Quem Capua indignum magiſtratu iudicauit, longè indignior iudicandus eſt Romano Conſulatu.

Sed Capua indignum duumuiratu iudicauit Piſonem.

Ergo Piſo longè eſt indignior Romano Conſulatu.

Atque non Capuam dixit, ſed Seplaſiam Capuæ vicum vnguentariis & luxuria infamem, vt magis Piſonis, qui ne dignus quidem fuit illius vici magiſtratu, indignitatem amplificet.

CAMPANVM CONSVLEM.] Duumuirum. vide Notas.

AVDIERAT.] Reddit rationem cur eum Capuani indignum magiſtratu iudicarent. quia ſcilicet videbant eum longè indigniorem eſſe Decio Magio & Taurea Iubellio. nam illi externam ſaltem ſpeciem illo magiſtratu dignam exhibebant, Piſo nec magiſtratus ſpeciem vel ſaltem nomine tenus ſuſtinebat.

DECIOS, MAGIOS.] Tolle diſtinctionem interiectam. vnus enim & idem Decius Magius.

NOTÆ.

I. Prædones. PRÆDONES.] Dixi prædones atrociores eſſe latronibus, quòd licet non iuſto exercitu tamen conflatis copiis, facta in alienas terras irruptione prædas raptim auerterent. ſic Æneas prædo dicitur 7.

-quam primo aquilone relinquet

Perfidus, alta petens abductâ virgine prædo.

Et lib. II.

Frange manu telum Phrygij prædonis.

Adeóque cùm prædatio aliquam belli ſpeciem obtineret, probro non ducebatur antiquitus. Thucydides libro primo de Græcis antiquis loquens: ἐτράποντο πρὸς λῃστείαν. *ad prædandum ſe conuerterunt.* reddit rationem, Οὐκ ἔχοντός πω αἰσχύνην τούτου τοῦ ἔργου, φέροντος δέ τι καὶ δόξης μᾶλλον. δηλοῦσι δὲ τῶν τ' ἠπειρωτῶν τινες ἔτι, καὶ νῦν, οἷς κόσμος καλῶς τοῦτο δρᾶν. *Cùm id nondum probro ſed potiùs honori duceretur. id etiamnum teſtantur Epirotarum nonnulli, quibus honori eſt id rectè facere.* καλῶς, inquit interpres, ἀντὶ τοῦ ὁσίως καὶ φιλανθρώπως. οὔτε γὰρ βοῦν ἀροτῆρα ἐλῄλαζον, ἢ ἔκλεπτον, οὔτε νυκτὸς, οὔτε μετὰ φόβων ἐποίουν τὴν λῃστείαν. *Rectè*, inquit, *id eſt, piè & humanè. neque enim bouem aratorem abigebant aut furabantur, neque noctu & cum terrore prædabantur.* Subdit Thucydides: Καὶ οἱ παλαιοὶ τῶν ποιητῶν τὰς πύστεις τῶν καταπλεόντων πανταχοῦ ὁμοίως ἐρωτῶντες, εἰ λῃσταί εἰσιν. *Id etiam ſignificant veteres poëtæ qui paſsim interrogantes inducunt ſintne latrones ij qui ad ſe nauigarint.* Apud Homerum exempla ſunt non pauca. Neſtor 3. Odyſſeæ Telemachum & Mineruam hoſpites humaniſſimè prius exceptos, ſine contumelia ſic interrogat: Prædari honeſtum antiquis.

Ὦ ξεῖνοι τίνες ἐστέ; πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα;
Ἤ τι κατὰ πρῆξιν, ἢ μαψιδίως ἀλάλησθε
Οἷά τε ληϊστῆρες ὑπεὶρ ἅλα, τοί τ' ἀλόωνται
Ψυχὰς παρθέμενοι, κακὸν ἀλλοδαποῖσι φέροντες.
Qui genus? vnde domo? quibus aut venistis ab oris?
An ſtudio hanc vrbem petitis? errantes
Inſtar prædonum vaſtis qui fluctibus errant
Ponentes animã atque aliis mala multa ferentes.

Huc refert Euſtathius citatum Thucydidem, & Herodotum. cuius verba ſunt in Terpſichore ſub initium, de Thracibus: ἀργὸν εἶναι κάλλιστον. γῆς δὲ ἐργάτην ἀτιμότατον. τὸ ζῆν ἀπὸ πολέμου καὶ ληϊστύος κάλλιστον. *otiari honeſtiſsimum. terram colere, turpiſsimum. viuere ex bello & capto. pulcherrimum.* Subdit Euſtathius: Συμφωνεῖ δὲ τοῖς ταῦτα λέγουσι, καὶ ὁ ἱστορήσας ὅτι βίος τῶν Ἑλλήνων τοῖς πρώτοις ἀπὸ λῃστείας τὸ πολὺ ἐπορίζετο, καὶ ὅτι τὸ ἀπὸ λῃστείας κατατεύχειν τοσοῦτον ἀπεῖχε τοῦ αἰσχύνην φέρειν, ὡς καὶ ἐν καλῷ μᾶλλόν τι καθεστηκέναι. καὶ ἕδνα τοῖς νυμφίοις ... τὰ λῃσθέντα σὺν καλῷ ἔχειν. *Iis verò qui iſta dicunt conſentit & ille qui narrat Antiquos Græcos victum ſibi vt plurimum è rapto & præda ſibi comparaſſe. Tantúmque, id aberat ab infamia & turpitudine vt potiùs in honeſtis poneretur. & ſponſi è præda ſponſalia ſponſis offerrent.* De Thyrrenis notum eſt ex Apollonio, Nonno, Naſone & aliis. Iuſtinus libro 45. de Phocenſibus: *Plerumque etiam latrocinio maris (quod illis temporibus gloria habebatur) vitam tolerabant.* Sic Vlyſſes tanquam de re honeſta loquens, 23. Odyſſeæ:

Πολλὰς δ' αὐτὸς ἐγὼ ληΐσσομαι, ἄλλας δ' Ἀχαιοὶ
Δώσουσι.-
Aſt ego prædabor pecudes, & plurima Graij
Supplebunt.-

Huc ſpectant & illa Achillis verba 8. Iliados verſu 406.

Ληϊστοὶ μὲν γάρ τε βόες καὶ ἴφια μῆλα,
Κτητοὶ δὲ τρίποδές τε καὶ ἵππων ξανθὰ κάρηνα,
Ἀνδρὸς δὲ ψυχὴ πάλιν ἐλθεῖν οὔτε λεϊστὴ
Οὔθ' ἑλετή, ἐπεὶ ἄρ κεν ἀμείψεται ἕρκος ὀδόντων.
E præda pingues veniunt pecudéſque bouéſque,
Acquiri poſſunt tripodes flauíque iugales:
Spiritus at poſtquam tenues exceſſit in auras,
Non inſtaurari præda raptúque valebit.

Sed hæc parum attinent, aliò properemus.

QVI PRODITORES.] Proditio & perfidia atrocior quàm hoſtilitas, adeò vt Plato nono de legibus proditorem iiſdem legibus, quibus perduellem & Sacrilegum teneri debere ſtatuerit: Εἷς ἔστω περὶ τούτων νόμος ἅπασι, προδότῃ, καὶ ἱεροσύλῳ, καὶ τῷ τοὺς τῆς πόλεως νόμους βίᾳ ἀπολλύντι. *Vna de iſtis eſto lex poſita tribus, proditori. & ſacrilego, & ei qui per vim Reip. leges euerterit.* Dixerat autem de ſupplicio ſacrilegis atq. adeo proditorib. irrogando: Ὃς δ' ἂν ἱεροσυλῶν ληφθῇ, ἐὰν μὲν ᾖ δοῦλος ἢ ξένος, ἐν τῷ προσώπῳ καὶ ταῖς χερσὶ χαραχθεὶς τὴν συμφορὰν καὶ μαστιγωθεὶς ὁπόσας ἂν δόξῃ τοῖς δικασταῖς, ἐκτὸς τῶν ὅρων τῆς χώρας γυμνὸς ἐκβληθήτω. *Si quis verò fuerit in ſacrilegio deprehenſus, & is ſeruus fuerit aut peregrinus* II. Proditio.

cauſis ſupplicij in manibus & fronte inſcriptis, & cæſum tot plagis, quot iudicibus viſum fuerit, nudus extra fines, extermineiur. Πολίτης δὲ αὖ τις ποτέ τι τοιοῦτο δρῶν ἀποφανῇ, &c. δίκη δὴ τούτῳ θάνατος ἐλάχιστον τῶν κακῶν. *Ciui verò ſi quis in huiuſmodi ſcelere fuerit deprehenſus, mors erit minima malorum.* Meritò ſanè, nam nec proditio, nec perduellio, nec ſacrilegium, in hominem cadere poſſunt, niſi ſi omnem humanitatem abiecerit, taliſque euaſerit qualis ab ipſo Platone ibidem deſcribitur: Ἀνεμέσητον δὴ φοβεῖσθαι μή τις ἐγγίνοιτο τῶν πολιτῶν ἡμῖν, οἷον κερασβόλος, ὃς ἀτεράμων εἰς τοιοῦτον φύσει γίγνοιτ' ἄν, ὥστε μὴ τήκεσθαι καθάπερ ἐκεῖνα τὰ σπέρματα πυρί, νόμοις οὗτοι καίπερ οὕτως ἰσχυροῖς οὖσιν ἄτηκτοι γίγνονται. *Citra reprehenſionem timeri poteſt, ne quis ciuium nobis euadat, inſtar leguminis, in cornu cedens, qui ita durus natura ſua euadat, vt liquefieri non poſſit, quemadmodum illa ſemina igne non molliuntur. Sic & iſti legibus quantumuis potentibus haud liquefiunt.* Vertit Serranus ille Miniſtellus, cuius interpretationem nonnulli tanquam effata

-credenda magis quàm

Pythia quæ tripodè ex ſacro lauruque profatur,

Venerantur. vertit, inquam, Serranus: οἷον κερασβόλος, *quaſi cornu minitabundus*, quo nihil eſſe poteſt: vel ad criticen imperitius, vel ad ſenſum inſulſius. nam quod ad criticen ſpectat, Plutarchus libro ſeptimo conuiualium quæ-

κερασβόλος. ἀτεράμων.

ſtionum problema ſecundum ſic proponit: Τίς ὁ παρὰ Πλάτωνι κερασβόλος, καὶ διὰ τί τῶν σπερμάτων ἀτεράμονα γίνεται τὰ προσπίπτοντα τοῖς κέρασι τῶν βοῶν; *Quis apud Platonem* κερασβόλος, *& cur*

Serrani error.

igne indomabilia fiunt ſemina, quæ in cornua boum delapſa fuerint. Quo ſenſu rem explicatam arbitror me legiſſe in carminibus Nazianzeni. Quòd ſi vi verborum id à Platone dictum putabat, tamen debebat ad ſenſum & verborum mentem magis attendere: quid enim minùs quadrat, quàm quod cornu minitabundum dixerat, id paucis verbis interiectis ſemen appellare: ſed, vt iam alibi monui, non optimus interpres plerumque fucum facit Platoni. ſed ad rem. horum ſcelerum cupiditas à Platone dicitur: Οἶστρος δ' ἐστί τις ἐμφυόμενος ἐκ παλαιῶν καὶ ἀκαθάρτων τοῖς ἀνθρώποις ἀδικημάτων περιφερόμενος, ἀλιτηριώδης· ὃν εὐλαβεῖσθαι χρεὼν παντὶ σθένει. &c. *Oeſtrum quoddam eſt inſitum & infixum, è multis & veteribus hominum ſceleribus, vagum, dirum, velis remiſque fugiendum.* Nec ſanè Romanæ leges proditoribus fuerunt leniores. Dionyſius Halicarnaſſeus libro ſecundo: Εἰ δέ τις ἐξελεγχθείη τούτων τι διαπραττόμενος ἔνοχος ἦν τῷ νόμῳ τῆς προδοσίας, ὃν ἐκύρωσεν ὁ Ῥωμύλος· τὸν δ' ἁλόντα τῷ βουλομένῳ κτείνειν ὅσιον ἦν, ὡς θῦμα τοῦ καταχθονίου Διός. ἔθος γὰρ Ῥωμαίοις, ὅσους ἐβούλοντο νηποινὶ τεθνάναι, τὰ τούτων σώματα θεῶν ὅτῳ δή τινι, μάλιστα δὲ τοῖς καταχθονίοις κατονομάζειν, ὃ καὶ τότε ὁ Ῥωμύλος ἐποίησε. *Si verò quis arguebatur aliquid huiuſmodi commiſiſſe, lege Romuli de proditoribus tenebatur: damnatum verò fas erat cuilibet ad arbitratum occidere, tanquam victimam inferno Ioui conſecratam. mos enim erat Romanis, vt quos impune vellent interfici, eorum corpora Deorum alicui, maximè verò Diis infernis nuncuparent, quod & tunc Romulus fecit.* Et libro octauo proditores etiam tyrannis & parricidis deteriores habitos fuiſſe demonſtrat: Εἀν τε τυράννων ὄντες υἱοὶ τυχωσιν, ἐάν τε πατροκτόνων, ἐάν τε προδοτῶν, ὃ μέγιστόν ἐστι παρ' ἐκείνοις ἀδίκημα. *Siue tyrannorum filij fuerint, ſiue parricidarum, ſiue proditorum, quod maximum apud eos eſt facinus,* Cuius ſceleris tanta eſt atrocitas, vt illud etiam execrentur ij quorum vtilitati cedit. Demoſthenes pro corona: Οὐδεὶς τὸ τοῦ προδόντος συμφέρον ζητῶν χρήματα ἀναλίσκει· οὐδ' ἐπειδὰν ὧν ἂν πρίηται κύριος γένηται, τῷ προδότῃ συμβούλῳ περὶ λοιπῶν ἔτι χρῆται. οὐδὲν γὰρ ἦν ἂν εὐδαιμονέστερον προδότου. ἀλλ' οὐκ ἔστι ταῦτα, οὐκ ἔστι. πόθεν; πολλοῦ γε καὶ δεῖ. ἀλλ' ἐπειδὰν τῶν πραγμάτων ἐγκρατὴς ὁ ζητῶν ἄρχειν καταστῇ, καὶ τῶν ταῦτ' ἀποδομένων δεσπότης ἐστί· τὴν δὲ πονηρίαν εἰδώς, τότε δή, τότε καὶ μισεῖ ἀπιστεῖ, καὶ προπηλακίζει. *Nemo proditoris vtilitatem quærens pecunias expendit, neque poſtquam eorum quæ moliebatur, fœlicem exitum inuenerit, ad cætera vtitur conſilio proditoris. nihil enim eſſet proditore fœlicius. ſed non ita res habet, non. quomodo? multum abeſt. Sed poſtquam, qui dominari volebat, rerum potitus fuerit, eorum etiam fit Dominus qui Rempub. vendiderunt. & eorum improbitatem agnoſcens, tunc odit, tunc iis non credit, tunc contumeliis afficit.* Quod variis exemplis ibidem pulcherrimè comprobatur. Sic auctore Plutarcho in vita Romuli, Antiochus & Cæſar dicebant amare ſe proditionem, odiſſe proditores. ſic eſt in fabulis, Scyllam Minos execratus eſt, Sabini Tarpeiam ſuperingeſtis clypeis obruerunt. ſic, vt ſcribit Arrianus libro tertio de Expeditione Alexandri Alexander Beſſum Darij proditorem nudum in cataſta vinctúmque adduci voluit & interrogatum cur Regem prodidiſſet: Μαστιγοῦν ἐκέλευσεν αὐτόν, καὶ ἐπιλέγειν τὸν κήρυκα ταῦτ' ἐκεῖνα ὅσ' αὐτὸς τῷ Βήσσῳ ἐν τῇ πύστει ὠνείδισε. Βῆσσος μὲν δὴ οὕτως αἰκισθεὶς ἀποπέμπεται εἰς Βάκτρα ἀποθανούμενος. *Virgis cædi imperauit, & à præcone proclamari ea quibus ipſe violatam ab eo fidem exprobrarat. & ita Beſſus in Bactra dimittitur morte mulctandus.* Sic Aurelianus Imperator Mallio Chiloni de Heraclammone proditore in hæc verba reſcripſit, *Occidi paſſus ſum cuius quaſi beneficio Thyanam recepi. Ego verò proditorem amare non potui: & libenter tuli quòd eum milites ciciderunt. neque enim mihi fidem ſeruare potuiſſet, qui patriæ non pepercit.* ante quem Plutarcho teſte Agis Iunior: Οὐκ ἔχειν πιστεύειν τοὺς ἀλλοτρίους τῷ προδόντι τοὺς ἰδίους. *Non committere ſe alienos ei qui ſuos prodidiſſet.*

Idem ſupplicium proditoribus quod ſacrilegis irrogatam.

Romanæ leges contra proditores.

N O N C A P I V N T A N G V S T I Æ.] Heſiodus in operibus ver. 4. III.

Pectoris anguſtiæ Puſillanimitas.

Νήπιοι οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός.

Ignorant medium longè præcellere toti.

Hunc verſum Plato de iis interpretatur qui honores ambiunt maiores, quam vt pectorum ſuorum anguſtiis capiantur. ſic enim ille tertio de legibus, ὁπόταν ᾖ τὸ μὲν ὅλον λαμβάνειν ζημιῶδες, τὸ δ' ἥμισυ μέτριον, τὸ μέτριον τοῦ ἀμέτρου πλέον ἡγήσατο, ἄμεινον ὂν χείρονος. *Cùm totum accipere damnoſum eſt, mediũ verò moderatum quod moderatum eſt plus eſſe quàm id quod nimium eſt indicauit, melius deteriore.* ſubdit: Ἐάν τις μείζονα διδῷ τοῖς ἐλάττοσι δύναμιν παρεὶς τὸ μέτριον, πλοίοις τε ἱστία, καὶ σώμασι τροφήν, καὶ ψυχαῖς ἀρχάς, ἀνατρέπεταί που πάντα, καὶ ἐξυβρίζοντα, τὰ μὲν εἰς νόσους θεῖ, τὰ δ' εἰς ἔκγονον ὕβρεως ἀδικίαν. *Si quis, prætermiſſa mediocritate maiorem minoribus dederit poteſtatem, vela nauigiis, corporibus eſcas, animis magiſtratus omnia ſua de qua vertit, & ad contumeliã elata, alia ad morbos, alia ad iniuſtitiam contumeliæ filium deferuntur.* Nazarius in Paneg. Cõſtantini, *magnitudo mali crediti muneris extra animi angu-*

ſtias effluebas. Sed ne te morer, vide Plutarchum oratione 2. de fortuna Alexandri, vbi demonſtrat nõ puſilli, immo ne mediocris quidem eſſe animi magnos honores & ſucceſſus ſuſtinere. vnde illud Taciti primo hiſtoriarum de Galba, *Maior priuato viſus dum priuatus fuit: & omnium conſenſu capax imperij niſi imperaſſet.* Quia videlicet, vt dicebat Pittacus apud Laërtium: ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσι. *magiſtratus hominis mores oſtendit.* Sidonius Appollinaris lib. 2. epiſt. 13. *Maximus maximo nobis ad hæc documento poterit eſſe, qui quamquam in arcem præfectoriam, patritiam conſularémque intrepidus adſcenderat, eáſque quos geſſerat magiſtratus ceu recurrentibus orbibus inexpletis iterauerat: cùm tamen venit omnibus viribus ad principalis apicis abruptum, quandam poteſtatis immenſæ vertiginem ſub corona patiebatur.* Adeo non ſolùm in coniugiis, ſed etiam in magiſtratibus verum eſt illud Callimachi apud Laërtium in Pittaco: Τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα.

Nimia felicitas.

Tu tibi ſume parem. Omitto primos Imperatores, qui cùm principatus dignitatem non caperent, pectoris anguſtiis in peius abierunt, *Solúſque* (quod Tacitus de Veſpaſiano teſtatur) *omnium ante ſe principum in melius mutatus eſt.* Omitto Conſtantium, qui fortuna dulci ebrius, &, vt cum Ammiano lib. 15. loquar, *ſtudio blanditiarum exquiſito ſublatus, immunémque ſe deinde fore ab omni mortalitatis incommodo fidenter exiſtimans, confeſtim a iuſtitia declinauit, ita intemperanter; vt æternitatem eam aliquoties aſſereret, & ipſe dictando ſcribendoque propria manu orbis totius ſe dominum appellaret.* Quod de Iuſtiniano Imperatore tradit Heſychius Illuſtrius.

IV. Leuitas.

LEVITAS ISTA.] Pro Sextio §. 22. *Nequam eſſe hominem & leuem, & falſa opinione, errore hominum ab adoleſcentia commendatum ſciebam.* & 36. *Contemptiſſimorum Conſulum leuitatem* appellat. ij enim leues appellantur, qui ſunt inconſtantes & facilè rebus ſecundis inſoleſcunt. de huiuſmodi leuitatibus Democritus quadam epiſtola ad Hippocratem: Χρὴ οὖν καί σε, ὦ Ἱππόκρατες, μὴ τοιουτοτρόποισιν ἀνδράσιν συνέρχεσθαι καὶ συνομιλέειν, οἷς νόος ἀλλοπρόσαλλος καὶ ἀβέβαιος καθέστηκεν. *Oportet igitur te, ô Hippocrates, non iis eſſe comitem cum iiſque verſari, quibus mens, in ſuperficie, vt ita dicam, nauigans eſt & inconſtans.* Quorum vitam δωδεκαμερὲς δρᾶμα. Iuſtinus Martyr epiſt. ad Zenam & Serenum eleganter appellat: Καὶ τοῦτο φυλακτέον τὸ μή ποτε μὲν φαιδρῷ τῷ προσώπῳ περιϊέναι, ποτὲ δὲ σκυθρωπῷ· καὶ εἰ χρὴ τἀληθὲς εἰπεῖν, παραιτητέον, πᾶν τὸ δωδεκαμερὲς καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ἀπαγγελλόμενον δρᾶμα. *Cauendum eſt ne modò hilariore, modò triſtiore vultu procedatur: & ſi verum dicendum eſt, repudianda eſt actio quæ per ſingulos dies duodecim conſtans partibus exhibetur.* Vel leuitas dicitur quaſi vilitas digna contemptu. Vide Sextianam loco citato.

V. Egeſtas animi.

EGESTAS ANIMI.] Vel puſillanimitatem & pectoris anguſtias rurſum intelligit, vel cupiditatem &, vt ait Salluſtius animi vaſtitatem: *Vaſtus animus immoderata, incredibilia, nimis alta ſemper cupiebat.* Cicer. in paradoxis in hanc penè ſententiam, *Animus hominis diues non arca appellari ſolet, quamuis illa ſit plena, dum te inanem videbo diuitem non putabo.* Nam & egeſtas & diuitiæ animo continentur. Xenophon in Sympoſio: Ἀλλ᾽ ἄγε δή, ἔφη, ὁ Σωκράτης, σὺ οὖν λέγε ἡμῖν, ὦ Ἀντίσθενες, πῶς οὕτω βραχέα ἔχων μέγα φρονεῖς ἐπὶ πλούτῳ; ὅτι νομίζω, ὦ ἄνδρες, τοὺς ἀνθρώπους, οὐκ ἐν τῷ οἴκῳ τὸν πλοῦτον καὶ τὴν πενίαν ἔχειν, ἀλλ᾽ ἐν ταῖς ψυχαῖς. *Sed age vero, inquit Socrates, dic nobis, ô Antiſthenes, cur tu cùm tam pauca habeas, tamen ob diuitias, tam magnos ſpiritus geris. quia, inquit, mortales non in domibus diuitias aut paupertatem, ſed in animis habere exiſtimo.* Paulò pòſt: Ὅταν ἡδυπαθῆσαι βουληθῶ, οὐκ ἐκ τῆς ἀγορᾶς τὰ τίμια ὠνοῦμαι, πολυτελῆ γὰρ γίνεται, ἀλλ᾽ ἐκ τῆς ψυχῆς ταμιεύομαι. *Cùm igitur voluptatibus perfrui volo, non è macello mihi comparo res pretioſas, ſunt enim multarum impenſarum, ſed ex animo depromo.* Pulchrè Claudianus 1. in Ruffinum:

Veræ diuitiæ in animo cõſiſtunt.

> *Quo veſane ruis? teneas vtrumque licebit*
> *Oceanum laxet rutilos tibi Lydia fontes,*
> *Iungantur ſolium Crœſi Cyrique tiara,*
> *Nunquam diues eris, nunquam ſatiabere quæſtu:*
> *Semper inops quicunque cupit,* &c.

Eumenius panegyr. Conſtantini: *Nullis, vt res eſt, muneribus fortuna explentur, quorum cupiditates ratio non terminat, atque ita eos infœlicitas ingrata ſubterfluit, vt ſemper pleni ſperum vacui commodorum præſentibus careant, dum futura proſpectant.* Huc refer Palladæ verſus lib. 2. anthologiæ:

> Πλοῦτον μὲν πλουτοῦντος ἔχεις, ψυχὴν δὲ πένητος,
> Ὦ τοῖς κληρονόμοις πλούσιε, σοὶ δὲ πένης.
> *Diuitiæ tibi ſunt locupletis, pauperis eſt mens,*
> *O nimiùm heredi diues, inópſque tibi.*

Lucianus 1. anthologia:

> Πλοῦτος ὁ τῆς ψυχῆς πλοῦτος μόνος ἐστὶν ἀληθής.
> *Diuitiæ mentis ſunt ſola opulentis veræ.*

Quamquam, vt dixi, facilè inducor vt credam, *pectoris anguſtias, leuitatem, animi egeſtatem, infirmitatem ingenij,* vel ſynonyma eſſe, vel penè ſynonyma, neque enim nouum eſt Ciceroni rem eandem pluribus ſynonymis explicare.

VI. Res ſecundæ etiam ſapientiam animos fatigant.

INSOLENTIA RERVM SECVNDARVM.] Sapiens fuit hæc Scytharum apud Alexandrum oratio: *Impone fœlicitati tuæ frenos, faciliùs illam reges.* vt refert Curtius lib. 7. nam, vt ait Ariſtoteles 5. Politicorum cap. 8. Φέρειν οὐ παντὸς ἀνδρὸς εὐτυχίαν. *Non cuiuſuis eſt ſecundam bene ferre fortunam.* Neque enim quiuis, vt monet Horatius,

> *Contrahit vento nimiùm ſecundo*
> *Turgida vela.*

Architas Pythagoreus de bono homine & fœlice: Ὥσπερ τὸ σῶμα βλάπτει μὲν τὸ τᾶς ἐνδείας, καὶ τὸ τᾶς ὑπερβολᾶς εἶδος, οὐ μὰν ἀλλὰ νόσως τε μέζονας ἐμποιεῖν πέφυκεν ἁ ὑπερβολά, καὶ τὰ καλεύμενα πλεονάσματα, οὕτω καὶ ψυχὰν βλάπτει μὲν καὶ τὸ τᾶς εὐτυχίας καὶ ἀτυχίας εἶδος ἀκαίρως παραγινόμενον. οὐ μὰν ἀλλὰ νόσως τε μέζονας ποιὲν πέφυκεν ἁ λεγομένα παρὰ πάντεσσιν εὐτυχία, ὥσπερ οἶνος καταμεθύσκοισα τὼς ἀγαθὼς τᾷ διανοίᾳ. *Quemadmodum tum indigentia tum abundantia nocet corporis ſanitati, verumtamen morbos maiores abundantia & ea quæ ſuperflua dicuntur parere conſueuerunt, ſic animæ nocent res tum aduerſæ, tum ſecundæ, verumtamen morbos maiores gignere ſolet ea quæ vulgo proſperitas dicitur, tanquam vinum proſperis ſucceſſibus mentem inebrians.* Item: Α δ᾽ ὑπερβολὰ τᾶς εὐτυχίας τοῖς ἀγαθοῖς οὐ κρατεῖσθαι πέφυκεν ὑπὸ τᾶς ψυχᾶς. ἀλλὰ κρατὲν αὐτᾶς. ὥσπερ γὰρ τὸ λαμπρὸν φάος μαρμαρυγίας περιπίπτει τοῖς ὀφθαλμοῖς, οὕτω καὶ ἁ ὑπερβάλλουσα εὐτυ-

χία τῷ νόῳ τῆς ψυχῆς. *Exceſſus proſperitatis quæ bonis ſucceßibus contingit, non poteſt ab animo cohiberi: ſed potius animæ dominatur. ſicut enim ſplendidum lumen præſtringit oculos, ſic & proſperitas exuberans mentem ſolet præſtringere & hebetare. Quare*, vt ait Liuius dec. 5. libro 2. *modum imponere ſecundis rebus, nec nimis credere ſerenitati præſentis fortunæ præſtantis hominis & meritò fœlicis eſt.* Alioqui quos aduerſa non potuerunt mollire, proſpera elidunt, vt lapis Thracius de quo Nicander in Theriacis ver. 45.

Η δ' ὕδατι βρεχθεῖσα σελάσσεται, ἔσβεσε δ' αὐτὴν
Τυτθὸν ὅτ' ὀδμήσαιτο ἐπιρραθέντος ἐλαίου.
Reſplendet demerſus aquæ, reſtinguitur autem
Senſerit vt paruos olei irrorantis odores.

Nimirum, vt ait Orator contra Midiam: κινδυνεύει τὸ λίαν εὐτυχεῖν ἐνίοτε ἐπαχθεῖς ποιεῖν. *Periculum eſt ne ad inſolentiam adducat nimia fœlicitas.* Tertullianus de patientia: *Bonorum quorumdam ſicuti & malorum intolerabilis magnitudo eſt.* Et Seneca laudat illud Mecænatis epiſt. 19. *Volo tibi hoc loco referre dictum Mecænatis. Vera in ipſo equuleo docuit.* Ipſa enim altitudo attonat ſumma, *Si quæris in quo libro dixerit, in eo qui Prometheus inſcribitur. Hoc voluit dicere, attonita habet ſumma.* Adeo non in corporibus ſolùm ſed etiam in fortuna verum eſt illud effatum Hippocratis: Αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραί. *Periculoſa eſt bona habitudo quæ ad ſummum peruenerit.* Nec immeritò Philippus, auctore Plutarcho: Πολλῶν κατορθωμάτων αὐτῷ καὶ καλῶν ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ προσαγγελθέντων, ὦ τύχη, εἶπεν, μικρόν τί μοι κακὸν ἀντὶ τοσούτων καὶ τηλικούτων ἀγαθῶν ποίησον. *Cùm multa ſibi proſperè & feliciter accidiſſe vno die audiret, ô fortuna, inquit, modicam mihi, aduerſitatem pro tot tantis felicitatibus inferto.* Et Themiſtocles: ἀπωλόμεθ' ἂν εἰ μὴ ἀπωλόμεθα. *perieramus niſi periiſſemus.* Et Aſdrubal ad Senatum de pace agens apud Liuium lib. 30. dicebat, *Raro ſimul hominibus bonam fortunam, bonámque mentem dari: populum Romanum inuictum eſſe quòd in ſecundis rebus ſapere & conſulere meminerit.* Et Scipio libro 32. legatis Antiochi: *Romani ex iis quæ in Deûm immortalium poteſtate erant, ea habemus quæ Dij dederunt, animos qui noſtræ mentis ſunt eoſdem in omni fortuna geßimus, gerimúſque, neque eos ſecundæ res extulerunt, nec aduerſæ minuerunt*, &c. Thucydides lib. 8. Χῖοι γὰρ μόνοι μετὰ Λακεδαιμονίους, ὧν ἐγὼ ᾐσθόμην, εὐδαιμονήσαντες ἅμα καὶ ἐσωφρόνησαν, καὶ ὅσῳ ἐπεδίδου ἡ πόλις αὐτοῖς ἐπὶ τὸ μεῖζον, τόσῳ καὶ ἐκοσμοῦντο ἐχυρώτερον. *Chij enim ſoli ſecundum Lacedæmonios, quos quidem ego nouerim, cum proſpero fortunæ flatu vterentur, ſibi moderati ſunt, & quo ſecundiore fortuna vſi ſunt, eo maiori modeſtia ſibi temperarunt.* Verùm non ſolùm rebus ſecundis dixit Orator, ſed inſolentia ſiue inſuetudine rerum ſecundarum. Nam

Deterius nihil eſt humili cum ſurgit in altum.

Lacedæmoniorum legati apud Thucydidem libro 4. Καὶ μὴ παθεῖν ὅπερ οἱ ἀήθως τι ἀγαθὸν λαμβάνοντες τῶν ἀνθρώπων. ἀεὶ γὰρ τοῦ πλέονος ἐλπίδι ὀρέγονται, διὰ τὸ καὶ τὰ παρόντα ἀδοκήτως εὐτυχῆσαι· οἷς δὲ πλεῖσται μεταβολαὶ ἐπ' ἀμφότερα ξυμβεβήκασι, δίκαιοί εἰσι καὶ ἀπιστότατοι εἶναι ταῖς εὐπραγίαις. *Neque vos geratis vt ij qui præter conſuetudinem felicitatis aliquid fueritis conſecuti. ſemper enim aliquid vlteriùs, & ſperant & exoptant, quòd præſens iis felicitas præter ſpem euenerit. Quibus verò frequentes in vtramque partem viciſſitudines obtigerunt, eos rebus proſperis par eſt diffidere.* Teſtis ille Cymonides ἐκ δισυλλάβου τετρασύλλαβος, apud Lucianum in Gallo. Teſtis Pallas ille Claudij libertus apud Tacitum 13. annalium qui *reſpondit nihil vnquam ſe domi niſi nutu, aut manu ſignificaſſe, vel ſi plura demonſtranda eſſent, ſcripto vſum ne vocem conſociaret.* Teſtis Demetrius libertus Pompeij apud Plutarchum. Teſtes Polybius & Narciſſus Claudij liberti apud Dionem libro 60. qui & hunc verſum refert θρυλλούμενον,

Ἀφόρητος ἐστὶν εὐτυχῶν μαστιγίας.
Intolerabilis eſt fœlix verbero.

Cuius rei idem Dio de Serano loquens libro 58. hanc reddit rationem: Οἱ μὲν οἰκεῖα ἀξιώσει προέχοντες, οὔτε τὰ δεξιώματα παρά τινων πάνυ ἀπαιτοῦσι· κἂν ἄρα καὶ ἐλλειφθῇ τι αὐτῶν οὐκ ἐγκαλοῦσί σφισιν, ἅτε καὶ ἑαυτοῖς συνειδότες ὅτι μὴ καταφρονοῦνται. οἱ δ' ἐπακτῷ καλλωπίσματι, πάντα ἰσχυρῶς τὰ τοιαῦτα, ὡς καὶ ἐς τὴν τοῦ ἀξιώματός σφων πλήρωσιν ἀναγκαῖα, ἐπιζητοῦσι κἂν μὴ τύχωσιν αὐτῶν ἄχθονταί τε ὡς διαβαλλόμενοι, καὶ ὀργίζονται, ὡς ὑβριζόμενοι. *Qui propria dignitate excellunt, à nemine ſalutationes honorificas exigunt. & ſi quid in hac parte defecerit, non queruntur, quod ſibi ipſis, conſcij ſunt ſe haudquaquam contemni. Qui verò adſcititiam dignitatem habent, omnia his ſimilia, tanquam ad dignitatis plenitudinem neceſſaria requirunt, & ſi non deferantur, grauiter ferunt, & iraſcuntur perinde, ac ſi eſſent contumeliis & conuitiis appetiti.*

PERSONAM.] Videtur ad hiſtriones & tragicos magiſtratus & Reges perſonatos alludere. cuius rei frequentem inuenias apud auctores mentionem. Iuuenalis Sat. 3.

-Cum perſonæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat ruſticus infans.

Hic autem Noſter videtur alludere ad actores, qui perſonam in tragœdiis aſſumunt, cuius capaces non ſunt. quod prouerbij locum videtur habere apud Lucianum in Nigrino: Ἵνα μὴ καὶ κατ' ἄλλο τι γένωμαι τοῖς ὑποκριταῖς ἐκείνοις ὅμοιος, οἳ πολλάκις ἢ Ἀγαμέμνονος, ἢ Κρέοντος, ἢ καὶ Ἡρακλέους αὐτοῦ πρόσωπον ἀνειληφότες Χρυσίδας ἠμφιεσμένοι, καὶ δεινὸν βλέποντες, καὶ μέγα κεχηνότες, μικρὸν φθέγγονται, καὶ ἰσχνὸν, καὶ γυναικῶδες, καὶ τῆς Ἑκάβης, ἢ Πολυξένης πολὺ ταπεινότερον. ἵνα οὖν μὴ καὶ αὐτὸς ἐλέγχωμαι πάνυ μεῖζον τῆς ἐμαυτοῦ κεφαλῆς προσωπεῖον περικείμενος, καὶ τὴν σκευὴν καταισχύνων, ἀπὸ γυμνοῦ σοι βούλομαι τοὐμοῦ προσώπου προσλαλεῖν, &c. *Ne & aliunde actoribus illis ſimilis euadam, qui frequenter cùm Agamemnonis, Creontis aut Herculis ipſius perſonam acceperint, aurea veſte, graui intuitu, grandi hiatu, tenui & muliebri voce declamant, Hecubâ & Polyxenâ longè demißiùs. Ne igitur & ego deprehendar, maiorem capite meo perſonam aſſumens, apparatúmque dedecorans, volo nuda facie tecum loqui.* Quam perſonam ſi minùs aptè ſuſtinebant, non ſolùm exſibilabantur, ſed etiam cogebantur eam deponere. præter Atellanos, vt auctor eſt Feſtus, *qui proprie vocantur perſonati, quia ius eſt iis non cogi in ſcena ponere perſonam, quod cæteris hiſtrionibus pati neceſſe eſt.* Hinc eſt quòd de Pylade Hiſtrione narrat Macrobius 2. Saturn. c. 7. *Cùm in Herculem furentem prodiſſet, & nonnullis inceſſum hiſtrioni conuenientem non ſeruare viderit depoſitâ perſonâ ridentes increpuit,* μωροὶ μαινόμενον ὀρχοῦμαι.

Nimia fœlicitas.

VII. Perſona.

VIII. Seplaſia.

Seplasia.] Vicus fuit Capuæ celeberrimus in quo vnguentarij cæteríque huiuſmodi habitabant. ideò autem repudiatum fuiſſe dicit à Seplaſia Piſonem, vel quòd Decij Magij & Taureæ Iubellij pompam non adæquaret, vel quòd vnguentariis tanquam ſordidus & impexus videretur eſſe infeſtior. pro Sextio 19. *Capillo*, inquit, *ita horrido, vt Capuâ, in qua ipſe tum imaginis formandæ cauſsâ Duumuiratum gerebat, Seplaſiam ſublaturus videretur.* Id eſt prohibiturus ne quis deinceps venderet vnguenta. tamen hoc nomen omnibus locis conuenire videtur in quibus vnguenta diſtrahuntur. gloſſarium B. Benedicti Floriacenſis Abbatis *Seplaſiarum* μυρεψοπώλιον.

IX. Campanus Conſul.

Campanvm Consvlem.] Non quòd tunc temporis eſſet Conſul Lucius Piſo. Duumuir enim erat vt ſuperiore nota oſtenſum eſt. Sed quòd Duumuiri Capuani ſæpe ſe tanquam Conſules geſſerint, vt Cicero tradit 2. Agraria 92. de L. Conſidio & Sexto Saltio Duumuiris: *Anteibant Lictores non cum bacillis, ſed vt hic Prætoribus anteeunt cum faſcibus duobus. erant hoſtiæ maiores in foro conſtitutæ, quæ ab his Prætoribus de Tribunali ſicut à nobis Conſulibus de conſilij ſententia probatis ad præconem, & ad tibicinem immolabantur.* Deinde quia vt ait ibidem: *à maioribus noſtris alterum Capua Conſulem poſtulauit.* Suum porrò Capuani ſupremum magiſtratum, non Conſulem, ſed Mediaſtucium nominabant. Liuius dec. 3. lib. 4.

X. Decij Magij conſtantia.

Decios Magios.] Non opus eſt has duas voces virgulâ diſtinguere: nam vnus & idem Decius Magius videtur intelligi qui à Velleio libro 2. *Princeps Campaniæ* nominatur: de cuius in Annibalem conſtantia fuſiſſimè. Liuius libro 2. decadis tertiæ: ad cuius conatus reprimendos cùm ipſe Annibal Capuam accederet: *Decius Magius*, verba ſunt Liuij, *nec obuiam egreſſus eſt, nec quo timorem aliquem ex conſcientia ſignificare poſſet, priuatim ſe tenuit, in foro cum filio clientibúſque paucis otioſè inambulauit.* iam antè dixerat: *Decius Magius, vir cui ad ſummam auctoritatem nihil præter ſanam ciuium mentem, defuit.* vide de eo pulcherrima.

XI. Taureas Iubellius.

De Tavrea illo Ivbellio.] Fuit hic item eodem tempore Campaniæ princeps, de cuius conflictu mirabili cum P. Aſellio equite Romano. Titus Liuius lib. 3. decadis tertiæ, & in Annibalicis Appianus: καί τις Καπυαῖος Ῥωμαίων ἐν μοιομαχίῳ (lege Ῥωμαῖον ἐν μονομαχίᾳ) Κλαύδιον Ἄσελλον πειρεύγων ὑπεχώρει, μέχρι τοῖς Καπυαίων τείχεσιν ὁ Ἄσελλος ἐγκύρσας, καὶ τὸν ἵππον οὐ δυνάμενος ἐκ τῆς ῥύμης ἐπιστρέψαι διὰ τῶν πολεμίων πυλῶν ἐς τὴν Καπύην ἐσήλατο σὺν ὁρμῇ, καὶ διϊππεύσας τὴν πόλιν ὅλην κατὰ τὰς ἑτέρας ἐξέδραμεν, ἐς τοὺς ἐπὶ θατέρᾳ Ῥωμαίους. *Et quidam Capuanus Taureas Cl. Aſellium Romanum in ſingulari certamine fugiens abſcedebat, quoad Aſellius Capuæ mœnibus impactus, equum non valens ex curſu inflectere patenti hoſtium portæ inuectus per alteram ad Romanos euaſit.* Hæc non tam ad verba quam ad mentem, tum ipſius, tum Liuij. de cuius morte & ſpecie fortitudinis conſtantiæque Liuius lib. 6. decadis eiuſdem, ſed nonnulla ex eius epitome breuitatis ſtudio decerpam: *Cùm Senatus Campanorum deligatus eſſet ad palos vt ſecuri ferirentur: litteras à Senatu miſſas Quintus Fuluius Conſul, quibus iubebatur parcere, antequam legeret in ſinu poſuit.* Iam verba Liuij ſubtexo: *& acceptas litteras neque reſolutas cùm in gremio poſuiſſet, præconi imperauit vt lictorem lege agere iuberet.* Subdit: *Conſurgentem iam Fuluium Taurea Iubellius Campanus per mediam vadens turbam nomine inclamauit, & cùm mirabundus quidnam ſeſe vellet, inquireret reſidens Flaccus: me quoque, inquit, iube occidi, vt gloriari poſſis multò fortiorem quàm ipſe es, virum abs te occiſum eſſe. cùm Flaccus negaret profectò ſatis compotem mentis eſſe, modò prohiberi etiam ſe, ſi id vellet, S. C. diceret. Tum Iubellius, quandoquidem, inquit, capta patria, propinquis amicíſque amiſſis, cùm ipſe manu mea coniugem liberóſque interfecerim, ne quid indigni paterentur, mihi ne mortis quidem copia eadem eſt, quæ his ciuibus meis, petatur à virtute inuiſa huius vitæ vindicta, atque ita gladio quem veſte texerat, per aduerſum pectus transfixus ante pedes Imperatoris moribundus occubuit.* Hæc adferre libuit vt ex cataſtrophe totam fabulam cognoſceres. Mors Tauręæ Iubellij.

XII. Moderatio Romanorũ.

Moderatio illa.] De moderatione Romanorum magiſtratuum idem Liuius lib. 2. dec. 5. ferè in principio, Conſulatur Athenæus lib. 6. Σώφρονες δ' ἦσαν καὶ πάντα ἄριστοι οἱ ἀρχαῖοι Ῥωμαῖοι. *Veteres Romani moderati erant, & optimis moribus inſtituti.* quòd exemplo Scipionis, Cæſaris & aliorum fusè oſtenditur.

XIII.

At fvit pompa.] Vide §. 60. infrà.

XIV. Inceſſus.

Fvit incessvs.] Inceſſus maieſtatem quandam & pompam ſignificat. 1. Æneidos.

Aſt ego quæ Diuûm incedo Regina. Item:
Et vera inceſſu patuit Dea.

Propertius lib. 2. eleg. 2.

-inceſſit vel Ioue digna ſoror.

Ouidius 3. de Arte:

Eſt & in inceſſu pars non temnenda decoris.

Eodem ſenſu capio illud Plautinum in Pœnulo, ſc. *An tu.*

Atque, vt opinor, digitos in manibus non habent.
Qui iam?
Quia incedunt cum annulatis auribus.

Item ſcena *Ita me Dij ament.*

Baſilicè exornatus incedit. & fabrè ad fallaciam.

Nec illud quod ex Cæcilij Hippolyto citatur, videtur ab hoc ſignificatu abludere.

Filius in me incedit ſatis hilari ſchema.

Liuius libro 27. pompam cum inceſſu coniungit: *In foro pompa conſtitit, & per manus reſte data, virgines ſonum vocis, pulſu pedum modulantes inceſſerunt.*

AXIOMATA.

Magnum nomen eſt, magna ſpecies, magna dignitas, magna maieſtas Conſulis.

Leues homines inſolentiâ rerum ſecundarum efferuntur.

ARGVMENTVM.

Data occaſione ad inſectandam Gabinij elegantiam nimiúmque corporis cultum delabitur, oſtendens eum Capuano magiſtratu fuiſſe digniorem, & prudenter Capuanorum occurrens offenſioni id agit, vt non præſentes eorum mores & mollitiem inſectari videatur.

XXV. GABINIVM denique ſi vidiſſent Duumuirum veſtri illi vnguentarij, citiùs agnouiſſent. erant illi comti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ, & fluentes ceruſſatæque buccæ, dignæ Capua, ſed illa vetere. nam hæc quidem, quæ nunc eſt, ſplendidiſſimorum hominum, fortiſſimorum virorum, optimorum ciuium, mihíque amiciſsimorum multitudine redundat. quorum Capuæ te prætextatum nemo adſpexit, qui non gemeret deſiderio mei: cuius conſilio cùm vniuerſam Rempublicam, tum illam ipſam vrbem meminerant eſſe ſeruatam, me inaurata ſtatua donarant: me patronum vnum adſciuerant: à me ſe habere vitam, fortunas, liberos arbitrabantur: me & præſentem contra latrocinium tuum ſuis decretis, legatíſque defenderunt, & abſentem, principe Cn. Pompeio referente, & de corpore Reipublicæ tuorum ſcelerum tela reuellente, reuocarunt.

EXPLANATIO.

GABINIVM.] Lepida tranſitio. Vnguentarij in Seplaſia habitantes, non tam facilè Duumuirum repudiaſſent, cum digniorem rati qui magiſtratum gereret inter vnguentarios & in vrbe delitiis affluente, talem verò ſyllogiſmum videtur contexere.

Vnguentarij citiùs agnouiſſent Duumuirum vnguentis delibutum.

Sed Gabinius vnguentis eſt delibutus.

Ergo vnguentarij Gabinium Duumuirum citiùs agnouiſſent.

Propoſitio reticetur. *Gabinium,* &c. *citiùs agnouiſſent.* concluſio ſequentibus. *erant illi,* &c. *dignæ Capua.* aſſumptio.

MADENTES CINCINNORVM FIMBRIÆ.] Crines in cincinnos vibrati, fimbriarum inſtar promiſſi, & vnguentis delibuti.

ET FLVENTES CERVSSATÆQVE BVCCÆ.] Facies pigmento quod ceruſſa, ſiue pſimmythium vocatur, fucata ad candorem conciliandum.

DIGNÆ CAPVA, SED ILLA VETERE.] Quæ olim delitiis & mollitie affluebat.

NAM HÆC.] Hæc eſt altera pars paragraphi, qua Capuanorum offenſionem vitat, eóſque laudat commemorans eorum in ſe beneficia.

OPTIMORVM CIVIVM.] Erant enim, vt bene notat, Mantius hoc tempore ciues Romani coloniâ lege Cæſaris deductá.

DESIDERIO MEI.] Non eſt quòd hinc exiſtimes Ciceronem iam tum exulaſſe. nam ante Conſulatum Duumuir fuit Piſo, Orator Piſone Conuiuic eiectus eſt. ſed gemebant deſiderio Ciceronis, eum Piſonis loco Duumuirum expetentes.

CVIVS CONSILIO.] Meminerant & vniuerſam Rempub. meis conſiliis à Catilinæ coniuratione fuiſſe ſeruatam, tum ipſam Capuam præ cæteris. Nam Publius Sextius: *Quæſtor Antonij Collegæ mei ſorte, ſed ſocietate conſiliorum meus, venit cum exercitu Capuam, quam vrbem propter plurimas belli opportunitates, ab illa impia & ſcelerata manu attentari ſuſpicabamur, & inde M. Aulonium Tribunum militum Antonij, Capua præcipitem eiecit hominem perditum & non obſcurè in illa coniuratione verſatum,* &c. pro Sextio 9.

ME INAVRATA STATVA DONARANT.] Mihi tanquam conſeruatori ſuæ vrbis inauratam ſtatuam erexerant.

ME PATRONVM.] Pro Sextio ibidem: *Conuentus ille Capuæ qui propter ſalutem illius vrbis conſulatu conſeruatam meo me vnum patronum adoptauit.*

ME ET PRÆSENTEM.] Res eſt obſcurior, nec vllis conſignata monumentis. Videtur Cicero cùm primùm eiectus eſt, ſe Capuam, cuius patronus erat, rectà contuliſſe: coloníque iure ciuium Romanorum comitia habuiſſe, quibus & Ciceronem defendendum eſſe decreuerunt, & legatos miſerunt Romam, qui exilium deprecarentur.

PRINCIPE POMPEIO REFERENTE.] Referente non in Senatu Romæ vt optimè Manutius aduertit, ſed Capuæ in qua Duumuiratum tunc gerebat, poſt reditum in Senatu: *In colonia nuper conſtituta, cùm ipſe gereret magiſtratum.*

TELA REVELLENTE.] Vulneribus iis medente quæ tu Reip. inflixeras, & ad colonos Capuanos referente, vt illa lex à Clodio de meo exilio lata refigeretur, quæ tanquam telum in ipſius Reip. viſceribus hærebat.

NOTÆ.

DVVMVIRVM.] Notum eſt fuiſſe magiſtratus qui duumuiri, treſuiri, ſiue Triumuiri, quatuoruiri, quinqueuiri, decemuiri, nonnunquam vigintiuiri, & iudices qui centumuiri dicerentur. Creati duumuiri qui Horatio perduellionem iudicarent. Triumuiri qui componerent Remp. apud Liuium & alios Quatuoruiri in municipiis pro Cluentio: *Quatuoruiros quos mu-*

I. Duumuiri.

nicipes fecerant ſuſtulit, ſe à Sylla & alios præterea tres, factos eſſe dixit. Quinqueuiri Liuius lib. 6. *Quinqueuiros Pomptino agro diuidendo, & Triumuiros Nepetæ Coloniæ deducendæ creauerunt.* Decemuiri legum ferendarum, ſacrorum faciendorum librorum Sibyllinorum inſpiciendorum cauſsâ ſæpiſſimè. Nunc quod ad præſens negotium ſpectat, Duumuiri gerebant in coloniis magiſtratum. vt Piſo Capuæ duumuiratum de lege Agraria ad populum: *Cùm cæteris in coloniis duumuiri appellentur, hi ſe Prætores appellari volebant,* &c. *Deinde anteibant Lictores, non cum bacillis, ſed, vt hic Prætoribus anteeunt, cum faſcibus duobus.* ex quibus vides quales eſſent duumuirorum Lictores. vide Sextianam 19.

II. Vnguentarij. VNGVENTARII CITIVS AGNOVISSENT.] In eandem penè ſententiam Iuuenalis ſat. 8. v 159.

Obuius aßiduo Syrophœnix vdus amomo,
Currit Idumææ Syrophœnix incola portæ,
Hoſpitis affectu dominum regémque ſalutans.

III. Capillorum cura. ERANT ILLI COMPTI CAPILLI.] De Capillorum cura in mulieribus dictum eſt in Cœliana 49. ſed hæc contagio in viros etiam manaue at, quod vel maximum erat ſignum animi impudici. notum illud adagium, οὐδεὶς κομήτης ὅστις οὐ ψεύνζεται. quò Ouidius 3. nequitiarum ſic alluſit:

Sed vitate viros cultum formámque profeſſos:
Quique ſuas ponunt in ſtatione comas, &c.
Fœmina quid faciet cùm vir ſit læuior ipſa?
Forſitan & plures poßit habere viros?

Vide Syneſium de Caluitio. Apuleius primo floridorum Marſiam ita loquentem inducit, & Apollonij eius vitio vertentem: *Quòd eſſet & coma intonſus, & genis gratus, & corpore glabellus, & arte multiſcius, & fortuna opulentus. Iam primùm inquit, crines eius præmulſis, aut iis promulſis capronéis, anteuentuli & propenduli.* quæ ideò protuli vt affectatam hanc deſcriptionem cum Tulliana maieſtate comparares. Idem apologia 1. *Capillus ipſe, quem iſti aperto mendacio ad lenocinium decoris, promiſſum dixere, vides quàm non ſit amœnus ac delicatus, horrore implexus, atque impeditus, ſtuppeo tormento aßimilis, & inæqualiter hirtus & globoſus, & congeſtus, prorſus inenodabilis, diutina incuria, non modò comendi, ſed ſaltem expediendi, & diſcriminandi. ſatis, vt puto, crinium crimen quod illi quaſi capitale intenderunt, refutatum eſt.*

IV Capilli vnguento delibuti. MADENTES CINCINNORVM FIMBRIÆ.] *Madentes,* vnguentis affluentes. Virgil. 4. Æneidos.

Mæonia mentum mitra crinémque madentem
Suffultus.-

& 12. *-crines*
Vibratos calido ferro myrrhâque madentes.

De Gabinij vero vnguentis in Sextiana 18 *Alter vnguentis affluens, calamiſtrata coma, deſpiciens conſcios ſtuprorum, ac veteres vexatores ætatulæ ſuæ* Et poſt reditum in Senatu: *Non te illius vnguentorum odor, non vini anhelitus, non frons calamiſtri notata veſtigiis in eam cognitionem adducebat, vt cùm illius re ſimilis fuiſſes frontis tibi integumento ad occultanda tanta flagitia diutiùs vti non liceret.* Lepidè etiam Iuuenalis ſat. 4.

Et matutino ſudans Criſpinus amomo,
Quantum non redolent duo funera.-

Capillos autem vnguentis etiam illinebant. vnde, ſi licet ſacra prophanis coniungere, Pſalmiſta: *Sicut vnguentum quod deſcendit in barbam, barbam Aaron & in oram veſtimentorum eius.* Et in Euangelio legimus Domini caput vnguento fuiſſe perfuſum. Horatius:

-coronatus nitentes
Malobatro Syrio capillos. Item:
Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum ſtatuatur vnctis.

Hinc illud Platonis 3. de Rep. μύρον κατὰ τῆς κεφαλῆς καταχέαντες. Porrò cùm audis capillos vnguento delibutos, non eſt quòd exiſtimes craſſam *quandam & pinguem quaſi oliui fuiſſe vnctionem: erat enim vnguentum* illud inſtar aquæ roſaceæ, & liquoris è floribus expreſſi, vt conſtat è Plinio lib. 13. cap. 1. 2. 3. quamuis, vt idem ait cap. 3. *Quoſdam craßitudo maximè delectat: id ipſum approbantes, linique iam non ſolùm: ſed & perfundi vnguentis gaudent.* Sed quoſdam & raro: craſſiora enim vnguenta vt balſamum & oleum mortuis ſeruabant. Perſius ſat. 3. Vnguentum quale.

Hinc tuba, candelæ: tandémque beatulus alto
Compoſitus lecto: craßiſque lutatus amomis
In portam rigidos calces extendit. Vnguenta craſſiora mortuis ſeruabant.

Horat. ſat. 6. lib. 2. *-cadauer*
Vnctum oleo largo nudis humeris tulit hæres.

quamuis, vt dixi, nonnunquam oleo pinguiore vterentur. Horat. ſat. 3. lib. 2.

Vngere ſi caules oleo meliore capútque
Cœperis impexâ fœdum porrigine?

Sed hîc non libet immorari, ſatis ſit addere ex Plinio lib. 13. cap. 3. *Hæc eſt materia luxus è cunctis maximè ſuperuacui: margaritæ enim gemmæque ad hæredem tamen tranſeunt: veſtes prolongant tempus, vnguenta illico expirant, ac ſuis moriuntur horis: ſumma commendatio eorum vt tranſeunte fœminâ odor inuitet, etiam aliud agentes. excedúntque quadragenos denarios libræ, tanti emitur voluptas aliena, etenim odorem qui gerit, ipſe non ſentit.* Aliquanto poſt ſubdit: *Lucium Plotium L. Plotij bis Conſulis Cenſoriſue fratrem proſcriptum à Triumuiris in Salernitana latebra vnguenti odore proditum conſtat. quo dedecore tota abſoluta proſcriptio eſt. quis enim non meritò vidiſſet periſſe tales?* nec aliud fuit Veſpaſiani de vnguẽtatis iudicium, Suetonius cap. 8. *Adoleſcentem fragrantem vnguento, cùm ſibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aſpernatus, voce etiam grauißima increpuit: maluiſſem allium oboluiſſes: litteráſque reuocauit.* Vnguentorũ vanitas.

V. Cincinni. CINCINNORVM.] Cincinni capilli ſunt tortim & vndulatim inflexi. Iuuen. ſat. 6.

Componit crinem laceratis ipſa capillis,
Nuda humero Pſecas infelix nudíſque mamillis,
Altior hic quare cincinnus, Taurea punit
Continuo flexi crimen facinúſque capilli.

Tertullianus de cultu fœminarum: *Quid crinibus veſtris quieſcere non licet, modò ſubſtrictis, modò relaxatis, modò ſuſcitatis, modò eliſis: aliæ geſtiunt in cincinnis coërcere, aliæ vt vagi & volucres elabantur non bona ſimplicitate,* &c. Theocritus Eidyllio 14. etiam κικίννους appellat:

Χ᾽ ὠ μύσταξ πολὺς οὗτος ἄρ᾽ αὐαλέοι τε κίκιννοι.
Et tibi cincinni ſqualent, incultáque barba eſt.

Atque cincinnos id eſſe credo, quos Græci κρωβύλους nominabant. Thucydides de ſuis Athenienſibus in ſuæ hiſtoriæ procemio: Οὐ πολὺς χρόνος Athenienſiũ cicadæ.

ἐπειδὴ χιτῶνάς τε λινοῦς ἐπαύσαντο φοροῦντες, καὶ χρυσῶν τεττίγων ἐνέρσει κρωβύλον ἀναδούμενοι τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ τριχῶν. *Non à multis annis tunicas lineas geſtare deſierunt, aureas cicadas implexu quodam capillorum*

Crobylus. *cincinnis alligantes.* Interpres: Κρωβύλος δ' ἐστὶν εἶδος πλέγματος τῶν τριχῶν ἀπὸ ἑκατέρων εἰς ὀξὺ ἀπολῆγον. ἐκαλεῖτο δὲ τῶν μὲν ἀνδρῶν, κρωβύλος. τῶν δὲ γυναικῶν, κόρυμβος. τῶν δὲ παίδων, σκορπίος. *Concinnus eſt genus flexuræ capillorum ex vtraque parte in acutum de-*

Strobylus. *ſinens. qui in viris crobylus, in fœminis corymbus, in pueris ſcorpius dicebatur.* Cincinnorum igitur fimbriæ ſunt capilli extremi, ſeſe ex illis cincinnis & implexu vndatim explicantes, & in humeros

Nonnus emendatus. leuiter defluentes. Ex dictis emendo Nonnum lib. 13. verſu 201. de Athenienſium cicadis ita loquentem:

> Καὶ πόλις ἀγγέλλων προτέρην αὐτόχθονα φύτλην
> Χρύσεος ἀπλεκτοισι ...ισιν ἐσφίγγετο τέττιξ.
> *A que frequens primam ſignans ab origine terrã*
> *Aurea non flexo religatur crine cicada.*

& Tertullianus. Lego εὐπλέκτοισι, vt crobylos ſiue cincinnos intelligat. Hinc etiam emendo Tertullianum de virginibus velandis: *Debebunt etiam & ipſi aliqua ſibi inſignia defendere, aut pennas Garamantum, aut ſtrobylos barbarorum, aut cicadas Athenienſium, aut cirrhos Germanorum, aut ſtigmata Brittonum.* tollo vocem *barbarorum*, & ſcribo *aut crobylos & cicadas.* niſi fortè Garamantas, Britonas, Germanas à barbaris hac illa diuiſione diſtinxit.

VI. Fluentes buccæ. Balbuties. FLVENTES.] Manutius *pinguiores* putat intelligi vt libro 2. de oratore: *Gallum eiectâ linguâ buccis fluentibus.* quod vitium, ni fallor, λαμβδακισμὸν Fabius appellat, cùm ob buccæ linguæque pinguedinem in l, conuertitur quo vitio laboraſſe tradunt Demoſthenem. id autem à Gabinio affectatum fuiſſe nō immeritò quis exiſtimet, nam & mulieres ex eo decorem quærebant. Ouidius 3. de Arte:

> *Quid cùm legitimâ fraudatur littera voce*
> *Blæſaque ſit iuſſo lingua coacta ſono?*
> *In vitio decor eſt, quædam malè reddere verba.*
> *Diſcunt poſſe minùs quam potuere loqui.*

Lucretius lib. 4.

> *Balba loqui non quit, τραυλίζει.*

Perſius ſat. 1. effœminatum recitatorem ita deſcribit:

> *Hic aliquis cui circum humeros hyacinthina læna eſt,*
> *Rancidulum quiddam balba de nare locutus*
> *Phyllidas, Hypſipylas, vatum & plorabile ſi quid*
> *Eliquat, & tenero ſupplantat verba palato.*

Lepidè Gorgias Platonicus: Ὅταν μὲν παιδίον ἴδω, ᾧ ἔτι προσήκει διαλέγεσθαι, οὕτω ψελλιζόμενον καὶ παῖζον, χαίρω τε καὶ χαρίεν μοι φαίνεται, καὶ ἐλευθέριον, καὶ πρέπον τῇ τοῦ παιδὸς ἡλικίᾳ. ὅταν δὲ σαφῶς διαλεγομένου παιδαρίου ἀκούσω, πικρόν τί μοι δοκεῖ χρῆμα εἶναι, καὶ ἀνιᾷ μου τὰ ὦτα, καί μοι δοκεῖ δουλοπρεπές τι εἶναι. ὅταν δὲ ἀνδρὸς ἀκούσῃ τις ψελλιζομένου ἢ παίζοντα ὁρᾷ, καταγέλαστον φαίνεται, καὶ ἄνανδρον, καὶ πληγῶν ἄξιον. ταὐτὸν οὖν ἔγωγε τοῦτο πάσχω, καὶ πρὸς τοὺς φιλοσοφοῦντας, &c. *Cùm puerum video, quem alloqui decet, balbutientem & ludentem, valde oblector, idque ſuaue & literale, & conueniens ætati videtur: cùm verò puerum clarè & diſtinctè loquentem audio, aſperum id duco, & moleſtè audio, & ſeruile exiſtimo. ſi quis verò virum audiat balbutientem, aut pueriliter ludentem videat, illud eſt ridiculum, viro indignum, flagris digniſſimum. Eodem planè modo afficior, erga eos qui philoſophantur.* Poſt reditum in Senatu Gabinius deſcribitur: *Vini, ſomni, ſtupri plenus, madenti coma, compoſito capillo, grauibus oculis, fluentibus buccis, preſſa voce, & temulenta.*

CERVSSATÆQVE BVCCÆ.] Ceruſſa, ſiue Pſimmithium auctore Plinio *pigmenti genus eſt quod ad candorem mulierum adhibetur.* de qua Dioſcorides conſulatur. videtur ab Ouidio 3. de Arte cera nominari: VII. Ceruſſa

> *Scitis & inductâ candorem quærere cera:*
> *Sanguine quæ vero non rubet, arte rubet.*

Athenæus libro 12. Sardanapalum fuiſſe dicit, ἐψιμυθιωμένον καὶ κεκοσμημένον γυναικιστί, *ceruſſatum & mulieris modo ornatum.* anonymus quidam Pythagoreus, niſi ſi cui placet eum Thymantem nominari, περὶ τῶ καλῶ καὶ αἰσχρῶ, ait κοσμεῖσθαι καὶ ψιμυθίῳ χρίεσθαι, καὶ χρυσία περιάπτεσθαι, τῷ μὲν ἀνδρὶ αἰσχρὸν, τᾷ δὲ γυναικὶ καλόν. *Ornari & ceruſſa inungi viro quidem turpe, mulieri verò honeſtum eſt.* Alexis apud Clementem Alexandrinum libro tertio Pædagogi, & Athenæus: Fucus faciei in viris reprehenſus.

> Τὰς ὀφρῦς πυρρὰς ἔχει τις, ζωγραφοῦσιν ἀσβόλῳ.
> Συμβέβηκ' εἶναι μέλαιναν, κατέπλασε ψιμυθίῳ.
> Λευκόχρως ἄγαν τις ἐστὶ, παιδέρωτ' ἐντρίβεται.
> Καλὸν ἔχει τι τοῦ σώματος, τοῦτο γυμνὸν δείκνυται.
> Εὐφυεῖς ὀδόντας ἔχει, ἐξ ἀνάγκης δεῖ γελᾶν.
> *Supercilia rufa habet quæpiam? pingunt fuligine.*
> *Euenit vt quæpiam ſit nigra? allinit ceruſſam.*
> *Corpore nimis candido eſt? pæderota affricat.*
> *Pulchrum habet aliquid corporis? hoc nudum oſtendit.*
> *Pulchrè diſpoſitos habet dentes? neceſſe eſt vt rideat.*

Fucus mulieris.

Sed taceo fœminas. Clemens Alexandrinus ibidem cap. 3. εἰς τοσοῦτον δ' ἄρα ἐλήλακεν ἡ χλιδὴ, ὡς μὴ τὸ θῆλυ μόνον νοσεῖν περὶ τὴν κενοσπουδίαν ταύτην, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄνδρας ζηλοῦν τὴν νόσον. *Mollities eo vſque progreſſa eſt, vt non ſolum mulieres hoc inſolenti ſtudio quaſi morbo quodam teneãtur, ſed etiam vt viri hunc morbum imitentur.* Item: Ἕνα τινὰ τούτων τῶν ἀνδρῶν παιδαγωγικῶς ἐπιπλήσσων ὁ Διογένης ὠνούμενος ἐπεφθέγξατο ἀνδρείως, ἄνδρα, ἧκε, εἶπεν, μειράκιον ἄνδρα ὠνήσασθαι σαυτῷ. *Quempiam iſtorum effœminatorum pædagogi inſtar obiurgans Diogenes cum venderetur viriliter omninò, veni, inquit, adoleſcens eme tibi virum.* Tertullianus de cultu fœminarum: *Et viris propter fœminas & fœminis propter viros vitio naturæ ingenita eſt placendi voluntas, propriáſque præſtigias formæ, & hic ſexus ſibi agnoſcit, barbam acriùs cædere, interuellere, circumdare, capillum diſponere, etiam colorare canitiem, primam quamque ſubducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri diſtinguere, cætera pulueris cuiuſdam aſperitudine leuigare, tum ſpeculum omni occaſione conſulere, anxiè inſpicere, cùm tamen cognito Deo adempta placendi voluntate per luxuriæ vacationem, omnis illa vt otioſa, vt hoſtilia pudicitiæ recuſantur.* quod & Arnobius libro 2. aduerſus gentes acriter reprehendit: *Idcircò omnes miſit vt diuini ponderis & grauitatis oblitæ, gemmas, lapillos, margaritas, caſtitatis impendio compararent, conſpiciendis quærerent corporibus fucos, inuerterent his olla, laminas pertunderent aurium, imminuerent frontem limbis, fuligine oculos obumbrarent, nec in formas erubeſcerent maſculorum calamiſtris vibrare cæſariem, cutem corporis leuigare, incedere poplitibus nudis, omnique alio cultu vigorem virilitatis & exponere,* Fucus virorũ.

& in habitum fœminarum delitiáſque molliri? Xenophon lib. I. Cyropædiæ. Καὶ ὁρῶν δὴ αὐτὸν κεκοσμημένον, καὶ ὀφθαλμῶν ὑπογραφῇ, καὶ χρώματος ἐντρίψει, καὶ κόμαις προσθέτοις ἃ δὴ νόμιμα ἦν ἐν Μήδοις. *Et ipſum videns (Cyrus Aſtyagem) ornatum, & pictis oculis, & coloribus adſcititiis nitentem, & comis appoſitis, quæ apud Medos in more & lege poſita erant.*

VIII. Capuanorum luxuria.

DIGNÆ CAPVA, SED ILLA VETERE.] Plinius lib. 13. c. 1. de vnguentis: *Gloriam abſtulere Neapolis, Capua, Præneſte.* Et cap. 3. *Terrarum omnium Ægyptus accommodatiſſima vnguentis, ab ea Campania eſt proxima copia roſæ.* Subditur vetere, quia circa Magij & Iubellij tempora delitiis & luxuriâ affluebat. Athenæus lib. 12. tradit veteres Capuanos ex Polybio lib. 6. ἐξοκείλαι εἰς τρυφὴν καὶ πολυτέλειαν ὑπερβαλλουσαν τὴν περὶ Κρότωνα καὶ Σύβαριν παραδεδομένην φήμην. *In tantum luxum incidiſſe, vt quæ de Crotone & Sybari traduntur longè ſuperarint.* Sed de horum ſuperbia & delitiis multa noſter in orationibus contra legem Agrariam. Liuius lib. 23. *Prona ſemper ciuitas in luxuriam, non ingeniorum modò vitio, ſed affluenti copia voluptatum, & illecebris omnis amœnitatis maritimæ terreſtríſque.*

IX. Penuria virorum bonorũ.

COPIA REDVNDAT.] Ea quæ nunc eſt, inquit, fortiſſimorum virorum copia redundat, quòd & vetere Capua dicere nequaquã potuiſſet. Summa enim in ea fuerat bonorum penuria. iudicio eſt illud plebis Capuanæ factum, quæ infeſta Senatui, alios Pacuuio Romano Senatores in curiam allegi cupiebat. vt auctor eſt Liuius lib. 2. dec. 3. *Pacuuius conſedit, & nominibus in vrnam coniectis, citari quod primum quódque nomen excidit, ipsúmque è curia produci iuſſit, vbi auditum eſt nomen, malum & improbum pro ſe quiſque clamare, & ſupplicio dignum. Pacuuius, video quæ ſententia de hoc ſit data, eiicitur pro malo atque improbo, bonum Senatorem & iuſtum eligite. primò ſilentium erat inopiâ potioris ſubiiciundi, deinde cum aliquis omiſsâ verecundiâ quempiam nominaſſet, multò maior ex templo clamor oriebatur, cùm alij negarent noſſe, alij nunc probra, nunc humilitatem, ſordidámque inopiam, pudendæ artis aut quæſtus genus obiicerent. Hoc multò magis in ſecundo ac tertio Senatore factum eſt, vt ipſius pœnitere homines appareret, quem autem in eius ſubſtituerent locum deeſſe,* &c. Subdit aliquantò pòſt: *Ita dilabi homines notiſſimum quodque malum maximè tolerabile dicentes eſſe, iubentéſque Senatum ex cuſtodia dimitti.*

X. Duumuiri prætextati.

PRÆTEXTATVM.] Hinc aduertis non modò Romæ magiſtratus, ſed etiam in coloniis prætextæ ius habuiſſe. habebant & lictores Duumuiri qui tamen non faſces vt Romæ Conſulibus aut Prætoribus, ſed bacillos præferebant. vt colligi poteſt ex loco citato legis Agrariæ: *Anteibant lictores non cum bacillis, ſed, vt hic Prætoribus anteeunt, cum faſcibus duobus.*

XI.

ME INAVRATA STATVA DONARANT.] Seneca 6. de Beneficiis cap. 8. *Nemo quamuis pro ſe dixerit affuiſſe ſibi dicitur, nec ſtatuam ſibi tanquam patrono ponit.* Plinius cap. 4. lib. 34. *Et iam omnium municipiorum & fori ſtatuæ ornamẽtum eſſe cœpere, propagaríque memoria hominum, & honores legi & baſibus inſcribi, ne in ſepulchris tantùm legerentur, mox & in domibus priuatis factum atque in atriis, honos clientium inſtituit ſic colere patronos.* Et cap. 6. *Publicè autem ab exteris poſita eſt Romæ C. Ælio Tribuno plebis, lege perlata in Septimium Statilium Lucanum, qui Thurinos bis infeſtauerat: & ob id Cœlium Thurini ſtatuâ & coronâ aureâ donarunt. Iidem poſteà Fabritium donauere ſtatuâ liberati obſidione, paſſimque ſtatuæ in clientela ſunt receptæ, & adeò diſcrimen omne ſublatum, vt Annibalis etiam ſtatuæ tribus locis viſantur in ea vrbe, intra cuius muros ſolus hoſtium immiſit haſtam.* Horatius: Statuæ aureæ patronis donatæ.

-qui quærit Pater vrbium

Subſcribi ſtatuis.- atque haud ſcio an prouinciæ patronis templa etiam dedicarint. Clarè orator epiſt. ad Q. fratrem prima: *Romæ quidem non mediocri admiratione laudatur, quòd cùm ad templum monumentúmque noſtrum ciuitates pecunias creuiſſent: cúmque id & pro magnis meis meritis, & pro maximis tuis beneficiis ſumma ſua voluntate feciſſent: nominatimque lex exciperet, vt ad templum monumentúmque capere liceret: cúmque id quod dabatur non eſſet interiturum, ſed in ornamentis templi futurum, vt non mihi potiùs quàm populo Romano ac diis immortalibus datum videtur: tamen id, in quo erat dignitas, erat lex, erat eorum qui faciebant, voluntas, accipiendum non putaui, tum aliis de cauſſis, tum etiam vt animo æquiore ferrent ij, quibus nec deberetur, nec liceret.* Xiphilinus in Nerone de Furiis, Porciis, Valeriis loquens, ὧν οἱ ναοὶ ἑωρῶντο, *quorum*, inquit, *templa viſebantur.* Suetonius in Auguſto cap. 52. *Templa quamuis ſciret etiam Proconſulibus decerni ſolere: in nulla tamen prouincia niſi communi ſuo Romæque nomine recepit: nam in vrbe quidem pertinaciſſimè abſtinuit hoc honore, atque etiam argenteas ſtatuas olim ſibi poſitas conflauit omnes ex quibus aurea cortinas Apollini Palatino dedicauit.* Proconſulibus ait templa decerni ſolere, quidni etiam patronis? alij tamen diſſentiunt. nam vt auctor eſt Tacitus primo annalium eidem Auguſto poſt mortem probro datum eſt: *quòd ſe templis & effigie numinum per Flamines & Sacerdotes coli vellet.* Dio libro 51. Τοῖς δὲ δὴ ξένοις, Ἕλληνας σφᾶς ἐπικαλέσας ἑαυτῷ τινα, &c. τεμενίσαι ἐπέτρεψε. καὶ τοῦτ' ἐκεῖθεν ἀρξάμενον, καὶ ἐπ' ἄλλων αὐτοκρατόρων, οὐ μόνον ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς ἔθνεσιν, ἀλλὰ καὶ ἐν ἄλλοις ὅσα τῶν Ῥωμαίων ἀκούει ἐγένετο, &c. *Peregrinis, Græcos eos appellans, permiſit vt quædam ſibi ipſi templa conſecrarent. idque ab eo incœptum deinceps ad alios Imperatores manauit, non in Græcia ſolùm, ſed in aliis quoque Populi Romani prouinciis.* Pro Suetonio contra Dionem facit verſus ille Adriani de Pompeio lib. I. Anthol. cap. 54. Epod. 4. Templa patronis & proconſulibus excitata.

Τῷ ναοῖς βρίθοντι πόσον σπάνις ἔπλετο τύμβου;

Copia templorum, ſed egeſtas quanta ſepulchri?

quæ templa etiam apud Sinas viris de Rep. bene meritis excitari teſtatur noſter Trigautius in hiſtoria Sinenſi.

ME PATRONVM VNVM ASSCIVERANT.] De patronis & clientibus Plutarchus in Romulo. Dionyſius libro ſecundo, rem ex profeſſo tractantes conſulantur, illud ad rem ex Dionyſio: Οὐ μόνον δ' ἐν αὐτῇ τῇ πόλει τὸ δημοτικὸν ὑπὸ τὴν προστασίαν τῶν πατρικίων ἦν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀποίκων αὐτῆς πόλεων, καὶ τῶν ἐπὶ συμμαχίᾳ καὶ φιλίᾳ προσελθουσῶν, καὶ τῶν ἐκ πολέμου κεκρατημένων ἑκάστη φύλακας εἶχε καὶ προστάτας οὓς ἐβούλετο Ῥωμαίων, XII. Patroni.

καὶ πολλάκις ἡ βουλὴ τὰ ἐκ τούτων ἀμφισβητήματα τῶν πόλεων καὶ ἐθνῶν ἐπὶ τοὺς προϊσταμένους αὐτῶν ἀποστέλλουσα τὰ ὑπ' ἐκείνων δικασθέντα κύρια ἡγεῖτο. Non ſolùm verò in ipſa vrbe plebs erat ſub patritiorum clientela, ſed & ſingulæ eius coloniæ, & vrbes fœderatæ, & eæ quæ armis in populi Romani ditionem acceſſerant, ex Romanis cuſtodes habebant, & patronos quos ipſæ elegiſſent. & ſæpe Senatus omnes harum gentium & vrbium controuerſias ad patronos remittens rata habebat quæcunque illi ſtatuiſſent. Cicero 3. de officiis: *Hunc autem dico patronum agri Piceni & Sabini.*

AXIOMA.

Æquum eſt eos patronos adſciſcere à quibus vitam & fortunas habemus.

ARGVMENTVM.

Primò negat Piſonem fuiſſe Conſulem, quòd ipſius domum incendi permiſerit. deinde quòd nemo eum vt Conſulem agnouerit. tertiò quòd Rempublicam omni ſcelere lacerarit, & diſsiparit.

XXVI. AN tu eras Conſul, cùm in Palatio mea domus ardebat, non caſu aliquo, ſed ignibus iniectis, inſtigante te? Ecquod in hac vrbe maius vnquam incendium fuit, cui non Conſul ſubuenerit? At tu illo ipſo tempore apud ſocrum tuam propè à meis ædibus, cuius domum meam exhauriendam patefeceras, ſedebas non extinctor, ſed auctor incendij, & ardenteis faceis furiis Clodianis pænè ipſe Conſul miniſtrabas. An verò reliquo tempore Conſulem te quiſquam duxit, quiſquam tibi paruit? quiſquam in curiam venienti aſſurrexit? quiſquam conſulenti reſpondendum putauit? numerandus eſt ille annus denique in Republica, cùm obmutuiſſet Senatus, iudicia conticuiſſent, mœrerent boni, vis latrocinij veſtri tota vrbe volitaret, neque ciuis vnus ex ciuitate, ſed ipſa ciuitas tuo, & Gabinij ſceleri, furoríque ceſſiſſet?

EXPLANATIO.

AN TV.] Vis eſt in ſyllogiſmo.

Conſules ſolent incendiis ſubuenire.

Sed tu non ſubueniebas incendiis.

Ergo non eras Conſul.

Concluſio primis verbis, *an tu*, &c. *inſtigante te.* Maior propoſitio illis: *Ecquod in hac vrbe*, &c. *ſubuenerit.* Aſſumptio illis: *at tu illo tempore*, &c. *miniſtrabas.*

FVRIIS CLODIANIS.] Seditioſis à Publio Clodio ad incendium domus meæ concitatis. vocat furias, quòd in fabulis furiæ cum facibus & tædis ardentibus ſoleant induci.

APVD SOCRVM.] Quænam ea fuerit, ignorare ſe Asconius confitetur, & ſuperuacuum eſt inquirere. pro domo. 62. *Columnæ marmoreæ ex ædibus meis, inſpectante populo Romano ad ſocrum portabantur.*

AN VERO.] Alius eſt ſyllogiſmus.

Conſul non fuit quem nemo Conſulem agnouit.

Sed nemo te Conſulem agnouit.

Ergo Conſul non fuiſti.

Maior propoſitio vt nota reticetur.

QVISQVAM TIBI PARVIT.] Ab enumeratione obſequiorum quæ conſulibus præſtantur, oſtendit neminem fuiſſe qui Piſonem Conſulem agnouerit.

CONSVLENTI RESPONDIT.] Pro Sextio 68. *Omnia Senatus reiiciebat, niſi de me primùm Conſules retuliſſent.*

OBMVTVISSET SENATVS.] In Vatinium 8. *Cuius deſiderio*, &c. *forum mœſtum, muta curia, omnia denique bonarum artium ſtudia ſiluerunt.*

NOTÆ.

INCENDIVM QVI NON CONSVL SVBVENERIT.] Vix huius rei reperio veſtigium, quid ſi Salluſtius in Catilina eò ſpectauerit? *Negotia diuiſa hoc modo dicebantur. Statilius & Gabinius vti cum magna manu duodecim ſimul opportuna loca vrbis incenderent. quo tumultu facilior aditus ad Conſulem, cæteroſque quibus inſidiæ parabantur fieret. Cethegus Ciceronis ianuam obſideret.* Et Dio libro 47. de Druſo filio Tiberij: *Τῇ δὲ μέθῃ καταφορὴς οὕτως ἐγίγνετο, ὥστε ποτὲ νυκτὸς ἐμπρησθεῖσί τισιν ἐπικουρῆσαι μετὰ τῶν δορυφόρων ἀναγκασθεὶς, ὕδωρ αὐτῶν αἰτούντων, θερμὸν σφισιν ἐγχέαι κελεῦσαι. Ebrietati adeò deditus ad ſatietatem erat, vt cùm aliquando noctu cuidam incendio cum ſua cohorte ſubuenire cogeretur, ipſis aquam petentibus, calidam infundi præceperit.* Triumuiri porrò erant conſtituti ad reſtinguenda incendia. Valerius lib. 8. *M. Militius, Cn. Lolius, L. Sextilius Triumuiri, quòd ad incendium in ſacra via ortum tardiùs venerant à Trib. pleb. die dicta ad populum damnati ſunt.* Et ſub Imperatoribus Præfecti Vigilum, aut etiam Ædiles Auguſtus apud Dionem 54. *Τοῖς δ' ἀγορανόμοις ἐπιμεληθῆναί τε ὅπως μὴ ἐν ἐμπίπρηται, κἂν ἄρα τι τοιοῦτον συμβῇ, κατασβεννύναι τὸ πῦρ προσέταξεν. Ædilibus mandauit, cauerent ne quæ incendia exiſterent, aut ſi extitiſſent, ignis reſtinguendi curam gererent.* I. Incendijs quinam ex officio ſubuenirent.

QVISQVAM TIBI PARVIT.] Quo obſequio dignitas potiùs quàm prætexta & lictoribus continetur. Diuus Chryſoſtomus in epiſtolam ad Romanos, homilia vndecima. Τί γὰρ II. Obſequium magiſtratuū.

ὄφελος

ὄφελος εἰπέ μοι βασιλέως, ἁλουργίδα μὲ περικειμένου καὶ ὅπλα ἔχοντος, οὐδένα δὲ ὑπήκοον κεκτημένου; ἀλλὰ προκειμένου πᾶσι τοῖς βουλομένοις ἐνάλλεσθαι καὶ ὑβρίζειν αὐτόν; οὕτω καὶ χριστιανῷ οὐδὲν ἔσται κέρδος, πίστιν μὲ ἔχοντος καὶ τὴν ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος δωρεάν, πᾶσι δὲ τοῖς πάθεσι προκειμένου. *Quæ enim vtilitas amabo eſt Regi, ſi purpura quidem induatur, & arma habeat, ſed nullum è ſubditis habeat ſibi dicto audientem, ſed expoſitus ſit omnibus qui ipſi inſultare velint, & illudere? ſic & Chriſtiano lucrum non eſt, ſi fidem habeat, & donum in baptiſmate acceptum, ſed omnibus cupiditatibus ſit obnoxius.*

II. Honor magiſtratibus exhibitus.

VENIENTI ASSVRREXIT] Multos honores ſolitos magiſtratibus exhiberi Seneca paucis complectitur epiſt. 66. *Si Conſulem videro aut Prætorem, omnia quibus honor haberi ſolet faciam, equo deſiliam, caput adaperiam, ſemita cedam.* Et Arnobius libro 6. *Via decedat, aſſurgat, caput reuelet, vehiculóque deſiliat.* Equo deſiliebant Conſulibus obuij, vt de Fabio teſtatur Claudius Quadrigarius apud Gellium lib. 2. cap. 2. & Liuius decad. 3. lib. 4. *Fabius Pater filio legatus ad Sueſſulam in caſtra venit, cùm obuiam filius progrederetur, lictoréſque verecundia maieſtatis eius taciti anteirent, non ſubmouentes patrem, præter vndecim faſces equo prouectus ſenex, vt Conſul animaduertere proximum lictorem iuſſit, & ei vt deſcenderet ex equo inclamauit, tum demùm deſiliens, Experiri, inquit, volui fili ſatin' ſcires Conſulem te eſſe.* Sic Camilla Turno:

Equo deſiliebant.

Occurrit portíſque ab equo Regina ſub ipſis
Deſiluit: quam tota cohors imitata relictis
Ad terram defluxit equis.

Hunc enim honorem viris honoratis exhibebāt. Dio libro 45. de Seruilio Iſaurico loquens: οὕτως οἱ τότε Ῥωμαῖοι τούς τε τῷ ἀξιώματι προσήκοντας ᾐδοῦντο, καὶ τοὺς αὐθάδειάν τινα καὶ ἐν τοῖς ἐλαχίστοις ἴσχοντας ἐμίσουν, ὥστε ἐπειδή ἐκεῖνός τινα ἐν ὁδῷ ἀπαντήσαντά οἱ βαδίζοντι ἱππεύοντα, καὶ μήτε ἀποπηδήσαντα καὶ προσέτι ἰσχυρῶς προσελάσαντα, ἐγνωρίσθαι τε μετὰ τοῦτο ἐν δικαστηρίῳ κρινόμενον, καὶ εἰπόντος τοῖς δικασταῖς τὸ γιγνόμενον, οὐδὲ λόγου ἐπ' αὐτῷ ἔδοσαν, καὶ κατεψηφίσαντο πάντες. *Sic ea tempeſtate Romani reuerebantur eos qui dignitate excellerent, & eos qui etiam in minimis impudenter, quidpiam faciebant, odio proſequebantur, vt cùm* Seruilius Iſauricus *pedibus iter faciens in quemdam equitantem incidiſſet, neque ille deſiluiſſet, ſed calcaribus admotis feſtinaſſet, eum in aliquo iudicio agnouerit, & expoſito iudicibus facto, ipſi reum inaudita cauſsâ damnauerint.* Caput adaperiebant. Plutarchus in quæſt. Romanis 10. Διὰ τί τοὺς θεοὺς προσκυνοῦντες ἐπικαλύπτονται τὴν κεφαλήν, τῶν δ' ἀνθρώπων τοῖς ἀξίοις τιμῆς ἀπαντῶντες, κἂν τύχωσιν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχοντες τὸ ἱμάτιον, ἀποκαλύπτονται; *Cur Deos adorantes caput obnubunt, at occurrentes hominibus aliqua dignitate præſtantibus, etiamſi fortè caput lacinia veſtis ob tectum habeant, deteguntur.* Hunc tamen honorem aliis quàm magiſtratibus exhibebant. Plutarchus in Pompeio facit Syllæ mentionem: ὑπεξανισταμένου τε προσιόντι τῷ Πομπηΐῳ καὶ τῆς κεφαλῆς ἀπάγοντος τὸ ἱμάτιον. *Aſſurgentis venienti Pompeio, & veſtem è capite remouentis.* De via cedebant, atque adeò lictores in via cederent, obuios ſubmouebant, res eſt comperta. Quæres in quam partem decederent? in medium vicum, vt Conſul parieti vicinior incederet. hic enim locus honori fuit: quemadmodum in ambulatione præferebatur locus vel medius, vel interior, id eſt parieti vicinior. vt quinto Faſtorum,

Caput detegebant.

De via cedebant.

Aſſurgebant.

Et medius Iuuenum, non indignantibus ipſis,
Ibat & interior ſi comes vnus erat.

De quo tamen vide Turnebum in aduerſariis, Lipſium in electis, & alios, nobis nec licet, nec libet hic immorari. Aſſurgebant. ſuprà ὑπεξανισταμένου τε προσιόντι τῷ Πομπηΐῳ. Dio libro 36. De Lucio Lucullo Prætore & Aquilio Conſule loquens: Τοῦ Ἀκυλίου συντριβῆναι τὸν δίφρον αὐτοῦ ἐφ' οὗ ἐδίκαζε κελεύσαντος, ὅτι παριόντα ποτὲ αὐτὸν ἰδὼν οὐκ ἐξανέστη, οὔτ' ὀργῇ ἐχρήσατο καὶ ὀρθοστάδην μετὰ τοῦτο καὶ αὐτός, καὶ οἱ συνάρχοντες αὐτοῦ δι' ἐκεῖνον διεδίκασαν. *Cum Aquilius ſellam in qua iudicabat frangi iuſſiſſet, quod eum prætereuntem videns non aſſurrexerat, neque ira exarſit, & ſtans in poſterum, tum ipſe, tum ipſius cauſſa cæteri iudices, iudicarunt.* Minores magiſtratus maioribus faſces ſubmittebant. Dionyſius libro 8. de Marcio Coriolano loquens: Ἐπεὶ δ' ἐγγὺς ἦσαν ὑπαντᾶν τῇ μητρὶ προελθὼν ἐκ τοῦ χάρακος ἔγνω σὺν ὀλίγοις τούς τε πελέκεις, οὓς προηγεῖσθαι τῶν στρατηγῶν ἔθος ἦν, ἀποθέσθαι κελεύσας τοῖς ὑπηρέταις, καὶ τὰς ῥάβδους ὅταν ἐγγὺς γένηται τῆς μητρὸς καταστεῖλαι. ταῦτα δὲ Ῥωμαίοις ἔθος ποιεῖν ὅταν ὑπαντῶσι ταῖς μείζοσιν ἀρχαῖς, οἱ τὰς ἐλάττους ἀρχὰς ἔχοντες, ὡς μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου γίνεται. *Vbi propiùs acceſſerunt occurrere matri procedens è caſtris decreuit cum paucis, & ſecures, quæ Prætoribus præferri ſolent, deponi iuſſit, faſcéſque ſubmitti cùm propiùs ad matrem veniſſent. Hæc ſolent Romani facere, cùm maioribus magiſtratibus occurrunt minores, quòd ad noſtram ætatem ſeruatur.* Hinc per tranſlationem faſces alicui ſummittere eſt honorare, ſiue venerari. Noſter in Bruto 22. *Cùm enim in maximis cauſis verſatus eſſet, & cùm tibi ætas noſtra iam cederet, faſcéſque ſummitteret.*

Minores magiſtratus faſces ſubmittebant maioribus.

ARGVMENTVM.

Quæ dicta ſunt hactenus, ad vtrumque Conſulem ſpectabant, nunc oſtendit Gabinium fuiſſe Piſonis improbitate ſuperatum, atque adeò Conſulis nomine digniorem, quòd Gabinius nonnihil ad meliorem frugem rediiſſet, Piſo in ſuo ſcelere manſiſſet obſtinatus.

XXVII. AT ne tum quidem emerſiſti, lutulente Cæſonine, ex miſerrimis naturæ tuæ ſordibus, cùm experrecta tandem virtus clariſſimi viri, celeriter & verum amicum, & optime meritum ciuem, & ſuum priſtinum morem requiſiuit: neque eſt ille vir paſſus, in ea Rep. quam ipſe decorarat, atque auxerat, diutiùs veſtrorum ſcelerum peſtem morari: cùm tamen ille, qualiſcunque eſt, qui ab vno te improbitate victus Gabinius, collegit ipſe ſe vix, ſed collegit tamen, & contra ſuum Clodium primùm ſimulatè, deinde non libenter: ad extremum tamen pro Cn. Pompeio verè, vehementérque pugnauit. Quo quidem in ſpectaculo mira populi Romani æquitas erat: vter eorum periſſet, tanquam laniſta, in eiuſmodi pari lucrum fieri putabat: immortalem verò quæſtum, ſi vterque cecidiſſet.

EXPLANATIO.

AT NE TVM.] Ne tum quidem in viam meliorémque frugem rediiſti, cùm *aliquando ſeriùs quàm ipſe vellet, Cn. Pompeius inuitiſſimus iis, qui mentem optimi ac fortiſſimi viri, ſuis conſiliis ac fictis terroribus à defenſione meæ ſalutis auerterant, excitauit illam ſuam non ſopitam, ſed ſuſpicione aliqua retardatam conſuetudinem Reip. bene gerendæ.* Pro Sextio 67. quia ſcilicet Pompeius, cùm vexari ſe contumeliis à Clodio videret, cogitauit de reuocando Cicerone quem furoribus Clodianis opponeret.

CLARISSIMI VIRI.] Cn. Pompeij.

VERVM AMICVM.] Non ſimulatum & proditorem, id eſt me ipſum: quamuis nonnulli *eius vitæ à me inſidias apud me domi poſitas eſſe dixerunt.* pro Sextio 41.

OPTIME MERITVM CIVEM.] Conſeruatorem Reipublicæ.

SVVM PRISTINVM MOREM.] Conſuetudinem Reip. bene gerendæ.

NEQVE EST VIR PASSVS.] Pro Sextio 67. *Non eſt paſſus ille vir, qui ſceleratiſſimos ciues, qui acerrimos hoſtes, qui maximas nationes, qui Reges, qui gentes, feras atque inauditas, qui prædonum infinitam manum, qui etiam ſeruitia virtute victoriaque domuiſſet, qui omnibus bellis terra maríque compreſſis, imperium Pop. Romani orbis terrarum terminis definiſſet, Remp. euerti ſcelere paucorum, quam ipſe non ſolùm ſuis conſiliis, ſed etiam ſuo ſanguine ſæpe defendiſſet.*

COLLEGIT IPSE SE.] *Ad ſe rediit, & quid faceret cogitauit.*

CONTRA SVVM CLODIVM.] Quem ſic amabat, vt quò ei gratificaretur, me vrbe pelli permiſerit.

PRO CN. POMPEIO.] Quem Clodius omnibus contumeliis vexabat.

QVO QVIDEM IN SPECTACVLO.] Pugnæ & diſſenſionis quæ inter Gabinium & Clodium exarſerat.

MIRA POP. ROM. ÆQVITAS.] Aliàs, *mira Reip. æquitas.* Sed optimè Faernus: *æquitas hîc accipi debet, pro ſecuro & tranquillo animi ſtatu, qui non videtur Reip. poſſe conuenire, ſed populo Romano,* &c.

ÆQVITAS.] Animi ſecuritas. hoc certamen æquiſſimo animo ſpectabat reſp.

VTER EORVM PERIISSET.] Cauſſam reddit cur reſp. ſpectaret hoc certamen tanta animi æquitate. quemadmodum, inquit, laniſta qui gladiatorum paria in certamen adducit, & inter ſe committit, cùm eos antè gladiandi arte inſtruxit, lucrum ſe facere putat, cùm aliquis occiditur, nam eius & alendi & docendi onere liberatur, ita Reſpublica lucrum ſe facere putabat, ſiue Clodius, ſiue Gabinius in eo certamine concidiſſet, vel *tanquam laniſta,* id eſt tanquam gladiator, vt comparatio laniſtæ non ad Remp. ſed ad Clodium & Gabinium referatur.

NOTÆ.

LVTVLENTE CÆSONINE.] Suprà: I.
pauci iſta tua lutulenta vitia noueramus. Sæ- Cicero ami-
pe toto orationis decurſu: *ô labes, ô lutum.* de no- cus Pompeij.
mine Cæſonini vide §. 14.

VERVM AMICVM.] Huc trahunt multi epigramma illud Catulli, quo ſub Alpheni nomine tacitè carpit Pompeium, quòd Tullium verum amicum prodidiſſet. II.

Alphene immemor atque vnanimis falsè ſodalibus
Iam te nil miſeret, durè, tui dulcis amiculi, &c.
quæ conſulantur.

Idque fortaſſe cauſſa fuit, cur Æſopus illa Actij verba pronuncians in Theatro, *Summum amicum, ſummo in bello* reuocaretur ab vniuerſis, & eadem repetere iuberetur, quod ad Ciceronis & Pompeij amicitiam alluderet. pro Sextio 121.

AVXERAT.] Imperio Romano tres terrarum III.
partes tribus triumphis adiunxerat: qui quan- Pompeius au-
tùm imperium populi Romani propagarit, liquet xit Rempu-
ex Plinio lib. 7. c. 26. *Ex Aſia, Ponto & Armenia,* blicam.
Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Iudæis, Albanis, Iberia, Inſula Creta, Baſternis, & ſuper hæc de Regibus Mithridate atq; Tigrane triumphauit.

Summa ſummarum in illo gloria fuit, (vt ipſe in concione dixit, cùm de rebus ſuis diſſereret) Aſiam vltimam prouinciam accepiſſe, eandémque mediam patriæ reddidiſſe. dixerat antè: *terris à Mæotis lacu ad rubrum mare ſubactis.* Sed de eius victoriis præter Plinium, Plutarchus in Pompeio, Appianus in Mithridaticis, Dio lib. 37. Velleius & alij conſulantur. Plutarchus addit, Mediam, Colchidem, Meſopotamiam, Phœniciam, Arabiam, alias etiam gentes.

IV. Gabinius defendit Pompeium.

GABINIVS COLLEGIT IPSE SE.] Dio Caſſius lib. 38. Ὁ Κλώδιος τόν τε Τιγράνην τὸν νεώτερον ἐν δεσμοῖς ἔτι καὶ τότε παρὰ Λουκίῳ Φλαουΐῳ ὄντα πεισθεὶς ὑπὸ χρημάτων ἐξήρπασε, καὶ ἀφῆκε, καὶ τὸν Πομπήϊον, τόν τε Γαβίνιον ἀγανακτήσαντα ἐπὶ τούτῳ περιύβρισε, τοῖς τ' ἀμφ' αὐτοὺς οὖσι καὶ πληγὰς καὶ τραύματ' ἔδωκε, καὶ τοῦ ὑπάτου τάς τε ῥάβδους συνέτριψε, καὶ τὴν οὐσίαν καθιέρωσεν. ὀργισθεὶς γὰρ διὰ τοῦτο ὁ Πομπήϊος ἀνακαλέσασθαι τὸν Κικέρωνα ἠθέλησε, καὶ αὐτῷ τὴν κάθοδον εὐθὺς διὰ τοῦ Νιννίου πράττειν ἤρξατο. *Clodius verò Tigranem iuniorem qui adhuc in vinculis apud Lucium Flauium tenebatur, pecuniis perſuaſus eripuit, liberúmque dimiſit, & Pompeium Gabiniúmve propter id indignantes contumeliis affecit, eis qui eorum erant in comitatu plagas & vulnera inflixit, conſulis faſces fregit, & eius bona conſecrauit. iratus enim eam ob rem Pompeius de reuocando Cicerone cogitabat, & ſtatim per Ninnium de eius reditu retulit.* Hæc ille. porrò de conſecratione bonorum Gabinij Cic. pro domo ſua: *Tu tu, inquam, capite velato, concione aduocata, foculo poſito, bona tui Gabinij, cui regna omnia Syrorum, Arabum, Perſarúmque donaras, conſecraſti.* & paulò pòſt: *Quid ergo illa tua tum obteſtatio tibicinis? quid foculus? quid preces? quid priſca illa verba voluerunt?* quod ad Tigranem è vinculis exemptum attinet. Plutarchus in Pompeio: καὶ Τιγράνην τὸν αἰχμάλωτον ἀφαρπάσας εἶχε σὺν αὑτῷ. *Et Clodius Tigranem captiuum è vinculis ereptum ſecum habebat.* Imò & Tullius ipſe pro domo ſua. 66. *Qui ex eius cuſtodia per inſidias Regis amici filium, hoſtem captiuum ſurripuiſſet,* &c. Vnde mireris quid Appianum induxerit, vt ita ſcriberet in Mithridaticis: Ἀρμενίων δ' ὅσοι τὸν Τιγράνην πρὸς Πομπήϊον ὁδεύοντα ἐγκαταλελοίπεσαν, ἐν ὑποψίᾳ τοῦτο ἔχοντες τὸν παῖδα αὐτῷ παρὰ τῷ Πομπηίῳ ἔτι ὄντα πείθουσιν ἐπιθέσθαι τῷ πατρί, καὶ ὁ μὲν ἐλήφθη καὶ ἐδέθη· καὶ μεταξὺ Παρθυαίους ἐρεθίζων ἐπὶ τὸν Πομπήϊον ἐθριαμβεύθη καὶ ἀνῃρέθη. *Armeniorum verò quotquot Tigranem ad Pompeium ſe conferentem deſeruerant, id ſuſpectum habentes, filium eius, qui adhuc apud Pompeium erat, induxerunt, vt patri inſidiaretur, & hic quidem captus eſt & vinctus, cúmque Parthos in Pompeium concitaret, in triumphum ductus, necatúſque.* Quare libēter legerim, ἐθριαμβεύθη καὶ (μετὰ τοῦτο ἐκ δεσμῶν) ἀπῃρέθη. *In triumpho ductus eſt, & (poſtmodum vinclis) exemptus eſt.*

Gabinij bona à Clodio cōſecrantur.

Tigranes à Pompeio captus, & vinculis exemptus.

Appianus emendatus.

V. Repetitio.

COLLEGIT IPSE SE VIX, SED COLLEGIT TAMEN.] Similis illa Senecæ repetitio conſolatione ad Heluiam cap. 9. *Ita te diſciplinis imbuiſti, vt ſcires omnem locum ſapienti viro patriã eſſe: porrò hic qui te expulit, non ipſe per annos decem continuos patria caruit? propagandi ſine dubio imperij cauſſa, ſed nempe caruit.* Lucianus de hæreſib. Οὐ περιεῖδον διὰ παντὸς τοῦ βίου, ὀνείρῳ ἡδεῖ μὲν ἴσως, ἀτὰρ ὀνείρῳ γε συνόντα. *Non permiſi te per totam vitam ſomniare, iucundè fortaſſe, ſed tamen ſomniare.* Ouidius 1. de Arte.

Capta vides ſero Pergama, capta tamen.

Noſter lib. 4. ad Atticum epiſt. 3. ab hac figura non abludit. *Habebat ille difficilem manifeſtámque cauſſam, ſed tamen cauſam.* Item Lucianus in Aſino: Καὶ τῷ ἔρωτι τῆς θέας ταύτης δοὺς ἐμαυτὸν περιῄειν τὴν πόλιν, ἀπορῶν μὲν τῆς ἀρχῆς τοῦ ζητήματος. ὅμως δὲ περιῄειν. *Et huius ſpectaculi deſiderio meipſum tradens, vrbem circuibam, ignorans quidem vnde quærere inciperem, ſed tamen circuibam.* Heliodorus 8. Æthiopicorum: μόλις μέν, ἐπείθετο δ' ὅμως ἡ Χαρίκλεια. *vix obediuit Chariclea, obediuit tamen.* Demoſthenes de corona eodem pene flexu: ἐπεπείσμην δ' ὑπὲρ ἐμαυτοῦ τυχὸν μὲν ἀναισθήτως, ὅμως δ' ἐπεπείσμην. *Perſuaſi mihi de me ipſo, ſtolidè fortaſſe, ſed tamen perſuaſi.* Et Euripidem, cuius verba etiam à Lycurgo contra Leocratem.

--οἱ δὲ δρῶσι μὲν
Χρόνῳ δὲ δρῶσι.--
-hi faciunt quidem,
Sed ſerò faciunt.-

Auguſtinus 8. Confeſſionum, cap. 11. *Voluens & verſans me in vinculo meo, quo iam exiguo tenebar, ſed tenebar tamen.* noſter in Sextiana 42. *Intenta ſigna legionum exiſtimari ceruicibus ac bonis veſtris, falsò, ſed putari tamen.*

TANQVAM LANISTA.] De laniſtis Lipſius 1. Saturnaliorum cap. 15. nomen alij deriuant à laniando. Iſidorus auctor eſt Thuſcum eſſe verbũ. erant autem laniſtæ qui gladiatorum familiæ præſidebant. Vetus gloſſarium. *laniſta* λουδοτρόφος, μονομαχοτρόφος, ἐπιστάτης μονομάχων. Hic autem, vt iam in explicatione monui, dubium eſt vtrùm Populus Romanus an Clodius & Gabinius cum laniſta conferantur. ſi populus Romanus, ſenſus erit, populum inſtar laniſtæ malorum gladiatorum mortem, non timentis ſpectaſſe pugnam Clodij & Gabinij mira animi æquitate. Si Clodius & Gabinius cum laniſta conferantur, dicendum eſt hoc loco laniſtam pro gladiatore, non pro gladiatorum magiſtro & doctore vſurpari. quemadmodum pro ipſis gladiatoribus Prudentius vſurpat, parum propriè tamen, immò imperitè, ſi Lipſium audiamus, vbi de Veſtali ſcribit quæ ſpectabat gladiatores. *- ſedet illa verendis*
Vittarum inſignis phaleris fruitúrque laniſtis.
Magis arridet prior explanatio, quàm vt amplectar, inducit me Marcus Antonius epiſtola ad Hirtium & Cæſarem quæ Philipp. 13. recitatur: *Quibus vtri noſtrûm ceciderint lucro futurum eſt. Quod ſpectaculum adhuc ipſa fortuna vitauit, ne videret vnius corporis duas acies, laniſta Cicerone, dimicantes.*

VI. Laniſta.

IN EIVSMODI PARI.] Paria gladiatorum ſæpiſſimè. Horat. 2. ſat.

VI. Par gladiatorum.

Ni ſic feciſſent gladiatorum dare centum
Damnati populo paria.-

Perſius: *-hodie centum paria ob res*
Egregiè geſtas indico.-

Seneca Rhetor præfatione libri 4. controuerſiarum: *Quod munerarij ſolent facere ad expectationem populi detinendam, noua paria per omnes dies diſpenſant, vt ſit quod populum & delectet & reuocet, hoc ego facio.*

AXIOMATA.

Improbi vix vnquam emergunt ex naturæ ſuæ ſordibus.
Nonnulli bene agunt primùm ſimulatè, deinde non libenter, ad extremum tamen verè & vehementer.

ARGVMENTVM.

Altera pars eſt comparationis, qua Piſonis in ſcelere obſtinationem complectitur, & tumultus ex illa Conſulum diſſenſione concitatos, dum Gabinius Clodium impugnat, Piſo defendit.

XXVIII. SED ille tamen agebat aliquid: tuebatur auctoritatem ſummi viri: erat ipſe ſceleratus, erat gladiator: cum ſcelerato tamen, & cum pari gladiatore pugnabat. Tu ſcilicet homo religioſus, & ſanctus, fœdus, quod meo ſanguine in pactione prouinciarum iceras, frangere noluiſti. Cauerat enim ſibi ille ſororius adulter, vt, ſi tibi prouinciam, ſi exercitum, ſi pecuniam ereptam ex Reipublicæ viſceribus dediſſet; omnium ſuorum ſcelerum ſocium te, adiutorémque præberes. itaque in illo tumultu fracti faſces, ictus ipſe: quotidie tela, lapides, fugæ? deprehenſus denique cum ferro ad Senatum is, quem ad Cn. Pompeium interimendum, collocatum fuiſſe conſtabat.

EXPLANATIO.

SED ILLE TAMEN.] Gabinius agebat aliquid: tuebatur authoritatem Cn. Pompeij: erat ipſe Gabinius ſceleratus, erat crudelis & gladiatori ſimilis: cum altero tamen gladiatore & ſicario P. Clodio pugnabat.

TV SCILICET.] Ironia. religioſum & ſanctum appellat, quaſi fœderis cum ſacramenti religione initi ſanctitatem violare auſus non fuiſſet Piſo, ideóque à Clodio deficere noluiſſet.

FOEDVS.] Fœdus quod pepigeras cum Clodio, vt tu me de ciuitate eiici patereris, meámque cauſam proderes, ea conditione vt Clodius viceverſa rogationem ferret ad populum, qua tibi Macedonia prouincia, Syria Gabinio decerneretur.

ILLE SORORIVS ADVLTER.] Pub. Clodius, qui cum ſororibus inceſtum perpetrauit.

PECVNIAM.] Quadringenta quinquaginta millia aureorum, deprompta ex ipſo ærario.

IN ILLO TVMVLTV.] Qui exortus eſt cùm Gabinius Clodium impugnaret, tu defenderes.

FRACTI FASCES.] quos lictores Gabinio Conſuli præferebant.

ICTVS IPSE.] Dubium quem intelligat, opinor id ad Gabinium pertinere.

IS.] Clodij ſeruus, teſte Plutarcho, cum ſica ad occidendum Pompeium in ianua curiæ collocatus.

NOTÆ.

I. Otiari, agere aliquid.

AGEBAT ALIQVID.] Socrates, vt auctor eſt Xenophon 3. memorabilium: Σχολὴν σκοπῶν τίς εἴη, ποιοῦντας μέν τι τοὺς πλείστους, ἔφη, εὑρίσκειν. καὶ γὰρ τοὺς πεττεύοντας καὶ τοὺς γελωτοποιοῦντας ποιεῖν τι. πάντας δὲ τούτους, ἔφη, σχολάζειν. *Quid otium eſſet conſiderans, multos, inquiebat, qui aliquid facerent inueniri. nam & aleatores & ſcurras dicebat aliquid agere: ſed tamen eos omnes otiari.* At contrà Cicero eum ſolùm qui bene agit dicit aliquid agere.

ICERAS.] Commodè. nam fœdus dicitur feriri, ici, percuti, ſanciri. vide Sextianam §.24.n.5.6. *Id autem fœdus meo ſanguine ictum ſanciri poſſe dicebant.* II.

FRACTI FASCES.] Oppreſſa Senatus auctoritas, aiunt nonnulli interpretes, ſed parum conſideratè. neque enim faſces lictorij ad Senatum pertinebant, & Dio lib. 48. verbis conceptis teſtatur in hac Clodij & Gabinij ſeditione fractos fuiſſe faſces conſulares, καὶ τὸ ὑπάτου τὰς τε ῥάβδους συνέτριψε, &c. quod alio loco dicemus ſæpe alias contigiſſe. vide Liuium lib.2.de ſeditione Voleronis. III. Fracti faſces.

QVOTIDIE TELA.] Appianus I. ciuilium: Ξίφος δ᾽ οὐδέν πω παρενεχθὲν εἰς ἐκκλησίαν, οὐδὲ φόνος ἔμφυλος πρίν γε Τιβέριος Γράκχος δημαρχῶν καὶ νόμους ἐσφέρων πρῶτος ἐν στάσει ἀπώλετο, &c. καὶ οὐκ ἀνέσχον ἔτι αἱ στάσεις ἐπὶ τῷδε τῷ μύσει. *Gladius verò nullus illatus fuerat in concionem, neque ciuilis cædes facta fuerat, priùs quàm Tiberius Gracchus Tribunusplebis leges ferens primus in ſeditione occiſus eſt,* &c. *& poſt hoc piaculum Reſp. nunquam à ſeditionibus conquieuit.* IV. Seditiones concionum.

DEPREHENSVS CVM FERRO.] Plutarchus in Pompeio: καὶ πληγὰς ἐν ἀγορᾷ μέχρι τραυμάτων συνέβη γενέσθαι, καὶ Κλωδίου τις οἰκέτης παραδυόμενος ἐν ὄχλῳ διὰ τῶν περιεστώτων πρὸς τὸν Πομπήϊον ἠλέγχθη ξίφος ἔχειν. *Et ad vulnera vſque in foro pugnatum eſt, & Clodij ſeruus inſinuans multitudine per circumſtantes Pompeium deprehenſus eſt cum ferro.* Is fuit Clodij libertus Dauus, vt tradit Aſconius pro Milone. V.

AXIOMA.

Expetendum vt ſcelerati cum ſceleratis pugnent.

ARGVMENTVM.

Negat Piſonem Conſulem fuiſſe quod & ipſum Ciceronem vrbe depelli, & Pompeium domum compelli permiſerit: item ex eo quod Senatus eorum relationibus ſolitus fuerit reclamare.

ECquis audiuit non modò actionem aliquam, aut relationem, ſed vocem omninò, aut querelam tuam? Conſulem tu te fuiſſe putas, cuius in imperio, qui Rempublicam, Senatus auctoritatem ſeruarat, idémque in Italia qui omneis omnium gentium parteis triumphis deuinxerat, is ſe in publico tutò ſtatuit eſſe non poſſe? An tum eratis Conſules, cùm, quacumque de re verbum facere cœperatis, aut referre ad Senatum: cunctus ordo reclamabat, oſtendebátque nihil eſſe vos acturos, niſi priùs de me retuliſſetis? cùm vos, quamquam fœdere obſtricti tenebamini, tamen cupere vos diceretis, ſed lege impediri? XXIX.

EXPLANATIO.

ECQVIS AVDIVIT.] Ecquis vidit te reſiſtentem non dicam poteſtate Conſulari, ſed vel priuato conſilio. actio enim & relatio videtur eſſe conſularis, vox & querela priuati officij, vt relatio ſit conſultatio Senatûs, actio ipſius Senatuſconſulti concluſio. Mox: *vos nihil eſſe acturos.*

CVIVS IN IMPERIO.] Conſulatu.

IDEM IN ITALIA QVI OMNES.] Locus ſine dubio corruptus eſt, quamuis omnia penè exemplaria conſentiant. Lambinus legendum putat, *itémque in Italia.* magis placet Manutij correctio, *is neque in Italia*, vt ſenſus ſit, *cuius* Piſonis *in Imperio*, ſiue Conſulatu, *qui Rempublicam Senatus auctoritate ſeruarat.* ipſe Cicero qui ex Senatus conſulto Cethego, Lentulo, & aliis coniuratis in carcere iugulatis, Rempublicam ab interitu vindicarat. *Is neque in Italia*, idem ipſe Cicero ne in Italia quidem ſtatuit tutò ſe poſſe conſiſtere, ideóque putauit exeundum eſſe & cedendum furoribus Clodianis. *Qui omnes omnium gentium partes tribus triumphis deuinxerat.* Et Pompeius Magnus, qui Domitio in Africa, Sertorio in Europa, Mithridate in Aſia ſuperatis, de tribus terrarum partibus triumpharat, eáſque ſub vnam Populi Romani redactas ditionem inter ſe deuinxerat & colligarat, *is ſe in publico ſtatuit eſſe non poſſe.* Idem ipſe Pompeius metu Clodij qui ipſius vitæ inſidiabatur caruit publico, nec prodiuit in forum priuatis ſe parietibus defendẽs. Legit Ianus Guillelmius adſtipulante Gruttero: *Qui Remp. Senatûs auctoritate ſeruarat, fidémque in Italia: qui omnes*, &c. quaſi publicam menſariorum fidem in Italia Cicero ſeruarit oppreſſâ coniuratione: quæ fides labefactabatur à coniuratis, qui ſpe nouarum tabularum patriæ bellum inferebant.

AN TVM ERATIS.] Superiùs, *quiſquam conſulenti reſpondendum putauit.* & pro Sextio 68. *Omnia Senatus reiiciebat, niſi de me primùm Conſules retuliſſent.*

OSTENDEBATQVE.] Senatus ſignificabat nullam vos poſſe Senatuſconſulti concluſionem impetrare, niſi priùs de me reuocando retuliſſetis.

CVM VOS.] Oſtendit cauſſæ æquitatem quæ tanta fuit vt etiã ipſis inimicis confeſſionem veritatis extorſerit, adeò vt Piſo & Gabinius, Ciceronem quem adeò Senatui gratum eſſe videbant, à ſe amari ſimularent, ſolámque Clodij legem prætenderent.

FOEDERE OBSTRICTI.] Fœderis quod meo ſanguine in pactione prouinciarum iceratis, religione deuincti.

SED LEGE IMPEDIRI.] Lege Clodia de meo exilio prohiberi quò minùs ad Senatum de meo reditu referretis.

NOTÆ.

RELATIONEM.] Mox dicetur: *Oſtendebátque nihil eſſe vos acturos, niſi priùs de me retuliſſetis.* Ex quibus vides quæ ſit inter actionem & relationem diſtinctio. vt in explicatione dictum eſt. Abs re non fuerit hoc loco exponere quid ſit ius tertiæ, quartæ, quintæ relationis, quod ſæpe Imperatoribus, honoris & auctoritatis cauſſâ conceſſum à Senatu in hiſtoria Auguſta reperitur. tertiæ relationis, vt apud Vopiſcum in Probo loquitur Manlius Statianus: *Decerno igitur*, &c. *Pontificatum maximum, ius tertiæ relationis, tribunitiam poteſtatem.* Quartæ Iulius Capitolinus Pertinaci decretum fuiſſe tradit. *Imperium proconſulare, nec non ius quartæ relationis.* Quintæ. Lampridius in Alexandro: *Auguſtúmque nomen idem recepit, addito eo, vt & patris patriæ nomen, & ius proconſulare, & tribunitiam poteſtatem, & ius quintæ relationis deferente Senatu vno die aſſumeret.* Docuit me per litteras eruditus Cauſinus id ius fuiſſe huiuſmodi, vt quoque Senatu poſſent Principes de tribus, quatuor, quinque rebus, quas vellent, etiã non Conſules facere relationem, quòd poſteà reperi, apud Turnebum annotationibus in Plinij præfationem. Idque ex Dione libro 53. vbi de Auguſto hæc habentur: ἡ γερουσία δήμαρχόν τε αὐτὸν διὰ βίον εἶναι, καὶ χρηματίζειν αὐτῷ περὶ ἑνὸς, ὅπου ἂν ἐθελήσῃ, καθ' ἑκάστην βουλὴν, κἂν μὴ ὑπατεύσῃ. *Senatus Auguſto hos honores decreuit, vt Tribunitiam poteſtatem perpetuam haberet, & quoties Senatus haberetur, etiamſi Conſulatum non gereret, vna de re referre poſſet.* Vbi ius primæ relationis intelligit. Caue enim Xylandro credas, qui περὶ ἑνὸς vertit non peritiſſimè, *de quibuſcunque rebus.*

Margin notes: I. Relatio. — Ius ſecundæ, tertiæ, quartæ relationis.

11. Duæ partes terrarum.

OMNES OMNIVM GENTIVM PARTES.] Communis eſt omnium gentium, ſiue orbis terrarum in tres partes, Aſiam, Africam, & Europam deſcriptio: id tamen Herodotus in Melpomene mirari ſe dicit: Θωϋμάζω ὦν τῶν διουρισάντων, καὶ διελόντων Λιβύην, καὶ Ἀσίην καὶ Εὐρώπην, οὐ γὰρ σμικρὰ τὰ διαφέροντα αὐτέων ἐστι. μήκει μὲν γὰρ παρ' ἀμφοτέρας παρήκει ἡ Εὐρώπη. εὖρος δὲ πέρι, οὐδὲ συμβάλλειν ἀξίη φαίνεταί μοι εἶναι. *Itaque admiror eos qui diſterminarunt atque diſtinxerunt, Libyam, Aſiam, Europam: inter quas non parum eſt differentiæ. Siquidem Europa longitudine quidem cæteras aſſequitur, latitudine verò non videtur mihi comparari digna.* Quare nonnulli ex Europa & Africa vnam orbis partem fecerunt. Salluſtius in Iugurtha: *In diuiſione orbis plerique in tertia parte Africam poſuerunt, pauci tantummodò Aſiam & Europam eſſe, ſed Africam in Europa.* Varro in fragmentis: *Vt omnis natura in cœlum & terram diuiſa eſt, ſic cœlum in regiones, terra in Aſiam & Europam.* Idem teſtatur Acron in odem 27. lib. 7. carminum Horatij, & Iſocrates Panegyrico, vt notat Nicolaus Richeletius in Ronſardum, Ode 4. lib. 3. Lucanus libro 9. Pharſalicorum vtriuſque diſtributionis meminit:

Tertia pars rerum Libye, ſi credere famæ
Cuncta velis: at ſi ventos cœlúmque ſequaris,
Pars erit Europæ: nec enim plus littora Nili
Quam Scythicus Tanais primis à Gadibus abſunt, &c. vide.

Cui opinioni videtur Horatius alludere:

- tua ſectus orbis nomina ducet.

Alij, ſed minùs commodè vt arbitror Africam Aſiæ iunxerunt. Silius:

Æſtiuo Libye torquetur ſubdita cancro.
Aut ingens Aſiæ latus aut pars tertia rerum.

Verùm quàm inæqualis erit iſta diuiſio, cùm omnium conſenſu conſtet, ſolùm Aſiam cum Europa & Africa poſſe magnitudine comparari? quota tandem pars terrarum erit Europa ſi cum Aſia & Africa coniunctis componatur? diſertè Auguſtinus lib. 16. de Ciuitate, c. 17. *Aſiam nunc dico non illam partem quæ huius maioris Aſiæ vna prouincia eſt, ſed eam quæ vniuerſa Aſia nuncupatur, quam quidam in altera duarum, plerique autem in tertia totius orbis parte poſuerunt, vt ſint omnes Aſia, Europa & Africa: quòd non æquali diuiſione fecerunt. Namque iſta, quæ Aſia nuncupatur à meridie per Orientem vſque in Septentrionem peruenit. Europa verò à Septentrione vſque ad Occidentem, atque inde Africa ab Occidente vſque ad Meridiem. vnde videntur orbem dimidium tenere, Europa & Africa, alium verò dimidium ſola Aſia. Sed ideò duæ partes factæ ſunt, quia inter vtramque ab Oceano ingreditur, quicquid aquarum terras interluit, & hoc mare magnum nobis facit. quapropter ſi in duas partes orbem diuidas Orientis & Occidentis, Aſia erit in vna, in altera verò Europa & Africa.* Tres partes orbis terrarũ. Receptiſſima itaque eſt orbis in partes tres diuiſio. de qua Plinius lib. 3. c. 1. & alij paſſim geographi. Dionyſius ipſo initio ſuæ Periegeſeos:

Ἄνθρωποι τρισσῇσιν ἐπ' ἠπείροισι δάσαντο
Πρῶτον μὲν Λιβύην, μετὰ δ' Εὐρώπην, Ἀσίην τε.
Homines tres in continente parti ſunt
Primùm Libyam, deinde Europam, Aſiámque.

Atque hæc quidem antiqua diuiſio quam Cicero hæc & alibi ſequitur. nunc ex quo maiorum ille noſtrorum Typhis Columbus, *nouos detexit orbes, nec fuit terris vltima Thule*, recentiores geographi quatuor alias partes tribus illis addiderunt. Quartam igitur partem terrarum dixerunt *Americam* Septentrionalem, quæ à Meridionali ſecluditur Iſthmo. Septem terrarum partes. Quintam Americam Meridionalem. Sextam terram Auſtralem nuper detectã, ſed nondum bene perſpectam, in qua ſunt Pſittacorum regio, terra *d'el fuego*, quòd in ea procul ignes appareant: è regione eſt freti Magellanici. Septimam quæ vltima eſt, ad polum Borealem poſuerunt, eámque vti omnium minimam in inſulas quatuor circa polum aſſitas poſuerunt. Hæc vir eruditiſſimus mihíque amiciſſimus, qui nuper tacito nomine, dum ad maiora præludit, Notas in Dionyſium edidit, breues illas quidem, ſed eruditas.

ARGVMENTVM.

Hactenus probauit multis rationibus Piſonem, qui nec ipſi Tullio nec Reip. ſubueniſſet, indignum fuiſſe qui Conſul diceretur. nunc legem Clodiam & excuſationem quam ex ea prætexebat Piſo, ſuis ſceleribus grauiter inſectatur.

XXX. QVÆ lex priuatis hominibus eſſe lex non videbatur, inuſta per ſeruos, inciſa per vim, impoſita per latrocinium, ſublato ſenatu, pulſis è foro bonis omnibus, capta Republica contra omneis leges, nullo ſcripta more: hanc qui ſe metuere dicerent, conſules, non dicam animi hominum, ſed facti, vlli ferre poſſunt? Nam, ſi illam legem non putabitis, quæ erat contra omneis leges, indemnati ciuis, atque integri capitis, bonorumque tribunitia proſcriptio: hac tamen obſtricti pactione tenebamini: quis vos non modò conſules, ſed liberos fuiſſe putet, quorum mens fuerit oppreſſa præmio, lingua adſtricta mercede? Sin illam vos ſoli legem putabatis: quiſquã vos conſules tunc fuiſſe, aut nunc eſſe conſulareis putet, qui eius ciuitatis, in qua in principum numero vultis eſſe, non leges, non inſtituta, non mores, non iura noritis?

EXPLANATIO.

QVÆ LEX.] Argumentum à comparatione.

Priuati rogationem Clodij de meo exilio pro lege non habuerunt.

Ergo multò minùs Conſules eam pro lege habere debuerunt.

Deinde à circunſtantiis ſiue adiunctis oſtendit cur pro lege habenda non fuerit.

Lex inuſta per ſeruos, inciſa per vim, &c. *non eſt vera lex.*

Talis eſt lex Clodia.

Ergo non eſt vera lex.

INVSTA.] Quaſi ferro candenti in Reipub. fronte ad perpetuam ignominiam impreſſa.

INCISA PER VIM.] in æs inſculpta.

NVLLO SCRIPTA MORE.] Non ſeruato trinundino quod in aliis ſeruari conſueuit.

SED FASTI VLLI.] Adeò Conſulis nomine ſunt indigni, vt ne faſti quidem ſiue annorum inſcriptiones ferre poſſint annum horum Conſul non nominibus inſcribi. multa exemplaria habent *facti*, ſed malè. idem mendum in Statium irrepſit prima Syluarum in Soteriis:

-Sed reuocant facti maiórque curulis.

lege, *faſti.*

NAM SI ILLAM.] dilemma eſt.

Vel hanc legem verè vos metuere dicebatis, quòd verè putaretis eſſe legem, vel prouinciarum pactione corrupti hoc prætextu vtebamini, vt meam cauſſam proderetis.

Si primum, ignorabatis mores & inſtituta Reip. atque adeo Conſules non eratis.

Si ſecundum, non modò Conſules non eratis, ſed ne liberi quidem, quippe qui veſtram libertatem pretio prouinciæ vendidiſtis.

Ergo ſiue putabatis eſſe legem ſiue non, Conſules non eratis.

QVÆ ERAT CONTRA OMNES LEGES.] Maximè ſacratas, &c. & alias quibus ciuium Romanorum libertas ſtabilitur.

INDEMNATI CIVIS.] Qui indictâ cauſſâ extrudebatur è ciuitate.

ATQVE INTEGRI CAPITIS.] Ciuis qui nulla lege erat capite diminuto.

TRIBVNITIA PROSCRIPTIO.] Tyrannica præmij pollicitatio iis qui ciui indemnato necem intuliſſent, quæ proſcriptio eo fuit indignior quòd facta eſt à Tribuno plebis, qui magiſtratus creatus eſt vt ciuium libertati & commodis contra potentiorum violentiam prouideret.

HAC TAMEN OBSTRICTI PACTIONE.] Hoc fœdere, hac prouinciarum Macedoniæ & Syriæ pactione deuincti, & quaſi addicti in ſeruitutem.

MENS.] Ne pro veſtri officij ratione Reipub. conſuleretis.

LINGVA.] Ne referretis ad Senatum in tanto periculo ciuitatis.

VOS SOLI.] Qui minimè omnium debebatis putare.

NON LEGES.] Inter hæc quatuor videtur eſſe hæc diſtinctio: quòd leges ſcriptæ ſint, & receptæ ſuffragio Principis in monarchia, in Democratia ſuffragio totius ciuitatis, nec ad vnum aut alterum annum, ſed in perpetuum obligent.

INSTITVTA.] Inſtituta verò ſint quædam veluti Senatus decreta, quæ vim quidem non habent niſi ad vnum vel alterum omnium: ſi tamen diutiùs perſeuerent, in legem tranſeunt quodammodo, & quandam veluti præſcriptionem inducunt.

MORES.] Mores ſine Senatus decreto, aut lege, aut alio expreſſo ciuium non ſenſu inducuntur primùm, cùm tamen diutiùs inoleuerint, obligationem inducant.

IVRA.] Iura poſtremo, vel ius naturale, ius gentium, ius ciuile comprehendit, de quibus multa à Theologis & Iuriſconſultis variis altercationibus ventilantur: vel ſua priuilegia quædam quæ populo à magnatibus conceſſa ſunt. Porro ad ſyllogiſmum poteſt ita reuocari:

Qui nec ciuitatis leges, iura, inſtituta, mores nouit, is ciuis dicendus non eſt, nedum Conſul aut Conſularis.

Sed ſi Clodiam rogationem legem eſſe putaſtis, nec ciuitatis leges, nec iura, nec mores, nec inſtituta noueratis.

Ergo ſi legem putauiſtis eſſe, ciues non fuiſtis, nedum ciues aut Conſulares.

NOTÆ.

INVSTA PER SERVOS.] Expoſui quaſi ferro candenti in fronte Reipub. ad perpetuam ignominiam impreſſa. Seruis enim fugitiuis & calumniatoribus notas inurebant, ideóque dicit legem inuſtam per ſeruos, vt rei indignitatem exaggeret. ſerui, inquit, emiſſi ex ergaſtulis atque adeò notis inuſti. hanc Reipubl. non legem ſed labem inuſſerunt. Petronius in Satyrico: *Impleuit Eumolpus frontes vtriuſque ingentibus litteris & notum fugitiuorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit.* Hinc à Iuuenale, *inſcripta ergaſtula* nominantur. Plinius lib. 18. cap. 3. *Quænam ergo tantæ vbertatis cauſſa erat? ipſorum tunc manibus Imperatorum colebantur agri, vt fas eſt credere gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore*, &c. *at nunc eadem illa vincti pedes, damnatæ manus inſcripti vultus exercent.* Vide Varronem lib. 1 de re ruſtica, Valerium lib. 6. c. 8. & alios quibus ſuperſedeo, quòd doctiſſimus ille Baronius in Martyrologium Romanum 22. Decembris rem totam eruditè ſanè tractauerit, vbi & notat hinc ſeruos ab aliis inuſtos dici, ab aliis litteratos, ſtigmaticos à Dione lib. 47. Στιγματίας δέ τις οὐχ ὅσον οὐ προέδωκε τὸν σίξαντα, ἀλλὰ καὶ πάνυ προθύμως ἔσωσεν. *Stigmaticus quidam, non ſolùm eum qui ſe inuſſerat, prodidit, ſed etiam promptiſſimo animo ſeruauit.* Macrobius cap. 11. libri primi Saturn. *Seruus compeditus, inſcripta fronte.* De calumniatorum & delatorum notis Plinius Iunior in Panegyrico: *Ereptum alienas pecunias eunt? perdant quas habent. expellere penatibus geſtiunt? ſuis exturbentur. neque vt antea exanguem illam & ferream frontem nequidquam conuulnerandam præbeant punctis, & notas ſuas rideant.* Tullius pro Roſcio Amerino huc alludit: *Sed ſi hos Iudices bene noui, litteram illam cui vos etiam inimicis eſtis, vt etiam alias oderitis, ita vehementer ad caput affigent, vt poſteà neminem alium niſi fortunas veſtras accuſare poſſitis.* Quæ

1. Serui notis inuſti.

Item calumniatores.

pœna aliis etiam ſolebat irrogari, atque vt verbis

Inſcriptio genus ſupplicij.

vtar ſuprà laudati Baronij: *Erat inſcriptio antiquum genus ſupplicij, quo ſumma irrogabatur ignominia, cùm liberi hominis facies atris notis perpetuo manſuris profundis characteribus incideretur.* Citátque Senecam libro quarto de beneficiis cap. 37. & 38. lib. 1. de ira cap. 3. quibus locis ipſe Seneca conſulatur. & Conſtantini Magni reſcriptum ad Eumelium: *Si quis in ludum fuerit vel in metallum pro criminum deprehenſorum qualitate damnatus: minimè in eius facie ſcribatur: dum & in manibus & in ſuris poſſit pœna damnationis vna ſcriptione comprehendi: quò facies quæ ad ſimilitudinem pulchritudinis cœleſtis eſt figurata minimè maculetur.* Lib. 2. de pœnis. Addit Cedrenum, & Boëtium de conſolatione proſa 4. & Pontium in vita S. Cypriani, *Quis denique tot confeſſores frontium notatarum ſecunda inſcriptione ſignatos, & ad exemplum martyrij ſuperſtites reſeruatos, incentiuo tubæ cœleſtis animaret?* Et Tranquillum in Caio cap. 27. conſulatur. quo in genere ſupplicij mirum eſt tam minutos characteres inſcribi potuiſſe, vt Theophilus iconoclaſta in vultu Theophanis & Theodori fratrum quos B. Methodius, προσώπους σωφρένως ἐπιγράπτους appellat, quòd à veneratione imaginum diſcedere noluiſſent, duodecim verſus iambicos inſculpſerit. qui à Curopalate ex epiſtola ipſius Theodori, à Cedreno & aliis referuntur: Fuit & alia inuſtio ob religionem ſuſcepta, de qua Prudentius in Romano:

Inuſtio religionis cauſſâ.

Quid cùm ſacrandus accipit ſphragitidas?
Acus minutis ingerunt fornacibus.
His membra pergunt vrere, vtque igniuerint,
Quamcumque partem corporis feruens nota
Stigmarit, hanc ſic conſecratam prædicant.
Functum deinde cùm relinquit ſpiritus,
Et ad ſepulchrum pompa fertur funeris,
Partes per ipſas imprimuntur bracteæ.
Inſignis auri lamina obducit cutem,
Tegitur metallo quod perustum eſt ignibus.

Signatio militaris.

Adderem aliam inuſtionem quæ militibus citra ignominiam fiebat ex Vegetio lib. 1. de re militari cap. 8. *quando tyrones ſignandi ſint.* vbi inter cætera *non ſtatim*, inquit, *punctis ſignorum inſcribendus eſt tyro delectus; verùm antè exercitio pertentandus, vt vtrum verè tanto operi ſit aptus, poſſit cognoſci.* Sed hæc non adeo videntur attinere.

II. Leges in æs inciſæ.

INCISA PER VIM.] Dixi leges in tabulas æreas incidi conſueuiſſe: Sexcenta paſſim exempla ſunt, vnus Cic. ſuffecerit Catil. 3. §. *Et ſimulacra Deorum immortalium depulſa ſunt, & ſtatuæ veterum hominum deiectæ, & legum æra liquefacta.* Hic porrò omnis locus de vi à Clodio facta cum ea quæ eſt pro domo §. 53. diligenter eſt conferendus. *Quid ſi per vim tuliſti? taménne lex eſt?* &c. fuſiſſimè iuxtà & multò pulcherrimè.

III.

CONTRA OMNES LEGES.] Contra leges ſacratas & leges duodecim tabularum pro domo ſua, *quo iure? quo more? quo exemplo legem nominatim de capite ciuis indemnati tuliſti? vetant leges ſacratæ, vetant duodecim tabulæ leges priuatis hominibus irrogari, id eſt enim priuilegium.* Quæ lex ab Athenienſib. deſumpta eſt. Demoſthenes contra Ariſtocratem: Μηδὲ νόμον ἐπ' ἀνδρὶ ἐξεῖναι θεῖναι, ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπ' ἅπασιν Ἀθηναίοις. *Neque lex de vno feratur, ſed de Athenienſibus vniuerſis.*

Priuilegium.

Contra Cæciliam legem & Didiam Cic. ibidem.

Lex Cæcilia & Didia.

Quæ ſententia Cæciliæ legis & Didiæ, niſi hæc ne populo neceſſe ſit in coniunctis rebus compluribus, aut id quod nolit accipere, aut id quod velit repudiare? Quod & ab Athenienſium legibus acceptum videtur. Demoſthenes contra Leptinem: ὦ Σόλων τοὺς νόμους, ὡς καλῶς κελεύει τίθεσθαι; &c. ἵνα εἷς ᾖ περὶ τῶν ὄντων ἑκάστου νόμος. *Quam pulchrè Solon leges ferri iubet?* &c. *vt vna lex de vna re feratur.*

IV. Moderatio & leuitas iudiciorum.

NVLLO SCRIPTA MORE.] Contra Iudiciorum morem & inſtituta ciuitatis. Cicero ibidem: *Nam cùm tam moderata iudicia populi ſint à maioribus conſtituta, primùm vt ne pœna capitis cum pecunia coniungatur: deinde ne niſi prædicta die quis accuſetur, tertiò vt antè magiſtratus accuſet intermiſſa die quàm mulctam irroget, aut iudicet: quartò ſit accuſatio trinùm nundinùm, prodita die, qua die iudicium ſit futurum,* &c. Quæ omnia probat rogationi Clodiæ ſuæque proinde damnationi defuiſſe. Quorum fontem Græciam fuiſſe poſſem oſtendere. nunc de trinundino pauca dicimus. Hic mos ex Athenienſibus manauit, vt qui legem ferret, eam per tres nundinas populo legendam exhiberet. Demoſthenes in Leptinem de Solone loquens: Καὶ περὶ τούτων γ' ἐπέταξεν εὐθεῖα πρόσθεν τῶν ἐπωνύμων, καὶ τῷ γραμματεῖ παραδοῦναι· τοῦτον δ' ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἀναγινώσκειν, ἵνα ἕκαστος ὑμῶν ἀκούσας πολλάκις καὶ κατὰ σχολὴν σκεψάμενος· ἃ ἂν ᾖ καὶ δίκαια καὶ συμφέροντα ταῦτα νομοθετῇ. *Et præ his omnibus, iuſſit vt ij qui leges ferre vellent, eas antè ſtatuas heroum, à quibus cognominatæ tribus ſunt, proponerent. & ſcribæ exhiberent, is verò in concionibus eas recitaret, vt quiſque veſtrûm iis ſæpè auditis & per otium conſideratis, iuſtas vtiléſque ſanciret.* Et contra Ariſtotelem vbi fusè, ἐπιχειροτονία τῶν νόμων, *ritus legum ferendarum* deſcribitur, Οὐκ εὐθὺς τίθεσθαι προσέταξαν, ἀλλὰ τὴν τρίτην ἀποδεῖξαι ἐκκλησίαν. *Non ſtatim leges ponebant, ſed tertiam indicebant concionem.* Sed non eſt hic locus trinundini fuſiùs explicandi. de nundinis Dionyſius Halicarnaſſeus libro 7. conſulatur. Addam & alium morem in ferenda capitali ſententia, qui haud ſcio an vlla fuerit lege ſancitus, vt ſcilicet, qui capitis damnarent ij prætextam inuerterent ad ſignificandum luctum quem ex damnatione ciuium hauriebant. Seneca libro primo de ira cap. 16. *Itaque etſi peruerſa induenda magiſtratui veſtis: & conuocanda claſſica concio eſt, procedam in tribunal non furens, nec infeſtus; ſed vultu legis, & illa ſolemnia verba, ſeuera magis grauique, quàm rabida voce concipiam, & agi iubebo non iratus, ſed ſeuerus.* vbi Muretus, *Prætextati, vt notum eſt, incedebant magiſtratus, ſed cùm ciuem quempiam capitis damnaturi erant, ponebant prætextam, eámque peruerſam induebant, id eſt, partem illius floridiorem ac nitidiorem introrſus ad ſe vertebant, mœroris ſignificandi gratiâ.* Lipſius putat ſimplicius veriúſque, *Prætorem, & qui iudicio præſidebat, iam ſententiam laturum poſuiſſe prætextam, & in tunica ſententiam tuliſſe, vel etiam in alia toga, ſordida & pullata.* Huic aſſentior. nam magiſtratus luctûs ſignificandi cauſſâ prætextam poſuiſſe ſuperiùs ſectione 17. oſtenſum eſt. prorſus vterque Valerium libro nono cap. 12. de Caio Licinio Macro Calui oratoris patre ſic loquentem, *Cùm M. Ciceronem qui id iudicium cogebat: prætextam ponentem vi-*

Trinundinũ.

Qui damnationis ſententiam laturus erat peruerſam induebat.

Peruerſa quid?

diſſet: miſit ad eum qui diceret, ſe non damnatum, ſed reum periiſſe, nec ſua bona haſtæ poſſe ſubiici, ac protinùs ſudario, quod fortè in manu habebat, ore & faucibus coarctatis incluſo ſpiritu, pœnam morte præcurrit. Alium etiam proferendæ damnationis morem violarant, quòd cæteris luctum præ ſe ferentibus, & latebras quodammodo captantibus, cùm quempiam capite damnarent, ipſi contra *cùm omnes boni abditi incluſique mœrerent, templa gemerent, tecta ipſa vrbis lugerent*, palam ad rapienda funeris publici arbitria conuolarunt, tripudiarunt in buſto Reipubl. & ita epulis gratulationibúſque indulſerunt, vt Piſo iaceret in Græcorum ſuorum fœtore, atque vino, & Gabinij domus cantu & cymbalis perſonaret. vide ſuprà 21. 22. Baſilius Magnus epiſtola quadam ad Euſtathium Sebaſtenſem Epiſcopum illum iudiciorum morem ita deſcribit: Εἰ γὰρ οἱ τοῦ κόσμου τούτου ἄρχοντες, ὅτ' ἄν τινα τῶν κακούργων θανάτῳ καταδικάζειν μέλλωσιν, ἐφέλκονται τὰ παραπετάσματα. καλοῦσι δὲ τοὺς ἐμπειροτάτους πρὸς τὴν ὑπὲρ τῶν προκειμένων σκέψιν, καὶ πολὺν ἐναβραδύνουσι χρόνον, νῦν μὲν τοῦ νόμου τὸ αὐστηρὸν ὁρῶντες, νῦν δὲ τὴν κοινωνίαν τῆς φύσεως δυσωπούμενοι, καὶ πολλὰ στενάξαντες, καὶ τὴν ἀνάγκην ἀπολοφυρόμενοι δῆλοι πᾶσι γίνονται πρὸς ἀνάγκην ὑπηρετοῦντες τῷ νόμῳ, οὐ κατ' οἰκείαν ἡδονὴν ἐπάγοντες τὴν κατάκρισιν. *Si enim huius mundi Iudices, cùm aliquem malefactorem morte damnaturi ſunt, velum obducunt, peritiſſimos quoſque in diſquirendæ cauſſæ ſocietatem adſciſcunt, & multum temporis inſumunt, nunc legis ſeueritatem intuentes, nunc naturæ communis conditionem reuerentes, & crebris gemitibus neceſſitatem quæ incumbit, lamentantes, omnibus manifeſtè demonſtrant, ſe ad obtemperandum legi neceſſitate compelli, non animi & oblectationis gratia damnationis ferre ſententiam.* Cùm igitur latere ſéque abſtrudere ſit mœroris indicium, Iudices, vt luctum ſuum teſtatiorem redderent, ſolebant velum quoddam obducere, vt præter Baſilium auctor eſt Clemens Romanus libro ſecundo de conſtitutionibus Apoſtolicis cap. 52. Θεάσασθε δὲ καὶ τὰ κοσμικὰ δικαστήρια. ἐν τῇ ἐξουσίᾳ ὁρῶμεν ἀγομένους φονεῖς, μοιχοὺς, φαρμακοὺς, τυμβωρύχους, λῃστάς· καὶ τὰς ἀνακρίσεις αὐτῶν λαβόντες, οἱ ἡγούμενοι ὑπὸ τῶν προσαγόντων, λέγουσι τῷ κακούργῳ, εἰ ταῦτα οὕτως ἔχει. κἀκείνου συγκαταθεμένου οὐκ εὐθέως ἐπὶ τὴν κόλασιν αὐτὸν ἐκπέμπουσιν, ἀλλὰ πλείοσιν ἡμέραις ποιοῦνται αὐτοῦ τὴν ἐξέτασιν μετὰ συμβουλίου πολλοῦ, καὶ παραπετάσματος μέσου. τελευταῖον ὅρον καὶ ψῆφον θανάτου ὁ μέλλων ἐκφέρειν κατ' αὐτοῦ, πρὸς τὸν ἥλιον ἐπάρας τὰς χεῖρας διαμαρτύρεται ἀθῷος ὑπάρχειν τοῦ αἵματος τοῦ ἀνθρώπου, καίτοι ὄντες ἐθνικοὶ, καὶ οὐ γινώσκοντες Θεὸν, ἵνα τὴν εἰς αὐτοὺς ἀπὸ Θεοῦ ἄμυναν ὑπὲρ τῶν ἀναιτίως κατακριθέντων ἀποφεύγωσι. *Deinde contemplamini iudicia ſecularia, quorum poteſtate videmus trahi parricidas, adulteros, veneficos, ſepulchrorum violatores, latrones. Hi enim, ſtatim vt ab iis, qui reos in iudicio ſiſtunt, quæſtiones de iis habitas acceperunt, quærunt ex malefico ipſo, an ita ſe res habeat: ille verò ſi ait, non ſtatim mittitur ad ſupplicium, immò pluribus diebus, cum multa deliberatione ac conſultatione, & velo interiecto, inquiritur in eum. Poſtremò qui ſuffragium contra eum de capite laturus eſt, ſublatis manibus ſolem teſtatur, innocentem ſe eſſe ac mundum à ſanguine hominis illius. Itaque iſti, quamuis gentiles, qui neque Deum nouerunt, neque ſciunt vindicari à Deo eos qui innocenter condemnati ſunt, tamen cauent.* Sequor Franciſci Turriani Societatis noſtræ verſionem: tamen, ſi fas eſt à tanti viri auctoritate diſcedere, libenter Græcum aliter interpungam, & accommodatiùs ad hunc locum interpreter. ſic enim & oratio Græca magis cohærebit, & cum Baſilio conſentiet: Ποιοῦνται αὐτοῦ τὴν ἐξέτασιν μετὰ συμβουλίου πολλοῦ. καὶ παραπετάσματος μέσου τελευταῖον ὅρον, &c. *Cum multa deliberatione & conſultatione inquiritur in eum. & velo interiecto qui pronuntiaturus eſt ſententiam*, &c. vt vel interiectio non tam ad inquiſitionem quàm ad pronuntiationem ſententiæ referatur. Hunc Clementis locum vir ille doctiſſimus ſic illuſtrat. Imperatores Honorius & Theodoſius nauiculariis per Africam, quorum conſtitutio extat in Cod. Theodoſiano lib. 13. tit. 9. Conſt. 9. & in Cod. Iuſtiniani lib. 11. tit. 5. Cōſt. 5. *De ſubmerſis nauibus decernimus, vt leuato velo, iſtæ cauſſæ cognoſcantur, & ſi quiſquam de talibus negotiis aliquid accepiſſe detegitur, iudex apud quem conſtiterit, iis conquerentibus qui nudantur, pro qualitatibus perſonarum, mulctandi, remouendi, proſcribendíque habeat poteſtatem.* Huc quoque pertinere ait quod eſt à Gratiano ex epiſtola Siluerij Papæ deſcriptum & notatum 23. q. 4. *Beliſarius Patricius noſter, mandauit me ad ſe venire, pacificè pro quibuſdam eccleſiaſticis diſpoſitionibus, in palatium Principis & ad primum & ſecūdum velū retinuit omnem clerū & populū, qui mecū veniebat, & nullum permiſit introire niſi me ſolùm & Vigiliū Diaconum.* Mendosè habet Gratianus Guiliſarium & Silueſtrum pro Beliſario & Siluerio, vt cuiuis hiſtoriâ eccleſiaſticâ vel mediocriter imbuto compertum eſt. Adeò quod præter maiorū conſuetudinem Tullium damnarant, etiamſi ſpōte in exilium abiiſſet: Τοῖς γὰρ θανάτου κρινομένοις, inquit Polybius libro 6. ἐπὰν καταδικάζωνται, δίδωσι τὴν ἐξουσίαν τὸ παρ' αὐτοῖς ἔθος ἀπαλλάττεσθαι φανερῶς, κἂν ἔτι μία λείπηται φυλὴ τῶν ἐπικυρουσῶν τὴν κρίσιν ἀψηφοφόρητος, ἑκούσιον ἑαυτοῦ καταγνόντα φυγαδείαν. ἔστι δ' ἀσφάλεια τοῖς φεύγουσιν ἔν τε τῇ Νεαπολιτῶν, καὶ Πραινεστινῶν, ἔτι δὲ καὶ Τιβουρίνων πόλει, &c. *Iis qui capitis cauſſam dicunt pendente iudicio facultatem dat mos ab iis receptus, palam exeundi, & ſi vna tantùm tribus, ex iis quæ iudicant, reliqua ſit, quæ non tulerit ſuffragium, ſeipſos voluntario exilio mulctare. Securitas autem eſt exulibus, Neapoli, Præneſte, aut etiam Tibure.* At Clodius non contentus diſceſſu voluntario Ciceronis: Διάγραμμα προὔθηκεν, εἴργειν πυρὸς, καὶ ὕδατος τὸν ἄνδρα, καὶ μὴ παρέχειν στέγην ἐντὸς μιλίων πεντακοσίων ἀπ' Ἰταλίας. *Edictum propoſuit, vt ei aqua & igni interdiceretur, & ne quis eum reciperet, intra quingenteſimum ab Italia milliare*, inquit Plutarchus. vide Plancianam à §. 96.

In damnatione velum ob-tend[illegible]ur.

Iudex proteſtabatur ſe innocētē à ſanguine eius qui morte plectebatur.

V. Integri capitis.] Id eſt, ciuis qui non erat iure capite deminutus. Feſtus lib. 4. *Deminutus capite appellatur, qui ciuitate mutatus eſt, & ex alia familia in aliam adoptatus, & qui liber alteri mancipio datus eſt, & qui in hoſtium poteſtatem venit, & cui aqua ignique interdictum eſt.* Vide Briſſonium de verborum ſignificatione.

Integro capite & diminuto.

VI. Bonorumque tribunitia proscriptio.] Pro domo ſua. *Proſcriptionis miſerrimum nomen illud & omnis acerbitas Syllani tēporis, quid habuit quod maximè ſit inſigne ad memoriam crudelitatis? opinor pœnam in ciues Romanos nominatim ſine iudicio conſtitutam. Hanc vos igitur, Pontifices, iudicio atque auctoritate veſtra Tribunoplebis poteſtatem dabitis, vt proſcribere poſſit quos ve-*

Proſcriptio tribunitia.

lit? quæro enim quid ſit aliud proſcribere, Velitis, iubeatis vt M. Tullius in ciuitate ne ſit, bonáque eius vt mea ſint. ita enim fecit etſi aliis verbis tulit, hoc plebiſcitum eſt? hæc lex? hæc rogatio eſt? &c. Addit autem Tribunitiam vt monui, magna cùm emphaſi, tum quod eius poteſtatis eſſet vim à ciuibus prohibere. Dionyſius lib. 6. Οἵ τινες δήμου μὲν οὐδενὸς ἔσονται κύριοι, τοῖς δ' ἀδικουμένοις ἢ καταπονουμένοις τῶν δημοτῶν βοηθήσουσι, καὶ οὐ περιόψονται τῶν δικαίων ἀποστερούμενον οὐδένα. *Qui nullius alterius rei habebunt poteſtatem, ſed plebeiis iniuſtè oppreſſis opem ferent, & iure debito priuari prohibebunt.* tum quòd, cùm eſſent ſacroſancti, nec eos etiam ad populum dicentes liceret interrumpere, intolerabilis planè eorum poteſtas euaſiſſet. vide Dionyſium lib. 6. & 7. de lege Iunia.

Tribunus opem ferebat oppreſſis.

VII. Munera tollunt libertatem.

LIBEROS FVISSE.] Egregiam planè ſubiungit rationem, cur ne in liberorum quidem hominum numero cenſendi eſſe videantur, *quorum mens oppreſſa præmio, lingua adſtricta mercede.* quia, *nimirum acceptis muneribus & Prouinciis ſuam Clodio libertatem addixerant.* Apollonius Tyaneus epiſtola 16. Τὴν ἀρετὴν ἀδέσποτον εἶναι Πλάτων ἔφησεν. εἰ δὲ μὴ τιμᾷ τοῦτό τις καὶ χαίρει ἐπ' αὐτῷ, ἀλλὰ καὶ ὤνιος γίνεται χρημάτων, πολλοὺς δεσπότας ἑαυτοῦ ποιεῖ. *Virtutem dominum non habere Plato dicebat. Si quis verò hoc magni non facit, & eo delectatur, ſed ſeipſum pecuniis vendit, multos ſibi Dominos adſciſcit.*

AXIOMATA.

Lex iniuſta per ſeruos, inciſa per vim, impoſita per latrocinium, lex non eſt.

Non eſt lex putanda quæ eſt contra omnes leges.

Liberi non ſunt, quorum mens eſt oppreſſa præmio, lingua obſtricta mercede.

Indignum eſt eos qui principes ciuitatis volunt eſſe, eius non leges, non inſtituta, non mores noſſe.

Ciceronis & Piſonis diſceſſus & abſentia à 31. ad 51. cum inſectatione Piſonis qui exilium exprobrauerat. 31. 32.

- profectio à 31. ad 34.
  - Piſo quidem profectus eſt paludatus, ſed
    - in prouinciam,
      - vel emptam.
      - vel ereptam.
    - ſine vlla ciuium frequentia, qui exeuntem deduceret.
    - cum execrationibus omnium & ominibus triſtiſſimis. 31. 33.
  - Cicero profectus in exilium, ſed cum tanta ciuium caritate, vt omnes ei precarentur
    - ſalutem.
    - incolumitatem.
    - celerem reditum. 33.
- abſentia
  - Cicero exul
    - expetitus à Senatu. 34.
    - commendatus Lentuli Cos. litteris
      - exteris nationibus.
      - legatis.
      - magiſtratibus qui prouincias obtinebant. 34.
    - magno omnium ordinum ſtudio reuocatus. 34. 35. 36. 41.
  - Piſo Proconſul
    - nihil geſſit quod auderet ad Senatum reſcribere. 37. 38. 44.
    - vel ſi ſcripſit, ſcripſit adeo impudenter, vt amici eius litteras ſuppreſſerint.
    - prouinciam vexari ſocióſque diripi permiſit.
    - oppida quædam turpiter amiſit.
    - exercitum amiſit fame, frigore, vaſtitate.
    - concludit per locum moralem, à 42. ad 51. de naturâ veri ſupplicij, quæ conſiſtit
      - nõ in malis externis, quæ accidere poſſunt etiam ſapienti, vt
        - mors violenta Regulo. 43.
        - fuga Mario. 43.
        - naufragium Marcello. 44.
      - ſed in internis
        - conſcientia ſcelerũ, qualis fuit in Piſone. 44.
        - impudentia, qualis in Gabinio. 44.
        - furore & infamia, qualis in vtroque. 46. &c.

ARGVMENTVM.

De ſuo & Piſonis Conſulatu, nunc ad 64. ſectionem oſtendit ita digreſſum ſuum & abſentiam & reditum longè Piſonis profectioni, abſentiæ, reditui præſtitiſſe, vt ipſi illa omnia immortalem gloriam dederint, Piſoni ſempiternam turpitudinem inflixerint.

AN, cùm proficiſcebamini paludati, in prouincias vel emptas, vel XXXI.
ereptas, Conſules vos quiſquam putauit? Itaque credo, ſi minus frequentia ſua veſtrum egreſſum ornando, atque celebrando; at hominibus ſaltem bonis, vt Conſules, non triſtiſſimis, vt hoſtes, aut proditores proſequebantur. Túne etiam immaniſſimum, ac fœdiſſimum monſtrum, auſus es meum diſceſſum illum teſtem, ſceleris, & crudelitatis tuæ, maledicti, & contumeliæ loco ponere? Quo quidem tempore cepi, P.C. fructum immortalem veſtri in me, & amoris, & iudicij, qui non admurmuratione, ſed voce, & clamore, abiecti hominis, & ſemiuiri furorem petulantiámque fregiſtis.

EXPLANATIO.

AN CVM.] *Eos non putauit Conſules fuiſſe populus Romanus, quorum profectionem in prouincias ſua frequentia, fauſtíſque precationibus non celebrauit.*

Sed veſtram profectionem pop. Rom. ſua frequentia non celebrauit.

Ergo vos Conſules non putauit.

Propoſitio tanquam nota reticetur.

CVM PROFICISCEBAMINI.] Cùm votis in Capitolio nuncupatis, Gabinius in Syriam cum auctoritate proconſulari, tu in Macedoniam te conferebas.

PALVDATI.] induti chlamyde Imperatoris.

VEL EMPTAS.] A Clodio mei capitis & ſanguinis pactione, quem prodidiſtis.

VEL EREPTAS.] A Repub. qua adhuc ſpirante non ſolùm ad meum ſanguinem hauriendum, ſed etiam ad eius ſpolia detrahenda aduolauiſtis. pro Sextio 54. & ſuperiùs, *Eodem & loci veſtigio & temporis arbitria non mei ſolùm, ſed patriæ funeris abſtuliſtis.*

CELEBRANDO.] Frequentando, cohoneſtando.

OMNIBVS SALTEM BONIS.] Omnibus legebatur qui error paſſim irrepſit, *ominibus bonis*, fauſtis apprecationibus. pro Sextio 71. *exierunt malis ominibus, atque execrationibus duo vulturij paludati, quibus vtinam ipſis eueniſſent ea, quæ tum homines precabantur.*

TVNE ETIAM.] Arrepta occaſione grauiter & inflammato quodam impetu ad alteram comparationis inter ſe & Piſonem inſtitutæ partem delabitur, eiúſque impudentiam hinc oſtendit, quòd Ciceroni fugam obiecerit & exprobrarit, quam ad occultanda ſua ſcelera perpetuo ſilentio tegere, & quantùm fas erat ex animis hominum oblitterare debuiſſet.

FRVCTVM IMMORTALEM.] Teſtimonium quod mihi in immortalem gloriam redundat. Prudenter hæc interſerit, vt partim ſe erga P.C. gratum oſtendat, partim eoſdem contra Piſonis petulantiam in partes accerſat.

NOTÆ.

AN CVM PROFICISCEBAMINI.] Liuius dec. 5. lib. 1. *Cùm is, Conſul, more maiorum ſecundum vota in Capitolia nuncupata, lictoribus paludatis, profectus ab vrbe eſſet.* Et libro 5. eiuſdem decadis: *Conſul proficiſcens pretórve paludatis lictoribus in prouinciam, & ad bellum vota in Capitolio nuncupat: victor perpetrato eodem in Capitolio triumphans, ad eoſdem Deos, quibus vota nuncupauit, merita dona populi Romani traducit; pars non minima triumphi eſt victimæ, vt appareat, Diis grates agentem Imperatorem ob Remp. bene geſtam redire.* Et decadis 3. lib. 1. *Ne auſpicatò profectus in Capitolium ad vota nuncupãda, paludatus inde in prouinciam iret.* Cic. 7. Verrina: *Cùm paludatus exiſſet, votáque in Capitolio nuncupaſſet.* Cœlius ad Cic. *Conſules autem quia verentur, ne illud S. C. fiat vt paludati exeant.* Cic. ad Caſſium: *Panſa noſter paludatus ad tertium Calendas Ianuarij profectus eſt.* Cæſar primo de bello ciuili: *In reliquas prouincias Prætores mittuntur: neque expectant, quod ſuperioribus annis acciderat, vt de eorum imperio ad populum referretur: paludatíque votis nuncupatis exeunt.* Conſules, *quod ante id tempus acciderat nunquam, ex vrbe proficiſcuntur, lictoréſque habent in vrbe & Capitolio priuati contra omnia vetuſtatis exempla.* Ritum huius profectionis explicat Varro lib. 6. de linguâ Latinâ: *Paludamenta ſunt ornamenta & inſignia militaria. Ideo ad bellum cùm exit Imperator, & lictores mutant veſtem, & ſigna incinuerunt, paludatus dicitur proficiſci.*

I. Profectio Proconſulum.

PALVDATI.] Paludamentum chlamydem eſſe Imperatoriam liquet ex Nonnio Marcello, qua etiam Athenienſium ἄρχοντες vti conſuerant. Plutarchus in quæſt. conuiualibus lib. 1. probl. 4. Ὁ μὲν Περικλῆς ὁσάκις ᾑρημένος στρατηγὸς ἀνελάμβανε τὴν χλαμύδα, πρῶτος εἰώθει διαλέγεσθαι πρὸς αὑτὸν, ὅρα Περίκλεις, ἐλευθέρων ἄρχεις, Ἀθηναίων ἄρχεις. *Pericles quoties Pretor creatus chlamydem aſſumebat, priùs ita ſecum loquebatur. aduerte Pericles, liberis imperas, Athenienſibus imperas.* Et in politicis ita refert: Ὁ Περικλῆς αὑτὸν ὑπεμίμνησκεν ἀναλαμβάνων τὴν χλαμύδα, πρόσεχε Περίκλεις, ἐλευθέ-

II. Paludamentū eſt chlamys Imperatoria.

ρων ἄρχεις, Ἑλλήνων ἄρχεις, πολιτῶν, Ἀθηναίων. *Pericles chamydem aſſumens ſeipſum ſic admonebat, aduerte Pericles, liberis imperas, Græcis imperas, ciuibus, denique Athenienſibus.* Hanc porro chlamydem ſiue paludamentum phœnicei coloris fuiſſe eodem auctore compertum eſt. in Craſſo, Λέγεται δὲ της ἡμέρας ἐκείνης, τὸν Κράσσον, οὐχ ὥσπερ ἔθος ἐστὶ Ῥωμαίων στρατηγοῖς ἐν φοινικίδι προελθεῖν, ἀλλ᾽ ἐν ἱματίῳ μέλανι. *Dicitur eo die Craſſus, non vt Romani Imperatores ſolent, in phœnicea, ſed in pulla veſte progreſſus.* Et in Marcello: Προὔκειτο μὲν ὁ φοινικοῦς χιτών, ὥσπερ εἴωθεν μάχης ἐσομένης σύμβολον. *Propoſita erat, vt ſolet, phœnicea veſtis in ſignum futuri certaminis.* Valtrinus tamen noſter, qui vir quantus fuerit vel ex vnica pagella faci è quiuis poſſit agnoſcere, paludamentum à chlamyde ex Tullio, Valerio, Tacito, Dione diſtinguit, *nimirum quòd chlamys Græcorum eſſet, non Romanorum*, concedit tamen quam Tacitus & Dio chlamydem appellant, eam à Plinio paludamentum nominari. vide eundem cap. 13. lib. 3. de re militari. Apuleius apologia 1. *Hæc Diogeni & Antiſthenti pera & baculus, quod Regibus diadema, quod Imperatoribus paludamentum, quod Pontificibus galerum, quod lituus auguribus.* Porro paludamentum non ſolius fuit Imperatoris & Proconſulis, vt quidam exiſtimant. nam & lictores paludati, vt ſuperiore nota dictum, & confirmat Varro libro ſexto de lingua Latina: *Paluda à paludamentis. ſunt hæc inſignia & ornamenta militaria. ideo ad bellum cùm exit Imperator, ac lictores veſtem mutant, & ſigna incinuerunt. Paludatus dicitur profiſciſci: quæ propterea quod conſpiciuntur, ac ſiunt palam, paludamenta dicta.* Sanctus Hieronymus de muliere ſepties icta: *Itaque furens & anhelans lictor, paludamento in ceruicem retorto, dum totas exerit vires, fibulam quæ chlamydis mordebat oras in humum excuſſit: ignarúſque rei enſem librabat in vulnus. En tibi, ait mulier, ex humero aurum ruit: collige multò quæſitum labore ne pereat.* Et Feſtus: *Paludati in libris auguralibus ſignificat, vt ait Veranius, armati, ornati. omnia enim militaria ornamenta paludamenta dici.* Et Curiatius non vtique Imperator à Liuio libro 1. indutus paludamento deſcribitur. Plinius etiam mulieri tradit lib. 33. cap. 3. *Nos vidimus Agrippinam Claudij Principis edente eo Naualis prælij ſpectaculum aſſidentem ei indutam paludamento, auro textili ſine alia materia.* Iam ſi licet aliquid audacius & præter communem ſenſum adſcribere, addo paludamentum idem videri cum trabea vel Imperatoria ſiue Regia, vel equeſtri. Nam, vt ſupra dictum eſt paludamentum veſtis fuit militaris & phœnicei coloris, quæ in trabeam optimè quadrant. Dionyſius libro ſexto de equitum traductione fieri ſolita idibus Quintilibus: Ἡ μετὰ τὴν θυσίαν ἐπιτελουμένη πομπὴ τῶν ἐχόντων τὸν δημόσιον ἵππον, οἳ κατὰ φυλάς τε καὶ λόχους κεκοσμημένοι πορεύονται ἐπὶ τῶν ἵππων ὀχούμενοι πορεύονται πάντες ὡς ἐκ μάχης ἥκοντες, ἐστεφανωμένοι θαλλοῖς ἐλαίας καὶ πορφυρᾶς φοινικοπαρύφους ἀμπεχόμενοι τηβέννας, τὰς καλουμένας τραβέας. *Ea pompa quæ poſt ſacrificium procedit ab iis qui equi publici ius habent, qui ſecundum tribus & centurias diſtributi, ordine equis inuehuntur tanquam è pugna redeuntes, olea coronati, & togis purpureis phœniceo colore intertextis induti, quas trabeas appellant.* Et libro ſecundo Salij dicuntur: Τηβέννας ἐμπεπερονημένοι περιπορφύρους φοινικοπαρύφους, ἃς καλοῦσι τραβέας. ἔστι δ᾽ ἐπιχώριος αὕτη Ῥωμαίοις ἐσθὴς ἐν τοῖς πάνυ τιμίοις. *Togas aſſibulatas geſtantes purpura prætextas, puniceo colore intertextas, quas trabeas appellant. Ea verò eſt patria Romanorum veſtis, quæ maxima eſt dignitatis.* alij vertunt φοινικοπαρύφους, *palmis intextas.* nec malè. vides trabeam & puniceam veſtem fuiſſe & militarem. Virgilius 3. Æneidos trabeam pro paludamento vſurpat:

Ipſe Quirinali trabea cinctúque Gabino
Inſignis, reſerat ſtridentia limina Conſul.

Vbi per Quirinalem trabeam togam pictam non intelligit. toga enim picta fuit triumphalis, trabea militaris: togæ pictæ nullus Romæ vſus ante Tullium Hoſtilium. Trabea ab ipſo Romulo accepta eſt, togæ pictæ aulæa, vt cum Iuuenale loquar, ſine cinctu ex humeris fluebat. trabeam cinctus gabinus ex Marone, aut ex Dionyſio fibula ad humeros colligebat. Neque etiam fuit prætexta magiſtratuum, aut toga communis, vt conſtat. reſtat igitur, vt fuerit, paludamentum ſiue veſtis militaris. adde quòd cæteri cùm Conſul aperto Bellonæ templo bellum indiceret, veſtibus militaribus erant induti: Τῇ δὲ Κλεοπάτρᾳ, inquit Dio lib. 5. τὸν πόλεμον αὐτίκα ἐπήγγειλαν καὶ τὰς χλαμύδας, ὡς καὶ ἐν χερσὶν αὐτοῦ ὄντος, μετημπίσχοντο, &c. *Cleopatræ bellum palam denuntiarunt, & chlamydes, quaſi iam in manibus bellum eſſet, mutarunt.* Vnum his officit, quòd ſuprà citati auctores trabeam togam appellent, paludamentum χλαμύδα, ſiue χιτῶνα ſagulum, ſiue tunicam fuiſſe dicant, & Cic. togæ paludamentum opponat. infrà 54. *Togulæ lictoribus ad portam præſto fuerunt, quibus illi acceptis ſagula reiecerunt.* Item Iulius Capitolinus in Marco, *Per Brunduſium veniens in Italiam togam & ipſe ſumpſit, & milites togatos eſſe iuſſit, nec vnquam ſagati fuerunt ſub eo milites.* Cætera prætermitto, quam togam paludamento oppoſitam vides. Sed ni fallor potuit eadem veſtis ſiue idem paludamentum tunica propter breuitatem, (erat enim breuior & ſuccinctior,) & toga, (propterea quòd ſubuculæ ſiue interulæ impoſita hominem totum togæ inſtar inuolueret) nominari. Trabeam porro triplicem fuiſſe reperio diuinam, auguralem ſiue ſaliarem, & militarem. hanc rurſum triplicem, 1. Imperatoriam ſiue Regiam, & Conſularem, 2. Equeſtrem, 3. lictoriam. De diuina Suetonius lib. de veſtibus. de augurali & ſaliari Maro 7. Æneidos:

Ipſe Quirinali lituo paruáque ſedebat
Succinctus trabea, læuéque ancile gerebat.

De regia 1. ſiue Conſulari ibidem:

Ipſe Quirinali trabea, &c.

Et lib. 11.

Et ſellam, regni, trabeámque, inſignia, noſtri.

De equeſtri & lictoria paſſim harum à colore diſtinctio. Suetonius in lib. de genere veſtium à Seruio citatus 7. Æneidos: *Dicit tria eſſe genera trabearum: vnum Dijs conſecratum, quod eſt tantum de purpura: aliud regium, quod eſt purpureum & habet album aliquid: tertium augurale de purpura & cocco mixtum.* Suetonius vt vides trabeam Conſularis purpuram candore diſcriminat, at Sidonius Apollinaris in Panegyrico

Phœnicei coloris.

Lictores paludati.

Paludamentũ muliebre.

Paludamentũ idem quod trabea.

Trabea & togæ pictæ diſtinctio.

Trabea auguralis.

Regia ſiue Conſularis, Equeſtris, & lictoria.

gyrico Antemij auro intertexit:

Trabea aurea, *Auſpicio & numero faſces Auguſte ſecundo*
Erige & effulgens trabealis more metalli
Annum pande nouum Conſul vetus ac ſine faſtu.
Trabea idem aliquando quod tunica palmata. *Scribere bis faſtis, quamquam diademate crinem*
Faſtigatus eas, humeróſque in more priorum
Includat Sarrana chlamys, te picta togatum
Purpura plus capiat, quia res eſt ſemper ab æuo
Rara frequens Conſul.

Trabealis metalli, inquit, ſed vereor vt trabeam cum tunica palmata confuderit, vt & Caſſiodorus libro nono epiſt. 23. *Nam ſi homines ornat ſemel accepiſſe palmatam, quid ille cenſendus eſt qui tot meretur in filiis* (lego *infulas*) *Conſulatûs? & ideo P. C. alumnum veſtrum Paulinum aurea dignitate veſtimus, vt iuuentus eius quæ fulget meritis, trabea quoque reſplendeat triumphali.* Sed ad cæteram diſtinctionem pergamus.

Trabea Conſularis virgata. Trabea militaris, quam vt notat Briſſonius, *cottam armorum*, vulgus appellat, ſi fuit Conſularis candidis lineis trabium inſtar purpuram diſcriminantium virgata fuit, vnde, vt notat Lipſius trabeæ nomen accepit, Equeſtris, vt ex Dionyſio iam oſtendimus, purpurea fuit φοινικοπόρφυρος puniceis meandris & ſegmentis, aut

Lictoria tota phœnicea. etiam palmis intexta. at lictoris trabea tota videtur fuiſſe punicei coloris. Appianus in Libycis: αὐτῷ δ' ἡγοῦνται τῷ στρατηγῷ ῥαβδοῦχοι φοινικοῦς χιτῶνας ἐνδεδυκότες. *Imperatori præeunt, lictores puniceis tunicis induti.* id eſt, paludati. Notandum tamen vel Deos, vel lictores nunquam aut rarò dici trabeatos, quod eorum paludamentum vnius eſſet coloris, nec trabibus, vt ſic loquar, verſicoloribus diſcriminatum. quare ſi propriè vocem ſumere velimus: trabea propriè, ſagum erit militare, ſiue paludamentum, quale à Marone deſcribitur 8. Æneidos:

Virgatis lucent ſagulis.-

Hæc plus ſatis ad Ciceronem, ſed quoniam ſemel limites tranſiliimus, addamus & illud trabeas à recentioribus pro Conſulatu, à vetuſtioribus pro equeſtris dignitatis à plebe Senatúque diſcrimine frequenter vſurpari. Priore modo

Trabeæ nomen ſumptū pro Conſulatu. Caſſiodorus epiſt. 1. lib. 2. *Nouit inter reliquos faſces viros inde ſumere Conſulares, qui longo ſtemmate ducto per trabeas, lege temporum originarius eſt honorum.* & Sidonius in Narbone,

Huic ſummi ingenij viro, ſimúlque
Summæ nobilitatis atque formæ
Iuncta eſt fœmina, quæ domum ad mariti
Priſci inſignia transferens Iouini
Impleuit trabeis domum Sophiſtæ.

Et pro equeſtri ordine. Poſteriore modo Tacitus 2. annalium deſcribens funus Germanici, *Præcedebant incompta ſigna, verſi faſces, atque vbi colonias tranſgrederetur, atrata plebes, trabeati equites.* trabeati, vt notat Lipſius, non tam luctûs cauſa quàm diſcriminis. Perſius:

Cenſoréмque tuum vel quòd trabeate ſalutas.

Statius Sil. 5. protreptico ad Criſpinum,

-Non te ſeries inhonora parentum
Plebeia de ſtirpe tulit: non ſanguine cretus
Turmali trabeáque venis & paupere clauo:
Auguſtam ſedem, & latij penetrale Senatûs
Aduena pulſaſti, ſed præcedente tuorum
Agmine.-

Ita tertium verſum legit Tiraquellus. Lipſius aliter:

Turmali trabeáque Remi: nec paupere clauo.

Sed de trabea Conſulari Auſonius in gratiarum actione fuſiſſimè diſſerens conſulatur.

OMINIBVS SALTEM BONIS.] Vide §. 33. de execrationibus. omen erat auſpicium quoddam, quod ex verbis & vocibus colligebant. Gloſſaria *omen*, κληδών. Paulus ex Feſto, *omen quaſi oremen quod fit ore augurium.* vnde Plautus in Mercatore Demiphontem cùm hæc verba caſu audiſſet, III. Omen quid?

Profecto ego illinc hircum caſtrari volo
Ruri qui nobis exhibet negotium.

Ita loquentem inducit,

Nec omen illud mihi, nec auſpicium placet
Quaſi hircum metuo ne vxor me caſtret mea.

Tullius libro 1. de diuinatione: *Neque ſolùm Deorum voces Pythagorei obſeruauerunt, ſed etiam hominum quæ vocant omina.* vide exempla ibidem.

MALEDICTI AC CONTVMELIÆ.] Vide Cœlianam §. 6. IV.

CEPI FRVCTVM IMMORTALEM.] Suprà 7. *Mihi populus Romanus vniuerſus illa in concione non vnius Dei gratulationem, ſed æternitatem immortalitatémque donauit.* infrà 52. *vnus ille dies mihi quidem immortalitatis inſtar fuit.* Vide Notas. V. Immortalitas.

PETVLANTIAMQVE.] Feſtus, *Petulantes & petulci etiam appellantur, qui proteruo impetu & crebrò petunt alterius cædendi gratia.* Virgilius 4. Georg. VI. Petulantia.

-neque oues, hœdíque petulci
Floribus inſultent. &,
Cornigeras norunt matres agníque petulci.

Afranius in Ida:

Noſtrum in conuentum ludum lapsúmque petulcum.

Interdum pro veloci vſu videntur antiqui, vt hoc verſu intelligi poteſt:

Exiluit quaſi petulcus quidam pedibus conuibrauit.

AXIOMATA.

Stultum eſt & impudens maledicti, & contumeliæ loco ponere iniuriam, quam alteri tuo ſcelere & crudelitate infixeris.

Abiectorum hominum furor petulantiáque auctoritate frangenda eſt.

ARGVMENTVM.

Ab adiunctis, iiſque quæ ſuum ipſius diſceſſum fuerunt conſecuta, partim Piſonis crudelitatem oſtendit, qui luctum & Reipub. calamitatem probro obiecerit, partim impudentiam qui ſcelere ſuo inflicta vulnera Reipub. exprobrarit, partim imprudentiam qui id maledicti loco poſuerit, quod fuit vel maximè glorioſum.

XXXII. TV luctum Senatus, tu deſiderium equeſtris ordinis, tu ſquallorem Italiæ, tu curiæ taciturnitatem annuam, tu ſilentium perpetuum iudiciorum, ac fori, tu cætera illa in maledicti loco pones, quæ meus diſceſſus Reipublicæ vulnera inflixit? qui ſi calamitoſiſsimus fuiſſet, tamen miſericordia dignior, quàm contumelia, & cum gloria potiùs eſſe coniunctus, quàm cum probro putaretur: atque ille dolor meus duntaxat, veſtrum quidem ſcelus, ac dedecus haberetur. Tum verò forſitan hoc, quod dicturus ſum, mirabile auditu eſſe videatur: ſed certè id dicam, quod ſentio. Cùm tantis à vobis, P. C. beneficiis affectus ſim, tantis honoribus, non modò illam calamitatem eſſe non duco, ſed ſi quid mihi poteſt à Republica eſſe ſeiunctum, quod vix poteſt, priuatim ad meum nomen augendum, optandam duco mihi fuiſſe illam expetendámque fortunam.

EXPLANATIO.

TV LVCTVM SENATVS.] Syllogiſmus ita poſſit contexi.

Crudelis eſt qui alteri calamitatem, impudens qui ſuum ſcelus, imprudens qui rem glorioſam exprobrat.

Sed hæc feciſti dum meum diſceſſum maledicti & contumeliæ loco poſuiſti.

Ergo es crudelis, impudens & imprudens.

Sola minor propoſitio variè expolitur, maior & concluſio facilè poſſunt intelligi.

LVCTVM SENATVS.] Qui publico conſilio Senatusconſultum fecit, vt pro me veſtis lugubris ſumeretur.

DESIDERIVM EQVESTRIS ORDINIS.] Qui penè vniuerſus veſtem pro me mutauit, è quo ordine viginti prope adoleſcẽtum millia me comitabantur, vt Clodij vim à me prohiberent, qui per Qu. Hortenſium & C. Curionem Conſulum opem petierunt, &c.

SQVALLOREM ITALIÆ.] Quæ tantum dolorem hauſit deſiderio mei, vt ipſi etiam agri ſquallere viderentur.

CVRIÆ TACITVRNITATEM ANNVAM.] Suprà 29. *Cùm quacunque de re verbum facere cœperatis, aut referre ad Senatum, cunctus ordo reclamabat, oſtendebátque nihil eſſe vos acturos, niſi priùs de me retuliſſetis.*

TV SILENTIVM IVDICIORVM ET FORI.] pro Sextio 53. cùm *non ſolùm homines, ſed tecta vrbis, ac templa lugerent, nemo veſtrum forum, nemo curiam, nemo lucem aſpicere vellet.* in Vatinium, *Cuius deſiderio forum mœſtum, muta curia, omnia denique bonarum artium ſtudia ſiluerunt.* Sed hæc per exaggerationem. neque enim iudicia omnino ſiluerunt.

CVM GLORIA.] Propter ſummum Reipub. ſtudium erga meam ſalutem.

VESTRVM SCELVS.] Qui prouinciarum pactione deuincti me Clodio prodidiſtis.

TVM VERÒ.] Nota has particulas, quas haud ſcio an hoc ſenſu poſſis alibi reperire: quæ hîc tranſitioni inſeruiunt, quaſi *iam verò*, vel *nam* vel *deinde verò*. Malui tamen cum Manutio & Gruttero ſcribere. *Cùm verò* & verba quæ ſequuntur *forſitan hoc*, &c. ad illa, *quod ſentio*, parentheſi circumſcribere. repetitâ poſt parentheſim particulâ *cùm*.

BENEFICIIS.] in me reuocando. De quo paſſim.

NOTÆ.

I. LVCTVM SENATVS.] vide ſuprà 17.

II. CVRIÆ.] *Curia*, vt auctor eſt Feſtus, *locus eſt vbi publicas curas gerebant. Calabra curia dicebatur, vbi tantùm ratio ſacrorum gerebatur. curiæ etiam nominantur, in quibus vniuſcuiuſque partis populi Romani quid geritur.* Quales ſunt eæ in quas Romulus populum diſtribuit numero triginta; quib. poſteà additæ ſunt quinque, vt in ſua quiſque curia ſacra publica faceret, feriáſque obſeruaret. hîc priore ſenſu curiæ nomen vſurpat. vt alibi ſæpè. vt 7. *vt ſemper in roſtris curiam, in Senatu populum defenderim.* Horatius ode 1. lib. 2. — Curia quid?

Sublime mœſtis præſidium reis
Et conſulenti Pollio Curiæ.

III. SILENTIVM IVDICIORVM.] Iam dictum eſt. 21. §. in magno & publico luctu iudicia ſiluiſſe. ex Albinouano:

Iura ſilent, mutæque iacent ſine vindice leges.

Et Iuuenale:

Si magna Aſturi cecidit domus, horrida mater,
Pullati proceres, differt vadimonia prætor.

& aliis. Tacitus 2. annalium de luctu ob mortem Germanici: *Hos vulgi ſermones, audita mors adeo incendit, vt ante edictum magiſtratuum, ante Senatusconſultum, iuſtitio indicto desererentur fora, clauderentur domus, paſſim ſilentia & gemitus: nihil compoſitum in oſtentationem. & quamquam neque inſignibus lugentium abſtinerent, altiùs animis mœrebant.*

Alio tamen ſenſu Blepharo Plautinus Amphitruone Sc. *Quis tam vaſto.*

Rationes iacent, iudicium ſilet: quid agam neſcio.

Quod Petrus Crinitus lib. 6 de honeſta diſciplina cap. 8. ſic interpretatur. *Silentia in iudiciis cùm nihil vtique appareat, quod ex re vel coniectura aliqua iudicari poſſit.*

AXIOMATA.

Calamitoſi ſunt miſericordiâ, quàm contumelia digniores.

Nihil nobis debet à Repub. eſſe ſeiunctum.

ARGVMENTVM.

Suum diſceſſum & fugam confert cum profectione Piſonis, cùm paludatus exiuit in prouinciam, & à ciuium in ſe ſtudio demonſtrat ſuum diſceſſum Piſonis egreſſus longè præcedere.

ATQVE, vt tuum lætiſſimum diem cum triſtiſſimo meo conferam, XXXIII. vtrum tandem bono viro, & ſapienti optabilius putas, ſic exire è patria, vt omnes ſui ciues ſalutem, incolumitatem, reditum precentur, quod mihi accidit: an, quod tibi in prouinciam proficiſcenti euenit, vt omnes exſecrarentur, malè precarentur, vnam tibi illam viam & perpetuam eſſe vellent? mihi medius fidius in tanto omnium mortalium odio iuſto præſertim, & debito, quauis fuga, quàm vlla prouincia eſſet optatior. Sed perge porro. nam, ſi illud meum turbulentiſſimum tempus profectionis, tuo tranquilliſsimo præſtat, quid conferam reliqua, quæ in te dedecoris plena fuerunt, in me dignitatis?

EXPLANATIO.

ATQVE VT TVVM] *In iuſto odio ciuium quauis fuga, quàm vlla prouincia, debet eſſe optatior.*

Sed tu cum iuſto omnium odio in prouinciam abiiſti.

Ergo quæuis fuga quàm illa prouincia, debuit eſſe optatior.

Ex quo ſyllogiſmo ſic infert, *Ergo longè mihi debuit eſſe optatius ex vrbe cum tanta gloria ciuiúmque ſtudio diſcedere, quàm tibi cum tanto ciuium odio in prouinciam proficiſci.* maior propoſitio continetur illis, *mihi verò*, &c. *optatior.* minor his verbis, *quod tibi proficiſcenti euenit.* prior concluſio reticetur, & facilè potuit intelligi. poſterior *vtrùm tandem*, &c. *perpetuam eſſe vellent.*

LÆTISSIMVM DIEM.] Qui tibi videtur lætiſſimus, mihi autem triſtiſſimus, cùm in prouinciam vel emptam à Clodio ſceleris pactione, vel ereptam à Republica profectus es paludatus.

CVM MEO TRISTISSIMO.] Cùm die meæ fugæ & profectionis, cùm media nocte digreſſus ſum à ciuitate ne cum ſceleratis confligerem: qui dies tibi videtur triſtiſſimus, mihi autem boniſque lætiſſimus & maximè glorioſus.

VTRVM TANDEM.] Nota particulam *tandem*, quæ in interrogatione locum habet, cùm res adeo clara eſt, vt nemo poſſit refragari.

VIRO BONO ET SAPIENTI.] Qui nec ſtultitia, nec vitiis impeditur, vt res verè optandas à fucatis & reſpuendis poſſit diſcernere.

VNAM TIBI.] Cùm omnes expeterent vt in illa via perires, nec priùs illius viæ quàm vitæ finem inuenires.

SED PERGE PORRO.] Hactenus de vtriuſque diſceſſu, nunc ad vtriuſque regreſſum delabitur.

NOTÆ.

I. Boni viri & ſapientis iudicio ſtandum.

BONO VIRO ET SAPIENTI.] Bene viri boni & ſapientis auctoritate ſtandum eſſe dicit in bonis eligendis. Ariſtoteles 2. Ethic. ad Nicomachum cap. 5. Τριῶν ὄντων τῶν εἰς τὰς αἱρέσεις, καὶ τριῶν ὄντων τῶν εἰς τὰς φυγὰς, καλοῦ συμφέροντος, ἡδέος, καὶ τριῶν ἐναντίων, αἰσχροῦ, ἀσυμφόρου, λυπηροῦ, περὶ ταῦτα μὲν ταῦτα ὁ ἀγαθὸς κατορθωτικός ἐστι. ὁ δὲ κακὸς ἁμαρτητικός. *Cùm tria ſint quæ ad electionem, item tria quæ ad fugam pertinent, honeſtum, vtile, iucundum, item tria contraria, turpe, inutile, moleſtum, de omnibus iſtis bonus, rectam; malus prauam fert ſententiam.* Et libro 3. cap. 4. Ἁπλῶς μὲν καὶ κατ' ἀλήθειαν βουλητὸν ἐστὶ τἀγαθόν. ἑκάστῳ δὲ τὸ φαινόμενον. τῷ μὲν οὖν σπουδαίῳ τὸ κατ' ἀλήθειαν ἐστι. τὸ δὲ φαύλῳ τὸ τυχόν. *Simpliciter & ex rei veritate, quod bonum eſt, id eſt expetendum. vnicuique verò quod bonum apparet, id eſt expetendum. & bono quidem quod tale eſt ex rei veritate, malo verò quodcunque ſe obtulerit.*

II. Execratio priuata.

VT OMNES EXECRARENTVR.] Inuenio duplicem fuiſſe execrationis rationem qua proſequebãtur exeuntes. alteram tumultuariam, & non tam publico Magiſtratûs Senatúſve conſilio quàm communi plebis conſpiratione ſuſceptam, vt contigit Piſoni & Gabinio. alteram rite, certis cerimoniis, verbíſque conceptis fieri ſolitam. de qua Plutarchus in Craſſo, Craſſo in Parthos profecturo: Ὁ Ἀτήιος προδραμὼν ἐπὶ τὴν πύλην, ἔθηκεν ἐσχάραν καιομένην, καὶ τοῦ Publica & ſolemnis. Κράσσου γενομένου κατ' αὐτὴν ἐπιθυμιῶν καὶ κατασπένδων ἀρὰς ἐπηρᾶτο δεινὰς μὲν αὐτὰς καὶ φρικώδεις, δεινοὺς δέ τινας Θεοὺς καὶ ἀλλοκότους ἐπ' αὐταῖς καλῶν, καὶ ὀνομάζων, ταύτας φασὶ Ῥωμαῖοι τὰς ἀρὰς ἀποθέτους καὶ παλαιὰς τοιαύτην ἔχειν δύναμιν, ὡς ἐκφυγεῖν μηδένα τῶν ἐνσχεθέντων αὐταῖς. κακῶς δὲ πράττειν καὶ τὸν χρησάμενον. *Ateius Tribunus plebis accurrens ad portam, focum*

appoſuit, & cùm ad eam Craſſus veneſſet adolens & libans, diras imprecatus eſt horrendas & terribiles, horrendos & inuſitatos Deos in his execrationibus vocans & appellans. has aiunt Romani execrationes ſecretas, & ex antiquo repoſitas eiuſmodi vim habere, vt effugiat nemo qui fuerit iis implicatus, & malè cedere etiam illi qui fuerit vſus diris huiuſmodi. Adſtipulatur Dio, & Appianus in Parthicis, ſi tamen is eſt Appianus, & non aliquis veterator, qui ex Plutarchi Craſſo & Antonio ſuam hiſtoriam iiſdem verbis conflauerit. ſed tam elegantule, vt pro Δομίτιος Ἀηνόβαρβος, quod habet Plutarchus, repoſuerit, Δομίτιός τις Ἑλληνοβάρβαρος.

III. Via perpetua. VNAM TIBI ILLAM VIAM ET PERPETVAM.] Commodè Manutius hunc ex Nonnio Turpilij verſum profert,

Egredere: atque vt nam iſtuc perpetuum itiner ſit tibi.

quod etiam refert, & multis, ſuo more, verbis explicat P. Victorius cap. 1. lib. 2. Var. lect. Eadem eſt vulgaris imprecatio: *Iamais ne puiſſe-tu retourner.*

IV. MEDIVSFIDIVS.] Vide Sextianam §. 20. num. 4. vbi protulimus varias de hac iuriſiurandi forma Grammaticorum ſententias. Aliter hiſtorici. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 2. *In Reatino agro, quo tempore Aborigines eum tenebant, virgo quædam indigena, claro genere prognata choros ducebat in templo Enyalij. hunc Sabini ſicut eos ſecuti Romani, Quirinum nominant, nondum ſatis certi, Marſne is ſit, an quis alius honore Marti ſimilis*, &c. *In eius Dei templo ſaltans puella repentè diuino furore correpta choream deſeruit, & in ſacrarium ſe curſu proripuit, deinde à loci Genio compreſſa, vt vulgo viſum eſt, filium edidit nomine Medium, Fidium cognomine.* Eum addit fuiſſe veterum Curium conditorem. *At Porcius Cato nomen Sabinis impoſitum ait à Sabino filio Sabi eius, quem colunt illius regionis homines, & eum Sabum à quibuſdam vocari Dium fidium.* Hæc Dionyſius. cuius Græca prætermiſi ſtudio breuitatis. Vincentius Cartarus lib. de imaginibus Deorum, Gregorius Gyraldus ſyntagm. 1. & 2. & 10. hiſtoriæ Deorum, Claudius Minos in emblema 9. Alciati, aliique tradunt etiamnum hodie in Romanis antiquitatibus Fidij ſimulacrum ita effictum reperiri. (Medius fidius.) Marmor eſt in feneſtræ modum formatum, in quo tres imagines effictæ. Dextrâ quidem virilis habitu pacifico, ſiniſtra verò, vt muliebris, eodem habitu coronam in capite lauream geſtans, quæ dextram dextræ iungat cum priore imagine. in harum duarum medio ingenui puer uli effigies cernitur, cuius ſupra caput hoc legitur FIDII SIMVLACRVM. apud imaginem dextram virilem HONOR, in ſiniſtra imagine muliebri VERITAS. Tradunt etiam Narbone Martio eaſdem trium Deorum effigies reperiri. vt ſit Honor ſpecie viri togati, Veritas mulieris ſtolatæ, Amor habitu figuráque pueruli prætextati. Alciatus,

Stet depictus Honos tyrio velatus amictu,
Eiúſque iungat nuda dextram Veritas.
Sítque Amor in medio caſtus, cui tempora circum
Roſa it, Diones pulchrior Cupidine.
Conſtituunt hæc ſigna fidem: reuerentia Honoris
Quam fouet, alit Amor, parturítque Veritas.

V. Odium ciuium. QVÆVIS FVGA.] Plutarchus in politicis, Τιμησίας δ' ὁ Κλαζομένιος τὰ μὲν ἄλλα ἦν περὶ τὴν πόλιν ἀνὴρ ἀγαθός. τῷ δὲ πάντα πράσσειν δι' ἑαυτοῦ φθονούμενος ἠγνόει καὶ μισούμενος, ἕως αὐτῷ συνέβη τι τοιοῦτον. ἔτυχον ἐν ὁδῷ παῖδες ἐκ λάκκου τινὸς ἀστράγαλον ἐκκόπτοντες ἐκείνου παριόντος, ὧν (libentius legerim ὃν) οἱ μὲν ἔφασκον μένειν, ὁ δὲ πατάξας, οὕτως εἶπεν ἐκκόψαιμι Τιμησίου τὸν ἐγκέφαλον, ὡς οὗτος ἐκκέκοπται. τοῦτο ὁ Τιμησίας ἀκούσας, καὶ συνεὶς τὸν διήκοντα διὰ πάντων αὐτῷ φθόνον, ἀναστρέψας ἔφρασε τὸ πρᾶγμα τῇ γυναικί, καὶ κελεύσας ἕπεσθαι συνεσκευασμένην, εὐθὺς ἀπὸ τῶν θυρῶν ᾤχετο ἐκ τῆς πόλεως. *Timeſias Clazomenius quoad cætera vir bonus erat in gerenda Republica, ſed quòd omnia per ſe gereret, imprudens contra ſe ſuorum ciuium inuidiam & odium concitauit, donec ei contigit res eiuſmodi. Eo prætereunte pueri aſtragalum è ſcrobe per ludum extundebant: quem cùm alij manere dicerent, qui percuſſerat, ita, inquit, Timeſiæ cerebrum excutiam, vt hic aſtragalus excuſſus eſt. hoc audito Timeſias, compertóque quanta apud omnes inuidiâ flagraret, reuerſus vxori rem expoſuit, & ſequi iubens, ſtatim atque conuaſaſſet, ipſe ſtatim à foribus vrbem egreſſus eſt.* Ita Plutarchus. Ælianus libro 12. variæ hiſtoriæ cap. 9. rem aliter refert, Γίνεται (ἐν διδασκαλείῳ) δυοῖν παίδοιν ὑπὲρ γραμμῆς φιλοτιμία, καὶ ὁ εἷς ἀπώμοσεν, οὕτως ἐγὼ Τιμησίου τὸν ἐγκέφαλον ἐξαράξαιμι· τοῦτ' ἐκεῖνος ἀκούσας, καὶ ὑπολαβών, ἀκράτως ἔχειν φθόνου, καὶ δεινῶς ὑπὸ τῶν πολιτῶν μεμισῆσθαι, εἴ γε καὶ οἱ παῖδες αὐτὸν μισοῦσι, μή τι γοῦν οἱ ἄνδρες. ἀπῆλθεν ἑκὼν τῆς πατρίδος. *Contigit duorum puerorum ſuper linea contentio, & vnus ita iurauit: ſic Timeſiæ cerebrum excutiam. Hoc ipſe audiens, & inde coniiciens ſe flagrare inuidia, & odio eſſe ciuitati, quandoquidem non eum viri ſolùm, ſed etiam pueri oderant, ſponte ceſſit è patria.*

AXIOMA.

In magno ciuium odio, iuſto præſertim ac debito, quæuis fuga potiùs, quàm vlla prouincia debet eſſe optatior.

ARGVMENTVM.

Exponit quanto omnium ſtudio fuerit ab exilio reuocatus.

XXXIV. ME Kalendis Ian. qui dies poſt obitum, occaſúmque noſtrum Reipub. primus illuxit, frequentiſsimus Senatus, concurſu Italiæ, referente clariſsimo, atque fortiſsimo viro. P. Lentulo, conſentiente atque vna voce reuocauit. me idem Senatus exteris nationibus, me legatis, magiſtratibúſque noſtris auctoritate ſua Conſularibus litteris, non vt tunu-

per dicere auſus es, orbatum patria, ſed vt Senatus illo ipſo tempore appellauit, ciuem conſeruatorem Reipub. commendauit. ad meam vnius hominis ſalutem Senatus auxilium omnium cuncta ex Italia, qui Rempub. ſaluam eſſe vellent, Conſulis voce, & litteris implorandum putauit: mei capitis ſeruandi cauſſa Romam vno tempore, quaſi ſigno dato, Italia tota conuenit: de mea ſalute P. Lentuli præſtantiſsimi viri, atque optimi Conſulis, Cn. Pompeij clariſsimi, atque inuictiſsimi ciuis, ceterorúmque principum ciuitatis celeberrimæ, & gratiſsimæ, conciones fuerunt.

EXPLANATIO.

ME CALENDIS.] Quo die, reſpirante tum primùm Repub. Clodij ſeditionibus lacerata, P. Lentulus Spinther, & Qu. Metellus Nepos Conſulatum inierunt.

QVI DIES.] Qui dies, poſt meam fugam, primus extitit Reipub. ſalutaris, & quaſi diſſipatis nubibus ad ſpem futuræ ſerenitatis illuxit.

CONCVRSV ITALIÆ.] Concurſu Italorum, qui pro iure ciuitatis quod bellis ſocialibus acceperant, ex omnibus oppidis confluebant, ad ferendum de mea ſalute ſuffragium.

CONSENTIENTE POPVLO ROMANO ATQVE VNA VOCE.] Bene hoc loco Manutius: *Phaërnus*, CONSENTIENTE ATQVE VNA VOCE. *quod valdè non arridet. fit enim illuſtrior Ciceronis reditus, ſi non modò à Senatu, ſed à populo etiam reuocetur.* Has etiam voces *populo Romano* teſtatur Grutterus in ſuis omnibus reperiri.

ME LEGATIS, MAGISTRATIBVSQVE NOSTRIS.] qui adminiſtrabant Prouincias.

NON VT TV INSVBER.] vulgò, *non vt tu nuper.* malui cum Turnebo, *Inſuber*, cùm in manuſcriptis, *inſuper*, auum autem maternum Piſonis Inſubrem fuiſſe & Placentinum ſæpè dicetur. Quòd ſi malis hærere vulgatæ lectioni.

NVPER DICERE.] paulò antè, cùm orationem contra me habens, de me conqueſtus es quod oratione de Prouinciis Conſularibus habitâ, te cenſuiſſem ex Macedonia eſſe reuocandum.

AD MEAM.] poſt reditum in Senatu. *Quid magnificentius, quid præclarius mihi accidere potuit, quàm quòd illo petente vos decreuiſtis, vt cuncti ex omni Italia, qui Rempub. ſaluam vellent, ad me vnum, hominem fractum & propè diſſipatum, reſtituendum & defendendum venirent?*

CONSVLIS VOCE.] P. Lentuli.

QVASI SIGNO DATO.] quaſi elato vexillo. videtur ad militarem morem alludere. vide Notas.

DE MEA SALVTE.] pro Sextio 107. *Habuit de eodem me P. Lentulus Conſul concionem, concurſus eſt, populi Romani factus: omnes ordines, tota in illa concione Italia conſtitit: egit cauſſam ſumma cum grauitatem copiâque dicendi tanto ſilentio, tanta approbatione omnium, nihil vt vnquam videretur tam populare, ad pop. Rom. aures accidiſſe. Productus eſt ab eo Cn. Pompeius, qui ſe non ſolùm auctorem meæ ſalutis, ſed etiam ſupplicem populo Romano exhibuit: huius oratio & pergrauis & grata concioni fuit. Sic contendo, nunquam neque ſententiam eius auctoritate, neque eloquentiam iucunditate fuiſſe maiorem. Quo ſilentio ſunt auditi de me reliqui principes ciuitatis?*

NOTÆ.

PRIMVS ILLVXIT.] Opponitur & quod ſuperiùs dixerat, *turbulentiſſimum tempus meæ profectionis.* Adde quod, lux pro ſalute non infrequenter. Homerus Iliados φ. I. Lux pro ſalute.

-ἀνέσαν τε πύλας καὶ ἀπῶσαν ὀχῆας
Αἱ δὲ πεταςθεῖσαι τεῦξαν φάος.-
-recludunt excuſſo cardine portas
Recluſæ lucem efficiant.-

quem in locum Euſtathius: φάος ἡ τὴν σωτηρίαν τῶν φευγόντων λέγει, ὡς καὶ ἐν τῷ

-φάος δ' ἑτάροισιν ἔθηκεν
Ἄνδρα βαλών.-

Lucem, ſalutem fugientium vocat, vt & ille verſu

-Sociis lucem attulit almam
Percutiens hominem.-

Æſchylus in Perſis de reditu Xerxis:

Ἐμοῖς μὲν εἶπας δώμασιν φάος μέγα
Καὶ λευκὸν ἦμαρ νυκτὸς ἐκ μελαγχίμου.
Magnam es profatus ædibus lucem meis
Et pro nigranti nocte candidum diem.

Alicubi idem Homerus:

Βάλλ' οὕτως αἴ κέν τι φόως ἀνδρέσσι γένηαι.
Spicula ſparge manu, fueris ſic fortè viris lux.

Adde diſtichum illud retrogradum ſiue Ba, ſiue Nicomedis Poëtæ:

Ἱπποκράτης φάος ἦν μερόπων, καὶ σώετο λαῶν
Ἔθνεα, καὶ νεκύων ἦν σπανὶς εἰν ἀΐδῃ.

SENATVS EXTERIS NATIONIBVS.] II. Plutarchus in Cic. Ἡ δὲ σύγκλητος ἁμιλλωμένη πρὸς τὸν δῆμον ἔγραψεν ἐπαινεθῆναι τὰς πόλεις ὅσαι τὸν Κικέρωνα παρὰ τὴν φυγὴν ἐθεράπευσαν. *Senatus verò cum plebe contendens, reſcripſit vt eæ ciuitates laudarentur, quæ Ciceronem exceperant.* Amor Senatus in Ciceronem.

CIVIVM CVNCTA EX ITALIA.] Vide dicta hîc ad tertiam ſectionem. III.

QVASI SIGNO DATO.] Pro Milone. IV. Signo dato. *Ipſe cunctæ Italiæ cupienti & eius fidem imploranti ſignum dedit, vt ad me reſtituendum Romam concurrerent.* Videtur ad morem in conſcribendo exercitu vſurpatum alludere: ſignum enim ſiue vexillum ex arce tollebant. Feſtus, *Iuſti dies dicebantur triginta, cùm exercitus eſſet, imperatus, & vexillum in arce poſitum.* Arnobius libro ſecundo aduerſus Gentes: *In mores alios atque alios ritus priorum condemnatione tranſiſtis. Nunquid enim quinque in claſſes habetis populum diſtributum veſtri olim vt habuere maiores? nunquid magiſtratus per populum creatis? militaria urbana,*

communia quæ ſint comitia ſitis? ſeruatis de cœlo aut otioſas facitis obnuntiationibus actiones? cum paratis bella ſignum monſtratis ex arce, aut fecialia iura tractatis? &c. Dionyſius lib. 8. Ἠιώθεσαν τὰ τοῦ πολέμου σημεῖα, καὶ τὰς πόλεως δυνάμεις κατέλεγον. *Belli ſigna ſuſtulerunt, & urbanas copias contraxerunt.* Macrobius 1. Saturn. 16 *Præliares ab iuſtis non ſegregauerim: ſiquidem iuſti ſunt continui triginta dies, quibus exercitu imperato vexillum ruſi coloris in arce poſitum eſt.* Seruius Danielis in verſum illum octaui Æneidos:

Vt belli ſignum Laurenti Turnus ab arce
Extulit.

Belli ſignum, ſiue vexillum in arce. Enumeratis tribus militiæ generibus, *militia legitima, coniuratione, euocatione* Subdit: *Si eſſet tumultus, id eſt, bellum Italicum vel Gallicum, in quibus ex periculi vicinitate, erat timor multus, quia ſingulos interrogare non vacabat: qui fuerat ducturus exercitum ibat ad Capitolium, & exinde proferens duo vexilla, unum roſeum quod pedites euocabat, & unum cœruleum, quod erat equitum (nam cœruleus color maris eſt, à cuius Deo equum conſtat inuentum) dicebat.* QVI REMPVB. SALVAM ESSE VVLT, ME SEQVATVR, *& qui conueniſſent ſimul iurabant, & dicebatur iſta militia coniuratio. Alij album & roſeum vexilla tradunt, & roſeum bellorum, album comitiorum ſignum fuiſſe.* Item: *Vexillum in arce poni ſolebat, quod eſſet ſignum imperati exercitus.* Adhuc inquam morem Orator alludit, nam quemadmodum Conſul dicebat in tumultu, QVI REMPVB. SALVAM ESSE VVLT, ME SEQVATVR, ita ad Ciceronis *vnius ſalutem Senatus auxilium omnium ciuium cuncta ex Italia qui Rempub. ſaluam eſſe vellent, Conſulis voce & litteris, implorandum putauit.* Adde quòd ob Ciceronis abſentiam tot in vrbe ſeditiones exarſerant, vt tumultus quaſi timor multus Reipub. ceruicibus immineret, ideóque Senatus primo quoque tempore, quaſi tumultuarium exercitum conſcribens eum cenſuit eſſe reuocandum, quaſi ſine eo Reſpublica ſtare non poſſet. Scio horum pleraque à Iuſto Lipſio fuiſſe iam pridem annotata, ſed ea tamen tas non fuit lectoribus in[illegible]e.

QVI REMPVB. SALVAM ESSE VELLENT.] Formula in rebus magni momenti frequens Pub. Sempronius Tuditanus poſt cladem Cannenſem apud Liuium lib. 22. *Ite mecum qui & voſmetipſos & Rempublicam ſaluam vultis.* Et eadem pagina Scipio iuuenis fatalis dux belli punici ſociis edixit, *irent ſecum ex templo armati, qui Rempublicam ſaluam vellent.* Alter Scipio Naſica, *Da a læuo Bacchotogæ lacinia*, &c. *hortatus eſt vt qui ſaluam vellent Rempub. ſe ſequerentur.* Verba ſunt Velleij de Tiberij nece, res res eſt clarior quàm vt egeat exemplis. II. Remp. ſaluam velle.

AXIOMA

Honorificum eſt ad vnius ſalutem vniuerſos conuenire.

ARGVMENTVM.

Senatus Conſulti de ſuo reditu ſplendorem à tribus adiunctis oſtendit. 1. à perſona Pompeij qui fuit auctor & princeps ſententiæ. 2. a re qua decernebatur. 3. à verbis quibus ea Senatus auctoritas perſcripta eſt. deinde magiſtratuum omnium, qui leges ferre poterant, in ſe ſtudium & prolixam voluntatem exaggerat.

XXXV. DE me Senatus ita decreuit, Cn. Pompeio auctore, & eius ſententiæ principe, vt ſi quis impediſſet reditum meum, in hoſtium numero putaretur: vſq. verbis ea de me Senatus auctoritas declarata eſt, vt nemini triumphus honorificentius, quàm mihi ſalus, reſtitutióque perſcripta. de me, cùm omnes magiſtratus promulgaſſent, præter vnum Prætorem, à quo non poſtulandum fratrem inimici mei, prætérque duos de lapide emptos Tribunos plebis, legem comitiis centuriatis tulit P. Lentulus Conſul de collegæ Q. Metelli ſententia: quem mecum eadem Reſpublica, quæ in Tribunatu eius disiunxerat, in Conſulatu, virtute optimi, ac iuſtiſsimi viri, ſapientiáque coniunxit.

EXPLANATIO.

AVCTORE ET EIVS SENTENTIÆ PRINCIPE.] Princeps ſententiæ dicitur Pompeius, non quòd primus fuerit rogatus à Lẽtulo Conſule ſententiam. primus enim rogatus eſt Luc. Cotta pro Sextio 73. ſed poſt eum rogatus Cneus Pompeius cenſuit Ciceronem non ſolùm Senatus, ſed etiam populi Romani auctoritate eſſe reuocandum. addito, *vt ſi quis eius reditum impediſſet, is in hoſtium numero duceretur.* cuius ſententiam reliqui ſunt ſecuti.

TRIVMPHVS.] Quia à Senatu decerni ſolet victoribus.

DE ME CVM OMNES MAGISTRATVS.] Omnes qui legem ferre poſſunt & promulgare, videlicet Prætores & Tribuni plebis. nam Cenſores, Ædiles, Quæſtores legis ferendæ ius non obtinebant.

PROMVLGASSENT]Feſtus Pompeius, *Promulgari leges dicuntur, cum primum in vulgus eduntur, quaſi promulgari* Aliud enim eſt ferre legem, aliud promulgare. fert leges cùm populum rogat magiſtratus, *velitis iubeatis. Quirites, vt hoc vel illud fiat* promulgat, qui legem ante quam de iis probandis ad populum in concione vel in comitiis referatur. eas per trinundinum publicè legendas exhibet & proponit.

Præter vnvm Prætorem.] Appium Clodium, fratrem P. Clodij.

A qvo non fvit postvlandam.] A quo propter conſanguinitatem non fuit poſtulandum, vt de meo reditu legem promulgaret, & fratri ſuo Publio Clodio ſeſe opponeret. id enim ſi poſtulatum fuiſſet, pietatis excuſationem prætexere potuiſſet.

Præterqve dvos.] Sextum Attilium Serranum & Numerium Quintium. pro Sextio 74. & 72. qui locus conſulatur.

De lapide emptos.] De lapide ex quo præcones venalitios proclamant, vel cui inſidentes venalitij venduntur.

Emptos.] Mercede conductos, & P. Clodio mancipatos inſtar ſeruorum venalium qui vendebantur lapidi inſidentes, vel potiùs quòd ipſi præcones de ſuperiore loco, & lapide eminente res venales pronuntiarent. Porrò eos fuiſſe mercede corruptos Cicero teſtatur pro Sextio 17. *Surrexit vt ſciatis, Attilius hic Gauianus, nec auſus eſt, cùm eſſet emptus, intercedere: noctem ſibi ad deliberandum poſtulauit.* Mox: *Illi intereà deliberatori merces, longa interpoſita nocte duplicata*, &c.

Comitiis centvriatis] Quibus populus per centurias deſcriptus in campo Martio fert ſuffragium.

Qvinti Metelli.] Nepotis is affinis P. Clodio, cùm Tribunusplebis eſſet, legémque ferret de reuocando in Italiam Pompeio cum exercitu à Cicerone Conſule diſſenſerat. de quo ſuperiùs: *Cùm in concione abiens magiſtratu dicere à Tribunopl. bis prohiberer quæ conſtitueram, cumque is tantummodò, vt iurarem permitteret.* poſtmodum tamen oratione P. Seruilij permotus in gratiam rediit cum Cicerone abſente. pro Sextio 72. *Quæ etiam colleg. eiusmoderatio de me. qui cùm inimicitias ſibi mecum ex Reip. diſſenſione ſuſceptas eſſe dixiſſet, eas ſe Patribus Conſcriptis dixit & temporibus & Reip. permiſſurum.*

Virtvte optimi ac ivstissimi viri.] Oratione P. Seruilij, poſt reditum in Senatu. *Q. Metellus & inimicus & frater inimici, perſpecta veſtra voluntate, omnia priuata odia depoſuit: quem P. Seruilius vir cùm clariſſimus, tum verò optimus mihíque amiciſſimus, & auctoritate, & orationis ſuæ diuina quadam grauitate, ad ſui generis communiſque ſanguinis facta virtutéſque reuocauit*, &c. vide.

NOTÆ.

I. In hoſtium numero haberi.

In hostivm nvmero.] Senatus plerumq; his verbis ſua decreta muniebat, vt qui ſecus feciſſet, is vel contra Remp. feciſſe, vel in hoſtium numero habendus eſſe diceretur. cuius vtriuſque eandem eſſe vim liquet ex eo, quòd oratione poſt reditum in Senatu hoc ipſum narrans ita loquatur. *Decreuiſtis ne quis vlla ratione rem impediret: qui id impediſſet grauiter moleſtéque laturos: illum contra Remp. ſalutémque bonorum, concordiámque ciuium facturum.* Cùm tamen vis eadem eſſet in vtroque, grauiore verborum formula contumaces vrgebant. vt libro 3 in Verrem: *Hi ſunt homines quos nuper Senatus in hoſtium numero cenſuit habendos.* Dio lib. 37. τῆς γὰρ γερουσίας ἄδειάν τε πᾶσι τοῖς διαχειρίσασι τὰ τότε πραχθέντα δούσης, καὶ προειπούσης, καὶ προσεπειπούσης, ὅτι κἂν αὖθις εὐθύνας τινὰ ἐπ' αὐτοῖς τολμήσῃ, ἐν τῇ ἐχθροῦ καὶ πολεμίου μοίρᾳ ἔσεσθαι. *Cùm Senatus eorum quæ facta tunc fuerant impunitatem dediſſet, & inſuper addidiſſet vt ſi quis auderet eorum exigere rationem, is in hoſtium numero haberetur.* Suetonius in Nerone cap. 2. de Cn. Domitio loquens: *Conſultante Pompeio, de mediis, ac neutram partem ſequentibus, ſolus cenſuit hoſtium numero habendos.* Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 9. Ὁ μὲν οὖν Ἄππιος ἐπὶ τὰ ὅπλα καλεῖν γνώμην ἐδίδου τοὺς βουλομένους σώζεσθαι τὴν πάτριον πολιτείαν· εἰ δέ τινες ἐναντιωθήσονται, τούτους ἐν πολεμίων ποιεῖσθαι μοίρᾳ. *Appius cenſuit eos qui Remp. ſaluam eſſe vellent, ad arma vocandos, qui rem impediſſent in hoſtium numero habendos eſſe.* Nota eos qui *Remp. ſaluam eſſe vellent.* de quo ſuperiori ſectione.

II. Verborum dignitas.

Isqve verbis.] Non ſolùm in honoribus & muneribus ſpectandum eſt quid, ſed etiam quibus verbis cuique tribuatur. poſt 45. *Vt Senatus is qui in eam benignitatis conſuetudinem venit, vt eos qui bene Remp. geſſerint, nouis honoribus afficiat, & numero dierum & genere verborum.* Liuius decadis 3. lib. 10 Scipio Maſaniſſam: *Aurea corona, aurea patera, ſella curuli & ſcipione eburneo, toga picta, & tunica palmata donat, addit verbis honorem*, &c. Noſter de Prouinciis Coſſ. 27. *In illa ſupplicatione quam ego decreui, res ipſa tributa eſt Diis immortalibus, & maiorum inſtitutis, & vtilitati Reip. ſed dignitas verborum, honos, & nouitas. & numerus dierum Cæſaris ipſius laudi, & gloriæ conceſſus eſt.* qua de re Philipp. 14. à num. 36 euoluatur ad vmbilicum.

III. Triumphum Senatus decernebat.

Trivmphvs.] Qui itidem decerni ſolebat à Senatu. Liuius lib. 2. *Conſul decernente Senatu triumphum, ſi exercitus ſine Imperatore triumphare poſſit pro eximia eo bello opera facilè paſſurum reſpondit, ſe familiâ funeſtâ. Q. Fabij fratris morte, Rep. ex parte orba altero Conſule amiſſo, publico priuatóque deformem luctu lauream non accepturum, omni acto triumpho depoſitus triumphus clarior fuit. adeò ſpreta in tempore gloria interdum cumulatior redit.* Hæc ille de Fabio Conſule bello Hetruſco confecto. Sed res clarior eſt quàm vt debeam exempla corradere, nonnunquam tamen ſecus. idem libro 3. de Valerio & Horatio Conſulibus poſt Decemuiros: *Tum primum ſine auctoritate Senatus populi iuſſu triumphatum eſt.* Diſſentit Dionyſius. nam longè antè id factum fuiſſe tradit a Seruilio qui primus recuſante Senatu, στεφανῶσαι τὰς ῥάβδους ἐκέλευσεν, καὶ αὐτὸς ἐστεφανωμένος ἔχων τὴν θριαμβικὴν ἐσθῆτα προσῆλθεν εἰς τὴν πόλιν. *Faſces lauro coronari iuſsit, & ipſe coronatus in veſte triumphali in Vrbem inuectus eſt.*

IV Princeps Senatus.

Principe sententiæ.] Aliud eſt eſſe principem ciuitatis, aliud principem ſententiæ. Princeps Senatus erat, qui primus in recenſione Senatus à Cenſoribus fuiſſet recitatus: princeps ſententiæ, qui primus ſententiam dixiſſet, quæ obtineret, & quam reliqui maximam partem ſequerentur. Sic in hac ipſa Lentuli Conſulis relatione L. Cotta princeps Senatus, Pompeius Princeps ſententiæ nominatur. De Principe Senatus ſic dicto quòd in recitatione Senatus à Cenſoribus, primus caperetur Liuij 1. epitome, lib. 8. dec. 5. *M. Æmilius Lepidus qui Princeps Senatus ab ſextis iam Cenſoribus erat lectus, antequam expiraret, præcepit filiis, lecto ſe ſtrato, ſine linteis, ſine purpura efferrent in reliquum funus ne plus quam*

æris denos conſumerent: imaginum ſpecie non ſumptibus nobilitari maximorum virorum funera ſolere. Sed hæc tum ipſe, tum alij paſſim quæ proinde ſatius eſt ſilentio præterire, nunc ſatis fuerit inquirere, cur Pompeio totius ciuitatis atque adeò Imperij facilè principi Lucius Cotta dignitatem hanc præcerpſerit, fueritque Princeps Senatus. In promptu cauſa eſt: Eum vt plurimum Cenſores principem ordinis legebant, qui proximè antè cenſuram geſſiſſet. vt ex infrà ſcriptis exemplis conſtabit. Dixi: *vt plurimùm*, quia ſi id ſemper fuiſſet obſeruatum Marcus Æmilius à ſextis cenſoribus legi minimè potuiſſet. Sic hac ipſa oratione L. Gellius Princeps Senatus dicitur fuiſſe in Ciceronis conſulatu, qui proximè antè Cenſor fuerat, vt videre eſt apud Plutarchum in Pompeio. de cuius cenſura illud memorabile in epitome Liuiana decadis 10. lib. 8. *C. Lentulus & Luc. Gellius Cenſores aſperam cenſuram egerunt, quatuor & ſexaginta Senatu motis à quibus luſtrum conditum eſt. cenſa ſunt ciuium capita* CCCCL. *millia.* Sic & Cotta qui Princeps fuit Senatus cùm de reditu Ciceronis ageretur. proximè antè geſſerat cenſuram. Plutarchus in Cicerone: Λευκίου Κόττα τιμητικὴν ἔχοντος ἀρχὴν, φιλοινοτάτου δ' ὄντος, ὑπατείαν μετιὼν ὁ Κικέρων ἐδίψησε, καὶ τῶν φίλων κύκλῳ περιστάντων, ὡς ἔπιεν, ὀρθῶς φοβεῖσθε, εἶπε, μή μοι γένοιτο χαλεπὸς ὁ τιμητὴς ὅτι ὕδωρ πίνω. *Cùm L. Cotta, vir vini amantiſſimus cenſor eſſet, petens Cicero conſulatum, ſitiuit: & amicis eum in orbem ſtipantibus poſtquam bibit, iure timetis, inquit, ne mihi cenſor aquam bibenti ſit moleſtus.* Atque de Principe Senatus hactenus, nunc antequam ad principem ſententiæ veniamus, de ordine Senatus in dicenda ſententia pauca dicenda ſunt.

Ordo rogādi ſententias in Senatu.

Gellius libro 4. noct. Attic. cap. 10. *Ordo rogandi ſententias varius fuit, Aliàs primus rogabatur qui à Cenſoribus princeps in Senatum lectus fuerat: aliàs qui deſignati Conſules erant. Quidam à Conſulibus ſtudio aut neceſſitudine aliqua adducti, quem iis viſum erat honoris gratia extra ordinem ſententiam primum rogabant. obſeruatum tamen eſt cùm extra ordinem fieret, ne quis quemquam ex alio, quàm ex conſulari loco ſententiam primum rogaret. C. Cæſar in conſulatu, quem cum M. Bibulo geſſit, quatuor ſolos extra ordinem rogaſſe ſententiam dicitur. ex iis quatuor Principem rogabat M. Craſſum, ſed poſtquam filiam Cn. Pompeio deſponderat, primum cœperat Pompeium rogare.* Et apud eundem cap. 7 lib. 14. ex Varronis epiſtola ad Oppianum refert: *Singulos debere conſuli gradatim, incipique à Conſulari gradu: ex quo gradu ſemper quidem antea primùm rogari ſolitum, qui Princeps in Senatum lectus eſſet: tum autem, cùm hæc ſcriberet, nouum morem inſtitutum refert, per ambitionem gratiámque vt is primus rogaretur, quem rogare vellet, qui haberet Senatum: dum is tamen ex gradu conſulari eſſet.* Multa poſſunt exempla reperiri. *Aliàs*, inquit, *primus rogabatur, qui à cenſoribus Princeps in Senatum lectus fuerat.* pro Sextio 73. *Tunc Princeps rogatus ſententiam Luc. Cotta, &c. ſed poſt eum rogatus Cn. Pompeius.* Subdit Gellius: *aliàs qui deſignati conſules erant.* Sic D. Silanus Conſul deſignatus primus à Cic. rogatus eſt ſententiam, ex Cic. Salluſtio, Plutarcho, Appiano, qui 2. bellorum ciuilium hanc reddit ordinis huiuſce rationem.

Conſul deſignatus primus rogabatur ſententiā.

Ῥωμαίοις ὁ μέλλων ὑπατεύειν πρῶτος εἰσφέρει γνώμην, ὡς αὐτὸς οἶμαι πολλὰ τῶν κυρουμένων ἐργασόμενος, καὶ ἐκ τοῦδε εὐσκεπτότερόν τε καὶ εὐλαβέστερον ἐνθυμούμενος περὶ ἑκάστου. *Apud Romanos qui Conſul eſt deſignatus primus dicit ſententiam, vt qui multa eorum quæ decreta fuerint executurus. atque ideò de ſingulis maiori cum maturitate & cautione ſententiam dicturus eſſe videatur.* Honoris cauſa alios aliis in roganda ſententia præferebant. præter dicta exemplum eſt §. 11. *quem in Senatu ſententiam rogabas tertium.* vt alia omittam, ſemper tamen rogabantur primo loco viri Conſulares.

Rogabantur Conſulares ante alios.

Dionyſius lib. 7. Πρῶτοι μὲν οἱ πρεσβύτατοι τῶν ὑπατικῶν καλούμενοι κατὰ τὸν εἰωθότα κόσμον ὑπὸ τῶν ὑπάτων ἀνίσταντο. *Primùm quidem maximi natu e conſularibus, ſecundum morem à Conſulibus vocati ad dicendum ſurrexerunt.* Vbi vides non ſolum dignitatis, ſed etiam ætatis habitam fuiſſe rationem. quamuis id honoris adoleſcentibus vt C. Carboni, & Octauio nonnunquam conceſſum eſt, vt ſententiam dicerent inter Conſulares. vide Vatinianam 16. §. Nota *Conſularem auctoritatem.* poſt Conſulares ſententiam rogabantur ij qui curules geſſerant magiſtratus. Prætorij nimirum & Æditij. vnde Cic. Verrina 7. inter eos honores, qui ipſi ex ædilitate contigerunt, enumerat *antiquiorem in Senatu dicendæ ſententiæ locum.*

Tum Prætorij & Ædilitij curules.

Poſt eos qui curulibus magiſtratibus functi fuerant ſequebatur reliquum Senatorum vulgus, quos ad diſcrimen Curulium Senatorum C. Baſſus apud Gellium lib. 3. cap. 18. Pedarios dicit fuiſſe nominatos:

Pedarij Senatores.

Senatores enim dicit in veterum ætate, qui curulem magiſtratum geſſiſſent, curru ſolitos honoris gratiâ in Senatum vehi, in quo curru ſella eſſet, ſupra quam conſiderent, quæ ob eam cauſſam curulis appellaretur, ſed eos Senatores qui magiſtratum curulem nondum ceperant, pedibus itauiſſe in curiam. Propterea Senatores nondum maioribus honoribus functos, pedarios nominatos. Sed neque pedarij rogabantur, ſine ætatis diſcrimine. Dionyſius libro ſeptimo. συναχθείσης γὰρ ὑπὲρ τούτων τῆς βουλῆς, καὶ τῶν πρεσβυτέρων, ὡς ἔθος ἦν, πρότερον ἀποφηναμένων τὰς ἑαυτῶν διανοίας. *Senatu ſuper his conuocato, cùm maximi quique natu ex conſuetudine. primi ſententiam dixiſſent.*

Habebatur ratio ætatis in roganda ſententia.

Qui mos, ni fallor, à Solonis lege manauit in Romanam Remp. Æſchines in Timarchum: Καὶ πῶς γὰρ κελεύει τοὺς προέδρους χρηματίζειν, ἐπειδὰν τὸ καθάρσιον περιενεχθῇ καὶ ὁ κῆρυξ τὰς πατρίους εὐχὰς εὔξηται, προχειροτονεῖν κελεύει τοὺς προέδρους περὶ ἱερῶν τῶν πατρίων, καὶ κηρύκων, καὶ πρεσβειῶν, καὶ ὁσίων, καὶ μετὰ ταῦτα ἐπερωτᾷ ὁ κῆρυξ. Τίς ἀγορεύειν βούλεται τῶν ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότων; ἐπειδὰν δ' οὗτοι πάντες εἴπωσι, τότ' ἤδη κελεύει λέγειν τῶν ἄλλων Ἀθηναίων, τὸν βουλόμενον οἷς ἔξεστι. *Et qua ratione Præſes rogat ſententiam? cùm aqua piacularis circumlata fuerit, & præco preces patrio ritu conceperit, priùs decernere iubet præſes. de ſacris patriis, de præconibus, de legatis, de religionibus. & poſt hæc præco ſic interrogat. Quis dicere vult eorum qui vltra quinquaginta annos ætate prouecti ſunt? & poſtquam hi omnes dixerint, tum cæteros dicere iubet ex ciuibus Athenienſibus, quibus dicere leges permittunt.* Ex his facilè intelligas eum dici principem ſententiæ, non qui primus ſententiam rogaretur, ſed qui ſententiam primus diceret quam reliqui deinceps ſequerentur. Gellius loco citato: *Et quia poſtremi ſcripti erant, non rogabantur ſententiam, ſed quas principes dixerant, in eas deſcendebant.*

Princeps ſententia.

OMNES MAGISTRATVS PROMVLGASSENT.] Non dicam quinam magiſtratus leges promulgare potuerint, quòd tota res à V.

Paulo Manutio libro de legibus Romanis eruditè tractata, & ex eo etiam in Calepinos digeſta ſit.

VI. Lapis præconis.

De lapide emptos.] Hunc locum Turnebus lib. 10. cap. 3. & Brodæus libro 6. Miſcell. cap. 5. expediunt. *Lapis*, inquit Turnebus, *locus eminens erat, & tanquam ſuggeſtus vnde præco prædicabat atque vendebat.* Iulius Pollux libro 3. cap. 25. ὁ δὲ τόπος πρατὴρ λίθος καὶ πωλητήριον, καὶ ὡς Ἡρόδοτος πρατήριον. *locus verò venditorius lapis & poleterium, aut, vt Herodotus loquitur, præterium.* Et libro 6. ἐφ' ὃ βαίνοντες οἱ δοῦλοι πιπράσκονται, τοῦτο τρύπεζαν Ἀριστοφάνης καλεῖ. *locum in quem adſcendentes ſerui venundantur, trypeſam Ariſtophanes appellat.* Idem Ariſtophanes: τῷ λίθῳ παρεστάμεν. *in lapide adſtamus.* Plutarchus in Solone: ἀναβὰς ἐπὶ τὸν τοῦ κήρυκος λίθον. *cùm lapidem præconis inſcendiſſet.* Columella libro 3. de re ruſtica cap. 3. *vel de lapide noxium poſſe comparari putat.* Plautus in Bacchidibus, ſcena *Conſtringe.*

O ſtulte ſtulte, neſcis nunc venire te:
Atque in eo ipſo adſtas lapide vbi præco prædicat.

Hæc ex ſuprà laudatis auctoribus. Huc etiam traho illud Laërtij de Diogene Cynico cùm venderetur, vbi videtur innui eam conſuetudinem fuiſſe, vt venalitij ſtarent in illo lapide, non ſederent: ἁλοὺς καὶ πωλούμενος ἠρωτήθη, τί οἶδε ποιεῖν, ἀπεκρίνατο, Ἀνδρῶν ἄρχειν. καὶ πρὸς τὸν κήρυκα, Κήρυσσε, ἔφη, εἴ τις ἐθέλει δεσπότην αὑτῷ πρίασθαι. κωλυθεὶς καθίζεσθαι, οὐδέν, ἔφη, διαφέρει. καὶ γὰρ τοὺς ἰχθῦς ὅπως ἂν κέοιντο πιπράσκεσθαι. *Cùm captus venderetur rogatus, quid ſciret facere, reſpondit, Viris imperare, & Præconi proclama, inquit, vtrùm quis velit ſibi dominum comparare. prohibitus ſedere, nihil, inquit, refert, nam & piſces, quocunque modo iaceant, venduntur.* Ioannes Baptiſta Pius hæc Apuleij verba, cuius ſtylum, vt filiolam oſculatur ex libro 2. Aſini aurei de lapide præconis intelligit: *Conſpicor medio foro procerum quendam ſenem. inſiſtebat lapidem, claráque voce prædicabat, &c.* Atque hæc ſatis ad Ciceronem, operæ tamen pretium fuerit, nonnulla breuiter de ſeruorum emptione ſubtexere. In cataſta & velut cauea quadam lignea incluſi vendebantur. Perſius:

Cataſta venalium.

Cappadocas rigida duros pauiſſe cataſta
Nota loquor, regnũ ipſe tenet, quem ſæpe coëgit.

Tibullus lib. 2. eleg. 3.

Barbara gypſatos ferre cataſta pedes.

2. vt arbitror aures ſeruis perforabant. Iuuenalis ſat. 1.

Aures perforatæ ſeruorũ venalium.

Natus ad Euphratem, molles quod in aure feneſtræ
Arguerint, licet ipſe negem.

Huc traho & illud Ciceronis dicterium quod refert Plutarchus: ἐπεὶ δέ τις Ὀκτάβιος αἰτίαν ἔχων ἐκ Λιβύης γεγονέναι, πρὸς τοῦτον ἔν τινι δίκῃ λέγοντα τοῦ Κικέρωνος μὴ ἐξακούειν καὶ μὴν οὐκ ἔχεις εἶπε τὸ οὖς ἀτρύπητον. *Erat quidam Octauius. quem ex Libya oriundum eſſe per probrum aiebant. ad hunc cùm in quadam actione diceret, ſe non audire verba Ciceronis. Atqui, inquit, aurem habes perforatam.* quo dicto ſeruilem eius conditionem innuebat. Quid ſi à Iudæis ea conſuetudo manauerit? Exodi cap. 21. num. 5. *Quòd ſi dixerit ſeruus, diligo dominum meum, & vxores ac liberos, non egrediar liber: offeret eum Dominus diis, & applicabitur ad oſtium & poſtes: perforabítque aurem eius ſubula, & erit ei ſeruus in ſeculum.*

Pedes gypſati ſiue cretati.

Tertio venalitij, gypſatos, vt ex iam dictis videri poteſt, aut etiam cretatos pedes habebant. Iuuenalis loco proximè citato.

Nuper in hanc vrbem pedibus qui venerat albis.

Plinius lib. 35. de Pallante Claudij liberto loquens, quem & inter venalitios numerat. *Tantúmque non, inquit, cum laureatis faſcibus remitti illò, vnde cretatis pedibus adueniſſent.* Ouidius lib. 1. amorum, elegia octaua:

Nec tu, ſi quis erit capitis mercede redemptus,
Deſpice gypſati nomen inane pedis.

Ex quo fieri potuit vt *de lapide*, quaſi de creta, ſiue gypſo *empti* dicerentur.

Lapidis gagatis ſuffitu explorabãtur venales.

Quartò, Quid ſi, vt Tullium dicere fingamus, quod ne per ſomnium quidem cogitauit, de lapide emptos, quaſi lapide gagate exploratos in emptione vocauerit? Apuleius apologia ad Maximum prima: *Quòd ſi magnum putarem caducum deiicere, quid opus carmine fuit? cùm incenſus gagates lapis, vt apud phyſicos lego, pulchrè & facilè hunc morbum exploraret? cuius odore etiam in venalitiis vulgò, ſanitatem aut morbum venalium experiantur. etiam orbis à figulo circumactus, non difficilè eiuſdem valitudinis hominem vertigine ſui corrigit, ita ſpectaculum rotationis eius animum ſaucium debilitat, ac multo plùs ad caducos conſternendos figulus valet, quàm magus.* hoc poſtremum addidi magis quòd notandum videretur, quàm quòd ad rem attineret.

Venales quãdo pileati.

Quintò, vt Gellij cap. 4. lib. 7. verbis vtar: *Pileatos ſeruos venum ire ſolitos, quorum nomine venditor nihil præſtaret Cælius Sabinus Iuriſperitus ſcriptum reliquit. cuius rei cauſam eſſe ait quod huiuſmodi conditionis mancipia inſignia eſſe in vendendo deberent, vt emptores errare & capi non poſſent: neque lex vendundi operiunda eſſet, ſed oculis iam perciperent, quodnam eſſet mancipiorum genus: ſicuti, inquit, antiquitus mancipia iure belli capta, coronis induta venibant, & idcircò dicebantur, ſub coronis venire. namque vt ea corona ſignum erat captiuorum venalium, ita pileus impoſitus demonſtrabat eiuſmodi ſeruos venundari, quorum nomine emptori venditor nihil præſtaret.* Catonis verba libro de re militari ab eodem Gellio iſta referuntur: *Vt populus ſua opera potiùs ob rem bene geſtam, coronatus ſupplicatum eat, quàm re malè geſta coronatus veneat.* Coronati erant vel ſubmiſſionis cauſſa, vel religionis. ſubmiſſionis, quia vt auctor eſt Tertullianus libro de corona militis, *Erant enim ſupplices coronarij apud veteres.* Quamuis vt pileo donabantur in libertatem aſſerti, ita & corona. quod mirum fuerit pileos & coronas inſignia fuiſſe, & libertatis & ſeruitutis. De pileo libertorum & manumiſſorum res clara eſt, & expedita. de corona Tertullianus ibidem cap. 13. *Coronat & libertas ſæcularis: ſed tu iam redemptus es à Chriſto, & quidem magno. ſeruum alienum quomodo ſeculum manumittet? & ſi libertas videtur, ſed & ſeruitus videbatur. omnia imaginaria in ſeculo & nihil veri. nam & tunc liber homini eras redemptus à Chriſto: & nunc ſeruus es Chriſti, licet manumiſſus ab homine. Si veram putes ſeculi libertatem, vt & coronam conſignes, rediſti in ſeruitutem hominis, quam putas libertatem: amiſiſti libertatem Chriſti quam putas ſeruitutem.* Religionis, quia in emptione libationes quaſdam in ſeruorum emptione libabant, ſi præſertim Romanorum mores Athenienſium moribus metiamur. Demoſthenes oratione pri-

Mancipia coronata.

Coronati venales ſubmiſſionis cauſſa.

Pileus & libertatis indicium & ſeruitutis.

Coronati religionis cauſſa.

ma in Stephanum: αὐτὸς μὲν οὐκ ὤκνησε τὴν δέσποιναν γῆμαι, καὶ ἃ τὰ καταχύσματα αὐτῷ κατέχεε, τόθ᾽ ὥσπερ ἐωνήθη, ταύτῃ συνῴκει. *Hic non reueritus eſt Dominam ducere, & emptus eſt vt cum ea matrimonium iniret, quæ ipſi libationes infuderat.* Quæ fortaſſe religionis cauſſa fuerit vt gagatem incenderent. at in ſacris coronæ, vnus in re tam comperta Tertullianus eodem libro ſuffecerit, cap. 10 *Ipſæ hoſtiæ & aræ, ipſi miniſtri & ſacerdotes eorum coronantur. Habes omnium collegiorum ſacerdotalium coronas apud Claudium Saturninum.* Poſtremò huiuſmodi mancipia nonnunquam à captiuitatis auctoribus nomen capiebant. Dio libro 39. Κλώδιος μὲν τοὺς οἰκέτας, τοὺς ἐκ τῆς Κύπρου ἀχθέντας, Κλωδίους, ὅτι αὐτὸς τὸν Κάτωνα ἐκεῖσε ἐπεπόμφει, ἐπεχείρησεν ὀνομάσαι. οὐκ ἠδυνήθη δὲ ἐναντιωθέντος αὐτοῦ, καὶ οἱ μὲν Κύπριοι ἐπεκλήθησαν, καίτοι τινῶν Πορκίους σφᾶς προσηκεῖν ἐθελησάντων. ὁ γὰρ Κάτων καὶ τοῦτο ἐκώλυσε. *Clodius ſeruos qui ex Cypro adducti fuerant, propterea quòd eò miſiſſet Catonem, Clodios à ſuo nomine appellare conatus eſt. ſed id conſecutus non eſt reſiſtente Catone. Et hi quidem Cyprij dicti ſunt, quamuis eos nonnulli Porcios nominare vellent, ſed id etiam Cato prohibuit.* Dicerem venalitios etiam nudari ſolitos, vt eos empturi meliùs inſpicerent. Lucianus in Eunucho: ἠξίουν ἀποδύσαντας αὐτὸν, ὥσπερ τοὺς ἀργυρωνήτους ἐπισκοπεῖν. *Volebam eum nudatum, vt in venalitiis fieri ſolet, inſpicere.* Sed hæc minùs attinent ad Ciceronem,

Mancipia à captiuitatis auctoribus nomen obtinebant.

Et iam tempus equum ſpumantia ſoluere colla.

Comitiis centvriatis.] Inuenio duas fuiſſe rationes cur Lentulus legem tulerit comitiis Centuriatis de reditu Ciceronis. alteram, quòd de capite ciuium, niſi comitiis centuriatis, cum populo agere non liceret, vt paſſim dicit Orator. alteram, ne duo illi Tribuniplebis de lapide empti legem hanc ſuis interceſſionibus impedirent. ſiquidem vel vnus Tribunusplebis, collegis etiam obnitentibus legem aliter ferri facilè prohibere potuiſſet. Plutarchus in Catone de Tribunatu loquens: Τὸ γὰρ ἰσχυρὸν ἡ ἀρχὴ πρὸς τὸ κωλύειν ἔχει μᾶλλον ἢ πρὸς τὸ πράττειν. κἂν πάντες οἱ λοιποὶ παρ᾽ ἕνα ψηφίσωνται, τοῦ μὴ θέλοντος, μηδ᾽ ἐῶντος τὸ κράτος ἐστίν. *Magiſtratûs enim illius poteſtas interceſſionibus magis, quàm actionibus continetur. & licet omnes præter vnum alicui rei ſuffragentur, is obtinet qui impedit & intercedit.* Vide eundem in quæſtionibus Romanis problemate 8. fusè de poteſtate Tribunitia diſſerentem. Appianus 1. ciuilium: ἀρχὴν ἑαυτῷ προστάτην ἀπέφηνεν, καὶ ἐκάλεσε δημαρχίαν, ἐς κώλυσιν μάλιστα τῶν ὑπάτων ἀπὸ τῆς βουλῆς αἱρουμένων, μὴ ἐντελὲς αὐτῆς ἐπὶ τῇ πολιτείᾳ τὸ κράτος εἶναι. *Magiſtratum qui ipſi præeſſet conſtituit, & tribunatum nominauit, maximè vt Conſulibus è Senatu eligi ſolitis opponerentur, ne ipſi omnimodam poteſtatem obtinerent.* Item: ὢν παρὰ Ῥωμαίοις ὁ κωλύων δυνατώτερος. *cùm intercedens apud Romanos maiorem obtineat auctoritatem.* adeò vt nec interceſſionis rationem reddere cogeretur. ibidem Appianus: Λίβιόν τε Δροῦσον ἕτερον δήμαρχον ἔπεισεν (ἡ βουλὴ) κωλῦσαι τοὺς Γράκχου νόμους, οὐκ ἐκλέγοντα τῷ δήμῳ τὰς αἰτίας. δίδοται δὲ τῷ κωλύοντι μηδ᾽ ἐκλέγειν. *Senatus Liuio Druſo Tribunoplebis, vt nulla reddita ratione Gracchanis legibus intercederet, perſuaſit. intercedenti enim fas eſt nullam facti reddere rationem.* Nec ſi dicere vellent, poſſent interrumpi lege Iunia. Dionyſius Halicarnaſſeus libro 7. ἦν δὲ τοιόσδε ὁ νόμος, Δημάρχου γνώμην ἀγορεύοντος ἐν δήμῳ μηδεὶς λεγέτω μηδὲν ἐναντίον, μηδὲ μεσολαβείτω τὸν λόγον. ἐὰν δέ τις παρὰ ταῦτα ποιήσῃ, διδότω τοῖς Δημάρχοις ἐγγυητὰς, αἰτηθεὶς εἰς ἔκτισιν, ἧς ἂν αὐτῷ ἐπιθῶσι ζημίας. ὁ δὲ μὴ διδοὺς ἐγγυητὴν, θανάτῳ ζημιούσθω, καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ ἱερὰ ἔστω. τῶν ἀμφισβητούντων πρὸς ταύτας τὰς ζημίας αἱ κρίσεις ἔστωσαν ἐπὶ τοῦ δήμου. *Tribunumplebis in concione verba facientem ne quis interpellato, neu contradicito, qui ſecus faxit, Tribunisplebis fideiuſſores dato, qui præſtent omnem multam qua ipſum Tribuniplebis mulctauerint: qui fideiuſſorem non dederit, capitale eſto, eius bona ſacra ſunto. qui de his mulctis diſceptauerint, apud populum cauſſam dicunto.* Quæ lex an vſu recepta fuerit, equidem non affirmo. ſatis tamen tum ex dictis, tum ex libro 10. eiuſdem liquet, facilè non fuiſſe Tribunoplebis intercedente legem vllam ferre. Prudenter igitur Lentulus de Cicerone acturus comitia centuriata in campo Martio, & extra vrbem celebrari ſolita indixit, in quibus Tribuniplebis auctoritatem nullam obtinerent. Dionyſius libro 8. Οἱ ὕπατοι προελθόντες ἔξω τῆς πόλεως ἐν τῷ παρακειμένῳ πεδίῳ τοὺς στρατηγικοὺς δίφρους ἔθηκαν, ἐνταῦθα καὶ τὸν στρατιωτικὸν ἐποιοῦντο κατάλογον, &c. ὁ δὲ κωλύων τὴν καταγραφὴν δήμαρχος, οὐδὲν ἔτι τότε ἦν δυνατός. οὐδενὸς γάρ εἰσι τῶν ἔξω τῆς πόλεως, οἱ τὴν δημαρχικὴν ἔχοντες ἐξουσίαν κύριοι. περιγέγραπται αὐτῶν τὸ κράτος τοῖς τείχεσι, καὶ οὐδ᾽ ἀπαυλισθῆναι τῆς πόλεως αὐτοῖς θέμις ὅτι μὴ πρὸς ἕνα ἡμέραν, ἐν ᾧ πᾶσαι θύουσιν αἱ τῆς πόλεως ἀρχαὶ κοινὴν ὑπὲρ τοῦ Λατίνων ἔθνους τῷ Διῒ θυσίαν ἐπὶ τὸ Ἀλβανῶν ὄρος ἀναβαίνουσαι. *Conſules vrbe egreſſi in vicino campo ſellas imperatorias poſuerunt, ibi & dilectum habuerunt, &c. At qui delectum haberi Tribunusplebis prohibebat, nullam iam ibi poteſtatem obtinebat. Tribuniplebis enim extra pomœrium nullam habent poteſtatem, ſed eorum vis murorum ambitu limitatur, neque ipſis extra vrbem pernoctare fas eſt, niſi cum feriis Latinis omnes vrbani magiſtratus pro populo Latino Ioui in Albano monte ſacris operantur.*

Tribunitia interceſſio.

Tribunusplebis comitia centuriata nō prohibebat.

AXIOMA.

Non eſt poſtulandum ab inimicorum noſtrorum propinquis vt nos tueantur.

ARGVMENTVM.

Senatus vniuerſi ſtudium in ſe demonſtrat: nulláque vnquam comitia ſplendidiora fuiſſe dicit, quàm ea quibus omnium ordinum conſenſu lex de ipſius reditu ſancita eſt.

QVÆ lex quemadmodum accepta ſit, quid me attinet dicere? ex vobis audio, nemini ciui vllam, quo minus adeſſet, ſatis iuſtam excuſationem eſſe viſam: nullis comitiis vnquam neque multitudinem hominum tantam, neque ſplendorem fuiſſe. hoc certe video, quod indicant tabulæ publicæ, vos rogatores, vos diribitores, vos cuſtodes fuiſſe tabularum: & quod in honoribus veſtrorum propinquorum non facitis, vel ætatis excuſatione, vel honoris, id in ſalute mea, nullo rogante, vos veſtra ſponte feciſtis. XXXVI.

EXPLANATIO.

QVÆ LEX.] Lex P. Lentuli qua me ab exilio reuocauit, méque reſtituit priſtinæ dignitati.

QVID ME ATTINET DICERE?] Quid iuuat & me, qui non aderam, & vobis explicare qui non interfuiſtis ſolùm, ſed etiam præfuiſtis.

EX VOBIS AVDIO.] Egregia expolitione declarat comitiorum frequentiam.

TABVLÆ PVBLICÆ.] Acta in comitiis & populi Romani ſuffragia in tabulas referri ſolebant, quæ hîc tabulæ publicæ nominantur.

VOS ROGATORES.] Non vnum P. Lentulum Conſulem, ſed vos omnes Senatores populum rogaſſe vt legem quam Conſul de meo reditu ferebat, ſuis ſuffragiis comprobaret. rogatores vocat, quia his verbis leges ferebant. Velitis iubeatis Quirites, &c.

VOS DIRIBITORES.] Nonnunquam idem ſunt atque diuiſores, quod tamen hoc loco dici non poteſt. diuiſores enim ſæpiſſimè pro ſuffragiorum corruptoribus ponuntur: quæ ſignificatio hîc locum non habet. neque enim Cicero diceret aut ſui cauſſâ corrupta fuiſſe populi Romani ſuffragia, aut hanc ſuffragiorum corruptelam in Senatu laudaret. Diribitores ergo hîc dicuntur Senatores qui ſuffragia lata diribebant, punctáque in Ciceronis gratiam lata à contrariis ſeparabant, & numerum punctorum inibant. Monet Grutterus in ſuis omnibus extare *diſtributores*.

VOS CVSTODES.] Ne quid fraudis committeretur, neu quis aduerſa ſuffragia pro veris germaníſque ſupponeret.

TABVLARVM.] In quibus populus ſcribebat ſua ſuffragia, vt eſſent tanto liberiora, quo minùs verebantur, ne in offenſionem incurrerent.

ET QVOD.] Beneficium commendat à raritate, quod Senatus tanto cum affectu eum reuocarit, nullam vt prætenderet excuſationem quo minùs ad comitia conueniret.

NOTÆ.

I. Tabulæ publicæ.

TABVLÆ PVBLICÆ.] Eas tabulas intelligit in quas acta diurna populi referebant ex Cæſaris inſtituto duobus annis ante hæc comitia ob reditum Ciceronis indicta. Suetonius in Iulio cap. 20. *Inito honore, primus omnium inſtituit, vt tam Senatus quàm populi diurna acta conficerentur, & publicarentur.*

II. Diribere.

VOS DIRIBITORES.] Diſtributores, poſt reditum in Senatu: *Quando illa dignitate rogatores, diſtributores, cuſtodéſque vidiſtis?* infrà 96. *An expectem dum de te quinque & ſeptuaginta tabellæ diribeantur, de quo iampridem omnes mortales omnium generum, ætatum, ordinum iudicauerunt?* Plinius lib. 36. cap. 15. *En hic eſt ille terrarum victor, & totius domitor orbis, qui gentes & regna diribet, iura externis mittit.* diribet, id eſt, diſtribuit. Sed præſtat ex Nicolai Grucchij, viri planè litterati commentariis pauca decerpere. is libro I. de comitiis Romanis, cap. 3. *In omnibus*, inquit, *centuriatis comitiis reperio fuiſſe diribitores, rogatores, cuſtodes & Præcones. Erant diribitores qui tabulas populo per centurias miniſtrabant: Rogatores qui ciſtam deferebant, in quam tabellas ſuffragij populus coniiciebat. Cuſtodes qui præter id quod obſeruabant, ne quid fraudis committeretur in ſortitionibus & ſuffragiis, deſcribebant etiam cuiuſque centuriæ educta e ciſta ſuffragia, vt inde appareret quæ eſſet illius centuriæ ſententia: quam ſententiam tum præcones magna voce pronuntiabant.* Eruditè. Tamen eſt vnum in quo libenter à tanto viro diſſenſerim, vel iis auctoritatibus adductus, quibus ille probat ſuam ſententiam: diribitores fuiſſe arbitror non qui tabellas populo miniſtrarent: ſed qui tabellas iam in ciſtam coniectas diriberent & ſecernerent. profert ille locum ex epiſt. 11. lib. 1. ad Atticum: *Cùm dies veniſſet rogationi ex S. C. ferendæ, concurſabant barbatuli iuuenes, totus ille grex Catilinæ, duce filiola Curionis: & populum, vt antiquaret, rogabant. Piſo autem Conſul lator rogationis, idem erat diſſuaſor. operæ Clodianæ pontes occuparant, tabellæ miniſtrabantur, ita vt nulla daretur* VTI ROGAS. hic Grucchius. *Ex his verbis ſatis apparet fuiſſe quoſdam qui tabellas populo miniſtrarent.* Sed ego colligo planè contrarium, quamuis poſtrema verba, *Ita vt nulla daretur vti rogas*, nonnihil obſcura videantur. deſcribit enim perturbatam comitiorum rationem, & quemadmodum ex hoc loco ſatis liquet à Romanorum moribus fuiſſe alienum, vt, qui lator rogationis, idem eſſet & diſſuaſor, vt in comitiis operæ & ſerui ponte occuparent, vt per vim extorquerent populi ſuffragia, ita conſtare videtur ſolitas non

Grucchius refutatur.

fuiſſe ſuffragiorum tabellas populo miniſt[illegible]. Clarè, ni fallor, oſtendit Varro 3. de re ruſtica, cap. 2. diribitionem fieri ſolitam latis iam ſuffragiis: *Comitiis ædilitiis cùm ſole caldo ego & Q. Axius Senator tribulis ſuffragium tuliſſemus, & candidato, cui ſtudebamus, vellemus eſſe praſto, cùm domum rediret, Axius mihi: Dum diribentur, inquit, ſuffragia, vis potiùs villæ publicæ vtamur vmbrâ,* &c. Adde quod ſi miniſtratæ fuiſſent, non diuerſa manu, ſed vel vna vel paucis ſcriptæ eſſe debuiſſent. at contra hinc in comitia irrepſiſſe fraudem arguebant, ſi omnes tabulas vna manu ſcriptas eſſe reperiſſent. Plutarchus in Catone Vticenſi de ædilitate Fauonij loquens, quem locum magis protulit quàm aduertit & expendit vir doctiſſimus: οὗτος ἀγορανομίαν μετιὼν ἡττᾶτο, συμπαρὼν δ' ὁ Κάτων προσέσχε ταῖς δέλτοις μιᾷ χειρὶ γεγραμμέναις, καὶ τὴν κακουργίαν ἐξελέγξας, τότε μὲν ἐπικλήσει δημάρχων ἔλυσε τὴν ἀνάδειξιν. *Hic cùm ædilitatem peteret, repulſam tulit. Cato cùm adeſſet comitiis animaduertit tabellas omnes* (hunc locum referens addit de ſuo Grucchius, *quæ miniſtrabantur populo*) *vna manu eſſe ſcriptas: ex quo fraudem intelligens tribunorum appellatione comitia diſcuſſit.* Suetonius in Cæſare cap. 80. *Reperta ſunt proximis comitiis plura ſuffragia Conſules declarantium Cæſetium & Marullum, quos Cæſar tribunatu remouerat.* Ex priore loco vides tabulas domo afferri, non in comitiis ſubminiſtrari conſueuiſſe: nam ideò fraudem agnoſcebat, ſi omnes vna manu ſcriberentur, quòd illud indicio eſſet eas domo non fuiſſe allatas, ſed in comitio ſubminiſtratas. Item ex poſteriore, vt ipſe Grucchius cõfitetur, *intelligi poteſt, quoſdam interdum alias tabellas in ciſtam conîicere ſolitos, quàm quæ miniſtrabantur, quas neceſſe erat domo ſecum afferre.* Et ſanè hunc morem Athenis viguiſſe, vt priuatim tabulas ſibi quiſque conſcriberet, teſtantur illa Plutarchi de Ariſtide, quibus oſtraciſmus deſcribitur: ὄστρακον λαβὼν ἕκαστος, καὶ γράψας ὃν ἐβούλετο μεταστῆσαι τῶν πολιτῶν, ἔφερεν εἰς ἕνα τόπον τῆς ἀγορᾶς περιπεφραγμένον ἐν κύκλῳ δρυφάκτοις. *Teſtam quiſque accipiens, & inſcripto eius nomine quem exulare cupiebat, in certum fori locum cancellis quibuſdam ſeptum deferebat.* Item: Γραφομένων οὖν τότε τῶν ὀστράκων, λέγεταί τινα τῶν ἀγραμμάτων, καὶ παντελῶς ἀγροίκων ἀναδόντα τῷ Ἀριστείδῃ τὸ ὄστρακον, ὡς ἑνὶ τῶν τυχόντων, παρακαλεῖν, ὅπως Ἀριστείδην ἐγγράψῃ. τοῦ δὲ θαυμάσαντος καὶ πυθομένου, μή τι κακὸν αὐτῷ Ἀριστείδης πεποίηκεν. οὐδὲν, εἶπεν, οὐδὲ γινώσκω τὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' ἐνοχλοῦμαι πανταχοῦ τὸν δίκαιον ἀκούων. ταῦτ' ἀκούσαντα τὸν Ἀριστείδην, ἀποκρίνασθαι μὲν οὐδὲν, ἐγγράψαι δὲ τοὔνομα τῷ ὀστράκῳ καὶ ἀποδοῦναι. *Cùm itaque teſtæ ſcriberentur, quendam ferunt agreſtem planè & litteraturæ imperitum, cùm Ariſtidi teſtam dediſſet, vt ei qui primus occurrerat, ab eo petiiſſe vt Ariſtidis nomen inſcriberet. Ei verò admiranti & roganti quanam ab Ariſtide affectus fuiſſet iniuria. Nulla, inquit, neque hominem noui, ſed moleſtè fero cùm eum vbique iuſtum audio nominari. quæ cùm audiiſſet Ariſtides, nihil reſpondit, ſed nomen ſcripſit, & teſtam tradidit.*

Domo tabellas ſcriptas videntur attuliſſe.

VOS ROGATORES.] Fuiſſe alios rogatores, præter eum qui legem rogabat, & comitiis præerat, qui videlicet non ſolùm ſingulas claſſes, ſed etiam ſingulas centurias rogarent, & qui fortaſſe ciſtam deferrent. in quam populus coniiciebat tabulas ſuffragij, colligit Grucchius tum ex citatis, tum ex ſecundo de diuinatione. *At Aruſpices diuini, quos cùm Tiberius Gracchus propter mortem repentinam eius, qui in prærogatiua referenda ſubitò concidiſſet, in Senatum introduxiſſet, non iuſtum rogatorem comitiorum fuiſſe dixerunt. Primùm vide ne in eum dixerint qui rogator centuriæ fuiſſet: is enim erat mortuus.* Subdit Grucchius: *Ex eo loco planum eſt præter Tiberium Gracchum, à quo illa comitia habebantur, fuiſſe & alium quendam Centuriæ rogatorem, quem primum rogatorum appellat ſecundo de natura Deorum.* Item de hoc rogatore intelligi debet locus Ciceronis libro 2. de Oratore, vbi ait: *Ex eodem hoc vetus illud eſt, quod aiunt Maluginenſem illum M. Scipionem, cùm ex Centuria ſua renuntiaret Acidinum Conſulem.* Qui igitur colligebant centuriatim ſuffragia priùs voce, poſteà tabellis, ij rogatores appellabantur. Qui verò habebat comitia, vniuerſum populum rogabat, antequam in ſuffragium mitteret, & rogator comitiorum dicebatur. III. Rogatores in comitiis.

CVSTODES.] Cicero 2. Agraria. *Quis tribus quas voluit vocauit nullo cuſtode ſortitus?* Poſt reditum in Senatu: *Me affinem tamen quem comitiis prærogatiuæ primum cuſtodem præfeceras.* Plinius libro 33. ſcribens de decuriis equitum: *Decuriæ quoque ipſæ pluribus diſcretæ nominibus fuere, Tribunorum æris & ſelectorum & Iudicum: præter hos etiamnum nongenti vocabantur ex omnibus ſelecti ad cuſtodiendas ciſtas ſuffragiorum in comitiis.* Ex his iſta collige. 1. Ei qui comitia haberet, adhibitum fuiſſe cuſtodem ad obſeruandum, nec quid fraudis in colligendis ſuffragiis & prærogatiuæ ſortitione committeret. 2. Ætate Tullij delectos fuiſſe à candidatis honoris cauſsâ viros graues qui obſeruarent, ne quid fraudis in ſuffragiorum diribitionem obreperet. 3. Senatores & ipſos principes ciuitatis, cùm res grauis ageretur, vel vt comitia ſuâ operâ cohoneſtarent, ſemetipſos comitiis cuſtodes obtuliſſe. 4. Auguſti ætate quoſdam fuiſſe delectos ad ſuffragiorum cuſtodiam, ne vt priùs ſe ſponte cuſtodes oggererent, aut eligerentur à candidatis. IV Cuſtodes comitiorum.

ARGVMENTVM.

Expoſitâ ſuâ ipſius abſentiâ, enarratiſque ciuium ſtudiis quæ in ipſum abſentem extiterunt, ad abſentiam Piſonis delabitur, ac primùm exponit eius apparatum, vt eum deinde acriùs reprehendat, quod præclarâ prouinciâ, magno exercitu, pecuniáque inſtructus nihil effecerit.

XXXVII. CONFER nunc, Epicure noſter, ex hara producte, non ex ſchola, confer, ſi audes, abſentiam tuam, cum mea. Obtinuiſti prouinciam conſularem finibus iis, quos lex cupiditatis tuæ, non quos lex generi tui pepi-

pepigerat. nam lege Cæſaris iuſtiſſima, atque optima, populi liberi, planè & verè erant liberi: lege autem ea, quam nemo legem, præter te, & collegam tuum, putauit; omnis erat tibi Achaia, Theſſalia, Athenæ, cuncta Græcia addicta. habebas exercitum tantum, quantum tibi non Senatus, aut populus Romanus dederat, ſed quantum tua libido conſcripſerat. ærarium exhauſeras.

EXPLANATIO.

CONFER NVNC.] Ad res à Piſone in prouincia geſtas delabitur.

EPICVRE NOSTER.] Superiùs *cum altero barbato Epicuro* eum *ex hara non è ſchola productū* appellat, quòd non ille quidem eſſet litteris expolitus, vt ille Græcus Epicurus, ſed vt ſus lutulenta in voluptatum cœno ſe volutaret, ſiue quòd Epicuri eruditionem neglexerit ſolâ voluptate contentus.

ABSENTIAM TVAM CVM MEA.] Tuum in Prouincia magiſtratum, cum meo exilio.

OBTINVISTI.] Quemadmodum inſignis virtutis eſt nullis vel paruis copiis inſtructum, & omnibus auxiliis deſtitutū res nihilo minùs magnas gerere, ita ſingularis eſt ſocordiæ cum apparatu maximo nihil admodum perpetrare. adeóq; oratores apparatum extenuant in encomiis, in vituperationibus autem exaggerant.

PROVINCIAM CONSVLAREM.] Macedoniam quæ illo anno Conſularis effecta eſt: quæ prouincia tamen ſolius Macedoniæ finibus non limitata, ſe ad Achaiam, Theſſaliam, Athenas totam Græciam extendebat.

QVOS LEX CVPIDITATIS TVÆ.] Ambitionis & auaritiæ tuæ, cui ſic parebas vt boni viri legibus patriæ ſuæ obtemperant.

NON QVOS LEX GENERI TVI.] Lex Iulia lata à Iulio Cæſare genero tuo, qui videlicet Calpurniam filiam tuam duxit vxorem.

NAM LEGE CÆSARIS.] Commendat legem partim ad gratiam Cæſaris captandam, partim vt vehementiùs in Piſonem violatorem legis inuehatur. cùm enim tuliſſet Cæſar vt populi liberi verè eſſent liberi, nec à Prouinciarum adminiſtratoribus regerentur, ſed propriis legibus & magiſtratibus vterentur, in eos Piſo imperium ſibi vindicauit.

LEGE AVTEM EA.] Lege Clodia, quæ erat contra omnes leges, nec tam lex erat quàm tribunitia proſcriptio.

ADDICTA.] Vendita eo pretio vt tu viciſſim Clodio proderes meam ſalutem, quemadmodum ipſe tibi prodiderat Rempublicam.

ÆRARIVM EXHAVSERAS.] Suprà 28. *Cauerat enim ille ſororius adulter, vt ſi tibi prouinciam, ſi exercitum. ſi pecuniam ereptam ex Reip. viſceribus dediſſet, omnium ſuorum ſcelerum ſocium te adiutorémque præberes.* infra 86. *Nónne ſeſtertium centies & octogies* (quingenta videlicet aureorum millia) *quod quaſi vaſarij nomine, in venditione mei capitis adſcripſeras, ex ærario tibi attributum Romæ in quæſtu reliquiſti?* Nec dubium quin ſtipendij nomine longè maiorem pecuniæ vim acceperit.

NOTÆ.

EX HARA.] Horatius Epicuræos porcos appellat: I. Epicuri porcus.

Cùm ridere voles Epicuri de grege porcum
Me pinguem, & nitidum bene curata cute viſes.

Plutarchus in opuſculo: ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον, *quòd ne iucundè quidem viuere quiſquam poſſit ex Epicuri ſententia.* frequenter, ὥστε μήτε συῶν ἀπολείπεσθαι, μήτε προβάτων, εὐδαιμονίαν τὸ τῇ σαρκὶ καὶ τῇ ψυχῇ περὶ τῆς σαρκὸς ἱκανῶς ἔχειν μακάριον τιθεμένους. *Vt nec à ſuibus nec à pecudibus differant ij, qui felicitatem rebus iis quæ corpori & animæ ad voluptatem corporis ſufficiunt, metiuntur.* & voluptatem animi cum corporis voluptatibus conferens: καὶ οὐκ ἄξιον οὐδαμῇ τὰς ἐκ τῶν ὀπτανείων καὶ μαστρυλλίων ἡδονὰς ἐκείνας παραβάλλοντα ταύταις, καταισχύνειν τὸν Ἑλικῶνα καὶ τὰς Μούσας,

Ἔνθ' οὔτε ποιμὴν ἀξιοῖ φέρβειν βοτὰ
Οὔτ' ἦλθέ πω σίδηρος

ἀλλ' αὗται μὲν εἰσὶν ὡς ἀληθῶς ἀκήρατοι νομαὶ τῶν μελιττῶν. ἐκεῖνα δὲ συῶν καὶ τράγων κνησμοῖς ἔοικε, προσαναπιμπλάντα τῆς ψυχῆς τὸ παθητικώτατον. *Haudquaquam voluptates quæ ex culinis & cupediis petuntur, his conferre oportet, & Heliconi muſiſque dedecus inferre.*

Non paſtor illic pauit infirmum pecus,
Intacta ferro ſilua.

Sed hæc ſunt reuera intacta apum paſcua, illa verò ſuum & hœdorum pruritibus ſunt ſimilia, quibus pars animæ maximè cupiditatibus ſubiecta impletur. quos poſtea ait, τὴν ψυχὴν ταῖς τοῦ σώματος ἡδοναῖς καταπιαίνειν. *animam corporis voluptatibus ſuis inſtar alere.* Hara autem, interprete Nonio, eſt porcorum ſtabulum. Varro Prometh. I. *In tenebris, ac ſuili viuunt, niſi non forum ara, atque homines, qui nunc, plerique ſues ſunt exiſtimandi.*

PROVINCIAM CONSVLAREM.] Vide orat. de Prouinciis Conſular. §. I. II.

ACHAIA.] Achaia iam antè à T. Quintio libertatem acceperat, qua de re Liuius lib. 4. dec. 4. Plutarchus in Flaminio, Iuſtinus & alij paſſim conſulantur. ſed pedetentim, vt vel ex hoc loco colligi poteſt, ea conſuetudo irrepſerat, vt eò Romanæ ſecures mitterentur, atque ita libertas Achaiæ tolleretur magiſtratuum cupiditate, qui prouinciarum fines vlteriùs & vlteriùs propagabant. Quare Iulius Cæſar in primo ſuo conſulatu legem tulit, vt populi liberi verè eſſent liberi, & ſuis legibus vti ſinerentur. Piſo tamen altero pòſt anno ſuas ſecures ad Achaiam vſque promouerat, erepta iterum Græciæ libertate, donec à Nerone eſt reſtituta, vt Suetonius in Nerone, & alij teſtantur. III. Achaiæ libertas.

CVNCTA GRÆCIA.] Difficile eſt dictu quid nomine *cunctæ Græciæ* velit Orator, cùm IV. Græcia, quid.

alias alij regiones, nonnulli Theſſaliam, Macedoniam, non mediocrem Aſiæ partem communi nomine Græciæ comprehendant. qua de re Strabo, Plinius, Pomponius, & omnes paſſim geographi conſulantur. Antiquitus tamen anguſtis omnino terminis fuiſſe contentam auctor eſt Thucydides ipſo hiſtoriæ procœmio: & Phtiam ſolam hoc nomen ſortitam fuiſſe, à qua cæteræ deinde regiones Hellados nomen acceperint: ab Hellene Deucalionis filio: Ἕλληνος καὶ τῶν παίδων αὐτοῦ ἐν τῇ Φθιώτιδι ἰσχυσάντων. *Cùm Hellen & eius liberi in Phthiotide florerent.* Phthiotis autem eſt regiuncula Theſſaliæ. Pergit: Τεκμηριοῖ δὲ μάλιστα Ὅμηρος. πολλῷ γὰρ ὕστερος ἔτι καὶ τῶν Τρωϊκῶν γενόμενος, οὐδαμοῦ τοὺς ξύμπαντας ὠνόμασεν, οὐδ᾽ ἄλλους ἢ τοὺς μετ᾽ Ἀχιλλέως ἐκ τῆς Φθιώτιδος, οἵπερ καὶ πρῶτοι Ἕλληνες ἦσαν. *Indicat maximè Homerus, cùm enim longè poſt Troiana tempora floreret, nuſpiam tamen commune omnium vſurpat, neque quoſquam Græcos appellat, præter comites Achillis ex Phthiotide, qui etiam primi hoc nomen habuerunt.* vide. A quibus, vt opinor, non ſolùm Ἑλλάδος & Ἑλλήνων nomen, quod Græci libentiùs vſurpant, ſed etiam Græciæ & Græcorum appellatio defluxit. Nam Ariſtoteles in politicis, ni fallor, quoſdam populos prope Phthiam oſtendit fuiſſe, τοὺς Γραικοὺς καλουμένους. Neque verò apud veteres Græciæ ſcriptores id nomen tam inſolens eſt, vt eius nulla extent veſtigia. Lycophron,

Græciæ nomen antiquū.

Κιρκὸς θρασὺς πήδημα λαιφηρὸν δικὼν
Γραικῶν ἄριστος.
Accipiter audax ille Græcorum optimus
Pernice ſaltu qui mouetur.

Item: ἐν δὲ Γραικίταις πέπλοις
Κόλπων ἰανθμοὺς ἠθάδας διζήμενοι.
--inque Græcorum peplis
Gremij ſoporem conſuetum quæritant.

Vide Stetzem & Ioſephum Scaligerum eius interpretes. citantur Alcman & Sophocles Γραικὰς Græcorum matres dixiſſe: eos porrò à Græco Theſſali filio nomen obtinuiſſe arbitrantur. hinc intelliges quod Aphthonius Sophiſta breuiter & obſcurè perſtrinxit: ὁ μὲν γὰρ Φθίας ὅθεν ὁ τῆς Ἑλλάδος προῆλθεν ἐπώνυμος. *Ille enim ex Phthia, vnde Heros ille prodiit, à quo Græcia nomen accepit.* Videtur enim ad Heroas, qui ſua nomina tribubus Atticis tribuerunt, alludere, quorum ſtatuæ erant in foro, quos ἐπωνύμους nominabant. Vertunt Rodolphus Agricola, & Ioannes Maria Catanæus, *ille enim in Phthia, vnde Græciæ ipſius prodiit cognomentum.* ſed ſenſum non videntur attigiſſe.

V. Ærarium, quid?

Ærarium exhauſerat.] Ærarium fuit locus in quo pecuniæ publicæ aſſeruabantur. æreæ enim primò pecuniæ, vnde ei nomen ærarij. Plinius lib. 33. cap. 3. *Seruius Rex primò ſignauit æs antea rudi vſos Romæ Remeus tradit. ſignatum eſt nota pecudum, vnde & pecunia appellata.* Subdit: *Argentum ſignatum eſt anno vrbis* DLXXXV. Item: *Aureus nummus poſt annum* LXII. *percuſſus eſt quàm argenteus.* Varro libro 5. de ling. lat. *ab ære ærarium appellatum.* Non ſolùm tamen pecuniæ, ſed etiam tabulæ, ſyngraphæ, & inſtrumenta publica ibi ſeruabantur. Plutarchus in quæſtionibus Romanis. vt infrà videbimus cùm de loco ærarij diſſeremus. Principis autem fiſcus fuit, populi ærarium. Ælius Spartianus in Adriano: *Damnatorum bona in fiſcum priuatum redigi vetuit, omni ſumma in ærario publico recepta.* Hinc manauit illud Traiani dictum, de quo Aurelius Victor in Iuliano, cùm *fiſcum lienem vocaret, quod eo creſcente reliqui artus tabeſcant.* Sed hæc ærarij & fiſci diuerſitas nulla erat ætate Ciceronis, quippe quæ ab Auguſto primùm inducta eſt. Dio libro 53. conſulatur. De loco ærarij Feſtus Pompeius: *ærarium ſanè populus Romanus in æde Saturni habuit.* Plutarchus in quæſt. Romanis: Διὰ τί τῷ τοῦ Κρόνου ναῷ χρῶνται ταμιείῳ τῶν δημοσίων χρημάτων, ἅμα δὲ καὶ φυλακτηρίῳ τῶν συμβολαίων; *Cur Saturni templo vtuntur loco ærarij, ibidémque contractuum monumenta adſeruant?* vide rationes. Erat & alius vſus ærarij de quo Plutarchus ſequenti problemate: Διὰ τί οἱ πρεσβεύοντες εἰς Ῥώμην ὁποθενοῦν, ἐπὶ τὸν τοῦ Κρόνου ναὸν βαδίζοντες ἀπογράφονται πρὸς τοὺς ἐπάρχους τοῦ ταμιείου; *Cur legati vndequaque Romam miſſi, ad Saturni ædem accedunt, ibique ſua nomina dant præfectis ærarij?* Alium item vſum ærarij fuiſſe tradit Iulius Capitolinus à M. Antonino inſtitutum: *Liberales cauſſas ita muniuit, vt primus iuberet apud præfectos ærarij Saturni vnumquemque ciuium natos liberos profiteri intra triceſimum diem nomine impoſito, per prouincias tabulariorum publicorum vſum inſtituit.* Apud quos idem de originibus fieret, quod Romæ apud præfectos ærarij. Quod ait, *ita muniuit vt primus*, &c. non eſt quod exiſtimes ante Antoninum philoſophum nullam initam fuiſſe rationem eorum, qui naſcerentur: ſed illud fuiſſe è veteri more mutatum, quòd liberorum nomina in ærarium deferri iuſſerit, quæ veteres in ædem Iunonis Lucinæ deferebant ex Seruij Tullij inſtituto: Βουλόμενος δὲ τῶν ἐν ἄστει διατριβόντων τὸ πλῆθος εἰδέναι, τῶν τε γεννωμένων, καὶ ἀπογινομένων, καὶ τῶν εἰς ἄνδρας ἐγγραφομένων, ἔταξεν ὅσον ἔδει νομίσματος καταφέρειν ὑπὲρ ἑκάστου τοὺς προσήκοντας, εἰς μὲν τὸν τῆς Εἰλειθυίας θησαυρὸν, ἣν Ῥωμαῖοι καλοῦσιν Ἥραν φωσφόρον ὑπὲρ τῶν γεννωμένων, εἰς δὲ τὸν τῆς Ἀφροδίτης ἐν ἄλσει καθιδρυμένον, ἣν προσαγορεύουσι Λιβιτίνην, ὑπὲρ τῶν ἀπογινομένων, εἰς δὲ τὸν τῆς νεότητος, ὑπὲρ τῶν εἰς ἄνδρας ἀρχομένων συντελεῖν. *Volens eorum, qui in vrbe verſarentur, naſcentium, morientium, togam virilem ſumentium multitudinem cognoſcere, conſtituit quantum pecuniæ, pro vnoquoque conſanguinei conferre deberent, in Elithyiæ theſaurum, quam Romani Iunonem Lucinam appellant pro naſcentibus, in Veneris, qui eſt in luco, quam vocant Libitinam pro morientibus, in Iuuentutis pro iis qui de nouo in viros ſcriberentur.*

Fiſcus.

Ærarium in templo Saturni.

Legati exterarum gentiū nomen ad ærarium deferebant.

Item patres filiorū recens natorum.

ARGVMENTVM.

Expoſito Piſonis apparatu tranſit ad res ab eo geſtas in prouincia. ac primò, vbi ad terrorem & expectationem reliquæ orationis atrociora eius facinora breuiter attigit, id reprehendit quòd auſus non fuiſſet ad Senatum reſcribere.

QVAS res geſſiſti imperio, exercitu, prouincia conſulari; quas res geſſerit, quæro? qui vt venit ſtatim, nondum commemoro rapinas, nondum exactas pecunias, non captas, non imperatas, non neces ſociorum, non cædem hoſpitum, non perfidiam, non immanitatem, non ſcelera prædico: mox, ſi videbitur, vt cum fure, vt cum ſacrilego, vt cum ſicario diſputabo: nunc meam ſpoliatam fortunam conferam cum florente fortuna imperatoris. Quis vnquam prouinciam cum exercitu obtinuit, qui nullas ad Senatum litteras miſerit? tantam verò prouinciã cum tanto exercitu, Macedoniam præſertim, quam tantæ barbarorum gentes attingunt, vt ſemper Macedonicis imperatoribus iidem fines prouinciæ fuerint, qui gladiorum, atque pilorum: ex qua aliquot prætorio imperio, conſulari quidem nemo rediit, qui incolumis fuerit, quin triumpharit. eſt hoc nouum: multo illud magis. appellatus eſt hic Vultũrius, illius prouinciæ (ſi Diis placet) imperator. XXVIII

EXPLANATIO.

QVAS RES.] Inſtat & percunctatur quidnam tanto cum apparatu effecerit. & per exercitum Conſularem duas legiones intelligit.

QVAS RES GESSERIT, QVÆRO?] Eleganti correctione ſuperiorem illam percunctationem retractat, & ad contemptum ſuam à Piſone orationem ad Senatum conuertit.

QVI VT VENIT, STATIM NONDVM.] Interpunctio mutanda eſt. *Qui vt venit, ſtatim. Nondum*, &c. orationem enim abrumpit ſenſu nondum abſoluto. quaſi ita dicere voluiſſet. *Qui vt venit in Macedoniã, ſtatim rapinis, exactionibus, nece ſociorum, cæde hoſpitum, perfidia, immanitate cœpit vaſtare prouinciam. ſed nondum commemoro rapinas? nondum exactas pecunias*, &c. Elegans planè figura, qua fit, vt ex tempore effuſa, non domo allata fuiſſe videatur oratio.

NONDVM COMMEMORO RAPINAS.] Vt illam, qua *à te Iouis Vrij fanum antiquiſſimum barbarorum ſanctiſſimúmque direptum eſt*. 85.

NONDVM EXACTAS.] Vide §. 86. 87. 88.

NON NECES SOCIORVM.] Non necem Rabocenti Beſſicæ gentis principis, quem *cùm tu trecentis talentis Regi Cotto vendidiſſes, ſecuri percuſſiſti*. & aliorum legatorum, *quorum omnium capita Regi Cotto vendidiſti*. infrà 84.

NON CÆDEM HOSPITVM.] Necem hoſpitis tui Platonis, *quem ne maiorum quidem more ſupplicio affeciſti, ſed medico imperaſti vt venas hominis incideret*. 83.

NON PERFIDIAM.] qua *Deuſeletis, quæ natio ſemper obediens huic imperio fuit, nefarium bellum & crudele intuliſti*. 84.

IMPERATORIS.] Ironia. quia cùm eſſet eo nomine indigniſſimus appellatus, tamen fuerat Imperator.

QVIS VNQVAM.] A minori videtur hunc ſyllogiſmum contexere.

Si ex quauis prouincia litteræ mittuntur ad Senatum, multo magis ex ea, quæ & per ſe magna eſt, & barbarorum gentibus attingitur, mitti debuerunt.

Sed Macedonia & prouincia per ſe magna eſt, & multis barbarorum gentibus attingitur.

Ergo ſi ex quauis prouincia litteræ mittuntur ad Senatum, multo magis ex Macedonia mitti debuerunt.

QVI GLADIORVM.] Bene Manutius. *Certi nunquam fuerunt Macedoniæ fines, niſi qui armis & virtute noſtrorum imperatorum ſtatuerentur.*

EX QVA ALIQVOT.] Iterum à minori concluſionem ſuperioris ſyllogiſmi probat.

Indignum eſt ad Senatum nihil reſcribere ex ea prouincia, ex qua aliquot Prætorio imperio, & omnes Conſulares triumpharunt.

Sed ex Macedonia aliquot Prætorij, & omnes Conſulares triumpharunt.

Ergo indignum eſt ex Macedonia nihil reſcribere.

QVI INCOLVMIS FVERIT.] Qui rem proſperè geſſerit, inquit Manutius. Non arridet. hæc enim dicit, vt Macedoniam ſegetem eſſe triumphorum oſtendat, adeò vt qui eam adminiſtrarit prouinciam ei ſit aut triumphandũ, aut iudicium ſubeundum, vt his verbis C. Antoniũ excipere videatur, qui non triumphauit ille quidem, ſed Iudicum ſententiâ damnatus eſt. Incolumis igitur idem eſt atque indẽnatus. cæteroqui nihil noui diceret, ſi omnes *qui rem proſperè geſſerant*, in Macedonia eos diceret triumphaſſe, cùm re bene geſta non minus ex aliis prouinciis triumpharẽt.

APPELLATVS EST.] Ab exercitu, tanquam re præclarè geſta.

ILLE VVLTVRIVS.] Ille vultur, & direptor ac depeculator prouinciæ, qui vt vultures cadaueribus paſcuntur, ſic ad hauriendum illius prouinciæ demortuæ ſanguinem aduolauit.

NOTÆ.

IMPERIO.] Imperium, vt notat Sigonius lib. 2. de antiquo iure Prouinciarũ, erat ius habendi exercitus, belli gerendi, & rei totius bellicæ capeſſendæ. quo modo accepit Cicero tum, cùm dixit. *Demus imperiu C. Cæſari, ſine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris adminiſtrari non poteſt.* & alibi: *Decreui Imperiũ exercitu habenti. quid enim ſine imperio exercitus.* ex quib. rationẽ agnoſcis cur hoc loco diſtinctam Prouinciæ, exercitus, Imperij fecerit mentionẽ. quia nimirũ aliquando Prouin- I. Imperium conſulare.

ciam, ſine exercitu, aliquãdo prouinciam & exercitum, ſine imperio obtinebant, ſed hîc non morabor, cùm Sigonius toto libro tertio cum Grucchio rem totam ventilarit.

II. Exercitus conſularis.

EXERCITV.] Per exercitum Conſularem, duas legiones intelligit, è quibus ordinariè conflatus erat Conſularis exercitus. Vegetius cap. 4. libri 2. de re militari: *In omnibus auctoribus inuenitur, ſingulos Conſules aduerſus hoſtes copioſiſſimos, non amplius quàm binas duxiſſe legiones. Tanta in illis erat exercitatio, tanta fiducia, vt cuiuis bello duæ legiones crederentur poſſe ſufficere.* Item cap. 1. lib. 3. *In leuioribus bellis vnam legionem, mixtis auxiliis, hoc eſt, decem millia peditum, & duo millia equitum, crediderut poſſe ſufficere, quam manum Prætores velut minores duces, ad expeditionem ſæpe ducebant. Quòd ſi magnæ hoſtium copiæ dicerentur, Conſularis poteſtas, cum viginti millibus peditum, & quatuor equitum, tanquam comes maior mittebatur.* Ex quibus colligas, non omnes Proconſules duxiſſe ſecum in prouincias exercitum iuſtum ſiue conſularem. vt neque duxit Marcus ipſe Tullius teſte Plutarcho: Εἶτα κλήρῳ λαχὼν τῶν ἐπαρχιῶν Κιλικίαν καὶ στρατὸν ὁπλιτῶν μυρίων καὶ δισχιλίων, ἱππέων δὲ δισχιλίων ἐξακοσίων, ἔπλευσε. *Deinde cùm ex Prouinciis ſorte obtinuiſſet Ciliciam, exercitum decem millium peditum, Equitum duorum millium, vela fecit.*

III.

NONDVM COMMEMORO.] Nazianzenus in apologetico: οὔπω γὰρ λέγω, πρὶν ἢ τὸν βόρβορον ἀποπλύνασθαι. *nondum enim dico, priuſquam ſordes abluantur.* qui locus circa medium apologetici, illuſtris eſt, & dignus planè qui cum Tullio conferatur.

IV. Thracum multitudo & barbaria.

TANTAS GENTES BARBARORVM.] Per gentes Barbarorum Thracias intelligit, quæ, vt volunt Geographi, à Septentrione Macedoniã attingunt. cur autem tantas gentes appellet, liquet ex Herodoto in Terpſichore. Θρηΐκων δὲ ἔθνος, μέγιστόν ἐστι, μετά γε Ἰνδοὺς πάντων ἀνθρώπων. *Thracum gens poſt Indos maxima eſt omnium nationum.* Pauſanias in Atticis: Θρᾳκῶν δὲ τῶν πάντων οὐδένες πλείους εἰσὶ τῶν ἀνθρώπων, ὅτι μὴ Κελτοί, πρὸς ἄλλο ἔθνος ἐν αὐτεξεταζόντα, καὶ διὰ τοῦτο οὐδείς πω πρότερον Θρᾷκας Ῥωμαίων κατεστρέψατο ἀθρόους. Ῥωμαίοις δὲ Θρᾴκη τε πᾶσά ἐστιν ὑποχείριος *Thracia adeò hominum multitudine abundat, vt niſi forte Galliam excipias, cuiuis nationi hominum frequentia anteponi poſſe videatur: quòd in cauſa fuit, vt vniuerſam ante Romanos nemo Imperio ſuo adiecerit. nunc autem Thracia tota conceſſit in populi Romani ditionem.*

Quando primum domiti à Romanis.

De harum gentium barbaria Thucydides lib. 1. Τὸ ἦθος τὸ τῶν Θρᾳκῶν ὁμοῖα τοῖς μάλιστα τοῦ βαρβαρικοῦ, ἐν ᾧ ἂν θαρσήσῃ φονικώτατόν ἐστι. *Gens Thracum, vt qui maximè barbari, cum aliqua fiducia rebus ipſius affulſerit, eſt cædibus deditiſſima.* Adſtipulatur & Plato 3. de Rep. vt alios omittam. quod autem ad Pauſaniam ſpectat, Ciceronis æuo nondum Thraces ad Imperium Romanum acceſſerant, donec eos aliquantò pòſt, ſub Auguſto, M. Craſſus Myſiam & Thraciam ſubiugauit. auctor Dio libro 51. hanc victoriam narrans fuſiſſimè. Τόν γε βασιλέα αὐτῶν (τῶν Βασταρνῶν) Δέλδωνα αὐτὸς ὁ Κράσσος ἀπέκτεινε, καὶ τὰ σκῦλα αὐτοῦ τῷ Φερετρίῳ Διΐ, ὡς καὶ ὀπῖμα, ἀνέθηκεν, εἴπερ αὐτοκράτωρ στρατηγὸς ἐγεγόνει. *Et Baſtarnarum Regem ipſe Craſſus intereimit, & opima ſpolia Ioui Pheretrio appendiſſet, ſi fuiſſet imperator ſuiſque auſpiciis bellum geſſiſſet.* Omnéſque Thracas ſuperauit præter Odryſas: τούτων γὰρ ὅτι Διονύσῳ προσέκειντο, καὶ τότε ἄνευ τῶν ὅπλων ἀπήντησαν οἱ, ἐφείσατο. *His enim, & quia Baccho ſacri ſunt, & quia ſine armis ipſi occurrerant, pepercit.* Non tamen Thracia penitus in ius prouinciæ conceſſit, ſed Rhœmetalce *defuncto Auguſtus partem Thracum Rheſcuporidi fratri eius, partem filio Cotyi permiſit.* vide Tacitum 2. annalium ad annum V. C. 772.

PILORVM.] Hoc genus teli tam eleganter & eruditè à Valtrino noſtro & Iuſto Lipſio, vtroque libris de militia Romana deſcribitur, vt eadem hîc inculcare ſuperuacaneum eſſe videatur. V. Pilum.
tamen in rem fuerit pauca libare, in gratiam eorum qui hos libros ad manum non habebunt. *Pila*, verba ſunt Valtrini, *duo geſtabant, alterum quidem maius, alterum verò minus. minora pila vnà cum ferro, iaculis mediocribus paria fuere, vt cum Polybio ſcribit Dionyſius libro 5. maiorum pilorum, alia tereti, alia quadratá figura fuiſſe ait Polybius*, id eſt, vt exiſtimare ſe dicit Valtrinus, vt haſtile ad medium vſque quadratum eſſet, quod ferro item quadrato præfigeretur, vt in Celtica ſcribit Appianus, &c. quæ non eſt operæpretium perſequi, cùm ij quos dixi iam occuparint. adi Liuium lib. 21. Appianum in Celticis, Dionyſium libro 5. Plutarchum in Mario, Cæſarem libro 1. de bello Gallico. huic porrò loco non eſt abſimilis ille alter apud Plutarchum quæſt. Rom. καὶ νομίζειν πᾶσαν ἰδίαν, ὥσπερ ὁ Λάκων εἶπεν, ἧς ἂν τὸ δόρυ ἐφικνῆται. *& arbitrari omnem eam terram ſuam eſſe, vt Lacon dicebat, ad quã ipſius haſta peruenerit.*

VVLTVRIVS.] Direptor prouinciæ: quia VI. Vulturius.
vultures ſolent in cadauera inuolare. pro Sextio 71. *Exierunt malis ominibus atque execrationibus duo vulturij paludati.* propter rapacitatem videlicet: quo in genere notatu dignum eſt illud D. Epiphanij in Phyſiologum cap. 7. ὁ γὺψ ὀρνέον ἐστὶ τῇ ἤπῃ τῆς γαστρὸς τὰ πάντα ὑπερακοντίζον. *Vultur cunctis auibus voracior eſt, quadraginta enim diebus cibo abſtinet, quem cùm inuenit,* ἐσθίει λίτρας τεσσαράκοντα, καὶ ἀναπληρεῖ τῶν τεσσαράκοντα ἡμερῶν ἀσιτίαν, *quadraginta ſe ex illo cibo libris ingurgitat, & quadragenariam abſtinentiam quadragenaria ingluuie compenſat.* Plautus in Trinummo, ſcen. 1.

Malè dictitatur tibi vulgo in ſermonibus:
Turpilucripidum te vocant ciues tui.
Tum autem ſunt alij qui voltorium vocant,
Hoſtéſne an ciues comedis paruipendere.

Chariſius hanc vocem oſtendit à Lucilio fuiſſe vſurpatam lib. 1. Heredipetæ verò dicti vultures etiam Martiali,

Cuius vulturis hoc erit cadauer?

Imò & in ſcripturis diuinis eos ait Origenes homilia 7. in Leuiticum, Vultures nominari, *qui alienis imminent mortibus & arte quadam, & fraude teſtamenta ſubiiciunt. huiuſmodi enim homines vultures & aquilæ meritò appellantur, velut mortuorum cadaueribus inhiantes.*

SI DIIS PLACET.] His verbis antiqui, rei VII. Si Diis placet.
de qua loquebantur, indignitatem exprimebant. Liuius libro 38. in oratione Manlij: *Ex decem legatis, ſi Diis placet, quod concilium diſpenſandæ, cohoneſtandæque victoriæ, Imperatoribus, maiores dederunt noſtri aduerſarios habeo.* Libro 4. in oratione Canuleij: *Quin etiam, ſi Diis placet, nefas eſſe aiunt Conſulem plebeium fieri. Lucius Furius, L. Æmilius currum triumphalem me conſcendere prohibent, coronam inſignem capiti detrahunt.* Florus libro 4. *Poſt Macedonas, ſi*

Dijs placet, Thraces rebellabant, ipſi quondam tributarij Macedonum. Leſbonax in protreptico eodem ſenſu ὦ Ζεῦ καὶ θεοὶ vſurpat. ἠλευθερώσατε πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα, καὶ τούτοις δὲ νῦν ἐφ' ὑμᾶς ἔρχονται. ὦ Ζεῦ τε καὶ θεοί, μεγάλης ἀσεβείας, ἐπὶ τοὺς ἐλευθερώσαντας οἱ ἐλευθερωθέντες ἔρχονται, φυλάσσοντες μετὰ τῶν τῇ Ἑλλάδι δουλείαν φερόντων Ἑλλήνων, μετὰ τῶν ἡμετέρων δούλων.

VIII. Triplex Imperatoris acceptio,

Imperator.] Triplex eſt Imperatoris acceptio. prima communis eſt qua quiuis belli dux ſupremus ſolet intelligi: altera eſt honoris titulus, quem re bene geſta, exercitus ipſe duci tribuebat: tertia peculiaris appellatio Auguſtorum, qui Romanum Imperium obtinebant. quæ diſtinctio liquidò patet ex Dione libro 43. Τό τε τοῦ αὐτοκράτορος ὄνομα, οὐ κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἔτι μόνον, ὥσπερ ἄλλοι τε καὶ ἐκεῖνος πολλάκις ἐκ τῶν πολέμων ἐπεκλήθησαν, οὐδ' ὡς οἱ τινὰ αὐτοτελῆ ἡγεμονίαν, ἢ καὶ ἄλλην τινὰ ἐξουσίαν λαβόντες ὠνομάζοντο, ἀλλὰ καθάπαξ τοῦτο δὴ καὶ τὸ νῦν τοῖς τὸ κράτος ἔχουσι διδόμενον. ἐκείνῳ πρώτῳ τε καὶ πρῶτον ὥσπερ τι κύριον προσέθεσαν. *Tunc & Imperatoris nomen, non ſolùm pro veteri more, quod & alij & ipſe ſæpe propter res in bello præclarè geſtas conſecuti fuerant, neque quemadmodum iis tribui conſueuit, qui ſummam aliqua in re habebant poteſtatem, ſed ſemel eſt, quod etiamnum iis, penes quos eſt Romana Reſpublica, imponitur: illi primum, & omnium primo tanquam nomen proprium impoſuerunt.* Prima itaque diſtinctio fuit, quòd Imperatoris nomen ob res præclarè geſtas, vel ob poteſtatem impoſitum agnominis, ob principatum verò nominis proprij locũ obtineret, atq; adeò primo loco poneretur. Altera quòd illa in iis qui cõſecuti fuiſsẽt conſiſterent, hoc etiam ad liberos Imperatoris manaret. Idem Dio: Καὶ τοσαύτῃ γε ὑπερβολῇ κολακείας ἐχρήσαντο, ὥστε καὶ τοὺς παῖδας, τούς τ' ἐγγόνους αὐτοῦ οὕτω καλεῖσθαι ψηφίσασθαι. μήτε τέκνον τι αὐτοῦ ἔχοντος, καὶ γέροντος ἤδη ὄντος. ὅθεν περ καὶ ἐπὶ πάντας τοὺς μετὰ ταῦτα αὐτοκράτορας τῇ ἐπικλήσει αὐτῇ, ὥσπερ τις ἰδία τῆς ἀρχῆς αὐτῶν οὔσῃ, καθάπερ καὶ ἡ τοῦ Καίσαρος ἀφίκετο. *Et eo adulationis prolapſi ſunt, vt liberos eius, & nepotes hoc nomine appellandos eſſe cenſerent. cùm nec prolem haberet, & iam prouectus eſſet in ſenectutem. Vnde & in omnes qui deinceps imperium habuerunt, hæc appellatio tanquam imperij propria, vt & Cæſaris nomen euenit.* Lego enim ἡ ἐπίκλησις αὕτη. quæ lectio, ni fallor, recta eſt. Tertia quòd illa nomina quoties ratio, victoria, officium poſtulaſſet, hoc poſtremum ſemel tantùm in ipſa adeptione imperij poneretur. Οὐ μέντοι καὶ τὸ ἀρχαῖον ἐκ τούτου κατελύθη ἀλλ' ἔστιν ἑκάτερον, καὶ διὰ τοῦτο καὶ δεύτερον ἐπ' αὐτῶν ἐπάγεται, ὅταν νίκην τινὰ τοιαύτην ἀνέλωνται. οἱ μὲν γὰρ αὐτὸ τοῦτο αὐτοκράτορες ἅπαξ τῇ προσηγορίᾳ ταύτῃ, ὥσπερ ταῖς ἄλλαις καὶ πρῶτῃ γε χρῶνται. οἷς δ' ἂν καὶ διὰ πολέμων ἄξιόν τι αὐτοῖς κατορθωθῇ, οὗτοι καὶ δι' ἐκείνην τὴν ἀπὸ τοῦ ἀρχαίου προσλαμβάνουσι ὁσάκις ἂν παράσχῃ, οἱ αὐτοκράτορες ὀνομάζονται. *Non tamen antiquum Imperatoris nomen eam ob cauſam oblitteratum eſt: ſed vtrumque conſiſtit. & propterea etiam ipſis ſecundum imperatoris nomen inditur, cùm huiuſmodi victoriam fuerint conſecuti. qui enim illud Imperatoris nomen ſortiti ſunt, eo ſemel vt & aliis appellationibus vtuntur. Qui verò aliquid in bello Imperatoris appellatione dignum geſſerint, ij antiquum illud nomen aſſumunt. & quoties inditum fuerit, Imperatores nominantur.* Atque ex verbis paulò antè citatis, καὶ πρώτῃ γε, aliam elicias diſtinctionem, videlicet, quòd Imperatoris appellatio in Imperij adeptione conceſſa primo loco, eadem à militibus ob victoriam conceſſa poſtremo poneretur. verbi cauſa, Imperator Titus Imperator. non dubito quin inuento ſcalmo nauigium conſtruxerim, ſed aut rudioribus, aut iis qui Dionem ad manum minùs habent, non debui hanc notam inuidere. Sed vt in ea, quæ propria eſt huius loci, Imperatoris appellatione paulò diutiùs hæreamus, quòd re bene geſta exercitus Duci hoc nomen imponeret, conſtat ex Dionyſio Halicarnaſſeo libro nono, qui Cæſonis Fabij faciens mentionem, ἐπιχειρησάντων, inquit, δὲ αὐτὸν αὐτοκράτορα ἀναγορεύσαι τινῶν μέγα ἐμβοησάντων, ἀθρόοι κατέδυσαν τῇ τε φωνῇ τὸν ἡγεμόνα καὶ ἐλοιδόρουν. *Quibuſdam eum Imperatorem dicere conantibus. & magna voce proclamantibus, vniuerſi magna voce Imperatorem deprimebant, & conuiciis appetebant.* Sic & noſter Tullius cùm prædones in Cilicia viciſſet, ὡς αὐτοκράτωρ ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν ἀνηγορεύθη. *à militibus appellatus eſt Imperator,* auctore Plutarcho. Tacitus 4. annalium id etiam ſub Cæſaribus tradit fuiſſe ſeruatum. *Id quoque Blæſo tribuit Tiberius, vt Imperator à legionibus ſalutaretur, priſco erga Duces honore qui bene geſta republica gaudio & impetu victoris exercitus conclamabantur, erántque plures ſimul Imperatores.* Item: *Conceſſit quibuſdam & Auguſtus id vocabulum, at tunc Tiberius Blæſo.* videntur & cum nomine Imperatoris ſimul conceſſi fuiſſe faſces laureati. Cicero pro Ligario: *Qui cùm ipſe Imperator in toto Imperio populi Romani vnus eſſet, eſſe me alterum paſſus eſt: à quo hoc ipſo C. Panſa mihi nuntium perferente conceſſos faſces laureatos tenui quoad [illegible]nendos putaui.* quod eſt adeò frequens, vt de eo dubitari non poſſit. Cæſar lib. 3. de bello ciuili: *Pompeius eo prælio Imperator eſt appellatus. hoc nomen obtinuit, atque ita ſe ſalutari paſſus eſt, ſed neque in litteris quas ſcribere eſt ſolitus, neque in faſcibus inſignia laureæ protulit.* Non tamen citra inſignem victoriam id nominis duci tribuebat exercitus. Appianus primo ciuilium de Curione: Ἰτύκῃ δὲ προσιών, ἐν μὲν τινι βραχείᾳ περὶ αὐτὴν ἱππομαχίᾳ τρέπεται τινὰς τῶν νομάδων ἱππέας, καὶ ὑπὸ τῆς στρατιᾶς ἐν τοῖς ὅπλοις ἔτι οὔσης αὐτοκράτωρ ὑπέστη προσαγορευθῆναι. ἔστι δὲ τιμὴ τοῖς στρατηγοῖς τόδε τὸ προσαγόρευμα παρὰ τῶν στρατῶν, καθάπερ αὐτοῖς ἐπιμαρτυρούντων ἀξίους σφῶν αὐτοκράτορας εἶναι, καὶ τήνδε τὴν τιμὴν οἱ στρατηγοὶ πάλαι ἐπὶ πᾶσι τοῖς μεγίστοις ἔργοις προσίεντο. νῦν δ' ὅρον εἶναι, τῇ δὲ τῇ εὐτυχίᾳ πυνθάνομαι τοὺς μυρίους πεσεῖν. Nomen Imperatoris non ob quamlibet victoriam deferebant. *Ad Vticam accedens, quoſdam Nomadas equites quadam equeſtri velitatione in fugam vertit, & ab exercitu adhuc armato ſuſtinuit Imperatorem ſe nominari. Hæc autem appellatio ſummo honori eſt Ducibus delata ab exercitu, tanquam teſtante eos eſſe dignos qui imperent, & hunc honorem antiqui Imperatores, ob ſingula præclarè & inſigniter facta ſolebant admittere. nunc verò ad hanc appellationem audio numerum decem millium ex hoſtibus qui ceciderunt, eſſe conſtitutum.* Numerus cæſorum hoſtiũ neceſſarius ad appellationẽ Imperatoris. At Tullius Philippica 14. §. 12. tantum cæſorum numerum non requirit. *An ſi quis Hiſpanorum aut Gallorum, aut Thracum mille aut duo millia occidiſſet, non eum hac conſuetudine quæ increbuit Imperatorem appellaret Senatus? tot legionibus cæſis, tanta multitudine hoſtium interjecta*

(dico, inquam, hoſtium, quamuis hoc iſti hoſtes domeſtici nolint) clariſſimis ducibus ſupplicationis honorem tribuemus, Imperatorum nomen adimemus? Contrà Dio libro 37. αὐτοκράτωρ ἐπὶ τῇ νίκῃ. καί τοι τοῦ ἀριθμοῦ τῶν πεφονευμένων ἐλάττονος παρὰ τὸ νενομισμένον ὄντος, ἐπεκλήθη. *Imperator ob victoriam, quamuis numerus eorum qui ceciderant conſtituto minor eſſet, appellatus eſt.* Minorem numerum appellat, tamen τρισχιλίους προθυμότατα ἀγωνιζομένους κατέκοψεν. *Ter mille homines fortiſſimè pugnantes internecione deleuit.* Quare videtur per oratoriam μείωσιν dictũ à Tullio mille aut duo millia. Diodorus enim Siculus pauciores quidem quàm Appianus. plures tamẽ quàm Cicero requirit in eclogis libri 36. ὅτι ἔθος ἦν τοῖς Ῥωμαίων στρατιώταις, ἡνίκα ὁ στρατηγὸς αὐτῶν σὺν αὐτοῖς μάχῃ πρός τινας τῶν πολεμίων συμπλακεὶς, ὑπὲρ τοὺς ἑξακισχιλίους τῶν ἐχθρῶν ἐφαίνετο ἀνελὼν, ἰμπεράτορα αὐτὸν ἀναγορεύειν καὶ ἀποκαλεῖν, ὅ ἐστι, βασιλέα. *Mos erat militibus Romanorum ſi Ductor exercitus prælio cum ipſis aduerſum hoſtes conſerto ſupra ſex hoſtium millia cecidiſſe videretur, imperatorem renuntiare ipſum, quod Græci βασιλέα nominant.*

AXIOMA.

In Prouincia, quàm multæ barbarorum gentes attingunt, iidem fines imperij ſunt qui gladiorum atque pilorum.

ARGVMENTVM.

Confutat Piſonis reſponſionem, qui ſe litteras laureatas ex Macedonia ſuarum victoriarum teſtes ad Senatum miſiſſe aſſerebat: aitque eum, ſi litteras miſit, fuiſſe impudentem, quippe cuius litteras amici ſuppreſſerint.

XXXIX. NE tum quidem, Paule noſter, tabulas Romam cum laurea mittere audebas? niſi, inquit, qui nunquam recitauit? quis, vt recitarentur, poſtulauit? nihil enim mea iam refert, vtrum tu, conſcientia oppreſſus ſcelerum tuorum, nihil vnquam auſus ſis ſcribere ad eum ordinem, quem deſpexeras, quem afflixeras, quem deleueras; an amici tui tabellas abdiderint, iidémque ſilentio ſuo temeritatem, atque audaciam tuam condemnarint. Atque haud ſcio, an malim te videri nullo pudore fuiſſe in litteris mittendis, & amicos tuos plus habuiſſe & pudoris, & conſilij, quam aut te videri pudentiorem fuiſſe, quàm ſoles; aut tuum factum non eſſe condemnatum iudicio amicorum.

EXPLANATIO.

NE TVM QVIDEM.] Cùm ob res videlicet præclarè geſtas ab exercitu appellatus es Imperator.

PAVLE NOSTER.] Hic Aſconius: *Confido vos intelligere Lucium Paulum nunc ſignificare qui fuit pater naturalis Africani poſterioris, quique de Macedonia, atque de vltimo eius Rege triumphauit: Macedoniam autem Piſo, in quem hæc oratio eſt, obtinuit: propter quod Paulum eum appellat, irridens eum quòd ibi ſe non proſperè geſſit.*

QVIS VNQVAM RECITAVIT.] Videtur argumentari hoc dilemmate. Aut miſiſti litteras ad Senatum, aut non miſiſti: ſi non miſiſti, ſcelerum tuorum conſcientia oppreſſus, nihil ſcribere auſus es ad Senatum quem deſpexeras. ſi miſiſti, & non ſunt recitatæ, oportet ſummam impudentiam tuam fuiſſe cuius litteras amici præ verecundia ſuppreſſerint.

TEMERITATEM ATQVE AVDACIAM.] In arrogandis tibi iis victoriis quas nunquam fueras conſecutus.

ATQVE HAVD SCIO.] Oſtendit Piſonem non minus eſſe vituperandum ſi reſcripſit, quàm ſi nihil omnino reſcripſit. hoc pacto:

Si nihil ſcripſiſti, fuiſti ſolito pudentior, ſi ſcripſiſti fuiſti impudens & iudicio amicorum condemnatus, à quibus tuæ litteræ ſuppreſſæ ſunt.

Sed deterius eſt impudentem eſſe, & amicorum iudicio damnari quàm nihil omninò reſcribere.

Ergo non minùs es vituperandus ſi reſcripſeris quàm ſi nihil omninò reſcripſeris.

NOTÆ.

PAVLE NOSTER.] Paulum appellat, quòd præ cæteris Paulus Æmilius de Macedonia magnificè triumpharit. Plinius libro 4. cap. 10. 1. Pauli Æmilij victoriæ.
Macedoniæ Paulus Æmilius LXXII. *vrbes direptas vno die vendidit, quæ antea ſub Alexandro terris imperarat tantam differentiam ſortis præſtitere duo homines.* Eſt tamen & alia peculiaris ratio cur Piſonem ironicè Paulum nominarit, quòd nimirum litteræ Pauli laureatæ celeberrimæ fuerant, quas etiam fama diuinitus allata præuenerat. vide Plutarchum in Paulo. Liuius decadis 5. libro 5. *Victoriæ nuntij Q. Fabius & Luc. Lentulus & Quintus Metellus, quanta potuit adhiberi feſtinatio, celeriter Romam cùm veniſſent, præceptam tamen eius rei lætitiam inuenerunt quarto pòſt die quàm cum Rege eſt pugnatum, cum in circo ludi fierent, murmur repentè populi tota ſpectacula peruaſit, pugnatum in Macedonia & deuictum regem eſſe: dein fremitus increbuit, poſtremò clamor plauſúſque velut certo nuntio victoriæ allato eſt exortus.* Aliquantò pòſt ſubnectit: *Ad decimum Cal. Octobris ludorum Romanorum ſecundo die Caio Licinio Conſuli ad quadrigas mittendas exſcendenti tabellarius, qui ſe ex Macedonia venire diceret, reddidiſſe laureatas litteras dicitur. quadrigis miſſis Conſul currum conſcendit, & cùm per Circum reuehe-*

retur ad foros publicos, laureatas tabellas populo oſtendit, quibus conſpectis repentè immemor ſpectaculi populus in medium decurrit, eò Senatum Conſul vocauit, recitatiſque tabellis ex auctoritate Patrum populo denuntiauit, &c. Has porro tabulas victrices appellabant.

II. **Litteræ laureatæ.** CVM LAVREA.] Litteras lauro mittebant inuolutas ad indicium victoriæ, vt ex ſuperioribus & ſexcentis aliis locis compertum eſt. hanc porro lauream in gremio Iouis Capitolini collocabant Plinius libro 15. hiſtoriæ naturalis cap. 30. de laurea loquens, *Romanis præcipuè lætitiæ victoriarúmque nuntia, additur litteris, & militum lanceis, piliſque: faſces Imperatorum decorat. Ex hâc, corona in gremio Iouis Optimi Maximi deponitur, quoties lætitiam noua victoria attulit.* Ex quo intelligas & illud alterius Plinij in Panegyrico: *Allata eſt ex Pannoniâ laurea id agentibus Diis, vt inuicti Imperatoris exortum victoriæ inſigne decoraret. Hanc Imperator Nerua in gremio Iouis collocarat, cùm repente ſolito maior & auguſtior aduocata hominum concione Deorum te filium ſibi, hoc eſt vnicum auxilium feſſis rebus aſſumpſit.* Et St. Papinius 4. ſiluarum ſilua prima:

Laurum deponebant in gremio Iouis Capitolini.

Reſtat Bactra nouis, reſtat Babylona tributis
Frænari: nondum gremio Iouis Indica laurus,
Nondum Arabes Seréſque rogant.

In gremio, inquam, Iouis Capitolini. Plinius iunior loco citato, *adoptionis tuæ dicata Ioui Capitolino laurus.* Atque hanc laurum è tabulis ſolùm victricibus, ſed etiam è faſcibus Imperatoriis detrahebant. Iulius Obſequens de prodigiis: *C. Antonius cùm in agro Piſtorienſi Catilinam deuiciſſet, laureatos faſces in prouinciam tulit: ibi à Dardanis oppreſſus, amiſſo exercitu profugit: apparuit eum hoſtibus portendiſſe victoriam, cùm ad eos laurum victricem tulerit, quam in Capitolio debuerat deponere.* Dio libro 54. de Auguſto loquens: Ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνελθὼν, τήν τε δάφνην ἀπὸ τῶν ῥάβδων περιεῖλε, καὶ ἐς τὰ τοῦ Διὸς γόνατα κατέθετο. *Cùm in Capitolium adſcendiſſet, lauream è faſcibus detraxit, & in Iouis gremio collocauit.* quamuis idem poſtea, τὴν δάφνην ἐς τοῦ Διὸς τοῦ Φερετρίου παρὰ τὸ νομιζόμενον ἐσήνεγκε. *lauream in Ædem Iouis Pheretrij præter conſuetudinem detulit.* Additur, inquit Plinius, & militum lanceis. Statius lib. 5. ſilua prima,

-quæ laurus ab arcto,
Quid vagus Euphrates, quid ripa binominis Iſtri,
Quid Rheni vexilla ferant, quantum vltimus orbis
Ceſſerit, & refluo circumſona gurgite Thule.
Omnia nam lætas pila attollentia frondes
Multáque fumoſâ ſignatur lancea pennâ.

Martialis libro 7. epig. 7.

Publica victrices teſtantur gaudia carthæ,
Martia laurigera, cuſpide pila virent.

Vide Plutarch. Pompeio. Græcis olea iucundior Æſchylus Agamemnone, de eo qui victoriam de Troianis nuntiabat:

Κήρυκ' ἀπ' ἀκτῆς τόνδ' ὁρῶ κατάσκιον
Κλάδοις ἐλαίας.-
Præconem ab acta video inumbratum procul
Ramis oliuæ.-

III. AD EVM ORDINEM.] Imperatores ex prouinciis litteras ad Senatum cum laurea deſtinabant. vide ſectionem ſequentem *curiam.*

TABVLAS.] Tabellas ligneas cerâ obductas. vide Vatinianam 5. *codicem legiſſe.* IV.

TEMERITATEM ATQVE AVDACIAM.] Cornelius Fronto, *Temerarius qui ſine reſpectu ſalutis obiicit ſe periculis, audax ſine ratione impetum facit. ergo audax non prauidet, temerarius non timet.* Statius in Siluis, V. **Temeritatis & audaciæ diſtinctio.**

-ſaltus ingreſſa viriles,
Nec formidata temeraria leucade Sappho.

Quod tamen ait Fronto, *temerarius non timet.* videtur non vſquequaque verum: nam temeritati perinde atque audaciæ debet inconſideratio quædam accedere. Cornificius ad Herennium, *temeritas eſt cum inconſiderata laborum perpeſſione gladiatoria periculorum ſuſceptio.* Sic Plautus in prologo Mercatoris temeritatem ſtultitiæ incogitantiæque coniungit,

Ineptiæ, ſtultitiáque adeò, & temeritas,
Incogitantia excors.

Noſter de haruſpicum reſponſis: *Eſt ille quidem plenus vini, ſtupri, ſomni plenúſque inconſideratiſſimæ ac dementiſſimæ temeritatis.* 9. ad Atticum 12. *Do pœnas temeritatis meæ. etſi quæ fuit illa temeritas? quid feci non conſideratiſſimè?* Ex quibus vides incogitantiam non minùs temeritati quàm audaciæ conuenire; nam audaciæ coniunctã eſſe inconſiderationem, vt alios omittam, etiam Plato teſtatur in Lachete: Ἐγὼ δὲ ἀνδρείας μὲν καὶ προμηθείας, πάνυ τισὶν ὀλίγοις οἶμαι μετεῖναι. θρασύτητος δὲ καὶ τόλμης. καὶ τοῦ ἀφόβου μετ' ἀπρομηθείας πάνυ πολλοῖς. *Ego verò paucis fortitudinem & prouidentiam ineſſe exiſtimo. audaciam verò, temeritatem & timoris vacuitatem ſanè permultis.* Quare in priore differentia maneamus. *Temerarium eſſe qui ſine reſpectu ſalutis periculis ſeſe obiicit, audacem qui ſine ratione impetum facit.* Vt audacia in aggrediendo, temeritas in ſubeundo periculo conſiſtat. ſic temerarius erit qui mari procellis iactato ſe commiſerit, audax qui ſine præuia conſideratione ſe in confertas hoſtium acies pugnandi cauſsâ immiſerit. temerarius qui res ſuas infideli crediderit. Liuius lib. 28. *An Siphaci Numidíſque credis? ſatis ſit ſemel creditum, non ſemper temeritas eſt fœlix: & fraus fidem in paruis ſibi præſtruit, vt cùm operæpretium ſit cùm mercede magna fallat.* Sic Noſter pro Rabirio Poſthumo frequenter ait, *Temere hanc pecuniam Regi credidiſſe, ſuas fortunas atque famam libidini regiæ commiſiſſe.* Audax qui maiora viribus aggreſſus fuerit. pulchrè Menelaus Homericus cum muſca comparatur Iliados ρ'. verſu 568.

Καί οἱ μυίης θάρσος ἐνὶ στήθεσσιν ἐνῆκεν
Ἥ τε καὶ ἐργομένη μάλα περ χροὸς ἀνδρομέοιο
Ἰσχανάᾳ δακέειν, λαρὸν δέ οἱ αἷμ' ἀνθρώπου
Τοίου μιν θάρσευς πλῆσεν φρένας ἀμφιμελαίνας.
Huic muſcæ audaces animos in pectora miſit
Quæ furit humanum ſitiens haurire cruorem
Quantumuis prohibere velis à corpore: dulcis
Quippe illi cruor eſt hominis, morſúque frequenti
Vellicat, haud aliter mentem huic audacia complet.

Muſcæ audacia.

Quamuis, vt notat Lucianus in muſcæ encomio: Οὐ θράσος, ἀλλὰ θάρσος φησὶν αὐτῇ προσεῖναι. *Non ei audaciam ineſſe dicit, ſed generoſam fiduciam.* Ex his elicio aliam differentiam, temerarium eſſe qui fiduciæ rationem in rebus externis, vt in caſu, fortuna, aliorum voluntate, ſine præuia conſide-

ratione poſuerit: audacem qui neglecto periculorum timore nimium de ſe viribúſque ſuis præſumpſerit: quod vel ab ipſa notatione nominis probari poteſt. audacia ab audendo, at audendi verbū vnde auſus à Græco αὔω facio deducitur, vt ex Suida iam oſtendimus. Temeritas fortunæ tribuitur μάτην temere, vnde αὐτόματον caſus, vt Ariſtoteles teſtatur. temere fortuitò Plautus in Aulularia:

Non temere eſt quod coruos mihi nunc cantat ab læua manu.

Item ſc. *Præſagibat.*

Temerarium. *Non temerarium eſt, vbi diues blandè appellat pauperem.*

Quibus vides audacem dici qui ſuis viribus plus æquo confidens, aliquid nimis arduum aggreditur, temerarium qui contra rationem fortunæ temeritati ſe committit.

VI. AMICOS TVOS.] Litteras ad amicos è prouinciis mittebant, priuſquam in Senatú legerentur. ad Atticum lib. 5. epiſt. 18. *His de rebus ſcripſi ad Senatum, quas litteras, ſi Romæ es, videbis putéſne reddendas.* Decimus Brutus Ciceroni epiſt. quæ 19. libri 11. ad famil. numeratur. *Ad Senatum quas litteras miſi, velim priùs perlegas: & ſi qua tibi videbuntur, commutes.* Et Caſſius ad eundem lib. 12. epiſt. 12. *Scripſi etiam ad Senatum litteras quas vetui priùs quàm tibi recitatæ eſſent.* Quin etiam Auguſtus, vt auctor eſt Dio lib. 51. Τοσαύτην γ' ἐπὶ πάντα καὶ ἐκείνῳ (τῷ Ἀγρίππᾳ) καὶ τῷ Μαικήνᾳ ἐξουσίαν ἔδωκεν, ὥστε σφᾶς καὶ τὰς ἐπιστολάς, ἃς τῇ βουλῇ καὶ τοῖς ἄλλοις ἔγραφε, προαναγινώσκειν, κἀκ τούτου καὶ μεταγράφειν ὅσα ἐβούλοντο. καὶ διὰ τοῦτο καὶ δακτύλιον ἔλαβον παρ' αὐτοῦ, ἵνα ἐπισφραγίζεσθαι αὐτὰς ἔχωσι. διπλῆν γὰρ δὴ σφραγῖδα, ἣ μάλιστα τότε ἐχρῆτο, ἐπεποίητο, σφίγγα ἐν ἑκατέρᾳ ὁμοίαν ἐντυπώσας. *Tantam in omnibus rebus poteſtatem Agrippæ & Mæcenati Cæſar tribuebat vt litteras quoque iij, quas ad Senatum alióſve ſcribebat, antequam redderentur, legerint, ac quæ viſum fuiſſet mutauerint: cuius rei cauſsâ annulum quoque ab ipſo acceperant, vt obſignare eas poſſent. Sigillum enim quo tum maximè vtebatur, duplex parauerat, ſphinge in vtroque eadem inſculpta.* Vide de prouinc. Conſular. §. 15.

ARGVMENTVM.

Hîc acutè laudare ſe fingit Piſonis modeſtiam, qui litteras non miſerit ad Senatum, cùm nihil haberet quod conſcriberet. interim tamen multa & atrocia quædam eius ſcelera breuiter attingit.

XL. QVÒD ſi non tuis nefariis in hunc ordinem contumeliis in perpetuum tibi curiam præcluſiſſes, quid tandem erat actum, aut geſtum in illa prouincia, de quo ad Senatum cum gratulatione aliqua ſcribi abs te oporteret? vexatio Macedoniæ? an oppidorum turpis amiſſio? an ſociorum direptio? an agrorum depopulatio? an munitio Theſſalonicæ? an obſeſſio militaris viæ? an exercitus noſtri interitus ferro, fame, frigore, peſtilentia? Tu verò, qui ad Senatum nihil ſcripſeris; vt in vrbe nequior inuentus es, quàm Gabinius, ſic in prouincia paullo tamen, quàm ille demiſſior.

EXPLANATIO.

QVÒD SI.] Si Senatum à te penitus non abalienaſſes, cùm eum de Repub. ſuſtuliſti, & iis ipſius decretis parere vetuiſti.

QVID TANDEM ERAT ACTVM AVT GESTVM] Hæc eſt opinor inter rem actam & geſtam diſtinctio: quòd acta dicantur quæ caſu, vel diuina prouidentiâ geſta, quæ labore & hominum induſtriâ contigerunt: vel acta togæ, geſta militiæ.

VEXATIO MACEDONIÆ.] *Quæ erat antea munita plurimorum Imperatorum, non turribus ſed trophæis, quæ multis victoriis erat iamdiu triumphíſque pacata, te Proconſule à Barbaris Deuſeletis vexata eſt.* de Prouinc. Coſſ. 4.

AN OPPIDORVM.] Cum iidem Deuſeleti, quibus nefarium bellum & crudele intuliſti, *vectigalia noſtra perturbarunt, vrbes ceperunt, vaſtarunt agros, ſocios noſtros in ſeruitutem abduxerunt, familias arripuerunt, pecus abegerunt.* infrà 84.

AN MVNITIO THESSALONICÆ.] An quod iidem Deuſeleti, *Theſſalonicenſes poſitos in gremio Imperij noſtri, cùm oppido deſperaſſent, relinquere oppidum, & arcem munire coëgerunt.* infrà 84. & de Prouinciis Coſſ. 4.

AN OBSESSIO MILITARIS VIÆ.] *Via illa noſtra quæ per Macedoniam eſt vſque ad Helleſpontum militaris, non ſolùm excurſionibus Barbarorum infeſta fuit, ſed etiam caſtris Thraciis diſtincta ac notata.* de Prouinc. 4.

AN EXERCITVS NOSTRI.] An quod *exercitus noſter ſuperbiſſimo delectu & duriſſima conquiſitione collectus, omnis interiit, militéſque Populi Romani capti, necati, deſerti, diſſipati ſunt, incuria, fame, morbo, vaſtitate conſumpti.* ibidem 5.

TV VERÒ.] Lepidè iuxta & acriter, arrepta occaſione, ad inſectandum Gabinium delabitur, quaſi Piſonem conſolari velle videatur.

NOTÆ.

CVRIAM.] Quia videlicet litteras illas laureatas non ad populum, ſed ad Senatum deſtinabant ſuprà 38. *Qui nullas ad Senatum litteras miſerit.* & 39. *Nihil vnquam auſus ſis ſcri-* I. Litteræ laureatæ ad Senatum.

bere ad eum ordinem, quem deſpexeras. Ideóque, vt ſuperiùs Liuij verbis oſtenſum eſt, litteræ Pauli priùs Senatu quàm populo oſtenſæ ſunt. Idem libro 32. *Litteræ Conſulum Romam allatæ: M. Sergius Prætor vrbis in Senatu eas, deinde ex auctoritate Patrum ad populum recitauit.* Suetonius in Caligula cap. 44. *Quaſi vniuerſa tradita inſula, magnificas Romam litteras miſit: monitis ſæpè latoribus vt vehiculo ad forum vſque & curiam pertenderent: nec niſi in æde Martis ac frequenti Senatu, Conſulibus traderent.* Vt alia omittam Iulius Capitolinus in Maximino: *Extat oratio eiuſdem miſſa ad Senatum, cuius hoc exemplum eſt. Breui tempore, P. C. tot bella geſſimus, quot nemo veterum. tantum prædæ in Romanum ſolùm attuli, quantum ſperari non potuit. tantum captiuorum adduxi, vt vix ſola Romana ſufficiant.*

II. Vexatio.] Vide Vatinianam 7.

III. Oppidum. Oppidorvm.] Feſtus, *Oppidorum originem optimè refert Cicero libro primo de gloria, eámque appellationem vſurpatione appellatam eſſe exiſtimat, quòd opem darent.* Locus videtur corruptus. Paulus: *Oppidum dictum eſt quod opem præbet. oppidum dictum quòd ibi homines opes ſuas conferunt. oppidum dicitur & locus in circo, vnde quadrigæ emittuntur.*

IV. Damnum & turpitudo. Tvrpis amissio.] Non abs re turpitudinem cum iactura & amiſſione coniungit. Demoſthenes Olynthiaca prima: Ἡ τῶν πραγμάτων αἰσχύνη οὐδεμιᾶς ἐλάττων ζημίας, τοῖς γε σώφροσι. *Rerum turpitudo nulla iactura inferior eſt, ſaltem prudentibus.* Philippica 1. Ἐγὼ μὲν γὰρ οἶμαι τοῖς ἐλευθέροις μεγίστην ἀνάγκην, τὴν ὑπὲρ τῶν πραγμάτων αἰσχύνην εἶναι. *Ego enim ſic exiſtimo nihil eſſe quod liberis maiorem neceſſitatem inducat, quàm ipſa rerum quæ fiunt turpitudo.* Item de Cherſoneſo, quòd iiſdem etiam verbis habet 4. Philipp. Ἔστιν ἐλευθέρῳ μὲν ἀνθρώπῳ μεγίστη ἀνάγκη ἡ ὑπὲρ τῶν γιγνομένων πραγμάτων αἰσχύνη, καὶ μείζω ταύτης οὐκ οἶδ᾽ ἥντιν᾽ ἂν εἴποι τις. δούλῳ δὲ πληγαὶ, καὶ ὁ τοῦ σώματος αἰκισμός. *Homini libero maxima neceſſitas eſt, rerum quæ geruntur, turpitudo: neque video quæ maior poſſit reperiri: ſeruo verò plagæ & corporis contumelioſa vexatio.* Æſchylus Septem ad Thebas:

Εἴπερ κακὸν φέρει τις αἰσχύνης ἄτερ,
Ἔστω· μόνον γὰρ κέρδος ἐν τεθνηκόσι.
Κακῶν δὲ κ᾽ αἰσχρῶν οὔτιν᾽ εὔκλειαν ἐρεῖς.
Si quis malum infert abſque turpitudine,
Feratur: vnum id morte defunctis lucrum eſt.
Mali atque turpis nulla fertur gloria.

V. Viæ militares. Militaris viæ.] Non eſt animus hoc loco plura de viis publicis Romanorum adſcribere. rem tractat accuratè Lipſius cap. 10. libri tertij de magnitudine Romana, & nos pro Cœlio 34. fecimus huius rei mentionem. Habebant & in ſingulis prouinciis vias militares, ſic dictas vel quòd opere militum eſſent ſtratæ, vel quòd ſtratæ & leuigatæ eſſent ad transmittendos exercitus. Auctor eſt Iſidorus, *Pœnos primos lapidibus vias ſtrauiſſe, quas poſtea Romani penè per totum orbem diſpoſuerunt.* Pœni vias primi ſtrauerunt. Adeò vt valles complanarent, montes exciderent. Strabo libro 5. ἔστρωσαν δὲ καὶ τὰς κατὰ τὴν χώραν ὁδοὺς προσθέντες ἐκκοπάς τε λόφων, καὶ ἐγχώσεις κοιλάδων. ὥστε τὰς ἁμάξας δέχεσθαι πορθμείων φορτία. *Itaque & per regiones itinera ſtrauerunt, colles exciderunt, & cauitates ingeſtâ materia complanauerunt, vt onera nauium curribus excipi atque transuehi poſſent.* Quod non de viis ſolùm ſuburbanis, ſed de militaribus toto orbe diſpoſitis dicendum eſt. Ioſephus tertio de excidio: Καὶ μετ᾽ αὐτοὺς ὁδοποιοὶ, τά τε σκολιὰ τῆς λεωφόρου κατευθύνειν, καὶ χθαμαλοῦν τὰ δύσβατα καὶ τὰς ἐμποδίους ὕλας προανακόπτειν, ὡς μὴ ἐταλαιπορεῖτο δυσπορείᾳ τὸ στράτευμα. *Et poſt eos viarum ſtratores, qui obliquitates viarum publicarum dirigerent, ardua complanarent, ſiluáſque, quæ impedimento eſſe poterant, excinderent, ne cum viarum difficultate luctari cogeretur exercitus.* Sic cap. octauo. addit cap. 10. Πέμπει πεζούς τε καὶ ἱππεῖς τοὺς προεξομαλιοῦντας τὴν ὁδὸν ὀρεινὴν ὑπάρχουσαν καὶ πετρώδη, δύσβατόν τε καὶ πεζοῖς, ἱππεῦσι δ᾽ ἀμήχανον. *Equites & pedites præmittit, qui viam cliuoſam & lapidoſam, peditibus vix adeundam, equitibus inacceſſibilem æquarent.*

ARGVMENTVM.

Ad inſectationem Gabinij ex occaſione delabitur, mox præ indignatione in exclamationem erumpit, quòd ipſius fortunæ ſuam Piſo & Gabinius auderent anteferre.

NAm ille gurges, atque heluo natus abdomini ſuo, non laudi, atque gloriæ, cùm equites Rom. in prouincia, cùm publicanos nobiſcum & voluntate, & dignitate coniunctos, omnes fortunis, multos famâ, vitáque priuaſſet, cùm egiſſet aliud nihil illo exercitu, niſi vt vrbes depopularetur, agros vaſtaret, exhauriret domos: auſus eſt (quid enim ille non audeat?) à Senatu ſupplicationem per litteras poſtulare. O Dij immortales: túne etiam, atque adeo vos geminæ voragines, ſcopulíque Reipub. vos meam fortunam deprimitis? veſtram extollitis? cùm de me ea Senatusconſulta abſente facta ſint, eæ conciones habitæ, is motus fuerit municipiorum, & coloniarum omnium, ea decreta publicanorum, ea collegiorum, ea denique generum, ordinúmque omnium, quæ ego non modò optare nunquam auderem, ſed cogitare non poſſem: vos autem ſempiternas fœdiſſimæ turpitudinis notas ſubieritis. XLI.

EXPLANATIO.

NAM ILLE GVRGES.] Gabinius gulæ & luxuriæ deditus, vt ad ſolam voluptatem natus eſſe videatur, qui tanquam gurges & vorago quædam non ſolùm patrimonium, ſed etiam Reipub. bona abſorbuit.

CVM EQVITES ROMANOS.] Negotiationibus occupatos in Syria: quod ſubiungit *publicanos*, non eſt, quòd ordinem ab equitibus diſtinctum exiſtimes: erant enim equites Romani, qui publica vectigalia quæſtûs ſui cauſa conducebant redimebántque, & ſuo ipſorum periculo colligebant.

NOBISCVM ET VOLVNTATE ET DIGNITATE CONIVNCTOS.] Publicanos cum Senatu voluntate coniunctos appellat, quia ipſe Tullius in conſulatu equites, atque adeo publicanos à Senatu diſſidentes ad concordiam pacémque reuocarat. *dignitate*, quòd publicani qui ferè erant equeſtris ordinis principes, proximè ad Senatoriam dignitatem accederent, adeò vt ſi quando ſupplendus eſſet Senatus, è Publicanis fermè legerentur.

OMNES FORTVNIS, &c.] De prouinciis Conſularibus 10. *Publicanos miſeros tradidit in ſeruitutem Iudæis & Syris nationibus natis ſeruituti. ſtatuit ab initio & in eo perſeuerauit ius publicano non dicere.* &c. & 11. *Itaque videtis, Patres Conſcripti, non temeritate redemptionis, aut negotij gerendi inſcitiâ, ſed auaritiâ, ſuperbia, crudelitate Gabinij penè afflictos iam atque euerſos publicanos.*

MVLTOS FAMA.] Qui *propter illum hoſtem Senatûs, inimiciſſimum ordinis equeſtris bonorúmque omnium non ſolùm bona, ſed etiam honeſtatem miſeri deperdiderunt.* ibidem 11.

CVM EGISSET ALIVD NIHIL.] In Syria *Imperatore illo nihil aliud actum eſt, niſi pactiones pecuniarum cum tyrannis, deciſiones, direptiones, latrocinia, cædes: cùm palam populi Romani Imperator inſtructo exercitu dexteram tendens non ad laudem milites hortaretur, ſed omnia ſibi & empta & emenda eſſe clamaret.* ibidem 9.

AVSVS EST.] Auſus eſt miſſis ad Senatum litteris laureatis ſupplicationem, ob res à ſe præclarè geſtas poſtulare.

O DII IMMORTALES.] Exclamatio ex indignatione.

GEMINÆ VORAGINES.] Qui voraginum inſtar Reipub. & Prouinciarum bona hauſiſtis: in quos tanquam in ſcopulos impacta & alliſa Reipub. nauis fecit naufragium.

VOS MEAM.] Nota verba *deprimitis*, & *extollitis*. quibus ad illam voraginem videtur alludere, quæ

> *-imo barathri ter gurgite vaſtos*
> *Sorbet in abruptum fluctus, rurſúſque ſub auras*
> *Erigit alternos, & ſidera verberat vnda.*

CONCIONES HABITÆ.] A Pub. Lentulo Cos. Cn. Pompeio cæteríſque Principibus. vide ſuprà 34.

EA SENATVSCONSVLTA.] vide 35.

IS MOTVS.] Cùm *mei capitis ſeruandi cauſa Romam vno tempore, quaſi ſigno dato Italia tota conuenit.* ſuprà 34.

COLLEGIORVM.] Placet hîc Manutij notam adſcribere: *Non omnium, nam & quædam à Senatu ſublata Publius Clodius in Tribunatu reſtituit, & alia permulta ex omni vrbis fæce ac ſeruitio conſtituit, ſed eorum quæ nunquam Senatus remouerat, quòd ea Reip. ratio poſtulare videbatur.*

NOTÆ.

NATVS ABDOMINI SVO.] Trebellius in Gallieno, *Natus abdomini & voluptatibus dies & noctes vino & ſtupris perdidit orbem terrarum.* Vide Sextianam §. 110. Nota 12. *Manebat inſaturabile abdomen.* I.

PVBLICANOS.] Non eſt quod ſingula de publicanis exequamur. Res à Sigonio lib. 2. de antiquo iure ciuiũ Rom. aliíſq. doctè tractata eſt. reddẽda modò ratio eſt cur Equites Romanos ab Publicanis diſtinxerit. Nam ex equeſtri ordine fuerunt publicani. vt ex Plinio cap. 2. lib. 33. Liuio lib. 43. Cicerone pro Poſthumo, pro domo, pro Plancio aliíſque compertum eſt. Locus ille Plancianæ ſuffecerit: *Flos enim equitum Romanorum ornamentum ciuitatis, firmamentum Reipub. publicanorum ordine continetur.* Tamen non ſolùm hoc loco, ſed etiam apud Varronem lib. 1. de re ruſtica inter equitem Romanum & Publicanum eſt diſtinctio, *Offendi ibi C. Agrium equitem Romanum & P. Agraſium Publicanum.* quia nimirum, licet publicani equites fere fuerint, vt bene aduertit Sigonius, non tamen omnes equites erant publicani. cuius rei, inquit, argumento eſt, quod extat apud Nepotem de Attico equite Romano, *Ad haſtam publicam nunquam acceſſit, nullius rei neque præs, neque manceps factus eſt.* II. Publicani. Ex equeſtri ordine.

CONIVNCTOS.] Plinius lib. 33. c. 2. *Marcus Cicero demum ſtabiliuit equeſtre nomen in conſulatu ſuo, ei Senatum conſilians, ex eo ordine ſe profectum celebrans, & eius vires peculiari popularitate quærens.* Superiùs 7. *Vt multitudinem cum principibus, Equeſtrem ordinem cum Senatu coniunxerim.* III. Equeſtrem ordinem Cicero ſtabiliuit.

NIHIL EGISSET ALIVD QVAM, VT VRBES DEPOPVLARETVR, &c.] Haud ſcio an plus inimicitiis indulſerit, quàm veritati. eum depopulatum fuiſſe Syriam Dio teſtatur: ὅτι πλέον ἢ μυρίας ἐκ τῆς ἀρχῆς μυριάδας ἥρπασε, κριθεὶς ἑάλω. vertit Xylander: *quòd ex prouinciâ quater millies ſeſtertium, eóque amplius compilaſſet, in iudicium pertractus damnatúſque eſt.* Item: Ὁ Γαβίνιος πολλὰ μὲν καὶ τὴν Συρίαν ἐκάκωσεν, ὥστε καὶ τῶν λῃστικῶν, ἃ καὶ τότε ἤκμαζε, πολὺ πλείω σφίσι λυμήνασθαι. *Gabinius multis maleficiis Syriam afflixit, adeóque plus damni, quàm prædones, qui tum maximè vigebant, intulit prouinciæ.* Ac Ioſephus primo de excidio, tum multas refert & præclaras Gabinij victorias, tum illud τά τε ἄλλα γενναῖον ἀπέδειξεν ἑαυτὸν ἐν πολλοῖς, *tum multis in rebus magnam animi generoſitatem oſtendit*, tum αὐτὸς ἐπῄει τὰς μὲν ἀπορθήτους πόλεις καθιστάμενος, τὰς δὲ κατεστραμμένας ἀνακτίζων, *ipſe prouinciam obiit, & vrbes quæ populationem euaſerant conſtituens, & eas quæ euerſæ fuerant inſtaurans.* Quo loco plurimæ vrbes inſtauratæ à Gabinio numerantur. IV. Gabinij rapinæ. Gabinij res geſtæ.

AXIOMA.

Fieri non poteſt vt vnus & idem natus ſit abdomini ſuo, & laudi atque gloriæ.

ARGVMENTVM.

In locum moralem excurrens oſtendit non ſuum ipſius exilium, ſed Piſonis & Gabinij infamiam ſupplicium eſſe dicendum, ac primò vel ipſorum Epicureorum auctoritate rem confirmat.

AN ego, ſi te, & Gabinium cruci ſuffixos viderem, maiore afficerer lætitia ex corporis veſtri laceratione, quam afficior ex famæ? nullum eſt ſupplicium putandum, quo affici caſu ex aliquo etiam boni viri fortéſque poſſunt. Atque hoc quidem etiam iſti tui dicunt voluptarij Græci: quos vtinam ita audires, vt erant audiendi: nunquam te in tot flagitia ingurgitaſſes. verùm audis in præſepibus, audis in ſtupris, audis in cibo, & vino. ſed dicunt ipſi, qui mala dolore, bona voluptate definiunt, ſapientem, etiam ſi in Phalaridis tauro incluſus, ſuccenſis ignibus torreatur, dicturum tamen, ſuaue illud eſſe, ſeſéque ne tantulum quidem commoueri, tantam virtutis eſſe vim voluerunt, vt non poſſet vnquam eſſe vir bonus non beatus.

EXPLANATIO.

AN EGO.] Oſtendit mortem non eſſe ſupplicium ſi contingat innocenti. atque adeò ne ſuum quidem exilium, quod ipſi propter ſeruatam Rempublicam & extinctam Catilinę coniurationem eſt irrogatum. in hanc ſententiam:

Nullum eſt ſupplicium putandum, quo affici caſu aliquo etiam boni viri fortéſque poſſunt.

Sed morte & exilio affici caſu aliquo etiam boni viri fortéſque poſſunt.

Ergo nec mors nec exilium ſunt ſupplicia putanda.

Propoſitionem Epicureorum ipſorum auctoritate, aſſumptionem Reguli, Marij, Marcelli confirmat exemplis.

QVAM AFFICIOR EX INFAMIA.] Legunt Manutius, Faërnus, Lambinus, *ex famæ*, videlicet *laceratione*, quorum auctoritas me coëgit à vulgata lectione diſcedere.

ISTI TVI.] Epicurei quorum ſectam amplecteris.

VOLVPTARII.] Qui hominis beatitudinem & ſummum bonum vna voluptate metiuntur.

DICVNT.] Supplicium in culpa ponentes, vbi culpa abſit ſupplicium non putantes.

VT ERANT AVDIENDI.] *Tu enim*, inquit Manutius, *eos de voluptate audis: ſi de honeſto, de probitate ac virtute aliquid dicunt, non audis.*

NVNQVAM.] Nunquam te in tot libidines tanquam in gurgitem profundámque voraginem demerſiſſes, è qua nunc non poſſis emergere.

AVDIS IN PRÆSEPIBVS.] In luſtris & popinis, in quibus tanquam ſus volutaris, & in omnia te flagitia ingurgitas.

IN PHALARIDIS.] In tauro æreo, quem Perilaus ſiue Perillus Athenienſis à ſe fabricatum Phalaridi Agrigentorum tyranno dedit, in quo homines ſubiectis flammis ita torreret, vt non vocem humanam, ſed mugitui ſimilem emitterent.

NE TANTVLVM QVIDEM COMMOVERI.] Doloris atrocitate.

NOTÆ.

NVLLVM EST SVPPLICIVM.] Diuinè Plato in Theæteto de improbis & con- I. Supplicium.
ſceleratis: Λεκτέον οὖν τἀληθὲς ὅτι τοσούτῳ μᾶλλον εἰσὶν οἷοι οὐκ οἴονται, ὅτι οὐχὶ οἴονται. ἀγνοοῦσι γὰρ ζημίαν ἀδικίας, ὃ δεῖ ἥκιστα ἀγνοεῖν. οὐ γάρ ἐστιν ἣν δοκοῦσι, πληγαί τε καὶ θάνατοι, ὧν ἐνίοτε πάσχουσιν οὐδὲν ἀδικοῦντες, ἀλλ' ἣν ἀδύνατον ἐκφυγεῖν. ΘΕΟΔ. Τίνα δὴ λέγεις; ΣΩΚ. Παραδειγμάτων, ὦ φίλε, ἐν τῷ ὄντι ἑστώτων, τοῦ μὲν θείου εὐδαιμονεστάτου, τοῦ δ' ἀθέου ἀθλιωτάτου, οὐχ ὁρῶντες ὅτι οὕτως ἔχει, ὑπὸ ἠλιθιότητός τε καὶ τῆς ἐσχάτης ἀνοίας λανθάνουσι, τῷ μὲν ὁμοιούμενοι διὰ τὰς ἀδίκους πράξεις, τῷ δ' ἀνομοιούμενοι, οὗ δὴ τίνουσι δίκην ζῶντες τὸν εἰκότα βίον ᾧ ὁμοιοῦνται. *Dicendum igitur, & verè dicendum eos tanto magis id eſſe quod non exiſtimant, quanto magis non exiſtimant. ignorant enim iniuſtitiæ damnum, quod minimè oportet ignorari. neque enim illud iniuſtitiæ damnum eſt, quod illi eſſe ſibi perſuadent, verbera & neces. quæ ſæpè hi patiuntur qui iniuſtè nihil egerunt, ſed illud iniuſtitiæ ſupplicium eſt quod euitari non poteſt.* THEOD. *Quod ſupplicium dicis?* SOCRAT. *Cùm in rerum ordine, ô amice, exemplaria duo ſint, diuinum quidem beatiſſimum, quod verò Dei expers, miſerrimum, non videntes ita rem habere, ſtultitiâ extremáque dementia occupati latenter huic quidem ſimiles ob actiones iniquas redduntur illi contrà diſſimiles. cuius profectò delicti pœnas pendunt, dum vitam illi conuenientem, cui ſimiles effecti ſunt, ducunt*, &c.

PHALARIDIS.] De Phalaridis Agrigen- II. Phalaris.
torum Tyranni immani crudelitate ſuperuacaneum fuerit dicere, cùm & pleni ſunt aliorum libri, & ipſe ſe nefarium, immanem, & ſceleratiſſimam in epiſtolis ſæpè fateatur. vnus inuentus eſt Arnaldus qui non ita pridem, orationem dicam an nugas? de eius laude conſcripſerit. videlicet ex eodem calamo Phalaridis Apuleiíque laudatio & Societatis noſtræ criminatio manauit, vt quib. ſe ſimilem eſſe mallet, liquidiùs oſtenderet.

III. Phalaridis taurus. TAVRO.] De Phalaridis tauro ipſe Phalaris copioſè epiſt. 122. Χαλκευσάμενος ταῦρον, μεγέθει πλείω τῶν κατὰ φύσιν εἰς Ἀκράγαντα ἐώθεσκεν. *cùm Perilaus ex ære fudiſſet taurum magnitudine grandiorem iis quos natura fert, pertulit Agrigentum.* Subdit: Ἐπεὶ δ' ἀναπτύξας τὸ πλευρὸν ἐγύμνωσε, πάσης μὲν ὠμότητος ἀνάπλεω φόνον, παντὸς δὲ θανάτου δυσποτμότερον μόρον, τότε δὴ τῆς τέχνης αὐτὸν ἐπαινέσαντες, τῶν τρόπων ἐτιμωρούμεθα, καὶ τῆς ἰδίας ἐπινοίας τὴν ἀπόδειξιν, αὐτὸν πρὸ τῶν ἄλλων, ἐπεὶ κακουργότερον οὐδένα, τοῦ δημιουργήσαντος ἐξεύρομεν, δοῦναι ἠξιώσαμεν. εἰσεβιβάσαμεν οὖν αὐτὸν, καὶ περιήψαμεν, ὡς αὐτὸς ὑπεξέθετο τιμωρεῖσθαι. πικρᾶς δὲ τῆς ἐπιστήμης, ἀληθεῖς οὔσας τὰς ἀποδείξεις δέδωκεν. οὔτε γὰρ εἴδομεν τίς ὁ τιμωρούμενος, οὔτ' ὀλοφυρμῶν. τὰς γὰρ ἔνδοθεν ἐμβοωμένας ὀλοφύρσεις ὁ χαλκὸς εἰς τοὺς ἀκουσομένους κολαστὰς ἐξεμυκᾶτο. *Poſtquam autem remotis velaminibus latus nudauit, plenámque omnis crudelitatis cædem, interitúmque omni morte diriorem oſtendit, tunc laudatum ob artem, ob mores ſupplicio affecimus: ipſúmque ante alios (poſtquam neminem ipſo artifice facinoroſiorem inuenimus) proprij inuenti vt daret demonſtrationem dignum duximus: illum igitur tauro incluſimus, circúmque ſuccendimus ignem (quemadmodum ipſe expoſuerat, vt exureretur. acerbæ autem ſcientia veras exhibuit demonſtrationes. Neque enim videbamus quiſnam ſupplicio afficeretur, neque audiuimus ploratum, neque lamentanam inclamatas intus lamentationes, æs ad carnifices audituros immugiit.* Attuli Eilhardi Lubini verſionem. Plura Phalaridis ipſius verbo proferenda putaui, ne te Lucianus in fraudem induceret: qui oratione quadam quæ *Phalaris* inſcribitur, Perillum ſiue Perilaum, huius machinæ auctorem Agrigentinum fuiſſe confirmat, cùm tamen hac epiſtola apud Athenienſes ſe excuſet, eúmque Athenienſem fuiſſe fateatur, ſed parum refert. Quod ad ſententiam ſpectat, ea ex ipſo Platone libris de Repub. manauit: κἂν στρεβλῶται ὁ δίκαιος, κἂν ἐξορύττηται τὼ ὀφθαλμὼ, ὅτι εὐδαίμων ἔσται. *Etiamſi iuſtus crucietur, etiamſi vtrumque ſibi oculum effodi ſentiat, tamen eſt beatus.* Quem locum mihi ſuggeſſit Clemens Alexandrinus 4. Stromatum.

AXIOMATA.

Peior eſt famæ quàm corporis laceratio.

Nullum eſt ſupplicium putandum quo affici caſu aliquo etiam boni viri fortéſque poſſunt.

Tanta vis virtutis eſt, vt non poſſit vnquam eſſe vir bonus non beatus.

ARGVMENTVM.

In eodem argumento commoratur, ac poſtquam oſtendit exilium aut mortem non eſſe ſupplicium, diffinitione oſtendit in quo propriè ſupplicij ratio ſit conſtituta.

XLIII. QVÆ eſt igitur pœna? quod ſupplicium? id mea ſententia quod accidere nemini poteſt, niſi nocenti: ſuſcepta fraus, impedita & oppreſſa mens, bonorum odium, nota inuſta Senatus, amiſſio dignitatis. Nec mihi ille M. Regulus, quem Carthaginienſes reſectis palpebris, illigatum in machina, vigilando necauerunt, ſupplicio videtur affectus, nec C. Marius, quem Italia ſeruata ab illo, demerſum in Menturnenſium paludibus, Africa deuicta ab eodem, expulſum, & naufragium vidit. fortunæ enim iſta tela ſunt, non culpæ: ſupplicium autem, eſt pœna peccati: neque verò ego ſi vnquam vobis mala precarer, quod ſæpè feci, in quo Dij immortales meas preces audiuerunt, morbum, aut mortem, aut cruciatum precarer. Thyeſtea iſta exſecratio eſt Poëtæ, vulgi animos, non ſapientum, mouentis:

Vt tu naufragio expulſus vſpiam ſaxis fixus aſperis,
Euiſceratus latere penderes (vt ait ille) *ſaxa ſpargens tabo*
Sanie, & ſanguine atro.

EXPLANATIO.

QVOD EST IGITVR SVPPLICIVM.] Antequam ſupplicij naturam accuratè definiat, tribus veluti deſcriptionibus viam ſibi ſternit. ac prima quidem deſcriptio eſt: *Supplicium eſt quod accidere nemini poteſt niſi nocenti.* Hæc eſt, inquam, non tam definitio quàm deſcriptio, vt ſi diceres, Ratio eſt quæ nemini, niſi homini accidere poteſt, nondum ipſam rationis naturam attingeres.

SVSCEPTA FRAVS.] vel exemplis & inductione ſuperiorem illam deſcriptionem explanat, vel eſt alia deſcriptio, quæ à partium enumeratione deſumitur.

BONORVM OMNIVM ODIVM.] Qui non oderunt niſi nefarios & ſceleratos.

NOTA IVSTI SENATVS.] Addit iuſti, quia ſi Senatus iniuſtè labem aſpergeret, ne infamia quidem illa ſupplicium meritò diceretur. Alij legunt, *nota inuſta Senatus*, vt Faërnus & Lambinus. At Grutterus inueniſſe ſe teſtatur, *Nota iuſta Senatus.*

NEC MIHI ILLE.] Alia videtur eſſe deſcriptio per negationem & contrarium, quaſi diceret ſupplicium eſt pœna, ſed non illa

illa qua Regulus affectus eſt.

Ille.] Præclarus ille Marc. Attilius Regulus.

Italia servata.] Deuictis Cymbris & Teutonibus qui ſe iam per Alpes magnis copiis in Italiam effuderant, & iam Romani imperij exitio imminebant.

In Mintvrnensivm palvdibvs.] Quo profugerat vrbe à Syllæ militibus occupatâ.

Africa devicta.] Deuicto Iugurtha Rege Numidiæ.

Svpplicivm avtem.] Adfert ſupplicij propriam definitionem, quæ genere & differentia continetur. ex qua conficit talem ſyllogiſmum.

Supplicium eſt pœna peccati.

Sed nex Reguli, & exilium Marij non fuerunt pœna peccati.

Ergo nex Reguli & exilium Marij non fuerunt ſupplicium.

Propoſitio ſatis tum præmiſſis ſupplicij deſcriptionibus, tum auctoritate philoſophorum probata eſt. aſſumptio ſic oſtenditur.

Quæ ſunt tela fortunæ, ea non ſunt pœna peccati.

Sed nex Reguli & exilium Marij fuerunt tela fortunæ.

Ergo non fuerunt pœna peccati.

Thyestea ista execratio est.] Thyeſteam execrationem alij vſurpant, vt prouerbium hic citra parœmiam. verſus enim ſunt ex Ennij Thyeſte deprompti, vnde & Thyeſtea execratio nominatur.

Evisceratvs latere penderes.] Coniicit Guillelmius *lacerè*.

NOTÆ.

I. Svscepta fravs.] Pro Roſcio Amerino: *Sua quemque fraus & ſuus terror maximè vexat.* Qui locus fuſiùs §. 46. referetur. Vlpianus D. de ædilitio edicto. lege Cùm autem. *Capitalem fraudem admittere eſt tale aliquid delinquere, propter quod capite puniendus ſit. Veteres enim fraudem pro pœna ponere ſolebant.* Tamen ſi propriè loquamur, vt ait idem Vlpianus De verborum ſignific. *Aliud eſt fraus, aliud pœna: quòd fraus ſine pœna eſſe poteſt: pœna non ſine fraude. Pœna eſt noxæ vindicta: fraus & ipſa noxa dicitur, & quaſi pœnæ quædam præparatio.* Hinc *ſucipere fraudem* eſt ſcelus animo concipere, cui pœna debeatur. Hinc frequenter in legibus cauebatur, *ne cui fraudi eſſet.* id eſt, ne ad pœnam imputaretur. Vnico in tam vberi ſegete, contenti ſimus exemplo. Liuius libro 30. *Latum ad populum eſt ne Cn. Seruilio fraudi eſſet, quòd patre, qui ſella curuli ſediſſet, viuo, cùm id ignoraret, Tribunusplebis atque Ædilis fuiſſet, contrà quàm ſancitum legibus erat.* Hinc ſine fraude idem eſt atque ſine noxa, ſine nocumento. Horatius 2. carm. ode 19.

- Tu ſeparatis vuidus in iugis
Nono coërces viperino
Biſtonidum ſine fraude crines.

Item Carmine ſeculari:

Cui per ardentem ſine fraude Troiam
Caſtus Æneas patriæ ſuperſtes
Liberum muniuit iter, daturus
Plura relictis.

Marcvs Regvlvs.] Marcus Attilius Regulus, poſtquam Conſul in Africa primo bello Punico, *oppida ducenta, & hominum ducenta millia cepit, mox arte Xantippi Lacedæmonij mercenarij militis captus, in carcerem miſſus, legatus de permutandis captiuis Romam miſſus dato iureiurando, vt ſi non impetraſſet, ita demum rediret, in Senatu conditionem diſſuaſit: reiectiſque à ſe coniuge & liberis, Carthaginem regreſſus, vbi in arcam ligneam coniectus, clauis introrſum adactis, vigiliis ac dolore punitus eſt.* Hæc fere verbis Plinij, quorum nonnulla Polybius libro 1. Appianus in Libycis, Tullius in officiis & paradoxis, Silius libro 6. Horatius 3. Carminum, & alij prodiderunt. Vide Sextianam §. 126. II. Regulus.

In machina.] Ea machina ſic à Tertulliano deſcribitur libro ad martyres: *Maluit hoſtibus reddi, & in arcæ genus ſtipatum vndique extrinſecus, clauis transfixus tot cruces ſenſit.* Appianus in Libycis: Ὁ Ἀτίλιος Ῥῆγλος ἐν ἀπορρήτῳ τοῖς πόλεσι (lege τοῖς τέλεσι) Ῥωμαίων ἐπισκήψας ἐγκρατῶς ἔχεσθαι τοῦ πολέμου, ἐπανῆλθεν εἰς λίμνην (lege λιβύην, vel λύμην) ἕτοιμος, καὶ αὐτὸν οἱ Καρχηδόνιοι καθείρξαντες ἐν γαλεάγρᾳ κέντρα πάντοθεν ἐχούσῃ διέφθειραν. *Attilius Regulus clam admonitis primoribus ciuitatis, vt fortiter in bellum incumberent, reuerſus eſt ad ſupplicium paratus, & eum Carthaginienſes in muſcipulam aculeis vndequaque munitam coniectum neci dederunt.* Silius libro ſexto: III. Machina Reguli.

Præfixo paribus ligno mucronibus omnes
Armantur laterum crates, denſúſque per artem
Texitur eiecti ſtantíſque ex ordine ferri
Infœlix ſtimulus, ſomníſque hac fraude negatis
Quoſcunque in flexus produxo tempore tortor
Inclinauit iners, fodiunt ad viſcera corpus.

At Tullius ſomnos non ſolùm hac fraude impeditos fuiſſe tradit, ſed etiam reſectis palpebris, vt videlicet non poſſet conuiuere. Tubero apub Gellium: *Palpebras quoque eius, ne conniuere poſſet, ſurſum ac deorſum deductas inſuebant.*

Caivm Marivm.] Caius Marius, *Cùm Sulpitia rogatione prouinciam Syllæ eriperet, armis ab eo victus Minturnis in palude latuit. Inuentus & in carcerem coniectus immiſſum percuſſorem Gallum vultus authoritate deterruit, acceptáque nauiculâ in Africam traiecit. ibi diu exulauit.* Sed de his tum de Italia ſeruata & Africa deuicta Appianus primo ciuilium. Plutarchus in Sylla & Mario, Cicero paſſim, Florus & alij conſulantur. IV. Marius.

Africa devicta.] Velleius libro ſecundo: *Inopem vitam in tugurio ruinarum Carthaginenſium tolerauit, cùm Marius adſpiciens Carthaginem, illa intuens Marium alter alteri poſſent eſſe ſolatio.* Sic & ipſe Marius neſcio cui percunctanti quidnam ipſius nomine Romam nuntiaret: Ἀπεκρίνατο μέγα στενάξας· Ἄγγελλε τοίνυν ὅτι Γάϊον Μάριον ἐν τοῖς Καρχηδόνος ἐρειπίοις φυγάδα καθεζόμενον εἶδες. *Reſpondit altè ſuſpirans, Renuntia te vidiſſe Caium Marium extorrem, ſedentem in ruinis Carthaginis.* hæc Plutarchus. Iuuenalis Sat. 10.

Exilium & carcer Minturnorúmque paludes

Et mendicatus victa Carthagine panis.

Lucanus lib. 2. ver. 90.

Nuda triumphati iacuit per regna Iugurthâ
Et Pœnus preſsit, cineres. Solatia fati
Carthago Mariúſque tulit: paritérque iacentes
Ignouere Deis.

Manilius præfatione lib. 4.

Et iacuit Libycis compar iactura ruinis,
Eque crepidinibus cepit Carthaginis vrbem.

VI. Fortunæ tela. FORTVNÆ ISTA TELA.] Fortunæ tela eleganter appellat. tela enim ἀπὸ τοῦ τηλοῦ, quòd procul iaciantur, quaſi fortuna cum Regulo Marióque cominus congredi non auſa, in eos eminus tela contorſerit. Seneca de beneficiis libro ſexto cap. 8. *Ignari quantum telorum in aduerſos fortuna comparet.* Dio Chryſoſtomus oratione 16. quæ περὶ λύπης inſcribitur: Ὥσπερ οὖν τοῖς εἰς πόλεμον ἐξιοῦσιν οὐδέν ἐστιν ὄφελος αὖ γυμνοὶ προσελθόντες. ἔπειτα ἕκαστον τῶν φερομένων βελῶν ἐκκλίνειν ἐθέλωσιν. οὐ γὰρ ἐν φυλάττεσθαι πάντα. δεῖ δὲ θώρακος στερεοῦ, καὶ τῆς ἄλλης πανοπλίας, ὥστε κἂν ἐμπέσῃ τι μὴ διικνεῖσθαι· τὸν αὐτὸν τρόπον, καὶ τοῖς εἰς τὸν βίον προσελθοῦσιν οὐχ οἷόν τ' ἐκκλίνειν οὐδὲ φυλάττεσθαι, ὥστε ὑπὸ μηδενὸς παίεσθαι τῶν ἐκ τῆς τύχης, μυρίων ἐφ' ἕκαστον φερομένων. ἀλλὰ διανοίας ἰσχυρᾶς ἐστι χρεία, μάλιστα μὲν ἀτρώτου καὶ πρὸς μηδὲν εἰκούσης. εἰ δὲ μή γε, μὴ ῥᾳδίως, μηδ' ὑπὸ τοῦ τυχόντος τιτρωσκομένης. *Quemadmodum igitur in bellum exeuntibus nulla utilitas, ſi nudi ad hoſtes accedant, & poſtea telorum volantium vnumquodque declinare velint (non enim fieri poteſt vt omnia vitentur) opus eſt autem thorace ſolido, & aliâ omni armaturâ, vt etſi telum aliquod incidat, non penetrare poſsit: eo modo & iis qui in hanc vitam procedunt, poſsibile non eſt vt omnia declinent & euitent, vtque à nullo feriantur eorum quæ ſexcenta in vnumquemque iaculatur fortuna: ſed opus eſt animo firmo.* Hactenus ſequor Thomæ Nageorgi verſionem. quæ ſequuntur ita malim efferre. *Sed opus eſt animo firmo, & imprimis quidem inuulnerabili, nullíque iaculo cedente: Quòd ſi fieri non poteſt, at ſaltem qui non facilè, neque à quolibet vulneretur.* Item oratione ſecunda de fortuna: Εὐτύχει καίτοι τῆς τύχης πολλὰ μὲν βέλη ἐφιείσης αὐτῷ, ὡς σκοπῷ, τυχεῖν δὲ μὴ δυναμένης. *Fortunatus erat* (Diogenes Cynicus) *quamquam fortuna multa illi tela ceu ſcopo immitteret, non poterat tamen ipſum attingere.* Item: Ἀλλ' αὐτὸς τούτου τοῦ χαλεποῦ σκοποῦ πόσοις ἔτυχε τοξεύμασι; *Illum ipſum difficilem tactu ſcopum, quot telis* Fortuna *percuſsit?* Atque fortaſſe hanc ob cauſſam τύχη ἀπὸ τοῦ τυχεῖν nomen acceperit. Seneca epiſtola 45. loquens de ſapiente: *Fortuna cùm in eum quod habuit telum nocentiſsimum vi maximâ intorſit, pungit, non vulnerat: & hoc raro. Nam cætera eius tela quibus genus humanum debellatur, grandinis more diſſultant, quæ incuſſa tectis ſine vllo habitatoris incommodo crepitat ac ſoluitur.*

VII. Preces audire. DII MEAS PRECES AVDIERVNT.] Horatius:

Audiuere Lyce Dij mea vota, Dij
Audiuere Lyce.

primo Iliados:

Ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται, θεοὶ ἔκλυον αὐτοῦ.
Paruerit quicunque Deo, Deus audiet ipſum.

Audire eſt precibus annuere, audiri, impetrare. Seneca in Oedipo:

-audios, vates ait,
Rata verba fudi.

Statius:

Iam nequeo tolerare moram,
Caſsúſve Sacerdos
Audior.

Item:

Audiris genitor, corpúſque exangue propinquat.

Lucianus in Timone magis lepidè, quàm piè Iouem inducit ita loquentem: Πολλοῦ ἤδη χρόνου οὐδ' ἐπέβλεψα εἰς τὴν Ἀττικήν. καὶ μάλιστα ἐξ οὗ φιλοσοφία καὶ λόγων ἔριδες ἐπεπόλασαν αὐτοῖς. μαχομένων γὰρ πρὸς ἀλλήλους καὶ κεκραγότων, οὐδ' ἐπακούειν ἐστὶ τῶν εὐχῶν. ὥστε ἢ ἐπιβυσάμενον χρὴ τὰ ὦτα καθῆσθαι, ἢ ἐπιτριβῆναι πρὸς αὐτῶν, ἀρετήν τινα καὶ ἀσώματα καὶ λήρους μεγάλῃ τῇ φωνῇ ξυνειρόντων. διὰ ταῦτά μοι καὶ τοῦτον ἀμεληθῆναι συνέβη πρὸς ἡμᾶς, οὐ φαῦλον ὄντα. *Iam pridem in Atticam ne reſpexi quidem. præſertim ex quo philoſophia & verborum contentiones ipſis exuberare cœperunt. certantibus enim illis inter ſe & clamantibus, ne preces quidem audire poſſum. Quare aut obturatis auribus ſedere oportet, aut eorum conuiciis obtundi, dum virtutem neſcio quam incorporea, & nugas magna voce pleniſque buccis loquuntur. & eam ob rem hic mihi curæ non fuit, quamuis improbus non poſſet.* Et in hypernephelo, Iouem ad os cuiuſdam putei aſſidere dicit, per quem preces in cœlum adſcendunt: Ἐπακούων δὲ ὁ Ζεὺς, καὶ τὴν εὐχὴν ἑκάστην ἀκριβῶς ἐξετάζων, οὐ πάσιν ὑπισχνεῖτο, Iuſtæ preces audiuntur, iniuſtæ repudiãtur à Deo.

Ἀλλ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε.

Τὰς μὲν γὰρ δικαίας τῶν εὐχῶν, προσίετο ἄνω διὰ τοῦ στομίου, καὶ ἐπὶ τὰ δεξιὰ κατετίθει φέρων· τὰς δ' ἀνοσίους ἀπράκτους αὖθις ἀπέπεμπεν ἀναφυσῶν κάτω, ἵνα μηδὲ πλησίον γένοιντο τοῦ οὐρανοῦ. *Audiens Iupiter, ſingulas preces accuratè examinans, non omnibus annuebat,*

Verùm aliud dedit omnipotens, aliúdque negauit.

Iuſtas enim preces per os putei in cœlum admittebat, & ad dexteram collocabat: iniuſtas verò fruſtratas rurſum infrà remittebat exſufflans, nec eas patiebatur vel tantiſper ad cœlum accedere.

THYESTEA.] Miſeret me Ciceronis cui tam multi illuſerint: vt hoc loco Iacobus Omphalius: *prouerbij figuram habet. Erat enim Thyeſtes Pelopis filius, maledicentiſsimus Poëta, & in execrationibus prorſus inhumanus.* Qui vel ſaltem dictionarium Poëticum adiiſſet. VIII.

AXIOMATA.

Quæ eſt pœna? quod ſupplicium? Id quod accedere nemini poteſt niſi nocenti.

Calamitates & naufragia fortunæ tela ſunt, non culpæ.

Supplicium eſt pœna peccati.

ARGVMENTVM.

Auctoritate M. Marcelli demonſtrat naufragium cæteráque fortunæ tela non eſſe ſupplicij loco ducenda, tum ad Piſonis & Gabinij ſcelera delapſus oſtendit eorum furorem & audaciam vera fuiſſe ſupplicia, quæ Dij ab iis exegerint.

NON ferrem omnino moleſtè, ſi ita accidiſſet: ſed id tamen eſſet humanum, M. Marcellus, qui ter Conſul fuit, ſumma virtute, pietate, gloria militari, periit in mari: qui tamen ob virtutem in gloria, & laude viuit. in fortuna quadam eſt illa mors, non pœna putanda. Quæ eſt igitur pœna? quod ſupplicium? quæ ſaxa? quæ cruces? eſſe duos duces in prouinciis populi Romani habere exercitus, appellari Imperatores: horum alterum ſic fuiſſe infirmatum conſcientia ſcelerum, & fraudum ſuarum; vt ex ea prouincia, quæ fuerit ex omnibus vna maximè triumphalis, nullam ſit ad Senatum litteram mittere auſus. ex qua prouincia modò vir omni dignitate ornatiſſimus L. Torquatus, magnis rebus geſtis, me referente, abſens Imperator appellatus eſt: vnde his paucis Cn. Dolabellæ, C. Curionis, M. Luculli iuſtiſſimos triumphos vidimus, ex ea, te Imperatore, nuntius ad Senatum allatus eſt nullus. ab altero allatæ litteræ, recitatæ, relatum ad Senatum. XLIV.

EXPLANATIO.

NON FERREM.] Non dolerem ſi ita contigiſſet, vt vterque veſtrûm periiſſet naufragio: ſed tamen in naufragium non magis propter ſcelera veſtra, quàm propter conditionem humanam calamitatibus & periculis obnoxiam euenire potuiſſet: atque adeo non magnopere gauderem, quaſi id ſupplicij fuiſſet vobis à Diis irrogatum.

MARCVS MARCELLVS.] vis eſt ſyllogiſmi.

Illa mors non eſt pœna, qua viri fortes & pij perierunt.

Sed Marcus Marcellus vir fortis & pius periit naufragio.

Ergo naufragium non eſt pœna.

QVI TER COSS. FVIT.] Pater eius Conſulatum geſſit anno ab V. C. 571. cum Q. Fabio Labeone. Liuius, Caſſiodorus, lapides Capitolini, annales Siculi. Hic primum geſſit Conſulatum anno 588. cum C. Sulpitio. Liuius, Capitolinæ tabulæ, Iulius Obſequens, Titulus Andriæ Terentianæ, Iuſtinus, Plinius, & alij plerique meminere. ſecundum anno 599. cum Pub. Cornelio Scipione Naſica. Caſſiodorus, Faſti Siculi, & Capitolini. tertium anno 602. cum Lucio Valerio Flacco. Caſſiodorus Faſti Siculi, Iulius Obſequens. vt ex laudatis auctoribus in ſua Chronologia Ioachimus Grellius annotauit.

PIETATE.] Vide Notas.

GLORIA MILITARI.] Qui in primo Conſulatu Gallos Alpinos ſuperauit, vt teſtatur Epitome Liuiana.

IN FORTVNA.] Fortunæ potiùs, quàm pœnæ ſceleri debitæ tribuendum eſt hoc naufragium.

QVÆ EST IGITVR POENA.] Concludit argumentum quod ſuperiùs inchoarat hoc modo.

Vera pœna verúmque ſupplicium eſt ſuſpecta fraus, impedita & oppreſſa mens, conſcientia nota iuſta Senatus & amiſſio dignitatis.

Sed Piſo ſuſceptis fraudibus mentem habuit adeo impeditam, & oppreſſam conſcientiâ, vt non fuerit auſus ad Senatum reſcribere, & Gabinius repudiatis ſuis litteris tantam ſubiit iuſti Senatus notam, vt ſuam dignitatem amiſerit.

Ergo Piſo & Gabinius verâ pœnâ veróque ſupplicio affecti ſunt.

QVÆ SAXA? QVÆ CRVCES?] Crucis & ſaxi facit mentionem, quòd his duobus ſuppliciis damnati maximè plecterentur, ſerui in crucem agerentur, liberi deiicerentur è Saxo Tarpeio.

DVOS DVCES IN PROVINCIIS.] Piſonem in Macedonia, in Syria Gabinium.

HORVM ALTERVM.] Piſonem.

EX EA PROVINCIA QVÆ FVERIT.] Ex Macedonia, *quæ tantis barbarorum gentibus attingitur, vt ſemper Macedonicis Imperatoribus iidem fines Prouinciæ fuerint qui gladiorum atque pilorum: ex qua aliquot Prætorio imperio, Conſularis quidem nemo rediit qui incolumis fuerit, qui non triumpharit.*

ME REFERENTE.] Me Conſule ad Senatum referente, fuerat autem Cicero octo annis Conſul ante ſecundum Pompeij & Craſſi Conſulatum, quibus Coſſ. habita hæc oratio.

PAVCIS ANNIS.] Cn. Dolabella triumphauit anno ab vrbe condita DCLXXVI. C. Curio anno DCLXXXI. M. Lucullus anno DCLXXXII. habita eſt autem hæc oratio DCIC. vel vt alij ſupputant DCIIC.

IVSTISSIMOS TRIVMPHOS.] Non gratia & factionibus extortos.

AB ALTERO.] à Gabinio.

NOTÆ.

MARCVS MARCELLVS.] Libet Aſconij locum verbatim adſcribere, *Fortaſſe quæratis quem dicat Marcellum.* I. Marcellus.

fuit autem nepos M. Marcelli eius qui bello punico ſecundo Siracuſas vicit, & quinque Conſulatus adeptus eſt. Hic autem Marcellus de quo Cicero dicit naufragio ad ipſam Africam periit, paulò antè cœptum bellum Punicum tertium. Idem cùm ſtatuas ſibi ac patri, itémque auo poneret in monumentis aui ſui ad Honoris & Virtutis ædem ſubſcripſit. III. MARCELLI NOVIES COSS. *fuerat autem auus quinquies, pater ſemel, ipſe ter. Itaque neque mentitus eſt, & apud imperitiores patris ſui ſplendorem auxit.* Quæ fortaſſe cauſſà fuerit cur eum hoc loco Tullius à pietate commendet, cur autem meminerit, gloriæ militaris ratio eſt, quia ter triumphauit. primò de Gallis anno 587. ſecundò de Liguribus anno 598. tertiò de Celtiberis & Luſitanis anno 602. quod partim è coniecturâ oſtendit Sigonius, partim è veteribus monumentis erudierat, commentariis in Faſtos & triumphos Romanorum.

Marcelli pietas.

II. PERIIT IN MARI.]

Πάντες μὲν στυγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι,
Λιμῷ δ' οἴκτιστον θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν.
Omne genus lethi eſt odio mortalibus ægris,
Sed quod dira fames tulit eſt odioſius omni.

Naufragium.

Aiebat Eurylochus duodecimo Odyſſeæ, tamen non pauci eam mortem acerbiorem eſſe duxerunt, quæ naufragio contigiſſet. Synesius epiſtola quarta: Ἐμὲ δ' ἐν τοῖς δεινοῖς τὸ Ὁμηρικὸν ἔθραττεν ἐκεῖνο, μὴ ἄρα ἀληθὲς εἴη τὸν καθ' ὕδατος θάνατον ὄλεθρον εἶναι καὶ αὐτῆς τῆς ψυχῆς, λέγει γὰρ

Αἴας δ' ἐξαπόλωλεν, ἐπεὶ πίεν ἁλμυρὸν ὕδωρ.

τὸν ἐν τῇ θαλάττῃ ἀκριβεστάτην ἀπώλειαν εἶναι τιθέμενος, οὐδένα γοῦν ἄλλον ἐξαπολωλέναι φησὶν, ἀλλ' ἕκαστος ἀποθνήσκων

-ἄϊδος δ' ἐβεβήκει.

ταῦτ' ἄρα καὶ ἐν δυοῖν νεκυίαιν ὁ μικρὸς Αἴας οὐδαμοῦ τοῦ δράματος εἰσκυκλεῖται, ὡς τῆς ψυχῆς οὐκ οὔσης ἐν ᾅδου. καὶ Ἀχιλλεὺς ἀνὴρ εὐψυχότατός τε καὶ φιλοκινδυνότατος, ἀποδειλιᾷ πρὸς τὸν ἐν ὕδατι θάνατον. ὅν γε καὶ λευγαλέον καλεῖ. *Me verò in tali periculo verſantem Homericum illud exterruit, ne verum eſſet, in naufragij morte animas cum corporibus interire, dicit enim,*

Mors in naufragio dictabatur animã extinguere.

Aiax interiit poſtquam ſalſam bibit vndam.

mortem quæ in mari contingit verum & certiſſimum interitum eſſe affirmans. Neminem enim aliorum interire dicit, ſed moriens

-demittitur orco.

Sic igitur & in duobus mortualibus minor Aiax nuſpiam in dramate toto inducitur, quod eius anima haudquaquam in inferis eſſe videatur. & Achilles vir generoſiſſimus, & periculorum amantiſſimus contra mortem ex aqua venientem ignauus eſt. quam & difficilem appellat. Sed vide Iliados φ'. Achillem Homericum, cuius orationem penè verbatim expreſſit Statius 9. Thebaidos, à quo Hippomedon in ſubuerſionis diſcrimine ſic loquens inducitur:

-Fluuióne, pudet, Mars inclyte perdes
Hanc animam? ſegnéſque lacus & ſtagna ſubibo
Ceu pecoris cuſtos, ſubiti torrentis iniquis
Interceptus aquis? adeóne occumbere ferro
Non merui?

Sic & in naufragij diſcrimine:

Extemplo Æneæ ſoluuntur frigore membra.

Sic & apud Valerium Flaccum, magni planè ſpiritûs Poëtam Argonautæ lib. 1. ingemiſcunt:

Heroës timebant aut indignabantur id genus mortis.

-ſegni flentes occumbere fato.
Magnanimus ſpectat pharetras & inutile robur
Amphitryoniades: miſcent ſuprema pauentes
Verba alij, iungúntque manus atque ora fatigant.

Prudentius tamen, Homerus & Statius Heroas illos non timere ſubmerſionem, ſed potiùs indignari voluerunt. Ariſtoteles cap. 9. tertij Ethicorum: ΟΥ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐν θαλάττῃ καὶ ἐν νόσοις ἀδεὴς ὁ ἀνδρεῖος. οὐχ οὕτω δὲ, ὡς οἱ θαλάττιοι. οἱ μὲν γὰρ ἀπεγνώκασι τὴν σωτηρίαν καὶ τὸν θάνατον τὸν τοιοῦτον δυσχεραίνουσιν. οἱ δ' εὐέλπιδές εἰσι, παρὰ τὴν ἐμπειρίαν. *Verumtamen & in mari & in morbis vir fortis eſt terroris expers. non ita verò, vt ij qui ſemper in mari verſantur. hi enim de ſalute deſperant, & huiuſmodi mortem indignantur. illi verò propter frequentem experientiam ſperant euadere.* Talis fuit ille Fibrenus apud Silium libro 4.

Namque inhonoratam Fibrenus cernere mortem
Et famæ mundã impatiens: Spectabimur, inquit,
Nec fortuna meum condes ſub gurgite lethum.

Aliam adfert Achilles Tatius rationem cur mors in mari cæteris miſerior cenſeatur. lib. 5. Λέγουσι γὰρ τὰς ἐν ὕδατι ψυχὰς ἀπνιγείσας μηδ' εἰς ᾅδου καταβαίνειν, ἀλλ' αὐτοῦ περὶ τὸ ὕδωρ ἔχειν τὴν πλάνην. *Aiunt animas quæ in aquis expirauerint, ne ad inferos quidem deſcendere, ſed ibidem circa aquas errare.*

III. ABSENS IMPERATOR SIT APPELLATVS.] De appellatione Imperatoris data ab exercitu dictum 38. §. poſtea Senatus allatis litteris laureatis victoriæ nuntiis hanc appellationem auctoritate ſua confirmabat. de quo decima quarta Philippica fusè conſulatur. immò primis Conſulum temporibus, videtur neceſſaria Senatus auctoritas fuiſſe ad lauream obtinendam. nam, vt ait Halicarnaſſeus lib. 6. Seruilius omnium primus recuſante Senatu, στεφανῶσαι τὰς ῥάβδους ἐκέλευσεν. *ſuos faſces iuſſit coronari.* Noſter de Prouinciis Conſularibus 15. *Hoſce igitur Imperatores habebimus? quorum alter non audet nos certiores facere, vt* IMPERATOR APPELLETVR; *alterum ſi tabellarij non ceſſarint, neceſſe eſt paucis diebus pœniteat audere.*

Imperatoris appellatio à Senatu.

IV. IVSTISSIMOS TRIVMPHOS.] Vt quos iuſtos triumphos appellet liquidiùs agnoſcere poſſimus, pretium operæ fuerit è Valtrini noſtri viri nunquam ſatis laudati libro ſeptimo de re militari leges ad triumphum ſpectantes excerpere. Prima & antiquiſſima fuit, quæ nunquam ſeruata non eſt, vt qui triumphum ducturi eſſent ſua in prouincia ſuíſque auſpiciis rem geſſiſſent. Liuius libro 28. de Nerone & Salinatore. Libro 34. de M. Eluio. Velleius libro 2. de Lepido qui Tiberij auſpiciis res geſſerat. Dio libro 43. de Fabio Pedióque.

Conditiones ad triumphũ requiſitæ.

Altera vt pro aucto imperio, non pro recuperatis, quæ populi Romani fuiſſent triumphus decerneretur. Valerius libro ſecundo de Scipione & Fuluio. Marcellinus libro vigeſimo quinto. Liuius libro 28. de Scipione, & 31. de Lucio Lentulo.

Tertia, ne quis triumpharet, niſi & quinque millia hoſtium vno prælio cecidiſſet, & de ſuo exercitu multo pauciores amiſiſſet. Valerius libro ſecundo de iure triumphandi.

Quarta, vt non niſi exercitu è Prouincia deportato triumphus decerneretur, cùm vt teſtis eſſet virtutum Imperatoris, tum etiam vt debellatum eſſe in prouincia appareret. Liuius lib. 26. de Marcello, 28. de Nerone, 31. de Furio Prætore, 39. de Lucio Manlio, Dio 37. de Pompeio.

Quinta denique lex fuit, vt non de ciuibus, ſed de hoſtibus triumphus duceretur. Quare neque Catulus de Lepido, neque C. Antonius de Catilina, neque Sulla de Mario, triumpharunt, vt eſt auctor Valerius libro 2. Sed hæc è Valtrino deprompta ſuffecerint.

AXIOMATA.

Viri fortes etiam mortui ob virtutem gloria & laude viuunt.

Magnum eſt ſupplicium, magna pœna infirmari conſcientiâ ſcelerum & fraudum ſuarum.

ARGVMENTVM.

§. 43. *Dixerat mentem conſcientia ſcelerum impeditam, bonorum odium, notam iuſtam Senatus eſſe pœnas, quæ à ſceleratis exiguntur. Poſtquam oſtendit ſuperius mentem Piſonis fuiſſe impeditam ſcelerum conſcientia ne auderet ad Senatum reſcribere, hîc demonſtrat & notam iuſtam Senatûs inuſtam fuiſſe Gabinio, & vtrumque odio eſſe ciuibus vniuerſis.*

DII immortales: id ne ego optarem, vt inimicus meus, ea, qua nemo vnquam ignominia notaretur? vt Senatus is, qui in eam iam benignitatis conſuetudinem venit, vt eos, qui bene Rempub. geſſerint nouis honoribus afficiat, & numero dierum, & genere verborum: huius vnius litteris nuntiantibus non crederet, poſtulantibus denegaret? His ego rebus paſcor, his delector, his perfruor: quòd de vobis hic ordo opinatur non ſecus, ac de teterrimis hoſtibus: quòd vos equites Rom. quòd cæteri ordines, quòd cuncta ciuitas odit: quòd nemo bonus, nemo denique ciuis eſt, qui modò ſe ciuem eſſe meminerit, qui vos non oculis fugiat, auribus reſpuat, animo aſpernetur, recordatione denique ipſa Conſulatus veſtri perhorreſcat. XLV.

EXPLANATIO.

DII IMMORTALES.] Exclamatione rem exaggerat, oſtenditque tantas pœnas Gabinio fuiſſe impoſitas, vt etiam ipſius quantumuis inimici ſpem & deſiderium longè ſuperarint.

QVA NEMO VNQVAM.] Præter Titum Albutium, cui Senatus etiam ſupplicationem ob res in Sardinia geſtas denegauit. Sed diſſimilitudo inter vtrumq. de Prouinciis Conſularibus 15. fusè oſtenditur, ideóque verè dicitur hic ſupplicatio ſoli fuiſſe Gabinio denegata.

VT SENATVS IS.] Inuſtam Gabinio ignominiam à benignitate Senatûs exaggerat, qui cùm eſſet in cæteros adeo liberalis, ſupplicationem ipſi ſine ſummo odio & execratione rerum ab eo geſtarum minimè denegaſſet.

ET NVMERO DIERVM.] Quibus diebus ſupplicatio ad Deorum puluinaria indicitur. addit *& genere verborum*, quia magni intereſt, quibus verbis indicatur.

NVNTIANTIBVS.] Res à Gabinio geſtas in Syria.

POSTVLANTIBVS.] Supplicationem.

HIS EGO REBVS PASCOR.] Elegans expolitio, qua oratio mirè variatur. primò enim verbis vtitur penè ſynonymis illis quidem, quibus tamen ſenſim aſſurgat oratio. *Paſcor*, inquit, quaſi diceret alor & ſuſtentor, quod eſt neceſſitatis ne cogatur pœnæ inimicis infligendæ deſiderio tabeſcere. *his delector*, quod eſt iucunditatis, *his perfruor*, quod eſt fœlicitatis, in quo tanquam in mea beatitudine acquieſco. mox omnium bonorum in ipſos odium vberi expolitione deſcribens. primò à partium enumeratione Senatûs, equeſtris ordinis; & reliquorum rem exaggerat, deinde partes hac veluti enumeratione diſperſas & diſſipatas in vnum colligit nomine cunctæ ciuitatis. Denique quod per affirmationem oſtenderat, idē infitiatione declarat, nec ſolùm dicit neminem bonum eſſe, ſed ne ciuem quidem vllum qui Piſonem & Gabinium non execretur, quam execrationem iterum veluti quadam partiū enumeratione, id eſt, auriū, oculorum, animi, recordationis mentione, & verborum idem penè ſignificātiū fugiendi, reſpuendi, aſpernandi, perhorreſcendi, poſitione amplificat. ac demum hanc figuram ſententiarū, variis verborū figuris, repetitionibus, *his, his, his.* mox, *quòd, quòd, quòd.* Iterum *nemo, nemo.* Et diſſolutionibus ſiue aſynthetis illuminat. quas duas verborum figuras Noſter alicubi tradit ad amplificationem eſſe aptiſſimas. repetitionem quòd rem magis inculcet, diſſolutionem, quòd maior rerum cumulus ita temerè, & ſine copulis coaceruari videatur, quàm ſi oratio ſuis coniunctionibus necteretur.

NOTÆ.

ET NVMERO DIERVM.] In numero dierum nonnihil variatum. videtur ſupplicatio Conſularis ordinariè fuiſſe vnico die definita. Liuius lib. 3. *Gemina victoria duobus bifariam prœliis parta, malignè Senatus in vnum diem ſupplicationem Conſulum nomine decreuit. populus, iniuſſus & altero die frequens vt ſupplicatum. & hæc vaga populariſque ſupplicatio ſtudiis propè celebratior fuit.* Et libro 27. *Senatus ob res feliciter à Pub. Scipione geſtas ſupplicationem in vnum diem decreuit.* Et lib. 37. *Victoria naualis ergò in vnum diem ſupplicatio decreta eſt: in alterum diem quòd exercitus Romanus, tùm primùm in Aſia poſuiſſet caſtra, vt ea res proſpera ac læta eueniret: vicenis maioribus hoſtiis in ſingulas ſupplicationes, ſacrificare Conſul eſt iuſſus.* Libro 41. *Diem vnum ſupplicatio fuit ob res proſperè geſtas in Hiſpania.* 1. Supplicatio in vnum diem.

Supplicatio in duos dies. Supplicatio per biduum ob victoriam vix vnquam indicta reperitur. quamuis, vt idem Liuius tradit libro 36. ante bellum Antiochi, *ſupplicatio inde ab duobus Conſulibus edicta per biduum fuit.* In tres dies. Frequens eſt mentio tridui. Liuius lib. 31. de Gallis ad Cremonam à Lucio Furio Prætore ſuperatis, *Magna victoria lætáque Romæ fuit litteris allatis, ſupplicatio in triduum decreta eſt.* Et libro 33. de cæſis à Marcello quadraginta Gallorum millibus & Boiis ſubactis: *Ob eas res geſtas Conſulum litteris Romam allatis, ſupplicatio in triduum decreta eſt.* Libro 34. *Eodem ferè tempore & à Tito Quintio de rebus ad Lacedæmonem geſtis, & ab M. Porcio Cos. ex Hiſpania litteræ allatæ, vtriuſque nomine ternos in dies ſupplicatio à Senatu decreta eſt.* Item: *Ob res geſtas in Hiſpania ſupplicationem in triduum Patres decreuerunt.* 38. Ob res in Ætolia contra Antiochum ab Acilio Cos. geſtas: *Supplicatio in triduum decreta eſt.* Et libro 28. ob deletum Aſdrubalem, Senatus *Supplicationem in triduum decreuit.* Libro 30. ob debellatam à maiore Africano Africam: *Patefacta gratulatione omnia in vrbe templa, ſupplicationéſque in triduum decretæ.* Libro 37. ob res fœliciter à L. Scipione in Aſia geſtas: *Supplicatio inde in triduum decreta eſt, & XL. maiores hoſtiæ immolari iuſſæ.* In quatuor. Alias in quatuor dies indicta eſt, vt Veiis à Camillo expugnatis: *Senatus in quatriduum, quot dierum nullo antè bello ſupplicationes decernit.* Libro quinto & libro 30. adducto Romam Siphace: *Supplicatio in quatriduum decreta eſt.* Et libro 32. *Litteræ Conſulum à Gallia de geſtis proſperè ſub idem tempus Romam allatæ. M. Sergius Prætor vrbanus in Senatu eas, deinde ex auctoritate Patrum ad populum recitauit, ſupplicatio in quatriduum decreta.* In quinque. Immo & in quinque dies, vt expulſo ex Italia Annibale libro 30. *Decretum vt quinque dies circa omnia puluinaria ſupplicaretur, victimæque maiores immolarentur CXX.* Et libro 33. ob victoriam T. Quintij de Philippo: *Ob res proſperè geſtas in dies quinque ſupplicationes decretæ.* Et libro 45. *Senatus reuocatus in curiam ſupplicationem ob rem egregiè geſtam ab Lucio Æmilio Cos. in quinque dies circa omnia puluinaria decreuit.* Atque hunc numerum poſtremis temporibus fuiſſe legitimum ſupplicationi Conſulari Valtrinus exiſtimat: mox aucta ſiue poſtulantium ambitione, ſiue decernentium benignitate Cn. Pompeio fuit duplicatus, Cæſari triplicatus. vt liquet ex ea quæ eſt de Prouinciis Conſularibus 26. 27. immò & anno inſequenti, vt ipſius Cæſaris verbis vtar 4. de bello Gallico, *Ex litteris Cæſaris dierum viginti ſupplicatio à Senatu decreta eſt.* Immò Tullius Philippica 14. ob victoriam Hirtij, Panſæ, & Octauij Cæſaris de M. Antonio cenſet 37. §. vt *M. Cornutus Prætor vrbanus ſupplicationes per dies quinquaginta ad omnia puluinaria conſtituat.* Sed hæc ſatis, vt Senatus liberalitatem in ſupplicationibus decernendis poſſis agnoſcere. Supplicatio in plures & plures dies inſtituta.

AVRIBVS RESPVANT.] Auctor dialogi de oratoribus apud Tacitum: *Licet hæc ipſa & quæ deinde dicturus ſum, aures tuæ, ô Materne, reſpuant, cui bono eſt ſi apud te Agamemnon, aut Iaſon diſertè loquitur.* Fabius libro 11. cap. 1. *Quid aures hominum magis reſpuunt, quàm cum eſt filio filiive aduocatis in matrem perorandum.* ita penè Græci. Heſiodus in operibus: II. Reſpuere auribus.

ΟΥ γὰρ τοί γε κλύουσιν, ἀποπτύουσι δέ τ᾽ ἀράς.

Non illi quidem audiunt, reſpuunt verò preces.

Noſter pro Sylla 70. *Cuius aures vnquam hoc reſpuerunt?* pro Plancio 44. *Quid diceres? Sequeſtrémne Plancium? Reſpuerent aures, nemo agnoſceret.*

ARGVMENTVM.

Ad furorem & inſaniam tranſit tertium pœnarum genus, quas à Diis in homines nefarios & conſceleratos conſtitutas eſſe dicit, & paragrapho 43. inter vera ſupplicia numerauit.

XLVI. HÆC ego ſemper de vobis expetiui, hæc optaui. hæc precatus ſum. plura etiam acciderunt, quam vellem. nam, vt amitteretis exercitum, numquam, mehercule, optaui. illud etiam accidit præter optatum meum, ſed valde ex voluntate. mihi enim non venerat in mentem furorem, & inſaniam optare vobis, in quam incidiſtis. atqui fuit optandum. me tamen fugerat, Deorum immortalium has eſſe in impios, & conſceleratos pœnas certiſſimas conſtitutas. Nolite enim putare, P. C. vt in ſcena videtis, homines conſceleratos impulſu Deorum terreri furiarum tædis ardentibus: ſua quemque fraus, ſuum facinus, ſuum ſcelus, ſua audacia de ſanitate ac mente deturbat. hæ ſunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces.

EXPLANATIO.

HÆC EGO.] Infamiam, bonorum odium, notam iuſtam Senatus, mentem ſcelerum conſcientia oppreſſam, & impeditam.

PLVRA ETIAM.] Occurrit tacitæ obiectioni ne calamitati quæ Piſonis & Gabinij culpâ Reipub. euenerat, inſultare & inequitare videatur.

VT AMITTERETIS EXERCITVM.]

vt Piſonis exercitus interiret, *captus, necatus, deſertus, diſſipatus, incuria, fame, morbo, vaſtitate conſumptus.* de Prouinciis Conſul. 5. vt Gabinij *aduentus in Syriam primus Equitatus haberet interitum, pòſt conciderentur optimæ cohortes.* ibidem 9.

Illvd etiam.] Aduerte lepidam tranſitionis rationem. poſtquam dixit quæ expetierat, optauerat, precatus fuerat inimicis ſuis euenire, ea ſubnectit quæ nec vnquam optauerat, & doluerat ex ipſorum culpa in Reip. damnum redúdaſſe, tandem ad ea delabitur quæ non optauerat ille quidem, ſed gauiſus fuerat accidiſſe.

Mihi enim.] Reddit rationem cur non optauerit, quia videlicet de furore & inſania iis imprecanda minimè cogitarat.

Constitvtas.] Ratas & fixas, adeò vt nemo impius & ſceleratus poſſit eas effugere.

Nolite enim.] Remouet falſam opinionem, quæ potuiſſet in auditorum animis inſidere; oſtendítque non ideò conſceleratos nullam ſcelerum pœnam perſoluere, etiamſi extrinſecus furiarum tædis ardentibus minimè puniantur: & ſatis eſſe propriam cuiuſque conſcientiam ad pœnas exigendas. hoc pene ſyllogiſmo:

Non ſunt requirendæ furiæ ad eos vexandos, quos ſua conſcientia de ſanitate ac mente deturbat.

Sed ſceleratum ſua conſcientia de ſanitate ac mente deturbat.

Ergo non ſunt requirendæ furiæ ad pœnas de ſcelerato exigendas.

Propoſitio reticetur. aſſumptio & concluſio claræ ſunt.

NOTÆ.

I. Pœnæ certiſſimæ furor & inſania.

Poenas certissimas.] De Aruſpicum reſponſis: *A Diis quidem immortalibus quæ poteſt homini maior eſſe pœna furore atque dementia? niſi fortè in tragœdiis, quos vulnere ac dolore corporis cruciari ac conſumi vides, grauiores Deorum immortalium iras ſubire, quàm illos, qui furentes inducuntur, putas: Non ſunt illi eiulatus & gemitus Philoctetæ tam miſeri (quanquam ſunt acerbi) quàm illa exultatio Athamantis, & quàm ſomnium matricidarum.* Mox enumeratis Clodij facinoribus, ſubdit: *Cùm baccharis, cùm furis, tum das eas pœnas quæ ſunt ſolæ hominum ſceleri à Diis immortalibus conſtitutæ. nam corporis quidem noſtri infirmitas multos ſubit caſus per ſe: denique ipſum corpus tenuiſſima ſæpe de cauſſa conficitur: Deorum tela in impiorum mentibus figuntur.* Lycurgus orator contra Leocratem: Φανερὸν ἐστὶν ὅτι τῶν αὐτοῦ παρανομημάτων ὑπέχει ταύτην τὴν τιμωρίαν. οἱ γὰρ θεοὶ οὐδὲν πρότερον ποιοῦσιν, ἢ τῶν πονηρῶν ἀνθρώπων τὴν διάνοιαν παράγουσι. καί μοι δοκοῦσι τῶν ἀρχαίων τινὲς ποιητῶν, ὥσπερ χρησμοὺς γράψαντες τοῖς ἐπιγιγνομένοις, τάδε τὰ ἰαμβεῖα καταλιπεῖν·

Ὅταν γὰρ ὀργὴ δαιμόνων βλάπτῃ τινὰ,
Τοῦτ' αὐτὸ πρῶτον ἐξαφαιρεῖται φρενῶν
Τὸν νοῦν τὸν ἐσθλὸν, εἰς δὲ τὴν χείρω τρέπει
Γνώμην, ἵν' εἴδῃ μηδὲν ὧν ἁμαρτάνει.

Manifeſtum eſt eum hanc ſcelerum ſuorum pœnam ſubire. Nihil enim Dij potiùs agunt, quàm vt conſceleratorum hominum mentem peruertant. Mihique videntur quidam veterum poëtarum, ſcribentes quaſi quædam oracula poſteris reliquiſſe.

Si quem Deorum vexat iracundia,
Hunc ſanitate mentis exturbant priùs,
Mentémque rapiunt, atque tranſuerſos agunt
Senſus. ſuum ne ſentiat peccans ſcelus.

II. Furiarum tædæ ardentes conſcientiam malam ſignificant.

Nolite enim pvtare.] Hic locus ex Æſchine contra Timarchum pene de verbo ad verbum expreſſus eſt: Μὴ γὰρ οἴεσθε, ὦ Ἀθηναῖοι, τὰς τῶν ἀδικημάτων ἀρχὰς ἀπὸ θεῶν, ἀλλ' ἐκ ἀπ' ἀνθρώπων ἀσελγείας γίνεσθαι, μηδὲ τοὺς ἠσεβηκότας καθάπερ ἐν ταῖς τραγῳδίαις ποινὰς ἐλαύνειν καὶ κολάζειν δᾳσὶν ἡμμέναις. ἀλλ' αἱ προπετεῖς τοῦ σώματος ἡδοναὶ, καὶ τὸ μηδὲν ἱκανὸν ἡγεῖσθαι, ταῦτα πληροῖ τὰ λῃστήρια, ταῦτ' εἰς τὰ ἐπακτροκέλητα ἐμβιβάζει ταῦτ' ἐστὶν ἑκάστῳ ποινὴ, &c. *Nolite enim putare, Athenienſes, iniuſtè factorum initia à Diis, non ab hominum intemperiis proficiſci, neque impios & conſceleratos, vt in tragœdiis fieri ſolet, à furiis impelli & puniri tædis ardentibus. ſed proiectæ corporis voluptates, & inſatiabilis habendi cupiditas, ea ſunt quæ latronum receptacula complent, ea quæ in piraticos myaparones iubent adſcendere: ea ſunt pœnæ ſingulis conſtitutæ.* Et noſter pro Roſcio Amerino: *Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis ſæpenumero videtis, eos qui aliquid impiè ſceleratéque commiſerint, agitari & perterreri furiarum tædis ardentibus. ſua quemque fraus & ſuus terror maximè vexat, ſuum quemque ſcelus agitat, amentiáque afficit. ſuæ malæ cogitationes conſcientiæque animi terrent. Hæ ſunt impiis aſſiduæ domeſticæque furiæ, quæ dies noctéſque parentum pœnas à conſceleratiſſimis filiis repetant.* Et primo de legibus: *Itaque pœnas luunt, non tam iudiciis quæ quondam nuſquam erant, hodie multifariam nulla ſunt, & vt ſint, tamen perſæpe falſa ſunt: quàm conſcientia vt eos agitent, inſectentúrque furiæ, non ardentibus tædis, ſicut in fabulis, ſed angore conſcientiæ fraudiſque cruciatu.* Paradoxo ſecundo: *Quocunque adſpexiſti, vt furiæ ſic tuæ tibi occurrunt iniuriæ, quæ te reſpirare non ſinunt.* Lucretius 3. de natura rerum, verſu 1025. impiè ille quidem, ſed tamen eleganter nullas ne in inferis quidem præter conſcientiam pœnas conſecratis ait eſſe conſtitutas.

Quæ tamen etſi abſunt, at mens ſibi conſcia facti
Præmetuens, adhibet ſtimulos torrétque flagellis, &c.

Iuuenalis ſatira prima libri 5.

--cur tamen hos tu
Euaſiſſe putes, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos & ſurdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum, &c.

Latinus Pacatus in Panegyrico Theodoſij: *Niſi verò tu tuum, Venerabilis Gratiane, carnificem Diris comitatus vltricibus obſidebas, & irata minax vmbra ob os eius oculóſque fumantes infernis ignibus tædas, & crepitantia toto angue flagra quatiebas.* Mox quaſi ſeipſum reuocans: *Habet vires, habet neſcio quos internos mens ſcelerata carnifices, aut ipſa ſibi carnifex conſcientia eſt.* Liuius decadis 4. libro decimo de Philippo Macedone qui filium Demetrium occiderat: *Sed animo tamen ægrum magis fuiſſe quàm corpore conſtat: curíſque & vigiliis cùm identidem ſpecies & vmbræ inſontis interempti filij eum Diris agitarent, extinctum eſſe cum execrationibus alterius.* Dionyſius libro 8. in oratione Minutij ad Marcium Coriolanum: Τὰς γάρ τοι παρὰ θεῶν τε καὶ δαιμόνων ἐπιπεμπομένας τοῖς ἀνόσια καὶ δεινὰ διαπραξαμένοις ἐριννύας ἐῶ, ὑφ' ὧν αἰκιζόμενοι ψυχάς τε καὶ σώματα, κακοὺς μὲν διαντλοῦσι βίους, πικρὰς δ' ὑπομένουσι τελευτάς. *Prætereo furias quæ facinoroſis & nefariis hominibus à Diis & dæmonibus*

immittuntur: à quibus anima & corpore diſcruciati, poſt vitam in malis tranſactam triſtes etiam experiuntur obitus. Et in oratione Veturiæ ibidem: Ἐν τοῖς ἁπάντων ὑμῶν φίλων τε καὶ ἐχθρῶν ὄμμασιν ἐμαυτὴν διαχειρίσομαι, βαρεῖαν ἀρὰν, ἢ δεινὰς ἐριννύας αὐτ' ἐμαυτῆς καταλιποῦσά σοι τιμωρούς. *In conſpectu omnium veſtrûm tum amicorum, tum hoſtium meipſam interficiam, diráſque & furias tibi pro me relinquã, ſæuas vindices.* Iuncus Philoſophus apud Stobæum ſerm. 16. De cupiditatibus & voluptatibus loquens, μονονουχὶ μάστιξι καὶ κέντροις, ὥσπερ ἐπὶ σκηνῆς αἱ τῶν τραγῳδῶν Εὐμενίδες, τὸν νέον ἐλαύνουσιν. *Tantùm non flagellis & ſtimulis, vt in ſcena Tragœdorum Eumenides, Iuuenem impellunt.*

ARGVMENTVM.

Piſonis furorem & inſaniam ex eo demonſtrat, quòd ſine vlla vel populi, vel ſenatûs auctoritate exercitum dimiſerit contra mores, leges & inſtituta ciuitatis.

XLVII. EGO te non vecordem, non furioſum, non mente captum, non tragico illo Oreſte, aut Athamante dementiorem putem, qui ſis auſus primum facere (nam id eſt caput) deinde paulò antè, Torquato grauiſſimo, & ſanctiſſimo viro, premente, confiteri, te prouinciam Macedoniam, in quam tantùm exercitum tranſportaſſes, ſine vllo milite reliquiſſe? Mitto de amiſſa maxima parte exercitus: ſit hoc infelicitatis tuæ: dimittendi verò exercitus quam potes afferre cauſſam? quam poteſtatem habuiſti? quam legem? quod Senatuſconſultum? quod ius? quod exemplum? quid eſt aliud furere, niſi non cognoſcere homines, non cognoſcere leges, non Senatum, non ciuitatem? cruentare corpus ſuum leue eſt, maior hæc eſt vitæ, famæ, ſalutis ſuæ vulneratio.

EXPLANATIO.

EGO TE.] Piſonis inſaniam quibuſdam veluti ſynonymis creſcente ſenſim oratione exaggerat. Vecordem appellat, quaſi ſine corde, hebetem, ſtolidum, quæ videtur eſſe ſola acuminis prudentiæque priuatio, vt ſuperius tarditatem ingenij ſtuporémque exprobrauit. Verùm non omnes & obtuſi, inſaniunt, & furore efferuntur. quare ſubiungit *furioſum*, verùm etiam in furioſis aliquis nonnunquam mentis & rationis radius intermicat, nec qui furit is continuò de mentis ſtatu demotus eſt. quare ſubnectitur, *non mente captum*, id eſt, mente impeditum, mentis & rationis vſu priuatum. at quoniam plus eſt rationem omnem, quàm rationis & mentis vſum amittere, ſubiungit, *dementiorem.* Paulus ex Feſto: *mente captus dicitur cùm mẽs ex hominis poteſtate abiit; & idem demens qui de ſua mente diſceſſerit.*

TRAGICO ILLO ORESTE.] Clytemneſtra Agamemnonem è Troiæ excidio redeuntem adulterij cum Ægiſto perpetrati conſcia occiderat. eam Patris vlciſcendi cauſsâ filius Oreſtes interemit; matris interemptæ vmbram identidem ob ora ſe filij obtruſiſſe, & parricidam ſerpentibus & tædis ardentibus vexaſſe fabulantur.

AVT ATHAMANTE.] Thebano, qui in furorem actus Learchum filium ratus eſſe feram, interemit, & alterum filium Melicertam in lebetem immiſit decoquendum. ita Nonnus libro 10. Dionyſiacon quamuis aliter alij fabulantur. Addit autem *Tragico*, vt illud orationis frigidæ vitiũ declinet, in quod ſcioli plerique labuntur, qui à rebus abſtruſiſſimis comparationes ad vnam penè perſpicuitatem inſtitutas accerſunt, & tanti habent obſcuritatem dum multas hiſtorias, fabulas, apologos, ænigmata, in ſuam orationem inferciant. addit igitur *tragico*, quaſi diceret, non abſtruſa proferam, aut à vulgi ſenſu remota, ſed ea quibus aures oculíque veſtri quotidie celebrãtur, & cum illo Oreſte Piſonem conferam qui identidem à Poëtis in ſcenam inducitur.

Poteſt autem totus hic paragraphus ita reſolui.

Nihil eſt aliud furere, niſi non cognoſcere homines, non cognoſcere leges, &c.

Sed iſta non cognoſcis. *Ergo furis.*

Maior propoſitio clara eſt, & illis verbis: *Quid eſt aliud* &c. *non ciuitatem?* liquidò continetur, concluſio etiam, *ego te non vecordem*, &c. *dementiorem putem?* aſſumptio non eſt illa quidem expreſſa, ſed in ſua probatione inuoluitur.

Qui facit aliquid contra leges, iura, exempla, is nec cognoſcit homines nec leges, &c.

Sed tu contra legem, ius, exempla dimiſiſti exercitum.

Ergo non cognoſcis homines, non leges, non ciuitatem.

NAM ID EST CAPVT.] Præcipuum.

PREMENTE.] Vrgente, inſtante.

TANTVM EXERCITVM.] Conſularem.

MITTO.] Breuis eſt occupatio: qua Piſonis reſponſionem præuenit, oſtendítque ſe illi non fortunam & infœlicitatem, ſed ſcelus & amentiam exprobrare.

QVID EST ALIVD FVRERE.] Furoris deſcriptio ab effectis conglobatis.

NON COGNOSCERE HOMINES.] Romanos qui pro innato amore libertatis non poſſunt hanc impotentis animi ſuperbiam & inſolentiam tolerare.

LEGES.] Quæ prohibent dimitti exercitum, niſi ab eo qui à Senatu poteſtatem acceperit.

NON SENATVM.] Penes quem dimittendi exercitûs eſt omnis auctoritas.

CRVENTARE CORPVS SVVM.] Videtur hæc eſſe vis in ſyllogiſmo.

Magis inſaniunt qui vitam, famam, ſalutem

ſauciant, quàm qui cruentant corpus ſuum: inſtar eorum qui Bellonæ furore inſaniunt.

Sed tu miſſione exercitûs vitam, famam, ſalutem vulneraſti.

Ergo magis inſania quàm ij qui cruentant corpus ſuum.

NOTÆ.

I. Oreſtis furor. TRAGICO ILLO ORESTE.] Superius. *vt in ſcena videtis.* vide dicta 4. Æneidos.

Aut Agamemnonius ſcenis agitatus Oreſtes
Armatam facibus matrem & ſerpentibus atris
Cùm videt vltricéſque ſedent in limine diræ.

De voce *Tragici & tragœdiæ* pueri adeant interpretes. Horatij de Arte in illud:

Carmine qui tragico vilem certauit ob hircum.

II. ORESTE AVT ATHAMANTE DEMENTIOREM.] De vtriuſque inſania paſſim. placet tamen hoc loco duas Athamantæi furoris deſcriptiones, è duobus ſibi planè, ni fallor paribus Poëtis acceſſere. ſiue enim leporem & elegantiã verſuum, ſiue Veneres dictionis, ſiue fœcunditatẽ ingenij, ſiue copiam fabularum ſpectes. Nonnum Ouidio meritò comparabis. hic tertio Metamorphoſeon.

Furoris duæ deſcriptiones.
Nec mora, Tiſiphone madefactam ſanguine ſumit
Importuna facem, fluidóque cruore rubentem
Induitur pallam, tortóque incingitur angue, &c.

Et poſt bene longam deſcriptionem ſubdit de tædis ardentibus,

Tum face iactata per eundem ſæpius orbem
Cõſequitur motos velociter ignibus ignes. ſed adi.

Ille quamuis nullam tædæ facit mentionem 10. Dionyſiacon, verſu 17.

Ταρταρέης δ' ὀφιῶδες ἰδὼν ἴνδαλμα θεαίνης
Πάλλετο δειμαίνων ἑτερόχροα φάσματα μορφῆς,
Ἀφρὸν ἀκοντίζων χιονώδεα, μάρτυρα λύσσης,
Ὀφθαλμοὺς μεθύοντας ἀπειλητῆρας ἑλίσσων.

Tartareæ verò ſerpenteum videns ſimulachrum Deæ
Vibrabatur formidans diuerſicolores apparentias imaginis.
Spumam eiaculans niuis formam habentem, teſtem furoris,
Oculos ebrios minaces voluens.

Et poſt multa ſubdit tandem, verſu 34.

Παπταίνων δ' ἑλικηδὸν ὑπὸ στροφάλιγγα προσώπου
Ἀλλοφυὲς νόθον εἶδος ἀθηήτοιο Μεγαίρης
Οἰστρομανὴς Ἀθάμας ἑτερόφρονι σείετο παλμῷ.
Καὶ βλοσυρῆς ἀπὸ χειρὸς ἀμερσινόοιο θεαίνης
Ἁρπάξαι μενέαινεν ἐχιδνήεσσαν ἱμάσθλην.
Γυμνώσας δὲ μάχαιραν Ἐριννύος ἀντία κόρσης
Ἤθελε Τισιφόνης ὀφιώδεα βόστρυχα τέμνειν.

Circumſpectans verò in orbem ſub vertigine frontis
Alterius figuræ falſam imaginem inuiſæ Megaræ,
Furore inſanus Athamas amenti agitabatur vibratione.
Et terribili è manu mentem emouentis Deæ
Rapere furebat vipereum flagellum,
Nudans verò macharam Erinnyos contra caput
Volebat Tiſiphones ſerpentium capillum amputare.

Copioſus vterque, ingenioſus vterque, mirus vterque, ſi vtrique, quod Seneca de vno eorum tradit, vt iudicium non defuit, ſic nec animus ad caſtigandam verſuum laſciuiam defuiſſet.

III. CONFITERI.] Arrianus diſſert. Epicteti libro 2. cap. 20. Εἶτα Ὀρέστην μὲν ὑπ' Ἐριννύων ἐλαυνόμενον φῶμεν ἐκ τῶν ὕπνων ἐξεγείρεσθαι; τοῦτον δ' οὐ χαλεπώτεραι αἱ Ἐριννύες καὶ ποιναὶ ἐξήγειρον καθεύδοντα, καὶ οὐκ εἴων ἠρεμεῖν; ἀλλ' ἠνάγκαζον ἐξαγγέλλειν τὰ αὑτοῦ κακά, ὥσπερ τοὺς Γάλλους ἡ μανία καὶ ὁ οἶνος. *Deinde Oreſtem à furiis incitatum expergiſci à ſomno dicemus? Quidni illum moleſtiores furiæ, ac pœnæ diriores dormientem excitent, & quieſcere non ſinant? atque his incitatus ſuas ipſe miſerias enuntiare coactus fuit, tanquam Galli vino aut inſaniâ perciti.*

IV. Dimittendi exercitus poteſtas. DIMITTENDI VERÒ EXERCITVS.] Poteſtatem ſolos Conſules habuiſſe dimittendi exercitus, conſtare videtur ex Valerio Maximo lib. 2. *Quintus etiam Fuluius Flaccus Cenſor Fuluium fratrem cohortem legionis in qua Tribunus militum erat, iniuſſu Coſ. domum dimittere auſum Senatu mouit.* Nihilominùs tamen ex hoc loco colligi poteſt ætate Ciceronis ne Proconſulibus quidem eam fuiſſe poteſtatem, vt exercitum ſine populi lege & Senatûs Conſulto dimitterent, quamuis eandem Proconſules in prouinciis quã Conſules in vrbe poteſtatem obtinerent. immò ne Conſules quidem hanc videntur poteſtatem habuiſſe, niſi ſi Senatus decreuerat. *Darent operam Conſules ne quid Reſp. detrimenti caperet.* de quo Salluſtius in Catilina: *Ea poteſtas per Senatum more Romano magiſtratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis ſocios atque ciues, domi militiæque imperium atque iudicium ſummum habere. aliter ſine populi iuſſu nullum earum rerum Conſuli ius eſt.* Vt igitur parare exercitum ſine S. C. vel populi iuſſu fas non fuit, ita nec paratum dimittere. Nã nec ſine plebis conſenſu poterat bellum conflatum diſſolui. vt apud Halicarnaſſeum libro ſexto Appij Claudij teſtatur oratio: Ἴστε δήπου νόμον ἡμῖν ὑπάρχοντα ἐξ οὗ τήνδ' οἰκοδομοῦ τὴν πόλιν, πάντων εἶναι κυρίαν τὴν βουλήν, πλὴν ἀρχὰς ἀποδεῖξαι, καὶ νόμους ψηφίσαι, καὶ πόλεμον ἐξενεγκεῖν, ἢ τὸν συνεστῶτα καταλύσασθαι. τούτων δὲ τῶν τριῶν, τὸν δῆμον ἔχειν τὴν ἐξουσίαν ψῆφον ἐπιφέροντα. *Vobis enim compertum eſt legem nobis eſſe à primo naſcentis ciuitatis exordio, penes Senatum rerum omnium eſſe poteſtatem præterquam in creatione magiſtratuum, legum latione, belli indictione, & eiuſdem illati ſolutione. horum verò trium penes populum eiuſque ſuffragiis eſſe poteſtatem.*

V. Cruentatio corporis per inſaniam. CRVENTARE CORPVS SVVM.] Talis fuit Cleomenis Spartiatarum Regis inſania. Herodotus libro 6. quï Erato inſcribitur: Κλεομένης δὲ παραλαβὼν τὸν σίδηρον ἄρχετο ἐκ τῶν κνημέων ἑωυτὸν λωβώμενος. ἐπιτέμνων γὰρ κατὰ μῆκος τὰς σάρκας, προέβαινε ἐκ τῶν κνημέων ἐς τοὺς μηρούς. ἐκ δὲ τῶν μηρῶν ἐς τὰ ἰσχία, καὶ τὰς λαπάρας, ἐς ὃ ἐς τὴν γαστέρα ἀπίκετο, καὶ ταύτην καταχορδεύων ἀπέθανε τρόπῳ τοιούτῳ. *Cleomenes verò arrepto ferro cœpit à tibiis ſeſe lacerare. nam conſcindens, longis vulneribus carnes à tibiis ſurſum verſus ad femora perrexit, éque femoribus ad coxas & latera atque ventrem peruenit, in quo reſcindendo ſic expirauit.* vide ibidem eius furoris cauſſas quas varij varias adferebant. Talis etiam erat Bellonæ initiatorum inſania. Horatius ſatira tertia, lib. 2.

Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.

Talis in ſacris Cybeles furor Propertius lib. 2. eleg. 22.

Cur aliquis ſacris laniat ſua brachia cultris
Et Phrygis inſanos cæditur ad numeros?

Tamen non videtur fuiſſe vera iſtorum ſacrificulorum inſania, id enim non tam faciebant, vt notat Turnebus, quàm artificio aliquo conſequebantur, vt facere viderentur. Veram autem brachiorum cruentationẽ exegit Commodus. Lampridius: *Bellonæ ſeruientes verè execare brachium præcepit ſtudio crudelitatis.* hæc Turnebus. Sed fieri poteſt vt hæc cruenta ſuperſtitio tempore Commodi iam conſenuerit, quam conſtat paulò antè ſic viguiſſe, vt verè ſua corpora lacerarent. Seneca libro de ſuperſtitione apud D. Auguſtinum lib. 6. de ciuitate Dei, cap. 10. *Ille viriles ſibi partes amputat, ille lacertos ſecat. Vbi iratos Deos timent, qui ſic propitios habere merentur? Dij autem nullo ipſi debent coli genere, ſi & hoc volunt. Tantus eſt perturbatæ mentis & ſedibus ſuis pulſæ furor, vt ſic Dij placentur, quemadmodum ne homines quidem ſæuiunt. Teterrimi & in fabulas traditã crudelitatis tyranni, lacerauerunt aliquorum membra, neminem ſua lacerare iuſſerunt. In Regiæ libidinis voluptatem caſtrati ſunt quidam, ſed nemo ſibi ne vir eſſet, iubente domino manus intulit. Seipſi in templis contrucidant, vulneribus ſuis ac ſanguine ſupplicant. Si cui intueri vacet quæ faciunt, quæque patiuntur, inueniet tam indecora honeſtis, tam indigna liberis, tam diſſimilia ſanis, vt nemo fuerit dubitaturus furere eos, ſi cum paucioribus furerent: nunc ſanitatis patrocinium eſt inſanientium turba.* Omitto Mahumetanos vultum ſibi, brachia, pectus, in prophetæ ſui gratiam magnis vulneribus ſauciantes. Alij corpus nõ ſuperſtitionis aut inſaniæ, ſed lucri cauſsâ membra lacerabant. de quibus grauiſſimè Chryſoſtomus oratione 21. in epiſt ad Corinthios: Οὗτοι πολλάκις ὑμῖν ἐλεεινοῖς καὶ σχήμασι, καὶ ῥήμασιν ἐντυχόντες, ἐπειδὴ οὐδὲν ὤνησαν τὰς ἱκετηρίας ἀφέντες ἐκείνας, τὴν θαυματοποιίαν ὑμῖν λοιπὸν παρήλασαν· οἱ μὲν δέρματα ὑποδημάτων μασώμενοι πεπονηκότων, οἱ δὲ τῆς κεφαλῆς ἥλοις ὀξεῖς διαπείροντες· ἕτεροι πεπηγόσιν ὕδασιν ὑπὸ τοῦ κρυμοῦ γυμνῇ τῇ γαστρὶ προσομιλοῦσιν· ἕτεροι δ᾽ ἕτερα ἀτοπώτερα τούτων ὑπομένοντες, ἵνα τὸ πονηρὸν ἐπιστήσωσι θέατρον. σὺ δὲ τούτων γινομένων, ἕστηκας γελῶν, καὶ θαυμάζων, καὶ ἐμπομπεύων τοῖς ἑτέρων κακοῖς, τῆς κοινῆς φύσεως ἀσχημονούσης. *Si nobis frequenter & corporis ſpecie & voce miſerabili, ſubmiſſis illis precibus, quandoquidem nihil profuerunt relictis, præſtigiatores de cætero ſuperarunt, alij veterum ſolearum coria manducantes, alij clauis acutis caput transfigentes: alij in aquis in glaciem congelatis ventre applicito commorantur, alij his abſurdiora perferunt, vt nefarium theatrum poſſint conuocare. tu verò dum iſta geruntur ſtas ridens & admiratione defixus, aliorum malis inequitans, communi natura contumelioſè tractata.* Οὐκ ἔστι τοῦτ᾽ ἐλεεῖν, ἄνθρωπε, τὸ τοσαύτην ἀπαιτεῖν δίκην ὑπὲρ ὀλίγων ὀβολῶν, τὸ κελεύειν ὑπὲρ ἀναγκαίας κατακόπτεσθαι τροφῆς, καὶ εἰς πολλὰ διατέμνειν τῆς κεφαλῆς τὴν δορὰν οὕτω πικρῶς, καὶ ἐλεεινῶς. εὐφήμει, φησί, οὐ γὰρ ἡμεῖς ἐσμὲν οἱ τὰς κεφαλὰς καθηλοῦντες ἐκείνας. εἴθε σύ· καὶ γὰρ οὐκ ἂν ἦν οὕτω δεινὸν τὸ δεινόν. ὁ γὰρ σφάττων τινὰ τοῦ κελεύοντος ἑαυτὸν σφάττειν πολλῷ χαλεπώτερον ποιεῖ. ὃ δὴ καὶ ἐπὶ τούτων συμβαίνει. *Non eſt hoc misereri, ô homo, hanc ob pauca minuta exigere mercedem: iubere vt ob cibum neceſſarium illi corpus proſcindant, & tam aſperè & miſerè capitis pellem in fruſta diſcerpant. Bona verba, inquies, non enim nos ipſi capita illa clauis transfigimus. Atque vtinam tu, tu, inquam, ipſe transfigeres. neque enim quod horrendum eſt, tam horrendum eſſet. nam qui alterum occidit, longè facit humanius quàm qui alteri iubet ſibi mortem conſciſcere. quod & in iſtis vſu venit.* Verti, *longe humanius*, neq; enim dubitare poſſim quin verbum χαλεπώτερον pro φιλανθρωπότερον, vel aliud ſynonymum irrepſerit. Quam crudelitatem licet ſolis Antiochenis adſcribat, probabile tamen eſt etiam Romæ viguiſſe. nam Εὐφορίων ὁ Χαλκιδεύς, vt verbis vtar Athenæi libro 4. ἐν ἱστορικοῖς ὑπομνήμασιν οὕτω γράφει. παρὰ δὲ τοῖς Ῥωμαίοις προτίθεσθαι πέντε μνᾶς τοῖς ὑπομένειν βουλομένοις τὴν κεφαλὴν ἀποκοπῆναι πελέκει, ὥστε τοὺς κληρονόμους κομίσασθαι τὸν ἆθλον. *Euphorion Chalcidenſis in hiſtoricis commentariis ſcribit. apud Romanos mnas quinque proponi iis, qui caput amputandum ſecuri vellent ſubiicere, & heredes illam accipere mercedem.* Sed vereor vt hæc cuipiam extra præſcriptos interpretationi meæ cancellos poſita videantur.

Superſtitio in cruentando corpore.

Pauperes corpora ſua lacerantes lucri gratia.

AXIOMATA.

Quid eſt aliud furere niſi non cognoſcere homines, non cognoſcere leges? &c.

Cruentare corpus ſuum leue eſt, maior eſt vitæ, famæ, ſalutis ſuæ vulneratio.

ARGVMENTVM.

Orationi de Piſonis inſania inceptæ finem imponit, tum ad deſcribendum ex rebus geſtis Gabinij furorem delabitur.

XLVIII. SI familiam tuam dimiſiſſes, quod ad neminem, niſi ad ipſum te pertineret, amici te tui conſtringendum putarent. præſidium tu Reipubl. cuſtodiam prouinciæ, iniuſſu populi, Senatúſque dimiſiſſes, ſi tuæ mentis compos fuiſſes? Ecce tibi alter, effuſa iam maxima præda, quam ex fortunis publicanorum, ex agris, vrbibúſque ſociorum exhauſerat, cùm partim eius prædæ profundæ libidines deuoraſſent, partim noua quædam, & inaudita luxuries, partim etiam in his locis, vbi omnia diripuit, emptiones, partim permutationes ad hunc Tuſculani montem extruendum; cùm iam egeret, cùm illa eius intermiſſa, & intolerabilis ædificatio conſtituiſſet: ſe ipſum, faſces ſuos, exercitum populi Romani, numen, interdictúmque Deorum immortalium, reſponſa ſacerdotum, auctoritatem Senatus, iuſſa populi, nomen, ac dignitatem imperij regi Ægyptio vẽdidit.

EXPLANATIO.

SI FAMILIAM.] Argumentatur à minori ad maius hoc ſyllogiſmo.

Maioris eſt inſaniæ exercitum quàm familiam priuatam dimittere.

Sed inſanus eſſes ſi familiam priuatam dimitteres.

Ergo multò magis inſanus es qui exercitum populi Romani dimiſeris.

FAMILIAM.] Vel gladiatorum turbam ab eodem laniſta eruditam intelligit, vel, quod magis hîc arridet, ſeruitia domeſtica.

CONSTRINGENDVM.] Tanquam amentem & furioſum.

PRÆSIDIVM.] Populi Romani exetcitus in præſidio collocatus ad tutandam Macedoniam contra incurſiones barbarorum.

ECCE TIBI ALTER.] Gabinij furorem ex eo deſcribit, quòd expilatione Syriæ non contentus, ſe Ptolemæo Alexandriæ Regi exercitúmque mercede addixerit.

EFFVSA.] Poſtquam maximam vim pecuniæ, quam ex fortunis Publicanorum & Sociorum deprædatus fuerat, in ſuam libidinem & luxuriem diſſipauit. vides verbum *exhauſerat*, non idem eſſe quod *hauſerat*, ſicut qui diceret, aquam è puteo exhauſit, ſenſus eſſet, aquam è puteo hauſtam effudit & abſumpſit.

EX FORTVNIS PVBLICANORVM.] Vide 10. & 11. de Prouinciis Conſularibus.

PARTIM.] Id eſt *partem*, aduerbium pro nomine.

LVXVRIES.] Luxuriem, vt bene aduertit Manutius, diſtinguit à libidine. eſt enim libido in appetendo, luxuries in effundendo. Clariùs fortaſſe diceretur, eam prædam à libidine Gabinij fuiſſe deuoratam, quam ille in explenda ſua libidine, & ad propriam voluptatem conſumpſerat, eam verò ab eiuſdem luxurie abſorptam fuiſſe, quam in conuiuia, ædificia cæteráque ἀπειροκαλίᾳ prodegerat & diſſiparat.

PARTIM IN ILLIS.] Hic locus obſcurus eſt. enumerat rationes quibus præda illa fuerit diſſipata. prima ratio eſt libido. 2. luxuries. 3. emptiones. quia licet omnia diriperet, tamen vt latrocinia ſua tegeret, ſæpe ſtatuas, columnas, tabulas, &c. immani pretio comparabat. 4. permutationes, quia ad habendas columnas, & alia quæ in Tuſculana ſua villa collocaret, ſæpe χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων permutabat magno cum diſpendio.

AD HVNC TVSCVLANVM MONTEM.] Villam Tuſculanam tam immanem & inſanam vt monti quam villæ ſimilior eſſe videatur. quidam legunt *ad hunc Tuſculanum in monte montem extruendum*. quo maior, inquit Manutius, in Gabinium quæritur inuidia, qui in editiore colle, quem vocat montem, ſuam villam quaſi alterum montem extruxiſſet.

ILLA IMMENSA.] Duæ ſunt huius loci lectiones. altera, *cùm illa eius immenſa, & intolerabilis ædificatio conſtitiſſet*. altera, *cùm illa eius intermiſſa intolerabilis ædificatio conſtitiſſet*. id eſt hæſiſſet, nec propter nimios ſumptus potuiſſet abſolui. de cæteris vide Notas.

SEIPSVM.] Ptolemæus Auletes Alexandriæ Rex à ſuis popularibus expulſus à S. P. R. contendit vt in regnum reſtitueretur: libri Sibyllini inſpecti ſunt: ij Regem Ægypti cum armis remitti prohibebant: cùm igitur exercitum à Senatu Populóque Romano obtinere non poſſet, Gabinium Syriæ Proconſulem mercede corruptum ſecum in Ægyptum duxit, à quo cæſi Alexandrini, vrbs expugnata, ipſe in regnum reſtitutus. ex quo hic noſter Gabinij furorem oſtendit.

NOTÆ.

PROFVNDÆ LIBIDINES.] Sic pro Sextio 93. refert Gabinium *Haurire quotidie ex pacatiſſimis atque opulentiſſimis Syriæ Gaſis innumerabile pondus auri, bellum inferre quieſcentibus, vt eorum veteres illibatáſque diuitias in profundiſſimum libidinum ſuarum gurgitem profundat.* Sic Philippica 2. libidines Antonij cum Catybdi cōparantur. hinc eſt quod meretrices à Plauto cum mari comparentur. in Truculento: I. Libidines.

Meretricem ego item eſſe reor mare vt eſt, quod des deuorat, Meretricescū voragine, mari, orco comparatæ.
Nec vnquam abundat: at hoc ſaltem ſeruat mare, quod illi ſubeſt
Apparet: huic des quantumuis, nunquam apparet
Neque datori, neque acceptrici.--

Et in Aſinariâ actu primo, ſcena ſecunda:

Nam mare haud eſt mare, vos mare acerrimū,
Nam in mari reperi, hic elaui bonis.

In Bacchidibus verò non ſolùm cum mari aut voragine, ſed cum ipſo orco conferuntur.

Pandite atque aperite properè ianuam hanc orci obſecro.

Porrò quod ait *partim eius prædæ*. Eadem ſyntaxi Cato Cenſotius oratione pro Rhodiēſibus apud Gellium lib. 7. cap. 3. *Atque haud ſcio an partim eorum fuerint qui non noſtra contumeliæ causâ id voluerunt euenire.* Vide dicta de Prouinciis Conſularibus 24. *Cùm partim mihi illorum familiares, partim etiam me defendente capitis indiciis eſſent liberati.* Partim.

INTOLERABILIS ÆDIFICATIO.] Pro Sextio 93. eum narrat *Villam ædificare in oculis omnium tantam, tugurium vt iam videatur eſſe illa villa quam ipſe Tribunusplebis pictam olim in concionibus explicabat, quo fortiſſimum ac ſummum ciuem in inuidiam homo caſtus ac non cupidus vocaret.* Nomine ſummi ciuis Lucullum, vt opinor intelligit. de cuius intolerabili ædificatione Plutarchus: Τὰ δ' ἐν τοῖς παραλίοις καὶ περὶ νέαν πόλιν ἔργα, λόφους ἀνακρεμαννύντος αὐτοῦ μεγάλοις ὀρύγμασι, καὶ τροχοὺς θαλάσσης, διαδρομὰς ἰχθυοτρόφοις τοῖς οἰκητηρίοις περιελίσσοντος, καὶ διαίτας ἐναλίους κτίζοντος, ὁ Στωϊκὸς Τουβέρων θεασάμενος, Ξέρξην αὐτὸν ἐκ τηβέννου προσηγόρευσεν. *Eius ædificia maritima, & circa Neapolim, vbi tumulos magnis foſsis ſuſpenderat, ſinúſque maris vt vinaria circumiecerat, diætáſque maritimas extruxerat, Tubero Stoicus contemplatus, eum Xerxem togatum appellauit.* Tantò certè intolerabiliores erant harum villarum ſubſtructiones, quòd valles opplerent, montes æquarent, maris littora ſubmouerent, vt non magis luxuriæ ſuæ velificari viderentur, quàm ipſi naturæ illudere. de quibus ſæpe queritur Lyricus Poëta: II. Ædificatio villarum. Villarum magnificentia.

Mariſque Baijs obſtrepentis vrges
Submouere littora. & alibi:
Iam pauca aratro iugera regiæ
Moles relinquent. quæ conſulantur. Papinius 2. Syluarum de Surrentino Pollij.

Mons erat hic, vbi plana vides: hæc luſtra fuerunt
Quæ nunc tecta ſubis: vti nunc nemora ardua cernis
Hic nec terra fuit.

Item libro 3. in Hercule Surrentino:

Præcipuus ſedenim labor eſt excidere dextra
Oppoſitas rupes, & ſaxa negantia ferro.

Vide etiam libro primo Tiburtini Manliani deſcriptionem:

Quid primum mediúmne canam? quo fine quieſcam?
Auratáſne trabes? an Mauros vndique poſtes?
An picturatâ lucentia marmora venâ
Mirer?-

De his nonnihil Salluſtius in Catilina. De his item Plinius Iunior epiſtola tertia, libri 1. decimaſeptima lib. 2. ſexta lib. 5. & Sidonius Apollinaris libro 3. epiſt. 2. ſuam quiſque villam deſcribens conſulātur. Omitto vnam Gordianorum villam, quæ auctore Iulio Capitolino, *baſilicas centenarias tres* continebat. Strabo libro 5. meminit Romanorum, κἀν ταῖς ἐπαύλεσι βασίλεια κατασκευαζομένων Περσικά. *in villis Perſicas Regias exſtruentium.* Quo genere villarum Moſella noſter fuit ſpectabilis. Auſonius in Moſella à verſu circiter 300. ad 347. inter cætera.

Villæ ſuper Moſellam poſitæ.

Atria quid memorem viridantibus aßita pratis
Innumeriſque ſuper nutantia tecta columnis.

Quod genus ἀπειροκαλείας conuenienti nomine Muſſipontani noſtrates appellant, villas Moſellæ collibúſque vicinis aſſitas *folies*, quaſi inſanias nominantes. nec iniuriâ. nam

Σώματα πολλὰ τρέφειν καὶ δώματα πόλλ᾽ ἀνεγείρειν
Ἀτραπὸς εἰς πενίην ἐστὶν ἑτοιμοτάτη.

Quiſquis alit multos & multas extruit ædes
Certa ad perniciem peruenit ille viâ.

Quod ita Ronſardus expreſſit:

Veux tu ſçauoir quelle voye
A paureté te conuoye?
Eſleuer trop de Palais,
Et nourrir trop de valets.

Meritò autem villæ intolerabilem ſubſtructionem tanquam atrox crimen obiectat. vt & Varro libro 1. de re ruſtica, cap. 13. *Vt villam ſuburbanam quammaximam ac politißimam habeant, dant operam: ac cum Metelli ac Luculli villis peßimo publico ædificatis certant.* Valerius Maximus libro 8. cap. 1. *Admodum ſeuera nota & illud populi Iudicium cùm M. Æmilium Porcinam à L. Caßio accuſatum crimine minùs ſublimè exſtructæ villæ in Allienſi agro, graui mulcta affecit.*

III. Faſces Alexãdriam non inferendi.

Fasces svos.] Haud ſcio an ad hunc locum Trebellius in triginta tyrannis alluſerit. ſic enim in Æmiliano. *Cùm Theodato vellet,* Gallienus, *imperium Proconſulare decernere, à ſacerdotibus eſt prohibitus, qui dixerunt faſces Conſulares ingredi Alexandriam non licere, cuius rei etiam Ciceronem, cùm contra Gabinium loquitur, meminiſſe ſatis nouimus. denique non extat memoria rei frequentatæ. fertur enim apud Memphim in aurea columna Ægyptiis litteris ſcriptum, tunc demum Ægyptum liberam fore cùm veniſſent Romani faſces, & prætexta Romanorum: quod apud Proculum grammaticum doctißimum ſui temporis virum, cùm de peregrinis regionibus loquitur, ſcriptum inuenitur.*

Nvmen interdictvmqve Deorvm.] Emphaticè planè Gabinius dicitur Deorum numen vendidiſſe, quòd mercede corruptus id feciſſet, quod libri Sibyllini indices diuinæ voluntatis fieri prohibebant. Τοῖς σιβυλλείοις ἔπεσιν ἐντυχόντες, ait Dio libro 39. εὗρον ἐν αὐτοῖς γεγραμμένον, ἂν ὁ τῆς Αἰγύπτου βασιλεὺς βοηθείας τινὸς δεόμενος ἔλθῃ, τὴν μὲν φιλίαν οἱ μὴ ἀπαρνήσασθαι, μὴ μέντοι καὶ πλήθει τινὶ ἐπικουρῆσαι· εἰ δὲ, καὶ πόνους καὶ κινδύνους ἕξετε. *Cùm libros Sibyllinos adiſſent, ita ſcriptũ inuenerunt: Si Rex Ægypti à vobis auxilium petiturus acceſſerit, amicitiam quidem ei ne denegate: ſed ne ad eius auxilium mittatur exercitus: ſi ſecus feceritis & labores & pericula conſequentur.* Lucanus libro 8. exeunte: IV. Sibyllinum oraculum.

Haud equidem immeritò Cumanæ carmine vatis
Cautum ne Nili Peluſia tangeret ora
Heſperius miles, ripáſque æſtate tumentes.

Responsa sacerdotvm.] Vel decemuiros ad inſpicienda Sibyllæ oracula conſtitutos intelligit. de quibus ibidem Dio Catonis Tribuniplebis faciens mentionem: ἔς τε τὸν ὅμιλον τοὺς ἱερέας ἐσήγαγε, καὶ ταῦτα πρὶν ὁτιοῦν, τὴν γερουσίαν ἐπ᾽ αὐτοῖς χρηματίσαι, ἐξεβιάσατο, σφᾶς ἐκλαλῆσαι τὸ λόγιον. *In concionem ſacerdotes produxit, etiam inconſulto Senatu, eóſque coëgit renuntiare oraculum.* Vel augures, qui hac de re conſulti negauerint Ptolemæum cum exercitu eſſe reducendum. V.

Avctoritatem Senatvs.] Dio ibidem: Τῶν μὲν ἄνευ στρατοῦ τῷ Σπινθῆρι τὴν τοῦ Πτολεμαίου κάθοδον προσταττόντων, τῶν δὲ δὴ καὶ τὸν Πομπήιον μετὰ ῥαβδούχων δύο καταγαγεῖν αὐτὸν κελευόντων, δείσαντες οἱ βουλευταὶ μὴ μείζων ἔτι ὁ Πομπήιος καὶ ἀπ᾽ ἐκείνου γένηται, ἀντέπραξαν αὐτῷ. *Aliis ſine exercitu Pub. Lentulo Spintheri Ptolemæi reductionem decernentibus, aliis Pompeium ipſum cum duobus lictoribus eum reſtituere iubentibus, metuentes Patres Conſcripti, ne qua ex eo fieret adhuc ad Pompeiÿ dignitatem acceßio, ipſi reſtiterunt.* VI.

AXIOMA.

Diuitias deuorant libidines, luxuries, permutationes, emptiones.

ARGVMENTVM.

A circunſtantiis Gabinÿ furorem exaggerat, crebris percunctationibus orationem illuminans.

XLIX. Cvm fines prouinciæ tantos haberet, quantos voluerat, quantos optauerat, quantos mei capitis pretio emerat, his ſe tenere non potuit; exercitum eduxit ex Syria. qui licuit extra prouinciam? tribuit ſe mercenarium comitem Regi Alexandrino. quid hoc turpius? in Ægyptum venit: ſigna contulit cum Alexandrinis. quando hoc bellum, aut hic ordo,

aut

aut populus ſuſceperat? cœpit Alexandriam. quid aliud exſpectamus à furore eius, niſi vt ad Senatum tantis de rebus geſtis litteras mittat?

EXPLANATIO.

CVM FINES.] Prima circunſtantia eſt prouinciæ amplitudo, qua Gabinij furor & inſatiabilis cupiditas omnium bonis inhians non potuit cōtineri. neque ſolùm amplam dicit fuiſſe prouinciam, ſed inuidiæ, ſiue potiùs indignationis augendæ cauſsâ, eam dicit illis ſolùm finibus circumſcriptam fuiſſe, quos Gabinij furor, audacia, libido præſcripſerat.

PRETIO, PERICVLÓQVE.] Quidam vocem *periculóque* addunt.

QVI LICVIT.] Secunda circunſtantia eſt lex, quæ exercitum extra prouinciā educi prohibebat.

TRIBVIT SE MERCENARIVM.] Tertia quòd ſuam libertatem mercede addixerit. quarta, quòd Regi quod nomen eſt à Romana libertate penitus alienum. Quinta, quòd Alexandrino, quæ gens ſemper laborauit perfidiæ & inſitæ leuitatis infamiâ. quas circunſtantias crebris percunctationibus illuſtrat.

SIGNA CONTVLIT CVM ALEXANDRINIS.] Conflixit cum Alexandrinis, vt ab iis Ptolemæum Auletem expulſum, priſtinæ reſtitueret dignitati.

QVANDO HOC BELLVM.] Sexta & vel præcipua circunſtātia eſt, quòd bellum ſua ſponte, ſine vllo S. C. aut populi iuſſu, contra legem antiquiſſimam, & cum ipſa vrbe iam inde à Romulo natam ſuſceperat.

TANTIS DE REBVS.] De capta Alexandria.

NOTÆ.

I. Non licebat exercitum educere è prouincia. EXERCITVM EDVXIT E SYRIA.] Dio libro ſuperius laudato: ἀπαγορεύοντος μὲν τοῦ νόμου ἐς τὴν ὑπερορίαν τοὺς ἄρχοντας τινῶν ἀποδημεῖν. *Lege prohibente ne præſides exirent de ſuis prouinciis.* μή τε πολέμους ἀφ' ἑαυτῶν αἱρεῖσθαι. ἀπειρηκότος δὲ καὶ τοῦ δήμου, τῆς τε Σιβύλλης μὴ καταχθῆναι τὸν ἄνδρα. *Neque bella ſuo arbitrio ſuſciperent. ad hæc & populus & Sibylla interdixerant, ne Ptolemæus reduceretur.*

II. Alexandrinorum vanitas. MERCENARIVM COMITEM REGI ALEXANDRINO.] Superiùs *Regi Ægyptio vēdidit.* vtrumque contemptus cauſsâ. nam & Ægyptij & Alexandrini vel ipſo nomine malè audiebant. Auguſtus apud Dionem ſuos hortās ante pugnam Actiacam: Ἀλεξανδρεῖς τε καὶ Αἰγύπτιοι ὄντες (τί γὰρ ἂν ἄλλο τις αὐτοὺς χεῖρον ἢ ἀληθέστερον εἰπεῖν ἔχοι) καὶ τὰ μὲν ἑρπετὰ, καὶ τἄλλα θηρία, ὥσπερ τινὰς θεοὺς θεραπεύοντες, τά τε σώματα τὰ σφέτερα ἐς δόξαν ἀθανασίας ταριχεύοντες. *Alexandrini & Ægyptij (quo enim peiori & veriori nomine quis appellet?) ſerpentibus & aliis beſtiis, tanquam Diis cultum exhibentes, & ad ſpeciem immortalitatis ſua corpora ſale exſiccantes.* Et vt alios quamplurimos omittam, apud Flauium Vopiſcum in Saturnino extat Adriani Imperatoris epiſtola, qua eorum leuitas fusè deſcribitur. nō tamen ſine Chriſtianorum conuitiis. *Adrianus Auguſtus Seruiano Conſuli ſalutem. Ægyptum quam mihi laudabas Seruiane chariſſime, totam didici leuem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volitantem. illi qui Serapin colunt, Chriſtiani ſunt, & deuoti ſunt Serapi qui ſe Chriſti Epiſcopos dicunt. nemo illic Archiſynagogus Iudæorū, nemo Samarites, nemo Chriſtianorum preſbyter, non mathematicus, non aruſpex, non aliptes. ipſe ille patriarcha cùm Ægyptum venerit ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Chriſtum. genus hominum ſeditioſiſſimum, vaniſſimum, iniurioſiſſimum,* &c. Sic apud Iuuenalem Criſpinus in contumeliam.

Pars Niliacæ plebis & verna Canopi.

& *ſuccinctus patria quondam papyro* nominatur. ſed vide eundem tota ſat. 15. de Ægyptiis fusè diſſerentem.

SIGNA CONTVLIT.] Iuſta acie dimicauit: phraſi Romana & apprimè militari. II. Æneidos: III. Signa conferre.

Tu Tyrrhenum equitem collatis excipe ſignis.

Seneca in Thebaide: *-ſigna collatis micant*
Vicina ſignis.-

Liuius libro 38. in oratione Manlij: *Cum centum millibus ferociſſimorum hoſtium collatis ſignis toties pugnaui.* & alibi tam frequenter vt putidum ſit exempla conquirere.

AVT POPVLVS SVSCEPERAT.] Aut hic ordo penes quem fuit belli ſuſcipiendi auctoritas. Dionyſius Halicarn. libro 2. quod fuſiùs alibi referimus. IV.

CEPIT ALEXANDRIAM.] Licet Cicer. Gabinij victorias eleuare conetur, tamen vel ex ipſo Alexandriæ nomine facilè victoriæ magnitudo cognoſcitur. Porrò vrbis celebritas hinc liquet, quòd ab Auſonio & Herodiano ſecunda vrbium nominatur. & teſte Appiano eius Reges ducenta peditum, viginti equitum millia, trecentos elephantas, duo curruum falcatorum millia poterant in bellum educere: & arma quæ trecentis hominum millibus ſatis eſſent in armamentario, in theſauris verò ſepties centena talentorum Ægyptiorum millia poſſidebant. præter alium incredibilem rei nauticæ apparatum. Illud de Regum Alexandrinorum potentia mirabile apud Theocritum Εἰδυλλίῳ 13. licet Diodorus octodecim tantùm vrbium millia numeret. V. Alexandriæ magnitudo.

Οὐδέ τις ἄστεα τόσσα βροτῶν ἔχει ἔργα δαέντων,
Τρεῖς μὲν οἱ πολίων ἑκατοντάδες ἐνδέδμηνται,
Τρεῖς δ' ἄρα χιλιάδες τρισσαῖς ἐπὶ μυριάδεσσι, Ægyptiorum frequentia.
Δοιαὶ δὲ τριάδες, μετὰ δέ σφισιν ἐννεάδες τρεῖς.
Τῶν πάντων Πτολεμαῖος ἀγήνωρ ἐμβασιλεύει.
Neque quiſquam tot oppida mortalium habet
opera ſcientium,
Tres quidem illi vrbium centenarij ædificantur,
Et tres millenarij ſupra tres myriadas (id eſt triginta millia)
Duæque triades, ad hæc verò tres vndenarij.
In quibus omnibus Ptolemæus magnanimus regnat. Summa eſt 33339. oppidorum.

Sed de Ægyptiorum multitudine & Alexandriæ celebritate Ioſephus lib. 2. de excidio, vbi Agrippa loquens in hunc modū inducitur. Αἴγυπτος ἐκτεινομένη μέχρις Αἰθιόπων, καὶ τῆς εὐδαίμονος Ἀραβίας, ὅμορός τε οὖσα τῆς Ἰνδικῆς, πεντήκοντα πρὸς ταῖς ἑπτακοσίαις ἔχουσα μυριάδας ἀνθρώπων, δίχα τῶν Ἀλεξάνδρειαν κατοικούντων, ὡς ἔνεστιν ἐκ τῆς καθ' ἑκάστην κεφαλὴν εἰσφορᾶς τεκμαίρεσθαι. *Ægyptus extenſa vſq; ad Æthiopiā & Arabiā fœlicē, Indiæ contermina quinquaginta ſupra ſeptingentas myriadas hominū, præter eos qui Alexādriæ habitāt, vt facilè videri poteſt ex tributo quod confertur ex capitis cenſione.* quis credat? ſunt ſeptē milliones & quingenta omniū millia. ſubdit de ipſa Alexādria: μῆκος μὲν γὰρ αὐτῆς τριάκοντα σταδίων, εὖρος δὲ οὐκ ἔλαττον δέκα.

eius longitudo eſt ſtadiorum triginta, latitudo non minor decem. Incredibilis planè vrbis magnitudo, ſed nihil ad veteres Thebas, cuius ambitus teſte Diodoro centum & quadraginta ſtadia continebat: τὸν μὲν οὖν περίβολον αὐτὴν ὑποστήσασθαι σταδίων. ἑκατὸν καὶ τεσσαράκοντα.

VI. QVID ALIVD EXPECTAMVS.] Falſus eſt expectatione Dio lib. 39. poſtquam Gabinij de Alexandrinis & Ægyptiis, & Archelao quem Beronice in regnum adſciuerat, victoriam deſcripſit, ſubdit. Οὐ μήν τοι καὶ οἴκαδε περὶ τῶν πεπραχθέντων ἐπέστειλεν, ἵνα μὴ καὶ αὐτὰ ἔλεγχος σφίσιν, ὧν παρηνόμηκει, γένηται. *Nihil de his actis Romam per litteras nuntiauit, ne ipſe ſuorum delictorum delator exiſteret.* vertit Xylander.

AXIOMA.

Summæ ambitionis eſt his te finibus tenêre non poſſe, quos ipſe tibi optaueris.

ARGVMENTVM.

Poſt expolitionem eorum quæ dicta ſunt ſuperiori ſectione, Gabinij furorem à legibus violatis & modeſtia Lentuli Spintheris exaggerat.

L. HIc ſi mentis eſſet ſuæ, niſi pœnas patriæ, diíſque immortalibus eas, quæ grauiſſimæ ſunt, furore atque inſania penderet, auſus eſſet (mitto exire de prouincia) educere exercitum, bellum ſua ſponte gerere, in regnum iniuſſu populi, aut ſenatus accedere? quæ cum plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia maieſtatis, Iulia de pecuniis repetundis planiſſimè vetant. ſed hæc omitto. ille, ſi non acerrimè fureret, auderet quam prouinciam P. Lentulus, amiciſſimus huic ordini, cùm & auctoritate Senatus, & fortè haberet, interpoſita religione, ſine vlla dubitatione depoſuiſſet, eam ſibi tum aſciſcere; cùm, etiam ſi religio non impediret, mos maiorum tamen, & exempla, & grauiſſimæ legum pœnæ vetarent?

EXPLANATIO.

HIC SI MENTIS.] Præteritione rem amplificat.

EXIRE DE PROVINCIA.] De Syria cuius adminiſtrationem ſuſceperat.

BELLVM SVA SPONTE GERERE.] Cum Alexandrinis & Ægyptiis, quod non licebat ſine Senatûs auctoritate & populi ſuffragiis.

IN REGNVM INIVSSV POPVLI AVT SENATVS.] Aſſentior Lambino tollenti disiunctionem, & legenti *iniuſſu populi ac Senatus.* quod ad S.C. neceſſe eſſet populi ſuffragium accedere.

QVÆ CVM.] A legibus tum antiquis, tum recentibus à Gabinio violatis eiuſdem furorem exaggerat.

LEX CORNELIA.] Lata à L. Cornelio Sulla Dictatore in eos qui maieſtatem populi minuiſſent.

LEX IVLIA.] Lata à Iulio Cæſare in primo Conſulatu.

PLANISSIME VETANT.] Adeò vt nemo aut legum verba detorquere poſſit, & in alium ſenſum conuertere, aut excuſationem ab ignorantia prætexere. quomodo autem Gabinius Iuliam legem violarit, vix compertum eſt, niſi fortaſſe quia lex illa eodem in numero ponebat, & qui prouincias expilaſſent, & qui ab externis Regibus quoquo modo pecunias accepiſſent, contra quam legem Gabinius ingentem pecuniæ vim à Ptolemæo Rege acceperat.

QVAM PROVINCIAM.] Curam reducendi Ptolemæi.

AMICISSIMVS HVIC ORDINI.] Qui etiamſi aliquid contra leges feciſſet, tamen propter gratiam qua valet apud Senatum, impunitatem ab eo ſperare potuiſſet, at Gabinius ſenatui propter ſua ſcelera inuiſus, ſic inſaniuit, vt non veritus fuerit pœnas à Senatu infligendas, cùm omnia legum repagula perfregiſſet.

AVCTORITATE SENATVS ET SORTE.] Ptolemæus, vt ſæpe dictum, ab Alexandrinis regno eiectus auxilium petierat à Senatu. Senatuſconſultum factum eſt, vt Conſules P. Lentulus Spinther, & Q. Metellus Nepos ſortirentur inter ſe prouincias, iſque Ptolemæum reduceret cui Cilicia obtigiſſet. Sortiti ſunt: Lentulo Cilicia obuenit: & ita Lentulus auctoritate Senatus & ſorte, habuit Ptolemæi reducendi prouinciam. Sed eam prouinciam Lentulus depoſuit *interpoſita religione* &c. vide quæ dicentur in orationem pro Rabirio Poſtumo, §. 6. *Cuius reditum Conſuli mandatum à Senatu videbat.*

INTERPOSITA RELIGIONE.] Quam religionem incutiebat Sibyllinum oraculum, vetans ne Rex Ægyptius, ſi vnquam à Romanis auxilium petiiſſet, reduceretur.

EAM SIBI TVM ADSCISCERE.] Inuito Senatu vſurpare.

ETIAMSI RELIGIO.] Etiamſi Sibyllæ oraculum non prohiberet.

MOS MAIORVM.] Conſuetudo & præſcriptio quæ habet vim legis.

NOTÆ.

I. In regnum iniuſſu Senatus non licebat accedere.

IN REGNVM.] In Vatinium 12. *Fueríſne quod ſine Senatus Conſulto tibi facere non licuit, in Regno Hiempſalis? fueríſne in Regno Maſtaneſoſi?* Vbi vide notas. Id autem ſeuerè prohibebant, quod plurimum putarent de populi Rom. maieſtate decerptum iri, ſi magiſtratus Regna adiiſſent. cùm iis qui regna adeunt neceſſe ſit frequẽter adulari, ſéque Regibus ſeruilem in modum ſubmittere.

> Οστις γὰρ ὡς τύραννον ἐμπορεύεται
> Κείνου 'στι δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ.
> *Etenim tyranni ſi quis intrat in domum,*
> *Fit ſeruus eius, liber etſi venerit.*

Quod Sophoclis dictum Pompeius ipſe Ptolemæum huius filium aditurus vſurpat apud Plutarchum, Dionem & alios. Porrò non ſolùm magiſtratibus Romanis, ſiue Senatuſconſulto Reges adire non licebat, ſed ne Regibus quidem fas erat Romam accedere. Epitome Liuiana libro 46. *Eumenes Rex Romam venit, qui quia Macedonico bello, ſed medium egerat, ne aut inimicus indicatus videretur, ſi excluſus eſſet: aut liberatus crimine, ſi admitteretur, in comitio lex lata eſt, ne cuiquam Regi Romam venire liceret.*

II. PLANISSIME VETANT.] In Vatinium 37. *Cùm mea lex dilucidè vetet.* vide Notas.

III. MOS MAIORVM.] Morem maiorum apertè à religione diſtinguit. contrà Virg. 3. Æneidos.

> *Hunc ſocij morem ſacrorum hunc ipſe teneto,*
> *Hac caſti maneant in relligione nepotes.*

Libro 12.

> *--morem ritúſque ſacrorum*
> *Adiiciam.--* Libro 7.
> *Mos erat Heſperio in Latio, quem protinus vrbes*
> *Albanæ coluere ſacrum: nunc maxima rerum*
> *Roma colit.-*

In quem locum ita Macrobius. Varro de moribus *morem eſſe* dicit *in iudicio animi, quem ſequi debeat conſuetudo.* Iulius Feſtus de verborum ſignificationibus lib. XIII. *Mos eſt,* inquit, *inſtitutum patrium pertinens ad religiones ceremoniáſque maiorum.* Paulò pòſt addit Macrobius: *Mos ergo præceſſit, & cultus moris ſecutus eſt. quod eſt conſuetudo, & hìc definitionem Varronis impleuit. adiiciendo deinde ſacrum oſtendit morem ceremoniis dicatum quod Feſtus aſſeruit.* Lucanus 1. Pharſal.

> *Et vos barbaricos ritus, morémque ſiniſtrum*
> *Sacrorum Dryidæ poſitis repetiſtis ab armis.*

AXIOMATA.

Pœnæ grauiſſimæ furore & inſaniâ penduntur.

Acerrimè furit qui id facit. quod mos maiorum & exempla, & grauiſſimæ legum pœnæ vetant.

Reditus Ciceronis cum Piſonis reditu comparatus.

- Cicero rediit. 51. 52.
  - à Brunduſio vſque Romam agmen Italiæ perpetuum vidit. 51.
  - dies feſti ob eius reditum celebrati. 51.
  - S. P. Q. R. ei obuiam egreſſus eſt. 52.
  - Magna totius vrbis lætitia exceptus eſt. 52.
  - domus quæ incenſa fuerat publicis ſumptibus ei reſtituta. 52.
- Piſo rediit
  - amiſſo exercitu. 53.
  - clam, diuerticula flexionéſque quærens. 53.
  - per Italiam à nemine fuit inuitatus. 53.
  - ad vrbem nemo ei obuiam egreſſus. 54.
    - non eius legati
      - Luc. Flaccus erat cum Cicerone.
      - Q. Marcius erat domi otioſus.
    - non candidati, qui
      - & ſponte ſua ſolẽt eſſe officioſiſſimi.
      - & erant inuitati vt obuiam procederent.
  - rediit ſine triumpho ex prouincia ex qua omnes Proconſules hactenus triumphantes redierant. 55.

ARGVMENTVM.

Poſtquam ſuam abſentiam cum Piſonis abſentia comparauit, ad conferendum reditum vtriuſque delabitur: ac primùm de ſuo ipſius reditu & occurrentium celebritate.

LI. SED quoniam fortunarum contentionem facere cœpimus, de reditu Gabinij omittamus: quem etſi ſibi ipſe præcidit, ego tamen, os vt videam hominis, expecto. Tuum ſi placet reditum cum meo conferamus. Ac meus quidem is fuit, vt à Brundiſio vſque Romam agmen perpetuum totius Italiæ viderit. neque enim regio fuit vlla, neque municipium, neque præfectura, aut colonia, ex qua non publicè ad me venerint gratulatum. Quid dicam aduentus meos? quid effuſiones hominum ex oppidis? quid concurſum ex agris patrum familias cum coniugibus, ac liberis? quid eos dies, qui, quaſi Deorum immortalium feſti, atque ſollemnes ſunt apud omnes aduentu meo, reditúque celebrati?

EXPLANATIO.

SED QVONIAM.] Reditio eſt ad propoſitum, qua orationem ad Gabinij furorem elapſam reuocat & coërcet.

FORTVN. CONT.] Comparationem vtriuſque abſentiæ.

QVEM ETSI.] Etſi tot ſe flagitiis obſtrinxit Gabinius, tot ſceleribus Senatus populíque Romani odium in ſe concitauit, vt reditum ſibi præcluſerit, metu pœnarum quas videt ſuis impendere ceruicibus.

OS HOMINIS.] Hominis impudentem.

A BRVNDVSIO.] Vrbe Italiæ, in extremis Calabriæ finibus, vbi portus celeberrimus ad quem appelluntur ex Epiro & Macedonia nauigantes.

TOTIVS ITALIÆ.] Hominum qui ex tota Italia aduentus mei famâ exciti obuiam mihi venerant ad gratulandum.

REGIO.] Omnis Italia fuit in certas regiones, ſiue, vt nunc loquuntur, tractus ſiue diſtrictus quoſdam diſtributa. Qui tractus Italiæ certo definiri ſuíſque limitibus circumſcribi non poſſunt: nam quæ apud Plinium extat Italiæ totius in regiones vndecim deſcriptio, ab Auguſto fuit inſtituta, vt ipſe teſtatur lib. 3. cap. 5. nat. hiſt. Porrò Noſter totius Italiæ concurſum à partium enumeratione deſcribit: ea ſiquidem regionibus vndecim, regiones municipiis, præfecturis & coloniis continebantur.

QVID DICAM.] Expolitio eſt oratoria: qua per prætermiſſionem reditus ſui celebritatem exaggerat.

NOTÆ.

I. OS VT VIDEAM.] Infrà 53. *Nihil incolume domum præter os illud priſtinum tuum retuliſti.* vide.

II. MVNICIPIVM.] Hîc non morabor, quòd Sigonius lib. 2. de antiquo iure Italiæ, cap. 6. rem ex profeſſo tractauerit. Municipes propriè dictos tradit Vlpianus, *qui in ciuitatem Romanã accepti, munerum participes fierent.* Paulus, *quòd munera ciuilia caperent.* Porrò nomine munerum ciuiliũ non ius ſuffragij aut capeſſendi magiſtratus (quãuis id quoque municipiis quibuſdam conceſſum Municipium. eſt vt Tuſculano, Aricino, Arpino, Lanuuino, è quibus Catones, Marij, Cicerones prodierunt) ſed ius merendi in legione, Porciæ legis pro libertate ciuium immunitas, & alia honoraria munera debent intelligi. Feſtus: *Municipes qui ex aliis ciuitatibus Romam veniſſent, quibus non licebat magiſtratum capere, ſed tantùm honoris partem.* Subdit de quibuſdam municipibus, qui *in legione merebant, ſed dignitates non capiebant.* vide locum. Gellius lib. 16. cap. 13. *Municipes ergo ſunt ciues Romani ex municipiis ſuo iure & legibus ſuis vtentes, muneris tamen cum populo Rom. honorarij participes, à quo munere capeſſendo appellati videntur.* Subiungit: *Primos autem municipes ſine ſuffragij iure Cærites factos accepimus.*

PRÆFECTVRA.] Feſtus: *Præfecturæ ea appellabantur in Italia, in quibus & ius dicebatur, &* III. *nundinæ agebantur, & erat quædam earum reſp.* Præfecturæ. *neque tamen magiſtratus ſuos habebant, in quas præfecti mittebantur quotannis qui ius dicerent.*

COLONIA.] Gellius loco proximè citato. IV. *Coloniarum alia neceßitudo eſt, non enim veniunt* Colonia. *extrinſecus in ciuitatem, nec ſuis radicibus nituntur, ſed ex ciuitate quaſi propagatæ ſunt, & iura inſtitutáque omnia populi Rom. non ſui arbitrij habent.* In his ſum breuior, ne videar falcem in alienam meſſem immittere.

EFFVSIONES HOMINVM.] Heliodorus V. 7. Æthiop. Ἐξεχύθη γ᾽ οὖν πᾶσα (ἡ πόλις) καὶ τὸ προσ- Effuſio. κείμενον πεδίον ἐπλήρου διὰ πάσης ἡλικίας. *Effuſa eſt* (vrbs) *vniuerſa, & campum adiacentem omni ætate compleuit.* Cuiuſmodi tranſlationem laudat Ariſtoteles lib. Rhet. 3. cap. 10. ex Æſione: Αἰσίων δ᾽ ὅτι ἐς Σικελίαν τὴν πόλιν ἐξέχεαν. τοῦτο γὰρ μεταφορὰ καὶ πρὸ ὀμμάτων. *Æſion verò, in Siciliam, inquit, vrbem effuderunt. hæc enim eſt tranſlatio, & rem ſub oculos ponit.* Nazianzenus orat. 2. in Iulianum: Τῆς λαμπρᾶς πόλεως ἔκχυσιν ὀνομαστοτάτην τῶν πώποτε γενομένων, ἢ ἐσομένων. *Splendidæ vrbis effuſionem celeberrimam omnium quæ vnquam fuerunt, aut in poſterum futuræ ſunt.*

FESTI.] Vide planè Notas in Sextianam, §. VI. 131. vbi tum alia de reditus huius celebritate, tum de feſtis diebus non pauca.

ARGVMENTVM.

Pergit reditûs ſui celebritatem deſcribere, & magiſtratuum omnium conſenſum exponit, & poſtquam concurſum totius Italiæ egit, nunc agit de ipſo ingreſſu ciuitatis.

VNVS ille dies mihi quidem immortalitatis inſtar fuit, cùm in patriam redij, cùm Senatum egreſſum vidi, populúmque Romanum vniuerſum, cum mihi ipſa Roma prope conuulſa ſedibus ſuis, ad complectendum conſeruatorem ſuum progredi viſa eſt. quæ me ita accepit, vt non modò omnium generum, ætatum, ordinum omnes viri, ac mulieres, omnis fortunæ, ac loci, ſed etiam mœnia ipſa viderentur, & tecta vrbis, ac templa lætari. Me conſequentibus diebus in ea ipſa domo, qua tu me expuleras, quam expilaras, quam incenderas, Pontifices, Conſules, Patres conſcripti collocauerunt: mihíque (quod antè nemini) pecunia publica ædificandam domum cenſuerunt. LII.

EXPLANATIO.

VNVS ILLE.] illo die tantam percepi voluptatem, tantum fructum ciuium amoris vt immortalitate frui & cœlum viderer attingere.

IN PATRIAM.] In ipſam vrbem.

SENATVM EGRESSVM.] Vt me exciperet redeuntem.

IPSA ROMA.] Hyperbole rem amplificat.

CONSERVATOREM SVVM.] Meipſum qui patriam à coniuratione Catilinæ, à ſeruitute & incendio liberaui.

TECTA VRBIS AC TEMPLA LÆTARI.] Quæ lucernis & ramis ornata lætitiam præferebant.

QVA TV ME EXPVLERAS.] Expelli Clodij factionibus permiſeras.

QVAM EXPILARAS.] Ad quam exhauriendam Socrus tuæ domum patefeceras.

QVAM INCENDERAS.] Quam à P. Clodio paſſus fueras incendi: *Sedebas non extinctor, ſed auctor incendij, & ardentes faces furiis Clodianis pene ipſe Conſul miniſtrabas.* ſuprà 26.

PONTIFICES.] Quorum erat domum meam mihi reſtituere, quam Publius Clodius Libertati conſecrarat.

CONSVLES.] Pub. Lentulus & Q. Metellus.

PRÆTORES.] Excepto vno, à quo non fuit poſtulandum fratre inimici mei.

ANTE ME NEMINI.] Vide Notas.

NOTÆ.

I. Immortalitas. IMMORTALITATIS INSTAR.] Magnam lætitiam & fœlicitatem declaraturi dicebat ſe immortalitatem aut diuinitatem non optare, quaſi iam ea fruerentur. Pindarus Ode 5. Olymp. Strophe 2. --ὑγίεντα δ' εἴ τις ὄλβον

Ἄρδει, ἐξαρκέων κτεάτεσσι, καὶ
Εὐλογίαν προστιθεὶς, μὴ ματεύσῃ
Θεὸς γενέσθαι.--

Si quis & corporis ſanitatem & ſufficientes diuitias habet, & aliquam nominis claritatem, ne quærat Deus fieri. Propertius lib. 2. el. 14.

Immortalis ego, ſi altera talis erit.

Pro Sextio 115. *Plauſum immortalitatem, ſibilum mortem videri neceſſe eſt.* Poſt reditum in Senatu: *Quod ne optandum quidem eſt homini, immortalitatem quandam per vos adepti videmur.* & aliàs frequenter.

SENATVM EGRESSVM.] Egredi ſolebat Senatus vt exciperet triumphantes quod vulgatum eſt. ſimilis porrò reditus Imperatorum ſæpe à panegyriſtis deſcribitur. Latinus Pacatus in panegyrico Theodoſij: *Quid ego referam pro moribus ſuis feſtum liberæ nobilitatis occurſum conſpicuos veſte niueos Senatores, reuerendos municipali purpura Flamines, inſignes apicibus ſacerdotes? quid portas virentibus ſertis coronatas? quid aulæis vndantes plateas? accenſiſque funalibus auctum diem?* & anonymus in panegyrico Conſtantini: *Gloriatus ſit licet, & verè ſummus orator, humeris ſe Italiæ in patriam reportatum, te, Conſtantine Senatus Populúſque Romanus, & illo die & aliis quacunque progreſſus es, & oculis ferè geſtauit, nec quicquam aliud homines diebus munerum ſacrorúmque ludorum quàm te ipſum ſpectare potuerunt.* Vide in Catone Vticenſi apud Plutarchum, quo habitu Antiocheni Demetrio Pompei liberto, & in Alcibiade qua celebritate Athenienſes obuiam proceſſerint. Sed hæc & alio plura iam prælibauimus pro Sextio. II. Senatus egrediens excipiebat triumphantes.

ROMA PROPE CONVVLSA SEDIBVS SVIS.] Mamertinus in Genethliaco Maximiani: *Ipſa etiam gentium Domina Roma immodico propinquitatis veſtræ elata gaudio, vóſque è ſpeculis ſuorum montium proſpicere conata, quo ſe vultibus veſtris propiùs expleret, ad intuendum cominus, quantum potuit, acceſſit.* Auctor panegyrici Conſtantino dicti: *Tecta ipſa, vt audio, commoueri, & altitudo culminum videbatur attolli, quacunque numen tuum tardo molimine currus inueheretur.* Ceterùm quamuis hæc Cicero per exaggerationem dixiſſe videatur, tamen ne rem quidem Plutarcho viſus eſt eloquentia conſecutus. Sic enim ille in Cicerone: Κατῆλθε δὲ Κικέρων ἑκκαιδεκάτῳ μηνὶ μετὰ τὴν φυγήν. καὶ τοσαύτη τὰς πόλεις χαρὰ καὶ σπουδὴ τοὺς ἀνθρώπους περὶ τὴν ἀπάντησιν εἶχεν, ὥστε τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Κικέρωνος ὕστερον, ἐνδεέστερον εἶναι τῆς ἀληθείας. ἔφη γὰρ αὐτὸν ἐπὶ τῶν ὤμων τὴν Ἰταλίαν φέρουσαν, εἰς τὴν Ῥώμην εἰσενεγκεῖν. *Reuerſus eſt Cicero decimo ſexto menſe poſtquam expulſus eſt. & tanto ſtudio, tantâ lætitia ciuitates vniuerſæ obuiam ſe effuderunt, vt quod Cicero poſteà dixit, rem non ſatis oſtenderet* III. Reditus Ciceronis.

pro dignitate & veritatem attingeret. dixit enim ſe humeris Italiæ Romam fuiſſe reportatum. Appianus primo ciuilium exeunte: Λαμπρῶς δ' αὐτὸν περὶ τὰς πύλας ὑποδεχομένων πάντων, φασὶ περὶ τὰς δεξιώσεις τὴν ἡμέραν ὅλην, οἷόν τι καὶ Δημοσθένει συνέβη κατιόντι, ἀναλῶσαι. *Omnibus eum ad portas ſplendidè accipientibus, totum diem ferunt ſalutationibus fuiſſe exactum, quod & Demoſtheni contigit in patriam redeunti.* Sed vide Sextianam 131.

IV. VIRI AC MVLIERES.] In huiuſmodi publicæ lætitiæ ſignificatione diſtinctam ætatum ac ſexuum faciunt mentionem, quod ita tenerior quidam affectus oſtendi videatur. Sic Noſter apud Plutarchum extinctis coniuratis publica ciuium gratulatione domum deductus eſt. Τὰ δὲ φῶτα πολλὰ κατέλαμπε τοὺς στενωπούς, λαμπάδια καὶ δᾷδας ἱστώντων ἐπὶ ταῖς θύραις. αἱ δὲ γυναῖκες ἐκ τῶν τεγῶν προὔφαινον ἐπὶ τιμῇ καὶ θέᾳ τοῦ ἀνδρός, ὑπὸ πομπῇ τῶν ἀρίστων μάλα σεμνῶς ἀνιόντος. *Multa lumina fulgebant in triuiis, cùm omnes in ſuis ianuis lampadas & faces ardentes poſuiſſent. Mulieres verò è tectis reſpectabant, vt eum & honorarent & viderent, deducentibus eum optimatibus ſplendidè redeuntem.* Plinius Iunior in panegyrico Traiani: *Ergo non ætas quemquam, non valetudo, non ſexus retardauit, quominus oculos inſolito ſpectaculo expleret. Te paruuli noſcere, oſtentare iuuenes, mirari ſenes, ægri quoque neglecto medentium imperio, ad conſpectum tui, quaſi ad ſalutem ſanitatémque prorepere. Inde ſatis alij, ſatis vixiſſe te viſo, te recepto, alij nunc magis viuendum eſſe prædicabant.*

V. TECTA VRBIS AC TEMPLA LÆTARI.] Quibus modis in lætitia publica templa & domos exhilararent, ideò paucis attingam, quòd de lucernis & ramis, quibus ſolebant ianuas obtendere, iam antè fecerim mentionem. §. 20. Solebant præterea ſuorum maiorum imagines in atrio poſitas aperire. Vopiſcus in Floriano: *Illud dico Senatores omnes ea eſſe lætitiâ elatos, vt domibus ſuis omnes albas hoſtias cæderent, imagines frequenter aperirent, albati ſederent.* Noſter pro Sylla: *Domus erit, credo, exornata, aperientur maiorum imagines, ipſe ornatum ac veſtitum recuperabit.*

Gaudium publicum.

VI. QVAM EXPILARAS.] Vide Vatinianam vndecima ſectione.

VII. PONTIFICES.] Pontificum nomen Plutarchus in Numa ex eo deducit, quod potentibus faciant, id eſt Diis ſacrificent, & eorum etymon irridet, qui à ponte faciendo deriuant, ex eo quòd primus omnium Ancus Martius Tiberim ponte commiſerit: quare Pontifices à Numa inſtituti, non potuerunt nomen à ponte ſortiri. placet tamen verba Zoſimi hanc inflexionem, libro 40. probantis exſcribere: Τῶν ἀνθρώπων οὐδέπω τὴν διὰ τῶν ἀγαλμάτων ἐπισταμένων τιμήν, ἐν Θεσσαλίᾳ πρῶτον ἐδημιουργήθη θεῶν δείκηλα. ἑδῶν δ' οὐκ ὄντων, ἄγνωστος γὰρ ἦν καὶ τούτων ἡ χρεία, τὰ τῶν θεῶν ἐκτυπώματα τῇ κατὰ τὸν Πηνειὸν γεφύρᾳ καθίδρυσαν, τοὺς ἱερᾶσθαι τοῖς θεοῖς λαχόντας ἐκ τῆς πρώτης καθιδρύσεως γεφυραίους ἐξονομάζοντες. τοῦτο παραλαβόντες ἀφ' Ἑλλήνων Ῥωμαῖοι, τοὺς τὴν πρώτην τὴν παρ' αὐτοῖς ἱερατικὴν ἔχοντας τάξιν ποντίφικας προσηγόρευσαν. *Cùm mortales nondum Deos ſtatuis colere didiciſſent, in Theſſalia primùm facta ſunt Deorum ſimulachra, cùm templa non eſſent, adhuc enim eorum vſus erat ignotus, Deorum effigies in ponte, quo Peneus committebatur, collocarunt, & eos quibus ſorte contigerat vt Diis ſacrificarent, ab illa ſtatuarum poſitione Pontifices nominarunt. hoc à Græcis accipientes Romani ſacerdotum præcipuos Pontifices.* quaſi in ponte facientes, *appellarunt.* Et quoniam in hunc Zoſimi locum me prouexit occaſio, libet tantiſper extra ſcammata deſilire, & iocum elegantem Pontificum, ſi tamen in alium quàm in Chriſtianum iocati fuiſſent, eiuſdem Zoſimi verbis exhibere. Ἅμα τῷ παραλαβεῖν ἕκαστον τὴν τῶν ὅλων ἀρχήν, ἡ ἱερατικὴ στολὴ παρὰ τῶν Ποντιφίκων αὐτῷ προσεφέρετο, καὶ παραχρῆμα Πόντιφεξ Μάξιμος ἀνεγράφετο. *Statim atque quis Imperatoriam poteſtatem acciperet, ſacra veſtis à Pontificibus deferebatur, & mox Pontifex Maximus dicebatur.* Quod nomen ne Conſtantinus quidem & alij Chriſtiani poſt eum principes reſpuerunt. Τῶν οὖν Ποντιφίκων κατὰ τὸ σύνηθες προσαγαγόντων Γρατιανῷ τὴν στολήν, ἀπεσείσατο τὴν αἴτησιν, ἀθέμιτον εἶναι Χριστιανῷ τὸ σχῆμα νομίσας. τοῖς τε ἱερεῦσι τῆς στολῆς ἀναδοθείσης, φασὶ τὸν πρῶτον ἐν αὐτοῖς τεταγμένον εἰπεῖν, εἰ μὴ βούλεται Πόντιφεξ ὀνομάζεσθαι, τάχιστα γενήσεται Πόντιφεξ Μάξιμος. *Pontificibus igitur de more veſtem adferentibus Gratiano, ipſe aſpernatus eſt, nefas id eſſe ratus Chriſtiano, & veſte ſacerdotibus reſtituta, dicunt eorum primum ita dixiſſe, ſi non vult eſſe Pontifex Maximus, breui Maximus erit Pontifex.* Iocus in eo conſiſtit, quod Maximus Tyrannus tum Gratiano bellum inferebat. Niſi igitur, inquit, Gratianus Pontificis Maximi nomen acceperit, Maximus eo deuicto fiet Imperator, & Pontificis nomen ſortietur.

Pontifices dicti quod potentibus facerent.

Vel quod pontem reficere deberent.

Vel quòd in pontibus ſacra facerent.

Iocus Pontificum in Gratianum.

MIHI SOLI.] In beneficiis & honoribus illud maximè ſpectari ſolet, vtrùm in vulgus ſpargantur, an vni ſoli vel cum paucis tribuantur. Seneca libro primo de beneficiis, cap. 12. *Illa quoque non erunt ſine honore, quæ aut nemo illis alius dedit, aut nos nulli alij.* Subdit cap. 13. *Alexandro Macedoni cùm victor Orientis animos ſupra humana tolleret, Corinthij* (Plutarchus Megarenſes fuiſſe dicit) *per legatos gratulati ſunt, & ciuitate illum ſua donauerunt. cùm riſiſſet Alexander hoc officij genus: vnus ex legatis; Nulli, inquit, ciuitatem vnquam dedimus, alij quàm tibi & Herculi. libens accepit delatum honorem, & legatos inuitatione aliáque humanitate proſecutus, cogitauit non qui ſibi ciuitatem darent, ſed cui dediſſent.* Iterum cap. ſequenti: *Beneficium quod quibuſlibet datur, nulli gratum eſt. nemo ſe ſtabularij aut cauponis hoſpitem indicat, nec conuiuam dantis epulum.* Hoc loco notat Aſconius hæc Ciceronem oratorio, non hiſtorico more poſuiſſe. *Nam Valerio Maximo, vt Antias tradidit, inter alios honores, domus quoque publicè ædificata eſt in palatio, cuius exitus, quo magis inſignis eſſet, in publicum verſus declinaretur, hoc eſt extra priuatum aperiretur. Varronem autem tradere, M. Valerio quia ſæpius vicerat, ædes in palatio tributas, Lucius Hyginius dicit in libro priore de viris claris: P. Valerio Voleſi filio Publicolæ ædes publicas ſub Velia, vbi nunc ædes Victoriæ eſt, populum ex lege quam ipſe tulerat, conceſſiſſe tradunt, & Antiochi Regis filio obſidi domum publicè ædificatam, inter quos Atticus in Annalibus, quæ poſteà dicitur Lucilij Poëtæ fuiſſe. Varro quoque in libro 3. de vita populi Romani, quo loco refert quam gratus fuerit erga benemeri-*

VIII. Honorarius.

Multis domus ædificata publicè.

tos; dicit Mutino, quòd in Sicilia cum equitatu ſuo tranſierat ad nos, ciuitatem datam ædéſque & pecuniam ex ærario. hæc Aſconius. Liuius libro 44. de Oneſimo, qui à Philippo Romam perfugerat: *Senatus in formulam Sociorum eum referri iuſſit: locum lautis præberi: agri Tarentini, qui publicus Populi Romani eſſet ducenta iugera dari, & ædes Tarenti emi: vti ea curaret, C. Decimio Prætori mandatum.* Pomponius D. de origine iuris l. 2. §. 37. *Caius Scipio Naſica, qui optimus à Senatu appellatus eſt, cui etiam publicè domus in ſacra via data eſt, quò faciliùs conſuli poſſet.* Multi igitur ante Tullium domum publicè datam habuerunt. Nodum hunc ita ſoluit Aſconius: *Videamus tamen num ideo Cicero, dicat ſibi, quod antea nulli, domum pecuniâ publicâ ex ærario ædificatam, quia illis aut locus publicè datus ſit, aut domus quæ non fuerat eorum, neque propter illos publico ſumptu ædificata: Ciceroni domus quæ fuerat ipſius, & diruta atque incenſa erat, & conſecrata publico ſumptu ædificata ſit: quod nouum, & huic primo, & adhuc etiam ſoli contigit.* Porro Pontifices qui ædificandam ipſi domum pecuniâ publicâ cenſuerunt; de haruſpicum reſponſis ita nominantur. *At verò meam domum P. Lentulus Conſul & Pontifex, P. Seruilius, M. Lucullus, Qu. Metellus, M. Glabrio, M. Meſſala, Luc. Lentulus Flamen Martialis, P. Galba, Qu. Scipio, C. Faunius, M. Lepidus, L. Claudius Rex Sacrorum: M. Scaurus, M. Craſſus, C. Curio, Sextus Cæſar, Flamen Quirinalis: Qu. Cornelius, Pub. Albinouanus, Qu. Terentius Pontifices Minores, &c. omni religione vna mente omnes liberauerunt.* Conſules fuerunt P. Lentulus Spinther, Qu. Metellus Nepos, Prætores illius anni M. Cæcilius, M. Calidius, C. Septimius, Qu. Valerius, P. Craſſus, S. Quintilius, C. Cornutus poſt reditum in Senatu numerantur. octauus fuit Appius Clodius Publij frater.

ARGVMENTVM.

Poſtquam ſui reditus ſplendorem deſcripſit ad exponendam Piſoniani reditus obſcuritatem delabitur: eámque è duobus maximè capitibus oſtendit, quòd eo noctu in vrbem per diuerticula quædam ſubrepſerit, nemóque obuiam redeunti proceſſerit.

HABES reditum meum: confer nunc viciſſim tuum: quandoquidem, LIII. amiſſo exercitu, nihil incolume domum, præter os illud priſtinum tuum retuliſti. qui primum, qua veneris cum laureatis tuis lictoribus, quis ſcit? quos tu Mæandros, dum omnes ſolitudines perſequeris, quæ diuerticula, flectionéſque quæſiſti? quod te municipium vidit? quis amicus inuitauit? quis hoſpes aſpexit? nónne tibi nox erat pro die? non ſolitudo pro frequentia? caupona pro oppido? non vt redire ex Macedonia nobilis Imperator, ſed vt mortuus infamis referri videretur? Romam verò ipſam fœdauit aduentus tuus. O familiæ non dicam Calphurniæ, ſed Caluentiæ; neque huius vrbis, ſed Placentini municipij, neque paterni generis, ſed brachatæ cognationis dedecus; quemadmodum veniſti? quis tibi, non dicam horum, aut ciuium cæterorum, ſed tuorum legatorum obuiam venit?

EXPLANATIO.

HABES.] Perſpicuitatis cauſsâ dicta à dicendis ſeparantur.

AMISSO EXERCITV.] Ferro, fame, frigore, peſtilentia vaſtato, poſtquam *miſericordiam in modum milites populi Romani capti, necati, deſerti, diſſipati ſunt: incuriâ, fame, morbo, vaſtitate conſumpti, vt quod eſt indigniſſimum, tu Imperator in pœnam exercitûs expetitus eſſe videaris.* de Prouinc. Conſul. 5.

PRÆTER OS ILLVD.] Præter illam tuam impudentiam, vel etiam præter illam affectatam ſeueritatem flagitia tua frontis nebulis obtegentem.

QVI PRIMVM.] Incipit reditus obſcuritatem deſcribere.

CVM LAVREATIS.] Imperatores poſt adeptam victoriam lictorios faſces habebant lauri foliis inuolutos: Piſo ab exercitu dictus Imperator eos obtinebat, quod reditui magnum ſplendorem adferre poterat, niſi ſcelerum conſcientia vexatus, latebras & diuerticula de induſtria quæſiiſſet. Hinc igitur expetitam præ ſcelerum conſcientia reditus obſcuritatem oſtendit, quod licet laureatos faſces haberet, nemo tamen eum redire cognouerit.

QVOS TV MÆANDROS.] Quos flexus, quas latebras. ſynonymis rem exaggerat. vide Notas.

QVIS AMICVS INVITAVIT.] In ædes ſuas.

NÓNNE TIBI.] Eſt expolitio oratoria, qua iam antè dicta varia tractatione clariùs explicantur. quam expolitionem antitheſibus illuſtrat.

EX MACEDONIA.] Quæ prouincia ſemper fuit ſeminarium triumphorum, *Quæ tantis barbarorum gentibus attingitur, vt ſemper Macedonicis Imperatorib. iidem fines prouinciæ fuerint, qui gladiorum atque pilorum.* Vide 38.

NOBILIS IMPERATOR.] Per ironiam nobilem appellat: quia ab exercitu proclamatus fuerat Imperator.

VT MORTVVS INFAMIS.] Qui in le-

ćticis tećti occultíque ad maiorum ſuorum monumenta referuntur.

Foedavit.] quaſi cadauer illatum funeſtauit.

O familiæ.] Graui exclamatione Piſonis indignitatem oſtendit: quippe qui dedecori fuerit non ſolùm nobiliſſimæ Calpurniorum familiæ, ſed etiam obſcuræ Caluentiæ, à Gallis & barbaris oriundæ.

Bracchatæ.] Gallicæ. ex Gallia Bracchata.

NOTÆ.

I. Os. Os illvd.] Os pro pudore, vel impudentia ſæpè reperitur. Catullus:

--ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.

Superiùs: *Os vt videam hominis expecto.* vbi per *os* impudentiam denotat: quamquam etiam pro verecundia vſurpatur. Helena Paridi apud Naſonem:

Nec tibi plus cordis, ſed minus oris ineſt.

Lepidè apud Senecam lib. 3. de ira, cap. 38. *Cato noſter meliùs, cui cùm cauſſam agenti in frontem mediam, quantùm poterat, attractâ pingui ſalivâ inſpuiſſet Lentulus ille patrum noſtrorum memoria factioſus & impotens, abſterſit faciem, &, Affirmabo, inquit, omnibus Lentule, falli eos qui te negant os habere.*

II. Lictores laureati. Lavreatis lictoribvs.] Duces exercitus cùm aliquas victorias fuiſſent conſecuti laureatos lictores, id eſt, faſces laureis foliis implicatos à lictoribus præferri ſolitos obtinebant. Primus omnium Seruilius, auctore Dionyſio libro 6. deuictis Latinis contra Senatus voluntatem, ςεφανῶσαι ταὶ ῥάβδους ἐκέλευσεν. *faſces laurea coronauit.* In oratione pro Qu. Ligario 7. *à quo* (Cæſare) *hoc ipſo Caio Panſa mihi nuntium perferente, conceſſos faſces laureatos tenui, quoad tenendos putaui.* Sæpiùs tamen hos faſces militum ſuffragiis obtinebant. vt hic ipſe Piſo cui nec Senatus, nec alius Imperator aut magiſtratus conceſſerat. Quid autem velit illud ænigma Ciceronis lib. 10. ad Attic. epiſt. 4. de ſuo & Curionis colloquio, alij examinent: *Quid iſti, inquam, ſex tui faſces? ſi à Senatu, cur laureati? ſi ab ipſo, cur ſex? Cupiui, inquit, ex S. C. ſubiecto. nam aliter non poterat. At ille impendio nunc magis odit Senatum. A me, inquit, omnia proficiſcentur. Sex autem quia duodecim nolui. nam licebat.*

III. Mæander. Mæandros.] Mæander fluuius eſt imprimis flexuoſus, adeò vt Dio Chryſoſtomus oratione de Celænis ſexcentos ei flexus tribuerit. Seneca:

--qualis incerta vagans
Mæander vnda ludit.

Ouidius:

Non ſecus ac liquidus Phrygiis Mæander in oris
Ludit & ambiguo lapſu refluitque fluitque.

Hinc omnes flexus Mæandri nominantur. Maro 5. Æneidos:

-quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit.

Tertullianus cap. 4 de pallio: *Mæandrico flexu delicatam veſtem humi protrahat.* Strabo libro 12. Μαίανδρος σκολιὸς ὢν εἰς ὑπερβολήν, ὥστ' ἐξ ἐκείνου τὰς σκολιότητας ἁπάσας Μαιάνδρους καλεῖσθαι. *Mæander mirum in modum flexuoſos, adeò vt omnes flexus, ab eo Mæandri appellentur.*

Cavpona.] Hîc per *cauponam* œnopolium & popinam intelligit. Caupones tamen dicuntur non ſoli vini venditores, ſed omnes ij à quibus minutatim merces diſtrahuntur. Plato 1. de Repub. Καπήλους καλοῦμεν τοὺς πρὸς ὠνήν τε καὶ πρᾶξιν διακονοῦντας ἱδρυμένους ἐν ἀγορᾷ, τοὺς δὲ πλανήτας ἐπὶ τὰς πόλεις ἐμπόρους. *Caupones vocamus eos mercatores qui rerum venditione & emptioni in foro ſedentes incumbunt, eos verò qui per vrbes vagantur, inſtitores.* Quare arridet mihi eorum ſententia, qui in Plauti Aulularia ſc. *Narraui*, non *ciniflones*, vt vulgò, ſed *caupones*, legendum exiſtimant: nam inibi pleraque cauponum genera in paucos verſiculos cogerentur: IV. Caupona.

Stat fullo, Phrygio, aurifex, lanarius,
Caupones patagiarij, induſiarij,
Flammearij, violarij, cerinarij, alias, carinarij,
Aut manulearij, aut myrobrecharij,
Propolæ, linteones, calceolarij,
Sedentarij, ſutades, diabathrarij,
Solearij adſtant, adſtant molochinarij, &c.

Hinc Ennius:

Non cauponantes bellum, ſed belligerantes.

Ex Æſchylo penè ad verbum, ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις.

Ἐλθὼν δ' ἔοικεν οὐ καπηλεύσειν μάχην.

Veniens videtur Martis haud caupo fore.

Nihilò tamen ſeciùs apud Latinos Iuriſconſultos præſertim caupo ſumitur, pro ſolo œnopola, ſiue vini venditore. Feſtus: *Copona taberna à copiis dicta.* alij legunt *à cupis*, quòd vinum in caupona vendi ſolitum de cupa promeretur. vide infrà 67. *Panis & vinum à propola atque de cupa.* propriè igitur Martialis:

Non potes, vt cuperes, vendere caupo merum.

Mortvvs infamis referri videretvr.] De his Lipſius cap. 19. libri 1. electorum fuſiſſimè. antiqui mortuos lectis, ſiue lecticis efferebant. Dionyſius libro 4. cadauer Lucretiæ efferri facit ἐπὶ κλίνης, & inter leges XII. tabularum fuit, *ne plures lecti ſternerentur vni.* Aſconius in præfatione Milonianæ: *Cadauer Clodij in via relictum Sext. tædius Senator, qui fortè rure in vrbem reuertebatur ſuſtulit, & lectica ſua Romam ferri iuſſit.* Nepos in vita Attici. *Elatus eſt in lecticula, vt ipſemet præſcripſerat ſine vlla pompa funeris.* Tacitus 3. hiſtoriarum: *Simul ferebatur lecticula paruulus filius velut in funebrem pompam.* Gracchus apud Agellium libro 10. noctium Attic. cap. 3. *His annis paucis in Aſiam miſſus eſt, qui per id tempus magiſtratum non ceperat, homo adoleſcens pro legato. Is in lectica ferebatur. Ei obuiam bubulcus de plebe Venuſinus aduenit. & cùm ignoraret qui ferretur, per iocum interrogauit num mortuum ferrent.* Cicero 2. Philippica: *At iſte opertâ lecticâ latus eſt per oppidum, vt mortuus.* Hic verò lecticæ lationem obiectat, quia non poterant in lectica triumphare, vnde Septimius Seuerus apud Spartianum: *Parthicum deferentibus ſibi Patribus triumphum idcirco recuſauit, quod conſiſtere in curru affectus articulari morbo non poſſet. filio ſanè conceſſit vt triumpharet.* Tamen aduerte non fuiſſe moris, vt mortui in vrbem referrentur. Appianus primo ciuilium, agens de bello Sociali: Ῥουτιλίου δὲ τοῦ σώματος, καὶ πολλῶν ἄλλων ἐπιφανῶν ἐπὶ ταφὴν ἐς Ῥώμην ἐνεχθέντων, ἥ τε ὄψις αὐτὴ τὴν ὑπάτου καὶ τοσῶνδε ἄλλων ἀνῃρημένων, καὶ πολυήμερον ἐπὶ τῷδε πένθος ἠγέρθη· καὶ ἀπὸ V. Mortui referebantur in lectica.

Ὅθεν ἡ βουλὴ τοὺς ἀποθνήσκοντας ἐν τοῖς πολέμοις ἔκρινεν, ἔνθα περ ἂν ὦσι, θάπτεσθαι, τοῦ καὶ τοὺς λοιποὺς ἐκ τῆς ὄψεως ἀποτρέπεσθαι τῶν στρατιωτῶν. lego, *στρατιῶν. Reportato ad ſepulturam Rutilij & aliorum nobilium cadauere, triſte viſum eſt Conſulis, & tot tantorúmque interfectorum ſpectaculum, & luctus in multos dies eſt excitatus, & ex hoc Senatus decreuit, vt qui in bello cecidiſſent, ibi ſepelirentur vbi cecidiſſent, ne ſpectaculum cæterorum animos à militia auerteret.*

VI. Mortuos in vrbem inferri nefas.

FOEDAVIT ADVENTVS.] Vrbem illatis cadaueribus funeſtari credebant. quo ſenſu capio illud ſexti Æneidos :

-totámque incœſtat funere claſſem.

Atque hæc cauſa fuit cur ne oſſa quidem mortuorum inferre liceret intra pomœrium, niſi ſi fortè fuiſſet triumphalis. Plutarchus in quæſt. Romanis 79. *Διὰ τί τοῦ θριαμβεύσαντος, εἶτα ἀποθανόντος καὶ καέντος ἐξῆν ὀστέον λαβόντας ἐς τὴν πόλιν εἰσφέρειν; Quam ob cauſam viri triumphalis demortui & ambuſti os è buſto in vrbem licebat inferre?*

Triumphaliũ oſſa poterant in vrbem inferri.

Quod ſic horrebant vt expiationibus etiam opus eſſet ei, de cuius obitu vel falsò fuerat nuntiatum. Ibidem 5. *Διὰ τί τοὺς τεθνάναι φημισθέντας ἐπὶ ξένης ψευδῶς, κἂν ἐπανέλθωσιν, οὐ δέχονται κατὰ θύρας, ἀλλὰ τῷ κεράμῳ προσβαίνοντες εἴσω καθιᾶσιν αὐτούς. Quam ob cauſam eos qui in exteris regionibus mortuos eſſe falsò audiuerint, redeuntes ianuâ non admittunt, ſed ad tectum adſcendentes eos per tegulas demittunt.* Οὐδὲν θαυμαστὸν, εἰ καὶ Ῥωμαῖοι τότε δοκοῦσιν ἅπαξ τετάφθαι, καὶ γεγονέναι τῆς τῶν ἐθίτων μερίδος, οὐκ οἴονται δεῖν παριέναι τὴν αὔλειον· ᾗ θύοντες ἐξίασι, καὶ θύσαντες εἰσίασι. *Nihil mirum ſi Romani iis qui ſemel viſi fuerint ſepulti, & poſiti in numero mortuorum veſtibulum præterire non ſinunt, quo & ſacrificaturi egrediuntur, & ſacrificiis peractis regrediuntur.*

Qui mortui nuntiati fuerant, non per ianuã, ſed per regulas admittebantur

VII. CALPHVRNIÆ.] Calphurniorum nobiliſſima fuit familia. vide 2. §.

VIII. Caluentino.

CALVENTIÆ.] Aſconius: *Quis fuerit ſocer Piſonis patris ſupra dixit his verbis: Inſuber quidam fuit, id eſt Mercator, & præco is cùm Romam cum filia veniſſet, adoleſcentem nobilem Cæſonium, hominis furaciſſimi filium auſus eſt appellare, filiam collocauit. Caluentium aiunt eum appellatum, patris Piſonis contra quem hæc oratio eſt, ſocerum. Rutilium Attilium Nudum Feneſtella tradit.* Hæc Aſconius.

IX. Placentinum municipium.

PLACENTINI MVNICIPII.] Idem Aſconius : *Magnopere me hæſitare confiteor, quid ſit quare Cicero Placentiam municipium eſſe dicat. video enim in annalibus eorum, qui punicum bellum ſecundum ſcripſerunt, tradi Placentiam coloniam deductam pridie Calend. Ian. primo anno eius belli P. Cornelio Scipione patre Africani, Tito Sempronio Longo Coſſ. Neque illud dici poteſt, ſic eam coloniam eſſe deductam, quemadmodum poſt plures ætates Cn. Pompeius Strabo pater Cn. Pompeij Magni Tranſpadanas colonias deduxerit. Pompeius enim non nouis colonis eas conſtituit, ſed veteribus incolis manentibus ius dedit Latij, vt poſſent habere ius quod cæteræ Latinæ coloniæ, id eſt, vt petendi magiſtratûs gratiâ ciuitatem Romanam adipiſcerentur. Placentiam autem ſex millia hominum noui coloni deducti ſunt: in quibus equites deducendi fuit cauſſa, vt opponerentur Gallis qui eam partem Italiæ tenebant, deduxerunt triumuiri Publius Cornelius Aſina, P. Papyrius Maſo, Cn. Pompeius, ſiue Cn. Cornelius Scipio. eámque coloniam LIII. deductam eſſe inuenimus.* Hæc ille in ipſo noſtræ orationis exordio. Verùm quod tantopere ſe hæſitare confitetur, facilè diſſolues ſi aduerteris nonnunquam colonias vel beneficio Senatûs, vel eius qui coloniam deducebat, in ius municipij tranſiiſſe. Sic Puteolos, vt notat Turnebus, coloniam fuiſſe ſcribit Liuius libro 34. & Paterculus libro priore: tamen poſt in ius municipij tranſierunt. Tullius 2. agraria: *Puteolos verò, qui nunc in ſua poteſtate ſunt, ſuo iure, libertatéque vtuntur, totos nouo populo, atque aduentitiis copiis occupabunt.* Et pro Cœlio 4. *Nam quod obiectum eſt municipibus eſſe adoleſcentem non probatum ſuis, nemini vnquam præſenti Puteolani maiores honores habuerunt, quàm abſenti M. Cœlio.* Sic Adrianus, vt verbis vtar Gellij libro 16. noctium Atticarum cap. 13. *Præneſtinos refert maximo opere à Tiberio Imperatore petiſſe, oraſſéque, vt ex Colonia in municipij ſtatum redigerentur: idque illis Tiberium pro referenda gratia tribuiſſe, quòd in eorum finibus ſub ipſo oppido ex capitali morbo reualuiſſet.* Idem igitur de Placentinis dicendum eſſe, eos cùm priùs in coloniam deducti fuiſſent ius municipij fuiſſe conſecutos.

Coloniæ nõnunquam in ius municipiorum trãſibant.

X. Braccæ Gallorum.

BRACCATÆ COGNATIONIS.] Gallicæ à braccis, qui veſtitus fuit Gallorum, vnde & pars Galliæ Braccata nominatur. Suetonius in Iulio cap. 80. *Galli braccas depoſuerunt, latum clauum ſumpſerunt.* Diodorus Siculus libro quinto bibliothecæ : *Ἐσθῆσι δὲ χρῶνται καταπληκτικαῖς, χιτῶσι μὲν βαπτοῖς, χρώμασι παντοδαποῖς διηνθισμένοις, καὶ ἀναξυρίσιν, ἃς ἐκεῖνοι βράκας προσαγορεύουσι. Veſtitus illis ad terrorem compoſitus: tunicas enim variis coloribus imbutas, ac velut floribus conſperſas, caligáſque (quas illi braccas appellant) geſtant.* Sed de braccis vide Cœlium libro 18. cap. 21. & Iſaacum Caſaubonum Animaduerſionibus in Suetonij librum 2. Braccæ porro fuerunt quædam integumenta, quibus crura & verenda velabant, de quibus, opinor, Nonnus eleganter paraphraſi in Ioannem cap. 21.

Εἵματι δαιδαλέῳ λαγόνας μιτρώσατο Σίμων
Καὶ λινέῳ πεπύκαστο πολυτρήτῳ χρόα πέπλῳ.
Πόντιον ἀμφίβλημα περὶ γλουτοῖσιν ἑλίξας
Δέρμα τὸ περ διδύμων κεχαλασμένον ἐς πτύχα μηρῶν
Ἰχθυβόλοι φορέουσιν, ἀθηήτου σκέπας αἰδοῦς.
At Petrus vario lumbos ſuccinxit amictu,
Et ſua multifori contexit corpora peplo,
Aduoluítque nates circum indumenta marina
E corio, geminis crurum quæ flexibus olim
Piſcator demiſſa gerit, veláatque pudorem.

Braccæ non modò Gallorum fuerunt, ſed etiam Perſarum & Scytharum. Perſius de Perſis ſiue Medis :

-Braccatis illita Medis Porticus.-

Ouidius de Scythis lib. 5. Triſt.

Quos vt non timeas poſſis odiſſe videndo,
Pellibus & longâ corpora tecta comâ.
Hos quoque qui geniti Graia creduntur ab vrbe
Pro patrio cultu Perſica bracca tegit.

Idem :

Pellibus & laxis arcent mala frigora braccis.

De iiſdem Hippocrates libro de aëre, locis & aquis, *ἀναξυρίδας ἔχουσιν* id. *braccas ſemper geſtant*: Cappadoces, vt narrat Herodotus libro primo;

σκυτίνας ἀναξυρίδας φορέουσι. Idem autem eſſe braccam & ἀναξυρίδα, innuit etiam Euſtathius in 2. Iliados: Τὸ κάλυμμα τῆς αἰδοῦς ὥσπερ οἱ Ῥωμαῖοι βράκαν φασὶν, ἕτεροι δ' ἀναξυρίδα ἐκ τοῦ ἀνασύρεσθαι. *Pudoris integumentum quod Romani braccam, alij ἀναξυρίδα appellant.* Quam vocem alij aliunde deriuant. Non placet Caſaubono acumen Iſidori. *Femoralia appellata eo quòd femora tegant: ipſa & braccæ quòd ſint breues,* (quaſi βραχεῖς) *& verecunda corporis iis velentur.* Euſtathius ad illud Odyſſ.

Braccæ vnde. Αὐτὰρ ὁ γυμνώθη ῥακέων πολύμητις Ὀδυσσεύς.
Corpora panniculis nudat verſutus Vlyſſes.

βράκη, vel βράκια, Æolica dialecto vocat, quæ vulgò ῥάκη, vel ῥάκια nuncupatur. vnde fortaſſe braccarum nomen profluxerit, vt contendit Caſaubonus, ſui ipſius oblitus, qui ſuperiore pagella conceptis verbis negauerat Græcum eſſe vocabulum. *Noſtras braccas non fuiſſe Græcis Latiníſque in vſu eo probamus, quod nulla apud vllum Græcum, aut Latinum ſcriptorem vetuſtiorem extet earum mentio, ac ne appellatio quidem niſi barbara.* Et poſt vnam paginam ſubdit: *Diodoro Siculo non aſſentior, qui* βράκας *vocem Gallicam facere videtur: neque Heſychio ſcribenti,* Βράκκαι αἴγειαι διφθέραι παρὰ Κέλτοις. Verùm vndevnde nomen manarit, etiam vetuſtiſſimos Græcos, præter lænas & tunicas, ſiue interulas verendorum integumenta quædam habuiſſe tam certum eſt, quàm quod certiſſimum. ex Iliados 2.

Veteres Græci braccati. — ἀπὸ μὲν φίλα εἵματα δύσω
Χλαῖνάν τ' ἠδὲ χιτῶνα, τά τ' αἰδῶ ἀμφικαλύπτει.
Eripiam veſtes, lænam, tunicámque, tuorum
Quæque verendorum circumtexere pudorem.

Quibus verbis braccam περιφραστικῶς ſignificari ſcribit Euſtathius. Quare non video quid Caſaubonum induxerit, vt *falsò & imperitè* loqui dicat, qui veteribus Græcis & Latinis quædam etiam femoralia tribuerunt. Etſi non inficior alias fuiſſe braccas barbarorum, alia femoralia Græcorum: braccæ tota crura tegebant, & à lumbis ad genua pertinebant: vnde Maro 11. Æneidos:

Pictus acu tunicas, & barbara tegmina crurum.

Romanorum braccæ fuerunt breuiores, non tam frigoris arcendi cauſſa, quàm velandi pudoris institutæ, inſtar earum quas *mutandas* hodie vocant Capucini. illæ è pellibus & corio fuerunt, hæ vel è lino, vel è lana, etſi Lupercorum ſubligacula ſolùm pudorem velantia, è pellibus etiam fuerunt, vt auctor eſt Plutarchus, & piſcatorum, vt liquet è Nonni verbis proximè citatis. Quam ob diuerſitatem Tacitus 2. hiſtor. ſcribit de Cæcina legato ſuperioris Germaniæ: *Ornatum ipſius municipia & coloniæ in ſuperbiam trahebant: quòd verſicolore ſagulo braccas tegmen barbarum indutus togatos alloqueretur.* Dixi braccas & laxiores fuiſſe, & arcendo frigori comparatas. Ouidius:

Pellibus & laxis arcent mala frigora braccis.

Strabo lib. 11. Χειριδωτοὶ χιτῶνες, καὶ ἀναξυρίδες ἐν μὲν τοῖς ψυχροῖς τόποις καὶ προσβόρεοις ἐπιτήδειά ἐστι φορήματα. *Tunicæ manuleatæ, & braccæ in frigidis locis, & ad ſeptentrionem vergentibus ſunt percommodæ.* Et libro 4. de Gallis: Ἀναξυρίσι χρῶνται ἀνατεταμέναις. *Laxis vtuntur braccis.* Hyginus poëtico aſtronomico libro primo: *Hinc intelligimus illic maximum frigus, & in æſtiuo circulo calorem eſſe, quòd qua terra habitatur eos videmus, qui proximè ſunt arcticon finem eos vti braccis, & eiuſmodi veſtitu veſtiri.*

ARGVMENTVM.

Reditus Piſonis ſolitudinem ex eo demonſtrat, quòd ne legati quidem ipſius qui domum antè redierant, aut candidati, qui omnibus officiis omnium etiam infimorum gratiam aucupantur, obuiam redeunti proceſſerint.

LIV. MEcvm enim Luc. Flaccus vir tua legatione indigniſſimus, atque iis conſiliis, quibus mecum in Conſulatu meo coniunctus fuit, ad conſeruandam Rempub. dignior, mecum fuit tum, cùm te quidam non longè à porta cum lictoribus errantem viſum eſſe narraret. ſcio item virum fortem in primis, belli, ac rei militaris peritum, familiarem meum Qu. Marcium, quorum tu legatorum prælio Imperator appellatus eras, cùm longè abfuiſſes, aduentu iſto tuo domi fuiſſe otioſum. Sed quid ego numero, qui tibi obuiam non venerint? cui dico veniſſe pæne neminem, ne de officioſiſſima quidem natione candidatorum, cùm vulgo eſſent, & illo ipſo, & multis antè diebus admoniti, & rogati. togulæ lictoribus ad portam præſto fuerunt: quibus illi acceptis, ſagula reiecerunt, cateruam Imperatori ſuo nouam præbuerunt.

EXPLANATIO.

MEcvm enim.] Videtur à maiori hunc ſyllogiſmum conficere.

Si legati tui tibi non occurrerunt, multò minùs alij obuiam prodierunt.
Sed legati tui tibi non occurrerunt.
Ergo multò minùs alij.

Vir tva legatione indigniſſimvs.] Qui propter dignitatem ſplendorémque virtutum, indignam te Proconſule obiit legationem, & vir fortiſſimus ſub Imperatore

inertiſſimo militauit. Hic porro eſt L. Valerius Flaccus qui legatos Allobrogum cum litteris coniuratorum in ponte Miluio deprehendit, quare conſiliis ſecum coniunctum fuiſſe dicit Orator in ſuo conſulatu. vide Catilinariam tertiam, & ipſam quæ pro eodem Flacco extat oratio.

ERRANTEM.] Omnes ſolitudines perſequentem, & diuerticula quærentem.

QVORVM TV LEGATORVM.] Luc. Flacci, & Qu. Martij. Laudem Piſonis deterit, ex eo quòd non ſua, ſed legatorum ſuorum virtute appellatus fuerit Imperator.

CVM LONGE ABFVISSES] à loco certaminis.

ADVENTV ISTO TVO.] Addit particulam *iſto* per contemptum. nec temerarium eſt quod addit Qu. Martium adueniente Piſone *domi fuiſſe otioſum*. id enim ad contemptum Piſonis redundat. quem ita ſui legati vel oderant, vel ſpernebant, vt quantumuis otioſi, nulliſque aliis occupationibus diſtricti, tamen obuiam ei non procederent.

SED QVID EGO.] Correctio & retractatio oratoria.

QVI DICO.] Alterum eſt argumentum de candidatis iterum à maiori, quod poſſis prioris inſtar contexere.

OFFICIOSISSIMA NATIONE CANDIDATORVM.] Qui vel infimos quoſque prenſant, ſtudéntque omnium gratiam demereri ad obtinenda eorum ſuffragia.

VVLGO.] paſſim, ſine diſcrimine.

ET ILLO IPSO.] Die, quo die vrbem ingreſſus eſt.

ADMONITI ET ROGATI.] Vt obuiam tibi procederent.

TOGVLÆ.] Lictores ne redire tum primùm è prouincia viderentur, reiectis ſagulis ſiue paludamentis militaribus, togas induerunt, antequam ad Capitolium gratiam habituri perueniſſent.

NOTÆ.

I. QVINTVM MARTIVM.] Qu. Martium Regem intelligit, quem Dio tradit Ciliciæ fuiſſe Proconſulem. & Salluſtius in Catilinâ ſcribit, ad vrbem fuiſſe cum exercitu Cicerone Conſule, inimicorum inuidiâ impeditum ne triumpharet. Vide Sigonium ſuis commentariis in Faſtos in D. Silani & Murenæ conſulatu. à quo tamen diſſentio Qu. Martij mortem ad conſulatum M. Piſonis & M. Meſſalæ referente, ea ſolùm coniecturâ, quod P. Clodius in epiſtolis ad Atticum dicatur *hæreditatem Regis deuoraſſe*. Cæterùm an triumpharit non liquet, ſatis tamen ex dictis conſtat eum apprimè fuiſſe peritum rei militaris: quod triumpho dignus erat niſi inuidia quorumdam obſtitiſſet.

II. QVORVM TV LEGATORVM.] Quod alibi diximus ex Diodoro Siculo in eclogis libri 36. Ὅτι ἔθος ἦν τοῖς Ῥωμαίων στρατιώταις, ἡνίκα ὁ στρατηγὸς αὐτῶν σὺν αὐτοῖς μάχῃ πρός τινας τῶν πολεμίων συμπλακεὶς ὑπὲρ τοὺς ἑξακισχιλίους τῶν ἐχθρῶν ἐφαίνετο ἀνελὼν, Ἰμπεράτορα αὐτὸν ἀναγορεύειν, καὶ ἀποκαλεῖν. *Id fuiſſe poſitum in Romanorum militum inſtituto, vt ſi ductor exercitus prælio cum ipſis aduerſum hoſtes conſerto ſupra ſex hoſtium millia cecidiſſet, eum Imperatorem nominarent.* Id conceptis verbis neceſſarium fuiſſe oſtendit, vt Imperator per ſe non per legatos prælio intereſſet. Secus tamen videtur omnino contigiſſe. nam & hîc Piſo prælio per legatos confecto, à victore exercitu appellatur Imperator. & Caius Antonius Catilinâ, ſuis auſpiciis, Petreij legati manu deleto, idem Imperatoris nomen ſortitus eſt, vt iam vidimus ex Dione. Iulius Capitolinus in Antonino Philoſopho: *Et Verus quidem poſteà quàm in Syriam venit, in delitiis apud Antiochiam & Daphnem vixit, armiſque ſe gladiatoriis & venatibus exercuit, cùm per legatos bellum Parthicum gerens, Imperator eſſet appellatus.* M. Varro libro ſecundo de re ruſtica Cn. Trebellium Scropham de auo ſuo Quæſtore Licinij Neruæ ita loquentem inducit: *Eo prælio hoſtes ita fudit, vt eo Nerua Prætor Imperator appellatus ſit, & auus cognomen inuenerit, vt diceretur Scropha.* Neruam antè dixerat à caſtris abfuiſſe.

Prælio per legatos confecto Proconſul dici poterat Imperator.

OFFICIOSISSIMA.] Claudius Mamertinus in gratiarum actione pro Conſulatu: *Quis ignorat, tum quoque cùm honores populi Romani ſuffragiis mandabantur, multos fuiſſe candidatorum labores? ediſcenda omnium nomina, tributim homines atque etiam ſinguli ſalutandi, prehenſandæ obuiorum manus, omnibus arridendum, non ſolùm cum infimis, ſed etiam cum ignotis familiaritatis imago ſimulanda, multáque alia preter honorem agenda, quæ alias virum honore dignum facere non liceret. vnde illud Craßi celebre dictum. Quæſo, inquit, Muci, pauliſper abſcedas, nec comitatu tuo honeſtari putes, te ſpectante ineptus eſſe non poſſum.* Præclarè Dio Chryſoſtomus in hanc ſententiam: Τί δὲ κακοδαιμονέστερον ἀνθρώπων ἐπ' ἄλλοις κειμένων· καὶ τὸν ἀπαντῶντα κύριον ἐχόντων, πρὸς ὃν ἀεὶ βλέπειν ἀνάγκη, καὶ σκοπεῖν τὸ πρόσωπον ἑκάστου, καθάπερ τοῖς οἰκέταις τὸ τῶν δεσποτῶν. *Quid verò infelicius hominibus qui aliis innituntur, & quemuis obuium dominum habent, ad quem reſpicere illis eſt neceſſe: & cuiuſque vultum conſiderare, quemadmodum ſeruis dominorum.* Arrianus libro 4. diſſert. Epicteti cap. 10. Ἂν ὑπατεῦσαι θέλῃς, ἀγρυπνῆσαί σε δεῖ, περιδραμεῖν, τὰς χεῖρας καταφιλῆσαι, πρὸς ταῖς ἀλλοτρίαις θύραις κατασαπῆναι, πολλὰ μὲν εἰπεῖν, πολλὰ δὲ πρᾶξαι ἀνελευθέρως, δῶρα πέμψαι πολλοῖς, ξένια καθ' ἡμέραν ἐνίοις. *Si adipiſci conſulatum velis, vigilare oportet, ambire, deoſculari manus, ad fores alterius contabeſcere, multa loqui ac facere illiberaliter, dona mittere multis, munuſcula quotidiè nonnullis.* Vide Noſtrum §. 43. Milonianæ & Quintum Cic. de petitione Conſulatus. Porro candidatos eos eſſe nemo neſcit appellatos à togâ candidâ, quod ſine tunicâ, in togâ candidâ in Campum Martium honores petituri deſcenderent. de quo ne dicamus Plutarchus in quæſtionibus Romanis problemate 48. & in vitâ Coriolani conſulatur. Vide Sigonium è recentioribus, & alios paſſim. III.

III. Candidatorũ labores & officia.

TOGVLÆ LICTORIBVS.] Quod hîc Noſter in Piſone reprehendit, id in Marco Philoſopho Imperatore laudatum eſt. Lampridius in eius vita: *Per Brunduſium veniens in Italiam togam & ipſe ſumpſit, & milites togatos eſſe iuſſit: nec vnquam ſagati fuerunt ſub eo milites.* IV.

AXIOMA.

Officioſiſſima natio candidatorum.

ARGVMENTVM.

Pergit Piſoniani reditus obſcuritatem deſcribere : deinde Piſoni reſpondet qui conatus fuerat ipſum mendacij conuincere.

LV. SIC iſte à tanto exercitu, tanta prouincia, triennio poſt Macedonicus Imperator in vrbem ſe intulit, vt nullius negotiatoris obſcuriſſimi reditus vnquam fuerit deſertior : in quo me tamen, qui eſſet paratus ad ſe defendendum, reprehendit. cùm ego Cælimontana porta introiſſe dixiſſem, ſponſione me, ni Eſquilina introiſſet, homo promptiſſimus laceſſiuit. quaſi verò id aut ego ſcire debuerim, aut veſtrum quiſquam audierit, aut ad rem pertineat, qua tu porta introieris, modò ne triumphali : quæ porta Macedonicis ſemper Proconſulibus antè te patuit. tu inuentus es, qui Conſulari imperio præditus, ex Macedonia non triumphares.

EXPLANATIO.

SIC ISTE A TANTO.] Concluſio eſt ante dictorum, qua reditus Piſonis ſolitudinem oſtendit, & à prouincia, ab apparatu, à tempore reprehendit.

A TANTO EXERCITV.] Conſulari, qui proinde duas legiones continebat. *Habebat exercitum tantum, quantum ipſi non Senatus, aut populus Romanus dederat, ſed quantum ipſius libido conſcripſerat.*

TANTA PROVINCIA.] Vt præter Macedoniam, Achaiam, Theſſaliam, Athenas, cunctam Græciam contineret.

TRIENNIÒ POST.] Vt tanto tempore ſeges & materia triumphi non defuerit: ſi ſe ducem ſtrenuum præſtitiſſet.

MACEDONICVS.] Ex qua prouincia, *Aliquot prætorio imperio, Conſulari quidem nemo rediit, qui incolumis fuerit, quin triumpharit.*

IMPERATOR.] Ab exercitu appellatus: quæ res ad petendum triumphum ipſi animos addidiſſet, niſi ſcelerum ſibi rapinarúmque conſcius conſpectum hominum lucémque fugiſſet.

IN VRBEM SE INTVLIT.] Clam irrepſit; mox à comparatione obſcuri negotiatoris, reditûs obſcuritatem exaggerat.

IN QVO ME.] Ad refutationem obiectionis delabitur.

SPONSIONE.] alij legunt, *reſponſione me mimica*, quaſi ironicè ad Piſonis feſtiuitatem & vrbanitatem mimicámque dicacitatem alluderet. alij & optimè quidem meo iudicio, *ſponſione me, ni exquilina introiſſet.* id eſt, me prouocauit, vt ſponſione contenderem, *ni eſquilina, non vt ego dixeram Cœlimontana introiſſet.* Lepidè autem adiecit, *Cùm eſſet paratus ad reſpondendum.* &, *Homo promptiſſimus.* Quaſi eſſet adeo hebeti & obtuſo ingenio, vt maximæ in eo promptitudinis eſſe videatur, ſi longè antè meditatus tam frigidum dictum excogitare potuerit. alij iocum Piſonis mimicum putant, quod diſceſſum, Ciceroni qui portâ Eſquilina noctu exierat, mimicè & ſcurriliter exprobarit.

QVASI VERÒ.] Eleganti ioco obiectionem Piſonis eleuat: non mirum eſſe ſi in nominanda porta errauerit, cùm adeo obſcurus fuerit Piſonis reditus, vt nemo portæ, qua introierat, audierit mentionem. Deinde eandem obiectionem refellit, quòd ad rem non pertineret inquirere hácne an illâ portâ introiſſet, ſi conſtaret eum triumphali porta non introiſſe.

TRIVMPHALI.] Manutius: *Iocatur in ambiguo. nam triumphalis porta Romæ erat, qua Proconſules Macedonici triumphantes introibant, vnde nomen. & eam qua introiuit Piſo ideo negat eſſe triumphalem, quia Conſulari præditus imperio ex Macedonia non triumphauit.*

NOTÆ.

NEGOTIATORIS.] Inter Mercatores & Negotiatores, illud (vt notat Sigonius libro ſecundo de antiquo iure Ciu. Roman.) interfuit, *quòd mercatores Romæ domicilium, familiámque habuerunt, quamquam interdum quæſtûs cauſa in prouinciis per aliquot menſium ſpatium verſarentur. negotiatores verò eundem ſecuti quæſtum in prouinciis ſedem & domicilium fortunarum ſuarum collocarunt. neque ferè Romam niſi cenſendi cauſſa deceſſerunt.* Porro non cuiuſuis, ſed *obſcuriſſimi negotiatoris* facit mentionem, quia nonnullos ſplendidos fuiſſe conſtat ex Verrinis: *Lucius Pretiuſ ſplendidiſſimus eques Romanus, qui Panormi negotiatur, & Qu. Minutius eques Romanus qui Syracuſis.* Sed præſtat adire Sigonium, ſi plura deſideras. I. Mercatores negotiatores.

QVI ESSET PARATVS.] Talis eſt iocus Martialis: II.

Extemporalis factus eſt meus Rhetor
Egnatium non ſcripſit & ſalutauit.

SPONSIONE.] Sponſio, vt notat Budæus prioribus in Pandectas, *genus erat actionis apud antiquos, cui ſimilis erat apud Athenienſes* παρακαταβολή. *prouocans igitur ſponſione ita dicebat:* SPONDEO ME TANTAM PECVNIAM DATVRVM, NI, &c. *Prouocatus autem contra reſtipulabatur.* Cicero actione 4. in Verrem: *P. Rubrius Qu. Apronium ſponſione laceſſiuit, ni Apronius dictitaret, te ſibi in decumis eſſe ſocium.* III. Sponſio.

cium. Ad quas ſponſiones, opinor. Varronem alludere libro quarto de lingua Latina: *Ea pecunia quæ in iudicium venit in litibus, ſacramentum à ſacro. Qui petebat & qui infiſciabatur de aliis rebus, vterque quingentos æris ad pontem deponebant: de aliis rebus item certo alio legitimo numero aſſium. qui iudicio vicerat, ſuum iudicium à ſacro auferebat. victi ad ærarium redibat.* Vide Valerium libro ſecundo cap. 3. de iure triumphandi in principio.

IV. MODO NE TRIVMPHALI.] Porta Vaticana, vt notat Pomponius Lætus, triumphalis dicebatur, quòd ea triumphantes in vrbem introirent. Ioſephus de excidio libro ſeptimo cap. 16. Περὶ δὲ τὴν πύλην αὐτὸς ἀνεχώρει τὴν ἀπὸ τοῦ πέμπεσθαι δι᾽ αὐτῆς ἀεὶ τοὺς θριάμβους τῆς προσηγορίας αὐτῶν τετυχυῖαν. ἐνταῦθα τροφῆς τε προσαπτονται, καὶ τὰς θριαμβικὰς ἐσθῆτας ἀμφιασάμενοι τοῖς τε προιδρυμένοις τῇ πύλῃ θύσαντες θεοῖς ἔπεμπον τὸν θρίαμβον, διὰ τῶν θεάτρων διεξελαύνοντες, ὅπως εἴη τοῖς πλήθεσιν ἡ θέα ῥάων. *Ad portam verò ipſe ſeceſſu, quæ ex eo quòd per eam triumphi in vrbem inducuntur, triumphalis nominatur. hic & cibos deguſtant, & triumphalibus veſtibus induti, victimis Deorum vrbis præſidum numini immolatis, triumphum ducebant, per vrbis theatra inuehentes, vt faciliùs à plebe conſpici poſſent.* Nemini autem Prætorum aut Proconſulum è Prouincia decedenti patuiſſe hanc portam, niſi ſi triumpharet, ex hoc loco compertum eſt. Cæterùm quæ de Piſone eiúſque in vrbem reditu dixit, eadem de Gabinio dici potuerunt. nam, vt teſtatur Dio: Οὕτως καὶ αὐτὸς αἰσχρῶς καὶ κακῶς ὑπὸ τοῦ συνειδότος διετέθη, ὥστε καὶ χρόνιος ἐς τὴν Ἰταλίαν ἀφικέσθαι, καὶ νυκτὸς ἐς τὴν πόλιν ἐσκομισθῆναι, ἔξω δὲ τῆς Ἰταλίας (lege οἰκίας) συχναῖς πάνυ ἡμέραις μὴ τολμῆσαι φανῆναι. *Sic & ille ſcelerum conſcientia affectus & pudore ſuffuſus eſt, vt tardiſſimè ad Italiam peruenerit, & noctu in vrbem illatus pedem è limine efferre auſus non fuerit.* Quod etiam narrat Cicero epiſtola prima lib. 3. ad Fratrem: *Quid præterea? quid? etiam. Gabinius ad III. Kalend. Octob. noctu in vrbem introiuit.*

Porta triumphalis.

De Cœlimontana & Eſquilina vide tum alios tum Godeleuæum in ſecundum libr. T. Liuij. & Paulum Merulam Coſmogr. 2. part. lib. 4. Cuius aliquot verba placet exſcribere. *Eſquilina* dicta ab *Eſquiliis*, quibus impoſita. olim etiam *Mœcia.* Sic nominat Plautus in Pſeudolo. Item, *Labicana* Plinio lib. 35. cap. 5. & *Præneſtina* Procopio libro primo. *Maior* hodie ab ædificij magnificentia cui impoſita. *Eſquilinæ* ſubit, *Cœlimontana* ab Cœlio monte dicta. Meminit Liuius. *Aſinariam* appellant Procopius lib. 1. & 3. de bello Goth. & Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Silueſtri Papæ. Hodie *D. Ioannis* ab nobiliſſimo eius templo. Hæc Merula.

Eſquilina.

Cœlimontana.

Negabat Piſo ſe vnquam triumphi cupiditate ductum fuiſſe, viderique volebat non triumphaſſe, quòd triumphi honorem contemneret: hunc inertiæ prætextum ridet Orator.

- ab antecedentibus
  - cupiditate Piſonis, qua expetierat prouinciam. 56.
  - ſceleribus, quæ ad eam obtinendam vel ipſe fecerat, vel ſaltem fieri permiſerat. 56.
- ab aliorum exemplo, qui cùm prouincias ardentius expeterent, ſolebant triumphi nomine velare cupiditatem ſuam. 56.
  - C. Antonij.
  - D. Silani.
- à contrario. 57.
  - vt leuitatis eſt inanem aucupari rumorem.
  - ita eſt anguſti animi ſolidum iuſti triumphi honorem contemnere.
- ab exemplis, quorum
  - alia ironicè tractantur
    - eorum qui iam triumpharunt. 58.
    - Cæſaris qui ardebat cupiditate triumphi, id tractat per proſopopœiam Piſonis dehortantis Cæſarem à cupiditate
      - ſupplicationum quas Dij negligunt, qui nemini
        - aut iraſcuntur.
        - aut ſunt propitij.
      - triumphi, qui negligendus eſſe probatur
        - ab ipſa triũphi natura, qui nihil habet ſolidæ voluptatis. 60.
        - à ſuo ipſius exemplo, qui maluit è prouincia referre pecuniam quàm triumphum. 61.
  - alia ſeriò. §. 62. Eorum qui cùm eſſent ſapientiſſimi, tamen è prouinciis longè obſcurioribus triumphare voluerunt
    - L. Craſſi.
    - C. Cottæ.
    - M. Piſonis.
- à vera cauſſa cur à petendo triumpho ſe abſtinuerit, quia videlicet Senatus conuicia metuebat. 63.

ARGVMENTVM.

Piſo cùm de Cicerone quereretur in Senatu dixerat, ſe nunquam triumphi cupidum fuiſſe: id Cicero grauiter reprehendit, oſtendítque Piſonem, niſi ſceleribus ad obtinendam Prouinciam à ſe patratis triumphi cupiditatem obtendat, nullum colorem habere quo ſe defendat.

AT audiſtis, P. C. philoſophi vocem. negauit ſe triumphi cupidum vnquam fuiſſe. O ſcelus, ô peſtis, ô labes. cùm extinguebas Senatum, vendebas auctoritatem huius ordinis, addicebas tribuno pleb. Conſulatum tuum, Rempubl. euertebas, prodebas caput, & ſalutem meam mercede prouinciæ: ſi triumphum non cupiebas, cuius tandem rei te cupiditate arſiſſe defendes? ſæpè enim vidi, qui & mihi, & cæteris cupidiores prouinciæ viderentur, triumphi nomine tegere, atque celare cupiditatem ſuam. hoc modo D. Silanus Conſul in hoc ordine, hoc meus etiam collega dicebat. neque enim quiſquam poteſt exercitum cupere, apertéque petere, vt non prætexat cupiditatem triumphi. LVI.

EXPLANATIO.

AVDISTIS.] Cùm de me paulò antè quereretur.

PHILOSOPHI VOCEM.] Honorem & humana omnia negligentis.

O SCELVS.] In grauem & inflammatam exclamationem ex indignatione erumpit, qua ſuperior ironia temperetur, & iam aggreditur hoc dilemma.

Vel triumphi vel prædæ cupiditas te ad petendam per tot ſcelera prouinciam rapiebat.

Non triumphi, vt tute confiteris.

Ergo prædæ.

CVM EXTINGVEBAS SENATVM.] Cùm omnem Senatui poteſtatem penitus auferebas, cùm eum ſuis ipſius decretis parere prohibebas.

VENDEBAS.] Pactione prouinciæ.

ADDICEBAS.] Ponebas pretium tuo conſulatui, & eum P. Clodio Tribuno plebis ea conditione mancipabas, *Vt ſi tibi prouinciam, ſi exercitum, ſi pecuniam ereptam ex Reipub. viſceribus dediſſet, omnium eius ſcelerum ſocium te adiutorémque præberes.* ſuprà 28.

PRODEBAS CAPVT.] Per ſummam perfidiam, me affinem tuum, quem in Senatu ſententiam rogabas tertium, quem in tuis comitiis honoris cauſſæ prærogatiuæ cuſtodem præfeceras, à P. Clodio ſinebas eiici de ciuitate.

SI TRIVMPHVM.] §. ſequenti, *Si triumphum contemnebas, quæ te prædo amentiſſime, niſi prædæ ac rapinarum cupiditas tam cæca rapiebat?*

SÆPE ENIM.] Oſtendit propoſitionis ſuperioris ſyllogiſmi veritatem hoc pacto.

Qui ſunt cupidiores Prouinciæ triumphi nomine tegunt & velant cupiditatem ſuam.

Sed nulla eſſet tegendi cauſſa, niſi vel prædæ, vel triumphi cupiditate raperentur.

Ergo qui ſunt cupidiores prouinciæ vel prædæ, vel triumphi cupiditati rapiuntur.

Sed tu fuiſti cupidior prouinciæ.

Ergo te vel prædæ, vel triumphi cupiditas rapiebat.

non omnia quidem huius argumentationis membra expreſſa ſunt, ſed facilè poſſunt intelligi.

HOC MODO.] Probat exemplis maiorem propoſitionem ſuperioris ſyllogiſmi. porro τὸ *modò* duplicem poteſt in ſenſum deflecti. vt ſit ſenſus, vel *eo pacto dicebat*, vel quòd magis arridet, *hoc* hanc rem, hunc prætextum & colorem. *modò*, non ita pridem, paucis antè annis Silanus adferebat, quo prouinciæ nimiam cupiditatem prætexeret.

DECIVS SILANVS.] D. Iunius Silanus Conſulatum adeptus eſt poſt Ciceronem: quam autem prouinciam tanto ambitu petierit, mihi non liquet: ſuſpicor tamen eum prouinciæ cupiditate rebus nouis ſtuduiſſe in ſuo Conſulatu. certè, vt in Notis dicetur, obtinuit Hiſpaniam.

HOC MEVS ETIAM COLLEGA.] C. Antonius, quem *cupidum Prouinciæ, multa in Repub. noua molientem, patientia mea atque obſequio meo mitigaui.* ſuprà 5.

NOTÆ.

OSCELVS.] Scelus frequenter pro ſcelerato. vt Noſter alibi: *O ſcelus, ô portentum in vltimas terras deportandum.* Terentius: I.

-vbi eſt ſcelus qui me perdidit. Scelus.

Maro 1. Æneidos:

Vel cùm ſe pauidum contra mea iurgia fingit
Artificis ſcelus.-

O PESTIS.] Et hic peſtis pro peſtifero. vt Ariſtophani morbus pro morboſo: ἐν κύκλῳ τὰ νοσήματα σκοπῶν. id eſt, τοὺς νοσηλούς. *in orbem morbos intuens.* id eſt, *morbidos, ægrotos.* Eodem ſenſu lupanar pro meretrice. Catullus: II.

Non aßis facis, ô blitum, ô lupanar.

Carcer apud Lucilium:

-carcer vix carcere dignus.

O LABES.] Plautus in Perſa ſc. *Curate* lenonem hoc pacto compellat: III. Labes.

Impure, inhoneſte, iniurie, illex, labes populi.

pro Sextio 20. *Habeo quem opponam labi illi atque cœno.* Feſtus: *Labes macula in veſtimento dicitur. & deinde* μεταφορικῶς *transfertur in homines vituperatione dignos.*

IV. Addicere. Addicebas.] Quid ſit addicere ſecunda Philippica §. 41. *Vendita atque addicta* explicatur. vbi diximus propriè eam rem addici, quæ in publica auctione plus offerenti, & ad pretium ſuperioris licitatoris aliquid adiicienti attribuitur. vide.

V. Trivmphi nomine tegere atqve velare.] 4. Æneidos:

Coniugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.

Et quemadmodum hîc Tullius tegere & velare. ita Plautus in Captiueis actu tertio ſc. 3. mantelum, & integumentum pro prætextu vſurpat:

Nec ſubdolis mendaciis vſquam mihi integumentum eſt meis,
Nec ſycophantiis, nec fucis vllum mantellum obuiam eſt.

Decivs Silanvs.] Ex Rufi breuiario conſtat Silano Hiſpaniam Prouinciam obtigiſſe: *Hiſpaniam per D. Brutum obtinuimus, & vſque Gades ad Oceanum mare peruenimus. poſt ad Hiſpanos tumultuantes D. Iunius Silanus cum exercitu miſſus, eos vicit.* VI.

AXIOMA.

Nemo poteſt exercitum cupere apertéque petere, vt non prætexat cupiditatem triumphi.

ARGVMENTVM.

In locum communem excurrens, oſtendit cauſſæ fuiſſe nihil, cur Piſo gloriam triumphi contemneret, niſi ſi ſola prædæ ac rapinarum cupiditate duceretur.

LVII. QVòd ſi te Senatus, ſi populus Romanus aut nó appetentem, aut etiam recuſantem, bellum ſuſcipere, exercitum ducere coëgiſſet; tamen erat anguſti animi atque demiſſi, iuſti triumphi honorem, atque dignitatem contemnere. Nam vt leuitatis eſt inanem aucupari rumorem, vt omneis vmbras etiam falſæ gloriæ conſectari: ſic leuis eſt animi, lucem, ſplendorémque fugientis, iuſtam gloriam, qui eſt fructus veræ virtutis honeſtiſſimus, repudiare. Cùm verò non modò non poſtulante, atque cogente; ſed inuito, atque oppreſſo Senatu, non modò nullo populi Romani ſtudio, ſed nullo ferente ſuffragium libero, prouincia tibi iſta manupretium fuerit euerſæ ſuper te, & perditæ ciuitatis: cumque omnium tuorum ſcelerum hæc pactio extiterit, vt, ſi tu totam Rempub. nefariis latronibus tradidiſſes, Macedonia tibi ob eam rem, quibus tu finibus velles, traderetur: cùm exhauriebas ærarium: cùm orbabas Italiam iuuentute: cùm mare vaſtiſſimum hyeme tranſibas: ſi triumphum contemnebas, quæ te, prædo amentiſſime, niſi prædæ, ac rapinarum cupiditas tam cæca rapiebat?

EXPLANATIO.

QVòd si te Senatvs.] Hanc argumentationem Iacobus Omphalius bene reuocat ad huiuſmodi ſyllogiſmum.

Nemo ſuſcepto bello triumphi honorem deſpicit, niſi prædæ cupiditate ducatur.
Sed Piſo triumphum contempſit.
Ergo prædæ cupiditate ducebatur.

Expreſſius tamen ad Ciceronem ſic poſſemus ſyllogiſmum contexere.

Multò minùs qui ſponte contra voluntatem Senatus bellum ſuſcipit, quàm qui coactus bellum gerit, debet triumphum contemnere.
Sed tu contra voluntatem Senatus bellum ſponte ſuſcepiſti.
Ergo multò minùs, quàm ij qui coacti bellum gerunt, triumphum contemnere debuiſti.
Sed non debent triumphum contemnere.
Ergo neque tu debuiſti.

Prior aſſumptio per expolitionem & enumerationem ſcelerum Piſonis explicatur, concluſio prior clara eſt: propoſitio quæ ſubſumitur per locum communem de gloria pulchrè oſtenditur. Secunda concluſio videtur illa exclamatione ſuperioris paragraphi contineri. *O ſcelus, ô peſtis, ô labes.* Quibus poſitis redit ad concluſionem prioris illius ſyllogiſmi, qui ſuperiori §. eſt explicatus. *Prædæ cupiditas te cæca rapiebat.*

Si te Senatvs P.Q.R.] Quorum eſt de bello decernere.

Nam vt.] Reddit rationem per ſententiam moralem.

Cvm verò.] Aſſumptio ſiue minor ſyllogiſmi.

Libero.] Quia ſerui tantùm & mancipia ex omnibus ergaſtulis extracta leges Clodias de decernendis Piſoni & Gabinio prouinciis ſuo ſuffragio comprobarant.

Manvpretivm.] Merces & compenſatio. alij legunt, & bene quidem meâ ſententiâ. *manupretiũ fuerit euerſæ per te & perditæ ciuitatis.*

Nefariis latronibvs.] P. Clodio cæteriſque ſeditioſis, qui impune graſſabantur in Republica.

Qvibvs tv finibvs.] Quibus finibus lege Clodia prouincias acceperint iam antè dictum eſt, & oratione pro domo ſic oſtenditur, *Cùm alteri totam Achaiam, Theſſaliam, Bœotiam, Græciam, Macedoniam, omnémque Barbariam, bona Ciuium Romanorum condonaſſes: alteri Syriam, Babylonem, Perſas integerrimas pacatáſque gentes ad diripiendum tradidiſſes.* vbi vides Prouinciæ fines appellari non eos ſolùm qui in populi Romani ditionem conceſſerant, ſed eos etiam quibus eæ gentes, contra quas bellum liceret gerere, clauderentur.

Cvm exhavriebas ærarivm.] Stipendij & vaſarij nomine, quantum ſtipendij nomine è Reip. viſceribus eripuerit, non liquet, infrà de vaſario 86. *Nónne ſeſtertium centies & octogies.* id eſt, quadringenta quinquaginta millia Philippæorum, vt ſupputant aliqui, *quod quaſi vaſarij nomine in venditione mei capitis adſcripſeras ex ærario tibi attributum.*

Cvm orbabas Italiam.] cùm exercitum, *ſuperbiſſimo delectu, & duriſſima conquiſitione* colligebas. de Prou. Conſ. 5.

Cvm mare vastissimvm.] Quod inter Brunduſium Italiæ oppidum, & Epidamnum ſiue Dyrrhachium nunc *Duracho* interiacet. mare autem vaſtiſſimum appellat, non tam propter latitudinem, vt opinor, (diſtat enim à Brunduſio Appuliæ vrbe, centum milliaribus propemodum, vt auctor eſt Maginus in Ptolemæum) quàm propter ſolitudinem, quòd tam infeſto anni tempore nemo nauigaret. At Piſo prædæ cupiditate accenſus, non dubitauit ſe & exercitum ſuum tempeſtati committere.

Tam cæca.] Malim *iam cæca.* iam tùm, iam ex illo tempore, quæ ſucceſſu temporis magis cæca effecta eſt.

NOTÆ.

I. Tamen erat angvsti.] Locus videtur depromptus è l. 4. Eth. cap. 9. Ὁ δ' ἐλλείπων μικρόψυχος, ὁ δ' ὑπερβάλλων χαῦνος. *Qui autem modum deſerit.* in honoribus appetendis, *is anguſto paruóque animo dicitur; qui ſuperat, elatus ac ſuperbus.* Ὁ μὲν γὰρ μικρόψυχος, ἄξιος ὢν ἀγαθῶν, ἑαυτὸν ἀποστερεῖ ὧν ἄξιός ἐστι. καὶ ἔοικε κακὸν ἔχειν τι, ἐκ τοῦ μὴ ἀξιοῦν ἑαυτὸν τῶν ἀγαθῶν, καὶ ἀγνοεῖν δ' ἑαυτόν. ὠρέγετο γὰρ ἄν, ὧν ἄξιος ἦν, ἀγαθῶν γ' ὄντων. *Nam qui demiſſo paruoque animo eſt, cùm ſit bonis dignus ipſe ſe iis fraudat, quæ meretur. videtúrque mali quiddam in hoc ineſſe ex eo, quòd ſeſe bonis indignum eſſe arbitratur: atque adeo ſeipſum ignorare. nam, ni ita eſſet, ea expeteret, quibus dignus eſt, cùm bona ſint.* Item cap. 10. Τόν τε γὰρ φιλότιμον ψέγομεν ὡς καὶ μᾶλλον ἢ δεῖ, καὶ ὅθεν οὐ δεῖ, τῆς τιμῆς ἐφιέμενον· τόν τ' ἀφιλότιμον, ὡς οὐδ' ἐπὶ τοῖς καλοῖς προαιρούμενον τιμᾶσθαι. *Nam & ambitioſum vituperamus, tanquam nimia honoris cupiditate inflammatum, honorémque, vnde non oportet aucupantem: & honoris contemptorem tanquam ne ex honeſtis quidem rebus honoris adipiſcendi conſilium capientem*

Anguſti eſt animi veram gloriam contemnere.

II. Vmbras.] Falſa & futilis gloria cum vmbra commodè comparatur. Dio Chryſoſtomus oratione 2. de gloria: Τὴν δέ γε καλουμένην δόξαν ἡγήσεται μηδὲν διαφέρειν σκιᾶς, ὁρῶν ὅτι γίνεται τῶν μεγάλων μικρά, καὶ τῶν μικρῶν μεγάλη. πολλάκις καὶ τῶν αὐτῶν, ὅτε μὲν πλείων, ὅτε δ' ἐλάττων. *Gloriam autem, quæ dicitur, putabit nihil ab vmbra differre, cernens à magnis paruam fieri, atque à paruis magnam: frequenter etiam ab iiſdem modò maiorem modò minorem.* pergit: Εἰ οὖν τις εἴη τοιοῦτος ἄνθρωπος, οἷος ζῆν πρὸς τὴν αὑτοῦ σκιάν, ὥστε αὐξανομένης μὲν αὐτῆς ἐπαίρεσθαι καὶ μεγαλαυχεῖν, καὶ τοῖς θεοῖς θύειν αὐτός τε καὶ τοὺς φίλους κελεύειν, βραχυτέρας δὲ γιγνομένης λυπεῖσθαί τε καὶ φαίνεσθαι ταπεινότερον, καὶ τοσούτῳ μᾶλλον ὅσῳπερ ἂν ἐλάττων γίγνοιτο, καθάπερ αὐτὸς ἐκεῖνον θαυμαστὸν ἂν οἶμαι παρέχων διατριβήν, πολύ γ' ἂν εἴη τοῦ Μαργίτου ἀσοφώτερος, ἀγνοοῦντος ὅτι χρὴ γήμαντα χρῆσθαι τῇ γυναικὶ,

Gloria. Vmbra.

&c. *Si quis igitur foret talis homo, qui viueret ad ſuam vmbram, nempe vt ea auctâ efferretur, atque gloriaretur, Diſque ſacrificaret ipſe, & iuberet amicos: breuiore autem factâ contriſtaretur, deiectioríſque videretur animi. tantóque magis, quanto minor ea fieret, quaſi ipſe deficiens admirabilem, opinor, exhiberet conuerſationem. haud multo vtique eſſet Margite ſapientior, qui ducta vxore neſciebat ea eſſe vtendum.* vide plura. Alij tamen veram gloriam cum vmbra comparant, quod ſequentes ſe fugiat, ſequatur fugientes. Valerius libro 7. cap. 2. de Socrate: *Expeditâ ac compendiariâ viâ eos ad gloriam peruenire dicebat, qui id agerent, vt quales videri vellent, tales etiam eſſent: qua quidem prædicatione apertè monebat, vt homines ipſam potiùs virtutem haurirent, quam vmbram eius conſectarentur.*

Inanem avcvpari rvmorem.] Bene aucupari: vnde & adagium apud Platonem: τὰ πετόμενα διώκειν. *volantia perſequi.* Perſius: III.

An paſſim ſequens coruos teſtáque lutóque.

Verbum aucupari ſæpè cum auribus, & rumore coniungitur. Plautus in Sticho ſc. *Qui manet.*

Num quis hic eſt alienus noſtris dictis auceps auribus?

Et in milite glorioſo ſc. *Voluptas eſt.*

Circumſpicito dum ne quis hic auceps ſermoni ſiet. Aucupari.

Eadem ſcena:

Viden' tu illam oculis venaturam facere atque aucupium auribus?

Citatur & Varro Menippea: Κενοδοξίας περὶ φθόνου.

Vos in theatro qui voluptatem auribus
Huc aucupatum concurriſtis domo.

Ennius apud Nonnium:

Fructus verborum auris aucupauit.

Seneca in Thebaide:

Hic aucupabor aure rumores vagos.

Plautus in Moſtellaria ſc. *Habeo Neptune.*

-Circumſpice dum numquis eſt
Sermonem noſtrum qui aucupet.-

Quod autem ait, *Inanem aucupari rumorem, & omnes vmbras falſæ gloriæ conſectari.* Non abludit ab illo Phalaridis epiſtola quadam ad Hegeſippum, vbi tum alia multa in populares dicuntur, tum vocantur Ἀθλίαν δόξαν, καὶ τιμὴν ἀνόητον, καὶ κρότον ἐπὶ ζημίᾳ τῇ ἑαυτῶν ἀγρεύοντες. *Miſeram gloriam, & honorem inſanum, & plauſum, qui in ipſorum perniciem redundet conſectantes.* Nazianzenus oratione in eos qui ipſum Conſtantinopolitanam ſedem appetere dicebant. eodem genere tranſlationis, Τῶν δημοσίων θηρευτὰς κρότων. *Plauſuum popularium venatores* appellat.

Frvctvs veræ virtvtis.] Τῆς ἀρετῆς γὰρ ἆθλον ἡ τιμή, καὶ ἀπονέμεται τοῖς ἀγαθοῖς. *Præmium enim virtutis eſt honos, & tribuitur viris bonis.* inquit Ariſtoteles libro quarto Ethic. cap. 7. non abludit Salluſtius in Catilina virtutem veram gloriam viam appellans: *Primò magis ambitio quàm auaritia, animos hominum exercebat, quod tamen vitium propiùs virtutem erat, nam gloriam, honorem, imperium, bonus, ignauus æquè ſibi exoptant: ſed ille verâ via nititur: hic quia bonæ artes deſunt, dolis atque fallaciis contendit.* Quem in locum mira Diuus Auguſtinus libro de Ciuitate Dei. Idem teſtatur Conſtantius Auguſtus oratione de Themiſtio: Διαφόρως γάρ. IV.

Honor fructus virtutis.

ὁδοῖς, καὶ ποικίλαις πρὸς ἓν, καὶ ταὐτὸν ἄκρον τῆς εὐδοξίας ἅπαντες οἱ νοῦν ἔχοντες ἐξαμιλλῶνται. ἀλλ᾽ ὅμως τῶν πολλῶν ἀτραπῶν, αἱ μὲν ἄλλαι σκολιαὶ καὶ ἀκροσφαλεῖς· μόνη δ᾽ ἀσφαλὴς καὶ βέβαιος ἡ δι᾽ ἀρετῆς. καὶ ὅταν τις ἡμῶν ἐγκαταλέγεσθαι μέλλῃ, τοῦτο πρὸ ἁπάντων ζητεῖτε, εἰ ταύτην πορεύεται τὴν πορείαν. vertit Petrus Pantinus: *Quippe diuerſis variiſque itineribus ad vnum idémque gloriæ faſtigium omnes ſanâ mente præditi peruenire contendunt: & tamen quùm multæ adeò ad id viæ ducant, reliquæ omnes obliquæ, lubricæque: vna hæc duntaxat tuta firmáque eſt, quæ per virtutem tranſigitur. proinde quandocunque aliquis in ordinem veſtrum cooptandus eſt, hoc ante omnia inquiritis, hac ipsâ, num viâ procedat.* Quare vt cum Symmacho loquar libro I. epiſt. 20. *Bene ac ſapienter maiores noſtri, vt ſunt aliæ ætatis illius, ædes Honori atque Virtuti gemellas iunctim locarunt, commenti ibi eſſe præmia honoris, vbi ſunt præmia virtutis.* Lycurgus orator contra Leocratem: Δίκαιον τὸν ἔπαινον ὃς μόνος ἆθλον τῶν κινδύνων τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσιν ἐστι, τοῦτον ἐπειδὴ κἀκεῖνοι εἰς τὴν κοινὴν σωτηρίαν τῆς πόλεως ἐτελεύτησαν, μὴ παραλιπεῖν. *Iuſtam laudem quæ ſola viris bonis periculorum præmium eſt, hanc quoniam etiam illi communis ſalutis cauſsâ mortem oppetierunt, non prætermittere.* Et meritò rei pulcherrimæ merces pulcherrima conceditur.

Αἰδεῖ γὰρ πινυτῷ καὶ ἐπίφρονι πολλὸν ἀμείνων
Κῦδος καὶ χρυσοῖο, καὶ οὔδεος, ἠδὲ καὶ ἄλλων
Ἐσθλῶν ὁππόσα ἐστὶ καὶ ἔσσεται ἀνθρώποισι.
Gnaro & prudenti longè præſtantior auro
Gloria vel fundis, vel ſi quid charius iſtis
Eſſe poteſt hominum generi.

ait Quintus Smyrnæus libro 14. verſu 112. qui verſu 194. virtutem confert cum arbore excelſa illa quidem & ardua, ſed fructus ſuauiſſimos proferente:

Αἰνὸς δ᾽ οὔποτ᾽ ἀνὴρ ἀρετῆς ἐπὶ τέρμαθ᾽ ἵκοιτο
Ὧ, τινι μὴ νόος ἐστὶν ἐναίσιμος. οὕνεκ᾽ ἄρ᾽ αὐτῆς,
Πρέμνον δύσβατόν ἐστι. μακροὶ δέ οἱ ἄχρις ἐπ᾽ αἰθέρα
Ὄζοι ἐπιέξονθ᾽. ὁπόσοισι δὲ καρτὸς ὀπηδεῖ
Καὶ πόνος, ἐκ καμάτου πολυγηθέα καρπὸν ἀμῶνται
Εἰς ἀρετῆς ἀναβάντες ἐϋστεφάνου κλυτὸν ἔρνος.
Nec quiſquam potis eſt virtutis ſcandere culmē Virtus arbori ſimilis.
Cui fuerit mens læua. graui ſtat robore truncus
Arduus aſcenſu, pertingunt æthera rami.
At quibus eſt virtus impenſáque cura laboris,
Iucundos gaudent operum decerpere fructus,
Virtutis poſtquam attigerint faſtigia claræ.

Falſa igitur gloria eſt vmbra, quæ ex arbore proiicitur; vera, fructus qui ex eadem decerpitur. Seneca tamen epiſtola 70. veram gloriam vmbram virtutis appellat: *Gloria vmbra virtutis eſt, inuitos comitabitur. Sed quemadmodum aliquando vmbra antecedit, aliquando ſequitur: ita gloria aliquando ante nos eſt, viſendámque ſe præbet: aliquando in auerſo eſt, maiórque quo ſerior vbi inuidia ſeceſsit.*

Templa virtutis & honoris.

AXIOMATA.

Eſt anguſti animi atque demiſſi lucem ſplendorémque fugientis iuſtam gloriam repudiare.

Iuſta gloria eſt fructus virtutis honeſtiſſimus.

Leuitatis eſt inanem aucupari rumorem, & omnes vmbras etiam falſæ gloriæ conſectari.

Cæca eſt rapinarum cupiditas.

ARGVMENTVM.

Eleganti ironia viros triumphales, qui Senatui intererant, alióſque ex annalibus & patrum memoria repetitos leuitatis & ſtultitiæ condemnat, quòd triumphum expetiuerint, qui erat philoſophâ Piſonis ſententiâ negligendus.

LVIII. NON eſt integrum Cn. Pompeio conſilio iam vti tuo. errauit enim. non guſtarat iſtam tuam philoſophiam. ter iam homo ſtultus triumphauit. Craſſe, pudet me tui: quid eſt, quod confecto formidoloſiſſimo bello, coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris à Senatu? P. Seruili, Qu. Metelle, C. Curio, P. Africane, cur non hunc audiſtis tam doctum hominem, tam eruditum, priùs quàm in iſtum errorem induceremini? C. ipſi Pontinio, neceſſario meo iam non eſt integrum: religionibus enim ſuſceptis impeditur. O ſtultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos. ô amentem Paullum, ruſticum Marium, nullius conſilij patres iſtorum amborum Conſulum, qui triumpharint.

EXPLANATIO.

NON EST.] Non eſt liberum, non licet Cn. Pompeio reſilire, & triumphi honorem, quem tanti fecit, contemnere penitus & à ſe deprecari.

ERRAVIT.] Triumphum tam ardenter expetens, vt deuictis Cn. Domitio & Hiarba Numidiæ Rege, Syllæ tum propter ætatem Pompeij, tum propter ordinem (nondum enim erat Senator) triumphum recuſanti reſponderit: Plures eſſe qui ſolem adorarent orientem. vide Plutarchum in Pompeio, Velleium, & alios.

TER IAM.] Cic. pro Cornelio: *Pompeius tot habet triumphos quot ſunt oræ partéſque terrarum.* Itē: *Pompeij tres triumphi teſtes ſunt totum orbem terrarum noſtro imperio teneri.* & alibi paſſim.

CRASSE PVDET.] de laureâ Craſſi. vide Notas.

CONFECTO FORM.] Bello ſeruili, quod Duce Spartaco exarſerat, magnúmque terrorem Pop. Romano incuſſerat. Cneo Lentulo, & L. Gellio Conſulibus acie diuerſo tempore ſuperatis. vide Velleium, Florum, epitomen, Appianum primo ciuilium, &c.

P. Servili.] Iſaurice, qui ex Cilicia de Piratis triumphaſti, Iſaurúmque ipſam arcem Ciliciæ expugnaſti, vnde & cognomen ſortitus es. cū iam ante 665. anno V. C. triumphaſſes.

Q. Metelle.] Cretice, qui de Cretenſibus triumphaſti, vnde & Cretici cognomen es conſecutus. huius autem triumphum tradit Eutropius Silano & Murena Coſſ. contigiſſe.

C. Curio.] Qui de Macedonia triumphaſti. porrò de triumpho Pub. Africani non conſtat, hunc ſuſpicor fuiſſe ſocerum Cn. Pompeij.

C. ipsi Pontinio.] Qui ex Prætura quam geſſit me Conſule, in Galliam Tranſalpinam miſſus, Allobroges ſuperauit.

Iam non est integrum.] A triumphandi propoſito reſilire. cur autem dicatur religionibus ſuſceptis impediri, non ſatis liquet, notæ conſulantur.

O stultos Camillos.] E quibus M. Furius Camillus quater de Veientibus, anno CCCLVI. de Gallis anno CCCLXIII. de Volſcis, Æquis & Hetruſcis anno ſequenti, de Gallis anno CCCLXXXVI. Luc. verò Furius Camillus de Latinis anno CDXV. triumpharunt.

Curios.] E quibus M. Curius de Samnitibus & Pyrrho anno CDXXIIX. triumphauit, & anno 663. Conſul. *Samnitibus cæſis, & Sabinis victis bis in eodem magiſtratu triumphauit.* ex epitome Liuiana. quater eum triumphaſſe dicunt tabulæ Capitolinæ.

Fabricios.] Inter quos C. Fabricius Cos. triennio ante Curium de eodem Pyrrho triumphum duxit: cùm iam de Gallis & Etruſcis anno DLXXI. triumphaſſet.

Calatinos.] Vt ille M. Attilius Calatinus, qui primo bello Punico propter res in Sicilia præclarè geſtas magnificè triumphauit, anno 496.

Scipiones.] E quibus primus triumphauit de Pœnis Sardinia & Corſica L. Cornelius Scipio anno CDXCIV. Secundus P. Scipio Aſina de Corſis anno DXXXII. tertius fuit Maior Africanus de Pœnis, & Siphace anno 552. Quartus L. Scipio Aſiaticus de Antiocho anno 564. Quintus Scipio Æmilianus de Africa 607. & anno 621. de Numantinis. Sextus Scipio Naſica de Dalmatis anno 598. Septimus Scipio Africanus ex Hiſpaniis 621.

Marcellos.] Inter quos M. Marcellus anno 531. relatis opimis ſpoliis de Gallis Inſubribus & Germanis triumphauit: & anno 542. deuictis Syracuſis in monte Albano triumphauit, primum deinde ouans vrbem ingreſſus eſt. Eius filius M. item Marcellus de Inſubribus & Comēſibus anno 557. Nepos, qui poſtquam ter Conſul fuit, periit in mari primùm de Gallis anno 587. & 598. de Liguribus, vt probabilis eſt coniectura, iterum triumphauit.

Maximos.] Duplex fuit Maximorum familia, Valeriorum altera, altera Fabiorum. in vtraque ſui Triumphales extiterunt. inter Valerios, Marcus Valerius Maximus primùm anno 441. de Samnitibus, deinde anno 453. de Etruſcis triumphauit, item M. Valerius Maximus Meſſala 490. de Pœnis. Inter Fabios Q. Fabius Maximus de Etruſcis anno 443. Q. Fabius Maximus Gurges de Samnitibus anno 463. idem Gurges iterū anno 477. de Samnitibus Lucanis, & Brutiis, Q. Fabius Maximus de Liguribus anno 520. item Q. Fabius Maximus de Allobrogibus anno 632.

O amentem Paulum.] Æmilium qui de Perſe Macedoniæ Rege triumphauit. anno 586. amētem vocat ironicè, quia paſſim eius prudentia celebratur. iam autem antea de Hiſpania vlteriore triumpharat anno 564. alij tertium triumphum addiderunt, anno 572. de Liguribus.

Rusticum Marium.] Qui de Iugurtha Numidiæ Rege anno 649. & de Cimbris atque Teutonibus anno 652. triumphauit. commodè ruſticum appellat, quia iuuentutem rure tranſegerat, & vt ait Iuuenalis,

-Volſcorum in monte ſolebat
Poſcere mercedes alieno laſſus aratro.

Patres istorum amborum Coss.] Aſconius adhunc locum: *Diximus hanc orationem eſſe dictam Cn. Pompeio Magno II. M. Craſſo II. Coſſ. Pompeij pater bello Italico de Picentibus, M. Craſſi pater P. Craſſus ante bellum Italicum de Hiſpanis triumphauit.* Addo Craſſi triumphum anno 656. Cn. vero Pompeij Strabonis anno 664. contigiſſe. numeris ex mente Sigonii ſupputatis, cuius commentarius in Faſtos & Triumphos Romanorum annis citatis conſulatur.

NOTÆ.

Coronam illam lauream.] Plutarchus in Craſſo: Κράσσος τὸν μὲν μέγαν θρίαμβον οὐδ᾽ αὐτὸς αἰτεῖν ἐπεχείρησεν. ἐδόκει δὲ καὶ τὸν πεζὸν οὐαὶ δὲ καλούμενον ἀγεννῶς καὶ παρ᾽ ἀξίαν ἐπὶ δουλικῷ πολέμῳ θριαμβεῦσαι. *Craſſus maiorem triumphum ne petere quidem aggreſſus eſt. viſus eſt etiam & pedeſtrē, quem ouationem appellant, confecto ſeruili bello abiectè & contra dignitatem duxiſſe.* Cæterùm dubitare quis poſſit vtrùm Orator per coronam lauream ſolam ouationem intelligat? & vtrùm ouātes eſſent laureâ coronâ redimiti. Id ſentit Dionyſius libro quinto fusè de ouatione diſſerens, confecto bello Sabino: Καὶ θριάμβοις ὑπὸ τῆς βουλῆς ἐκοσμήσαντο ἀμφότεροι. Μενήνιος μὲν τῷ μείζονι καὶ τιμιωτέρῳ παρεμβεβηκὼς ἐφ᾽ ἅρματι δίφρου βασιλικοῦ. Ποστούμιος δὲ ἐν τῷ ἐλάττονι καὶ ὑποδεεστέρῳ, ὃν καλοῦσιν οὐάστην, παρεκκλίναντες τοὔνομα Ἑλληνικὸν ὑπάρχον εἰς τὸ ἀσαφές. τὸ γὰρ πρῶτον εὐάστης οὗτος ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος ἐλέγετο. ὡς αὐτός τε εἰκάζω καὶ ἐν πολλαῖς εὑρίσκω γραφαῖς ἐπιχωρίοις γινόμενον. τότε μὲν πρῶτον ὡς Λικίννιος ἱστορεῖ, τοῦτον ἐξευρούσης τὸν θρίαμβον τῆς βουλῆς. διαφέρει δὲ θατέρου πρῶτον μὲν ὅτι πεζὸς εἰσέρχεται μετὰ τῆς στρατιᾶς προηγούμενος ὁ τὸν εὐάστην κατάγων θρίαμβον, ἀλλ᾽ οὐκ ἐφ᾽ ἅρματος, ὥσπερ ἐκεῖνος. ἔπειτα ὅτι οὐ τὴν ποικίλην καὶ χρυσόσημον ἀμφιέννυται στολὴν ἢ κοσμεῖται τήβεννον τὸ ἐπιχώριον τῶν ὑπάτων τε καὶ στρατηγῶν φείνημα (lege φόρημα) στέφανον δὲ ἐπίκειται δάφνης. μειοῦται δὲ καὶ τοῦ σκήπτρου τῇ φορήσει παρὰ τὸν ἕτερον, τὰ δ᾽ ἄλλα πάντα ταὐτὰ ἔχει. *Et vterque triumpho à Senatu ornatus eſt. Menenius maiorem & honoratiorem agens triumphum in regio curru inuectus eſt. Poſthumius minorem & inferiorem eſt adeptus, quem nomine à Græcis deflexo ouationem appellant. cuius nominis ratio ſubobſcura eſt. nam primùm ouatio ex quodam euentu dicta eſt, vt & ego ſuſpicor, & inuenio in multis, quæ aſſeruantur apud illos litterarum monumentis, tunc autem primùm eam à Senatu excogitatam fuiſſe tradit Licinnius, ab alio autem triumpho diſtinguitur. Primùm quia qui ouat pedes exercitum antecedit, non vt alter curru ſublimis. deinde non induitur tunicâ palmatâ aut ornatur toga, qui com-*

1. Corona laurea.

Ouans laureâne geſtauerit.

munis eſt Conſulum aut Prætorum ornatus, & corona laurea redimitur. in eo etiam eſt altero inferior quòd ſceptrum non geſtet, cætera planè conſentiunt. Vides quantum vnius litterulæ vel potius apicis mutatio in candidiſſimum ſcriptorem vel obſcuritatis, vel falſitatis inuexerit. vbi legitur στέφανον δ' ἐπίκειται δάφνης, lego στεφανόν τι, &c. & fortaſſe iuuerit ordinem verborum tantiſper inuertere: Οὐ τὴν ποικίλην καὶ χρυσόσημον ἀμφιέννυται στολὴν, στέφανόν τ' ἐπίκειται δάφνης, ἢ κοσμεῖται (fortaſſe meliùs ἀλλὰ κοσμεῖται, &c. *Togâ pictâ non induitur, & laurea corona redimitur.* vbi & pro *nec* vſurpari pluribus poſſem oſtendere. Audaciùs fortaſſe meam huc coniecturam obtruſero, ſed malo in corrigendo videri audacior, quàm optimo hiſtoricorum tam fœdum errorem affingere. Primùm enim ea narrat, quibus ouatio à triumpho diſtinguitur, quare ſi lauream coronam ab ouantibus geſtari putauit, putauit à triumphantibus non geſtari, quo nihil eſt inſulſius, aut tanto ſcriptore indignus. Deinde quis credat eum ignoraſſe quod ipſe vſurpare potuit oculis, floruit enim ſub Auguſto, cùm præſertim omnes ad vnum ſcriptores nullum in ouatione coronæ laureæ relinquant locum, & Tullius laureæ Craſſi tanquam rei nouæ & inſolitæ faciat mentionem: vt & Claudianus in Eutropium.

Illuſtrat ſeruilis laurea Craſſum.

Plutarchus in Marcello ouationem ita deſcribit: Πέμπει δ' αὐτὸν οὐκ ἐπὶ τοῦ τεθρίππου βεβηκὼς, οὐδὲ δάφνης ἔχων στέφανον, οὐδὲ περισαλπιζόμενος, ἀλλὰ πεζὸς ἐν βλαύταις ὑπ' αὐλητῶν μάλα πολλῶν, καὶ μυρσίνης στέφανον ἀποκείμενος. *Eum autem ducit non quadriga inuectus, neque coronam habens lauream, neque tubicinibus eum ſtipantibus, ſed pedes, in ſoleis, à tibicinibus multis deductus, myrto redimitus.* Paulus ex Feſto: *Oualis corona eſt myrtea quam habebant qui ouantes introibant, cùm bella non erant indicta aut ſine ſanguine confecta.* Gellius lib. 5. noct. Attic. cap. 6. *Oualis verò corona myrtea eſt, ea vtebantur Imperatores qui ouantes introibant vrbem. ouandi autem ac non triumphandi cauſa eſt, cum aut bella non ritè indicta, aut cùm iuſto hoſte geſta ſunt: aut hoſtium nomen humile, & non idoneum eſt vt ſeruorum piratarúmque, aut deditione repente facta, in (ſiue) puluere (vt dici ſolet) incruentáque victoria obuenit. cui facilitati aptam eſſe Veneris frondem crediderũt, quod non Martius, ſed quaſi Venereus quidam triumphus foret.* Peculiarem itaq; in Craſſo Noſter facit laureæ mẽtionem, quòd præter morem laurum in ouatione Craſſus ambiuerit. Plinius lib. 15. cap. 29. *Myrtea ouantium fuit corona, excepto M. Craſſo qui de fugitiuis, & Spartaco laureâ coronatus inceſſit.* Craſſus cum laurea ouauit. Gellius loco citato: *Hanc myrteam coronam M. Craſſus cùm bello fugitiuorum confecto, ouans rediret, inſolenter aſpernatus: Senatúſque conſultum per gratiam faciendum curauit, vt lauro non myrto coronaretur.* Fortaſſe autem laurum tanto ambitu expetebat, vt non tam ouare, quàm Romuli inſtar videretur triumphare. quem Plutarchus, refragante licet Dionyſio, peditem triũphaſſe, ſed laureâ tamen redimitum exiſtimat. hac maximè coniecturâ: Τοῦ δὲ Ρωμύλου τὰς εἰκόνας ἰδεῖν ἔστιν ἐν Ρώμῃ τὰς τροπαιοφόρους πεζὰς ἁπάσας. *Omnes Romuli ſtatuas triumphales pedeſtres videre eſt.*

Oualis corona myrtea.

C. IPSI PONTINO.] Pontinus, ſiue vt alij volunt, Pomptinus, aut etiam Pontinius Prætor Conſule Cicerone, Allobroges anno proximè ſequenti deuicerat, non tamen triumphauit ante Appij Claudij & L. Domitij conſulatum ſex ſeptémue annis poſt victoriam. de quo Dio libro 37. & 39. conſulendus. illum autem dicit religionibus impeditum fuiſſe, vel quòd toto illo tempore, vt auctor eſt Dio, remanſiſſet extra pomœrium, vel quòd Senatum iam in ædem Bellonæ conuocarat, vel fortaſſe quòd iurauerat, ſe ſine triumpho in vrbem nõ eſſe rediturum: vel quòd iam preces quaſdam & vota conceperat. Hanc autem concipiendorum ante triumphum votorum ſolemnem fuiſſe conſuetudinem teſtatur Ioſephus 7. de excidio cap. 16. Τὸ περιβλήματι τὸ πλέον τῆς κεφαλῆς μέρος ἀποκαλυψάμενος, (an ἐπικαλυψάμενος, orabant enim capite operto) εὐχὰς ἐποιήσατο τὰς νενομισμένας. *Indumento maiorem corporis partem opertus ſolitas preces concipiebat.* II.

ARGVMENTVM.

Per ironiam Piſonem hortatur vt C. Cæſarem generum ſuum triumphi cupiditate volitantem, ab eo ſtudio hauſtis ex Epicuri ſchola rationibus conetur abducere: ſed eâ præſertim quod ſecundum Epicureos ſupplicationes à Diis negligantur.

LIX. SED quoniam præterita mutare non poſſumus: quid ceſſat hic homulus ex argilla, & luto fictus Epicureus dare hæc præclara præcepta ſapientiæ clariſſimo, & ſummo imperatori genero ſuo? fertur ille vir, mihi crede: gloria flagrat, ardet cupiditate iuſti, & magni triumphi: non didicit eadem iſta quæ tu; mitte ad eum libellum. &, ſi iam ipſe coram congredi poteris, meditare, quibus verbis incenſam illius cupiditatem comprimas, atque reſtinguas. valebis apud hominem volitantem gloriæ cupiditate vir moderatus, & conſtans, apud indoctum eruditus, apud generum ſocer. dices enim, vt es homo facetus, ad perſuadendum concinnus, perfectus, politus è ſchola: Quid eſt, Cæſar, quod te ſupplicationes toties decretæ, tot dierum, tantopere delectent? in quibus homines errore ducuntur, quas dij negligunt, qui (vt noſter ille diuinus dixit Epicurus) neque propitij cuiquam eſſe ſolent, neque irati. Non facies fidem ſcilicet, cùm

hæc diſputabis. tibi enim & eſſe, & fuiſſe Deos videbit iratos. Vertes te ad alteram ſcholam, diſſeres de triumpho.

EXPLANATIO.

SED QVONIAM.] Quoniam efficere non poſſumus vt quod factum eſt, id factum ne ſit, & vt ij qui triumpharunt, non triumpharint.

HIC HOMVLVS.] Piſo, homuncio.

EX LVTO ET ARGILLA FICTVS.] Homines è cera fictos dicimus, homines concinnos politos, terſos, & quaſi leuigatos. qui, vt Horatius appellat, *ad vnguem factos*, quod cera artificij nō reſiſtat, ſed arti penitus quamcunque in partem obſequatur. at orator Piſonem eleganti ironia non è cera, ſed *è luto & argilla fictum* appellat, adeò videlicet ſordidum Epicureum, adeò lutulentum, vt totus è luto concretus & compactus eſſe videatur.

IMPERATORI.] Iulio Cæſari, qui vxorem duxit filiam Piſonis Calpurniam.

IVSTI ET MAGNI TRIVMPHI.] Tacitæ occurrit obiectioni, quia etiam Cæſar videri poterat triumphum neglexiſſe, qui, vt ait Suetonius cap. 18. pacata Citeriore Hiſpania, quam ex Prætura ſortitus fuerat, *ad triumphum ſimul Conſulatúmque deceſſit. Sed cùm in dictis iam comitiis ratio eius haberi non poſſet, niſi priuatus introiſſet vrbem, & ambienti vt legibus ſolueretur, multi contradicerent, coactus eſt triumphum ne Conſulatu excluderetur dimittere.* Ardere igitur eum dicit cupiditate iuſti & magni triumphi, quaſi ſuperiorem propter ſolam eius exiguitatem neglexerit.

NON DIDICIT EADEM ISTA, QVÆ TV.] Non iiſdem quibus tu præclaris Epicuri præceptis imbutus eſt.

MITTE AD EVM LIBELLVM.] Litteras quibus eum à triumphi cupiditate dehorteris.

VALEBIS.] Antitheſis partim ex verè contrariis, partim è relatis concinnata.

DICES ENIM.] Hæc ironia breuiter perſtringit eius *ingenij tarditatem, ſtuporem, debilitatémque linguæ.* de qua prima ſectione.

QVID EST CÆSAR.] Proſopopœia, qua Piſo Cæſarem à ſupplicatione dehortans inducitur. hoc ſyllogiſmo.

Non debes delectari iis quæ à Diis negliguntur.
Sed ſupplicationes à Diis negliguntur.
Ergo non debes ſupplicationibus delectari.

Maior præteritur. minor ſic probatur.

Ab iis ſupplicationes negliguntur, qui neque propitij cuiquam eſſe ſolent, neque irati.
Sed Dij neque propitij cuiquam eſſe ſolent, neque irati.
Ergo ſupplicationes à Diis negliguntur.

Maior iterum tacetur, vt clara & facilis, minor eſt Epicureorum tritum axioma.

NON FACIES FIDEM.] Acutum & lepidum adfert Cæſaris argumentum, quo tota ratio Piſonis euertitur. ex eo conſtare Deos iraſci hominibus, quòd Piſoni ipſi eſſent irati. quaſi diceret, Non perſuadebis Cæſari Deos nemini iraſci poſſe; experientia enim comperiet, tibi, qui ſic inſanis Deos eſſe iratos.

VERTES TE AD ALTERAM SCHOLAM.] Ab iſta Epicuri Theologia, ad alteram eius doctrinæ partem te conuertes, qua parte de finibus bonorum & malorum diſputat, & moralia complectitur.

NOTÆ.

PRÆTERITA MVTARE NON POSSVMVS.] Plato in Protagora: Ὁ δὲ μετὰ λόγου ἐπιχειρῶν κολάζειν, οὐ τοῦ παρεληλυθότος ἕνεκα ἀδικήματος τιμωρεῖται. οὐ γὰρ ἂν τό γε πραχθὲν ἀγένητον θείη. ἀλλὰ τοῦ μέλλοντος χάριν. *Qui alios reprehendit, aut punit, non ob præteritam iniuſtitiam punit, neque enim quod factum eſt infectum effecerit. ſed præcauet in futurum.* Arnobius libro 5. aduerſus gentes: *Neque enim poteſt infectum eſſe quod factum eſt, aut rei geſtæ natura in alienam poteſt degenerare naturam. nunquid bellum Iliacum in Socraticam verti condemnationem poteſt? aut pugna illa Cannenſis proſcriptio fieri crudelitáſque Syllana. poteſt quidem proſcriptio, quemadmodum Tullius ludit pugna dici appellaríque Cannenſis.* Phocylides: 1. Præterita mutari non poſſunt.

Μηδὲ παρεσχομένοισι κακοῖς τεύχου τεὸν ἦτορ.
Οὐκ ἔστι γὰρ δύναται τὸ τετυγμένον εἶναι ἄτυκτον.

Seneca libro 6. de beneficiis, cap. 5. *Quæ ad nos peruenerunt, ne ſint effici poteſt, ne fuerint, effici non poteſt. pars autem beneficij, & quidem certiſſima eſt quæ fuit.* Horat. Ode 29. lib. 3.

-cras vel atra,
Nube polum pater occupato
Vel ſole puro: non tamen irritum
Quodcunque retro eſt, efficiet: neque
Diffinget, infectúmque reddet
Quod fugiens ſemel hora vexit.

Agathon:

Μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται
Ἀγένητα ποιεῖν ἅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα.
Vnum hoc negatur cœlitum potentiæ
Quodcunque factum eſt facere vt infectum queant.

apud Ariſtotelem lib. 6. Ethic. Dio Chryſoſtomus orat. de conſultatione. Ἔστι γὰρ δὲ οὐδὲν ὄφελος περὶ τῶν γεγονότων, καὶ ὑφεστηκότων βουλεύεσθαι. τί γὰρ καὶ βουλευσόμεθα περὶ αὐτῶν; ἵνα μὴ γένηται τὰ γεγονότα; οὐ δύναται μὴ γεγενῆσθαι. *Nulla eſt vtilitas de factis & ſubſiſtentibus conſultare. Quid enim & conſultabimus de illis? An vt non fiant quæ facta ſunt? Non poteſt fieri quin facta ſint.* Bene illi quidem, ſed arreptâ hinc occaſione: *dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus.* Plinius lib. 2. cap. 7. *Imperfectæ verò in homine naturæ præcipua ſolatia, ne Deum quidem poſſe omnia. namque nec ſibi poteſt mortem conſciſcere, ſi velit, quod homini dedit optimum in tantis vitæ pœnis: nec mortales æternitate donare, aut reuocare defunctos: nec facere vt qui vixit non vixerit: qui honores geſſit non geſſerit: nullúmque habere in præterita ius, præterquam obliuionis.* E quibus antecedentibus concludit. *haud dubiè naturæ potentiam, id eſſe quod Deum vocamus.* Tace impie. Pindarus Ode 2. Olympiorum, Epodo 1.

--τῶν δὲ πεπραγμένων
Ἐν δίκα τε καὶ παρὰ δίκαν
Ἀποίητον οὐδ' ἂν
Χρόνος ὁ πάντων πατὴρ
Δύναιτο θέμεν ἔργων τέλος.
Λάθα δὲ πότμῳ σὺν εὐδαίμονι γένοιτ' ἄν.

Factorum verò in iuſtitia & præter iuſtitiam,

Ne tempus quidem omnium pater infectum poſſit facere operum finem. Plutarchus conſolatione ad Apolloniū. Τὸ μὲ γὰρ γεγενημένον οὐδὲ θεὸν δυνατὸν ἔστι ποιεῖν ἀγένητον. *Quod factum eſt ne Deus quidem poteſt facere infectum.* apud Sophoclem in Trachiniis: --τὸ γὰρ

φανθὲν τίς ἂν δύναιτ' ἀγένητον ποιεῖν;

Quodcunque factum eſt facere quis infectum queat?

Horum Iacobus Dalecampius non pauca collegit. Sed vt fauces impiæ Plinio penitus obſtruantur, audiamus Auguſtinum libro 5. de ciuitate Dei cap. 10. *Neque enim & vitam Dei & præſcientiam Dei ſub neceſſitate ponimus, ſi dicamus neceſſe eſſe Deum ſemper viuere, & cuncta præſcire: ſicut nec poteſtas eius minuitur, cùm dicitur mori fallíque non poſſe. ſic enim hoc non poteſt, vt potiùs ſi poſſet, minoris eſſet vtique poteſtatis. Rectè quippe omnipotens dicitur: qui tamen mori & falli non poteſt. dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult, quod ſi ei accederet, nequaquam eſſet omnipotens. vnde propterea quædam non poteſt, quia omnipotens eſt.* Neq; verò hîc attinet dicere quoties illa maieſtas ſacrilegos de ſua poteſtate detrahentes, debita ſceleribus pœna etiam in hac vita multauerit. Cæterùm quod ait Noſter *mutare,* ita Terentius Andria actu 1. ſc. 1. *Haud muto factum.* vbi Donatus. *Si quid pœniteret infectum velle dicebant, monet tamen,* legi *multo,* & explicat: *damno, reprehendo.* vide.

II. Supplicationum dies. TOT DIERVM.] Egimus ſuprà §. 35. de numero dierum, quibus ſolebat Senatus ſupplicationem decernere. Cæſar de ſupplicationibus ſibi decretis ſæpiſſimè libro 2. de bello Gallico: *Ob eáſque res ex litteris Cæſaris in dies quindecim ſupplicatio decreta eſt, quod ante id tempus accciderat nulli.* Libro 3. *His rebus geſtis ex litteris Cæſaris dierum viginti ſupplicatio à Senatu decreta eſt.* Libro 7. *Romæ dierum viginti ſupplicatio redditur.*

III. Epicurus Deus habitus. DIVINVS EPICVRVS.] Lucianus in Pſeudomanti: Ἐπικούρῳ τιμωρῶν, ἀνδρὶ, ὡς ἀληθῶς ἱερῷ καὶ θεσπεσίῳ τὴν φύσιν. *Epicurum vlciſcens, virum, vt verè loquar ſacrum, & naturâ diuinum.* Lucretius initio lib. 5. de natura rerum, de eodem Epicuro:

Deus ille fuit, Deus inclute Memmi.

Item:

Quo magis hic meritò nobis Deus eſſe videtur.

Plinius libro 35. cap. 2. *Vultus Epicuri per cubicula geſtant, ac circumferunt ſecum. Natali eius viceſimâ luna ſacrificant, feriáſque omni menſe cuſtodiunt, quas Icadas vocant, maximè qui ſe ne viuentes quidem noſci volunt.*

IV. Epicuri de Deo ſententia. NEQVE PROPITII.] Sic à Lucretio libro primo ex Epicuri placitis diuina natura deſcribitur:

Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri,
Nec bene promeritis capitur, neque tangitur irâ.

Ipſi Epicuri verba à Plutarcho in opuſculo: ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον. ita referuntur, ἐν νόσοις δειναῖς, καὶ πόνοις ὑπερβάλλουσιν ἐλπίζεις τι χρηστὸν παρὰ θεῶν; τετύφλωσαι. τὸ γὰρ μακάριον καὶ ἄφθαρτον. οὔτε ὀργαῖς, οὔτε χάρισι συνέχεται. *In grauibus morbis & doloribus modum excedentibus ſperas te à Deo aliquid boni conſecuturum? Cæcutis. quod enim beatum eſt & immortale neque irâ, neque gratia capitur.* Cicero quadam epiſtola ad Trebatium, libro 7. *Quomodo autem tibi placebit Iouem lapidem iurare, cùm ſcias Iouem iratum eſſe nemini poſſe.*

TIBI ENIM.] Lepidum illud Diogenis in hanc ſententiam: Λυσίου τοῦ φαρμακοπώλου πυθομένου, εἰ θεοὺς νομίζει, πῶς δ', εἶπεν, οὐ νομίζω, ὅπου καί σε θεοῖς ἐχθρὸν ὑπολαμβάνω; οἱ δὲ Θεόδωρον εἰπεῖν τοῦτο. *Rogatus à Lyſia Pharmacopola, Deóſne eſſe arbitraretur, Quomodo, inquit, non arbitrer, quandoquidem etiā te Diis inimicum eſſe exiſtimo? quamuis id alij Theodoro tribuerunt.* Nec abludit ille apud Lucianum in Ioue Tragœdo: Οὐχ ὁρῶ ἥν τινα ἂν ἄλλην ἐπίδειξιν τῆς ἑαυτῶν προνοίας μείζω ἐξενέγκειν ἠδύναντο, ἢ σὲ κακὸν κακῶς ἐπιτρίψαντες. *Neſcio quàm aliā maiorem prouidentiæ ſuæ demonſtrationem poſſint exhibere, quàm ſi malum malè perdant.*

V. Triumphus trophæum. DISSERES DE TRIVMPHO.] Abs re non fuerit nominis etymologiam tantiſper inquirere. Iſidorus libro 18. originum, cap. 2. *Trophæum,* inquit, *dictum* ἀπὸ τῆς τροπῆς, *id eſt conuerſione hoſtis & fuga. nam ab eo quòd hoſtem quis fugaſſet merebatur trophæum, quòd occidiſſet triumphum, qui dictus eſt* ἀπὸ τῆς θριάμβης, *id eſt ab exultatione. plenæ enim victoriæ triumphus debetur, ſemiplenæ trophæum: quia nondum plenā eſt conſecutus victoriam. non enim obtinuit, ſed fugauit exercitum.* Hæc ille ſatis verboſè, parum accommodatè ad veritatem. Varro libro quinto de lingua Latina: *Triumphare* dicit *appellatum, quòd cum Imperatore milites redeuntes clamitant per vrbem in Capitolium emitti:* IO TRIVMPHE, IO: *idque à* θριάμβῳ *Græco Liberi Patris cognomento poteſt dictum eſſe,* λέγεται δὲ καὶ Διονύσιος Θρίαμβος, vt notat Suidas, διότι ἐπὶ θηρῶν τοῦτ' ἔστιν ἐπὶ λεόντων βέβηκεν οἷον θηρίαμβος, ἢ ὅτι καὶ συκῆς ἐστιν εὑρέτης. Διονύσιος Θρίαμβος. *Dicitur verò & Liber Thriambus, quòd in feras, hoc eſt in leones aſcendat, tanquam Theriambus, aut propter ea quòd* (ficum cuius folia θρῖα nominantur) *inuenerit.* Sed Plutarchus in Marcello videtur ab his ſcriptorib. diſſidere. cùm enim ſcripſiſſet, Πεπισμένων ἅμα καὶ Διονύσῳ τι τῆς τιμῆς προσήκειν, ὃν Εὔιον καὶ θρίαμβον ὀνομάζομεν. *Perſuadentibus ſibi aliquid huius honoris & Libero Patri conuenire,* quem Euium *& Thriambum nominamus.* Subiecit: οὐχ οὕτω δ' ἔχει τὸ ἀληθές. at non ita res habet, &c. *Tranquillus autem* (verba ſunt Iſidori) *triumphum Latinè dicit potiùs appellatum, quòd is qui triumphans ingrederetur vrbem, tripartito iudicio honoraretur. Nam primum de triumpho duci concedendo exercitum iudicare ſolitum erat, ſecundo Senatum, tertio populum.* Non longè diſcedit Zonaras libro 2. in Diocletiano: Ἕτεροι δέ φασιν ὀνομασθῆναι τὸν θρίαμβον, ὅτι ἐκ τριῶν οἱ τὴν πομπὴν πληροῦντες συνίσταντο τάξεων, τοῦ δήμου, τῆς συγκλήτου καὶ τῶν στρατιωτῶν, καὶ ἐκ τοῦ βαίνειν ὁμοῦ τὰς τάξεις, τὰς τρεῖς τρίαμβόν τινα κληθῆναι, αὐτὸ δὲ τὸ, τ, τὸ, θ, παραλλαχθῆναι, διὰ τὸ εὐφωνότερον. Triumphus à tripartito ordine. Id eſt ſecundum Hieronymi Wolphij verſionem, *Alij verò de eo quòd tribus conſtet ordinibus, Senatu, populo & militibus, vna incedentibus, litterarum in Græco vocabulo* θρίαμβος *nonnulla mutatione facta.* Hæc Zonaras, etſi & aliam cum Suida nominis deriuationem inuenerit. Φασὶν οὖν κληθῆναι τοῦτον ἐκ τῶν θρίων, ἅ ἐστι τὰ τῆς συκῆς φύλλα. πρὸ γὰρ τὰ προσωπεῖα ἐπινοηθῆναι τοῖς σκηνικοῖς, συκῆς φύλλοις τὰ ἑαυτῶν καλύπτοντες πρόσωπα, δι' ἰάμβων ἐποιοῦντο τὰ σκώμματα, καὶ οἱ στρατιῶται δ' ἐν τοῖς ἐπινικίοις πομπαῖς φύλλα συκῆς. τοὺς ἑαυτῶν ἐπάγοντες ὄψεσιν εἰς τοὺς τὰς πομπὰς ποιοῦντας ἀπέσκωπτον, κἀντεῦθεν θρῖα, ficus folia.

ὀνομασθῆναι νομίζεται. θριάμβους τὰς ἐπινικίους πομπάς. Id eſt, *id quidem à thriis quæ ficulna folia ſunt, factum putant. priuſquam enim perſonas ſcenici excogitaſſent ficulnis foliis facies velati dicteria verſibus Iambicis proferebant. eandem & milites in victoriæ feſtiuitate licentiam eodem ornatu in victores vſurpabant, atque hinc triumpho nomen de factis autumant.* Sed ſi verum eſt quod hi duo de ficulneis foliis produnt, mirari ſatis non poſſum, cur antiquiores ſcriptores nullam huius ritus fecerint mentionem. Quare magis placet Varronis opinioni ſubſcribere, qui à Baccho nomen deriuat. Tertull. libro de corona ſuffragatur: *Laurea*, inquit, *iſta Apollini vel Libero ſacrata eſt: illi vt Deo telorum, huic vt Deo triumphorum. Sic docet Claudius.* Claudium Saturninum intelligit, quem paulò antè laudauerat.

AXIOMATA.

Præterita mutare non poſſumus.

Valet apud homines volitantes gloriæ cupiditate vir moderatus & conſtans, apud indoctos eruditus.

ARGVMENTVM.

Altera eſt proſopopœia, qua Piſo Cæſarem à triumpho dehortans, & ſingularum eius partium inanitatem voluptatibus vacuam deſcribens, non minùs lepidè quàm eleganter inducitur.

QVID tandem habet iſte currus? quid vincti ante currum duces? quid LX.
ſimulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati in equis, & tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? inania ſunt iſta, mihi crede, delectamenta pæne puerorum, captare plauſus, vehi per vrbem, conſpici velle. quibus ex rebus, nihil eſt quod ſolidum tenere; nihil quod referre ad voluptatem corporis poſſis.

EXPLANATIO.

QVID TANDEM HABET.] *Vanum eſt quod ad voluptatem corporis referri non poteſt.*

Sed triumphus ad voluptatem corporis referri non poteſt.

Ergo vanus eſt.

Propoſitionem non apponit, ſed ſupponit ex Epicureorum ſententia. aſſumptio his verbis, *quibus ex rebus*, &c. *corporis poſſis*. complexio illis. *Quid tandem*, &c. *conſpici velle* continetur. quamuis etiā in ipſa concluſione, & illa partium enumeratione quædam probatio aſſumptionis inuoluitur.

ISTE CVRRVS.] Quo triumphantes per ſacram viam ad Capitolium inuehuntur.

QVID VINCTI.] Quid duces hoſtium captiui, qui catenati currum triumphantis antecedunt.

QVID SIMVLACHRA OPPIDORVM.] Oppidorum captorum effigies, quæ vel pictæ, vel auro & argento cælatæ currui triumphali præferuntur.

QVID AVRVM? QVID ARGENTVM?] Siue aurum coronarium, quod à Sociis & Prouinciis ad honorandam triumphi pompam offertur, ſiue quod è præda manubiiſque conflatum ærario infertur.

QVID LEGATI IN EQVIS.] Currum triumphalem ſtipantes.

ET TRIBVNI.] Militares.

QVID CLAMOR MILITVM.] Siue plaudentium dicentium IO TRIVMPHE, ſiue alterna carmina de Imperatore ſuo facta iactantium licentiā militari.

QVID TOTA ILLA POMPA.] Hîc ne cogatur ſingula memorare, rem totam vno nomine pompæ complectitur.

INANIA SVNT ISTA.] Vana, futilia, vacua ſolidæ voluptatis.

CAPTARE PLAVSVS.] Populi circumſtantis plauſum, & acclamationes aucupari.

VEHI PER VRBEM.] A porta triumphali ad Capitolium.

VOLVPTATEM CORPORIS.] Qua vna diuinus ille noſter Epicurus dicit ſummum hominis bonum & fœlicitatem eſſe metiendam

NOTÆ.

ISTE CVRRVS.] Et de forma & de materia currus triumphalis pauca dicenda ſunt. Aureos aliquando currus fuiſſe ex Horatio compertū eſt. I. Currus triū-phales aurei.

Io triumphe quid moraris aureos
Currus & intactas boues.

Eburneos. Tibullus elegia ſeptima, lib. I. Eburnei.

At te victrices lauros Meſſala gerentem
Portabat nitidis currus eburnus equis.

Item è margaritis, Appianus in Mithridaticis de triumpho Pompeij, αὐτὸς δ' ὁ Πομπήιος ἐπὶ ἅρματος ἦν καὶ τοῦδε λιθοκολλήτου. *In curru vehebatur è lapillis precioſis.* Gemmati. Ad diuerſa curruum triumphalium materiam fortaſſe Velleius libro ſecundo alluſerit. *Quinque egit triumphos: Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini teſtudine, Africi ebore, Hiſpanienſis argento raſili conſtitit.* Eius porrò forma ſic à Zonara libro ſecundo deſcribitur: Τὸ δὲ δὴ ἅρμα οὔτε ἀγωνιστηρίῳ, οὔτε πολεμιστηρίῳ ἦν ἐμφερές, ἀλλ' ἐς πύργου περιφερεῦς τρόπον ἐξείργαστο. *Currus neque bellicis, neque iis ſimilis erat, quorum in ludis vſus eſt, ſed inſtar turris rotundæ confectus.* Currus triū-phalis turris inſtar. Eum variegatum fuiſſe tradit in libris Appian. ἐφ' ἅρματος καταγεγραμμένου ποικίλως. *in curru picto.*

VINCTI ANTE CVRRVM DVCES.] Liuius lib. 3. de Quintij triumpho: *ducti ante currum hoſtium duces.* Ouidius I. de Arte: II. Duces hoſtiū ante currum vincti in triū-pho.

Ergo erit illa dies qua tu pulcherrime rerum
Quatuor in niueis aureus ibis equis.
Ibunt ante duces onerati colla catenis.

Epitome Liuiana libro 67. *In triumpho C. Marij ductus ante currum eius Iugurtha.* Plinius Iunior in panegyrico: *Videor intueri immanibus auſis*

barbarorum onuſta fercula, & ſua quemque facta vinctis manibus ſequentem. Mox ipſum te ſublimem inſtantémque curru domitarum gentium tergo, ante currum autem clypeos quos ipſe perfoderis. Appianus in Mithridaticis ſub finem: αὐτοῦ δὲ τοῦ Πομπηΐου προῆγον ὅσοι τῶν τε πεπολεμημένων βασιλέων ἡγεμόνες, ἢ παῖδες, ἢ στρατηγοὶ ἦσαν, οἱ μὲν αἰχμάλωτοι ὄντες, οἱ δὲ ὁμηρείας διδόμενοι τριακόσιοι μάλιστα, καὶ εἴκοσι καὶ τέσσαρες. *Pompeium ipſum antecedebant debellatorum Regum liberi, duces, & Imperatores, alij captiui, alij obſides, quatuor & viginti ſupra trecentos.* Idem teſtatur Plutarchus in Æmilio, & Ouidius 4. Triſtium, elegia 2. pulcherrimè:

Vinctáque captiua reges ceruice ferentes
Ante coronatos ore videbit equos.

Tibullus elegia 7. libri 1.

Euenere: nouos pubes Romana triumphos
Vidit & euinctos brachia capta duces.

Quid autem his captiuis fieret multorum authoritate conſtat: Καὶ τῶν αἰχμαλώτων, ait Zonaras
Neci dabantur. libro 2. τινὰς ἐς τὸ δεσμωτήριον ἀπαχθῆναι καὶ θανατωθῆναι κελεύσας ἀνήλαυνεν εἰς τὸ Καπιτώλιον. *Aliquot captiuis in carcerem duci occidíque iuſſis in Capitolium inuehebatur.* Eos autem fuiſſe hoſtium duces Eumenius, Ioſephus, Cicero prodiderunt. Eumenius in Panegyrico Conſtantini: *Renouaſti Imperator, veterem illam Romani Imperij fiduciam, qui de captis hoſtium ducibus vindictam morte ſumebat: tunc enim captiui Reges cùm à portis vſque ad forum triumphantium honeſtaſſent currus, ſimulatque in Capitolium currum flectere cœperat Imperator, abrepti in carcerem necabantur vnus pro ſeipſa.* (lege vnus Perſes) *paulo qui ſedentem, dedentem, ſe acceperat deprecante, legem illius ſeueritatis euaſit.* Ioſephus 7. de excidio, cap. 18. ἦν γὰρ παλαιὸν πάτριον περιμένειν μέχρις ἂν τις τὸν τοῦ στρατηγοῦ τῶν πολεμίων θάνατον ἀπαγγείλῃ τις. *Antiquo more comparatum tamdiu in Capitolio manere, donec ducis hoſtium mortem aliquis nuntiarit.* Cicero Verrina ſeptima. *Nullum eſt autem*, inquit, *teſtimonium victoriæ certius, quàm quos ſæpe metueris, eos à te vinctos ad ſupplicium duci videre.* Sic Poëta neſcio quis apud Lactantium libro 1. cap. 11. *Enumeratis amoribus ſingulorum, qui in poteſtatem cupidinis ditionémque veniſſent, inſtruit pompam, in qua Iupiter cum cæteris Diis ante currum triumphantis ducitur catenatus.*

LII. SIMVLACHRA OPPIDORVM.] Quinti-
Oppidorum ſimulachra præferebantur. lianus libro ſexto, cap. 3. *Chryſippus cùm in triumpho Cæſaris eborea oppida eſſent tranſlata, & poſt dies paucos Fabij Maximi lignea, thecas eſſe oppidorum Cæſaris dixit.* Plinius libro quinto, cap. 5. de triumpho Cornelij Balbi de Garamantibus, *Agens ipſum in triumpho, &c. gentium vrbiúmque nomina ac ſimulachra duxiſſe ſcribit.* Cicero 2. de officiis, de triumpho Cæſaris: *Itaque vexatis & perditis exteris nationibus ad exemplum amiſſi Imperij portari in triumpho Maſſiliam vidimus, & ex ea vrbe triumphari, ſine qua noſtri nunquam Imperatores ex tranſalpinis bellis triumpharunt.* Ioſephus libro 7. de excidio, cap. 16. Διὰ πολλῶν δὲ μιμημάτων ὁ πόλεμος ἄλλως εἰς ἄλλα μεμερισμένος ἐναργεστάτην ὄψιν ἑαυτοῦ παρεῖχεν. *Multis autem ſimulachris bellum in varias partes deſcriptum manifeſtiſſimam ſui ſpeciem exhibebat.* Et cætera quibus fusè deſcribitur iſta ſimulachrorũ tranſuectio. Tibull. lib. 2. eleg. 6.

Vt Meſſalinum celebrem, cum præmia belli
Ante ſuos currus oppida victa feret.

Hæc autem oppidorum ſimulachra, non vrbes ſemper integras, ſed turres tantummodo viſendas exhibebant, vt notat in Libycis Appianus: Πύργοι τε παρεφέροντο μιμήματα τῶν εἰλημμένων πόλεων, καὶ γραφαί, καὶ σχήματα τῶν γεγονότων. *Turres deferuntur oppidorum captorum ſimulachra, & picturæ figuræque rerum geſtarum.* Eas autem effigies ſuis inſignes fuiſſe titulis teſtantur inter cæteros Propertius lib. 3. eleg. 5.

-& titulis oppida capta legam.

Lucius Scipio Aſiaticus, vt ait Liuius lib. 7. decadis quartæ, *tulit in triumpho oppidorum ſimulachra* CXXXIV.

QVID AVRVM? QVID ARGENTVM?] IV.
Duplex fuit aurum, quod in triumphis ferebatur, Aurum è manubiis.
alterum ex manubiis, de qua voce Gellius in noctibus Atticis conſulendus. alterum coronarium. De auro ex manubiis illud ex Plinio lib. 37. cap. 2. de triumpho Pompeij notatu digniſſimum. *Coronas ex margaritis* XXXIII. *montem aureum quadratum cum ceruis & leonibus & pomis omnis generis circundatâ vite aureâ, Muſæum ex margaritis præter aurum ſignatũ.* Hæc ille. Cæterùm quod ſpectat ad vitem auream. hinc fortè orta eſt occaſio cur chronicon Alexandrinum, ſiue annales Siculi, vt à Panuino & Sigonio nominãtur, templum Hieroſolymitanum expilatum fuiſſe teſtantur contra Ioſephi auctoritatem, à quo ſingularis Pompeij in templum à ſe captum Religio, innocentia, integritas prædicatur. Iam vt ad rem redeamus auri ſignati in eo triumpho delati, ſic meminit in Mithridaticis Appianus: Καὶ ἐπισήμου ἀργυρίου μυριάδας ἑπτακισχιλίας καὶ πεντακοσίας καὶ δέκα. *argenti ſignati* 17500. *pondo.* Aliud verò fuit co-
Aurum coronarium. ronarium, de quo Lipſius in libris de Magnitudine Romana ſuo more doctiſſimè. Nobis ſatis ſit vnum exemplum è Plutarchi Æmilio Paulo depromere: Ἐφεξῆς δὲ τούτοις ἐκομίζοντο χρυσοῖ στέφανοι τετρακόσιοι τὸ πλῆθος οὓς αἱ πόλεις ἀριστεῖα, τῆς νίκης τῷ Αἰμιλίῳ μετὰ πρεσβειῶν ἔπεμψαν. *Poſt hæc verò ferebãtur coronæ aureæ numero quadringentæ, quas oppida in præmia victoriæ miſerant cum legatis.*

QVID LEGATI IN EQVIS.] Ioſephus V.
lib. 7. de excidio, cap. 17. Οὐεσπασιανὸς ἤλαυνε, καὶ Τίτος εἵπετο Δομετιανὸς δὲ παρίππευεν αὐτός τε διαπρεπῶς κεκοσμημένος, καὶ τὸν ἵππον παρέχων θέας ἄξιον.
Legati in equis comitabantur currũ triumphantis. *Veſpaſianus curru inuehebatur, ſequebatur Titus, Domitianus equitabat, & ipſe ornatu ſpectabilis, & equum exhibens ſpectabilem.* Appianus in Libycis: Ἐπιβαίνουσι δ' αὐτῷ ἐπὶ τὸ ἅρμα παῖδές τε καὶ παρθένοι, καὶ ἐπὶ τῶν παρηόρων ἑκατέρωθεν ἤϊθεοι συγγενεῖς. *Aſcendunt*
Liberi triumphantis eodẽ in curru vehebantur. *verò eorum currum liberi virgineſque, & in iugalibus equis vtrimque adoleſcentes qui triumphanti cognatione coniuncti ſunt.* Idque nemini alteri ciuium licuiſſe tradit Zonaras. qui ex hoc Ciceronis loco poteſt fortaſſe non immeritò reprehendi, niſi ſi ciues à legatis Tribunis militibúſque diſtinxerit, quam diſtinctionem antiqui faciebant, cùm vt notant Tranquillus, Dio, Lampridius vnica Quiritum appellatione Imperatores, militibus darent miſſionem, eóſque exauctoratos eſſe oſtẽderent. Cæterùm ſequutos fuiſſe legatos in equis vix vllum extat in antiquitate veſtigium, niſi forſitan id voluerit Appianus in Libycis, quamuis nullam currus faciat mentionem: Καὶ παρέποντο ὅσοι περὶ τὸν πόλεμον ἦσαν αὐτῷ γραμματεῖς τε καὶ ὑπηρέται, καὶ ὑπασπισταί. *Et ſequuntur quicunque in bello aut ſcribarum, aut miniſtrorum, aut armigerorum ſi...*

fam-

fungebantur. Aliquid tamen non abſimile apud Liuium decadis tertiæ libro octauo reperitur, ex cuius epitome hæc verba præſtat adſcribere. *Cùm M. Liuio & Caio Neroni Coſſ. triumphus decretus eſſet, Liuius qui in Prouincia ſua rem geſſerat, quadrigis inuectus eſt. Nero qui in collegæ prouinciam, vt victoriam eius adiuuaret, venerat, equo eſt ſecutus.*

VI. Acclamatio militum in triumpho.

QVID CLAMOR MILITVM.] Appianus in Lybicis: Οἱ δ' ἀριστεῖς καὶ τὰ ἀριστεῖα ἐπικείμενοι, καὶ τῶν ἀρχόντων τοὺς μὲν ἐπαινοῦσι, τοὺς δὲ σκώπτουσι, τοὺς δὲ ψέγουσιν. ἀφελὴς γὰρ ὁ θρίαμβος καὶ ἐν ἐξουσίᾳ λέγειν ὅ,τι θέλοιεν. Id eſt, *Qui verò rem bene geſſerunt virtutis ſuæ præmiis ornati Imperatorum alios laudibus, alios cauillis, alios vituperiis proſequuntur. ſimplex enim triumphus eſt, & vnicuique libertas quodlibet ad arbitratum loquendi conceditur.* Liuius decadis 4. libro 4. de Valerio Conſule: *Cùm ex S.C. inquit vrbem ouans introiret, alternis inconditi verſus militari licentia iactati.* de verſibus in Cæſarem acerbiſſimè iactatis Suetonius & Dio videantur. Ouid. 4. Triſtium, eleg. 2.

Verſus ioculares in triũpho.

Io triumphe.

-Ióque
Miles Io, magna voce, triumphe canet.

Ante quem Tibullus elegia quinta libri ſecundi.

Ipſe gerens laurus, lauro deuinctus agreſti
Miles Io, magna voce, triumphe canet.

Erant autem ij milites laureati. Feſtus: *Laureati milites ſequebantur currum triumphantis, vt quaſi purgati à cæde humana intrarent vrbem.*

VII. CONSPICI VELLE.] Bene Tertullianus libro de cultu fœminarum: *Propter ipſum,* inquit, *conuentum ac mutuum videre & videri omnes pompæ in publicum proferuntur, aut vt luxuria negotietur, aut gloria inſoleſcat, vt autem meliùs conſpici poſſent per ipſa vrbis theatra inuehebant.* ſi Ioſephum lib. 7. ἁλώσεως cap. 16. audiamus. ἔπεμπον τὴν θρίαμβον διὰ τῶν θεάτρων διεξελαύνοντες, ὅπως εἴη τοῖς πλήθεσιν ἡ θέα ῥάων. *Triumphum duxerunt per theatra inuehentes, vt faciliùs eos ſpectare poſſet multitudo.* Conſpici porrò reperitur ſæpiſſimè veſtium ratione. vnus Maro ſit inſtar omnium 8. Æneid.

-& pulchris conſpectus in armis.

Vide Plutarchum in Paulo Æmilio.

Quo me admonet vt de triumphantium habitu non nihil dicendum videatur. Iuuenalis ſatira decima ludorum editorem in veſte triumphali deſcribit:

Triumphans in tunica Iouis.

In tunica Iouis & pictæ ſarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ.

Toga picta.

Tunica palmata.

Hæc autem videtur inter togam pictam tunicámque triumphalem fuiſſe diſtinctio, quòd toga purpurea eſſet, & ſtellis aureis radiata. Appianus in Libycis: Ἔσταλται δ' ἐς πάτριον τρόπον πορφύραν ἀστέρων χρυσῶν ἐνυφασμένων. *Patrio more veſte purpurea induitur ſtellis aureis intextâ.* Tunica verò, vt conſtat ex ſexcentis authoribus palmata eſt, id eſt palmarum foliis variegata. Tunica Iouis dicta, quòd à Conſulibus Calendis, ni fallor, Ianuariis in Capitolio ſumeretur. Ælius Lampridius in Alexandro Seuero: *Prætextam & pictam togam, nunquam niſi Conſul accepit, & eam quidem quam de Iouis templo ſumptam alij quoque accipiebant, aut Prætores, aut Conſules.* Flauius Vopiſcus in Probo: *Ferunt quidam Probo id pro Imperij omine fuiſſe, quod Tacitus ſcripſit te manet Capitolina palmata, ſed in hanc ſententiam omnibus ſemper Conſulibus ſcribebatur.* hæc ille. Addit & ſceptrum Iuuenalis:

Tunica Iouis.

Da nunc & volucrem ſceptro quæ ſurgit eburno.

Sceptrum triumphale.

Appianus: καὶ σκῆπτρον ἐξ ἐλέφαντος φέρει. Dionyſius libro tertio tum de toga, tum de ſceptro quamplurima. Vbi Tyrrhenos Tarquinio Priſco dicit attuliſſe: στέφανόν τε χρύσεον καὶ θρόνον ἐλεφάντινον, καὶ σκῆπτρον ἀετὸν ἔχον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, χιτῶνά τε πορφυροῦν χρυσόσημον, καὶ περιβόλαιον πορφυροῦν ποικίλον. *Coronam auream, ſellam eburneam, ſceptrum aquilam habens vertici inſidentem, tunicam purpuream auro intextam, togam purpuream pictam.* Subdit: Οὗτος ὁ κόσμος καὶ τοῖς μετ' ἐκεῖνον τὴν βασιλικὴν ἀρχὴν ἔχουσι παρέμεινε, καὶ μετὰ τὴν ἐκβολὴν τῶν βασιλέων τοῖς κατ' ἐνιαυτὸν ὑπάτοις ἔξω τοῦ στεφάνου, καὶ τῆς ποικίλης ἐσθῆτος. ταῦτα δ' αὐτῶν ἀφῃρέθη μόνα φορτικὰ δόξαντα εἶναι, καὶ ἐπίφθονα, πλὴν ὅταν ἐκ πολέμου νίκην κατάγοντες θριάμβου παρὰ τῆς βουλῆς ἀξιωθῶσι, τότε δὲ χρυσοφοροῦσι, καὶ ποικίλαις ἁλουργίσιν ἀμφιέννυνται. *Hic ornatus & in ſecutis regibus perſeuerauit, & poſt exactos reges conſulibus, præter coronam & togam pictam: hæc enim ſola iis ablata ſunt, quòd odioſa viderentur & inuidiæ obnoxia, niſi ſi ex S.C. triumphent. tunc enim & coronam auream geſtant, & togis pictis induuntur.* vide Halicarnaſſeum lib. 4. ſub finem. quod Auſonius confirmat de ſuo loquens conſulatu, factus de Rhetore conſul.

Aquila eburnea, ſceptro eburneo inſidebat.

Auſonius, cuius ferulam nunc ſceptra verentur.

Et Valerianus apud Vopiſcum in Aureliani vita: *Nam te conſulem hodie deſigno, ſcripturus ad Senatum, vt tibi deputet Scipionem, deputet etiam faſces, hæc enim Imperator non ſolet dare, ſed à Senatu quando fit, accipere.* Cæterùm quod ſpectat ad aquilam è ſceptro eminentem, adſtipulatur Iſidorus: qui mos à Græcíſne an Perſis profluxerit, poteſt nõ immeritò dubitari. Ariſtophanes in Auibus: ἐπὶ τῶν σκήπτρων ἐκάθητ' ὄρνις, *ſceptris volucris inſidebat.* ad quem verſum interpres: εἰώθεσαν ἐν τοῖς σκήπτροις ἐπὶ τοῦ ἄκρου ἐκ τύπου ὀρνίθας εἰς κόσμον. *Quandoquidem in ſceptrorum cacumine volucres ad ornatum effingere conſuerant.* De Perſis Xenophon libro 1. de Cyri minoris expeditione: Καὶ τὸ βασίλειον σημεῖον ὁρᾷν ἔφασαν, ἀετόν τινα χρυσοῦν ἐπὶ πέλτης, ἐπὶ ξύλου ἀνατεταμένον. Id eſt ſecundum Romuli Amazæi verſionẽ: *Et ſe regale ſignum videre dicebant, auream aquilam in pelta ad ſummam haſtam alligatam.*

Apud Græcos aquila ſceptris inſidebat.

& apud Perſas.

CAPTARE PLAVSVS.] Ouidius lib. 4. Triſtium, eleg. 2. VIII.

Quáque ibis, manibus circumplaudère tuorum,
Vndique iactato flore tegente vias. Mox:
Ipſe ſono, plauſúque ſimul, fremitúque calentes
Quadriiugos cernes ſæpe reſiſtere equos.

Et ante ipſum Propertius libro tertio, elegia tertia:

Ad vulgi plauſus ſæpe reſiſtere equos.

Plauſus in triumpho.

Item elegia decima:

I, nunc tolle animos, & tecum tolle triumphos
Stantiáque in plauſum tota theatra fremant.

Tibullus eleg. 5. lib. 2.

Tunc Meſſala meus pia det ſpectacula turbæ,
Et plaudat curru prætereunte pater.

Captare autem dicitur propriè auribus 3. Æneid.

-atque auribus aëra captat.

TOTA ILLA POMPA.] Lucanus libro primo Pharſalicorum 286. IX.

Nunc quoque te longi remeantem pompa triumphi
Excipit, aut ſacras poſcunt Capitolia laurus.

Pompa propriè de Circo dicitur. Tertullianus libro de Spectaculis cap. de apparatibus. *Sed Circenſium*, inquit, *paulo pompatior ſuggeſtus quibus propriè hoc nomen pompa præcedens, quorum ſit, in ſemetipſa probans de ſimulachrorum ſerie, de imaginum agmine, de curribus, detenſis, de harmamaxis, de ſedibus, de coronis, de exuuiis. Quanta præterea ſacra, quanta ſacrificia præcedant, intercedant, ſuccedant: quot collegia, quot ſacerdotia, quot officia moueantur, ſciunt homines illius vrbis in qua dæmoniorum conuentus conſedit.* hæc ille, de cuius vocis in Circo proprietate Bulingerus cap. 88. de Circo, & Cerda in tertium Georgicon ſunt conſulendi, cuius pompæ fuſa eſt apud Dionyſium libro 7. deſcriptio, ſæpe tamen ad triumphos, & quamuis magnificentiæ oſtentationem traducitur, vt ſuperiùs: *At fuit pompa, fuit inceſſus.* Cicero primo de officiis: *Cauendum eſt ne tarditatibus vtamur ingreſſu mollioribus, vt pomparum ferculis, ſimiles eſſe videamur.*

AXIOMA.

Inania ſunt delectamenta penè puerorum captare plauſus, conſpici velle.

ARGVMENTVM.

Poſtquam Piſo deſcripſit triumphi vanitatem, ſuo ipſius exemplo ridiculè Cæſarem docet triumphi honorem contemnere, totúmque in expilandâ prouinciâ, & conflandis per rapinas pecuniis occupari.

LXI. QVIN tu me vides, qui, ex qua prouincia T. Flaminius, L. Paullus, Q. Metellus, T. Didius innumerabiles alij leui cupiditate commoti, triumpharunt, ex ea ſic redij, vt ad portam Eſquilinam Macedonicam lauream conculcarim; ipſe cum hominibus quindecim malè veſtitis ad portam Cælimontanam ſitiens peruenerim? quo in loco mihi libertus præclaro imperatori domum ex hac die biduo antè conduxerat, quæ vacua ſi non fuiſſet, in campo Martio mihi tabernaculum collocaſſem. nummus interea mihi, Cæſar, neglectis triumphalibus ferculis domi manet, & manebit. rationes ad ærarium retuli continuo, ſicut tua lex iubebat: neque, alia vlla in re legi tuæ parui. quas rationes ſi cognoris, intelliges nemini plus, quàm mihi litteras profuiſſe. ita enim ſunt perſcriptæ ſcitè, & litteratè, vt ſcriba ad ærarium qui eas retulit, perſcriptis rationibus, ſecum ipſe caput ſiniſtra manu perfricans, commurmuratus ſit. Ratio quidem hercle apparet; argentum œchetæ. Hac tu oratione non dubito, quin illum iam aſcendentem in currum poſſis reuocare.

EXPLANATIO.

QVIN TV.] Nihil hac oratione lepidius. tantùm indiget lectione.

TITVS FLAMINIVS.] T. Quintius Flaminius, vel potius Flamininus, de Macedonia & Philippo Rege triumphauit. anno 559. L. Æmilius Paulus de eadem Macedonia & Perſe Rege anno 586.

Q. METELLVS.] *Q. Cæcilius Metellus, cui ex virtute Macedonici cognomen inditum, præclarâ victoriâ Pſeudophilippum, qui Macedoniam occupauerat, gentémque ſuperauit.* Ita Velleius libro 1. hic autem Pſeudophilippum fuit Andriſcus quidam qui ſe Philippum Perſæ iam antè deuicti filium eſſe ſimulabat. triumphauit anno 607.

TITVS DIDIVS.] Quid geſſerit in Macedonia Titus Didius non liquet. Florus: *Non fuſus modò à Scordiſcis aut fugatus, ſed (ſimile prodigio) omninò totus interceptus exercitus, quem duxerat Cato.* Caium Porcium Catonem Cenſorij nepotem intelligit. *Didius vagos & libera populatione diffuſos intra ſuam repulit Thraciam.* Rufus in breuiario. *Didius vagantes Thracas repreſſit.* vnde exiſtimo triumphaſſe ex Macedonia Didium, non quòd Macedonas ſuperarit, ſed quòd Thracas è Macedoniæ finibus extruſerit.

INNVMERABILES ALII.] Cn. Octauius nauali certamine victor anno 586. C. Metellus Caprarius anno 640. M. Druſus anno 641. cuius tamen triumphus valdè incertus eſt, Cn. Dolabella anno 676. Curio anno 681. M. Terentius Lucullus anno 682.

MACEDONICAM LAVREAM.] Quam obtinui cùm appellatus ſum Imperator, mihique conceſſum eſt vt haberem faſces laureatos.

CONCVLCARIM.] Abiecerim & non in gremio Iouis Capitolini depoſuerim, vt moris eſt.

AD PORTAM COELIMONTANAM.] Ciceronem Piſo ſponſione mimicâ laceſſiuerat, in porta Exquilina introiſſet, lepidè Cicero hîc ſibi repugnantia loquentem inducit, vel potiùs portâ Exquilinâ introierat Piſo, ſed ad Cœlimontanum inde contendit, vbi libertus ei domum conduxerat.

SITIENS.] Salsè & feſtiuè, quaſi verò Piſo Epicureus natus abdomini magnum è prouincia fructum ſe percepiſſe arbitretur, quòd ſitim è via collegerit, ad bibendum iucundiùs.

QVO IN LOCO.] Iuxta portam Cœlimontanam.

EX HAC DIE.] Cùm alij Imperatores cum triumpho redeuntes ſoleant ad Capitolium diuertere, ibíque conuiuium optimatibus exhibere: ego ex hac ipſa die ad domum conductam diuerti.

NVMMVS, &c.] Aduerte quàm fracta & abiecta Piſoni tribuatur oratio. omnes enim hîc ſordes perſequitur à ſiti, à domo conductitia, ab auaritia.

MANET.] Non diſtribuitur amicis, non in ſumptus publicos erogatur, non in lautitias effunditur, ſed domi manet defoſſus & abſconditus.

RATIONES.] Statim atque in vrbem me recepi, adminiſtratæ prouinciæ & acceptæ è publico pecuniæ reddidi rationem.

SICVT TVA LEX IVBEBAT.] Iulia de pecuniis repetundis.

SCITE ET LITTERATE.] Tam callidè ad tegenda mea furta & rapinas, ſpoliationéſque oppidorum.

AD ÆRARIVM QVI EAS RETVLIT.] Qui eas exſcripſit, vt earum exemplum ſeruaretur in templo Saturni, ſiue ærario.

ARGENTVM.] οἴχεται.] Verba ſunt ſcribæ. argentum mihi periit, quod lucraturum me ſperaueram ſi Piſoni de pecuniis repetundis dies diceretur. Vide Notas. legit Budæus & alij. *Argentum decoctū οἴχεται.* Eiúſque lectionis ait Grutterus in Palatinis omnibus extare veſtigia: ſed pro communi. acriter diſputat Turnebus contra Victorium. neque ſanè aliter legitur in Trinummo Plautina, vnde hic ſenarius ad verbum depromptus.

NOTÆ.

I. MACEDONICAM LAVREAM.] Vide Notas 39. §.

II. CONDVXERAT.] Vereor, vt latenter ſordes Piſonis, & auaritiam reprehendat, qui non ædes die ſolemni conduxerit, ſed tantùm biduo antequam ad vrbem accederet. Suetonius in Tiberio cap. 35. *Senatori latum clauum ademit, cùm cognouiſſet ſub Calendas Iulij demigraſſe in hortos, quo viliùs poſt diem ædes in vrbe conduceret.* Africanus D. Qui potiores in pignore vel hypoth. lege 9. *Qui balneum ex Calendis proximis conduxerat, pactus erat vt homo Eros pignori locatori eſſet, donec mercedes ſoluerentur. Idem ante Calendas Iulias eundem Erotem alij ob pecuniam creditam pignori dedit, conſultus an aduerſus hunc creditorem petentem Erotem, Locatorem Prætor tueri deberet, reſpondit debere. licet enim eo tempore homo pignori datus eſſet, quo nondum quicquam pro conductione deberetur: quoniam tamen iam tunc in ea cauſſa Eros eſſe cœpiſſet, vt inuito locatore ius pignoris in eo ſolui non poſſet, potiorem eius cauſſam habendam.* Vide Martialem lib. 12. epigrammate 32. ad Vacerram, Ciceronem libro vndecimo ad Attic. epiſt. 3. Qui ſint autem liberti notum eſſe poteſt ex iis quæ de manumiſſione diſſeremus in Milonianam.

Dies conducendarum ædium.

VACVA.] Ab alio non occupata. Virgilius 4. Georgicon. III.

Vacua domus.

-melior vacua ſine regnet in aulâ.

Statius I. Thebaidos:

Quis fuit ille dies, vacua cùm ſolus in aulâ
Reſpiceres ius omne tuum, cunctóſque minores,
Et nuſquam par ſtare caput.

Horatius lib. 2. ſat. 5.

-& ſi quis caſus puerum egerit orco
In vacuum venias.-

Claudianus in nuptiis Honorij hanc vocem leuiter, ſed eleganter inflexit.

Gradiuum noſtri comites arcete parumper,
Vt ſoli vacet aula mihi.

Fab. declam. I. *Cùm inuaſiſſe vacuos penates videretur, cùm patri filium cæcum hoc eſſe crederet, quod orbitatem.*

NVMMVS INTEREA.] Horatius ſermonum ſat. I. IV.

-quidam memoratur Athenis
Sordidus, ac diues populi contemnere voces
Sic ſolitus, populus me ſibilat, at mihi plaudo
Ipſe domi ſimulac nummos contemplor in arcâ.

VEHICVLIS TRIVMPHALIBVS. Vide ſupra 60. *Iſte currus.* Alij legunt *ferculis triumphalibus*, quod malim. ferculorum enim nomine continentur non vehicula ſolùm, ſed etiam ſimulachra oppidorum, ſpolia hoſtium & quæcunque in triumphi pompa deferuntur. Tranquillus in Iulio cap. 37. *Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum*, VENI, VIDI, VICI. Ita frequenter. *fercula pomparum.* Cicero I. de officiis: *Cauendum eſt ne tarditatibus vtamur in ingreſſu mollioribus, vt ſimiles pomparum ferculis eſſe videamur.* poſt quem Ambroſius primo de officiis. *Sunt qui ſenſim ambulando imitantur hiſtrionicos geſtus, & quaſi quædam fercula pomparum.* & alibi frequenter, ne in rebus adeò tritis hæreamus. V.

RATIONE.] Qui aliquam adminiſtrarant prouinciam rationem datæ & expenſæ pecuniæ, iam ante legem Iuliam referebant. Libro I. in Verrem, qui *de Prætura vrbana* inſcribitur. §. 36. at *lege Iuliâ relinquere rationes in prouincia neceſſe erat, eaſdémque totidem verbis referre ad ærarium.* Immò etiam lex iubebat vt præſides Prouinciarum, apud duas ciuitates, quæ maximæ, in prouincia viderentur, rationes confectas collatáſque ſiue conſignatas deponerent. vide libro 5. famil. epiſt. 20. ad Rufum, nos eò libentiùs his ſuperſedemus, quod Carolus Sigonius vir ſanè doctus cap. 11. libri 2. de antiquo iure Prouinciarum, quæ dicenda eſſent, erudita tractatione prælibarit. Addemus tamen hanc eandem conſuetudinem in Athenienſi Rep. viguiſſe. Sic Æſchines Cteſiphontem accuſat, quòd rationibus nondum relatis Demoſthenem aureâ corona donauerat. VI.

Rationes referebant.

SCRIBA, AD ÆRARIVM.] *Scribas*, ait Feſtus, *proprio nomine antiqui, & librarios & poëtas vocabant. at nunc dicuntur quidem ſcribæ librarij, qui rationes publicas ſcribunt in tabulis.* Cicero quinta Verrinâ ſcribas commendat, quòd *eorum hominum fidei tabulæ publicæ periculáque magiſtratuum committantur.* pro domo: *Scribæ qui nobiſcum in rationibus monumentíſque publicis verſantur.* qui proinde χαμματεὺς & teſſerarius in veteribus gloſſariis nominatur. Scribæ frequen- VII.

Scibæ ærarij.

tem inuenio cum præfectis ærarij fieri mentionē. 4.in Catilinam: *Conueniſſe video Tribunos ærarios, fortiſſimos viros: ſcribas item vniuerſos, quos cùm caſu hic dies ad ærarium frequentes aduocaſſet*, &c. Quare Plutarchus in Catone Iuniore ſcribarum ita meminit: ἐποίησε μεταβολὴν τῶν περὶ τὸ ταμιεῖον ὑπηρετῶν, καὶ γραμματέων. οἱ διὰ χειρὸς ἀεὶ τὰ δημόσια γράμματα, καὶ τοὺς νόμους ἔχοντες, &c. *In ærarij miniſtros & ſcribas magnam mutationem inuexit, qui cùm ſemper publicas tabulas & leges ad manum habeant*, &c. atque horum facit hîc Cicero mentionem. quamuis alij quoque erāt ſcribæ, vt ædilitij, pro Cluentio: *Nuper hominem tenuem, ſcribam ædilitium, D. Matriniū cùm defendiſſem.* Alij comites magiſtratuum in prouinciis. pro Rabirio Poſthumo 13. *Vt Tribuni, vt Præfecti, vt Scribæ, vt Comites omnes magiſtratuum, lege hac tenerentur.* Frumentariâ 185. *Sæpe enim noſtri Imperatores ſuperatis hoſtibus, optimè rep. geſtâ ſcribas ſuos annulis aureis in concione donarunt.* Alij ſcribæ Pontificum, quos ſecutis temporibus minores Pontifices dictos fuiſſe tradit Iulius Capitolinus in Opilio Macrino. Sed de variis ſcribarum generibus vide noſtrum Hermannum Hugonem lib. de prima ſcribendi origine, cap. 32.

Scribæ ædilitij.

Scribæ prouinciales.

Scribæ Pontificum.

VIII. Ratio qvidem.] Hunc locum ita Freigius intelligit, quaſi Scriba Piſonis egeſtatem perſtringat, quod tamen vix ſtare poteſt. nam paulò antè Piſo nummum domi manere confeſſus eſt. vel igitur legendum eſt, argentum ἔχεται, id eſt habetur à Piſone, domi manet & manebit, vel οἴχεται, id eſt, periit argētum illud quod ego ſcriba lucrari potuiſſem, niſi rationes tam ſcitè retuliſſet, vt nullus accuſationi locus ſuperfuturus eſſe videatur. quòd magis arridet propter ſuperiora, *caput ſiniſtra manu perfricans*: qui geſtus ſollicitudinem & deſperationem ſignificat. hæc autē verba è Plauti Trinummo deprompta ſunt, ſcena *minùs quindecim*. Terentius in Phormione:

Nec ratio nobis, ſed argentum deerat.

De hoc loco vide Muretum var. lect. lib. 4. c. 19.

IX. Ex hac die, bidvo ante condvxerat.] Bene dicit ex hac die domum præclaro Imperatori fuiſſe conductū ironicè, quia ſi fuiſſet præclarus Imperator, non coactus fuiſſet ad priuatam domum diuertere. ſolebant enim triumphantes publica conuiuia exhibere. Varro cap. 2. lib. 3. de re ruſtica. *Sed vt adhuc bolum peruenias, opus erit tibi aut epulum, aut triumphus alicuius, vt tunc fuit Scipionis & Metelli, aut collegiorum cœnæ quæ tunc innumerabiles excandefaciebant annonam macelli.* Item: *Quotuſquiſque enim eſt annus, quo non videas epulum aut triumphum, aut collegia non epulari, quæ nunc innumerabiles incēdunt annonam.* Epulæ igitur in triumphis, at epulæ publicæ ſolebant in templis, non in domibus priuatis exhiberi. vt iam in Vatin. §. 31. oſtēdimus. at epulæ triumphales in ipſo Capitolio ſolitæ celebrari. Appianus in Libycis de triumpho maioris Africani: Ἀφικόμενος δ' ἐς τὸ Καπιτώλιον ὁ Σκιπίων τὴν μὲν πομπὴν κατέπαυσεν, εἱστία δὲ φίλους ὥσπερ ἔθος ἐστὶν ἐς τὸ ἱερόν. *Vbi verò Capitolium adſcendit Scipio, finitâ pompâ, epulum amicis ex more in templo præbuit.* De his epulis agens Plinius dicit minium *addi in vnguēta cœnæ triumphalis, & à cenſoribus in primis Iouem miniandum locari.* Valerius lib. 2. cap. 3. de iure triumphandi: *Moris erat ab Imperatore triumphū ducturo, Conſules inuitari ad cœnam, deinde rogari vt venire ſuperſedeant, ne quis eo die, quo ille triumphauerit, maioris in eodem conuiuio ſit imperij.* Sed hæc iam præter inſtitutum. ſatis ſit triumphantes non ad domum priuatam, ſed ad Capitolium diuertiſſe, vt inibi conuiuium optimatibus exhiberent. quamuis hunc morem video à Veſpaſiano haudquaquam fuiſſe ſeruatum. Ioſephus de excidio lib. 7. c. 18. Ἀπῄεσαν εἰς τὸ βασίλειον, καὶ τοὺς μὲν αὐτοὶ πρὸς εὐωχίαν ὑπεδέχοντο. τοῖς δ' ἄλλοις ἅπασιν εὐπρεπεῖς κατὰ τὸ οἰκεῖον αἱ τῆς ἑστιάσεως ἦσαν κατασκευαί. *In regiam abierunt, & alios exceperunt conuiuio aliis omnibus ſplendidæ in domibus priuatis epulæ erant comparatæ.* Immò & Poſſidonius lib. 2. hiſtoriæ apud Athenæum lib. 4. cap. 13. ἐν τῇ Ῥωμαίων, φησὶ, πόλει ὅταν εὐωχῶνται ἐν τῷ τοῦ Ἡρακλέους ἱερῷ δειπνίζοντος τοῦ κατὰ καιρὸν θριαμβεύοντος, καὶ ἡ παρασκευὴ τῆς εὐωχίας Ἡρακλεωτική ἐστι. οἰνοχοεῖται μὲν γὰρ οἰνόμελι, τὰ δὲ βρώματα ἄρτοι μεγάλοι καὶ καπνιστὰ ἑφθὰ τὰ κρέα, καὶ τῶν προσφάτως καθιερωθέντων ὅπτα δαψιλῆ. *In vrbe Roma cùm in Herculis fano epulantur, cœnam tum illo præbente qui triumphum agit, apparatus conuiuij prorſus eſt Herculeus. multum enim affunditur: pro æduliis carnes ſunt fumo duratæ elixæ, & beſtiarum nuper mactatarum aſſæ partes abunde multæ.* Tiberius triumpho Pannonico. *prandium populo mille menſis, & congiarium trecenos nummos viritim dedit.* Suetonius in Tiberio cap. 20.

Epulum triūphale.

X. Capvt siniſtra perfricans.] Hic geſtus aliquando mollitiem oſtendit. Plutarchus in Pompeio: τίς ἑνὶ δακτύλῳ κνᾶται; Πομπήιος. *quis vno digito caput perfricat? Pompeius.* & in Cæſare Cicero non putabat Cæſarem inuaſurum Remp. cùm eum videbat, ἑνὶ δακτύλῳ κνώμενον, *caput vno digito perfricantem.* Iuuenalis:

Caput perfricare, quid ſignificet.

Qui digito ſcalpunt vno caput.

Aliquando ſtudium & ſollicitudinem. Horatus:

Sæpe caput ſcaberet, viuos & roderet vngues.

Aliquando deſiderium quoddam inefficax, quod pudet apertè confiteri, vt hoc loco & apud Heliodorum 2. Æthiopicæ hiſtoriæ: Μικρὸν οὖν ἡ Χαρίκλεια διαλιποῦσα, καὶ τὴν παρειὰν ὑπὸ τὸ οὖς ἐπικνῶσα, μακαρίζω μὲν, ἔφη, τὴν θρηνηθεῖσαν ὑπὸ Θεαγένους, ἢ καὶ φιληθεῖσαν. *Igitur cùm paululum ſpatij intermiſiſſet Chariclia, genam ſub auro ſcalpens: Beatam quidem, inquit, iudico, quam Theagenes luxit, aut etiā oſculatus eſt.* hunc locum Petrus Victorius lib. 8. variarum lect. cap. 6. ſic exponit, vbi quid ſit perfricare frontem, τρίψαι μέτωπον pluribus oſtendit. *Caput fricamus*, inquit, *cùm hæremus animo in aliqua re*, dubitamúſque *quid faciendum nobis ſit.* Deinde hunc ipſum locum produxit, & adiecit. *Videndum accuratè an idem Æſchines ſignificare voluerit in oratione qua criminatus eſt eos qui ſe in legatione ad Philippum improbè geſſerant, & tranſierant officium legatorum*, περὶ τῆς παραπρεσβείας *Græci id iudicium vocant: ait igitur:* Ἐφ' ἅπασι δ' ἡμῖν ἀνίσταται τελευταῖος Δημοσθένης, καὶ τερατευσάμενος, ὥσπερ εἰώθει, τῷ σχήματι, καὶ τρίψας τὴν κεφαλὴν, ὁρῶν ἐπισημαινόμενον τὸν δῆμον, καὶ δεδεγμένον τοὺς παρ' ἐμοῦ λόγους, ἀμφοτέρων ἔφη θαυμάζειν, καὶ τῶν ἀκουόντων, καὶ τῶν πρεσβευσάντων, &c. *Poſtquam omnes diximus ſurgit poſtremus ad dicendum, & poſt nonnullas in componenda veſte præſtigias, vbi caput perfricuit, videns populum ſignificare ſibi orationem meam acceptam fuiſſe, vtroſque ſe mirari dixit, & qui audiebant, & qui legationem obierant.*

ARGVMENTVM.

Grauι & ſeria exclamatione prioris orationis leporem & ironicam feſtiuitatem temperat, deinde Piſonem comparat cum aliquot principibus ciuitatis, qui triumphi cupiditate multa moliti fuerant.

O TENEBRÆ, ô lutum, ô ſordes, ô paterni generis oblite, ma- LXII.
terni vix memor: ita neſcio quid iſtud fractum, humile, demiſſum, ſordidum, inferius etiam eſt, quam vt Mediolanenſi præcone, auo tuo dignum eſſe videatur. L. Craſſus homo ſapientiſſimus noſtræ ciuitatis ſpiculis prope ſcrutatus eſt Alpes, vt, vbi hoſtis non erat, ibi triumphi cauſſam aliquam quæreret. Eadem cupiditate vir ſummo ingenio præditus C. Cotta nullo certo hoſte flagrauit. eorum neuter triumphauit, quod alteri illum honorem collega, alteri mors ademit. Irriſa eſt abs te paullo ante M. Piſonis cupiditas triumphandi; à qua te longè dixiſti abhorrere, qui, etiam ſi minus magnum bellum geſſerat, vt abs te dictum eſt; tamen iſtum honorem contemnendum non putauit. Tu eruditior quàm Piſo, prudentior quàm Cotta; abundantior conſilio, ingenio, ſapientia, quàm Craſſus, ea contemnis, quæ illi idiotæ, vt appellas, præclara duxerunt.

EXPLANATIO.

O TENEBRÆ.] O vilitas animi *lucem ſplendorémque fugientis*, ô lutum Epicurei ex argilla & luto ficti. O ſordes, animi auari & ſordidi quem cùm prouinciàm per tot ſcelera peteret non triumphi, ſed prædæ iam tum cupiditas cæca rapiebat. ſordes tamen hîc potiſſimùm appellat, propter ſuperiorem proſopopœiam quæ nihil præter ſordes & auaritiam redolebat. ſordes enim dicuntur non tam in corradendis pecuniis quam in retinendis.

O PATERNI GENERIS.] Non ſolùm à nobiliſſima Calpurniorum gente, & paterno genere degeneras, verùm ne maternæ quidem Caluentiorum genti planè reſpondes. ſuprà 53. *O familiæ non dicam Calpurniæ, ſed Caluentiæ, neque huius vrbis, ſed Placentini municipij, neque paterni generis, ſed braccatæ cognationis dedecus.*

MEDIOLANENSI PRÆCONE AVO TVO.] Aſconius: *quis fuerit ſocer Piſonis patris,* id eſt auus Piſonis contra quem hæc eſt oratio. *Supra dixit his verbis: Inſuber quidam fuit, id eſt mercator & præco. is cum Romam cum filiá veniſſet adoleſcentem Cæſonium hominis furaciſſimi filium auſus eſt appellare, filiam collocauit. Caluentium aiunt eum appellatum, patris Piſonis contra quem hæc oratio eſt ſocerum. Rutilium Attilium nudum Feneſtella tradit.* Cæterùm dubiũ eſſe poſſit, cur hîc Mediolanenſem appellet, quem in exordio, vt patet è fragmentis, Semiplacentinũ nominarat. Libet Manutij verba exſcribere: *Non dixit Placentino quamuis Placentiæ, non Mediolani maternus Piſonis auus conſediſſet, ſed Mediolanenſi, opinor, quia cùm nobilius Mediolanum eſſet quàm Placentia, (caput enim Inſubriæ regionis erat auctore Strabone) materno Piſonis auo aliquid tribuere videbatur, cùm tamen ironia non abſit. nam ſi Mediolanum Placentia nobilius, multo tamen vrbe Roma ignobilius. ita cùm laudare videatur maternum Piſonis auum, latenter vituperat. quid enim eſt Mediolani præconium feciſſe? probri quidem id potius quàm laudis eſt.*

LVC. CRASSVS.] Cic. lib. 1. de inuentione: *L. Licinius Craſſus Conſul quoſdam in Citeriore Gallia nullo illuſtri, neque certo duce, neque eo nomine, neque eo numero præditos, vt digni eſſent qui hoſtes pop. Romani dicerentur, quod tamen excurſionibus & latrociniis infeſtam prouinciam redderent, conſectatus eſt, & confecit. Romam redit, triumphum ab Senatu poſtulat.*

NVLLO CERTO HOSTE.] Gallos opinor deuicerat. nam Marcus Tullius eum in Bruto ſcribit ex Conſulatu in Galliam eſſe profectum.

ALTERI ILLVM HONOREM COLLEGA, ALTERI MORS ADEMIT.] Aſconius: *Credo vos quærere & quis hic Cotta, & quis ille collega Craßi fuerit. Fuit autem C. Cotta orator ille compar P. Sulpicij, qui eſt in dialogis Ciceronis de oratore ſcriptis, qui cùm decretus illi eſſet triumphus mortuus eſt ante diem triumphi, cùm cicatrix vulneris eius, quod ante plures annos in prælio acceperat, reſciſſa eſſet repente. Craſſo autem collega fuit Q. Scæuola Potifex, qui cùm animaduerteret Craſſo propter ſummam eius in Rep. potentiam ac dignitatem, Senatum in decernendo triumpho gratificari, non dubitauit Reip. magis quàm collegæ habere rationem, ac ne fieret S.C. interceßit. ſed idem prouinciam cuius cupiditate plerique etiam boni viri delinquebant, depoſuerat, ne ſumptui eſſet ærario.*

M. PISONIS.] Fuit hic M. Puppius Piſo, qui, vt verbis vtar eiuſdem Aſconij: *Biennio ſenior, quàm Cicero Conſul fuit. triumphauit pro Conſule de Hiſpanis, Q. Hortenſio, Q. Metello Cretico Coſſ. ante Ciceronis Conſulatum.*

TV ERVDITIOR QVAM PISO.] De hoc Aſconius: *In eo & antiquæ vitæ ſimilitudo & multæ erant litteræ.* Noſter in Bruto: *M. Piſo quicquid habuit, habuit ex diſciplinâ, maximéque ex omnibus qui antè fuerunt, Græcis litteris eruditus fuit.*

IDIOTÆ] Nullis imbuti diſciplinis.

NOTÆ.

I. Tenebræ. O Tenebræ.] Hinc tenebriones dicti, ſiue nebulones, de qua appellatione, Philippica 2. §. 62. vt nos diſtinximus.

II. Lutum. O lutum.] Lutum etiam in conuiciis. Plautus Moſtellaria, ſc. vltima.

Verberibus cædere lutum pendens, tametſi me pudet,
Interimam hercle ego, ſi viuo.

Catullus epiſt. 39.

Non aßis facis, ô lutum, ô lupanar,
Aut ſi perditius pote eſt quid eſſe.

Plautus in Perſa, ſc. *Curate.* multa huiuſmodi probra exaggerat: *- eho lutum lenonium,*
Commixtum cœno ſterquilinium publicum,
Impure, inhoneſte, iniurie, illex, labes populi,
Pecuniæ accipiter, auide, atque inuide,
Procax, rapax, trahax, trecentis verſibus
Tuas impuritias traloqui nemo poteſt.

Item:

Poſſum te facere, vt argentum accipias, lutum?

Quod nomen Theodorus Gadareus Rhetoricæ præceptor, Tiberio diſcipulo ſuo tribuebat: *Subinde in obiurgando appellans eum* πηλὸν αἵματι πεφυραμένον, *lutum ſanguine ſubactum.* vt auctor eſt Tranquillus in Tiberio.

Idiotæ.] Philoſophiâ non imbuti. idiotæ nomen philoſopho opponitur. Lucianus de hæreſibus: Μή μοι τὸν νῦν δὴ τοῦτον σεαυτὸν ἐννόει τὸν εἴτε ἡμίσοφον, εἴτε σοφὸν ἤδη τὰ βελτίω κρίνειν ὑπὲρ τοὺς πολλοὺς ἡμᾶς δυνάμενον, ἀλλ' οὕτως ἀπόκριναι ὁποῖος τότε ἦσθα, ἰδιώτης καὶ κατὰ τὸν νῦν ἐμέ. *Ne te, quæſo, eum qui nunc es, ſiue ſemiſapientem, ſiue iam planè ſapientem, ad iudicandum de rebus optimis meliùs quàm nos qui vulgus ſumus, exiſtima: ſed ita reſponde, vt te eſſe ſtatuas eum qui aliquando fuiſti, idiotam, & mei ſimilem.* Item, περὶ φιλοσοφίας καὶ φιλοσόφων ἀνδρῶν τοῖς ἰδιώταις ἐπίστευσα. *de philoſophia & philoſophis credidit idiotis.* Et in Hermotimo: Δεήσει ἡμᾶς ἰδιώτην τινὰ βίον ζῆν ἀποστάντας τοῦ φιλοσοφεῖν. *Oportebit nos idiotarum vitam agere à philoſophia diſcedentes.* & alibi paſſim. Nonnius dictos ait, *quaſi ſibi tantùm non plurimis vtiles.* Lucilius: *Quidni & tu idem illiteratum me atque idiotam diceres?* III. Idiotæ.

AXIOMA.

Fracti, humilis, demiſſi, ſordidi eſt animi præ pecuniâ iuſtam honorem contemnere.

ARGVMENTVM.

Oſtendit nullam fuiſſe cauſſam, cur Piſo triumphum contemneret, niſi ſi res paruas ſe geßiſſe fateatur. deinde vbi paucis ſubiecit rationem cur triumphum non auſus fuerit poſtulare, factâ dictorum recapitulatione priori orationis parti de rebus in magiſtratu geſtis finem imponit.

LXIII. Qvos ſi reprehendis, quod cupidi laureæ fuerint, cùm bella aut parua, aut nulla geſſiſſent: tu, tantis nationibus ſubactis, tantis rebus geſtis, minimè fructum laborum tuorum, præmia periculorum, virtutis inſignia contemnere debuiſti. neque verò contempſiſti, licet ſis Themiſta ſapientior. ſed os tuum ferreum ſenatus conuicio verberari noluiſti. Iam vides, (quoniam quidem ita mihimet fui inimicus, vt me tecum compararem) & digreſſum meum, & abſentiam, & reditum ita longè tuo præſtitiſſe, vt mihi illa omnia immortalem gloriam dederint; tibi ſempiternam turpitudinem inflixerint.

EXPLANATIO.

Qvos si reprehendis.] L. Craſſum, M. Puppium Piſonem, C. Cottam. Videtur autem argumentum à contrariis ſumptum ſic ad ſyllogiſmum poſſe reuocari.

Si triumphum debet contemnere, qui res paruas geßit, non qui magna bella confecit, is propterea debet triumphum contemnere.

Sed Craſſus, Cotta, Puppius res paruas geſſerunt, tu verò magna bella confeciſti.

Ergo ſi illi ſunt reprehendendi, tu tamen triumphum contemnere non debuiſti.

Cvpidi lavreæ.] Triumphi, quem lauro coronati ducebant, ramum item laureum manu præferentes.

Tv tantis nationibvs svbactis.] Eſt ironia. non enim ſubegerat, ſed barbaros in Macedoniam graſſantes ſubigere debuerat. &, vt eum ſpectaſſe dicamus quod nunquam cogitauit, videtur alludere ad Achaiam quam lege Iuliâ liberam, tamen intra prouinciæ ſuæ fines incluſam miſera ſeruitute oppreſſerat, aut etiam ad vrbes & gentes quas expilauit.

Neqve verò contempsisti.] Altera pars eſt refutationis. priùs enim Piſonis reſponſionem irriſit, qui dixerat ſe triumphi cupidum nunquam fuiſſe, nunc eandem inficiatione funditus euertit.

Licet Themista sapientior.] Licet illa muliere Epicurea ſapientior, & magis Epicuri præceptis eruditus, vel etiam ſapientior illa Dea, quæ docet quid expetere debeamus: non à petitione triumphi deſtitiſti, quòd eum triumphum contemneres: ſed quia metuebas ne ſi triumphum petiiſſes, Senatus te cum indignatione & conuiciis exploderet.

Iuuerit hoc loco totam huius refutationis ſeriem replicare: obiecta fuerat Piſoni reditûs ipſius obſcuritas: ille ſe nunquam triumphi cupidum fuiſſe reſponderat. hanc reſponſionem Cicero mirè verſat. ac primùm in exclamationem erumpens eius indignitatem exaggerat, enumeratione ſcelerum quæ Piſo obtinendæ pro-

uinciæ cupiditate commiſerat, cui cupiditati nullam poſſit excuſationem præter cupiditatem triumphi prætexere. ídque D. Silani monſtrat exemplo, qui triumphi prætextu ſuam obtinendæ prouinciæ cupiditatem velarat. mox in locum communem excurrens oſtendit veram ſolidámque gloriam non eſſe Sapientibus reſpuendam. Ex quo infert alterum è duobus Piſonem aut triumpho, aut prædæ inhiantem, tot ſcelera patraſſe, vt prouinciam obtineret. Hæc ſeriò: tum ironicè Pompeium alióſque viros triumphales accuſat, quòd leui cupiditate ducti triumphum expetierint, qui tamen imitatione Piſonis ab huiuſmodi inanitate, abhorrere debuiſſent. demum ab ironia ad aliam etiam feſtiuiorem delapſus Piſonem loquentem Cæſari genero ſuo, & eum à triumpho dehortantem inducit, orationem variis figuris illuminans, ironiâ quidem & proſopopeiâ. quarum vtraque tota oratione diffunditur, deſcriptione ſiue hypotypoſi, qua triumphus deſcribitur, Ethopœia qua mores & ſordes Piſonis oſtendit: tandem vbi diu multúmque luſit & hominem variè verſauit, redit ad orationis ſeueritatem, & poſtquam aliquot clarorum virorum exemplis reſponſi indignitatem, & prætextus inanitatem oſtendit, veram reddit cauſſam cur tam obſcurus fuerit reditus, quia videlicet ſi petiiſſet triumphum, Senatus conuitium & repulſam metuebat.

Iam vides.] Recapitulatio eſt ſuperiorum.

Et digressvm mevm.] à §. 31. ad 34.

Et absentiam.] à 34. ad 51.

Et reditvm.] à 51. ad 64.

NOTÆ.

I. Themiſta.

Themista sapientior.] Themiſtam Lambinus mulierem tradit fuiſſe Epicuream ex Diogene Laërtio & Lactantio. de hac etiam Clemens Alexandrinus 3. ſtromatum: Καὶ Θεμιστὼ ἡ Ζωΐλου ἡ Λαμψακηνή, ἡ Λεοντέως γυνὴ τοῦ Λαμψακηνοῦ, τὰ Ἐπικούρεια ἐφιλοσόφει. *Et Themiſto Zoili filia Lampſacena, & Leontei Lampſaceni coniux Epicuri philoſophiam ſectata eſt.* Turnebus legit: *Licet tu in iſto ſapientior.* quod minùs placet, tùm quòd longiùs à vulgatâ lectione diſcedat, tùm quòd ſenſus accommodatus huic loco vix elici poſſe videatur. Lipſius legit: *Licet Themi ſis ſapientior.* nam vt ait Feſtus: *Themis Dea fuit quæ doceret petere, id quod fas eſſet, & liceret.* Senſus eſt itaque; Etſi te Themiſtâ ſiue Themi ſapientiorem eſſe concederem, non tamen ideò triumphi petitionem omiſiſti, quòd hunc honorem petendum eſſe non putares, ſed quod metueres repulſam pati, & Senatus conuitio verberari.

Os tvvm ferrevm.] Catullus: II. Os ferreum.

-ruborem ferreo canis exprimamus ore.

Sic Licinius Craſſus apud Suetonium in Cn. Domitium Ænobarbum iocabatur: *Non eſſe mirandum quod æneam barbam haberet, cui eſſet os ferreum, cor plumbeum.* Sophocles apud Ariſtotelem lib. 2. Rhetor. cap. 23. de muliere impudente:

Σαφῶς Σιδηρὼ καὶ φοροῦσα τοὔνομα.

Clarè Sidero quæ ſuum nomen gerit.

Ariſtophanes Acharnenſibus:

Ἴσθι νῦν ἀναίσχυντος ὢν σιδηρεῦς τ' ἀνήρ.

Scis impudentem te eſſe & hominem ferreum.

E quibus colligit Euſtathius Odyſſ. ψ.

Ὅτι καὶ θρασύτητος λάλημά ἐστιν ὁ σίδηρος.

Quòd ferrum etiam de audaciâ ſiue impudentiâ profertur. S. Chryſoſtomus aduerſus Iudæos: Καὶ ἡμῖν ἔθος πολλάκις τοὺς ἐρυθριᾷν μὴ εἰδότας χαλκοπροσώπους καλεῖν. *Et ſolemus plerumque eos qui erubeſcere neſciunt æreo vultu præditos vocare.* Plinius Iunior Paneg. ferream frontem ſumit etiam pro impudenti: *Neque vt antea exanguem illam & ferream frontem nequicquam conuulnerandam præbeant punctis, & notas ſuas rideant.*

Convicio.] Conuicium, quaſi conuocium, vt dictum eſt in Cœlianâ 6. Gloſſæ *conuicium*, καταβόησις, ὀχλαγωγία. III. Conuicium.

Verberari.] Plautus in Truculento ſcena ſecunda: IV. Conuicio verberari.

Me illis quidem hæc verberat verbis.

Et in Amphitruone ſcena prima:

Merc. *Hinc enim mihi dextera vix auris, vt videtur, verberat.*

Sos. *Metuo vocis ne vice hodie hic vapulem, quæ hunc verberat.*

Lactantius libro quinto de Iuſtitia cap. 9. *Qui peccantium frontem non verbis, quia tacent, tamen ipſo vitæ genere diſsimili feriunt, & verberant.* Nonnius Marcellus: *Verberare non ſolùm à verberibus, ſed etiam à verbis.* Rurſum Lactantius libro 2. Dæmones *Iuſtos autem, id eſt cultores Dei metuunt, cuius nomine adiurati de corporibus excedunt. quorum verbis tanquam flagris verberati, non modò dæmonas ſe eſſe confitentur, ſed etiam nomina ſua edunt.* Ambroſius 1. de officiis cap. 2. *Verberamur etiam vocis noſtræ verbere cùm loquimur, & quorum ſono caditur animus noſter, & mens conſauciatur.*

AXIOMATA.

Fructum laborum, præmia periculorum, virtutis inſignia contemnere non oportet.

Sibi ipſis ſunt inimici, qui ſe cum improbis comparandos putant.

Vita priuata & domeſtica Piſonis.

- Piſo eſt odio omnibus, quod probatur
  - à cauſſa efficiente. *64.* & ſceleribus Piſonis in
    - Senatum.
    - Equeſtrem ordinem.
    - plebem Romanam.
    - Italiam vniuerſam.
  - à conſequentibus & ipſa Piſonis cō-ſcientia, qui non audet ad Pompeij ludos accedere.
    - non contemptu. hi enim ludi magnificentia ſua quemlibet allicere potuerunt. *65.*
    - non modeſtia & metu, ne cum plauſu populi excipiatur.
    - Sed metu ne
      - vel ſibilis explodatur.
      - vel lapidibus & pugnis appetatur.
    - vel nequitiæ. quia abdominis voluptates ludis & ſpectaculis anteponit.
- eſt nequam, & ſordidè luxurioſus, quod oſtenditur
  - à diuiſione luxutiæ.
    - alia eſt elegans & ingenuo dignior.
    - alia ſordida & lutulenta.
  - à remotione omnis elegantiæ. *67.* in
    - ſupellectile.
    - eſculentis.
    - poculentis.
    - ſeruis.
    - accubitu.
  - à ſecta Epicurea, cui addictus erat Piſo. *68. 69.*
  - à teſtimonio Menedemi, qui adulteria Piſonis & libidines, verſibus delicatiſſimis expreſſerat. *69. 70. 71.*

ARGVMENTVM.

Hactenus de rebus in magiſtratu, & abſentia vtriuſque geſtis: nunc, quæ altera pars eſt quæſtionis, ad vitam priuatam delapſus, à totius ciuitatis in Piſonem odio ſumit initium.

LXIV. NVNC etiam in hac quotidiana, aſſidua, vrbanáque vita ſplendorem tuum, gratiam, celebritatem domeſticam, operam forenſem, conſilium, auxilium, auctoritatem, ſententiam Senatoriam nobis, aut, vt verius dicam, cuiquam ex infimo, ac deſperatiſſimo antelaturus? Age, Senatus odit te, quod eum tu facere iure concedis, afflictorem, & perditorem non modò dignitatis, & auctoritatis, ſed omninò ordinis, ac nominis ſui: videre equites Romani non poſſunt, ex quo ordine vir præſtantiſſimus L. Ælius eſt te Conſule relegatus: plebs Romana perditum

cupit, in cuius tu infamiam ea, quæ per latrones, per ſeruos de me geras, contuliſti: Italia cuncta exſecratur, cuius item tu ſuperbiſſime, decreta, & preces repudiaſti.

EXPLANATIO.

IN HAC QVOTIDIANA.] Priuata, ſiue domeſtica, ſiue forenſi.

SPLENDOREM TVVM.] Priuatis virtutibus quæſitam claritatem.

GRATIAM.] Populi beneuolentiam.

CELEBRITATEM DOMESTICAM.] Frequentiam clientium, qui domum tuam matutina ſalutatione celebrent ac frequentent.

OPERAM FORENSEM.] Patrocinium in cauſſis agendis.

CONSILIVM.] priuatis exhibitum, vt fieri ſolet à Iuriſconſultis, qui ab actoribus de ſucceſſu litis futuræ & cauſſæ iuſtitia conſuluntur.

AVXILIVM.] Aduocationem.

AVCTORITATEM.] Opinionem virtutis, ſiue potiùs, poteſtatem quandam conciliatam non magiſtratu & honore, ſed ſola opinione virtutis.

SENTENTIAM SENATORIAM.] Prudentiam & auctoritatem in dicenda ſententia in Senatu.

AGE.] Ab enumeratione partium, mira vbertate orationis oſtendit Piſonem odio eſſe toti ciuitati.

SENATVS ODIT TE.] Videtur ſic contexi poſſe ſyllogiſmus.

Omnes iure oderunt proditorem.

Senatum prodidiſti.

Ergo iure te odit Senatus.

Senatum autem prodidiſſe dicitur, quia, vt ſuperiùs dictum eſt, 18. *Edicere auſus eſt, cum illo ſuo pari, quem tamen omnibus vitiis ſuperare cupiebat, vt Senatus contra quàm ipſe cenſuiſſet ad veſtitum rediret.*

EQVITES.] Aliud eſt Enthymema, quod ad ſyllogiſmum ſic reuocaris.

Nemo videre poteſt eum qui præſtantiſſimum ſui ordinis relegauit.

Sed tu Luc. Ælium Lamiam principem equeſtris ordinis relegaſti.

Ergo equites Romani te videre non poſſunt.

Aulus Gabinius L. Lamiam principem equeſtris ordinis, *in concione relegauit, edixitque vt ab vrbe abeſſet mille paſſus, quòd eſſet auſus pro ciue, pro bene merito ciue, pro amico, pro Repub. deprecari.* pro Sextio 29. arguit hîc igitur Piſonem, quòd eum relegari permiſerit.

PLEBS ROMANA.] Infima plebs te odit, quòd ipſius nomine exilium mihi irrogaris, quòd ad magnam plebis redundauit infamiam, licet non plebs Romana, ſed ſerui quidam & latrones legem Clodiam de meo exilio ſuis ſuffragiis comprobarint.

ITALIA.] Ex omni Italia, è municipiis & coloniis miſſi fuerant legati ad exilium Tullio deprecandum, ſed horum preces à Piſone & Gabinio repudiatæ fuerunt.

NOTÆ.

I. ASSIDVA VRBANAQVE VITA.] Eodem modo Plautus Trinummo actu 1. ſc. 3.

Vrbani aſſidui ciues, quos ſcurras vocant.

Sic & frequenter Orator, vt pro Roſcio Amerino 92. *Vtrùm veriſimilius ſit ab eo eſſe occiſum, qui aſſiduus eo tempore Romæ fuerit, quàm ab eo qui multis annis Romam omnino non acceſſerit.* Aſſiduitas quid? pro Murena 21. *Aſſiduitatis & operarum harum quotidianarum putat eſſe conſulatum.* Item: *Iſta noſtra aſſiduitas, Serui, neſcis quantum interdum afferat hominibus faſtidij, quantum ſatietatis.* Dictus igitur aſſiduus qui reſidet in vrbe, & in foro verſatur: quamquam alij nomen aliunde deriuant, vt habetur in Topicis ad Trebatium: *Cùm lex Ælia Sentia aſſiduo vindicem aſſiduum eſſe iubeat, locupletem iubet locupleti. locuples enim eſt aſſiduus, vt ait Ælius, appellatus, ab aſſe dando.* Sed id Tullius exempli cauſsâ profert, nō etiā probat, &, vt iā alibi videor monuiſſe, non videtur is fuiſſe legis Æliæ Sentiæ ſenſus, vt locuples fideiuſſor eſſe locupleti. Quid enim opus fuit id lege ſancire, aut quis aliū, quàm locupletē pro locuplete vindicem, ſiue fideiuſſorem admitteret? Sicut nec facilè crediderim Gellio proletarium eadem lege ſumi pro pauperrimo tenuiſſimo, cùm caueteur vt *proletarius proletario*, ſit *vindex*. Quis enim fide pauperis pauperi credendum putet, aut quæ tandem eſſe poteſt pauperis pro paupere fidem ſuam interponentis auctoritas? Cùm tamen & Varro & alij proletarios pro pauperibus aliquando ſumpſerint, nolim brachia torrenti teſtium opponere. quare viderint eruditi.

CELEBRITATEM DOMESTICAM.] Quia videlicet honorificum fuit multos habere clientes, qui mane ad ſalutandum accederent. Maro 2. Georg. II.

-Si non floribus domus alta ſuperbis Salutatio matutina.

Mane ſalutantum totis vomit ædibus vndam.

Claudianus in Ruffinum:

Turba ſalutantum latas tibi perſtrepit ædes.

Plutarchus in Cicerone: Αὐτὸς δ' ᾤκει περὶ τὸ παλάτιον, ὑπὲρ τοῦ μὴ μακρὰν βαδίζοντας ἐνοχλεῖσθαι τοὺς θεραπεύοντας αὐτόν. ἐθεράπευον δὲ καθ' ἡμέραν ἐπὶ θύρας φοιτῶντες οὐκ ἐλάττονες, ἢ Κράσσον ἐπὶ πλούτῳ, ἢ Πομπήϊον διὰ τὴν ἐν τοῖς στρατεύμασι δύναμιν. *Ipſe verò circa palatium, eo conſilio domicilium collocauit, vt clientibus ſuis hoc viarum compendio minorem moleſtiam exhiberet. neque enim pauciores obſequi deferendi cauſâ, domum eius, quàm Craſſi ob diuitias, aut Pompeij ob militarem potentiam, celebrabant.* Honorificum, inquam, fuit clientes & ſalutatores habere quamplurimos. Dionyſius lib. 2. antiq. Rom. Μέγας ἔπαινος ἦν τοῖς ἐκ τῶν ἐπιφανῶν οἴκων ὡς πλείστους πελάτας ἔχειν, τάς τε προγονικὰς φυλάττουσι διαδοχὰς τῶν πατρωνιῶν, καὶ διὰ τῆς ἑαυτῶν ἀρετῆς ἄλλας ἐπικτωμένοις. *Magnæ laudi fuit viris illuſtribus clientes quamplurimos habere acceptas à maioribus clientelas ſeruare, & propriâ virtute nouas acquirere.* Hinc illud Iuuenalis: Clientes.

-ille excludetur amicus

Iam ſenior, cuius barbam tua ianua vidit.

Statius primo Theb.

Atria congeſtos ſatis explicitura clientes.

Sed non eſt otium hîc morari. vide Iuuenalem Sat. 3. Senecam paſſim, & Martialem. & dicta in Cœlianam §. 8.

III. Operam forensem.] Ad ſplendorem ciuium pertinebat: vnde & maximi quique operam in foro iudiciiſque nauabant. prætermitto Gracchos, Catones, Scipiones, Hortenſios. vnus Plutarchi locus in Craſſo ſuffecerit: οὐδεμίαν γὰρ οὕτω δίκην φασὶ μικρὰν, οὐδ' εὐκαταφρόνητον γενέσθαι, πρὸς ἣν ἀπαράσκευος ἦλθεν. ἀλλὰ καὶ Πομπηΐου πολλάκις ὀκνοῦντος καὶ Καίσαρος ἐξαναστῆναι, καὶ Κικέρωνος, ἐκεῖνος ἀνεπλήρου τὴν συνηγορίαν, καὶ διὰ τοῦτο μᾶλλον ἤρεσκεν. *Nullam adeo vilem aut parui momenti cauſſam fuiſſe dicunt, ad quam imparatus accederet. ſed quamuis & Pompeius, & Cæſar, & Cicero huiuſmodi cauſas reſpuerent, ipſe perorabat, & hoc pacto magnam gratiam ſibi collegerat.* Et miramur eloquentiam ſuam tum floruiſſe, cùm ei ſe viri vrbis atque adeò totius orbis principes tam diligenter impenderent? vocat autem operam forenſem, quod non intra parietes, ſed in ipſo foro, & in propatulo controuerſiæ diſceptarentur. quod liquere videtur ex Valerio libro octauo referente App. Claudium & L. Piſones damnationi ereptos fuiſſe, & diſcuſſam *ſubito cohorti imbris beneficio* quæſtionem.

Avctoritatis.] Bene. nam, vt frequenter diximus, maieſtas in populo, imperium in Conſule, auctoritas in Senatu.

ARGVMENTVM.

Probat ex eo Piſonem odio eſſe toti ciuitati, quia non auderet ad ludos accedere, ne populus in theatro ſedens, vel manus inferret venienti, vel ſaltem ſibilis exſugillatum exploderet.

FAC huius odij tanti, ac tam vniuerſi periculum, ſi audes. inſtant poſt hominum memoriam apparatiſſimi, magnificentiſſimíque ludi, quales non modò nunquam fuerunt, ſed ne quomodo fieri quidem poſthac poſſint, poſſum vllo pacto ſuſpicari. Da te populo, committe ludis. ſibilum metuis? vbi ſunt veſtræ ſcholæ? ne acclametur? ne id quidem eſt curare philoſophi. manus tibi ne afferantur, times. dolor enim eſt malum, vt diſputas: exiſtimatio, dedecus, infamia, turpitudo, verba ſunt, atque ineptiæ, ſed de hoc non dubito. nam non audebit accedere ad ludos, conuiuium publicum non dignitatis cauſſa inibit (niſi fortè, vt cum P. Clodio, hoc eſt, cum amoribus ſuis cœnet) ſed planè animi ſui cauſſa, ludos nobis idiotis relinquet.

EXPLANATIO.

Fac huius odii.] Vnica eſt propoſitio, qua ſyllogiſmus inuoluitur.

Ille nouit ſe odio eſſe ciuitati, qui non auderet ad theatrum accedere.

Sed non auderes ad theatrum accedere.

Ergo, &c.

Maior propoſitio & complexio reticentur. minor variè probatur & oſtenditur.

Instant.] à magnificentia ludorum oſtendit cauſſas eſſe, quæ ipſum ad eos ſpectandos alliciant, niſi maior eum metus auocaret.

Lvdi.] ſpectacula quæ Cn. Pompeius exhibebit, cùm theatrum à ſe conſtructum dedicabit.

De te popvlo.] Ingredere ad theatrum refertum populo, & te ipſum committe ſpectatoribus.

Sibilvm metvis.] Metuis ne populus odio tui inflammatus te venientem in theatrum exſibilet & explodat.

Vbi svnt vestræ scholæ.] Vbi præclara Epicuri præcepta, quibus oſtendit populi iudicium eſſe negligendum.

Ne acclametvr.] Ne veniens in theatrum plauſu & fauſtis ſpectatorum acclamationibus excipiaris.

Ne hoc qvidem.] Non minùs debet philoſophus populi plauſum, quàm ſibilos contemnere.

Manvs tibi ne.] Hinc oſtendit ſummum eſſe odium totius ciuitatis, quòd metuat Piſo, ne veniens in theatrum lapidibus appetatur.

Convivivm pvblicvm.] Quòd Cn. Pompeius ad dedicationem ſui theatri publicè exhibebit, non inibit, ad honorandum Cn. Pompeium exhibitorem conuiuij.

Animi svi cavssa.] Hic Manutius, *vt alia maiore quadam voluptate, quàm quæ oculis & auribus percipitur, fruatur.*

NOTÆ.

APPARATISSIMI MAGNIFICENTISSIME LVDI.] Primùm dicemus de nomine ludorum, deinde de occaſione, tertio de apparatu. quod ad nomen attinet, Tertullianus libro de ſpectaculis: *Lydos ex Aſia tranſuenas in Etruria conſediſſe, Timæus refert duce Tyrrheno qui fratri ſuo conceſſerat regni contentione. Igitur in Etruria inter cæteros ritus ſuperſtitionum ſuarum, ſpectacula quoque religionis nomine inſtituunt, inde Romani accerſitos artifices mutuantur, tempus enuntiationem, vt ludi à Lydis dicerentur. Sed etſi Varro ludos à ludo, id eſt à luſu, ſicut & Lupercos ludos appellabant, quòd ludendo diſcurrant, tamen enim luſum iuuenum & diebus feſtis, & templis, & religionibus deputat.* Hæc Tertullianus. nec Liuius libro ſeptimo, & Valerius libro 2. diſſentiunt. Iam ludorum qui tum imminebant ea fuit occaſio, quòd Pompeius theatrum à ſe factum conſecraret. Dio, Plutarchus, & alij. cui autem Deo conſecrarit, poſſit fortaſſe dubitari. Tertullianus

I. Ludorum nomen.

Ludorum Pōpeianorũ occaſio.

de ſpectaculis: *Theatrum propriè ſacrarium Veneris eſt.* Item: *Pompeius Magnus ſolo theatro ſuo minor, cùm illam arcem omnium turpitudinum exſtruxiſſet veritus quandoque memoriæ ſuæ cenſoriam animaduerſionem, Veneris ædem ſuperpoſuit, & ad dedicationem, edicto populum vocans, non theatrum, ſed Veneris templum nuncupauit, cui ſubiecimus, inquit, gradus ſpectaculorum.* At Tyro Tullius apud A. Gellium cap. 1. lib. 10. Noct. Att. *Cùm Pompeius*, inquit, *ædem victoriæ dedicaturus foret, cuius gradus vicè theatri eſſent*, &c. Plinius libro 8. cap. 7. Theatrum Pompeij, *templum Veneris Victricis* appellat. Saluianus Maſſilienſis libro 6. de gubernatione Dei: *Colitur namque & honoratur Minerua in gymnaſiis, Venus in theatris, Neptunus in Circis, Mars in arenis, Mercurius in palæſtris.* Iam vt de apparatu ludorum Pompeij pauca dicamus, non minimam eius partem habuit ipſius theatri pulchritudo. Dio: ὁ Πομπήϊος τὸ θέατρον, ᾧ καὶ νῦν λαμπρυνόμεθα, καθιέρωσε. *Pompeius theatrum, quod etiam nunc ornamento eſt vrbi, dedicauit.* Cuius cauea, auctore Plinio XL. ſpectatorum millia facilè capiebat, ſed hîc non eſt morandum, cùm Ammianus id inter præcipua vrbis æternæ miracula numerarit libro 16. Ludorum magnificentia, ſic à Dione libro 39. deſcribitur: Καὶ ἔν τε ἐκείνῳ θέας καὶ μουσικῆς, καὶ ἀγῶνος γυμνικοῦ, κἀν τῷ ἱπποδρόμῳ καὶ ἵππων ἁμίλλαν, καὶ θηρίων πολλῶν, καὶ παντοδαπῶν σφαγὰς ἐποίησε. λέοντές τε γὰρ πεντακόσιοι ἐν πέντε ἡμέραις ἀνηλώθησαν, καὶ ἐλέφαντες ὀκτωκαίδεκα πρὸς ὁπλίτας ἐμαχέσαντο. *Et in ipſa ſpectacula muſicæ, ludóſque gymnicos, & in circo equorum concertationem, ferarúmque multarum omnis generis cædem exhibuit. Leones quingenti diebus quinque abſumpti ſunt. præterea elephanti decem & octo cum armatis hominibus certauerunt.* Plinius libro octauo cap. 7. *Pompeij quoque altero conſulatu, dedicatione templi Veneris Victricis, pugnauere in circo viginti, aut vt quidam tradunt, ſeptemdecim.* At chronicon Alexandrinum, niſi ſi fortè error in ſcripturam irrepſit, numerum duplicauit: Πομπήϊος ὁ Μέγας τὸ κτισθὲν ὑπ' αὐτοῦ θέατρον ἀφιέρωσεν, καὶ θεωρείας ἀπετέλεσεν αὐτοῦ δι' ἐλεφάντων τεσσαράκοντα, καὶ ἱππέων τ', καὶ πεζῶν ω', καὶ μονομάχων χ', ἐλεφαντομαχίαν ποιήσας. *Pompeius Magnus conſtructum à ſe theatrum dedicauit, & ſpectacula edidit, elephantis quadraginta, equitibus trecentis, peditibus octingentis, gladiatoribus mille pugnam conſtituens.* Vide cuius fuerit impenſæ tot belluas tam diuerſi generis inuenire, vt meritò Liuius libro ſeptimo: *Hanc vix opulentis regnis tolerabilem inſaniam nominarit.* Adde ad cæterum apparatum, quod vt teſtatur Valerius libro ſecundo cap. 1. *Cn. Pompeius ante omnes, aquæ per ſemitas decurſu, æſtiuum minuit feruorem.* Sed vt ad ferarum multitudinem redeamus, multæ & inſolentes beſtiæ tum primùm vel pene primùm ſpectatæ ſunt. Plinius libro octauo cap. 17. de pantheris: *Primus autem Scaurus ædilitate ſua, varias centum quinquaginta vniuerſas miſit: dein Pompeius Magnus quadringentas decem.* Idem cap. 19. *Pompeij Magni primùm ludi oſtenderunt Chaum, quem Galli Rhaphium vocabant, effigie lupi, pardorum maculis. Idem ex Æthiopia quas vocant Cephos, quarum pedes poſteriores pedibus humanis, & cruribus, priores manibus fuere ſimiles. Hoc animal poſtea Roma non vidit.* Et capite proximè ſequenti: *Iiſdem ludis & Rhinoceros, vnius in nare cornu, qualis ſæpè, viſus.* Sed omnia penè collegit Orator epiſtola prima lib. 7. ad familiares: *Omnino, ſi quæris, ludi apparatiſſimi: ſed non tui ſtomachi: coniecturam enim facio de meo*, &c. Item: *Quid? ne id quidem lepôris habuerunt, quod ſolent mediocres ludi. Apparatus enim ſpectatio tollebat omnem hilaritatem. quo quidem apparatu non dubito quin animo æquiſſimo carueris. Quid enim delectationis habent ſexcenti muli in Clytemneſtra? aut in equo Troiano craterarum tria millia? aut armatura varia peditatus & equitatus in aliqua pugna.* Et paulò pòſt: *Non enim te puto Græcos aut Oſcos ludos deſideraſſe.* &c. *Nam quid ego te Athletas putem deſiderare, qui gladiatores contempſeris? in quibus ipſe Pompeius confitetur ſe operam & oleum perdidiſſe. Reliquæ ſunt venationes, binæ per dies quinque, magnificæ, nemo negat*, &c. *Elephantorum extremus dies fuit: in quo admiratio magna vulgi atque turbæ, delectatio nulla extitit: quin etiam miſericordia quædam conſecuta eſt, atque opinio eiuſmodi, eſſe quandam illi belluæ cum genere humano ſocietatem.*

Theatrũ Veneri dedicatũ.

Apparatus ludorum Pompeij.

QVALES NON MODÒ NVNQVAM FVERVNT.] Tamen iam antè, vt notat Valerius lib. 2. cap. 1. *Claudius Pulcher ſcenam varietate colorum adumbrauit, antè picturâ tabulis extentam: quam totam argento C. Antonius, auro Petreius, ebore Qu. Catulus prætexuit. Verſatilem fecerunt Lucius & Cinna locum, quem argentatis choragiis P. Lentulus Spinther adornauit.* Plinius libro 33. cap. 3. *Et nos fecimus quæ poſteri fabuloſa arbitrentur. Cæſar, qui poſtea Dictator fuit, primus in Ædilitate munere patris funebri, omni apparatu harenæ argenteo vſus eſt: feráſque argenteis vaſis inceſſere, tum primùm viſum. mox, quod etiam in municipiis æmulantur, C. Antonius ludos ſcenâ argenteâ fecit. Item Luc. Murena.* De ſcena Murenæ argenteâ Tullius ipſe in eius defenſione. Quid quod, vt ait idem lib. 34. cap. 7. *In M. Scauri ædilitate tria millia ſignorum in ſcena tantùm fuere temporario theatro.* Sed de ludorum Scauri magnificentia plura congeſſimus ad illa verba Sextianæ §. 116. *Ex te igitur, Scaure, potiſſimùm quæro, qui ludos apparatiſſimos magnificentiſſimóſque feciſti.* II.

Scena picta argentea, aurea, eburnea.

Argenteus arenæ apparatus.

M. Scauri theatrum.

SED NE QVOMODO FIERI QVIDEM POSTHÆC POSSINT.] Rationem excogitauit Nero, qua hunc Pompeij apparatum longè ſuperaret. Plinius lib. 33. cap. 3. *Nero Pompeij theatrum operuit auro, in vnum diem, quod Tyridati Regi Armeniæ oſtenderet.* Sed præſtat audire Ioannem Xiphilinum: Ἐχρύσωτο δὲ μετὰ ψήφισμα καὶ πανήγυρις θεατρικὴ, καὶ τὸ θέατρον οὐχ ὅτι ἡ σκηνὴ, ἀλλὰ καὶ ἡ περιφέρεια αὐτοῦ πᾶσα ἔνδοθεν ἐκεχρύσωτο. καὶ τἆλλα ὅσα ἐσῄει χρυσῷ ἐκεκόσμητο. ἀφ' οὗ καὶ τὴν ἡμέραν αὐτὴν χρυσῆν ἐπωνόμασαν. τά γε μὴν παραπετάσματα, τὰ διὰ τοῦ ἀέρος διαταθέντα ὅπως τὸν ἥλιον ἀπείρκει ἁλουργὰ ἦν, καὶ ἐν μέσῳ αὐτῶν ἅρμα ἐλαύνων ὁ Νέρων ἐνέστικτο· πέριξ δ' ἀστέρες χρυσοῖ ἐπέλαμπον. *Actus eſt decreto Senatus celebris conuentus in theatro, cuius non modò ſcena, ſed etiam ipſum totum circuitu intus erat inauratum. itémque cætera omnia quæ intromittebantur auro ornata erant. quibus de cauſis ille dies aureus nominatus eſt. peripetaſmata quæ in aëre extenſa erant ad defendendos ſolis ardores, purpurea fuerunt, ſtellis aureis circum vndique relucentibus: in medio horum Nero currum agitans acu pictus erat. circum vndique ſtellæ aureæ micabant.* Omitto III.

Theatrũ auro opertum.

Dies aureus

Ludi Traiani.

Traianum, qui, vt ait idem Xiphilinus, Θέας ἐν τρισὶ καὶ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἡμέραις ἐποίησεν, ἐν αἷς θηρία τε καὶ βοτὰ χίλιά που, καὶ μύριά που ἐσφάγη, καὶ μονόμαχοι μύριοι ἠγωνίσαντο. *Spectacula edidit dierum centum viginti trium, in quibus interdum caſæ ſunt feræ manſuetæque belluæ mille interdum ad decem millia: itémque gladiatorum decem millia inter ſe certauerunt.* Omitto Antoninum Pium à quo, vt

Antonini Pij.

teſtatur Iulius Capitolinus, *Edita munera, in quibus elephantos & crocutas, & tigrides, & rhinocerotas, & crocodilos etiam atque hippopotamos, & omnia ex toto orbe terrarum cum tigridibus exhibuit. centum etiam leones vna miſſione edidit.* Omitto Philippum, de quo idem Capitolinus in Gordiano: *Fuerunt ſub Gordiano Romæ ele-*

Philippi.

phanti duo & triginta, &c. *Alces decem, tigres decem, leones manſueti ſexaginta, leopardi manſueti triginta, belbi, id eſt hyænæ decem, gladiatorum fiſcalium paria mille, hippopotamus & rhinoceros vnus, archoleontes decẽ, cameleopardali decem. onagri viginti, equi feri quadraginta, & cætera huiuſmodi animalia innumera & diuerſa, quæ omnia Philippus ludis ſecularibus vel edit, vel occidit.* Hæc autem libentiùs omitto, ne luxuria ad ſuperandam magnificentiam Pompeij longo tempore eguiſſe videatur. Sexennio fere poſt, vt

Cæſaris.

refert Plinius libro 19. cap. 1. *Cæſar Dictator totum forum Romanum intexit, viámque ſacram ab domo ſua ad cliuum vſque Capitolinum: quod munere ipſo gladiatorio mirabilius viſum tradunt.* Quòd ſi non carbaſinis velis, vt ait Plinius, ſed ſericis ſacram viam & forum intexit, vt refert Dio libro 43. non Pompeij ſolùm magnificentiam, ſed etiam Neronis ἀπειροκαλίαν longè ſuperauit. Siquidem, vt ait Flauius Vopiſcus in Au-

Veſtes ſericæ.

reliano: *Cùm ab eo vxor ſua peteret, vt vnico pallio ſerico blatteo vteretur, ille reſpondit, abſit vt auro fila penſentur. libra enim auri tunc libra ſerici fuit.* Quamuis quid victorem Pompeij miramur, in hoc quoque ſuperiorem extitiſſe, biennio ferè pòſt, C. Curio, teſte Plinio libro 36. cap.

Theatra Curionis.

15. *Theatra duo iuxta fecit ampliſſima è ligno, cardinum ſingulorum verſatili ſuſpenſa libramento: in quibus vtriſque antemeridiano ludorum ſpectaculo edito, inter ſeſe auerſis, ne inuicem obſtreperent ſcenæ, & repente circumactis, vt contra ſtarent, poſtremo iam die deſcendentibus tabulis, & cornibus inter ſe coeuntibus, faciebat amphitheatrum, & gladiatorum ſpectacula edebat, ipſum magis auctoratum populum Romanum circumferens. Quid hic miretur quiſque in hoc primum? inuentorem an inuentum. artificem an authorem? auſum aliquem hoc excogitare an ſuſcipere? parere an iubere? ſuper omnia erit populi furor, ſedere auſi in tam infida inſtabilíque ſede.* Et poſt alia longè pulcherrima, ſubdit: *Nec fuit Rex Curio aut gentium Imperator, non opibus inſignis, vt qui nihil in cenſu habuerit præter diſcordiam Principum.*

IV.

Sibilus in ludis.

SIBILVM METVIS.] Frequentem inuenio ſibili mentionem in ſpectaculis. vetus gloſſarium titulo *de ſpectaculis*, ſcribit *ſibilum* συριγμός. quòd videlicet populus, quos odio habebat, eos ſibilis frequenter exploderet. Cicero pro Sextio 115. & 126. de Clodio: *Qui tamen quo tempore conſpectus erat, non modò gladiatores, ſed equi ipſi gladiatorum repentinis ſibilis extimeſcebant.* Plutarchus in Cicerone: Φανέντος ἐν θεάτρῳ τοῦ Ὄθωνος ἐφυβρίζων (ὁ δῆμος) ἐσύριττεν, οἱ δ' ἱππεῖς ὑπέλαβον κρότῳ τὸν ἄνδρα λαμπρῶς. αὖθις δ' ὁ δῆμος ἐπέτεινε τὸν συριγμόν, εἶτα ἐκεῖνοι τὸν κρότον. ἐκ δὲ τούτου τραπόμενοι πρὸς ἀλλήλους, ἐχρῶντο λοιδορίαις, καὶ θέατρον ἀκοσμία κατεῖχεν. ἐπεὶ δ' ὁ Κικέρων ἧκε πυθόμενος, καὶ τὸν δῆμον ἐκκαλέσας πρὸς τὸ τῆς Ἐνυοῦς ἱερόν, ἐπετίμησε καὶ παρῄνεσεν, ἀπελθόντες αὖθις εἰς τὸ θέατρον ἐκρότουν τὸν Ὄθωνα λαμπρῶς, καὶ πρὸς τοὺς ἱππέας ἅμιλλαν ἐποιοῦντο περὶ τιμῶν καὶ δόξης τοῦ ἀνδρός. *Cùm in Theatro conſpectus fuiſſet Otho, plebs in eius contumeliam ſibilis, at equeſter ordo plauſibus eum excepit. Populus viciſſim ſibilos, illi plauſum dare maiorem. tum contra ſe inuicem conuerſi vltro citróque iactare conuitia, & ſpectacula perturbare. Cicero re comperta, & plebe in Ædem Bellonæ conuocata, eos & reprehendit & hortatus eſt, tum plebeij in theatrum redeuntes, ſplendidum Othoni plauſum ita dederunt, vt cum equeſtri ordine, de eius viri honore & dignitate amica contentione certarent.* Quæ integra exhibere volui, non magis vt morem antiquum, quàm vt vim Tullianæ orationis oſtenderem. quantæ enim eloquentiæ fuit populum tam facilè mitigare? ſed ad rem. Diuus Cyprianus libro de opere & eleemoſynis diabolum cum ſuis ſeruis in medium proſilientem & ita loquentem inducit: *Ego pro iſtis quos mecum vides nec alapas accepi, nec flagella ſuſtinui, nec crucem pertuli, nec ſanguinem fudi, nec familiam meam pretio paßionis & cruoris redemi, ſed nec regnum illis cœleſte promitto, nec ad paradiſum reſtituta immortalitate denuo reuoco: & munera mihi quàm pretioſa, quàm grandia, quàm nimio & longo labore quæſita ſamptuoſiſſimis apparatibus comparant, rebus ſuis vel obligatis in muneris comparatione, vel venditis: & niſi editio honeſta ſucceſſerit,* CONVITIIS AC SIBILIS EIICIVNTVR, *ac furore populari nonnunquam* PENE LAPIDANTVR: *Tuos tales munerarios Chriſte demonſtra*, &c. Exſibilabantur nonnunquam & hiſtriones. Suetonius in Augusto 45. *Et Pyladem vrbe atque Italia ſubmouerit, quòd ſpectatorem à quo exibilabatur, demonſtraſſet digito, conſpicuúmque feciſſet.* Animianus libro 28. *Si ad theatralem ventum fuerit vilitatem, artifices ſcenarij per ſibilos exploduntur, ſi qui ſibi ære humiliorem non conciliauerint plebem.* Lucianus in Nigrino, & plauſus theatralis meminit, & Sibilorum: Ἐγὼ καὶ βοᾶν καὶ κροτεῖν ἕτοιμος εἰμὶ· ἢν δὲ διαμέλλῃς, μνησικακήσω γε παρὰ τὸν ἀγῶνα, καὶ ὀξύτατα συρίξομαι. *Ego verò paratus ſum & acclamare, & plaudere: at ſi tardauerit, & acceptæ iniuriæ meminero, & acutiſſimè ſibilabo.*

VBI SVNT VESTRA SCHOLÆ.] Epicuri placita, quale eſt illud apud Senecam epi- V.
ſtola 29. *Nunquam volui populo placere. nam* Hominum ſermones negligendi.
quæ ego ſcio, non probat populus: quæ probat populus, ego neſcio. Quis hoc? inquis. tanquam neſcias cui imperem. Epicurus. Simile eſt & illud epiſtola 91. *Quid autem ſtultius homine verba metuente? eleganter Demetrius noſter ſolet dicere eodem loco ſibi eſſe voces imperitorum, quàm ventre editos crepitus. quid enim, inquit, mea refert, ſurſum iſti an deorſum ſonent? quanta dementia eſt vereri ne infameris ab infamibus? quemadmodum famam extimuiſtis ſine cauſſa, ſic & illa quæ nunquam timeretis, niſi fama iuſſiſſet. nunquid detrimenti faceret vir bonus iniquis rumoribus aſperſus.* Et epiſtola 7. *Epicurus cùm vni ex conſortibus ſtudiorum, ſcriberet; hæc, inquit, ego non multis, ſed tibi: ſatis enim magnum alter alteri theatrum ſumus.*

NE

VI. NE ACCLAMETVR.] Solebant cum
Acclamationes & plauſus theatrales. plauſu fauſtiſque acclamationibus excipere venientes. Cicero in Sextiana 117. *Cùm audito S C. auctori ipſi atque abſenti Senatui plauſus eſt ab vniuerſis datus: deinde cùm Senatoribus ſingulis ſpectatum è Senatu redeuntibus: cùm verò ipſe, qui ludos faciebat, Conſul aſſedit, ſtantes & manibus paſſis gratias agentes, & lacrymantes gaudio ſuam erga me beneuolentiam, ac miſericordiam declararunt.* Et 124. de ipſo Sextio loquens: *Venit, & ſe populo dedit, non plauſus cupiditate, ſed vt ipſi inimici noſtri voluntatem vniuerſi populi viderent. venit, vt ſcitis, ad columnam Mæniam: tantus eſt ex omnibus ſpectaculis vſque à Capitolio, tantus ex fori cancellis plauſus excitatus, vt nunquam maior conſenſio.* Adde quod modò de Roſcio Othone dicebamus: Οἱ δὲ ἱππεῖς ὑπέλαβον κρότῳ τὸν ἄνδρα λαμπρῶς. *Equites magno plauſu homines exceperunt.* Seneca epiſtola 29. *Si te videro celebrem ſecundis vocibus vulgi. Si intrante te clamor, plauſus & pantomimica ornamenta obſtrepuerint, ſi tota ciuitate te fœminæ pueríque laudauerint. quid ni tui ego miſerear, cùm ſciam quæ via ad iſtum fauorem ferat.* Horatius:

-datus in theatro
Cùm tibi plauſus.

Nec abludit illud eiuſdem:

-populus me ſibilat, at mihi plaudo
Ipſe domi, quoties nummos contemplor in arca.

Vide primam Philippicam exeuntem.

VII. NE HOC QVIDEM EST CVRARE.] PHILOSOPHI.] Quia videlicet magnanimus veréque philoſophus, vt honores non aucupatur, ita nec oblatos repudiat: non quod eos magnifaciat, ſed quod eos contemnat, iiſque ſe maiorem exiſtimet. Ariſtoteles 4. Ethi-
Magnanimus honores negligit. cor. cap. 7. Μάλιστα μὲν οὖν περὶ τιμὰς καὶ ἀτιμίας ὁ μεγαλόψυχος ἐστι. καὶ ἐπὶ μὲν ταῖς μεγάλαις, καὶ ὑπὸ τῶν σπουδαίων μετρίως ἡσθήσεται, ὡς τῶν οἰκείων τυγχάνων, ἢ καὶ ἐλαττόνων. ἀρετῆς γὰρ παντελοῦς οὐκ ἂν γένοιτο ἀξία τιμή. οὐ μὴν ἀλλ' ἀποδέξεταί γε τὸ μὴ ἔχειν αὐτοὺς μείζω αὐτῷ ἀπονέμειν. τῆς δὲ παρὰ τῶν τυχόντων, καὶ ἐπὶ μικροῖς πάμπαν ὀλιγωρήσει· οὐ γὰρ τούτων ἄξιος. *In honoribus autem & ignominiis vir magni animi maximè cernitur, ac magnis quidem honoribus, & iis qui à viris bonis deferentur, modicè delectabitur: tanquam ſuos ſibi accommodatos, aut etiam ſua virtute minores & inferiores aſſecutus. virtuti enim omnibus ſuis numeris perfectæ, atque abſolutæ non facilè par vllus honos reperiri queat. Verumtamen eos æquo animo accipiet, vel ob hanc cauſam, quod illi, qui deferunt, non poſſunt ei tribuere maiora. Eum autem honorem qui & à quibuſlibet, & ob res paruas tribuetur, prorſus negliget: hos enim non meretur.* οὔτε γὰρ ἵνα ἐπαινῆται μέλει αὐτῷ. *nam neque vt laudetur magnopere ſollicitus eſt.* vt dicitur cap. 8. De his enim honoribus ne cogitat quidem: quare ea nec ambit, nec verò etiam aſpernatur. Plato in Theæteto: Καὶ ταῦτα πάντ' οὐδ' ὅτι οὐκ οἶδεν, οἶδεν. οὐδὲ γὰρ αὐτῶν ἀπέχεται τοῦ εὐδοκιμεῖν χάριν, ἀλλὰ τῷ ὄντι τὸ σῶμα μόνον ἐν τῇ
Philoſophus humana contemnit. πόλει κεῖται αὐτοῦ, καὶ ἐπιδημεῖ, ἡ δὲ διάνοια, ταῦτα πάντα ἡγησαμένη σμικρά, καὶ οὐδὲν ἀτιμάσασα, πανταχῇ φέρεται κατὰ Πίνδαρον, τά τε γᾶς ὑπένερθε καὶ τὰ ἐπίπεδα γεωμετροῦσα, οὐρανοῦ τε ὕπερ ἀστρονομοῦσα. *Et ne quidem aduertit ſe hæc non aduertere: neque enim his ſe abſtinet vt gloriam conſequatur, ſed reuera ſolum ipſius corpus in vrbe verſatur, at mens hæc omnia parua ducens, atque adeo ne contemnens quidem, quamcunque in partem fertur, & ſuper terram, vt cum Pindaro loquar, & ſub terra res geometricè conſiderans, & aſtrologicè cœleſtia.* Addit: Τύραννόν τε γὰρ ἢ βασιλέα ἐγκωμιαζόμενον ἕνα τῶν νομέων οἷον συβώτην ἢ ποιμένα, ἤ τινα βουκόλον ἡγεῖται ἀκούειν εὐδαιμονιζόμενον, πολὺ ἀμέλγοντα· δυσκολώτερον δ' ἐκείνων ζῶον, καὶ ἐπιβουλότερον ποιμαίνειν τε καὶ ἀμέλγειν νομίζει αὐτούς. ἄγροικον δὲ καὶ ἀπαίδευτον ὑπὸ ἀσχολίας, οὐδὲν ἧττον τῶν νομέων τὸν τοιοῦτον ἀναγκαῖον γίγνεσθαι, σηκὸν ἐν ὄρει τὸ τεῖχος περιβεβλημένον. γῆς δ' ὅταν μυρία πλέθρα, ἢ ἔτι πλείω ἀκούσῃ, ὥς τις ἄρα κεκτημένος θαυμαστὰ πλήθει κέκτηται, πάνυ σμικρὰ δοκεῖ ἀκούειν, εἰς ἅπασαν εἰωθὼς τὴν γῆν βλέπειν· τὰ δὲ δὴ γένη ὑμνούντων, ὡς γενναῖός τις ἑπτὰ πάππους πλουσίους ἔχων ἀποφῆναι, παντάπασιν ἀμβλὺ καὶ ἐπὶ σμικρὸν ὁρώντων ἡγεῖται τὸν ἔπαινον, ὑπὸ ἀπαιδευσίας οὐ δυναμένων εἰς τὸ πᾶν ἀεὶ βλέπειν, οὐδὲ λογίζεσθαι ὅτι πάππων καὶ προγόνων μυριάδες ἑκάστῳ γεγόνασιν ἀναρίθμητοι, ἐν αἷς πλούσιοι, καὶ πτωχοί, καὶ βασιλεῖς, καὶ δοῦλοι, βάρβαροί τε, καὶ Ἕλληνες πολλάκις μυρίοι γεγόνασιν ὁτῳοῦν, &c. *Regem aliquem aut tyrannum celebratum paſtorum aliquem, vt ſubulcum aut opilionem, aut bubulcum laudari exiſtimat, qui multum mulgeat, ſed animal longè difficilius & ad inſidias fraudéſque magis comparatum, quàm illi mulgeant, mulgere arbitratur. agreſtem verò & indoctum ob frequentes occupationes, non minùs quàm paſtores eum eſſe, eius arcem in monte ſitam, pecudum haram eſſe ducit: & cùm decem iugerum millia, aut etiam plura audiuerit ab aliquo mira opulentiæ viro poſſideri parua ſibi videtur audire, ſolitus terram ſpectare vniuerſam. Cùm aliquem à nobilitate tam à ſeptem maioribus opulentis ductâ laudari audiuerit, frigidam laudem ducit, & ab iis qui per imperitiam paucis attendant, nec poſſint animi aciem in rerum vniuerſitate defigere, nec cogitare ſingulis infinitam maiorum ſeriem, innumeris retro ſeculis extitiſſe, & vnicuique maiores, diuites, mendicos, Reges, ſeruos, barbaros, Græcos quamplurimos multis vicibus contigiſſe.* Quid igitur curet philoſophus acclamationes populi qui ſic fuerit animo comparatus? ſed longiùs me, quàm putaram, Platonicæ ſuauitatis aura prouexit; ſed quis ad tam ſuauem Fauonium vela non expanderet? Ego certè cum Platone malim aberrare, quàm cum aliis pleriſque rectum nauigationis curſum inſiſtere. quamuis hinc intelligi poteſt veri eſſe philoſophi acclamationes vulgíque plauſus contemnere. Talis refertur apud Plutarchum opuſculo περὶ δυσωπίας Menedemi con-
ſtantia: Ἀκούσας ὡς Ἀλεξῖνος αὐτὸν ἐπαινεῖ πολλάκις· ἐγὼ δ' εἶπεν, ἀεὶ ψέγω Ἀλεξῖνον, ἔστι κακός ἐστιν ἄνθρωπος, ἢ κακὸν ἐπαινῶν, οὕτως ἄτρεπτος ἦν καὶ ἀνάλωτος. ὑπὸ τῶν τοιούτων, καὶ κρατῶν ἐκείνης τῆς παραινέσεως ἦν ὁ Ἀντισθένειος, Ἡρακλῆς παρῄνει τοῖς παισὶ διακελευόμενος μηδενὶ χάριν ἔχειν ἐπαινοῦσιν αὐτούς, ἀρκεῖ γὰρ οἶμαι τὸ τοῦ Πινδάρου πρὸς τὸν λέγοντα πανταχοῦ καὶ πρὸς πάντας ἐπαινεῖν αὐτόν, εἰπόντος. Κἀγώ σοι χάριν ἀποδίδωμι·
Menedemi conſtantia in honore negligendo.

ποιῶ γάρ σε ἀληθεύειν. *Cùm ſe ab Alexino laudari frequenter audiiſſet, Ego, inquit, vitupero ſemper Alexinum, qui ſemper aut malus eſt, aut malum laudat, adeò nulla res eiuſmodi poterat eius animum aut inflectere, aut obſtringere, & illam hortationem animo perceperat, qua Hercules apud Antiſthenem filios hortatur, vt nemini gratiam habeant qui ipſos aliquando laudauerit. Sufficit enim, vt arbitror, illud Pindari, qui cuidam dicenti ſe in eius laudibus ſemper & vbique verſari. Et ego, inquit, gratiam tibi reddo. ſic enim me gero vt tu dicas veritatem.* Atque hæc quidem illi de laudibus contemnendis, nec reſpuendis tamen ſi offerantur. Sublimior etiam gradus humilitatis Chriſtianæ, quæ honores & vulgi plauſum repudiat quo preſſiùs Chriſtum imitetur.

VIII. Manus illatio in theatris. MANVS TIBI NE AFFERANTVR.] Cicero in Sextiana 117. *At cùm ille furibundus incitata illa ſua vecordi mente veniſſet, vix ſe populus Romanus tenuit, vix homines odium ſuum à corpore eius impuro, atque infando repreſſerunt: voces quidem & palmarum intentus, & maledictorum clamorem profuderunt.* Suprà ex Cypriano: *Et niſi editio honeſta ſucceſſerit, conuitiis ac ſibilis eiiciuntur, & furore populari nonnunquam penè lacerantur.* Hinc ille iocus Caſelli Iuriſconſulti oppidò feſtiuus apud Macrobium libro ſecundo Saturn. cap. 6. *Lapidatus à populo Vatinius, cùm gladiatorium munus ederet, obtinuerat vt ædiles edicerent, ne quis in arenam niſi pomum miſiſſe vellet. Fortè iis diebus Caſellius Conſultus à quodam, an nux pinea pomum eſſet, reſpondit: Si in Vatinium miſſurus es, pomum eſt.* Hæc ille, è quibus vides in editores quidem ſordidos vt plurimùm, aliquando tamen & in alios, lapides mitti conſueſſe.

IX. Dolor malū. DOLOR ENIM MALVM.] Hæc eſt celebris illa quæſtio in omnibus propè philoſophorum pergulis variis altercationibus agitata. alij, vt Ariſtoteles dolorem malum quidem, ſed non ſummum, & ipſum malum τὸ κακὸν eſſe cenſuerunt. alij, vt Stoici dolorem neque in bonis, neque in malis, ſed in indifferentibus numerarunt, quamuis alicubi Seneca dolorem incommodum eſſe fateatur. Epictetus & Aulus Gellius libro 1. cap. 2. & alij paſſim conſulantur. Alij, vt Epicurei, voluptatem ſummum bonum, dolorem ſummum malum eſſe duxerunt. Vide Noſtrum libris de finibus bonorum & malorum, & alios paſſim.

VERBA SVNT ATQVE INEPTIÆ.] X. Virtutem verba eſſe dicebat Epicurus.
Epicurus apud Plutarchum in Colotem: ἐν τῇ πρὸς Ἀναξάρχον ἐπιστολῇ τουτὶ γέγραφεν. Ἐγὼ δὲ ἐφ' ἡδονὰς συνεχεῖς παρακαλῶ, καὶ οὐκ ἐπ' ἀρετὰς κενὰς καὶ ματαίας, καὶ ταραχώδεις ἐχούσας τῶν καρπῶν τὰς ἐλπίδας. *Ego verò ad voluptates perpetuas inuito, & non ad virtutes, vanas & futiles, ſpem fructuum habentes ſexcentis perturbationibus implicatam.* Verba ſæpè, & nomen pro vanitate, quæ non cohærent. Ouidius 1. de arte:

Conquerar? an moneam nullum fas eſſe nefáſque?
Nomen amicitiæ, nomen inane fides.

Nazianzenus priore in Iulianum de Philoſophis: Ἡ ἀρετὴ δ' αὐτοῖς ἄλλως ὄνομα εὐπρεπές, καὶ οὐδὲν τοῦ παρόντος βίου μακρότερον. *Virtus cæteroquin ipſis nomen eſt honeſtum, & nihil præſenti vita diuturnius.* Dio libro 37. Brutum ſibi manus inferentem exclamaſſe refert illud Herculis:

Ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγος ἄρ' ἦσθ' ἄλλως, ἐγὼ
Σ' ὡς ἔργον ἤσκουν, σὺ δ' ἄρ' ἐδούλευες τύχῃ.

O miſera virtus verba eras. at ego te vt rem ſeriam exercebam, tu fortunæ ſeruiebas. Horatius libro 1. epig. 6.

-Virtutem verba putas, vt
Lucum ligna.-

CONVIVIVM PVBLICVM.] Vide Vatinianam 30. de epulis publicis: *Ita enim illud epulum eſt funebre, vt munus ſit funeris, epulæ quidem ipſæ dignitatis.* Dignitatis autem cauſâ dicitur iniri conuiuium, quia Senatores epulabantur ab aliis ordinibus ſeparati. XI.

AXIOMA.

Philoſophi non eſt, aut ſibilum metuere, aut acclamationes curare.

ARGVMENTVM.

Ab odio totius ciuitatis in Piſonem ad nequitias libidinéſque arrepta prudenter occaſione delabitur, ex eo quod Piſo ſpectaculis poſthabitis conuiuium voluptatis & abdominis cauſa ſit initurus.

LXVI. SOLET enim in diſputationibus ſuis, oculorum & aurium delectationi, abdominis voluptates anteferre. nam quòd vobis iſte tantummodo improbus, crudelis, olim furunculus, nunc verò etiam rapax, quòd ſordidus, quòd contumax, quòd ſuperbus, quòd fallax, quòd perfidioſus, quòd impudens, quòd audax eſſe videatur: nihil ſcitote eſſe luxurioſius, nihil libidinoſius, nihil proteruius, nihil nequius.

EXPLANATIO.

SOLET.] Videtur hic eſſe ſyllogiſmus.

Qui præfert voluptatē ventris voluptati auriū & oculorum, conuiuium inibit, relinquet ſpectacula.

Sed Piſo præfert voluptatem ventris voluptati aurium & oculorum.

Ergo conuiuium inibit, relinquet ſpectacula.

Propoſitio vt nota præteritur, aſſumptio & complexio dilucidè continentur.

ABDOMINIS VOLVPTATES.] Supra de Gabinio, *natus abdomini ſuo* per voluptatem abdominis non ſolam gulam, ſed vel maximè Venerem & voluptatem quæ ſub ventre ſedem habet, intelligit. vetus vocabularium, *abdomen* λαπάρα, ὑπογάστριον, ὑποκοίλιον.

NAM QVOD.] Lepidè enumeratis prius ſceleribus, quæ & in confeſſo eſſe fingit apud omnes, & videbantur Piſonem in contemptum adducere, ſubdit de eius nequitiis & voluptatibus, à quibus propter frontis ſeueritatem maximè videbatur alienus.

OLIM FVRVNCVLVS.] Olim cùm legum pœnam metueret, occultè furabatur, nunc factus audacior, excuſſo timore legum, palàm & apertè prædatur.

SORDIDVS.] Furtum & rapina in recipiendo, ſordes in retinendo verſantur.

QVOD FALLAX.] Inter fallaciam & perfidiam eſt diſtinctio: nam fallaces eſſe poſſumus etiam in eos quibus nihil vnquam promiſimus, perfidioſi eſſe non poſſumus.

LVXVRIOSIVS.] Luxuria in ſumptibus faciendis, libido in voluptatibus perfruendis.

NIHIL POSTERIVS.] Legunt alij, *nihil proteruius*. vide Notas.

NOTÆ.

I. Voluptates tactus & guſtus.

ABDOMINIS VOLVPTATES.] Quid ſit propriè abdomen explicamus in Sextiana §.110. Quod ſpectat ad voluptatés abdominis, de his fusè Aulus Gellius cap. 2. lib. 19. noctium Atticarum. *Quæ ex guſtu atque tactu eſt, ea voluptas, ſicuti ſapientes viri cenſuerunt, omnium rerum fœdiſſima eſt.* Cuius rei luculentam reddit ex Ariſtotele rationem: Διὰ τί οἱ κατὰ τὴς αὐτὴς ἢ γεύσεως ἡδονὴν γινομένην αὐ ὑπερβάλλωσιν, ἀκρατεῖς λέγονται· οἱ δὲ κατὰ τὴν ὄψιν καὶ τὴν ἀκοὴν οὐκ ἔτι; ἢ διὰ τὸ τὰς ἀπὸ τούτων γινομένας ἡδονὰς κοινὰς εἶναι ἡμῖν καὶ τοῖς ἄλλοις ζώοις; ἅτε οὖν οὖσαι κοιναὶ ἀτιμόταταί εἰσι, καὶ μάλιστα μόναι ἐπονείδιστοι, ὥστε τὸν ὑπὸ τούτων ἡττώμενον ψέγομεν καὶ ἀκρατῆ καὶ ἀκόλαστον λέγομεν, διὰ τὸ ὑπὸ τῶν χειρίστων ἡδονῶν ἡττᾶσθαι. id eſt, *Cur incontinentes eos appellare ſolemus, qui voluptate contrectandi aut guſtandi exuperantur, eos verò qui in videndo audiendóque modum excedunt, non eodem vocabulo ſignificamus? An quoniam voluptates ſenſib. hiſce accommodatas communes cum cæteris animantibus habemus? Ergo vt cōmunes ſpernimus & notamus, ſoláſque omnium aut maximè probro damus. Itaque hominem iis deditum reprehendimus, & incontinentem intemperantémque vocamus, quòd victus à teterrimo voluptatum genere ducitur.* Hæc Ariſtoteles, ex quo Gellius concludit: *Quis igitur habens aliquid humani pudoris voluptatibus iſtis duabus coëundi atq. comedendi, quæ ſunt homini cum ſue atque aſino*

Voluptates belluinæ.

cōmunes, gaudeat. Plato in Philebo duas has voluptates vocat, συμπεφυρμένας ὁμοῦ λύπαις τε καὶ ἀναπαύσεσιν ὀδυνῶν τῶν μεγίστων, *vna doloribus & dolorum induciis atq. ſedationibus permixtas*, τὰς περί τε τὰ καλὰ λεγόμενα χρώματα, καὶ περὶ τὰ σχήματα, καὶ τῶν ὀσμῶν τὰς πλείστας καὶ τὰς τῶν φθόγγων, καὶ ὅσα τὰς ἐνδείας ἀναισθήτους ἔχοντα, καὶ ἀλύπους τὰς πληρώσεις αἰσθητὰς καὶ ἡδείας καθαρὰς

Veræ voluptates.

λυπῶν παραδίδωσι. id eſt, vt vertit Serranus: *Illæ nimirum ſunt veræ voluptates quæ circa pulchros colores & figuras & pleroſq. odores, & harmonias verſantur, & quæ circa eas quæ defectus quidem habēt, ſed qui nec ſub ſenſionem cadant, nec dolorē aliquid pariant: huiuſmodi autem repletiones exhibeant quæ & ſentiantur, & iucundas atque doloribus immunes ſenſus ſubministrent.* Subiicit tamen τὸ δὲ γένος τῶν ὀσμῶν ἧττον μὲν τούτων θεῖον γένος ἡδονῶν. *At in his voluptatibus genus illud quod circa odores verſatur minùs diuinum eſt.* Tamen vt refert Athenæus 1. deipnoſophiſton ipſa verba Epicuri: Ἐπίκουρος ἔλεγεν, ἀρχὴ καὶ ῥίζα παντὸς ἀγαθοῦ ἡ τῆς γαστρὸς ἡδονή, καὶ τὰ σοφὰ καὶ τὰ περιττὰ εἰς ταύτην ἔχει τὴν ἀναφοράν. *Dicebat Epicurus: Principium & radix omnis boni eſt voluptas abdominis, & quicquid ſapiētiam redolet, quicquid inter res humanas excellit, ad eā eſt referendum.* Clemens Alexand. 2. Stromatum: Ἐπίκουρος δ' ἐν τῷ μὴ πεινῆν, μηδὲ διψῆν, μήτε ῥιγοῦν τὴν εὐδαιμονίαν τιθέμενος, τὴν ἰσόθεον ἐπεφώνησε φωνήν, ἀσεβῶς εἰπών, ἐν τούτοις κἂν Διῒ πατρὶ μάχεσθαι. *Epicurus in famis, ſitis, frigoris vacuitate fœlicitatem collocauit, impiam vocem emiſit, qua cum ipſis Diis de beatitate contenderet, his, inquiens, ſe vel cum ipſo Ioue pugnaturum.* Iiſdem penè verbis Theodoretus ad Græcos infideles, Sermone vndecimo.

Quam voluptatem probaret Epicurus.

Ælianus libro 4. cap. 15. Ἔλεγεν ἑτοίμως ἔχειν, καὶ τῷ Διῒ περὶ εὐδαιμονίας διαγωνίζεσθαι μάζαν ἔχων καὶ ὕδωρ. *Dicebat paratum ſe eſſe vel cum ipſo Ioue contendere de fœlicitate, ſi pulte & aqua potiretur.* Hinc illud Metrodori ad fratrem ita ſcribentis: Οὐδὲν δεῖ σώζειν τοὺς Ἕλληνας, οὐδὲ ἐπὶ σοφίᾳ στεφάνων παρ' αὐτῶν τυγχάνειν, ἀλλ' ἐσθίειν καὶ πίνειν οἶνον, Τιμόκρατες, ἀβλαβῶς τῇ γαστρί, καὶ κεχαρισμένως. *Non eſt opus ad Græcorum ſalutem excubare, neque propter ſapientiam coronas ab iis adipiſci, ſed edendum & potandum, ô Timocrates, & abdominis voluptatibus indulgendum.* Item: Περὶ γαστέρα γάρ, ὦ φυσιόλογε Τιμόκρατες, τὸ ἀγαθόν. *Bonum verò, ô docte Timocrates, ventre & abdomine eſt metiendum.* Contra quam ſententiam præclarè Maximus Tyrius 32. concione: ΕΙ δὲ ἡδονὴ τὸ σῶζον, ζήτει μετὰ τοῦτο τί ἡδονῆς ὄργανον. ἐντεύξῃ δὲ πολλοῖς καὶ παντοδαποῖς, καὶ μέχρι μὲν ὀφθαλμῶν καὶ ὤτων τίμια τὰ ὄργανα. ἐὰν δὲ προέλθῃς περαιτέρω, ἐπὶ τὰς ἡδονῆς ὁδούς, ὅρα τίσιν ὀργάνοις ἀνατίθης τὴν σωτηρίαν. εὗρες τὰ ὄργανα, ζήτει τὰ ἔργα. λιχνευέτω ἡ γλῶττα. *Si voluptas, id eſt quod confert ſalutem, quære quod ſit voluptatis inſtrumentum. Incurres autem in multa & diuerſa: & vſque ad oculos quidem & aures, inuenies inſtrumenta pretioſa. Si autem progrediaris vlterius indagandis voluptatum viis, attende quibus inſtrumentis ſalutem referas acceptam. Inſtrumenta reperiſti: opera ſcrutare. lingua liguriat.* &c.

II. Poſterius.

NIHIL POSTERIVS.] Turnebus aduerſ. lib. 14. cap. 17. explicans illud Varronis apud Nōnium: *Non modò abſens quidquam ſequius de te cogitabit, ſed etiam ruminabitur humanitatem.* Sequior, inquit, pro deterior dici, non eſt perinde infrequens, quod à ſequendo reor deduci: deteriora enim ſequi, meliora præcedere ſolent. proinde etiam poſterior pro deteriore poni etiam alicubi annotamus. Id verò annotat lib. 20. c. 9. loco horum verborum orationis de Prouinciis Conſularibus, *vt nemo poſſet vtrum deterior an infœlicior eſſet, iudicare.* legi in meliſſimis libris *vtrùm poſterior.* quam lectionem vbi probauit hoc ipſo loco quem præ manibus habemus, *poſterior enim*, inquit, *deterior & nequior dicitur.*

NEQVIVS.] Vide Sextianam § 22. III.

AXIOMA.

Intemperantes oculorum & aurium delectationi abdominis voluptates anteponunt.

ARGVMENTVM.

Adeo feſtiuè deſcribit conuiuium Piſonis luxurioſè ſordidum, vt eius cibos multo ſale condiat, & aceto vrbanitatis perfundat.

LXVII. LVXVRIAM autem in iſto nolite hanc cogitare. eſt enim quædam, quamquam omnis eſt vitioſa atque turpis, tamen ingenuo ac libero dignior. nihil apud hunc lautum, nihil elegans, nihil exquiſitum (laudabo inimicum) ne magnopere quidem quidquam præter libidines ſumptuoſum: toreuma nullum, maximi calices, & hi, ne contemnere ſuos videatur, Placentini: exſtructa menſa non conchyliis, aut piſcibus, ſed multa carne ſubrancida: ſerui ſordidati miniſtrant, nonnulli etiam ſenes: idem coquus, idem atrienſis: piſtor domi nullus, nulla cella, panis, & vinum à propola, atque de cupa: Græci ſtipati quini in lectulis; ſæpè plures: ipſe ſolus. bibitur vſque eo, dum, de ſolio miniſtretur: vbi galli cantum audiuit, auum ſuum reuixiſſe putat: menſam tolli iubet.

EXPLANATIO.

LVXVRIAM AVTEM.] Quæ lautitia epularum, elegantia veſtium exquiſita poculorum ſpecie, ciborum delitiis continetur.

INGENVO DIGNIOR.] Non adeo ſeruilis, ſordida, lutulenta.

LOTVM.] Vel nitidum & mundum, non ſectatur munditias & nitorem, vel lautum atque opiparum.

NIHIL ELEGANS.] Nihil nimis comptum & amœnum cultu.

TOREVMA.] Opus cælatum, vaſa, crateres, calices eminenti cælaturâ aſperi.

MAXIMI CALICES.] A calicum magnitudine Piſonis ebrietatem oſtendit, mox eleganti ioco feſtiuam ſubnectit rationem, cur Piſo maximis calicibus vteretur, cauſſam aliò deriuans, quàm ad bibacitatem, & ad eius modeſtiam traducens, ne Piſo ſuos contemnere & aſpernari videatur.

EXTRVCTA MENSA.] Aliunde ſordes oſtendit conuiuij quod nullis oſtreis, ſed carne tantùm, ſed affatim veſceretur. mox ab habitu miniſtrorum, ab ætate, à confuſione officiorum, multitudine epulonum & aliis adiectis eaſdem ſordes deſcribit.

CARNE SVBRANCIDA.] ad ſitim acuendam.

ATRIENSIS.] Præfectus atrij. vide Notas.

PISTOR DOMI.] Oſtendit perturbatam eſſe rem familiarem, adeò vt de die in diem viuatur, ſine vllo apparatu, ſine præuiſione futuri, ſine diſcrimine. vide Notas.

PANIS ET VINVM A PROPOLA.] Non coquitur domi panis, non vinum è cella vinaria depromitur, ſed à propola, (alij legunt propala) id eſt, à caupone ſingulis diebus comparatur.

ATQVE DE CVPA.] Vinum bibit nouum & de dolio hauſtum, non autem in amphoram defuſum, quod fieri ſolet ad cruditatem vini decoquendam.

GRÆCI STIPATI QVINI.] Lepidè Græcos inducit conuiuas, partim vt oſtendat Piſonem à Romana grauitate fuiſſe alienum, partim quia Græci vino dediti erant, vnde & *pergræcari* prouerbium. *Stipati*, compreſſi. *quini in lectulis*. cùm in bene inſtituto conuiuio tres tantùm ſoleant ſingulis thoris accumbere.

IPSE SOLVS.] Salsè, vt eius voracitatem oſtendat, qui tempus conuiuij non eximat ſermonibus, ſed totus in cibos immerſus ad alia ſe non conuertat.

BIBITVR VS.] legit Turnebus lib. 21. cap. 15. *Bibitur vſque dum de ſolio miniſtretur.* reddit rationem. *nam ſuperlatione oratoria dicit Piſonem cum ſuis gregalibus eo vſque bibere ſolitum, dum exhauſtis omnibus vaſis vinariis & aquariis, ad lauationem & aquam aluei, qua antequam accubarent, lauerunt, deueniatur.* acutè. dici poſſet, integrâ lectione, Piſo iuxta ſe in eodem lectulo, (quod per ironiam ſolium appellat, quòd quemadmodum Reges neminem in eodem ſolio ſedere patiuntur, ſic nec ipſe quemquam iuxta ſe ſineret accumbere) dici poſſet, inquam, Piſo iuxta ſe in eodem lectulo lagenas repoſitas habuiſſe, è quibus vinum ipſi ab aliquo miniſtro funderetur. Iuxta ſe autem lagenas habere potuit, quod & ad eius nequitias gulámque pertineret aliud vinum bibere, aliud conuiuis exhibere: & ad ſordes amphoram vini, quod ipſe bibebat, per ſeipſum ſeruare nec vlli ſeruorum committere. legi etiam poſſet, *quæ de eodem dolio miniſtrentur.* id eſt de eadem cupa, ex qua Græci illi comites hauriebant. quod cum ſuperioribus apprimè conuenit. vt enim piſces & conchylia non quærebat, ſed multa carne ſubrancida ſtomachum ſuffarcinabat, ſic nec magnopere vini delitias expetebat, dum vini plurimum ingurgitaret in ventrem.

VBI GALLI CANTVM AVDIVIT.] Emphaſis, qua compotationibus totam noctem eximere, & conuiuium ad auroram producere ſolitus oſtenditur, *quod auum ſuum reuixiſſe dicit, intelligit Caluentium præconem Mediolanenſem è Gallia Togata: Galli autem cantus in memoriam ei auum redigebat, quod gallicinium quoddam præconium eſſe videatur.* vt ait Turnebus: adde quòd cùm galli cantum audiret, aui natione Galli propter affinitatem nominis meminiſſet.

NOTÆ.

I. Luxuria.

LVXVRIAM.] Vtramque luxuriam pulchrè deſcribit Noſter 2. de finibus bonorum & malorum: *Nolim enim mihi fingere aſotos, vt ſoletis, qui in menſam vomant, qui de conuiuiis auferantur, crudíque poſtridie ſe rurſus ingurgitent. qui ſolem, vt aiunt, nec occidentem vnquam viderint, nec orientem, qui conſumptis patrimonius egerant. nemo noſtrûm iſtius generis aſotos iucundè putat viuere.* Et hanc ſordidam lutulentámque luxuriam tribuit Piſoni. alteram, quam vitioſam quidem ait, ſed ingenuo & libero digniorem ſequentibus verbis ita delineat: *Mundos, elegantes, optimis cocis, piſcatu, aucupio, venatione, his omnibus exquiſitis, vitantes cruditatem, quibus vinum diffuſum è pleno ſit œnophoro, vt ait Lucilius,* &c. *adhibentes ludos & quæ ſequuntur,* &c. *adſint etiam formoſi pueri qui miniſtrent, reſplendeat his veſtis, argentum, æs corinthium.* Quod luxuriæ genus à Piſonis moribus penitus alienum. illi mundi: huius lutulenta vitia, qui nunquam à teterrimis naturæ ſuæ ſordibus emergens, iacebat in illo Græcorum ſuorum nidore atque fumo. illi elegantes: apud hunc nihil lautum, nihil elegans, nihil ne magnopere quidem, præter libidines, ſumptuoſum. illi optimis cocis vtuntur: huic idem coquus, idem atrienſis. illi omnibus exquiſitis, huic nihil exquiſitum. illi piſcatu, venatione, aucupio vitant cruditatem: huic menſæ extruuntur non conchyliis aut piſcibus, ſed multa carne ſubrancida: quibus vſque eò ſe iugurgitat, & cruditate diſtendit, vt Ciceroni cùm ad eum quintâ ferè horâ veniſſet, ſtandum fuerit in ganearum nidore atque fumo. Illi ludos adhibent: hic oculorum & aurium delectationem relinquit idiotis, cui abdominis voluptates anteponit. Illis vinum diffuſum è pleno eſt œnophoro: huic panis & vinum à propola atque de cupa, & bibitur vſque dum de ſolio miniſtretur. Illis formoſi pueri quibus veſtis reſplendeat: huic ſerui ſordidati miniſtrant. illis argentum, & æs corinthium: huic toreuma nullum, maximi calices Placentini.

II. Elegantia.

NIHIL ELEGANS.] Cur inimicum laudare ſe dicit. quòd apud eum elegantiæ nihil eſſet? ratio eſt apud Gellium lib. 10. cap. 2. plana & expedita: *Elegans homo non dicebatur cum laude. ſed id ferè verbum ad ætatem M. Catonis vitij non laudis fuit. Eſt namque hoc animaduertendum, cum in quibuſdam aliis, tum in libro Catonis qui inſcribitur carmen de moribus. ex quo libro verba hæc ſunt: Auaritiam omnia vitia habere putabant: ſumptuoſus, cupidus, elegans, vitioſus, irritus qui habebatur, is laudabatur. Ex quibus verbis apparet elegantem dictum antiquitus, non ab ingenij elegantia, ſed qui nimis læto amœnóque cultu victúque eſſet.* Verùm hic M. Tullius, dum Piſonem *nihil elegans* habere dicit, verbo laudat, re grauiter reprehendit. nam & ſtudere nimiùm elegantiæ, & elegantiæ nihil habere pariter vitioſum: quare neceſſe eſt, vt parcitas elegantiæ, elegantia parcitati miſceatur. ſic Noſter ab eodem Gellio laudatus: *Craſſus erat parciſſimus elegantium: Scæuola parcorum elegantiſſimus.* Et Sidonius Apollinaris epiſt. 2. libri primi elegantiam laudat in Theodorici conuiuio, ſed temperatam: *Cibi arte, non pretio placent, fercula nitore, non ſplendore, ſcyphorum & paterarum raras oblationes facilius eſt vt accuſet ſitis, quàm recuſet ebrietas. Quid multis? videas ibi elegantiam Græcam, abundantiam Gallicanam, celeritatem Italam, publicam pompam, priuatam diligentiam, regiam diſciplinam.* Plautus reprehendit, ſed nimiam in prologo Mercatoris:

Nam amorem & cuncta vitia ſectari ſolent
Cura, ægritudo, nimiáque elegantia.
Hæc non illum modò qui amat, ſed quemque attigit,
Magno atque ſolido mulctat infortunio.
Nec pol, profecto quiſquam ſine grandi malo,
Præ quàm res patitur ſtuduit elegantiæ.

TOREVMA NVLLVM.] Martialis libro quarto: III. Toreuma celatura in vaſis.

Solus Phidiaci toreuma cæli.

Et libro tertio:

Artis Phidiacæ toreuma clarum.

In quem locum Raderus Noſter interpres illius Poëtæ ſanè doctiſſimus ex Ciagonio de triclinio: *Toreuma,* inquit, *eſt opus cælatum, cuiuſmodi ſunt calices, crateres, ſigna hominum aut ferarum, aut florum exeuntia extantiáque. Iuuenalis Sat. 1.*

-& ſtantem extra pocula caprum.

Toreumata porro fuiſſe calices & crateres eminenti celatura ſpectabiles, Noſter oſtendit libro 2. in Verrem de Sicilienſi iuriſdictione, cùm dixiſſet §. 128. *Toreumata ſanè nota ac pretioſa auferuntur.* Subdit 129. *Nouus aſtrologus qui non tam cœli rationem, quàm cælati argenti duceret.* Et libro 4. de ſignis 38. *Verri dicitur, habere, eum per bona toreumata: in his pocula duo, quæ Thericles nominantur, Mentoris manu ſummo artificio facta.* Subdit 41. *Reclamat Sicilia tota propter cælati argenti cupiditatem reos fieri rerum capitalium.* Non omittam obiter quod de Phidia tradit. Plinius lib. 34. cap. 8. *Primus artem toreuticen aperuiſſe, atque demonſtraſſe meritò iudicatur.* Et de Polycleto: *Hic conſummaſſe hanc ſcientiam iudicatur, & toreuticem ſic erudiſſe, vt Phidias aperuiſſe.* Et libro 35. cap. 10. *Semper quidem honos ei* (picturæ videlicet) *fuit, vt ingenui eam exercerent, mox vt honeſti, perpetuò interdicto ne ſeruitia docerentur. ideo neque in hac, neque in toreutice, vllius qui ſeruierit, opera celebrantur.* Sed eam hæc minus videntur attinere. toreumata, ni fallor, à Marone deſcribuntur: Artis toreuticæ dignitas.

Cymbiáque argento perfecta atque aſpera ſignis.

Fuerunt & toreumata ſtragulæ veſtes lectorum tricliniarium, vt commodè noſter Sirmundus annotauit. Prudentius in Pſychomachia:

-Vda vbi multo
Fulcra mero, veterique toreumata rore rigantur.

Sidonius Apollinaris lib. 1. epiſt. 2. *Toreumatum peripetaſmatúmque modò conchyliata profertur ſupellex, modò byſſina.* Et lib. 2. ep. 13. *Muricis Tyrij ſeu Tarentini conchyliato ditat indutu, & renidentem gemmis margaritíſque aureo lecto ſericatóque toreumati imponit.* Idem lib. 9. ep. 13. hoc anacreonticum interſerit: Toreuma in toralibus.

Rutilum toreuma byſſo,
Rutilaſque ferte blattas,
Recoquente quas aheno
Melibœa fucat vnda

Opulentet vt meraco
Bibulum colore vellus.

Eodem etiam ſenſu videtur à Saluiano vſurpatum libro 4. ad Eccleſiam Catholicam: *Natant tricliniorum redundantium pauimenta vino: Falerno nobili lutum faciunt: menſæ eorum ac toreumata mero iugiter madent, ſemper vda ſunt: luxuriant in periſtromatis. quæ ego feci: fornicantur in ſericis quæ paraui.* Sed prior toreumatis expoſitio magis ad Ciceronem, cùm illa poſterior ipſius æuo ne recepta quidem fuiſſe videatur. Addo poſteriorem hanc toreumatis acceptionem à priore videri tranſlatam, vt quemadmodum ſigna in pateris cœlata & exſculpta id nomen κυρίως obtinebant, ita claui plagulæque: ſiue coccineæ, ſiue aureæ, mantilibus, toralibus cæteríſque veſtibus intextæ vel inſutæ toreumata dicerentur, vt apertè loquitur Erricus in vita S. Germani, prætextam puerilem tunicámque clauatam ita deſcribens:

Dicta quòd hanc Tyrio lymbus prætexeret oſtro,
Et ſuper hanc affixa toreumata.-

Clauatas autem fuiſſe veſtes conuiuales tradit Lampridius in Alexandro: *Conuiuium neque opimum, neque nimis parcum, ſed nitoris ſummi fuit: ita tamen vt pura mantilia mitterentur: ſæpius cocco clauata: aurata verò nunquam: quùm hæc Heliogabalus iam recepiſſet, & antè, vt quidam prædicant, Adrianus habuiſſet.* Quid? quod Trimalcio Petronianus, *circum aures laticlauiam immiſerat mappam?* Ammianus Marcellinus libro 16. Apud Aquitanos: *Veterator quidam ad lautum conuiuium rogatus, & mundum (qualia ſunt in his regionibus plurima) cùm vidiſſet linteorum toralium par, duos clauos ita latiſſimos, vt ſibi viciſſim arte miniſtrantium cohærerent; menſámque operimentis paribus tectam, anteriorem chlamydis partem vtraque manu vehens intrinſecus, ſtructuram omnem, vt amictus adornauerat, principaléſque res, patrimonium diues euertit.* Quidni igitur dicamus toreumata fuiſſe clauos huiuſmodi in veſtes ſtragulas immiſſos, inſtar eorum toreumatum, quæ pateris exſculpuntur eminenti cœlatura?

Toreuma. Clauus mantilium. Mapparum. Toralium.

IV MAXIMI CALICES.] Calices genus magnorum quidem, ſed vilium & plerumque fictilium populorum Magnorum. Horatius:

Calices viles & grandes.

Fœcundi calices quem non fecere diſertum?

Item 2. lib. Sat. 8.

Nos niſi damnoſè bibimus, moriemur inulti,
Et calices poſcunt maiores.-

Vilium. Iuuenalis Sat. 5.

Tu Beneuentani ſutoris nomen habentem
Siccabis calicem naſorum quatuor.-

Et Statius 4. ſiluarum ad Plotium inter munera vilia calices enumerat:

Aut vnam dare ſyntheſim quid horres
Alborum calycum atque caccaborum?

Martialis libro 13. ep. 110.

Surrentina bibis: nec murrhina picta, nec aurum
Sume, dabunt calices hæc tibi vina ſuos.

Et libro 14. ep. 96.

Vilia ſutoris calicem monumenta Vatini
Accipe, ſed naſus longior ille fuit.

Qui locus, vt & ſuperiùs Iuuenalis me inducit, vt calices eoſdem eſſe cum naſiternis exiſtimem. Feſtus: *Naſiterna eſt genus vaſis aquarij & patentis, quale eſt quo equi perfundi ſolent.* Plautus in Bacchidibus:

Naſiterna.

-Ecquis euocat
Cum naſiterna & cum aqua iſtum impuriſſimũ.

Et in Neruolaria:

Ecquis huc affert naſiternam cum aqua ſine ſuffragio.

Et Cato in ea oratione quam compoſuit in Qu. Sulpicium: *Quoties vidi trulleos, naſiternas, pertuſos aquales, matellas ſine anſis.* toreumata igitur calicibus hîc Noſter, id eſt argentea fictilibus opponit. quamuis Martialis feſtiua irriſione Saguntinum calicem toreuma nominarit libro quarto epigr. 46.

Et craſſo figuli polita cælo
Septenaria Syntheſis Sagunti
Hiſpanæ luteum rota toreuma.

Toreuma luteum.

Et libro 12. ep. 95. cùm de fictilibus poculis loquitur, ait:

Nullum ſollicitant hæc, Flacce, toreumata furem.

Reperias tamen nonnunquam calices dici vaſa pretioſa, vt apud eundem lib. 14. ep. 109.

Gemmatum Scythicis vt luceat ignibus aurum,
Adſpice quot digitos exuit iſte calix.

Calices pretioſi.

quo poſteriore ſenſu calices ſacri nominantur.

NE CONTEMNERE SVOS VIDEATVR.] Videtur ad Agathoclem alludere. de quo Plutarchus & Auſonius epiſt. 8. V.

Agathocles.

Fama eſt fictilibus cœnaſſe Agathoclea Regem,
Atque abacum Samio ſæpè oneraſſe luto.
Fercula gemmatis cùm poneret horrida vaſis,
Et miſceret opes pauperiémque ſimul,
Quærenti cauſſam, reſpondit: Rex ego qui ſum
Sicaniæ, figulo ſum genitore ſatus.
Fortunam reuerenter habe, quicunque repente
Diues ab exili progrediere loco.

EXTRVCTA MENSA.] Noſter Tuſculana quinta: *Menſæ conquiſitiſſimis epulis exſtruebantur.* Catullus in Nuptiis: VI.

Extruere menſam.

Largè multiplici conſtructa ſunt dape menſæ.

Plautus in Menæchmis:

Cereales cœnas dat, iis menſas extruit.
Tantas ſtruices concinnat patinarias.
Standum eſt in lecto ſi quid de ſummo petas.

CONCHYLIIS AVT PISCIBVS.] Quia videlicet elegantioris eſt luxuriæ piſcibus & conchyliis quàm carnibus delectari. Ælianus libro primo variæ hiſtoriæ cap. 28. Ἐν Ῥόδῳ φασὶ, τὸν μὲν εἰς τοὺς ἰχθῦς ὁρῶντα, &c. ὑπὸ τῶν πολιτῶν ἐπαινεῖσθαι, τόν γε μὴν εἰς τὰ κρέα ἀπονεύοντα, ὡς φορτικὸν καὶ γαστρὶν διαβάλλουσι. *Rhodi dicunt, eum qui piſcibus delectatur à popularibus laudari: qui ad carnes propenſus eſt, eum vt guloſum & intolerabilem vituperant.* Cæterùm locus huic Noſtro non abſimilis apud Horatium Sat. 2. lib. 2. quamuis ibi laudatur frugalitas: VII.

Elegantioris erat luxuriæ veſci piſcibus.

Ac mihi cùm longum poſt tempus venerat hoſpes
Siue operum vacuo gratus conuiua per imbrem
Vicinus, bene erat non piſcibus vrbe petitis
Sed pullo atque hœdo.

De antiquorum in piſcibus coemendis inſania Petronius:

Antiquorum in piſcibus coëmendis luxuria.

Ingenioſa gula eſt: Siculo ſcarus æquore merſus
Ad menſam viuus deducitur, inde Lucrinis
Eruta littoribus vendunt conchylia cœnis
Vt renouent per damna famem.

de quibus Horatius & Iuuenalis in ſatyris quamplurima. Seneca de Conſolat. ad Heluiam; *Non*

eſt neceſſe perſcrutari profundum, ac ſtrage animantium ventrem onerare, nec conchylia vltimi maris ab ignoto littore eruere. Idem epiſt. 95. vel vt alij 96. *Mullum ingentis formæ (quare autem non pondus adiicio, & aliorum gulam irrito? quatuor pondo & ad ſelibram fuiſſe aiebant) Tiberius Cæſar miſſum ſibi, cùm in macellum deferri & venire iuſſiſſet: Amici, inquit, omnia me fallunt niſi iſtum mullum, aut Apicius emerit, aut Pub. Octauius. vltra ſpem illi conectura proceſſit, licitati ſunt, & ingentem conſecutus eſt inter ſuos gloriam, cùm quinque ſeſtertiis* (id eſt vt ſupputat Lipſius, 125 Philipp.) *emiſſet piſcem quem Cæſar vendiderat, ne Apicius quidem emerat.* Et quoniam mullorum fecimus mentionem idem Seneca cap. 17. lib. 7. naturalium quæſtionum: *In cubili natant piſces, & ſub ipſa menſa capitur qui ſtatim transferatur in menſam. parum videtur recens mullus, niſi qui in conuiuæ manu moritur. Vitreis ollis incluſi offeruntur, & obſeruatur morientium color, quem in multas mutationes mors luctante ſpiritu conuertit.* vide pulcherrima, quæ capite ſequenti ita concludit: *Non ſunt ad popinam dentibus, & ventre, & ore contenti, oculis quoque guloſi ſunt.* Ac mullus quidem, vt vides, tum præ cæteris in honore fuit, at teſte Plinio lib. 9. cap. 17. *apud antiquos piſcium nobiliſſimus habitus acipenſer.* de quo & Martialis libro 13. epiſt. 91.

Apicius. Octauius.

Acipenſer.

Ad Palatinas acipenſem mittite menſas,
Ambroſias ornent munera rara dapes.

De quo feſtiuum eſt illud apud Athenæum: Ἀρχέστρατος περὶ τοῦ ἐν Ῥόδῳ γαλεοῦ λέγων, τὸν αὐτὸν εἶναι ἡγεῖται τὸ παρὰ Ῥωμαίοις μετ' αὐλῶν καὶ στεφάνων μετὰ δεῖπνα περιφερομένῳ, ἐστεφανωμένων καὶ τῶν φερόντων αὐτόν, καλουμένῳ δ' ἀκιπένσερι. *Archeſtratus de ſele Rhodia loquens, eum piſcem eſſe exiſtimat, qui apud Romanos cum tibiis & coronis in cœna circumfertur à coronatis, & apud eos acipenſer nominatur.* Subdit verſus eiuſdem non illepidos.

Ἐν δὲ Ῥόδῳ γαλεὸν τὸν ἀλωπεκίαν, κἂν ἀποθνήσκειν
Μέλλῃς, ἂν μή σοι πωλεῖν θέλῃ, ἅρπασον αὐτόν.
At vulpem Rhodiam quamuis crux certa ſequatur
Si tibi piſcator venundare non cupit, aufer.

Plutarchus in Sympoſiacis libro 4. problemate quarto conſulendus: Εἰ ἡ θάλασσα τῆς γῆς εὐοψοτέρα, *vtrùm mare cibos producat quàm terra meliores.* vbi inter cætera: ὡς γὰρ πολλῶν ὄντων ποιητῶν ἕνα τὸν κράτιστον ἐξαιρέτως ποιητὴν καλοῦμεν, οὕτως πολλῶν ὄντων ὄψων ἐκνενίκηκεν ὁ ἰχθὺς μόνον ἢ μάλιστά γε ὄψον καλεῖσθαι, διὰ τὸ πολὺ πάντων ἀρετῇ κρατεῖν. καὶ γὰρ ὀψοφάγους λέγομεν οὐχὶ τοὺς βοείοις χαίροντας, ὥσπερ Ἡρακλῆς, ὃς τοῖς κρέασι χλωρὰ σῦκα ἔχων ἤσθιεν, οὐδὲ τὸν φιλόσυκον, οἷος ἦν Πλάτων, οὐ φιλόβοτρυν, οἷος Ἀρκεσίλαος, ἀλλὰ τοὺς περὶ τὴν ἰχθυοπωλίαν ἀναδιδόντας ἑκάστοτε (libenter legerim ἀνιόντας ἑκάστοτε) καὶ τοῦ κώδωνος ὀξέως ἀκούοντας. *Quemadmodum cùm multi ſint poëtæ, vnum Poëtam per excellentiam nominamus, ſic cùm multa ſint opſonia, id tamen conſecutus eſt piſcis vt ſolus opſonium appelletur, quòd omnia opſonia vincat dignitate. nam & opſoniorum amatores eos dicimus, non qui carnibus bubulis delectantur, vt Hercules, qui virides ficus cum carnibus comedebat, neque qui ficus comedunt vt Plato, neque qui vuas amant vt Arceſilaus, ſed qui ad macellum piſcatorum eunt frequenter, & ad pulſum tintinnabuli aures arrigunt.* Subdit: Τί δ'

Carnium & piſcium eſus.

οἱ πολλοὶ βούλονται, πρὸς θεῶν, ὅταν ἡδέως γενέσθαι παρακαλοῦντες ἀλλήλους, λέγωσι σήμερον ἀκτάσωμεν; οὐχὶ τὸ παρ' ἀκτῇ δεῖπνον ἥδιστον ἀποφαίνουσιν; *Quid per Deos, ſibi volunt multi, dum ſe inuicem ad iucundam vitam hortantes, dicunt hodierno die in littore viuamus? Ecquid cœnam in littore iucundiſſimam eſſe oſtendunt?* Vnde fortaſſe Tullius vltima Verrina Verrem epulari ſolitum dicit, *tabernaculis in littore collocatis.* Plinius libro 9. cap. 17. *Antiqui,* inquit, *in conqueſtione luxus cocos emi ſingulos pluris quàm equos quiritabant. at nunc coci triumphorum pretiis parantur: coquorum piſces; nullúſque procul iam mortalis æſtimatur pluris quàm qui peritiſſimè cenſum domini mergit.* Cato Cenſorius, vt ait ibidem Plutarchus, Οὐχ ὑπερβολικῶς ἀλλ' ἀληθῶς πρὸς τὴν τρυφὴν, καὶ πολυτέλειαν τῆς πόλεως εἶπεν ὅτι πλείονος πιπράσκεται ἐν Ῥώμῃ ἰχθὺς ἢ βοῦς. *Non hyperbolicè, ſed verè in Vrbis luxuriam dixit pluris piſcem quàm bouem venire.* quàm hominem dicere debuiſſet, ſed nondum ea tempeſtate luxuries ad ſummum euaſerat. Iuuenalis ſat. 5. cùm dixiſſet,

ἀκτάζειν

-mullum ſex millibus emit
Æquantem ſanè paribus ſeſtertia libris.
Subiecit: *-potuit fortaſſe minoris*
Piſcator quàm piſcis emi.

Martialis lib. 10. ep. 31.

Addixti ſeruum nummis ære mille ducentis
Vt bene cœnares, Calliodore, ſemel.
Nec bene cœnaſti, mullus tibi quatuor emptus
Librarum cœnæ pompa capútque fuit.
Exclamare liber, non eſt hoc improbe, non eſt
Piſcis: homo eſt: hominem, Calliodore, voras.

Et verò Philoxenus & Archeſtratus, cùm delicatos cibos enumerant, ſæpius piſcium quàm carnium faciunt mentionem verſibus quos de popina reliquerunt.

VIII. Caro ſubrancida.

MVLTA CARNE SVBRANCIDA.] Horatius ſat. 2. lib. 2.

Rancidum aprum antiqui laudabant: non quia naſus
Illis nullus erat: ſed credo hac mente, quòd hoſpes
Tardiùs adueniens, vitiatum commodiùs, quàm
Integrum edax dominus conſumeret.-

Sed vel nugemur, vel fatigatos breui diuerticulo amœnemus. Aurelianus apud Vopiſcum: *Vehementiſſimè delectatus eſt phagone, qui vſque eo multum comedit, vt vno die ante menſam eius, aprum integrum, centum panes, veruecem & porcellum comederet, biberet autem in fundibulo appoſito plus orca.* Sed cùm mirari & ridere voles, adi Athenæum initio lib. 10.

IX. Atrienſes.

IDEM COQVVS, IDEM ATRIENSIS.] Atrienſes erant ſerui cæteris lautiores, ſic dicti quòd atrio præeſſent, venientes exciperent, ad domini congreſſum admitterent. Plautus in Pſeudolo:

Ph. *Condus, promus ſum, procurator domi.*
Hæ. *Quaſi te dicas atrienſem.* Ph. *immò atrienſi ego impero.*

Cicero paradoxo 5. *In magna familia ſunt alij lautiores, vt ſibi videntur, ſerui, ſed tamen ſerui atrienſes.* Columella libro 12. de re ruſticâ, cap. 7. inter cætera vxoris officia hoc enumerat: *Inſiſtere atrienſibus vt ſupellectilem exponant.* Petronius in ſatyrico: *Interrogare ego atrienſem cœpi, quos in mediâ porticu pictores haberent.* Hæc Thomas Dempſterus, & alia quędam annotauit. Turnebus

18. aduerſariorum cap. 28. dicit ſe in antiquo libro reperiſſe atrienſem exponi διαιτάριον, διαιτάρχην, itaque lib. 5. de officiis Proconſulis poſitum eſſe: ſed & atrium eſſe μεσαύλιον, πρόστῳον. de atrienſi Virgilius poteſt intelligi nono Æneidos.

-qui Dardanio Anchiſæ
Armiger antè fuit, fidúſque ad limina cuſtos.

Apuleius de mundo: *Ante fores viri fortes, ſtipatoréſque regalium laterum, tutela peruigili cuſtodiam per vices ſuſtinebant. erant inter eos diuiſa officia, in comitatu regio, armigeri quidam, & extrinſecus ſinguli cuſtodes locorum erant, & ianitores, & atrienſes.* Plinius Iunior libro 3. epiſt. 19. *Ineſt huic computationi ſumptus ſupellectilis, ſumptus atrienſium, topiariorum, fabrorum.* In quem locum Ioannes Maria Catanæus notat eos à Siculo Flacco oſtiarios vocari, *cùm ſcribit villis portas dominos facere, ianuáſque impvnere, & ſeruos huic negotio ad tranſmittendum populum applicare.* eos *atriarios* vocat Vlpianus D. nautæ, caupones, ſtabularij. §. *cæterum ſi quis.*

X. Vinum de cupa. PANIS ET VINVM A PROPOLA ATQVE DE CVPA.] Huius loci explicatione doctiſſimus Turnebus Aduerſaria ſua fœliciter auſpicatur, è quibus viſum eſt iſta decerpere. Proculus I. C. l. *Vinum.* §. Ego. D. de tritico, vino & oleo legat. *Ego etſi dolia in vaſis vinariis non ſunt, tamen non concederem Trebatio, quod in doliis eſſet, id eſt quod in vaſis non eſſet legatum: illud verum eſſe puto: cui vinum legatum cum vaſis erit, ei amphoras & cados, in quibus vina diffuſa ſeruamus, legatos eſſe.* deinde quærens quid ſit vinum, quod

Vinum doliare. *doliare* vocat Vlpianus. *Vinum autem doliare*, inquit, *vinum eſt nouum, quod quia vetuſtatem non habet, quæ diffuſo quæritur, & vino maturitatem & ſuauitatem affert, ideò minoris erat pretij.* Tum refert ex Cicerone in Bruto, vinum doliare, vinũ è dolio nuncupari. *Num igitur qui hoc ſentiat, ſi is potare velit, de dolio ſibi hauriendum putet?* per vinũ autem *de dolio* ſiue *de cupa.* Cicero vinũ nouum, & quod nondum maturitatem imbiberit, & nondum in cados apothecarum diffuſum intelligit: ſolebant enim antiqui ex doliis in amphoras ſiue teſtas vinum defundere, quod & diffuſum dice-

Vinum diffuſum. batur. Horatius libro 1. ep. 5.

Vina bibes iterum Tauro diffuſa.

Iuuenalis ſat. 5.

Ipſe capillato diffuſum Conſule potas.

Horatius lib. 2. ſat. 2.

Ac niſi mutatum parcis defundere vinum.

Has autem amphoras pice obductas, & conſulum nominibus notatas in apothecis ſiue horreis collocabant. Horatius libro 3. carminum ode 28.

Amphoræ picatæ & conſulum nominibus ſignatæ.

--parcis deripere horreo
Ceſſantem Bibuli Conſulis amphoram.

& Ode 21.

Quocunque lectum nomine Maßicum
Seruas moueri digna bono die
Deſcende coruino iubente
Promere languidiora vina.

Et alibi. eſt enim in laudandis amphoris copioſus:

Nec leſtrygonia Bacchus in amphora
Langueſcit mihi.

XI. PROPOLA.] Idem videtur eſſe propola, atque caupo, de quo dictum eſt ſuperiùs. §. 53. is ſcilicet, vt Cicero teſtatur primo de officiis, *qui mercatur à mercatoribus, quod ſtatim diuendat.* Turnebus ibidem, vt iterum ex abundantiſſimo fonte pauca libentur, *propala* legendum exiſtimat. *Nam*, vt inquit, *propala eſt, qui merces propalam, velut ante palum, aut de palo pendentes habet, & vendit.* Varro libro 3. de re ruſtica, cap. 14. de cochleis loquens: *Denique ipſæ exruminantes ad propalam vitam diu producunt, cùm ad eam rem pauca laurea folia interiiciant, & adſpergant furfures non multos.* vbi *Cochleas dicit apud propalam ruminando ſuo ſibi ſucco, & exiguo cibo vitam diu producere.* Onomaſticum Danielis *propalæ, tabernarij.* Lucilius apud Nonnium in *Primiter.* Propala.

Vt cùm primitiis ficos propala recentes
Protulit, & pretio ingenti dat primitus paucos.

Hæc ferè vir doctiſſimus. poſſimus tamen vocem *propolam* retinere. eſt enim idem propola atque Propola. venditionis conciliator. Iulius Pollux cap. 2. lib. 7. ὁ δὲ τοῖς παρέχουσι προξενῶν, προπράτωρ, ὡς Δείναρχος, καὶ Ἰσαῖος. προπώλην δ' Ἀριστοφάνης αὐτὸν εἶπε, καὶ προπωλοῦντα Πλάτων. Λυσίας δὲ τοὺς μὲν προπράτας, τοὺς δὲ σὺν ἄλλοις παρέχοντας συμπράτας. Plautus in Aulularia, ſcena *narrauit*, hanc vocem vſurpat.

-propolæ, linteones, calceolarij.

Porrò, vt notat in Suetonium Caſaubonus, viliſſimorum tantùm hominum fuit è taberna vinum petere non è cella ſuâ, quare Claudius apud Suetonium in Claudio cap. 40. imprudens exiſtimationi ſuæ plurimùm detrahebat, cùm in Senatu de laniis & vinariis agens, deſcribebat *abundantiam veterum tabernarum, vnde ſolitus eſſet vinum olim & ipſe petere.* Et Plutarchus in Timoleonte, ſcribit de Dionyſio Iuniore fortunæ miraculum fuiſſe: Τὸν Σικελίας ὀλίγον ἔμπροσθεν τύραννον, ἐν Κορίνθῳ διατρίβοντα περὶ τὴν ὀψόπωλιν, ἢ καθήμενον ἐν μυροπωλίῳ πίνοντα κεκραμένον ἀπὸ τῶν καπηλείων. *Quòd is qui paulò antè Siciliæ tyrannus fuiſſet, Corinthi circa opſonatricem verſaretur, & in vnguentario ſedens vinum biberet, è caupona.*

DE CVPA.] Cupam deſcribit Cato de re XII. ruſtica cap. 21. ſed, vt verum fatear, non ſatis ca- Cupa. pio quid velit illa deſcriptio. Palladius libro primo cap. 18. ſatis oſtendit cupam vas eſſe vinarium quod dolia magnitudine ſuperet. *Inter duos lacus, qui ad excipienda vina hinc inde depreßi ſunt gradibus tribus fere aut quatuor adſcendatur. ex his lacubus canales ſtructi, vel tubi fictiles circa extremos parietes currant, & ſubiectis lateri ſuo doliis per vicinos meatus manantia vina defundant, ſi copia maior eſt medium ſpatium cupis deputabitur.* Vetus gloſſarium *cupa, ſiue Vagna* Βουττὶς ἣν τινες γαυλὸν καλοῦσι.

QVINI IN LECTVLIS.] Terni ſolebant XIII. accumbere, vt plurimùm. Horatius vltima ſa- Terni ſolebãt accumbere. tyra, lib. 2.

Summus ego, & prope me Viſcus Turinus, & infrà
Si memini, Varius.-

Ecce tres in primo lectulo recubantes. tum ad ſecundum lectum delabitur.

-cum Seruilio Balatrone
Vbidius, quos Mecænas adduxerat vmbras.

Denique tres item tertij lecti conuiuas enumerat:

Nomentanus erat ſuper ipſum, Porcius infra.

Super ipſum videlicet Naſidienum, qui medius inter Nomẽtanum & Porcium in infimo lectulo

recubabat. Plenum autem fuit hoc Naſidieni cõuiuium. Nam vt refert Gellius cap. 11. libri 13. Noct. Attic. Varro in ſatyris Menippeis libro, qui inſcribebatur:

Neſcis quid veſper ſerus vehat.

Dicit conuiuarum numerum incipere oportere à Gratiarum numero, & progredi ad Muſarum, id eſt proficiſci à tribus, & conſiſtere in nouem, vt cùm pauciſſimi conuiuæ ſunt, non pauciores ſint quàm tres: cùm plurimi, non plures quàm nouem. Nam multos, inquit, eſſe non conuenit, quòd turba plerumque eſt turbulenta: vt Romæ quidem conſtat: Numerus cõuiuarum. *ſed & Athenis nuſquam plures cubabant.* Cùm igitur non plures in vno lecto, quàm tres eſſe deberent, tréſque tantùm, vt plurimùm, lecti in conuiuiis ſternerentur, hinc factum eſt vt conuiuæ nouem in tres lectulos diſtributi iuſtum numerum impleuerint. Rarò tamen adeò ſtipati erant vt terni ſingulis lectis accumberent, ſed plerumque bini in ſummo & medio, terni in infimo recubabant, eo conſilio vt locus ſuperuenientibus ſupereſſet, neque multitudine ſibi inuicem aures obtunderent. Plutarchus lib. 5. quæſtionum conuiualium, problem. 5. Εἰ δέ γ' ἐμοῦ οὔτ' ἄρτος, οὔτ' οἶνος ἐπιλείπων τοῖς κεκλημένοις, οὕτω δοκεῖ τὸν κεκληκότα ποιεῖν γελοῖον, ὡς χώρα καὶ τόπος, ὃν καὶ μὴ κεκλημένοις, ἀλλ' ἐπελθοῦσιν αὐτομάτως ξένοις καὶ ἀλλοτρίοις, ἀεὶ παρεσκευασμένην ἀφθονίαν ὑπάρχειν δεῖ, &c. *Neque ego eum, qui ad cœnam inuitarit, ita ridiculum arbitror, ſi panis aut vinum defecerit, quàm ſi locus, quem abundè oportet iis qui non vocati aduenerint, aut peregrinis & externis caſu ſuperuenientibus eſſe comparatum.* Quare ſeptem frequenter, nec plures ſolebant adhiberi: *Cùm ſit notiſſimum de numero conuiuarum, ſeptem conuiuium, nouem conuicium.* vt ait Capitolinus in Vero. Poſt quem Auſonius in Ephemeride,

Septem, conuiuium, nouẽ conuicium.

-ſex enim conuiuium
Cum Rege iuſtum, ſi ſuper, conuicium eſt.

Sic apud Seruium 1. Æneidos ſeptem conuiuæ in conuiuio Perpernæ à Salluſtio numerantur. *Igitur diſcubuere. Sertorius inferior in medio. Suprà L. Fabius Hiſpanienſis Senator ex proſcriptis: Antonius in ſummo: infra ſcriba Sertorij Verſius. & alter ſcriba Mecenas medius inter Tarquitium & dominum Perpernam.* Quem locum miror à Petro Ciaconio adeò non fuiſſe intellectum, vt hinc & ex verſibus Horatij ſuprà citatis hanc cõcluſionem deduxerit. *Atque in pleno conuiuio plerumque terni in lectis accumbebant, nonnunquam & quaterni.* Horatius lib. 1. ſat. 4.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Aliquando etiam quini, vt in conuiuio quo occiſus eſt Sertorius apud Salluſtium, & in Naſidieni apud Horatium vidimus. Sed profectò ſi ingenij ſui vim adhibere voluiſſet, vidiſſet apud Perpernam binos & binos in duobus primis lectis, ternos in infimo cubuiſſe. *Sertorius inferior in medio,* id eſt Sertorius inferiorem medij lecti locum occupabat: qui locus omnium honoratiſſimus erat, dicebatúrque locus conſularis. *ſuprà Luc. Fabius* in eodem medio lecto. Deinde ſummo lecto duos item attribuit, Antonium & Verſium. Denique infimo lecto tres, cuius lectuli medium Mecenas occuparit Perperna & Tarquitio ſtipantibus. Non addit quis locus fuerit Perpernæ, quis Tarquitio deſtinatus, quia nullo negotio potuit intelligi. Cùm enim Perperna conuiuij dominus eſſet, ei de more ſummus vltimi locus deputandus fuit (vt mox videbitur.) quare reliquum fuit vt Tarquitius in vltimo infimi lecti loco recubaret. Videat lector vtrùm hoc Ciaconi interpretatione magis arrideat. *Quod verò dicitur,* inquit, SERTORIVS INFERIOR IN MEDIO, *intelligo eum relicto medio lecto Perpernæ qui ſe inuitauerat, inferioris lecti locum medium occupaſſe.* Idem ex Macrobio libro 3. Saturn. cap. 13. oſtendit quinque nonnunquam in eodem lectulo iacuiſſe. *Quia,* inquit, *in cœna pontificali duobus lectis decem Pontifices accubuerunt, in tertio tres virgines veſtales, & Flaminica, eiúſque ſocrus.* Sed fortaſſe locus id non euincit. Hæc enim verba ex indice quarto Metelli Pontificis Maximi referuntur: *Triclinia lectis eburneis ſtrata fuerunt, duobus tricliniis Pontifices iacuerunt,* &c. *in tertio triclinio Popilia, Perpenia, Licinia, Aruncia, virgines Veſtales, ipſius vxor, Publia Flaminica, eiúſque ſocrus.* Vides hîc tricliniorum non lectorum fieri mentionem. quare facilè crediderim tribus reuera tricliniis, id eſt, nouem lectis in eadem cœnatione cubuiſſe: cùm præſertim ſeptem matronæ numerentur, quæ non potuerunt vnico lectulo contineri: fierique poſſit vt ſex lectos decem illi Pontifices occuparint, quorum alij bini, alij ſinguli recubarent: vt quod obiectat hoc loco Tullius quinos epulari inſolens fuiſſe videatur, niſi ſi quando neceſſitas vrgeret, numerúſque conuiuarum communem modum excederet, vt cùm Apoſtoli duodecim cum Chriſto Domino extremâ illâ cœnâ ſunt epulati: tunc enim ſi tribus tantùm lectis eos accubuiſſe dicamus, neceſſe fuit vt quini in vno lectulo, quaterni in duobus aliis ſingulis recubarent. Sed quoniam huc oratione prouecti ſumus, age ſanè, retexamus quæ ſeptem ante annos ſunt à nobis de accumbendi more, de locorum dignitate, de ipſa cœna Domini notis in Nonni paraphraſim diſputata.

Mos priſcus fuit, vt epulantes conſiderent, vt ſcribit Iſidorus lib. 20. orig. cap. 11. Philo libro Antiquitus ſedebant epulantes. de Ioſepho: Ἑξῆς δὲ προστάξαντες κατὰ τὰς ἡλικίας καθίζεσθαι. μήπω γὰρ ἀνθρώπων ἐν ταῖς συμποτικαῖς συνουσίαις κατακλίσει χρωμένων. *Iubentes eos ordine ſecundum ætatem conſidêre. cùm nondum mortales accubitu in conuiuiis vterentur.* & Dij Catulliani nuptiis Pelei & Thetidos.

-niueos flexerunt ſedibus artus.

Maro:

Perpetuis ſoliti patrum conſidere menſis.

Poſteà mos exoleuit, & vt ſcribit Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. Poſtea viri accubuerunt. *Fœminæ cum viris cœnantibus ſedentes cœnitabant: quæ conſuetudo ex hominum conuictu ad diuina penetrauit. Nam Iouis epulæ ipſæ in lectulum, Iuno & Minerua in ſellas ad cœnam inuitabantur. Quod genus ſeueritatis ætas noſtra diligentiùs in Capitolio, quàm in ſuis domibus ſeruat. videlicet quia magis ad rem pertinet Dearum quàm mulierum diſciplinam contineri.* Dio Chryſoſtomus Euboica: Εὐωχούμεθα τὸ λοιπὸν τῆς ἡμέρας, ἡμεῖς μὲν κατακλιθέντες ἐπὶ φύλλων τε καὶ δερμάτων, ἐπὶ στιβάδος ὑψηλῆς. ἡ δὲ γυνὴ πλησίον παρὰ τὸν ἄνδρα καθημένη. *Reliquam diei partem epulis exigebamus, nos quidem ſuper folia & pelles in alto ſtibadio reclinati. mulier autem iuxta maritum ſedens.* Lucianus Aſini lib. 1. Ἐτύγχανε δ' ἐν ἀρχῇ δείπνου ἂν καὶ κατέκειτο ἐπὶ κλινιδίου στενοῦ. γυνὴ δ' αὐτοῦ καθῆστο πλησίον, Mulieribus ſedentibus. καὶ τράπεζα μηδὲν ἔχουσα παρέκειτο. Quod Apuleius ita verbatim expreſſit. *Eúmque accubantem exiguo admodum grabatulo, & commodum cœnare*

incipientem inuenio. Aſſidebat pedes vxor, & menſa vacua poſita. Idem Lucianus in Lapithis: Ἐκέλευε θρόνον τινὰ λαβόντα καθίζεσθαι, &c. ὁ δ', Ἄπαγε, φησί. γυναικεῖον λέγεις, καὶ μαλθακὸν, ἐπὶ θρόνου καθίζεσθαι ἢ σκίμποδος, ὥσπερ ὑμεῖς, ἐπὶ μαλθακῆς ταύτης εὐνῆς, μικροῦ δεῖν, ὕπτιοι κατακείμενοι ἐσθίετε πορφυρίδας ὑποβεβλημένοι, ἐγὼ δὲ καὶ ὀρθὸς ἄλλως δειπνήσομαι. *Iuſſit vt accepta ſella conſidêret, &c. At ille, Apage, inquit, rem muliebrem dicis & delicatam, in throno ſedere aut ſcimpodio, vt vos, ſuper hanc mollem culcitram tantùm non ſupini iacentes epulamini ſubiectis ſtragulis purpureis, ego autem vel rectus affatim cœnabo.* Vide Iſidorum loco citato. Sic autem accumbebant, vt nec omninò ſederent, nec omninò iacerent, ſed medio quodam ſitu ſubiectis ceruicalibus niterentur. Lampridius in Heliogabalo, culcitras ſubalares appellat. *Nec cubuit in accubitis facilè, niſi his quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum, ſubalares ſæpe culcitras mutans.* Ita vt appreſſo culcitræ, vel etiam menſæ cubito niterentur. Nonnus:

Modus accumbendi. Subalares culcitræ.

–ἀγκῶνα παλινδίνητον ἐρείσας
Ἀκρότατον περὶ κύκλον εὐστόργοιο τραπέζης.
–cubitum reuolubile fulcit
Supremum circa menſæ peramabilis orbem.

Horatius in ſat.

Languidus in cubitum cum ſe conuiua reponet.

Primo Carm. *Et cubito remanete preſſo.*

Appreſſo culcitræ cubito recubabant.

Plutarchus conuiual. quæſt. lib. 5. probl. 6. Τίς αἰτία τῆς ἐν ἀρχῇ στενοχωρείας τῶν δειπνούντων, εἶτα ὕστερον εὐρυχωρείας. *Quæ cauſſa & cur conuiuantes initio anguſtè accumbant, deinde cœna ad finem vergente locum habeant laxiorem.* Eam reddit rationem, quòd initio manum ferculis crebriùs admouentes proni, & quodammodo in menſam procliues accubent, & corpus in latum extendant, at iam cibis expleti in latus, & cubitum ſe reponant, quo ſitu corporis minus ſpatij occupatur. *Menſa eſcaria*, inquit Varro lib. 4. de lingua Latina, *dicitur cibilla à cibis. Ea erat quadrata, vt etiam nunc in caſtris, poſt rotunda facta.* De rotundis vide Bulengerum noſtrum, libro 2. de Imperatore Romano, & Notas noſtras in Philipp. 2. §. 59. Circa hunc orbem tres lectuli diſcubitorij erant ita collocati, vt duos penè menſæ trientes ambirẽt, relicto inter ſingulos interſtitio mediocri, niſi quod vacuitas inter ſummum & infimum lectum relicta trientem vnum menſæ illius orbiculatæ continebat. Nonnunquam vnicus lectus duos illos menſæ trientes ambiebat. ſi tres erant lecti dicebatur propriè triclinium. ſi vnicus dicebatur propriè ſtibadium, vſúſque obtinuerat, vt à littera σίγμα C, ſimilitudine ſigma diceretur, de quo nos plura loco citato Philippicæ 2. Porrò, vt aduertit eruditiſſimus vir notis ad Sidonium ep. 11. lib. 1. honoratiſſimus fuit ſtibadij locus cornu dextrum, proximus ſiniſtrum. Verba ſunt Sidonij. *Poſtridie iuſſit Auguſtus vt epulo ſuo Circenſibus intereſſemus. Primus iacebat in cornu ſiniſtro Conſul ordinarius Seuerinus, &c. iuxta eum Magnus olim ex præfecto nuper ex Conſule, par honoribus perſona geminatis: recumbente poſt ſe Camillo filio fratris, qui duabus dignitatibus & ipſe decurſis, pariter ornauerat proconſulatum patris, patrui conſulatum. Pæonius propter, atque hinc Athenius, homo litium temporúmque varietatibus exercitatus. hunc ſequebatur Gratianenſis omni ab infamia vir ſequeſtrandus, qui Seuerinum ſicut honore poſtibat, ita fauore præceſſerat. Vltimus ego iacebam, qua purpurati* (Maioriani Auguſti) *læuum latus in dextro margine porrigebatur.* Fuiſſe autem hoc conuiuium in ſigmate, ſiue ſtibadio indicant quæ ſequuntur. *Tantúmque remoratus, quantum ſtibadij circulum celerantia miniſteria percurrunt, cubitum toro reddidi.* Ad quæ ille ſigmatis duo erant extrema velut cornua. Cùm igitur in dextro ſtibadij cornu collocet Maiorianum, in ſiniſtro Conſulem Seuerinum, dubium non eſt quin primus ille locus habitus ſit, quem occupat Imperator, proximus quem Conſul, neque in his, opinor, eſt quod miremur. Hi duo etiam apud nos primi & eximij accubitus. ſumma cornua Iuuenco lib. 3.

Menſa eſcaria. Tres lectuli diſcubitorij. Triclinium. Stibadium. Sigma. Ordo cubãdi in ſtibadiis.

Si vos quiſque vocat cœnæ conuiuia ponens,
Cornibus in ſummis deuitat ponere membra
Quiſque ſapit.

Id nouum potiùs videri queat, & ab vſu noſtro remotius, quòd tertius, quartus, & reliqui deinceps illum ordine ſubſequantur, qui primus eſt in cornu ſiniſtro, &c. Itaque in pleno ſtibadio vltimus primo proximus erat, à primo eodem remotiſſimus ex aduerſo ſecundus. Idem confirmat ex Sulpicio Seuero, & Paulino, à quibus conuiuium Maximi, & accubitus eodem ordine deſcribitur. Iam extrema Domini cœna ἐπὶ στιβάδος, *in ſtibadio* celebrata, vt loquitur Chryſoſtomus homilia 27. in 1. ad Corinthios. E quibus infert recubuiſſe Chriſtum non in medio ſtipantibus latera hinc inde Apoſtolis, vt noſtri pictores vulgo repræſentant, ſed in dextro cornu, quo loco Maximus Maiorianúſque iacuerunt. vnde haud difficilè fuerit intelligere cur aut Ioannes, qui per ætatem fortaſſe vltimus erat, Chriſto proximus in eius ſinu accubuerit, aut Petrus, qui remotior, innuiſſe Ioanni dicatur, vt Chriſtum de proditore interrogaret. Hanc doctiſſimi & amiciſſimi viri purpuram placuit centonibus noſtris attexere, vereor tamen vt Chriſtus Dominus non in ſtibadio, ſiue ſigmate, ſed in lectulis tricliniaribus cœnam illam vltimam celebrarit, cùm præſertim illa ipſa verba, quæ ex Tertulliano referuntur, illud ſonare videantur. *Agnoſcam neceſſe eſt & recumbentem in lectulo Chriſtum.* & vix vllus Latinorum ante Martialem fecerit ſigmatis, ſiue ſtibadij mentionem, quaſi tum nomen, tum ipſa res eo tempore cœperit vſurpari, idque vt ſcribit Ciaconius poſtea quam menſæ citreæ, quæ rotũdæ erant, in maximo pretio apud omnes eſſe cœperunt: tum enim pro tribus lectulis vnicum lectum ſemirotundum menſis illis citreis applicare maluerunt. Seruius ad illa verba 1. Æneid. *Aureâ compoſuit ſpondâ. Antiqui ſtibadia non habebãt, ſed ſtratis tribus lectis epulabãtur.* Et verò probabile non eſt ideo Ioannẽ in Chriſti pectore requieuiſſe, quòd ratione ætatis in vltimum locum reiectus eſſet, cùm id vbique peculiari Chriſti in ipſum beneuolentiæ tribuatur: neque ſi Chriſtus in dextro ſigmatis cornu iacuiſſet, Ioannem in gremio ſuo cubantem habere potuiſſet: cùm enim accumbentes, vt liberiùs dextram ferculis admouerent, in læuum proiecti ſiniſtro cubito ad lectulum appreſſo niterentur, ſic eius, qui in dextro ſigmatis cornu ſupremum occupabat locum, *læuum latus* (verba ſunt Sidonij) *in dextro margine porrigebatur*, vt ipſe in proximi ſinu recubaret, haberet neminem infrà ſe recu-

Chriſtus in ſtibadio cœnans. Videtur in triclinio cœnaſſe.

bantem. vnde & Maiorianus Sidonium alloquitur *ceruice conuerſâ.* Illuſtriſſimus Eccleſiaſticorum annalium ſcriptor ad annum Chriſti 34. non Fuluij Vrſini, vt ait ipſe, ſed Petri Ciacconij verbis, Chriſtum Dominum in ſummo loco medij lecti accubuiſſe contendit. additque: *Chriſti diſcipuli vt veriſimile eſt, quini in duobus lectis diſcubuere, in reliquo autem tres tantùm, ipſe nempè Dominus & Ioannes, ac, ſi diuinare permittitur, Petrus.* Sed pace tantorum virorum, riuulis relictis, è ſuo fonte rem hauriemus. Plutarchus in Quæſtionibus conuiuualibus, problemate 3. Διὰ τί τῶν τόπων ὁ καλούμενος ὑπατικὸς, ἔσχε τιμήν; *Cur cæteris locis præferebatur locus dictus Conſularis?* Ἄλλοι γὰρ ἄλλοις, inquit, ἔντιμοι. Πέρσαις μὲν ὁ μεσαίτατος, ἐφ' οὗ κατακλίνεται ὁ βασιλεύς. Ἕλλησι δ' ὁ πρῶτος. Ῥωμαίοις δὲ ὁ τῆς μέσης κλίνης τελευταῖος, ὃν ὑπατικὸν προσαγορεύουσι. *Alius enim apud alios locus honoratior, vt Perſis medius, quem accumbens Rex occupat, videtur honeſtiſſimus; apud Græcos primus: apud Romanos medij lecti vltimus, quem ipſi Conſularem appellant.* Iudæos probabilis eſt coniectura à Baronio etiam & Ciacconio recepta eandem in accubitu cum Romanis iniſſe rationem: Siquidem poſt victoriam Cn. Pompeij longè maius cum iis, quàm cum cæteris gentibus habuere commercium. Et verò quis non exiſtimet Simonem Leproſum primos accubitus Chriſto Domino, vel hoſpitij iure detuliſſe, aut ſaltem cùm eum Lazarus, miniſtrante Martha, iam à mortuis excitatus, excepit conuiuio, quis eum non putet in honoratiſſimo loco cubuiſſe? At ſi vel ſupremum cuiuſcunque lecti, vel medium locum occupaſſet, haudquaquam mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, eius pedes lacrymis rigare, & Magdalena eoſdem vnguento perfundere capilliſque ſuis tergere potuiſſet: epulantium enim aliquis in eius ſinu recubans ſui corporis obiectu tam piis officiis obſtitiſſet. Quare dicendum eſt eum in extrema medij lecti parte cubuiſſe, cùm à Lazaro & Simone Leproſo exceptus eſt. At de cœna vltima dici non poteſt: quomodo enim ſi infimus fuiſſet in toro, diſcipulus *quem diligebat,* in eius gremium ſe reclinare potuiſſet? Quare ſic ſtatuendum puto: locum Conſularem, id eſt, medij lecti poſtremum à Chriſto Domino Apoſtolorum principi fuiſſe delatum: ipſum autem in eo loco cubuiſſe, quem patresfamilias & epularum exhibitores in conuiuiis obtinebant, id eſt, infimi lecti ſupremum. Plutarchus ibidem: Τῶν δυοῖν κλινῶν ἀποδεδομένων τοῖς παρακεκλημένοις, ἡ τρίτη καὶ ταύτης ὁ πρῶτος τόπος μάλιστα τοῦ ἑστιῶντός ἐστιν. ἐνταῦθα γὰρ, ὥσπερ ἡνίοχος, ἢ κυβερνήτης ἐπιδέξια πρὸς τὴν ἐπίβλεψιν ἀξιοῦται τῆς ὑπηρεσίας, καὶ τοῦ φιλοφρονεῖσθαι, καὶ τοῦ διαλέγεσθαι τοῖς παροῦσιν, οὐκ ἀπήρτηται τῶν συνέγγιστα τόπων. ὁ μὲν γὰρ ὑπ' αὐτὸν ἢ γυναικῶν, ἢ παίδων ἐστίν. ὁ δ' ὑπὲρ αὐτὸν εἰκότως τῷ μάλιστα τιμωμένῳ τῶν κεκλημένων ἀποδέδοται, ἵνα ἐγγὺς ᾖ τοῦ ἑστιῶντος. *Cùm duo lecti inuitatis tribuantur, tertius eiuſque primus locus domino congruit: ex eo enim tanquam auriga ac gubernator, commodè tum miniſteria intueri poteſt, cum ab aliis ita longè non abeſt, vt eos & humaniter inuitare & alloqui non poſſit. Locus enim infrà eum vxoris eſt & liberorum, qui ſuprà vt par eſt, tribuitur conuiuarum honoratiſſimo iuxta dominum conuiuij.* Sic antè prolatis Salluſtij fragmentis, in conuiuio Perpernæ, Sertorius omnium conuiuarum princeps *inferior in medio lecto* deſcribitur, ipſe Perperna ſic in infimo lectulo ponitur, vt non obſcurè ſupremum illius locum tenuiſſe tradatur. Quod ſpectat ad conuiuium Naſidieni, Mœcenas, vt decebat, innuitur habuiſſe locum conſularem: at Naſidienus conuiuij dominus, cùm de more in ſummo infimi lectuli loco cubare deberet, atque inde toti conuiuio prouidere, tamen Epicureus quo ſe inſtar Deorum Epicuri omni cura & ſollicitudine liberaret, ſuas vices locúmque Nomentano optimo Helluoni conceſſerat. Sed id præter morem, vt dixi, ſicut & Trimalcio ille, qui conuiuium Petronio & ſociis exhibebat. *Iam omnes diſcubuerant, præter ipſum Trimalcionem cui locus nouo more primus ſeruabatur.* Certè cauſſa redditur tanquam rei inſolentis cur eum locum obtinuerit Nomentanus.

Locus Conſularis.

S. Petrus in loco Conſulari.

Chriſtus in primo loco lecti tertij.

Nomentanus ad hoc qui ſi quid fortè lateret
Indice monſtraret digito.

Id eſt Naſidieni vice è loco commodiore fungeretur. Iam in conuiuatoris ſinu coniux, liberi, & eius amores interdum ac delitiæ recubabant, vt ait Plutarchus, & narrat Liuius lib. 39. ex Valerio Antiate, *ad ſpectaculum ſcorti procacis in ſinu Conſulis* (is erat Luc. Quintius Flamininus) *recubantis mactatam humanam victimam eſſe, & cruore menſam reſperſam.* Catullus Manlij Epithalamio:

Reſpice vnus vt accubans
Vir tuus Tyrio in toro
Totus immineat tibi.

Iuuenalis:

Et in gremio iacuit noua nupta mariti.

Vide Ciceronem epiſtola vltima, libro 9. ad Familiares, Tranquillum in Caligula cap. 24. Neque ſolùm in ſinu iacebant, ſed etiam ſupra pectus ſe reclinabant interdum. Ouidius 1. Amorum, elegia 4. matronam cum marito epulaturam alloquens, poſtquam dixit

-ſinu dextram ſubiecta fouebis.

eam monet in hunc modum,

Mite nec in rigido pectore pone caput.

Xiphilinus ex Dione in Auito: ἔν τε τοῖς στέρνοις αὐτοῦ κατεκλίθη κἀν τοῖς κόλποις ὥσπερ ἐρωμένη, δεῖπνον εἵλετο. *Et in eius pectore recubuit, & in ſinu, velut amica, cœnauit.* Quid igitur mirum ſi Chriſtus in illa cœna ſuprema, qua ſibi deſpondebat Eccleſiã, & animas præcipuè caſtas, dedicaturus in Ioanne priuilegium caſtitatis, eum tanquam *diſcipulum quem diligebat,* imò tanquam filium & ſponſam in ſinu ſuo iacere, & caput in pectus illud diuinum reclinare permiſit? Habemus è dictis locum Chriſto, Petro, Ioanni aſſignatum, Chriſtus ſupremum infimi lecti, Petrus infimum medij, Ioannes medium infimi lecti locum obtinebat: de cæteris non liquet, ſuſpicor tamen Iacobum Zebedæi vt Chriſti conſobrinum, familiarem & quaſi domeſticum in infimo lectulo prope Ioannem iacuiſſe, reliquos ordine vocationis, aut etiam ætatis fuiſſe collocatos. Nonnus Iudam proditorem ponere videtur omnium extremum.

Ioannes in Domini pectore recumbens.

Λοίσθιον ἐκ προτέρου μεταπτύμενος, ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ
Ἀρχόμενος Σίμωνος, ἕως ἰδίοιο φονῆος.
Poſtremum à primo, ex aliis alióſque pererrans
A Petro incipiens dum tãdem homicida petatur.

Locus Iudæ proditoris.

Vltimus autem & deſpicatiſſimus accubitus in triclinio videtur fuiſſe primus, ſiue ſupremus lectus, & maximè illius lecti locus omnium pri-

Locus deſpicatiſſimus in primo toro.

mus, quòd & à loco conſulari & à domino conuiuij cæteris eſſet remotior: id perſuadet Plutarchus in Bruto: ἤδη δὲ κεκλιμένων Φαώνιος ἦλθε λελουμένος, μαρτυρομένου δὲ Βρούτου μὴ κεκλημένον αὐτὸν ἥκειν, καὶ κελεύοντος ἀπάγειν ἐπὶ τὴν ἀνωτάτω κλίνην, βίᾳ παρελθὼν εἰς τὴν μέσην κατεκλίθη. *Iam autem illis accumbentibus Faonius lotus acceßit: Bruto verò proteſtante eum non vocatum accedere, & iubente vt ad ſummum lectum duceretur, ipſe vi graſſatus in medio lecto recubuit.* Quod ſi quando locus imus contemnitur, ſummus honoratur, aduertes id Græco more fieri non Romano, & plerumque in comœdiis palliatis, vt apud Plautum initio Moſtellariæ. (Locus deſpicatiſſimus in primo toro.)

Non omnes poſſunt olere vnguenta exotica,
Sicut tu oles, neque ſuperior, quàm herus accumbere.

Item in Sticho:

Haud poſtulo equidem medio in lecto accumbere,
Scis tu med eſſe imi ſubſellij virum.

Et duobus verſibus interiectis addit:

Ergo oratores populi ſummates viri
Summi accumbent: ego infimatis infimus.

Quo pacto poſſis interpretari Chriſti Domini monitũ poſteriores & inferiores accubitus ſemper eligendos, gloriæque fore coram ſimul diſcumbentibus, ſi ſuperiùs adſcendere iubeamur. quamuis fortaſſe verba deſcendendi & adſcendendi, nihil aliud indicant quàm deſpicatiore vel honeſtiore lectulo, quicunque tandem ille ſit, collocari. Sed conſultius fortaſſe fuerat ab his calamum abſtinere, & obtemperare conſiliis. Timonis illius apud Plutarchum lib. 1. Quæſtionum conuiualium, probl. 2. locum inuitatis aſſignare prohibentis.

XIV. IPSE SOLVS.] Non abſimile illud Iuuenalis ſat. 1.

Optima ſyluarum interea pelagíque vorabit
Rex horum, vacuiſq; toris tantùm ipſe recumbet.

XV. BIBITVRVS VSQVE DVM DE SOLIO.] Hunc locum ſic expoſui vt obiectari dicerem Piſoni luxuriem ſordibus implicatam, ſiue, vt alibi vocat, vitia lutulenta, quòd aliud ſibi, conuiuis aliud vinum exhiberet. de qua diuitum impotenti luxuria frequenter Lucianus, vt epiſtolâ ad Saturnum, quem rogat, Καὶ τὸν οἶνον αὐτὸν πᾶσι τοῖς συμπόταις ἕνα, καὶ τὸν αὐτὸν εἶναι. ἢ ποῦ γὰρ γέγραπται τοῦτον τὸν νόμον, τὸν μὲν ἀνθοσμίου μεθύσκεσθαι, ἐμοὶ δὲ ὑπὸ γλεύκους διαρρήγνυσθαι τὴν γαστέρα. *Vnum & idem vinum conuiuis omnibus miſceri. vbi enim legem ſcriptam eſſe dicemus. vt ille vino odorato inebrietur, mihi verò venter muſto diſrumpatur?* Vide apud eundem epiſtolam Saturni ad diuites, id in poſterum fieri prohibentis. & in Saturno legiſlatore, ſiue Cronoſolone: Οἶνον δὲ αὐτοῦ πίνειν ἅπαντας, μηδὲ ἔστω πρόφασις τῷ πλουσίῳ ἢ στομάχου ἢ κεφαλῆς ὀδύνη, ὡς μόνον δὲ αὐτὸν πίνειν τοῦ κρείττονος. *Ex eodem vino bibant omnes, neque diuiti ſit prætextus aut ſtomachi, aut capitis dolor, vt ſolus melius bibat.* Et libro qui περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων inſcribitur, de his ipſis Græculis agens, qui accepta mercede cum Romanorum proceribus verſarentur. Καίτοι οὐδέπω ἐκεῖνο ἐρῶ, ὅτι τῶν ἄλλων ἥδιστόν τε, καὶ παλαιότατον οἶνον πινόντων, μόνος σὺ πονηρόν τινα καὶ παχὺν πίνεις, θεραπεύων ἀεὶ ἐν ἀργύρῳ ἢ χρυσῷ πίνειν, ὡς μὴ ἐλεγχθείης ἀπὸ τοῦ χρώματος, οὕτως ἄτιμος ὢν ξυμπότης. καὶ εἴθε γε κἂν εἰς κόρον ἦν πίνειν. νῦν δὲ πολλάκις αἰτήσαντος, ὁ παῖς οὐδ᾽ ἀΐοντι ἔοικεν. (Diuerſa vina in conuiuiis.) *Atqui nondum dixi aliis iucundißimum & vetuſtißimum vinum bibentibus, tibi vappam aliquam miſceri, cùm interim magnipendis, quòd tibi in argento vel auro miſceatur, ne videlicet ex ipſo vini colore conuiua vilis & abiectius arguaris. Atque vtinã ad ſatietatem vel vappam bibere liceret. ſed te frequenter petente, puer -nec ſaltem audire videtur.*

Nec rariores fuerunt querelæ Latinorum. Plinius lib. 14. cap. 13. *Cato cùm in Hiſpaniam nauigaret, vnde cum triumpho rediit, Non aliud, inquit, vinum bibi, quàm remiges: in tantum diſsimilis iſtis qui etiam conuiuis, alia quàm ſibimetipſis miniſtrant, aut procedente menſa ſubiiciunt.* Iuuenalis ſat. 5.

Qualis cœna tamen? vinum quod ſuccida nolit
Lana pati.-

& alia plura in hanc ſententiam. Tandem

Non eadem vobis poni modò vina querebar,
Vos aliam potatis aquam.-

Martialis paſſim, vt libro 4. ep. 86.

Nos bibimus vitro, tu myrrhâ, Pontice. Quare?
Prodat perſpicuus ne duo vina calix.

Piſo igitur peculiares ſibi vini amphoras in ſolio ſeruabat: quanquam fortaſſe præſtiterit ſequi Turnebum, vt ſolium ſit vas balneatorium in quo ſedentes lauabantur. idem Martialis libro 2. epig. 70.

Non vis in ſolio priùs lauari.

Lib. 11. epigr. 96.

In ſolio puto te mergere, Flacce, caput.

Eodem ſenſu Plinius lib. 28. cap. 12. ineunte, Cornelius Celſus, & alij frequenter vſurpant. (Solium.)

VT GALLI CANTVM.] Tria breuiter hoc loco dicenda ſunt. vnum cur Gallicinij faciat mentionem. alterum cur galli cantent, lucémque denuntient. tertium cur cum Piſonis auo comparetur, Gallicinij meminit, vt oſtendat Piſonem intempeſtiuis conuiuiis totas noctes exigere de more Helluonum. Poëta neſcio quis, XVI.

- & vigiles lucernas
Profer in lucem. & alter:
Sic noctem ludo, ſic ducam carmine, donec
Iniiciat radios in mea vina dies.

(Nocturna & intempeſtiua conuiuia.)

De his Seneca epiſt. 122. eleganter: *Et hi mortem timent, in quam ſe viui condiderunt, tam infauſti ominis, quàm nocturnæ aues ſunt. licet in vino vnguentóque tenebras ſuas exigant, licet epulis & in multa quidem fercula diſtinctis, totum peruerſe vigiliæ tempus diducant, non conuiuantur, ſed iuſta ſibi faciunt. mortuis certè interdiu parentatur.* in quo genere lepidum eſt, & illud eadem epiſtola. *Recitabat Montanus Iulius carmen, tolerabilis poëta, & amicitiâ Tiberij notus & frigore. ortus & occaſus libentißimè inſerebat, itaque cùm indignaretur quidam illum tota die recitaſſe, & negaret accedendum ad recitationes eius, Natta Pinarius ait: nunquid liberaliùs poſſum agere? paratus ſum illum audire ab ortu ad occaſum, cùm hos verſus recitaſſet.*

Incipit ardentes Phœbus producere flammas,
Spargere ſe rubicunda dies, iam triſtis hirundo
Argutis reditura cibos immittere nidis
Incipit, & molli partitos ore miniſtrat.

Varus eques Romanus L. Vinicij comes, cœnarum bonarum aſſectator, quas improbitate linguæ merebatur, exclamauit: Incipit Buta dormire. deinde cùm ſubinde recitaſſet.

Iam

Iam ſua paſtores ſtabulis armenta locarunt,
Iam dare ſopitis nox nigra ſilentia terris
Incipit.

Idem Varus, inquit, *Quid dicit? Iam nox eſt, ibo & Butam ſalutabo. nihil erat notius hac eius vita in contrarium circumacta, quam vt dixi, multi eodem tempore egerunt.* Iuuenalis:

-ſi luditur alea pernox
Ante Numantinos, ſi dormire incipis ortu
Luciferi quo ſigna duces & caſtra mouebant.

Sed verendum eſt, ne & ipſi in hoc conuiuio noctem cum Piſone exigamus: quare reliqua

Cauſſæ gallicinij.

exequamur. Cœlius Rhodiginus cap. 13. libri 16. lectionum antiquarum, fabuloſam hanc adfert gallicinij cauſſam ex Luciano, quam & legere me memini apud Ariſtophanis interpretem in auibus: Marte Venerem amplexāte Alectryon iuuenis excubabat. is in ſomnum prolapſus, Solis ortum non nuntiauit. Sol adulterium Vulcano detexit. Vulcanus vtrumque vinculis quibuſdam, quæ propter tenuitatem oculos fugerent, deuinxit. Mars emiſſus è vinculis malefidum cuſtodem in auem eiuſdem nominis commutat. Verùm ex antiqui commiſſi memoria, vt ſe Deo expurgent, illatiue damni formula ſatisfaciant, haſce aues, aiunt, morem perpetuo ſeruare, diu antè vt præcinant, vbi mox oriturum præſenſerint ſolem, ne lux obrepat incautis: Sed

-amoto dicamus ſeria ludo.

Subdit idem Cœlius: *Sunt verò qui ſalaciſſimæ auitij eius naturæ acceptum referri adſtruant oportere euentum eiuſmodi. nam cantu ſignificari veneris appetentiam, inde eſt argumentum euidens, quod antequam vſui venerio ſufficiant, conticeſcunt,* &c. *Contingere autem gallinaceis, quod ferè cæteris vſu venire compertum eſt, vt peracto cibo, refecto per quietem corpore, ac inde maximè vegeto, libidinis titillentur pruritu.* M. Tullius 2. de Diuinatione: *Democritus quidem optimis verbis cauſſam explicat, cur ante lucem Galli canant, depulſo enim de pectore, & in omne corpus didito & modificato cibo, cantus edere quiete ſatiatos. qui quidem ſilentio noctis, vt ait Ennius, fauent faucibus, rurſum cantu plauſúque premunt alas.* Iiſdem pene verbis Heliodorus lib. 1. Æthiopicorum: Ἀλεκτρυόνες ᾖδον, εἴτε (ὡς λόγος) αἰσθήσει φυσικῇ τῆς τοῦ ἡλίου καθ' ἡμᾶς περιστροφῆς ἐπὶ τὴν τοῦ θεοῦ πρόσρησιν κινούμενοι, εἴτε ὑπὸ θερμότητος ἅμα, καὶ τῆς περὶ τὸ κινεῖσθαι, καὶ σιτεῖσθαι θᾶττον ἐπιθυμίας, τοὺς συνοικοῦντας ἰδίῳ κηρύγματι ἐπὶ ἔργον ἐγείροντες. Quod ad tertium attinet Plinius cap. 21. libri 10. *Cum ſole eunt cubitum, quartáque*

Galli præcones,

caſtrenſi vigilia ad curas laboréſque reuocant. nec ſolis ortum incautis patiuntur obrepere, diémque venientem nuntiant cantu, ipſum verò cantum plauſu alarum. Nihil vulgarius vel in officiis eccleſiaſticis quàm Gallos lucis præcones appellari. præclarè Petrus Bleſenſis ſermone ſexto de Natiuitate Domini: *In huius ſeculi noctu & nocte intempeſta & profunda, quaſi quidam galli fuerunt Prophetæ, genus humanum valdè ſopitum ſuis clamoribus excitantes, ortum quoque ſolis præconantes.* Item paulò pòſt: *Quibus tanquam gallis Dominus dedit intelligentiam, vt aduentum veræ lucis longè ante eius ortum præſcij præconarent.* Ab hoe præconio, vt notat Adrianus Iunius, & Iacobus Dalecampius Tragœdi, κήρυκας ἀλεκτρυόνας tanquam vocales & clamoſos præcones appellant, ἀπὸ τοῦ γηρύειν. Eo ſenſu intelliges Alciphronem apud quem Thalaſſus inter cætera munera mittit, κήρυκας πέντε καὶ τριάκοντα, *præcones*, id eſt gallos gallinaceos, *quinque & triginta.* Lucianus in Ocypode.

Ἐπεὶ δ' ἀλέκτωρ ἡμέραν ἐσάλπισεν.
Vt buccinauit gallus orientem diem.

MENSAM TOLLI IVBET.] Virgilius 1. Æneidos. XVII.

Menſas tollere.

Poſtquam exempta fames epulis menſaque remotæ.

Vbi notat noſter Cerda menſas pro ipſis eduliis ſumi. Pollux lib. 13. cap. 12. τραπέζας δ' ἐκάλουν καὶ τὰ σῖτα τὰ ἐπ' αὐτῶν τιθέμενα. *Menſas vocabant fercula in ipſis impoſita.* Athenæus libro ſecundo: τούτων τραπέζας καλούντων τὰς παραθέσεις ταύτας. *Cùm omnes iſta, quæ apponuntur, menſas appellent.* Virgilius 3. Æneidos.

Ambeſas ſubigat malis abſumere menſas.

Id eſt edulia, luſit enim Harpya ambiguitate vocis. Hæc vir ille eruditus. Non libenter tamen à Seruij auctoritate diſceſſerim, qui citatum Maronis verſum exponens, menſæ nomen propriè & κυρίως accepit. *Apud maiores*, inquit, *ipſas menſas apponebant pro diſcis. vnde eſt Et menſæ grata ſecundæ. duas enim menſas habebant, vnam carnium, alteram pomorum.* Neque ſanè Pollux eodem capite refragatur. ἦσαν δέ τινες πρῶται τράπεζαι, καὶ δεύτεραι, καὶ τρίται, καὶ τρίποδες. μὲν ἐφ' ὧν ἔκειντο. καὶ ἔστι τοὔνομα παρ' Ἡσιόδῳ, &c. αἱ δ' ἐπιτιθέμεναι, καὶ αἰρόμεναι τράπεζαι, ἃς νῦν μαγίδας καλοῦσιν. *Erant verò menſæ quædam primæ, ſecundæ, & tertiæ, atque tripodes quibus incumbebant. quod nomen apud Heſiodum inuenitur. tum & menſæ quæ apponi tollique ſolebant, quas nunc magidas vocant.* De his fusè Fuluius Vrſinus appendice ad triclinium Petri Ciacconij. Diſertè Philo libro de Vita contemplatiua. Ἑπτὰ γοῦν καὶ πλείους εἰσκομίζονται τράπεζαι πλήρεις ἁπάντων ὅσα γῆ τε καὶ θάλασσα, καὶ ποταμοὶ, καὶ ἀὴρ φέρουσιν, ἔκλογα πάντα καὶ εὔσαρκα χερσαίων, ἐνύδρων, ἀεροπόρων ὧν ἑκάστη διαλλάττει καὶ ταῖς παρασκευαῖς, καὶ ταῖς παραρτύσεσιν. ὑπὲρ δὲ τοῦ μηδὲν εἶδος ἀπολειφθῆναι τῶν ἐν τῇ φύσει, τελευταῖαι τῶν ἀκροδρύων εἰσκομίζονται γέμουσαι, δίχα τῶν εἰς τοὺς κώμους, καὶ τὰς λεγομένας ἐπιδειπνίδας. εἶτα αἱ μὲν ἐκκομίζονται κεναί, &c. *Septem vel etiam plures menſæ inferuntur plenæ omnium quæ terra, mare, amnes, aérque ferunt. ſelectis ſuauiſſimis carnibus, terreſtrium, aquaticorum, & volucrum, paratura ſimul & conditura variantibus. Ac ne quid prætermittatur naturæ munerum, tandem apponuntur nucibus & plenis refertæ, præter eas quæ ad comeſſationes & cœnarum appendices ſunt comparatæ. Deinde aliæ vacuæ auferuntur*, &c. Nec alia fortaſſe menſa illius Homerici.

Αἰδοίη ταμίη παρέθηκε τράπεζαν.

AXIOMA.

Eſt quædam luxuria elegans atque lauta, quæ quanquam omnis eſt vitioſa atque turpis, tamen eſt ingenuo ac libero dignior.

ARGVMENTVM.

Vt fidem orationi faciat, oſtendit quæ de luxuria Piſonis dixit, ea ſe ex Philoſophi Philodemi ſcriptis didiciſſe, & præſenti quidem paragrapho refert qua ratione in Piſonis familiaritatem ſe dederit, pauca de Epicuro, cuius ſectam profitebatur Philodemus, interſerens.

LXVIII. DICET aliquis, Vnde tibi hæc nota ſunt? non, mehercule, contumeliæ cauſſa deſcribam quemquam, præſertim ingenioſum hominem, atque eruditum; cui generi eſſe ego iratus, ne ſi cupiam quidem, poſſum. Eſt quidam Græcus, qui cum iſto viuit, homo, verè vt dicam, (ſic enim cognoui) humanus; ſed tamdiu, quamdiu cum aliis eſt, aut ipſe ſecum. is, cùm iſtum adoleſcentem iam tum cum hac Diis irata fronte vidiſſet, non fugit eius amicitiam, cùm eſſet præſertim appetitus: dedit ſe in conſuetudinem, ſic, vt prorſus vnà viueret, nec fere ab iſto vnquam diſcederet. Non apud indoctos, ſed vt ego arbitror, in hominum eruditiſſimorum, & humaniſſimorum cœtu loquor. audiſtis profectò dici, philoſophos Epicureos, omnes res, quæ ſunt homini expetendæ, voluptate metiri. rectè, an ſecus, nihil ad nos; aut, ſi ad nos, nihil ad hoc tempus. ſed tamen lubricum genus orationis adoleſcenti non acriter intelligenti eſt ſæpè præceps.

EXPLANATIO.

DICET ALIQVIS.] Elegans tranſitio: ſiquidem è tacita obiectione occaſionem arripit dicendi de Philodemo qui & Epicurum ſectabatur, & omnes Piſonis libidines, omnia cœnarum genera, conuiuiorúmque, adulteria eius delicatiſſimis verſibus expreſſerat.

NON MEHERCVLE.] Præmunitio oratoria, ne Philodemum offendere videatur.

EST QVIDAM GRÆCVS.] Philodemus Epicureus philoſophus, & idem poëta.

HVMANVS.] Politiore litteratura, & liberalibus ſtudiis eruditus.

GVM ALIIS.] Quàm cum Piſone: in eius enim conſuetudine ita ſe gerere cogitur, vt ſuiipſius eruditioníſque ſuæ oblitus eſſe videatur.

IS.] Philodemus cùm Piſonem adoleſcentem iam tum frontis ad ſeueritatem compoſitæ integumentis vitia obtegentem vidiſſet, atque adeò deceptus fuiſſet, eadem illa virtutis ſimulatione, quæ populum Rom. decepit, fefellit, in fraudem induxit.

NON APVD INDOCTOS.] De Epicureorum opinionibus acturus, alia præmunitione vtitur, ne præter conſuetudinem, res philoſophorum pulpitis quàm Senatorum exedris aptiores tractare videatur.

OMNES RES.] Summum hominis bonum in voluptate collocare.

RECTE AN SECVS.] Addit.] *Rectè an ſecùs nihil ad nos.* ne erga Græcorum philoſophiam nimis affici videatur, hoc enim nomine aliquando deriſus, & Græcus ſcholaſticus per ludibrium nominatus. addit tamen, *aut ſi ad nos, nihil ad hoc tempus.* ne videatur Epicureorum ſententiam ſuo ſuffragio comprobare.

SED TAMEN.] Etiamſi verum dicerent, tamen malè loquuntur, dum enim ita voluptatem commendãt, in periculum prouehunt auditores, in quod facilè prolabuntur ij qui & per adoleſcẽtiam ad libidines & vitia propenſi ſunt, & per imperitiam aut debilitatem ingenij minùs veram & honeſtam voluptatem à fucata & inhoneſta poſſunt diſtinguere.

NOTÆ.

CONTVMELIÆ CAVSA.] Quid ſit con- I.
tumelia explicat Seneca ſanè eleganter li- Contumelia.
brò *quod in ſapientem non cadat iniuria* cap. 10. *Contumelia*, inquit, *eſt minor iniuria, quam queri magis, quàm exequi poſſumus, quam leges quoque nulla dignam vindicta putauerunt. hunc affectum mouet humilitas animi contrahentis ſe ob factum dictúmque inhonorificum: ille me hodie non admiſit cùm alios admitteret: ſermonem meum, aut ſuperbè auerſatus es, aut palàm riſit, & non in medio me loco, ſed in imo collocauit, & alia huiuſmodi notæ.*

ERVDITVM.] Omnibus doctrinæ huma- II.
nioris partibus, & numeris abſolutum. tranſlatio Eruditus.
vel à gladiatoribus ducta qui, vt cum Tranquillo loquar, cùm à laniſta exercerentur *rudibus batuebant.* & cùm multas palmas retuliſſent; liberíque mitterentur, rude donabantur. Horatius:

Spectatum ſatis & donatum iam rude quæris
Mœcenas iterum antiquo me includere ludo.

Ouidius:

Et me donari iam rude tempus erat.

Vel ducitur hæc tranſlatio à ſtatuariis, eruditum quaſi materiæ ruditate depoſita limatum & perpolitum.

HVMANISSIMORVM.] Placet integrum pene III.
Gellij caput ex 13. Noct. Attic. exſcribere: *Hu-* Humanitas.
manitatem, inquit, *appellauerunt, id propemodum quod Græci* παιδείαν *vocant, nos eruditionem inſtitutionémque in bonas artes dicimus: quas qui ſinceriter cupiunt appetúntque, ij ſunt vel maximè humaniſſimi. huius enim ſcientiæ cura & diſciplina ex vniuerſis animantibus vni homini data eſt: id-*

circóque humanitas appellata eſt. Subdit verba Varronis è libro rerum humanarum primo, cuius principum hoc fuit. *Praxiteles qui propter artificium egregium, nemini eſt paulùm modo humaniori ignotus.* quæ ſic explicat. *Humaniori*, inquit, *non ita vt vulgo dicitur facili & tractabili & beneuolo, tametſi rudis litterarum ſit (hoc enim cum ſententiâ nequaquam conuenit) ſed eruditiori doctiorique, qui Praxitelem quis fuerit, ex libris & ex hiſtoriâ cognouerit.* Paulò antè: *Homo verè vt dicam, ſic enim cognoui, humanus.* Pro Cœlio 54. *Ille vir, illâ humanitate præditus, illis ſtudiis artibus atque doctrinâ.* & alibi paſſim, in quo non moramur, cùm manſuetiores has litteras vulgo humanitatem, & humaniora ſtudia nominemus. Græci ἀνθρωπισμὸν dixerunt, Laërtius in Ariſtippo: Ἄμεινον ἐστιν ἐπαίτην ἢ ἀπαίδευτον εἶναι. οἱ μὲν γὰρ χρημάτων, οἱ δ' ἀνθρωπισμοῦ δέονται. *Satius dicebat eſſe mendicum quàm indoctum, quod ille pecuniis, hic humanitate indigeret.*

IV. Dij irati. Cvm hac diis irata fronte.] Notum eſt Deos iratos dici triſtibus, & ærumnoſis, vnde & Deos ſolebant iratos imprecari. Ouidius libro tertio de Arte.

Crimina dicuntur, reſonat clamoribus æther,
Inuocat iratos & ſib quiſque Deos.

Liuius libro 5. *Minimè conuenire quibus iratos quiſque Deos precatus ſit, in his ſua poteſtate cùm liceat & oporteat, non vti.* Afranius apud Nonnium.

- Dij ſint irati tibi
Qui conciere cogites tantum mali.

& ſexcenta huiuſmodi quæ operæpretium non eſt exhibere. tantùm aduerte leporem. non dixit, *Deos iratos eſſe fronti* Piſonis, ſed contra frontem Piſonis eſſe Diis iratam, propter illam fictæ ſeueritatis nubeculam, qua ſic frontem obduxerat, & contractum ſupercilium obuoluerat, vt non ſolùm hominibus, ſed etiam Diis minari videretur. Virgilius eadem hypallage ſuam orationem inflammat.

Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor.

& Horatius ſat. 3. lib. 2.

Diis inimice ſenex cuſtodia ne tibi deſit, &c.

Vide Cœlianam 42. vbi diximus id maximè conuenire triſtibus illis tetricis & ſeueris, qui naturæ ſuæ repugnantes, id eſt, gigantum more cum Diis bellantes genium ſuum honeſtâ delectatione fraudarent, quod in Piſonem apprimè quadrat, qui flagitia ſua & inſignem animi nequitiam contractæ frontis integumento velans, tetricam illam morum aſperitatem ſimulabat.

Lvbr. gen. orat. adolesc.] Vide Cœlianam 41. *Multas vias adoleſcentiæ lubricas oſtendit.* V.

AXIOMATA.

Vir ingenioſus, ingenioſo ne ſi cupiat quidem iratus eſſe poteſt.

Commendatio voluptatis eſt lubricum genus orationis, adoleſcenti non acriter intelligenti ſæpe præceps.

ARGVMENTVM.

Ab educatione Piſonem acriter reprehendit, eóque maximè quod quæ de honeſta voluptate ab Epicureo magiſtro dicerentur, ea ipſe ad impuram corporis voluptatem deflecteret à lubrico in præcipitium deuolutus.

ITaqve admiſſarius iſte, ſimulatque audiuit, à philoſopho volupta- LXIX.
tem tantoperè laudari, nihil expiſcatus eſt: ſic ſuos ſenſus voluptarios omneis incitauit, ſic ad illius hanc orationem adhinniit, vt non magiſtrum virtutis, ſed auctorem libidinis à ſe illum inuentum arbitraretur. Græcus primo diſtinguere, atque diuidere illa, quemadmodum dicerentur: iſte claudus (quomodo aiunt) pilam retinere: quod acceperat, teſtificari, tabulas obſignare velle, Epicurum diſertum decernere: & tamen dictum opinor, ſe nullum bonum intelligere poſſe, demptis corporis voluptatibus.

EXPLANATIO.

Admissarivs iste.] Piſonis libidinem egregia metaphora deſcribit ab equo, qui in armentum equarum ad fœturam admittitur.

A Philosopho.] A Philodemo Epicureo.

Nihil expiscatvs est.] Nihil ſciſcitatus eſt, nihil examinauit, nihil vlteriùs inquiſiuit.

Sic svos.] Libido Piſonis per admiſſarij comparationem fusè deſcribitur. nota loquendi modos *ſuos ſenſus voluptarios incitauit.* Item: *adhinniit*, &c.

Græcvs.] Elegans diſputationis inter Philodemum & Piſonem initæ deſcriptio. Græcus, inquit, Philodemus cœpit orationem diſtinguere, & dicere duplicem eſſe voluptatem, vnam quæ animo & ex virtute, alteram quæ corporis ſenſibus ex rebus deſpicatiſſimis hauriatur. fœlicitatem hominis non illa libidine corporis, ſed corporis indolentiâ, & quadam animi bene conſcij, & tranquilli delectatione metiendam.

Iste.] Piſo noluit à priore ſententia dimoueri. prouerbium conuenit in eos, vt ait Chiliaſtes, qui quicquid à præceptoribus acceperint, ſiue id doctum ſit, ſiue indoctum nullo delectu nullóque iudicio tenere ſolent ac ſequi, ſumptâ metaphorâ à diffidente pedibus ſuis, & ob id pertinaciter columnis innitente, niſi ſi cui magis referendum videtur ad ludum pilæ, quam claudus ita demum accipit ſi commodè illi mittas. Nam Piſo eo ſenſu accepit Epicuri ſententiam,

quo ad palatum eius magis ſapere videbatur: & claudos imitatus eſt, qui timentes, ne ſi aliter pila remittatur, eam ipſi reiicere non poſſint, eam cùm ſemel acceperint, manu retinent, nec volunt reiicere.

Qvod acceperat.] Verebatur Piſo ne Philodemus negaret ſe dixiſſe res omnes, quæ ſunt homini expetendæ, voluptate eſſe metiendas. quare teſtes adhibere conatus eſt, petiitque vt ille tabulas obſignaret, & dicto ſuo ſubſcriberet, ne poſſet reſilire.

Epicvrvm disertvm.] Qui planè & disertè loqueretur, ideóque non opus eſſe diſtinctione, ſed verba prout ſonabant eſſe capienda.

Et tamen dictvm opinor.] Legit Manutius, *& tandem dictum opinor.* quaſi diceret: hunc, vt opinor, finem diſputatio ſortita eſt, vt conueniret inter eos nullum bonum eſſe præter vnam corporis voluptatem, tamen antiqua lectio poteſt retineri. aduerſatiua enim eſt particula *tamen*, quod Piſo diſertum dicere haudquaquam debuerit eum, qui dicebat nullum ſe bonum agnoſcere, præter corporis voluptatem.

NOTÆ.

I. Admiſſarius. Admissarivs.] Allegoria ducta ab equo, qui fœturæ ſupplendæ cauſſâ in armenta equarum admittitur: qui loquendi modus apud auctores rei ruſticæ frequens. Columella c. 2. lib. 7. *manſuefactos rectis ouibus admiſit.* Sed hoc nomen equo potiſſimùm ſolet conuenire. idem libro 6. cap. 37. *Eſt & alterum genus admiſſarij furentis in libidinem, quod niſi aſtu inhibeatur, affert gregi perniciem. nam & ſæpe vinculis abruptis grauidas inquietat, & cùm admittitur ceruicibus dorſiſque fœminarum imprimit morſus: quod ne faciat, paulìſper ad molam vinctus amoris ſæuitiam labore temperat, & ſic Veneri modeſtior admittitur.* & alibi ſæpe. Palladius Martio, *admiſſarij generoſi equabus admittendi ſunt.* omitto Varronem qui frequenter admiſſarij nomen vſurpat. Nota eſt equorum ad libidinem inſania. Horatius Ode 25. lib. 1.

Et libido.
Quæ ſolet matres furiare equorum.
Sæuiet circa iecur vlceroſum
Non ſine queſtu.

Equina libido. Prudentius libro 1. in Symmachum:

Aduena quos profugus gignens & equina libido
Intulit Italiæ, Thuſcis namque ille puellis
Primus adhinniuit ſimulato numine mœchus.

Plautus in Milite glorioſo, ſc. *Quid mihi nunc auctor es.*

Ad equas fuiſti ſcitus admiſſarius
Qui conſectare æquè maréſque & fœminas.

Eo ſenſu Calliam ἱππόβινον Ariſtophanes, & Alciphron Megaram ἱππόπορνον, *meretricem equina libidine prurientem* appellat. eo ſenſu, vt diuina breuiter attingam, Hieremias cap. 5. verſu 8. *Equi amatores & emiſſarij facti ſunt vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat.* Emiſſarij θηλυμανεῖς. Sic enim Septuaginta interpretantur, ἵπποι θηλυμανεῖς ἐγενήθησαν, ἕκαστος ἐπὶ τὴν γυναῖκα τοῦ πλησίον αὐτοῦ ἐχρεμέτιζε. quem locum profert & illuſtrat Baſilius Magnus ſub initium libri de vera virginitate: ἐκ λογικοῦ γὰρ ἀλόγου κατὰ τὸ Ἑλληνικὸν πρὸς φυσιολογίαν πλάσμα, ὥσπερ τινὰ κένταυρον

Hominis pars inferior equina.

συνθεὶς ὁ δημιουργὸς ὅλον τὸν ἄνθρωπον, τῷ ἀνθρωπομόρφῳ ἀπὸ κεφαλῆς ἕως στέρνων αὐτόθεν μέρει, τὸ ἀπὸ ὀμφαλοῦ καὶ ὀσφύος, καθάπερ ἵππου, φύσιν, πρός τε τὰς γαστρὸς ἡδονὰς κτηνῶδες ὑπέμιξεν, καὶ πρὸς τὰς μίξεις ἀλόγως κινούμενον, κάτωθεν φέρων προσήρμοσεν, &c. *Ex rationali enim & irrationali, ſecundum Græcorum quæ ad phyſiologiam dirigitur, fictionem, cùm inſtar centauri cuiuſdam hominem conſtituiſſet creator, humanæ parti quæ à capite ad pectus pertinet, inferiorem partem quæ ab vmbilico & lumbis incipit, tanquam equi naturam, pecudis inſtar in libidines pronam, & ad coitum ſine ratione propendentem attexuit.* Sed de libidine equorum auctores omnes rei ruſticæ. Virgilius 3. Georgicon, Ariſtoteles in hiſtoria animalium libro 6. Oppianus primo κυνηγετικῶν, & alij conſulantur. Plato in Philebo, vbi dixit equos, τὸ χαίρειν διώκειν, *voluptatem ſectari.* Subdit pulcherrimè: Οἷς πιστεύοντες ὥσπερ μάντεις ὄρνισιν, οἱ πολλοὶ κρίνουσι τὰς ἡδονὰς, εἰς τὸ ζῆν ἡμῖν εὖ κρατίστας εἶναι, καὶ τῶν θηρίων ἔρωτας οἴονται κυρίους εἶναι μάρτυρας μᾶλλον, ἢ τοὺς τῶν ἐν μούσῃ φιλοσόφῳ μεμαντευμένων ἑκάστοτε λόγων. *Quibus credentes, vt augures auibus, multi libidines ad vitam bene beatéque agendam expetendas eſſe exiſtimant, & belluarum amores, teſtes digniores fide, quàm ſermones editos è philoſophicæ muſæ oraculis arbitrantur.* Hinc eſt quod belluinam Deorum ſuorum libidinem deſcripturi veteres eos in equorum ſpeciem conuerſos fuiſſe fabulantur.

Talis & ipſe iubam ceruice effudit equinâ
Coniugis aduentu pernix Saturnus, & altum
Pelion hinnitu fugiens impleuit acuto.

Talis Boreas equabus Erichthonij:

Ἵππῳ εἰσάμενος παρελέξατο κυανοχαίτῃ.
Concubuit nigrantis equi ſub imagine tectus.

Tibullus lib. 2. el. 1. ad hanc equarum libidinem alluſit:

Ipſe quoque inter agros, intérque armenta cupido
Natus & indomitas dicitur inter equas.

& Nazianzenus de Paſchate, τὸ ἐπιθυμητικὸν, καὶ χρεμετιστικὸν, *partem animæ concupiſcentem & hinnientem.* non alio flexu dixit.

II. Epicuri perſpicuitas. Epicvrvm disertvm decernere.] Laërtius in Epicuro: Σαφὴς δ' ἦν οὕτως, ὡς καὶ ἐν τῷ περὶ τῆς ῥητορικῆς ἀξιοῖ, μηδὲν ἄλλο, ἢ σαφήνειαν ἀπαιτεῖν. *Sic perſpiciens erat, vt in eo tractatu quem de Rhetorica edidit, nihil aliud quàm perſpicuitatem requirat.*

III. Pilam.] Graphicè deſcribitur à Seneca lib. 2. de Beneficiis, cap. 17. *Volo Chryſippi noſtri vti ſimilitudine de pilæ luſu, quam cadere non eſt dubium, aut mittentis vitio, aut accipientis, tunc curſum ſuum ſeruat, vbi inter manus vtriuſque aptè ab vtroque iactata, & excepta verſatur. Neceſſe eſt autem luſor bonus aliter illam colluſori longo, aliter breui mittat. Eadem beneficij ratio eſt, niſi vtrique perſonæ dantis & accipientis aptatur: nec ab hoc exibit, nec ad illum perueniet vt debet. Si cum exercitato & docto negotium eſt, audaciùs pilam mittemus, vtcunque enim venerit, manus illam expedita & agilis repercutiet. Si cum tirone & indocto, non tam rigidè, nec tam excuſsè, ſed languidiùs, & in ipſam eius dirigentes manum, remiſsè occurremus. Idem faciendum in beneficiis, &c.* Subdit: *Malignis luſoribus propoſitum eſt colluſorem traducere, cum damno ſcilicet ipſius luſus, qui non poteſt niſi conſentitur extendi.*

SE NVLLVM BONVM INTELLIGERE.] Athenæus lib. 7. Deipnoſ. Ἐπίκουρος ἔλεγεν. Ἀρχὴ καὶ ῥίζα παντὸς ἀγαθοῦ ἡ τῆς γαστρὸς ἡδονὴ, καὶ τὰ σοφὰ, καὶ τὰ περιττὰ εἰς ταύτην ἔχει τὴν ἀναφοράν. *Principium & vna radix omnis boni ſunt abdominis voluptates, & ſapientia ac præſtantia quæque ad eas referuntur.* Pergit Athenæus: Κἀν τῷ περὶ τέλους δέ φησιν οὕτω πως. *& ita loquitur libro de fine.* Οὐ γὰρ ἔγωγε δύναμαι νοῆσαι τἀγαθὸν, ἀφαιρῶν μὲν τὰς διὰ χυλῶν ἡδονὰς, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι' ἀφροδισίων, ἀφαιρῶν δὲ τὰς διὰ μορφῆς κατ' ὄψιν ἡδείας κινήσεις. Quæ Cicero ſic interpretatur 3. Tuſcul. *Nec equidem habeo quod intelligam bonum illud, detrahens eas voluptates, quæ ſapore percipiuntur, detrahens etiam eas quæ auditu & cantibus, detrahens eas etiam quæ ex formis percipiuntur, oculorum ſuaues motiones, ſiue quæ aliæ voluptates in toto homine gignuntur quolibet è ſenſu. Nec verò ita dici poteſt mentis lætitiam ſolam eſſe in bonis. lætantem enim mentem ita noui, ſpe eorum omnium quæ ſuprà dixi, fore vt natura iis potiens dolore careat.* Hæc ille. quibus vides loco τὰς δι' ἀφροδισίων, legendum τὰς δι' ἀκροαμάτων. Quamuis vtrumque legit Heſychius Illuſtrius: ἐν τῷ περὶ τέλους οὕτω γράφει. οὐ γὰρ ἔγωγε ἔχω τί νοήσω τἀγαθὸν, ἀφαιρῶν μὲν τὰς δι' ἀφροδισίων, ἀφαιρῶν δὲ τὰς διὰ χυλῶν ἡδονὰς, καὶ τὰς δι' ἀκροαμάτων. *Non poſſum aliud bonum intelligere, demptis iis voluptatibus quæ venere, cibo, auditu, percipiuntur.* Et familiaris eiuſdem Metrodorus dicebat: τὰ καλὰ πάντα, καὶ σοφὰ, καὶ περιττὰ ἐξευρήματα τῆς κατὰ σάρκα ἡδονῆς ἕνεκα, καὶ τῆς ἐλπίδος τῆς ὑπὲρ ταύτης συνέστηκε, καὶ πᾶν εἶναι κενὸν ἔργον, ὃ μὴ εἰς τοῦτο κατατείνει. *Quæcunque pulchrè, quæcunque ſapienter, quæcunque excellenter inuenta ſunt, propter vnam corporis voluptatem, eiúſque perfruendæ ſpem eſſe conſtituta, & vanum eſſe quicquid ad eam non collineat.* Voluptatem porrò definiebat Epicurus, vt videre eſt apud Plutarchum in Opuſculis, & Gellium libro 9. cap. 5. noct. Attic. σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα, *corporis conſtantem habitum.* De his multa Tullius tum alibi, tum in libris de finibus, ſed præſtat ipſum audire Epicurum, qui tertia epiſtola earum quæ ſuperſunt. Ὅταν οὖν, inquit, λέγωμεν ἡδονὴν τέλος ὑπάρχειν, οὐ τὰς τῶν ἀσώτων ἡδονὰς, καὶ τὰς ἐν ἀπολαύσει κειμένας λέγομεν, ὥς τινες ἀγνοοῦντες, καὶ οὐχ ὁμολογοῦντες, ἢ κακῶς ἐκδεχόμενοι, νομίζουσιν· ἀλλὰ τὸ μήτ' ἀλγεῖν κατὰ τὸ σῶμα, μήτε ταράττεσθαι κατὰ ψυχήν, οὐ γὰρ πότοι καὶ κῶμοι τὸν ἡδὺν γεννῶσι βίον, ἀλλὰ νήφων λογισμός. *Cùm igitur dicimus finem in voluptate poſitum eſſe, non voluptates helluonum, & eorum qui ad fruendum voluptatibus omnia referunt, dicimus, vt aliqui ignorantes, & non conſentientes aut malè interpretantes arbitrantur: ſed voluptatem in eo ponimus, vt neque corpore doleamus, neque animo perturbemur, non enim compotationes & comeſſationes iucundam vitam pariunt, ſed ſobria ratio.* Subdit: οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν ἄνευ τοῦ φρονίμως καὶ καλῶς. *Viuere iucundè non poteſt, qui prudenter & honeſtè non viuit.* Ex quo vides cur & noſter Piſonem reprehendat, quòd ipſum voluptatis nomen arripuerit, & nullam explicationem admittens, ſolo voluptatis nomine contentus Epicurum ſatis diſertum eſſe, ac proinde interpretatione non indigere decreuerit.

Sententia Epicuri de voluptate.

AXIOMA.

Non hominis, ſed potiùs admiſſarij eſt ſuos ſenſus voluptarios incitare, & ad voluptates adhinnire.

ARGVMENTVM.

Ab impuris & laſciuis Philodemi verſibus Piſonem reprehendit, quaſi Philodemus non tam ſuæ naturæ fuerit, quàm Piſonis lubentiæ & moribus obſecutus.

QVID multa? Græcus facilis, & valdè venuſtus, nimis pugnax contra Senatorem populi Rom. eſſe noluit. Eſt autem hic, de quo loquor, non philoſophia ſolùm, ſed etiam litteris, quòd ferè cæteros Epicureos negligere dicunt, perpolitus. Poëma porrò facit ita feſtiuum, ita concinnum, ita elegans, nihil vt fieri poſſit argutius, in quo reprehendat eum licet, ſi qui volet, modò leuiter, non vt improbum, non vt audacem, ſed vt Græculum, vt aſſentatorem, vt poëtam. deuênit, aut potiùs incidit in iſtum eodem deceptus ſupercilio Græcus atque aduena, quo tam ſapiens, & tanta ciuitas: reuocare ſe non poterat, familiaritate implicatus: & ſimul inconſtantiæ famam verebatur: rogatus, inuitatus, coactus: ita multa ad iſtum de iſto ſcripſit, vt omneis hominis libidines, omnia cœnarum genera, conuiuiorúmque, adulteria eius delicatiſſimis verſibus expreſſerit. LXX

EXPLANATIO.

GRÆCVS FACILIS.] Philodemus minimè contumax, ſed omni humanitate perpolitus, & ad vnguem factus, Piſoni viro Patritio & Senatorio noluit nimium refragari.

EST AVTEM HIC.] Philodemus.

LITTERIS.] Humanioribus.

POEMA.] Verſus tribus maximè rebus abſoluitur, feſtiuitate ſenſuum, cõcinnitate numerorum, elegantia & amœnitate verborum; quibus è rebus laudatur hoc loco poëſis Philodemi.

IN QVO REPREHENDAT.] Philodemi culpam excuſat, vt maior in Piſonem redundet infamia.

DEVENIT AVT POTIVS INCIDIT.] Hæc eſt inter vtrumque diſtinctio. peruenit, qui locum attigit ad quem iter direxerat: deuenit,

qui licet non ex voluntate, tamen non præter voluntatem aliquò appulſus eſt: incidit, qui non ſolùm præter conſilium, ſed etiam præter voluntatem aliquò prouectus eſt.

Deuenire locos vbi nunc ingentia cernes
Mœnia.

incidit in *latrones, in morbum, inſaniam*, &c. quamuis nonnunquam confundantur. incidit igitur in amicitiam Piſonis, quia eius ſupercilio, & ficta morum ſerenitate deceptus eſt.

QVO TAM SAPIENS.] Non mirum ſi deceptus fuit Philodemus, quandoquidem Romana ciuitas eius ſupercilio decepta, mandauit eidem conſulatum, & *frons, oculi, ſupercilia, vultus denique totus, qui ſermo quidam tacitus mentis eſt, hic in errorem homines impulit: hic eos, quibus erat ignotus, decepit, fefellit, in fraudem induxit.*

SE REVOCARE NON POTVIT.] Retrahere ſe, vt cum Catullo loquar, non potuit, & illum familiaritatis nexum diſſoluere.

INCONSTANTIÆ FAMAM VEREBATVR.] Si à Piſonis amicitia reſiliiſſet.

ROGATVS, INVITATVS.] Iam reſpondet quæſtioni paragrapho 68. propoſitæ: *Dicet aliquis, Vnde tibi hæc nota ſunt?* Reſpondet ea ſe comperiſſe ex verſibus Philodemi, qui Piſonem intus & in cute norat, eiúſque libidines planè perſpexerat.

NOTÆ.

1. LITTERIS, QVOD FERE.] E philoſophis alij litteras humaniores neglexerunt, alij amplexi ſunt. Plato, qui omnes omni doctrinæ ſtudiorúmque liberalium genere ſuperauit, non ſolùm Poëtas extrudit, ſed etiam eos frequenter inſectatur, qui in philoſophando dicendi floſculos carpunt atque delibant. Noſter 1. de finibus agens de Epicuro: *Vellem equidem aut ipſe doctrinis fuiſſet inſtructior (eſt enim, quod ita tibi videri neceſſe eſt, non ſatis politus iis artibus quas qui tenent, eruditi appellantur.) aut ne deterruiſſet alios à ſtudiis.* Fabius lib. 12. cap. 2. *Epicurus imprimis nos à ſe ipſe dimittit, qui fugere omnem diſciplinam nauigatione quàm velociſſimâ iubet.* Contrà Syneſius in Dione eos grauiter carpit, qui manſuetiores muſas à philoſophia diuellunt. Iuuat iſta decerpere. Τάς τε Μούσας οὐχ ὁμοῦ τ' οὔσας ἐμφαίνει τὸ ὄνομα θεῶν καλεσάντων, ἢ ἀνθρώπων γε θεοῦ φήμῃ χρωμένων; χορός τ' εἰσὶ, δι' αὐτὴν δήπου τὴν σύνοδον, μία δ' αὐτῶν οὐδεμιᾶς χωρὶς, οὔτ' ἐν συμποσίῳ θεῶν ἐπιδείκνυται τὸ οἰκεῖον ἔργον, οὔτε τυγχάνει παρ' ἀνθρώποις βωμοῦ καὶ νεώ. καί τοι τινὲς ἤδη φύσεως ἐνδείᾳ κατακερματίζουσιν αὐτὰς τὸ χωρίζεσθαι μὴ δυνάμενον, καὶ ἕτερος ἑτέρας ἐπήβολος γέγονεν. ἀλλὰ φιλοσοφία, τὸ ἐπὶ πάσαις ἐστί. καὶ τοῦτο αἰνίττεται τὸ τῇ συνουσίᾳ τῶν Μουσῶν εὐθὺς, τὸν Ἀπόλλω παρεῖναι. *Muſas verò vnà omnes eſſe non ipſa nominis ratio coarguit, ſiue Diis nuncupantibus, ſiue hominibus traditam à Deo appellationem imponentibus? chorum enim ob ipſum nimirum conuentum efficiunt: nulla autem ex iis à cæteris diuulſa, neque in Deorum conuiuio ſuæ artis ſpecimen præbet; neque vlli ab hominibus templum, aut altare conſecratur. quanquam nonnulli iam naturæ inopia minutatim id diſtribuunt, quod diuelli nequaquam poteſt, alteriúſque alter eſt compos factus: philoſophia verò id ipſum eſt quod in omnes funditur. atque hoc ex eo ſignificatur quod Muſarum concentui præſens ſtatim Apollo intereſſe ſoleat.* Subdit: Οἱ δ' ἀστεμφεῖς οὗτοι καὶ ἀπρόσιτοι ῥητορικῆς, καὶ ποιήσεως, οὔ μοι δοκοῦσιν, οὐδ' ἑκόντες εἶναι τοιοῦτοι, πενίᾳ δὲ φύσεως μηδὲ τὰ σμικρὰ ἱκανοὶ, ὧν θᾶττον ἂν ἴδοις τὴν καρδίαν, ἢ τὰ ἐν τῇ καρδίᾳ, ἀδυνατούσης τῆς γλώττης ἑρμηνεῦσαι τὴν γνώμην, &c. *At rigidi illi & Rhetorices Poëticeſque contemptores, non mihi ſponte ſua tales eſſe, ſed indolis paupertate ne ad minima quidem idonei videntur, quorum citiùs cor, quàm quæ in corde ſunt, videris: cùm eorum lingua quæ in animo ſunt, expeditè enarrare nequeat.* Item: Μειονεκτεῖν ἀνάγκη τὸν ἄνδρα ἐκεῖνον, ὃς οὐ περιεπλέχθη τῷ κύκλῳ, καὶ τὰ μουσῶν οὐκ ὠργίασε. *Iniquiori conditione ſit oportet, qui neque liberalium diſciplinarum circulo initiatus eſt, nec Muſarum orgia celebrauit.* Maximus Tyrius vigeſimam primam habet concionem, cuius hæc eſt inſcriptio: Τί συμβάλλεται πρὸς ἀρετὴν τὰ ἐγκύκλια μαθήματα. *Quid conferant ad virtutem comparandam diſciplinæ liberales.* vbi Poëſim oſtendit ad cupiditates edomandas magni eſſe momenti. Βοιωτοὺς τοὺς ἀγροίκους αὐλὸς ἐπιτηδευόμενος ἡμέρωσε, καὶ ποιητὰς Πίνδαρος συνῳδὸς τῷ αὐλῷ, καὶ Σπαρτιάτας ἤγειρε τὰ Τυρταίου ἔπη, καὶ Ἀργείους τὰ Τελεσίλλης μέλη, καὶ Λεσβίους ἡ Ἀλκαίου ᾠδή. οὕτω καὶ Ἀνακρέων Σαμίοις Πολυκράτην ἡμέρωσε. *Bœotos agreſtes fiſtulæ ſtudium expoliuit, & Pindarus poëta fiſtulæ concinens, Spartiatas Tyrtæi verſus, Argiuos, Teleſillæ carmina, Leſbios Alcæi ode excitarunt, ſic & Anacreon Samiis Polycratem lenem effecit.* Concludit, ἄμουσοι ψυχαὶ καὶ ἐκμελεῖς, παντὶ τῷ ἡδεῖ φαινομένῳ ἐνδιδοῦσαι, οὐδαμῶς ἄν ποτε γένοιντο μέτοχοι ὀρθοῦ νόμου. *Animæ à Muſis alienæ & abſonæ, omni iucunditati apparenti ſe tradentes rectæ legis participes eſſe non poſſunt.* Quòd ſi nonnulli litteras iſtas manſuetiores præ philoſophia contemnunt, de morali illa philoſophia loquuntur, quæ non tam verbis & ſpeculationibus quàm honeſtis actionibus continetur. Plutarchus de inſtitutione puerorum: Ἀστείως καὶ Βίων ἔλεγεν ὁ φιλόσοφος, ὅτι ὥσπερ οἱ μνηστῆρες, τῇ Πηνελόπῃ πλησιάζειν μὴ δυνάμενοι, ταῖς ταύτης ἐμίγνυντο θεραπαίναις, οὕτω καὶ οἱ φιλοσοφίας μὴ δυνάμενοι κατατυχεῖν, ἐν τοῖς ἄλλοις παιδεύμασι τοῖς οὐδενὸς ἀξίοις, ἑαυτοὺς κατασκελετεύουσι· διὸ δεῖ τῆς ἄλλης παιδείας ὥσπερ κεφάλαιον ποιεῖν τὴν φιλοσοφίαν. *Lepidè Bion philoſophus aiebat, quemadmodum proci cùm ad Penelopen accedere non poſſent, eius ancillis miſcebantur, ſic & qui philoſophiam attingere non poſſunt, in aliis ſtudiis vilibus & abiectis ſe ipſos conſumere: quare oportet philoſophiam quaſi culmen aliis ſtudiis apponere.* Quid autem per philoſophiam intelligat, diſertè explicat, eam maximè laudans ex eo quòd ſplendidiſſimum ſit cupiditates edomare. Præclarè Clemens Alexandrinus primo ſtromatum: Ὁπηνίκα δ' αὖ φῇ, Μὴ πολὺς ἴσθι πρὸς ἀλλοτρίαν, χρῆσθαι μὲν, οὐκ ἐνδιατρίβειν δὲ, καὶ ἐναπομένειν τῇ κοσμικῇ παιδείᾳ παραινεῖ. προπαιδεύει δὲ τῷ κυριακῷ λόγῳ τὰ κατὰ τοὺς προσήκοντας καιροὺς ἑκάστῃ γενεᾷ συμφερόντως δεδομένα. ἤδη γάρ τινες τοῖς φίλτροις τῶν θεραπαινίδων δελεασθέντες ὠλιγώρησαν τῆς δεσποίνης φιλοσοφίας, καὶ κατεγήρασαν οἱ μὲν αὐτῶν ἐν μουσικῇ, οἱ δ' ἐν γεωμετρίᾳ, ἄλλοι δ' ἐν γραμματικῇ, οἱ πλεῖστοι δ' ἐν ῥητορικῇ. ἀλλ' ὡς τὰ ἐγκύκλια μαθήματα, συμβάλλεται πρὸς φιλοσοφίαν τὴν δέσποιναν αὐτῶν, οὕτω καὶ φιλοσοφία αὐτὴ πρὸς σοφίας κτῆσιν συνεργεῖ, &c. *Cùm ait*, NE MVLTVM SIS CVM ALIENA, *hortatur vti quidem, ſed non multùm ſtudiis ſecularibus immorari, quæ muniunt & præludunt ſermoni diuino, quæ*

Litterarum & philoſophiæ coniunctio.

Cur multi humaniores litteras cũ philoſophia non coniungant.

Poëtarum vtilitas.

Philoſophia humanioribus litteris, quomodo præterenda.

ſuis temporibus ſingulis ætatibus conuenienter tradita ſunt. iam autem non pauci philtru quibuſdam ancillarum ineſcati, dominam philoſophiam neglexerunt, & alij ætatem conſumpſerunt in muſica, alij in geometria, alij in grammatica, maximam partem in Rhetorica. Sed vt ſtudia liberalia conducunt ad philoſophiam eorum dominam, ſic & philoſophia ipſa ad ſapientiæ acquiſitionem conducit. Seneca epiſtolam habet, cuius initium, *De liberalibus ſtudiis quid ſentiam ſcire deſideras.* 89. vbi docet virtutes liberalibus ſtudiis non acquiri, ſed ad eas vix animum præparari inter cætera: *An tu exiſtimas,* inquit, *reprehendēdum qui ſuperuacua vſu ſibi comparat, & pretioſarum rerum pompam in domo explicat? non putas eum qui occupatus eſt in ſuperuacua litterarum ſupellectile, plus ſcire velle quàm ſit ſatis? intemperantiæ genus eſt. quid, quòd iſta liberalium artium conſectatio, moleſtos, verboſos, intempeſtiuos, ſibi placentes facit, & ideo non diſcentes neceſſaria, quia ſuperuacua didicerunt? quatuor millia librorum Didymus Grammaticus ſcripſit, miſer ſi tam multa ſuperuacua legiſſet.* Item: *Magno impendio temporum, magna alienarum aurium moleſtia laudatio hæc conſtat: ô hominem litteratum!* Et alia quæ conſultò prætereo, quibus quem non à liberalium artium ſtudiis abſterreat? Sed bene habet, quòd non tam ipſa ſtudia quàm ſuperfluas grammaticæ, muſicæ, arithmeticæ, geometriæ quæſtiones damnauerit, alioqui philoſophiam ipſam eadem epiſtolâ damnâſſe videatur. *Philoſophi quantum habent ſuperuacui? quàtum ab vſu recedentis? ipſi quoque ad ſyllabarum diſtinctiones, & coniunctionum ac præpoſitionum proprietates deſcenderunt, & inuidere grammaticis, inuidere geometris. quicquid in illorum artibus ſuperuacuum erat, tranſtulere in ſuam. ſic effectum vt diligentius ſciat loqui, quàm viuere. Audi quantum mali faciat nimia ſubtilitas, & quàm infeſta veritati ſit. Protagoras ait de omni re in vtramque partem diſputari poſſe exæquo, & de hac ipſa, an omnis res in vtramq. partem diſputabilis ſit. Nauſiphanes ait ex his quæ videntur eſſe, nihil magis eſſe quàm non eſſe. Parmenides ait ex his quæ videntur, nihil eſſe in vniuerſum: Zenon Eleates omnia negotia de negotio deiecit: ait nihil eſſe. Circa eadem fere Pyrrhonici, & Megarici, & Eretrici, & Academici, qui nouam induxerunt ſcientiam, nihil ſcire.* Hæc ille. cæterùm omnes philoſophiæ principes, eloquentiæ humanitatiſque ſtudio floruerunt. Parmenides, Meliſſus, Xenophanes, Empedocles, Epicharmus. alij verſib. ſuam philoſophiam tradiderunt. Socrates eloquētiam ita ſectatus eſt, quamuis nonnunquam eam inſectari ſe ſimularit, vt & Antiphontem frequenter audiuerit, & eo nomine paſſim à comicis, potiſſimùm ab Ariſtophane in nebulis carperetur. Eius diſcipulus Xenophon,

Intemperantia doctrinæ.

Veritatis ignoratio.

Philoſophorum veterum eloquentia & eruditio.

Τοῦ καὶ ἀπὸ στόματος μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Cuius ex ore melle dulcior fluebat oratio.

philoſophiam cum humanitatis & eloquentiæ ſtudiis ita coniunxit, vt apis Attica diceretur. Cuius Philoſophia quàm Platonis illuſtrior? ad hanc ſcientiam per eloquentiæ ſtudia deuenit: Μεγαλοφωνότατος τῶν ἄντων κἂν Ὁμήρῳ παραβάλλῃς, ait Maximus Tyrius prima concione, aut vt cum Theodoreto de curatione Græcarū affectionum orat. 1. Ὁ πάντας ἀνθρώπους καὶ οὐ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας μόνον, ἀλλὰ καὶ αὐτοὺς Ἀθηναίους εὐγλωττίᾳ πάντως ἀποκρύψας. *Qui omnes mortales non ſolùm Græcos, ſed etiam Athenienſes eloquentia ſuperauit, & omnes*

Præſtrinxit ſtellas exortus vti Ætherius ſol.

adeovt, quod vulgatum eſt, ſi Iupiter Græcè loqui vellet, Platonis ore loqueretur. hāc & doctrinam & eloquentiam hauſerat ab Homeri aſſidua lectione: Ἐκείνης τῆς ᾠδῆς θρέμμα ἦν Πλάτων, κἂν ἐξομόσηται τὸν διδάσκαλον, ἐξῶ τὰ γνωρίσματα καὶ συνίημι τῶν σπερμάτων

Κείνου τοι τοιοίδε πόδες, τοιαίδε τε χεῖρες

Ὀφθαλμῶν τε βολαί, κεφαλή τ' ἐφύπερθέ τε χαῖται.

Huius concentus alumnus erat Plato, quantumuis Præceptorem abiuret, agnoſco notas, & aduerto quo ſemine ſit procreatus

Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.

inquit Maximus Philoſophus 16. concione. Ariſtoteles à philoſophia nomen inuenit: idem adeo ſtudiis liberalibus addictus fuit, vt & libros de re Poëtica & Rhetorica conſcripſerit, & à Marco Tullio dicatur aureum flumen orationis deuoluere. omitto Theophraſtum, qui nomen à diuina locutione ſortitus eſt.

IN QVO REPREHENDAT.] Alij tamen aſſentationem inter grauiſſima ſcelera numerarunt. Sic Diogenes apud Laërtium: Κρεῖττον ἔλεγεν ἐν ταῖς χρείαις εἰς κόρακας ἢ εἰς κόλακας ἐμπεσεῖν. οἱ μὲν γὰρ νεκρούς, οἱ δὲ ζῶντας ἐσθίουσιν. *Dicebat vrgente neceſſitate ſatius eſſe in coruos quàm in adulatores incidere. illi enim mortuos, hi viuos etiam comedunt.* Idem Diogenes: Ἐρωτηθεὶς τί τῶν θηρίων κάκιστα δάκνει, ἔφη. Τῶν μὲν ἀγρίων συκοφάντης, τῶν δ' ἡμέρων κόλαξ. *Rogatus, quænam omnium beſtiarum peſſimè morderet. Agreſtium, inquit, calumniator, cicurum adulator.* Plutarchus opuſculo 4. Εἰ δὲ θεῖον ἡ ἀλήθεια, καὶ πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς, πάντων δ' ἀνθρώποις ἀρχή, κατὰ Πλάτωνα, κινδυνεύει θεοῖς ἐχθρὸς ὁ κόλαξ εἶναι. *Si diuinum quid eſt veritas, non ſolùm hominibus, ſed etiam Diis omnis boni fons eſt & principium, ſecundum Platonem, magnum periculum adulatoribus impendet, ne ſint Diis inimici.* Vide fuſiſſimè, & opuſculo de inſtitutione puerorum, vbi inter cætera, Τοῖς παισὶ τοῖς πλουσίοις οἱ πατέρες νήφειν παραινοῦσιν, οἱ δὲ (κόλακες) μεθύειν. σωφρονεῖν, οἱ δ' ἀσελγαίνειν. φυλάττειν, οἱ δὲ δαπανᾶν. φιλεργεῖν, οἱ δὲ ῥᾳθυμεῖν. *Pueris opulentis parentes ſobrietatem commendant: iſti ebrietatem. patres temperantiam, iſti libidinem: illi parcitatem, iſti luxum & ſumptus: illi laborem & induſtriam, hi ſegnitiem & ignauiam.* Neque verò dubium eſt tantam eſſe huius vitij fœditatem, vt prope accedat ad atheiſmum: quemadmodum, vt refert Demochares, apud Athenæum lib. 6. Athenienſes aduueniente Demetrio: Ὀρχούμενοι καὶ ἐπᾴδοντες, ὡς εἴη μόνος Θεὸς ἀληθινός, οἱ δ' ἄλλοι καθεύδουσιν, ἢ ἀποδημοῦσιν. *Saltantes & canentes eum ſolum verum eſſe Deum, cæteros aut dormire, aut abeſſe.* Et ex Timæo ibidem: Δημοκλῆς ἐάσας τὰς νύμφας, καὶ εἰπὼν οὐ δεῖν προσέχειν ἀψύχοις θεοῖς, ἐλθὼν ὠρχεῖτο πρὸς τὸν Διονύσιον. *Democles nymphis relictis, dicens non eſſe attendendum inanimatis, ad Dionyſium accedens ſaltitauit.* Quid? quod idololatria per adulationem in orbem irrepſit? nec mirum ſanè adulatores perſuaſiſſe gentilibus, vt aliquam ſibi diuinitatem arrogarent, cùm hāc opinionem nonnulli in Chriſtianorum mentes obtruſerint. Heſychius Illuſtrius: Τριβωνιανὸς κολακεύων Ἰουστινιανὸν ἔπειθεν αὐτὸν ὅτι οὐκ ἀποθανεῖται, ἀλλὰ μετὰ σαρκὸς εἰς οὐρανὸν ἁρπαγήσεται. *Trebonianus Iuſtiniano adulans ei perſuaſit fore vt non interiret, ſed cum corpore in cœlum raperetur.* Sed dies me deficiat, ſi, quæ in adulationem dici poſſunt, coner exprimere. Nunc id agitur, vt i-

11.

Adulatio.

Adulatorum ſacrilega impietas.

deamus cur Orator aſſentationis crimen, leuem accuſationem appellet. duabus videtur excuſationibus hanc accuſationem eleuare. altera quòd eſſet Græculus, cui nationi adulatio inſita, atque innata eſſe videbatur, proindéque minùs vituperandus erat, quaſi non ſuo, ſed communi gentis vitio laboraret. Altera quod eſſet Poëta, cui generi hominum licet blandiri & veris falſa miſcere. Demum eum non adulatorem, ſed aſſentatorem appellat. ea autem videtur eſſe inter vtrumque diſtinctio, quòd adulator omnia ad lucrum referat, & amicum bonis exhauriat, eius, vt ita loquar, ſanguinem adulet & exugat; aſſentator non ſpectet lucrum, ſed tantummodo placere deſideret. Ariſtoteles 4. Ethicorum cap. 6. Τοῦ συνηδύνοντος ὁ μὲν τοῦ ἡδὺς εἶναι στοχαζόμενος μὴ διά τι ἄλλο, ἄρεσκος. ὁ δ' ὅπως ὠφέλειά τις αὐτῷ γίνηται εἰς χρήματα, καὶ ὅσα διὰ χρημάτων, κόλαξ. *Eorum qui delectationem captant, qui ſolam quærit delectationem, nec aliud quicquam, feſtiuus: qui verò vtilitatem pecuniariam, aut aliam huiuſmodi ſectatur, adulator.*

Adulator.

Aſſentator.

III. Græculi. Græcvlvm.] Adulatio Græca frequenter. Cornelius Tacitus 6. annalium de patre & fratre Pompeiæ Macrinæ: *Datum erat crimini, quod Theophanem Mitylenæum proauum eorum Cneius Magnus inter intimos habuiſſet: quódque defuncto Theophani cœleſtes honores Græca adulatione tribuerat.* Iuuenalis:

Græculus eſuriens ad cœlum iuſſeris, ibit.

Item:

Quid quod adulandi gens prudentiſſima? laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici.

Et alia plura, quibus fusè Græculorum adulatio, & garrulitas explicatur.

IV. Vt Poetam.] Poëtæ & adulatores frequenter, & in verſibus impudici, adeo vt nõ pauci etiam verſiculorum ſuorum impudicitiam defenderint. Catullus epigr. 16.

Nam caſtum eſſe decet pium poëtam Poëtæ.
Ipſum, verſiculos nihil neceſſe eſt,
Qui tum denique habent ſalem ac leporem
Si ſint molliculi, ac parum pudici
Et quod pruriat incitare poſſint.

Et alter:

Laſciua eſt nobis pagina, vita proba.

Plinius Iunior epiſtola 14. lib. 4. epiſtola 3. libri 5. epiſt. 4. lib. 7. quibus referendis ſuperſedemus ne impuræ poëſeos patrocinium ſuſcepiſſe videamur. Apuleius apolog. 2. *Diuus Adrianus, cùm Voconij amici ſui poëtæ tumulum verſibus veneraretur, ita ſcripſit:*

Laſciuus verſu, mente pudicus erat.

Quod nunquam ita dixiſſet, ſi forent lepidiora carmina argumentum impudicitiæ habenda. Sed eleganter Muretus:

Raro moribus exprimit Catonem,
Quiſquis verſibus exprimit Catullum.

Et Cachetus non ſolùm medicus vndequaque doctiſſimus, ſed etiam poëta præclarus ſic quodam epigrammate alloquitur Martialem:

Vita proba eſt, inquis, laſciua eſt pagina nobis:
Mirum, Marce, animus ſi capit iſta ſimul.
Cùm laſciua bonos corrumpat pagina mores,
Vix laſciua tibi pagina, vita proba eſt.

Vt meritò laſciuas huiuſmodi paginas *flumen tartareum* vocet Auguſtinus.

AXIOMATA.

Reuocare ſe vix poſſunt qui ſunt improborum familiaritate implicati.

Inconſtantiæ fama metuenda.

ARGVMENTVM.

Pergit à Philodemo culpam impudicitiæ & impuritatis in Piſonem conuertere: Philodemum tamen ipſum perſtringit, quòd ſcribendi rationem inierit à philoſopho prorſus alienam.

LXXI. IN quibus, ſi quis velit, poſſit iſtius tanquam in ſpeculo vitam intueri, ex quibus multa à multis lecta, & audita recitarem, niſi vererer, ne hoc ipſum genus orationis, quo nunc vtor, ab huius loci more abhorreret, & ſimul de ipſo, qui ſcripſit, detrahi nolo. qui ſi fuiſſet in diſcipulo comparando meliore fortuna, fortaſſe auſterior, & grauior eſſe potuiſſet: ſed eum caſus in hanc conſuetudinem ſcribendi induxit, philoſopho valde indignam: ſiquidem philoſophia, vt fertur, virtutis continet & officij, & benè viuendi diſciplinam: quam qui profitetur, grauiſſimam mihi ſuſtinere perſonam videtur.

EXPLANATIO.

In qvibvs.] Philodemi verſiculis. mox ſeipſum excuſat quòd in grauiſſimorum Senatorum conſeſſu perorans verſiculorum & poëtæ fecerit mentionem: ideóque ſe dicit à proferendis iis verſiculis temperare.

De ipso, qvi scripsit.] Philodemo nolo inurere impuritatis infamiam.

Sed evm casvs.] Neceſſitas obſequendi & obtemperandi voluntati Piſonis, qui poëtam illum iubebat ad verſus libidinoſos animum appellere. Caſum appellat, quia non præuiderat ex familiaritate Piſonis hanc ſibi impudicitiæ neceſſitatem imminere.

Philosopho valde indignam.] Hunc videtur facere ſyllogiſmum.

Indignum eſt eum qui philoſophiam profitetur verſus molles conſcribere.

Sed Philodemus Philoſophiam profitetur.

Ergo indignum eſt Philodemum verſus molles conſcribere.

Probat propoſitionem altero ſyllogiſmo.

Indignum eſt eum qui virtutis, officij, bene viuendi diſciplinam profitetur verſus molles conſcribere.

Sed philoſophia eſt virtutis, officij, bene viuendi diſciplina.

Ergo indignum eſt eum qui philoſophiam profitetur verſus molles conſcribere.

N O T Æ.

1. Fortunæ & caſus diſtinctio.

MELIORE FORTVNA.] Aduerte proprietatem verborum ex intima philoſophia repetitam. caſui tribuit quòd Philodemus in Piſonem inciderit, & eius familiaritate præter animi inductionem & citra conſilium ſe paſſus fuerit implicari: ad fortunam refert ſi bonum diſcipulum ſibi comparaſſet. Si quidem fortuna non niſi iis qui cum ratione & conſilio agunt euenit: caſus brutis etiam poteſt contingere. Ariſtoteles 2. phyſicorum, cap. 5. t. 52. Ἡ τύχη αἰτία κατὰ συμβεβηκὸς ἐν τοῖς ἐπ' ἔλαττον κατὰ προαίρεσιν, τῶν τῶν ἕνεκά του. *Fortuna eſt cauſſa ex accidenti in iis quæ raro contingunt, ſecundum praelectionem eorum quæ alicuius gratia fiunt.* Obſcurus Loxiæ ipſius oraculis. Hæc opinor eſt ſententia. fortuna eſt cauſſa ex accidenti in iis quæ raro ex præelectione & datâ operâ contingunt, cauſſa, inquam, ex earum numero quæ alicuius rei gratia & ex electione operantur. Subdit enim: Διὸ περὶ τὸ αὐτὸ διάνοια καὶ τύχη, ἡ γὰρ προαίρεσις οὐκ ἄνευ διανοίας. *Quapropter in eodem verſantur mens & fortuna, quia praelectio non eſt ſine mente.* Et aliquanto pòſt ita caſum à fortuna diſtinguit: Διαφέρει δὲ ὅτι τὸ αὐτόματον ἐπὶ πλεῖόν ἐστι. τὸ μὲν γὰρ ἀπὸ τύχης, ἀπὸ ταὐτομάτου· τοῦτο δὲ οὐ πᾶν ἀπὸ τύχης. *Differunt autem quia caſus latiùs patet. quod enim à fortuna eſt, caſu eſt: hoc autem non omne eſt à fortuna.* Item: Ὅσοις μὴ ἐνδέχεται πρᾶξαι, οὐδὲ τὸ ἀπὸ τύχης τι ποιῆσαι, καὶ διὰ τοῦτο οὔτε ἄψυχον οὐδὲν, οὔτε θηρίον, οὔτε παιδίον, οὐδὲν ποιεῖ ἀπὸ τύχης, ὅτι οὐκ ἔχει προαίρεσιν· οὐδὲ εὐτυχία, οὔτ' ἀτυχία ὑπάρχει τούτοις, εἰ μὴ καθ' ὁμοιότητα. ὥσπερ, ἔφη, Πρώταρχος, εὐτυχεῖς εἶναι τοὺς λίθους, ἐξ ὧν οἱ βωμοὶ, ὅτι τιμῶνται, οἱ δ' ὁμόζυγες αὐτῶν καταπατοῦνται. *Quocirca quæcunque non poſſunt agere, ea nec fortuito aliquid facere queant, atque ob hanc cauſſam, nec inanimatum aliquid, nec bellua, nec infans facit aliquid fortuito, quia non habet praelectionem. nec fortunæ proſperitas vel infortunium hic ineſt, niſi ſecundum ſimilitudinem: vt Protarchus dixit fortunatos eſſe lapides ex quibus aræ extruuntur, quia honorantur, cùm alij eiuſdem generis pedibus conculcentur.* Concludit tandem, ὥστε φανερὸν ὅτι ἐν τοῖς ἁπλῶς ἕνεκά του γινομένοις, ὅταν μὴ τοῦ συμβάντος ἕνεκα γένηται, ὧν ἔξω τὸ αἴτιον, τότε ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου λέγομεν. ἀπὸ τύχης δὲ τούτων ὅσα ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου γίνεται τῶν προαιρετῶν τοῖς ἔχουσι προαίρεσιν. *Quare perſpicuum eſt in iis quæ ſimpliciter alicuius cauſſâ fiunt, quando non eius, quod contigit, gratia facta ſunt, quæ externam cauſſam habent, tunc nos dicere hæc caſu eſſe facta. horum autem quæ caſu fiunt, ea fieri à fortuna, quæ caſu fiunt, & ſub eorum præelectionem cadunt, quæ præelectione ſunt prædita.* Sed ſi philoſophandum fuit, præſtabat fortaſſe cum Neoptolemo paucis philoſophari.

PHILOSOPHIA VT FERTVR.] Seneca II.
epiſtola 90. vel vt alij numerant 89. *Philoſophiam quoque fuerunt qui aliter, atque aliter definirent: Alij ſtudium illam virtutis eſſe dixerunt: alij ſtudium corrigendæ mentis: à quibuſdam dicta eſt appetitio rectæ rationis.* Eodem recurrit & illa definitio Platonica, apud Alcinoum libello illo aureo de placitis Platonis, φιλοσοφία ἐστὶν ὄρεξις σοφίας, ἢ λύσις καὶ περιαγωγὴ ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος ἐπὶ τὰ νοητὰ ἡμῶν τρεπομένων, καὶ τὰ κατ' ἀλήθειαν ὄντα. *Philoſophia eſt ſapientiæ appetitus, aut ſolutio & circumactio animæ, quæ fit cùm à corpore ad intelligibilia conuertimur, & ad ea quæ ſunt ſecundum veritatem.* Quæ definitio tum ex aliis dialogis, tum præſertim è Phædone depromptа eſt. κινδυνεύουσι γὰρ ὅσοι τυγχάνουσιν ὀρθῶς ἁπτόμενοι φιλοσοφίας λεληθέναι τοὺς ἄλλους, ὅτι οὐδὲν ἄλλο ἐπιτηδεύουσιν ἢ ἀποθνήσκειν τε καὶ τεθνάναι. *Periculum eſt ne vulgus ignoret eos qui, vt par eſt, philoſophiæ ſe tradunt, nihil aliud agitare & ſtudere, quàm vt moriantur.* Item: Οἱ ὀρθῶς φιλοσοφοῦντες ἀποθνῄσκειν μελετῶσι, καὶ τὸ τεθνάναι ἥκιστ' αὐτοῖς ἀνθρώπων φοβερόν. *Qui rectè philoſophantur mori meditantur, iiſque mors minimè omnium mortalium eſt terribilis.* Clemens Alexandrinus in Protreptico: Φιλοσοφία δὲ, ἥ φασιν οἱ πρεσβύτεροι, πολυχρόνιός ἐστι συμβουλὴ σοφίας ἀΐδιον μνηστευομένη ἔρωτα. *Philoſophia verò, vt loquuntur antiquiores, diuturnum eſt ſapientiæ conſilium, quæ æternum procatur amorem.* Aliam adfert, & 1. pædagogi cap. 13. φιλοσοφίαν ἐπιτήδευσιν λόγου ὀρθότητος ἀποδιδόασιν. *Philoſophiam definiunt ſtudium rectæ rationis.* Et 2. Stromatum: Φιλοσοφίας οὔσης ὀρέξεως τοῦ ὄντως ὄντος καὶ τῶν εἰς τοῦτο συντεινόντων μαθημάτων. *Cùm philoſophia ſit ſtudium eius quod verè eſt & diſciplinarum quæ ad illud conducunt.* Noſter paſſim: *Philoſophiam ſtudium ſapientiæ, vitæ ducem, morum magiſtram* appellat. Id Lactantius libro 3. cap. 14. de falſa ſapientia multis reprehendit, ſubdítque cap. ſequenti: *Eodem ductus errore Seneca (Quis enim veram viam teneret errante Cicerone?) Philoſophia, inquit, nihil aliud eſt, quàm recta viuendi ratio, vel honeſtè viuendi ſcientia, vel ars rectè vitæ agendæ. Non errabimus, ſi dixerimus philoſophiam eſſe legem bene honeſtéque viuendi, & qui dixit illam regulam vitæ, ſuum illi nomen reddidit.* Hæc è Seneca Lactantius, quæ nec ipſi ſatis arrident.

A X I O M A T A.

Philoſophia virtutis continet, & officij, & bene viuendi diſciplinam

Qui philoſophiam profitetur, grauiſſimam ſuſtinet perſonam.

Obiecerat Piſo Ciceronem vno verſu Cæſaris & Pompeij odium in ſe concitaſſe, eumque hanc ob cauſſam ab iis oppugnatum fuiſſe, ac proinde magis Cæſari & Pompeio, quam vel ſibi, vel Gabinio iraſci debuiſſe. vtrumque confutat Orator à 72. ad 82.

- Cæſar & Pompeius illo verſu
  - nec offenſi ſunt
    - Prior pars CEDANT ARMA TOGÆ ſignificat
      - non res geſtas Imperatorum oratoriæ facultati concedere. 73.
      - ſed pacem bello eſſe præferendam.
    - pars poſterior CONCEDAT LAVREA LAVDI ioco & feſtiuitate quædam eluditur. 74.
  - nec offendi debuerunt, præſertim Pompeius, qui
    - & frequenter à Cicerone laudatus vnum verſiculum multis orationibus compenſare debuiſſet. 75.
    - & humanior eſt, quàm vt propter vnum verſum ad perniciem hominis & ciuis, & conſularis, & amici moueatur. 75.
- Nec Cicero illis debuit iraſci
  - non Pompeio. 76. quia
    - non deſtitit diligere Ciceronem, quamuis prohibitus fuerit ab eius congreſſu maleuolorum ſermonibus. 76.
    - & ſe pro Cicerone ſi Conſules auctores eſſe voluiſſent armis cum P. Clodio certaturum eſſe promiſit. ſed Piſo Conſul vſque adeò auctor non fuit, vt comminatus fuerit ſe Clodio non defuturum. 77. 78.
  - non Cæſari, quia
    - nec Cæſari Ciceroni fuit inimicus, ſed eum voluit eſſe participem earum rerum, quas ipſe gerebat in ſuo conſulatu. 79.
    - nec deſeruit Ciceronem odio ipſius, ſed metu ne acta ſua reſcinderentur incolumi Cicerone. 79.
    - Pompeio aſſenſus eſt de reuocando Cicerone. 80.
    - & ſi fuiſſet Cæſar inimicus, tamen eum Cicero odiſſe non poſſet
      - ob virtutem vtrique communem, quæ cõciliat etiam inimicos. 81.
      - ob res Cæſaris geſtas, quibus imperium propagauit, & firmauit. 81. 82.

ARGVMENTVM.

A reprehenſione verſuum Philodemi, ad ſuorum ipſius defenſionem delapſus Piſoni reſpondet, qui obiecerat offenſum fuiſſe Pompeium Ciceroni, quòd Cicero verſu quodam res à ſe geſtas Pompeij victoriis prætuliſſet.

SED idem caſus illum ignarum quid profiteretur, cùm ſe philoſophum eſſe diceret, iſtius impuriſſimæ, atque intemperatiſſimæ pecudis cœno, & ſordibus inquinauit: qui modò res geſtas conſulatus mei cùm laudaſſet (quæ quidem laudatio hominis turpiſſimi, mihi ipſi erat pænè turpis.) Non vlla tibi, inquit, inuidia nocuit, ſed verſus tui. Nimis magna pœna, te Conſule, conſtituta eſt ſiue malo poëtæ, ſiue libero. Scripſiſti enim verſus, *Cedant arma togæ.---* LXXII.
Quid tum? Hæc res tibi fluctus illos excitauit. At hoc nuſquam opinor ſcriptum fuiſſe illo elogio, quod, te Conſule, in ſepulchro Reipub. inciſum eſt, *Velitis, iubeatis, vt, quòd M. Cicero verſum fecerit*, ſed *quòd vindicarit.*

EXPLANATIO.

SED IDEM CASVS.] Idem caſus qui Philodemum in conſuetudinem impudicè ſcribendi induxit, eum etiam Piſonis flagitiis inquinauit, effecítque, vt quamuis non ex certa animi inductione, tamen Piſonis exemplo quodam velut æſtu abreptus iiſdem ſe vitiorum ſordibus dederet, quibus Piſonem videbat immerſum.

QVI MODÒ.] Piſo cùm laudaſſet res geſtas in meo conſulatu, & Catilinæ coniurationem meis conſiliis prudenter extinctam eſſe dixiſſet, ſubiecit me non propter res geſtas, ſed propter verſus meos in inuidiam veniſſe, adeóque impudens fuit vt qui alium ad ſcribendos impudicos verſus induxerat, reprehenderet meos. Dialogiſmo feſtiuo & eleganti orationem illuſtrat. Piſo, *non vlla tibi inuidia nocuit, ſed verſus tui.* Cicero: *Nimis magna pœna te Conſule conſtituta eſt, ſiue malo poëtæ, ſiue libero.* Piſo: *Scripſiſti enim verſus, Cedant arma togæ.* Cicero: *quid tum?* Piſo: *Hæc res tibi fluctus illos excitauit.* Cicero: *At hoc nuſquam*, &c.

NIMIS MAGNA.] Quandoquidem res à me geſtas laudas, non debuiſti Conſul permittere, vt propter verſus eiicerer è ciuitate. vel enim id in meis verſibus tibi libertas in loquendo, vel inconcinnitas diſplicebat. at neutrum cauſſa fuit iuſta, cur exilium mihi ſineres irrogari: quare nimis magna pœna te Conſule in meum caput eſt conſtituta.

SCRPSISTI ENIM VERSVS.] In libris de tuo conſulatu ſcripſiſti verſus, quibus res à te geſtas in pace & toga, Imperatorum ſummorum armis & victoriis præferebas.

HÆC RES.] Hæc iactantia tibi offenſionem Pompeij, concitauit, & illos ciuilis inuidiæ fluctus, qui in te redundarunt, dum Clodij lege eiectus es.

IN ILLO ELOGIO.] In illo priuilegio ſiue potiùs proſcriptione, qua P. Clodius mihi exilium irrogauit. vide Notas.

VINDICARIT.] In coniuratos Lentulum, Cethegum & alios quos in carcere iugulauit.

NOTÆ.

IMPVRISSIMÆ AC INTEMPERATISSIMÆ PECVDIS.] Per pecudem aliquando hominem ſtolidum, aliquando voluptatibus deditum, intemperantem, impurum intelligunt. Cornelius Tacitus 13. annalium de Iunio Silano: *Segnis & dominationibus aliis faſtiditus adeò, vt Caius Cæſar pecudem auream appellare ſolitus ſit.* Et Diogenes, vt eſt apud Laërtium: Τὸν πλούσιον ἀμαθῆ πρόβατον εἶπε χρυσόμαλλον. *Diuitem indoctum pecudem aureo vellere indutam nominabat.* Ad ſtuporem ſpectat verſus ille Iuuenalis Sat. 10. I. Pecus ſtolida.

-cuius prudentia monſtrat
Summos poſſe viros & magna exempla daturos
Veruecum in patria, craſſóque ſub aëre naſci.

Veruex, aut, vt aiunt vetera gloſſaria, berbix, *vne brebis*, aut, *muttonius*, προβασκαῖον, fortaſſe προβάτιον, *vn moutton*, quo ſenſu Cercidas mimographus Κριόμυξον, quaſi veruecino muco plenum appellat hominem inſulſum. Galenus θεραπευτικῶν ς΄. ab Adriano Iunio citatus: Θεσσαλὸς δ᾽ ἅμα τοῖς ἑαυτοῦ σοφισταῖς ἐφ᾽ ὑψηλοῦ θρόνου καθήμενος, ἐν κριομύξοις ἀνθρώποις, ὡς ὁ Κερκίδας φησὶν, εὐδοκιμήσει. *At Theſſalus vnà cum ſuis Sophiſtis edito in ſolio reſidens, inter veruecinos viros, vt Cercidas ait, præclarè de ſe loquetur.* hinc *pecuatus*, idem atque *ſtultus* Fulgentio, libello de priſco ſermone: *Antidamus in moralibus: Fabrè compactum animal hominem quis ferat ſic ex re pecuatum? quis auerruncaßit tam eretinas hominum mentes? porro auerruncare dixit pro eradicare, eretinas verò teſteas vel argillaceas, & pecuatum, ſtultum.* Lego eretinas cum veteribus impreſſis, ἀπὸ τῆς ἔρας, id eſt, *terra*, vnde dictio ἔραζε, non *aretinas*, vt voluit Gothofredus. Frequenter pecus pro voluptario & impuro reperitur: quia nimirum pecorum vitam imitantur, *quæ*, vt ait Salluſtius in Catilina, *natura prona, atque ventri obedientia finxit.* Cuius appellationis luculentam reddit Plato 7. de Repub. rationem: Ἀλλὰ βοσκημάτων δίκην κάτω ἀεὶ βλέποντες, καὶ κεκυφότες εἰς γῆν, καὶ εἰς τραπέζας βόσκονται χορταζόμενοι, καὶ ὀχεύοντες, καὶ ἕνεκα τῆς τού- Pecus pro voluptario.

τῶν πλεονεξίας λακτίζοντες κυρίττοντές τ' ἀλλήλους σιδηροῖς κέρασί τε καὶ ὁπλαῖς ἀποκτιννύασι δι' ἀπληστίαν, ἅτ' οὐχὶ τοῖς οὖσιν, οὐδὲ τὸ ὄν, οὐδὲ τὸ στεγὸν ἑαυτῶν πιμπλάντες. *Sed pecudum inſtar ſemper deorſum intuentes, & proni in terram, & in epulis, paſcuntur cibis & veneri indulgentes, & propter harum voluptatum affluentiam calcitrantes, ſe ferreis cornibus & vngulis impetentes propter inſatiabilem earum cupiditatem interimunt, quòd videlicet non rebus verè exiſtentibus, ſecundum illam ſui partem quæ verè & ſolidè exiſtit, impleantur.* Et omnium elegantiſſimè S. Auguſtinus in Pſalmum CII. *Pecori quid bonum eſt niſi implere ventrem, carere indigentia, dormire, geſtire, viuere, ſanum eſſe, generare? tale tu bonum quæris? cohæres Chriſti quid gaudes? quia ſocius es pecorum?* Hæc ſatis ad Ciceronem. Cæterùm ex antè dictis locus tertij Georgicon, quem hactenus, quod ſciam, nulli interpretes attigerunt, poteſt explicari.

Virgilius explicatur. -*Eia ſegnes*
Rumpe moras: vocat ingenti clamore Citheron
Taygetique canes, domitrixque Epidaurus equarum.

Virgilius propoſuit equorum, canum, vaccarum, ouium, caprarum naturam deſcribere, Mecænatem implorat. Suadet, inquit, & Poëtam hortatur equorum altrix Epidaurus, Taygetique canes equorum & canum naturam exponere: per Citheronem verò Bœotiam huic monti ſubiacentem intelligit, quæ teſte Nonno, Ouidio & aliis à boue candida nomen ſortita eſt, &, quoad partem, arnia quaſi veruecina dicebatur antiquitus. Thucydides libro primo: Βοιωτοί τε γὰρ ἑξηκοστῷ ἔτει μετ' Ἰλίου ἅλωσιν ἐξ Ἄρνης ἀναστάντες ὑπὸ Θεσσαλῶν τὴν μὲν νῦν Βοιωτίαν, πρότερον δὲ Καδμηΐδα γῆν καλουμένην ᾤκησαν. *Bœotij enim anno poſt Troiæ excidium ſexageſimo ex Arna à Theſſalis eiecti, eam regionem quæ nunc Bœotia, olim Cadmeis dicebatur, occuparunt.* Subdit interpres: Ἄρνη πόλις Θεσσαλίας ἀφ' ἧς ὠνόμασται κατὰ μετοικίαν καὶ ἡ ἐν Βοιωτίᾳ, νῦν Χαιρώνεια καλεῖται. *Arne Theſſaliæ oppidum, à qua, tranſcriptis eò Arneis, Arne nuncupata eſt in Bœotia, quæ nunc Cheronæa nominatur.* Eadem penè Scholiaſtes Ariſtophanis in nubibus: Ζηνόδοτος Βοιωτοῖς φησὶν Ἄρνην ποτὲ οἰκοῦσι προείρητο ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἐκπεσεῖσθαι λευκῶν κοράκων φανέντων. *Bœotis qui olim Arnem incolebant, redditum eſt diuinum oraculum fore, vt patriâ exciderent, cùm albi corui viſi fuiſſent.* Et alia quæ taceo tum breuitatis cauſsâ, tum quòd ſuperioribus planè germana eſſe videantur. Hinc Aries ille Phryxi Poëtarum fabulis adeo celebratus. Hinc illa capra quam vbera Ioui lactenti admouiſſe fabulantur. Hinc ſua Bœotica in prouerbiis apud Pindarum Ode 6. Olymp. epodo 4. Γνῶναι δ' ἔπειτ' ἀρχαῖον ὄνειδος, ἀλαθέσιν λόγοις εἰ φεύγομεν Βοιωτίαν ὗν. *Horis deinde an antiquum opprobrium veris ſermonibus fugiamus ſuem Bœoticam.* Iam igitur, vt ſubductis rationibus dictorum ſummam faciamus, Virgilij hæc videtur eſſe ſententia, *vocat ingenti clamore Citheron*, ſiue Bœotia, boum, ouium, caprarum, ſuum patria, Taygetus canum, Epidaurus equorum, horum animalium naturam deſcribere hortatur.

II. Voluptas cœnum. COENO ET SORDIBVS.] Notum eſt impuras haſce voluptates cum cœno & ſordibus comparari. Pulchrè Lucianus in Nigrino: Πάσαις δὲ πάσαις πύλαις τὴν ἡδονὴν καταδέχεσθαι. τοῦτο μὲν δι' ὀφθαλμῶν, τοῦτο δὲ δι' ὤτων τε καὶ ῥινῶν· τοῦτο δὲ καὶ διὰ λαιμοῦ καὶ δι' ἀφροδισίων. ὑφ' ἧς δὴ ῥέοντος ἀεννάῳ τε καὶ θολερῷ ῥεύματι πᾶσαι μὲν ἀνευρύνονται ὁδοί. συνεισέρχεται γὰρ μοιχεία, καὶ φιλαργυρία, καὶ ἐπιορκία, καὶ τὸ τοιοῦτον φῦλον τῶν ἡδονῶν· παρασύρεται δὲ τῆς ψυχῆς ὑποκλυζομένης πάντοθεν, αἰδὼς καὶ ἀρετὴ καὶ δικαιοσύνη· τῶν δὲ ἔρημος ὁ χῶρος γενόμενος ἰλὺν ἀεὶ (lego ἰλύος τε) πιμπλάμενος, ἀνθεῖ πολλαῖς τε καὶ ἀγρίαις ἐπιθυμίαις. *Poſſumus multis ianuis voluptatem admittere, partim oculis, partim auribus, & naribus: partim gutture & venere, qua perenni & turbido lapſu influente, omnes viæ dilatantur. ſimul enim intrat adulterium, auaritia, periurium, & aliæ voluptates eiuſmodi, eiicitur verò animâ vndequaque innundatâ, verecundia, virtus, iuſtitia à quibus cùm locus deſertus fuerit, anima cœno quodam impleta multis & agreſtibus cupiditatibus pullulabit.* Cui ſimillimum eſt illud Baſilij Magni in Aſceticis libro de vera virginitate: Μία γὰρ οὖσα τῷ γένει ἡ ἡδονή, ὥσπερ πηγή τις ἀπὸ σαρκῶν ἀναβλύζει, καὶ καθάπερ εἴς τινας ὀχετοὺς τὰς πέντε αἰσθήσεις διαιρεθεῖσα, διὰ τούτων ἐπὶ τὰ αἰσθητὰ ἔνδοθεν ῥεῖ· ὧν ἕκαστον διὰ τῆς οἰκείας τῶν αἰσθητηρίων ὀπῆς τὸ ἑαυτοῦ ῥεῖθρον τῷ καθ' ἑαυτὸν αἰσθητῷ σφοδρῶς ἐμβάλλον πᾶν εἴ τι συγγενὲς ἀποκλύσαν πρὸς ἑαυτὸ ἐπισύρεται, ἰλύος τε τῆς ἀπὸ σαρκὸς πληρώσαν καὶ χειμάρρου τρόπον ἀντιστρόφως αὖθις ἀπὸ τῶν ἔξω διὰ τῶν αὐτῶν ὀπῶν εἰς τὰς σαρκὸς δίνας ὀξύτερον ῥέον τὴν αὐτὴν ψυχὴν κυμάτων τοῖς πάθεσιν ὑποβρύχιον φέρει. *Vna enim cùm ſit genere voluptas, inſtar fontis cuiuſdam à carne ſcaturiens, & tanquam in quinque canales ſic in ſenſus quinque diſtributa, per hos ad internos ſenſus interiore quodam fluxu delabitur. quorum vnuſquiſque per proprium ſui ſenſorij foramen, ſuum ipſius fluentum ſuo ipſius ſenſui vehementer immittens, omne quod congenitum eſt inundans ad ſeipſum trahit, & cum cœno quodam à carne defluente impleuerit torrentis inſtar, contrario influxu rurſum ab exterioribus, per eadem ſenſuum foramina in carnis vortices rapidiùs fluens ipſam mentem perfluctuans demerſam iactat.* In qua ſimilitudine toto penè tractatu immoratur.

LAVDATIO HOMINIS TVRPISSIMI.] III.
Magnificiendum boni viri iudicium, & à laudato viro laudari optabile, vt multis oſtendimus in Vatinium 19. *Boni viri iudicent.* ita claris viris laudatione improborum labecula quædam adſpergitur, vt dicitur eadē interrogatione §. 41.

ELOGIO.] Elogium, vt veteres gloſſæ quæ IV. Elogium.
Palemoni tribuuntur, exponūt, textum malorum geſtorum, quam notoriam dicunt, item ordinem criminum, & vitiorum ſignificat, onera in vſu forenſi & informationes dicimus. l. 6. D. de cuſtod. reo. l. vltima de nauicul. in cod. Theod. Tranquillus in Caligula cap. 27. *Cuſtodiarum ſeriem recognoſcens, nullius inſpecto elogio, ſtans tantummodo, intra porticum mediam, à caluo ad caluum duci imperauit.* Tertullianus in apologetico: *Veſtros enim iam conteſtamur actus, qui quotidie iudicandis cuſtodiis qui ſententiis elogia diſpungitis, tot à vobis nocentes variis criminum elogiis recenſentur.* Idem in libro ad Scapulam: *Prudens etiam miſſum ad ſe Chriſtianum cum elogio, confeſſione eius intellectâ dimiſit, ſciſſo eodem elogio.* Ammianus Marcellinus libro decimo quarto: *Oblato de more elogio addicti ad pœnam.* hæc Briſſonius libro quinto de verborum ſignificatione. addi poteſt Ælius Spartianus in Septimio Seuero: *Legationem Proconſulis Africæ accepit.*

accepit, in qua legatione, cùm eum quidam municipum ſuorum Leptitanus præcedentibus faſcibus, vt antiquum contubernalem ipſe plebeius amplexus eſſet, fuſtibus eum ſub elogio præconis cecidit. LEGATVM POP. ROM. HOMO PLEBEIVS TEMERE AMPLECTI NOLI. *Ex quo factum eſt, vt in vehiculo etiam legati ſederent, qui ante pedibus ambulabant.* Ammianus lib. 30. de Valentiniano qui Africanum iuſſerat interfici. *Abi*, inquit, *Comes, & muta ei caput, qui ſibi mutari prouinciam cupit, & hoc elogio periit homo diſertus, ad potiores feſtinans vt multi.* Cuius vocabuli vim non percepit Fulgentius Placiades: *Elogium*, inquit, *eſt hereditas in malo. Cornelius Tacitus libro facetiarum. Cæſi itaque morum elogio in filiis relicto.*

V. Velitis, iubeatis. VELITIS, IVBEATIS.] In rem fuerit quædam ex Briſſonij formulis exſcribere lib. 2. pro domo ſua: *Velitis iubeatis, Quirites, vt M. Tullio aqua & igni interdictum ſit.* Sed & de verè ſacro vouendo populum à Lucio Cornelio Lentulo Pontifice Maximo in hæc verba rogatum fuiſſe Liuius lib. 22. auctor eſt: *Velitis, iubeatis hoc ſic fieri.* Rogationis etiam ad populum quo auctore ad rogationes fiebant hanc fuiſſe formulam Agellius lib. 5. cap. 19. tradit: *Velitis, iubeatis vti Lucius Valerius Luc. Titio tam iure legéque filius ſiet, quàm ſi ex eo patre matréque familias eius natus eſſet.* Liuius lib. 26. *De his rebus quid fieri velitis, iubeatis rogo Quirites: plebs ſic iuſſit, quod Senatus maxima pars cenſeat, qui aſsidetis, id volumus iubemuſque.* Iterum Noſter pro domo ſua: *Vt ſi Tribunos plebis rogaſſe, velitis iubeatis, Sedulij centum ſe velle & iubere dixerint.* Quorum verborum differentiam hanc ſtatuit Donatus Terentij Andr. actu 3. Sc. 1. *Volumus animo, iubemus verbis.* Addit vir doctiſſimus proprium fuiſſe populi iubere, vt plebis ſciſcere, Senatus cenſere. Cicero pro Flacco: *Quæ ſciſceret plebs, aut quæ populus iuberet.* Liuius libro 10. *Bellum Samnitibus & cenſuere Patres, & populus iuſſit.* Apud eundem libro 31. *Sulpicius Conſul populum concione aduocatâ alloquens, quæ Patres, ait, cenſuerunt, vos iubete.* Hæc vir doctiſſimus. Liuius libro 38. *Num Senatum quoque de bello conſuli non placet? non ad populum ferri velint iubeántve cum Gallis bellum fieri?*

AXIOMATA.

Amici & familiares impurorum hominum, eodem cœno & ſordibus inquinantur.

Laudatio hominum turpium iis, qui laudantur, eſt penè turpis.

ARGVMENTVM.

Explicat illum verſum qui dicebatur fluctus illos & mortalium odium concitaſſe, eóque detorquet, vt non res à ſe geſtas clarorum Imperatorum factis, ſed bello pacem anteponat.

VERVM tamen, quoniam te non Ariſtarchum, ſed Phalarim grammaticum habemus, qui non notam apponas ad malum verſum, ſed poëtam armis perſequare: ſcire cupio quid tandem iſto in verſu reprehendas, *Cedant arma togæ.* Tuæ dicis, inquit, togæ ſummum Imperatorem eſſe ceſſurum. Quid nunc te, aſine, litteras doceam? non opus eſt verbis, ſed fuſtibus. Non dixi hanc togam, qua ſum amictus: nec arma, ſcutum, & gladium vnius Imperatoris: ſed, quòd pacis eſt inſigne, & otij, toga: contrà autem arma, tumultus, atque belli: more poëtarum locutus, hoc intelligi volui, bellum, ac tumultum, paci, atqué otio conceſſurum. LXXIII.

EXPLANATIO.

VERVNTAMEN.] Rationem reddit cur verſum ſuum debeat explicare: nimirum Piſonis crudelitatem, qui non contentus grammaticorum more reprehendere verſus malos, poëtam armis fuerat perſecutus.

NON ARISTARCHVM.] Similem inſigni illi grammatico qui Homeri verſus quos non probabat, tanquam ſpurios & à maieſtate Homerica alienos, obeliſco ſiue ſtella notabat.

SED PHALARIM.] Tyrannum omni immanitate atque diritate teterrimum.

NON NOTAM APPONAS.] Obeliſcos vel aſteriſcos, vt Ariſtarchus.

TVÆ DICIS.] Affert interpretationem Piſonis, vt eam validiùs confutet. Sic autem Piſo verſum explicabat. CEDANT ARMA TOGÆ. id eſt, Res à me geſtæ in pace & toga, Summorum Imperatorum vt Cæſaris & Pompeij factis ſunt anteponendæ.

MORE POETARVM.] Qui non ſemper propria verba ſectantur, ſed tropis & figuris vtuntur, vt grandior & pompatior exiſtat oratio.

NOTÆ.

I. Ariſtarchus. NON ARISTARCHVM.] Epiſtola vndecima libri tertij ad familiares: *Vt enim Ariſtarchus Homeri verſum negat, quem non probat, ſic tu (libet enim mihi iocari) quod diſertum non erit, ne putaris meum.* Talis fuit ille verſus quo Phœnix aſſerit voluiſſe ſe patri manus inferre violentas.

Τὸν μὲν ἐγὼ βούλευσα κατακτάμεν ὀξέϊ χαλκῷ.

quem, vt refert Plutarchus opuſculo de audiendis poëtis, Ariſtarchus expunxerat. Quàm inſanabile porro ſcribēdi cacoëthes hūc litteratorē tenuerit,

liquet ex Suida, qui eum tradit octingentos commentariorum libros in lucem edidiſſe. Eum Vitruuius in prologo libri primi Grammaticorum omnium principem fuiſſe tradit.

II. POETAM ARMIS PERSEQVARE.] Vt Phalaris Steſichorum poëtam armis eſt perſecutus. quanti tamen eum fecerit, ex eiuſdem ſcriptis liquet. Steſichorus Phalarim è principatu ſuæ ciuitatis exegerat. epiſt. 94. Τυραννοῦμεν, ὦ Στησίχορε, καὶ οὐχ Ἱμεραίων, ἀλλ' Ἀκραγαντίνων. ὥστε σοι πολλὴν εἰδέναι χάριν, ὅτι ἀφελόμενος ἡμᾶς ἐλάττω ἀρχὴν, τὴν μείζω δέδωκας. *Tyranni ſumus, ô Steſichore, non Himeræorum, ſed Agrigentinorum. quare magnam tibi gratiam habemus, quod erepto minori principatu, maiorem tradidiſti.* Eam tamen ſic obſeruauit, vt redactum in poteſtatem non pœnâ, ſed beneficiis affecerit. Sic enim epiſt. 93. ſcribit ad Himeræos: Ἀπελύσαμεν Στησίχορον. *Steſichorum è vinclis emiſimus.* Subdit rationem: Ἀλλὰ ταῖς θεαῖς αὐτὸν ἀφήκαμεν αἷς ἐστι κάτοχος, καὶ ὅσοι ἔχουσι τὴν Ἱμεραίαν γῆν θεοί τε καὶ ἥρωες. *Sed in Dearum gratiam, quibus tenetur, eum dimiſimus, & Deorum Heroúmque, qui terram Himeræorum incolunt.* Et epiſtola 103. Steſichori liberis in hæc verba reſcribit: Ἐγὼ δὲ μυρίοις πόνοις προθυμηθεὶς ἑλεῖν, ἐπὶ τοῦτο περιεχόμενον, οὐδὲν ἕτερον ἢ ἀρεθεὶς ὑπὸ τούτου μᾶλλον, ἢ χάριν εἰδέναι, κἂν εὐεργεσίαν παρ' ἡμῶν ἐθελήσῃ λαμβάνειν. *Ego verò cùm ſexcentis laboribus ſtatuiſſem Steſichorum in poteſtatem redigere, poſtquam eum cepi, magis ab eo captus, aliud facere non potui, quàm vt ei gratiam haberem, ſi quid à me muneris admitteret.* Quin etiam quantis artibus cum eius abſtinentia certauerit, epiſtola ad ipſum cum muneribus data ſic oſtendit: Εἰ μὴ λαβὼν ἔσῃ νῦν γε, προδοσίαν εὖ ἴσθι, πρὸς Ἱμεραίοις καταψεύσομαί σου. *Niſi pecuniam ad te miſſam acceperis, tibi planè apud Himeræos proditionis crimen affingam.* Quod non laudis ſtudio, ſed ſola poëſis admiratione faciebat epiſt. 146. Σὺ περὶ ἡμῶν, ὦ Στησίχορε, μηδὲν μήτ' ἐν ᾠδαῖς, μήτ' ἄλλοθί που λέγε. οὐδὲν γὰρ βούλομαι μᾶλλον, ἢ σιωπᾶσθαι τὰ ἡμέτερα. *Tu de nobis, ô Steſichore, neque in carminibus, neque alibi vllam feceris mentionem. nihil enim mihi eſt optatius, quàm vt de rebus noſtris taceatur.* Crudelis igitur Piſo qui propter malum verſum poëtam fuerit armis perſecutus, qui verſus Phalaridis & Antonij glagios potuit contemnere, vt eleganter Iuuenalis:

O fortunatam natam me Conſule Romam
Antoni gladios potuit contemnere, ſi ſic
Omnis dixiſſet, ridenda poëmata malim
Quàm te conſpicuæ diuina Philippica famæ
Volueris à prima quæ proxima.

III. NOTAM.] Obelos tranſuerſo calamo inſcribebat Ariſtarchus. Lucianus pro imaginibus: Ὁ τὰ νόθα ἀποσημηνάμενος τῶν ἐπῶν ἐν τῇ παραγραφῇ τῶν ὀβελῶν. *Spurios verſus ſignans appoſitione obelorum.*

IV Aſinus. QVID NVNC TE ASINE.] Iuuenalis Sat. octaua:

-culpa docentis
Scilicet arguitur, quòd læua in parte mamillæ
Nil ſalit Arcadico iuueni.-

Sed notius eſt aſini prouerbium. quàm vt in eo enucleando hæreamus. Nam quod ait aſinum fuſtibus dolandum Poëta magnus, rem deſcribit pulcherrimè Iliados λ'.

Ὡς δ' ὅτ' ὄνος παρ' ἄρουραν ἰὼν ἐβιήσατο παῖδας
Νωθής, ᾧ δὴ πολλὰ περὶ ῥόπαλ' ἀμφὶς ἐάγη,
Κείρει τ' εἰσελθὼν βαθὺ λήϊον· οἱ δέ τε παῖδες
Τύπτουσι ῥοπάλοισι, βίη δέ τε νηπίη αὐτῶν,
Σπουδῇ τ' ἐξήλασσαν, ἐπεί τ' ἐκορέσσατο φορβῆς.
Sicut vbi inuitis pueris irrupit aſellus
In ſegetem, hunc circum fracti ſunt vndique fuſtes.
Ingrediens altam ſegetem depaſcitur: illi
Fuſtibus excipiunt crebris, fruſtráque laborant.
Vix tandem expellunt, poſtquam ſatiatus abunde eſt.

Sed ibi Aiax honoris, hîc Piſo contumeliæ cauſſa cum Aſino comparatur. qui plura de aſino ſcire auet, adeat Chiliaſtem, & Paſſeratium in Aſini encomio. Hic, opinor, non extra ſcammata proſilirem, ſi diſputarem ſintne pueri fuſtibus & verberibus adigendi, quod Chryſippus apud Fabium non improbat, an à verberibus prorſus abſtinendum, vt Plato 7. de Repub. Plutarchus de puerili inſtitutione, Fabius lib. primo, & alij maluerunt. repugnat tamen grauiſſimis hiſce ſcriptoribus conſenſus omnium gentium, quæ blanditiis ſeueritatem & verbera miſcuerunt. Perſarum apud Xenophontem, Romanorum apud Auſonium in protreptico, Fabium, Martialem, & alios, Græcorum Sophiſtarum paſſim, quamuis in eo modum humanitatis excederent, vt fusè noſter Lud. Creſolius teſtatur, in theatro Sophiſtarum. Indorum Gymnoſophiſtarum apud Apuleium primo floridorum, *qui nihil habet offerre cur prandeat, impranſus ad opus foras extruditur.* Sed totam hanc quæſtionem accuratè tractat noſter Ioannes Bonifacius libro ſecundo de ſapiente fructuoſo. certè iam tum ab heroicis temporibus,

-metuens virgæ grandæuus Achilles.

à Iuuenale deſcribitur.

TVMVLTVS, ATQVE BELLI.] Noſter Philippica 8. oſtendit, quæ ſit inter vtrumque diſtinctio §. 2. *Poteſt enim eſſe bellum ſine tumultu, tumultus eſſe ſine bello non poteſt. Quid enim tumultus, niſi perturbatio tanta, vt maior timor oriatur? vnde etiam nomen ductum eſt tumultus. Itaque maiores noſtri tumultum Italicum, quòd erat domeſticus; tumultum Gallicum quod erat Italiæ finitimus, præterea nullum tumultum nominabant.* Vide. V. Tumultus, bellum.

AXIOMATA.

Ad docendum aſinos non opus eſt verbis, ſed fuſtibus.

Bellum ac tumultus paci atque otio concedit.

ARGVMENTVM.

Pergit verſum ſuum exponere: Piſonémque grauiter reprehendit, quòd præpoſterâ verſus interpretatione inductus, magnam infamiam Pompeio conflarit, quaſi verò Pompeius ob vnum verſum, fidem, amicitiam, ipſam etiam Rempublicam prodidiſſet.

QVÆRE ex familiari tuo, Græco illo poëta, probabit genus ipſum, & LXXIV. agnoſcet, neq. te nihil ſapere mirabitur. At in illo altero, inquit, hæres, *Concedat laurea laudi*: Immò mehercule, habeo tibi gratiam, hærerem enim, niſi tu me expediſſes, nam cùm tu timidus ac tremens, tuis ipſe furaciſſimis manibus detractam è cruentis faſcibus lauream ad portam Eſquilinam abieciſti, indicaſti, non modò ampliſſimæ, ſed etiam minimæ laudi lauream conceſsiſſe. Atque iſta ratione hoc tamen intelligi, ſcelerate, vis, Pompeium inimicum mihi iſto verſu eſſe factum: vt, ſi verſus mihi nocuerit, ab eo, quem is verſus offenderit, videatur mihi pernicies eſſe quæſita.

EXPLANATIO.

QVÆRE EX FAMILIARI TVO.] Philodemo, qui cùm floreat poëticis ſtudiis, poterit certiùs de poëſi iudicare, & germanum verſus mei ſenſum exponere.

AGNOSCET.] Tanquam in reliquis poëtis vſitatum.

NEQVE TE NIHIL SAPERE MIRABITVR.] Feſtiua & eleganti ratione Piſonem hortatur. Non eſt, inquit, quòd à compellando & rogando Philodemo te ſubruſticus pudor abſterreat. etiamſi enim tam inſulſa interrogatione te bardum eſſe, ſtupidum & imperitum oſtenderis, non tamen idcirco mirabitur. quippe qui iampridem tuam ſtoliditatem & ſtuporem agnouerit.

AT IN ILLO.] Pergit alteram verſus illius partem explicare. & primò Piſonem ita ſibi obiicientem inducit. Eſto, priore parte verſiculi neminem Imperatorem offenderis, nec res à te geſtas eorum factis prætuleris: apertè tamen altera parte verſus Imperatoribus prætuliſti: nec euadere potes, quin eorum offenſionem te incurriſſe fatearis. Scripſiſti enim CONCEDAT LAVREA LAVDI, id eſt, Imperatorum laurea, quæ & præfertur à lictoribus, & cum litteris victoriæ nuntiis Romam delata in gremio Iouis Capitolini deponitur, hæc, inquam, laurea concedat illi laudi, quam eo die ſum conſecutus, quo die & mihi ob extinctam Catilinæ coniurationem ſupplicatio decreta eſt, & me Qu. Catulus Patrem patriæ nominauit. Legitur *Concedat laurea linguæ*, id eſt, gloria militaris & victoria concedat oratoriæ facultati.

IMÒ MEHERCVLE.] Feſtiuâ ironiâ obiectionem eludit.

HÆREREM.] Non poſſem hunc verſum commodè explicare.

TIMIDVS ET TREMENS.] Scelerum conſcientia, & expectatione indicij de repetundis, quod putabas iam tuis ceruicibus imminere.

FVRACISSIMIS MANIBVS.] Quibus Macedoniam expilaras. videtur iterum iocari: quaſi eſſet ita furtis & ſpoliationibus aſſuetus, vt aliorum furtorum opportunitate priuatus ſibi temperare non poſſet, quin ſuos ipſe faſces laureâ ſpoliaret, inſtar illius apud Martialem, qui, cùm nihil aliud habet quod furetur,

-ſoleas ſurripit ipſe ſuas.

CRVENTIS FASCIBVS.] Prouincialium & ſociorum innocentium ſanguine cruentatis.

ATQVE ISTA RATIONE.] Id moris eſt Ciceroni, vt poſt iocum & ironiam in motum vehementiorem aſſurgat: ne in delitias & mollitiem ſe virilis illa & generoſa frangat oratio. Etiamſi, inquit, tam inſulsè verſum hunc explices, & in peruerſum ineptúmque ſenſum detorqueas. tamen adeo ſceleratus es, vt Cneum Pompeium in infamiæ ſceleriſque tui partem accerſas, eúmque tacitus inſinues, inimicum mihi hoc vno verſu factum, cauſſam fuiſſe, cur ego eiicerer è ciuitate.

NOTÆ.

QVÆRE EX FAMILIARI.] Iure iudicium de poëtis ad poëtam remittit. Ariſtoteles capite vltimo octaui politicon: Ἕν τι τῶν ἀδυνάτων ἢ χαλεπῶν ἐστι μὴ κοινωνήσαντας τῶν ἔργων κριτὰς γενέσθαι σπουδαίους. *Vix aut ne vix quidem fieri poteſt, vt qui in aliquibus negotiis verſati non ſunt, de iis poßint iudicare.* Nec minùs eleganter Plato 9. de Rep. Τίνι χρὴ κρίνεσθαι τὰ μέλλοντα καλῶς κριθήσεσθαι; ἆρ' οὐκ ἐμπειρίᾳ τε καὶ φρονήσει, καὶ λόγῳ; ἢ τούτων ἔχοι ἄν τις βέλτιον κριτήριον. *Quibus rebus iudicare debet is qui rectè iudicaturus eſt? nunquid experientia & ratione? Quiſquámne melius iudicatorium habere poſſit?* Quare meritò, vt refert Ælianus lib. 13. variæ hiſtoriæ cap. 25. Πίνδαρος ἀμαθέσι περιπεσὼν ἀκροαταῖς ἡττήθη Κορίννης πεντάκις· ἐλέγχων δὲ τὴν ἀμουσίαν αὐτῶν ὁ Πίνδαρος συνεκάλει τὴν Κόρινναν. *Pindarus cùm in imperitos auditores incidiſſet, quinquies à Corinna ſuperatus, eos imperitia arguens Corinnam in partes aduocabat.* I. Iudex.

NEQVE TE NIHIL SAPERE MIRABITVR.] Admiratio ex duplici fonte promanat inſolentia, & ignoratione. nam neque miramur aſſueta, neque ea quorum cauſſam cognoſcimus. bellè Iuuenalis: II. Admiratio vnde.

Quis tumidum guttur miratur in Alpibus, aut quis
In Meroë craſſo maiorem infante papillam.

Quia nimirum qui extremum Carinthię tractum ſub Alpium radicibus incolunt, iis fauces ita paſſim ſtrumis intumeſcunt, vt iis aſſueti iam

eas non mirentur, ſed ſi quem ſine ſcrophis adſpexerint, tantumnon obſtupeſcant, eámque faucium exilitatem diuinæ tribuant vltioni, vt oculati teſtes mihi retulerunt. & de Libyſſis mulieribus prope Meroëm & Iouis Ammonij templum habitantibus Syneſius epiſt. 4. etiam ipſe teſtis oculatus ita narrat: Γυναῖκες ἀκμάζουσι, καὶ ἀσυμμέτρως ἔχουσι τῶν στέρνων, ὥστε τὰ βρέφη μὴ διὰ μάλης, ἀλλὰ δι' ὤμων ἀπὸ τῆς θηλῆς ἀναβεβλημένης. *Mulieres mammas habent ingentes & pectus ſupra modum propendentes, adeò vt pueri non ex vlnis, ſed ex humeris mammas in tergum reiectas exugant.* Quam mammarum magnitudinem propter conſuetudinem adeo non mirantur, vt potiùs earum mediocritatem in miraculis habere videantur: Καὶ ἐπειδὰν λάβωνται γυναικὸς ξένης, φιλοφρονοῦνται, καὶ πάντα δρῶσιν ἔστ' ἂν τὰς ἀγκάλας διερευνήσωνται. *Si qua peregrina mulier acceſſerit, eam omnibus obſequiis demulcent, & nihil non agunt, quoad eius mamillas & alas ſcrutatæ fuerunt.* vide feſtiua. Non igitur mirabitur Philodemus Piſonis ineptiis iam pridem aſſuetus. Alter admirationis fons & caput eſt ignoratio cauſſæ, qua animus ad inquiſitionem veritatis accenditur. vt teſtatur Ariſtoteles 1. Rhet. cap. 11. & Plato admirationem philoſophiæ principium appellat. cùm enim Theætetus dixiſſet: Ὑπερφυῶς θαυμάζω τί ποτ' ἐστὶν ταῦτα, καὶ ἐνίοτε ὡς ἀληθῶς βλέπων εἰς ταῦτα σκοτοδινιῶ. *Supra modum admiror quid hæc eſſe dicam, vt nonnunquam, vt ingenue fatear, in hæc reſpiciens quadam vertigine caligo.* Reſpondet Socrates: Μάλα γὰρ φιλοσόφου τοῦτο τὸ πάθος τὸ θαυμάζειν. οὐ γὰρ ἄλλη ἀρχὴ φιλοσοφίας ἢ αὕτη. καὶ ἔοικεν ὁ τὴν Ἶριν Θαύμαντος ἔκγονον φήσας, οὐ κακῶς γενεαλογεῖν. *Hoc eſt maximè philoſophi, mirari. non enim aliud eſt philoſophiæ principium. & qui Iridem admirationis ſobolem eſſe dixit, non videtur ineptè eius originem & genus deducere.* At Philodemus compertam habebat inſipientiæ Piſonianæ cauſſam, prauam indolem, malam educationem, malos habitus, quare non poterat eius ineptias mirari.

Concedat lavrea lavdi.] Petrus Victorius legit, *concedat laurea linguæ*, eámque lectionem Plutarchi auctoritate confirmat, ita ſcribentis comparatione Ciceronis & Demoſthenis: Βοῶντος ὡς τὰ ὅπλα ἔδει τῇ τηβέννῳ, καὶ τῇ γλώττῃ τὴν θριαμβικὴν ὑπείκειν δάφνην. *Clamantis opus eſſe vt arma togæ, & triumphalis laurea linguæ concederet.* Magna quidem eſt apud me Plutarchi, vt debet, auctoritas: verba tamen quæ ſequuntur *Iudicaſti non modò ampliſſimæ, ſed etiam minimæ laudi lauream conceſſiſſe.* vel ab inuitis extorquent, vt *laudi*, non *linguæ* legendum eſſe fateamur. III.

Crventis fascibvs.] Iuuenalis Sat. 8.
Si frangis virgas ſociorum in ſanguine, ſi te
Delectant hebetes laſſo lictore ſecures.

ARGVMENTVM.

Hactenus iocis quibuſdam, & veluti proluſionibus cum Piſonis obiectione ventilauit, nunc eandem armis decretoriis aggreſſus, oſtendit cauſſæ nihil fuiſſe, cur Pompeius offenderetur, neque dici poſſe offenſum ſine ſumma crudelitatis infamia.

LXXV. Omitto, nihil iſtum verſum pertinuiſſe ad illum: non fuiſſe meum, quem, quantùm potuiſſem, multis ſæpè orationibus, ſcriptíſque decoraſſem, hunc vno violare verſu. Sed ſit offenſus: primò nónne compenſabit cum vno verſiculo tot mea volumina laudum ſuarum? Quòd ſi eſt commotus, ad perniciémne non dicam amiciſſimi, non ita de ſua laude meriti, non ita de Rep. non Conſularis, non Senatoris, non ciuis, non liberi: in hominis caput ille tam crudelis propter verſum fuiſſet? Tu quidem, tu, apud quos, de quo dicas, intelligis? complecteris ampliſſimos viros ad tuum & Gabinij ſcelus, neque id occultè: nam paullò antè dixiſti, me cum iis confligere, quos deſpicerem: non attingere eos, qui plus poſſent, quibus iratus eſſe deberem, quorum quidem (quis enim non intelligit, quos dicas?) quamquam non eſt vna cauſa omnium, tamen eſt omnium mihi probata.

EXPLANATIO.

Omitto.] Duas per præteritionem adfert rationes. prior eſt eiuſmodi. Etiamſi hoc verſu res in toga geſtas bellicis prætuliſſem, nihil tamen id ad Pompeium pertineret, qui non ſolùm armis, ſed etiam toga cæteros antecellit: quare nullam ei feciſſem iniuriam. poſterior eſt, etiãſi hunc verſum ad eum pertinuiſſe concederem, non tamen propterea fuiſſet offenſus, quippe qui ſe multis libris & orationibus meis ornatum eſſe meminiſſet.

Tot mea volvmina.] Vt orationem pro lege Manilia.

Qvòd si est commotvs.] Alia eſt ratio. etiamſi offenſus fuiſſet, tamen non erat eius humanitatis mihi propter leues offenſiunculas, peſtem & perniciem per ſummum ſcelus accerſere. quam rationem illuſtrat gradatione pulcherrima, crudelis fuiſſet & omnis humanitatis expers ſi propter vnum verſum hominem iuſſiſſet exulare, crudelior, ſi hominem liberum, crudeliſſimus, ſi ciuem, crudeliſſimo quouis immanior, ſi Senatorem, ſi Conſularem. bene de ſe Réque publica meritum, ſi amiciſſimum propter vnum verſiculum hoſtium armis tradidiſſet: quantum igitur eſt tuum ſcelus, quanta in Pompeium iniuria, qui Pompeium ob leuem offenſiunculam auctorem fuiſſe dicis illius tempeſtatis, quæ in meum caput detonuit, & illarum rixatum

quæ contra meam ſalutem ſunt à P. Clodio concitatæ.

TU QUIDEM, TU.] Vehemens epiphonema, quo ſceleris grauitatem, à Piſonis, Pompeij & auditorum perſonis exaggerat. Tu quidem, tu inquam, viliſſime & abiectiſſime, Cn. Pompeio viro præſtantiſſimo & principi ciuitatis, apud Senatores Pompeij amiciſſimos, admiratoréſque virtutum eius per ſummam impudentiam maledicis. reduplicat vocem *tu, tu*, per epizeuxim, quia à vilitate perſonæ contumeliam inferentis creſcit iniuria.

COMPLECTERIS.] Cn. Pompeium & C. Cæſarem in ſceleris tui, Gabiniíque, veſtræque in me perfidiæ ſocietatem vocas: quaſi verò illi perinde atque tu & Gabinius, me Publio Clodio prodidiſſent.

NAM PAULO ANTE.] Cùm de me apud Senatum quereretis, dicebas me tecum & cum Gabinio confligere, quos deſpicerem, ideóque me grauiter in vos inuectum, auctorem fuiſſe, vt vobis ſucceſſor mitteretur, & tibi Macedonia, Gabinio Syria prouincia tolleretur: me autem non attingere dicebas, quamuis tacito nomine, Cæſarem & Pompeium, à quibus etiam fueram violatus, quibúſque perinde iratus eſſe deberem.

OMNIUM.] Cæſaris, Craſſi, & Pompeij. Craſſi nullam poſtea facit mentionem. vox tamen *omnium* me inducit vt addam, quæ non dicitur de duobus.

NOTÆ.

1. Volumen. VOLUMINA.] Non poſſum diſertiùs quàm optimis Ioannis Pierij verbis explicare quid ſit volumen, & vnde nomen acceperit. is libro 34. hieroglyphicorum, monet *libros olim fieri ſolitos, ductu plurimùm perpetuo, vna quippe pagina, non vt nos illis diſſectis & in quaterniones, quos dicimus conſertis, & quia complicabantur, ad inſtar ſpiræ conuoluti, inde volumina dicta ſunt à voluendo.* Tentabo è veteribus ſcriptoribus probationem arceſſere. Lucianus in Iconibus: Βιβλίον ἐν ταῖν χεροῖν εἶχεν, ἐς δύο συνειλημμένον· καὶ ἐῴκει τὸ μέν τι ἀναγνώσεσθαι αὐτοῦ, τὸ δ' ἤδη ἀνεγνωκέναι. *Librum in manibus habebat in duas partes conuolutum: & partem adhuc legere, partem iam legiſſe videbatur.* Herodianus lib. 1. hiſtoriæ: Λαβὼν γραμματεῖον, τοῦτον δὴ τῶν ἐκ φιλύρας εἰς λεπτότητα πεποιημένων, ἐπαλλήλῳ τ' ἀνακλάσει ἀμφοτέρωθεν ἐπτυγμένον. *Sumpto in manus libello quales de philyra tenuiſſimi atque in vtramque partem replicatiles fiunt.* Martianus Capella libro de philologiæ nuptiis ſecundo: *Cernere erat, qui libri, quantáque volumina, quot linguarum opera ex ore virginis defluebant: alia ex papyro quæ cedro perlita fuerant, videbantur. alij carbaſinis voluminibus implicati libri, ex ouillis quoque multi tergoribus.* Subdit Pierius: *In extrema autem pagina firmitudinis ergò, paruus admodum bacillus, ex cedro quippe, aut buxo, cupreſſóve, vel ex ebeno, vel ex ebore agglutinabatur, ad latitudinis modum, qua membrana præciſa erat, hunc vmbilicum appellabant, cuius quidem capita volumine complicato hinc & inde proſtarent: ſolebántque ea argento vel auro, vel etiam gemmis ad ornatum præmuniri, atque ea ſunt quæ cornua nonnulli vocitarunt.* Hinc eſt quod frequentem inuenimus in libris vmbilici mentionem Catullus epig. 19.

–Charta Regia, noui libri, Vmbilici.
Noui vmbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, & pumice omnia æquata.

Vide Martialem lib. 3. epig. 2. & Raderum interpretem. Græci eadem tranſlatione ὀμφαλὸν appellant. Lucianus in indoctum multos ſibi libros comparantem: Τὸ μὲν βιβλίον ἐν τῇ χειρὶ ἔχεις, πάγκαλον, πορφυρᾶν μὲν ἔχον τὴν διφθέραν, χρυσοῦν δὲ τὸν ὀμφαλόν. *Librum in manu habes, pulcherrimum, cum purpurea membrana, & aureo vmbilico.* Item: Τίνα γὰρ ἐλπίδα καὶ αὐτὸς ἔχων εἰς τὰ βιβλία, καὶ ἀνελίττεις ἀεὶ, καὶ διακολλᾷς, καὶ περικόπτεις, καὶ ἀλείφεις τῷ κρόκῳ, καὶ τῇ κέδρῳ, καὶ διφθέρας περιβάλλεις, καὶ ὀμφαλοὺς ἐντίθης, ὥς δή τι ἀπολαύσων αὐτῶν; *Quam enim in libris fiduciam habens, eos reuoluis aſsiduè, & conglutinas, & ſcindis, & croco cedróque perludis, & membranas circumdas, & vmbilicos imponis, quaſi poſsis aliquem ex eis fructum colligere?* Hinc illud Martialis intelliges:

O he iam ſatis eſt, ô he libelle
Iam peruenimus vſque ad vmbilicum.

Et illud Horatij epodon:

–Deus Deus nam me vetat
Incœptos olim, promiſſum carmen, iambos
Ad vmbilicum adducere.

Id eſt, totum volumen replicare, & ad vmbilicum euoluere. de cornibus etiam mentio frequens. Tibullus libro 3. elegia 1. Cornua voluminum.

Atque inter geminas pingantur cornua frontes.

Ouidius triſtium libro 1. elegia prima:

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur,
Candida nec nigra cornua fronte geras.

Quæ res ad quem vſum membranæ voluminibus adderentur? Reſpondeo frequenter volumina è membranis, ſiue pergameno, vt vocant, fuiſſe confecta. vt ſuperiùs vidimus ex Capella: *Ex ouillis quoque multi tergoribus.* frequentiùs tamen has membranas fuiſſe voluminis Chartacei, linei, aut papyracei inuolucrum, quo melius libri ſeruarentur. ſuprà Lucianus: καὶ διφθέρας περιβάλλεις, *& membranas circumicis.* Tibullus libro tertio elegia prima: Membranæ.

Lutea ſed niueum inuoluat membrana libellum
Pumex & canas tondeat arte comas.

Quas membranas & tingebant colorabántque, & pumice læuigabant. Naſo 3. triſtium eleg. 1.

Quod neque ſum cedro flauus, nec pumice læuis.

Et primo triſtium eleg. item 1.

Nec te purpureo velent vaccinia ſucco.

Item:

Nec fragili gemmæ poliantur pumice frontes,
Hirſutus ſparſis vt videare comis.

Hinc Perſius:

Iam liber & vicolor poſitis membrana capillis.

AXIOMA.

Homines timidi cum iis confligunt quos deſpiciunt, non attingunt eos qui plus poſſunt, quibus irati eſſe deberent.

ARGVMENTVM.

Obiecerat Piſo Ciceronem Cæſari & Pompeio iraſci debuiſſe. obiectionem diluit orator, ac Pompeio ſe ſemper amiciſſimum fuiſſe demonſtrat, aliò deriuans cauſſam cur Pompeius ipſi contra Clodium opem non tuliſſet.

LXXVI. ME Cn. Pompeius, multis obſiſtentibus eius erga me ſtudio, atque amori, ſemper dilexit, ſemper ſua coniunctione digniſſimum iudicauit, ſemper non modò incolumem, ſed etiam ampliſſimum, atque ornatiſſimum voluit eſſe. Veſtræ fraudes, veſtrum ſcelus, veſtræ criminationes inſidiarum mearum, illius periculorum, nefariè fictæ, ſimul eorum, qui familiaritatis licentiâ, ſuorum improbiſſimorum ſermonum domicilium in auribus eius, impulſu veſtro, collocauerunt, veſtræ cupiditates prouinciarum, effecerunt, vt ego excluderer, omnéſque, qui me, qui illius gloriam, qui Rempub. ſaluam eſſe cupiebant, ſermone atque aditu prohiberentur.

EXPLANATIO.

MVLTIS OBSISTENTIBVS.] Te, Gabinio, Vatinio, Clodio, cæteriſque eiuſdem nefariæ factionis.

SEMPER DILEXIT, SEMPER.] Senſim creſcit oratio: non enim quos diligimus eos continuò familiaritate & conſuetudine noſtra dignos iudicamus. at Cn. Pompeius non ſolùm Tullium dilexit, ſed etiam conſuetudine ſua digniſſimum iudicauit. mox probat ab effectis Pompeij amorem, quòd non ſolùm ipſius ſalutem expeteret, ſed etiam dignitatem.

VESTRÆ FRAVDES.] tua & Gabinij.

VESTRÆ CRIMINATIONES.] Pompeium *Domi meæ certi homines ad eam rem compoſiti monuerunt, vt eſſet cautior: eiúſque vitæ à me inſidias apud me domi poſitas eſſe dixerunt: atque hanc & ſuſpicionem alij litteris mittendis, alij nuntiis, alij coram ipſi excitauerunt, vt ille, cùm à me certè nihil timeret, ab illis, ne quid meo nomine molirentur, ſibi cauendum putaret.* pro Sextio 141.

SIMVL EORVM.] Vatinij maximè: quem conſtat & Pompeio familiarem fuiſſe ex epiſtolis ad Atticum & eidem Pompeio auctorem, vt Ciceroni peſtem accerſeret. pro Sextio 133. *Ille eos, à quibus audiebatur, quotidie aliquid effecti afferebat: ille hominem mihi amiciſſimum Cn. Pompeium, vt domum meam metueret, atque à me ipſo caueret,* &c.

VT EGO EXCLVDERER.] à congreſſu Cn. Pompeij.

NOTÆ.

I. SEMPER DILEXIT.] Maleuoli eius ſtudio & amori obſiſtere potuerunt, at non dilectionem & beneuolentiam impedire. quo loco dicendum paucis videtur quæ ſit inter ſtudium, amorem, dilectionem, beneuolentiam, amicitiámque diſtinctio.

Dilectio. Dilectio idem videtur eſſe cum beneuolentia. pulchrè à philoſopho deſcribitur. 9. Ethic. cap. 5. Μεταφέρων φαίη τις ἂν τὴν εὔνοιαν ἀργὴν εἶναι φιλίαν. *Transferens dicat quiſpiam beneuolentiam eſſe amicitiam otioſam.* Quo fit vt eos etiam quos nunquam vidimus, tamen diligamus, & ſi Achillem Hectori, Turnum Æneæ, ignotum quemlibet ignoto compoſitum audimus: alteri ſtatim magis naturæ duce faueamus. Hinc illæ in circis & arena factiones, quæ nonnunquam etiam ad ſeditionem exarſerunt. vide Tullium de amicitia.

At amicitia non ſolùm eſt beneuolentia, ſed aliquot etiam conditiones requirit. Amicitiæ cōditiones.

1. Vna eſt vt mutua ſit & vtrique nota dilectio. Ariſtoteles 8. Ethic. cap. 2. Δεῖ φίλους εὐνοεῖν ἀλλήλοις, καὶ βούλεσθαι τἀγαθὰ μὴ λανθάνοντας. *Oportet vt amici inter ſe diligant, & bene ſibi velint inuicem non latentes.* Ideóque, etſi Cicero Pompeio, Ciceroni Pompeius bene cupiebat, non tamen amicitia remanebat: quia licet ille Tullium diligeret, tamen de Ciceronis in ſe beneuolentia dubitabat.

2. Altera eſt mutua conſuetudo & vſus familiaris. Ariſtoteles eodem libro cap. 3. Φιλία προσδεῖται χρόνου καὶ συνηθείας. κατὰ τὴν παροιμίαν γὰρ οὐκ ἔστι φιλῆσαι ἀλλήλους πρὶν ἅλας συναναλῶσαι. *Amicitia tempus & conſuetudinem deſiderat, neque vt eſt in prouerbio, amici priùs eſſe poſſunt, quàm modium ſalis vna conſumpſerint.* At inter Ciceronem & Pompeium interrupta fuerat conſuetudo, eorum ſcelere qui effecerunt, vt Cicero excluderetur.

3. Tertia eſt mutua rerum omnium communitas. Ariſtoteles cap. 8. Ἡ παροιμία, κοινὰ τὸν φίλων, ὀρθῶς. ἐν κοινωνίᾳ γὰρ ἡ φιλία. ἔστι δ' ἀδελφοῖς μὲν καὶ ἑταίροις πάντα κοινά. *Verùm eſt illud adagium, amicorum omnia communia. amicitia enim communicatione quadam rerum omnium continetur. nam fratribus & ſociis omnia communia.* Vnde cùm aut diuortium facerent, aut amicitias diſſoluerent, *res ſuas ſibi habere* iubebant. Quam conditionem palam eſt, tum Ciceroni & Pompeio defuiſſe.

4. Quarta vt alias omittam eſt, vt amicus collaboret, & congaudeat: nam vt diximus beneuolentiam eſſe amicitiam otioſam, ſic amicitia eſt beneuolentia collaborans. Ariſtoteles vltimo Ethicorum cap. 9. Δεῖ εἰς μὲν τὰς εὐτυχίας καλεῖν τοὺς φίλους προθύμως. εὐεργετητικὸν γὰρ εἶναι καλόν. εἰς δὲ τὰς ἀτυχίας ὀκνοῦντα. μεταδιδόναι γὰρ ὡς ἥκι-

τα δεῖ τῶν κακῶν, ὅθεν τὸ » Ἅλις ἐγὼ δυστυχῶν. ἰέναι δ' ἁρμόζει πρὸς μὲν τοὺς ἀτυχοῦντας ἄκλητον καὶ προθύμως. φίλου γὰρ εὖ ποιεῖν, καὶ μάλιστα τοὺς ἐν χρείᾳ, καὶ τοὺς μὴ ἀξιώσαντας. εἰς δὲ τὰς εὐτυχίας συνεργοῦντα μὲν προθύμως. καὶ γὰρ εἰς ταῦτα χρεία φίλων. πρὸς εὐπάθειαν δὲ σχολαίως. *Oportet ad res ſecundas amicos prompto animo aduocare :- beneficum enim eſſe honeſtum eſt. Tardè autem ad infortunium ſunt aduocandi. Quàm minimùm enim communicanda ſunt mala, iuxta illud » Sum ſatis ſolus miſer. Conuenit autem promptè, & priuſquam aduoceris, ad amicos calamitate preſſos accurrere. amici enim eſt benefacere, & iis potiſsimùm qui non rogant cùm ſint in neceſsitate conſtituti. Ad eos autem qui ſecundis fortunæ flatibus vtuntur, vt collabores promptè currendum. ad hoc enim amicis opus habent. tardè autem vt eorum ſelicitate perfruaris.* Lucianus dialogo qui Toxaris, ſiue de amicitia inſcribitur: Οἱ (πλεῖστοι) μέχρι μὲν κατ' οὖρον ὁ πλοῦς εἴη τοῖς φίλοις, ἀγανακτοῦσιν, εἰ μὴ ἐπ' ἴσης κοινωνήσουσι τῶν ἡδίων. εἰ δὲ καὶ μικρὸν ἀντιπνεύσειεν αὐτοῖς, οἴχονται μόνους τοῖς κινδύνοις ἀπολιπόντες, &c. οὐκ ἔστιν ἐφ' ὅτῳ ἂν τις Σκύθης μᾶλλον σεμνύναιτο, ἢ ἐπὶ τῷ συμπονῆσαι φίλῳ ἀνδρὶ καὶ κοινωνῆσαι τῶν δεινῶν, &c. *Permulti quamdiu ſecundus ventus amicorum nauigium afflauerit, diffugiunt ſolóſque in periculis deſtituunt, &c. Nihil eſt quo Scythæ magis glorientur, quàm ſi amico collaborent, ſiántque calamitatum participes.* Cuius rei exempla profert longè pulcherrima. At Ciceronem Pompeius in periculo deſerebat. Quòd ſi Piſo, Gabinius, Vatinius, & alij ſuis delationibus amicitiam inter Ciceronem & Pompeium ſuſtulerunt, multò magis amori, qui nihil eſt aliud quàm amicitiæ feruor, ſtudium & quidam impetus, obſtiterunt. Maximus Tyrius 10. concione: εἰ μὲν ὁ ἔρως φιλίας ἐστὶν ὁρμὴ καὶ ὄρεξις τοῦ ὁμοίου πρὸς τὸ ὅμοιον ἅλλοντος φύσει, καὶ ἀνακραθῆναι αὐτῷ ὀρεγομένου, πάθος ἂν εἴη τοῦτο, οὐ λόγος. *Si amor amicitiæ eſt impetus & cupiditas ſimilis in ſimile ſe quodam veluti ſaltu promouentis, & miſceri ipſique contemperari expetentis, paſsio erit illud non ratio.* adſtipulatur Philoſophus de amore ſic loquens 8. Ethic. cap. 6. ἔοικε γὰρ ὑπερβολῇ. *Similis eſt enim exceſſui.* ſed de amore fortaſſe alibi. de Amicitia Plato in Lyſide, Ariſtoteles 8. & 9. Ethic. Xenophon 2. memorabilium, Tullius in Lælio, Themiſtius orat. 3. Lucianus in Toxari, de amore Plato in Phædro & conuiuio, Plutarchus in amatoriis, Lucianus in amoribus, Maximus Tyrius 8. 9. 10. vndecima concione, & alij paſſim interim conſulantur.

VT EGO EXCLVDERER.] Καὶ αὐτὸς ἀνέβη. πυθόμενος δ' ὁ Πομπήϊος οὐχ ὑπέμεινεν εἰς ὄψιν ἐλθεῖν (δεινὴ γὰρ αὐτὸν αἰδὼς εἶχε πρὸς τὸν ἄνδρα μεγάλους ἠγωνισμένον ἀγῶνας ὑπὲρ αὐτοῦ, &c.) καὶ κατὰ θύρας ἄλλας ὑπεξελθὼν, ἀπεδίδρασκε τὴν ἔντευξιν. *Ipſemet in Albanum adſcendit. at Pompeius non ſuſtinuit in eius conſpectum venire. reuerebatur enim virum qui tot pro ipſo certamina adierat, &c. ſed per alias ianuas egrediens vitauit eius congreſſum.* ait Plutarchus in Cicerone. II. Cicero à Pōpeio excluſus.

AXIOMA.

Adulatores, qui familiaritatis licentiá ſuorum improborum ſermonum domicilium in principum virorum auribus collocarunt, pleruṁque efficiunt vt boni monitores excludantur.

ARGVMENTVM.

Certo iudicio probat non fuiſſe alienatam à ſe Cn. Pompeij voluntatem, quia videlicet ſe ſi publica auctoritas acceſsiſſet, pro Cicerone arma ſumpturum eſſe promiſerat.

QVIBVS rebus eſt perfectum, vt illi planè ſuo ſtare iudicio non liceret, cùm certi homines non ſtudium eius à me alienaſſent, ſed auxilium retardaſſent. Nónne ad te L. Lentulus, qui tum erat Prætor, non Qu. Sanga, non L. Torquatus pater, non M. Lucullus venit? qui omnes ad eum, multíque mortales oratum in Albanum, obſecratúmque venerant, ne meas fortunas deſereret, cum Reip. ſalute coniunctas. quos ille ad te & ad tuum collegam remiſit, vt cauſſam publicam ſuſciperetis, vt ad Senatum referretis: ſe contra armatum Tribunum pleb. ſine conſilio publico decertare nolle: Conſulibus ex S.C. Rempub. defendentibus, ſe arma ſuſcepturum. LXXVII.

EXPLANATIO.

QVIBVS REBVS] Quibus Vatinij & aliorum delationibus, qui ſermonum ſuorum domicilium in auribus Pompeij collocarant, perfectum eſt, vt ille mihi auxilium non præberet, vt & cupiebat & faciendum eſſe cenſebat.

NONNE AD TE.] Poſſet hic texi ſyllogiſmus.

Eius ſtudium non fuit à me alienum qui pro mea ſalute arma ſe ſumpturum eſſe promiſit.

Sed Pompeius pro mea ſalute arma ſe ſumpturum eſſe promiſit.

Ergo eius ſtudium à me non fuit alienum.

Minorem probat Lentuli, Sangæ, Torquati, Luculli auctoritate: & Piſonis ipſius conſcientia, qui id ab ipſis audiuerat. Cæteri ſatis noti ſunt. Q. Sanga fuit è Fabia gente, quem Salluſtius Q. Fabium Sangam, Fabium Sangam Appianus appellant, cùm eum narrant ad Ciceronem Conſulem Catilinariæ coniurationis indicia detuliſſe. Torquatus pater, ad diſtinctionem, quia eodem tempore florebat, & eius filius eodem prænomine. de quo libris de Finibus & oratione pro Sulla.

AD EVM.] Cneum Pompeium.

IN ALBANVM.] In villam in Albano monte poſitam ad quam Pompeius ſeceſſerat, vt ſe ab illis turbis tantiſper amoueret.

AD TVVM COLLEGAM.] Aulum Gabinium collegam tuum in conſulatu.

VT AD SENATVM REFERRETIS.] Vt conuocaretis Senatum, eúmque cōſuleretis quid cenſeret hac in re faciendum.

CONTRA ARMATVM TRIBVNVM PLEBIS.] Contra Publium Clodium, à quo *Seruorum delectus habebatur pro Tribunali Aurelio nomine collegiorum, cùm vicatim homines conſcriberentur, decuriarentur, ad vim, ad cædem, ad direptionem incitarentur*, &c. pro Sextio 34.

COSS. EX S. C. REMP. DEFENDENTIBVS.] Si factum eſſet S. C. vt viderent Conſules ne quid Reſp. detrimenti caperet.

NOTÆ.

1. Multi mortales. MVLTIQVE MORTALES.] Claudius Quadrigarius apud Gellium cap. 27. libro 13. noct. Attic. *Concione dimiſſa Metellus in Capitolium venit, cum multis mortalibus. inde cùm domum proficiſceretur, tota ciuitas eum reduxit.* quem locum Fronto apud eundem Gellium ſic explicabat. *Longè latéque eſſe amplius, prolixius, fuſius in ſignificanda totius prope ciuitatis multitudine, mortales, quàm homines dixiſſe. námque multorum hominum appellatio intra modicum quoque numerum cohiberi, atque includi poteſt. multi autem mortales neſcio quo pacto, & quonam ſenſu inenarrabili, omne fere genus, quod in ciuitate eſt, & ordinum, & ætatum & ſexus comprehendunt.* Infrà 76. *De quo iampridem omnes mortales, omnium generum, ætatum ordinum iudicauerunt.* Plautus in prologo Menæchmorum.

Mortales multi vt ad ludos conuenerant.

IN ALBANVM.] Quo ſeceſſerat Pompeius. Plutarchus in Cicerone: ἐδεῖτο Πομπηΐου βοηθεῖν, ἐπίτηδες ἐκποδὼν γεγονότος, καὶ διατρίβοντος ἐν ἀγροῖς περὶ τὸν Ἀλβανόν. *A Pompeio auxilium petebat, ex vrbe digreſſo de induſtria, & in agris circa Albanum commorante.* II.

EX S. C.] Hic illud Senatus Conſultum videtur intelligi, quo decerni ſolebat, DARENT OPERAM CONSVLES NE QVID RESP. DETRIMENTI CAPERET.] quod verbo *defendendi* nonnunquam exprimebant, vt hoc loco, & Philippica 8. *De ea re ita cenſuerunt, vti Opimius Conſul Rempub. defenderet.* Valerius Maximus lib. 3. cap. 2. *Cunctíſque cenſentibus vt Conſul armis Remp. tueretur.* Sed huius rei explanandæ frequens erit occaſio. III.

AXIOMA.

Contra armatos magiſtratus ſine publico conſilio decertandum non eſt.

ARGVMENTVM.

Ab excuſatione Pompeij ad Piſonis inſectationem delabitur, occaſione ſumpta ex eo quod reſponderat iis qui à Pompeio miſſi veniebant oratum vt Conſules ad Senatum referrent de cauſſa Ciceronis.

LXXVIII. ECQVID infœlix recordaris quid reſponderis? in quo illi omnes quidem, ſed Torquatus, præter cæteros, furebat contumacia reſponſi tui: te non eſſe tam fortem, quàm ipſe Torquatus in conſulatu fuiſſet, aut ego: nihil opus eſſe armis, nihil contentione: me poſſe iterum Remp. ſeruare, ſi ceſſiſſem: infinitam cædem fore, ſi reſtitiſſem: deinde ad extremum, neque ſe, neque generum, neque collegam ſuum, Tribunopleb. defuturum. Hic tu hoſtis, ac proditor, aliis me inimiciorem, quàm tibi debere eſſe dicis?

EXPLANATIO.

INFOELIX.] Scelerate, quod eſt omnis infœlicitatis extremum.

ILLI OMNES.] Lentulus, Sanga, Torquatus.

TORQVATVS AVT EGO.] Qui in noſtro ſinguli conſulatu ſingulas Catilinæ coniurationes extinximus.

ITERVM REMP. SERVARE.] Qui eam iam antè à Catilinæ coniuratione, & exitio liberaram.

SI CESSISSEM.] Armis & factionibus Clodianis.

NEQVE SE.] Legendum in ſecunda perſona, vt patet, *Neque te, neque generum, neque collegam tuum.* generum Cæſarem, collegam tuum Gabinium Pub. Clodio Tribunoplebis perniciem meam quærenti defuturum.

HIC TV HOSTIS.] Epiphonema eſt, quo orationem de Pompeio concludit.

NOTÆ.

1. INFOELIX.] Quod Græcis δαιμόνιος, vt Iliados ζ'. verſu 326.

Δαιμόνι᾽ οὐ μὲν καλὰ χόλον τόνδ᾽ ἔνθεο θυμῷ.
Infœlix, non rectè animus ſuccenditur ira.

Item 406.

Δαιμόνιε, φθίσει σε τὸ σὸν μένος, οὐδ᾽ ἐλεαίρεις
Παῖδά τε νηπίαχον, καὶ ἔμ᾽ ἄμμορον.
Infœlix erit exitio tibi propria virtus,
Nec te infœlicis miſeret, natique meíque.

Iliados ι'. verſu 810.

Δαιμόνιε, σχεδὸν ἐλθέ. τίη δειδίσσεαι οὕτως;
Infœlix, accede, pauor quid pectora torquet.

& alibi frequenter. aut οὐλόμενος vt Odyſſ. ρ'. verſu 485.

Οὐλόμεν' εἰ δή που ἐπουράνιος θεός ἐστι.
Infœlix, hic è numero fortaſſe Deorum eſt.
Σχέτλιος vt Iliad. π'. verſu 202.
Σχέτλιε Πηλέος υἱὲ, χόλῳ δ' ἄρα σ' ἔτρεφε μήτηρ.
Æacida infœlix, aluit quem bile creatrix.
Eodem ſenſu δύστηνε Odyſſ. κ'. 281. δύσπαρι Iliados γ'. 39. Iliad. ν'. 769. δύσμητερ. Odyſſ. ψ. verſu 97.

II. Torquati mores ſubagreſtes.

TORQVATVS PRÆTER CÆTEROS.] Accommodatè ad Torquati naturam quem agreſtiori ingenio fuiſſe tradit. Gellius cap. 5. libri 1. Noct. Attic. *Cùm Luc. Torquatus ſubagreſti homo ingenio, & infeſtiuo, grauius acerbiuſque, apud conſilium iudicum, cùm de cauſſa Syllæ quæreretur, non iam hiſtrionem eum* (Hortenſium) *eſſe diceret, ſed geſticulariam, Dionyſiámque eum notiſsimæ ſaltatriculæ nomine, appellaret: tum voce molli atque demiſſa Hortenſius: Dionyſia, inquit, Dionyſia malo equidem eſſe, quàm quod tu Torquate ἄμουσος, ἀναφρόδιτος, καὶ ἀπροσδιόνυσος.* quare mirum non eſt, ſi cùm huiuſmodi naturæ eſſet, facilè ob contumaciam & reſponſum Piſonis exarſerit.

III. QVAM IPSE TORQVATVS.] Duas Catilinæ coniurationes exponit Salluſtius. altera Luc. Tullio & M. Æmilio Lepido Conſulibus inita in Luc. Cottæ, & Luc. Manlij Torquati conſulatum erupit, de qua Dio Cocceius libro 36. & Tranquillus in Iulio cap. 9. Cn. Piſo Catilina & Antronius *circiter nonas Decembres*, inquit Criſpus, *conſilio communicato, parabant in Capitolio Calendis Ian. Luc. Cottam & Luc. Torquatum Conſules interficere, ipſi faſcibus correptis Piſonem cum exercitu ad obtinendas duas Hiſpanias mittere. Ea re cognita rurſus in Nonas Februarias conſilium cædis diſtulerunt.* Quàm fortiter autem in ea coniuratione opprimenda ſe geſſerit Torquatus mihi non liquet: illud ex Dione conſtat, φρουρὰν τῷ τε Κόττᾳ, καὶ τῷ Τορκουάτῳ παρὰ τῆς βουλῆς δοθῆναι. δόγμα τι κατ' αὐτῶν γενέσθαι, εἰ μὴ δήμαρχός τις ἠναντιώθη. *Cottæ Torquatóque datos fuiſſe cuſtodes à Senatu: edictúmque contra coniuratos proponendum fuiſſe, niſi quiſpiam Tribunuſplebis interceſſiſſet.* Quare Piſo, vt vrbe ſubmoueretur, ſpecie honoris Quæſtor pro Prætore miſſus in Citeriorem Hiſpaniam. De poſteriore coniuratione dicere non attinet. Duplex Catilinæ coniuratio.

ARGVMENTVM.

Poſtquàm de Pompeio rem confecit, cauſſæ nihil eſſe demonſtrat cur exulcerato in Cæſarem animo debeat eſſe: licet aliqua fuerit ſententiarum, ſed non voluntatum diſſenſio.

EGo C. Cæſarem non eadem de Repub. ſenſiſſe, quæ me, ſcio: ſed tamen, quod iam de eo, his audientibus, ſæpè dixi, me ille ſui totius Conſulatus, eorúmque honorum, quos cum proximis communicauit, ſocium eſſe voluit, detulit, inuitauit, rogauit. Non ſum ego, propter nimiam fortaſſe conſtantiæ cupiditatem, adductus ad cauſſam: non poſtulabam, vt ei cariſſimus eſſem, cuius ego ne beneficiis quidem ſententiam meam tradidiſſem. Adducta res in certamen, te Conſule, putabatur, vtrùm, quæ ſuperiore anno ille geſſiſſet, manerent, an reſcinderentur. Quid loquar plura? ſi tantum ille in me eſſe vno roboris, & virtutis putauit, vt ea, quæ ipſe geſſerat, conciderent, ſi ego reſtitiſſem: cur ei non ignoſcam, ſi antepoſuit ſuam ſalutem meæ? LXXIX.

EXPLANATIO.

EGO.] Fateor me à Cæſare diſſenſiſſe, cùm in ſuo conſulatu legem ferret de agro Campano viritim diuidendo: ille enim hanc diuiſionem è Republica putabat eſſe: ego cenſebam hoc pacto perturbari vectigalium rationem.

SÆPE DIXI.] De prouinciis Coſſ. 41. *Conſul ille egit eas res, quarum participem me eſſe voluit, quibus ego ſi minùs aſſentiebar, tamen illius mihi iudicium gratum eſſe debebat: me ille vt quinqueuiratum acciperem, rogauit: me in tribus ſibi coniunctiſsimis Conſularibus eſſe voluit: mihi legationem quam vellem, quanto cum honore vellem, detulit. quæ ego omnia non ingrato animo, ſed obſtinatione quadam ſententiæ repudiaui,* &c.

ADDVCTA RES.] Actum erat de reſcindendis actis Cæſaris in ſuo Conſulatu. annitentibus contra Cæſarem L. Memmio & Domitio Prætoribus.

SI EGO RESTITISSEM.] Si in Senatu egiſſem vt acta Cæſaris reſcinderentur.

SI ANTEPOSVIT.] Si maluit me eiici de ciuitate quàm acta ſua reſcindi.

NOTÆ.

I. SOCIVM ESSE VOLVIT.] Velleius lib. 2. *Vir optimè meritus de Rep. conſeruatæ patriæ pretium calamitate exilij tulit. non caruerunt ſuſpicione oppreſſi Ciceronis Cæſar & Pompeius. hoc ſibi contraxiſſe videbatur, quòd inter vigintiviros diuidendo agro Campano eſſe noluiſſet.* Hos autem honores Cæſar cum proximis ſuis communicauit: vt Marco Attio Balbo Cæſaris leuiro, de quo Tranquillus in Octauio cap. 4. agens de Attia matre Auguſti. *Atia M. Atio Balbo & Iuliâ ſorore C. Cæſaris genita eſt. Balbus paterna ſtirpe Aricinus, multis in familia Senatoriis imaginibus, à matre Magnum Pompeium arctiſsimo contingebat gradu: functúſque honore Præturæ inter vigintiviros agrum Campanum plebi Iulia lege diuiſit.* Vt Cn. ipſi Pompeio genero, vt Lucio Piſoni, quos duumuiros Capuanos creauit. De duum-

uiratu Pompeij poſt reditum in Senatu: de Piſonis, hac ipſa oratione & Sextiana.

II. MANERENT.] Fixa & rata eſſent. de prouinc. Coſſ. 46. *Statuendum eſt legem Æliam manere, legem Fuſiam non eſſe abrogatam.* ab eo, ni fallor, ducta locutio, quòd leges & acta magiſtratuum æreis tabulis inciſa vel in foro, vel in Capitolio figerentur (vt in Philippicam ſecundam dicemus) & tamdiu ſuam vim obtinerent, quamdiu manebat affixa. Quòd ad rem attinet, vt alios omittam, Suetonius in Iulio cap. 23. *Functus Conſulatu C. Memmio, Lucióque Domitio Prætoribus, de ſuperioris anni actis referentibus, cognitionem Senatui detulit: nec illo ſuſcipiente, triduóque per irritas altercationes abſumpto, in prouinciam abiit: & ſtatim quæſtor eius in præiudicium aliquot criminibus arreptus eſt. Mox & ipſe à Luc. Antiſtio Tribuno plebis poſtulatus, appellato demum collegio, obtinuit. cùm Reip. cauſſâ abeſſet, reus ne fieret.*

ANTEP. SVAM SAL. MEÆ.] Vide dicta in Sextianam §. 40. *Suáque ſibi propiora pericula eſſe quàm mea loquebantur.* III.

AXIOMATA.

Aliquando nimia eſt conſtantiæ cupiditas.
Iis ignoſcendum qui noſtræ ſaluti ſuam anteponunt.

ARGVMENTVM.

Ex eo probat ſe Cæſari offenſum eſſe non debere, quòd Pompeius Ciceronem in patriam reuocaturus, Cæſarem tanquam Ciceroni beneuolum in conſilij ſui ſocietatem adſciuerat.

LXXX. SED præterita omitto. me vt Cn. Pompeius omnibus ſuis ſtudiis, laboribus, vitæ periculis complexus eſt, cùm municipia pro me adiret, Italiæ fidem imploraret, P. Lentulo Conſuli, auctori ſalutis meæ, frequens aſsideret, Senatui ſententiam præſtaret, in concionibus non modò ſe defenſorem ſalutis meæ, ſed etiam ſupplicem pro me profiteretur: huius voluntatis eum, quem multum poſſe intelligebat, mihi non inimicum eſſe cognorat, ſocium ſibi, & adiutorem C. Cæſarem adiunxit. Iam vides, me tibi non inimicum, ſed hoſtem: illis, quos deſcribis, non modò non iratum, ſed etiam amicum eſſe debere? quorum alter, id quod meminero ſemper, æquè mihi fuit amicus, ac ſibi: alter, id quod obliuiſcar aliquando, ſibi amicior, quàm mihi.

EXPLANATIO.

SED PRÆTERITA OMITTO.] Sed eſto: me olim Cæſar offenderit: nullam iniuriæ facio mentionem: quandoquidem offenſionem, ſi qua fuit, ſubſecutis beneficiis abundè reparauit.

ME VT CN.] Statim atque Cn. Pompeius de me reuocando cogitauit, & *excitauit illam ſuam non ſopitam, ſed ſuſpicione aliqua retardatam conſuetudinem Reip. bene gerendæ,* &c. vide §. 67. Sextianæ.

AVCTORI SALVTIS MEÆ.] Qui ad Senatum retulit de meo reditu.

SENATVI SENT. PRÆSTARET.] Primus diceret ſententiam de me in Senatu quam reliqui ſequerentur.

HVIVS VOLVNTATIS.] Miſſo P. Sextio ad Cæſarem. pro Sextio 71. *Iter ad Cæſarem pro mea ſalute ſuſcepit,* &c. Item: *Pertinere & ad concordiam putauit, & ad perficiendi facultatem animum Cæſaris à cauſſa non abhorrere.* & de Prouinciis 43. *Si idem ille tum me ſaluum eſſe voluit,* &c. vide planè.

QVOS DESCRIBIS.] Quos nominatim quidem non appellas, ſed ita à potentia deſcribis, vt quiuis facilè, de quibus loquaris, intelligat.

QVORVM ALTER.] Cn. Pompeius.

ALTER.] Iulius Cæſar. Pompeius non ſibi fuit amicior quàm mihi: quia pro mea ſalute non dubitauit vitam ſuam exponere. cùm enim de meo reditu ageret, vt dicitur in Sextiana 69. *Initum eſt conſilium de interitu Cn. Pompeij: quo patefacto ferróque deprehenſo ille incluſus domi tamdiu fuit, quamdiu inimicus meus in tribunatu.* Cæſar *ſibi amicior fuit quàm mihi.* quia *antepoſuit ſuam ſalutem meæ.* veritus ne ſi ego manerem *ea, quæ geſſerat, conciderent,* & reſcinderentur.

NOTÆ.

INIMICVM, SED HOSTEM.] Quos hic diſiungit Cicero Lucilius vtrumque coniunxit. I. Inimicus. Hoſtis.

Hinc hoſtis Muti Albutius, hinc inimicus.

Plus tamen eſt hoſtis, quàm inimicus, quòd inimici dicantur etiam illi qui ciuiliter inter ſe & iure contendunt: hoſtes autem ſint externi, qui

Non ex iure manu conſertum, ſed mage ferro
Rem repetunt.

ID QVOD MEMINERO SEMPER.] Sol & obliuionem iniuriarum, beneficiorum memoriam præ ſe ferre, vt poſt reditum, & alibi paſſim: idque impenſiùs in eo laudandum, quo magis, potiſſimùm apud diuites, vt ſcribit Plautus Pœnulo, ſcena *Age tu progredere.* II.

Si quid bene facias, leuior plumâ eſt gratia:
Si quid peccatum eſt, plumbeas iras gerunt.

Cùm (vt inquit Seneca primo de beneficiis, ca-

pite primo) *ita naturâ comparatum ſit, vt altiùs iniuriæ quàm merita deſcendant, & illa citò defluant, has tenax memoria cuſtodiat.* Nec alia mens erat Dionis Caſſij ſcribentis, lib. 38. Πλείους τῶν ἀνθρώπων προχειρότερον ἐπὶ τοῖς δυσχερεστέροις ἀγανακτεῖν, ἢ τῶν ἀμεινόνων χάριν τινὰ ἔχειν. καὶ τοῖς μὲν συναγορεύσασι σφίσιν ἀποδεδωκέναι τὸν μισθὸν νομίζειν, τοὺς δ' ἀντιδικήσαντας ἀμύνεσθαι τρόπον τινὰ προαιρεῖσθαι. *Pleroſque mortalium procliuiores eſſe ad indignandum propter iniurias, quàm ad gratiam propter beneficia referendam: atque iis quidem, quorum patrocinio vſi ſunt, mercedem ſe perſoluiſſe arbitrari, aduerſarios autem quacunque ratione vlciſci ſtudere.* Tacitus 4. annalium. *Procliuius eſt iniuriæ quàm beneficio vicem exoluere. quia gratia oneri, vltio in quæſtu habetur.* A quo non abludit Strepſiades ille Ariſtophaneius in Nebulis.

Εἰ μὲν γ' ὀφείλεταί μοι, μνήμων πάνυ.
Ἐὰν δ' ὀφείλω σχέτλιος, ἐπιλήσμων πάνυ.
Valeo memoriâ, ſi qua dentur mihi.
Obliuioſus, debeo ſi quid miſer.

Pertinax apud Herodianum lib. 2. hiſtoriæ. Τὰ μὲν δεινὰ τῶν ἔργων ἀεὶ μνημονεύεται. τὸ γὰρ λυπῆσαν δυσεξάλειπτον. τὰ δὲ χρηστὰ ἅμα τῇ ἀπολαύσει, καὶ τὴν περὶ αὐτῶν μνήμην συναφανίζει.

AXIOMA.

Debemus meritorum ſemper meminiſſe, iniuriarum obliuiſci.

ARGVMENTVM.

Superiùs oſtendit nullam inter ſe & Cæſarem ſimultatem fuiſſe, nullam à Cæſare profectam iniuriam: nunc oſtendit etiam ſi fuiſſet aliqua contentio odium cum ipſa contentione fuiſſe ponendum.

DEINDE hoc ita fit, vt viri fortes, etiam ſi ferro inter ſe cominùs LXXXI.
decertarint, tamen illud contentionis odium ſimul cum ipſa pugnâ, armíſque ponant. Atqui me ille odiſſe nunquam potuit, ne tum quidem, cùm diſcedebamus. habet hoc virtus, quam tu ne de facie quidem noſti, vt viros forteis ſpecies eius, & pulchritudo etiam in hoſte poſita delectet. Equidem dicam ex animo, P.C. quod ſentio, & quod vobis audientibus ſæpè iam dixi. Si mihi nunquam amicus C. Cæſar fuiſſet, ſed ſemper iratus, ſi aſpernaretur amicitiam meam, ſeſéque mihi implacabilem, inexpiabilémque præberet: tamen ei, cùm tantas res geſſiſſet, gererétque quotidie, non amicus eſſe non poſſem. cuius ego imperio non Alpium vallum contra adſcenſum, tranſgreſſionémque Gallorum, non Rheni foſſam, gurgitibus illis redundantem, Germanorum immaniſſimis gentibus obiicio, & oppono.

EXPLANATIO.

DEINDE.] Argumentatur à minori ad maius in hunc modum.

Viri fortes, etiamſi irati inter ſe contenderint, tamen odium cum ipſa contentione deponunt.

Sed ego & Cæſar inter nos irati, aut cum odio non contendimus.

Ergo multo minùs finita contentione debemus iraſci.

Propoſitio, *Deinde hoc ita fit, &c. armíſque ponant.* Aſſumptio, *atqui me ille odiſſe nunquam potuit.* continetur. complexio ex dictis facilè poteſt intelligi.

HABET HOC VIRTVS.] Eſt probatio aſſumptionis.

Qui ſe amant cum odio non contendunt.
Ego & Cæſar nos amauimus. *Ergo,* &c.

Probatur aſſumptio.

Amant ſe mutuo quos virtus mutua delectat.
Sed nos virtus mutua delectauit.
Ergo nos amauimus.

Probatur iterum aſſumptio.

Virtus etiam in hoſte poſita delectat.
Sed virtus in nobis ambobus poſita fuit.
Ergo nos virtus mutua delectauit.

Hæc pluribus quæ Cicero paucis complexus eſt, partim vt conſuleret modeſtiæ, partim vt breuitati. breuitati, tacendo quæ facilè poterant intelligi. modeſtiæ, prætereundo. quæ iactantiam redolebant. quare ex tribus his poſterioribus ſyllogiſmis vnicam propoſitionem excerpſit. *Virtus etiam in hoſte poſita delectat.* alteram diuiſit, & truncauit, non enim dixit *virtus in nobis ambobus poſita fuit.* ſed *virtus in Cæſare poſita eſt.* quam non expreſſit quidem conceptis verbis, ſed ab effectibus & rebus geſtis exhibuit.

QVAM TV NE DE FACIE QVIDEM NOSTI.] A qua tu ſic es alienus, vt non ſolùm eius naturam intus, quod aiunt & in cute, non inſpexeris, ſed ne externam quidem eius ſpeciem noris.

SÆPE IAM DIXI.] Vt in oratione de Prouinciis Conſularibus 22. *An ego poſſum eſſe huic inimicus, cuius litteris, famâ, nuntiis celebrantur aures quotidie meæ, nouis nominibus gentium, nationum, locorum?*

TANTAS RES GESSISSET.] Gallos & Germanos tot prælijs domuiſſet.

ALPIVM VALLVM.] Alpes quibus Italiam, tanquam vallo, natura muniuit.

NON RHENI FOSSAM.] Hæret in eadem metaphora deducta à munitione oppidorum. bene autem Alpes Gallis, Rhenum Ger-

manus oſtendit ad defenſionem Italiæ ab ipſa natura Romano imperio conſulente fuiſſe obiectū, quia Alpes Gallos ab Italia, Rhenus Germanos à Gallis diſterminat.

NOTÆ.

I. De facie noſſe. DE FACIE.] Prouerbium eſt in eos qui rerum naturam non penetrant, ſed in extrema ſuperficie hærent, cuiuſmodi hominum mētem Democritus ἀκρόπλοον nominaret. talia ſunt & illa, *labris guſtare primoribus. à limine ſalutare, extremis digitis*, vel *ſuſpenſa manu attingere.* de quibus in Cœliana 28. memini me facere mentionem, ſed quoniam hoc loco virtutis faciem appellat, eiúſque tanta eſt pulchritudo, vt, quemadmodum ait Socrates in Phædro, ſi corporeis oculis cerneretur, mirabiles ſui amores excitaret, δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν. Operæpretium fuerit hîc virtutis faciem variorum auctorum penicillo depingere. Tertullianus libro de patientia qua virtutes omnes ait contineri. (Virtutis facies.) *Vultus illi tranquillus & placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugoſitate contracta, remiſſa æquè in latum modum ſupercilia, oculis humilitate non infœlicitate deiectis, os taciturnitatis honore ſignatum: color qualis ſecuris & innoxiis: motus frequens capitis in diabolum, & minax riſus, cæterùm amictus circum pectora candidus, & corpori impreſſus, vt qui nec inflatur, nec inquietatur, ſedet enim in throno ſpiritus eius mitiſſimi & manſuetiſſimi qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, ſed eſt teneræ ſerenitatis, apertus & ſimplex*, &c. Talem deſcribit Hippocrates veritatem, vel virtutem maximam, vel omnium virtutum matrem. Ἐγὼ δ' ἐπιστραφεὶς ὁρέω γυναῖκα καλήν τε καὶ μεγάλην, ἀσφαλέως πεπλοκισμένην, λαμπειμονοῦσαν. διέλαμπον δ' αὐτῆς οἱ τῶν ὀμμάτων κύκλοι, καθαρόν τι φῶς, οἷον ἀστέρων μαρμαρυγῆς δοκέειν, &c. *Conuerſus video mulierem forma & corporis magnitudine præſtantem, bene comptã, in candida veſte, oculi puro lumine ſiderum inſtar radiabant.* Talem Prodicus apud Xenophontem 2. memorabilium, Clement. Alexandr. libro 2. Pædagogi, Tullium de Officiis, & alios virtutem oculis viſendam exhibebat. ὡραίαν τ' ἰδεῖν καὶ ἐλευθέριον, φύσει κεκοσμημένην τὸ μὲν σῶμα καθαρότητι, τὰ δὲ ὄμματα αἰδοῖ, τὸ δὲ σχῆμα σωφροσύνῃ, ἐσθῆτί τε λευκῇ. *Facie venuſta & liberali, natura ornatam, corpus munditia, oculos verecundia, compoſitione corporis temperata, veſte candida.* Horridiorem alij virtutem finxerunt. vt Seneca libro de beata vita cap. 7. *Pulverulentam, coloratam, calloſas habentem manus.* Philoſtratus in Apollonio: ἡ δ' αὖ πεπονηκυῖα καὶ στρυφνής, τραχὺ δ' ὁρῶσα, τὸν δ' αὐχμὸν πεποιημένη κόσμημα, καὶ ἀνυπόδητος ἡ ἀρετὴ, καὶ λιτὴν τὴν ἐσθῆτα, καὶ γυμνὴ δ' ἂν ἐφαίνετο, εἰ μὴ ἐγίνωσκε τὸ ἐν θηλείαις εὔσχημον. *Altera verò fatigatæ ſimilis, toruè intuens, ſquallore ſe adornans, nudis etiam pedibus, & ſimplici veſte amicta, vt nuda etiam eſſet proditura, niſi, quod in fœminis decorum eſt agnouiſſet.* Silius meliùs ita horridam illam quidem expreſſit, vt ſeueritatem quadam vultus lætitia temperaret, lib. 15. verſu 28.

Alterius diſpar habitus, frons hirta, nec vnquam
Compoſitâ mutata comâ, ſtans vultus, & ore
Inceſſúque viro propior, lætique pudoris
Celſa humeros, niueæ fulgebat ſtamine pallæ.

ODIVM SIMVL CVM IPSA PVGNA.] Hector Iliados 7. verſu 298. ſic Aiaci loquens inducitur. II. Odium cum pugna ponēdum.

Δῶρα δ' ἄγ' ἀλλήλοισι περίκλυτα δώομεν ἄμφω,
Ὄφρα τις ὧδ' εἴπῃσιν Ἀχαιῶν τε Τρώων τε
Ἤ μὲν ἐμαρνάσθην ἔριδος πέρι θυμοβόροιο
Ἠδ' αὖτ' ἐν φιλότητι διέτμαγεν ἀρθμήσαντε.
Dona verò age mutuo inclyta demus ambo,
Vt aliquis ſic dicat Achiuorúmque Troianorúmque,
Profectò pugnabant pro contentione animum rodente,
Et iterum in amicitia ſeparati ſunt, conciliati.

Thucydides libro 1. Ἀνδρῶν σωφρόνων μέν ἐστιν, εἰ μὴ ἀδικοῖντο, ἡσυχάζειν, ἀγαθῶν δὲ, ἀδικουμένους ἐκ μὲν εἰρήνης πολεμεῖν, εὖ δὲ παρασχὸν, ἐκ πολέμου πάλιν ξυμβῆναι. *Virorum temperantium eſt quieſcere ſi non afficiantur iniuriâ; bonorum, ſi iniuriam acceperint, ex pace quidem ad arma ſe conuertere, ſi res bene ſucceſſerit ex bello iterum ad pacem transferri.* quo loco εὖ δὲ παρασχὸν, ἀντὶ τοῦ παρασχόντος δῆλον ὅτι τοῦ δαιμονίου, ait interpres. Plato in Lyſide reddit præclaram rationem. Τοὺς ἀγαθοὺς ὁμοίους ἀλλήλοις εἶναι καὶ φίλους, τοὺς δὲ κακοὺς, (ὅπερ καὶ λέγεται περὶ αὐτῶν) μηδέποτε ὁμοίους μηδὲ αὐτοὺς αὑτοῖς εἶναι, ἀλλ' ἐμπλήκτους καὶ ἀσταθμήτους. ὃ δ' ἂν αὐτὸ αὑτῷ ἀνόμοιον εἴη, σχολῇ γε τῷ ἄλλῳ ὅμοιον ἢ φίλον γένοιτο. (Mali inimici boni amici.) *Bonos ait ſimiles ſibi ipſis & amicos, malos verò, (quod & de ipſis crebris ſolet vſurpari ſermonibus,) nunquam ſimiles ſibi ipſis eſſe, ſed veluti lymphatos & inſtabiles. quod verò ſibi ipſi diſſimile eſt, alteri ſimile & amicum eſſe non poteſt.* σχολῇ, id eſt quod vernaculè dicimus, *il auroit bon loiſir d'eſtre amy d'vn autre.* vel, *il n'a pas haſte d'eſtre amy d'vn autre.* nec abludit Xenophon 2. memorabilium. Οἱ μὲν πονηροὶ πάντως ἔμοιγε δοκοῦσιν ἀλλήλοις ἐχθροὶ μᾶλλον, ἢ φίλοι πεφυκέναι. *Malos verò ſibi planè potiùs inimicos quàm amicos eſſe exiſtimo.* Item: Πολεμικὸν δὲ καὶ ἔρις καὶ ὀργὴ, καὶ δυσμενὲς μὲν ὁ τοῦ πλεονεκτεῖν ἔρως, μισητὸς δὲ ὁ φθόνος. ἀλλ' ὅμως διὰ τούτων πάντων ἡ φιλία διαδυομένη συνάπτει τοὺς καλούς τε κἀγαθούς. *Contentio & ira bella ſolent concitare, & plus habendi cupiditas ad inimicitias impellit, æmulatio odij mater. tamen per hæc omnia amicitia ſeſe inſinuans viros bonos inter ſe coniungit.* Aſſentitur & magiſtro diſcipulus magnus & ipſe philoſophus nono Ethicorū ad Nicomachum cap. 6. ἔστιν ὁμόνοια ἐν τοῖς ἐπιεικέσιν. οὗτοι γὰρ καὶ ἑαυτοῖς ὁμονοοῦσι, καὶ ἀλλήλοις ἐπὶ τῶν αὐτῶν ὄντες, ὡς εἰπεῖν, τῶν γὰρ τοιούτων μένει τὰ βουλήματα, καὶ οὐ μεταρρεῖ ὥσπερ Εὔριπος. *Eſt inter bonos concordia. hi enim & ſecum ipſi & inter ſe conſentiunt. in iiſdem conſtantes, vt ita loquar. nam eorum qui huiuſmodi ſunt ſtant conſilia, neque transfluunt inſtar Euripi.* Themiſtius oratione tertia, Ἀρετὴ μὲν γὰρ πρὸς αὑτὴν ἅπασα σύμφωνος. κακία δὲ οὔτε πρὸς ἀρετὴν εὐμενὴς, οὔτε δυσάρεστος ἑαυτῇ (libentiùs legerim, καὶ δυσάρεστος ἑαυτῇ) ὅθεν οὔτ' ὀξύθυμος ὀξυθύμῳ γένοιτ' ἂν φίλος, οὔτε νωθεῖ νωθής. *Virtus omnis ſibi concinit, improbitati autem neque cum virtute, neque ſecum bene conuenit. quare neque iracundus iracundo, neque ignauus ignauo, fuerit vnquam amicus.* Sed quid opus eſt ab aliis emendicare? Noſter de amicitia pulcherrimè: (Virtus animos conciliat.) *Cùm duobus ducibus de imperio in Italia concertatum Pyrrho & Annibale. ab altero propter probitatem eius non nimis animos alienos habemus: alterum propter crudelitatem eius ſemper hæc ciuitas oderit. Quod ſi tanta vis probitatis eſt, vt eam vel in eis quos nunquam vidimus, vel quod maius in*

hoſte etiam diligamus, quid mirum ſi animi hominum moueantur, cùm eorum, quibuſcum vſu coniuncti eſſe poſſunt, virtutem & bonitatem perſpicere videantur. Annibalis tamen virtus non admirationi ſolùm, ſed etiam amori videtur fuiſſe Romanis. Plinius 34. cap. 6. *Annibalis etiam ſtatuæ tribus locis viſuntur, in vrbe cuius intra mœnia ſolus hoſtium emiſit haſtam.* Quid Alexandri virtus quantos vel in Dario ſui amores excitauit? *Dy* Darij oratio. *patrij,* (inquit Darius apud Curtium libro 4.) *Primùm mihi ſtabilite regnum: deinde ſi de me iam tranſactum eſt, precor nequis Aſiæ Rex ſit, quàm iſte tam iuſtus hoſtis, tam miſericors victor.* Hinc eſt quod apud Perſas hoſtes fortitudo Pythij Æginetæ tantæ fuit admirationi, vt eius vulnera ſedulò obligarint, & ab exercitu diu ſpectatum incoluméimque dimiſerint. Herodotus in Polyhymnia. Hinc quòd Alexander Satrapam à quo propemodum occiſus eſt, θεωρούντων πάντων, τοῦτον ἀπέλυσεν, inquit Calliſthenes, εἰπὼν δὲ πρὸς τὸν ἴδιον ςρατὸν ἄνδρες Μακεδόνες τοιούτους δεῖ ςρατιώτας εἶναι πρὸς πόλεμον. *Videntibus cunctis dimiſit, & ad exercitum conuerſus, Macedones, inquit, ita debent eſſe milites in bello generoſi.* Hinc eſt quòd Pomponius apud Plutarchum in Lucullo, vel Pompeius apud Appianum in Mithridaticis: Πομπήιος εἰς Μιθριδάτην τεθρωμένος ἀνήχθη, καὶ πυθομένῳ βασιλεῖ τίνα χάριν οἱ περισωθεὶς δύναιτο ἀποδοῦναι, εἰ μὲν, ἔφη, σὺ φίλος γένοιο Λουκούλλου πασῶν πολλοῦ ἀξίαν. εἰ δ' ἐχθρὸς εἴης, οὐδὲ βουλεύσομαι. ᾧ δὲ μὲν ὁ Πομπήιος ἀπεκρίνατο, καὶ αὐτὸν τῶν βαρβάρων κτείνειν ἀξιούντων, ὁ βασιλεὺς εἶπεν, οὐκ ἐξ ὑβρίσειν εἰς ἀτυχοῦσαν ἀρετήν. *Pompeius ſaucius ad Mithridatem ad-* Virtutis admiratio. *ductus eſt, & roganti regi, ſi incolumis dimitteretur, quam gratiam eſſet redditurus, ſi, inquit, cum Lucullo amicus fueris multo maximam, ſi inimicus, ne deliberabo quidem. hac Pompeius, & barbaris eum occidi petentibus Rex aſſeruit nolle ſe inſultare virtuti afflictæ.* Quanquam quid opus eſt iſta recenſere, cùm mulierum ſpectata virtus, etiam Phalaridis crudelitatem molliuerit? ſic enim ad Periſthenem ipſe reſcribit: Τὴν Εὐβούλου καὶ τὴν Ἀριφάντου γυναῖκα, τῶν ἐπιβουλευσάντων μοι, Περίσθενες, ἃς ἑλὼν αἰχμαλώτους ἔπεμψας, καὶ ἀπολυθείσας πρὸς με σὺ δέον ἀποσφάττειν τὸ πρῶτον αἱρεῖν, ἔσωσα. καὶ πάντως που θαυμάζεις, ὅτι νενίκηκα τῆς ὀργῆς. εἰ δὲ καὶ πύθοιο τὴν αἰτίαν ὅτι δι' εὐψυχίας ὑπερβαλλούσης ἀπόδειξιν, μᾶλλον αὖ ἔτι θαυμάσειας. *Vxores Eubuli & Ariphantis qui mihi inſidias moliti fuerant, quas tu, ô Periſthenes, in poteſtatem tuam redactas, ad me miſiſti vt neci dederentur, cùm eas initio magno ſtudio vellem occidere, ſaluas incolumésque dimiſi: Miraris omnino quid ſit cur iracundiam mollierim: ſed auditâ cauſſâ magis etiam mirabere, eas ideò fuiſſe dimiſſas, quòd excellentis cuiuſdam virtutis & generoſitatis ſpecimen oſtenderint.* Quam rem geſtam fuſiùs exponit Quintus Smyrnæus libro 4. verſu 192.

Ἐσθλῷ γὰρ φίλος ἐσθλὸς ἀνὴρ, χαλεπῷ δ' ἀλεγεινός.
legerim χαλεπὸς δ' ἀλεγεινῷ.

Fortis amat fortem atque odio eſt ignauus eidem.

III. Alpes Italiæ vallum, mœnia. ALPIVM VALLVM.] Italiæ mœnia Liuius appellat libro 21. *Mœniáque eos tranſcendiſſe non Italiæ modo, ſed etiam vrbis Romæ.* poſt quem Silius lib. 3. Hannibalem ita ſuos hortantem inducit.

Nunc ô nunc ſocij dominantis mœnia Romæ
Credite vos, ſummúmque Iouis conſcendere culmen.

Idem aggeres alpinos vocat.

Aggeribus caput Alpinis & rupe niuali,
Proſilit in Celtas ingentémque extrahit amnem,
Spumanti Rhodanus proſcindens gurgite campos. Arx Italiæ.

Poſt Maronem:

Aggeribus Socer Alpinis atque arce Monœci.

Arcem, inquit, ſectatus Polybij veſtigia libro tertio dicentis. ἀκροπόλεως φαίνεσθαι διάθεσιν ἔχειν τὰς Ἄλπεις τῆς ὅλης Ἰταλίας. *Alpes arcis cuiuſdam totius Italiæ ſpeciem exhibere.* Pulchrè ad hunc locum Herodianus lib. 8. hiſtoriæ: Οἱ δὲ ἐν τῷ πεδίῳ ἅμα ἡλίῳ ἀνίσχοντι ἐπὶ τὰς Ἄλπεις ἠπείγοντο, ἃ δὴ ὄρη ὑπερμήκη, ὥσπερ τεῖχος Ἰταλίας ἡ φύσις ἤγειρεν, ὑπερνεφῆ μὲν τὸ ὕψος, ἐπὶ μῆκος δὲ, ὡς πᾶσαν Ἰταλίαν διειληφότα καθήκειν. *Hi vero in campo, oriente ſole ad Alpes properabant, quos montes immenſa magnitudine tanquam Italiæ murum natura excitauit, qui nubes altitudine excedant, tantáque longitudine porrigantur, vt totam Italiam comprehendant.* Ambroſius oratione funebri de obitu fratris. *Quam doleres in Alpium vallo ſummam noſtræ ſalutis conſiſtere, lignorúmque conſtrui ſtragem pudoris, qua afflictione mœreres tam tenui diſcrimine tuos ab hoſte diſtineri?* &c.

RHENI FOSSAM GVRGITIBVS ILLIS REDVNDANTEM.] Rheni foſſam appellat, quia Rhenus Gallos à Germanis diſterminat. nam Germania, vt ait Polyhiſtor. cap. 23. *Vbi incipit, Danubio; vbi deſinit, Rheno perfunditur.* vide Cæſarem libro 4. Plinium, hiſtoricos paſſim & Geographos. Ego libenter hunc pannum purpureum mihi non aſſuo. IV. Rheni gurgites.

Cùm flumen Rhenum aut pluuius deſcribitur arcus.

Tantùm vide per gurgites altitudinem & profunditatem & impetum fluuij denotari. Silius Rhodanus.

-proſcindens gurgite campos
Ac properè in pontum lato ruit incitus alueo:
Auget opes ſtanti ſimilis, tacitóque liquore
Mixtus Arar, quem gurgitibus complexus anhelis
Cunctantem immergit pelago, &c.

ſic Eumenius, vt modò referemus Rheni gurgites appellat. ſic Claudianus:

-explorat naſcentes gurgite Rhenus.

Iulianus in epiſtolis hoc ipſum explicans: Ῥῆνον δικαστὴν appellat, πάντως οὐδὲ ὁ Ῥῆνος ἀδικεῖ τοὺς Κελτοὺς, ὃς τὰ μὲν νόθα τῶν βρεφῶν ὑποβρύχια ταῖς δίναις ποιεῖ, καθάπερ ἀκολάστου λέχους τιμωρὸς ἀρέσκων. ὅσα δ' αὖ ἐπιγνῷ καθαροῦ σπέρματος ὑπεράνω τοῦ ὕδατος αἰωρεῖ, καὶ τῇ μητρὶ τρεμούσῃ πάλιν εἰς χεῖρας δίδωσιν, ὥσπερ ἀδέκαστόν τινα μαρτυρίαν αὐτῇ καθαροῦ καὶ ἀμέμπτου γάμου τὴν τοῦ παιδὸς σωτηρίαν ἀντιδωρούμενος. *Omnino neque Rhenus afficit Celtas iniuria, qui nothos & adulterinos fœtus ſuis vorticibus ſubmergit, tanquā vltor cubilis impudici. quoſcunque autem legitimos & puro ſemine prognatos agnouerit, eos ſuper aquas extollit, & pauenti matri reſtituit in manus, tanquam incorruptum teſtimonium ſeruatæ in coniugio caſtitatis matri exhibens filij ſalutem.* Quod orationibus in Conſtantij laudem ſemel & iterum repetit. Sed quamuis video non adeò ad rem attinere occaſione Rheni gurgitum ad hunc probandi pueros morem excurrere, tamen id viſum eſt ex aliis etiam ſcriptoribus comprobandum. vt, in quo occupetur, habeat lector otioſus. Diuus Gregorius Nazianzenus. Rhenus δικαστὴς γάμων.

Κελτοὶ μὲν κρίνουσι γονὰς Ῥήνοιο ῥεέθροις.

Explorant partus Rhenano in gurgite Celtæ.

Nonnus lib. 23. Dionyſiacon, verſu 93.

Ῥῆνος Ἴβηρ βρεφέεσσι κορύσσεται, ἀλλὰ δικάζων
Rhenus Iber. Καὶ κρυφίην ὠδῖνα διακρίζων τοκετοῖο
Κτείνει ξεῖνα γένεθλα.
Rhenus Iber pueris armato gurgite ſæuit:
Sed tamen occultos partus diiudicat, vndis
Externum perimens fœtum.

Item libro 46. verſu 54.

Βάρβαρα θεσμὰ φέρουσαν ἐπολβίζον χθόνα Κελτῶν
Ἧχι νέων βρεφέων καθαρὴν ὠδῖνα διδάσκων
Ῥῆνος ἀσημάντοιο δικασπόλος τοκετοῖο,
Αἵματος ἀγνώστοιο νόθον γόνον οἶδεν ἐλέγξαι.
Barbara laudatur crebrò mihi Celtica tellus,
Incerti partus Iudex vbi Rhenus in vndis
Edita legitimo demonſtrat pignora partu,
Ignotaque nothum ſtirpis genus arguit.

Rhenus Iber non à patriâ, vt clarum eſt, vel ex mente Poëtæ, qui eum non in Hiſpania, ſed apud Celtas agnoſcit, ſed ab effectu vt notat Canterus. quòd apud Germanos ſonat zelotypum. quo ſenſu incertus auctor lib. 1. Anthologiæ titulo εἰς κρίτας Rhenum ζηλήμονα appellat hoc ipſum deſcribens:

Θαρσαλέοι Κελτοὶ ποταμῷ ζηλήμονι Ῥήνῳ
Τέκνα ταλαντεύουσι, καὶ οὐ πάρος εἰσὶ τοκῆες
Πρὶν παῖδ' ἀθρήσωσι λελουμένον ὕδατι σεμνῷ.
Αἶψα γὰρ ἐκ λαγόνων μητρὸς ἐλισθήσας διὰ κόλπων
Νηπίαχος πρῶτον προχέει δάκρυ, τὸν μὲν ἀείρας
Αὐτὸς ἐπ' ἀσπίδα θῆκε νέον παῖν, οὐδ' ἀλεγίζει.
Οὔπω γὰρ γενέταο φέρει νόον, πρίν γ' ἐσαθρήσῃ
Κεκριμένον λουτροῖσιν ἐλεγχιγάμοιο ποταμοῖο.
Ἡ δὲ μετ' Εἰλειθυῖαν ἔτ' ἄλγεσιν ἄλγος ἔχουσα
Μήτηρ, ἣ καὶ παιδὸς ἀληθέα οἶδε τοκῆα
Ἐκδέχεται τρομέουσα τί κρίνεται ἄστατον ὕδωρ.
Zelotypo Celtæ audaces in flumine Rheni
Expendunt fœtus: nolunt priùs eſſe parentes
Quàm pueri claris coram merſentur in vndis.
Nam ſimul ac fœtus matris delapſus ab aluo
In primam erumpit lacrymam, tunc ipſe puellũ
Impônit clypeo, nec eum miſeratio tangit,
Nec mentem genitoris habet, niſi viderit antè
Vndâ exploratum fluuij, qui fœdera lecti
Oſtendit ſeruata inconcuſſóſque hymenæos.
At mater ſæuos Lucinæ experta dolores
It rurſum in lachrymas, norit licet ipſa parentem,
Expectátque pauens vndæ decreta fluentis.

Sed vt ad inſtitutum vnde digreſſi ſumus aliquando redeamus, de Alpium vallo & Rheni foſſa Ioſephus lib. 2. de excidio, cap. 28. Agrippæ concione. Ἀλλὰ μὴν εἴ γε τινὰς εἰς ἀπόστασιν ἄφθονον ἀφορμαὶ μεγάλαι παροξύνειν, μάλιστα Γαλάτας ἐχρῆν τοὺς οὕτως ὑπὸ τῆς φύσεως τετειχισμένους, ἐξ ἀνατολῆς μὲν τοῖς Ἄλπεσι, πρὸς ἄρκτον Ῥήνῳ ποταμῷ, μεσημβρινοῖς δὲ τοῖς Πυρρηναίοις ὄρεσιν, ὠκεανῷ δὲ πρὸς δυσμαῖς. ἀλλὰ καί τοι τηλικούτοις μὲν ἕρκεσι περιβεβλημένοι, &c. *Veruntamen ſi quos ad defectionem magnæ occaſiones concitare deberent, maximè Gallos oporteret tot tantíſque muris à natura munitos, ab ortu quidem Alpibus, à Septentrione Rheno fluuio, à Meridie Pyreneis montibus, Oceano ad Occidentem. Atqui licet tantis vallis circumdati*, &c. Vide orationem de prouinciis Conſularibus 34. *Alpibus Italiam munierat ipſa natura.*

AXIOMATA.

Hoc ita fit vt viri fortes etiam ſi ferro cominus decertarint, tamen illud contentionis odium ſimul cum ipſa pugna armíſque ponant.

Habet hoc virtus, vt viros fortes ſpecies eius, & pulchritudo etiam in hoſte poſita delectet.

ARGVMENTVM.

Concludit rationem cur Cæſari non debeat iraſci. deinde Piſoni reſpondet, qui vt ſe innocentem oſtenderet, Ciceronem ad iudices prouocarat, de eo conquerens quòd ipſum in Senatu inſectaretur potiùs quàm ad iudices accerſeret.

LXXXII. PERFECIT ille, vt, ſi montes reſediſſent, amnes exaruiſſent, non naturæ præſidio, ſed victoria ſua, rebúſque geſtis Italiam munitam haberemus. Sed, cùm me expetat, diligat, omni laude dignum putet: tu me à tuis inimicitiis ad ſimultatem reuocabis? ſic tuis ſceleribus Reip. præterita fata refricabis? quod quidem tu, qui benè noſſes coniunctionem meam, & Cæſaris, eludebas, cùm à me trementibus omninò labris, ſed tamen, cur tibi nomen non deferrem, requirebas. Quamquam, quod ad me attinet,

Nunquam iſtam imminuam curam inficiando tibi.

Tamen eſt mihi conſiderandum, quantum illi tantis Reip. negotiis, tantóque bello impedito, ego homo amiciſſimus, ſolicitudinis, atque oneris imponam. nec deſpero tamen, quanquam languet iuuentus, nec perinde atque debeat, in laudis, & gloriæ cupiditate verſatur, futuros aliquos, qui abiectum hoc cadauer, Conſularibus ſpoliis nudare non nolint, præſertim tam afflicto, tam infirmo, tam eneruato reo: qui te ita geſſeris, vt timeres, ne indignus beneficio videreris, niſi eius, à quo miſſus eras, ſimillimus extitiſſes.

EXPLANATIO.

PERFECIT ILLE.] Cæſar Gallos & Germanos armis ita compreſſit, vt iam non poſſint quicquam contra noſtram Rempublicam moliri, etiamſi neque Alpes Gallos, neque Rhenus & Alpes Germanos ab Italiæ aditu prohiberent.

SED CVM ME EXPETAT.] Talis eſt ſyllogiſmus.

Etſi Cæſar me odiſſet, tamen ei non deberem iraſci.

Sed me amat. *Ergo*, &c.

Maior propoſitio eiúſque probatio partim ſuperiori, partim præſenti paragrapho continetur.

TV ME A TVIS.] Dices me Cæſari potiùs quàm tibi ipſi debere iraſci.

SIC TVIS SCELERIBVS.] Lambinus legit, *ſic tuis ſceleribus præſentibus Reip.* Sed non arridet: hæc enim locutio frigida, & à maieſtate Tullij videtur prorſus aliena, qui non *crimina raſis librat in antithetis.*

PRÆTERITA FACTA.] Malim *fata*, quaſi illa diſſenſio Cæſaris à Senatu non ipſius Cæſaris voluntati, ſed fato cuidam & neceſſitati tribuenda eſſe videatur.

QVOD QVIDEM TV, &c. ELVDEBAS.] Modus loquendi obſcurior. ſic intelligo. in quo quidem eludebas ea crimina quæ, cùm de prouinciis Conſularibus ageretur, tibi obieceram in Senatu: non enim tu illas meas obiectiones vlla defenſione diluiſti, ſed me & auditores eludens à me petiiſti, cur te non accuſarem iudicio de repetundis: id autem petere auſus es, quòd bene noſſes coniunctionem meam & Cæſaris generi tui, certóque compertum haberes, nolle me Cæſari ſollicitudinem iniicere, in quam incurreret, ſi tibi ſocero ſuo videret nomen deferri. atque hac quidem fiducia ad iudiciũ prouocauiſti, quamuis aliunde ſcelerum tuorum conſcientia oppreſſus iudicium refugeres, vt tremor ille labiorum tuorum indicabat. ſenſum videor attigiſſe. tamen illam locutionem, *quod quidem tu eludebas.* non ſatis intelligo. explicat Manutius, *ſerio non agebas.*

NVNQVAM ISTAM IMMINVAM.] Aſconius. *Prope notius eſt quàm vt iudicandum ſit, hunc verſum eſſe L. Accij Poetæ, & dici à Thyeſte in Atreo.*

TAMEN EST MIHI.] Cauſſas adfert quæ poſſunt ipſum à deferendo nomine Piſonis abducere. quia nimirum Cæſari genero Piſonis aliquam moleſtiam & ſollicitudinem exhiberet.

TANTIS REIP. NEGOTIIS.] Adminiſtratione Galliarum, & bello cum Gallis, Germanis, Britannis.

NEC DESPERO.] Superioribus verbis videri poterat Piſonem iudicij metu, nonnihil liberaſſe: nunc timorem incutit, & Piſoni nomen, ſi non à ſe, ſaltem ab aliis delatum iri comminatur.

QVI ABIECTVM HOC CADAVER.] Si iuuentus perinde atque deberet, laudis & gloriæ ſtudio ſe induſtriam exhiberet, ſtantes & incolumes ſceleratos, iudiciorum armis percelleret: nunc quanquam languet, voluptatibus & deliciis eneruata, non tamen ſic animum abiecit, vt non auſit cadauer abiectum conſularibus ornamentis ſpoliare.

TAM AFFLICTO.] Vide gradationem. afflictus & abiectus poteſt tamen excitari. infirmus non poteſt ille quidem, tamen poteſt ad firmitatem redire. at eneruatus, cui nerui ſucciſi ſunt, ne poteſt quidem aut ſtare aut recuperare corporis firmitatem.

QVI TE ITA GESSERIS.] Qui in adminiſtratione Macedoniæ prouinciæ tot ſcelera admiſeris, vt timeres, ne indignus illo beneficio, quo Clodij lege Prouinciam adeptus es, videreris, niſi ipſi Clodio omnium bipedum & quadrupedum teterrimo ſimillimus exſtitiſſes.

NOTÆ.

VT SI MONTES.] De Prouinciis Conſularibus 34. *Alpibus Italiam munierat ante natura, non ſine aliquo diuino numine. nam ſi ille aditus Gallorum immanitati multitudinique patuiſſet, nunquam hæc vrbs, ſummo imperio domicilium ac ſedem præbuiſſet: quæ iam licet conſidant: nihil eſt enim vltra illam altitudinem montium, vſque ad Oceanum, quod ſit Italiæ pertimeſcendum.* I. Cur Deus Alpibus Italiam muniet.

AMNES EXARVISSENT.] Eumenius in panegyrico Conſtantini. *Inde eſt igitur, Imperator, pax iſta qua fruimur. neque enim Rheni iam gurgitibus, ſed nominis tui terrore munimur. quãlibet ille aut areſcat æſtu, aut reſiſtat gelu, neutro hoſtis audebit vti vado. nihil enim tam inſuperabili vallo natura præcluſit, quod non penetret audacia, cui aliqua conandi ſpes relinquatur. ille eſt inexpugnabilis murus, quem extruit fama virtutis.* Hunc Tullij locum Claudianus de bello Getico præ oculis videtur habuiſſe. II. Fama virtutis eſt certiſſima munitio.

Alta nec incertis metimur flumina votis,
Excidio latura moram, non poſcimus omnes
Vndoſam ſeruare fidem, &c.

Themiſtius oratione de pace ad Valentem non multùm abludit: Καὶ ἔξωθεν, καὶ ἔνδοθεν ἡμᾶς εἰρήνη κατέχει, τοὺς πολεμίους μὲν ὁ τῶν ὅπλων φόβος, τοὺς στρατιώτας δὲ ὁ τῶν νόμων. διείργει δὲ Σκύθας Ῥωμαίων οὐ ποταμός, οὐ τέναγος, οὐ θριγγία (ταῦτα μὲν γὰρ ἄν τις καὶ διακόψειε, καὶ διαπλεύσειε, καὶ ὑπερβαίη) ἀλλὰ φόβος, ὃν οὐδεὶς πώποτε ὑπερέβη, καταδεέστερα εἶναι πιστευκώς. καὶ τρόπαιον ἕστηκε ταύτης τῆς νίκης, οὐκ ἐκ λίθου πεποιημένον οὐδὲ χαλκοῦ, ἢ χρυσοῦ, πεπηγὸς ὑφ' ἑνὸς χωρίου, ἀλλ' ἅπασι μὲν βαρβάροις, ἅπασι δὲ Ῥωμαίοις ἐνδιαπτόμενον. *Intus foriſque, pace continemur, dum & hoſtes armorum noſtrorum, & milites legum metus coërcet. Scythas verò à Romanorum finibus non interiectum flumen, non paludes, non munitiones excludunt (hæc enim omnia & conuelli, & tranſmitti nauigiis, & ſuperari poſſunt) ſed terror ac metus duntaxat, quem nemo vnquam tranſcendit, qui ſe inferiorem viribus putaret, atque huius victoriæ trophæum non lapide ibidem erectum, non ex argento, auróve vno in loco defixum manet, ſed in barbaris omnibus, omnibus Romanis conſtitutum, atque collocatum eſt.* Nec longè abeſt Demades oratione quadam quæ ſola, & ne integra quidem videtur ſupereſſe, & περὶ δωδεκαετίας inſcribitur. τὴν Ἀττικὴν ἐτείχισα, τοὺς ὅρους τῆς χώρας περιβαλών, οὐ λίθοις, ἀλλὰ τῇ τῆς πόλεως ἀσφαλείᾳ. *Atticam ſepſi, limites eius obuallans, non lapidibus, ſed ſecuritate ciuitatis.* Plinius Paneg. Traiani in contrarium. *Quod ſi*

quis barbarus Rex eò inſolentiæ furoriſque proceſſerit, vt iram tuam indignationémque mereatur, na ille ſiue interfuſo mari, ſeu fluminibus immenſis, ſeu præcipiti monte defenditur, omnia hæc tam prona, támque cedentia virtutibus tuis ſentiet, vt ſubſediſſe montes, flumina exaruiſſe, interceptum mare, illatáſque ſibi non eſſe claſſes noſtras, ſed terras ipſas arbitretur.

III. Refricare. REFRICABIS.] In memoriam reuocabis. tranſlatione ſumpta ab iis qui vulnus cicatrice obducta iam penè ſanatum vnguibus impreſſis renouant. Noſter 2. de Oratore: *Sic & eorum dolorem qui lugebant ſuos oratione refricabam.* Epiſt. 13. libro 5. *Ne refricem litteris deſiderium ac dolorem tuum.* 3. Agraria. *Refricare obductam iam Reipub. cicatricem.* Pro Flacco: *Cùm veniſſet Lælius ad iratos, & illuc Caſtricianum vulnus dicendo refricuiſſet.* 12. ad Attic. epiſt. 19. *Quæ res forſitan ſit refricatura vulnus meum.* Eodem metaphoræ aut ſi mauis prouerbij genere vtitur pro domo ſua.

IV. Anguſti eſt animi mortuos hoſtes ſpoliare. SPOLIIS NVDARE.] Quia nimirum languidiſſimus quiſque poteſt hoſtium cadauera ſpoliare. Plato 5. de Rep. ſapienter τὸ σκυλεύειν, &c. πρόφασιν μὲν τοῖς δειλοῖς ἔχει, μὴ πρὸς τὸν μαχόμενον ἰέναι, ὥς τι τῶν δεόντων δρῶντες, ὅταν περὶ τὸν τεθνεῶτα κυπτάζωσι. πολλὰ δὲ ἤδη στρατόπεδα διὰ τὴν τοιαύτην ἁρπαγὴν ἀπώλετο. *Hoſtium cadauera ſpoliare prætextum quidem præbet ignauis, ne cum pugnantibus manum conferant, quaſi operæpretium faciant cùm proni in cadauer incumbunt. nec pauci exercitus propter huiuſmodi rapinas deleti ſunt.* Subdit: Ἀνελεύθερον δὲ οὐ δοκεῖ καὶ φιλοχρήματον νεκρὸν συλᾶν, καὶ γυναικείας τε καὶ σμικρᾶς διανοίας πολέμιον νομίζειν τὸ σῶμα τοῦ τεθνεῶτος, ἀποπταμένου τοῦ ἐχθροῦ, λελοιπότος δ' ᾧ ἐπολέμει. ἢ οἴει τι διαφέρειν δρᾶν τοὺς τοῦτο ποιοῦντας τῶν κυνῶν, αἳ τοῖς λίθοις οἷς ἂν βληθῶσι χαλεπαίνουσι τοῦ βάλλοντος οὐχ ἁπτόμεναι. *Illiberale igitur videtur, & ſordidum, mortuum ſpoliare, & muliebris puſillique animi, mortui corpus inimicum arbitrari, cùm iam inimicus exceſſerit, íſque, cum quo pugnabat, defecerit. an exiſtimas aliud agere qui hoc faciunt, quàm canes, qui in eum qui percuſſerit non impetentes, iram in lapidem expromunt.* *veriſſime.* Neque enim magnopere Græcorum fortitudini tribuendum, quod ad cadauer Hectoris conuolarunt.

-Οὐδ' ἄρα τις ἀνουτητί γε παρέστη.

-nec quiſquam propiùs ſine vulnere ſtabat.

Quod Statius 9. Thebaidos, verſu 185. ingenti ſpiritu felicíque conatu ſic expreſſit.

Ducitur hoſtili (prô dura potentia fati)
Tydeus ille ſolo, modò cui Thebana ſequenti
Agmina, ſiue gradum, ſeu frena effunderet, ingens
Limes vtrimque datus: nuſquam arma, manúſque quieſcunt,
Nulla viri feritas, iuuat ora rigentia letho,
Et formidatos impunè laceſſere vultus.
Hic amor, hoc vna timidi, fortéſque ſequuntur,
Nobilitare manus, infectáque ſanguine tela
Coniugibus ſeruant, paruiſque oſtendere natis.
Sic vbi Maura diu populatum rura leonem,
Quem propter clauſíque greges vigilántque magiſtri,
Paſtorum laſſa debellauere cohortes:
Gaudet ager, magno ſubeunt clamore coloni:
Præcerpúntque iubas, immaniáque ora recludunt,
Damnáque commemorant: ſeu iam ſub culmine fixus
Excubat, antiquo ſeu pendet gloria luco.

Quibus quid aliud dici poſſit non video, quàm quod Hector Græcis exprobrans à Poëta quodam inducitur 1. Anthologiæ περὶ ἀνδρείας.

Βάλλετε νῦν μετὰ πότμον ἐμὸν δέμας, ὅττι καὶ αὐτοὶ
Νεκροῦ σῶμα λέοντος ἐνυβρίζουσι λαγωοί.

Poſt mortem imbelles noſtrum lacerate cadauer,
Quippe lepus functo ſolet inſultare leoni.

AXIOMATA.

Satius eſt victoria rebúſque geſtis quàm naturæ præſidio munitas vrbes habere.

Non eſt iis imponenda ſollicitudo, qui ſunt negotiis publicis impediti.

Enumeratio ſcelerum Piſonis in adminiſtratione Prouinciæ, quibus eum accuſare Cicero potuerat, ſi diem ei dicere voluiſſet. ab 83. ad 94.

- Crudelitas ab 83. ad 85. in
  - Platorem 83. cuius necem exaggerat à
    - iure hoſpitij violato.
    - muneribus à Platore Piſoni datis.
    - ſumptibus in eo excipiendo factis.
    - cauſſa mouente. id fecit Piſo pecuniâ impulſus.
    - perfidia Piſonis. Eum ſua fide venire iuſſerat.
    - modo necis inuſitato, venis manu medici exolutis.
  - Pleuratum Platoris ſocium, quem
    - verberibus necauit.
    - cùm eſſet ſumma ſenectute cōfectus.
  - Rabocentum, 84. cuius necem aliquot circunſtantiis exaggerat
    - ab eius perſona. erat
      - Beſſicæ gentis princeps.
      - & legatus.
    - à cauſſis mouentibus.
      - Rabocentus venerat vt auxilia Piſoni polliceretur.
      - Piſo Regis Cotti pecunia corruptus eum interemit.
    - à ſociis item legatis qui cum Rabocento necati ſunt.
  - Deuſeletos. 84. quibus nefariè bellum intulit. factum exaggerat
    - ab antecedentibus, & eorum beneficiis erga pop. Romanum.
    - à conſequentibus, & damnis Macedoniæ per eos illatis.
- Sacrilegia, quæ exercitûs & militum clade ſunt expiata. 85.
- Auaritia à 86. ad 93.
  - pecuniam ſibi vaſarij nomine attributam Romæ in quæſtu reliquit. 86.
  - cc. talentis perſuaſus Apolloniatis debitorib. Fuſidium creditorē addixit. 86.
  - Exhauſit ciuitates exactione frumenti
    - æſtimati.
    - honorarij. 86.
  - Iudicia muneribus & pecunia diſpenſauit. 87.
  - Armorum officinam inſtituit, vt eo nomine totum prouinciæ pecus compelleret. 87.
  - Impoſuit rebus venalibus extraordinaria portoria. 88.
  - Vendidit centurionatus, & reliquos ordines militares. 88.
  - Clodio ſexcentos ad beſtias amicos, ſociósque miſit. 88.
  - Magno in mœrore iacuit cùm ſucceſſorem ſibi mitti, & rapinarum occaſionem eripi audiiſſet. 89.
  - De auro coronario diu multúmque deliberauit. 89.
  - Multa alia auaritiæ crimina præteritione oratoriâ conglobantur. 90.
  - Multæ vrbes vaſtatæ & perditæ ab hoſtibus quos ille per auaritiam concitarat. 91.
  - Exercitum dimiſit non ſoluto ſtipendio, & à militibus ſuis pene occiſus eſt. 92. 93.
  - His factis tam impudens fuit, vt quaſi re bene geſta trophæa ſibi excitarit. 92.

ARGVMENTVM.

Oſtendit ſibi non deeſſe crimina, ſi velit Piſoni nomen deferre: & hacoccaſione ad inſectandum Piſonem ex rebus in prouincia geſtis delapſus, id primò reprehendit quòd hoſpitem ſuum Platorem iuſſerit interfici.

LXXXIII. AN verò tu parum putas inueſtigatas eſſe à nobis labes imperij tui, ſtragéſque prouinciæ? quas quidem nos non veſtigiis odorantes ingreſſus tuos, ſed totis volutationibus corporis, & cubilibus perſecuti ſumus. Notata à nobis ſunt, & prima illa ſcelera in aduentu, cùm, accepta pecunia à Dyrrachinis ob necem hoſpitis tui Platoris, eius ipſius domum euertiſti, cuius ſanguinem addixeras, cúmque, ſeruis ſymphoniacis, & aliis muneribus acceptis, timentem, & multum dubitantem confirmaſti, & Theſſalonicam fide tua venire iuſſiſti. quem ne maiorum quidem more ſupplicio affeciſti (cùm miſer ille ſecuribus hoſpitis ſui ceruices ſubiicere geſtiret) ſed ei medico, quem tecum eduxeras, imperaſti, vt venas hominis incideret.

EXPLANATIO.

AN PARVM PVTAS.] Egregia allegoria ſuã in exquirendis Piſonis flagitiis & facinoribus diligentiam oſtendit, quæ non leuibus argumentis, vt belluæ alicuius veſtigiis, ſed firmis certíſque probationibus tanquam volutationibus corporis dicit ſe fuiſſe perſequutum.

NOTATA A NOBIS.] Hìc oſtendit in vno facto ſex crimina fuiſſe implicata. Primò, quòd pecuniam ob necem acceperit contra legem Iuliam de repetundis. 2. quòd ob necem hoſpitis. 3. quòd domum eius exhauſerit. 4. quòd contra fidem datam eum occiderit. 5. quòd non ſecuri percuſſerit more maiorum, ſed adhibito chirurgo venas eius exoluerit, vt exhauſto ſanguine lenta morte tandem interiret. 6. quòd Pleurati mortem adiunxerit. Septima, circunſtantia, & quaſi nouum crimen addi poteſt, quòd in ipſo aduentu ab hoc ſcelere fuerit auſpicatus. Item octaua, quòd eum occiderit, cuius domum euerterat, contra leges Romanas, quæ pœnam pecuniariam pœnæ capitis addi prohibebant.

IN ADVENTV.] Cùm primùm Brunduſio ſoluens Dyrrhachium appulſus es.

EIVS IPSIVS DOMVM.] Tantæ fuiſti perfidiæ, vt cùm Platoris ciuis Dyrrhachini ſanguinem ſuis ipſius ciuibus vendidiſſes, promiſiſſéſque acceptâ pecuniâ fore, vt illi mortem inferres, tantæ, inquam, fuiſti perfidiæ, vt ei, cuius ſanguinem tanquam licitatione publica addixeras, te amicum eſſe ſimulares, & ad eum tanquam hoſpes ad hoſpitem diuerteres, tamdiúque maneres in eius domo, vt eam euerteris, & impenſis quæ factæ ſunt, penitùs exhauſeris.

EVMQVE SERVIS.] Auaritiam notat perfidia implicatam: quòd munera acceperit: & inter cæteros ſeruos ſymphoniacos & muſicos.

TIMENTEM.] Mortis periculum quòd à tua perfidia videbat ſuis imminere ceruicibus. AC MVLTVM DVBITANTEM. De tua in ipſum fide. CONFIRMASTI. Spem bonam bonam habere iuſſiſti, & *Theſſalonicam fide tua.* promittens nihil te ipſi illaturum iniuriæ *venire iuſſiſti.*

QVEM NE MORE.] In quem adeò crudelis extitiſti, vt ne conſueto quidem more inſtitutóque maiorum crucis, ſecuris aut præcipitij genera in eum exprompſeris.

CVM MISER ILLE.] Aperta eſt ſententia. tantùm aduerte vim inſignem quæ ſingulis verbis planè emphaticè continetur. miſerum appellat cui ne permiſſum fuerit mori eo genere mortis, quod tanquam mortis ſolatium expetebat, & aſſequi geſtiebat, ſummíque boni loco numerabat.

ET MEDICO.] Chirurgo. vide Notas.

QVEM TECVM EDVXERAS.] In prouinciam proficiſcens. aliud pathos ex indignitate rei, quaſi Piſo chirurgum ſecum ad tam triſte funeſtúmque miniſterium eduxerit.

VT VENAS HOMINIS INCIDERET.] Ad exhauriendum omnem ſanguinem è venis, & lenta morte necandum hominem.

NOTÆ.

NON VESTIGIIS ODORANTES.] Differunt, vt vides, inter ſe ingreſſus & 1. Veſtigia. volutationis veſtigia, quòd hæc illis ſint certiora. Xenophon de venatione: ὅσαι δὲ τῶν κυνῶν τὰ ἴχνη, τὰ μὲν εὐναῖα ἀγνοοῦσι, τὰ δὲ δρομαῖα ταχὺ διατρέχουσιν, οὐκ εἰσὶ γνησίαι. *Canum autem quacunque volutationum & cubilium veſtigia non agnoſcunt, curſus veſtigia celeriter tranſcurrunt, non ſunt generoſæ.* Vbi ſuauitate pluſquam nectarea hanc inueſtigandi rationem copioſè deſcribit. qualia enim ſunt illa? ἰχνευέτωσαν δ' ἐκ τῶν τριμμῶν ταχὺ ἀπαλλαττόμεναι, προθεῖσαι τὰς κεφαλὰς ἐπὶ γῆν λοξίας, ἐμμειδιῶσαι μὲν πρὸς τὰ ἴχνη, ἐπικαταβάλλουσαι δὲ τὰ ὦτα, τὰ μὲν ὄμματα πυκνὰ διακινούντων. ταῖς δ' οὐραῖς διασαίνουσαι κύκλοις πολλοῖς πρὸς τὰς πλευράς, προΐτωσαν ὁμοῦ διὰ τοῦ ἴχνους ἅπασαι. Vertit Omnibonus Leonicenus. *Ita veſtigent vt tramitibus celeriter excedant, capita terræ admouentes: ad veſtigia ſubrideant, auréſque demittant, faciles oculos per ſingula voluant, & caudis blandientes multis in latera orbibus, per veſtigia ſimul omnes progrediantur.* hæc ille inter alia pulcherrima. Quàm eleganter illud? ταχὺ ταῖς οὐραῖς διασείουσαι, καὶ ἐπικλίνουσαι τὰ ὦτα, καὶ ἀστράπτουσαι τοῖς ὄμμασιν. *Caudam vibrantem demittentes aurem, oculo fulgurantes.* Pudet Latinum ſubtexere, tanta eſt Græci ſuauitas. Sed verendum ne nobis hanc lotum guſtantibus reditus obliuio obrepſiſſe videatur.

adi Oppianum primo de venatione, vbi à verſu 480. canem odorantem leporis veſtigia pulcherrimè deſcribit :

Τῇ καὶ τῇ ἴχνη καὶ ἐξείης ἐρεείνει
Πυκνὰ λίθον, καὶ πάντα λόφον, καὶ πᾶσαν ἀταρπόν. &c.
Hac illac certo rimatur in ordine currens
Saxa, omnémque viam pariter colléſque ſupinos.

Veſtigare. Neſcio tamen quo modo ſuauior eſt oratio, cùm à rebus corporeis ad animum & ſagacem mentis inquiſitionem transfertur. vt Verrina 20. §. 191. *Atque adeo hoc ne longius aut obſcurius eſſe poßit, procedite in medium, explicate deſcriptionem imaginémque tabularum : vt omnes mortales iſtius auaritiæ, non iam veſtigia, ſed ipſa cubilia videre poſſint. Videtis Verrutium? videtis primas litteras integras? videtis extremam partem nominis, caudam illam verris tanquam in luto, demerſam eſſe in litura.* Et libro quarto in Verrem 47. *Immittebantur illi continuo Cibyratici canes, qui veſtigabant & perſcrutabantur omnia.* Item 31. *Mirandum in modum canes venaticos diceres, ita odorabantur omnia, & perueſtigabant.* Rurſus libro ſecundo §. 135. *Acutiſſimè tota prouincia, quid cuique eſſet neceſſe indagare & odorari ſolebat.* Et in Cluentiana pulcherrimè : *Anni ſunt octo cùm iſta cauſa in iſta meditatione verſatur : cùm omnia quæ nunc ad eam rem pertinent, & ex huius, & ex aliorum tabulis, agitatis, tractatis, inquiritis, cùm interea Cluentianæ pecuniæ veſtigium nullum inuenitis. Quid? Albiana pecunia veſtigiíſne vobis odoranda eſt, an ad ipſum cubile vobis ducibus, venire poſſumus?* Et alibi frequenter. Plautus in Menæchmis ſcena ſecunda:

Ecquid tu odore poßis, ſi quid fortè olfeceris
Facere coniecturam? &c.

poſt Sophoclem in Aiace :

– πάλαι κυνηγετοῦντα, καὶ μετρούμενον
Ἴχνη τὰ κείνου νεοχάρακτα. –
Iamdudum venantem, & metientem
Veſtigia eius recens impreſſa.

Amicus venandus. Ita Xenophon amici venationem frequenter vſurpat ſecundo memorabilium: Θηρατέος, &c. οὐ κατὰ πόδας, ὥσπερ ὁ λαγὼς, οὐδ' ἀπάτῃ, ὥσπερ αἱ ὄρνιθες, οὐδὲ βίᾳ, ὥσπερ οἱ ἐχθροί. *Venandus eſt non pedum celeritate, vt lepus, neque fraude vt aues, neque vi vt hoſtes.* Eius odoratus eſt veſtigia Themiſtius oratione tertia, quæ περὶ φιλίας inſcribitur, qui de amico loquens : Πῶς οὖν δή τις, inquit, τό γε τοιοῦτον ἀγαθὸν εὕροιτ' ἂν καὶ εὑρὼν θηρεύσαι, καὶ θηρεύσας ἐγκρατὴς ἔσοιτο ; ἆρ' οὐχ ἡμᾶς δεῖ, καθάπερ τοὺς κυνηγέτας, πρότερον ἁπάντων πεπαιδεῦσθαι τὰ ἴχνη τῆς ἄγρας, καὶ τὰ σύμβολα, καὶ τὰ σημεῖα γιγνώσκειν ἀκριβῶς; &c. καὶ γὰρ καὶ ἐν τῇδε τῇ θήρᾳ, πολλὰ καὶ ποικίλα θηρία εὐδαίμονα φιλίαν μιμεῖται. μάλιστα δὲ τὸ πάντων ἐπιβουλότατόν τε καὶ ἀγριώτατον, ὃ καλεῖται ὑπὸ τῶν νῦν ἀνθρώπων ὑπόκρισις· τοσαύτη δ' αὐτῆς ἡ πρὸς τὴν εὐμήχανον κακουργία, ὥστε καὶ μέχρις εὐνῆς ἔλθοις ἂν πολλάκις, τοῖς ἴχνεσιν ἀπατώμενος. *Quanam igitur ratione tantum boni quiſquam inueſtigare, inueſtigatum capere captatum obtinere tandem poßit? Nónne perinde vt venatores, primùm omnium nos oportet prædæ veſtigia didiciſſe, ſignáque atque indicia accuratè noſſe?* &c. *Etenim in hac venatione multæ ac variæ feræ beatam amicitiam ſimulant, præſertimque omnium inſidioſiſſima illa ac ferociſſima, quæ ab huius temporis hominibus ſimulatio appellatur. tam callidè autem ac malitioſè imitatur, vt vel ad cubile ipſam perſæpe venias veſtigiorum conſideratione deceptus.* Plato 4. de Repub. vt fuſiſſimè ita pulcherrimè : Οὐκοῦν, ὦ Γλαύκων, νῦν δὴ ἡμᾶς δεῖ ὥσπερ κυνηγέτας τινὰς θάμνον κύκλῳ περιίστασθαι, προσέχοντας τὸν νοῦν μή πῃ διαφύγῃ ἡ δικαιοσύνη, καὶ ἀφανισθεῖσα ἄδηλος γένηται· φανερὸν γὰρ δὴ ὅτι ταύτῃ πῃ ἐστίν. ὅρα οὖν καὶ προθυμοῦ κατιδεῖν ἐάν πως πρότερον ἐμοῦ ἴδῃς καὶ ἐμοὶ φράσῃς. εἰ γὰρ ὤφελον, ἔφη. ἀλλὰ μᾶλλον ἐάν μοι ἑπομένῳ χρῇ, καὶ τὰ δεικνύμενα δυναμένῳ καθορᾶν, πάνυ μετρίως χρήσῃ. Ἕπου, ἦν δ' ἐγὼ, εὐξάμενος μετ' ἐμοῦ. Ποιήσω ταῦτα, ἀλλὰ μόνον, ἦ δ' ὅς, ἡγοῦ. Καὶ μὴν, εἶπον ἐγὼ, δύσβατός γέ τις ὁ τόπος φαίνεται καὶ ἐπίσκιος. ἔστιν οὖν σκοτεινὸς καὶ δυσδιερεύνητος, ἀλλὰ γὰρ ὅμως ἰτέον. Ἰτέον γὰρ, ἔφη. Καὶ ἐγὼ κατιδὼν, ἰοῦ, ἰοῦ, εἶπον, ὦ Γλαύκων, κινδυνεύομέν τι ἔχειν ἴχνος. καί μοι δοκεῖ, οὐ πάνυ τι ἐκφεύξεσθαι ἡμᾶς. Εὖ ἀγγέλλεις, ἦ δ' ὅς. Ἦ μὴν, ἦν δ' ἐγὼ, βλακικόν γε ἡμῶν τὸ πάθος. Τὸ ποῖον; Πάλαι, ὦ μακάριε, φαίνεται πρόσθεν ποδῶν ἡμῖν ἐξ ἀρχῆς κυλινδεῖσθαι, καὶ οὐχ ἑωρῶμεν ἄρ' αὐτὸ, ἀλλ' ἦμεν καταγελαστότατοι, ὥσπερ οἱ ἐν ταῖς χερσὶν ἔχοντες, ζητοῦσιν ἐνίοτε ὃ ἔχουσι. *Nunc igitur, ô Glaucon, nos oportet, venatorum inſtar, dumum hinc inde circundare, animum adhibentes ne nos fugiat iuſtitia, & ex oculis euaneſcat. eam enim alicubi eſſe manifeſtum eſt. aduerte igitur, & animum adhibe, eámne tu priùs quàm ego ſis viſurus, ídque mihi nuntiabis. Vtinam, inquit ille, immo age, me habeto tuis inſiſtentem veſtigiis, & ea valentem videre, quæ tu oſtenderis. Sic vteris me planè moderatè. Sequere, inquam, priùs mecum rite apprecatus. i præ, ſequar, inquit ille. tum ego, inacceſſus, inquam, videtur iſte locus & ſiluis occupatus. eſt igitur vmbroſus & vix ſcrutabilis, tamen eundum. eundum, inquit. Et ego reſpectans, heus, heus, inquam, ô Glaucon, videmur aliquod habere veſtigium : nec mihi videtur, id quod indagamus poſſe euadere. Fauſta nuntias, inquit. atqui, inquam, puerile quiddam facimus. Quid illud porro? Iam pridem, ô bone vir, videtur ante pedes noſtros fuiſſe volutatum, ſed non videbamus, adeo eramus ridiculi, inſtar eorum, qui, quod in manibus habent, nonnunquam inquirunt.* Qua oratione quid dulcius eſſe poſſit equidem non video, vt me longitudinis pudere non debeat. Veſtigatio iuſtitiæ & veritatis.

II. Cubilia. CVBILIBVS.] Xenophon frequenter εὐνὰς ferarum appellat, vt τελευτῶσαι δὲ ἀφίξονται πρὸς τὴν εὐνὴν τοῦ λαγὼ, καὶ ἐπιδραμοῦνται ἐπ' αὐτήν. *tandem peruenient ad leporis cubile, & in eum inuolabunt.* Item : ἐπειδὰν δ' αἱ κύνες ἴχνος ὦσι τῆς εὐνῆς ἐπίασι. *cùm canes prope cubile peruenerint, incurrunt.* Et: ἐπειδὰν δ' ἀφίκηται ἐπὶ τὴν εὐνὴν, ὑλακτεῖ. *latrat, cùm ad cubile peruenerit.* Oppianus 3. κυνηγετικῶν verſu 365.

Εὐνὰς μὲν ποθέει πυμάτοις ἐνὶ βένθεσι κρημνῶν.
Cubilia quidem appetit extremis in vallibus præcipitiorum.

Vbi neſcio quis inſulſus interpres vertit : *Concubitus quidem appetit.* miror cur non dixerit *cœtus*, vt Lucretij ſe verbis vſum eſſe oſtenderet.

III. ACCEPTA PECVNIA.] Contra legem Iuliam de repetundis Macer lib. 1. publicorum iudiciorum. D. l. 48. tit. 11. de lege Iulia agens: *Quid enim ſi ob hominem necandum pecuniam acceperint.* Lex autem illa Iulia, quamuis ab Auguſto perlata ſit, è lege Iulij Cæſaris videtur exſcripta paucis mutatis.

IV. Magiſtratuū moderatio in prouinciis. EIVS IPSIVS DOMVM EVERTISTI.] Contra maiorum inſtitutum apud quos, vt ait Liuius libro 2. decad. 5. ante Luc. Poſthumium

Coſſ. *Nemo vnquam ſociis in vlla re ſumptui, aut oneri fuit : ideo magiſtratus mulis tabernaculiſque, & omni alio inſtrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent ſociis, priuata hoſpitia habebant, ea benignè comitérque colebant, domúſque eorum Romæ hoſpitibus patebant, apud quos ipſis diuerti mos eſſet.*

v. Dyrrhachiũ.

A Dyrrhachinis.] Thucydides à Dyrrhachij deſcriptione ſuam narrationem ſic auſpicatur : Ἐπίδαμνός (τὸ νῦν Δυρράχιον inquit interpres) ἐστὶ πόλις ἐν δεξιᾷ ἐσπλέουσι τὸν Ἰόνιον κόλπον· προσοικοῦσι δ' αὐτὴν Ταυλάντιοι βάρβαροι, Ἰλλυρικὸν ἔθνος ταύτην ἀπῴκισαν μὲν Κερκυραῖοι· οἰκιστὴς δ' ἐγένετο Φάλιος Ἐρατοκλείδου, Κορίνθιος γένος, τῶν ἀφ' Ἡρακλέους, κατὰ δὴ τὸν παλαιὸν νόμον ἐκ τῆς μητροπόλεως κατακληθείς. ξυνῴκισαν δὲ καὶ τῶν Κορινθίων τινές. &c. *Epidamnus vrbs eſt ad dexteram ſita reſpectu eorum qui in Ionio mari nauigant : iuxta eam ſedes habent Taulantij barbari, gens Illyrica in eam coloniam tranſcripti ſunt Corcyræi. princeps deducendæ coloniæ fuit Phalius Eratoclidæ filius, genere Corinthius, ab Hercule oriundus, ex veteri conſuetudine appellationem à metropoli ſortitus. Simul autem & Corinthiorum nonnulli tranſcripti ſunt.* Dio libro 41. Τὸ δὲ Δυρράχιόν ἐστιν ἡ Ἐπίδαμνος ἡ τῶν Κερκυραίων· τινὲς δ' οὕτω αὐτονομασθῆναι τὴν Ἐπίδαμνον ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων πρὸς τὴν τῆς ῥαχίας δυσχέρειαν ἔφασαν, ὅτι ἡ τῆς Ἐπιδάμνου πρόσκλησις ζημιώδη δήλωσιν ἐν τῇ τῶν Λατίνων γλώσσῃ ἔχουσα, δυσοιώνιστος σφίσιν ἐς τὸ περαιοῦσθαι ἐς αὐτὴν ἔδοξεν εἶναι. *Dyrrachium erat Epidamnus Corcyrenſium : quo nomine à Romanis propter ſcopulorum difficultatem quidam appellatum ferunt. nam cùm Damni appellatio Latinorum lingua magni incommodi ſignificationem habeat, ipſis vt eò traiicerent mali ominis eſſe videbatur.* Interpres Thucydidis libro quarto : Ῥαχία ἐστὶ πετρώδης τόπος, περὶ ὃν περιρρήγνυται ἡ θάλασσα, καὶ ὁ κλύδων, καὶ ἡ τῆς θαλάσσης ὁρμή. ὅθεν τὸ νῶτον ὀστῶδες ῥάχις καλεῖται, ὡς ἀπὸ τῆς ῥαχίας τῆς πέτρας. ῥαχία *locus eſt ſcopuloſus ad quem frangitur mare, & tempeſtas, & maris impetus: vnde & ſpina dorſi* ῥάχις *vocatur, à ſcopulo quem* ῥαχίαν *appellant.* De Dyrrhachio fuſè Appianus 2. ciuilium. Sed parco Græcis quia multa : *Appulerunt ad Dyrrhachium quod quidam per errorem Epidamnum exiſtimant. Nam Epidamnus Barbarorum has terras colentium Rex vrbem prope mare condidit, appellauitque de ſuo nomine. Eius ex filia nepos Dyrrhachius, Neptuno, vt fertur, prognatus naualе conditæ vrbi addidit, vocauitque Dyrrhachium.* Et poſt ſeriem variorum populorum, qui ſucceſſu temporis eam vrbem tenuerũt, eam tandem ait à Corcyræis occupatam fuiſſe : Τὴν δ' ἐπίκλησιν, ὡς οὐκ αἴσιον, ἀναλλάξαντες οἱ Κερκυραῖοι καὶ τὴν δ' ἀπὸ τῆς ἄνω πόλεως Ἐπίδαμνον ἐκάλουν, καὶ Θουκυδίδης οὕτως ὠνόμασεν· ἐκνικᾷ δ' ὅμως τὸ ὄνομα, καὶ Δυρράχιον καλίζεται. *Et quia Dyrrhachij nomen ominoſum habebatur, Corcyrenſes, id Epidamnum maluerunt dicere, eodem quo Superiorem vrbem nomine. atque ita Thucydides quoque nominat. Vicit tamen vetus appellatio, & Dyrrhachium nominatur.* Vt igitur Epidamnum Romanis, ita Dyrrhachium Græcis fuit ominoſum. quare res in medio relinquatur.

VI. Medicus Chirurgus.

Ei Medico.] Medico, inquit, imperauit Piſo vt Platori venas incideret, quibus verbis animaduertis medici nomine chirurgum intelligi. vox enim medici clinico & chirurgo communis eſt. Cicero tertio de Oratore : *An tu exiſtimas cùm eſſet Hippocrates ille Chous, fuiſſe alios qui morbis, alios qui vulneribus, alios qui oculis, alios qui auri mederentur.* Hanc ob cauſſam Diaulus à Martiale modò chirurgus, modò medicus nominatur. libro primo :

Chirurgus fuerit, nunc eſt veſpillo Diaulus,
Cœpit quo poterat clinicus eſſe modo.

Et paulò pòſt:

Qui medicus fuerat, nunc eſt veſpillo Diaulus
Quod veſpilo facit, fecerat & medicus.

Vlpianus ad leg. Corn. de Sic. l. lege Cornelia Hadriani reſcriptum profert : *Medico quidem qui exciderit, capitale erit : item ipſi qui ſe ſponte excidendum præbuerit.* Virgilius 3. Georg.

Dum medicas adhibere manus ad vulnera paſtor
Abnegat.---

Et 12 Æneidos:

Multa manu medica Phœbiq. potentibus herbis
Nequicquam trepidat.-

Vbi de Iapyge chirurgo Æneæ vulneri medente loquitur. qui locus à Torquato Taſſo mirè expreſſus in ſuo Godefredo, & ingenioſè ad rem Chriſtianam tranſlatus eſt. Clinici autem medici dicti ſunt, quòd iis mederentur quos morbus lecto affixerat, ἀπὸ τῆς κλίνης, chirurgi quòd aut manu vunas ægrotorum exoluerent, aut vulneratis manum admouerent. vnde & vulnerarios eos antiqui nominabant. Plinius libro 29. cap. 1. *Primus Romæ medicus carnifex dictus eſt & vulnerarius, Archagathus nomine, anno vrbis* DXXXV. antiqua inſcriptio quæ à Radero in Mercuriale adfertur. P. Decimvs. L. Heros Mervla medicvs clinicvs, chirvrgvs, ocvlarivs. Lucilius: Clinicus.

Τοῦ λιθίνου Διὸς ἐχθὲς ὁ κλινικὸς ἥψατο Μάρκος,
Καὶ λίθος ὢν καὶ Ζεὺς σήμερον ἐκφέρεται.

Optimè vertit Raderus contra Opſopæi ſententiam :

Clinicus en Marcus marmor Iouis attigit,
& mox
Iuppiter effertur ſit licet ipſe lapis.
vel,
Saxea heri Marcus tetigit ſimulachra tonantis
Clinicus, effertur nunc Deus atque lapis.

Vt venas hominis incideres.] Inuenio duplicem fuiſſe venarum inciſionem ſuppliciis deputatam : alteram quæ necem inferebat, cuius apud Tacitum, alióſque qui de rebus Neronis ſcripſerunt, exempla ſexcenta reperies : quod tamen meritò Tullius reprehendit, tanquam ſupplicium à Romanis legibus alienum. Alia fuit venarum inciſio non extremi ſupplicij, ſed ignominiæ cauſâ ſolita militibus delinquentibus irrogari, de qua Petrus Faber 1. ſemeſtrium cap. 27. Valtrinus libro 4. de re militari cap. 8. Moretus cap. vltimo libro 13. Variarum, & alij recentiores. Iulius Frontinus libro 4. ſtratagematum cap. 1. *M. Cato memoriæ tradidit in furto comprehenſis inter commilitones dexteras eſſe præciſas, aut ſi lentiùs animaduertere voluiſſent in principes ſanguinem miſſum.* Bene alij ſic emendant : *Aut ſi leuiùs animaduertere voluiſſent in principiis ſanguinem miſſum.* Gellius libro 10. cap. 8. Noct. Attic. *Fuit hæc quoque antiquitus militaris animaduerſio, iubere ignominiæ cauſâ, militi venam ſolui & ſanguinem dimitti. cuius rei ratio in litteris veteribus, quas equidem inuenire potui non extat : ſed opiner factum hoc primitus in militibus ſtupentis animi,* VII. Venarum inciſio pœna militaris.

atque à naturali habitu declinantis : vt non tam pœna quàm medicina videretur. poſtea tamen ob pleraque alia delicta, idem factitatum eſſe credo, per conſuetudinem, quaſi minùs ſani viderentur, omnes qui delinquerent. Muretus loco citato: *Ego autem potius id factum puto vt ſanguinem, quem cum gloria fundere pro patria noluerant, eum cum ignominia amitterent.*

ARGVMENTVM.

Cædes legatorum & bellum ſociis illatum commemorat, quod à calamitatibus quæ ex huius ſcelere in prouinciam redundarant, exaggerat.

TVM quidem tibi etiam acceſſio fuit ad necem Platoris, Pleuratus LXXXIV. eius comes, quem necaſti verberibus, ſummâ ſenectute confectum. Idémque tu Rabocentum, Beſſicæ gentis principem, cùm tu trecentis talentis Regi Cotto vendidiſſes, ſecuri percuſſiſti : cùm ille ad te legatus in caſtra veniſſet, & tibi magna præſidia, & auxilia à Beſſis peditum, equitúmque polliceretur. neque eum ſolùm, ſed etiam cæteros legatos, qui ſimul venerant: quorum omnium capita Regi Cotto vendidiſti. Denſeletis, quæ natio ſemper obediens huic imperio, etiam in illa omnium barbarorum defectione Macedonica, C. Seſtium Prætorem tutata eſt, nefarium bellum, & crudele intuliſti : eíſque cùm fideliſſimis ſociis vti poſſes, hoſtibus vti acerrimis maluiſti, ita perpetuos defenſores Macedoniæ, vexatores, ac perditores effeciſti. vectigalia noſtra perturbarunt, vrbeis ceperunt, vaſtarunt agros, ſocios noſtros in ſeruitutem abduxerunt, familias arripuerunt, pecus abegerunt, Theſſalonicenſeis, cùm oppido deſperaſſent, munire arcem coëgerunt.

EXPLANATIO.

TVM QVIDEM.] cùm Platorem occideres, ad eius mortem velut auctarium quoddam acceſſit eius comiti illata nex. Facti crudelitatem tum à modo & ſupplicij genere, tum à Pleuratiæ tate exaggerat. crudelius enim videtur in ætatem infirmam ſæuire, quàm in florentem & vigentem.

IDEMQVE TV.] Vide quibus circunſtantiis creſcat ſceleris atrocitas. Piſo legatum percuſſerat, quod eſt contra ius gentium. auget factum à perſonæ dignitate, principem Beſſicæ gentis occiderat. à cauſa, vt aiunt, morali & incitatrice, mercede corruptus & quaſi addictus, à perſona cui ſe addixerat, & manciparat, Regi Cotto. quod eſt à Romana libertate penitùs alienum, neque ſolùm Regi, ſed Cotto, id eſt, Regi Thraciæ crudeliſſimæ gentis. cuius tamen immanitati morem gerebat: denique ab ingrato animo, Rabocentus magna præſidia vltrò offerebat: at Piſo adeo ingratus fuit, vt offerentem occideret. Tandem cæterorum legatorum mentionem facit in quos Piſo ſuam pariter perfidiam, & crudelitatem exercuit.

TRECENTIS TALENTIS.] Decem & octo millibus aureorum. ſummam nominat, vt magis teſtata dici videantur.

DENSELETIS.] Bellum Denſeletis illatum ab eorum fide & meritis in Rempublicam, dubiis etiam temporibus perſpecta amplificat.

BARBARORVM.] Prouincia Macedonica partim Græcos, vt Bœotios, Ætolos, Achæos, Atticos, partim barbaros, Theſſalos, Macedonas, & alios continebat. ſoli barbari à C. Sextio Prætore defecerant. Videtur legendum *C. Sentio*, de quo Oroſius libro 5. cap. 18. *Iiſdem temporibus Rex Sothimus cum magnis Thracum auxiliis Græciam ingreſſus cunctos Macedoniæ fines depopulatus eſt: tandémque à C. Sentio Prætore ſuperatus, redire in ſuum regnum coactus eſt.* Sylla autem & Qu. Pompeio Coſſ. Macedoniam obtinebat, & conſtat è Plutarcho in Sylla. Saturninum cognominat Orator in Planciana. Vide Sigonium in Faſtos ad annum 664. & Ioannem Glandorpium Onomaſtico Romano.

ITA.] à conſequentibus idem auget. vide ſuprà §. 40. & de prouinc. Coſſ. 4.

VECTIGALIA NOSTRA PERTVRBARVNT.] Publicanos impedierunt à vectigalibus colligendis.

THESSALONICENSES.] Poſitos in gremio imperij noſtri.

NOTÆ.

SVMMA SENECTVTE.] A ſenectute miſerationem aucupatur. vnde illud magni artificis: I.

-Dauni miſerere ſenectæ.

Et Noſter pro Cœlio 79. *Nolite, Iudices, aut hunc iam natura ipſa occidentem velle maturiùs extingui vulnere veſtro, quàm ſuo facto, aut hunc nunc primùm floreſcentem, firmata iam ſtirpe virtutis, tanquam turbine aliquo aut ſubita tempeſtate peruertere.* Vide Notas. Maro: Miſeratio à ſenectute,

Ducitur infœlix æuo confectus Aletes.

& illuc Homericum :

Οἰκτείρων πολιόν τε κάρη, πολιόν τε γένειον.

Incanúmque caput miſerans incanáque menta.

Catullus eadem penè aura de nuptiis Pelei & Thetidos Ægeum miſericordiam ab ætate captantem inducit :

Sed primùm multas expromam mente querelas
Canitiem terra atque infuſo puluere fœdans.

Quem Virgilius preſſis veſtigiis ſecutus eſt 12. Æneidos:

Canitiem immundo deformem puluere turpans.

Claudianus libro priore in Ruffinum:

-non flectitur annis,
Non ætate labat, iuuenum pendentia colla
Ante patrum vultus ſtricta cecidere ſecuri.
Ibat grandæuus nato moriente ſuperſtes
Poſt trabeas exul.

Et Veturia Coriolani mater ab eodem miſericordiam aucupatur apud Liuium 2. *In hoc me longa vita & infœlix vita traxit, vt exulem te, deinde hoſtem viderem?* Dionyſius Halicarnaſſeus libro 6. fœneratorum, qui pauperes oppreſſerant crudelitatem à pauperis oppreſſi ſenectute deſcribit: Εἰς τὴν ἀγορὰν ἀνὴρ πρεσβύτερος ἐφάνη, ῥάκος ἡμφιεσμένος, πώγωνα βαθὺν καθεικώς, καὶ κόμην, &c. ἐρρίπτει τὸ ῥάκιον, καὶ ἐδείκνυε τὸ στῆθος μεστὸν τραυμάτων, τὰ δὲ νῶτα αἵματος ἐκ τῶν πληγῶν ἀνάπλεω. *In forum vir quidam ætate confectus proceſſit, vilibus pannis obſitus, capillo barbáque promiſſa, &c. lacernas reiecit, & oſtendit pectus vulneribus* (quæ quondam in bello acceperat) *ſcatens, tergum verò ſanguine redundans, ex plagis.* quas fœnerator inflixerat. Ita Demoſthenes de falſa legatione miſericordiam captaturus, profert. Χώραν ἔρημον τῶν ἐν ἡλικίᾳ, γύναια δὲ καὶ παιδάρια ὀλίγα, καὶ πρεσβύτας ἀνθρώπους οἰκτρούς. *Exhauſtam virili ætate regionem, mulierculas & puerulos oppido paucos, vetulos homines miſeratione dignos, &c.* Quo loco pulchrè Vlpianus oſtendit, quo pacto à ſingulis ætatibus miſericordia moueatur: Χώραν ἔρημον τῶν ἐν ἡλικίᾳ.] διπλοῦν τὸ πάθος. ἐνταῦθα γὰρ ὁμοῦ καὶ φόβος καὶ ἔλεος. τίνες γὰρ οἱ ἀνῃρημένοι; οἱ ἄνδρες οἱ ἐπὶ τῆς ἡλικίας. Γύναια δὲ καὶ παιδάρια.] ἄχρηστα πρὸς τὸν πόλεμον. οὐκ ἀφῆκε μάρτυρα τῶν ἀπὸ τῆς χώρας οὐδένα, τὴν συμφορὰν συναύξων. ὄντος δὲ ἀσθενοῦς φύσει τοῦ γυναικείου φύλου, ἔτι καὶ τῷ ὑποκοριστικῷ ὀνόματι, γύναια ἀσθενέστερον ἀπέδειξεν. οὐδὲ παῖδας ἡβῶντας εἶπεν, ἵνα κἂν παραμυθία ταῖς μητράσι γένωνται, ἀλλὰ παιδάρια. Καὶ πρεσβύτας ἀνθρώπους οἰκτρούς.] Πρεσβύτης μὲν γὰρ αὐτὸς καθ' ἑαυτὸν δεῖται τοῦ συμμαχήσοντος. νῦν δὲ καὶ οἰκτρότης συμπεσοῦσα, παραμυθίαν οὐκ ἔδωκε. πῶς μὲν οὖν ἐν τούτοις τὸ Φωκέων πάθος εἰργάσατο, καὶ ὅπως ἔμψυχον ἕκαστον (libentius legerim ἐμψυχῶς ἑκάστη) τῶν ἡλικιῶν ἐπεξελήλυθεν, ἔξεστι μὲν ἐκ τούτων εἰρημένων συνιδεῖν. *Regionem iuuentute deſolatam.*] *duplex affectus. hic enim & miſericordia & metus coniunguntur. qui enim ſublati ſunt? viri ætate florentes. Mulierculas & puellas.*] *inutiles ad bellum. non præteriit teſtem è regione vllum, vt calamitatem augeret. cùm autem ſexus muliebris naturá ſit imbecillus, mulieicularum nomine diminutiuo, imbecillitatem etiam oſtendit. neque pueros pubeſcentes dixit, vt vel ſolatio eſſent matribus, ſed puerulos. Et vetulos homines miſerabiles.*] *Senex enim ipſe per ſe indiget adiutore. nunc poſtquam miſeria etiam acceſſit, conſolationi locus non relinquitur. at quo pacto in his Phocenſium caſum tractarit, & quàm expreſſè ſingula quæ acciderunt percenſuerit, è dictis cognoſci poteſt.* Et Æſchines in Cteſiphontem Thebanorum cladem exponens: Πρεσβύτας ἀνθρώπους, πρεσβύτιδας γυναῖκας ὀψὲ μεταμανθανούσας τὴν ἐλευθερίαν, κλαίοντας, ἱκετεύοντας. *Vetulos homines, vetulas mulierculas ſerò dediſcentes libertatem, lugentes, ſupplicantes inducit.* Sed hi protractam vetulorum patriæ ſuperſtitum vitam, noſter mortem illatam exaggerant. vnus tamen affectus, vna miſeratio: vnus miſerationis fons eſt ætatis imbecillitas. Quintus Smyrnæus libro 13. verſu 195. aliam adfert rationem cur ſenum miſericordiâ moueamur. Ilioneus Diomedi, eum precatus vt manus ſuas à vetulo quadam reuerentia temperaret, ait:

Τοὔνεκ' ἐμεῦ ἀπὸ νόσφιν ἐς αἰζηοὺς τρέπε χεῖρας
Ἐλπόμενός ποτε γῆρας ὁμοίιον εἰσαφικέσθαι.
Quocirca in iuuenes à me conuertito ferrum
Huic noſtræ ſimilem ſperás aliquando ſenectam.

Item Tryphiodorus in excidio 585.

Οἰκτρότατοι δὲ γέροντες ἀτιμοτάτοισι φόνοισιν
Οὐδ' ὀρθοὶ κτείνοιντο, χαμαὶ δ' ἱκετήσια γοῦνα
Θηκάμενοι πολιὴν κατεκτείνοντο κάρηνον.
Indignáque ſenes miſerandi morte cadebant,
Non ſtantes, genibus poſitis terráque voluti
Ponebant canum letho caput.

ARGVMENTVM.

A cædibus, perfidia, crudelitate ad rapinas & ſacrilegia delabitur. deinde ſubiungit quæ ab offenſis Deorum numinibus ſupplicia fuerint in totum Piſonis exercitum deriuata.

LXXXV. A TE Iouis Velſuri fanum antiquiſſimum barbarorum, ſanctiſſimúmque direptum eſt. tua ſcelera Dij immortales in noſtros milites expiauerunt: qui cùm vno genere morbi affligerentur, neque ſe recreare quiſquam poſſet, qui ſemel incidiſſet: dubitabat nemo, quin violati hoſpites, legati necati: pacati atque ſocij nefario bello laceſſiti, fana vexata, hanc tantam efficerent vaſtitatem: Cognoſcis ex particula parua, ſcelerum & crudelitatis tuæ genus vniuerſum.

EXPLANATIO.

A TE IOVIS.] Sacrilegium augere tribus capitibus. numine Iouis qui ibi colebatur, ab iis qui colebant. Barbari Iouem in eo fano colebant, Piſo barbaris immanior ſacrilegè violauit, ab antiquitate religionis. tot bella tranſactis retrò ſeculis incubuerant, nemo tamen vnus ante te repertus eſt, qui fanum illud auderet attingere.

VELSVRI.] Vide Notas. non ait direpta fuiſſe vaſa, aut ſigna, ſed magis emphaticè templum ipſum eſſe direptum.

TVA SCELERA.] Dij immortales peſtem immiſerunt in noſtrum exercitum, vt tua ſcelera expiarent.

VIOLATI HOSPITES.] Plator hoſpes tuus inciſione venarum extinctus.

LEGATI NECATI.] Rabocentus Beſſicæ gentis legatus, eiúſque ſocij.

DENSELETI.] Quibus tu nefarium bellum intuliſti.

FANA VEXATA.] Fanum Iouis Velſuri.

NOTÆ.

I. Iupiter Velſurus. IOVIS VELSVRI.] Doctiſſimus Turnebus aduerſariorum libro 21. cap. 15. *De Ioue Velſuro*, inquit, *nihil vnquam legi, feréque adducor vt Vrium à ſecundo vento legam & intelligam, fanum Iouis Vrij quod erat in ore & faucibus ponti Euxini.* Vrius. Cicero ſexta actione in Verrem: *Quid ex æde Iouis religioſiſſimum ſimulacrum, Iouis Imperatoris, quem Græci Vrion nominant, pulcherrimè factum nónne abſtuliſti?* Arrianus: Τὸ ἱερὸν τοῦ Διὸς Οὐρίου δίεχει ἀπὸ Βυζαντίου σταδίοις εἴκοσι καὶ ἑκατόν. *Fanum Iouis Vrij diſtat à Byzantio viginti & centum ſtadiis.*

II. Fanum. FANVM.] Cornelius Fronto: *Delubrum*, inquit, *in quo homines pericula ſua diluunt. ponunt enim vel pileum, vel ſcutum, vel alia ſuſceptis votis, ſacellum paruulum ædificium Diis conſecratum: templum in loco augurato. lucus locus fulmine ictus, & arborum opacitate tectus. Fanum Fauno conſecratum, vnde fani appellabantur prius, & illi, qui vagabantur, fanatici.* De fano adſtipulatur & Iſidorus. Varro tamen & Feſtus aliunde dictum exiſtimant. Feſtus: *Fanum*, inquit, *à fano dictum ſiue à fando, quòd dum Pontifex dedicat, certa verba fatur.* Varro 5. de lingua Latina: *Hinc fana*, inquit, *nominata, quòd Pontifices in ſacrando fati ſunt finem.* Aſconius: *Fana vnde fata petuntur.* imperitè tamen, ne dicam impiè eos locutos fuiſſe tradit Baronius, qui fana ſiue delubra cum templo confunderent, & Chriſtianorum Eccleſias fana nominarent. Sed de voce templi vide Notas in Vatinianam §. 5. de voce delubri 9. ſectione.

III. Religionum antiquitas. ANTIQVISSIMVM] Ab antiquitate religionis auctoritatem accerſit etiam Plutarchus in erotico, vetátque ſummopere: Τὰ ἀκίνητα κινεῖν τῆς περὶ θεῶν δόξης, ἣν ἔχομεν. *Mouere opinionem certam & ſtabilitam quam de Deorum maieſtate concepimus.* Mox reddit rationem: Ἀρκεῖ γὰρ ἡ πάτριος καὶ παλαιὰ πίστις, ἧς οὐκ ἔστιν εἰπεῖν, οὐδ᾽ ἐξευρεῖν τεκμήριον ἐναργέστερον, οὐδ᾽ ἄκρας τὸ σοφὸν εὕρηται φρενός, ἀλλ᾽ ἕδρα τις καὶ βάσις ὑφεστῶσα κοινὴ πρὸς εὐσέβειαν, ἐὰν ἐφ᾽ ἑνὸς ταράττηται καὶ σαλεύηται τὸ βέβαιον αὐτῆς καὶ νενομισμένον, ἐπισφαλὴς γίνεται πᾶσι καὶ ὕποπτος. *Sufficit enim fides auita & antiqua, qua nullum ſignum manifeſtius dici poteſt, aut cogitari. Neque enim ſcientiam hanc mens callida reperit: ſed fundamentum quoddam & baſis pietati communis eſt poſita: cuius ſi vno in loco labefactetur ſtabilitas & certitudo, reliqua omnia ruinam minabuntur.* quo in genere ſibi Romani conſtiterunt. Dionyſius 2. de antiquitate Romana: Ἐγὼ γοῦν ἐθεασάμην ἐν ἱεραῖς οἰκίαις δεῖπνα προκείμενα θεοῖς ἐν τραπέζαις ξυλίναις ἀρχαϊκαῖς, ἐν κανοῖς καὶ πινακίσκοις κεραμίοις ἀλφίτων μάζας, καὶ πόπανα, καὶ ζέας, καὶ καρπῶν τινῶν ἀπαρχάς, καὶ ἄλλα τοιαῦτα λιτά, καὶ ε[illegible]να, καὶ πάσης ἀπειροκαλίας ἀπηλλαγμένα· καὶ σ[illegible] εἶδον ἐγκεχραμένας οὐκ ἐν ἀργυροῖς καὶ χρυσοῖς ἀγ[illegible] ἐν ὀστρακίναις κυλίσκαις, καὶ προχόοις, καὶ πάνυ [illegible] τῶν ἀνδρῶν ὅτι διαμένουσιν ἐν τοῖς πατρίοις ἔθεσιν, οὐδὲν ἐξαλλάττοντες τῶν ἀρχαίων ἱερῶν εἰς τὴν ἀλαζόνα πολυτέλειαν. *Ego*, inquit, *ſpectaui in ſacris ædibus cœnas Diis appoſitas, in menſis ligneis operis antiqui, pultémque in caniſtris & fictilibus quadrulis, liba item & far, fructuúmque quorumdam primitias, & alia huiuſmodi tenuia, paratúque facilia, & omnis ineptiæ expertia, libationes etiam vidi non argenteis, aureiſue infuſas baſis, ſed culignis & gutturnis teſtaceis: multùm delectatus hominum in ritu patrio conſtantiâ, nihil ex antiquis ſacris in inſolentem luxum demutantium.* Sequor Frederici Sylburgij verſionem. Arrianus libro 3. diſſert. Epicteti c. 21. Ἱεροῖς προσελεύσεται, καὶ ἱεροῖς παλαιοῖς. *Ad ſacra accedet & ſacra antiquiſſima.*

EXPIAVERVNT.] Pro Milone 74. *Eum cuius ſupplicio Senatus ſolemnes religiones expiandas ſæpè cenſuit.* Propertius: III.

Nam quid Medeæ referam quo tempore matris
Iram natorum cæde piauit Amor.

Maro 6. Æneidos:

Nam tua finitimi longè latéque per vrbes
Prodigiis acti cœleſtibus oſſa piabunt.

Id eſt, pœnis & ſuppliciis, quaſi piaculo quodam ſatiabunt. Quid autem eſſet piaculum tum ab aliis paſſim exponitur, tum à Ioanne Tzetze hiſtor. 23. Chiliad. 5.

Ὁ φαρμακὸς, τὸ κάθαρμα τοιοῦτον ἦν τὸ πάλαι
Ἂν συμφορὰ κατέλαβε πόλιν θεομηνίᾳ.
Εἴτ᾽ οὖν λιμὸς, εἴτε λοιμὸς, εἴτε καὶ βλάβος ἄλλο,
Τὸν πάντων ἀμορφότερον ἦγον, ὡς πρὸς θυσίαν
Εἰς καθαρμὸν, καὶ φάρμακον πόλεως τῆς νοσούσης.
Εἰς τόπον δὲ τὸν πρόσφορον στήσαντες τὴν θυσίαν,
Τυρόν τε δόντες τῇ χειρὶ, καὶ μάζαν καὶ ἰσχάδας.
Ἑπτάκις γὰρ ῥαπίσαντες ἐκεῖνον εἰς τὸ πέος
Σκίλλαις, σύκαις ἀγρίαις τε καὶ ἄλλοις τῶν ἀγρίων
Τέλος πυρὶ κατέκαιον ἐν ξύλοις τοῖς ἀγρίοις,
Καὶ τὸν σποδὸν εἰς θάλασσαν ἔρραινον εἰς ἀνέμους
Εἰς καθαρμὸν τῆς πόλεως, ὡς ἔφην, τῆς νοσούσης.

Vide ſuprà §. 16. vbi & habes Latinam horum verſionem.

VIOLATI HOSPITES.] Vtitur verbo violandi, quòd hoſpites res auguſta & propè ad diuinitatem accedens eſſe videatur. vt 11. Æneidos: IV. Violare.

-cœleſtia corpora demens
Appetij & Veneris violaui vulnere dextram.
Quicunque Iliacos ferro violauimus agros.
Hoc quicunque ſacrum violarit vulnere corpus.

Hoc igitur, vt dixi, emphaticè verbum vſurpat, quòd neſcio quam in hoſpitibus diuinitatem agnoſcerent, & Iouem hoſpitibus putarent præſidere. hinc illud Maronis:

Iuppiter, hoſpitibus nam te dare iura loquuntur, &c.

Homerus apud Herodotum in ipſius vita:

Αἰδεῖσθε ξενίων χρηΐζοντα ξενίης τε τραπέζης. Hoſpites ſacri.
Reueremini Iouem hoſpitalem & hoſpitalem menſam. Paulo pòſt:

Αἰδεῖσθε Ξενίου Διὸς σέβας ὑψιμέδοντος, Iupiter hoſpitalis.
Δεινὴ γὰρ μῆνις Ξενίου Διὸς, ὅς κ᾽ ἀλίτηται.
Vos teneat magni reuerentia magna Tonantis
Hoſpitibus quem ſancta ſuis dare iura loquuntur.
Eſt grauis ira Iouis, ſi quis violauerit almas
Hoſpitij leges.

Noſter pro Deiotaro: *Iouis illius quidem hoſpitalis numen nunquam celare potuiſſet.* Hinc eſt quòd antiqui tanta reuerentia ſunt hoſpites pro-

ſecuti. vt 14. Odyſſeæ Eumæus verſu 56.

Ξεῖν' οὔ μοι θέμις ἔστ' οὐδ' εἰ κακίων σέθεν ἔλθοι
Ξεῖνον ἀτιμῆσαι, πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες
Ξεῖνοί τε πτωχοί τε, δόσις δ' ὀλίγη τε φίλη τε.
Quamuis deterior longè te aduenerit, hoſpes,
Hunc tamen eſt violare nefas, Ioue miſſus ab ipſo
Mendicúſque, hoſpéſque: tibi nunc dona (fatemur)
Parua quidem, ſed amica damus.

Sed aliam reddunt Antinoo alij proci rationem, cámque pulcherrimam 17. Odyſſeæ verſu 454.

Οὐλόμεν' εἰ δή πού τις ἐπουράνιος θεός ἐστιν
Καί τε θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσιν
Παντοῖοι τελέθοντες ἐπιστρωφῶσι πόληας·
Ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντες.
Ah miſer! è turmis fortè eſt cœleſtibus vnus.
Námque Dij hoſpitibus ſimiles quacunque figura
Inuiſunt vrbes hominum, fandi atque nefandi
Teſtes.-

Dij hoſpitales.

Quinam autem Dij hoſtibus præſiderent liquet ex Pauſania in Laconicis: *Ἔστι καὶ Ζεὺς ξένιος, καὶ Ἀθηνᾶ ξενία.* *Eſt Iuppiter Hoſpitalis, & Minerua Hoſpitalis.* Adde: *Venerem hoſpitalem.* Cuius Noſter meminit in Cœliana. inde eſt quod Iouem & Mercurium ad Lycaonem, item ad Philemonem & alios hoſpitum habitu diuertiſſe fabulentur. Sed id ni fallor è ſcripturis diuinis acceperant, in quibus angeli tres ad Abraham, item ad Loth duo diuertunt. Sic Chriſtus à D. Gregorio Magno hoſpitis habitu & aliis frequenter exceptus eſt: ſed rectà tenendum eſt iter, nec opus eſt nos ad tam crebra hoſpitia diuertere.

Nihilominus tamen apud Suidam per antiphraſim, opinor, ξενίζειν idem eſt atque accidere: *ξένια καὶ ξενίζει. φοίνιος Ἄρης οὐκ ἐξένισεν αὐτόν.* *Mars cruentus hoſpitio non excepit illum.* Ex incerto auctore. quod ſic explicat Suidas: *τουτέστιν οὐκ ἀπέκτεινε. ξένια γὰρ Ἄρεος τραύματα καὶ φόνοι.* id eſt, *interfecit. nam hoſpitalia dona Martis ſunt vulnera & cædes.* Archilochus:

ξενίζειν, occidere.

Ξείνια δυσμενέσι λυγρὰ χαριζόμενος.
Xenia hoſtibus triſtia largiens.

Eutipides in Electra:

-τὸν δύστηνον ἐμὸν θρηνῶ
Πατέρ' ὃν κατὰ γᾶν βάρβαρον αἶαν
Φοίνιος Ἄρης οὐκ ἐξένισεν
Miſerum meum lugeo patrem,
Quem in barbara terra cruentus
Mars non hoſpitio excepit.

Cùm igitur tanta religio hoſpitalitatis eſſet, non mirum eſt ſi hoſpitis nomine augeat Cicero facinoris atrocitatem. vt Horatius:

Illum & Parentis crediderim ſui
Fregiſſe ceruicem, & penetralia
Sparſiſſe nocturno cruore
Hoſpitis.

Et Noſter pro Cœlio: *Magnum crimen vel in legatis inſidiandis, vel in ſeruis ad hoſpitem Domini necandum ſollicitandis.*

V.
Legati Sacroſancti.

LEGATI NECATI.] Legatos & præcones tanti faciebant, eos vt putarent ad Deorum maieſtatem accedere: quaſi non magis ab hominibus quàm ab ipſo Ioue mitterentur. Sic Achilles Homericus 1. Iliados:

Χαίρετε κήρυκες Διὸς ἄγγελοι, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.
Præcones ſalutee, hominum magniq. Tonantis Nuntij.

Ex quo poteſt intelligi quanti ſit ſceleris, vt cum Statio loquar 2. Thebaidos:

-Sanctum populis per ſecula nomen
Legatum inſidiis tacitóque inuadere ferro.

Sed vide Caroli Paſchalij legatum cap. 2. fusè diſſerentis, quibus modis ius gentium lædatur violandis legatis, vbi tum alia multa adfert, tum iſtud è Plutarcho in apophtheg. notatu digniſſimum: *Βοῦλις καὶ Σπέρτης Λακεδαιμόνιοι πορευθέντες ἐθελονταὶ πρὸς Ξέρξην τὸν Περσῶν βασιλέα ἐπὶ τιμωρίᾳ ἣν ὤφειλεν ἡ Λακεδαίμων κατὰ χρησμὸν διότι κήρυκας πεμφθέντας ἐπέκτειναν, ἐλθόντες πρὸς τὸν Ξέρξην ἐκέλευον, ᾧ βούλεται, τρόπῳ διαχρήσασθαι αὐτοὺς ὑπὲρ Λακεδαιμονίων, ὡς δ' ἐκεῖνος ἀγασθεὶς ἀπέλυσε τοὺς ἄνδρας καὶ ἠξίου μένειν παρ' αὐτῷ.* *Buris & Spertes Lacedæmonij ſponte ad Xerxem Perſarum Regem eo conſilio profecti, ut Legatorum cædem ſupplicio ex oraculis Lacedæmoni debitis expiarent, à Xerxe petierant, vt ſuo ipſos arbitratu pro Lacedæmoniis quauis morte multaret. at ille miratus eorum virtutem non ſolùm eos dimiſit incolumes, ſed etiam precibus apud ſe retinere conatus eſt.* Pauſanias in Atticis: *Ἀνθεμοκρίτου πεποίηται μνῆμα ἐς τοῦτον Μεγαρεῦσιν ἐστὶν ἀνοσιώτατον ἔργον. οἱ κήρυκα ἐλθόντα, ὡς μὴ τῆς λοιπῆς τὴν χώραν ἀπεργάζοιντο, κτείνουσιν Ἀνθεμόκριτον. καί σφισι ταῦτα δράσασι παραμένει, καὶ ἐς τόδε μήνιμα ἐκ τοῖν θεοῖν, οἷς οὐδ' Ἀδριανὸς ὁ βασιλεὺς, ὥστε καὶ ἐπαυξηθῆναι, μόνοις ἐπήρκεσεν Ἑλλήνων.* *Antemocriti monumentum eſt excitatum. in quem Megarenſes fœdiſſimum facinus deſignarunt, qui fetialis iure ad ſe venientem, & ſacram terram colere prohibentem neci tradiderunt. quam ob cædem inexpiabiles pœnas huc vſque Diis iratis ſic luerunt, vt ſolos è Græcis ne Imperator quidem Adrianus adeo non ſubleuarit, vt eos magis etiam afflixerit.* Sed non libet hîc morari. vide Paſchalium.

Legatorum violatores.

VI.
Pœna à ſacrilegis exacta.

HANC TANTAM EFFICERENT VASTITATEM.] Sacrilegia & templorum direptiones ſolere diris ſuppliciis expiari etiam hiſtoria profana teſtatur. Athenienſes demolientes Deorum ſtatuas, cœlo tonante in furorem acti ſe mutuò trucidarunt. Herodotus in Terpſichore. Cleomenes Rex Spartanorum, quod aliqua fana violaſſet in furorem actus ſe ipſe diſcerpſit. idem in Erato. Miltiades cùm in quædam adyta penetraſſet, crure fracto extinctus eſt. ibidem. Perſas Delphos prædari tentantes duo Parnaſſi vertices obruerunt. idem in Vrania. Galli in templum Delphicum conantes irrumpere, partim lapidibus à Parnaſſo ſponte deuolutis, partim fulminibus, partim tribus hominibus armatis, inter quos erat Pyrrhus Achillis filius, irruentibus deiecti ſunt. auctor Pauſanias in Atticis. Sennacheribi Regis Aſſyriorum à muribus ſacrilegium vindicantibus profligato, & ex Ægypti finibus extruſo exercitu, Vipſius Regis ſtatua murem dextra tenentis in templo Vulcani erecta eſt cum hac inſcriptione.

IN ME RESPICIENS PIVS ESTO. Herodotus in Euterpe. Cambyſis exercitus ad compilandum Iouis Ammonij templum miſſus arena vento congeſta oppreſſus eſt. idem in Thalia. Cambyſes eadem in parte corporis læſus & proprio enſe occiſus eſt, qua Apim Ægyptiorum Deum vulnerarat. ibidem. Pheron Rex Ægypti, quòd in Nilum haſtam conieciſſet, oculis priuatus eſt. idem in Euterpe. Naues Pyrrhi Proſerpinæ theſaurum auehentes naufragio perierunt,

perierunt, theſaurus incolumis ad portum delatus eſt. vide plane Liuium libro nono decadis tertiæ, hac de re diſſerentem, & Gellium de auro Toloſano, quibus Deus voluit ſacrilegij atrocitatem oſtendere. adeò vt etiam in gentibus puniuerit, qui quos Deos putabant, ſacrilegio violaſſent.

AXIOMA.

Plerumque ducum ſcelera in ipſos milites expiantur.

ARGVMENTVM.

A crudelitate, perfidia, ſacrilegiis ad Piſonis auaritiam delapſus, oſtendit eâ vnâ infinita crimina contineri: ac primùm demonſtrat quas in ipſa vrbe ſordes ante profectionem oſtenderit, deinde agit de rebus auarè ſordidéque geſtis in ipſa prouincia.

QVID auaritiæ, quæ criminibus infinitis implicata eſt, ſummam LXXXVI.
nunc explicem? Generatim ea, quæ maximè nota ſunt, dicam. Nónne ſeſtertium centies & octogies, quod, quaſi vaſarij nomine, in venditione mei capitis adſcripſeras, ex ærario tibi attributum Romæ in quæſtu reliquiſti? nónne cum CC. talenta tibi Apolloniatæ Romæ dediſſent, ne pecunias creditas ſoluerent, vltro Fuſidium equitem Roman. hominem ornatiſſimum, creditorem debitoribus ſuis addixiſti? nónne, hiberna cum legato, perfectóque tradidiſſes, euertiſti miſeras funditus ciuitates: quæ non ſolùm bonis ſunt exhauſtæ, ſed etiam nefarias libidinum contumelias, turpitudinéſque ſubierunt? Qui modus tibi fuit frumenti æſtimandi? qui honorarij? ſi quidem poteſt vi & metu extortum, honorarium nominari. quod cùm pleræque omnes, tum acerbiſſimè Bœotij, & Byzantij, Cherronenſes, Theſſalonica ſenſit. vnus tu dominus, vnus æſtimator, vnus venditor, tota in prouincia, per triennium, frumenti omnis fuiſti.

EXPLANATIO.

QVID AVARITIÆ.] Quid ſumma auaritiæ tuæ capita breuiter attingam, quo vno crimine multa alia continentur?

NÓNNE.] Nónne quinquies centena millia aureorum, Romæ reliquiſti fœnori occupata. auget ſceleris atrocitatem à tribus capitibus. Primò, quia Piſo prætextu vaſarij, quod dari ſolebat Proconſulibus proficiſcentibus in prouinciam, vt rebus ad victum neceſſariis inſtructi ſociis & prouincialibus oneri non eſſent, hanc pecuniæ vim acceperat. Secundò, quia hanc pecuniæ, quaſi mercedem ſuæ in ipſum Tullium proditionis acceperat, eam videlicet ob cauſſam quòd Piſo Conſul Ciceronem armis Clodij expelli ſiuiſſet è ciuitate. Tertiò, quia hanc pecuniam ex ærario & viſceribus Reipub. acceperat.

VASARII NOMINE.] Prætextu illius apparatus quo Proconſules & præſides in prouincia exituri publicis ſumptibus inſtruuntur.

ADSCRIPSERAS.] Ad reliquam ſummam, id eſt, ad prouinciam Macedoniam, quam lege Clodia conſecutus es ea conditione, vt me proderes & ſineres eiici.

DVCENTA TALENTA.] Millia aureorum Gallicorum centum & viginti.

APOLLONIATÆ.] Apolloniæ vrbis Illyrici incolæ.

VLTRO.] Non rogatus. Apolloniatæ tantummodo petebant ære alieno liberari. tu vlteriùs eò progreſſus es, vt ipſum creditorem tanquam ſeruum & vile mancipium debitoribus ſuis addixeris & manciparis. facti indignitatem exaggerat à Fuſidij ſplendore & dignitate.

NÓNNE HYBERNA.] Oſtendit auaritiam libidine & mollitie implicatam. mollitie, quòd hyberna legato & præfecto commiſerit, ipſe in vrbes hiemem exacturus ſeceſſerit. auaritiâ, quòd vrbes adquas diuertebat, bonis exhauſerit. libidine, quòd eius in vrbibus reliquerit impreſſa veſtigia.

NEFARIAS LIBIDINVM.] De Prouinciis Conſularibus §. 6. *Cædes relinquo, libidines prætereo, quarum acerbiſſimum extat indicium, & ad inſignem memoriam turpitudinis, & penè ad iuſtum imperij noſtri odium, quòd conſtat nobiliſſimas virgines ſe in puteos abieciſſe, & morte voluntaria nefariam tur-*

pitudinem depuliſſe.

Qvi modvs.] Quam moderationem ſeruaſti in frumento æſtimando, & pecunia loco frumenti, quod æſtimabatur, accipienda. Vide Notas.

Honorarii.] Frumenti quod honoris cauſſa Præſidibus dari conſueuit.

Si qvidem.] Oratoria correctio, qua vſurpatum honorarij nomen retrectat.

Qvod cvm.] Ex eo mali atrocitatem exaggerat, quòd longè latéque peruagatum eſt, & ad multas vrbes manauit.

Vnvs tv dominvs.] Vehemens epiphonema, quo dicta omnia colliguntur.

NOTÆ.

I. Auaritia reliquis criminibus implicata.

Avaritiæ qvæ criminibvs infinitis implicata.] Nimirum *radix omnium malorum, cupiditas.* Vnde, vt eſt apud Laërtium Diogenes Cynicus: Γὴν φιλαργυρίαν εἶπε μητρόπολιν πάντων τῶν κακῶν. *Auaritiam malorum omnium metropolim nominabat.* Siquidem, vt refert Ariſtoteles: Τῶν ἀδικημάτων τὰ πλεῖστα συμβαίνει γίνεσθαι διὰ φιλοτιμίαν, καὶ διὰ φιλοχρηματίαν τοῖς ἀνθρώποις. *Pleraque facinora & ſacrilegia, aut propter ambitionem, aut propter auaritiam mortalibus eueniunt.* Hæc nobilis philoſophus 2. politicon cap. 7. Cato apud Gellium libro qui inſcriptus eſt carmen de moribus: *Auaritiam omnia vitia habere putabant: ſumptuoſus, cupidus, elegans, vitioſus, irritus qui habebatur, is laudabatur.* vbi vocem *vitioſus* libenter expunxerim.

II. Seſtertij. Seſtertia.

Sestertivm centies et octogies.] Non libet hic longiùs progredi:

Ne labirintheis è flexibus egredientem
Tecti me fruſtretur inextricabilis error.

libet tamen quantum ſatis eſt è Budæi coniecturis excerpere. Seſtertius olim 1 $\frac{1}{4}$ ſolidum, ſeſtertium autem in neutro genere mille ſeſtertios, id eſt 25. aureos monetæ Gallicæ continebat. aureorum autem nomine hic eos intelligit, qui ſimpliciter & abſque adiuncto aurei dicuntur, ſexaginta duodenarus edicto regio taxati. Iam decies ſeſtertiûm viginti quinque millium aureorum ſummam faciebat. centies igitur & octogies ex ſupputatione viri illius planè doctiſſimi ſunt quadringenta quinquaginta millia aureorum Gallicorum: antiquorum verò aureorum Romanorum millia ducenta. De his plura pro Rabirio Poſthumo.

III. Vaſarium.

Vasarii nomine.] In veteri gloſſario Philoxeni, vt quidam exiſtimant, vaſarium Græcè eſt κυλίκιον. fuit autem, vt ait Turnebus libro ſecundo aduerſariorum cap. 15. omnis illa ſuppellex, omnéque inſtrumentum quo magiſtratus in prouinciam proficiſcens inſtruebatur: hodiéque nobilium clientes vaſalli, tanquam in vaſario eorum ſint, & vaſa eorum cenſeantur, appellantur. eo nomine attributam pecuniam Romæ fœnori occuparat Piſo, quod eſt in quæſtu reliquerat. Ad hunc locum reſpexit in Alexandro Lampridius: *Iudices cum promoueret exemplo veterum, vt & Cicero docet, & argento & neceſſariis inſtruebat: ita vt præſides prouinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas ſenas, annulos binos, veſtes forenſes binas, domeſticas ſingulas, balneares ſingulas, aureos centenos, coquos ſingulos.* Hæc Turnebus. vaſa certè dici comites videntur in verbis fœderis, quod inter Romanos & Albanos ictum eſt. apud Liuium libro 1. *Rex facíſne me tu Regium nuntium populi Romani Quiritium? vaſa, comitéſque meos?* legendum tamen, vt conſtat vel ex ipſo Lampridio, non *annulos binos*, ſed *mulos binos.* quod ex Cicerone confirmari poteſt, vltimâ Verrinâ: *Vbi muli? vbi tabernacula?* Et ex Liuio decadis quintæ libro ſecundo: *Magiſtratus mulis tabernaculíſque & omni alio inſtrumento militari ornabantur.* penultima Verrina: *Neminem qui cum poteſtate aut legatione in prouinciam eſſet profectus, tam amentem fore putarunt, vt emeret argentum: dabatur enim de publico. vt veſtem: præbebatur enim legibus. mancipium putauerunt, quo & omnes vtimur, & non præbetur à publico.* Hæc ille. Vaſa ſunt comites.

Oriri tamen de mancipiis dubitatio poteſt, cùm Alexander ad imitationem maiorum muliones cocóſque conceſſerit, & Brutiani, vt ait Feſtus Pompeius, dicti ſint *qui officia ſeruilia magiſtratibus præſtabant, eo quòd hi primùm ſe Annibali tradiderant, & cum eo perſeuerauerant, vſque dum recederet de Italiâ.* Hæc Feſtus. cui Strabo libro quinto deſinente, C. Gracchus apud Gellium libro decimo cap. 3. & Appianus in Annibalicis ſuffragantur. Brutiani.

Dici tamen poteſt apud Ciceronem mancipia dici ſeruos non publicos, ſed domeſticos tantummodò, & qui priuatum ſuum miniſterium exhiberent, cùm Brutiani publicis tantùm miniſteriis fungerentur. Appianus: Ταμίας δὲ τοῖς τε ὑπάτοις, καὶ στρατηγοῖς τοῖς ἐς τὰς τῶν ἐθνῶν ἡγεμονίας ἀπιοῦσιν ἐς τὰς δημοσίας ὑπηρεσίας, τὰ δεόμενα ἀκολουθεῖν. *Decretum eſt vt Brutij Conſulares & Prætores proficiſcentes in prouincias ad publica miniſteria ſequerentur.* Strabo: Ἡμεροδρομεῖν καὶ γραμματοφορεῖν ἀπεδείχθησαν ἐν τῷ τότε δημοσίῳ. *Sancitum eſt vt publico curſorum & tabellariorum miniſterio fungerentur.* Quare fieri poteſt, vt Alexander etiam veterum legum liberalitatem exceſſerit, cùm præſertim, vt ait idem Lampridius, eſſent *reddituri depoſita adminiſtratione mulos, mulas, equos, muliones, & cocos, cætera ſibi habituri ſi bene egiſſent, in quadruplum reddituri, ſi malè.* De quo tamen vide Egnatium.

Andreas Scotus vir peritiſſimus, vaſarij nomen in Maniliana legendum exiſtimat libro primo cap. 3. nodorum Ciceronianorum: *Nunc ea cupiditate homines in prouincias vaſariis.* non iacturis, vt vulgo, *quibus conditionibus proficiſcuntur, ignorant videlicet iſti qui ad vnum deferenda eſſe omnia non arbitrantur.* dictum autem, vt ſubiungit, ea forma vaſarium, vt calcearium Suetonius extulit, in Veſpaſiano cap. 8. & clauarium Tacitus libro quinto hiſtoriarum, quod pro calceis & clauis caligarum vectigal ſoluebatur, & camelarium

quod pro alendis camelis pendebatur, apud Ammianum libro 17.

IV. Attributum. ATTRIBVTVM.] Propriè attributum. Varro libro quarto de lingua Latina: *Pecunia quæ aſſignata erat, attributum dictum: ab eo, quibus attributa erat pecunia, vt militi reddant, Tribuni ærarij.* Cicero libro primo in Verrem, qui de prætura vrbana inſcriptus eſt. §.34. *Pecunia attributa numerata eſt. profectus eſt Quæſtor in prouinciam. venit in Galliam expectatus ad exercitum Conſularem cum pecunia.* in quem locum Aſconius: PECVNIA ATTRIBVTA *quæ in ſtipendium militum de ærario à Tribunis ærariis adnumerari Quæſtori ſolet.* Cicero proconſul ad Caninium: *Pecunia, quæ mihi attributa eſt à Quæſtore curatur.* Licèt pecunia non ſolùm in ſtipendium, ſed etiam in ſalarium, immo in omnes vſus publicos expenſa ATTRIBVTA diceretur. Liuius lib. 44. de Cenſoribus: *Cùm eis dimidium ex vectigalibus eius anni* ATTRIBVTVM *ex Senatuſconſulto à Quæſtoribus eſſet, Tiberius Sempronius ex ea pecunia quæ ipſi* ATTRIBVTA *erat.* Baſilicam faciendam curauit.

V. Apollonia. APOLLONIATÆ.] Apollonia ſic à Dione libro 41. deſcribitur: Ἡ δ' Ἀπολλωνία αὕτη Κορινθία, ἐν καλῷ μὲν τῆς γῆς, ἐν καλῷ δὲ καὶ θαλάσσης, ποταμῶν τ' ἄριστα κεῖται. *Apollonia ſiue ſoli vbertatem, ſiue maris opportunitatem, ſiue fluuiorum amœnitatem ſpectes, optimo loco ſita eſt.* Mox digrediens ſubdit hoc naturæ miraculum, quod nolui otioſis lectoribus inuidere: Ὅτι μάλιστα διὰ πάντων ἐθαύμασα, πῦρ πολὺ πρὸς τῷ Ἀῴῳ ποταμῷ ἀναδίδοται. καὶ οὔτε ἐπὶ πλεῖον τῆς πέριξ γῆς ἐπεξέρχεται, οὔτ' αὐτὴν ἐκείνην, ἐν ᾗ διαιτᾶται ἐκπυρεῖ, ἢ καὶ ξηροτέραν πῃ ποιεῖ· ἀλλὰ καὶ πόας καὶ δένδρα, καὶ πάνυ πλησίον θάλλοντα ἔχει, πρός τε τὰς ἐπιχύσεις τῶν ὄμβρων ἐπαυξει, καὶ ἐς ὕψος ἐξαίρεται, καὶ διὰ τοῦτο αὐτό τε Νυμφαῖον ὀνομάζεται. *Idque præ reliquis maximam mihi admirationem mouit, quòd ad fluuium Anam ignis multus editur, qui tamen neque in adiacentem tellurem ſeſe exerit, neque eam in qua exiſtit inflammat aut areſacit: ſed ea herbas arboréſque etiam prope ignem germinantes edit, quæ imbribus ſuperfuſis adoleſcunt, & in altitudinem excreſcunt, vnde ei loco Nymphæum nomen inditum.* Ac tandem ſubiungit miram diuinationem:

Diuinatio exigue. Καὶ δὴ καὶ μαντεῖον τοιόνδε τι παρέχεται, λιβανωτὸν δὴ λαβὼν καὶ προσευξάμενος, ὅτι ποτὲ καὶ βούλει, ῥίπτεις αὐτὸν τὴν εὐχὴν φέροντα, κἂν τοῦτο τὸ πῦρ, κἂν μέν τι ἐπιτελὲς εἶναι ἐσόμενον, δέχεται αὐτὸν ἑτοιμότατα, κἂν ἄρα καὶ ἔξω που προσπέσῃ, προσδραμὸν ἥρπασε, καὶ κατανάλωσε· ἂν δ' ἀτέλεστον ᾖ, οὔτ' ἄλλως αὐτῷ προσέρχεται, κἂν ἐς αὐτὴν τὴν φλόγα φέρηται, ἐξαναχωρεῖ τε καὶ ἐκφεύγει, καὶ ταῦτα οὕτως ἑκάτερα περὶ πάντων ὁμοίως πλὴν θανάτου τε καὶ γάμου ποιεῖ. περὶ γὰρ τούτων, οὐδ' ἔξεστί τινι ἀρχὴν αὐτοῦ πυθέσθαι τι. *Ibi & oraculum editur, idque hoc modo: thure accepto precibúſque eius rei ergo quam volunt, factis, ipſum thus, vt ſecum eas preces deferat, ad ignem proiiciunt: tum ſi ratum ſit futurum votum, ab igni thus è veſtigio corripitur: ac ſi thus extra ignem fortè deciderit, accurrens ignis id abripit & conſumit: ſin irritum erit votum, neque accipitur, ab igni thus, & ſi in ipſam flammam coniiciatur recedit ab ea atque effugit. Ita in vtramque partem ignis futura prædicit, morte nuptiíſque exceptis. de his enim non licet cuiquam oraculum id conſulere.* Adeo dæmon ſuis offutiis potuit mortales in fraudem inducere: ſed in viam redeamus.

LEGATO PRÆFECTÓQVE.] De officio legati fusè oratione contra Vatinium 35. de officio Præfecti nonnulla pro Marcello §.7. VI.

FRVMENTI ÆSTIMANDI.] Accuſatur Piſo quod nullum ſeruauerit modum in frumento æſtimando. Sigonius de antiquo iure prouinciarum, *Æſtimatum vocat frumentum, quod æſtimabat magiſtratus in cellam ſuam in vſum familiæ ſuæ, cùm interdum pro frumento pecuniam acciperet.* Sed pace tanti viri dixerim, non videtur rem attigiſſe. quæ enim latinitas patitur, vt dicamus in cellam ſuam æſtimare? quamuis video vocem poſſe vtcunque defendi. vt igitur rem paucis euoluam. Populus Romanus certum modum frumenti, ad vectigal annuum ex Prouinciis colligebat: licebat tamen magiſtratibus frumentum æſtimare, id eſt, loco frumenti certam pecuniam à prouincialibus exigere, ſiue vectigal illud frumentarium ex æquo & bono in pecuniarium conuertere. id liquet ex Ciceronis frumentaria clariſſimè 189. *Hæc æſtimatio,* inquit, *nata eſt, Iudices, non ex Prætorum aut Conſulum, ſed ex aratorum atque ciuitatum commodo. Nemo enim fuit initio tam impudens, qui cùm frumentum deberetur, pecuniam poſceret, certè hoc ab aratore primum eſt profectum, aut ab ea ciuitate cui imperabatur, cùm aut frumentum vendidiſſet, aut ſeruare vellet, aut in eum locum, quo Imperator, portare nollet, petiuit in beneficij loco & gratiæ, vt ſibi pro frumento, quanti frumentum eſſet, dare liceret.* Et paullò antè 188. *Multos ſæpè viros bonos & fortes, & innocentes, cum aratoribus, & cum ciuitatibus frumentum in cellam, quod ſumi oporteret, æſtimaſſe, & pecuniam pro frumento abſtuliſſe.* Item 190. *Secuti ſunt auariores magiſtratus,* &c. *inſtituerunt ſemper ad vltima ac difficillima loca apportandum frumentum imperare, vt vecturæ difficultate, ad quam vellent, æſtimationem peruenirent.* Hæc & alia, vt mirum ſit quid doctum virum in fraudem induxerit, niſi fortè quòd mutata interpunctione legebat, *Frumentum, in cellam, quod ſumi oportebat, æſtimaſſe.* Vnde putauit idem eſſe, *frumentum in cellam æſtimatum,* quod frumentum ad vſum prætoriæ familiæ in cellam prætoris comportatum. Sed hæc ſatis: neque enim meæ tenuitatis eſt, aut etiam voluntatis in conuellenda viri docti ſententia diutiùs immorari. VII. Frumentum æſtimatum.

HONORARII.] Prouinciales frumentum & vinum honorarium, id eſt, honoris cauſſa magiſtratibus tribuebant. Iſidorus libro 20. originum cap. 3. *Honorarium,* inquit, *vinum quod Regibus & potentibus honoris gratia offertur. Cato de innocentia ſua. Cùm eſſem in prouincia legatus quamplures ad Prætores & Conſules, vinum honorarium dabant: nunquam accepi, ne priuatus quidem.* Hæc Iſidorus, vt mirer quid viris doctis venerit in mentem cùm honorarium frumentum, & vinum dixerunt, *partem eſſe vectigalis prætorij.* clarè enim hic innuit Cato frumentum & vinum honorarium non magiſtratibus ſolùm, ſed etiam priuatis honoris cauſſa dari conſueſſe, ſi enim priuatis dari non ſolebat, cur gloriatur quod VIII. Frumentum honorarium.

ne priuatus quidem honorarium vinum accepe-rit? fortaſſe *ne à priuatis quidem*, legendum eſſe contendes. ſed primùm hoc eſt contra exemplarium fidem. ſed eſto: ſi pars vectigalis fuit, cur gloriatur ſe non accepiſſe, quo nomine reprehendi debuiſſet? deinde cur extorqueri non potuit? cur non potuit vi & metu extortum honorarium nominari? quod iure negat Cicero. etenim quod honorarium dicitur, id non vectigalis loco debet exolui, ſed honoris cauſſa exhiberi.

Munus quid? Ariſtoteles primo Rhetoricorum c.5. Τὸ δῶρόν ἐστι κτήματος δόσις, καὶ τιμῆς σημεῖον, διὸ καὶ οἱ φιλοχρήματοι, καὶ οἱ φιλότιμοι ἐφίενται αὐτῶν, id eſt, ſecundũ Riccoboni verſionem, *Donum eſt poſſeßionis donatio, & honoris ſignum. quamobrem & ſtudioſi pecuniæ, & ſtudioſi honoris appetunt ipſa.* Vnde ea fuit multarum gentium conſuetudo, vt honoris cauſſa dona magnatibus exhiberent. Thucydides libro 2. de Odry-

Odryſarum mores in muneribus accipiẽdis, & Perſarum. ſis: Κατεστήσαντο γὰρ τοὐναντίον τῆς τῶν Περσῶν βασιλείας τὸν νόμον, ὄντα μὲν καὶ τοῖς ἄλλοις Θρᾳξί, λαμβάνειν μᾶλλον, ἢ διδόναι, καὶ αἴσχιον ἦν αἰτηθέντα μὴ δοῦναι, ἢ αἰτήσαντα μὴ τυχεῖν, ὅμως δὲ κατὰ τὸ δύνασθαι ἐπὶ πλέον αὐτῷ ἐχρήσαντο. pòſt: οὐ γὰρ ἦν πρᾶξαι οὐδὲν μὴ διδόντα δῶρα. vertit Laurentius Valla: *Longè alio quàm apud regnum Perſarum inſtituto, & quàm apud alios Thraces accipiendi citiùs quàm dandi, turpius enim erat eum qui poſceretur, non dare, quàm eum qui poſceret non impetrare: tametſi hoc inſtituto plerumque imperioſè vtebantur, quoniam nihil donanti nihil tranſigere licebat.* Hæc Lau-

Valla emendatur. rentius. Quàm fœliciter Thucydidis mentem fuerit aſſecutus iudicet lector. Hanc certè verſionem puto propiùs accedere: *Legem habent Perſarum regno contrariam, quæ viget etiam apud ceteros Thracas, accipiendi magis, quàm dandi. turpius enim erat qui poſceretur, non dare, quàm eum qui poſceret non impetrare. nihilominùs tamen pro ſuis facultatibus hoc more vt plurimùm vtebantur. quoniam nihil donanti nihil tranſigere licebat.* Hanc meam verſionem tum ratio ipſa ſyntaxeos, tum interpres confirmat: Οἱ γὰρ Πέρσαι παρέχουσι μᾶλλον, ἤπερ παρὰ τῶν ἄλλων λαμβάνουσι. οἱ δὲ Θρᾷκες τοὐναντίον· καὶ οὐκ ἦν τι πρᾶξαι παρ' αὐτοῖς τὸν μὴ παρέχοντα χρήματα. ὅπερ καὶ νῦν ἐν Ῥωμαίοις. *Perſi enim magis ſolent munera largiri, quàm ab aliis accipere. At Thraces contrariam ineunt rationem. neque enim apud ipſos quicquam poterat qui munera non exhiberet. quod etiamnunc Romanorum conſuetudine receptum eſt.* Quamquam nondum poſſum planè ad liquidum mentem auctoris intueri. ſi enim apud Thracas & Odryſos conſuetudo fuit accipiendi magis, quàm largiendi; quomodo turpius erat eum qui poſceretur non dare,

Thucydides emendatur. quàm eum qui poſceret non impetrare, cùm ex illa ſiue lege, ſiue conſuetudine contrarium ſequi videatur? quare ſuſpicor verba, καὶ αἴσχιον ἦν αἰτηθέντα μὴ δοῦναι, ἢ αἰτήσαντα μὴ τυχεῖν, ad Perſarum conſuetudinem pertinere, & eſſe gloſſema quod à margine, vt fit ad textum alieno loco irrepſerit. Quod ſpectat ad Romanos Iuuenalis:

-omnia Romæ
Cum pretio. Quid das vt Coſſum aliquando ſalutes?
Vt te reſpiciat clauſo Veiento labello?

IX. Bœotia. BOEOTIA.] Clarum eſt è fabulis vnde Bœotia nomen acceperit, à boue videlicet quæ Cadmo vrbis condendæ locum oſtenderat. Nonnus 4. Dionyſiacon:

Καὶ γαίης ἐπέβη Χαιρωνίδος, ἔνθα κονίῃ
Ἀργυφέῃ τμήγουσα βοὸς λευκαίνετο χηλή,
Καὶ κραναὰς μεθέπων πολυκαμπέα κύκλα πορείης
Λευκὰ κονιομένων ἀπεσείσατο λύματα ταρσῶν,
Καὶ βοὸς ἑσπομένοιο χαμευνάδος ὀκλάσι χηλῇ
Ἄστεος ἐσσομένοιο προάγγελος.

Et terram ſubiit Chæronidæ, puluere cano
Bos vbi calcatis poſuit veſtigia campis.
Atque per anfractus varios flexúſque viarum
Candida pulvereæ excußit purgamina plantæ
Procumbentis humi vaccæ, tum flectitur vrbis
Vngula condendæ prænuntia.

Ouidius initio 3. Metamorph.

Nullum paſſa iugum, curuique immunis aratri.
Hac duce carpe vias, & qua requieuerit herbâ,
Mœnia fac condas Bœotiâque illa vocato.

X. Byſantium. BYSANTII.] Scio me interpretem, non geographum profiteri, tamen ab inſtituto non fuerit alienum quod hiſtorici nobiles ſuis narrationibus non dubitarunt attexere. cur enim mihi non liceat cum viris magnis tantiſper euagari, cùm præſertim commentatio non tam auguſtos ſibi terminos, quàm hiſtoria præſcripſerit. interpres enim delibatis ſiue potiùs corraſis vndequaque rationibus rem illuſtrat: at hiſtoricus vnius narrationis filum detexit. ſed ad rem. Cornelius Tacitus 12. annalium Byſantij ſitum ita deſcribit: *Artißimo inter Europam Aſiamq. diuortio, Byſantium in extrema Europa poſuere Græci, quibus Pythium Apollinem conſulentibus vbi conderent vrbem, redditum oraculum eſt: Quærerent ſedem, cæcorum terris aduerſam. Ea ambage Chalcedonij monſtrabantur, quod priores illuc aduecti parum viſa locorum vtilitate, peiora legiſſent. quippe Byſantium fertili ſolo fœcundóque mari: quia vis piſcium erumpens ponto, & obliquis ſubter vndas ſaxis exterrita, omiſſo alterius littoris flexu, hos ad portus defertur.* Vide Codinum de origine Byſantij.

Sedem ponere è regione cæcorum.

XI. CHERRONENSES.] Fuerunt variæ Cherroneſi ſiue Cherſoneſi. hic autem intelligit Cherroneſum Thraciæ ad Pontum Euxinum inter Apolloniam & Thyniadem, de qua Arrianus in periplo. vide Abrahamum Ortelium in Theſauro Geographico. Lambinus hîc legendum putat *Cherroneſi*, vel *Cherronenſes*. Theſſalonica autem vrbs eſt Macedoniæ, quæ etiamnum floret & Salonichi nuncupatur. olim Ἀλία, vel etiam Θέρμα. vide eundem Ortelium.

AXIOMATA.

Auaritia criminibus infinitis implicata eſt.
Iniuſtum eſt creditorem ſuis debitoribus addicere.
Leuius eſt bonis exhauriri, quam libidinum contumelias & turpitudines ſubire.
Non poteſt vi & metu extortum honorarium nominari.

ARGVMENTVM.

Hic paragraphus alia duo auaritiæ genera complectitur: alterum in iudiciis exercendis, alterum in bellico apparatu, è quibus Piſo grandem pecuniæ vim conflauerat.

QVID ergo rerum capitalium quæſtiones, reorum pactiones, redemptiones, acerbiſſimas damnationes, libidinoſiſſimas liberationes proferam? tantùm locum aliquem cùm mihi notum ſenſeris, tecum ipſe licebit, quot in eo genere, & quanta ſint crimina, recordere. Quid? illam armorum officinam ecquid recordaris, cùm, omni totius prouinciæ pecore compulſo, pellium nomine, omnem quæſtum illum domeſticum, paternúmque renouaſti? videras enim grandis iam puer, bello Italico, repleri quæſtu veſtram domum, cùm pater armis faciendis tuis præfuiſſet. LXXXVII.

EXPLANATIO.

QVID EGO.] Per præteritionem oratoriam multa crimina conglobantur. & primò obiicit rerum capitalium quæſtiones de capite prouincialium non iuſtitiæ, ſed ſolius lucri cauſſa conſtitutas. deinde reorum pactiones, quas videlicet cum reis inierat Piſo, & ab iis ſe mercede corrumpi permiſerat, & redemptiones quibus illi à Piſone incolumitatem ſuam redemerant. quartò acerbiſſimas damnationes eorum, quos ab accuſatoribus mercede conductus, ſiue, vt veriùs dicam, corruptus inaudita cauſſa damnauerat: tandem libidinoſiſſimas liberationes eorum, quos, ad ſuam libidinem iudicia diſponens, contra iuſtitiam abſoluerat.

QVID ILLAM.] Altera pars eſt huius paragraphi de bellico apparatu.

PECORE COMPVLSO.] Coacto & vnum in locum congregato.

PELLIVM NOMINE.] Prætextu pellium, ad loricas, clypeos, papiliones faciendos. qua ratione tantum lucratus eſt, quantum pater fuerat antè lucratus.

VIDERAS ENIM.] Ab auaritia & ſordibus paternis in Piſonem deriuat infamiam. quemadmodum & patrem Piſonis, in orationis initio, *Cæſonium hominis furaciſſimi filium* nominarat.

BELLO ITALICO.] Marſico ſiue ſociali, quod poſt mortem Liuij Druſi concitatum eſt populis Italicis petentibus ius ſuffragiorum & ciuitatis.

ARMIS FACIENDIS PRÆFVISSET.] Fuiſſe fabricenſis, ſiue fabrorum præfectus.

NOTÆ.

I. Quæſtiones. QVÆSTIONES.] Scio quidem legem Iuliam, quæ extat eam non eſſe quam tulit Iulius Cæſar dictator in ſuo conſulatu, cùm illa Auguſtum habuerit auctorem. eâ tamen libenter vtor, quòd quantùm coniicere licet, parum à Iulij Cæſaris lege diſſentiat. neque enim pius filius facilè à patre diſſideret. Hæc igitur omnia contra legem Iuliam de repetundis D. lib. 38. tit. 11. hæc Marci Iuriſconſulti verba referuntur: *Lex Iulia de repetundis præcipit ne quis ob Iudicem arbitrúmve dandum, mutandum, iubendúmve, vt iudicet, néve ob hominem in vincla publica coniiciendum, vinciendum, vinciríve iubendum, éxve vinculis dimittendum, néve quis ob hominem condemnandum abſoluendúmve, néve ob litem æſtimandam, iudiciúmve capitis, pecuniave faciendum, vel non faciendum, aliquid acceperit.* Hæc Macer.

II. Auaritia ab integritate iudicis aliena. REORVM PACTIONES.] Præclarè Plutarchus in politicis huius ſceleris atrocitatem oſtendit: Χρυσὸν μὲν εἰς ἔνια τῶν ἱερῶν εἰσιόντες, ἔξω καταλείπουσι, σίδηρον δὲ, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, εἰς οὐδὲν συνεισφέρουσιν. ἐπεὶ δὲ κοινόν ἐστιν ἱερὸν τὸ βῆμα Βουλαίου τε Διὸς, καὶ πολιέως, καὶ Θέμιτος, καὶ Δίκης, αὐτόθεν μὲν ἤδη φιλοπλουτίαν, καὶ φιλοχρηματίαν, ὥσπερ σίδηρον καὶ μεστὸν ἰοῦ νόσημα τῆς ψυχῆς ἀποδυσάμενος, εἰς ἀγορὰς καπήλων ἢ δανειστῶν ἀπορρίψον. *Quædam templa reperias, in quæ qui ingrediuntur, aurum foris relinquunt, in nullum autem, vt verbo rem abſoluam, ferrum infertur. Quandoquidem verò tribunal commune templum eſt Iouis Conſiliarij, & vrbani, & Themidis, & Iuſtitiæ, inde auaritiam & pecuniæ cupiditatem, tanquam ferrum & rubiginoſum animæ morbum exuens, in menſas cauponarum & fœneratorum procul amanda.* Idem de Iſide & Oſiride: Ἐν δὲ Θήβαις εἰκόνες ἦσαν ἀνακείμεναι δικαστῶν ἄχειρες, ἡ δὲ τοῦ ἀρχιδικαστοῦ, καταμύουσα τοῖς ὄμμασιν, ὡς ἄδωρον ἅμα τὴν δικαιοσύνην, καὶ ἀνέντευκτον οὖσαν. *Thebis imagines erant Iudicum ſine manibus, Prætoris autem, oculis conniuebat: quòd iuſtitia nec muneribus corrumpatur, nec precibus ad miſerationem flectatur.* Ælianus libro 14. cap. 3. Iudicis effigies apud Ægyptios. Quæſitorem ſiue iudicij præſidem refert apud Ægyptios habuiſſe: Ἄγαλμα περὶ τὸν αὐχένα ἐκ σαπφείρου λίθου, καὶ ἐκαλεῖτο τὸ ἄγαλμα, ἀλήθεια, δικασταὶ δ' ἱερεῖς ἦσαν. *Signum è collo ſuſpenſum è ſapphiro, idque ſignum Veritas dicebatur, Iudices verò ſacerdotes erant.* Lege ἄχειρες ἦσαν. Et eam ob cauſſam Iuſtitia ſic Chryſippi penicillo depingitur apud Aulum Gellium cap. 4. libri 14. noctium Atticarum: Παρθένος δ' εἶναι λέγεται, κατὰ σύμβολον τοῦ ἀδιάφθορος εἶναι, καὶ μηδαμῶς ἐνδιδόναι τοῖς κακούργοις, μηδὲ προσίεσθαι, μήτε τοὺς ἐπιεικεῖς λόγους, μήτε παραίτησιν καὶ δέησιν, μήτε κολακείας, μήτ' ἄλλο μηδὲν τῶν τοιούτων. οἷς ἀκολούθως καὶ σκυθρωπὴ γράφεται, καὶ συνεστηκὸς ἔχουσα τὸ πρόσωπον, καὶ ἔντονον καὶ δεδορκὸς βλέπουσα, &c. Iuſtitiæ imago. *Dicitur virgo eſſe indicio eam eſſe incorruptam, improbis nunquam concedere, non orationem com-*

modam, non precationem, non adulationem, non denique quicquam aliud admittere. quas ob res, meritò triſtis etiam, ac contracta fronte pingitur, vultu graui, aſpectu contento ac toruo. Neque verò faciliùs vlla ratione quàm muneribus iuſtitia corrumpitur: ſiquidem, vt ait ille,

Δῶρα θεοὺς πείθει, δῶρ' αἰδοίους βασιλῆας.

Munera crede mihi placant hominéſq. Deóſque.

Huc alluſit Heſiodus in operibus verſu 35.

-διακρινώμεθα νεῖκος

Ἰθείῃσι δίκῃς, αἵ τ' ἐκ Διός εἰσιν ἄρισται.

Ἤδη μὲν γὰρ κλῆρον ἐδασσάμεθ'. ἀλλὰ τὰ πολλὰ

Doniuori Reges. Ἁρπάζων ἐφόρεις, μέγα κυδαίνων βασιλῆας

Δωροφάγους, οἳ τήνδε δίκην ἐθέλουσι δικάσσαι,

Νήπιοι οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός.

-*iuuat diſcernere litem*

Rectis iudiciis quæ Iuppiter optima mittit.

Sunt diuiſa mihi tecum patrimonia: verùm

Præterea aſportas veneratus multa tyrannos

Doniuoros, noſtram cupiunt qui cernere litem.

Ah! miſeri, ignorant medium præcellere toti.

Et verſu 216.

Τῆς δὲ δίκης ῥόθος ἑλκομένης, ᾗ κ' ἄνδρες ἄγωσιν

Δωροφάγοι, σκολιῇς δὲ δίκαις κρίνωσι θέμιστας.

Iuſtitiæ in partem quamuis momenta feruntur

Doniuori quocunque homines traxere, maliſque

Iudiciis Themidem tranſuerſam egere furentes.

Quam iudiciorum corruptelam meritò Cambyſes exempli ſeueritate compeſcuit, Herodotus in Terpſichore: Σισάμνην βασιλεὺς Καμβύσης γενόμενον τῶν βασιληΐων δικαστέων, ὅτι ἐπὶ χρήμασι δίκην ἄδικον ἐδίκασε, σφάξας ἀπέδειρε πᾶσαν τὴν ἀνθρωπηΐην, σπαδίξας δὲ αὐτοῦ τὸ δέρμα, ἱμάντας ἐξ αὐτοῦ ἔταμε, καὶ ἐνέτεινε τὸν θρόνον, ἐς τὸν ἵζων ἐδίκαζε. ἐνταμὼν δὲ ὁ Καμβύσης ἀπέδεξε δικαστὴν εἶναι ἀντὶ τοῦ Σισάμνεω, τὸν ἀποκτείνας ἀπέδειρε, τὸν παῖδα τοῦ Σισάμνεω, ἐντειλάμενός οἱ μεμνῆσθαι, ἐν τῷ κατίζων θρόνῳ δικάζει. *Siſamnem vnum è regiis iudicibus, quod iniuſtè ob pecuniam iudicaſſet, Rex Cambyſes interemit, interemptóque detractum corium in lora concidit, quibus tribunal, in quo ille ſedens iudicarat, intendit: ibidémque eius filium Otauem ſedere iudicem præcepit, atque in memoria habere in quo tribunali iudicaret.* Et, vt teſtatur Gellius cap. 1. libri 20. Noct. Attic. lex eſt in duodecim tabulis: *Quæ Iudicem arbitrúmve iure datum, qui ob rem dicendam pecuniam accepiſſe conuictus eſt, capite punit.* Vide orationem pro Cluentio. Quo fit vt mihi ſemper illud incerti poëtæ vehementer arriſerit, libro quarto antholog. cap. 31. Εἰς εἰκόνας ῥητόρων.

Iudicis pecunia corrupti punitio.

α Εἰκών, τίς σ' ἀνέθηκε; β λόγοι. τίνος εἶ; Πτολεμαίου.

Ποίου; τοῦ Κρητός. τοῦ χάριν; ἀντ' ἀρετῆς.

Τῆς ποδαπῆς; πάσης. τῆς εἰς τίνας; εἰς δικολέκτας.

Καὶ ξύλον ἀρκεῖ; Ναί. χρυσὸν οὐ δέχεται.

Quis te, icon, poſuit? Sermo. Cuius? Ptolemai.

Qualis? Cretenſis. Cur? Quia fortis erat.

Qua virtute nitens? Omni. In quos? In dicolectas.

Sufficit huic lignum? Sufficit. aurum abicit.

Cui germanum eſt & illud Arabij Scholaſtici.

Εἰκόνα Λογγίνῳ χρυσέην πόλις εἶχεν ὁπάσσαι

Εἰ μὴ πότνια δίκη χρυσὸν ἀπεστρέφετο.

Aureus in ſtatua ſtares Longine, ſed auri

Iuſtitia auerſans munera ferre vetat.

Viri enim boni, vt cum Platone loquar decimo de legibus: Τὸ δίκαιον οὐκ ἄν ποτε προδοῖεν ἕνεκα δώρων παρ' ἀδίκων ἀνδρῶν ἀνοσίως διδομένων. *Nunquam iuſtitiam prodent ob munera ab iniuſtis hominibus nefariè data.* Vnde grauiter in eos inuehitur, qui Deũ peccatoris muneribus corrumpi poſſe exiſtimant. inter cætera, Τοῦτον δὴ τὸν λόγον ἀναγκαῖον λέγειν τὸν λέγοντα ὡς εἰσὶ συγγνώμονες ἀεὶ θεοὶ τοῖς τῶν ἀνθρώπων ἀδίκοις καὶ ἀδικοῦσιν, ἄν αὐτοῖς τῶν ἀδικημάτων τις ἀπονέμῃ, καθάπερ κυσὶ λύκοι τῶν ἁρπασμάτων σμικρὰ ἀπονέμοιεν, οἱ δ' ἡμερούμενοι τοῖς δώροις συγχωροῖεν τὰ ποίμνια διαρπάζειν, ἆρ' οὐχ οὗτος ὁ λόγος τῶν φασκόντων παραιτητοὺς εἶναι θεούς; *Hoc dicere neceſſe eſt eum qui dicit Deos facilè condonare hominibus iniuſtis iniuſtè facientibus. Si iniuſtè partorum Diis aliquid impertiant, quemadmodum ſi lupi canibus paruam rapinarum partem diſtribuerent, illi verò donis manſuefacti Ouile compilari impune & diripi paterentur. Nónne idem dicunt qui Deos aiunt facilè poſſe perſuaderi, ad parcendúmq. traduci.* Quod optimè iudicibus & magiſtratibus quadrat qui paſſim à Platone cuſtodes vrbis & legum dicuntur, & cum canibus ſecundo de Rep. pulcherrimè comparantur. vnde fortaſſe emerſit fabella de Aſclepio, de qua Plato ibidem: Ἀπόλλωνος μὲν φασὶν Ἀσκληπιὸν εἶναι, ὑπὸ δὲ χρυσοῦ πεισθῆναι πλούσιον ἄνδρα θανάσιμον ἤδη ὄντα ἰάσασθαι, ὅθεν δὴ καὶ κεραυνωθῆναι αὐτόν. *Æſculapium Apollinis filium ferunt, auro perſuaſum fuiſſe, vt diuitem iam eum morte luctantem reſtitueret ſanitati, ideóq. fulmine tactum fuiſſe.* Iudices enim medicos animorũ appellat, & penè coniungit. inter cætera illud illuſtre: Ἀκολασίας δὲ καὶ νόσων πληθυουσῶν ἐν πόλει ἆρ' οὐ δικαστήριά τε καὶ ἰατρεῖα πολλὰ ἀνοίγεται, καὶ δικανική τε καὶ ἰατρικὴ σεμνύνονται, ὅταν δὴ καὶ ἐλεύθεροι πολλοὶ καὶ σφόδρα περὶ αὐτὰ σπουδάζωσι; Τί γὰρ μέλλῃ; τῆς δὲ κακῆς τε καὶ αἰσχρᾶς παιδείας ἐν πόλει ἆρα μή τι μεῖζον ἕξεις λαβεῖν τεκμήριον, ἢ τὸ δεῖσθαι ἰατρῶν καὶ δικαστῶν ἄκρων μὴ μόνον τοὺς φαύλους τε καὶ χειροτέχνας, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐν ἐλευθέρῳ σχήματι προσποιουμένους τετράφθαι; *Intemperantia, & morbis in vrbe abundantibus nónne iudicum & medicorum officinæ multæ aperiuntur, artéſq. tum medendi, tum iudicandi ſe venditant, cùm & ingenui & permulti in hæc ſtudia multum laboris impendunt? Quid ni? Malæ autem & turpis inſtitutionis in vrbe, quod maius habere poſſis indicium, quàm ſi non ſolùm mali & artifices, ſed etiam ij qui videri volunt liberaliter educati ſummos medicos & Iudices deſiderent?*

Deus muneribus nõ corrumpitur.

Æſculapius cur fulmine percuſſus.

Iudices morũ medici.

III. Pellium vſus in papilionibus faciendis.

PELLIVM NOMINE.] Turnebus papiliones & tentoria intelligit, quæ olim è pellibus fiebant. Cicero in Lucullo: *vt non multum Imperatori ſub ipſis pellibus otij relinquatur.* Liuius lib. 5. *militem Romanum in opere ac labore, niuibus ac pruinis obrutum ſub pellibus durare.* Florus libro 1. cap. 12. *Veientium quantæ res fuerint, indicat decennis obſidio. tunc primùm hiematum ſub pellibus, taxata ſtipendio hyberna.* Hinc eſt quod Chryſoſtomus tabernaculorum & papilionum artificem σκυτοτόμον, *coriarium* frequenter appellet.

Alij tamen pelles intelligunt è quibus ſcuta, loricas, tormentorum lora, haſtarum amenta faciebant. de quibus ſingulis pauca dicenda ſunt.

Ac primùm antiquos galeas è pellibus habuiſſe vel ipſo nomine compertum eſt, quod ἀπὸ τῆς γαλέης, à fele & muſtela deducitur, & paſſim ab Homero ἰκτιδέη, κυνέη, ταυρείη, αἰγείη, *muſtellina, canina, taurina, caprina*, à Suida, ἀλωπεκία, *vulpina*, ab aliis aliter nominatur. Statius lib. 7.

Galeæ è pellibus.

Tela rudes trunci galeæ vacua ora leonum.

Polybius lib. 6. προσεπικοσμεῖται δὲ καὶ λιτῷ περικεφαλαίῳ ποτὲ λυκείαν ἤ τι τῶν τοιούτων ἐπιτίθεται.

adornatur præterea & ſimplici tegmine capitis, & interdum lupinam aut tale aliquid imponit. Propertius libro 4. elegia 1.

Et galea hirſuta compta lupina iubâ.

& alij paſſim.

Item ſcuta. Scuta etiam è pellibus habuerunt. vnde fortaſſe ἀπὸ τοῦ σκύτους. *à loro & corio* nomen acceperint. nam vt ait Polybius ibidem, μοσχίῳ δέρματι, περιείληπται τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν, *Vituli corio tegitur ſecundum exteriorem ſuperficiem.* Statius lib. 3.

Nec pudor emerito clypeum veſtiſſe iuuenco.

Item:

-graues clypeos cæſis veſtiſſe iuuencis.

Homerus Iliados υ. & μ. eoſdem verſus repetit.

Δῄουν ἀλλήλων ἀμφὶ στήθεσσι βοείας
Ἀσπίδας εὐκύκλους λαισήϊά τε πτερόεντα.

Lacerabant ſuos inuicem circa pectora bouillos
Clypeos rotundos & ſcuta leuia.

In quos verſus Euſtathius Iliados ε. οἱ δὲ λάσιον ἐτυμολογοῦσιν αὐτό. Φάσκοντες εἶναι ἐκ πεπειχωμένων δερμάτων ἀνεργάστων. *Quidam* λαισήϊον *à voce* λασίου *deducunt. Dicentes facta eſſe ſcuta è coriis pellitis non ſubactis.* quod probat ex Herodoto. λαισήϊα εἶχον ἀντ᾽ ἀσπίδων ὠμοβοΐνας πεποιημένα. *Scuta pro clypeis habebant è crudo boum corio facta.* & Iliados μ. idem ait Liuius libro 23. de obſeſſis Caſilini ab Annibale: *Poſtremò ad id ventum inopiæ eſt, vt lora detractáſque ſcutis pelles, vbi feruidâ molliſſent aquâ mandere conarentur.* Ioſephus libro 6. ἁλώσεως de Iudæis à Tito obſeſſis: καὶ τὰ δέρματα τῶν θυρεῶν ἀποδέροντες ἐμασῶντο. quod ſic effert Hegeſippus. *Et cùm alia famis ſolatia non reperirent, detrahebant coria ſcutis vt cibo eſſent ſibi quæ præſidio non fuiſſent.*

Loricas etiam è pellibus faciebant. Varro de lingua Latina: *Lorica à loris, quòd de corio crudo pectoralia faciebant. poſteà ſucciderunt Galli è ferro.* vnde etiam lorica Gallis, *cuiraſſe*, non *ferraſſe* nominatur. Et loricæ.

Poſtremo loris opus fuit ad haſtarum amenta, ad equorum ſtrata, ad texenda vincula tormentorum bellicorum, & alios vſus eiuſmodi, quòd quàm frequens fuerit eo liquet, quod ſæpe matronæ traduntur ſuas comas ad texēda huiuſmodi vincula totondiſſe. Sic Salonini à Pompeianis obſeſſi, vt refert Cæſar 3. de bello ciuili. *Præſectis omnium mulierum crinibus tormenta effecerunt.* Carthaginenſes bello Punico tertio à Scipione obſidendi. Fecerunt καταπέλτας ὅσους δυνηθεῖεν. ἐς δὲ τὰς ἐπιτάσεις αὐτῶν ἀπέκειραν τὰς γυναῖκας, τριχῶν ἑτέρων ἀπορίᾳ. *Catapultas quotcunque potuerunt, & ad earum extenſiones matronarum crines totonderunt, aliorum pilorum inopiâ.* vt refert Appianus in Libycis. ita Romani. Plutarchus alicubi, & Lactantius diuinarum Inſtitutionum libro 1. cap. 20. *Vrbe à Gallis occupata, obſeſſi in Capitolio Romani cùm ex mulierum capillis tormenta feciſſent, ædem Veneri Caluæ conſecrarunt.* ſed iam euagamur. Et ad alios vſus bellicos pelles adhibebant. Funes è comis matronarum.

ARGVMENTVM.

Multas exactiones vectigalium, venditiones officiorum & dignitatum, cædes & alia crimina auaritiæ Piſonis implicita coaceruat.

QVID? vectigalem prouinciam, ſingulis rebus, quæcunque venirent, certo portorio impoſito, ſeruis tuis publicanis à te factam eſſe meminiſti? quid? centuriatus palàm venditos? quid? per tuum ſeruulum ordines aſſignatos? quid? ſtipendium militibus per omneis annos à ciuitatibus, menſis palàm propoſitis, eſſe numeratum? quid illa in Pontum profectio, & conatus tuus? quid debilitatio, atque abiectio animi tui, Macedonia prætoria nuntiata, cùm tu non ſolùm, quòd tibi ſuccederetur, ſed quòd Gabinio non ſuccederetur, exſanguis, & mortuus concidiſti? quid quæſtor ædilitius reiectus, præpoſitus legatorum tuorum turpiſſimus, optimus abs te quiſque violatus? tribuni militum non recepti? M. Bæbius, vir fortis, interfectus iuſſu tuo? quid, quòd tu toties diffidens, ac deſperans rebus tuis, in ſordibus, lamentis, luctúque iacuiſti? quòd populari illi ſacerdoti ſexcentos ad beſtias amicos ſociósque miſiſti? LXXXVIII.

EXPLANATIO.

QVID VECTIGALEM.] à multis factum exaggerat. Primò, quod Prouinciam vectigalem effecerit. 2. quod non vni aut alteri, ſed ſingulis rebus impoſuerit vectigal. 3. quod non per equites Romanos & publicanos, ſed per ſeruulos ſuos portorium illud exegerit.

PORTORIO.] Tributo quod rebus deportandis in portu, in pontibus, aliiſque locis, tranſitus cauſſâ imponitur. vide Notas.

QVID CENTVRIATVS PALAM VENDITOS.] Arguit Piſonem quòd militares gradus vendiderit, & aditum ad eos pecuniis patefecerit qui ſoli virtuti patere debuiſſet. addit palàm venditos fuiſſe, ad impudentiam denotandam.

QVID? PER TVVM.] Aliud crimen impingit, quod per ſeruulum militiæ ordines aſſignauerit, qui per tribunum militarem aſſignari de more debuiſſent.

QVID STIPENDIVM.] Stipendium pendebatur ex ærario: Piſo vt illam pecuniam quam ex ærario ſtipendij nomine capiebat, in ſuum vſum conuerteret, iubebat à ciuitatibus ſtipendiū numerari. factum amplificat à duobus. 1. quòd

non ſemel, ſed per omnes annos id fecerit. 2. quòd palàm & menſis propoſitis in oculis totius prouinciæ.

QVID ILLA IN PONTVM.] Res obſcura eſt, & nullis antiquitatis impreſſa veſtigiis. videtur Piſo pecuniis Barbarorum inhians in Pontum impreſſionem feciſſe: & inde fuiſſe depulſum, vnde & conatus potiùs quàm bellum illatum nominatur.

QVID DEBILITATIO.] Hoc non videtur admodum ad auaritiam pertinere, niſi ſi dicamus ægrè tuliſſe Piſonem, & animo debilitatum fuiſſe, cùm audiret ſucceſſorē ſibi eſſe deſtinatum, quod videret hoc pacto furtorum & rapinarum occaſionem ſibi eſſe præreptam, quam abiectionem animi ab inuidia Piſonis in Gabinium auget, quo vitio nihil abiectius.

MACEDONIA PRÆTORIA NVNTIATA.] Cùm nuntiatum eſſet anno proximè ſequenti Macedoniam adminiſtrandam eſſe non imperio Conſulis, ſed Prætoris.

QVID QVÆSTOR ÆDILITIVS REIECTVS.] Aliud obiecit, quòd videlicet quæſtorem reiecerit eum, qui ædilitatem antè geſſerat, nullámque habuerit dignitatis eius rationem. vide Notas.

PRÆPOSITVS.] Duæ ſunt huius loci lectiones. altera eſt, *Præpoſitus legatorum tuorum turpiſſimus.* altera quæ magis arridet, *Præpoſitus homo turpiſſimus, legatorum tuorum optimus, abs te quiſque violatus.* Vt nimirum ædilitio illi qui quæſtor reiectus fuerat à Piſone præpoſitus fuerit homo quiſpiam turpiſſimus, vt pecuniam ex ærario ad ſtipendium attributam poſſet faciliùs Piſo ad ſuos vſus turpiſſimi hominis ope conuertere.

TRIBVNI MILITVM NON RECEPTI.] Non admiſſi à te qui à populo fuerant Tribuni militum conſtituti. vide Notas.

QVID QVOD TV.] Poſtquàm multa enumerauit ipſam Piſonis conſcientiam atteſtatur, qui nunquam ita de ſuis rebus deſperaſſet, niſi ipſum ſuorum ſcelerum conſcientia iactaſſet.

QVOD POPVLARI.] Perfidiam Piſonis oſtendit: qui ſocios & amicos, quorum commodis & incolumitati debuerat prouidere: tanquam captiuos aut ſceleratos Romam miſerat, vt in ludis quos Clodius in ædilitate ſua erat editurus, cum beſtiis pugnarent.

POPVLARI ILLI SACERDOTI.] Sacerdotem appellat Clodium: quia ſe in ſacra Bonæ Deæ ingeſſerat, ad quæ nefas erat viros accedere: & in Cæſaris Conſulis & Pontificis maximi domum, vbi ſacra fiebant à matronis, ingreſſus fuerat in habitu fidicinæ, vt Pompeiæ Cæſaris coniugi ſtuprum inferret. popularē appellat iocum captans ex ambiguo: nam & Clodius popularis erat ſeditioſiſque legibus, populares auras captabat, & matronæ pro populo atque ſalute publica Bonæ Deæ ſacra faciebant, quorum ille fuerat particeps.

NOTÆ.

1. Vectigales prouinciæ. VECTIGALEM.] Non eſt hic animus de vectigalibus populi Romani fuſiùs diſſerere. vide Iuſtum Lipſium de magnitudine Romana & alios qui res Romanas illuſtrarunt. Tantùm aduerte non reprehendi Piſonem, quòd vectigal à prouinciis exegerit, (erant enim omnes prouinciæ vectigales) ſed quòd nouas exactiones inuenerit. vel illud fortaſſe innuit, de quo de prouinc. Conſul. 5. *Quis ignorat Achæos, populos liberos & à vectigalibus immunes, ingentem pecuniam pendere Luc. Piſoni quotannis? vectigal ac portorium Dyrrhachinorum totum in huius vnius quæſtum eſſe conuerſum?* Fuerunt autem varia exactionum genera vt ducenteſimæ, centeſimæ, quinquageſimæ, quadrageſimæ, vigeſimæ. Dio 58. de Tiberio: καὶ τέλος τι διακοσιοστὴν ἔχον ἑκατοστὴν ἤγαγε. *Et pro vectigali quodam ducenteſimam penſionem habente, centeſimam induxit.* Lib. 55. de Auguſto: Τὸ τέλος τὸ τῆς πεντηκοστῆς ἐπὶ τῇ τῶν ἀνδραπόδων πράσει ἐσήγαγε. *Tributum inſtituit, quo de pretio mancipiorum venditorum quinquageſimam partem exegit.* Tranquillus de Veſpaſiani patre. *Publicum quadrageſimæ in Aſia egit.* Dio lib. 55. τὴν εἰκοστὴν τῶν κλήρων, καὶ τῶν δωρεῶν. *vigeſimam hereditatum & legatorum* penſionem ait ab Auguſto fuiſſe inſtitutam. De alia penſione vigeſima à ſeruis, qui manumittebantur exigi ſolita, fusè diſſeremus pro Milone §. 58. De decumis agríſque decumanis res eſt cuiuis notiſſima.

CERTO PORTORIO.] Portorium erat vectigal quod ex importatione & exportatione mercium exigebant. 11. Portoria. Noſter libro 2. in Verrem 182. *Erat ratio ſcripta menſium complurium, rerum exportatarum iſtius nomine ſine portorio.* hinc 2. ad Atticum, epiſt. 16. *circumuectionis portorium* nominatur. Paulò antè: *Portoriis Italiæ ſublatis, agro Campano diuiſo, quod vectigal ſupereſt domeſticum præter viceſimam?* Pro Flacco: *Mirandum verò eſt homines eos, quibus odio ſunt noſtræ ſecures, nomen acerbitati: ſcriptura, decuma, portorium morti: libenter arripere facultatem lædendi quæcunque detur.* Græcis εἰσαγωγικὸν καὶ ἐξαγωγικόν. Plinius libro 12. cap. 14 de thuris comportatione. *Quacunque iter eſt aliubi pro aqua, aliubi pro pabulo, aut pro manſionibus variiſque portoriis pendunt, vt ſumptus in ſingulos camelos denarium* DCLXXXVI. *colligat, iterúmque imperij noſtri publicanis penditur.* Hi autem publicani qui portorium exigebant dicti ſunt portitores. Portitores. Tullius nobili illa epiſtola ad Q. fratrem. *Illa cauſſa Publicanorum, quantam acerbitatem afferat ſociis, intelleximus ex ciuibus qui nuper in portoriis Italiæ tollendis, non tam de portorio, quàm de nonnullis iniuriis portitorum querebantur.* In Vatiniū 12. *Cùm te non cuſtodem ad continendas, ſed portitorem ad partiendas merces miſſum putares.* Portitor in gloſſariis τελώνης, vbi vt notat Lipſius portarium τέλος πύλης, id eſt, *vectigal in porta.* Seneca, *Nec indignabitur ſapiens aliquid impendere vt limen tranſeat, cogitans & in pontibus quibuſdam pro tranſitu dari.* Herodianus quoque oſtendit exactiones fuiſſe, ἐπί τ᾽ ὄχθαις ποταμῶν, καὶ λιμέσι πόλεων, ἔν τε ὁδῶν πορείαις. *In ripis fluminum, portubus oppidorum, & viarum tranſgreſſibus.* Quæ res cur portorium, non autem portitorium à portandis mercibus ſecundum communem inflexionum analogiam nominetur? Reſpondeo videri nomen portorium à ſarcinis ductum videri quas olim *portum* vocabant. Apuleius ipſo initio Floridorum: *Vt fermè religioſis viantium moris eſt, cùm aliquis lucus, aut aliquis locus ſanctus in via oblatus eſt, votum poſtulare, portum apponere, pauliſper aſſidere, ita mihi ingreſſo ſanctiſſimam iſtam*

ciuitatem, quanquam oppido feſtiuè, præfanda venia, & habenda oratio, & inhibenda properatio eſt.

Centvriatvs.] Libenter legerim, *Centurionatus.* Tacitus primo annalium: *Centurionatum Germanicus inde egit.* Feſtus citat Catonem in ea quam habuit apud equites. *Maiores ſeorſum, atque diuerſum pretium paraKere bonis atque ſtrenuis, Decurionatus, Optionatus, haſtas donaticas, alióſque honores.* Optio centurionis accenſus. Cæterùm noſter Piſonem meritò reprehendit quòd pretio centurionatum addixit, quem milites apud alios ſibi virtute pariebant. Polybius libro 6. Ἐξέλεξαν ταξιάρχους ἀριστίνδην δέκα. *Eligunt ordinum ductores ſecundum virtutem decem.* quod vt de centurionibus dictum intelligas, ſubiungit apud Romanos. τοὺς ἡγεμόνας κεντυρίωνας καὶ ταξιάρχους. *Duces, Centuriones & ordinum ductores* nuncupari. Liuius libro 40. *In legione prima primipilum ei virtutis cauſâ aſſignarunt.* Lucanus libro 6. de Scæua.

> *-ibi ſanguine multo*
> *Promotus Latiam longo gerit ordine vitem.*

Ordines militares virtute parti. Neque ſolùm centurionatum virtutis cauſſâ tribuebant, ſed etiam centuriones ab inferioribus gradibus ad primum pilum & ſummos ordines promouebant. vtar exemplis quæ noſter Valtrinus eruditè collegit. Cæſar libro 5. *Erant in ea legione fortiſſimi viri centuriones, qui iam primis ordinibus appropinquarent.* Et libro 6. *Centuriones nonnulli ex inferioribus ordinibus reliquarum legionum. cauſâ virtutis in ſuperiores erant ordines huius legionis traducti.* Et libro primo belli ciuilis: *Quintus Fulginius propter eximiam virtutem ex inferioribus ad primum haſtatum peruenerat.* Et libro tertio eiuſdem: *Cæſar Scæuam ab octauis ordinibus ad primipilum ſe traducere pronuntiauit.* huc ſpectant & illa Lucani:

> *-ſummi tum munera pili*
> *Lælius, emeritique gerens inſignia doni,*
> *Seruati ciuis referentem præmia quercum.*

Interdū gratia collati. Notat tamen Iuſtus Lipſius ſecutis temporibus aditum ad hos honores non ſoli virtuti, ſed etiam gratiæ patuiſſe. vnde Vegetius libro 2. de re militari de ſuo æuo queritur. *Legionum robur infractum, cùm præmia virtutis occuparet ambitio, & per gratiam promouerentur milites qui promoueri conſueuerant per laborem.* Plinius de amico quodam libro 6. epiſt. 25. *huic ego ordines impetraueram.* Capitolinus, *Per Lollianum Conſularem virum ordinis ducendi poteſtatem petiit.* nec alia mente Iuuenalis:

> *-perlege rubras*
> *Maiorum leges, aut vitem poſſe libello.*

Sed vide apud laudatos auctores cætera ad centuriones ſpectantia: nobis pauca ad rem libare ſatius eſt, quàm in rem multa conglobare. quod meum inſtitutum in reliquis ſeruare conabor.

IV. Tribunus militum ordines aſſignabat. Per servvlvm tvvm.] Ordines aſſignare fuit Tribuni militum. Polybius libro 6. Οἱ δ' ἐν τῇ Ῥώμῃ χιλίαρχοι. *Tribuni verò Romæ,* &c. διαιροῦσι τῶν ἀνδρῶν τοὺς μὲν νεωτάτους, καὶ πενιχροτάτους εἰς τοὺς γροσφομάχους. τοὺς δ' ἑξῆς τούτοις εἰς τοὺς ἁστάτους καλουμένους, τοὺς δ' ἀκμαιοτάτους ταῖς ἡλικίαις, εἰς τοὺς πρίγκιπας· τοὺς δὲ πρεσβυτάτους εἰς τοὺς τριαρίους. αὗται γάρ εἰσι καὶ τοσαῦται διαφοραὶ παρὰ Ῥωμαίοις, καὶ τῶν ὀνομασιῶν, καὶ τῶν ἡλικιῶν, ἔτι δὲ καὶ τῶν καθοπλισμῶν ἐν ἑκάστῳ στρατοπέδῳ. *Horum iuuenes & pauperes maximè ſeligunt in velites: iſtis proximos in haſtatos: ætate florentiſſimos in principes: ætate maximos in triarios: tot enim & talia diſcrimina ſunt apud eos & appellationum, & ætatum, & armorum in quaque legione.* Sequor Lipſij verſionem, cuius commentarij in eundem locum cap. 1. lib. 2. de militia conſulantur. Spurius Liguſtinus apud Liuium: *Ordinem quo me dignum iudicent Tribuni militum, aſſignare ipſorum poteſtatis eſt.* Ibidem Tribuni militum, *In legione prima primum pilum ei virtutis cauſſa aſſignarunt.* Feſtus: *Optio qui nunc dicitur, antea appellabatur accenſus. is adiutor dabatur centurioni à Tribuno militum, quia ex eo tempore quem velint, Centurionibus permiſſum eſt optare, & nomen ex facto ſortitus eſt.*

V. Ordinum militarium diſtributio. Ordines.] Etiam hîc de ordinibus pauca dicenda ſunt: nolim tamen extra limites euagari. totus exercitus in milites legionarios, & ſocios ſiue auxiliares diuiſus eſt. Socij iterum bifariam diuiduntur: in equites, & pedites. rurſum vtrique duos in ordines, in alares nimirum & extraordinarios, digeruntur. Polybius libro 6. Πρῶτον μὲν τοῖς ὑπάτοις τοὺς ἐπιτηδειοτάτους, πρὸς τὴν ἀληθινὴν χρείαν ἐκ πάντων τῶν παραγεγονότων συμμάχων ἱππεῖς, καὶ πεζοὺς ἐκλέγουσι τούτους καλουμένους ἐκστραορδιναρίους, ὃ μεθερμηνευόμενον, ἐπιλέκτους δηλοῖ. *Præfecti primùm ex omnibus ſociis aptiſſimos eligunt ad proprium vſum Conſulum tam equites quàm pedites, quos vocant extraordinarios. id valet interpretatum, Electi.* Extraordinarij, ſiue electi. Rurſum ex iſtis extraordinariis quoſdam ſeligebant, & ablectos nuncupabant. Idem aliquantò pòſt: Οἱ τῶν ἐπιλέκτων ἱππέων ἀπόλεκτοι καί τινες τῶν ἐθελοντηδὸν στρατευομένων τῇ τῶν ὑπάτων χάριτι. *Extraordinariorum equitum Ablecti, & quidam ex iis qui vltro ac ſponte in gratiam Conſulum militant.* Ablecti. Poſſet & hinc colligi alia diuiſio ſociorum, in coactos & voluntarios: ſed eam reor magis ad legionarios pertinere.

Legionarij in duos iterum ordines militum & ducum, peditum & equitum digeruntur. de quibus nonnulla ſeorſim excerpam. Peditum triplex ordo fuit, præter velites, qui certum ordinem in acie non habebant. alij enim fuerunt haſtati, alij principes, alij triarij, quorum ſinguli ordines in decem manipulos diuiduntur. de his ſuprà Polybius, & Ouidius 3. Faſtorum. Velites. Haſtati. Principes. Triarij.

> *Inde pares centum denos ſecreuit in orbes*
> *Romulus, haſtatos inſtituitque decem.*
> *Et totidem princeps, totidem pilanus habebat,*
> *Corpora legitimo quique merebat equo.*

Vide explicationem Lipſianam libro ſecundo de re militari, capite ſecundo.

Equus publicus. In equitibus alij equo publico militabant, alij priuato. de publico Liuius deſcribens cenſum à Rege Seruio inſtitutum. *Ad equos emendos dena millia æris ex publico data, & quibus equos alerent, viduæ attributæ, quæ bina millia æris in annos ſingulos penderent.* Libro 39. *Publius Æbutius cuius pater publico equo ſtipendia fecerat.* Valerius lib. 2. cap. 4. *Equis publicis ſpoliatos in ærariorum numerum retulerunt.* De priuato Liuius libro 5. Priuatus. *Quibus cenſus equeſter erat, equi publici non erant aſſignati, conſilio prius inter ſeſe habito, Senatum adeunt: factáque dicendi poteſtate equis ſe ſuis ſtipendia facturos promittunt.* Mox: *Tum primùm equis ſuis mereri equites cœperunt.* Neque tamen eſt quòd exiſtimes eos ab illo tempore mereri publicis equis deſiiſſe. contrarium enim ex Philip-

pica 6. aliiſque locis compertum eſt. Iterum tum ſocij, tum legionarij in coactos & voluntarios diuiduntur, quos ſuprà Polybius, τοὺς ἐθελοντηδὸν στρατευομένους, *euocatos* alij nominarunt. de quibus Dio libro 45. Cæſar libro 3. bellorum ciuilium. *Euocatorum duo millia, quæ ex beneficiariis ſuperiorum exercituum ad eum conuenerant.* de quibus vide Valtrinum noſtrum cap. 5. libro 2. de re militari.

Euocati.

Ducum ordo.

Ducum etiam certi fuerunt ordines. Imperator, legati, Tribuni, Centuriones. Triplex ordo centurionum, alius à genere, vt centurio Triariorum cæteros anteiret: alius à numero, vt centurio primi pili reliquos dignitate præcederet: alius à ſitu, vt qui in dextra cohortis parte pugnaret, alteri eiuſdem cohortis centurioni præferretur. ſed de his idem Valtrinus, & Lipſius conſulantur.

VI. Aſſignare ordines.

ASSIGNATOS.] Vſitata loquendi formula. Liuius libro 42. *Conſul deprecatus eſt Tribunos plebis, ne prohibeant, ſi quem cuique ordinem aſſignari è republica ſit, eum aſſignare.* & ſtatim poſt Sp. Liguſtinus ita loquens inducitur: *Virtutis cauſſà mihi Tit. Quintius Flaminius decumum ordinem haſtatum aſſignauit.* Mox de M. Porcio Catone loquens: *Hic me Imperator dignum iudicauit, cui primum haſtatum prioris centuriæ aſſignaret.* Rurſus: *A Marco Acilio mihi primus princeps prioris centuriæ eſt aſſignatus.* Subdit Liuius: *Ei ex auctoritate Senatus gratiæ actæ, tribunique militares in legione prima primum pilum virtutis cauſſa ei aſſignarunt.* & ne te morer alibi ſæpiſſimè.

VII. Stipendium ex ærario.

STIPENDIVM.] Id reprehendit, quòd ſtipendium ſolui iuſſerit ciuitatum impenſis, quod ſoluendum erat è pecuniis ex ærario publico attributis. non poſſum rem aut eruditiùs, aut elegantiùs quàm Valtrini noſtri verbis explicare. libro 3. cùm initio cap. 15. præmiſiſſet ex Feſto & Liuio ſtipendium de publico fuiſſe militibus perſolutum ſubiunxit. *Porrò ſtipendium, frumentum, veſtes, cæteràque quæ de publico debebantur, Quæſtor curabat ex ea pecunia, quæ iuſſu Senatus, vt Polybius ait, ipſi Romæ fuerat à tribunis ærariis adnumerata. Vt enim Quæſtores ærarij pecuniam tractabant, quam in ærarium inferrent: ita Tribuni ærarij quam ex ærario ſumptam Quæſtori Imperatoris in ſtipendium exercitus erogarent. videntur autem ſingulis legionibus ſtipendium ſinguli Tribuni vitandæ confuſionis cauſſâ, curaſſe, vnde Feſtus Primanum Tribunum fuiſſe dicit, qui primæ legioni tributum ſcribebat.* Hæc ille. è quibus facilè intelliges cur hîc Piſonem Cicero reprehendat, & cur Piſo ædilitium quæſtorem reiecerit, eique præpoſuerit hominem turpiſſimum: quia videlicet ſi quæſtorem alicuius virtutis & auctoritatis habuiſſet, non potuiſſet interuertere pecuniam ſibi ex ærario ad ſtipendium attributam. non dubium tamen populos fuiſſe ſtipendiarios, de quibus in diuinatione 7. Verrina ſexta 134. pro Cornelio Balbo 24. & alibi, qui pecuniam in ſtipendium perſoluerent, ſed id auctoritate Senatûs, non Imperatoris arbitrio fiebat, & pecuniam, vt ratio dati & accepti conſtaret, priùs in ærarium referebant, quàm in ſtipendium erogarent.

VIII. Stipendium.

ESSE NVMERATVM.] Priùs tamen ſtipendium non numero, ſed pondere tribuebant. Plinius libro 33. cap. 3. *Populus Romanus ne argento quidem ſignato ante Pyrrhum Regem deuictum vſus eſt. libralis, vnde etiam nunc libella dicitur, & dipondius appendebatur aſſis. quare æris grauis pœna dicta, & adhuc expenſa in rationibus dicuntur, item impendia & dependere. quin & militum ſtipendiorum, hoc eſt ſtipis ponderandæ penſatores, libripendes dicuntur, qua conſuetudine, in his emptionibus quæ mancipij ſunt, etiam nunc libra interponitur.*

IX. Prouincia eadem modò conſularis, modò prætoria.

MACEDONIA PRÆTORIA NVNTIATA.] Eadem prouincia modò Prætoria fuit, modò Conſularis, prout Senatus decreuerat, aut Prætorem in eam mittere, aut Conſularem, adeò vt ne Tribuno quidem plebis fas eſſet huic decreto Senatûs intercedere. Noſter de Prouinciis Conſularibus 3. & alibi. pro domo ſua. *Itáne verò tu prouincias Conſulares, quas C. Gracchus qui vnus maximè popularis fuit, non modò non abſtulit à Senatu, ſed etiam vt neceſſe eſſet quotannis conſtitui per Senatum decretas lege ſanxit, eas lege Sempronia per Senatum decretas reſcidiſti?* quòd autem Tribuno plebis huic Senatûs decreto intercedere non liceret, liquet ex ea, quæ eſt de Prouinciis Conſularibus 17. *Faciam*, inquit, *illas Prætorias, vt Gabinio & Piſoni ſuccedatur ſtatim. ſi hic ſinat, tum enim Tribunus intercedere poterit, nunc non poteſt. itaque ego idem qui nunc Conſulibus iis, qui deſignati erunt, Syriam Macedoniámque decerno, decernam eaſdem Prætorias, vt & Prætores annuas prouincias habeant, & eos quamprimùm videamus quos æquo animo videre non poſſumus. ſed mihi credite: nunquam ſuccedetur illis, niſi cùm ea lege referetur, qua intercedi de Prouinciis non licebit.* Prætoria igitur nuntiabatur Macedonia, quia Senatus decreuerat, vt non ampliùs adminiſtraretur imperio conſulari, ſed vt Piſoni Proconſuli Q. Ancharius Prætor in eius adminiſtratione ſuccederet.

X. Quæſtores.

QVID? QVÆSTOR ÆDILITIVS REIECTVS.] Ter peccauit, & quòd Quæſtorem populi ſuffragiis creatum, & ſortitione ſibi attributum reiecerit, & quòd eum reiecerit qui iam in ædilitate ſuam probauerat induſtriam, & quòd eum reiecerit, cui ſecundum maiorum conſuetudinem patris loco eſſe debuiſſet. Creatos fuiſſe populi ſuffragiis conſtat ex Tacito 11. Annalium: *Quæſtores Regibus etiam tùm imperantibus, inſtituti ſunt, quod lex curiata oſtendit, ab L. Bruto repetita. manſítque Conſulibus poteſtas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret, creatíque primùm Valerius Potitus, Æmilius Mamercus LXIII. anno poſt Tarquinios exactos, vt rem militarem comitarentur.* Ex illo frequenter reperias fieri de comitiis Quæſtoriis mentionem. Liuius libro 4. *Tribuno comitia Quæſtorum habente, petentibúſque inter aliquot plebeios filio Antiſtij Tribuniplebis, & fratre alterius Tribuniplebis Sexti Pompilij, nec poteſtas, nec ſuffragatio horum valuit, quin quorum patres auóſque conſules viderant, eos nobilitate præferrent.* Et aliquantò pòſt: *Non alias ægriùs plebs tulit tribunitia ſibi comitia non commiſſa. eum dolorem Quæſtoriis comitiis ſimul oſtendit & vlta eſt, tum primùm plebeiis quæſtoribus creatis.* & alibi frequenter. Mittebantur deinde Quæſtores in eam prouinciam quæ ipſis ſortitione contigiſſet, quod Piſonis impietatem auget, qui non ſolùm populi ſuffragantis auctoritatem, ſed etiam ſortis religionem neglexerit.

Comitia Quæſtoria.

Noſter primâ epiſtolâ ad Quintum fratrem. *Quæſtorem habes non tuo iudicio delectum, ſed eum quem ſors dedit.* & libro 2. in Verrem, qui de *Prætura* inſcribitur: *Quæſtor ex S.C. prouinciam ſortitus es: obtigit tibi Conſularis.* & in Diuinatione 44. *Commemorare Quæſtoris cum Prætore neceſſitudinem conſtitutam, morem maiorum, ſortis religionem.* De neceſſitudine Prætoris & Quæſtoris quam Piſo violarat, illud in eadem Diuinatione 59. notatu digniſſimum. *Sic enim à maioribus noſtris accepimus Prætorem Quæſtori ſuo parentis loco eſſe oportere: nullam neque iuſtiorem, neque grauiorem cauſſam neceſſitudinis poſſe reperiri, quàm coniunctionem ſortis, quàm prouinciæ, quàm officij, quàm publicam muneris ſocietatem.* in Planciana: *L. Apuleius hunc tanti fecit, vt morem illum maiorum qui præſcribit in parentum loco Quæſtoribus ſuis Prætores eſſe oportere, officiis beneuolentiáque ſuperarit.* Epiſt. 10. libri 13. ad familiares. *Satis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipſo more maiorum, qui, vt te non fugit hanc quæſturæ coniunctionem liberorum neceſſitudini proximam voluit eſſe.*

Neceſſitudo Quæſtoris & Prætoris.

XI. Legatorum ordo.

Præpositvs legatorvm.] Dixi mihi magis arridere alteram lectionem, ſi cui tamen libet hanc vulgatam retinere, hinc intelliget inter legatos aliquem fuiſſe ordinem dignitatis. de prouinciis Conſularibus 41. *Mihi legationem quā vellem quanto cum honore vellem detulit.* Ex quo quis exiſtimet legatum vnum cæteris omnibus præfuiſſe. talis videtur fuiſſe Labienus, qui, auctore Dione, parem pene cum Cæſare auctoritatem obtinebat.

XII.

Tribvni militvm non recepti.] Non eſt operæpretium hic in explicando Tribunimilitum officio diutiùs immorari, cùm Iuſtus Lipſius magnum Criticorum decus dialogo 9. libri 2. & noſter Antonius Valtrinus non ſecundum, ſed alterum litterarum lumen, libro 3. cap. 10. de re militari, rem totam pro dignitate tractauerint. quos tu ſi adieris, inter ſe conſentire, & iiſdem auctoribus vti miraberis. adeò vterque totum antiquitatis fontem exhauſerat, vt quamuis eodem tempore ſcriberent, ſed Valtrinus priùs aliquantùm opus abſolueret, nihil tamen ab altero dictum ſit, quod alter præteriret, vt minùs mireris ſi non per partes hinc inde excerpſerim, quæ illi tam copioſè congeſſerāt. quid enim aliud nō dicam ego, ſed vel doctiſſimus quiſque, quod iſtos fugerit, corradere potuiſſet? ſed ad rem. cur obiicit Tribunosmilitum non receptos? quia nimirum aliqui creabantur populi Romani ſuffragiis quos Piſo debebat admittere. Liuius libro 9. de Rebus anno CCCCXLIV. geſtis agens. *Duo imperia eo anno dari cœpta per populum, vtraque ad rem militarem pertinentia. Vnum vt Tribuni ſenideni in quatuor legiones à populo crearentur, quæ antea perquàm paucis ſuffragio populi relictis locis Dictatorum & Conſulum ferè fuerant beneficia.* Et libro 44. *Senatus decreuit, vt in octo legiones parem numerum tribunorum Conſules & populus crearent.* Polybius lib. 6. Διεῖλον σφᾶς αὐτοὺς οἱ νεώτεροι τῶν χιλιάρχων, καθάπερ αὖ ὑπὸ τοῦ δήμου κατασταθῶσιν ἢ τῶν στρατηγῶν εἰς τέτταρα μέρη. *Diuidunt ſeſe iuniores Tribuni, prout à populo vel Imperatoribus fuerint creati, in partes quatuor.* Aſconius commentariis in Verrem lib. 2. *Tribunorum militarium duo ſunt genera: primum eorum qui Rufuli dicuntur: hi in exercitu creari ſolent. alij ſunt comitiati qui Romæ comitiis deſignantur.* Subiungam verba Lipſij quod mirè faciant ad explicationem huius ſententiæ. qui de ætate Ciceronis ita diſſerit. *Perpetuæ iam legiones nec anno dilectu vltra opus, niſi fortè in ſupplementa: ita Prætores aut Conſules, aut qui pro iis creabant in prouinciis ſæpe. nam & iſti in annos mutabantur ſic à Cicerone cùm in Cilicia Proconſul iam eſſet.* Scaptius Tribunatum accipit. ad Atticum libro 7. ipſe ad Cæſarem in Galliam ſcribens, *Trebatio neque Tribunatum, neque Præfecturam, ſed beneuolentiam petit.* Adde ad intelligentiam pleniorem, cùm ad ſupplendas legiones nouum militē ſubmitterent, quoſdam etiam Tribunosmilitum populi ſuffragiis creatos, & miſſos fuiſſe in prouinciam. quos Piſo noluerat admittere, fortaſſe quòd hanc dignitatem iam aliis in prouincia vendidiſſet.

Tribunimilitum à populo creati.

Tribuni Rufuli comitiati.

XIII. Bona Dea popularis.

Popvlari illi sacerdoti.] Sic legit Aſconius Pædianus: *Quod populari illi ſacerdoti ſexcentos ad beſtias ſocios, ſtipendiarióſque miſiſti.* quod magis arridet. nam vix adferri poteſt vlla inter *amicos, ſocióſque* diſtinctio. Cæterùm in iſtam Clodij popularitatem lepidè iocatur, quòd in opertum Bonæ Deæ ingreſſus fuerat, vbi matronæ pro ſalute populi ſacra faciebant. pro domo ſua: *Poteſt igitur damnati pœnam ſuſtinere indemnatus? hoc tribunitium eſt? hoc populare eſt? quanquam, vbi tute popularem, niſi cùm pro populo feciſti, potes dicere?* Ad hæc ipſa ſacra Bonæ Deæ alluditur. Fiebat enim hoc ſacrificium, vt dixi, pro populo. Tullius de Haruſpicum reſponſis: *Quod fit per Virgines Veſtales, fit pro populo Romano, fit in ea domo quæ eſt in Imperio, fit incredibili ceremonia, fit ei Deæ, cuius ne nomen quidem viros ſcire fas eſt: quam iſte idcirco bonam dicit, quòd in tanto ſibi ſcelere ignouerit.* &, vt obiter aliquid dicam mox tamen in viam rediturus, ſacrificulū ſiue ſacerdotem popularem, eum eſſe puto, quem Græci λειτουργὸν nominarunt, quamuis hæretici in ſuis dictionariis refragentur, qui hanc vocem λειτουργεῖν ſolis prophanis ſumptibus conuenire omni ratione contendunt. quo loco breuiter lectorem moneo, vix vllam fuiſſe technam, qua hæreticis, plures minimè malos in errorem induxerint, quàm quòd ſoli dictionaria & lexica pene ſcripſerunt, in quibus venenum ſuum rudibus propinarent. ſiquidem ita fit, vt imperiti quicquid in ſuis dictionariis inuenerint, id demū certum, fixum, ratum exiſtimēt, nec ab eo, quod ex iis nonnunquam cœnoſis prauitatis hæreticæ lacunis hauſerint, ſe abduci facilè patiantur. Sed diſcutiamus rationem cur vocem λειτουργεῖν ſolis prophanis rebus aſſerant conuenire, ac proinde Catholicos ne intelligere quidem quid loquantur, dum eam in rebus ſacris vſurpant. primo eorum doctiſſimus Henricus Stephanus hanc vocem in rebus ſacris agnoſcit. Deinde Halicarnaſſeus libro 2. Ἅπαντας δὲ τοὺς ἱερεῖς τε καὶ λειτουργοὺς τῶν θεῶν ἐνομοθέτησεν ἀποδείκνυσθαι μὲν ὑπὸ τῶν φρατριῶν, ἐπικυροῦσθαι δὲ ὑπὸ τῶν ἐξηγουμένων τὰ θεῖα διὰ μαντικῆς. *De ſacerdotibus autem* Deorvmqve *miniſtris legem tulit, deſignari eos à ſuis curiis, quam electionem ita demum ratam haberi, ſi comprobata fuiſſet ab Auguribus,* vt vertit Fredericus Silburgius, & lib. 8. θυσίας τε προστάχθαι δημοτελεῖς, καταρχομένης τῶν ἱερῶν γυναικὸς ἣν ἀποδείξουσιν

λειτουργεῖν.

αὐταὶ λειτουργὸν τῶν ἱερῶν. *Sumptúque publico ſacrum ibi fieri, cui praeeſſet matrona quam ipſæ deligerent ad id miniſterium.* & vt liquidiùs videas λειτουργὸν ſacerdotem eſſe pro populo ſacra facientem, ſubdit. ἱέρεια μὲν ἀπεδείχθη, *creata eſt ſacerdos.* Item, θυσίαν δὲ πρώτην αἱ γυναῖκες θύουσαι ὑπὲρ τοῦ δήμου. *Primum ſacrificium mulieres pro populo peregerunt.* Dixerat antè deſcribens legationem ſacerdotum ad Coriolanum miſſam: τιμήν τινα ἱερὰν ἢ λειτουργίαν περὶ τὰ θεῖα δημοτελῆ. *Honorem ſacrum & munus ſacrum quod ſolet publicis ſumptibus exhiberi.* quid, vt alia omittam, quod eodem libro primo, τῶν περὶ τὰ θεῖα σεβασμάτων λειτουργιῶν, id eſt interprete Sylburgio, *ſacrorum & diuini cultus* facit mentionem. Sed vt ad ſacra Bonæ Deæ redeamus. Feſtus: *Damium ſacrificium quod fiebat in Operto in honorem Bonæ Deæ, dictum à contrarietate, quod minimè eſſet* δημόσιον, *id eſt publicum. Dea quoque ipſa Damia, & ſacerdos eius Damias appellabatur.* Vnde fortaſſe vernaculum nomen, *Dame*, *Damoiſelle* profluxerit.

ARGVMENTVM.

Hinc auaritiam Piſonis oſtendit quod ægrè tuliſſet, ſucceſſorem ſibi fuiſſe deſtinatum, quaſi imperium ideo ſibi voluerit prorogari, vt expilaret penitus, exinaniréque prouinciam.

LXXXIX. QVID, quòd, cùm ſuſtentare vix poſſes mœrorem tuum, dolorémque deceſſionis, Samothraciam te primùm, inde Tharſum cum tuis teneris ſaltatoribus, & cum Autobulo, Athamante, & Timocle, formoſis fratribus, contuliſti? quid, quòd cùm inde te recipiens, in villa Leucadiæ, quæ fuit vxor Ægiſti? iacuiſti mœrens aliquot dies, atque inde obſoletus Theſſalonicam, omnibus inſcientibus, noctúque veniſti? qui cùm concurſum plorantium, ac tempeſtatem querelarum ferre non poſſes, in oppidum deuium Beroam perfugiſti: quo in oppido cùm tibi ſpe falſa, quòd Q. Ancharium non eſſe ſucceſſurum putares, animos rumor inflaſſet: quo te modo ad tuam intemperantiam, ſcelerate, innouaſti?

EXPLANATIO.

QVID? Percunctatione Rhetorica Piſonem vrget in hunc modum. Quid? quòd, cùm nuntium de ſucceſſore tibi deſtinato audiiſſes, tanta vi doloris tanquam fluctu obrui te paſſus es, vt cùm vix eum ſuſtinere poſſes, multa remedia quæſieris, vt ægroti lectum ſubinde mutant, ſic tu ad fallendum hunc dolorem, loca mutaueris profectus modò in hanc, modò in illam ciuitatem.

SVSTENTARE.] Multis remediis conquiſitis ſuſtinere.

DECESSIONIS.] Ex Macedonia Prouinciæ.

SAMOTHRACIAM.] Inſulam in mari Ægeo iuxta Lemnon.

INDE THARSVM.] Alij legunt *Thaſum.* melius. Thaſus enim eſt inſula in eodem mari Ægæo Samothraciæ vicina.

CVM TVIS TENERIS.] Hinc Piſonem reprehendit, quod fallendi doloris cauſſâ remedia parum virilia, & honeſta conquireret, & ſaltatoribus teneris, & in muliebrem mollitiem fractis vteretur.

CVM INDE TE RECIPIENS.] Cùm ex Inſula Thaſo diſcedens. quæ ſequuntur, ſic à Turnebo corriguntur. *In villa Euchadiæ quæ fuit vxor Ægiſti.* omiſſa veteri lectione *exegiſti.* neutrum ſatis arridet, nec quid reponam, adhuc conſtat.

PLORANTIVM.] Lugentium damna quibus eos per ſummam auaritiam & crudelitatem affeceras.

PERFVGISTI.] Vt hominum querelas declinares.

QVO IN OPPIDO.] Parui eſt animi, & rebus aduerſus opprimi, & ſecundis inſoleſcere. quare Tullius vbi Piſoni deiectionem animi ex auaritia manentem exprobrauit, eiuſdem elationem in rebus proſperis inſectatur.

NOTÆ.

SAMOTHRACIAM.] Abrahamus Ortelius in Theſauro Geographico Sami nomine tres inſulas agnoſcit, vnam in Icario mari ex Ptolemæo, Solino, Pomponio, & Strabone. quã Strabo, Partheniam, Anthemum, Melamphylum dictam fuiſſe teſtetur, Dryuſam Ariſtoteles, Plinius Cypariſſiam, Parthenoaruſam, Stephanen, Stephanus, & Sophianus Imbraſum, Hyginus Imbraſiam nominarint. vnde Pythagoras oriundus. Secundam in mari Ionio prope Zacynthum: quæ & Sames à Strabone, Liuio, Euſthatio, & poſteà Cephaleniæ nomẽ habuiſſe dicatur, quam idem Strabo & Pauſanias Teleboidem, Melænã Plinius nuncuparit. Tertiam in mari Ægæo, quã Samothraciam & Samothracẽ Ptolemæus, Pomponius, Plinius & alij, Leucaſiam. Ariſtoteles, Heraclides Leucaniam, Melitam alij, Flaccus Electriam nominarint. Hæc noſtra ætate Samandrachi nomine cognita eſt. Atque huius tertiæ noſter facit hoc loco mentionem. In eam autem fortaſſe ſcelerum conſcientia iactatus tanquam in Aſylum Piſo conceſſerat: magnam enim fuiſſe loci illius religionem veteres prodiderunt. Liuius libro XLV. *Vtrùm nos, hoſpites Samothraces, verè accepimus, an falsò ſacram hanc Inſulam, & auguſti totam atque inuiolati ſoli eſſe? cùm creditæ ſanctitati* I. Samo.

ſanctitati aſſentirentur omnes. cur igitur, inquit, pollutam, (malim pollutus,) homicida ſanguine Regis Eumenis violauit? & cùm omnis præfatio ſacrorum, eos, quibus non ſint puræ manus, ſacris arceat, vos penetralia veſtra contaminari cruento latronis corpore ſinetis? Item Perſeus, qui eò deuictus à Paulo confugerat. *Interfici Euandrum iuſſit, qua perpetrata temerè cæde, ſubiit extemplo animum in ſe nimirum receptam labem quæ Euandri fuiſſet: ab illo Delphis vulneratum Eumenem, ab ſe Samothraciæ Euandrum occiſum: ita duo ſanctiſſima in terris templa ſe vno auctore ſanguine humano violata.* Ea autem inſula Cabiris quos
Dij Samothracum. Halicarnaſſeus libro primo: Μεγάλοις θεοῖς οὓς Σαμοθρᾶκες ἐλλήνων μάλιστα ὀργιάζουσι. *Magnos Deos quos præ cæteris Græcis maximè orgiis celebrant.* Samothraces Nonnus lib. 28. v. 193.

Θρηϊκίης δὲ Σάμοιο πυριθαλπέας πολιήτας

Threiciæque Sami ciues multo igne potentes.

Et Vulcani filios, alij paſſim Corybantes appellant. de quorum orgiorum infamia Theodoretus de curatione Græc. Clemens Alexand. in protreptico, Arnobius & alij paſſim conſulantur. nobis vnus Firmici locus ſuffecerit, vbi Samothracum orgia Theſſalonicenſibus tribuuntur, vt vnâ operâ Samothraciam Theſſalonicæ eſſe vicinam intelligas, cùm vnius Corybantum à fratribus interempti meminiſſet, ſubiecit. *Hic eſt Cabirus cui Theſſalonicenſes quondã cruento cruentis manibus ſupplicabant.* quorum ſacrilegiorum religionem eo maiorem arbitror fuiſſe Romanis quod ex Italia ortus.

Dardanus Idæas Phrygiæ penetrauit ad vrbes
Threiciámque Samon, quæ nunc Samothracia fertur.

VI. Tarſus. Thaſus. INDE TARSUM.] Alij *Thaſum* legunt, bene illi quidem & eruditè: non video tamen cur vocem *Tarſum* reſpuere penitus debeamus. vt enim concedam hic Tarſum Ciliciæ haudquaquam intelligi, de hac Dionyſius in Periegeſi v. 869.

Ταρσὸν ἐϋκτιμένην, ὅθι δή ποτε Πήγασος ἵππος
Ταρσὸν ἀφεὶς, χώρῳ λίπεν οὔνομα.

Tarſum bene ſtructam vbi quondam Pegaſus equus
Vngulâ demiſſâ, loco reliquit nomen.

Et ait Nonnus libro 18. verſu 293. Perſeum

-ἐπώνυμον ὠκέϊ ταρσῷ
Ανδράσι πὰρ Κιλίκεσσι νεόκτιτον ἄστυ χαράξαι.
-*cognominem veloci plantæ*
Viros apud Cilices nuper constructam vrbem deſignaſſe.

Alia fuit Tarſus in Bithynia, quæ & Ταρσεῖα à Stephano nominatur. vnde & quædam Bithyniæ regio, apud eundem ſic appellata nomẽ duxiſſe videatur. quò propter vicinitatem Piſo facilè potuerat ex Samothracia commigrare. Magis tamen arridet illa doctorũ correctio. Thaſus enim inter inſulas maris Ægæi à Dionyſio, & aliis paſſim numeratur, verſu 523.

-Ωγυγίη τε Θάσος, Δημητέρος ἀκτὴ
Ιμβρος, Θρηϊκίη τε Σάμος, Κορυβάντιον ἄστυ.
-*Ogygiáque Thaſus, Cereris littus*
Imbrus, Thraciáque Samus, Corybantica ciuitas.

III. Iacere ſignũ mœroris. IACUISTI MOERENS.] Iacere ſignum mœroris. Achilles audita morte Patrocli, Iliad. σ. v. 26.

Αὐτὸς δ' ἐν κονίῃσι μέγας μεγαλωστὶ τανυσθεὶς
Κεῖτο, φίλῃσι δὲ χερσὶ κόμην ᾔσχυνε δαΐζων.

Ipſe verò in puluere magnus latè extenſus
Iacebat, chariſque manibus comam deturpabat euellens.

Iliados ω'. verſu 12. & verſu 160. Priamus Hectorem lugens ita deſcribitur:

Ιξεν δ' ἐς Πριάμοιο, κίχεν δ' ἐνοπήν τε γόον τε
Παῖδες μὲν πατέρ' ἀμφὶ καθήμενοι ἔνδοθεν αὐλῆς
Δάκρυσιν εἵματ' ἔφυρον, ὁ δ' ἐν μέσσοισι γεραιὸς
Εντυπὰς ἐν χλαίνῃ κεκαλυμμένος, ἀμφὶ δὲ πολλὴ
Κόπρος ἔην, κεφαλῇ τε καὶ αὐχένι τοῖο γέροντος
Τήν ῥα κυλινδόμενος καταμήσατο χερσὶν ἑῇσι.

Venit autem ad Priami ædes, reperitque clamorémque luctúmque
Filij quidem patrem circum ſedentes in aula
Lacrymis veſtes rigabãt, ipſe verò in mediis ſenex
Obuolutim toga tectus: circúmque multæ
Sordes erant, capútque & ceruicem ſenis,
Quas volutans ſuperiecerat manibus ſuis.

Lucianus περὶ πένθους. χαμαὶ κυλινδοῦνται πολλάκις, καὶ τὰς κεφαλὰς ἀράττουσι πρὸς τὸ ἔδαφος. *Humi volutantur frequenter, & caput ad pauimẽtum alliduntur.* Idque, ni fallor, fiebat eo ſitu corporis vt proni terram vultu attingerent. Statius in Epicedio.

Tu modo fuſus humi, lucem auerſatus iniquam.

IN OPPIDUM DEVIUM BEROEAM.] Alij *Beroam* legunt, alij & meliùs Beroeam, ſiue Berrhœam. de qua Abrahamus Ortelius in theſauro. IV.
Beroea βέῤῥοια *Macedoniæ vrbs apud Stephanum. Thraciæ vrbs eſt circa Philippopolim. Procopio Iornandi & Ammiano.* Conſtat autem hoc loco de hac Berœa fieri mentionem, quam Theſſalonicæ vicinam eſſe tum ex Tullio liquet, tum ex Cedreno in annalibus: αὕτη καὶ τὴν ἐν Θεσσαλονίκῃ Βέῤῥοιαν ἔκτισεν, Εἰρηνόπολιν μετονομάσασα. *Ipſa* (Irene Imperatrix) *& eam Berrhœam quæ apud Theſſalonicam eſt, refecit, & à ſuo nomine Irenopolim nominauit.* Quòd ſi *Beroam*, legas ſiue Beroam Miſiæ inferioris oppidum, cum Antonino, ſiue Syriæ vrbẽ, vt Stephano placuit, ſiue Beroam Phœniciæ quæ & Berithus dicta fuit intelligas, nihil dices ad mẽtem Ciceronis. cuius poſtremæ celebritas & antiquitas, à Nonno libro 41. v. 144. deſcribitur, vt hoc παρ' ἔργον adferamus.

Ρίζα βίου Βερόη, πολίων τροφὸς, εὖχος ἀνάκτων,
Πρωτοφανὴς, αἰῶνος ὁμόσπορε, σύνθρονε κόσμου, Beroe.
Εδρανον Ερμείαο, δίκης πέδον, ἄστυ θεμίστων,
Ευδιον εὐφροσύνης, Παφίης δόμος, οἶκος ἐρώτων,
Βάκχου τερπνὸν ἔδεθλον, ἐναύλιον Ιοχεαίρης,
Νηρεΐδων ἀνάθημα, Διὸς δόμος, Αρεος αὐλὴ,
Ορχόμενος χαρίτων, Λιβανηΐδος ἄστρον ἀρούρης, &c.

Radix vitæ Beroe, vrbium nutrix, decus Regum,
Prima apparens, cum æuo ſimul lata, in æquali ſede ſedens cum mundo,
Fundamentum Mercurij, iuris ſolum, vrbs legũ,
Domus lætitiæ, Veneris habitatio, domus amorũ,
Bacchi iucundum fundamentum, domicilium Dianæ,
Nereidum donarium, Iouis domus, martis aula,
Orchomenus gratiarum, Libaneidis aſtrũ terræ.

& alia plura in hanc ſententiam, ſed iam fortaſſe extra rem nimis multa. Cæterùm Berœam Macedoniæ celebrem etiam fuiſſe tradit Lucianus in ſuo aſino elegantiore quàm caſtiore. ἐρχόμεθα ἐς πόλιν τῆς Μακεδονίας Βέῤῥοιαν μεγάλην καὶ πολυάνθρωπον. *Imus in vrbem Macedoniæ Beroeam magnam, & hominibus affluentem.* & Marcianus Heracleotes lib. de ſitu orbis.

Εν τῷ μεσογείῳ δ' εἰσὶ μὲν πολλαὶ πόλεις
Η Πέλλα καὶ Βέῤῥοια δ' ἐπιφανέσταται.

Vrbéſque mediterraneo ſunt plurimæ,
Berrhœa nempe, Pelláque illuſtriſſimæ.

ARGVMENTVM.

Multa crimina auaritiæ Piſonis implicata per præteritionem oratoriam conglobantur, & legem Iuliam de repetundis in omnibus pene violatam fuiſſe oſtenditur.

XC. MITTO aurum coronarium, quod te diutiſſimè torſit, cùm modò velles, modò nolles. lex enim generi tui & decerni, & te accipere vetabat, niſi decreto triumpho. In quo tu, acceptâ tamen, & deuoratâ pecuniâ Vtinachorum, centum talenta euomere non poteras: vocabula tantùm pecuniarum, & genera mutabas. Mitto diplomata tota in prouincia paſſim data: mitto numerum nauium, ſummámque prædæ: mitto rationem exacti, imperatíque frumenti: mitto ereptam libertatem populis, ac ſingulis qui erant affecti præmiis nominatim, quorum nihil eſt, quod non ſit lege Iulia, ne fieri liceat, ſancitum diligenter.

EXPLANATIO.

MITTO AVRVM.] Ea de cauſſa nonnulli Prouinciarum Præſides ſe triumphaturos eſſe ſimulabant, vt ab amicis fœderatíſque ciuitatibus aurum coronarium ipſis triumphi nomine mitteretur: quorum effrænatam cupiditatem vt coërceret Iulius Cæſar in ſuo primo Conſulatu, lege Iulia de repetundis ſanxit, ne quis aurum coronarium ſibi triumphi nomine miſſum priùs admitteret, quàm decretus fuiſſet triumphus à Senatu. Piſo igitur cùm & fœderatarum ciuitatum pecuniis inhiaret, nec tamen videri vellet legem Iuliam violaſſe, aurum coronarium alio nomine appellabat, noménque non rem mutabat. Nota quàm emphaticè Piſonem exprimat hinc auaritia inde metu legis abſtractum, & inter vtrumque variè fluctuantem.

MODO VELLES, MODO NOLLES.] Recipere aurum coronarium.

LEX ENIM] Lex Iulia de repetundis à Iulio Cæſare genero tuo lata.

ET TE ACCIPERE.] Lambinus tollit particulam *te*, non malè, vt arbitror. Lex enim lata non fuerat de Piſone nominatim. ſed parum refert.

VTINACHINORVM.] Nullam apud Geographos huius nominis inuenio mentionẽ: acutè Turnebus conijcit legendum: *vt in Achæorum centum talentis euomere non poteras.* Sed, vt verum fatear, nondum poſſum aut verborum conſtructionem, aut Ciceronis mentem ad liquidum intueri. libenter in hanc ſcripturam vel audaciùs, vel impudentiùs graſſarer, & legendum putarem. *In quo tu acceptam & deuoratam pecuniam, vt in Achæorum centum talentis euomere non poteras.* & ſenſus eſſet. In qua dubitatione quæ tibi propter aurum coronarium euenerat, acceptam triumphi nomine pecuniam & deuoratam euomere non poteras, vt in Achæorum centum talentis, quæ poſtrema verba ideò ſunt obſcura, quod factum Piſonis nullis hiſtoriæ notatum veſtigiis attingat. ſi tamen licet diuinare Piſo centum talenta ab Achæis contra leges acceperat, quæ poſtea vel reddiderat, vel non reddiderat. ſi reddiderat ſenſus eſt, pecuniam triumphi nomine acceptam reddere non poteras, quemadmodum Achæis centum talenta, id eſt dena aureorum millia reddidiſti. ſi non reddiderat, hic eſt ſenſus. Eodẽ modo te gerere volebas in auro coronario, quo in pecuniis Achæorũ, nec illud aurum reddere volebas, vt nec Achæis centum talenta reddidiſti. De Prouinciis 5. *Quis ignorat Achæos ingentem pecuniam Luc. Piſoni pendere quotannis.*

VOCABVLA TANTVM.] Pecuniam ipſam retinebas, nomen auri coronarij mutabas.

MITTO DIPLOMATA.] Litteras patentes publico ſigillo munitas. vide Notas.

MITTO NVMERVM NAVIVM.] Quas fœderatis ciuitatibus ſine neceſſitate publica imperaſti.

SVMMAMQVE PRÆDÆ.] Vel quia non ab hoſtibus, ſed ab ipſis prouincialibus prædas abduxerat: vel quia in prædæ venditione quantum voluerat, à ſociis & prouincialibus acceperat.

IMPERATIQVE.] Prouincialibus & ſociis ad alendum exercitum.

EREPTAM LIBERTATEM POPVLIS.] Qui ſint iſti populi ſuperiùs explicauit. §. 37. *Obtinuiſti prouinciam Conſularem finibus iis quos lex cupiditatis tuæ, non quos lex generi tui pepigerat: nam lege Cæſaris iuſtiſſima atque optima, populi liberi planè liberi erant. lege autem ea quam nemo legem præter te & collegam tuum putauit, omnis erat Achaia, Theſſalia, Athenæ, cuncta Græcia addicta.*

NOTÆ.

AVRVM CORONARIVM.] Gellius libro 5. cap. 6. *Triumphales coronæ ſunt aureæ, quæ Imperatoribus ad honorem triumphi mittuntur. id vulgo dicitur aurum coronarium. hæ antiquitus è lauro erant, pòſt fieri ex auro cœptæ.* De hoc auro etiam Appianus in Libycis. Εἶτα χρυσὸς καὶ ἄργυρος ἀσήμαντός τε καὶ σεσημασμένος, καὶ εἴ τι τοιουτότροπον ἄλλο, καὶ στέφανοι ὅσοι τὸν στρατηγὸν ἀρετῆς ἕνεκα αἱ πόλεις ἀνέδησαν, ἢ τὰ ὑπ' αὐτῷ στρατόπεδα. *Deinde aurum & argentum factum infectúmque, & ſi quid aliud eiuſmodi, & coronæ quibus Imperatorem ornant ciuitates, aut exercitus.* Et quod iam ante memini me referre ex Plutarcho in vita Pauli Æmilij. Ἐφεξῆς δὲ τούτοις ἐκομίζοντο, χρυσοῖ μὲν στέφανοι τετρακόσιοι τὸ πλῆθος 1. Aurum coronarium.

οὓς αἱ πόλεις ἀριστεῖα τῆς νίκης τῷ Αἰμιλίῳ μετὰ πρεσβειῶν ἔπεμψαν. *Poſt hac verò ferebantur corona aurea numero quadringenta, quas oppida in præmia victoriæ miſerant cum legatis.* Auguſtus in monumento Ancyrano, quod & refertur à Lipſio, & fusè explicatur à Caſaubono, ſe *quotieſcunque Imperator* eſt appellatus *aurum coronarium non accepiſſe* gloriatur. Quam conſuetudinem inuenio apud Græcos in vſu fuiſſe. Polyænus lib. 4. Stratagematum de Demetrio, qui quòd pecuniam non haberet, numerum militum duplicarat aiens. Φέρειν οἴσουσιν ἄλλοι καὶ στεφάνους πέμψουσι τὸ πλῆθος τῶν στρατιωτῶν δεδιότες ἤδη. *Alij tributum pendent coronáſque mittent, iam metuentes militum multitudinem.* Xenophon libro 2. Græcanicorum: στεφάνους οὓς παρὰ τῶν πόλεων ἐλάμβανε δῶρα. *Coronas quas à ciuitatibus dono acceperat.*

II. Diploma. DIPLOMATA.] Præſides, vt ait Sigonius, quæ domi tranſigebant indictis conuentibus ea ferè per diplomata annulo ſignata faciebant, ſed clarius Budæus annotationibus poſterioribus in Pandectas. *Diplomata*, inquit, *ſunt quas litteras patentes nunc appellamus, cuiuſmodi ſunt edicta & mandata principum regio ſigno ſancta, & quas bullas Pontificias vocant.* Cicero in epiſtolis: *diploma ſtatim non eſt datum*: de litteris Cæſaris loquens quibus Balbus reſtituebatur. verbum eſt Græcum duplicato compoſitum ſignificans, aut complicatum vt linteum, quòd & πτύγμα dicitur. hæc ille. nondum tamen liquet, quid hoc loco Tullius reprehendat, niſi ſi fortè Piſonis auaritiam obiter notat, qui ea diplomata vendiderit, quæ gratis dare debuiſſet.

EVOMERE] Ariſtophanes in Equitibus populum ita loquentem inducit. III.

Τηρῶ γὰρ ἑκάστοτ' αὐ-
τοὺς· οὐδὲ δοκῶ 'ρᾶν
Κλέπτοντας· ἔπειτ' ἀναγ-
κάζω πάλιν ἐξεμεῖν,
Ὅσ' ἂν κεκλοφαρσί μου.

Obſeruo enim identidem illos. cùm interim videre non videar furantes. Deinde cogo rurſum euomere, quacunque à me furati ſunt. & procemio Acharnanenſium.

—τὸ κέαρ ηὐφράνθην ἰδὼν
Τοῖς πέντε ταλάντοις οἷς Κλέων ἐξήμεσεν.

Corde gauiſus ſum videns ob quinque talenta qua Cleon euomuit. vbi Interpres. ἀπλήστως ἀλλότρια καταφαγὼν, ἐξήμεσεν αὐτά. ἀντὶ τοῦ κλέψας καὶ καταπιὼν ἀπέδωκε. *Cùm inſatiabiliter aliena deuorarit, ea euomuit, id eſt, cùm furatus ſit & abſorbuerit, reddidit.* Plautus Curculione, actu 5. ſcen. 3. *—ſta ſis illicò*

Atque argentum properè properè propera vomere.

AXIOMA.

Auari acceptam & deuoratam pecuniam euomere non poſſunt.

ARGVMENTVM.

Obiicit vaſtationem Ætoliæ, & enumerat aliquot ciuitates, quæ à Barbaris Piſonis ſcelere ad arma compulſis, aut dirutæ ſunt, aut ſaltem occupatæ, mox agit de miſſione exercitus.

ÆTOLIAM, quæ procul à barbaris disiuncta gentibus, in ſinu pacis XCI.
poſita, medio ferè Græciæ gremio continetur, (ô pœna, ô furia ſociorum) decedens, miſeram perdidiſti. Arſinoen, Thracum, Neopactum, vt modò tute indicaſti, nobileis vrbeis, atque plenas, fateris ab hoſtibus eſſe captas. Quibus autem hoſtibus? nempe iis, quos tu Ambraciæ ſedens primo tuo aduentu ex oppidis Agrinarum, atque Dolopum demigrare, & aras, & focos relinquere coëgiſti. Hoc tu in exitu, præclare Imperator, cùm tibi ad priſtinas cladeis acceſſio fuiſſet Ætoliæ repentinus interitus, exercitum dimiſiſti: neque vllam pœnam, quæ tanto facinori deberetur, non maluiſti ſubire, quàm numerum tuorum militum, reliquiáſque cognoſcere.

EXPLANATIO.

ÆTOLIAM.] Ætoliæ vaſtationem exaggerat à ſitu, quòd eſſet in ſinu pacis poſita, & veluti Græciæ totius vmbilicus, ad quam proinde Barbaris non patuiſſet acceſſus, niſi ſumma fuiſſet Piſonis ſocordia.

O POENA.] Vide Notas.

DECEDENS.] Dimittens exercitum, eúmque permittens ab hoſtibus vexari.

ARSINOEN.] Ætoliæ oppidum, quod antè tradit Strabo fuiſſe κώνωπα nuncupatum.

THRACVM.] Stratum, vt bene emendat Turnebus, *nam illuc Thracum quod obtinuit, planiſſimè mendoſum eſt.* Stratus Straboni, Liuio, Plinio & aliis vrbs Acharnaniæ, quæ Stratopolis Diodoro.

NAVPACTVM.] Vulgo *Neopactum*, mendosè. Naupactus, vt notat Ortelius, Achaiæ vrbs, Straboni, Polybio, Liuio, & Ptolemæo ad ſinum Corinthiacum. *Lepanto* Sophiano vocatur.

QVIBVS AVTEM.] A ſcelere Piſonis vaſtationem horum oppidorum exaggerat. quia illi à Piſone ſuis domibus eiecti iuſto propemodum odio in populum Romanum exarſerant.

AMBRACIÆ.] Idem Ortelius. Ambracia Straboni & Plinio, ἀμπρακία Ptolemæo & Herodoto: Græciæ vrbs in Epiro quondam Epuia, Ἐπυΐα & paralia παράλια dicta Stephano teſte. Ambrachia adhuc vocari auctor eſt Sophianus.

Larta Nigro dicitur, melius *Arte*, vt Laonicus legit. tamen, vt auctor eſt Antonius Maginus, nunc dicitur *Larta* à fluuio id nominis, & ab hac ſinus vicinus denominatur *Golfo de Larta*, qui olim fuit Ambracius ſinus.

SEDENS.] A tribus facti atrocitatem exaggerat. I. quòd *Ambraciæ ſedens* & oſcitans id fecerit, nec ſaltem ad ipſum locum ſe contulerit, vt videret accuratiùs vtrùm eſſet è Rep. eos ex oppidis illis aliò commigrare. 2. quòd *primo ſuo aduentu* id fecerit, & ſuam adminiſtrationẽ à tam infœlici omine & terrore futuræ crudelitatis fuerit auſpicatus. tertiò, factum auget obiecta religionis mentione, quia illi oras & focos relinquere compulſi ſunt.

EX OPPIDIS AGRINARVM.] Turnebus: *Quis non videt eſſe legendum Agrianum? qui & Agræi auctore Stephano vocantur.* Ortelius Agræos agnoſcit *in Ætolia Liuio & Straboni.* Item: *Agriæ, Agræi, Agrianes, Agrienſes*, Ἀγρίαι, Ἀγραῖοι, Ἀγριᾶνες, Ἀγριεῖς, *ſunt Pæoniæ gentis ſynonyma, apud Stephanum, qui inter Rhodopen & Æmium montes degunt.*

ATQVE DOLOPVM.] Idem Ortelius. Dolopes Theſſaliæ gens Stephano. Liuius habet Dolopum regionem, & Dolopiam Thucydides ſecundo, cuius interpres dicit hodie, Onoblacha, Ὀνόβλαχα nominari: haberéque ab Oriente Peneum, à Meridie Acheloum fluuios.

AD PRISTINAS CLADES.] Ad peſtem & vaſtitatem exercitus: ad clades quas Denſeleti iam inuexerant.

RELIQVISQVE.] Milites qui ex peſte cæteríſque cladibus ſuperfuerant.

NOTÆ.

I. *Ætoli bellicoſi.* IN SINV PACIS.] Ætolos tamen conſtat fuiſſe bellicoſos in paucis, & ad noua molienda aptiſſimos ex Polybio, Liuio, Pauſania, & aliis, & eam ob cauſſam, vt teſtatur Pauſanias in Phocicis, Ætoliæ ſimulachrum erat γυναικὸς ἄγαλμα ὡπλισμένης, *mulieris armatæ ſimulachrum*, ſed ex quo in Romanorum ditionem penitus conceſſerant, penitus pacis erant ſtudiis aſſueti. Porrò quæ ſit inter ſinum & gremium diſtinctio, iam dictum eſt in Cœliana 59. *Abſtraheretur è ſinu gremióque patriæ.*

II. *Ætolia Græciæ vmbilicus.* MEDIO FERE GRÆCIÆ GREMIO CONTINETVR.] Ætoliæ ſitus ſic apud Liuium libro 35. ab Alexandro Acarnane deſcribitur: *Iam primùm Ætolos qui vmbilicum Græciæ incolerent, in armis eum inuenturum anteſignanos ad aſperrima quæque belli paratos, in duobus velut cornibus Græciæ Nabin à Peloponeſo concitaturum omnia*, &c. *à Macedonia Philippum, vbi primùm bellicum cani audiſſet, arma capturum.* Eadem verò loquendi formula de Prouinciis Coſſ. §. 4. *Theſſalonicenſes poſiti in gremio Imperij* dicuntur.

III. O POENA, Ô FVRIA SOCIORVM.] Synonyma. nam furiæ etiam pœnæ nominantur. Virgilius in Culice.

Furiæ. Pœnæ.

Et flammas & ſæua quatit mihi verbera, pœna.

Item:

Quem circa triſtes denſentur in omina pœnæ.

Et deinde:

Ergo iam cauſſam mortis me dicere vinctæ
Verberibus, ſæuæ cogunt ſub iudice pœnæ.

Vbi Ioſephus Scaliger, vir ſanè doctus, ſi ſe non putaſſet omnium doctiſſimum, ſic Græcè ποινὴ, ſcriptor neſcio quis, apud Suidam: Πάντων ἀσεβημάτων καὶ παρανομημάτων, ὧν εἰργάσαντο, παρέστησαν αὐτῷ τινας ἐριννῦς καὶ ποινάς. *Omnium impiè & contra legem geſtorum, quæ ipſi patrarant, quaſdam ei pœnas & furias appoſuerunt.* Et in Axiocho: Λαμπάσιν ἐπιμόνως πυρούμενοι ποινῶν. *Aßiduè inflammati Pœnarum tædis ardentibus.* Hinc apophthegma apud Laërtium de vxore huc videtur ſpectare. ἣν μὲν αἰσχρὰν, ποινήν, ἣν δὲ καλὴν, κοινήν. *Si deformem habueris, pœnam habebis, ſi pulchram, impudicam.* quemadmodum neſcio quis Italus cùm de ſua vxore quereretur identidem dicebat,

- furiarum maxima iuxta
Me cubat.-

Terentius in Eunucho cruces vocat.

Iſtis crucibus qui nos noſtrámque adoleſcentiam
Habent deſpicatam.

Sed ad rem. Varro Eumenidibus cùm antè dixiſſet:

Videmus populum furiis inſtinctum tribus
Diuerſim ferri exterritum formidine.

Tertia Pœnarum infamia.

Subiecit:

Tertia pœnarum infamia, ſtans nexa in vulgi
pectore.

Horum multa Scaliger. Adde Æſchinem in Timarchum, ποινὰς ἐλαύνειν, καὶ κολάζειν δᾳσὶν ἡμμέναις. *Pœnas impellere & punire tædis ardentibus.* & paulò pòſt: ταῦτα ἐστὶν ἑκάστῳ ποινή. *hæc ſunt vnicuique furiæ.* vbi manifeſtè vel ex interpretatione Ciceronis pro Roſcio Amerino furias intelligit. quas Euripides ποινίμους θεὰς nominauit. huc traho & illud boni Poëtæ.

Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

Lucianus in Menippo: παρεστήκεισαν δὲ αὐτῷ ποιναί, καὶ ἀλάστορες, καὶ ἐριννύες. *Iuxta ipſum ſtabant pœnæ, & alaſtores, & furiæ.* & in morte peregrini: οὐδὲ γὰρ ἐλεεῖν ἄξιον ἦν οὕτω δυσέρωτα τῆς δόξης ἄνθρωπον, ὑπὲρ ἅπαντας ὅσοι τῇ αὐτῇ ποινῇ ἐλαύνονται. *Neque enim miſeratione dignus eſt tam infelix gloriæ amator, præ omnibus quicunque iiſdem pœnis agitentur.* Licet Pindarus *per audaces noua dithyrambos verba deuoluens.* pœnæ nomen in bònam partem vſurpet. Sic enim I. Pythiorum.

Μοῖσα καὶ παρ' Δεινομένει κελαδῆσαι,
Πείθεό μοι ποινὰν τεθρίππων,
Χάρμα δ' οὐκ ἀλλότριον νικαφορία πατέρος.
Muſa etiam apud Dynamenem reſonare,
Perſuade mihi mercedem quadrigarum,
Gaudium verò non alienum à victoria patris.

ARGVMENTVM.

Tantam oſtendit Piſonis fuiſſe leuitatem, vt imitatione Titi Albutij triumphare voluerit, & poſt vaſtatam Italiam, captas vrbes, deletum exercitum, trophæa ſibi quaſi re bene geſta erexerit: tum militum odium in Piſonem oſtendit.

ATQVE, vt duorum Epicureorum ſimilitudinem in re militari, im- XCII.
perióque videatis: Albucius, cùm in Sardiniâ triumphaſſet, Romæ damnatus eſt: hic cùm ſimilem exitum ſpectaret, in Macedonia tropæa poſuit: eáque, quæ bellicæ laudis, victoriæque omnes gentes inſignia, & monimenta eſſe voluerunt, noſter hic præpoſterus Imperator, amiſſorum oppidorum, cæſarum legionum, prouinciæ præſidio, & reliquis militibus orbatæ, ad ſempiternum dedecus ſui generis, & nominis, indicia conſtituit: idémque, vt eſſet, quod in baſi tropæorum incidi, inſcribíque poſſet, Dyrrhachium vt venit, decedés, obſeſſus eſt ab iis ipſis militibus, quos paulò antè Torquato reſpondit beneficij cauſa ab ſe eſſe dimiſſos

EXPLANATIO.

ATQVE VT DVORVM EPICVREORVM.] Titi Albutij & L. Piſonis.

ALBVTIVS CVM IN SARDINIA.] De Prouinciis Conſ. 15. *Res in Sardinia cum maſtrucatis latrunculis à Proprætore vna cohorte auxiliaria geſta*, &c. Mox: *Albutius quod à Senatu petebat, ipſe ſibi in Sardinia antè decreuerat. conſtabat enim Græcum hominem ac leuem in ipſa prouincia quaſi triumphaſſe.*

ROMÆ DAMNATVS EST.] Ibidem: *Itaque hanc eius temeritatem Senatus ſupplicatione denegata notauit.* Damnatus igitur hic dicitur, quemadmodum ibidem *ignominia Senatus concidiſſe.* quamuis propriam & iuridicam damnationem crediderim intelligi, illis Oratoris in eadem oratione verbis inductus: *eius exitum expectat.* nam ſi tantùm ideò dicitur damnatus, quia Senatus ſupplicationem ei denegauit, cauſſæ nihil fuit, cur Gabinius eadem iam affectus ignominia Senatûs, Albutij exitum expectaret. quare accuſatus videtur fuiſſe & damnatus lege de repetundis. neque enim aliter Piſo ſimilem exitum exſpectare diceretur, quippe qui ſupplicationem non petierat à Senatu.

HIC CVM SIMILEM.] Piſo cùm ſimilem damnationem videret ſibi impendere, in Macedonia, quam vaſtari paſſus erat, tropæa excitauit. vide Notas.

EAQVE.] A definitione tropæi Piſonem reprehendit vt præpoſterum. quippe qui tropæi naturam peruerterit.

PRÆPOSTERVS.] Ordinem perturbans.

IDEMQVE VT ESSET.] Deſcribit militum odium quo in Piſonem propter ipſius auaritiam, & ſtipendium non perſolutum exarſerât, ad quod feſtiuè delabitur, quaſi nihil præclarius geſſiſſet, quòd in trophæo ſcriberetur, quàm quòd à ſuis militibus obſeſſus eſt.

BENEFICIJ CAVSSA.] Honeſta miſſione. de qua vide Notas.

NOTÆ.

TROPHÆA POSVIT.] Græcis τρόπαια, ἀπὸ τῆς τροπῆς, ſiue fuga hoſtium, quod hoſtibus ad fugam verſis excitarentur, tanquam bellicæ laudis victoriæque inſignia & monumenta. Fuerunt autem initio & nonnunquam etiam temporibus ſecutis arborum trunci hoſtilibus armis veſtiti. Diodorus Siculus in oratione Nicolai Syracuſani libro 13. Τίνος γὰρ χάριν οἱ πρόγονοι πάντων τῶν Ἑλλήνων ἐν ταῖς κατὰ πόλεμον νίκαις, κατέδειξαν οὐ διὰ λίθων, διὰ δὲ τῶν τυχόντων ξύλων ἱστάναι τὰ τρόπαια; ἆρ' οὐχ ὅπως ὀλίγον χρόνον διαμένοντα ταχέως ἀφανίζεσθαι τὰ τῆς ἔχθρας ὑπομνήματα; *Quam ob rem vetuſtiſſimi Græcorum in victoriis bello partis trophæa non è lapidibus, ſed è quibuſcunque lignis excitare curarunt? nunquid non vt paruo temporis interuallo odiorum monumenta tollerentur.* Hinc Varro in Bimarcó apud Nonnium: *Spolia capta ſtipitibus affixa trophæa vocantur.* Hinc eſt quòd Poëtæ in arboribus, quercubus præſertim (quamuis Cœlius Rhodiginus libro 7. cap. 19. ex Dionyſio primum trophæum fuiſſe tradat in olea conſtitutum) præſertim, inquam, in quercubus ſua trophæa poſuerunt. Maro 11.

I. Trophæa.

Trophæa è ligno.

Ingentem quercum deciſis vndique ramis, &c.

Cuius inhæſit veſtigiis Statius libro 2. Thebaidos, verſu 707.

Quercus erat teneræ iamdudum oblita iuuentæ
Aggere camporum medio, quamplurimus ambit
Frondibus incuruis & crudo robore cortex:
Huic leues galeas, perfoſſáque vulnere crebro Quercus trophæis induta.
Inſerit arma ferens, huic truncos ictibus enſes
Subligat, & fractas membris ſpirantibus haſtas.

Poterat quoſuis ſuperare, niſi maior eſſet Virgiliana maieſtas. Sidonius Apollinaris:

Fibula mordaci refugas à pectore veſtes
Dente capit, micat haſta minax, quercúſque tropæis
Curua tremit, placitóq; Deam ſub faſce fatigat.

Hæc in Panegyrico Anthemij. & in Panegyrico Maioriani,

Ebria cæde virûm propter Bellona tropæum
Extruit, & quercum captiuo pondere curuat.

Stilico apud Claudianum libro in Ruffinum priore Marti trophæum vouens his verbis inducitur.

Et Thracas defende tuos, ſi lætior adſit
Gloria, veſtitâ ſpoliis donabere quercu.

Mars ita loquitur:

-Stilico, qui me de more trophæis
Ditat, & hoſtiles ſuſpendit in arbore criſtas.

Sed idem Poëta 3. de raptu trophæum Iouis de gigantibus centeſimo fere ante finem verſu, mira copia ſiue potiùs laſciuia deſcribens conſulatur. Euſtathius Iliados κ'. Τρόπαια μὲν τὰς νίκας ἱςῶντες, ὅπου τῶν πολεμίων περιεγένοντο, καὶ ταῦτα ἢ ἐξ ὅπλων σωρείας, ἢ ἐκ λίθων οἷς καὶ γράμματα ἐνεκόλαπτον, ἢ καὶ ἐξ οἱασοῦν ἀναςηλώσεως. *Trophæa poſt victorias ſtatuentes, vbi hoſtes deuicerant, & hæc ex armorum aceruo, aut è lapidibus quibus litteras inſculpebant, aut ex cuiuſuis alterius columnæ erectione.* Vides non ex arboribus ſolùm, ſed etiam è lapidibus trophæa victores excitaſſe, immò etiam ex ære. Plutarchus in quæſt. Romanis quodam problemate, quo cauſſam inquirit cur nefas eſſet ſpolia ædium veſtibulis affixa vetuſtate collapſa renouare, id fieri dicit, tum vt noua ſemper facinora duces animo agitent, tum quòd cùm trophæa bellorum & diſcordiarum indicia ſint & monumenta, ea tempore intermortua renouare velle, odij cuiuſdam implacabilis eſſe videatur. οὐδὲ γὰρ παρ' Ἕλλησιν οἱ πρῶτοι λίθινον καὶ χαλκοῦν ςήσαντες τρόπαιον εὐδοκιμοῦσι. *Quare qui trophæa ex ære, lapidibúſue primi conſtituerunt apud Græcos, ij magnam laudem non ſunt conſecuti.* Aurea fuiſſe nonnunquam inſinuat Themiſtius de quo paulò pòſt diſſeremus. Frequens huius rei mentio apud Græcos, Thucydidem præſertim, Xenophontem & Plutarchum: ſed id inſolens viſum eſt Romanis ſtante Rep. & à ſuis moribus alienum. Dio libro 41. de Cæſare loquens ſubactis Hiſpaniis initio bellorum ciuilium: Διὰ τὸ Πυρήνης περιχωρῶν τρόπαιον μὲν οὐδὲν ἔτ' αὐτῷ ἔςησεν, ὅτι μήτε τὸν Πομπήιον καλῶς ἀκούοντα ἐπὶ τούτῳ ᾔσθετο. βωμὸν δὲ ἐκ λίθων ξεςῶν συνῳκοδομημένον μέγαν, οὐ πόῤῥω τῶν ἐκείνου τροπαίων ἱδρύσατο. *Per montem Pyrenæum iter faciens, trophæum nullum poſuit, quia neque Pompeium eam ob rem bene audire ſentiebat, ſed ingentem aram è politis lapidibus factam non procul à Pompeij trophæis excitauit.* Id tamen non à ſolo Pompeio factum accepimus. Romulus apud Plutarchum: Δρῦν ἔτεμεν ὑπερμεγέθη, καὶ διεμόρφωσεν ὥσπερ τρόπαιον, καὶ τῶν ὅπλων τοῦ Ἄκρωνος ἕκαστον ἐν τάξει περιῆψε καὶ ἐφήρμοσεν. *Quercum ingentem excidit, & inſtar trophæi formauit, & arma Acronis circum ſingillatim aptauit accommodauitque.* Strábo de Fabio Maximo Allobrogico, ἔςησε τρόπαιον αὐτόθι. *trophæum ibi conſtituit.* Florus lib. 3. *Domitius Ænobarbus, & Fabius Maximus, ipſis, quibus dimicauerant, locis ſaxeas erexere turres, & deſuper exornata armis hoſtilibus tropæa fixere: cùm hic mos inuſitatus fuerit noſtris.* &c. De Mario Florus libro 3. deuictis Teutonibus. *Rex ipſe Teutobochus quaternos ſenóſque equos tranſilire ſolitus, vix vnum, cùm fugeret, aſcendit: proximóque in ſaltu comprehenſus, inſigne ſpectaculum fuit: quippe vir proceritatis eximiæ ſuper tropæa ipſa eminebat.* Trophæa è truncis arborum plerumque fiebant, idque inuidiæ minùs erat obnoxium: at malè Pompeius audiuit, quòd è lapidibus excitaſſet, idque noſter tanquam inſolens præſertim, ſine nobili victoria in Piſone reprehendit. nunc, quoniam trophæorum materiam oſtendimus, de forma pauca dicenda ſunt.

Armorum aceruus trophæum.

Trophæa lapidea.

Ærea.

Aurea.

Trophæa Græcorum lapidea.

Trophæa ex arboribus facta crucis ſpeciē exhibebāt. Lucianus lib. 1. veræ hiſtoriæ: ἔςησαν δὲ καὶ τρόπαιον τῆς νησομαχίας, ἐπὶ τῇ κεφαλῇ τοῦ κήτους μίαν τῶν πολεμίων νήσων ἀνασταυρώσαντες. *Excitarunt etiam trophæum ex inſulari certamine ſuper caput ceti, vnā ex inſulis hoſtilibus, in cruce ſuſpendentes.* Tertullianus in Apologetico cap. 16. *Sed & victorias adoratis, cùm in trophæis cruces inteſtina ſint trophæorum. religio Romanorum tota caſtrenſis ſigna veneratur, omnibus Diis præponit: omnes illi imaginum ſuggeſtus inſignes monilia crucium ſunt. ſypara illa vexillorum & labarorum ſtolæ crucium ſunt.* Poſt quem Minutius Fœlix in ſuo Octauio. *Vos planè qui ligneos Deos conſecratis, cruces ligneas, vt Deorum veſtrorum partes forſitan adoratis: nam & ſigna ipſa & cantabra, & vexilla caſtrorum, quid aliud quàm inauratæ cruces ſunt & ornatæ? trophæa veſtra victricia non tantum ſimplicis crucis faciem, verùm & affixi hominis imitantur*, &c. Sed vterque poſt Iuſtinum Martyrem Apologia 2. pro Chriſtianis qui & malum ob crucis ſimilitudinem τρόπαιον appellat, Θάλασσα μὲν γὰρ οὐ τέμνεται, ἢν μὴ τοῦτο τὸ τρόπαιον ὃ καλεῖται ἱςίον ἐν τῇ νηῒ σῶον μένῃ. *Mare certè non ſcinditur, niſi trophæum hoc, quod velum vocatur, in naui integrum maneat.* & ſubdit: Καὶ τὰ παρ' ὑμῶν δὲ σύμβολα τὴν τοῦ σχήματος τούτου δύναμιν δηλοῖ. ...λαβάρων καὶ τῶν τροπαίων, lego ἄλλων τε καὶ τῶν τροπαίων δι' ὧν αἵ τε πρόοδοι ὑμῶν πανταχοῦ γίγνονται. *Quin & ſigna veſtra figuræ huius vim præferunt, tum aliorum inſignium, tum maximè trophæorum, per quæ progreſſus in publicum quouis locorum fiunt.* Ex quo loco videtur ſignificari Imperatoribus quocunque procederent, vt magiſtratibus faſces, ita fercula trophæorum fuiſſe prælata. quod etiam innuere viſus eſt Apollinaris ſupra citatus, cùm Romæ inceſſum & ornatum deſcriberet.

Trophæa crucis ſpecie.

-micat haſta minax, quercúſque trophæis
Curua tremit, placitóq; Deam ſub faſce fatigat.

Vides trophæum Deæ manibus geſtatum: quemadmodum & Romulus ſuum trophæum geſtans à Plutarcho deſcribitur: αὐτὸς δὲ τὴν μὲν ἐσθῆτα περιεζώσατο, δάφνῃ δὲ ἐςέψατο τὴν κεφαλὴν κομῶσαν. ὑπολαβὼν δὲ τῷ δεξιῷ τὸ τρόπαιον ὤμῳ προσερειδόμενον ὀρθὸν ἐβάδιζεν. *Ipſe verò veſtem circumcinxerat, & capillatum caput lauro coronauerat, & trophæo recto in dextrum humerum impoſito proceſsit.* hinc mos trophæi triumphantibus præferendi. Dio libro 37. de triumpho tertio Cn. Pompeij: Τρόπαια δὲ ἄλλα τε πολλὰ, καὶ καλῶς κεκοσμημένα καθ' ἕκαστον τῶν ἔργων καὶ τὸ βραχύτατον ἔπεμψε. καὶ ἐπὶ πᾶσιν ἓν μέγα πολυτελῶς κεκοσμημένον, καὶ γραφὴν ἔχον ὅτι τῆς οἰκουμένης ἐςίν. *Multa trophæa intulit de ſingulis rebus geſtis vnum aliquod perexiguum, ſed bene ornatum, vnum autem magnum ſumptu ingenti apparatum, quod de orbe terrarum inſcriptionem habebat.* quod mirum haudquaquam videri debet cogitāti multa alia Imperatoribus præferri conſueuiſſe, ſiue ad ornandam maieſtatem, ſiue ad muniendam, vt dracones quos Ammianus de ingreſſu Conſtantij in vrbem loquens ita deſcribit. *Multiplices alios purpureis ſubteminibus texti circumdedere dracones, haſtarum aureis gemmatiſque ſummitatibus alligati, hiatu vaſto perflatiles, & ideo*

Trophæa prælata in triumpho.

Dracones Imperatoribus prælati.

velut ira perciti ſibilantes, caudarúmque volumina relinquentes in ventum. Vt fortunæ effigies: Spartianus in Seuero: *Fortunam deinde regiam, quæ* COMITARI PRINCIPES *& in cubiculis poni ſolebat, geminare ſtatuerat, vt ſacratiſſimum ſimulachrum vtrique relinqueret filiorum. Sed cùm videret ſe perurgeri ſub horam mortis, iuſſiſſe fertur, vt alternis diebus apud filios Imperatores in cubiculis fortuna poneretur.* Dixi *ex auro.* Iulius Capitolinus in Antonino Pio: *Fortunámque auream quæ in cubiculo Principum poni ſolebat, transferri ad eum iuſſit.* ad Marcum Aurelium ſucceſſorem. Vt ignis Herodianus libro ſecundo de Pertinace: κατῆλθεν ἐπὶ τὸ συνέδριον τῆς βουλῆς, οὔτε τὸ πῦρ ἐάσας ἑαυτοῦ προπομπεῦσαι, οὔτε τι ἄλλο τῶν βασιλικῶν συμβόλων εἰς ὕψος ἀρθῆναι. *Deſcendit in Senatum neque permittens ignem ſibi præferri, neque aliud regiorum inſignium extolli.* Et libro ſeptimo de Gordiano: Αἵ τε ῥάβδοι ἐδαφνηφόρουν, ὅπερ ἐστὶ σύμβολον εἰς τὸ διαγνῶναι τὰς βασιλικὰς ἀπὸ τῶν ἰδιωτικῶν. τὸ δὲ πῦρ προεπόμπευεν. *Faſces erant laureati, quo ſymbolo faſces Imperatorios, à priuatis,* id eſt, à faſcibus eorum qui à priuata vita ad magiſtratum promouentur, *dignoſcimus. ignis verò præcedebat.* In quibus duobus ſymbolis ea videtur fuiſſe diuerſitas, quod faſces laureati præferrentur Auguſto, ignis etiam Auguſtæ, aliíſque Regij ſanguinis matronis. Herodianus idem libro 1. de Lucilla Commodi ſorore: Ἐπὶ τοῦ βασιλείου θρόνου καθῆστο ἐν τοῖς θεάτροις, καὶ τὸ πῦρ προεπόμπευεν αὐτῆς. *In theatris ſuper ſolium Regium conſidebat, & ignis eam anteibat.* Item de Marcia Commodi concubina: Οὐδέ τι ἀπεῖχε γαμετῆς γυναικὸς, ἀλλὰ πάντα ὑπῆρχεν ὅσα Σεβαστῇ πλὴν τοῦ πυρός. *Nulla re à coniuge differebat, ſed omnibus Auguſtæ inſignibus fruebatur, ſi ignem exceperis.* Sed nos à diuerticulo redeamus, immo quoniam tam fœliciter errauimus, vt in eum locum quem quærebamus nos fortuna coniecerit, hæreamus. vides è faſcibus laureatis eiuſmodi fuiſſe Imperatoris inceſſum, vt aliquam triumphi ſpeciem exhiberet. Sic Iulio Cæſari conceſſum: τοῖς ῥαβδούχοις δαφνηφοροῦσιν ἀεὶ χρῆσθαι. *vt ſemper anteirent lictores cum faſcibus laureatis.* Dio lib. 43. vt minùs mireris trophæa in crucis formam efficta, quemadmodum triumphantibus, ſic etiam Imperatoribus fuiſſe prælata, quod apud vnum Iuſtinum diſertis verbis ſcriptum potui reperire.

Fortuna aurea Imperatoribus prælata.

Item, quis.

Et faſces laureati.

Iam vt de lapidei trophæi figurâ pauca dicamus. alias trophæum fuit ingens lapis inſtar pyramidis aut columnæ, aut etiam paries quidam & murus. Interpres Ariſtophanis in Pluto: Ἔστι δὲ τρόπαιον, ὃ ἐν ταῖς νίκαις οἱ παλαιοὶ ἐποίουν τοῖχον, ἢ λίθον μέγαν ἱστάντες. *Et trophæum murus, aut lapis ingens, quem antiqui in victoriis excitabant.*

Trophæum murus aut lapis ingens.

Alias erant arcus, quodam tholo & teſtudine fornicati, vnde & Latini trophæas, arcus triumphales, & Græci ἁψῖδας τροπαιοφόρους appellant. ſic Dio libro 39. Auguſto delatum fuiſſe dicit: ἁψῖδά τε τροπαιοφόρον, καὶ τὸ ἐφ' ἵππου ἐσελαύνειν, τό τε στεφάνῳ δαφνίνῳ ἀεὶ χρῆσθαι. *arcum triumphalem, item vt equo veheretur, & corona laurea ſemper vteretur.* Idem verſum vſurpat lib. 55. & 60. Tacitus 15. annalium: *At Romæ trophæa de Parthis arcúſque medio Capitolini montis ſiſtebantur decreta ab Senatu integro adhuc bello, neque tum omiſſa, dum adſpectui conſulitur, ſpreta conſcientia.* Ex quo vides obiter cur Cicero Piſonem in hac trophæorum erectione reprehendat, quia Senatus fuit, vt triumphum ita trophæa decernere. at Piſo ſibi trophæa ne litteris quidem ad Senatum miſſis excitarat. Iuuenalis Sat. 10.

Arcus triumphales.

Bellorum exuuiæ, truncis affixa trophæis
Lorica, & fracta de caſſide buccula pendens
Et curtum temone iugum, victaque triremis
Apluſtre, & ſummo triſtis captiuus in arcu
Humanis maiora bonis creduntur, &c.

Quod ait, *& ſummo triſtis captiuus in arcu*, dubitari poſſit. vtrum cùm tropæa poneretur, captiuorum aliquis in arcus triumphalis faſtigio cōſiſtere iuberetur. id fieri quidem potuit ipſo præſertim die triumphi, quamuis facilius in animum induco, fuiſſe quaſdam ſtatuas ad hoſtium ſimilitudinem expreſſas, quæ ludibrij cauſa, inſtar fidicinum trophæorum faſtigium ſuſtinerent. Vitruuius cap. 1. libri 1. *Caryas ciuitas Peloponeſi cum Perſis hoſtibus contra Græciam conſenſu, poſtea Græci per victoriam glorioſè bello liberati, communi conſilio Caryatibus bellum indixerunt. itaque oppido capto, viris interfectis, ciuitate deleta, matronas eorum in ſeruitutem abduxerant, nec paſſi ſunt ſtolas, neque ornatus matronales deponere, vti non vno triumpho ducerentur, ſed æterno ſeruitutis exemplo, graui contumelia preſſæ pœnas pendere viderentur pro ciuitate, ideo qui tunc Architecti fuerunt, ædificiis publicis deſignauerunt earum imagines, oneri ferendo collocatas, vt etiam poſteris nota pœna peccati Caryatium memoriæ traderetur. Non minus Lacones Pauſania Cleombroti filio duce, Plateæo bello, pauca manu infinitum numerum exercitus Perſarum cùm ſuperauiſſent, acto cum gloria triumpho ſpoliorum, & prædæ porticum Perſarum ex manubiis, laudis & virtutis ciuium, indicem victoriæ poſteris pro trophæo conſtituerunt: ibique captiuorum ſimulachra, barbarico veſtis ornatu, ſuperbia mentis contumeliis punita, ſuſtinentia tectum collocauerunt, vti & hoſtes horreſcerent timore eorum fortitudinis affecti: & ciues id exemplum virtutis adſpicientes, gloria erecti ad defendendam libertatem eſſent parati. Itaque ex eo multi ſtatuas Perſicas ſuſtinentes epiſtylia, & ornamenta eorum collocauerunt.* quod veriſimile crediderim à Romanis in ſuorum trophæorum erectione fuiſſe factitatum, vt eorum ſimulacra, qui victi fuiſſent trophæorum epiſtylia ſuſtinerēt: credibilius tamen in ipſo epiſtylio conſtitiſſe. Prudentius libro primo in Symmachum:

Captiuus in arcu triumphali.

Caryatides.

Perſæ in ædificiis.

Fruſtra igitur currus ſummo miramur in arcu
Quadriiuges, ſtantéſque duces in curribus altis
Fabricios, Curios, hinc Druſos, atque Camillos,
Sub pedibúſque Ducum captiuos poplite flexo
Ad iuga depreſſos, manibus ad terga retortis.

Martialis octauo libro epig. 61.

Stat ſacer è domitis gentibus arcus ouans.
Hîc *gemini currus numerant elephanta frequentem,*
Sufficit immenſis aureus ipſe iugis.

Quod ſupereſt in Iuuenale ſpectandum, vt planè trophæi figuram agnoſcas, attende non caſſidem integram, ſed fracta de caſſide bucculam, & curtum temone iugum tropæis appendi. Sic Æneas in trophæo Mezentij:

-aptat rorantes ſanguine criſtas
Teláque trunca viri, & bis ſex thoraca petitum
Perfoſſúmque locis.

Sic Tydeus in trophæo Thebanorum 2. Thebaidos:

-truncos ictibus enſes
Subligat & fractas membris ſpirantibus haſtas.

Arma lacera in trophæis. Sic Plinius Iunior in panegyrico, futurum Traiani triumphum mente præſumens, videre ſibi videtur *ante currum clypeos quos ipſe perfoderit.* Sic quodam epigrammate Mars ipſe arma non fracta & incruenta deteſtans inducitur à Leonida:

Οὐκ ἐμὰ ταῦτα λάφυρα. τίς ὁ θριγκοῖσιν ἀνάψας
Ἄρηος, ταύτας τὰς ἄχαριν χάριτας.
Ἄκλαστοι μὲν κῶνοι, αἱ ἄκτον δὲ γανῶσαι
Ἀσπίδες, ἄκλαστοι δ' αἱ κλαδαραὶ κάμακες.

Hæc ſpolia aſpernor. quiſnam hæc teſtudine Martis
Appendit? non eſt gratia grata mihi.
Sunt coni infracti, clypeus nec ſanguine rorat,
Fulgore intactæ cuſpidis haſta micat.

Series rerum geſtarum in arcu expreſſa. Non tamen ſemper arcus ſuos armis appenſis ornabant, ſed in iis ſeriem rerum geſtarum eminenti cælatura ſolebant exſculpere. Sic Antiochus cùm Galatas elephantum adminiculo ſuperaſſet: Ἐπὶ τῷ τροπαίῳ κελεύει ἄλλο μηδὲ, ἐλέφαντα δὲ μόνον ἐγκολάψαι. *In trophæo nihil aliud præter elephantem iuſſit inſculpi.* vt refert Lucianus in Antiocho. ſed id probatione non indiget. multa huiuſmodi hodiéque ſuperſunt. vnum viſitur Veſontione, quod portam auream vulgus appellat: & ſanè apparent etiamnum auri quondam illiti quædam veſtigia. Themiſtius tamen oratione de pace trophæa non ſolùm aurata, ſed planè aurea videtur agnoſcere: Καὶ τρόπαιον ἵστησι τούτους τῆς νίκης, οὐκ ἐκ λίθου πεποιημένον, οὐδὲ χαλκοῦ, οὐ χρυσοῦ πεπηγὸς, ἐφ' ἑνὸς χωρίου, ἀλλ' ἅπασι μὲν βαρβάροις, ἅπασι δὲ Ῥωμαίοις ἐνδιαιτώμενον. *Trophæum poſuit huius victoriæ non lapideum: neque æreum vel aureum, neque in vno loco conſtitutum, ſed quòd cum omnibus barbaris Romaniſque verſatur.* Trophæa planè aurea. Et ſanè huiuſmodi poterunt eſſe Domitiani trophæa, de quibus Tranquillus cap. 13. *Statuas ſibi in Capitolio non niſi aureas & argenteas poni permiſit, ac ponderis certi. Ianos, arcúſque cum quadrigis & inſignibus triumphorum, per regiones vrbis tantos ac tot extruxit, vt cuidam Græcè inſcriptum ſit arcui* ἀρκεῖ. Vide Lucianum in Zeuxide ſiue Antiocho ſub finem.

Ex iam citatis auctoribus colliget aliud item fuiſſe genus trophæorum, cùm videlicet victores è coaceruatis hoſtium armis aggerem extruebant, quem deinde in honorem Martis & Bellonæ incenderent. Sic Euſtathius ſupra trophæum, ἡ τῶν ὅπλων σωρεία, *ex coaceruatione armorum* agnoſcit. Tacitus annalium 2. de Cæſare Germanico: Aceruus armorum pro trophæo. *Laudatis pro concione victoribus Cæſar, congeriem armorum ſtruxit, ſuperbo cum titulo, debellatis inter Rhenum Albimque nationibus, exercitum Tiberij Cæſaris ea monimenta Marti & Ioui & Auguſto ſacrauiſſe.* Scipio Æmilianus apud Appianum in Libycis deleta Carthagine: Ὅπλα δὲ καὶ μηχανήματα, καὶ ναῦς ἀχρήστους διαζωσάμενος αὐτὸς ἔκαιε κατὰ τὰ πάτρια. *Arma & machinas, & naues inutiles ipſe Marti & Mineruæ præcinctus more maiorum incendit.* Qui ritus à Plutarcho in Mario fusè deſcribitur: Τῶν δ' ἄλλων (ὅπλων ἀχρήστων) ἐπὶ πυρᾶς μεγάλης κατασωρευθέντων τὸ πλῆθος, ἔθυε θυσίαν μεγαλοπρεπῆ, καὶ τοῦ στρατοῦ παρεστῶτος ἐν ὅπλοις ἐστεφανωμένου, περιζωσάμενος αὐτὸς, ὥσπερ ἔθος ἐστὶν, ἀναλαβὼν τὴν περιπόρφυρον, καὶ λαβὼν δᾷδα καιομένην, καὶ δι' ἀμφοτέρων τῶν χειρῶν ἀνασχὼν πρὸς τὸν οὐρανὸν, &c. ἐνῆψε τὴν πυρὰν, καὶ τὴν θυσίαν ἐπετέλεσεν. *Armorum (reliquorum inutilium) vim ſuper pyram ingentem coaceruans, magnificum ſacrificium fecit, & circunſtante cum armis & coronis exercitu, cinctus ipſe more maiorum, prætextam ad humerum reuocans, ſumens tædam ardentem, & vtraque manu ad cælum extollens, &c. pyram incendit & ſacrificium rite perfecit.* Hinc Euander 8. Æneidos:

-cùm primam aciem Præneſte ſub ipſa
Straui, ſcutorúmque incendi victor aceruos.

quem in locum ne diutiùs hic te morer, vide Notas Cerdani noſtri ſanè luculentas. Poſtremò non omittam tantam fuiſſe horum trophæorum religionem, vt nefas putarent, etiam ab hoſtibus poſita, conuellere. Religio trophæorum. Dio libro 42. de Cæſare loquens poſt relatam de Pharnace victoriam: Τρόπαιον ἐπειδὴ γὰρ ὁ Μιθριδάτης ἀπὸ τοῦ Τριαρίου ἐνταῦθα που ἐπήχεσε, ἀντανέστησε. καθελεῖν μὲν γὰρ τὸ τοῦ Βαρβάρου οὐκ ἐτόλμησεν, ὡς καὶ τοῖς ἐμπολεμίοις θεοῖς ἱερωμένον. τῇ δὲ δὴ τοῦ ἰδίου παραστάσει, καὶ ἐκεῖνο συνεσκίασε τρόπον τινὰ, καὶ κατέτρεψε. *Trophæum, quandoquidem eodem loco Mithridates de Triario erexerat, è regione excitauit: illud autem à Barbaro erectum conuellere non auſus eſt, tanquam Diis belli præſidibus conſecratum: ſui autem excitatione & illud obſcurauit, & quodammodo euertit.*

In Basi trophæorvm incidi inscribiqve] Trophæa ſuis inſcriptionibus decorabant. ſupra à Euſtathius: οἷς καὶ γράμματα ἐνεκόλαπτον. *quibus & litteras inſculpebant.* Tacitus: *Congeriem armorum ſtruxit, ſuperbo cum titulo, &c.* Plutarchus: Γραφὴν ἔχον ὅτι τῆς οἰκουμένης ἐστίν. *Cum hac inſcriptione* De orbe vniverso. Maro 11. Æneidos: II. Trophæa inſcripta.

Inductoſque iubet truncos hoſtilibus armis
Ipſos ferre duces inimicaque nomina figi.

Claudianus 5. de raptu:

Nulláque non magni iactat ſe nominis arbor.

Et alibi ſæpiſſimè. propero.

Beneficii cavsa abs se esse dimissos.] Lipſius libro quinto de militia Romana cap. 19. quadruplicem miſſionem agnoſcit honeſtam, cauſſariam, gratioſam, ignominioſam. III. Beneficiarij. Valtrinus capite 5. lib. 6. de re militari paulo aliter, & fortaſſe commodiùs diuidit, vt honeſtarum miſſionum alia fuerit iuſta, alia honoraria ſiue gratioſa. & capite 8. ignominioſam ita partitur, vt altera fuerit, quæ miſſio propriè, altera quæ exauctoratio diceretur. Iuſta miſſio fuit iterum duplex Lipſio, *honeſta, quæ emeritis ſtipendiis datur: cauſſaria, quæ ob vitium, defectum, morbum.* Iniuſta item duplex, *gratioſa, & ignominioſa.* Vlpianus libro tertio D. de his qui notantur infamia: *Miſſio honeſta eſt quæ emeritis ſtipendiis, vel antè ab Imperatore indulgetur.* vbi vides *honeſtæ miſſionis* nomine tam iuſtam, quàm honorariam contineri. Fuit igitur, ni fallor, alia miſſio honeſta, alia ignominioſa, alia media, quæ videlicet nec ignominioſa eſſet, nec honeſta, nos de ignominioſa aut media nihil hoc loco dicemus, quòd parum attinere videatur: ſicut nec de honeſta quæ dabatur emeritis, eos igitur ſolos *beneficij cauſſâ* dimiſit Piſo, quibus gratioſam miſſionem

indulſerat, quaſi ob præmium virtutis militaris, quam qui conſecuti fuerant, Beneficiarij ſunt appellati. Feſtus: *Beneficiarij, milites qui vacant muneris beneficio.* Cæſar libro tertio bell. ciuil. *Euocatorum circiter duo millia, quæ ex beneficiariis ſuperiorum exercituum ad eum confluxerant.* Quam gratioſam miſſionem inter honeſtas numero, quamuis non ignoro eam fuiſſe frequenter non tam virtutis cauſſa, quàm per gratiam aut ambitum ab Imperatoribus impetratam.

ARGVMENTVM.

Continuatur narratio qua periurium, & fugam Piſonis, & militum in Piſonem odium, ſtatuæque eius euerſionem complectitur.

QVIBVS cùm iuratus affirmaſſet, ſe, quæ deberentur, poſtero die perſoluturum, domum ſe abdidit: inde nocte intempeſtâ, crepidatus, veſte ſeruili, nauem conſcendit, Brundiſiúmque vitauit, & vltimas Adriani maris oras petiuit: cùm interim Dyrrhachij milites domum, in qua iſtum eſſe arbitrabantur, obſidere cœperunt, & cùm latêre hominem putarent, igneis circundederunt. quo metu commoti Dyrrhachini, profugiſſe noctu crepidatum Imperatorem indicauerunt. Illi autem ſtatuam iſtius perſimilem, quam ſtare celeberrimo in loco voluerat, ne ſuauiſſimi hominis memoria moreretur, deturbant, affligunt, comminuunt, diſſipant. Sic odium, quod in ipſum attulerant, id in eius imaginem, ac ſimulacrum profuderunt. XCIII

EXPLANATIO.

QVIBVS CVM IVRATVS.] Latenter inſinuat Piſonem auaritiâ compulſum dediſſe militibus ſuis miſſionem, eo tantùm fine ne ſtipendium iis exolueret. additque periurium quo ſe alligauit.

QVÆ DEBERENTVR.] Stipendij nomine.

NOCTE INTEMPESTA.] Media nocte, multa de nocte.

CREPIDATVS.] More Græcorum aut etiam conuiuantium ſoleatus, non Romanorum inſtituto qui calceis vti conſuerant.

VESTE SERVILI.] Seruili cucullo obuolutus, ne quis ipſum poſſet agnoſcere.

BRVNDVSIVMQVE VITAVIT.] Non profectus eſt Brunduſium, quò cæteri ſolent nauem ex Epiro appellere, ne propter celebritatem portus & frequentiam facilè noſceretur.

ADRIANI MARIS.] Alij legunt *Adriatici* parum refert. bonus Poëta hanc etiam vocem agnoſcit:

ſiue flamma
Siue mari libet Adriano.

QVO METV.] Incendij.

STATVAM ISTIVS PERSIMILEM.] Quæ Piſonem ad viuum exprimeret.

DETVRBANT.] Vide quomodo rem exaggeret, ita tamen vt nullum verbum ſuperfluum eſſe videatur. deturbare enim minus eſt quàm affligere: deturbatur enim quod aliqua vi concuſſum deiicitur: affligitur id quod deiectum ad terram alliditur. rurſus quod afflictum eſt poteſt iterum excitari: non item quod eſt in partes comminutum. iterum, particulæ rei comminutæ poſſunt colligi: quare ſubiungit *diſſipatum*, quia res diſſipatæ non ita facilè colliguntur. atque hæc notata ſint in eorum gratiam qui euerſum Tullij eloquentiam, ſuperfluam & redundantem exiſtimant.

SIC ODIVM.] Epiphonema.

NOTÆ.

1. NOCTE INTEMPESTA.] Maro tertio Æneidos: — *Nox intempeſta.*

Et lunam in nimbo nox intempeſta tenebat.

Et primo Georg.

Illic vt perhibent, aut intempeſta ſilet nox.

Intempeſta nox Varroni libro quinto de lingua Latina: *Cùm tempus agendi eſt nullum.* Et libro ſexto: *Intempeſta nox, quo tempore nihil agitur.* Seruius in 3. Æneidos: *Intempeſta, quaſi intempeſtiua, inactuoſa, carens actibus, per quos tempora dignoſcimus.* Varro libro quinto: *Alij concubium appellarunt, quòd fere omnes tum cubarent, alij, ab eo quòd ſileretur, ſilentium noctis.* Græcis dicitur, μεσονύκτιον, ἀχρίνυξ, ἀχρονυχία, à media & ſumma nocte: δειλία, à terrore: νὺξ ἀσάλπιγκτος: *quia nullus ſonitus tubæ: hæc enim diluculo tantùm audiebatur.* Hanc notam debes noſtro Ludouico de Lacerda. Quod ſpectat ad vocem, ἀσάλπιγκτος, vt id breuiter annotem, non ita intelligi debet, quaſi media nocte nulla ſigna concinerent: ſic tamen dicitur ad diſcrimen: quia nocte ineunte tubis, & buccinis vigilias inchoabant, at ſecundâ & tertiâ vigiliâ, dormientes ſolis buccinis excitabant. de initio vigiliarum Ioſephus: Τὰς φυλακὰς καὶ τὰς ἐξεγέρσεις προσημαίνουσι. *Vigilias & excitationes tubæ præſignificant.* Vbi per *vigilias* noctis & vigiliarum initium, per *excitationes* diei principium intelligo. Polybius libro 13. Ἔστι γὰρ ἔθος Ῥωμαίοις κατὰ τὸν τοῦ δείπνου καιρὸν τοὺς βυκανητὰς καὶ σαλπικτὰς πάντας σημαίνειν παρὰ τὴν τοῦ στρατηγοῦ σκηνὴν χάριν τοῦ τὰς νυκτερινὰς φυλακὰς κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἵστασθαι. *More enim Romanorum receptum eſt vt ſub tempus cœnæ buccinatores omnes & tubicines canant ad prætoris tentorium, vt tunc vigiliæ nocturnæ conſtituantur.* Nox igitur

Vigiliæ militares.

Initium vigiliarum.

fuit ſic in quatuor vigilias diſtributa, vt quinquies ſigna canerent. ſemel ad inchoandum primam vigiliam quo tempore tubæ ſimul & buccinæ perſonabant. ſecundò exactâ primâ vigiliâ, horâ noctis tertiâ, ad ſecundam vigiliam buccina vigiles excitabat. Liuius libro ſeptimo: *Vbi ſecundæ vigiliæ buccinâ ſignum datum eſſet.* Quibus tribus horis iterum euolutis media nocte ſiue horâ ſextâ, rurſum ad tertiam vigiliam buccina audiebatur. Liuius lib. 26. *Vt ad tertiam buccinam præſto eſſent.* Silius lib. 7.

Secunda vigilia.

Tertia vigilia.

-mediam ſomni cum buccina noctem
Diuideret, iamque excubias ſortitus iniquas
Tertius abruptâ vigil iret ad arma quiete.

Seneca in Thyeſte:

Nondum in noctem vergente die
Tertia miſit buccina ſignum.

Poſt tertiam vigiliam, horâ ferè noctis nonâ, ſub gallicinium, luce iam appetente, buccina quartæ vigiliæ præcinebat. Cicero pro Murena: *Te gallorum, illum buccinarum cantus exſuſcitat.* Propertius lib. 4.

Quarta vigilia.

Et iam quarta canit venturam buccina lucem.

Exacta nocte, ſole iam orto, hora diei prima, videtur tuba milites omnes excitaſſe, vt vidimus in Ioſepho: καὶ τὰς ἐξεγέρσεις σάλπιγγες προσημαίνουσιν. *& excitationes tubæ prænuntiant.* Nec me mouet illud Vegetij libro tertio cap. 8. *A tubicine omnes vigiles committuntur, à cornicine reuocantur.* Nam vel loquitur de ſuo æuo, mutatâ iam militiâ, vel ſic eſt explicandus, vt per omnes vigilias, vigilias tantùm noctis ineuntis intelligat. neque enim dicere potuit tertiam, verbi cauſsâ, vigiliam à tubicine committi, cùm ex auctoribus laudatis contrarium planè conſtare videatur.

II. Crepidæ probro obiectæ.

CREPIDATVS.] Crepidæ probro obiectæ. Perſius Sat. 1.

Non hic qui in crepidis Graiorum ludere geſtit.

Reprehenſus eſt Scipio quòd in Sicilia, *cum pallio crepidiſque inambulare* diceretur. quamuis Noſter pro Rabirio negat id vitio eſſe vertendum. 27. *Lucij verò Scipionis, qui bellum in Aſia geſſit, Antiochúmque deuicit, non ſolùm cum chlamyde, ſed etiam cum crepidis in Capitolio ſtatuam videtis, quorum impunitas fuit, non modo à iudicio, ſed etiam à ſermone.* Antonius Romanæ grauitatis oblitus, ἐν ἱματίῳ καὶ φαικασίοις προῄει. *In pallio & crepidis procedebat.* Video hunc locum aliter poſſe verti, tamen eò me manu ducit Appianus à quo Antonius 5. ciuilium: καὶ σχῆμα τετράγωνον ἔχων καὶ ὑπόδημα Ἀττικὸν deſcribitur. ὑπόδημα, inquit, crepidam interpretor, quia crepidas pedibus ſubligabant. Homerus:

-ὑπὸ ποσσὶν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα.
-ſub pedibus ligauit pulchras crepidas.

Plinius libro 9. cap. 25. *Quin & pedibus, nec crepidarum tantùm obſtragulis, ſed totis ſocculis addunt margaritas.* Aulus Gellius lib. 13. c. 20. *Omnia enim fermè id genus, quibus plantarum calces tantùm infimè teguntur: cætera propè nuda & teretibus habenis iuncta ſunt, ſoleas dixerunt, nonnunquam voce Græca crepidulas.* Item: *Crepidas & crepidulas primâ ſyllaba correptâ, id genus calceamentum appellauerunt, quod Græci* κρηπῖδας *vocant: eiúſque calceamenti ſutores crepidarios dixerunt. Sempronius Aſellio in libro rerum geſtarum quarto decimo: Crepidarium, inquit, cultellum rogauit à crepidario ſutore.* Sed vide quæ diximus hac ipſa oratione 13. ad vocem *ſoleatum*.

III. Alia ſeruorū veſtis, alia liberorum.

VESTE SERVILI.] Hærere me fateor aliáne fuerit ſeruorum veſtis, alia liberorum. Noſter hic aliā videtur agnoſcere, vt Tertullianus de pallio cap. 4. *Enimuero iamdudum cenſoriæ intentionis epiſcyrio diſperſo quantum denotatui paſſiuitas offert, libertinos in equeſtribus, ſubuerbuſtos in liberalibus, dedititios in ingenuis, rupices in vrbanis, ſcurras in forenſibus, paganos in militaribus? veſpillo, leno, laniſta tecum veſtiuntur.* Appianus 2. ciuilium: καὶ δουλεύων ἔτι τὸ σχῆμα τοῖς δεσπόταις ὅμοιος. χωρὶς γὰρ τῆς βουλευτικῆς ἡ ἄλλη στολὴ τοῖς θεράπουσιν ἐστὶν ἐπίκοινος. *Et ſeruus habitu dominis ſimilis eſt. nam præter Senatoriam alia omnis veſtis ſeruis communis eſt.* Dio libro 58. ἐν τοῖς Κρονίοις οἱ δοῦλοι τὸ τῶν δεσποτῶν σχῆμα μεταλαμβάνοντες ἑορτάζουσι. *In ſaturnalibus ſerui veſtibus dominorum acceptis feſtiuitatem celebrant.* Huc pertinet quod Petrus Faber vir ſanè doctus, 2. Semeſtrium notat ex Lampridio Alexandrum Seuerum, *Seruos ſuos ſemper cum ſeruili veſte habuiſſe.* Et ex Flauio Vopiſco, *Aurelianus ſeruis ſuis eaſdem veſtes Imperatorem, quas priuatum dediſſe.* Contrà tamen videtur ſentire idem ille Lampridius in Alexandro: *In animo habuit omnibus officiis genus proprium veſtium dare, & omnibus dignitatibus vt à veſtitu dignoſcerentur. & omnibus ſeruis, vt in populo poſſent agnoſci, ne quis ſeditioſus eſſet, ſimul ne ſerui ingenuis miſcerentur: ſed hoc Vlpiano Paulóque diſplicuit, dicentibus plurimum rixarum fore, ſi faciles eſſent homines ad iniurias.* Quòd ſi habuit in animo ſeruos à populo diſtinguere, profectò diſtincti priùs à populo non fuerant, niſi ſi fortè, quod dicere Tertullianus videtur, cùm antiquitus eſſent veſte diſtincti. Alexandri Seueri, qui poſt Tertullianum fuit, æuo à maiorum conſuetudine deſciuerant. Deinde ſi fuit diuerſitas, dici vix poteſt, quibus ſerui veſtibus vterentur. Pullatos fuiſſe P. Faber oſtendit, ſeruíſque tantùm Imperatoris conceſſum fuiſſe, vt albati incederent. Suetonius in Domitiano cap. 12. *Generum fratris indignè ferens, albatos & ipſum miniſtros habere proclamauit.* οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. Ammianus Marcellinus lib. 14. *Huic atratum coquinæ adiungitur miniſterium, deinde totum promiſcuè ſeruitium.* Et apud Plautum in Caſina act. 2. ſc. vlt. indignabundus Chalinus de Olympione villico:

Non videtur alia veſtis ſeruorum quàm liberorum.

Pullati ſerui.

At candidatus cedit hic maſtigia.

Horatius Sat. 7. lib. 2.

Tu cùm proiectis inſignibus, annulo equeſtri
Romanóque habitu, prodis ex Iudice Dama,
Turpis odoratum caput obſcurante lacerna
Non es quod ſimulas?

id eſt: Nónne es reuera ſeruus. vt te eſſe fingis indutus veſte ſeruili? lacerna igitur ſeruilis habitus. adde Martialem ep. 26. lib. 12.

Lacerna veſtis ſeruilis.

Nec venit ablatis clamator verna lacernis:
Accedit gelidam ſeruus ad auriculam.

Item cucullus: nam, quod dicit Horatius, *caput obſcurante lacerna.* ſic Iuuenalis imitatur Sat. 8.

-quo ſi nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta cucullo.

Cucullus ſeruilis.

Martialis epig. 74. libri 10.

Pullo Mæuius alget in cucullo:
Cocco mulio fulget Incitati.

Quod tamen idem Faber non ita capiendum eſſe monet, *tanquam vllo legis, Senatuſconſulti,*

conſtitutionis principalis precepto, ſeruilis habitus à liberali diſtinctus omnino fuerit, ſed potiùs quòd ita moribus comparatum eſſet, vt plerique ſeruorum vilioribus & atris, ingenui ferè albis & delicatis vterentur. Et primùm non ſerui ſolùm, ſed etiam pauperes veſtes pulli coloris habuerunt. Titus Calphurnius ecloga 7. verſu 26.

Pauperes pullati.

Venimus ad ſedes vbi pulla ſordida veſte
Inter fœmineas ſpectabat turba cathedras.
Nam quæcunque patent ſub aperto libera cœlo,
Aut eques, aut niuei loca denſauere Tribuni.

Et verſu 79.

Atque vtinam nobis non ruſtica veſtis ineſſet,
Vidiſſem propiùs mea numina: ſed mihi ſordes
Pullàque paupertas & adunco fibula morſu
Obſuerant.

Seneca epiſtola 18. *Nec per omnia nos ſimiles eſſe pullatæ turbæ voluiſſes, nec per omnia diſſimiles.* Et quando Senecæ feci mentionem ille me admonet lib. 1. de clementia cap. 24. non fuiſſe liberos à ſeruis, vt plurimùm veſte diſtinctos: *Indicta eſt aliquando à Senatu ſententia, vt ſeruos à liberis cultus diſtingueret. deinde apparuit quantum periculum immineret, ſi ſerui noſtri numerare nos cepiſſent.*

Cucullati pauperes.

Immò ne pulli quidem cuculli proprius adeo fuit ſeruorum cultus, vt iis liberi, præſertim pauperes, & extra vrbem nunquam vterentur. Iuuenalis Sat. 3.

Fictilibus cœnare pudet, quod turpe negauit,
Tranſlatus ſubitò ad Marſos menſámque Sabellam
Contentúſque illic Veneto duróque cucullo.

Et Eques Romanus apud Martialem:

Pullo Mauius alget in cucullo.

Quod de lacernis etiam dicendum eſt. Iuuenalis Sat. 9.

Item lacernati.

-pingues aliquando lacernas
Munimenta togæ duri craſſique coloris,
Et malè percuſſas textoria pectine Galli
Accipimus.

Immò lacernæ nonnunquam inter veſtes magnificas inuenio mentionem. Iuuenalis Sat. 1.

Cùm pars Niliacæ plebis, cùm verna Canopi
Criſpinus Tyrias humero reuocante lacernas
Ventilet æſtiuum digitis ſudantibus aurum.

Lacernæ pretioſæ.

Item:

Ipſe lacernatæ dum ſe iactaret amicæ.

Quare ſic concludo: hîc veſtem ſeruilem dici non quòd ea ſerui tantùm vterentur, ſed quòd pauperibus & ſeruis ſordidíſque quibuſque perſonis in vſu eſſet, quam Tullius, vt meliùs ſordes Piſonis exprimeret, ſeruilem nominauit.

STATVAM ISTIVS PERSIMILEM.] IV.

Similis.

Iuuenalis Sat. 3.

Si quis Ariſtotelem ſimilem vel Pſittacon emit
Et iubet archetypos pluteum ſeruare Cleanthas.

Statius 5. Syluarum de Abſcontij pietate ipſo initio:

Si manus, aut ſimiles, docilis mihi fingere ceras,
Aut ebur impreſſis aurúmue animare figuris.

Peroratio à §. 94.

- Iudicium de repetundis Piſoni comminatur. 94. eúmque terret
  - à Reipub. tempore appropinquante.
  - à legis iudiciariæ ſeueritate.
  - ab integritate iudicum qui deinceps eligentur.
- docet fortunam Piſonis non euentu iudicij, ſed ipſius factis eſſe ponderandam. quia
  - damnatio obtigit
    - P. Rutilio.
    - L. Opimio.
  - abſolutio obtigit
    - Luc. Catilinæ.
    - P. Clodio. 95.
- oſtendit Piſonem etiam ſine iudicum ſententia eſſe damnatum
  - ab omni genere hominum, qui eius iniurias pertulerunt, éſtque dictorum recapitulatio. 96.
  - ſuæ ipſius conſcientiæ iudicio. 97. 98. 99.

ARGVMENTVM.

Poſtquam oſtendit ſibi accuſandi Piſonis eſſe facultatem, & eius ſcelera ſe non veſtigiis ſolùm, ſed etiam cubilibus perſecutum eſſe: eum à ſeueritate iudicij & legis exterret.

XCIV. QVÆ cùm ita ſint, non dubito, quin cùm hæc quæ excellunt, me noſſe videas, non exiſtimes, mediam illam partem & turbam flagitiorum tuorum mihi eſſe inauditam. nihil eſt, quod me hortere: nihil eſt, quod inuites. admoneri me ſatis eſt. admonebit autem nemo alius, niſi Reipubl. tempus: quod mihi quidem magis videtur, quàm tu vnquam arbitratus es, appropinquare. Ecquid vides, ecquid ſentis, lege iudicaria lata, quos poſthac Iudices ſimus habituri? non æquè legetur quiſquis voluerit: nec, quiſquis noluerit, non legetur. nulli coniicientur in illum ordinem, nulli eximentur: non ambito ad gratiam, non iniquitas ad ſimulationem coniicietur. Iudices iudicabunt ij, quos lex ipſa, non quos hominum libido delegerit. Quod cùm ita ſit, mihi crede, neminem inuitus inuitabis: res ipſa, & Repub. tempus aut me ipſum, quod nolim, aut alium quempiam, aut inuitabit, aut dehortabitur.

EXPLANATIO.

QVÆ CVM ITA SINT.] Piſo, vt vidimus, Tullium laceſſiuerat, eum rogans cur ipſi nomen non deferret: oſtendit Cicero ſibi Piſonis facinora comperta ſic eſſe, vt ſi velit, facilè poſſit eum lege de repetundis accerſere: ídque demonſtrat hunc in modum: poſtquam enumerauit ſcelera quæ eminere videbantur, fruſtra ſubiicit ſe enumeraturum eſſe ea, quæ velut in turba deliteſcunt: neque enim ſi parua non noſſet, excellentia ſeligere potuiſſet.

NIHIL EST QVOD ME HORTERIS.] Ad nomen tibi deferendum. hac porrò verba ita videntur inter ſe differre: quod hortari ſit monere vehementius, & motus etiam adhibere; παρορμᾷν, incitare, incendere: inuitare verò ſit, vocare, allicere per motus quidem, ſed leuiores. admonere autem ſit rem nudè & ſine motu ſuggerere, & proponere: νουθετεῖν, mentem ſiue conſilium adhibere. oſtendit itaque Tullius ſibi non opus eſſe calcaribus, quibus ad deferendum Piſoni nomen excitetur: ſéque iam ſatis ad id eſſe propenſum.

ADMONEBIT.] Non eſt mihi opus alio monitore: ſatis enim me ipſum monebo ad intendendam tibi litem, cùm id eſſe videro è Repub. nunc autem video id Reipub. nondum expedire: quia hæc accuſatio Cæſari magnis pro Repub bellis diſtricto aliquid moleſtiæ & ſollicitudinis exhiberet.

QVOD MIHI.] Id ſubiungit, vt magis exterreat à breuitate temporis: neſcio enim quo modo magis exterrent quæ propiùs videntur imminere.

ECQVID VIDES.] Non ſolùm periculi vicinitas exterret, ſed etiam mali magnitudo. quare hîc oſtendit ſummam iudicij futuri ſeueritatem.

LEGE IVDICIARIA LATA.] à Cn. Pompeio. vide Notas.

QVOS POST HAC.] Quàm graues, quàm ſeueros, quàm incorruptos.

NON ÆQVE LEGETVR.] Per expolitionem oratoriam iudiciorum integritatem explanat. & à remotione incommodorum quæ Aurelius Cotta non præuiderat. tulerat enim Cotta, vt Iudices ex Senatoribus, equitibus, & Tribunis ærariis legerentur. at Pompeius fraudem legi fieri aduertens: tulit vt Iudices ex iis quidem ordinibus, ſed tamen ex cenſu legerentur. adeò vt nemo poſſet aut ſe eximere à iudicio, nec per fraudem, aut gratiam ſe intrudere.

NON ÆQVE.] Non perinde, atque lege Aurelij Cotta, legi conſuerant.

NVLLI CONIICIENTVR.] Nulli intrudentur in iudicandi munus.

NON AMBITIO.] Non ambitioſi iudiciariam poteſtatem ambient, ad reorum gratiam colligendam.

NON INIQVITAS.] Non iniqui & ſcelerati coniicientur in illum iudicum ordinem, vt ſpecioſo iudicis nomine, ſua ſcelera velare poſſint. Lambinus coniicit legendum, nec auerſis muſis: *non iniquitas ad ſimultatem connitetur*. non iniqui, ſi cum reis ſimultatem habent connitentur ſiue graſſabuntur & ſe intrudent ad iudicandum, vt iniquè condemnent inimicos, & iniuſtam ſimultatem exerceant.

IVDICES IVDICABVNT.] Epexegeſis qua per affirmationem explanat, ea quæ per negationem & remotionem contrarij fuerat executus. in his autem de induſtria diutiùs immoratur, vt inimicum magis exterreat.

INVITVS INVITABIS.] Alluſio. oſtendit autem Piſonem inuitum, & vt dixerat, labris trementibus petiiſſe, cur Cicero nomen ipſi non deferret. Legi poteſt *inuitum inuitabis*. neminem inuitabis qui non ſit paratus nomen deferre.

QVOD NOLIM.] Propter Cæſarem ſocerum tuum, mihi amiciſſimum.

NOTÆ.

NOTÆ.

I. Terret periculi vicinitas. APPROPINQVARE.] Terret periculi vicinitas, & magnitudo. Ariſtoteles 2. Rhet. cap. 5. Ἔστω δὴ φόβος, λύπη τις ἢ ταραχὴ ἐκ φαντασίας μέλλοντος κακοῦ, ἢ φθαρτικοῦ, ἢ λυπηροῦ. οὐ γὰρ πάντα τὰ κακὰ φοβεῖται, οἷον εἰ ἔσται ἄδικος ἢ βραδύς. ἀλλ' ὅσα ἢ λύπας μεγάλας, ἢ φθορὰς δύναται (ποιεῖν) καὶ ταῦτα ἂν μὴ πόρρω, ἀλλὰ σύνεγγυς φαίνηται, ὥστε μέλλειν. τὰ γὰρ πόρρω σφόδρα, οὐ φοβοῦνται. ἴσασι γὰρ πάντες ὅτι ἀποθανοῦνται. ἀλλ' ὅτι οὐκ ἐγγύς, οὐδὲν φροντίζουσιν. *Sit ergo metus, moleſtia quædam & perturbatio ex phantaſia futuri mali, vel idonei ad interimendum, vel moleſti. non enim omnia mala metuuntur, vt ne ſit iniuſtus, vel tardus: ſed quæcunque vel moleſtias magnas, vel interitus poſſunt (adferre) & hæc, quæ non longè ſed prope apparent, vt breui futura ſint. nam quæ ſunt longè admodum, non metuuntur. Sciunt enim omnes ſe morituros. ſed quia non propè, non curant.* Quare ad incutiendum terrorem propinquitatem mali denuntiant. Homerus Iliados τ'.

Ἀλλά σοι ἐγγύθεν ἦμαρ ὀλέθριον.

Sed tibi fatalis lux eſt vicina.

Maro:

- Te quoque fata

Expectant paria, atque eadem mox arua tenebis.

Item Patroclus Homericus Iliados π'. extremis propè verſibus:

Ἄγχι παρέστηκεν θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή.

Impendet vicina tibi mors, ſæuáque parca.

Calaber libro ſexto:

-ἀλλά σοι ἄγχι παρίσταται οὐλομένη κήρ.

Sed tibi parca ferox vicina impendet & inſtat.

II. LEGES IVDICIARIÆ LATÆ.] Leges iudiciariæ tam multas in Repub. diſcordias concitarunt, vt turbo & tempeſtas ad facienda Reipub. naufragia, fax & ignis ad excitanda ſeditionum incendia meritò dicendæ videantur. Sed res, vt liquidiùs pateat, erit altiùs repetenda. Principio Reges de cauſſis grauioribus, Patres de leuioribus iudicabant. Halicarnaſſeus libro 2. Regis munia deſcribens hoc quoque enumerat: Τῶν τ' ἀδικημάτων τὰ μέγιστα μὲν αὐτὸν δικάζειν, τὰ δ' ἐλάττονα τοῖς βουλευταῖς ἐπιτρέπειν, προνοούμενον ἵνα μηδὲν γίνηται περὶ τὰς δίκας πλημμελές. *Vt de grauiſſimis delictis ipſe iudicaret, leuiora permitteret Senatoribus, prouidendo interim ne quid in iudiciis peccaretur.* Polybius libro ſexto de iure Senatus diſſerens: Ὅσα τῶν ἀδικημάτων τῶν κατ' Ἰταλίαν προσδεῖται δημοσίας ἐπισκέψεως, λέγω δὲ οἷον προδοσίας, συνωμοσίας, φαρμακείας, δολοφονίας, τῇ συγκλήτῳ μέλει ἐπὶ τούτων. *Quæcunque flagitia per Italiam commiſſa publicam animaduerſionem requirunt, qualia ſunt proditionis, coniurationis, veneficij, cædis dolo perpetratæ, horum puniendorum cura concernit Senatum.* De cuius interpretatione paulò pòſt dicendum erit. Hanc tamen iudicandi poteſtatem ad populum tradunt iam tum à Tulli hoſtilij temporibus fuiſſe deuolutam, in iudicio Horatij qui ſororem occiderat. Dionyſius libro tertio: Γενόμενος δὲ θανατηφόρου κρίσεως τότε πρῶτον ὁ Ῥωμαίων δῆμος κύριος, τῇ γνώμῃ τοῦ πατρὸς προσέθετο, καὶ ἀπολύει τοῦ φόνου τὸν ἄνδρα. *Populus autem Romanus tum primùm capitalis iudicij poteſtatem nactus, comprobauit patris ſententiam, innocentémque abſoluit à cædis crimine.* Quid quòd Marcius Coriolanus plebis iudicio damnatus eſt? Plutarchus in Coriolano, Liuius libro 2. Halicarnaſſeus lib. 7. Αὕτη πρώτη κατ' ἀνδρὸς πατρικίου πρόσκλησις εἰς τὸν δῆμον ἐγένετο ἐπὶ δίκῃ, ἀφ' ἐκείνου τοῦ χρόνου τοῖς ὕστερον λαμβάνουσι τὴν τοῦ δήμου προστασίαν, ἔθος κατέστη, καλεῖν οὓς δόξειε τῶν πολιτῶν δικὴν ὑφέξοντας ὑπὸ τοῦ δήμου. *Hæc fuit prima Patricij hominis ad cauſſam ad populum dicendam citatio: & ex illo tempore morem ſibi fecerunt Tribuni quibuſcunque liberet ciuibus diem ad populum dicere.* Et paucis pòſt annis, ait Liuius libro 2. Spurio Caſſio: *A Quæſtoribus Cæſone Fabio, & Lucio Valerio diem dictam perduellionis, damnatúmque populi iudicio, dirutas publicè ædes.* De quo Dionyſius lib. 8. Προειπόντες ἡμέραν ῥητήν, ἐκάλουν αὐτόν, ὡς ἐπὶ τοῦ δήμου τὴν δίκην ἀπολογησόμενον. *Die dicta ad cauſſam ad populum dicendam citauerunt.* Item Genucius Tribunusplebis, aliquantò pòſt Aulo Manlio, & Lucio Furio Conſularibus, vt idem refert lib. 9. Δίκην ἀπήγγειλε δημοσίαν, καὶ προεῖπεν, ἥκειν ἐπὶ τὸν δῆμον ἀπολογησομένους. *Diem ad populum dixit, & diem denuntiauit qua ad diſſoluenda obiecta ad concionem accederent.* Et eodem libro Appius Clodius plebeiis exprobrabat quòd Reip. ſtatum conuellerent, τὰ νόμιμα δικαστήρια οἷς περὶ θανάτου καὶ φυγῆς ἡ πόλις πρότερον ἐδίκαζε κρίνειν, μεταφέροντες ἐκ τῆς καθαρωτάτης φυλῆς ἐπὶ τὸν ῥυπαρώτατον ὄχλον. *Legitima iudicia quibus de capitali pœna ciuium exiliíque mulcta maiores ante hac decerni voluerint, à ſinceriſſima ciuitatis tribu ad ſordidiſſimam colluuiem transferendo.* quam poteſtatem Appius idem expertus eſt. vt eodē libro ſubiungitur. Liuius lib. 2. *Nunquam antè tam inuiſus plebi reus ad iudicium vocatus populi eſt, plenus ſuarum, plenus paternarum irarum.* Clarè, vt finem hîc faciam idem Græcus libro 9. Ἔδοξεν ἡ βουλὴ τῷ δήμῳ τὴν ἐξουσίαν κρίνειν οὓς ἂν αὐτοῖς δόξειε τῶν πατρικίων. *Plebi Senatus poteſtatem fecit indicandi patricios quoſlibet.* Quid? quòd Rabirius à Tullio in concione defenſus eſt? quòd exilium Tullio plebeculæ ſuffragiis irrogatum?

Iudiciaria poteſtas penes Senatum. Aliunde tamen, vt ſuperiùs dixi, penes Senatum fuiſſe videtur poteſtas iudicandi, donec à C. Graccho ad ordinem equeſtrem tranſlata multas turbas in Rep. concitauit. Varro de vita populi Romani apud Nonnium. *Gracchus Senatui iniquus equeſtri ordini iudicia tradidit, ac bicipitem ciuitatem fecit, diſcordiarum ciuilium fontem.* Plinius ſubobſcurè lib. 32. cap. 2. *Iudicum autem appellatione ſeparari eum ordinem primi omnium inſtituere Gracchi diſcordi popularitate in contumeliam Senatus.* Velleius Paterculus libro 2. & alij idem teſtantur. Clariùs Græci. Appianus primo ciuilium. τὰ δικαστήρια ἀδοξοῦντα ἐπὶ δωροδοκίαις ἐς τοὺς ἱππέας ἀπὸ τῶν βουλευτῶν μετέφερε, &c. *Indicia quæ ob munerum acceptionem flagrabant infamia ad equeſtrem ordinem à Senatu tranſtulit.* Ex quibus vides, quod ſuprà dictum eſt, ante Gracchorum leges ſolum Senatorium ordinem iudicaſſe. quod & Plutarchus in Gracchis affirmat. τὸ πλεῖστον ἀπέκοψε τῆς τῆς συγκλητικῆς δυνάμεως. μόνοι γὰρ ἔκρινον τὰς δίκας, καὶ διὰ τοῦτο φοβεροὶ τῷ δήμῳ, καὶ τοῖς ἱππεῦσιν ἦσαν. *Nimium quantum Senatus poteſtatem imminuit, ſoli enim cauſſas iudicabant: ideóq; magnum tum plebi, tum equeſtri ordini terrorem incuſſerant.* In eo tamē lapſus videtur vir ille vndequaq; doctiſſimus, quod ſubiūgit:

Plutarchi error.

Ὁ δὲ τριακοσίους τῶν ἱππέων προσκατέλεξεν αὐτοῖς, οὖσι τριακοσίοις, καὶ τὰς κρίσεις κοινὰς τῶν ἑξακοσίων ἐποίησε. *Ipſe verò trecentos equitum Senatoribus, qui tum erant trecenti, allegit, & ex iis ſexcentis iudicia conſtituit.* In eo, inquam, videtur lapſus, quòd ea lex non Graccho, ſed M. Liuio Druſo tribuenda videatur, qui non paucis poſt Gracchum annis, vt habet epitome Liuiana: *Tribunusplebis legem tulit, vt æqua parte iudicia penes Senatum & equeſtrem ordinem eſſent.* Cui Appianus aliíque conſentiunt: ſed tamen ne facilè tantum virum damnemus erroris, dicamus mendum eſſe quod in ipſam ſcripturam irrepſerit, & ita corrigamus:

Plutarchi defenſio.

Ὁ δὲ ἑξακοσίους τῶν ἱππέων προσκατέλεξεν αὐτοῖς οὖσι τριακοσίοις, καὶ τὰς κρίσεις κοινὰς τῶν ἐνακοσίων ἐποίησε. *Ipſe verò ſexcentos equites, Senatoribus qui trecenti tum erant, allegit, & iudicia conſtituit nongentis illis communia.* Impudentiæ fortaſſe fuerit in ſcripturam ita graſſari, ſed id agimus ne in ſcriptorem ipſum ſimus impudentes. præſertim cùm epitome Liuiana nos eò videatur deducere, numerans leges Gracchanas: primam frumentariam, alteram legem agrariam, *Tertiam quæ equeſtrem ordinem cum Senatu conſentientem corruperat: (trecenti Senatores erant, ſexcenti equites) vt trecentis Senatoribus admiſcerentur, id eſt, vt equeſter ordo bis tantùm virium in Senatu haberet.* Libenter ſuſtulerim *in Senatu* tanquam gloſſema, inuitis Muſis obtruſum, & crediderim his verbis iudiciariam legem intelligi. Neque enim probabile eſt nullam inter cæteras iudiciariæ, quæ potiſſima fuit, fieri mentionem. Neque verò refert quòd auctores ſuprà citati dicant Gracchum iudicia ad equites tranſtuliſſe. nam Velleius in lege Liuia idem verbum vſurpat, qui tamen, vt cum Appiano loquar, Τῶν βουλευτῶν διὰ τὰς στάσεις τότε ὄντων, μόλις ἀμφὶ τῶν τριακοσίων, τοσούς δὲ ἑτέρους αὐτοῖς ἀπὸ τῶν ἱππέων εἰσηγεῖτο ἀριστίνδην προσκαταλεγῆναι, καὶ ἐκ τῶνδε πάντων ἐς τὸ μέλλον εἶναι τὰ δικαστήρια. *Cùm Senatores propter ſuperiorum annorum ſeditiones vix trecentos excederent, totidem ipſis ex ordine equeſtri & optimum quemque cooptare tentauit. atque ex his omnibus in poſterum Iudices legi voluit.* verba ſunt Velleij: *Druſus cùm Senatui priſcum reſtituere decus vellet, & iudicia ab equitibus ad eum* TRANSFERRE *ordinem.* Transferre, inquit, quod alij dicunt, *legem tulit vt æqua parte iudicia penes Senatum & equeſtrem ordinem eſſent.* Quare fieri poteſt, vt Gracchus verè dicatur ab aliis iudicia ad equites tranſtuliſſe, & verum ſit, quod ait Plutarchus, Gracchum trecentis Senatoribus ſexcentos equites addidiſſe. Tamen ſi quis velit deſerere Plutarchum, non magnopere refragabor.

Leges Gracchanæ.

Iudiciaria lex Sempronia.

Sed præſtat aliud diſquirere, cur iudicia à Senatu ad equites tranſlata dicantur, cùm tamen ex ſupra dictis conſtet longè ante Gracchos: populum etiam de patriciis iudicaſſe. in quo, vt cum Arnobio loquar, *Me fateor hæſitare, circumhiſcere, tergiuerſari, tricas, quemadmodum dicitur, conduplicare tellenas.* Sed eò nimirum vela danda ſunt quò me tenuis flatus coniecturæ prouexerit. Sic aliquando exiſtimaui Senatus fuiſſe cauſſam diſquirere, populi mulctam & ſupplicium irrogare. Eò me deducebant verba Polybij ſuperiùs allata, quæ Wolphangus Muſculus, qui nonnullam Lotharingiæ noſtræ, ſua hæreſi labem aſperſit, peruerterat. nam & ἀδικήματα, *flagitia* dixit, quæ meliùs facinora dicerentur, & loco ἐπισκέψεως, *animaduerſionem*, pro *diſquiſitione* poſuit, & vbi Græcè dicitur μέλει ἐπὶ τούτων, de ſuo addidit *puniendorum.* de ſuo, inquam, & contra mentem ſcriptoris, punitio enim & animaduerſio non ad Senatū, ſed ad populū pertinebat. Subdit enim Polybius: Τιμῆς γάρ ἐστι καὶ τιμωρίας ἐν τῇ πολιτείᾳ μόνος ὁ δῆμος κύριος. *Honoris enim & ſupplicij inferendi ſolus populus poteſtatem habet in Repub.* Item: Κρίνει μὲν οὖν ὁ δῆμος καὶ διαφόρους πολλάκις, ὅταν ἀξιόχρεων ᾖ τὸ τίμημα τῆς ἀδικίας καὶ μάλιστα τοὺς τὰς ἐπιφανεῖς ἐσχηκότας ἀρχάς. θανάτου δὲ κρίνει μόνος. *Iudicat itaque populus, & ſæpenumerò diuerſos, ſi quando magni ſit momenti punitio quæ iniuſtitiæ irrogatur, ac præſertim in eos animaduertendum, quibus illuſtres magiſtratus fuerant commiſſi. mortis autem iudicium ſolus vſurpat.* Quò ſpectant lex Porcia, legéſque Valeriæ, & illa duodecim tabularum: *De capite ciuis, niſi per maximum comitiatum ne ferunto.* Ex quibus vides cùm de capite ciuium ageretur, ſolum populum iudicaſſe: (vt nullam hoc loco Dictatoris aut Conſulis faciam mentionem, cùm à Senatu decretum fuerat, vt vidêret, *ne quid detrimenti caperet Reſpublica.*) De cæteris cauſſis minoris momēti ante Gracchanas leges Senatum aut per ſe, aut potiùs per Iudices è ſuo corpore delectos cognouiſſe. accedit Polybij loco iam citato auctoritas: Τὰς δ' ὁλοσχερεστάτας καὶ μεγίστας ζητήσεις, καὶ διορθώσεις τῶν ἁμαρτανομένων κατὰ τῆς πολιτείας οἷς θάνατος ἀκολουθεῖ τὸ πρόστιμον, οὐ δύναται συντελεῖν (ἡ βουλὴ) ἂν μὴ συνεπικυρώσῃ τὸ προβεβουλευμένον ὁ δῆμος. *Maximas cauſſas, & quæ ad totam ſpectant Rempub. quæſtiones ac correctiones eorum quæ aduerſus Rempub. committuntur, vt morte plectenda ſint, exequi non poterit* (Senatus) *niſi quæ in curia ab ipſis decernuntur, à populo confirmentur.* At in cæteris quæſtionibus: Ἐκ ταύτης ἀποδίδονται κριταὶ τῶν πλείστων καὶ τῶν δημοσίων, καὶ τῶν ἰδιωτικῶν συναλλαγμάτων, ὅσα μέγεθος ἔχει τῶν ἐγκλημάτων. *E Senatu dantur Iudices, qui de plurimis ciuium tum publicis, tum priuatis pactis & conuentis cognoſcant, quæcunque ſunt alicuius momenti.* In cauſſis igitur ciuilibus pactionum, ſtipulationum, & aliorum quibus pœna capitis non ſolebat imponi, ſed lis æſtimari, ſelecti Iudices ex ordine Senatorio iudicabant. tamen in cauſſis leuioris momenti aut centumuiri ex omnibus tribubus electi, aut Tribuni plebis, aut ædiles plebeij, ſed Tribuni & Ædiles ex æquo & bono, ni fallor, atque adeo ſine certa iudicij forma iudicabant. ad hanc coniecturam me deducit Dionyſius Halicarnaſſeus: Ἐδεήθησαν ἔτι τῆς βουλῆς ἐπιτρέψαι σφίσιν ἄνδρας ἐκ τῶν δημοτικῶν δύο καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἀποδεικνύναι τοὺς ὑπηρετήσοντας τοῖς δημάρχοις, ὅσων ἂν δέωνται, καὶ δίκας ἃς ἂν ἐπιτρέψωσιν ἐκεῖνοι, κρινοῦντας. *Petunt inſuper à Senatu, vt quotannis duos è plebe viros deſignare permittat, qui Tribunis ſubminiſtrent, quicquid opus ſit; & lites quas Tribuni eis commiſerint, iudicent.* Subdit: Λαβόντες δὲ καὶ τοῦτο τὸ συγχώρημα παρὰ τῆς βουλῆς ἀποδεικνύουσιν, ἄνδρας, οὓς ὑπηρέτας τῶν δημάρχων, καὶ συνάρχοντας, καὶ δικαστὰς ἐκάλουν· νῦν μὲν τῇ κατὰ τὴν ἐπιχώριον γλῶτταν, ἀφ' ἑνὸς ὧν πράττουσιν ἔργων ἱερῶν τόπων ἐπιμελητὰς καλοῦνται, καὶ τὴν ἐξουσίαν ὑπηρετικὴν ἑτέραν ἔχουσιν ὡς πρότερον. *Hoc quoq. per Senatum conceſſo,*

Iudicabat ſolus populus in cauſſis ſanguinis.

De cauſſis mediocris momenti Senatus ante Gracchanas leges ſolus iudicabat.

De cauſſis minimis centumuiri, aut etiam Tribuniplebis iudicabant.

creauerunt quos tunc miniſtros Tribunorum, & collegas, ac Iudices appellabant: nunc verò ab officiorum vno vernaculâ linguâ Ædiles, id eſt, ſacrorum ædificiorum curatores, vocant. Iudices igitur erant Tribuni plebis & horum permiſſu Ædiles in cauſſis leuis momenti. Huc traho illud Iuuenalis de mercede puerorum Sat. 7.

Rara tamen merces quæ cognitione Tribuni
Non egeat.

Tribuni aliquando de cauſis atrocioribus iudicabant.

Et oratione pro Cœlio de meretricibus cognouiſſe Ædiles oſtendimus. Non ignoro tamen Tribunos nonnunquam de cauſis atrocioribus iudicaſſe: cuius rei in epitome Liuiana libro 55. exemplum eſt: quod conſtat etiam ante Gracchi leges contigiſſe: *Pub. Cornelio Naſica, cui cognomen Scipioni fuit ab irridente Curiatio Tribuno plebis impoſitum, & D. Iunio Bruto Coſſ. delectum habentibus, in conſpectu tironum res ſaluberrimi exempli facta eſt. nam C. Matienus accuſatus eſt apud Tribunos plebis, quòd exercitum in Hiſpania deſeruiſſet, damnatúſque ſub furca diu virgis cæſus eſt, & ſeſtertio nummo veniit.* Sed id fortaſſe non tam ex more, quàm quòd populus Tribunis ſuas vices commiſerat. Nunc antequam progrediamur vlteriùs iuuerit omnes dictorum ſubducere rationes.

Cauſarum aliæ fuerunt grauiſſimæ, vt perduellio, tyrannis, proditio, parricidium, deſertio, & hæc crimina ſola morte debebant expiari. de his grauiſſimis Reges, Regibus exactis Conſules ſoliti ſunt cognoſcere: ea tamen moderatione vt lege Valeria à Conſulibus liceret ad populum prouocare. poſtea tamen populus initium ſumens à Marcij Coriolani damnatione, hanc etiam poteſtatem ſibi vendicauit.

Aliæ fuerunt minimi momenti, de quibus Tribuni ordinaria poteſtate, & Ædiles Tribunorum permiſſu iudicium ferebant, vt diximus de mercede puerorum.

Aliæ denique fuerunt mediocres, quales ſunt ciuiles, quæ pœnâ pecuniariâ continentur: & de his ſelecti Iudices è Senatu non ſolùm poterant cognoſcere, ſed etiam damnatis pœnã imponere: à quibus tamen prouocatio erat ad populum.

Prouocatio ad populum.

Halicarnaſſeus enim lib. 5. legem dicit Valeriam fuiſſe: Ἐάν τις ἀρχῶν Ῥωμαίων τινὰ ἀποκτείνῃ (malim ἀποκτείνειν) ἢ μαστιγοῦν, ἢ ζημιοῦν εἰς χρήματα θέλῃ, ἐξεῖναι τῷ ἰδιώτῃ προκαλεῖσθαι τὴν ἀρχὴν ἐπὶ τὴν τοῦ δήμου κρίσιν. *Si quis magiſtratus Romanorum quempiam morte, aut verberibus, aut pecuniis multare vellet, vt priuato liceret magiſtratum ad populi iudicium prouocare.* At in cauſſis capitalibus ante Gracchum ſola diſquiſitio erat penes Senatum, punitio verò poſita in ſolius populi poteſtate: qui tamen nonnunquam hanc diſquirendi poteſtatem à Senatu ad ſe conuertebat non ſolùm pœnam infligens, ſed etiam reorum cauſſam examinans.

Atque hæc eſt iudiciaria poteſtas, quæ Gracchanis legibus ad equeſtrem ordinem à Senatu tranſlata, ſeditionum flabello ventilata, varias tempeſtates in Repub. concitauit. nam decimo ſeptimo pòſt anno, id eſt, Cæpione & Serrano

Variæ leges de iudiciis vltro citróque transferendis.

Conſulibus notant Iulius Obſequens & Caſſiodorus, iudicia per Seruilium Cæpionem Conſulem equitibus & Senatoribus communicata fuiſſe. paucis pòſt annis vt bene aduertit Sigonius ſecuta eſt lex altera Seruilia qua iudicia ſunt per C. Seruilium Glauciam equitibus reſtituta.

Mox Liuius Druſus, vt verbis vtar Velleij *Cùm Senatui priſcum reſtituere decus vellet, & iudicia ab equitibus ad eum transferre ordinem, &c. in iis ipſis quæ pro Senatu moliebatur, Senatum habuit aduerſarium.* Et quamuis in epitome legem tuliſſe dicatur, *vt æqua parte iudicia penes Senatum & equeſtrem ordinem eſſent.* Tamen hoc ipſo anno, vt notat Tullius 3. de legibus, eſt abrogata: quare iudiciaria poteſtas equitibus à C. Seruilio reſtituta hæſit in equeſtri ordine, donec biennio pòſt, vt cum Tullio loquar in fragmentis eius orationis, quæ dicta eſt pro Cornelio, effectum eſt, *vt Senatores cum equitibus Romanis lege Plotia iudicarent.* Tulerat eam legem Marcus Plautius Siluanus Tribunus plebis. de qua vide Pedianum.

Septennio deinceps euoluto legem tulit Sylla Dictator, vt ſoli Senatores iudicarent. cuius legis Aſconius & Cicero meminerunt. vide Sigonium.

Vndecimo pòſt anno Lucius Aurelius Cotta, auctore Velleio: *Iudicandi munus quod Gracchus ereptum Senatui ad equites, Sylla ab illis ad Senatum tranſtulerat, æqualiter inter vtrumque ordinem partitus eſt.* Quod tamen ita non debet intelligi, quaſi lege Aurelia ſoli Senatores & equites iudicarint; nam plebi quoque ea lex iudiciariam poteſtatẽ impertiit, è qua delecti Tribuni ærarij plebis ipſius nomine iudicarunt. Aſconius hoc loco: *Legem iudiciariam ante aliquot annos, quibus accuſatus eſt Verres à Cicerone, tulit Aurelius Cotta Prætor, qua communicata ſunt iudicia Senatui, & equitibus Romanis, ac Tribunis ærariis.* Verùm fraus etiam in hanc legem irrepſerat, adeò vt nonnulli paupertate oppreſſi ſolius lucri cauſsâ, & ſpe emungendæ à reo pecuniæ, alij odij & inimicitiarum cauſsâ, quibus in reum ardebant, ſpe ſumendæ vltionis, alij propter beneuolentiam vt reo contra iuſtitiam fauerent ſatagebant, vt in Iudices potiſſimùm legerentur: *Rurſus deinde,* verba ſunt Aſconij, *Pompeius in Conſulatu ſecundo, quo hæc oratio dicta eſt, promulgauit, vt ampliſſimo ex cenſu, ex centuriis, aliter quàm antea lecti Iudices, æquè tamen ex illis tribus ordinibus, res iudicarent.* Quò ni fallor illa ſpectant, quæ à Sigonio referuntur,

Iudices lecti ex cenſu.

Plinij in proœmio tit. 14. *Poſteris laxitas mundi, & rerum amplitudo damno fuit, poſtquam Senator cenſu legi cœptus, iudex fieri cenſu.* Senecæ Rhet. *cenſu in foro Iudex legitur.* Tullij Philipp. 1. *In Iudice ſpectari & fortuna debet & dignitas.* Sed Sigonius conſulatur, ex quo hanc enumerationem iudiciarum legum excerpſimus.

Statuit verò Pompeius, vt Iudices ex cenſu legerentur, quia pauperes facilius eſt pecunia corrumpere: qualis conſeſſus iudicum in cauſsâ Clodij primo libro ad Atticum ep. 13. *Maculoſi Senatores, nudi equites, Tribuni non tam ærati, quàm vt appellantur, ærarij.*

INVITVS INVITABIT.] Plautus in triumno ſc. 1.

Inuitus me inuitet vt faciam.

AXIOMA.

Iudicare debent quos lex ipſa, non quos hominum libido delegerit.

ARGVMENTVM.

Probat exemplis in vtramque partem, neque damnationem & exilium inter res malas, neque abſolutionem inter res bonas eſſe numerandam, quòd P. Rutilius Rufus, & Luc. Opimius damnati fuerint, Catilina & Clodius abſoluti.

XCV. EQVIDEM, vt paulò antè dixi, non eadem ſupplicia eſſe in hominibus exiſtimo, quæ fortaſſe plerique, damnationes, expulſiones, neces: denique nullam mihi pœnam videtur habere id, quod accidere innocenti, quod forti, quod ſapienti, quod bono viro, & ciui poteſt. Damnatio iſta, quæ in te flagitatur, obtigit P. Rutilio, quod ſpecimen habuit hæc ciuitas innocentiæ. maior mihi iudicium & Reipub. pœna illa viſa eſt, quàm Rutilij. Luc. Opimius eiectus eſt à patriâ, is, qui Prætor, & Conſul maximis Rempubl. periculis liberarat; non in eo, cui facta eſt iniuria, ſed in iis, qui fecerunt, ſceleris ac conſcientiæ pœna permanſit. At contrà bis Catilina abſolutus: emiſſus etiam ille auctor tuus prouinciæ, cùm ſtuprum Bonæ Deæ puluinaribus intuliſſet. Quis fuit in tanta ciuitate, qui illum inceſto liberatum, non eos, qui ita iudicarunt, pari ſcelere adſtrictos arbitraretur?

EXPLANATIO.

EQVIDEM.] Poſtquàm oſtendit ſibi accuſationis materiam non deeſſe, cauſſam reddit cur nolit diem dicere: quia nimirum damnatio non eſt propriè ſupplicium, quæ poteſt etiam innocenti contingere.

VT PAVLÒ ANTE DIXI.] A numero 42. ad 45. conſulatur.

QVÆ FORTASSE PLERIQVE.] Eorum qui ſolis ſenſibus bona & mala metiuntur. addit *fortaſſe* modeſtiæ cauſſa ne facilè alios damnare videatur.

NVLLAM MIHI POENAM.] Probat Piſonem, etiamſi damnationem & iudicium euadat, non tamen pœnam & ſupplicium euadere, quia damnatio non eſt pœna. probat autem non eſſe pœnam hoc ſyllogiſmo.

Non eſt pœna quod poteſt accidere innocenti.
Sed damnatio poteſt accidere innocenti.
Ergo damnatio non eſt pœna.

Maior conceptis verbis exprimitur, *equidem*, &c. *& ciui poteſt.* & ſuperiùs à §. 42. ad 45. probata ſupponitur. aſſumptio non exprimitur quidem ita difertè, ſed in ſua probatione liquidò continetur.

Quod accidit Rutilio & Opimio poteſt accidere innocenti.
Sed damnatio accidit Rutilio & Opimio.
Ergo damnatio poteſt accidere innocenti.

QVÆ IN TE FLAGITATVR.] Quam leges ipſæ tibi pro ſuo iure in ſceleratos petunt inferri. quam vexata & lacerata prouincia, quam hoſpites violati, quam malè tractatus exercitus tibi inferri deſiderant.

IVDICVM.] Qui ſe tam immani ſcelere obligabant.

REIPVBL.] Quæ homines tam iniquos & nefarios ſinebat iudicare. de Rutilio vide Notas.

QVI PRÆTOR.] In hunc locum Aſconius: *Notum eſt Opimium in prætura fregellas cepiſſe: quo pacto viſus eſt cæteros quoque nominis Latini ſocios male animatos repreſſiſſe, eundémque in Conſulatu Fuluium Flaccum Conſularem, & Caium Gracchum Tribunitium oppreſſiſſe: ob quam inuidiam poſtea iudicio circumuentus eſt, & in exilium actus.* Hæc ille, atque his verbis ſuum commentarium terminauit.

NON IN EO.] Non in Luc. Opimio, qui per iniuriam damnatus eſt, *ſed in iis* iudicibus qui iniuſtè damnarunt, hæſit pœna.

AT CONTRA BIS CATILINA ABSOLVTVS.] Semel de incœſtu cum Fabia Veſtali. iterum de repetundis ex Africa. Vide Notas.

EMISSVS ETIAM ILLE AVCTOR.] Etiam Publius Clodius, qui lege ſua auctor fuit, vt tibi Macedonia prouincia decerneretur, abſolutus, & è legum iudiciorúmque laqueis, quibus implicatus tenebatur, inſtar beſtiæ cuiuſdam ad vexandam lacerandámque Remp. emiſſus eſt. ſic pro Milone, eundem Clodium *belluam iudiciorum laqueos declinantem* appellat.

CVM STVPRVM.] Cùm domum Cæſaris in habitu fidicinæ ingreſſus eſſet, vt Pompeiam Cæſaris coniugem cum cæteris matronis Bonæ Deæ ſacra facientem in ipſis Deæ puluinaribus conſtupraret.

QVIS FVIT IN TANTA CIVITATE.] In qua propter celebritatem & frequentiam neceſſe eſt multos nefarios reperiri, qui hoc iudicium non improbarent, eandem ſibi expetentes impunitatem, niſi tam infame fuiſſet illud ſcelus, vt ipſa loqueretur.

PARI SCELERE ADSTRICTOS.] Quos P. Clodius matronarum & puerorum perductione corruperat, & eodem incœſtus ſcelere obligarat.

NOTÆ.

I. BONO VIRO ET CIVI.] Vide Vatinianam 40. Vbi multis exponimus, quæ ſit inter *bonum virum*, & *bonum ciuem* diſtinctio. De his pulcherrimè Arrianus libro ſecundo diſſert. Epicteti cap. 10. Σκέψαι τίς εἶ. τὸ πρῶτον ἄνθρωπος, τοῦτο δ' ἔστιν οὐδὲν ἔχων κυριώτερον προαιρέσεως. Conſidera qui ſis. *Primùm cogita te hominem eſſe, quod ipſum eſt nihil habere principalius arbitrio.* Ἐπὶ τούτοις, πολίτης εἶ τοῦ κόσμου, καὶ μέρος αὐτοῦ. *Super hæc, ciuis es mundi, adeóque particula ipſius.* Τίς οὖν ἐπαγγελία πολίτου; μηδὲν ἔχειν ἰδίᾳ συμφέρον, περὶ μηδενὸς βουλεύεσθαι, ὡς ἀπόλυτον· ἀλλ' ὥσπερ ἂν εἰ ἡ χεὶρ, ἢ ὁ πούς λογισμὸν εἶχον, καὶ παρηκολούθουν τῇ φυσικῇ κατασκευῇ, οὐδέ ποτ' ἂν ἄλλως ὥρμησαν, ἢ ὠρέχθησαν, ἢ ἐπανενεγκότες ἐπὶ τὸ ὅλον, &c. *Quæ eſt igitur ciuis profeßio? Nihil habere priuatim duntaxat utile, de re nullâ conſilium capere tanquam ab aliorum conſortio ſeparatum: ſed perinde ac ſi manus aut pes rationis eſſent compotes naturæque ſuæ propenſionem ſequerentur, nunquam ſe ad motum vel incitarent, vel quicquam appeterent, niſi totius corporis habitâ ratione.* Ita verti quòd Iacobus Scegkius interpres non videatur auctoris ſenſum attigiſſe.

II. P.Rutilij laus & exilium. PVB. RVILILIO.] Pub. Rutilius, vt ait Noſter in Bruto, *Doctus vir & Græcis litteris eruditus, Panætij auditor, prope perfectus in Stoicis*, &c. *cùm innocentiſſimus in iudicium vocatus eſſet, quo iudicio conuulſam penitus ſcimus eſſe Rempub. cùm eſſent eo tempore eloquentiſſimi viri Luc. Craſſus & M. Antonius Conſulares, eorum adhibere, neutrum voluit, dixit ipſe pro ſe.* Cauſſam autem qua & accuſatus, & damnatus eſt ſic explicat epitome Liuiana libro 7. *P. Rutilius vir ſummæ innocentiæ, qui legatus Qu. Mutij Proconſulis à Publicanorum iniuriis Aſiam defenderat, inuiſus equeſtri ordini, penes quem iudicia erant, repetundarum damnatus, in exilium miſſus eſt.* Eum autem Smyrnæ exulaſſe tradit Noſter oratione pro Balbo 28. addítque eum factum fuiſſe ciuem illius ciuitatis. porro de huius Rutilij virtutibus, tum alij multa litteris prodiderunt, tum Noſter pro Rabirio Poſthumo 27. *Ergo ille Pub. Rutilius, qui documentum fuit hominibus noſtris virtutis, antiquitatis, prudentiæ, conſularis homo ſoccos habuit, & pallium.* Velleius libro ſecundo: *Quippe eam poteſtatem nacti equites Gracchanis legibus, cùm in multos clariſſimos, atque innocentiſſimos viros ſæuiſſent, tum P. Rutilium virum non ſeculi ſui, ſed omnis æui optimum, interrogatum lege repetundarum, maximo cum gemitu ciuitatis damnauerant.* Sed de Rutilio vide Senecam conſolatione ad Marciam 22. lib. 1. de tranquill. vitæ 15. de vita beata 18. ep. 24. *Damnationem ſuam Rutilius ſic tulit, tanquam nihil illi moleſtum eſſet aliud, quàm quòd malè iudicaretur. exilium Metellus fortiter tulit, Rutilius etiam libenter: alter vt rediret Reip. præſtitit: alter reditum ſuum Syllæ negauit, cui nihil tunc negabatur.* Item ep. 79. aliis 80. *Rutilij innocentia ac virtus lateret, niſi accepiſſet iniuriam: dum violatur, effulſit.* Sed idem libro de prouidentia expreſſiùs ad Ciceronem, vbi ironicè infelicem appellat. *Infœlix eſt Rutilius, quod qui illum damnauerunt, cauſſam dicent omnibus ſeculis quòd æquiore animo paſſus eſt ſe patriæ eripi, quàm ſibi exilium: quòd Syllæ Dictatori ſolus aliquid negauit, & reuocatus non tantùm retrò ceßit, ſed longiùs fugit: Viderint: inquit, hoc iſti quos Romæ deprehendit fœlicitas tua.*

LVC. OPIMIVS.] De damnatione Opimij noſter pro Sextio. III. Opimij damnatio. *Præclarè vir de Rep. meritus Lucius Opimius indigniſſime concidit, cuius monumentum celeberrimum in foro, ſepulchrum deſertißimum in littore Dyrrhachino relictum eſt. atque hunc tamen flagrantem inuidia propter interitum C. Gracchi, ſemper ipſe populus Rom. periculo liberauit: alia quædam ciuem egregium iniqui iudicij procella peruertit.* Cauſſam autem damnationis eam fuiſſe puto quam bello Iugurthino narrat Salluſtius. *Decretum fit, vti decem legati regnum, quod Micipſa obtinuerat, inter Iugurtham & Adherbalem diuiderent, cuius legationis princeps fuit Luc. Opimius, homo clarus & tum in Senatu potens, quia Conſul C. Graccho & M. Fuluio interfectis acerrimè vindictam nobilitatis in plebem exercuerat. Eum Iugurtha, tametſi Romæ in amicis habuerat, tamen accuratißimè recepit: dando & pollicendo multa perfecit, vti famæ, fidei, poſtremo omnibus ſuis rebus commodum Regis anteferret.* Sed vide Notas in locum citatum Sextianæ.

BIS CATILINA ABSOLVTVS.] Quærat quiſpiam cur in eos qui Rutilium & Opimium damnarant, & Clodium abſoluerant, tam IV. Abſolutio Catilinæ. acriter inuehatur: de iis nihil dicat à quibus Catilina eſt abſolutus. Feneſtella apud Aſconium oratione contra Catilinam & Antonium competitores, defenſum Catilinam tradit à Cicerone. quod ex ipſo Tullio probari poteſt, epiſtola ad Atticum 2. *Hoc tempore Catilinam competitorem noſtrum defendere cogitamus, ſumma accuſatoris voluntate. ſpero ſi abſolutus erit coniunctiorem nobis fore in ratione petitionis: ſin aliter acciderit, humaniter feremus.* Contra pro aris & focis contendit, & Iouem lapidem iuraret Aſconius Catilinam à Tullio non fuiſſe defenſum. eo maximè argumento, quòd dixerit in togâ candidâ: *In iudiciis quanta vis eſſet, didicit cùm eſt abſolutus. ſi aut illud Iudicium, aut illa abſolutio nominanda eſt.* Item: *O miſer qui non ſentias illo iudicio te non abſolutum, verùm ad aliquod ſeuerius iudicium, ac maius ſupplicium reſeruatum.* Rem in medio relinquo: ſi tamen abſolutus eſt patrocinio Ciceronis, liquidiùs patet, cur in iudices inuidiam deriuet: ne videlicet ſuum ipſius patrocinium damnare videatur. Catilina autem, vt verbis vtar Aſconij: *Cùm rediſſet ex Africa Torquato & Cotta Conſulibus accuſatus eſt repetundarum à P. Clodio adoleſcente.* Item: *Iudicium quoque ſecutum repetundarum, à quo ipſe per infamiam liberatus eſt Catilina, ſed ita vt Senatorum vrna damnaret, equitum & Tribunorum abſolueret.*

Iam vt ad aliud iudicium veniamus, in promptu cauſſa eſt, cur Iudices non damnet à quibus Catilina fuerat abſolutus. Noſter in toga candida. *Hanc tu habes dignitatem, qua fretus me contemnis ac deſpicis, an eam, quam reliquâ vitâ es conſecutus? cùm ita vixiſti vt non eſſet locus tam ſanctus, quò non aduentus tuus, etiam cùm culpa nulla ſubeſſet, crimen afferret.* In quem locum Aſconius: *Fabia Virgo Veſtalis cauſſam inceſti dixerat,*

cum ei Catilina obiiceretur: erátque abſoluta hæc Fabia. Quia ſoror erat Terentiæ Ciceronis, ideo ſic dixit, Etiamſi culpa nulla ſubeſſet. ita & ſuis pepercit, & nihilò leuiùs inimico ſummi opprobrij turpitudinem obiecit. Non damnat igitur hanc abſolutionem, ne Fabiam Terentiæ ſuæ ſororem incœſti damnare videatur. quare non arridet eorum coniectura, qui ad arbitratum neſcio quid inter hæc duo vocabula *abſolutus*, *emiſſus* interſerunt.

V. EMISSVS ETIAM ILLE AVCTOR.] De fœditate iudicij, quo P. Clodius inceſti reus abſolutus eſt, plura diximus ad Sextianam §. 89. *Hoc enim accuſante priſtini illius iudicij ſui turpitudinem deſperabat.* Quam nos ex libro 1. epiſt. ad Atticum, & epiſtola Senecæ 97. oſtendimus. adde ex Seneca loco proximè laudato. *Hi Iudices Clodiani à Senatu petierant præſidium, quod non erat niſi damnaturis neceſſarium, & impetrauerant. Itaque eleganter illis Catulus abſoluto reo: Quid vos, inquit, præſidium à nobis petebatis? An ne nummi vobis eriperentur? inter hos tamen iocos impune tulit ante iudicium adulter, in iudicio leno, damnationem peius effugit, quàm meruit. Quicquam fuiſſe corruptius illis moribus credis, quibus libido non ſacris inhiberi, non iudiciis poterat? quibus in ea ipſa quæſtione quæ extra ordinem Senatuſconſulto exercebatur, plus quàm quærebatur, admiſſum eſt? Quærebatur an poſt adulterium aliquis tutus poſſet eſſe, apparuit ſine adulterio tutum eſſe non poſſe. hoc inter Pompeium & Cæſarem, inter Ciceronem Catonémq; commiſſum eſt.* Vides quanti faciat Ciceronem quem cum ipſo Catone componit. ſubdit aliquantò pòſt. *Credat hoc quiſquam? qui damnabatur vni adulterio abſolutus eſt multis. omne tempus Clodios, non omne Catones feret.* Sed iam fortaſſe plura ex vno ſcriptore, quàm nonnulli minutiarum amatores fortaſſe probent. Ego verò teſſellatum opus & emblemate vermiculato compoſitum ita demum probo. ſi quadratis & ingentibus lapidibus ſubſtructum ſolidetur. & quamuis apis Matinæ more modóque operoſæ paruus commentaria fingam: non tamen is ſum qui poſſim noua & noua ſingulis: ſubinde lineis ſubminiſtrare: nec ex omnibus ſcriptorum omnium chartis,

Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem decerpimus aurea dicta,
Aurea perpetua ſemper digniſſima vita.

BONÆ DEÆ.] Græcis γυναικεία θεὸς, Dea muliebris, quòd ad ſua ſacrificia marem nullum admitteret: vnde & ſtupri atrocitas augetur. vide quæ modo dicebamus ex Seneca. Tullius de Haruſpicum reſponſis de ſacro Bonæ Deæ. *Fit ei Deæ, cuius ne nomen quidem viros ſcire fas eſt.* Macrobius 1. Saturnal. cap. 12. *Hæc apud Græcos θεὸς γυναικεία dicitur, quam Varro Fauni filiam tradidit adeo pudicam vt extra γυναικωνῖτιν nunquam ſit egreſſa, nec nomen eius in publico fuerit auditum: nec virum vnquam viderit, aut à viro viſa ſit: propter quod nec vir templum eius ingreditur.* Sed de ſacris Bonæ Deæ Macrobius ibidem, Plutarchus in Cæſare, Cicerone duobus in locis, in quæſtionibus Romanis, & alij conſulantur: nobis vnus Arnobij locus libro 5. ſuffecerit. *Fœdam igitur fatuam. Bona quæ dicitur Dea tranſeamus, quam myrteis cæſam virgis, quòd marito neſciente ſeriam vini ebiberit plenam Sextus Clodius indicat ſexto de Diis Græco, ſignúmque monſtrari, quòd cùm ei diuinam rem mulieres faciunt, vini amphora conſtituatur obiecta: nec myrteas fas eſt inferre verbenas, ſicut ſuis ſcripſit in cauſalibus Butas.* De puluinaribus dicemus nonnihil Philipp. 2. VI. Bona Dea.

AXIOMATA.

Nullam pœnam habet id, quod accidere innocenti, quod forti, quod ſapienti, quod bono viro & ciui poteſt.

Non in eo cui fit iniuria, ſed in iis qui faciunt ſceleris ac conſcientiæ pœna remanet.

Qui nocentem abſoluunt, pari ſcelere ſe adſtringunt.

ARGVMENTVM.

Magna ſermonis vbertate, & copioſo velut æſtu verborum, criminibus quæ tota pene oratione diſperſa fuerant, in vnum cumulum conglobatis, oſtendit Piſonem omnium mortalium ſententiis eſſe damnatum.

XCVI. AN ego expectem, dum de te quinque, & ſeptuaginta tabellæ diribeantur, de quo iampridem omnes mortales omnium generum, ætatum, ordinum iudicauerunt? quis enim te aditu, quis vllo honore, quis denique communi ſalutatione dignum putet? omnes memoriam conſulatus tui, facta, mores, faciem denique, ac nomen à Repub. deteſtantur. legati, qui vnà fuêre, alienati: tribuni militum, inimici: centuriones, & ſi qui ex tanto exercitu reliqui milites exſiſtunt, non dimiſſi abs te, ſed diſſipati, te oderunt, tibi peſtem exoptant, te execrantur. Achaia, exhauſta: Theſſalia, vexata: laceratæ Athenæ: Dyrrhachium & Apollonia, exinanita: Ambracia, direpta: Parthini, & Bullienſes, illuſi: Epirus, excisa: Locri, Phocij, Bœotij, exuſti: Acarnania, Amphilochia, Perrhæbia, Athamanúmque gens, vendita: Macedonia, condonata barbaris: Ætolia, amiſſa: Dolopes, finitimique montani, oppidis, atque agris extermi-

nati: ciues Romani, qui in iis locis negotiantur, te vnum, ſolum, ſuum depeculatorem, vexatorem, prædonem, hoſtem, veniſſe ſenſerunt.

EXPLANATIO.

AN EGO EXPECTEM.] Quid opus eſt ad damnationem tuam iudicum ſententiam expectare, dum tabellæ, quæ abſoluunt, ab iis quæ damnant? à ſe inuicem ſeparentur

DE QVO OMNES.] Nota expolitionem copioſam & pulcherrimam, qua hic ſyllogiſmus vno enthymemate incluſus continetur.

Non eſt flagitanda in eum peculiaris damnatio, quem omnes condemnant.

Sed te omnes condemnant.

Ergo damnatio non eſt in te flagitanda.

Concluſio primùm locum obtinet, aſſumptio per inductionem fusè probatur, maior propoſitio ſubticetur, vel ſaltem illis verbis, *de quo omnes* &c. *iudicauerunt*, inuoluitur.

QVIS ENIM.] Prima aſſumptionis probatio eſt à conſequentibus.

Omnes eum condemnant quem nemo honore aut ſalutatione dignum putat.

Sed nemo te honore aut ſalutatione dignum putat.

Ergo omnes te condemnant.

Nota quemadmodum percunctationem affirmationibus permiſceat, vt vibratior & intenſior contorqueatur oratio.

COMMVNI SALVTATIONE.] Quam etiam ignoti ignotis impertiunt.

OMNES MEMORIAM.] Vide §. 64. & 45.

FACIEM.] Supercilium & Diis iratam frontem.

DETESTANTVR.] Tanquam malum auſpicium.

LEGATI.] Quorum optimus quiſque eſt à te violatus. 88. vt Luc. Valerius Flaccus, & Q. Martius, quorum neuter obuiam redeunti tibi progreſſus eſt. 54.

TRIBVNI MILITVM.] 88. Tribuni militum non recepti.

CENTVRIONES.] Quorum dignitatem palàm vendidiſti. ibidem.

EX TANTO EXERCITV.] Qui vt dicitur de Prouinciis Coſſ. 5. *Superbiſſimo delectu & duriſſima conquiſitione collectus, omnis interiit*, & ferro, fame, peſtilentia vaſtatus eſt.

ACHAIA EXHAVSTA.] De centum talentis Achæorum ſuperiùs. pro Sextio, Piſonem ait, *Thracibus & Dardanis primùm pacem maxima pecunia vendidiſſe: deinde, vt illi pecuniam conficere poſſent, vexandam his Macedoniam, & ſpoliandam tradidiſſe*, &c. *cogere pecunias maximas à Dyrrhachinis, ſpoliare Theſſalos, certam Achæis in annos ſingulos pecuniam imperauiſſe.*

PARTHINI ET BVLLIENSES.] Abrahamus Ortelius. *Partheni Plinio, Parthini Polybio, Pomponio, & Dioni, Illyrici populi, quos hodie Raguſienſes appellare licebit.* In quibus Dio & Mella, vt idem alibi teſtatur, ponunt Epidaurum. Idem Bullis, Βυλλὶς Ptolemæo Macedoniæ vrbs, Βυλὶς Stephano, Bullidenſis coloniæ Plinio. Βυλλίονες Straboni. quos idem Ortelius in Illyrico poſuit. v. *Bellidenſes.*

EPIRVS.] Chaoniam olim dictam dicit Martianus Capella Oriciam & Dodonam appellatam ſcribit ex Dionyſio, & Thraſybulo Gerbelius. Epirum hodie *Albania* vocari ſcribunt Leāder & Erythræus. Larta Richerius & Æneas Silvius. Ianna nuncupari Caſtaldus ait.

LOCRI.] Locri de quibus hoc loco facit mētionem ſunt Achaiæ populi, quos tum alij, tum Pauſanias Ozolas appellant.

PHOCII.] Phociorum, ſiue Phocæorum aut Phocenſium ſitus à Pauſania in Phocicis fusè deſcribitur. Pauſanias eos Bullidenſibus Theſſalis, Locris, Bœotis vicinos deſcribit. vide. De Bœotiis res eſt notior quàm vt debeam immorari.

ACARNANIA.] Olim Curetis, regiuncula Epiri Plinio & Pauſania auctoribus. Marius Niger ſcribit hodie *Deſpotato* vulgo dici.

AMPHILOCHIA.] Vrbs Ætoliæ Straboni, Liuio & Stephano. Argos Amphilochicum Ptolemæo.

PERRHÆBIA.] Perrhæbi Macedoniæ populi apud Liuium & Strabonem. Ætoliæ apud Plinium. Theſſaliæ apud Stephanum. quæ ſententiarum diuerſitas me adducit, vt credam eos fuiſſe in harum regionum confiniis.

ATHAMANVM.] Athamania regio Illyriæ Stephano, Theſſaliæ Plutarcho, Ætoliæ Plinio.

MACEDONIA CONDONATA BARBARIS.] Thracibus & Dardanis.

FINITIMIQVE MONTANI.] Agrianes qui inter Rhodopen & Æmum montes habitabant, quos ex oppidis ſuis *demigrare, & aras & focos relinquere coëgiſti.*

CIVES ROMANI.] Poſtquam enumerauit externas nationes, quæ Piſonis ſcelus, auaritiam, crudelitatem expertæ ſunt, ſubdit de ciuibus Romanis eadem immanitate violatis. aduerte orationem vberem, & velut è ſuo fonte manantem, quam nulla rerum varietas exhauriat. *Exhauſta, vexata, lacerata, exinanita, direpta, illuſi, exuſti, exciſi, exterminati,* &c.

NOTÆ.

QVINQVE ET SEPTVAGINTA TABELLÆ DIRIBEANTVR.] Poſſent hoc loco tria tractari. Primò de verbo *diribendi* fusè dictum eſt ſuperiùs §. 36. vt enim ibi contra Grucchium oſtendimus diribitionem fieri latis iam à populo ſuffragiis, & *diribere* idem eſſe, atque tabellas ſuffragantes in comitiis à refragantibus ſecernere, earúmque ſubducere rationem: ſic diribere tabellas in iudiciis, non videtur idem eſſe atque ſubminiſtrare tabellas iudicibus, quas in vrnam deinde coniiciant, ſed idem eſſe, atque confecto iudicio, latiſque ſententiis tabellas condemnantes ab abſoluentibus ſeparare, & earum numerum inire. De tabellis iudicum, & eorum vrna pro Milone dicendum eſt. nunc ſatis fuerit notare tres fuiſſe tabularum formas quas neceſſe eſſet à ſe inuicem ſeparari. aliam abſolutionis A, aliam condemnationis C, aliam ampliationis N. L. id eſt NON LIQVET. Quod ſpectat ad numerum iudicum libenter adſcripſerim N. L. Nam ex hoc loco liquere videtur receptum fuiſſe vt ex tribus ordinibus 75. id eſt, è ſingulis viginti

1. Diribere.

Tabellæ iudicum.

quinque iudices legerentur. atque, vt ego arbitror, is numerus lege Pompeia ſtatutus fuerat. nam, cùm lege Aurelia, iudicia fierent, conſtat interdum fuiſſe pauciores. Marcus Tullius ſuam cum Clodio altercationem deſcribens libro ad Atticum 1. epiſt. 13. *Domum, inquit, emiſti, Putas, inquam, dicere, Iudices emiſti? iuranti, inquit, tibi non crediderunt. mihi verò inquam,* XXI. *Iudices crediderunt.* XXXI. *quoniam nummos, antè acceperunt, tibi nihil crediderunt.* alij legunt XXV. & XXX qui numerus habetur apud Plutarchum: Κικέρων δὲ, τοῦ Κλωδίου πρὸς αὐτὸν λέγοντος, ὅτι μαρτυρῶν οὐκ ἔσχε πίστιν παρὰ τοῖς δικασταῖς. ἀλλ' ἐμοὶ μὲν, εἶπεν, οἱ πέντε καὶ εἴκοσι τῶν δικαστῶν ἐπίστευσαν. τοσοῦτοι γάρ σου κατεψηφίσαντο. σοὶ δὲ τριάκοντα οὐκ ἐπίστευσαν. οὐ γὰρ πρότερον ἀπέλυσαν, ἢ ἔλαβον τὸ ἀργύριον. *Cicero dicente Clodio, ipſi teſtimonium dicenti iudices non crediſſe, mihi, inquit, quinque & viginti iudices crediderunt. tot enim te damnarunt: Tibi verò triginta non crediderunt: non enim priùs te abſoluerunt, quàm pecuniam acceperint.* Verùm vt fatear libenter in vtroque legerim, *Mihi* XXV. *crediderunt, tibi triginta quinque nihil crediderunt.* Nam ex illis numeris ſuperiùs allatis conflari non poteſt numerus qui trifariam diuidatur. at XXV. & XXXV. efficiunt LX. qui numerus trifariam diuiſus XX. ex ſingulis ordinibus electos fuiſſe demonſtrat.

Numerus iudicum.

Emendati Cicero & Plutarchus.

II. OMNES MORTALES.] Vide ſupra 77. adde pro Cluentio. *Vbi enim omnes mortales alligat ita loquitur.* QVI VENENVM MALVM FECIT, FECERIT. *omnes viri, mulieres, liberi, ſerui, in iudicium vocantur.* vides nomine mortalium omne genus, ætatem, ordinem comprehendi. ſed hæc cui non comperta ſunt?

Mortales.

III. QVIS ENIM TE ADITV.] Hæc apud Tullium vulgata ſunt. locum indicare ſuffecerit. in Vatinium §. 2. item 36. & 39. hac ipſa oratione. §. 64.

IV. COMMVNI SALVTATIONE.] Quam etiam ignoti ignotis impertiũt, ſine familiaritatis aut amicitiæ peculiaris indicio. Petronius in ſatyrico. *Ne Giton me aut tralatitia propinatione dignum indicabat, aut, quod minimum eſt, ſermone communi vocabat.* Hæc autem communis appellatio erat, vt Dominum & Regem appellarent. Martialis,

Salutatio communis.

Cùm te non noſſem, Dominum, Regémque vocabam,
Cùm bene te noui iam mihi Priſcus eris.

Dominus, Rex.

Seneca epiſtola 3. *Sic illum amicum vocaſti, quomodo omnes candidatos bonos viros dicimus, quomodo obuios ſi nomen non ſuccurrit, dominos ſalutamus.* Tamen in peculiari ſalutatione interdum Dominum dicebant. ſed cum adiecto fratris aut alio eiuſmodi. non illepidum eſt illud Palladæ epigramma lib. 1. Florilegij εἰς κόλακας,

Ἢν ὁ φίλος τι λάβοι, Δόμινε φράτερ, εὐθὺς ἔγραψεν,
Ἢν δ' αὖ μή τι λάβῃ, τὸ φράτερ εἶπε μόνον.
Ὤνια γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα. αὐτὰρ ἔγωγε
Οὐκ ἐθέλω Δόμινε, οὐ γὰρ ἔχω δόμεναι.

Dominus frater.

Reſcribis dominum fratrem cùm munera mitto,
Sed tantùm fratrem cùm tibi mitto nihil.
Nomina nam ſunt hac etiam venalia: verùm
Ne dicar dominus, quando tibi do minus.

In familiari ſermone *fratres* inter ſe plerumque audiebant, amantes præſertim & amicæ, quas etiam *dominas* vocabant. vt in Cœliana 36. iam oſtendimus. Immo etiam quiuis familiares inter ſe ita loquebantur. Iuuenalis ſat. 5.

Frater.

- vis frater, ab illis
Ilibus? ô nummi, vobis hunc præſtat honorem
Vos eſtis fratres.-

Prænomen.

Alias prænomen vſurpabant honoris cauſſâ. Horatius lib. 2. ſat. 5.

Quinte puta aut Publi (gaudent prænomine molles
Auriculæ) tibi me virtus tua fecit amicum.

Cæterùm in quauis ſalutatione duo ſpectanda ſunt. alterum honeſta quædam & honorifica cõpellatio, de qua dictum eſt. alterum fauſta precatio vt *ſaluere* & *valere* iuberent. magnámque cautionem adhibebant, ne alteram pro altera vocem vſurparent. adeò vt cùm in eo ſalutandi genere lapſus eſſet Lucianus, elegantem apologiam conſcripſerit, ex qua viſum eſt nonnulla corradere. Ἀφικόμενος παρὰ σε, ὡς προσείποιμι τὸ ἑωθινὸν, δέον τὴν συνήθη ταύτην φωνὴν ἀφεῖναι, καὶ χαίρειν κελεύειν, ἐγὼ δ' ὁ χρυσοῦς ἐπιλαθόμενος ὑγιαίνειν σε ἠξίουν. εὔφημον δὲ καὶ τοῦτο, οὐκ ἐν καιρῷ δὲ, ὡς οὐ κατὰ τὴν ἕω. ἐγὼ μὲν οὖν καὶ τοῦτο εὐθὺς ἵδρου τε καὶ ἠρυθρίων, καὶ παντοῖος ἦν ὑπ' ἀπορίας. οἱ παρόντες δὲ, οἱ μὲν παρεπαίειν, ὡς τὸ εἰκὸς, οἱ δὲ ληρεῖν ὑφ' ἡλικίας, οἱ δὲ χθεσινῆς κραιπάλης ἀνάμεστον ἔτι ᾤοντό με εἶναι. *Cùm ad te veniſſem vt te matutina ſalutatione impertirem, cúmque oporteret conſuetam vocem emittere & ſaluere iubere: ego ille feſtiuus & ad vnguem factus homo oblitus valere iuſſi. Fauſtum quidem etiam illud, ſed non ſuo tempore prolatum, nec in aurora dicendum. Ego quidem cùm primùm aduerti pudore ſuffuſus, quo me verterem non habebam. at qui aderant, alij inſanire, vt par erat, alij delirare per ætatem, alij heſternâ crapula plenum adhuc eſſe arbitrabantur.* Oſtendit tamen antiquitus iſtam diſtinctionem non fuiſſe. Τὸ μὲν δὴ χαίρειν ἀρχαία μὲν ἡ προσαγόρευσις. οὐ μὴν ἑωθινὴ μόνον, οὐδὲ ἀπὸ τὴν πρώτην ἔντευξιν, ἀλλὰ καὶ πρότερον μὲν ἰδόντες ἀλλήλους ἔλεγον αὐτὸ, ὡς τὸ

Salue.

Vale.

Χαῖρ' ὦ δυνάστα τῆσδε γῆς Τιρυνθίας.

καὶ μετὰ τὸ δεῖπνον εἰς λόγους ἤδη παροινίους τρεπόμενοι, ὡς τὸ

Χαῖρ' Ἀχιλεῦ, δαιτὸς μὲν ἐΐσης οὐκ ἐπιδευεῖς.

Ὀδυσσεὺς, ὁπότε τὴν ἐπισταλμένην πρεσβείαν αὐτῷ ἐρρητόρευε. καὶ ἤδη ἀπιόντες παρ' ἀλλήλων, ὡς τό.

Χαίρετ' ἐγὼ δ' ὕμμιν θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός.

ἴδιος δὲ καιρὸς οὐδεὶς ἀπενενέμητο τῇ προσρήσει. *Saluere vetus eſt ſalutationis formula, non matutina ſolùm, neque ad primos congreſſus, ſed & cùm primùm ſe viderent ita dicebant, vt,*

Salue dynaſta ſceptra Tirynthi regens.

& poſt cœnam cùm iam ad confabulationes temulentas ſe conuerterent, vt

Salue nate Dea, non deſunt fercula menſis.

inquit Vlyſſes ſuam illam legationem obiens. Item cùm diſceſſum à ſe inuicem adornarent, vt illud Empedoclis,

Saluete, à vobis Deus immortalis habebor,
Nec poſt hac mortalis ero.

Nullum verò certum tempus huic ſalutationi erat conſtitutum. Mireris quàm multa in rem adeò tenuem congeſſerit. Plato ſaluere nolebat, ſed valere: Pythagoras Valere ſcribebat in principio litterarum: Καὶ τί σοι τοὺς παλαιοὺς λέγω; ἐπεὶ καὶ Ἐπίκουρος ἀνὴρ πάνυ χαίρων τῷ χαίρειν, καὶ τὴν ἡδονὴν πρὸ ἁπάντων αἱρούμενος ἐν ταῖς σπουδαιοτέραις ἐπιστολαῖς, εἰσὶ δ' αὗται ὀλίγαι, καὶ ἐν ταῖς πρὸς τοὺς φιλτάτους μάλιστα ὑγιαίνειν εὐθὺς ἐν τῇ ἀρχῇ προσάπτει. *Quid antiquos commemoro? quandoquidem ipſe etiam Epicurus ſaluere*

ſaluere & gaudere cupiens vt qui maximè & voluptatem cæteris omnibus anteponens, in epiſtolis maximè ſeriis, ſunt autem pauca huiuſmodi, & in iis quas ad amiciſſimos deſtinat, ſtatim in principio valere iubet. Alexis Comicus,

Ὦ δέσποθ' ὑγίαινε ὡς χρόνιος ἐλήλυθας.
O here valeto tempore poſt longo venis.

Item Achæus:

Ἥκω πεπραγὼς δεινά, σὺ δ' ὑγίαινέ μοι.
Venio peractis facinoribus ingentibus,
At tu valeto.

Nonnullas hiſtorias deinde ſubtexit, vt quòd Alexandrum, quo die Darium in Iſſo ſuperauit, Hephæſtion valere iubens mane ſalutarat. quòd Antiochus Soter Galatas nobili victoria fudit in ſomnis ab Alexandro monitus, vt pro teſſera militibus *Vale* indiceret. quòd Ptolemæus Lagi in litterarum principio *Valere* iubebat, in fine *Saluere.* Quanquam hæc & parum attinent, & minor eſt in Latina ſalutatione diſtinctio: nam χαίρειν, εὖ πράττειν, ὑγιαίνειν diuerſa ſunt. at *ſalue* & *vale* ſi propriè loquamur, ad eandem pertinent ſanitatem. Plautus in Truculento, ſc. 2. act. 2.

Salue. Satis mihi eſt tuæ ſalutis, nihil moror, non ſalueo,
Ægrotare malo, quàm eſſe tua ſalute ſanior.

vnde & Maro 11. Æneidos ſalutationem vtramque coniunxit.

-Salue æternum mihi maxime Palla
Æternúmque vale.

Dicebant etiam ἔρρωσο, & ἔρρωσθε, quòd modò in bonam, modò in malam partem capiebatur. Phalaris epiſtola quadam ad Meſſenios. ἔρρωσθε. τὸ δ' ἔρρωσθε διπλῆν παρέμφασιν ἔχον ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ, μὴ ἀγνοεῖτε ὅτι πρὸς τὸ χεῖρον γέγραπται. *Valete. Valete verò cum duplici ſenſu, & in partem vtramque capiatur, ſcitote me ſcripſiſſe in peiorem.* Sic Tullius in Tuſculanis, *Valeat, Valeat igitur Epicurus.* & paſſim Græci μακρὰ χαίρειν.

DEPECVLATOREM.] Feſtus: *Peculatus, furtum publicum dici cœptus eſt à pecore, quia ab eo initium fraudis eſſe cœpit. ſiquidem ante æs aut argentum ſignatum ob delicta pœna grauiſſima erat duarum ouium & triginta boum. Eam legem ſanxerunt Titus Menenius Lanatus, & Seſtius Capitolinus Conſules. quæ pecudes poſtquam ære ſignato vti cœpit populus Romanus, Tarpeia lege cautum eſt, vt bos centuſſis, ouis decuſſibus æſtimaretur.* libenter legerem *duorum ouium*, ex Gellio cap. 1. lib 11. Noct. Attic. V. Peculatus.

VEXATOREM.] Vide Vatinianam 7. VI.

PRÆDONEM.] Supra 24. VII.

ARGVMENTVM.

Oſtendit Piſonem ſuæ ipſius conſcientiæ iudicio eſſe damnatum, & per recapitulationem reliqua eiuſdem crimina coaceruat.

AD horum omnium iudicia tot atque tanta, domeſticum iudicium acceſſit ſententiæ damnationis tuæ: occultus aduentus, furtiuum iter per Italiam, introitus in vrbem deſertus ab amicis, nullæ ad Senatum è prouinciâ litteræ, nulla ex trinis æſtiuis gratulatio, nulla triumphi mentio: non modò quid geſſeris, ſed ne quibus in locis quidem fueris, dicere audes. Ex illo fonte, & ſeminario triumphorum cùm arida folia laureæ retuliſſes: cùm ea abiecta ad portam reliquiſti: tum tu ipſe de te, FECISSE VIDERI, pronuntiauiſti: qui ſi nihil geſſeras dignum honore, vbi exercitus? vbi ſumptus? vbi imperium? vbi illa vberrima ſupplicationibus, triumphíſque prouincia? ſin autem aliquid ſperare volueras, ſi cogitaras id, quod Imperatoris nomen, quod laureati faſces, quod illa tropæa plena dedecoris, & riſus te commentatum eſſe declarant: quis te miſerior, quis te damnatior, qui neque ſcribere ad Senatum, à te benè Rempub. eſſe geſtam, neque præſens dicere auſus es? XCVII.

EXPLANATIO.

AD HORVM.] Præter iſtos omnes ſuperiùs enumeratos, quorum iudicio damnatus es propria te conſcientia damnauit.

Qui nec audet ſcribere ad Senatum, nec triumphi facere mentionem ſe ipſe condemnat.

Sed tu nec auſus es ſcribere ad Senatum, nec triumphi facere mentionem.

Ergo teipſum damnaſti.

Maior ſupplenda eſt: concluſio primum locum occupat, cui aſſumptio ſubiungitur.

OCCVLTVS ADVENTVS.] 93. *Nocte intempeſta, crepidatus, veſte ſeruili, nauem conſcendit, Brunduſiúmque vitauit, & vltimas Adriani maris oras petiuit.*

FVRTIVVM ITER PER ITALIAM.] 53. *Qua veneris cum laureatis tuis lictoribus quis ſcit? quos tum mæandros dum omnes ſolitudines perſequeris, quæ diuerticula, flexionéſque quæſiſti? quod te municipium vidit? quis amicus inuitauit? quis hoſpes adſpexit? nónne tibi nox erat pro die? non ſolitudo pro frequentia? caupona pro oppido?* &c.

INTROITVS IN VRBEM DESERTVS AB AMICIS.] Vide 54. *Quid enumero qui tibi obuiam non venerint, qui dico veniſſe pæne neminem ne de officioſiſſima quidem natione candidatorum, cùm vulgo eſſent & illo ipſo, & multis antè diebus admoniti & rogati.*

NVLLÆ AD SENATVM E PROVINCIA LITTERÆ.] Vide à §. 38. ad 42.

NVLLA TRINIS ÆSTIVIS GRATV-

LATIO.] Supplicatio Diis decreta in gratiarum actionem, æſtiuorum autem meminit quod æſtas ſit accommodatior rebus gerendis.

NVLLA TRIVMPHI MENTIO.] Vide à 55. ad 64.

EX ILLO FONTE.] Ex Macedonia: *Quæ tantis barbarorum gentibus attingitur, vt ſemper Macedonicis Imperatoribus iidem fines prouinciæ fuerint, qui gladiorum.* Ac proinde vt in ea prouincia tanquam in ſeminario quodam plãtarum, lauri triumphales pullularint. cùm, inquam, ex illa prouinca triumphorum adeò ferace reportatam lauream abiecisti, tum de te ipſo tuliſti damnationis ſentẽtiam. Seminarium locus eſt in quo primùm plantæ ſeruntur, antequam viui radices (ſic enim appellant) in aliud ſolum transferantur. iure autem fontem & ſeminarium coniunxit, vt deinde aridæ laureæ folia ſubiũgeret: nam plantæ frequenter irrigatæ fontibus magis reuireſcere debuiſſent.

TVM TV IPSE.] Alij legunt, *Tum tu ipſe de te ſententiam tuliſſe videris, tum iudicium pronuntiauiſti.* Meliùs Lambinus & Turnebus, *Tum tu ipſe de te* FECISSE VIDERI *pronuntiauiſti.* Vide Notas, id eſt, de te ſententiam protuliſti.

QVI SI NIHIL.] Dilemma eſt, quod tamen vix videtur quicquam concludere: cùm membra diuiſionis perfectè non ſint oppoſita.

Vel nihil geſſeras dignum honore, vel aliquid gerere cogitaſti.

Si nihil geſſeras dignum honore, cur tanto ſumptu duxiſti tantum exercitum? ſi aliquid gerere cogitaſti, quid te deſperatius qui nihil auſus fueris ad Senatum reſcribere?

VBI EXERCITVS.] De Prouinciis 5. *Superbiſsimo delectu & duriſsima concluſione collectus.*

VBI IMPERIVM.] Conſulare.

VBI SVMPTVS?] Vbi ſeſtertium ducenties & octogies, id eſt quadringenta quinquaginta millia coronatorum, quæ ex ærario vaſarij nomine acceperas, præter ingentem aliam pecuniam ad ſtipendium militum attributam.

VBI ILLA VBERRIMA.] Ex qua prouincia Titus Flamininus, L. Paulus, Q. Metellus, Tit. Didius, innumerabiles alij triumpharunt. 61. & 38. *Ex qua aliquot prætorio Imperio, Conſulari quidem nemo rediit, qui incolumis fuerit, qui non triumpharit.*

SIN AVTEM.] Altera pars eſt dilemmatis, qua demõſtrat Piſone damnatius nihil eſſe. cùm enim ad triumphi adeptionem omnes Proconſulatus ſui rationes direxiſſe videri poſſet, non tamen auſus fuerat ad Senatum de rebus à ſe geſtis reſcribere. probat autem Piſonem de triumpho cogitaſſe à tribus effectis. 1. quod Imperatoris nomen admiſerit. 54. *quorum tu legatorum* Luc. Flacci, & Q. Marcij *prælio Imperator appellatus eras.* 2. quod poſt legatorum ſuorum victoriam laureatos faſces acceperit. 3. quod tropæa ſibi voluerit excitari.

PLENA DEDECORIS ET RISVS.] Quia non erant monumenta victoriæ, ſed amiſſorum oppidorum, & vaſtatæ prouinciæ.

TE COMMENTATVM.] De triumpho cogitaſſe.

NOTÆ.

I. Domeſticum iudicium.

DOMESTICVM IVDICIVM.] Sic *teſtis domeſticus.* Lucianus in Ioue Tragœdo. Εὖγε, οἴκοθεν ὁ μάρτυς, φασί. *Præclarè ſanè, teſtis domeſticus, vt aiunt.* Iudex domeſticus dici poteſt, vel conſanguinei & amici, vel ipſe Piſo qui ſeipſum conſcientiæ vi coactus damnauerit. vide Cœlianam 55. *ex inimica domo.* Iuuenalis:

Exemplo quodcunque malo committitur, ipſi
Diſplicet auctori, prima eſt hac vltio, quòd ſe Conſcientia.
Iudice nemo nocens abſoluitur, improba quãuis
Gratia fallaci Prætoris vicerit vrna.

SEMINARIO.] Seminarium locus eſt, in quo plantæ ſeruntur priùs, quàm in alium locum, poſt quàm adoleuerint, transferantur. de quo Cato libro de re Ruſtica cap. 46. 47. 48. conſulendus, M. Varro libro 1. de re Ruſtic. cap. 29. *Hæc fieri oportet, ſeminaria, omne genus vt ſerantur, putari in primis, circum vites ablaqueari, radices quæ in ſumma terra ſunt præcidi,* &c. Palladius libro 1. cap 6. *Seminarium mediocri terra inſtituere debemus, vt ad meliorem quæ ſata fuerint, transferantur.* Et in Februario tit. decimo. *Quod ſi arbuſtum te habere delectat, plantam generoſæ vitis priùs in ſeminario nutrire debebis, vt inde radicata transferatur ad ſcrobem cui arbor iniuncta eſt. Seminarium verò dicimus æquè foſſam tabulam pedum duorum ſemis altitudine.* locus opinor corruptus eſt. II. Seminarium.

FECISSE VIDERI PRONVNTIAVISTI.] Hanc Turnebi & Lambini lectionem veteri præpono. eſt enim formula damnationis vſitata. Noſter 4. Acad. poſtremis pene verbis: *Quam rationem maiorum etiam comprobat diligentia, qui primùm iurare ex ſui animi ſententia, quemque voluerunt: deinde ita teneri, ſi ſciens falleret, quòd inſcientia multa verſaretur in vita: tum qui teſtimonium diceret, vt arbitrari ſe diceret, etiam quod ipſe vidiſſet: quæque iurati iudices cognouiſſent, vt ea non eſſe facta, ſed vt videri pronuntiarent.* Verrinâ de ſuppliciis 14. *Comprehendi iuſſit: quis non pertimeſcat? cauſſam dicere dominos. quid ſeruis tam formidoloſum? feciſſe videri pronuntiauit. Exortam videtur flammam paucorum dolore ac morte reſtinxiſſe.* Item de Iuriſdictione Sicilienſi 92. *Vix ille hoc dixerat cùm iſte pronuntiat Sthenium litteras publicas corrupiſſe videri.* Et ne te morer in expedito, Briſſonius lib. 5. formularum in hanc ſententiam multa congeſſit. Nota tantùm eodem reuolui, & illud ex 2. de finibus bonorum & malorum. *Iudices ſolent cùm ſententiam pronuntiant, addere, ſi quid mei iudicij eſt.* Nec tamen animus eſt iſtud exemplum præterire. *Cn. Domitius iudex pronuntiauit, mulierem videri plus vini bibiſſe, quàm valetudinis cauſſâ, viro inſciente, & dote mulctauit.* Ait Plinius libro 14. cap. 13. quam etiam conſuetudinem videntur I. C. diu tenuiſſe. Vlpianus D. de Iure fiſci, l. *Cùm quidam. Reſcriptum eſt non videri in fraudem fiſci factum, quod acquiſitum non eſt.* Licet Martianus ad S. C. Turpilianum, l. *accuſatorum.* hanc formulam in dubium reuocare videatur. nam cùm dixiſſet. *Si quidem ita pronuntiauerit* NON PROBASTI: *pepercit ei. Sin autem pronuntiauit* CALVMNIATVS ES: *condemnauit eum.* Subiecit: *Quæri poſſit ſi ita fuerit interlocutus:* LVC. TITIVS TEMERE ACCVSASSE VIDETVR, *an calumniatorem pronuntiaſſe videatur.* Verùm, vt ex Papiniani reſponſo quod ſubiicitur, liquet, hæc formula non ob particulam *videtur*, ſed ob temerè, mouet quæſtionem.

III. Formula ferendæ ſententiæ.

Videri feciſſe.

QVOD IMPERATORIS NOMEN.] Suprà IV.

38. *Appellatus eſt hic vulturius illius prouinciæ, ſi Diis placet, Imperator.*

V. QVOD LAVREATI FASCES.] Vide ſuprà 53. *laureatis lictoribus.*

VI. QVOD ILLA TROPHÆA.] Vide fusè §. 92.

VII. Bene Reſpub. geſta.

BENE REMPVB. ESSE GESTAM.] Verba ſunt ſolemnia quibus ſupplicationes ſibi decerni poſtulabant. quò noſter iam ſuperiùs alluſerat. 45. *Vt Senatus is, qui in eam iam benignitatis conſuetudinem venit, vt eos qui* BENE REMP. GESSERINT, *nouis honoribus afficiat, & numero dierum & genere verborum.* Philipp. 14. §. 24. *Quamobrem aut ſupplicatio ob* REMP. PVLCHERRIME GESTAM *poſtulantibus veſtris Imperatoribus publicè deneganda eſt, quod præter Gabinium contigit nemini,* &c. Liuius libro 31. *Non homines tantùm ea victoria lætatos, ſed Diis quoque immortalibus per triduum ſupplicationes habitas, quòd bene ac fortiter, non quod male & temere* RESP. *a Luc. Furio Prætore* GESTA ESSET. Libro 41. *Supplicationes decretæ quod is* PROSPERE REMP. GESSISSET. Libro 42. *Supplicationémque quam abſentes ex litteris* DE BENE GESTA REP. *miſſis decernere debuerint.* Tacitus libro 3. annalium. Tiberius, *Id quoque Blæſo tribuit, vt Imperator à legionibus ſalutaretur, priſco erga duces honore, qui* BENE GESTA REP. *gaudio & impetu victoris exercitus conclamabantur.* Idem libro 2. *Et Iano templum, quod apud forum olitorium C. Duillius ſtruxerat, qui primus Rempub. Romanam proſpere mari geſſit.* Lampridius in Alexandro: *His verò qui Remp. bene geſſeran, Conſularia ornamenta decreta ſunt.* Briſſonij formulæ iterum conſulantur.

NEQVE PRÆSENS DICERE.] Non ſolùm litteras laureatas è prouinciis mittebant, quibus ſignificarent à ſe bene geſtam fuiſſe Remp. ſed etiam præſentes de rebus à ſe geſtis dicebant in Senatu extra pomœrium antequam vrbem triumphantes inirent. Liuius libro 48. *Poſt Conſulum profectionem Cn. Manlius Proconſul Romam venit, cui cum ab Seruio Sulpitio Prætore Senatus ad ædem Bellonæ datus eſſet, & ipſe commemoratis rebus abs ſe geſtis poſtulaſſet, vt ob eas Diis immortalibus honos haberetur, ſibique triumphanti vrbem ingredi liceret, contradixerunt pars maior decem legatorum, qui cum eo fuerant.* Item initio libri 39. *Priuſquam Conſules redirent Romam, M. Fuluius Proconſul ex Ætolia rediit: iſque ad ædem Apollinis in Senatu, cùm de rebus in Ætolia Cephaleniáque abs ſe geſtis diſſeruiſſet, petit à Patribus vt æquum cenſerent ob Remp. bene ac fœliciter geſtam, & Diis immortalibus honorem haberi iubere, & ſibi triumphum decerni.* Velleius lib. 1. de Paulo Æmilio: *Is cùm in concione extra vrbem, more maiorum, ante triumphi diem ordinem actorum ſuorum commemoraret.* VIII. Senatus datus triumphaturis.

ARGVMENTVM.

Superiorem illam ſuam ἀνακεφαλαίωσιν inculcans Piſonem magis & magis oſtendit omnium mortalium iudiciis eſſe damnatum.

AN tu mihi, cui ſemper ita perſuaſum fuerit, non euentis, ſed factis, XCVIII. cuiuſque fortunam ponderari, neque in tabellis paucorum iudicum, ſed in ſententiis omnium ciuium, famam noſtram, fortunámque pendêre? te indemnatum videri putas, quem ſocij, quem fœderati, quem liberi populi, quem ſtipendiarij, quem negotiatores, quem publicani, quem vniuerſa ciuitas, quem legati, quem tribuni militares, quem reliqui milites, qui ferrum, qui famem, qui mortem effugerunt, omni cruciatu digniſſimum, putant? cui non apud Senatum, non apud illum ordinem, non apud equites Romanos, non in vrbe, non in Italiâ, maximorum ſcelerum venia vlla ad ignoſcendum dari poſſit? qui ſe ipſum oderit, qui metuat omneis, qui ſuam cauſſam nemini committere audeat, qui ſe ipſum condemnet?

EXPLANATIO.

AN TV MIHI.] Piſo videtur cùm de Marco Tullio in Senatu conqueſtus eſt, huiuſmodi orationem habuiſſe. *Quid eſt, M. Tulli? quod me tot conuitiis & contumeliis appetas in Senatu? ſi quid admiſi, ſi compilaui prouinciam, vt tu affirmas, iudicia ſunt de repetundis conſtituta, nomen mihi defer, ad iudices accerſe: ibi cum legibus mecum agetur, innocentiam meam probabo. quanquam nō ex tabellis paucorū iudicum, ſed ex ſententiis omniū ciuium fama noſtra fortunáque pendet, neque damnatus ille dicēdus eſt quem pauci iudices damnarint, ſed qui ita ſe geſſit vt damnatione dignus eſſet.* Priorem partem refellit noſter fusè à §. 83. ad 95. poſteriorem partem ita veram eſſe confitetur, vt ex eo capite firmum argumentum contra Piſonem accerſat, eúmque probet omnium mortalium iudicio damnatione dignum iudicari. malim tamē cum Lambino duo hæc vocabula *dicere audes* tāquam intruſa eliminare. ſenſus enim longè liquidior erit ſi legamus. *An tu mihi, cui ſemper ita perſuaſum fuerit non euentu, ſed factis cuiuſq; fortunam ponderari, neque è tabellis paucorum iudicū, ſed è ſententiis omn. ciu. f. n. f. q. pendere, te indemnatum videri putas.* quam lectionem ſi ſequamur clarior eſt ſenſus, quam vt neceſſe ſit explicare.

PAVCORVM IVDICVM.] Quinque & ſeptuaginta.

QVEM SOCII.] Ab enumeratione omnium partium probat Piſonem damnatum eſſe omniū mortalium ſententiis. vide Notas, & mirare orationis vbertatem.

Qvi seipsvm oderit.] Bene Lambinus: *Qui teipſum oderis, qui metuas omnes, qui tuam cauſſam nemini committere audeas, qui teipſum condemnes.* ſic enim melius cohærebit oratio.

NOTÆ.

I. Conſilia ſunt conſideranda non euentus rerum.

Non eventis, sed factis.] Elegans ſententia, pro Rabirio Poſthumo I. *Hoc plerumque facimus vt conſilia euentu ponderemus, & cui bene quid proceſſerit multum illum prouidiſſe, cui ſecus, nihil ſenſiſſe dicamus.* hinc prouerbium,

Prudentia.

Vulgus ab euentu facta notanda putat.

huc alludit Fabius Maximus apud Liuium lib. 22. *Nec euentus modò hoc docet: ſtultorum iſte magiſter eſt: ſed eadem ratio quæ fuit, futuráque, donec eædē res manebunt, immutabilis eſt.* Seneca ep. 14. *Initium omnium rerum ſapiens, non exitum ſpectat. initia in poteſtate noſtra ſunt: de euentu fortuna iudicat, cui de me ſententiam non do.* Demoſthenes de Corona: Τὸ μὲν πέρας ὡς ἂν ὁ δαίμων βουληθῇ πάντων γίνεται, ἡ δὲ προαίρεσις αὐτὴ τὴν τοῦ συμβούλου διάνοιαν δηλοῖ. *Euentum, quem Deus voluerit, omnia ſortiuntur, conſilium verò ipſum conſiliarij mentem oſtendit.* Εἰ δ' ὁ συμβὰς σκηπτὸς, ἢ χειμὼν μὴ μόνον ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ πάντων τῶν ἄλλων Ἑλλήνων μείζων γέγονε, τί χρὴ ποιεῖν; ὥσπερ ἂν εἴ τις ναύκληρον πάντα ἐπὶ σωτηρίᾳ πράξαντα, καὶ πᾶσι κατασκευάσαντα τὸ πλοῖον, ἀφ' ὧν ὑπελάμβανε σωθήσεσθαι, εἶτα χειμῶνι χρησάμενον, καὶ πονησάντων αὐτῷ τῶν σκευῶν, ἢ καὶ συντριβέντων ὅλως, τῆς ναυαγίας αἰτιῷτο. ἀλλ' οὔτ' ἐκυβέρνων τὴν ναῦν, φήσειεν ἄν, ὥσπερ οὔτ' ἐστρατήγουν ἐγὼ, οὔτε τῆς τύχης κύριος ἦν, ἀλλ' ἐκείνη πάντων. *Si verò fulmen quod contigit, aut tempeſtas, non nos ſolùm, ſed omnes alios Græcos calamitatis magnitudine ſuperauit, quid faciamus? quemadmodum ſi quis gubernatorem, cùm omnia quæ ad ſalutem nauigij conferunt, effecerit, omníque apparatu nauim inſtruxerit, quibus nauim ſeruatum iri credebat, ſi deinde tempeſtate fuerit deprehenſus, deterſis remis, aut potiùs omnino confractis, conflati naufragij cauſſa diceretur. ſed non gubernabam dicet. neque ſane ego rebus præeram, neq; fortunæ dominus eram, ſed illa omnium.* Vnde Ioſephus lib. 3. de excidio, Romanos laudat. Ἡγοῦνταί τε τῶν ἀπὸ τύχης ἐπιτευγμάτων ἀμείνους τὰς ἐπὶ τοῖς προβουλευθεῖσι διαμαρτίας, ὡς τοῦ μὲν αὐτομάτου κακοῦ δελεάζοντος εἰς ἀπρομήθειαν. τῆς σκέψεως δὲ κἂν ἀποτύχῃ ποτέ, πρὸς τὸ μὴ αὖθις καλὴν ἐχούσης μελέτην, καὶ τῶν μὲν αὐτομάτων ἀγαθῶν οὐ τὸν λαβόντα αἴτιον εἶναι, τῶν δὲ παρὰ γνώμην προσπεσόντων σκυθρωπῶν, παραμυθίαν, τό γε προσηκόντως βεβουλεῦσθαι. *Proſperis euentis quæ fortuna ſuggeſſerit clades, quæ facinora cum maturo conſilio ſuſcepta turbauerint anteponunt: quòd proſperitas quæ caſu contingit ad temeritatem allicere, & animos, vt ita dicam ineſcare videatur. at verò conſultatio & conſideratio, etiamſi, quem intendit, exitum non ſemper obtineat, tamen animum exercet, vt non iterum in eas clades delabatur. & proſperitatis fortuitæ, non eum cui obtigiſſet cauſſam eſſe, at eorū, quæ prudentia conſilia turbaſſent, ipſam conſilij ſuſcepti maturitatem ſolatium eſſe indicabant.* Valerius lib. 2. cap. 2. eundem ſenſum fuiſſe tradit Carthaginēſium Senatus. *A quo duces bella prauo conſilio gerentes, etiamſi proſpera fortuna ſubſecuta eſſet, cruci tamen affigebantur: quòd bene geſſerant Deorum adiutorio: quòd malè commiſerant ipſorum culpæ deputantes.* Liuius lib. 38. in oratione Cn. Manlij. *Conſiderem equidem cauſſa mea, etiamſi non apud Romanum, ſed apud Carthaginenſem Senatum agerem: vbi in crucem tolli Imperatores dicuntur, ſi proſpero euentu, prauo conſilio rem geſſerunt.* Libet ex Plutarcho in Timoleonte duo huius rei exempla ſubtexere. Φωκίων μὲν ὁ Ἀθηναῖος τοῖς ὑπὸ Λεωσθένους πραττομένοις ἐναντιωθεὶς, ἐπειδὴ κατορθοῦν ἐκεῖνος ἐδόκει, καὶ θύοντας ἑώρα καὶ μεγαλαυχουμένους τῇ νίκῃ τοὺς Ἀθηναίους, εἶπεν ὡς ἐβούλετο ἂν αὐτῷ ταῦτα μὲν πεπρᾶχθαι, βεβουλεῦσθαι δ' ἐκεῖνα. *Phocion Athenienſis, iis quæ à Leoſthene gerebantur aduerſatus, cùm ille rem bene geſſiſſe videretur, atque ipſe ſacrificantes Athenienſes, & de victoria ſibi gratulantes videret, dixit cupere ſe vt hæc feciſſet, ſed illa elegiſſet.* Σφοδρότερον δ' Ἀριστείδης ὁ Λοκρὸς εἷς ὢν τῶν Πλάτωνος ἑταίρων, αἰτοῦντος μὲν αὐτὸν γυναῖκα Διονυσίου τοῦ πρεσβυτέρου μίαν τῶν θυγατέρων, ἥδιον ἂν ἔφη νεκρὰν ἰδεῖν τὴν κόρην, ἢ τυράννῳ συνοικοῦσαν. ἀποκτείναντος δὲ τοὺς παῖδας μετ' ὀλίγον χρόνον τοῦ Διονυσίου, καὶ πυνθανομένου πρὸς ὕβριν, εἰ τὴν αὐτὴν ἔτι γνώμην ἔχοι περὶ τῆς ἐκδόσεως τῶν θυγατέρων, ἀπεκρίνατο, τοῖς μὲν γεγενημένοις λυπεῖσθαι, τοῖς δ' εἰρημένοις μὴ μεταμέλεσθαι. *Fortiùs Ariſtides Locrenſis Platonis ſodalium vnus, cùm ab eo Dionyſius ſenior vnam ex filiabus ſibi in coniugem petiiſſet: Iucundius, inquit, filiam viderem extinctam, quàm in Tyranni matrimonium adiectam. Cúmque paulò poſt eius liberos Dionyſius letho dediſſet, & per contumeliam ab eo petiiſſet, idémne adhuc conſilium haberet, de matrimonio filiarum. ſe propter id quod euenerat dolorem quidem animo hauſiſſe reſpondit, ſed dictorum & conſilij minimè pœnitere.*

Qvem socii, qvem foederati, qvem liberi popvli.] Fateor mihi nondum conſtare quæ ſit inter iſtos diſtinctio: neque enim Noſter adeò verboſus eſt vt iſta coniuncturus ſynonymicè fuerit, ſi penitus inter ſe conuenirent, videntur inter ſe diſtingui. quòd cum ſociis æquis conditionibus, & æquo iure ſe adſtrinxerant, non item cum fœderatis: adeò vt imperium in fœderatos populos, non item in ſocios, niſi quoddam veluti honorarium obtinerent. ex eo coniecturam arceſſo, quòd Latini propriè Socij dicerentur, à quibus ad reliquos ſocios appellatio manauit. de quorum fœdere cum Romanis Dionyſius libro 6. ἦν δὲ τὰ γραφέντα τοιάδε ἐν ταῖς συνθήκαις. Ῥωμαίοις τε καὶ Λατίνων πόλεσιν ἁπάσαις εἰρήνη πρὸς ἀλλήλους ἔστω, μέχρις ἂν οὐρανός τε καὶ γῆ τὴν αὐτὴν στάσιν ἔχωσι. καὶ μήτ' αὐτοὶ πολεμείτωσαν πρὸς ἀλλήλους, μήτε τοῖς ἐπιφέρουσι πόλεμον ὁδοὺς παρεχέτωσαν ἀσφαλεῖς. βοηθείτωσάν τε τοῖς πολεμουμένοις ἁπάσῃ δυνάμει, λαφύρων τε καὶ λείας τῆς ἐκ τοῦ πολέμου κοινὸν τὸ ἴσον λαγχανέτωσαν μέρος ἀμφότεροι, &c. *Continebantur autem hæc in eo fœdere: Romanis & Latinorum populis omnibus mutua pax eſto, dum cœlum & terra eandem ſtationem obtinent: & neutri alteris bellum inferunto: nec aliunde hoſtibus, venientibus viam faciunto, & bello infeſtatis opem ferunto totis viribus, bellíque prædam ac ſpolia ex æquo diuidunto.* Tamen vt notat libro quarto nonnullum etiam Romani in feriis Latinis principatum habebant. τὴν ἡγεμονίαν τῶν ἱερῶν ἔχουσι Ῥωμαῖοι. *Sacris præſunt Romani.* quod autem Latini præcipuè Socij dicantur, immò penè ſoli, liquidius eſt quàm vt debeam id exemplis oſtendere. Vide Sigonium de iure Italiæ. II. Socij.

Fœderati. At verò fœderatorum videtur alia fuiſſe ratio: cuiuſmodi fœdus à Dionyſio libro nono deſcribitur: Συνθῆκαι γίνονται ταῖς πόλεσι, μεσιτεύσαντος αὐταῖς τοῦ ὑπάτου τοιαίδε. Αἰκανοὺς εἶναι Ῥωμαίων ὑπηκόους, πόλεις τε καὶ χώρας τὰς ἑαυτῶν ἔχοντας, ἀποστέλλειν δὲ Ῥωμαίοις μηδὲν ὅτι μὴ στρατιάς, ὅταν αὐτοῖς παραγγέλλωνται, τέλεσι τοῖς ἰδίοις ἐκπέμποντας αὐτάς. *Interceſſione Conſulis fœdus his legibus inter Æquos & populum Romanum factum eſt: Æquorum populi ſaluis ſuis oppidis & agris, Romanorum ſubditi ſunto: Romanis nihil mittunto præter auxilia, quoties accita fuerint: eáque ſumptu proprio.* quod fœdus iiſdem penè verbis libro decimo dicitur anno V.C. 295. renouatum. in hoc igitur fœderati à ſociis differebant, quòd ſocij ſubditi non eſſent Romanorum, eſſent fœderati. ſed Liuium lib. 34. audiamus, apud quem Menippus Antiochi Regis legatus dicit: *Eſſe tria genera fœderum, quibus inter ſe paciſcerentur amicitias ciuitates Regéſque, vnum cùm bello victis dicerentur leges. vbi enim omnia ei, qui armis vicerit, dedita eſſent quæ ex iis habere victos, quibus mulctari eos velit ipſius ius atque arbitrium eſſe: alterum cùm pares bello æquo fœdere in pacem, atque amicitiam venirent, tunc enim repeti reddíque per conuentionem res, & ſi quarum turbata bello poſſeſſio ſit, eas aut ex formula iuris antiqui, aut ex partis vtriuſque commoda componi. tertium eſſe genus, cùm qui hoſtes nunquam fuerint, ad amicitiam ſociali fœdere inter ſe iungendam coeant, eos neque dicere, neque accipere leges, id enim victoris & victi eſſe.* ad primum fœderis, genus fœderatos & ſtipendiarios: ad ſecundum ſocios propriè dictos, ad tertium liberos populos arbitror pertinere. quamuis ſocios etiam Latini nominis frequenter milites imperatos leges. vt eodem illo libro Liuius: *Sociis & Latini nominis magiſtratibus, legatíſque eorum qui milites dare debebant, edixit, vt in Capitolio ſe adirent: ex iis quindecim millia peditum & quingentos equites pro numero cuiuſque iuniorum deſcripſit*, & alibi paſſim. Feſtino. Stipendiariorum & fœderatorum videtur ea fuiſſe diuerſitas, quòd fœderati tantùm tenerentur, vt dictum eſt, ἀποστέλλειν Ῥωμαίοις μηδὲν ὅτι μὴ στρατιάς, ὅταν αὐτοῖς παραγγέλλωνται, τέλεσι τοῖς ἰδίοις ἐκπέμποντας αὐτάς. *Nihil mittere præter auxilia quoties accita forent, eáque ſumptu proprio.* At ſtipendiarij etiam pecuniam annuam penſitarent ad exoluendum militibus Romanis ſtipendium.

Fœderatorũ à ſociis diſtinctio.

Stipendiarij.

NEGOTIATORES.] Vide ſuperiùs §. 55. Notâ I. III.

PVBLICANI.] Vide orationem de prouinciis Conſularibus. IV.

QVI SEIPSVM ODERIT.] Malæ conſcientiæ hoc indicium. Tiberius: *Poſtremò ſemetipſe pertæſus tali epiſtolæ principio tantumnon ſummam malorum ſuorum profeſſus eſt. Quid faciam vobis, P.C.? aut quomodo ſcribam? aut quid omnino non ſcribam hoc tempore? Dij me, Deæque pœnis perdant, quem quotidie perire ſentio ſi ſcio.* Suetonius in Tiberio cap. 67. quæ ad verbum à Tacito referuntur in annalibus. Et meritò. nam, vt ait Ariſtoteles cap. 14. libri 9. Ethicorum: στασιάζει τῶν φαύλων ψυχή. *anima ſceleratorum à ſe ipſa diſſidet.* V. Mala conſcientia.

METVAT.] Publius Mimus apud Macrobium: *Quotidiè damnatur qui ſemper timet.* VI.

AXIOMATA.

Non euentis, ſed factis cuiuſque fortuna ponderanda eſt.

Vir ſceleratus ſeipſum odit, metuit omnes.

ARGVMENTVM.

In extrema clauſula totius orationis oſtendit omnem quam expetierat Piſoni miſeriam accidiſſe, eiúſque animum ſcelerum, vt ita loquar, conſcientiâ lancinatum mirè deſcribit.

NVMQVAM ego ſanguinem expetiui tuum: numquam illud extremum, quod poſſet eſſe improbis & probis commune, ſupplicium legis ac iudicij, ſed abiectum, contemptum, deſpectum à cæteris, à te ipſo deſperatum, & relictum: circumſpectantem omnia: quidquid increpuiſſet, pertimeſcentem, diffidentem tuis rebus, ſine voce, ſine libertate, ſine auctoritate, ſine vlla ſpecie Conſulari: horrentem, trementem, adulantem omnibus, videre te volui: vidi. Quare, ſi tibi euenerit, quod metuis ne accidat, equidem non moleſtè feram: ſin id tardiùs fortè fiet: fruar tamen tua indignitate: nec minùs libenter metuentem videbo, ne reus fias, quàm reum: nec minùs lætabor, cùm te ſemper ſordidum, quàm ſi pauliſper ſordidatum viderem. XCIX.

EXPLANATIO.

NVNQVAM.] Nunquam expetij, vt tu propter ſcelera tua morte plectereris.

SED ABIECTVM.] Vt omnes te auribus reſpuant, oculis fugiant, animo aſpernentur, ſola tui recordatione perhorreſcant.

QVICQVID INCREPVISSET.] Ad omnem flatum & auram pertimeſcentem. res eſt aperta tantum incredibilem vim & vbertatem orationis conſidera.

SI TIBI EVENERIT, QVOD METVIS.] Iudicium & damnatio.

SIN ID TARDIVS.] Quaſi diceret non dubitare ſe quin damnandus eſſet aliquando, ſed fieri poſſe vt id tardiùs accidat, quàm eius ſcelera flagitarent.

FRVAR TAMEN TVA INDIGNITATE.] Delectatione quam percipio ex conſideratione tuæ indignitatis.

CVM TE SEMPER SORDIDVM.] Ea eſt teſte Turnebo inter ſordidum & ſordidatum diſtinctio: quod ſordidus dicatur qui ſordibus & illuuie ſquallidus eſt, ſordidatus qui veſtem ſordidam mouendorum iudicum cauſsâ reus acceperit. videtur tamen hic ſordidati vox ad externum corporis cultum, ſordidi ad animum & mores eſſe referenda. ſordidi enim, vilis & abiecti animi eſt, omnes metuere, omnibus adulari, &c.

NOTÆ.

I. CIRCVMSPECTANTEM OMNIA.] Illud eſt timoris indicium. Cnemon pauens ſic ab Heliodoro deſcribitur 2. Æthiop. Καὶ θαμὰ πρὸς τὰ κάτοπιν ὑπέστρεφε, καὶ περιεσκόπει τὸν οὐδαμοῦ διώκοντα. *Et frequenter conuertebat ſeſe, & circumſpectabat à tergo, eum qui nuſquam inſequebatur.* Sic Polynices in Phœniſſis ab Euripide circumſpectans inducitur:

Timoris effectus.

Ὃ καὶ δέδοικα μή με δικτύων ἔσω
Λαβόντες οὐ μεθῶσιν αἱμάκτου χρόα.
Ὧν οὕνεκ' ὄμμα πανταχῆ διοιστέον
Κἀκεῖσε καὶ τὸ δεῦρο μὴ δόλος τις ᾖ.
Horrore quatior, ne quis implicitum plagis
Non me remittat ante quam largus cruor
Inundet, ideóque huc & huc oculos fero
Partes in omnes ne quis innectat dolum.

Et aliquantò pòſt:

Οὕτω με θάρβους εἰς φόβον τ' ἀφικόμην
Μή τις δόλος με πρὸς κασιγνήτου κτάνῃ
Ὥστε ξιφήρη χεῖρ' ἔχων, δι' ἄστεος
Κυκλῶν πρόσωπον ἦλθον.
Sic noſtra gelido corda quaſſantur metu
Ne quis dolus me fratris occidat mei:
Vt ora torquens huc & huc ferro manum
Armatus, vrbi aduenerim.

II. QVICQVID INCREPVISSET PERTIMESCENTEM.] Turpilius in Leucadiâ:

Timere quãuis auram.

Miſeram terrent me omnia, maris ſonitus,
Scopuli, ſolitudo, ſanctitudo Apollinis.

Maro 2. Æneidos:

Nunc omnes terrent auræ, ſonus excitat omnis,
Suſpenſum.

Horatius libro 1. carminum ode 23.

Vitas hinnuleo me ſimilis Chloë,
Quærenti pauidam montibus auiis
Matrem non ſine vano
Aurarum & ſiluæ metu.
Nam ſeu mobilibus veris inhorruit
Aduentus foliis, ſeu virides rubum
Dimouere lacertæ
Et corde & genibus tremit.

1. Catilinariâ 18. *Quicquid increpuerit Catilinam timeri.* Eodem modo Liuius libro 4. *Si quid increpet terroris, ſine patricio magiſtratu placere Rempub. opprimi.* Apollonius Rhodius libro 3. Argonautarum:

Ἠ θαμὰ δὴ στηθέων ἐάγη κέαρ, ὁππότε δοῦπον
Ἢ ποδὸς, ἢ αὐδῆς παραθρέξαντα δοάσσαι.
Cor in pectoribus fractum eſt, ſi quando ſonorem
Aut pedis, aut ſubitæ, ſtrepitantem aduerterit auræ.

hinc illa Sophoclis, apud Germanum vox nobilis, πάντα τοι τῷ φοβουμένῳ ψοφεῖ. *omnia metuenti adſtrepunt.* Lucanus libro 8. pauet ille fragorem:

Motorum ventis nemorum, comitúmq. ſuorum.

Heliodorus libro 2. Æthiopicorum de Cnemone Athenienſi: Τὰ πολλὰ μὲν ἄυπνος ἐταλαιπωρεῖτο, πάντα καὶ κτύπον, καὶ ἀνέμου ῥιπὴν, καὶ φύλλου κίνησιν, Θέρμουθιν ἡγούμενον. *Magna ex parte inſomnem ducens noctem excruciabatur, omnem ſtrepitum, & quamlibet auram, & foliorum motum Thermutim eſſe exiſtimans.* Philo libro de exſecrationibus: φύλλον κτύπος κουφότατος δι' ἀέρος φερόμενος ἀγωνίαν ἐργάσεται. *Frondium ſtrepitus leuiſſimus per aerem delatus terrorem incutiet.* Sed vide Cerdam 2. Æneidos, ex quo & nos iſta libauimus. qui & ſequenti notæ illud profert ex Chryſoſtomo homilia de peccato & confeſſione de his qui peccauerint: Πάντα ὑποπτεύουσι, τὰς σκιὰς τρέμουσι, πάντα ψόφον δεδοίκασι. *Omnia habent ſuſpecta, vmbras timent, quidquid increpuerit, pertimeſcunt.* Idem homilia 22. in epiſtolam primam ad Corinthios, Ἅπαντας δέδοικε, καὶ ὑποπτεύει, καὶ τὴν αὐτοῦ γυναῖκα, καὶ τὸν τῆς μοιχευομένης ἄνδρα, καὶ τὴν μοιχευομένην αὐτὴν καὶ οἰκείους, καὶ φίλους, καὶ συγγενεῖς, καὶ τοίχους, καὶ σκιὰς, καὶ ἑαυτὸν, καὶ τὸ πάντων χαλεπώτερον, τὸ συνειδὸς ἔχει, καταβοῶν ὑλακτοῦν καθ' ἑκάστην ἡμέραν, &c. *Omnes metuit, omnes ſuſpectos habet, & ſuam ipſius vxorem, & maritum eius cum qua adulterium commiſerit, & eam ipſam cum qua mœchatus eſt, & domeſticos, & amicos, & conſanguineos, & parietes, & vmbras & ſeipſum, &, quod omnium eſt moleſtiſſimum ſuam conſcientiam, reclamantem & ſingulis diebus oblatrantem.* Sed non libenter repeto. vide quæ dicta ſunt. pro Cœlio §. 60. Euripides in Phœniſſis:

Ὠή, τίς οὗτος; ἢ κτύπον φοβούμεθα.
Quis iſte? certè quicquid increpuit, tremo.

Porcius Latro Decl. in Catilinam hæc ipſa verba Ciceronis vſurpat: *Quicquid increpuiſſet, vlterius metuendam eſſe conſularem vigiliam.* Eleganter Claudianus 2. in Eutropium:

Ecce leuis frondes à tergo concutit aura,
Credit tela Leo: valuit pro vulnere terror,
Impleuitque vicem iaculi: vitamque nocentem
Integer, & ſola formidine ſaucius efflat.

SINE VOCE.] Aliud malæ conſcientiæ ſignum Horatius: III.

Mala conſcientia vocem tollit.

--an rapit vis acrior?
An culpa? reſponſum date.
Tacent, & ora pallor albus occupat.

Demoſthenes de falſa legatione: Τί ποτ' οὖν ἐστὶν, ὅτι οἱ βδελυρώτατοι πάντων τῶν ἐν τῇ πόλει, καὶ μέγιστον φθεγγόμενοι, τοῦ καὶ ἀτολμοτάτου πάντων, καὶ οὐδενὸς μεῖζον τοσοῦτον ἡττῶνται; ὅτι τἀληθὲς ἰσχυρόν ἐστι, καὶ τοὐναντίον ἀσθενὲς, τὸ συνειδέναι πεπρακόσιν ἑαυτοῖς τὰ πράγματα. τοῦτο παραιρεῖται τὴν θρασύτητα τὴν τούτων· τοῦτ' ἀποστρέφει τὴν γλῶτταν, ἐμφράττει τὸ στόμα, ἄγχει, σιωπᾶν ποιεῖ. *Quid cauſæ eſt quòd hi putidiſſimi omnium qui ſunt in ciuitate, & maximâ voce præditi, à me qui minimè omnium ſum audax, nec quoquam vocalior, adeò ſuperentur? nimirum, fortis eſt veritas, infirmum contrarium: & conſcire ſibi res geſtas, hoc demum eorum aufert audaciam. hoc linguam auertit, os abſtruit, præfocat, ſilentium indicit.* Sed non eſt quod in re tam clarâ diutiùs moremur.

HORRENTEM, TREMENTEM.] Mala conſcientia terrorem incutit, & tremorem, ſic ſuperiùs *labris trementibus* loquens inducitur. eleganter Ouidius 1. Faſtorum in Carmentalibus: IV.

Tremor malæ conſcientiæ ſignum.

Conſcia mens, vt cuique ſua eſt, ita concipit intra
Pectora pro facto ſpémque metúmque ſuo.

Et à Platone nono de Repub. tyrannus deſcribitur, φόβου γέμων διὰ παντὸς τοῦ βίου σφαδασμῶν τε καὶ ὀδυνῶν πλήρης. *per omnem vitam timore plenus vacillationis & dolorum.* Petronius in ſatyrico: *Dij, Deæque, quàm malè eſt extra legem viuentibus? quicquid meruerunt, ſemper expectant.* Seneca in Hippolyto ita nutricem Phædræ loquentem inducit:

Quid pœna præſens? conſciæ noctis pauor?
Animúſque culpá plenus, & ſemet timens?
Scelus aliqua tutum, nulla ſecurum tulit.

V. Sordidus, ſordidatus.

SORDIDATVM.] Doctiſſimus Lipſius primo electorum cap. 13. communem Romanorum veſtem albam fuiſſe demonſtrat ex Statio 5. ſyluarum, protreptico ad Criſpinum:

-albentíque humeros innectit amictu.

Et Perſio:

-totáque impune ſaburrâ
Permiſit ſparſiſſe oculos iam candidus vmbo.

& ſolutis aliquot obiectionibus ita concludit. Alba igitur toga & ea quamdiu in communi vſu diſcrimen nullum inter ciues fuit, à colore veſtis. niſi quod diuites, munduli, elegantes ſemper in toga ſua à fullone niuea: vulgus ferè ſordidiores eſſent, & togis magis pallentibus: ac vt propriè dicam obſoletis, ideo Seneca epiſtola cxv. per ſordidos intelligit vulgum, *Mirari quidem non debes, inquit, corrupta excipi, non tantùm a corona ſordidiore, ſed ab hac turbâ quoque cultiore, togis enim inter ſe iſti, non iudiciis diſſident.* ait diſertè togis. ſed & viri illuſtres ac nobiles rei facti, per dies iudicij, ſumebant hanc togam ſordidam, poſitâ niueâ vt miſerabiliores eſſent, in veſte plebeia. D. De iniuriis & famoſis libellis. *lege.* Item apud Labeonem §. 27. *Hac autem fere ſunt, quæ ad infamiam alicuius fiunt: puta ſi ad inuidiam alicuius veſte lugubri vtatur aut ſquallida, aut ſi barbam demittat, vel capillos ſubmittat.* Quibus vides ſquallidam veſtem ſiue ſordidam à lugubri eſſe diuerſam. lugubris aut pulli fuit coloris, aut etiam candidi aliquando, vt tum doctiſſimus Lipſius in Tacitum, tum Kirchmannus de funeribus & alij annotarunt, & nos alicubi iam oſtendimus, ſordida veſtis reorum erat non lugentium, ſquallida, detrita, ſordibus aſperſa. Venuleius eodem titulo lib. 39. *Veſtem ſordidam rei nomine in publico habere capillúmve ſummittere nulli licet: niſi ita coniunctus eſt affinitati, vt inuitus in reum teſtimonium dicere cogi non poſſit.* Vbi Budæus hunc Ciceronis locum explanat: *Sordidum dixit vilem & abiectum, & ſine vllo vitæ nitore, ac lautitiâ vitam agentem: ſordidatum autem intellexit accuſatum, & reum.* ἐσθῆτα μεταλλάξαντα, καὶ κόμης ἀνάπλεων, καὶ ἱκετεύοντα τὸν δῆμον. Hinc reorum ſordes frequenter Seneca 10. declam. 1. *Sordidatus es, non queror, ſed ſi ſordes tuæ inuidiam mihi concitant, queror.* Suetonius in Auguſto: *Diuturnorum reorum, & ex quorum ſordibus nihil aliud, quàm voluptas inimicis quæreretur, nomina aboleuit.* In Vitellio: *Caſtra verò ingreſſus nihil cuiquam poſcenti negauit: atque vltro ignominioſis notas, reis ſordes, damnatis ſupplicia dempſit.* Noſter pro Cluentio: *Aut ne fortè mater hoc ſibi optatiſſimum ſpectaculum, huius ſordium, & luctuum, & tanti ſqualoris amitteret.* & vltimâ Verrinâ: *Adſpicite, adſpicite, Iudices, ſqualorem, ſordéſque Sociorum.*

AXIOMATA.

Viri ſcelerati ſuâque conſcientia oppreſſi, quicquid increpuerit, pertimeſcunt.

Non minùs eſt miſer qui ſemper eſt ſordidus, quàm ſi pauliſper ſordidatus.

FINIS.

INDEX
RERVM ET VERBORVM
IN PRIOREM PARTEM
COMMENTARIORVM P. NICOLAI ABRAMI
Societatis IESV, in Orationes Ciceronis.

Prior numerus §. *ſignificat, poſterior Notam.*

A

ABDOMEN. Sex. 110.12.
Ablecti. Piſ. 88.5.
Abſolutio Catilinæ. Piſ.95.4.
Abſolutio Clodij. *ibid.*
Acerui corporum. Sex.77.7.
Achaiæ libertas. Piſ.37.3.
Acies eloquentiæ. Cœl.47.2.
Acipenſer. Piſ. 67.7.
Acclamatio militum in triumpho. Piſ 60.6.
Acclamationes & plauſus theatrales. Piſ 65.6.
Accumbere terni ſoliti. Piſ.67.13. vbi vide plura de accubitu.
ad Accuſandum deſcendere. Cœl. 2.1.
Accuſati ad populum patricij. Sext.137.3.
Accuſator idoneus eſt in patris gratiam. Cœl. 1. 3.
Accuſator ne ſit ſibi conſcius eiuſdem culpæ. Cœl.78.1.
Accuſationum tela. Vat.13.2.
Accuſatorum præmia. Cœl. 46.1.
Ἀκτάζειν. Piſon. 67.7.
Actio Conſulis. Sext. 25.5.
Additus. Sext. 68.1.
Admiratio virtutis. Piſ. 81.2
Admiratio vnde. Piſ.74.2.
Admiſſarius. Piſ.69.1.
Adoleſcentes accuſabant viros graues. Cœl. 15.5.
Adoleſcentes ad claros viros deducti.Cœl.9.3.
Adoleſcentes diſſoluti quinam in claros viros euaſerint. Cœl.43.2.
Adoleſcentes docendi. Sext.52.1.
Adoleſcētia ad amicitias procliuior. Pr.C.40.4.
Adoleſcentia excuſat. Cœl.30.2.
Adoptare & inſerere. Sext.72.5.
Adoptatio. Sext.15.2.
Adſpectus mulierum cauendus. Cœl.36.7.
Adulatio. Piſ.70.2.
Adulatio populi. Sext.95.3.
Adulator, aſſentator. Piſ.70.2.
Adulatores. Cœl. 13.5.
Adulatorum ſacrilega impietas. Piſ. 70.2.
Adulter. Cœl.49.11.
Aduocatus Cœl.10.6 &c. Sext.119.5.
Ædes Caſtoris, vbi. Sext. 85.1.
Ædes Concordiæ. Sext.87.4.
Ædium conducendarum dies. Piſ.
Ædificatio villarum. Piſ.
Ædificia Mæniana. Sext.124.4.

ÆDILIS, ÆDILITAS.

Ædiles. Piſ.
Ædiles de cauſis minimis aut etiam Tribuni plebis iudicabant. Piſ.
Ædiles ludos faciebant. Sext.135.3.
ante Ædiles vitæ meretriciæ fiebat profeſſio. Cœl. 49 3.
Ædilitas curulis. Sext.94.4.
Ædilitas plebeia. *ibid.*
Ædilitas plebeia & curulis. Vat.16.9.
Ægritudo. Cœl. 18. 6.
Ægroti pileati.
Ægroti palliati. Piſ. 13.6.
Ægyptij multarunt otioſos. Sext,103.6.
M. Æmilij res geſtæ. Pr.C 21.1.
Ænigmata, Gryphi. Cœl. 67.9.

ÆRARIVM.

Ærarium. Piſ.61.6.
Ærarium quid? Piſ.37.5.
ad Ærarium deferebant legati nomen exterarum gentium, item patres filiorum recens natorum. *ibidem.*
Ærarium in templo Saturni. Piſ.37.5.
Ærarij diſpenſatio. Sext. 66.4.
Ærarij opulentia. Vat.29.5.
Ærarij ſcribæ. Piſ.61.7.
ex Ærario ſtipendium. Piſ.88.7.
Æs alienum ſeditionum cauſſa. Sext.99.7.
Æſculapius cur fulmine percuſſus.88.2.
Æſopi actio & motus. Sext.121.3.
Æſopus ſummus artifex. Sext.120.1.
Æſtimatum frumentum, honorarium. Piſon, 86.7.
Ætas. Cœl. 3.3.
Ætatis feruor. Cœl.43.1.
Ætatis flexus. Cœl.7.5.
Ætatis flos. Cœl.9.5.
Ætoli bellicoſi. Piſ.91.2.
Ætolia Græciæ vmblicus.91.2.
Affectus perfectus. Pr. C.29.1.
Affinitas Metellorum & Seruiliorum. Sext. 130.4.
Afraniæ impudentia. Cœl.71.2.

LIII

Afranius. Cœl.71.2.
Agamemnon conſiliarius. Piſ.23.5.
Agathocles filius figuli. Piſ.67.5.
Agere aliquid. Piſ. 28.1.
Albati diebus feſtis. Vat.31.2.
Albati precari ſoliti. Sext.56.6.
Albutius Græcus. Pr. C.15.10.
Alexandriæ magnitudo. Piſ. 49.2.
Alexandrinorum vanitas. *ibid.*
Alexini vanitas. Vat.9.5.
Alluſio. Sext.17.10.
Alpes Italiæ vallum. Piſ.81.3.
Alpibus Dei prouidentia Italiam muniuit. Pr. C.34.1.
Alpibus Deus cur Italiam muniuerit. Piſ.82.1.
Alpium altitudo. Pr. C.38.4.
Amantium iræ. Cœl.61.2.
Amatores fores frangebant ferro & facibus admotis. Cœl.38.7.
Amatores quos amant ſæpius videre volunt. Cœl.36.7.
Amatorum faces. Piſ.20.5.
Amatorum mos. Sext. 95.3.
Amicarum fores cur coronatæ. Piſ.20.5.
Amicarum poſtes amatores vngebant. *ibid.*

AMICVS.

Amicum eſſe multis difficile eſt. Cœl.12.2.
Amicus in aduerſis. Sext.7.2.
Amicus Regis Perſarum. Piſ.18.2.
Amicus venandus. Piſ.83.1.
Amicus Catilinæ improbi. Cœl.14.1.
Amici legebant literas ad Senatum miſſas. Pr. C.14.8.
Amici pauci in aduerſis. Sext. 69.
Amici primi & ſecundi. Cœl.14.3.
Amici ſibi boni, qui mali inimici. Piſ.
Amicis ſecreta deteguntur. Cœl. 53.2.
Amicitiæ conditiones. Piſ.76.1.
Amicitiam an conciliet ſtudiorum coniunctio. Cœl. 54.4.
Amicorum omnia communia. Cœl.13.3.
Amicorum preces excuſant. Sext.16.10.

AMOR.

Amor ex oculis. Cœl.36.4.
Amor honeſtus. *ibid.*
Amor ſæuus. Cœl.18.7.
Amor Senatus in Ciceronem. Piſ.34.2.
Amor ſui oſtentator. Cœl.67.16.
Amor ſumptuoſus. Cœl.67.18.
Amores in hortis. Cœl.38.10.
Amores in ſenectute non ſunt adeo moleſti. Cœl. 44.3.
Amoris occupatio. *ibid.*
Amoris vincula. Cœl. 36.11.
Amorum generatio. Cœl.36.7.
Amphoræ Conſulum nominibus ſignatæ. Piſ.
Anagnoſtæ. Sext.110.10.
Anaxagoræ frugalitas. Sext.110.6.
Anguſtiæ pectoris, puſillanimitas. Piſ.24.3.
Animæ cibus, bonæ artes. Cœl.45.2.
Animarum euocatio. Vat.14.6.
Animi egeſtas. Piſ.24.5.
Animi infirmi ſignum ira & vltio. Cœl.21.1.
Animi magnitudo. Sext. 60.3.& 62.3.
Animi magnitudo deſpuit honores. Pr.C.26.3.
Animos virtus conciliat. Piſ.
Annalis clauus. Piſ. 8.3.
Annibal. Sext. 142.1.
Annibal Romæ honoratus. *ibid.*
Annibalis mores. Pr.C. 4.1.
Annona prouidenda exercitui. Pr.C.5 4.
Annonæ vilitas. Sext.55.5.
Annorum apud Græcos ſupputatio. Piſ.8.3.
Annuli aurei. Piſ.9.2.& 17.1.
Annulorum ius. *ibid.*
Annus erat conſtitutus ad cohibendum togâ brachium. Sext. 144.4.
Ante lucem cum populo agi nefas. Sext.75.4.
Antiqui leges ad Deos referebant. Sext.104.1.
Antiquitas. Sext.6.5. & 19.5. & 130.8.
Antiquitas legum. Piſ. 10. 3.
Antiquitas legum veneranda. Sext.104.1.
Antiquitas religionum. Piſ.
Antonij damnatio. Vat. 27.3.
Antonius an coniurarit. Cœl.15.4.
Antonius in ſuſpicionem coniurationis vocatus. Piſ.5.1.
Apicius. Piſ.67.7.
Apollonia. Piſ.86.5.
Apotheca. Var.12.8.
Apparatus ludorum Pompeij. Piſ.65.1.
Appennini niues. Sext.12.6.
Appianus emendatus. Piſ.27.4.
Appij cæcitas ex diuina vltione. Cœl.33.3.
Aqua crabra Ciceronis. Bal.44.4.
Aquæ Appiæ & Clodiæ diſtinctio. Cœl.34.11.
Aquæ ductuum magnificentia. *ibid.*
Aquæ vſus in coniugio. *ibid.*
Aquila eburnea, ſceptro eburneo inſidebat. Piſ. 60.7.
Aquila ſceptris inſidebat apud Græcos. *ibid.*
Aquilæ in templis. Vat.5.2.
Aquilæ in vexillis. Sext.42.4.
Aram tangebant iurantes. Bal.7.13.
Arbiter. Cœl.20.3.
Arbiter funeris. Piſ.
Arca. Cœl.52.1.
Archelai geſta. Pr. C.9.1.
Architæ honeſtas. Cœl.8.5.
Arculum. Vat.25.2.
Arcus triumphalis. Piſ.
Areopagus. Bal. 17.
Argenteus arenæ apparatus. Piſ.65.2.
Argumenta, ſigna. Cœl.22.7.
Ariſtarchus. Piſ.73.1.
Ariſtides iuſtus. Sext. 141.4.
Ariſtocratia. Sext.137.3.
in Armariis maiorum imagines. Cœl.52.1.
in Armario Venus. *ibid.*
Armarium. *ibid.*
Arma lacera in trophæis.
Armatura. Sext.134.18.
Armorum aceruus trophæum. Piſ.
Arnæi. Piſ.72. 2.
Arrogans. Vat.10.3.
Arrogatio. Sext. 15.2.
Arrogationes fiebant lege Curiata. Sext.16. 9.
Artifices ſcenici. Sext.120.1.

ARS.

Ars artium, arx gubernandi. Sext.99.2.
Arx circumflectendi ad metam. Cœl.75.1.
Arx nulla liberalis diſcenda ſeruiliter. Cœl. 41. 6.
Artes. Vat.8.5.
Artes bonæ cibus animæ. Cœl. 45.2.
Artes mechanicæ Romæ viguerunt. Piſ.9.2.
Artes mechanicas à ciuitate ſua Plato reiicit. Piſ. *ibid.*

Artis toreuticæ dignitas. Piſ.
Artium mater paupertas. Cœl.65.7.
Artium omnium erat Hippias. Bal.1.6.
Artium omnium profeſſores græculi. *ibid.*
Arx. Sext. 85. Arx Italiæ. Piſ.
Aſinus. Piſ.73.4.
Aſſentator & adulator. Piſ.70.2.
Aſſiduus. Cœl.10.4.
Athenarum nomen vnde. Sext.48.2.
Athenienſium Cicadæ. Piſ.25.5.
Athenis abſoluti non poterant in iudicium reuocari. Cœl.78.2.
Atlas. Sext.19.3.
Athletæ nudi. Cœl.11.3.
Athletarum ſaginatio. Sext.78.1.
Atta Quintiorum cognomen. Sext.110.9.
Attæ, ſenes. *ibid.*
Atte initiationum verbum. *ibid.*
Atratini eloquentia. Cœl.8.6.
Atrienſis. Piſ. 67.9.
Attentio in omnibus partibus renouanda. Sext. 31.1.
Attingere extremis digitis. Cœl.28.4.
Attributum. Piſ.86.4.
Auaritia à Magiſtratibus aliena. Vat.23.6.
Auaritia ab integritate iudicis aliena. Piſ.87.2.
Auaritia reliquis criminibus implicata. Piſ.86.1.
Auctor. Sext.40.1.
Audacia & egeſtas. Sext.85.3.
Audacia Muſcæ. Piſ.39.5.
Audaciæ & temeritatis diſtinctio. *ibid.*
Audentia. Vat.17.2.
Audere. *ibid.*
Audire. Sext.132.2.
Audire preces. Piſ.43.7.
Auditor excitat ſtudium. Cœl.47.5.
Auditorum à beneuolentia, eloquentiæ fama. Sext. 107.3.
Auditorum habenda ratio. Sext.119.4.
Auditus. Sext.119.8.
Auditus & viſus cur Deo tribuantur. Sext.54.2.
Auguralis prætexta. Sext.144.6.
Auguratus datus aut populo, aut ab auguribus. *ibid.*
Augures ſacerdotium non amittebant. Vat.18.11.
Augurum vox. Vat.15.3.
Aulæum ſiparium. Cœl.65.
Auli Gabinij damnatio quia milites ad cædem præbuerat. Pr. C. 9.1.
Aura popularis. Sext.101.9.
Auram quamuis timere. Piſ.99.2.
Aurea, ærea, lapidea trophæa. 92. 1.
Aureæ bullæ. Piſ.9.2.
Aurelium tribunal. Sext.33.7.
Aures perforatæ ſeruorum venalium. Piſ.35.6.
Auri raritas Romæ. Piſ.9.2.
Auribus deuorare. Sext. 23.2.
Auribus reſpuere. Piſ.45.2.
Aurum coronarium. Piſ.60.4.
Aurum è manubiis. Piſ.60.4.
Aurum Hieroſolymam exportari prohibitum. Vat.12. 5.

AVSPICIA.

Auſpicia. Sext.98.5.
Auſpicia patriciorum. Sext.16.4.
Auſpicia quibus Roma condita eſt. Vat.12.2.
Auſpicia ſpecie tenus remanſerunt. Piſ.11.2.
Auſpiciorum religio. *ibid.*
Auſpiciorum vanitas. *ibid.*
Auſpiciorum vis præcipua è cœlo petebatur. *ibid.*
Auſpicium malum in occurſu. Vat.39.2.
Auſus. Piſ.10.3.

AVTHORITAS.

Authoritas. Bal. 1.1.
Authoritas Calatini. Piſ.14.3.
Authoritas Conſularis. Vat.16.5.
Authoritas Conſulis deſignati. Sext.70.1.
Authoritas Maximi ad populum. Piſ.14.5.
Authoritas Metelli. Bal.7.10.
Authoritas, ordo. Pr. C.3.1.
Authoritas Scauri. Pr. C.20.1.
Authoritas Senatus. Sext. 75.2.
Authoritas Seruilij. Pr. C.1.
Authoritas teſtimoniorum minor eſt quàm teſtium. Cœl.55.2.
Authoritas teſtium. Vat.1.5.
Authoritas Tribuni plebis. Vat.16.5.
Auxilia. Pr. C.15.9.
Auxiliares cohortes ſiue alariæ. *ibid.*
Auxilium tribunorum. Pr. C.19.4.
Azami Sultani clementia. Cœl.21.1.

B.

Baculus ſenectutis. Cœl.79.3.
Baiæ. Cœl.27.5.
Balbi diuitiæ. Bal.56.2.
Balbus à Theophane adoptatus. Bal.56.9.
Balbutiens. Piſ.25.6.

BALNEA.

Balnea luminoſa. Cœl.61.1.
Balneæ Xeniæ. Cœl. 61.1.
in Balneis proſtibula. Cœl.62.3.
Balneum res quadrantaria. *ibid.*

BARBA.

Barba veterum. Sext.19.4.
Barba olim in pretio apud Græcos & Macedonas. Cœl.33.2.
Barbæ ponendæ tempus. *ibid.*
Barbam apud lares ponere. *ibid.*
Barbam diis ſacrare. *ibid.*
Barbam Imperatores radebant. *ibid.*
Barbam nutriuerunt Adrianus & Iulianus, *ibid.*
Barbã primam radẽtibus dabantur munera. *ibid.*
Beati an diuites Cœl. 67.3.

BELLVM.

Bella grauia ex leuibus cauſis orta. Sext.100.3.
Bella propter mulieres excitata. Cœl.67.
Belli aut ſeditionis procella. Cœl.59.8.
Belli ſignum ſiue vexillum in arce. Piſ.34.4.
Bellum ciuile. Sext.52.2.
Bellum Sertorianum. Bal.1.16.
Bellum, tumultus. Piſ.73.5.
Beneficiarij. Piſ.92.3.
Beneficium tueri. Cœl.7.2.
Beneuolentia fallit iudicium. Cœl.45.4.
Beroe. Piſ 89. 4.
Beſtiarij. Sext. 135.1.
Bibuli & Cæſaris defenſio. Piſ.3.3.
Bibulus à Cæſare ſpoliatus Conſulatu. Vat.24.2.
Bibulus bene interfectus. Vat.24.4.
Bidental. Vat.10.6.
Bona dea. Piſ.95.6.
Bona dea popularis. 88.13.
Bona inſperata. Sext. 20.10.
Boni facilè lacrymantur. Sext.130.5.
Boni, id eſt, mortui. Vat.14.8.
Boni ſunt tardiores. Sext.75.5.

Boni viri & ſapientis iudicio ſtandum. Piſ. 33.1.
Boni viri ſolius iudicium ſyncerum. Vat.9.5.
Bonis euertere. Pr.C.7.4.
Bonis non maledicendum. Sext.111.1.&c. Cœl. 43.3.
Bonum è malo. Sex.128.1.
Bonum malo coniunctum, voluptas dolori. Sext. 131.11.
Bonus ciuis. Pr. C.7.4.
Bœotia. Piſ. 86.10.
Bordeau. Cœl.35.3.
Braccæ Gallorum. Piſ.53.10.
Brachij cohibendi mos à Spartanis & Perſis traductus. Cœl.11.1.
Brachio veſte cohibendo mos Græcorum, quem primus mutauit Cleon. *ibid.*
Brachium toga continere. *ibid.*
Bruti res geſtæ in Hiſpania. Bal.39.5.
Brutiani. Piſ.86.2.
Bullæ aureæ. Piſ. 9.2.
Buccæ fluentes. Piſ. 25.6.
Buſtirapi. Vat.32.1.
Buſtum, Buſtiarij. Piſ.19.6.
Byſantium. Piſ. 86.10.

C

Cadauer eiectum. Sext.26.5.
Cadaueribus fluuij repleti. Sext.77.2.
Cæcilia & Didia lex. Sext. Piſ.30.3.
Cæciliæ gentis claritudo. Cœl.34.2.
Cæcilius.37...
Cæcitas Appij ex diuina vltione. Cœl.33.4.
Cæcorum è regione ſedem ponere. Piſ.
Cæcus. Sext.17.2.
Cælij eloquentia & ingenium. Cœl.45.1.

CÆSAR.

Cæſar adiutus à Craſſo & Pompeio. Vat.15.9.
Cæſar clades accepit in Galliis. Pr.C.33.2.
Cæſar Clodium in Ciceronem excitauit. Pr.C. 18.3.
Cæſar gloriæ cupidus. Vat.15.7.
Cæſar natura violentus. Vat.*ibid.*
Cæſaris ambitio. Pr.C.38.4.
Cæſaris clementia. Vat.22.3.
Cæſaris clementiæ templum. Sext.132.1.
Cæſaris & Bibuli diſſenſio. Piſ.3.3.
Cæſaris geſta primo conſulatu. Pr.C.41.1.
Cæſaris lege ciuitates liberæ factæ. Vat.29.1.
Cæſaris nobilitas. Vat.15.10.
Cæſaris res geſtæ. Vat.15.11.
Cæſaris, Traiani, Philippi, Antonini Pij ludi. Piſ.65.3.
Cæſi virgis apud Perſas gratias agere cogebantur. Piſ.
Calamiſtrum. Sext.18.2.
Calamitas. Sext.7.2.
Calamitas Miltiadis. Sext.141.3.
Calatini auctoritas. Piſ.14.5.
Calcei cum toga. Cœl.62.2.
Calendæ. Sext.68.1.
Calendis Ianuariis inibant conſulatum. Piſon. 4.2.
Calendis Sextilibus aliquando. *ibid.*
Calendis Decembribus. *ibid.*
Calendis Martiis. *ibid.*
Calendis Septembribus. *ibid.*
Calices pretioſi. Piſ.67.4.
Calices viles & grandes. *ibid.*
Caluentius. Piſ.53.8.
Caluities. Piſ.1.7.

CALVMNIA

Calumnia. Sext.75.1.
Calumniæ. Sext.132.3.
Calumniator. *ibid.*
Calumniatores. Piſ. 30.1.
Calumniatores mulcta pecuniaria affecti apud Græcos. Cœl.47.4.
in Calumniatores capitalis pœna. *ibid.*
in Calumniatores vtrum pœna arbitraria fuerit. *ibid.*
Campanus Conſul. Piſ. 24.9.
Campeſtris exercitatio & eius vtilitas. Cœl.11.3.
Campeſtris exercitatio fiebat curſu, lucta, ſaltu, ioculatione, clypei rotatione, natatione, exercitatione ad palum, equitatu, pyrricha ſaltatione. *ibid.*
Cancelli, Cancellarij. Sext.124.
Candidatorum labores & officia. Piſ.54.3.
Canere. Sext.47.2.
Cani à pueritia. Cœl.76.1.
Canis. Piſon.19.3.

CAPILLI.

Capilli auro inſperſi & alligati. Sext.19.8.
Capilli vnguento delibuti. Piſ.25.4.
Capilli voti fluuiis. Cœl.33.2.
Capillis mortuos honorare. *ibid.*
Capillorum cura. Cœl.49.5.& Piſ.25.3.
Capillorum oblatio obſeruantiæ cauſa. Cœl.33.2.
Capite integro & diminuto. Piſ.30.5.
Capite ſancitum ne maledicum carmen conderetur. Sext.118.6.
Capitis minutio. Sext.1.4.
Capitolij nomen. Sext.28.3.
Capitolium aſcendere mos in gratiarum actione. Sext.131.11.
Cappadoces natio vilis & abiecta. Pr.C.9.1.
Captiuus in arcu triumphali. 92.1.
Capua bellis & imperio opportuna. Sext.9.2.
Capuanorum luxuria. Piſ.25.8.
Caput. Cœl.31.1.
Caput inuolutum ad libidinem. Piſ.13.3.
Caput perfricare Piſ.61.10.
Carcer Romanus. Sext.95.3.& Vat.28.4.
in Carcerem ducti hoſtium duces. Pr.C.19.5.
Carmen maledicum ſub capite defenditur. Sext. 118.6.
Carnium & piſcium eſus. Piſ.67.7.
Caro porcina diſtributa. Sext.55.5.
Caro ſubrancida. Piſ.67.8.
Carpere. Cœl.52.2.
Carpere & libare. Sext. 119.3.
Carthaginis nouæ ſitus. Bal.1.18.
Caryatides. Piſ.92.1.
Caſauboni cauillatio. Vat.14.4.
Caſellius. Bal.44.2.
Caſtitas apud Antiquos rara. Cœl.48.1.
Caſtitas vitæ præferenda. Pr.C.6.3.
Caſtoris templum. Piſ.23.7.
Caſtra quid? Sext.56.6.
Caſtus. Sext.93.8.&c. Bal.7.6.
Caſus & fortunæ diſtinctio.
Cataſta venalium. Piſ.
Catenæ iudiciorum. Sext.16.7.
Catenis aureis retinere. Cœl.36.9.

CATILINA.

Catilina cauſam dixit de repetundis. Cœl.10.1.

Catilina incendiarius. Piſ.15.1.
Catilina monſtrum. Cœl.12.4.
Catilinæ abſolutio. Piſ.95.4.
Catilinæ familiaritas. Cœl.10.1.
Catilinæ mores. Cœl.12.1.
Catilinæ mores quàm varij. Cœl.14.4.
apud Catilinam libidinum illecebræ. Cœl.12.3.

CATO.

Catonis cenſorij ingenium. Bal.1.6.
Catonis res geſtæ in Hiſpania. Bal.39.5.
Catonis virtus. Sext. 60.1.
Catuli authoritas. Sext.122.2.
Cauillatio Caſauboni. Vat.14.4.
Caupona Piſ.53.8.
Cauſſæ cur impij ſtatim, atque peccauerunt non puniantur. Cœl.59.2.
Cautio. Sext.15.4.
Cedere de via. Piſ.26.2.
Cedendum fortiori. Piſ.
Cedendum tempori. Sext.63.2.
Celebrare Sext 131.9.& Cœl.34.18.
Celebrata ſaturnalia quo tempore. Piſ.8.6.
Celtarum nomen. Pr.C.20 2.

CENSOR.

Cenſores anſeribus cibaria & Iouis ſimulachrum miniandum locabant. Pr.C.21 3.
Cenſoria notatio. Sext 55.2.
Cenſoria ſeueritas. Piſ.9.3.
Cenſorium ſupercilium. Piſ.14.2.
in Cenſum irrepere. Sext.101.6.
Cenſura. Sext.55.3.
Cenſura magiſtra morum. Piſ. 9.3.
Cenſuræ poteſtas quando primùm immutata. Piſ. 10. 6.
Cenſus equeſter. Sext.110.2.
Cenſus primæ claſſis. Bal.17.9.
Centumuirales cauſſæ. 94.2.
Centuria prærogatiua ſorte legebatur.
Centuriæ & tribus prærogatiuæ. Piſ.11. 4.
Centuriæ iuniorum & ſeniorum. Sext.109.4.
Centurio primi pili. Bal.17.43.
Cereris ieiunia. Bal.29.
Cereris ſacra. *ibid.*
Cerites tabulæ. Vat.11.3.
Ceruſſa. Piſ.25.7.
Charitas patriæ. Pr.C.36.3.& Sext.1.2.
Charondas ad ſanciendam ſuam legem ſeipſum interfecit. Sext.77.6.
Chartarum vſus quando inuentus. Cœl.40.1.
Chirurgus, Medicus. Piſ.83.6.
Chlamys Imperatoris paludamentũ eſt. Piſ.31.2.
Ciagonius refutatur. 67.13.
Cicadæ Athenienſium. Piſ.25.5.

CICERO.

Cicero amicus Pompeij. Piſ.27.1.
Cicero an ſponte ceſſerit Clodio. Vat.6.4.
Cicero à Pompeio excluſus. Piſ.76.2.
Cicero à Regibus oriundus. Piſ.11.2.
Cicero Clodij iram ſenſit iubente Cæſare. Pr.C. 18.13.
Cicero magnificè Conſul factus. Vat.1.
Cicero natura leuis. Vat. 8.2.
Cicero reprehenſus & defenſus. Cœl.6.2.
ad Ciceronem facilis erat aditus. Vat.8.3.
Ciceroni cur Cæſar iratus. Sext.71.2.
Ciceronis gratia & authoritas ob eloquentiam. Cœl.46.4.
Ciceronis inuidi. Sext.46.8.
Ciceronis mendacium. Pr.C.44.3.
Ciceronis mores. Vat.8.1. & Cœl.9.13.
Ciceronis motus. Sext.14.6.
Ciceronis reditus. Piſ.52.3.
Ciceronis timor in cauſſis perorandis. Cœl.19.4.
Cincinni. Piſ. 25.5.
Cinnæ & Octauij diſſenſio. Sext.77.8.
Circumſcriptio Magiſtratuum. Pr.C.38.1.
Circus Flaminius. Sext.33.6.

CIVITAS, CIVIS.

Ciuis bonus. Vat 40.1.
Ciuitas. Sext. 91.8.
Ciuitas data gentibus vniuerſis. Bal.17.35.
Ciuitatem nemo amittit inuitus. Sext.73 3.
Ciuitates liberæ factæ lege Cæſaris. Vat.29.1.
Ciuitatis anima, Senatus. Sext.98.7.
Ciuitatis furandæ modi. Bal.1.11.
Ciuium felicitas finis politici. Sext. 98.1.
Clades accepit Cæſar in Galliis. Pr.C.33.2.
Clades vnde. Pr. C. 33.3.
Clades militum. *ibid.*
Clamatores. Cœl.27.4.
Clamor. Sext.124.7.
Clamores in amphiteatro. Sext.134.13.
Claſſicus, infra claſſem. Bal. 17. 9.
Clauum Auguſtum equeſter ordo in luctu ponebat.
Clauũ latũ ponebant Senatores in luctu. Piſ.17.1.
Clauum Reipub. tenere. Sext.20.6.
Clauus annalis. Piſ.8.3.
Clauus anguſtus. Piſ.17.1.
Clauus latus præconum. *ibid.*
Clauus tunicæ. Piſ.25.2.
Clementia Azami Sultani. Cœl. 21.1.
Clementia Cæſaris. Vat.22.3.
Clementia prætextus crudelitatis. Vat.27.3.
Cleon primus mutauit morem Græcorum brachio veſte cohibendo. Cœl. 11. 1.
Clientelæ publicæ. Sext.10.2.
Clientes. Piſ 64.2.
Clientes comites. Sext. 79.1.
Clientis & patroni coniunctio. Sext.8.11.
Clientium ſalutationes. Cœl.18.3.
Clinicus. Piſ. 83.6.
Clitomachi honeſtas. Cœl.8.5.
Cliuus. Sext. 28.3.
Cloacæ. Sext.77.3.
Clodia & ſoror & coniux. Cœl. 78.9.
Clodia gens. Sext.81.1.
Clodia quadrantaria. Cœl. 62.3.
Clodianorũ crudelitas in Ciceronem. Cœl.50.1.
Clodij abſolutio. Piſ.95.5.
Clodij contumeliæ in Pompeium. Piſ.16.1.
Clodiorum gens minimè popularis. Cœl.52.3.
Clypeorum inſignia. Sext.42.4.
Codex. Vat.5.4.
Coëmptio. Cœl.32.2.
Cœlibatus prohibitus apud Romanos & Spartanos. Sext.6.3.
Cœnum, labes. Sext. 20.2.
Cœnum voluptas. Piſ.
Cohors. Pr.C.15.8.
Cohortes. Sext. 71.7. & Pr. C.9.3.
Cohortes auxiliares ſiue alariæ. Pr.C.15.9.
Collegia. Piſ.9.2. Sext.32.3. & 55.4.
Collegium. Pr.C. 19.3.
Collum inflatum. Vat. 4. 5.

COLONIÆ.

Coloniæ. Sext.97.6.
Coloniæ ciuium Romanorum. Bal.44.13.

Coloniæ Latinæ. *ibid.*
Coloniæ nonnunquam in ius municipiorum tranſibant. Piſ. 53.9.
COLOR.
Color purpureus & roſeus ſpectat ad formæ dignitatem. Cœl. 8.4.
Color ſeruilis ater. Piſ.1.6.
Coloris Phœnicei. Piſ.31.2.
Columna. Sext.18.9.
Columna Mæuia. Sext. 124.4.
Columnarij. *ibid.*
Comedendi hora. Piſ.13.2.
Comeſſatio. Cœl.35.2.& 67.14.
Comeſſationes diſſolutæ. *ibid.*
Comiter. Bal. 17.51.
Comites ſunt vaſa. Piſ.86.3.
COMITIA.
Comitia calata, centuriata, curiata. Cœl.19.1. & Piſ. 11.4.
Comitia centuriata. Sext.73.4.& Piſ.11.4.
Comitia centuriata Tribunus plebis non prohibebat. Piſ.35.6.
Comitia curiata. Sext.16.11.
Comitia curiata nonnunquam militaria. Piſ. 11.4.
Comitia ex S. C. celebrata. Sext.109.1.
Comitia haberi nefas Ioue tonante. Sext.101.7.
Comitia in Pompeium. Sext.118.7.
Comitia Magiſtratuum. Piſ.11.3.
ad Comitia nominatim conuocati Patricij, plebeij confertim, & per cornicinem. Cœl.19.1.
Comitia Quæſtoris. Piſ.88.10.
Comitiati Tribuni Ruffuli. Piſ.88.12.
in Comitiis gratia. Vat. 12.2.
Comitiorum cuſtodes. Piſ.36.4.
Committere. Cœl.57.3. & Sext. 117.2.
Commodare, mutuo dare. Cœl.32.1.
Compilare. Vat. 11.3.
Complexus patriæ. Sext.53.3.
Conceſſionum ironicarum exempla. Pr. C. 12.5.
CONCIO.
Concio. Sext.107.1.
Concionem Græci armati ingrediebantur. Sext. 77.6.
Concionem ingrediendi mos. Sext.107.2.
Conciones Græcorum. Sext.124.7.
CONCORDIA.
Cõcordia omnium bonorum cauſſa. Sext.87.4.
Concordia rara formæ atque pudicitiæ. Cœl. 6.1.
Concordiæ ædes. Sext.87.4.
Concordiæ templum Opemij monumentum. Sext.140. 2.
Conditio. Cœl.36.13.
Conditiones requiſitæ ad triumphum. Piſon. 44.4.
Condonare. Cœl.78.8.
Confarreatio. Cœl.32.2.
Confarreatio an diſtincta à conuentione in manum. *ibid.*
Confarreatio an ſolis pontificibus conuenerit. *ibid.*
Confeſſio glorioſa proprij errati. Sext. 3.5.
Conficere. Sext. 53.1.
Conficere patrimonium. Sext.110.3.
Congiarium populo, donatiuum militibus tribuere. Sext.131.4.
Coniurationes. Sext.9.1.
Coniurationes vnde. Cœl.15.2.
Conniuere. Cœl. 41.9.
Conquiſitio. Pr. C. 5.2.
CONSCIENTIA.
Conſcientia domeſticum iudicium. Piſ.
Conſcientia maiorum. Cœl.60.4.
Conſcientia mala. Piſ.99.3.
Conſcientia mala & metus, cauſſa ſeditionum. Sext. 99.4.
Conſcientia mala vocem tollit. Piſ.99.3.
Conſcientiæ malæ ſignum, tremor. Piſ.99.4.
Conſcientiam malam ſignificant furiarum ardentes tædæ. Piſ.46.2.
Conſeruator. Vat.7.2.
CONSILIVM.
Conſilia. Piſ.3.1.
Conſilia, non euentus rerum, ſunt conſideranda. Piſ. 98.1.
Conſiliarij Regis Perſarum. Piſ.23.5.
Conſiliarij Regum Spartanorum. Vat.35.4.
Conſiliarij ſiue Senatores Reges dicti antiquitus. Piſ. 23.5.
Conſiliarius Agamemnon. *ibid.*
Conſilium. Sext 98.6.
Conſilium bellicum. Vat.35.4.
Conſilium militare. Bal.17.6.
Conſolatio miſerorum eſt habere pares. Pr. C. 16.1.
Conſtantia Menedemi in honore negligendo. Piſ.65.7.
Conſtantini largitiones. Sext.55.5.
CONSVL, CONSVLARIS.
Conſul deſignatus primus rogabatur ſententiam. Piſ.35.4.
Conſul magnificè factus eſt Cicero. Vat.6.1.
Conſul maior. Piſ 3.7.
Conſûlne prior qui primo menſe faſces obtinebat. *ibid.*
Conſul per factionem. Piſ.3.2.
Conſul prior. *ibid.*
Conſul ſextùm aut ſextò. Sext.37.3.
Conſulare imperium. Piſ.
Conſulare ſceptrum. Sext.17.5.
Conſulare tribunal. *ibid.*
Conſulares rogabantur ante alios. Piſ.35.4.
Conſularis authoritas. Vat.16.5.
Conſularis corona. Sext.17.5.
Conſularis exercitus. Piſ.58.2.
Conſularis lectica. Sext.17.5.
Conſularis modò, modò prætoria, præuincia eadem. Pr.C.
Conſularis trabea. *ibid.* & Piſ.31.2.
Conſules duces Senatus. Sext.35.1.
Conſules faſces alternis menſibus habebant. Piſ.3.7.
Conſules in carcerem ducti à Tribunis. Vatin. 22.1.
Conſules incendio ſubueniebant. Sext.54.5.
Conſules paludati exibant in prouincias. Sext. 71.4.
Conſules prouincias inter ſe ſortiebantur. Pr. C. 1.1.
Conſules referebant aliquando de interceſſione Tribunorum. Sext. 74. 6.
Conſules ſcripto vel dimiſſis præconibus diem prædicebant ad delectum. Pr. C. 5.1.
Conſulibus ſecures initio prælatæ. Sext.17.5.
Conſulis actio. Sext.25.5.
Conſulis deſignati authoritas. Sext. 70.1.
Conſulis poteſtas. Sext. 137.3.

Conſultor. Bal. 44.12.
Conſumere. Pr. C.5.6.
Contentio. Sext.40.4. & 77.9.& Vat.15.5.
Continentia Xenocratis. Bal.7.12.
Contubernalis. Cœl.73.1.
Contubernium. Sext.99.7.
Contumelia. Pr.C.38.2.& Piſ.68.1.
Conuentus. Sext.9.4.
Conuerſio & inclinatio Reip. Sext.64.3.
Conuitio verberari. Piſ. 63.4.
Conuitium. Piſ. 63.3.

Conviva, Convivium.

Conuiuæ nomen. Piſ.67.13.
Conuiuæ pileati. Piſ.13.3.
Conuiuantum pedes vngebantur. *ibid.*
Conuiuarum numerus ſeptem. Piſ.67.13.
Conuiuia nocturna & intempeſtiua. Piſ.67.16.
Conuiuiis aderant ſoleati. Piſ.13.4.
Conuiuiorum apparatu excepti redeuntes. Sext.131.
Copia nimia ſapientiam impedit. Cœl.45.6.
Coqui ferales. Vat.32.1.

Corona.

Corona ciuica è quercu. Piſ.6.2.
Corona Conſularis. Sext.17.5.
cur Corona dabatur. Piſ.6.2.
Corona laurea. Piſ.58.1.
Coronarium aurum. Piſ.90.4.
Coronata mancipia. Piſ.35.6.
Coronati religionis cauſſa. *ibid.*
Coronati venales ſubmiſſionis cauſſa. *ibid.*
Coronæ ciuicæ honor. Piſ.6.3.
Cornua voluminum. Piſ.75.1.
Corporum acerui. Sext.77.7.
Correctio verbi. Sext.53.6.
Corrumpere. Bal.56.3.
Corruptela. Cœl.29.2.
Craſſi diuitiæ. Sext.40.2.
Craſſi eloquentia. Pr.C.29.1.& Bal.1.7.
Craſſi mors. Sext. 48.5.
Credo. Sext.84.3.& 134.9. Pr.C.29.3.
Creperus. Cœl.38.1.
Cretati ſiue gypſati pedes. P.35.6.
Crimen vel negatur, vel feſtiuitate eluditur, aut gratia condonatur. Sext.134.5.
Criminibus reliquis implicata auaritia. Piſ.
Crobylus. Piſ.25.5.
Crotala. Piſ.20.7.
Crucis ſignum. Vat.14.4.
Crudelitas Clodianorum in Ciceronem. Cœl. 50.1.
Crudelitatis prætextus clementia. Vat.28.3.
Cruentatio corporis per inſaniam. Piſ.47.4.
Cubilia. Piſ.83.1.
Cucullati pauperes, lacernati, pullati. Piſ.93.3.
Cucullus ſeruilis. Piſ.93.3.
Cultus corporis. Cœl.49.5.
Culcitræ ſubalares in triclinio. Piſ.67.13.
Cumulus. Pr.C. 26.2.
Cupa. Piſ.67.12.
Cupiditas. Sext.138.4.
Cupiditates Belluæ. Cœl.75.3.
Cupiditates Belluinæ. Piſ.1.2.
Cupiditates expiare. Pr.C.2.2.
Cura capillorum. Cœl.49.5.
Cura ſui primùm habenda. Sext.40.10.
Curæ leues loquuntur, ingentes ſilent. Sext.78.3.
Curia municipalis oneri potiùs quàm honori fuit. Cœl.5.2.
Curia quid? Piſ.32.2.
Curiæ. Piſ.11.4.
Curionis libertas. Vat.24.6.
Currum triumphantis legati in equis comitabantur. Piſ.60.5.
Currus laudis. Cœl.72.4.
Currus triumphales aurei, gemmati, eburnei. Piſ. 60.1.
Currus triumphalis turris inſtar. *ibid.*
Curſus. Cœl. 51.4.
Curſus gloriæ. Sext.47.3.
Curſus vitæ. Sext.47.4.
Cymbala. Piſ.20.6.

D

DÆmon puritatem à ſuis ſacerdotibus exigebat. Sext.55.6.
Damnatio Antonij. Vat.27.3.
Damnatio Auli Bæbij, quia milites ad cædem præbuerat. Pr.C.9.1.
Damnum & turpitudo. Piſ.40.4.
Darij oratio. Piſ.81.2.
Dea Carna. Sext.68.1.
Dea Manturna. Sext.7.1.
Debitores fugiunt creditoris occurſum. Sext. 28.1.
Decij deuotio. Sext. 48.4.
Decij Magij conſtantia. Piſ.24.10.
Decidere. Pr.C.9.4.
Declamatores. Cœl.27.4.
Declinare à ſtatu. Pr.C. 41.5.
Decor. Sext.134.18.
Decrepitus. Cœl.38.1.
Decumæ frumenti. Sext.55.5.
Decuriones. Sext. 9.6.
Decurionum commoda. Cœl.5.2.
Decurionum onera & honores. *ibid.*
Dedere. Cœl.37.4.
Deductio honoraria. Piſ.7.3.
Defendere. Cœl.10.3.
Deferri. Cœl.74.1.
Deformitas Vatiniorum. Vat.1.1.
Defungi. Sext.74.1.
Delatorum præmia. Vat.26.3.
Delectare. Sext. 124.2.
Deliberationis tempus poſtulabāt Tribuni cùm intercedere non auderent. Sext.74.5.
Delubra à diluendo. Vat.10.6.
Delubra lignea delibrata. *ibid.*
Delubrum. *ibid.*
Democratia. Sext.137.3.
Democritus duos Deos putauit, pœnam & beneficium. Sext. 1.1.
Dentes putridi ſtoliditatis indicium. Piſ.1.8.
Deo cur viſus & auditus tribuatur. Sext.54.2.
de Deo Epicuri ſententia. Piſ.59.3.
à Deo inchoandum. Vat.14.1.
Deo vbi placendum, quatenus laus appetenda. Pr.C.24.1.
Deorum ſimulachra in luctu velata. Piſ.21.1.
Deſcendere ad accuſandum. Sext.89.1.
Deſcribere. Sext.66.2.
Deſeruire. Sext. 93.2.
Deſignator quis? Vat.30.4.
Deuotio Decij. Sext.48.4.
Deus. Sext.144.4.
Deus domiducus. Sext.7.1.
Deus domitius. *ibid.*

Deus è machina. Cœl. 64. 3.
Deus muneribus non corrumpitur.
Deus videt. Sext. 54. 2.
Deus videt in tenebris. Cœl. 47. 7.
Diadema Sext. 58. 4.
Diadema miſer panniculus. *ibid.*
Dibapha Sext. 19. 7.
Dicendi voluptas. Cœl. 46. 2.
Dictator ſecures etiam in vrbe retinebat. Sext. 13. 5.
Dicto citius. Sext. 130. 4.
Dictorum recapitulatio. Piſ. 23. 2.
Didia & Cæcilia lex. Piſ. 30. 5.
Dies aureus. Piſ. 65. 3.
Dies conducendarum ædium. Piſ. 61. 2.
Dies feſti, profeſti, interciſi, faſti, comitiales comperendini, ſtati, iuſti. Sext. 34. Cœl. 1. 1.
Dies me deficeret. Cœl. 29. 1.
Dies natales. Sext. 131. 3.
Dies proditi. Sext. 28. 2.
Dies ſupplicationum. Piſ. 59. 2.
Diffuſum vinum. Piſ. 67. 10.
Dignitas. Cœl. 8. 4. & Pr. C. 35. 5.
Dignitas Imperij Romani. Sext. 1. 2.
Dignitas verborum. Piſ. 35. 2.
à Dignitate alienum nihil faciendum. Sext. 98. 3.
Dignitatis ſolius non habenda ratio. Sext. 98. 2.
Dij hoſpitales. Piſ. 85. 4.
Dij irati. Piſ. 59. 4. & 68. 4.
Dij patrij. Sext. 45.
Dij Romæ cuſtodes. Sext. 54. 1.
Dij Samothracum. Piſ. 79. 1.
Diis inuitis. Vat. 38. 1.
ſi Diis placet. Piſ. 38. 7.
Dilecti & principes. Sext. 104. 1.
Dilectio. Piſ. 76. 1.
Diminuto & integro capite. Piſ. 30. 5.
Diploma. Piſ. 90. 3.
Directus. Cœl. 38. 1.
Diribere. Piſ. 36. 2.
Diritas, Dirus. Vat. 9. 1.
Diſceſſio. Sext. 74. 2.
Diſceptatio. Sext. 40. 5.
Diſceptatio legitima. Sext. 40. 4.
Diſceptatio libera. *ibid.*
Diſcrimen Senatorij & equeſtris ordinis à clauo petebatur. Piſ. 17. 1.
Diſpenſatio ærarij. Sext. 66. 4.
Diſceſſio Cinnæ & Octauij. Sext. 77. 8.
Diſtinctio ſuffragiorum. Piſ. 3. 5.
Diſtributio. Cœl. 2. 4.
Diuinatio ex igne. Piſ. 86. 5.
Diuinus vir. Sext. 50. 1.
Diuitiæ Balbi. Bal. 56. 2.
Diuitiæ Craſſi. Sext. 40. 2.
Diuitiæ hæreditariæ minus inuidioſæ. Bal. 56. 3.
Diuitiæ Parthicæ. Sext. 93. 5.
Diuitiæ veræ in animo conſiſtunt. Piſ. 24. 5.
Dius fidius. Piſ. 33. 4.
Doctores olim iidem erant, & rectè faciendi & bene loquendi. Cœl. 40. 4.
Doctrinæ intemperantia. Piſ. 70. 1.
Dogmata Epicuri. Sext. 23. 1.
Doliare vinum. Piſ. 67. 10.
Dolor, ira. Pr. C. 2. 3.
Dolor malum. Piſ. 65. 9.
Domeſticum iudicium conſcientia. Piſ. 97. 1.
Domeſticus diſceptator. Cœl. 20. 1.
Dominari. Reges. Piſ. 87. 2.
Dominus, Rex, dominus frater. Piſ. 96. 4.
Dominus ſupremus poteſt ſceleribus paribus pœnas diſpares irrogare. Pr. C. 17. 1.
Domibus libellum affigebant, ſi exire noluiſſent. Vat. 22. 5.
Domo nemo extrahendus. *ibid.*
Domus cuique refugium. *ibid.*
Domus vacua. Piſ. 61. 3.
Dracones Imperatoribus prælati. Piſ. 92. 1.
Dracones militares. Sext. 42. 4.
Druidum excommunicatio. Vat. 2. 2.
Duces hoſtium in triumpho ante currum vincti, & neci dati. Piſ. 60. 2.
Ducum ordo. Piſ. 88. 5.
Duumuiri. Sext. 19. 9. Piſ. 25. 1.
Duumuiri prætextati. Piſ. 25. 10.
Dyrrachium. Piſ. 83. 5.

E.

EDERE ſpiritum. Sext. 83. 1.
Edictum. Sext. 29. 8.
Effectus timoris. Piſ. 99. 1.
Effigies Iudicij apud Ægyptios. Piſ. 87. 2.
Effingere. Sext. 77. 4.
Effractores & effractoribus pœna. Vat. 11. 1.
Egeſtas. Cœl. 37. 5.
Egeſtas animi. Piſ. 24. 5.
Egeſtas & audacia. Sext. 85. 3.
Egeſtuoſi & inopes Reip. fuci. Sext. 99. 7.
Elaborata minus mouent. Cœl. 54. 2.
Electio Quæſtoris & conſilij. Vat. 28. 2.
Elegantia. Piſ. 67. 2.
Elogium. Piſ. 72. 4.
Eloquentes pauci. Cœl. 46. 6.

ELOQVENTIA.

Eloquentia arti regiæ coniuncta. Cœl. 46. 4.
Eloquentia Atratini. Cœl. 8. 6.
Eloquentia Cœlij. Cœl. 45. 1.
Eloquentia Craſſi. Pr. C. 20. 1. & Bal. 1. 7.
Eloquentia & eruditio veterum philoſophorum. Piſ.
Eloquentia Hortenſij. Sext. 3. 1.
Eloquentia in periculis non affectāda. Sext. 119. 6.
Eloquentia nō iactanda nec ingenium. Sext. 3. 5.
Eloquentia Periclis. Cœl. 46. 4.
Eloquentia Pompeij. Bal. 1. 1.
Eloquentiæ acies. Cœl. 47. 2.
Eloquentiæ fama pendet à Beneuolentia auditorum. Sext. 46. 107. 3.
Eloquentiæ imago. Cœl. 46. 4.
Eloquentiæ laus & gloria. Cœl. 46. 3.
Eloquentiæ officit inopia. Cœl. 45. 7.
Eloquentiæ præmia. Cœl. 46. 1.
Eloquentiæ ſtudioſis voluptates ſunt omittendæ. *ibid.*
ob Eloquentiam Ciceronis authoritas & gratia. *ibid.*
Eloquentiam laudatio corrumpit. Cœl. 46. 3.
Eloquentis Proæreſij inopia. Cœl. 45. 7.
Eloquentium gratia. Cœl. 46. 4.
Embolium. Sext. 116. 4.
Emere. Sext. 74. 3.
Emergere. Vat. 5. & 28. 5.
Emporium puteolanum. Vat. 12. 4.
Ἐμπορεύς. Sext. 45. 5.
Ἐμβάτης. Sext. *ibid.*

Epicombia. Sext. 135. 3.
Epicuri de Deo ſententia. Piſ. 55. 3.
Epicuri de voluptate ſententia. Piſ. 69. 4.
Epicuri dogmata. Sext. 23. 1.
Epicuri frugalitas. Sext. 110. 6.
Epicuri perſpicuitas. Piſ. 69. 2.
Epicuri porcus. P. 37. 1.
Epicurus Deus habitus. P. 59. 3.
Epicurus virtutem verba eſſe dicebat, voluptatem approbat. P. 65. 10. & 66. 1.
Epulæ ferales. Vat. 30. 5.
Epulæ funebres publicæ. Vat. 30. 1.
Epulæ priuatæ. Vat. 31. 1.
Epulas ante funebres lauare. Vat. 31. 3.
ad Epulas publicas magiſtratus inuitati. Vat. 32. 4.
Epulum triumphale Piſ. 61. 9.
Epulum vnde. Vat. 32. 3.
Equeſter cenſus. Sext. 110. 2.
Equeſter ordo in luctu anguſtum clauum ponebat. Piſ. 17. 1.
Equeſtrem ordinem Cicero ſtabiliuit. Piſ. 41. 2.
Equeſtris & Senatorij ordinis diſcrimen à clauo petebatur. *ibid.*
Equeſtris fibula. Sext. 110. 2.
Equina libido. Piſ. 69. 1.
Equitatum amiſit Gabinius. Pr. C. 9. 3.
Equites allecti, velites, haſtati. Piſ. 87. 2.
Equites & annulos & phaleras. Piſ. 17. 1.
Equites illuſtres, ſplendidi, inſignes. Pr. C. 11. 6.
de Equitibus lex Roſcia. Sext. 110. 2.
Equitum filij latum clauum capiebant. Piſ. 17. 1.
Equitum tranſuectio. Vat. 24. 7.
Equus publicus. Sext. 110. 2. & Piſ. 88. 5.
Erecthei filiæ. Sext. 68. 3.
Ἐργάζεσθαι. Cœl. 1. 4.
Ergaſtulum. Sext. 134. 17.
Ἑρμαῖ. Sext. 29. 4.
Ἔθνος. Sext. 95. 1.
Error Perrani. Piſ. 24. 2.
Error Plutarchi. Sext. 48. 4.
Error Suidæ. Cœl. 11. 1.
Error Vallæ & Stephani. Pr. C. 9. 1.
Eruditus. Piſ. 68. 2.
Ἔρως vnde nomen. Cœl. 36. 4.
Eſus carnium & piſcium. Piſ. 77. 7.
Ethnicorum impia ſacra. Vat. 14. 4.
Euarriator. Piſ. 21. 3.
Euentus rerum non, ſed conſilia conſideranda. Piſ. 99. 1.
Euocati. Piſ. 88. 5.
Euocatio animarum. Vat. 14. 6.
Excipiendi modus. Sect. 131. 10.
Excommunicati homicidæ. Vat. 2. 2.
Excommunicatio Druidum. Vat. ibid.
Excuſat adoleſcentia. Cœl. 30. 1.
Excuſatio ab ætate. *ibid.*
Excuſatio ab aliorum facto. Vat. 15. 4.
Excuſatio Suidæ. Cœl. 11. 1.
Execratio priuata, publica, ſolemnis. Piſ. 33. 2.
Exempla. Sext. 94. 5.
Exempla domeſtica. Sext. 50. 2.
Exempla famis. Pr. C. 5. 1.
Exercitatio campeſtris. Cœl. 11. 2.
Exercitui prouidenda annona. Pr. C. 5. 4.
Exercitus è prouincia educere non licebat. Piſ. 49. 1.
Exercitus Conſularis. Piſ. 38. 2.
Exercitus dimittendi poteſtas. Piſ. 47. 4.
Exercitus ſanitatem debet curare Imperator. Pr. C. 5. 3.
Exilium Bal. 17. 26.
Exiſtimare. Pr. C. 40. 2.
Exiſtimatio. Sext. 113. 1.
Exordium. Sext. 1. 1.
Exoſtra. Pr. C. 14. 7.
Experiri. Cœl. 20. 3.
Expetere. Pr. C. 5. 7.
Expiare. Piſ. 16. 3. & 85. 5.
Exul. Sext. 35. 3.
Exul in patria. Vat. 22. 6.
Exultare. Sext. 88. 2.

F.

FABVLA. Cœl. 69. 2.
Fabulæ togatæ, prætextatæ, attellanæ, Rhintonicæ, palliatæ, tabernariæ. Sext. 118. 2.
Fabulas amat poëſis. Cœl. 64. 2.
Faces ad libidinem prælatæ. Piſ. 20. 5.
Faces amatorum. *ibid.*
Faces & flores in occurſu. Sext. 131. 10.
Faceti dicaces. Cœl. 67. 8.
de Facie noſſe. Piſ. 81. 1.
Facies virtutis. *ibid.*
Facinus. Piſ. 12. 3.
Facta, dicta. Sext. 29. 1.
Fama. Cœl. 38. 4.
Fama filia calumniæ. Cœl. 38. 6.
Fama incerta. *ibid.*
Fama virtutis certiſſima munitio. Piſ. 82. 2.
Familia. Sext. 127. 4. & 134. 9.
Familia ex obſcura qui ad claritatem emergunt non contemnendi. Sext. 21. 1.
Familia gladiatorum. Sext. 9. 3.
Familiaritas malorum. Cœl. 63. 1.
Familiaritas teſtium cum accuſatore fidem eleuat. Vat. 3. 2.
Famis exempla. Pr. C. 5. 4.
Fauum. Vat. 10. 6. Pr. C. 7. 1. Piſ. 85. 2.

FASCES.

Faſces. Sext. 17. 4.
Faſces Alexandriam non inferendi. Piſ. 48. 3.
Faſces & eorum in exercitu & magiſtratu alternatio. Piſ. 3. 7.
Faſces laureati. Piſ. 92. 1. faſces fracti. Piſ. 28. 3.
Faſti. Sext. 33. 4.
Fatum. Sext. 17. 1.
Felicitas. Pr. C. 30. 1.
Felicitas nimia. Piſ. 24. 3.
Felicitas Philippi. Sext. 16. 13.
Feneſtris ianuæ ornatæ, & frondibus & lucernis. Piſ. 20. 5.
Feriæ. Cœl. 1. 1. feriæ conceptiuæ. Piſ. 8. 6.
Feriis & ſupplicationibus agere cum populo nefas. Vat. 30. 3.
Feritas. Sext. 91. 5.
Feritas hominum primorum. Sext. 91. 3.
Ferocitas Germanorum & Heluetiorum. Pr. C. 33. 1.
Ferre puncta. Sext. 113. 9.
Ferre tribuni. *ibid.*
Ferreus. Cœl. 37. 3.
Ferro admoto frangebant fores amatores. Cœl. 38. 7.
Ferrum recipere. Sext. 80. 2.
Feſtis diebus albati. Vat. 31. 2.

è Fetialibus res repetebantur. Sext. 57. 8.
Feruor. Pr. C. 6. 4.
Fibula equeſtris, Sext. 110. 2.
Fibula Flaminis. Vat. 25. 2.
in Fide eſſe. Sext. 10. 2.
Fidem faciunt mores, Pr. C. 23. 1.
Fides. Sext. 17. 6. & Bal. 1. 1.
Fides publica. Pr. C. 3. 3.
Filiæ Erecthei. Sext. 48. 3.
Filiæ nullus poterat legare pluſquam centum ſeſtertia. Balb. 17. 9.
Filij ob parentum ſcelera non puniendi. Piſ. 4. 6.
Filij patrum iniurias perſequebantur. Sext. 10. 1.
Filij poſſunt ob ſcelera parentum ab honoribus ſubmoueri. Piſ. 4. 6.
Filius in patris gratiam teſtis idoneus non eſt. Cœl. 1. 1.
Fimbriæ petulantia. Sext. 80. 2.
Finis politici. Sext. 98. 1.
Finis politici ciuium felicitas. *ibid.*
Fiſcus. Piſ. 37. 5.
Flagitium. Piſ. 12. 4.
Flagrantia oculorum. Cœl. 49. 7.
Flagrantia odorum. *ibid.*

FLAMEN.

Flamen Dialis, Martialis Quirinalis. Vat. 25. 2.
Flamen nodum non habebat. Vat. 25. 2.
Flamen vnde dictus. Vat. 25. 1.
Flameum. *ibid.*
Flamines varij. *ibid.*
Flaminis Dialis filamen album fuit, Martialis atrum. *ibid.*
Flaminis fibula. *ibid.*
Flexus ad metam ſepties faciendus. Cœl. 75. 1.
Flexus ætatis. *ibid.*

FOEDVS.

Fœdera. Cœl. 34. 2.
Fœdera amoris. *ibid.*
Fœderati. Piſ. 98. 2.
Fœderatorum à ſociis diſtinctio. *ibid.*
Fœderum tria genera. Bal. 44. 8.
Fœdus camertinum. *ibid.*
Fœdus initum cum Gaditanis. Bal. 17. 44.
Fœdus latinum. Bal. 44. 25.

FOENVS.

Fœnebres leges. Cœl. 42. 4.
in Fœneratores Platonis lex. *ibid.*
in Fœneratores pœna. *ibid.*
Fœneratorum crudelitas. *ibid.*
Fœnore trucidari. *ibid.*
Fœnus in mortem parentum. *ibid.*
Fœnus ſublatum. *ibid.*
Fœnus trientarium. *ibid.*
Fœnus, verſura. Piſ. 86. 3.
Fœnus vnciarum & ſemiunciarium. Cœl. 42. 4.
Fœnus vnde. *ibid.*
Fores amicarum cur coronatæ. Piſ. 20. 5.
Forma. Cœl. 8. 4.
Forma liberalis. Cœl. 6. 1.
Formæ & pudicitiæ rara concordia. Cœl. 6. 1.
Formula ferendæ ſententiæ. Piſ. 97. 5.
Formus. Cœl. 8. 4.
In foro verſari. Cœl. 47. 3.
Fortiori cedendum. Piſ. 20. 4.
Fortitudo. Sext. 61. 6.
Fortitudo Gallorum. Pr. C. 32. 1.
Fortitudo Marſorum & Pelignorum. Vat. 37. 5.

FORTVNA.

Fortuna. Sext. 17. 1.
Fortuna aurea Imperatoribus prælata. Piſ. 92. 1.
Fortuna cum virtute certans. Bal. 7. 4.
Fortuna Dea, hera, Pr. C. 35. 2.
Fortuna ſaltatrix. Piſ. 22. 3.
Fortunæ & caſus diſtinctio. *ibid.* Piſ. 71. 1.
Fortunæ picturæ. *ibid.*
Fortunæ rota. Piſ. 22. 3.
Fortunæ tela. Piſ. 43. 6.
Fortunæ varia nomina. Pr. C. 35. 2.
Fortunæ varij effectus. *ibid.*
Franciſci Lothareni pietas Chriſtiana. Bal. 7. 4.
Frater, ſoror. Cœl. 36. 2.
Fratres patrueles. Cœl. 60. 1.
Frenum linguæ. Vat. 2. 7.
Frenum reſpuere. Cœl. 36. 12.
Frons animi ſpeculum. Pr. C. 8. 3. & Piſ. 1. 9.
Frontis & ſupercilij miles. Piſ. 20. 8.
Fructus virtutis, honoris. Piſ. 57. 4.
Frugalitas Heraclei, Cratetis, Anaxagoræ, Xenocratis, Epicuri. Sext. 110. 6.
ad Frugem redire. Cœl. 28. 6.
Frumentaria lex Clodia. Sext. 55. 5.
Frumentaria lex Gracchi. *ibid.*
Frumenti decumæ *ibid.*
Frumentum æſtimatum honorarium. Piſ. 86. 7. & 8.
Frumentum qui accipiebant. Sext. 55. 5.
Fuci otioſi. Piſ. 9. 2.
Fucus Faciei in viris reprehenſus. Piſ. 5. 27.
Fucus muliebris. Cœl. 49. 5. & Piſ. 25. 7.
Fucus virorum. Piſ. 25. 7.
Fuga. Sext. 141. 5.
Fulmen. Sext. 140. 5.
Fulmina Imperij. Balb. 17. 42.
Fulmina in clypeis. Sext. 42. 4.
Fumoſæ imagines, cur fumoſæ. Piſ. 1. 11.
Fumus. Cœl. 70. 3.
Funeris arbiter. Piſ. 21. 3.
Funes è comis matronarum. Piſ. 87. 7.
Funeſtum. Sext. 27. 1.
Funeribus color albus & pullus. Vat. 31. 5.
Funus familiare. Vat. 31. 1.
Funus indictum. Pr. C. 45. 3.
Funus iuſtum. *ibid.*
Furandæ ciuitatis modi. Bal. 1. 2.
Furiæ, pœnæ. Piſ. 91. 3.
Furiarum tædæ ardentes conſcientiam malam ſignificant. Piſ. 44. 2.
Furor animi ſeditionum cauſa. Sext. 99. 5.
Furor Oreſtis & Athamantis. Piſ. 47. 1.
Furor puellaris. Pr. C. 6. 2.
Furoris duæ deſcriptiones. Piſ. 47. 2.
Fuſia lex. Piſ. 9. 1.

G.

GABINII bona à Clodio conſecrantur. Piſ. 27. 4.
Gabinij rapinæ. Pr. C. 9. 5. & Piſ. 41. 2.
Gabinius defendit Pompeium. Piſ. 27. 4.
Gabinius quando equitatum & cohortes amiſerit. Pr. C. 9. 3.
Gaditani à Pœnis orti. Bal. 17. 37.
Galeæ ex pellibus, ſcuta. Piſ. 87. 3.
Galerus viridis apud Gallos. Cœl. 42. 4.
Gallicinij cauſæ. Piſ. 67. 16.

Galli antiqui omnia ad terrorem componebant. Pr. C. 29. 6.
Galli præcones. Piſ. 67. 13.
Galli pro Germanis. Pr. C. 32. 4.
Galli veteres ſtipendiariam totam Aſiam fecerant. Pr. C 29. 6.
Galliæ antiquæ amœnitas. *ibid.*
Galliæ antiquæ vrbes. *ibid.*
Gallorum fortitudo. Pr. C. 32. 1.
Ganeæ. Sext. 112. 4. & Piſ. 13. 8.
Ganeum. Sext. 20. 9.
Gaudium publicum. Piſ. 52. 5.
Gazæ. Sext. 93. 4.
Gemmare ſtatuerat. Piſ. 92. 1.
Genæ. Piſ. 1. 7.
Generoſitas. Piſ. 81. 2.
Genio publico ſacra facere. Sext. 93. 4
Gens. Sext. 67. 1.
Gens Clodia. Sext. 81. 1.
Γένος. Sext. 95. 1.
Germani. Pr. C. 20. 2.
Germanorum ferocitas. Pr. C. 33. 1.
Geſta bene Reſpublica. Piſ. 97. 9.
Geſta Ciceronis in Conſulatu. Piſ. 4. 1.
GLADIATOR.
Gladiatores dare. Sext. 134. 3.
Gladiatores emebantur. Sext. 84. 1.
Gladiatores equites & Senatores. Sext. 134. 14.
Gladiatores indicti teſtamento. Vat. 37. 3.
Gladiatores inducere. Sext. 134. 14.
Gladiatores pro ipſo munere. Sext. 135. 2.
Gladiatores Samnites. Sext. 134. 2
Gladiatores ſpecioſi. *ibid.*
Gladiatores venales. *ibid.*
Gladij quãdo primùm illati in concionem. Sext. 77. 6.
Gladiatoribus imperabatur ferrum recipere. Sext. 80. 1.
Gladiatorum familia. Sext. 9. 3.
Gladiatorum ornatus. Sext. 134. 2.
Gladiatorum par. Piſ. 27. 7.
Globus fortunæ. Piſ. 22. 3.
GLORIA.
Gloria, dignitas. Cœl. 73. 1.
Gloria & laus bonorum iudicio continetur. Sext. 86. 1.
Gloria fructus virtutis. *ibid.*
Gloria immortalis, fructus mortalis. Sext. 47. 4.
Gloria militaris Luculli. Vat. 24. 5.
Gloriæ cupiditas. Cœl. 73 1.
Gloriæ curſus. Sext. 47. 4.
non Gloriandum de ingenio & eloquentia. Sext. 121. 7.
Glubere. Cœl. 52. 2.
Gnarus, ignarus. Cœl. 3. 2.
Gracchanæ leges. Piſ. 94. 2.
Gracchi degeneres. Pr. C. 19. 1.
Gracchi reditus in gratiam cum Scipione. Pr. C. 19. 1.
Gracchi res geſtæ in Hiſpania. Bal. 39. 5.
Gracchus auxiliatur Scipioni. Pr. C. 19. 1.
Gracchus primus habens concionem ad populum ſe conuertit. Sext. 137. 3.
GRÆCIA.
Græcia facundum, ſed malè forte genus. Cœl. 40. 4.
Græcia quid. Piſ. 37. 4.
Græciæ nomen antiquum. Piſ. *ibid.*
Græci calumniatores pecuniaria mulcta afficiebant. Cœl. 47. 4.
Græci olim armati in concionem veniebant. Sext. 77. 6.
Græciæ vmbilicus Ætolia. Piſ. 91. 2.
Græcorum conciones. Sext. 124. 7.
Græcorum leuitas. Pr. C. 15. 11.
Græculi. Piſ. 71. 3.
Græculi artium omnium profeſſores. Bal. 1. 6.
Græculus & ſcholaſticus. Sext. 110. 7.
GRATIA.
Gratia. Cœl. 67. 15.
Gratia eloquentium. Cœl. 46. 4.
Gratia in comitiis. Vat. 12. 2.
Gratia mala. Piſ. 4. 7.
Gratia quæ tarda ingrata eſt. Sext. 70. 3.
Gratia referenda magis quàm vlciſcenda iniuria. Sext. 4. 1.
Gratiæ. Sext. 2. 6.
Gratiæ Dei neceſſitas ad virtutem conſequendam. Cœl. 39. 3.
Gratitudo. Sext. 2. 6. & Pr. C. 44. 2.
Grauitas. Sext. 60. 2.
Grex per contemptum. Piſ. 1. 4.
Griphi, ænigmata. Cœl. 67. 9.
Grucchij error refutatur. Piſ. 36. 2.
Gubernatores vigilare debent. Sext. 99. 10.
Guloſi. Sext. 110. 4.
Gurges. Sext. 111. 7.
Gurgites Rhemi. Piſ. 81. 3.
Guſtare. Cœl. 28. 3.
Guſtare labris primoribus. Cœl. 28. 2.
Guſtus cæteris ſenſibus inferior. Piſ. 1. 1.
Guſtus & tactus voluptates. Piſ. 65. 1.
H.
HABERE. Cœl. 36. 10.
Habitus. Cœl. 59. 7.
Hærere. Cœl. 67. 19.
Harmonia. Sext. 118. 6.
Haſtati principes triarij. Piſ. 88. 5.
Haurire. Cœl. 59. 4.
Helena. Cœl. 67. 6.
Helleſpontus. Pr. C. 4. 9.
Helluo. Sext. 110. 2.
Helluo patriæ. Sext. 26. 5.
Heluetiorum ferocitas. Pr. C. 33. 1.
Heluetios qui primus in Galliam adduxerit. *ibid.*
Henrici quarti dictum. Cœl. 34. 9.
Heraclei frugalitas. Sext. 110. 6.
Hercules ſanctus. Sext. 143. 6.
Heroes. Vat. 14. 8.
Hiberi otioſos mulctarunt. Sext. 103. 6.
Hic. Cœl. 4. 1.
Hieroſolymam aurum exportari prohibitum. Vat. 12. 5.
Hieroſolymitani templi ingentes diuitiæ. *ibid.*
Hippias omnium erat artium. Bal. 1. 6.
Hiſpaniæ diuiſio. Vat. 12. 2.
Hiſtrionum licentia. Sext. 118. 6.
HOMO.
Homo cum lyra comparatus. Cœl. 40. 4.
Homo plantæ comparatus. Cœl. 76. 2.
Homines certi. Sext. 41. 2.
Homines qui primi manſuefecerint. Sext. 91. 1.
Hominis pars inferior equina. Piſ. 69. 1.
Hominis vita cum vino comparata. Cœl. 77. 4.

Hominum primorum feritas. Sext.12.3.
Hominum ſermones negligendi. Piſ.65.5.
Hominum vita prima. Sext.91.1.
Humana contemnit Philoſophus. Piſ.65 7.
Humana vita rotæ ſimilis. Piſ. 22.5.
Humanitas. Piſ.68.3.& Vat.8 5.& 24.2.
Honeſtas. Sext. 27.5.109. 3. & Cœl. 8. 4. Pr.C. 11.4.
Honeſtas Architæ & Clitomachi Cœl.8.5.
Honeſtatem qui perdebant perire & iugulari dicebantur. Pr. C. 12.2.
Honeſtas. Sext.6.4. & Pr.C.11.4.

HONOR.

Honor. Cœl.72.1. & Piſ.6 3.
Honor coronæ ciuicæ. *ibid.*
Honor delatus oratoribus. Cœl. 46.4.
Honor & lucrum. Vat.38.4.
Honor fructus virtutis. Piſ.55.4.
Honor Magiſtratibus exhibitus. Piſ.26.3.
Honor malus. Piſ.4.7.
Honor rarus. Piſ.52.8.
Honor verborum. Pr.C.25.4.
Honoraria deductio. Piſ. 7.3.
Honorarium frumentum. Piſ.86.9.
Honorarium patronorum merces. Cœl.46 1.
Honores animi magnitudo deſpicit. Pr.C.26.3.
Honores diuini Cæſari decreti. Vat.30.3.
Honores extraordinarij. Vat.36.4.
Honores gratuiti, gratiores. Pr. C.38.5.
Honores negligit magnanimus. Piſ. 65.7.
Honores ſingulares. Pr.C.25 3. & 38.4.
Honorificum Reipub. cauſa diligi. Sext.27.2.
Honoris & virtutis templa. Piſ.55.4.
Hora comedendi. Piſ.13.2.
Hortatio ad tuẽdam libertatem maiorum exemplis. Sext.81. 3.
Hortenſij eloquentia. Sext.3.1.
Hortenſij ſubtilitas. Sext.14.5.
Hoſpitæ meretrices. Cœl.52.4.
Hoſpitales Dij. Piſ.85.4.
Hoſpitalis Iuppiter. *ibid.*
Hoſpitalis teſſera. Sext. 10.3.
Hoſpites. *ibid.*
Hoſpites ſacri. Piſ. 85.4.
Hoſpitium publicum. Sext.10.3.
Hoſpitum violatio. Cœl. 51. 7.
Hoſtis, inimicus. Piſon.80.1.
Hoſtium duces in carcerem ducti. Pr.C.19.5.
in Hoſtium numero haberi. Piſ.35.1.
Humanitas. Piſ. 68.3.

I

Iacêre. Sext.7.5.
Iactantia. Sex.121.7.
Ianua lupanarium laureata & lucernata. Piſon. 20.5.
Ianuæ & feneſtræ lucernis ornatæ. *ibid.*
Ianuæ ramis ornatæ in nuptiis. *ibid.*
Iapides. Bal.17.36.
Idibus Maiis inire Conſulatum. Piſ.4.2.
Idibus Martiis inire Conſulatum. *ibid.*
Idiotæ. Sext.110. 5. & Piſ. 62.3.
Ignarus. Cœl.3. 2.
Ignorantia non ſemper excuſat. Bal.7.15.
Ignoratio minuit aut tollit libertatẽ. Sext.16.12.
Ignoratio veritatis. Piſ.70.1.

IMAGINES.

Imagines fumoſæ. Piſ. 1. 11.
Imagines Imperatorum thure & cereis exceptæ. Sext.131.10.
Imagines in atrio. *ibid.*
Imagines maiorum in luctu deformatæ. Vatin. 28.4.
Imagines maiorum ſuorum Matronæ ad domum mariti transferebant. *ibid.*
Imagines mulierum nullæ in atriis ne virorum quidem niſi geſſerant curulem magiſtratum. Cœl. 34.4.
Imaginis tradendæ poſteris ius obtinebant qui. Piſ. 2. 2.
Imago animi vultus. Sext. 17. 11.
Imago eloquentiæ. Cœl. 46.4.
Imitatio Iſocratis. Sext. 145.5.
Immanitas naturæ. Cœl.41.1.
Immolatio puerorum. Vat.14.7.
Immortalitas. Piſ.31.5. & 52.1.

IMPERATOR.

Imperator. Pr. C. 15.1.
Imperator curare debet exercitus ſanitatem. Pr.C.5.3.
Imperator Proconſul dici poterat prælio per legatos confecto. Piſ.54.2.
Imperatorem Senatus eligebat. Vat. 36.2.
Imperatoris acceptio triplex. Piſ.38 6.
Imperatoris appellatio à Senatu. Piſ.44 3.
ad Imperatoris appellationem numerus cæſorum hoſtium neceſſarius. Piſ 38.6.
Imperatoris chlamys paludamentum. Piſ.31.2.
Imperatoribus prælati dracones. Piſ.92 1.
Imperatorum imagines thure & cereis exceptæ. 131.10.
Imperatorum largitiones. Sext.55.5.
Imperij fulmina. Bal.17.42.
Imperium Conſulare. Piſ 38.1.
Impetus iræ, & celeritas. Sext.16.8.
Impij cur non ſtatim atque peccauerunt, puniantur. Cœl.59.2.
Impij in parentes apud Græcos muneribus publicis arcebantur. Vat.11.4.
Impij in parentes excommunicati. *ibid.*
Improbi ſibi inuicem inimici. Pr.C.15.4.
Improbitas eſt violenta, virtus tranquilla. Sext. 100. 2.
Impudicis inflantur ceruices. Vat.4.5.
Impudicitia non ſolùm fugienda, ſed impudicitiæ ſigna. Cœl. 38.4.
Impunitas. Sext.82.2.
Inarculum. Vat.25.2.
Incendiarius Catilina. Piſ.15.1.
Incendiis ſubuenire quinam ex officio tenerentur. Piſ.26.1.
Incendio Conſules ſubueniebant. Sext.54.5.
Incendium inter epulas nominare infauſtum fuit. Vat.1.2.
Inceſſus. Piſ. 24. 14.
Inceſſus modeſtia. Sext.17.12.
Inclinatio Reip. Sext. 64.3.
Incolumitas. Sext. 146.2.
Inconſtãtia orationis ſignũ mendacij. Vat.42.2.
Increpare. Vat.7.3.
Incuria. Pr.C.5.3.
Indignatio quî excitanda. Cœl.1.4.
Indignitas. Vat.1.2.
Inequitare. Sext.88.2.
Infantibus lutum illitum. Vat. 14.4.
ab Inferis excitare. Sext.130.2.
Infeſtus. Pr. C. 4 11.

Inſlan-

Inflantur ceruices ſerpentibus iratis, impudicis. Vat 4. 5.
Inflatum collum. *ibid.*

INGENIVM.

Ingenio voluptates & libidines officiunt. Cœl. 45. 5.
Ingenium. Bal. 1. 1.
Ingenium Catonis Cenſorij. Bal. 1.6.
Ingenium non iactandum, neque eloquentia. Sext. 3. 5.
Inimici mali boni ſibi amici. Piſ. 81. 2.
Inimicitiæ virorũ fortium grauiores. Pr.C.22.2.
Inimicitias priuatas Reipub. cauſa deponere ſapientis eſt. Pr. C. 44. 1.
Inimicorum iudicia. Vat. 10. 4.
Inimicos congregat metus cõmunis. Sext.105.4.
Initia ſeditionũ non ſunt negligenda. Sext. 100.3
Iniuriæ commemoratio. Sext. 57.7.
Iniuriæ remittendæ. Cœl. 21. 3.
Iniuſſu Senatus in regnum non licebat accedere. Piſ. 50. 1.
Inſanire & vaticinari. Sext. 23. 4.
Inſcriptio genus ſupplicij. Piſ. 30. 1.
Inſerere & adoptare. Sext. 72. 5.
Inſignia clypeorum. Sext. 42. 4.
Inſolens. Sext. 119. 2.
Inſolentia Metelli pij. Bal. 44. 19.
Inſolentia voluptatum. Cœl. 75. 2.
Inſultare. Sext. 88. 2.
Intemperantia. Vat. 1. 7.
Intemperantia doctrinæ. Piſ. 70. 1.
Intẽperantiæ & incontinẽtiæ diſiũctio Cœl 25.2.
Intercedere cùm non auderent Tribuni, tempus ad deliberandum poſtulabant. Sext. 74. 5.
Interceſſio tribunitia. Piſ. 35. 7.
Interceſſio triplex. Sext. 77 10.
de Interceſſione referri. Sext. 129. 7.
Interfecti ob Remp. Sext. 83. 3.
Interpellare. Pr. C. 18. 2.
Interrogari vt teſtem honorificum fuit. Vat. 11.1.
Interrogatio. Vat. 2. 6.
Inuentor ſcelerum. Vat. 22. 2.
Inuictæ legiones. Piſ. 20. 5.

INVIDIA.

Inuidia. Sext. 140. 4. & Vat. 9. 5. & Bal. 56. 1.
Inuidia comes bonorum. Sext. 102. 4.
Inuidia deterior improbitate. *ibid.*
Inuidiæ cauſa virtus non deſerenda. *ibid.*
Inuidi Ciceronis. Sext. 46. 8.
Inuidioſum. Bal. 56. 2.
Inuidorum lachrymæ. Sext. 121. 12.
Inuſtio. Pr. C. 16. 2.
Io triumphe. Piſ. 60. 6.
Ioannis Calabri fortitudo. Pr. C. 33. 1.
Iocus à nomine. Sext.
Iocus ex deformitate corporis. Sext. 134.15.
Iocus Maris Epiſcopi in Iulianum. Cœl. 33. 4.
Ioue tonante comitia haberi nefas. Sext. 101. 7.

IRA.

Ira. Pr. C. 24. 4.
Ira ardor eſt & tumor. Cœl. 37. 2.
Ira delectat. Vat. 1. 7.
Ira efferri. Cœl. 21. 2.
Ira & vltio infirmi animi ſignum. Cœl. 21. 1.
Ira excuſat. Sext. 16. 11.
Ira tollit libertatem. *ibid.*
Iracundia eſt inimica conſilio. Pr. C. 11. 4.
Iracundiæ parere. *ibid.*
Iræ amantium. Cœl. 61. 2.
Iræ impetus & celeritas. Sext. 16. 8.
Iratis inflantur ceruices. Vat. 4. 5.
Iratus omnibus cum variis beſtiis comparatus. Vat. 4. 2.
Irrepere, obrepere. Bal. 1. 13.
Iſocratis imitatio. Sext. 143. 5.
Italia ius habuit ſuffragii. Piſ. 3. 4.
Italiæ arx. Piſ. 81. 3.
Italiæ vallum. *ibid.*
Italiam cur Alpibus Deus muniuerit. Piſ. 82. 1.
Iubellius Taureas. Piſ. 24. 11.
Iudæi ſeruiles. Pr. C. 10. 1.
Iudæi ſinguli didrachma templo pendebant. Vat. 12. 5.

IVDEX.

Iudex. Piſ. 74. 1.
Iudicabant Reges de cauſis grauioribus, de leuioribus patres. Piſ 94. 2.
Iudicabant tribuni aliquando de cauſis atrocioribus. *ibid.*
Iudicabant Tribuniplebis de cauſis minimis, aut etiam centumuiri. *ibid.*
Iudicabat Senatus ante Gracchanas leges de cauſis mediocris momenti. *ibid.*
Iudicabat ſolus populus in cauſa ſanguinis. *ibid.*
Iudices ex cenſu. Sext. 2.3.
Iudices Iurati. Sext. 2. 5.
Iudices lecti ex cenſu. Piſ. 94. 2.
Iudices morum medici. Piſ. 87. 2.
Iudices ſedebant. Vat. 16. 3.
Iudicis pecunia corrupti punitio. Piſ. 87. 2.
Iudici auaritia non conuenit. *ibid.*
Iudici virtus neceſſaria. Sext. 2. 4.
Iudicis effigies apud Ægyptios. Piſ. 87. 2.
Iudicia. Sext. 98. 6.
Iudicia Attica. Bal. 17. 29.
Iudicia capitalia & non capitalia. Cœl. 47. 4.
Iudicia equitibus communicata. Sext. 137. 3.
Iudicia inimicorum. Vat. 10. 4.
Iudicij Clodiani turpitudo. Sext. 89. 2.
Iudicij procellæ. Sext. 140. 5.
Iudiciorum catenæ. Sext. 16. 5.
Iudiciorum laquei. Sext. 88. 3. & Vat. 12 7.
Iudiciorum ſilentium in luctu. Piſ. 32. 3.
Iudicium boni viri magnifaciendum. Vat. 9. 5.
Iudicium corruptum more. Piſ. 95. 5.
Iudicium domeſticum, conſcientia. Piſ. 97. 1.
Iudicium fallit beneuolentia. Cœl. 45. 4.
Iudicium non ſubibat qui Reip. cauſa aberat. Vat. 35. 4.
Iudicium ſolius viri boni ſyncerum. Vat. 9. 5.
Iudicum aculei. Cœl. 29. 5.
Iudicum numerus. Piſ. 96. 1.
Iudicum offenſio vitanda. Cœl. 4. 1.
Iudicum religio & iuramentum. Cœl. 22. 4.
Iudicum ſapientia. Cœl. 22. 3.
Iudicum tabulæ. Piſ. 96. 1.
Iuno domiduca. Sext. 7. 1.
Iupiter hoſpitalis. Piſ. 85. 4.
Iupiter lapis. Bal. 39. 3.
Iupiter Velſurus. Piſ. 85. 1.
Iurantes aram tangebant. Bal. 7. 13.
Iurare in legem. Sext. 37. 1. & 61. 3.
Iurgium quid? Cœl. 27. 1.

IVS.

Ius. Sext. 73. 2.
Ius annulorum. Piſ. 17. 1.
Ius ciuitatis. Vat. 11. 4.
Ius ciuitatis non amittebat apud Græcos qui ci-

uitatem mutabat. Bal. 17. 30.
Ius & vis. Sext. 92. 1.
Ius naturale. Sext. 91. 2.
Ius prætextæ. Piſ. 8. 5.
Ius Romanæ ciuitatis amittebat qui in aliã erat adſcitus ciuitatem. Bal. 17. 28.
Ius ſecundæ, tertiæ, & quartæ relationis. Piſon. 29. 1.
Ius ſuffragij. Vat. 2. 4.
Ius vitæ & necis. Cœl. 17. 1.
Iuræ vocatæ. Piſ. 11. 3.
Iuris & Iudiciorum coniunctio. Sext. 92. 1.
Iuris inuentio. Sext. 91. 10.
Iuſiurandum in deponendo magiſtratu. Piſ. 7. 1.
Iuſiurandum in ineundo magiſtratu. *ibid.*
Iuſiurandum populi. Piſ. 7. 2.
Iuſtitia. Sext. 53. 4.
Iuſtitia & pax ſorores Themidis. Sext. 98. 8.
Iuſtitiæ imago. Piſ. 87. 2.
Iuſtitiæ libra. Vat. 1. 6.
Iuuenalia. Cœl. 33. 2.
Iuuenes accuſabant. Cœl. 73. 2.
Iuuenes barbatuli. Cœl. 33. 2.
Iuuenes non facilè calumniæ damnandi. Cœl. 76. 1.
Iuuenis moriens flori demeſſo comparatus. Cœl. 80. 1.
in Iuuentutem ſapientia non cadit. Cœl. 76.
Iuuentutis principes. Vat. 24. 6.

L.

LABES. Piſ. 56. 3.
Labes, cœnum. Sext. 20. 2. & Cœl. 39. 2.
Labor. Sext. 111. 5.
Labor maximus curſoribus in flexu & ad metam. Cœl. 75.
Labores & officia candidatorum. Piſ. 54. 3.
Labris primoribus guſtare. Cœl. 28. 2.
Lacedæmonij otioſos laudauerunt. Sext. 103. 6.
Lacedæmoniorum rhetra. Sext. 55. 1.
Lacerna veſtis ſeruilis. Piſ. 93. 3.
Lacernæ pretioſæ. *ibid.*
Lacernati pauperes, cucullati, pullati. *ibid.*
Lacinia togæ in caput reiecta mollitiem ſignificat. Piſ. 13. 3.

LACHRYMÆ.

Lachrymæ cur ſolentur. Sext. 32. 4.
Lachrymæ ex lætitia. Sext. 120. 4.
Lachrymæ inuidorum. Sext. 121. 12.
Lachrymæ ſolantur. Piſ. 18. 2.
Lachrymantur facilè viri boni. Sext. 130. 5.
Lachrymas prohibent tyranni. Piſ. 18. 2.
Lamiæ nobilitas. Sext. 29. 5.
Laniſta. Piſ. 17. 6.
Lapides milliariorum menſuræ. Sext. 29. 4.
Lapides viarum inſcripti. *ibid.*
Lapides vncti. Piſ. 20. 5.
Lapidis gagatis ſuffitu explorabantur venales. Piſ. 36. 6.
Lapis & murus, ingens trophæum. Piſ. 92. 1.
Lapis præconis. *ibid.*
Lares. Vat. 14. 8. Sext. 30. 3.
Lares cur induti pellibus caninis. Sext. 30. 3.
Largitiones Conſtantini Sext. 55. 5.
Largitiones Imperatorum. *ibid.*
Laribus ſacris quorum fuit miniſtrare. Piſ. 8. 2.
Latebras quærit voluptas. Cœl. 47. 7.
Latera tueri. Sext. 90. 2.
Latinorum ſocietas cum populo Romano. Sext. 30. 2.
Latrones. Pr. C. 9. 6.
Latum clauum capiebant filij equitum. Piſ. 17. 1.
Latus clauus. *ibid.*
Latus clauus præconum. *ibid.*
Lauare ante epulas præſertim funebres. Vat. 31. 3.
Laureata & lucernata ianua lupanarium. Piſ. 20. 5.
Laureati, faſces, ignis, dracones, & fortuna aurea Imperatoribus præferri ſolita. Piſ. 92. 1.
Laurus triumphalis. Pr. C. 35. 9.

LAVS.

Laus. Sext. 87. 1.
Laus animo continetur. Vat. 9. 5.
Laus & gloria bonorum iudicio continetur. Sext. 86. 1.
Laus & gloria eloquentiæ. Cœl. 46. 3.
Laus exiliúmque Publij Futilij. Piſ. 95. 2.
Laus gratior quæ abſentibus defertur. Sext. 87. 3.
Laus, macariſmus, Cœl. 46. 3.
Laus ſolida. Sext. 93. 3.
Laudis currus. Cœl. 72. 4.
Laudari à laudato magnificum. Vat. 9. 5.
Laudatio ſui. Vat. 8. 14. & 31. 3.
Laudatio corrumpit eloquentiam. Cœl. 46. 3.
Laudationum tela. Vat. 13. 2.
Lectica Conſularis. Sext. 17. 5.
Lectuli diſcubitorij. Piſ. 67. 13.

LEGATI.

Legati. Sext. 131. 8. & Pr. C. 28. 2.
Legati cauſam dicere non cogebantur, niſi eſſet libera legatio. Pr. C. 41. 4.
Legati conſiliarij. Vat. 35. 1.
Legati decem. Cœl. 23. 1.
Legati eligebantur à Conſulibus, confirmabantur à Senatu. Vat. 35. 1.
Legati & tribuni ad bellicũ conſiliũ veniunt. *ibid.*
Legati ex Senatuſconſulto. Sext. 33. 2.
Legati exterarum gentium nomen ad ærarium deferebant. Piſ. 37. 5.
Legati Imperatoris vicem gerebant. Vat. 35. 1.
Legati in equis currum triumphantem comitabantur. Piſ. 60. 5.
Legati ius dicebant in exercitu. Vat. 35. 1.
Legati ius habebant fecialium. *ibid.*
Legati lictores ſuos habuerunt. Pr. C. 5. 10.
Legati miſſi à Senatu ad Imperatores in officio continendos. Pr. C. 28. 2.
Legati pacem & bellum nominabant. *ibid.*
Legati poſt victoriã res componebãt. Cœl. 28. 2.
Legati publico hoſpitio excepti. Pr. C. 41. 4.
Legati ſacroſancti. Cœl. 51. 5. & Piſ. 85. 5.
Legati ſocios habebant Tribunos plebis in legatione. Pr. C. 28. 2.
Legatio libera. Pr. C. 41. 4.
Legatio votiua religionis cauſſa. *ibid.*
Legationes. Sext. 66. 5.
Legationes ad reorum commendationẽ. Cœl. 5. 4
Legationes aliæ aliis potiores. Pr. C. 41. 2.
Legationum tempus limitatum. Pr. C. 41. 4.
Legatis exire de prouincia ſine S. C. non licebat. Vat. 12. 14.
Legato & Proconſuli certa ratio nauigandi. Vat. 12. 13.
Legatorum ordo. Piſ. 88. 11.
Legatorum tria genera. Vat. 35. 1.
Legatorum violatores. Piſ. 85. 5.

Legatos interficit Ptolemæus. Cœl.23.1.
Legiones inuictæ. Piſ. 20.3.
Lenitas & moderatio iudiciorum. Piſ. 30.4.
Leuca, quaſi λευκή. Sext.29.4.
Leuitas. Sext. 22.2. & Piſ.24.4
Leuitas & vera animi magnitudo. Sext.115.3.
Leuitas Græcorum. Pr. C.15.11.

LEX.

Lex. Sext. 73.2.
Lex Ælia. Vat.5.1. & Pr. C.46.1.
Lex Ælia & Fuſia. Piſ.9.1.
Lex annalis. Cœl. 18.2.
Lex Apuleia. Sext.37.2.
Lex Cecilia, Didia, Vatinia, Iulia. Sext. 155.4.
Lex Cecilia & Didia. Piſ.30 3.
Lex Cenſoria. Pr.C.12.4.
Lex Cincia patronos quicquam recipere prohibebat. Cœl.46.1.
Lex Clodia frumentaria. Sext.55.5.
Lex Curiata neceſſaria ad rem militarem. Vat. 36.2.
Lex de alternis conſiliis. Vat 27.2.
Lex Domina & Regina. Sext. 124.5.
Lex frumentaria. Sext. 103. 5.
Lex Furia teſtamentaria. Bal. 17. 8.
Lex Fuſia. Vat. 5. 1.
Lex Gracchi frumentaria. Sext. 55. 5.
Lex Latoria. Cœl. 42. 4
Lex Licinia de ſodalitiis. Cœl. 16. 1.
Lex Licinia & Iunia quid contineret. Vat 33.1.
Lex Licinia & Mutia. Bal 44.12.
Lex Locrenſium de nouitate fugienda. Piſ.10.3.
Lex, numiſma vrbis. Sext. 92 1.
Lex Papia de ciuitate. Bal.44.24.
Lex Platonis in fœneratores. Cœl.42.4.
Lex Plautia ſine Lutatia. Cœl.1.2.
Lex plebiſcitum. Pr. C.46.3.
Lex Roſcia de equitibus. Sext. 110. 2.
Lex Seruilia. Bal.44.28.
Lex Voconia. Bal.17.9.
Leges de ambitu Acilia, Tullia, Pompeia. Cœl. 16.3.
Leges debent eſſe dilucidæ. Vat.38.1.
Leges Gracchanæ. Piſ.94.2.
Leges in æs inciſæ. Piſ.30.2.
Leges latæ de Senatus ſententia. Bal.17.4.
Leges non mutandæ. Piſ. 10.3.
Leges Licinia & Ebutia. Vat.29.5.
Leges plurimæ corruptiſſima Repub. Sext.55.1.
Leges quæ ærarium exhauſerunt. Pr. C.11.3.
Leges quibus de cauſis iniuſtè rogabantur. Sext. 61.2.
Leges Romanæ contra proditores. Piſ.24.2.
Leges ſacratæ. Sext.16.6.& 79.4.
Leges ſcriptas Spartani nullas habuerūt. Sex.55.1.
Leges ſuas antiqui ad Deos referebant. Sext. 104.1.
Leges tabellariæ. Sext.103.1.
Leges variæ de ambitu. Bal.56.6.
Leges variæ de iudiciis vltro citróque transferendis. Piſ.94.2.
Legi Cinciæ derogatum à Claudio. Cœl.46.1.
Legi veteri noua abrogat. Bal.17.40.
Legis laquei. Cœl.71.3.
Legum antiquitas. Piſ.10.3.
Legum antiquitas veneranda. Sext. 104.1.
Legum in luctu ſilentium. Piſ.21.2.
Legum laquei. Sext. 88.3.
Legum multitudo. Sext.55.1.
Legum rogationibus. Sext.77.10.
Legum ſeueritas in obæratos. Cœl. 42.4.
Legum vis. Sext. 92.1.
Legum vtilitas. Sext.98.8.
Libationes Genio factæ. Sext.131.3.
Liber Lyſius & Lydius. Cœl.67.9.
Liberi. Pr.C.35.6.
Liberi pro vno filio filiáve. Sext.54.3.
Liberi reorum ad mouendos Iudices producti. Sext.144.2.
Liberorum eadem veſtis ac ſeruorum, inter alía liberorum & ſeruorum. Piſ. 93.3.

LIBERTAS.

Libertas Achaiæ. Piſ.37.3.
Libertas ſerminis ſignum mentis parum pudicæ. Cœl. 49.8.
Libertatem ad tuendam hortatio. Sext.81.3.
Libertatem ira tollit. Sext.16.11.
Libertatem munera tollunt. Piſ.30.7.
Libertatem tollit ignoratio. Sext. 16.12.
Libertini. Sext.97.8.
Libertinus. Sext. 111.4.

LIBIDO.

Libido. Cœl. 11.2.
Libido corporis & animi neruos eludit. Sext. 16.13.
Libido equina. Piſ. 69.1.
ad Libidinem faces prælatæ. Piſ.20.5.
Libidines. Piſ. 48.1.
Libidines amant tenebras. Pr. C. 8.2.
Libidines ingenio officiunt. Cœl. 45.5.
Libidinum illecebræ apud Catilinam. Cœl. 12.3.
Libonis fatuitas. Vat.21.1.
Libra iuſtitiæ. Vat.1.6.
Licitantium calor vectigalibus redimendis. Pr. C.11.1.
Licitatores dexteram ſiue digitos tollebant. Pr. C.9.7.

LICTORES.

Lictores laureati. Piſ.53.2.
Lictores ſuos legati habuerunt. Pr. C.5.10.
Lictores ſuos Magiſtri vicorum habuerunt. Piſ. 37.5
Lictoribus. Piſ. 17.1.
Lictorum virgæ. Sext.17.4.
Ligno digno ſuſpendi. Sext.99.8.
Ligures. Sext.69.3.
Linguæ frenum. Vat. 11.7.
Linguæ ſeruorum cauendæ. Cœl. 57.4.
Linguæ vinculum, vinum. Cœl. 67.9.
Linguas Mercurio ſacrificabant antiqui. *ibid.*
à Litibus abſtinere. Sext. 131.3.

LITTERÆ.

Litteræ laureatæ. Piſ.39.2.
Litteræ laureatæ ad Senatum. Piſ. 40.1.
Litterarum & Philoſophiæ coniunctio. Piſon. 70.1.
Litteras humaniores cur multi cum philoſophia non coniungant. *ibid.*
Litteris humanioribus Philoſophia quomodo præferenda. *ibid.*
Liuor paſcitur in viuis. Bal.7.17.
Lychni. Cœl.67.
Locatio cenſoria operum & vectigalium publicorum. Pr.C. 12.4.
Locrenſium lex de nouitate fugienda. Piſon. 10.3.
Locum ſuum tenere. Sext. 113.2.
Locuples. Vat.6.2.

Locus Chriſti Domini, Petri, Ioannis in ſuprema cœna. Piſ. 67. 13.
Locus Conſularis, locus domini conuiuij. *ibid.*
Locus deſpicatiſſimus in ſummo thoro. *ibid.*
Loquacitas in vino. Cœl. 67.
Loquacitas ſignum vanitatis. Vat. 42. 5.
Loqui facilè non idem facere. Cœl. 40. 4.
Loricæ, ſcuta, Galeæ è pellibus. Piſ. 87. 3.
Luce, palam. Sext. 83. 4.
Lucem fugiunt lugentes. Sext. 53. 5.
Lucernæ feſtiuæ. Sext. 131. 7.
Lucernis ornatæ feneſtræ. Piſ. 20. 5.
Lucri gratia pauperes corpora ſua lacerantes. Piſ. 47. 5.
Lucrum & honor. Vat. 38. 4.
in Luctu maiorum imagines deformatæ. Vat. 28. 4.
in Luctu Deorum ſimulachra velata. Piſ. 21. 2.
Luctus publicus. *ibid.*
Luculli gloria militaris. Vat. 24. 5.
Luculli victoriæ. Sext. 58. 3.
Lucus. Vat. 10. 6. & Pr. C. 7. 2.

LVDI.

Ludi. Sext. 124. 1.
Ludi compitalitij. Piſ. 8. 2.
Ludi cur inſtaurarentur. Sext. 135. 3.
Ludi Diis ſacri. Cœl. 1. 1.
Ludi magni. Piſ. 8. 5.
Ludi Traiani, Cæſaris, Philippi, Antonini. Piſ. 65. 3.
in Ludis ſedentibus puluilli, ſubiecti. Sext. 115. 2.
in Ludis Sibilus. Piſ. 65. 4.
Ludis ſtare. Sext. 115. 1.
Ludius, ludij Glabri, ludij effeminati, ludij ſaltatores. Sext. 116. 2.
Ludorum aduocati. Sext. 117. 4.
Ludorum Fauonij frugalitas. Sext. 135. 3.
Ludorum funebrium ſpectatores penulati, & interdum pullati. Vat. 30. 4.
Ludorum nomen. Piſ. 65. 1.
Ludorum ornatus. Cœl. 53. 1.
Ludorum Pompeianorum occaſio. Piſ. 65. 1.
Ludorum Pompeij apparatus. *ibid.*
Ludorum Scauri magnificentia. Sext. 116. 1.
Ludos faciebant Ædiles. Sext. 135. 3.
Ludos funebres qui exhibebat erat pullatus. Vat. 30. 4.
Ludos qui edicebant, prætextæ ius habuerunt. Piſ. 8. 7.
Lugentes lucem fugiunt. Sext. 53. 5.
Lumina Senatus. Pr. C. 22. 1.
Luperci. Cœl. 26. 3.
Luſtra. Cœl. 44. 1.
Luſus pilæ. Piſ. 22. 3.
Lutum. Piſ. 62. 2.
Lutum illitum infantibus. Vat. 14. 4.
Lux pro ſalute. Piſ. 34. 1.
Luxuria. Piſ. 67. 1.
Luxuria ſeruilis elegans, & magis liberalis. *ibid.*
Luxuria antiquorum in comedendis piſcibus. *ibid.*
Luxuriæ elegantiores veſci piſcibus. *ibid.*
Luxus matronarum in veſtibus. Cœl. 49. 5.

M.

MACHINA Reguli. Piſ. 43. 3.
Mactare malo. Vat. 36. 5.
Mactare quid? Vat. 14. 9.
Macula. Sext. 63. 1.
Magiſter vici. Cœl. 17. 2.
Magiſtra morum cenſura. Piſ. 9. 3.

MAGISTRATVS.

Magiſtratus. Piſ. 1. 10. Sext. 98. 6.
Magiſtratus ad epulas publicas inuitati. Vat. 52. 4.
Magiſtratus deſignatus. Sext. 71. 1.
Magiſtratus in luctu poſita prætexta ſolam veſtem Senatoriam retinebant. Piſ. 17. 1.
Magiſtratus minores faſces ſubmittebant maioribus. Piſ. 26. 2.
Magiſtratus oratoribus mandati. Cœl. 46. 5.
Magiſtratus qui ad iudicium vocari non poterant. Sext. 18. 2.
Magiſtratus renunciabatur voce præconis. Piſ. 3. 1.
Magiſtratus ſolus ſeruabat de cœlo. Vat. 16. 2.
Magiſtratus vigilare debent. Sext. 99. 10.
Magiſtratibus honor exhibitus. Piſ. 26. 2.
Magiſtratibus ſcientia neceſſaria. Sext. 99. 2.
Magiſtratui vtilis faſtus. Vat. 8. 3.
Magiſtratum inibant 4. Idus Decembris tribuni plebis. Sext. 72. 1.
Magiſtratuum actiones. Sext. 77. 10.
Magiſtratuum circumſcriptio. Pr. C. 38. 1.
Magiſtratuum comitia. Piſ. 11. 3.
Magiſtratuum curulium fuit prætexta. Vat. 16. 4.
Magiſtratuum moderatio in prouinciis. Piſ. 83. 4.
Magiſtratuum obſequium. Piſ. 26. 2.
Magiſtratuum ordo in collegio. Sext. 6. 1.
Magiſtratuum peccata grauiora quàm priuatorum. Sext. 28. 4.
Magiſtri ſocietatis. Sext. 32. 2.
Magiſtri vicorum lictores ſuos habuerunt. Piſ. 23. 1.
Magiſtri vicorum prætextæ ius habebant. Piſ. 8. 5.
Magnanimus honores negligit. Piſ. 65. 7.
Magnificentiæ villarum. Piſ. 48. 2.
Magnitudo Alexandriæ. Piſ. 49. 5.
Magnitudo animi. Sex. 60. 3. & 62. 3.
Maialis. Piſ. 19. 4.
Maieſtas. Cœl. 70. 2.
Maieſtatem conſeruare. Bal. 18. 50.
Maior natu. Cœl. 3. 3.
Maiores. *ibid.*
Maiorum conſcientia. Cœl. 60. 4.

MALA.

Mala cum arcu intento comparata. Sext. 15. 1.
Mala gratia. Piſ. 4. 7.
Mali inimici boni ſibi amici. Piſ. 81. 2.
Mali ſua ſponte incitantur. Sext. 71. 5.
Malis non placendum. Sext. 105. 4.
Malorum familiaritas. Cœl. 63. 1.
Malorum inter ſe contentio de improbitate. Piſ. 18. 1.
Malorum ſocietas. Sext. 24. 1.
Malum dolor. Piſ. 65. 9.
Malus honor. Piſ. 4. 7.
Maledicendum non eſt bonis. Sext. 111. 1.
Maledicere. Cœl. 6. 5.
Maledicta nihili facienda. Sext. 111. 1.
Maleficium ſerui corrupti. Cœl. 51. 6.

Mancipia captiuitatis auctoribus nomen obtinebant. Piſ. 35. 6.
Mancipia coronata. *ibid.*
Mandare honores. Piſ. 2. 3.
Manes. Vat 14. 8
Manibus paſſis plaudere. Sext. 117. 6.
Manibus tenere. Sext. 69. 1
Manus illatio in theatris. Piſ. 65. 8.
Manus porrectio. Sext. 124. 7.
Marcelli pietas. Piſ. 44. 1.
Marcellus. *ibid.*
Mare. Cœl. 38. 3.
Marij ardor oculorum. Bal. 44. 16.
Maris Epiſcopi Iocus in Iulianum. Cœl. 33. 4.
Mariti hæres, vxor. Cœl. 32. 2.
Maritus & propinqui ius necis in mulieres obtinebant. Cœl. 67. 2.
Marius. Piſ. 43. 4.
Mars communis. Sext. 12. 4.
Mars Enyalius. Bal. 39. 3.
Mars in fœderibus inuocatus *ibid.*
Martiorum fortitudo. Vat. 37. 5.
Maſtrucæ. Pr C. 15. 6.

MATER.

Materfamilas. Cœl. 32. 2.
Mater magna. Sext. 56. 1.
Matres familias etiam viduæ, imò virgines. Cœl. 32. 2.
Matris Magnæ antiquitas religionum. Sext. 56. 4.
Matris magnæ ſacra. Sext. 56. 3.
Matris magnæ ſimulachrum. Sext. 56. 2.

MATRONA.

Matrona. Cœl 32. 2.
Matronæ à magiſtratibus non ſubmouebantur. Cœl. 32. 3.
Matronæ maiorum ſuorum imagines ad domum mariti transferebant. Vat. 28. 4.
Matronæ ſtolatæ. Cœl. 49. 5.
inter Matronam & matrem familias nulla diſtinctio. Cœl. 32 2.
Matronarum animus è comitum habitu indicatur. Cœl. 67 2.
è Matronarum comis funes. Piſ. 87. 3.
Matronarum comitatus. Cœl. 49. 6.
Matronarum luxus in purpura. *ibid.*
Matronarum maieſtas, & ſanctitas. Cœl. 32. 2.
Matronarum purpura Cœl. 49. 5.
coram Matronis nefas turpia loqui, & nudare. Cœl. 32. 2.
Matronis de via decedere. *ibid.*
Maximi apud populum authoritas. Piſ. 14. 5.
Meander. Piſ. 53. 5.
Mechanicæ artes. Piſ. 9. 1.
Mechanici Romæ fuerunt. Piſ. 9. 2.
Medici morum Iudices. Piſ. 87. 2.
Medicina ex vino. Piſ. 13. 7.
Medicus. Piſ. 83. 6.
in Medio & in medium relinquere. Cœl. 48. 3.
Medius fidius. Sext. 20. 4.
Membranæ. Piſ. 75. 1.

MENDACIVM.

Mendacium. Vat. 3. 1.
Mendacium cum fabula mali poëtæ comparatum Cœl. 64. 3.
Mendacium exitum nullum poteſt inuenire. *ibid.*
Mendacium ſeipſum detegit. Vat. 3. 3.
Mendacium ſimile eſt labyrintho, cuius neque principium, neque finis inuenitur. Cœl. 56. 1.
Mendacij magna infirmitas eſt. Cœl. 63. 4.
Mendacij ſignũ, orationis inconſtantia Vat. 42.
Menedemi conſtantia in honore negligendo. Piſ. 65. 7.
Menſa eſcaria, rotunda, quadrata. Piſ. 67. 13.
Menſas extruere. Piſ 67. 6.
Menſas tollere. Piſ. 67. 17.
Menſe Sextili inibant conſulatum. Piſ. 4. 2.
Menſis Quintilis, Sextilis. Sext. 131. 1.
Mentientes ſtrictim & titubanter loquuntur. Cœl. 15. 1.
Mercatores negotiatores. Piſ. 55. 1.
Merces rhetorum. Cœl. 45. 7.
Mercurio linguas ſacrificabant Antiqui. Cœl. 67. 9.
Mercurius cur libero inſideat. *ibid.*

MERETRIX.

Meretrix Scylla. Cœl. 38. 3.
Meretrices hoſpitæ. Cœl. 52. 4.
Meretrices nomen mutabant. Cœl. 49. 3.
Meretriciæ opes. Cœl. 1. 4.
Meretriciæ vitæ profeſſio apud Ædiles. Cœl. 49. 3.
Meretriciis opibus miracula mundi effecta. Cœl. 1. 4.
Meretricum alius ornatus, alius matronarum. Cœl. 49. 5.
Meretricum auaritia. *ibid.*
Meretricum ſolea. Piſ. 13. 4.

METELLVS.

Metellus Numidicus. Piſ. 20. 1.
Metelli authoritas. Bal. 7. 10.
Metelli Pij inſolentia. Bal. 44. 19.
Metellorum claritudo Pr. C. 20. 1.
Metellorum nobilitas. Sext. 130. 6.
Metus communis congregat etiam inimicos. Sext. 105. 4.
Metus nocturni & pueriles. Cœl. 36. 1.
Miliarium aureum. Sext. 29. 4.

MILITARIA.

Militaria. Sext. 73.
Militaria comitia Piſ. 11. 3.
Militarium ordinum diſtributio. Piſ. 88. 5.
Militares dracones. Sext. 42. 4.
Militares ordines virtute parti. Piſ. 88. 3.
Militares ordines interdum gratia collati. *ibid.*
Militares viæ. Piſ 40. 5.
Militares vigiliæ. Piſ. 93. 1.
Militaris ſignatio. Piſ. 30. 1.
Milites viuentibus patrib. teſtandi ius habebant. Cœl. 17. 1.
Militiæ vacatio. Cœl. 31. 1.
Militum clades. Pr. C. 13. 3.
Militum tribunus ordines aſſignabat. Piſ. 88. 3.
Miliariorũ lapides viam menſuræ, &c. Sext. 29. 4.
Milonis nobilitas. Sext. 87. 6.
Miltiadis calamitas. Sext. 141. 3.
Miltiadis victoria. *ibid.*
Mimus, pantomimus. Cœl. 65. 2.
Minari. Vat. 15. 1.
Miniſtrare laribus quorum, &c. Piſ. 8. 2.
Miracula mundi opibus meretriciis effecta. Cœl. 1. 4.

MISER, MISERICORDIA.

Miſeratio. Sext. 57. 3.
Miſeratio à ſenectute. Piſ. 84. 1.
Miſeri quærunt miſeriæ ſocios. Sext. 99. 8.
Miſeri qui gratiam referre non poſſunt. Sext. 122. 3.

Miſeria ambitioſorum. Sext. 115. 5.
Miſericordia à ſenectute. Cœl. 79. 2.
Miſericordiæ motus. *ibid.*
Miſerorum conſolatio eſt habere pares. Pr. C. 16. 1.
Moderatio & lenitas iudiciorum. Piſ. 30. 4.
Moderatio Romanorum. Piſ. 24. 12
Modeſtia inceſſus. Sext. 17. 12.
Modeſtia petitionis. Sext. 4. 2.
Mœnia. Piſ. 81. 3.
Mœreor. Sext. 84. 4.
Mœroris ſignum, iacere. Piſ. 89. 3.
Moleſtus. Cœl. 36. 15.
Momentum. Vat. 1. 6. & 9. 6.
Montem in ſacrum ſeceſſio. Pr. C. 45. 7.
Monumentum. Sext. 95. 1.
Morbus. Pr. C. 5. 4.

MORS.

Mors an accerſenda. Sext. 47. 1.
Mors Craſſi. Sext. 48. 5.
Mors pro patria oppetenda. Sext. 29. 2.
Mortales multi. Piſ. 77. 1. & 96. 2.
Mortem obire. Sext. 83. 2.
Mortui referebantur in lectica. Piſ. 53. 5.
Mortuorum ſenſus. Sext. 130. 8.
Mortuos hoſtes ſpoliare anguſti eſt animi. Piſ. 82. 4.
Mortuos in vrbem inferri nefas. Piſ. 53. 6.

MOS.

Mos. Sext. 73. 2.
Mos amatorum Sext. 95. 3.
Mos cohibendi brachij à Spartanis & Perſis traductus. Cœl. 11. 1.
Mos Græcorum brachio reſte cohibendo. *ibid.*
Mos legendi ad menſam. Sext. 110. 10.
Mos maiorum. Sext. 16. 5.
Mos producendi in concionem. Sext. 107. 2.
Mos producendi principes ciuitatis præſertim magiſtratus etiam priuatos, ſed extra ordinem. Vat. 24. 3.
Mos vnde? *ibid.*
Mores Annibalis. Pr. C. 4. 1.
Mores Ciceronis. Cœl. 9. 2.
Mores faciunt fidem. Pr. C. 23. 1.
Moſellæ accolæ viri præſtantes. Pr. C. 29. 6.
ad Moſellam villæ. Pr. C. 29. 4.
Motus Ciceronis. Sext. 14 6.
Muliebre paludamentum. Piſ. 31. 2.
Muliebris gloria. Cœl. 34. 3.

MVLIER.

Mulier non debet habere amicos ſeorſim à marito. Cœl. 34. 3.
Mulier quando debeat domo procedere. Cœl. 34. 18.
Mulier transferebat maiorum imagines ad domum mariti. Cœl. 34. 3.
Mulieres an habuerint prænomina. *ibid.*
Mulieres non ſunt cum alienis. Cœl. 34. 16.
Mulieres nudæ in palæſtris. Cœl. 11. 3.
Mulieres in conuiuiis ſedebant viris accumbentibus. Piſ. 67. 13.
Mulieres ob repulſam ſæuiẽtes in eos ipſos quos amabant. Primo, vxor Putipharis, Hippolyte, Phædra, Gidica, Dæmeneta, Arſace, Nouerca Apuleiana, Pudentis mater, Stratonice, Clobæa, Meſſalina, Fauſta, Clematij ſocrus, Maria Othonis coniux. Cœl. 61. 2.
Mulieres omnes initio inteſtabiles, pòſt impudicæ. Cœl. 35. 4.
Mulieribus vinum interdictum. Cœl. 68. 2.
Mulieris teſtimonium. Cœl. 50. 2.
Mulierum adſpectus cauendus. Cœl. 36. 7.
Mulierum causâ bella excitata. Cœl. 67. 6.
Mulierum domini. Cœl. 68. 2.
Mulierum imagines nullæ in atriis. Cœl. 34. 3.
Mulierum quis ornatus. Cœl. 49. 5.
Mulierum verecundia. Cœl. 68. 2.

MVNVS.

Munus quid? Piſ. 86. 8.
Odryſarum & Perſarum mores in muneribus accipiendis. *ibid.*
Munera dabantur primam barbam radentibus. Cœl. 33. 2.
Munera Regibus à Senatu miſſa, quæ. Piſ. 23. 2.
Munera Regibus mittebantur à Senatu. Sext. 57. 1.
Munera tollunt libertatem. Piſ. 30. 7.
Munerarius, munerator. Sext. 124. 1.
Muneribus non corrumpitur Deus. Piſ. 87. 2.

MVNICIPIA.

Municipia. Sext 97. 5. & Cœl. 4. 1.
Municipium. Piſ. 51. 2.
Municipium placentinum. Piſ. 53. 9.
Municipalis Curia oneri potiùs quàm honori fuit. Cœl. 5. 2.
Municipalibus onerib. profeſſores exempti. *ibid.*
Murci. Pr. C. 5. 1.

MVRI.

Muri Romani. Pr. C. 4. 2.
Muri ſignum ignauiæ. *ibid.*
Muri Spartæ. *ibid.*
Muris & mœnibus an ſint vrbes cingendæ. *ibid.*
Murus aut lapis ingens trophæum. Piſ. 92. 1.
Muſæ nomen vnde? Piſ. 22. 6.
Muſcæ audacia. Piſ. 39. 5.
Muſicus. *ibid.*
Mutari non poſſunt præterita. Piſ. 59. 1.
Μυςαλουθεῖν. Sext. 18. 1.
Myrtes laurea corona. Piſ. 58. 1.
Μυρμηκίζειν. Sext. 18. 1.

N.

NANCISCI. Sext. 134. 10.
Naſiterua. Piſ. 67. 4.

NATALES.

Natales vrbium. Sext. 131. 4.
in Natalibus albati. Sext. *ibid.* natalibus lucerna. *ibid.*
Natalitia liba. *ibid.*
Natalitia munera. *ibid.*
Natalitij Cerei. *ibid.*
Natalitij ludi. *ibid.*
Natio. Sext. 67. 1.
Natio in malam partem. Sext. 95. 1.
Nationes exteræ in tutela Conſulum. Sext. 64. 1.
Natura paucis contenta. Sext. 110. 6.
Naturæ immanitas & ſtupiditas. Cœl. 41. 1.
Natus ex ſe. Cœl. 19. 3.
in Naufragio mors dictabatur. Piſ. 44. 2.
Naufragium. Piſ. 44. 2.
Naufragium ad ianuas meretricum. Cœl. 75. 1.
Naufragium curule. Cœl. 75. 1.
Naufragium timebant Heroes. Piſ. 44. 2.
Nauigandi certa ratio legato & Proconſuli. Vat. 12. 13.
Nauigatio orationis. Sext. 13. 4.
Nauigationes diſſolutæ. Cœl. 35. 3.

Nauis maris vehiculum. Cœl.51.3.
Nauis parua. Sext.50.4.
Nauis Reip. Sext.46.6. & Pr.C.7.3.
Neceſſarius. Vat.16.7.
Neceſſitas. Sext.52.2. & Pr C.1.3.
Necis ius maritus in mulieres obtinebat. Cœl. 68.2.
Nefas ante lucem cum populo agi. Sext.75.4.
Nefas Tribuno plebis interfari. Sext.79.3.
Negotiatores. Sext.97.7. & Piſ.55.1.
Nemo ſibi ſoli natus, ſed patriæ. Sext.138.3.
Neptunus Pompeius. Sext. 67.2.
Nequitia. Sext.22.1.
Nerui. Cœl.80.2.
Neruos corporis & animi libido elidit. Sext. 16.13.
Nitedula. Sext. 72.3.
Niues Appennini. Sext.12.6.

NOBILES.

Nobiles. Sext. 6.11.
Nobiles ad magiſtratus promouendi. Piſ.1.10.
Nobilis, notus. Cœl.31.4.
Nobilitas. Sext.21.1.
Nobilitas eſt blanda concionatricula. *ibid.*
Nobilitas Milonis. Sext.87.6.
Nobilitas Sextij. Sext.6.2.
Nocturna & intempeſtiua conuiuia. Piſ.67.16.
Nomen. Sext. 72.6.
Nomen conuiuæ. Piſ.67.13.
Nomina maſculina pro fœmininis. Vat.4.1.
Nonæ. Sext.131.1.
Non modo. Sext.64.2.
Nonnus emendatus. Piſ.25.5.
Noſſe de facie. Piſ.81.1.
Notarij. Vat.3.4.
Notariorum celeritas. *ibid.*
Notatio cenſoria. Sext.55.2.
Notis inuſti ſerui. Piſ.30.1.
Notus. Cœl.3.2.
Nouitas fugienda. Piſ.10.3.
Nouitius. Piſ.1.5.
Nouus homo. 2.2.
Nox intempeſta. Piſ.93.1.
Nubes frontis. Piſ.20.9.
Numerandi ratio per Conſules. Piſon.1.10.
Numerius. Sext. 82.4.
Numero. Vat.18.2.
Numerus conuiuarum. Piſ.67.13.
Numerus iudicum. Piſ.96.1.
Numinis ſera vindicta. Cœl. 59.2.
Nummos extricare. Sext. 99.7.
Nundinæ. Sext 97.6.
Nuptiæ orci. Bal.44.29.
Nutricula. Vat.4.1.

O

OBæratorum anxietas. Cœl.42.4.
Obiurgare. Cœl.27.4.
Obnuntiare. Sext. 34.3.
Obſcœnus. Cœl.69.1.
Obſequium magiſtratuum. Piſ.26.2.
Obtendebatur velum in damnationem. Piſ.30.4.
Obteſtatio. Cœl.78.4.
Obtinere prouincias. Sext.128.3.
Occidere, ξενίζειν. Piſ. 85.4.
Oceanus. Pr.C.31.3.
Ochlocratia. Sext.137.3
Octauij diſſenſio. Sext. 77.8.
Octauius. Piſ.67.7.

OCVLI.

Oculi eminentes. Vat.4.4.
Oculi, ſpeculum animi. Sext.19.12. & Piſ.1.9.
Oculorum ardor Marij. Bal.44.16.

ODIVM.

Odium. Sext.102.6.
Odium ciuium. Piſ.73.5.
Odium cum pugna ponendum. Piſ.81.2.
Odium debet Reip. cauſa ſuſcipi, non ob priuatas iniurias. Sext.112.1.
Odium publicum. Sext.111.8. & Vat.11.2.
Odium Vatinianum. Vat.39.3.
Odorum flagrantia. Cœl.49.7.
Offendere. Sext.105.1.
Oligarchia. Sext.137.3.
Omen quid? Piſ. 31.3.
Omina. Sext.71.5.
Ὀνειροπολεῖν. Vat.21.

OPERA.

Opera mala, pulchra oratio. Cœl.40.4.
Opera verbis potiora. Sext.86.3. & Cœl.40.3.
Operæ ſocietatis. Sext.32.2.
Opere, non verbis philoſophandum. Cœl.40.4.
Opes meretriciæ. Cœl.1.4.
Opimij damnatio. Piſ.95.3.
Oppida modò municipia, modò coloniæ. Cœl. 5.1.
Oppidorum ſimulachra præferebantur. Piſ.60.3.
Oppidum. Piſ.40.3.
Oppij pietas. Cœl.53.1.
Oppreſſis opem ferebat Tribunus. Piſ.30.6.
Optimates. Sext.95.3.
Optimi Maximi. Pr.C.22.3.
Optimi qui? Pr.C.18.1.
Opulentia ærarij. Vat.29.5.
Oraculum Sibyllinum. Piſ.48.4.
Oraria & tunicæ diſtributæ. Sext.55.5.

ORATIO.

Oratio cum naui comparata. Cœl. 51.1.
Oratio pulchra, opera mala. Cœl.40.4.
Oratio rati cur conferatur. Cœl.51.4.
Orationis inconſtantia ſignũ mendacij. Vat.42.
Orationis nauigatio. Sext.13.4.

ORATOR.

Oratores magni qui perturbati obmutuerunt. Cœl.19.4.
Oratori neceſſaria. Bal.1.1.
Oratoribus honor delatus. Cœl.46.
Oratoribus magiſtratus mandati. *ibid.*
Oratoris vis. Sext. 84.2.
Oratorum palmæ. Cœl.46.
Oratorum ſtatuæ. *ibid.*
Orbis ſaltatorius an corporis in rotam inflexio. Piſ.22.3.
Orbis ſaltatorius an ligneum tympanum. *ibid.*
Orbis ſaltatorius ſiue verſus. *ibid.*
Orbis terrarum partes tres. Piſ.29.2.
Orbis terrarum partes ſeptem. *ibid.*
Orcheſtra. Pr.C. 14.7.
Orci nuptiæ. Bal.44.29.
Ordearius rhetor. Cœl.8.6.

ORDO.

Ordo ampliſſimus. Cœl.5.2. & Pr.C.25.5.
Ordo ducum. Piſ.88.5.
Ordo in collegio Magiſtratuum. Sext.6.1.
Ordo legatorum Piſ.88.11.
Ordo rogandi ſententias in Senatu. Piſ.35.4. & Bal.56.7.

Ordines. Sext. 109.5.
Ordines aſſignabat Tribunus militum. Piſ. 88.3.
Ordines aſſignare. *ibid.*
Ordines ciuium quot. Piſ. 3.5.
Ordines militares virtute parti. Piſ. 88.3.
Ordines militares gratia collati. *ibid.*
Ordinis Senatorij & equeſtris diſcrimen à clauo petebatur. Piſ. 17.1.
Ordinum militarium diſtributio. Piſ. 88.5.
Oreſtis & Athamantis furor. Piſ. 47.1.
Ornatus alius matronarum, alius meretricum. Cœl. 49.3.
Ornatus indicium mentis impudicæ. *ibid.*
Ornatus ludorum. Cœl. 53.1.
Os. Piſ. 51. & 53.1.
Oſculorum vſus. Sext. 111.6.
Oſtienſis quæſtura. Sext. 39.1.
Oſtraciſmo cur vterentur. Sext. 141.1.
Oſtraciſmus. *ibid.*

OTIVM.

Otiari. Piſ. 28.1.
Otioſi fuci. Piſ. 9.2.
Otioſos & deſides mulctarunt Lucani, Sardi, Ægyptij, Hyberi. Sext. 103.6.
Otium & deſidiam laudauerunt, Theſpij, Germani, Lacedæmonij. *ibid.*
Otium & quies Reip. Sext. 5.1.
Oualis corona Myrthea. Piſ. 58.1.
Ouans lauredmne geſtauerit. *ibid.*

P

PAcis & concordiæ ſtudium. Piſ. 7.4.
Palam. Cœl. 38.9.
Palatina tribus. Sext. 113.5.
in Palæſtris mulieres nudæ. Cœl. 11.3.
Pallium. Cœl. 11.1.
Palmarium Patronorum merces. Cœl. 46.1.
Palmæ forenſes. Cœl. 18.1.
Palmæ iis datæ qui victores à iudicio diſceſſerant. *ibid.*
Palmæ oratorum. Cœl. 46.5.
Paludamentũ eſt chlamys Imperatoris. Piſ. 31.2.
Paludamentum idem quod Trabea. *ibid.*
Paludamentum muliebre. *ibid.*
Paludamentum Phœnicei coloris. *ibid.*
Paludati lictores. *ibid.*
Panis caſtus. Sext. 56.6.
Pantomimus. Cœl. 65.2.
Par gladiatorum. Piſ. 27.7.
Paradoxum Stoicorum de ſapiente. Bal. 1.6.
Parcus. Cœl. 36.8.

PARENTES.

Parentes Dei ſimulachra. Vat. 11.4. & Cœl. 4.3.
Parentibus quatenus obediendum. Vat. 11.4.
Parentum vota & imprecationes. *ibid.*
Parentum vtri plus debeamus. *ibid.*
Parochi. Pr. C. 41.4.
Parricida. Sext. 82.1.
Partes. Vat. 29.5.
Partes orbis terrarum ſeptem. Piſ. 29.2.
Partes orbis terrarum tres. *ibid.*
Partim. Pr. C. 24.3.

PATER.

Pater liberos vendere poterat. Cœl. 17.1.
Pater patriæ. Piſ. 6.1.
Patre viuente nulla Romanis poſſeſſio. Cœl. 17.1.
Patres de leuioribus cauſis iudicabant. Piſ. 54.2.
Patres filiorum recens natorum nomen ad ærarium deferebant. Piſ. 37.5.
Patribus viuentibus milites teſtandi ius habebant. Cœl. 17.1.
Pathos à morte patris & filij. Vat. 15.3.

PATRIA.

Patriæ charitas. Sext. 1.2. & Pr. C. 35.3.
Patriæ complexus. Sext. 53.3.
Patriæ conſeruator Themiſtocles. Sext. 141.2.
Patriæ helluo. Sext. 26.5.
Patriæ pater. Piſ. 6.1.
Patriæ poteſtatis amplitudo. Cœl. 17.1.
Patricij conuocati cornibus apud Iudæos. Cœl. 19.1.
Patricij nominatim, plebeij confertim & per cornicinem, ad comitia conuocati. *ibid.*
Patriciorum auſpicia. Sext. 16.4.
Patrimonium conficere. Sext. 110.3.

PATRONVS.

Patronus. Cœl. 53.6.
Patroni. Piſ. 25.12.
Patroni & clientis coniunctio. Sext. 8.2.
Patroni vrbium. Sext. 9.5.
Patronis donatæ ſtatuæ aureæ. Piſ. 25.11.
Patronis & proconſulibus templa excitata. *ibid.*
Patronorum merces, honorarium palmarium. Cœl. 46.1.
Patronos quicquam recipere lex Cincia prohibebat. *ibid.*
Patruus. 25.1.
Pauli Æmilij victoriæ. Piſ. 39.1.
Pauperes corpora ſua lacerantes lucri gratia. Piſ. 47.5.
Pauperes pullati. Piſ. 93.3.
Paupertas artium mater. Cœl. 45.7.
Paupertas officit eloquentiæ. *ibid.*
Pax & iuſtitia filiæ Themidis. Sext. 98.8.
Peccanti etiam domus & paries metuendi. Cœl. 60.3.
Peccare iubet qui non vetat cùm poſſit. Piſon. 10.1.
Peccata magiſtratuum quàm priuatorum grauiora. Sext. 28.4.
Peccati pœna. Sext. 52.3.
Peculatus. Piſ. 96.5.
Peculium. Cœl. 17.1.
Pecunia diſtribuebatur. Sext. 55.5.
Pecuniam ad templum Iuuentæ deferebant ſumpta virili toga. Sext. 144.4.
Pecus pro voluptario. Piſ. 72.1.
Pecus ſtolida. *ibid.*
Pecus tondere non deglubere oportet. Vat. 23.6.
Pedem efferre. Cœl. 34.1.
Pedes conuiuantium vngebantur. Piſ. 13.4.
Pedes gypſati ſiue cretati. Piſ. 35.6.
Pelignorum fortitudo. Vat. 37.4.
Pelles adhibere ad vſus bellicos. Piſ. 87.3.
Pellibus galeæ, ſcuta. *ibid.*
Pellium vſus in Papilionibus faciendis. *ibid.*
Penula. Sext. 82.3.
Penuria virorum bonorum. Piſ. 25.9.
Perduellio. Piſ. 4.3.
Perfoſſores. Vat. 11.1.
Perfricare caput. Piſ. 61.10.
Periclis eloquentia. Cœl. 46.4.
Periculi vicinitas terret. Piſ. 94.1.
Perimere. Sext. 49.1.
Peripateticorum in loquendo prudentia. Cœl. 41.5.

Perorare. Sext. 3.2.
Perſarum Regis amicus. Piſ. 18.2.
Perſona. Piſ. 24.7.
Pertinacia & peruicacia. Cœl. 77.1.
Peruerſa quid? Piſ. 30.4.
Peſſinus. Sext. 56.2.
Peſtis. Pr. C. 5.5. & 13 2.
Petitionis modeſtia. Sext. 4.2.
Petronius Concius helluo Piſ. 22. 5.
Petulantia. Cœl. 38.15. & Piſ. 31.6.
Petulantia fimbriæ. Sext. 80.2.
Phalaris & Phalaridis taurus. Piſ 42.2. Steſichorum armis perſecutus. Piſ. 73.2.
Phaleras, equites, annulos aureos. Piſ. 17.1.
Philippi felicitas. Sext. 16. 13.
Philippi ludi. Piſ. 65.3.
Philoſophia multis velum fuit ad ſuam egeſtatem obtegendam. Sext. 110. 6.
Philoſophia quid? Piſ. 71.2.
Philoſophia quomodo humanioribus literis præferenda. Piſ. 70.1.
Philoſophiæ & litterarum coniunctio. *ibid.*
Philoſophorum de beatitudine & voluptate ſententia. Sext. 41.1.
Philoſophorum veterum eloquentia & eruditio. Piſ. 71. 1.
Philoſophus humana contemnit. Piſ. 65.17.
Pictæ & trabeæ togæ diſtinctio. Piſ. 31. 2.
Pietas Chriſtiana Francisci Lothareni. Cœl. 21.1.
Pietas & religio regni fundamentum. Sex. 98.4.
Pietas in Deum & in parentes. Cœl. 13.3.
Pietas hominibus grata. Sext. 7.3.
Pietas Marcelli. Piſ. 44.1.
Pietas Oppij. Cœl. 53.1.
Pilaris ſaltatio. Piſ. 22.3.
Pilæ. Vat. 14.8.
Pilæ luſus. Piſ. 22.3. & 69.3.
Pileati ægroti. Piſ. 13.6.
Pileati conuiuæ. Piſ. 13.3.
Pileati in Saturnalibus. *ibid.*
Pileus libertatis indicium & ſeruitutis. Piſon. 35. 6.
Pili ingenuitatis ſignum. Piſ. 1.7.
Pili malæ indolis indicia. *ibid.*
Piller. Vat. 11.3.
πιλώτης. *ibid.*
Piloſus. Piſ. 1. 7.
Pilum. Piſ. 38.5.
Pinnacula templorum. Vat. 5.2.
Piratæ. Sext. 45.4.
Piratarum inſolentia. Pr. C. 31.4.
in Piratas Pompeij geſta. *ibid.*
in Piſcibus comedendis luxuria antiquorum. Piſ. 67.7.
Piſcium & carnium eſus. *ibid.*
Piſo Conſul per factionem. Piſ. 3.2.
Piſo proditor templorum. Piſ. 11.1.
Piſonis ſupercilium. Piſ. 14.6.
Piſonis vita ſplendida. Piſ. 12.3.
Piſonum familia Ciceronis nobilitatis cauſa. *ibid.*
Piſonum nobilitas. Piſ. 2. 4.
Placentium municipium. Piſ. 53.9.
Plaudere manibus. Sext. 117.6.
Plauſus empti. Sext. 115.4.
Plauſus, geminatus, triplicatus. Sext. 105.3.
Plauſus & acclamationes theatrales. Piſ. 65.6.
Plauſus in triumpho. Piſ. 60.8.
Plauſus theatrales. Sext. 115.5.
Plebem ad otium & deſidiam auocari periculoſum eſt. Sext. 103.6.
Plutarchi error. Sext. 48.4. & Piſ. 94.2.
Plutarchi defenſio. Piſ. 94.2.
Plutarchus emendatus. Cœl. 13.2. & Piſ. 3.2.
Plutarchus & Cicero emendati. Piſ. 96.1.

POENA.

Pœna. Sext. 1.1.
Pœna capitalis in calumniatores, frontis inuſtio, mors, talio. Cœl. 46.4.
Pœna damnatis de vi exilium. Sext. 66.6.
Pœnam calumniatores vtrum arbitraria fuerit. Cœl. 47.4.
Pœna in eos qui nomen non dabant in delectu. Pr. C. 5.1.
Pœna in falſos teſtes. Vat. 3.1.
Pœna peccati. Sext. 52.3.
Pœna ſeruorum corruptoribus irrogata. Cœl. 51. 6.
Pœnæ à ſacrilegis exactæ. Piſ. 85.6.
Pœnæ certiſſimæ. Piſ. 46. 1.
Pœnæ condignæ modum non poteſt Rex excedere. Pr. C. 17.1.
Pœnæ, furiæ. Piſ. 91. 3.
Pœnæ in eos conſtitutæ qui ſunt impij in parentes. Vat. 11. 4.
Pœnæ in eos qui ſe occiderunt. Sext. 47.1.
Pœnæ pares in pari ſcelere. Pr. C. 17.1.
Pœnam euolare. Pr. C. 14.1.
Pœnarum tertia infamia. Piſ. 91.3.
Pœni vias militares primi ſtrauerunt. Piſ. 40.5.
Poëſis amat fabulas. Cœl. 64.2.
Poëſis omnis eſt in imitatione. Cœl. 65.2.
Poëta. Cœl. 64.2.
Poëtæ. Piſ. 71. 3. & 73.1.
Poëtæ maiorum magiſtri. Sext. 102.7.
Poli actio & motus. Sext. 121.6.
Politici ſuperſtitionem induxerunt, cur. 11.1.
Politicus pictor Dei imaginem exprimit. Sext. 98. 1.
Polliceri. Cœl. 21.4.
Poltrons. Pr. C. 1.1.
Pompa. Piſ. 60. 9.

POMPEIVS.

Pompeius auxit Remp. Piſ. 27.3.
Pompeius quæ imperia recuſarit. Bal. 7.8.
Pompeianorum ludorum occaſio. Piſ. 65.1.
Pompeij eloquentia. Bal. 1.4.
Pompeij geſta in piratas. Pr. C. 31.4.
Pompeij ludorum apparatus. Piſ. 65.1.
Pompeij modeſtia. Bal. 7.1.
Pompeij pudor. Bal. 7.5.
Pompeij triumphus. Vat. 29.5.
à Pompeio excluſus Cicero. Piſ. 76.2.
Pompeium defendit Gabinius. Piſ. 27.3.
Pontifices. Piſ. 52.7.
Popina. Piſ. 13.5.
Populares. Sext. 95.3. & Vat. 39.4.

POPVLVS.

Populus. Sext. 67.1.
Populus de Senatus Conſulto iudicauit. Sext. 137.3.
Populus gradiens cum fluctu comparatus. Cœl. 17.2.
Populus ſeditioſus vbi duces nanciſcitur. Sext. 79. 9.
Populi poteſtas. Sext. 137.3.
Populi ſuffragia ſine Senatus authoritate obtinebant. *ibid.*

Populi temeritas. Sext. 122. 1.
Porta capena. 131. 6.
Porta triumphalis. Piſ.55.4.
Pottitor. Vat.12.6.
Portitores. Piſ.88.1.
Portitores furaciter ſcrutantes. Vat.12.9.
Portoria. Piſ.88.1.
Portorium. Pr. C.5.13.
Poſterius. Piſ.66 2.
Poſtliminium. Bal.17.26.
Poteſtas cenſuræ immutata. Piſ.10.5.
Poteſtas Conſulis, Senatus & populi Sext.137.3.
Poteſtas dimittendi exercitus. Piſ.47.4.
Poteſtas iudiciaria ad populum tranſlata. Piſon. 94. 2.
Poteſtas iudiciaria penes Senatum. *ibidem.*
Præcones Galli. Piſ.67.13.
Præconi ſubiici. Sext.57.7.
Præconis lapis. Piſ.35. 6.
Prædari honeſtum antiquis. Piſ.24.1.
Prædes. Bal.44. 3.
Prædia. *ibid.*
Prædones. Piſ.24.1. & Sext.45.4. & 67.2.
Præfectura Piſ.51.3.
Prægeſtire. Cœl. 67.1.
Prælia Lucronenſe & Durenſe. Bal.1.19.
Prælio per legatos confecto Proconſul dici poterat Imperator. Piſ. 54.2.
Præmia accuſatorum. Cœl. 46.1.
Præmia delatorum. Vat. 26.3.
Præmia eloquentiæ. Cœl. 46.1.
Præmium. Sext. 1. 1.
Prænomen. Piſ.96.4.
Prænomen accipiebant ſumpta virili toga. Sext. 144.4.
Prænomina vnde. Cœl. 34.6.
Prærogatiua centuria ſorte legebatur. Piſ.11. 3.
Prærogatiuæ centuriæ & tribus. *ibid.*
Præſtare. Sext. 38. 6.
Præſtigiæ Pythagoræ. Vat.14.2.
Præſtringere. Vatin.25.1.
Præterita mutari non poſſunt. Piſ. 59. 1.
Prætermiſſionum exempla. Pr.C.8.1.
Præteruehi. Cœl.51 3.

PRÆTEXTA.

Prætexta auguralis. Sext. 144. 6.
Prætexta Deorum magiſtratuum. Piſ.17.2.
Prætexta fuit Magiſtratuum Curulium. Vatin. 16. 4.
Prætexta magiſtratibus conceſſa tam iure magiſtratus quàm ſacrorum. Piſ.23.9.
Prætexta nobilitatis nota. Piſ.17.2.
Prætexta puerilis. Sext.144.1.
Prætexta toga puellarum. *ibid.*
Prætexta togæ. Piſ.23.2.
Prætextæ ius qui habebant. Piſ.8.5.& 7.
Prætextam habere poterant, qui. Piſ.17.2.
Prætextati duumuiri. Piſ.25.10.
Prætor maior. Piſ.7.
Prætor primus. *ibid.*
Prætoris & Quæſtoris neceſſitudo. Piſ.88.10.
Prætorium. Vat.39. 6.
Præuaricatio. Vat.42.1.& Cœl.24.1.
Præuaricator. Piſ.23.8.
Precarij albati. Sext.56.6.
Preces amicorum excuſant. Sext.16.10.
Preces audire. Piſ.43.7.

PRINCEPS.

Princeps Senatus. Sext.73.1.& Piſ.35.4.
Princeps ſententia. Piſ.35.4.
Principes ciuitatis. Sext.39 2.
Principes, haſtati, velites. Piſ.88.5.
Principes iuuentutis. Vat. 24.7.
Principes Senatus. Sext. 96.2.
Principium. Piſ.8.1.
Priſcus. Cœl.33.1.
Priuati tunicam palmatam & togam pictam propriam penes ſe non habebant. Piſ. 17.2.
Priuatis impenſis. Sext.135.3.
Priuilegia. Sext.25.2.
Priuilegium. Pr.C.46.3. & Piſ.30.3.
Proæreſij eloquentis inopia. Cœl.45.7.
Procax. Cœl.49.9.
Procella belli aut ſeditionis. Cœl.59.8.

PRODITOR.

Proditor. Sext.35.2.
Proditor. Sext.33. & Vat.18.5.
Proditoribus idem ſupplicium quod ſacrilegij irrogatum. Piſ.24.2.
Proditio. *ibid.*
Producere in concionem. Piſ.14.1.
Profectio Proconſulum. Piſ.31.1.
Profeſſores ab oneribus municipalibus exempti. Cœl. 5.1.
Profligare. Pr. C.35.10.
Profundum. Sext. 93.7.
Progenies. Cœl. 34.5.
Prolapſio in amorem. Cœl.41.10.
Proletarij. Piſ. 9. 2.
Promittere. Vat.15.1.
Promulgare. Vat.16.7. & 33.1.
Propola. Piſ.67. 11.
Propoſitio poteſt etiam renouari. Sext.31.2.
Proſcriptio Tribunitia. Piſ.30.6.
Proſerpinæ inuentio. Bal.44.29.
Proſperitas nimia mentem obtenebrat. Sext. 20. 12.
Προστάτης. Cœl.68.2.
Proteruia. Cœl. 29.3. & 38.15.
Proteruiam facere. *ibid.*
Prouidentiam Dei cur multi negauerint. Cœl. 69.1.

PROVINCIA.

Prouincia. Vat.12.3. & Cœl. 64.
Prouincia Aquaria. Vat.12.3.
Prouincia eadem modò Conſularis, modò Prætoria. Piſon.88.9.
Prouinciæ. Pr. C. 1. 1.
Prouinciæ datæ nonnunquam alteri Conſulum. *ibid.*
Prouinciæ fuerunt penes Senatum. Sext.66.3.
Prouinciæ vectigales. Piſ.88. 1.
Prouincias Conſulares decernere Senatus fuit. Pr. C. 1.1.
Prouincias inter ſe ſortiebantur Conſules. *ibid.*
Prouincias obtinere. Sext.128.3.
Prouocatio ad populum. Piſ. 94.2.
Prouocatores. Sext.134.19.
Prudentia. Piſ. 98.1.
Prudentia eſt virtus actiua. Sext. 86.5.
Prudentia Peripateticorum in loquendo. Cœl. 41. 5.
Prudentia vera. Sext.86. 5.
Pſaltria. Sext. 116.5.
Ptolemæus. Cœl.18. 4.
Ptolemæus legatos interficit. Cœl. 23.1.
Publicani. Pr. C. 10.3.
Publicani ex equeſtri ordine. Piſ.41.2.

Publicanorum cuſtodiæ. Pr. C.10.3.
Publicanorum ruina. Pr.C.13.4.
Publibij Rutilij laus & exilium. Piſ. 95. 2.
PVDICITIA.
Pudicitia. Sext.73.3.
Pudicitia Quintæ Clodiæ. Cœl.34.5.
Pudicitiæ cuſtodia. Cœl.42.3.
Pudicitiæ periculum. Cœl. 41.10.
PVDOR.
Pudor. Cœl.9.1.
Pudor & temperantia. Pr.C.8.4.
Pudor laudatur in puero,non in ſene. Cœl. 7.1.
Pudor Pompeij. Bal.7.5.
Pudor, pudicitia. Sext.73.3.
Pudor ſuiipſius. Cœl.9.1.
Pudor,timor.Pr.C.14.2.
PVER.
Puer centum annorum. Cœl. 76.1.
Pueri ſpe ducuntur. Cœl.11.5.
à Pueritia homo canus. Cœl.76.1.
Puerorum educationis habenda ratio. Sext. 119.8.
Puerorum immolatio. Vat. 14.7.
Pulcher corpore,ne ſit animo deformis.Cœl.8.1.
PVLCHRITVDO.
Pulchritudo ætatis cuiuſque. Cœl.6.3.
Pulchritudo citò defloreſcit. *ibid.*
Pulchritudo crimini non danda. *ibid.*
Pulchritudo diuina. *ibid.*
Pulchritudo facilè laudatur. *ibid.*
Pulchritudo mollit iratos. *ibid.*
Pulchritudo quid? *ibid.*
Pulchritudo virtutis indicium. Cœl.36 4.
Pulla toga in luctu. Piſ.17.1.
Pullati ſerui. Piſ.93. 3.
Pullatus erat qui exhibebat ludos funebres. Vat. 30.4.
Pulſare. Cœl.19.2.
Punctum temporis. Vat.27.4.
Punitio iudicis pecunia corrupti. Piſ 87.2.
Purgare. Sext.78.4.
Puritas in ſacris requiſita. Sext. 56. 6.
Puritatem à ſuis ſacerdotibus dæmon exigebat. Sext. 56.6.
Purpura fuſca. Sext.19.7.
Purpura matronarum. Cœl.49.5.
Purpura Regia. Sext.57.4.
Purus. Sext.78.4.
Puſillanimitas pectoris anguſtiæ.Piſ.24.3.
Puſio. Cœl.36.2.
Puteolanum emporium. Vat.12.4.
Pyrrachium. Piſ.83.5.
Pythagoræ & Pythagoreorũ doctrina. Vat. 14.3.
Pythagoræ præſtigiæ. *ibid.*
Pythagoras ab animantibus abſtinebat. *ibid.*

Q

QVadrantaria Clodia. Cœl.62.
Quadrantaria Clytemnæſtra. *ibid.*
Quæſitor iniuratus. Sext. 2. 5.
Quæſtio noua. Sext. 85.5.
Quæſtiones. Piſ.87.1.
QVÆSTOR.
Quæſtor decidente Proconſule Prouinciam obtinebat. Vat.25.4.
Quæſtores. Piſ.2.5. & 88.10.
Quæſtoris comitia. Piſ. 88.10.
Quæſtoris & conſilij electio. Vat. 28.2.
Quæſtoris & Prætoris neceſſitudo. Piſ 88.10.
Quæſtorum ſortitio. Sext. 8. 1.
Quæſtura Oſtienſis. Sext.39.1.
Quercus trophæis induta. Piſ. 92.1.
Querela. Sext.25.9.
Quies ciuitatibus expetenda. Sext.15.3.
Quies & otium Reipub. Sext.5.1.
Quintiorum cognomen. Sext.110.9.
Quintius Cincinnatus. Sext.26.3.
Quintius cur dictus Gracchus Inſitiuus. Sext. 101.5.

R.

RAdebantur antiqui ad indicium libertatis Cœl.33.2.
Rami feſtiui. Sext.131.7.
Rapinæ Gabinij. Pr.C.9.5. & Piſ.41.4.
Raritas auri Romæ.Piſ.9.1.
Raſio, ignominia. Cœl.33.2.
Raſis capillis mortuos honorari. *ibid.*
Ratio ætatis habebatur in roganda ſententia. Piſ.35.4.
Rationes expedire. Sext. 99.7.
Rationes referre. Piſ. 61.6.
Recapitulatio dictorum.Piſ.23.2.
Redimere. Pr.C. 11.2.
Reditus Ciceronis. Piſ. 52.3.
Referre de Republica.Sext.25.6.
Refricare.Piſ. 82.3.
REFVTATIO.
Refutatio ab infidelitate ſeruorum. Cœl. 57.2.
Refutatio ab ingenio. Cœl.53.5.
Refutatio ab ingenio rei. Cœl.57.2.
Refutatio à reiectione facultatis. *ibid.*
Refutatio à reiectione circumſtantiarum.53.7.
Refutatio à remotione cauſæ. Cœl.56.2.
Regnum. Sext.137.3.
Regni fundamentum,pietas.Sext.98.4.
Regulus. Sext.127.4.
Reguli machinæ. Piſ.43.2.
REVS.
Reus. Cœl.23.3.
Rei capillos promittebant, abſoluti capillum tondebant.Sext.145.1.
Reorum domus obſignatæ. Bal. 7.10.
Reorum liberi ad mouendos iudices producti. Sext. 144.2.
Reorum ſordes. Sext.145.1.
Reorum tabulæ priuatæ ab accuſatoribus poſtulatæ.Bal.7.10.
Relatio. Piſ.29.1.
Relationis ſecundæ, tertiæ, & quartæ ius. *ibid.*
Relegatio. Sext. 29.3.
Relegatus. Sext.35.3.
RELIGIO.
Religio auſpiciorum. Piſ.11.2.
Religio trophæorum. Piſ.92.1.
Religionis cauſa coronati. Piſ.35.4.
Religionis vinculum. Bal. 17.47.
Religionum antiquitas. Piſ. 85. 3.
Religionum antiquitas magnæ matris. Sext. 56.4.
Renunciatio Magiſtratus quomodo. Piſ. 3.1.
Repentina & inopinata. Sext.53.3.
Repetitio. Piſ.27.5.
Repulſa. Piſ.2.1.
Res benè geſta. Pr. C.14.3.
Res, fides. Cœl.78.5.
Res ſumma. Sext.25.6.

Reſipiſcere & mentem recipere. Sext.80.3.

RESPVBLICA.

Reſpublica. Vat.10.5.
Reſpublica ad communem vtilitatem ordinatur. Sext.91.7.
Reſpublica bene geſta. Piſ.97.9.
Republicâ corruptiſſimâ plurimæ leges. Sext. 55.1.
Reipub. cauſa diligi. Vat.7.4.
Reipublicæ cauſa diligi honorificum. Sext.27.2.
Reipublicæ cauſa inimicitias priuatas deponere ſapientis eſt. Pr.C.44.1.
Reipublicæ cauſa interfecti. Sext.83.3.
Reipub. cauſa qui aberat, ad iudicium non vocabatur. Vat.34.4.
Reip. clauum tenere. Sext.20.6.
Reipublicæ fluctus. Sext.73.6.
Reipublicæ fuci egeſtuoſi & inopes. Sext 99.7.
Reip. inclinatio. Sext.64.3.
Reip. nauis. Pr.C.7.3.
Reip. præſidium vir bonus. Cœl.59.10.
Reip. primis temporibus iis ſolis aditus patebat in curiam qui lecti fuiſſent à cenſoribus. Sext. 97.3.
Reip. quies & otium. Sext.5.1.
Reip. Romanæ ſtatus ex Monarchia, Ariſtocratia, Democratia temperatus. Sext.137.3.
Reip. ruina. Pr. C. 43.3.
Reip. tempeſtates. Sext.20.7.
Reip. turbines Sext.25.3.
Reip vulnera & morbi. Sext. 18.8.
Rempublicam auxit Pompeius. Piſ. 27.3.
Remp. ſaluam eſſe velle. Piſ.34.2.
Reſpuere auribus. Piſ.45.2.
Reſtituere. Sext. 49.3.
Reuocare. Sext. 123.2.
Reuocatio in iudicium. Cœl.16.4.

REX.

Rex, lex viuens. Sext.40.4.
Rex poteſt ſceleribus paribus pœnas diſpares irrogare. Pr. C.17.1.
Reges appellabantur à Senatu. Sext.57.1.
Reges de cauſis grauioribus iudicabant. Piſon. 94.2.
Reges dominari. Piſ.87.2.
Reges & exteræ nationes in tutela Conſulum. Sext. 64.1.
Reges nominati Conſulatu Cæſaris. Vat. 29.3.
Regibus mittebantur munera à Senatu. Sext. 57.1.
Rheni gurgites. Piſ.81.4.
Rhenus i. ἐσχάματος. ibid.
Rhenus Iber. ibid.
Rhetorum merces. Cœl.45.7.
Rhetra Lacedæmoniorum. Sext.55.1.
Rhodope. Cœl.1.4.
Rica. Vat.25.2.
Rogabatur ſententiam Conſul primus. Piſ.35.4.
Rogabantur ſententiam Conſulares ante alios tum Prætorij & Ædilitij curules. ibid.
Rogare, abrogare, derogare, irrogare, erogare. Pr. C.46.3.
Rogatio. Sext. 61.1.
Rogationes. Sext.25.1.
Rogationibus legum. Sext. 77.10.
Romanæ leges contra proditores. Piſ.24.5.
Romani tenui præſidio prouincias tutabantur. Pr.C.5.9.
Romani veteres Barbari. Cœl.33.2.
Romanis viuente patre nulla poſſeſſio. Cœl.17.1.
Romuli prudentia in amplificanda ciuitate. Bal. 17.33.
Romulus Senatum inſtituit. Piſ.23.5.
Roſtra. Vat. 24.1.
Rota apud Ægyptios. Piſ.22.4.
Rota fortunæ ſeu globus. ibid.
Rotæ ſimilis vita humana. ibid.
Ruina Reipub. Pr.C. 43.3.

S.

Sabini Seueri. Vat.37.4.
Sacellum. Vat.10.5.
Sacerdotia neque venalia, neque ſorti obnoxia. Sext.56.6.
Sacerdotium Augures non amittebant. Vat. 19.2.
Saginatio Athletarum. Sext.78.1.
Sacra Cereris. Bal. 44.19.
Sacra Græca. Bal. 44.30.
Sacra impia Etnicorum. Vat.14.1.
Sacramentum. Sext. 40.4.
à Sacrilegis pœnæ exactæ. Piſ.85.6.
Sacrilegis idem ſupplicium quod proditoribus irrogatum. Piſ.24.2.
Sacris puritas requiſita. Sext.56.6.

SALTATIO.

Saltatio. Piſ.18.3.
Saltatio ad crotalum. ibid.
Saltatio impura. ibid.
Saltatio nuda. ibid.
Saltatio pilaris. Piſ. 20.3.
Saltationes honeſtæ. ibid.
Saltationes inhoneſtæ. ibid.
Saltatorius orbis an ligneum tympanum. Piſon. 20.3.
Saltatorius orbis ſiue verſus. Piſ. 20.3.
Saltatorius orbis vtrum corporis in rotam inflexio. ibid.
Saltatrices cyrrhatæ. 18.2.
Salus dea. Sext. 131.5.
Salutatio communis. Piſ.96.4.
Salutatio matutina. Piſ. 64.1.
Salutationes clientium. Cœl. 18.3.
Salutis Deæ templum. Sext.131.5.
Samnites gladiatores. Sext.134.18.
Samocia. Piſ.89.1.
Samothracum dij. ibid.

SAPIENTIA.

Sapientia ante annos. Sext.111.9.
Sapientia non cadit in iuuentutem. Cœl.76.1.
Sapientiam impedit nimia copia. Cœl.45.6.
Sapiens Deo ſimilis. Piſ. 20.2.
Sapientis eſt priuatas inimicitias Reipub. cauſa deponere. Pr.C.44.1.
Sapientis & boni viri iudicio ſtandum. Piſ.33.1.
Sapientum animos etiam res ſecundæ fatigant. Piſ.24.6.
Sardi latrones. Pr.C.15.7.
Sardinia. Pr.C. 15.5.
Saturnalia menſe Decembri celebrata. Piſ.8.6.
Saturnalia petita à Cretenſibus. ibid.
Satyrarum tela. Vat. 13 2.
Scabellum quid? Cœl.65.
Scæuola. Bal. 46.1.
Scauri authoritas. Pr.C.20.1.
Scauri ludorum magnificentia. Sext. 116.1.
Scauri mater. Sext. 101.2.

Scelera

Scelera magna magnam indolem requirunt. Cœl.14. 2.
Scelerum iuuentor. Vat. 22. 1.
Scelus. Piſ.56.1.
Scena. Sext.120.3.
Scena picta,argentea,eburnea,aurea. Piſ.65.2.
Scenici artifices. Sext. 120.1.
Sceptro eburneo Aquila eburnea inſidebat. Piſ. 60. 7.
Sceptrum. Sext. 57.5.
Sceptrum Conſulare. Sext. 17.5.
Sceptrum triumphale. Piſ.60.7.
Schola. Cœl. 41.6.
Scholaſticorum multitudo. Cœl. 41.5.
Scipionis Africani triumphus. Pr.C. 28.2.
Scientia Magiſtratibus neceſſaria. Sext. 99.11.
Scopulus. Cœl.51.2.
Scribæ ærarij. Piſ.61.7.
Scribendo. S.C. adeſſe quid? Pr.C. 28.2.
de Scripto dictæ ſententiæ. Sext. 129.3.
Scurra, quis? 39. 3.
Scuta,galeæ è pellibus. Piſ. 87.3.
Scythia. Piſ.18.2.
Sectæ. Cœl. 40. 2.
Seculum. Cœl.48.2.
Secures Conſulibus prælatæ initio. Sext. 17.5.
Secures depoſitæ à Valerio Publicola. *ibid.*
Secures Dictator etiam in vrbe retinebat. *ibid.*
Sedem ponere è regione cæcorum. Piſ.86.11.
Sedere. Sext.34. 1. & Piſ.10.2.

SEDITIO.

Seditiones concionum. Piſ. 28.4.
Seditionum cauſa mala conſcientia. Sext. 99.4.
Seditionum cauſæ. *ibid.*
Seditionum initia non ſunt negligenda. Sext. 100. 3
Seditionum tempeſtas. Sext. 46. 7.
Seditioſus populus vbi duces nanciſcitur. Sext. 99.9.
Sella curulis. Sext.17.5.
Sella eburnea. *ibid.*
Seminarium. Piſ.97. 4.
Semiſſes. Sext.55.6.

SENATOR.

Senator. Pr.C. 30. 3.
Senator potuit dicere de re qualibet etiam non rogatus. Pr. C.2.1.
Senatores in luctu ponebant latum clauum. Piſ. 17.1.
Senatores in luctu veſtem equeſtrem capiebant. *ibid.*
Senatores in municipiis. Cœl.5.3.
Senatores Reges dicti antiquitus. Piſ. 23.5.
Senatores ſupplices togã abiiciebant. Sext.74.6.
Senatoriam veſtem in luctu ſolam retinebant Magiſtratus poſita prætexta. Piſ. 17.1.
Senatorij & equeſtris ordinis diſcrimen à clauo petebatur. *ibid.*

SENATVS.

Senatus amor in Ciceronem. Piſ. 34.2.
Senatus anima ciuitatis. Sext.98.7.
Senatus à Romulo inſtitutus. Piſ.23.5.
Senatus authoritas. Sext.75.2.& Piſ.50.4.
Senatus authoritas paulatim diminuta. Sext. 137.3.
Senatus authoritas perſcribi potuit intercedente Tribuno plebis. *ibid.*
Senatuſconſulta per vnum annum vim legis obtinebant. *ibid.*
Senatuſconſultis. Sext. 77.10.
Senatus datus triumphaturus. Piſ.97.10.
Senatus egrediẽs excipiebat triũphãtes. Piſ.52.2.
Senatus fuit decernere prouincias Conſulares & Prætorias. Pr.C. 1.1.
Senatus habuit diſpenſationem ærarij. Vat.36.2.
Senatus Imperatorem eligebat. *ibid.*
Senatus in Capitolio. Sext.129.1.
Senatus iniuſſu in regnum non licebat accedere. Piſ. 50. 1.
Senatus lumina. Pr.C.22. 1.
Senatus poteſtas. Sext. 137. 3.
Senatus poteſtas in populum. *ibid.*
Senatus potuit extra ordinem Magiſtratus dare. *ibid.*
Senatus potuit iudicia publica prohibere. *ibid.*
Senatus potuit Magiſtratus circumſcribere. *ibid.*
Senatus principes. Sext.35.4.& 97.2.
Senatus prope ſpectacula. Sext.117.1.
Senatus tribunos circũſcribere potuit. Sex.74.6.
Senatus triumphum deferebat. Piſ.35.3.
Senatui fuit præcipua poteſtas. Sext.137.3.
Senatum ingrediebantur quidam qui non erant Senatores. Sext.97. 3.
Senatum quibus dieb. habere liceret. Sext.74.7.
Senatum vocabant Tribuni plebis. Sext. 26.7.
Senectus miſerabilis. Sext.50.3.
à Senectute miſeratio. Piſ.84.1.
Senectutis baculus. Cœl.79.3.

SENTENTIA.

Sententia Epicuri de voluptate. Piſ.69.2.
Sententiæ ferendæ formula. Piſ.97.5.
Sententiæ Philoſophorum de beatitudine & voluptate. Cœl. 41.1.
Sententiæ princeps. Piſ.35.4.
Sententias in Senatu rogandi ordo. Piſ.35. 4.
Senum ebrietas. Cœl.44.2.
Seplaſia. Sext.19.10.Piſ.24.8.
Septa. Sext.79.6.
Sepulchrum & ſepultura. Pr. C.45.2.
Sequeſter. Cœl. 16.2.& 30.4.
Series rerum geſtarum in arcu expreſſa. Piſ. 92.1.
Sermo familiarium deferendus. Cœl.46.8.
Sermo operis vmbra ſiue ſimulachrum. Cœl. 8.2.
Sermones hominum contemnendi. Pr. C.24.1. Piſ. 65.5.
Sermones optimi qui cum vita conſentiunt. Cœl.40.4.
Sermonis libertas ſignum mentis parum pudicæ. Cœl.49.8.
Serpens erumpens è latibulis. Vat.4.3.
Serpentis renouatio. *ibid.*
Serrani error. Piſ. 24.2.

SERVI.

Serui corrupti maleficium. Cœl. 51. 6.
Serui familiares. Cœl.58.1.
Serui notis inuſti. Piſ.30.1.
Serui pullati. Piſon.93. 3.
Serui ſcelerum dominorum conſcij non ſunt ſerui. Cœl. 57.6.
Seruilis cucullus. Piſ.93.3.
Seruilis veſtis. *ibid.*
Seruilis voluptas. Piſ.22.1.
Seruire,deſeruire. Sext.93.2.
Seruitutis & libertatis indicium, pileus. Piſ.36.6.
Seruorum corruptorib. dupli pœna irrogata. 51.6.
Seruorum delectus. Piſ.23.6.
Seruorum linguæ cauendæ. Cœl 57.4.
Seruorum miniſtrare laribus fuit. Piſ. 8.2.

Seruorum venalium aures perforatæ. Piſ. 35 6.
Seruorum veſtis alia,alia liberorum. Piſ. 33.3.
Seruos malè ſibi conſcij timent. Cœl.57.4.
Seſtertia. Seſtertij. Piſ. 86.2.
Seueritas cenſoria. Piſ.9.3.
Sextij nobilitas. Sext.6.2.
Sibilus in ludis. Piſ.65.4.
Sibilus theatralis. Sext. 115. 8.
Sibyllinum oraculum. Piſ.58.3.
Sigma quid? Piſ.67.13.

SIGNA.

Signa. Sext.62.4.
Signa adumbrata virtutum. Cœl. 12.2.
Signa conferre. Sext.58.5 Piſ.49.3.
Signatio militaris. Piſ.30.1.
Signatæ Conſulum nominibus amphoræ. Piſ. 67. 10.
Significatio. Sext. 127.3.
Signo dato. Piſ. 34.4.
Signum belli ſiue vexillum in arce. *ibid.*
Signum crucis. Vat.14.4.
Signum malæ conſcientiæ,tremor.Piſ.99.4.
Signum mœroris, iacere. Piſ.89.3.
Silentium iudiciorum in luctu. Piſ.32.3.
Silentium legum in luctu. Piſ. 21. 3.
Silicernium. Vat. 31.1.
Similis. Piſ. 93 4.
Similitudines. Sext.24.3.
Simulachra Deorum in luctu velata. Piſ.11.3.
Simulachra Deorum in propatulo poſita humeris deferebantur in ſupplicationibus. Bal.56.16.
Simulachra informia varia Deorum. Vat.10.6.
Simulachra oppidorum præferebantur. Piſ.60.3.
Simulachrum matris magnæ. Sext.56.2.
Simulatio vitanda. Sext.
Sinere,pati. Pr.C. 17. 2.
Singularia ſunt clariora. Sext. 86.2.
Sinus, gremium. Cœl. 59.5.
Συλᾶν. Cœl.52.2.
Syntheſis. Vat.31.4.
Syrorum natio ſeruilis. Piſ.1.3.
Sobrius. Piſ.22.1.

SOCIETAS.

Societas Latinorum cum populo Romano. Sext. 30. 2.
Societas malorum. Sext. 24.1.
Societates vectigalium. Sext.32 2.
Societatis Magiſtri. *ibid.*
Societatis operæ. *ibid.*
Societatis vetuſtas cum Regibus Alexandriæ. Sext. 57. 2.
Socij. Piſ.98.2.
Socij dicti boni & fideles. Pr.C.5.14.
Sodales. Cœl.16.1.& 25.2.
Soldurij. Cœl. 13.5.

SOLEA.

Solea. Piſ.13. 4.
Solea meretricum. *ibid.*
Solea verberare. *ibid.*
Soleas ponere priuſquam accumbere. Piſ.13.4.
Soleati ad conuiuia veniebant. *ibid.*
Soleis vti indecorum. *ibid.*
Solium. Piſ.67.15.
Sollicitare. Cœl. 31. 3.
Sorbere. Sext. 13.3.
Sordes reorum. Sext. 145. 1.
Sordidus,ſordidatus. Piſ.99.5.
Spartani leges nullas ſcriptas habuerũt. Sext.55.1.
Spectatores ludorũ funebriũ penulati. Vat.30.4.
Speculum animi, frons. Pr. C.8.3.
Speculum animi, oculi. Sext.19.12.
Spes. Cœl.78.7.
Spes inanis, ſomnium. Vat. 21.1.
Spiritum edere. Sext. 83.1.
Spolia. Cœl.52.2.
Spoliare mortuos hoſtes anguſti eſt animi. Piſ. 82. 4.
Spondere,promittere. Cœl.77.5.
Sponſio. Piſ. 55. 3.
Sponſio,pactio & fœdus. Bal. 17.27.
Stadium. Sext.29.4.
Stantes in plauſu. Sext.117.5.
Statuæ aureæ patronis donatæ. Piſ. 25.11.
Statuæ tyrannorum luto oblitæ,tituliſque deleti. Vat.28.4.
Statui politico pietas neceſſaria. Piſ. 11. 2.
Status. Sext. 106.1.
Stemma Clodianum. Cœl.33.5.
Stibadium. ordo recumbendi in ſtibadio. 67.13.
Stipendiarij Piſ.98.2.
Stipendium. Piſ.88.8.
Stipendium ex ærario. Piſ. 88. 7.
Stipes, truncus. Piſ. 19.5.
Stoicorum ἀπάθεια. Sext.49.5.
Stoicorum paradoxum de ſapiente. Bal.1.6.
Strobylus. Piſ.25.5.
Stroppus. Vat. 25. 2.
Studia. Sext. 99. & Cœl.39.
Studiorum coniunctio an amicitiam conciliet. Cœl. 44 4.
Studium pacis & concordiæ. Piſ.7.4.
Subſellia. Vat.34.1.
Subſellium. Cœl. 67.2.
Subſidium. Sext. 20.1.
Subtilitas Hortenſij. Sext.14.5.
Suffragia nouorum & veterum ciuium diſtincta. Piſ.3.4.
Suidæ error & excuſatio. Cœl. 11.1.
Sumptus lege Iulia limitati. Pr.C.41. 4.
Superbus. Vat.10.3.

SVPERCILIVM.

Supercilium & ſupercilia. Sext.19.11.Pr.C.8.3.
Supercilium philoſophicum. *ibid.*
Supercilium Piſonis. Piſ.14.6.
Superciliũ ſedes grauitatis & maieſtatis. Piſ.14.6.
Supercilium ſignum triſtitiæ & ſeueritatis. *ibid.*
Supercilij & frontis nubes. Piſ.20.3.
ex Superciliis phyſiognomia. Piſ.14.6.
Superſtitio in cruentando corpore. Piſ.47.5.
Superſtitionem induxerunt politici,& quare. Piſ. 11. 11.

SVPPLICATIO.

Supplicatio ante bellum. Pr. C.26. 1.
Supplicatio aut in vrbe tantùm, aut per totam Italiam. Bal.56.16.
Supplicatio in vnum diem,in duos, tres, quatuor & in plures. Piſ.45.1.
Supplicatio poſt victoriam. Pr. C. 26. 1.
Supplicatio togato decreta. Piſ. 6.3.
in Supplicatione pedes aut genu, aut mentum tangebant. Cœl. 79.
Supplicationes ante bellum,poſt nuntiatam victoriam. Bal.56.16.
Supplicationes cum hoſtiis maioribus, minoribus, aut lactentibus pueris matrimis patrimiſque. Bal.61. 16.
Supplicationes diuinæ. Vat.30.3.
Supplicationes mortuis decretæ. *ibid.*

Supplicationes nudipedales & aquiliciæ. Bal. 56.16.
Supplicationes quæ ad compita, ad vnum templum, vel ad omnia fiebant. *ibid.*
Supplicationibus & feriis cum populo agere nefas. Vat.30.3.
Supplicationum dies. Piſ.59.2.
Supplices abiiciebantur ad pedes. Sext. 54.4.
Supplices ad pedes ſe abiiciebant. Sext.74.6.
Supplices quas partes corporis attingerent. *ibid.*
Supplicij genus. Inſcriptio. Piſ.30.1.
Supplicium. Piſ.42.1.
Supputatio annorum apud Græcos. Piſ.8.3.
Suſpicio. Vat.11.8.
Symphonia. Cœl.35.3.
Syri ſeruiles & Cappadoces. Pr.C. 10.2.
Σωτήρ. Sext.37.2.

T

Tabellæ.

Tabella in ſuffragiis. Piſ.3.6.
Tabellæ. Cœl.40.1. & Pr. C.15.2.
Tabellæ ad libitum deleri poterant. Vat.5.4.
Tabellæ cera illitæ. *ibid.*
Tabellæ iudicum. Piſ. 96.1.
Tabellæ licentia. Sext.103.3.
Tabellas ſcriptas domo videntur attuliſſe. Piſ. 36. 2.
Tabulæ auratæ. Vat. 5.4.
Tabulæ Cerites. Vat.11.3.
Tabulæ ligneæ. Vat.5.4.
Tabulæ miniatæ. *ibid.*
Tabulæ palimpſeſtum. *ibid.*
Tabulæ priuatæ reorum ab accuſatoribus poſtulatæ. Bal.7.10.
Tabulæ publicæ. Piſ.36.1.
Tabulis inſcriptę rationes & vadimonia. Vat.5.4.
Tactus cæteris ſenſibus inferior. Piſ. 1.1.
Tactus & guſtus voluptates. Piſ.66.1.
Tædæ furiarum ardentes conſcientiam malam ſignificant. Piſ. 46.2.
Taureas Iubellius. Piſ.24.11
Taurus mons. Sext. 58.3.
Taurus Phalaridis. Piſ.42.2.
Tela accuſationum. Vat. 13.2.
Tela fortunæ. Piſ. 43.6.
Tela laudationum. Vat.13.2.
Tela ſatyrarum. *ibid.*
Tela verborum. Cœl.20.4.
Temerarium. Piſ.39.5.
Temeritas. Sext.134.4.
Temeritas populi. Sext.122.1.
Temeritatis & audaciæ diſtinctio. Piſ.39.5.
Temetum. Sext.20.13.
Tempeſtas & caligo. Pr. C.43.1.
Tempeſtas ſeditionum. Sext.46.7.
Tempeſtas turbarum. Piſ.21.1.
Tempeſtates Reip. Sext.20.7.

Templvm.

Templum. Sext.75.3.& 10.6.
Templum Caſtoris. Piſ.23.7.
Templum Cæſaris clementiæ. Sext.132.1.
Templum. Cœl. Vat.5.2.
Templum concordiæ Opimij monumentum. Sext.140.2.
Templum in terra. Vat.5.2.
Templum mentis & Veneris. Cœl.45.5.
Templum omne non eſt ſanctum. Vat. 5.2.
Templum patronis & Proconſulibus excitatum. Piſ.25.11.
Templum pro horto & ſepulchro. *ibid.*
Templum toga virili ſumpta adire. Sext.144.4.
Templum virtutis. Sext. 117.3.
Templum virtutis & honoris. Piſ.57.4.
Templis aquilæ. Vat.5.2.
Templorum pinnacula. *ibid.*
Templorum proditor. Piſ.11.1.
Tempori cedendum. Sext.63.2.
Tempori ſeruire. Cœl.13.4.
Tempus quo inibant Conſulatum. Piſ.4.2.
Temulentus. Sext.20.13.
Tenebræ. Piſ. 62.1.
Tenebras amant libidines. Pr. C. 8.2.
Tenebras voluptas captat. Sext.20.9.
è Tenebris extrahere. Vat.13.1.
Tenere, teneri. Cœl. 24.4.
Terni accumbere ſoliti. Piſon.67.13.
Terrarum duæ partes. Piſon. 29.2.
Terrarum orbis tres partes. *ibidem.*
Terrarum orbis ſeptem partes. *ibid.*
Tertullianus. Piſ. 25.5.
Teſſera hoſpitalis. Sext.10.3.
Teſſeræ miſſiles in ludis. Sext. 135.3.
Teſtamentarius. Sext.39.5.
Teſtamento indicti gladiatores. Vat. 37.3.
Teſtamento maritorum tutores coniugibus dati. Cœl. 68.2.

Testis.

Teſtis idoneus non eſt filius in patris gratiam. Cœl.1.3.
Teſtes domeſtici. Cœl. 55.4.
Teſtes quomodo adhibendi. Cœl. 31.2.
Teſtibus falſis pœna impoſita. Vat.3.1.
Teſtium authoritas. Vat.1.5.
Teſtium cupiditas. Cœl.22.1.
Teſtium familiaritas cum accuſatore fidem eleuat. 3.2.
Teſtimoniorum minor eſt authoritas quàm teſtium. Cœl.55.
Teſtimonium mulieris. Cœl. 50.2.
Teſtimonium mutuum. Cœl.21.4.
Teter. Sext.19.1. & Vat. 9.3.
Tetrarcha. Vat.29.4.
Τετράς. *ibid.*
Tharſus. Piſ.89.2.
Thaſus. *ibid.*

Theatrvm.

Theatrum auro opertum. Piſ. 65.3.
Theatrum ſiue Theatra Curionis. *ibid.*
Theatrum M.Scauri. Piſ.65.2.
Theatrales plauſus. Sext. 115.6.
Theatrales plauſus & acclamationes. Piſ.65.6.
Theatralis plauſus. Sext.115.8.
Theatri clamor. Sext. 120.6.
in Theatris manus illatio. Piſ. 65.8.
Themidis filiæ, iuſtitia & pax. Sext. 98.8
Themis. *ibid.*
Themiſta. Piſ. 63.1.
Themiſtocles patriæ conſeruator. Sext. 141.2.
Thraces Barbari. Pr. C. 5.8.
Thracum multitudo & Barbaria. Piſ. 38.2.
Thrax & Threx. Pr. C. 9.2.
Thucydides & Valla emendantur. Piſ. 88.8.
Timere quamlibet auram. Piſ.99.2.
Timor, cautio. Sext. 41.
Timor Ciceronis in cauſis perorãdis. Cœl.19.4.
Timoris effectus. Piſ. 99.1.

Τιμωεία. Pr.C.2. 5.
Tire-laine. Vat.11.3.
TOGA.
Toga. Cœl. 11.1.
Toga Idibus & Calendis. Vat.31.4.
Toga mortuorum. *ibid.*
Toga picta. Piſ. 17. 2.
Toga,picta,palmata,tunica Iouis. Piſ. 60.7.
Togâ primo anno tyrocinij brachium continere. Cœl. 11. 1.
Toga pulla in luctu. Piſ.17.1.
Toga pura. Sext. 144.4.
Toga viri ſumpta amicis conuiuium dabant. *ibid.*
Toga virilis quo anno ſumebatur. *ibid.* & Cœl. 9.2.
Togæ pictæ & Trabeæ diſtinctio. Piſ.31.2.
Togæ prætexta. Piſ.23.2.
Togæ vſus. Vat.31. 4.
Togam abiiciebant ſupplices Senatores. Sext. 74.6.
Togam virilem ſumebant ante lares. Sext. 144. 4.
Togati,clientéſque milites. Vat. 31.4.
Togatus. Piſ.6.3.
Tonſio in naufragiis. Cœl. 33.2.
Toreuma, linteum. Piſ. 67.3.
Toreuticæ artis dignitas. *ibid.*
TRABEA.
Trabea angularis. Piſ.31.2.
Trabea aurea. *ibid.*
Trabea Conſularis virgata. *ibid.* Sext.17.5.
Trabea equeſtris. *ibid.*
Trabea lictoria tota Phœnicea. *ibid.*
Trabea,paludamentum idem ſunt. *ibid.*
Trabeæ nomen ſumptum pro Conſulatu. *ibid.*
Trabeæ nomen ſumptum pro equeſtri ordine. *ibid.*
Traductio ad plebem. Sext. 15.2.
Traiani ludi. Piſ. 65.3.
Tremor malæ conſcientiæ ſignum. Piſ.49.4.
Triarij. Sext. 20.1.
Triarij, haſtati,velites. Piſ.88.5.
Tribunal. Vat.34.1.
Tribunal Aurelium. Sext. 33.7.
Tribunal Conſulare. Sext.17.5.
TRIBVNI.
Tribuni aliquando de cauſis atrocioribus iudicabant. Piſ. 94.2.
Tribuni comitiati & Rufuli. Sext.7.6.
Tribuni de cauſis minimis iudicabant. *ibid.*
Tribuni militares. *ibid.*
Tribuni plebis authoritas. Vat.16.2.
Tribuni plebis cum legatis miſſi. Pr.C.28.5.
Tribuni plebis decem. Vat.16.1.
Tribuni plebis etiam præſentibus Coſs. ad Senatum referebant. Sext.26.7.
Tribuni plebis Magiſtratum inibant 4.Idus Decembris. Sext.72.1.
Tribuni plebis moram facere dicebantur. Sext. 129.5.
Tribuni plebis poteſtas eximendis iis,qui in vincula ducerentur. Sext. 85.4.
Tribuni plebis primo plebeij erant, poſt ſoli Senatores. quis hanc mutationem induxerit. Pr. C. 45.7.
Tribuni plebis Senatum vocabant.Sext.26.7.
Tribuni Rufuli comitiati. Piſ.88. 12.
Tribuni tempus ad deliberandum poſtulabant, cùm non auderent intercedere. Sext.74.5.
Tribunitia interceſſio. Vat.22.1. & Piſ.35.7.
Tribunitia proſcriptio. Piſ. 30.6.
Tribuno plebis interfari nefas. Sext.69.2.
Tribunorum auxilium. Pr.C.19.4.
Tribunorum de interceſſione aliquando Conſules referebant. Sext. 74.6.
Tribunus Senatus circumſcribere potuit. *ibid.*
Tribunus militum à populo creatus. Piſ. 88.12.
Tribunus militum ordines aſſignabat. Piſon. 88.4.
Tribunus opem ferebat oppreſſis. Piſ.30.6.
Tribunus plebis comitia centuriata non prohibebat. Piſ.35.7.
Tribunus plebis non poterat extra vrbem pernoctare. Vat.29.5.
Tribunus plebis ſacroſancti. Sext. 79.2.
TRIBVS.
Tribus aliæ aliis honoratiores. Bal.56.6.
Tribus Athenienſes. Bal.17.31.
Tribus & centuriæ prærogatiuæ. Piſ. 11.3.
Tribus Palatina. Sext.113.5.
Tribus prærogatiuæ. Piſ.11. 3.
Tribus ſociorum & Nouæ. Vat.37.6.
Tribum ferre. Sext. 113.4.
Tribum perdere. Vat.37.7.
Tributa comitia. Piſ.11.3.
Triclinium. Cœl.57.10.Piſ.67.13.
Trientes. Sext.55.6.
Triſtis. Cœl.25.1.
TRIVMPHVS, TRIVMPHALIS.
Triumphale epulum. Piſ.61.9.
Triumphale ſceptrum. Piſ. 60.7.
Triumphales currus aurei , eburnei, gemmati. Piſ. 60.1.
Triumphali in arcu captiuus. Piſ.92.1.
Triumphalis arcus. *ibid.*
Triumphalis currus turris inſtar. Piſ. 60. 1.
Triumphalis porta. Piſ. 55. 4.
Triumphalium oſſa in vrbem poterant inferri. Piſ.53.6.
Triumphans in tunica Iouis. Piſon. 60.7.
Triumphantes in Capitolium inuecti. Pr. C. 35.8.
Triumphantes Senatus egrediens excipiebat. Piſ. 52.2.
Triumphantis currum legati in equis comitabantur. Piſ. 60.5.
Triumphantis liberi eodem in curru vehebantur *ibid.*
Triumphaturus datus Senatus. Piſ.97.10.
Triumphus. Piſ.59.5.
Triumphus Pompeij. Vat.29.
Triumphus Scipionis Africani, Fuluij, Manlij, Pauli, Cæſaris. Pr.C.28.2.
Io Triumphe. Piſ.60.6.
in Triumpho militum acclamatio. *ibid.*
in Triumpho plauſus. Piſ 60.8.
in Triumpho verſus ioculares. *ibid.*
ad Triumphum conditiones requiſitæ. Piſon. 44.4.
Triumphum Senatus deferebat. Piſ.35.3.
Trinundinum. Piſ.30.4.
Trochus quid? Piſ.22.3.
TROPHÆA.
Trophæa. Piſ.92.1.
Trophæa crucis ſpecie. *ibid.*
Trophæa è ligno. *ibid.*
Trophæa Græcorum lapidea. *ibid.*

Trophæa inſcripta. Piſ. 92. 2.
Trophæa lapidea, ærea, aurea. *ibid.*
Trophæa prælata in triumpho. Piſ. 92. 1.
Trophæis quercus induta. Piſ. 92. 1.
Trophæorum religio. *ibid.*
Trophæum. Piſ. 59. 5.
Trophæum armorum aceruus. Piſ. 92. 1.
Trophæum murus aut lapis ingens. *ibid.*
Truncus, ſtipes. Piſ. 19. 5.
Tueri latera. Sext. 90. 2.
Tumultus. Piſ. 73. 5.
Tunica palmata. Piſ. 17. 2.
Tunica palmata, idem quod Trabea. Piſ. 31. 2.
Tunicæ & oraria diſtributa. Sext. 55. 5.
Tunicæ matronarum pictæ & belluatæ. Piſon. 23. 2.
Turbines Reip. Sext. 25. 3.
Turpitudo & damnum. Piſ. 40. 4.
Turpitudo iudicij Clodiani. Sext. 89. 2.
Turpitudo rerum & verborum vitanda. Cœl. 8. 2.
Tutela legitima. Bal. 56. 5.
Tutela teſtamentaria. *ibid.*
Tutores coniugibus dati teſtamento meritorum. Cœl. 68. 2.
Tutores legitimi. Sext. 91. 10.
Tympanum ligneum an ſaltatorius orbis. Piſ. 22. 3.

V.

Vacandum vni rei non pluribus. Bal. 44. 6.
Vale. Piſ. 95. 4.
Valens. Cœl. 67. 7.
Vanitas Alexandrinorum. Piſ. 49. 2.
Vanitas Alexini. Vat. 9. 5.
Vanitas auſpiciorum. Piſ. 11. 2.
Vanitatis ſignum, loquacitas. Vat. 42.
Vas, præs, obſes, pignus. Cœl. 78. 3.
Vaſa ſunt comites. Piſ. 86. 3.
Vaſarium. *ibid.*
Vaſtitas. Pr. C. 5. 5.
Vaticinari & inſanire. Sext. 23. 4.
Vatiniorum deformitas. Vat. 1. 1.
Vecticularia vita. Vat. 11. 1.
Vectigales. Pr. C. 10. 5.
Vectigales prouinciæ. Piſ. 88. 1.
Vectigalibus redimendis calore licitantium. Pr. C. 11. 1.
Vectigalium ſocietates. Sext. 32. 2.
Vectigalium publicorum locatio cenſoria. Pr. C. 12. 4.
Vector. Sext. 45. 5.
Velata Deorum ſimulachra in luctu. Piſ. 21. 2.
Velia. Bal. 44. 31.
Velites, haſtati, electi. Piſ. 88. 5.
Velitis, iubeatis. Piſ. 72. 5.
Vellus aureum. Cœl. 18. 5.
Velum obtendebatur in damnationem. Piſon. 30. 4.
Velſurus Iupiter. Piſ. 85. 1.
Venales coronati ſubmiſſionis cauſa. Piſ. 35. 6.
Venales lapidis gagalis ſuffitu explorabantur. *ibid.*
Venales quando pileati. *ibid.*
Venalium cataſta. *ibid.*
Venandus amicus. Piſ. 83. 1.
Venarum inciſio. Piſ. 83. 7.
Venditare. Sext. 18. 12.
Venenum. Vat. 25. 2.
Venus hoſpitalis. Cœl. 52. 5.
Veneris templum. Cœl. 45. 5.
Venuſtas. Cœl.
Veræ voluptates. Piſ. 65. 1.
Verba ad virtutem non ſufficiunt. Cœl. 40. 4.
Verberare ſolea. Piſ. 13. 4.
Verberari conuitio. Piſ. 63. 4.
Verbis non opere philoſophandum. Cœl. 40. 4.
Verborum dignitas. Piſ. 35. 2.
Verborum tela. Cœl. 20. 4.
Verbum inſolens vitandum in exordio. Pr. C. 1. 1.
Verecundia color virtutis. Cœl. 7. 1.
Verecundia muliebris. Cœl. 68. 2.
Verecundia virtutum cuſtos. Cœl. 7. 1.
Veritas in vino. Vat. 3. 3.
Veritatis & iuſtitiæ veſtigatio. Piſ. 83. 1.
Veritatis ignoratio. Piſ. 70. 1.
Veritatis magna vox eſt. Cœl. 63. 4.
Veritatis vox. Cœl. 55. 3.
Verſari. Cœl. 74. 2.
Verſura. Cœl. 17. 2.
Verſus ioculares in triumpho. Piſ. 60. 6.

Vestes.

Veſtes delicatæ. Sext. 19. 6.
Veſtes holoſericæ. *ibid.*
Veſtes perlucidæ. Cœl. 11. 3.
Veſtes plumatiles. Sext. 19. 6.
Veſtes ſericæ. Piſ. 65. 3.
Veſtem equeſtrem in luctu capiebant Senatores. Piſ. 17. 1.
in Veſtibus luxus matronarum. Cœl. 49. 5.
Veſtis alia ſeruorum, alia liberorum. Piſ. 93. 3.
Veſtis conuiualis. Vat. 31. 4.
Veſtis lacerna, ſeruilis. Piſ. 93. 3.
Veſtis mutatio. Sext. 27. 4.
Veſtis mutatio deprecationis cauſa. Piſ. 17. 1.
Veſtis mutatio pro Cicerone. Sext. 26. 1.
Veſtium delitiæ animos viriles effœminãt. Cœl. 49. 5. Vide paludamentum, trabea, tunica, prætexta, latus clauus, toga, pallium, &c.
Veſtigare. Piſ. 83. 1.
Veſtigatio iuſtitiæ & veritatis. *ibid.*
Veſtigia. *ibid.*
Veterum barba. Sext. 19. 4.
Vettij indicium. Vat. 24. 2.
Vettij mors. Vat. 26. 6.
Vetuſtas amicitiæ. Sext. 57. 2.
Vetuſtas ſocietatis cum Regibus Alexandriæ. Sext. 57. 2.
Vexare. Vat. 7. 1. & Pr. C. 4. 4.
Vexilla. Sext. 42. 4.
Vexillum ſeu ſignum belli in arce. Piſ. 34. 4.

Via.

Via. Cœl. 38. 2.
Via Appia. Cœl. 34. 14.
Via perpetua. Piſ. 33. 3.
Via virtutis ardua & aſpera. Sext. 100. 1.
Viæ Appiæ longitudo. Cœl. 34. 14.
Viæ militares. Piſ. 40. 5.
Viæ tapetibus ſtratæ. Sext. 131. 10.
Vias munire. Cœl. 34. 15.
Vias Pœni primi ſtatuerunt. Piſ. 40. 5.
Viatores. Vat. 22. 4.
Vicini cæteris præferendi. Vat. 11. 2.

Victoria.

Victoria Miltiadis. Sext. 151. 3.

Victoriæ Luculli. Sext. 58. 3.
Victoriæ Pauli Æmilij. Piſ. 39. 1.
Victores gentium à ſe victarum patroni. Pr. C. 35. 1.
Victoribus forenſibus ſtatuæ excitatæ. Cœl. 18. 1.
Victoribus palmæ datæ iis qui à iudicio diſceſſerant. *ibid.*
Videri feciſſe. Piſ. 99. 5.
Vidua & viduarum libertas. Cœl. 38. 13.
Vigilia ſecunda, tertia, quarta. Piſ. 93. 1.
Vigiliæ militares. *ibid.*
Vigiliarum initium. *ibid.*
Viles & grandes calices. Piſ. 67. 4.
Vilitas annonæ. Sext. 55. 5.
Villæ ſuper Moſellam poſitæ. Pr. C. 29. 4. & Piſ. 48 2.
Villarum ædificatio. Piſ. 48. 2.
Villarum magnificentia. *ibid.*
Vinci à viris fortibus honeſtum. Sext. 37. 5.
Vincula amoris. Cœl. 36. 11.
Vindicta ſera numinis. Cœl. 59. 2.

VINVM.

Vinum de cupa. Piſ. 67. 10.
Vinum diffuſum. *ibid.*
Vinum diſtributum. Sext. 55. 5.
Vinum doliare. Piſ. 67. 10.
Vinum & ebrietas ſenum. Cœl. 44. 2.
Vinum linguæ vinculum. Cœl. 67. 9.
Vinum mulieribus interdictum. Cœl. 68. 2.
in Vino loquacitas. Cœl. 67. 4.
ex Vino medicina. Piſ. 13. 7.
Vinorum in conuiuiis diuerſitas. Piſ. 67. 15.
Violare. Piſ. 85. 4.
Violatores legatorum. Piſ. 85. 5.
Violentia. Vat. 15. 7.
Violentus Cæſar naturâ. *ibid.*
Vir bonus. Sext. 27. 3. & 113. 3.
Vir bonus cum Deo comparatus. Cœl. 39. 3.
Vir bonus præſidium Reip. Cœl. 59. 10.
Vir diuinus. Sext. 50. 1.
Vir ſapiens Deo ſimilis. Piſ. 20. 2.
Viris de bonis non detrahendum. Cœl. 43. 3.
Virgæ lictorum. Sext. 17. 4.
Virgilius explicatur. Piſ. 72. 2.
Virginitas Deo comparata. Pr. C. 6. 3.
Virgis cæſi apud Perſas gratias agere cogebantur. Piſ. 18. 2.

VIRTVS.

Virtus. 60. 4.
Virtus à Deo. Cœl. 39. 3.
Virtus animos conciliat. Piſ. 81. 2.
Virtus arbori ſimilis. Piſ. 55. 4.
Virtus Catonis. Sext. 60. 1.
Virtus labore comparatur. Cœl. 41. 3.
Virtus magis elucet in aſperis. *ibid.*
Virtus non deſerenda propter inuidiam. Sext. 102. 4.
Virtus ſola nobilitat. Piſ. 2. 8.
Virtus tranquilla eſt, improbitas violenta. Sext. 100. 2.
Virtute parti militares ordines. Piſ. 88. 3.
Virtutem non addunt verba. Sext. 138. 2.
Virtutem verba eſſe dicebat Epicurus. Piſon. 65. 10.
ad Virtutem verba non ſufficiunt. Cœl. 40. 4.
Virtuti voluptas inimica. Cœl. 41. 2.
Virtutis color, verecundia. Cœl. 7. 1.
Virtutis & honoris templa. Piſ. 57. 4.
Virtutis & voluptatis diuerſitas in quo ſit. Cœl. 41. 2.
Virtutis facies. Piſ. 81. 1.
Virtutis fama certiſſima munitio. Piſ. 82. 2
Virtuti fructus, gloria. Sext. 86. 1. Piſ. 55. 4.
Virtutis indicium, pulchritudo. Cœl. 36. 4
Virtutis templa. Sext. 117. 5.
Virtutis via aſpera. Sext. 100 1.
Virtutum concentus. Cœl. 40. 4.
Virtutum cuſtos, verecundia. Cœl. 7. 1.
Virtutum ſigna adumbrata. Cœl. 12. 2.
Vis eſt magna veritatis. Cœl. 63. 4.
Vis & violentia. Vat. 17. 3.
Vis legum. Sext. 92. 1.
Vis oratoris. Sext. 84. 2.
Vis præcipua auſpiciorum fuit quæ e cœlo peteretur. Piſ. 11. 2.
Viſceratio. 30. 1.
Viſus & auditus cur Deo tribuatur. Sext 54. 1.

VITA.

Vita cum decurſu & cum curuli certamine ad lampadem comparata. Cœl. 75. 4.
Vita hominis cum vino comparata. Cœl. 77. 4.
Vita humana rotæ ſimilis. Piſ. 22. 4.
Vita mortalis. Sext. 47. 4.
Vita prima hominum. Sext. 91. 1.
Vita ſplendida Piſonis. Piſ. 12. 3.
Vita vecticularis. Vat. 11. 1.
Vitæ curſus. Sext. 47. 3.
Vitæ & necis ius. Cœl. 17. 1.
Vitia belluina. Piſ. 1. 2.
Vitia nobiliorum magis apparent. Vat. 11. 5.
Vituperare. Vat. 41.
Vituperari ſatiùs eſt ab improbis quàm laudari. Vat. 41.
Viuendum priuatim ſic tanquam ſpectet aliquis. Sext. 22. 4.
Viuus & videns. Sext. 58. 7.
Vltio. Sext. 50. 5.
Vltio animi infirmi ſignum. Cœl. 21. 1.
Vltio & ira infirmi animi ſignum. *ibid.*
Vmbilici. Piſ. 75. 1.
Vmbilicus Græciæ Ætolia. Piſ. 91. 2.
Vmbra. Cœl. 12. 1.

VNGVENTA.

Vnguenta. Sext. 18. 1.
Vnguenta craſſiora mortuis ſeruabant. Piſ. 25. 4.
Vnguentarij. *ibid.*
Vnguento delibuti capilli. *ibid.*
Vnguentorum vanitas. *ibid.*
Vnguentum apponebant amatores in poſtibus amicarum. Piſ. 20. 5.
Vnguentum quale? Piſ. 25. 4.
Volitare. Sext. 94. 2. & Piſ. 8. 8.
Volumen. Piſ. 75. 1.
Voluminum cornua. *ibid.*

VOLVPTAS.

Voluptas. Cœl. 67. 6.
Voluptas cœnum. Piſ. 72. 3.
Voluptas dicendi. Cœl. 46. 2.
Voluptas inimica virtuti. Cœl. 41. 2.
Voluptas latebras quærit. Cœl. 47. 7.
Voluptas ſeruilis. Piſ. 22. 2.
Voluptas tenebras captat. Sext. 20. 9.
quam Voluptatem probat Epicurus. Piſ. 66. 1.
Voluptates belluinæ. *ibid.*
Voluptates blandæ dominæ. Cœl. 42. 5.

Voluptates ingenio officiunt. Cœl. 45. 5.
Voluptates omittendæ eloquentiæ ſtudioſis. Cœl 46. 7.
Voluptates tactus & guſtus. Piſ. 66. 1.
Voluptatum blandimenta. Cœl. 41. 7.
Voluptatum inſolentia. Cœl. 75. 2.
Vox furialis. Sext. 106. 3.
Vox lachrymis impedita. Sext. 123. 1.
Vox veritatis. Cœl. 55. 3.
Vocem tollit conſcientia mala. Piſ. 99. 3.

VRBS.

Vrbs. Sext. 91. 9. & Vat. 10. 5.
Vrbes mœnibus inſtruendæ. Pr. C. 4. 2.
Vrbes ſintne muris cingendæ. *ibid.*
Vrbium medicina. Sext. 135. 7.
Vrbium patroni. Sext. 9. 5.
Vrbium quæ vera propugnacula. Pr. C. 4. 2.
Vrbana comitia. Piſ. 11. 3.
Vrna. Piſ. 85. 1.
Vrnæ, ſiue ſitulæ iudiciales. Vat. 34. 2.
Vſus. Bal. 1. 1.
Vſus pellium in papilionibus faciendæ. Piſon. 87. 3.
Vtilitas legum. Sext. 98. 8.
Vulnera & morbi Reip. Sext. 17. 8.
Vulnus. Cœl. 15. 3.
Vultus. Sext. 106. 2.
Vultus, cœnum. Sext. 20. 3.
Vultus imago animi. Sext. 17. 11.
Vxoris deductio. Sext. 7. 1.

X.

XEnocratis frugalitas. Sext. 110. 6. & Bal. 7. 12.
Ξενίζειν. Piſ. 85. 4.

FINIS.

ALE.4 1691102 01-26217